BIBLIOTECA NAZ.
XXVIII
H
27
NAPOLI
III
7
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVIII
H
7
NAPOLI
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

VNIVERSALIS PLANTARVM HISTORIÆ

Tomus I.

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA PLANTARUM UNIVERSALIS:

Auctoribus

JOHANNE BAUHINO, Archiatro.

JOH. HENRICO CHERLERO, Doctore: Basilienſibus.

Quam recenſuit et auxit

DOMINICUS CHABRÆUS, D. Genevenſis

Juris verò publici fecit,

FR. LUD. A GRAFFENRIED. Dn̄s in Gertzenſee

EBRODUNI

CIↃ IↃCL.

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA

PLANTARVM VNIVERSALIS, NOVA, ET ABSOLVTISSIMA CVM CONSENSV ET DISSENSV CIRCA EAS.

Auctoribus

IOH. BAVHINO ILL. CELS. WIRT. ARCHIATRO,

ET

IOH. HEN. CHERLERO PHILOS. ET MED. DOCT. BASILIENSIBVS

Quam recensuit & auxit

DOMINICVS CHABRÆVS MED. DOCT. GENEVENSIS.

Iuris verò publici fecit.

FRANCISCVS LVD. A GRAFFENRIED. Dominus in Gertzensee &c.

Continens

DESCRIPTIONES STIRPIVM EXACTAS, FIGVRAS NOVAS, EX IPSO PROTOtypo maxima ex parte depictas: earumdem Satum, Cultum, Mangonia: item Vires omnigenas: Præparationes, Extractiones, ac Destillationes præcipuas: Exoticarum Orientis atque Occidentis, aliarumque ante nostrum [illegible] lum incognitarum supra mille Historias nouas. Synonyma: Æquiuoca: Succedanea: præcipuarum linguarum appellationes.

In primis verò

PLACITA VETERVM GRAECORVM, ARABVM, LATINORVM & posterioris seculi Scriptorum;

INTERPRETATIONES AC CORRECTIONES SENTENTIARVM obscuratum & deprauatarum:

In qua præterea

Notantur ERRORES eorum qui de Plantis scripserunt. Ac continentur pleraque omnia, quæ

THEOLOGI, IVRISCONSVLTI, MEDICI, PHILOSOPHI, HISTORICI, POETÆ, GRAMmatici, Geoponici, Architecti, aliique de Plantis promulgarunt.

Vt meritò omnium Herbariorum vicem supplere queat.

ΟΥ ΔΟΚΕΙΝ ΑΛΛ' ΕΙΝΑΙ.

EBRODVNI.

cIↄ Iↄ cL.

Digitized by Google

AVTHORES

AD LECTOREM.

VEtus verbum est, amice & erudite Lector: VINO VENDIBILI NON OPVS ESSE HEDERA SVSPENSA. At contrà, illud & necessarium hodie dicimus, & nobis ità bene placitum: quippe, quod in Rempub. proficuum, & tibi volupe futurum, pro certo ac indubitato asserere non dubitamus. Nam quis tibi, aut alteri dicat, quid totis istis annis, imò tot annorum lustris, in tot prouinciarum, tot dissitarum Mundi plagarum, montibus, præruptis, niualibus, nudis cautibus, collium cespitibus, confragosis, saxosis, crepidinibus, cochlacibus, speluncis, opacis, apricis, sylvosis, segetibus, veteretis, veruactis, amnis, glareosis, pratis, riguis, riuis, littoralibus, mari ipso, parietinis, ruderibus, hortensianis, hortis Adonidis, etiamq; Regiis, subgrundiis, rudectis, frutectis, neglectis, sed nobis perspectis, atq; in ipso etiam Musæolo nostro, perdiu, pernox, è tot voluminibus, tot codicibus, tam variè inter se contrariis, imò ex ipso adeò nostro cerebello vindemiauerimus? Quod, ut ne nescias, accede bonis auibus, ingredere, aspice, gusta, imò sapias, ut in hoc saltem sapias, & quid fons ipse, quid ipsa contineat cella, obiter tantùm subolfacias. Cautum est nostro edicto, ne vina hæc iniqua sint vestris capitibus, sed placida, iucunda, proficua: vt tandem intelligatis, non esse, quod Adagio circumfertur:

Aliud in scripto seu titulo
Aliud in pixide.
VOS IN HANC REM
ô POSTERI
TESTIMONIVM PERHIBETOTE.

ΠΟΤΕΡΟΝ Η ΠΟΤΕΡΟΣ.

GENEROSISS. NOBILISS. SPLENDIdidißimis, Excellentißimusq; Viris

DN. FRANCISCO LUDOVICO AB ERLACH LIBERO BARONI IN SPIETZ, &c.

DN. NICOLAO DACHSELHOFFERO, POTENTISSIMAE BERNATUM REIPUBLICAE CONSULIBUS perpetuis.

Ut &

EIUSDEM REIPUBLICÆ QUÆSTORIBUS, atque TRIBUNIS:

TOTIQUE SENATUI FOELICI, INCLYTO, Dominis gratiosißimis.

HABET, PROCERES ILLUSTRISſimi, In quo ſibi gratuletur Aetas noſtra, eorum Compos quæ nouiſſimis ſaliuam mouerunt. Trigeminos enim quos per quinque Luſtra parturiuit fœtus Vrbs veſtra EBRODUNUM enixa eſt. In procinctu eſt SAPIENS DIVITIARUM NATURALIUM QUAESITOR ACERRIMUS. Orbi nouum accedit Iubar. Cimmeriæ ſecedunt tenebræ. Decuſſâ papyrorum ſyluâ facilis in Memphyticam Abaton aditus. Myſtis Apollineis omnis excutiendæ caliginis conceditur ἀρχιατρεία.

Seneca epiſt. 119.

Obſcurè de plantis ſcripſerat Theophraſtus: barbarè Arabes:

Scalig. de Diosc. judicium.

bes: oſcitanter interdum Dioſcorides: inſulsè nonnunquam ex aliis Plinius: per tranſennam tantùm Galenus: Millies lapſi erant Recentiores, etiam δαφνηφάγοι: ac quotuſquiſque ab alio non disſidebat. Prodit natator Delius, conjector Oedipus, emunctæ naris Cenſor, integer differentiarum Conciliator. Prælis ſubmittitur noſtris OPVS, cujus immenſitas omnes huc vſque Typographos deterruit: vtilitas infinita vota excitauit: varietas & elegantia maris & terræ opes, Ἑσπερίδων μῆλα, exhibet. Ἀκέστεω καὶ Ἑλικῶνος ἔργον. OPVS, inquam, IOANNIS BAVHINI, in quo perficiendo conſenuit Vir judicij acris, exactæ memoriæ, ſtudij indefesſi. Qui, cùm Epimenidis Poëtæ attigerit annos, ejus tamen non dormiuit ſomnum: ſed, vt Ariſto Scepticus, ſemper in quærendo aut conſiderando fuit. OPVS certè eximium, vtile, jucundum. OPVS, quod non immeritò incomparabile dicatur, ſiue dictionem ſpectes, ſiue affabrè pictas & ſculptas Icones innumeras. Sed Ἐπιμενίδεον δέρμα, quod diu admodum Tinearum & Blattarum eſca fuerat, tandémque omnino in illarum ceſſiſſet eſcam, ſi non à ſitu, à mucore, & ab Abderitarum ſorte vindicaſſemus.

Benedictio & MAIESTAS ſit ſacroſanctæ & inenarrabili Triunitati, quæ in hac cadaueroſa Mundi canicie & ſeculorum ſenecta, inter fatales rerum mutationes, Helueticis Laribus tuta impertiri voluit Halcyonia, quibus ponerentur hæc Oua, hi educerentur Pulli. GLORIA ſit Vobis, PROCERES ILLVSTRISSIMI, ob Potentisſimæ Reipublicę ad cujus clauum ſedetis, in ancipiti valdè ſtatu ab omni injuria vindicias: & quòd eâ ſitis erga Literas Literatóſque propenſione, vt meritò jam in veſtris Collibus Muſæ ſuum quærant Helicona, in veſtris Lymphis Gratiæ ſuum Fontem Acidalium. HONOS maneat perpetuus Nobilisſimis, Amplisſimis, & Splendidisſimis DN. MANVELIBVS, DIESBACHIIS, STEIGERIS, cæteriſq; qui in hoc laudabili Inſtituto nobis glaciem fregêre, aperuêre viam. Perennet LAVS magni illius Genij: contingat ejus ſcriptis eadem veneratio quæ olim Accij Tragicis: ſu-

ſpi-

Digitized by

ſpiciant Medici BAVHINI NOMEN, plurimùm illi debet Ars Apollinea. Nec illaudatus abeat Gener eius CHERLERVS, egregiam in hoc opere navavit operam: & (quod de Cælio Oratore Quintilianus) longiore vitâ dignus erat.

NOBIS verò ſi quid debetur honoris & laudis: Totum id Vobis, PROCERES ILLVSTRISSIMI, ſacrum eſſe volumus: Primum hunc HISTORIAE VNIVERSALIS PLANTARVM Tomum, in quo non diſcerptum Abſyrtum, ſed numeris omnibus abſolutam ΔΕΝΔΡΟΛΟΓΙΑΝ exhibemus, ſplendidisſimo NOMINI VESTRO ſubmiſsè inſcribentes. Quibus enim aliis? Apud Vos inchoatus eſt, de Veſtro crevit, in Veſtro naſcitur. Quibus aliis Ciuis veſter, cujus tota Proſapia Vobis obſtricta: cui tot Prouincias concredidiſtis, in quem tanta beneficia contuliſtis? Quibus aliis Ciuis Geneuẽſis, Vrbis vobis fœderatæ, quem non ita pridem, nec leui gratiæ argumento, in re ardua ſuſtinere dignati eſtis: Qui veſtram in gerenda publica re admiratus Prudentiam & Fœlicitatem: Aulæ verò pertæſus, nec ampliùs Mauortios ferens fremitus, quum Colonus veſter fieri exoptaſſet, benignè admodum ac munificè, tum ab Ampliſſimis harum Ditionum Præfectis, tum à veſtris Ebrodunenſibus exceptus eſt.

Trita incedentibus via hîc veſtris eſſet locus laudibus: verùm illis recenſendis ſuperſedemus: Cui enim ad id ſuppetat dicendi flumen? Præterea inſignes quibus eminetis Dotes prædicat Orbis: permanebunt illæ in animis hominum, in æternitate temporum, in fama rerum. Commendatione eget Δενδρολογία noſtra, non vos, PROCERES ILLVSTRISSIMI: Ac ſic, ne quid πάρεργον, ad rem redimus.

Admittite igitur Sacrariis veſtris AETERNVM SVAE GRATITVDINIS & OBSERVANTIAE MONVMENTVM appendere volentes. Suſcipite tenellum Fœtum cui tamdiu in ouo fauiſtis. Fouete illũ in vi̇́culis partus. Sereno vultu facite animum ad reliqua. Veſtris Auſpiciis manumittatur in publicos vſus.

Veſtræ

Vestræ Autoritatis munimine comitatus micantiùs sese omnibus offerat. Timeant malè feriati homines arrodere tanto præsidio redimitum. Cæterùm in secula floreat Inclyta BERNA cum toto suo imperio: Vósque, PROCERES ILLVSTRISSIMI, quàm diutissimè CONSVLES, QVAESTORES, TRIBVNOS, PATRIAE PATRES, RECTORES FOELICISSIMOS habeat. Nobis verò cultu & obsequiis nostris apud vos gratiam detur promereri.

Hæc sunt ΧΑΡΗΣΤΗΡΙΑ, hæc Vota.

Vobis

PROCERES ILLVSTRISSIMI

Deuotissimorum

FRANCISCI LVDOVICI à GRAFFENRIED
gratiosa concessione vestra Ebrodunensis ditionis pro tempore Præfecti.

ET

DOMINICI CHABRÆI M. D.
Illustriß. Celsit. VVirtemb. à Consiliis Medicis,
Vrbisq. Ebrodunensis Medici ordinarij.

Dabant Ebrodun. Idib. Septemb. anno à partu Virginis M. DC. L.

EPIGRAMMA

In Botanicum Bauhinianum Fausti ominis ergò scriptum.

Ad Lectorem.

Quas spectas Plantas in mole VOLVMINIS hujus
Non illas Solis prolicis ardor humo,
Conjuta non illas tellus, non cærula trudunt.
Ponti, non valles, non iuga celsa ferunt:
Non illas peperit felix quondam hortus Edenis
Illas Hesperidum non aluêre sata:
Sculptoris ne te frustretur Dextera solers,
Non vivunt quas tu vivere fortè putas.
Non te decipiat Scriptoris pagina docta,
Natura certans cognitione sua.
Hæ non sunt plantæ, Plantarum at Dædala signa
Quæq; illas oculis restituisse valent.
Quas spectas cunctas in mole VOLVMINIS hujus,
Sive illas Solis prolicis ardor humo.
Educat aut tellus sata, vel maris ima recondunt,
Aut valles humiles, aut juga celsa ferunt.
Quasque aluêre olim pulchra viridaria EDENIS,
Et quas HESPERIDVM læta tulêre sata,
Hîc cunctas spectas, & ni pigmenta desint,
Ars te consilij redderet ambiguum.

Scripsit GEORG. MÜLLER Phil. Prof. Lausann.

Digitized by Google

NOBILISSIMO ET MAGNIFICO
Viro

DN. FR. LVD. A GRAFFEN-RIED DOMINO A GER-ZENSEE.

EBRODVNENSI PRO TEMPORE PRÆFECTO AMPLISSIMO.
VT ET
CLARISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO.

DN. DOMINICO CHABRÆO MEDICINÆ DOCTORI PERITISSIMO

Incomparabilis magni IOHANNIS BAVHINI Phytopinacis Restauratoribus.

Ergò erat insatiis, fors ab omni parte beatum,
Nil quod flammifero Phœbus ab axe videt.
Perpetuò humanis ingentibus obstitit ausis,
Vltima mors rerum linea, ducta Deo.
Deserit inceptum Pictoris imitabile nulli,
Docta celebrati Dextera APPELLIS opus.
Nobilis ÆNEIS, fœtura incepta MARONIS,
Perpetuis tenebris nunc premeretur adhuc.
Tanta nisi exuri vetuisset carmina flammis
AVGVSTVS vindex Nominis ipse sui.
Tucca, Varusque, manu, partum iuuere redemptum:
Prodiit hinc tanti Nobile vatis opus.
Sic quoque, Teuthonicæ, Bauhinus gloria terræ,
Cui sua nascenti munera Apollo dedit:
Nosse potestates herbarum, vsumque medendi,
Lethoque instanti mollere posse merentur:
Infandum suscepit opus, mirabile dictu,
Naturæ cunctas quod quoque promit opes.
Invida præpropera abrumpens sed fila senecta,
Hoc etiam inceptum nobile abrupit opus.
Munificus tandem dum Graffenrerius Heros,
Præsidium Aonii dulce decusque chori:
Hoc lacerum miseratus opus, restaurat Apollo:
Plantarumque Sacræ consulit historiæ:
Adfuit obstetrix pereuntis provida partus:
CHABRAEVS, Medicæ lausque decusque Scholæ.
Virgilius quantùm Augusto debetque Poetis,
Per quos Aeneis restituenda foret;
Tantùm etiam Heroi tanto, medicoque celebri,
Debet Bauhini nobile mentis opus.
His Ducibus depromit opes natura latentes,
Authorisque ingens inde resurgit honos.
Cedite Romani Scriptores, cedite Graii.
Nescio quid maius nascitur Hippocrate.
Omnifera hic thesaurus habet miracula terra
Et quicquid sensus pascere posse datur:
Arboreos quotquot præbent viridaria fœtus,
Frugiferos frutices, umbriferumque nemus:

bonā

by Goog

Dona laboranda Cereris, quot spicula Campus
Reddit aratori, messe vigente sua:
Quotquot irriguis nascuntur gramina pratis,
Gramina lanigero pabula grata gregi.
Quotquot & aprici pinguntur floribus horti:
Quotquot in umbrosa lilia valle nitent:
Quot palus uda herbas sinuosa vel aquora ponti,
Thessala vel Tempe, vel iuga celsa fouent.
Pandit opes Medicina suas, arcana recludit,
Pharmaca lethiferis opposituura malis.
Hic docet arte sacra, manes revocare sepultos,
Curtaq. Parcarum stamina protrahere.
Cede Dioscorides, & vos monumenta Galeni,
Magne creatricis tu quoq. Scriba Dea.
Gloria Teuthonica non infima Fuchsius ora,
Cedat Lobelius, Cedat & ipse Pena.
Cui Dodona dedit memorabile nomen, & omen.
Quem iactat ciuem culta Siena suum.
Clusius, atque Tragus, Rhodanique, Ararisq. fluenta
Quem celebrant, primus qui fuit ante liber.
Cedite Scriptores Romani, cedite Grati:
Inter Scriptores hic Coryphaeus erit.
Cunctorum instar erit liber iste medentibus unus:
Bibliotheca ingens, Hic liber unus erit.
Inclyte quas Grafenreri, pro munere tanto
Persolvet grates iam tibi posteritas?
Dum nemus umbrosum, & viridaria culta virebunt,
Dum variis pictus floribus hortus erit:
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt,
Nobilis Arctoi lucida stella Poli,
Quo pede coepisti, vestigia auita secutus,
Mecoenas Musis perge fauere sacris.
Floruit imperio Respublica patris auito:
Parnassusque tuo floreat auspicio.
Sic Panacea procul depellat corpore morbos:
Sic charum hoc nobis seruet Hygeia caput:
Sic tibi Bernensi patria duce & auspice detur,
Semper honorata sceptra tenere manu.
Tu quoque qui magnus medicus Chabrae fuisti,
Cui liber hic quondam restituendus erat.
Laudibus aeternis seris celebrabere seclis,
Et tua posteritas nomina grata canet:
Sedula deuincit cunctos tua cura medentes:
Hinc tibi non reddi gratia digna potest
Expectate diu liber hic, ad luminis auras.
Prodi auibus faustis, auspiciisque sacris.
Viuite foelices longaeuos Nestoris annos.
Hoc quibus eximium viuere coepit opus.
Quique Nomen habet deductum ab origine Graeca,
Omenque a pura simplicitate suum,
Venturo memori canet immortalia seclo,
Versibus assiduò nomina vestra suis.

IOHANNES PETRVS DAPPLES.
Med. Pract.

HISTORIAE GENERALIS STIRPIVM SIVE PLANTARVM

LIBER PRIMVS:

QVI CONTINET POMIFERAS, ET EAS, QVÆ ΜΗΛΕΑ GRÆCIS DICTA proferunt: *Item Pyra*, & quæcunque ad hæc aliquo modo possunt referri, tàm indigena, quàm exotica.

TOTIVS naturæ Botanicæ (quanta quidem hactenus innotuit) historiam pro virili traditurù, arborum honores primùm celebrasse conueniat. Exordium itaque fiat à Pomiferis arborum vulgatißimis. Quid si & dignioribus cæteris, vtilißimis, atque adeò humano generi primo cognitis? quippe quarum fructus (cuiuscunque tandem generis Pomi fuerit) primum illud primi hominis desiderium, quamuis à summo Opifice vetitum, commouerit; quæ fundi nostri est calamitas. Quamobrem sequi par est ordinem naturæ, ac ipsius adeò vitæ, ac DEI OPT. MAX. honoribus primordia ingerere. Sed & ordo doctrinæ, qui vel maximè nobis, quantum per varietatem licebit, in hoc opere spectandus, consentire videtur, nempe vt à vulgatißimis, ac nobis priùs cognitis incipiamus. Sic studiosis quoque, quibus potißimùm noster hic labor dicatus, haud parùm consultum videbitur. Quid enim vulgatius Pomis in genere dictis in toto hocce tractu Europæo? Ac ipsa quidem copia, varietásque, eam statim vel cuiuis cordato iniiciat difficultatem, vt existimet, vix omnia à quoquam tradi posse. Sed nostrum est, & ab aliis tradita in ordinem cogere, & ex propriarum obseruationum cognitione, quanto possumus maximo studio, opus nostrum ditare. Deus adspiret cœptis.

DE MALIS

CAP. I.



ERgo agmen primum ducant Mali seu Pomi, quarum haud temerè aliud genus supperet varietatem. Et sanè blanditur suo operi humana quoq; industria, maioremque viridariorum fructiferis arboribus honorem tribuit, inter quas sine dubio eminet Pomus, restricta laxiore vocabuli significatione, quam candem Malum vocant, ex Græco fonte deducto nomine, [illegible] enim & [illegible] dicunt Græci, quam nos Malum: Cuius summa fastigia duo; syluestre & domesticum. Illud neglectum suæ spontis est: hoc culturá experitur, vt notius ita vtilius, complurimque specierum. Sic vt vnicuique ferè prouinciæ suæ sint, quas alia vix agnoscat, differentiæ: quibus ferè commune, vt ramis magis patula plerumque sit, quàm alta arbor, cortice scabro, sæpè muscoso obtecta, foris cinereo, intus flauo, ac læui potiùs quã aspero, materie alba vel candicãte, mediocriter dura, & variis vtensilibus præsertim domesticis parandis, atque ad torni artificium haud incommoda, radice non valdè multa, nec admodum profunda, sed in summo ferè terræ obhærente. Folia ex rotundo oblonga, vel obtusa, vel acuminata, infernè villosa magis, quàm supernè, præsertim noua, in ambitu crenata. Flores simul multi, ex breuibus tomentosis pediculis, suaueolentes, candidi vel purpurascentes, ex quinque foliolis congesti, apicibus in medio sufflauis. Ipsa verò Mala adeò variant forma, magnitudine, colore, sapore, vt dinumerare haud sit facilè. In genere tamen Malum fructus est, magnitudine & figura varius: quippe, aliud rotundum, aliud turbinatum, aliud sessile, quædam etiam angulosa. Sunt etiam quæ ad pugni gemini magnitudinem accedant, sunt & parua, & mediocria, tunicá omnia contecta vel pallidá, vel flauescente, interdum & rubra, aut ex toto, aut ex parte, rariùs subcinerea, aut ad glaucum vergente, cui caro seu pulpa subest mitis, odorata in maturis, in immaturis & syluestribus durior: sapore vel dulci, vel subacido atq; vinoso, vel acidodulci: in syluestri austera atque acerba. Pediculo suo quodque hæret, eo ipso longitudine & crassitudine diuerso, è parte inferna atque, vt plurimùm cauata, rariùs prominente, emerso: in cuius opposito, parte nimirùm superna est, id quod [illegible] quidam vocant ex Polluce, alij [illegible], vmbiculus nempe seu cauitas quædam, cui inutile illud floris residuum incidet, nigrum & foliaceum, quod Germanis [illegible] dicitur, quasi res nihil & reiectanea. In ipso fructus me-

Etymon. Summa fastigia. Descriptio Mali vniuersalis. Cortex. Materies. Folia. Flores. Fructus. Mali fructus descriptio generalis. Sapor. Pediculus. Pythmen.

ditullio seu Volua Scribonio dicta Græcis [illegible] semina latitant oblonga, altera parte obtusa, altera acuta qua petiolum spectant intus latentia, nigra, quod maturitatis signum est, alioqui candida, membranaceis quibusdam atque duris pelliculis seu parietibus intergerinis seiuncta, ita vt singula, in singulis latitent cellulis, interdum etiam gemina, quorum medulla candida, sapore subdulci. Hæc ferè sunt quæ omnibus malis sunt communia, & in figura apposita, quantum fieri potuit, in tantula tabella satis feliciter expressa.

Theoph. Malorũ differentiæ.

Theophrastus magni nominis philosophus, & priscorum Botanicorum sine æmulo Clarissimus & antiquissimus scriptor, varia diuersis locis de Malo prodidit, quæ compendio huc censuimus referẽda, quòd ad historiam & naturam eius declarandam plurimùm faciant. In genere igitur domesticam agnoscit atque agrestem, & aliam præcocem, aliam serotinam, causamque refert ad coctionis facilitatem, vel difficultatem. Sed de differentiis postea specialiùs agemus. Nunc ea videamus, quæ naturam earum maximè respiciunt. Omnia (inquit ille) quæ montibus & planis communia sunt, aspectu maiora pulchrioraque in planis nascuntur, sed si vsum spectes, vel materiei, vel fructus, in montibus meliora, exceptis Malis Pyrisq; Hæ quippe in planis & fructu & materie præstantiores spectantur at in montibus breues, tortuosæ & spinosæ. Et quæ fructibus suis sata proueniunt, ea omnia quodammodo deteriora redduntur, quædam etiam prorsus degenerant, vt Malus suo sata fructu vel deterior exit genere vel ex dulci fit acida. Arborum facillima & innocẽtissima est Malus, neque enim numerosam agit radicem, & alimento mediocri contenta est, & citò senescit, vt diu infestare nequeat. Nam breuis est vitæ, præcipuè verna, citiusque senescit dulcis, quàm acida. Senescunt quidem putrescuntque velocius cæteris quibusdam arboribus, sed rursus germinant ex seipsis. Ex omnibus infirmissima est Verna, & earum potissimùm dulcis, quę tamen præter debilitatem fertilissima est, quæ si aqua feruenti rigetur, fit melior, & si plagis debilitetur, ramorum præcisione sanatur. In genere Malus rarò ex ramis emergit: Verna tamen oritur auulsione, sine radice aut stolone. Maximè peculiares Malis sunt nodi, quorum sunt quę belluinam faciem referãt, estque ferè vnus insignis, quem alij minores circũquaq; stipant. Possunt Mali ferre & plagas, & incisiones ipsasq; adeò fissiones, cùm reliqua ferè omnia fisso caudice pereãt. Mali dulces magis putredini obnoxiæ sunt, quàm acidæ, & omniũ maximè vernæ, succi, atque totius imbecillitate naturæ.

Mali in planis & montibus. Mali satum degenerant. Mali radix & ætas. Malus Verna. Satus. Malorum nodi facie belluina. Mali dulces.

Vermiculantur quoque maximè Mali, præsertim in locis calidioribus, quòd radices earum breui arescãt. Fructum item antequam coquant, amittere possunt, & solent. Hæc ferè Theophrastus de Malo arbore, diuersis, vti dictum, locis, quorum quædam obseruationem & experientiam curiosiorem flagitant, quemadmodum est istud, quod alicubi quærit, cur Mali non congelascant, quam tamen alibi raro corpore esse scribit, quæ dispositio quædam esse videtur ad meliorem frigoris receptionem. Et sanè apud nos Montbelgardi & in toto ferè hoc tractu Mali curtipendulæ dictæ, haud rarò patiuntur gelu, eoque necantur. Illud mirum, quod Theophrastus ait: Mala agrestia sui generis vrbanis esse Odoratiora, & Malorum, tàm syluestrium quàm vrbanorum, quæ acerbissima sint, suauissimè olere: denique eadem plus reddere odoris, si cocta omninò non sint. Causam verò qui scire desiderat, legat c.14. l.6. de caus. Plant. Item: Malũ trahit & suscipit humorum odores, quod etsi carnosum sit & putredini obnoxium, ipsa tamen semina diutissimè durant. Atq; videtur iis pulpa maior obtecta in eum finem, vt diutiùs perdurent, quasi ad eorum tutelam à natura esset creata, cui interim hic præfixus sit terminus, vt in hominis cedat vsum. Solebant veteres Mala etiamnum arbori annexa grandiora efficere hac arte. Ea itaque ramo suo annexa atque ollæ inclusa sequaci flexu deducebant, atq; terra obruebant. Ita optima ratione fiebant maiora. Nã quantũ humoris à sole aereq; detrahebatur, tantũ vtiq, olla coercẽdo seruabat: ipso interim fructu è terra quoq; alliciente succo, quo abundè aletur. Sed hactenus de Mali natura in genere.

Malorum vermiculatio. Mali fructũ amittunt. Quæstio. Malorum agrestium & Vrbanorum odor. Qua arte Mala fiant grandiora.

Nomina Mali arboris. Pomus. Pomum.

Nunc nomina persequamur & differentias. Malus Latinis, à malitia dicta, vt vult D. Hieron. sed Grammaticis à Græco tracta vox; aliis Pomus, sed restrictiore significatione, vt iam antè dictum. Tamen Plinius in quintodecimo genere neutro ipsam quoque arborem appellauit, vbi Poma putanda esse docet, sicut & Vites Græcis [illegible], vt Hippocrati, Theophrasto, Dioscoridi, & reliquis. Constantinus tamen in Geoponicis [illegible] quoque dixit ipsam arborem, quæ vox apud Gal. [illegible] dicitur de Malo Cotonea. Hebræis Tappuach, quod & arborem & fructum significat, autore Trago. Germ. Apffelbaum vel Epffelbaum. Belg. Appelboom. Gallicè Pommier. Ital. Pomo, Pomero, Melo Pomaro. Hisp. Mançana, Angl. Appel-tree.

Tappuach. Hebr. Nomina fructus.

Ipse verò fructus Malum Latinis, & Pomum angusta significatione. Alioqui Pomum sub se complectitur, quicquid apud Græcos [illegible] continet, vt annotant Hermol. atque Marcellus apud Diosc. Pomum M. Varro dictum autumat, quia potu siccitatibus indigeat. Cui non assentitur Scaliger, qui dictum potiùs putat, quia sitim etiam tollant eorum plurima, simul vt sint cibo & potui. Quid si etiam Malum dictum, quasi [illegible] Antonomasticè (inquiunt Monachi apud Mesuem) Poma & Mala idem sunt, & referuntur ad illa, quæ vulgò Mila, seu Mela, quasi mellea vocantur.

Pomũ vnde. Mila.

Sed quid ad hæc Goropius, vir ille doctissimus? Nimirum Malum, inquit, vocabulum Latinis & Græcis vt commune est, ita apud neutros etymologia eius reperta, quæ quidem tolerabilis possit videri. Quid enim frigidius, quã [illegible] deducere &c. Mali nomen è sermone nostro (Cimbrico) ad Græcos & Latinos venit &c. Poma Mala dicta sunt, quia ex iis primum hominum conuiuium, siue Mal fuerit apparatum. Item alibi Malum si de prima origine interpretemur, omnem arboris fructum significat, qui hominum conuiuio est idoneus, qui vetus fuit huius vocabuli vsus, quod Eustachius nõ semel annotauit. Et denuo alibi: Malum apud Græcos & Latinos pro Pomo, à Mal &c. Græcis [illegible] Æolicè, vt testatur M. Varro de lingua Latina: & Melophori apud Persas dicebantur spiculatores & satellites, quòd thoraces, in quibus Malorum effigies expressæ forent, ferrent. Ex quibus mille selecti, regis custodiæ destinarentur & Philomeli dicti, qui auidè Mala comederent: qualis memoratur princeps Gordianus iunior, qui cùm esset in omni ciborum genere parcissimus, Pomorum tamen semper aliquid deuorauit, vt tradit Curtius. Constantinus etiam princeps, (referente Ammiano) quoad vixit, Pomorum aliquid semper degustauit. Tales igitur haud temerè quis dixerit Milophagos. Nec malè hîc referemus, quod apud Athenæum Dionysius primus Pomorum inuentor fuisse legitur, quem Latini Bacchum vocant. Homerus Malum [illegible] dixit, ob splendidi fructus atque formosi præstantiam & suauitatem.

Mala à Mal voce Germanica. Melophori. Philomeli. Milophagi. Pomorum inuentor. Bacchus. Aglaocarpos.

Arab. Tuffa, Tufaha. Germ. Apffel, Depffel. Belg. & Angl. Appel. Gall. Pomme vel Pome. It. Pomo, Mele, Hisp. Castil. Mançana, Mansana. Portug. Maçan. Bohem. Jablko. In differentiis multiplex & propemodum infinita varietas occurrit. Hippocrates in secundo de diæta duas agnouit: [illegible], Mala dulcia: & [illegible], Acida. Theophrastus [illegible], Agrestia & vrbana. Item à tempore Verna, serotina: à sapore, dulcia, acida, sed neutrum horum generum exactè describit. Dioscorides habet [illegible], aliis [illegible] dicta. Item [illegible]. Romanis [illegible]: sed neutrius vel lemma quidem adiicit, vt quæ qua lia ve intellexerit, posteritati constare posset.

Tuffa Arab. Differentiæ. Hip. Dulcia. Acida. Theophrasti diff. Agrestia. Vrbana. Verna. Serotina.

Galenus

Galeni diff.

Galenus [illegible]: hoc est, dulcia, austera, acerba, acida, exoluta & aquea, quæ postrema quis non insubidè, nostro iudicio, [illegible] dixerit, vel insipida. His addes ea, quæ [illegible] vocat, quòd tenera Platanorum folia gustu quodammodo repræsentent, qualia apud se & in multis Asiæ locis suibus proiici testatur, quod minùs laudatæ sint bonitatis. Transeamus ad Latinos, neq; enim omnia ex omnibus Græcis, sed ex præcipuis tantùm, & qui ex professo aliquid de plantis prodiderunt, referri par est.

Catonis.

M. Cato de re Rustica meminit malorum Scantianorum, quæ & alia in doliis condi solebant, item syluaticorum, quotannis condiri solitorum.

Varronis.

Varro Mali biferę, agri Consentini. Conditiua hęc recēset: Struthea, Cotonea, Scantiana, Quiriniana, Orbiculata, & quæ antea Mustea vocata, postea Melimela dicta sint.

Columella.

Columella ista: Orbiculata, Sextiana, Melimela, Matiana, Scandiana, Pelusiana, Amerina, Syriaca, Cydonia; quorum tria genera facit: Struthia, Chrysomeliana, Mustea.

Palladius.

Palladius quoque Malorum plura genera scribit, quæ tamen numerare superfluum putauit. Speciatim Rotunda tantùm nominat, quæ & Orbiculata dici ait.

Celsi.

Celsus trium tantùm meminit, Orbiculatorum, Scandianorum & Amerinorum.

Virg.

Virgilius in Eglogis Malorum atque Pomorum, siue Malorum in genere tantùm meminit. ------ *sunt nobis mitia Poma*: Item

Cui pendere sua pateréris in arbore Poma:

Vbi tamen quidam Mala legunt cuius & alibi meminit idem Poeta.

Malo me Galatea petit lasciua puella:

quos versus ad Malum, de quo hoc capite agimus, referunt, quamuis alij aliter interpretentur.

Poma mitia.

Mitia sanè Poma quàm optimè dicuntur, hæc nostra, quod epitheton haud feliciùs alteri cuidam Pomorum generi dicaueris.

Mala Cana.

Quę verò sint Cana illa Mala, quorum idem in iisdem Eclogis meminit, dubitatur.

Frisius notatur.

Io. Frisius in annotationibus suis in easdē, Trauchet öpffel interpretatur quasi propriè sint Mala. Sed ex ipsomet Virgilio satis patet non veram esse illam interpretationem, quippe qui lanuginem habere dicit, quam sanè in nostro Malo propriè dicto non videmus. Nos alio referimus.

Melimela. Martial.

Martialis Melimela celebrat in Epigr.

Si tibi Cecropio saturata Cydonia melle
Ponentur, dicas hæc Melimela licet.

Item: *Dulcibus aut certant quæ Melimela fauis.*

Sed relictis hîc Poetis, naturæ potiùs miraculum, Plinium consulamus, qui paullò curiosiùs de his prodidit, Malorumque plura genera tradidit.

Genera ex Plinio.

Penè peregrina sunt (inquit) in vno Italiæ agro Veronensi nascentia,

Tubera. Lanata.

(Tubera intelligit Hermolaus: nos ad Mala referimus) quæ Lanata appellantur. Lanugo ea obducit, Strutheis quidem Persicisque plurima: his tamen peculiare nomen dedit, nulla alia commendatione insignibus.

Matiana. Cestiana. Manliana.

Ergo (Mala) habent originem à Matio, Gestioque & Manlio, item Claudio. (Cestiana vocat Galenus l. 13. Meth. c. 14. vide num legendum Cestio. Dal.)

Claudiana. Appiana.

Quibus Cotoneo insito (Cotonea insita. Vet. Quin & Cotoneo insita. Dal.) ab Appio è Claudia gente, Appiana sunt cognominata. Odor est his Cotoneorum, magnitudo quæ Claudianis, (Scandianis CH.) color rubens. Ac ne quis id ambitu valuisse claritatis & familiæ putet,

Sceptiana.

sunt & Sceptiana ab inuentore libertino, insigni rotunditate.

Quiriana. Scantiana.

Cato adiicit Quiriana, & quæ tradit in doliis condi, Scantiana.

Petisia. Camerina. Græcula.

Omnium autem nuperrimè adoptata sūt parua, gratissimi saporis, quæ Petisia nominantur. Patrias nobilitauere Camerina, & Græcula: (Temetiana & Gracula. CH.) vel vti Columella, Ameriana)

Gemella. Serica. Melappia. Mustea. Melimela.

Cętera è causis traxêre nomen, germanitate cohærentia & Gemella, nunquam singula in fœtu, colore Serica, cognatione Melappia. Mustea à celeritate mitescendi: quæ nunc Melimela dicuntur, à sapore melleo.

Orbiculata.

Orbiculata, à figura orbis in rotunditatem circumacti. Hæc in Epiro primùm prouenisse, argumento sunt Græci, qui Epirotica vocant.

Epirotica. Orthomastica.

Mammarum effigie Orthomastica (Orthomastia. CH.)

Spadonia.

A conditione castrati seminis, quæ Spadonia appellāt Belgæ. Melofoliis (alij Melophyllis habent) folium vnum, aliquando & geminum erumpit è latere medio.

Pannucea. Pulmonea.

Celerrimè in rugas marcescunt Pannucea. Stolidè tument Pulmonea.

Sanguinea ex Mori insitu.

Sunt quibus sanguineus est color, origine ex Mori insitu tracta. Cūctis verò, quæ fuerunt à sole, partes rubent.

Syluestria.

Sunt & parua gratia saporis, atq; etiam acutiora odore syluestria. Id peculiare improbitatis & acerbitatis conuitiū, & vis tanta, vt aciem gladij perstringat.

Daca.

Dacis fermè vilissimū nomen quāquam primis aduentu, decerpique properantibus.

Cadiua.

His annumeranda Cadiua, quorū id. in Plin. alibi meminit: & addit: Amerina maximè durare: (vbi tamen Camerina legendum putat Dal. vt paulò antè) Melimela minimè.

Mali biferæ.

Et rursus alibi: Biferæ & in Malis ac Pyris quædam, sicut & præcoces. Malus syluestris Bifera. Sequens eius fructus post Arcturum in apricis maximè. Marcus Varro autor est, fuisse biferam Malum in agro Consentino.

Malorum ætas.

In genere, Malis in senecta cadit cortex, quibus breuissima est vita: & in his præcocibus breuior, quàm serotinis; dulcibus, quàm acutis. Malis odor acutus, Persicis dilutus, dulcibus nullus. Reliqua quæ passim de Malorum natura habet Plinius, ex Theophrasto desumpta sunt, quæ iam suprà recensuimus. Non temere tamen mirantur aliqui cur Plinius non hîc memorarit [illegible] minata illa, sed quæ tantùm in amoribus conciliandis valere crediderunt, vt fœminas posse iis pellicere ad concubitum sperarent.

Mala Bacchi.

Coronæ ex illis Bacchi statuæ imponebantur. Theocritus.

[illegible]

Eius fortè generis fuerunt Mala, quæ manibus tenentem Nanam Nympham concepisse tradit Arnobius: quò fortassis pertinet hic versus ex Annalibus Attij apud Nonium,

Mala manu retinens grauido concepit in aluo.

Ios. Scalig.

Veterum Mala nostris accommodantur.

Sed mittamus Græcorum fabulas, & perquiramus potiùs quænam sint illa Plinij Malorum genera, & nunquid eorum quædam ad nostram etiam ætatem peruenerint? Dalechampius diligentissimus Plinij interpres, vult,

Mala Capandu.

Cestiana esse *Capandu* Gallis dicta, nobis Curtipēdica, quę infra describemus:

Apioles. Suzine. Pommepoire. Malopyra. Poirepôme. Pyromela.

Petisia, vulgò *Apioles* dicta, quasi Apiolina dicas, Serica, *Suzine*: Melapia, *Poirepomme*, vel *Pommepoire*, quasi Malopyra, aut Pyromela dicas, vulgò Gallis *Girandete*: Mustea siue Melimela, quæ prima omniū maturescunt, nunc Poma S. Io. iisdē vulgato idiomate dicta: aliis Poma amoris autore Scaligero.

Pôme rose. Taponne. Passepôme. Pommes Grillottes. Pannetes. Follanes. Grosse pomme rouge.

Orbiculata, *Pomme rose*: Orthomastica, *Taponne*: Spadonia, Belgis *Passepomme*, Allobrogibus Sabaudis, *Pommes Grillottes*: Pannucea, *Pannetes*: Pulmonea, *Follanes*, quod & ipsum stolidorum nomini conuenit: Sanguinea *Grosse Pomme rouge*: Camerina *Granoi*: eáque omnia Malorū genera etiamnū hodie circa Lugdunum esse frequentia.

Pommes gelees.

Pannucea quidam putant, quæ Prouinciales vocant *Pommes gelees*. Et sanè Melapia haud malè quadrāt cū voce Melopyra, si nomen spectes, atq; inde etiā à Plinio nomen inditū volunt, quod Malorū & Pyrorū speciē quādā habeāt, illāq; esse cognationē à Plinio ea voce indicatā.

Pannuceorũ etymon.

Pannucea verò Turnebus tradit dicta, quasi in pannos fathiscentia, & rugarum plicas, Persio Pannucea Baucis, vel tumida & prępinguis ac suffarcinata, vel pannis multis conglobata, & conglomerata. Hactenus quæ ex Plinio & ad eius explicationem.

Malorum differentiæ ex Athen. Delphica. Orbicata. Setania.

Atheneus quoque quasdam ponit Malorum differentias, ex Mnesithei cuiusdam Atheniensis libro de Eduliis desumptas. Primùm Mala Delphica dicta. 2. Orbicata, quibus astrictio cū dulcedine. 3. Setania

Platania. Mordiana.

& Platania, succi bonitate commendata. 4. Mordiana dicta, quæ optima speciosissimaque nascuntur Apolloniæ, quam Mordiam nominant: proportione respondere orbicatis. Glaucides inquit, omnium fructuum esse præstantissima Mala Cydonia, Struthia, & Phaulia. His addit Verna Mala: quæ ex Philotimi libro de Alimentis, Pyris ægriùs coquuntur: Excellentia quidem mala nascuntur in Sidunte agri Corinthij vico, vt autor est Euphorion, siue Archytas, in Grue, his verbis.

Struthia. Phaulia. Verna.

Elegans vt Malum quod in argillis ripis.
Siduntis parua purpureum alitur.

Purpurea. Laconica. Siduntia. Lanuginosa.

Vernat Malos (ἠρινά) Laconicas & Siduntias lanuginosas (χνοώδεις) appellat. Ego verò, inquit Athen. omnium maximè admiratus sum Mala Romæ venalia, nomine Mattiana, (quidam esse volunt nostra Curtipendula) quæ aduehi ferunt è quodam pago, sito in Alpibus propè Aquileiã. Illis bonitate non multùm cedunt, quæ in Gangris vrbe Paphlagoniæ gignũtur. Miror (inquit Goropius) quid Natali de Comitibus venerit in mentem, vt Battiana in Atheneo verteret pro Matianis, vel hæc sunt, vel horum loco edi possunt quæ nos Heer-stuk, Hispani Camozar vocant: apud quosdam vitiosè legitur Martiana, quemadmodum & apud Macrobium. Idem Athen. l. 3. Malorum Delphicorum meminit: sed ea minùs probate videtur. Ex recentioribus HERMOLAVS præter ea, quæ ex Plinio transcripsit, pauca de suis adiecit: speciatim Matianorũ quoque meminit, ex vico Aquiliensi sub ipsas Alpes, quibus similitudine respondeant Gangeris Paphlagone vrbe nascentia, nũc Hispaniæ vernaculo vocabulo Matiana in commune esse Mala omnia. In nomine esse & Gestiana siue Sextiana, siue, vt Græci scribunt, κεστιανά: quoniam & Cestomela vocantur ab Ætio, quanquam ridiculè à Cesto, id est, loco dicta quidam interpretum existimant, cui similia sunt cortice. Hęc ipsa & Pezomela vulgo dicũt & austera prædicãt. Austera è dulci sũt Aphratomela: Odorata hæc, & pulpã habent asperã & squallẽtẽ, vt Cidonia. CVRTIVS partim, ex aliis, partim ex sua obseruatione hæc habet: Columella lapidosa vocat, in quibus reperiuntur calculi. A colore Sericata, Rubra Macrobio, quæ & Rubelliana, cortice sanguineo, carne intus friabili, non ingrato sapore, & ex austero subdulci, nec citò fugientia. Melimela arbitrantur quidam Mitia à Virgilio in Bucolicis vocari. A Celeri prouentu Macrobio Præcocia. Columellæ & Macrobio Scandiana, Cato Scantiana vocat: hic etiã Quiriana: ille verò addidit Conimela, & reliqua, de quibus supra. Itẽ Ἀπιανά, Martiana, Agrana, Prosina, Situtia. Polluci quędam ἀστεῖα dicta, alij Delphica vocant: Syrica etiam Macrobio Tiburneriana, siue Tiburtia, vt ait Horatius, quæ Picenis cedunt, vt hic ait:

Mattiana: an Curtipendula? Hermolai differentiæ. Matiana. Gangeriana. Matiana Hispanis. κεστιανά. Cestomela. Aphratomela. Curtio differentia eius. Lapidosa. Sericata. Mitia. Præcocia. Scandiana. Quiriana. Ἀπιανά. Martiana. Agrana. Prosina. ἀστεῖα. Tiburtiana. Picena.

Picenis cedunt Pomis Tyburtia succo.
Nam facie præstant———

Canamela. Paradisiaca. Mallapia. Petesia. Rosea. Pyromela. Malapyra. Rubelliana. Purpurea. Cornea. Castiniana.

A sapore dulci Canamela siue Canamila, magnitudine media, colore, cùm maturuerunt, luteo, saporis iucundissimi atq; odoris gratissimi. Paradisiaca apud Lutetianos parua sũt, fugacia & dulcia. Appiana olim vocata nũc existimantur, quæ addito Mali nomine, Mallapia vocitentur. Prēstantissima nũc quoq; existimãtur, vt de his vulgò decãtetur, omne Malum præter Appiũ Malũ. Nescio nũ sit illud genus, quod Plinius Petesia, Hetruria nũc Rosea vocat. Apud nos tamen & Rosea & Melappia distinguuntur. A Pyro quoq; dicũtur & à duplici genere Pyrorũ & Malorũ, Pyromela & Malapyra. Ramburea prægrandia, rotunda, callo fragili, tenera, minimè fugacia: apud Ambianenses in Gallia Belgica præcipua: alibi Rubelliana vocantur. An ea verò sint, quæ Columella Purpurea vocat, dubitarim. Cortice rubro, carne intus friabili, sapore non ingrato. A cornea similitudine Cornea vulgus Italicum vocat. Alia Castiniana gustu austeriore, oblonga, mediocri magnitudine, dura, vt castaneæ cartilagine, vnde nomen sumpserunt. Alia Francerina, rotundo habitu, & amplo, duriore callo, modica acerbitate grata, quæ in dulcedinem degenerat. A tẽpore maturitatis Ioannina vocamus, quòd circa D. Io. Bapt. natiuitatẽ esui sint. Parua sunt, albentia, citò fugacia, nulla alia dote prædita, quã quòd prima edantur. Didia in honore sunt, ampliora, rotunda: Follana etiam plurimùm, albo callo, carne molli, ac grato sapore, Blandurella, pulchra, rotundiore forma, colore albo, nitente cute. Sunt ab Augusto mense, alij Præpomum vocant, quòd alia Pomorum genera præcellat, sapore suaui & odoratiori: Oblongum est, à pediculo in acumen tendens, Patriam nobilitauit quod Susinum dicitur, à Susa oppido Italiæ: paruum hoc, orbiculatum, à latere per lineas rubens, gratissimi gustus, Rosea nonnulli existimant, quæ antiquis Pyrotica dicebantur, Susinis maiora, à colore rubro, sic appellata. Apud Allobroges Girodeta celebrantur: parua sunt in latitudinem rotunda, & in rubrum rufa, multùm serotina. Monachi in Mesuen celebrant dulcia, acetosa & Muza dicta. Sic illi vocant: adduntque Mesuen per dulcia Mala intelligere Apia nũcupata, in quorum defectu substitui posse aiunt Maciana, seu Mala Derij, seu alia dulcia. Pro acetosis siue acribus syluestria recipi posse. Muza verò Mala esse media inter dulcia & acria. Eluch. Tab. 2. Poma dulcia, Süssäpffel ex Ierusalẽ sunt optima, cęteris tẽperatiora. Sequuntur Fotani & Malui. Tũ Poma acida: Saurëäpffel. Idẽ Tab. 3. Poma dulcia Paradisiaca, Melonib. dulcibus similes habent vires. Qualia autem ista sint omnia, & quæ, fatemur nos ignorare. An verò Heronis bona? perquirant diligentes. Gallis vt scribit RVELLIVS Pomorum differentiæ propè innumere, quando etsi veteres hæc genera Malorum annotauerint, posteritas miscella insitione antiquitatem longè vicit. In Gallia principatum obtinent, quæ Capendua vulgò vocant, sui saporis, verùm adeò grati, vt & trans maria vænenat: gestatum plus quàm alicui sit credibile, tolerant in tanta suauitate minimè fugacia, magnitudine media, colore, cùm maturuerint luteo, suaui odore, sed angusto, quo tamen animum exhilarent: cartilagine corporis dura, vt quæ possint in annum protelari. Sæpè & bina vidimus. Secundas partes sibi vendicant, quæ ab Ambianensi municipio Rambura vulgus nominat, prægrandia, rotunda, callo fragili, tenero, vt quæ ventorum flatu deturbata in partes desiliant, mira & suauitate gustus & teneritudine, ita vt in ore frusta liquescant, sed vt fugientia, diu seruari non possunt, neque ferè ad exitum Autumni prorogantur. Proxima sunt, nec eis suauitate cedentia, quæ vulgò Passipoma nominantur, quod cum reliquis omnibus de primatu certarent, nisi tam fugacia noscerentur, inde vernaculum nomen ductum est, mediocri magnitudine, turbinatiore figura, carne suaui, prætenera, gustu perquàm iucundo, semine per maturitatem in vtero sonante. Sed vt mirè placent, ita citò fugiunt. Accedunt, quæ Paradisiana, quasi cælitùs missa nominantur, præparua, mellea dulcedine, præcoci celeritate, quasi verna, concretu pauco ea malaciis prægnantium expetuntur, omnium ferè Pomorum fugacissima. Alia dulcia, callo corporis duriore, rotunda, quæ ob sui nimiam dulcedinem, à palato morosiore laborantium fastidiuntur, ea putauerim esse, quæ Melimela dicuntur, à melleo sapore eadem à celeritate mitescendi, Mustea, vt inquit Varro, vocabantur. Mustea sanè veteres appellabant, id quod nos præcocia. Acida vulgus nostrum Malacria à saporis acremento nuncupat, oblongiora, dura carne, ex acerbo leniter acescente. Annum hæc sæpiùs durant, ægris ad inuitandam elanguescentem appetẽtiam nonnunquã concessa. Alia

Francerina. Ioannina. Didia. Follana. Blandurella. Præpomum. Susinum. Rosea. Pyrotica. Girodeta. Monachorũ in Mes. differentiæ. Muza. Apia. Maciana. Mala Derij. Poma Ierusalem. Fotani. Malui. Acida. Paradisiaca. Ruellio Pomorum differentiæ. Capendua. Rambura. Passipoma. Paradisiana. Dulcia. Melimela. Mustea. Acida. Malacria.

Castinia. Alia Castinia, austeriore gustu, dura, velut castaneæ, cartilagine, mediocri magnitudine, oblonga. Francetina. Alia vulgò Francetina, rotundo habitu & amplo, duriore callo, grata acerbitate, quæ tandem in dulcedinem degeneret, ea diu seruari possunt, & annicula sæpè reperiuntur. Sed Rubelliana. & Rubelliana, sanguineo cortice, carne intus friabili, sapore non ingrato, & ex austero subdulci, nec citò fugientia. Melimela verò, quorum antea aliquoties meminimus, nullam in antiquis longiorem habent historiam. Epirotica. De Epiroticis autem, Orbiculata. quæ Romani Orbiculata dixerunt, facilè erit (inquit Marcellus) genus & formam coniicere, si perpenderimus, quales Orbiculi sint in Trocleis. Nam si ad Palladij attendamus verba, qui ait: Mala rotunda, quæ Orbiculata dicuntur, sine cura toto anno se seruare possunt, facilè nobis indi- Rosea. cabunt hæc Mala esse, quæ Rosea appellant rura nostra, à Colore.

Cordo Pomorum differentiæ.

Præ cæteris Botanicis CORDVS diligenter tradidit differentias Malorum Germanicorum, quas hîc lubet proponere cum suis descriptionibus.

Pulmentaria lata.

Müß-Apffel breit] id est, Pulmentaria lata, satis magna sunt, latitudine altitudinem superant, nam quadrantem altitudine non attingunt, aut ratò, cùm latitudinis diametro trientem nonnunquam excedant. Colorem habent rubentem & modicè purpurascentibus vibicibus mixtum, carne constant miti, gripelicht/ & omnis succi experte: facili in ore, dissolubilique gustu, in dulci subacida, & suaui, odorem verò iucundum spirant. Copiosus eorum est Islebij prouentus.

μαστοειδῆ.

Mutterzitzchen] id est, μαστοειδῆ, sic dicta sunt, quod figura protuberantes & ferè acuminatas puellarum mammillas imitentur, tam exquisita similitudine, vt etiam pythmen eorum, papillas aspectu referant: longitudo iis est sextantalis, à qua latitudo basis nihil, aut parùm differt, iuxta pythmena in obtusum, latum, & vmbilici figura cauum mucronem desinunt. Colorem habent flauum, carnem verò teneram, succosam, gustu suauem, subacidam, vinosamque: odorem, reposita, gratum spirant, maturescunt Autumni initio, & ad Hyemis principium vsque durant, vel paulò diutiùs. Islebiano agro copiosè proueniunt.

Pulmentaria rotunda.

Müß-Apffel runde] id est, Pulmentaria rotunda, vt plurimùm globosa, aut rotunda sunt; interdum tamen latitudine longitudinem superant, & èconttra, longitudine latitudinem. magnitudine etiam inter se differunt, quantum ad indiuidua attinet; specie autem minimè. Vt plurimùm autem quadrantem cum semuncia lata sunt, sed altitudine quadrantem vix attingunt, inueniuntur etiam multa maiora. Colorem habent vndique ferè rubentem; longis & in purpura roseis ceu vibicibus, distinctum. Carne constant miti in dulci modicè acescente, facilè in gustantium ore liquescente, mediocriter succosa, gustu suaui, vinosaque. Odorem habent iucundum. Maturescunt Autumni principio, & ad Hyemis initium vsque durant, aut aliquantò diutiùs. Habentur VVittembergæ.

Pulmentaria minora.

Müß-Apffel klein] id est, Pulmentaria minora, rotundis Pulmentariis forma & colore similia sunt, multò tamen minora, oblongioraque, carne etiam teneriore, succosiore, sapore suaui, vinoso & subacido. Odore iucundo. Maturescunt cum rotundis, similiterque durant. Proueniunt in agro VVittembergensi.

Pulmentaria flaua.

Müß-Apffel gelb] id est, Pulmentaria flaua, maximis rotundis Pulmentariis æqualia sunt. Colorem habent flauum, ab vna parte raris vibicibus colore sanguineis conspersum. Carne constant suaui, dulci, vinosaque, veluti rotunda Pulmentaria. Odorem bonum spirant. Autumni initio perficiuntur & in Hyemem vsque durant. Magnus eorum est Islebij prouentus.

Dulcia minora.

Süßlinge klein] id est, dulcia minora, formâ & colore minoribus Pulmentariis similia sunt, sed multò minora; nam rarissimè Coretitthiorum magnitudinem excedunt. Carnem habent teneram, succosam, gustu vehementer dulcem & gratum. Odorem spirant suauem. Maturescunt hæc etiam Autumni initio, & in Hyemem vsque durant.

Paterniana.

Renn-Apffel] id est, Paterniana, lata & plana sunt, altitudine sextantem cum semuncia æquant, latitudine verò quadrantem nonnunquam excedunt. Colorem habent flauum, sanguineis vibicibus, Pulmentariorum instar, maculosum. Carne constant tenera, mediocriter succosa, gustu subacida, vinosa & vehementer suaui. Odore pulmentaria æmulantur. Maturescunt cum prædictis, durantque similiter. Proueniunt in VVittembergensi agro.

Orbiculata.

Scheib-Apffel] id est, Orbiculata, Paternianis similia sunt figura, odore, & sapore, plerunque tamen paulò minora, pauloque magis in latitudinem compressa. Colorem habent pallidum, interdum flauum in crocco, paucisque vibicibus, iisque sanguineis pictum.

Oblonga.

Gelbarte siue Pelß-Apffel] oblonga sunt, & in medio, aut inferius aliquantulum tumidiora, quorum pythmen profundiusculè insidet superius, veluti lacuna. Colore sunt in spadiceo rufa, aut fusca: ab altera interdum parte pallidiora, ac rubentibus vibicibus maculosa. Longitudinem habent multò plerumque maiorem quadrante, latitudinem verò quadranti æqualem. Carne constant tenera, miti ac rara, fungosa, & tamen aliquantulum succosa. Gustu subacida, suaui & in ore facilè dissolubili. Maturescunt cum prædictis, atque post medium Hyemis vsque durant. Habentur in omnibus Germaniæ regionibus.

Episcopia.

Karteckten-Apffel/ Paretz-Apffel] vel Biscope, vel Episcopia, omnium dulcium Malorum nobilissima sunt. Figura eis est vt plurimùm rotunda, colorem habent ab vna parte suauiter tenuissimis, contiguis, roseisque vibicibus rubentem, ab altera verò in candido pallidum, vix euidentibus, dilutisque vibicibus conspersum, incertum, & descriptu difficilem, vnde etiam Cattechianorum nomen inuenerunt. Cattechiana. Odorem spirant gratum, ac iucundum, longitudine quadranti cedunt, latitudine verò eundem æquant. Carne constant tenerrima, succosa, niueaque. Gustu supra modum suaui, dulci atque miti. Maturescunt Autumni initio, & in Hyemem vsque durant. Habentur in omnibus ferè Germaniæ nationibus.

Duracina alba.

Hartlinge weiß] id est, Duracina alba, rotunda sunt atque modicè in latitudinem compressa, altitudine sextantem, latitudinis verò diametro sextantem & semunciam excedunt. Colorem habent vna parte, qua solem exceperunt in flauo rubentem, altera autem viridi candicantem: intus albescentibus maculis, per cutim transparentibus aspersa sunt. Carne constant tenera, & tamen solida, succosa, gustu acida, vinosa & suaui. Odorem, reposita, aliquandiu spirant iucundum. Maturescunt Autumni initio, & in Hyemem totam durant. Habentur vbique ferè in Germania.

Porstorfiana.

Porstorffer] id est, Porstorfiana, eandem habent, quam Duracina alba figuram & proportionem, paulò tamen minora sunt, colore quoque non multùm ab eis differunt. Siquidem ab vna parte pallent, ab altera verò suauiore inspicientes rubore delectant. Carne constant iam dictis duracinis simili, gustu vehementer suaui & generoso, veluti si quis Duracina Cattechianis commisceat. Odorem

ſpirant gratum. Coluntur in Miſnia, vbi propter ſaporis nobilitatem cæteris omnibus præferuntur. Matureſcunt cum duracinis, & ſimiliter ferè durant.

Preſiliana.

Preſilien apfel] id eſt, Preſiliana aſpectu ſunt pulcherrima, figura rotunda & globo ſimilia, colore roſea, atque preſilij materiæ dilutum prouocantia, magnitudine quadrantem vt plurimùm æquant, nonnunquam etiam excedunt. Carne conſtant tenera, ſubſolida, guſtu dulci, ſimulque aceſcente & ſuaui. Matureſcunt Autumni initio, & vſque ad hyemale ſolſtitium durant. Magnus eorum eſt Hildesheymij prouentus.

Crocina.

Saffrande) vel Hauenſtiele] id eſt, Crocina, è nobiliſſimis haud quaque ſunt poſtrema, figuram habent globoſam propemodum, tàm longitudine, quàm latitudine ſeſquiuncialia, latitudo eorum longitudinem non rarò excedit, paululùm tamen, in ſumma Coretitthijs ferè æqualia & ſimilia. Colore ſunt inter viridem flauum crocique dilutum medio, quem ſerenis & calidis æſtatibus puniceæ croceæque maculæ tenueſque vibices diſtinguũt, eo inſigni pluuioſis æſtatibus deſtituuntur. Carne conſiſtunt tenera, guſtu dulci, aliquantulum ſubacida, ſuaui & aromatico quodam halitu guſtantis palatum commendante: quin etiam ſuauiter & iucundè redolent. Maturitatem adipiſcuntur Autumni principio, & vſque ad æquinoctium vernum durant, frequenter etiam longiùs. Habentur Hildesheymij, præſertim in hortis Monachorum in Sulta extra vrbem ſito Cœnobio.

Crocina rubentia.

Saffrande rot] id eſt, Crocina rubentia, Crocinis figura & magnitudine æqualia ſunt, colore verò pulmentariis & dulcibus minoribus: nam ſimiliter ſanguineis vibicibus roſeam ſuperficiem diſtinctam habent. Carnis ſubſtantia, ſaporis qualitate, matureſcendi, durandique tempore Crocinis reſpondent. Proueniunt autẽ in Saxonia Hildesheymij ac Honoueræ.

Pulmonea.

Butzäpffel] mala quæ Romani Pulmonea olim nominabant, omnium dulcium maxima ſunt, figura globoſa, diametri quoquo verſus non rarò trientalis, colore flaua, nonnunquam etiam in viridi pallido, præſertim vbi frigidiori humidiorique æſtate enata fuerint. Carne conſtant rara, fungoſa, inſtar pulmonis, vnde etiam nomen ſortita ſunt: ea digitis confricata & auribus admota ſtrepitum edunt. Saporem habent dulcem, non inſuauem, nulla alia qualitate mixtum, maturitatem conſequuntur Æſtatis exitu. Durare aliquandiu poſſunt, nunquam tamen aut rarò hyemale ſolſtitium attingunt. Proueniunt copioſè in Haſſia.

Pulmonea ſalici inſerta

Weidenbötsche] id eſt, Pulmonea ſalici inſerta, Pulmoneis iam dictis æqualia & ſimilia ſunt. Carne conſtant paulò rariore, guſtu dulci atque aliquantulùm amareſcente. Æſtatis exitu hæc quoque matureſcunt, & ſimiliter modico tempore durant, coluntur à quibuſdam in Haſſia.

Inſertio.

Poſſunt horum ad exemplum etiam alia ſalici inſeri, præſertim dulcia & alioquin raræ ſubſtantiæ, auctuque facilia.

Vitrea.

Glaſäpffel] id eſt, vitrea, pulmoneis ſimilia ęqualiaque ſunt, non tantùm figura, verùm etiam colore, præterquam quòd ſuperficiem, nonnunquam etiam carnem habent obſcuri vitri modo pellucidam, quod horum Malorum proprium eſt, idem ſi alijs Malis contingat, vicium cenſendum eſt. Carne conſtant dulci, ſuaui, modicè vinoſa. Matureſcunt Æſtatis exitu, diu autem durare minimè valent. Naſcuntur Coburgi in Franconia.

Duracina ruffa.

Harttinge rot] id eſt, Duracina ruffa, figuram habent orbiculatam, interimque globoſam, magnitudinem verò neque omnia, neque vbique eandem, vt plurimùm tamen altitudine ſextantem, latitudine ſextantem & ſemunciam attingunt: colore ſunt roſeo, ſanguineis longiſque vibicibus vndique diſtincta. Carne conſtant admodum ſolida & denſa, attamen valdè tenera, ſuccoſa in guſtu, acetoſa, cũ peculiari ſuauitate. Odorem ſpirant non ingratum. Matureſcunt autem Autumni initio atque omnium diutiſſimè durant: nonnunquam enim vſque ad Æſtatis medium atque non rarò diutiùs, prorogantur. Proueniunt ferè in omnibus totius Germaniæ pomariis.

Oenoximela.

Weinſürchen] id eſt, Oenoximela, Orbiculatis figurâ & quantitate ſimilia ſunt, paulò tamen altiora, nec vſque adeò in planum compreſſa. Colore ab vna parte in viridi pallidoque candicante, ab altera leuiter interdum rubeſcente. Carne conſtant admodum ſolida duraque, interim tamen delicata & tenera, ſuccoſa guſtu vinoſaque ſuauitate, tenue, auſterum, ſincerumque vinum æmulante. Maturitatem adipiſcuntur Autumno ineunte, & vſque poſt æquinoctium vernum durant. Abundant in Haſſia.

Anguloſa longa.

Eckapffel] id eſt, Anguloſa longa, ab angulis nomen inuenerunt, à pediculo enim vſque ad pythmena vndique angulis craſſioribus ſulcantur, qui tamen iuxta vtrumque caput eminentiores ſunt, in medio verò, hoc eſt, ventre, non tàm euidentes. Longitudinem habent quadrantalem, latitudinem ſextantalem, nonnunquam tamen in maiorem adoleſcunt. Colorem autem flauum, ſanguineis vibicibus, densè conſperſum. Caro eis tenera, ſuccoſa & mitis, guſtu inter dulcem atque acetoſum ſaporem media, & ſuauis valdè. Matureſcunt Autumni principio, ac vernum vſque ad æquinoctium durant. Proueniunt in Haſſiâ ac Miſnia.

Anguloſa rotunda.

Eckapffel rund] id eſt, Anguloſa rotunda, angulorum eminentiis, colore, carnis ſubſtantia, ſapore, matureſcendi, durandique tempore, Anguloſis longis ſimilia ſunt: in hoc tantùm ab ijs differunt, quòd vt plurimùm globoſam figuram habeant, magnitudine ſunt quoquo verſus quadrantali, non rarò tamen maiora, quanquam frequenter etiam minora inueniantur. Proueniunt in Miſnia.

Praſomela.

Grünche] id eſt, Praſomela, figuram habent oblongam, latitudinem ſextantalem, longitudinem autem ſemuncia maiorem, colore ſunt in viridi pallido. Carne conſtant tenera, guſtu ſuaui, dulci, ſimulque acetoſa. Matureſcunt Æſtatis exitu, & totam Hyemem durant. Proueniunt copioſè in Haſſia Marpurgenſi agro, ac in vicinia.

Gothardina alba.

Weiſſe Gothartel] id eſt, Gothardina alba, Gothardinis figura, carnis teneritudine, ſapore, matureſcendi, durandique tempore ſimilia. Magnitudinem verò inter Praſomela ac Gothardina mediam habent. Colorem autem in viridi candicantem. Frequens eorum eſt Marpurgi in Haſſia prouentus.

Auguſtina.

Augſtapffel] id eſt, Auguſtina, parua ſunt atque propemodum globoſa, ſeſquiunciam tàm latitudine, quàm longitudine rarò excedunt. Colorem habent flauum, carnem teneram, guſtu dulciſſimam & valdè ſuauem. Odorem gratum & iucundum. Matureſcunt Auguſto menſe, vnde nomen inuenerunt, eadem fugacia ſunt, minimeque durant. Naſcuntur vbique ferè in Germania, ſed in Haſſia copioſiſſimè. Saxones ea Eptiden vocant.

Roſacea.

Roſen apffel] id eſt, Roſacea, Preſilianis magnitudine & colore ſimilia exiſtunt, carnem habent paulò dulciorem, figuram verò non vſque adeò globoſam. Matureſcunt Æſtatis exitu & ad Hyemem vſque durant. Proueniunt Coburgi in Francia.

Blut äpffel]

Digitized by Google

Sanguinea. Blut äpffel id est, Sanguinea, figura sunt globosa, quantitate sextante paulò maiore, colorem habent foris roseum. Carnem verò teneram veluti in sanguine maceratam, roboris que gratissimi: gustu dulcem, aliquantulum subacidam & suauissimam. Maturescunt æstatis exitu. Magnus eorum est Coburgi in Francia prouentus, quamuis & alibi non desint.

Dulcia magna. Süsäpffel groß] id est dulcia magna, Pulmoneis figura & quantitate æqualia sunt, paulò tamen minora, rotundioraque. Colorem habent in viridi flauescentem, ex altera parte subrubentem. Carnem mediocriter solidam, gustu dulcem, suauemque. Odorem spirant gratum ac Marrubio simillimum. Maturescunt æstatis exitu: abundant in Hassia.

Oximela maiora. Sawräpffel groß] Oximela maiora, dulcibus magnis colore, magnitudine, figuraque similia sunt, in hoc tamen differunt à dulcibus, ferè omnia acetosa, quòd candicantia exiguaque puncta per cutim transpareant. Carne constant solida, tenera, gustu acetosa, vinosa suauique. Maturescũt æstatis exitu, durantque in Hyemem. Proueniunt in Hassia.

Parelia. Pareäpffel] id est, Parelia, Omnium maxima sunt, figura globosa, modicè compressa, colore in roseo alicubi flauescente, sanguineisque vibicibus consperso. Carne constant tenera, sapore inter dulcem ac acescentem medio, estque hic non mediocriter suauis. Odorem spirant iucundum, maturitatem consequuntur Autumni initio, durantque ad Autumni ferè exitum. Colũtur Islebij, vicinisque tractibus.

Oximela minora. Sawräpffel klein] id est, Oximela minora, Duracinis rufis æqualia similiaque sunt, paulò tamen oblongiora, colore in viridi candidoque flauescente, punctisque candicantibus per cutim translucentibus conspersa. Carne, sapore, maturescendi, durandique tempore Oximela maiora imitantur, paulò tamen acetosiora existunt. Prouentus eorum est in Hassia magnus.

Glycymela. Idem Cordus apud Diosc. scribit Melimela siue Glycymela facilè sibi persuasurum esse ea, quæ Germanis Honig-Äpffel & Augst-Äpffel vocantur, si alia accederent. Esse enim admodum dulcia & suauia, & pueris & delicatis mulieribus expeti. Idem alibi Epicoticorum meminit, sed qualia sint, non addit.

Epicotica.

Tragi differentiæ. TRAGUS, qui Argentinæ scripsit, Germaniæ quædam pomorum genera describit: Quæ (inquit) apud nos prima maturantur, S. Ioannis Poma vernaculò idiomate, Lat. Præcocia Mala dicuntur. Quæ Augusto mẽse, rubris vibicibus quasi notata & dulcia Augst-Äpffel vocamus Græcè γλυκύμηλα. Quæ Autumno maturescunt ac alia quidem incana, alia lutea, alia coloribus variegata apparent, omniaque dulcia, Wurtz-Äpffel quasi Aromatica Mala, à iucundissimo nimirùm odore, tum sapore nominamus, Capendua aliis dicta. Poma verò ea, quæ magna sunt, alba & dulcia, in quorum vtero semina per maturitatem sonant, Ruellio Passipoma appellantur. Sunt deinde magna quoque & similiter dulcia, rubro colore maculata, quæ Germani Schragen-Äpffel aut Heiligens-Äpffel nuncupant. Alia dulcia, candida & turbinata & oblonga reperiuntur, orthomastica nuncupata. Germ. Strömelling & Gänß Äpffel. Sunt & Paradisiaca vocata, Germanica Paradeiß-Äpffel. Acidorum Pomorũ infinitus est numerus quorum vulgatissima, Rot Äpffel/ Wein-Äpffel/ Helbling/ Hermelling/ Stemling/ Spierling/ Heimelling/ Frawen-Äpffel &c.

Præcocia. Glycymela. Aromatica. Capendua. Passipoma. Orthomastica. Paradisiaca.

Videtur verò Tragus vulgi secutus opinionem, credidisse Malum, de qua hoc capite agimus, eam fuisse arborem, quæ à summo Iehouah interdicta fuerat primo parenti Adamo, ne ea vesceretur. Suæ namque figuræ serpentem appingi curauit & caluariam, his vtique notis, deceptionem Diaboli intimuans, & mortem: de qua te iudicent eruditi. HIERON. Brunsch. Paradeiß-Äpffel Poma Paradisi vocat, in quibus morsus Euæ & Adami apparet, Latinè Musa: confusè & ignoranter Musam cum Pomis vulgatis confundens. Et in quo tandem Pomi genere morsum vidit. Nos alibi suo loco indicabimus, qualem eam existimemus fuisse arborem. Lonicerus verò præter serpẽtem etiã Adami & Euæ effigiem appinxit, quasi hoc genere Pomi sui obliti officij, comederint. Cornarius apud Dioscor. Vernorum tantùm meminit, & Germ. Träubings Äpffel dici ait. MATTHIOLUS de Malis Italicis pauca hæc habet. In Hetruria, ait, principatum obtinent Mala, quæ Appie & Melerose vulgò vocantur, quandoquidem hæc duo genera cum suauiter oleant gustuique arrideant, cum naribus & palato maximam ineunt gratiam. Eaque propter non longè eum aberrare putauerim, qui dixerit, Appia esse Diosc. Melimela. Rosea verò quæ eidem Epirotica & Lat. Orbiculata dicuntur. Quæ verò adeò rubent, vt cruore perfusa videantur, & acido gustu sunt prædita, non alia de causa ita rubescunt, (si rei agrariæ auctoribus credimus) nisi quòd ex Mali & Mori nigræ insitione suam traxerint originem. Cestiana non sunt Aurantiæ Mala, vt Cornarius putat.

An Malus Adamo interdicta. Hier. Brunschwic. Poma Paradisi. Cornarij diff. Matthioli differentiæ. Appie & Melerose. Melimela. Epirotica, Orbiculata. Rubea arte facta. Cestiana non sunt Aurantiæ, contra Corn.

Sed nec suæ patriæ Malorum oblitus est GESNERUS diligens omnis naturæ peruestigator, & alter quidam Heluetiæ Plinius: Nam, inquit, Malorum quamplurima optimaque in hortis & prædiis nostris (Tigurinis & Heluetiicis) proueniunt: præcocia, media, serotina. Horum aliqua durant tribus, quatuor, aut pluribus mensibus: quædam vsque in sequentem annum, donec alia maturescant, commodè reposita. Malorum genera quædam (non quælibet tamen) ramis & brachiis suis in latitudinem deduci ab elegantiæ studiosis solent, vt brachia vndiquaque in superficiem ferè planam extensa, lecti cuiusdam speciem, pedamentis in orbem digestis sustentata, præ se ferant. Eiusmodi non paucæ apud nos priuatis, publicisque locis visuntur, in quo arborum excolendarum studio Basilienses sanè & totius ferè tractus Alsatici incolæ triumphant.

Gesneri differentiæ. Mali patula arte facta.

Idem Gesnerus Malos humiles duorum facit generum: vnam, cuius fructus Poma Adam vocãt, vtraque frutex potiùs, quàm arbor. Itẽ Malus nana, Zwerg-Äpffel, Matthiæ Curtio Lindauiæ, Poma fert Paradisinis vulgò dictis non dissimilia, albicantia: quæ sub finem Iulij maturescunt. Arbustum non supra quatuor cubitos assurgit, fruticans à radice. Item: Curtio eidem Malus quædam ex Italia: cuius Poma magna & rugosa in precio sunt. Pampin vocant. Scaliger quoque meminit Malorum Pumilarum, quæ breuis admodum sint vitæ, & quarum aliquæ annuis mortibus hortulos desorment. Item eorum, quæ Apiola Italis dici ait, dulcia illa quidem, tam iucundè fragrantia, vt vniuersas Indias sua superent suauitate. Lacuna apud Diosc. refert, inter Mali genera in Hispania præcellere Camuesa: & Amatus ex dulcibus & odoriferis Camusia & Regalia dicta celebrat aitque odorifera & cordialia esse, vt si eorum cortices ignitis prunis iniiciantur, ex se odorem referant moschatum. Arabibus Poma musa esse medij saporis. μαλόμηλα & γλυκύμηλα iisdem esse Galopomella, Melomella. Carolus Stephanus in opere suo Geoponico Germ. Paradisiaca, inter alia peculiaria habet, aromatica, alba, dulcia, Franca boni odoris & saporis. Item, Gallis dicta d'Heroet, de Malingre, de Rãbure, & Mala Menscheln-Äpffel & Mattingerapt Matacrisch Germanis dicta: Io. VVittichius, Poma Porsdorffiana, quæ ad febres Epidemicas cum Mania commendat. Dodonæo est χαμαιμηλέα quædam, siue humilis Malus, fruticis modo adolescens, quæ non propter insitionem, sed naturâ sua Poma fert præcocia, mediocriter dulcia colore admodum dilutè flauo albicantia. Brabanti vulgò Poma Paradisi, aut Poma D. Ioannis nominant. Lob. & Pena, Mala quamplurima, cultu diuersa, in Anglia, Belgio & Northmania, esse tradunt

Mali humiles. Poma Adami. Malus nana. Pampin. Malus Pumila. Apiola. Camuesa. Camusia. Musa Poma. Galopomella. Car. Steff. differentiæ. Chamæmelea.

Northmanica intus & foris Coccinea. quæ foris intusque Coccineo succo & aspectu micant. Ad Anglica quod attinet, *Differentia Gerardi.* Gerardus in suo Herbario Anglico hæc recenset. 1. *Carbonaria.* Malus Carbonaria, The pome watertree. 2. *Carbonaria longa.* Malus Carbonaria longo fructu, The Bastard bitsch Apple tree. 3. *Regale.* Malum regale, The King of Apples: (Tabern. icon. p. 1007. Roct Sommer Bietling) 4. *Reginale.* Malum reginale The Quining or Queene of Apples. (Tab. ic. p. 1007. Mala rubentia, Stromling) 5. *Platomela.* Platomela, siue Pyra æstiua, The Sommer Pearmaine (Tab. ic. p. 2004. Platomela, Breitling) 6. *Platarchia.* Platarchia siue Pyra hyemalia, The winter Pearemaine (Tab. ic. p. 1004. Platarchia) 7. Chamæmalus Londini, The dwarffe Apple tree or Paradice Apple. Hæc *Gerardus notatur.* Gerardus, qui ex viginti Tabernamontani figuris quatuor tantùm assumpsit, nec tamen ipsa describit. Mirùm etiam cur ex duobus Pomis siue Malis faciat Pyros, nulla eius rei apposita ratione? Item cur Chamæmalum recenseat inter Syluestria Poma?

Tabernamontani differentiæ. Tabernamontanus, qui postremus est eorum qui quidem Herbarium scripserint ex professo, ista proponit. 1. Mala præcocia, S. Joans Apffel. 2. Mala augustea, Magdalenen-Apffel. 3. Mala præcocia rubra, Rot S. Joans-Apffel. 4. Mala Carbonaria, Rot-Apffel. 5. Mala Carbonaria longa, Lang Rot-Apffel. 6. Mala æstiua, Sommer-Apffel. 7. Mala Orbiculata, Breitling. 8. Glycomela, Suß-Apffel. 9. Glycomela 2. Suß Rot-Apffel. 10. Oenomela, Wein-Apffel. 11. Oximela, Säurling. 12. Hæmotamela, Blut-Apffel. 13. Platomela, Breitling. 14. Platarchapia. 15. Platomela alia, Breitling. 16. Melapia, Konigling. 17. Rauch-Apffel. 18. Schaaffmauler. 19. Wecherling 20. Semmerling. 21. Mala rubentia, Stromling. Et *Tabern. notatur.* ante ista, Hemmelting Duracina alba dicit, & Persicis adiungit, quàm benè, norunt, quibus nomen Hemmelting cognitum est. Et quid voluit inanitàm suâ, quàm emptoris impensâ tot figuras dare sine vllis descriptionibus?

Cæsalpini differentiæ. Cæsalpinus Medicus Romanus, in opere suo Botanico sua veteribus accommodare studet, sic: *Melappia.* Melappia parua sunt, nucem vix excedentia, rotunda, exteriùs tantùm pallida, odoratissima, sapore dulci. Videntur hæc Appiana esse apud Plinium, ab Appio è Claudia gente: insito Cotoneo, quibus odor est Cotoneorum, magnitudoque: sed cum obstet magnitudo, melius dicetur apud Dioscoridem Melimela à sapore melleo esse, quæ à multis dulcia Mala vocantur: Nullum enim in genere Malorum illis dulcius est. *Rosea.* Rosea mediæ magnitudinis sunt orbiculata colore rubenti, qua parte sol aspexerit: odor inest suauis: sapore dulci subacidus; tota Hyeme seruantur incorrupta, meliora sunt, cum rugas contraxerint. Dioscorides Epirotica & orbiculata vocat stomacho vtilia. Plinius ex Epiro primùm allata putat ob nominis argumentum. *Sanguinea.* Sanguinea roseis similia, minùs odorata, insipidioraque. Plinius colorem sanguineum ex insitu Mori, tractum putat, in hoc genere quædam *Orthomastica.* oblongiora, figurâ Mammæ, acidi saporis, Plinius Orthomastica vocat. *Calamagna.* Calamagna, quasi pulchræ magnitudinis Mala, colore rubente: sapore magis aquoso, Plinius *Pulmonia.* Pulmonia videtur appellasse, quæ stolidè tument. Quædam colore quasi ferrugineo; solidiori carne; sa- *Testa.* pore dulci ex austero, vulgò Testa vocant, figura Struthe- *Orbiculata parua.* orum. Quædam parua humili frutice, orbiculata, virentia adhuc, gustu non ingrata. Plinius inter vilissi- *Daca.* ma Daca vocat, quę prima aduentu decerpi properant. *Verna.* Dioscorides per verna hæc videtur intellexisse omnino damnata. *Siluestria.* Syluestria similiter parua, quæ præ acerbitate ingustabilia, Dioscorides Vernis similia scribit. *Aug. Galli differentiæ Italicæ.* August. Gallus Lombardiæ quædam Poma recensens, meliora apud Brixianos ait, esse dicta *Pomi dolciani.* Poma dolciani, parua & media, eodem tempore cum Pyris moschatellinis matura. *Poma D. Petri.* Proximè sequuntur D. Petri Mala, Pomi di S. Pietro: nec nouit aliud genus maturum ante Autumnum. *Pomo rosso.* Malum quod dicitur Pomo rosso grosso, gratum est, quia carne est tenera: optimum tam crudum, quàm coctum cum saccharo, sanis & ægris. Verùm non diu durant. *Pomum Paradisi.* Probatur & Pomum paradisi satis diu durans, quod optimum est post natalitia. Eius duo genera, vnū longius altero. Malorum dictorum Pomi ruggimenti duo genera. *Pomi ruggimenti.* Præferuntur acida dulcibus: dulcia edulia sunt, paulò post natalem Domini. Iis prætereuntibus bonitatis perfectionem acquirunt acida, in aliquot menses duratura: maiora sunt prædictis, firmiora, sapidioráque. Omni tempopore condiri possunt, *Pomi Calamini.* Pomi Calamini dicta Mala, omnibus placent, sapidissima, nec minus durant cæteris. *Pomi Pupini.* Pomi Pupini dicta in pretio sunt, tum propter bonitatem, tum propter diuturnitatem. *Pomi rostaroli.* Mala dicta Pomi rostaroli, grata sunt, quia pulchritudine & liquore superant omnia alia: vt mirum non sit in bacchanalibus tanto pretio inuenibus vendi, præsertim iis, qui per vrbes, compita, & choreas debachantur. *Pomi Appioli.* Pomi Appioli quod genus magni fiebat ab antiquis, recentioribus quoque hodie habentur in pretio, quippe quæ omnibus reliquis delicatiora.

Lacunæ differentiæ Hispanicæ. Camuesa. Nec Hispanica sua penitus indicta voluit Lacuna. Vulgò Mancana Camuesa omnibus cæteris præferūtur, quod præter aromaticam gratiam, quam habent, gustu & liquore sint gratissimo. Nec sibi visum hoc Pomi genus putat extra Hispaniam & aliqua Flandriæ loca: Flandrica tamen multùm Castellanis cedere. *Pomopero deueldo.* His succedunt Mala dicta Pomopero deueldo. *Melapia.* Sequuntur Melapia Italorum. In Hispaniæ partibus non cognoscuntur Diosc. Melimela & Epirotica, vt idem tradit. Redeamus in Germaniam.

Coleri differentiæ. Colerus in suo diario Oeconomico, pauca quidem affert, attamen ab aliis non prolata, aut saltem non istis nominibus, vt eo ipso eius diligentia probanda videatur. 1. Mala Weiling. 2. Glaßäpffel. 3 Junckeräpffel. 4. Melaunenäpffel. 5. Hungerische äpffel. Quæ sic Latinis verbis exprimas licet. VVeilinga: Vitrea: Nobilia: Melonea: & Hungarica. *C. Bauh. not.* C. Bauhinus apud Matthiolum duo tantum Malorum posuit & genera, & eicones ex Tabernamontano mutuatas; rotundorum & oblongorum, quem speramus plura daturum in alio opere, ex multiiuga sua obseruatione. *Chamæmelea, seu Humilis. Schuuenckfeldii Silesiaca Poma.* Tandem Schuuenckfeldius quoque affert in medium sportulam, Silesiacis Pomis refertam: quorum quædam antea iam nominata, quædam noua videntur, ergo Silesiæ Mala hæc sunt. 1. Malus humilis, χαμαιμηλέα. Iohannis Äpffelbaum, fruticis modo adolescit, & sua natura fert Poma præcocia mediocriter dulcia, colore admodum dilutè flaua. 2. Mala acida, ὀξύμηλα. Sencling/Saurāpffel. 3. Mala dulcia μελίμηλα Diosc. (vt ille putat) γλυκύμηλα. Mala Mustea. Süßäpffel/Honig-Äpffel. 4. Mala Vi- *Oxymela. Mustea. Oinomela.* nosa, οἰνόμηλα Weinsäuräpffel/Weinische äpffel saporis sunt gratissimi, stomacho vtilia, minimè flatulenta. Eliguntur præ cæteris ad syrupi de Pomis & Confect. Alkermes *Oxymelimela.* compositionem. 5. Mala Augustea, seu præcocia dulcia. *Augustea.* Augstäpffel/Fruäpffel/Magdalenen äpffel. 7. Mala Episcopia, *Episcopia.* Bischoffsäpffel. 8. Mala Annabergica, Annaberger/Herren äpffel. 9. *Annabergica.* Mala Cydoniata. Mala Apiana. Quittenäpffel, Rittenäpffel. his co- *Cydoniata. Apiana.* lor, odor, magnitudoque Cydoniorum. 10. Mala rosea, *Rosea.* ῥοδόμηλα Rosenäpffel. 11. Mala. Parelia, Petterssäpffel, *Parelia.* acida sunt & grati saporis. 11. Mala Carbonaria, *Carbonaria.* Roläpffel. 13 Mala Angulosa. Zapffenäpffel/ 14 Mala Duracena, *Duracena. Angulosa.* Läderäpffel, Hartteäpffel. 15. Mala rubentia. Stremlingsäpffel.

Atque hæc sunt ferè Malorum genera, ab autoribus vel nomine solo, vel etiam descriptione consignata: *Nostræ ætatis Mala an cum Priscorum sint eadem?* vnde patet hanc nostram ætatem Malorum (vtinam non & malorum) prouentu, prisco illo æuo longe superiorem. Patet etiam quosdam studuisse sua priscorum titulis accommodare, alios sua simplicitate contentos, in præsentibus conquieuisse. Et cautiùs vt nostra quidem fert sententia. Nam cùm Pomorum varietas ex insitionum maximè varietate sit orta, & etiamnum singulis oriatur annis, quâ tandem fieri queat diligentiâ, quo iudicij acumine, hæc nostra istis priscorum aptari, aut eadem esse cum iis pronunciari queant? vt non sat sani hominis (si quid Goropij maximi viri indicio tribuendum) esse videatur, si quis huius ætatis vel Mala vel Pyra, vel alteriùs generis diuersa ex insitione Poma (qualia hodie ferè sunt pleraque) ad veterum nomenclaturas cogere ac pro iisdem

venditare

venditare nitatur. Nouisse cuiusque succos, eo iudicio, quo simplices medicamentorum facultates sunt examinandæ, id verò dignum iudicamus in quo laboretur. Habuerint sanè Romani Orbiculata delicatissima, habuerint Melimela, Mattiana, Scãdiana, Picena, Amerina, Syriaca, Pelusiaca, Quiriniana, Setania, Platania, Mustea, & si fœminis placet, etiam Pannacea, nunquid ideo nobis ob hanc diuersitatem laborãdum? Scimus Sestiana Poma, siue, vt Columella habet Sextiana, non verò Cestiana, vt malè apud Galenum vocantur, inter ea numerari quæ astringendi vi magnam vtilitatem habent. Ea tamen de causa minimè nobis disputandum, quæ sint Sestiana Poma, ne nobis vana quærentibus, illud quod Cornario (nisi memoriã fallat) in hoc Pomo accidat, vt Sestiana Hesperidum Mala credamus, & tandem cum Matthianis etiam confundamus, à quibus credi posset Hispanos hoc tempore omnibus Malis nomen mutuari. Hoc agendum, vt inueniamus Mala, quæ astringendi facultate non cedant Sestianis, qualia quamplurima reperiuntur, (& nos mox describemus quædam appositis picturis) & nisi inuenirentur, aliis Malis Cotoneo insitis fieri possent. Ecquam ergo nos sportulam aduehemus ad istud Malorum Empiorum? enimuero sanè, talia qualia accepimus, decerpsimus, vidimus, gustauimus, partim etiam coluimus ipsi, conferemus, breui, sed exacto singulis apposito lemmate, & eicone ex ipsomet prototypo ad singulorum magnitudinem parato, ne nostro nos, qui nunc hoc agimus, officio defuisse videamur. Placebit, speramus, non herbarum tantùm studiosis, sed & Pharmacopœis (quorum etiam hæc nouisse interest) & hortorum cultoribus, & omnibus denique bonis Oeconomis.

Pomorum prisci æui recapitulatio.

Corn. notatur. Hesperidum mala.

Ergo & nostras Pomonæ Vertumnique opes, quas partim ex ducato VVirtembergico, partim ex agro Basiliensi, Burgundico atque Alsatico, quarum haud temerè alia loca maiorem suppeditent varietatem, conquisiuimus, tandem promamus.

Auctoribus obseruatæ. Pomorum differentia.

Malum VVirtembergicum Wettich sufflauum.



In ducatu VVirtẽbergico, & speciatim iuxta Balneum admirabile circa Bol, Pomum hoc Wettich dictum Allatum etiam è pago Ottespach, vbi Geelwettich vocari tradunt. Magnitudinem figura docet, vt & reliquorũ quæ sequuntur, sicut & formam extrinsecam, quam figuram vocant. Est ex albo luteolum, pediculo satis longo. Sept. 20. nondum perfectè maturum: carne tamen iam sublutea, dura, acida. Delatum Montbelgardum ad Febr. durauit.

Geel Wettich.

Malum Wettich 2.



Klein Wettich.

Klein Wettich, ex Bol pago eiusdem Ducatus VVirttemberg. Multum habet albidi, cum luteolo mixti: alicubi rubellum: nonnihil angulosum, pediculo mediocri. Septembris 20. carne erat alba satis tenera, acida, grata. Diu durare aiunt, nec grandescere, fragantemque matura spirare odorem. Montbelgardum delatum, mense Febr. integrum adhuc fuit, & spem exhibuit longioris durationis.

Malum Wettich 3.



Klein Wettich.

Ex eorum quoque genere est, quæ Wettich vernaculo idiomate dicuntur, durans ad Ianuarium vsque: planè album, præcedenti: nõ maius, breui pediculo. Datum in Wälten pago Bollensi vicino. Sept. 20. carne erat alba, satis dura, sapore acido, nec dum maturum videbatur.

Malum Wettich Italicum maius & minus.





Welsch Wettich.

MALA Welsch Wettich dicta, quasi Italica, pulchra sunt, in Bot & Zell nonnihil angulosa: colore alba, supernè pulchrè rubentia, in medio punctata: aliquando nonnihil luteola: pediculo longiusculo, quẽm non exprimunt picturæ. Durare aiunt ad Aprilem. Sept. 20. Caro intus alba, tenera, acida, sapida, dicuntur diu durare, etiam per totam Hyemẽ. Montbelgardum translata bona adhuc fuerunt Maij medio sequentis anni. Magnitudinem figura exprimit.

Oenomelum VVirtembergicum.



Weinapffel.

Weinapffel, Pomum vinosum vulgò dictum, elegans, candidum, vmbilico tenus parùm angulosum

Durare perhibent vsque ad Aprilem. Coluntur in Waite & alibi. Multum habet similitudinis cum præcedenti, minori præsertim, quo tamen paulò habitius est, colore albo, ad pediculum nonnihil luteolo.

Malum Wettich viridans.

Grünwetich



Grünwetich ex Wette, in luteolo subuiride, pediculo satis lõgo. Mompelgardũ delatum, integrum adhuc Maij medio. Vnicum tãtũm nacti sumus, quod adseruatum diu, sed negociis impediti, nec Pomi, nec saporis designandi meminimus. Norint id incolæ. Verisimile tamen est, prioribus gustu non multùm esse dissimile, siquidem communi conueniat nomine.

Malum Virgineum, acidum.



Jundfraw. äpffel. Jundfrawäpffel, quasi dicas Virgineum pomum, sessile, colore ex albo subluteo, aliquot striis & maculis rubentibus decoratum, pediculo satis longo, tenui. Caro alba, dura, acida nondum edulis Sept. 20. grata tamen, etiam ante perfectam maturitatem.

Duracinum album, Zellense.



Weiß Hartling. Weiß Hartling, Duracinum album, ex Zell, mediocre Pomum, album cum luteolo intermixto, parte præsertim superiore ad vmbilicum, ad pediculum verò rubello. Angulosum est, carne duriuscula & firma, (vnde nomen) sapida. Aiunt durare ad Pascha ac etiam vsque ad oporan. Nobis adseruata, integra adhuc fuerunt medio Maio, sequentis anni.

Duracinum album Bollense.



Weiß Hartling Apffel, quasi duriusculum album Bollensibus dictum, quòd diu duret, vt ij retulerunt, qui in Zell obtulerunt: nonnihil angulosum, coloris albi subrulei. Accepimus ex Wälde paulò maiora. Sed hoc idem existimamus cum præcedenti, & bis pictum, aut certè quàm minimùm variare. Hortulanus Ill. E. C. Montbelgardensis eadem significatione *blanc-dure* vocat Gallico idiomate, & in horto E. C. Montbelgardi prouenire ait. Weiß Hartling Apffel.

Pomum Pentagonum perelegans, acido dulce, vtrinque sessile.



Elegãs hoc rarumque Pomum, ab Ill. Ducissa VVirtembergica, Principissa nostra Clementissima missum, cum aliis quibusdã exoticæ elegantiæ naturalibus dono accepimus: Mediocre est & figura magnitudinem non adæquat: quippe trium aut quatuor vnciarum latum, sescuncia nõ altius compressum, vtrinque sessile. Parte superna, qua Pythmene, impressum. Angulis quinque protuberantibus conspicuum est, maiori parte luteis, reliqua eleganter rubicunda, punctis tamen luteis notata. Februario sectum carne satis molli erat, acidodulci, ac penè vinoso. Surculos ab eadem E. C. missos in horto E. C. quem Montbelgardi colimus, inseri curauimus. Figura vtramque faciem oppositam exprimit. Pomũ Pentagonum.

Poma quadrata vulgò dicuntur Montbelgardi *Pommes carrees*, propter angulos. Sunt tamen communiter pentagona, interdum Hexagona aut Heptagona, angulis nimirum per longitudinem protuberantibus, quorum pars suprema, propter vmbilicum, in gibbos & tubercula eleuatur: totumque adeò Pomum angulis scatet. Quatuor vncias alta, tres lata, sessilis, pediculo breui, flaua, punctis araneosis nigricantibus conspersa. Mense Oct. lecta, odorata sunt, sapore vinoso, acidulo, grato: carne tamen adhuc duriuscula. Ex horto E. C. Montbelgard. Pomum quadratum Montb. acidum, flauũ.

Malum

Digitized by Google

Malum Orbiculatum Bollense album, acidum.



Schefling. In Ducatu VVirtẽbergico propè Oel & Zell Schefling vocatur, ac si dicas orbiculare, modicè tamen depressum est ac sessile; colore albo subluteo cum aliquo rubore consperso: angulosum est, pediculo breui. Sept. 20. caro non omninò alba, sed subluteola, tenera: sapor acidus, gratus, vinosus, Bona adhuc Oct. 14.

Oenomela Bollensia alba.

Wein apffel Geiglung. Wein apffel, Poma Vinosa Bollensibus & VValdensibus dicta quibusdam Geiglung. Altera parte albicant, altera rubent, eâ nimirum, quâ solem spectabant. Sep. initio nondum matura satis, ideoque esui minùs apta: succo tamen vinoso. Ad Aprilem vsque durare ferunt. Gustata Sept. fine, sapore acido, grato, vt & demum Nouem. 23. Habentur & in Zell, eodem nomine. Montbelgardum delata, integra adhuc erant medio Maio sequentibus anni.

Orbiculatum aliud quibusdam.

Bechenbrũner quibusdam Kreisling. Quidam & hoc Orbiculatum vocant, germanico idiomate Kreisling, communiter tamen Bollensibus & VValdensibus Bechenbrunner quasi Fontiphagia dicas. Elegans Pomi genus, ex albo luteolum, cum paucissimo rubore ab vna parte, in ambitum ventriosa sunt, vnde forte Orbiculata dicta, peciolo



breui, crassiusculo, durant ad Ianuarium. Sept. 20. gustata, carne sublutea, acidula atque eduli. Oblatum etiam in Zell, sub eodem nomine, eiusdem saporis testimonia dedere. Montbelgardum delatum Maij medio incorruptum adhuc erat.

Oenomelum magnum Bliensbachianum.



Weinling. Weinling Vinosum Bliensbachianis dictum in Ducatu VVirtembergico: Elegans & magnũ, angulosũ, album, peciolo breui. Sept. 20. erat maturum, carne candida, tenera, subacida, etiam ad Oct. 14. vsque semina tamen quæ inerant, cassa, & medulla vacua.

Malum turbinatum album.



Vlmer pfälting. Vlmer Pfälting quasi Vlmense, VValdensibus dictum elegans, lõgiusculum, nõnihil turbinatũ, colore albo ferè, ex altera parte rubello, peciolo crasso breui. Aiũt diu durare. Delatũ Montbelgardum integrum adhuc Februario.

Digitized by Google

Malum turbinatum ex flaue virescens, punctatum.

Linderapffel Hutzapffel — Linderäpffel Bollensibus & VValdensibus dictum simile tatis Hutzäpffel à pileo turbinato vocato. Eadem enim forma ferè colorque, sed minus hoc. In colore tamen hoc discriminis animaduertimus, quod licet sit ex albo subluteus & virescens, multa tamen habet puncta candida. Quædam etiam aliquid ruboris habent diffusi. Pediculus quidem breuis est, sed crassior. Videntur & angustiora, quam exprimat eicon. Aiunt durare vsque ad Ver, interdum etiam vsque ad æstatem. Sept. 19. nondum erant esui apta, carne dura, sapore vinoso austero, luteola. Tali adhuc erat Octob. Montbelgardum delatum, integrum adhuc Maij medio.

Malum turbinatum maius, virescens.



Hütling apffel. Lauchäpffel — Hütlingsapffel, iisdem nuncupatum, quòd Pileum turbinatā formā referat, quibusdam Lauchapffel, quasi Prasina dicas, fortè à colore. Pomum oblongum, basi latiore, in angustum fastigium exeunte, peciolo breui, crassiusculo. Durant vsque ad Febr. vt aiunt. Sept. 18. nondum erant esui apta. Sapor vinosus, Color ex albo subluteus & virescens. Quædam etiam aliquid viroris habent versus basim. Zellenses hyemalia vocāt, Winterapffel, vernacula lingua. Aiunt & Linderapffel dici, hoc est, exacuta. Oct. 25. carne adhuc dura, acida, necdum esui apta. Suspicamur esse id, quod

Winterapffel. Spitzapffel.

Sceuckardiæ Rammerapffel, & Basileæ, Spitzärtigen vocant, quasi naturæ acutæ dicas quod delatum Montbelgardum, Decembr. 13. carne dura adhuc & acida deprehensum. At Hütlingsapffel integrum adhuc erat Febr. carne duriuscula, subacidula, vinosa. Ad medium Maij esui aptum, cum aliqua aciditate. — Rammer-apffel. Spitzärtig.

Malum turbinatum, lactescentibus punctulis conspersum.



Weissling ex Wälden, Pomum album, supernè turbinatum, infernè sessile. Diudurare aiunt. Punctulis planè lacteis aspersum est. Eiusdem generis aliud ex Zell accepimus, sed isto multò maius, & supra quinque digitos altum, quinque crassum: in cæteris simile, acidum est. Prouenit etiam in Bol, & aliis multis in locis, vt aiunt. Bonum adhuc & sapidum Montbelgardi 10. Febr. — Weissling.

Malum Vlmense.

Vlmer apffel. Vlmensia poma, ex luteo subalbida, vna parte strias aliquas rubentes habent. Eadem ferè latitudo quæ longitudo: pediculus longiusculus crassus. Pomum hoc quod vnicum accepimus contortum erat & veluti in medio bipartitum, nescimus an cætera talia. — Vlmer äpffel.

Mala speciosa alba Fontis Admir.

Magna hæc & speciosa Mala in Ducatu VVirtēb. circa fontem Adm. proueniunt. Figurā variant, iccirco

Digitized by Google

iccireo binæ eicones appositæ, varietatem ostendentes. Alba sunt & angulis eminentibus inæqualia,



præsertim rotundiora, alterum mag[illegible] turbinatum est. Aci[illegible]a sunt, & diu durant. H[illegible]c [illegible]uo eadem esse vident[illegible]r cum sequenti, vti patebit.

Aliaticon prædictorum.



Bachöpffel quasi Frixoria dicas, quod frixa sint optima. Habentur in Ge[illegible]. Cuius generis data nobis duo maxima, quorum altitudo excedebat sex digitos: crassitudo ferè septem. Color vniformis ex albo subluteus, raris lacteis maculis respersis. Aiunt multò etiam maiora reperiri, esse subacida, diu durare. Figura hæc magnitudinem haud æquat. Hospes noster Bollensis in discernendis fructibus peritus, noluit diuersum dicere, & Gelbling vocata, quasi luteola dicas, in Wei oppido, se eadem suspicari cum his. Sept. 20. caro non omninò candida, s[illegible]d ferè sublutea, duriuscula, sapore non admodum acido, grato. S[illegible]pt. 30. degustatis vtrisque iam descriptis, manifestè deprehendimus verum esse, quod hospes monuerat, non differre: sed esse tantùm figuræ aliquam varietatem. Ergo tres propositæ figuræ vnius sunt & eiusdem speciei, licèt non parua diuersitas inter duo appareat, vti dictum. Huius generis pulchrum & insignis magnitudinis Montbelgardum delatum, ad medium Maij integrum adhuc erat.

Bachöpffel

Erithromelon, seu P[illegible]mum magnum, rubrum, striatum.

Roth Bachöpffel, quasi rubrum frixorium dicas, variegatum, magna ex parte rubrum, variis intercur-

Roth Bachöpffel.



[illegible]tibus striis. Sed & [illegible]bedinis luteo commixtæ sat habet: Vmbilicus profundus, petiolus breuis: nonnihil quoque angulosum est. Suaui est & vinoso acore, ob id lautioribus mensis expetitur ad frixa, ad quem vsum etiam à Basiliensibus hoc ipso nomine, nisi multùm fallimur, celebrantur. Montbelgardum delatum, integrum adhuc Decembri. Aiunt in Wei ad Quadragesimam vsque durare.

Eritbromelon, seu Malum rubrum magnum, fugax.

Rote Wein zapfel. Rother Wein a Apffel ex Grübing & Wälder vnde etiam accepimus sub nomine Tauricher, Tauricum, his val-



dè similia, attamen maiora, sessilia, quædam rubra, nec ita striata. Partes quædam albæ ex luteolo, mixto sparsim rubore. Sed & in eo apparet differentia, quòd multa puncta habeant alba. Pediculi non admodum crassi, nec breues. Alterum, quod oblatum fuit, altitudinis erat quatuor digitorum, crassitudinis sex: alterum quinque, totidem crassum. Sept. 17. incipiebant putrescere. Caro haud ita candida, tenera tamen, acida, grata. Tauricum tamen sapore videbatur gratius. Fugax est Pomum.

Erithromelon magnum Parisiacum.

Groß Paris Apffel. In oppido Kirchen præmagnum & elegans hoc Pomum oblatum nomine Groß Pariß Apffel, quasi Parisia-



cum dictũ, mense Octobri. Hospes idẽ iudicat cum precedenti. Rubris striis pulchrè picturatũ est, aspersis hinc inde punctis albis, non sine luteolo colore. Pediculus breuis. Caro tenera, acida, vinosa. Bonum adhuc Octobr. 17. Eiconem exhibuimus propter formam à superiori diuersam: an differat etiam specie, incolæ viderint. Sanè ita videtur.

Malum Tauricum æstiuum, rubrum.

Sommer Taurich. Sommer Taurich: Pulchrum, magnum, rubens valdè allatum Vracho. Sept. 7. Striatæ rubedini luteum & albedo permixta. Caro alba, tenera, subacida, sapore vinoso, grato. Haud durabilia esse perhibent, ideoque



que æstiua vocant. Et vel Sept. 19. iam quædam putrescebant. Eadem sub eodem nomine vidimus in Bei Kirchen & in Wälden, quæ etsi minùs rubra, tamen erant magis striata. Putamus cum Plinio ruborem & strias a Sole fieri, prout magis aprico sunt exposita, quod & rustici obseruatione quotidiana asseuerant. Etenim Sept. fine eadem allata ex Bliensbach, non rubra erant, vt Vrachiana, sed multa albedine perfusa. Tribuendum tamen etiam aliquid formæ specificæ, & generum proprietati. Sept. 12. iam transierant in Zell. Vnum tamen nobis in Octobr. vsque integrum perstitit. Vnde Pomorum striæ & rubedo.

Malum Tauricum Hyemale.

Winter Tauricher in Bei & Wälde, pagis Vvirtemb. id est, Tauricum hyemale dictum, pulchrum magnumque



Pomum simile Taurico æstiuo: quędam rubra valdè, alicubi alba, sublutea, striata: quædam minùs rubra, diuersæ magnitudinis. In genere tamen, omnia huius generis videntur prædictis minùs sessilia, & paulò magis angulosa. Pecioli etiam videntur longiores. Aiunt durare vsque ad Aprilem. Sept. 19. nondum erant esui apta, sed carne dura, sapore tamen acido, non ingrato. Nacti sumus etiam eodem nomine ex Zell insigniter vna parte rubens, turbinatum. Perhibent diu durare, & acido esse sapore. Octob. 25. gustu erant acida, nec dum esui prorsus apta, carne solida, luteola. Montbelg. delata, Maij medio nulla adhuc putredine inquinata, saporis iucundi, vinosi.

Erithromelon acidum, subastringens.

Schmapffel ex Bliensbach: prædicto Taurico æstiuo apprimè

apprimè simile. Schmatzapffel dicta putamus, quasi pudoris Poma, quòd rubedo faciei pudoris



signum esse soleat: iuxta illud, Erubuit, salua res est. Rubent enim hæc Poma, sed dilutiùs, ac minùs quàm prædicta. Sunt & quædam alba tantùm, alia mixta, quasi & ipsa facierum humanarum instar, colorem mutarent. Puncta alba nulla. Pediculi breuissimi. Sept. 20. Caro dura satis, nec dum perfectè matura, saporis acidi, nonnihil astringentis. Sunt & parùm angulosa. Decemb. 15. Pomum delatum Montbelgardum ex Wälden nomine Schmeller Zaurich, carne erat alba, duriuscula, vinoso gratoque sapore.

Schmeller Zaurich.

Malum Tigurinum maius, seu album VVirtembergensibus.

Weiß Zürich apffel. Album Tigurinum Pomum, Weiß Zürich apffel, oblatum hoc nomine in Zell, fortè quòd Tiguro in agrū



VVirtembergicum transplantatum, aut quòd ibi etiam abundent. Angulosum est, speciosum, nonnihil turbinatum: Colore ferè luteo, veluti striis aut guttis rubentibus donatum. Habetur etiam in Bet & Groß Zürich apffel, id est, Tigurinum maius. Satis benè accedit ad Tauricum Hyemale, sed non ita rubet. Montbelgardum delatum, in Ianuarij finem durauit, carne friabili, tenera dulcacida. Possis itaque

γλυκύπικρον nuncupari, vel ὀξύγλυκυ.

Malum Tigurinum minus.

Hoc genus Bollenses & VValdenses simpliciter Züri apffel vocant, hoc est, Tigurinum Pomum. Minu Zürich apffel.

dici potest, quia priori magnitudine cedit. Ex albo subluteum est, paucis striis, non multùm angulosum, peciolo breui, crasso. Ad Aprilem durare narrant. Septembr. fine nondum esui erant apta, sed carne dura, acida. Eadem eodem nomine habentur in Studen, vbi aiunt frixa perquàm esse iucunda. Montb. delata Febr. medio acidula, grata.

Malum striatum, Balnei Adm. perelegans.

Striemling apffel accolis Balnei Admir. dictum, quasi striatum nomine sumpto ex argumento: pulchrum Striemling apffel.



est Pomum, nonnihil angulosum, multis striis & punctis rubens, ac veluti picturatum. Parte superna albet, inferna propè pediculum breuem, valdè rubet: & in rubro colore striæ saturatiores. Sunt etiam minora quàm figura exhibet, & valdè durabilia, vt aiūt. Delatum Montb. exeunte Maio nihil penitùs vitij contraxerat. Carne est firmiuscula, gustu acido.

Duracinum striatum, seu Malum D. Matthie.

Hartlinger apffel quasi duracinum seu duriusculum dicas, prælibato striato aliquatenus simile. Habet enim & hoc strias, sed dissimiles. Rubor etiam diuersus, cui puncta passim inspersa. Pediculus, quàm dicti longè breuior, & crassiusculus. Supernè etiam angulosum conspicitur, diu durat, vt perhibent, & acidum est. Suspicamur idem Pomi genus nobis oblatum in Wälden sub nomine Weißbrechten, quod ad

Hartlinger apffel.

Weißbrechen apffel.

Aprilem vsque durare aiunt. Idem Pomum datum in Zell nomine Mattißapfel, hoc est, Matthiæ Pomum, aci-

Mattiß apfel



dum quoque, & durabile, quod & ipsum erat per rubedinem punctatum. Decembr. 12. cùm iam putredinis nota adesset, duram adhuc carnem, albã, acidamque deprehendimus. Durauit tamen ad Maij medium vsque.

Malum rubellum Waldense.

Ritling.



Ritling quasi Rubellũ dictum, in Waldt. Pulchellũ Pomum, cuius superior pars valdè rubet, inferior liuē in [illegible] albicat, cũ pulchris striis, & veluti guttis rubeis. Pediculus mediocris, crassiusculus. Vnum tantùm accepimus ex illo loco, quod nonnihil erat angulosum. Aiunt durare diu, vsque ad Quadragesimam. Datum nobis in Zell eodem nomine Pomum, sed maius, quatuor digitos altum, crassitudine eadem: Color idem, nisi quòd non tantum rubebat: pediculo paulò longiori. Hic tamen prius exhibemus. Quædam etiam ex iis, quæ in Zell nacti sumus, minora sunt. In Kirchen eadem vidimus, nisi fallimur nomine Ritling, quæ Montbelgardum delata, durarunt vsque ad finem Febr. carne tenera, saporis subacidi, valdè grati.

Phrygmelon striatum.

Reibapfel.

Reibapfel quasi frixationi opportunum aptum-



que, Bollensibus dictum. Simillimum est Stechling dicto. Duo accepimus, quorum alterum quatuor ferè vncias altum, crassum totidem, alterum depressius, ad tres tantùm vncias, quatuor ferè crassum. Parte altera rubet, cum striis item saturatius rubentibus: altera sublutea est, intercursantibus quoque striis rubentibus. Durans est Pomum, pediculo crasso admodum & breui. Montbelgardum delatum integrum adhuc Febr. quo tempore adhuc carne erat dura, acida, grata.

Malum Zeinstetling Zellensibus.

Zeinstetling

Zeinstetling Zellensibus dictum, durabile Pomum est, vt aiunt, mediocre. Vna parte rubet intercursan-

tibus striis, magis rubentibus: cæterâ luteum. Pediculo est satis breui. Admodum simile est hoc Pomo paulò antè descripto, quod & strias rubras habet, Sed hospes noster, in discernendis fructibus solers, diuersum ait. Mõtbelgardum delatum, integrum ad Februarium vsque, putredinem non sensit.

Malum Stechling dictum.

Stechling.

Ita Bollenses & Zellẽses appellãt apud quos prouenit. Pulchrum genus est, maiusculumq; rubens, stria-



tum: intercursantibus nonnullis partibus luteolis & virescentibus. Multum habent similitudinis cum Ritling & cum Reibapfel striatis & cum Zeinstetling. Pediculo sunt longiusculo: carne acida, durabilia. Variant inter se. Alia virescunt sine multo rubore: alia parua, pediculis ipso ferè Pomo longioribus. Virore quidam distinguunt à Ritling. Septembr. 20. nondum edulia, carne alba duraque, acida valdè. Circa Pascha primùm maturantur, cuique fiunt apta. Montbelgardum delata, mense Maio, integra adhuc & abundè grata erant.

Rubellum

Rubellum Bliensbachianum.

Rötling. Rötling, hoc est Rubellum ex Bliensbach; totum ferè rubrum est, parum angulosum, pediculo



tenui, satis longo. Medio Martio integrum adhuc, saporis grati, subacidi.

Malum Hemingium Bollense.

Hemmings apffel. Hemmings äpffel in Boll. Latiusculum, sessile, supernè nonnihil turbinatum: colore ex albo luteolo, & sub-



uirente, vna parte cum striis nonnihil rubentibus. Aug. 26. nondum maturum: colligi tamen potest & reponi. Bona sunt circa ferias Natalitias, durantque vsque ad Quadragesimam. Montb. delatum integrũ adhuc medio Maio, acidulum.

Malum Treffling dictum.

Treffling äpffel. Treffling äpffel in Boll. Hospes noster se solum habere dicebat hoc Pomi genus, saltē eo in loco. Durare

vsque ad Aprilem. Mediocre Pomum, sessile infernâ parte, superiore turbinatum. Maxima parte rubet, interiectis multis striis: reliqua pallida subluteaq; pediculo satis longo, carne subacida. Vnicum delatum Montbelgardum Febr. 12. durauit adhuc.

Duracinum VValdense, acidodulce.

Hartling nomine data in Wälde/ quasi durabile, vel prædurũ dicas: Et Schalhartling/ quasi corticis instar Hartling. Schalhartling.



durum dicas. Et sanè ad duos annos durare perhibent, aut etiam ad triennium. Altera parte rubenti striata: altera sublutea, pediculo longiusculo ad vnciam vnam.



Ex Bliensbach simile Pomum allatum, nomine Schalapffel, quasi testacium dicas, aut quòd non sint comedenda nisi decorticata, propter duritiē. Decorticare enim (schelen est): sed malus. Delatum Montbelgardum, Maij medio carne dura, ex dulci acida.

Duracinum latum VValdense, seu rubrum.

Breithartling, quibusdam etiam Rothartling ex Wälde/ pulchellum, sessile, multumque durabile, vt aiunt. Breithartling. Rothartling.





Colorē vna parte subluteo, altera rubente, vtrinque dispersis maculis albis, seu lacteis quibusdam veluti punctis; pediculo satis longo. In [illegible] intensius rubent, & minora sunt: dura admodum carne. Sept. 20. acida, alba, esui nondum apta. Perhibent durare ad Oporam vsque.

Digitized by Google

Prasomelon Bollense, Fontis Adm.

Grüninger apffel.



Grüninger apffel in Bell, quasi viride Pomum. Nam colore maximè omnium est virescente, punctis albis aspersum, angulosum: pediculo vnciali, acidum. Montbelgardum delatum ad medium Maium vsque integrum permansit.

Malum Züppenschwencken Bollensibus dictum.

Züppenschwencken.



Sic in Bell vocant & circa Fontem Admirabilem, æquè mirabili profectò nomine, vt patet idioma intelligentibus. Pomum est acidum durabile ad Oporam vsque. Color virescens cum luteolo, subinde striis & veluti guttis rubentibus aspersum, pediculo sesquivnciam longo.

Malum longipediculum Zellensibus dictum.

Langstiel.



Langstieler quasi longo pediculo Pomum, ex Zell durabile: prædicto haud multùm absimile, differre tamen videtur diligentiùs conferenti. Neque enim tam viride est hoc, & per album luteas strias habet intercurrentes: ad hæc angulosum est: Pediculum vnciam longum habens, & in vmbilico cauitatem profundiorem.

Malum Concharum Venerearum modo maculatum, dulcacidum.

Circa Balneum Admirabile Ducatus VVirtembergensis hoc genus pomi Sewapffel, satiuum Pomum quibusdam etiam Kern-Apffel, quasi granatum Pomum nuncupatur, quòd ex granis & semine proueniat. Pulchellum est vna parte album, altera rubellum cum maculis rubentibus, vt in conchis Venereis

Sewapffel.

quibusdam: pediculo breui, crasso. Videtur idem genus esse Pomi quod Stutgardiæ Weißling vocant, sed

Weißling.



maius, & maculis pulchrioribus. Vtrumque Montbelg. translatum integrum Nouemb. fine. Stutgardianum ad medium Maij vsque durauit, carne valdè candida ex dulci subacidula, vinosa.

Mala Loracina Bollensia Font. Adm.

Lererapffel.



Lerer-Apffel (fortè quòd Loram potionis genus, Δευτερίαν Græcis dictum, ingrediantur, quod ferè à Germanis ex vindemiæ fracibus & reliquiis fieri solet adiectis Pomis & aliis quibusdam) in Bell & Wälde, accedunt aliquatenus ad Haßtecker, rubore multo perfusa, per quem veluti striæ guttæque magis rubentes discurrunt: In vna etiam parte ex luteo virescunt. Pediculus tenuis, longus.



Variant & magnitudine, & colore: quædam enim magis rubra, quædam lutea magis. Alia magis striata, alia minùs. Diu durare dicuntur. Caro alba, dulcis, grata, Sept. 20. nondum tamen edulis. Montb. delatum Maij medio integrum adhuc.

Mala Paradisiana Basiliensibus dicta, præcocia.

Paradiß-Apffel vel Paradiser Vulgò Basiliensibus dicta, prima sunt Poma, Iunio matura & Iulio, in paruis arboribus prouenientia, omnium vrbanorum Pomorum minima, quæ quidem hactenus viderimus, iucundi odoris & saporis, dulcis, suauitateque quadam propria ori blandientia, exteriùs candida, carne tenera. Habentur & Lugduni & Geneuæ & Monspessuli, Iunio tempestiuè matura. Putamus eadem

dem esse, quæ ex Ruellio sub eodem nomine descri-

Mala Paradisiana rubra. Rot Paradiß Öpffel.

ptimus ante Rot Paradiß öpffel iisdem Basilienfibus vocata, prædictis paulò maiora, paulò tardiùs quoque maturescunt; Colore rubra, pediculo satis longo. Caro firmiuscula, & quàm prædictorum solidior: sapore admodùm dulci, & propemodùm mellico.

Malum dulcacidum album durabile, & aliud dulce.

Grübling.

Grubling vocantur in Bott pago Ducatus VVirtembergici: Alba sunt cum virore, acluteis veluti oblon-



gis maculis: Pediculi breues. Idem Pomum eodem nomine habent in Zell. Dulce tamen esse aiunt. Sunt & magis albicantia, aliqua etiam aspera viridiaque.

Pfaffen grübling.

Pfaffengrubling in Wälde vocantur, quo fit, vt non tam nominis, quàm formæ varietate moti, duas figuras demus. Sunt verò posteriora colore albo cum luteo pallescenti, pediculo breui tenuique, durabilia.

Leterfüßling. Schmeltzling.

Aiunt vocari etiam Leterfüßling. Accepimus etiam nomine Schmeltzling. Oct. 20. in Kirchen carne dulci, solidiore. Hospes errorem esse ait in nomine, & ipsummet esse Grubling: delatum Montbelgardum medio Maio adhuc durabat vtrumque.

Malum turbinatum dulce.

Metzing öpffel.

Metzing öpffel vocantur in Bol, & circa fontem Admirabilem. Turbinatum est vt Hütlins öpffel (à pileo turbinato dictum Pomum, de quo suprà) sed basi latiore: magis etiam rubens, & angulosum, gustu dulci. Delatum Mombelgardum incorruptum erat exeunte Februario.

Malum granosum Zellense.

Kernöpffel.

Kernöpffel in Zell & circa fontem Adm. quasi granorum Pomum, vel granatum Pomum, ex albo subluteum, ad virorem aliquatenus tendens, pediculi longitudine & crassitudine mediocri. Hæc in segmenta cæsa repositáque diutissimè asseruari solent. Sept. 20 carne erant alba, duriuscula, dulci tamen, & esui grata. Aiunt in Boll vocari Zeitichöpffel.

Zeitichöpffel



Poma sacerdotum dicta quibusdam.

Pfaffen öpffel.

Pfaffenöpffel, (id est Sacerdotum Poma) nominè nobis data in Ottenbach, eiusdem ferè cum præcedenti öpffel

Digitized by Google



Gemundling.

magnitudinis: colore alba, & quibusdam partibus sublutea. Sept. 20. Caro alba, dura, dulcis, necdum tamen perfectè matura. In Gey nobis datum nomine Gemundling, quod idem esse putant. Dulce erat, & duriusculum minùs præcedenti, pediculo longiori. Aiunt diu durare. Vtrumque expressimus.

Malum pretiosissimum dictum.

Kostlicher öpffel.



Köstlicher öpffel id est, preciosum Pomum in Ducatu VVirtembergico, vocant circa fontem Adm. Angulosum est, ex luteo albicũ, quæ dam etiam vna parte rubent, pediculo breui. Durant vsque ad Aprilem, carne satis tenera, dulci. Ex horto nostri hospitis, qui se solum habere putabat. Habentur tamen etiam in Wälte, vbi Süßöpffel, & Süßling, id est, dulciuscula vocant. Hospes ille noster rapaces vericus manus, paulò tempestiniùs sub Augusti finem collegit. Illud autem quod ex Wälte accepimus maius fuit isto, nimirum vncias quatuor altum, crassum quatuor & semissem. Octob. 4. adhuc bona & Montbelgardum delata integritatem suam seruabant vlterius.

Süßöpffel. Süßling.

Mala liquescentia & sapora dicta dulcia.

Schmeltzling.

Schmeltzling, quasi dicas, facilè liquescentia Poma, fortè quòd ob carnis teneritudinem facilè in ore diffluant, ex Bott & Wälte, nonnihil sunt angulosa, ex



albo & luteo pallida: pediculus non ita breuis. Aliquandiu dicuntur durare. Sept. 20. gustata, dulcia quidem, sed non ita grata, carne tenera, alba. Eiusdem generis datum etiam in Gey nomine Klöpfferling, id est, sonorum, dulce quoque & durabile. Interdum

Klöpfferling.

valdè magna inueniri aiunt. In Kirchen oppido Leberfüßling vocant, aliàs Kernapffel, à sonantibus granis, & durare aiunt ad Quadragesimam. Quidam etiam

Leberfüßling. Kernapffel



Breitfüßling vocãt à latitudine, ita vt prædicta nomina omnia sint Synonyma vnius Pomi. Varietas tamen nominum & aliqua etiam formæ mouit, vt duas figuras fieri curauerimus. Ac posterius, quod Kernapffel vocant, denuò ita descripserimus. Magnum est, latũ, depressum, pediculo breui, nonnihil angulosum, ex pallore luteo albicans. Sept. 20. gustatum sapore dulci, gratũ, tenerum. Quidam vocant Süßtapfferling. Delata Montbelgardum ad finem Ianuar. nondum putrida erant: carne tenera, dulci. Quod verò Klepfferling nomine datum in Gey, Montb. aduectũ ad Febr. medium durauit, carne dulci.

Breitfüßling. Süßtapfferling.

Pomum Orbiculatum VValdensium.

Scheibling öpffel, id est, rotũdum Pomum, ex Walte ex albo luteolum, aspectu elegans. Sept. 20. carne tenera, alba, dulci. Habentur etiam in Bott, & ad Ianua-

Scheibling öpffel.

rium durarẽ aiunt. Montbelgardum delatum ad medium Febr. vsque durauit.

Fragrantis odoris præcox Pomum angulosum dixit vulgi consensus, quòd sub Augusti mensis principium maturum, Montbelgardi mensis inferri consueuit, quod vola interdum comprehendas, aliàs altero tanto grandius, thorulis ab vmbilico secundùm

Malum præcox angulosum acido-dulce.

dùm longitudinem decurrentibus, angulosum, qua solem sensit, confusa flauitie rubescens, cætera ex herbaceo pallescens: carne tenera, sapida, acorem temperante, sufficiente dulcedine.

Malum strepitum ... seminum.

Speciosum Mali genus, quod concussu strepitum intus contentis seminibus efficit. Quinque vel sex vncias longum, quatuor latum, vndique ferè angulosum & inæquale, modicè sessile, striis rubris passim decoratum, quædam vna tantum parte. Sunt & quædam minora. Item quæ vno latere tota ferè rubra, opposito flaua, mediis striis & sanguineis veluti guttis nihilo minùs decorantibus. Vmbilicus profundus est, angulis vndique ceu monticulis obuallatus. Peciolus tenuis, breuis, & non vnciam longus. Adapertum Pomum, vel per medium sectum cauitatem ostendit amplitudine notabilem: fornicatam dicas concamerationem, in qua, Pomo commoto, semina strepitant, vti dictum. Decuplo plus seminum caperet, quam cótinet. Caro Hyeme demùm mollis, dulcis, grata. Aprili adhuc durans, sapidum, edule tamé Sept. licèt carne durum. Quædam etiam ritè lecta & adseruata durant in Æstatem. Montbelg. & Burgundi *Crillaut*, Lothar. *Pomme Loquerre* vocant, omnes à sonitu. Montb. etiam dicuntur *Pommes de Chasteion*. Leguntur Septembr. Montbelg. in Pomario Principis.

Nomina.

Pomum angulosum, albocitrinum, fugax.

Trientem aut quincuncem altum, tribus vix latius, angulosum: cute albocitrina luteum, odoris gratissimâ fragrantiâ commendatum, qua vel vestes & reliqua interpositum afflat: carne molli, sapidâ vinosâ. Pediculo breuissimo, & penitus scrobiculo immerso: Vmbilico profundo satis. Montbelgardi mense Augusto matura, diu non durat, cauitates magnæ, grana multa, hinc sonora, si separentur agitatione, à suis pediculis albis, vel vbi exsiccantur.

Malum mammatum, à cala grand talon dictum.

Elegans aspectu Pomum, ea parte, quâ adhæsit, veluti mammam habet, aliàs rectâ protuberantem, aliàs incuruam & veluti pendulam. Immediatè suo hæret ramo, absque pediculo, rubris striis variegatú parte vna, opposita flauum, figura subouatú, si mammam demas. Acidulo & vinoso gustu. Matura Sept. vix durant vltra solstitium hybernum. In horto Montbelg.

Malum Cábour.

Cambour in Lotharingia dicta poma Prælmagna & pulchra, ex flauo viridantia, absque vlla vel striæ, vel rubedinis nota: sed punctis quibusdam fuscis & araneosis conspersa, subrotunda, sed latiora, quàm altiora. Caro vinosa, grata. In horto prædicto.

Malum æstiuum dulce.

Æstiua dulcia, vulgò dicta, tota flauent, si elegantem illam purpurissam, quâ vt plurimùm circa pediculum donata sunt, adimas. Sessilia sunt, ex rotundo leuiter compressa, mediocria magnitudine, cute læuissima. Breui & tenui hærent petiolo. Gustu dulcissimo ac melleo, succoso. Matura Sept. non durant. Ideo *Æstiua* dicta. Sunt enim horaria. Vt aulula, vt manducari solita.

Pomum cristatum.

Pomum cristatum nobis dictum, magnitudinis mediæ, sublongum, vncias circiter quatuor latum, tres crassum, cute flaua, plurimis punctis & maculis nigricantibus notata, essi in vno latere crista plerumque parua, secundùm longitudinem donata: pediculus cótortus, breuis vnciam ferè semis longus: Caro sublutea firmiuscula, grati, acidi saporis: Decembri erant esu bona, durabilia videntur. Helicutiâ nobis delata fuere.

Mala Curtipendula dicta.

Celeberrimum hoc Pomi genus est totius Europæ, sic dicta, quòd ex curto admodum pendeant pediculo. Iam supra ex Ruellio descriptum est nomine Capenduorum; sed minus tantùm. Nam apud nos Montbelgardi duo habemus genera: Maius & minus. Maius tres vncias latum, duas altum, sessile, sed non ita compressum, vt minus. Cutis subcrocea tota maculis paruis ac verrucosis scatet. Odore sunt præsuaui, carne quoque firmiuscula, sed minùs, quàm minorú, flauescente, saporis præcipui & maximè commendabilis. Facilè durant in Oporam vsque, si diligenter legantur & adseruentur. Quosdam etiam ad biennium diligenti cura seruasse nouimus, quod Basiliensibus haud adeò insolens. Minora sunt ea ipsa, quæ Curtius Capendina vocauit, & apud Gallos in maximo honore esse testatur. Quidam esse volunt Mattiana illa Romanorum, vt annotat Dal. apud Athæneum. Alij Cestiana esse putant, vt & suprà monuimus. Coluntur Montbelgardi diligenter in hortis, præcipuè Illustrissimi Principis, & Basileæ sunt frequentissima. Habentur etiam Monspelij & in Italia. Sed arboris summitates facilè congelantur asperiore Hyeme. Habétur etiam præmagna & speciosa in *Megni-Dasligon* Ill. Ducis VVirt. arce.

Maiora & Minora.

An Mattiana aut Cestiana.

Curtipendulorum succum Medici sagaci iudicio in Syrupum ad Melácholicos & Cordiacos affectus conficiendum præcipiunt. Eorundem vsus est ad nobilem & preciosam illam confectionem Alkermes, quam Monspelij parari vidimus, & alibi Pharmacopæi quoque diligentiores eorum segméta decorticata saccharo vel melle condiunt, delicatis & ægrotantibus expetita, horumque vsus præ aliis omnibus præstat. Nostri *Capenduis* sic vocant. Galli *Capendu* vel *Carpendu*.

Vires & vsus.

Nomina.

Epamendudure, (qui nunc vicus est à vetustissimæ vrbis reliquijs exortus, sub dominio Ducis VVirteb. in Comitatu Montb.) Pomi quoddam genus habetur, *Courtequeüe*, quasi curtipedaneum, aut curta cauda dicas, fortè ex initione, Curtipendulæ Mali cum alia quadam, comparata, cùm & facie & gustu quodammodo ad ea accedant. Speciosiora tamen, & altero tanto maiora, quædam vndique flaua, alia rubellâ stria decorata, (quod in Curtipendulis nunquá obseruauimus), punctis maculosis referta. Vmbilico sunt magno & profundo, peciolo breuissimo, vt apprehendere manibus non sit. Durant ad Martium & Aprilem vsque, quo tempore satis integra ac vegeta nobis exhibita, nomine prædicto. Sapor acidulus, vinosus, gratus, & à Curtipendulorum, quæ proprium quendam habent vix exprimendum, diuersus. Substantia carnis flauescens, æquabilis, minùs dura, quá illorum, Ipsum verò Pomum odore fragrantiss. est.

Malum Curtipendenti Courtequeüe.

Malus non florida dicta.

Mali sine floribus putatæ.

Elegans hoc Mali genus è Regio illo Illust. E.C. VVirtembergicæ horto Stutgardiano, à radice (quibus abundare solet) auulsis surculis & stolonibus, in E.C. hortum Montebelgardensem transplantauimus. Et iam in pulchras arbusculas excreuêre, quæ quarto anno, loco florum, in fine Aprilis & initio Maij, protulerunt foliaceá & muscosam quandam congeriem viridem, vel florum velut rudi-

Digitized by Google

mentum quoddam, vel sanè distinctum à reliquis floribus Pomorum omnibus, viridans & calyculo longo quinquepartito subhirsuto, vt eleganter in figura expressum. His inter folia constitutis, & velut è sinu eorum emersis, succedunt singulis ferè annis fructus seu Poma duas vncias alta, totidem lata, angulosa, vt quædam penè quadrata videantur, pediculo breuissimo, colore luteolo, carne tenera, acidula, sapida admodum, quod norunt & vespæ, & aliæ muscæ, quæ Iulio & Augusto, quo tempore apud nos matura sunt, ea arrodunt. Solent carere seminibus. Meminit Theophrastus in tertio de Caus. [illegible] hoc est,
Malus Verna Theop. Mali Vernæ, quæ aqua feruenti rigata melior euadat, & fructum edat sine nucleo. Ac hæc nostra sanè inter vernas haud temerè recenseri queat, quòd vel in frigido hoc climate ante alias plerasque, nempe Iulio, fructum perficiat, quid fiat in regione calida? Et Theophrastus quoque alibi Mali Vernæ meminit, quæ Iunio fructum perficiat. Et habuisset hic Scaliger, in quo subtilissimum ingenium suum exerceret, cur melior fiat calentis aspersione? cur fructum edat sine nucleo? Sed prudens euitauit hos scopulos. Quid si semen non ferat, aut saltèm non integrum atque perfectum, quòd neque florem integrum vel reliquarum Malorum more, formatum, edat? Hæc causa ex interiore principio desumpta. Est enim flos fructus principium, & præuia quædam dispositio. Sed cur non fert florem: aut talem, qualem cæteræ? Dic tu, qui es Philosophus. Non autem
Malus sine flore, Gesn. florere ipse Gesnerus quoque in appendice fatetur. Malus, inquit, prope vrbem nostram (Tigurum) non floret, & fructificat tamen. Eiusdem & Camerarius in horto videtur meminisse, quando ait: Malus arbor exiguis admodùm & pallidis floribus prædita:
Camer. Poma nana Pallidis floribus. fructum fert, quæ vocantur Poma nana, id est, pumila. Habentur etiam sine semine interiùs in fructu. Sed huius nostræ Mali fructus non adeò exiguus est, vt patet ex descriptione. Fortè arbor ipsa, quæ exigua, rectiùs diceretur nana.

Malum paruum Italicum.

Malum paruum Italicum. Allatus nobis ex Italia fructus exiccatus, Sorbi domesticæ fructum magnitudine æquans, colore foris partim puniceo, partim glauco, perquàm rugosus, vmbilico paruo, pediculo gracili, consistentiâ solidâ, sapore dulci, subacido, cum astrictione quadam. Transuersus sectus, quinque loculos membraneos radiatæ stellæ instar ostentat, quam notam, si cum gustu coniungas, facilè conicies Malorum genus quoddam esse paruum. Et iam ex aliis, & potissimùm ex Thoma Platero, sagaci Medico, intelleximus talia in Italia exsiccari, & ad exteros etiam efferri, qualia & nos accepimus Monspelluli inde importata, quæ etiamnum inter naturalia nostra adseruamus. De hoc Pomo fortè scribit Amat. Comment. in Diosc. Malicorium Granatorum putamen est, siue
Malicoriū. cortex, quanquam recentiores, Malicorium tantùm parua illa Poma rubricantia esse velint, quæ & ipsa astringendi vires habet. Hæc ille. Breuiùs & obscuriùs, quàm vt aliquid asserere audeamus. Suboritur enim dubium, an de nostris paruis Pomis loquatur, vel de paruis Pomis Granatorum?

Habet præterea cæteræ regiones quamplurima & præstantissima Pomorum genera, quorum quædam vt nomine ita & specie, à prædictis nostris indubiè distincta sunt: verùm quoniam cum iis nondum diligenter fuerunt collata, ne confusio fortè, & lectori oriatur tædiū, de iis nūc tradere supersedemus. Atque hæ sunt Pomorum differentiæ, non quidem omnes, sed hactenus à nobis obseruatæ. Quis enim possit omnes? cum tanta sit hodie hortulanorum industria, & curiositas habendi, vt non solùm aliunde passim translatis, nouis numerum adaugeant, sed varia illa & multiplicium inter se specierum mangonio, insectione atque commixtione hodie effectum sit, vt nunc non tantùm secundùm diuersas regiones euarient, sed & oppidatim & vicatim iisdem regionibus, dixerimus propè etiam per hortos ac domos, vt nullus ferè hodie sit, qui non suâ curâ esse velit sibi, quod desit alteri.

Dicamus nunc de tempore & loco. Florent Mali diuersimodè, pro speciei & regionis varietate. Vernæ & præcoces citiùs, tardiùs serotinæ. Similiter & de fructuum maturitate censendum. Florent apud nos & in Germania ferè sub finem Aprilis, & initio Maij. Et quod rarum sit, in his præsertim regionibus, Æstatibus longioribus, quædam bis florent, quod anno 1590 & 1603 euenit, & speciosè in horto E. C. Montbelgardens. in quem varias & multiplices, ex Gallia, Germania, Lotharingia, aliisque regionibus conquisitos stolones & surculos transplantari curauimus, magnam etiamnum spem facientes copiosæ messis futuræ. Ita posteritati studendum, etiam in istis. Maturant fructus suos Poma, ac Verna quidem seu præcocia, apud nos Iulio & Augusto mensibus, rariùs, citiùs: reliqua Septembri, aut etiam tardiùs. Serotina ad Hyemem vsque ad matrem pendent gelu maturescentia, vt de Amerinis & Scantianis scribit Plinius. Immò quædam sunt, quæ ne in arboribus quidem maturantur, sed in hyeme demum reposita, & diligenter in cella aut alio loco frigidiore adseruata, in stramine, vt solent nostri. Tempus & Locus Malorum in genere.

Amat quæuis ferè loca Malus, si feruentiora eximas, sed maximè temperata, aut etiam humidiora: non tamen frigidissima, qualia sunt montium celsa, niue magna anni parte operta. Non amant à procellis & ventis vehementioribus percelli, sed flatu tepido, præsertim Zephyro, aut etiam paullò frigidiore afflari. Ergò loca eis conuenientia sunt colles depressiores, & prata rigua, quibus in locis passim in toto Gallico & Germanico tractu conspiciuntur. Rariùs in interiore Italia, & Galloprouincia, ob cœli feruorem. Abhorrent etiam loca maritima, nec vspiam nobis visa in eiusmodi locis: ac ne in vicinis quidem commodè coluntur. Iam supra ex Theophrasto diximus, montibus & planis gaudere. Lob. & Pena volunt sapidiora Poma nasci in locis sicciorbus. Tamen adhibendus modus. Nam vt Poma non amant imbrium vbertatem, ita sanè nec loca calida, vt annotat Scal. apud Theoph. Sunt quidem, inquit idem, Mali in Ægypto, sed nihilo meliùs. Ergo temperata loca quærunt, quæ tamen nonnihil ad calorem & siccitatem vergant, vt nascantur sapidiora.

LVD. ROM. Nauig. l. 1. c. 6. f. 191. Damasci sunt Poma omne genus suauissima.

Pomis nostris haud absimilis fructus ferunt arua vrbis Indiæ Tarnasari. LVD. ROM. l. 6. Nau. c. 6. p. 255.

F. BROCH. In locis ter. sanct. descr. p. 322. In terra sancta inueniuntur rarò Poma, sed à Damasco illuc deferuntur; quæ tamen adeò Solis ardore decocta sunt, vt diu conseruati nequeant.

P. MARTYR l. 4. Ocean. dec. 3. p. 50. vniuersa terra Taja & Maja appellata, est arborifera, vbique herbida ac perpetuo Vere Autumnoque gaudet. Arboribus toto anno frondet, & Pomifera est.

IO. BAVH. In Burgundia oua Pomaque ne à frigore congelentur, vt audio, in stramen auenaceum recondunt. Vt Poma non congelentur.

Porrò quod vires attinet. Hippocrates in secundo de diæta scribit: Mala dulcia ægrè concoqui, acida verò, eàque matura, citiùs. Succus eorum sistit vomitum, & vrinam ciet: & ante vomitum odor ipsorum eundem prohibet. Mala syluestria (de quibus postea specialiùs agetur) aluum sistunt. Reliqua Malorum vires & vsus.

verò cocta, comesta, magis aluum mouent. Verùm ad Orthopnœam, hoc est, respirationem, quæ erecta ceruice fit, & succi ipsorum, & ipsa quoque hausta prosunt. Hæc Hipp. Nos verò in tali casu dulcibus malimus vti, quàm acidis. Mali omnis folia, auctore Diosc. & flores, & germina, astringunt, maximè Cydoniæ. Et ipse fructus crudus quidem astringit, maturus autem non similiter. Quæ verò per Ver in vigore sunt Mala, bilem inducunt, & etiam neruoso generi incommoda sunt, ac inflant. Melimela aluum molliunt, & lumbricos expellunt, sed stomacho incommoda sunt, & ardorem inducunt. Appellantur ab aliquibus Mala dulcia. Quæ Epirotica appellantur Mala & Romanis orbiculata, stomacho commoda sunt, aluum sistunt, vrinam prouocant. Debiliora tamen Cydoniis sunt. Porrò ad id, quod Diosc. ait, lumbricos expellere, Marcellus in Græco vitium latitare putat, quando ait ἕλμινθας ἐκτινάσσει, & à Barbaro, & à nobis ad ventris animalia & lumbricos pertinere creditum, parum felici, vt credimus, interpretatione, si rem & vocem æstimemus. Nam (inquit ille) dulcia hæc Mala sunt, mellisque sapore, à quo nomen inuenerunt, nec videntur posse ventris animalia facilè pellere: nisi fortè deiectam hoc cibo aluum cæ etiam sequuntur. Illud Dioscoridi & aliis scriptoribus omninò non conuenit, quòd ventris animalia ἕλμινθες appellentur, quâ voce nunquam veteres vsi sunt, præterquam in bestiis & venenatis illis, quæ ictu morsuve venenum relinquunt: Serapionis ætate tamen hæc erat etiam eius loci lectio & intellectus. Sed cur non conueniat (vt Marcellus putat) Dioscoridi ἕλμινθας vocare lumbricos, idem fecerit Hippocrates, vt testatur Galenus in Glossis. Sat veneni inerunt, quando putrides febres accendant, & per eas interficiant hominem. Deinde per accidens Poma dulcia interanea eiiciant, aluum nimirum laxando, vt ipsemet fatetur Marcellus. Quid si descendentem Pomorum dulcedinem sequantur odore illecti vermes, & deinde mutata sede à natura, promptius eiiciantur. Quid si & serpentis specie quidam in homine nascantur, quales & Paræus depinxit? Sed ad Galenum accedamus. Malus, inquit ille, non omnis eiusdem est naturæ, veluti nec eiusdem fructus: quippe quædam Mala dulcia sunt, quædam austera, nonnulla acida, alia extremè exoleta & aquea, & sanè in istis aqueum exsuperat, vt temperies eorum sit tùm humidior, tùm frigidior: in acerbis autem terrenum frigidum: in austeris verò tùm istud, tùm aqueum frigidum: sicut in dulcibus aqueum temperatum. Sic quoque succi, cortices foliaque inter se dissident. Itaque si austeriora sint, atque acidiora, vulnera illis glutinare possis, tùm in phlegmonarum principio influxionem repercutere, ac stomachum, ventremque exsolutum ac languidum roborare: at aquosioribus mediocres phlegmonas incipientes & gliscentes remittere. Porrò quòd plurima Pomis omnibus excrementitia frigidaque insit humiditas, vel hinc liqueat, quòd eorum omnium nullus omninò succus durare, ac vetustatem ferre possit, verùm acescant corrumpanturque vniuersi. Quæ de re, prout in alimenta veniunt Poma, perspicuè quid iudicandum sit, docet idem in secundo de Alim. Genus Malorum non est simplex, quomodo neque Pyrorum, neque Punicorum. Quædam enim sunt, quæ saporem habent austerum, alia acidum, alia dulcem, nonnulla etiam ex iis mistum, apparentque & dulcia simul & astringentia. Præterea alia quædam cum dulcedine manifestum habent acorem. Adhæc, alia cum acore acerbitatem. Inuenias autem interdum, & quæ hos tres sapores simul habeant euidentes, adeò vt acida appareant & dulcia, acerbitatisque habeant nōnihil. Perspicuum autem est, quòd adstringens, austerum & acerbum, tria hæc nomina saporis, qualitatem vnicam significant. Quòd verò acerba quidem in eo ab austeris differant, quòd valentiùs adstringant (commune autem ipsorum genus est adstringens) ex 4. l. de simpl. facult. didicisti. Memor igitur illorum scito, Mala quidem quæ adstringunt, succum habere frigidum & terreum: quæ verò acida apparent, frigidum quidem, verùm tenuium esse partium: mediâ autem temperaturâ esse dulcia, quæ tamen ad calidius vergunt: quemadmodum, quæ omnis qualitatis sunt expertia, ac velut aquosa, ad frigidius inclinant. His igitur vtêris pro vincenti in saporibus facultate: austeris quidem Pomis cùm ventriculus vel propter calidam intemperiem, vel multam humiditatem fuerit imbecillus: acerbis autem, cum duo hæc aucta admodum fuerint: acidis, quando succum crassum, qui non magnoperè frigidus sit, suspicaberis in ipso esse collectum, quandoquidem succus frigidus non acida, sed acria postulat. Vtraque certè, & acria & acida succos crassos incidunt: in eo tamen differunt, quòd illa quidem cum calfactione: hæc autem cum refrigeratione id præstent. Perspicuum quòd astringentia quidem, quantum in ipsis est, alui deiectiones semper cohibent: acida verò, cùm succum crassum in ventre inuenerint, ipsum incidunt, ac deorsum subducunt, ob idque deiectiones humectant. Quòd si ventrem purum inuenerint, ipsum magis sistunt. Porrò succus dulcis, cùm sine acrimonia & crassitie, hoc est, cùm solus planè fuerit, celeriùs quantum in ipso est, distribuitur: quòd si acrimoniam aut crassitiem habuerit, citiùs subducitur. Est autem & aliud succi genus, non in Pomis modò, verùm etiam in aliis omnibus, quod aqueū & qualitatis expers apparet, vt antea quoque diximus, quod stomachum quidem minimum iuuat, in medio autem est memoratarum facultatum, quemadmodum & aqua ipsa. Inest autem Pomo eiusmodi id vitium, quòd, cùm ad mandendum ipsum aut voluptate, aut vtilitate adducantur, quando neque gustu iucūdum ipsum, neque, quemadmodum astringentia, robur ventri inducere, neque fluentem ipsum sistere comperiunt, meritò contemnunt: quemadmodum & apud nos quidem in multis Asiæ locis, suibus ipsis proiicimus, πλατανίσσα appellantes, quòd tenera Platanorum folia (vt iam suprà dictum in differentiis) gustu quodammodo repræsentet. Cæterùm optima genere Poma non sunt antè colligenda, quàm in arboribus maturuerint: concoctu enim sunt difficilia & frigida, tardeque permeant, & praui sunt succi: vt interim omittam, quòd succum etiam habent frigidum ac leniter crassum. Quæ verò bellè matura in Hyemem & Ver proximum adseruant, ea sæpè in morbis maximum afferunt præsidium, vel cataplasmatis modò cum farina admota, aut in calidis cineribus mediocriter assata, aut pulchrè in aquæ bullientis vaporibus percocta. A cibo præterea statim dare ipsa conuenit, nonnunquam autem & cum pane ad ventriculum & stomachum roborandum iis, qui deiectâ sunt appetentiâ, tardeque concoquūt, quique vomitu, diarrhœa ac dysenteria infestantur. In hunc vsum acerba sunt apta. Parata enim, vt iam iam præcepi, mediocrem retinent adstrictionem, cùm si mediocriter austera fuissent, in eiusmodi apparatu adstrictionem omnem deposuissent, ob idque similia iis euadunt, quæ ab initio sunt aquea. Hactenus Galenus. De qua re paullò aliter sentire & consolere videtur Aristoteles. Quærit namque cur Poma priùs esitata non ita repletionis mole respondeant, quàm si pòst? An quod cæteris esculentis, grauius Pomorum genus sit? Iccirco ante cibum ingesta, suo pondere in imum delapsa, supernè loci capacitatem desumpturis cibis relinquant? At contrà si pòst edantur, innatant, & partem inanem occupans

Marginalia: Diosc. codex vitio laborare putatur. — An dulcia Mala expellent ventris vermes consetant. — Temperamentum. — Vulnera. — Dulcia. — Ventriculus calidus. — Acida. — Alui deiectio. — Aquea. — Platanissa. — Poma immatura noxia. — Cataplasma. — A cibo danda. — Vomitus. Diarrhœa. Dysenteria. — Quæstio.

Venenum. Vermes. succus expressus admisto pauxillo Croci ebibitus, veneno aduersatur, & ventris animalia pellit. Pū-ctionibus lateris Camerarius Cataplasma inducit *Punctio lateris.* ex pomo dulci, cui thus contusum inditur, vt simul assentur. *Ad Ustionem* Idem ad pulueris Pyrii empyreuma extinguendum, pomum dulce in Plantaginis latifoliæ aqua coquit ad tabitudinem, dein cum lacte facto cataplasmate vulneri inducit. Parę experimentum est, si Fullo vermiculus (quem Ohrenmittel siue Ohrengrübel Germ. vocant, *Vermis in aure.* Galli *perce-oreille*) irrepsit in aurem, applicetur media pars Pomi dulcis, cuius odore illectus prodibit vt rodat, & auris liberabitur vermiculo. *Oculorum inflammatio* Nos in quotidiano vsu habemus, & magni facimus experimētum quod è pomis in aqua coctis paratur, & pulmenti specie oculorum inflammationibus imponitur. Possunt & ex lacte coqui vel caprino vel muliebri, vel ex aqua ros. euphras. aut alia aqua frigida. Cuius rei testis est Arnold. de cur. morb. ad dolorem, inquit, oculorum, calorem, ardorem, & ex calida causa humorem, Malum bene maturum adiectis seminibus in aqua diligenter coquatur, tundatur, & addito lacte mulieris supra pannum lineum extendatur, clausisque palpebris supra oculos ponatur. Ego tamen feliciter sæpiùs hoc medicamentum expertus sum etiam sine la- *Ascites.* cte. Hydropicus Asciticus corripiebatur anhelandi difficultate, suffocationis periculum præ se ferente, eaque non tam inter comedendum, quàm *Obseruat.* per somnum, vel dum obdormiscere conaretur: ac is sedari sibi [ex Schenck. Obs.] statim symptoma hoc affirmabat, quamprimùm crudi Pomi *Malum cum Thure* frustulum vnum atque alterum deuoraret. Hinc Gesn. in vitiis pulmonis, & dyspnœa Malum assum, excauatum & drachma Thuris repletum fœlici cū successu comedendū dedit. Cōmendantur & Pomorum cortices siccati & accensi ad corrigendum aërem tempore pestis. Ipsius verò ar- *Foliorum vsus.* boris folia cùm astringendi & refrigerandi dote polleant, incipientibus inflammationibus cataplasmatis specie contusa atque concocta vtiliter *Florum vsus.* adhiberi possunt. E floribus aqua stillatitia elici potest, qua abluta sæpiculè ac in multos dies facies, à rubedine & maculis rubris seu pustulis liberatur, vt scribit Tabernamontan. Paratur etiam eadem arte aqua ex ipsis pomis ad Cœ- *Corticis vsus.* liacos & Dysentericos affectus vtilis. Tragus quoque annotat è cerco cortice Malorum cocto, addito alumine colorem luteum confici ad tincturas. *Potus è pomis.* Rustica gens Silesiaca è tusis & aqua perfusis pomis, atque expressis potum conficit, quem Apffeltranck vocat: Schvvenckfeldius. Idem & in aliis locis parari solet, & apud Heluetios nostros, etiam sine aqua. Et quod ad Malorum quoque historiam faciat, mirum quod annotat Curtius audiuisse se à præclaris viris, apud Tholosates hominem non plebeium fuisse, coram *Antipathia cum pomis.* quo si poma cruda apponerentur, statim deficere solitum: nonnunquam etiam cum vitæ periculo, nisi illi extemplò succurreretur. Nos quoque quibus afferrent Mala fastidium plures nouimus. Sed harum rerum causas neque nos scimus, neque scire labores tu. Insignem antipathiam aduersus Poma obseruauimus in Nobili Ill. E. C. VVirtemb. Alsato. Ita enim horrebat Pomorum odoratum, vt ne ferre quidem posset habentes: qua arte speciatim ego [Bauhinus] vt eluderem casei amorem, quo ipse delectabatur ego verò horreo simili antipathia Poma, postulabam, illo petēte caseo. Ita mutua vtriusque cautela res cuique aduersaria deuitata. E contra tàm mirè delectatur Pomis, Medicus quidam haud vulgaris, iam sexagenarius & amicus singularis, vt singulis pastibus, quotiescunque offerebantur, aliquot mala innoxiè voraret. Ast meo sanè periculo didici fungosam pomorum substantiam ventriculo frigidiori atque etiam intestinis haud esse commodam, nam præterquàm quòd diu in ventriculo obhæreścit, flatus excitat atque dolores. Quæ res tandem effecit, vt & coctis, & crudis in totum abstinerem. Pyra siue cruda siue cocta faciliùs fero, meliùsque digero. Summè recreabatur *Malum Martianū cœna Domitiani* pomis Domitianus Imperator. Ad satietatem enim pransus non temerè quicquam super cœnā præter Martianum Malum, teste Suetonio, & modicam in ampulla potiunculam sumpsit. *Cautio.* Monendi principes, ii præsertim qui insidiis obnoxii, ne temerè & inconsideratè comedant Poma, *Historia dati veneni in pomo.* ne illis eueniat, quod Clarindæ quondam Principissæ Mantuanæ. Quippe Adilon Princeps Italiæ nescio qua zelotypia commotus erga D. *d'Alegres* Gallum, diu multùmque, maximisque sumptibus modum intoxicandi hunc quærens, tandē hunc inuenit, vt per pediculum Pomi virus imperceptibile inderet, Pomumque præcipuæ elegantiæ offerret. At is Pomi venustate potiùs, quàm dolo commotus abstinuit ab eius morsu ac prædictæ principissæ offert. Illa subitò comedēs paulo pòst multis cruciatibus fatigata fractaque miserè interiit. Fertur sanè Ill. Christoph. VVirtembergicum fuisse Pomo intoxicatum. Modum inferendi venena Pomis vel adhuc arboribus suis hærentibus, nec annotare lubet, nec scriptis prodere integrum. Facilè inueniet modum indendi cui veneni parandi virus notum, nec odore, nec sapore aut colore se prodens &c.

Vina pomorum. Cidre. Nunc quod reliquum est, si velimus iudicium ferre de vino Pomorum, [*Cidre*] habenda (teste Nic. Abr. è Framboisiere) ratio gustus, ætatis, & compositionis. Gustus non solùm pendet à Pomis ex quibus paratur, dulcibus, aut acidis, aut acerbis: verùm etiam ab ætate. *Pomorum succus.* Succus enim conseruatus mutat cum tempore saporem, postquam defæcatus acquirit alium, quàm habebat primò. *Vinum Pomorum dulce. Vires.* Vinum Pomorum dulce, propter dulcedinem, quę prouenit à colore temperato, mediocriter calefacit, & minùs cæteris refrigerat, plùs nutrit, estq; salubrius, potissimùm iis, quibus ventriculus frigidus est & siccus. *Acidum. Vires.* Acidum verò siue confectum sit ex Pomis acidis, siue successu temporis acidum redditum sit, quia valde aquosum & nonnihil terrestre, adstringens & corroborans, nihilominus tamen tenue & penetrans, singulare est pro temperando calore ventriculi & hepatis & sanguine feruido & bilioso: ad vomitum compescendum & defluxiones biliosas, ad sedendam sitim, ad incidendum humores crassos & viscidos. *Vinum asperum.* Asperum, quia valdè frigidum, & siccum non vtile nisi cum successu temporis, vbi acerbitatem derelinquit, & magna frigiditas & siccitas, mutata in minorē frigiditatem cum aliqua humiditate mixta, vt dulcedine aut aciditate. *Vires.* Roborat quodammodo ventriculum languidum & relaxatum, compescit nimium vomitum, & omnes alui fluores, sedat palpitationem cordis & lipothymiam, concoctionem iuuat potum in fine pastus, dilutum pauca aqua, vt minuatur pondus & distributionis tarditas. *Aetas. Recens nocuum.* Quod ætatem attinet Vini Pomorum. Insalubre nuper paratum, adhuc turbidum & non defæcatum: lædit ventriculum, excitat dolores capitis, obstructiones generat. *Vetustum nocuum. Delectus Vini pomorum.* Vetustum & acescens non minùs nocuum prædicto, id igitur bibendum, quod repurgatum & mediocris ætatis. Compositionis habità consideratione, id semper

quàm montosis, & talia montanis atque syluosis, quàm campestribus, & frequenter secus vias & semitas. Thomas Hariot in historia Virginiæ insulæ scribit, Poma syluestria, seu vt ille vocat *Pommes sauuages*, similia Anglicis ibi nasci.

Poma Virginia.

Vires & vsus.

Etsi de syluestrium viribus inter satiua quædam sparsim dicta sint, tamen libet hic specialiora quædam adsignare. Syluestria Mala, autore Theophr. odoratissima sunt & acerbissima, cui ex parte etiam subscribit Hermolaus, qui odore acutiora dicit vrbanis, quod concesserimus quidem, sed non odoratiora, nisi per syluestria Poma, montana intelligas, vt Theophrast. intelligi posse videtur, tum non erunt simpliciter syluestria. Dioscor. syluestria Mala vernis similia scribit, & astringere. Et addit, oportere ad ea, quæ astrictione opus habent, omnibus immaturioribus vti, quasi insinuare velit, immatura syluestribus esse vi & facultate succedanea, vt reuera se res habet. Omnibus porrò syluestribus succus vehementer austerus est & acidus, ex quo & hîc Montbelgardi & passim in Galliis, vbi proueniunt, succum Omphacinum prælis exprimunt, quem repositum per annum aut etiam plures asseruant: nam vim acquirit aceti, quo in cibis vtuntur, eius loco, existimantes speciatim pisces ex eo coctos firmiores fieri & sapidiores, quod & nobis probatur. Verdius vocant. Picardi etiam potionis genus ex iis parant, quo vtuntur vini loco. *Piquette* vocant. tale parant etiam Montbelgardenses & Vicini Burgundi, vocant *Picasse*, magnos vsus habens in re coquinaria ad ἐμβάμματα & intinctus varios, potiss. ad coquendos pisces, quos sua adstrictione & aciditate firmiuscula carne reddere nouimus. Ipsa autem Poma aluum sistunt in natura, cocta verò mouent, vt scribit Curtius: quorum succi si sumantur, rectam spiritus angustiam leuant. Stomacho inutilia, aluū & vesicam circumagunt, neruos lędunt. Vtilia sunt ad impinguandos sues quod in defectu glādium apud nostros fieri solet.

Succedanea.

Succus omphacinus.

Superesset, ne alicuius obliti videremur quod ad Malorum historiam pertineret, vt aliquid etiā adderemus de Mali morbis, vt vermiculatione, & aliis: vt & earum purgatione, & situ, de quibus Theophrastus, & ex eo Plinius satis copiosè scripsit, & Scaliger suis annotationibus illustrauit. Mali etiam quomodo inserendæ, & quando, quomodo putandæ, colendæ, qua ratione curandum ne fiant caducę. Sed ne in immensum nostra excrescat historia, & vt Lectoris compendio consulamus, eundem ad Plin. Colum. Pallad. Petrum de crescentiis, Conradum Heresbach, Ruellium, & alios, qui de hac re scripserunt ablegamus. Apud eosdem inuenias, Mala quomodo colligenda, reponenda & conseruanda, aut etiam condienda.

Insitionis mangonia.

Car. Stephanus speciatim aceti rationem parandi docet ex malis syluestribus. Item qua ratione Mala rubra facias. Item dulcia quo modo fructifera reddenda, & inserenda: ut Malus in Cotoneam, satiua in satiuam, syluestris in syluestrem: vt Mala saporem quatuor diuersorum habeant Malorum: ut fiant dulcia & acida: Pyra & Mala in eadem arbore: quę omnia diligentissimè persequitur. Denique Colerus quoque magna diligentia in suo diario Oeconomico, & quædam etiam mirabilia prodidit. Quomodo curandus Morbus Germ. Natter dictus, id est, vipera, qui Malos infestat. V. Mala fiant rubra cum sanguine Lupi piscis: Quomodo Mali inserendæ Alno, Sorbo aucupariæ, Cerasoi, Salici, Populis: Pyrum & Malum inserta eidem trunco, vnamquāmque suum ferre fructum, sed Mali surculum non diu suum ferre. Item inseri Malum in Brassicam & Vitem, & alia multa, vtilitatis & iucunditatis plena, quæ hîc curiosiùs persequi non est nostri instituti, quod in alio Opere fortè agemus. Varios modos recondendi & reseruandi Poma habes in cap. de Pyris, quos & ad Malos referre possis. Aug. Gallus censet non priùs colligenda Poma vel Pyra, quàm ter aut quater pruinam senserint, quod de hyemalibus intelligendum.

Natter.

DE MALIS SYRIÆ ET GOMORRHÆ CAP. II.

MAgnum quidem & admirandum, quod autores nonnulli, inter quos Iulius Solinus, grauis certè autor, de Pomo quod in sinu Iudeæ Gomorrhæ gignitur, memorant: quod licet maturitatis præ se gerat speciem, mandi tamen non possit. Nam fauillaceam intrinsecus fuliginem, ambitio tantùm extimæ cutis cohibet, quæ vel leui tactu pressa, fumum exhalat, & in vagum puluerem fatiscit, & cinerescit, vt oculis tenus placeát. Id verò multi è nostris Theologis in memoriam & vltionem criminis postica Veneris, quo incolæ regionis Pentapolitanæ tam fœditer & communiter laborarunt, esse arbitrantur.

DE MALO COTONEA. CAP. III.

COTONEA MALVS.

MALVM COTONEVM.

Descriptio. Lignum. MAlus Cotonea, pusilla arbor est, ligno contorto, intus pallente & albicante firmo satis & æquabili, cortice obtecto mediocri non rimoso nec valdè scabro, infernâ parte suffusco, supernè subcinereo, læuiore atque glabro. *Cortex. Folia.* Folia gerit Malo vulgari æqualia, nulla in ambitu crenâ incisurâve dissecta, pronâ parte cana lanugine vbertim obsita, supina verò viridantia & læuia ferè, rariùs [& non nisi tenellis foliis] lanuginosa, quæ lanugo facilè affrictu digiti deraditur: *Flores.* flores non multi simul vt in Malis, sed in surculis singulares, Rosis syluestribus persimiles, quinque foliis subrotundis, ac semuncia latioribus, carneo colore præditis constantes, in quorum medio stamina multa purpurascentia apicibus luteolis: flori autem toti subsunt quina folia ex viridi canescentia, villosa, quæ postmodum fructuum pythmena foliatum efficiunt. *Fructus.* Sub illis lanuginosum quid extuberat, futuri fructus rudimentum, quod cadentibus florum foliolis incrementum capessit, donec fructus perficiatur, magnitudine Mali, figura varius, turbinatus, & torulis eminentibus tuberosus, paruus, magnus, mediocris, densa lanugine rasili obductus; pulpa melina, odora, adstringente, & subacida. *Semina.* Semina in ipso Pomi centro, quinque cellulis distinctis continentur, cortice spadiceo, medulla alba, Pyri seminibus non multùm dissimilia, viscido quodam lentore lubrica, quem in aquam deiecta deponunt, & ipsam mucilaginosam reddunt. *Radix.* Radix copiosa, fusco cortice vestita, aliàs recta, aliàs obliquè acta, è cuius summo multi stolones virgati sese exerunt.

Satio. Seritur auulsione, insitione, viuiradice, ramulis, & taleis. Ipse verò fructus ex arbore pendens, incuruatos trahit ramos, prolubétque crescere parentem, vt Plin. ait: habétque hæc arbor omnium Malorum infima, omnium Malorum maxima, vt Goropius annotat. *Cotonea se variam figuram acquirant.* Democritus Coroneũ cuiuslibet animantis effigiem repræsentare promittit, si in formulis insculptis clausum adolescat. Differentias posteà describemus.

Nomina. Arbor Cotonea Cydonia. *Malus Cotonea*, quo nomine primus Cato appellasse traditur, & *Cotonea* simpliciter, aliis *Cydonia* à Cydone Cretæ oppido, vnde primùm aduecta putatur. vnde Serenus:

Aut quæ poma Cydon Cretæis misit ab oris.

De qua re posteà fusiùs agitur. Platina etiam Cotonia vocat. In officinis *Citonia*. Græcis κυδώνιος vt Theophr. & κυδώνιος μηλέα, cæteris. Germ. Quitten, oder Küttenbaum/ Belg. Queappelboom Queperreboom. Gal. Coingnier, Cognacier. It. Cotognaro. Hisp. Cod.nero. Ang. Quince tree. *Fructus.* Fructus κυδώνιον μῆλον, Coroneum & Cydonium malum. *Malum astiuum. Malum canum.* Lonic. putat Cotonea dici, quia lanugine [quæ, vt ille ait, Coton Græcis est] tecta sint: [& vt C. Bauh. scribit] quia Cotone seu lanâ tecta videantur. Verùm apud nullum hactenus probatum Authorem legimus, Coton vel Cotonem, aut Cotona esse Lanuginem, sed barbarismo eæ voces ex Gallico & Italico mutuatæ videntur, quibus *Coton* gossipium est, quod nec ipsum quidem quis propriè lanam dixerit. Aliis Codymalum, siue Cydomalum, vt Cretensibus, vt dicetur postea, quod Galeno κατ' ἐξοχὴν, & per excellentiam dicitur μῆλον κατ' τόπους c. 1. & apud Diosc. μήλινον, melinum vnguentum Plinio, quod ex Cotoneis paratur, & vinum quod μηλίτην, & κυδωνίτην vocat. Iulius Pollux æstiuum Malum. Virgil. Malum canum καταχνοῦς. Eclog. 2.

Ipse ego cana legam tenera lanugine mala.

Et alibi: Aurea Mala:

— Aurea dura,
Mala ferant Quercus, &c.

Et Eclog. 3.

Quod potui puero, syluestri ex arbore lecta,
Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

Et rursus, roscida Mala: Eclog. 8.

Sepibus in nostris, paruam te roscida Mala
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem.
Alter ab vndecimo tum me iam ceperat annus
Iam fragiles poteram à terra contingere ramos.

Quæ quidem Virgiliana nobis videntur de Malo Cotoneo intelligenda, & perperàm à nonnullis ad Mala Punica referri.

Aurea poma manu, &c.

dicit Ouid. Metam. 10. μῆλα ἐκ χρυσοῦ ξανθά. Mala aurea & coloris aurei dicit Seruius, vnde Martialis:

Cecropio saturata Cydonia melle.

Mala aurea. Frisius ad Eclogas addit: Græcis χρύσεα μῆλα, aurea Mala, & citrina Mala esse ein Art der Küttenen/ schön Goldgeel. τὰ κυδώνια Diosc. Ob huius fructus & formosam speciem, & amplitudinem in arbore tam parua nascentis, ac tenui, Tryphon Medicus apud Plutarch. 5. Sympos. Malum ab Homero dictum fuisse ἀγλαόκαρπον commemorat, tametsi de Mali Citriæ fructu id potiùs explicandum putet Dal. *Aglaocarpos.* Quòd autem Mala aurea, Cydonia sint, multi probare satagunt, ex Herculis signo, ante ætatem nostram Romæ defosso, manu tria mala cotonea tenente: visitur nunc Romæ in curia Conseruatorum. Curtius. Nota autem est fabula de Hesperidum hortis ab Hercule spoliatis. Herbarii ferè omnes prædictis vulgatis nominibus tam Græcis quàm Latinis vocant: Sed in designandis distinguendisque Veterum differentiis non benè conueniunt, vti patebit. *Saffargel.* Arab. *Saffargel*, vt est apud Serap. Germ. Quitten / Küttenen / Quittenapffel oder Küttenapffel. Quibusdam etiam Goldapffel, quasi aurea mala. Gal. *Coing, & Pomme de Coing.* Ital. *Pomo ò Melo Cotogno.* Hisp. *Codoyeas, Membrillos & Marmellos.* Anglic. Quince/ & Quincetree, quæ tamen posteriori nomine appellantur. Pyris similiora dicit Turnerus, quàm Malis Cydonia. Belg. Queappel/ & Queperc/ quod posteriùs coroneum Pyrum denotat. Bohem. Kdaule.

Mala aurea & Hesperidum, Chrysomela. Porrò de aureis & Hesperidum malis multi multa. Doctissimus Goropius vult nihil esse aliud quàm Cydonia Mala. Quæ igitur Aurea mala sint ex Plinio discamus, qui inter Cydonia & Chrysomela vocat, quæ cæteris colore præstant. Satis perspicuum esse puto Cydoniorum genus illud, quod aureo colore maximè est insigne, aurea Mala esse, ideircò Mala Hesperidum, ostendam *Mala Hesperidum.* tamen quid Propertius de Virgilii aureis Malis senserit: cuius iudicio qui stare nolet, is cadat in quot velit errores. Eius versus sunt ad Lynceum:

Vsque decem possint corrumpere Mala puellam, &c.
Felix qui vilis Pomis mercaris amores.

Vilia Poma. Quis hîc non videt, vilia Poma fuisse, quæ aurea Virgilius vocauit. Minimè verò ex Assyria vsque & Media aduecta. Non esse autem Scandiana, aut Matiana, aut Melimela, idem in eo carmine clarè demonstrat, dicens:

Illis pompa fuit, decussa Cydonia ramo, &c.

Succinat Propertio Palladius.

Cum præstet cunctis se fulua Cydonia pomis, &c.

Mala Hesperidum aurea. Eadem & Columella habet, qui Plinium præcesserat, & Chrysomela vocat, vt iam dictum. His igitur autoribus qui nondum credit aurea Hesperidum mala, magnum inter cætera Herculis ornamentum, Cotonea mala esse, eum dignum iudi-

Digitized by Google

iudico, quem Pomona pascat. Sic legimus Poma Veneris donum esse gratissimum. Hinc Philetas:

Μῆλα Διωνύσου δῶκεν ἀπὸ κροτάφων:

Quâ de causa Theocritus:

Μᾶλα μὲν ἐν κόλποισι Διωνύσοιο φυλάσσων.

Malum Veneri Sacrum.

Hinc & illud παρὰ πατρὸς δὲ μᾶλα &c: Ad quem locum interpres Malum Veneri Sacrum dicit. Hinc & illud apud Eustachium, nescio an ex Anacreonte:

Μῆλα ἔρωτος ἰδὲ στεφάνων: &c:

Et illud Aristophonis ex Nephel.

Μήλῳ τ᾽ ἀπὸ πορνιδίου βληθεὶς &c:

Ἀγλαόκαρποι.

Quamobrem non otiosè ab Homero factum, quod in Phæacum hortis dixit μηλέαι ἀγλαόκαρποι, vtiam suprà diximus: & icircò Malum à Paride datum pulcherrimæ. Quod verò non generatim quamuis Mala Veneri æquè grata fuerint, sed Cydonia, præ cæteris omnibus Stesichorus satis indicat in Helena, vbi commemorat in regis Currū, multa quoque Cydonia coniecta fuisse. Ita Antiphyli epigramma quo Struthion (Cydonii species, de qua mox) ad Venerem suâ misit, sic incipit: μῆλον ἐγὼ στρυθεῖον &c: Item Zonæ in Epigrammate quodā ἀρτίχνουν τὸ δὲ μῆλον. Philipp. μῆλον δ᾽ ἡδύπνοον &c: Virgilius eadem ipsa cana dixit, id est albâ lanugine vestita, vt iam dictum. In Saxonum verò historia legitur, Veneris in ipsorum regione simulachrum fuisse, quod tria aurea Poma teneret: quę res cum Cypria Malo ab Ouidio descripta egregiè consentit. Porrò Cydonia & Citria nomina nec Græca nec Latina videntur. Nam quod à Cydone Cretæ vrbe deriuent, id faciunt non tam quòd ita sit, quàm quòd, nisi id ex allusione vocum inuenissent, nihil haberent, quò nomen referrent. Quòd si à Cydone nomen traxisset, nemo puto id meliùs scire potuisset, quàm ipsi Cretenses. At hi hæc Poma non Cydonia sed Codymala vocant: cuius rei testis est Hermon in linguis Creticis. Apollodorus item & Sosibius Codymali nomine Cydonium intelligunt. Nec Veneris apud Ouidium narrationi conuenit aurea Mala primùm è Cydōne Cretica venisse: Allemanis hoc Kütte vocatur, & eodem nomine apud Cymbros membrū muliebre intelligitur. Iam quicquid de Veneris Malis apud Antiquos legimus, id ad Cotonea Mala referendum, vt modò ostensum. Et μηλοβολεῖν apud Græcos, non, vt vulgus Grammaticorum opinatur, à quouis Malo traxit originem: sed à Cotoneo.

Cydonia præ cæteris Veneri grata. Struthion. Mala Cana. Malum Cypria Ouidii. Cydonia an dicta à Cydone. Codymala. Nominis varia exactiùs inquiritur. Veneris Malum.

Mala & Mala.

Theocritus, & Aristophanes vocant μῆλα & μᾶλα, vti & Virgilius, quod Cydonium dicitur.

Vidimus Mala Veneris pudicæ Symbolum principiò fuisse. Quid? quòd ipsa tellus, fœcunda omnium mater, Mala aurea pro nuptialibus donis Ioui & Iunoni contrahentibus protulerit, vt in Aegyptiacis suis Asclepiades prodit. Cydonei & Cotonei, inquit Goropius, nomenclaturę ab eo vocabulo, quo nobis muliebre membrum notatur, deriuantur. Item: Malum quoduis Pomum dici potest: sed dum solum ponitur pro Cydonio maximè accipitur. Hinc oleum Melinum. Item: Hermolaus, si rectè memini Nerantii nomen deducit à Narantia, è qua vult Herculem aurea Mala portasse, quod quia Virgilio & veritati repugnat qui Cotonea docet aurea Mala vocari, vanum existimo. Hactenus ex Goropio. Transeamus ad differentias, non ideò omittentes, si quid occurrat quod ad nominum, & differentiarum, ipsiúsque adeò rei intelligentiam faciat.

Hermol. error.

Differentia.

Theophrast. Cydonii meminit quidem, verùm non distinguit, sed ait Cydonium Malum aliquādo fieri ex struthia. lib. 2. hist. pl. cap. 5. ἐκ στρουθίου κυδώνιον. Sed ex ipsius verbis facilè colligere est, eum struthia pro nobiliori, & satiua habere, Cotoniam verò quasi ab ea degenerare. Dioscor. expressè Cydoniorum duo genera facit. Vera [ἀληθῆ] rotunda, parua & odorata: quæ verò Struthia [seu vt alii legunt Struthea] dicuntur magna quidem sunt, sed minùs vtilia. Columella tria: *Struthia, Chrysomela*, [quidam perperàm Chrysomeliana legunt] & *Mustea*: quæ omnia non solùm voluptatem, sed etiam salubritatē adferunt. Plinius: Cydonia incuruatos trahunt ramos, prohibentque crescere parentem. Plura eorum genera: Chrysomela incisuris distincta, colore ad aurum inclinante. Quæ candidiora, nostratia cognominata, odoris præstantissimi. Est & Neapolitanis suus honos. Minora (leg. Maiora ex Gal. & Dioscor.) ex eodem genere Struthea, odoratiùs vibrant, serotino prouentu: præcoci verò Mustea. Strutheis autem cotonea insita suum genus facere Mulujanum: quæ sola ex his vel cruda manduntur. Sunt præterea parua Syluestria, à Strutheis odoratissima, in sepibus nascentia. Galenus quædam Cotoneorum dulciora, ac minùs acerba esse scribit, quæ in Asia Struthia vocantur. Idem alibi Cydonia à Struthiis, quæ etiam Struthiomela vocat, manifestè distinguit: Cydoniorúmque succum minùs esse suauē asserit, & maximè adstringentem. Athen. Struthiorum meminit & Phauliorum, & Cydoniorum, horum genus quoddam Struthia esse inquiens, & Phaulia. Nicander Thyatirenus, vt idem scribit, Cydonia Mala Struthia vocari tradit, sed ignoranter. Refragatur enim quod Glaucus memorat, dum ait: esse præstantissima Cydonia mala, Phaulia, & Struthia. Cydoniorum malorum Stesichorus in Helena meminit.

Cydonia Vera. Columell. correct. Struthia. Chrysomela. Candidiora. Neapolitana. Plin. emendatur. Mustea. Mulujana. Syluestria. Struthiomela. Struthia. Phaulia.

Multa Cydonia tum mala iaciebant in sellam regi.

Multa etiam Myrti folia, rosarúmque ac Violarum elegantes coronas.

Alcman:

Cydonia Mala Cantharus afferat, quæ magnitudine sunt mammis paria. Philemon in Rustico, Cydonia mala Struthia vocat. Hermon in Glossis iudiciariis Codymala vocari tradit mala Cydonia. Polemon libro quinto sui operis ad Timæum [alii Contra Timæum Dal.] floris genus esse Codymalon ait. Alcman verò cùm inquit; Struthium minus, vel Codymalum: Apollodorus & Sosibius Cydonium malum interpretantur. A' Struthio differre malum Cydonium Theophrast. historiæ libro secundo palàm facit. Hæc Atheneus, qui paulò post addit, Androtionem in Georgico Malos Phaulias, Struthias etiam vocare: non enim malum in Struthiis decidere à pediculo (Phauliis namque ac Struthiis id commune fuit, quòd fructus à suo pediculo non discederet. Dal.) Vernas autē Malos Laconicas & Siduntias lanuginosas appellare, quòd earum vel fructus, vel folium lanugine pubesceret, vt annotat Dalech. Ergo habes ex Athenæo, κυδώνια, φαυλία, στρούθια, & quomodo Veterum quidam has voces acceperint.

Codymala. Struthium. Phaulia. Mala Laconica Sidantia lanuginosa.

Sed in designandis differentiarum nominibus non consentiunt. Dioscor. enim Struthia vocat illa quæ sunt magna. Plinius verò minora, nisi mendosus sit codex, & pro minora legendum sit maiora. Nam & Galenus maiora Struthia dixit. Ex Athenæo verò nihil certi colligas, qui aliorum

tantùm placita recenset. Notat tamen Alemannum Struthium minus dixisse, ex sententia Apollodori & Sosibii. Hermol. sic habet: Genera eorum Chrysomela, hoc est aurea mala, incisuris distincta. Nostra candidiora sunt, odoris præstantissimi. Neapolitana ex eodem genere minora, odore vibrantia, prouentu serotino, quæ Struthea nuncupentur, sicut quæ celeriter mitescunt & præcocia sunt mustea. Vides eum Plinii lectionem & sententiam secutum. Aëtius: Struthea, inquit, dicuntur, quæ magna sunt & suauiora, minúsque acerba. Eiusdem sententiæ & Theophrastus fuisse videtur ante hos omnes. Nam vbi de arborum degeneratione scribit, ait ex Struthiis fieri Cotonea, quemadmodum Pyrum vitiatum migrat in Pyrastrum. Eiusdem sententiæ & Mar. Virg. est. Nam postquam Herm. Barbarum reprehendisset, quod τὰ ἀληθινὰ, id est, quæ vera Cotonea sunt [id enim ἀληθινὸν significat] vertisset Alethina, quasi genus quoddam priuatum indicaret, ait: nullibi hactenus id à se inuentum, quod nec ipse inuenisse se testetur: Nos [addit] ex communi eius vocis in Græcis significatione vertimus: probari quæ vera Cotonea sunt: nam Struthia cognata magis, quàm eadem sunt. Nec aliud inter Cotonea vera & Struthia discrimen esse ostendit, quàm ex forma, magnitudine & odore. Hetruria Pyri & Mali discretis appellationibus indicat: quæ rotundiora & minora sunt, à consimili figura, Mala: quæ verò maiora & oblongiora, Pyra appellans. Licétque in his variare Antiqui Scriptores videantur, vna tamen omnium ratio est, & quæ tota huc referatur: indicátque id Theophr. lib. 2. de Plant. hist. qui cùm de plantarum degeneratione in aliud genus ageret, inter cætera dixit Pyrum in Pyrastrum degenerare, & dulce Malum in acidum, & ex Struthio, id est, maiore & oblongiore Cotoneo, Cydonium fieri minus, & sessilis rotunditatis Pomum, quale Dioscorides ἀληθινὸν dixit, & in medicinæ vsu magis probat. Hæc itaque Marcelli sententia est. Sed mirum quomodo satiuum, aut nobilius in verum degenerare possit. Aut cur verum dicatur id, in quod aliud nobilius aut præstantius degenerarit? Dicendum: Dioscoridem ad vires maximè respexisse: ideóque verum appellasse id quod minus est, quia maiorem habeat adstrictionem, quæ in hoc pomo desideratur, & cuius etiam nomine in medicina celebratur: deinde quòd acutiorem vibret odorem, vti putatur. Porrò in differentiis designandis non conuenit inter Neotericos.

Chrysomela. Neapolit. parua Struthea. Mustea. Barb. not. Discrimen inter cotonea & struthia. Cotonea Mala. Cotonea Pyra. Cur verum dictum cotoneum?

Ruellius tria apud se inueniri genera scribit: quædam minora, rotunditatis in orbem circinatæ, odoratiùs spirantia, quæ peculiariter *cognea* vocat. Alia grandiora, amplitudine pinearum nucum, pauciori lanugine canescentia, colore tam intus, quàm exteriùs aureo, odorem non tam latè iactantia, quæ *cognacea* quasi Cotonacea vulgò vocari tradit. Alia medio habitu, sibi Cotoneorum nomen detorquentia.

Cognea. Cognacea. Cotonea simpliciter.

Cordus in assignandis Cotoneorum differentiis à seipso dissentit. Nam apud Diosc. ait: quædam maiora & Malis similia esse: quædam verò minora, & Pyri modo turbinata, maioraque etiam στρούθια dici. At in Historia sua sic habet: Cotoneum, siue Malus Cydonia siue Cotonea, vnum maius, alterum minus, id est Struthium.

Cordi error.

Tragus Cydonea, Cotonea & Chrysomela idem dicit, Struthia verò vult esse maiora, Groß Kütten apud Aëtium: alia dici Mustea Miscella, Mellita, & Melimela in Diosc. quæ intelligit de melle conditis, quomodo condienda docent Columella, & Palladius. Quod verò Cydonii genus sit Phaulium Athenæo, ingenuè fatetur se nescire. Mirum tamen quod idem scribit, Cydoniorum genus vnum tantùm in Germania extare, & id passim vulgatum, quod & nullo negotio prouenire soleat. Fortè eius tempore maiora nondum erant conquisita. Vt & ea hodiè habentur in lautioribus Germaniæ hortis, vt posteà speciatiùs docebimus appositis descriptionibus.

Melimela. Phaulium. In Germ. vnum.

Curtius sic distinguit: Struthia, siue vt alii volunt Struthea, Dioscoridi, Galeno & sequacibus magna sunt, & suauiora. Nam minori placent acerbitate, minùs tamen vtilia, serotino prouentu. At ex hoc genere sunt syluestria, odoratissima, in sepibus crescentia. Chrysomeliana siue Chrysomela incisuris sunt distincta, colore in aurum inclinante, vnde illis nomen, de quibus Virgilium intellexisse volunt, aurea Mala vocitantem. Cydoniorum Malorum tria in Italia inueniuntur genera. Palma illis quæ peculiariter Mala Cotonea cognominantur, pressa, incisuris intersecta Melopeponum modo, colore ad aurum inclinato, lanuginosa & longè cæteris odoratiora. Proximum locum sortiuntur, quæ maiore admodum corporis mole proueniunt, Dioscor. & Gal. Struthia vocata. Hetrusci hæc Pyra Cotonea vocant: quippe quòd formâ magis Pyra, quàm Mala referant. Pulpa ac succo cæteris præualent, colore tamen, suaueolentiâ ac viribus cedunt. Postremò Plinio Miluiana sunt, quæ nonnullis notha dicuntur, quòd tantùm proueniant ex Cotoneis Malis, quæ Strutheis insitæ fuerint, vel ex Strutheis, quæ Cotoneorum surculos receperint. Hæc Malis grandiora, Pyris verò siue Strutheis minora visuntur: formâ verò, ac facultate inter vtrumque media.

Struthea. Syluestria. Chrysomela. Cotonea pressa. Struthia. Pyra cotonea. Miluiana.

Castor. Durantes: Tres species in Italia, Melecotogne parua, quæ pluris sunt. Secunda Struthia & Pere Cotogne, maiora minùs efficacia. Tertia, Miluiane & Bastarde. Cæsalpino Cotoneorum duo genera: quædam orbiculata, & vtrinque depressa, Mala cotonea dicta: Quædam oblonga, vtplurimùm in vertice tenuiora, quasi figura mammæ amplioris molis, Pyra cotonea vocantur. Priora Dioscor. vera: posteriora Struthia.

Melecotogne. Pere cotogne. Bastarde. Orbiculata.

Satis confidenter Anguill. scribit, omnes species à Plin. traditas, nostro adhuc seculo cognosci in Italia, ea quæ costis distincta Melonum modo, Græcorum esse Chrysomela, & Latinorum Aurea mala. At aliter Lacuna, qui Membrilos vocat: Legitima Dioscor. aut Chrysomela Plin. vult 1
esse parua lutea, rotunda, valdè odorata. Aliam 2
differentiam esse Pyris similia, Tertiam dictam 3
Plinio cotonea Miluiana. Hæc esse Cydonia spuria, nasci ex insertione veræ Cydoniæ insertæ in Stuthia, aut è contrario.

Gesnerus quoque Plin. secutus Struthia dicit ea, quæ minori sint amplitudine, serotino prouentu, & odoratiùs vibrant. Maiora verò esse ea, quæ Struthia dicuntur *des Coignasses*. Malum Musteum è Cotoneorum genere præcocius & celeriter mitescens, vnde & Melimela appellentur ab Atheniensibus, hoc est mellita & dulcia Mala, itémque Miscella, quòd fiant ex insitione surculi Mali dulcis & communis in Malo cydonia & ab his distinctum ponit μῆλον φαύλιον etiam de genere cydoniorum apud Athen.

Coignasses. Melimela. Miscella. φαύλιον.

At in horto idem Gesnerus Magna VVoisello dicit esse Pyra cotonea Struthia. Galeni videri ait, pulcherrima & maxima. Camer. Cydoniæ Mali fru-

fructus varii generis esse ait. Sed qualia sint ea genera non explicat. Tabern. præter vulgata etiam *Milniana* habet, & **Bastart kutten** vocat, hoc est, spuria Cotonea: Item in Icon. & hist. Pyra Cydonia, **Kütenbiren**: Ac secundum quidem genus pingit fructu ad pediculum lato & ventricoso, & qui desinat in obtusam pyramidem, sed nihil describit, aut docet. Deinde inter Pyra refert Pyra cydonia, quæ tamen à Cydoniorum historia neutiquam fuissent separanda. Icon. Tabern. quæ & in vltima edit. Matthiol. apposita falsi est: non enim plures flores simul fert Cotonea, vt in ea affictum. Melior erat Matthioli prior. Nihilò melius Gerardus Anglus Pyrorum Cydoniorum Tabern. figuram capite proprio habet, & postea Malum Cydonium Tabernamontani ponit pro Pyro Cydonio. Sic boni isti viri post tot Herbariorum descriptiones, distinctiones, repetitiones & dixerimus ferè inculcationes, adhuc nesciunt sub quo versentur Cœlo, & qui lucem afferre huic difficultati debuissent, miscent quadrata rotundis. Explicemus rem paucis, & quid nobis videatur de Cydoniorum distinctione & differentiis. Ergo *Cydoniorum duo genera summa*: *hortense & syluestre*: hoc suæ spontis est, nullo fruens cultu, de quo mox.

Küttenbiren. *Tabern. & Gerardus notantur.*

Hortensia. Hortensium alia maiora, alia minora, & tertiũ quod Miscellaneum vocant. Nam φαυλίαν hodie non videtur cognitum. Miscellanea verò nihil aliud existimamus esse, quàm ex variorum surculorum de Malorum aut Pyrorum genere insitione prognata Poma. siue iam Melimela dicas, siue Mustea, siue quouis alio nomine vocites. Solerij sanè opinio fuit Mustea Cotonea, siue præcocia, in Delphinatu vix cognosci. Reliqua duo tantùm hodie in nostris regionibus coluntur, etiamque à nobis, quorum talis forma.

Descriptio Minorum. Minora quæ omnium vulgatissima, pugnum vix æquant, nam quatuor vncias rarò superant, circa pediculum turbinata, iuxta Pythmena latiora & quodammodo sessilia, angulis torosis inæqualia, & veluti per longitudinem sulcata, colore primùm quidem virente, sed mox maturata laturè aureolo, copiosa lanugine obducta, odore grato quidem, sed vehementi, & qui quorundam capita ita procellit, vt ipsis dolorem moueat, præsertim si conclaui aut Musæo inclusa habeantur. Caro flaua, firma atque quouis Pyro compactior.

Maiorum descriptio. Maiora verò, vt prædicta tantùm magnitudine superant, ita & figura variant ab iis, & inter se quoque. Omnia verò circa pythmena videntur angustiora, circa pediculum verò aliàs acuta, aliàs sessilia, immò & vtrinque sessilia vidimus, vt in figuris insinuamus. Porrò Cortice hæc longè læuiori contecta, exiguo, aut ferè nullo cotone obducta: dilutior etiam eorum color, siue flauum spectes, siue ex flauo viridantem: Caro minùs firma, quàm minorum, nec tam vehementem, vt illa, de se odorem spirant. Hæc struthea putamus Veterum, illa verò Cydonea simpliciter dicta, & ἀληθινὰ Dioscoridis, si modò nobis sint ea ipsa vera genera Cydoniorum quę à Veteribus descripta sunt. Cordus ait maiora iuxta pediculum latiora esse, circa pythmena angustiora, quod non semper respondet, nam etiam contrarium obseruauimus uti dictum. Hæc Delphinatibus dicuntur *gros Perus Coings*: Prouincialibus, *gros Codons*.

Locus & Tempus. Hæc duo genera, quæ modò descripsimus hodie in vsu sunt: & minora quidem per totá Germaniam sat frequenter habentur, in hortis, pratis, & vinetis quoque. Neque vllis desunt instructioribus hortus, vt Gesner. annotauit. Habentur & in Italia & Gallia, aliisque circumiacentibus locis. At vti Tragus ait, vnum tantùm genus Cydoniorum in Germania extat, & id passim vulgatum, quod & nullo negotio apud eos prouenire solet, licèt iis quoque aliquando peregrinum fuerit. Intelligit autem parua. Struthea verò seu maiora haud ita vbiuis obuiam sunt, & primùm quidem in principum tantùm hortis habita, inde postea ad alios quoque dimanarunt. Camer. scribit Lugduno delata in Germaniam, & ex Heluetia. Nos vtrumque colimus in horto E. C. Montb. Habentur & Basileæ. Sed præcipuę magnitudinis & elegantię habẽtur in horto E. C. Stuckardiano, item in horto arcis Göppingen, turbinata & non turbinata, vnde copiosè mittuntur Stuckardiam in aulam. Obseruauimus etiam vtrumque genus Patauii, Monspessuli, Nemausi, Geneuę & alibi. Amant in genere loca frigidiuscula tam plana, quàm decliuia: humidiora, quàm siccíora.

Florent Sole ab Ariete ad Taurum properãte, hoc est circa Non April. & Kalendas Maii, variante etiam florum, sicut & maturationum tempore pro natura loci. Poma maturescunt Septembri & Octobri mensibus: quæ si cruda quis per hyemem asseruare velit, seorsim à pensilibus vuis reponat, nam vuas acerrimo suo sapore adeò vitiant, ut eæ statim marcore conficiantur, vt scribit Camerarius. Palladius putauit Cydonium malum nullam insitionem admittere: sic enim canit. *Tempus.* *Cautio.* *Insitio.*

Cùm præstet cunctis se fulua Cydonia pomis,
Alterius nullo creditur hospitio.
Roboris externi librum aspernata superbit,
Sit tantùm nullo crescere posse decus.
Sed propriis pandens cognata cubilia ramis
Stat, contenta suum nobilitare bonum.

Posteris tamen obseruatum & aliorum cõiugium ferre. Monardus scribit, Persica arbore in Cydoniam inserta, Cydoniam enasci. Hæc vtique miscella distinctam à prædictis omnibus efficiet speciem. Malus item, Pyrus, Prunus, Armeniaca, & aliquæ similes Cydoniis insitæ, delicatiores euaduni, teste nostri seculi diligentissimo Italorum Geoponico, Aug. Gallo. Sed an Cydoniæ surculi prædictis arboribus inserti ad frugem perueniant, nondum obseruatum. Rami recentes, vel bimuli Nouembri vel Februario Luna crescente depacti, breui tempore fructus ferunt, eodem teste. Id apud nos fieri posset Martio. Rami inserti possunt exscindi primo vel secundo anno, & plantari Februario vel Martio Luna noua, & fructus suo tempore ferent gratos. Cydonia frigido & terrestri temperamento prædita sunt, ac propter vincentem adstrictionem minùs cæteris Malis humectant. *Persica in Cydon.* *Satio.*

Vires & Vsus. Dioscor. Mali omnis folia & flores, & germina adstringunt, maximè Cydonię. Ergo frigida sunt primo ordine, & sicca secundo. Cydonia verò Mala stomacho commoda sunt, & vrinã cient. Assata mitiora fiunt. Vtilia sunt cœliacis, dysentericis, pectore suppuratis, vel potiùs sanguinem spuentibus, (vt mox declarabitur) bilem supernè ac infernè excernentibus, maximè cruda. Sed & cremor ipsorum, in stomachi aut alui fluxionibus commodè bibitur. At crudorum succus potus, orthopnoicis prodest. [ὀρθοπνοϊκοῖς malimus legi αἱμοπτυϊκοῖς: quamuis Serap. quoque priore modo legisse videatur, cùm ait: Succus cõfert asthmati: ac Plin. quoque scribat succum Or- *Stomachus.* *Vrinam ciunt.* *Cœliaca.* *Dysenteria.* *Vomitus.* *Orthopnœa.* *Diosc. corr.* *Asthma.* *Sputum sang.*

thopnoicis conferre, qui tamen priùs dixerat, cruda prodesse sanguinem excreantibus.] decocto fouentur vuluæ & sedes, si procidant. Quæ melle condiuntur vrinam mouent, mel autem sibi constringentem illorum vim, & spissantem adsciscit. Quæ cum melle coquuntur, stomacho atque ori gratiora sunt, sed minùs adstringunt. Cruda cataplasmatis adiiciuntur ad cohibendam aluum, aut si stomachus æstuet, aut in vomitiones effundatur, ad mammarum inflammationes, præduros lienes, & condylomata. Fit vinum ex ipsis tusis atque expressis: Sed quò perduret, quindecim sextariis succi, vnus mellis adiungitur, alioquin in acorem degenerat. Fit oleum ex iis, id Melinum vocant, quo vtimur quoties adstringente oleo est opus. Flos & viridis & siccus cataplasmatis additur, & iis conuenit, quæ adstrictionem desiderant, inflammationibus oculorum, reiectionibúsque sanguinis: contra citam aluum, & mensium impetus in vino bibitur. Porrò ad illud quod Diosc. ait: vtilia esse pectore suppuratis seu vt in Græco legitur ἐμπυϊκοῖς, quæ vox purulentas excretiones denotat: annotat Marcellus Virg. in Antiquioribus & melioribus Græcis non ἐμπυϊκοῖς, sed αἱμοπτυϊκοῖς, id est, sanguinem expuentibus legi, quemadmodum & vertendum est: cui lectioni & Plinius subscribit, qui ait: Matura prodesse sanguinem excreantibus, &c. vt dicetur mox. Atque hoc non idem est, vt Barbarus existimauit. Ad intestinorum difficultatem [δυσεντερίης] Mala cydonia Hipp. dissecat, dissecta aquâ macerat, cúmque aqua colorem habuerit, potui exhibet. Galenus: ex omnibus [inquit] Malis, solus Cydoniorum & Struthiorum [vtpote quæ propter vincentem adstrictionem minùs cæteris sunt humida] succus coctus cum melle durare potest, tametsi ipse per se non ita durare queat. Item alibi: Cotonea eximium quiddam, quod in aliis non inuenitur habent. Nam præterquam quod adstrictionem sortita sunt copiosiorem, succus etiam eorum diu durat, si quis ipsum cum melle coctum asseruet: cùm aliorum Pomorum succus, si reponatur, acescat, quia multam habet humiditatem. Permanet & Struthiorum succus, quando paratus rectè fuerit, quemadmodum & Cydoniorum. Verùm hic minùs est suauis & summoperè adstringens. Quare ad ventriculi maximè exoluti robur vti eo aliquando possis. Plinio Cotonea cocta suauiora, cruda tamen duntaxat matura prosunt sanguinem excreantibus, ac dysentericis, cholericis, cœliacis. Non idem possunt decocta, quoniam amittunt constringentem illam vim succi. Imponuntur & pectori in febris ardoribus, & tum decoquuntur in aqua, ad eadem, quæ supra scripta sunt. Ad stomachi autem dolores cruda decoctave cerati modò imponuntur. Lanugo eorum carbunculos sanat. Cocta in vino, & illita cum cera alopeciis capillum reddunt. Quæ ex iis cruda melle condiuntur, vrinam mouent. Mellis autem suauitati multùm adiiciunt, stomachóque id vtilius faciunt. Quæ verò in melle condiuntur cocta, quidam ad stomachi vitia trita cum rosaceo foliis decoctis dant pro cibo. Succus crudorum lienibus, orthopnoicis, hydropicis prodest. Item mammis, condylomatis, varicibus. Flos & viridis & siccus inflammationibus oculorum, excreationibus sanguinis, mensibus mulierum. Fit & succus ex his mixtis cum vino dulci, vtilis & cœliacis & iecinori. Decocto quoque eorum fouentur, si procidant vuluæ & interanea. Fit & oleum ex his, quod Melinum vocamus, quoties non fuerint in humidis nata. Minus vtilia Struthia, quamuis cognata: vtilissima verò quæ ex Sicilia veniunt. Nunc consideratione dignum, an cocta cotonea, vt vult Plin. amittant constringentem facultatem: quemadmodum & matura, quod Serap. ex Diosc. scribit, quod tamen nuspiam apud Diosc. scriptum legimus. Remitti adstrictionem concedimus: amitti, nequaquam. Quod Plinius quoque tradit Hydropicis prodesse, quomodo id præstent, nisi roborando, non videmus. Potiorem eorum vsum dixerimus ante hydropem, nisi quis vereatur, ne augeant sua adstrictione obstructiones, quòd Medicis diligentiùs examinandum relinquimus. Eluchases ex versione Heronis Tab. 2. Cotonea tradit, sumpta à cibo constipare, nocere partibus, præterquam si inungantur in balneo cum oleo, vrinam mouere. Et Tabern. 30. ait, odorem eorum refrigerare & cerebrum roborare.

Alui fluxus. Ardor stomachi. Vinum cydon. Ol. Melinum. Inflam. ocular. Sang. reiectio. Menses. Diosc. lectio & Hermol. versio corrigitur. Dysenteriæ. Succus coctus. Ventriculo. Febris. Stomachi dolor. Lanugo. Carbunculus. Alopecia. Vrinæ difficultas. Lien. Orthopnæa. Hydrops. Mamma. Condylomata. Varices. Sput. sang. Mens. mulier.

Phylarchus [vt scribit Athen.] memoriæ prodidit lethalium medicamentorum vim Cydoniorum Malorum odore iucundo hebetari, Phariacúmque venenum [pharicum Diosc.] iniectum canistro [τῷ ῥίσκῳ] adhuc olente cydonia Mala in eo reposita, euanidum factum, maleficam vim suam amisisse: itaque mixtum & in potu exhibitum, quibus insidiæ struebantur, nihil attulisse noxæ: caussamque postea eius rei cognitam fuisse illius inquisitione & inuestigatione, qui vendiderat. Comperit enim hoc accidisse, propterea quòd condita in eo calatho Mala fuissent. Celtiberi Veratri succum, quo sagittis illitis feras immedicabili vulnere conficiunt, si vbi cydonia Mala fuerint, reponatur, clanguescere, & maleficam vim suam exuere vsu deprehenderunt, eamque recuperari, si venenum per aliquot dies suspensum maneat, vbi alui excrementa egeruntur. Ex hibernis malis cydonia succum acerbiorem generant, Struthia pauciorem minúsque acerbum, & à ventriculo superantur faciliùs. Plutarchus verò in suis præceptis connubialibus tradit, Malum cydonium plurimùm ad odoris suauitatem conferre, vt antiquitùs, sponsa cum sponso non priùs includeretur, quàm Malum cotoneum delibasset. Innuens primam gratiam, ab ore, vocéque sponsæ demanare oportere, & bene compositam, aptámque & suauem esse debere: & vt idem in Problematis scripsit, primus horum complexus nihil triste, aut iniucundum habere debet. Adhuc etiam nostra tempestate quibusdam locis obseruatum est, vt vir nouus, & noua sponsa ante primos congressus bellariis ex cotoneo malo vtantur, authore Curtio, addit etiam hic suo præstanti odore lethalium venenorum vires retundere, & eorum vehementiam hebetare, sicut [vt ipse ait] venenum uendentes rem ita se habere deprehendunt. Ad narium etiam odores Mala cydonia olfacere bonum, vt ait Aegineta. Celsus cydonia stomacho idonea dixit, quòd eum adstringant atque corroborent. Vrinam sistunt, aluum adstringunt, quod quidam interpretantur, [vt inquit idem Curtius,] si ante cibum sumantur. Si verò pòst, ventrem ciunt, maximè dulcia, quæ minus adstringunt, & vomitum magis compescunt. Credibile tamen, aluum ciere per accidens, adstrictione sua & mole cibos detrudendo, & promouendo ad exitum. Alioqui si ad satietatem edantur difficilis concoctionis fiunt. Si autem dentibus terantur, & manducentur, vini fumum compescunt, vt illius vapore caput lædatur minimè.

Siciliana. Venenis. Aduersus Veratri malignitatem. Mor. Vetg. rum. Venenum. Narium fœtor. Contra ebriet.

Mirum est, quod multi referunt, mulierem præ-

prægnantem quæ cydonia mala crebriùs esitauerit, parituram esse infantem & industrium atque ingeniosum, vti refert Simeon Sethi, qui & ipse scribit, post cibum sumpta ventrem mouere: sed quibus sit imbecilla facultas ventris retentrix & excretrix valida, eos plus cibi inde capere. *Infans ingeniosus & industrius nascatur.*

Ardor Vrinæ. Matth. de Gradibus in ardore vrinæ cum vlcere, & sine eo à Cydoniis cauendum suadet, quòd inter diuretica ab authoribus [vt Io. Mich. Paschasio, qui ex eorum esu Regem Neapol. Alphonsum in diabeten incidisse scribit] referantur.

Lanugo.

Diosc. planè οὐρητικὰ dicit. At qui idem & στυπτικὰ & στατικὰ dicit, quæ contraria sunt. Nisi quis fortè nobis hîc obtrudat proprietatem aliquã occultã. Videndum igitur, an effectus respondeat. Quanquam non videamus quid præstare queat occulta illa facultas, cui contrariæ sint qualitates manifestæ. Malimus iis vti in Diabete ac fluxu seu mictu sanguinolento. Interim perpendant etiam docti, qua ratione Cotonea recta ceruice spirantibus & hydropicis conferre queant, vt Brunsfels. ex aliis sublegens prodidit.

Hæmorrhagia. Hollerius lanuginem Cotoneorum ad hæmorrhagiam commendat.

Semina. Ambustio. Est & seminibus sua præstantia. Ea siquidem cum aqua rosacea madefacta ac mollita, lento crassóque humore ambustis igni, & linguæ guleque ardori [Germani die Breüne vocant] illitu medentur, quod remedii genus vel vulgo hodie cognitum nouimus, & Tragus quoque in scripta retulit. Succum ex optimis Cydoniis expressum bibunt manè Hispani ad pestis præseruationem, &, quod admiratione non caret, sudorem præsertim senibus prouocat. Potest idem contra anginas Gargarizari. *Angina. Pestis. Præseruat. Sudor.*

Aqua Cydon. Ex Cydoniis quoq; destillatur aqua cuius, non vt vulgò fit, in quibusuis febribus vsus esse debet, obseruatione Camerarii.

Porrò quamplurima ex Cydoniis tam à Veteribus, quàm à Recentioribus parantur, & ad medendi vsum, & ad palatum. Veteres vinum parabant, quod Melinum siue Cydonites vocabant: Melomeli siue Cydonomeli, quasi vel Cotoneatum dicas: hydromelum, Cydonites siue pulmenta è Cydonio, Melimum oleum, Melina Emplastra, & vnguentum Melinum dictum, quorum quædam hodie ex vsu recesserunt, vt Vinum Cydonites seu Melites, cuius parandi rationem Dioscor. hanc præscribit. Ex Malis Cotoneis exempto semine concisis, minas duodecim in musti metretam ad dies triginta immittito. Deinde excolatum reponito. Paratur & sic. Post contusa & expressa mala Cydonia, ad duodecim sextarios succi ipsorum, mellis sextarius vnus admiscetur, & sic reponitur. Adstringit, stomacho commodum est, dysentericis prodest, hepaticis, nephriticis, & in vtrinq; difficultate. Palladius duos alios modos parãdi vini Cydonitis habet, hos. Abiecto corio mala Cydonia matura in breuissimas ac tenuissimas particulas recides, & proiicies durum, quod habetur interius: dehinc in melle decoques, donec ad mensuram mediam reuertatur, & coquendo Piper subtile consperges. Aliter. Succi Cydoniorum sextarios duos, aceti sextarium vnum semis, & mellis duos sextarios miscebis & decoques, donec tota permistio pinguedinem puri mellis imitetur. Tunc triti Piperis atque Zinziberis binas vncias admiscebis. Plinius vini è Cydoniis meminit quidem, sed modum parandi non tradit. Hydromelum Dioscor. quoque, quomodo fiat, docet. Melomelitis ex Cydoniis parati metreta vna (Plin. Cadum vocat: sunt Congii decem) ad duas metretas aquæ decoctæ admisceatur, & in

Vinum Cydon. 1. 2. *Eius Vires.* 3. 4. *Hydromelum.*

ardoribus sub cane insoletur. Et huius vis eadem, quæ superiorũm est. Duos etiam preparationis modos tradit Paulus quos ex eius scriptis petendos Lectori relinquimus.

Melomeli seu Cydonomeli parat Dioscor. Malis Cotoneis exemptis seminibus in mel plurimum coniectis, vt planè coarctentur. Fit gratum post annum, vino mulso simile, conueniens ad eadem ad quæ Vinum Cydonites. Columella scribit, Mel in quo condita fuere Cydonia, Melimeli appellatum sine noxa posse interdum dari febricitantibus: intellige à pituita corrupta, aut in quibus metus est defluxionis in nobile aliquod viscus. Sed placet etiam eiusdem Columellæ descriptionem adiicere. Nihil certius, inquit, aut melius experti sumus, quàm vt Cydonia maturissima, integra, sine macula, & sereno cœlo decrescente luna legantur, & in lagena noua, quæ sit patentissimi oris, detersa lanugine, quæ Malis inest, cõponantur leuiter, & laxè, ne collidi possint. Deinde quum ad fauces vsque fuerint composita, vimineis surculis sic transuersis arctentur, vt modicè mala comprimant, nec patiantur ea, quum liquorem acceperint, subleuari. Tum quàm optimo & liquidissimo melle vas vsque ad summum ita repleatur, vt pomum submersum sit. Hæc ratio non solùm ipsa Mala custodit, sed etiam liquorem mulsei saporis præbet. Posset & hodiè parari, & Quitten honig / mel Cydoniatum appellari, quemad. & mel rosatum. *Cydonomeli. 1. Melimeli. Febres. 2. Mel Cydoniatum.*

Melini olei atque vnguenti confectiones habes apud eundem Dioscor. & Aetium, & Melinum Emplastrum apud Galenum: quæ cum ad Medicos & pharmacopœos potissimùm pertineant, exinde desumi possunt. Nam & compendii nobis ratio habenda, & ea interim exhibenda, quæ & rei Medicæ, & œconomicæ ex equo prodesse possint. Præscripta igitur etsi multas maximásque vtilitates habeant, tamen hodie pleraque ab vsu recessisse videntur: Et eorum loco à Recentioribus reseruata sequentia, vt mina Cydoniorum, quæ nihil aliud est, quàm decorticatorum Cydoniorum, & ex aqua & melle vel Sacharo, addita etiam parte vini, ad suauitatem decocta caro, atque Condita. Vel ex succo fit Cydoniorum cum vino cocto, addito melle optimo, despumato. *Melinum oleum & Vnguent. Melinum Emplastrũ. Mina Cydon.*

Domestici nostri Cydoniorum & malorũ curtipendulorum partes æquales sumunt: decorticata, & in frusta confecta ex aqua addito melle vel saccharo & modico vini in crassam & suauissimam consistentiam decoquunt, & in scatulis vel fictilibus vitreatis adseruant, magno vsu ad pleraque prędicta, potissimùm alui fluxiones diuersas, & ventriculi robur. Alii ex mero vino decoquunt, & addito Sacharo vel Melle ita parant.

Condiuntur & segmenta integra, *Cydonia Condita* in officinis vocant, ad eosdem vsus. Segmenta ex aqua pura coquunt, cocta reponunt: aquã verò quæ eorum vim magnam exsorpsit, cum melle vel Sacharo in syrupi consistentiam decoquunt: tùm prædicta segmenta cinnamomi frustulis in ea defixis in eo syrupo condiunt. Diacydonium Officinis dictum sic paratur. Cydonia recens ab arbore decerpta [vt vult Math.] decorticata & à seminibus repurgata atque concisa in aqua coquuntur, in qua solutæ fuerint Sachari libræ tres, agitantur conteruntúrque pistillo ligneo inter coquendum, quoad spissitudinem mediocrem acquirant: tum demùm ab igne remota decoctio in formulas effunditur. Vel Sacchari albi lib. ij. Succi Cydon. depurati lib. iij. simul decoquuntur ad spissitudinem, posteaque in *Cydonia condita. Diacydonium off. simplex. 1.*

pyxides effunduntur: hanc vulgò *Gelatinam* vocant & *diacydonium lucidum*. Aut sic meliùs. Segmenta diutiùs ex aqua elixa, donec tabescant, per linteum colentur, sine compressione: (vt clariùs fiat) dein cum Sacccharo coquatur in syrupi crassioris consistentiá, vt in scatulas effusum & formulas meliùs coeat. Res est visu pulcherrima, & præcipuę suauitatis, apud præcipuas totius Europæ nationes haud in postremis deliciis habita. Suauius effeceris, si succi Pomorum Curtipendulorum depuratorum aliquid addideris cum modico vini albi: aut si ipsa Pomorum segmenta decorticata cum Cydoniis decoxeris, & vti priùs perfeceris. Ex eo quod reliquum est, attentiores ad rem, fortiùs cochleari expresso, cum Sacccharo aut melle crassius & vilius Cydoniatum cōficiūt: sin verò tam lucidum illud, quàm crassum simul misceantur, & cum sacchara, vti prædictum, percoquantur, *Cydoniatum vulgare* dictum, quod Gallis in frequentissimo vsu, fit: quod ante cibum nucis magnitudine sumptum, aluum cohibet, post cibum verò soluit, & nihilominus ventriculum roborat, & vapores caput petentes cohibet. Hi ferè simpliciter sunt modi parandi cydoniati.

Diacyd. lucidum. 3 4 5 6 *Vites.*

Galeni quoque temporibus in vsu fuisse videtur, qui in Syria edulium componi tradit, quod *μηλόπλακους*, id est, placentas ex Malis cotoneis appellant. Id adeò durare vt patinæ recentes ipso plenæ Romam adferrentur. Componebatur autem ex melle, & carne cydoniorum leuigata simul coctis. Illustr. noster Princeps Dux VVirt. aliquando dedit Cydoniatum album *Marto malada* dictum, in Lusitania factum.

Diacyd. Galeni. Placenta ex Malis Coton. 7 *Cydoniatum album.*

Medicorum verò, quorum est ad multa respicere, fuit aliquid in hoc genere supra vulgus sapere. Ideò *diacydonium compositum*, vel *diacidonites* cum speciebus, vti vocant, excogitarunt. Paratur autem ex segmentis Cydoniorum in vino coctis, & melle despumato igne lento denuò percoctis, additisque cinnamomo, caryophyllis, pipere, galanga, aliisque aromatibus, pro diuersa vtentium intentione, ad roborandum ventriculum, appetitum promouendum, coctionem iuuandam, vomitum biliosum, pituitosúmque nimium sistendum, ad pristinum calorem colorémque corpori restituendum, dissipandos flatus, & alia eiusmodi, si à frigida causa oriantur: sin verò à calida, Cydonia cum aceto decoquunt, additis iis quæ refrigerant, vt præter succum pomorum, ea quoque refrigerent. Ita Mesues docet ad stomachi & Hepatis robur, & ad vtriusque vim retentricem confirmandam eiusmodi diacydonium cum variis aromatibus parare. Paratur & Miua composita seu aromatica, ratione præscripta, iniectis tantùm aromatibus: Alii sacculo excepta aromata in ea tantùm macerant, cuius idem vsus qui prædictorum. Galenus quoque meminit alicuius medicamenti, quod non ex Malorum succo solo & Melle constat, sed & piperis albi quippiam habet, & zingiberis & aceti: quod & alibi fusiùs describit, & post ipsum Aetius, quod tum ad appetentiam excitandam his, quibus ea languet, tum ad concoctionem iis, qui parùm feliciter concoquunt, præstat, quod denique ventri robur conciliat. Nec inconueniens est illa compositio, quam Matth. habet, si demas rhabarbarum. Ad quid enim rhabarbarum miscebimus cum vehementer adstringentibus? erit tantùm ægris molestum irritando ad expulsionem vi sua purgatrice. Cydoniorum succus libræ pondere, in quo corall. rub. seminis rosar. rub. & rhabarb. cuiusque drachma, cum Hypocistidis & Acaciæ bi-

Diacyd. compos. *Vsus* *Miua compos.* *Compos. Aetianum.* *Vsus.* *Compos. Matth.* *Vsus.*

nis scrupulis ad tertias bullierint, magno est ad biliosas vomitiones, & ad dysenteriam auxilio. Datur bis quotidie, manè & vesperi, horis duabus ante cibum, sed ægris iam purgatis frequens quoque hodie est vsus syrupi, qui è succo Cydoniorum in Pharmacopæorum officinis paratus habetur, aut si non habetur eidem substitui potest Gelatina, in aqua, vel vino dissoluta, pro ratione scopi.

Syrup. Cydon.

Nec his contenta Medicorum industria: cùm enim viderent alterando & roborando se plurimùm hoc medicinæ genere præstare, & insuper etiam morosiorum palato blandiri, vlteriùs progressi, ibi etiam placendum existimarunt, in quibus nihil minùs, quàm placendum, si necessitas non compellat. Huic igitur, aut ægrotantium genio cedentes, quòd Cydoniorum succum atque substantiam familiarissimam stomacho aduerterent, qui ferè purgantibus lędi solet, medicinas purgantes adiecerunt, & diacydonium laxatiuum dictum, seu purgans confecerunt: cuius diuersæ habentur descriptiones apud Recentiores, aliis Scammonium tantùm addentibus, vt Cholagogum, & turbethum cum Cnico, vt phlegmagogum reddatur: aliis omnia simul, vt vtrumque præstet: ex quibus nobis maximè probatur Superius Felix Platerus est. Pulpæ Cydon. expurg. coctæ & cribro transmissæ lib. j. sem. succi Cydon. lib. sem. sacchari albiss. lib. ii. Coquantur in mellis crassitiem, inspergendo sub finem cinamomi triti vnc. j. zinzib. maceris, caryophyll. singulorum drach. ii. diagrydii vnc. ii. dosis à drach. iii. ad vnc. sem. Tenues aquosósque humores paulò moderatiùs atque faciliùs è distantioribus locis proiicit: his vtile ac tutum, qui articulari morbo laborant, nec à hoc dium vehementi febre iactantur. In secretis hodie secretorum suorum buccinatores veriùs, quàm gratiosi Medici (quibus nihil secreti esse paret, quod non in communem venitat vsum non tantùm χειρῶν, sed & γλωττῶν) habent diacydonium purgans lucidum & non lucidum, vtrumque sapore & suauitate commendabile, & nihilosecius sufficienter suo fungens munere, quæ in gratiam studiosorum medicinæ libenter communicabimus, ne posthac præ illis habeant saltem in hoc isti ampullatores, quod cotam iis, de istis glorientur, quasi illis solis, ceu altera quædam Helenæ Nepenthes contigerit.

Diacyd. purgans.

Accipe Elect. diacyd. lucidi, vt priùs docuimus parati vnc. xx. scammoni. vnc. ii. vel eius loco diagrid. paulò magis: infundatur scammonii bis in spiritu vini: deinde coquatur spiritus collectus cum præscripto electuario ad consumptionem spiritus vini. Vltimò adde Aq. ros. vnc. x. vel xii. Coquantur ad iustam consistentiam. Possis, si aromaticum voles efficere, eadam opera cum Scammonio aliquid cinamomi, piperis, & caryophyllorum contusorum infundere, ad are pro vtendi scopo, si loco Electuarii diacydonii lucidi, sumas idem, cum corticibus tritum cum carne cydon. vel malorum curtipendulorum, vel vtorumque paratum, & procedas, vti iam dictum, fiet id quod non lucidum vocant, claritate prædicto inferius, non suauitate. Possit etiam qui volet radicem Mechoacam, aut Turbethum contusum simul infundere: vt ita simul etiam reddatur phlegmagogum. Dosis prædictorum drachm. Sed vt ingenuè fateamur, eorum vsus non in omnibus tutus, tantoque magis ridendi, uel potiùs deplorandi (magni alioqui nominis Medici visi) qui illud in dysenteriis exhibere sunt ausi; sed quali cum successu & illi norunt, & nos. Sunt etiam qui Antimonii

Diacyd. purg lucidum & non lucidum.

Digitized b

monii vitrum in ſucco macerare audent, vt reddatur purgans, & ita in Diacydonium coquere cum Saccharo, quòd eius guſtus magis celetur, quàm ſcammonii: & hoc pro inſigni ſecreto habent. Sed habeant quantum velint: non inuidemus. Fuimus prolixiores in exaggerandis Cydoniorum viribus diuerſiſque eorum præparandis modis, cùm ob eorum præſtantiam atque nobilitatem, tùm verò ob communem eorum vſum, quem habent & in arte, & in vita œconomica. *Diacyd. à Antim.*

DE COTONEA SYLVESTRI.

Deſcriptio COtonea Malus ſylueſtris, ſatiuæ per omnia ſimilis exiſtit, à qua ramis diſtat minoribus tantùm, caudice aſſurgens magis recto, iuxta terram minùs fruticoſo, ſed ſingulari frequentiùs: eadem numeroſioribus ſcatet floribus, & largiùs fruticat. Fructus ſerò perficit, qui etiam ſatiuæ fructibus multò ſunt minores. *Locus.* Naſcuntur in Danubii Petroſis ripis, & collibus, plurimùmque ſupra Ratisbonam & Keilheymium oppidum, vſque ad Petræas fauces, per quas Danubius labitur: frequenter inter petras atque in vinearum ſepibus, autore Cordo.

Nomina & Synonyma. Mala Cydonia ſylueſtria, odoratiſſima, in ſepibus naſcentia, Plinio. Atque de his Virgilium quoque intellexiſſe, ſunt qui putent. Curtius ſcribit, ſylueſtria eſſe de genere *Struthiorum*, quod mirum eſt, ſi *Struthia* ſint maiora, vt ex Dioſcor. & Galeno oſtendimus, atque Sylueſtria vel ipſis paruis & vulgatiſſimis magnitudine cedant. Cordus Cydonii tertium genus, ſua ſponte proueniens vocat apud Dioſcor. Et in hiſt. *Coroneam Malum ſylueſtrem.* Cam. Struthia & Cotonea ſylu. *κυδώνια μικρὰ καὶ ἄγρια.* Germ. Wilde Kütten. Gal. *Coings ſauuages.* It. *Cotogno ſaluatico.*

Vires Eſt adſtringendi vi multò efficacius cæteris Cotoneis. Cordus.

Quomodo Malus Cotonea ſerenda ſit, & quando: quomodo colenda, putanda, inſerenda habes apud Plinium lib. 17. cap. 19. Colum. de arb. cap. 25. & de re ruſt. l. 12. cap. 45. Multa præclarè quoque de his ſcripſit: Car. Stephanus in ſua Agricultura: & Collerus in ſuo diario œconomico: & nos antea quædam annotauimus.

DE PYRIS.

CAP. IV.

Deſcriptio PYrus ſatiua craſſo eóque recto & ſimplici aſſurgit caudice, & altiùs quàm Malus, ſed minùs fit patula, ramiſiſque plurimis, ſurrectis potiùs quàm laterorſum extenſis: Cortice quàm Mali ſcabriore, materie firma, ſatiſque tractabili, præſertim ad typos & ſculpturas apta, (ex qua & noſtrarum harum figurarum pars maior parata) item ad tornum & alia, ex pallida rufeſcente, quę ſiccata magis etiam rutila fit. *Materies. Folia.* Folia circinata ferè vel ex circinato oblonga, eorum figurâ pro ſpecierum diuerſitate variante, longiuſculo pediculo hærentia, supernè læuia, virentia, infernè aſperiuſcula, albicantia. *Flores. Fructus.* Flores ferè, quales Malo, Pentaphylli, albicantes apices purpurei. Fructus, hoc eſt, Pyra, penè omnia turbinata, circa Pythmena craſſiora, iuxta pediculum tenuiora, & velut in Pyramidem faſtigiata, in qua tamen figura multùm euariant, carne quàm Malorum denſiori, ſatis ſuccoſa, ſed plerumque aceroſa, præſertim circa media: vbi ſemina foris nigra, intus alba qualia Mali, cellulis coriaceis diſtincta continentur: pediculo ferè quàm Pomorum longiori. Colore multùm variant, quemadmodum & ſapore.

In genere, non tam viuidus his color vt Malis: neque cuti tam læui contecta, ſed aliàs virenti, aliàs araneoſa, aliàs viridi aut ſubflaua, rariùs ruffeſcente, vt plurimùm obſoleta & leuiter ſcabra. Sapor vel dulcis, vel acidus, vel auſterus, vel acerbus. Arbor caret ſpinis. Radicem habet profundè actam, vt ſcribit Theophraſtus, qui de Pyro diffusè hæc ferè habet.

Pyrus in ſenectute fœcundior redditur. Minùs diu tamen viuit quàm Piraſter ſeu Pyrus ſylueſtris. Flores profert foliatos: folia orbiculata: fructum ſucco aquoſo conſtantem, ſemina congeſta, putamine incluſa. Corticem habet ex neruo carne & humore conſtantem. Raro ex ramis creſcit. Facilè amittit fructum, ob molem & pediculi tenuitatem. Plagis debilitatur, ideóque minùs recidi poſtulat. Vermibus obnoxia eſt. Reliqua quæ Theophraſt. habet, ſuis quoque locis dicentur. *Sententia Theophr. de Pyro.*

Pyrus, vt annotat Scaliger, interdum pullulat ab imo: verùm ex eadem radice nullis prognatis radicibus, ſed radicis brachiata promotione quę brachia ſerò tandem radiculas emittunt. Dicta eſt quidem *μονοφυής*, hoc eſt, vniſtipes, ſed *παραβλαστικὸν*, id eſt à radice emittens pullum: huic enim longè etiam ſubter terram productis radicibus, ſtolones enaſcuntur. *Pyrus pullulat.* Cultura gaudet, & ſine ea nequit proficere. *Cultura gaudet.* Salſis offenditur. Fructus verò eius habet quod eſui ſit aptum & generationi: illi pulpa, huic ſemen. *Cur pulpa Pyro data ſit.* Ac pulpa quidem non tantùm ob cibum data eſt, ſed etiam ad ſeminum præſidium: quæ etſi coriaceo amictu donata ſint, meliùs tamen & feliciùs intra pulpam vel putridam etiam, totâ conſeruantur hyeme, quàm exempta. Eadémque ratio valet, & in Malis, & in Pomis, & in vniuerſum in fructibus omnibus quibus Pulpa data eſt, vel aliud quoduis operimentum ad ſeminis tutelam. Porrò eidem Theophraſto fruticat Pyrus ex annotinis ſurculis, germinat ex cacumine & latere: ſerotina eſt, quippe quæ hyeme magna ex parte ſua perficiat Poma: quoddam genus Autumno. In trimatu ferre incipit, & interdum antè, autore Plinio. Dioſcor. ſcribit Mali Medici ſemen ſimile eſſe ſemine Pyri, vel vt Sarracenus reddit, Pyri ſemen habere: Græcum habet, *σπέρμα ἔχει ἀπίῳ ἴσον*, quod conſideratione dignum. *Mali Medici ſemen.* Noſtrorum enim enim Pyrorum ſemina non multùm nobis reſpondere videntur ſeminibus Malorum Medicorum vel Citriorum.

Vt Pyra differant à pomis. Pyra, inquit Plin. à Pomis hoc differunt tantùm, quòd vsque adeò orbiculata non sunt, neque perfectæ rotunditatis, sed turbinatioris & oblongioris formę ac figuræ: quod mihi non satisfacit quum plura genera Pyrorum non sint minùs orbiculata Pomis. *Etymon.* Pirus, vel Pyrus, vtrum rectiùs scribatur, nondum conuenit inter authores. Qui Pyrum scribunt, à Pyramidis figura deriuatum volunt, quòd in exacutum fastigetur, cuius sententiæ quamplurimos eosque grauissimos in lingua Latina videmus esse authores. Ita apud Poëtas legas, & apud Herbarios plerosque, immò apud ipsum quoquę emunctissimæ naris in lingua Latina Scaligerum. Columella & cæteri Geoponici modò Pirum habent, modò Pirum, sed Gaza homo Græcus passim & semper Pyrum & nostri seculi doctissimus Latinus Hadrianus Iunius. In Pyramide nihil ventriosi, sicut in Pyris omnibus. Adhæc in veteri nostro Plinii codice, semper Pirum legitur. Et omnis literaturæ gnarus Hermolaus vbique etiam ita scribit. Si tamen quis à Metæ similitudine, quod è lato in acutum spectet, & in mucronem turbinetur, tractum velit Pyrum, per nos licet. Quid si Pirum à Græco deductum sit dempta litera Α & interposito R, & ex ἄπιον factum sit Pirum. Ita multas voces Latinas mirabili transpositione aut mutilatione à Græco deductas esse, norunt docti, & summus ille Scaliger abundè docuisset in Originibus, nisi fata diuinum illud opus posteritati inuidissent. Goropius à Germanico tractum vult, Pyri nomen, inquiens, quasi à πῦρ deriuaretur, per ὕλαιον scribunt, sed mea sententia aliunde nomen duxit. Nos *Peer* vocamus, à *Veer*, propter primam syluestrium naturam. Pyrus vrbana dicitur, & cultiua, hortensis, edomita Hermolao, ad differentiam syluestris, quam quidam volunt cultu mitescere, de quo postea. *Peloponnesus Apia dicta.* Ἄπιος Græcis, vt Theophrasto & Diosc. Athen. Theocrito & aliis plerisque & ἄπιον ipse fructus, à quorum prouentu copioso Peloponesus quoque ipsa quandoque dicebatur Apia, vt Ister asserit in rebus Argolicis, licèt quidam ab Apia Phoronei filia terram eam ita nominatam putent. Apud Athen. dicitur & τὸ ἄπιον & ἡ ἄπιος, pro eodem, nempe pro fructu. Et apud Plutarch. in Problem. ἄπιος dicitur ἀχράς, quæ tamen vox propriè Pyrum syluestrem denotat *Adipion.* Theophrasto. Curtius & Dodon. arborem ἀπιδέαν quoque Græcis dici scribunt. Scribitur & ἀπίδιον & ἀπίδιος Dodonæo, A Tarentino in Geoponicis, ἀπίδιον. Hermol. ait fructum quoque Adipion vocitari, quam tamen vocem nusquam inuenimus, fortè Apidion dicere voluit. Poëtæ sunt, inquit Hermol. qui Pyrum Ochnen vocant, syl*Ochne.*uestrem Achrada. Et Had. Iunio quoque ὄχνη Pyrus est quemadmodum & ἀχράς: quæ tamen vtraque vox Theophrasto Pyrum agrestem denotat, vti dictum ἄπιος enim & ὄχνη apud eundem simul iunguntur, quamuis Gaza Pirum solum teponat. Constantino quoque in Lexico ὄχνη Pyrus agrestis est. Est igitur ἄπιος omnium Pyrorum hortensium nomen generale: vnde tractum adagium ἀπίου μαλακώτερος, Apio mollior, vel, vt alii vertunt, Pyro maturior, quamuis aliqui de Raphano intelligi velint, minùs scitè. Hebræi teste *Eggas. Heb.* Eliæ Leuitæ nomenclatura, *Eggas* vocant. Sclauon. Bsuhsta krusckew. Arab. *Homech* te sunt Pyra, vt est apud Serap. *Cirmetre*, seu *kemetri*. German. *Nomenclatura.* Biren & Birn, Birnbaum. Gall. *Poirier, Poire*. Ital. *Pero*. Hisp. Castil. & Portug. *Pera & Pyras*. Catal. *Peres*. Angl. Pear. Belg. Perre & Peere. Bohem. Hrussky. Vngar. Kortnelyfa. Fructus Herbariis quoque omnibus Pirum dicitur & Pyrum, vti dictum, de quibus Virgil.

Insere Daphni Pyros carpent tua Poma nepotes.

Item:

Ornúsque incanuit albo flore Pyri.

Multiplex Pirorum differentia, atque nomenclatio varia, qua Malis neutiquam cedunt. *Differentia Theoph.* Theophrastus duo Pyrorum summa genera agnoscit, satiuam & agrestem, ἄπιον, ἢ ἀχράς: Gaza Pyrum reddit & Pyrastrum. Verba sunt: τὰ ἄγρια τῶν ἡμέρων μακροβιώτερα, οἷον ἀχρὰς ἀπίου, hoc est, syluestria longioris sunt vitæ hortensibus, velut Pyrus syluestris quàm satiua. Idem ἀπίους satiuas dicit, & ἀχράς syluestres intelligit, quamuis vtrumque alibi Pyrum sine discrimine significet, vt annotat *Pyrum Phocense. Pyrus Caryæ.* Scaliger. Inter Pyri satiuæ species Theophrastus habet, Pyrum Phocensem, quam ait mutilatione fieri meliorem: & Pyrum Caryæ, quod domesticum esse scribit, & lanugine tam salsa obductum, vt nisi abluatur aqua, edi neutiquam possit. Dioscorid. quoque aliam satiuam facit, aliam syluestrem, quod facilè ex iis verbis colligere est, quando ait: ἡ δὲ ἀχρὰς εἶδος οὖσα ἀγρίας ἀπίου, βραδέως πεπαίνεται. Δύναμιν δ᾽ ἔχει συσταλτικωτέραν ἀπίου. Hoc est, Achras Pyri syluestris species est, quæ tardè maturescit. Vim habet adstringentiorem Pyro. Idem tradit, multa Pyri esse genera, sed omnia adstringere.

Difficile verò iudicare est, an vtramque intellexerit Aristoteles, aut qualem, quando ait: ἀχράσι πιαίνεται ὗς: sus Pyris pinguescit. Videtur tamen intellexisse syluestria Pyra, quibus etiamnum hodie in defectu glandium sues saginari solent. Quando verò idem præcipit ἀχράδας seri iuxta apum aluearia, videtur satiuas intellexisse, atque ita Græcam vocem promiscuè vsurpasse: quamuis vtriusque flos apibus gratissimus sit, neque multùm referat, vtram vtrobique intelligas, nam & satiuis Pyris egregiè saginabuntur sues, si quis dare volet, & licitum sit Pyrum agrestem iuxta aluearia serere, si quis non magis delectetur satiuis. Non dubium tamen Aristotelem vtramque agnouisse.

Cato nominat Volema, Aniciana, Tarentina, *Sementina.* Mustea, Cucurbitina. Idem quoque inter prædicta Sementinorum meminit, & M. Varro, & Macrobius, quæ sic vocari à semente arbitratur Curtius, quod per sementem maturescant. Colu*Colum. differentia.*mella multiplices differentias recenset. Curandum est, inquit, vt quàm generosissimis Pyris pomaria conseramus. Ea sunt Crustumina, Regia, Signina, Tarentina, quæ Syria dicuntur, purpurea, superba, hordeacea, [Plin. hordearia vocat] Aniciana, Neuiana, Fanoniana, Lateritana, [alii Laterisiana, alii Laterana habent] Dolabelliana, Turraniana, Volema, Mulsa, Præcocia, Venerea, & quędam alia, quorum enumerationem ait esse longam. Virgil. hæc celebrat. *Crustumina. Regia. Signina. Tarentina. Purpurea. Superba. Hordeacea. Aniciana. Neuiana. Fanoniana. Lateritana, &c.*

Virg. differentia. *Crustumiis Syriisque Pyris, grauibúsque Volemis.*

Macrobius vt Mala, ita & Pyra diuersorum quidem nominum esse dixit: sed qualia quæque essent, non adiecit. Seruius Crustumia ab oppido *Crustumia. Syria. Volema. Vnde.* nominata, rubere quadam parte: Syria, nigra: Volema Gallica lingua bona & grandia interpretatur: quod si verum est, infit Goropius, vox composita est, à Volheim, id est, à plena domo. Alii Volema dicta volunt, quod Volam impleant, vulgò Libralia: de quibus, vt & cęteris differentiis, *Differentia Plin. Libralia.* sic Plinius. Quædam è Pyris libralia appellata, amplitudinem sibi ponderis nomine asserunt. Et paulò pòst alio capite. Eadem causa [nempe celeritatus, quòd præcocia sint & decerpi properent] in

Superba. Crustumina. Falerna, Syria.

in Pyris taxatur superbiæ cognomine. Parua hęc, sed ocyssima. Cunctis autem Crustumina gratissima. Proxima iis Falerna, à potu, quoniam tanta vis succi abundat. Lactea hæc vocantur: in iisque alia colore nigro donantur, Syria. Reliquorũ nomina aliter in aliis atq; aliis locis appellantur. Sed confessis vrbis vocabulis autores suos nobilitauere Decimiana, & ex eo tractum quod Pseudodecimianum vocant. Dolabelliana longissimi pediculi. Pompeiana cognomine Mammosa, Liceriana, Seueriana: & quæ ex iis nata sunt Tyranniana, (Turraniana Colum.) longitudine pediculi distantia. Fauoniana rubra, paulò superbis maiora. Lateriana, Aniciana Postautumnalia acidulo sapore iucunda. Tiberiana appellantur, quæ maximè Tiberio principi placuere. Colorantur magis Sole, grandescúntque: alioquin eadem essent, quę Liceriana. Patriæ nomina habent, serissima omnium Amerina, Picentina, Numantina, Alexandrina, Numidiana, Græca, & in iis Tarentina: Signina, quæ alii à colore Testacea appellant, sicut Onychina, purpurea. Ab odore, Myrapia, Laurea, Nardina. A' tempore, Hordearia: à collo, Ampullacea: & à Corio, Coriollana. Brutæ gentilitatis Cucurbitina, aciduli succi. Incerta nominum causa est Barbaricis Venerísque: quæ Colorata dicunt. Regiis quę minimo pediculo sessiua. Patriciis, Vocomiis, viridibus oblongísque. Prætetea dixit Volema Virgilius à Catone sumpta: qui & Sementina & Mustea (Mulsa Colum.) nominat. Pars hæc vitæ iampridem peruenit ad culmen, expertis cuncta hominibus. Turbinatior Pyris figura. In us serotina ad hyemem vsque ad matrem pédent, gelu maturescentia, Græca, Ampullacea, Laurea.

Decimiana. Pseudodecimiana. Dolabelliana Pompeiana Liceriana. Seueriana. Tyranniana Fauoniana. Lateriana. Aniciana. Tiberiana. Onychina. Myrapia. Laurea Nardina. &c.

His Plinii Pyrorum differentiis Dalechampius & Had. Iunius curiosâ diligentiâ huius seculi quędam Pyra accommodare studuerunt. Sunt & nunc (inquit Dalech.) quoque variis Pyrorum generibus sua hæc nostratibus nomina. Superba, *petite Muscadelle.* At Hadrianus Iunius Muscatellinum vult esse Plinii Hordearium, ab odoris fragrantia Moscatellinum recentioribus dictum, quod perperàm [ait] Superbum vocat Grapaldus. μυρέπιον. G. Moscatelbirn. B. Moscatelpeere. G. *Poire musquette.* Superbum verò idem H. Iun. vult esse id Pyri genus, quod Belgæ Watterpeere/ tytpeeken / dierkgen / appellant. Basileæ sanè Wasserbirn, id est aquosa Pyra vocant Pyri genus paruum, & ocyssimum, quale Plinius ait esse Superbum. Crustumeniana, Gal. *Poire perle*, gratissimum, & ex parte rubet, Seruio teste. Belg. Sint Jacobs peere. Falerna, à potu sic dicta, quoniam vuarum modo magna succi vi abundant, quæ apud Falernum proueniant, vnde Vinum Falernũ olim celebratissimum. Gal. *Bergamotte.* Belg. Fransche Bangeweelen. Pyra Lactea, Gall. *Blanchette.* Pyra Dolabelliana, Gal. *Poire muset*, Belg. Engelsche bratpeere. Hæc longitudine pedali Hermolaus dicit. Pyra Pompeiana, vel Pomponiana, Gall. *Bonchrestien.* B. Tafel-peere. Fauoniana Gal. *Grosse Muscadelle*, id est, Muscatellina maiora, dicta putant, quòd Fauonio flante statim formentur. Lateriana, *Poire preuost.* Tiberiana. Gal. *Poires forés.* Signina, Gall. *Poire chat.* B. Kietpeere. Myrapia, Gal. *Caluau rosat.* (Hæc Had. Iun. vult esse Muscatellina vulgò dicta, vt modò antè dictum.] Nardina, Gall. *Poire d'argent.* Hordearia, G. *Poire de S. Iean*: Dalech. At H. Iunio quę sint, paulò priùs dictum. Ampullacea, *Poire d'angoisse*, B. Engelsche tafeltree. Coriolana. G. *Poire de ialousie.* Cucurbitina, ab oblonga cucurbitæ figura, *G. Poire Courge*: Dal. At Had. Iun. G. *Poire de sarteau, ou de Campane.* Venerea G. *Poire Acciole.* B. Venus peere. Regia, G. *Poire Carmaignole.* B. Ostpeetcken / mispelpeere. Voconia, G. *Poire sarteau.* Onychina, G. *Poire cuisse Madame*, quasi femur muliebre dicas. Hæc Plin. purpurea interpretari videtur, quòd onyx tegumentum conchylii sit, vt ait Dioscor. purpurarum operculo simile. Pruna onychina Columellæ sic purpurea exponunt. Ego verò, inquit Dalechamp. quia Alabastrites lapis, Onyx dictus est, onychinum hîc interpretor Pyrum, alabastro colore simile, vulgò *Poire cuisse Madame*: purpureum hîc genus ab Onychino diuersum esse reor, non autem Onychini vel epitheton, vel interpretationem. Eodem modo apud Columellam Onychinon exponendũ arbitror. Scaurianorum mentionem facit Marcellus, vt aut illic ex Plinio legendum sit Seueriana, aut ex eo apud Plinium Scauriana, Postautumnalia. Dal. eadem suspicatur, quæ & acidula pòst memorata ab eodem Plinio. Eiusdem sententiæ H. Iun. acidulo sapore iucunda. B. Doboure. Volema, Macrobio Volumia, quod volam manus impleant, Virgilio & Plinio dicta putantur, vt ait Seruius. Virgilius etiam Grauia vocat. Dal. eadem putat quę & Libralia paulò antè dixerat Plinius. H. Iun. vult esse Sementina Catonis, vel Mustea. χειρίμανδα Vlaemsche sinoutpeere. Sementina à Semẽtinis feriis [qua voce Varro vtitur lib. 1. c. 2.] quæ inclinante æstate sationis causa celebrantur. Pirum verò Librale H. Iun. est πολυσταθὲς ἄπιον. B. Anguisse peere. Gal. *Poire de bon Chrestien*: *Poire de liure*, Budæo. Pyrum Amerinum, serissimum omnium maximéque durans. Belg. Sint Thomas peere.

Differentiarum Plinii cum nostri seculi Pyris collatio. Superba. Hordearium Moscatellinum. Crustumeniana. &c.

Onyx. Onychinũ Pyrum. Emend. cõtextus Plin. Vel Marcelli. Postautumnalia. Volema Sodoi? Librale. Amerinum.

Lubrica sanè res est, huius seculi fructus, post tot temporum interualla, in tanta locorum distãtia, post tot rerum mutationes, insitionúmque vicissitudines, referre ad prisci illius æui fructus, aut eadem putare. Laudanda tamen eorum diligentia & conatus eorum, qui istud tentant, vt si non eadem, at sanè non planè dissimilia hodie nobis esse constet, vel specie, vel gustus suauitate: qualia nos infrà, partim ex aliorum, partim ex nostra obseruatione specialiùs describemus, & eorum quidem plurima, quorum modò facta est mentio & his etiam longè plura, & Plinii fortè seculo nondũ cognita. Vt cesset idẽ suo ceu edicto proclamare, Partem hanc vitæ iampridem peruenisse ad culmen, expertis cuncta hominibus, nec quicquam ampliùs excogitari posse.

Vnà arbor varios fructus ferens.

Memorabile verò quod idem tradit: tot se modis insitam arborem vidisse iuxtà Tiburtes Tulias [Tiburtes Tiliam Vet.] omni genere Pomorum onustam, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, Pyris, Punicis, malorúmque generibus. Sed huic breuem vitam fuisse.

Crustumina. Glatiola. Picentina. Signina. Syria.

Crustumia, siue Crustumina à Crustumio Thusciç oppido dicta sũt. Ex parte enim rubẽt. Glatiola nunc in Italia vocari existimantur. Picentina olim Romæ celebratissima, quibus contenderẽt Signina & Syria, si Iuuenali credatur Satyr. 11.

Signinum, Syriúmque Pyrum de corbibus iisdem:

Aemula Picenis.

Corœla. Tarentina. Testacea. Nigra. Græcula. Lolliana. Meuiana. Tulliana. Septitiana.

Syria nunc apud Italos creduntur, quæ Corœla vocantur: alii putant dici Tarentina. Nonnulli etiam à Colore testacea: Iam suprà diximus Seruium Nigra interpretari. Græca, Græcula vocat Macrobius. In nomine quoque sunt, & à Curtio citantur, præter prædicta, Lolliana, Meuiana, [fortè Neuiana Colum.] Tulliana, Septitia-

Titiana. Turriana. Antiana. Præciana. Valeriana. Turbinata. Calculoſa. Phocidas. Apem bloadas.

na : ſera ſunt. Idem habet , Titiana, Turriana, [Turraniana fortè Colum.] Antiana , [Anciana, Cato.] Præciana, Valeriana & turbinata. A cauſa calculoſa dicta, quod vitium eſt huius generis. Solus, quod ſciam, Ciritorum , Ceruiſcorum , Timoſorum, meminit Macrobius. Antiphon in libris de Agricultura, Phocidas quoque inter Pyrorum genera recenſet, vt refert Athen. Reliqua quæ idem Pyrorum nomine proponit, Amamalides & Epimelides, Pyra non ſunt, ſed illud Amelanchier Herbariorum , hoc Meſpili genus , de quibus ſuo loco. Quæ verò Ariſtoteles Apem bloadas nominat, inſitii generis intelliguntur, inquit Hermolaus. Quæ Catoni, Virg. & Plinio Volema dicuntur, Macrobius, Volemia dicit , qui & Ceritia & Ceruiſia , & Calculoſa , & Lolliana , & Lauinia & Mileſia & Myrtea & Orbiculata & Præciana , & Rubilia , Tuliana , Titianáque nominat. Item Meſpilaceum & Valerianum indicauit, Cloatium ſecutus.

Macrobij differentia.

Hæc ferè ſunt, quę de Pyrorum generibus differentiis & appellationibus ex Antiquis Scriptoribus promere debuimus , & qua ratione Recentiorum quidam huius ſeculi Pyra vel eadem cum iis eſſe putauerint, vel ſaltem ad ea referre ſtuduerint, quamuis nullum Veterum nomen , quod equidem ſciamus , apud nos remanſerit , quod & Curtius fatetur. Genera tamen aliqua ſupereſſe minimè ambigendum putat , nec interiiſſe: forſitan etiam nulla , ſicut nec alias arbores , verùm tantùm nomina immutata , quæ non prætereunda, vt non tam antiquitatis obſeruatores , quàm noſtræ ætatis amatores eſſe videamus.

Non omnia Veterum Pyra interiiſſe , aut fortè nulla.

Neque prætereundum eſt , Pyrorum genera, nunc quoque nomina ex eiſdem cauſis , vt antiqua, accepiſſe. A tempore, ab authore vel cultore, à loco, odore, colore, ſapore , figura & ſimilibus. Ergo & noſtratium, hoc eſt, noſtri ſeculi Pyrorum vindemiam celebremus , primam ſportulam importante Curtio. A tempore enim vel præcocia vel ſerotina appellantur , additâ interdum cuiuſdam diui appellatione , quæ ex tempore ſolet celebrari, vt Ioannina , quæ feſtinantiùs , & in feſtiuitate natiuitatis Diui Iohannis Baptiſtæ matura ſunt. Huius autem generis plures differentiæ , quę omnia perſequi difficile. Sequuntur & Laurentiana, & ſeriùs Martiniana. Bergomatia verò Bergamum Italiæ oppidum inſigniuit ſua peregrinatione. Nunc in Gallia in pretio habita , ſucco ſaporéque egregia , rotundiore forma , colore herbaceo, qui nec dotem referat. Per Autumnum ſiue cruda, ſiue cocta eduntur , vtrique eſui præſtantiſſima. Ab authore dicta Dameiana : præcocta hæc , colore ex parte altera rubeo , ex altera croceo. Mariana, aquoſa & dulciſſima , tenerrimáque, ſed fugacia. Vbertina apud Belgas, & totâ Galliâ, pretioſa, & præcocia, ſatis grandia, à colore iucunda croceo. A colore rubeo , nunc etiam Rubellina dicta, & ab auro Aurea , aſperiore carne, durioréque, nec priuſquàm gelu experiantur, edomitâ duritie , miteſcunt : ſeriſſima hæc ſunt. Roſatis roſæ odor nomen dedit. Callianis odor præcipuus, orbiculata , ex parte rubentia, & ex alia viridia , molli carne. A figura bicipitia, quòd gemino capite viſantur. Singulari ſunt commendatione, ſucco grato, qui etiam palatum moroſum recreet, minimè calculoſa. A natura verò Strangulonea. Hæc enim manſa , tantâ acerbitate diſplicent, vt deuorari nequeant , & ſtrangulare videantur , vnde ſic dicta : pulchritudine tamen prædita , colore rubro , & maturitatis indicium præbentia , vt prætereuntes ad legendum inuitent. Sunt Romæ & in ipſa Italia, quæ Papalia vulgus vocat, ampla, ſucco ſuauiſſimo , à quibus iotibus ſic cognominata , non alia ratione, quàm in cæteris fructibus Regia. Chriſtiana in Gallia celebrantur, ſerotina hæc, vti in annum durent, ampliſſima, cucurbitæ figura , herbaceo colore , ſubnigro , ſucco dulciſſimo , vti etiam cùm ſenuerint , cruda per orbiculos in latum tenuiores diſſecta , addita aqua roſacea , & ſaccharo edantur. Per ſummos enim calores refrigerare perhibentur , vt ægris etiam contra ardores præbeantur. Pretioſiſſima apud Turones naſcuntur, vt non ingrato munere aliis elargiantur. Settana etiam in Gallia laudatiſſima, præſertim verò apud Belgas. Parua hæc ſunt , oblonga, colore rubro & albo, ſeriùs eduntur. Edua etiam & Pſeudoedua item ſatis clara , ab vrbe Galliæ ſic cognominata : ſerotina ſunt , ſatis ampla , colore nigro, non niſi ſub cineribus cocta eduntur: ſucco abundant. Ab amore verò dicta. quæ, ſi mauis , Amabilia vocabo, vt cæteris acerbiora ſint , ſi cruda edantur : viſu quoque minimè iucunda , ſed eſu omni alio iucundiora, ſi decoquantur. Durant & in alterum annum. Apud Hiſpanos verò, pretioſa ſunt, quæ regia & comeſea vocantur. Vno etiam generi interdum plures appellationes , etiam ſub vno idiomate per plura loca inditæ ſunt, quod in vno genere oſtendiſſe ſat erit. In Gallia propè Lugdunum ager Forenſis dictus eſt. In eo vicus Verrerianus, ditionis equitum diui Ioannis Hieroſolymitani, ſiue Rhodiorum. Eques autem huiuſce religionis, & vici, dum viueret, dominus, è Rhodo aliquod inſiti Pyri genus illuc deportat, primùm apud Forenſes Pyra Verriana vocari cœpêre, apud exteros, ab agro Forenſia. A Burgundis verò Lugdunenſia à loci vicinitate. Neque dubitandum eſt , aliam apud Rhodum ſortiri denominationem. Hæc enim odoratiſſima, & ſucco ſuauiora, præcocia , & citò fugacia , forma cucurbitina, rubeo & albo coloribus.

Fontes generis de Pyrorū & reliquorum fructuum nominum è deprompta. Curtio Pyrorum differentia. Ioannina. Laurentiana. Martiana. Bergomatia. Dameiana. Mariana. Vbertina. Rubellina. Roſata. Calliana. Bicipitia. Strangulonea. Papalia. Chriſtiana. Vſus contra ardores. Turonia. Settana. Edua. Pſeudoedua. Amabilia. Comeſea. Verriana. Forenſia. Lugdunenſia.

In villa Iacobi Regii, [inquit Dalechamp.] pagi quem *Fontaines* vocant , haud procul Lugduno ſiti, Pyra naſcuntur , è quorum medio corpore folium exeritur , ea ſimili ratione Pyrophylla vocari poſſent, quà Melophylla apud Plin. cap. de Malis. Nec prætereundum , quod Scaliger [qui & ipſe in Gallia vixit] ſcribit , in Vaſconia Pyrum ſe vidiſſe , tam bellè humanam faciem repræſentans , vt pro humano capite allatum ſit à paſtoribus ad eius loci Regulum , de quo autem genere Pyrorum fuerit, aut qualis ſaporis vel coloris, ne verbulo quidem docet , quod ſanè tam ſagacem & curioſum ſcriptorem decuiſſet. Idem alicubi refert , in ſuo ſuburbano Pyri quandam eſſe ſpeciem, cuius fructus non à floris parte incipiat matureſcere , ſed à pediculo , contrà quàm fiat in aliis. Pulchra mehercle & ſubtilis obſeruatio , quà depræhenditur, quà parte Pyrum matureſcere incipiat. Sed quale & hoc fuerit Pyri genus , ne verbulo quidem docet. Fortè illud accidentarium fuit, in vnico illo Pyro, aut quòd magis obuerſum fuerit Soli, aut quòd Veſpa vel muſca quędam ea parte ſubintrarit , qua Sol poſtea meliùs penetrare atque adeò ad maturitatem promouere potuerit, vt in Fico fieri videmus.

Pyrophylla. Pyrum humanam faciem repræſentans. Pyrum à floris parte matureſcere incipiens.

Ruellius quoque quædam in Gallia prouenientia deſcribit , quorum partem iam ſuprà meminimus. Quia tamen ea exactiùs paulò deſcribit , ne ipſius diligentiam , vel ſpreuiſſe vel neglexiſſe videamur , cum aliis ab eo obſeruatis ſubticere placet.

Francis gratiſſima *Bonchreſtiana* , [*Bonchreſtien*] cogno-

Differentia Pyrorum Ruelii. Boncheretiorum. cognomine, non ob hoc solùm, quod in eximia suauitate librale pondus æquent, sed quia in teneritudine tanta, vt à gustatu vel ipso ore statim eliquescant, & perennent, gestatúmque tolerent, ad Neapolim vsque delata, Carolo octauo ibi res gerente, à felici illa Campania iis dotibus adoptata. *Mariana.* Proxima magnitudine sunt iis *Mariana*, vulgò diuæ Mariæ Pyra dicta, [*Poires de nostre Dame*] aquosa dulcedine suauia, miráque teneritudine placent, sed fugaciora multò. *Muscata vel Chia.* Minima omnium sunt *Muscata*, quæ nomine alio Chiæ, *Poires moscadelles, poires de Chio*] vulgò dicuntur, baccas corporis mole non excedentia, quina, senáve, sæpè plura, ab vna origine longis dependent pediculis, odorata, moschi iucunditate, ob hoc nomen contraxerunt. Condiuntur sacchar o à salgamariis, vt in sequentem annum prorogentur. *Calliona.* Media magnitudine sunt *Calliona*, [*Poires de caillouau*] carne iucunda, dulci, odorata, friabili, à præstantia Pyri, Græcum nomen vulgus emendicauit, quasi dixeris meliora. *Rosata. Bicipitia.* *Rosata* odor nomen dedit quòd Rosas oleant [*poires d'eau rose* .] Bicipitia, [*poires à deux testes*] quod gemino capite visantur, singulari sunt commendatione, corpore suaui, non lapidoso, succi grati, palatum etiam morosum recreantis. *Cerreliana.* Turbinatiora omnibus *Cerreliana*, quæ *Campanica* alio nomine dicuntur. Ea in metæ forma mucronantur, hyemem tolerant, duriore corporis callo, mira suauitate, succo pauco. Ea prunis tosta fugacium ad veris exitum supplent inopiam. Condiuntur & sacchar o adiecta Cinnamomi portiuncula, vt cœnas claudant. *Martiniana.* Alia item *Martiniana* [*poires de S. Martin*] quæ ad hyemem vsque in parente propendent, suaui gustu, firmiuscula carne, quæ non nisi cocta ferè manduntur. Vbi gelicidia sensêre, teneriora multò: a etiam hybernas mensas finiunt. *Fauora.* Quæ *Fauora*, [*poires de fin or*] Gallicè nominantur, quòd auri puri colorem referant, asperiore carne, durioréque, nam priùs quàm gelu experiantur, edomita duritie mitescunt. Ea diutissimè durant, quamuis in eo genere æstiua inueniantur & præcocia. *Æstiua & præcocia. Bergamota. Strangulanea.* Magnoperè commendantur *Bergamota*, seri patrum nostrorum memoria cœpta, & sapore & succo præstantia. Non sunt omittenda Pyra quæ vt pulchritudine & rubro colore & luteo, quasi maturitatis indice, prætereuntes inuitant ad carptum, mansa tamen tanta displicent acerbitate, vt deuorari nequeant, sed demorsa protinus respuantur, ob id *Strangulanea* vulgò dicuntur. [*poires d'estranguillon.*] *de Parmain. de S. Rioule.* Carol. Steph. pyrorum *de parmain, & de S. Rioule* [præter citata] Gallis dictorum, meminit.

Pyrorum Italiæ differ. Matth. Matthiolus Italiæ Pyra recensens, Hetrusci nostri inquit, Antiquorum consuetudinem secuti, variis nominibus, à diuersis inditis causis sua Pyra vulgò appellant. 1. *Muscatelle*. 2. *Guignde*. 3. *Campoline*. 4. *Roggie*. 5. *Ghiacciuole*. 6. *Spinose*. 7. *Quadrane*. 8. *Carouelle*. 9. *Papalisio*. 10. *San Nicolo*. 11. *Durelle*. 12. *Zuccaie*. 13. *Campane*. 14. *Vernarecce*. 15. *Gentili*. 16. *Porcine*. 17. *Sementine*.

Cæsalpini Pyror. diff. Horum quædam & Cæsalpinus habet, & quædam alia, sed breuiter describit, & Plinianis accommodare conatur. *Moscatula. Superba.* Inter æstiua, inquit, sunt *Moscatula*, ab odore Moschi appellata, parua & dulcia, ex viridi flauescentia: fortè apud Plin. Superba cognomine: parua hæc sed ocyssima. *Iuniola. Falerna.* Paulò post succedunt *Iuniola* appellata, quia mense Iunio maturantur, paulò Moscatulis maiora, colore virentia, succosa multùm, quæ videtur Plinius Falerna vocasse à potu: quoniam tanta vis succi abundat. *Glaciola. lactea.* Hinc turba sequitur, sed in iis *Glaciola* præferuntur in acutum longiùs producta pyramide, lacteo intus colore: vnde lactea vocat Plinius. *Rudia.* Et *Rudia*, turpi quidem colore, sed sapore cæteris dulciori, Glaciolis crassiora, breuioráque. *Sementina.* In genere Autumnalium *Sementina* vocamus crassa & breuia, rubentia, præsertim quà Sol aspicit, sapore subacida, quæ appellatio etiam apud Catonem & Plinium reperitur, quia in tempore sementis maturantur. *Tiberiana. Hyemalia.* *Tiberiana* eadem, quòd Tiberio principi placuerunt. *Hyemalia* magna ex parte crassiora sunt, cæteris viliora, quia per totam hyemem asseruantur, & pleraque grauiori etiam succo constant, quàm fugacia. *Carouella.* In his *Carouella* crassa, & oblonga, breui pediculo, colore ferrugineo: *Testacea.* quæ Plinius *Testacea* à colore appellata scribit, vt nos in genere malorum Testa vocamus, colore simili. *Papalia. Regia.* Sunt *Papalia* grandia, & breui pediculo sessilia: qualia Plinius Regia vocat. *Bergamotta. Bronchia. Cucurbitina.* Sunt *Bergamotta*, magis depressa & *Bronchia*, oblonga, omnia colore viridi. Sunt *Cucurbitina* sic etiam à Plinio appellata, ingentia, sed ignauia. Multa alia sunt nomina apud nos, quemadmodum apud Antiquos, &c. Hactenus Cæsalpinus. Ex quibus constat Plinii & antiquitatis nomina apud Italos & Hetruscos [vbi hæc scribit Cæsalp.] nondum esse deleta, sed in hanc vsque diem permansisse, etiam apud vulgus. *Antiquorum Pyra etiamnum extare.* Fortè & ea ipsa sunt Pyra, ab Antiquis celebrata. Nam si Fœniculum, Napus, Morus & similia Antiquis celebrata perpetua successione ad nos pertigere, & quidem ea ipsa specie, vt à nemine dubitatur, cur non & eadem specie Mala vel Pyra? Sed pergamus.

Aug. Galli Pyrorum Ital. catalog. Moscatellina. Aug. Gallus, natione Italus, in opusculo suo Geoponico Italicè conscripto, hæc Italię & Lombardiæ Pyra refert. 1. *peri moscatellini*, matura Maii fine: quæ licèt gustui valdè grata sint, Medici tamen spernunt, quia vix collecta statim corrumpuntur. *Equestria.* 2. *peri cauallieri*, Pyra Equestria, Iunii principio matura: digna hoc nomine, quia & gustui grata, & nihil insalubre habent. *Ghiacciauoli.* 3. *peri ghiacciauoli*, prædicta sequuntur, cruda esui gratissima. *Cicognini.* 4. His prætereuntibus sequuntur, *peri cicognini*, Pyra ciconiarum, pulchra quidem, sed non bona. *Cicognini moscati. Peri da gramella.* 5. Paulò pòst his similia, sed minùs pulchra, verùm suauitate gustus & odoris, qui moschum refert præstantia. 6. Mox Pyra dicta *peri de gramella*, magna, copioso grato succo abundantia. *Moscatellina matura.* 7. Pyra moschatellina maiora, non minora equestribus, quibus sapor & odor moschi, & suauissimus. *Bergamotti.* 8. Pira Autumnalia, dicta *peri Bergamotti*, quæ saporis iucunditate, fortè omnia alia superant, verùm diu non reseruantur, nisi colligantur nonnihil immatura, & commodè reponantur. *Peri garauelli.* 9. Pyra Autumnalia dicta *peri garauelli*, pretiosa cruda, & cocta post natalitia, verùm arbori infesti vermes, qui subtili ferro perquirendi. *Peri Bazanareschi.* 10. Pyra Autumnalia dicta *bazanareschi*, magna sunt, grati saporis, durabilia. *Peri boni Christiani.* 11. Pyra Autum. *boni Christiani*, quia bona cruda & cocta, hortis vulgaria. *Peri garzignuoli. Peri di spina.* 12. *peri garzignuoli*, omnibus placent, quia grata cruda, & durant adhuc toto mense Martio. Hæc sunt Pyra laudata Venetiis, & vicinis vrbibus. 13. Pyra spinula, *peri di spina*, magnifacio, quia quotannis abundant: grata cocta & condita melle vel sacchar o. Earum arbores præ cæteris excrescunt & fructu turgent. Hactenus de Pyris Italicis.

Pyrorum diff. Cordi. Nec suæ Germaniæ deesse voluit Cordus; quominus eam à variorum Pyrorum prouentu concelebraret. Eius igitur diligentiæ sequentia debentur. Ipsorum fructuum, quæ Pyra nuncupa-

mus infinita sunt genera, ex quibus aliquot in Germania prouenientia describemus: adiectis etiam Germanicis eorum nominibus, quæ tamen secundum diuersas Prouincias variant.

Præposita-na.

1. Propstbirn, id est, Præpositana ex lata basi, iuxta pediculum in obtusum mucronem desinunt, longitudinem habent quadrantalem, latitudinem verò paulò minorem, color iis est in viridi pallescens, viridibus maculis ceu punctis conspersus: gustu adstringunt, & succi abundantia sitim extinguunt, maturescunt Autumni initio, & citò putrescunt, propter frigidioris & aquei succi abundantiam. Habentur copiosè Islebii propè Herciniam Saxoniæ.

Lardina.

2. Speckbirn/ id est, Lardina, in medio crasso ventre intumescunt, à quo subitò in mucronem desinunt, longitudinem habent tribus vnciis maiorem, latitudinem verò quadrante paulò minorem, colore sunt pallido, & Præpositanorum modo, viridibus punctis conspersa, gustu admodum miti & suaui, & porcini adipis modo in ore liquescunt, vnde etiam nomen inuenerunt, atque succi abundantia sitim restinguunt, cùm excorticantur suauem spirant odorem, maturescunt Autumni initio, & Præpositanorum modo facilè putrescunt.

Globosa.

3. Kaulbirn/ id est, Globosa, globi ferè rotunditatem habent, nisi iuxta pediculum in obtusum & vix euidentem turbinem fastigiarentur, longitudine duas vncias vix, & rarò excedunt, latitudine verò longitudinem modicè superant, colore sunt in viridi pallescente, sapore & odore Laridina æmulantur, cum quibus etiam maturescunt: facilè & hæc putrescunt. Habentur Islebii.

Cannabina

4. Hanffbirn/ id est, Cannabina, Globosis similia sunt, sed paulò maiora, colorem habent viridem, maculis ceu punctis distinctum, sapore globosis respondent, non tamen adeò in ore liquescunt, simul cum illis maturescunt, & facilè putredine corripiuntur. Habentur & hæc Islebii.

Campana Pyra.

5. Glockenbirn/ id est, Campanę, à sessili basi in angustum veluti collum coarctantur, à quo deinde in obtusum ceu caput desinunt, habéntque omninò campanæ figuram, vnde etiam nomen inuenerunt. Colore sunt omninò flauo, punctisque maculoso, longitudine quadrante paulò minora, latitudine verò duas vncias non assequuntur, odorem spirant non insuauem, maximè excorticata, gustu Cannabinis respondent, paritérque cum eis maturitatem consequuntur, & facilè putrescunt. Islebii proueniunt copiosè.

Regalia.

6. Künigsbirn, vel Regelbirn/ id est, Regàlia, grandia sunt & ventrosa, longitudinem habent interdum quatuor vnciarum, latitudinem verò paulò minorem, colore sunt cæsio, eâ autem parte, quâ Solem acceperunt, leuiter rubescunt. Gustu adstringunt, & copioso succo eóq; suaui, & aliquantulùm vinoso sitim sedant. Maturescunt Sole in libram ingresso, nec adeò facilè putrescunt.

Turgida.

7. Blunßbirn, id est, turgida, duplicis sunt differentiæ, vtrumque tamen genus Regalibus proportionaliter forma respondet, sed quantitate illis cedunt, differentia in colore est: vnum siquidem genus, cæsium habet colorem, alterum in cæsio rubentem, succum habent Regalibus gustu similem, fortiùs tamen adstringunt. Maturescunt cum Regalibus. In Saxonia magnus eorum est prouentus, maximè Hildesheimii.

Bonnana.

8. Bonnebirn, id est, Bonnana, à Bonna oppido, Rheno imposito sic appellata, vnde in alias regiones translata sunt, figuram habent ferè globosam, nisi modicè in obtusum mucronem iuxta pediculum desinerent, longitudine sunt quadrantali, latitudine paulò minore. Color iis ab vna parte viridis aut pallescens, ab altera, quà Sole tacta fuerunt, rubens: gustu modicè adstringunt, succo abundant copioso, eóque ferè aqueo, actu vehementer os refrigerante. Maturescunt Sole ad Scorpionem properante. Abundant Marpurgi in Hassia.

στεατία.

9. Schmaltzbirn/ id est, στεατία, sic dicta, quòd adipis aut liquaminis cuiusdam instar, in ore liquescant; fructus sunt ferè in ima parte tumidi, ac paulatim iuxta pediculum in angustum collum desinunt, vt cucurbitæ: longitudine quadrantali, aut plerumque maiori, latitudine verò sextantem excedunt semunciâ. Colorem habent in pallido flauum, odorem spirant iucundum: gustu autem strenuè adstringunt, non sine admixtione præcipui & vinosi saporis, non satis matura, nec benè confecta dentibus, & nimis auidè deuorata, in faucibus aliquandiu manent & anhelitum remorantur, alioquin matura ac benè mansa in ore adipis modò liquescunt. Maturescunt antequam Sol in Libram transeat. Habentur in Hassia, præsertim Francobergę, vbi magnus est eorum prouentus.

Virginea maiora.

10. Junckfrawenbirn groß/ id est, Virginea maiora, turgidis similia sunt odore & formâ, quantitate verò paulò minora. Gustu efficacissimè adstringunt, adeò vt fauces exasperent, atque labra in angustum, instar virginei osculi contrahant, succum habent aqueum, veluti vino austero mixtum. Maturescunt æstatis exitu. Brunsuici in Saxonia copiosè proueniunt.

Virginea minora.

11. Jungfrawen birn klein/ id est, Virginea minora, à tumido ventre in angustum collum desinunt, longitudinem habent quadrante paulò breuiorem, latitudine verò sesquiunciam aliquantulùm excedunt: colore sunt pulchro, veluti si quis cereum rubenti ac puniceo misceat: insuper etiam punctis conspersa sunt, gustu adstringunt, simúlque facilè in ore resoluuntur. Maturescunt Autumni initio. Islebii maximè coluntur.

κειμάσια.

12. Hamelßwenste/ id est, κειμάσια, nomen ab eo inuenerunt, quòd veruecum ventriculos tumore æmulantur, & crasso veluti ventre turgent, longitudine quadrantem æquant, & sæpè etiam excedunt, latitudine verò quadrante minora sunt. Colore sunt cæsio, eo autem latere, quo Solem aspexerunt, subrubente. Saporem habent valdè cum gratia quadam & vinoso succo adstringentem. Maturescunt æstatis exitu. Habentur Simesusis in Hassia, & vicinis pagis, ibique reliquis Pyris præferuntur.

Leonina. Hessiatica.

13. Löwenbirn, id est, Leonina, à præstantia sic appellata, ea in Turingia & vicinis locis Hassiatica nominantur, insignes sunt fructus, inter omnes Autumni dotes principatum, propter durationem & saporis succique bonitatem, obtinentes. Sunt autem inferiùs tumida & plerúmque inæqualia, longitudinem habent quadrantalem & frequenter maiorem, latitudine verò sextantem non rarò excedunt. Colore sunt cæsio sub viridi & modicè ruffo. Saporem habent adstringentem, cum præcipua suauitate. Succo abundant, copioso, vinoso, odorato, & actu refrigerante: vnde sitim confestim sedant, quin & ipsa Pyra vehementi & aromatico odore mirum in modum ægros recreant. Maturescunt Sole in Libram ingresso. Reposita in longum tempus durant,

rant, abundant in Hassia, maximè Marpurgi, Eadem Francobergæ, Schärersbirn / id est, Tonsoriana vocantur, à tonsore quodam qui ea primus eò transtulit.

Tonsoriana.

Pendula. 14. Hangelbirn / id est, pendula, Steatapiis figura, colore & quantitate æqualia sunt, pediculo dependent longo, vnde etiam nomen sortita sunt, gustu à Steatapiis differunt, non enim ita vinoso constant succo, nec adeò adstringunt, nam simpliciorem saporem habent, nec ex tot qualitatibus compositum, cum iisdem tamen simul maturescunt. Coluntur & hæc in Hassia.

Margarethana. 15. Margarethen birn / id est, Margarethana, sic dicta sunt, quòd circa festum diuæ Margarethæ maturescant, Sole in Leonem ingredientem in oblongum collum fastigiantur, longitudine quadrantem, latitudine verò vix sextantem assequuntur. Colorem habent in cereo rubentem. Carne constant tenera, succosáque, gustu vehementer suaui, & in ore facilè resolubili, odore sunt admodum grato. Abundant Brunsuici in Saxonia.

Hyemalia. 16. Winterbirn / id est, Hyemalia, ex rotundo modicè turbinãtur, longitudine quadrante minora sunt, latitudine verò sextantem parùm superant. Colorem habent viridem, substantiam verò durissimam, vt vix dentibus cedant. Gustu strenuè adstringunt & resiccant, succo aqueo simúlque austero sitim sedant. Maturescunt serò in autumno, post omnes alios fructus, postquam pruinis & gelu tacta fuerunt. Habentur Francobergæ in Hassia.

Ossea. 17. Knochenbirn / id est, ossea, à duritie nomen inuenerunt, ex tumido ventre paulatim in breue & angustum collum desinunt, longitudine sextantem, latitudine verò sesquiunciam rarò excedunt. Colorem habent subrubentem, substantia sunt adeò dura, vt cruda mandi non queant, sed cocta tantùm. Gustu valdè adstringunt, maturescunt autumni initio. Coluntur Francobergæ in Hassia.

Augustana. 18. Augstbirn / id est, Augustana, ferè rotunda essent, nisi in breuem mucronem desinerent. Longitudine sextantem parùm excedunt, latitudine verò paulò minora sunt. Colorem habent flauum interdum in pallido rubentem: gustu adstringunt: cum peculiari succi suauitate, maturescunt tempestiuè Augusto mense, vnde etiam nomen inuenerunt. Eadem fugacia sunt nec diu durant. Abũdant in Hassia vbique.

Mellea maiora. 19. Honigbirn groß / id est, Mellea maiora, in oblongum desinunt turbinem, longitudine quadrante semunciâ minora sunt: latitudine verò sextantem ferè assequuntur. Colorem habent in flauo cæsium, & superficiem non adeò glabram, gustu adstringunt, succóque abũdant suaui, maturescunt Autumni initio, aliquandiu durantes. Habentur VVittembergæ in superiori Saxonia.

Mellea minora. 20. Honigbirn klein / id est, Mellea minora, turbinata sunt, longitudine sesquiunciam non excedunt, latitudine verò paulò minora sunt, colorẽ habent subrubentem, saporem valdè dulcem & suauem, vnde nomen inuenerunt. Liquescunt facilè in ore gustantium, maturescunt paulò pòst Augustana. Abundant in Hassia.

Muscatellina. 21. Muscatellerbirn / id est, Muscatellina, parua admodum sunt & turbinata, longitudine vnciam paululùm excedunt, latitudine verò vncia paulò minora. Colore in viridi rubente, saporem habẽt suauissimum & aromaticum, veluti modico musco condita essent, vnde etiam nomen sortita sunt. Facilè in ore liquescunt, odorem quóque iucundum spirant. Maturescunt Iunio mense. Coluntur studiosè in Misnia.

22. Schafbirn / Melleis maioribus similia sunt quantitate, figura & colore, paulò tamen oblongiora & angustiora. Saporem verò habent vehementer suauem, modicè adstringentem, facilèque propter carnis & succi teneram mollitiem in ore resoluuntur. Maturescunt Sole ad Libram properante. Habentur Francobergæ in Hassia. *Agnina.*

23. Warbirn / id est, Cerea, inferiùs ventrosa sunt, superiùs in turbinem desinunt: longitudine quadrantem paululùm interdum superant, latitudine verò sextantem rarò excedunt. Colorem habent flauum aut cereum, vnde nomen illis inditum: ab ea etiam parte, quà Solem receperunt, grato & maculoso rubore intuentes ad comedendum se inuitant. Saporem habent suauem, modicè adstringentem: carne constant miti, & facilè in ore liquescente. Maturescunt Sole in Virginem ingresso, fugacia sunt, nec diu durant. Habentur Marpurgi in Hassia. *Cerea.*

24. Rostbirn / id est, Rostia, in medio ventrosa sunt, & vtrinque in angustum desinunt, longitudine quadrantem semunciâ excedunt, latitudine verò sextantem cum semuncia æquant. Colorem habent flauum, cæsiis punctis conspersum: gustu sunt admodum miti & suaui; ac facilè in ore liquescunt: eadem propter nimiam mollitiem minimè durant. Maturescunt autumni initio. Coluntur Islebii & vicinis oppidis. *Rostia.*

25. Aschenbirn / id est, cinerea, nomen habent quòd cineris modò mollia sint, & facilè in ore diffluant. Rostia, figura, colore carnis, substantia & sapore, æmulantur, paulò tamen minora sunt, magisque in vnam partem versus pediculum turbinata, quamuis interdum Rostiorum modo in medio ventrosa fiant. Maturescunt cum Rostiis, coluntur Islebii. *Cinerea.*

26. Trinckebirn / id est, πότιμα, sic dicta sunt, quòd ad cuius potus instar sitim arceant, in medio tument & in obtusam mucronem desinunt, longitudine sextantem parùm superant, latitudine verò sextantem ferè æquant. Colore sunt omninò flauo, rubescunt tamen ea parte, quæ Soli exposita fuit. Saporem habent suauem, carnémque teneram & largo potabilique succo abundantem, maturescunt cum Rostiis, & similiter vt illa, citò putrescunt. Coluntur in agro Islebiano. *πότιμα.*

Ouata. 27. Eyerbirn / id est, Ouata, à figura nomen inuenerunt, quæ illis est vtrinque breuis, oui instar turbinata, alioquin etiam à potimis proportione & forma non multùm differunt, paulò tamen minora existunt: colorem habent flauum, punctis conspersum sapore Rostia æmulantur, simúlque modicè adstringunt: odorem spirant admodum suauem, maturescunt cum potimis, citóque putrescunt. Habentur & hæc Islebii & vicinis oppidis.

Palatina. 28. Pfaltzgrävisch birn / id est, Palatina, quæ in Hassia Moßbirn vocantur, fugacium omnium generosissima sunt, æqualiter plærumque in turbinem desinunt, longitudine quadrantem, semunciâ demptâ, æquant, latitudine verò sextantem rarò excedunt. Colore sunt inter croceum, puniceum & rubentem medio, carne tenera, succosa, sapore supra modum suaui, & veluti aromatico. Odorem habent tam integra, quàm incisa suauissimum, quem nullum Pyrorum genus bonitate superet. Maturescunt Augu-

exitu, Sole in Virginem ingresso. Habentur in Rhenano tractu, Francia, Hassia, & multis aliis regionibus.

Rombacea. 29. Spindelbirn / siue Rautenbirn / id est, Rombacea, Rostiis figura, colore, & magnitudine similia sunt, paulò tamen angustiora, substantia verò & sapore ab illis differunt, duriore siquidem carne constant, ideoque diutiùs durant: saporem habent adstringentem simúlque suauem. Maturescunt cum Rostiis. In agro Islebiano coluntur.

Zucharina. 30. Zuckerbirn / id est, Zucharina, longitudine sextantem paululùm excedunt, latitudine verò eundem vix aut rarò attingunt: colore sunt viridi. Carne constant tenera, facili, instar Zuchari, in ore liquescente, gustu suaui & dulci. Maturescunt cum ouatis nec diu durant. Coluntur in agro Isbeliano.

Pachlemiana. 31. Pachlemisch birn / id est, Pachlemiana. Zucharinis quantitate & figura similia sunt, colorem habent viridem & cæsium, superficie aliquantulùm sunt scabra, carne constant dura, succosa & adstringente, maturescunt cum Zucharinis, & si iniuria absit, non facilè putrescunt, sed aliquandiu durare possunt, sicut pleraque alia, quæ dura carne & adstringente succo constant. Coluntur agro Islebiano.

Kirchmeßbirn. 32. Kirchmeßbirn / rotunda & ventrosa sunt, & versus pediculum in longum angustum & valdè attenuatum mucronem desinunt: longitudine triente semunciâ breuiora sunt, latitudinis verò diametro sextantem excedunt, quamuis etiam minora nascantur, colore sunt flauo, carne constant tenera succosáque, gustu simul Palatina & Potima referunt. Maturescunt Autumno, durantque ferè donec Sol Sagittarium ingrediatur. Habentur VVirtembergæ.

Tumida & Mellea flaua. 33. Kneußbirn / siue Gelbe honigbirn / id est, Tumida, & Mellea flaua, latam habent basim, atque Turgidorum instar tumida & subrotunda sunt, iuxta pediculum in breuem, obtusum ac rotundum mucronem desinunt, tam longitudine, quàm latitudine, sextantem cum semuncia interdum excedunt, sed rarò, colore sunt flauo at punctato, circa Pythmena plerumque Melleorum maiorum colorem & asperitatem affectant, carne constant subdura, succosa, & circa seminum receptacula lapidosa. Saporem habent inter Mellea maiora, & Leonina medium, éstque hic admodum gratus. Maturescunt Autumno, & nonnunquam ferè vsque ad hyemale Solstitium durant. Coluntur VVirtembergæ vicinis locis.

Cœnobiana. 34. Kloster birn / id est, Cœnobiana, inæquali ventre turgent, & iuxta pediculum turbinantur, longitudine quadrantem attingunt, ac latitudine quoque non multùm cedunt, colorem habent flauum, & viridibus punctis conspersum, substantia eis est subdura, & aliquantulùm lapidosa. Gustu mediocriter adstringunt, & modicè glutinosa cum suauitate existunt. Maturescunt cum tumidis, illisque similiter durant. Habentur in agro VVirtembergensi.

Vitrea. 35. Glaß birn / id est, vitrea, rotunda sunt, & modicè turbinata, longitudine sextantem cum tertia plerumque vnciæ parte æquant, latitudine verò sextantem paululùm excedunt, colorem habent in flauo modicè virescentem: caro iis est tenera succosa, gustu adstringens, suauis & vinosa. Maturescunt cum Rostiis, paulò ante Autumni initium. Islebii copiosus eorum est prouentus, viciniśque oppidis: durant vsque quò Sol Sagittarium ingrediatur.

36. Kirchbirn, id est, Templaria, oblongam & ouatam habent figuram, magis tamen quàm ouum in turbinem desinunt, longitudine sextantem æquant, latitudine verò sesquiunciam aliquantulùm excedunt. Colore sunt ab vna parte in flauo viridi, ab altera autem, quà Solem receperunt, rubente. Carnem habent duram, modicè acetosam, ac vehementer adstringentem. Maturescunt æstatis exitu, diúque durant. Horum quoque magnus est Islebii prouentus.

37. Quittenbirn, id est, Cotonearia, Cœnobianorum modo inæquali ventre tument, iuxta pediculum in breuem mucronem, veluti turbinata Cotonea, desinunt, paritérque tuberosa existunt. Vnde etiam nomen illis factum est: sextantem cum tertia vnciæ parte, tam latitudine quàm longitudine excedunt. Colorem habent viridem, carnem verò duram, succosam, gustu modicè vinosam & mediocriter adstringentem. Maturescunt Autumni initio, durántque vsque in hyemem. Habentur Islebii. *Cotonearia.*

38. Pairiß birn, id est, Parisiana, inferiùs rotunda sunt, & sæpiùs in mucronem desinunt. Longitudine sextantem cum semuncia æquant, Latitudine verò sextantem non excedunt, aut rarò. Colorem habent ab vna parte flauum, ab altera autem, quà Solem senserunt, puniceum. Caro iis est succosa, gustu cum suauitate adstringens. Maturescunt cum prædictis, durántque in hyemem vsque. Copiosus eorum est in agro Islebiano prouentus. *Parisiana.*

39. Weyberſterben / id est, Thelyphona, rotunda essent, nisi iuxta pediculum in breuem obtusúmque mucronem fastigiarentur, sextantem tam latitudine, quàm longitudine plerumque excedunt. Colorem habent flauum, & iuxta basim croceum, & puniceis punctis conspersum. Carne constant dura, aliquantulùm lapidosa, succo, gustu modicè acetoso & valdè adstringenti, quemadmodum Templaria, cum quibus etiam maturescunt. Durant in hyemem vsque. Coluntur in agro Islebiano. *Thelyphona.*

40. Kölbirn / id est, Brassicana, magna, subrotunda & turbinata sunt, longitudine quadrantem æquant, cui etiam latitudo eorum respondet, si semuncia, aut tertia vnciæ pars detrahatur. Colorem habent in viridi pallidum, ab altera parte modicè rubentem & punctis conspersum. Carne constant duriuscula, succosa, gustu aliquantulùm acetoso & fortiter adstringente: quemadmodum Thelyphona, cum quibus etiam maturescunt, & similiter durant. Islebii coluntur. *Brassicana.*

41. Bölpener, id est, vasta: magna, ventrosa, inæqualia & turbinata sunt, longitudine quadrantem cum semuncia interdum excedunt, latitudine autem longitudinem ferè æquant. Color iis est viridis. Carnem verò habent succosam, gustu vinosam, modicè acetosam, & Brassicanis fortiùs adstringentem. Maturescunt Autumni initio, diúque vsque in hyemem durant. Frequens est eorum in agro Islebiano prouentus. *Vasta.*

42. Saffibirn / id est, Succulenta, vastis similia sunt, paulò tamen minora, minúsque inæqualia, colore in viridi flauo, carne constant solida, quæ incisa copioso succo manat, eadem manducata ferè tota in succum transit, nimium enim quiddam remanet sicci, cùm deglutitur succus, qui gustu frigidus, subacidus, vinosus, & adstringens est. Maturescunt Autumni initio, diúque durant. Habentur VVirtembergæ. *Succulenta.*

43. Eierlinge / id est, Oualia, à forma ouali nomen acceperunt, mediam habent inter Potima *Oualia.*

&

& ouata figuram ac magnitudinem, color iis est flauus punctisque subruffis in fusco conspersus. Carne constant dura, succosa, gustu acida, vinosa & astringẽte. Maturescunt autumni initio diuque durant. Proueniunt VVittemberge.

Turbinata 44. Kruselbirn/ id est, Turbinata, figura turbinem, quem pueri funiculo inuolutum in terram proiiciunt vt vertatur, æmulantur: longitudine quadrantem attingunt, latitudine autem sextantem semunciâ excedunt. Color iis est in viridi pallidus, multis viridib. maculis seu punctis conspersus, carne constant solida, succosa, gustu valdè adstringenti, aliquantulùm acetosa & suaui. Durant vsque Sol Aquarium aut Pisces superauerit. Abundant in Misnia.

Bratbirn. 45. Bratbirn groß/ quæ etiam Fregelbirn/ id est, quæ frigendo sunt, omnium ferè maxima sunt, nonnunquam enim minam cum dimidia pendẽt, figura sunt globosa, interimque turbinata, & frequenter inæqualia, colore inter viridem, pallidum ruffúmque medio, & ex altera parte magis ruffo. Carne constant cum suauitate succi adstringente, aliquid acetosi participante. Proueniunt in Misnia, præsertim Leisnichii & Coldicii.

Cineracea. 46. Grawchen/ à colore nomen inuenerunt, siquidem cineracea simúlque subuiridia sunt, figurâ globosa paruáque, vnciam tam latitudine quàm longitudine æquantia, aspectu à syluestriũ quibusdam nihil differunt, gustu sunt tenera, mitia, dulcia & suauia cum adstrictione aliquã durãt post Solstitium hyemale. Proueniunt in Misnia Lipsensi agro.

Punicea. 47. Gelbrotebirn/ id est, Punicea oblongam pyramidalem figuram habent, quadrantem longitudine paulò minùs quàm semper attingentes, latitudine verò sextantem. Colore sunt ab vna parte citrino, ab altera croceo & puniceo. Carne constant tenera, gustu adstringente, suaui, subacido & aquoso, maturescunt autumni initio, & vsque ad Solstitium hyemale durant. Proueniunt Hildesheymii in Saxonia.

Prasina. 48. Grunlingen/ id est, Prasina, satis magna sunt, siquidem quadrantem nonnunquam longitudine excedunt, latitudine verò sextantem. figuram habent oblongam & pyramidalem, colorem viridem, carnem succosam, non segniter gustu adstringentem. Maturescunt autumno ineunte, & vsque post Solstitium durant: prouentus eorum Hildesheymii magnus.

Hydrapia. 49. Wassernbirn/ id est, Hydrapia, quantitate Prasina æmulantur, figuram habent ventrosam in medio, & vtrinque in mucronem desinunt, iuxta pediculum oblongiorem acutiorémque, propè pythmena verò breuiorem & obtusiorem, Colorem ab vna parte pallidum, punctisque conspersum, ab altera rubentem, & per oram pallore dilutum. Carne constant succosa, gustu aquea, cum suauitate aliqua. Matura fiunt, cum Prasinis nec vsque adeò durant. Proueniunt Hildesheymii.

Conaria. 50. Kegelbirn/ id est, Conaria pinei coni figuram habent, è latiuscula enim basi in mucronem desinunt, longitudo eis quadrantalis, latitudo autem sextantalis, colore sunt ex vna parte viridi, ex altera verò rubescente. Carne constant succosa, gustu austera, maturitas eis contingit Autumni initio, à quo tempore vsque ad hyemale Solstitium durare possunt. Nascuntur Hildesheymii. *Hactenus Cordus.*

Tragi differentia Pirorum. Tragus itidem apud Germanos nascentium horum meminit. Pira inquit, quę Germ. Mescherling/ Schmaltzbiren/ Fleischbiren/ Bockebiren aut Bengenbiren vocant fortè ad Crustamina & Falerna Barbari referri poterunt. Sunt enim saporis iucundissimi succosa admodum & fugacia. At Pira præcocia seu æstiua quæ & ipsa non vnius sunt generis, cùm in illis succosa, alia exucca reperias, ad Superba Barbari pertinent, quo loco & ea habenda sunt, quæ Germani Herren oder Pfaffenbiren/ hoc est, Pira dominorum aut sacrificorum vocant. Inter ea verò quæ Autumno proueniunt, Kegelsbiren vocata primas obtinent. Hęc fortè Dolabelliana Veterum fuerint. Sunt & quę Latini Pomponiana & Mammosa vocant, vt interim ea prætereain, quæ Germ. Frauwenbiren/ Kirchenbiren/ Winterbiren/ Leonhartsbiren/ Schifferbiren/ Wassenbiren/ Mustingsbiren/ Lennlosen/ Muscatellerbirlin &c: At verò Pirorum illæ nomenclaturæ, quas Hermol. Barbari putat Tragus, Barbari non sunt, sed Plinii, ex quo Barbarus transcripsit, more suo, non citato Plinio. *Dolabelliana Veterum? Pomponiana Mammosa &c. Herm. & Tragus notantur.*

Gesneri differ. Muscatella. Superba. Chia Myrapidia. Præcocia. Regulana. Pira sani. Gesnerus in horto, Pirorum genera diuersa dicit Landauiæ, è quibus præcipuè commendantur Muscatellina. Maturescunt in fine Iulii, Superba, Chia, Myrapidia, præcocia. Item Virginea (Jungfrauwenbirle) grato & dulci sapore, quæ siccata placent, & maiora quę Regulana (Kegelsbiren) è Curia Rhætorum aduecta. Hæc quidem apud se [Tiguri] rara esse, sicut & Libralia à pondere vnciarum xv. & ampliùs quandoque inæqualia, tuberosa, succi plena. Sed hæc du[illegible] non possunt. Item alibi: Pira à fœnis, Heuwbiren dicta, Herrenbirn/ Schäfbirn/ & quæ Tigurinis Grauwen[illegible]/ Pira Strangulatoria, & sylucstria, matura Octobri. Sunt & Tellbiren/ Winterbirn/ Martinsbiren/ Steinbiren/ Clausbirn/ à Sebizio Medico Argentinensi nominata apud Carol. Steph.

Tabern differentia. Tabernamontanus ista recenset. 1. Pira Regalia, Kegelbirn. 2. Palatina, Blandbirn. 3. Præcocia, Frübirn. 4. Iacobæa, Jacobsbirn. 5. Cydonia, Küttenbirn. 6. Rotunda, Schaibebirn. 7. Superba, Bragelbirn. 8. Prasina, Brauling. 9. Prasina hyemalia, Winterbirn. 10. Muscatellerbirlein, Muscatellina. 11. Saccharapia, Zuckerbirn. 12. Trochapia, Bellgartenbirn. 13. Keeßbirn. 14. Kochelbirn. 15. Seidlinger. 16. Pedicularia, Leüßbirn. 17. Strangulatoria, Strengling aut Rittersbirn. Sed quis ex solis & nudis his nominibus intelligit, quę & qualia sint illa Pira, & num rectè suas figuras accommodarit. Inquilinis ista non traduntur, Sed peregrinis. Notas igitur breuiter apponi par fuisset. *Tabern & notatur.*

Silesia Pirorum recensio. Catalogũ Pirorũ Silesiacorũ hunc dat Schueckf. 1. Silesiaca Pira præcocia, Frühbirnen. 2. Auenatia, Haberbirnen. 3. Farinacea, Meelbirnen. 4. Mariana, Margenbirnen. 5. Muscatellina, Muscatellerbirnen. 6. Mellea, Melapia, Honigbirnen. 7. Saccharia, Zuckerbirnen. 8. Lardina, Speckbirnen. 9. Nobilium Junckerbirnen. 10. Hyemalia serotina, Winterbirnen. 11. Strangulatoria, Strengelingte/ würgende Birnen/ Ritterbirnen. 12. Adiposa, Schmeerbirnen. 13. Hydrapia, Wasserbirnen. 14. Pira Coccineo succo & aspectu, Blůtbirnen/ quorum postremorum ante ipsum meminit Camer qui præter alias Pirorum differentias quas Norimbergæ habeant, esse etiam scribit, quæ eleganti rubore carnis interioris placeant. Item, quæ comesta ventrem subducunt. Ex dictis quædam in horto Lusatiæ coluntur, & præterea ista, nisi nominibus tantùm euarient. 1. Mönchsbirn, id est, Monachorum Pira. 2 Zapffelbirn. 3. Keller- *Pira Coccinea carne. Pira Ventrem laxãtia.*

birn/Scholtzenbirn/quæ & Parisiana vocat, quorum & supra mentio facta. 5. burgbirn. 6. römischebirn. 7. bachbirn. 8. Kappertzenbirn. 9. schonbergerbirn. 10. Faulbirn. Rotunda, &c.

Pira Germanica Coleri. Coleerus inter alia, nondum dicta, waldbirn/harenbirn/zappenbirn habet.

Turneri Anglia Pyra. Superba. Turnerus Anglus non modò suæ Prouinciæ Pyra quædam celebrare voluit, sed & Priscis restituere nominibus conatus est, sic poté. 1. Pyra superba Plinij, id est, Proud peares/ parua celerrimè maturescunt. 2. Falerna alicubi Anglis watery peares/ aut croßepeares vocantur. *Dolabelliana. Fauoniana. Autumnalia.* Dolabelliana longo sunt pediculo, non memini quo nomine apud Anglos appellentur. Fauoniana rubent, paulò maiora superbis. Autumnalia, Septembri propemodum maturantur, gustu suaui, acido. Angl. Peares of the autumne. Volema, Anglis vulgò wardens, si adstrictionem habeant, & tosta rubeant, durántque in Febr. aut Martium vsque. Nomen videntur adepta à duratione: id enim Germania warten vocat, vnde nostrum deriuatur. Serotina ad hyemem vsque in arbore sua pendent, gelu maturantur. Ea sunt partim wardens nobis dicta, partim Germanis winterbirn nominata, quæ & Anglicè winterpeares appellare liceret.

Gerardi Pirorum Angliæ enumeratio. Gerardus itidem Anglus tutiùs vulgi appellationibus hærendum existimauit, & in Anglia hæc prouenire tradit. 1. Pyra præcocia. The gennetting peare. 2. Iacobæa. S. Iames peare. 3. Regale, the peare Royall. 4. Palatinum. The Burgomot peare. 5. Pyrum Cydonium, The Quince peare. [hoc Tabern. p. 997. Malus Cydonia dicitur.] 6. Pyrum Episcopatum, the Bishops peare. [Tabern. Fodelbirn.] 7. Superba, siue Catharina, the Katherine peare tree. 8. Pyrus Hyemalis, the winter peare tree. 9. Pyrum strangulatorium maius. the great Choke peare. 10. Pyrus vesicularia, the Lowsie milde peare. 11. Pyrus Cornina the crowe peare tree. [Taber. Seidlinger] Nihil hic quoque describit, figuras ex Tabern. habet, nec tamen omnes. Mirum verò cur tres è his species syluestres dicat. *Gerard. not.*

Habes Pyrorum differentias tam à Priscis quàm à Recentioribus [quos quidem nos inspeximus] propositas, & non pauca annotata, quę ad Priscorum cum nostris collationem illustrationémque faciant: æquum est, vt & à nobis obseruatorum Pyrorum syluulam prodamus, quamuis quædam fortè & ab alijs iam priùs dicta sint: dicenda tamen, vt constet, & nostris regionibus ea largitam naturam, & vt specialiori lemmate adhibito, Lectori clariùs patescant, exorsi à Moscatellorum genere, quòd odore, suauitate gustus atque prouentus prioritate præ alijs superbiant. *Authoribus obseruata Pirorum differentia.* Hactenus vnicum eorum genus tantùm dictum à singulis qui de iis tradiderunt, nos eorum aliquot differentias obseruauimus.

Pira Moscatellina minima. 1. Pira Moscatellina minima, valdè parua, cæras domestica vix superant, rotundo, longiusculo pediculo, odore præsuaui, sapore vino Moscatellino seu Apiano simili. Basileæ muscateller birlin vocantur. Abundant Lugduni, vbi *poires muscadelles petites* vocantur: vnde etiam Guil. Rouilius, Typographus insignis aliquando surculos ad nos misit, quos Geneuæ inserendos curauimus: Item Montbelgardi in horto E.C. Vesuntio missos ab amicis. Habentur & in Alsatia, speciatim in Gebviller.

Moscatellina rubra. 2. Clareuallæ ad Dubim, oppido Excels. C. VVirtemb. principio Augusti gustauimus. Pira admodum sapida & Moschum haud obscurè redolentia, prædictis maiora, vncias duas ferè longa, turbinata, parte Soli obuersa saturè rubentia, altera flauentia, pediculo vncia longiore, carne tenera, albida & nonnihil flauescente. Pira Iesu vulgò vocant. Montbelgardi iisdem figurâ & magnitudine similia habent, sed non sunt rubra, verùm albicant potiùs, gustu suaui, & dictis non admodum dissimili, sicut nec odore. *Poires de Iesus. Horum Varietas.*

3. Maiora Moscatellina in horto E. C. VVirt. quem Montbelgardi celebramus, habentur nostrâ curâ inserta. *Moscatellina maiora.*

4. Serotinum Moscatellinorum genus, magnitudine variat, aliàs tres vncias altum, & plusquàm duas crassum, aliàs vix duas vncias altum, sescunciam crassum, pediculo vnciali, cortice ex leui rubore flauescente, punctato, carne mediocriter solidâ, ex albo in buxeum vergente, grumosa, odore moschi fragrantissimo, sapore dulci, vinoso. Fugax est hoc genus, neque diu asseruari potest. Habentur in pretio in horto arcis Grandvillæ, Montbelgardo vicinæ. Mignotus Medicus Burgundus dicebat in Burgundia, speciatim oppido Villassan dicto, *poires d'or* vocari, id est Pira aureola: & Lutetiæ *poires d'amydon*, id est, Pira Amyli. Esui gratissima sunt, Septembri matura. *Moscatellina maiora Autumnalia. Pira aureola. Amyli pira.*

5. Habetur Piri genus Montbelgardi, quod Caluerum vocant: rotundum est, satis magnum, minimè fugax, moschum redolens, quod manibus contrectatum etiam odorem ingeminat, suaue & sapidum. Nostrâ curâ inserti surculi in horto E.C. quorum partem quoque Illustr. Principi Landgrauio Hassiæ, omnis virtutis, & rerum etiam naturæ studiosissimo misimus. Vocant vulgò *poires caluier, & poire d'ivin*. Aiunt durare vsque ad Maium, nec ante commodè edi, cocta tamen esui esse suauissima. Duo horum genera adscripta. Aliud enim quod non ita Moschum redolet, sed maius, tenerius, quod commodiùs edi potest crudum, rotundum & sessile, colore ferè cum piro Campanaceo: Mense Nouembri mihi non iniucundus erat. Hoc matus vocant *Caluier bastard*. *Pira rotunda Moschū redolentia, Vulgo Caluetia.*

6. Basileæ & in Alsatia paruum quoddam Piri genus satis frequens est, quod hewbirle/ hoc est, Fœnaria Pira, sic dicta, quod ipso Fœnisecio maturescant, nempe Iulio mense. Moscatellinis quodammodo similia, sed in oblongum vergentia, cute luteola, pediculo longo, carne dulci, solida, sic satis. Variant hæc eodem nomine. Alia parua, crocea, pediculo breui, odorata, iucundi saporis, carne solida. Alia carne molliore, in ore liquescente, lutea, prædictis maiora, minùs odorata. Alia denique longo pediculo, carne grandinosa, externè flaua. Considerandum an aliquod horum genus sit id, quod Lugdunenses Pira Sancti Ioannis vocant, de quibus etiam suprà. *Pira Fœnaria. Varietas.*

7. *Verdette* Burgundis Pira obseruata nobis in Dampierre arce Montbelgardo non longè distante: matura Septembris initio, viridia, vnde nomen, non pulchra, suauia tamen, & odore & sapore, & aliquid etiam Moschi inter comedendum redolentia. *Pira Viridantia.*

8. Vinosum dictum nonnullis Pirum elegans est, paruum, non totas duas vncias altum, paulò magis vncia crassum, cortice partem maximam ex flauo rutilante, cæteroquin flauescente, carne sapida, vinosa, mediocriter firma, & circa membraneos seminum loculos, granulis multis grumosa. In horto Montbelg. matura Augusto. Quidam *Vinete* vocant, à vinoso sapore. Germ. weinbirn dicere posis. *Pira Vinosa parua VVeinbirn.*

Ec

Digitized by Google

Hydrapia.



Hydrapia. In Rauraca in toto tractu Alsatico Aquosa Pira dicta, cõmorsa, tanto succo fauces opplẽt, vt haud vanè vulgato Idiomate, Wasserbirn dicta putes. Minora paulò Gallinacco ouo, quædam etiã æqualia, circa pediculũ turbinata, opposita parte sessili. Moratius hic fructus, & totius durationis tempus vix menstruum, Iulio & Augusto diuisum. Quia eundem planè putamus fructum quẽ Ulmerwasserbirn vocant in Ducatu VVirtemb. ideò ex iis paratam figuram hic adiicere placuit.

Pirum Ouatum.

Elegans hoc Piri genus in deliciis habent Basilienses, & totus ferè tractus Alsaticus, quod à figur. Eyerbiren id est, ouatum Pirum vulgò nuncupant. Oui enim specie vtrinque turbinatum, & in medio ventricosum. Maiora anserinum ouum facilè æquant. Cortex ex viridi siue chloro flauescens, punctis araneosis & ferrugineis conspersus, vmbilico prominulo, pediculo longo. Carnis substantia mollis, succosa, sapida, ex dulci vinosa, & veluti in ore colliquescens, non sine precipua, & ipsis propria quadam suauitate. Sub Iulii mensis vel Aug. initium matura. Facilè fracescunt, & tandem putrescunt. Rariùs hæc occurrunt apud Montbelgardenses habentur tamen. Argentinenses etiam Beſterbirn appellant, quo nomine tamen aliud Piri genus habetur Basileæ, quod iam describemus.

Pira optima Basiliensium. 11. Haud temerè optima Basiliensibus vulgò dicuntur Pira, quemadmodum & Argentinensibus eorũmque vicinis, quòd gustu suauissimo esse putentur. Carne quippe sunt molli, in ore facilè dissolubili: & quamuis aliquid granulosi habeant: nihilo tamen minus gustu, (nescio quid commẽdationis præ reliquis Piris præ se ferente) magis quàm moscatellina quadam dulcedine fauces delectat. Magnitudo iis penè oui maioris vel anserini, sed vmbilico tenus sessilia ferè, opposita parte turbinata, pediculo vnciali vel maiori. Aestiua sunt, & fugacia. In Vineis Basiliensibus habentur, haud alibi temerè ita obuia. Maturescunt Iulio, & Augusti medium vix attingunt.

Vuarum Pira Basil. 12. Treubelbirn/ Basil. id est, vuarum Pira vulgò dicta videntur à tempore, quo matura sunt. Cum vuis enim maturescunt circa vmbilicum angulosa, ventre subrotundo, supernè leuiter turbinata: cute tecta flaua, & ut alia multa, stigmatis crebris punctata, pediculo ipsum Pirum longitudine facilè æquante: Fragrantis odoris, gustus sapidi, dulcis, carne primùm firma, succosa tamen, & quæ mox in mollitiem illam abeat, putrilagini præuiã: obque talia eò magis à vulgo in deliciis haberi solita. Vix Nonas Septembris attingunt, aut certè cum iis euanescunt.

Pira Brachmartiana. Lugdun. 13. Lugdunensibus *Poires Brachmart* dicta, mediocris sunt magnitudinis, longa, ventre circa medium protuberante, parte inferna quodammodo turbinata, aut certè minùs sessili, tota lutea cute, pauca tamen aliquid habent rubedinis, carne cõstant satis odorata, dulci, tenera, in qua sunt quædam fibræ luteæ, & circa seminum loculos nonnihil granulosi. Matura sunt Iulio mense.

Pira Chirothecalia. 14. In Masmünster oppido, vbi prænobile Monialium fanum vel Abbatia, quam vocant, Pira habentur vulgò Henschenbirn/ quasi Chirothecarum Pira dicas, fortè quòd Chirothecarum odoratarum instar, ob elegantiam odorisque suauitatem manibus gestari tractarique soleant. Pediculo hærent vel ipso Piro longiori, circa quẽ turbinata parte opposita, aliàs sessilia, aliàs in gibbum protuberantia. Tam altitudo, quàm latitudo duarum ferè vnciarum. Cæterùm saturatiori ac quodammodo sanguinea rubedine magna ex parte tincta, non sine granulosis punctis, odorata, sapore grato cum quadam adstrictione. Augusti fructus est, sub cuius finem mollescit: sed mox corrumpuntur ob carnis teneritudinem.

Pira Bergamotta Gallis. 15. Meminimus iam suprà huius Piri ex Dalech. Ruellio & Curtio, qui posterior solus descriptionem posuit, Suspicamur autem idem esse cum Bergamottis antè descriptis. Et sanè, si quod aliud Piri genus, hoc odoris fragrantia præcipua naribus placet. Mediocra sunt, rotunda ferè, tantillùm turbinata, circa pediculum impressa & ferè vmbilicata, cortice tenuissimo, stigmatis punctato, alioqui viridi, etiamsi matura sint. Pediculo hærent vnciã longiore, satis firmo. Caro tenerrima, grata, succulenta, sapore quodam modo, muscatellino. Octob. medio gratissima, & cruda & cocta: verùm sub cineribus calidis tantùm coquenda, alioqui gratiam amittere putantur. Mequs Gallorum in agrum Montbelgardensem transplantata ferunt. Habentur etiam in horto E. C. Mense Martio etsi iam gelu etiam passa, erant adhuc bona. Surculos Epamandoduro & ex Lotharingia importatos in horto Montbelg. inseri curauimus.

16. Colmariensibus vulgò nota, Germ. Pfaffenbirn dicta, præcocia, Iulii principio maturescunt. Ex longo satisque gracili hærẽt petiolo. Ipsa verò inferiore parte sessilia, superiore turbinata, duas vncias longa, totidem lata, vnà parte maculis rubris eiusdemque coloris striis saturatioribus intercursantibus donata, altera luteola. suauissimè olent, & carne sunt præsuaui, dulci, ac molli: verùm circa seminum loculos aliquantùm acerosa. Fugacia. *Nunc ducatus VVirtembergici & circa Fontem Admirabilem, locisque vicinis Pira celebremus.*

Pira Regia Bollensium.

Bonigebirn/ id est, Regia Pira in agro Bollensi Ducatus VVirtemb. dicta, fortè à gustus gratia, parua globosa ferè, ex viridi rubentia, punctis notata. Magnitudinem figura exprimit quemadmodum & sequentium ferè. Sept. 17. note-

dum erant matura, ſed dura valdè lapidoſa. Intra octo dies matureſcunt, & breui molleſcunt. Oct. 25. adhuc bona & ſapidæ. Sed Nouemb. fine molleſcere & fracida eſſe incipiebant.



Pira Angelica.



Engelsbirn in Boll, parua ſeſſilia, craſſiora, quàm altiora: coloris obſcuri, pallidi, & nonnihil inæqualia. Molleſcunt facilè, & citò faceſſunt. Guſtu ſunt ſapido. Medio Septembri adhuc integra.

Pira Brumalia.



Reiffacherbirn, quaſi Brumalia, quòd non priùs matureſcant. Minùs ſunt præcedentibus ſeſſilia, lutea, alicubi rubentia cum punctis & aſperitate quadam ad tactum. Durant vſque ad Ianuarium. Medio Septemb. guſtu valdè aſpero, intus lapidea. Sunt quædam picturâ maiora, ſubrotunda. In VValde & in Zell. & in Blienſpach etiam maxima obſeruauimus; ad tres vncias alta, totidem craſſa. Oct. 14. ſapida, dulcia, & quæ cruda edi poſſent. Putamus idem quod Baſileæ & Reinfeldæ Staffelbirn vocant. Durant adhuc Ianuar. guſtu dulci ſucculento.

Pira Bohemica.



Böhemiſch. Bohemica Pira, turbinatà, ventrioſa, luteola, & albicantia, punctis notata. Matura fine Aug. Sept. medio fracida, dulcia, ſapida, odorata, etiam ſine ſeminibus, ſapore aromatico ferè. Sept. fine incipiunt molleſcere.

Pira decerpta.



Brechbirr, quaſi decerpta dicas: Parua, ex luteo nitida, & altera parte rubore multo perfuſa, infernè ſeſſilia, supernè turbinata. Diu durant. Sept. 17. licèt ſemina nigra, carne tamen dura valdè, ſicca, ſapore aſpero, non ingrato tamen. Oct. 17. data in Boll lutea iam erant, ſed poſtea licet, lapidoſa. Montb. delata Decemb. medio, fracida, bona, ſic ſatis.

Pira Coriacea.

Lederbirn/Coriacea, in Boll, haud durabilia nec admodum grata, niſi ſint mollia, facilè autem molleſcunt, Lutea vna parte, ab altera rubent. 18. Sept. guſtata quædam molleſcebant, auſtera tamen cum aliqua dulcedine, vtcunque grata, granuloſa. Montb. delata ad finem Nouemb. integra adhuc.

Pira Leynnarne dicta.

Leytwarnebirn in Boll. Figura ferè ſunt ouali, supernè tamen magis turbinata: lutea, carne ſatis ſolida, dulci. Septemb. 17. bona adhuc, necdum mollia.

Pira Laterum.





Ziegelbirn/Pira laterum, à colore lateritio, & quòd diu durent ita dicta, ad oualem accedunt figuram alterâ tamen parte magis turbinata, alterâ ferè sessili. Magnitudine variant, vti figuræ docent, maxima & minima exprimentes. Aiunt durare ad Oporan vsque. Oct. 25. gustu adhuc austera. Montb. delata, sub Ian. finem integra, austera carne, duraque: subdulci.

Pira Picea globosa.

Pechkuglen (quasi piceos globos dicas) vocantur in Schierbach pago Vvirtemb. Globi figuram quàm proximè æmulantur, interdum etiam nõnihil torosa: ex luteo virescentia, insigniter ab vna parte rubentia, punctis albicantibus multisque etiam striis rubentibus intercurrentibus. Montb. delata Ian. exeunte adhuc inuictæ duritiei. Aiunt durare vsque ad quadragesimam, nec edulia fieri priusquam nigrescant. In Kirchen etiã Winterbiren vocant, id est, hyemalia pira, & nomine prædicto.

Pira Herilia.

Herrenbirn/Herilia à gustus fortè præstantia, in Boll, eàdē cum Speckbirn forma, sed media parte minora. Color quibusdam vniformis, luteolus: aliis alterâ parte rubens, intercursantibus striis. Caro mollis saporis aciduli, grati. Facilè mollescunt. Matura Aug. fine. Integra adhuc Sept. 16. Fortè eadem quæ supra ex Trago citauimus, qui & Herrenbirn & Pfaffenbirn/id est, dominorum & sacrificorum Pira vocat, & ad superba Antiquorum refert. Sed quia non describit, difficilè est iudicare.

Pira Cydoniata.





Küttenbirn / id est cydoniata Pira, quòd obseruata cydonii odorem spirent, quorum etiam formam quodammodo referunt. Ex Wälde. Aliàs Wingifter, quasi vinum veneno inficientia dicas, incognita ratione nominis cydonii more, nonnihil angulosum, coloris aurei, altera parte rutilo tinctum. Aiunt rarò durare ad Nouembrem. Sept. 20. benè maturum, carne tenera & granulosa tamen, dulci gratóque sapore. Posterius adpictum altero tantùm maius, eodem nomine oblatum in Zell. Aiunt & maiora reperiri, cotoneóque perquàm similia, & aliquando ad Ian. durare.

Pira Hyemalia.





Winterbirn / Hyemalia Pira, rubra, subinde etiam alicubi lutea. Aiunt durare vsque ad Aprilem. Maius hic depictum est ex Boll, ab vna parte pulchrè rubens cum punctis albis. Aiunt etiam eo maiora haberi. In Kirchen vocant Frawenbirn / quasi muliebria dicas: Esui iucunda, odorata, sapida, Stutgardiæ paradiß birn / paradisi Pira. Ex Montb. delatis quædam mollia Nou. exeunte reddita: alia in Febr. finem integra incorruptáque permanebant, fracida, carne granulosa. Non videntur eadem, quæ suprà ex Cordo descripta, vt facilè patebit descriptiones diligenter consideranti.

Pira Francfortiana.



Franckforter birn, Franckfortiana in Boll & Zell, turbinata ventriosa, valdè rubra: matura Aug. fine & Septemb. principio, oblongo petiolo. Facilè mollescunt, boni odoris & saporis, velut aromatici cum dulcedine, nonnihil etiam sunt granulosa. Octob. 14. adhuc sapida, licèt fracida. Idem genus Piri habetur etiam in Wälden, vbi cum prædicto nomine etiam Rottbirn, rubra Pira vocant. Habetur & eodem nomine Montb. nuper ex Germania importatis surculis insita.

Pira quædam fugacia.



Rein-

Digitized by Google

29. Reinckelkernbirn/quod non facilè Latinè exprimas, ex Arnebingen: parùm turbinata, sessilia, lutea. Sept. 8. Caro satis dura & granulosa, sapore cum dulcedine nonnihil austero, sed aromatico. Alia etiam erant molliora in Boll, & dulcia valdè. Fugacia sunt Pira.

Pira Angelica magna.



30. Angelica, seu Angelorum Pira Bollensibus dicta, supra descriptis longè maiora, supernè turbinata, & interdum nonnihil reflexa: basi lata, sessili, alioqui ventricosa. Lutea sunt, sapore aromatico, subaustero, grato tamen. Durare aiunt ad Ian. Nobis integra adhuc 25. Octob.

Pira serotina VValdensium.



31. Spahtbrechern/quasi serò decerpta, vel decerpi solita VValdensibus dicta, inæqualiter angulosa, lutea, vna parte rubentia. Bollenses & Zellenses Wildbrechernbirn vocant, ac si è syluestribus decerpta dicas. Aiunt ad Feb. durare Delatum Montb. durauit ad Febr. Sed fracidum.

Pira serotina viridia

32. Spähtig Grünbirn/Serotina viridia Pira iisdem VValdensibus, pulchra, magna, ventricosa, sessilia, leuiter turbinata, turbine nonnihil nutante, vel ad latus inclinante, Colore virescente. Videntur alicubi veluti in duas partes diuidi.



Pira domestica.



33. Haußbirn / domestica Pira Bollensium. Mediocria, turbinata, sed inæqualiter, ventre in vna parte magis protuberante, sessilia, in torulos vel costas eleuata, lutea. Matura fine Aug. & principio Sept. Citò fracescunt. Sept. 17. Saporis boni, subdulcis, carne non admodum molli. Similitudinem habent cum Faustbirn, sed meliora

Digitized by Google

hæc dicunt. Septemb. 18. oblata in Wälde maiora, quàm hoc depictum, sed minùs tuberosa, nec ita inclinante turbine, ab vna parte pulchrè rubentia, aspersis punctis. Reseruari posse aiebant adhuc quindecim dies. Huius generis maximum integrum adhuc Septemb. 30. quod nondum fracescebat. Altitudinis crassitudinisque erat quatuor digitorum & semis, atque ad finem Octob. vsque mansit incorruptum.

Posterior eicon eiusdem generis Piri est, licèt nonnulli weingifferbirn dixerint, sed falsò. Nam & in Wälde suprascripto nomine nobis exhibitum, atque planè idem est cum eo. Durant vsque ad Ian.

Pira Pugillaria Bollensium.



34. Faustbirn, Pugillaria Bollensibus dicta, ad modò descripta domestica accedunt, sed duplo sunt maiora magnitudine pugni, vnde nomen. Sessilia sunt, nec multùm turbinata: paulò tamen magis, quàm figura exhibet: valdè ventricosa, & ventri quibusdam ab vna parte magis prominulo, quædam tuberosa & angulosa ferè vt cotonea: quædam videntur velut bipartita, vt figura ostendit. Color ex luteo pallescens, ad virorem inclinans. Vbi maturuerint, magis luteus, facilè fracescunt. Aug. fine maturescere incipiunt. Sapida sunt carne, cum leui austeritate, molli, valdéque dulci. Septemb. 17. Pulchra nobis oblata ex horto Præfecti pagi Gätzer dicti, in Ducatu VVirt. siti, sub nomine Bachofen Biren/ id est, Clibani Pira, à præcedentibus haud absimilia sed maiora. Oct. 14. integra adhuc.

Pira Zellensia dicta.

35. Zelnernbirn / quasi Zellensia. Ex Grübling/ pago VVirtemberg. magna, inæqualia, tuberosa, cute tenui, lucida, polita, lutea, vna parte etiam rubente cum punctis, non multùm turbinata, turbine parùm inclinato, valdè ventriosa. Carne satis molli, sapida, dulci, & nonnihil etiam aqueo sapore. Bona Octob. 14. Eodem nomine in Zell data, vbi fructum fugacem esse perhibebant. Apta quæ in segmenta cæsa, siccatáque in vsus reponantur. Anno 1600. ibidem eodem nomine oblata sed maiora. Octob. principio carne adhuc satis firma, sapore dulci cum austeritate. Verùm Autumnus eius anni erat tardior.

Pira aquosa maiora.

36. Wasserbirn, aquosa Pira in Kirchen, oppido VVirtemberg. ita vocata, sicque & alibi appellari ferunt, Piris Speckbirn dictis æqualia: turbinata vna parte, altera sessili, ventricosa, satis æqualia, lutea. Septemb. 17. nondum erant mollia. Aiunt depicto hoc longè etiam reperiri maiora. Durant ad Septemb. finem, carne dulci, grata.

Pira decorticata VValdensium.

37. Schelisbirn VValdensibus dicta, quasi decorticata, decorticare enim scheelen est, forte à cutis teneritudine, quòd quasi nullam cutim habere & decorticata esse videantur. Ouata ferè sunt, & nonnihil angulosa, lutea, cute tenera. Differunt à suprà descriptis Aquosis Basiliensibus & Vlmensibus dictis, quòd hæc maiora sint, magisque angulosa. Sed non diu quoque durant. Sept. 16. caro satis tenera, succulenta, dulcis, sapida. Sept. fine omninò fracida.

Pere

Digitized by Google



Pira Pentagona Speciosa fugacia. 38. Perelegans Piri genus, & magnitudine præstans, in lautioribus quibusdam superioris Alsatiæ hortis, spectatum in inferiori illa Murbachiensium Abbatia habetur, quod pentagonum à figura, quâ ferè donata sunt pleraque, licuit appellare. Aug. maturum, magnitudine pugni, circumscriptione penè ouata, si angulos demas, Pediculus vncias duas longus, tenuis pro fructus magnitudine, cutis flaua, & qua parte Solem respexit, ruffa. Caro aspera satis & granulosa, gustu subadstringẽs, dulcis, & quę paucis diebus mollescit. Odore præstat. Lautiora perhibentur cocta, quàm cruda. Suspicio est, idem esse posse cum præcedenti, quod depictum apud fontem Admir.

Pira magna, obsoleti Coloris, vtrinque turbinata. 39. In Strenui & Nobilis. D. à Rischach horto Montbelgardensi habentur Pira, sex vncias alta, vtrinque turbinata, in medio ventriosa, sic satis. Media parte obscurè rufescentia, reliqua obsoleto colore ex flauo luteo & subfusco mixto. Tota cæterùm maculis lenticulatis oblita. Septembri lecta dura adhuc, Sapore acidulo, adstringente. Fugacia tamen sunt: quædam enim paucis diebus computruerunt.

Pira Lardina. 40. Hoc nomine (Speckbiren/ id est, Lardina Pira) iam supra descripta sunt ex Cordo, quæ etiam descriptio Lardinis Basiliensibus dictis Piris satis conuenit, nisi quòd apud nos non Autumni, vt ille ait, initio, maturescant, sed Iulio aut certè Aug. principio, vnde etiam Montbelgardensibus *Poires de Moisson*, hoc est, Messis Pira dicta, à tempore, quo matura sunt. Alioqui celeriter fracescunt, & Autumno iam euanuere apud nos.

Pira serotina russa. 41. Pira Serotina russa pediculo hærent sescunciali, mediocriter crasso. Magnitudo ferè qualis Angelorum Piris, vna parte turbinata & nutante, altera quæ circa vmbilicum, qui profundus satis, sessili. Tota vel russa sunt, & quasi ferruginea, vel in pallido virore rubris maculis densè obtecta, inæqualia, dura, sapore acerbo. Mense Februario adhuc illæsa, dura, rugosa, carne acerba, adstringente, cum modica & obscura quadam dulcedine. Cocta tamen vel per se, vel in iure, mollescunt, & acceptabili gratia in mensis comeduntur. Proueniunt Montb. in horto Principis. Leguntur post Autumnum.

Pira Canina.

42. Keitschbirn in Boll, & Wälde & Zell, quasi Canina dicas: [Keitsch enim quibusdam Germanis canis est] pulchra Pira, longa, turbinata, infernè sessilia, non vndique æqualia, luteola, alicubi, & viridia cum quadam asperitate, pediculo aliàs longo, aliàs breui. Figura longum exhibet. Aiunt & maiora reperiri, & ad hyemem durare. Torrent integra in fornace. Segmenta etiam concisa siccant. Sept. 18. Sapore grato, licèt adhuc subaspero, semina tamen vel tum matura, nigra. Oct. medio admodum sapida. Videntur potiùs putrescere, quàm fracescere: Nam ex Montbelg. delatis 23. Octob. vix integri quicquam restabat, adeò euaserant putrida interim tamen sapida.

Pira longo pediculo.

43. Pira à pediculo longo nomen indepta Langstiler VVirtembergensibus, in Boll, Zell & Wälde, & locis vicinis propè fontem Adm. & versus Vrachum dicuntur. Ouata ferè sunt, sed inæquali & tuberosa superficie, colorè viridi, pallescente. Pediculus non rarò longitudine ipsa Pira superat. Sept. 17. nondum erant matura, arbori etiamnum hærentia, acerba valdè, lapillisque durioribus farcta. Integra manere perhibent vsque ad Ianuar. In Wälde & Kirchen Octob. 22. sapida erant. Montb. delata, durarunt ad Ian. finem. Friburgi Brisgoię, Ratten & Meußbirn / à pediculis caudam muris referentibus, appellantur. Matura erant Septembri. Eadem existimamus, quæ Pendula Montbelgardenses indigitant, Pira pugillaria, minora tamen Lardinis dictis, longo pe-

diculo, quàque furculo committuntur, crasso hærentia, cortice ex viridanti fusco, rugoso, carne dura, austera & subdulci, candida, nondum omninò matura Septembri.

Pira longo pediculo flaua.

Gelblangstilerbirn, hoc est, Lutea, longóque pediculo Pira Bollensibus dicta, satis accedunt ad formam Schlesischbirn / nisi quòd pediculi longiores: odor etiam differt, tardiùs maturescunt, alioqui oualia ferè. Color ex albo sublnteus, non virescens, vt in aliis, à longo pediculo Langstiler vocatis: alioqui nonnihil angulosa, vt illa. Pediculus Piri ferè longitudinem æquare solet. Montb. delata, grati adhuc saporis, licèt iam fracescerent.

Pira Regalia, seu Magnatum.

Etsi Pira Regalia dicta iam suprà ex Cordo descripta sint, quia tamen figuras paratas habebamus, placuit & nostram descriptionem apponere. Regelsbirn Bollensibus & VValdensibus, quemadmodum & Basiliensibus, & passim vbi obseruauimus dicta magni fiunt: Nam & carè venduntur, & ad Aprilem, & quorundam diligentia etiam ad oporan vsque durant. Magnitudinem vulgatam maior icon ostendit, rariùs minora videntur, videntur tamen, vt prior figura docet. Supernè turbinata sunt, infernè sessilia, ventricosa, nonnihil angulosa. Sunt & quædam non ita longa, interim tamen crassiora. Colore sunt subuiridi, & ex prassino ad cæsium vergente, gustu dulci & præsuaui Septemb. fine, quo tamen nondum perfectè erant matura. Pulcherrima habentur in Kirchenheim, oppido & pictis maiora. Ioh. Lutz Pharmacopœus Kirchensis industrius & Illust. Exc. Celsit. nulli secundus, ex horum Pirorum succo Elect. elegantissimum suauissimúmque, & ad modum eius quod ex succo Cydoniorum paratur, confecit, elegantibúsque figuris effigiatum Abietinis excepit scatulis. Oct. fine valdè sapida sunt & succulenta. Montbelg. delata, sub finem Februarii nullam experta erant corruptionem.

Pira boni Christiani.

His valdè accedunt Pira Boni Christiani dicta, [nam vtraque habemus in horto Montbel. Principis, & distinctis hisce nominibus] quæ demùm circa Festum Pentecostes cruda esui apta: de quibus suprà.

Ex Regalibus sunt quædam serotina dicta, Spaht Regelsbirn vulgò dicta, quod tardiùs adhuc maturescant, sunt angulosa valdè & inæqualia. In cæteris ferè conueniunt cum præcedentibus. Lubet & horum geminam [quæ cum aliis quibusdam Pirorum & Pomorum eiconibus Ill. E. C. VVirt. liberalitate paratæ erant] figuram subiicere.

Pira Regalia Serotina. Spaht Regelsbirn.



Pira dorsalia, eadémque Libralia dicta.



48. Pira Bollensibus & circa fontem Adm. Ruckenbirn & Arsbackenbirn / (à dorso & natibus, quorum musculos & lacertos aliqua parte referunt) id est, dorsalia & natium Pira dicta, prægrandia sunt & speciosa, vt ex figuris facilè deprehendi potest. Tota sunt inæqualia, & quodammodo tuberosa, colore obscuro, virenti ferè. Aiunt ad Iun. durare. Aliis etiam vocantur Vlmerbirn / aliis Pfundichbirn: Prius Vlmensia sonat, posterius libram pendentia: sunt enim ponderosa. Aliis etiam Kürbsbirn / Cucurbitina rectè dicas. Octob. 14. sapore adhuc austero. Montbelg. delata ad finem anni durauêre. Eadem nisi fallimur, in Brisgoia in splendida illa arce Ill. Equitum Rhodiensium nobis vocata Zapfenbirn / & Pira S. Catharinæ.

49. His affinia sunt Prægrandia illa Pira, quæ à pondere libralia Burgundi vocant. Pleraque enim libram pendent, & interdum etiam magis. Crassa sunt, Ventricosa, sessilia, vmbilico profundo, vix altiora, quàm crassa. Diameter est sex vel septem vnciarum. Cute quoque sunt crassa, vndique maculis pullis obsita. Octob. lecta sapore sunt austero, cum quadam dulcedine, nondum tamen cibo apta: Carne firma, succulenta. Habentur in horto Montb. Principis, ex surculis è Burgundia accersitis insitione comparata, de quibus etiam Ill. Principi VVilhelmo Landgrauio Hessiæ misimus. Eadem postea in horto egregii viri Io. Vvild Tabellionis E. [illegible] VVirt. comparata. In Lotharingia vt aiunt, *Poires de 16. onces* vocantur, id est, sedecim vnciarum Pira. Durant ad veram vsque rectè reposita, & suauitas eorum sequenti demum æstate præcipua.

50. An libralia Pirum? Pomi quodammodo figuram habent, adeò rotunda sunt & sessilia: E magnorum Pirorum numero, Aurantii mali maioris magnitudine, vt quædam inter ea libram ferè pendeant, communiter mediam. Tota angulosa sunt, & lenticulatis guttulis vndique aspersa, vna parte rubra, reliqua flaua, non sine punctis viridantibus. Vmbilicum profundum habent, cui anguli torosi eminent, sicut in malis Cydoniis. opposita pars, qua pediculus breuis & crassus est. Fragrantissimo odore nares percellunt. Mõtbelg. in horto nobiliss. D. à Ryschach Septembri leguntur. Sapore sunt prædulci, grato. Carne duriuscula, neutiquam tamen lapidosa.

Pira Strangulatoria.

51. Valida adeò his adstringendi vis, vt cruda comesta, præsertim à delicatioribus, eos in strangulationis metum coniiciant: quapropter cruda edi vix possunt, absque molestia. Optima tamen sunt cocta & exsiccata. Bollenses Suselbirn vocant. Non diu durant. Sub finem Aug. maturescunt. Quidam vocant Mansbirn, id est, virilia Pira. Reperiuntur & maiora, tum alibi, tum Basileæ, vbi Kannenbirn, [quasi Canthari Pira dicas] vocantur, à figura. Ibidem in segmenta concidunt Oeconomicæ rei studiosæ matronæ, atque siccant vel torrefaciunt etiámque integra, & interdum in aliquot annos asseruant. Habentur enim hæc Pira torrefacta præ aliis optima. Tubingæ quoque proueniunt. Eleganti suauedine placent. An verò sint Strangulanea supra ex Cordo & Ruellio descripta, difficile indicare est, quòd figuram non adoceant. Sed quia rubrum colorem in iis commendant, fortè ab his diuersa, quæ omnia aut certè magna ex parte lutea sunt.

'Suselbirn. Mansbirn. Kannenbirn.

52. *Pira acumin[ata].*



Spitzbirn VVirtembergensibus, id est, Acuminata Pira, ex figuræ ratione vocata videntur. Etenim si quod aliud Piri genus, certè hoc ad Pyramidis figuram accedere, non obscurum. Lutea sunt habentur & hac figura maiora. Præcocia sunt, & fugacia. Septemb. 17. mollescebant Caro alioqui satis tenera, lapida, dulcis.

Spitzbirn.

Pira Campanacea Montbelg.

53. Sunt & nostris atque Burgundis sua Campanacea, à Campanis [Cordo dictis] Piris, vt nobis quidem videtur diuersa, licèt figura & nomine conueniant. Ille enim sua omninò flaua dicit & facilè putrescere: nostra obsoleti coloris sunt, & ad aridorum foliorum, emicante tamen viridi, non parum accedentia. Diceres viridem ferrugineo conspersum. A pediculo longiusculo & parte turbinata ita in latum se pandunt, vt manifesto argumento nomen indepta videantur. Quinque vel sex vncias altitudine æquant, latitudine vix quatuor. Nec facilè putrescunt hæc nostra, vt illa Cordi, sed diu durant, & demùm mense Nouembri edi suauia: alioqui hyeme cocta fugacium vices supplere possunt, cum Certolinis vel Campanicis Ruellii. Leguntur ex horto Montbelg. Principis, Septemb. fine, quo tempore, carne firma, non multùm succosa, adstringente, cum quadam dulcedine, quæ omnia spem faciunt longioris durationis. *Poire cloche* vulgò vocant.

Pira Campanacea Montbelg. Poire Cloche.

54. In Than & Entzen Alsatiæ superioris oppidis, habentur Pira, quæ Stümpffling vocant, quasi, curta vel manca dicas: volam quædam implent, alia etiam minora sunt, aliquid commune habent cum ouatis dictis Eyerbirn, adeò carne sunt molli, dulci, atque suaui: verùm non vtrinque turbinata sunt vt illa, sed ad pediculum tantùm, vt circa Pythmena latâ & sessilia, rubentia, punctata, pediculo aliàs breui, aliàs longiusculo. Ex his maiora pauca aut nulla habent semina, quasi horum materia in Piri alimentum & accrementum esset absumpta.

Pira curta. Stumpffling.

55. *Rouge Vacon* Lotharingi Pirum vocant, nobis ab hortulano radicatum, speciosum magnitudine & figura, quatuor ad minus vncias altum, duabus latius, turbinatum, sed turbine obtusiori, pediculo laterorsùm [quod peculiare huius Piri esse videtur] inserto, cortice scabro, dilutè croceo, sed vna parte saturè rubro, ac quasi sanguineo. Carne firma admodum est, succo dulci, odorato, subadstringente: Nouembr. nondum edule, est enim hybernum Pirum diúque durans. Decembri gustui apta cœpta, mollescebant sapore & odore suauissimo, verùm granosa lapillisve abundantia. In hort. Ill. E. Cels. VVirt. Montb. inserta.

Rubea Vacona.

56. Pira succharina dicta, zückerbiren oriuntur Leobergæ Silesiorum vrbe, in prædio suburbano, aspectu non iniucundo, striis sanguineis cum virore aspersa, Pyra Speckbiren dicta magnitudine referentia, arbore decerpta saporis paulò acerbioris, lapidosa, quatuor verò deinceps, vel quinque dierum spatio ita mitescunt, vt Sacchari instar commansa in ore liquescant, à sapore nomen indepta. Surculi alio translati insitione nulla traducuntur, quæ causa subsit, vetustásne? an alia ratio ex Sole petenda? an verò prima plantatio artificiosa, naturalisve, in dubio est. Hoc genus Piri tradere videtur Schvvenckfeldius inter stirpes Silesiacas sine descriptione his verbis: Saccharapia zückerbiren.

Saccharina Pyra. Sacchara-pia.

In nomine sunt & alia multa apud Alsatos, vt Creuselbirn Masfocomi, Pira Raparum [fortè à figura] Rubbirn, & alia quæ nondum à nobis descripta sunt: item Schilbirn/ Geiglesbirn/ Grammen oder ärschbirn/ flugbirn/ weißöferlingbirn/ &c.

Creuselbirn. Rubbirn.

In Burgundicis oris ferè hæc habentur, de quibus omnibus accersitos surculos etiam in hortum Montb. Ill. E. C. inseri curauimus, vt constet posteritati, potissimùm Montbelgardicæ, de nostra diligentia & iuuandi studio. Nomina sunt hæc. Pira nigra, *poires noires*. Pira dicta *de Rousel*, optima cocta. 3. Pira S. Laurentii. 4. Pira Augusti mensis, *poires d'Aoust*, ex Barmont arce Burgundica. 5. Pira Saccharina viridia: *poires verdes succrées*: ex Barmont. 6. Pira poma, *poires pommes*: ex Barmont: fortè eadem cum Pomi-Piris. 7. Pira magna dicta *d'arbe*: ex Barmont. 8. Alia magna dicta, *poires magnets*: ex Barmont. 9. Pira hortensia, *poires de courtil*, ex Grange, arce Exc. Celsitud. VVirtemb. 10. Pira operaria, *poires ouurieres*: ex Grange. 11. Pira Charie: ex Gr. 12. *poires de Gramont*: ex Gr. 13. Pira Germanica, *poires d'Allemagne*. 14. Pira Campanæ similia, *poires comme cloche*. 15. Pira campanacea alia, *poires de cloche*, vtraque ex Gr. fortè alterutrum horum est id quod paulò ante descriptum. 16. Pira dicta *poires de parement*, quasi apparentiæ dicas ex Gr. 17. Pira strangulatoria, *poires d'angoisse*, fortè eadem cum antea descriptis. 18. Pira domini, *poires Monsieur*: ex Clareuallæ oppido Exc. Celsitud. delata ex *Tarantaise*, & alia multa aliunde illata, præter suprà descripta. Faxit Deus Opt. Max. vt posteritas admirandis istis illius operibus aliquando cum gratiarum actione fruatur.

Pira Burgundica varij generis in hortum translata.

Sed satis iam satis Pirorum ostentationi indultum, nec tamen omnia dicta: Ecquis enim possit in

Cur' authores longiores in Pirorum enumeratione?

in tanta nominum insitionúmque confusione? Hoc tantùm volumus, vt Germaniæ opulentiam cum Italiæ, Galliæ (quas & ipsi aliquando suis passi in locis vidimus, & gustauimus) atque Angliæ Gazis cōferremus, & curiosis ingeniis, quibus angul illustrium harum nationum hodie perstrepunt, etiam hac in re satisfiat. Nunc ad reliqua pergamus.

Locus & Tempus. Pirorum in genere.

Satiua Pirus authore Theophrast. paucáadmodum in locis calidis, vt in Aegypto, & vitiata ob temperamenti contrarietatem. Eadem in plano melior prouenit tam materie, quàm fructu. Loca specialia ex supradictis satis patent. In genere omnes lætum solum amant. Gaudet iis Italia. Nihil frequentius Germaniæ, Galliæ, & præsertim Septentrioniis plagis, Belgio, Northmanniæ, Angliæ, vbi *Cidre* & *Pere* admodum suaues potiones vini vicarias factitant, vt annotat Lobelius. Florent mensibus Aprili & Maio: Aestate & Autumno fructus maturescit. Quæ tardè floret, tardè fructificat, Pirus Trago ante Malum cum Ceraso plerumque & Pruno florem fert. Pirus etiamsi non pluat, sed fiat Austrinum cœlum, aut nubilum, amittit florem & primos fructus, si cùm defloruere tales dies fuerint, ex Theophrast. & Plinio. Item: quæ citò occidunt, velocia sunt, & tamen antecedunt diutius, vt Malus & Pirus. Mago apud Plin.

Pere. Cidre. potiones Angl.

Sationis tempus.

Pira non eodem tempore omnia seri iubet, quoniam non æquè floreant. Eadem oblonga, aut rotunda ab occasu [ab ortu Dal.] Vergiliarum ad brumam. Reliqua genere media hyeme, ab occasu Sagittæ, Subsolanum aut Septentrionem spectantia. Serendi vel inserendi tempus, & culturam habes apud Geoponicos, potissimùm apud Carol. Stephanum, qui docet quomodo inserenda vt citiùs vel tardiùs proueniant, vt fructifera reddantur, & acquirant odorem, aliáque multa præclara. Communis quidem Italiæ ratio serendis vel inserendis Piris autumnum tribuit, ita vt brumam xv. nec minùs diebus antecedant, vt tradit Plinius. Et Scaliger Pirum & Malum Autumno potiùs seri suadet, quòd hybernas impressiones meliùs tolerare valeant, quàm æstiuas. Hæcque fortè ratio cur Pirus calidis regionibus, vt Ægypto malè habeat.

Denique Pirus, vt & Malus, in montibus breuis, nodosa, spinosáque: in planis amplior, pulchrior visu, meliórque tam materie, quàm fructibus. In Calabria tamen, regione calidissima copiosam haberi Pirum vel ex Horatio discimus, vt dicetur infrà. In historiis Indicis legimus, in insula Palmæ ita proficere Pira, vt à sedecim ad triginta vncias ponderent: Eorundem etiam meminit Cardanus, sed quod genus Pirorum sit, non docent.

Pira Palmæ insula.

Vires & vsus

Dioscorid. Pirorum genera omnia adstringūt. Quare conuenienter adduntur Cataplasmatis repellentibus. Decoctum siccatorum, & ipsa cruda, aluum sistunt: ieiunos tamen esitata lædunt. Quam sententiam & Plinius confirmat. Pirorum omnium, inquit, cibus etiam valentibus onerosus, ægris quoque vini modo negatur. Decocta eadem mirè salubria & grata, præcipuè Crustumina. Quecunque verò cum melle decocta, stomachum adiuuant. Fiunt Cataplasmata è Piris, ad discutienda [leg. repellenda, ex Dioscor.] corporum vitia: & decocto eorum ad duritias vtuntur. Ipsa aduersantur Boletis atque fungis, pellúntque pondere, & pugnante succo. Quod posterius Dioscor. de Piris syluestribus scribit, (de quibus infrà) quemadmodum & hæc. Pirorum ligni

Aluus.

Decocta.

Plin. emendatur. Contra fungos.

cinis contra fungos etiamnum efficaciùs proficit. Mala, Piráque portata iumentis mirè grauia sunt, vel pauca. Remedio aiunt esse, si priùs edenda dentur aliqua, aut vtriqu ostendantur. Conduntur verò Pira, vt vuæ, totidem modis. Piris vt & Pomis, proprietas vini, similiterque in ægris medentes cauent: Hæc Plin. Idem & Plutarchus refert, & Lucianus in Asino aureo. Quod verò de iumentis ait, consideret lector, an rationi & experientiæ sit consentaneum: nisi fortè ideò molesta sint, quòd ferant id, quo frui nequeant, odórque identidem illectet, etiam ad molestiam vsque. Neque enim facilè crediderimus odorem per se iis molestum.

Ligni cinis. Pira iumentis molesta.

Galeno Pira esu stomacho grata sunt: quin & vim habent exiccandi: atqui syluestribus magis exiccandi vis inest. Quæ de Malis diximus, si omnia ad Pira & Panica transferantur, nihil nouo alio super his sermone opus erit. Nam in iis quoque alia austera tantùm, vel acerba apparent, veluti quędam acida, quædam dulcia, quædam denique ex horum mistione composita: sunt quæ nullam penitùs huiuscemodi qualitatem exuperantem habent: quo fit: vt cùm aquea sint ac hebetia, nulla roborandi vi polleant. Talis igitur omninò Pirorum vsus, qualis Malorum. At Piris, præsertimque grandibus, quæ apud nos Menatæ vocantur, aliqua alendi facultas donata est. Proinde ea secta in tenues orbiculos, siccatáque reponunt. Quibus coctis per hyemem & Ver, cùm fames est, ciborum parum nutrientium vice vescuntur. Et in libris simplicium: Piri folia, inquit, pariter ac turiones austera sunt: fructus dulcedinis quiddam obtinet aqueæ: ex quibus clara quoque temperies est, inæqualis secundum partes: Nam pars vna terrea est, alia aquea, cæterùm vtraque frigida, tum alia temperata. Proinde Pira esu stomacho grata sunt, & siti n prohibent. Illita autem desiccant, & modicè refrigerant. Nam ego iis illitis vulnus glutinasse memini.

Stomacho grata. Pirorum qualitates

Menatæ.

Folia.

Stomachus

Serapio ex Aben Mesuai. Proprietas Piri tam domestici quàm syluestris est, vt si coquatur quodcunque eorum cum fungis, emendent illorum malignitatem. Maioribus vis potior, quàm paruis, magisque nutriunt Pira quàm Cydonia. Succus Pirorum inspissatus cohibet fluxus biliosos, & ventriculum sanat, sed colicam causare solet. Remedio est, si pòst, hauriatur vinum mellis paratum cum aromatibus.

Vulnus.

Succus. Colica.

Albertus scribit Piri radicem à muliere portatam Conceptum impedire: Fructum idem posse, si iuxta, vel supra se habeat. Id etiam à nonnullis creditum, à latentibus in parturientis lecto Piris, aut illuc transportatis, partum tardari, aut difficiliorem fieri. Sed hæc fabulis, quàm experimentis sunt similiora, quibus Alberti scripta scatent. Illud verò similius, quod alicubi Plinius ait: iis qui buprestim hauserint, prodesse Pirorum genus omne comedisse.

Radix. Conceptus.

Partus.

Albertus notatur.

Sunt, inquit Curtius, qui absolutè, primo ordine refrigerare Pira dicant, & secundo desiccare: alii verò matura calefacere, humectare & mouere. Quod sanè intelligendum erit ex saporum vi, ac natura, vt dulciora calefaciant. Quæ autem inter dulcorem & aciditatem naturæ sunt compositæ, parum caliditatis & siccitatis habent, vt omnium denique vires ex saporum generibus metiri sit. Ante cibum verò sumpta, ventrem sistunt, maximè cruda. Grana, quæ in illis sunt, peculiari quadam proprietate pulmonis vitiis medentur, sed renibus officiunt.

Vires Pirorum ex sapore metiēdas esse.

Inter Pira, vt Celso placet, potissimùm fragilia conferunt Stomacho, qualia sunt Crustumina, vel Meuiana, & Tarentina & Signina. Sitim reprimunt. Quæ Pira, qui nobis desunt, substituemus alia, eadem dote donata. Pirorum succus atque dilutum sitim sedat. Eorum folia & rami pariter austera sunt. Nam arboris partes omnes, non eiusdem temperiei sunt, vt aliæ terrestres, aliæ verò aqueæ, vtræque mirè frigidæ.

Succus. Folia & rami.

Matthiolo Pira acerba terreæ sunt naturæ, acida frigidæ & aqueæ: dulcia medio modo se habent. Moschatellina aliaque odorata, ad modicam caliditatem inclinant, parùmque admodum adstringunt. Quæcunque autem dulcia non sunt, adstringunt & obstruunt: & syluestria quidem magis sattuis: acida & acerba dulcibus: siccata recentibus. Ventriculo vtilia sunt Pira, si postrema in pastu comedantur. Cocta crudis præstant. Cordi robur addunt: sitim extinguunt. Ad ventriculum imbecillum vomitionibus obnoxium fit Electuarium ex Piris quibusdam, illi simile, quod ex cydoniis conficitur, de quo satis multa diximus in capite de Cydoniis. Vulnera conglutinant, syluestria potissimùm, & cocta. Ex foliis Piri vel Pirastri insessus apparantur ad vteri & ani procidentiam vtiles. Dysentericis & cœliacis in cibo conueniunt. Arida ac resiccata Pira, siue cocta siue cruda edantur, ventris fluxus sedant, & sanguinis quoque fluores sistunt: ad muliebria profluuia accommodari possunt, dulcia & vnctuosi saporis plùs quàm cætera nutriunt: aquosa exigui sunt alimenti, parcè etiam alunt acerba & austera, velut & acidiora. Crudis semper cocta vtiliora, & ad corporis nutritionem meliora. Quædam verò & adeò acerba & austera sunt vt non nisi cocta edi queant. Horum autem & nonnullis tam copiosa humiditas, vt super prunas, vel sub ipsis coqui expediat. Alimentum denique Pira omnia amplius & copiosius, quàm Mala siue Poma conferunt, sed hoc ipsum frigidum quidem ac reprobum: ex Dodonæo.

Moschatellina. Syluestria. Ventriculus. Cor. Vomitus. Vulnera. Vteri procid. Dysent. Cœliaci. Sang. fluxus.

Piri flores, inquit Porta Neap. frigidæ sunt & humidæ naturæ, quia albi: quod si verum, ex iis aqua destillari potest, conueniens ad effectus à causis contrariis. Idem scribit Pira quemadmodum & Cydonia, quia Cordis figuram exprimunt, mirificè auxiliari affectibus cordis, quæ verò flaua sint, aut coloris crocei, qualia ferè sunt verna, bilem generare, ob coloris signaturam, ex qua rerum causas atque vires dependere novus ille Philosophus opinatur, de qua re nunc non est disputandi locus.

Flores. Cor. Bilis.

Cæterùm errant Medici cùm Pyra febricitantibus vtilia iudicant. Febres námque omnes putridæ ex obstructione ortum ducentes, adstrictionem habentia Pyra, Aug. Ferrar. teste, recusant.

Suprà dictum, ex Serapione Pira cruda cholicam causare solere, atq; hoc euenire videtur propter flatus, quos ingenerant: ideò consultum, vt iis haustus meri superbibatur, quòd flatus dissipet, & Pirorum frigiditatem emendet. Huc spectat antiquum illud Dystichon:

Fert Pira nostra Pirus, sine vino sunt Pira virus:
Si Pira sunt virus, sit maledicta Pirus.

Pinguedinem quandam corpori, præsertim odorata atque cocta conciliare, sunt qui scribant.

Sapa è Piris.

Nostri sub cineribus coctis & decorticatis, aliquid fœniculi inspergunt, vt sic cœnas claudant. Iidem quoque ex maturis, siue deciduis siue collectis: sed benè mundis succum exprimunt, & ad sapæ consistentiam decoquunt, quæ etiam stomacho ad suprà scriptos vsus fit gratior, si aliquid coriandri aut fœniculi addas. Possunt & condiri, vt Cydonia, in segmenta concisa & Electuaria ex succo parari, haud secus ac de Cydoniis dictum, cuiusmodi perelegans industrium Pharmacopœum parasse suprà retulimus.

Elect. è Piris.

Veteres & vinum è Piris parabant, quod à Græca Pirorum denominatione, Apites vocatur, & Latinè Piratium. Palladius sic. Contusa in sacco rarissimo, ponderibus vel prælis comprimuntur. In hyemem durat, sed prima æstate acescit. Acerbum est, stomacho tamen accommodatum, intestinasque destillationes compescit. Multis etiamnum hodie locis, in primis verò in Vasconia, Anglia, Northmannia, ex Piris selectis potum confici Cidre & Pere illis nominatum sapore suaui, quem vini loco bibere iam antea retulimus, & Camerarius in scripta retulit.

Apytes Piratium. Cidre & Pere.

Fiebat olim & acetum è Piris austeri saporis, vel syluestribus. Matura in cumulo per triduum asseruantur, deinde in vasculum mittuntur, cui pluuialis, fontanáve aqua infunditur. Apertum vas per triginta dies relinquito, deinde quantum ad vsum sublatum fuerit, tantum ad copiam aquæ reddito. Vides quàm ad rem attenti fuerint Veteres; nos ista hodie omittimus, nec aliud sapit nobis, quàm quod à vino.

Acetum è Piris.

E Piris quoque, vt refert Hermolaus, antiquitùs liquamen ad fœminarum ieiunia, quod Castimoniale dicebatur, fieri solitum, hac ratione: Pira maturissima cum sale integra calcantur, & vbi carnes resolutæ fuerint, in capulis vel vasculis picatis conduntur. Post mensem verò tertium ea suspensa liquamen fundunt, non iniucundi saporis, & albi coloris. Tradunt & Nigellam, cùm saliuntur, addi solitam. Quæ verò possit esse saporis suauitas talis cum Piro? fatemur nullâ cupediâ eius hactenus palatus nostros illectos.

Liquamen Castimoniale.

Aliud præsidium, & in contrarios planè vsus, nempe ad sedandam immensam famem, qua aliquot millia hominum miserè perierunt, quæsiuerunt in obsidione sua, Lugdunenses Batavi ex foliis Pirorum aliisque, quæ variè præparabant, vt refert Stratius in Historia tumultuum Belgicorum.

Cibus è foliis Piri.

In conuiuiis Græcorum Pira secundis mensibus inferebantur, aqua mersa, vt mitissima quæque legi possent. Quin & Calabri, qui (vt scribit Curtius) Piris abundant, Pira hospitibus apponere consueuerant, deinde saturos, bellariorum vice, domum auferre iubebant. Quod si recusassent, eadem porcis obiiciebant, vnde Horatius in Epistolis:

Mos Græcorum & Calabrorũ.

Non quo more Piris vesci Calaber iubet hospes,
Tu me fecisti locupletem, vescere sodes.
Iam satis est, at tu quantum vis tolle benigne:
Non inuisa feres pueris munuscula paruis.
Tam teneor dono, quàm si dimittar onustus.

Seruari Pira Democritus affirmat, quæ illitis pice surculis suspendantur. Alii in sapa, vel passo, vel dulci vino, vel musto mersa custodiunt cadis plenis. Plurimi inter scrobem obruta seruarunt. Alii siccatis frondibus Iuglandis inuoluta recondunt. Alii in vrceis fictilibus in vino vel musto demergunt, & operculato vase reponunt. Alii vinaceis discreta, ne se contingant, obruunt. Pira seruantur in fictilibus picatis inuersis obruta inter scrobes. Alii Piris singula vasa fictilia assignant, & opercula eorum picata, dolio iterum includunt. Aliqui arena in scrobe subiecta ita sicca operiunt, mox terra. Alij in floccis, capsis condunt, quas luto paleato illeuerint. Plurimi Pira inter paleas aut frumenta obruta seruarunt, qua ferè ratione hodie

Pira seruandi rationes variæ.

Digitized by Google

hodie à nostris seruari solent in cella vinaria, vel conclaui fornicato reposita. Diutiùs adseruabis, si mutuò sibi non incumbant, ac se ne contingant quidem. Adhuc diutiùs si ex filo suspensa pendeant. Alii statim lecta cùm tenacibus suis picatis vrceis condiderunt, & oribus vasculorum gypso vel pice clausis, ipsa sub dio obruta sabulone tegunt, quem modum hodie quidam pro secreto habent. Alii Pira quæ se non contingerent in melle seruarunt. Aliqui aquam salsam cùm cœperit vndare calfacta, despumant: & ei pòst iam frigidæ Pira seruanda demergunt: tunc exempta post tempus exiguum condunt vrceo, & eius sito ore custodiunt: vel diu noctúque in frigida salsa manere patiuntur, pòst in aqua pura biduo macerant, deinde sapa vel passo, vel dulci vino mersa seruant. Sed Pira quæ huic negotio destinantur, à cadiuis diligenter electa integra debent esse, placido die, crescente luna, manu decerpta, vegeto Solis calore. Dura tunc & aliquantùm viridia vase claudantur, quod tegatur operculo: & inclinato deorsum ore, breui obruatur scrobe, loco iuxta quem perennis aqua defluit. Item quæ dura sunt in carne & cute priùs in aceruo posita, vbi se mollire cœperunt, in fictile picatum ponuntur, & operculo superueniente gypso linuntur: vas breui scrobe demergitur, loco qui quotidie Sole tangatur. Ex Plinio. Nostri isto conseruationis apparatu non egent, sed serotina & hyemalia dicta, iam dicta ratione facilè adseruant, ita vt quouis ferè anni tempore haberi possint & soleant integra. At vel integra vel in segmenta concisa & granis purgata Sole siccantur: vel si non sufficiat, in furno, postquam exempti fuerint panes, deinde laceis aut cadis excepta in sicco loco, ne fiant mucida, in annos etiam adseruant, non sine compendio œconomico.

Pira condiendi modus.

Legendi tempus.

Pira verò vel ante Columellæ tempora condire consuetum erat, vt ex eo patet sic scribente: Pira cùm immatura, non tamen percruda legeris, diligenter inspicito, vt sint integra, sine vitio aut vermiculo, tum in fictili picata fidelia componito, & aut passo, aut defruto completo, ita vt omne pomum submersum sit, operculo deinde imposito gypsato.

Pira condita Veterum.

Illud in totum præcipiendum existimaui, nullum esse pomi genus, quod non possit melle seruari. Itaque cùm sit hæc res salutaris ægrotantibus, censeo vel pauca poma Piraque in melle custodiri, sed separato generatim: nam si commisceas, alterum ab altero genere corrumpitur.

Qui plura de hac re, quemadmodum & de Piri cultu, in genere, & in specie volet, Consulat Columellam, Constantinum, Palladium, Petrum de Crescent. Conradum Herespach, & Carol. Stephanum, & Colerum in suo Diario œconomico. Vnicum illud Grataroli quondam Medici Basiliensis haud ignobilis, experimentum addamus. Si, inquit, suspicio est ne vinum aqua dilutum sit, Pirum in vino impositum indicabit: nam si supernatauerit, merum est vinum, si fundum petat, mixtum aqua est.

Vinum aqua mixtum vt dignoscas.

Memorabile est & illud, quod est apud Suet. de Claudio Cæs. Drusium filium Pópeij impuberem amisisse Piro per lusum in sublime iacto, & hiatu oris excepto strangulatum. Nec prætereundum & illud quod de Vulpe traditur, eum Pirum, nisi carneus cibus defuerit, non edere, atque illud difficulter, & non nisi in fame. Vnde apud Plautum à Tranione dictum, idque adagialiter in Mostellaria.

A Piro strangulatus Drusus.

Tàm facilè vinces, quàm Pirum vulpes comest.

In eos enim dicitur, qui rem perdifficilem aggrediuntur, vt annotat Curtius.

DE PIRASTRO SEV PIRO SYLVESTRI.

Pirus Syluestris minùs procera ferè est arbor, quàm satiua: verùm surculosa admodum & ramorum extremis spinosis, caudice rimoso, & hiulco cortice, materie rutila, & quàm satiuæ duriore, ideóque discos & tabellas ex ea conficiunt, quoniam vt in molli retunditur, ita in duro ferrũ acuitur, vt scribit Theophrastus. Primùm emergunt flores, instar vmbellæ, ex eodem surculo multi, lanuginosis pediculis insidentes, quinque foliolis constantes, albis, rotundis, cochlearis modo concauis, inter quorum singula intercedit subiecti hirsuti vmbilici radius, in viridi canescens: apices in medio multi, purpurei. Folia florente arbore subtùs & in ambitu canâ lanugine obsita, foliorum Cotonei instar, supernè virentia, splendida: aliàs vtrinque glabra, lucida, subrotunda, crassiuscula. Fructus non vniformes, sed aliàs rotundi & modicè compressi, aliàs ex rotundo leuiter turbinati & longiusculi, austeri & acerbi valdè, nec edules, donec fracescant, quod ferè fit Octobri, semen intus continentes Pomorum seminibus simillimum. Extima alioqui facie Piri speciem facilè representat. Verùm à radice statim numerosos emittit stolones valdè spinosos, cortice rubicundo vestitos: Copia & rigiditate spinarum facilè discernuntur à stolonibus Malorum syluestrium.

Descriptio

Flores.

Folia.

Fructus.

Theophrasto Piraster, quam Achrada vocat, aculeos fert in ramis: faciliùs germinat, quàm satiua: cùm enim pluribus minutioribúsque internodiis diuidatur, principia illa germinandi agiliora, propensioráque ad germen, opera cœli ambientis redduntur. Nec non & siccitas nonnihil cõferre videtur: sic n. minùs humoris relinquitur. Quod autem minùs est humidũ, ad motum promptius: quapropter & germinatio syluestrium citior: quemadmodum satiuarum melior. Pirastro longior vita, quàm Piro. Tardę admodum maturitatis est: priùs amittit folia, quàm fructum percoquat.

Achras.

Resistit frigori propter densitatem. Domesticâ ex semine satâ, vitiatum oritur Pirastrum. Pirastrum autem Pirus fieri non potest. Cui postremæ sententiæ contradicere videtur Scaliger, qui scribit Pirum syluestrem è syluis in hortos aut viridaria cultu mitescere. Theophrasto subscribit Ruellius, Pirastrum, inquiens, Pirum fieri prorsus recusare. Scaligero verò Porta Neapolitanus: Pirus, inquit, feris translata locis adhibito cultu deponit agrestem illum habitum simul cum aculeis, quos adulta tulisset, simúlque & laxatur illa densitas, quæ verba ex Scaligero transcripsit: nec tamen omnia: nam addit Scal. quæ videtur in eius popularibus, vnde transportata fuit, ad naturam meliorem. Porrò Pirastrum mitescere duobus modis intelligi potest: vel insitione satiuæ in syluestrem, qua ratione ex syluestri mitem fieri apud hortulanos translatitium est: vel ex ipsamet arbore culta: absq; insitione alterius. quod voluisse videtur Scaliger, de qua re ampliùs cogitandum.

An Piraster mitescat.

Pirus sylucstris seu Piraster, ἀχρὰς Aristoteli,

Nomina & Synonyma

Theophrasto & plerisque Græcis. Etsi verò Dioscoridi ἀχρὰς species est ἀχρὶν vel ἀχράς ἀπίου, tamen Theophrastus multis in locis simpliciter Pirastrum Achradam appellat. Cordus quoque Achradis vocabulo quemcunque Pirastrum significari censet: sunt enim diuersæ eius differentiæ. Et tam Pirus arbor, quàm fructus ἀχρὰς est Cornario. Dicitur & ἀχράδ@-, vt scribit Curtius: & Colum. aspera syluis Achrados, cuius etiam meminit Aristophanes. Quid autem Achyrades Æliano, quas in cibo primùm Tirynthios habuisse memorat, nondum compertum, [inquit Hermol.] Nisi quis non Achyradas sed Achradas, hoc est, Pira syluestria in eo legat. Nam, idem author inquit: ante Panis vsum Argiuos esitasse Pira, vt Athenienses Ficos: Glandem Arcades: Indi Arundinem: Carmani Palmulas: Milium Sarmatę: Terebinthum Nasturtiúmque Persæ. Achyra certè paleam significat: nec video quàm sit verisimile paleis quemquam vesci potuisse, quasi veterinum, etiamsi Arcadas radicibus herbarum & arborum foliis recentibus ante glandis Fagineæ vsum à Pelago traditum, victitasse creditur. Idem Herm. Achudon Pirum syluaticam, Achrada dicit, & apud quosdam, vt & apud se vrbana fertiliorem prædicari. Nicandro ὄχνη, vt citat H. Iun. quo nomine putatur vsus fuisse Virgilius in 3. Aeneid.

ἀχρὰς. *ἀχράδ@-.* *Achyrades.* *Coniectura in Aelianum.* *Achudon.* *ὄχνη.*

Ogna. *Victum infelicem baccas lapidosáque corna.*

Α᾿χρὰς Theocr. Schol. quomodo in ὄχνη pro syluestri Piro accipitur, apud eundem & apud Poëtas quosdam alios, atque adeò apud ipsum quoque Theophrastum, vt iam suprà dictum. Had. Iun. in suo Nomenclatore mutato ρ in λ scribit dici. [nisi sit mendum scripturæ, nam ita scriptum apud nullum alium inuenimus: dixerat tamen idem iam prius ἀχρὰς, vt hac ratione ipsum legisse haud vana sit coniectura] Aliis ὄγχνη. Ita ὄγχναι, ἀχράδες ἄκανθα, in Epigram. Græcorum. Vtraque vox ἀπὸ τοῦ ἄγχειν, vt idem Theocr. annotat, hoc est, à suffocando. Vnde fortè nostrum Angst, & Latinorum *angustia*, qualis euenit iis, qui Pira syluestria comedunt & strangulatoria. Goropius diceret vtramque vocem tractam à Germanico. Sic Thrasybulus cùm deberet sententiam de re consulta suam dicere, à Lacedæmoniorum legatis munere corruptus, simulauit se Pira syluestria comedisse, & præ angustia oris non posse loqui, vt refert Zvvingerus in suo Theatro.

Thrasybuli astutia.

Nomina linguar. Germ. **Ein wilder birnbaum, wildebirn/holtzbirn/** & **kâwbirn** Lonicero. **Feldbirn** Silesiæ. Belg. **wildepeereboom/wildepeeren.** Gall. *Poirier bastard, ou sauuage.* Ital. *pero seluaticò.* Hisp. *Guadapero, ò Peruetano.* Angl. **wild peare tree. Choake pere tree/wory peare tree.**

Differentiæ Ex Diosc. verbis facilè est colligere ipsum plures Piri syluestris species agnouisse, quando ei ἀχρὰς species tantùm ἀχρὶν est. Trago Pira syluestria varii generis sunt, inter quæ minutissima quæ dura & lapidosa sunt. Germ. **Geißbonen.**

Tab. Pira sylu. trium generum facit. 1. Pira syluestria simpliciter, **holtzbirn.** 2. Pira sylu. maiora, **groß holtzbirn.** 3. Pira sylu. minima, **kleinholtzbirlein/Geißbonen.**

Gerardus Anglus ita distinguit. 1. Pirum strangulatorium minus, **the small choke peare.** 2. Pirus sylu. **the wildehedge peare tree.** 3. Pirus sylu. minima, **the wilde crab peare tree.** Cur autem tres figuras Pirorum satiuorum Tabernæmontani posuerit inter syluestres, & sex faciat, non indicata vel differentia, vel causa, ipsi excusandum relinquimus.

Gerardus pr.

In Silesia quoq; duo genera obseruata Schvveckfeldio, maiora & minora. Apud nos Monbelgardi in syluis aliquot differentiæ obseruantur, potissimùm in fructibus conspicuæ, maiores, mediæ, paruæ, rotundæ, turbinatæ: pediculo longo & breuiori: sapore etiam differunt, quidam acerbiores, quidam magis edules.

Locus & tempus. Passim occurrunt in Germania, & locis circumiacentibus, præsertim in syluis, sepibus, & ad aruorum margines. Item in montosis. Neque his caret Gallia & Italia. Quin & in regione Græciæ Apia dicta nasci Achrades, vnde & Apii vocentur, Scaliger scribit. Et ex Theophrasto, Pirum sylu. in calidis malè haberi, vt in Ægypto, vbi etiam mites Piri & Mali nihilo meliùs. Nullam prorsus syluestrem ibi in Pirorum genere, quòd germen nequeant emittere: mitem autem raram. In Heluetiæ montosis & asperis frequentes admodum sunt. Vix ante Octobrem fructum perficiunt. Florent cum cæteris, & plerumque etiam ante. Diosc. & Plin. tardissimè eius fructum maturescere scribunt.

Vires & vsus. Pirus syluestris authore Theophrasto natura est terrena, acerba, solida. Dioscor. Achras syluestris, vim Piro satiuâ adstringentiorem habet, & ad eadem conducit. Adstringunt & folia eius. Ligni verò ipsorum cinis efficacissimè his auxiliatur, quos fungi strangulant. Aiunt Fungos, si syluestria Pira cum eis coquantur, innoxios fieri. Pirum syluestre, inquit Plin. conciditur, suspensúmque siccatur ad sistendam aluum, quod & decoctum eius potum præstat. Decoquuntur & folia cum pomo ad eosdem vsus. Galeno quoque Pira syluestria magis, quàm reliqua adstringunt & deficcant: & proinde sanè maiora vulnera glutinant, fluxúsque repellunt. Folia Piri syluestris, æquè ac domestici, ad vuluæ procidentias, aliáque mala vtilia sunt, notante Trago. Piraster, teste Curtio, easdem cum Piro satiua vires habet, verùm longè efficaciores. Fungi quoque innocentiores tutioréſque fient, si in Pirastri vel fructu vel folio cocti fuerint. Prosunt etiam contra eosdem Pira confestim sumpta, nec non etiam lixiuia ex cinere eius arboris facta, & cum sale, posca, vel nitro epota.

Folia. *Ligni cinis.* *Alui fluxus.* *Vuluæ procid.* *Ad fungos.*

Sed eruditis atque in arte versatis hoc loco considerandum relinquimus, an tutus sit vsus Pirorum sylu. cum Fungis, vt non noceant, vel vt nocumentum tollant. Nam quis credat ab iis venenatam qualitatem in Fungis malignis retundi? Imò censemus Pira eorúmve folia, etiam cum salubribus fungis prorsus inutilia. Quippe Fungi cuiuscunque tandem generis sint, quò citiùs à natura deiiciuntur & extra corpus pelluntur, eò salubriùs, quum ventriculum grauent, aut lancinent vexéntve, ac vt Diosc. ait, ἀποπνίγειν πάντας πνεύματα ὥσπερ ἀγχόνη, omnes spiritus via quasi laqueo interclusa præfocant. At Pira & eorum folia, potissimùm syluestrium, cùm polleant adstrictione non parua, ac certè ne modica quidem, sed magna, superius ventriculi os coarctant, quominus per vomitum reiici queant, similiter & aluum constringendo eorundem expulsionem difficiliorem reddunt, contra Aph. Hippoc. Quò natura vergit, eò ducere oportet. Atqui natura in iis, qui assumpserunt venenatos Fungos, vel etiam non venenatos copiosiùs, conatur eos per vomitum vel aluum reiicere. Enimuerò sanè si aliquis Pirorum syluestrium eorúmve foliorum ad assumptos fungos vsus esse possit: hunc potissimùm esse putamus in iis, qui fortè ab eorum esu in ἀποπνίγειν inciderint. Vomitum tamen præferimus: quem ipse quoque Diosc præscribit, dicens: Confestim succur-

Pira sylu. ad fungos nihil conferre contra quosdam opinionem.

succurrendum oleo citatâ vomitione. Mirificè etiam iuuare lixinia sarmentitia, aut è Pirastri ligno parata. Vnde miramur Matth. in hæc verba prorumpere ausum : postquàm tantam cum palato fungi gratiam iniere, vt ab his abstinere homines non possint, saltem discant velim, vt seipsos à morte vindicent, Fungos nunquam esse sumendos, nisi priùs cum syluestr. Piris decocti fuerint. Quòd si syluestria desiderentur, ex domesticis ea supplere posse, quæ cæteris austeriora habentur. Hæc ille. Qua verò ratione, quàve temeritate hoc dicat, iudicent docti. Nos tutiora certioráque sectamur. Ad dignoscendum autem, an mustum aquam habeat, Pirum syluestr. in hoc coniciunt quod si aquam habuerit, in profundum demergitur, quod antea de Piro domestico ex gratorolo diximus. Res in vtroque experimēto est facilis. Aqua stillatitia è Piris syluestribus, sæpè bibita facit ad fluorem immodicum hæmorrhoidum: Camer. E succo in dysenteria vtilissimam credit Gesn. Fit & Potionis genus ex Piris Syluestribus additis etiam Malis & prunis syluestribus, omnibus contusis, per se expressis, aut affusa aqua, musto similem potum parant rustici in Hassia, autore Cordo. Nec in Hassia modò, sed & alibi locorum parari solet, quemadmodum & hoc. Prædicta contusa, additis etiam granis Berberis in doliolum coniciunt, aquam affundunt, vt bulliat. Tum vini loco bibunt, præsertim pauperes. Sed iis, qui ad Colicum dolorem procliues sunt minùs conducit eiusmodi potus. Præstat vinum Gallicum, Burgundicum vel Rhenanum. Nostri etiam ex Syluestri Piro sapam faciunt, cuius vsus varius ad condiendum, loco mellis & Sacchari.

Matth. not. *Matth. temerarium edictum.* *ad Hæmorrhoides.* *Potio è Pirastris.*

PIRVS POLVVILLERIANA.

Descriptio.



Piri genus pulcherrimum, & rarissimum habent Generosi D. Barones à Pollvviller, quod Betzbirle vocant, cuius arbor est procera, vt Piri magne, ramis ad cœlum surrectis cortice ceu cæterarum Pirorum vestitis. Folia Pirorum foliis dissimilia, inter Piri & Mali media, ad Mali tamen magis accedentia, vel potiùs Sorbi Alpinæ, sed minora, oblonga, infrà incana densáque lanugine pubescentia, suprà quóque pilosa, sed minùs multò, atrouirentia, splendida, serrata. Flores è surculis, vt in Sorbo Alpina, crassis, multi simul iuncti, ad 40. vsque interdum, vmbellam æmulantes, odore satis iucundo, ex pediculis, partim longis, quadrantalibus, ex oculis prodeuntibus, partim breuibus, vncialibus, semuncialibus, ex longioribus exortis. Flores singuli quinis constant foliis, vt in Piro, sed minoribus, nec ita candidis, ad luteum inclinantibus: apices, vt in Piris, rubentes. Fructus sunt Pirorum formâ, sic vt non immeritò Pira dici possint: parui vt Pira moschatella, nec maiores, nonnunquam etiam minores extremo pollicis articulo, si ad vnguem resecetur, externè rubētes, interdum punctulis albis notati, internè lutei: in quibus semina eadem quæ Piris, iucundi saporis. Vbi matura sunt, facilè decidunt agitatâ arbore. Aliquandiu à collectione asseruantur, deinde, vt cætera pleraque Pira, fracescunt. Arbores has vidimus primùm Pollvillæ in Alsatia, dein etiam VVatuillæ in horto D. à Fachslander: præterea Massocouii in horto Baronum à Polluiller, vbi inserta etiam fuit Piris syluestribus, nec hanc alibi notam comperimus, licèt quamplurimis demonstratam. Inde accepimus dono surculos, quos Montb. in horto Principis inserendos curauimus, & iam aliquot arbusculas habemus, quæ tamen nondum floruere. Floret Aprilis fine & ad Maii medium vsque. Anno 1599. Ex inopinato vetusta & elata eiusmodi Pira protulit in horto E. C. VVirt. prædicto, quæ matura Iunio. Magna ei similitudo cum Sorbo alpina, ex qua fortè per insitionem eius origo.

Folia. *Flores.* *Fructus.* *Semina.* *Locus.* *Tempus.*

PIRVM LANVGINE SALSA THEOPH.

Meminit Theophrast. Piri cuiusdam generis in Caria nascentis, quod lanugine tàm salsa obductum dicit, [χνοῦν ἁλμυρὸν ...vocat,] vt nisi aqua ablutum & abstersum, edi non possit. Piro autem extra insidet hæc lanugo: non verò intus nascitur: (quod & in siliquis quibusdam fieri Ruell. ait, quæ salsæ superficie tenus appareant, & sint.) alioqui ne post ablutionem quidem edulia futura.

Descriptio.

DE SORBO.

CAP. V.

Descriptio.



Sorbus procera est arbor & ramosa, cortice rugoso, vel vt ait Matthiol. scabriusculo, colore ex flauo albicante, radice rara, crassa, solida atque descendente, materie rubente, solidissima atque compacta. Folia pinnata pediculo vnciali, septena, aut nouena, foliorum vncialium, angustorum, in ambitu serratorum, costa per longitudinem decurrente, hirsutorum, supina parte virescentium, prona canescentium, coniugatione, imparique vno reliquis consimili alam claudente, omnibus ad costam incanam villosamque alligatis constantia, facie quodammodo Rhois, sapore acerbo. Flores eidem surculo cum foliis

Folia. *Flores.*

Digitized by Google

insidentex pediculis vncialibus & sextantalibus, simul multi iuncti, quasi in vmbellæ formam, albi-

Fructus. di. Fructus Pirum moschatellinum paruum æquat, turbinatus, vmbilicatus, magis minúsve rubens, prout Solem sensit, Scal. rubiginosum dicit, carne flauescente & ante maturitatem adeò austero succo, vt strangulet [teste Cæsalp.] colore in rutilum transeunte, at vbi veluti fermentatione quadam emollita fuerit, [vix mutato interim colore, quod tamen in Piris fit] dulci satis & vesca non sine adstrictione. Semina Piri sunt compressa latiora, medullâ albâ, eiusdem saporis, folliculis membraneis inclusa, tria numerauimus.

Icon. Figuram optassemus aptiorem, sed iam coempta erat cum Fuchsianis.

Theoph. descriptio. Theophrasto Sorbi arbor procera est, recta, concinna coma, ouata: quippe quæ magna ex parte nucis Pineæ figuram referat, nisi quòd impe-

Materies. diat vertice suo caput. Materies solida, spissa, colorata, valida. Radices haud multas, nec altè descendentes habet, validas tamen, crassas & incorruptas. Nascitur radice, auulsione, semine.

Folia. Folia Lauri tenuifoliæ figuram imitantur, sed ambitu serrata, sed non multùm, nec in extremum tam acutè mucronata, verùm rotundiùs orbiculata: prolixo, neruosóque pediculo dependent, singuláque in versum condita, alæ modo, tanquam ex omnibus vnum sit, ad neruosum vsque pediculum, velut in lacinias diuisa. Ea verò licèt densa, & à se inuicem distantia, singillatim tamen non decidunt, sed simul tota illa pinnata congeries: minor quidem & pauciorum foliorum, in recentioribus, quæ per summa sunt: Omnibus in extremo pediculi folium est impar, ita vt cun-

Flos. cta dispari numero absoluat. Flos candidus, par-

Fructus. Vermes. uus, racematim è pediculo dependens. Fructus quoque, cùm copiosus eius prouentus, velut in racemum coit, quòd plures Sorbi ex eodem pendeant petiolo, vt faui quodammodo effigiem imitentur. Fructus immaturus adhuc à vermibus eroditur, & magis quàm Mespila, Pira, & Pirastri fructus, quamuis sit omnium acerbissimus. (Hæc

Theoph. restit. verior est Theophr. lectio.) Ipsa quoque arbor vermibus infestatur, atque ita senescens arescit. Vermis ei peculiaris est, rufus, pilosus, (de quo specialiùs agetur in opere de insectis &c.) Noua mediocriter fructificat: nam tima continuò parit. Autumno, cùm folia amiserit, germinabundum quiddam protrudit, pingue & turgidum, quasi iam parturiat germina, atque ita per hyemem durat. Caret aculeis Sorbus vt & Mespilus. Adolescentior cortice vestitur læui, subpingui, colore ex flauo albicante. Annosa verò scabro, nigroque.

Aristoph.

In montibus sunt Sorba [ὀμφάκια] sponte plurima nascentia.

Theopomp.

Matura Sorba [ὀμφάκια] Myrti baccas, edunt & plurimos fructus.

Crates,

Certè sunt tempestiua mamma, velut Malum & Sorba.

Amphis,

Vt Mora Morus fert, vides vt Robora

Sorbus. *Glandes, Cœmarúsque Sorba.*

Miramur autem Natalem de Comitib. apud Athenæum conuertisse ὀμφάκια in Sorbum.

Nomina Synonyma differentiæ. Arborem Græci ὄην & ὄαν, fructum verò ὄην & ὄα. Apud Theophrastum enim & ὄη & ὄα Sorbus est arbor, quemadmodum ὄα Sorbum, id est fructus: & ὄην καρπὸν, Sorbi Fructus. Dicitur etiam ὄον, ei-dem. Diosc. quoque ὄα Sorba nominat, quæ Hipp. & etiam Gal. ὄα. Ex quo authorum consen-

Mespila. Pollucis error. su innotescit Pollucis error, qui ὄα & μέσπιλα idem esse credidit, vt annotat Constant. Had. Iun. quoque vtramque vocem, hoc est, ὄα & ὄα pro fructu ponit, & eamet quoque pro arbore. At qui distinctè loqui malunt, iis ὄη & ὄην arbor est: ὄα verò & ὄα fructus, sicut dictum. Sic Hermol. Sorbi arborem, inquit, Græci Oen & Oen: Fructus Oa & Va vocant. Latinis tam Geoponicis, vt Catoni, Varroni, Columellæ, Palladio, quàm Herbariis Sorbus de arbore, & Sorbum de fructu. Monachi in Mesuen haud inconcinnè à sorbendo di-

Sorba vnde dicta. cta putant, quòd caro matura sorbetur. Et sanè fracidorum illa pulpa vix commodiùs, quàm sorbendo assumitur, ne simul cutim, & si quid intus, seminum aut calculosi, deglutias. Goropius verò, Sorbus, inquit, Latini nostro quoque nomine hactenus appellant. Nam Sarwyn, acidum vinum notat, è quo Sorbum. Meliùs fortè à German. Surpen, quod sorbere est, deduci possit.

Poma mortis. Guiland. ad Gesnerum in epist. Poma inquit mortis in Prouincia Peru Occidentalis, an Sorba esse ignoras? At Garcias & Acosta negant Sorba prouenire in India, quicquid dicat Rhasis. Gudura

Gudura. ex Rhasi apud Serapionem de Lacca, id est, Sorba, aut Soruas, aut Sorbe, vt Itali dicunt: ex eo-

Corma. dem Acosta. Ruell. Oe Græcis, dicta Gallis Corma vel Sorba. Idem & Tragus. Dicuntur iisdem etiam Sorbes. Sorbus domestica, Cast. Dur. & Lob. qui

Ostria Theoph. dubitat, an fortè sit Ostria Theoph. Sorbus legitima Clus. Aschritzn Austriacis. Berekinye fa. Hungar. Sorbus esculenta Camer. Sorbum ouatum, Anglic. Sorbappel Turn. qui Fructui Pirastri conferens copiosè prouenire ait in Germania superiore, vbi fructum vocant Sorbere, Sorböpffel / Spierlein: nos (addit) ab iis nomen mutuabimur, dicemúsque Sorbappel. Germanis etiam Sporöpffel / & Eschrößlein / Sporbirn / & Speierling / authore Cordo. Et Corn. Sorba Germ. nota sunt, & Malorum & Pirorum generis esse censentur, alii Sporöpffel / alii Sporbirn / quasi Mala aut Pira Sorborum. Trag. Sperwers

Mala, Pira. Tolesch Hebr. baum: fructus Sperwel / Speerling. Idem scribit Hebræis, teste Aruch Monsteri, *Tolesch* dici. Fuchs. Sporöpffel corruptam apud Germ. vocem putat pro Sorböpffel. Eius pictura turbinatum fructum exhibet, quem ait Germ. Sporbirn corrupta voce dici, pro **sorbbirn / vel saurbirn** / vt sit quasi austerum Pirum. Io. Agric. Vulgares Sorbæ quibusdam Arlesbeer. Lonic. præter prædicta nomina Germ. etiam Maltzennasen dici tradit, quasi Elephanticum seu leprosum nasum. Delphinatibus & Prouinc. *Cormiere*, Solerius. Ital. *Sorbe, Sorbo, Sorbolero*, Anguill. tamen scribit in Italia communes esse sub nomine *Sorbole*. Hisp. *Serual, Sorbas*. Lacuna distinctiùs: Sorbus *Serual* Castil. *Serua & Seruas*, Catal. *Serues*, Portug. *Sorba & Sorneiro*. Bohem. Xzerbiny. Belg. sorbenboom. Suprascriptis tam Græcis quàm Latinis reliqui ferè Herbarii omnes vtuntur.

Differentiæ Theoph. Sorborum genera duo facit Theophr. lib. 3. c. 12. Fœminam fructiferam, & marem sterilem. Cæterùm fructu differunt, quòd aliæ orbiculatum, aliæ oblongum, aliæ ouatum ferant. Sed & succo ipso differunt, quòd orbiculata magna ferè ex parte sint odoratiora, dulcioraque, ouata sæpè acida, minúsque odorata. Sunt ergo στρογγύλα, ὠοειδῆ, & ὀξυειδῆ. Idem & syluaticam agnoscit, & quę matu-

Plin. ritatem adepta, vrbanâ sit suauior, cultum verò admittere negat. Sorbis Plinio quadruplex dif-

1\. ferentia: Aliis enim rotunditas mali, aliis turbi-

natio.

natio Piri, aliis ouata species, ceu malorum aliquibus. Hæc obnoxia acori, odore & suauitate rotunda præcellunt: cæteris vini sapor. Generosissima, quibus circa pediculos tenera folia. Quartum genus Torminale appellant, remedio tantùm probabile. Matthiol. Sorba alia satiua esse tradit, alia syluestria. Satiuorum duo esse genera, marem & fœminam, Hisque differentiis plerique, qui de Sorbo aliquid tradiderunt, distinguunt. At nos præter prædictas differentias etiam alias Sorbi nomine circumferri deprehendimus: *Sorbus Aucuparia* dicta, *Sorbus torminalis*, & *Sorbus Alpina*, de quibus infrà ordine agetur. Hic tantùm de verè dictę Sorbi differentiis agimus, quamuis Plinius eidem adiecerit *Torminalem*. Lacuna duas tantùm differentias dicit, *rotunda* aliis Sapidiora, & *longa*: Matthiolus quoque orbiculata, succo odoratiore, ouata verò & Piri faciem referentia, gustu esse asperiore: Hæc maris, illa fœminæ arboris credi tradit. Nostratia Sorba (inquit Io. Bruyer.) ante maturitatem Malorum colorem repræsentant: quibus & ouata species aliquando, & aliquando turbinata: sed odor nullus. Lugdunenses nomen Sorborũ retinuerũt, Galliæ verò maxima pars Coronas appellat. Copiosissimè proueniunt in quibusdam Galliæ tractibus. Nam & eorum arboribus siluæ scatent.

Sorba nostratia. *Corona.* *Locus.*

Sorbus vt scribit Theophrast. solum frigidum amat & humectum, in quo etsi viuacior sit, & difficilè perdatur, tamen etiam in montibus nascitur. Plinio teste, aquosis montibus gaudet Sorbus, itémque frigidis. Matthiol. Sorbæ fructus in Italia vulgatissimè habentur ferè vbique locorum in campis, vineis & viridariis. Decerpuntur immatura, & in manipulos colligata suspenduntur, aut supra stramen reponuntur, donec mollescant, vt Mespila, non antè non possunt comedi propter eorum asperitatem. Gaudet Sorbus, teste Trago alsiosis montibus & lapidosâ terrâ, tractu Rheni, nec non syluis Mediomatricûm ad fluuios Saram & Blisam dictos, satis admodũ familiaris, vt vel hinc luce clarius fiat, Sorbum frigidos tractus naturâ suâ magis amare, quàm feruentia loca. In montibus Helueticis frequens occurrit, etiámque circa Tigurum vt scribit Gesnerus. Amat loca humida, montana, & frigidis proxima, & solum pinguissimum. Colitur & in hortis viridariis & vineis. Nos in horto Montbelg. plantandam curauimus allatam Horburgo, Richenuillâ & VVattuillâ. Basileam venalia important ex Alsatia, mense Octobri. In sylua Hard dicta prope Otmarsam cum fructu subcroceo obseruauimus mense Sept. Magnę conspiciuntur arbores inter VVatuillam & Polluillâ. Vidimus & Lugduni in hortis quibusdam. Non ferunt Sorba, si Plinio credimus ante trimatum, ex vllo genere. Floret mense Martio, Septembri maturat fructum, Aprili florentem vidimus Monspelii. Sapida & bona ex Lothar. delata degustauimus Nouembri Montbelgardi.

Locus & Tempus. *Repositio.*

Insitio.

Sorbus seri posset, sed Tragus insitionem magis probat. Inseritur autem, inquit, Malo Cydoniæ, Piro, Cynosbato seu spinæ albæ, & Sorbo torminali. At Gesnerus, Sorbos tradit, & Cornos in meliores arbores sui generis inseri posse, quosdam credidisse. Item in Piro, Pomo, & Cydonia: sed id nunquam verum esse, aut posse iure fieri, comprehendere potuisse. Rectiúsque, inseri posse aut debere putat in Oxyacantha (id est, spina alba) quemadmodum & Mespila. Mense Ianuar. Feb. & Martio, locis frigidis: calidis verò Octob. & Nouemb. Sorba seruntur egregiè, ita vt matura in seminario ipsa poma pangantur: autore Palladio, qui testatur se expertum multas arbores ex Pomis spontè progenitas, & in crescendo, & in ferendo extitisse felices. Colum. post mediam messem vsque ad Idus Feb. seri præcipit. At Palladius Ian. & Feb. mensibus, Idemque mése Aprili Sorba in se: & in Cydonia, spino alba, vel trunco vel cortice: de cuius insitione ita canit.

Insitionis modi.

> *Sorba suos partus meritò maioris honestant*
> *Seminis, & pulchro curua labore nitent.*
> *Hæc arbos spinæ duros mucronibus artus*
> *Exuit, ac libris mitibus arma tegit.*
> *Aureáque annexo miscere Cydonia fœtu,*
> *Gaudet, & externi dona coloris amat.*

Sorbus spinosa.

Considerandum quam arborem Palladius per Sorbum spinosam intelligat: talis enim nulla hactenus nobis obseruata, nec est, qui se vidisse prodiderit. Suspicaremur quidem Sorbum spinosam Palladii esse Mespilum nostram vulgarem, nisi hæc potiùs videretur Hypomelis eiusdem, de quo ampliùs inquirendum. Per Mespilum verò apud Palladium intelligimus Aroniam. Idem & alibi agrestibus Piris Sorba inseri posse monet.

Repositio.

Fuerunt Sorba olim in gratia, qualem his cum Armeniacis & Persicis non minimam tribuit Colum. Ideò Cato villicum iubet cibũ sibi & familiæ curare, vt Pira arida: itémque Sorba: eadem quoque in sapa sic Varro Sorba dissecta, & in Sole macerata, sicut Pira, vbicunq; posita fuerint in arido, facilè durare scribit. Lecta duriora, ac posita, vbi mitescere cœperint, fictilibus vsq; ad plenum claudantur vrceolis, gypso desuper tectis, & bipedanea scrobo loco sicco merguntur, ore peruerso, & desuper spissiùs terra calcatur. Item secta per partes siccantur in Sole & seruantur in vasculis in hybernum. Cùm voluerimus vti, aquâ feruenti macerata reuirescunt sapore iucundo. Aliqui cum pediculis suis viridia lecta suspendũt locis opacis & siccis. Alii Sorba in sapa asserunt diu posse seruari, notante Palladio. Possint & reposita atque siccata in vino ebulliri, & ad vsum conuerti.

Vt recentia fiant Sorba sicca.

Dioscor. Sorba dum luteus color est, antequã matura planè sint dissecta, & Sole siccata mandũtur, vt aluum sistant. Sed & farina ex iis molitis, si polentæ loco sumatur, aut decoctum eorum, idem præstat. Galeno Sorbus adstringentem obtinet qualitatem, sed multò imbecilliorem quàm Mespilus: proinde sanè etiam esui iucunda est, minúsque quàm Mespilus ventrem constringens. Iis parcè est vescendum non autem affluẽter. Non enim iis vt alimento, sed potiùs vt medicamento indigemus. Sistunt aluum Sorba sicca, Plinio nam recentia stomacho & aluo citæ prosunt. Vnde Martialis.

Vires & vsus. *Alui sistunt.* *Temperamentum* *Stomacho*

> *Sorba sumus, molles nimium durantia ventres:*
> *Aptiùs hæc puero, quàm tibi, Poma dabis.*

Nam (quod ad interpretationem huius Distychi faciat) solent ferè puerorum ventres esse molliores, ideò puero potiùs, quàm seni Sorba deuoranda suadet. Paladius: Fit è maturis & vinum, & acetum. Hinc Virgil.

Vinum Sorb.

> *Hic noctem ludo ducunt & pocula læti*
> *Fermento atque atque acidis imitantur Vitea Sorbis.*

Ac nobis quidem narratum bonum parari acetũ, iniectis Sorbis immaturis in vinum. Q. Serenus

quoque ad puerorum firmandam aluum Sorba commendat: cùm ob dentitionem laxior est,

Proderit & pueris, quos dentis origo fatigat
Castaneas coxisse nuces, & Sorba vetusta.

Ad firmād. dentes Sorba condita. Clem. Clement. Sorba condita confortant stomachum, excitant gustum, & frequenter compescunt fluxum & vomitum. Accipe Sorborum ferè maturorum sine cortice & ossibus lib. 4. coq. in suff. aqua, in qua bullierint Rosæ & Balaustia. Postea accipe huius pulpæ lib. 3. mellis vel sacchari lib. 1. sem. coquantur ad spissitudinem. *Elect. è Sorbis ad vomitum.* Sorba, inquit Tragus, quocunque modo præparata, medicinis aluum sistentibus adhiberi possunt. Quidam Autumno in Clibano, instar Pirorum hos fructus torrent: *Siccata.* alii in quatuor partes dissecant, quas in aëre siccandas suspendunt. Nonnulli melle condiunt. *Vt conseruanda.* Alii recentia in vino dulci cocto seu sapa conseruant. Particulæ arefactæ vel in puluerem rediguntur, aut calida aqua molliuntur, vel denique vino decoquuntur. Tusa & cum foliis suis aqua decocta, alui profluuiis, & sedi procidenti prosunt in solio aut desessionibus. *Alui profluuium. Ani procid.* Balneum paratum ex Sorbis immaturis, contusis cum foliis & in aqua coctis, compescit Dysenteriam, Tenesmum & alios consimiles morbos. *Dysent. Tenesmus.* Sorbum immaturum apprimè constipat, maturum verò, vt scribit Amatus, adeò parum, vt meritò Sorbum maturum non constringere aut constipare sit dicendum. Dod. tamen adstringentem eis tribuit facultatem, sed validiorem duris quàm mollibus. Porta ideò Sorbum adstringere vult, quòd fronde sit dura, vires ex signaturis quibusdam colligens. *Lignum.* Ipsa quoque ligni materies solidissima ac compacta: id[e]òque ad mensas parandas, lignariis Fabris perquàm libenter expetitur, quemadmodum & *Virga.* virgæ à bubulcis ad stimulos parandos, teste Matthiolo.

SORBVS AVCVPARIA.

CAP. VI.

Descriptio. Folia. ARbor est aliquantùm interdum procera, stipite recto, ramoso, quē cortex tegit spadiceus punctis notatus, cui alius subiacet luteus, putidus, amarus: [cortice fusco, inquit Histor. Lugd. qualis ferè est Alni] folia pinnatim digesta, Sorbi domesticæ maiora, quatenus obseruare licuit, eodem modo serrata, acutiora, rigida, non tomentosa, aut pilosa, vt illa, sed glabra, suprà virentia, infrà candicantia, hæc ita variè ludunt, vt aliquando existimauerimus diuersas plantas, donec in eadem arbore diuersitas nobis agnita. Sunt enim ei interdum quædam folia, nonnihil vtrinque hirsuta, & vtrinque eiusdem coloris ferè, mollia, profundiùs incisa, potissimùm in arbusculis adolescentibus, sapore amaricante. *Flores.* Flores vmbellatim cohærent multi, candidi, odori: quibus succedunt baccæ, *Baccæ.* acinis Sambuci aquaticæ pares, ex flauo miniatæ, sapore acido insuaui, in quibus semina aliquot oblonga. *Semina.* Oculi huic magni, longi, atropurpurei, quorum squammis intertexta est incana lanugo.

Sorbum aucupariam vocitauimus, quòd ad aucupia conferat, illiciendis auibus.

Nomina & Synonyma & authorum contentiæ. Ruellius, nostra, inquit, Fraxinus magna ex parte flore caret & fructu. Vidimus tamen frequenter baccas ex quadam Fraxinea arbore ex rubro nigricantes, quibus per inopiam frugum annonæ rura vescantur. Ea arbor est Fraxino aliquantùm humilior. *Ornus.* Item alibi: Ornus Gallicum nomen non inuenit, vulgò tantùm Fresnæ campestris voce cognita arbor. Lucio Columellæ Orni syluestres Fraxini sunt. Idem ait Lentiscum *Schinon* esse arborem Sorbi folio. Sed planè reiicienda opinio Ruellii. *Fresna campestr. Lentiscus Schinos.* Fresna enim eius campestris nec Ornus est, nec Fraxini species, tantòque inconsultiùs ab eo factum, quòd ei vires & vsus attribuat alterius arboris: neque placet duas ab eo descriptiones vnius plantæ propositas, quasi essent diuersæ. *Ruell. not.* Lentiscum Ruellij meritò reiecit Matth. Quæ autem Ruellio sit Lentiscus illa ignota, ignoramus, nisi sit Sorbus aucuparia, quam *Dod. not.* fortè Dodon. confundit cum Lentisco in Histor. Gallica, Lentisco tribuens folia Fraxini. Cordus Quintum Sorbi genus dicit aucuparium cognominatum, pomo gustu austero. Aucupes Germani Vogelbeer vocant, & addit: Ruellius Ornum esse credit, sed alia ab hac est Ornus. In margine: Sorbus aucuparia, Ebereſch & Quitſchel beer Stolbergæ. Et alibi: Ruellius Ornum putat: sed ad nullum aliud genus arboris, quam Sorbi meritò referri debet, acerba vi. Tra. Großer Mälbaum: An Meliæ aut Fraxini species arbor cuius meminit Ruellius: Michaël Her. Columella Lentiscum vert. Mälbaum, sed Lentiscus cum hac arbore non conuenit. Folia Sorbo maris exigua. Sol. in iudicio Sorbus-humilis Veteribus incognita, Fraxinea arbor Trago & Ruellio, ad Fraxinum non est referenda. In Sab. dicitur *Timel*, & *Timelle*. Matth. Sorbus syluestris & propriè. Dod. Hist. Gal. Fraxini secunda species. Theophr. *ἐμελία*: Gazæ Fraxinus bubula: Plin. & Colum. Ornus & Fraxinus syluest. German. Mälbaum. Belg. Banereschen & Qualſter. Idem in Hist. Lat. ad Sorb. syluestris genus refert. *Fraxinus humilior Frax. montana. Dod. not.* Et alibi & eodem opere. Ornus Lat. & non rarò sylu. Fraxinus. Plin. & Theophr. Fraxinus humilior, Ornus & *ὀρεινὴ μελία*, siue montana Fraxinus. Sed hæ Dod. opiniones minimè placent, ob rationes paulò pòst dicendas. *Sorbus prima Turnero.* Turner. Sorbus prima, Angl. Northumbris Rowne tree / vel whicken tree: Anglus meridion. Quick beame tree. Idem cap. de Orno, negat Ornum esse. Et alibi: *Sorbus aucup.* de Orno inquit controuersum est: Aliis est Sorbus aucuparia: aliis Ornus quidem est, sed non Fraxinus montana, vt Trago, qui Germ. vocat *Fagus fœtium.* Hanbüchen / vel Hagenbüch. Alii Germani, [& quidem Ioc. Detter Pharmacopœus VVirtzburgensis] referunt Ornum, Germanicè propriè appellari waldeſchen / aut wildeſchenbaum. At [inquit] meo iudicio Ornus non est Sorbus aucuparia, sed Fraxinus montana. Lonic. Meelbaum / Groſmeelbaum / Fraxino similis, sic dicta, quia folia aspersa farina aut puluere. Idem duas eius proponit figuras, vnam nomine Eſchenbaum siue Fraxini, alteram titulo Meelbaum.

Verùm

Lonic. reprehend. Verùm non benè Fraxini loco posita. Nec quicquam nos farinacei aut puluerulenti obseruauimus in Sorbo aucuparia. Rectiùs ab altera parte candicantibus foliis nomen tractum putasset, quod tamen nondum asserimus. Gesnero ornus, grosser Mälbaum / Wielásch / vt ille interpretatur, *Ornus.* Ornus aucuparia. Eidem alibi Fraxinus aucuparia qui & Sorbum aucup. Bellonii vocare solebat. *Fraxinus aucup. Sorbus sylu. Sorbus torm.* Lob. & Penæ Sorbus sylu. alpina: Gall. *Cormer Sauuage.* Cast. Dur. idem. Hist. Lugd. Sorbus Torminalis, syluestris arbor à Sequanis *Tormigne* nominatur, magna nônunquam spectatur: & addit, Plinium quartum hoc Sorborum genus constituere. Et alio loco eidem: Sorbus sylu. *H. Lugd. notatur.* Matthiol. Torminalis vera. Atque sic, ne careret multitudine, duas icones posuit unius arboris, & quidem locis diuersis? nec videmus cur veram dicat Torminalem, & Plinii quartum genus: quandoquidem Plinius eam dicit foliis penè Platani, à quo folio hæc, de qua & illa & nos agimus, multùm diuersa: vt suspicionem nobis iniiciat, ei nec Platanum nec Sorbum Torminalem probè fuisse cognitam. Clusio Sorbus aucuparia. Germ. Vogelbeer / vel Maßbeer dicta. Vngaris Voroesberkinye. Nec (id fit idem) cur Dalechamp. Tormi- *Dalech. repreh.* nalem censeat, vllam video caussam, cùm eius rubris baccis nemo vescatur, sed solis Turdis aliisque syluicolis auibus, Gallinagine præsertim expetatur. Cæsalp. Sorbus sylu. in Alpibus, baccas *Sorb. racemosa* ferens rubentes, similes Sorbo Torminali. Calceolar. Sorbus racemosa. Camer. Sorbus aucupalis: & aucuparia Thalio. Tabern. in Icon. Sorbus sylu. Wildsporbirn / Wilderspertberbaum: Et in hist. Sorbus 2. sylu. S[illegible] en. kl. Sorbus montana aucuparia. Eberesdhenbaum. In ducatu VVirtemb. & circa Boll. [illegible] ane Adelbeer: & Sperbeeren: Quidam & Stinckbeer. In Rhætia uocant Wielesche. Burgundi, *Aguillon.*

Locus & Tempus. Crescit Virgineis & opacis syluis, & in vallibus, & secus ripas torrentium, quibus maximè locis gaudet. Thalius scribit passim in Harcynia Saxonothoringica prouenire. Prouenit etiam in altissimis montibus, vt in monte Baldo quem & Fractum vocant autoribus Gesnero & Calceolario. Floret Maio & Iunio. In Silesia quoque [vt annotat Schvvenck f.] arbor notissima, montibus propria: vbi flos in Corymbis Iulio, fructus sequitur primùm viridis, deinde ruber, qui perficitur Septembri. Colitur etiam Göppingæ in horto Ill. E.C. VVirt. Iacobus Cargillus Medicus doctissimus & aliquando conuictor noster & amanuēsis, testatur in Scotia in insigniter proceras arbores adolescere: baccas venales nonnunquam in forum afferri. Prouenit etiam in montibus Alsaticis, Burgundicis, in monte *Salene*, propè Geneuam circa fontes acidos Griesbachianos, in Münchenstein propè Basileam. Nostra cura etiam plantata fuit in hortum Montb.

Vires & vsus. ad aucupia. Aucupes Germani fructu eius auibus insidiantur. Baccæ à Merulis, Turdis & eiusmodi auibus hyeme magnoperè quæruntur: nos etiam baccas eius inuenimus in ingluuie Attagenis [Haselhun vocant] & Turdi viscuorii, quem Troscheln vocāt, itémque Merulæ, quæ Bergamsel dicitur. Sapor *Adag. de Sorbo.* tamen earum tam ingratus est, vt gustantem caperare frontem cogant: vnde in morosos & quibus frons nubila, dicterium vulgi apud Scotos, in- *Lignum: Baccarum temperam.* gratiores esse quàm sint Sorbi aucupariæ baccæ, vti referebat D. Cargillus. Aiunt lignum vtile ad clauos, qui rotarum molarum alas retinent. Falluntur, inquit Turnerus, Londinenses qui pro corticibus Tamaricis, Sorbi dictæ Whickentree corticibus vtuntur. Baccæ Matthiolo adstringunt, siccant & repellunt, quæ per hyemem ad aucupia asseruantur: ea enim Turdis gratissima sunt, vt dictum. Vellicis virgæ eius, quòd solidę robustæque sint materiæ, pro stimulis boum expetuntur.

DE SORBO TORMINALI, ET CRATÆGO THEOPHRASTI.

CAP. VII.

Descriptio. Torminalis autem Sorbus figurâ differt à vulgari siquidem folia, *Folia.* sambuci aquaticæ folia æmulātur: acutiùs tamen & argūtiùs incisa atque serrata, pedis anserini formâ, excurrente in singulos angulos neruo, vtrinque penè glabra, potissimùm autumno: apparent tamen pili in pediculis vncialibus & sesquiuncialibus, sapore subadstringente, interdum etiam in iis quædam tubercula. Florum dispositio, quæ in *Flores.* vulgari, ex pallido candidi, Cordo fauacei, candidi) quibus succrescunt fructus rotundi vmbilicati, *Fructus.* quales Oxyacanthæ vulgaris, coloris ferruginei, punctulis albidis notati, cùm sunt molles saporis primùm austeri, tandem vbi mollescunt acidulo, grato: in quibus callus vel crusta bina *Semina.* vel terna semina continens Piri seminibus similia, minora, penè triangula, coloris ferè castaneæ, nonnihil subaustera, medullâ albâ. Cortice te- *Cortex.* guntur rami spadiceo subluteóue, adstringente, amaricante: caudex verò albicante, læui: (Cordus flauo cortice vestitam, & Piro æqualem arborem dicit) Materies alba, duráque. Oculi im- *Materies. Oculi.* bricatas conorum scandulas æmulantur, rotundi ferè, non acuti, vt in Sorbo Alpina.

Cratægus Theophr. Hanc arborem quidam Cratęgum Theophrasti dicunt: quapropter quæ ad eius descriptio- *Descriptio Theophr.* nem faciant, ex eo hic consignanda. Cratægus inquit, quam & Cratægona vocant, folium habet Mespili, ([illegible]) nempe Aroniæ Dioscor. Anthedonis Theophrast. [eius enim solùm folia descripsit Theophrast. non aliarum. Dal.] rigidum, [[illegible]: quam vocem & de Anthedonis folio vsurpat] sed maius, latius, longius, eius modo laciniatum: [legendum enim: τὸ δὲ χαραγμὸν ἔχον [illegible]: non verò τὸ δὲ χαραγμὸν [illegible] ἔχον &c: vt *Theoph. restit.* vulgati codices habent.] Arbor ipsa, haud valdè procera, nec crassa. Materies varia, solida, flaua, cortice tecta læui, sicut Mespilus. Communiter vnicam radicem in profundum agit. Fructum habet rotundum, magnitudine Cotini [Athen. [illegible] *Cotinus.* habet: vulgati codices, [illegible]] qui maturescens flauescit, [[illegible], non vt Ath. [illegible]] & quodammodo nigrescit: ([illegible]) succo

Digitized by Google

Mespilo. & gustu, qualis Mespili. Vt proinde Mespilus syluestris videri possit.

Nomina & synonyma, authorumque sententiæ. Magna est authorum diuersitas de hac arbore aliquid scribentium, in nominibus. Theophrastum citans Athæn. in mendosis exemplaribus κράταιγον habet. Est verò idem Theoph. κράταιγος vel κραταιγών, vti patet ex loco citato, Porrò Sorbum de qua hîc agimus Plin. quartum genus *Genus 4. torminale* torminale appellat, remedio tantùm probabile, assiduum prouentu minimúmque pomo, arbore à reliquis Sorbis dissimili, foliis penè [planè alii.] Platani. Plinius [inquit Dal.] Sorbi syluestris, quam Aucupariam Herbarii vocant. Sequani verò lignatores *Tormigna*, *Tormigne.* & quæ vera Torminalis est, nusquam meminit: Cratægi verò folia cùm fortè vidisset, ea strictim & negligenter descripsit, *Plin. not.* Torminalísque Sorbi esse credidit, nunquam alibi facta Cratægi mentione, præterquam cap. 8. lib. 27. vbi Cratægum, *Cratægonon,* quem Cratægonon seu Cratægona vocat, inconsideratè Aquifoliam [τὴν ἄγριαν] Italorum esse tradit. Genus id Sorborum Andromacho dictum volunt ἰσχαιμὸν [vim cohibendi habens] quamuis nonnulli legant ἰσχαιμὸν libr. 9. κατὰ τόπους Galeni in curatione dysenteriæ. Idq; à Plauto significatum volunt in Pœnulo.

Adag. de Sorbo.

Hem mihi iam video propter te victitandum Sorbilo.

Nempe Torminali: tormenta scilicet multa, & cruciatus esse perferendos. Quo etiam significatu vulgò Gall. *poires d'angoisses*, id est, Pira anxietatis dicunt.

Sorbus torminalis. Cordo *Sorbus torminalis*, qui addit Romana authoritate Plinium quartum statuere Sorbi genus, quod torminale vocat. Theoph. è Mespilorum genere putat, nec immeritò: æmulatur folio veram *Mespili genus.* Mespilum, proprio nomine eam κράταιγον Theophrast. appellat. Germ. **Elzenbaum**: fructus **Elzbeer**.

Sorbus sylu. Trago in Hist. Germ. **Areßel/ Eschrößel**, est, [Sorbus syluestris] **wild Sperwerbaum**, videlicet quartum genus Torminale. Et in Hist. Lat. *Tragus notatur.* idem dicit, & Ruellium suæ sententiæ suffragari testatur. Ac meminit quidem Ruellius Sorbi Torminalis ex Veterum sententia, verùm an hanc arborem, de qua hîc agimus, vel aliam intellexerit, nescimus, nec apparet ex loco à Trago citato.

Sorbus torminalis. Anguil. κράταιγος, Cratægus eadem planta est cum Sorbo Torminali Plinii. An Bellonio Sorbus torminalis, quam Galli *Alisier* nominant? Solerius: Cratægus Theophrast. Prouincialibus *Aligmier*, Delph. *Alier*, est Plin. *Aquifolia folio deciduo Plinij. Epimelis.* Aquifolia folio deciduo. Cratœgi Theoph. fructus dicitur à Diosc. Epimelis. Idem Soler. putabat Sorbum torminalem Plin. esse Philyram fœminam Theophr. addens dici Delphinatibus *Terlier*, de qua postea. Athenæi verba de Cratægone sunt cap. de Ceraso, quia eandem existimauit cum Theoph. Ceraso. *Magalet. Rob. Const.* Rob. Const. dicit Cratægonem vulgò dici *Magalet*: quam autem plantam intelligat eo nomine, nondum nobis constat. Vix putamus ipsum Machaleb putasse. Gualth. Ryff. Epimelis, Vnedo: *Amamelis Hip.* ἀμαμηλίδες. Cornar. Mespili 2. genus & Epimelis *Mespili genus.* Diosc. & Gal. cui & Vnedo dicitur. Galenum secutus Paulus. Sed Plin. Vnedonem, quæ Gal. & *Vnedo. Plin. error.* Paulo Epimelis est, cum Memecylo Arbuti fructu confundit. Gal. in glossis notat, Hipp. ἀμαμηλίδας dixisse Epimelidas à Diosc. appellatas. Hipp. 1. *Corn. not.* de morb. mul. ἀμαμηλίδα. Verùm Cornar. opiniones nobis non placent, vt apparebit suis locis.

Turnero Sorbus Torminalis Plin. folio Platani: Angl. est **semise tree**, quasi dicas **sorbus tree**. Qui rei herbariæ studiosi sunt, [vt scribit Bruer.] apud Gallos Lugdunenses Loton eam esse arborem existimarunt, quam vulgus Aly siam cognominat. *Lotus. Alysia.*

Matth. in Diosc. Sorbus sylu. altera. Sorbus Torminalis Plin. non est [ait ille] Cratægus Theoph. vt existimauit Anguillara: Cratæogo folium Mespili prolixum, maius, latius, oblongius, nec serratum: huic Sorbo ligni materies nec versicolor, nec valida, nec flaua, qualis Cratæogo esse debet. Miramur verò apud quem Theophrastum vel alium quemuis authorem Matthiol. legerit Cratæogon. *Anguill. rep. preh. Matth. not.*

Da Choul nascitur ad latera montis Pilati, *Treilly* vulgò dicta arbor, quam Tiliam fœminam nonnulli vocant, alii Sorbum Torminalem, alii Loti speciem esse dicunt. *Tilia fœm. Lotus. Sorb. torm.*

Gesnero Sorbus torminalis, in diuersis locis. Item in Cat. Pl. Vnedo Epimelidis fructus est, diuersus à Memecylo Arbuti fructu. *Vnedo.*

Lonic. Sorbum torminalem dictum putat: quia medetur torminibus, **das ist/ das Grimmen/** vt ille ait: Verùm lectori cõsiderandum relinquimus, an intellexerit Lonicerus, quid sint tormina, quasi verò Colicæ medeantur Sorba, & non potiùs Dysenteriæ. Cæst. Dur. Sorbi sylu. alia species. Dod. Sorbus sylu. & Plin. torminalis. Lob. & Pen. Sorbus torminalis, folio Aceris, vitis, aut Populi albæ. Clus. Sorbus torm. Plin. & Herbariorum vulgò. Germ. **Adlaeber**: Vngaris, **Barkocsca fa**. *Lonicerus not. Sorbus sylu. torm.*

Hist. Lugd. Cratægus Theophr. Hypomelides Palladii quidam esse opinantur. Arborem hanc Cratægum esse Theophrasti non obscurè quis existimauerit, etsi reclamante Matthiolo: oratio námque Theophrasti satis aptè exprimit plantam hîc adpictam. Matthiolus Sorbum torminalem esse putat, cui Plinii authoritas vtcunque fauere videtur. At Plinius hîc dormitasse videri possit, nusquam enim is alibi neque Sorbi sylu. quæ proculdubio torminalis est, meminit, neque Cratægi, arboris vtriusque crebrò ab authoribus memoratæ, præter quàm eo loco, in quo Theophrasti Cratægum, quem Cratæogonum siue Cratæogona [vt iam priùs dictum] vocat, Aquifoliam esse Italorum perperàm scribit. Quare facilè fuit Plinium pro Cratægo, Sorbum Torminalem nominasse. Sed eadem Hist. Lugd. alio loco eiusdem arboris aliam figuram, & sic duas vnius, proponit, Sorbum syluestrem siue Torminalem Matth. & Cratægum Theoph. vocitans. *Hypomelides Pallad. Cratægum esse Sorbũ torm. Matth. not. Plin. reprch. Hist. Lugd. not.*

Cæsalp. quoque Sorbum torminalem ait videri esse Cratægum Theophr. folio Mespili, id est, *Azaroli* Italorum: & cum Mespilo magis conuenire, quàm cum Sorbo, quòd fructus officulum habeat. *Mespilus Azarolus.*

Camerar. Sorbus torminalis siue Cratægus Theophr. vt peritissimi quique volunt. Goropius in Sorborum genere ait esse torminalia dicta, quòd torminibus siue Dysenteriæ medeantur. *Sorb. torm. vnde.*

Tabern. in Icon. Sorbum torminalem: in Hist. Sorbum torminalem tertiam vocat.

C. Bauh. subscribit iis qui Cratægum Theophr. dicunt. Basileæ & locis vicinis **Elschbirle/**, alii **Atlsbirle** vocant. Burgundi & Montbel. arborem *Anier*, & *Aigretier* fructum verò *Anotes*. Fert & Viscum, vbi obseruauimus. *Viscum Sorbi.*

Nascitur vt plurimùm in locis montanis, solo pingui, aut interdum etiam saxoso, inter Fagos locis syluestribus, quamuis in hortos transplantata nullo negotio proueniat. Plurima prouenit ad Hercyniam syluam, & circa Ienam autore Cordo. *Locus & tempus.*

Frequens

Frequens in Heluetia. Viennensi saltui & plerisque Austriæ & Pannoniæ syluestribus frequens: teste Clusio, Fructus maturus Sept. Basileam copiosè ex vicinis syluis importatur, pueris & mulierculis expetitus cibus, vbi mollis, satis suauis. In Burgundia quoque & Comitatu Montb. multis locis prouenit, quemadmodum & in horto Principis nostra cura sata: adferuntur Montbelgardū maturi fructus Septembri, racematim dispositi & colligati in fissis Corylli baculis.

Vires & vsus

Maturi fructus & iam fracidi eam acerbitatem, quam crudi habebāt ex parte deponunt, & subacidam acquirunt, nec iniucundam, relictâ tamen etiamnum aliquâ adstrictione in callo, qui eis inest. *Aluum.* Aluum adstringunt, sicut Mespila: eo tanquam singulari & præsenti remedio contra *Tormina.* tormina (Dysenteriam) vtuntur, qui Hercynios montes accolunt rustici, vti testatur Cordus. Eādem vim eis & Matthiol. tribuit, additque eadem posse omnia quæ Sorba domestica, sed inefficaciora haberi. *Fusi.* In Comitatu Montbelg. fusos ex ligno parant optimos, & quanto possunt studio arbores conquirūt, ad eum vsum. Retulit Mer- *Pectines.* cator quidam Gallus, pectines quos elegantes & magnos venales habebat, fieri ex ligno arboris *Alisier* in Yuri oppido Normandiæ. Erant inter eos quidam albi, & aliqua parte suffusci, quos ex ligno propè radicem confectos dicebat: Alii subflaui, & quodammodo ad Buxum accedentes, sed tincturæ mangonio. Verùm cùm *Alisier* vox sit æquiuoca, tam ad Sorbum Torminalem, quàm ad Alpinam, (de qua mox) cuius lignum teste Anguillara, est durissimum, nolimus pro certo asserere ex vtrâ illarum fiant pectines: fortè ex ambabus.

DE SORBO ALPINA.

Cap. VIII

Descriptio

Frigida cœli amasia egregiè adolescit, recto & robusto caudice atq; cortice rubente, potissimùm extremorum *Materies.* ramorum materie alba & firma. *Oculi.* Oculi primùm emergūt sublutei, acuti, squammati cū fimbria nigricante. *Folia.* Folia Alni, ex oblongo rotundata, rugosa, pron. parte incana supina viridia, serrata, sapore adstringente, pediculis breuibus, lanuginosis. *Flores.* Flores conferti, Sorbi torminalis modo, vmbellæ quodammodo instar, candidi, odorati: quibus *Fructus.* succedunt Poma parua Auellanâ minora, rubra, pauca quadam lanugine obducta, vmbilicata, pulpa luteola, sapore acerbo primùm, quę tamen *Semina.* mollia reddita gratiore sapore incipiant commēdari, in quibus semina aliquot spadicea, Piri ferè, minora, medullâ albâ; eodem penè sapore, cortice quodam duriusculo obtecta, vt in Sorbo torminali.

Nomina & Synonyma. Aria. Anguill. repreh. & alii quidā.

Anguillara haud indiligens Botanicus, hanc putat esse ἀρίαν, seu Ariam: additque eius lignum adeò esse durum, vt in Apennino dicatur Matallo, quasi Metalle. Sed non placet hanc Arborem pro Aria Theophrast. sumi, quæ eadem videtur cum Phellodry, de qua suo loco. Perperàm in hist. Fontis admir. impressum est Acer pro Aria. Ariam Theophrast. quoque putant Lob. & Pena, (nisi quòd addant effigie Alni: quorum tamen figura non placet) nec non Camerarius & Tabern. Verùm quicquid dicant Aria Theoph. esse non potest. Nec Clusius, doctissimus Herbarius, eo- *Sorbi genus* rum sententiæ subscribere ausus, qui Sorbi genus dicit, nonnullis Ariam Theoph. putatam. *Sorbus alpina & pilosa.* Sorbus Alpina vel pilosa Italis dicta, Gesn. Gall. *Tralier*: Heluetiis Elzbirle, Thelsbirle / vnser Frawenbirle: aliquibus Mälbaum. Austriacis Melberbaum, Clus. wilder sperbaum, Tab. cuius figura non placet. Sequanis & Auernis *Alisier*: Nan- *Sorb. torm.* cuatensibus Gallis *Cirier* vocabulo ex Aria detorto, Hist. Lugd. Burgundi; *des Anates* vocant. Sor- *Alysia.* bi torminalis alterum genus in Alpibus, Cęsalp. Bruerinus scribit, in tractu Sigotonio Aureliis *Oenaria.* contermino Alysiam vocari. In annotationibus nostris inuenimus, à quibusdam Oenariam dici. *Ficus Idæa* Conferant stirpium periti Sorbum hanc Alpinam cum Ficu idæa Theophrasti, quam postea posuimus cap. de Diospyro.

Locus & Tempus.

Gaudet pręaltis frigidis montibus iisdémque Syluosis vt in monte *Matelle* in Abruzzo teste Anguill. In Angliæ frigidioribus syluosis frequentem videas: in Viennensi saltu & plerisque aliis Austriæ & Pannoniæ locis inter saxa & rupes: in montibus Norimbergensibus, rariùs calidioribus, nec nisi Alpium iugis Narbonensis, Seuenę, & Sabaudiæ, vt tradunt Lob. & Clus. Nobis feliciter prouenit & etiamnum viget in horto *Hist. Lugd. notatur.* Montb. quicquid dicat Hist. Lugd. cultum omninò dedignare ac respuere, nec in hortos trans- *Tempus.* latam proficere. Occurrit etiam haud infrequens in Helueticis & Burgundicis montibus & non lōgè interdum à pagis. Celebratur quoque in horto Patauino. Florere solet Maio, & fructum perficit Sept. & Octob.

Vires & Vsus.

Sapor mollium fructuum non ingratus, nec perinde astringens vti Torminalibus immaturis Montbelgardenses & Burgundi auidè vescuntur vbi mollis euasit fructus. Legunt maturum rustici, & condunt. Neque enim fugax nimis est, sed *Tussi.* in hyemem vsque durat si bene asseruetur: Suaui dulcedine gratus Tusses non aliter quam Zizyphi bacca lenit, sputum adiuuat, crudos humores *Bacculi. Carbones.* pulmoni infarctos coquit. E ligno firmi & solidi fiunt bacculi, Dal. teste. Fiunt & optimi Carbones ex ligno, & qui diu retineant ignem, vt aiunt: quod sine dubio ligni duritiei adscribendum.

DE MESPILO, EPIMELIDE, VNEDONE, AMAMELIDE, HOMOMELIDE, Oromalide & Hypomelide: Veterum descriptiones differentiæ & sententię, & Recentiorum in genere.

ET DE MESPILO ARONIA IN QVAM VERAM MESPILVM Veterum esse censemus.

CAP. IX.

Cur Veterum sententia præmittantur. Theoph. Mespilorũ differentia & descriptiones.

QVia plurima dubia de istis Veterum appellationibus passim apud authores occurrunt, in diuersas sententias distractos, consultum nobis visum, eorundem & Recentiorum quorundam sententias primùm proponere: sed in genere, ne cogamur multoties eadem repetere, quæ tamen specialiùs suis explicabuntur locis, vt & constet Lectori, sub quo cœlo [quod aiunt] versetur.

Setanios.

Theoph. tria Mespili facit genera, ex sententia Idæorum: Anthedon, Satanios, [Plin. Setanios habet] & Anthenoides: Hist. Lugd. Anthedenocides, quasi legisset ἀνθηδονοειδὴς.] Setanios fructum fert maiorem, candidiorem, laxiorem, & nucleos intus molliores continentem. Reliquæ minorem, odoratiorémque, gustúque magis adstringentem, vt diutiùs adseruari possint. Materies quoque his densior & flauior: cæterà similes.

Anthedon. Theoph. locus correct.

Flos omnibus Amygdalæ, non tamen ruber, vt illi, sed propemodùm viridans. Anthedon haud procera est arbor, (legendum enim, αἱ ἀνθηδὼν οὐ μέγα δένδρον: contrà quàm Plin. & eundem secutus Gaza, qui amplissimam & magnitudine præcellentem arborem dicunt, in orbem comata, folio multis fissuris diuiso [melior enim lectio πολυσχιδὲς, non vt vulgata habent, ὑπομοσχιδὲς, & peius quoque Gaza ἀσχιστ.] quod Apium circa extrema imitatur, sed diuisuris maioribus [σχίσμασι, non σχήμασι.] rigidum, neruosum, Apio magis scabrum, [λεπτοτέρω, non λεπτότερον, vt Gaza.] oblongius, & vndique laciniis sinuatum.

Aliter reddit.

Aliter.

Fructus autem tenui & longo hæret pediculo, qui antequam folia decidant, vehementer ruber [hæc námque melior lectio, Gaza omnia peruertit.] Radice nititur numerosa profundáque, ideóque diuturna & non contumaci. Ligno est spisso, solido, minúsque putredini obnoxio. Nascitur & semine & auulsione.

Vermes Mespilo.

Morbus harum arborum, vt senescentes à vermibus erodantur: qui grandes, & reliquarum arborum, vermibus dissimiles. Minùs tamen eorum fructus vermibus obnoxii, quàm Sorba aut Pira. Caret aculeis Mespilus. Flos candidus & Ceraso proximus. Hæc ferè Theophr. de Mespilo habet.

Diosc. differ. & descrip. Mesp. Aronia Spinosa.

1. Diosc. verò, Mespilus arbor, inquit, quæ à quibusdam Aronia vocatur, spinosa est, foliis Oxyacanthę: [sic enim legimus ex Vetusto quodam codice cum Lacuna πυξακάνθῃ, alii etiam πυρακάνθῃ habent.] fructum fert exiguo malo similem, suauem, tria intus continentem officula, vnde quidam τρίκοκκον, id est, triplici grano præditum nuncupant, serò maturescit.

Mesp. tricoccos.

Epimelis. Setanios.

2. Est & alterum Mespili genus in Italia nascens, quod Epimelida nonnulli, alii Setanium vocant. Arbor est Malo similis foliis, nisi quòd minor est. Habet autem & hæc fructum rotundum, esculentum, vmbilico latiore præditum, quique tardè maturescit.

Cratægus.

Cratægum Theoph. folio Mespili dicit, cuius (Cratœgi) descriptionem posuimus cap. de Sorbo torminali.

Mespili temperam.

Idem ait Mespila esse terrenæ acerbæ & solidæ naturæ, ideóque Hyemi maximè posse resistere, d... um arbore sua decerpta maturescere; etsi non eadem maturitate, quam in arbore acquirunt. Sed aliâ, quâ cibo reddantur idonea, siue putredinem maturitatis hoc genus liceat appellare, vt in Drupis aut Oliuis, siue alio aliquo modo. Et alibi: ex toto penè fructus, qui gustu suaues sunt, benè olent, vt Mespilum, Pirum, &c.

Mesp. tria genera.

Plinius Mespilorum differentias ex Theophrasti verbis suprà scriptis transscripsisse videtur. Malorum Pirorúmque generi [inquit] iure adnumerentur Mespila atque Sorba. Mespili tria genera, Anthedon, Setania, tertium degenerat: tametsi Anthedoni similius est, quod Gallicum vocant.

Anthedon Setanium Gallicum.

Setaniæ maius pomum candidiúsque, acini molliore ligno: cæteris minus pomum, sed odore prestantius, & quod diutiùs seruetur. Arbor ipsa de amplissimis. [suspecta hæc videtur lectio, vt patet ex suprà citato loco Theoph.] Folia antequam decidant, rubescunt, radices multæ atque altæ, & ideò inextirpabiles. Non fuit hæc arbor in Italia Catonis æuo. Item Putamen Nucibus & Castaneæ detrahitur: at in Mespilis manditur.

Amamelis, Mespilus.

Galenus de obsoletis Hipp. vocibus, ἀμαμηλίδας inquit genus quoddam esse Mespili, plurimùm in Italia nascentis, vt Diosc. ait: quidam autem ἐπιμηλίδας aiunt esse Poma parua syluestria.

Epimelis. Poma parua.

Mespilum tricoccon.

Item: Mespilum alii tricoccon nominant, quòd tria intus in vniuersum gerat grana, quorum vnumquodque arboris est semen, ceu ea quæ in Malis inueniuntur, ipsius Mali & vinacei ipsius vitis.

Epimelis

Vnedonis.

Et in 6. simpl. Epimelis acerba planta est, vtque dixerit quispiam, Pomus syluestris. Vocatur autem ab Italiæ rusticis Vnedon. Ingens eius in Calabria prouentus. Fructus eius acerbus quidem est, nihilominus tamen stomacho ingratus, & capitis mouens dolores. Admista siquidem ei est aliena quæpiam qualitas.

Epimelidis vires & temperam.

Et alibi: ex plantarum agrestium genere est frutex qui ἐπιμηλίδας fert. Appellatur autem is fructus in Italia Vnedo, stomachóque nocet, & capiti dolorem affert, acerbúsque est admodum, cum exigua quadam dulcedine.

Epimelis? Vnedo.

Memecylũ Comari fructus.

Cornis quidem & Canirubi fructu, & glandibus, & μεμαικύλοις [sic autem Comari fructus appellatur] rustici passim vescuntur, reliquarum autem arborum aut fruticum fructibus non admodum vtuntur. Cùm tamen fames regionem nostram aliquando inuasisset, essetque magnus glandium ac Mespilorum prouentus rustici in fossis ipsa condentes, hyeme tota & Vere primo pro frumentaceis edulis sunt vsi.

Mespili.

Amamalides.

Athenæus scribit, Pira non esse Amamalides [vulgò *Amalenchier & Ambrouzelles* Gall. Dal.] vt quidam arbitrantur, sed alterum genus fructus suauioris, absque nucleo. [Nuclei vice semina habet Piro omninò similia, quæ fortassis caussa fuit, cur quidam Pirum esse crediderint.] Aristomenes in Baccho:

An nescis, (inquit) in Chio generari Amamalidas?

A Piris has discrepare, & suauiores esse Æschylides lib. 3. Georg. monstrat, cùm de insula Ceo loquitur, quam ait optima Pira educare, & quas in Ionia vocent Amamalidas, carentes nucleo, grati saporis, dulces. Æthlius lib. 5. de limitibus Samiorum, si modò verè illius est hoc opus, Omomelidas ipsas nominat. Pamphilus libro de linguis & nominibus Epimelidas, Piri genus [Epimelis Diosc. Mespili genus est, vt patet ex suprà loco cit.] esse tradit. Antiphon in libris de Agricultura, Phocidas quoque inter Pirorum genera recenset. Hæc Athen.

Omomelides.

Palladio Hypomelides Poma sunt [vt Martialis asserit] Sorbo similia. Mediocri arbore nascuntur,

tur,

Hypomelides. Cultura. tur, & flore candidulo. Dulcedo huic fructui cum acuto sapore commista est. Seritur mense Decembri, nucleis in vasculis positis. Mense autem Feb. Hypomelidis planta, sed pollicis magnitudine robusta transfertur breuissimo Scrobe, soluta terra, plurimo stercore, sed muniendа est, quia citò arescit, si radices eius ventus afflauerit. *Locus.* Terram qualemcunque non respuit. Amat loca tepida, *Repositio.* aprica, maritima, & sæpè saxosa. Poma eius aut in Picatis, & minutis vrceolis, aut scrobe Populi, aut in ollis inter vuas vinaceis obruta seruabuntur.

Zarir. Serap. interpres notatur. Triconium. Serapio: *Zarar*, id est, faciens appetitum. Interpres Sorba vertit: sed perperàm. Nam de Mespilo ibi loquitur adducens Dioscor. & Gal. verba, arborem dicens spinosam, Pomum nominari Triconium, additque, in Italia aliam esse speciem *Epimelis.* *Zaror*, quam multi vocent Epimelida.

Hermol. in Dioscor. Alii [inquit] Homomelidas vocant, vt Asclepiades, non Pira, sed mala *Mala sylu. Oromalides.* syluestria & montana: quæ Theocritus Oromalidas appellauerit, cum ficu maturescentia.

Dubitari non debet, [vt scribit Corn.] quin *Epimelis.* alia arbor sit ἐπιμηλὶς, quæ vnà cum fructu suo in *Vnedo.* Italia Vnedo appellatur, & alia Arbutus, cuius fructus Memecylon Græcis dicitur: atque hoc propterea, quòd diuersis locis eorundem mentio *Plin. not.* fiat, & hoc ab iis Autoribus, (nempe Gal. & Paulo) qui æquè ac Plin. in Italia vixerant: quanquã Plinius innuat potiùs, quàm exprimat, duo Vnedonis genera esse, vt videlicet alterum de Vnedone accipi possit. Sed tamen mox leuiter satis dictum confundit, quum ait: alio nomine Arbutus vocatur. Quare certum est ipsum existimasse Arbutum & Vnedonem Latinis esse, quod Comarus & Memecylon Græcis, atque id, vt opinor, ob similem vim, quæ de Memecylo & Vnedone proditur. Verùm ex Galeni verbis ostenditur Vnedonem Epimelidis fructum esse, Memecylon autem Arbuti. Neque refert fructuum & arborum appellationes singulatim inter se in suo genere confundi. Quin & lib. 2. de alim. idem *Comarus.* Galenus manifestè inter Comarum arborem, cuius fructus Memecylon appellatur, & inter arbu- *Epimelis.* stum aut sentim potiùs, quæ Epimelidas fert, & in Italia Vnedo appellatur, distinguit: vt certum sit duo diuersa genera Vnedonem & Memecylon esse, quorum αὐτόπτην Galenum fuisse credo: Plinium verò, vt non adeò circa has res curiosum, ex Græcis tantùm transscripsisse, & in his, velut multis aliis, eos non assequutum esse.

Porrò Dioscor. alterum genus Mespili in Italia nasci prodidit, quod ab aliquibus ἐπιμηλὶς voce- *Mespilus.* tur, vt ex eius verbis Epimelis & Vnedo de genere Mespilorum sint, Arbutus verò & Comarus ac Memecylon sui generis, & ab eis diuersa.

Quid verò sit Epimelis Cornario dictum capite de Sorbo torminali. Pollux Mespila & ὄα *Oa.* vocari scribit, vt annotat Rob. Const. reperitur & ea vox apud Platonem, teste Curtio.

Ergo ex dictis patet Mespilorum tria genera esse Theophrasto, *Anthedon*, *Setaneios*, (vel Setanios) & *Anthenoeides*: Dioscoridi duo, *Aronia* quæ Anthedon est Theophrast. vt vult Dalech. *Setanium* siue Epimelis: Antenoides is non meminit, *Dioscor. torr.* quanquam in exemplaribus m. s. legatur in hunc sensum: Mespili alterum genus in Italia nascitur quod nonnulli Epimelida vocant: atque adeò alterum quod Setanion, vt hæc tria sint Mespilorũ genera Diosc. *Aronia* quæ Anthedon est Theophr. vti dictum: *Epimelis* quæ Antenoeides, & *Setanios*. Quoniam igitur Aroniam Veterum Mespilum esse, nostra est sententia, placet de ea primo loco agere.

MESPILVS ARONIA VETERVM.

Mespilus Aronia foliis ad spinum albam accedit, *Descriptio.* sunt eà tamen maiora, crassiora, in tria plerumque segmẽta primaria diuisa, aliquando in plura, profunda, altioribus incisuris & rariotibus subdiuisa, quàm vt serratæ dici possint. Rami & folia nonnihil pilosa sunt, *Folia.* magis tamẽ his, illi. Fructũ fert *Fructus.* rotundum, rubrum, vmbilicatum, Mespilo vulgari minorem, in quo nuclei terni, Cerasi nucleis paulò maiores triquetri, duriusculi, oblongi. Fructus (Curtio) longiori pediculo pendet, qui antequam decidat, rubet, suauis est & exiguus, vno intus osse. Arbor ipsa, teste Matthiol. mediocris proceritatis, cortice ac materia Pruno haud absimilis: spinis horrida, non tamen admodum acutis, floribus albicantibus, racematim cohærentibus, Fructus Sorborum crassitudine, oblongi, rubentes, vulgatis Mespilis æquales, sed arctiore vmbilico. Pluribus hac de planta egit Cordus, diligentissimus sua ætate Botanicus in iuuentute Romæ mortuus, cuius, qui vult consulere poterit annotat. in Dioscor. lib. 1. cap. 170. & 171. de Mespilo. Mespilus Aronia, μέσπιλον τὸ δένδρον quod ab aliquibus dicitur ἀρωνία *Nomina Synonyma auctorumque opiniones.* Dioscor. Theophrasto ἀνθηδὼν ἡ μέγα δένδρον, φύλλον στενοχειλές &c: Sic enim legendum esse, iam suprà dictum. Mespilus Gal. qui aliis Tricoccum appellari ait. Mespili genus Anthedon Plinio. Se- *Aronia.* rap. Zaror, & Pomorum triconium. Nos apud *Anthedon.* Eluchastem Tab. 2. per voces Dacrie & Zarole *Tricoccus. Anthedon.* Mesp. Tricoccon intelligimus. Auicenna, vt tra- *Pomum triconium.* dunt Monachi apud Mesuen, confundit duo capita Dioscor. de Mespilis. *Zaror* & *Zarur* æquiuo- *Auic. notatur.* cè dicitur de Lazarolo, & de Mespilo, quod probatur per Serapionem & per Hali, cui Zaurum rubrum est Mespilum tricoccon. Absolutè verò per Zaror intelligitur *Lazarolum dictum*, siue Al- *Lazarolum.* zarolum tam Arabibus quàm Italis, quibus & Mespilo Aronio, *Azzarolo*, *Tricocco*, & *Pomo Imperiale*, teste Anguillara: quæ voces omnes Tricocco Dioscor. conueniunt: Cuius sententiæ quoque sunt Monachi & Cordus, qui propriè Mespilum dici ait, eandémque Anthedona, Solerius. Mespilus Tricoccia Syluio. Hunc consensum Marcellus quoque confirmat, dicens: quam Dioscor. genere nutro Mespilum arborem fecit, Theophrast. fœminino descripsit. Primum verò.

Mespili genus Dioscor. arbor peregrina & incognita Italiæ Marcello videtur, & sui generis ar- *Marcellus not.* bor spinosa. Sed, vt Marcello fortè incognita fuerit & peregrina, non ideò toti Italiæ. Galliæ tamẽ tempore Ruellii fortè primùm innotuit. Eadem enim esse videtur, quam sic describit. Apud Gal-

los paucis ante annis frutex inuenitur, qui etiam arborescere possit, folio per ambitum laciniatim sinuato, rotundo, molli, ramis Spini, quem album cognominant, modo aculeatis: baccis rotundis, rubris, Myrteis, longè maioribus, gustu iucundo, qui & vinum sua suauitate commendet, condiuntur, & grato ori cibo. Cœpit mea memoria propagari, insita quantùm reor, albo Spino. Qui colunt in hortis velut alienigenam, & aduenam arborem, Myrobalanum appellant: *Myrobalanum.* hanc esse putauerim [inquit idem] nullis ferè notis reclamantibus, Paliurum Africanam, *Paliurum Africana.* eam præsertim quæ non siliquetur. Hæc ille. At quid per Paliurum quæ siliquetur, vel non siliquetur intelligat, nondum agnoscimus: neque cur Galli Myrobalanum vocent. Tantò imprudentiùs sibi consuluit Gualth. Ryff. *Ryff redarguitur.* dum in suo ad Dioscor. com. eadem Ruellii verba suo nomine de verbo ad verbum repetit, additque sibi videri Paliurum Africanam. Certè neutram nouerat: additque nescio quam ineptam figuram, quæ nulla sui parte respondet descriptioni Diosc. vel Ruellii, cuius verba tantâ securitate pro suis recitarat. Sic Lonic. etiam ineptam prædictam iconem ponit pro Paliuro Africana & Myrobalano Ruellii. Sed videamus quid Manardus in epist. lib. 10. de hac tradat. Poma [inquit] quæ misistis peregrina sunt, nec in nostro hoc climate [Ferrariensi] hactenus, quod sciam inuenta: vulgò Azarola dicta: *Azarola. Mespilus 1. Diosc.* quæ Antiquos vocasse Mespila colligo, ac ad Mespili genus 1. Diosc. pertinere, quod Anthedon vocat Theophrast. & Plin. Diosc. Aronium, *Anthedon. Aronium.* [nisi fortè codicum vitio vel in Diosc. Anthedon, vel in illis Aronium legendum] Azarolum verè rubens est, benè dentibus attritum vix succum emittit. Malè Auicenn. *Zarur & alzarur* appellat Triangulum Latinorum, *Triangulũ. Trigraniũ.* cùm ita nullo modo dici possit, sed potiùs Trigranium. Azaroli nomen deriuatum videtur, quòd arbor Neapolim ex Hispania transportata, in qua longo tempore Punico idiomate Philosophiæ & Medicinæ studia viguerunt. Dicta igitur primò Alzaror: deinde addita Italica pronuntiatione Lazarola vel Azarola fuit denominata. *Azarola vnde.*

Matth. pro Mespilo Diosc. agnoscit quæ foliis sit Pyracanthæ, siue Oxyacanthæ, & Azaroli vocatos fructus nullis prorsus notis reclamare scribit, ideóque eosdem esse cum Aronia, *Aronia. Azarola alba.* Azarolum verò ex Arabico idiomate Zaror detortum putat. Curtius quoque Diosc. primi generis Aroniam facit, & Arab. Zazum Recentioribus quibusdam, aliis Azarolam albam dici, cui descriptio Theoph. apprimè conueniat, vno intus osse. Quia verò, ex Diosc. tria intus sint officula, ideò Tricoccon, quasi trigranium, aut triossum dici. *Tricoccus. Trigraniũ. Triossus.*

Amatus μέσπιλον & ἀρώνια distinctè. Dod. verò μέσπιλον ἀρωνία, & τρίκοκκον dicit: Lat. Aronia & Trigrania. Et alibi Græcis μέσπιλος & μεσπίλη eidem. Galen. quoque μεσπίλον nominat, nec alterius mentionem facit. Ad hanc referendæ ἀνθηδὼν & ἀνθηδονοειδὴς Theoph. Amatus præter prædicta Arabibus etiam Alzarum dici ait: Italis *Azzarolo frutto, Pomo di rege*, id est Poma Regalia *Poma Regalia.* Gal. *Nesfles.* Ger. Nespel. Sed in Gallica & Germanica appellatione errat, *Amatus taxat.* non enim huic Mespilo conueniunt. Aronia duris spinis armata, *Aronia spinosa.* etiamque Diosc. Lacunæ. Mespilus Tricoccos eiusdem Diosc. Lonicero. *Mespilus Tricoccus.* Agricola Tricoccon quidem Diosc. dici fatetur, verùm addit eundem fructum, in plerisque locis quinque habere grana. Sed fallitur, quòd Aroniam vel Tricoccon non distinguat à vulgari. *Agricola.* Non igitur temerè miratur Goropius tricocca Mespila, & nostratia sub eodem nomine comprehendi, quum quamplurimùm differant.

Gesnerus Mespilum Aroniam vel tricoccon eandem putat cum Conario Athenæi, idémque ait esse Paliurum Afric. Ruellii. *Paliurus. Conarius.* Mespilus Aronia vulgò Monsp. *Pometz.* Ital. *Asaides*: *Locus.* Oxyacanthæ perquàm similis arbuscula in sylua Valena, *Descriptio Lobi.* vt describunt Aduers. tribus à Monspelio leucis spontè orta, folia edens simillima, sed latiora, fructum rubrum, quadruplò, triplòve maiorem, Auellanæ parem: suauem gustanti: nucleis ternis, duriusculis, Septembris initio maturis. Cast. Durant. Mespilus prima. *Mespilus I. Azarolus. Anthedon.* Cæsalp. Azarolus vulgò apud Theophrast. & Plinium Anthedon, eadémque Aronia Diosc. Nostra tamen, vtpote magis domestica, spinis caret, vt testatur quoque Theoph. vbi de Sorbo loquitur, quod quidem huic generi conuenit non vulgari Mespilo. Considerandum tamen an vulgaris Mespilus maiori fructu non careat etiam spinis.

Hist. Lugd. Mespilum Aroniam siue Tricoccon siue Anthedonem Theophr. ex sententia Dalech. dicit graphicè depictam à Theoph. eius quoque præcipuas notas Dioscoridem literis mandasse. Illud tamen obseruandum à Theophr. non spinosam dici, à Diosc. verò spinosam. Fortè hæc differentia à cultura: ita vt cultam fortè tradat Theophrast. & cum eo Cæsalp. Spontaneam verò & incultam Diosc. & Matth.

An Pirus illa satiua Hist. Lugd. spinis armata, *An Pirus satiua quædam spinis armata.* Lugduni satis frequens, quam ideò *Poirier d'Espine* vocant; & fructum *Poire espine*, qui magnus est, viridis, qui in seram hyemem prorogatur & durat, gustus suauissimi, præsertim cùm in pruna *Locus.* coctus apponitur, insperso sacharo. Surculos ex Neapoli eò delatos fuisse olitores aiunt. Hæc profectò Pirus est, cuius spinas cum aculeis Oxyacanthæ comparat Theoph. *Pirus spinosa Theoph.* nec immeritò: sunt enim inter se prorsus similes. Verùm quia fructum magnum dicit & viridem, eo ipso ab Aronia hac *Aronia.* nostra diuersam esse fortè concludendum. Mespipilus folio Apii C. Bauh. Cæteri ferè Herbarii omnes Mespilum Aroniam vocant. Germ. Welsch Nespeln.

Locus & tempus. Mespilus Aronia in Italia Matthiolo authore Neapoli vbi copiosè seritur, in hortis, viridariis ac vineis. In Sicilia copiosiùs habetur, vnde Romam delata, vbi nunc pluribus Cardinalium & nobilium hortis colitur. In Italia quoque & quidem non ita pridem apud Lugdunenses peregrinari cœpit, nec dum omnibus adhuc nota, è Neapoli profecta, vt scribit Curtius. Germaniæ hactenus ferè incognita, quemadmodum & in Hispania vniuersa, quantùm quidem Amato cognitum. Et iam paulò antè dictum in sylua Valena propè Monspelium prouenire. Sata in horto Montb. *Insitio.* non ad frugem peruenit. Palladius Februario inserere præcipit, de cuius insitione sic scribit:

Aemula dura Piri despecti mala saporis
Mespilus admisso germine tuta subit.
Et geminis sese violentior inserit armis,
Atque auidas terrent robora sæua manus.

Septembris initio fructus eius maturus, vt iam dictum. Ramum & semina habemus inter nostra naturalia.

Vires & vsus. Stomachus. Alui fluxus. Mespilus Aronia Diosc. & Plin. adstringentis est facultatis, ideóque stomachum adstringunt fructus eius sistúntque aluum. Hippocr. eandem vim tribuit, & acerbos dicit. Idem Amamelidas cum hordeo trimestri tritas, in vino nigro bibendas dat, in affectibus muliebribus. Arboris huius

[Aro-

[Aroniæ] fructus admodum acerbus est, inquit Gal. vixque edi potest, ventrem strenuè coercens. Quin & in germinibus & folio acerba hæc qualitas non pauca reperitur. Item: Mespila multò valentiùs adstringunt quàm Sorba. Proinde ventri fluenti cibus sunt vtilissimus. Sed his parcè vescendum, non affluenter, vt Vuis ac ficubus. Porrò vbi maturitatem senserint, gustui haud parum placent, quo fit vt ab Italis pro deliciis non solùm
Condita. cruda expetantur in cibis, sed iis etiam Saccharo melléque adseruata edantur. Eadem etiam gratis-
Malacia. simus sunt cibus vtero gerentibus, earumq; malaciæ subueniunt, teste Matthiolo.

DE MESPILO VVLGARI.

CAP. X.

Mespilus.

Descript. MESPILVS vulgaris parua est arbor,
Folia. foliis quàm Pomi longioribus, angustioribus, Laurinis ferè paribus, [Matthiolo Cerasorum] infernè incana lanugine pubescentibus, supernè quoque nonnihil pilosis, sed saturatiùs virentibus, aliàs serratis, aliàs non serratis.
Flores Flores singulatim nascuntur candidi, ex russo pallescentes Cæsalpino, Cotoneæ mali: quibus succedunt
Fructus. poma exigua, fulua, perquàm acerbi saporis, Piris syluestribus paria, hirsuta, ex angusto principio in vmbilicum latum excauatúmque desinentia, ex cuius supercilio emicant quina folia oblonga, angusta, acuminata, quæ florem antea tegebant. In singulis autem Pomis quina ferè officula com-
Ossicula. pressa, triangula. Caro dura, alba, adstringens valdè, quæ tamen fracida reddita acidulum suauéque
Sapor. acquirat saporem. Matthiolus figuram habet cuius folia serrata, breuiora, rariora: rami albi lanugine pubescunt.

Nomina Synonyma & differentiæ. Videamus quid de hac nostra vulgata dicant autores. Μεσπίλη arbor plerisque Herbariis vocatur, si modò sit hæc, aut rectè referri possit, vt plerosque hac appellatione quasi præsupponere videmus: aliquibus etiam μέσπιλον vocatur: sed
H. Iun. notatur. quo autore. Had. Iun. μέσπιλον, ἀρωνίαν μέσπιλον καὶ τρίκοκκον indifferenter pro Mespilo ponat, non addit. Sunt tamen quibus Mespilus Anthenoeides Theophrast. esse putatur, & Plinii Gallica vt Solerio, & aliis multis, atque adeò Setanios & Epimelis Dioscor. plerisque vti patebit in progressu.

Camischiot Gulbraira. Hebrei Mespilum teste Elia Camischiot vocāt, à quinque nimirum officulis, vt scribit Tragus. Et apud Eluchasen Gulbraira Arab. nobis Mespilus est, quorum figura malè ponitur pro Nabach.

Dubitat Hermol. an Mespilum Veteres cum Sorbi arbore confuderint, quandoquidem altissimis connumerat Theophrast. quod certè Sorbo quàm Mespilo nunc vocatæ magis conuenit, nisi quis nostratem Mespilum, non tam Mespilum quàm Chamæmespilum appellandam fortè censeat. Certè Iulius Pollux Mespila ait & Sorba quoque appellari. Nostrates Mespili inquit Mar. Virg. quinque nucleis farctæ & nullis spinis armatæ, Epimelides ideò nos credimus à Græcis dici, quòd felicissimè in Malo inserantur: videntúrque eandē habere causam: Similes huic in aliis Scriptoribus in hac aut simili arbore aliquot appellationes, vt Epimelides, Hypomelides, Hamamelides & Omomelides. *Sorbus. Chamæmespilus. Sorba. Epimelis. Hypomelides.*

Ruellius Mespilum Græcorum, ait esse *Meslierum* & *Neslierum* Gallorum: dubitari tamen an cum Sorbo Veteres confuderint. Nos quidem iam capite de Sorbo mouimus dubium, an Palladii Sorbus de qua scribit libro de insitionibus, possit esse nostra Mespilus vulgaris nec quicquā adhuc inuenimus, quod repugnet. Serapionis enim interpres Zaror Sorbum interpretatus est, addens interim verba Dioscor. & Gal. de Mespilis, vti dictum de Sorbis. Suspicionem auget, quod spinosam suam Sorbum facit Palladius, qualem sanè nullam nouimus. Sed rursus ab eadem suspicione nos retrahunt, quæ de Hypomelide scribit in Decembri: quæ nostræ Mespilo vulgari conueniunt. *Neslierum. An Sorbus Palladij?*

Mespilum Tragus Cratægum seu Cratægona Theophrasti putat: & pingit foliis non serratis: addens longiora esse foliis Lauri, minimè serrata. Cornar. primam Diosc. Verùm ea multùm à nostrate differt, in qua semina non sunt similia seminibus Mali, vt de priori sua Mespilo scribit Dioscor. *Cratægus. Corn. not.*

Altera Mespili species Cordo: Græcis Epimelis & Hamamelis quòd iuxta Malos soleat nasci. *Mespilus 2. Epimelis. Hamamelis.*

Gal. Epimelida Vnedonem ab Italis rusticis appellari testatur, sed malè illi Arbuti vitia assignat: Cùm constet experientiâ Epimelida [quæ Mespilus in Germania etiam vocatur] stomacho non inimicam esse, neque capitis dolores facere: fructum interim nemo comedere aut deglutire possit, antequàm mollescat: adeò enim fauces adstringit. *Galeni error.*

Porrò quæ Germ. Nespeln vocantur, vnedones sunt Cordo, hoc est, [vt ille interpretatur] Epimelides fructus non propriè vocatæ Mespili, vt hactenus omnes credunt. Eum errorem non putat alium ante se deprehendisse.

Porrò si secunda Mespili Diosc. species, nostrū erit Mespilum, vt Marcellus, Manardus & Brassauola sentiunt, neque contradicit Mundella, restabit tamen [inquit hic] nobis adhuc incognitū quid Epimelis Gal. fuerit. Ipse enim in 7. simpl. Memecylum, Arbuti, quæ à græcis κόμαρος dicitur, fructum esse scribit: Vnedonem verò Epimelidis: de quibus sanè & Plinium diuersis locis confusè locutum fuisse apparet, vt rectè Cornarius in primo de Comp. med. annotauit. Illud etiā nobis non constat, quonam in loco Galenus Paulúsque Arbutum siue Comarum, quod idem est, rem sanè Mespili vtroque genere distinctam, nomine verò & effigie similem, Epimelidis voce appellauerint, vt Manardus voluit, cùm aliter potiùs sentire videantur. *Epimelis Gal. Vnedo. Plin. not. Manar. reprehen.*

Curtius quoque fatetur. Ex descriptione omnium tam Theophrast. quàm Dioscor. aut Plinii, nullam nostrati Mespilo conuenire, maximè verò cùm Plin. ex amplissimis arborem dicat. Et con- *Mespilum nostram nō esse veterū.*

trà Monachis in Mesuen, Mespilus Setania siue Epimelis est vulgare Nespilum, scilicet vt illi aiunt, Mespilum Italicum de quo Dioscor. Serapioni alia species Zaror, quam multi vocant Epimelidem. Hali Abbatis filio Zaurum vel Zarura citrinum, est vulgare Nespilum Italicum. Per Nespilum in Italia, absolutè intelligitur Nespulum vulgare. Anguil. Nespolo Setaneo & simpliciter Nespolo, in Italia vulgatissimus.

Epimelis. Nespilum. Zaror. Epimelis. Zaurum. Nespulum vulgare.

Matthiolus: Nostrates Nespili non sunt Diosc. prima Nespilus. Quæ verò Mespili aliquibus Setaniæ & Epimelides appellantur, vulgaribus nostratibus collatæ, nihil inter se dissentire comperiuntur. Quapropter nihil mirum Dioscor. alterum hoc Mespili genus, copiosè in Italia nasci. Veruntamen Galenum Epimelidis appellatione aliam arborem à nostratibus Mespilis diuersam sumpsisse, liquidò constat, quoniam lib.6.simpl. scribit eius fructum acerbum esse, & ventriculo noxium. Epimelida autem à rusticis Italiæ Vnedonem nominari. Hoc insuper illud confirmat, quòd Gal. de vtroque Mespilorum genere seorsum diuersis capitibus tradiderit. Hæc Matthiol. Nec tamen citat Galeni verba de secundo, nec vbi extet ille locus hactenus nobis constare potuit præter locum de Epimelide & Vnedone, olim pinxit Mespilum folio serrato: nunc non serratum pingit, quasi non vtraque specie habeatur.

Setania. Epimelis. Vnedo. Matth. not.

Amatus in Diosc. Mespilum secundum genus vbique, inquit, vulgatum est, Penticoccum dictum, Setaneum. Epimelis à Diosc. dicitur, quanquam Epimelis apud Gal. Vnedo sit fructus Comari. Io. Agric. Mespilus cum quinque lapidibus est fortassis secundum genus Mespili, Epimelis, & apud Hip. & Gal. Amamelides nuncupatum. Comarum & Memecylon Theophrasti, Galenus falsò Epimelida vocat: Est enim Arbutus, de qua suo loco. Idem scribit in Corcopal Indiæ Prouincia Mespilum esse colore albo, Mali magnitudine, de quo nos cap. de Guaiaua.

Penticoccus. Epimelis. Gal. not. Mespilus alba.

Dodon. Mespilus 2. Græcè [illegible], eadémque Diosc. quibusdam [illegible], Sitanium aut Setanium: Maior species Gallicè *Nefflé cultiuée*: Brabantis **groten Mespelen**, [illegible] Theoph. eidem. Sub Mespili voce haud alterius quàm Tricocci meminit: atque Sitanion Theophr. conuenire cum Mespilo vulgari.

Sitanium.

Goropius in Vertumno. Mespila nostratia eo sunt sapore vt non vnum tantùm sed complura etiam edere soleamus.

Lob. & Pen. Mespilus Diosc. de qua cecinit Politianus:

Regum imitata coronas Mespila, &c.

Item Mespilus domestica iisdem, edit. Belgica, ac vtrobique folio non serrato pingunt, sicut & Camer. qui & [illegible] & [illegible] dici ait, & eam, quæ maioribus est fructibus, Gallicam.

Cæsalpinus verò aliam plantam Gallicam facit, in cæteris cum Dod. consentit, sicut & Clus. & alii. Quidam tamen cautiores Mespilum nostratem seu vulgarem appellare maluerunt, metuentes fortè ne quid temerè in re dubia pronunciarent.

Mesp. Gallica.

C.Bauh. Mespilum folio serrato cum hoc titulo ad nos misit. Sorbus ex qua Epimelis: Epimelis Galeni, Mespilus 2. Diosc. Vnedo rusticorum Italorum. Idem in Animaduers. in Hist. Lugd. Mespilum Setaniam statuit nostram esse vulgarem, cui folia nonnihil per ambitum serrata tribuit. Tragus tamen minimè serrata dicit: & sanè Germanica serratis foliis non est. Quare Matthiol. in maioribus icon. Trag. Lob. & Dod. foliis integris pingunt. At in epitome sua exhibet Matth. foliis serratis qualem & nos in Italia collegimus. Dal. ab iis dissentit, qui vulgarem Mespilum existimant Setaniam siue Epimelidem Diosc. folia ait non habere Malo similia, nec minora, qualia Epimelidis esse dicit Diosc. quin potiùs Lauro similia, & foliis Mali maiora, fructum non rotundum esse, vt Epimelidis, sed oblongum, infernè graciliorem, supernè latiorem siue turbinatum, ex fuso liuescere. Ex vnica autem lacunosi vmbilici nota in Mespilo nostrate valdè perspicua, quam etiam Epimelidi Dioscorides assignat, inductos fuisse Herbarios, verisimile esse, vt crederent Epimelidem esse. Epimelis autem siue Setanios Diosc. & Gal. siue Mespilus Anthenoides Theophr. alia est arbor Dalech. de qua pòst. Clus. contrà asserit, vulgarem nostram Mespilum esse Diosc. Epimelidem quam & [illegible] appellari ait.

Mespilus serrato folio. Epimelis.

Lubet subnectere quæ olim Manardus de Mespilo vulgò vocata scripsit. Pomum id, inquit, continetur sub secundo Mespili genere, Setanion & Epimelis vocato; de quo fortè ait Theoph. Setania fructum grandiorem, candidiorem, lignúmque intus mollius habentem, &c. Mespilum nostram magnitudine ita superat Azarolum, vt ad iusti Mali crassitudinem aliquando accedat: coloréque est, si non plenè candido, ad candorem tamen plus quàm Azarolum deuergente, maturum faciliùs soluitur, vt suctu etiam ab edentulis succus eius possit sorberi: lignum intus mollius.

Marcellus Hermolaum carpit, quòd [illegible] [illegible], acinos molliore ligno conuerterit, quum [illegible] nucleum, non acinum significet. Sed Hermol. taxari in hoc non potest, nisi pariter & Plin. accusetur, qui lib.15.c.20. eisdem omnino verbis locum illum Theoph. in suam transcripsit historiam. Auic. lib.2. cap.153. Zarur siue Alzarur secundum genus vocari à Græcis dicit Teselinon & Sentalium pro Setanio & Epimelide, facere capitis dolorem & esse malum stomacho: quæ ratione carent, bonis Authoribus aduersantur, nec experimento comprobantur. Ea enim quæ adstringunt, quum vapores deprimunt, caput potiùs iuuant, & vi illa adstringente ventriculum roborant. Causa erroris Auic. fuisse putat Monar. quòd Comari vel Arbuti fructum, rem quidem à Mespili vtroque genere diuersam, nomine verò similem [nam & ipsa Epimelis à Galen. & Paulo dicta est] cum Mespilo confundit. Cur verò Comarum siue Arbutum Manardus effigie quoque cum vtroque Mespili genere similem dicat, non videmus: nobis plurimùm differre videtur. Illud etiam considerandum an Gal. & Paul. non malè Epimelidis nomen applicuerint Comaro, [si modò idem esse voluerint: nondum enim planè constat nobis.] Et cur non potiùs secuti sint Dioscoridem. Quo etiam loco Paulus meminerit Setaneæ, si id non fiat lib.7. sub Epimelide, sub litera E. nondum inuenimus. Idem dicimus de Galeno à quo Paulus desumpsit. Vt apertè quod sentimus exponamus. Existimamus sanè cum Cordo, Epimelidi siue Setaneæ, nescio quâ incuriâ attribui vires quibus caret, nempe Arbuti siue Comari, quæ fortè meliùs Latinè dicta Vnedo à Plin. quàm Mespilus Setanea, vt quidam volunt. Non propterea excusamus Auic. qui perpendere debebat vires Mespili Setaneæ siue Epimelidis. Illud addimus, si Comarus à Gal. & Paulo Epimelis dicta est, vt vult Manardus, ad quid illa repetitio in vtroque, vnius plantæ duobus locis, nempe sub K. & sub E. Paulus quoque non magis quàm Auic. excusari potest. Apud Gal. fortè irrepsit

Marcelli not. Hermol. excus. Zarur. Azarur. Teselinon. Sentalium. Auic. not. Manardi not. Gal. correct.

psit error culpa transscribentium, apud quem deleri velimus, quæ de Vnedone scribit, de dolore stomachi, capitis, & qualitate aliena. Marcellus videtur τρυφερὰ καὶ εὐστόμαχα hoc est nucleos molliores apud Diosc. tribuere priori Mespilo, præter nostram & Manardi sententiam. Præterea nostram Mespilum dicit nullis spinis armatam, quod tamen Theoph. suæ Anthedoni siue primæ Mespilo tribuit.

Marcell. not.

Epimelis unde

Ἐπιμηλὶς à Græcis dicta videtur, quòd feliciter in Malo inseritur & quasi ἐπὶ τῇ μηλέᾳ, id est, in Malo adoptata creuerit, vt annotat Marcel.

Nomina diuers. linguarũ.

Lat. Mespilus G. Naspelbaum / Nespelbaum / fructus Naspeln & Nespeln. Hung. Naspulya, Belg. Mispelboom / Mispel. Gal. *Nesplier, Nefflier. Neffle.* Ital. *Nespolaro, Nespola.* Aliud verò est *Azarolo* Neapolit. & Italis plerisque, vt liquet ex superioribus, etsi nonnulli confundant, atque ipse adeò Had. Iun. Hisp. Castil. *Mespero* aut *Niespero.* Catal. *Nesple.* Portug. *Nespereyro.* In Hispania vulgò vocant *Nesperas* à similitudine campanularum; quibus vtuntur ad nocturnas vigilias, teste Lacuna. Bohem. Nyspule. Angl. Medler tree, vel open ar tree.

Asculeum.

Nomenclator Tubing. Aesculeum Naspelbaum vertit: sed vnde istud nominis sublegerit, nescimus.

Differentiæ. *Vulgata Mespili. Mespilus spinosa. Mesp. non spinosa seu mater.*

Porrò vt de specialioribus etiam huius differentiis distinctius aliquid dicamus, annotat Ruel. in Gallia duo genera Mespili obseruari, vnum, quod rarioribus horret spinis, pomo paruo: Alterum grandiore pomo, ita vt Mala reliqua magnitudine peræquet, sine spinis, quam mutationem videtur crebro insitu in hortis subiisse. Nos quoque & vtramque agnoscimus, & colimus. Et in minore vtriusque generis folia nuper admodũ obseruauimus, serrata & non serrata, quod nondum annotaueramus.

Mespilus vrbana. Mesp. sylu.

Gesnerus distinguit inter Vrbanam atque Syluestrem, huiusque fructum ait esse odoratiorem. Vnicum tantùm genus putat Tragus, sed cultu differre. Matthiolus scribit Franciscum Calceolarium Mespila ad se misisse: nulla intus officula continentia. Fab. Columna quoque meminit minoris Mespili ex genere Setaneę, quam Neapoli exossem appelant: de qua capite præcedenti.

Mespilus sine nucleo

Exossis.

Locus & Tempus.

Mespilus vulgò dicta passim hodie colitur in hortis Germaniæ, Galliæ, Italiæ, etiamque Angliæ. Nos & maiora & minora habemus in horto E.C. etiamque insitas in Oxyacantha, [spino alba dicta] fructu amplo; cuius folia partim non serrata, partim serrata. Quę non insitæ sunt, spinosæ ferè sunt, & paruos edunt fructus. In Germania etiam spontè prouenit, sed semper vicinam habet Malum, autore Cordo. Floret Aprili & Maio. Fructum perficit Sept. fine, aut etiam tardiùs: decerptaque demum mollescunt, & esui fiunt grata. Non magna alioqui indiget cura in plantando, nam asperis & incultis locis gaudet. Sic inter Argentinam & Badenses thermas inferiores in syluis sua sponte luxuriat, ac omninò eos ferè tractus amat, quos & Sorbus quærit. Sed maior & præstantior, nonnisi cultura comparatur, inseriturque aptè Piro sylu. aut Cynosbato [id est spino albę] vt annotat Tragus. Basileam ex Alsatia maiora importari solent Nouembri adhuc integra & edulia. Obseruatum est sapidiora melioráque futura si legantur, postquàm pruinam vnam aut alteram senserint.

Vires & vsus

Theophrastus Mespila terrestria dicit, ideóque serò maturari, quòd ob duritiem serò fiat æquabilis eorum caro ad succi repræsentationem, vt ex eo his nostris accommodare videtur Scalig. Et sunt sanè etiam Mespila nostra (quemadmodum & Sorba) vtriusque generis frigidæ & siccæ ferè qualitatis, aluo ideo sistendæ vtilia. Eiusdemque temperamenti sunt folia. Et quęcunque de Sorbis dicta sunt, de Mespilis quoque intelligi possunt, autore Trago. Comesta Mespila vulgaria conferunt vomitui, dysenteriæ & omni fluxioni ventris. Si decocto immaturorum colluantur os & fauces, reprimit fluxiones in fauces dentes atque gingiuas. Insessus reprimit menses mulierum. Paratur quoque ex Mespilis siccis, succo rosarum, Garyophyllis, pauco corallo, & nuce moschata, cataplasma quod applicatum regioni orificii ventriculi, potenter compescit vomitum ciborum. Puluis glutinat vulnera recentia, reprimit fluorem sanguinis: deniq, constringunt, corroborant, cõstipãt, fructus & folia. Nuclei puluerisati & poti cum vino albo in quo decoxerint rad. apii satiui, mirabiliter pellunt calculos renũ, vt scribit Matthiolus. Nec Matt. tantùm, sed & Corn: in puluerem detrita officula, tam ad renũ quàm ad vesicæ lapidem atterendum commendat. Et Agricola, licèt (inquit) fructus astringat, seminum tamen puluis lapillos vehementer ex renibus eiicit, vrinam cit, & vesicæ lapidem comminuit. Brassauolus solo huius pulueris auxilio magnam vim lapidum è renibus cuiusdam calculosi se expulisse gloriatur. In altero verò adeò renum lapillos comminuisse, vt in puluerem redacti sine dolore exierint. Ex Herbariorum cœtu quamplurimi, easdem eis vires attribuunt, calculos conterendi.

Alui fluxus. Folia.

Vomitus. Dysenteria Fluxiones. Menses.

Cataplas.

Vomitus.

Puluis ad Vulnera. Sputum sang. Calculus.

Nec Herbarii modò, sed Practicorum pars maior eadem commendant & passim in suis libris calculosis præscribunt, atque ita quà primum data porta est, ceu impetu quodam, ruunt omnes, magno, mehercle, & artis & rationis ludibrio. Nam cedò, det aliquis lapillos contritos, vel per se vel cum aliis adstringentibus, quis credat qualitatem adstringentem quæ manifestè in iis est, tale quiddã præstare posse, cùm potiùs constet talia nephriticis & calculosis valdè esse contraria? Rursus detur cum aliis non adstringentibus, sed aperientibus & diureticis, vt [Matthiol. imitatione] cum decocto Apii, quis rationis compos non videat contrariæ qualitatis mixta, sibi inuicem obesse, & se mutuò retundere? At inquies experientia hoc docet, quæ rerum magistra, vel decem refutandis rationibus sufficiat. At quotusquisque quæso mortalium sit, aut prudens esse possit, qui pro vero & indubitato asserere audeat euenisse illud (Si fortè contingat iis sumptis reiici) vi & virtute nucleorum Mespili? Quid si fortè fortuna calculi reiiciantur paullò antè assumpto caseo, num propterea ei hanc vim tribuemus? licet fortè magis rationi consentaneum hoc esset, quippe in quo propter sal partes quædam sint attenuantes & abstergentes. Sed quid occlamatur vulgo, cui nec in decernendo nec iudicando modus. Aliter doctis & peritis Medicis persuasum nouimus. Agyrtis & gloriosis hominibus, talia sua secreta & nescio quæ talia (quibus ferè hodie scatent practicantium libri) fabulosa relinquamus, se digna. Enimuerò sanè pluris fecerimus ad calculum apii radiculas vel fœniculi semina ex vino albo decocta, & epota, quàm immensam nucleorum Mespilorũ vim. Dodonæus fructum ipsum Mespili vulgati ob nimiam acerbitatem κακοστόμαχον dicit, ac ventriculo ingratum, ideóque capitis mouere dolores, vt Gal. scribit: quod quidem verum, si

Reprobatur opinio eorum qui lapillos Mespili, calculos comminuere credunt

adhuc durus & priusquam mollis tenérque reddatur, edatur. Mollior factus minus adstringit, nec ventriculo æquè molestus est: citò tamen corrumpitur, vt qui iam semicorruptus existat, quamobrem & parcè admodum hoc fructu vtendum. Hæc ille. *Mespila* Nostri ea cruda adhuc, necdum fracida, sed maturitati proxima condiunt, quo modo parata stomachicis, & calidis ventris in æstate profluuiis conducunt. Eadem per gelicidia, non condita quidem, sed acerbitate domita in passo vel mulso coquuntur, adiecto Cinamomi momento, cibatu vescentibus gratissimo. *Decoctum.* Sunt qui patinis ex aqua decoquunt, alii ex vino. Omnium vsus ad coërcendum alui ruentis impetum. Aqua in qua cocta quatuor aut quinque Mespila matura, grato est sapore, & colore similis aquę ex Cinnamomo paratæ, roborat mirabiliter relaxatum ventriculum, teste, Lacuna. *Lignum.* Galli, inquit Ruell. plurimùm ligno ad venabula & aurigarum flagella vtuntur. Optassemus tandem Petrum Pigray in Chir. dixisse, an de maturo, vel potiùs immaturo Mespili, vel vt ipse legere videtur Mespidi fructu intellexerit, quod scribit, fructus frigidus & siccus tertio cum adstrictione.

LATA GVINEÆ, MESPILVM OSSICVLO LEVI, SPADICEI COLORIS.

CAP. XI.

Ossiculum Mespili. Descriptio FRuctus exoticus quem VVilhelmus Parduinus è VValachia misit, [inquit Clus. Exot lib. 2. cap. 22.] ex Guinea allatus est, quo se à nauta donatum scribebat officuli Mespili appellatione: quod sanè ab illius forma non erat valdè absimile, præsertim prægrandium Mespilorum, & leue, & spadicei coloris, in medio nonnihil tumens, & paululùm ab vno latere scabrum & subalbidum. Honestissimus vir Franciscus Peninus similia etiam mittebat anno 1598. recens allata ex Guinea ab ipsius filio Petro, asserente mali, esui apti semina esse. Is autem in sequente anno Guineam denuò profectus, paulò diligentiùs hunc fructum obseruabat, vt ineunte anno 1600. intelligebam. Porrò, ipso referente Lata [sic illum fructum appellabat] exigui Pyri est magnitudine, magis tamen rotundus coloris ex aureo flaui, interdum etiam rubentis instar pomi, tenui cortice præditus, qui detractus, in tenuia stamina fili modo abit: sapor cum dulcedine adstringens, ita vt os valdè refrigeret: eam ob causam Lusitani istic degentes in febribus ardentibus exhibebant: ipsam pulpam esse dicebat, coloris aurei Saturi ad rubrum inclinantis, lentam nonnihil & viscidam. Singulos autem fructus, quina ossicula continere surrecta, quemadmodum Mespila, eaque separatim tenui inuolucro tecta, Serico crudo candido simili. Nasci in arboribus Pyro similibus, humanam tamen altitudinem non superantibus, cuius folia ex atro viridia essent, pyrique foliis magis orbiculata.

MESPILO NON VALDE ABSIMILIS FRVCTVS, OSSICVLIS SPADICEI coloris splendentibus.

CAP. XII.

Descriptio APud Clusium Exot. lib. 2. c. 14. fructus depictus tertio loco, missus à Petro Gareto, de quo scribit: Mespilo Setanio non erat valdè absimilis, eiusdémque penè magnitudinis, capite tamen non plano, vt illud, sed in angustum contracto, vetustate rugas contraxerat, & satis fragili cortice constabat, fusco, nullius ferè saporis, qui tamen ore retentus, nonnihil adstrictionis cum pauca acrimonia coniuncta possidere videbatur: quina introrsum ossicula Mespili instar continebat: sed maiora, & non rugosa vt illa, verùm valdè leuia, & splendentia, spadiceique coloris, & nucleum continentia.

MESPILO VALDE SIMILIS FRVCTVS SINE GRANIS.

Descriptio FRuctus Exoticus per Mercatores Amstelredamenses delatus in Iauana nauigatione, quem Clus. Exot. lib. 2. c. 15. icone exhibet sub numero 8. ac scribit. Mespilo valdè similis erat Octauus fructus, vncialis magnitudinis, tersus, & politus, fusci coloris, adeò autem fragilis, vt paululùm compressus disrumperetur, valdè leuis, materiam continens fragilem & spongiosam, valdè salsi saporis, in qua nulla grana obseruare poteram: corona autem illa superna summum fructum occupans, alis carebat, quibus Mespilum est præditum. *Icon.* Huius icon cum præcedenti est num. 2.

MESPILO SIMILIS FRVCTVS AMERICANVS.

OBseruauit LERI in Brasilia in maris ripa multas arbusculas fructus ferentes Mespilis nostris similes, quorum esus pernitiosissimus. Syluestres si videant Gallos & alios peregrinos, monent vt hos fructus vitent, dicentes *Ypochi*, id est, non sunt boni.

CHAMÆMESPILVS.

CAP. XIII.



Descriptio INter siccas nostras plantas, Chamæmespili nomine ramos habemus fruticis cuiusdã, crassiores quàm vel Cotonastri vel Diospyri, cortice nigricãte striato obductos: *Folia.* folia plerumque indidé plura oriuntur, non vt Coтoneastri rotunda, sed oblonga, alia palmum longa, semunciam lata, alia sescunciam aut vnciam longa *Flores.* semunciam lata, vtralibet in acumen desinentia, per ambitum serrata, vtrinque glabra, neruosa, atrouirentia, pediculo satis breui hærentia. Flores densi velut in vmbellam, Sorbi alpinæ more, digesti, pediculis lanuginosis, modò breuibus, modò

Digitized by Google

dò longis, in extremis ramorum hærent: quibus fructus succrescunt eodem dispositi ordine, Sorbi torminalis fructibus similes, oblongi, rubri, quãtùm sicci ostendunt, vmbilico mediocri: in quibus bina grana continentur oblonga. *Fructus.*

Nomina & Synonyma. Huius fructus & fruticis primus, quod equidem sciamus, meminit Gesnerus in epist. ad Fabricium, sic scribens: Baccæ illæ rubræ rotundæ vmbilico quinquepartito insignes, quas misisti non sunt Cotoneastri sed Chamæmespili, quam ego sic vocaui & descripsi cum operibus Cordi. Quæ eius verba hic posita benè conueniunt cum Chamæmespilo: non item ea quæ apud Cordum, vbi Cotoneastri descriptio. *Locus. & Tempus. Descriptio Clus.* Clus. in Pann. scribit: quam Gesnerus Cotonastrum vel Cydonaginem & Diospyron, & Wildkütten (quasi dicas Cotonea sylu.) in epistolis appellat, à Vite 3. Idæa Theoph. quæ Penæ & Lob. *Amelanchier*, distinguere videtur, cùm illius baccas rutilas esse ait siccas, carne & succo nullas, seminibus intus quaternis, triangulis. Eum fruticem legisse arbitror in Snealben iugis, Iulio florentem, & fructus rudimentum efformantem cubitalibus ramis, lentis, nigro cortice tectis & nudis, quorum summitates desinebant in breuia germina incana, quinis aut senis foliis prædita, Malo similibus, supernè virentibus, infernè nonnihil candicantibus, in ambitu serratis, gustus amaricantis: inter quæ veluti vmbella flosculorum occultabatur quinque foliis constantium, coloris purpurascentis, quorum deinde sedes in exigua mala extuberabat. Illum ipsum quem legebat ramum depictum exhibet, hoc titulo Cotoneaster fortè Gesneri. In postr. hist. retinet hunc titulum, & addit: *An Agriomelea Bell.* An verò Agriomelea Bellonii, quam lib. 1. cap. 17. in Cretæ montibus inuenisse scribit, exiguorum malorum, Piris forma similium feracem? Ei sanè [illegible] Athenæi quodammodo conuenire videtur. Et ipse Bellonius eodem loco, Allobrogum *Amalancier*, siue Cretensium Codomalo, ab Agrimelea distinguit. Hęc ille.

Figura Clusii respondet Chamæmespilo nostro, non item Cotoneastro Gesneri, cui folia non serrata. Conuenit etiam nostræ Chamęmespilo, quod ait, folia in ambitu serrata, cum tota adeo descriptione: quæ item cap. 22. in Pannonicis: Chamæmespilũ in epistolis apertè à Cotoneastro differre docet Gesner. Si tamen quod res est, fateri liceat, suspicamur non benè notam Gesner. Chamęmespilum: & plantæ, quam pingit Clusius haud conuenire possunt Cotonastri, Cydonaginis & Wildkütten nomina: nec etiam Dyospiri, quæ est vitis Idęa 3. ipsius Clusii. *Clus. not.* Agriomelam diuersam suspicamur, nempe eandem cum Vite Idæa tertia. *Amalancier* verò, vel, vt habet Bellon. *Malancier* est fortè Cotonaster. *Malancier Bell.*

Porrò eiusdem à nobis depictæ Chamæmespili ramos perelegantes habet D. Casp. Bauh. Misit ad nos quoque D. Rentzius Medicus Fontis adm. doctiss. amicus noster singularis pulchrum ramum, nomine Vuæ Vrsi Cortusi in monte Baldo collectum, vt ille asserit. *Vua Vrsi.*

DE COTONEASTRO.

Cap. XIV.



Descriptio. Cotoneaster Gesneri frutex est ramosus, cultu tamen arborescens, cui folia Mali Cydonię, *Folia.* auersâ parte candicantia & lanuginosa, aduersâ verò neruosa & virentia, minimè per ambitum serrata sinuatáue, pediculo breui appensa. Flores concaui, herbacei plures iuncti cohærent, *Flores.* quibus succedunt fructus in extremis ramulis, veluti in oxyacanthe Matthiol. siue spino alba, bini, terni, vel plures, parui, compressi, ex rotundo oblongi, in vmbilico quinque partitis sectiunculis insigniti, cortice vbi maturescunt primò rubescente, cui tamen obducta est lanugo cineracea: sapor iis acerbus, ossicula intus continentur terna, aut quaterna, oblonga, hinc angulosa, illinc plana, duriuscula, quæ tamen dentibus facilè conteruntur, medullam claudentes albam. *Fructus.* *Ossicula.* Fructum Clusius dicit colore foris initio subflauescente, deinde rubro, carne intus pallida, fungosa, oxyacanthæ ferè sapore, quina ossicula siue semina continente.

An Bellon. *Malancier* Sabaudiæ, & Cretensium Codomalo? *Nomina & Synonyma. Melancier.*

Cotonaster vel Cydonago Gesner. quòd folia sint Cotoneæ Mali ferè. Fructus, baccæ Cotonastri eidem. Alibi tamen sui oblitus: Baccæ illæ rubræ, inquit, vmbilico quinquepartito non sunt Cotonastri sed Chamæmespili, quam ego sic vocaui & descripsi in operibus Cordi. Verum Cotonastrum ipsemet Gesnerus mihi [Bauh.] aliquando demõstrauit, nec dum video, nec ipse docet, quà in re differat à suo Chamæmespilo. *Codomalo. Cotonaster Cydonago. Gesn. not. Chamæspilus.* Diligentiores rem inuestigent. Descriptio sanè & figura Chamæmespili optimè conuenit cum Cotonastro: quod vt pateat clariùs, placet eius descriptionem in medium adferre. Chamæmespilum (inquit) fruticem nomino, quòd & valdè humilis & fructum ferens Mespilaceum proueniat. *Chamæmespili Gesn. descriptio.* Frutex est lignosus, cubitalis ferè, foliis ocymi subrotundis penè, parte supina incanis vel albicantibus, & modicè lanuginosis, ferè insipidis. Baccæ in eo singulæ aut binæ dependent, elegantes aspectu, cocci colore, magnitudine quà fructus Polygonati, vmbilico in sex partes dissecto, vt in spina appendice siue oxyacantha, cuius etiã saporem refert, hoc est, insipidum. Caro intus siccior, colore subluteo: grana terna parua ceu vinacea. *Tempus.* Maturescunt initio Iulii. Ramuli cortice subruffo vestiuntur, & minores ex eis instar viminum lenti sunt. *Locus.* Nascitur iuxta Badam & in Albio. In Bernensium agro *Melpi* vocant. Licebat etiam Zwergnespflen / id est, Mespilum terre- *Mespilus terrestris.*

Pirus ceruina. *Chamæmespilus.* *Chamæpirum.* *Melancier.* *Chamæapió* *Gesn. not.*

ſtrem vel Nanam appellare. Itali, ni fallor, Pirum ceruinam [vulgò *Pero Ceruino*] nominant : vt ex ramulo quem Aldroandus miſit, facilè concipio: etſi Bellonius cùm apud me Chamæmeſpilum hanc videret, ſimilem potiùs Piro ceruinæ, quàm eandem exiſtimabat. Naſcitur & Italorum Pirus ceruina in Alpibus : ramulo quem habeo cum folijs nihil differt : fructum non vidi. Bellonius Chamæpirum nominabat. Mihi rectiùs Meſpilis adnumeranda videtur. Idem alicubi in obſeruationibus ſuis Gallicis, hunc fruticem *Melancier* appellat. Chamæpiri nomen non laudo, Chamæapion potiùs dixerim. *Hæc Geſneri verba* nobis ſuſpicionem iniiciunt anne cum Chamæmeſpilo confundat plantam, quæ quibuſdam dioſpyros & *Amelanchier* dicitur. Nec benè diſtinguit à Chamæmeſpilo folio ſerrato. Erroris occaſio dicetur poſtea.

Locus. *Chamæmespilus* *Euonymus Alpina.* *Lob.*

Lob. & Pen. Arbuſculus frutex vt folio Mali, Baccâ Oxyacanthæ aut Pyracanthæ, in aſperis Mindenis Narbonnæ & ſaxoſis ad Baldum Veronenſem. Quidam apprimè docti Chamæmeſpilum ipſis ſuadebant : alij Euonymum Alpinam faciebant. Horum tamen figura non placet, in qua duplex genus florum, vnum nempe cum folijs longis conuenit Dioſpyro : alterum Cotoneaſtro : folia etiam Cotoneaſtri. Veremur ne duas confundant plantas. Noſter quoque pictor, ne non caſtigatus abeat, ramos nimis pinxit craſſos, neque flores & fructus adeò feliciter expreſſit.

Chamæmesp.

Camerar. Chamæmeſpilus, quibuſdam Epimelis: & alibi: Meſpilus altera humilis. Chamæmeſpilus Simlero & Thalio.

Mesp. 2. humilis. Epimelis. Mespilus anthenoides. Epimelis. Hamamelis Epimelis 2. Cotoneaster.

Dalechamp. Epimelidem eſſe arbitratur Dioſc. & Theoph. Meſpilum Anthenoidem nuncupatã: peculiari nomine Italis olim Vnedonẽ appellatã fuiſſe exhibet ex Galeno. Hippocratis ἀμαμηλίδας, eaſdem eſſe, quas Dioſc. Epimelidas dicit etiam ex Galeno. Item eidem, Epimelis altera, Cotonaſter Geſnero, & pleriſque Herbarijs. Eius ramum fructu onuſtum cùm ad Dalech. ille miſiſſet Epimelidis genus eſſe iudicauit. Prior figura quam Hiſt. Lugd. ex Dalech. obſeruationibus exhibet, eadem eſt cum Chamæmeſpili Geſneri icone : alia icon, quæ florentem exprimit & fructum non maturum, Dalechampio Lugdunum allatus ramus ex Rambert. An verò ſit Epimelis, iudicent docti Botanici. Nobis non ſatisfacit eius opinio. Nec placet Hiſt. Lugd. duo facere capita, quaſi Epimelis Dalecham. & Cotoneaſter differentes ſint plantæ, cùm ſint tantùm diuerſæ icones huius plantæ.

Dalech. & Hist. Lugd. repreh. *Gesn. not.* *Clus. not.* *Epimelis. Anthenoides. Setanium. Mespilus.*

Cluſius : Quam Geſnerus [inquit] Cotoneaſtrum & Cydonaginem & Dioſpyron & wild-küttten eodem loco appellat à ſua eiuſdem Myrtemelide diſtinguere videtur. Aſt nobis Geſnerus, vt dictum, non videtur benè diſtinxiſſe has duas plantas, ſed nomina confudiſſe. Icon à Cluſio poſita ſub titulo, Cotoneaſter fortè Geſn. non eſt Cotoneaſtri Geſneri. Idem Cluſ. in Pann. cap. ſeq. Geſnero [inquit] Chamæmeſpilum appellare placuit, quem alij Recentiores ſequuti ſunt. Verùm in epiſt. ſatis apertè docet à Cotoneaſtro differre, cui maiores baccas, non adeò rubras nec adeò rotundas tribuit. In poſtrema hiſtor. pro Chamæmeſpilo Geſneri nouam habet iconem, ac addit. Sunt qui Dioſc. ἐπιμηλίδα & Theophr. Meſpilum ἀνθηδονοειδῆ eſſe cenſent. Epimelida ſanè Dioſcor. quam & σητάνιον appellari tradit vulgarem noſtram Meſpilum eſſe. Anthenoides verò Theoph. [quam Gaza Gallicæ appellatione expreſſit] qualis ſit, non facilè iudicari poſſe. Sibi porrò videri hunc fruticem plurimas notas habere cum Κομάρῳ ſiue Arbuto Dioſc. quæ à Theophr. Arbuto differat. Idem Cluſ. pro Chamæmeſpilo Geſneri eius Cotoneaſtrum deſcribit. Nobis verò minimè videtur Arbutus ſiue Comarus Dioſc. à Theophraſteo differre, multò minùs Cotoneaſter eſſe, ſi Chamæmeſpilus eſt, vt Cluſ. nominat. Error inde prouenire videtur, quòd apud Dioſc. quidam legunt Comarum eſſe folio Cotoneæ, licet id Dioſ. non ſcripſerit.

Comarus. Arbutus. *Clus. not.*

Locus & tempus.

Frequens eſt hic frutex in omnibus non modò Alpibus, ſed montibus etiam quibuſdam, Viennæ Auſtriæ vicinis. Ineunte Vere profert flores. Auguſto maturat fructus, vt teſtatur Cluſ. Epimelis Dalech. vt tradit Hiſt. Lugd. in Alpibus, Apennino, & in excelſi montis iugo, qui apud Allobroges D. Ramberti cœnobio imminet, copioſiùs naſcitur, nec non in niuoſis montibus. Nos obſeruauimus in Rhæticis montibus, & in monte Saleua Geneuenſium: In Aquæcidâ monte Baſilienſium [vulgò Wasserfall] vidimus Auguſto, cum fructu maturo. Dolæ pulchram arborem obſeruauimus in horto D. *de Bellefontaine*, florentem Aprili. Sed & DD. Iacobus Zuingerus, ſingularis amicus noſter, & omnis naturæ atque ſcientiæ diligentiſſimus cultor in horto ſuo coluit ſatis elegantulam arbuſculam. Ramum nobis cum alijs multis naturalibus reliquit inſignis ille ſui ſeculi Pharmacopœus Valerandus Donrez cognatus noſter : (qui ſua omnia familiariſſimè Geſnero communicare ſolebat) cui hæc erant adſcripta. Dioſpyros quorundam, Chamæmeſpilus Cordi, Agriomelea Bellonii : Lotus arbor Conſtantino: *Amalanchier* Gallis. Atque hinc fortè lapſus ſuprà oſtenſi. Ea enim nomina, quæ Valerandus ex aliorum potiùs quàm ſua [vti videtur] ſententiã adſcripſit, qualia ſunt, Dioſpyrus, Agriomelea, Lotus arbor Conſt. neutiquam Cotoneaſtro conueniunt.

Diospyros. Chamæmespilus. Lotus. Vnde occasio erroris Gesneri circa huius fruticis historiam.

Vis & Temperã.

De huius fruticis viribus, nihil hactenus, quod equidem ſciamus, ſpecialiùs proditum. Lob. & Pen. præſicco guſtu dicunt, nonnihil tamen calido, acri & adſtringente.

DE CYANO ARBOREA.

Cap. XV.



Descriptio.

TRactationis locum ſibi vindicat foliorum ſimilitudo arboris cuiuſdam, cuius ramum adſeruabat ex Candia aduectum Caſabona, quem Cyanum arboream nuncupabat : cuius foliũ, [quod apud D. Rentzium vidimus, 1596. eiuſdem Caſabonæ munus] quod immediatè ramo adhærebat, vt ille dicebat ad Cotoneaſtri Geſneriani folia accedit, colore ſubtus argenteo, ſupe-

Folia.

superiùs virente, fimbria alba, latitudine & proportione quam icon repræsentat, quæ & vtramque folii faciem ostendit, cum costę diuisurâ.

Diligens Philiatros D. Ioan. Henricus Frolich. Basil. anno 1608. duo mihi folia obtulit. Vnum magnitudine nostræ iconis, cum pediculo longitudinis vnciæ vnius & semis. Alterum in omnibus erat multò maius.

Periti considerent, quantùm à modò descripta differat, planta ab Hon. Bello ex Creta missa Clusio, quam sic describit: pulcherrimus frutex, cuius semina etiam mitto, ad duorum cubitorum altitudinem assurgit, in orbem diffunditur, perpetuóque viret. Folia habet longa, rotundiuscula tamen instar foliorum Mali, firmiora, lætissimè virentia supernè, inferiùs verò alba quadam lanugine obducta, vt argentea videantur, cauliculos albos, lanuginosos, quos folia vtrinque ambiunt, in quorúmque extremitate flores cernuntur specie thyrsi, vt in Saponaria vulgari dispositi, sed figura *Cyani flore.* Cyani, colore phœniceo, calyce tamen longiore quàm Cyani, squammato, albo & rubro colore *Flores.* prædito. Flores in pappos resoluuntur. Semen *Semina.* longius quàm Cymini, calicésque sunt perennes. *Locus.* In altissimis præcipitiis inter saxa prouenit. Quo nomine autem vocetur, nondum se scire potuisse ait.

DE DIOSPYRO.

CAP. XVI.

Descriptio PVlcher est frutex, & qui multos à radice statim stolones edat, homine etiam proceriores, eósque ramosos, cortice intectos spadiceo. *Folia.* Folia primo pullulatu ex oculis plura simul proueniunt, incanâ lanugine subtus pubescentia, supernè viridia, quæ adultiora decussâ, penitùs vtrinque glabra sunt, Piri foliis similia, magnitudine varia, vnciam aut sescunciam longa, latitudine semunciali, aut etiam plusquam vnciali, per extremum rotunda, circumquaque crenata, pulchris frequentioribus neruulis obliquis à medio recto *Flores.* donata. Flores inter lanuginosorum foliorum rudimenta oriuntur plures iuncti, candidi, è quinque foliolis longiusculis compositi, inodori ferè: *Fructus.* quos baccæ excipiunt violacei vel nigri coloris, vmbilicatæ, quinque laciniis coronatæ, sapore *Semina.* dulci, suaui, in quibus semina plura [dena aut interdum plura Clus.] oblonga, nigricantia, Pirorũ seminibus similia.

Synonyma autorúmque sententiæ. An Ficus Idæa Theophrasti? Quam sic describit: Ficus Idæa fruticosa est, nec procera sed crassa, vt vel cubiti spatium in ambitu habeant *Ficus Idæa* fruticantes rami, ligno contorto, lento, inferiùs læui, enodi, superiùs in orbem comoso, colore tam folii, quàm corticis liuido, figurâ foliis Tiliç simili, molli, latóque, magnitudine pari. Flos Mespili, & cum Mespilo floret. Fructus quem Ficum vocant, rubet, magnitudine Oliuæ, sed rotundior, gustu Mespili. Crassas agit radices, vt Ficus vrbana, lentásque: Arbor hæc non putret, cui cor solidum, & absque medulla. Hæc ille.

Flos & fructus satis accedunt. Folia potissimùm difficultatem iniiciunt. At docti norunt, *Pirus Alexandrina.* Theophrastum pleraque sua ex relatu aliorum de plantis prodidisse: vt tantò faciliùs cum ratione coniectantibus venia sit danda. Non enim statuimus, sed considerandum relinquimus Doctioribus.

Conferant etiam periti adductam Theophrast. descriptionem cum Sorbo Alpina, de qua superiùs traditum.

Athen. Ficus Idææ meminit ex Theophrast. de Ficorum generibus loquens: Idęa inquit, rubet, oliuę magnitudine, rotundior tantùm, sapore Mespili, Alexandrinam hanc ibi vocant (at hoc Theophrast. non de Ficu, sed de Lauro) crassitudine cubitali ramosam, materie validam, lentam, sine lacte (hoc de suo addit) cortice viridi (at χλώρα τῷ φλοιῷ μᾶλλον esse dicit) folio Tiliæ, sed molli. Profectò (inquit Scal.) vanos mortales. Nihil Ficus obtinet, non colorem, non folium, non fructum. Floret hæc: non floret Ficus: postremò lignum dissimile tum constitutione, tum natura. Bellon. Agriomelea: in Creta fert parua *Agriomelea.* Poma, Piris similia: in Gallia reperitur tantùm in rupibus Fontainebleau, Regiæ arcis dictæ. Gesf. Diospyros eruditorum circa Riuarium lacum *Diospyros.* Pira S. Ioannis: Bernenses Flübiren: Videtur ad *Pira S. Ioan.* Sorborum aut Mespilorum genus pertinere. Sic *Sorbi genus.* describit: Arbuscula foliis fermè Rosæ, venosis, fructu rubente, vmbilicato, magnitudine & figura *Descriptio Gesn.* Cerasi, per maturitatem ad subcœruleum primùm, deinde nigrum colorem tendente, floribus albis. Cubitos alta quatuor aut quinque: quanquam etiam octo cubitos proceræ inueniãtur, trunco non crassiori bacculo. Idem alibi: Sorbis etiam cognata videtur Dyospiros, si fructum *Diospyros.* respicias, nam foliis plurimùm differt. Et alibi specie & figura omnino vitis Idææ dicit, adeò vt vel Lotus Alpina dici mereatur. A' Germanico Flüs *Lotus Alpina* birle / etiam Pyrastrum Idæam, vel petræam vocare poterimus. Et rursus alibi: Fruticem quem *Pyraster Idæa.* Chamæmespilum nomino, Itali, ni fallor, Pirum *Chamæmespilus.* Ceruinam (vulgò Pero Ceruino) vocant: vt ex *Pirus Ceruina.* ramulo quem Aldron. ad me misit facilè concipio, etsi Bellonius cùm apud me Chamæmespilum hãc videret, similem potiùs Piro Ceruinæ, quam eandem existimabat. Nascitur & Italorum Pirus ceruina in Alpibus. Bellon. Chamæpirum nominabat, quam vocem non probo. Chamæapion *Chamæpirum.* potiùs dixerim. Verùm existimamus Gesnerum *Chamæapiõ.* tunc cùm suam describeret Chamæmespilum, quã eadem facimus cum Cotoneastro (vt iam diximus in præcedentibus) non distinxisse benè Diospyron *Gesn. err.* quorundam, seu Pirum ceruinam, à suo Chamæmespilo: *Pirus Ceruina.* & rectè monitum fuisse à Bellonio. Erroris causam diximus cap. de Cotoneastro. Et alibi: [in epist. vt præcedentia pleraque.] Quem Itali fruticem Pirum ceruinum vocant, ego quia antiquum nomen non inuenio, Myrtomelidem, *Myrtomelis.* aut Petromelidé tantisper nominabo: Idem scribit *Petromelis.* Diospyron in Creta Codimalon, Bernensibus *Codimalon.* Flübirle, Tigurinis Wild Küttenen dici. Sed posterius hoc nomen, quod cotoneam syluestrem sonat, neutiquam probamus, quòd nec folia, nec florem fructúmve similem habeat Cotoneæ. An verò sit Codomalon Cretensium, nos latet: & *Gesneri reprehen.* tamen non esse existimauerimus. Si considerentur Bellonii verba, fortè apparebit non esse. Ne- *Diospyros non est.* que iis assentiri possumus, qui Diospyron Theophrast. faciunt. Baccæ sunt potiùs Myrto similes, quàm Ceraso, vmbilicatæ: nec durum continent nucleum, quæ duo requirit Theophr. in sua Diospyro.

Cùm essemus Patauii, Nobilis Botanicus Cortusus appellabat Vitim Idęam Anguillaræ. Qui- *Vitis Idæa* dam circa Lugdunum *Meleques* vocant. Ben. Aretius, Pirastrum. Lob. & Pena *Amelanchier* Gal- *Amelanchier* loprouincię montanæ: An eadem Alisier Gallorum sit dubitant. *Amelanchos* vulgò, quasi mel- *Amelanchos* leas dici baccas, propter saporem. *Amelanquus*

Amelanguer. Hamamelis. Homomelis. Myrtomelis. Alaternus. Lob. & Pen repreh. Vitis Idaa. Lingua Gottorum. Dalech. Athenæi ἀμαμηλὶς & ὀμαμηλίς. Myrtomelis Cordo. Etiam Allobrogum vulgus *Ame'auchier*, perinde ac si μηλιχέα, id est, Melleum pomum dicere vellet, aut Hamamelida: Nantuatenses, *Manternier*, quæ vox ex Alaterno videtur esse deprauata, cùm tamen Alaternus esse non possit. Non est vt quidam autumant [Lob. & Pen.] Gallorum *Alisier*. Vitis Idæa 3. Clus. Tertia [inquit] ab Italis vitis Idæa Theophr. censetur. Rustici montani Austriaci *Fliegenber* vocant, aut quòd muscæ eius fructum ob dulcedinem appetant, aut quòd neglecta ab auibus, muscis in pabulum cedat. Simlerus *Flübirlin*, hoc est, Pirum petream, ni fallor, appellat. Idem Clusius ait Gesnerum huic in epistolis varia tribuere nomina, [si modò hanc intelligat] quam paulò antè diximus. In postr. Hist. addit Clus. Dalechampium Epimelidem 2 vocare, ac Cotonastrum Gesneri esse putare. Deinde alio loco Ἀμαμηλὶς seu Ὀμαμηλὶς Athon. eiusdem Dalech. dicit. *Clus taxat.* Sed in eo fallitur Clus. quando Cotonastrum Dalech. eundem censet cum sua Vite Idæa 3. quandoquidem duæ sunt diuersæ plantæ.

Differentiæ. Gesnerus duas species dicit, vnam foliis obtusis: alteram acuminatis: cuius diligentiæ succrescens Dalech. duas figuras posuit: vnam latiore, alteram angustiore folio, quamuis reuera variatio tantùm sit eiusdem speciei, vt nobis quidem videtur.

Locus & tempus. Locis montanis, præruptis & saxosis potissimùm gaudet. Nec vllus est locus paulò asperior montanæ Galloprouinciæ, cui desit huius fruticis prouentus. Sic Helueticis, Austriacis, Sabaudicis ac Burgundicis, aliisque montosis variarum regionum locis prouenire solet. Floret Maio aut etiam Aprili. Fructum maturat Iunio & Iulio mensibus. Speciatim perelegans prouenit ad sacellum quoddam, vix binis Basilea distans leucis, in viuo saxo exsculptũ, quod Zũ vnserer frawen im Stein vocant, in rupe proxima. *Satio.* Eam aliquando delatam ex monte iuxta Oppidum & Castellum Claræ Vallis, in hortum transplantauimus, sed curam respuebat: Gesnerus quoque euulsam in horto plantare frustra se conatum scribit. E semine aut tenellula aliqua plantula in locum suæ naturæ competentem, fortè meliùs proueniret.

Vsus & fac. Stomacho. Suauis est eius fructus, & ita aptus stomacho, vt qui copiosè etiam ingesserit, non grauetur, vt testatur Gesnerus. Iam suprà dictum sapore esse dulci, & propemodum melleo. *Scopa.* Virgis in scopas vinctis vtuntur, ad areas verrendas, authore Lobelio.

DE MALO PVNICA.

Cap. XVII.

Dicta sunt Mali & Piri genera vulgata, & his adfinitate vel specie vel natura iunctæ arbores: ordinis nostri ratio flagitat, vt reliqua Mala persequamur, transitu facto ad Malum Punicam, inter notam & ignotam ferè mediam, donec ordine quodam succedant exotica & ipsa Pomi nomine comprehensa. Nam & doctissimus Cæsalp. Punica partim cum Malis, partim cum Citro conuenire scribit.

MALVS PVNICA.



Descript. PVnica Malus in iustã etiam arborem excrescit, ramis tenuibus angulosis brachiatã, quos armant spinæ rigidæ aliquot, cortex obducit rubescens: *Folia.* in his folia incondita, Myrti vulgaris æmula, vel etiam maiora, non ita acuta, ex viridi in leuem quãdam rubedinem vergentia, auersã parte neruosa, odore graui, præsertim si manibus contrectata naribus admoueantur. *Flores.* Ex ramorum lateribus flores emicant punicei, quinque foliis constantes, quorum medium occupant complura stamina Cytino insidentia, siue calyci, qui puniceo etiam colore fulget, vnciã longior, corticosus, in plures lacinias mucronatas facescẽs, quæ vmbilicum postea pomi succedentis coronant. *Fructus.* Est autem Pomo magnitudo varia, omni ferè ampla, & maximis ferè Malis æqualis, rotunda ferè, nisi quòd vtrinque leuiter compressa. Cortex mediocriter crassus, duriusculus, fragilis tamen, ante maturitatem viridis ac læuis, pòst puniceus & rugosus, qui tandem etiam ad spadiceum accedat, intus luteus, gustu adstringens, numerosis acinis plenus, vino abundantibus ebriis dulci aliàs, aliàs acido, interdum medio, *Sapor.* fauorum modo dispositis, carnosis membraneisque dissepimentis ceu parietibus intergerinis circumseptis, amaris, modò candidis: modò purpurascentibus: *Grana.* ipsis verò granis gygartorum vitis similibus, quæ constant ligneo cortice & nucleo amaro, non tamen sine adstrictione. Alit hortus Stutgardianus Punicam, flore quidem illam multiplicato, sed longè minùs denso quàm sint Balaustia, à quibus & cytinus dispescit longus, vt Punicæ iam descriptæ, quemadm & apices, quibus Balaustia carere videntur.

Theoph. sententia de malo Punica. Malus Punica Theophrasto non benè prouenit semine, sed ex virga, quin & cultura vno caudice, cæteris abscissis feliciùs adolescit. Auctu facilis est: Innocentissima arbor, quia paucam nec numerosam agit radicem, paucóque eget nutrimento, citò senescit: rigationes tamen amat, & vmbras. Caudice est breui atque contorto, medullà carnosà, ramis aculeatis, foliis angustis. Facilè amittit flores, quòd tenui ac debili petiolo appensi sint: supra debilitatem fertilissima arbor est: inulta tamen sustinet, nec τομὴν tantùm, sed & διαίρεσιν, discissionem inquam, & fissionem. Mutilatione durior redditur. Fructum fert, ex liquore & cortice constantem: semina congesta, putamine inclusa: succo acido, aliàs dulci. Flos huic soli Puniceus, fructui insidens. Ex dulcibus acinis vilis prodit, [legendum enim ἐκ γλυκίων, non γλαυκίων: non enim glaucis acinis reperitur, vt & Cæsalp. annotat] ex enucleatis dura, & plerumque acida. Huic frigus non nocet: dulcescunt fuilo stercore

lo stercore. Punica Aegypti & Ciliciæ mutato solo meliora redduntur: Euadunt enim alteræ dulces & vinosæ, alteræ sine nucleo, magnóque acino apud Pinatum amnem fructificant.

Punicum Hebræis celebratum. Porrò vt & de dignitate huius arboris aliquid dicamus, fuit olim Malum Punicum in sacris Hebræorum ceremoniis, lege etiam plurimum honoratum. Nam sacerdos sacrum tabernaculum ingressurus, vestem gestabat, in cuius imo margine, atque per ambitum alternatim Mala Punica, & tintinnabula pendebant, non sine mystica ratione, vti nos docuerunt sacri interpretes. *Punicum in pretio apud Ethnicos.* Fuit etiam apud Ethnicos in illorum diuinis percelebre. Celebre fuit & eo ipso Hæreum templum insulæ Euboeæ, in quo Iunonis simulachrum ex auro & ebore, Polycleti arte factum, altera manu Punicum, sceptrum alterà gestabat: quam Punicis gestationem Pausanias secretiorem dicit, quàm vt vllius sermone explicari debeat. Historiis quoque præcipuæ æstimationis vel apud ipsos etiam Reges fuisse docetur. *Historiis celebratum Punicum.* Darius rex, cùm ingens Punicum gestaret, rogatus, cuiusnam rei granorum illius numerum desideraret, respondit tot Zopyros, hoc est, tot uiros probos, qualis fuit Zopyrus Dario familiarissimus, quamuis hanc historiam paullò aliter recitet Herodotus. *Darii apophtegma.* Esurus, inquit, Darius mala Punica, simul ac primum Malum aperuit, à fratre Artabano percunctatus, nunquid tantumdem hominum sibi optaret, quantum illic acinorum esset; respondit, sed malle tot sibi fore Megabyzos, quàm Græciam subditam. *Aliud apophth.* Is enim eius exercitus dux fuit. *Milonis crotoniatæ exemplū.* Milonem Crotoniatem ferunt inter ea, quæ fortitudinis egregia facinora peregit, malum Punicum manu ita continuisse, vt nec vllo conatu eripere permiserit, nec pomum ipsum premendo collisum sit: quod tamen amasiam cum eo colludentem nullo negotio fecisse perhibent: ecquid enim non possit amor?

Cereris fabula. Nota est Græcorum fabula, quâ Iupiter Cereri à Plutone raptæ, restitutionem promiserat, sed ea lege ac omine, vt si nihil apud Inferos illa degustasset: sed huiusmodi conditionis haud reperta, tribus (vt Ouid. ait in 4. Fastor.) vel septenis (vt idem ait in 5. Metam.) Punici granis ieiunium soluerat. Hoc autem detexit Ascalaphus Orphnes & Acherontis, vel, vt alii volunt, Stygis filius quare in Auem Bubonem mutatus. Ad multas autem matris querelas, illi postremum indultum est, vt sex menses cum illa esset, totidem cum viro Plutone. Sed id non sine quadam mythologica ratione fictum, vt alia pleraque Græcorum figmenta. *Fabula Mystica explicatio. Allusio ad Lunæ motum.* Proserpina enim ipsa, Luna est, quæ toto anno sex mensibus crescit, sex etiam deficit: videlicet vt per singulos menses quindecim diebus crescens apud superos, apud inferos autem deficiens esse videatur. Sed cur Punicum malum introducitur potiùs præ aliis: An quia acini eius, quamminimum nutrientes, ieiunio tamē cæterorū ciborum ferendo sufficere queant, saltem ad tempus? *Laudatus medicorū Italorum.* Ita laudatissimum probamus morem Italorum, suis ægrotantibus, quibus quidem ieiunium prodesse possit, vix aliud vulgentium præscribētiū, quàm Punici acinorum cum aqua solutorum, vel eorum tantùm liquorem, quo simulac famem & sitim ęgrotantis fallant, atque adeò causę morbi siccæ, calidæ quidem alterando, frigidæ & crassæ, incidendo, attenuando, & nutrimenti defectu, consumendo resistant.

Non referemus hîc fabulam ex Arnobio, quomodo ex Agdestis virili membro se priuantis effluente multo sanguine, quem terra ebibit, nata sit arbor mali Punicæ cum Pomis, quę cùm Nana legisset, ac in sinu reposuisset, conceperit Atym, si credere fas est. *Malum Punica ex sanguine nata.* Nos vtiliora sectamur, & quæ ad Punici naturam declarãdam propiùs accedant.

Nomina & Synonyma. Mali Punica. Punica malus ῥοιὰ Theophrasto. & Dioscor. vel vt alii malunt ῥοά: quibusdam & ῥοιά. Flores κύτινοι: Pomi cortex Σίδιον Dioscor. & Malicorium Latinis. Syluestris Punicæ flos, βαλαύστιον eidem. Balaustium Lat. de quo postea. Arbor ipsa dicitur & Σίδη nonnullis: Σίδας ὀπῶδας dixit Hipp. Alibi tamen ῥοιὴν γλυκεῖαν habet. Nicandro quoque Σίδη dicitur.

Ipsum verò Malum à Carthagine, vbi laudatissimus proueniat, nomen accepisse volunt: à granis verò quæ intus continētur, *Granatum*, quamuis alii Granata etiam à regione Hispaniæ dicta velint, alii ab vrbe Granata: sed malè, inquit Lacuna, ab ea vrbe Granata dicta putantur, in cuius finibus pauca proueniunt: vt videant quid faciat, qui temerè & ex mera coniectura de sibi ignotis & peregrinis tradunt vel docuerunt. *Granatum.* Vt tamen dicamus obiter: potuisset & fructûs sola bonitas, non multitudo, nomini originem dedisse à loco, si modò talia ibi nascerentur quòd obseruent diligentiores. Sed quid iuuat nominis originem aliunde expiscari, cùm vberrima suppetat in ipso Pomo, & iam ante Catonis & Varronis tempora ita inde fuerit nuncupatum? Nempe Granatum à granorum fœtu dictum putamus.

Rhoidia Apyena. Sida. Rhoidia & Apyena mala Thales in lib. qui περὶ χαλαζῶν inscribitur, vt refert Stobæus. Boeticis autem Sida. Nam & Sida terra Boetica dicitur. Quo argumento Athenienses ab Epaminonda in Side regionis quæstione victi memorantur. Nempe referente Athenęo, orta inter eos contentione, quid Sidam appellarent: Epaminondas à dextra protinus conditum depromens malum sciscitatus quonam modo malum hoc vocitarent: responderunt Rhoam. *Rhoa.* Sed nos, inquit, Sidan. In eo tractu, de quo fuit contentio, plurimæ sunt Mali Punicæ, indeque pricipio nomen est inditū. Sic Epaminondas causam obtinuit. Pro Sidas tamen aliqui Sidam legūt: Sic Athenienses regionum fines appellabant. Epaminondas ita causam suam obtinuit. Σίδιον verò Dioscor. est mali Punici corium, & putamen. Σίδας Bœotis quoque Punica Sidas nominari idem Athen. scribit. Est & Rhoidion, exiguum Punicum apud eundem. *Opsigona.* Empedocles Obsigona vocabat: ὀψίγονα σίδια χειμερινὰ μῆλα: tardam ea voce maturitatem indicans. Nam nisi frigus, Solis feruidam vim, humectam & imbecillem reddiderit, eius fructum haud commodè concoqui tradunt. Et Theophrast. hanc arborem meliùs ac celeriùs fœtum suum in vmbra maturare prodidit: ὀψίγονα verò dicta quidam volunt, à florida & viuida vi: alii à cortice crasso de quo nunc non est disputandi locus. *H. Murphilota.* Geoponici aliàs Mala Granata aliàs Punica Mala vocant.

Granatum. Plinius quoque Punicum Malum quibusdam Granatum appellari scribit. Quæ posterior sanè appellatio hodie frequentior est, tam apud vulgus, quàm apud officinas, atque in ipsis adeò Practicorum libris. Quas ambas tamen indifferenter vsurpant Herbarii. Punicum tamen frequenter appellantes. *Theophr. locus restitut.* Notandum verò apud Theophrast. vbi agit de Sida. [quam Dalechamp. Nympheam putat] eiusque caput Malo Punico confert, semina verò dissimilia dicit, pro τῶ ῥίζας legendum esse τῶ ῥοιᾶς, non τῷ μήκωνι, in Gaza *Gaza not.*

legit. Festionem illam Athen. insinuat, atque ipse adeò verborum sensus, reique natura. Nam totum quidem Sidæ caput Malo Punico simile dicit Theophr. grana verò intus conclusa mali Punici granis dissimilia: quidam etiam Malogranata vocant.

Malogranata. Rimon. Kuman. Ruman. Roman

Hebræis *Rimon*, teste Trago. Chaldæis *Rimmona*. Arab. & Serap. *Kuman*: sunt tamen qui deprauatè scriptum putent pro *Ruman*. Alii vtrumque ponunt, & *Roman* quoq; pro eodem. G. Granatbaum / Granatöpffel / Marie / Magdalenenöpffel / Belg. Granaetappelboom, Granat appel. Gal. *Pommier de grenade, grenadier*, *Pomme de grenade & Migraine*. Ital. *Pomi granato*, *melagrani*, *granataro*. Hisp. *Granader*, *granadu Romanus*, Castil. *granada*, Catel. *magrana*, Portug. *Roman*.

Partium Punica nomenclatura.

Sed operæpretium est etiam partes eius paulò specialiùs explicari, quod plerarúmque vsus in Medicina sit maximus.

Sunt qui primum arboris germen erumpens Rhicinum vocitent.

Rhicinum.

Folium Apuleius ampullaceum dixit, fortè quòd sit quasi calathi effigie.

Cytinus.

Plerisque authoribus satiuæ flos, Cytinus dicitur, κύτινος ποτεινῶς, in cuius captu & ambitu futurum pomum iam tum continetur, & quasi conceptus acinorum, & fœtus ad maturitatem clauditur: sic Græcis dictus: κύτος enim illis sinus, venter vel cauitas est.

Aureliani lectio corr. Ambulacium Balaustiū.

Aurelianus Cytinum Ampullagium vocat, ab ampullæ similitudine quadam, quæ lectio magis probatur, quàm quæ alio loco extat, Ambulacium, authore H. Iunio. Syluestris florem, βαλαύστιον, Balaustium esse volunt, potissimùm Diosc. & alii.

Cytinus. Balaustia. Balausta.

Plinius verò ab his dissentiens primum Pomi partum, cùm iam florere incipit Cytinum vocat, tam satiuæ, quàm syluestris. In ipso verò Cytino antè, quàm Malum ipsum prodeat, Balaustia vocat. Alii vt Columella & Apuleius balaula: alii Balaustium vocauère tantùm caducum, ex Græco extorquentes, vt annotat Curtius. Sed & suam opinionem habet Cordus. Nam postquam Diosc. nomina & significationes proposuisset: nos [inquit] arbitramur alio modo differre. Cytini

Cytini.

sunt Punicæ tenelli fructus, qui statim post flores decidunt. Quod Diosc. scribit Cytinum florem, intelligimus de parte quæ fructus rudimentum est. Hæc etiam Balaustii nomine in Pharmacopoliis cognoscitur. Balaustium verò est flos

Balaustiū.

syluestris Punicæ, qui decidit spontè, quoniam inter pediculum & floris folia non habet caput, ex quo fructus fiant. Tales abortiui flores in multis arboribus & herbis videntur, præsertim in cucurbita & cucumeratis. Possunt tam in syluestri quàm Satiua Punica & Cytini & Balaustia nasci. *Hæc Cordus apud Diosc.*

Cord. not.

In historia verò sui oblitus, eandem cum Diosc. cantat cantilenam: sterilis flores Balaustia: Satiuæ Cytinos dici affirmans. Et sanè multas Malos Punicas vidimus in diuersis regionibus, tam satiuas, quàm syluestres, nunquam tamen animaduertere potuimus diuersos flores, hoc est deciduos & non deciduos in eadem arbore, cucurbitarum modo, nec etiam ferentes Balaustia. si is vidit Balaustia in satiua Punico nasci, cur non indicat? scimus quidem Plinium citra distinctionem tam syluestris quàm satiuæ florem Balaustium vocare, atque ita etiam indiscriminatim ipsas etiam Officinas Balaustia nominare atque vsurpare, quippe quibus Cytinorum appellatio de satiuorum flore sit incognita: sed an verè ac distinctè illud dicatur, de eo ambigitur? in qua tamen re potiùs Dioscoridem sequendum arbitramur.

Cortex. Sidium. Malicorium. Psidia. Cortex psidia.

Cortex siue putamen mali punicæ Dioscor. & Græci Σίδιον, vel Σίδια in plurali Galeno: Plinius & eum secuti sunt Latini, atque adeò officinæ, Malicorium, quòd vulgus ex eo corium parare nouit: ob id Malicorium Medicis dictum putat Plinius: Immò inquit Dalec. quòd Mali putamen & tanquam corium sit cortice durius, nucis inuolucro tenerius: quin & corrupto ex Græco nomine Psidia, & cortex Psidiæ passim iisdem officinis dicitur: sunt tamen qui putent Arab. Psidias dici potuit & ab iis corrumpi vox Græca: cautioribus cortex granatorum, σιδόεντος ... Nicandro: alius vt Io. Agric. ... vel ... Marcellus Med. caliculos Punici vocat.

Cortex granatorum. Vinum granat.

Sunt & Acini & grana rubra, in quibus succus, quem vinum Granatorum vocant, quorum nuclei Acini semina Celso, πυρῆνες Diosc. Acini tunica Varroni.

Cicus vel Cicum Cytini.

Membrana acinos discriminans Cicus vel Cicum Varroni. Capitula Mali Punici Celsus Cytinos vocauit lib. 5. in descriptione emplastri Rhypôdis. Nec illud tacendum Cytinum Dioscoridi etiam impropriè dici Hioscyami: propriè enim tantùm mali Punicæ est.

Differentiæ.

Mali Punicæ summæ & generalissimæ differentiæ, *Mitis*, vel satiua, & *agrestis*: & tertia ea quæ *Balaustia fert* itidem syluestris. Agrestem illam vocamus, quæ passim sua spontè fruticat in sepibus Narbonensibus, spinosior satiua. De Balaustifera agetur postea. Mitium alia σκληρόκοκκα Athen. dicta, seu durum nucleum continens: alia ἀπύρηνα, cui vel nulli, vel certè quàm minimi, & vix essatu digni nuclei: vtrumque genus agnoscit Theophrastus & Plinius. Sclerococca sapore distinguuntur & magnitudine, suntque vel dulcia, vel vinosa Theophrasto: Dioscoridi dulcia, acida, & vinosa: Galeno dulcia, acida & austera. His plura adiecit Plin. & quinque facit species: dulcia, acria, [austera Galeno] mista, acida, vinosa, quæ tamen tria genera facilè ad tria Diosc. possint reduci. Recentiores tria quoque tantùm celebrant præter ἀπύρηνα dicta, Sapore quoque distincta, dulcia, vinosa, & quæ Muza, quasi μέση: Et Monspel. etiamnum hodiè Mezanas vocant. Perperàm verò apud Plin. lib. 23. c. 6. nouem esse genera scribitur, cùm hoc nusquam apud vllum authorem extet. Ergo ex eodem, pro nouem, vox quinque substituenda, vel sanè vtraque omittenda.

Plin. locus corr.

Nostro hoc tempore Galli Prouinciales & Narbonenses dulcia celebrant, acida, & acido dulcia quæ nos vinosa putamus Diosc. Hæc vulgò *Vaiani* vocat Hetruria, quæque alibi *Ghiani*, & alibi *di Mezo* saporè Italico idiomate appellantur.

Vaiani.

Sed & magnitudine distinguuntur: dulcia enim sunt multò maiora & speciosiora, teste Lacuna. Quin & Cæsalp. dulcia vt plurimùm esse grandiora scribit, & granis maioribus, καλλίκοκκα vocat Theophr. qualia proueniunt apud Pinarum amnem. Quibus verò paruus nucleus inest, his natura protinùs vuam & vinum, non equidem mustum aperuit.

Callicocca.

Perhibentur etiam dulcia cæteris magis scabro esse cortice. Samia & Ægyptia distinguuntur Erithrococcis & Leucococcis, authore Plinio. Magis enim placet hæc lectio, quàm illa, Erythrocomis & Leucocomis, quam tamen plerique secuti sunt, excepto doctissimo Dalechampio. Vt sensu

Erythrococca & Leucococca. Plin. locus restit. & explic.

sus & Samiorum & Aegyptiorum Punica alia rubris esse granis, alia candicantibus vel albis.

Athen. Punica sic distinguit: Ex Punicis grana sunt aliis dura, aliis tenella & molliuscula, quæ Apyrena vocant, quorum & Aristoph. meminit in Agricolis, & in Non senescente. *Apyrena.* Apyrena Plinius dulcia dicit lib. 23. At in 15. ἀπύρηνα vocat, non quidem dulcia, sed quibus blandiores sunt acini, natura candidiore, minusque amaris distincti membranis: talia fieri ait Celsiciana, mutato solo, qui eiusdem mutatione dulcia in acida, & vicissim, haec in illa transmutari scribit. *Punicorum Metamorphosis.* Seneca autem apyrinon dici vult, non cui nulla sit nuclei durities, sed quibus minima, de quibus Martialis. *Apyrinon.*

> *Non tibi de Lybiis tubera, & Apyrina ramis:*
> *De Nomentanis sed damus arboribus.*

Amatus Poma Granata lignoso acino carentia Hispanis *Capharilla*, Italis *Alusi* vocari scribit, per quæ nos Apyrena intelligimus. *Capharilla Alusi.*

Cæsalp. tradit in dulcium genere reperiri Punica adeò paruo osse, vt eo carere videantur, quæ fortè & ipsa ad Apyrena referri queant.

Seneca in epistolis: sic sapiens imperturbatus dicitur, quo modo Apyrena dicuntur: non quibus nulla inest duritia granorum, sed quibus minor.

Non prætereunda hoc loco Punica apyrena Scaligeri. *Apyrena Scalig. Descriptio.* In Agro Babylonio sunt Punica Mala, non magna, cortice valdè tenui. Quo ablato manduntur, vt Pira. Non enim veluti nostra distinguuntur carneis dissepimentis, nisi perquàm parùm in imo medio. Duorum sunt generum. *Differentia.* Partim lignum pyrena habent adeò tenerum, vt mensum pro nihilo habeatur. Partim nullum habent. Sunt igitur vera ἀπύρηνα, sicut ἄποδες Manucodiata. Peior autem species ἀπόδων, sicut ἄποδες Vespertiliones, & Cypselli. Apud Bœotias Thebas, atque in tumulo Menœcei Creontis filii Punica nata (vt scribit Pausanias) cuius pomum sanguineum intus colorem repræsentat. *Punicum sanguineum.* Hactenus de differentiis.

Amat hæc arbor solum Cretosum, macilentum: *Locus & cultura.* sed in pingui quoque prouenit. Regio ei est apta, quæ calida est. Et tamen vmbras a matrigationes, & frigus non nocet, vt ait Theophrast. Sed intelligendus de frigore moderato. Nam si intensum frigus non noceret, etiam in Germania & Septentrionalibus regionibus proueniret, quemadmodum in calidis. In Germania non nisi magnatum hortos nobilitat, & id rarò, hyeme curiosè reponenda ne vi frigoris lædatur. In parte Africæ, quæ Antiquis dicebatur Punica, sub qua comprehenditur Carthago & Tunetum eius fructus optimus & copiosissimus prouenit: in finibus Granatæ parce, quicquid scribat Matthiol. nam hac in parte maiorem fidem habemus Lacunæ Hispano. Optima habentur in Regno Neapolitano & Valentino. Et hodie quoque Malogranata suppetunt in Brasilia, ex orbe nostro illata, vt ex historiis Indicis discimus. Coluntur in hortis Italiæ & Galliæ Narbonensis omnia tria genera, sapore differentia: speciatim Patauii, & Veronæ perelegantes vidimus, *à i Frati di S. Ioanne de Monte.* Geneuæ in hortis colunt, vbi facilè à frigoris vi deperditur, quemadmodum & apud nos, nisi caueatur. Pulchellam tamen arborem in multos iam annos colimus, vix floris gemmas protendentem æstatibus calidioribus. Stuckardiæ in E.C. horto pulcherrimè florent Iunio & Iulio, inter quas quædam flores pluscul is foliolis constantes exerunt, vti perhibet hortulanus. In calidioribus regionibus citiùs floret. *Tempus.* Platero magni nominis Medico, amico nostro, etiam fructû ad notabilem magnitudinem producunt Basileæ. Fructum maturant tardè & vix ante Autumnum: fortè citiùs in regionibus calidioribus.

Græci fabulantur & hic, more suo: satã nempe primùm Punicam à Venere, in Cypro.

Syluestre genus in planis & maritimis prouenit, in Gallia Narbonensi & Prouinciâ passim, gustu valdè acerbo vt Monspelii in sepibus. Non temerè in montibus visa est arbor Punica: colles tamen non planè respuit. Patauii etiam ad aquas crescit. Perdit facilè ante maturitatem fructum, & florem quoque roribus nimiis atque pruinis: qua de causa inflectunt ramos eius, ne subrecti humorem infestum excipiant atque contineant.

Malum Punicum autore Palladio, vere, vsque in Calendas Apriles rectè seritur: *Satio.* Locis quidem temperatis, Martio vel Aprili: calidis verò & siccis, Nouembri. Seritur plantis de matrum radice deuulsis. Sed quamuis multis generibus seratur, meliùs ramus eius cubitalis incisus manubrii crassitudine, & capite vtroque acuta falce læuigatus, scrobi velut obliquus immergitur, priùs tamen porcino stercore & in capite, & in imo oblinatur, vel in crudo solo malleo cogatur ad inferiora defigi. Meliùs proueniet, si ponendus ramulus gemmatâ iam matre seratur. Sed qui in scrobe deponit, si tres lapillos in ipsa radice constituat, prouidebit, ne poma findantur. *Vt meliùs proueniat.*

Lemnos incolæ, teste Bellon. Nerii flores spargunt & obligant ramis Granatorum, sibi persuadentes vim esse iis floribus impedientum defluxum florum: affirmant etiam impedire, ne findatur poma. Nos ista vix superstitione carere putamus. Sanè perlibenter hic aliquem Philosophum hariolantem audiremus.

Curandum inprimis virgulta inuersa deponas. *Ne poma findantur.* Nobis etiam ex semine prouenit in horto Montbelgard. Creduntur acida fieri, si rigentur allii lue: nam siccitas in iis suauitatem præstat ac copiam. *Vt fiant acida.* Circumfodi autumno & verè debet. Si dum pendent in matre Poma, surculos semel vel iterum intorseris, ad ver vsque integritate vegeta custodientur. *Vt seruentur punica.*

Diophanes in suis Georgicis scriptum reliquit, rubra creari Mala, si glandium cinere radices aspergantur. *Vt rubra creentur punica.*

Democritus testatur Punicam Myrtúmque mutuâ consuetudine mirum in modum oblectari quod si inter se societate ac consortio fruantur, fertiliores reddi: radices quoque etsi aliquanto distent interuallo, mutuo complexu exhilarari. *Punica & Myrti sympathia.*

Sine nucleis nasci scribit Africanus, si dempta, vt in vite, medulla, surculus adobruatur, & dum comprehenderit, amputetur quod emergit. *Vt Punica sine nucleis nascantur.* Cinis cum lixiuio circa Punici truncum frequenter infusus, læta & fructuosa reddit arbusta. *Vt læta fiant Punica arbusta.*

Asserit Martialis, candida in his grana fieri, si argillæ, & cretæ quartam partem gypsi misceas, & toto triennio hoc genus terræ radicibus eius adiungas. *Vt Punica fiant candida.*

Idem tradit miræ magnitudinis poma protuberare, si olla fictilis obruatur circum arborem, in eaque ramus cum flore claudatur, ne resiliat ad palum ligatus: tum operta olla contra incursus aquæ muniatur, autumno patefacta suæ magnitudinis poma exhibebit. *Vt Punica fiant magna.*

Multa in punico ipse asserit Punica nasci, si Tithymali & Portulacæ succus benè commistus *Vt nascantur multa.*

arboris trunco antequàm germinet adlinatur.

In singulis Punicis malis aequalia numero esse grana. Acinos totidem granatis numero in singulis affirmat Aphricanus, etiamsi magnitudo variet, modò ex eadem arbore legantur.

Insitio. Variè, vt Græci produnt, inseritur, in se, & alijs arboribus. Martialis inseri posse affirmat de ramorum connexione, vt medulla vtrinque diuisa se iungat. Caudex itaque flexilis, qui possit ad terram vsque deduci, obruitur, ita vt ramulorum connexione medulla vtrinque diuisa se iungat: deinde vinculis districtus ligatur, ne possit in suam sedem resilire, demùm amurcâ suffunditur. Sed insecto trunco surculus quàm recentissimus statim debet infigi, ne mora exiguum, qui est, siccet humorem, alia tamen scitu non indigna quàm cæteris, ratione. *Punicæ insitionis peculiare.* Nam in Punica surculus iam oculis gemmascens accipi debet, in alijs verò priùs quàm germinent. Lætatur hæc Myrti coniugio, vt refert Didymus: ideò insita Myrto Punica, multò plurima poma largietur. Salici item & Citrio, vt idem testatur inseri consueuit. At huic & Græcis contradicit Palladius, qui scribit, *In se tantum inseri posse.* in se tantùm inseri posse circa Apriles Calendas. Vnde hi eius versus:

> *Punica non altos vnquam dignata sapores*
> *Mala, nec extremis associata comis.*
> *Ipsa suas augent mutato semine gemmas,*
> *Et sibi cognato picta rubore placent.*

Qui plura de his volet, legat Palladium ex quo hæc pleraque desumpta, & Columellam. Item Ruellium, qui de his multa præclara ex Veterum monumentis congessit. Consulat etiam Plinium & reliquos Geoponicos, tam Priscos quàm Neotericos.

Vires & vsus. Contra Venerem. Nunc vires perpendamus ex Diosc. Gal. Plinio & alijs. Punicum malum refrigerandi atque exsiccandi secundo ordine facultatem habet. Quare omnia Veneris impetus excidunt, eorum inprimis, quæ frigidæ temperaturæ sunt. Nam non eadem in omnibus vis exuperat. Nempe ex saporum discrimine vires adaugeri vel minui oportet. *Dulce.* Nam dulce minùs refrigerat: austerum valentiùs, sicciúsque est, & stomacho magis amicum, maximè æstuanti auxiliatur. *Stomachus æstuans.* Acidum quoque dulci magis frigefacit, ac maiorem etiam incidendi facultatem possidet. Easdem quoque in adstringendo facultates ex saporum differentia habet, quæ eximiæ in omnibus sunt. Dulce pectus adiuuat, succique boni est, nonnihil coloris habens. *Apyrina.* Sub dulcium verò appellatione apyrina veniunt, vuliora: inflationes tamen pariunt, colorémque gignunt, quamobrem febribus abdicantur. *Acria. Vrina.* Acria vrinam ciunt, & ad morbos flauæ bilis, & ad ventriculi iecorísque calores plurimùm prosunt, at- *Calor ventric. & iecoris.* que ad stomachi lancinationes, quæ propter malos humores eueniunt: ori ingrata, gingiuásque lædunt. *Vinosa. Aluí fluxus.* Vinosa medias sortiuntur vires, stomacho prosunt, duntaxat pauca, citráque satietatem, aluum sistunt: cauentur in vomitionibus ac bilem reijcientibus, nec acinorum carne, nec succo vtilia. Omne verò malum Punicum boni succi est & iucundi saporis, & stomacho accommodatum, sed vix vllius alimenti authoribus Diosc. & Gal. syncopi auxiliatur etiam, vt Ruffus ait. *Pomum tostum.* Pomum verò in olla noua positum, indito operculo, ac in furno tostum, pòst contritum, & in vino potum, aluum sistit, tormina discutit & tineas pellit. *Aluus. Tormina. Tinea.* Alij contusum & ex tribus vini heminis, ad heminam vnam decoquunt. Dulce autem coctum & tritum, atque illitum, mirabilem, multiplicémque præstare effectum aiunt, tum ad *Vlcera.* cauitatis naturaliúmque vlcera, tum ad ea, quæ totum corpus exedunt, & ad oculorum inflammationes. Nam vlcera celeriùs ad cicatricem adducit. *Nucleus.* Acidorum nucleus in Sole siccatus, & obsonijs inspersus, ac cum iis etiam decoctus, aluum stomachique fluxionem sistit. *Stomachi fluxus.* Aqua verò cœlesti maceratus, sanguinem excreantes potu iuuat, *Sput. sangui. Dysenteria. Diarrhœa.* & ad insessus dysentericorum, profluuiáque laborantium accommodatur. Porrò succus ex acinis ipsis, vt Diosc. ex acerbis vt Plin. expressus si coquatur melli admixtus, perutilis fuerit ad oris, *Vlcera oris & genitalium.* genitalium & sedis vlcera, nec non ad digitorum pterygia, nomas, & quæ in vlceribus excrescunt: *Pterygia. Noma. Aurium dolor. Narium vitia.* itémque ad aurium dolores & narium vitia: maximè verò si ex acidi punici granis exprimatur, vocatúrque hoc medicamenti genus stomatice Plin. *Stomatice medicamentum.* Mala alii subcrudiora triginta confringunt, & in dolium conijciunt, viníque nigri ac austeri congios tres superinfundunt, quo pòst triginta dies ad Dysenteriam vtuntur. Diuiditur etiam malum, & cœlesti aqua ternis ferè diebus madescit. Hæc enim aqua cœliacis frigida bibitur. [hoc Diosc. de acinis Punici.] *Contra leporem marinum.* Contra Leporem marinum hoc modo: Acinis detracto cortice tusis, succoque decocto ad tertias, cum croci & aluminis scissi, myrrhæ, & mellis Attici selibris. Alii & hoc modo faciunt. Punica acida multa traduntur: succus in cacabo nouo coquitur mellis crassitudine, *Sedis & pudendi vlcera.* ad virilitatis & sedis vitia, & omnia quę Lycio, aut hypocystide curantur, aures purulentas, Epiphoras incipientes, rubras maculas. *Aures purulentæ. Epiphora. macula.* In manibus rami Punicorum serpentes fugant, Autore Plinio, *Aduersus serpentes.* quod ante eum scripsit Nicander. Sed hoc ob occultam potiùs [vt Greuin. de venenis existimat] quàm manifestam qualitatem habent. Mirum Dioscoridem huius non meminisse, cùm non facilè quicquam eorum, quæ de herbarum facultatibus Nicander memoriæ prodidit, silentio præterierit. Porrò dulcis Punicæ succum, sorbitionis modo sumptum, bonum colorem facere, *Bonus color.* author Ægineta. Acris etiam potus ventrem cit, & bilem flauam sine molestia euacuat, ventriculúmque roborat. *Vulnus. Inflammatio.* Aduersus vulnerum dolores, & inflammationem prodest.

Acre Punicum. Hippoc. verò scribit acre Punicum quid æstuosum habere, vinosum minùs, austerum magis refrigerare. *Ad visum.* Acris verò liquor cum melle oculis illitus, acutum visum reddit, maximè autem si vulnerauerit. *Cardiaca.* Cum polenta cardiacis bibendus offertur succus: vt propterea Hipp. & stomachi ardoribus, ob deprauatorum multitudinem humorum dandum præcipiat. *Nausea. Vomitus. Iecoris inflam.* Acidi cum mastiche frequentiùs sumptus, nauseam seu vomitum compescit, iecorísque inflammationes à violentia sedat: idem adstringit, siccat & mundat. Cum cibis sumptus superfluitatem in ventriculum defluere non sinit: vtilis etiam ad fœminarum fluxiones. *Fluor muliebris.* Ad fluorem enim muliebrem rubrum, aut mali Punici dulcis assati succum cum vino nigro propinat, aut radicem, aut malum ipsum in vino nigro decoquit, & detracto cortice, quod intus est, tritum cum polentæ polline ex vino nigro potui exhibet. Si adultior infans, vt soluatur venter, mali Punici acidi nucleum [σιδῆς ὀξείης χόνδρα] melle & hordeacea farina ammixta. Sic quidem legunt exemplaria omnia, sed σίδιον cum Cornario legit Fœsius. Idem ex malis Punicis vinosis [σίδας οἰνώδεας] succo detracto, eo polentam subigit, ac siccat, deinde tenuiter tritam ex vino bibendam dat. Sic & mali Punici dulcis assati drachmam tritam ex vino propinat. Eiusdem etiam interiorem partem pari aquæ portione admixtâ, in potu offert. Corticem quoque, & malicoria ex vino propinat.

pinat. Sed hæc non videntur nobis inter veros purgantia reponenda: suspicamur transpositos titulos & multa confusa.

Aduersus murem araneum. Contra Scopes.

Aranei muris morsui acinorum dulcis decoctũ, emplastri modo appositum aduersatur. Scopes inquit Aelianus, Punicæ grano pereunt. Addamus & hoc ex Theophr. Punica inquit, natura est humida, minúsque calida quàm Laurus. Dulcia citiùs putrescunt, quàm acida, nam succus eorum dulcis faciliùs mutationem recipit, quoniam imbecillior acido. Ex malis Punicis contusis cum suis corticibus exprimitur succus, qui purgat bilem flauam vt scribit Cæsalp. Quod fortè alicui videatur mirum, præsertim cùm constet eorum corticem valdè adstringere, & à Veteribus, sicut & ipse succus ad varij generis fluxiones commendari, & vbicunque adstrictione & condensatione sit opus, vt patebit.

Purgans. Cæsalp. explicatur.

Sed inuitabitur lector, ad assensionem si succum dulcium maximè intelligat, aut acrium: si consideret in cortice non esse tantùm adstrictionem, sed & amaritudinem quandam, in quâ vis purgatrix esse potest, quemadmodum & in Rhabarbaro. Nec dubitamus esse illud experimentum doctissimi viri & cæterorum sagacissimorum Medicorum Italiæ. Ideò placuit experimento adiungere rationem, quę duo sunt maxime tutissimaq; artus Medicæ fulcra. Quando verò Plinius scribit de vinosis, caueri æquè vomitionibus ac bilem reiicientibus, videtur contra Dioscoridem facere, qui ait, mederi acinos vomitionibus. Verba sunt: κοιλίαν, ἢ στομάχου ῥεῦμα [illegible] ἵστησι Apud Port. Acini mali punici verè dentes repræsentat, ad gingiuarum vitia, & dentium firmitatem, valere eius decoctum, testantur Autores. Vt vox corroboretur ac clara reddatur, experientiâ compertum esse scribit Bapt. Codronch. maximè ex vsu esse si grana media vinosa, à Diosc. dicta Punica seu Granata, sacharo albissimo inspersa, & simul calefacta & in ore retenta, illorum succus paulatim glutiatur. Ex Turn. Punica acida prosunt cardialgiæ, ex bili nato animi deliquio, inflammationibus hepatis, appetentiæ excitandæ. Syrupus Granatorum grauidis mulieribus vtilis, vt ventriculo & iecori æstuantibus.

Plin. xxiii. — Dentes. — Vox. — Cardial.

Vinum Granatorum. Primus modus. — Alius. — Alius.

Fit & vinum è Malis Granatis hoc modo, tradente Palladio. Grana matura purgata diligenter in palmeam fiscellam mittis, & in cochlea exprimis, & lentè coques, vsque ad medietatem, cùm refrixerit, picatis & gypsatis vasculis claudes. Alii succum non excoquunt, sed singulis sextariis libras mellis singulas miscent, & in prædictis vasculis ponunt & custodiunt. Dioscor. Rhoïtes hoc vinum vocat, à Græca Punici appellatione: ex apyrinorum maturorum acinis expressum succum simpliciter, aut ad tertias decoque, postea repone. Efficax est ad fluxiones internas, & febri cum alui profluuio exortam: stomacho accommodatum. Aluum adstringit, & vrinam mouet. Contra pestem quoque vtilissimum. Hodie acini maturi diligenter à cortice & membranis purgati prælo committuntur, ac exprimuntur: mox vinum faecis ad id accommodatis percolatur, & in vasculis id excipientibus desidere sinitur, defæcatum reponitur affuso oleo, ne vapescat aut acescat. Sic Itali & Galli medici suos Pharmacopœos paratum adseruare iubent, in prædictos vsus, præcipuè verò ad sitim febrientium, quibus frequenter exhibent Itali vel per se, vel admixta aqua aliqua conuenienti destillata, aut simplici fontana.

Eius vires. Febris. Stomachus. Alui fluxus. Vinum Granatorum.

Syrupus granatorũ.

Habetur & Syrupus è Granatorum succo paratus in instructioribus Italiæ, Galliæ & Germaniæ Pharmacopoliis: sed malè faciunt qui indifferenter dulcia cum acidis miscent. Rectè igitur à Cordo factum, qui vtrumque seorsim conficiendum præcipit, quòd diuersis morbis, morborúmque accidentibus medeantur. Syrupi quidem dulcium vsus ad tussim, & pleuritidem. Acidorum verò, ad sitim, febres biliosas, aut etiam pituitosas si magnus calor adsit: ventriculum & viscera magis corroborat, vomitiones & animi defectiones sedat. Vtriusque descriptionem habes apud Aetium, & in Dispensario Cordi. Paratur quoque ex Punicæ floribus, hoc est, ex internis Cytinorum, puniceis, ac tenuibus foliis Saccharum, perinde ac ex puniceis rosis, admirabilis facultatis, ad vtrasque vteri fluxiones, si semuncię pondere sumatur ex vino rubro austeriusculo, aut ex Punicorum acidorum succo, aut ex aqua in qua ferrum, quod Græcis στόμωμα vocant, extinctum fuerit. Præstat quoque magno sanè præsidio, ad Gonorrhæam, ad Cœliacos & Dysentericos: quo medicamento plurimę adiutæ sunt mulieres, quæ diuturna vteri fluxione laborarunt, vt testatur Matth.

Syrupi dulcium granatorum vires. Vires acidi.

Punicæ flores, qui & Cytini vocantur autore Diosc. & ipsi quoque adstringunt siccant & cohibent: cruenta vulnera glutinant & quas Punicum ipsum præstant vtilitates. Eorum decoctum ad gingiuas humore flaccidas dentésque mobiles colluitur, & ramices ex intestini prolapsu Cataplasmatis inditum agglutinat & restringit.

Vires Cytini seu Floris Granatorum. Vulnera. dentes. Ruptura.

Sunt qui tradant toto anno lippitudinem non passuros, qui tres, quantumuis exiguos Cytinos deuorauerint. Ex iis velut ex hypocistide succus elicitur, ad eadem valens ad quæ Hypocistis. Galenus Cytinos cortici facultate similes dicit. Horum miras obseruationes dicit Plinius, plurimorum experimentis. Quæ verò Dioscor. de lippitudine tradit, ea Plinius paulò superstitiosiùs proponit, ideò studio omittimus. Dicamus meliora & rationi congruentia. Siccati Cytini, tritique, excrescentes carnes cohibent: gingiuis & dentibus medentur: vel si mobiles sint decocto succo. Ipsi autem triti, vlceribus, quæ serpunt, putrescúntue, illinuntur, & oculorum intestinorúmque inflammationi. Aduersantur scorpionibus.

Lippitudo. Succus Cytini. Hypocistidis Succedaneum. Plin superstitiosus. — Gingiua. Vlcera. Inflammationes. Scorpiones.

Ipsi quoque cortices vim adstringendi præcipuam habent, & quos Cytini præbent vsus. His ex acerbis magnus vsus. Vulgus Coria maximè proficere illis nouit: Succo verò efficaciores sunt. Etenim refrigerant, & ipsis etiam Cytinis & acinis virtute valentiores. Spissandi vim efficaciter obtinent. Vrinam cieri iisdem à medicis affirmari tradit Plinius, quod falsum. Dioscor. quidem acida dicit magis vrinam ciere, quàm dulcia: Nihil verò tale de cortice. Expetitur grauidarum malaciæ, quoniam gustatu moueat infantem. Hoc Dioscor. de Mali succo aut cortice potiùs. Ex vino autem decoctus & impositus, perniones sanat. Fumo eius culices abiguntur.

Malicorii seu Corticis granatorũ vis & vsus. — Plin. [illegible] — Malacia. — Perniones. Culices.

Quin & nucleos ipsos acinorum experiri non piguit. Tosti tusique stomachum iuuant, cibo aut potioni inspersi: de quibus plura antea ex Dioscor. Iisdem ebibitis, aqua, quæ cutem subierit siccatur. Radix decocta succum remittit, qui tineas necat, seu latas ventris tænias, easdemque expellit. Syluestris verò radix, quàm tenuissimè trita phalangiorum ictibus imposita prodest. Quę verò rubro cortice sunt, denarii pondere potæ somnos faciunt. Termite Mali punicæ, venenatæ bestiæ, ac serpentes etiam fugantur: propterea, stibadia, toros, & attegias, hac pestilenti lue

Nucleorũ vis. Stomachus. Hydrops. Radicis vsus. Radicis sylu. Termitis vsus.

putent vindicari. Ex Plinio & Curtio. Scribit Const. in libris de cognosc. morb. Malicorium vino decoctum ac potum omnes ventris tineas enecare, maximè eas, quas Ascaridas nominant, addens omnibus malis Punicis peculiarem vim tineas ventris enecandi inesse. Idem contusos flores, & in puluerem redactos ac ieiuno stomacho sumptos, vnicè ad frigidam facere tussim, & catarrhum asserit. Corticis cum ipsis granis contusi succus, si inspissetur, Polypum narium delet: reprimit enim carnem supercrescentem, & tenellam absumit: inest enim in cortice cum adstrictione amaritudo quædam, vt annotat Cæsalp.

Tinea. Ascarides. Tussis. Catarrhus. Polypus.

Nec dubium foliorum contusorum, aut decoctorum magnam quoque esse vim ad multa prædicta, præsertim ad lotiones, insessus, infusiones, vbi adstrictione opus. Ast illud nobis nemo persuadebit, quod Euchar. notat, Granatorum malorum cortices, si edantur, cor roborare & palpitationem eius tollere.

Foliorum vsus. Euchar. Roesl. not.

Porrò vt & in Pharmacopolarum gratiam aliquid addamus, qui in multos dies Punica asseruare conantur: Punica mala, vt Græci tradunt, ad hybernos vsus reseruanda leni manu, ne tactu asperiore vitientur, aut vulnus sentiant, interlegi debent, nam illa putrilaginis originem adferunt, & in cocta pice mergi, refrigeratáque suspendi. Columella suadet Punica & in genere omne Pomum, quod in vetustatem reponitur, cum pediculis suis legendum esse, & si sine arboris noxa fieri possit, etiam cum ramulis, nam ea res plurimùm ad perennitatem confert. Multi cum ramulis suis arbori detrahunt, & creta figulari cùm diligenter mala obruerunt, in Sole siccant: deinde si rimam creta facit, luto linunt, & assiccata frigido loco suspendunt. Palladio Punica seruantur, si picatis pediculis ordinata suspendas. Longo custodiuntur tempore, si in feruentem aquam intinguntur, & protinus erepta, in arena sicca componantur, aut Tritici cumulo in vmbra dum rugas contraxerint recondantur. Aliter. Lecta integra in aqua marina, vel muria feruente mergantur, vt combibant. Post triduum Sole siccentur, vt sub dio nocte non maneant, post in loco frigido suspendantur. Cùm volueris vti aqua dulci pridie macerabis. Feruntur hæc poma recentia æmulati. Item si tactu inuicem separata paleis obruantur. Plures modos habes apud Palladium & Columellam, qui & cultum Punicæ diligentissimè describit lib. 12. de re rustica cap. 44. quem consule. Acida Punica mitescere & dulcia fieri, scribit Matth. si suillo, aut humano stercore foueantur arboris radices, & vetere vrina sæpiùs irrigentur. Si florem arbor non continet, vrinam veterem cum pari aquæ mensura temperare, & ter per annum radicibus infundere efficacissimum est remedium.

Vt Punica mala legenda & adseruanda. Poma cum suis pediculis & ramis legenda. Vt diu custodiantur. Vt rugata recentibus fiant similia. Vt acida mitescant. Vt flores non decidãt.

DE PVNICA BALAVSTIFERA.

PLacet de hac specialiùs agere, tum quòd diuersa sit à vulgata, & nunquam fructum ferat, tum quòd à Theophrasto Botanicorum Pontifice maximo & vetustissimo manifestè distinguatur, vt patebit: tum denique quòd à Diosc. Balaustia syluestris Punicæ esse dicantur, quæ tamen à nostris syluestribus differunt.

BALAVSTIA HISPANICA.

PRo Hispanicis importantur plurimùm Balaustia, quæ Punicæ cuiusdam flores sunt ampli, densissimo foliorum purpurascentium farctu stipati, gustu adstringentes, non Cytino oblongo, vt in satiua pomifera Punica, aut etiam Stutgardiana, flore multiplicato insidentes, sed compresso lato suffulti, cui color ex flauo purpurascens, corium durum lignosum, in lacinias quoque diuisum. Sicca Balaustia nonnihil simile habent cum Rosarum spongiolis.

Descriptio Balaustiorum.

De his vtique intelligendus Theophrastus in primo historiæ scribens: esse genus quoddam & vitis & Punicæ, quod fructum perficere nequeat, sed cuius ad florem vsque tantùm generatio perueniat: qui densus & plenus, & amplitudinem quodammodo Pomi æmulatur.

Descriptio Theoph.



Nostræ sententiæ subscribit Cæsalpinus: Reperitur, inquit, in Punicarum genere sterilis, sed peregrina in Italia, [at non est peregrina syluestris communis] flores tantùm ferens, adeò multiplici folio constantes, vt Rosæ videantur centifoliæ, colore saturato.

Punica florilus peregrina.

Eiusdem Hesychius meminit, ita scribens: Βαλαύστιον εἶδος ... Vbi miramur quid in mentem venerit Constantino in lexico hunc citanti locum, dicentique Hesychium nugari. Ipsemet potiùs nugatur Constantinus, cui Syriacum Balaustium incognitum, nihilominùs animo sugillandi prurit. Rectè dictum εἶδος ῥοιᾶς, vt distinctum ostendat à vulgatis Punicis.

Constant. not.

Incogitanter verò Plinius [& meritò à Dalec. reprehensus] scribit: Cytini flosculos alibi à se balaustia vocatos. Nam tam satiuæ, quàm syluestris Punicæ florere incipientis, [desinentis legendum suspicatur Coanar.] primum partum, Cytinum vocare videtur: balaustium verò flosculum vtriusque, antequam malum prodeat, in ipso erumpentem Cytino. Confundit igitur Balaustium cum Cytino, hic enim flos est satiuæ Punicæ: Balaustium syluestris ex Dioscoride. Nam si quis Balaustiorum figuram considerauerit, deprehendet, ea non Cytino aut oblongo vasculo simili tuberculo, vt satiuæ flos, sed dilatatâ veluti suâ basi foliola sua complecti, atque in eo rosæ non admodum dissimilia.

Plin. not.

Cordus quóque simili errore lapsus, quando ait: Punica syluestris, satiuæ per omnia similis est, incultior tamen, spinísque horridior, cuius Balaustia ac Cytini in satiua Punica natis efficaciora sunt: Punicam, inquam, malum, ferentem Balaustia non distinguere videtur à syluestri vulgata.

Cordus not.

Monspelii syluestris frequens, & tamen fructifera: sed Balaustia non fert. Stutgardiæ in horto Ill. E. C. est malus Punica infructifera, cui flores sunt

sunt quidem pleni, sed non tales nec tali figurâ aut specie, quales Balaustiorum. Nam & Cytinum habent, seu Calycem oblongum, de quo suprà.

Gal. not. Gal. quoque licenter, vtriusque florem Balaustia dicit cum Plinio, qui tamen ferendus, quòd ex professo de iis non egerit, potuisset tamen distinguere ex Dioscoride.

Matt. not. Matthiol. scribit Laudatissimos satiuarum flores, colore perquàm rubro ex Creta & Cypro hoc æuo Venetias importari, aspectu quidem specioso, & viribus cæteris præstantiores. Sed & mangonio fieri in Italia peregrinis non dissimiles, non tamen vsque adeò præstantes. At sanè non videmus quomodo ex Cytinis fieri possint Balaustia: debebat Matthiolus demonstrare discrimen inter vera & mangonio facta, si talia nouerat, aut fiant: suspicamur enim ei non fuisse nota, quia non descripsit, aut certè non esse Balaustia.

Nomina & Synonyma linguar. Balaustia *βαλαύστια* Dioscor. & Græcis: à *βάλλω* verbo tractum nomen putat Cordus. *Balausta* Colum. Inuenimus & *Balausa* scribi. Quidam simpliciter *Balaustia* dicunt, alii flores Balaustiorum: quibus nominibus omnes Herbarii vtuntur. G. wild Granatöpffel blühe: vel vt alii, simpliciter Granatblust. Belg. de bloem oft bloeysel van eenen wilden Granaet appelboom. It. *Fior di pomo granato*: Sed Doctus à Græco mutuato nomine, *Balausti*. Hisp. *Flor del granado.* Angl. The flores of the wilde Pomegranate tree.

Differentiæ. Balaustii differentiarum solus, quod equidem sciamus, meminit Dioscor. colore discrepantium: Balaustiorum inquit, complura sunt genera: reperitur enim candidum, rutilum & colore rosaceo: *ῥοδόχρουν* Græcum habet: Orib. *πορφυροῦν*: alii vtrunque legunt. Quæ ad nos importantur sunt ferè colore roseo: candida nondum vidimus nec est inter Herbarios qui se vidisse scribat.

Locus. Rauuolfius scribit circa Tripolim prouenire in sepibus Granatos sylvestres cum pulchris floribus plenis. Proueniunt, inquit Anguill. & in Syria circa Alepum in syluestribus sponte: non crescit in Italia. In hortis quibusdam plantata visitur, vt Ferrariæ in Nigrosoli, Arminii, Pharmacopœi Iulii Moderati. Venetias magna copia ex Syria, Cypro & Creta importantur. Cordus tradit, nasci in Aphrica ac in Hispania freto vicina spontè, Regno hoc ob id Granati cognomento gaudente. Nos sicca habemus elegantia & è multis selecta. Habentur & in plerisque Pharmacopoliis. *Punica flore pleno.* Siccum ramum Patauii vidimus apud Cortusum, vulgato non valdè absimilem. Hortus Stutgardianus pulchras alit Punicas malos, & inter eas nunnullas flore pleno, minùs tamen, quàm Hispanicas: an ex Hispanica Balaustifera sata, nescimus.

Vires & vsus. Balaustia Mali Punicę cytino similia sunt, & ex iis quoque succus elicitur hypocistidis modo. Vis ei adstrictioria, eadem efficiens, quæ hypocistis & Cytinus, autore Dioscoride.

Temperamentum. Curtius tradit & potenter adstringere, mirâ exsiccandi & refrigerandi facultate. Vnde arefactum & contritum, & intertriginibus reliquisque vlceribus iniectum, celerrimè ad cicatricem absque erosione perducit, & destillationes cohibet: quo præsidio ad sanguinis excreationes, ad Dysenterias, & ventris profluuia, & vteri nemo ferè medicus est, qui iugiter non vtatur. Plin. medicis idonea sunt Balaustia. Sunt, & tingędis vestibus, quorum color inde nomen accepit: nempe puniceus, qui & Balaustinus Scaligero. Aduersantur Scorpionibus. Sistunt potu menses fœminarum: sanant oris vlcera, (vlcera capitis Diosc. *ἀχῶρας*) tonsillas, vuam, stomachi solutiones, gentialia, vlcera quacunque in parte manantia. Siccauere etiam experti, vt sic quoque experirentur, inuenerúntque tulorum farinâ dysentericos à morte reuocari, & aluum sisti. Possint & plerâque antè dictis de Granatorum vsibus accommodari, cùm eadem facultate polleant ferè, quâ illorum Cortex.

Intertrigo. Vlcera. Destillatio. Sputū sanguinis. Dysenteria. Alui fluxus. Vteri fluores. Tinctura. Aduersus Scorp. Menses. Tonsilla. Vua. Stomachus. Dysent.

DE ARBVTO.

CAP. XVIII.

Arbutus: Comarus Theophr.

Descriptio. Vix aliò cōmodiùs referas Arbutū quam quidam arborem dicūt: plurimùm tamen est frutex, quatenus obseruauimus, cōtortis stolonibus scabro cortice intectis: in quibus perpetui viroris folia, Laurinis similia, & parua sępè, crassa, virentia, per externum tantillùm purpurascentia, circumquaque crenata. *Flores.* Flores tanquam ex amento racematim penduli, pulchri similes ferè floribus Lilii conuallių, concaui, albi, odoris iucundi: hos excipiunt *Fructus.* fructus, Fagis, similes, sed multò maiores, exactè rotundi, acorosi, antè maturitatem lutei, maturi autem rubentes, sapore valdè grato & dulci prædi. *Semen.* Semen non benè obseruauimus. Clusius ait Milio non multò esse maius, inque fructus meditullio contentum, nihilominùs tenui obductum esse membranâ.

Descriptio Theophr. Hanc Theophrastus Comari nomine sic describit. Comarus, quæ Memæcylon fert esculentum, non est admodum magna arbor. Corticem habet tenuem, Tamarici similem: folium inter Ilicem & Laurum medium. Floret mense Pyanepsione [quem Gaza Cornar. & Dalec. Iulium vertunt, cùm potiùs Nouember sit aut October: Cæsalp.] Flores prodeunt ab vna appendice extrema parte racematim, & quisque similis est Myrti baccę oblongę forma & magnitudine, non foliatus, sed velut ouum excalptum, ore aperto. Quum defloruit, etiam retinaculum, [*πρίσευσις*] quo adhæret perforatum est. Quod defloruit, tenue est, sicut verticillum circa fusum aut Doricæ columnæ capitulum. Fructus annuo spatio maturescit, vt simul contingat & hunc haberi, & alterum flore spondeni. Idem alibi dicit eius corticem radicis speciem habere, & perpetuò virere. Sed quando ait: *ἄνωθεν* folia inferiora dimittit, cacuminibus perpetuò virentibus, Gaza vnedinem reddit: fortè legit *κόμαρον*. Porrò tria habet nomina Theophrastus, quasi tria essent genera di-

Memæcylon. Gaz. Corn. & Dal. repreh.

Digitized by Google

stincta, vt Scaliger & Cæsalp. aiunt: κόμαρον, quæ Arbutus est nostra: ἀνδράχνη, de qua postea, & κοκκυγέαν, vt acutissimè legunt Ruell. & Scal. vel Coggrygian, quæ tamen parum commune habet cum prædictis, si folia demas, de qua sub capite de Cotino.

Vnedo.

Differentiæ.

Cæsalpinus etiam modicam quandam differentiam obseruauit in fructu: nam quidam parui mali amplitudinem implet, rubore magis nigricante: mollior & suauior, in mediterraneis proueniens: quidam Auellanæ magnitudinem non excedit, flauior & asperior, in maritimis tractibus magis. Virgil. horridam arbutum dixit.

Diosc. descriptio. Diosc. emend.

Dioscoridi Comarus seu Arbutus, arbor est, Cotoneæ malo assimilis, tenui cortice, sic enim legendum, nempe λεπτόφλοιον, non λεπτόφυλλον: non enim folia Arbuti sunt tenuia, sed cortex fructum proferens Pruni magnitudine, nucleo carentem [ἀπύρηνον] quem Memæcylon vocant, quique vbi maturuit subfuluus aut rubicundus conspicitur: in cibo acerosus. Patet itaque satis liquidè, vt equidem arbitramur, Arbutum esse Veterum κόμαρον.

Qui Arbuto mali Cotonei assignant folia, inquit Scal. non norunt alterutrum. Etenim à Lauro ad Ilicem si transeas, Arbutum inuenies, & Suber. Rectiùs Theoph. Lauro & Ilici contulit. Dioscorides verò illa sua collatione quosdam in suspicionem coniecit, quà crederent Arbutum eius & Theoph. differre.

Nomina & synonyma, authorúmque sententiæ. Comarus. Arbutus. Memæcylô.

Ergo κόμαρος Theoph. Diosc. Gal. cæterorúmque Græcorum. Lat. Arbutus. Fructus eius μιμαίκυλον, vel vt alii legunt μεμαίκυλον, alii μιμαίκυλον. Sarrac. apud Diosc. μημαίκυλον legit, & memacylum vertit, sed quo authore non addit. Dicitúrque κόμαρος, & in masc. genere apud Ath. cùm sit fœmin. apud Theoph. Hinc κομαροφάγος apud Arristoph. in Auibus, vt annotat Const. Scal. legit μεμαίκυλον. Athen. ex variorum Scriptorum authoritate μιμαίκυλον. Sunt denique tam è Græcis, quàm Latinis, qui fructum & Memæcylum, & Comarum, & Vnedonem vocitent. Fructum verò Virg. Arbutum in neutro, vt Georg. I.

Arbutum.

----Cum iam glandes, atque Arbuta sacra
Deficerent sylua.

Et in secundo:

----Dant Arbuta sylua.

Et de arbore:

Et quæ nos rara viridis tegit Arbutus vmbra.

Horatium tamen Arbutum fœm. gen. posuisse volunt, hoc carmine:

Arbutus.

Impune tutum per nemus Arbutos
Quærunt latentes

Arbuta pascuntur apes dixit Virgil. 4. Georg.

Arbutum fœtus. Montana fraga.

Arbuta matura Lucretius.

Ouidius:

Arbuteos fœtus, montanáque fraga legebant.

Idem de arbore:

Pomóque onerata rubenti Arbutus.

Vallæ Arbutus ea est arbor, quæ Poma instar Cerasorum seu Fragorum fert. Plinius de ea tradit diuersis locis: Alia, inquit, acinis caro, alia Moris: alia Vnedonibus. Aliud corpus est terrestribus fragis, aliud congeneri eorum Vnedoni: quod solùm Pomum simile fructui terræ gignitur. Arbor ipsa fruticosa: fructus anno maturescit: patitérque floret subnascens, & prior cogitur [coquitur M. colligitur Vet.] Mas sit an fœmina sterilis, inter authores non constat. Pomum inhonorum, vt cui nomen ex argumento sit vnum tantùm edendi. Duobus tamen hoc nominibus appellant Græci, Comarum & Memæcylon; quo apparet totidem esse genera & apud nos. Alio nomine Arbutus vocatur. Iuba author est, quinquagenum cubitorum altitudine in Arabia esse eas. *Hæc Plin.* Verùm quando ait: solùm hoc Pomum simile fructui terræ gigni, non recordabatur [inquit Dal.] Adrachnes fructum, quem similem Memæcylo Theoph. esse tradit, fructui quoque terræ nempe Frago similem esse. Idem Plinius Vnedoni folium mali Assyriæ seu Medicæ tribuit, eandémque inter syluestres arbores Græciæ cum Adrachne recensens, perpetuifoliam dicit. Ergo Plin. quatuor has voces, Vnedonem, Comarum, Memæcylon, Arbutum, vni arbori ac fructui tribuit. At verò Vnedonem fructum Arbuti non esse, sed Epimelidis arboris Gal. scribit his verbis: ex syluestrium plantarum genere est, & frutex qui ἐπιμηλίδας fert. Appellatur autem is fructus in Italia Vnedo, stomachóque nocet, & capiti dolorem adfert, acerbúsque est admodum, cum exigua quadam dulcedine. Cornis quidem, & Canirubi fructu, & glandibus, & μιμαικύλοις [sic autem Comari fructus appellatur,] rustici passim vescuntur: reliquarum autem arborum aut fruticum fructibus non admodum vtuntur. Ex quo Galeni loco apparet eum diuersum esse à Plinio, cui Vnedo, vti dictum, Comari fructus est: Galeno autem Epimelidis, vt & in sexto de simplicibus tradit, licèt easdem vires attribuat vtrisque, hoc est, & Comaro & Epimelidi: eundémque secutus est Paulus.

Arbuti fœmina. Comarus. Memecylô. Arbutus maxima Arabica. Plin. not.

Folia mali Medica.

Epimelis, Vnedo.

Memecyla.

Quorum fortè authoritate motus Dalech. apud Plinium scribit hunc inscitè & negligenter μιμαίκυλον fructum Arbuti, τοῦ κομάρου, cum Vnedone fructu Epimelidis confudisse binis locis: negligentiùs etiam Memæcylon fructum cum Comaro, siue Arbuto arbore sua. Et addit Dalech. Vnedonem fructum esse Epimelidis. Nec tamen sibi constat. Sed huius suæ opinionis oblitus, aut fortè Palinodiam canens apud Athen. in notis suis marginalibus annotat Arbuti fructus esse Vnedones.

Pli. reprehe...

Epimelis.

Sed ante ipsum dixerat Cornarius, Plinium Vnedonem, quæ Galeno & Paulo Epimelis est cum Memecylo Arbuti fructu confundere, & addit alibi: Galenum manifestè inter Comarum arborem, cuius fructus Memecylon appellatur, & inter Arbutum aut Sentem potiùs, quæ Epimelidas fert, & in Italia Vnedo appellatur, distinguere: vt certum sit duo diuersa genera Vnedonem & Memecylon esse, sed tamen iisdem viribus prædita. Fatetur tamen, haud facilè esse pronunciare quis sit fructus Arbuti, Memecylon dictus, & quæ arbor illum proferat: non dubitare tamen se hanc in Germania nasci, & iis, qui syluas scrutantur, notam, & fructum adeò in vsu esse: sibi tamen nucleo carentem nullum talem fructum cognitum. Sic de ignotis decernit bonus ille vir, & nullius authoritate motus, Plinii reiicit sententiam, approbans Galeni.

Cornar.

Eidem subscribit Lonicerus, nec alia fultus ratione. Quin & Constantinus, hisque subscribit & Sarracenus in suis Scholiis ad Diosc. aitque falli Plinium quando ait, Memecylon Vnedonem vocari.

At verò ne Plinio quidem sui desunt adstipulatores, iique viri maximi, & in re Herbaria non contemnendi Scriptores. Hermolaus sanè omnis bonæ literaturæ alumnus Pomum huius arboris [Arbuti] & Comaron & Mimecylon Græcis dici ait: Latinos Pomum & arborem quoque ipsam Vnedonem & Arbutum. Súntque, inquit, qui duo genera constituant, Theophrastum fortè secuti.

Plinij sententia defenditur.

Comarus. Memecylon

Arbuti dua

Pomum inhonorum. Vnedo vnde dictum.

Arbutus & Vnedo. euti: Comarum, id est Arbutum, & Mimecylon, id est, Vnedonem, à Theophrasto Neliam vocatum: destuo & hoc cortice: foliis quoque. Sed imâ tantùm parte deciduis, virente perpetuò comâ. Montana fraga nominantur à Poëtis, vt à *Fraga montana.* terrestribus distinguerent. Differt Comarus à Comaro: vt in Paliuri mentione diximus. Testandum est & illud, Grammaticos Græcos esse, qui fructum Arbuti, Acylon vocari tradant falsò, cùm *Acylon. Gal. not.* Memecylon eum dici constet: Acylon verò Ilignа glans sit. *Hæc Hermol.* Sed Cordus liberè, nullâque circuitione vsus, Galeno inquit, non assentimur, Epimelidi, Memecili vitia adscribenti: proculdubio insinuare volens vel diuersa esse, vel saltem non iisdem prædita viribus, de qua re infrà. Amatus quoque, nonnulli (infit) differentiam fac ùnt inter plantam istam quum frutescit, & eam quę in arborem crescit, in quam sententiam Theophrastum ire & animaduerto, cùm *Comaros. Arbutus.* Comaron, id est, Arbutum ab Vnedone arbore, lib.1. de hist. Plant. vbi corticum differentias enarrat, diuersam facit, quanquam tamen idem Theophrast. nunquam de Vnedone sermonem priuatim, quod equidem obseruauerim, habuerit: *Vnedo.* Gal. tamen illum imitatus, vno in capite de Vnedone fructu sermonē fecit: alio verò de Arbuto siue Comaro, vt lib. videre est. Postea addit: Mea tamen sententia, Vnedo ab Arbuto siue Comaro in nullo re differt, quum eadem sit arbor specie, *Vnedo & Comaros eadem arbor.* & vtriusque fructus Vnedo, siue Memecylus dicitur. Sed in eo tamen fallitur Amatus, quod ait, *Amatus not.* Theophrastum de Vnedone priuatim egisse, & Arbutum ab Vnedone arbore facere diuersam: Nam ne meminit quidem vnquam Vnedonis Theophrastus, sed Gaza, illius interpres, Vnedonem dicit *μαίαν*, & arbutum *κόμαρον*. Vnde Scal. Habes, inquit, eiusdem generis *μεμαίκυλον.* Arbutus Latinè arbor est, fructus autem *Arbutus. Vnedo.* Vnedo. At Neleiam apud Theophr. Vnedonem vertit quidem Gaza, sed an benè nescimus: Et cur Nelia sit Arbutus, aut eius species, nondum nobis constat, nec nullus est, qui explicet, quamuis Clus. etiam dicat *μαίαν* apud Theophrast. etiā significare Vnedonem. sed cur hoc dicit? aut cuius autoritate? aut quid est *μαία* Theophrasti? *Nelia, Vnedo Clus. Clus. not. Theophr. locus corr. Gaza not.* Fortè rectiùs legas *μηλέαν*, id est, Malum cum Const.

Porrò Gazam reprehendens Scaliger, quòd apud Theophrast. *μεμαίκυλον* Pomum, nimis communi appellatione sit interpretatus, addit: Vnedo est. Et in exerc. Cardanum reprehendens, *Card. reprehen.* quòd putarit Ederam & Arbutum esse idem posse, subdit: Est Arbutus satis grandis, folio Lauri, crispiore, & ad Suberinum haud ita paruum accedente. A' Calabris, nisi me fallit memoria, Cerasus Marina dicitur. Huius Vnedo fructus. Comaron & Memecylon audis apud Theophrast. apud Gal. falsò Epimelida. *Arbous* vocatur à Pyrenæis. *Edera. Arbutus. Cerasus Marina. Vnedo. Epimelis falso Galē.*

Eandem sententiam sequuntur Lob. & Pena in adu Camer. & alii. Dod. veluti fluctuans ex aliorum potiùs sententia loquitur quàm declarat suam: Arbutus, inquit, quibusdam Vnedo Gal. subdit tamen: fructus quibusdam *μεμαίκυλον*, Lat. Vnedo & Memæcylon Gal. sed profectò suspecta nobis videtur Galeni sententia, quem scimus in Italia fuisse peregrinum, adeóque Plinio qui Italus fuit, citiùs falli potuisse. Si autoritatem spectes, vtrinque ferè par pondus: At profectò, non *Gal. not.* placet Galenus Epimelidi Vnedonis facultates & vitia tribuens. Nam si Epimelis sit Mespilus, vt plerisque doctis persuasum scimus, quis dicat eius fructum noxam afferre capiti? aut stomacho esse molestum, quem tamen plerique Medici stomacho familiarem dicunt?

Non prætereunda opinio Constantini, qui peritioribus considerandum proponit, quæ sit ea arbor, de qua sic scribit Palladius in Decemb. Hypomelides Poma sunt (vt Martialis asserit) Sorbo *Hypomelis Pallad.* similia: [intelligit Const. magnitudine] mediocri arbore nascuntur, & flore candidulo. Dulcedo huic fructui cum acuto sapore commista est. Omnia hęc probè Arbuto conueniunt. Repugnat verò quod infrà ait: nucleis feri, & Poma asseruari. Denique etiam Solerio Arbuti fructus nunc Vnedo, nunc Memæcylum, nunc Comarum vocatur. Quod verò Ruell. scribit, Galenum & Paulum, Arbutum, Comarum, Vnedonem à rusticis Italiæ, scripsisse, neutiquam verum: quin potiùs *Arbutus. Vnedo. Comarum* illi claris & manifestis verbis Arbutum ab Epimelide, cuius fructum Vnedonem dixere, distinxerunt, vt liquet in præcedentibus: sed an benè doctorum iudicium esto. Nec placet quod eadem *Ruell. reprehen.* putet, quamuis eandem Galenus & Paulus illi vim reddiderint: difficile siquidem probare à solis viribus. Multa sunt viribus similia, quæ tamen nec forma, nec genere eadem.

Sed quid de Arbuto Athæneus? nimirum ceu in alium nos ducens hortum. Asclepiades, inquit, Myrleanus arborem quandam Chamæcerasum nominans, in agro Bithyniæ gigni ait, radice parua: quin & arborem ipsam non magnam, sed Ro- *Chamæcerasus.* satum arbori parem: (sic enim legit Natalis de Comitibus, *ἀλλὰ τῷ ῥοδῶνι*, pro eo quod in nostro & vulgatis codicibus mendosè legitur, *ἀλλὰ τῷ ἰσον*, *Ath. locus emend.* quam priorē lectionem etiam Dalechamp. sequitur) cætera fructum omninò Ceraso similem, quo largiore si quis vtatur, non aliter quàm vini potu caput dolore, & graue esse. Hæc quidem Asclepiadem scripsisse putat de Memæcylo, id est Ar- *Memæcylon.* buti fructu: (non de Sorbi fructu, vt Nat. de comitibus vertit) Talem enim fructum, addit, arborem illam gignere, & qui plura septem ex ea poma comederit, capitis dolore vexari. *Natalis error.*

Theopompus huius fructus meminit hoc versu.

Myrti baccis vescuntur, maturisque Memæcylis. *Memæcyla*

Et Crates:

Longè formosissimæ sunt mammæ, quale est Malum, aut Memæcylum: nimirum rotundæ, *Nat. de comit. reprehen.* globosæ, paruulæ, colore subrutilo nitentes, qualis est Memæcyli. Amphis: Quid vides, Morus Mora fert, Ilex acylos, Arbutus Memæcyla. Miramur quā confidentiâ Natalis de Comitibus his locis citatis apud Athen. *μεμαίκυλον* in Sorbum conuerterit. Præstitisset retinuisse Græcam vocem.

Porrò Arbutus omnibus ferè Herbariis recentioribus dicta: Arab. *Hatiladib*: vel vt alii scri- *Linguarū nomina.* bunt, diuisim, *Hatil Adib.* Qui Germanicè Hagapffelbaum / & Belg. Haegappelboom vocant, vt Helfricus & alii, satis id licenter faciunt: non enim sunt Poma vel Mala sepium, vt illis nomina sonant: nec in Germania proueniunt. Præstaret nominare Erdbeerbaum / id est Fragorum arborem. Goropius scribit Comarum dictam à Cimbrorum Com-ar. Sed quæ Etymologiæ ratio? Gal. *Albousier*, fructus *Arboux*: Ital. *Albatro*: & Roffello de secretis teste, *Arbatri* aliàs *Romorini*. Hisp. Castil. *Madronno*: Catal. *Arbus*: Portug. *Medronheyro* aut *Medronho*. Angl. Arbutree / vel Strawberrytree / quasi dicas Fragum arbo- *Fragum arboreum.* seam.

Turnerus putat Ouidium suprà citato versu Fraga arborea & terrestria coniunxisse, sed fallitur, vt nobis quidem videtur: Existimamus enim Arbuteos fructus, & montana Fraga esse Synonyma.

Turn. not. Sed nouas turbas nobis mouet Anguillara, qui putat Arbutum à Theoph. descriptam à Dioscor. Arbuto differre, quòd Theoph. dicat, folium Arbuti inter Ilicem & Laurum: Dioscor. verò arborem similem Cotoneæ, foliis paruis. Ostendit [inquit] hic Diosc. non esse dissimilem arborem, foliis, ramis, & trunco malo Cotoneæ. Itaque fortè intellexit de Portulaca Theophr. quæ folia habet minora, & similiora folio Cotoneæ, nec non reliqua. Quamobrem dici posset, Arbutum Theoph. ac eam quæ hodie Italiæ familiarissima est, vocatúrque *Arbatri & Comari* in ditione Patauina, ac Portulacam esse Arbutum Diosc. quæ hodie vocatur in Græcia Andrac'os.

An Arbutus Theoph. eadem quæ Diosc.

Portulaca Theoph.

Arbatri.

Andracles. Anguill. & Clus. sententia reiicitur.

Huius sententiæ, inquit Clusius, non possum non subscribere, cùm hactenus mihi obseruata Arbutus nihil cum Cotonea malo similitudinis habeat. Sic bonus interdum etiam dormitat Homerus. Nec animaduertunt hi viri, alioqui stirpium peritissimi, Dioscoridem, dum Arbutum Cotoneæ malo comparat, non de foliis, sed de crescendi modo, arborisque forma intelligendum esse. Dicit λεπτόφυλλον, quod folii angustiam denotare videtur, nō paruitatem: quamuis non desint, qui λεπτόφλοιον legēdū cēseāt, vt specialiùs dicetur postea. Prętereà non dicit Diosc. folia Arbuti esse similia Cotoneæ, sed arborem, cùm teste Theophr. Adrachne sit folio Arbuti simili, nec vllam similitudinem Cotoneæ folii attribuit. Diosc. autem dicere arborem esse similem Cotoneæ, non miramur: solet enim interdum similitudines minùs proprias habere: quanquam si nulla esset alia similitudo, hæc esse posset, quòd vtræque arbores vtplurimùm paruæ maneant, ac à radice multos emittant stolones, ita vt speciem ferè fruticis præbeant vtræque. Certum est Theoph. & Diosc. in descriptione fructus, quem vterque Memæcylon vocat, sicut & Plin. conuenire: vt stet inconcussa etiam ex peritiorum iudicio, sententia, Arbutum Theophr. & Diosc. vnam planè eandémque esse Arborem. Rectè igitur Matth. Etsi [ait] Arbutus Diosc. reddatur malo Cotoneæ adsimilis, magis tamen putauerim ab eo arboris proceritatem repræsentari Cotoneæ, quàm folia & caudicis corticem. Vel deprauatus fortasse [vt magis suspicatur] est hoc in loco Diosc. codex: quandoquidem Serapio, Diosc. ipsius testimonio, Arbutum non describit in vniuersum Cotoneæ malo similem, sed eam tantùm proferre folia malo Cotoneæ minora: Nec scribit tenuia habere folia, λεπτόφυλλα, vt vulgata habet Diosc. lectio. Siquidem, vt palàm est, Arbuto folia insunt Laurinis & Ilignis crassiora. Probatur igitur Matthiolo λεπτόφλοιον legi tum apud Diosc. tum apud Oribasium: cui adstipulatur etiam Sarracenus, idque ex lectione & authoritate Theoph. vt iam antè dictum.

Diosc. not.

Diosc. excusatur.

Arbutus Theoph. & Diosc. eadē.

Diosc. deprau.

Diosc. & Oribas. locus correct.

Locus. Amat Arbutus loca montana: Hinc Aristoph. apud Athen.

In montibus spontè Memæcyla nascuntur permulta.

Crescit & in syluis Italiæ & Galliæ Narb. Abundat Pisis, Senæ, & Genuæ, circa Neapolim & in montibus Euganiis. Copiosè, inquit Clus. in incultis Bœticæ & Lusitaniæ inter Myrtum, Cistum, & alios frutices, sempérque ferè, aut florens, aut fructu onusta conspicitur, vnò interdum & flore & fructu abundans: solet enim deciduo flore nouum germen extremis ramis proferre, in sponsionem alterius floris. Idem testatur apud se [in Belgio] creuisse ex semine, & à nonnullis in fictilibus ali, & cum aliis perpetua fronde virentibus diligentissimè seruari. Scribit Bellonius in montis Athos, tantoperè priscis celebrati, vallibus vicinis, Arbutos [qui vtplurimùm aliis locis fruticent] in vastæ magnitudinis arbores euadere. Speciatim etiam prouenit in Sylua *Aigremont* dicta, propè Monspelium, in montibus Calcaris fructum ferentem & florentem simul obseruauimus mense Septemb. & Octob. Lugduno, & Monspelio, accersitas arbusculas in hortos Stutgardianum & Montb. E.C. VVirtem. plantandas curauimus. Lutetiæ & Bononiæ quidam magnates in hortis aliquando colebant. Creuit Camerario ex semine intus latente, in ipso fructu, non ex paruis granis, quæ fructui, vti Fragis exteriùs adhærent. Floret potissimùm mensibus Iulio & Aug. Tempus.

Obseruata etiam florere Septembri, aut etiam tardiùs: postquam integrum annum fructum detinuit atque concoxit, tandem maturat.

Arbuti fructus Dioscor. ἀχυρώδης est, hoc est, in esu acerosus, vel, vt alii vertunt, velut paleas linguæ offert, ventriculo incommodus, & capitis dolorem inducens. Plinius ait Arbutum fructum ferre difficilem concoctioni, & stomacho inutilem. Gal. eadem dicit quæ Diosc. & præterea, arborem cum fructu qualitatis esse acerbæ. Et alibi: vitare oportet non solùm in dolore capitis per consensum stomachi oborto, sed omnibus etiam aliis, circa caput obortis affectionibus, Arbuti fructus Memæcyla dictos. Et rursus alibi μεμαίκυλον glande Querna ad omnia est deterior, exiguum quidem habent alimentum, verùm pauci sunt succi, & stomachum lædunt, ob id suum sunt pabulum, & eorum quidem non domesticorum, sed qui vitam in montibus degunt: his enim nutrimentum ab his & similibus, fructibus plurimum accedit. Iam suprà ex Athenæi sententia diximus, eum qui plures septem Arbuti fructibus comederit, capitis dolore vexari. Mihi sanè speciatim [Bauhino] quoties comedi, dolorem causarunt ventriculi, Clusius annotat se longè plures quàm septem ab aliis deuorari obseruasse, cùm per Bæticam & Lusitaniam proficisceretur, & semel multos edisse sine vlla noxa. Verùm quidem est non esse adeò grati saporis velut fraga, sed interim dulci, cum proprio & peculiari quodam gustu acerbo, quem vix exprimas. Quod si vim habeant capitis dolores mouendi, necesse fuerit eam esse ab occulta aliqua proprietate potiùs quàm manifesta: nisi fortè quibusdam ventriculum molestando etiam caput in consensum rapiant per accidens. Scribit tamen Amatus, hunc fructum non ita noxium in Hispania prouenire, quum eum multi auidiùs, quàm par sit, comedant, & tamen in nullum corporis detrimentum incurrant: ideò & à tenuis fortunæ hominibus admodum expetitus, Vlyssipone, & aliis quibusdam locis venalis à mulierculis in foro proponitur. Idem Amatus ex Arbuti foliis & floribus aquam vitreis organis elici tradit, eámque seruari tanquam sacratissimum aduersus pestem & venena antidotum. Et Rolellus præscribit radices Arbuti aduersus pestem. Eam verò aquam statim ipso morbi initio propinandam. Curtio adstringendi vi pollet & arbor & fructus. Folia etiam Coriariis expetuntur, & hœdis quoque teste Virgilio. Fructu etiam delectantur Turdi, & Merulæ, quo fit, vt hoc illicio, hyeme visco, retibus, aut aliis decipulis facilè capiantur. Ex ligno carbones optimi fiunt, quip-

Temperamentum & vires.

Stomacho.

Cap. dolor.

Suū cibus.

Dolor ventriculi.

Folia. Flores. Aqua. Pestis. Venena. Radix. Temperā. Coriariis. Aues. Lignū. Carbones.

P 5

ge folidiſſimi, vtiles ad argentum excoquendum. Arbuto paſci apes ſuprà ex Virgil. dictum. Apud eundem diſcimus Crates olim ex Arbuto fieri ſolitas cùm ait : *Arbutea Crates & Myſtica Vannus Iacchi.* Alii legunt Vallus.

ADRACHNE THEOPHR.

Cap. XIX.

Deſcript. Comaro faciè proximè accedit Adrachne, ideò eiuſdem hiſtoriæ immediatè ſubiicienda imitatione Theophraſti. Nobis verò quia foliũ tantùm eſt, & ramulꝰ viſus apud D.C. Bauh. inſeruiet hoc loco deſcriptio Doctiſſimi Medici Hon. Belli, apud Cretenſes Celeberrimi, quam Cluſius proponit his ferè verbis. Potulaca ſeu Adrachne Theophraſti, fruticis potiùs, quàm arboris modo prouenit: *Folia.* perpetuâ fronde viret, foliaque habet Laurinis adeò ſimilia, ut ſolo odore dignoſcantur: nam Adrachnes folium odore caret: *Cortex.* caudicis & ramorum omnium cortex adeò læuis, rubens & ſplendens eſt, vt coralli rami eſſe videãtur. Aeſtate rumpitur cortex, & in tenuiſſimas bracteas decidit, quo tempore neque rubens, neque ſplendens cernitur, ſed medium quemdam inter pallidum & cineraceum colorem acquirit. *Flor. Fructus.* Florem & fructum bis, vt Arbutus profert, & hunc quidem adeò ſimilem, vt alterum ab altero nullo modo dignoſcere queas. Differt tamen arbor hæc ab Arbuto: quoniam tantùm prouenit *Locus.* in montibus, neque folium ſerratum habet, neque corticem caudicis ſcabrum. *Lignum.* Ligni materies durtiſſima eſt, fragilis tamen, quia flecti non poteſt. *Folii ſpecialior deſcriptio.* Folium verò quod habemus, ſubſtantiâ quidem ipsâ Lauri folio ſimile eſt, ſed figurâ ſubrotunda, & altera parte, nempe dorſo ſcabra, & quodammodo ad incanum vergente, oppoſitâ læui & ſplendicante. Neruum medium ceu coſtam fibræ vtrinque laterorſum ordine quodam ſtipãt, nec tamen ad folii ambitum vſque excurrunt. Pediculum longiuſculum habet, & veluti ex prædictæ coſtæ atque fibrarum concurſu compactilem. Sed operæpretiũ eſt eius potiſſimùm audire verba, qui primus hanc arborem deſcripſit. *Deſcriptio Theoph. Theoph. emend.* Sic autem ait Theophraſt. Virent perpetuò ex ſylueſtribus Adrachne, [vulgata exemplaria ἀνδράχνη habent: priorem tamen lectionem etiam probant Hon. Bellus & Cluſ.] Arbutus &c: Et mox : Andrachne & ὄναρ[Greek] [Gaza vertit Vnedo, fortè legit κόμαρος] folia inferiora amittunt, ſummi autem rami (nam aſſiduè ramos gignunt) ſemper virent. Adrachne quoque folio Arbuto [κομάρῳ] ſimilis eſt, magnitudine haud procera, cortice albo, & circumrumpi ſolito. (περιῤῥηγνύμενον) Fructum Arbuto ſimilem parit: maturatur primùs cùm vua dulceſcit, poſterior cùm floret. Bis enim fructum dare videtur; excepta Adrachne, quæ tamen & ipſa, vehemẽtiùs preſſa, aut germine luxato, moritur. Itaque veriùs fortè, excepto Subere, dixerim: hanc enim & iuuari potiùs, cortice detracto, aſſeuerant, ſcilicet tàm externo, quàm carni proximo, ſicut etiam Adrachnem. Germinare incipit cum Vrbanis arboribus, folium habet ſimile Malo Medicæ, & penè æquale. *Adrachne Plin.* Plin. verò ſic de ea tradit. Adrachnen omnes ferè Græci portulacę nomine interpretantur, cum illa ſit herba, & Andrachnę vocetur, vnius literæ diuerſitate. Cæterùm Adrachne, eſt Sylueſtris arbor, neque in planis naſcens, ſimilis Vnedoni, folio tantùm minore, & nun- *Vnedonis folio.* quam decidente: cortice non ſcabro quidem, ſed qui circumgelatus videri poſſit, tam triſtis aſpectu eſt. Biſera eſt æquè ac Apharce. Quando autem ait circumgelatus, apparet eum legiſſe περιπηγνύμενον, cùm potiùs legendum ſit ex Theophr. περιῤῥηγνύμενον, circumruptum: quam etiam lectionem Gaza ſequitur & Hon. Belli obſeruatio confirmat.

Plin. emendatus. Idem Plin. alibi: Cortice in orbem detracto, non offenditur Adrachne, ſi non ſimul incidatur & corpus. Hermol. liberè tradit falsò Adrachnen Portulacæ nomine quoſdam interpretari, cùm illa ſit herba & Adrachne vocetur. Idem tamen Hermol. lectionem Plinii, quâ legit περιπηγνύμενον *Hermol. not.* hoc eſt, circumgelatum veriorem putat. Sed non eſt ampliùs putandum, quando experientia Theophraſti veriorem dicit, vt patet ex obſeruatione Belli. *Hermol. lectio.* Corticem quoque candidum Gaza ei reddidit, quia λευκὸν, vt exiſtimat Hermol. legebat: Hermol. verò λεπρὸν, id eſt, ſquatoſum, ſcabrúmque legit, Plinium ſecutus. Nec omittenda hoc loco alterius loci apud Theophraſt. *Theoph. locus corr.* corrupti emendatio: quo loco legitur, τὰ δὲ καὶ ὥσπερ περιπίπτει, οἷον ἀνδράχνη, μηλέα κόμαρος &c: emendandum περιῤῥήγνυται, vt intelligatur φλοιὸς: vel in dandi caſu ſequentes voces legendæ, & ita ſcribendæ: οἷον ἀνδράχνῃ, μηλέᾳ, κομάρῳ. nam ex eo loco & de cortice loquens Plin. dixit: Quibuſdam etiam cadit, vt Malo Vnedoni: quare malè tranſtulit Gaza *Gaza rep-reh.* inquiens, Quibuſdam etiam cadit, vt Portulacæ, Vnedoni, Arbuto. Vbi verò Theophraſt. habet Malum Medicam ſiue Perſicam [quam & Plin. Aſſyriam] folio eſſe τῇ ἀδράχνῃ, vel vt in vulgatis legitur, ἀνδράχνῃ: Plin. lib. 12. cap. 13. habet Vnedonis. Et quid quæſo Portulacæ (quę ἀνδράχνη eſt) vel cum Malo Medica, vel cum hac arbore commune? Quod aduertens Gaza Adrachnen apud Theophraſt. *Portulaca.* Portulacem reddidit, eruditiùs, vt decernit Hermol. quàm feliciùs: quanquam equidem non videamus quid eruditionis in ea voce eſſe poſſit, quæ nuſpiam apud nullum mortalium ſcriptorem extet, niſi quis dicere velit iuris retributionẽ Pythagoricam Gazæ fuiſſe cordi. Etenim quia in Adrachne τὸ N demptũ animaduertit, quod habet Andrachne: [Portulaca ab ipſo conuerſa, nec malè] æquum duxit, vt ſeruata legis latonis etiam literulâ aliquâ careret dictio Latina. *Gaza vocum diſpẽſator Pythagoricus.* Ideò Potulacam dixit Adrachnen: Portulacam, Andrachnen. Adeò Pythagoreorum illud ἀντιπεπονθὸς ſeruare nouerat Gaza, etiam in vocabulorum diſpenſatione. Magis nobis placet vox Adrachne, cuius ſpecimen quoddam etiamnum hodie extat in Creta, vbi Andrecles vocant, *Nomina. Andrecles. Andrachle. Theophr.* ſi Dalechamp. credendum, & ἀδράχλα tùm Cretenſibus tùm Vniuerſæ ferè Græciæ, ſi Bello, vt equidem par eſt. Sic & apud Theophraſt. vbicũque de arbore agit, pro ἀνδράχνη, legendum ἀδρά-

χον. Quam lectionem etiam sequuntur, Ruellius, Curtius, Cornar. Constant. Scalig. Dalech. Gorræus, Bellonius, Clusius, & Bellus. Quamuis Anguil. in epist. scribat Andrachnen siue Portulacam arborem Theophrasti, quæ hodiè in Græcia corrupto vocabulo dicatur ἀδράχλα, eandem esse cum Arbuto. Dioscor. diuersam facit ab Arbuto Theoph.

Portulaca arbor. *Andrachne* *Anguill. not.*

Verùm cùm ex præcedentibus satis pateat, quid sit Arbutus Diosc. quæ eadem cum Arbuto Theophrast. non opus hîc pluribus Anguillaram conuellere, si rectè legeretur apud Theoph. Andrachne, etiam ille ferri posset, dicens Arborem Portulacam.

Dodon. Ἀνδράχνη quædam arbor syluestris est: nondum enim ei innotuerat. Ex Plinio tamen facilè didicisset non temerè Gazam quoque Adrachnen legisse, iis nempe locis, vbi Portulacam reddidit. Cæteris Europæis linguis, hactenus ferè incognita arbor.

Locus. Frequens prouenit Adrachne in Creta, montibus Leucis, & alibi inter saxa, teste Bellon. In Helicone etiam frequentem esse Pausanias tradit, vbi suauissimum pomum ferunt. *Sapor.* Eandem multis locis in sua peregrinatione obseruauit Bellonius: scribitque iter facienti Halepo Antiochiam, in tumulis nascentem sibi conspectam, cuius ramos suo fructu onustos, quilibet eorum, qui comitabantur, abstulerit, vt in itinere ederet: maturus enim erat, elegantique suo colore singulos ad edendum inuitabat. Racematim autem cohærebat, magnitudine & colore fructus Rubi Idæi, mollisque, vt Arbuti fructus. Eadem, vt & Apharca, anno bifera, priorem fructum perficit [inquit Theophrastus] cùm variat vua, [ὀμφάζει, Plinius, cùm pubescit] alterum cùm floret vua.

Tempus

Vsus Lignum eius mulieribus ad opus textorium vtile, authore Theophrast. H. Bello verò teste, rusticis Cretensibus igni struendo seruit, & ad verticilla conficienda mulierum fusis appendenda. Eiconem eiusdem diligentiæ debemus Clusio transmissam.

CHARAMEI ACOSTÆ FOLIO PIRI.

Cap. XX.



Etsi Piri sit foliis exotica hæc arbor, tamen quia perpetua fronde viret, placuit Adrachnes historiæ ex Acosta subiicere. *Genera duo Descriptio* Huius arboris duo sūt genera: Vnum Mespili magnitudine, *Folia Piri.* foliis Piro similibus, dilutè virentibus, fructu Auellanis simili, admodum flauo, elegantes in multos angulos desinente, sapore Omphacii, & *Sapor.* grata aciditate, quem vel immaturum vel maturum, vel sale conditum vulgariter edunt. *Descriptio.* Alterum genus eiusdem est magnitudinis, foliáque habet Malo minora, fructum verò priore maiorem: cuius decocto cùm santalis aduersus febres vtuntur Canarici Medici. *Ad febres. Locus.* Crescit in syluis & montibus procul à Mari dissitis.

Nomina Charamei Decan. Arazaauali. Ambela. Charameis vulgò, vocantur in Canara, Decan, Arazaauali, Arab. Persis & Turcis *Ambela*, authore Acosta: ex quo & Histor. Lugd. habet nomine *Charamei*.

Vires & vsus. Delectus. Lacteus succus. Asthma. E primi generis, quòd secundum aquas nascitur, arboribus, seligunt Decanini & Canarini eam, quæ longiùs à marinis abest. Huius radicis corticem [cui lacteus succus inest] quatuor digitorum longitudine sumentes cum drachma sinapi probè terunt, & asthmaticis exhibent: valenter enim purgat per aluum, & vomitum. *Purgat, & vomitum cit.* Quod si immodica subsequatur euacuatio, Carambolas fructum vnum viridem edunt, vel aceti Canarini haustum sumunt [quod nihil aliud est, quàm aqua decoctionis orizæ vno aut altero die reseruata, donec acescat, Canarinis aceti vices præbens, & medicum vsum præstans.] & , si profluuium non cessat, ægris caput frigida abluunt. *Acetum Canarinū.* Magnus est horum Charameis vsus in illis Prouinciis, & ad orexim ciendam edere solent immaturos, maturos, salitos, vel sale & aceto conditos, vt antè dictum, aut aliis edulis quibus aciditatem conciliare volunt, admiscent. *Orexim.* Sed quis nostris delicatulis in nimio profluuio ausit caput frigida lauare. Aut quæ huius medelæ possit esse ratio?

IAMBOLOINS INDICA. FOLIO ARBVTI.

Cap. XXI.

Descriptio Iambolins incolis [inquit Garcias] nascitur spontè frutex quidem in agris Indicis, Myrti effigie, sed foliis Arbuti. Fert is fructum maioribus Oliuis persimilem. *Sapor.* Sed gustu admodum adstringentem. Muria conditur Oliuarum modo. Cæterùm neque hic fructus, neque Iaca admodum salubres ab eius regionis incolis æstimantur. Eiusdem arboris historiam & Acosta refert. Huius arboris materies, inquit, cortice integitur ferè eiusdem cum Lentisci cortice, folia Arbuto similia habet, sed Myrti virentis foliorum sapore: fructus Cordubensibus Oliuis maturis similes, adstringentis gustus, & fauces contrahentis. *Cortex. Folia. Fructus.* Nullum vsum in medicina obtinent, sed eduntur cum Oriza cocta: nam appetentiam excitant. *Nomina* Vulgus *Iamboloins* appellat, quo nomine & Hist. Lugd. ex Acosta proponit. Clus. *Iambolanes* vertit.

CARANDAS INDICA, ARBVTI FACIE.

Cap. XXII.

Descriptio Carandas dicta Indicis Arbuscula est Arbuti magnitudine, foliis similibus, copioso flore, odore Periclymeni: fructu exiguis Malis persimili, nigricante per maturitatem, gratissimo vuarum sapore, ex quo à nonnullis vinosus succus exprimitur. *Succus vinosus.* Fructus autem virens magnitudine est nucis Ponticæ cum suo putamine, interdum maior, succum nonnunquam exstillans viscidum & lacteum. *Vsus.* Editur à nonnullis fructus maturus cum sale. Solet tamen, cùm viridis est, muria aut

Appetentia. aceto condiri, & ita adseruari, ad excitandam elanguescentem appetentiam. *Locus.* Nascitur tum in continenti, tum in Balagate, vocaturque *Carandas*. Autor Garcias.

Auzubar Indor. M. *Fumee* in hist. gen. Ind. occid. meminit arboris cuiusdam *Auzubar* incolis dictæ: considerandum an hæc eadem?

Auzuba arbor Hispaniolæ. Pira Apiana. Lacteus succus. Clus. sanè annotat Carandas ferè similem describere Ouiedum, Auzuba dictam, in hunc modum. In Hispaniola insula, vasta est arbor pulchráque, materia firma & vtili, Auzuba nomine, fructu quidem longè suauissimo, vt sunt Pira Apiana, (muscatellina vocant) sed qui lacteo succo cóque viscido & glutinoso abundet, qualis est, qui in ficubus immaturis, ideircò molestus his, qui eo vescuntur, nisi prius fructum in aquam iniiciant, & lacteum succum digitis exprimant, qui in aqua sidit. Arborum proceritas differt. Ergo in eadem sit vel diuersa arbor, illarum regionum vestigatoribus decernendum relinquimus.

CORV CANARICA, ARBVTO VEL MALO AVREÆ SIMILIS.

CAP. XX.

Descriptio 1. Coru, autore Garcia, frutex est in Arbuti altitudinem assurgens, aut paulò minor: foliis Mali Persicæ, floribus candidis, Periclymeni odorem æmulantibus.

Descriptio 2. Locus. Mali Aureæ folia. Flos. Radix. Lacteus succus. Sapor & temperam. Acosta verò paulò specialiùs describit, his ferè verbis: In Prouinciis China, Iapan, Malaca, & Bengala, præter Macer arborem, (de qua nos suo loco) nascitur & Coru iisdem cum Macere facultatibus. Est verò hæc arbor pumilæ Malo aureæ similis cui etiam persimilia habet folia, sed quæ medium neruum crassiorem habeant, aliis octo aut nouem in latera excurrentibus. Flos luteus est, odoris ferè expers: radicis cortex diluto virore præditus est, leuis & tenuis, qui si frangatur aut vulneretur, nullo lacteo succo manat, lentiore & magis viscido, quàm qui ex superiore fluit, gustu insipido, amaritudinis tamen alicuius particeps, frigidus & siccus, plus tamen siccitatis, quàm frigiditatis possidens, in quo ordine Medici illius prouinciæ etiam constituunt.

Nomina & Synonyma. Herba Malauarica. Curodapala. Garcias: Coru lingua Canarica dictus. Lusitani Indiam incolentes Herbam Malauaricam nominant, quoniam Malauarenses eius vsum primi docuerunt. Acosta: In Malabar Curodapala & Curo: In Canaria Coru: Brachmanis Cura. Hisp. Lugd. Coru. Gall. Dur. Coru Canarie: Portugal. Herba Maluarica.

Vires & vsus. Dysenteria. Lacteus liquor. Temperamentum. Aqua stillatitia. Hac planta, vti scribit Garcias, cuiuscunque generis dysenterias præsentissimè curant Malauarenses, euacuata primùm magna ex parte peccante materia, alioqui facilè in eundem morbum rursus incidunt. Vsus est corticis radicum primùm exsiccati, quoniam recens lacteum liquorem exstillat, quem initio calidum putauit: sed degustatum: insipidum & frigidum inuenit. Quamobrē ob eius effectus frigidum & siccum cōstituit, plus tamen siccitatis, quàm frigiditatis obtinentem. Puluerem huius radicis contusæ in ollulam destillatoriam imponunt, ac sero lactis macerant: deinde additis Ammeos, Apii, Coriandri sicci, & cumini nigri seminibus tritis & torrefactis, vnciisque vna butyri non saliti, ignis calore eliciunt aquam stillatitiam, cuius quatuor vnciæ, cum aquæ ros. aut aq. è pedic. ros. aut plantag. duabus vnciis ægro propinant. Quod si opus est, adiiciunt puluerem pastillorum ex herba Malauarica confectorum.

Pastilli Herbæ Malauaricæ. Clysteres. Formantur autem ex iisdem rebus, è quibus fit aqua, dempto butyro. Iniiciuntur etiam clysteres ex hac aqua confecti, magno cum successu, sed frigidi, quoniam regio calida est. Quòd si necesse sit, eam aquam bis singulis diebus propinant, manè videlicet hora sexta, & à meridie hora secunda. Tametsi verò Garciæ semper benè successerit huius aquæ vsus, fatetur tamen Malauaricam herbam ab ipsis Malauarensibus præparatam, magis præsentaneam opem adferre. *Herbæ Malauaricæ præparatio.* Ea verò paratur ex iisdem, è quibus dicta aqua, rebus tenuissimè tritis, & sero, aut iusculo orizæ probè coctæ maceratis. Sunt qui succum ex planta virente exprimant, cuius septem vncias manè exhibent, & totidem sub vesperam, si necessitas vrgeat. *Succi vsus.* Sed quoniam amarus est succus & ingratus, ab eius potu serum propinare ad os eluendum solent. Quòd si Malauarenses fortiori adhuc remedio opus esse vident, Opium admiscere solent tametsi id semper strenuè negent. *Stomachus. Vomitus.* Salutare est item hoc medicamentum stomachi debilitati: tum etiam vomitus compescit, cum aqua Menthæ & Mastiches puluere sumptum.

Profluuia. Aqua. Areca. Porrò de eiusdem viribus, & præparationis modo, paulò specialiùs Acosta quoque sic scribit. Huius virentis corticis succo, licet admodum ingrato, plurimùm vtuntur incolæ cùm Gentiles, tum Christiani, ob admirandos, quos præbet effectus, in omni genere profluuii, cùm in Lienteria, tùm in Diarrhœa & Dysenteria à quacunque causa prognata. Lusitani tamen Medici methodum in eo exhibendo seruant. Vtuntur etiam eo succo veluti priore: sed prioris cortex longè præstat. Distillant verò atque vtuntur in hunc modum. Corticis in puluerem triti, unc. octo: ammeos, apii, coriandri sicci, cumini nigri nonnihil tostorum & in pulverem redactorum, sing. drach. tres: Corticum Myrobal. chebul. drach. septem: butyri vaccini non saliti vnc. duas: lactis acidi, q. suff. ad pulueres istos excipiendum, sumunt, in destillatoriam ollam vitream (si delicatioribus paratur) aut in vulgarem (vt maxima ex parte fit) imponunt, & stillatitium liquorem eliciunt, cuius quatuor vel quinque vncias cum aquę Auellanæ Indicæ, vulgò Areca nominatæ, aut aquę è pedic. rof. vnc. duabus propinant alui profluuio laborantibus, (interdum, si necessitas vrgeat, trochiscos de charabe, vel de Lemnia terra admiscent) semel in die, vel bis, si opus sit: illicò autem post eius sumptionem, Orizam cum oxygala exhibere solent. *Clysteres. Macer. Hæmorrhoides. Ani scissura. Pedum tumor. Tympanites.* Clysteres etiam ex eo confecti, præsertim sub noctem iniiciuntur. Licèt verò hic liquor admodum commendabilis sit, longè tamen præstantior est Maceris cortex viridis, licèt multò ingratior, & sumptu difficilior. Vtilis etiā hæc est radix Coru seu cum Orizæ decocto sumpta, siue inuncta aduersus hæmorrhoidas & ani scissuras. Foliorum eius cum Tamarindorum foliis decoctorum vapore crura tumentia vtiliter fouentur: ipso autem decocto madentes panni commodè in tympanite applicantur.

BRINDONES INDICI, FRVCTVS RVBENTES, ACIDI.

CAP. XXIV.

Descriptio. In Goa Indiæ, vti refert Garcias, est fructus quidam, *Brindones* vocatus. Is foris aliquantulum rubicat, intus verò sanguinis modo rubet: gustu

Super. admodum acido. Inuenitur interdum foris nigricans [qui color maturitate conciliatur] nec adeò acidus, vti superior; qui tamen non minùs, *Varietas.* quàm ille intus rubeat. Multorum palato sapidus est hic fructus, meo verò [inquit Garcias] minimè, ob nimiam aciditatem. Eo tinctores vtuntur. *Vsus.* Cortex verò adseruatur, atque mari aliò transuehitur, aceti conficiendi gratia: quod à Lusitanis quibusdam etiam in Lusitania factum est.

Placuit ita hæc exotica hoc loco inserere, tum quòd poma quoque ferrent, tum quòd ad antè descriptarum arborum, maximè verò Arbuti naturam & similitudinem quodammodo accederent.

DE MALIS MEDICIS SIVE PERSICIS, QVÆ ETIAM CITRIA DICUNTUR, Veterum & Recentiorum sententiæ & differentiæ in genere.

CAP. XXV.

Publicati ratio. NE eadem sæpiùs repetere, & Veterum placitis lectorem in diuersis locis obtundere cogamur, præsertim quòd difficilis ac lubrica sit illorum dogmatum ad nostri seculi obseruationes accommodatio, lubet ea summatim proponere.

De iis itaque Theophrast. primùm consuli par est. Omninò, inquit, plaga ad ortum spectans at- *Locus natalis.* que Meridiem, vt animalia, ita & plantas præ cæteris locis peculiares ferre videtur, vt Media regio & Persis, cùm alia multa profert, tum quod *Malum Assyrium & Persicum.* malum Medicum & Persicum vocant. Habet hæc arbor folium simile, & penè æquale Adrachnæ *Deceptio Theoph. corr.* [non ἀνδράχνης vt vulg. habent, quid enim Malo Medicæ cum Portulaca? Ridendi verò etiam ii, qui ἀράχνης, id est, araneorum telę, si diis placet, simile, legendum censent.] Aculeos quales Pirus [ἄπιος] aut Oxyacanthus, sed leues & admodum validos. Pomum alioqui non manditur, sed odore præstat, quemadmodum & folium. Ipsum verò Malum vestibus interpositum, inoffensas [ἄσητα] *Ad venena. Adoris halitum.* conseruat. Vtile etiam, cùm lethale quis pharmacum hauserit & odoris halitum commendat: quippe si quis interna [τὰ ἔνδοθεν: vid. num legendum ἔξωθεν. Nam corticis gustu potissimum, non pulpę, aut seminis, halitus laudabilis redditur] in iure aut alio aliquo humore concocta in os ex- *Satio. Cultura.* presserit & sorpserit, suauem reddet halitum. Semen exemptum, Vere sulcis [εἰς πρασιὰς] seritur diligentissimè cultis, rigatur deinde quarto aut quinto die. At iam maiuscula reddita, transplantatur rursus in molle riguúmque solum, nec valdè tenue: tale enim amat. Fert poma omnibus horis, aliis cadentibus, aliis florentibus, aliis maturescentibus. Floribus hic tantùm fructus enascitur, qui, vti dictum, [in lib. 1. Hist.] veluti scapum aut stylum quendam extantem, [colum vocant] in sui medio habent: Quem quæ habent, fœcundę: quæ verò non habent, infœcundæ sunt. Seritur etiam fictilibus in vasis perforatis, veluti Palma. Hæc vti dictum, Persidi Mediæque peculiaria sunt. Mali Medicæ germinare, florereque simul, aliis tamen atque aliis sui partibus possunt, nec ideò maiorem quandam & cæteris magis pe- *Medica mala. Persica. Cedromela. Citria.* culiarem sortiuntur facultatem, siquidem id agere possunt perpetuò. *Hæc Theoph. de Malo Medica.*

Diosc. τὰ δὲ μηδικὰ λεγόμενα ἢ περσικὰ, ἢ κεδρόμηλα, Romanis κίτρια, omnibus nota sunt. Est enim omnis anni temporibus fructifera, aliis atque aliis malis vicissitudine perpetuâ sibi inuicem succrescentibus. Ipsum verò Malum oblongum est, rugosum, aurei coloris, cum grauitate quadam odoratum, semen habens Piro simile, [ἀπίῳ ἐοικός.] *Piri semen.* *Sic ille.* Ast sanè vix vllam, immò nullam penitùs videmus similitudinem seminis Citriorum, aut eius differentiam, cum Piri seminibus. Istud etiam quod paulò antè Theophrast. dixit, Pomum non mandi, non leuem nobis præbet coniecturam eius Mala Medica seu Persica esse Aurantia nostra, vt *Mala Aurantia.* specialiùs declarabitur postea suo loco.

Medicorum dictorum Malorum aliquoties meminit Varro & Palladius: ille Libycam citrum nominat: hic specialiùs & Persicum & Citreum *Citrus Libyca. Medica mala. Mala Persica Citrea Assyria.* & Assyrium, atque, de hoc particulatim sic ait: Adserit Martialis apud Assyrios pomis hanc arborem non carere, quod ego in Sardinia & in territorio Neapolitano in fundis meis comperi, [quibus solum & cœlum tepidum est & humor exundans] per gradus quosdam sibi semper poma succedere cùm maturis se acerba substituant, acerborum verò ætatem florentia consequantur, orbem quendam continuæ fœcunditatis sibi ministrante naturâ. Ergo Malus Assyria etiam à regione dicta, vti Theophrasto Persica & Media ab eadem.

Persica pruna. Diphilus etiam Persica pruna vocat.

Aristophanes verò Grammaticus à Lacedemoniis Oxymela Persica à sapore, vt coniectura est, *Oxymela persica. Rhododaphne.* acido, quibus & deos coronent. Probus autem in Media Rhododaphnen vocari scribit, propter Lauri similitudinem, vt suspicatur Curtius & nasci in Italia, non tamen eiusdem facultatis.

Eandem & Virgilius celebrauit nomine Felicis Mali Mediæ, hoc carmine:

Media fert tristes succos, tardúmque saporem *Felix malum Medicum.*
Felicis mali: quo non præsentius vllum
(Pocula si quando sæuæ infecere nouercæ,
Miscueruntque herbas, & non innoxia verba.)
Auxilium venit: ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos, faciémque simillima Lauro: *Lauri folia.*
Et, si non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat: folia haud vllis labentia ventis: *Semper virens.*
Flos apprimè tenax: animas, & olentia Medi *Flos tenax.*
Ora fouent illo, & senibus medicantur anhelis.

Oppius apud Macrobium Citrum etiam θύαν vocatam arborem putat, & de illa versum hunc Homeri exponendum: *Citrus. Thya.*

εἵματά τ' ἀμφιέσασα θυώδεα κτλ.

Alii Thuion pomum dici: & θύϊνον eidem, ἀπὸ τοῦ θύειν, Ruellio: sed id quoque de ligno potest *Thuion.* audiri. Quidnam verò id sit, cuius eius florem apprimè tenacem esse Virg. scribit, habes diligenter explicatum à Victorio c. 8. 32. Obseru.

Fructum huius arboris aureum Malum dictum volunt, inquit Scal. cuius meminit Orpheus, cre- *Aureum malum.* pundia Bacchi & suppellectilem infantium enumerans:

κῶνος, καὶ ῥόμβος, καὶ παίγνια καμπεσίγυια,
μῆλά τε χρύσεα καλὰ παρ' Ἑσπερίδων λιγυφώνων.

De Citro Pomo, inquit Atheneus Deipnoso- *Citrinum malum.* phistis oborta est magna quæstio, an eius mentio- *An Citrini mali Veteres mentionem fecerint.* nem Veteres fecerint? Myrtilus enim nos id perscrutantes, velut ad capras syluestres [ὥσπερ εἰς αἶγας ἡμᾶς ἀγρίας, quasi rem obscuram, & inuentu perquàm difficilem inuestigaremus: vide Eras. in Adag.] relegans, inquit: Hegesandrum Delphum in suis Commentariis eius dictionis meminisse, sed locum in præsens memoria non tenere. Huic repugnans Plutarchus, At ego, inquit, assero, nunquam Hegesandrum ea voce vsum fuisse, perlectis,

lectis, vt inuenirem, totis eius Commentariis: cùm ex amicis quispiam alius ita se habere affirmaret, cuiusdam scriptoris non incelebris adnotationibus & scholiis adductus: quare iam tépus est, testem alium tibi, ô Myrtile, perquirere. Tum Æmilianus, Iubam, dixit, Mauritaniæ regé, virum doctissimum, suis de Libya cóm. facta citri mentioné, scripsisse apud Lybias id vocari μῆλον ἑσπερικόν, [Medica & Persica Mala hæc Theophrast. vocat: Medica Virg. Dal.] inde Herculem in Græciam transtulisse, aureáque vocata eius arboris Mala, ob coloris speciem. Asclepiades lib. 60. Rerum Aegyptiarum memoriæ prodidit in Iouis & Iunonis nuptiis arborem illam à terra editá fuisse. Hos sic loquentes Democritus commodùm intuitus: si quid horum, inquit, Iuba narrat, valeto cum libris suis Libycis, prætereáque Hannonis erroribus, (Carthaginensium Ducis, iussi ambitum Africæ explorare Punicis rebus florentibus suæ nauigationis Commentaria ille scripta reliquit: Dalechampius.) ego verò pernego Citri nomen extare apud Veteres: at ipsa res descripta prorsus ab Eresio Theophrasto in plantarum historiis, credere me cogit, Citrium esse quod oratione sua ille significat: Verba Theophrast. antea citata sunt. Variat verò Athen. in eo à vulgata lectione, quòd folium Mali Medicæ non tantùm folio Adrachnę, sed etiam Lauri & Nucis simile dicit, quod apud Theoph. non legitur. Præterea Athen. rationem reddit, cur veneno hausto conferit, quia potus è vino succus, aluum deturbat, & venenum exigit, quod & ipsum non habetur in Theophrast. His subdit Athen. Theophrasti verbis impulsus, & ea perpendens, quæ scripsit de odore, & foliis, designatum ab eo fuisse reor malum, quod Citrium vocamus. Vestrum autem neminem in admirationem trahat, quod ille prodidit, pomum non mandi, quandoquidem adusque memoriam auorum nostrorum nullus comedit, sed cum vestibus in arcis reponebatur, vt res quędam ingentis pretii, & thesauro digna. Quòd autem ex Asiæ superiore (Media, Persia,) plaga in Gręciam reuecta stirps ea descenderit, scriptum à Comicis Poëtis inuenitur, qui de ipsius Pomis, cùm aliquid dicunt, de Citriis Malis videntur id tradere. Antiphanes in Bœotio:

Malum Hespericũ, Medicum, Persicum, Aureum. — *Citrium.* — *Theophr. Medicum & Persicũ Malum, esse Citrium.* — *Citria in Græciam ex Asia fuisse delata.*

A. De epsunio quidem stultum est quidquam apud vos dicere, Tanquam insatiabiles: sed hæc accipe, ô virgo, Mala. B. Pulchra sanè. A. Pulchra quidem, dii bam. Nuper semen hoc peruenit Athenas, à magno Persarum rege. B. Ab Hesperidibus credidi, sic mihi Lucifera propitia sit: Aurea hæc Mala tria esse inquiunt Tantummodò. A. Paucum est quod pulchrum, & vbiuis in honore.

Eriphus in Meliboea præpositis iambicis illis versibus, Antiphanis stylo ac elegantiæ maximè propriis, subdit: *Et vbiuis*

In honore: pro his obolum, quod multum non est;

Impensum numero: Rationes pòst ego supputabo.

His si quis reluctetur, & quod Citrium vocamus, locis à me citatis indicatum minimè fuisse contédat, clariora testimonia profero, quibus sententiam suam tueatur. Phanias tamen Eresius inicit nobis suspicionem, Citrium à Cedro [ἀπὸ τῆς κέδρου τὸ κίτριον] tanquam Cedrium, nominatum fuisse. Cedrus enim, vt ille scribit, libro 5. de plantis, circa folia spinas exerit: id autem in Citria malo videri, nemo est qui ignoret. Athenæum tamen putant quidam apud Phaniam hęc rectè non legisse, ideóque futilem esse coniecturam illius, meliorémque esse hanc lectionem, ἄκανθαν τὰ φύλλα, nõ autem περὶ vel ἀεὶ τὰ φύλλα: vt sensus sit, foliorum loco spinas habere Cedrum, quod est de oxycedro verissimum. Sed si nostra Citrus vel Malus Citria est genuina antiquorum, rectè ab Athenæo dictum ἀκάνθας ἴσχειν ἀεὶ τὰ φύλλα, hoc enim (vt rectè Dalechamp. & alicubi Scal. annotant) propriè significat, foliis minimè aculeatis, spinas in ramis ac surculis exerere, quod de Cappari & Tribolo dixit Theophrastus, & nos æquè in Citriis, Medicis ac Aurantiis malis nostris videmus. Quid si quis dicat Citrum rectiùs deductam à Cedro, propter odorem, indéque dictam Cedrium? Sed nihil astruimus.

Citrium à Cedro. Cedrium. — *Spina Athen. emend.*

Videamus potiùs quid Plinius de his tradat. Peregrinæ [inquit] & Cerasi Persicæque, & omnes quarum Græca nomina aut aliena: in præsentia externas persequemur, à salutari maximè orsi. Malus Assyria, quam alii vocant Medicam, venenis medetur. Folium eius est Vnedonis, intercurrentibus spinis. Pomum ipsum aliàs non manditur: odore præcellit foliorum quoque, qui transit in uestes vnà conditus, arcétque animaliũ noxas. Arbor ipsa omnibus horis pomifera est, aliis cadentibus, aliis maturescentibus, aliis verò subnascentibus. Tentauere gentes transferre ad sese propter remedii præstantiam fictilibus in vasis, dato per cauernas radicibus spiramento: qualiter omnia transitura longiùs, seri artissimè trásferrique meminisse conueniet, vt semel quæque dicantur. Sed non nisi apud Medos, & in Perside, nasci noluit. Hęc est autem, cuius grana (corticem Dalechamp. & rectiùs.) Parthorum proceres incoquere diximus esculentis, commendandi halitus gratiâ. Nec alia arbor laudatur in Medis: & Citrus arbor, à Grecis Medica dicitur. Mirum tamen cùm Plinius iam adducto loco salutarem maximè dicat Medicam arborem, (Citriam siue Assyriam vtique intelligens, vt & indicat Dal. & verborum series ipsa satis insinuat) dicere Malum ferre execratum aliquibus odore & amaritudine, aliis etiam expetitum, domos etiam decorans, nisi eadem id licentiâ fecerit quâ Virg. de eadem dixit: Media fert tristes succos &c: vt paulò antè dictum. De eadem quoque scribit Macrobius ex Oppio, in libro de syluestribus arboribus, his verbis: Citrea item Malus, & Persica altera generantur in Italia, & in Mediâ. Et paulò pòst, de Citro loquens, ait: Est autem odoratissimum, ex quo interiectum vesti, tineas necat. Fertur autem venenis contrarium, quòd tritum cum vino purgatione virium suarum bibentes seruat.

Malus Assyria & Medica. — *Citrum arbor.* — *Citrea Malus. Persica Malus.*

Vides hic [vt ille ait] & Citreum vocari, & omnia signa pomi, quæ de eo Virgilius dixit, licèt nomen citri ille non dixerit. Seruius tamen, Apuleium in libris, quos de arboribus scripsit, citans, aliud arboris genus citrum esse ait. Nec Solino indictum citrium.

Citreum.

Et Galenus: μηλέα μηδική, inquit, Malus Medica, cuius fructus non ampliùs Malum Medicũ, sed ab omnibus citrium nuncupari adsolet. Narrat Pamphilus in linguis, citrum apud Romanos appellari.

Malus Medica. Malum Medicum. Citrium. Citrum Autorum indictũ (de Veterum plantis.)

Hactenus Veterum placita de Medica, Assyria & citria Malo, earúmque fructu potuimus, verùm quamnam intelligant ex citriis aut Medicis hodie nobis vocatis, nondum quis temerè concludat, quãuis ad nostra citria magna satis benè accedant, quæ tantùm abest, vt hodie non comedantur, vt de suis tradunt Veteres, vt ea hodie præ cæteris omnibus in maximis deliciis habeantur: vt illi, si

ad hoc respiciamus, de Aurantiis Pomis videantur intelligendi, nisi quis malit probare rationem Athenæi, non ideò abstinuisse Veteres à Citriorum esu, quòd non fuerint edulia, sed quia in alium vsum, tanquam rem magni pretii, potiùs adseruanda duxerint. Hodiè faucibus & stomacho omnia prostituta, etiámque margaritæ & aurum, si modò sufficerent. Manet tamen ex difficultas ex Diosc. quà semen Piri Citromelis inesse scribit: in qua comparatione vel falli, vel sanè licentiosiùs pronunciare potuit, nisi mendum sit in Codice.

Diosc.

An verò Aurea vel Hesperica mala cognita fuerint Columellæ & quo nomine haud obuium iudicatu, meminit ille quidem Aureorum malorum ad Hesperidas in 1. cap. lib. 2. de re rust. Sed longè alio significatu per aurea enim mala secundum antiquam consuetudinem, Capras & Oues quas Hercules in Græciam exportauit intelligi scribit. Ea enim inquit, sua voce Græci appellarunt μῆλα. Habes ergo Aurea mala quaternis incedentia pedibus.

Sed quid Recentiores quoque scribant nunc videamus.

Ac Hermolaus quidem nouas nobis iniicit difficultates. Nam is, postquam ex Iuba dixisset, primum Hesperidum & Hespericum malum ab Hercule translatum in Græciam, & Aureum malum vocatum. addit: sibi videri de iis Virgilium intellexisse, cùm dixit. Aurea mala decem: [sed hæc opinio refutatur cap. de malis Cydoniis.] Nuptiale pomum intelligi hoc volunt, qui editum à tellure fabulantur, nuntiato Iouis & Iunonis connubio. Non mandebatur [inquit idem] pomum Theoph. ætate, sed ne Plinii quoque, [vt arbitror.] Plutarchi certè auorum memoria gustabat nemo, [vt iam ex Athen. dictum,] Nunc à Palladii ferè temporibus promiscuum expetimus cœnis.

Hespericũ malum. *Aureum malum. Hermol. notat.* *Nuptiale pomum.* *Non mandebatur.*

Quanquam Apuleius negauit eandem esse malum Assyriam siue Medicam, quòd Citrus exiguum esset genus arboris, Medica verò, vt Maro scribit, ingens.

Apuleii opinio.

Pamphilus Citrum Critum à Romanis etiam dici, parum peritus homo scripsit.

Critum. Pamph. not.

Nunc translatitia & triuialis ferè arbor, vt pluribus generibus Citreta Italiâ ferè totâ germinant fœliciter, quamcunque imaginem reddentia. Hæc ex insitione Mali quoties proueniunt Citromela propriè dicuntur ab aliquibus.

Locus. *Citromela.*

Mensæ Citreæ Veteribus & Plinio decantatæ, præsertim Ciceroniana, non fuerant ex hac Citro: decipiuntur Grammatici, quicunque id arbitrantur.

Mensa citrea. *Grammat. error.*

Plinius: Alia, inquit, [Citri] est arbor eodem nomine malum ferens, execratum aliquibus. Quod & sensisse Macrobius videtur: hodiéque Mauritani malum Medicam, & pomum eius *Atrogi* vocant, à *Trogete* vocabulo parum deflexo: alioquin τρώγιον, non, quia mandi posset, sed κατ' ἀντίφρασιν, quia mandi non possit, appellatum censuerim. Malum quoque Medicam in Mauritania fuisse certum est, cùm plena sint Poëtarum omnia volumina.

Citrus alia Plin. *Malus Medica. Atroge.* *Malus medicea.*

Marcellus apud Antiquos non Cedromela sed Citromela, quasi Citrea mala legendum esse vult: nihil enim Citro esse cum Cedro: & à Romanis Citria hæc vocari, iampridem receptum esse.

Cedromela, Citromela. Citrea mala. Citria.

Non sine ratione dubitat Manardus, an Theophrast. per mali Persicæ & Medicæ arborem Citra ferentem intellexerit, an vocata Arantia: nec sciri hoc posse ait, quia proceritatis arboris non meminit, quæ his magna, illis ita parua, vt arbustæ potiùs videri possint, quàm iustæ arbores. Sed nec figuram pomo dedit, quæ in Arantio orbicularis, in Citro oblonga est.

Arantia.

Cur difficilis explicatio quæ sint pippi Medica mala Antiquorum ex nostris. Virg. & Diosc. non idem mala Med.

Virg. in Georg. & versibus quidem suprà propositis, sub Medicæ arboris nomine ferentem Arantia descripsisse videtur. At Diosc. eodem nomine vsus, non eadem cum Virgilio, hoc est, Arantium, sed Citrium intellexit. Gal. proculdubio intelligit quod Dioscor. carnem quippe edi dicit, sicuti corticem, quod de Arantio intelligi nequaquam potest, carnem vel non habente, vel si habet, non talem, quæ mandi possit.

Auicenna de Citro eadem scribens, quæ Dioscor. & Gal. ostendit, non de alia re scripsisse, quàm de qua illi.

Ruellius Virgiliana & Pliniana de malo Medica scripta, omnia cum Theophrasto conuenire tradit.

Palladii diligentiâ in Italia primùm coaluit: hunc solers imitata posteritas eam Galliæ Hispaniæque communicauit.

Cultus [vt idem ait] mangonium in plures digessit formas, ita vt remissiori sapore vehementiorique: item dilutiori saturatiorique colore different. 1. Quæ auri colore relucent Poma *Aurengia* vulgus appellat. 2. Quæ ex viridi in luteum languescunt *Citreola* & tandem Citrula nominant. 3. Quę ouata specie turbinatur & luteo colore nitent *Citrangula*, priuatim Citrea vocant. 4. Si herbaceo colore virent *Limones* dicunt. 5. Si prægrandia modo Melonum orbiculata facie turgent *Ponceria* vulgò, quasi ærea, vel potiùs Citrea poma dicunt. Citrum porrò duûm generum idem scribit; vnum Cedri, ex qua mensæ dedolantur: alterum Citri eius ex qua malum Medicum prodit.

Differentiæ. *Aurengia.* *Citreola.* *Citrangula.* *Limones.* *Ponceria.* *Citri duo.*

At paulò antè ostensum, Cedro vel Cedrio nihil cum Citrio esse com nunc, & ex illa, non ex hac tabulas parari, vt specialiùs docebitur suo loco. Quæ verò Veteres de malo Medico seu Persico scribunt, odorata esse, vestes conseruare, venenis resistere, perpetuâ vicissitudine florere, atque succrescere, de nostrate Citro dici, euidentiùs esse ait Ruellius quàm vt probari desideret. Porrò sæpiùs iam citata illa nomina, Medicum malum, Assyrium, Persicum, Citrium, Cedromalum, & Citrinum grande & oblongum &c. promiscuè ab authoribus Recentioribus vsurpantur. Sic Cordus, præmissis iis nominibus: sunt huius generis, [inquit] Limones, Poma Adami & Arengia. Habetur ænigmaticum de his malis carmen, quod est:

Medica mala quidem nec mala, nec medica.

Botanicorum diligentissimus Clusius ex Hispanorum sententia sic tradit. Medicorum malorum sunt varia genera: Alia enim Hispanis *Cidras* dicuntur, alia *Limones*, alia *Limas*, alia *Naranjas*, alia *Toranjas*.

Malorum Medicorum differentiæ Clusio.

Quæ Citria siue Cidras fert, Cidrera dicta, breui trunco est, longis ramis firmis, crassis & acutis spinis, foliis magnis, latis, & per ambitum serratis aliquantulùm. Fructum fert magnum & oblongum, Melopeponis amplitudinem interdum æquantem, cortice per maturitatem flauescente, densa carne, candida, firma & eduli, nullo ferè interiore succo: odor mali fragrantissimus: flores sunt candidi, sæpiusculè forinsecus purpurascentes, odorati. Semper hæc aut floret vel fructu onusta est. Sunt qui fructum nascentem figulinis formis varias figuras exprimentibus includunt, atque ita relinquunt donec fructus maturitatem

Citria descriptio.

Digitized by Google

tatem consequatur: tum demum formas auferũt, vt malum natiuum colorem adsciscat, iucundo sanè spectaculo.

Limonera desc. Citriæ ferè similis est, quam ipsi *Limoneram* appellant, cuius fructus minoribus citriis pares, oblongi, satis densa carne & multo succo acido præditi, nullis aut perpaucis intus acinis: folia citriis breuiora, flos purpurascens foris, spinæ minores & breuiores, quàm in *Limera*. *Dulces.* Huius generis reperiuntur etiam dulces, minores tamen, & oblongis *Limis* similes. *Pregnantes.* Audio & eius genus prægnans reperiri, alium fructum minorem in se cõtinens, incolæ sua lingua *Limones prennados* vocant, verùm id genus non est mihi conspectum. *Tota carnea. Limones figurata. Maxima.* Doctiss. vir S. de Touar ex Fortunatis Insulis delatum scribebat in Indice sui horti, quem ad me mittebat anno M.D.XCV. & aliud genus se alere totum ferè carneum, quod varias figuras representat, eam ob causam ab Hispanis *Limones de figuras* appellari. Quartum autem genus omnium maximum conspiciebam Hagæ Comitis apud Batauos anno M.D.XCIIII. Ill. Heroinæ Principi de Chimay, à Doctiss. uiro Bernardo Paludano Medico missum: id enim citrii mali grandioris magnitudinem æquabat, corticem verò minùs densum, & auri instar fulgentem habebat: grumos etiam interiores minùs acidos, quàm reliqua genera.

Limera desc. qua ecedit. Quam ipsi *Limeram* nuncupant, magno caudice assurgit, grumósque habet tenuiores, longos, firmis, longis, virentibus spinis armatos, folia per ambitum nonnihil serrata, florem candidum, fructum paulò minorem *Limonerá*, oblongiusculum, vbi maturuit flauescentem, cortice tenui, vt nil nisi succum ferè contineat, eúmque acidissimum. Semper flore & fructu onusta conspicitur. *Non spinosa rotunda.* Aliud porrò eius est genus per omnia ferè simile, nisi spinis careret, vel eas perquàm exiguas haberet & illius fructus rotundus esset, summa parte quasi corona aut vmbilico insignitus. Vtriusque acini seu grana oblonga sunt.

Aurea malus. Aurea Malus reliquas huius generis magnitudine superat, Malo vulgari non inferior ferulio solo, tametsi humilis interdum reperiatur: firmos habet ramos, spinas paucas & breues, folia viridia, minimè per ambitum serrata, flores candidos odoratissimos: fructum, *Narania.* *Naranias* Hispani vocant, maturitate aurei coloris, succo preditum aut dulci, aut vinoso, aut acido, in quo grana frequentia, rotundiora, quàm in Limonibus. *Pumilio.* Habet etiam hæc arbor sui generis pumilionem, qui insitione vel inoculatione propagatur. Liberalior est hæc ferendis floribus & malis etiam in frigidis regionibus, modò ritè curetur.

Eduli cortice. Ex eo genere, quod dulci est succo, Hispali apud Chartusianos (Hispani *las cueuas* nominant) trás Bætim flumen, binas arbores conspexi, que fructum ferebant carne multò firmiore præditum, Armeniacorum ferè modò, licèt similiter Camerulis distinctum & succulentum, vt reliquorum, *Meiosper-mopheros.* cuius cortex vnà cum carne & succosa substantia mandebatur: corticis color insigniter aureus est. Hispani *Narania axel* vocant. Aliud insuper genus, cuius succus acidus, vnicum granum continebat.

Poma Adami. Quæ vulgò Poma Adami dicuntur, ea Galli *Poncires*, Bætici *Toronias*, Lusitani *Zamboas* appellant. Arbor ipsa interdum humilior est, citriæ perquàm similis, magna tamen ex parte celsiorem Malum auream æquat: breues habet spinas, folia Limoneræ: florem candidum, odoratum: fructũ rotundum, triplò maiorem Aurea malo, maturitate flauescentem, cortice inæquali, denso, crassa & fungosa carne, quæ à nonnullis cum cortice simul editur, succo breuibus folliculis vt & mali Aureę comprehenso, (in reliquis enim generibus folliculi siue vesiculæ succum continentes oblongiusculæ sunt) granis subrotundis. Nonnulli *Assyrium malum* vocant. *Assyrium malum.*

Cæterùm præter *Aurantiam malum* eduli cortice, decem mali Medici genera apud Hispalenses inueniri ex altero Indice, quem anno M.D.XCVI. eruditissimus vir de Simon de Touar mittebat, intelligebam: accipiebam enim ab illo semina illius quod Hispani *Zamboas* appellant, deinde *Limones de carne, Limones de figura, Limones prennados, Limones poncies, Limones ceuties, Limones dulces, Limas dulces, Limas agrias, Limones de Tulre*, vel *Limas del Emperador*, quoniam, inquit, ab Imperatore Carolo V. ex Vngaria in Hispaniam primò delata hæc planta fertur, cuius quidem opinionis fidem augere videtur, quòd vltra cætera mali Medici genera, hæc frigoris patientissima existat. Est autem eius fructus edulis multò suauiore gustu præditus quàm *Anarantia caxel*, succus verò eius maximè ad acidum dulcem accedens, ideóque omnium mali Medici generum acidorum suauissimum. Omnium porrò folia perpetuò viridia sunt, multísque veluti foraminibus, si Soli obiiciantur pertusa, instar foliorum Hyperici, iuncturâ quadam pediculo inhærentia: sola mali aureæ folia secundùm iuncturam tanquam appendices habent. *Medici mali decẽ genera.*

Corn. Citriorum generis esse & Poma Arantia statuit. Eiusdem generis & Limones siue Limonia mala, omnibus ferè persuasum esse, ipsáque adeò citria Hispanos *Limones* appellare. Suspicio tamen est, eum citrum & Limonem vulgò dicta Poma confundere, tantùm abest ne differentias tradat, quod se fecisse putat. *Arantia. Limones. Citria. Corn. nũ.*

Monardes putat Aurantia è Citria, primùm acri vel acida, atque adeò inculta, peramaros & acetosos fructus proferente, prognata: sicque & alia citriorum genera insitione multiplicata fuisse, vnde reperias tot genera Limonum & alia, quæ citro nec Limonibus conueniant, *Zamboas, Toronjas, Limas, Limones*, (Nebrissensis vocat cidras, Naranias, Toronias, Limas, Limones,) quæ omnia, inquit, nec Prisci cognouerunt. *Aurantia. Citriorum differentia.*

Et Lacuna: Mancana Medica Hisp. quæ sub se comprehendunt *Cidras, Limones, Limas, Toronias* & *Naranias*. Dioscor. cognouit tantùm *Citrum*: *Limon, Tima*, & *Toronia*: carent propriis nominibus Græcis & Latinis. Valentini vocant *Narania*, id est *Aurantia, Toronia*, licèt *Toronia* sit species diuersa, & Cidræ satis similis. *Priscis non omnes huius aut Citriorum differentia cognita.*

Raimundus à Vinario, Malorum Medicorum nomine Arantia, Limones & citria comprehẽdit. *Limon. Lima. Toronia. Narania. Cidra.*

Sic Turn. Malus Medica, quæ & Assyria, & Citrus, Angl. Citron tree: sub qua comprehenduntur & Arantia, Angl. Orange tree / & Limonia Angl. Limon tree.

Dodon. ita distinguit. 1. Malum Medicum ac citriũ. 2. Medici alterum genus Limonium. 3. Anerantium aut Anarantium. 4. Assyrium vulgò Ital. *Lomia*. *Medicum. Limonium. Arantium. Assyrium.*

Lob. & Penæ, *Cedrus* Theophrast. Dioscor. *Medica Mala*, siue *Cidromela: Arantia, Citria, Lima* & *Pomum Assyrium*. Antiqui (inquit) à solo Medo Medicum, ab odoris fragrantia Cedrum & Citriũ dixerunt, quasi Cithyon odoramentum Diuis libandum: tametsi hæc in Africa sit syluestris & Olbię Galloprouinciæ adeò familiaris in afflatu oræ maritimæ: vt semperuirentium lucorum amœnitate & Pomorum fœtura perenni nequaquam inquilina videatur. *Cithyon. Syluestris.*

Citrum. Limon Aurantia.

Cæſalp. ſic diſtinguit. Citrus fructu grandiſſimo, quem Citrium vocant, aliquando magnitudine Melopeponis. Limon Citro ſimilis. Aurantia arbor Limone maior. Melangula, quam alii Citrangulam vocant, frutice & fructu ſimilior Citro.

Ponzirus ambigit inter Limonem & Aurantiam.

Limonecitrum.

Aug. Gallo, Congenerum fructuum quinque ſpecies. *Cedri, Limoni, Aranci, Pomi d'Adamo, Limonea fructus* minor vulgaris, medius inter Limonem & Pomum Adami. Meminit & *Limoncitri*, ſeu Limonii cedromali, prognati ex inſitione citriæ in Limonia: peritiores tamen inſerunt Limonias citriis, vt ſpecialiùs docebitur poſteà.

Citrum mirabile.

Etiamnum alterius generis *Staffeggiati* dicti, figura mirabilis, arbore minùs frugifera, de quo etiam mox.

Hæc ſunt Veterum & Recentiorum de Malis Medicis, citriis, atque Aſſyriis placita, & differentiæ, confusè potiùs, quàm exactè diſtinctæ [excepto Cluſ. qui omnium diſtinctiſſimè de iis prodidiſſe videtur] cùm omnes à pleriſque ſub Medicorum nomine & titulo comprehendantur, neque tamen hactenus pro certo conſtet, quódnam eorum ſit Medicum Theoph. aut citrium Dioſc. & Gal.

Proponamus nobis obſeruatas differentias ordine quodam, vulgi nominibus, vt hodie in vſu ſunt, inſignitas: de quarum cum Priſcorum collatione quilibet ſtatuat prout libuerit.

CITRIA MALVS CVM FRVCTV MAGNO ET MEDIOCRI.

Deſcriptio

PRæcipua etiamnum hodiè apud pleroſque Citrio malo dignatio, quòd aliàs turbinata Limonis forma, ſed mole multo maius, aliàs figura melonis, ac vel maiori etiam par, dilutè aureo cortice tuberculis aſperato tectũ.

Cortex.

Succus.

Succus huic quàm Limoni paucior, nobilior, acidus: puluinatus cortex, carne multâ albida, nullo peregrino ſapore ingrata.

Arbor. Folia.

Arbor ipſa haud magna, folio Laurino, odorato, foraminulento. Rami ſpinis rigidiuſculis, flexilibus tamen, & non valdè infeſtis armati.

Flos.

Flos albidus, odoratus, perpetuus, duobus modis progeneratus, cum colo, qui fœcundus: qui colo caret, infœcundus. Rarò hæc arbor fructu caret etiam apud Magnates Germaniæ, vbi colitur. Talem & Cl. Felix Plat. aliquando coluit, qui & fructus maturos, & alios ſubnaſcentes, & flores nouam prolem ſpondentes oſtentabat.

Deſcriptio Monardi.

Citrus, inquit Monard. [in epiſt. ad Quadr.] quæ mala Citria ferebat, Veteribus humilis eſt, omnibus nota, omni tempore poinifera, ſemper prægnans fœcundáque, vt trium annorum fructum habeat: Flores emittit iucundiſſimos, pomum oblongum, interdum rotundum, aliquantulùm rugoſum, colore aureum, odore gratum. Arbor non multæ proceritatis, folio Lauri conſimilis, aculeos habet acutos, vehementes & rigidos.

Deſcriptio Cordi.

Curioſiùs deſcripſit Cordus his verbis. Citrus arbor eſt fruticoſa, veluti Coroneus, ramos habet viridi glabróque veſtitos cortice, ferendæ fœtuum moli valdè impares & ad terram pronos, ideoque ſubiectis per tranſuerſum haſtilibus, furciſque fulciendos. Folia Laureis ſimilia, denſiora tamen, multóque maiora, & ad Iuglandis magnitudinem accedentia, oblonga, vtrinque acuminata, egregiæ viriditatis ſplendoriſque, præſertim supernè, infernè enim pallidiora exiſtunt.

Odor.

Tota hyeme arborem ſuam exornantia, odoris acerrimi, latè ſpirantis, qualis in Meliſſophyllo ſentitur, cum grauitate quadam cimicem imitante.

Spina.

Spinis armatur ſub omnium foliorum annexibus, longitudine vncialibus, rectis, acutis, ac viridibus. Flores, virentes gemmarum caliculi emittunt oblongos, candicantes, & quorum duplex eſt genus, videlicet ſterile & fructiferum.

Sterile & Fructiferũ.

Sterile nullum poſt ſe tuberculum producit. Fructiferum verò, præterquam quòd à tergo fructus rudimento ſibi annexo committetur, etiam in medio aliud inſigne exerit penſum colo inuolutum æmulans, quod Theophr. quoque nouit.

Fructus.

Fructus florem ſequuntur ſinguli, longitudine non rarò dodrantali, figura ouata, ſuperficie rugoſa tuberoſaque, colore primùm viridi, in maturitate verò aureo ſeu citrino: nec ſolùm ouata naſcuntur figura, tum etiam globoſum conſequuntur habitum, vtrumque eiuſdem eſt odoris ac foliorum ſimilis.

Caro corticis.

Cortice ambiuntur guſtu amaro, feruido, ſimúlque tenui, cui ſubeſt caro cartilagineæ duræque conſiſtentiæ, colore candido aſpectu, atque acetoſo ſapore, conditæ capitatæ Braſſicæ truncos referens: In medio malo cauitas quædam eſt, ſucco vehementer acetoſo, ſuis membranis contento plena, cui inniixa ſunt oblonga & ſemuncialia ſemina, vtrinque ferè acuminata, cute

Semina.

foris flaua ſtriataque, intus candido duplicique nucleo conſtantia: quibus amarus, tenuis & mediocriter feruens eſt ſapor præſertim cutis: nucleus enim dulcedinem quandam adiuxtam habet.

Radix.

Radicibus nititur copioſis & tenuibus.

Nomina Synonyma

Latina & Græca Synonyma Citrii mali ſupra pleraque dicta ſunt: Annotat tamen Had. Iun. *κίτριον κοκκύμηλον θεατόν* quibuſdam dici. Particulariter verò quæ huius ſpecies ſint nomina videndum.

Atrog. Pomum aqua. Citrum Malũ Medicum Alatrungi. Citrium eſculentum.

Serap. *Atrog.* id eſt, *Citrum.* Gal. Fructus huius arboris nominatur Græcè *Pomum aquæ.* Auic. *Citrum,* id eſt, *malum Medicum.* Bellunenſis in marg. *Alatrungi,* ſeu *Atrugi,* vel *Atrungi.* Scalig. *malum Medicum* Theophr. & *Citrium* præter ſemen totum eſculentum. Cur autem Scal. citria potiùs ad mala Medica referat, quàm Aurantia, vide cap. de Aurantiis ex Scaligeri verbis, cuius tamen ratio non vſquequaque nobis ſatisfacit.

Citria Dioſc.

Citria minora videntur reſpondere deſcriptioni Dioſcor. quamuis ſimilitudo ſeminis cum ſemine Piri nonnihil claudicare videatur, vt antè dictum. Manard. citrium Dioſc. Gal. Serap. & Auic. & Eluchas. *Citria mala.*

Cord. *Medicum* malum, *Aſſyrium, Perſicum, Citreum, Cedromalum, & Citrinum* à colore corticis: in cedro non naſcitur arbor. *Citrus* eidem.

Trag. eadem nomina dat, & præterea addit, eſſe Plin. Theoph. & Virg. & conicit ex Aſſyria ad

Iudæos

Varietas. Iudæos Mala citria fuisse olim allata. Variat, nõnunquam (inquit) grandius, quandoque magis exiguum apparet, effigies exaperata rugis, prælonga: interdum rotundior: odor plusquàm iucundus, & qui Martias Violas ferè referat.

Hadar. Citrum fructus pulcher in Biblis & Iudæorum. Hebræi *Hadar* arborem esse volunt cuius fructus *Ethrogim*, vulgò *Citra* dicuntur, quam vocem Paraphrastes posuit. *Hadar* autem propriè pulchrum, formosum & decorum significat, sicut & septuaginta verterunt καρπὸν ξύλου ὡραίου, id est fructum arboris pulchrum. Similiter & vulgata editio habet: sumetisque vobis die primo fructum arboris pulcherrimæ. Quia autem citrium speciosissimus fructus est, ideò pro citro arbore Hadar interpretatur, atque eo fructu etiamnum hodie Iudæi *Iudæorum mos.* in suo festo celebrando vtuntur, & ex Massilia Prouinciæ accersunt. Celebratur autem octaua Septembris ea dies cum magnis solemnib⁹, vocatúrque *Chag Arafa*, id est *Festum Palmarum*, in quo *Ethrogim.* sumuntur fructus quos *Ethrogim*, id est, Citra vocant, & spatulæ Palmarum ad innuendum, quod Deus deduxerat eos per desertum in deliciosam terram. Circumeunt etiam septimo dies septies altare, portantes Palmas, in memoriam depopulatæ Hiericho ex annotat. Pauli Fagii. Ex his (addit Kyberus) facilè liquet Hebræis *Ez-hadar* Citream arborem, fructum verò eius Chaldæis *Esrog.* *Esrog* seu *Ethrog* significare, quæ vox nihil, quod ad substantiales literas attinet, (nam in punctis tantùm, quæ Hebræis, Chaldæis & Arabibus vice vocalium inseruiunt, apparet, sed leuis mutatio,) *Atrog.* ab *Atrog* Serapionis Arabico nomine differt. Vnde cum Arabica & Chaldaica lingua (quæ Iudæorum à reditu ex Babilone vernacula fuit, vt multis noui testamenti vocibus patet) in hac voce cõsentiunt, nemo in posterum dubitare debet, quin *Ethrog.* *Ethrog* Chaldæorum citrium sit, maximè cùm Serapio sub voce Atrog ea dicat, quæ Gal. & Diosc. de citro iam ante eum scripserant. Decuit hæc adduci hoc loco, quòd & ad historiam & dignitatem citri facerent, ne tantopere in sacris celebratum literis, in sua historia quæ debuit esse amplissima, suo honore priuaretur.

Corn. not. Cæterùm quæ Cornarius de Malis Medicis tradit, ad Citria Mala, de quibus hoc loco agimus, potiss. referenda videntur: suspicamur tamen ei non cognitum discrimen inter citrium minus & Limonem.

Anguil. quoque eius sententiæ est, citria hodie *Chrysomela aurea Mala.* dicta *Citroni*, esse χρυσόμηλα Græcorum & Aurea Mala Athen. Medica Diosc. Medica & Persica Theophrast. Assyria Plin. & hespericum Veterum.

Agricola ad Theophrast. Amatus ad Virg. refert, & ait: eum exactè & arborem & fructum citri supra allegatis versibus descripsisse. Prioribus etiam subscribit Lonic.

G. Ryff. & Cæsalp. Dod. Medicum & hesperidum dicit. Antiquorum plus satis citata nomina huic tribuunt quoque Tab. Casp. Bauh. & plerique alii herbarii qui id nominibus Veterum diuersis condecorare studuerunt.

Linguarũ nomina. Vulgata nomina sunt, *Citria, Citrea, Citromela.* Germ. Citronäpffel / Citronen / *Citrinen*, *Citrinaten*, *Citronaten* & Judenäpffel / id est, Iudæo- *Pomum Iudaicum.* rum Poma, qui quotannis in festo Palmæ tenentur habere. Belg. Citroen / Cirotnen. Gal. *Citron*. It. *Cedri* & *Citroni*. Hisp. *Cidras*. Ang. Citrontre. Bohem. Citrinowe yablka.

Differentiæ. Huius obseruãtur quædam differentiæ: Nonnulla enim, inquit Matthiol. in tantam excrescunt magnitudinem, vt Melopepones adæquent, cuiusmodi sunt quæ ex Liguria Hadriatici Aegeique pelagi insulis adferuntur. Alia his paulò minora: alia verò Limonum magnitudine, at paulò maiora, cuiusmodi quę in lacu Benaco comportantur. Hæc principem in cibis locum obtinent: Nam etsi cæteris pumiliora sint, maiorem reliquis in ore ineunt gratiam. Atqui quæ grandiora sunt, etsi speciosa magnitudine excellant, cùm tamen insipida gustu non multùm placeant, in cibis recentia non æquè atq; illa præstant: verùm, quòd pulpa copiosiore constent, officinis expetuntur, Saccharo vel melle adseruanda.

Cardanus scribit in Lombardia ad pondus librarum decem quandoque prouenire, licet rarò. *Citra 10. l.* Sunt qui existiment magnitudine potiùs & loco natali variare, quàm genere, quod iis considerandum relinquimus qui ea loca, vbi proueniunt, inhabitant.

Quicquid sit, earum differentiam perspicuè docent Pena & Lob. in Citri tribu [aiunt] Medi- *Citri tres varietates.* cum Dioscor. Malum tres amplexum est varietates: vulgatius est similius Limonio, oblonga oui *Vulgatius.* effigie: sed maiore, cute rugosiore, magisque caperata, odoratius est, medicatius, antidotis com- *Delectus.* mendatius: Pulpâ & succo in acetariis multò gratius. *Limæ* autem quę dicuntur, illis duplo ferè maiores sunt, calloso carnoso cortio, *Lima.* pollicem interdum crasso, oblonga cucumeris aut Melonis effigie, superficie concolore Limonio aut citrio: puluillis & torulis rugosis papillatum extuberante, vt citri sapore condito, & crudo grato. Tertium Assyrium, Adami vocatum, de *Assyrium.* quo postea.

Aug. Gallus has differentias facit. Primum Pulchrum Lombardum: 2. Magnum Genuense: 3. cum *Pulchrum Lombardicum.* glande. Primum genus delicatius & magis cardiacum, inter omnia quæ in Europa nouimus pluris fit, quò maius, lõgius, costis elatioribus. Arbor *Magnum Genuense.* eius fruct⁹ fert modò paucos, modò plures, interdum forma rotunda, interdum sine costa, inter- *Citrum cum glande.* dum diuersarum & monstrosarum figurarum. Genuense genus valdè grande est, & saporis dulcioris, sed non ita iucundi, nec tam grati odoris. Citrium cum glande præstantissimum omnium, sed minus: ideo minùs vulgare: quasi vtilitas in magnitudine posita sit vel numero.

Locus. Si citria hęc sint illa Antiquorum, iã supra satis indicatum, in quibus proueniãt regionibus. Amãt verò Cœlum calidum, hibernis iniuriis minimè obnoxium, quod si nactum fuerint, aut sub paulò tolerabiliori etiam diligenter colãtur, flores, adolescentes, maturescentes, maturósque fructus simul producunt, non solùm æstate, verùm hyeme. Magnus est huius arboris malorúmque eius in regno Neapolitano & Hispania prouentus. Seritur etiam in Germania, sed frustrà, nihil enim præter folia producit, vt testatur Cordus. Vidimus & florentem, & fructus ferentem Basileæ in horto D. adfinis nostri & eiusdem vrbis consulis primarii, Hieremiæ Feschii, in pulchra & pereleganti arbore, de cuius fructu maturo decerpto etiam comedimus. Erant magnitudine Limonibus similia, videbantúrque primi generis Matthiol. & Penæ. Gustus tamen suauitate Italis & Prouincialibus cedebant, quemadmodum & carnis teneritudine. Alioqui in Germania frigore siderata facilè perit, icci rco diligenti cura à Principibus à frigore custodiri solet præsertim Stuckardiæ & Cassellis, in verè Regiis & qui nec Italicis quidem illis cedant, hortis, si plantarum cultum, copiam, artificium topiarium, ędificiorumque magnificentiam spectes: non item si aëris & cœli

genium. Quapropter illata in cauædia aut cellaria, vel ſtudio ad hoc extructa ex lignis ædificia, in multos annos viuunt: qualia ſanè vel Ferrariæ & alibi circumiacentium locorum in eundem vſum, ipſis etiam Italis erigi ſolitis nouimus.

Cùm fructificat ſubſtructis iugis haſtilibus, furciſque fulciendam ſuadet Cordus, ne malorum pondere increſcente detracta ſuccumbat, ac fracta proſternatur. Verùm hoc in Germania timendum minimè eſt, in qua vix frondes ab hyemis ſæuitia vindicari queunt, quantumuis tepidis ſpecubus foueantur.

Porrò in Galloprouinciæ quibuſdam tractibus maritimis, tam frequentem obſeruauimus, vt integra Citreta potiùs eáque peramœna iudicauerimus quàm multo ſtudio vel cura conquiſitas vel cuſtoditas malos citrias.

Tempus. Floret diuerſimodè Pataui, Februario florentem vidimus, & quidem cum floribus purpuraſcentibus in ædibus nobilis alicuius. Item Romæ tam flore quàm fructu ſtipatam Maio. Denique in calidioribus regionibus raro floribus aut fructu viduam videas: nobis ſanè talis nunquam viſa, quæ non vtrumque iugiter oſtentaret.

CITRVM MONSTROSVM DE MAXIMIS.



Deſcriptio. Citri maioris arborem vidimus Stutgardiæ in horto Ill. Duc. VVirtemb. qui hyeme tegitur, & cum hypocauſto calefit, eámque florentem Anno 1593. Ex qua arbore poſtea Montbelgardum vſque ad nos miſit Ill. E. C. decerptum fructum, monſtroſæ raritatis, torulis cannulatum, calceum Polonicum aut Turcicum referentem: in acumen enim deſinens, aduncum, ſurſum recuruum, lacunam largiorem oſtendit, parietibus vtrinque prominentibus, è media lacuna coſta longa ſurrigitur elatiuſcula, decliuibus in parietes circumiectos lateribus. Merebatur figuræ monſtroſæ raritas eiconem, quæ eleganter & picta & ſculpta.

Fortè huius aut conſimilis alicuius varietatis meminit Aug. Gallus in ſuo lib. de Agricult. Italicè conſcripto. Memini [inquit] vidiſſe Citri alterum genus, quod prouenit Staffegiati, quod propter diuerſas formas viſu mirabile: æquè bonum atque præcedentia genera: verùm cùm arbor paucos fructus producat, raro plantatur. Noſtrum hic depictum fructum integrum exiccatum adſeruamus inter noſtra naturalia.

Marantha quoque hic ſilentio prætereundus non eſt, qui multas ex Theophraſto plantarum differentias enumerat, quæ cultu vel adhibito, vel neglecto non faciem ſolùm variant, ſed in alias etiam ſpecies permutantur. Tradit enim hic inter alia lib. 2. Meth. cognoſc. ſimpl. c. 11. quod mala Medica operoſo cultu ita efformant, vt & maris & fœminæ ſexu diſtinguant: rem certè admirabilem, & viſu iucundiſſimam. Maris enim pomum adnatum habet quoddam veluti infantis genitale, eiuſdem cum pomo corticis & coloris: fœminæ muliebre pudendum ad veram eius effigiem efformatum videtur, quo ſimile magis ſculptor non fingat. Mala citria ad formam peponis, aut cucumeris, aut cydonii, aliorúmque quorundam fructuum ita effingunt, vt nihil ampliùs priſtinæ figuræ, præter colorem & ſubſtantiam retinere videantur. Mala etiam Medica & Limunculos vocatos & dulces & medii ſaporis ex acidis conficiunt.

LIMONIA MALVS.



Deſcriptio fructus. IAm verò Limonibus facies paulò alia quàm Aurantiis, ad Citria in ſpecie dicta propiùs accedentibus, color pallidior languidiore croco tingitur. Forma Pomo oblonga, turbinata, rugoſa & tuberculis inæqualis, ſed minùs quàm Citria, minori quoque, à quibus & in eo differunt, Quo differat à Citria. quòd cortice pulpoſo tenuiore minúſq; carnoſo, ſucco autem vberiore donantur, eóque acidiore: Semen. ſemen non multùm abſimile amaricat: Folia. folium autem non gemellum, vt Aurantiis, ſed ſimplex, longius, latiúſque, crenatum, ſerratúmve, foraminulentum tamen illis conſimiliter. Spinæ & hic quoque reperiuntur, virórque ille perpetuus. At flores purpurei ſunt. Flores.

Cordus paulò ſpecialiùs ſic deſcribit. Deſcriptio Cordi. *Limon* ex Citri eſt genere multò tamen minore ac fruticoſiore arbuſto, pluribus ab vna radice virgis exeuntibus, cùm largè fructificat, ſubiectis haſtilibus ac furcis fulcienda eſt. Arbuſto, cortices ramos, veſtiunt priorum inſtar virides. Folia multò minora producit, Piri cotoneique foliis æqualia, rotundiora tantùm, denſa, viridia ac glabra. Spinis armatur veluti Citrius atque Arangius, minimè tamen rectis, ſed aliquantulùm hamatis, multóque pluribus quàm illæ, quo fit vt eius virgæ ac ramuli aduncis aculeis quandam Rubi imaginem referant. Flores Citrio figura non diſſimiles profert, paulò tamen minores. Fructus verò Citreis ac Arangiis aſpectu, odore ac ſapore non diſſimiles.

Differentiæ. Eorum quadruplex ad nos peruenit genus 1. Primum anſerini oui formam ac magnitudinem habet, odore inter Citriam atque Arangiam malum medio. Oblongum maius. 2. Secundum globoſum, minúſque prædicto, vtroque capite veluti eminente vmbilico inſigne, cætera ſui parte tuberoſum. Globoſum. 3. Tertium oblongum eſt, gallinarum oui quantitate, & figura. Oblongum minus. 4. Quartum tertio æquale eſt. Sed globoſum, Globoſum glabrum.

bosum, & superficie magis æquali. Omnibus crassior, ac aurei palloris cortex, qualis Arangiis: odore vehemés, gustu amarus, feruidus ac tenuis. *Caro eius.* Reliquum corpus caro est, rara cauernosaque per longitudinem membranis quibusdam intersepta, cui mixta sunt citriis similia, figura, odore aut gustu semina, minora tantum. *Succus.* Succus per totam carnem diffusus est largus, saporis vehementer acetosi, ac dentes hebetantis. *Radix.* Radicibus nititur qualibus Citrus ac Arangius.

Maiora. Minora. Matthiol. maiora & minora facit, succi suaui tate differentia, & corticis crassitudine. Nam quæ grandiora sunt, & succo & cortice carnéque longè sunt crassiora.

Acida. Dulcia. Media. Delectus. Amatus scribit, Hispaniam ferre Limonia acida, dulcia, & medii saporis: figura item varia quædam enim, vel Cæsalp. teste, cortice sunt crassiori, oblongiora asperioraque, citris magis similia, vt quæ in Gaieta nascuntur: alia leuiori cortice tenuiorique, succo acidiori.

Probantur quæ crasso cortice constant, teneriorique, succo dulciori, quos *dulces Limones* vocant.

Minimum genus Hisp. Communes. Cedronati. Quoddam præterea genus in Hispania habetur minimo fructu, vix nucis amplitudine, odore cæteris præstantiori, excelsiore arbore.

Aug. Gallo, Limones quidam communes, qui tamen & ipsi variant pulchritudine & bonitate: quidam dicuntur cedronati, quia pulchra cedrorum forma, sed minores, quamuis in citrias arbores inserti. *Limones dulces.* Genus est quoddam Genuæ nascens, delicatissimum, dulcedinis Arantiorum, cùm soleant Limones esse acidi. *Limon non spinosa. Spinarum noxa.* Arbor multas producit spinas, potissimùm iunior. Inuenitur tamen in Maderno non spinosa, quorum magna commoditas. Præterquam enim quòd spinæ acerrimè pungere soleant, habent aliquid venenati aut maligni, præ aliarum arborum spinis. *Delectus.* Limones meliores, quò maturiores ac teneriores succulentiorésque. *Genuenses.* Hinc cæteris, etiamque reliquæ Italiæ Lombardicæ Limonibus præstant Genuẽses, quia diutiùs relinquuntur supra arbores, nec ita citò colliguntur, non nocente frigore, vt in Lombardia. *Limonea.* *Limoneæ* quamuis eiusdem bonitatis cum Limonibus, rarior tamen earum vsus, quia pulchritudo minor.

Nomina & Synonyma. Matt. not. Limonia [vox hanc arborem aut fructum denotans,] haud temerè apud vllum probatum autorem vel Græcum vel Latinum inuenias, videturque posterioris seculi esse inuentum: tantòque magis mirari subit quã autoritate Matthiol. Græcè λιμώνια dici scribat, nisi fortè hodiè in Græcia ita vocentur, quod tamen ille non docet. *Medici Mali genus.* Plerique & hanc ad Veterum Malum Medicam referunt. Medici Mali genus, *Limones* Cordo: Limon ex citri genere eidem. Limones & Limonia omnes penè Herbarii cum vulgo & Pharmacopœorum officinis vocant. *Mali Medicæ 2. species. Citrium Malum.* Citreæ speciem dicit Amatus, & Ryff. Mali Medicæ & citreæ secunda species Dod. Ant. Musa ait, Italos vocare Citrium Malum. Cæsalp. verò & Aug. Gall. non citrium, sed Limoniam Citrio similem dicunt. Et sanè Limones hodie dicti fructus, vel à Priscis non describuntur, vel sub nomine citri comprehenduntur, vt æstimat Agric. la. Germ. *Limonen*/ Limon. Belg. *Limoen.* Gal. *Limon.* It. *Limone.* Hisp. *Limanzas* Angl. *Limontree.* Boh. *Lymauniy.* *Limones non esse proprie Mala Medica Veterum.* Porrò Limones hos propriè dictos non esse posse Medica vel Persica Theophrast. & antiquorum, ex eo satis patere arbitramur, quòd facillimè putrescat, ideóque vestibus interseri ad arcendas tineas commodè non posse, quod tamen in Medico Malo Veterum apprimè desideratur.

Locus. Gaudent Limones eodem cœlo calido citra, ac cultu. Quapropter in Hispania, Italia & Galloprouincia frequentes habentur, & ad Lacum Benacum ferè vbique viridaria habentur, tam his, quàm reliquis Malorum Medicorũ arboribus consita, vbi in eam sese attollunt proceritatem, quam aliis in locis Salices & Vlmi, vt Calzolarius testatur: totoque ferè anno fructibus onustæ spectantur. Ex prædictis locis terra marique vehuntur in Germaniam, partim recentia, partim muria condita. Coluntur & Stutgardiæ in E. C. horto, vbi Nouembri fructibus onustas vidimus, & nos ipsi aliquando arbusculam colimus in horto. Pulcherrimas colit & suamet manu magna industria inserit D. Fel. Platerus Basileæ. In ruderibus Cairi propè Boulas, Limones syluestres, fructu nunquam maiore ouo columbino meminit esse Bellon. *Limones. Pusilli dulces.* In Zeilam Limones prouenniunt sua specie, pusilli, qui nullum propè capiunt incrementum, sapore dulcissimo. Syluestrium Limonum arbores in Syria, Aegypto, Africa frequentes, pomis admodùm exiguis, acidissimis, vt refert Scal. Meminerunt quidem Amatus, Cæsalp. & A. Gallus, vt antè demonstratum, Limoniorum dulcium, verùm paruos non tradũnt. *Pusilli Hispanici.* Cæsalp. minimos scribit in Hispania prouenire, verùm quo sapore sint non indicat.

An huius generis parui Limones, qui in doliolis interdum importantur ad nos muria conditi, cum carnibus & piscibus coquendi, iucundi saporis.

ARANTIA MALVS.



PAradisorum nostri seculi, vbi id solum & Cœlum concedit deliciæ sunt, Medicorũ malorum species, æternæ frondis virore, & fructuum vbere quouis tempore luxurie, aliis primum è floribus eluctantibus, aliis adolescentibus, aliis maturis, atque his quidem simulomnibus plerunque placentes. *Aurantia Vnde.* Notissima verò reliquisq; vulgatiora sunt Aurãtia dicta, quibus aureus ille & rutilus corticis fulgor nomen dedisse potuit. *Descriptio.* Hæc aliis magis orbiculata, nonnihil compressa, parùm rugoso, & foraminulento luteo cortice, interiùs tamen albicante, non multùm spisso, (fœminas vocant) vel *Mas fem.* crasso, (mares dictitant) amarissimo & euidenter calido teguntur, quæ tamen antè maturitatem viridis tegit cortex. *Sapor.* Sapor succo pro maturationis progressu aut generis varietate, acidus, dulcis, aut medius, seminibus æqualibus multa medulla farctis, amarus. *Folia.* Folio peculiaris forma, semper virenti, & hyperici instar infinitis propemodum

foraminulis peruio, quippe quod gemellum videri possit, maiori Laureo, acuminato, nec crenato, alio ceu cutculo subiecto. Flos vt & fructus fragrantis odoris, [qui Cordo cimicum virus nonnihil redolere videtur] coloris candidi, staminulis multis medium obsidentibus, pulchrior quàm in citro, & odoratior, intus subcitrinus, per oram verò limbi purpurascentes. Arbori quæ multò maior quàm citri, cortex viridis, spinæ rigidæ sed raræ. Monstrosa naturæ ludentis in Aurantiis nobis obseruata luxuries, quæ tantarum deliciarum conscia non sat habuit spinis arborem armasse, nisi & fructui cornuum terriramenta adiungeret. Solet & hæc superfœtare, quemadmodum & malus citria & Limonia. *Flos.*

Nomina & synonyma. Aurantia dicta volunt ab auri colore: alii ab oppido, in quo abundant: *Orange* sanè Gallorum æquiuocum est & ad Pomum hoc, & ad oppidum Galloprouinciæ. Sed aliud est oppidum Achaiæ, Arantium à quo dicta volunt: vel Arania à Gente eius nominis in Persia. In officinis tamen Arantia dicuntur. Hæc Manardus putat esse Virgilii Medica mala & Auic. citrangulum. Hier. Brunsch. citranguli. Brunfel. citria, Arantia dicta. Cordo Medici mali genus *Arangia*, ab Italis *Narantia*: & arbor *Arangius* eidem. Trago dicuntur etiam *Citria, Medica, Aurea, & Hesperica mala*: In Nicand. Alexiph. μήλον ἔστι τὸ νεράντζιον: τὸ μηλέα ..., eidem: à qua voce Germanica appellatio Pomerantzen quasi Poma nerantzia deriuata videtur. Amatus etiam *Rancidum* vocat: & Auic. citrangulum dicit: Alii & huius & Mesuei citrangulum. Cornarius ceu prætorio quodam edicto de citriorum genere Poma Arantia vulgò dicta, *Matiana, & Cestiana mala* à Plinio & Galeno dici, in comment. med. à se ostensum tradit. Motus autem hic maximè ad hanc opinionem capessendam, quòd ea frequenter Galenum cum malis Punicis coniungere animaduerteret.

Aurantia. Arania. Arantia.

Medica mala. Citrangulum. Citranguli. Arangia. Narantia Ital. Citria. Aurea. Hesperica. Νεράντζιον. Rancidum. Matianũ. Cestianum.

Corn. not. Ast verò, cùm Theoph. & Plin. dicant malum Medicum non comedi, quòd vel maximè de Aurantiis dici posset, quæ non comeduntur nisi in condimentis, ex Suetonio verò constet T. Fl. Domitianum non temerè super cœnam præter Matianum malum sumpsisse, non fit verisimile, fuisse malum Aurantium, nisi fortè habuerit dulcia, aut tota edulia, de quibus mox dicemus. Sed Plinius ipse eam opinionem ei eximere debuit, qui ait à Cestio Cestiana, sicut à Matio Matiana, quemadmodum & alia, ab inuentoribus, à Romanis fuisse cognominata. Quare Gal. cum ex authoritate Apollonii tradit in capitis dolore ex ebrietate cestiana mala Romæ sic appellata, in cibis cocta conferre, Aurantia intelligere non potuit, tum quòd Apollonio & Galeno incognita fuisse censentur, tum quòd ea nunquam cocta exhibentur, [vt Dalech. annotat] saltem non per se, & quatenus cibus, sed quatenus ἐμβάμμα seu condimentum. Eandem tamen opinionem Cornarii & Montuus secutus videtur, & Agricola.

Aurantia non esse Cestiana mala.

Inter Citria referunt Fuch. Manard. Ryff. Ioubertus, Saracenus & alii multi. At Dodonæo μηλέα μηδική, malus Medica, cuius prima species Antiquis χρυσόμηλον, Aureum malum, & malum Hespericum, Neotericis Anarantium & Arantium, ab aliis Aurengium.

Chrysomelum. Aureum malum.

Lonicero Poma nerantzia, genus Citri, Pomum aureum Hesperidum Poëtarum.

Malum Hesperiũ. Aurengiũ.

Lobel. & Pen. Citri & Cedri Theoph. species. Had. Iun. χρύσεον Athen. & νεράντζιον Nicand. Schol. & Turn. Qui adeò [inquit] Aurantia volunt differre à citris, legant illud Nicandri in Alexiph. μήλον ἔστι τὸ νεράντζιον. Neralia etiam, Saracenis, quæ eadem Aurea vel Hesperica. Arangia quibusdam, aliis chrysea: Pomum Arangiæ Hist. Lugd. Aurea Virgilii C. Bauh. de quibus nos suprà alio loco. Idem suspicatur esse Martianum Suetonii in Domitiano. Cæterùm plærique Herbarii & Practici Arantii vel Aurantii nomine designant. Germ. Pomerantzen. Gal. *orange, pomme d'orange*. Belg. Arantie appel/ appel van aranien. Ital. *Arancio*. Hisp. *Naranzas, naranja, melaranzas*. Angl. Orange tree.

Neralia. Arangia. Chrysea.

Nationum nomina.

Sed dubium hoc loco ventilandum ex Scaligero. Medici mali Theophr. vsum nullum scribit inter cibos: icirco [inquit ille] quæsiuère doctores, vtrum esset de quo scriberet, Arantiúmne an citrium. Nam citrium præter semen totum esculentum est. Non animaduertère [addit] folii figura tolli respondendi cunctationem. Non enim est Arantio Lauri folium, sed peculiare quoddam, nempe duplex. *Hæc ille.* Quasi verò appendix ille folii impediat, quominus folium dicatur Laurino simile, quemadmodum reuera est: non quòd inde velimus astruère, esse reuera Medica Theophr. mala, quæ nobis Aurantia dicuntur: nam & reliqua citriorum genera folia Lauri similia habent, sed vt constet Scaligerianâ subtilitate nondum sublatam respondendi cunctationem. Et iam rursus Scaligerum vel alium aliquem subtilitatis professorem sine cunctatione respondentem perlibenter audiremus: Aurantia vel in multos annos exiccata, suum tamen odorem non amittere, non facilè corrumpi, & vel corrupta, tamen tandem siccari, & odorem seruare, ideóque vestibus interponendis ad arcenda noxia aptissima esse. Citria verò etsi siccantur quoque, qualia & nos habemus, esse tamen euanida, ideóque nec odore nec vsu commendabilia.

An Arantia sit Medicũ Theoph.?

Scal. not.

Arantia cur possint esse medica mala Theophr.?

Porrò plerique Herbarii duas Aranciorum differentias agnoscunt, acida & dulcia. Matth. tria in Italia genera nasci tradit: acida, dulcia, & vinolenta siue musta, quæ & Cæsalp. & Aug. Gallus referunt, & vinolenta medii saporis vel mediocria nuncupant: hicque addit, non dignosci posse nisi comedendo. Periti tamen Medici & Hortulani optimè discernunt ex foliis & corticibus fructuum. Semper verò meliora sunt Genuensium Lombardicis: quanquam hæc si non colligerentur propter fru[illegible] antè perfectam maturitatem non different, quemadmodum nec Limones. Prouinciales ad Genuenses bonitate quàm proximè accedunt. Scal. scribit se in Prouincia Narbonensi, eiusdem arboris Arantia nonnulla acida, quædam dulcia degustasse, eodem tempore, quibus tamen nihil defuerit ad perfectionem. Et quamuis iam alibi scripserat, neque Arantium, neque citrium, neque Limonium dissimiles fructus edere in eadem arbore, nisi illud fiat per insitionem, neutiquam verò per propria & connata principia: hic tamen rationem tribuit materiei diuersitati, quæ non æqualiter coqui potuerit. Atqui si non æqualiter coqui potuit, quomodo alterutro nihil deesse potuit ad perfectionem? Si diuersi fructus non nascuntur in eadem arbore, nisi per insitionem, [quod facilè concedimus] quid opus ex coctionis gradu rationem petere, quæ nulla est in hoc negotio, cùm abundè suppetat ex mixto & gemino ex eadem arbore diuersorum fructuum principio. Dicamus itaque diuersi saporis Arantia, quæ Scaliger ex eadem arbore gustauit, aut ex insita fuisse, aut cadere illam [illegible], non posse diuersos fructus ex eadem specie arbore prognasci: cuius sententiæ & nos sumus:

Aranciorum differentiæ. Acida. Dulcia. Vinolenta.

Acida & dulcia ex eadem arbore.

Scal. reprehen.

mus: ideoque ex insita arbore diuersa decerpsisse Scaliger. quamuis illud neutiquam insinuet, minus verò etiam sic intelligere videatur.

Poma Aurea. Genera complura. Græci, autore Monarde, Aurantias *Poma aurea* vocant. Persuasum is habet per insitionem aduenisse complura genera, & sic magnificatum esse insitionis vsum, vt aliquæ corticem habeant dulcem, quæ totę comedi possint. Quanta diuersitas saporum in eis degustetur communi relinquit iudicio, sat esse concludens, constare multa fieri posse per insitionem, quę in monumentis Antiquorum non memorentur. Enatam esse Aurantiam ex insitione Citri arboris in Malo punica idem asserit. *Aurantia vnde enata.* Et hinc Aurantiam Malo Citrio non absimilem scribit, & cum Malis Punicis in rotunditate & colore, corticéve satis conuenire tradit, *Punicorum substituēd.* quinimò Malis Punicis vrgente necessitate in eorum penuria substituendam censet. *Citrāgula.* Id nondum constare ait an Aurantiæ sint Citranguli ab Auicen. & Mesue commemorati.

Locus. Gaudent Aurancia iisdem locis & regionibus, quibus Mala medica vbi passim abundant in viridariis & hortis, maritimis presertim tractibus. Abundant in tota Campania, Apulia, Calabria, & aliis regni Neapolitani locis, quemadmodum in Germania arbores domiferæ. Iisdem scatet & Liguria, Galloprouincia, & totus Benaci lacus tractus vbi paulò curiosius coluntur, quàm locis prædictis: parcius etiam fundit Gallia Narbonensis, præsertim superior. Frequentius verò hodie etiam in Galliæ Septentrionalis & Germaniæ magnatum hortis colitur, quàm vllum reliquorum Citriorum genus, vel quòd communiores sint, vel quòd cœli mitioris genium paulò facilius tolerent. *Differentia complures in horto Ill. C. VVirt. Stutgardiano.* Quapropter Stutgardię in horto Ill. C. VVirt. magna copia præ aliis exoticis arboribus coluntur, vbi mense Nouemb. poma grauidas, tam maturis, quàm immaturis, magna copia, iucundissimo spectaculo, dulcibus, acidis, subacidis, magnitudine variantibus, cortice tenui, crasso, amaro, eduli, magis & minùs acri, vidimus & gustauimus, vbi & toto anno abundant. Ac eo vsque eas habendi cupiditas excreuit, vt & nobiles, Doctores plerique, ipsique adeò pharmacopœi colere incipiant, in multis Germaniæ & Galliæ locis. Nós etiam plures coluimus, insitione & satu, nam ex semine facilè nobis proueniunt, tam dulci, quàm acido. Sed hic Montbelgardi ad frugem nondum peruenere. Doctor Platerus Basileæ plurimas habet fructiferas, & infructiferas, quas syluestres vocat ex semine natas, & suamet manu (qua industria eximiè pollet) inserit, & fructiferas reddit, quæstúmque haud contemnendum inde facit. In horto Principis in Heiterschem aurea mala pulchra, rugosa & polita matura Septembri obseruauimus. *Spontanea* Scribit Lobel. in Africa syluestrem & Olbiæ Galloprouinciæ adeò familiarem in afflatu oræ maritimæ, vt semperuirentium lucorum amœnitate & Pomorum fœturà perenni, neutiquam inquilina videatur. Recordamur sanè doctum & insignem Pharmacopœum Io. Rosselot Montbelgardi Ill. C. VVirt. inseruientem narrasse nobis, se in adolescentia sua penè fame periisse quondam in Hispaniis agentē, *Arantiā sylu.* inter syluas Arantiorum syluestrium. Tantam enim earum fuisse aciditatem vt in plures dies offensos *αἱμωδίᾳ* seu stupore dētes masticationi omnino ineptos haberet. *Stupor ab aciditate Aurantii* [illegible] *tollatur.* Sed vt hoc obiter moneamus, *facile mederi potuisset mansu Portulacæ*, id suadente Arist. & plerisque Medicis. Aut si hæc defuit panis calidus, caseus, nuces Pineę, Auellanæ, Iuglandes, sal aut mel calefactū affricatum, amurca in æneo vase cocta ad mellis spissitudinem, oleum immaturæ oliuæ infricatum, vices eius suppleuissent.

Tempus. Floret Arantia Aprili, Maio, tardiùs aut citiùs pro loci conditione, pręcipuę commendationis odore. Flores decerpti etiam per maria in longinquas regiones perferuntur: & aqua quoque quam *Naffam* vocant, fragrantissimi odoris, ex iis parata arte destillatoria. *Aqua Naffa.* Apud Germanos hyeme diligenter contegendæ, & extructis in eam rem ædificiis atque hypocaustis fouendæ aduersus hyemis iniurias.

Mirabilis Scaligeri obseruatio. Non tacendum hoc loco, quod mirifica subtilitate, acutissimus prædicat Scaliger. Arantii, inquit, quod gelu periisset, triennio post effossi radicem mirati sumus, non solùm viuere, sed etiam lætissimam. Sed si superuixit, & quidem læta, ergone perierat? Atqui, dicet ille, arbor perierat, hoc est, truncus cum ramis & foliis, non item radix. Atqui, inquam non igitur perierant, superstite vitæ etiamnum fonte, ex quo pristinus vigor promanare possit. Nondum igitur tota perierat arbor. Sic bonus quoque interdum dormitat Homerus.

POMA ADAMI.

Descriptio PRoxima Aurantiis sunt quæ Adami nūcupant poma, si fructum species orbiculatum illum quidem & aureum æquabili Aurantiorum superficie, sed multis numeris maiorem, & nōnunquam ad vmbilicum veluti ambesum, *Quo differat ab Aurantiis.* colore magis fuluo, quàm Aurantia, & odore ignauiori, *Caro* carne Citris simili, sed gustu insuaui, multo interim succo prægnantem, sapore Aurantiis affini. *Sapor.* At verò folium in Limonum aut Citriorū familiam coaptare iubet, *Foliorum* vt cui nulla subiecta pinnula: nam pori, quibus perfunditur, omnibus communes sunt, veluti & spinæ, viuórque pertinacis vitæ folii. *Flores.* Flores Citri. Omnes partes satis bene & eleganter expressit pictor.

Medica antiquorū Etymon Hanc & plerique ad Medica Antiquorum referunt. Pomum verò Adami dictum voluit, quòd in superficie ceu inhxorum dentium vestigia habere videatur, quasi ab Adamo primo homine commorsum fuisset, quo nomine & ab Italis agnoscitur.

Nomina & Synonyma. Adami Poma Lomie. Sic Matthiol. Adami poma vulgò vocata, nos *Lomie* dicimus; & *Pomi d'Adamo*. Aurantiis duplo triplóue maius, rotundum, cortice non admodum crasso, inæquali fissuris quibusdam apparentibus, perinde ac si dentibus demorsum esset, vnde illi nomen, quòd putet ignarum vulgus, hoc illud esse pomum, quod ab Adamo in Paradiso demorsum fuit. *Medici mali genus* Medici mali genus, Poma

Pomum Assyrium. malum Medicum. Malus Assyria. Limes Melangula Citrangula.

Adami, Cordo. Amatus quoque Citri speciem facit. *Pomum Assyrium* quartum, etiamque Medicum Dod. Pomum Assyrium, Adami vocatum, *Mali medici* Diosc. *tertia varietas* Pen. & Lob. Malus Assyria Tabern. & Gerard. Poma Adami Hist. Lugd. & Neotericis plerisque. Solerius Limes vocabat. An Cæsalp. *Melangula*, quam alii *Citrangulam* vocant: frutice & fructu similior Citro, ingenti fructu, omnium maximè tuberoso & crispo: colore pallido, sed rotunditate & succo interno Aurantiæ: cortice quoque similiter fungoso, sed tenero & dulci; cum leui quadam amaritudine.

Ponzirus.

Ponzirus ambigit inter Limonem & Aurantiam: non enim oblongus, vt Limon, nec omninò rotundus, vt Aurantium; vtrisque amplior: cortice crasso & læui, colore ad Aurantium vergente, dulci cum quadam amaritudine, succo intus Limonis. Considerent periti an citrangula Cæsalpini, non sint poma, quæ vocant Adami: & Ponzirus differentia quædam citrii maioris. Ita saltem descriptio insinuare videtur.

Nomina linguar.

Germ. Adamsöpffel. Gall. *pommes d'Adam & ponzires* iisdem teste Lob. Hisp. & Lusit. *Azamboa*. Angl. The Assyrian Apple tree Gerardo.

Locus.

Non vbique hæc obuia, in Lusitania tamen & & Hispania colitur: item in Calabria, authoribus Amato & Cordo. Ad Benacum latum toto anno ferè perpetuâ fronde virent & florent, teste Calzolario. Vidimus nos Lugduni aliquando, & in horto Ill. C. V Virt. Stutgardiano, vbi arbor pulcherrima, magna ferens poma, nec pauca.

Locus malorum Medicorum in genere.

Quod in genere de loco omnium malorum Medicorum dictum sit, abundant ea hodie *al' Golfo Antogil*, vbi multò maiora, quàm in Lusitania: item in insula S. Helenæ. In Brasilia & aliis noui orbis partibus, à Lusitanis ex nostro orbe illata, multiformia mala Medica hodie suppetunt, vt discimus ex historiis & nauigationibus Indicis Hulsii, Maffei, & aliorum. Citrus apud Medos & Persas inprimis frequens, deinde Palladii diligentia in Italiam translata fuit: postea verò in vsum deuenit, vt nemora & campos occuparet.

Medicum malum Græcia non vidit.

Mirum, quod scribit Scaliger apud Theophrastum: Arbor Medica tota Græcia [scimus enim] nulla visitur. Hæc enim eius sunt verba. Et in Indice in eius annotationes in Theophr. bis repetitur, malum Medicum in Græcia non videri. Quod si verum est [de quo tamen vehementer dubitamus] frustrà sanè à priscis in Græciam inuecta creduntur, vt in præcedentibus dictum. Mirari porrò subit, quare non sint ibi, aut esse possint, præsertim cùm nec terræ fertilitas, nec cœli repugnet temperies. Sed iudicium penes eos esto, qui Græciam incolunt, aut perlustrarunt. Nisi fortè barbaries Turcica, quæ iam ante Scaligeri secula in Græciam irrepserat, easdem vel neglexerit, vel penitus exterminarit.

In Creta.

In Creta sanè, teste Bellonio, maximæ sunt arbores Arantiorum, citriorum, pomorum Adami & Ponceriorum. Græci, eodem referente, succum exprimunt, dolia eo replent, vendunt Turcis Constantinopoli & aliis locis, quò deuehunt.

Succi vsus.

Eo enim Turcæ frequenter vtuntur loco Omphacii.

Insitio & cultura malorum Medicorum.

Operæpretium nos facturos existimamus [si antequam de viribus malorum Medicorum agamus, aliquid dicamus de eorum satu, cultu, insitione, & si quæ talia sunt; quæ ad eorum conseruationem facere possint, idque in Germanorum & Septentrionalium potissimùm gratiam, quos hodie tanto studio eas arbores colendi & propagandi ardere videmus. Præcepta igitur dabimus ex probatissimis & diligentissimis earum cultoribus, potissimùm, Varrone, Palladio, Ang. Gallo, & obseruatione nostra.

Quatuor sationis modi. Locus.

Ergo mense Martio citri arbor quatuor modis seritur, semine, ramo, taleâ, clauâ. Amat terram rarioris naturæ, cœlum calidum, humorémque continuum. De Medica inprimis obserues, ne in terram nimiùm aridam, sed temperatam semen demittas. In iugerum vnum, si est naturâ temperata terra, scribunt opus esse Medicæ sesquimodio.

Satio granorum.

Id seritur ita, vt semen iactetur, quemadmodum scilicet cùm pabulum & frumentum seritur. Si igitur granis velis serere, ita facies: terram in duos pedes fodies, cinerem miscebis, breues areas facies, vt vtrinque per canales aqua discurrat. In his areis palmarem scrobem manibus aperies, & tria grana deorsum versò cacumine iuncta constitues, & obruta quotidie rigabis, vt animata semina meliùs adolescant. Citiùs procedent, si beneficio aquæ tepentis vtaris. Natis germinibus semper proxima herba runcetur. Potest hinc trima planta transferri. Acres medullas mutant, si semina per biduum mulsâ macerentur.

Rami satio. Clauæ satio.

Si ramum velis ponere, non ampliùs sesquipede debebis immergere, ne putrescat. Clauâ seri commodiùs est, longitudine cubitali, vtraque parte læuigata, nodis & aculeis recisis: sed integra summitate gemmarum, per quas spes futuri germinis erumpat. Diligentiores & fimo bubulo adlinunt vtrinque, quod summum est, vel marina Alga vestiunt, vel argilla subacta vtriusque extrema cooperiunt, atque ita pastinato solo deponunt.

Taleæ satio.

Talea & gracilior & breuior esse potest, quæ similiter vt claua mergetur. Sed talea palmis duobus supersit, claua omnis obruitur. Non debet aliis arboribus annecti. In spatio non desiderat interualla maiora. Calidis, sed irriguis & maritimis maximè gaudet locis.

Situs.

Sed si quis hoc genus, vt in regione frigida nutriatur, extorquet, loco vel parietibus munito, vel in meridianam partem disponat hanc arborem. Sed hybernis mensibus tectam stramine velet agresti, aut aliis tegetibus vel sportulis muniat à frigore. Iuuari creditur maximè circumsitæ cucurbitæ flagellis, quarum cineres vtilem quoque citri arboribus materiam præbent.

Vt poma maiora fiant.

Gaudent assidua fossione, hinc proueniunt Poma maiora. Nisi quæ arida sunt, rarissimè debemus abscindere. Illud quoque scitu dignum, quod arbor citri similis erit, quæ beneficio inoculationis coaluerit. Diuites, & qui dant operam genio, fornicibus concameratis ad Solem spectantibus, reponunt, aut etiam fornace intus exstructa, fouent. Vbi æstas refulserit, fornices apertos, Sole sinunt illustrari, & eius tepore foueri: omnino aëri nuda & libera reddenda, sed eatenus vt secura sit. Nam hæc arbor, potissimùm citrus, vtpote suapte natura tenerior, si paucam glaciem experiatur, sydérata contabescit. Talea, siue claua eius calidissimis regionibus, & per Autumnum ponitur. Frigidissimis Iulio & Augusto positas, & quotidianis rigationibus animatas, vsque ad poma & magna incrementa perdurës.

Insitio.

Inseritur frigidis locis Maio: calidis Aprili; non sub cortice, sed fisso trunco circa ipsas radices, de quo postea specialiùs. Iisdem temporibus etiam seritur.

Calidis regionibus partus non alternat, nec restibili, sed perpetua fertilitate pomificat: aliis pubescentibus, aliis adultis, aliis maturitate caducis. Sic gradatim succedunt Poma. Maturis se substituunt acerba, hæc florentia consequuntur, orbem

queun-

quendam continuæ fœcunditatis sibi ministrante natura, quæ hanc fœturam non interpellat.

Inseruntur etiam ex Piro, vt quidem volunt, & Moro & Punicæ Malo: sed insiti surculi qualo desuper omninò muniendi sunt, vel fictili vasculo: De satu & insitione hos versus condidit Palladius.

Nec non & Citrii patiuntur mutua rami
Pignora, quæ gravido Cortice Morus alit.
Pomaque pasturi blando redolentia succo
Armatis mutant spicula nota Piris.

Plantatio quæ hodie in vsu. Posteritas quoque semine serit, sed voluptatis potiùs gratia, quàm vtilitatis: tardè quippe fructus producunt. Plantandi potiùs baccelli cuiuscunque prædictarum specierum, longitudine palmi, politi. Ad quatuor digitos deradenda exterior cuticula, & terræ infigendi, preseruandi à magno æstu & frigore. Spatium sit palmi inter singulos, quos oportet extra terrã ad duos aut tres digitos eminere: sępiùs circumfodiendi. Faciliùs proueniunt, si propagentur. Arantiæ tamen minùs feliciter, quia ligno sunt firmo, quod non facilè radicat. *Arantia seminanda.* Eæ igitur seminandæ, & quia tardiùs fructificant, inserendæ Pomis Adami, Citri, Limoniæ: ita & plures proferunt fructus, & citiùs, & meliores.

Hortulani Italię nunc diligenter defigunt baccellos Pomorum Adami propter insertionẽ, quia commodè prouenit, earumque fructus cæteris hodie ferè rarior. Qui Citriam inserere vult, meliùs faciet, si nobiliores ignobilioribus inserat. Sunt qui Citrias Limonibus inserant: peritiores tamen inserunt Limonias Citriis, quia sic fructus nascuntur pulchriores, quos *Limonicitros* vocitant Itali, quique ventriculo meliùs conueniũt, quàm Limones, qui vehementer refrigerant. *Limonicitri.* Inseruntur etiam Citri & Limones Arantiis: sicque plures ferunt fructus quàm in propriis truncis, & frigori magis resistunt. Ad Lacum Bennacum in parte Solodiana Arantiæ arbores ferunt hyemem non tectæ. Archipresbyter de Maderno in Citretis suis arborem habet Arantiorũ magnorum, ex vnius fistulæ insertione comparatam. Habet etiam Limonias quamplurimas, quæ æquè ac Arancię etiã non tectæ per hyemem frigus ferunt. Fructus tamen eius loci ad bonitatem Genuensium & reliquorum locorum maritimorum Italiæ neutiquam accedunt, vbi haud ita frigoris iniurias pati solent. In deliciis habentur præ aliis Aranciæ medii saporis, quocirca hodie sæpiùs inseruntur, quàm dulcia & acida. Quoniam verò Aranciorum & Pomorum Adami arbores fructiferos flores copiosos ferunt, Citriorum autem multos infructiferos, Limones etiam plures, ideo hæ duę inseri solent Arancius, & Pomis Adami.

Insertionis modus. Inseruntur autem per scutum, olearum modo: nimirum non sub cortice, sed fisso trunco. Diligentiores insertos surculos cera diligenter oblinunt, ne aër aut humiditas aliqua penetrare possit. Verùm adimendi omnes oculi superflui, etiámque superuenientia Germina. Sic relinquatur ramus supra inoculationem, ei appendatur vasculum terra plenum, ita adaptatum vt radices agere possit in eo, & sequenti anno plantari.

Insertionis tempus. Sationum alij modi. Insertiones autem fieri par est interlunio, mensibus prædictis aut etiam tardiùs, dummodò lignum sit succulentum. Mundandæ arbores fine Martii & principio Aprilis, vbi frigus cessauit. Tum defiguntur bacculi seu clauæ: & ramis vascula applicantur cum terra, parte per vasculum transmissa priùs scarificata vt promptiùs radicetur.

Quæ granis fit satio, tardissimè ad frugem peruenit, speciatim Aranciorum, non ante duodecimum annum, etsi rectè curentur. *Tempus fœturæ.* Citri & bacculis uel taleis satę fructum ferunt tertio aut quarto anno. Limones quinto.

Qualis terra deligenda. Terra sit pinguis, petris vacua. Locus vbi consitæ sunt à Boreæ afflatu sit immunis. Ex fimis præstat equinum, ouinum, sed benè putridum, quo obruantur & muniantur contra frigus. Aestiuo tempore sæpiùs rigandę, singulis mensibus circumfodiendæ: Magnâ diligentiâ putandæ tollendęque spinę, ne arbori noceatur. Hieme siccas esse oportet, antequam recondantur.

Flores & rudimenta fructuum quando colligenda. Periti hortulani, & ad rem attentiores, metuentes ne flores hyeme pereant, priusquam Citros tegant, vt quæ frigoris magis impatientes, flores, fructuum rudimenta & teneras summitates tollunt, & sale condiunt atque aceto, ad cibum tempore quadragesimali, & toto anno.

Cauendum ne vllo stillicidio rami madescant: vrgente frigore, accendatur ignis in loco vbi repositæ sunt, ex lignis siccis, aut carbonibus, nisi adsit hypocaustum. Interdum mitiori cœlo existente aperiendæ fenestræ, vt fruantur in aliquot horulas, potissimùm circa meridiem, radiis Solaribus. Ex Limonia rariùs & minùs decerpuntur flores quia plerùmque fructifera: Aranciorũ verò & Pomorum Adami semper. *Aetas arborum Citriarum & Medicarum. Aurantia à D. Dominico sata.* Arbores hæ supra fidem durare putantur, aiunt in valle Salodiana & circa Lacum Bennacum extare nonaginta & centum: Romę quoque Arantiorum arborem in templo S. Sabinæ à D. Dominico satam tradunt quæ etiamnum delicatissima ferat poma: Posset ergo esse 400. circiter annorum. Fructus ii demum perfecti creduntur, qui per annum durarunt in arbore, & qui nullum senserunt frigus. Minùs probantur qui sua spontè cadunt. Arancię arbores vix amittunt folia, reliquæ faciliùs, potissimùm Citrus quæ cæteris delicatior. Verùm primo vere facilè recuperant noua ac etiam flores & fructus.

Ne flores ferant inanes. Vt caueas ne flores ferant inanes, præcidendi rami superflui, cauendúmque ne vltra modum excrescant: ita copiosos edent, & fœcundos. Digitis tutissimè ramulorum multitudinem decerpes potissimùm vere, & interlunio, idque ordine quodam, quo apparent: ipsas etiam gemmas abundantiores demes.

Transplãtatio. Quum transplantandæ aut transferendę, Vere quoque faciendum, considerato etiam situ eodem, quo erant antea positæ, singulis partibus, sibi consuetas cœli plagas respicientibus.

Situs. Magnô sanè harum arborum damno, pręsertim in vasis repositarum, negligitur situs ratio cùm educuntur. Si tamen Septentrionales rami cæteris essent teneriores, etiam consuetum situm mutari, haud improbauerimus. *Hora trãsplantationis.* Transplantatio fiat potissimùm circa vesperam in bona terra, quo etiam tempore probatur rigatio, si sit opus: In Brixiano agro quidam meridie plantant & Soli etiã expositis locis, non tamen mutato situ, in vasis ligneis aut terreis, qui etsi non tam miti fruantur Cœlo vt Riuierani, culturâ tamen & diligentiâ interdum meliores pulchrioresq; habent fructus. *Modus Brixiensiũ exempli gratia proponitur. Cultura & diligentia multum potest.* Sunt qui capsis vtantur è ligno Lariceo, quòd meliùs resistat aquæ, suffultus altitudine palmi, ne terræ corruptelâ aut situ inficiantur. *Vasa.* Latitudo & longitudo capsarum ferè vlnæ vnius & semis esse solet: terram quotannis renouant, admixto stercore columbino, gallinarum, equino aut etiam cloacarum. Circa D. Martinum sub porticibus & tectis collocant, ne pruinis lædantur, ita tamen,

vt Sole fruantur. Ad diem D. Catharinæ reponunt in domos, vt à frigore conseruentur per hyemem. Vrgente summo frigore accenditur ignis carbonum: cùm opus est etiam rigantur, Mense Martio paulatim educuntur, vt aëre fruantur liberiore & Sole etiam. Circa D. Georgium omnino aëri exponuntur, similitérque rigantur, si videatur opus. Eductis aut educendis ad quatuor digitos superficie tenus detegitur terra, & radicum superficiales fibræ exscinduntur. Arbores quas colunt in vasis terreis, sunt præcipuæ pulchritudinis, & aspectu mirabiles ob insignem fœcunditatem.

In vasis terreis cultura. Visu stupendum, arbusculam, cubito aut sesquicubito non altiorem, in vase cubito non altiori, cuius fundum palmo non latius, cum maximis Citriis onustam, tantáque copia, vt plures sint fructus quàm folia. Citri itaque, Limones, Arantii, Limonii, ponendæ in parua vasa terrea, sed profunda, cum pauca terra valdè pingui, & arcendæ à Boreali vento. Sic fructum ferent intra triennium, exceptis Aranciis, quæ duriori ligno.

Vt autem citiùs ferant, inseruntur Citriis vel potiùs Adami pomis, sicque ipsa etiam Arantia euadent maiora. *Vt Arantii citiùs ferat*

Vt diu cõseruentur Vt diu conseruentur, tertio vel quarto quoque anno eximendæ, & tollenda terra, secandæ radices, vt ad tres vel quatuor digitos tantùm relinquantur longæ: detur terra noua, qualem antea diximus: diligenter præscindantur ramuli luxuriantes: arceantur à nimia siccitate & calore, & statis temporibus rigentur. Sic & bonas & diuturnas efficies, neque spem sui fallent Agricolæ. *Dicamus etiam aliquid de Mangonio.*

De Mangonio malorum Medicorum *Vt acres fiant dulces* Feruntur acres medullas mutare dulcibus, si per triduum aqua mulsa semina ponenda macerentur, vel ouillo lacte, quod præstat. Aliqui mense Februario truncum obliquo foramine ab imo terebrant, ita vt altera parte non exeat: ex hoc humorem fluere permittunt, donec poma formentur: tunc foramen tutò replent, Sic quod est medium fieri dulce confirmant. Citreum & in arbore potest per totum annum propemodum custodiri. Meliùs si vasculis quibuscunque claudatur. Si pubescens malum fictili vel vitro claudatur, per incrementa formam vasis contrahet, & tanta magnitudine, quanta vas, extuberabit. Ad hoc autem Pomum videtur incumbere: sed caueatur foramen, per quod aër inspiret, si subacto gypso pomum oblinas, noxis omnino non patebit. *Vt varia figura crescant.* *Vt non pateat noxis.*

Vt hominis aut animalis induant imaginem. Africanus scriptum reliquit modum, quo vel humanam, vel animalis alterius induet imaginem, si gypso vel luto siccescente hanc obducens, mucronis acie bipertito, videlicet in anterius & posterius dissecueris, vt ea iterum aptè possint coniungi, postea in fictilia posueris: cúmque pomum ad dimidium peculiaris incrementi peruenerit, iis formulis claudes, diligentérque vinculis distringes, ne obuoluti pomi perauctu fictiles typi diuellantur: & siue Citrium, siue aliud quoduis mali genus fuerit, breui has exprimet effigies, nec non has animalium figuras repræsentabit, quorum & habitum & imaginem mentiri placet.

Vt rubra fiant Citria Si rubra Citri poma voles efficere, surculum Moro inserito, & malum rubrum dabit. De Citriorum & Limonum cultu consule etiam Iouianum Pontanum in hortis Hesperidum.

Repositio Si velis legere atque seruare mala Medica omnis generis, nocte Luna latente debebis cum ramis foliatis carpere, & secreta à se inuicem deponere. Diu integra à putredine præseruantur, præsertim Citria, si reponantur loco non nimium frigido aut calido, in vas in quo hordeum benè exiccatum. Cauendum tamen ne se mutuò contingant. Sotion rei rusticæ celebris author, iubet poma Citri subacta gypso studiosè perlini, vt toto anni curriculo, inoffensâ integritate, illæsa omni vitio seruentur. Citria mala non putrescere promittit, quæ aceruis Hordei fuerint obruta. Alii singula vasis singulis claudunt, vel gypso adlinunt, & opaco loco ordinata custodiunt. Plerique in Cedri scrobe, vel in straminibus minutis, vel in paleis tecta seruant. *Vt diu conseruentur.*

Notanda & hæc antipathia, quam Citriis accidere scribit Fracast. quod scilicet inspersò in eorum cumulum pane putrescant. Attrahere enim panem eorum humiditatem, quâ de causa necessariò paulatim flaccescant.

Sed quæ vtilitas tam diligentis culturæ redundat in cultorem? Maxima sanè: Nam etsi delectatio ipsa, & tam saluberrimarum arborum cultus, pro vtilitate sit habendus, vsura tamen inde diligentioribus & copiosas colentibus redit non contemnenda. Multæ primùm acquiruntur pecuniæ ex venditione arborum, quæ multiplicari possunt: florum Citri pro acetariis, pro condiendis aceto, melle, & saccharo: florum Arantiorum, pro pretiosissima aqua Naphæ, quam vocant: fructuum immaturorum, pro conditurís: Arunciorum pro globulis & corollis, quæ grati admodum odoris: maturorum pro conuiuiis, pro ægrotis & medicamentis: corticum Aranciorum pro bona sinapi confectura, & aliis conditurís, vt pane aromatico, etiámque corruptorum propter succum & semina: Aranciorum seminantur, Citriorum venduntur Pharmacopœis. Solent verò Mercatores emere hos fructus mense Septembri & Octobri. Separant maturos ab immaturis. Immaturos vehunt in Germaniam, Hungariam, Poloniam, ac etiam Moscouiam, qui suam interea acquirunt maturitatem, & crudi edi possunt, in quibus locis magni venduntur. Et hac ipsamet die [Octobr. 14.] qua hæc commentamur huc Montbelgardum attulerunt geminæ differentiæ Arantia. Italica non perfectè matura, & Prouincialia satis matura: hæc ciues, illa Pharmacopœi [maturiora respuentes, quòd diu seruari non possint] coemebant, dicentes maturitatem acquisitura suo tempore rectè custodita. Tum sibi futura Aurancia, cùm defuerint aliis. Maturos, quàm certissimè possunt, diuendunt Itali hortulani Pharmacariis ad condituras. Vidimus vnicam arborem Citri, satis tamen elegantem, Basileæ centum florenis diuenditam. Ipsa etiam folia quibusdam in locis venduntur, quæ cum cibis decoquunt ad odoris gratiam. Denique nihil hîc quod non vtile & frugiferum suo cultori, quouis modo esse possit. Scribit Calzolarius, ex vno tantùm terræ iugero malorum Medicorum circa Lacum Benacum diuersi generis arboribus consito, centum & quinquaginta, & quandoque plures etiam ducatos, annuatim colonos recipere. *Vtilitas culturæ.*

Iam quis vsus in Medicina, quanta commoditas, quæ gratia? Charta priùs deficeret, quàm omnia persequi possemus. Fas sit tamen, institutæ nostræ Methodo satisfacientes, ex probatissimis quibusque authoribus malorum Medicorum omnium vires & vsus recitare. *Vires & vsus.*

Malorum medicorum in genere & speciei Venena. Iam suprà ex Theoph. diximus, quæ sit Malorum eius Medicorum vtilitas. Diosc. malum Medicum in vino bibitum venenis resistit, aluum subdu-

subducit: decocto aut succo colluto suauitatem oris facit: estur verò maximè à mulieribus contra malaciam, quam picam vocant. Arcis quoque uestiariis impositum eas ab erosionis vitio vindicare creditur.

Malacia.

Temperamentum. *Gal. vers. congd.*

Galeno Mala medica in semine (κατ᾽ αὐτὸ σπέρμα, succolam medullam, semina ambientem intelligimus) quidem vincentem habent qualitatem acidam & siccam, vt ipsum tertii sit ordinis desiccantium refrigerantiúmque: in cortice verò itidē desiccātem temperiem sunt sortita, non parum tamen habentem acrimoniæ: Proinde desiccat hic secundo excessu, non tamen frigidus est, sed aut temperatus, aut paulò infrà.

Cortex Aetio in tertio excessu excalefacit, desiccátque in secundo. Variat tamen calor corticum pro ratione amaritudinis: estque Aranciorū cęteris calidior: Citriorum temperatior.

Porrò caro Mali medici, Galeno crassi succi est, & pituitosa [id est pituitosum humorem generans] frigidáque. Nam & ipsa editur sicut & cortex. Semen omne edi ineptum est, tùm humidum illud & acidum, de quo modò dictum, & nucleus qui in eo inuenitur, id quod reuera semen est. Hic amarus est, & digerendi videlicet siccandíque facultatem obtinens, secundo quodammodo ordine à temperatis recedens. Folia denique exiccandi ac digerandi vim obtinent.

Semen.

Folia.

Venena.

Plinio Citrea contra venenum in vino bibuntur, vel ipsa vel semen. Faciunt oris suauitatem decocto eorum colluto, aut succo expresso. Horum semen edendum præcipiunt in malacia prægnantibus: ipsa verò contra infirmitatem stomachi, sed non nisi ex aceto facilè manduntur. Item alibi: Citreis odor acerrimus, sapor asperrimus: Rursus alibi: Malum execratum aliquibus odore & amaritudine, aliis expetitum, quod sanè verissimū esse, Nobiliss. matronę à Ryschach exemplo nobis compertum, quippe quæ diuturna ventriculi imbecillitate & nausea vexata, pro remedio, quod illi opportunum & salutare (nec sine ratione & experimento quotidiano) putabamus, corticis citri vel crudi vel conditi, non aliud ei pręstantius vomitorium fuit: quippe cuius vel odore solo nausea concepta, paulò post multoties eruperit in vomitum. Quod de semine ait Plin. aduersus Malaciam: id de succo potiùs aut cortice intelligendum, ex Diosc.

Malacia. *Stomachus.*

Experimētum variū, & mirabilis antipathia.

Serap. ex Aben: Magna vis carnis citri ad restringendum calorem stomachi: succi illitu, impetigo tollitur. Eiusdem decoctum cardiacæ confert, appetitum excitat, incidit bilem flauam & crassam, vomitum compescit, fluxúmque ventris. Calorem hepatis restinguit, & à proprietate quadam tristitiam abigit, præsertim eius syrupus. At succus eius pulmoni nocet & neruis, propter nimiam suam acetositatem. Grana resistunt venenis drachmæ pondere sumpta ex aqua tepida, & loco infecto imposita. Ventrem etiam emolliunt.

Calor stomachi. *Impetigo.* *Cardiaca.* *Vomitus.* *Alui fluxus.* *Tristitia.* *Noxa.*

Porrò de Citri seminis temperamento sibi neutiquam constare videtur Auic. quod lib. 2. suæ medicinæ, calidum: ad in comment. de viribus cordis frigidum & quidem in tertio ordine facit. Dicendum: illum priore loco locutum de seminis inuolucro: posteriore de nucleo quem tamen non temerè frigidum dixerimus tantò minùs ordine tertio. Attamen sic quidam euadendum censet Auicennistis, quos vocant. Alii Corticem Citri calidum dicunt ordine primo, siccum in fine secundi, in quo à Gal. dissentiunt, qui temperatum dicit, aut certè temperato proximum. Monard. sanè semen calidum dicit in tertio gradu, & communem theriacam aduersus venena, acidum verò succum frigidum & siccum in tertio: robur addere Cordi, & scorpionum, serpentúmque ictibus & morsui resistere. Cùm lingua in tantam molem increuerit, vt ore retineri nequeat, fricanda est citriorum acido succo, aut Malo punico, donec multa saliua defluxerit. Citri cortex est ex veris theriacalibus & & lætificantibus, cui accedit flos & folium, sed subtilioris sunt substantiæ. Caro Citrorum inflat, sed folia inflammationem compescunt. Quare cùm paulò tardioris sit digestionis, satiùs conditam sumere: Etsi verò cortex quoque difficiliùs coquatur ob suam duritiē, additus tamen cibariis cōcoctionem adiuuat. Qui citrum deuorare vult, solum comedat per se, & extra alios cibos. Qui ad colicum dolorem procliues sunt, caueant ab eius succo. Ex eodem factum Collyrium Icterum oculorum obstergit. Acidus eius succus nocet quidem sed in syrupum concinnatus, prodest gutturi & pulmonibus: subaudi, pituitoso infarctu oppressis. Incidendo enim sputum & blennam excretu faciliorem reddit. Succus acidus Citri Ictero confert, & choleram morbum sedat. Semen hæmorrhoidibus confert, in quo etiam est vis purgantius: succus corticis viperæ morsibus aduersatur bibitus: ipse verò etiam cortex emplastri forma impositus.

Colicus dolor. *Icterus oculorum.* *Pulmones.*

Icterus. *Hæmorrhoides.* *purgans.*

Historia & experimentum Citri aduersus venena.

Athen. experimento iam dudum innotuit, sumptum Citrium antè quoduis alimentum, siccum pariter & humidum omnibus venenis resistere, quemadmodum se satis nouisse scribit, à suo ciue id edoctum, cui Aegypti mandata fuerat administratio. In maleficio deprehensos quosdam ille ad serpentum morsus damnauerat, quos oportebat eiusmodi bestiis obiici. Productis illis, & ad theatrum euntibus destinatum latronum supplicio, in via fortè caupona quædam misericordia commota, quod in manibus tum habebat, Malum Citrium dedit. Acceptum verò illi comederunt: & paulò pòst ingentibus ac ferocissimis anguibus oblati, commorsíque ab aspidibus, nihil læsi sunt: qui tandem cùm illorum custodem militem interrogasset, num quid bibissent aut edissent, vt id comperit quod acciderat, nimirum absque dolo Citrium illis traditum fuisse, postridie alteri rursum dari iussit, alteri minimè: percussus hic confestim periit, illæso altero qui Citrium comederat. Indeq; multis & expertis cognitū est Citriū aduersari venenis omnibus. Quod si quis Citrium integrū, & quale naturà est, cum semine, in Attico melle coquat, donec liquatum tabescat, & eius liquoris matutino tempore haustulum sumat, tutus erit à venenatis omnibus medicamētis.

Aduersus venenata medicamenta.

Scribit etiam Thepompus Clearchum Heracleotum Ponti tyrannum infinitos veneno sustulisse, sed longè plures, si populum pręstantis Citrii vis latuisset. Ex quibus patet Citrio præcipuam esse ad arcenda venena facultatem, quod ad futura, non etiam iam sumpta quidam arbitrātur: alii contrà: vt perspicuum sit amuletum, & præsentissimum contra iam ebibita. Rei veritas solo constare potest experimento.

Igitur cum vino contra venena bibitur, vel semen ipsum, præsertim verò contra scorpionum ictus, & etiam appositu, vti dictum. Per se menses educit, sed embryonem in matrice enecare creditur. In aqua decoctus cortex, pedibus in tumore vtiliter additur. Arcet pestilentia contagia omnia quocunque modo vsurpatus. Proinde recentiores medici ad febres pestilentes syrupis ex iis confectis, præsertim ex Citrio, feliciter

Scorpionum ictus. *Menses.* *Embryo.* *Feb. pestil.*

Syrupi acetos. Citri vsus. vtuntur, syrupus de acetositate Citri inflammationibus & æstibus succurrit, & valet ad omnes morbos biliosos, & qui aliquam malignitatem præ se ferunt, & ad sitim extinguendam. Est etiam alter non incelebris syrupus qui è corticibus Citriorum aut Limonum conficitur, cuius vsus est ad cerebri & cordis affectus frigidos & pituitosas ægritudines. Pro quo, si desit, Citriorum conditura vti poteris, quæ & faciliùs stomacho obedit quàm cruda, ventriculúmque nihilominus corroborat, quamuis in cibo Itali cruda præferant, præsertim cum carnibus assatis esitata. Condiendi modum cortices postea docebimus. *Syr de cortice Citri.* *Citriorum conditura.*

Limoniorum temp. Limonia verò cum gustu omnibus reliquis speciebus sint acidiora, ideò succo & frigidiora & sicciora esse probabile est. Valent ad eosdem vsus, ad venena tamen, vt minùs efficacia, ita ad æstuantes morbos potentiora habentur. Et hos quidam comedunt, sed integra & asperso multo saccharo, sed neque hæc facilè obediunt coctioni, quia cortice quàm ipsa Citria sunt duriore, licet multò tenuiore. Condiuntur & parua integra ad varios vsus, etiam medicinales. *Condita.*

Syrupus. Syrupus de succo Limonum magni fit ad calculum & obstructionem renum, item ad sitim & æstum, in febribus ardentibus. Cordi robur addit, præsertim verò orificio ventriculi, bile quacunque obsesso: ideóque haud infeliciùs imbecillitates, lipothymias, fluctuationes, vomitus & singultus, febribus ardentibus superuenire solitis curat.

Aranciorum temp. Arantia, quia diuersi sunt gustus, diuersarum quoque esse vitium censendum: dulcia in omnibus partibus excalefaciunt, cæterorum verò succus refrigerat: acidum non editur. Paulus tamen, & Aetius Antiquos succum tantùm deglutire, & corticem ore solùm detinere, & carne vesci solitos, scribunt. Nos verò hodie acidorum succo tantùm vtimur ad delicias, cortice verò ad obsonia.

Syrup. Arant. & condit. cort. Tantò calidiorem corticem Aranciorum esse statuendum, quantò cæteris gustu amarcantior deprehenditur. Paratur & ex horum succo syrupus: & cortices condiuntur, verminantibus pueris optimi futuri, nisi amatorem respuerent. Semina quoque vtiliter iisdem dantur. Ex semine terræ commisso arbusculæ primo anno prodeunt, quæ in acetarii modum comestæ, admodum palato sunt gratæ, ventriculum insuper corroborant, & appetitum excitant, authore Dod. *Vermes.* *Acetaria ex foliis.* *Ventriculum.*

Ad hæmorrhoid. Ad acerbissimos hæmorrhoidum dolores mirabile est experimentum Amati, & est tale. Arancium excauatum oleo rosaceo & pseudonardi seu lauendulæ dictæ semine reple, & ad cineres calidos tepefactum applica, & sæpè innoua, & est mirum. Succus ex Aranciis dulcibus expressus, potu somnum prouocat, potissimùm verò cum succo violarum in Pleuritide & similibus morbis calidis. *Somnus.*

Florum vsus & qualit. Stillatitius quoque liquor ex floribus Arantiorum paratur, rarò aut nunquam ferè ex aliis. Arantiorum quippe flores odore primi, pomorum Adami secundi, Limonum tertii, Citriorum semper vltimi, vt scribit Aug. Gall. quod mirum. An quia nobilior pars abit in fructum? nam & Citria cæteris odoratiora, si recentia. Ea multò suauissimæ fragrantiæ, & præcipua diligentia fit Neapoli & Lucæ, vt testatur Camerarius, vbi Nampha & Angelica aqua nuncupatur, aliis Naphæ. In officinis & à Medicis communiter aquæ florum Citrangulorum appellatur, Lacunæ de Azahar. Ad multa vtilis propter odoris fragrantiam. Hispani *Aqua Napha.* infantariis in graui partu propinant, maximè cum pauxillo aquæ Pulegii. Sed in hunc vsum longè efficacius est oleum è corticibus confectum, quod & cordi amicum est, & in multis morbis vtilissimum compertum. Pestis tempore, vtile est abluere faciem, manus, axillas, pudenda, aquâ florum Citrangulorum: eadem & sudores mouet, authore Platero. *Partus.* *Oleum è corticibus.*

Destillatur etiam aqua ex ipso Citrio pomo toto, gustu suauis, admodum cordi & cerebro conferens, cuius vsus est in febribus putridis & malignis cum conserua acetositatis Citri. *Aqua Citrij.*

Huius semina vt & Arantiorum & Limonum cum cortice ad 40. vel plura comesta aluum soluunt, quod & Diosc. notauit: & Brassauola in tractatu de purg. med. verum esse asserit. *Purgant.*

Aqua verò quæ è Limonum sicut & Citriorum succo per B.M. vitreis organis elicitur, excellens est ad decorandam mulierum faciem, quâ plurimùm vtuntur in Italia, in potu exhibita pueris lumbricos perimit, sed & extrinsecus vitiligines, vbicunque sint, & totius corporis maculas emendat, varos delet, & acaros interimit. *Aqua Limonum.* *Fucus.* *Impetigo.* *Macula.* *Febres.*

Syrupis admista in febribus acutis & contagiosis mirè succurrit, id quod etiam præstat succus recenter expressus, vnciæ pondere potus, author Matth.

Flores Arantiorum sedulò decerpuntur ab vnguentariis ad varia odoramenta conficienda. Aqua verò, inquit Dalec. quæ inde elicitur ad pestilentes febres cum exanthematibus corpus obsidentibus. Nam sexunciarum pondere hausta, putres humores ab internis ad exteriora attrahit, per sudores, quos valenter euocat, cordique plurimùm confert. Succus Limonum ex vino Cretico haustus mirificè calculos pellit. Aliqui succum Arantiorum vino commiscent, ita citiùs inebriare credentes. *Exanthemata.* *Sudorific.* *Calculus.* *Ebrietas.*

Porrò ex historiis Nauigationum discimus ad Scorbutum hodie in Indiam nauigantibus nullum præstantius remedium malis Aurantiis & Citris, vt quidam etiam solo esu crudorum diuturno curati perhibeantur. Quidam cortices Arantiorum præscribunt ad furfures & lendes. Monard. Nonnulli tanquam magnum arcanum, aquæ stillatitiæ florum mali Aurantii tepidæ quadrantem præbent: nam vomitum prouocat, & occulta facultate veneni vim extinguit. Insigniter vtile aduersus venena Arantiorum in Citro insertorum semen. *Scorbutus.* *Furfures.* *Aurantiorum aqua vomitum mouet.* *Semen aduersus venena.*

Porta Neapol. noua sua philosophandi ratione, vult mala Medica, potissimùm Citrium ideò potissimùm ad cordis ægritudines prodesse, quòd eiusdem figuram repræsentet: Item quod imitetur superfœtationes leporum, ideò eorum virtutes esse mutuas: denique quia flaui sint cortices Citriorum & Arantiorum, ideò flauam bilem restinguere. At mehercule, si quia flauus est restinguit cortex, ipsa eiusdem pars, quæ maximè flaua, maximè restinguet, quæ cùm sit acris & amara, non nobis persuadebit Porta bilem restinguere. *Vires Citriorum à figura seu characterismo.* *Porta not.*

Oleum quod ex Citriorum & Aurantiorum corticibus exprimitur forte est, vt Auic. scribit, nos igneæ penè qualitatis esse comperti sumus, quòd facilè patebit ei qui corticem recentem iuxta candelam presserit, vt exiliant guttulæ instar roris, videbit, strepitum & scintillulas flammeas excitari ac si puluerem sulphureum adhibuisset. Sunt qui existiment eodem modo expressos cortices in oculos, clarificare visum. Sequitur quidem dolor breuis, sed mox oculi clario- *Oleum corticum.* *Claritas visus.*

Oleum florum. res, & visus penetrantior reddi videtur. Oleum factum ex floribus debilius est ad omnia, ex eodem Auic. quod tamen hodie ferè non est in vsu. *Vsus Olei Corticum lumbric.* At oleum ex corticibus Arantiorum extortum, & Citriis stillatum necandis lumbricis & teredinibus idoneum, teste Oliuo in Musæo Calceolarii.

Vsus Pomorum Adami Fiunt & ex tenellis deciduisque Arantiis globuli, qui vel ornatus vel odoris gratia de collo suspenduntur, quod frequens hodie in Gallia, vbi à fœminis omnis penè conditionis gestantur. Scribit tamen Dalechamp. Pomorum Adami succum ad ea omnia valere, ad quæ Limonia, quàuis minore efficacià. *Scabies.* Peculiariter autem valent ad Scabiem, si per medium secta, & tenuissimo puluere aspersa, deinde cinere feruente calefacta, corpori scabioso affricentur.

Foliorum. Vis & Vsus Folia Malorum Medicorum siccandi discutiendique vim obtinent: quamobrem variis medicinis addi possunt, vel per se vsurpari, vbi tales vires postulantur.

Rosatum ex foliis Citri. Palladius Rosatum fieri docet sine rosa, hoc modo. Folia citri viridia sporta palmea missa in musti nondum feruentis vase depones, & claudes, & exemptis quadraginta diebus melle addito, ad modum rosati, cùm placebit, vteris.

Restat vt modum condiendi Citria breuiter doceamus. Condiuntur autem Limones ferè integri, sed minores: Caro Citri: Cortices Citri, & Arantiorum: Arantia integra: flores Citri & Arantiorum, sed hi præualent. *Condiendi Citria modus.* Citrium exempli gratia sic conditur. Recens per longitudinem in quatuor partes sectum, mundetur ab acetositate & semine. Cortices macerentur in aqua addito sale crasso, per dies septem: ita salis vi & acrimonia quasi constrictiores apparebunt: hinc demta omni salsedine & ablutis, affundatur alia limpida & dulcis, sæpè mutando, & gustando donec perfectè dulcorentur, omnisque salsedo abierit. Tum accipe mellis boni, part. j. aquæ, part. ij. eâ quantitate vt cooperiantur cortices, & in vase terreo, sed vitreato decoquantur, igni lento, horis duabus: deinde eximantur cortices & refrigescát. Sequenti die ebullito & despumato priùs melli prædicto inicíantur rursus, & feruéant bullitione vna & recondantur in vasa cum suo Syrupo, qui ad perfectionem coctus esse debet. Hunc modum præscribit Auicenna, & etiam aromata addit. habetque etiam alium modum, isto laboriosiorem, cum Sacchаro & melle, priùs in aqua à frigore hyemis aliquandiu gelatis corticibus, quem consulat Lector, si volet. *Debilitas stomachi.* Commendat ad debilitatem stomachi, & ad iuuandam degestionem. Hodiè ferè condiuntur Sacchаro clarificato, cum Syrupo & absque eo: priores cortices conditi simpliciter; posteriores, Cortices conditi sicci à seplasiariis appellantur, eodemque modo & Limones, & Arantiorum cortices condiuntur. Horum speciatim vsus præstantissimus ad quasuis frigidas affectiones stomachi.

Stomachus frigidus. Cùm Monspelii ageremus, obseruauimus naues Aurantiis onustas aduectas, & multò minori pretio diuenditas, quàm vulgaria Mala. Aliquando 24. pro vno asse regio cöemimus. Lugdunum quoque tanquam ad celeberrimum totius Galliæ Emporium magna còpia conuehuntur ac inde in varias prouincias distribuuntur. Quum redundát vel corrúpi incipiunt: cortices detrahút pro bellariis saccharatis: succum diuendunt tinctoribus sericei: eo enim vtuntur sicut & succo Limonum. Huic tanta vis, vt corallium etiam dissoluat.

Litteræ occultæ. Succo Aurantiorum scribuntur literę occultæ, quæ igni admotæ manifestantur. Limonum acido succo tam elegantem purpuram conseruæ rosarú conciliabis, vt nihil suprà. Variat & in eandem elegantiam conseruam florum Violarum, aliorumque diuersorum, vt quisque pro libitu experiri poterit.

Cùm ego [Bauh.] iam ante 40. annos in dira & sæuissima illa peste quæ Lugduni 5000. hominum extinxit, publico stipendio medicinam facerem, & frequentissimè Mala Aurantia præscriberem, horúmque succum, tanta eorum annonæ caritas oborta, vt singula testili cariùs, terna aut bina etiam non rarò aureo diuenderentur.

Vidit Ioach. Curęus Venetiis succo Limonum, lignum Indicum, Guaiacum appellatum, emolliri, vt ex Sacchаro deinde conditi possit. *Limonum succus durissima corpora emollit.* Idem quoque succus calculos renum potenter frangit. *Cur Citri Veteribus commedatus non sit cibus.* Antiquitas (ex sententia Manard.) non vescebatur Citro, sed odoris causa in vsu erat, & magnâ hominum curâ ex acri dulcem cibum fieri docuit. Alexipharmacâ etiam virtute pollet, quanquam *An Citrus Alexipharmaca in pomo vel semine.* Marcellus dubitet an semen, aut pomum sit: quoniam Dioscor. relatiuum, tam ad semen, quàm ad pomum refertur, sed Plinii doctrinâ monitus. tam semini, quàm pomo attribuit virtutem. Theophr. verò totam vim integro pomo assignauit, cuius vestigia Paulus secutus est: *Vires contra Venena* Contra omnia venena est præsentaneum remedium, & contra ictus animalium venenatorum. Ad diuersas regiones propter remedii præstantiam deuenerant Citria, & cùm non vescerentur propter odorem, medicamenta tantùm erant in vsu, quod Plutarchus retulit & Athenæus affirmat. Tunc enim inculta erat arbor & maximam amaritudinem & acetositatem Citria habebât, vt non absque ratione *Solinus Plinii simia*, miræ amaritudinis esse scribat, quòd homines magna cura peruerterunt, & Cóstantinus Cæsar docuit: nam in ouillo lacte seminа, priusquam ponerentur, maduerunt, sic autem ad dulcedinem mutata sunt. Et non amiserunt in totum suam amaritudinem, nam cortices huius *Amaritudo insignis quomodo immutata.* primi, intensam amaritudinem adhuc possident. Non autem omnia Citriorum genera amaritudinem intensam nobis habere videntur, quinimò scribunt de Arantiis, quibus cortex dulcis in Zeilam Insula.

DE CARCAPVLI.

CAP. XXIX.

Descript. Egressi ex hortis & viridariis Europæis, Exotica Pomaria quoque spectemus: Primò sese similitudinis cuiusdam prærogatiuâ offert Carcapuli, quæ (autore Acosta) vastæ magnitudinis arbor, *Fructus.* fructum ferés Malo aureo, cui cortex exemptus sit, magnitudine & forma similem, ex grumis omninò

constantem, [sed non separabilibus ab inuicem, vt in malo Aureo] tenui, læuique & splendenti cortice tectum, non admodum sicco, colore pallido, at vbi maturuit aureo: gustu admodum austero, sed quadam adstrictione grato.

Cortex. Sapor.

Carcapuli Malabaribus, Garcapuli Canarinis, Costæ ex quo & Histor. Lugdun. habet, in appendice.

Nomina & Synonyma

Bry fratres in iconibus Indiæ Or. Carcapuli, inquiunt, in Insula Sunda crescit, fructus est suauis, magnitudine Cerasi. Ergo differt Carcapuli eorum ab hac, in eo, quòd fructus dicat magnitudine tantùm Cerasi: verùm figura eorum quam proponunt, non multùm differt ab hac.

Locus.

Eo vtuntur [addit Acosta] in cibis, magnaque apud incolas illius est laus in curationibus: sed inter omnes, quæ experientia comprobatæ sunt, primas obtinet profluuii alui cuiuscunque generis constrictio, in iis præsertim qui nimio Veneris vsu hoc malum contraxerunt. Editur verò aut ipse fructus maturus, aut eius fructus cum oxygala sumitur, aut illius exiccati puluis. Cum oxygala autem mixtus & cocta oryza, mirificè appetitum deiectum reuocat. Vtilis etiam est eius succus, & exsiccati puluis, in oculorum caliginibus & suffusionibus. Familiaris est fructus pultis obstetricibus, puerperis enim exhibere solent ad pellendas secundas, & ad purgationes, atque lactis vbertatem præstandam: tum etiam ad facilitandum partum, magnâ, vt aiunt, efficaciâ. Succus eius cum aliis plantis mixtus, vngui maioris digiti pedis imponitur, eodem latere quo quis aut caliginem, aut suffusionis initium in oculo habet, vtilémque esse perhibent. Transfertur hic fructus siccus ex Malabar in alias Prouincias.

Vires & vsus. Ad profluuia. Cibus. Appetitus. Ad oculos. Ad secundas. Ad generandum lactis. Partus. Suffusio.

Carcapuli fructus, teste Linschott. in Iaua ad littus Sunda crescit, aliquot intus continens lapillos. Gustu est admodum austero, magnitudine Cerasi. Ipsa etiam arbor Ceraso nostro similis est. Huius fructus, eodem authore, variæ sunt species & differentiæ. Aliqui enim sunt albi, aliqui spadicei, aliqui incarnati, qui præ cæteris gustu sunt commendabiles.

Locus. Arbor. Differentiæ.

MELO CORCOPALI: ARBOR [illegible] CYDONII FACIE.

Cap. XXX.

Descriptio

Corcopal Indiæ Prouinciæ est, in qua Cydonii magnitudine & foliis arbor prægnantem gerit fructum, Melonis figura, eodémque sulcatum modo. Intra quem terna quaternáve grana acinorum vuæ facie, acore Cerasi. Melo hic & edendo est, & ad medicinas vtilis.

Grana.

Theuetus in Promontorio Comari fertilissimo tradit arborem Malo Cydoniæ magnitudine & foliis similem, cuius fructum *Corcopal* vocant, esu gratissimum, gustu suauissimum, quo etiam ægrotantes vtuntur, quia prauos humores per aluum expurgat. Hist. Lugd. Melocorcopali Scaligeri vocat. Verùm considerandum relinquimus an hæc arbor non sit eadem cum prædictis.

Corcopal. Vsus

ARACYNAPPIL, AVRANTIIS PARVIS SIMILIS FRVCTVS.

Cap. XXXI.

Descriptio

Inter fructus Exoticos Ill. C. VVirt. fel. record. Stutgard. 1608. fuerunt duo fructus vterque perforatus, transmissúmque filum, appendebat schedula, cui erat inscriptum nomen manu D. Paludani *Aracynappil*, quod si non fuisset appensum, ego nihil aliud iudicassem, quàm parua mala Aurantia, sunt enim eo modo orbiculares rugosi & nigricantes, sapore eodem. Maiorem reseruaui, minorem reliqui Ill. Principissæ.

AVRANTIO SIMILI FRVCTV ARBOR.

Cap. XXXII.



Descriptio

Palmaris [teste Clusio Exot.] ramulus anno 1595. visus apud C. V. Paludanum, è regione Nigritarum allatus, quadrangulus, rugosus nodis distinctus fragilibus, bini semper ex aduerso innascebantur huic ramulo surculi, sustinentes breui crassóque petiolo fructus è calyce veluti, quatuor squamis constante prodeuntes, vncialis vt plurimùm magnitudinis, orbiculatæ formæ, rugosos, nigros, instar Arantii parui resiccati: intus plenos fungosâ quadam pulpâ [cui commixta parua nonnulla grana penè vt in ficubus] adstringentis initio saporis. Nulla porrò in eo ramulo foliorum vestigia apparebant, vt dubitari possit an hæc arbor ex illarum sit numero, quæ pediculo siue ramulo *dextro* suos flores & fructus proferunt, vt aromatici caryophylli.

Surculus. Fructus. Sapor. Pulpa.

FRVCTVS BRAS. OVALIS FIGVRÆ INSTAR LIMONIS.

Cap. XXXIII.

Descriptio

Fructum ex Brasilia allatum asserebat Paludanus, vt testatur Clusius Exot. l. 2. c. 7. penè ouali figura, instar mali Citrii seu Limonis. Superna tamen parte magis mucronatus, tres vncias longus, eius ambitus sex vnciarum erat: duro lento tamen cortice præditus, intus verò pulpa nigra continebatur, quæ propter vetustatem in pollinem prorsus resoluta erat. Cæterùm hunc fructum lectum fuisse arbitror, antequam maturitatem adeptus esset, quandoquidem rugoso erat cortice, plerisque locis veluti in lacunas contracto.

CITRA INDIS LIGNVM.

Cap. XXXIV.

Descriptio

Frustula olim ad nos misit Coldenbergius, ligni arboris, quæ *Citra* Indis nominetur, pediculis

nibus contexta Faginis, transuersis micis interlucentibus, odora, colore subrubente, sapore nonnihil aromatico, cum quadam salsedine, quam accidentariam suspicamur.

An Citrus Veterum. Idem Coldenbergius disquirendum proposuit, num esset Veterum Citrus arbor, qua mensæ parabantur, de qua nos infrà suo loco. Huius verò odor & nomen hunc locum flagitabat.

PIRI FACIE AGNACAT.

Descriptio. IN ea Indiæ prouincia, quæ sub terra Laboratoris est versus Isthmum Dariem, arbor est Pyri facie & magnitudine perpetuo folio viridissima, nitidissimaque superficie. Fructus quoque Pyri specie, sed colore viridi, etiam cùm maturus est, medulla intus concolor, dulcis, pinguis, butyri sapore. *Ad coitum Agnacat.* Validos adeò efficit ad coitum, vt propiùs miraculo sit eius efficatia. *Agnacat* illi nomen est, Scalig. exerc. 135.

MANGOSTANS.

Cap. XXXV.

Descriptio. INter celeberrimos fructus Indiæ recensent incolæ quendam, *Mangostans* nuncupatum, gustus suauitate commendabilem. Eum exigui mali aurei magnitudine esse ferunt, cortice cinereo, [alii è viridi nigricante] pulpâ, quę Malorum aureorum pulpæ similis sit, sed quæ cortici non adhæreat. *Arbor. Folia. Flores. Sapor.* Nascitur hic fructus in pusilla arbore, Malo vulgari simili. Foliis est Laurinis, floribus luteis. Hunc fructum dulcissimum esse perhibent, non tamen adeò vt sua dulcedine nauseam moueat. Garcias & Clusius.

MOGORI FLORES, ODORIS FLOR. MALI AVREÆ.

Cap. XXXVI.

Descriptio. CLassi suæ quoque debentur, quæ respectum & cognationé habent. Tales sunt flores Mogori dicti Indis Mali aureæ floribus multò odoratiores, *Vsus.* quorum stillatitius liquor eundem apud istos vsum obtinuit, quem apud Hispanos florum Mali aureę aquæ.

CHAMPE FLORES INDICI.

Cap. XXXVII.

Odor. ET quoniam florum incidit mentio, dicantur & hi; quorum in Indiis magnus vsus, Champe vocantur, odore grauiori quàm Lilium album, ex eodem: qui forma aut stirpem cui innascitur non describit. *Indi odoramentis delectantur.* Sunt verò odoribus adeò dediti illius regionis incolę, vt plærumque cibo abstineant, quò habeant vnde odores sibi comparare possint: ideóque non immeritò, inquit Garcias, proniores in venerem esse censetur. *Vsus.* Munera quæ à tenuioribus offerri solent Regibus, prædicti sunt flores, & Rosę nostrates, quibus solent cubicula Regis insternere.

TIANCHE FLOSCVLI INDICI.

Cap. XXXVIII.

FLosculi autore Clus. Exot. delati per Batauos ex nauigatione prima in Iauam, qui an in arbore nati essent, an in aliqua alia planta, me latet: sed ob ittam, in qua inuoluti erant, *Tianche* inscriptionem habebat: candidus ne verò an flauus fuerit flos, dubium; nam ex resiccato difficilis erat dignotio, præsertim tam breui momento pereunte natiuo colore: *Descriptio.* calycem autem habebat è quatuor veluti squamis compactum & breui petiolo præditum, in quo flos erat quatuor foliis longioribus & calycem superantibus constans, angustioribusque quàm calycis squamæ, decussatim compositis, protuberante in medio vmbone, vt in malorum aureorum & citriorum floribus: odor [si quem habuerat] euanidus, quemadmodum & sapor, propter siccitatem: ab incolis tamen in aliquem vsum adseruatos fuisse, verisimile est.

ARBOR VIOLARVM INDICA.

Cap. XXXIX.

ARbor est Indica, & flores fert, exoticis itaque, coronatiis accenfenda, ex Garcia. In India Pharmacopolæ Violarum loco vtuntur floribus cuiusdam Arboris diuersæ planè facultatis à nostris violis, *Vsus.* quorum tamen vsum non admittit Garcias, nisi in iis medicamentis, quæ foris applicantur. *Succedaneum.* Syrupum verò violaceum eorum loco confici iubebat è violis conditis ex Ormuz aut Lusitania delatis. Plura de iis nondum compertimus.

DE BELI SEV SIRIFOLE BENGALENSIVM: CYDONIA EORVMdem Garciæ.

Cap. XL.

Descriptio. Folia. Flores. Fructus. FRuctuum ita Bengalensibus dictorum arbor, est magnitudine Oleæ, aut amplior, foliis Persicæ mali eiusdémque odoris, floribus paucis & statim deciduis: fructu per initia tenero, colore ex viridi nigricante, cortice tenui, magnitudine exigui Mali aurei: sensim verò maturescens fructus auctior fit, donec plenam iam maturitatem consecutus, in Cydonii mali magnitudinem euadat. Cortex autem densatur, exiccatúrque, & indurescit, veluti putamen Nucis Indicæ, quam Coccum vocant. Garcias.

Nomina synonyma. Marmelos de Bengala. Mala Cydonia. Alia proferunt. Sirifole. Beli. Locus. Appellauimus, inquit idem, hunc fructum Lusitanica Lingua, *Marmelos de Bengala*, id est, Mala Cydonia è Bengala: quoniam sacchare condita primùm ad me perlata sunt è Bengala, cum hac inscriptione: Vtilia sunt aduersus alui profluuia. Cæterùm legitimum huius fructus nomen tum in Bengala; tum in reliquis, vbi prouenit regionibus, est Sirifole & Beli: Sirifole quidem nomine vulgo cognitus est: Beli verò appellatione medicis duntaxat, qui in suis scriptis hoc vocabulum sese inuenire aiunt. Intellexi autem ab amico qui frequenter in proximas syluas venationis causa excurrit, hunc fructum non modò in Bengala nasci, sed eius multas arbores in continenti huius prouinciæ inueniri. C. Durantes quoque Mar-

Berisifolos. melos de Bengala, Berisisolos & Cotegnos Bengalenses vocat.

Vires & vsus. Fructu maturo pulpa siue medulla eximitur, quam in taleolas sectam sacharo condiunt. Aut tener adhuc & immaturus muria adseruatur in vsum. Solent Guzaratenses Medici vsu hoc fructu tenero adhuc & immaturo, aceto vel sacchato condito, in inueteratis alui profluuiis sistendis: *Alui profluuia.* adstrictionem enim illam semper conseruant, tametsi maturi. Retulit mihi [Garciæ verba sunt] clarissimus vir Dymas Bosque, Valentinus Medicus, rei herbariæ peritus, se, cùm castra Illustr. Principis D. Constantini in India pro Rege sequeretur in Iasanapatan, magno & admirabili successu vsum esse in profliganda dysenteria, quæ *Dysenteria* vniuersum eius exercitum affligebat, cùm ad manum non essent vsitata remedia. Etenim nunc ex *Miua.* huius fructu & sacchato, miuam parabat, quam ægris daret, nunc pulpam eius emplastri modo ventriculo & aluo applicabat: modò pulpam saccharo exceptam, vt in Cydoniis solet, ægris exhibebat: interdū fructum assum insperso saccharo: nonnunquam cortices exempta pulpa decoquebat, atque id decoctum per clysteres iniicie- *Clysteres.* bat. Similem verò effectum præbebant, qualem balaustiorum aliorúmque adstringentium medicamentorum, quibus vti solemus, decocta præstare solent.

Obseruatio. At silentio prætereundum non est, quod eadem castra sequenti contigisse refert. Dederat Seruo Aethiopi bina eiusmodi Mala assanda, vt cuidam militi dysenteria laboranti edenda præberet: verùm dum assantur, crepuerunt: itaque pulpa Aethiopis faciem, pectus & brachia sic adussit, vt puluere tormentario vstulatus videretur: quod contigisse puto ob pulpæ lentorem & visciditatem simul & adstrictionem, quæ semel accensa vehementiùs vrit, quàm sicca aliqua materia, quemadmodum ferrum incensum magis, quàm lignum aut stupam vrere videmus.

ARBOR FRVCTVM MELONIS FACIE PROFERENS.

CAP. XL.

Descriptio CElsa hæc est Arbor, in Insula S. Mariæ Indica proueniens, ex qua crescunt fructus, Melonis facie, cortice duro atque lignoso, plurima intus continentes grana, viscida, lata, aluum cientia. Linschott.

GVAYAVA INDICA, FRVCTV MALI FACIE.

CAP. XLI.

Descriptio GVayauas fructus, inquit Monardes, quem Indi & Hispani ita vocant, arbor est me- *Folia.* diocris magnitudinis, ramis sparsis, folio Lau- *Flores.* rino, flore candido, Aureæ mali floribus simili, aliquantò tamen maiore, odorato. Facilè nascitur quocunque loco feratur, adeóque luxuriat & serpit, vt in terra vitiorum numero habeatur, nam plurimorum agrorum gramen quod depasturi essent greges corrumpit, nimio, vti Rubi, implexu. Fructus nostris Malis simi- *Fructus Mali. Camuesas.* lis est, eorum magnitudine, quæ ab Hispanis Camuesas vocantur, viridis initio, & per maturitatem aureus, pulpa interiore alba, interdum etiam



rosea. Diuisus quatuor concamerationes sunt vascula habere conspicitur, in quibus semina reconduntur, *Semina Mespili.* Mespilorum seminibus similia, colore fusco, durissima, omninò ossea, medullæ & saporis expertia.

Guaiaua. An de hac ipsa arbore Scal. ad Card. quando ait: Guaiauam Malorum nostrarum congenerem faceres si notam habuisses. Est enim arbos, tum fru- *Arbor Mali facie.* ctus, Mali facie: sed color fructui candidus, in quo semen nigrum, minutum, rotundum, eximit ipsum ex illarum natura.

Mespilum Indicum ex Corcopal. Considerandum quantùm differat etiam ab his fructibus, Mespilum Indicum Scalig. de quo ait: Corcopal Indiæ Prouincia est, in qua Mespilum colore albo, Mali magnitudine. Ouiedo etiam quædam describitur, quæ eadem videtur cum Guaiaua, vt & Hist. Lugd. censet.

Varia, inquit Gomara, Guayauanos genera, eadémque varietas est in fructu, qui plerumque *Guayauanorū genera.* Pomis Hispanicis, Camuesas appellatis, similis est, modò rotundus, modò alia forma, omninò viridis, foris coronatus vt Mespila, intus albus *Mespili facie.* aut rubescens, in quatuor partes diuisus quemadmodum Iuglandes, & in singulis partibus multa grana continens. Maturus sapidus est, immaturus verò asper & adstringens Sorborum modo. *Sapor.* In nimium maturo color perit & sapor, vermésque generantur. Clus. scribit Guaianæ arboris ramulum ad se misisse eruditissimum Simonem de *Descriptio rami Guaianæ.* Touar, addito ipsius arboris fructu, sed prorsus rugoso, & vt ille putat, immaturo, quem pluribus describit.

Idem Clus. apud Garciam. Fragosus tradit in sua Rhapsodia [& alii ante eum] in Guatimala fructum nasci Guayauas ab incolis nuncupatum, non minùs adstringentem, quàm prædicta Cydonia Bengalensia, eúmque ad similem morbum [nempe dysenteriam, qui incolis eius regionis admodum familiaris est] propinari solere, sed priùs tostum.

Petrus Martyr de rebus Oceani & noui orbis *Nomina & diuersorumque authorum sententiæ.* tradit Guaiauam Darienses colere, arborem quæ fructum ferat Citriorum generi, quos vulgò Limones appellant, simili sapore, acri, dulci commixtò. Dubitamus an Scaligeri sit Guaiaua, quòd minutum semen dicit in sua: An fortè eiusdem Mespilum sit album, iam suprà dubitatum. Guayauos Gomar. Guayauas Monar. Guaiabos M. *Descriptio Benzoni.* Fumee. Guaianus Benzoni, qui arborem tradit Persici aut Armenii specie, foliis vt Lauri, sed crassis & longioribus, celerrimè senescere. Fructum eius Mespili similitudine sed multò crassiorem, pendentem in arbore maturescere, nisi maturiùs decerpatur, vermes gignere. Hos fructus multa semina & grana clausa habere. Pur- *Delectus.* pureos candidos præstare, & optimi saporis esse.

Linschot. refert, crescere in Insula Iauæ, S. Mariæ

ti æ dicta, fructum quendam nostris Pomis similem, colore aureo, lapides intus continētem quales Mespilorum.

Hist. Lugd. bis habet locis diuersis. Primò sub nomine Guaiaua Scalig. secundo in app. nomine Guatanas Indorum & Hispanorum.

Locus.

Vulgaris est per totam Indiam: fructus tam Indis: quàm Hispanis celebrati.

Vires & Vsus. *Alui profluuium.*

Fructus edi solet, priùs dempto cortice palato gratus est, sanus & facilis concoctionis. Viridis in alui profluuiis vtilis est, nam valdè adstringit. Præmaturus aluum soluit, At medius, hoc est, neque immaturus neque præmaturus, si assetur, valentibus & ægris confert: nam ea ratione paratus sanior est, gratiorisque saporis. Præstantior autem is est, quem domesticæ & cultæ arbores ferūt.

Crurum tumor. Lienis obstructio. Febris.

Foliorum decoctio Indi vtiliter tumentia crura lauant: eodem Lienis obstructiones tolluntur. Fructus frigidus esse videtur: Propterea febricantibus assatus datur. Monardus.

DE GVANABANO SCALIG.

Cap. XLII.

Descriptio. *Cortex. Medulla.*

GVanabanus, qualem vidimus apud Ill. nostrum Princ. VVirt. fructus est Cucurbitę forma, cubitalis ferè longitudinis, pugillaris crassitudinis, cuius cortice Cucurbitino minimùm duro detracto, medulla in conspectum se dat, ex albo tantillùm pallescens, non ingrata aciditate prædita, in puluisculum vetustate satiscens, cui semina immerguntur pertinaciter hærentia, turgidula, renum figuram imitata, cortice si vngue radatur obducta nitidissimo, coloris nigri, quibus nuclei insunt candidi, callosi, saporis strobili dulcis, tenui pellicula obuolui. Cæterùm grana adhuc medulla inuoluta, filis appenduntur tenuibus, quanquam semina sola nequaquam obseruauimus fibris illis annexa.

Semina. Nuclei. Sapor.

Descriptio Arboris. Folia Aurantii.

Arborem, inquit Alpinus de Baobab, quæ hos fructus fert, vidi in quodam viridario, foliis magnitudine ac figura Arantiis valdè similibus.

Scalig. ait suam Guanabanum arborem Piri stipite, proceram, folio magno, oblongo. Fructum Melonis magnitudine. Cortice coloris viridis, splendore Cydonii, digitalis crassitudinis: Carnem intus candidam, dulcedine lactis coacti, semina continere faseolacea.

Nomina & synonyma. *Guanaban. Boabab. Bahobab. Cucurb. arbor.*

Bern. Paludanus, Medicus insignis, & omnis naturæ sine æmulo perscrutator sagax, fructum hunc misit Ill. E. C. VVirt. cum hac inscriptione: Guanaban, Alpino dictus Boabab. Alpinus etiam Bahobab dici tradit, fructum magnitudine Citri.

An Cucurbita arbor Petro Martiri lib. de reb. ocean. & noui orbis? de qua ait: In Xaquara habēt cucurbiteas arbores ad potus ferendi vsum. Eas vocant H. bu. ro. Benzo: Pateræ [inquit] in Nicaragua, quæ Cucurbitæ specie è certis arboribus per omnem Indiam enascuntur: in saltationibus gestant cucurbitam lapillis plenam.

Tradit Osorius in sua Hist. Portug. Brasilianos piscatores pellere pisces in magnas cucurbitas cauas. Brasilianorum diuinatores ferre cucurbitam cui facies humana: imponere ignem: herbarum vaporem excipere naribus, vnde quasi ebrii reddantur. De qua re vide plura in historia Nicotianæ. Considerandum verò an illæ cucurbitæ ad Guanabanum sint referendæ.

Card. reprch.

Scaliger Guanabanum vocitans, Cardanum reprehendit, quòd non in duodecimum librum cum Mammei fructu retulerit: Item quòd eius pulpam liquorem appellarit, fœdo errore.

Gesnero. *Guanabanus fructus* forsan Scaligeri Coldenbergio. Scaligeri Guanabanum dicunt Lobel. Hist. Lugd. Scholastices historiæ arom. Ind. *Guanabani medulla & semina* Clusio. Ico. Plant. Idem Clus. apud Garciam, *Guanabanum* inquit, cuius meminit Scal. puto esse eum qui superioribus annis ex Aethiopiæ *Mozambique* Antuerpiam allatus est, fructus crassus &c.

Locus

Huic simillimum fructum describit Theuet. c. 10. lib. singul. Americæ, foliis tamen ab hoc diuersis. Sed & alium fructum apud Canibales Theuetus & alii tradunt, cuius historia non malè nostro (inquit Clus.) fructui quadrare videtur. *Maraka & Tomaraka* nuncupant de quibus nos postea.

Maraka. Tomaraka

Cucurbita [illegible]

An M. Fumee hist. gen. Ind. Gallicæ: Cucurbitæ in Nicaragua quæ maturescunt 40. diebus, quarum magnus vsus viatoribus ad ferendam aquam?

Locus & Tempus.

Porrò Guanabanum ab Ill. nostro Principe E. C. VVirt. cum aliis quibusdam exoticis dono accepimus. Item à Peritissimo stirpium Robino hortulano Regio, Lutetiâ. Alpinus scribit in Aethiopia nasci. Seuimus aliquoties, sed frustra. Clus. tamen ex satis plantulas foliis Laurinis similibus Antuerpiæ prodiisse scribit, quę tamen subsequente hyeme perierint.

Vires & Temperamentum.

Bahobab fructus, Alpino, recenter ab arbore excisus, gustu admodum gratus est, in Aethyopiæ inflammatis locis, acido sapore, quem contemperant diuites sacchato: sitim valenter extinguit, multumque refrigerat. Ibi eo vtuntur ad omnes calidos effectus, febrésque omnes putridas, præcipuéque ad pestilentes, tum eius pulpam cum sacchato comedentes, tum succum expressum cum saccharo potantes, vel ex eo paratum syrupum accipientes. Cayri etiam quo loco recentes fructus non habentur eius pulpâ in puluerem redacta vtuntur, quæ est veluti terra rubra, adstringenti acidóque sapore, gustum ferens qualis in terra Lemnia obseruatur: estque apud multos familiarissimus illius vsus ad pestiferas febres, tum ad sputum sanguinis, ad Lienteriam, Dysenteriam, cruentúmque hepaticum fluorem, nec non ad vteri menses sistendos. Alii eiusce terræ in subtilissimum puluerem redactæ drachmā cum aq. plantag. dissolutam, ad eadem exhibent, alii decocto, alii infuso vtentes. De eius succo eadem ferè scribit Paludanus in suis obseruationibus.

Syrupus. Puluis. Sputum sanguinis. Lienteria. Dysenteria. Menses.

ABAVVS AETHIOPICVS FRVCTVS BELLO.

Cap. XLIII.

Descrip.

FRuctū quemdam peregrinum nomine Abauo amicus Cayro misit è Zeila Aethiopiæ emporio, extra Erythræum mare sito allatum: magnitudine mali Citri mediocris, denso duróque cortice vt Cucurbita vestitus, nullis excurrentibus sulcis, sed tantùm extremâ eius parte mucronatâ, quâ arbori adhæret pediculo crasso & firmo, fulcorum rudimentum cernitur, in quibus lanugo quædam inest, quemadmodum in Cydoniis malis videre licet, reliquo corpore læuis: alterâ non in mucronē, sed in obtusam rotunditatem desinit, vt primo aspectu Cucurbita sicca appareat colore fusco: pulpam continet subrubram, friabilem, vt facilè in pollinem resoluatur, acidam, ori gratam, adstrictionis expertem, per quam sparsa sunt semina renibus animalium similia, seminum Ana-

Cortex Cucurbitæ. Lanugo. Pulpa. Semina.

Digitized by Google

gyridis æmula, duro cortice, qui rubente quadam membranâ tegitur, quâ dempta, semina fusca, ad nigrum inclinantia, & splendentia cernuntur, intus medullam albam continentia, edulem, Auellanæ gustu: verùm semina ex vmbilico fibris non suspenduntur [licèt per pulpam multæ fibræ rectæ excurrant] vt semina fructus quem tu Clusi [inquit Honor. Bell.] Guanabano Scaligeri similem ex Mozambique allatum spectandum proponis. Conuenire autem multùm mihi videtur cum fructu, quem Guanabano similem ex Theueti America describis folio Fici: sed hic longè minor est. Affinitatem etiam habet cum *Bahobab* ab Alpino descripto partibus internis, sed formâ differt: nam Bahobab vtrinque mucronatus est, pulpámque continet [vt ille scribit] non acidam tantùm, vt hic, sed adstringentem Lemniæ terræ instar, quæ nota in hoc desideratur. Plantæ ex semine enatę descriptionem graphicam secundum omnes eius partes habet idem Honorius Bellus ex quo petenda.

Differentia inter Abanum & Bahobab.

BAOBAB, SIVE ABAVI CLVS.

CAP. XLII.



Baobab.

Alpinus not.

Descript.

ELegantiss. hic est & magnus fructus quem Londino ad me mittebat, anno 1591. Iac. Garetus [inquit Clus. in Exot.] à nautis qui ex Æthiopia redierant redemptũ. Hunc verò, tametsi nullum nomen additum, simulátque conspiciebatur. Cl. V. Prosperi Alpini *Baobab* esse iudicabam: per omnia enim ferè respōdere comperiebam cum fructu quē ea appellatione depingi curauit [alteram picturam ramum cum foliis exprimentem, non magnopere moror] licèt huius fructus historiam satis negligenter describere videatur, exceptis his quæ de eius facultatibus sunt.

Hic autem quem à perito pictore exprimi curabam, maior eo quē exhibet videbatur, vt qui pedem Romanum longus esset, decem & sex vncias in ambitu crassus, sulcis quibusdam, sed vix apparentibus, secundum longitudinem distinctus, iuxta pediculum minùs crassus, & in extimo mucronatus, cortice denso & crasso prædictus, fragili tamen, si nimiùm comprimatur, & breui quadam lanugine, seu flore virescente [nisi vbi detersus erat] obsito, triunciali pediculo, interdum tamen [quemadmodum in alio fructu longè meo minore obseruabam] cubitali, crassitudine digitali, valdè fibroso. Multos habebat hic fructus interna parte neruos, ab infimo, siue à parte quæ pediculo inhæserat, ad summam fructus partem excurrentes, & fibras in latera sparsas, inter quas pulpa siue substantia satis friabilis, alba, gustu acida, in qua latebant semina exilium renum formam referentia, duro fuscóque putamine tecta, nucleo albo, non ingrati saporis, prędita: sed & tenues quædam fibræ veluti cincinni per albam illam pulpam sparsæ erant, etiam nonnullæ ipsorum seminum vmbilico inhærebant, vt ex eis suspensa viderentur, quemadmodum in binis aut ternis huiusmodi fructibus obseruabam. An verò substantia illa siue pulpa quam continet, humida sit dum recens est, vt Alpinus suo *Baobab* tribuit, me latet, siquidem nullum recentem fructum conspicere mihi hactenus contigerit: certè rubram esse non arbitror, cùm in binis quos habui fructibus candidam & valdè friabilem repererim: verum quidem est, in vetustis magis fuscam esse, qualem in eo fructu quem C. L. V. Honorius Bellus *Abauo* nomine ad me postea mittebat, deprehendebam, sed omnium pulpa vt est friabilis, non lenta, sic etiam acida est. Itaque nihil mirum, si Æthiopes vtuntur ad extinguendam sitim, sitque vtilis ad ea quę Alpinus c. de Baobab, lib. de plantis Ægypti tradit.

Pulpa acida

Sem. renibus similia.

Ad sitim.

Sed in eo quod pulpæ saporem, quem ipse acidam fatetur, cum terræ Lemniæ sapore comparat, fallitur, meâ quidem sententiâ: adstringit certè illa habétque omnes eas facultates quas ipse illi tribuit, aciditatem tamen nunquam in illa deprehendi, tametsi sælectissimum, ab aliquot Cæsareis Legatis quos Turcarum Imperator, tali munere atque aliis, sicuti à legatione discedentes prosequi solet, dum in Cæsaris aula viuebam aliquoties acceperim, Augerio Busbequio videlicet, Cardo Rimio, Dauide Vngnadio, & Sifrido Preynero Friderici, [qui fuit legationis tempore Constantinopoli obiit] fratre, cùm eius sarcinas recepisset: nec etiam vllam adstrictionem in huius fructus & *Abaui* pulpa percipiebam. Cuiusmodi porrò foliis sit prædita illa arbor in qua hic fructus natus, ignoro: diuersa tamen esse ab iis arbitror, quæ Alpinus suæ *Baobabiferæ* arbori tribuit & adpingit, nisi recens semine natam conspexerit. Nam Bellus *Abauo* plantas habuit seminè natas, vt ex quarta epistola ad me data, apparet, quarum prima folia mali quidem Citrii foliis similia fuisse scribebat, nullo pediculo subnixa, at vbi caudex pedalem altitudinem nactus fuisset, in ramos spargi cœpisse, foliáque adquisiuisse longiore pediculo prædita, & illa non singularia, sed initiò bina, deinde terna, quaterna, & tandem quina ex eodem pediculo prodeuntia, quemadmodum in Pentaphylli, Lupini, Castaneæ equinæ foliis videre licet, quorum medium folium reliquis maius est, deinde illi vtrinque proxima: reliquas notas ex prædicta eius epistola petere ne sit graue.

Alpinus fallitur.

Terra Lemnia.

Folia.

Et sanè, eius *Abauo*, ab hoc, quem exhibeo, fructu differre non arbitror, tametsi is quem illa appellatione ad me mittebat, extimam partem non mucronatam vt meus sed obtusam haberet:

pulpa tamé præter colorem [quia fortè vetustior] similis subst intus, friabilis, & semina prorsus similia nec dissimili nucleo prædita: eius autem longitudo vnciæ octo cum semisse, crassitudo vnciæ duodecim.

Alius desc. Sed alium eiusmodi fructum, quadriennio aut quinquennio pòst à iam dicto Gareto accipiebá, cuius longitudo vnciæ decem, crassitudinis ambitus vnciæ nouem duntaxat, vt etiam in eadem arbore fructuum magnitudo sæpe dispar: hic pulpam omnium candidissimam habebat, semina aliis similia pleraque (pulpa attrita & in pollinem comminuta) ad vmbilicum à fibris dependentia.

Fructus similis. Similem præterea fructum apud amicum conspiciebam è Gorgadibus annò à Christi natiuitate 1600. allatum, & à Lusitanis istic habitantibus, vt intelligebam, *Calabacera* appellatum, propter similitudinē quā cū cucurbita habet: sed is minùs crassus erat illo, quem propono, & graciliore mucrone præditus, non dissimilis illi qui in scholio ad caput 2. lib. 2. Histor. aromatum Garciæ ab orta pro *Guanabano* Scaligeri fortè positus: pediculi autem longitudo binos pedes Romanos æquabat. *Calabacera.*

An porrò affinis non est fructui eius arboris cuius Theuetus cap. 10. lib. Singularium Americæ meminit his verbis: Tres sunt insulæ ad Aethiopum promontorium, *Caput viride* vulgò appellāt, in quarum vna, arbor inuenitur folio nostratis fici (an rectè obseruarit sol. i. fortiam nescio) fructu Cypriis cucurbitis haud absimili, duorum ferè pedum longitudine, & crasso. Nonnulli eo fructu vescuntur vt Melonibus: continet verò semina fabæ magnitudine, leporinis renibus similia. His quidam simiæ alunt, alii monilia ex iis collo aptanda conficiunt: siccata enim & bene matura aspectu pulcherrima sunt. Cæterùm Abauo folia, qualia in planta semine à Insulis, sibi nata, Belluis cum fructu ad me mitt. batur adposita tabella exprimenda curabam, singularia, gemina, quina, & illa quidem contractiore formā, quàm natiua quæ accipiebam. *Fici foliis arbor Theueti. Cibus hominum & Simiarum.*

SAMACA.
CAP. XLIV.



Descriptio SAmacæ nomine arborē Indiæ depictā, & tabulis æneis exsculptam, in hist. Indiæ orientalis exhibent Bry fratres. Sed præter figuram & nomen nihil habent: nec nos quicquam aliud de eo nomine apud quēquam obseruauimus. Fructus, qui arbori adpictus, Guanabani figuram repræsentare videtur quāuis folia discrepent: quam ob rem hanc eidem descriptionem tantisper subiicere placuit, donec aliquid specialius de eadem addiscamus. Folia sunt arboris Iudæ foliis similia, quinque, sex, septem, plus, minúsque ramis hærent, ad quorum exortum flos singularis breuissimo pediculo hæret, quadrifolius. Succedit fructus instar Cucumeris, sed ventriosior. Alpinus habet iconem satis similem plantæ nomine Baobab, de qua nos cap. de Guanabano egimus. Samacæ tamen folia rotundiora.

ARBOR CVCVRBITIFERA.
FICVS NIGRITARVM.
CAP. XLV.

IN insula quadam inhabitata, prope *Caput viride* dictum, arbor quædam crescit, folia habens nostratis Ficus similia, fructum longum, bipedaneum, aut circiter, crassum ad proportionem, vt ad magnas longasque Cypri Cucurbitas accedere videatur. Quidam hunc edunt, haud secus ac nos Melones nostros. Intus semen est, reni leporino figura simile, magnitudine fabæ: Theuetus de Francia Antarctica. Hist. Lugd. *Descriptio. Folia. Fructus. Semen.*



Synonyma Ficus Nigritarum Theueto in Americæ singularitatibus, & Cosmographia: cui arbori similis ferè, sed folio valdè diuersa Ouiedi Higuero. Eadem cap. de Guanabano Ouiedi, hanc Guanabano Scaligeri simillimam dicit, foliis tamen diuersam: eadémque & Clusius dicit, ante ipsam. *Ficus Nigritarum. Higueros Guanab. Scalig. similis.*

Vsus. Quidam authore Theueto simias hoc fructu nutriunt: alii ex eo probè maturo ritéque siccato monilia collo appendenda conficiunt, præcipuæ elegantiæ.

HIGVERO OVIEDI.
CAP. XLVI.



Descriptio HIguero Ouiedo arbor est prægrādis, veluti Morus nigra fructū ferens Cucurbitę rotundæ, interdum verò oblongæ similem. Ex eo pateras & alterius generis vasa cōficiunt. Materies est robusta, atque apta sedibus, subselliis, ephippiis aliisque operibus fabricandis: Mali etenim Medicæ aut Punicæ *Fructus. Vsus. Materies.*

materiam esse diceres: cortice facilè deliberatur. Folio est longo, angusto, per extremum latiore, à quo ad pediculum vsque paulatim angustius fit. Indi nonnunquam præ aliorum fructuum penuria hoc vescuntur, hoc est, eius carne, quæ cucurbitæ carni, cùm adhuc viret, similis est. Corticis color & forma cucurbitæ. Maximus eius fructus libram aquæ continere potest. Minimus verò pugnum non excedit magnitudine. Vulgatis est hæc arbor in Hispaniola, reliquisque insulis, & Indiæ Americanæ continente.

In hac tabella exhibetur vnà Mamei arbor, de qua dicemus H.n.g.lib.seq.

CHIVEF THEVETI.

Cap. XLVII.

NIgritarum ficui similiorem, [vt scribit Hist. Lugd.] non tamen eandem, memorat Theuetus. Fructus ahic in Insula Zipangu prouenit, magno Meloni par, cui nomen *Chiuef*, quod Syriacè Ficum significat. Suauissimus est, cùm manditur Mannæ modo in ore liquescens. Semina intus continet, qualia in cucumere nostro repeciuntur, cortice cùm maturuit croceo, folio arboris eximiè viridi, exquisitè rotundo, aureo nummo Gallico pari.

ANON OVIEDI.

Cap. XLVIII.

ANon Ouiedi arbor est, cuius fructus magnam cum *Guanabano* similitudinem habet, cùm forma, tum carne & semine. Sed & ipsa Anonis arbor Guanabani arbori simillima est, cùm magnitudine tum forma & folio. Duabus verò in rebus differunt: primùm quòd huius fructus minor sit Guanabano, corticique color luteus, qui in Guanabano viridis est, deinde, quòd meo quidem iudicio gratior sit palato Anon, quàm Guanabanus, vtpote firmiore carne. Vtrumque magno in pretio habent Indici Americi, & diligenter in suis prædiis colunt: Ex Ouiedo.

Clusio Mangas plus similitudinis habet cum Anon Ouiedi Iaiama eiusdem.

CHOYNE AMERICANA.

Cap. XLIX.

ESt Americanis Morpionem regionem incolentibus arbor, ipsorum lingua *Choyne* dicta, fructum ferens magnitudine mediocris citrulli, formâ oui struthiocameli: folia Laurinis similia: Theuetus.

Lerius eadem de hac arbore & fructu tradit, & addit fructum esse magnitudine capitis infantis, non edulem, cortice duro, quem perforant, & ex eo faciunt instrumentum, eis dictum Maraca, & pateras ad potandum, aliaque vascula.

Clusius fructus huius apud Canibales à Theueto & aliis traditam historiam, non malè *Guanabano* quadrare videri tradit, præsertim si interiora, quæ à nemine [inquit] describantur, demas: idcircò num semina contineat Phaseolacea incertum: ipsa arbor folio Lauri est: fructum excauatum Mayzo aliisve seminibus aut lapillis replent: *Maraka* & *Tamaraka* nuncupant. Arborem Hist. Lugd. *Choyne.*

Frequens est in regione Americanorum, quam Morpionem vocant.

Fructus Choyne, authore Theueto, non est edulis, quantumuis aspectu elegans. Americani, præterquam quòd ex eo pocula conficiunt, ad præstigias mirificas vtuntur. Excauatum enim fructum repletum semine Milii, aut aliis, bacillo affigunt in terram adacto, circumquaque plumis ornatum. Quo modo singulæ familiæ duos aut tres reseruant, idque magna cum veneratione, rati miseri idololatræ, vbi fructum hunc pulsauerint, *Toupan* [id est sui Dei: Sic à suis Paygi, seu diuinatoribus persuasi] colloquio sese frui, qui arcana reuelet. Potissimùm verò etiam in eodem errore versantur eorum dicti Prophetæ. Vnde & diuinitatem quandam fructui attribuerunt, nec quicquam quod in sensus incurrat, adorant, quàm tinnulum hoc instrumentum.

BRYSATHAER CHINÆ.

Cap. L.

AD Chinarum sinum marinæ arbores stupenda sunt vastitate: tantâ, inquam, vt in eis immensæ magnitudinis auibus stabulari liceat. Etenim tam grandes sunt, vt eas etiam grauiora animalia integra sustollantur, atque auferantur. Has arbores vocant incolæ Brusathaer. Fructus ferunt Auguriis non minores: author Scaliger: eademque etiam scripsit M. Ant. Pigafetta in itinerario suo, teste Hist. Lugd.

VHEBEHASOV THEVETI.

Cap. LI.

VHebehasou miræ altitudinis est arbor, cuius rami alii alios subeunt, folia habet Brassicæ: singulos ramos onerant fructus pedem longi, fert & eadem gummi rubrum.

Hist. Lugd. quoque Vhebehasou vocat, ex Theueto.

An Higuiero in nauigationum historiis Arbores circa Peru, quæ melle adeò refertæ, vt pertuso cortice aut trunco quinque aut sex exstillent mensuræ mellis limpidissimi & optimi? Dum in America esset Theuetus, sex milliaribus ab eo loco quo subsistebat, obseruatam sibi hanc arborem tradit, quam eminus artificio potiùs quàm natura arbitraretur quispiam effictam.

Ad

Apes. Ad huius fructum (refert idem) quem ego quidem viridem vidi, innumeræ apes conuolant, ex eo alimentum petentes: receperat se in foramen eiusdem arboris, vbi mellificio & ceræ incumbebant. Harum genera duo: aliæ nostris magnitudine sunt pares, *Mella.* quæ non nisi ex suaueolentibus floribus victum quærunt, & mel quidem optimæ notæ conficiunt: *Cera nigra.* Ceram verò non vsque adeò flauam ac nostram. Aliud genus dimidio minus, quarum mel bonitate superat: iam dictum, quod *Hira.* syluestres illi *Hira* vocant. Et dissimili ab aliis victu vtuntur, quæ meo quidem iudicio causa est, quòd ceram carbonis instar nigram faciũt, & quidem copiosè, *Hayrat animal.* præsertim ad flumen Vases & Plate: vbi animal quoddam inuenitur, *Heyrat* nomine, hoc est bestia mellis, quod vndique has arbores quærit, vt mel quod apes dictę cōficiunt depopuletur. Est autem coloris ferruginei, magnitudine Aluri, & quod vnguibus mel norit extrahere, ita quidem ne ipsum apes, nec ipse has contingat.

Mellis eius vsus. Magno istic in pretio est hoc mel, vt quod soleant syluestres ęgrotantibus exhibere, mistum farinę recenti, quam è radicibus consueuerunt facere. Ceræ verò apud illos nullus alius est vsus, nisi ad conglutinandas pennas, quibus capita coronãt: aut ad obstruendas arundines magnas, quibus plumas suas inserunt, qui maximus est Syluestrium illorum thesaurus. Fructus verò *Vhebehasou*, quantumuis ab apibus frequentetur, non tamen est edulis propterea quòd non facilè maturescat, sed apibus solis, quantùm quidem ego animaduertere potui, in alimentum cedit.

ARBOR FOLIO LAVRI, FRVCTV CVCVRBITÆ EX GVINEA.

CAP. LII.

Descriptio

ARborem (inquit Clus. Exot.) cuius iconem damus ab honestissimo viro Petro Gareto acceptam cum eiusdem fructu anno 1602. Iuglandis arboris celsitudinē ęquare nec dissimili cortice tectam esse ferebant, *Folia.* Folia Laurinis habere similia, ad quorum exortum fructus in ramis nascere- *Fructus.* tur, initiò quidem viridis, deinde vbi maturitatem adeptus, eius coloris quem in eius historia dicam. Erat porrò fructus Magni mali instar, & orbicularis penè formæ: nam ducta à pediculo per longitudinem fructus mẽsurà ad alteram partẽ pediculo proximam, decem vnciarum fuisse reperta est, quam, ea quæ fructum transuersim per medium ambibat, vix superabat: leuis erat pro sua magnitudine, *Cortex.* & crasso satisque firmo cortice præditus, foris læui & splendente, ex flauo spadicei coloris, interdum etiam nigris maculis conspersо, interna autem parte fuliginosi, & nihil continens præter nigrum quemdam pollinem. Certè quum illum initiò conspiciebam (mittebatur enim primum solus nulla addita icone) Cucurbitæ genus quoddam peregrinum esse censebam, præsertim ob corticem Cucurbitę cortici non valde dissimilem, *Cucurbitæ similis fructus.* tum etiam propter leuitatem: sed conspecta icone suis coloribus expressa, in qua arboris ramus, cum fructu & foliis, opinionem mutare non piguit. Hæc sunt quæ de ista arbore & eius fructu intelligere potui post longam disquisitionem: quæ beneuolum lectorem boni consulturum arbitror.

LAGENVLAE AMERICAE.

CAP. LIII.

CVius arboris esset hic fructus Exoticus, quoue nomine diceretur Clusium latet. *Descriptio.* Erat autem orbicularis penè formæ, binas vncias longus, tantũdem ferè crassus, duro, læui, spadicei coloris cortice preditus: an nucleum aut semina continuerit ignorat, sin autem habuerit, exempta fuisse oportet: Quia binos accipiebat à Iacobo Gareto extima parte funiculo traiectos & quodammodo connexos, foraminibus per quæ funiculus, qui eos connectebat, traiectus erat, nigrà cerà obturatis, & infima similiter parte, quà videlicet puluis quidam exalbidus ad cineraceum tẽdens (quo pleni erant) iniectus fuerat: salsus *Sapor.* eius sapor & linguam vellicans, quo verisimile est incolas vsos ad

sua edulia condienda, propterea secum circumtulisse, Garetus significabat, è mari Australi, quod pacificum appellant Hispani vulgò *Mar del sur*, allatos esse. Et ipse aliquot annis antè, cùm adhuc Clus. Viennæ viueret, similem miserat, sed singularem, & longè maiorem, eumque inanem, summa parte apertum & funiculo traiectum. Sibi porrò persuadet, has lanegulas iis cucurbitulis, esse persimiles, quarum Americus *Cucurbitula Americi Vespucij.* Vespusius Nauigatione secunda meminit, agens de moribus eius gentis ad quam appulerat. Ait enim singulos viros ex collo pẽdentes pusillas siccatasque binas cucurbitas gestasse vnam plenã herbã quam mandebant, alteram farinã quadam candicante gypso cõminuto simili, è bacillo quodam in ore madefacto, atque in cucurbitam farina plenam immisso, farinam exemisse, quã herbam quam manducabant aspergebant, subinde id repetentes: illudque facere existimasse, vt sitim sedarent, quia aquã recenti quam bibere possent, penitus erant destituti.

FRVCTVS INDICVS PYRIFORMIS GRANIS INTVS NIGRIS, Cucurbitani generis.

CAP. LIV.

Descript. REdimebat [inquit Clusius Exot.] Franciscus Peninius, ciuis & Pharmacopæus Amstelredamēsis, fructum quendam exoticum anno reparatæ salutis humanæ 1601. ex India, vt aiebant, relatum, cuius nec nomē nec in quo arboris genere natus esset, intelligere potuerat: quia tamen eius formæ erat, qualem antè

*

vidisse non memineram, pro ea quæ mihi cum illo est vetere amicitia, commodato impetrabam, vt breuem illius historiam concinnare possem, quam in Exoticorum librum insertem, & eius iconem, in tabella exprimi curarem.
Fructus. Erat hic fructus pene quinque vnciarum longitudinis à pediculo ad summum mucronem, ambitus qua parte crassior fructus nouem vncias cum semisse explebat, à pediculo satis crasso sensim tumescens, deinde à medio corpore paulatim in obtusum mucronem desinens [vt ex icone facilius obseruari potest] fusco duróque cortice constans, & nucleum
Cortex. Pulpa. aut pulpam, cum seminibus in globum congestam continens, strepitum enim agitatus edebat: qualis autem inesset nucleus aut pulpa, ignorabam cùm hæc scriberem, quandoquidem illum aperire verebar, quòd meus non esset, propterea integrum illi restituebam. Post aliquot tamen dies fructum ad me remittebat in binas partes transuersim sectum, vt internam partem etiam describere possem, quam valdè leuem & exigui esse ponderis comperiebam, cineraceique ex fusco coloris, continentem pulpam spongiosam, nigram, mollem, acidiusculi saporis, in globum
Grana. compactam, in qua latebant aliquot grana, nigra, penè orbiculata, compressa tamen, & magis lata quàm longa, in binas partes sectilia, quemadmodum Cucurbitarum & similium semina, sic vt
Cucurbitæ genus. Cucurbitacei generis alicuius plantę fructum esse mihi persuadeam.

GVANABANVS OVIEDI, FRVCTV SQVAMMATO.

CAP. LV.

Descriptio Folia Fructus. GVanabanus Ouiedi procera arbor est, & formosa, folio ferè Mali Medicæ, quam Limoniam vocant, virente: fructu pulcherrimo, mediocris Melonis magnitudine, qui tamen interdum in capitis pueri magnitudinem excrescat. Cortex huic fructui viridis, & qui certis quibusdam squamis distinctus videatur, vt strobilus, læuioribus tamen, neque ita tumentibus, quandoquidem totus cortex tenuis sit, neque crassior, quàm in Piris. Caro candidissima saporisque delicatissimi, Caro. quæ facilè pinguedinis lactis instar in ore resoluitur. Per eius carnem sparsa sunt semina magna. Semina.
Frigidus est hic fructus, & per æstus vtilis. Nam Vires & vsus. tametsi quis integrum Guanabanum deuoret, nullum inde sentiet nocumentum. Infirma est ligni materies.

Clusius ait, cum Dorionibus planè conuenire Guanabanum Ouiedi, quem per vniuersam ferè Americam, siue Nouum Orbem nasci tradunt. Locus. Diuersus est ab eo cuius Scaliger meminit, de quo paulò antè.

Generalis Histor. Indic. author tradit Guanabani fructus corticem viridem & tenuem esse, vt Piri, superficieq; squamulis distinctà.

Hic Guanabanus, inquit Hist. Synonyma. Lugd. planè conuenire videtur cum Ouiedi Guanabano & vterque diuersus esse à Scaligeri.

M. Fumee, Guanabanos, & Guanabano, pulchra arbor, fructus crassus vt humanum caput, cutis squammata &c. Guanabanus Ouiedi Clusio.

An Benzonis Guanabanus arbor modica & gracilis, fructum ferens cordis effigie, corio viridi & Guanabanus Benz. subtili, squammarum in morem vestitum, introrsus candidum.

Extant etiam paulò diuersæ ab his formæ orbiculares eius arboris fructus, crocei coloris & Varietas. prioribus illis longè meliores, omnes verò intus acinos exiles spadicei coloris gerunt. Videntur quidem nobis hæc, præsertim prioris varietatis descriptio, huic Guanabano Ouiedi satis bene conuenire.

DVRIONES ACOSTÆ

CAP. LIV.

Descriptio. INter celeberrimos, [inquit Garcias] Indiæ fructus recensentur à plerisque Doriones in Malaca vocitati: fructus Melopeponis magnitudine, denso cortice rostratisque tuberculis plurimis obductus, veluti is quem *Iacca Goa* vocant, [de quo Iaccæ similis. suo loco] foris virescens, intus verò concameratus: seminaq; exigui oui gallina- Semina.

Alia Icon Bry fratrum.

linacei magnitudine in singulis cameris continens, coloris & saporis eius condimenti, quod ex Amygdalis contusis, lacte, farina, aqua rosacea, & sacchoro fit, *Manger blanc* vocant Galli, non tamen ita mollescentia aut glutinosa: in nonnullis verò non candida sunt, sed pallidi coloris. *Varietas. Offícula.* Officulum hæc in se continent, Mali Persici officulis persimile, sed rotundum. *Folia.* Folia huius arboris medium palmum oblonga, acuta, falso gustu, colore viridi dilutiore parte auersa, interna verò parte admodum virescentia. Flos è candido flauescens. Arborem Iuglandis modo prægrandem esse aiunt, foliis Laurinis.

Temperamentum. & Vires. Caparum odor.

Calidus, inquit Acosta, & humidus est hic fructus, & qui edere volunt, pede leuiter comprimere & frangere solent, propter spinas quibus obsitus est. Qui nunquam hos fructus ederunt cùm primùm illos olfaciunt, videntur putridas Cæpas odorari: sed postquàm degustarunt, pre reliquis cibis benè olêre & sapere censent. Est verò in tanta existimatione apud eos, qui gulæ dediti sunt, hic fructus, vt putent neminem eo posse *Pretium.* saturari, propterea varia dant illi epitheta. Tanta tamen est huius fructus in Malaca abundantia, *Antipathia cum Betele.* vt singuli nô pluris, quàm quatuor marauedis veneât præsert in mensibus Iunio, Iulio & Augusto: nam reliquis pretium intenditur pro hominum arbitrio. Admiratione porrò digna est Betele cũ hoc fructu antipathia, quæ profectò tanta est, vt si quis in nauem Durionibus plenam, ædésve aut *...num ...re-medium.* concamerationem, vbi obseruentur, aliquot Betele folia reponat, corrumpantur & putrescant omnes. Et si cui ex Durionum immodico esu ventriculus inflammatur & grauatur, folio Betele supra ventriculum imposito, subitò mitigatur inflammatio, tumórque tollitur. Et, si à Durionum esu ingerantur aliquot Betele folia, nullam noxam sentiet, quantumuis multos ederit. Inde fit, tùm etiam ob eius gustum suauem, vt vulgò dicatur, neminem eorum esu posse satiari.

Duriacon.

Eiusdem fructus & Linschottanus meminit, Duriacon vocitans, in Iaua crescere, magnis arboribus, quales apud nos Pomi arbores. Gustu quidem suauissimo, sed inassuetis primùm aduerso, ob odoris cepacei, adusti aut putridi vehementiam. Extimam faciem Castaneæ cortici assimilat, sed aculeis hunc esse paulò maioribus & quadrangulis, Alueos communiter intus habere tres, parietibus intergerinis dissepitos, in quorum singulo tria grana cepacea facie, & horum vnumquodque rursus alios tres nucleos contineat. Haberi inter meliores, salubriores, suauiorésque totius Indię, sed non diu durare. Reperiri etiam copiosè in Baly & Malacca.

Locus. Nomina & Synonyma.

Vocantur Duriones in Malaca, Garciæ: cum quibus Clus. ait, Guanabanum Ouiedi planè conuenire. At ex vtriusque historia facilè patet rectè intuenti, res esse diuersas. Cast., Dur. *Iacca maggiore*, vt vult C. Bauh. Durio Costę: In Malayo (quę est prouincia vbi gignitur) Duriaon: ipsius flos *Buaa*; ipsa arbor *Batan. Duriones* Linschottano. *Duriones.* Hist. Lugd. *Duriones* Acostę, & fortè Durian Scaligeri eidem, An Scal. Durian? Meloni & Corcopali similis, Taprobanæ fructus, qui Durian dicitur. An *Dorioens* Bry fratrum in Icon. Ind. Oriét. qui addunt hos fructus totius orbis existimari optimos, & in sola Malacca reperiri.

ERINACEVS FRVCTVS INDICVS

Cap. LVII.

FRuctus quidam nascitur in Insula Baly, *Descript.* magna copia, magnitudine Pomi nostratis, vel potiùs Piri, siquidem infernè rotundus supernè turbinatus, cortice munitus aspero & echinato, vnde ab Holandis Schweinigel/ id est, Echinus porcinus vel suillus vocatur. *Echinus Porcinus. Vsus.* Conditus hic fructus dulcis est, sapidus, & nauigationum Indicarum commodum subsidium. Diu durat. Crescit in celsis arboribus, racematim cohærens, vti baccæ in racemis vitium. Ex historiis Indicis.

IACA INDICA.

Cap. LVIII.

IAca arbor est *Descriptio.* in India prægrandis, fructũ *Fructus.* in summo caudice non in ramis ferens, prægrandem, magni Melonis effigie interdum maiorem, virentem foris, intus verò flauescentem, multis spinulis instar erinacei, sed mollibus, obseptum. Continet autem hic fructus in se magnas quasdam nuces, duro putamine tectas. Cortex fructus gustu Melonis, sed difficillimę concoctionis, nempe qui plerumque foleas, ita vt assumitur, excep

ni. Nuces verò intus natæ torrentur aut elixantur, abiectóque putamine [qui nullius est vsus] Castanearum modo, quibus sunt persimiles eduntur. Nascitur duntaxat in maritimis. *Garcias.*

Locus. *Alia descriptio.* Acosta verò paulò aliter sic: Vasta est arbor, foliis palmaris amplitudinis prædita, dilutè virentibus, neruo crasso & duro per longitudinem excurrente. *Fructus.* Malum fert non è germinibus, aut foliorum sede, quemadmodum aliæ arbores, sed ex ipso trun co maioribúsq; ramis nascens, longum, crassum, obscuriùs virens, crasso duróque cortice tectum, omni ex parte cuspidibus septo, quæ in spinam breuem, viridem, nigróque aculeo præditam desinunt, admodum similem Durionis spinæ, sed minimè acutam aut pungentem, tametsi minitari videatur. *Cucurb. magnitud.* Horum fructuum minimus est maxim[illegible] cucurbitæ amplitudine atque etiam maior, præsertim in Malabar, *Locus.* vbi præstantiores nascuntur. Nam qui in Goa proueniunt, minores & peiores sunt, atque magis insipidi. Cùm maturus est hic fructus, bonum odorem spirat. *Differentiæ. Barca. Papa. Girasal.* Eiúsque duas differentias constituunt. Vnum *Barca* appellatum, & præstantiorem: alterum *Papa* aut *Girasal* dictum minúsque bonum: deprehenditur postremus ex mollitie: quoniam si manu apprehendas, digitis cedit. *Pretium.* Præstantissimi verò fructus pretium quadraginta marauedis non excedit, hoc est, paulò plùs regali Castellano. Per longitudinem secti hi fructus, intus candidi, & densa carne præditi apparent, ac veluti in capsulas aut receptacula diuisi, plena *Castanea. Sapor.* Castaneis longioribus & crassioribus quàm sint Dactyli siue Palmulæ, cinerea tunica tectis, & intus albis Castanearum vulgarium modo, gustu terrestri & aspero, si virides edantur, multósque flatus generantibus. *Vsus. Ad Venerē.* At si vti Hispanicæ Castaneæ, assentur, gustu sapido & Venerem excitantibus, ob quam solam rem plebs frequentiùs vti solet. Sunt autem singulæ hæ Castaneæ pulpa flauescente, & aliquantulùm lenta inuolutæ, & pulpam Durionis *Durionis pulpa.* nonnihil referente, tametsi ab eo differat. Grati saporis est, præsertim quæ in *Iaca Barca* cognominata continetur, optimi Melonis pulpæ adinodum similis.

Descriptio Linschot. Describitur etiam paulò aliter à Linschottano apud figuras æneas, his verbis: Iacæ mirabilis naturæ ex trunco altissimæ arboris nascuntur fructus, ad littus maris: Vbi arbor in folia & ramos se fundit, nulli sunt fructus. *Melopeponis forma. Ananæ similes.* Magnitudine autem, & forma Melopeponis ferè sunt, ad *Ananas* accedunt, colore tamen subuiridi. Tunicis autem distinctus est interior nucleus, colore inter albedinem & flauedinem, sapore mellis. Tales ferè tunicæ centum numero in vno pomo reperiuntur. *Girasal Chambasal.* Est autem duplex genus: optimum vocatur *Girasal*, illud quod est simplicius est *Chambasal*. Arboribus & fructibus eadem forma est, sed ex gustus suauitate discernuntur. *Hac ille.* Vtramque figuram ponimus vt non parùm variantes iudicent qui arborem ipsam cominus inspexerunt.

Cachi Scalig. Ciccaria. Scaliger videtur de eadem planta & fructu scribere, his verbis: Spinosa est arbor in Malabar, cuius folium non pingunt. Ipsa *Cachi*, eius fructus *Ciccaria* dicitur, longitudine pedali, humanæ coxæ crassitudine. Pondus fidem superat. Cortici color primùm viridis: maturescens in luteo fulcescit: corpus firmiusculum, compressioni tamen ita cedit, vt frangatur. Temporis quoque suapte natura impatiens. Haud enim ita multò pòst, *Pineæ nucis forma.* quàm detractus sit, fit rugosum. Totius forma, vt Pineæ nucis. Intus enim Camerulę membranis distinguuntur, vt in Punica. Pulpæ odor suauissimus. *Sapor.* Sapor mistus ex Melone Moschato, Persico, *Poma intus.* Arancio dulci, & melle. Intus poma ducena quinquaginta ad tercentena vsque, Ficorum tum specie, tum dulcedine, sine cortice, vt aiunt. Membranulis tamen distingui necesse est, quibus segregentur: vt ouorum vitella: In his pomis fruticulus est alius; figura castaneæ. *Castaneæ.* Qui ad eundem, quo castanea, modum inter coquendum crepitat: esculentúsque est. Etiam bobus in pastum datur. *Sycomori modo.* Exit è trunco fructus, sicut & *Iumeiz*, id est, Sycomoro, inter spinas, & frondes. Interdum, quod magis mirum est, è radice, subtus terra, vnde prodit. Hic longè præstantior, regibus dono datur. *Tempus.* Legitur mense Decembri.

In Calecut, inquit Ludouicus Romanus, reperiuntur nonnulli fructus quos cultores *Iacerus* appellant. Idem vult eundem fructum idem esse cum *Iaca*, atque eo nullum præstantiorem digniorémque scribit, eiúsque descriptionem fusè tradit.

Synon. Vocatur hic fructus in Malauar *Iaca*: in Canara & Guzarate *Panax*: intus nuces velut castaneæ: *Panax.* Garcias. *Iacera* Lud. Romani, eadémque *Iaca* Clusio. *Iaca* Malabarensibus. Guzaratensibus *Panax*, Canarinis, *Panasa*. *Panasa. Funax.* Arabibus, *Panax*, & *Iaca*. Persis *Funax*: Eius duæ species, vna dicta *Barca*, altera *Papa* vel *Girasal*, Acosta *Iaca minor*, in Canara *Panax*, Durant.

An Scal. arbor *Cachi*, fructus *Ciccara*. Historia sanè Lugd. huius sententiæ est, & addit, eadem prorsus scripsisse Lud. Bonon. in Itiner. suo, quæ Scaliger. ac nasci in Calicuto.

Eadem Nic. Costin. in Itine. nisi quod non fructus ait bubus pro cibo præberi, sed eorum cortices. *Materies arboris. Hist. Lugd. not.* Præterea arborem grandi Fico similem esse, foliis diuisis Palmæ modo, ligno buxeo, ad multa vtili. Eadem Hist. Lugd. & alibi de hac arbore tractat, sub titulo, *Iaca* Acostæ, vtique hanc diuersam putans, à Cachi Scaligeri.

Tachi. Vires & vsus. Iam suprà dictum, qua ratione Castaneæ intus latitantes, grauiter comedentes excitent ad Venerem. Scribit tamen Costa, nullum vsum medicum præbere: duræ esse concoctionis, & admodum grauare ventriculum: atque vt illarum Indiæ Prouinciarum Medici dicunt, si in ventriculo *Noxa.* corrumpatur, noxios & venenosos humores generare: quique frequentiùs hoc fructu vescantur, facilè in pestilentem illum morbum, atque funestum *Morxi* incolis vocatum incidere. *Morxi morbus.*

IAMBOS. Cap. LIX.

Iambos Acosta.



Descriptio. Magna, vt scribit Garcias, apud Indos in æstimatione est is fructus, cuius nunc mentionē facturi sumus, *Fructus.* primùm è Malaca [vbi plurimus nascitur] paucos ante annos illuc translatus. Est autem is fructus oui anserini magnitudine, aut paulò maior, colore ex candido purpurascente, pulcherrimo odore rosacco.

Vel,

Iambos Linsch. tran.



Vel, vt verius dicam, similis est hic fructus magnis Gallis recentib. [quas *poma* de Cuquo nuncupamus] cùm in odore, tum in colore: gustu suauissimo, sed humido. Nisi verò (annotat Clus.) Garcias gallas istas maiores, quæ in Robore passim per Hispaniã & Lusitaniam, nascuntur, intelligat per *Bugualhas* grandes quid sibi velit, ignorare me fateor. Cæterùm eas exigua pila palmaria maiores nunquam vidi, colore pulcherrimo rubicantes, dum recentes sunt, & odoratas. Vel fortè prægrandes illas Iuglandes vult, quæ vulgaribus duplo maiores sunt: quemadmodum vulgares suo operimento nudatas Bugalho appellare videtur.

Bugalho. *Descriptio arboris.* Porrò ipsa *Iambos* Arbuscula, ex eodem Garciâ, in Pruni magnitudinem assurgit, folia ferens magnam similitudinem habentia cum cuspide ferrea maioris alicuius lanceæ, viridia, aspectu pulcherrima. *Flos.* Flos ruber, odoratissimus, gustu acido. *Radix.* Firmis nititur radicibus hæc arbor, quoniam admodum fertilis est. *Tempus.* Post quartum enim annum fructifera, nec semel duntaxat fert in anno vt pleræque omnes ferè arbores, sed pluries singulis annis nouos edit fructus.

Alia desc. Mali aureæ magnitudine. Arbor, inquit Acosta, quæ Iambos fructum præbet, vasta est, maximam Malum auream quæ in Hispaniis nascitur æquans, multis ramis in latum expansis multamque vmbram præbentibus brachiata, aspectuque pulcherrima: caudex maiorésque rami cinereo cortice integuntur: *Folia.* folia pulcherrima sunt, læuia, palmum aut amplius longa, crassiora verò per longitudinem, multis autem obliquis venis in latera excurrentibus, parte supernâ saturatius, infernâ dilutius virentia: flores ex rubro purpurascentes, viridi admodum coloris, multis staminibus in medio præditi, aspectu pulcherrimi, gustu capreolorum vitis simili. *Fructus Piri.* Fructus magnitudine est Piri, quod à Rege cognomen accepit, cuiúsque duo sunt genera: *Differentia.* vnus enim adeò obscurè rubet, vt niger videatur, magnáque ex parte ossiculo caret, & sui bonitate præstat: alter ex candido rubescit, & ossiculum continet album, durum, non admodum rotundum, *Ossiculum Persici.* ossiculi quod in Persico malo est, magnitudine, læue, & candida bifurcaque membrana tectum: qui licèt superiori bonitate cedat, dignus tamen est hominum etiam delicatissimorum palato: vtriusque odor suauissimam rosam refert, frigidus & humidus est, & admodum tener, cortice adeò tenui & molli tectus, vt cultello auferri non queat. Altè suas radices terræ infigit hæc arbor, & post quartum annum fit fructifera. Fructum sæpiùs eodem anno perficit, & nonnunquam sine flore & fructu conspicitur, cùm iidem rami floribus, fructu viridi & maturo semper ferè onusti sint, decidentibúsque quotidie floribus [sic vt solum rubro colore tinctum quandoque videatur] noui subnascantur, fructúsque alii primùm enascantur, alii maturescant, alii iam maturi colligantur, succosa arbore maturi facilè decidunt, comprehensi verò rami ad fructus colligendos facillimè ab arbore reuelluntur.

Ossiculum Cypariss. Linschottanus ad figuram ære exsculptam annotat Iambos ossiculum habere, vt fructus Cyparissi: sed quid sibi velit fatemur nos ignorare: Cyparissi fructus nullum habet ossiculum, nisi fortè ipsam intelligat nucem: præterea quia eius figura non parum differt ab Acostę, vtramque proponimus.

Synonyma. Iambos. Iamboli. Tupha. Tuphar. Alma. Iambeiro. Iambos in Malaca dicitur etiamque Hispanis, Garciæ. Iambos fructum Malabares & Canarini *Iamboli* vocant. Lusitani istic habitantes *Iambos*: Arabes *Tupha*: Indi Persę *Tuphar*: Turci *Alma*: Lusitani arborem *Iambeiro*, Acosta. Hist. Lugd. quoque & Linschott. *Iambos* vocant.

Vsus. Fructus ante reliquos cibos initio mensæ edi solent, atque interdiu. Conduntur etiam tum fructus tum flores, atque ita asseruantur.

CARAMBOLAS ACOSTAE.

CAP. LX.

Descriptio fructus. CArambolas, autore Garcia, fructus est in Goa magnitudine minoris oui gallinacei, in quatuor vt videtur, partes distinctus, flauescens.

Descriptio arboris. Plenius describit Acosta. Arbor Cotoneæ magnitudine *Cotoneæ magn.* foliis Mali, paulò longioribus, *Mali folia.* coloris viridis saturatioris, & gustus amaricantis, *Flores.* floribus paruis quinque foliolis constantibus, ex albo rubescentibus, nullo quidem odore gratis, sed aspectu elegantibus, & gustu oxalidis acetoso. *Fructus.* Ipse verò fructus maiusculi oui gallinacei magnitudinem æquat oblongus, flauescens, atque veluti in quatuor partes diuisus, sulcis illis paulò altiùs impressis, magnam gratiam addentibus. In meditullio continet semina tenera saporis aciditate palato grata.

Synonyma. Carambolas. Camariz. Balimba. In Malauar *Carambolas* vocatur, in Canara & Decan *Camariz*: in Malaio *Balimba*. Garcias.

Carambola. Chamaroch. Bolimba. Acostæ verò *Carambole* Lusitanis: Decaminis & Canarinis *Camarix*: Persianis, *Chamaroch*: in Malayo, *Bolimba*: Caramboles Acostæ H. Lugdunens.

Vires. Nullus eius in medicina vsus, præterquam quòd in febribus quotidianis exhibetur, *Febres.* & ex eius succo, cum aliis idoneis, fiunt Collyria ad oculorum lippitudines vtilia: *Ad oculos.* plerisque benè sapit hic fructus, præsertim qui vinosus est saccharo conditur, gratissimúsque est Palato. Eò verò utor syrupi acetosi loco. Garcias: Costa verò scribit multi vsus esse in medicina & cibis: namque maturum exhibere in biliosis febribus & sacchare

Febres biliosa. conditum syrupi acetosi loco præbere: Canarinos eius succo cum aliis medicamentis isthic nascentibus, collyria parare, ad oculorum nubeculas tollendas: *Ad secundinas & fœtum mortuum Cibus.* Obstetricem (quæ illis *Daya* dicitur) vidit fructu sicco & in puluerem contrito, & foliis *Betele* vtentem, ad secundinas à partu expellendas, fœtúmque mortuum educendum. Eius etiam mutia conditi frequentem esse vsum, cùm gratissimi sit saporis & appetentiam excitet.

AMBARE INDICA.

Cap. LXI.

Descriptio *Folia.*



AMbare Indis dicta, crassa magnáque est arbor, folia habet Iuglandis foliis magnitudine respõdentia, sed non eius formę, dilutiùs virentia & multis venis laborata, quæ illis magnã gratiam addũt. *Flores.* Flores exiguos candidos, Fructus nucis Iuglandis magnitudine, dilutiùs virentes, & cortice quam illa leuiore: odoris grauis & gustus acerbi, dum adhuc virent: coloris verò flaui in maturo, gratioris odoris & gustus grata aciditate commendabilis, medullam continentes cartilaginosam & duram, è duris neruis obliquè intertextis constantem: *Hæc Acosta.* Breuiùs Garcias: Fructus in India nucis magnitudine, maturus odoratus, fuluus: immaturus cartilagineo quodam integitur cortice virescente.

Synonyma Ambare. Amba Canarin. Ambares. Ambereth. Harb Ambare *Ambare* Indis Garciæ. Clusius annotat Lud. Romanum hunc fructum *Amba* nominare, & caudicem *Manga.* At Acosta distinguit Ambam ab Ambare, ideo nos Ludouici Romani Ambam non huc reducimus, sed ad mangam siue Ambam de qua sequenti libro. Acostæ, *Ambare* arbor Canarinis: & fructus *Ambares*, Persis *Ambereth*: Turcis *Harb.* Lusitanis *Ambares.* Cast. dur. In Canaria *Ambre*, & fructus *Ambares.* Indis *Ambare*, H. Lugdunens. *Ambare* Acostæ.

Vires & vsus. Propter fructus gratam aciditatem eum Omphacii seu agrestæ modo cibis admiscent: maturum ex sale & aceto edunt: excitat enim edendi appetitum Indi aduersus biliosos humores vtilem esse perhibent. Sale & aceto conditus diu conseruari potest.

CACHOS.

Cap. LXII.

Descriptio Mali insani fructu. CAchos nascitur arbusti modo: insigni virore prædita est, folio rotundo & tenui: fructum fert Malo insano similem, altera parte sessilem, altera turbinatum, cinerei coloris, grati saporis, & acrimoniæ expertis, minutum admodum semen continens. *Locus.* Inuenitur duntaxat in Peruuanis montibus: Monardes: qui sibi huius plantæ semen apud Indos Cachos vocatæ missum testatur.

Nomina. H. Lugd. *Cachos*: Magnæ est apud Indos æstimationis, ob insignes eius facultates. *Vires.* Nam *Vrina.* vrinas ciet, calculum è renibus pellit, quodque præstantius est, illius vsu calculum in vesica comminui ferunt, si mollis adhuc sit, vllisque medicamentis comminui queat, eiusque rei tam multa *Calculus.* proferunt exempla, vt admirationem pariant. Nam *ea est mea opinio* (inquit Monardes) *vesicæ calculum handquaquam expelli posse, solámque exemptionem illius remedium esse, nullum autem medicamentum adeò efficax esse, vt eum confringere valeat.* *Opinio Monardis de Vesicæ calculo.* Aiunt tamen illius semen tritum, ex aqua aliqua ad eam rem vtili sumptum, calculum in lutum dissoluere, quod excretum denuò concrescat, & in lapideam duritiem conuertatur. *Historia.* Adolescentem vidi, cui hoc obtigisse scio. Is cùm vesicæ calculo torqueretur, idque à lithotomis, qui calculum deprehenderant, intellexissem, & ex symptomatis quæ patiebatur agnoscerem, hominem veris initio ad fontem, qui de petra cognominatur, ablegaui: vbi cùm duos menses hæsisset, à calculo liber rediit, & omne lutum, quod paulatim eiecerat, denuò in lapidea fragmenta concretum secum in charta detulit.

DE MORO.

Cap. LXIII.

HIs indicis Pomis inserenda fuit Morus, & ipsa Pomifera, sed quæ vt vulgatior, alijs Pomiferis sequentibus, ob affinitatem nominis fuit præmittenda.

MORVS NIGRA.



Descriptio nigræ. MOro dicitur caudex satis crassus, contortus ac nodosus: altitudo iustæ arboris, rami patuli, cortex rugosus, crassus, lentus. *Materies.* Materies robusta, & meditullio flaua. *Radix.* Radices numerosæ, magnæ ac robustæ, non tamen altè descendentes, sed sese diffundẽtes, si Matth. credimus. *Folia.* Folia ex rotunditate in acumen desinentia, interdum vitiginea, sinuata, per ambitum serrata, tactu nonnihil aspera, hirsuta, sapore subdulci & viscido. *Flores.* Pro floribus Dod. autore Iuli sunt, virentes, lanuginosi. *Fructus.* Fructum fert breuissimo pediculo hærentem, maiorem & longiorem quàm Rubus, glomeratum similiter, sed acinis minùs rotundis, primùm quidem virentem & austerum,

pòst rubentem, acidum & adstringentem, per maturitatem nigrum, sanguineo dulci succo madidum, manus & os inficientem. Matth. ait, modicam vbi maturuerit remanere austeritatem.

Descriptio albæ.

Morus alba tota delicatior est, vt à nobis quidem obseruatum, quàm nigra, eáque propter bombycibus alendis magis expetita: *Folia.* folia teneriora, angustiora, firmáque, oblonga magis, non minùs Nigræ folijs serrata: aliquando vitiginea, sed tam concinnâ diuisurâ, vt Gallici sceptri lilia artifici *Iuli.* pictoris manu ficta ad certamen prouocent. Iulos longiusculis pediculis hærentes, plures sæpè simul profert, vt in ramo spontaneæ Mori ex Italia *Fructus.* delato obseruauimus. Fructus, non, vt præcedentis, niger, sed per maturitatem albus, sapore (Matth. teste) melleæ dulcedinis, quo fit vt minimè cum nigro facultate conueniat, minor etiam: antè maturitatem viridis & subuiridis, austeriusculo sapore. *Radix.* Radix in ingentem sese diffundit longitudinem magis quàm nigra, fortasse quoniam amplior, altior, procerlórque semper quàm nigra habeatur.

Sycaminus

Συκάμινος Theophr. vocat, nomine à Ficu deriuato, quam similem dicit Ægyptiæ, folio, magnitudine, totáque facie: materie spissam & lentam, validam, ad opera facilem, quæ vetustate nigrescat, vt lotus: medullam eius nigram & duram: tardè germinare, citóque amittere folia: fructu esse paruo pro magnitudine arboris, læui, diluto, ex humore & cuticula constante, succo vinoso: flore lanugineo, fructibus insidente. Fructum, quia nudus, humidus, tenuique tectus sit cuticula, promptè vel leuiter à sole tepefactum perfici, *Cur celeriter fructus perficiat.* quippe qui ad sui perfectionem minimo egeat calore. Valida namque vis quædam confertim & celeriter protumpere solita, fructum percoquit, sicut & in germinando fit. Longa enim prorogatio ac velut cunctatio germinis collectum maximum facit. Hinc fit, vt germina congesta magno cum impetu protumpant, etiam cum strepitu quodam, vt quidam perhibent. *Ita concoctio eius celeriter perfici solet. Eidem namque hic modo euenit, sicut si mentis, quæ breuis diu retinuit. Quæ vbi semel laxata fuerint, celeriter augescunt.* Adde, quòd Morus fructum non vniuersim, sed particulatim percoquere soleat. Ideò & longo tempore in arbore manet, [alijs nimirum transeuntibus aut cadentibus, alijs maturescentibus] & maximè cum ijs humiditas illa tenuis & aquea. His igitur de caussis præcox Mori fructus. Cæterùm vt Mnestor tradit, serò germinat hæc arbor, ob frigiditatem loci: Citò maturat, propter tenuitatem: διὰ τὴν ἀσθένειαν. *Gazæ & Scal. not.* Placuit ita reddere, non propter suam imbecillitatem, sicut Gaza, quamuis eundem secutus sit Scaliger. Nam quid hoc est dicere, debilitatem esse causam citæ maturationis: quam rectiùs causam dixerimus serotinæ germinationis. Et res ipsa respondet. Succi tenuitas próptioris maturat otis caula, quemadmodum crassitudo tardioris, vt in Cidonijs, Piris hyemalibus, Prunis siluestribus, Mespilis & alijs id genus videmus. Neque repugnat vocabuli significatio, quam, si lubet Grammaticis, huc vsque extendent vt & tenuitatem denotet.

Morea Sycaminea Sycaminũ.

Diosc. μορέα ἢ Συκαμινέα, arbor nota: alij tamen legunt μορέα ἢ Συκαμινέα, Morus Sycaminea, vel Morus simpliciter.

Συκῆ Hipp. vt explicat Gal. in eius vocibus: Cui & Συκάμινος id est μορέα. Fructus ipse τὸ Συκάμινον Theoph. quod & μόρον, Morum.

Morum

Morus Palladio & Plin. ipsa arbor, qui fructum inter carnosa Poma refert: Moris, inquit hic, succus in carne vinosus: trini colores, candidus primò, mox rubens, maturis niger. In nouissimis florent, inter prima maturescunt. Tingunt manus succo matura, eluunt acerba. Minimùm in hac arbore ingenia profecerunt, nec omnibus, nec insitu: (aliàs insitis.) Nec alio modo, quàm Pomi magnitudine. Differunt Ostensia & Tusculana Romæ. *Differentia.* Nascuntur & in Rubis, multùm differente callo. At nos parum differente callo, ad rem accommodatiùs legi censemus, licet nec Hermol. *Plin. correct.* nasutissimus alioqui Plinij lector, nec ipse adeò Dalech. eius commentator aliquæ veterem corrigant lectionem. Idem Plin. Moro vinosum succum tribuit. Et alibi: Pro cute in animalibus, cortex in arboribus est. Mirum, his in Moro medicis succum quærentibus, ferè hora diei secunda, lapide incussus [incisus, alij] manat, altiùs fractus siccus videtur (nempe cortex) quanquam hoc Plin. non de Moro, sed de sycomoro tradere debuisset, vt sentit Corn. de qua re plura suo loco. Ad Rubi Mororum differentiam Officinæ hodie *Mora Celsi* ferè Mori arboris fructus Mora Celsi vocant.

Morum arborem, vt scribit Curtius, nonnulli à Græco nomine deriuant, propter fructus nigritiem: μαυρὸν enim nigrum est. *Mori etymon.* Græcis præter prædicta nomina, & Συκέα & Συκῆ, Moræa, ab Hippocrate, nisi mendum sit, Pomum Sycaminon: *Sycamina. Pomum Sycaminon.* Ætio fructus Sycamina & Sycomora. Æschylus tamen, autore Iulio Polluce, Sycamina ea vocauit, quæ tantùm ex Rubo colligerentur.

Primas fructus germinationes, seu futura poma, Ricinos, vel, vt alij malunt Cytinos, Græci vocant. *Ricini. Cytini.* Al.j Mora oblonga, vel Iulos teretes arbitrantur. Nigram celebrat Virg. Eclog. 6.

Sanguineis frontem Moris & tempora pingit.

Fabulantur Poetæ, Mori fructus priùs albos tantùm fuisse: *Pyrami & Thysbes fabula de Metamorphosi Mori.* postea verò Pyrami & Thisbes amantium sanguine tinctos, ac rubeum colorem mutuatos, dum vterque sibi ipsi sub Moro apud fontem & Nini sepulchrum, propè Babylonem manus consciuissent. Sic enim Ouid. Metamorph. 4. Canit:

——Arbor ibi niueis vberrima pomis
Ardua Morus erat, gelido contermina fonti. *Mora niuea*

Et pòst:

Arborei fœtus aspergine cædis in atram
Vertuntur faciem, madefactáque sanguine radix
Purpureo tingit pendentia Mora colore.

Pòst Thisbe ad Morum:

Signa tene cædis, pullásque & luctibus aptos
Semper habe fœtus, gemini monumenta cruoris.
Dixit: & aptato pectus mucrone sub imum,
Incubuit ferro, quod adhuc à cæde tepebat.
Vota tamen tetigere Deos, tetigere parentes;
Nam color in pomo est, vbi permaturuit, ater.

Athen. Sycamina, inquit, cùm simpliciter omnes appellent *Mori fructum*, Alexandrini soli *Mora* nominant. *Sycamina, & Mora.* Sycamina quidem, non intelligo fructum Ægyptiæ ficus, quem nonnulli Sycomorum vocant. Apud AEschylum in Phrygibus Hector. Sycamina mora vocat:

Fuit vir ille Moris maturior.

Idem in Cressis sic nominat: & in Camicis:

Candidis enim Moris, ac nigrum succum fundentibus, *Candida Mora.*
Venustóque rubrica colore tinctis onusta sunt
eius regionis arbores.

Sophocles:

Primùm quidem cernes candidam quæ floret spica
Deinde teres atque puniceum Morum.

Spica. Spicam autem vocat fructus arboris Mori rudimentum spicæ simile.

Nicander in Georgicis tum arborem ipsam vocat semper *Moream*, vt & Alexandrini, tum etiam declarat, eius fructum priusquam reliquarum omnium conspici.

Morea.

At Morea pueris oblectamenta tenellis,
Quæ primum suauem fructum mortalibus offert.

Parthenius Sycamina, quæ Mora vocant nonnulli, Abryna (ἄβρυνα) nominat. Demetrius Ixion (vel in ἐτυμολογουμένοις, vel ἐν διαλέκτῳ τῶν Ἀλεξανδρέων) Sycamina & Mora eadem esse voluit his verbis: Veluti Mora, quæ sanguine manant, & Ficis meliora sunt.

An Morus alba Antiquis ignota. An verò Morus alba antiquis incognita fuerit, vt quidam suspicantur ex iam citatis aliquot locis, maximè Ouidii, & ex Athen. facilè diiudicari potest, quamuis apud reliquos Veteres, maximè Theophrast. Dioscor. Gal. & Plin. & Geoponicos nihil de ea hactenus obseruauerimus.

Syce. Hermol. *Sycen* apud Hipp. Morum arborem denotare apertè testatur.

Sycaminon. Media Comedia Sycaminon vocat & pomum & arborem: sed pomum neutro, arborem masculino genere, vt apud Iul. Pollucem notatum legitur.

Moden. Inuenias & *Moden* scriptum in Hipp. pro Moro, sed id culpa librariorum, vt idem Hermol. autumat. De Syce autem Hippocratis infra inter vires. Amatus non mirù ait Morum albam antiquis (excepto Ouidio) incognitam, quum postero seculo ex nigra Moro Populo inserta alba effecta sit, cui & subscribere videtur Lacuna: qui & Morum hominum amicam dicit, ac locis delectari quę homines frequentant. Idem Mora alba vulgò Mora Celsi dici scribit, quæ aliis (vt Isidoro) Mora excelsa. Mesues verò pro Moris Celsi, habet *Mora de seni*.

Hominum amica. Mora Celsi. Mora excelsa. Mora de seni.

Differentiæ. Differentias duas tantùm plerique faciunt, *Nigram & Albam*: vtramque descripsimus. Cæsalpinus putat, Plinium candidam & nigram eandem accepisse: quasi candida quæ hodie frequentissima est, & optima ad Sericum præstandum, peregrina quondam fuerit in Italia, vt etiam bestiola, quæ eius frondis pastu sericum reddit. *Plinio eadem nigra & candida.* Idem annotat Moro lignum flauum, aliquando & Buxeum esse: folia Fico minora, rotundioráque, minúsque sinuata. In tenellis quoque germinibus lacteum inesse succum quamuis parciorem, quàm in Fico. Non florere euidenter, sed fructum nascentem binis squammis tegi, quibus decidentibus, veluti flosculorum apices totis fructibus insidere: quæ sinè obseruationem merentur.

Morus nigra Morus alba Chamæmorus. Camer. quemadmodum & Pena & Lob. tres differentias agnouere, Nigram, Albam, & Chamæmorum, quam Camer. scribit in duodecimum annum in horto cultum, nec vnquam tamen fructum protulisse. Sed non placent Pen. & Lob. in suis descriptionibus, quando sic tradunt: Vulgatior Morus, Serotinos flores edit catulos, hirsutos & folia Alni, maiora, rotundiora, nigriora. *Vtriusque Vulgata discrimen.* In alba, minora, imbecilliora, ambitu sinuata, albæ Populi, aut Sambuci montanæ, albida, flaccida, gratiora, sed Mora multò insipidiora, candida nitent, ad nauseam potiùs quàm ad alendū nata, caduca, fatuè dulcia, tota arbore minore, quàm tamen pluris faciunt coloni ad velleris opus. Iidem in margine: Pumila, quam vocant Chamæmorum, non nisi modo, magnitudine, pro totius rata parte distat. *Pumila Morus. Pena & Lobel.* Sed valdè claudicant eorum similitudines, quas Populum albam & Sambucum montanam cum Moro alba habere tradunt, cùm longissimè petitæ videantur, maximè Sambuci mont. ex qua vix vllam animaduertimus similitudinem. Deinde Albam minorem dicunt vulgatâ. Matth. contra, altiorem, proceriorémque semper albam dicit: Et sanè fateri non est vidisse nos nigras eius proceritatis, quales magno agmine serie quadam positas vidimus extra nobile Nemausum.

Synonyma ling. Etymō. Lat. *Morus* arbor, *morum* fructus, vtrumque à Græco deductum apparet: nam μόρον Æschylo & Eustath. Iliad. ξ fructus dicitur, μορέα arbor: apud Pollucem etiam pro μορέα scriptum μωρέα, vt annotat Const. Dictum igitur μόρον, ἀπὸ τοῦ μόρου, id est, exitio, infortunio, vel supplicio, quòd exitii quondam caussa fuerit illis qui exscindebant. Non defuere tamen Grammatici, quibus [literam pro litera ponendo] μωρὸς, vel Atticè μῶρος κατ' ἀντίφρασιν dicta putabatur Morus, quasi minimè fatua, quòd diu morari consueuerit, antequàm germina protrudat, metu frigoris rediuiui: quapropter & *sapiens arbor* dicta. *Sapiens arbor.* *Bacha* Hebræis Samuelis 5. *Bacha.* [licèt Pirum transtulerit vulgatus Bibliorum interpres, sed reclamant omnes Hebræi] aut *Schikmah*, vt alii sentiunt, teste Trago. Serap. & Arab. *Tut.* *Tut*, qui & *Tout* vtrumque nominant tam arborem, quàm fructum. *Etymon Germ.* Germ. Maulbeerbaum: Maulbeer, forte quia στοματικοῖς πάθεσι, oris affectibus commodus sit fructus ex cuius sanè succo conuenientissima parantur στοματικά. Scimus tamen alicubi & Morbeere dici, à quo forte & ab vtendi modo illud Maulbeere detortum. Belg. Moerbesyeboom: Moerbesie. Gal. *Meurier, meure.* Ital. *moro gelso, & gelso moro.* Hisp. Castil. *moral* & fructus *moras*. Catal. *morera & moras*. Portug. *moreyra & moras*. Angl. Mulberre tree. Bohem. Moruffe. Hung. Zeöcry fa.

Locus. Amat Morus calida loca, sabulosa, & plerumque maritima. Iuuat Morum temperies cœli moderatior, & locus planior, qualis est ager Narbonensis, Italia Lombardica: nec temerè in Montibus visam Morum Plin. scribit. Annotat Tragus vtrumque genus [in Rhætiis Alpibus inueniri, quorum alterum atros, alterum candidos ferat fructus. In regionibus verò quæ Rheno adiacent, vnum duntaxat reperiri, nimirum nigrum. Alba vbique scatet in Italia ac etiam Hispania ad alendos bombyces tantùm sata. Nigra etiam vbique aut in hortis aut viridariis, ac in genere amœnos amat tractus. Humor assiduus Moris prodesse non creditur. Frigida etiam valdè abhorret. Basileæ & in Alsatiæ oppidis nigras colunt in ædium areis, proceras, patulas & elegantes: sed albæ multò rariores in tractu Germanico, nuper tamen Illustriss. Ducis VVirtemb. &c. mandato in Ducatum VVirtembergicum magna copia ex Italia inferri & propagari, bombycum nutriendorum caussa, cœptæ. *Ducis VVirt. &c. studium ditanda Germania.* Adeò flagrat sapientissimi huius Principis indefessum studium, in ornando suo Ducatu, vt ne desit suis quod adest aliis, eóque eius magnificentiâ ferè res redacta, vt adsit illis, quod abest multis, & vix paucis aliis nationibus concessum, vti passim in huius historiæ serie patescit. Nos quoque vtramque colimus iam à multis annis in E. C. horto Montbelg.

Tempus. Serotino germinatu floret maturatque celeriter fructum Morus, quæ nouissima vrbanarum germinat, nec nisi exacto frigore, ob id dicta sapientissima arborum. Magna & in hanc vis Soli, nam cùm cœpit, in tantum vniuersa germinatio erumpit, vt vna nocte peragat, etiam cum strepitu, vt post Theoph. Plinius quoque scriptum reliquit. Sed cum primis folia dimittit. Trago non

tan-

tantùm ob tardum illum ortum, sed quòd folia sua tenella ab ortu statim rugosa producat, *Sapientiæ symbolo* notatam putat hanc arborem, seque obseruasse scribit, non protrudere folia, nisi exacto iam frigore & pruinis, iis maximè quæ perniciem adferre possent. Quod sanè vel ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ intelligendum, vel in locis temperatis. Alioqui apud nos & contrarium euenisse obseruatum, & pruinæ superuentu folia iam emersa contabuisse. Sed hoc rariùs. Ergo vt plurimùm mense demùm Maio, germina emittunt: Fructum maturant Augusto, vt Dod. obseruauit. At nos citiùs, nempe Iulio Basileæ, immò medio etiam Iunii matura legimus Monspelii, nec tardiùs in Austriæ Italiæq; locis plerisque. Auenionensi & Veronensi agro plurimùm gaudent. Cæterùm hanc arborem tardissimè senescere Veteres prodiderunt.

Tardè senescit.
Satio.

Morus, inquit Plin. talea tantùm seritur, quoniam ramo eam (in Vlmo seri: alii: vet. inseri) religio fulgurum prohibet. Seruandum in eo ante omnia, vt taleæ ex feracibus fiant arboribus: ne curuæ, néue scabræ, aut bifurcæ: néue tenuiores, (quod & Theophrast. & Colum. de arboribus talea serendis in genere præcipiunt) quàm vt manū impleant: néue minores pedalibus: vt illibato cortice: atque vt sectura inferior ponatur semper, & quod erit ab radice: accumuletúrue germinatio terrà, donec robur planta capiat: quæ conditiones & leges vniuersaliter arborū taleā serendarum sunto. Mororum sationis tempus ab Idibus Feb. vsque ad æquinoctium vernum Columella designat. Vt Berytius autor est, seritur autumno ramulis ficulnorum modo terræ defixis, etiámque vere. Habitiora fiunt terra ipsis circumfita assiduè sarculata, non in profundum, sed vsque ad superficiem radicum. Mora etiam semine plantari possunt, si quis ipsum Morum priùs dissoluerit, & grana eius electa in terram demiserit ac rigauerit. Præstat tamen plantari à claua & talea nam ex semine nata degenerant. Quidam taleis & cacuminibus sesquipedalibus, vtraque parte læuigatis, meliùs prouenire tradunt, si fimo oblinantur. Locum in quem palum demerserunt, cinere terris admisto tegunt, sed non ampliùs quatuor digitis operiunt.

Talea qualis esse debeat.

Taleæ serendæ modus generalis.

Sationis Tempus.

Vt habitiora fiant Mora Ex semine.

Cultura.

Fossione gaudet & stercore. Putria in iis & arida post triennium sunt putanda.

Transplantatio.

Plantam si robusta, transferes mense Octob. si tenera, Feb. & Martio. Scrobes desiderant altiores interualla maiora; ne altera vmbris prematur alterius. Circa Cal. Octob. Morus ablaqueanda est, & radicibus vini veteris recentissimæ fæces inspergendæ. Amica est Morus & Vitis.

Vt feracior fiat.

Feraciorem præcocioremque fieri arborem tradiderunt, si perforato hinc inde trunco, singuli cunei Terebinthi vel Lentisci adigantur.

Insertio.

Inseritur, si priscis Geoponicis credendum, Castaneæ & Fago. Item Fico sub cortice. Insita Vlmo comprehendit, sed parit magnæ infelicitatis argumenta vt iisdem persuasum. Berytius apud Const. Cæsarem scribit, si Populus alba inseratur aut inoculetur in Morum nigram, alba Mora nascitura. Sed Quiqueranus de laudibus Prouinciæ ait, si quis Morum nigram Populo albæ inserat, in Morum albam facescere. Quin & Io. Agric. vulgò Mora alba fieri tradit per insitionem supra populum albam, nouúmque esse inuentum, cuius Antiquiores non meminerint, in quo fallitur. Sed quicquid sit, tam Veterum, quàm Recentiorum fabulam putamus, neque est, qui se expertum tradat. Et Geoponicorum Clariss. scriptor Palladius, qui de Mori insitionibus sequentes versus com-

Vt alba Mora nascantur.
Vt Morus nigra facessat in albam.
Agric. not.

posuit, huius rei & Populi albæ ne verbulo quidem meminit: refert verò & alias quasdam arbores, quarum coniugium admittat.

Mutua quin etiam Moris commercia Ficus
Præstat, & oblatum Robore germen alit.
Fraxinus huic auida confert sua membra sorori,
Et meruit fœtus sparsa cruore nouos.
Proceras Fagos, & poma hirsuta virentis
Castanea, duris aspera mala comis
Inficiens monstrat piceo nigrescere partu,
Et succo pascit turgida poma nouo.
Obsequitur Moris blando Terebinthus odore,
Et geminis veniunt munera mista bonis.

Res est experimenti: experiatur qui volet.

Vt citiùs folia protrudat.

Morus si tardiùs folia producat pro bombycum alimento, nouilunio fimum radicibus eius adhibeatur.

Succedanea.

Mori foliis deficientibus Vlmi folia & Vrticæ germina substituenda suadet Car. Steph. Quidam & Lactucæ folia præbent & Endiuiæ, sed iunioribus tantùm, nam egregiè depascuntur: sed si nimium des, aut paulò maioribus, aluo fluida facilè dissoluuntur ac pereunt, vt ipsimet experti sumus. Quidam & Rubi folia tenella dare suadent, sed his neutiquam delectantur. Mori albæ foliis nos nigræ substituimus, nec sine successu. Hæc eadem quoque, vtpote magis pulposa conueniunt adultis: sic etiam serico pondus maius acquiritur & crassities, vt annotat Cæsalp.

Delectus.

Colligenda potiùs vetera folia, quàm noua, manè vbi ros deciderit: aut si madida fuerint diligenter priùs abstergenda aut ad ignem siccanda. Nam nimia humiditas obest bombicibus.

Cæterùm Mori culturam, administrandi modum, quemadmodum & bombicum serici architectricum curiosè & diligenter describ serunt Car. Steph. & Hieron. Vida Cremonensis elegantissimo carmine. Sed his adhuc specialiùs & curiosiùs Aug. Gallus, in opere suo Geoponico Italicæ conscripto.

Repositio.

Mora in vitreo vase diligenter condita plurimo tempore durant, proprio suo vino demersa diligentérque operta, autore Constantino. Morus semper maximi fit, in iis regionibus vbi sericum paratur, vt Lucæ, Genuæ, Granatæ, in tota penè Lombardia, Auenioni, nuper Turoni Gallorum, & hodiè Stuckardiæ quoque.

Qui muscas vitare volunt, non plantent iuxtà domos.

Vires & vsus.
Sanies Vero.

Hipp. autore, saniem cruentam ex vtero educit συκῆς (Mori, Gal. & Cornar.) radix cum melle subdita, & postea rosaceo illinita. Sanè nisi interuenisset autoritas Galeni, (quem meritò tanquam fidū Hip. interpretem suspicere debemus) συκῆς voce mallemus Ficum intelligere, quàm Morum. Ficus enim à Dioscor. & aliis συκῆ dicitur. Et si rem & rationem ipsam inspicias non temerè nostram reiicies coniecturam. Ficus quippe nostro iudicio, meliùs fortè id præstabit lactis sui acrimonia, quàm Morus. Videtur & ipse Hipp. propter radicis acrimoniam illitum posteà præscribere ex oleo rosaceo. Et Galenus asserit, in radice Mori restringendi partes vincere. Quod si ita est, vt reuera esse censemus, quâ quæso ratione proliciat vteri sordes purulentas? Sed hanc nostram sententiam libenter doctiorum subiicimus censuræ. Hoc saltem præstitisse putamus, si Hipp. non Ficum intellexisse videatur, id tamen, quod intendit, eius radice vel ramo haud inefficaciùs præstari posse, quàm Mori. Is præterea si prægnantes bilis vexet, ptisanę succum dat Rhoë rubro inspersο, aut eo qui ex Moris paratus

Coniectura in Hipp.

Idem ad faciei maculas helidas dictas, inter alia, Mori folia admouet. Vlceribus, si sordida fuerint infusum & fomentum ex Mori radice adhibet. Apud Nicandrum in Antidoto Aconiti, Mori radiculæ mortario tusæ vino ac melle coctæ præscribuntur aduersus Aconitum. Mnestor apud Theophrast. calidam esse Morum prodidit.

Aduersus Aconitum.

Materia vtilis operibus, quæ flexu constant, aut flecti postulant: eique hac in re primatus datur. Æternam, idem Theoph. tradit esse arbitrantur ac validam, ac vetustate Loti modo nigrescere: ideo furculas ex ea circósque faciunt: item nauibus tornacula: similiter & auriculas Liburnicis, & testudines atque firmamenta.

Ligni vsus.

Mori fructus, vt scribit Diosc. aluum soluit, facilè corruptionem sentit, & ventriculo inimicus est. Hæc eadem ipsius succus præstat. Decoctus autem æreo vase, aut insolatus, adstringentior redditur. Admisto mellis exiguo, facit ad fluxiones, nomas & tonsillarum inflammationes. Sed augetur eius vis adiectis, Alumine scissili, Galla, Myrrha & Croco: insupérque fructu Tamaricis, Iride ac Thure. Immatura autem Mora siccata contusáque, Rhois vice obsoniis admiscentur, Cœliacósque iuuant.

Fructus vsus. Aluum fluxam facit. Stomacho. Fluxiones. Noma. Tonsil. inflam. Cœliaca.

Radicis verò cortex decoctus in aqua & potus aluum soluit, latas ventris tineas expellit, & iis auxiliatur qui Aconitum hauserint.

Purgans. Vermes.

Folia trita cum Oleo imposita, ambustis igni medentur. Cocta verò in aqua pluuia cum Vitis, Ficique nigræ foliis, capillum tingunt. Succus foliorum Cyathi mensura potus, à phalangio demorsis opitulatur. Corticis autem in foliorum decocto dentes aptissimè in dolore colluuntur.

Ambusta. Fucus. Morsus phalang. Dolor dentium.

Cæterùm radix circa messem circumfossa & incisa dat succum, qui quodammodo concretus postridiè reperitur. Is ad dentium dolores efficax est: tubercula discutit, aluumque purgat.

Succus è radice. Concretus. Tubercula. Purgans.

Quod hoc in loco Diosc. succũ dentium dolori cõferre scribit, id Montuus, & post eum Schenck ita tradere videtur. Vt dens putris sine ferro citra dolorem eruatur, capsulam ex gummi arboris Mori imponito.

Galenus eadem ferè cum Dioscoride habet sed specialiùs diducta, & aliis quibusdam adaucta: ex cuius etiam verbis perspicuè est intelligere, quomodo κακοστόμαχα sint & quomodo non sint: Mori, inquit, fructus, maturus quidem ventrem subducit, immaturus verò vbi aruerit, admodum restringit. Itaque ad dysenterias accommodus est, & affectiones cæliacas, & quascunque alias fluentes. Contunditur autem ac obsoniis commiscetur, veluti Rhois, fruct⁹: aut si cui ita videatur, ex aqua aut vino bibat. Porrò quod maturorum succus ad stomatica medicamenta sit vtilis, propter eam videlicet quæ illi inest, adstrictionẽ neminẽ latet. Præterea ad alia complura particularia quæ mediocrem poscunt adstrictionem, competit. At immatura Mora, præter acerbitatem, etiam aciditatem sortita sunt, & tota adeò arbor in omnibus suis partibus mistam aliquam vim obtinere videtur ex restringente & purgante compositam. Attamen in radicis cortice purgatoria cum quadam amaritudine exsuperat, adeò vt & latum lumbricum interficiat, in aliis autem partibus restringens vincit: in foliis tamen & germinibus quodammodo media vtrisque temperies est. Ipsa porrò Sycamina celerrimè pertransseunt, cibísque aliis præeunt, si in ventriculum purum inciderint & sumpta primis epulis fuerint. Quod si sumpta post alios cibos fuerint, aut etiam prauum succum in ventriculo offenderint, celerrimè vnà cum aliis cibis corrumpuntur nouo quodam corruptionis genere & quod verbis explicari nequeat, vt in cucurbitis accidit. Omnia enim hæc, si modò celeriter incorrupta subsederint cibis fugacibus minùs sunt noxia: sin minùs, corrumpuntur non aliter, quàm Pepones, quanquam hi quoque, si celeriter subducantur, nullam magnam noxam adferunt. Tempus autem vtendi, vt Peponibus, ita & Moris est, cùm corpus ventriculi squalore æstuat, quo tempore necesse est quodam modo hepati quoque idem accidere. Cucurbitæ quidem & Cucumeri tum maturo, tum ante maturitatem, adhæc & Melopeponi, nulla adstringens qualitas inest: Sycaminis verò, & potissimùm, cùm nondum admodum maturuerint, qualitas eiusmodi conspicuè inest: immaturioribus autem inest simul & acida. Proinde nonnulli ipsa ab arbore detrahentes ac siccantes reponunt, medicamentum ad dysenteriæ ac diuturnæ Diarrheæ curationem vtile sibi futurum. Quod verò celeriter subducantur fortè accidit propter solam substantiæ humiditatem ac lubricitatem, fortè etiam propter admistam qualitatem quandam acriorem, quæ deiectioni excitandæ satis esse possit, quandoquidem qualitas adstringens non modò ad subductionem nihil confert, verùm etiam suaptè natura ventrem constipat. Coniectura itaque est, Mora exiguam in seipsis habere facultatem eiusmodi, qualis magna medicamentis purgantibus inest, cuius beneficio non modò facilè secedunt: sed corrumpuntur etiam si diu in ventre manserint. Quod si corrupta non fuerint, omninò quidem humectant, non tamen omninò refrigerant, nisi sumpta fuerint frigida: alimentum autem corpori præbent minimum, quomodo Pepones, non tamen, vt ii, vomitum excitant, nec stomachum lædunt: *Hactenus Gal.*

Dysenteria. Administrandi modus. Stomatica. Radices purgantes. Quomodo cito corrumpatur fructus in ventriculo. Tempus vtendi. Siccata. Dysenteria. Diarrhea. Cur aluum lubricam reddant? Parum nutriunt.

Audiamus & Plin. qui postquam de Mori Ægyptiæ viribus egisset subdit: Nec apud nos succo vsus minor. Aduersatur aconito & araneis, in vino potus. Aluum soluit, pituitásque ac tænias & similia ventris animalia extrahit. Hoc idem præstat & cortex tritus. Folia tingunt capillum cum Fici nigræ & vitis corticibus simul coctis in aqua cœlesti. Pomi ipsius succus aluum soluit protinus. Ipsa poma ad præsens stomacho vtilia, [Diosc. inutilia dixit] refrigerant, sitim faciunt. Si non superueniat alius cibus, intumescunt. Ex immaturis succus sistit aluum. Fit ex pomo panchrestos stomatice, eadem arteriace appellata, hoc modo: sextarii tres succi ex Pomo, leni vapore ad crassitudinem mellis rediguntur: Pòst additur Omphacii aridi pondus denar. ii. Myrrhæ denar. i. Croci vnius, simul trita miscentur decocto: sic enim legendum ex vetustiss. codicis authoritate, teste Corn.] Neque est aliud oris, arteriæ, vuæ, stomachi iucundius remedium. Fit & alio modo. Succi sextarii duo, mellis Attici sextarius, decoquuntur vt suprà diximus.

Aduersum araneos. Tænia. Panchrestos stomatice, διάμορον. Aliud modo. 2. Aliud. 3.

Huic apud Galenum Hieræ similis est ex Moris compositio. Succi Mororum heminas sex ad stigmentitiam spissitudinem coquito. Deinde tritis Croci drach. j. Myrrhæ drach. ij. Omphacii drach. j. Alum. scissi obolos iij. Mellis heminam vnam addito. Hæc ad vuas, tonsillas, ac omnes, quæ repentè oriuntur in ore inflammationes conueniunt.

Aliam ex Moro stomaticen idem Gal. ex Andro

dromacho recenset. Cæterùm Plinio neutiquam consentit Horatius, inquienti, intumescere Mora comesta, nisi alius superueniat cibus, vt his declarat versibus:

. — ille salubreis
Aestates peraget, nigris qui prandia Moris
Finiet, ante grauem quæ legerit arbore Solem.

Nec Dioscoridi consentit Diphilus Siphnius Medicus apud Athen. sic scribens: Sycamina, quæ & Mora nuncupant, succum mediocriter bonum generant, parùm alunt, celeriter excernuntur, εὐστόμαχα, hoc est, ventriculo grata sunt. Peculiari verò facultate ante maturitatem lumbricos expellunt (hoc Dioscorides de cortice radicis scribit.)

Podagra. Pythermus, vt inquit Hegesander memoriæ tradidit, æuo suo Moros annis viginti fructum non edidisse, & popularem morbum podagram ita fuisse grassatam, vt non solùm viros, sed etiam pueros, virgines, eunuchos, mulieres is morbus corripuerit: quin & eam ægritudinem adeò vehementer sæuiisse in greges, vt ouium partes duas ille morbus afflixerit.

Mira sunt præterea, inquit Plin. quæ produntur. Mori germinatione, priùs quàm in folia exeant, sinistra decerpti iubentur futura poma: ricinos Græci vocant (Cytinos Hermol.) Hi terram *Sanguinis fluxus.* si non attigêre, sanguinem sistunt adalligati, siue ex vulnere fluat, siue ore, siue naribus, siue hæmorrhoidibus: ad hoc seruantur repositi. Idem præstare & ramus dicitur, Lunâ plenâ defractus, incipiens fructum habere. Si terram non attigerit, priuatim mulieribus adalligatus lacerto contra *Menses. Plin. not.* abundantiam mensium. *Sed veremur ne superstitio eiusmodi remedij generibus sit pro facultate.*

Vtiliora sunt quæ sequuntur. Folia Mori trita, *Serpentum ictus. Contra Scorpiones.* aut arida decocta, serpentium ictibus imponuntur. Ad idémque potu proficitur. Scorpionibus aduersatur è radice corticis succus ex vino aut posca potus. Succum expressum maturi pomi immaturíque mistum coquebant Antiqui in vase æreo ad mellis crassitudinem. *Diamoron aliud.* Aliqui myrrha adiecta & cupresso: vel, vt alii malunt, passo, prædurantes, vas Sole torrebant permiscentes spatha ter die. *Stomatice. Vulnera.* Hæc erat stomatice, qua & vulnera ad cicatricem perducebant.

Aliud. 2. Alia ratio: immaturi succum exprimebant, siccato Pomo multùm sapori obsoniorum conferente. *Noma. Pectus. Viscera. Dentes.* In medicina verò contra nomas & pectoris pituitas, & vbicunque opus esset adstringi viscera. Dentes quoque colluebant eo. 3. Tertium genus succi, foliis & radice decoctis, ad ambusta *Ambusta. Dentium dolor. Apostema. Purgans. Psilothrum.* ex oleo illinenda: imponuntur & per se folia. Radix per messes incisa, succum dat aptissimum dentium dolori, collectionibúsque & suppurationibus. Aluum purgat. Folia Mori in vrina madefacta, pilum coriis detrahunt. Placuit hæc ex Plinio ad verbum transcribere, quamuis pleraque & à Diosc. tradita videantur, sicut & ipse Veteres citat Plinius: sunt tamen & quædam à Plinio superaddita, quæ exscindere ex Plinii verborum serie noluimus. Et quoniam iam aliquot Diamori descri- *Diamororum Recentiorum.* ptiones ex Diosc. Gal. & Plinio proposuimus, meritò & eam adscribendam censuimus, quæ hodie in Pharmacopœorum Officinis parari solet ex descriptione Nic. Florentini.

Diamororum Cords. Succi Moror. Celsi lib. sem. Succi Moror. Rub. lib. j. Mell. opt. despum. Sapæ vnc. iii. Cordus loco sapæ succos Mori Rubi Idæi & Fragorum, pari singulorum cum succo Mororum pondere addit. Vsus ad depascentia oris vlcera, ad dentiū affectus & gingiuarum noxas, atque ad omnia oris vitia cum aq. conuenienti succo vel decocto gargarisatus non sine magno profectu. Potest etiam omnibus ferè suprà scriptis morbis diuersimodè accommodari.

Temperam. Aegineta autor est, Mora impensè humectare & mediocriter refrigerare: Neque tamen hæ facultates acerbitati & aciditati, vt Cuitius putat, *Correctio not.* eorum tribuendæ, cùm vtraque illa facultas terrestris alicuius naturæ potiùs sit socia, quàm humiditatis. At immaturis vtramque inesse non negamus. Succus illorum, Cyathi pondere contra *Phalang. morsus. Ventris profluuia.* phalangiorum morsus auxilio est. Sub dio verò in vino decoctus & bibitus, ventris defluuia compescit, vel Sereno hoc testante his versibus:

Arbore pyramea cortex direpta liquetur
Axe sub æthereo, sic nigro mixta Lyæo,
Immensum poterit potu retinere fluorem.

Defluuium capillorum. Bayrus ad defluuium capillorum radices Celsi excorticatas atque combustas coquit cum oleo ros. & vngit.

Alba frugiferæ vires. Constat (inquit Matth.) alba Mororum astringentem facultatem longè minorem, quàm nigra esse adepta (etsi Diosc. & Gal. alborum non meminerint) & multa & perspicua, sed paululùm insipida dulcedine: in maturis nulla adstringendi vis planè percipi potest. Quare nec ita vt nigra in medicos vsus assumuntur, quanquam magis nigris alvum subducant.

Purgant. Schuenckfeld. annotat folia ex aceto ambustis mederi Camer. Anno. 1559. tantam annonæ penu- *Obseruatio.* riam Italiæ loca quædam pressisse, vt pauperioribus turiones Mororum in alimentum cesserint.

Igniarium. Ex Mori etiam materia, autore Marcello, paratur Italis igniarium; si, (vt ferè matutino tempore fit) extinctis ignis hesterni reliquijs omnibus, instaurandus iterum focus sit. In quem vsum mutuo eius ligni attritu flammam excitari dixerunt. Eandem vim Mnestor apud Theophrastum Moro tribuit, quòd ad excipiendum ignem aptissima videtur ob materiæ lentorem.

In sacris adhibita pastoribus. Tradunt & pastorum religione olim consecratam, nunquam nisi sanguineo eius Pomi succo tinctis corporibus, Pana numen suum precibus & vovis ad suam suique gregis opem inuocantium. Superest insignis ille foliorum vsus, quibus quadraginta ferè diebus à vergiliarum exortu vsque ad solstitiū pasti vermes serici plastæ, velleris nunc omnibus notissimi quo principes quondam & magistratus ornabantur, vt esset potestatis & honoris insigne: nunc autem promiscuo vsu ad plebem, & vtinam non ad meretricium luxum pellucentem translatum, vel in agris etiam sordere cœperit.

Plinius id vestimenti genus fœminis olim tantùm in delicijs habitum haud obscurè insinuat: nec puduit tamen has vestes vsurpare etiam viros, leuitatem propter æstiuam. In tantum à lorica gerenda discessere mores, vt oneri sint etiam vestes, vt meritò cum Seneca cogitemus: nónne videntur tibi contra naturam viuere, qui commutant cum fœminis vestem? Nec sine ratione Tiberius olim, vt refert Tacitus, promiscuas virorum & fœminarum vestes accusabat.

Porrò siue nendi, siue texendi varium serici artificium, immò ipsam animalculorum admirandam inspicias naturam & varietatem tam vitæ, quàm operis, nullibi sagaciorem naturam, industriam magis deprehendas artem: at si vsum & reditus, qui inde manant spectes, haud vanè tantoperè Italis atque Hispanis hodiè etiam Gallis atq; Germanis optabilem haberi cœptam, vt sint, qui in re rustica Morum etiam vitibus &

Oleis adeò præferendam censuerint, quoniam in Italia vectigal præcipuum iamdudum esse cœperit, annonámque nihilò hercle minùs, quàm vitis & Olea augeant.

Præfertur tamen ab omnibus, copia & teneritudine foliorum magis [vt inquit Marcellus] quàm bonitate Morus candida, priscis naturæ cultoribus atque historiographis, vti videtur, ignota, & in Italiam non nisi serò translata, quando, [vt iam priùs monuimus] nec Theoph. aut Plin. nec in disciplina ruris tot Latini auctores aliquid de ea tradiderint: non relicturi in augenda domini re tam facilem simul & honestam quæstus rationem, si quod tam latè nunc patet tractare & exercere, eâ quâ nunc exercetur ratione, & ipsi quoque didicissent. Fuisse tamen serici, & quidem bombycum opera facti, apud ipsos vsum maximum, vel ex Plinij historijs abundè patet, sed longè differente ab hodierno conficiendi modo, de quo ipsemet consuli potest. De bombycum historia, & foliorum administrandi ratione specialiori hic tractare supersedemus, cùm breuitatis causa, tùm verò quòd istud negocij iamdudum mihi [Cherlerò] datum nouerim in historia mea Insectorum.

Non omittendum quod Porta in noua sua Philosophandi ratione, à signaturis petita, annotat, Mora in somnijs visa vulnera portendere ob colorem. Immaturum, hoc est, nondum perfectè maturum, quia rubeus sit, tunc præcipuè astringere ac sanguinem reprimere: maturum verò, quia nigrescat, soluere aluum: quos effectus vt concedimus, ab ijs coloribus tanquam causis produci: immò nec τεκμήρια quidem censemus vel signa infallibilia. Dicemus & hoc ne εἰκότα quidem verè ac propriè censeri posse, quibus temerè fides in arte sit habéda. Sed hæc alteri[9] sunt tractationis.

Mora in somnijs visa quid denotent?

Porta not.

DE SYCOMORO ET FICV CYPRIA.

Cap. LXIIII.

Sycomorus Matth.



comorus Alp.

Cypria.



Descriptio Folium.

IN sicco nostro Herbario folium habemus Sycomori, paulò palmâ latius, longitudine aliquatò maiore, in obtusum mucronem desinens, nonnihil sinuatum, quod secundum longitudinem percurrit neruus, vnde obliquè in latera venæ, propaginibus suis quoque donatæ, porriguntur, quale ad figuram Ficus Cypriæ adpingi curauimus. Sycomorũ siccam præterea vidimus apud Celeberrimum Virum D. Vlyssem Aldroandum, Professorem doctiss. & rerum naturalium peritissimum, Medicum Bononiensem, cuius figuram exhibent Bry Fratres in æneis tabellis effigiatam.

Rauvvolfij descriptio.

Ex totius arboris inspectione descriptionem dedit Rauvvolff. vt sequitur. Tam Cypria quàm Aegyptia Ficus syluestris, seu Sycomorus, proceritate crassitiéque Morum albam adequat folijs quoque consimilibus donata, paulò tamen magis rotundatis, in ambitu nullis incisuris crenata, serratáue: Fructus ferunt nostris Ficubus non absimiles, dulciores tamen, cenchramidum expertes, bonitatéque inferiores: quò fit vt minoris æstimentur, magnáque ex parte in pauperum vsus cedant diuendita. Vtraque species caudice, folio, fructu admodum est simili: absque eo quod vt huic fructus inferiùs potiùs est in ramis maioribus ipsóque etiam caudice, ita illi, iidem nascuntur non in ipsis ramis, sed in priuatis surculis, foliorum expertibus, spithamam longis, plærumque admodum conferti. Fructus ferunt hæ arbores ter quatérue quotannis, paruos, ad cinereum colorem vergentes, ex oblongo rotundos, Prunorum instar, toto ferè anno in arbore sua inueniendos.

Truncus.

Alpini descriptio.

Insitiones ex Fico & Moro comparata.

Alpinus sic describit. Maxima arbor ramos latissimè spargens, folijs Mori crassioribus, candidioribus atque asperioribus. Insitionem Fici supra Morum plures Aegyptij asserunt. Truncus, rami, cortéxque, fructus, lac, foliorum asperitas colórque Fici apparet: foliorum figura & magnitudo Moro respondet. Fructus tardè, neque perfectè maturescit, atque saporem aqueum & iucundum habet: nunquam multis fructibus caret, qui caudici adnascuntur, minimèque ramis: neque fructum producit hæc arbor, nisi priùs multis verberibus sæpè laceretur, sic vt caudicis cortex vulneretur, vnde exiguus surculus Ficus fert modò ternos, modò quinos, modò septenos & plures etiam. Ex seminibus non nascitur, sed ramis propagatur.

Ad hæc

Giameiz. Ad hæc Leo Aphric. lib. 9. Ficus Aegyptia, incolis dicta *Giameiz*, arbor & folia si nihil cæteris ficubus: Verùm arbor est insignis altitudinis & crassitudinis: fructus non fert supra ramos nec in extremitate eorum, sed tantùm ad radicem arboris, vbi nulla folia, saporidem, qui ficubus vulgaribus, crassi & violacei odoris. Considerandum an benè describatur Ficus Aegyptia à Leone foliis similibus Ficubus, quandoquidem alii aliter tradunt.

Sycamus Aegypti. Plinius. Συκάμινον Aegypti propriam, & Ficum Cypriam describit Theophrast. & ex eo ad verbum pene Plinius in hunc modum. Et in Aegypto multa genera, quæ non alibi. Ante omnia Ficus, ob id *Ficus Aegyptia.* Aegyptia cognominata. Arbor Moro similis folio, magnitudine, aspectu. Pomum fert non ramis, sed caudice ipso. Idque ipsum Ficus est prædulcis, sine granis interioribus, perquàm fœcundo prouentu, *Scalptura.* scalpendo tantùm ferreis vnguibus: aliter non maturescit. Sed cùm factum est, quarto die demetitur, alio subnascente &c: In Theophrast. autem quædam emendanda: nam pro ἴνια leg. ἰδία ἄλλη ex Plin. & ad τὸ φύλλον, addendum ὅμοιον, ex ipso sensu.

Theoph. lectio probatur. Quod verò Theophrast. ait Ficum Aegyptiam fructum ferre non furculis, non ramis, sed caudice ipso: quamque sententiam & Dioscor. sequitur: Athen. aliter habet, sic: φέρει καρπὸν ἀπὸ τῶ ξύλου ... ἀπὸ τῶν ... vbi, ... teneros ramos vocauit. Gal. verò in 2. de alim. fac. cap. 33. omnia hæc aliter, & fortè corruptus codex est.

Testatur Galenus se arborem vnà cum fructu in Alexandria vidisse, fructum quidem consimilem Ficu paruæ albæ, eúmque in medio Mororũ ea ciceum loqui posse ait. Vnde etiam nomen sit indeptus, à similitudine videlicet, quam ad vtrumque fructum habet, vnde Sycomorus dicatur. *Sycomori Etymon.* Insuper etiam ridiculos eos esse ait, qui Sycomora dicta putant, quòd fatuis Ficubus, hoc est, τοῖς μωροῖς σύκοις similia existant. Quibus verbis palmam est Dioscor. ab eo notari, quem & *Diosc. not.* ipsum de Sycomoro tradentem audiuisse par est.

Sycomorus Sycaminus. Sycomorum, inquit ille, aliqui etiam Sycaminum vocant: cuius fructus Sycomoron quoque propter ignauum infirmúmque saporem appellatur. Est autem arbor magna, Fico similis, *Diosc. correct.* largo succo abundans: (πολύοπον ἢ πολύχυλον ex Theophrast. vulgata quædam πολύκοιον habent, & Sarrac. testatur, in vetustis codicibus πολύχυλον legi, sicque & Serap. & Ruell. legisse videntur: & idipsum etiam Plin. innuit, quando aliàs multo lacte, aliàs largo succo abundare Ficum Aegyptiã dixit) foliis Mori. Fructum & ter quatérue anno profert, non è summis ramis, vt Ficus, sed è caudice ipso, caprifico similem, grossis dulciorem, sine granis interioribus: quique non maturescit, nisi vngue ferróque scalpatur.

Fructus scalptura. Athen. Sycomori seu Ficus Aegyptiæ fructum indigenæ, vbi ferro leuiter scalpserint, in ipsa plãta relinquunt: tandem verò vento iactatus, eã curã intra triduum maturescit, odorúsque fit ac esu iucundus, præsertímque si Fauonii spirauerint. Et ante Dioscor. Athen. & Plin. dixit Theophrast. maturescere nequit, quin scalptus fuerit, id quod ferreis præstant vnguibus.

Cur verò citra scalpturam eius fructus maturescere vix queat, idem Theophr. declarat alibi, sed oleo quoque perungi debere ait pòst scalpturam, idque nisi fiat maturitatem adipisci non posse, propter assluentiam pabuli: siquidem scalptu aliquid humoris proiicitur.

Quod ad scalpendi modum, Theophrast. Plin. & Athen. ferri tantùm meminerunt, vel vnguis ferrei: at Dioscor. & vnguis simpliciter, & ferri (ὄνυχι ἢ σιδήρῳ) sed parum referre videtur, siue humano, siue ferreo scalpatur vngue, modò scalpatur, quod & alio instrumenti genere fieri queat. Sed sola scalptura non sufficit, sed & oleo inungi oportere aliquoties inculcat Theophrast. quod Plin. non obseruauit, ita parùm considerate scribens: scalpendo tantùm ferreis vnguibus &c: quamuis nec ipse etiam Dioscor. vel verbulo solo meminerit olei, nec Athen. qui tamen pleraque ex Theophrast. mutuati videntur, aut certè omnes hi ex aliquo vetustiore.

Cæterùm Dioscor. eam Ficum quæ in Cypro nascitur, (quam Cypriam vocauimus) ab Aegyptia specie differre ait: quippe, inquit, quæ Vlmus (πτελέα) cùm sit, folia Sycamini [Sycomori Corn. vertit] refert: fructum verò Prunorum magnitudine [τὸ μέγεθος κοκκυμήλων] & quàm Pruna ipsa dulciorem. Cætera omnia antedictis similia sunt. *Ficus Cypria ex Diosc.* At Theophrast. hanc Cypriam Ficum paulò aliter describit. Nam arboris caudicem, cui fructus adnascitur, Populo albæ (τῇ λεύκῃ) similem facit: *Theoph. Ficus Cypria.* folium (τὸ πτελέα) Vlmo. At Plin. in hoc tantùm à Theophrast. discrepat, quòd non Pruni sed Sorbi fructum dicat esse magnitudine. Sed à magnitudine exigua differentia, modò paruum, aut mediocre tantùm Prunum cum Sorbo conferas maiusculo.

Vlmi genus. Vides itaque Dioscor. cum Theophrast. Cypriam Ficum à Sycomoro diuersam facere, hancque inter Vlmorum genera referre. Plinius disiungere videtur, quando ait: Mora in Aegypto & Cypro *Mora Aegypti Plinio. Mora Cypri.* sui generis, vt diximus, largo succo abundant summo cortice desquammato, altiore plaga siccantur, mirabili natura. Athen. quoque separatim de Cypria Fico agit, lib. 3. qui iam de Aegyptia lib. 2. tradiderat. Nihil verò aliud, quàm Theoph. citat verba, quæ cum iis, quæ suprà ex Plinio adduximus penè coincidunt. Verùm Athen. cum Theophr. in hoc tantùm differt à Diosc. quòd hic arborem Vlmo similem esse tradat, ille folium tantùm. Sunt tamen qui apud Theoph. pro λεύκῃ legendum censeant τελέᾳ, eo sensu, adultam Populo similem esse. Lectionem tamen vulgatam Diosc. confirmare ait Dalech. quod non simpliciter verum, quippe qui arborem ipsam, non folium, vt illi, similem Vlmo dicat esse, sicut dictum.

Cæterùm haud supinè hoc loco prætereundum, quod & cap. superiori de Moro obiter monuimus, Plin. lib. 16. c. 38. Moro tribuere, quæ Sycomoro competunt, quando sic infit: Mirum, hîc in *Plin. not.* Moro Medicis succum quærentibus, ferè [verè M.] hora diei secunda lapide incussus [incisus M. incusso vet.] manat, altius fractus cortex siccus videtur. Quod sanè Dioscor. manifestè de Sycomoro refert, his verbis: Liquorem verò fundit *Succum emittit Sycomorus.* arbor [Sycomorus] primo Vere, priusquàm fructum proferat, lapidis ictu summo cortice desquammato: si enim frangatur altiùs, nihil quicquam emittit. Spongia aut vellere lachryma colligitur, quæ siccata & in pastillos coacta, fictili vase reponitur, ex quibus Diosc. verbis facilè Plin. restitui potest. Sed diuersimodè hic locus apud *Modus colligendi. Diosc. allatus.* ipsum quoque Diosc. legitur. ... Dalech. nempe lacteum succum ex arbore tenella colligitur priusquàm fructum ferat. Plin. pro ..., aut ... seu ..., aut tale quid legisse videtur, quando diei horæ secundæ mentionem facit, quæ in matutinum tempus inciderat, vt clarissimi Scriptores annó-

tant. Ruell. primo Vere arbore tenera, succum exi mi vertit apud Diosc. tanquam ἀπαλὸν pro παχεῖ legisset. Vulgata exempl. habent [illegible]. Sunt qui facilem lapsum animaduertentes, [illegible], simpliciter repos uerint. Sed vetusti codicis lectio plausibilior, quam & Sarrac. secutus: [illegible].

Porrò verò similius esse putat idem ex adulta, quàm ex tenella adhuc nouellàque arbore tantum succi emanare, vt facilè spongia aut vellere excipi possit: quippe cùm nouellæ necdum adultæ arbores vix amplius succi habeant, quàm quod ad ipsarum incrementum satis esse possit. Sed mirum, Virum alioqui doctissimum modestissimúmque eò securitatis delapsum, vt de arbore sibi incognita, siue nouella siue adulta iudicium in re propria ac ei specialiori ferre sit ausus: mirum etiam eò obliuionis eum lapsum, vt non recordatus sit, quòd & à se annotatum, hanc arborem Theophrasto [illegible], vel vt ille apud Diosc. legit ex vet. cod. [illegible] dici, vt iam non ampliùs dubitandum sit, incisione vel in tenellas [quales, aliter quàm ipse censet, succulentiores ferè in vniuerso arborum genere ad proportionem esse solent] vel in adultas facta, tantum effluere succi, vt spongia excipi queat, nec tamen deficiat ipsi pro incremento. Quippe si multùm reddet, multùm etiam trahet, vt patet in frequenti eius fructificatione.

Corn. Celsus de Phrenitide tractans, in qua quidam somnum moliuntur, alii addit, vel Amomum vel Sycamini lachrymam fronti inducunt. Hoc nomen apud Medicos reperio. Sed cùm Græci Morum Sycaminum appellant, Mori nulla lachryma est: sic verò significatur lachryma arboris in Ægypto nascentis, quam ibi *Morosych* appellant: quæ postrema verba Histor. Lugd. apud Celsum suppositiria esse censet, ex cuiusdam glossemate, qui Celsum vellet liberare ab ea dubitatione, quâ hæsitabat inserta textui.

Porrò Συκάμινος Theoph. seu Συκόμορος Diosc. & Gal. apud Lucam Euangelistam etiam Συκομωρέα dicitur: Supra vnam ascendit Zachæus, cùm vellet Christum videre. Eidem, quòd fructu carentem vidisset Christus, maledixit, vt ne posthac ferret fructum, & mox exaruit, vt historiæ nos docent Euangelicæ. Idem de hac arbore statuunt Bellon. Ravvolff. & alii qui illas regiones perlustrarunt. Item Matth.

Quin & D. Hieron. Sycaminum arborem Syriæ peculiarem dicit: eius etiam meminit Esai. c. 9. & Amos 7. Συκάμινος αἰγυπτία, Morus Ægyptia, Συκόμορος, ἢ Συκῆ αἰγυπτία, quod nomen etiam Ceroniæ arbori impropriè attribuitur, autore Theophrast. Appellatur vulgò Syris Ficus Pharaonis, testibus Gesn. Bellon. & Rob. Const. qui & *Giemmeiz* iisdem in Syria dici testatur.

Aceris speciem, [inquit Bellon.] Obs. lib. 1. c. 2. quidam Sycomorum existimant, licèt Sycomorus rara sit planta, quæ nunquam visa fuit, nec syluestris nec culta, nec in Græcia, nec in Italia. Quales verò in Palæstina conspiciuntur, ramos in trunci summo gerunt in serti speciem: patulæ sunt admodum, foliis agminatim iuxta se inuicem positis, trunco crasso.

Idem tradit, iuxta Cairum, in horto quodam Matereo dicto Sycomoros quoque haberi, quos Ficus Pharaonis vocitent. Fructus eorum, inquit, similes essent nostris Ficubus, nisi exteriùs essent rubri, magnitudine oui, & perpetuò ferè fissi & aperti. Sicci nihil valent, sunt enim duri, exsucci, granosi, gustu ingrato & fatuo, iis præsertim qui his non sunt assueti. Recentes magis probantur, qui tamen nec ipsi, si quod res est fateri velimus, maximè commendandi videantur, quamuis in Ægypto magni fiant ex iis reditus.

Dod. gloriatur Sycomori ramum cum fructu ac foliis ad se missum Cortuso, quod nobis fas è non fit verisimile. Nam quomodo ramum fructibus ac foliis onustum accipere potuerit, fatemur nos neutiquam intelligere, cùm iam priùs ex Theophr. Plin. & aliis atque ab ipso adeò Alpino teste oculato didicerimus, fructus caudici adnasci, minimèque ramis. Propriis igitur considerandum fuit ac inspiciendum Dodonæo, quid à Cortuso acceperit. Botanici sumus, non plaustra vel currus, vt truncos feramus pro ramis aut surculis.

Præterea mirari subit eundem in postr. sua Hist. retinere fictitiam illam suam iconem, quam iam olim foliis serratis, & ramis fructibus stipatis, etiámque minoribus iuxta folia, exhibuerat.

Arborem Ægyptiam esse fatetur quidem Amatus, sed in India quoque procerè crescere tradit, & sicut ab iis, qui ex Alexandria & India ad nos sunt reuersi, acceperit, similem esse Moro. Multi [addit idem] *Ficum Adami* appellant, quia in ea Adamum peccasse credunt. At Indiæ Historiographi Ficum Indicam à Sycomoro diuersam tradunt, de qua nos paulò pòst.

Quod de Adamo dictum, etiam Lonicerus refert: de quo nihil certi asserere possumus.

Sed Lonic. sicut & Lacuna figuram fictitiam Matthioli commentum habent, qui ait, imaginem Sycomori sibi à D. Aldroando missam. At in primis comment. pinxerat ex descriptione vel suo potiùs cerebello, folio omninò Mori, quam secundò in Diosc. editis comm. tanquam fictitiam reiecit, aliámque substituit, quámque & nos exhibemus primo loco: sed valdè veremur ne & ipsa aliquid fictitii præ se ferat, præsertim cùm Alpini eiconi qui arborem ipsam vidit non respondeat. Nobis sanè olim Patauii à Pharmacopœo ad Aquilam pro Sycomoro exhibitum, quale Ficui Cypriæ ex Ravvolfii Hist. desumptæ adpingi seorsim curauimus.

Camer. ad Histor. Matth. Germ. pingit portionem ex fig. Matth. decerptam, & alteram Sycomori Cypriæ Ravvolfii, quibus addit figuram folii similis ei quod Gesnero à nobis communicatum fuit.

Pena & Lob. sibi amicos & studiosiores quosdam ambulones Monachos qui hanc arborem in Syriam profecti viderint, ita oratione repræsentasse testantur, similiorem multò Moro, quàm Ficui: fronde Apocyni aut Mori, & cognitu facillimam de fructu, qui caudici, aut imis ramis propè alas hæreat, media inter Ficum & Morum constitutione & figura, pusillam Ficum æquante, granulorum tamen intus experte. Granulis etiam carere tradiderunt Veteres: & Alpinus atque Ravvolfius ipsi qui αὐτόπται idem testantur.

At Bellon. contrà, Sycomori fructus plenos granis, Cenchramides, κεγχραμίδας Græcis dictis, esse conceptis verbis testatur, vt ex eius descriptione paulò antè allata liquet, propter quæ & ingratum & odiosum vetustiorem exiccatúmve fructum esse ait: in quam rem studiosi peregrinantes diligentiùs obseruabunt.

Alpinus tradit fabulosum esse, quod dicit Matthiol. truncos ramósque huius arboris nunquam siccari, ni priùs in aquam proiiciantur, & morentur aliquantulùm. Verùm istud Matthioli inuentum

Margin notes: Lugd. not. — Corn. Celsus. — Morosych. — Sycomorea in sacra scriptura clara. Sycam. Ægypt. Morus Ægyp. Ficus Ægyp. Ficus Pharaonis. Giemmeiz. Aceris species. — Bellon descriptio. — Ficus Pharaonis. — Dod. not. — Alter Dod. error. — Ficus Adami. — Amatus not. — Lonic. & Lacun. not. Matth. not. — Propositæ sic cones iconû [illegible] — Gesnerus. — Pena & Lobel. — Similior Moro quàm Ficui. — Controuersia an fructus sit granulosus. — Bellon. — Matth. a reprehensione Alpini vindicatur.

... non est, sed ante eum Theoph. & Plin. scripserunt materiem eius stagnis mergi, quod eius siccari sit, quæ tamen verba alii aliter accipiunt & interpretantur, Plinium igitur potiùs vel Theophrast. reprehendere debuit Alpin. quàm Matthiolum, nisi fortè Matth. nimiùm dixerit in eo, quod absque iniectione in aquam nunquam siccari tradiderit: de qua re nihil adhuc nobis certi constat.

Illud notandum in Alpini figura à Matth. diuersa Ficus non adhærere trunco sine petiolis. Vtra nunc verior sit figura Matth. an Alpini, iudicabunt, qui vtramque cum fructibus viderint.

Cæterùm considerandum an aliquid, cum Sycomoro commune habeat Theueti arbor, quam is in regione Catay nasci refert, quæ *Photel* dicatur, fructum edere magnum, Muzæ Aegyptię fructui parem, sed paulò breuiorem: quam ob causam nonnullis Ficum Pharaonis dictam: folium habere Plantaginis, sed paulò spissius: fructus ligno inhærentes. Arborem octo cubitorum altitudinem vix superare. In qua tamen descriptione quædam à Veterum & Recentiorum descriptione diuersa sunt. Vtramque speciem ab Antiquis traditam agnoscit, additque eam, quæ in Cypro prouenit Ficum syluestrem aut Sycomorum posse vocari Cyprioticam, vt primа species Aegyptiaca aut Pharaonica.

Curtius de Ficu Cypria diuersa tradit. Theophrast. & Plinium eius interpretem folii Tiliæ sed latioribus atque mollioribus dixisse, ait: radices agere, vt Ficus vrbana, crassas & lentas: molli medulla carere: cor autem solidum, minimè putrescens esse: quare materiem prævalidam, ac tinæ lacte: Mespilo similem habere florem: fructum oliuæ magnitudine secundum Theoph. rotundiorem tantùm, secundum Diosc. Pruni: Gustu esse Mespilaceo, dulciore tamen, & Aegyptiæ Fici aut cæterorum omnium generum suauiori. *Hæc sane eius sunt verba*, mutatis tantùm modo & casu. Quæ omnia demonstrant Curtium non distinguere Ficum ideam, de qua Theophrastus, l. 4. c. 17. de ficu Cypria.

Συκόμορον, Συκάμινος, μορόσυκον, Sycomorus, Sycaminus, Morosycus, vel vt Celsus diceret *Morosicus*, *Ficus Aegyptia*. Marcellus putat posse etiam vocari *Συκόμωρον*. vt sit, quasi *stulta Ficus*, propter saporis ignauiam, quæ sententia iam suprà explosa est: nec quenquam hactenus inter probatos autores Græcos vidimus qui per ω scribat. Sycomorus Hebraicè dici posset *Theena bacha*: & iuxta Marcelli scripturam, *Theena cesiluth*: sed Ficus Aegyptia iisdem *Theena mizraim*: Sycomorus Cypria *Theena bacha copher*, vt annotat Lonic. Arab. *Mumeiz, Iumeis, Alsumeiz, Giumeizei, Giemmeizeiz, Iumeiz, Giumeizi*, vt diuersi diuersimodè scribunt. Alpin. etiam *Giumeiz* habet. Rauuolff. testatur Moris & Arabibus hodierno adhuc die retineri nomen *Mumeiz*, vt circa Tripolim, qui & Wildefeygenbaum, Germ. vocat. Alii Aegyptische feygenbaum aut Maulbeerfeygen, Adams feygen. It. *Fico d'Egitto, Fico de Adam, Sicomoro*. Gal. *des Sicomores, Figues d'Adam ou d'Egypte*. Hisp. *Figuera de Adam, Figo de Adam*. Boh. *Moruše*.

Συκαμινέα siue Morea Dioscor. ea creditur, quæ Latinis Morus dicitur: autore Gesnero in catal. Goropio, in Vortumno, & Rob. Const. in Lex. *Συκαμινέα*. Hipp. vt vult. Bened. Curt. nisi mendum sit Pomum Sycaminon, Aëtio fructus Sycamina & Sycomora. Est & Sycaminos, siue Sycomorus; Diosc. *συκάμινος*, aliquibus etiam *συκόμορος*. Theoph. Sycaminus Aegyptia. Sycamini folio Ficus Cypria Dioscoridi: quibusdam Sycomori genus: Rauuolfius eius iconem proponit, quam exhibemus. Dalechampius existimat Ficum Cypriam Diosc. & Theoph. esse arborem Sebesten quæ Myxa fert. Sycamina & Sycomora dicuntur de Rubi Moris, vt videre est ex Curtio & D. Hieronymo, vt suo dicitur loco. Scribit Amatus eos toto errare cœlo, qui Sycomorum existimant esse Ficum agrestem in parietibus frequentem. Sycomorus non est eadem cum Fico Aegyptia, vt malè vertit Gaza, Plinio suffragando. In Italia malè olim dicebatur arbor Azedaracht. Lotum inquit Amatus, Cerasum hyemale appellare solent quanquam non desint eorum aliqui, qui Sycomorum vocent: sed falsò. Nobis videntur loco citato multa conuenire, cum Lauro-ceraso, vt ibidem à nobis demonstratur. Acerem minorem & maiorem à quibusdam malè vocari Sycomorum dicitur alibi. Gesn. scribit Arborem Iudæ quibusdam dici Sycomorum.

Nascitur plurima in Caria, Rhodo, locisque non multi Tritici feracibus, vbi prouentu fœcundo restibilique iuuamentum adfert cùm annonæ caritas premit. Diosc. Circa Tripolim copiosè prouenire ambas species Rauuolf. refert. Item ad Turcarum monumenta in lustratione montis Libani. Prouenit & Alpino teste in arenosis sterilibusque Aegypti locis, citò crescit, diutissimèque, quod mirum videtur, viuit. Quædam Sycomorus in Materea visitur in cuius trunci cauitate credunt virginem beatissimã iram Herodis Hierosolymã fugiẽtẽ, Christum seruatorem nostrum adhuc puerulum occultasse. Abundat ea Syria, nec reperitur in Italia, si Anguil. credimus. Authore Bellon. locus vbi Christus maledixit Sycomoro, est in Bethania: is dixit sibi visas in Palestina non longè à Carbascara vbi erant diuersaturi, in planitie ordine dispositas quo disponuntur iuglandes nostrates. Item alibi scribit: Incolæ Cairi quia vexantur ardore Solis coguntur vmbras quærere arborum virentium, ac ideò colunt Sycomoros multis in locis & plateis.

Quidam, vt annotant Aduers. frustra sunt conati Italiæ Hispaniæque tùm Europeæ, tùm Indicæ inquilinam facere: nam ne germinauit quidem: tametsi in syluis Syriacis perfamiliarem esse, vel Propheta testatur Amos, qui se opilionem dicebat, & legere solitum Sycomora illic aut locis vicinis: nec pauci sunt hodiè, qui eandem imbi illuc peregrinati viderunt. Cypria solum natale & ipsa specialiùs insinuat. In Iudæa nasci abundè sacræ testantur literæ. Cautum est, autore Vlpiano I.C. cum de extraord. criminibus disserit. Ne quis Sycomorum per Aegyptum excidat. Hæc autem maximè in Nili aggeribus plantata hos suis radicibus colligit, per quos Nili incrementa dispensan tur & coarctantur.

Pomum Sycomori tradente Diosc. aluo vtile est, sed perquàm exiguum præbet alimentum, stomachoque aduersatur. Lachryma eius vim habet emolliendi, vulnera conglutinandi, & ea discutiendi, quæ ægrè maturantur. Bibitur etiam, nec non & illinitur contra serpentium morsus, in scirrhum induratos lienes stomachi dolores atque perfrictiones, (φρικίας.) Celeriter verò teredinem sentit.

Fructus Sycomori, inquit Gal. nullam habet acrimoniam: exiguæ tamen dulcedinis est parti-

Temperam. ceps, estque facultate, vt Mora, humidior quodammodo ac frigidior. Quin potius in medio Mororum ac Ficuum iure quis ipsum collocârit, indeque nomen ipsi arbitror esse positum. Et in 14. meth. K. T. in curatione tumoris ex crasso vaporosoque spiritu, mirum in modum commendat Emplastrum διὰ Συκαμίνων, cuius descriptio est apud Paulum Æginetam.

Athen. Sycomori fructum probè maturum, odoratum, ac esu iucundum dicit. Eundem ob lenem refrigerandi vim, eorum quos febris vrit stomacho impositum cum rosaceo, non parum ardorem ægrotantium mitigare. *Ardor stomachi cum febre.*

Paulus de fructu & lachryma eadem tradit quæ Diosc.

Succus Mori Aegyptiæ & Cypriæ, vt tradit Plin. aduersatur venenis serpentium, prodest dysentericis, discutit panos, omnésque collectiones: vulnera conglutinat, capitis dolores sedat, item aurium: spleneticis bibitur. Illinitur & contra perfrictiones. Idem Plin. fructum prædulcem dicit: Et Cyprio suauitatem Fici tribuit. *Aduersus serpentes. Dysenteria. Pani & tumores. Vulnera. Capitis dolor & aurium.*

At Bellon. vt iam priùs monuimus ingratum potiùs dicit, nec maximè expetẽdum, fortè quòd fatua illa dulcidine sensum non excitet, eadémque fastidio magis quàm nouæ voluptatis titillatione edentes impleat, adeóque inertis saporis esse videatur. Vt in hunc sensum trahendum videatur quod Plutarchus de Sylla & ab eo obsessis Atheniensibus ait: qui intra vrbem clausi, & muris hominis ignauiæ maledicentes ac irridentes, nũc metellam quasi mulierem appellabant, nunc hoc scommate impetebant συκάμινον ἐσθ᾽ ὁ σύλλας ἀλφίτῳ πεπασμένον id est, Sylla Sycomorus est polenta maceratus: ignauiore adiuncto alio, hominis ignauiam ingeminatam insinuare volentes. *Scommata in Syllam. Sylla Sycomorus.*

Theuetus scribit Fructus Photol siue Ficus Pharaonis præter cæteras dotes ad sedandam sitim & febrium ardentium æstus refrigerãdos perutiles esse: ac folia arthritidi mirè conferre. *Febris. Sitis. Arthritis.*

Vsus ficuum, teste Alpino, in cibo stomacho est noxius, ipsumque laxat, labefactat atque subuertit. Ii verò Ficus vtiliter comedunt, qui vel itinere, vel Sole incaluerint, refrigerationeque opus habent, & humectatione: fructus siquidem hi frigidi temperatè existunt, multúmque humidi: aluum facilè lubricant, atque relaxant: tumores omnes calidos atque duros emplastri modò impositi sanant. *Noxa. Bona. Temperam. Aluum laxant. Tumores.*

Idem Alp. ait Dioscoridem tradere, succum Sycomori non ignobilem ad pestem vsum habere. Necesse est igitur alio loco hoc scribere Dioscor. quàm capite de Sycomoro vel Ficu Cypria, nam hæc verba, húncue verborum sensum apud eum hactenus non legimus, qui Sycomori fructum aduersus pestem deprædicet.

Vinum Sycomoritum. Fit & vinum è Sycomoris (συκαμινίτην dictum) eodem modo quo Catorchites, de quo cap. de Ficu: sed in acetum acre degenerat, quoniam non ita præualet vis eorum, vt manantis liquoris dulcedo retineri possit. Dioscor. Eiusdem aceti meminit & Plin. qui postquam de Sycite vino locutus fuisset, subdit: E Cypria Fico & acetum fit præcellens, atque Alexandrino quoque melius. Per Alexandrinum autem acetum non aliud intelligit, quàm id quod ex Sycomoro paratur, quæ Alexãdriæ plurima est, vt vel ex Diosc. lectione patet. *Rhaz. Must.*

Ismen, inquit Rhazes, calidi sunt, ventriculo mali, nauseam excitant, subtilioris naturæ quàm Ficus, citiúsque descendunt. Per Ismen. Sycomorum intelligimus apud Rhazem.

Dignum certè notatu, quod D. Augustinus de ciuitate Dei ad Marcellum libro. 21. capite 5. perscribit. Lignum cuiusdam Ficus Aegyptiæ tradunt, non vt ligna cætera in aquis natare, sed mergi, & quod est mirabilius cùm in imo aliquandiu fuerit, inde ad aquæ superficiem rursus emergere, quando madefactum debuit humoris pondere grauari.

SYCOMORO SIMILIS.

In insula Mayo, (quæ vna est Viridium, graduum quindecim eleuationis poli versus Septentrionẽ) multæ arbores patulæ & longiusculè à se inuicem distantes conspiciuntur. *Locus.* Similitudinem quandam habent cum Sycomoro, foliis vestiuntur paulò minoribus quàm Ficus: fructus ferunt Ficubus adsimiles, paruos, luteos, sine granulis aut semine. *Descriptio. Folia. Fructus.* Trunco, ramis, cortice, fructu, succo lacteo & foliorum acrimonia planè similes sunt Ficubus. Fructus earum nunquam ad perfectam maturitatem peruenit. Arbor est admodum fructifera, vt haud facilè inueniatur absque fructu. Non prouenit ex semine seu fructu, sed ex surculis aut taleis in terram depactis, vt Mori nostrates. Linschottanus.

FICVS. CAP. LVI.



Chamæficus.



MOrus Sycomorũ, hæc Ficum familiæ nexu post se trahit. *Descriptio.* Huius caudex licèt sit vbi grandescat & contortus videatur, parùm tamen est firmus, vt qui tum virgineo, læui tamen cortice, infernè cineraceo, in ramulis viridi sit vestitus, tùm ligni parum, medullæ verò fungosæ plurimùm obtineat. Materie namque constat molli, rara, ampla intus cauitate, cuius inane crassa fungosáque medulla, sicut in Sambuco ferè, refertum est. Ipsa alioqui arbor mediocris Sambuci magnitudinem nonnúnquam superat, pluresq; ab vna eadémque radice immittit stolones crassitudine variantes & proceritate. Radicibus innititur multis, longis, firmis, lentis, euulsu contumacibus, multis capillamentis fibratis, colore fla-

tiis atque Rutæ radicibus similibus, maioribus tamen multò, vt Cordus annotat: Abundant cortices sicut & folia adeóque fructus ipsi nondum maturi lacteo copiosóque satis succo, glutinoso, odore ad Rutam accedente, quemadmodum & reliquæ eius partes, sapore subacri, qui tamen in fructu paulatim in dulcem excoquitur succum. Folia conspicuæ sunt latitudinis, crassa, in lacinias plerumque quinas profundas diuisa, minùs acutas, quàm Platani, aspera, pediculo mediocriter longo, qui abruptus lac fundit. Flores, vt omnes hactenus tradiderunt, non fert, sed statim parua fructuum rudimenta, quos *grossulos* aut *grossos* Latini vocant, Piso aut Fabæ æqualia, ea paulatim increscunt, donec Piri mediocris figurā & magnitudinem consequantur. Cùm ad mediam magnitudinem peruenerint, intra se flores [quod fortasse mireris] concipit figura confertis staminibus similes, colore in candido purpurascentes, vndique è carne exeuntes, atque ad mediam fructus cauitatem se dirigentes: quam florum obseruationem atque descriptionem primò Cordo diligentissimo naturę botanicæ vestigatori acceptam referimus; ac nos ipsi aliquando rem ita se habere, obseruauimus. Vt in hac planta, duo spectanda veluti miracula euenire naturæ studiosis obseruandum sit: vnum, florem intra fructum recondi: alterum, maturitatis causam ipsum fructum meditari, interuentu caprificationis, de qua infrà.

Flores.

Fructus ex surculis, Piriformes nascuntur, basi latiore cœlum spectante, pulposi & molles, virides, sed viroris quodammodo obsoleti, aut ex viridi rubentes, fusciue, quidam etiam per maturitatem ad flauum inclinantes, melleæ dulcedinis, carne pallida aut subrubea, innumeris granis luteolis quę κεγχραμίδας vocant respersa, ex quibus seminibus nihil producitur, autore Camerario odorem etiam spargit haud iniucundum, sibiq; peculiarem.

Semina.

Est & humilis, sesquicubitalis altitudinis in cæteris priori similis: Chamæficum vocant.

Chamæficus.

Videntur sanè autores, cùm Philosophi & Geoponici, & in vniuersum naturæ plantarum consulti Scriptores, humanitatis item cultores, quos vocant, ac ipsi adeò Poetæ de hac planta veluti certatim ingenii sui dotes posteritati reliquisse, vt vnde ritè ordiaris, vel non ordiaris eorum placita propositurо dubitare faciliùs sit, quàm decernere. Conandum tamen, ne hæc Autorum multitudo materiæque ceu messis & ἀφθονία, in ipso narrationis procinctu hæsitationem atque ipsam adeò ἀπορίαν peperisse videatur. *Sint igitur veluti προλέγομενα quædam Poetarum figmenta.*

Fingunt hi Syceam aliquem è Titanibus fuisse, quem quum Iupiter insectaretur, Terra mater suæ prolis miserta, intra se occuluit: ac in eius gratiam in *Syceam arborem*, hoc est Ficum commutauit. In cuius rei memoriam, vrbi in Sicilia Syceæ nomen inditum volunt. Sic ipsa antiquitas non potuit alio magis munere ipsam plantam commendare, quàm ipsius à suis Diis origine.

Sycea arb.

Lacedæmonios Sosibius tradit, Dionysium colere Syciten cognomento, Milichius etiam dicitur quandoque: nam Milicha pro Ficis vsurpari animaduertimus, & Melichen pro ipsa planta.

Milicha.

Apud Naxios certe simulachrorum facies nunc vitiginea conformatur, nunc Ficulnea, prout vel Bacchus dicitur, vel Milichius, vt testantur Athen. & Cæl. Rhod. Alii de eius inuentione aliter arbitrantur, vt tamen semper ad Deos suos referant.

Locum vbi primùm inuenta visáque fuit, Græci Σῦκον vocant, & Athenienses ὁδὸν ἱερὰν ςυκῆν, Ficum sacram vocant (& hinc fructus Hegetoria dictus) quæ Eleusinem ducit, in qua Phytalum, angusti agelli, iuxta Marathonem, dominum, Cererem apud Cephisum hospitio benignissimè recepisse ferunt. In cuius gratiam, & accepti beneficii non immemor, illum surculo ficulneo donarit, qui primùm in Attica coaluerit. In cuius rei memoriam, ad eius tumulum præclarum stat elogium, omnia referente Pausania, quod ex Græco ita conuertit Calderinus:

Ficus sacra Hegetoria.

Hic situs est Heros, Cererem qui in tecta recepit
Phytalus: huic quondam primus ea dulcia poma
Monstrauit, Ficos nomen dixére priores,
Phytalus æternos inde sortitus honores.

Sed vtiliora sectemur, ipsam naturam eius propiùs contemplantes.

Theophrastus sparsim Ficus meminit, quæ tamen vox apud eundem anceps & multiplex est, & non antùm diuersas Ficus differentias, loco, facie, aut quauis alia nota differentes complectitur. Sed tales etiam, quæ nihil minùs ferè, quàm Ficum repræsentant, vt ex ipsiusmet verbis ac descriptionibus colligere est.

Theoph.

De Ficu autem simpliciter dictâ, eiúsque fructificatione, implicata sanè, præsertim rem ipsam non cognitam habenti, recensione agit, quam tamen faciliùs intelliget qui totum eiusdem variationis decursum perlegerit causásque diligenter perpendent ex cap. 1. lib. 5. caus. & diuersis eiusdem operis locis. Nos rem paucis ex nostra & summi Scaligeri obseruatione sic explicabimus.

Tria Ficuum genera fert Ficus. Vnum valdè præcox quod idcircò vocarunt Græci πρόδρομον, quasi præcox, præcursorem, præcoquum Gaza. Atque is quidem edendo est: *Bolas* vocant Veneti: Vascones *Florones*: Colum. communi voce, *priorem fructum*: Plin. *præcoces*. Aliud genus postea prodit, cuius duæ sunt species: vna quæ maturatur, Ficum dicimus, Græci σῦκον, altera quæ semper cruda est, & priùs cadit, quàm absoluatur vocatúrque Plinio *aborsus*. Alio nomine & Grossus dicitur. Græci, quia referunt indomita natura suâ Caprifici fructum, eadem qua illum donarunt appellatione: ὀλύνθους dicunt, cum quibus apud Theophr. ἐρινοὶ iidem sunt, ex sententia Scaligeri. Ὄλυνθος verò propriè est σῦκον ἄωρον ἢ ἀπέπαντον siue πρώϊμον, Ficus immatura, Latinis hic vel hæc Grossus: efferturque propriè de Fico domestica vox vtraque tam Græca quàm Latina simpliciter: alioqui cum adiectione, vt grossi Caprifici, τῆς ἀγρίας συκῆς ὄλυνθοι. Tamen plerumque confundunt Authores differentiam, indifferentérque ab ipsis vsurpantur ἐρινοὶ καὶ ὄλυνθοι, qui & ἐρινεοὶ dicuntur, vt multis testimoniis confirmat Constan. Lex. Alioqui ἐρινεὸς, etiam ficum syluestrem, ἀγρίαν συκῆν, Lat. Caprificum apud Authores significat: quæ nominum & vocum confusio magnam huic historiæ peperit obscuritatem, quam nos partim iam dictis, partim dicendis pro virili discussisse speramus. Ipse verò etiam Theophr. inter Ficum syluestrem & Caprificum manifestè distinguit in Histor. quando ait: ἡ ἐρινεὸς ἢ ἀγρία συκῆ &c. Cæterùm iidem grossi, si scalpantur, aliquando maturescunt, admisso Sole: quemadmodum è legitimis non pauci manent crudi, neque perficiuntur præuenti frigoribus. Rursus ex Ficubus, quædam Ficos propriè dictos σῦκα] tantùm ferunt: quædam grossos seu Olynthos tantùm: [ὀλύνθους, qui nihil aliud sunt, quàm Fici immaturi, grossuli dicti, qui ad matu-

Tria Ficuum genera Prodromus Bola.

Ficus Aborsus, Grossi.

Olynthi varia acceptio. Ficus immatura.

Erinei. Erinates: Ficus sylu. Caprificus.

Differt Ficus sylu. a Caprifico.

ritatem non pertingunt: Gaza Caprificos penè semper vertit, Olynthos nimirum cum ἐρινοῖς, quos caprificos propriè vocat Theophr. confundens, non sine plurimorum tamen authoritate vti dictum priùs:] quædam vtrumque: quædam etiam Prodromos: [præcoquos vocant] quædam non. Deinde variant fructum: vt quarundam grossi etiam sint esculenti. Variant item in officio seu ferendi modo. Nam nonnullæ constanter tales sunt: aliquæ non, sed mutant. Mutant autem vel quia nunc ferunt esculentum, aliàs non. Notat etiam à calore fructuum differentias, & à loco natalium, vel situ. Quosdam supra folium, quosdam post, quosdam subtus nasci. *Hæc est summa* implicatæ Theophrasticæ recensionis.

Grossi siue Olynthi.

Quæ grossos ferunt [ὀλυνθοφόρα] tres faciunt differentias: non ferunt nisi grossos: ferunt albos: ferunt esculentos. Aliæ verò quatuor: ferunt Ficus: ferunt grossos: ferunt nigros: ferunt grossos tum esculentos tum non esculentos. Ac sanè sua natura esculenti non sunt grossi, sed fiunt vtiles per accidens, quoniam nascuntur in ipsis

Culices.

culices, de qua re suo loco. Notabis præterea differentiam variationis in ferendo duplicem: vel enim non ferunt aliquando, vel non bonos ferunt. Item triplicem differentiam situs: secundum frondes, & infrà, & ex ramis valdè crassis: ἀπὸ τῶν παχέων ξύλων. Ergo ex ficubus priùs gignuntur Prodromi, deinde grossi, tum Ficus, vbi & temporis differentia consideratur.

Ficorum itaque differentias ex ipsa natura, nascendi modo atque tempore desumpsisse Theophrastum apertum est. Cæteri verò Authores tam Græci, quàm Latini generum Ficorum ingentem recensuerunt numerum, quantum in alia arbore reperire vix sit. Respexerunt autem præter prædicta etiam vel ad diuersitatem figuræ, coloris & magnitudinis: vel ad regionum, in quibus nascuntur, varietatem, vel denique ad Authores ipsos.

Ficuũ differentiæ Catonis Varronis & Colum.

M. Cato habet *Africanas, Herculanas, Saguntinas, hybernas, Telanas, Telianas atras* Plin.] pediculo longo: quibus omnibus præmittit *Ficos marisças.* His adiecit Varro *Chias, Calcidicas & Lydias*: Item alibi & *Sabinas* memorat. Columella Ficorum genera sapore atque habitu distare ait, & præter dicta habet *Liuianas, Sulcas, Callistrutias, Topias, Rhodias, Libycas, Hibernas*: omnes etiam biferas & triferas flosculos. Quid autem sibi velit Columella cum hac voce [flosculos] nondum omninò percipimus.

Idem tradit Fici corticem seu librum (vt ille vocat) humidum, succosum & validum esse, & lactis plurimùm fundere.

Differentiæ Plinio.

Ficuum differentias varias tradit Plinius libri. 15. c. 18. Inibi enim meminit Ægyptiæ: Cypriæ: Lydiæ: Callistruthiæ: Africanæ: Alexandrinæ, Nigræ: Rhodiæ: Tiburtinæ: Liuiæ: Pompeiæ: Herculaneæ: Albiceratæ: Aratiæ albæ: Porphyritidis: Popularis, Chelidoniæ quam Athenienses Erythromelænam vocant: Serotinæ: Omæ, &c. super quibus Plinium ipsum consulere, haud graue erit.

Meminit Cato Africanarum, Herculanearum, Saguntinarum, Hybernarum & Tellianarum. Sed à Catone, inquit Plinius, appellata iam tum Africana, admonet & Aphricæ, ad ingens documentum vso eo pomo.

Historia de Catone & Ficu Carthaginensi.

Namque perniciali odio Carthaginis flagrans, nepotúmque securitatis anxius, cùm clamaret omni Senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in Curiam præcocem ex ea prouincia Ficum ostendénsque Patribus. Interrogo vos, inquit, quando hoc pomum demptum putetis ex arbore? Cùm inter omnes recentem esse constaret. Atqui tertium, inquit, ante diem scitote decerptum Carthagine: tam propè à muris habemus hostem: itaque sumptum est Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta est: quanquam Catone anno sequente rapto. Quid primum in eo miremur? Curam ingenii, an occasionem fortuitam, celeritatémque cursus, an vehementiam viri? Supra omnia quiddam est, quo nihil equidem duco mirabilius, tantam illam vrbem, & de terrarum orbe per cxx. annos æmulam (vrbis æmulam. vet.) vnius pomi argumento euersam: quod non Trebia aut Trasymenus, non Cannæ busto insignes Romani nominis perficere potuere: non castra Punica ad tertium lapidem vallata, portæque collinæ adequitans ipse Annibal. Tantò propiùs Carthaginem pomo Cato admouit: (adiit D. adiri monuit. Vet.)

Carthago. Fici argumento euersa.

Ficus Romæ culta.

Ficus Ruminalis.

Prolixus Idem, nec non parum perturbatus in Historica relatione Ficuum duarum Romanis sacratarum: Quarum alteram *Ruminalem* appellatam dicit, eò quòd sub ea arbore Lupa Rumam, id est mammam Romulo & Romo dederit: Alteram verò *Nauiam*, quæ ab augure Attio Nauio Romæ in comitio quidem sata: sed ibi spontè nata, vel illuc spontè transisse credebatur.

Ficus Nauia.

Ruminalis vnde.

Quidam existimant Ruminalem Ficum dictam quod sub ea pecudes æstatis tempore, frigora captantes: herbas ruminare consueuerunt: An Tacitus per ruminalem arborem intellexerit, considerandum: quandoquidem longæua fuit arbor. Ficus autem breuissimæ vitæ, Theophrasto autore. De Ruminali Ficu hæc Ouidius.

Arbor erat, remanent vestigia: quaque vocatur
Romula nunc Ficus, Rumina Ficus erat.

Plin. not. Scaliger reprehend.

Cæterùm Ficis (Plinio) succus dulcis: odor nullus: [quem reprehendens Scal. malè eum ait negare Ficui odorem: est sanè etiam siccis odor, quamuis tenuis atque exiguus] folia latissima, maxima & vmbrosissima, & ideò supra id pomum, eidémque seriùs folium nascitur quàm pomum.

Cur supra folium ficus nascantur.

Insigne proditur in quodam genere Ciliciæ, Cypri Helladis, ficos sub folio, grossos verò post folium nasci. In Laconico genere maximæ sunt.

Laconicæ maximæ.

Inferiore sui parte fertiliores sunt Fici, mariscæ, Onesicritus tradit in Hircania fertiles admodum esse Ficus, vt sint quæ modios cclxx. singulæ ferant prægrandes.) Nullo flore exhilarantur, natalésque pomorum recursus annuos versicolori nuncio neque Fici neque Caprifici promittunt.

Non florent.

Dixit tamen Plin. loco iam suprà citato præcoces ficus cum venientium flore maturescere. Nos florem, vel flori respondens aut analogum, ex Cordo prodimus.

Cæsalpinus.

Difficile autem fuerit, simul & inutile, vt Cæsalp. æstimat Plinianas Ficorum appellationes, nostris, hoc est, huius seculi Italicis accommodare, vt Aphricanas iis, quos vulgò Hetruria, Brusciottos vocat, inter nigras: Aratias, seu potiùs Auratias à colore aureo, inter albas iis, quas quidam *Citreas* cognominant, inter præcoces: nam post grossos primæ maturantur.

Brusciottæ ficus.
Auratiæ.
Citreæ.
Dioscor. Ficus.

Diosc. prædictarum differentiarum nullas nomine tenus tradit, sed σύκων, hoc est, Ficorum in genere, ἀγρίας συκῆς, Ficus syluestris, & ὀλύνθων τῶν ὑπό τινων ἐρινεῶν καλουμένων, Grossorum, inquam, quæ à nonnullis Erinei nominantur, vires tradit.

Ficus syluestris vires. Grossi Erinei.

De Ficu inter alia habet Athenæus lib. iii. Dipnosoph. cap. 3. Nulli quicquam concederem in sermonibus ad Ficum pertinentibus, etiamsi suspendi oporteret, quoniam Ficubus mirum in modum

dum sum amicus, quare diuinè de his quæ mihi inciderint edisseram. Ficus, ô viri amici, simplicis vitæ principium extitit, quod attestari videtur locus qui ab Atheniensibus Sacra ficus nominatur, in quo primùm Ficus inuenta fuit, atque fructus hinc dictus *Hegetoria*, quia primus ad victum mansuetum inuentus fuit. Ficuum multa sunt Genera, de quo Antiphanes in Homonymis. Laudans enim agrum Atticum inquit:

Ficuum genera Athen. Attica.

Qualia fert, ô Hipponice, ista regio,
Excellentiora quàm vniuersus orbis, mel,
Panem, Ficus. Ficus enim, ita me amet Iuppiter,
Abunde gignit.

Carica. Istrus in Atticis prodidit, vetitum fuisse Caricas exportare in Attica nascentes, his indigenæ vt soli fruerentur. Cùm verò multi furtim auehere deprehenderentur, delatores qui apud iudices illos accusarent, vocatos principiò fuisse Sycophantas. Alexis in poëta:

Atticum edictum de Ficubus

Sycophanta

Sycophanta nomen, prauis viris
Decenter haud nunc ponitur:
Nam qui foret bonus, & urbanus, is debuit
Indicatis Ficubus mores approbare suos.
Nunc autem flagitiosos cùm sic nominent,
Dubitare id cogit, cur id factum sit.

Alexis illust. Indicatis ficubus, inquit, nempe quæ contra legum authoritatem clanculùm asportabantur: mores suos probabant, id est, fidem suam, probitatem, integritatem. Philomnestus lib. de Sminthiis Rhodiis scribit, Sycophantam inde nuncupatum fuisse, quòd illis temporibus è ficuum mercatura, vini, olei, tributa colligerentur, ac portoria, & mulctarentur qui ea non soluissent, è quibus in administratione Reipub. sumptus fieret, itaque coactores qui exigerent, & eorum prouentum suis rationibus ostenderent, vt credibile est, appellatos fuisse Sycophantas, ad idque munus delectos fuisse ciues spectatissimos ac optimæ fidei. Laconicę ficus meminit Aristophanes in Agricolis his verbis:

Sycophantæ, qui.

Laconica ficus.

Ficus omnes ego feram præter Laconicas.
Infesta namque sunt illa, ac tyrannica:
Nec enim pusilla forent, si animosè plebem odio non prosequerentur.

Ficus quid Mysticè. Ficus pusilla. Vel, nisi plebi odiosa foret ea Ficus, id est, dominandi ratio: Sic Dal. explicat. Ficum scilicet eam pusillam vocat poëta, quòd exigua & humilis planta sit. Significat & Lacedæmoniorum hostilem animum erga Athenienses, ac eorum dominatus crudelitatem, & summum abolendæ popularis potestatis studium. Alexis in Olynthio, cùm Phrygiæ ficus mentionem facit, ait:

Et diuinus cibus, à matre data mihi delicia,
Carica ficus,
Phrygia munus.

Phibalea ficus. Phibalearum Ficuum meminere Comici multi: quin & Pherecrates in Crapatallis:

Febricita, ô miser, nulla de re sollicitus:
Et nunc per æstatem Phibaleas ficus comede:
Illisque satur meridiare.
Deinde Sphacelum expectato, ardeto, vociferator.

Teleclides in Amphictyonibus:

Quàm pulchra Ficus, Phibalea quidem sunt.

Est autem Phibaleos, Atticæ locus.

Chelidonia ficus. Chelidoniarum meminit Epigenes in Branchia: [Raucedisono.]

Deinde paulò pòst aduenit Chelidoniis
Ficubus onusta confertim quadra.

Chelidonia. Caprifici. Leucerinea. Phibalea. Androntion, siue Philippus, siue Hegemon in Georgico, hæc Ficuum genera sic recenset: In planis & campestribus serere Chelidonias Ficus expedit, Caprificos, Leucerineas, Phibaleas: at quouis loco Oporobasilidas [Monspel. hodie vocant Ficus regias D.] Horum enim generum cuique sua est vtilitas, maximà verò Coluris, & Phorymiis. Fructuosæ sunt & inprimis vtiles, biferæ, Laconicæ, Megaricæ, si rigentur. Rhodiorum meminit Lynceus in Epistolis, ea comparans quæ proueniunt Athenis præstantissima cum Rhodiacis. Eius hæc est oratio: Atheniensium [ἐρινεά, syluestres ficus] certare de bonitate sic videntur cum Laconicis Rhodiacis, vt Mora cum Ficubus. Id ego, non cœnatus, vt Athenis fit, peruerso iam gustu ob satietatem, sed ante cœnam, cùm appetentia intacta & nondum occupata est, comparatione facta perspexi. At quas in pulchra Roma Callistruchias vocant, si quemadmodum ego, Lynceus gustasset, bestia eiusdem nominis longè fuisset perspicacior in huius contentionis iudicio, adeò Ficus illæ antecellunt omnes quæ in vniuerso terrarum orbe generantur. In pretio sunt & alia Ficuum genera Romæ nascentium, nempe Chiæ, Liuianæ, [fortè Liuiæ vel Lydiæ: ambarum meminit Plin.] eæ quas Chalcidicas vocant [Plinio Duracinæ à duro Corio D.] & Aphricanæ, vt testatur Herodotus Lycius in opere de Ficubus. Parmeno Byzantius in Iambis, è Cauno, quod oppidum Æolicum est, laudans, vt excellentes, ait,

Oporobasilides. Colura. Phorymia. Megarica. Rhodia. Athenienses Erinea.

Callistruchia.

Ficuum præstantissima.

Chia. Liuiana. Chalcidica. Duracina.

Per longa maris spatia ego accessi, nec tamen ficuum
Cauniarum fascem [φόρτον: baiulationis] adueχi.

Caunia. Toxalia. Caunias è Caria ficus celebrari peruulgatum est. Toxaliarum ficuum meminerunt Heracleon Ephesius, & Nicander Thyatirenus, citatis versibus ex fabula Apollodori Carystii, cuius est titulus, Mendica vestiaria.

Cæterùm villam admodum fuit
Et acidam, & improbam, adeò vt me puderet:
Aliæ quidem regiones Toxalias ferunt
Ficus, mea verò etiam vites.

Hamania. In Insula Paro eximiæ gignuntur Ficus, Hæmonias [αἱμώνια, tanquam infectas sanguine: sanguineas] incolæ nominant: congeneres Lydiis, quas ob rubrum colorem [Plinio Lydiæ purpureæ sunt] eodem quoque nomine vocant. Earum sic meminit Æschylus:

Lydia.

Paron missam facito, & Ficus illas, & marinam
Vitam. [assiduas nauigationes.]

Hæ certè Ficus tantum à reliquis vulgaribus discrepant, quantum apri caro ab altilis porci & villatici pulpa. Leucerineos Ficus species est, illa fortassis cuius albus est fructus. Eius sic meminit Hermippus in Iambis:

Scorsim verò è Leucerineo Caricas.

Amadea. Nicylea. Regia. Colytra. Hermonax in Glossis Cretensibus genera Ficuum enumerat, Amadea, & Nicylea. Philemon in Atticis vocabulis quasdam Ficus Regias vocari tradit, & ab illis regias caricas nominatas fuisse. Huic idem narrationi addidit maturas Ficus vocari Colytra [fortassis quasi κολυφρά, id est, leues: sunt enim maturæ Ficus immaturis seipsis leuiores D.] Seleucus in Glossis refert, Glycisiden quandam vocari, figura perquàm similem Fico, [Pæonia Glycisìde est fico similis, vel siliquis, quæ semen continent, vel appendicibus glandi similibus in radice fœminæ. Emendatus locus ex Plin. & Diosc. D.] à Medicísque obseruatum fuisse, in cibo sumptam, rubra fœminarum profluuia sistere, ac valere contra malum mentis, & infatuationes: id quod Plato Comicus ait in Cleophonte. Pamphilus hybernas Ficus vocari tradit ab Achiuis Cydonæa, idque scriptum ab Aristophane in Glossis Laconicis. Hermippus in Militibus Coraceas Ficus: [tanquam Coruinas: ob ni-

Glycisíde.

Hyberna.

Coracea.

gredinem puto D.] earum quandam speciem vocat his verbis:

Phibalearum pöri ßimum, aut Coracearum.

Charitia. Aratia. Theop. lib. 1. hist. plant. scribit, Ficus arboris tale quoddam genus esse, quale id est, quod Charitiam siue Arateam nuncupant. Hæc Athen. Nusquam verò apud Theop. hæc leguntur, (& mutila esse videtur hæc oratio D.) Quam verò idem *Ficus Idæa.* Athen. ex lib. 3. eiusdem autoris Ficus Ideæ adfert descriptionem, & inter Ficus recenset, non huc pertinet, sed aliò, de qua vide cap. de Diospiro. *Præcoces.* De præcocibus Ficis idem Theop. lib. 5. caus. ad hunc modum scribit: Ficui humidus aër & clemens, cùm elicitur germinatio, & eà de causa præcoces Ficus: Idem progressus inquit, quasdam Ficus, præcoces fructus gignere, vt Laconicam,& Leucomphalian, quasdam minimè. Seleucus in Glossis, Ficus speciem quandam vocari πρωτεῖον ait, id est, Primariam, quia præcocem fructum *Primarea.* pariat antè cæteras.

Bifera. Ficus biferæ meminit Aristophanes in concionatricibus:

Portentum de ficu &c. *Vos, quasi sumpseritis Ficus biferæ folia.*

Antiphanes in Scelerijs:

Iuxta biferam Ficum, infernè est.

Theopompus lib. 50. hist. scribit, Philippi regis principatu, circa Bisaltian, Amphipolin, & Grestoniam Macedoniç, medio vêre ficus poma, vitem, vuas, Oleam, quando ipsam florère par est, Oliuas edidisse, omniaque tunc ex voto successisse Philippo. Non me fugit,(inquit Athen.) aliis quoque nomenclaturis Ficorum species ap-*Regia. Regi ficus. Cirrho cæladia. Hyladia &c.* pellari, Regios, Regios ficos, Cirrhocœladios, Hyladios, Sarcelapheos, Lapyrios, Pieridios, Dracontias, Leucophias, Melanophias, Creneos, Mylaicos Flauos & tanquam excauatos: syluestres: carne cuti ceruorum simili: amariusculos: obtortos draconum more: natura nigros,& albos, fontanos: molæ instar rotundos: Ascalonijs similes: ob suauitatem deuorandos. D.) Tryphon. lib. 2. hist. plant. de Ficuum appellatio-*Sycea.* ne differens, inquit, Dorionem in Georgico narrare, Syceam vnum ex Titanibus, terræ filium insequente Ioue acceptum à matre fuisse, illàmque gnato arborem emisisse, cuius fructu oblectaretur, & aleretur: præterea nominatam ab illo Titane Syceam fuisse Ciliciæ ciuitatem: at Pherenicus epicus poëta, Heracleotes genere, appellatam fuisse tradit à Syce Oxyli filia. Oxylum enim Oriæ filium concubitu Hamadryadis sororis genuisse Nucem, Iuglandem, Cornum, Oxyam, Aegiron, Vlmum, Vitem, Ficum, quas *Hamadryades.* Hamadryadas omnes vocarunt, illarúmque nomine multas arbores nuncupatas fuisse, ac ideo Hipponactem dixisse:

Nigram ficum vitis sororem.

Nigra. Sanguinea. Pulla. Porrò is color nonnullis sanguineus putatur. Horatius pullam dixit:

Suamque pulla ficus ornat arborem.

Coronea. Coroneas Strabo habet, quæ eædem videntur cum Coriariis vel Coriaceis Aristoph. antè dictis.

Duricoria. Duricorias & Plautus celebrauit:

Ficus nobis attulit, duricorias, præcoces.

Chia pungens. Chiam Martialis ob salis viniq; saporē pungentē,

Infanti melimela dato, fatuasque mariscas,

Nam mihi quæ nouit pungere Chia sapit.

Et alibi clariùs.

Chia seni similis Baccho, quam Setia misit,

Ipsa merum secum portat, & ipsa salem.

Marisca. Marisca, teste Curtio, Græcè βόσυκο Festo & Macrobio dicitur. Nam Græci magnis & amplis rebus, syllabam Bu, assueti sunt præponere, vt Bupedo, Bulimæ. Sunt etenim magnæ, quamobrem inter omnia Ficorum genera, has tantùm Senecio commendabat. Nempe is solùm grandia appetebat, vt propterea Grandionis nomen sibi assumpserit, autore Seneca. Præ pinguedine verò rumpitur, seménque ostendit. Quod patefecit idem poeta.

Donasti, Lupe, rus sub vrbe nobis.

Non Boletus hiare, non marisca

Ridere.——

Marisca etiam morbus est, sic dictus à Fici similitudine, qui idem & Ficus dicitur, de quo Iuuenalis: *Marisca morbus.*

——Et podice leui

Caeduntur tumidæ medico ridente mariscæ.

Eadem ratione Græcè etiam σύκωσις dicitur. Coctanas, siue, vt alii vocant Coctana, quæ inter minores numerantur Iuuenalis habet: *Coctana.*

——Quo Pruna & Coctana vento.

Missitabantur olim inter Saturnalia & xenicla, vase turbinato. Quod declarauit Statius hendecasyllabo.

Nusquam turbine conditus ruenti

Prunorum globus atque Coctanorum.

In vasculis etiam mitti solebant; quorum forma metæ instar erat. Quod disticho comprobat Martialis:

Hæc tibi quæ torta venerunt condita meta,

Si maiora forent Coctana, Ficus erat.

Fico autore Hermol. circa Elephantium agrum folia non defluunt. Similiter & in Tylo caduca non sunt. Callistrutias & Ficus,& Passarias vocari Capitolinus autor est in Clodio albino. Inuenio Psyctalia vocari quoddam earum genus ab algore, nisi quis malit ab Atticæ regionis insula Psyctalia. Sed an Callistrutiæ sint, quæ Plinio frigidissimæ dicuntur, parum constat. Sunt qui Psyctalia intelligant, quæ recentes non sint quidem,non tamen siccatæ. Phibaleæ dictæ quoque Hippocrati. Iulius Pollux Chelidonias dicendo, Atticas inquit, intelligimus, quas Lacedæmones Chelidonias appellabant. In Ficorum genere, caricas peculiari arbore fert Syria,& minores eius generis,quas Coitana appellant. Habentur & Cauniæ, ominales M. Crasso in Parthos bellū mouenti. *Ficus perpetui folia. Callistrutia. Passaria. Psyctalia. Phibalea. Attica. Carica. Coitana. Caunia.*

In auctione vitarum Luciani, de Epicuro quærit licitator, quibus eduliis delectetur: respondet Mercurius, dulcibus vescitur & mellitis, ἰσχάδας addit, τὰς ἰσχάδας. Subiicit licitator χαλεπὸν μὲν οὐδὲν, ὠνήσομαι ... αὐτῷ παλάθας ... *Ischades.*

Sic & Paulus καρίκην pro Ficu arida videtur vsurpasse, quando scribit, aut καρίκης drach. octo, famluchi drachma, tritis cum oleo, donec cerati fiat spissitudo vtitor: quo loco καρίκην nihil aliud esse videtur, quàm quæ ἰσχάς quoque Græcis dicitur, vel ex doctiss. Dalech. sententia. *Carica.*

Apud Cic. 2. de diuin. legimus: Quum M. Crassus exercitum Brundusii imponeret, quemdam in portu Caricas Cauno aduectas vendentem Cauneas clamitasse, quæ res inferiùs specialiùs declarabitur. *Caunea ominosi.*

Cauniæ porrò sunt ex Cariç oppidulo, vnde nomen Caricis apud nos, vt apertè coniicit Hermol. siue itaque à loco, siue aliunde nomen habeat carica, Græcis & Latinis vsurpari constat. Antiochenæ verò Cariçe, quas & Triphyllos vocant, vt inquit Strabo, ab Antiochia Phrygiæ nomen habent. Omnia hæc [& multa ex superiùs dictis] L. Vitellius in Italiam Tiberii principatu transtulit. *Caunia. Carica vnde. Antiochenæ. Triphylla.*

Plato in legibus & Ficus & Vites quasdam commemorat, quasi nobiles: etiamsi nobile:

fi

Aegilides. Racemi Nicostratici.

& nobile à generoso, vt inquit Aristoteles, diuersum est: fortassè illa genera intelligens, quæ dicuntur Aegilides inter Ficos: & racemos Nicostraticos inter vuas: quæ duo Athenis maximè commendabantur, vt racemus Hipponius in Rhodo insula. Thracesinas ad lienem probari apud Aetium legitur.

Hactenus Ficorum differentias Veterum, quà potuimus diligentia, persecuti sumus, & notis cũ ipsis autoribus illustrauimus. Mirum verò alicui haud immeritò videatur, è tot generibus, ne quidem solam appellationem (quod nobis quidem constat) remansisse, nisi fortè suæ originis: neq; enim nunc aliter vocamus quàm Hispanicas, Massilienses, Ligurinas, Campanas, & ita de aliis, quę patrio suo nomine designantur, vt idem iudicium cum Plinio faciendum sit, quamuis euentu contrario, inquienti: subiere tot Ficorum nomina: atque genera, vt vel hoc solum æstimantibus appareat, mutatam esse vitam. Annotat tamen Matthiol. plura esse genera in candicantium & nigrescentium discrimine, sed differentiarum nomina nulla tradit. Quidam etiam, inquit, Piri faciem repræsentant, alii sessiles sunt, alii verò inter hos medii.

Recentiorum differentiæ.

Differentia à figura.

Differentia à colore.

Differunt etiam colore Ficus, quippe quòd alię albæ, aliæ nigræ, aliæ purpureæ, aliæ virides, aliæ subrufæ, aliæ pallidæ, & alię variegatæ colore spectentur. Celebrantur in Hetruria Pisani, Brigiotti, Grascelli, Balignanesi & Perugini. Anguil. ait multas esse Ficuum species, sed omnes notas esse in Italia: Nos etiam aliquot differentias tam in Prouincia & Gallia Narbonensi, quàm in Italia obseruauimus: vt magnas illas quales Geneuæ nascuntur, & in horto Stutgardiano, suntque multò Massiliensibus & Prouincialibus maiores, hæ tamen nobis sapidiores videntur. Vulgatæ vbique ferè notæ sunt. At paruæ illæ luteę, quas & in Italia & in Prouincia celebrant, sine dubio reliquis omnibus excellunt.

Anguil. not.

Germanis celebrata ficus vel Carica.

Caricarum seu Ficuũ siccatum hodie tres species ad nos in Germaniam communiter importatur, vt annotat Cordus: si modò specie differant. Flauæ in sparteis corbibus, quas Germ. Korbfeigen vocant. Aliæ etiam in cistis Laurinis foliis commixtę, quas à foliis Laubfeigen appellant. Tertium genus ex Prouincia adfertur, quas Massilienses dicunt, in minutis & turbinatis sparteis corbibus: hæ paruæ quidem sunt, sed suauitate præstantes: Marsilische feigen dictæ. Sed hodie etiam, quia nostris faucibus nihil ingustatum volumus, etiam magnæ illæ purpureę Genuenses dictæ à lautioribus institoribus in Germaniam importantur.

Lac propriè Ficorum.

Porrò succus maturescentibus lactis: percoctis, mellis: tactus omnibus mollis, sed maturis. Lac, inquit Macrobius, propriè ficorum dicitur. Ficus tãquam non Pomum secerni à Pomis apud idoneos autores Afranium Ciceronémque reperias. Senescunt, ficus in arbore, anúsque destillant gummi modo lachrymam [vt Plin. scribit] siccatúrque: tales ... dicuntur Græcis non minùs quàm Ficus passæ. Athenienses γλαῖαι vocant earum folliculos, vt Varro glumas.

Dachryma ficus. Gruma. Gluma.

Ficum non tangi fulmine.

Fuerunt ex Veteribus, qui Ficum nunquam fulmine percuti asserere non dubitarunt, quod Marcellus non nisi amaritudini, & malo materiæ eius habitu, fieri posse autumat. Quæ enim huiuscemodi sunt, inquit ille, iniurias cœli illas non sentiunt, quales phocarum & hyenarum pelles, & in arboribus aliquæ etiam aliæ traduntur. Debuerat ob has causas nocentibus sibi repugnare Ficus, nec minùs, quàm in natura, in scriptore hoc integra & incolumis seruari, & qua voluptate sanitatem & mensas nostras quotannis auget, æqua felicitate medicinam etiam instruere. Securus nimirum perdoctus ille Marcellus de quæstione ... sollicitè ... perquirit, cui nisi istud [...] si nostro iudicio aliquid tribuendũ, neutiquam stet ratum & indubitatum. Quod si verò maximè res ita se haberet, quem malum materiæ habitum quæso tribuet Lauro tantoperè omni æuo aduersus ictus fulmineos celebratæ, eóque etiam ipsis adeò Imperatoribus orbis sacrę? In qua tamen re si quid ariolandum, rationabiliùs fortè dicemus proceras arbores fulminibus esse opportuniores, manifestiúsque in iis noxam impressam apparere, quàm in minoribus, qualis Ficus, ut rationem illam Physicis celebratam & doctis notam nunc taceamus. Hoc tamen certum in sacris paginis & à celebratis Ecclesiæ doctoribus imprimis commendatum Ficum. Apud Hieremiam cap. 4. ostendit mihi dominus &c: Duo Calathi pleni ficis &c: Calathus vnus Ficus bonas habebat nimis, (inquit Hieron.) vt solent Ficus esse primi temporis (videtur intelligere præcoces) & Calathus vnus Ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eò quòd malę sint. &c: Quidam interpretantur in lege & Euangelio, Synagoga & Ecclesia &c:

Marcelli not.

An Ficus fulmine feriatur.

Sacris paginis celebrata Ficus.

Ficuum interpretatio Mystica.

Talia multa habent D. Hieron. & D. Augustinus aliique Ecclesiæ Patres, quod monuisse tantùm hoc loco sit satis, aliquando publicanda.

Est & Ficus tessera abundantiæ lactis, vt Goropius annotat in Vertumno. Lac enim propriè, inquiente Macrobio, ficorum dicitur: quod etiam sentit Ouidius Fastor. 2.

An tibi dum Lactens hæsit in arbore ficus.

Ficum autem à fœcunditate dictam volunt, autoribus Varrone & Quintil. ne Græcis omnia concedere videamur.

Ficus vnde.

His Συκῆ, & Σῦκον ipse (Marius & Sycon fructum Latinè dicit) fructus & ... , quanquam per hanc vocem nouellam ferè Ficum intelligant, autore Iul. Polluce: nam ἰσχάδες aridæ Fici sunt, aut Caricæ interdum. Inuenias apud Græcos ἰσχάδας recentes & veteres quoque dici. Ipsa arbor Συκέα & Συκῆ, prima longa. Attici Ficum ipsam ... quoque nominant, vti dictum. Arbor Hebræis Theenah Hierem. 8. Fici aridæ Lat. Caricæ Hebræis Debelah, Debelath, Theenim, Debelim, teste Trag. vid. 1. Samuel. 30. & 2. Reg. 20. Cordus reprehendit Marcellum quòd Caricæ vocem malè in Diosc. contextum posuerit: habere enim Caricas ficus suum peculiare genus, vt ex Plin. & Hermol. colligere est. Germ. Feig/Feigenbaum. Belg. Vyghe/Vyghenboom. Gal. Figuier. It. Fichi. Hisp. Higos, Higuera. Angl. Figetree. Boh. Fikstepei, Arab. Sin, Fin, seu Tin. Caricæ vulgò siccæ, Ficus passæ: ἰσχάδες, ἰσχάδες ... Epigr. ... Eustath. Ger. Dürre feigen. Belg. Dooresche Vyghen. Gal. Figues seches. Figues de Caresme. It. Fico di Quadragesima. Ouid. 1. Fastor:

Synon. ling.

Theenah arbor.

Carica. Marcelli notatur.

Fikstepei Prodroma. Carica se ... .

Quid vult Palma sibi rugosaque Carica dixi.

Habetur quoque apud Hip. Caricum medicamentum duplex, aridum & liquidum, sed neutrum Caricas recipit, neque à Caricis nomen habet, sed à Carum gente, quibus erat in multo vsu, dictum fuisse tradunt. Grossus, quem & immaturum fructum vocari diximus ὄλυνθος, φήληξ, ... , Ametiæ. Germ. Grüne feigen/Unzeitige feigen, Groene Vyghen / die noch niet rype zijn. Gal. Figue qui n'est pas encore meure. It. ...

Grossus. Olynthos.

Venetis. Hisp. *Higo anno maduro.*

Chamæficus. Ficus humilis. Eiusdem arboris nominibus insignitur *Chamæficus* dicta cum eius fructibus, quæ & humilis ficus, quam in ollis & hortulis pensilibus alunt. An verò à vulgata differat aliter, quàm magnitudine, nondum asserimus. Doctiss. Medicus Chiffletius, apud quem in horto Vesontii vidimus [& apud D. Abbatem de pulchro fonte] *Ficum nanam* vocitat.

Ficus Nana. Denique tanta fuit apud Antiquos commendatione Ficus, vt & secundum locum habuerit à vite: Et eius partes omnes peculiaribus sint nominibus designatæ.

Thrium folium. Ipsum folium θρῖον prisci Græci vocarunt propter eius asperitatem quo conuolutọ anguilla piscis facilè detineri queat:

Adagium. vnde adagium, τῷ θρίῳ τὴν ἔγχελυν, id est, Folio ficulno anguillam, nempe tenes, dirigendum in versutum aut versatilem hominem, quem alius arctiore nodo retinet atque constringit.

Frondes. Sunt qui existiment frondes etiam ficorum ea voce insigniri.

Ramus Crade. Frondes. Folliculus Gruma. Frumentum. Ficulnus ramus, κράδη, & κράδος. Pomi fundũ vmbilicum. οἱ δὲ ἄττικοι καὶ τὸν συκοῦ ὀμφαλὸν. Folliculus Fici, sicuti frumenti Varroni *Gruma* dicitur. Granum Ficarium, Frumentum Plinio, κεγχραμίς Theoph. & Gal. Germanis quibusdam *Luyssen* dicuntur, quasi pediculi, à sonitu, quem eundem cum pediculis pressi efficiunt.

Prouerbia de ficu. Produntur & prouerbia de Ficu. *Ficum post piscem*: *Legumina post carnem*: alii tamen pro Ficu, Nucem dicunt, *Gallinaceos amantibus ficum ne serito*, *Assentari nescio*, *Ficum*, *Ficum*: *panem*, *panem dico*.

Ficus atra. Ficum atram infœlicem pontifices putabant, fœlicem, albam: teste Hermolao.

Sed antequam reliquam historiam pertexamus de *Caprifico* priùs specialiùs quædam tradenda.

DE CAPRIFICO.

Quomodo differant Caprificus & ficus syluestris. CApricum, syluestrem Ficum tradunt, quamvis [inquit Cam.] non immeritò docti quidam discrimen faciant inter Ficum sylu. & Caprificum. Nos ita censemus. Syluestrem esse incultam, & vel natura, vel neglectu sterilem, aut catenus saltem, quatenus fructum non perficiat: Caprificum verò eam, quæ Caprificatur, quæ tamen & ipsa syluestris sit, ita vt reipsa quidem conueniant, sed ratione tantùm fructus & cultus differant. Quid? quod ne à satiua quoque specie differat Caprificus vel ficus, sylu. quòd ex grano satiuæ nascatur Caprificus: vt dicetur in progressu. Hæc verò sententia distinctionis Caprifici, à ficu syluestri ipsius etiam Theophr. est, qui in 2. de caus. c. 3. de Caprificatione & Caprifico [quam ἐρινὸν vocat, & Gaza semper Caprificum reddit] locutus, ait: esse verò quædam loca quæ Caprificatione non egeant, absurdum non est, quippe quæ temperiem idoneam (συμμετρίαν) habeant tam alimenti quàm aëris. At humorem totum hoc genus (sub. eorum quæ caprificatione egeat.) nimium esse, vel ex ipsis syluestribus, (καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἀγρίων: ex ipsis erraticis vertit Gaza) constat. Cruditas (ἀπεψία) enim illa non nisi ea de causa fit, [nempe ob alimenti copiam] & eas ergo solent caprificare, vt possint permanere. Vides vt ἀγρίας συκᾶς intelligat incultas ficus non autem Caprificos: Ideò dixit καὶ ἐρινάζειν φασίν. Quæ sententia & doctissimi Scaligeri est & verò Theophrastum quoque ita sentire statuit, quamuis eadem ἀγρίας in sequentibus ἐρινὸν quoque videatur appellare: vt non temerè Scaliger, quonam igitur modo ἐρινάζειν?

Porrò Caprificum longè validiorem tradunt, quàm ficum: nullis ferè vitiis obnoxiam, vt etiam fico insita grossos suas tueri credatur: materie flexili: nunquam vt in ea maturescere pomum.

Cordus Caprificum vrbanæ per omnia similem dicit: incultiorem tamen, duriorémque: grossos ferre, quales vrbana, sed nunquam maturescentes: liquore manare, quàm satiua acriore, tam gustu, quàm odore: De ea Theophrast. passim multa: ex quibus præcipua hæc sunt: Ἐρινεὸς, Caprificus seu ficus syluestris ineunte vere germinat, montibus propria est, fructus suos non maturat nec perficit, sed ex putredine in iis partu gignuntur culices, qui alimenti gratià aduolantes alios ficus appetunt, & crebro morsu aperiunt: Culices. hinc fit vt superfluo humore absumpto, adapertóque fructu faciliùs Solis admittatur vis, vnde meliùs & à Sole, & à propriâ naturâ vegetante percoquuntur: quòd nisi fiat, grossi earum decidunt, nec ad maturitatem perueniunt. Atque hęc ipsa quoque ratio cur culices gignantur: nempe quia fructus maturari nequeunt: Ergo interuentu putredinis culices in iis gigni, vt & in cęteris putrescentibus solent. In hunc finem caprifici rami cum ipsis Olynthis ficis appenduntur, vt culicum opera ficus tueantur, ne decidant, sed maturentur, eo quo diximus modo. Aut etiam iuxta ficos caprificos conserunt, vt culices inde Caprificatio vt par. prognati promptè & facilè aduolare & ingredi queant. In summo autem ficeti limite conserendę, vnde culices ad ficos secundo vẽto deferri queant. In Italia autem non egent ea Caprificatione, quia spontè ficus maturantur.

Delectus. Laudantur potissimum Caprifici nigræ, & locis ortæ saxosis, quòd tales permulta contineant grana. Culicibus gignendis aptiores habentur rubræ, versicolores & robustæ: quæ minùs aptæ, Culicum. albæ sunt & imbecilles. Vbi plurimus est puluis, ibi & plurimæ validissimæque Caprificus exeunt.

Hæc ferè summa est historiæ Theophrasti de Caprifico & Caprificatione (quamuis multus sit & copiosus, in causarum eius peruestigatione, eámque passim inculcet.) quam & Plin. perelegauter tradidit his verbis: Caprificus vocatur è syluestri genere ficus, nunquam maturescens, sed quod ipsa non habet, aliis tribuens: quoniam est naturalis transitus, atque è putrescentibus identidem generatur aliquid. Ergo culices parit: hi fraudati alimento in matre, putri eius tabe, ad cognatam volant: morsúque ficuum crebro, hoc est, auidiore pastu aperientes ora earum, atque ita penetrantes, intus Solem primò secum inducunt, cerealésque (fœcundas) auras immittunt foribus apertis. Mox lacteum humorem, hoc est, infantiam pomi, absumunt: quod fit & spontè. (naturæ vi, sed longiore temporis spatio) Ideóque Ficetis caprificus permittitur (permiscetur D.) ad rationem venti, vt flatus euolantes in Ficus ferat. Inde repertum, vt illatæ quoque aliunde, & inter se colligatæ inijcerentur Fico: quod in macro solo & aquilonio non desideratur: quoniam spontè arescunt loci situ, rimísque eadem, quæ culicum opera, causa perficitur, nec non vbi multus puluis, quòd euenit maximè frequenti via apposita. Namque & pulueri vis siccandi, succúmque lactis absorbendi: quæ ratio puluere & caprificatione hoc quoque præstat, ne decidant, absumpto humore tenero, & cum quadam fragilitate ponderoso.

Ex

Ex dictis itaque patet caprificationem nihil aliud esse quàm medicationem quandam (sic libeat ex Plin. cit. verbis dicere) quâ putrescente caprifici fructu culices geniti in vrbanæ fructus euolant, fructúmque morsu aperientes, eiusdem maturitatem promouent & accelerant. Adaperta namque media Ficu superfluam depascunt culices humiditatem, vt subtracto quod exuberabat, à calore natiuo reliquum possit excoqui: deinde vt iuuari queat hic calor ab externo, cui patere queat aditus per apertionem illam, ad expeditiorem, perfectiorémque concoctionem & maturationem. Caprificari (inquit Sipontinus) est adhibitâ caprifico, ne fructus propinquæ Ficus ante maturitatem decidant, prouidere.

Scaliger magnus philosophus. Non potuit, imò nec debuit tantus Philosophus Scaliger, quin suum acumen in hoc tam insigni naturæ opere (propemodum dixerimus miraculo) exerceret, quod vt passim præstitit in suis in Theoph. editis doctissimis & quouis æmulo superioribus commentariis, ita his potissimùm verbis succinctis rem sanè quàm subtilissimè concludit. Proposuit natura Caprifici fructum perficiendum, rem vilem admodum: non potest: vertit operam illam plebeiam ad operosiorem functionem, quippe culicem: quemadmodum contingit hominibus nequam, quibus pœnitentia est fœdior peccato. Dicendum, naturam omnem vbi nacta fuerit materiam, adiungere formam idoneam. Neque est culex πάρεργον, aut accessorium operæ quæ parabatur ad caprificum: sed æquale propositum naturæ, vt ex materia caprifici culicem generet, opus caprifici fructu nihilo minus. Nec miretur quispiam quomodo in caprifici cruditate fieri queat putrefactio: contraria namque sunt. Est quidem cruditas cessatio eius caloris qui intendebat fructus maturationem. In hac huiusce operæ suspensione subit externus calor, qui fit author putrefactionis. Calore enim extraneo, quando prohibetur πέψις, necesse est fieri putrefactionem: atque hinc generationem culicis, qui postea maturationis fiat promotor, sicut dictum; de qua re (ego Cherl.) fusiùs in Historia de insectis.

Caprifici trifera. In Cea (Chio) insula authore Plin. caprifici triferæ sunt. Primo fœtu sequens euocatur, sequenti tertius: hoc Fici caprificantur. Hodie etiam incolas eius insulæ dictum caprificandi modum retinere Dal. ad Plin annotat. *Delectus.* Caprificorum (inquit idem Plin.) laudantur maximè nigræ, & in petrosis, quoniam frumenta plurima habeant. *Caprificationis tempus. Cautio.* Caprificatio ipsa post imbrem. Inprimis autem cauendum, ne ex remediis vitia fiant; quod euenit nimia aut intempestiua medicina.

Theophrastus author est meliores quodam loco nasci ficus, sine vlla caprifici ope, quas ἀνερίνασα prædicari commendabili venundantium indicatura ac symbolo, quippe non passas caprificationem. *Anerinasta.* Eam ob causam nonnullos abiicere consilium caprificandi: easque plus probare, quę culicum pertusione fuerint expertes, suo succo lætiores, quæ commendatio excellentiæ versetur in opinione hominum. Esse etiam quædam loca, quæ non egeant opera culicum, causámque εὐκρασίαν statuit aëris ad alimentum. Vt neque excedat in humido, quod est in Græcia: neque in calore, quod fit in Ægypto: sed æquabili, vtrinque temperatura. Maximè verò detestatur humoris copiam. At in macro solo non quæri caprificationem: neque in Boreali, quia siccus ventus.

Quædam sunt in stirpium genere, inquit Aristoteles lib. 1. de gener. animal. c. primo, quæ res, quæ fructum ferunt, & quædam quidem quæ non ferunt, sed ferentes adiuuant illas ad marandum: vt inter Ficum [συκῆν] & caprificum [ἐρινεόν].

Caprificationis succedaneum. Mirum verò (si nostri in hoc negotio iudicii valet ratio) caprificationi quam vocant, non posse substitui aliam quandam apertionem quæ vel cultello fiat vel vngue, vel quouis alio instrumento commodo: vel scarificationem. Nam his artibus & succi abundantis pars absumetur, & externi caloris beneficium admittetur: nisi laboris molestia ficuúmque multitudo tædium causare solita, fortè absterreant. Malimus sanè quoad nos, si suo succo lætas esse non detur, eiusmodi apertione maturatas, quàm tot culicellorum rostellis perforatas, & suis fortè etiam excrementis inquinatas, degustare. *Sed de caprificatione plus satis.*

Cæterùm caprificum multi quoque classici Scriptores memoriæ commendare dignati sunt. Nam, vt annotat Athen. Ἐρινὰ Fici, id est, agrestis, seu caprifici, meminit Euripides in Scirone, vel adfigere ἐρινὰ, id est, caprifici ramos. Epicharmus in Sphinge: ἐρινοὶ hæc nullo pacto similia sunt. Sophocles in Nuptiis Helenes fructum arboris nomine, figuratè sic dixit:

Immaturus erinus, id est, immatura Caprificus
Cùm sis, nec idonea
Cibo, alios oratione tua caprificas, [ἐρινάζεις.]

Adag. Conuenit hoc adagium in temerarios adolescentes qui senes peritiores docere conantur. ὢν πέπων ἐρινεὸς, id est, immatura caprificus nimirum ille dixit, pro ὢν πέπων ἐρινεὸς, id est, immaturus caprifici fructus. Lepidè profectò Alexis in Lebete:

Quid præterea nos dicere opus est? frequenter Ficos
Qui vendunt in Canistris, infernè quidem
Duros & vitiosos semper
Occultant, bonos autem & maturos supernè ostendunt:
Deinde qui mercatur, quasi tales emat,
Pretium numerat, eáque fraude, pecuniam in buccam abstrusa
Caprificum (τὰ ἐρινὰ) ille dat, iurarit se cùm ficos vendere.

Agrestis Ficus arbor masc. gen. ἐρινεὸς appellatur, fructus neutro, ἐρινὸν. vnde Homerus Odyss. 11.

Huic adest Erinus procerus, foliis patulis.

Erineum. Ezinaca. Caprificus profructu. Amerias scribit grossos vocari ἐρίνακας. Plin. quoque Caprificum dixit pro Caprifici fructu. Terent. in Adelph. Illic vbi etiam caprificus magna est.

Caprificus magna. Etymon. Caprificum à carpendo dictam volunt, quòd muros, saxaque ac parietes carpat, quod Martialis insinuasse putatur, Epigr. lib. 10.

Marmora Messala findit Caprificus.

Qui tamen Sycomorum, Ficum agrestem, parietibus frequentem esse autumât, toto errant cœlo.

Erineos. Ἐρινεὸς Plutarcho & Pausaniæ, quòd in Erino Thessaliæ, vel vt alii volunt, Achaiæ municipio primùm apparuerit, vt Phocioni placuit. Alii, vt Phauorinus, Fici speciem, ab Erino vrbe Dorica. *Trages.* Messinorum lingua τράγος, testante Pausania, & Herodoto: quod & Apollo Aristomeni & Theocli yati, de salute consultantibus significauit. ἔστ' ἂν τράγος πίνοι τὸ δινήεν Νεδαῖον ὕδωρ, οὐκέτι Μεσσήνην ῥύομαι.

Συκῆ ἀγρία, etiam Græcis dicitur: Aliis ὄλυνθος. Tzetzes Lycophronis interpres, Ficum fatuam dixit. Fructus Polluci ἐρινὰ vocantur. Lat. Caprificus, Ficus sylu. Ficus agrestis, inculta: errata Gazæ. Germ. Ein wilder feygenbaum, Belg. Wilde

de Dygeboom. Gal. *Figuier sauvage*. It. *Ficaia seluatica, Fichi saluatichi*. Hisp. *Cabrahigo*.

Olynthi. ἐρινάζειν Caprificari: ὀλυνθάζειν etiam dixit Theophrast. propterea, quod ὄλυνθοι fructus sit caprifici. Caprificatio ἐρινασμός.

Ipsos etiam grossos siue grossulos ὀλύνθους & ἐρινάς vocant, de quibus in præcedentibus abundè dictum: nimirum grossos propriè Olynthos esse, hoc est, primitiuas Ficus.

Grossi. Apud Macrob. Grossos legas, Ficos esse quæ nunquam maturescunt. Alii sic distinguunt, vt *Phicex.* Ficus primò sit ὄλυνθος, deinde *phicex*, postea Sycon, postremò Ischas, vt annotat Hermol. *Sycon Ischas.*

Nicol. Nicolai lib. 2. c. 8. nauig. narrat in Chio Ficus diuersæ & contrariæ esse naturæ, quas tamen oporteat habere, & Ficus inutiles reddere, alias vtiles, mirabili modo qui ibi narratur.

Locus. Ficus in toto Europæo tractu temperatiori calidioriue obuia, ne Germaniæ quidem vsq; adeò insolens habetur, quippe quæ & in lautioribus magnatum hortis colatur, & non rarò fructum ad maturitatem perducat locis etiam plusculùm ad Septentrionem vergentibus. In Hispania, Italia & Gallia Narbonensi copiosè nec sine subsidio vitesque prouenit, vbi syluulas vernâ & autumnali fœturâ biferæ Ficus perelegantes videas. In Brasilia quoque, illata ex nostro orbe, autore Maffeo. Leuin. Hulsius scribit se in insula S. Helenæ Indiæ, vidisse in Ficuum arboribus nomina inscripta Anno 1510. & 1515. Ficus autem ibi satas per Lusitanos.

Quod Ficus omen fecisse ait Plinius. M. Crasso in Parthos exercitū mouenti, id ita se habet. Crasso nauem expeditione illa conscendenti, cùm *Cauneas* Ficus venales quidam vociferaretur, dixisse visus est, *Caue ne eas*. Romani enim olim, vt auruncare pro auerruncare, dortium pro diuortium dixerunt, sic & Cauneas, pro caue ne eas. Cic. 2. de diuin. vt suprà monuimus: Cùm M. Crassus, inquit, exercitum Brundisij imponeret, quidam in portu caricas cauno aduectas vendēs, *Cauneas* clamitabat. Dicamus, si placet, monitum ab eo Crassum *caueret ne iret*. &c. Vid. Scal. in Festum, voce Aurum: & Ioach. Camer. in Plautum.

Cæterùm Stuckardiæ in horto principis magnæ coluntur arbores Ficus magnas purpureas ad maturitatem gustumque suaues perducentes, quemadmodum & Heidelbergæ in horto Electoris: Item Basileæ in priuatorum quibusdam præsertim D. Plateri hortis, sed vtrobique hyeme cōduntur. Apud Mompelgardenses rariùs perficiunt fructum. Fructus in his partibus, maiores Monspeliensibus, sed suauitate inferiores. Extitit in horto Montbelgardensi inter alias etiānum vetula iam ante multos annos sata, ab Ill. Georgio &c: E. C. VVirtemb. Patre f. m. quæ iam sæpiùs frigore perempta, à radice tamen stolones emittens semper reuiuiscebat. Caprificus Germaniæ incognita, inquit Cordus, Romæ frequens prouenit in vetustorum ædificiorum ruinis & muris. Monspessuli & in agro Narbonensi passim prouenit Caprificus totòque ferè anno abundat grossis: in Italiæ item multis locis crescit. Horat. iubet sepulchris Caprificos erutas, flammis aduri Colchicis.

Tempus & ætas. Est porrò breuissimæ vitæ Ficus, longioris caprificus, authore Theoph. causam tribuit fœcunditati eius: vnde & Plin. citò occidunt, quia veloces, & tamen abundant diuitiis: omnia autem celeriùs senescunt præfœcunda. Quin & protinus moriuntur aliqua, cœlo omnem fœcunditatem eblandito, quod & maximè vitibus euenit. In trimatu ferre incipiunt, ostendentes & antè. Seriùs folium nascitur, quàm fructus. Serotinæ Fici antè quàm fructum percoquant, folia deperdunt. Germinat sub arcturum post Ver, quod tempus commune omnibus est, præsertim edomitis, ac præcipuè Fico & Viti. Eò melior futurus intelligitur fructus, quò lætius germen antecesserit, contra quàm cæteris arboribus. Fructus omnis ferè vrbana Ficus, vt & Cordus testatur, bis producit: æstatis initio vnum: autumno verò alterum, vtrosque simul fouens, sed diuerso tempore perficiens. Monspessuli Iunio & Iulio maturas comedimus, Iulio etiam Basileæ. Romæ Maio. Qua ratione floreant, suprà dictum.

Ficos mariscas M. Cato in loco cretoso & aprico seri præcipit: Africanas & Herculanas, Saguntinas, Hybernas, Telanas, atras pediculo longo, in loco crasso & stercorato. Loca calida amat, quia densa eius materia non est: hincque fit, vt, in locis frigidis [intellige valdè frigidis] ficeta fieri non possint, teste Varrone. Ficum, inquit Colum., frigoribus ne serito: loca aprica, calculosa, glareosa interdum & saxosa amat. Eiusmodi agro citò conualescit, si scrobes amplos & idoneos feceris. Ficorum genera etiamsi sapore & habitu differunt, tamen vno modo, sed dispari, differentia agri seruntur. Locis frigidis & Autumni temporibus aquosis, præcoces serito, vt ante pluuiam fructum deligas. Locis calidis hybernas serotinas serito. At si voles Ficum quamuis non natura feram facere, cùm grossuli minuti erunt, fructum decutito. Iterum alterum edet fructum, & in hyemem feram differet maturitatem. Nonnunquam etiam, cùm frondere cœperint arbores, cacumina Fici acutissimo ferramento summa amputare prodest. Sic firmiores arbores & feraciores fiunt: ac semper conueniet simul ac folia agere cœperit Ficus, rubricam amurca diluere, & cum stercore humano ad radicem infundere: ea res efficit vberiorem fructum, & farctum Fici pleniorem melioremque. De Fici satione controuersia orta est. Theoph. ex eius semine interiore, id est, minutis eius granis [κεγχραμίδας vocari diximus] caprificum nasci. Sic & plerique Geoponici Scriptores tradunt, ex semine satam omnino degenerare. Cicero fatetur ex semine nasci, in Catone maiore. Ex Fici, inquit, tantulo grano tantos truncos procreat. Et Const. Cæsar. Plantatur, inquit, Ficus commodè à fructus ipsius granis. Alii vt Plin. & Ruell. Ficum omnibus emergere modis, præterquam ex talea seu ramo & surculo. M. Varro ex semine vix nasci posse scribit, his verbis: Fici semen naturale intus in ea Fico, quam edimus, quæ sunt minuta grana, è quibus paruis, enasci coliculi vix queunt. Omnia enim minuta & arida, ad crescendum tarda. Quare surculis potiùs vtendum, quàm semine ad ficeta facienda terrâque obruenda, præterquam si aliter nequeas, vt si quando quis trans mare semina mittere, aut inde petere vult, tum enim resticulas per Ficos, quas edimus maturas perserunt, & eas cum inaruerint, complicant, ac quò volunt mittunt, vbi obrutæ in seminario pariant. Sic genera ficorum Chiæ ac Chalcidicæ & Lydiæ & Africanæ. Item cætera transmarina in Italiam perlata. Hæc Varro. Colum. Ficulneâ cacumina iam tumentia locis frigidis & humidis à Calendis Martii vsque in decimum Calend. April. vtilissimè poni tradit.

Specialiùs de Ficorum satu & cultura disserit Palladius in hunc modum. Calidis locis Fici plantæ

Satio. *Cur locis valdè frigidis non nascantur.* *Vt ficus ferax fiat.* *Vt feraciores fiant.* *Vt fici fiant pleniores.* *Quæstio de satu.* *Ex semine vix nascitur.* *Quomodo Fici in transmarina perlata.*

ta radicata Nouembri mense, temperatis Februario, frigidis melius Martio vel Aprili ponenda est. Si taleam vel cacumen ponas, vltimo Aprili, cùm ei se viridior succus infuderit: Plantæ in scrobe depositæ lapides substituendi sunt, ad radicem fimo terram miscendi est. Si loca frigida sunt, plantarum cacumina diuisis cannæ internodiis defendantur à frigore. Si cacumen velis ponere, trisulcum ramum bimum vel trimum ab australi parte decidas, & sic obrues, vt diuisa cacumina terra interiacente velut tres surculos reddant.

Cultura.

Vt Cacumen ponendum.

Vt Talea ponenda.

Taleam sic ponemus vt cætera, cui leuiter ab infima parte diuisę lapidem mergemus in fisso. Ego, inquit Pallad. mense Feb. vltimo, vel Martio in Italia plantas grandes ficorum per pastinatum solum disposui, & eo anno poma peperêre supra comprehendendi felicitatem, velut tributa reddentes.

Plantarum delectus. Quæ steriles.

Legendæ sunt plantæ, in quibus frequens nodus exuberat. Steriles creduntur, quæ nitidæ sunt, & oculos suos per longa internodia distulerunt.

Vt poma generosiora producat.

Si plantam fici prius nutrias in seminario, & maturam transferas in scrobem, poma generosiora producet. Aliqui multum prodesse confirmant, si plantam fici diuiso Squillę bulbo intersitam, strictámque vinculis collocemus. Scrobes amat altas, interualla maiora, terræ genus durum & gracile & siccum pro vtili sapore pomorum. Prouenit & petrosis & asperis, tamen potest locus propè omnibus leti.

Ficuum delectus.

Quæ in montanis & frigidis locis nascuntur, quia minus lactis habent, ad siccitatem durare non possunt. Vsus illis in viridi est, melioris magnitudinis & saporis arguti. Quæ nascuntur in campis, & locis calidis, & pinguiores sunt, & in siccitate durabiles.

Quæ Caricæ melius seruentur.

Si genera numerare velimus, immensum est: sufficit, quòd omnibus æqua cultura est. Illa distantia est, quòd in caricis melius alba seruatur. In locis nimiè frigidis præcoquas ficus seramus, quæ citò veniant, vt antè imbres genus hoc possit occurrere: calidis verò, & æstuosis eas, quæ serò maturant.

Cultura.

Gaudet assidua fossione. Per Autumnum proderit, si stercus admoueas, præcipuè de auiariis.

Recidenda sunt in ea, quæ aut putria aut malè nata reperies, & ratione putanda est, vt inclinata per latera possit expandi.

Vt ficus sapidiores fiant.

In locis humectis ficus saporis obtusi est, cui circuncisis contra hoc radicibus aliquantus cinis debet affundi. Aliqui inter ficarias caprifici arborem serunt, vt non sit necesse per singulas arbores pro remedio eadem poma suspendi.

Caprificationis tempus. Caprificandi modus & varietas, & eiusdem caprificationis substituta.

Mense Iunio, circa solstitium caprificandæ sunt arbores fici, id est, suspendendi grossi ex caprifico, lino, velut serta, pertusi. Si hoc desit Abrotani virga suspendatur, aut callum, quod in Vlmeis folus inuenitur, aut arietina cornua circa radices arboris obruuntur, vel truncus arboris, quo loco turget, scarificandus est, vt possit humor effluere. Cum folia incipiunt producere fici, vt fructum multum & pinguem ferant, in principio germinis cacumina summa decutimus, vel illud tantum cacumen, quod ex arboris medietate procedit.

Vt fructum multum & pinguem ferant.

Vt citò maturet.

Vt Ficus citò maturet, succo cepę longioris cum oleo, & Pipere mixto vnge poma, quando grossi incipiunt subrubere.

Ficus ex Didymi traditione, referente Constantino Cæsare, duobus anni temporibus, Vero & autumno commodissimè seritur: Vernum tamen sationem magis desiderat, quippe cùm arbor omnium ferè tenerrima, & delicatissima sit, gelicidia & glacies horret, ventosque mirum in modũ formidat, quòd cùm ruunt aut sæuiunt flatus rumpatur. Ego tamen, inquit, Iulio mense toto plãtas disposui rigans, & transferens, & poma in arborem magnam adolescentes peperere. Calidioribus tamen locis solo pastinato nequeadmodum irrigato pangi debent: siquidem aquarum copia genitiuam earum pulchritudinem natiuúmq; decorem tollit, & corruptioni reddit opportuniores.

Alia serendi ratio.

Plantatur & alio modo. Si quis maceratas ficos resti obducat, frequentique riget rore, complures emergent arbusculæ, quas oportet transferre in scrobes, vbi in hoc seminario nutrieris. Si verò viuiradices quis deponat, eas scillæ immissas plantare oportet.

Quidam muria macerantes plantam pangunt. Præstat autem, si ramos plantaturus es, vt ipsos in bubulo stercore riges.

Alii cum planta calcem viuam iniiciunt, & non fallit neque frustratur ipsos plantatum.

Ne in altum excrescat.

Alii rubricam oblaqueatis radicibus iniiciunt. Si in altitudinem luxuriari nolis, clauam in caput serito. Scire expedit senescentem Ficum fertiliorem euadere.

Vt cuius feratur, insitio.

Ficum Plin. omnia insitionis genera admittere scribit. Inseritur in Morum & in Plantanum, teste Leontio. Inseritur autem non solùm vere, quemadmodum aliæ arbores, sed etiam æstate vsque ad solstitium hyemale, velut etiam Florentinus prodit. Aprili mense, tradente Palladio. Ficum inserere debemus inter corticem, vel si nouellæ arbores sunt, fisso ligno, quod statim operiendum est & ligandum ne ventus introëat. Melius comprehendunt, si circa terram recisam inserantur arbusta. Aliqui & Iunio mense inserunt. Varro circa solstitium.

Insitionis modus.

Surculi delectus.

Surculus legendus est anniculus, inutilis enim creditur maioris vel minoris ætatis. Inoculari Ficus solet locis siccis Aprili, sed humidis melius Iunio mediante, Octobri mense locis tepidis. Propagari & ramis potest. Inseritur autem in Caprifico, in Moro, in Platano, & oculis & surculis. Idem Pallad. de insitionibus.

Persuadet Moris tetrum mutare colorem
Ficus, & inuasis dat sua iura Comis.
Se quoque miratur pingui grandescere succo,
Et solitum gaudet vincere poma modum.
Insignes foliis Platanos felicia mensis
Brachia gaudentes vitiis honore Comas.
Ingrediens pingui se cortice maxima Ficus
Seruat, & optatos implet adepta sinus.

Nunc ficulnea cacumina obruuntur vtiliter, cum tumescunt, vt plantas faciant, si earum copia non abundat.

Vt varios fructus ferat vna ficus.

Vt etiam varios fructus vna Ficus exhibeat, ramos duos nigræ, & albę arborum inter se ita vinculo stringes atque torquebis, vt germina misceri cogantur, sic vt obruti & stercorati, & humoris rigatu tuti, vbi prodire cœperint, germinantes oculi aliquo inter se annexu conglutinentur, & compactum germen in vnum caudicem coalescat, qui bicolores fructus pariet, sed biniam transferre plantulam melius, autore Leontino qui eundem modum præscribit. Quidam tutius eiusmodi coitum moliuntur. Ficaria grana ex diuersi coloris ficubus linteolo illigata serunt, & deinde suo tempore transplantant.

Si in oculo fici quid scribatur, Ficus scriptas germinaturas dicit Democritus.

Vt fructum non abijciant. Vt fructus non abijciant idem Africanus spondet, si caudex eorum Mororum succo sit illitus: nec amittere velut ægram pomum, si radix eius sale & algis marinis obducta sit, aut si grossi ex ipsa amuleti vice suspendantur: aut si quadrantalibus Lunæ rubrica caudix oblinantur, vel intorta ex caprificis serta suspendantur. Quapropter aliqui in singulos ramos ipsos inserunt, ne illud singulis annis facere cogantur. Continet etiam fructum ficus, si circa Pleiadas scrobes circumfoderis, & amurca cum aqua æqualiter mixta truncum perfuderis.

Vt ficus sylu. mansuescat. Vt grossi non decidant. Ficum syluestrem mansuefacies affirmante id Africano, si putatos ramos vino & oleo madefeceris, & rigaueris per septem dies. Grossi seu immaturæ ficus non decidunt, si arboris radice incisa, quaternos salis sextarios inieceris, & terram insuper aggesseris.

Vt ficus purgantes fructus ferant. Democritus tradit si quis Fici esu, aluo deiectionem moliri cupiat, Elleborum nigrum cum Tithymalo tritum, radicibus arboris, quæ deponitur inseri debere, sic enim inde enatas Ficus purgatrices futuras.

Vt præcoces ferant. Præcoces Ficos, hoc est, ante tempus maturescentes idem fieri promittit, si columbarum stercus & Piper & oleum iuxta adieceris.

Florentinus in Georgicis suis, præcocem & Theriacam Ficum fieri ait, fructu ex antidoto Theriacâ illito. Pollere idem affirmat aduersum ferarum morsus pomum, quod antidoto Theriace pubescens fuerit delibutum. Si verò ante tempus Ficus edere velis, columbinum stercus & Piper oleo mixta olynthis & grossis idem circumlinenda suadet.

Vt ficus virides confirmandæ. Ficus post maturitatem in arboribus manere non possunt, quemadmodum alij pomorum fructus, sed sponte cadunt: possunt tamen, si Africano credimus recentes seruari, quales in arbore erant, hac arte. Quum opercula vini doliis obdituros es, ollam nouam accipito, aut aliud vas non rotundum & oblongum, sed potiùs, ex arbitrio quadratum, fundóque fultum. Huic immitte recentes ficus minùs maturas, cum suis pediculis vmbilicisue, hoc est, particulâ qua arboribus suis dependent lectas, sed leui manu, atque ita vt distent inter se, ollámque diligenter obtura, & in dolium vino plenum vt innatet immitte, cum dolium tege & occlude. Hæ Ficus permanent quales fuerunt iniectæ, nisi vinum acescat. *Aliter mo- dus in cucurbitis.* Conseruantur recentes Ficus etiam hoc modo. Ex recentibus cucurbitis eximere oportet ex lateribus, eas partes quæ spleniis similes existunt, easque excauare velut thecas aut vaginas. Deinde in singulas, singulas ficus impones, Cucurbitámque exemptis spleniis obturabis, & in loco vmbroso suspendes, vbi nec ignis inspiret nec fumus. Sed, vt antè dictum, legendæ cum petiolis, quippe quæ diutiùs durent integræ. *Aliter.* Alij sic in melle disponunt ficus, vt neque se inuicem neque vas tangant, dein indito operculo sinunt. Atque vitreum poculum, aut aliud quodvis pellucens, ficubus leuiter immersum super imponunt, & obducto cera spiramento ita relinquunt, sicque immarcessibiles manere promittunt.

Vel caricæ conseruandæ. Si in tegete, qualo vel cratibus, aridæ Fici cassacto furno post exemptum panem propendeant, & in fictilem & benè picatam fideliam condantur, diu seruabuntur illæsæ. Sed eas cum pediculo ex quo dependent decerpere conuenit, & muriam cum oleo feruefactam in Sole irrorate, Sed in vas mittere, idque luto oblinire, noctem tamen vnam antea rori exponere, ac postea vasi committere. *Aliter mo- dus. Aliter.* Alij cratibus expandunt, toto Sole siccandas, & recipiunt nocte sub tecta. Alij pinguissimam quamque viridem Ficorum eligunt, & arundine vel digitis diuisam dilatant, atque ita in Sole arescere patiuntur, quas deinde bene siccatas meridianis teporibus, cùm calore Solis emollitæ sunt, colligunt: & vt est mos Afris atque Hispanis, inter se compositas comprimunt in formam panis redigentes: tum rursus in Sole ablicant, & ita in vasis recondunt.

Modum Campaniæ consuetum tradit Palladius: ac varios etiam habet Columella, quos breuitati consulentes hîc prætermittimus. Ex dictis autem patet, ficus olim in iunceis capsis, arcis & cadis reseruatas fuisse: hodie (vt ad nos importantur ex Galloprouincia & Italia) in iunceis sportis reponuntur.

Fici morbi. Sed & de Ficus morbis quædam dixisse conueniet, vt & huic rei culturæ modus præscribatur. Est itaque ei, authoribus Theoph. Plin. & Geoponicis tam Græcis quàm Latinis, peculiaris *Verminulatio.* *Verminulatio.* Bestiolas istas vocant Cerastas, stridulum animalculum, de quo fusiùs alio opere. *Crados. Scabies. Cochlea. Patella.* Præterea κράδ☉, scabies, cochleæ. Crados est, cùm marcescunt rami, quos priuatim Cradas in ficu vocari, suprà diximus. Item patella, sed aliter quàm in Olea, quoties videlicet radices imbrium superuentu quasi deglabrantur. *Vredo.* Eandem & vredo afficit καῦσις: & tabes ἴκτανξις Theoph. dicta, estque quasi quidam stupor rigórque. Frigore & gelu alsiosis annis contrahitur. Illi etiam vt & plerisque aliis arboribus infestæ sunt formicæ & Sideratio.

Remedia. Dicamus & remedia quædam. Ergo ne vermes patiatur, suadente Palladio ramum Terebinthi vel Lentisci taleam cum plantis Fici cacumine ponemus inuerso. Vncinis æreis tollendi vermes ex Fico. Alij amurcam, alij veterem vrinam ablaqueatis radicibus miscent. Alij bitumen & oleum, aut solam calcem viuam latebris vermium linunt. Si formicæ molestæ sunt, rubrica, butyro, & pice liquida mista circa truncum debet induci. Alij Coracinum piscem contra formicas in arbore suspendendum suadent. *Ad fructuum casum.* Si fructus suos velut ægra proiiciet, alij rubrica aut amurca insulsa mista aqua arborem liniunt, vel cancrum fluuialem cum ramo Rutæ suspendunt, vel algam marinam, vel fascem Lupinorum, vel radici terebratæ cuneum figunt vel securi arboris corium sępiùs proscindunt. Quædam etiam ad idem diximus suprà. Scabiosam ficum curabis scilla iuxta radicem eius plantata, aut rubrica aqua diluta circum truncum ipsius oblita.

Ficus pu- mila fiant. Ficus arbores vt perquàm pumilæ habeantur, & in vasculis super fenestris spectentur à viatoribus ita docuere mangones referente Matth. Abscindito Fici surculum verno tempore, paulò ante germinationem, prominente iam corculo, & subinde contorto manibus cacumine, in quo vis vase terra referto surculum ipsum serito cacumine inuerso, circa quem hordei miliique nonnihil inspergito, & terra deinde obruito, demissa extra tellurem resecta parte. Fit enim hoc mangonio, vt inde ramuli enascantur paruuli, qui circum vas sese fundentes, breui admodum tempore ficus optimos edant, pumila perpetuò manente arbore.

Vites vi- tium. Sed tandem ad vites. Sunt qui huic fructui præcipuum honorem, mitet eos, quos horarios diximus, deberi assentiunt, vtpote, cuius succus minùs vitiosus sit, & qui magis alat etiam quam

vua,

vua, ſucco etiam præſtantior. Viſque adeò apud priſcos exiſtimatæ, vt Ananius, σῦκα τῆ χρυσοῦ χρησιμώτερα, id eſt, ficos auro vtiliores melioréſque dixerit: Et Homero ingeniorum fonti, σῦκα γλυκερὰ, Sic & Tryphon ficum magnopere laudauit. Atque adeò ficum in maxima admiratione fuiſſe apud Græcos argumento eſt, quòd & hi, & maximi quique viri eandem & ſcriptis, & appetitus famulitio proſecuti ſint. Hercules virides ficus ac recentes cum bubula edidiſſe fertur. Plato Philoſophorum ille triſmegiſtus & Philoſophus, ſed ne mireris, & φιλόσυκος æque ac φιλόβοτρυς, haud minùs, inquam, ficuum, quàm vuarum amator, cognominatus fuit.

Sed, vt ſpecialius eius vires inſpiciamus, Hipp. cùm contingit, vt menſes diu retenti derepentè affatim prorumpant, tunc huic ita ſe habenti Groſſum ſiccam [ὄλυνθον ξηρὸν] contuſam & cribratam, in linteo ligatam in ſubdititio apponit, & imo ventri refrigeratitia admouet, ea cautione, ne inhorreſcat. A medicamenti etiam potione vteros Groſſorum decocto, poſtea etiam acerbis colluit. Groſſos quoque hybernas in aquam iniectas lento igne coquit, deinde percolat, & affuſo oleo, vteros colluit. Idem pro ſubdititio purgante & emolliente caricam coquit, donec grana interiora [τὰς κεγχραμίδας] deponat, id expreſſum læuiſſimè tritum in vellere [ἐν εἰρίῳ] cum vnguento roſaceo ſubdit. Si tandem ex partu, aut inflammatione exulcerati fuerint vteri, Groſſos hybernas [ὀλύνθους χειμερινὰς] affusâ aquâ decoctas excolat & deponit, deinde oleum tepidum affundit & permiſcet. Duabus ad ſummum heminis colluit, & purgat. Vlceribus autem purgatis eoſdem ita corroborat. Groſſos hybernas terit & affusâ aquâ per diem totam macerat, & oleo affuſo colluit. *Sed hæc collegiſſe hic ſufficiat, qui plura volet, apud Hipp. legat.*

Fici maturæ, autore Dioſc. recentes ventriculum lædunt, aluumque ſoluunt: vt etſi hic fructus in maxima ſententiarũ autoritate ſit, nihilominus peculiare ac commune ferè pomorum omnium probrum hoc effugere minimè potuerit. Sed contracta ab iis alui fluxio facilè cohibetur: papulas euocant, ſudoréſque mouent: ſitim ſedant, calorémque reſtringunt: Siccæ verò ſunt alibiles & excalfactoriæ: ſitim magis afferunt, alióque ſunt vtiles: at alui ventriculique fluxionibus [ῥευματισμοῖς] contrariæ: gutturi autem arteriæ, veſicæ ac renibus perutiles: nec non & iis qui ex longa valetudine decolorati ſunt. Anhelatoribus, Comitialibus atque Hydropicis. Feruefactæ cum hyſſopo & potæ, quæ pectore continentur expurgant: veteris tuſſis ac diuturnis pulmonum vitiis conueniunt, aluúmque molliunt cum nitro & cnico tuſæ, deinde manducatæ. Ipſarum decoctum arteriæ ac tonſillarum inflammationibus gargarizatu prodeſt. Quin & Cataplaſmatis ex hordeacea farina miſcetur, itémque in mulieribus fotus cum Fœnugræco aut ptiſana. Cæterùm cum Ruta coctæ, ad torſiones colicas infunduntur. Coctæ deinde tritæ ac impoſitæ, duritias diſcutiunt, parotidas & furunculos emolliunt, panos maturant, efficaciúſque addita Iride, nitro aut calce viua. Crudæ quoque iisdem antedictis tunduntur eadem efficiunt. Cum malicorio: pterygia repurgant. Cum atramento ſutorio, medentur ægrè ſanabilibus malignisque tibiarum fluxionibus, vlceribus [?]. Quin & in vino deferuefactæ, addito abſinthio & hordeacea farina, vtiliter hydropicis illinuntur. Cremata & cerato admiſtæ perniones ſanant. Quod ſi crudæ teratur, & liquido ſinapi exceptæ auribus indantur, ſonitus tinnitúſque ſanant. Porrò tam ſyluestris, quàm ſatiuæ Fici lacteus ſuccus coaguli modo lac contrahit, coagulatúmque aceti modo diſſoluit. Idem corpora exulcerat, ora vaſorum reſerat, aluum ſoluit & vterum relaxat cum trito amylo potus: [ἀμύλῳ: ita & Plin. legiſſe videtur. Melius ἀμυγδάλῳ, rationabiliúſque. Menſes quoq; ciet appoſitus cum oui luteo aut cera Tyrrhenica: Podagricorum cataplaſmatis cum farina Fœnugræci & aceto vtilis: Lepras verò, Lichenas, maculas à Solis ardore cõtractas, vitiligines, ploras, vlceráque capitis manantia cum polenta expurgat. Inſtillatur plagæ, percuſſis à ſcorpione, venenatorum ictibus & canis morſibus auxiliatur: dentium dolori prodeſt lana exceptus, & in eorum cauis additus: denique formicoſam verrucam tollit, carne quæ in ambitu eſt adipe circumlita.

Hæc eadem præſtat ſuccus à teneris ſylueſtris Fici cauliculis, quandiu lacteo liquore prægnans eſt, nec dum ocul⁹ egerminauit. Tum enim hi tuſi exprimuntur, & ſuccus ſiccatus in vmbra reponitur. Porrò & liquor & ſuccus ad exulceratoria medicamenta vſurpantur. Decocti verò cum bubulis carnibus ficulnei ſurculi efficiunt, vt hæ faciliùs percoquantur. Lac quoque ſi dum coquitur, ſpathæ vice ficulneo eiuſmodi ſurculo moueatur, maiore illud vi præditum efficiunt.

Groſſi, quæ & Erinei quibuſdam dicuntur, coctæ & illitæ, collectionem omnem, ſtrumáſque emolliunt. Crudæ verò cum nitro & farina impoſitæ, formicationes thymóſque tollunt. Quin & hæc eadem ipſa folia poſſunt. Cum aceto autem & ſale illita, vlcera in capite manantia, furfures & epinyctidas ſanant. His quoque ficoſæ ſcabræque genæ perfricantur. At nigræ Ficus foliis ramuliſque vitiligines albæ perunguntur. Faciunt quoque aduerſus canum morſus cum melle, & ad vlcera quæ faui, Græcis κηρία vocantur. Groſſi cum papaueris ſylueſtris foliis oſſa extrahunt: furunculóſque cum cera diſcutiunt. Cæterùm cum eruo ac vino impoſitæ, contra muris aranæi morſus & ſcolopendræ venena poſſunt. Fit & è crematorum tam ſylueſtris quàm ſatiuæ Ficus cauliculorum cinere lixiuium. Sed cinerem plurimùm diutiſſiméque macerari oportet. Vtile porrò eſt ad medicamenta cauſtica, & partibus prodeſt gangræna tentatis. Nam expurgat & conſumit quæ excreſcunt. Vſus eſt, vt eo imbuta ſubinde ſpongia ſuperponatur. Interdum & infunditur, quemad. Dyſentericis, & in vetuſtis fluxionibus, nec non & ſinubus cuniculatim depaſcentib⁹, iiſq; magnis. Etenim purgat, conglutinat, carne replet & oras committit, æquè ac emplaſtra quæ cruentis vulneribus imponuntur. Propinatur & ad ſanguinem in grumos concretum: itémque contra præcipitationes, rupta atque conuulſa cum aquæ cyatho recens excolatum, admiſto olei exiguo. Cœliacis, ac dyſentericis per ſe Cyathi menſura datum auxiliatur. Neruorum vitiis & conuulſis ex oleo conuenienter illinitur: quippe quòd ſudores moueat. Bibitur & aduerſus gypſi potum, phalangiorúmque morſus. Eoſdem porrò effectus exhibent lixiuia reliqua, præſertímque quernum: omnia verò aſtringendi vi pollent. *Hactenus Dioſc.* De qua poſtrema eius ſententia infra, poſt vires ex Galeno ſpecialius trademus. Plin. quoque teſtatur, Ficus ſuccum lacteum coaguli vſum præbere, acetique naturam habere, & pleraque alia, Dioſc. de Ficu placita confirmat diuerſis locis, additque Lacteus pilos detrahere, palpe-

biarum scabiem emendare. Fici maturæ, eodem teste, vrinam cient, aluum soluunt, sudorem mouent papulásque. Ob id autumno insalubres, quoniã sudantia huius cibi opera corpora perfrigescunt. Nec stomacho vtiles: sed ad breue tempus & voci contrariæ intelliguntur. (Dale nec stomacho contrariæ legit:) rectiùs fortè, inutiles: Voci autem contrarias esse, experimento repugnat: fortè, nec voci legendum. (Medicatas vocat, quarum maturitas, vt sint præcociores, caprificatione acceleratur, de qua re in superioribus plus satis.) Iuuenum vires augent: senibus meliorem valetudinem faciunt, minúsque rugarum. Sitim sedant: calorem refrigerant: ob id non negandæ in febribus constrictis, quæ *flegmas* vocant. Siccæ Fici stomachum lædunt: gutturi & faucibus magnificè vtiles. Natura his excalfaciendi. Sitim adferunt. Aluum molliunt: rheumatismis eius & stomacho contrariæ. Vesicæ semper vtiles & anhelatoribus ac suspitiosis. Iocinoris, renum, lienis vitiis. Corpus & vires adiuuant: ob id antè athletæ hoc cibo pascebantur: Pythagoras exercitator, primus ad carnes eas transtulit. [illarúmque esu carnem & habitum corporis augeri docuit] Recolligentibus se à longa valetudine vtilissimæ: omnib. quæ maturãda aut discutienda sũt imponũtur: efficaciùs calce aut nitro admisto. Coctæ cum Hyssopo pectus purgant, pituitam, tussim veterem: Cum vino autem ad sedem & tumorem maxillarum, & furunculos, panos, parotidas decoctæ illinuntur. Vtile & decocto earum fouere fœminas. Decoctæ quoque eædem cum fœnogræco vtiles sunt pleuriticis & peripneumonicis. Tiliarum vlceribus, cum æris flore. Pterygiis cum Punico malo. Ambustis cum cera. Hydropicis coctæ in vino & cum Absynthio & farina hordeacea, nitro addito. Aluum sistunt manducatæ. (Secum ipse pugnat Plin. nam priùs aluum mollire dixerat: Legendum ex Diosc. Aluo vtiles sunt, vel aluum cient. D.) Carbunculos extrahunt in vino coctæ & impositæ. Carcinomati, si sine vlcere est, quàm pinguissimam Ficum imponi, penè singulare remedium est: item phagedænæ. Cinis non ex alia arbore aciem purgat acrior. [de lixiuio ficulneo id Diosc. Plinius verò, nisi pro acie vlcera legãmus, de oculis intelligere videtur, quod Diosc. de vlceribus scripsit] conglutinat, replet, adstringit. Bibitur & percussis, præcipitatis, conuulsis, ruptis, Cyathus singulis aquæ & olei. Datur tetanicis & spasticis: & si quis cum oleo perungatur, excalefacit. Item cum cera & rosaceo subactus, ambustis cicatricem tenuissimam obducit. Lusciosos ex oleo illitus emendat, dentiúmque vitia crebro fricatu. Produnt etiam, si quis inclinatã arbore, supino ore aliquem nodum eius morsu abstulerit nullo vidente, atque in aluta illigatum licio è collo suspenderit, strumas & parotidas discuti. Cortex tritus cum oleo ventris vlcera sanat. Crudæ grossi verrucas, & thymos nitro farinaque additis, tollunt. Spodii vicem exhibet fruticum à radice exeuntium cinis: Bis tostus adiecto psimmythio digeritur in pastillos, ad vlcera oculorum & scabritiem. Caprificus etiamnum multò efficacior Fico. Lactis minus habet: surculo quoque eius lac coagulatur in caseũ. Exceptum id coactũmque in durum, suauitatem carnibus affert. Dentium dolori hic succus appositus in lana prodest. Bubulas carnes additi caules magno ligni compendio percoquunt. Grossi illitæ strumas & omnium collectionem emolliunt & discutiunt. Aliquatenus & folia. Quæ mollissima sunt ex his, cum aceto vlcera manantia, & epynictidas & furfures sanant. Grossi Caprifici inflammationes (inflationes..) discutiunt suffitu. Resistunt & sanguini taurino poto, & psimmythio, & lacti coagulato potæ. Item in aqua decoctæ atque illitæ parotidas sanant. Cauliculi aut grossi eius quàm minutissimæ ad scorpionum ictus è vino bibuntur. Lac quoque instillatur plagæ, & folia imponuntur. Item aduersus murem araneum. Cauliculorum cinis nuam sauciũm sedat. Arboris ipsius cinis ex melle, rhagadia. Radix deferuefacta in uino, dentium dolores. Hyberna caprificus in aceto cocta & trita, impetigines tollit. Illinuntur ramenta ramorum sine cortice quam minutissima ad scobis modum. Caprifico quoque medicinæ vnius miraculum additur. Corticem eius iam pubescentem (impubescentem alij) puer impubis si desfracto ramo detrahat dentibus, medullam ipsam adalligatam antè Solis ortum prohibere strumas. Caprificus tauros quamlibet feroces, collo eorum circumdata, in tantum mirabili natura compescit, vt immobiles præstet. Quæ sanè duo prodigiosa sunt miracula, si euentus respondeat, quemad. & illud antè dictum cæsorum animalium carnes perquàm celeriter tenerescere, & fragiles effici, quæ in Fico pependerint. Quorum rationem inuit Plutarchus in Symposiacis. Quum inter obsonia Aristionis Coquus immolatum Herculi gallinaceum gallum recentem, tenerum & penè friabilem obtulisset, tam citam teneritudinem fico acceptam referebat Aristio, contendens iugulatas aues etiam prædutas teneritatem contrahere, quæ pensiles adhæsere Fico.

Causam adfert Plutarchus: namque quod auram halitumque vehementem ac validum expiret ficus, visus satis testatur. Fidem quoque facit quod uulgo de tauris proditur & modò ex Plin. relatum, quamuis alio modo: ferocissimus quisque huic alligatus arbori, mitescit, tangique manu ac subigi tolerat, & efflans iram, animumque veluti flaccescentem deponit, tantis viribus pollet ea spiritus acrimonia, vt, ruat licet sæuiátque taurus, imperet furori. Siquidem arbos Fici plus ceteris lacte copioso prægnans est, sic vt & lignum, rami, pomum eo planè refercìantur. Quapropter cùm amburitur, fumus, quem eructat, & maximè mordet & vellicat. Ita Theophrasto, Aristophanique in Vespis, [illegible]. An verò, quòd Plutarchus putat, causa, cur cicur fiat Taurus, Fico alligatus, (si modo fit) sit tribuenda acrimoniæ arboris spiritus, nondum concedimus. Qualem enim & quàm vehementem oportet esse in taurum illum spiritum, quem in proximum non ferat modò, sed nec vllum sentiat, aut saltem non patiatur vel homo, vel animal quoduis aliud? Causam igitur potiùs (si res sit experimenti indubitatæ) ad occultam quandam proprietatem, & cuius alia manifestior in obscura & miserabili hac nostra literaria peregrinatione, nulla reddi queat, quemadmodum nec aliarum plurimarum in eiusmodi occultis naturæ miraculis.

Sed quam dicemus rationem, cur gallus iugulatus si in Fici arbore pependerit, tenerescat, quod alii non tantùm de gallinacea, sed de omni alia carne tradunt, vel Curtio teste. Plutarchus vti dictum, rationem reddit auram acrem & validam, ideóque coquentem: additque Equos & asinos tum maximè bulimo affici, cùm aut Ficus recentes, aut mala baiulant. Sed hæc ratio non satisfacit priori quæstioni. Est hæc aperta & manifesta

nifesta ad suum effectum. Acrimonia nimirum lactis ficulnei, quale in ficu immatura deprehenditur, eam vorandi cupiditatem inducit. Mala verò id duplici ratione efficiunt, vel propter frigiditatem & adstrictionem, si immatura sint: (vtraque enim harum facultatum famem & appetitum ciere potis est) vel quia citò descendant, & ventriculum vacuum relinquunt, si sapida sint, tenera atque dulcia. At non est aperta illa vis Ficus ad appensam tantummodò carnem? Quod si paulò diutiùs ex ea penderet, temporis potiùs spatio causam acceptam ferremus, quippe quo vel absque Ficu carnes, & potissimùm gallinaceas, tam nostratium quàm Indicorum Gallorum tenerescere atque adeò friabiles reddi, tam certò scimus, quàm huius cognitionis optatam interdum ferimus appetitus conuiuialis gratiam. Quomodo enim id à spiritu vel halitu arboris simplici euenire queat, (nisi quis fortè & hic occultam aliquam vim causari velit) fatemur ingenua illa, sed fragilitatis incertæ suæ confessionis formula: nos nescire.

Cur fulmine ficus non percellatur

Idem Plutarchus & alii plures, Ficum fulmine non ici existimant: causam tribuit idem amarori & trunci vitio, vt talia fulgure non percellantur. Quod si verum sit, multiplex profectò, cōtra rem tam horridam, támque pertimescendā, & tantum naturæ periculum remedium iam nobis innotuit, cùm tot res amaras inuenire sit obuium. Aliud de hac re iudicium in superioribus exposuimus. *Hæc Philosophica sunto.*

Cur fici succus amarus fructus dulcis.

Magis etiam ad artem accedit, quod ille ipse autor quærit in Sympos acis: cur Ficus πικρὰ γλυκύτατον ... nascatur ex fructu ... ? Cur, inquam, cùm Fici arbos amarissima sit, fructum tamen ferat dulcissimum. Et sanè haud parum torsit hæc quæstio Plutarchum, virò caetoque ingenii pandentem vela pro consequendo cursu rationis & veritatis. At non vidit ille disputator idem euenire in aliis plerisque arboribus. Amarus succus Pruni potissimùm syluestris: at fructū maturatione tandem ad gratiam redigit atq. dulcorem. In Cerasis nihil dulce. At fructus plerique dulces nascuntur. Amaricans, austerus vel insuauis Piri non succus modò, sed partes eius omnes pluraq; videas Pira dulcia, quàm non dulcia, præsertim probè matura. Concludamus cum summo disputatore Aristotele, omnia coctione dulcescere. Quantò magis geminā: internā, inquam, à forma & calore animæ Fici, Cerasi, Piri &c. & externā à calore Solis. Eadem rationes, cur Fici arbor amarissima Plutarcho fructus ferat dulcissimos quod nobis fuit demonstrandum. Et decuit fortassis lectorem in tam longa Ficuum tractatione, aliquot quæstiuncularum ventilatione recreare.

Plutarchus.

Nunc & cæterorum autorum placita de Fici viribus persequamur, vbi prius quædam de Sycite vino adiecerimus.

Obscurè de eo Plinius: Id verò tenuium esse partium, flatus gignere, stomacho aduersari, fastidium creare, bonam tamen facere aluum, vrinam ciere, menses trahere, lactis vbertatem præstare, at vitiosum sanguinem creare. Elephantiasimque & Zythum inferre tradit Dioscorides, modum parandi addens.

Acetum Sycites Columel.

Aceti sycitis seu ficulnei parandi modum hunc docet Columella. Sunt quædam regiones, in quibus vini, ideóque etiam aceti penuria est. Itaque Ficus viridis quàm maturissima legenda est, vtique etiam si iam pluuiæ incesserunt, & propter imbres in terram decidit: quæ cùm subiecta est, in dolium vel in amphoras conditur, & ibi sinitur fermentari: deinde cùm exaruit, & remisit liquorem, quicquid est aceti, diligenter colatur, & in vasa picata benè olida diffunditur: hoc primę notę acerrimi aceti vsum præbet, nec vnquam situm vel mucorem contrahit, si non humido loco positum est. Sunt qui multitudini studentes aquam Ficis permisceant, & subinde maturissimas Ficus recentes adiiciant, & patiantur in eo iure tabescere donec satis acris aceti sapor fiat. Postea in iunceis fiscellis, vel sparteis saccis percolent, liquatúmque acetum feruefaciant, dum spumam, & omnem spurcitiam eximant, aut torridi salis aliquid adiiciant, quæ res prohibet vermiculos aliáue innasci animalia.

Aliaratio.

Caricarum temperamentum ex Gal.

Cæterùm Ficus aridæ, ex traditione Galeni, vim habent excalfaciendi ordine primo completo aut secundo incipiente: habent verò etiam partium tenuitatem quandam. Ex istis duabus idoneæ sunt, quæ duros tumores concoquant: statim verò etiam eos digerunt: atque ipsæ per se illitæ eiusmodi vim obtinent. Sed & decoctum earum eiusdem vtique naturæ est. Verùm vbi magis concoquere consilium est, miscenda est farina triticea: vbi verò plus digerere, hordeacea: panis horum in medio. Porrò scire oportet, quòd quæ pinguiores sunt, magis possunt concoquere: quæ verò gustu acriores, magis tum extergere, tum digerere. Cæterùm quod ex iis plurimùm in aqua coctis efficitur, simile est melli non solùm consistētia, sed & facultate. At Ficus virides comestæ, propter admistam humiditatem facultatis sunt imbecillioris: subducunt tamen aluum vtræque tum humidæ, tum siccæ. Ficus verò Caprifici acris & digerentis facultatis sunt. Sic etiam domesticarum grossi, quas ὀλύνθους vocari diximus: inest enim illis nonnihil etiam succi ex Ficu arbore. Ipsa Ficus arbor calidæ tenuiúmque partium temperaturæ est, vt indicant & liquor eius & foliorum succus. Valenter vterque calidus est: quare non mordicat tantùm aut vehementer abstergit, sed & vlcerat & ora vasorum reserat, & verrucas quas myrmecias vocant eiicit. Sed & purgare potest. Ficus agrestis, tum liquor tum succus ad omnia quàm sativę valentior est. Sed & cradæ earum adeò sunt calidæ tenuiúmque partium, vt carnes bubulas duras, si coquendis adiiciantur, friabiles ac teneras efficiant. *Hæc Gal. in 8. simpl.*

Decoctum.

Ficus virides.

Laxant aluum.

Ficus Caprifici. Arboris temperam.

Succi temperam.

Ad Verrucas.

Temperam cradæ.

Idem lib. de alim. Ficus, inquit, tametsi minùs praui succi gignant, quàm cæteri omnes non modò fugaces sed & autumnales fructus, non tamen prorsus id vitium effugere potuerunt. Cæterùm hæc ipsis insunt bona, nempe quòd commeabiles sint, & facilè in totum corpus peruadant penetréntque. Nam & abstergendi vi pollent haud obscurâ: cuius gratia post ipsarum esum nephritici multas arenulas excernunt. Cum porrò omnes autumnales fructus exiguum corpori alimentum præbeant, minimè omnium Ficubus id vsu venit: carnem tamen non compactam neque firmam generant, ceu panis & suilla caro, sed turgidulam & subinanem, veluti Fabæ. Quin ventrem flatibus implent & ipsæ, nec mediocrem profectò hinc molestiam intulissent, ni etiam celerem descensum essent adeptę, cuius beneficio cùm celeriter peruadant, flatus quem excitant non diu manet, atque ob id minùs cæteris autumni fructibus lædere consueuerunt. Maturæ Ficus immaturas non mediocriter antecellunt, quod & in aliis omnibus cernitur fructibus, quanquam non tantum in illis discrimen existat. Siquidem ad plenum maturæ Ficus paulò minùs omni prorsus

Nephritis.

noxa vacant. Ficus & Vuæ, quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent, ita fugacibus omnibus magis nutriunt, minimúmque praui succi habent, præsertim cùm exactam maturitatem fuerint adepta. Quódque nutriant, maximo argumento sunt ii, qui vinearum fructum custodiunt: siquidem cùm duos menses solis vuis ac Ficubus, quarum custodiæ præsunt, vescantur (nisi fortè panis quippiam cum illis addant) obesi tamen ac pingues fiunt. At caro quæ ex ipsis gignitur, haudquaquam est firma ac densa, quemadmodum ea quæ ex carnibus fit, sed laxa ac præhumida: ob id celeriter etiam cùm vesci ipsis desierint, contrahitur ac considet.

Caricæ quidem multiplicem habent vtilitatem, si quis tamen largiùs esitauerit, ab eis offendetur: non admodum enim probum sanguinem gignũt: quapropter pediculorum quoque agmen eas comitatur. Incidendi extenuandique vim habent, qua & ventrem ad excretionem irritant & renes expurgant. Pecori autem Lienique inflammatione obsessis sunt noxiæ quemadmodum & ficus, non peculiari quadam eximia facultate, sed communi ratione dulcium omnium ciborum ac potuum. Obstructis illis aut scirrho tentatis ex sese nihil prosunt aut obsunt, sed medicamentis incidentibus ac extenuantibus & extergentibus mistæ non mediocriter auxiliantur. Ideóque nonnulli medicorum in dictis Lienis ac hepatis affectibus exhibent ipsas longè antè cibum cum Thymo aut Pipere, aut Zingibere aut Pulegio, aut satureia, aut Calamintha aut Origano, aut hyssopo: ad eundem etiam modum si caricæ cum alio quopiam illorum quæ facultatem habent acrem aut omninò incidendi assumantur, non solùm sic affectis, sed sanis quoque vtiles erunt: siquidem iecoris meatus, per quos fertur alimentum, apertos esse non ægrotantibus modò, sed bene valentibus etiam tutissimum est. Proinde hoc pacto Ficus cum sale extenuante aceto & garo præparatas vulgò comedunt, quòd id vtile esse experientiã didicerint. Verisimile est, ipsorum nonnullos Medici cuiusdam consilio adductos, Ficus hoc modo primùm comedisse, deinde eam notitiam ad vulgus dimanasse. Qui verò cum cibo aliquo incrassante Ficus & Caricas edunt, non mediocriter offenduntur. *Hactenus Gal.* qui vt salubrem vitam degeret, ab omni fugaci pomo abstinuisse se tradit ab XXVIII. anno ætat. ad senectam vsque exceptis exactè maturis Ficubus, atque vuis, quæ minùs inutilia esse existimauit; vt ex modò dictis abundè patet. Idem ait quòd quicunque amicorum suæ paruerit admonitioni, vt ab ὡραίοις fructibus abstineret, sine morbis fuisse.

Martialis Epigram.13. traditum Distychon non malè & huc quadrare videtur: quamuis ille ad Ficedulam referat, aut allusisse videatur.

Cùm me Ficus alat, cùm pascar dulcibus vuis,
Cur potiùs nomen non dedit vua mihi?

Est autem Ficedula M. Varroni dicta auicula, quòd ficubus vescatur. ob quam rem etiam συκαλὶς, alijs συκαλίς dicitur, & ἀμπελίς, id est, vuedula, ab vuis quas etiam pascitur, quibus mirum in modum pinguescere creditur. Hanc Recentiores falsò putant esse quamcumque Autumnalem auiculam ob pinguetudinem expetitam: certa enim species est, corpore grandiusculo quàm Luscinia, oblongo, colore misto ex rauo, cinereo, pallido, Pellafigam Vascones vocant: quod ex Scalig. obseruationibus hic annotare placuit, sed ea lege ac omine, vti nobis non sit fraudi materias commiscuisse.

Porrò Gal. lib.8. simpl. cap. de Cinere. Dioscoridem haud iniuria reprehendendum videtur, quòd lixiuia omnia adstringendi vim habere prodiderit, inter quæ & ficulneum connumerauit. Nam cùm Lixiuium vt Gal. verbis vtamur, significantummodò κονίας ἀποπλύσεως, id est, cineris lotura: id certè cineris, è quo fit, naturam recipere consentaneum fuerit. Porrò cùm cinerum lotura non vna sit & eadem, sed pro materiæ combustæ diuersitate diuersa, aliorum quidem adstrictoria, aliorum verò acris & abstersoria, & ipsa quoque lixiuia pro cineris, è quo facta fuerint, varietate varia esse necesse fuerit. Quapropter doctiss. Sarrac. vt ne Galeni reprehensioni locus esset vllus, suprà adducto loco apud Dioscor. mendum subesse haud malè suspicatur, & ἀντὶ τοῦ στυπτικοὶ, καυστικοὶ legendum esse iudicat.

Non abs re fuisset Simeonis Sethi paucis verbis & veluti compendio, tradita de Ficuum viribus adscribere, nisi pleraque ex Gal. essent desumpta. Dicamus quædam ex eo. Fici, inquit, primo ordine calefaciunt intenso: desiccant verò medio primo, nutriúntque abundè, sed vento ventriculum complent nisi probè concoquantur. A Nephriticis comestæ, multas arenulas educunt. Pectus & pulmones iuuant: aiunt insuper contra venena medicamentum ficos esse, eos singulis diebus ieiunus si quis sumat.

Sed vt de Ficorum erga venena vi magis constet, nota est Mithridatis compositio, tantopere à multis celebrata, de qua etiam Iuuenalis. Satyra 14.

----Atque eme quod Mithridates
Composuit si vis aliam decerpere Ficum.

Quippe caricæ cum Iuglandium nucleibus commanducatæ, egregiè venenorum maleficia hebetare creduntur. De Mithridatis antidoto plura habes in historia Nucis Iuglandis. Denique omnium fructuum quos ξυλίνους, id est, Ligneos, [quoniam è materia stirpium lignea oriuntur, à quibus diuersi cereales, σιτηροὶ] appellant, vtilissimos esse ficos etiam Herodotus Lydius in opere suo de Ficubus sic scribit Athen. Ipsorum facit multis verbis, ac Ficuum succo recens natos puellulos optimè ali, vegetósque fieri, si illis nutriantur, affirmat. Pherecrates, qui Persas edidit, inquit:

Assentit si quispiam aliquando Ficum fuerit... tem,
cum ... est, ...
Puellulis, vt niteant, obteriam in cibum dat, tanquam
medicamentum non vulgare Ficus sit.

Herodotus in primis admirandus & mellifluus lib.1. hist. ingens bonum mortalitati ficus esse, ad hunc modum scribit: Aduersus illos homines, o rex, exercitum comparas, qui anaxyride [femorali seu subligaculo] & reliquo vestitu coriaceo vtuntur: cibantur verò non iis quæ cupiunt, sed iis quæ suppetunt, regionem asperam incolunt: vinum, per Iouem, non bibunt, nec ficus nec aliis lautis cibis vescuntur.

Polybius Megalopolites lib.12. narrat, Philippum Persei patrem, cùm incursionibus Asiam vastaret, commeatus inopiâ, quia frumentum deesset, in cibaria militum à Magnesiis Ficus accepisse, ideóque potitum Myunte, ac pro datis ficis eum locum tribuisse Magnesiis. Ananius Iambicus:

In ædibus auri multum si quis concluserit,
Et paucas Ficus, &c.
Quantò Ficus auro sint præstantiores intelliget.

Tam prolixè Magnus de Ficubus cùm tractauisset, ad

Marginalia: Obseruatio. Obesitas. Caricarum vsus. Pediculi. Caricarum temperam. Ventrem & Renes purgant. Noxiæ earum. Hepat. obstructio. Ficorum condimentum. Experimentum. Longa vita. Experimentum. Ficedula. Vuedula. Recentiorum error. Diosc. not. Lixiuia non omnia adstringere. Diosc. locus cor. Temper. ex Sim. Seth. Ad Venena. Infantium recens natorum cibus.

ad hunc modum locutus est Daphnus medicus Philotimus lib. 3. de alimentis, recentium Ficuum ait plures esse inuicem differentias, nempe generis, temporis quo proueniunt, & facultatis: cæterùm in vniuersum, humidas & maturas ocyssimè dissolui ex omnibus, & quouis alio fructu celeriùs coqui, nec alius impedire cibi coctionem: humidarum facultatem glutinosam esse ac dulcem, (subnitrosam tamen: (ob lactis exiguam acrimoniam) deiectiones molire largiores, liquidiores, promptiores, minimèque molestas: succum salsum & subacre corpori suppeditare cum sale deuoratas: at quod præbent alimentum citò dissipari. Itaque multis Ficuum esu valdè auctam molem corporis, breui pòst tempore gracilescere ac extenuari supra modum: quod profectò non accideret, si perstaret alimentum è Ficu perceptum, & statim discuteretur.

Impinguãt.

Experimẽtum.

Reliquis porrò fugacibus fructibus à ventriculo faciliùs superari hoc arguit, quòd non solùm citra noxam copiosiùs aliis fructibus ingerimus, sed etiam quòd illis præsumptus si consuetum & parem cibi modum addamus id nihil incommodet: vnde manifestum est, vtrúmque cibum à ventriculo confici, & minore negotio Ficus vinci quàm alios fructus, nec obstare quominus alius cibus coquatur. Facultas quidem ea Ficus est, quam proposuimus. Glutinosam & salsam, ex eo deprehendimus, quòd ob lentorem manibus inhærescit, & illas tamen absterget: dulcem linguæ & oris iudicio cognoscimus: Quòd autem sine torminibus & perturbatione alui deiectionem moueat celeriorem, copiosiorem, molliorem, vt probemus, verbis haud multis fuerit opus. At verò in ventriculo Ficus parum immutatur seu alteratur, non quia difficilis sit earum coctio, sed quia confestim deglutimus dentibus nondum extritas & comminutas; qua de causa promptior est earum excretio.

Glutinosa.

Deiectionẽ mouent innoxie.

Salsum quidem succum à Ficis procreari, & in corpus diduci indicauimus, quoniam, vt est demonstratum, nitrosi sunt: augetur salsugo addito sale, quo cum ferè recentes comedi solent etiãnum hodie in Italia & Galloprouincia. Ita augebatur olim acrimonia etiam adiecto vel Thymo, vel reliquis supradictis herbis, vel aceto. Ac veteres esitasse Ficum cum sale, Thymo atque aceto, abunde colligere licet ex Athenæo.

Cur promptius egerantur. Cur salsum succum generent.

Heraclides Tarentinus in Conuiuio (vt idem refert) dubitat & percontatur, post esum Ficuum an aqua gelida bibenda sit, an calida. Qui calidam malunt, illos inquit hoc suadere, quod animaduertant sordidas manus aqua calida lotas cõfestim purgari, & hoc exemplo credibile putent in ventriculo Ficus è vestigio dissolui, præsertim cùm extra corpus nostrum aqua calida ficuum continentes partes distrahat, & in tenues portiunculas liquatas diuidit, frigida verò illas contrahat, & cogat. E diuerso, qui frigidam bibendam sentiunt, sic ratiocinantur: frigidæ potione ob eius grauitatem, quæ insident ventriculo deorsum protrudi: non admodum bellè ventriculum habere post esum Ficuum, quia æstuosus & imbecillus reddatur: quamobrem quidam extemplò merum bibũt: aquam porrò frigidam in ventriculum acceptas illas depellere.

An frigida vel calida. post ficuum esum bibẽda.

Est autem post sumptas Ficus largiùs & affatim bibendum, ne in ventriculo subsistant, sed ad inferiorem intestinorum partem delabantur.

Post sumptas ficus largius bibendum.

Quidam Ficus aiunt edendas meridie non esse, quia tum morbosæ sint, id quod etiam in Crapatallis Pherecrates dixit. Aristophanes in Proagone.

Meridie non edendæ.

Aegrotantem verò aliquando ipsum æstate cùm vidisset.

Vt ægrotaret etiam ipse, meridie Ficus comedabat.

Eubulus in Sphingocarione:

Per Iouem ita est: Etenim rectè non valebam, ô vir optime,

Vt qui nuper Ficus edissem meridie.

Nicophon in Sirenibus:

Vestrum si quis Ficus meridie

Recentes, postea quam esitarit, obdormiscat, febris protinus

Cursu adueniet.

Cautio à febre.

Diphilus Siphnius inquit, recentes ficus & prauum & paucum alimentum præbere, egeri facilè, innatare ventriculo, & citiùs in habitum corporis distribui, quàm siccas.

Recentes.

Demetrius Scepsius lib. 15. Troiani apparatus scribit, eos qui ficis abstinent, esse vocaliores, ideoque Hegesianacta ciuem Alexandrinum, qui historias composuit, cùm initiò pauper esset, eximium Tragœdiarum actorem & histrionem euasisse, voceque mirum in modum sonora, quia per annos octodecim ficum non esitasset: ideo studiosis vocis abstinere ficu Græci iubent.

Qui ficis abstinent, vocaliores

Abstinentia à ficubus.

Notum est quod de ficis iactatur prouerbium.

Post piscem Ficus, post carnem legumina.

Prouerbiũ de ficu.

De quo, quia extat apud Eras. in adagiis, plura non dicemus.

Baptista Fierus vires quasdam ficuum breui nec inelegant carmine complexus est:

De illis etiam Eob. Hessus:

Ergo tot inter opes regnantis fructibus anni,

Prima locum meritò Ficus & vna tenent.

Vtraque nam succis implet melioribus, & nil

Quæ noceant vitii damna ferentis habent.

Decoctum, inquit Paulus, ficorum, plerique *Sirãu* appellauère: quod & defruto quoque nomen est. Hippocrates Sycion.

Siraum. Sycion.

Posteritatis obseruationi tribuendum, ficos cũ fermento tritas, admixto sale, pestem aliaque vlcera vel tumores emollire adeò vt intra paucos dies abscessus rumpatur. Eodem tamen medicamento Regem Ezechiam vsum fuisse (2. Reg. c. 20.) existimat Tragus.

Ad pestem.

Matthiol. sibi experimento compertum esse tradit caricas duas aut tres nocte vna in aqua vitæ maceratas Asthmaticos iuuare, qui manè eas deuorauerint. Ad nephritidem & dolorem colicum experimentum excellens & præsentaneum eiusdem, vt ille ait: Caricarum albi, Græci ana M. i. coquantur in lib. 1. ß. vini ad consumptionem tertiæ partis, cum sale pauco iniiciatur per clysterem, sordes multas ad flauas educit. Ficuum decoctum calidum infantibus propinatum, ecthymata & exanthemata protrudit.

Experimẽtum ad Asthma.

Aliud ad Nephritidem & colicam.

Ficulneo lacte vermiculosæ sanantur aures: & ficulneis foliis facilè affrictu citantur hemorrhoides, qui hodie vulgò facillimus & tutissimus habetur hæmorrhoides excitandi modus. Practici quoque & ad promptè maturandos panos caricis decoctis (quibus tamen vel solis magnam in eo casu tribuunt vim) addunt radices Lilii, Altheæ, cæparum &c.

Exanthemata

Hæmorrhoides.

Si quis ictus, vel demorsus ab animali venenoso, is instillet tres, vel quatuor guttas lactis ficulnei supra vulnus, & mirum, teste Mizaldo, inueniet præsidium.

Ad ictus animalium venenatorũ

Rondeletius in sua praxi de calculo renum non vult in Enemate addi ficus, quia inquit vesicæ nocent: quæ verò possit esse ratio nec addit ille, nec nouimus ipsi. Arenulis expellendis opportunæ

Digitized by

Pediculi. suprà diximus ex Galeno. Ficuum frequentem vsum pedunculos generare præter Galenum, & Paulus Ægineta, & Oribasius, & posteriorum quamplurimi, ipséque adeò vulgus, persuasum habet, causamq; referunt, quòd malum generent sanguinem. Quod si certum sit eas pediculos causare, (nondum enim hoc omninò nobis compertum) malimus equidem causam referre ad id quòd nimis impinguent, vti dictum, & quòd vi sua Diaphoretica, quâ & exanthemata protrudunt, carneæ molis & cutis excrementa in corporis superficiem expellunt, sicque occasionem præbeant generationi pediculorum.

Superstitiosus Cardanus. Hactenus abundè de seriis, nunc ex aliis enumeranda naturæ aliquot miracula, si non potiùs figmenta. Referunt nonnulli apud Cardanum expertúmque esse dicunt, folio Ficulneo contactas verrucas aboleri, si folium ipsum sepeliatur. Sed quid sepultura hæc foliorum? forsan etiam insepulta idem efficient. Ficus albas in somniis boni quid denotare, nigras verò inopportuno *Porta fabulosus.* tempore, calumnias & detrectationes Porta scribit. Hem somniorum prudentem! Ait idem: ficus quia habent frondes neruis conspicuas, ideò earum cinis neruorum vitiis & conuulsionibus *Cochlearia ex ficulno ligno accelerant coctionem carnium.* illinitur ex oleo. O diuinatorem egregium! Cochlearia ex ficulno ligno facta, hoc habent peculiare, [inquit Keckerman. ex Mizaldo] quòd carnes ad celerem concoctionem adigant, si elixationi earum sæpiùs admoueantur. Cur tantus Philosophus vocabulum *Quia* non adiunxit?

Philemon conspicatus asinum ficubus vescentem, mortuus. Lepidum, quamuis sinistri euentus est, quod Cicero alicubi de Philemone poëta refert: is conspicatus ficubus vescentem asinum, quæ in prandium paratæ erant, tanta vehementia cœpit ridere, vt statim emoreretur.

Non insubidè nunc fabulam Corui Apollinis & alias quasdam Coronidis loco subiiciemus. *Fabula de Coruo Apollinis.* Tradunt, aut potiùs fabulantur Poëtæ, sacrificante Apolline, coruum, qui in eius tutela esse dicitur, ad fontis puram aquam asportandam missum. Vidit hic ficorum plures arbores, & in his fructus nondum maturos: ac in earum aliqua consedit, exspectaturus nimirum, dum eius fructus maturescerent: quod vbi euenit, plures à *Coruus ficuũ edax.* Coruo ad saturitatem vsque comestæ sunt. Cuius moram, tam esus quàm maturitatis, vtpote non paruam, pertæsus Apollo, quum etiam re alia ad sacrificandum vti necessarium fuisset, Coruum *Corui pœna.* hac pœna atque ignominia vltus, vt quoad Fici maturescerent, bibere posset nequaquam. Per illud enim tempus guttur pertusum habet, vt propterea aquam minimè haurire possit. Aliter alii: vt Ouid. in secundo Fastorum. Dum Iupiter festum solemne appararet, coruum, vt aquam ferret, misit: qui, vt iam dictum, dum Ficus maturandas exspectasset, quas priùs rostro immaturas deprehendisset, diu immoratus, & Ioui moræ causam mentitus, [Nam illi aquarum obsessorem hydrum affirmarat] Ob quod mendacium in sydus cœleste commutatus, si credere fas est.

Formicæ in fico in homines mutatæ. Eadem aut simili incude & hæc fabricata fabula. Ficus arbor fuit in qua Æacus Iouis & Æginæ filius formicas vidit, quas in sociorum ob pestilentiam amissorum, solatium, in homines conuerti desiderauit. Quod statim euenit: qui deinde Myrmidones dicti. Iuxta Eleusinem Atticæ ciuitatem, & propè Cephisum fluuium fons est, quem Caprificum appellarunt, quo Plutonem, rapta Proserpina, ad inferos descendisse fama est. Pausanias in Atticis. Nondum innotuit nobis ex quo *Curtius.* fonte habeat hoc Curtius, quod tam categoricè nullaque hæsitatione scribat Adamum & Euam *F. cum Adamo.* post in Deum præuaricationem factam, cùm se nudos cognouissent, fici [ac huius quidem fieri de qua ibi tractat] folia consuisse, & sibiipsis perizomata confecisse.

ARBOR PEREGRINA FRVCTVM FICVI SIMILEM GERENS.

Cap. LXVI.



Descriptio Cuius arboris sit hic ramulus & Clusium & Paludanum, qui ramulum describendum Clusio dedit, latet. Erat autem cùm suo fructu in vuæ modum quasi congesto, resiccatus, durus, crasso cortice tectus, gracilis, & digitalis longitudinis, coloris ex fusco cineracei, octo fructus exiguorum Ficuum instar, crasso breuique pediculo subnixos summo fastigio sustinens, fuliginosi coloris, cineraceis maculis conspersos, duros, & satis solidos: vt quandam affinitatem habere viderentur cum Sycomori circa *Sycomorus.* Tripolim Syriæ nascentis fructu, descripto à Rauvvolfio, nisi ipse Paludanus, qui Sycomoros in Ægypto & Syria viderat, Clusium ab ea sententia submoueret. Cæterùm, similem fructum à Iac. Gareto missum Londino, Francofurti ad Mœnum accipiebat Exoticorum author, non tamen tam copiosè ramo inhærentem, sed singularem duntaxat, vel interdum geminum, suis pediculis simul connexum.

Quum porrò hic fructus ficui vulgari valdè sit similis figurà, & nonnunquam etiam adeò pusillus, vt Ciceris magnitudinem non multùm excedat: an ad ficus Indicas circa Acesinem amnem *Ficus Indica.* nascentes referri non possit, cuius Theoph. Hist. plant. lib. 1. cap. 12. & lib. 4. cap. 5. mentionem facit? Verùm is negat copiosum fructum ferre, & ex Fabriciana relatione, singulares inter folia, vulgarium ficuum instar, nasci deberent. An verò fru- *Gaguey.* ctus arboris *Gaguey*, quam describit Ferd. Ouied. cap. 13. lib. 8. 1. part. general. & nat. Historiæ.

FICVI SIMILIS FRVCTVS.

Cap. LXVII.

Descriptio Fructus exoticus, quem Clusio misit Iac. Plateau, non valdè absimilis erat fructui, qui immaturæ ficui similis esse scribitur, cùm formà, tum magnitudine, & colore: etenim durus erat & solidus, leuis tamen: eius color ex fusco cineraceus, albis maculis aspersus, nec aliâ ratione ab illo differre videtur Clusio, nisi quòd hic graciliore pediculo esset præditus: an verò plures in vno

vno ramulo hæserint, vt illi, ignorat idem, quia singularem accipiebat.

PIMPINICHI ARBOR LACTESCENS.

CAP. LXVIII.

Descriptio. IN omnibus continentis Indiæ oris, inquit Monardes, lacteus quidam succus elicitur ex arbusculis Malorum similitudine: Indi Pimpinichi vocant: è cuius ramis recisis lacteus humor illicò emanat, aliquantulùm densus & viscosus.

Vires. Purgans. Pulvis. Huius succi tres aut quatuor guttæ sumptæ, validissimè per aluum purgant bilem & aquas. Bibitur ex vino, aut desiccati pulueris deglutitur pauca quantitate propter nimiam vehementiam. Illud autem peculiare habet, quòd si quis illo sumpto iusculum, vinum aut aliud quid iniiciat, subitò eius operatio infringitur & cessat. Sed eo sumpto, à somno abstinendum. Calidus est & siccus hic liquor in tertio gradu: ideóque est validum nimis & pernitiosum medicamentum, quo etiam sicut & aliis eiusdem generis, vti desitum est, aduecto Mechoacam, de quo suo loco.

Peculiaris vis. Temperamentum.

FICVS INDICA.

CAP. LXIX.

Descriptio Lusit.



FIcus Indica autore Clusio in magnam altitudinē vnico trunco eoque admodum crasso assurgere solet; ramos deinde in omnia circum latera expandit, qui tenues quasdam fibras siue filamenta [qualia in Cuscuta vulgò nuncupata conspicimus] coloris dum recentia sunt, æreí siue aurei demittūt. Iis vbi terram attigerint firmantur, nouamque quasi sobolē generant: etenim magnam crassitudinem paulatim acquirunt, & veluti in nouos arborum caudices transeunt, qui nouos rursus summa sui parte in latera ramos spargentes, nouis denuò fibris deorsum missis sese propagant. Sic alii deinceps rami in infinitum, vt interdum vnica arbor suis propaginibus integrum ferè miliare Italicum in ambitu occupet, itaque difficilè, quæ primaria sit arbor, siue omnium istarum prolium parens diiudicare, præterquam ex trunci amplitudine, quæ nonnunquam in matre tanta est, vt trium virorum vlnis vix apprehendi queat. Verùm non modò inferiores rami similes fibras spargunt, sed etiam in arbore summi: ideóque vnica arbor densissimam syluam efficit. Sub eas autem arbores aditum sibi paraturi incolæ fibras iam in truncos conuersas, tenuiores scilicet, exscindere solent, atque ea ratione veluti concamerationes & vmbracula facere, arcendi caloris gratia: adeò enim densis ramulis reliqui maiores rami luxuriant, vt Solis radij nulla ratione penetrare queāt: immò concaui istarum fornicum multiplicesque sinus scindunt inæqualiter inde resultantem aëra, quæ causa est, vt Echo multis in locis ter atque etiam sæpius humanas voces reddat. Vidit verò qui hæc retulit D. Fabricius Salernitanus, qui aliquot annis in Indiis vixit: Interdum octingentos aut mille viros, quo in numero & ipse fuit, vnius huiusmodi arboris vmbrâ tegi: atque affirmabat terna etiam hominū millia sub tali arbore latere posse. Folia fert in nouellis ramis Mali cotonei foliis similia, supernè viridia, infernè candicantia, & lanugine, vti illa, pubescentia, quæ mirum in modum ab Elephantis expetuntur, ideoq; in eorum pabulum cedere solent. Fructus extremi pollicis articuli magnitudine, ficubus exiguis similis, colore foris & intus sanguineo, granisque, vti vulgares Ficus, plenus, dulcis quidem & edulis, verùm saporis minùs grati quàm illæ. Nascitur autem inter folia, quemadmodum vulgares Ficus, hoc est, in nouellis ramis, qua parte folia illis inhærent.

Trunci amplitudo. Vna arbor syluа. Vmbracula. Echo. Arboris descriptio. Cotonei folia. Folia Elephantis expetita. Fructus.

Ioan. Hugo Linschot. qui ante paucos Annos Goà rediit, eius iconem exprimit, sed lōgè ab hac nostra diuersam: etenim non singulares radices è ramis dependentes, verùm innumeras, illásque adeò multifidas, vt vix arborem aut fruticem tam variè multipliciterque sectas radices habere putem: hanc ob causam valdè suspecta ea est.

Garciam huius arboris nullam mentionem facere, satis mirari nequeo.

Indica regio inquit Theophrastus arborē Ficum appellatā gignit, quæ è ramis radices demittit singulis annis. Demittit autem non ex nouellis, sed ex anniculis, atque etiam vetustioribus. Illæ se terræ inserentes veluti sepem circum arborem efficiunt, vt fiat veluti tabernaculum quoddam, sub quo & homines degere solent. Radices autem enascentes manifestè à ramis discernuntur: sunt enim candidiores, hirtæ, [δασεῖαι] ac tortuosæ, binaque fronde foliatæ. [ἄφυλλοι.] Ipsa arbor comam supernè lasciuam gerit, [ἔχει δὲ τὴν ἄνω κόμην πολλήν,] totáque fornicato ambitu pulchrè orbiculatur, & magnitudine vehemēter excellit, quippe vmbram bino stadio facere fertur: & crassitudine caudicis plerasque vltra quàm sexaginta graduum [βημάτων, pedis vestigiorum. Plin. passuum] orbem colligere, magna verò ex parte quadraginta. Folium pelta non minus habet: [potiùs ad similitudinem quàm ad amplitudinem referenda hæc comparatio. Clus.] fructum admodum paruum magnitudine Ciceris, Fici similem: quamobrem Græci Ficum eam arborem appellabant. Paucos verò admodum fructus fert: non tantùm pro arboris magnitudine, sed etiam omnibus rebus. Cur autem adeò exiguum & paucum ferat fructum, idem Theophrast. causam reddit hanc, nempe quòd ad germinum efformationem totum penè absumat alimentum: nam, cùm folio amplissimo sit, etiam radicum ab eius foliis demissarum generatio, nutrimenti causa videtur accedere. Sed fortè è diuerso, vt quoniam in ea quoque pabulum dispensatur, ideò fructus exiliores atque parciùs proferat.

Folium. Fructus. Folia amplissi.

Nec à Strabone omissa fuit hæc arbor, quam si

Strabo.

non nomine expresso at lemmate manifesto describit, tali. India multas quidem admirabiles arbores fert, è quibus vna ramos ad terram pronos habet, frondes [alii folia vertunt] non minores clypeo.

Arbor admir.

Onesicritus, qui curiosiùs ea persequitur, quæ sunt in Musicana terra, Indiæ australissima, refert arbores quasdam ingentes esse, quarum rami, cùm ad duodenos cubitos creuerint, reliquum incrementum pronum faciunt, deflexi, quousque terram contingant. Deinde terram ingressi radices agunt veluti propagines: mox rursus in truncum exeunt, à quo postquàm aucti fuerint, inde flectuntur, & aliam propaginem efficiunt & deinde aliam, & sic deinceps, vt ab vna arbore vmbraculum fiat, tabernaculo multicolumnio simile. Narrat præterea miras arborum quarundam magnitudines, quarum stipitem vix quinque homines complecti queant.

Tabernaculum multicolumnio.

Aristobolus vbi Acesines Hyarotidi permiscetur, de arboribus dicit, quæ ramos deflexos habent, & de earum magnitudine, vt sub vna arbore quinquaginta equites meridiari possint. Nearcus verò quadringentos ait.

Ficus Indica.

Ficum Indicam mirata est & Alexandri victoria, eo orbe patefacto, digna quidem, quàm non solùm ipse Alexander, ingenii sui nobilitate & sagacitate, atque omnis eius ingens exercitus demiraretur, sed cæteri quoque quotquot mortales sunt, de qua Q. Curtius in Hist. rerum ab Alexandro gestarum tradit [licet Fici nomenclaturæ non meminerit,] Alexandrum Poro rege, & Hydaspe amne superato, ad interiora Indiæ processisse. Syluas autem propè in immensum spatium fuisse diffusas, procerisque & in eximiam altitudinem editis arboribus: plerosque ramos instar ingentium stipitum flexos in humum, rursus quà se curuauerant erigi, adeò vt species esset non rami resurgentis, sed arboris ex sua radice generatæ.

Curtius.

Plin.

Plinius verò hanc arborem ex Theophrasti placitis [qui Alexandri coætaneus fuit, eique adiunctorum hominum narrationes haud dubiè magna diligentia excepit] descripsisse videtur, sed tam eleganter, vt, quod Scal. ait, sub ea æstiuare potiùs, quàm eius historiam legere videaris. Ficus, inquit, ibi [in India] exilia poma habet. Ipsa se semper serens, vastis diffunditur ramis: quorum imi adeò in terram curuantur, vt annuo spatio infigantur, nouámque sibi propaginem faciant circa parentem in orbem, quodam opere topiario. Intra sepem eam æstiuant pastores, opacam pariter & munitam vallo arboris, decora specie subter intuenti, proculve fornicato ambitu. Superiores eius rami in excelsum emicant, siluosa multitudine, vasto matris corpore, vt LX. P. pleræque orbe colligant, vmbra verò bina stadia operiant. Foliorum latitudo peltæ effigiem Amazonicæ habet: quæ fuit, authore Xenophonte, Hederæ folio consimilis, vt sub ea equitum turmæ condantur] ea causa fructum integens, crescere prohibet. Rarúsque est, nec Fabæ [Ciceris Theophr.] magnitudinem excedens: sed per folia Solibus coctus, prædulci sapore, dignus miraculo arboris. Dixerat autem iam priùs, arbores in India tantæ proceritatis gigni, vt sagittis superari nequeant. Hæc [addit] facit vbertas Soli, temperies cœli, aquarum abundantia [si libeat credere] vt sub vna ficu turmæ condantur equitum. Vt deinceps nemini ampliùs dispiciendum dubitandúmque videatur, num arbor hæc Veteribus cognita fuerit, quorum iam tot descriptiones, & vix in pauculis dissentientes produximus.

Exilia poma.

Folia. Pelta Amazonica.

Cur fructus paruus.

Eiusdem meminit Athen. sed paucis duntaxat verbis ex Theophr. mutuatis.

Athen.

Cæterùm propositarum descriptionum vnius eiusdémque arboris collatio, perspicuum reddit, qualis & quanta sit Ficus Indica. Vnum relictum nobis est è Theophr. dubium, qui arboris trunco LX. βήματα adscripsit, quæ gradus Gaza vertit, quæ vox & sellam, suggestum, pulpitum & subsellium denotat, vt annotat Scal. Sed & passus mensuram denotat apud Plutarch. in Demetr. Vulgata significatio gradus est, quem Boëtius gradum inter mensuras numerauit duobus pedibus & dimidiato definiens, quo videtur βῆμα Euclidis interpretari. Georgius nullum scriptorem inuenit qui gradus vel βήματος mensurâ vsus sit, & ea loca quæ obiici posse videt, aliter exponit, qui tamen Goropio minimè probatur hac parte. Si de Plinio Theophrastus intelligi posset, βήματα non gradus sed pedes essent vertendi.

Dubium in Theoph.

Dalechan de gradu.

Est & alia difficultas, nam Theoph. folia, & qui horum meminerunt amplissima dicunt, atque adeò pelta seu clypeo non minora esse. Clusius verò ex suprà dicta Fabricii relatione, Mali Cidoniæ vel Cotonei foliis similia dicit, peltæ verò similitudinis potiùs quàm amplitudinis gratia conferri.

Difficultas alia de foliis.

Linschottanus qui ex postremis Ficum Indicam describere videtur nomine Arboris radicum, foliorum ne verbulo quidem meminit, videtúrque descriptionis suæ membra quædam, aut qui eius obseruata Latio reddidit, ex Plinio sublegisse: sic enim habet. India arborem fert multiplici radice, mirabili aspectu. Crescit enim è terra vt cæteræ arbores, ac spargendo ramos radices iis adiicit, quibus deniso sua sponte terræ infixis, ingentem serie numerosa sobolem trahit, cùm ramus vnus arbori recenti, fœcundo euentu, Labyrinthóque similis, vagis vsque itineribus sufficiat. Ita triginta aliquando passus vna arbor implet, in summam crassitiem productis ramis, vt mater eadémque genitrix omnium arbor vix agnoscatur, ex omni parte copia radicum funium more primo aspectu dependente. Fructum vsibus humanis aptum non fert. Nam is qui Oliuarum formâ excrescit, volucres tantùm delectat. *Hæc ille.*

Linschottanus.

Descriptio Linschott. Arboris radicum.

Arbor 30. passuum.

Fructus volucrum. Auium cibus.

An verò vnicum Clusium vel eius recitatorem Fabricium tam spectatæ antiquitati, Theophr. inquam, Straboni & Plinio opponere debeamus, sola vnius testis relatio id haud ità temerè persuadebit. Goropius verò tantùm abest, vt credat, folia eius exigua esse, vt planè sit in ea opinione, Ficum Indicam eam esse arborem, cuius fructum vetitum primi parentes comederunt, & sub qua se absconderunt, cuiusque ingentibus foliis (sic ille ait) perizomata sibi consuerunt, atque fecerunt. Vides (inquit) quàm omnia inter se consentiant? Nomen ipsum Ficus cum Mose consentit. Impia est illorum cogitatio, qui arborem hanc symbolicῶς duntaxat intelligunt, in quorum numero præcipuus Philo Iudæus Cosmopœia. Lege quæ de ea re scripsit Corn. Agrippa, & opinionis nouitatem prauitatémque miraberis, fortè & ridebis.

Arbor vetita in Paradiso.

Philo Iud. not.

Idem Gorop. in Vertumno. Primi nostri, inquit, parentes, cùm serpentis fraude seducti vetitum pomum comedissent: nomen ei dederunt, quo eius abominatio indicaretur. *Fyg* enim dicitur per Apocopen *Fyghs*, (Cimbris) id est, tu abominande. Hinc Latini Ficum ferè, & Græci corruptè σῦκον nominarunt. Hi Goropii conceptus sunt & opiniones, quæ si vera esset Clusii de foliorum magnitudine sententia, per se ipsæ facilè in nihilum abirent.

Corn. Agripp. not.

Fyg.

Dicta

Synonyma Linguarũ. Dicta itaque est hæc arbor Συκῆ Ἰνδικὴ Græcis & Theophrast. cuius nomen vulgare sibi excidisse serò dolet Fabricius, quoniam verò ab eo visam & descriptam cum veterum Fico Indica perbellè consentire videret. Clusius, eò audaciùs illi Ficus Ficus Indica. Indicæ nomen indidit, præsertim cùm illam ipsam esse certò sibi persuadeat, id quod & nos facimus.

Garciam autem illius nullam mentionem facere, inter tot exoticas arbores in locis Goanæ insulæ vicinis nascentes, quarum descriptiones in Aromatum historia asseruit, non sine ratione profectò miratur Clusius: fateturque suam iconem ex Fabricii narratione, quàm concinnè ex ipsius etiam iudicio fieri potuit, adumbrari curasse in studiosorũ rei herbariæ gratiam. Extat & alia in diario nautico itineris Batau. in Ind. Orient. in tabella *Iquanarum*, quæ ad ipsam arborem facta, si autoribus credendum, ex qua & nostra desumpta. Annotata sunt hæc *Arbor admiranda*: Ficum Indicam vocant: *Arbore de Rasu*: *Arbor radicum India*. Arbor radicum. Wortelboom. Belg. Germ. Indianisch feigenbaum / vti Gesn. & Taber. appellant.

Locus. Nascitur, vti dictum, in India, circa Acesinem amnem Theoph. Plinius circa Acesinẽ amnẽ maximè nasci tradit, hac loquendi ratione vtique insinuans & alibi prouenire. Nam Strabo & in Musicana terra Indiæ amplissima crescere scribit, vt dictum. Clus. in insula Goa locisque vicinis, idque ex relatione Fabricii.

Vires. De viribus nihil aliud hactenus traditum, quàm folia eatum Elephantis expeti: fructus non eduleis esse, maturiores tamen auibus cibo esse.

Mangle Ouiedi. Cæterùm quamuis *Mangle* Ouiedi non exiguã cognationem habere videatur cum Ficu Indica quòd multi eius rami deorsum quoque vergere videantur, & postea radices figere, aliosque rursus ramos sursum vergentes producere: verùm quia arbor siliquata est, magnas & speciosas proferens siliquas, nostri memores ordinis instituti, commodiùs de ea tradẽmus post Cassiam solutiuam, in libro siliquosarum, quamuis Hist. Lugd. eodem in et capite huius & Ficus Indicæ historiã coniunxerat quemadmodum Clusius. Ferdinandi Lopez Mangui nos rele autinius ad caput de Mangle quod est in libro. nostr. histor.

ENSENDA FICVS INDICAE MODO NASCENS.

Cap. LXX.

Descriptio. IN regno Congi mirabilis arbor crescit *Ensenda* dicta perpetuò virens, virtutibus mirandis inclita: ramos proceros incrementis extendit, ij fila quædam tenuia demittunt, quæ terræ contactu radices item generant, in aliarum arborum perpetuam seriem sobole minùs quàm multiplici. Linteaminum species. Priori huius arboris cortici linteaminis quædam subest species quę mundati plebæ in vestimentorum vsus seruit. De hac eadem scribit Clus. Nec etiam absimilis [Ficui Indicę] ea videtur arbor, cuius, ex relatione Odoardi Lopez Lusitani, Philippus Pigafetta c. 4. lib. 1. Descriptionis regni Congo, meminit his verbis. In Loanda insula, ad ostia fluminis Coanzæ, Regni Congo partem perluentis sita, nascitur arbor, *Enzanda* ab incolis nuncupata, celsa & semper virens &c.

PAPAIE PERVVIANIS.

Cap. LXXI.

ANnotat Benzo hist. suæ lib. 3. cap. 25. Apud Peruuiensium Mantam, peculiare quoddam fructuum genus (indigenæ *Papaie* vocant) ficuum Descriptio. specie modicorum, magnorumque, quale nusquã in India, præterquam in eo regno vidi. Arbor, quæ illud Pomorum gignit, procera & gracilis, fructus sapore dulci est.

FICO SIMILIS ARBOR VENENATA.

Cap. LXXII.

ARtemidoro, vt prodidit Strabo, fides est adhibenda; Arborem in Gallia Transalpina nasci, Fico simillimam, fructum autem Corno similẽ Descriptio. gignere, vnde pharetrę fabricantur. Eam si incidas, læthalem succum effundere, ad inungendas sagittas vtilem. Meminit sanè & Theophrastus arboris cuiusdam, cuius fructus sit similis cornis [inquit] ... Sed nomen non addit, & inter Indicas Cornu similis fructus. recenset. At quotusquisque ex tam paucis statuat aut colligat, quam is intelligat? Desistã verò Corni fructu arbore, capite de Corno loquens.

Hermol. & Ruell. qui eundem Strabonem de hac arbore tradentẽ citant, fructum eius scribunt capitulum Corinthiacæ Columnę referre: cuius lacte mortifero sagittas suas illinant.

ARBORES INDICÆ THEOPHRAST. TRES.

Cap. XLV.

POstquam Theophrast. arborem Indicam descripsisset, subdit aliarum trium Indiæ arborum descriptiones, his verbis: Est & alia arbor, & magnitudine insignis, & suauitate fructus amplitudineque mirum in modum præcellens. Eo vescuntur Sapientes Indorum. [... habent vulg. exemplaria: Gaza legisse videtur ...: & vertit: Theophr. varr. & il. lustr. hoc Sapientes Indorum, qui nudi degunt cibo vtuntur. Non possunt vesci & abstinere, vt rectè Scal. annotat. Tamen plausibilior lectio Gazę. Vide bis Herodotum in Thalia.]

Pergit Theophrast. Alia item, cui folium figurà prælongum, simile pennis Struthiorum ... quamuis vulg. habeant ...) quę galeis imponuntur, longitudine duorum cubitorum. 2.

Alia rursus fructu longo, non recto, sed contorto aut flexuoso (...) in cibo suaui. Hic 3. in ventre morsum excitat atque Dysenteriam: ideo Alexander, ne quis manderet, edicto cauit. Nomina verò his arboribus nulla tribuit Theoph. Immò paulò pòst Indiæ arbores ... dicit.

Plinius tamen nomina habet primæ: nam postquam & ipse de Ficu Indica tradidisset, ita subdit: Maior alia, pomo & suauitate præcellentior, quo Sapientes Indorũ viuunt. Folium alas auiũ imitatur, (videtur Plinius primã & secundam Theoph. Plin. not. confundere.) longitudine trium cubitorum, latitudine duũm. Fructum cortice emittit, admirabi-

lem ſucci dulcedine, vt vno quaternos ſatiet. Arbori nomen *Pala*, pomo *Ariena*. Plurima eſt in Sydracis, expeditionum Alexandri termino. Eſt & alia ſimilis huic, dulcior pomo, ſed interaneorum valetudini infeſta. Edixerat Alexander, ne quis agminis ſui id pomum attingeret. Vbi vides Plinium ſapientum quidem, ſed non Nudorum, quod Gaza fecit, meminiſſe.

Pala arbor Ariena fructus.

Pala, inquit Curtius, ſiue vt alii volunt, *Tala*, licet Theophraſtus nominis non meminerit, Arbor Indiæ eſt, Ficu Indica maior, pomi ſuauitate præcellentior. Indos Palæ foliis veſci Arrianus refert, in quorum faſtigio quoddam pingue, Palmarum inſtar, gignant.

Tala.

Dalech. arborem *Palam* Plinii ait eſſe, qui Tamarindos noſtros putent. Qui verò ij ſint, qui iſtud putent, nondum occurrit: neque ſine videmus quomodo conuenire poſſit. Dicit Plin. dulci pomo: Theophr. cibo dulci: [[illegible]] quod neutiquam videtur conuenire cum Tamarindis, qui ob ſummam aciditatem commodè edi nequeunt. Quidam Muſam eſſe putant. Ouiedus Platanos vocat. Theuetus arborem vocarit *Pagouere*: fructum *Pacona*. Vtrumque nomen ad *Palam* quodammodo accedit. Alium huic ſimilem & vſus frequentiſſimi Theuetus ſcribit vocari *Hoyriri*. Ouiedus *Iaiama*. Sed de Hoyriri inter carduos, *de Muſa, quæ propiùs ad prædictas arbores accedere videtur, nunc tradenius*.

Quorundam error.

Pacouere. Pacona.

MVSA.

Cap. LXXIV.

Deſcriptio ſui ſpecie.

EX folii Muſæ fragmento, quod adſeruamus, apparet eſſe ampliſſimum: nam & latitudo cubitum facilè æquat, cuius medium coſtâ craſſiuſculâ ſtriatâ fungoſâ fulcitur, à qua vtrinque exporrigitur folii tenuis læuiſque in ſpenſum æquor, fibris teneris tranſuerſis contextum: colore rauo altera facie, altera ferè fuſco, quod fibrarum ductus ſecutus, facilè diuidas.

Deſcriptio Ouiedi arboris.

Muſam Ouiedus in h. lt. Indica ſic deſcribit. Inuenitur, inquit, hic fructus Platani nomine, tametſi neque arbor dici poſſit, neque vera ſit Platanus: ſed planta quædam huic Indiæ haudquaquam peculiaris, & aliunde tranſlata ſub Platani nomine, Interdum autem hæc impropriè dicta Platanus in arboris celſitudinē excreſcit, & ad hominis craſſitiē intumeſcit: aliàs verò coxæ humanæ craſſitie conſpicitur, pro ſoli natura & vbertate augeſcens. Ab infimo ad ſummum folia fert ampliſſima, interdum duodecim palmos longa, ternos aut quaternos lata, plerumque minora. Hæc ventorum flatibus facilè multifariā diſſecantur, & ex coſta illa per folii lōgitudinem excurrente pendere ſpectantur cū in modum diſſecta. Tota planta veluti germen eſt, aut ſurculus, è cuius ſummo enaſcitur pediculus aut malleolus brachiali craſſitudine, qui vuā producit, vicenos, tricenos, interdum centenos & plures fructus palmari longitudine, brachialiq; craſſitudine, ſuſtinentem, nonnunquam minores, quandoque etiam ampliores, pro plantæ ipſius & ſoli fertilitate. Cortex huic ſatis craſſus, ſed qui facilè eximatur, continens pulpam ſiue carnem bubulę medullæ perſimilem. Caudex qui vuam profert, annuus eſt, & ſemel duntaxat in vita fructus gignit: verùm ad radices conſurgunt quinque, ſex, aut plures ſurculi, qui parentem renouant, & ſubſequente anno fructum perficiunt. Adeò verò fœcunda eſt hæc planta, vt nunquam intercidat, ſed ſubinde nouas proles gignat, vt fructus toto anno vberrimè legere liceat.

Platanus Indus.

Musa arbor.



Arboris craſſitudo.

Muſa cum fructu.



Cortex.

Surculi vel ſtolones.

Arbor, quæ poma fert Paradiſi [inquit Cardan.] breuiſſimæ eſt vitæ: anno enim ſecundo truncus areſcit, fructus fert in botris, vt ſunt acini vuæ, ſed mali magnitudine, ac in botro vno quandoq; centenos, vnde ciſtæ magnitudinem refert botrus: croceo verò velatur amictu, quo detracto fructus prædulcis, ac ſuauis ſubeſt. Folium tam longum fert, vt hominem ſtantem æquet: latum non parum.

Poma Paradiſi Cardani.

Theuetus in Coſmographia arborem Mauze in Ægypto vocatam deſcribit non maiorem ficu mediocri, cuius folia quinque aut ſex pedes longa ſunt, duos lata: fructus in caule coaceruatus, non ſecus ac dactyli in Palma, craſſus & longus, mediocris cucumeris inſtar, delicatiſſimus atque ſuauiſſimus, quem domi ſuſpendunt, vt nos vuas penſiles, eoque ſæpè ſolo tanquam optimo vtuntur alimento. Arbor tenella eſt & fragilis, adeò vt niſi maxima truncum haberet coxæ hominis craſſitudine parem, minima tibiæ in cremiorum, non in arborum numero, recenſenda foret. Truncus, authore Garcia, ex ſquammoſo foliorum cortice conſtat: nullis conſtat ramis, ſed è germine flores quoſdam continenter profert, ſubrufos, oui effigie, & palmi longitudine: circumeminent pediculi, centum, interdum ducentos aut plures ficus ſuſtinentes.

Theueti Mauze.

Flores.

Deſcribit & Acoſta in hunc modum, Muſam ſeu Ficum Indicam vocans: decem & octo aut viginti (inquit) palmorum magnitudine attollitur hæc pulchra & elegans arbor, cuius truncus ex multorum corticum ſibi mutuò incumbentium coniunctione conſtat, & humani cruris craſſitiem adipiſcitur, radice rotunda & craſſa, Elephantorum grato pabulo: foliis nouem palmorum longitudine, duorum cum ſemiſſe latitudine

Muſa Acoſtæ. Ficus Indica.

Radix.

dine, neruo satis crasso per longitudinem excurrente, & transuersis fibris in latera sparsis, parte superiore saturis, inferiore dilutioribus. Ex huius arboris fastigio nascitur veluti thyrsus quidam florum simul congestorum in modum Pinei strobili, coloris rufi: deinde vnicum ramum fert humani brachii crassitie in multos nodos diuisum, è quorum singulis decem aut quatuordecim dependent ficus, ita vt nonnunquam ramus centenis aut ducentenis ficubus onustus conspiciatur. Hos in diuersas species distinguunt Lusitani. Illi enim primò *Cenorics* appellant qui admodum flauent, læues, longiusculi, gratique saporis sunt, & odoratiores: 2. *Chincapanoes* verò, qui virescunt nonnihil, longioresque sunt, iique etiam grati saporis. 3. Laudantur præterea qui in Cofala nascuntur, Æthiopibus *Inunga* dicti. Legitimum nomen apud Arabes & Persas (vt è præstante Medico Persa in Ormuz nato intellexisse se testatur idem Costa) est *Maus*, non autem *Musa* aut *Amusa*: arboris verò *Darachi Maus*. Rhasis *Musam* vocat: Serap. *Mauin*, id est, *Musam*. Sic & Auic. apud quem in margine *Mauzi* vel *Muzi* annotauit Bellunensis. Verùm neuter horum describit. Sed nostro iudicio, recentiorúmque consensu, hanc ipsam intelligunt, de qua hic agimus.

Differentiæ. Cenorics. Chincapanoes. Inunga. Maus. Amusa. Darachi Maus. Mauin. Mauzi.

Ex prædictis, si Clus. iudicio aliquid tribuimus, nemo accuratiùs hanc stirpem descripsit, quàm Ouiedus sub Platani nomine. Acosta peculiarem habet iconem, quæ variat à Matthioli (quam & nos proponimus, cui nostrum folium egregiè respondet) & Linschottani icone, & à *Paquouere* figura Theueti.

Hist. Lugdun. tres icones proponit: primam, eámque geminam, ex Matth. nomine *Musæ* arboris & fructus: secundam, titulo *Musæ Pacouera* Theueti: tertiam pro *Musa* seu Ficu Indica Acostæ, qui ait Musæ fructus meminisse Ruell. ex authoritate Theoph. & Strabonis.

Nondum tamen pro certo asserere ausimus, an Veteres Græci Musæ meminerint: consideranda quæ Theoph. lib. 2. hist. plant. c. 9. tradit inter Palmas, his verbis: Est & aliud Palmæ genus in Cypro, quod & folium latius habet seu amplius, & fructum multò maiorem, peculiarisque formæ, magnitudine Mali Punici, figura oblongum, succo minus grato [ἀχυλότερον] quàm in cæteris, sed radicibus similem [ῥιζώδη: Dal. vult legendum ῥοϊώδη, id est, Punico simili. Sed ferri potest antiqua lectio, si modò de hac arbore, de qua hic agimus, intelligendus sit Theophrast. Nam & antè dictum eius radicem rotundam esse & crassam.] Itaque non deuoratur, sed commansus expuitur. Consideret etiam lector quę paulò antè scripsimus ex Theophrast. de *Arboribus Indicis*, & ex Plin. de *Pala*. Quæ verò ex modò citato Theophrast. loco verba transcripsit Plinius, ea capite de *Palma* [quod & ipse fecit] retulimus.

An Palma Cypria species Theoph. Theoph. illustr. An Pala Plin.

Matthiol. in Dioscor. Sunt, infit, qui palmarum generi adscribant plantam in Aegypto Cyproque nascentem, quam Veneti inde redeuntes *Musam* appellant, & *Musas* similiter fructus. Inclinat animus eam esse quæ Theophrasto in Palmarum genere recensetur folio cæteris ampliore &c: vt iam modò citatum. Idem tradit ex quorundam relatione folia arũdinea esse, torrescere æstate sui natura, vel etiam fortasse Solis ardore, adeò vt mense Septembri eorum costæ prorsus nudæ cernantur, decidente foliorum materia, quòd admodũ sit tenuis. Caudex [addit idem] squamoso foliorum cortice vestitur, Palmæ aut Arundinis ferè modo. Ramos habet nullos, sed caudice tantùm constat. E vertice germen emergit materie molli, longitudine ferè cubitali, à quo alia ab origine ad summum prodeunt germina ternûm, quaternúmue digitorum inuicem distantia: è quibus circumeminent fructus parui, cucumeris magnitudine, qui per maturitatem quadantenus flauescunt, cortice Fici, qui eodem modo digitis detrahitur. Substantia pulpæ consistit Melopeponum modo, nullo intus osse neque semine: sapore cum quadam insipiditate dulci. Primùm gustātibus fructus insipiditatem quandam præ se ferre videntur, adeò vt primo statim gustu non placeāt: verùm qui esui assuescunt, ij indies magis delectantur: quippe qui quadam occultà saporis suauitate allecti, quæ nisi tractu temporis cum palato init gratiam, nunquam saturi videantur.

Palma forte genus Matthiol. Musę. Folia qualia. Germen. Fructus specialior descriptio.

Ita sibi Musam descripsisse tradit Matthiol. qui ex Aegypto & Cypro ad nos reuertuntur. Sed quænam antiquis Musa fuerit planta quid referat non habere: sibi tamen videri eam esse Theoph. Plantam, quam paulò ante diximus, adductis eiusdem verbis.

Matthiolo more suo contradicens Guilandinus in suo Theone: Musam, inquit, tertio à Theophrasto inter Cyprias Palmas loco descrìbi, malè conijcit, quòd fructus huius sapidus non sit, sed, radicibus similis, vt non deuoretur, sed succo tantùm expresso, expuitur. Musę veræ, vel ipsomet [Matthiol.] teste, longè omnium suauissimus est sapidissimúsque.

Guiland. Matthiol. not. Palma Cypria Theophrast. non est.

Idem Guiland. plantæ huius tribus tantùm in locis vniuersis Biblijs, sub nomine *Budaim*, mentionem haberi animaduertit: & ab Aeschylo, antiquissimo Tragico, *Phyximelon* dici: à cæteris ferè Græcis iuxta atque Latinis *Margaritam*: à Mauritanis *Muz* & *Gemez*. Qui Cyprum incolunt, μῆλα τοῦ παραδείσου vocant, argumento à vulgari Asiaticorum opinione ducto, qui Musam esse contendunt eam plantam, quæ hominum omnium protoplasto, diuino olim mandato in cibis interdicta fuit: quod imitati nostrorum temporum scriptores, Pomum Paradisi nominant. Rhasis Ficum Pharaonis dici memorat, vt idem Guil. censet. Indi, qui in orientem protenduntur, *Melapolandam* nuncupant: qui in occasum, *Platanum*. Denique inquilini insulæ D. Thomæ, *Abellanam*.

Budaim Bibl. Phyximelon. Margarita. Muz. Gemez. Mala Paradisi. Pomum Paradisi. Ficus Pharaonis. Melapolanda. Platanus. Abellana.

Camer. annotat, Aegyptiis, apud quos copiosè inuenitur, hodiè *Maus* vocari. Antonij Musę coniectura est, Elatem Plinij esse fructum illum dulcissimum, quem vocant Musam, vel vt Mauritani loquuntur Muzam, hoc est, mitem, qui habet Prunorum crassorum similitudinem.

Elate. Muza.

Curtius annotat Syriæ accolis [apud quos gignuntur] Poma Paradisiaca vocitari, satis admirandaque esse.

Poma Paradisiaca.

Non abs re fuerit & Bonzonem Indicarum rerum historiographum non contemnendum, de hac arbore sub Platani nomine tradita referre. Platani, ait, longiores quàm crassiores sunt: minores multùm maioribus præstant. Arbor ipsa folia sesquipalmi latitudine, quatuor palmorum lõgitudine porrigit, inter quæ ramus enascitur, qui centum ac plures Platanos minores fundit: sin verò maiores, vigintiquinque aut paulò ampliùs. Tenera est hæc arbor, nec nisi semel fructum fert, qui annuo spatio perficitur, & ex ipsis radicibus alii stolones fruticant. Vbi maturuit fructus, legunt: immaturum adhuc & acerbum non decerpunt, sed excissam arborem loco calido reponunt: ibi Platani celeriter maturescunt flauescúntque. Corio vestiuntur obtusæ cultelli partis crassitudi-

Fructus maturatio artificiosa.

ne : quod superest, pulpa est, sapore in dulcedinem vergens.

De eadem peculiaria quædam Rauvvolffius & ipse illarum regionum oculatus scriptor refert, his verbis : Intra Tripolim inter alias, arbores peregrinæ, Musa dictæ, crescunt, trunco vnius & semis, aut duorum virorum altitudine, extrinsecus glabro, nisi quòd multiplici foliorum incubitu, arundinum ferè in morem, inuestitus sit. Pulchrè virent. In caudicis cacumine latè expansa folia veluti pennaceum sertum aut cristam prægrandem referunt. Eius enim longitudinis sunt atque latitudinis, vt hominem in longum procumbentem in plenum comprehendant. *Fructus eius descriptio.* Fructus Citrulli formam referunt, nisi quòd paulò sint maiores, extrinsecus læues, cortice crasso tecti, primò flauescente, mox paucis diebus post repositi nigricante, qui facilè, vt in recentibus Ficubus, detrahitur. Interior substantia candida, referta, absque granis aut semine dulcis & sapida : sed facilè & citò satietatem inducunt, *Noxa.* móxque & nauseam pariunt magnam, & vehementes cruciatus colicos : ob id ab Alexandro exercitui suo ab eorum esu interdictum. *Hæc Rauvvolff.* Ex quibus patet eum hanc, quam hoc loco describit, eandem putare cum ea quam præcedenti capite arboris Indicæ nomine ex Theophrasto tertio loco posuimus, *Rauvvolff. error.* eiúsque verba adduximus : Nobis verò Musa de qua hîc agimus, potiùs conuenire videtur cum secunda, cuius folium prælongum dicit, simile pennis Struthiorum, vti dictum. De Musæ enim fructu, nemo, præter Rauvvolffium, ait vllam prædictarum noxarum parere, vt ab eius esu sit vel fuerit interdicendum.

Dodon. Mose. Dodon. scribit Musam nunc in Syria Mose vocari, additque Græcis & incolis Christianis ac Iudæis arborem censeri, de qua à Deo sibi prohibita comedit Adam.

Lob. & Pen. Arbor Adamo prohibita. Folia Canna. Lob. & Pena in Aduers. testantur folia Musæ portentosæ magnitudinis se habuisse: eiúsq; effigiem, fructum, florésque affabrè delineata esse apud Matth. Iidem in Obseru. tradunt foliis esse Cannæ Indiæ maioribus, quibus Gummi Elemi inuoluitur sesquipedalibus, duos pedes longis, infernè compressis. *Pala. Pagouere. Pacona.* Iam suprà annotatum: *Palam* quosdam Musam existimare, quam Theuetus *Pagouere* vocari dixit : fructum *Pacona* : Ouied. *Platanos* : quæ omnia nomina ad *Palam* vtcunque accedunt.

Musa vulgò. Cæsalp. palmæ species. Musa vulgò dicta, vt scribit Cæsalp. inter Palmas videtur recenseri posse : oritur in Aegypto & Cypro, cuius folia in Italia visuntur sacchari panes conuestientia: distinguuntur ab Alga latifolia, qua similiter saccharum condunt in Occidente, *Discrimen inter Algã latifoliam. Aculei.* quòd Algæ folia nulla media costa donentur. Musæ autem folia costam perpetuam & crassam habent, per medium folium discurrentem, aliquando aculeis quibusdam à tergo armatam.

Musa Arabum Clusio. Clusius aliquot annis in ea se fuisse opinione tradit, vt existimaret *Musam Arabum* eam esse plantam cuius Plinius meminit his verbis : Maior alia pomo, & suauitate præcellentior, quo Sapientes Indorum viuunt &c. Nam ferè omnia pulcherrimè ad Musæ descriptionem quadrant. *Pala.* Huc accedit, quod in Prouincia Malauar, quæ supra Indum flumen est, intra Gangem, *Palan* nomen adhuc retinet, à quo Latini suum *Pala* mutuati videntur. Vlyssipone, vbi aliquot plantas vidi [addit idem] minimè tamen fructiferas, nomen hoc retinet, vocant enim etiamnum *Figuera Banana.* Figuera Banana, id est, ficum Bananas ferentem.

Meminit huius fructus Lud. Rom. lib. nauig. ac tria eius genera [Malapolanda, Cianchapalon, & Cadelapalon] constituit, de quibus paulò antè.

Meminit item F. Brocardus qui Terram sanctam descripsit, sub nomine pomorum Paradisi, quem per omnia secutus est Cardan. lib. de subtilit. & Theuet. lib. singularium Americæ. *Poma Paradisi.*

Lerius verò in hist. sua fructum *Paca*, & arborem *Paco aire* nominat. *Paca.*

Quid si Palmæ genus illud sit, ait Clus. quod Theophr. in Cypro nasci prodidit. An verò eadem arbor, quam idem folium prælongum habere ait, simile pennis Struthiorum? *Palma.*

Ridiculum autem, inquit Garcias, est quod scripsit quidam Franciscanus. Appellatur, inquit, hic laudabilis fructus Musa, quòd dignus sit Musis, aut quòd earum sit cibus. *Musa etymon ridiculum.* Addit præterea eum esse fructum quem degustauerit Adam in Paradiso terrestri. *Adami pomum.*

Alpino autore, Mauz seu Muza dicta Aegyptiis. Vocatur nunc Ficus Martabanis. In Malauar *Chincapalones* : Meliores *Cenorins.* Aethiopibus *Iminga* : sed hæ differentiæ eius sunt, quas mox in viribus specialius designabimus. *Mauz. Muza. Ficus.*

Locus.

Etsi ex prædictis satis pateat de locis, vbi nascuntur, tamen & hæc specialius addenda, propter nomina. Nascitur in Canara, Decan, Guzarate, & Bengala : vocatúrque illis Quelli. Nascitur etiam in Malauar, vbi *Palan* : & in Malayo, vbi *Pican* dicitur. *Quelli. Palan. Pican.* Prouenit etiam plerisque aliis locis, & in ea Africæ parte quam Guineam appellant, vbi *Bananas* nuncupatur, teste Garcia. *Bananas.* Pauci crescunt Tripoli, sed ex vicinis locis satis copiosè inuehuntur, vt scribit Rauuolffius. Itaque ex Orientali in Occiduas Indicas insulas, adeóque in Portugalliam translata Musa iamdiu multis innotuit. Eandem vidimus Patauii in ædibus Priuli, sed emortuam ob præcedentis hyemis sæuitiam.

Tempus & satio. Hæc planta non nisi semel seritur. Nam semel sata, ex trunci pede multos stolones emittit, qui in arbusculas euadunt. His itaque stolonibus propagatur. In America semel aut summùm bis fructus fert. In Aethiopia & Arabia vicinisque insulis etiam trifera est. *Ex Garcia & Theueto.*

Collectio. Integrâ vuâ ante maturitatem colligendam præcipit Ouiedus, cùm videlicet aliquis fructus flauescere incipit, deinde in ædibus suspendendam, illic enim plenam maturitatem consequitur. Formicæ huic plantæ admodum infestæ sunt, ideóque plurimæ initiò perierunt, antequam aduersus eas inuenta essent remedia.

Vires & vsus. Temperã. Musa, vt scribit Rhases, calida est, stomacho noxia, fastidium & nauseam inducens, & promptè in bilem flauam conuertitur : sed aluum subducit, & gutturis asperationes lenit. *Purgat. Guttur.* At Serapio ex aliorum authoritate Musam in medio primi calefacientium, & in fine humectantium ordinis ponit, parum nutrire, & vtilem esse aduersus pectoris, pulmonis & vesicæ ardores : *Ardores pectoris & vesicæ.* lenire aluum, sed grauitatem stomacho parere iis, qui eius fructu multùm vtantur, hepatisque obstructiones parere. *Stomacho.* Ideò si complexio sit frigida, eius qui fruitur, superbibendum melicratum, aut oximel, aut Zingiber conditum. *Vtendi modus.* Augere tamen fœtum in vtero, renibus conferre, vrinas ciere, & ad Venerem incitare. *Fœtus. Renes. Venus.* At ex Auic. sententia, paucum præbet alimentum, bilem generat & pituitam : *Parum nutrit.* prodest tamen aduersus pectoris & pulmonum incendia, stomachum verò offendit. Ideóque biliosis ab eius esu, oxymel cum seminibus propinan-

nandum: pituitosis mel. Idem & renibus opitulari tradit: vrinasque prouocare.

Garciâ teste commendantur ii fructus, qui in Martaban proueniunt: primùm enim è Bengala eò delati sunt, deinde sati vt grandiores euaderent. Sed quos *Cenorins* appellant, læues, flaui, & pleni, odorati, & palato gratiores. *Chincapalones* Malauaris dicti suaues quoque sunt & palato grati, pleni, colore virescentes. Laudantur etiam in Sophala nati, quos Æthiopibus *Iminga* vocari diximus. Inuenitur etiam in Baçaim aliisque prouinciis, genus quoddam amplum, plenum, palmi longitudine. Id assatum & vino deinde maceratum inspersо Cinnamomo, multò meliùs sapit, quàm malum Cidonium assatum. Idem fructus per medium sectus, & in sartagine cum saccharo probè frictus, inspersо cinnamomo, gratissimus est cibus. Idem in duas partes per longitudinem apertus, & vtrinque incisus, deinde insolatus, gratissimi est saporis, & caricas succi bonitate superat. Tegulæ item impositus & in clibano coctus, cor reficit, & suauissimus est. Sunt qui cum carnibus elixent, cortice exempto ollæ imponentes cùm carnes ferè coctæ sunt, diutinam enim coctionem non fert: neque maturus nimium, neque omninò acerbus deligendus est. Sunt qui crudum edunt, at maturum, sine pane absque aliquo condimento, gratissimi enim est saporis, nec minùs salubris & facilis concoctionis, vt testatur Ouiedus. Plantam ipsam collecto fructu, spontè exiccare sinunt, tanquam in posterum inutilem: aut amputant, in domesticorum Elephantorum pabulum. Nonnulli interiora teneriorâque, antequam explicentur folia, florúmq; thyrsum Pipere, Zingibere recenti, allio, sale, & aceto condiunt, & Capparum modo edunt. Folia verò quoniam amplissima, mollia, frigidaque sunt, substernere ad accumbendum in æstu solent: & ambustis non nunquam imponunt, autore Costa.

Delectus. Cenorins. Chincapalones. Iminga. Assatus. Frictus. Buccеatus. Coctus. Elixus. Elephantorum cibus. Folia & flores condit. Ambusta.

Alpinus refert huius fructus substantiam mollem esse, pinguem, lentam, dulcem, atque apprimè suauem, eam comedere assuetis, sed stomachum grauare, difficulter concoqui, multùm nutrire, succum generare crassum ac lentum, quo viscera obstruuntur, præsertim hepar. Opitulari tamen tussientibus, & suspiriosis ex calore factis: eius decocto vtiliter vti incolas ad tussim ex calidorum humorum destillatione genitam, atque ad pleuræ & pulmonum inflammationem, ad inflammatos renes, & ad vrinæ difficultatem. Aiunt etiam iidem fructum commenducatum, vel decoctum assumptum Venerem incendere. Fructuum cortices exiccatos multam vim habere ad roborandа omnia viscera iidem affirmant, eodem Alpino referente, cordique opem ferre ex ipsis paratum decoctum in aqua *Calaf*. Vsusque huius decocti ad febres pestilentes apud eosdem dicitur valdè vtilis. Puluerem quoque ipsorum corticum in cordis passionibus cum aqua *Calaf* dissolutam hauriunt.

Nocumenta. Hepar. Tussis. Pleuritis. Peripneumonia. Renum ardor. Vrinæ difficultas. Corticis vsus. Cor affectum. Febres pestilentes. Puluis corticum.

ARBOR POMIFERA AN MVSA?

Cap. LXXV.

Descriptio.

IN Aegypto abundant, inquit Gabriel Giraudet in Itin. Hyerosolym. boni fructus. Sunt ibi arbores pomiferæ, magnę altitudinis, foliis cubitum longis, & pedem latis, ferunt poma longa, similia cucumeribus. Pomum secatur per medium, vel quocunque modo, reperitur in medio sectionis figura nucis, eius sunt optima: alibi non possunt ferre bonum fructum, intra verò 7. dies putrescunt. Sunt & aliæ pomiferæ arbores quæ ab vna parte morsuram habent vocanturq; Poma Adami, parua sunt & similia nostratibus & eius commoda.

FICVS INDICA LINSCHOTTANI.

Cap. LXXVI.

FAcilè concessermus hanc Ficum Indicam Linschottano dictam, vel ad Musam antè dictam quoque referendam, vel certè eius aliquã speciem esse aut varietatem: quia tamen icon hæc, vti videre est, euariat, & ipse quoq; Linschottanus peculiaria quædam de hac tradit, placet ex eius obseruationibus historiam paucis contexere.

Ad figuram itaque ære exsculptam hæc tradit. Ficus Indię præstantissima ad hominis magnitudinė crescit, foliis longis ad stuporem, & in varios vsus commodissimis. Fructus vuarum specie in magnitudinem Cucumeris multiplices caulibus adhærent. Racemum duntaxat vnum quæque arbor fert, & detruncatur tum arbor, quæ continuo breui spatio excrescit, & nouos fert fructus: communis Indorum cibus, & sunt præstantissimi ex Cononor. Racemus aliquando duorum virorum vires implet, vt & S. scriptura testatur. Indiasche Vyghe: Ficus Indiæ.

Descriptio. Folia. Fructus. Portentosa racemi magnitudo. Racemus sacra scriptura.

Idem in historiis nauig. specialiùs de ea scribit, in hunc modum Ficus Indiæ multiplex est, modò crassiore, modò tenuiore forma, diuersis præstantiæ notis. Verùm eadem omnibus imago ac color idem, arbórque ipsa eodem modo viri staturam æquat. Folia habet vlnæ magnitudine tres dodrantes lata, iis Turcæ vtuntur chartæ bibulæ vice ad cucullos. Lignum arbor non habet, sed similitudine arundinis truncum. Quod senescente arbore exteriorem corticis partem tegit, in modū cribri ex pilo facti figuratur, aspectu tamen crassius aliquantùm: intorsum eadem folia cucullata ac clausa apparent, in medii hominis altitudinem tum explicant sese ac per vices excrescunt: ita vt vetera à recentioribus successione quadam expellantur, donec arbor iusto incremento steterit, fructúmque maturum protulerit. Folia in medio crassiorem quo diuiduntur, neruum habent. Inter folia ex arbore surgentia flos nascitur, magnitudine oui Struthionis, colore purpureo, ex eo longiore incremento ramus prodit, non ligni quidem materiâ, sed caulis brassicæ, Ficus coaceruatos abundè proferens. Primò quidem Fabarum formam habent, cùm adhuc volulis includuntur, magnitudine medii palmi, pol-

Foliorum vsus. Cortex. Flos.

ficéſque tres aut quatuor latæ, Cucumeris craſſitiem nanciſcuntur. Ramus hic ferè ſemper C. ficus habet, plus minuſve, quæ vt vuæ in nodum coguntur. Racemi inde quidam ita magni, vt duorum virorum baculo baiulantium onus impleant. Nondum planè maturi ſcinduntur, cùm inter viriditatem & flauedinem etiamnum hæret, tum alibi à trabe ſuſpenſi, intra 4. aut 5. dies commodè matureſcunt. Arbor ſiue planta vnicum duntaxat racemum fert, quæ mox tota detruncatur, ac menſis ſpatio iuſtis denuò incrementis adoleſcit, & fructum toto anno ita perpetuum fert, tantaq; abundantiâ, vt communiter Indis in cibi vſus ſeruiat, guſtu ſanè bono. Decorticantur autem, folliculis inſtar Fabarum exiſtentibus, licet aliqui tenuiore ſint tegmine: interiùs albeſcunt, ac morſu farinam & butyrum dulci mixtione repræſentant, ideo panis ac lacticinii loco ſeruiunt, ſimplici victu, quo corpus hominis abſq; alio cibo facilè poſſet ſuſtentari, vt in India multi ſunt, quibus toto vitæ tempore particularis cibus ex Ficu eſt.

Racemorũ magnitudo.
Maturatio artificioſa fructum.
Sapor.
Cibus.
Ex ficu dũtaxat quidam victitant.

Plurimas ac communiores Luſitani *Figos d'orta* vocant, quaſi hortenſes diceres, ſúntque aliquantulùm craſſiores. Aliæ quas *Seroninas* dicunt minores ac extrinſecus læuiores, velut optimæ notę, ſuaui odore pollent, ac guſtu percommodo. *Cadolinæ* ficus etiam in pretio ſunt.

differétiæ. Ficus hortenſis Seronina Cadolina.

Cæterùm maxima laus *Chincapolinis* eſt, regionis Malabar. Flaueſcunt illæ parùm, viriditate exteriore maximâ, largæ ac proceræ, odore ſuaui, ac aquæ roſaceæ æmulo. Sunt & alia genera. Quæ in Canonor reperiuntur palmi longitudine, ac craſſitudine pro rata, ob magnam ibi copiam ſiccantur, ac demptis folliculis per Indiam, mercaturæ quodam genere diſtrahuntur. Quando matureſcunt, aſſantur plurimùm, quòd crudę ob acrimoniam, quam in deglutiendo adferunt, non perinde gratæ ſint. Colore introrſum rubeſcunt. Cæterùm aſſatæ decorticantur, ac in orbes ſcinduntur, adiecto vino caſſiáque contuſâ, præſtantia cibi ſuauiſſimâ, etiam ſupra Cidonii mali aſſati excellentiam. Vt cæteræ oblongâ ſciſſione ſinduntur, ſacchatóque iniecto toſtæ, condimento probo, ab Indis ſummoperè expetuntur. Ex ficubus quippe præcipua plebi ſuſtentatio.

Chincapolinæ.
Canonorina.
Condita.
Toſta.

Locus.
Synonyma

Ex omnibus Indiæ ac Orientis locis inueniuntur, vt & Moſambicæ, Ormuntii, ad oram Abex, Malabar, Malaccæ, Bengalæ, &c. Guſaratta, Decanini, Canatini, Bengalenſes eas *Quelli* nominant, Malabares *Palan*: Malacitani *Pyſan*. Etiam in Arabiâ reperiuntur, quas *Muſa* vocant: Hieroſolymis, Damaſci, Cayri item habentur, vt ab iis accepiſſe ſe teſtatur Linſchottanus, qui iſtis in locis negotiantur: perſuaſum inde quibuſdam, primum patrem Adamum ex hoc genere fructum cum peccato guſtaſſe.

Quelli. Palan. pyſan Muſa.
Fructus peccati.

Verùm cùm in Teſtamenti Veteris hiſtoria legimus, exploratores Terræ ſanctæ racemum vuarum retuliſſe, cui geſtando vix duo homines ſufficerent, mihi, inquit idem, huius fructus recordatio ſæpè incidit: num talis ille racemus extitiſſet, qui eodem more ab Indis ad domum Archiepiſcopi Domini mei tranſlatus, haud falſa illius hiſtoriæ imagine apparebat. *Hactenus Linſchottanus.*

Racemus Terrâ ſanctâ.

Annotat Paludanus Ficus Indicas apud Arabes, non *Muſam* aut *Amuſam*, ſed *Moris* vocari, arborem verò *Darachr* iiſdem. A Braſilianis *Pacona* & arborem *Paquouer*: in Guinea *Bananas*, in Malabar *Patan*, in Malacca *Pican*, in Canara, *Decan*, Guſaratta & Bengala *Quelli*: quæ nomina pleraque & Muſæ tribui præcedenti capite dictum. Quin & idem Paludanus addit à Brocardo in Terræ ſanctæ deſcriptione, Paradiſi Malum ab Ouiedo *Platanum* vocari, atque vires ſupra Muſæ dicatas ex Arabibus etiam huic tribuit, quaſi eadem hæc cum illa ſit, aut certè aliqua eius ſpecies ſuprà dicta.

Moris. Darache. Pacona. Paquouer. Bananas. Patan. pican. Decã. Quelli.
Paradiſi Malus. platanus.

Paradiſi autem *Mala* ideò vocata putat, quòd amœno & ſuaui ſint guſtu, odore item ac colore probentur, guſtum quippe acidum dulcedinem habere adiunctam: odorem velut roſarum nares afficere: colorem flauum, pulchrè item viridem oculos paſcere. Accedere ad prædictas rationes figuras Crucis, quæ obliqua fructus ſciſſione apparent, de quibus Syriæ Chriſtiani varia referunt, eaſdem peregrinis oſtendentes.

Cur Paradiſi Mala dictæ. Sapor. Odor. Color.
Figura Crucis in fructu.

PACOVERA AMERICANA, MVSÆ, VT VIDETVR, SPECIES.

Deſcriptio

ARborem hanc, authore Theueto, ſylueſtres Americani *Paquouere* ſuo idiomate vocant, quę nec in Europa, nec in Aſia vel Africa proueniat, quâq; forte non temere præ aliis omnibus *mirabiliſſimã* dicas. Caudicem emittit homine non altiorem, craſſitudine ea, quam ambæ hominis adulti manus ex æquo capiant & amplectantur, ſubſtantia adeò tenera, vt cultri acies facillimè penetret. Folia latitudine bipedanea, homine ſeſquidodrante longiora aut ampliùs. Eiuſdem ſpeciei vidiſſe ſe, ait idem, in Aegypto & Damaſco, Hieroſolymã redeuntem, ſed folia ad iſta vix mediæ eſſe longitudinis. Magna quoque differentia eſt in fructu: nam huius arboris, de qua hîc loquimur, fructus maximus pedalis eſt, craſſitudine cucumeris, ad quem etiam figurâ ſatis bene accedit. Hunc fructum incolæ ſuo idiomate *Pacona* vocant, qui probè maturus præcipuæ eſt ſuauitatis faciliſque digeſtionis. Colligunt ante perfectam maturitatem, & in ſuis caſis recondunt, vti nos fructus noſtrates. Creſcit in arbore in glomerem ſeu racemum congeſtus, triginta aut quadraginta ſimul proximè ſibi inuicem iuncti ex ſurculis è ſtipite emerſis, vt in figura appoſita videre eſt. Et quod in hac arbore mirabilius, ſemel tantùm fructum fert, qui magnæ parti incolarum cedit in nutrimentum. *Hæc Theuetus.*

Folia.
Pacona.
Collectio.

Lerius *Paco-aire* tradit eſſe foliis Lapathi aquatici, longitudine ſepedali, latitudine bipedali aut latiori, nec putat tantæ magnitudinis folia vſpiam extare in Europa, Aſia vel Africa: tenuia eſſe, ventiſque agitata ita diſcindi in partes vt primo obtutu quis Struthiorum pennas exiſtimet. Matthiol. addit idem, meminit Muſæ, quæ bene

Pacoaire.
Muſa ſimilis.

benè picta est, & aliquatenus similis *Pacô-aire* Brasilianorum.

Musa Pacouera. Hist. Lugd. Musam Pacoueram Theueti vocat. Patet verò tam ex Theueti quàm Lerii verbis nó eandem hanc esse cum Musa ex Matthiol. depicta. Quin & ipsa quoque icon non parum differtam à Musa quàm à Linschottani Ficu Indica proximè præcedentibus capitibus propositis. Penitus tamē diiudicandum relinquimus, an diuersarum plantarū sint icones, vel vnius plantæ figuræ diuersæ.

MALVS AVREA, FOLIIS PRÆGRANDIBVS.

Cap. LXXVII.

Descriptio FOliorum amplitudo, & quod Dodon. qui solus (quod quidem sciamus) exoticæ huius arboris historiam tradit, *Palam* Plinii (de qua paulò antè) huius quoque historiam hic poni postulabant. Ergo *Mali aureæ* Dod. dictæ, vt ille scribit, ad Mali Punici formam accedit, Pomum & ipsum cognomento aureum: sed magna & procera hæc arbor est, longis ramis valdè patula: folia etiam prægrandia, três subinde cubitos longa & *Folia.* duos lata, in quibus crassiores venæ secundū longitudinē productæ, veluti in Cinaræ foliis. Fructus permagnus est, ad instar humani capitis, forma & colore Malo Punico similis: habet verò & intus recondita complurima succi plena grana, sed ob- *Grana lutea.* longiora & maiora, quā in Punicis mali, & colore non rubentia, sed auri luteo splendentia, sapore *Sapor.* subacidulo, ori grata. A quo huius descriptionem habuimus (inquit idem) sibi hanc Panormi in Sicilia visam retulit in horto excellentissimi cuiusdam Medici: haud dubium autem, quin peregrina sit, & ex India vel aliunde illuc olim aducta. *Locus* Nomen autem hic vel arboris vel fructus huius nullum sibi aliud cognitum affirmabat, quàm Mali aurei: atque hoc nomine fructum appellari. Potest autem hoc nomen accepisse, quòd grana auri luteum colorem referant. Plinius huius, vt idem Dod. putat, meminit lib. 12. cap. 6. vbi arborem hanc Palam: fructum vero Arienam dici refert. *Malum aureum Pala* Plinii verba inueniet lector paulò ante capite de arboribus Indicis Theophrasti. Habet verò huius arboris descriptio à Dod. proposita quædam quæ cum Musa conueniunt, sed plura quæ discrepant, vt conferenti patebit. De facultatibus *Vires. Febres. sitim* verò (addit. Dod.) nihil quoque aliud accepimus, quàm quòd ipsa auri colore succulenta grana valdè acutè febricitantibus admodum essent & grata & vtilia: vt pote quæ calorem magnum contēperarent, ac sitim vehementer sedarent.

PALMITES.

Cap. LXXVIII.

Descriptio PAlmitis nomine arborem depictam, & tabulis æneis Iconum parte 4. sculptam exhibent Bry fratres in historia Indiæ Orientalis, de qua scribunt. Palmites arbor est trunco crasso, è quo folia longissima nullo pediculo hærent. Iidem in itinere Holandico anni 1599. aiunt. In insula Don Galopes, vel D. Mauritii prope Madagascar inuenimus multas Palmites arbores, ex quibus vinum

fluit, quemadmodum ex Coco arbore.

ARBORES ALTISSIMÆ PALMITIS SIMILES.

Cap. LXXIX.

IN insula parua S. Mariæ altissimæ arbores crescunt absque ramis, arboribus similes, quas *Palmitas* vocant. Hæ fructum ferunt, qui externâ facie fructui *Ananas* quodammodo similis est, aureo colore conspicuum. Intus grana parua latent qualia Mali Granati, quā parte dulcissimi sunt saporis: reliquā duri atque inutiles. Linschottanus.

BENIOINO OBVOLVTVM FOLIVM MAXIMVM.

Cap. LXXX.

Descriptio BEnioino aliquando folium Lugduni detraximus, quo obuoluta erat maxima gleba. Illud quidem arboris ne sit an herbæ nihil certi habemus: apparet tamen ex eo fragmento, quod penes nos habemus, & hic depictum damus, maximum fuisse, adeóque & Musæ forte folio maius. Est autem colore rufescēte, costa elata posteriorem folii partem secundum longitudinem percurrente, à qua nerui elati & ipsi, sæpiùs oppositi, aliquando inæquali ortu, omnes obliqui prodeunt, inter quos spatium intercedēs, vnciam vnum latum est, interdum tres, subinde palmare: atque neruis obliquis vltrò citróque discurrunt venulæ transuersæ, semuncia aut paulò

plus inter se distantes, aliquando breuioribus interuallis dissitæ: quo nomine à Musæ quoque foliis distat, quæ à costa quidem longitudinem percurrente, obliquis illis neruis carent, transuersisque, de quibus diximus, venulis destituuntur.

OPVNTIA VVLGO HERBARIORVM.

Cap. LXXXI.

Descriptio. INter naturæ miracula hæc planta meritò accensenda, quibusdam ficus Indica appellata, ob quandam fructus similitudinem, licet planta non solùm à Ficis, sed à cæteris quoque arboribus mirabili modo differat. Ipsa verò quoque in magnam euadit arborem, *Folia.* cui folia magna longitudine interdum plusquàm pedali latitudine sesquipalmari, ex oblongo rotundata, pollicem crassa, infima etiam crassiora durioraque supremis, foris membranâ tecta, plurimis tuberculis aspersata, è quibus spinulæ albæ acutæ facilè contrectanti adhærentes, infixóque aculeo stationem nutuam deferentes, [Matth. etiam sine spinulis vifa testatur] *Succus.* succo intus turgentia colore herbaceo, tactu viscido, salinoso, qui exsiccatus, granulosus arenæ tenuissimæ instar attritu digitorum dissoluitur: per quem discurrunt neruorum plurimorum mediocriter crassorum reticulati plexus, atque hæc quidem folia ex aliis foliis iucundo connexu succrescunt, quibus etiam plurimùm pro caudice vtitur, & in brachia diducitur, vt in apposita figura apertè demonstratur. Folia hæc cum tempore incrassantur magis, & fiunt rotundiora, immò ligneam tandem substantiam acquirunt, præsertim inferiora, tumque & spinas magna ex parte amittunt. Femoris crassitudine obseruatum fuisse Gesnerus monet. Foliorum pinnis insident fructuum rudimenta multa, similiter spinosa, è quorum vmbilico *Flores.* flores emicant Calathi Balaustii quadantenus effigie, succulentiore magnitudine, multi, lutei, multis foliis vngue latioribus, rosarum foliis similibus constantes, quibus marcescentibus *Fructus.* fructus maturatur Ficum magnam adæquans, supernè vmbilicatus, pulpa sanguineo rubore manus tingente infecta, gustu subdulci, sed quàm ficuum insuauiore, [ferinum quiddam præ se ferenti Cæsalpin.] granulis farcta lentis ferè magnitudine, sed sinuatis & inæquali ambitu donatis, iisdémque concoloribus in sinu, vt cur ficulneis granis quidam contulerint, non videamus, sapore quodam peculiari, non tamen ingrato. Gesn. in fructu grauem quendam odorem esse annotat. Cùm primùm exit hæc *Prima forma.* planta [nam creuit nobis Montbelgardi, ex semine Romæ in diligentissimi Pharmacopœi horto lecto] foliola duo emittit crassa, succulenta [aliquod Sedi genus emergere diceres] mucronata, è quorum sinu coniugali ceu pili quidam candicantes & purpurantes, futurarum spinularum primordia, simul exeruntur, quos non multò pòst folium sequitur iisdem vestitum, & hirsutum totum, nec latum, sed teres ferè, quod tamen temporis progressu paulatim in latitudinem comprimitur, fiúntque aculei cum tempore etiam firmiusculi. Radicula nouellæ plantulæ simplex & albicans est. Eandem cum primis foliis iconi nostræ adiungi curauimus.



Matth. Tradit Matth. parere hanc plantam in Indicis regionibus, foliorum summitatibus fructus Ficubus nostratibus similes, sed crassiores, & qui anteriore parte in coronæ speciem desinant, colore ex viridi purpurascente. Interiorem pulpam perinde esse ac in nostratibus: verùm adeò succosam fœcundámque, vt sanguineo succo Morotum *Sanguineus succus. Gummi.* modo manus inficiat. Exstillat & gummi hæc arbor, succino flauo colore & substantia, si duritiem eximas lapidosam, admodum simile, & glebulis concretum & Tragacanthi ferè in modum, vermiculatum, adeò durum vt dentibus comminuere vix sit. Candelæ admotum flammam non concipit sed comburitur, nec tamen vllam odoris spirat fragrantiam: mastheatum quoque nullum saporem gustatu dignum exhibet. Tale à Io. Heinzmanno, industrio Pharmacopœo Basiliensi accepimus.

Etsi verò facilè in eorum eamus sententiam, qui negant plantam modò à nobis descriptam, *Opuntia.* veram esse Veterum Opuntiam, nihilominus tamen hic proponemus, quæ à Veteribus de Opuntia tradita, quia nondum planè constat nobis, si ad aliam, ad quam tamen plantam sint referenda.

Theophr. De ea Theoph. sic tradit. Fico Indicæ [cuius ramis in terram curuantur, eique se inserentes rursus radicantur, de qua supra] simile quiddam est, vel potiùs quodammodo mirabilius, si qua ex foliis radicem mittat, qualem aiunt circa Opuntem esse herbulam, quæ & cibo grata sit, & suauis *Scaliger.* gustu. Malè verò habet Scaligerum, quòd tam claram tamque singularem herbam quæ & vsui & miraculo sit, non nominarit Theophrastus, dúmque potiùs fuisse cursorem quod à se non semel factum testatur.

Opuntia. Plinius eadem paucis repetit, sic: circa Opuntem Opuntia est herba, etiam homini dulcis. Mirúmque, è folio eius radicem fieri, ac sic eam nasci.

Ficus hæc est in Indica, inquit Cardanus, quoniam fructu & foliorum magnitudine Ficum refert: Eam Mexicani apud quos frequens est, vocant *Nuchtli*, arborem *Nopal*: Indi autem insulæ *Nuchtli. Nopal. Tuna. Pithaia.* Hispanæ arborem vocant & fructum *Tunas*: alii verò *Pithaiam* etiam huic generi adnumerant, Minùs autem diligenter describit *Tunam*, non semel fallens nos, aut superficiaria inspectione *Aliquot Cardani errores detegun tur.* falsus ipse, nec eam exactè distinguit à Pithaya, de qua inter Carduos.

Opuntia & Ficus Indica multis eadem. Plinii Opuntiam plerique Ficum Indicam nominari Matthiol. testatur, & Indis suo idiomate *Tune* vocari, censétque eandem esse cum Opuntia Plinii & planta illa Theophrasti circa Opuntem crescente. Hispani *Higuera de la India* vocant. *Tune. Opuntia. Pala.*

Quidam, inquit Lacuna, *Palam* Plinii existimant, quod affirmare non ausim. Nobis sanè descriptio *Palæ* Plinii, Opuntiæ dictæ, minimè conuenire videtur. Benzo notat Peruuanis aliisque

Ame-

Digitized by Google

Tuna. Americæ prouinciæ incolis *Tunæ* appellari. At Guiland. in epistol. ad Langium, Opuntia non *Tuna a Carduus distinguitur.* Carduus est, ait, cui Tunæ nomen, sed herba alia apta.

Matth. not. Et in Theone: magnus, inquit, error Matth. apparet in Opuntia, quod Theophrasti testimonio πόα est, non autem arbor, vt ipse falsò adstruit, cui vulgus perperam Fici Indicæ nomen imposuit. Ea Theophrasto ὀπουντία est: Plinio aliqui Palæ, & Arriano hist. Alex. lib 8. Talæ nominibus celebrata, vt alterutrum ferè loeum mèdosum esse necesse sit. *Ficus Indicæ dicta. Anonymus Theoph. Pala & Tala.*

Gesner. liberè dicit Ficum hanc Indicam aliquibus ridiculè Opuntiam nominari: ineptè verò ab alijs *Carduum Indicum* propter spinularum in folijs ceu penicillos. *Carduus Indicus.*

Fructus dodrantalis. Idem fructum dodrantalem ferè, verrucosum, vt Cucumis & Pomum mirabile, cui etiam ferè colore similis fit in maturitate ex Clusio annotat: qui conijcit hoc esse Euphorbium quod Io. Leo in descriptione Africæ describit, id quod Gesner. diligentiùs considerandum monet. Verùm Clusij opinio nobis non probatur: non enim est Euphorbium Leonis Africani, nec est Ficus Indica Veterum hæc planta de qua agimus, licet Clusius Cardanus & alii Ficum Indicam & Carduum Indicum vocitent, quod nomen priùs etiam Pena & Lob. ei tribuunt in obseruationibus: rectiùs in Aduersariis Ficiferam Tunem Indorum appellant, ad euitandam homonymiam huius nominis, *Ficus Indica*, quod aliis arboribus tam à Veteribus quàm à Neotericis tribui insuperiotibus patet. *Euphorbiũ Clus. Clusius taxatur. Pen. & Lobel. Ficiferam Tunem Indorum.*

Cæterum peculiaris est obseruatio Dodon. vel potiùs error de huius plantæ flore: sic ait. In extremis folijs primùm flores erumpunt oblongi, deinde fructus subsequuntur: quorum fastigia foliola quædam instar coronæ ambiunt, veluti ostendit icon quam sac. Ant. Cortuso acceptam ferimus. Hæc ille. Vides quid sit plantæ vel partis aliquam eius descriptionem ex icone condere: meliùs Asinum effingeres ex eius vmbra, si tocari licet. Fallitur Dod. qui iuxta iconem suam appingit florem separatum calyculo longo, qui videtur esse flos Mexicanus, seu Iasmini Indici vocati, cui nihil ferè simile cum flore huius plantæ. Si hunc ei misit Cortusus pro eius flore, sanè imposuit ipsi. Non sunt oblongi flores Ficiferæ huius arboris, sed tales quales suprà diximus: quales & ipse Dod. in sua icone à Cortuso missa adpictos foliorum pinnis ostendit, quamuis non florem, sed foliosa quædam instar Coronæ vocitet nesciens eum esse florem, & coniectura sua vmbratili vti malens quàm de re sibi ignota scripsisse videri. *Dod. not.*

Ficus Indica. Cæsalp. not. Cæsalp. hanc à Ficu Indica Theophrasti non valdè absimilem dicit, & ab ea nequaquam genere differre: Nos planè contrarium dicimus: vter verioræ tradat patebit vtriusque historiam diligenter consideranti.

Opuntia. Hist. Lugd. ait: Opuntiam esse non sine ratione quis suspicetur. Camer. Opuntiam vulgò habitam diuersam à Theophrast. Opuntia, Anapallum dici à Bellonio. Legimus quidem apud Bellon. lib. 1. cap. 44. Arborem dictam, Anapala, semper virere in Creta: an verò intelligat plantam à nobis descriptam, in tanta breuitate dubitare rationabiliùs quàm asserere. Lob. & Pen. in Aduers. dicitur Muha seu Opuntia. Tabern. Ficum Indicam spinosam: Germ. Stachlicht Indianisch Feigen appellat. Schvvenckfelt licentiosè similiter Anapallum Bellonii, & Indianisch Feigen vocat, ab incerto nomine Latino. *Anapallus. Anapalà. Ficus Indica spinosa. Schvvenck.*

In Americæ insulis Peruuianis, Hispaniola, Nicaraguæ, Guattimalæ, & toto Nouæ Hispaniæ regno, ruri ac spontè abundè arborescit, teste Benzone. Peregrina in Europa est arbor, sed in Italia, Hispania Gallus atque etiam Germania iam ante multos annos in magnatum hortis & atriis potissimùm in pensilibus Adonius coli cœpta. *Locus.*

In Monachorum Galliæ Narbonensis Paradisis multis & suburbanis ad Monspelium, non modò elegantes cultę, sed etiam neglectæ plantæ multos annos viruerunt, vt annotant Aduersaria. Et Camer. testatur Neapoli in Monasterio pone Castellum nouũ vidisse altero tantò maiorem quàm hominem, caudice duro ac lignoso. Tales & nos vidimus Romæ in Beluedere dicto Paradiso, Pontificis Vaticano, alibique passim Italię & Galliæ lautioribus hortis. Sed quid calidiora illa loca dicimus: Coluit iam dudum & etiamnum colit in instructissimo suo horto plures arbores Basileæ Cl. D. Platerus, quouis homine altiores, cui etiã floruit vti vidimus. Coluimus & nos Montbelgardiæ elegantes, tam ex semine quàm ex foliis defixis natas. Basileæ gummi profudit planta supradicti pharmacopoei, quod antea descripsimus. Rarius etiam fructum fecunt in Gallia, qui ad maturitatem perueniat. Maturum vidimus & legimus Romæ in horto Cortusi peritissimi pharmacopœi, vbi florẽtes aliquot obseruauimus Maii fine: Monspelii, Iunio.

Tempus. Apud nos in hypocausta & conclauia reponendæ tempore hyemis, & à frigore magna cura præseruandæ: alioqui facilè putrescunt, & frigoris sunt impatientissimæ: attamen & loca nimis occlusa odit. *Cultus.*

Satio. Tam viuax est hæc planta, vt tum seminulo sato, tum folio humi medio tenus defosso crescat facillimè. Vtroque enim nobis prouenit modo & aliis prouenisse scimus. Semine paucis interiectis diebus erumpit: quamuis Camer. iam. demum à satu die alterum, alterum verò etiam tertio demum mense sibi prodiisse tradat, cautatus sæuissimę hyemis reliquias, alioqui maturiùs fortè proditura.

In Italia & calidioribus Galliæ locis feliciùs crescit, & hyeme etiam in hortis sub dio relinquitur: sed vndique stupis inuolutam sinunt, & rigatione abstinent. In Gallia Cisalpina non fructificat, vt narrant, ne Patauii quidem aut Ferrariæ. Facilè tamen crediderimus vel ibi diligenti cultu ad frugem peruenire posse. Locis namque calidioribus, vt Romæ (vt diximus) alibique & in Græcia, fructum perficit, quem aiunt longum esse digitos fermè octo, graui quodam odore. Superioribus annis, cùm diuersis in locis Germanię hanc plantam seruare aliqui conarentur, in cellis vinariis nimirum (vti solent) omnibus periit. Septimo aut octauo anno fructũ profert, qui maturescit autumno. *Odor fructus.*

Tempus. Vires & fus. Temperam. Sapor plantæ, quem Sedi maioris similem exhibet, satis apertè, vel Lacuna iudice, ostendit frigidam & humidam esse. Experientia constare idem tradit, vulnera recentia mirabiliter glutinare. Aliquot Ficus comestæ tingunt vrinã rubro sanguineo colore. Vrina sanguinea ignorãtibus causam insignem terrorem attulit non sine consociorum & medicorum risu. Cautio itaque sit non edendum alioqui vrinam cruentam ex plurimorum Autorum obseruatione causaturum. Etenim hoc & Matth. & Pena cum Lobel. Cardanus, Gesnerus, Camer. aliique plures qui fortè αὐτοπτικῶς hoc ipsis retulerunt, hoc testantur. Referunt hoc idem qui Orientales insulas sunt *Vulnera. Vrina cruenta.*

peruagati. Folio dissecto multus & tenacissimus humor emanat, instar albuminis oui conquassati, quem vlceribus antiquis vtiliter adhiberi tradunt. Ipsi fructus refrigerant: succo quoque foliorum pro aqua vtuntur Indi. Granorum quæ fructibus illis continentur ad sericum tingendum vsus est autore Gesnero & Cardano.

Vlcera.

Tinctura.

Sed mox lib. de var. rer. subdit idem Cardanus: Cæterùm an omninò ex granis illis sericum tingatur, haud multùm refert quandoquidem æternas res, non quæ mutantur edocemus: singula enim cursu temporum & multa cum regione mutantur: at ratio perpetuò manet, velut si quid colorem hunc rubeum splendentem retineat: substantia verò & tenui & densa mediocriter præditum fuerit, tunc cùm vires habeat efficaces, tincturæ serici vel lanarum erit idoneum. Quod si hîc (Mediolani) planta hæc posset propagari, melior esset hæc Chymica quàm metallorum: nam non solùm sericum, verùm & lanam hoc medicamento inficiunt, purpuramque seu Chermesinum vocant. Hæc ille. Sanè verò, Oedipo vel Delio aliquo natatore opus esset, qui edoceret, quid prioribus illis suis verbis vellet: vel potiùs Scaligero aliquo magistro, qui vel malè sentientem exploderet, vel ineptè loquentem castigaret. Quid enim hoc ad rem, quærere an granis sericum tingatur: tum dicere, parum referre, quoniam res æternas docere propositum habeat, non mutabiles: subsequentibus verbis quid sibi velit, subolfacimus tantùm. Granis inest quædam adstrictio, quibus color à succo in rem tingendam manans firmatur & quasi ne euanescat aut alienetur, coercetur. Perinde ac alumen, galla aliáue eiusmodi, diuersis coloribus saturandis & figendis (vti liceat hac voce Chymicis consueta) accommoda. Nobis ita visum: succum fructus, colorem, grana ritè administrata, coloris firmationem, fixationemue subministrare. In succulenta namq; fructus substantia cruentum illum colorem in semine nullum, atque verò nullum, præter leuem quandam adstrictionem, hactenus deprehendimus. Meliora certioraque docenti libenter herbam porrigemus. De tingendi enim modo ex hac planta hactenus nihil certi & definiti nobis compertum.

Purpura. Chermesinum. Cardanus.

OPVNTIÆ VVLGO DICTÆ COGNATA FERRVMINATRIX Indorum.



Descriptio.

ARbusculã in India spõte natam, & (Ficui Indieæ vulgò dictæ) admodum cognatam, vocant incolæ *Ferruminatricem*, artuum fracturis & luxationib. peramicam. Perpetuò viret, & foliorũ sobole successiua arboream magnitudinẽ adipiscitur: iisdemque planè foliis [cum Opuntia dicta] sed fructu minore & spinosiore, purpureum viscidũ succum remittente, adque imbuendos pannos infecturæ tenacissimæ. De eadem & Histor. Lugd. tradit: Indis Ferruminatrix nobis Opuntia Ostocellos dici potest. Ramos profert foliis refertos aspectu deformibus, admodum spissis & spinosis, *Tunæ* foliis similibus, vt describit autor generalis Indiarum historiæ. Rami isti folia primùm fuere, ex singulis singula oriuntur, atque ex his alia, quæ demum indurantur, & mutuò sibi succedente foliorum sobole in ramos abeunt, ac tandem arboris magnitudinem adipiscuntur, quæ perpetuò viret caudice in imo & ramis cinericiis, asperis.

Ferruminatrix. Vires. Fracturæ.

Tinctura.

Opuntia Ostocellos.

Succus fructus ad inficiendos pannos infecturę tenacissimę: vt dictum folia spinis exemptis trita & cataplasmatis modo imposita fracta ossa mirè glutinant, sed illa priùs locis suis aptissimè reponi oportet. Nam admotum Cataplasma cùm agere in partem cœpit? ita hæret, vt auulsu perdifficilè sit. Ea verò sanata spontè excidit.

Vsus eius administrandi.

FINIS LIBRI PRIMI.

Digitized by Google

HISTORIÆ GENERALIS STIRPIVM

LIBER SECVNDVS.

EARVM EST ARBORVM ET FRVCTVVM QVI POMI QVOQVE VOCE GENERALIORI COMPRÆHENDVNTVR: SED EORVM POTISSIMVM, QVI OSSEAM NVcem carne obtectam habent, esculentâ, vel non esculentâ: & quorum aliqua cum his affinitas.

MALORVM natura, quæ vel carne constant pulposâ & edali, vel tali aliquâ substantiâ, quamuis heterogeneâ, quæ tamen, aut certe magnâ ex parte, sit edendo, hactenus dicta: etsi externarum quædam mixtæ conditionis irrepsisse videantur. Et quis enim omnia ita exactè velut in cancellos quosdam cogat, quod ipsi non ducam naturæ? Partem nunc diligentiâ persequamur, quorum ossa visceribus comprehensa, nobilius & vegetum propagationis principium claudunt: seu, vt Plin. ait, vitiumque cinctum fructu, cùm fructus alibi muniatur vitio: nempe putamine osseo. Quorum natura trigemina est, corpus, deinde lignum, rursusque semen in ligno, vt Persica, & quæ mox traduntur.

MALVS PERSICA.

CAPVT I.

Descriptio.

IVSTÆ magnitudinis arbor est Persica, caudice satis crasso, ramis brachiata, cortice rubente & suffusco. Flores profert pulchros dilutè rubescentes, odoris exigui, è quinque folijs latis compositos. Medium occupant stamina multa, longiuscula, purpurantia, aut alba, cum paris magnitudinis stylo. Insident autem flores sine pediculis, ramorum tuberculis adnati, calycibus rubentibus in quinque foliola acuta sese expandentibus. Poma nonnihil rotunda, densè villo tomentosa, ex luteo herbacea, alias pulchre flaua, alias punicea area decorata, carne alba vel pallida, interdum flaua, variès rubente penitùs, aut sanguineis guttis cruentata, sapore dulciusculo, pertinaci adhæsu ossiculum vix deserente, in quibusdam tamen speciebus facilè solubili (quæ bonitatis nota habetur) cuius profundis sulcis & scrobiculis passim se insinuat. Est autem ossiculo crassities insignis, durities ferè inuicta, sed interna facie læuor politus, externa multis sulcis profundiusculis nullo ordine canaliculata, binis valuis constans: in quo nucleus callosus, oblongus, exacutus, albus, flauescente cuticula vestitus, qua detracta geminus conspicitur, amaricans, non tamen gustu insuaui. Folia oblonga, Salicis, acuminata, crenata, Amygdalinis, quibus persimilia, maiora, sapore amaro, qualis in Persicorum nucleis, ingratiore tamen. Materies russa, & circa media ferè punicea, satis firma, ob id ad torni artificium præ alijs expetita.

Fructus. *Varietas.* *Ossiculum.* *Nucleus.* *Materies.*

Hęc arbor non multam ætatem acquirit, vt enim citò & promptè adolescit, & ad frugem peruenit, ita non multis annis pòst senescens tendit ad interitum. *Aetas.*

Porrò an de hac arbore aliquid Theophr. prodiderit, haud ita facilè iudicatu. Persica [vertit Gaza apud Theophr. lib.3.c.5.] in Ægypto & locis proximis fructificat, quanquam in Rhodo vsque ad florem duntaxat deuenit. Quæ verba Dalech. citans de Persico hæc nostra vult esse in- *An Theoph. de Persico egerit.*

telligenda, addens: aliquos perperàm pro Persica legere Perseam. Nostra exemplaria περσέας habent. Ita & Scaliger legit, & malè ait verti à Gaza Persicum. Vult enim duas esse περσέας. Videtur itaque nó agnouisse aliud esse περσέαν aliud περσέαν: περσία, sanè apud Athen. legitur pro Persica alicubi. Monendus est autem Lector, tres esse arbores, vnam Nucem Persicam quæ nostra est Iuglãs: alteram Malum Persicum, de qua hic agimus, quam fortè non malè περσίας nomine exprimas: & tertiam veram περσέας Theophrasti, de qua suo loco. Diosc. sanè manifestè distinguit Perseam, à Malo Persica, diuersis locis de ijs tractans. Et Corna. suprà citato loco Thophrasti, περσέας legi vult: Et rectè, ita enim quoque habetur lib. 2. caus. c. 1. vbi Theophr. eadem repetit: vt Theophrast⁹ nihil de hac nostra Persico egisse videatur, quantùm quidem nobis hactenus constat: Et locus citatus de Persea intelligendus videtur: neq; quicquam exprimit, quod nostræ Persici speciem aut naturam declaret, vt mirum sit Dalechampiũ ex Plinii sola versione [deprauata tamen] iudicasse ex Plinio apud Theoph. περσίαν vel περσικὴν legendum, Theophrastúmq; de nostra Persico locutum. Nam quod Plinius, lib. 15. c. 13. scribit: In totum quidem Persica peregrina etiam Asiæ Græciæque esse, ex nomine ipso apparet, atque ex Perside aduecta. Persicæ arbores serò, & cum difficultate transiere, vt quæ in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Ægypto earum fuerat hospitium. Falsum est, venenata cum cruciatu in Persis gigni, & pœnarum causa à regibus translata in Ægyptum, terra mitigata. Id enim de Persea diligentiores tradunt, quæ in totum alia est &c. Hæc inquam verba tota, non postrema tantùm, vt Plinius ait, sed priora quoq; de Persea intelligend ι, ex Theophrasto. Teste etiam Euricio Cordo Persica & Persæa, diuersa sunt diuersarum arborum mala.

Gaza not. — *Tres arbores Persica nomine cõprahensa.* — *Theoph. locus correct.* — *Dal. & H. Lugd. not.* — *Plin. not.*

Diosc. περσικὰ μῆλα: Serap. *Shauch*, id est, Persicum. Auic. Persica. Bellunensis ponit in margine *Chauch*. Matth. *Sauch* habet.

Synonyma autorum sententiæ. Shauch Persica

Harpocrati taciturnitatis Deo Persicam sacram esse tradit Plutarchus lib. de Iside & Osiride, quoniam huius arboris folium linguæ simile sit, fructus cordi.

Harpocratis sacra.

Persica mala, è Græcis nonnulli ῥοδάκινα quasi Duracina appellant: nonnulli, vt Aristophanes Grammaticus, in Glossis Laconicis vocari dicunt, (vt Athenæus tradit) Coccymala, & oxymala Persica, & Adria.

Rhodacina. Duracina. Coccymala — *Oxymala. Adria Persica.*

Idem Athen. tradit Theophrastùm de Persica agere, quando sic ait: Theoph. libro secundo historiæ plant. de ijs tractans, quorum fructus non est conspicuus, ita scribit. Manifestum quidem est maiorum omnium plantarum principium, vt Amygdali, Nucis, & aliarum huiusmodi, itémque Punicæ mali, Piri, Mali, excepto Persico, cuius obscurum est, ac minimè tale. Atqui hunc locum nec Dalechamp. neque nos hactenus quamuis diu & diligenter quæsitum inuenimus. Placet itaque Dalechamp. sententia, locum hunc corruptum esse, & ex aliis locis eiusdem autoris ita restituendum. Manifestum quidem est maiorum omnium plantarum principium modis pluribus, veluti Nucis, Amygdali, & aliarum huiusmodi: item Punicæ Mali, Piri, excepta Malo Persica (τὸ δὲ τῆ μηδικῆ.) Hæc enim pluribus modis minimè gignitur. Persicam malum scil. intelligit Citriam, quam is & Persicam & Medicam vocat, vt in superiori libro patet, quæ semine tantùm nascitur, non autem Persicam nostratem, vt Athenæus videtur existimasse.

Theoph. corr.

Quidam Nucem Molluscam putant, sed malè, vt postea docebitur μηλέα περσικὴ Galeno, qui iam suo tempore vulgò ab omnibus Persicę tantùm appellari tradit, videlicet omissa voce μηλέα. Ideò etiam nunc eius fructum plerique περσικὰ & Persicum simpliciter vocant. Paulus & Aetius ῥοδάκινα vel, vt alij volunt, δωράκινα. Sed vix autorum placita atque synonyma ritè exequemur nisi priùs eorundem differentias assignemus, ne diuersam nomenclaturæ lectori pariant confusionem, ijs non præmissis, & quomodocunque explicatis.

Duracina Persicum. Nux Mollusca.

Palladius itaque Persicorum genera hæc posuit: duracina, præcoqua, persica armeniaca, vel vt alij volunt Armenia. Galenus tamen vnum tantùm præcocium, & Armeniacum genus esse voluit. Nam Armeniaca vocitari, iam desitum est. de quibus Martialis:

Differentiæ. Duracina. Præcoqua. Persica. Armenia.

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis

Epigr. lib. 13.

Nunc in adoptiuis, Persica cara sumus.

Aetius hoc genus etiam Bericoccum vocat: quod Pomo cæteris minimum est: sunt tamen è Neotericis plures, qui hoc genus ad Pruna Armeniaca referant, quibus Curtius neutiquam adstipulatur. Neque sanè putandum Dioscoridem ita confusè hoc genus Prunorum cum Persicis Malis miscuisse, cùm alibi Prunorum meminerit.

Bericoccum.

Plinius autem regionum habere cognomina prodidit: Gallica, Asiatica, & Supernatia. Sed Persicorum (inquit) palma duracinis. [Rhodacenis Cornar.] Nationum habent cognomen, Gallica & Asiatica. Post autumnum maturescunt: æstate præcocia, intra xxx. annos reperta, & primo denariis singulis venundata. Supernatia è sabinis veniunt, popularia vndique. Pomum innocuum expetitur ægris: pretiumque iam singulis triceni nummi fuere, [alii, tricenis nummi fuere.] nullius maiore: quod miremur, quia non alìud fugacius. Longissima namque decerpto bidui mora est: cogitque se venundari.

Gallica. Asiatica. Supernatia. Sabina. Præcocia. Popularia.

Sostratus ἐν τῷ περὶ ζῴων..., Persæam Rhodacenæam vocari ait, translatamque ex Æthiopia in Ægyptum: Nicander in Alexiph. Perseum Mycenis fuisse, à Cepheo Andromedes patre dono acceptam: eiusque nucleos cerussæ veneno auxiliari. Vterque scilicet, quamuis classicus & vetustus scriptor Persæam cum Persica confundit, vt doctissimus annotat Dalech. Neque verò etiam placet eiusdem Nicandri interpres in hunc modum scribens: sciendum est Socratem in comment. de reptilibus testari, Perseam quam Rhodacineam dicunt: hac voce autem Græci Persica nunc etiam appellant: ex Æthiopia in Aegyptum translatam fuisse. Et Rholus Democriteus in Comment. de his quæ ἀντιπαθῶν & συμπαθῶν dicuntur: Persas (ait) lethalem arborem habentes in Ægyptum misisse credentes perituros multos ab ea, sed utilem cõtrario euentu illis profuisse, protulisseque suauissima poma, qualia nunc videntur: Non placet inquam interpretatio Scholiastis Nicandri, existimantis Perseam & Perseæ nuces idem esse cum Rhodacinis siue Persicis Nicandri, de qua re specialiùs cap. de Persea.

Persæa Rhodacenæa. — *Perseum* — *Sostratus & Nicander repreh.* — *Persæa.* — *Rhodacinea Persica.* — *Interpres Nicandri repreh.*

Paulus τὰ περσικὰ his verbis distinguit: τὰ δὲ πραικόκια τε καὶ δωράκινα [alij legunt ῥοδάκινα] καὶ ἀρμένια κρείττονα τῶν περσικῶν &c. Corn. vertit: præcocia & Rhodacena & Armenia meliora sunt Persicis, neque enim acescunt, neque similiter corrumpuntur: sunt autem & iucunda. Verùm non probatur nobis Cornarius, reponens vocem Rhodacena

Cor. repreh.

cina pro Duracena: quandoquidem ipse etiam Palladius, probatus Latinus & Geoponicus, eo modo nominandi, differentiasque similes posuit ante Paulum in Nouembri cap. 6. quas paullò ante adduximus. Meritò igitur reprehensus fuit à Matthiolo, vt particularius dicetur cap. de Armeniacis.

Plin. not. Mirum quod Plin. lib. xv. cap. xxix scribit, nullum succum Persicis, cùm præsertim duracina succo abundent. Quis verò dicat nullum succum esse Persicis, quorum omnia genera, quæ hodiè quidem habentur, nemo est qui non fateatur succulenta, licet alia magis, alia minùs qualia fortè sua duracina intelligit Plinius: quamuis fortassis Duracina latinis dicta quis putare posset, quod solidiori sint carnis duritie cæteris quorum substantia tenera & mollis, vt quid de eo Plinij loco statuamus vix occurrat.

Duracina vnde?

Addit idem alia quædam ad persicorum explicationem facientia his verbis: sua & in odore miracula: Malis acutus, Persicis dilutus, dulcibus nullus. Sed quid? dulcibus nullus? Intelligat licet vel Poma vel Persica, non stabunt eius verba. Non meminerat Plin. (inquit Scal.) cum hæc diceret, rerum naturalium, quæ vel quotidiano in vsu sunt. Vel enim & valde dulce, & valde odoratum est: & probum mel quod dulcius, odoratius Dioscor. Malè igitur dulcia ab odoratis excludit.

Plin. reprehe.

Pergit Plin. Alijs foris corpus, intus lignum, vt Persicis & Prunis. Quædam statim à ligno recedunt, vt Nuces & Palmæ: quædam adhærent, vt Oliuæ, Laurique. Quorundam generi vtraque est natura, vt Persicis. Etenim Duracinis adhæret corpus, è ligno que auelli nequit, cùm in cæteris facilè separetur. Quorūdā natura trigemina est, Corpus, deinde lignum, rursusq; semen in ligno, vt Persicis.

Rhodacena Pauli quod. Plin. duracina. Vnde sic dicta. Præcocia Plin. qualia. Nuces ocellata.

Porrò Rhodacena Pauli, Dalech. dicit quæ Galli *Auberges, Mirecotons & Pesses* vocant, sic dicta quòd vel rosam oleant, vel rosea & rubro colore picturata ferè conspiciantur. Duracina verò, quorum caro solidior. Per Præcocia item intelligit magna & ampla: sic dicta, quòd è montanis & supernis locis aduherentur: Vulgò *Abricots*. Alex. ab Alexandro Gen. Dierum Nuces ocellatas, quibus authore Tranquillo Augustus cum pueris lusit, probabilius nucleos putat quos in Persicis Pomis sitos inspicimus, quibus persæpè ludere, nostrates pueros hodie videmus. Et Gesn. in Catal. Idem comprobat, dum ait: Nux persica, hanc aliqui Ocellatam apud Suetoniū accipiunt Ein Pfersich-stein. Dalechampius probat eam opinionem, quæ vult nuces Ocellatas esse Auellanas, vt licet videre l. 3. H. pag. Aliam verò longè differentem opinionem habet Rob. Const. qui Ossillatis, vel ossiculis nucibusque existimat legendum, vt demonstratur c. de nuce iuglande.

Persicor. nuclei. Nux Persica. Nuces Auellana.

Simeon Seth ... habet.

Rhodacina. Præcocia. Rhodacena vnde. Duracina.

Persica, inquit Hermol. ex Perside aduecta in Rhodo ad florem vsque peruenīens. Inde Rhodacina fortasse vernaculo Græcorum sermone dicta, nisi quis inuersum nomen putet, quasi Doracina: sic enim Persica ipsa nominantur à Græcis recentioribus Paulo & Aetio, quasi Duracina.

Duracina. Mollusca nux.

Molluscam nucem fuisse qui Persicum interpretati falsò fuerint.

Persica sine ossibus & inscripta. Hermol. not.

Persica sine ossibus & inscripta quemadmodum nascantur, docebit Palladius.

Mirari verò sibi cur Hermol. scribat, Palladium tria tantùm genera Persicorum enumerare, cùm manifestè quatuor habeat, vt suprà ostēdimus, quorum Hermol. præcoquia omittit. Sint hæc Armenia, quæ Prunorum generis quidam volunt, an diuersa, studiosi salgamorum dijudicent. Hermolao eadem videri placet.

Macrobius qui Persicum vulgò dictam Molluscam Nucem esse putat, apertè hallucinatus est, inquit idem. Molluscam autem Nucem dictam putabat Macrobius, quòd cæteris generibus mollior esset, cuius putamen facilè rumpatur, de qua Plautus in calceolo:

Molluscam nucem non esse Persicā.

> *Molluscam Nucem super eius dixit impendere tegulas.*

Sueuij testimonio fretus; in Idyllio, quod inscribitur Moretum, ita putauit Macrobius. Erroris que causa fuit quod ipse existimauerit idem esse Malum Persicum & Nucem Persicam. Sic enim hic Idyllio seu Edulio, quod Moretum inscribi diximus:

> *Admisce tu Acca Basilicis hæc, Nux partim,*
> *Partim Persica, quod nomen denique fertur:*
> *Propterea quod qui quondam cùm rege Ponti*
> *Nomine Alexandro Magno fera prælia bello*
> *In Persas retulere suo, inde retentum*
> *Hoc genus arboris in prælatis finibus Graij*
> *Disseruere, nouos fructus mortalibus dantes,*
> *Mollusca hæc Nux est, ne quis fortè inscius erret.*

Persica.

Non enim hic, vt hic arbitratur de Persico teneriori Pomo agit, sed de Nuce Persica. In Moreto enim poma tenera poni non solebant, sed Persicæ nuces. Hæc fuit Perotti sententia, qui Macrobiū reprehendere voluit, in quam item, inquit Curtius, si eiusdem classici autoris monumentis me doceret, in Moreto non poma tenera, sed persicas tantùm Nuces, id est, Iuglandes, poni solere, quod ex Vergiliano Moreto non probatur. Ad Hermolai autoritatem accedit quoque Ruellij, idem dicentis, nimirum Macrobium Mali persici & Nucis persicæ confusione lapsum.

Nuces Persica.

Marcellus notum quidem Persicorum genus omne & formam tradit, nondum tamen in Antiquioribus satis patere, an huius pomi arbor sit, quam Diosc. platesque alij Perseam dicunt, in Æthiopiâ lethalem, in Ægypto autem salubrem, de qua in hortulo cecinit Colum. an quæ malus Persica vbique nascitur? Ex Nicandri (addit ille) interprete in Theriacis credi potest eandem esse. Poeta vbi de Cerussa agit, præcipit duras Perseæ nuces: Nucesque appellat Persicorum ossa soliditate sua nucibus similia: Quas hic ipse in remediis cerussam ... appellauit: Ex quibus manifestè patere putat Marcellus, quam alij ... arborem dicunt, Poeticè à Nicandro interpreteque eius ... vocari. In hanc enim ait inclinare animum eius, etsi id Plinius negauerit, & aliorum multorum auctoritati obstet. Et alibi: In Persea Theoph. plura sunt quæ nostrati Persicæ eadem sunt: aliqua nihil nostris idem aut simile habent: inclinat animus genere eandem, specie diuersam nostratem ab Ægyptia esse, de qua tantùm Veteres egerunt. Huiusce rei testis Columella est.

Persea. Marcellus putant Persea & Persica idem esse. Persicorum ossa. Persea.

Considerandum an idem senserit Nicander quod eius interpres scholiastes, & ex eo Marcellus. Fortè Nicander de Persea tantùm scribit & nō de Persicis. Columellam de persicis scribere existimamus: Marcello assentiri non possumus, persicam diuersam à persea statuimus.

Marcelli not.

Ruellius putat Theophrasto non indicta Persica, quod colligimus ex his verbis, quando ait: Persica Theophrasti temporibus in Aegypto & vicinis locis ferebat &c. Sed an de Persica intelligendus sit ex præcedentibus patet.

De differentijs idem sic ait: Tria Pomorum obseruant genera: (Verùm ex Palladio & Plinio satis patuit quatuor ipsis obseruata) posteritas innu-

Digitized by Google

Duracinum. Sanguineū. Præcox Anteperſicum. mera penè fecit. Populare uulgò notum eſt, *Peſche* vocabulo, Duracinum ex re dictum, quòd corpus pertinaciùs hæreat oſſi, Galli *Preſſum*: In quo etiam genere reperiutur Poma quæ ſanguineo ſucco manus inficiunt. Præcox, Anteperſicum officinis, vulgò Trecacinum, quòd inde ad nos adferatur, æſtate matureſcens: *Trecacinū.* Hoc vt reliquis eſt minus, ita iucundiſſimo, cætera præueniens, placet ſapore, atque innocenti guſtu, vt quod impunè manditur ægris. *Delectus.* Nec figura, nec ſucco, nec guſtu, nec colore, ſed ſola celeritate proueniendi diſſidet à vulgari. Armeniaca peregrina ſunt, de quibus agetur poſtea. Verùm quæ ex oſſe (ex Malis, vt ait Curtius) prouenerint, Græcis Agriculturæ peritis βάσιλα appellantur. *Βάσιλα.*

Perſica differre à Perſeis. Cordus Categoricè affirmat Perſica noſtra differre a Perſeis. In differentijs quædam parua dicit, quædam grãdia, & croceã carne, quæ omnibus ſaporis bonitate præferantur. Nos ex candidis genus deguſtauimus, quod ſapore vix ulli cedat *Crocea.* croceo.

Vulgaris Perſici, vt annotat. Scaliger ſpecies à colore tres. Vna ſublutea valdè diluta, ſi corticẽ ſpectes: albã pulpa. Altera tota lutea, duūm generum: Alterum natiuum, minùs nobile, alterum longè commendabilius, an arte ſit factum, neſcire ſe ait. *Myrocotoneum.* Myrocotoneum Galli vocant. Tertia ſpecies tota ſanguinea eſt. Primam ſpeciem duæ partiuntur differentiæ. Marem ac fœmellam dicunt. Maris caro ab oſſe non abſcedit: fœmellæ abſcedit. Hæc generalia ſunt differentiarum fundamenta. Sed ſpecialiores quoque differentias ſectemur, ex recentiorum Herbariorum obſeruationibus, atque etiam noſtris.

Cornar. not. Cornarius Perſica omnibus nota Rhodacena dici & à ſe alibi oſtenſum ait. At apud Paulum, vulgaria Armeniaca, quæ Germ. *Marilléchen* dicit eſſe Simeonis Sethi Rhodacena.

Differentia Trag. & Matth. populare Duracina. Supernatiū. Sabinum. Rubra. Aurea. Virentia. Candida. Tragus ſic diſtinguit: Vulgatius Perſicum dicitur populare: aliud, quod non facilè à nucleo ſeparatur, Duracinum & doracinum: Tertium Supernatium: Sabinum Perſicum totum rubrum. Perſica autem mala primùm ex Perſide allata.

Perſicorum, inquit Matth. plurimæ reperiuntur ſpecies: Nam quædam rubent, alia aureo colore fulgent, alia vireſcunt, alia candida ſunt, alia ſanguineo ſucco madent, alia Duracina, alia Cotonea vocantur. *Differentiæ à ſapore, atque delectus.* Adhæc quædam habentur dulcia, quædam acida, quædam vinoſa, quædam amariuſcula, & quædam etiam auſtera. Prima laus in cibis Duracinis, quòd duriore ſint pulpa, & rarò pertinaciter hæreant oſſi. *Duracina. Cotonea.* Præcipua autem in hoc genere illis laus, quæ ab aurei coloris nitore odoreque perquàm iucundo Cotonea cognominant. *Sanguinea.* Secundas ſibi vendicant partes, quæ cortice detracto, ſanguineum ſuccum fundunt, non propterea quòd ſint guſtu reliquis ſuauiora, ſed etiam quia magnitudine & colore ſunt ſpecioſa. *Nuciperſica.* Proxima ſunt, nec prædicto generi fortaſſe cedunt, quæ à Nucis ſimilitudine Nuciperſica cognominantur, quòd Nucum Iuglandium faciem repræſentent. Hæc enim cùm colore & ſapore non refragentur Perſicis Cotoneis, tùm etiam non ingrata dentibus duritie, guſtum mira afficiunt voluptate. Eſt & genus aliud Perſicorum in Hetruria, ac in alijs Italiæ locis agricolarum mangonio factum, *Perſica Amygdala Matth. not.* quæ ideò Perſica Amygdala vocant, quoniam Perſicorum oſſium vice dulces Amygdalarum nucleos includunt. *Hæ itaque Matth. differentiæ ſunt.* At ſi, vt ille ait, Nuciperſica colore & ſapore non refragatur Perſicis Cotoneis, quomodo Nucum Iuglandium faciem repræſentant, quas ſcimus perpetuò eſſe virides? Videtur quoque Matthioli Perſico-Amygdala diuerſa à noſtra Amygdalo-Perſica, de qua cap. de Amygdalo.

Corn. repr. Cornar. Contendit vbique corruptum eſſe Plinij Codicem ijs in locis, in quibus de Duracinis Perſicis tractat: quin & Pauli, & Palladij & Conſtantini Cæſaris libros corruptos eſſe: Matthiolus potiùs Cornarium hallucinatum credit, quàm libros deprauatos eſſe quòd non intellexerit, quid *Duracin.* Plinio & Palladio Duracina, quid Paulo δωράκια, quidue Aetio & Cōſtantino & alijs quibuſdã Græcis ῥοδάκινα extiterint. In Paulo δωράκινα, vt vulgata habet lectio, non ῥοδάκινα, Cornarij modo, legendum: vt Corn. ipſe fatetur, Rhodacene, non eſt alia, quàm Malus Perſica, quemad. *Rhodacena idem quod Perſica.* Rhodacena nihil aliud ſunt, quàm Mala ipſa Latinis Perſica vocata. *Duracia genus Præcocis ſiue Armeniaci. Corn. not.* Sed Paulo δωράκια genus eſt præcocis ſiue Armeniaci mali, vt ipſe declarat. Non vt Corn. noſtra ætas vocat quædam Perſica mala Duracina, quòd oſſe cæteris duriore ſint, ſed Antiquos ſecuta, quòd pulpæ conſiſtentia guſtu gratiori ſeſe offerant, & longiori tempore perdurent.

Aetius, Conſt. Cæſar & Simeon Sethi, inter recentiores Græcos pluribus in locis manifeſtè demonſtrant, nihil aliud per Rhodacenem ſe intellexiſſe, quàm veram Perſici plantam.

Marcel. & Symphor. not. Marcellus Flor. & Symphorianus Campegius in hiſtorialibus Galeni campis exiſtimarunt, eandem Plantam eſſe Perſicam & Perſeam, ſed qui perlegerit quæ Theoph. Dioſc. & Gal. ſcribunt, has plantas inter ſe differre comperiet.

Matth. not. Porrò non nobis propoſitum hoc loco tueri opinionem Cornarij, verùm illud obſeruandum exiſtimamus apud Paulum non nobis videri δωράκια genus eſſe Præcocis ſiue Armeniaci Mali, vt *Duracina non eſſe genus præcocis aut Armeniaci, ſed Perſici.* vult Matth. ſed Perſicorum, quod apparebit, noſtro iudicio, iis, qui conſiderabunt verba Pauli.

Mancana perſica. *Lacuna* Mancanas Perſicas (Perſica mala) multas habere differentias ſcribit, vt *Durazno, Priſco, Melocoton, Aluer-coque*, aliaſque ſpecies, quarum nomina ipſe ignoret. Antiquis Duracinas, priuſquam innotuiſſent Melocotonea, pluris fiebãt, (inquit) & propter duritiem vocabantur mala Duracina: verùm cùm induſtria humana produxit Melocotonea, famam amiſerunt Duracina. *Melocotum quid.* Melocotum reuera eſt Duracinum ſpurium, ex inſitione Duracini & Cotoneæ, maius & pulchrius eſt legitimo: Duracino autem ſimile figura & ſapore ac pulpa adhærente oſſi: Cotoneo magnitudine, colore luteo ac nomine. Priſcorum vox de omni genere vſurpatur Hiſpanis, videturque, ex Perſica corrupta & deprauata. Vocamus tamen Priſcos omnia Duracina cui pulpa adhæret firmiter oſſibus, nec facilè ab eis ſeparari poteſt, huius Hiſpanis celebrantur differentiæ, quas vernacula lingua *blancos, armillos, bermeios, pardillos & azules* vocant. Item alia ſunt extrinſecus villoſa, alia glabra: aliis caro firmiuſcula & dura, aliis eiuſmodi, quæ vel leui manuum contrectatu in ſuccum diffluat.

Differentia Amati. Duracinum. Sic & *Amatus* quamuis Perſicorum varia agnoſcat genera, vniuerſa tamen ad duo præcipua reducit, ad Duracina & Præmollia. Duracinum ei quoque dictum quia difficulter ab oſſibus auellitur, non verò à Rodacino, vt quidam fabulantur. *Rhodacinū.* Hoc in Vniuerſa Hiſpania in maximo habetur pretio & meritò, quia ſtomacho ſua ſuaui & vix perceptibili ſtypticitate conueniat, imò ea de cauſa inter cordialia medicamenta à nonnullis reponatur. *Præmolle.* Præmolle verò vt vile infimæ plebis hominibus relinquitur, ſic dictum, quia facilè ab oſſe

ab osse suo diuellitur: sunt tamen nonnulla præmollia Persica in Italia, intus rubra, quæ Duracinis non cedunt; grata sapore, stomacho accommodata. Hæc verò omnia Persica poma in Persia lethalia & venenosa erant, in Ægypto postea mitia facta & suauissima, qualia nunc videntur.

Quid sibi velint tùm hi, tùm antea citati autores, quando vno quasi ore omnes dictitant Duracina difficulter separari ab osse, scimus quidem, sed rem ipsam intuentes, contrarium, vt plurimùm deprehendimus. Enimuero sanè hactenus in Italia, Gallia atque Germania obseruauimus magna ex parte persica, quibus pulpa hæret, ossibus cæteris ferè esse molliora, ac interdum penitùs muccosa & succulenta: firmiori verò pulpa cui non adhæret.

Observ. in.

Versatur verò Amatus quoque in ea hæresi, Perseam arborem eandem esse cum Persica, etiã apud Dioscoridem, vanitatis insimulans eos qui contrarium statuunt. At sanè vanissima est eius ratio qua ad suam opinionem defendendam nititur: quum (inquit) de Malis omnibus egit, (sub. Diosc.) sermonem habuit de Pomis arboris Perseæ: nunc vero (sub finem lib. 1.) de ipsa arbore: & addit, suo iudicio subscribere Io. Agricolam, & Ammonium. Subscribant sanè quotquot velint, nobis post hac non persuadebunt, vel plurium autoritates. Neque verò consuetum Dioscoridi, hic de fructu, illic de eius arbore agere, vt ipse in exemplum trahere conatur. Sed quid opus rationibus, vbi ipsa rei suppetit veritas:

Anguil. Persica notissima dicit, tam Duracina *Durase* Italis dicta, quàm, quæ Nucipersica (*Persiche noci*) quæ Auerrhoes Antipersica vocauit.

Duracina. Nucipersica. Antipersica Auer. Persica Hungarica.

Gesnerus ex Vuoysello Silesio has differentias ponit. *Maiora & odoratiora*, qualia circa Lacum Verbanum proueniunt: *Persica Hungarica*, quæ trium generum: quædam magnitudine pugni: alia intus & foris colore aureo: alia intus sanguineo succo, *Duracina & serotina*.

Persicã arbore in Malum Cydoniam inserta Cydoniam malum enasci videmus, inquit Monardes.

Est & species quædam Italica, fructus maiores proferens, in horto patricij Tigurini, eidem Gesnero.

Lob. & Penæ Vulgaris Persica, sole mutato & venenata vi, patrio nomine notissima.

Rob. Const. existimat Theoph. lib. 3. c. 7. de Persica loqui, quod nobis non videtur. *ῥοδακηνά* Nicandri Scholiastæ eidem & *ῥοδάκινα* Constantino, Paulo, Aetio & Simeoni Sethi. Persica Diosc. & Theoph. l. 4. c. 4. hist. (in quo fallitur, si de his intelligit, vt intelligere videtur: nam hæc est Malus Medica, quæ & Persica dicitur Theophrasto) siue *δωρακινὰ* Alexand. Aphrodisæo in problem. recentioribus Græcis *ῥοδάκινα* aut *δωράκινα*: Autores Persicarum nomina alicubi distinxerunt, alibi verò confuderunt, cùm tamen diuersas plãtas pingerent. Perseam ipsam sub Persicæ arboris nomine voces ipsas commiscens depingit Plin. lib. 9. c. 13. Persicæ arbori tribuit Plin. quæ Theoph. de Persea prodidit. *Hæc Const.*

Rhodacinea. Const. not. Plin. not. Differentia Cæsalp.

Cæsalpino Persica arbor est parua, citissimè omnium senescens. Eius genera plura: quædam os habent à pericarpio explicabile: quædam id pertinaciter adhærens, quod genus *Duracinum* appellatur. Figurã quoque differunt: nam quædam orbiculata, rimula quadam in latere: quædam in rotunditate oblonga, quod genus *Cariota* cognominatur: Colore alia candicant: alia modico rubore aspersa sunt, præcipuè quà Solē spectant, & intus in ossis contactu: alia Buxea ex toto, quæ à Coroneis cognominata omnium tardissimè maturantur: quædam enim præcocia sunt, insita super Amygdalam, *Nucipersica* vocant, nucleo etiã grato. Aliud est genus Persicorum quod recensuit Plin. inter Pruna: Græci quidam Rhodacena appellant, fortè à roseo floris colore.

Duracinũ. Orbiculata. Oblonga qua Cariota. Cariota. Candida. Rubentia. Buxea. Coronea. Nucipersica. Rhodacena.

Io. Agricola quoque ex iis est qui Pomum Persicum in sua terra lethale dicit, quòd aliò transplantatum admodum suaue & ventriculo gratum reddatur, licèt succus eius valdè corruptioni obnoxius sit, atque ob id initiò mensæ expetendus.

Dod. qui Malum Persicam *μηλοπερσικὸν* vocat eadem ferè de differentiis habet quæ Cæsalp. Persica (addit) nullam ferentia lanuginem, sed glabra, læuia, exteriùs interiorè carne virentia, aliis duriora: nucleus Amygdalo persimilis, medium quoddam genus inter Persicum & Amygdalum videtur: vulgò *Persen ix*, aut *Persenaux* appellant; Latinè id *Nucipersicam* sonat.

Persica Glabra.

Camer. Genuensia cæteris omnibus præfert, eosque taxat qui Perseam & Persicam malum confundunt. Sed specialiùs H. Lugd. illud docet his verbis Nicander aduersus Cerussæ venenum remedia docens Perseæ nuces pro Persicorum nucleis intelligere videtur: nam Dioscor. exhibet. (Quid si apud Diosc. legendum sit *περσικὸν*?) Paulus verò sicut & Nicander *περσικὰ κάρυα* ad id laudat, ut ipse Nicander inter Persicam malum nihil discriminis nouisse videatur, & contra ipsum imprimis dictum esse credibile sit, quod Plinius dixit: Nicander in Theriacis dixit Phalangij genus Perseæ foliis innutriri. Scholiastes Sostratum citat, qui scribit, Perseam Rhodaceneam vocari, & ex Æthiopia in Ægyptum translatam fuisse, vt iam aliquoties ex diuersis autoribus inculcatum. At Rhodacenea nihil aliud est, quàm Malus Persica & Rhodacena Persica mala.

Genuensia. Nicander. Rhodacenea. Rhodacena.

Nicandri interpres, inquit Gorræus, Nicandri versibus subiungit. Perseæ ossa, Persicorum ossa, siue nuclei euidentem habent amaritudinem. Proinde calfaciunt & detergunt. Est autem Persea arbor à Persea dicta. Ex quibus intelligitur Nicandri interpretem aperto errore Perseam & Malum Persicam eandem arborem putasse.

Scribit Rauvvolfius ex relatu cuiusdã mercatoris Persæ, Persica Persianis nota esse, & nominari *Hel*, quæ vt quidam volunt, non ita venenata vt Perseæ fructus. Laudant enim nucleos pro antidoto venenorum. Quod autem parui fiant, accidit quia sibi persuadent *Nimrodi* Persica mala sua magia ita intoxicasse, vt ab eo tempore non sint edendo.

Persica Persianis nota nomine Hel. Cur persica parui fiant persis.

Persica Malus Germ. Pfersichbaum, & Pfersingbaum. Fructus, Pfersing/ Pfersiken: & Silesiis, Pferoken. Taber. quatuor differentias proponit. 1. Persica Mala, Pfersingbaum. 2. S. Johans Pfersing / Persica præcocia. 3. Rotpfersing. Persica rubra. 4. Persica Cydoniata Quittenpfersing. Totidem quoque figuras habet. Primi Persici colorem non tradit. Secundo tribuit colorem luteum, ac minorem dicit. Præcox sanè genus nondum vidimus luteum. Persica nouimus lutea, parua & magna. Sed nec quarto suo assignat colorem. Turn. Angl. Peche tree. Gerardus Anglus qui Taber. quatuor habet figuras sic distinguit & nominat. 1. Persica alba, The wyte peach. 2. Persica rubra, The red peach. 3. Persica præcocia, The

Nomina linguarum cum differentijs.

b'auant peach. 4. Persica lutea. The yeäore peach. Belg. Peersich / Peerse. Gal. Un Pescher, pesche. It. Persico & Persiche. Hisp. Pexego, Durasno. Castil. Prisco. Catel. Presechs. Portug. Pessego. Hung. Bararksa.

Restat vt nobis obseruatarum differentiarum lemmata subnectamus.

Autoribus obseruata Persicorum differentia. Persica minima præcoc. alb. 1. Persica minima, magnitudinis paruorum Malorum Armeniacorum, alba, hirsuta, pulpâ albâ, adhærente ossi: matura Augusto in Alsatia, potissimum horto Nobilissimi Reguli Waldner à Freudenstein. Eadem nobis obseruata Lugduni matura fine Iulij, gustu sapida. Ossa sunt valde parua, oculata tamē. De his scripsisse videtur Cordus his verbis. Persica minora ab Armeniacis differūt, nostratibus per omnia respondent, multò tamen minora sunt, ut ex nucibus æstimare facilè quis potest: quæ cùm à vulgarium nucibus lignosa substantia, & scabro cauernosoque habitu nihil discrepent, duplo tamen aut triplo minores sunt paruis, & ex Asia venientibus Amygdalis. Saporem & qualitates vulgaribus easdem habent.. Considerandum an sit id quod Ruell. vocat Præcox, Antepersicum, quod dicit gustu non discedere à vulgari: vulgò *Trecacinum*, & Gesn. in Catal. Præcocia seu præcoqua Persica, πρωτόπεπτα μῆλα, die frühzeitigsten pfersich: *auantpesches, pesches de Troye.* Malum præcoquum ex Persicorum genere, πραικόκκιον: ab urbe Trecis, Trecacinum. An item Camerario Persica pumila, fructu præcoci, dulci admodum & paruo, apud Norimbergenses Johannes Pfersich / admodum suaui.. Casp. Bauh. apud Matth. ait: Præcocia dici Persica S. Iohannis parua, instar Armeniacorum, eiusque ferè saporis. Nostra Persica non habent eum saporem, nec etiam qui de paruis Persicis scribunt, talem tradunt, quod adhuc obseruauerimus.

Præcox. Antepersicum Trecacinum.

Præcoquum Persica S. Iohan.

C. Bauh. not.

Prisca parua alba. 2. Aliud genus est carne facilè separabili à nuce parua, sapore commendabili. In ipsis ossibus quoque conspicua differentia, quæ non ita profundè, nec tàm frequenter sulcata, sed frequentibus punctis & foraminulis referta. Ex pago *Valentini*, Comitatus Montbelg. matura Septembri.

Persica mediocria albida. 3. Persica mediocria, tunica vestiuntur ex luteo pallescente, carne alba, facilè ab ossibus separabili, prædictis magnitudine superiora. *Ex Epamandoduro.*

Persica alba maxima 4. Est & alborum maximum genus, carne sapida, nucleis non multùm adhærente. Habetur in horto Principis Iohannitarum in *Heitersheim* Briscoiæ.

Persica lutea mediocria. 5. Montbelgardi habentur Persica mediocria externè lutea, quibus pulpa firmiuscula facilè abscedit ab osse, saporis grati. Figurà etiam nonnihil differunt à cæteris, nec ita rotunda sunt vt illa, præsertim mediocria alba. Profundiore adhæc sinu sulcata. Abundat hoc genus Epamandoduri. Habetur etiam in horto E. C. Montbelg.

Persica maxima lutea. 6. Ex flauis maximum genus habent Basilienses & Burgundi, sapida & duriuscula pulpa, quæ facilè recedit ab osse. Ipsa saturâ flauedine & propemodum crocea, & magnitudine insigni, qua coronea ferè æquant, à cæteris flauis mediocribus facilè discernuntur.

Persica alba mucosa & succulenta. 7. Est & Persicorum genus quoddam aqueum & succulentum, & quod adapertum & leuiter pressum facilè in liquorem diffluat, ex acido ac vinoso aliquid amaricātis habens, præsertim circa extima. Pulpa mordicus ossibus adhæret, vnica notâ non probatæ bonitatis. Horum alia mediocria sunt, alia paulò minora: Basilieñses Wasserpfersich / *aquea Persica* vocant. Meminimus nobis alicubi Sauwpfersich / *Persica porcina* vocitata, quòd plerumque suibus proiici soleant. Non probantur hæc in cibis, & infimæ sortis hominibus, (vt fieri solet) relinquuntur. Prædicta omnia cute sunt tomentosa, quamvis alia minùs. *Varietates.*

PERSICA HISPANICA: MELOCOTONEA QVORVNDAM.

Descriptio. Melocotoneam vocant quidam arborē, cuius flores & folia Persicæ, à qua tamen nonnihil differre videtur. Fructus autē maiores, tardiùs maturescentes, sed diuturniores, puluinato calyce foris rubente, atque ex vna parte maculis nigris notato: pulpâ intus Pomi, difficulter os deserente, quomodo nobis Vesuntione missa descriptio. Idem fructus nobis prouenit, pugno maior, sublongus, albidus, ossiculo in ipso Pomo sæpiùs dehiscente, in quibusdā etiam ita in frustula diffracto, ac si id malleo esset factum, quod aspectu mirabile, quomodo id euenerit, fructu nondum aperto: carne ipsa testaceo nucamento adhærescente, & purpurea atque sanguinea, eà ipsa parte, quà adhæret. Os ipsum compressius, quàm cæterorum Persicorum, altera præsertim parte, adeòque figurâ ipsa euarians, fragilius quoque, si integrum sit, nucleum continens qualem cæteri, iuxta quem viscosus quidam lentor interdum deprehenditur. Et hoc notabile quod aliquando obseruatur carnem circa pediculum ita abscedere, vt eum ipsi ossis substantiæ insertum, fructu etiam nondum aperto, contueri sit facilè, ipsaque etiam animalcula insecta, per eam apertionem subeuntia, intus stabulentur. Caro firma & quæ dentibus trita, strepitet, sicut Pomorum, alba, & circa extrema subuiridis interdum, gustu suauis, sapida, vinosa: Cute dura villosa viridante, & altera parte purpurascente, & punctis suffuscis maculata. *Obseruatio. Os. Caro.*

Melocoton. Totius pomi figura sublonga, & quàm reliquorum angulosior. Primùm hæc nobis visa Montbelgardi, ex Burgundia missa ab amicis, nomine Melocoton: quæ in hortum E. C. plantata in arborem excreuit, quæ iam sæpiùs pulcherrima poma protulit ipsi etiam Principi peculiariter expetita. Diutiùs incorrupta seruantur cæteris. Matura sunt Septembri.

Tempus. Cydonipersica. An Gesnero Cydonipersica mala ex insitione nata: priscis incognita. Montbelgardi habentur quædam glabra parua, carne quoque nucleo adhærente quæ non admodum sapida. Fortè ad idem genus pertinent, quod antea succulentum appellauimus, nisi cutis læuor impediat.

Persica parua glabra. 9. Colmariæ tandem obseruauimus Persica magna & speciosa, carne vsque adeò rubra, vt Carotarum instar tingant, vnde arbusculas & nucleos importatos transplantauimus in hortum Il. E. C. Helicuriæ etiam habentur in horto præfecti. Item Massovij: sed minora Colmariensibus, adhærescente pulpâ ossibus. Huius iconem ex Camerario, quam & ipse pro Persica rubra exhibet, desumpsimus, eamque quòd pluribus (si arboris & florum speciem spectes) accommodari possit persicorum generibus, in principio huius capitis posuimus. In qua icone partes oēs affabrè expressæ sunt. Non sunt silentio prætereunda quæ faciem parentis succumque adoptionis exhibent, appellata ab vtroque Nucipersica, quæ & Martialis (uti vult Ruellius) distycho superiùs adducto commendauit.

Namque

Digitized by Google

Descriptio nuciperfi.ci. Namque vt idem Ruell. tradit, Nucipersica arbos est humilis, præcocis Persici proceritate, folio Amygdalæ, sed maiori: flore puniceo. Pomum emicat viride, Carnosum, succulentum, nulla exteriùs lanugine pubescens, medio inter Iuglandem & Persicum malum sapore, dura intus & scabra nuce, in qua nucleus, qualis Amygdali, aut Persici Pomi. Maturescit autumni exitu, diutiusque Persicis ætatem prorogat, non tam celeriter marcescens, sed multò Nuce fugacius est. *Sapor.* *Tempus.* Iucundo placet sapore, leuiter amaro atque innocenti gustu.

Locus. Scatent hac arbore Galliarum plerique tractus, rura nostra Persiconucem, aut potiùs curtato nomine Pesconucem vocant. *Persiconux.* Ea soboles mediam inter vtrumque progenitorem naturam, vt spero, contraxit: attulitque insitionis, vt arbitror, diligentia, aut satorum mistio nouum adulterij genus, ita vt ex Amygdalo seu Nuce Græca & Persico progenies inuisa prioribus seculis exorietur, vtriusque parentis ingenium referens, & effigiem simul adoptans: hoc est Malum quod foris æmula facie Persicum pomum mentitur, intus dulcem Amygdalam & facie & gustu repræsentat, ipsum rectè vterque parens Amygdalopersicum nominabit. *Amygdalopersicum.*

Recordamur nos aliquando hos fructus Auennioni in Gallia degustasse, videnturque ijdem esse fructus, quorum mentionem fecimus inter Persicorum differentias, nempe Matthiolo Nucipersica & Persica Amygdala, Anguil. *Persiche noci*, quæ vocantur ab Auerrhoe *Aurisperfica*: Cæsalp. *Nucopersica*: Dod. *Nucipersicum*, *Personaux* & *Persenoix*. *Nucipersica. Persica Amygdala. Aurisperfica.*

Nos & aliam nouimus mediam inter Persicum & Amygdalum, fructu hirsuto, ab hac non parū differentem, de qua post Amygdalum nomine Amygdalopersici.

Tuberes veterum. Porrò quia prisci illi scriptores Columella, maximéque Palladius *Tuberes* multoties persicis annumerant, hisque nucleos tribuunt: verisimile est *Tuberes* esse de genere Persicorum. Hanc nostram coniecturam etiamnum magis firmant Ruellius & Dalechampius, viri doctissimi, & in naturalibus haud vulgariter versati: illle Nusipercica Gallis vulgò Pesconucem (*Pechenoix* vocari tradit: At hic etiam specialiùs apud Plin. lib. 15. c. 12. tradit *Tuberes* vulgò dici *Pesches noix*, vt quo commodiùs loco antiquorum Tuberes pertractentur, præ isto, non videamus. *Priscorum diligentia in describendis & designandis plerisque.* His alij viri doctissimi subscribunt, vt patebit, & res ipsa satis apertè declarabit: quamuis interim non nesciamus, quosdam aliter de ijs statuere, vt suis quibusque patebit locis. Adeò verò ieiunè & breuiter de his agunt, cùm iam clari Autores tum etiam Plinius (vt in alijs multis, quorum negligentia in describendis stirpibus posteritatem in eas turbas & controuersias coniecit) vt nec quid velint ipsi clarè doceant, nec quid intelligere debeamus instruant nos. Videamus tamen paucis quid de ijs tractent, ne vel in hoc lectori curioso, potissimùm herbariæ studiosis, quantum quidem in nobis est, defuisse videamur.

Tuber Arbor. Ergo Tuber priore correpta arboris genus est & fructus. Arboris vtique quoniam Colum. scribit: possunt etiam his diebus Cerasi, & Tuberes, & Armeniacæ, atque Amygdala, cæteræque arbores, quæ primæ florent, inseri commodè. Nota: quæ primæ florent dicit.

Palladius quoque Tuberes seri præcipit & inseri, &(mox immediatè) addit, ossa duracinorum (quod persicorum genus esse ex præced. patet) vel plantas eiusdem generis poni &c. Et alibi: Mense Septembri circa Cal. Oct. vel Februario Tuberes seremus sobole, vel nucleis. *Tuberū satio.* Rursus alibi: Ianuario Tuberes inseruntur Cydoneo: nunc locis temperatis persica ossa ponuntur. Vbi rursus notandum, inseri Cydoneo.

Inter differentias habuimus Melocotonea (quæ fortassis non incognita fuerunt Antiquis, vt Lacuna existimauit) ex insitione duracina & Cotoneæ comparata. De ijsdem sic Plin. Acquè peregrina (ac Medica) sunt zizipha & Tuberes, quæ & ipsa non pridem venêre in Italiam, hæc ex Africa, illa ex Syria. *Zizipha. Tuberes.* Sext. Papinius, quem Consulem vidimus, primus vtraque attulit, Diui Aug. nouissimis temporibus, in castrorum aggeribus sata, baccis similiora (de ziziphis, non Tuberibus, hoc audiendum Dal.) quàm Malis, sed aggeribus præcipuè decora, quoniam & in tecta iam syluę scandunt.

Tuberum duo genera eidem: candidum, & à colore Sericum dictum. *Tuberum differentiæ. Sericum.* Penè peregrina sunt in vno Italię agro Veronensi nascentia, quę *Lanata* appellantur. *Locus.* Lanugo ea obducit, Strutheis Persicisque plurima: his tamen peculiare nomen dedit, nulla alia commendatione insignibus. Ab Amygdala proximè florent Armeniaca dein Tuberes, & Pręcoces: illę Pregrinę, hę coactę, hoc est, (vt Dal. annotat) hominis industria & cultura effectæ. *Tempus. Tuberes insitione effecta.* Tuberes meliùs inseruntur in Pruno syluestri, & Malo cotoneo, & in Calabrice: ea est spina syluestris.

H. Lugd. Plinius inter Malorum genera, & Tuberes, vulgò peschenoix [Nucipersica] in agro Veronensi nascentia lanata [Mala] à lanugine obducente nuncupata numerat. *Nucipersica.* Ait Nucipersica sunt glabra, quomodo igitur possint dici lanata Mala? Et alibi, Tuberum, inquit, quos Nucipersica uulgus appellat, duo genera cunctis ferè nota sunt: alterum etiam cùm maturuit, ex albo subuirescēs, eodem in toto pomo colore: alterum, fructu rubro, vel qua parte Solem spectat, rubescente, altera subflauo, quem esse credunt suauioris & delicatioris gustûs. Hoc videlicet esse putatur Sericum Plinij, vel vt Dal. apud eundem legere videtur Syricum, quamuis ipse Plin. suam lectionem abundè confirmet, quando ait à colore sic dictum, hoc nempe candido opponens. *Differentiarum descriptiones. Synonima. Sericum Plin. Syricum Dalecham.* Tuberis huius meminit Petronius his lepidissimis versiculis:

Infelix modò crinibus nitebas,
Phœbo pulchrior & sorore Phœbi.
At nunc leuior ære vel rotundo
Horti Tubere, quem rigauit vnda, *Rotundus Tuber.*
Ridentes fugis & times puellas.

Tuber itaque in masc. genere à Petronio pro fructu huius arboris ponitur. Martial. lib. 13.

Lecta suburbanis mittunt Apyrina ramis
Et Verna Tuberes, quid tibi cum Libycis? *Verna Tuberes.*

Vernæ, id est domi nostrę natę. Et rursus idem, de arbore:

Non tibi de Libycis Tuberes & Apyrina ramis,
De Nomentanis sed damus arboribus.

Suet. in Domitiano cap. 16. Oblatos Tuberes seruari iussit in crastinum. *Καρυοπερσικά*, id est Nucipersica Martiali atque Palladio, Constantino apud Theophrastum: nosque inquit, vocamus *Noix pesches*, quas arbores Tuberes à Plinio dici nonnulli arbitrantur. *Caryopersica. Nucipersica.* Dalech. sanè non semel Tuberes apud Plin. *Peschenoix* interpretatur, sicut dictum.

Gesnerus arborem peregrinam dicit, fortasse quia ipsi non erat cognita. *Arbor peregrina.* At nimia profectò securitate MATTH. cap. de Ziziphis negat Columellam scripsisse de Tuberibus, cuius locum paullò antè citauimus: fortè Plinij imitatione i- *Matth. not.*

ftud facere voluit, qui miratur, Persici Pomi mentionem à Catone non habitam.

Tuberes differre à Ziziphо. Porrò à Tuberibus diuersam Ziziphum esse, vel ipsa cultura vtrarumque diuerso loco & tempore à Palladio tradita videtur demonstrare. Ziziphi autem culturam, quæ est in Aprili c.4. referemus in eius historia l. 6. sub titulo de Iuiubis. Tuberum autem, quæ est in Septembri, eiusmodi est.

Tuberum satio & cultura. Circa Cal. Octob. vel Februario Tuberes feremus sobole, vel nucleis, cuius tenera diligenter nutriri debet infantia. Sumatur cum radicibus planta diuulsa, bubulo fimo linatur ac luto, statuatur pingui terra & subacta, subditis conchis & marina Alga, terris magna sui parte condatur. Alij pomis statim grana decussa, & Sole siccata, pingui & propè cribata terra autumno tria simul ponunt, quæ feruntur in vnum coire virgultum, quod assidua rigatione iuuandum est, atque fossura quæ solum leuiter scalpens teneritudini robur inducat. Post annum deinde, vel aliquantò tardiùs, quæ fuerit de semine planta transfertur, & hoc genere fructus efficit dulciores. Mense Ian. vltimo vel Feb. Tuberum surculus mirabiliter proficit

Insertio Tuberum. Cydonio insitus. Inseritur autem Malis omnibus, & Piris, & Prunis: & Calabrici, meliùs trunco fisso, quàm cortice: desuper squalo, vel fictili vase munitur, repletis propè summitatem surculis terra

Repositio. subacta cum stercore. Prosunt Tuberibus, quæ Malis prodesse memoraui. Tuberes seruabuntur, si obruantur in Milio vel vrceolis picatis & oblitis. *Sed ad Persica reuertamur.*

Persicorum locus in genere. Persica qualibuscunque locis proueniunt, vt tradit Palladius: sed & Pomis & frondibus & durabilitate præcipua sunt, si cœlum calidum, solum arenosum & humidum sortiuntur. Frigidis verò & maximè ventosis, nisi obiectu aliquo defendantur, intereunt. Plin. Romanâ grauitate: quid attinet, inquit, in Pontum abire? Iuxta Romam ipsam Persica ægrè proueniunt in Tusculano. Item, Peregrinæ & Cerasi, Persicæque, & omnes, quarum Græca nomina aut alienа. Scatent sanè Persicis tam Germaniæ quàm Galliæ, etiámque loci paullò magis frigidiusculi. In Anglia verò in magnas arbores non excrescũt, teste Turnero. In Italia vbique copiosæ, sed in Apulia (regione calidissima) copiosissimæ proueniunt, teste Matth. Et Porta Neapolitanus, Persica, inquit, tam apud nos fœcunda sunt, & læta prosiliunt, vt potiùs Persæ à nobis petiisse, quàm ad nos misisse videantur. Ex quo patet, calidis regionibus hanc arborem non minùs lætam, quàm paullò frigidioribus spectari. In Germaniæ & Galliæ sanè, etiam paullò frigidioribus locis, vt hortis ac vineis, vel planis, vel in collem elatis, passim videas, diuersi generis, vt ferè nulla hodie apud nos vinea conspiciatur, quæ ea careat. In monte Pannoniæ Eysenberg diuersi generis quoque, præstantissimæ, maximæque arbores, autore Clusio. Nos quoque aliquot differentias colimus in E. C. horto Montb. sed facilè apud nos gelu conficiuntur, & difficulter in magnas arbores adolescunt, ob frigiditatem loci.

Tempus. Florent paulò post erumpentibus foliis, Martio, Aprili, tardiùs aut citiùs pro natura loci. Fructus magna ex parte Septembri perficitur: Basileæ tamen vbi magnus diuersorum generum prouentus, etiam Augusto matura habentur. Præcocia passim Augusto maturantur, & in calidis regionibus etiam citiùs, vt Monspelij.

Satio. Persica ante brumam per autumnum feri iubet Columella. Nouembri mense, autore Palladio, locis calidis, cæteris verò Ianuario Persici ossa in pastinatis areis sunt ponenda. Sed ossa ponantur acumine deorsum verso, & non amplius, quàm duobus aut tribus digitis obruantur. Ossa verò, quæ ponenda sunt, aliqui siccata priùs paucis diebus cineris mistione terra soluta reseruant, alij sine vlla cura.

Dum tenera sunt germina, sæpè herbis circumfossa liberentur. Bimam plantam rectè transferemus scrobe breui. Nec à se longè statuendæ sunt, vt inuicem se à calore Solis excusent. Ablaqueandæ sunt per autumnum, & suis stercorandæ folijs. Putanda Persicus in autumno est, vt arida & putrida tantùm virgulta tollantur. Nam si quid viride resecemus, arescit. Languenti arbori veteris vini fæces aquæ mistas oportet infundas. Si arbor ardore Solis siccata contabescat, frequenti aggestione cumuletur. Vespertino iuuetur humore: obiectis defendatur vmbraculis. Iuuat in ea & spolium serpentis appendi. Contra pruinas stercus ingeratur Persico, vel fæces vini, cum aqua permistæ, vel, quod magis prodest, aqua in qua faba decocta est. Si vermes arborem infestent, eos cinis amurcæ mistus extinguit, vel bouis vrina, cum aceti tertia parte confusa. Si poma caduca sunt, nudatæ radici eius, vel trunco Lentisci, aut Terebinthi cuneus affigitur, vel terebratæ in medio, palus Salicis imprimetur. *Cultura.* *Contra pruinas.* *Aduersus Vermes.* *Ne caduca fiant poma.*

Si Poma rugosa creabit aut putrida, circa imum truncum cortex recidatur, & cùm inde modicus humor effluxerit, argillâ, vel paleato luto plaga retegatur. *Ne persica rugosa fiant aut putrida.*

Magna Poma Persicus affert, si florenti, per triduum ternos sextarios caprini lactis ingesseris. *Vt persica nascantur magna.*

Contra vitia persici proficit Spartum ligatum, vel spartea suspensa de ramis. *Contra vitia.*

Mense Ianuario vel Februario, locis frigidis, Nouembri calidis persicus inseratur, maximè circa terram surculis plenioribus, & propè arborem natis: nam cacumina vel non tenebunt, vel diu durare non poterunt. Inseritur in se, in Amygdalo, in pruno: sed Armenia vel præcoqua, prunis, Duracina Amygdalis, meliùs adhærescunt, & tempus ætatis acquirunt. *Insertio.*

Mense Aprili vel Maio locis calidis; in Italia verò vtroque exeunte, vel Iunio persicus inoculari potest (quod Emplastrari dicitur) præciso superiùs trunco, & emplastratis pluribus gemmis. *Insertio.*

Persicus rubescit, si platano inserta figatur. *Vt Persicus rubescat.*

Arbor etiam in herbam inseritur, teste Costæo, vt persicus in Brassicam, quam rationem inserendi (inquit) ætas nostra inuenit. Nostra sanè ætate incognita videtur, aut saltem non in vsu. Nam de ea nihil Herbarij nostri. Et difficilis videtur apprehensio arboris in herbam. Experiantur curiosi.

Adfirmantibus Græcis persicus scripta nascetur, si ossa eius obruas, & post dies septem, vbi patefieri cœperint, apertis his nucleos tollas, & his cinnabari quod libebit inscribas. Mox ligatos simul cum suis ossibus obruas diligentiùs adhærentes. Inscripta persica nasci putat Democritus, si exeso corpore internum os tridui madescat in aqua, dein aperto sensim ligno, nucleus intus inuentus cortice tenus æneo stylo non altè, quibus placebit literis, exaretur: dein papyro vel charta inuolutus, commissis carinis seratur: quod enim in eo Amygdalo depinxeris, hoc enatum inde pomum repræsentabit. *Vt inscripta nascatur.*

Rubra nascentur persica, eodem tradente, si Rosas sub arbore conseras. Altera ratione rubra creari promittit, si post septem dies, quàm patefieri cœperunt, (nam spontè totidem ferè diebus *Vt persica nascantur rubra* *Alius modus.*

[illegible]) in ossium internos ventris sinus cinnabarim infundas, mox vt cohæreant, arctim obligata simul cum suis nucibus adobruas: Sic rubra daturas arbores persica. Si alium quemuis instilles colorem, in talem enatam progeniem degeneraturam. Persica sine ossibus nasci tradit Africanus, si in perforatum truncum extructa medulla, Salicis vel Corni palum adegeris. Persici poma & hac arte sine suis ossibus nasci volunt, qui sese asserunt expertos. Brachij crassitudine ramum Salicis solidum, longum cubitis duobus iubent perforari in medio: plantam persici ramis omnibus spoliatam solo capite relicto, per impressum foramen induci loco in quo consistit. Tunc eundem salicis ramum Capite vtroque demerso in arcus similitudinem incuruari, foramen luto, musco, vinculisque astringi: anno deinde exacto, vbi infra medullam Salicis caput plantulæ sic cohæserit, vt vnitas ex duobus mista corporibus contrahatur, plantam subter incidi atque transferri, terramque aggerari, quæ Salicis arcum cum persici cacumine possit operire: sed hoc locis humidis vel riguis conuenire. Salices aquationibus inundas, vt tigni natura vigeat, quæ humore delectatur, & copiam succi germinibus ministret alienis. Sed satis de Mangonio. Quomodo Duracina & Tuberes inserantur, suprà dictum. De persicorum insitione sic canit Palladius:

Vt persica sine osse nascantur.

Alius modus.

> *Ipsa suos onerat meliori germine ramos*
> *Persicus, & Pruno scit sociare genus.*
> *Imponitque leues in stipite phyllidis vmbras,*
> *Et tali discit fortior esse gradu.*

Repositio & asseruatio.

Difficulter asseruantur persica, quia non aliud pomum fugacius, vt Plinius ait: Duracina tamen Palladio seruantur, condita muria & oximelle, vel detractis ossibus ficorum more in Sole siccantur, ac pendent. Idem sæpè se vidisse testatur, detractis ossibus Duracina melle condiri, & saporis esse iucundi. Item benè seruantur, si vmbilicum pomi gutta picis calentis oppleueris, vt sic sapæ innatare cogantur, vase concluso. Tuberes seruabuntur, si obruantur in milio, vel vrceolis picatis & oblitis, quemadmodum & in superioribus docuimus.

Conditura.

Tuberes.

Vires & vsus.

Stomacho.

Persica mala secundo excessu refrigerant & humectant, nonnullis tertio, alijs etiam quarto: vt Curtius scribit, quamuis autores non citet. Verùm in secundo Galenus & sequaces sentiunt. Dioscor. Persica Mala ventriculo vtilia sunt, & aluum quoque bonam præstant, si matura fuerint. Immatura verò eandem cohibent, sed siccata vehementiùs. Sumptum eorundem siccorum decoctum, in stomachum ventremque decumbentes fluxiones sistit. Galenus verò tradit arborem ipsam in germinibus & folijs vincentem habere amaram qualitatem, ideoque folia eius trita, & vmbilico imposita lumbricos necare; & alioqui sanè etiam discutiens medicamen esse. Fructum eius esculentum ipsum videl. persicum, humidius esse & frigidius temperamento. Idem alibi scribit, pomorum persicorum succum, & veluti carnem facilè corrumpi, omninoq; noxam inferre. Quamobrem non post alios cibos, vltimáque, vt nonnulli solent, illa offerri oportere, quòd in summo natantia corrumpantur. Hoc verò quod omnibus commune est, memoria tenendum, quæcunque vitiosi succi, humidáque & lubrica sunt, faciléque descendunt ac secedunt, antè alios cibos assumenda esse: Ita enim fit vt & ipsa citiùs subducantur, & alijs præeundo ipsis quasi viam inueniant. Quod si verò postremò sumantur, vnà secum alia quoque corruptioni reddunt obnoxia.

Aluus.

Lumbrici.

Fructus.

Ante alios cibos comedenda.

Valerianus de iisdem persicis sic scribit. Persicum in cibo est quidē stomacho inutile, eò quòd succus eius citò marcescit, & caro æquè per concoctionem vitiatur, verùm minimè graue, dummodò non diu in intestinis moretur, & ad ima semper exitu celeri festinet. Persica in cibo negant medici membra nutrire. Folia persicorum sicca & in puluerem tusa, recentes plagas vulnerum cruentorum claudunt. Gummi seu gutta, quam persicorum truncus illacrymat, fluenti aluo medetur: eadem mixta cum vino, etiam in vesica lapillos frangit; (vt ille ait) Trita cum aceto impetigines reprimit: decocta cum croco tumores faucium mitigat. Asperum arteriæ canalem læuiorem facit. Excreantibus sanguinem miro modo subuenit. Thoracis obstructos sinus reserat, vitia pulmonis expurgat.

Folia.

Vulnera.

Gummi.

Aluo fluxui.

Calculus.

Impetigo.

Tumor faucium.

Asperitas faucium.

Sputum sanguinis.

Vitia Pulmonis.

Plin. præclariùs sentire videtur de persicis, quàm Gal. & Valerianus. Is enim postquam dixerat: Pruna aluum mollire, stomacho verò vtilissima esse, sed breui momento: mox subdit: Vtiliora Persica, succusque eorum etiamnum in vino aut in aceto expressus. Nec est alius eis pomis innocentior cibus. Nusquam minùs odoris, succi plus, qui tamen sitim stimulet. Folia eius trita illita, hæmorrhagiam sistunt. Nuclei in aceto & oleo capitis doloribus illinuntur.

Capitis dolor.

Plinio verò refragari Galenum ex suprà citatis eius verbis liquet: nimirum persicorum omne genus damnauit vt praui succi, & quæ facilè corrumpantur, ac noxam ventriculo inferant. Quare mirari subit, ex quorum scriptis deprompserit Plinius, quòd innocua expetantur ægris. Nisi fortasse & ipse pro persico Perseam deceptus acceperit, vt suspicatur Matth. quemad. & recentiorum nonnulli fecere. Quanquam, quod apud Diosc. dicitur de persea, fructum cibo idoneum & stomacho vtilem, ab eodem etiam Diosc. dicitur de persicis. Nos tamen plus tribuimus sententiæ Galeni ac Pauli ei subscribenti, quàm Diosc. & Plinij, hac quidem in re.

Diosc. & Plinio. Galen. contrarius.

Porrò tàm Diosc. quàm Paulus pro remedio aduersus Cerussam præscribunt ossa persicorum, si rectè legatur in codicibus Dioscoridis, qui habent περσικῶν τὰ ὀστᾶ: fortasse meliùs περσειῶν legas. Paulus & Nicander habent περσείης κάρυα.

Aduersus Cerussam.

Diphilus Siphnius (vt refert Athen.) libro de iis quæ vescenda benè valentibus & ægris dantur, ita scribit: Quæ persica mala vulgò nuncupantur, & à quibusdam persica pruna, succi sunt mediocriter boni, & plùs nutriunt quàm mala.

Persica meliora quam Mala.

Philotimus libro de alimentis scribit, persici mali nucleum pinguiorem esse, laxiorem, tusum olei multùm reddere, raucedinem, stertorémque excitare: Deuocata nimirum pituita è Cerebro, exasperatisque amarore suo faucibus, vt Dal. annotat. Oleum nucleorum persicorum confert dolori aurium frigido, & morbillis si illinatur. Folia trita etiam cum floribus, & expressorum succus haustus ascarides expellit purgando. Eodem succo si linatur pecten fœtorem emendat. Succus foliorum instillatus in aurem vermes enecat: ex Serapione.

Oleum nucleorum Persicor.

Dolor aurium.

Ascarides.

Auicenna. Persica sunt frigida in fine secundi gradus, humida in primo. Leniunt, sed cum aliqua adstrictione. Siccata magis adstringunt, & aluum cohibent, quemad. & immatura. Oleum nucleorum ait conferre hemicraneę, & doloribus aurium tam calidis, quàm frigidis. Matura bona esse stomacho, & excitare appetitum, modò non post alium cibum comedantur. Siccata tardiùs concoqui, minusque boni esse nutrimenti, quam-

Temperamentum.

Hemicranea.

Dolor aurium.

Aluo fluxui.

Digitized by Google

tis plurimi. Vt matura leniunt aluum, ita immatura restringere. Addit, ex quorundam sententia, excitare libidinem, sibi autem videri illud verum tantùm in corporibus siccis & calidis. An potiùs ob flatus, quos ingenerant. *Coitus.*

Simeon Sethi testatur, Persica quosdam in tertio ordine refrigerantium humectantiumque posuisse: alios in primo, alios in secundo, quod exactiùs factum dicit. In cęteris eadem penè quę Gal. dicit, & addit: eos qui crebriùs ijs ad satietatem vtuntur, febre corripi, nempe quòd celeriter in ventriculo concoquantur. Lędere & neruos proprietate quadam. Suadet itaque vt & ante cibum sumantur, & insuper merum superbibatur. Rhodacina cibi appetentiam excitare, prodesse ventriculo inflammato, & genitali semini adijcere: sanguini tamen seroso quid putredini obnoxium pręparare, sępiusque post vnum vel alterum mensem ob putredinem febres gignere, non quales fiunt ex ijs, quę Armeniaca dicuntur: illa etenim breuiores, & quę facilè soluuntur, febres facere: hęc verò longiores, & quę difficulter soluantur. Illud etiam obseruare pręcipit, ne super hęc aqua bibatur, vel cibaria acida superingerantur. *Persicorum ...* *Appetentia. Ventriculi inflammatio.*

Paulus Duracena & Armeniaca, quemadmodum & pręcocia meliora dicit persicis. Neque enim acescere, neque similiter corrumpi: sunt autem & iucunda. L. Contra Eluchasem, persica inquit, (Pfersich) meliora sunt Armeniacis (Marilletum) quia non ita facilè corrumpuntur: crassiorum etiam sunt partium, tardiùs febrem generant, fortè intra mensem aut duos: odoratiora sunt & ventriculo gratiora quàm Armeniaca, eis alioqui similia: meliora quę facilè ab ossiculis separantur, faciliùs concoquuntur: conferunt iuuenibus, calidis, & subtilem naturam habentibus, & in febribus ardentibus. *Cautio. Delectus.*

Arnoldus scribit, quemdam diu laborasse dolore frontis vehementi quotidie ad vesperam, frustra varijs vsum remedijs, tandem illum & alios multos curatos cataplasmate ex nucleis persicorum optimè tritorum. *Febres. Obseruatio. Dolor Cap.*

Vittembergicus quoque Cento Medicus eosdem varijs modis adhibitos commendat in doloribus capitis, vt contusos cum telis aranearum & oleo rosaceo.

Auicenna in quartana permittit persica: meliùs fuerit, ex sententia Hollerij, uti conditis. Coquuntur si recentia sint, nec condita, & saccharum inspergitur: ita prodesse possunt nec nocent. Vino quoque contra errorem multorum persica infundi possunt. *Quartana.*

Persici flores recentes autore Matthiolo esu aluum dejciunt, itemque vomitiones cient. Hydropicorum aquas pellunt, si recentes in acetarijs edantur, sed non absque ægrotantium labore. Arboris lachryma datur ex aqua plantaginis, aut portulacæ succo vtiliter ad cruentas deiectiones: tussientibus verò & anhelosis, ex mulsa, aut tussilaginis decocto, addito croci momento. *Persici flores purgant. Vomitorium. Hydrops. Dysenteria. Tussis.*

Datur calculosis cum succo raphani, aut Limonum, ex vino duarum drach. pondere. Nuclej tormina ventris tollunt, si deuorentur: quinetiam potantes inebriari prohibent, si seni septeniue pręsumantur. Tundantur ijdem & decoquuntur in aceto, quousque liquescant, pulticulæ modo, ad alopeciam: namque illiti mirum in modum capillos replicant. Oleum contusorum somnum conciliat cum aqua Verbenacę, & fronti atque temporibus illitum dolores capitis ipsamque adeò hemicraneam sedat, id quod & cremor facit. Idem oleum tam potum, quam Clysteribus infusum Coli dolores à flatu genitos, ac etiam à fæcibus exiccatis, perbellè mulcet: datur pariter potandum Iliacis & Calculosis quatuor vnciarum pondere. Atque maximè calculosis auxiliatur hoc modo: sumito nucleos ossium persicorum L. nucl. ossium cerasorum C. florum sambuci manipulum, vini Cretici libras: excipiantur hæc omnia fictili nouo, & sepeliantur in fimo, diebus decem, deinde destilletur vitreis organis. Aqua quæ inde fluxerit, pota ante cibum, quatuor vnciaru pondere, mirum in modum renum calculos pellit. Contusa folia recentia illinuntur vtiliter ventri ex aceto, ad interaneorum vermes. Vlceri verminoso canum injiciūt quidam succū foliorū Persici. *Calculus. Tormina. Alopecia. Hemicranea. Colica. Iliaca. Calculus. Aqua destillata. Ad renum Calculos.*

Nuclei persicorum autore Dodon. calidi sunt ac sicci, aperiunt & extergunt, aduersus lienis & hepatis obstructiones conducunt: breuiter Amygdalis amaris facultate ac viribus similes. *Nucleorum temper. Obstruct. Lienis & Hepatis.*

A prandij initio memineris (inquit Gesn.) vt plurimùm nucleos persicor. sex aut septem deuorare, nam & lumbricos eliminant, & aliàs vtiles sunt valetudini. Ebrietatem arcent præ sumpti persicorum nuclei, sicut & foliorum expressus succus jejuno assumptus cyathi mensura. Extrahitur verò ex his cum aqua pulegij succus lacti similis, quem in ore frequenter contineri Apoplecticis prodest, saliuam elicit, & linguam expedit: folia persicæ amara excalfaciunt quoque ac resiccant: viscerum obstructiones aperiunt, ac purgandi potentiam obtinent, quà biliosos ac pituitosos humores per aluum detrahunt. Decoquuntur in aqua, sero lactis aut vino diluto. Feruntur & flores saccharo potissimùm conditi ad alui expurgationem quoque facere. Gummi temperamento mediocre est: sed substantia lentum & glutinosum, citius beneficio tenuium humorum acrimoniam obtundit: phthisicis ac tussientibus in Eclegmate conducit, & ad omnes sanguinis excretiones, aliosque fluores accommodatur. *Apoplexia. Foliorum temperam. Purgant. Flores conditi. Gummi temperam. Phthisis. Tussis.*

Porrò quæcunque suprà ex Gal. & Simeone Sethi de noxa persicorum dicta sunt, ea Amatus de præmollibus intelligenda esse credit: secus enim ait esse de Duracinis, ex quibus optimus spirat odor, suauis, gratus, & spiritum recreans: nam eorum sapor delicatissimus est, cum quadam austeritate perceptibilis, qua mediante stomacho conducit, & ipsum roborat: quibus de causis post victum accipi possunt. Imò omnes principes Hispaniarum, & viri delicatissimi ea post victum comedunt, non nisi priùs vino infusa, & nullam inde noxiam euenire sentientes. *Duracinorum quale sit vsus.*

Brasauola sub cineribus coctum vnum vel alterum persicum ęgrotantibus suis, quum eorum instat tempus, offert, maximè saccharo aspersa, quod à nullo alio nec Hispano, nec Gallo, nec Germano medico, cum quibus abundè versatus est, vnquam id animaduertisse idem Amatus testatur. Cibum verò delicatissimum esse & ęgris perquàm gratum & iam ab alijs quoque medicis Hispanis, viris insignibus in vsum trahi cœpisse. *Persica cocta.*

Siccata persica vbique ferè adseruantur. Condita vt idem testatur nusquam clariùs aut sapidiùs, quàm Genuę parantur, quanquam & apud Ferrarienses non postremę notę concinnentur, quod conditum Abinzoar libro sui Theisir maximè laudasse videtur. *Siccata. Persica condita.*

Persica ad condituram laudatissima putantur pręcocia & duracina. Ritè lecta manu, decorticataque tenuiter cum aqua & saccharo vel melle ad consistentiam decoquuntur syrupo debitam, vt supra in pomis & Cotoneis docuimus. Mirificè placent ęgrotantibus, presertim siti & linguę ariditate *Condiendi modus. In quibus morbis conducant.*

Digitized by Google

ditate vexatis, refrigerando corroborant, & in omnibus calidis morbis apprimè conducunt. Sed antequàm coquas dissecanda & nux eximenda optimeque purganda.

Alius modus. Condies & sic, præsertim rubra. Decorticata, vt priùs, & concisa in ollam vitreatam pone & depuratum & sufficienter coctum mel affunde, vt supereminear, & adserua. Eadem ratione ex sacchario affuso syrupo parare possis. Si cui mellis sapor molestus, priùs lauentur aqua fontana, antequam ægro exhibeantur. persica quę condiuntur firmiuscula esse oportet, & paullò infra perfectam maturitatem.

Conditum Mesua. Mesues conditum ex persicis præscribit tale. persicorum maturorum intus & foris purgatorum, & succi persicorum aliorum sume singul: lib. tres sacch. alb. lib. duas: tere persica in medullę consistentiam coque cum syrupo, secundum artem. possunt aspergi aromata, vt lignum aloës, santalum, cinnam. cubebę, macis &c. sed sine aromatibus admodum salubre est, & expertum, nam ventriculi ardorem mitigando ipsum roborat, sitim extinguit, tetrum oris halitum emendat: odore præterea cor ipsum spiritumque vitalem recreat. persica aliqui in vino macerant, in frusta dissecta, atque decorticata, existimãtes ita citiùs in venas deduci, minùs afferre noxę, ac sanguinem nihilominus refrigerare: simili ratione vtimur in cibis. *Ventriculi ardor. Sitis. Oris fœtor.*

Florum conditura. Vermes. Flores quoque persicorum quemad. Rosarum flores, sacchato condiuntur, pueris res vtilissima aduersus vermes & omnes putredines, quominus illi generentur. Hac conserua manè potissimùm ieiunis exhibenda. Ex ijsdem acetarium cum sale, aceto, & oleo parabitur, quod erit palato gratissimum, aluum leuiter leniens, bis terue purgans.

Oleum & pus. Hæmorrhoides. Oleum ex nucleis expressione conficitur, vt oleum Amygdalarum. Ex quo Tabern. tale remedium parat non contemnendum ad tumores hæmorrhoidum quos ficos & Mariscas appellant. Acc. Ol. nucleor. persicor. & Amygdal. amar. sing. vnc. j. styracis liquidę, Bdellij, sing. drach. j. Misce & locum illine.

Aqua florum. Macula faciei. Quæ ex floribus persicorum destillatur aqua, si cà manè & vesperi abluatur facies, maculas delet, eamque splendidam reddit. autor Rôs. in secretis.

Syrupus è floribus Persic. Purgat. Sed & syrupus è floribus persicorum à posteris inuentus hodie in benè institutis pharmacopolijs paratur, ad plures prædictorũ effectuũ aptissimus. purgat n. trium vnciarum dosi, putredines arcet, offarctus liberat diuturnus eius vsus, & inprimis vermes enecat ac exterminat. paratur infusione multiplici, vt syrupus infusionis Rosarum.

Syrup. ex ipsorum Persicorum succo. Fontanonus ex ipsis persicis expressis ingeniosè satis parauit hunc syrupum. Acc. succi persicorum non absolutè maturorum, lib. duas, coque ad dimidias, sine vt fęces subsideant. Colato adde succi Malorum Granatorum vnc. iij. sacch. q. s. coque in syrupum & clarificetur suff. quantitate santali citrini. Hunc industrius medicus probè accommodare nouerit in rem præsentem.

Vsus ossium Persicorum. Nec sua quoque vtilitate carent ipsa nucamenta ossea. Nam, vt nobis pro certo asseruit industrius & ingeniosus Ill. ducis Wirtemberg. Architectus Hen. Schickart, ex ijs in carbonem redactis lautissimum & præstantissimum paratur atramentum pro impressione figurarum ęre insculptarum.

Vsus ligni. Iam suprà diximus, ligni materiem prę alijs ad tornum ab artificibus probarj.

DE ARMENIACIS, SEV MALIS PRÆCOCIBVS PRISCORVM.

Cap. II.

Armeniaca Mala minora.



Descript. MAGNA est arbor, quæ Armeniaca dicta Mala fert, persicæ aliquatenus similis, cortice nigriore, caudice crassiore, firmo, ramis magis patulis brachiata. *Folia.* Folia habet persicæ folijs latiora, breuiora, ad Populnea aut Betulacea quodammodo accedẽtia, rubedine subinde secundum neruos respersa, acuminata, dẽticulata, & pinnulis subinde ad pediculum auriculata, sapore acidulo. *Flores.* Flores ex roseo rubore pallent, Persicæ floribus persimiles: *Fructus.* Fructus verò præcocior: citiùs maturatur, pruno æqualis, intus forisque luteus, carne solidiore sicciore que quàm persica, nec non magis sapida, (quamuis aliqui diuersum statuere videantur) gustu vinoso, quæ ab *Ossiculum.* ossiculo facilè abscedit, non ita rugoso vt persicorum, compresso modicè, vt nihilominus vtrinque protuberet, nucleum claudente ad ossiculi proportionem, sed minùs longum, quàm persici, & pro proportione crassiorem, sapore minùs amaro, quam illius, & nonnihil ad Amygdala accedente non sine impressione aromatica. *Ossiculum geminum.* Est nobis inter naturalia nostra geminum ossiculum indissolubili coalitu monstrosum.

Armeniaca mala maiora.



Descriptio maiorum. ARMENIACA maiora cognominantur, quæ paulò minora Persicis, saltem vt plurimùm, impressa lacuna sulcata, altera parte nonnihil interdum rubentia & maculosa, altera ex luteo pallida, carne tenera, sed callosiore quàm Armeniacis minoribus, dulciore, grata, odorata, quæ ossiculum facilè relinquit, Amygdalino æquale, latius, læuius, compressum, ab vno latere cristatum, fractu haudquaquam facile.

Arbor. Ipsa quoque arbor à prædicta nonnihil euariat. Nam præterquam quòd insitione hæc comparata credatur, rarò in proceram exurgit arborem, Match. & Dalech. Folio, populi nigræ æmula, quàm prædictæ rotundiora, quaterna, quinave simul emergunt. Flos albus Cerasi florum figura, cui succedunt fructus Persicorum quadantenus specie aureo colore cum purpura mixto, vnde Chrysomela Romanis nuncupata.

Gal. qui ... Melean Armenicem vocat, scribit natiuum vetus nomen delecere: vocare enim omnes tum fructum tum arborem ..., Præcocion.

Diosc. ... : Armeniaca, Latinè præcoqua, vel præcocia vt alij volunt, minora sunt Persicis. Galeno tamen Armeniaca & Præcoqua diuersa fuisse videntur, qui 2. de alim. fac. Præcoqua facit Armeniacis præstantiora, licèt eodem capite de ambobus agat: addit tamen, qui Præcocium nomen fugitant, vtraque Mala Armeniaca vocitant, alij verò Armenia. ... Æginetæ. Dicuntur & ..., Bericocca, vel, vt quidam scribunt Bericoca, alij Bericoccia.

Palladio quoque Præcoqua differunt ab Armenijs, vt vult Hermolaus, cui Armeniaca siue Armenia Prunorum generis sunt, peregrina. Sola è Prunis odore commendantur, eidem: (nos tamen multa Pruna odorata nouimus) Armeniaca vocari desita, & præcocia siue præcoqua tantùm dici iam dictum ex Gal. Græci non præcocia, sed Berioccia ferè pronunciant. Quæ Veteres de Armenijs & præcoquis scripserunt præcedenti capite sunt annotata, quia plærique simul de ijs cum persicis scribunt, vt commodè à nobis separari haud potuerint, nisi inani repetitione Lectorem obtundere voluissemus.

Differentiæ. Supernas. Vulgare. Porrò Plinius præcocium duo genera indicat: alterum Supernas, amplum & magnum, quod è Sabinorum locis aduehebatur, vulgò *gros Abricots*: alterum vulgare, paruum & strigosum, etiam Armenium dictum, vulgò *des Armegues*, vt notat Dalech. Ruellius putat de voce Bericoca tractum nomen vulgi *Abricoca*, vtrinque (ait) potiùs pruni quàm persici & naturam & faciem referre, quanquam diuersi generis esse multis placeat.

Cornar. ... seu Rhodacena (sic enim legi vult apud Paulum, quam lectionem tamen suprà improbauimus) existimat esse quæ Germanis pro locorum varietate alibi Meletten alibi Cartomeslen, alibi Marillchen appellantur. Idem præcocia Sethi ac etiam Armeniaca ad Cerasa refert, veluti capite de Cerasis dicetur. Cordus Armeniaca Persicorum generis facit. Persicum quartum Trecacinum Trago: & Lonic. quidam (addit ille) volunt reducere sub caput Diosc. Perseæ: verùm descriptio apud Theoph. & Plutarch. facit vt aliam existimem.

Turn. ..., quam Gal. Paul. & Ætius mox Persicis subiungit, nec non Dioscorid. Plinius latinus Scriptor vocat Præcocia mala, & inter Persica recenset. Differant tamen. Præcocibus folia latiora, quàm Persicis, citiùsque multò maturescunt. Persicorum ossa rugosa, cauernosa. Præcocium plana, læuia atque horum fructus totus minor Persicis.

Armeniacorum, vt tradit Matth. plura visuntur genera, magnitudine potiùs, quàm genere differentia, quod euenit non modò cœli clementia & terræ admodum frugiferæ dotibus, sed & cultorum mangonio. Omnia vbi maturitatem senserint aureo colore splendent: idcirco Romanis vulgò *Grisomele*, quasi Chrysomela dicuntur, eaque præcipuè quæ in eo tractu cum Persicis magnitudine certant. Maturescunt ineunte æstate, mense Iunio ante alios fugaces fructus: vnde meritò Præcocia dicta. Os in quibusdam amarum reperitur, vt in Persicis, in aliis verò dulce, vt in Amygdala. Est & alia differentia prædicta minor, *Armeniaca minor* dicta.

Amatus, Armeniaca dicit à Præcocibus differre, quanquam nullam inter illa differentiam, ob nimiam quam habent similitudinem, faciat.

Gesnerus quatuor differentias ponit. 1. Malum Armeniacum vel præcoquum (Duracinum) commune, Amarellen/ Barilleli. 2. Mala Armeniaca ex Hungaria magna & optima, VVoysello. 3. Mala Armen. candicantia, gustu suauissima, nucleo oblongo, dulci, vt Amygdala videantur esse. 4. Mala Armeniaca alia longè maxima, quæ ille existimat esse vera Veterum Armeniaca, ex annot. eiusdem VVoyselli.

Dod. Mala Armeniaca quædam parua, nec prunis vulgaribus maiora: alia ad mediocrium persicorum magnitudinem accedunt, vel etiam æquant. Ex hac arbore gummi effluit.

Recentiorum nonnulli hanc differentiam faciunt, vt quædam maiora ac insita Armeniaca sint, Gallis *auantpesches*: minora verò præcocia, Gallis *Abricots*.

Lob. & Penæ: Armeniaca malus maior & minor: Mala Armeniaca præcocia dicta, quæ figura & folio referunt pirum, pomo autem ipso Malum persicum.

Denique plerique Herbariorum duas has differentias agnoscunt, non tantùm magnitudine, sed & saporis suauitate differentia, palmam tribuentes maioribus, quod non solùm cœlo solóve tribuendum, sed insitioni & cultorum industriæ. Maiora seu præcocia, vt Hist. Lugd. vocat, Gallis dicuntur *Gros Abricots*, quòd insita fuerint: minora Armenia, quæ in Gallia Narbon. *Armegnes* vocantur: Gallis cæteris *Petits Abricots*, quòd spontè gignantur.

Solerius ait in Plinij Armeniacorum & præcociorum historia dubia esse multa, sed quæ sibi dubia videantur, non addit.

Nomina Linguarum. Mauritani *Mermex* vocant, seu *Mirmix*, *Mex*, *Mesmes*, *Mismis*. Germ. Marellen / Sommerpfersken / Malathein/ Goldpferschken / Armenellen / Malerlin / Möllelin / Molleren/ Amarelbaum/Marillen / S. Johanspfersich / Barilleli / Sommerpfersich / S. Johanspfersing/ Goldpfersing / Morellen/ variantibus nominibus & idiotismis, pro varietate prouinciarũ: In Coloniensi agro, ipsa arbor mirabili voce, Karndunelkenbaum. Gal. *Abricottier*: ipse fructus, *Abricots*, *Armegnes*, *Auantpesches*, *Pesches de Troyes*, *Carmaignole*: Maiora *Auberges* etiam dicuntur prouincialibus. Ital. *Armellini*, *Baccoche* Hetruscis, *Moniache*, *Armeniache*, *Grisomele*. præcocia Romæ *Albricocchi* dicuntur. In Syria *Amazza Franchi*. Barb. *Chrysomela*. Hisp. *Albiricoques*. Castil. *Aluarcoques*, *Aluaricoques*, & *Aluerchigas*. Catel. *Albercoes*. quibusdam etiam *Albarchigas*. Castiliensium *Alnarcoques* respondent Diosc. Armeniacis, & Latinorum præcoquis, autore Lacuna. Belg. Roode peerse/Vroeghe Peerse/Abricoque/Auantpeersse/Vroeghe perskens. Angl. Abrecock tree / fructus Abrecocke/rectiùs Hastye peches/id est, præcocia persica dicerentur, autore Turnero.

Minora. Recentiores quidam sic distinguunt: vt Taber. Armeniaca minora, Klein Marillen / Malleyten/ Dioscor. præcocia: Halbe Sommerpfersing/ Schvvenck.

Schvvenckf. ſcribit in Sileſia dici: Klein Norellen. Hort. Luſat. The leſſer. Aprecocke tree / alijs πραικόκκια aut βερικόκκια Gerardo. Armeniaca maiora: Groß Marillen / Groß Malleyten / perſica præcocia, Sommerpferſkens / Goldpferſing / Mallilen / de genere ſunt perſicorum Schvvenckf. The gtwater Aprecocketree Gerardo. Hungar. Tongóri baracck / h. e. Marinum perſicum. Sed differentiæ ſatis explicatæ in ſuperioribus. Linguarum dialecti, iſtum nominum multitudinem inuexerunt, quas placuit in Nationum gratiam hic aſſignare.

Maiora.

Locus. Coluntur in viridariis & hortis Italiæ & Galliæ. Minora etiam in Germania haud infrequentia ſunt, ſed maiora multò rariora. Scribit tamen Turn. ſe multas huius generis arbores in Germania vidiſſe: aliquas etiam in Anglia. Maiora in Hetruria cum ipſis etiam perſicis magnitudine certant teſte Matth. Eadem Lutetiæ abundant, vbi magnæ arbores: item Argentinæ. Minora frequentia ſunt Baſileæ. Apud nos Montbelgardi vtrumque genus vix immune, quin ſingulis ferè annis aliquid patiatur, præſertim maius cujus ſummitates vt plurimùm gelu marceſcunt, & infructiferæ redduntur. Tam minora, quàm maiora habentur in Alſatia, ſed hæc in hortis paucorum nobilium.

Tempus. Monſpelij Martio florentes vidimus cum fructu ſatis iam magno, Baſileæ fructus matureſcit Iunij principio aliquando etiam Iulio, præſertim maiorum, vt Geneuæ & Lugduni. In Hiſpania matura Maio: autore Lacuna. Vidimus etiam Romæ Maio, optima & ſapidiſſima.

Inſertio. *Albercoccoli. Albergeſi.* Inſeruntur optimè in prunum. *Albercoccoli* Italis dicta, quorum fructus Armeniacis ferè ſimilis, & partim Perſicis, non autem foliis. Autore Aug. Gallo, inſeruntur prunis & Malis Armeniacis. Fructus qui inde emergunt admodum delicati ſunt dicti *Albergeſi*: qui licet poſſint inſeri perſicis & prunis, meliùs proueniunt ex oſſibus autumno plantatis potiùs quàm vere.

Transferri etiam gaudent. Nam vti Geſner. ſcribit, Perſicus præcox vel Armenia cùm femoris craſſitudine truncum haberet, effoſſa & tranſlata pulchre creuit, & Vere floruit. De cultura plura habes capite præcedenti.

Vires & Vſus. Armeniaca autore Dioſcor. ſtomacho vtiliora ſunt quàm Perſica. Galeno verò, fructus humidus eſt, & frigidus, vtrumque in ſecundo exceſſu. Sunt enim hæc quoque ex genere Perſicorum, bonitate tamen nonnihil illa ſuperantia. Neque enim in ventriculo, vt illa, corrumpuntur, neque aceſcunt, vulgò autem ſuauiora apparent, vnde etiam ſtomacho ſunt gratiora: cætera enim illis ſunt ſimilia. Præcocia tamen quæ vocant Armeniacis ſunt præſtantiora. Quidam recentiores medici Dioſcoridis & Galeni dictæ ſententiæ refragantur, & ea magis quàm perſica in ſtomacho corrumpi putant, vt tradunt Matth. & Dalech. quod nos vniuſcuiuſque experientiæ dijudicandum relinquimus.

Oleū è nucleis.

Hæmorrhoides. Vlcerum tumor. Aurium dolor. Calculus. Colica. Oleum è nucleis Armeniacorum expreſſum, mirificè valere tradunt inunctum ad inflammatas hemorroïdas, & ad vlcerum tumores, ac linguæ impedimenta, & pariter ad aurium dolores. Item potum vnciarum quinque pondere, cum vini Cretici vncia, calculos pellit, & colicos iuuat. Reliqua vide in viribus Perſicorum.

MVNIACVS ARBOR.

Muniacus arbor Pruno ſimilis. MVniacus arbor quædam (inquit Petr. Creſc. l. 5. agriculturæ) ſimilis ferè pruno, verùm magis nodoſa, eiuſque fructus eſt magnitudinis communium prunorum, ſimilis fructuum Perſicorum in forma, valdè tamen odoriferum, & in colore aureum eius pomum: *Perſica.* aerem & terram deſiderat, vt prunus, ſolutum tamen ſolum deſiderat, non argillam, vel cretam. *Satio.* Seritur ſemine, menſe Februario, & Martio: tranſplantatur in ſe verò, pruno & perſico, & fortitan *Inſitio.* Amygdalo poteſt inſeri. Circumfodi debet aſſiduè, & ſiccis temporibus irrigari, atque putrida & arida in ea recidi, atque vt prunus formari, Minus ſunt humida poma eius quam perſica, aut pruna, magis tamen ſtomacho & cerebro confortatiua, cùm optimè matura exiſtunt, quod eorum color, ſapor & odor apertè demonſtrat.

Nos ſolertiſſimis naturalium indagatoribus conſiderandum relinquimus: An Armeniaca Malus?

PERSEA.

CAP. III.

Deſcript. PErſea arbor eſt Piro ſimilis, in latum diffuſa, perpetuaque Coma virens, ramulis ex viridi palleſcētibus. *Folia.* Folia Lauri latifoliæ habet, parte ſuperna nitentia, inferiore verò cinerei coloris, firma, neruis aliquot per obliquū diſcurrentibus, odore & ſapore cōmendata, *Sapor.* cum adſtrictione linguam mordicantia. *Flos.* Flos Lauri, ferè copioſus, racematim compactus, pallidus, ſex foliolis conſtans. *Fructus Pruni & Piri facie.* Fructus per initia pruno ſimilis: deinde ſucceſſu temporis piri in modum oblongus, nigro colore, iucundóque ſapore: *Nucleus cordis effigie.* nucleum cordis effigie continet, guſtu Caſtaneæ aut dulci Amygdalæ haud abſimili. Cluſ.

Synonyma autorūque placita. De Perſia Theoph. in quarto hiſt. ſic ſcribit. Arbor eſt in Aegypto Perſea dicta, aſpectu procera pulchráque: foliis floribus & ramis totáque adeò figura Piro ſimilis, niſi quòd altera perpetuo, (nēpe Perſea) altera deciduo ſit folio. *Piro ſimilis. Fructus.* Fructus copioſos profert, omnique tempore maturum edit, nouo ſemper veteri ſubnaſcente. Maturat perfectè ſub Eteſiarum flatum: reliquum crudiorem tollunt & reponunt. *Amygdali ſpecie. Nux Pruni.* Eſt magnitudine Piri, figura oblongus, Amygdali ſpecie, colore herbidus, nucem intus quemadmodum Pruni continens, ſed multò minorē molliorémq. *Radix.* Caro ei dulcis admodum & iucunda, & concoctu facilis. Nihil enim moleſtiarum affert iis, qui multùm comederint. *Lignum.* Arbor ipſa radicum tum longitudine, tum

Google

crassitudine, tum etiam multitudine firmitateque excellit. Materie est robusta, aspectu elegans, Loti modo nigra, ex qua simulachra, grabata & mensulas conficiunt. Hæc arbor in Aegypto & locis proximis fructifera, in Rhodo ad florē duntaxat peruenit. Et si per loca ita procedas, fructificare quidem eam comperies, sed parcissimè: nec enim alibi quam in Ægypto largum suauemque fructum producit.

Locus.

Περσέα Diosc. arbor est in Aegypto fructum ferens cibo idoneum, in quo phalangia Cranocolapta nomine reperiuntur, præsertim vero in Thebaide. Hanc arborem prodidêre nonnulli in Perside quidem exitiosam esse: translatam verò in Ægyptum, natura mutata cibo idoneum fructum protulisse. Quod de phalāgio cranocolapto ait, hoc ante eum tradidit Nicander in Theriacis, qui ait papilioni simile esse, & in persea inuehiti. περσέα Aristot. lib. de coelo, vbi ait, ἄμπελοι ϰαὶ φοίνιϰες ϰαὶ περσέαι, συϰάμινοι, &c. persica. Suidę Rob. Const. qui & περσαί & περσείας scribit: περσαὶ & τὰ περσεῖα Athenęo diuersis locis: ac utrobique annotat Dalech. perseam hanc arborem intelligi, vt ex textu ipso fit verisimile.

Persea. Phalāgium Cranocolaptum Quibusdam letale. Nicander explicatur.

Inter Diosc. supposititia nomina quę apud Marcellum habentur, legitur, perseam pariter Gręcis perseam siue persicam dici.

De eadem locutus est Strabo Geographię vltimo, Persęę perpetuam comam tribuens, & fructum piri magnitudine, figura oblonga, Amygdalę modo putamine inclusum & corio.

Persea.

De eadem intelligendus idem autor, quando eodem libro scribit: persicum & in India & in Æthiopia solùm nasci, arborem magnam, fructu dulci & grandi. De persea inquam hoc audiendum, non de Persico, vt nobis quidem videtur: quamuis in uulgato nostro legatur Persicus.

Strabo emend.

Legitur & περσέα & περσία apud Theoph. περσεία verò apud Nicand. in Alexiph. vbi Persęę os vocat ϰάρυον, hoc est nucem. Videtur (inquit Dalech) Nicander aduersus cerusę venenum remedia docens Persęę nuces pro Persicorum nucleis intelligere. Sic & Diosc. contra cerussam περσιϰῶν ϰάρυα exhibet. (nisi fortè legendum sit περσείων, vt iam alibi monuimus.) Paulus tamen, sicut hic Nicander, περσιϰὰ ϰάρυα ad id laudat. Videamus nunc quid de Persea tradat Plinius. Aegyptus, inquit, & Persicam (Perseam Theoph.) arborem sui generis habet, similem piro, folia retinentem. Fertilitas assidua ei, subnascente crastino fructu. Maturitas Etesiarum afflatu. pomum longius piro, inclusum Amygdalę putamine, & corio colore herbido: sed ubi nux illi, huic pomum differens breuitate ac mollitie: & quamuis blandiatur prędulcis suauitas, innocuum. Materies bonitate, firmitudine, nigritia quoque nihil differens à Loto. Simulacra ex ea factitauere, non eadem gratia, quàm fideli materie, vt ex arbore quam Balanum appellauimus, magna ex parte contorta. Noualis itaque tantùm est. Quę posteriora plin. verba sic legenda censet Dalech. factitauere. Non eadem gratia ęquè fideli materię ex arbore &c: contortę. Et sanè videtur hęc lectio esse planior & plausibilior. Mirum verò plinium de persica tradere quæ Theoph. de persea, ex quo tamen indubiè locum hunc transcripsit. Idem facit quoque alibi, quando ait: persicæ arbores in Rhodo florent tantùm. Nam & hoc Theoph. de persea, vt patuit in præcedentibus. Verùm quando idem plin. ait, ubi nux illi, huic pomum: videtur noluisse exprimere illa Theoph. verba: ἔχει δ' ἐντὸς ϰάρυον ὥσπερ τὰ ϰοϰϰυμηλα. Nucem quemad. prunus, intus habet: Alij vertunt nucem Pruni magnitudine, vt annotat Dal. Alioqui quid sibi velit ijs verbis Plinius, haud ita clarum, vt alicui fortè videri possit.

Persea. Persia. Perseia. Fructum Piri. Materies. Plin. emēd. Plin. reprehē. Nux. Pruni.

Circumspectiùs idem plinius alio loco perseam diligentioribus dici ait, nisi ibidem quoque quædam diceret de persicis, quæ Theoph. de persea. In hunc enim modum tradit: persicæ arbores serò & cum difficultate transiere, vt quæ in Rhodo nihil ferant, quod primum ab Ægypto earum fuerat hospitium (hæc quoq; Theoph. de persea.) Falsum est, venenata cum cruciatu in persis gigni, & pœnarum causa à regibus translata in Ægyptum, terra mitigata. Id enim de persea diligentiores tradunt, quæ in totum alia est, Myxis rubentibus similis, nec extra Orientem nasci voluit. Eam quoque eruditiores negauerunt ex perside propter supplicia translatam, sed à perseo Memphi satam. Et ob id Alexandrum illa coronari victores ibi instituisse, in honorem ataui sui. Semper autem folia habet & poma, subnascentibus aliis. Videtur autem hoc loco Nicandrum & Sostratum falsitatis insimulare, qui istud prodiderunt, vt superiori capite monere coacti fuimus, quòd plerique persicam cum persea confunderent. Eo itaq; remittimus lectorem, ne eandem decies repetamus Cramben. Per diligentiores autem, plinium intelligere Theophrastum dubium non est.

Alius plin. error. Persica. Myxis similis. persea alia à persico. A quo sata. Nicander & Sostratus notantur.

porrò Gal. quoque lib. 2. τῶν ϰατὰ τόπους, perseam à se visam in Alexandria solùm, & in nulla Romanis subdita gente. Quidam, addit, persion illam vocant, aiuntque in persis lethalem eius fructum esse, qui in Ægyptiorum regione innocuus existat. Et alibi: de persio scribens, (postquam prius persici mentionem fecisset, vt constet etiam Galenum diuersas fecisse arbores) Vidi & hanc, (inquit) plantam in Alexandria, quæ & ipsa magna arbor existit. Narrant autem quidam fructum eius adeò vitiosum in Persis esse, vt in cibo acceptus interficiat. In Ægyptum verò translatum, ad cibum idoneum factum esse, vt qui eodem modo velut Pira & Mala edatur, quorum etiam magnitudinem habet.

Persea. Persium. Venenata quibusdam.

Plutarcho persea arbor inter omnes Isidi gratissima est, & in Ægypto maximè celebrata, quia fructum fert cordi similem, folium verò linguæ.

Cordis effigie fructus.

Auic. Allabach. id est, Persea: dicunt quod est Alsadar. Hermol. Perseam inquit arborem Æthiopia & Ægyptus habent solæ. Persicum Ægypti Plin. appellare quodam loco maluit: Fortasse hâc intelligit cùm textilem persicam in Ægypto plurimam nemore Thebaico fuisse scribit. Quidam pro Cuci capiunt palmæ simili. De Cuci verò agemus l. 3. inter palmas, capite de Cuciophora Palma.

Allabach. Alsadar. persea. persicum. Persica textilis.

Ruell. persea arbor sui generis Ægyptia, Straboni celebrata. Cornar. quoque agnoscit ex Plinij loco perseam à persica differentem. At Nicander (inquit) in Alexiph. perseam & Malum Persicam, pro eadem arbore accepisse videtur: & confirmat eius interpres, citato ad hoc Sostrate, qui ipsi suffragetur, vt videri possint plinij verba ad Nicandrum redarguendum pertinere. Nobis sanè Nicandri verba magis videntur demonstrare perseam Theoph. quàm persicam.

Persea à persico diuersa. Vtramque confundit Nic. Cornar. not.

Tragus & Cordus apertè distinguunt: itemque Scaliger, qui in hæc verba prorumpit. Gal. in 2. ϰατὰ τόπους ita scriptum reliquit: ab sese visam Perseam in terris imperij Romani, præterquam Alexandriæ nullam. Quæ verba si habuissent in memoria spicileguli nostri, non animum induxissent disputare, & quærere, diuersisne locis eadem venena-

venata, & non venenata queat esse. Quo persuaderent nobis, Perseam dictam, cùm esset Venenata, & Persicum, vbi non esset. Nam si Alexandrino in agro tantùm vidit Perseam Galenus, quo tempore Persicus esset in Græcia & in Italia plurima: quid actum agant? vel Plinium legissent, qui aperto bello impugnat hanc inscitiam. Nam quod afferunt è Diosc. tam Perseæ quàm Persici fructum esse ventriculo commodum, tantum abest vt eorum foueat pertinaciam, vt ijs ipsum quoque subruat occasionem desipiendi: quando illi duas, non vnam esse vident arbores. Sed quid opus est verbis? Persea Piro similis: Persicus Amygdalo. Persea semperuirens, Persicus non. Persea πάσαν ὥραν καρπεύει: Persicus autumno tantùm. Perseæ Pomum oblongum: Persico rotundum. Illi color viridis: huic aureus aut flauus: Illi nucleus intus minor Pruno & mollior: huic maior, ac duritia penè inuicta. Illius materia valida: huius mollis, & nullius vsus. Illi nigra: huic uulgaris, vt alias multas differentias prætereamus.

In quibus differant Persea & Persicus.

Agricolæ ...

Bellum verò subterfugium Agricolæ inquientis: Perseam nemo mirabitur à nobis ignorari, qui apud Galen. legerit, nullibi sub Romanorum imperio eam arborem præterquàm in Alexandria à se visam.

G. Seilerus medicus Augustanus, infit Agricola, Persicum & Perseam eandem arborem adnitebatur asstruere: postquam eandem sententiam adserere deprehendi Io. Rodericum Lusitanum, subscribere placet: Idem præterea existimat Columellam in hortulo de Persea scripsisse, verùm nec hic in hortulo de Persea scripsit, nec ille cum suo Roderico rectè sentit.

Rectiùs Scaliger cùm nondum sciret quid esset persea: Necesse est, ait, aliud esse perseam, quàm nostratem persicam, contra Nouatorum temeritatem: nam & is aliquando dubitauerat an possit non esse diuersa. Postquam verò rationes, quas suprà diximus inspexisset in sententiam abiit.

Amygdala. Persica congener Hadr. Iun. ...

Gesner. in epist. ad Occonem scribit nescire se quo nomine vernaculo Aegyptijs vocetur persea, audiuisse tamen *Amygdalam* vocari.

Hadr. Iun. in emblematibus ex Theoph. perseæ descriptione (inquit) deprehendere licet persicam nostræ persico esse congenerem, specie tamen diffidentem. Sed non placet idem perseæ arboris figuram ponens quam qui videat, & perseam norit, aut descriptionem Veterum consideret ad libitum factam liberè dicat.

Porta reprob.

Sic & Porta Neapol. cum sua cordis signatura pictam nobis dat plantæ nunquam visæ: si rem ipsam nouisset, aut Veterum credidisset placitis, non tam ex figura aucupari tentasset naturalium vires, quàm ipsarum vel qualitate, vnica rerum actrice, vel, si quæ esset, proprietate occulta. Voluit nimirum, hoc sibi nouum tribui aucupium in naturæ sacris: quantitati, vel infimæ adeò qualitatis speciej, figuræ, vel proportioni deberi, quod alij quæsiuissent in patibili qualitate, vel manifesta, vel sanè nec ipsi quidem manifesta.

Matth. ...

Suam quoque hic agat personam Matthiolus, dum in Marcellum sibi vix alium quàm popularem inuehitur, sic pote: Perseæ arbor Ægyptia est, (vt putat Marcellus Virgilius Florentinus) nostras Italica malus Persica, sed planta plurimùm. Olim in suis primogenitis operibus, non annotauerat vbi vidisset suam Perseam: tandem verò prodit & imaginem suis coloribus ornatam sibi dono datam fatetur Tridenti per Odoardum Polonum medicū: qui Syrium & Ægyptum peragras-

Matth. ...

set. Sed si vera & genuina eius icon Perseæ, quam proponit: cur olim inuentorem vel obseruatorem suo fraudauit honore ac merito? Mereb... tamen tam rara planta & confessionem veri & indaginem vlteriorem, propter eius difficultates, quibus Matth. seculo obruta doctissimis quibusque videbatur, sed habeat ille suam figuram, & quidem eam solam, solus: quippe quam puram imaginariam existimamus, & ad descriptionem Theophrasti (atque vtinam benè) effictam, nobis nullatenus accept andam, donec prodeat nouus quidam patronus, qui nos doceat contrarium.

Aliam Iconem exhibuit C. Bauh. excluso nomine Perseæ secundæ & Plinij, qualis & nostra.

Rhodacinea.

Rob. Const. in Lex. annotat ... siue ... Suidæ ... dici, etiamque Aristoteli ..., lib. de Mundo.

Lob. & Penæ Persea, qui diuersam quoque à Persica agnoscunt. Hist. Lugd. Persea America Matth. Et alibi Persea America Clus. cum fructu. Sed prior figura nihil est aliud quàm merum figmentum Matthioli: proinde ad eam nihil attinent, quæ ibi Perseæ nomine traduntur. Posterior figura quæ Clusij est, Perseam quidem refert, sed appictus Caciophoræ fructus Perseæ non est, vt ibi significatur, sed peculiaris, atque distinctus etiam ab ipso Theoph. factus, de quo nos capite proprio.

H. Lugd. ...

Caciopho. Amygdala.

Gesn. in epist. ad Occon. Perseam inquit arborem nosti vernaculam esse Ægypto? sed quo illis nomine vocetur nescio. Audiui tamen Amygdalam vocari. Fructus dicitur Piro similis, & os habere intus & prunum. Ioan. Placa Medicus, vt testatur Clusius, incolis regni Valentini *Mamay* dici asserebat, tametsi qui nobis Americam descripserunt Hispani, aliam ab hac diuersam arborem hoc nomine insigniant. Multis post annis à Simone de Touar Medico Hispalensi non *Mamay*, sed *Aquacate* vocari edoctus sum.

Mamay.

Agnacate.

An verò, addit Clus. hæc arbor Veterum Persea sit nec ne, dispiciendum est. Plinius Perseam simili modo, iisdémque ferè verbis describit, voces ipsas committens, quas tamen alio loco apertissimè distinguit: qui sanè locus eorum sententiam apertissimè refellit, qui Perseam cum Persica malo eandem esse volunt. Arbor quam exhibeo flore & folio Laurum magis refert quàm Pirum, fructu etiam oblongo est, qui Myxis (qualem illi Plinius tribuit) aut oblongis Prunis turgidior sit, quàm Amygdalis, & colore (vt Placa referebat) nigro, non herbido. Itaque, vt verum fatear, tametsi nonnullis cum Persica Theoph. descripta notis hæc nostra conueniat, mihi tamen ea aptiùs quadrare videtur ei, quam Plinius describit, & Plutarch. in Ægypto natam testatur Isidi gratissimam, quod fructum ferat Cordis æmulum, folio linguæ. Quibus verbis Clusius videtur velle distinguere inter Perseam Theophrasti, & eam quam Plin. & Plutarch. descripserunt, de quo iudicium esto peritiorum.

Soleri opinio.

Lectores quoque Solerij considerent opinionem, qui vult *Mangam* siue *Amba* esse Veterum perseam, de qua re capite proprio. Inter eius verò scripta hæc legimus, perseam cum persicis confundit Columella. Plinius siue sua, siue typographi culpa, malè legit Persica. Matth. Perseam sibi non suam figuram ementitur.

Matth. ...

Locus.

Dicta iam sunt loca ex Veteribus in superioribus. Clusius scribit valdè raram esse hanc arborem: nam solo Valentino regno vnicam arborem vidisse, in monasterio D. Virginis cui cognomen

de Iesu, primo ab vrbe Valentia lapide, ex Armenia, vt ferebatur, eò delatam.

Tempus. Vere florentem conspexit idem. Autumno maturum fructum ferre intellixit a D. Io. Placa Medico & professore Valentino, qui ei loco dicto commonstrabat. Simon de Touaro Med. Hispal. similem arborem in suo horto alit. Persion, inquit Athen. gignit Arabia.

Vires & Vsus. Perseæ fructus, autore Diosc. cibo idoneus est, & stomacho vtilis. Arida folia trita & inspersa sanguinis eruptionem sistendi vim habent. Perseæ folia, vt scribit Gal. adstringentem vim modicè participant, adeò vt queant etiam nonnunquam vtiliter sanguinis eruptione affectis partibus imponi. Paulus perseæ radicem inter menses ducentia recenset. Apud neotericos, Europæos saltem, quantùm nobis constat, nullo adhuc experimento celebratur.

Fluxus sang.

PERSICÆ NVCI SIMILIS FRVCTVS NVCLEO venenato.

Cap. IV.

Vires & Vsus. CAthæretica, vel, vt veriùs loquamur, septica est huius fructus facultas, quo Indus quidam Æthiopissam (vti refert Monardes) cuius crura malignis & inueteratis vlceribus scatebant, in puluerem redacto atque insperso curabat, exesa carne putridâ. Eundem puluerem eum elychnio iisdem imposuit vlceribus, ad generandâ carnem, & vlcus ad cicatricē perducendum. Est is fructus in insula Margarita dicta admodum vulgaris, quo etiam in cibo frequenter vtuntur, magnitudine Mali Assyrij vel Arantij, nucem Persici mali ossiculo similem continens, cuius concremati puluis (nam ob duritiem cremandum, alioqui difficile attritu) ad ea quæ modò dicta vtilis est. Nucleus qui intus continetur adeò noxius est & deleteria facultate præditus, vt siue homo, siue bestia eo vescatur, præsentaneam mortem sibi moliatur, cui nullo remedio occurri potest, tanquam sublimatum aut corrodens aliud medicamentum sumpsisset.

Vlcus. Locus. Persica nuci similis. Nucleus venenatus. Pulpa edulis.

Hæc pauca à Monarde prodita reuocant nobis in memoriam, quæ Diosc. Plin. & Gal. scribunt de Persea venenata vel læthali, quæ adhuc pauciora & dubij plena.

Huc fortè etiam referenda quæ Rauuolff. scribit: Persianum quemdam mercatorem indicasse sibi de venenato fructu Perseæ, eis noto nomine Sephæ: propterea ab ijs negligi. Confer etiam quæ dicuntur de Manga venenata.

MAMAY ARBOR.

Cap. V.

Descript. Folium. Lignum. Fructus. Ossa amara. Castaneæ facies. Mamei. Exactа fructus descriptio.

MAmay ab Hispanicis historicis descripta (cuius iconem lib. præcedenti cap. 45. sub titulo, Guanabano fortè similis Higuero, damus) arbor est formosa, simili modo virens vti Iuglans, alta lataque coma, sed quæ aliquantulùm in pyramidem desinat & Cupressi modo, Folium longius quàm latum: materies ligni fungosa: fructus rotundus & magnus, carne Malum cotoneum referens, sed sapore Persici duracini: huic insunt terna quaternaque ossa, interdum plura simul iuncta, valdè amara: *Gomara*.

Vt *Scaliger* verò tradit, *Mamei* Castaneæ tum facies tota, tum magnitudo. Idem folium, sed maximum. Fructus non solum ingentis Persici, sed etiam maximi Cidonij superat globum. Nuculas duas habemus, quas intus fert: quarum altera pene æquat Persicum, altera longè maior. Ex qua potes, addita, aut circumiecta pulpæ corpulentia, totum ambitum animo metiri. Pulpa rubro colore est: Corium fructui fuluum. Sapor Persici, non, vt Cardanus scribit, Piri. Quod & testatur nucleus. Olet enim Persici nucleum. Quod verò Cardanus ait: Nuculam esse triangularem: verum quidem est, sed minùs accurate pictum. Vnum enim è lateribus adeò est obtusum, vt dorsum potiùs, quàm anguli acies esse videatur. Vna planicies illa, non duæ: Læuissima, splendidissimaque pars hæc, colore ferrugineo. Tertium latus planius, & ad vtrumq; caput cuneatum. Rostellum quoque alteri prominet geminum: sed infernè producitur magis. Eius figuram quod referret, nauigium priscum sculptum vidimus. Quod verò idem Card. scribit, in nucula nucleum ferruginei coloris, verum non est. Potiùs ruber est. Eius nempè coloris, cuius vel China, vel Air, vel Ben rubrum. Odor, qualem diximus, Persici nucleo proximus: item sapor, verùm longè dilutior. Vbi gustaris: tandem, licet lentè, ac serò, palatum acuit, ac pungit parum. Intra medullam hanc, quam alteram medullam amarissimam Card. profitetur, nullam inueni, nec vero simile est. Si verum est, ... est. *Hæc Scal.*

Cardanus not. Alius Card. error. Sapor.

Oviedus tam arborem quàm fructum paulò aliter describit, sic: Mamei arbor est speciosissima, magnæ Nucis iuglandis proceritate, foliis paribus aut maioribus crassioribus, altera parte viridioribus, palmum longis & ad proportionem latis. Huius fructus est omnium qui in insula Hispaniola dicta proueniunt gustui suauissimus, quandoque perfectè, quandoque imperfectè rotundus, pugnos duos magnitudine æquans, aliquando minor, cortice contegitur fuluo, modicè aspero, Pirorum syluestrium ritu, nisi durior crassiorque esset. Sunt qui vnum, alij duos trésue concludunt nucleos, in pomi medio, interstitiis distinctos, acinorum ritu membranula tenui opertos, delibratæ castaneæ colore, quorum pulpam, si secueris, iudicabis castaneæ, præterquàm sapore similem, sed interior acinus fellis est amaritudine, delicata tunicula contectus, quam inter & priorem illam membranulam caro siue pulpa intercedit ferè fulua, Persici Duracini gustu, aut meliori, non tamen tàm succulenta est, neque tàm odora. Pulpæ isti digitalis est crassitudo in maioribus, minor in minoribus pomis.

Arboris alia descriptio. Fructus descriptio alia. Vnus nucleus aut plures. Castaneæ simil. & sapora. Interior acinus amarissimus. Pulpa sapor.

Varietas. Benzo huius fructus lemma & varietatem paucissimis verbis comprehendit. *Mamei* arbor mediocris Nucis magnitudine, longiore quàm latiore folio. Fructus eius in Hispaniola insula rotundi, in continenti verò longi & crassiores, & gustu iucundiore sunt, tres quatuor acinos seu interiora ligna habent pulpa in spadiceum colorem vergente, tenui tunica, sapore aliquantùm dulci.

Synonyma. *Mamay*, Gomaræ in histor. gen. Indiæ. Item Clusio. *Mamei* Scalig. Ouied. Hist. Lugd. Figuram quam exhibemus ex Hist. Lugd. desumpta est, nec videmus magnam similitudinem cum Castaneæ folio, quale ei Scaliger tribuit: Gomara autem & Ouiedus tribuunt Iuglandis. Haud multò felicius, si figuram spectes, qualem tamen illi circumscribunt. Quod si etiam verè dicit Ouiedus interiorem acinum esse fellis amaritudine, etiam-

eri nunquam stabit Cardani sententia, alteram medullæ interius latitare amaristi naturæ nec rectè à Scaligero reprehensus, dicente vero id non esse simile. Eumcarin hist. Ind. Occid. Gallice *Mamei* dici fructum cum nucleo scribit. Item Mamay arbor viridis vt iuglans, fructus bonus in Darien, eidem, alio loco, *P. Mart.l.9.* Ocean. *Mamei*, est arbor alia apud Darienenses, quæ fructum producit aurei mali magnitudine, sapore, ... haud insuauiorem.

Descriptio

MANGAS SIVE AMBA.

CAP. VI.

Mangas Acostæ. Mangas alia Icon, Linschottani.

SCalig. autore: Est in Malabar Manga dicta arbor, Piri facie, cuius fructus Persico par, aut maior: corticis color viridis immaturo. Augusto mense cum maturitate recipit luteum: simul acquirit splendidum nitorem. Caro, vt Pruno, mellei saporis. Os intus sicut Amygdalo. Immaturum condunt, vt oliuas. Amba nomen.

Arbor Piri facie. Fructus ... Tempus ...

Acosta vero, qui Mangas siue Ambam neutiquam Piri folio depingit, ex quo nostra prior Icon desumpta, sic describit. Vasta hæc est arbor, & multis ramis prædita, fructumque fert magna ex parte anserino ouo maiorem, nonnullis interdum in locis binas libras aut ampliùs pendentem: in eadem vero arbore persæpè colore differentes isti fructus conspiciuntur: alij enim diluti virent, alij flauent, quidam etiam ex viridi rubescunt: grati admodum saporis odorisque est; & quando non est corruptus, Duracinus Persicis (quæ a carne firmiore flauaque Melocotonea vulgò appellantur) præstat. Antequam probè maturus sit gustu adstringente est, vt ea pars quæ officulo vicinior est, acerbior: sed maturus dulcis & sapidus. Prædurо putamine, vndiquaque tomento aut duris fibris transuersim & obliquè excurrentibus operto tegitur nucleus longiusculus & crassiusculus, magnitudine Ilignæ glandis, candidus, & candida cute tectus, gustu amaro, dum crudus est. Inuenitur etiam huius genus sine officulo, palato admodum gratum. Aliud eius genus siluestre reperitur, *Mangas brauas* nuncupatum: dilutè viret, aliquantulum splendet, lacteo succo abundat, paucaque carne præditum est: nam crasso cortice solummodò integitur, officulum prædurum & cartilagineum, Cotonei tamē mali magnitudine est.

Sapor. Putamen tomento obductum. Nucleus. Differentia. Sine officulo. Mangas syluestris ... brauas.

Per vniuersam prouinciam Malabar, copiosè prouenit hæc arbor, domestica siue satiua minor, breuioribus & crassioribus foliis. Pueri his fructibus, aureorum Malorum loco, sese mutuò petere consueuerunt.

Io. Linschottanus ad suam figuram ære exsculptam hæc annotat. *Manga* ex arboribus dependens, ad similitudinem arborum Iaccæ, magnitudine Persici sunt, colore viridi, & ad ruborem accedente. Officulum habent maius, sed ad esum nullo vsu. Interior Mangæ color ad flauedinem accedit, magni in India vsus, vt oliuarum in Hispania. Post Ananas gustu sunt maximè suaui: orizam cum hisce fructibus coquunt, estque quotidianus mancipiorum cibus.

Malus. Manga. Ossiculum.

Amba, inquit Lugd. Romanus simillima est arbor frequenti pie vt piro fructus: qui intra corticem occultantur vt amygdalæ amaræ. Condiuntur in Cadis vt apud nos Oliuæ: sed sunt longè meliores.

Sapor

Maturitatis tempus à quadragesima illis ad Augustu durat ingēti passim numero & vtili pretio.

Tempus & locus.

Ludouicus Bononiensis in Itin. eo etiam in Calicuto nasci tradit, sicut & Munsterus in sua Cosmographia.

Synonyma

Amba dicitur fructus: Caudex *Magna*, (fortè *Manga* legendum) Lugd. Romano. Clusius verò non refert, ad *Mangam* siue *Ambam* arborem hanc Lugd. Romani, sed ad *Ambare*. *Manga* arbor Scaliger. Fructus conditus *Amba*. *Mangas* Indis, Garciæ, & Castori dat. Clus. in annotat. ad Garciam: Mangas fructus in memoriam mihi reuocat Iaiama Ouiedi, quam lib. 2. suæ historiæ describit, cap. 13. tamen plus similitudinis habere videatur cum eius *Anon* de quo lib. 8. cap. 18. Costæ *Mangas*, in Canarin *Ambo*: à Persis & Turcis *Amba*: huius aliud genus sine officulo: & tertium syluestre *Manga brauas*. Histor. Lugd. distinctis capitibus longè dissitis locis de hac agit. Primùm sub nomine *Manga* & *Amba*. Secundo sub titulo *Mangas*, cum figura Acostæ, quasi diuersæ essent arbores, & prioris loci ne verbulo quidem meminit.

Hist Lugd. nos.

Noua nec hacten⁹ dicta sua opinione prodit Solerius, quid autē: Perseā, inquit, in Calecut *Mangam* dici & fructū *Ambā*, descriptā a Lud. Barth. lib. 2. tamē à nobis dubitatur sint ne idē, posteri nostri inuestigent. Porrò, quod locū & tempus attinet, Garcias vtrumq; luculenter explicat, his verbis. Tanta est huius fructus suauitas, vt cùm in foro prostat, Ormuz incolæ, apud quos frequens est cum aliis plurimis fructibus, reliquis neglectis, hunc sibi emant.

Perseam esse ... putat Solerius. Locus & tempus. Fructus suauitas.

Colligendi tempus est in regionibus calidioribus mense Aprili: aliis regionibus serotinis, Maio & Iunio: Interdum tamen Octobri (quem ipsi *Rodolph* vocant) & Nouembri.

Cæterùm pro regionum natura & diuersitate, variat etiam saporis bonitate hic fructus. Primas tenet is qui in Ormuz nascitur. Secundum locum obtinet, qui in Guzarate prouenit, præsertim is, qui per excellentiam Guzarateus nuncupatur, magnitudine quidem reliquis cedens, saporis tamen & odoris gratia iis superior, exiguo intus osse vel nucleo. Tertium bonitatis gradum

Varietas ... Guzarateus.

obtinet, quem Balagate gignit, maior in vniuersum supra dictis. Memini enim duos vidisse, qui quatuor libras cum dimidia penderent. Sed inter eos suauior mihi visus est, quem proferunt Chacanna, Quondor, Madanager & Dultabado, primariæ vrbes Regis Nizamoxa. Boni sunt item ij fructus, qui in Bengala, Pegu & Malaca proueniunt. Habeo in meo prædio, quod est in Bombana arborem huiusmodi fructus proferentem, quæ bifera est. Nam Maio mense fructum fert, saporis quidem & odoris gratia excellentiorem. Autumni verò sub finem aliam superiori eo ipso cômendabiliorem, quoniam præter tempus solitum nascatur. Hæc Garcias. Costa quoque autor est, in multis prouinciis nasci, vti in Balabar, Goa, Gazarate, Balagate, Bengala, Pegu, Malaca, aliisque Indiæ locis: at in Ormuz reliquis præcellens. In Persia sunt fructus *VVas* dicti illis, inquit Rauvvolf. rotundi, rubêtes, magnitudinis fere Indicorum Melonum. Considerandum peritis relinquimus, an Mangas tantopere ob suam bonitatem commendata possit esse *Wac* Persis dictus, per mare delatus in Persiam.

Bifera.

An VVae Persarum ... V & Vsus.

Garcias autor est, colore hunc fructum esse ex viridi rubescente, & odore gratissimo. Exempto cortice editur, aut sine vino, aut generoso aliquo vino maceratus, veluti Persica Duracina. Conditur etiam sacchro, interdum & aceto, & oleo, & sale, inspersis in eius meditullio Zingibere & aliis. Interdum editur cum sale, & nonnunquam elixus. Frigidus verò est & humidus, quemadmodum Persica. Eius osficulis assatis alui profluuia sisti aiunt, quod verum esse deprehendi. Nuclei verò recentes lumbricos, & ventris tineas necare dicuntur, quod rationi consonum esse puto ob eorum amarorem.

Cibus.

Temperam.

Ossicula ad alui profluuium.

Vermes.

Vt verò Costa tradit, editur hic fructus in laminas sectus, aut sine vino aut cum vino maceratus. Conditus etiam sacchro, vt commodiùs adseruari possit, atque interdum cultello aperitur, & in eius meditullium Zingiber recens, Allia, sinapi, sal cum oleo & aceto inspergunt, vt vel cum oriza edant, vel oliuarum conditarum modo.

Saliunt etiam, & elixant, atq; in forum venalem proferunt. Frigidus & humidus est, tametsi vulgus calidum constituat, & multas mordicationes in eorum, qui vescuntur, ventriculo parere affirmet. Quin & indigenæ medici calidum faciunt, & vituperant, dicentes serpiginem, Erysipelas, biliosas febres, phlegmonas, & scabiem generare: quod forte accidit ab eius in ventriculo corruptione: sed eo tempore quo inuenitur hic fructus, propter immoderatum esum, in similes morbos incidunt, etiam nonnulli qui illo abstinent. Tostus lligmas glandes sapit.

Qualitas.

Nocumenta.

Genus syluestre *Mangas braua*, adeò præsentis est veneni, vt indigenæ illis sese mutuò perimant. Nam si quis paululum ederit, illico moritur. Interdum oleum admiscent, ad exacuendam eius vim, vt celeriorem perniciem adferat. Sed quocunque tandem modo sumptum, adeò celeriter perimit, vt hactenus nullum sit repertum antidotum ad illius vim compescendam. Cum venenata *Mangas* conferri possunt, quæ antè dicta sunt, de Persicæ Pomo, simili fructu venenato, & Persea Veterum & Rauuolfij venenata.

Mangas braua. Venenum summum.

Persica pomum venenatum Persea.

AMYGDALVS, DVLCIS ET AMARA.

CAP. VII.

TAM arcta foliis Amygdali est cum Persicæ foliis similitudo, vt difficulter distingui possint: oblonga, angusta, acuminata, crenata, valdè obscuro amarore, maiore autem lentore prædita. Flos quoque non absimilis, nisi maiore candore participaret, folia præit: magna quoque eorum similitudo cum floribus Malorũ. Pomum Persicô non ineptè compares, sed compressum & in arcum tensum, puluinato callo, minùs spisso, eduli, aciduloque dum tener est, spontè, in maturitatem tendente fructu dehiscente, & facilè ossiculum læue superficialibus scrobiculis peruium relinquente: putamini aliàs fragili, aliàs duro, nucleus inest dulcis, cuticula tenui rufa, veluti puluisculo respersa obductus, tam in culinæ quàm seplasiæ vsum: vel amarus officinis magis expetitus. Lachrymam quoque plorat in gummi concrescentem arbor ipsa. Gemellum nobis obseruatum Amygdali ossiculum, quod inter naturalia nostra adseruamus. Radix quæ ex medio trunco descendit, autore Theoph. prægrandis est, & altè demissa citò germinat.

Descript.

Folia.

Flos.

Fructus.

Ossiculum.

Lachryma.

Ἀμυγδαλέα & Ἀμυγδαλῆ Diosc. pro arbore, & ἀμυγδαλῆ γλυκεῖα, ἢ ἐδώδιμ⊙, Amygdalæ dulces & esculentæ, vt Interpretes vertunt numero plurali. Hippocrati antiquissimo Medico fructus dicuntur τὰ ἀμυγδάλα l. 2. de Diæta. Item l. 2. de morb. in febri singultiente, Amygdalæ. Lib. verò tertio de Ictero: κάρυα θάσια λεπιστέντα: Nuces Thassiæ decorticatæ habentur: ex quo loco videtur apparere Hippocrati Amygdala & & Nuces Thassias differre. Idem l. 1. de morb. mul. Amygdala præscribit: & l. 2. Amygdala amara depurgata, aliquoties. Apud Theophrast. quoque passim ἀμυγδαλῆ legitur pro eadem. Ab aliis tamen Ἀμυγδάλη tàm pro arbore quàm pro fructu scribitur: aliis pro fructu tantùm, qui & ἀμύγδαλον dicitur. Et ἡ ἀμύγδαλ⊙ pro eodem apud Lucianum. Amygdalus arbor, *Nux plurima* dicitur: Vocatur & *Nux Græca*, & *Nux Thasia*, & similiter *Thasia*. Amara verò etiam κάρυα πικρά, id est, Nuces amaræ Archigene autore apud Gal. Θάσιον πικρῶν fit mentio apud eundem. Ita & Cloatius voluit Amygdalam eandem esse cum Græca & Thasia. Amerias verò Amygdalum Mycerum vocari tradit.

Synonyma autorumque placita.

Amygdalea.

Amygdala.

Amygdalum.

Amygdalus.

Nux plurima.

Nux Græca.

Nux Thasia.

Porrò, Theophr. de Amygdalo multa sparsim tradidit. Abundè fructificare, ideòque citò senescere: sed ætate grandiore reddi fœcundiore: Non plagam tantùm sed & scissionem ferre: Stillare

Copiosè fructificat. Cito senescit. Adulta fœcundior.

lare gummi, interdum copiosiùs fructificare, quàm producere folia, quæ etiam nonnunquam ob fructuum multitudinem cerni non possint, quoniã natura se totam ad fructuum generationem direxerit. Damnosam esse arborem, quoniam & viribus sit robustis, & radicem habeat numerosam. Cultu transire ex amara in dulcem, idque triennio pòst: tardè folia amittere, florem foliatum, quarundam subrufum: fructificare ex annotinis surculis. Eius extrema germinare non posse, nisi id rarò & præter naturæ consuetudinem eueniat. Quin & rami prægrandis eiusdem germen rarò erumpere. Amittere maximè suos fructus antequam maturescant, quod & nexu debili hæreat, & mole grandiuscula sit vt facile à ventis decutiatur. Quandiu virens ac recens est Amygdala, aquosa sentitur, siccescens autem pinguiuscula redditur. Non diu durant quemad. nec Iuglandes, quia raro minimèque compacto putamine obtecta. Seritur auulsione, semine degenerat: cultu mitescit.

Damnosa arbor.

Idem autor Amygdalæ Corni tribuit folium, nisi quòd pinguius crassiusque sit; Et alibi scribit, fructum Therebinthi in India similem esse Amygdalis, etiam magnitudine. Dioscor. Pæoniæ siliquas, [καθάπερ] ἀμυγδάλων similes dicit.

Corn. Celsus Amygdala amara, nuces amaras generaliori voce nuncupasse enim Pantinus eius Commentator explicat.

Nuces amara.

De Amygdalis sic Plinius. Tertia ab his [auellanis] natura Amygdalus, tenuiore sed simili Iuglandium summo operimento: item secundo putaminis. Nucleus dissimilis latitudine, & acriore callo. [de amaris hoc verum, non de dulcibus, dal.] Hæc arbor an fuerit in Italia Catonis ætate, dubitatur, quoniam Græcas nominat, quas quidam et in Iuglandium genere seruant. Græcarum verò Nucum Cato meminit c.8. Per quas Varro l. 1. c. 6. Amygdala intelligit, vt facile colligimus ex diuersis locis, atque etiam l. 2. c. 9. cùm ait: Quidam Nucibus Græcis in aqua tritis perungunt canum aures, & inter digitos, quòd muscę & ricini, & pulices soleant (si hoc unguine non sis vsus) eos exulcerare. item l. 3. c. 16. Apes morbidas fieri tradit, propter primores vernos pastus, vt florum Nucis Græcæ atque Corni, indeque Cœliacas fieri, atque vrina pota refici.

Amygdala Plinio.

Græca Nux

Miramur verò Dalechampium in suis ad Plin. annot. ad l. 23. c. 8. hæc Varronis loca citata ad Nuces Iuglandes referre. Nam per nuces Græcas neutiquam Iuglandes esse intelligendas ex ipso apparet Varrone, qui l. 1. c. 16. eas nominat Iuglandes, & quid per eas intelligat satis apertè demonstrat, vt ostédemus in Iuglãdis historia. Locus ubi meliùs prouenire ait Nuces Gręcas, optimè cõuenit Amygdalis. Præterea Amygdala vtilia esse aduersus muscas ricinos & pulices, verisimile est. Iuglandes sanè non florent vel Iulos ferunt cum Corno: Amygdalus autem est prima quæ floret post Cornum, & sæpe simul cum ea. Idem tamen Plin. manifestè, vbi de Amygdalarum viribus agit, nuces Græcas nuncupat.

Dalech. reprob.

Cæterùm non minor nobis occasio dubitandi quæ fuerint nuces Gręcę Columellę, quàm Plinio, quæ Catoni. Columella re rust. l. 5. vno & eodem capite, nempe nono, meminit Nucis Græcæ simpliciter: & Nucis Græcę ac Auellanę Tarentinæ (qua ratione nimirum tales facere oporteat) Iuglandis & Castaneæ: & in fine eiusdem cap. Amygdalæ. Item lib. arborum c. 22. eadem scribit quemad. & de Amygdala c. 25. Columellam tamen per Nuces Gręcas intelligere Amygdala id fortè demonstrat, quòd Palladius, qui Nucis Gręcæ non meminit, in Ianuar. tradit de Amygdalis, quæ Colum. de Nuce Græca: nempe de maceratione facienda in mulsa, & de faciendis Amygdalis nucibus teneribus. Repugnare tamen videtur, quòd hic eodem cap. scribat de Nucibus Græcis & Amygdalis, quod tamen, vt ipsi non insolens, fortassis excusari posset, si excusationem non respueret nominum diuersitas. Item quòd Palladius, vbi scribit de teneribus Amygdalis, non eundem doceat modum faciendi, nec nominet Terentinam, ac omittat Auellanam Tarentinam. Item quòd postea alio capite nempe de Nuce Iuglande doceat, quomodo Nux Iuglans facienda Tarentina. Sed rursus, quę antea ex Varrone adduximus loca facere videntur pro ea sententia, quæ statuit, Nuces Gręcas Columellę esse Amygdala. Sed de hac re doctorum esto iudicium.

Consulamus Athenæum. Carya [inquit] id est, Nuces, & Attici, & alij Scriptores communi vocabulo fructus omnes operimento duro tectos appellant: Epicharmus verò, vt nos per excellentiam Amygdalas vocat καταστρώματα κάρυα, [quidam calidas nuces interpretantur] id est, Nuces quæ pro bellarijs tostæ mensis apponuntur. Philyllius:

Nuces.

Catastrotegena nux. Calida nux

Sorba, Nuces, Amygdala.

Heracleon Ephesius scribit, & Amygdalas, & quas nunc Castaneas appellant, Nuces vocatas fuisse. Carya, id est, Nux arbor, legitur apud Sophoclem. Amygdalas Naxias Veteres celebrarunt: nec immeritò: quandoquidem in ea insula gignuntur egregiæ, vt mihi persuadeo, inquit Athenęus. Phrynichus:

Nuces. Nux arbor. Naxia.

Dentes molares omnes rupisti vt
Nec Naxiam quidem Amygdalam frangere
possim.

Herodianus Alexandrinus autor est Amygdalas dictas fuisse, quòd sub virenti cortice illatum putamen πολλὰς ἀμυχὰς, i. e. multo scarificatu sit veluti discissum atque fissum. Neutro genere Amygdalum etiam dicitur Diphilus,

Amygdala Græce dicta. Amygdala.

Bellaria, Myrti bacca, placenta, Amygdala.

Sed de vocis tono atque accentu, vbi statuendus sit, ambigitur. Pamphilus quidem censet, cùm fructum significat, vltimam syllabam graui notandam esse, vt in hoc dandi casu ἀμυγδάλη: at cùm pro arbore usurparat, eam syllabam circumflexo signandam esse, ἀμυγδαλῆ. Aristarchus æque fructum & arborem cum acuto in penultima profert. Philoxenus in vtroque significatu circumflexum addit. Eupolis:

Ναὶ μὰ τὴν ἀμυγδάλην: id est, Per Amygdalam tu me perdisti.

Aristophanes. Agedum, has ἀμυγδάλας sume, caputque tuum saxo frangito.

Phrynicus: ἀμυγδάλαι tussis remedium optimum est.

Tussis remedium.

Quidam in vltima cum graui ἀμυγδαλαί pronunciant. Typhon in opere de Atticis accentibus, fructum ἀμυγδάλην cum graui tono in vltima, & genere fœm. dixit, quod neutro τὸ ἀμύγδαλον nos efferimus: arborem autem ἀμυγδαλῆν, vltimæ sylabæ circumflexo tono adiecto, quia præter fructus intellectum, ea vox possessionem demonstret, cum illa nota & specie. ἀμυγδαλῆ namque arbor Amygdalas fructum parit, alit, fouet, & tanquam sobolem suam habet & tuetur.

Amygdalæ.

Porrò huic tam anxię accentus & scriptionis inquisitioni Athenæi optimè quadrat quod Galenus de alimentis alicubi scribit: Qui se Atticos appellant, alij fructum genere fœminino Amyg-

Athen. not.

dalas enunciari oportere contendunt: alij neutro Amygdala: ne id ipsum quidem, de quo tantopere contendunt, intelligentes, vtroque nomine apud viros Atticos scriptum esse.

Pamphilus in glossis apud eundem Athen. ait: μυκηρόβατον à Laconibus vocari καρυοκατάκτην (Nucifrangulum: qua voce vsus est Plautus, nimirum instrumentum, quo franguntur nuces Amygdalæ, & reliquæ) pro Amygdalocatacte, quia Lacedæmonij μυκήρους vocant Amygdalas.

Magna verò huius arboris æstimatio, etiam in sacris literis, & apud populum Israeliticum, quòd in hanc ipsam, Aaronis virgam siccam, ineffabili metamorphosi permutarit rerum Creator summus, vt Num. 17. legimus. Quam virgam ita floridam, Iudaicus postea populus in suis nummis, quos *siclos* vocant, designari curauit. De qua re eleganter D. Augustinus, vt omnia, in opere suo de mirabilibus sacræ Scripturæ. Aaron, inquit, virgam inserto nomine acceperat. Crastino manè Aaron virga gemmulas Amygdalini floris ostendit, quo patebat Aaron præ omnibus in sacerdotium Dominum elegisse: nec tamen in hoc contra naturam virga monstratur aliquid effecisse. Sicut itaque virga Aaron germinauit in populo Iudæorum, ita crux Christi floruit in populo Gentium. Quis autem iste est fructus quem attulit? Amygdalas, inquit. Amygdalæ fratres, nuces sunt. Qui fructus primo quidem indumento amarus est, sequenti munitur ac tegitur, tertio iumentem pascit ac nutrit. Nam quia sacramentum sacerdotale est virga nucis: icci rco arbitror etiam Hieremiam, qui vnus erat ex sacerdotibus ex Anothot vidisse virgam Nuceam.

Amygdala nux.

In Canticis Canticorum, sponsa dicitur descendisse in hortum Nucis, vbi etiam pariter cum Nucibus sacerdotalium quodammodo pomorum copiam perscribitur inuenisse. Ait scriptura: Ecce germinauit virga Aaron in domo Leui, &c. produxit frõdes & protulit flores & germinauit Nuces. Et alibi, de vnitate trinitatis & incarnatione Verbi. Virga Aaron post alterum diem inuenitur subitò produxisse flores & frondes & peperisse Nuces, &c. Virga ergo potuit contra naturam Nuces educere, Virgo non potuit contra naturæ iura Dei filium generare? Dicat igitur mihi Iudæus incredulus, quemadmodum arida virga floruit & fronduit, & Nuces protulit? Virga Aaron, Virgo Maria fuit, &c. Nux trinam habet in suo corpore substantiæ vnionem, corium, testam & nucleum, &c. Non autem intelligimus, quid velit D. August. quum ait: qui fructus primo quidem indumento amarus est, & postea lignum in testa: nam ista Nuci iuglandi potiùs conueniunt quàm Amygdalo. Nisi per amarum intelligamus non edulem corticem acerbam, quem ille καταχρηστικῶς amarum dixerit, tanquam non edulem: quanquam & tota Amygdala tenella comedatur, etiam cum extimo cortice. Sed in Theologo de re medica aut herbaria non nisi κατ' ἀναλογίαν tradente, ἀκρίβεια exacta non postulanda.

Virga nucea.

Pulchra cõparatio.

Alia comparatio.

Sciendum porrò ex D. Hyeronymo quod vbi nunc 70. Interpretes posuerant τὸ ἀμύγδαλον, ipsum verbum sit שקד Saced, quod in Hieremiæ principio est: sed ibi in Nucem versum est, hic Amygdalum, &c. vide Saced. Et placuit quidem paucula hæc & ad Amygdali encomium atque historiam facientia hoc loco in medium afferre: qui plura volet, consulat ea de re Theologos: nos quæ naturæ sunt hic potissimum persequimur.

Saced Hebr.

Arabes *Lauz* vocant tàm dulcia quàm amara Amygdala, vt est apud Serapionem. Bellun. apud Auic. *Lauzi* Amygdala conuertit: quidam etiam *Lauzi* scribunt.

Lauz Arab. *Lauzi.*

Cæterùm quod suprà de Nuce Græca obiter attigimus, hic denuò in quæstionem venit. Nam etsi Columella videatur diuersa statuisse genera, Nucis Græcæ, Iuglandis, Amygdalæ, & libro 5. seorsim Amygdalæ feracitatem prosecutus sit, per Græcam tamen Nucem tantùm Amaram Amygdalam cum intellexisse suspicatur Ruellius: Num primam (inquit) Nucem Græcam gemmascere fatetur, quod Plin. de Amygdala confirmat: qui ex iis quæ in hyeme Aquila exoriẽte concipiunt, florere primam omnium Amygdalam mense Ianuario prodidit. Martio verò poma maturescere. Eandem antequam deponatur, in aqua mulsa nec minùs dulci macerãdam Lucius censet, vt iucundioris saporis fructum, quum adoleuerit, præbeat, & interim meliùs atque celeriùs frondeat, quod de amara Nuce vt amarorem exuat intellexisse Columella facilè crederetur: nisi diuersis locis rem eandem reperat, & quidem tunc vsurpatis. Nam nisi Nucis Græcæ vocabulo Amygdalum complexus fuisset, prætermissa eius satione non explicuisset, quomodo fertilis redderetur, inquiens: Amygdala si parum ferax fuerit forata arbore lapidem adigito, & ita librum inolescere finito.

Nux Græca fuerit Amygdalum amarum.

Καρυον πικρόν Nux amara Celso, id est, amarum Amygdalum, siue Amygdala amara Rob. Const. Placotomus apud Eob. Hessum de valet. tuenda, Amygdala amara, tradit aliàs Nuces amaras dici. David Kyberus in Lexico Nucem Græcam siue Thasiam Amygdalum interpretatur.

Nux amara.

Amygdala dicitur *Schated* Hieremiæ, id est, Hebræis, autore Trago: qui addit, Catonem Amygdala Græcas nuces vocasse. Verùm ex loco suprà à nobis citato vix elicias Catonem per Nuces Græcas Amygdala intellexisse, nisi aliam habeas coniecturam. Addit verò Tragus eius verba aliquos priuatim de amaris intelligere.

Amygdala amara. Nux Græca siue Thasia. Schated. Hebr.

Quin & Cordus & Lonicerus apertè dicunt Amara Amygdala alio nomine Græcas nuces appellari.

Anguillara verò scribit per Nuces Græcas intelligi oportere Amygdala cum suo cortice, quum virent. Mirabilis verò est cum sua censura, quando ait in epistola quadam: de Amygdala Dioscoridem agere capite proprio, cap. verò de Pæonia Nuces Græcas dici: quod nec vllus vnquam ex eo nos docebit capite. Fieri potest, vt interpres priore loco Amygdala, posteriori Nuces Græcas conuerterit: Verùm quid hoc ad Dioscoridem? Posteriori loco nihil aliud de Amygdalis habet, quàm hæc verba ἀμυγδάλοις ὅμοια. I nunc, & interpretibus fide, sua licentia eandem vocem diuersimodè conuertentibus, præsertim propriam, & hoc tale significantem.

Nux Græca.

Anguillaræ.

Interpretũ licentia.

Goropius in Vertumno scribit nomen etiam Amygdalis commune esse: Iuglandes non magis nocere capiti, quàm Amygdala: qua ratione, indagari poterit inter vires Nucis Inglandis.

Goropius.

Monachi apud Mesuem de re medica & Pharmaceutica statuunt: Vbicunque simpliciter scribitur Amygdalæ, intelligendas esse dulces: ad compositionem autem Diaphœnici amaras esse capiendas. Leuin. de Biblicis plantis: Amigdali, inquit, fructus Zirzæris Amandel *Amandel*: Dulciam Amygdalarum commeatu Iacob Patriarcha filios instruxit. De Amygdalo Salomon in Ecclesiaste. Idem Iacob virgas ex Amygdalo posuit ante ouium oculos. De Aaron Virga suprà. Denique

Amygdala in sacris literis.

Herbarij

Herbarij omnes Amygdali vulgato nomine tam ad designandam arborem, quam fructum ipsum vtuntur.

Linguarum nomina. Germ. Mandelbaum: Mandlen & Mandelkernen. Belg. Amandelboom, Amandel. Gal. *Amandrier, Amandres, & Amende.* Ital. *Mandola. Mandole.* Hisp. Castil. *Almendro, Almendras:* Catal. *Amellas:* Portug. *Amendoas.* Anglic. The Almond tree. Bohem. Mandlij. Vngaricè, vt refert Clus. Mondola / amygdalus dicitur.

Differentiæ. Dulces, Amaræ. Amygdal. Cypr. Quoad differentias: autores penè omnes suprà citati, tam Græci quàm Latini, alijque dulces agnoscunt & amaras, tanquam præcipuas differentias. Aliquorum tamen diligentiâ etiam aliæ obseruatæ sunt, qualis est illa de qua Athen. scribit, præstantes nasci in insula Cypro, diuersâ ab ijs quæ alibi proueniunt figurâ: sunt enim (inquit) & oblongæ, & in summo reflexæ.

Teniæ Myceros. Amygd. lanuce rotunda. Dura. Mollis. Amara. Seleucus in Linguis scribit dulces Amygdalas à Lacedæmonijs vocari *Tenias*: ampliores verò nuces, *Myceros*: At *Amerias*. *Myceros Amygdalas* dici tradit. Gesnerus tradit, esse etiam Amygdalum, nuces rotundas ferentem: & aliam Pertico insitam, (de qua nos posteà) in horto Matthiæ Curtij.

Tragus tria facit genera: putamine duro: alia molliore: tertia amara.

Matth. dulcium plures facit differentias: magnas, paruas, mediocres, compressas, rotundiores: quarum nonnullæ durissimo integuntur operimento: aliæ fragili: sunt item quæ duplici constent nucleo. Nos & omnes has differentias obseruauimus, & in naturalium nostro thesauro etiamnum adseruamus: His adde Amygdala lanugine carentia, de quibus posteà. Amygdalæ minores vulgaribus per omnia similes sunt, quibus etiam sapore & facultatibus respondent: multò tamen, hoc est, triplo aut quadruplo minores & ad proportionem gracilem continent nucleum. Hæ, ex obseruatione Cordi, quoque duum sunt generum: vna enim amaras, altera dulces producit. Adferuntur adhuc putaminibus suis inclusæ cum Gallis Asiaticis alijsque medicamentis ex Asia aduehi solitis.

Amygdala minores. Amaræ. Dulces.

Amygdala fragili putamine. Amygdalæ fragili & flexili putamine multiplici ratione à vulgatis differunt. Primò putamen nullis foraminulis habent punctatum aut scarificatum, sed quodammodo sulcatum potiùs, cui extrinsecus venulæ albæ ex carne separata residuæ adhærent. Latitudo vncialis ferè, longitudo vncia maior, cortex quauis Iuglande aut Amygdala fragilior, cæteris tenuior, nihilominus pulchros & benè succulentos intus continet nucleos, nescio quid in ipso etiam gustu, si rectè iudicamus, à vulgatis discriminis habentes. Leuissimo digitorum pressu vel quamuis huius generis puer decennis facilè frangat, quod in cæteris vix mallei vi præstet. An hæc fortè sit Nux Græca Tarentina Columellæ? Nux tenera Amygdali Palladio. Amygdala putamine molliore dentibusq; fragili, Trago.

Synonyma.

Amygdala lanugine carentia. Lanugine carentium Amygdalorum meminit Cæsalpinus, his verbis: Amygdalorum fructus tenellus, antequam os indurruerit, cibis gratus est subacidus: laudantur in hunc vsum, qui lanugine carent & grandiores sunt: huius gratia interere solent super Prunum

Amygdala maxima. At maximi generis nuces quas habemus, duas vncias longæ, vncia latiores, Sed ad proportionem compressæ conspiciuntur, tales quoque nucleos, nempe longos & compressos continentes. Extrinsecus alicubi striata testa apparet, crista per ambitum eminenti & acuta.

Amygdala mediocria. Mediocria vncia longiora, latitudine inferiora, læuiori prædictis putamine, crista minori, obtusiorique, minùs frequentibus punctis notata, interim ventriosiora, eius generis putamus, cuius nuclei passim in officinis prostant. Huius generis geminam habemus, tam fabrè vinctam, vt nates puerili pulchrè repræsentent.

Minimi generis Amygdala, minùs reliquis omnibus compressa, sed ferè ad Cylindri rotunditatem accedentia, triplo longiora quàm lata, mediocribus quàm maximis putaminis læuore similiora, pulchellum sui generis nucleum continent.

Delectus. Post differentias locum teneat delectus. Amygdalæ tam dulces quàm amaræ probantur flauissimæ, plenæ, integræ, non confractæ nec erosæ, tamen leues, duræ & siccæ, quantum illis datum est, ob id fragiles, intus albidissimæ. Ex his dulces, sapore delicatæ, propè indicibili in Castaneam tostam & panis purissimi benè cocti qualitatem inclinantes, odore ante esum nullo, aut perquàm exiguo, inter edendum autem iucundo, quales Venetiis omni penè tempore, potissimùm circa Autumnum habentur, quo tempore nos ibi comedisse meminimus. Tales aut his fortè meliores adhuc, Monachi celebrant apud Mesuen, quando aiunt, ex dulcibus meliores esse Apulienses, quæ Ambrosinæ cognominantur, fortassis à saporis suauitate. Ex amaris, magnæ, succulentæ, integræ atque recentes præferuntur.

Ambrosinæ.

Locus. Amygdalis, vt scribit Theoph. locus gracilis, serenus atque apricus longè commodior est, (seu, vt ait Palladius, durum, siccum, calculosumque solum, coelumque calidissimum) quàm humidus, ad alendum & augendum comparatus: nam si altus sit atque pinguis, nimia pabuli vbertate lasciuientes sterilescunt: sunt tamen qui inter vites serendas censeant, tanquam innoxiam & alimento mediocri contentam, & simul quod maturè fructificet, nec latè inumbret, minimè grauem. Sed hi non rectè existimant. Vmbra enim & ferus fructuum prouentus, non tam infestant, quàm radicum vires: rapiunt enim alimentum suo amplo discursu, implexuque enecant.

Amygdalai non inter vites serendas.

Porrò in Creta horti abundant Amygdalis: In Italia familiaris est: In Galloprouincia Delphinatúque consitæ sunt planities patentissimæ: Ex quibus dulce illud oleum, quod & nobis interdum, in mensa butyri vice crudum expetitur, Lugdunum, & inde in diuersas prouincias importatur. In genere dicendo, Loca amat Amygdalus regiones que calidiores, atque idcircò vberior adolescit in insulis: presertim quæ pluuijs intempestiuis non infectantur: & ob hanc & frigidam coeli temperiem, difficulter nascitur aut fructum facit in Belgio, teste Dod. In Anglia maturant interdum nuces, autore Lob. Circa Argentinam complures sunt. Reperiuntur in tractu Rheni non paucis locis, sed primas in Germania nascentibus tribuunt in Spirensi agro natis. Camerario teste, in Germania hodie copiosè proueniunt, Laudatissimæque Landauienses. Turnerus scribit in Anglia quidem esse, sed nullo fructuum memorabili prouentu. In Alsatia haud infeliciter benè cultam prouenire nouimus. Quicquid sit præstantiores semper Germanicis Prouinciales & Narbonenses, quæ Lugduno ad nos aduehuntur, solidiores & minus rugosæ. Sic videas Geneuæ prouenientes Prouincialibus multò esse rugosiores. Basileæ paucis hortis colitur, sed tamen ad frugem interdum peruenit

Delectus à regione.

Amygdalæ syluestres. Rauuolff tradit circa Tripolim in sepibus syluestres prouenire Amygdalas, quarum fructus copiosè circumferant Mauri pauperibus diuendendos. Nos quoque Amygdalos aliquot colimus Montbelgardi sed facilè gelu castigantur, quominus ad perfectam frugem perueniant. Argentinæ vidimus apud insignem mercatorem *Amygdala tenero cortice.* Amygdala ex Italiæ Genua celata ita tenero cortice, vt facilè digitis attererentur: nos nuces plantauimus Montb. in hort. II.E.C.

Tempus. Ex his quæ hyeme, Aquila exoriente concipiunt, floret omnium prima (autore Plinio) Amygdala, mense Ianuario. Martio verò Pomum maturat. Sed de Italia sua loquitur. Sic Cæsalpinus & ipse Italus. Floret inquit, Ianuario: Martio fert matura, id est, esui apta. Mirum intra mensem matura fieri Amygdala. Placet lectio Plinij, non maturat, scribentis. Palladio & Columellæ maturant muria Oliuæ. Matura esse aliud est, teste Cic. qui lib. de senect. scribit, Poma ex arboribus si matura decidunt. Si quis tamen dicat tenellos fructus qui esui apti, dici posse maturos, per nos licet: modò concedat impropriè id dici. Si autem Plin. & Cæsalp. per maturat & matura fert, intelligunt ita matura Martio, vt decidant, id notatu dignum, præsertim quod Matth. tradit. In Apulcia Siciliaque optimè copiosissimeque florere vere, legi Augusto. Esto, Ver sit in Apulia Ianuario, vtpote regione calidissima: at Augusto demum legi ibi, cui regioni nulla Roma vel quæuis alia Italiæ ciuitas comparari queat cœli calore, nihil aliud est, quàm dicere, citiùs Romæ maturari non posse.

Circumspectè Dodonæus: Floret, inquit, eodem quo Persica tempore: subinde Iulio ad perfectionem perueniunt Amygdala. Florentem nos vidimus Monspelij Ian. & Feb. vbi abundant dulces pariter ac amaræ: Patauij & Lugduni Feb. & Martio: Geneuę April. principio: & ita Basileæ, aut Martio, si mitius sit cœlum veris: aut Aprili, si secus. Ita vides pro climatum diuersitate variare florendi tempora, quod nunc semel pro semper (vt aiunt) dictum esto. Flores Patauij vsque adeò Pomorum floribus similes obseruauimus, vt facilè eis, qui priùs non viderint, imponant, nisi tempus florendi diuersum, & cortex Persicorum cortici similis, discriminarent. Omnia verò Amygdala puluinati calycis operimento tamdiu obtecta manent, quoad maturescant: tum demum abiiciunt, haud secus ac Iuglandes, id quod Autumno locis minus calidis fieri solet. Florem paulò pòst excipiunt folia, Salicis haud admodum dissimilia.

Porrò Amygdalæ, etiamsi non pluat, dummodo aer Austrinus nubilusque sit, amittunt & flores, & primos fructus, si in flore vel pòst inciderit, autoribus Theoph. & Plinio.

Satio. Nunc de satione & cultu aliquid dicendum. Magus apud Plinium Amygdalas ab occasu arcturi ad brumam seri iubet. Idem & Græci tradunt: nam verno satu difficilius comprehendit, quod arbos ea præcoci partu germinet. Pangitur aduliso ramulo, viuiradice, & semine. At autore Palladio, seritur Ian. & Feb. Item locis calidis Octobri & Nouembri semine & plantis, quę de maiori radice tolluntur. Sed in hoc genere arboris nihil vtilius est, quàm seminarium facere. Nuces verò quę seri debent, pridiè liquido fimo macerantur; alij aqua mulsa madefaciunt, in eaque noctem tolerare patiuntur, ne germen extinguat mollis moreacitas. Cacumina in terram rectè figuntur, sic vt *Vt degeneriores nascuntur.* lignosior pars sursum spectet. Tradunt vegetiores enasci, si in scrobiculos, quibus eleruntur, letula coniciatur. Sed ipsa Amygdala, ad ponendum, & noua legamus, & grandia. Surculos qui vel arbori vel terræ credatur, præcipiè Paxamus è media arbore, non summatim legendos nonnulli tamen ramulos qui de cacumine sumerentur, non infelici successu deposuerunt.

Nux Græca quando serenda. Nucem græcam Columella circa Calendas Februarias, quæ prima gemmascit, seri iuber, in agro duro, calido, siccoque: nam in locis diuersis si nucem deposueris inquit, putrescit. Antequam nucem deponas, in aqua mulsa, nec nimis dulci macerabis, ita iucundioris saporis fructum, cùm *Vt iucundior fiat fructus. Serendi modus.* adoleuerit præbebit, & interim meliùs ac celeriùs frondebit. Ternas nuces in trigonum statuito, & nux à nuce minimè palmo absit, & anceps ad Fauonium spectet. Omnis autem nux vnam radicem mittit, & simplici stylo prorepit. Cùm ad scrobis solum radix peruenit, duritia humi coercita recuruatur, & ex summo duorum ramorum ambas radices emittit. Nucem Græcam aut Auellanam *Nux Græca & Tarentina satio.* Tarentinam hoc modo facere poteris. In quo scrobe destinaueris Nuces serere, in eo terram minutam pro modo semipedis ponito, ibique semen Ferulæ repangito. Cùm Ferula fuerit enata, eam findito, & in medulla eius sine putamine NucemGræcam aut Auellanam absconditio, & ita adobruito. Hoc ante Cal. Mart. facito vel etiam inter Non. & Id. Martii.

Magus, autore Plinio, operosus est. Amygdalis in argilla molli meridiem spectante seri iubet: gaudere & dura calidaque terra: in pingui aut humida mori, ac sterilescere. Serendas quàm maximè falcatas & è nouella, fimoque diluto maceratas per triduum, aut pridie quàm serantur, aqua mulsa. Mucrone defigi, aciem lateris in Aquilonem spectante: Ternas simul serendas triangula ratione, palmo inter se distantes: denis diebus (decimo quoque die) adaquari donec grandescant.

Ne degeneret. Cultura. Cæterùm nihil æquè degenerat quàm Amygdalus: nam neglecta, amara efficitur: nam principio alterato, finis quoque alteratio sequitur: hinc quoque fit vt neglecta in syluestrem transeat, autore Theophrasto. Hoc cauebis si paxillum (σφῆνα) vel clauum ligneum potiùs adigas, lachrymamque diutiùs defluentem auferas reliquumque cultum impendas.

Amygdalam etiam, dum fructum parit, neque rigandam, neque stercorandam, præterquàm aridis, neque purgandam, neque vlla cura tractandam existimant, sed ab omnibus iis abstinent, ne plus æquo validior reddita fructum in flore amittat. *Ne Amygdalus fructum flore amittat.* Quamobrem agrum quoque minùs pinguem quærunt, & si post hæc fructum parere non possit, radices nudas ac detectas hybernis frigoribus abiiciunt, & reliqua coercendi (καὶ κολάσεως) genera, ac imminutiones, quas diximus, adhibent. Bonum erit in hoc casu interdum nimiam quoque nutrimenti vbertatem detrahi: Nam omnino his ferè duobus remedij generibus indigent Amygdali, vt vel detracto nutrimento, vel ablaqueatione castigentur.

Ne degeneret. Alij quoque ne degeneret Amygdalus, sæpiùs transferri, aut adultam inseri præcipiunt. Nam vt idem Theoph. prodidit Thasij Amygdalas adultas inoculant. Ex mollibus enim prædurę post satum redduntur: quod idem vel in reliquis *Insolatio ne caueatur. Nux ex mollibus fiant dura.* Nucibus fieri potest.

Mense Decembri, vel Ianuario, circa Idus Amygdalus inseritur, locis verò frigidis & Februario, autore Palladio. Si tamen surculos condias, ance-

antequam germinent, vtiles sunt, qui de summitate sumuntur. *Modus.* Inseruntur & sub cortice, & in trunco. Inseruntur in se, & in Persico: quidam & Pruno inserunt. Palladius.

De Amygdalo insitione.

Phillis odoratos primaeuis floribus artus.
Desessis Pruni cortice fixa tegit.
Pomaque permutat velamine Persica misto,
Duritiemque docet tegminis esse loco.
Id modicam tornat siliqua tendente figuram
Et frondes pulchro ditat odore feras.
Castaneámque trucem depulsis cogit echinis
Mirari fructus, leuia poma sui.

Inseritur Castanea.

Vt ferax fit. Amygdalus si parum ferax erit, forata arbore lapidem adiicito, & ita librum arboris inolescere sinito Columella. Copiosiorem fructum dari adfirmat Theoph. si ferreus palus adigatur arbori, impressoque foramini querneus inseratur paxillus quo modo in eam animaduerti volunt, perinde quasi arbor iniuria lasciuiat. Palladius tedæ cuneum terebratę radici immergere suadet, in eundem finem.

Aduersus gelu. Locis frigidis vbi metus est de pruina, Martialis dicit hoc remedio subueniri. Antequam floreant radices nudãtur, & albi lapides minutissimi mistis arenis congerũtur, & vbi iam tempus videbitur, vt debeant germinare, effossi iterum lapides submouentur.

Vt fiant tenera. Et fiant ex amaris dulces. Teneras nuces Amygdalus creabit si antè florem radicibus ablaqueatis per dies aliquot calida aqua ingeratur. Ex amaris dulces fiunt, si circumfosso stipite tribus digitis à radice fiat cauerna, per quam noxium desudet humorem: vel *Alius modus.* medius truncus terebretur, & cuneus ligni melle oblitus imprimatur: vel si circa radices suillum stercus, vel vrinam affundas. Idem tradit Africanus. *Alius.* Theophrastus verò palo denso humorem nimium & abundantem educi iubet, sed ea lege ac omine ex amaris dulces euasuras, si id biennio aut triennio facias. *Alius.* Plinius circumfodi tantùm iubet, & ab ima parte circumforari, vt defluens pituita abstergeatur.

Vt amarescant. Amarescunt si à pecore rodantur, ideò ab ijs seruandæ, qui istud nolit.

De seminarijs Amygdali. Cùm in seminario Amygdala disponimus, si siccitas intercesserit, ter in mense rigemus, & herbis nascentibus circunfodiendo sæpè purgemus. Terra seminarij lætamen debet habere admistum.

Quando putanda. Putandæ sunt Nouembri mense, vt superflua & arida, & densa tollamus.

Vt si ferax. Democritus alium modum præcipit, si ferax non sit Amygdalus, nempe tedæ præpinguis adactum terebratæ radici cuneum, infuso priùs humano lotio mergere.

Vt Amygdala inscripta nascantur. Græci asserunt, & inter eos idem Democritus nasci Amygdala inscripta, si aperta testa nucleum sanum eximas, & in eo quodlibet scribas, & inuolutum luto & suillo stercore charta re-ponas. Sed satis de Cultura & Mangonio.

Repositio. Amygdala, vt Florentinus & Palladius tradunt ad legendum maturitatem fatentur, cùm fuerint spoliata corticibus. Hæc sine cura hominis seruantur in longum: si difficulter corium dimittẽt, paleis obruta continuò relaxabunt. Item decorticata, si aqua marina lauemus, aut salsa, & candida fient, & plurimùm durabunt. *Vt diu durent.*

Vires & vsus. Amygdalæ, autore Hippoc. æstuosæ sunt, verùm probè nutriunt. Aestuosæ quidem sunt propter pinguedinem: nutriunt autem propter carnositatem.

Amaræ vires. Macula faciei. Dioscorides: Amygdalæ amaræ radix, si trita decoquatur maculas in facie à Solis ardore cõtractas tollit. Ipsa quoque Amygdala illita eadem præstant: apposita verò menses cient, & capitis doloribus auxiliantur, fronti temporibusque inducta cum acero & rosaceo. *Menses. Cap. dolor.* Valent & ad epinyctidas (seu pustulas nocturnas) ex vino, itemque *Epinyctides* ad putrescentia vlcera, herpetas canúmque morsus cum melle. *Vlcera. Herpetas. Canum morsus.* Porrò comesta dolores adimunt, *Dolor.* aluum emolliunt, somnum faciunt, vrinamque cient. *Aluus. Somnus.* Prosunt etiamnum ad sanguinis reiectionem, si cum Amylo & mentha sumantur. Ex renibus verò & pulmonum inflammatione laborantibus, conferunt cum aqua pota, aut in eclegmate cum resina therebinthina. *Vrina. Sanguinis Reiectio. Pulmonum inflammatio.* Vrinæ difficultate affectis atque calculosis in passo opitulantur: itémque eclegmate cum melle & lacte hepaticis, tussi, & coli inflationibus, Nucis auellanæ magnitudine. *Vrinæ difficultas. Calculus. Hepatica. Tussis. Colica.* Quinæ senæue si præsumantur, ebrietatem arcent. *Aduersus ebrietate.* Enecant & vulpes cum quapiam esca deuoratæ. *Vulpibus venenum.*

Gummi vires. At gummi ipsius arboris adstringit, calfacit, & contra sanguinis reiectionem potum auxilio est: *Sanguinis reiectio.* cum aceto verò illitum, impetigines in summa cute tollit. *Impetigo.* Tussi diuturnæ cum vino diluto potum medetur: *Tussis.* calculosis verò cum passo bibitum prodest. *Calculus.* Cæterùm dulcis & cibo idonea Amygdala, quantùm ad efficaciam spectat, multò quàm amara est inferior: *Dulcis vires.* attamen & ipsa extenuandi, vrinasque ciendi vi pollet. *Vrina.* Amygdalæ verò quæ virides cum suo putamine deglutientur, humida stomachi vitia emendant. *Amygdala viridis cum putamine.*

Amygdalini olei amar. parandi ratio. Olei Amygdalini parandi rationẽ idem Diosc. hanc tradit, quod aliqui Metopion vocant: Amygdalarum amararum repurgatarum & arefactarum choenices quatuor in pila ligneo pistillo leuiter in offam contundito, affusisque aquæ feruentis heminis duabus sinito semihoræ spatio humorem imbibere, tùmque postea maiore vi terito, ac deinde tabellis comprimens exprimito, quódque digitis hæserit concha excipito. Tandem magmati iterum aspersa aquæ hemina, quam combibere sineris, idem facito. Singulas porrò heminas reddunt quaterni choenices. *Olei Amygdali vires.* Est autem efficax contra vuluarum dolores & strangulatus, ac eorundem locorum tum conuersiones tum etiam inflãmationes: *Dolor vuluarum.* itemque ad capitis dolores, auriumque ægritudines, sonos incertos atque tinnitus. *Dolor capitis. Auriũ morbi.* Iuuat & vitijs renum laborantes, ægrè meientes atque calculosos, suspiriosis item lienosisque prodest. *Vrina difficult. Calculus. Asthma. Lienis obstructio.* Quin & maculas tollit è facie, à Sole vstis medetur, & cutem erugat, admixtum melli, Lilij radici, ac Cyprino rosaceóue cerato. *Macula faciei.* Hebetem etiam oculorum aciem emendat: *Visus.* denique vlcera quoque manantia & furfures cum vino expurgat. *Vlcera. Furfures.* Plinius ferè eadem tradit quæ Diosc. addit tamen quędã vel de suo, vel ex alijs exscripta. Amygdalæ (inquit) amaræ radicum decoctum colorem hilariorem facit. *Radices ad faciem.* Nuces ipsæ somnum faciunt & auiditatem. *Somnus.* Vrinam & menses cient. Capitis dolori illinuntur, màximeque, in febri: *Capitis dolor.* Si ab ebrietate ex aceto & rosaceo & aquæ sextario. Et sanguinem sistunt cum Amylo & Mentha. Lethargicis comitialibusque prosunt capite peruncto. *Lethargus. Epilepsia.* Epinyctidas sanant: è vino veteri vlcera putrescentia. *Vlcera.* Canum morsus cum melle. *Canũ morsus.* Et furfures ex facie, antè fotu præparata. Item iocinoris & renũ dolores ex aqua potæ; & sæpè ex eclegmate cum resina terebinthina. Calculosis & difficili vrinæ in passo, & ad purgandam cutem in aqua mulsa tritæ, sunt efficaces. *Cutis.* Prosunt eclegmate iocinori, tussi, & colo cum Elelisphaco modicè addito. In melle sumitur Nucis auellanæ magnitudo. Aiunt,

Vulpium venenum. Dulcium vsus. purgant. Nuces Græcæ. Morbus regius. Vitia sedis. Olei vires. Purgat. Vari. Vermiculus aurium.

quinis ferè præsumptis, ebrietatem non sentire potores: vulpesque, si ederint eas, nec contingat è vicino aquam lambere, mori. Minùs valent in remedijs dulces, & hæ tamen purgant, & vrinam cient. Recentes stomachum implent. Nucibus Græcis cum Absinthij semine ex aceto sumptis, morbus regius sanari dicitur: item illitis per se vitia sedis & priuatim condylomata. Idem tussi & sanguinis reiectionis prosunt.

Idem Plin. de Oleo Amygdalino has tradit vires. Oleum Amygd. purgat, mollit corpora, cutem erugat, nitorem commendat, varos cum melle tollit è facie. Prodest & auribus, cum rosaceo & melle, & Mali Punici germine decoctum, Vermiculósque in his necat, & grauitatem auditus discutit, sonos incertos & tinnitus, obiter capitis dolores & oculorum. Medetur furunculis, & à Sole vstis cum cera. Hulcera manantia & furfures cum vino expurgat: Condylomata cum meliloto. Per se verò capiti illitum, somnum allicit.

Dolor cap. & oculorũ. Vlcera. Condylomata. Ad somnũ. An Amygd. amara sanguinem sistant. Contra Plin. & Diosc.

Vt verum fateamur, non placet, quod scribit Plin. Amygdalas amaras sanguinem sistere: quod multò minùs existimamus fieri addita Mentha, vt ille vult, quamuis idem quoque sentiat Diosc. In vtrisque enim nulla astrictio aut frigiditas, sed calor & facultas aperiendi. Quod si sanguinem sisterent, ea probandæ essent in canum morsibus: nec vtiles essent in obstructionibus.

Vlcera pudendi.

Hippoc. l. 1. de morb. mul. Si prægnanti pudenda superficiario ac feruido vlcere affecta sint, Amygdalas tritas & medullam bubulam cum aqua coquere præcipit, & modica farina addita pudenda illinire, & aqua coctis Myrti baccis perluere. Idem l. 2. ad tussim ex præfocatione vteri præscribit Amygdalas amaras depurgatas.

Tussis ex præfoc. vteri.

Ephelis.

Amygdala inquit Gal. quæ palam amara sunt, omninò extenuãdi vim possident, Ephelin expurgant & excreationibus ex pectore pulmoneque crassorum lentorumque humorum impendio conferunt. In iecore crassorum viscosorumque humorum in extremis vasis impactorum obstructiones abunde expurgant expediúntque. Quin & laterum dolores ab huiusmodi causa natos, & Lienis, & Coli & Renum. Porrò & ipsa arbor vniuersa similem sortita vim est. Nam huius radices coctæ atque illitæ ephelides purgant. Quotquot verò sunt Amygdala dulcia, & ipsa leuiculam amaritudinem possident, quæ tamen dulcedine superante occultatur: cæterùm id temporis spatio clarum fit. Qualitas autem dulcis moderatè calida est.

Obstructio iecoris. Laterum dolor. Et dulcia aliquã habere amaritudinem.

Nulla adstrictio.

Idem alibi, Amygdalæ, inquit nihil prorsus habent facultatis adstringentis: sola enim tenuandi facultas ac detergendi in eis præpollet, quâ tùm viscera purgant, tùm humores è pulmonibus ac thorace sputis expectorant. Quædam autem ipsarum facultatem habent succos crassos ac lentos incidendi adeò exuperantem, vt mandi præ amarore nequeant: oleosæ tamen ac pinguis qualitatis, vt Nuces, participes: cuius causa, & ipsæ procedente tempore fiunt, vt illæ, oleosæ. Minor tamẽ eis inest hæc qualitas, quàm in Nucibus: quo fit vt tardiùs, quàm Nuces, oleosæ fieri cernantur. Ex ijs sanè intelligi potest, quod neque ventri subducendo conferunt, neque corpus multùm nutriunt. Quæ verò qualitatem amarã habent præpollentem, eæ ad pus & succos crassos ac lentos ex thorace & pulmonibus expuendos plurimùm conferunt.

Ventrẽ non soluunt. Non multũ nutriunt. Sputum.

Rursus alibi: Amygdalæ amaræ Mundificant & tenuant, & aperiunt oppilationes hepatis, & adiuuant ad spuendam humiditatem ex pectore & pulmone.

Stiptica.

Et de simpl. med. Galeno attributo opusculo hæc leguntur: Amygdala est & suauis & amara, & vtraque viribus stiptica: magis tamen sunt in vsu medicinæ, & optiores amaræ, eò quòd subtiles magis. At paullò antè ex eodem Galeno traditum nihil planè adstrictionis habere amygdala: ex quo patet librum hunc esse spurium, non genuinum Galeni. Hunc posteriorem locum sequuti Germani plerique falsò sibi persuadent Amygdala ventrem stringere. Eóque res venit vt mulierculæ medicastræ, quæ hoc à non multò se doctioribus hauserunt annulatis togatisq; pecoribus, ignorantiæ ausint insinuare ipsis contrariũ persuadere conantes: sed mundus vult decipi, decipiatur ergo.

Lib. de simpl. med. non est Galeni. Vulg. Germanorum error.

Porrò quod de facultate Amygdalarum aduersus ebrietatem suprà ex Plinio & Diosc. adduximus, quia id non parum momenti apud quosdam potatores habere videtur, sciant, si in sua arte confirmari velint, eiusmodi effectus causam esse amaritudinis vim exiccantem, & humiditatem discutientem, vtj vult Plutarchus in sympos. lib. 1. quæst. 6. quo loco refert apud Drusum Tiberij Cæsaris filium Medicum quendam, (nimirum voluit ex arte bibere) qui alios omnes subinde bibendo vincere solitus erat, antequam potaret, quinque sexúe Amygdalas edentem fuisse deprehensum: ac deinceps id facere prohibitum, à vino facillimè superatum fuisse, immò ne tantillùm quidem ad compotationem perferendam valuisse. Bellum verò mehercle Medicum, qui quod naturæ contrarium deprehendit, ne arte destitutus videretur, arte comparandum, vel sanitatis morumque adeò iacturâ, non dubitauit. Vtinam non essent hodie, qui ne Amygdalis quidem ad eam rem egerent. Eandem historiam ex Plutarcho citat quoque Athen. qui tradit præsumptas Amygdalas bibendi appetentiam summopere excitare. Eupolis:

Ratio cur Amygdala ebrietati resistant. Medicus potator artificiosus citatur.

Da quas manducem Naxias Amygdalas:
Da vinum quod bibam è vite Naxia.

Naxia.

Ipse quoque Diosc. in Eupor. mulsam Amygdal. amararum Cyathi vnius mensura ebrietatem arcere tradit. Nouimus tamen, qui amuletum illud aduersus ebrietatem in vsu habentes, nihilo secius à Baccho obruuntur, ac nimia sui remedij fiducia decepti, ita prosternuntur, vt nec manus nec pedes suo ampliùs fungi possint officio: vt cogitare necesse sit:

Experimentum contrarium.

Vicisti tandem Bacche, Vicisti.

Diocles apud eundem Athen. scribit nutrimenti multùm Amygdalas suppeditare (hoc sup. Galenus negauit) iucundas esse ventriculo, calfacere, quia oleosum quippiam habeant: τὸ ἐλαιῶδες. Sic legit Ruellius. Quidem legunt βρογχῶδες: alij χνοχρῶδες: alij ἐσσυγῶδες. Ruellium sequitur Dalech. quamuis certum sit, vt idem quoque annotat, illos qui plurimùm nucibus vtantur, raucescere, humectata illarum pingui liquore tunica interiore gutturis. Amygdalarum tamen minùs operosa coctio est. Quamobrem citra noxam multas edimus.

Lectio apud Athen. varia.

Diphilus scribit, Amygdalas attenuare, prouocare lotium, purgare, parum nutrire: recentes ac virides prauum succum gignere, & eum pauciorem: siccas autem inflare & innatare magis: teneras, plenas, albas, lacteas meliorem succum gignere: ex siccis Thasias & Cyprias, quia sunt teneriores promptiùs excerni.

Purgant. Parum nutriunt. Vrinam cient. Thasia & Cypria.

Mnesitheus Atheniensis libro de edulijs, scribit: Amygdalas & Nuces Persicas castaneis esse deteriores, ex his tamen & cæteris cunctis nucum generibus in vniuersum edendum nihil esse

quod

quod non sit igne coctum, præter virides Amygdalas. Siccas enim pingues esse, quarum nocentissimam pinguedinem absumat ignis. Cæterùm Diocles scribens nutrimenti multùm Amygdalas suppeditare, cum Galeno, dicente, non multùm nutrire, sic conciliari potest. Parum nutriunt, si comedantur cruda cum cute nucleum immediatè integente, & non optimè masticata: vsque adeò compacta & densa eorum substantia est, vt obseruauerimus in multis portiones Amygdalarum deuoratarum, ac dentibus non benè attritarum, integras reiectas. Optimè verò tritas, vt teruntur pro lacte Amygdalino & aliis cibis ac ἐμβάμμασι, facilè crediderimus cum Diocle posse multùm alimenti suppeditare.

Mnesitheus quoque fortassis considerans incoctas reiici Amygdalas, dixit eas, & Nuces Persicas Castaneis esse deteriores. In Castaneis sanè pulpa non ita solida & cõpacta: nec obseruauimus vnquã incoctas frustulatim reiectas vt Amygdala.

Simeon Sethi eadem ferè de viribus quæ Dioscor. & Plin. habet: Is tradit modicè calidas esse, satis nutrire, attenuare & incidere. Amaras dulcibus esse calidiores: ebrietatem eius dici auertere. Oleum Amygdalarum dulcium, quod eadem ratione vt amararum exprimi potest: (modũ familiarem docebimus postea:) modicè & temperatè calidum esse: iecoris obstructiones aperire & auertere: Pulmoni etiam & pectori vtile esse, quod postremum nostra experientia multorum commodo sæpissimè exploratum.

Serapio ex Aben Mesuai, foliorum & florum Amygdalæ expressorum succum epotum ascarides cum purgatione deturbare scribit. Eodem colluta inguina fœtorem amittere, iniectum auribus necare vermes. Oleum nucleorum (subaudi amararum) conferre dolori aurium frigido, & morbillis conferre illitu.

Mesues Oleum Amygdalarum dulcium magnis extollit laudibus, asperitatem gutturis, pulmonis, & partium cæterarum etiam externarum lenire, duritiem omnem ac siccitatem iuncturarum & partium aliarum emendare: impinguare, conferre hecticis, semen augere, ardorique vulvæ & vrinæ iniectum commodare. Et est sanè medicamentum verè ἀνώδυνον, & ad multa efficax, blandum, gratum, & velut quidam typus aliorum oleorũ generis eiusdem: scimus quid possit in colico dolore, ab induratis fæcibus, ab humore acri,: in quibus tuto & maximo successu multoties exhibuimus. Sed recenter oportet esse expressum: datur ab vnciis tribus ad libram semis plùs minùs, vel per se, vel cum iure carnium. In constipata aluo, mite, tutum & probatum experimentum, etiam renum dolore diuexatis. Est etiam insigne anodynum, & vnicum propemodum infantium medicamen.

Olei Amygd. amar vires. Idem Mesues oleum Amygdalarum amararum tradit obstructa aperire, flatus resoluere & dissipare, etiam in aurium tinnitu, & eiusmodi aurium morbis, asperitates lenire, neruorum mulcere dolores, duritiem mollire, panum faciei delere. Auicenna scribit pilulas fieri ex Amygdalis &
Pilula ex Amygd. ad famem. oleo Amygdalino ad famem diu tolerandam. Illud consideratione dignum, quod apud Auic. legitur gummi Amygdalæ adstringere & calefacere, quod nobis quidem vero minùs consentaneum videtur, quamuis in eo ipsum adeò Dioscoridem secutus videatur. Facilè concesserimus adstringere per accidens, nempe glutinando, viscido liquamine in humore aliquo dissolutum,

quâ ratione dysentericis quoq; prodesse putamus. Sed de hac re doctiorum esto iudicium, aut quibus est in hac re aliqua experientia.

Non omittendum quod Trallianus tradit Amygdala & Pistaciæ in hepaticis dysenteriis caueri debere, eò quod facilè corrumpantur, & oleosa sint, promptéque in bilem mutentur, & excrementum asperius reddant, vt hinc venter magis, crebriúsque irritetur. Idem alibi præcipit de purulentis: si aluus non sit citata succum Amygdalarum, sin autem sit citata nihil prorsus de iis exhibendũ. Quo sanè loco, (quamuis & alios iam suprà ex Diosc. & Plinio citauerimus huc facientes) facilè refutare possis nostrorum Germanorũ, opinionẽ qui existimant adstringi aluum vsu lactis Amygdalini. At nos vix existimamus concedendum Tralliano in hepaticis Dysenteriis caueri debere Amygdalas, eò quòd facilè corrumpantur & oleosæ sint, promptéque in bilem mutentur. Nobis enim videtur ea quæ difficulter concoquuntur, non facilè corrumpi & in bilem mutari. Nec oleositas tanta est in Amygdalis non rancidis, quæ id præstare possit. Cremor quidem eorum facilè acescit, si loco reponatur calido: non propterea in bilem vertitur. Sunt tamen qui moti autoritate Auic. dicentis Amygdalas ob suam vnctuositatem commouere choleram, sibi persuadent non tutum cremoris Amygdalini vsum febricitantibus, & iis qui stomachum biliosum habent, facilè inflammari, mittere ad caput vapores, vulnerato capite his non vtendum, excitare dolorem capitis. Nos in cremore vnctuositatem illam non obseruauimus, nec quicquam nocumentorum iam dictorum, licet in febribus & calidis morbis sæpè vsi simus, & vtamur ipsi in dies, etiam in nostro corpore. Quod si etiam vel tantillum eiusmodi vitiorum iis inesset; aqua vel simplex, vel hordei decoctum, quo cum parari iubemus, id facilè emendat. Sed diligentibus medicis ista deinceps curiosiùs examinãda relinquimus: quæ ipsi obseruauimus, annotamus & in publicum conferimus: aliorum obseruationes non spernentes, si ratione & experientia confirmentur. Ridenda profectò & eorum sententia, qui lacteum cremorem è dulcibus Amygdalis parari solitum dari minimè debere anhelosis cæterísque pectoris & pulmonum vitiis laborantibus contendunt, quòd falsò sibi persuadeant cremorem hunc omninò adstrictoriæ facultatis non obscurè esse participem. Amygdalarum in cibis vsum genitale augere semen volunt, quod profectò vix alia fieri queant ratione, quàm quòd multum nutriant eà quà suprà dictum ratione est. Etenim semen excrementum benignum vltimi alimenti. Nam nec magno acriue calore, nec flatulenta qualitate (quæ duæ etiam causæ semen excitare & stimulare solent) illud præstari certum est.

Tragus Amygdalis adstrictionem non tribuit quidem, sed tamen addit. Amygdalæ in cibo vsurpatæ præsertim si pultes ex iis conficiantur, adhibita aqua, in qua candens Chalybs extinctus fuerit, aluum lubricam adstringunt: At id nos Chalybi tribuimus non Amygdalis. Succus Amygdalæ amaræ expressus coxendicum dolores lenit, teste Sereno.

Amygdalis, inquit Matth. plerique vtuntur & ad roborandam venerem; & ad reficiendas vires, quamuis Galenus non multùm alimenti suppeditare scribat. Ægrotantibus nutricibus, Amygdalino lacte, cum aqua cardui benedicti extracto dies aliquot infantes sustentari possunt. Amyg-

Margin notes (right): *Cautio. Alia Cau.* — *Germanorum error denuo refutatur.* — *Cur Amygdala semen augeant.* — *Qua ratione adstringant Amygdala.* — *Ad Venerē. Ad Vires.*

Margin note (left): *Adstr. vir.*

dalæ dulces masticatæ gingiuarum dolores tollunt.

Virides Amygdalæ. Earumque vires.

Virides Amygdalæ, suo integro operimento, comestæ, vt tradit Amatus, bonum faciunt stomachū, & illū ab humiditate emendant. Quia verò Hipp. æstuosas dicit ob pinguedinem, ideo Auic. dixit

Cautio.

sanè earum commouere Choleram ob suam vnctuositatem: ad quod aduertant (inquit Amatus) qui indiscretè febricitantibus Amygdalatum porrigunt, aut saltem ijs qui stomachum biliosum habent, ne magnum adferant ægris nocumentum. Sed de hac re paulò antè iudicium nostrum diximus.

Dulces Amygd. Oleum.

Dulces Amygdalæ, teste Turnero, cerebri substantiam augere creduntur, macilentis vtiles. Earum oleum ad Conuulsionem à siccitate laudatur: amararum verò oleum, vno gradu, eo quod ex dulcibus exprimitur, calidius est, accommodum auribus obstructis, flatu distentis crassiusculo, tinnientibus, surdastris, verminantibus. Experientiâ compertum est, hoc oleum præ cæteris omnibus oleis, auribus esse conuenientissimum. Amygdala amara, sumpta cum vino dulci, vt muscatellino, aut arte facto, quod *Bastard* Galli vocant, vrinam prouocat, ac vrinæ difficultatem tollunt, prosunt laborantibus calculo & arenulis, teste Dod.

Aurium obstructio. Tinnitus.

Vrina difficultas Calculus.

Lacuna refert Amygdala dulcia difficulter coqui à ventriculis debilibus, mittere ad caput vapores, ideoque reprehensione dignos esse medicos, qui in omnibus naturis & morbis ægris præscribunt Amygdalatum, quòd facilè inflammentur, nisi admisceantur semina Melonum aut Cucurbitarum & papaueris. Nos verò Lacte seu emulsione Amygdalarum dulcium ex decocto Hordei deglubiti, in calidioribus affectibus pro potu vtimur: Addimus etiam interdum semina Cucurbitæ ac Melonum, etiamque papaueris albi & lactucæ, si vigiliæ vrgeant.

Quorundā error.

Bruerinus de re cibaria: Mirum, ait, cur obesiores fieri vescentes Amygdalis nonnullis sit traditum, cùm leuiter alant. Sed mirari desinet, si cogitauerit tales vel esse famelicos & proinde firmo stomacho, vel sanè in quæstione adhuc esse vtrumque ab eo positum: vel denique Amygdalas non primariam esse impinguationis causam, neque simpliciter verum esse, leuiter alere, quamuis Gal. id scribat. Sunt enim & multi alij, qui contrarium statuunt.

Cautio.

Paræus in sua Chirurgia, in fractura capitis non vult læsos vti Amygdalato, dicens Amygdala excitare dolorem capitis. De hoc quoque antè dictum. Nec videmus, qua id ratione fieri queat. Sæpe accidenti alicui hęc vel illa assignatur causa, quæ nihil minùs quàm eius causa est. Ratio inspicienda, non negligenda experientia, si cum aliqua ratione coniuncta sit. Alioqui ne experientia quidem fuerit.

Harchius in suo Enchiridio Amygdalarum viresquasdam paucis versiculis complectitur:

Decoctum faciem decorat capitisque dolores
Sanat, at insessu menstrua pigra ciet:
— — — — — — Conciliant somnia fructu.

Quoniam verò compositionum aliquot in his Amygdalarum viribus meminimus, placet præcipuas aliquot hic in gratiam studiosorum adijcere.

Eclegma ex Amygdalis eiusque vires.

Prima sit Eclegma illud Mesuei, phthisicis saluberrimum: sed etiam hecticis & aliter consumptis, quod, & tussim lenit, ac intemperiem multùm siccam pulmonis & thoracis, & tussim inde siccam. Recipit autem Amygd. dulcium & amar. seminis lini torrefacti, nucleorum pineorum, anisi, tragacanthi, gummi Arab. sicci & rad. glycyrrhizæ ana drach. vnam & dimid. sacchari, penidior. ana drach. tres: excipiantur mellis & succi fœniculi simul coctorum quantitate sufficienti.

Marcipanis.

Ex Amygdalis & Amylo Seplasiarij hodie delicatis, & deliciarum mancipijs placentas, *Marcipan* vulgò vocant, conficiunt, quas consultiùs erat ægris exhiberj, quàm nocturnis compotationibus, quod ferè fieri solet, instruire. Meliores his delicatiorésque fiunt ex Amygdalis cum saccharo & aqua rosata. Tabidis conuenientissimum est sequens.

Alius.

Alius ad Tabem.

Amygd. dulcium excortic. vnc. ij. pinearum vnc. ij. passul. enucleat. & decorticat. pulpæ dactyl. ana vnc. j. & ß. gummi arab. & trag. ana drach. j. Amyli vnc. ij. pulpæ capi elixi vnc. iiij: fructus macerati cum aqua cum reliquis tundantur, & saccharo paulatim asperso fiat massa: indeque cuiusq; figuræ panes sensim siccandi. Addere potes & semina cucurb. & melonum cum semine papaueris si magis refrigerare voles. Præstans quoque est Pasta regia Mesuei ex ijsdem parata: Nec tamen dicenda, ne potiùs ad pompam, quàm ad studiosorum compendiū & historiæ huius gratiam id præstitisse videamur, Videat apud ipsum, qui volet. Lubet tamen Lactis Amygdalini modum docere, propter exoticos, ad quos fortè hæ nostræ lucubrationes, si Deo ita visum fuerit, vt mereantur, peruenient, apud quosque fortè non est in vsu.

Lactis Amygdalini præparatio.

Amygdal. dulcium à cuticula purgatarum, (quod fit aqua tepida, non feruente, ne oleosa substantia prouocetur in actum, sicque lac non benè album fieret) quantùm voles, vnc. iij vel iiij: addi possunt semina melonum & cucurbitarū, itidem decorticata ad vnc. j. sem. lactuc. & papau. albi (præsertim si refrigerare magis voles, somnūue placidum, non violentum, quod fit opiatis, accersere,) singul. drach. j. vel ij. contundantur in mortario marmoreo, quod omnium optimum ad hanc rem, sensim affusâ aquâ coctâ, aut decoctionis hordej, vel etiam sero lactis, pro ratione scopi, traijce per linteum, & in loco frigidiusculo reserua: nam citò acescit. Possis & cū solo hordeato & Amygdalis parare.

Amygdalatum.

Hæc quæ sequuntur desumpta ex Gesn. libello de lacte & operibus lactariis obliuioni tradenda non sunt. Naturæ lac imitatur Amygdalatum, quod tum ad delicias, tum ad sanitatis beneficium ætas nostra frequentissimè parat. Amygdalæ circiter libræ pondere calidâ resoluuntur, vt faciliùs cortice spolientur, deinde cum pane excauato tunduntur. Tusæ ac dissolutæ recenti aqua in cacabum per setaceum fundūtur, & procul flammâ in carbonibus agitatæ cochleari, propter fumum, coquuntur. Sacchari adijcitur selibra. Parum coctura amant, liquidum enim hoc ferculum magis quàm spissum placet. Sunt qui & aquam rosaceam addant. Idem ibid. Caseus ex Amygdalino lacte. Amygdalinum lac ouis temperato, salitum decoquito, & si libet crocum adijce, aut alia quælibet aromata: tum densatum igne cochleari diligenter permiscebis, & impones setaceo, vt quod liquidius est defluat, tandem saccharatum conuiuis appones.

Caseus ex Amygdalino lacte.

Si etiam lac cœruleum facere volueris, Amygdalium cū cyani floris succo para loco aquæ. Huic deinde oryzam aut far incoquere licebit. Aliud cibarium ex Amygdalis, lac coagulatum referens. Amygdala tusa per setaceum transferes cum aqua, deinde calfacies ad ignem semper agitando

Digitized by Google

gulando rude, misceboque ius piscium, siue de pedibus vitulinis aut ouinis gelatum, ac veteris trigefacto. Nos non possumus nobis persuadere ex floribus cyani tantum succi posse extrahi. Colerus in libris de coquinaria multa præclarè parare docet ex Amygdalis, quem consule.

Gummi & lixiuium Amygdala. Vsus Mechanicus.

Nec tacendum quod Theoph. scribit Amygdalæ arboris cinerem lixiuiúque vt acerrima, ad fornaces artesque aliquas commoda materie vtiles esse. Dalech. quoque annotat, Gummi Amygd. in vsu multo esse ad pannos sericeos oblinendos (vulgò artifices id aiũt, *donner l'eau*, dare lustrum) firmiores vt sint, ac minùs corrugati, laciniatique, & minùs obterantur.

Noxa Amygdalarũ Obseruatio & mirab.

Dictæ sunt vires, dicantur & noxæ. Tradit Marcellus Virgil. felem non vltra septem aut octo Amygdalis amaris haustis torqueri cœpisse, & velut furiosum circumactum, toto tandem corpore distentum periisse, non vltra horam à cibo illo protracta vita.

Matth. quoque non solùm Diosc. sententiam confirmat de Amygdalis amaris lethalibus vulpeculis: Sed nos idem quoque accepimus verum esse, ab industrio Io. Lutzio, pharmacopœo Kirchensi in Ducat. Wittemb. qui narrabat ex magmate expressionis olei Amygdalarum amararum in plateas eiecto, mortuas aliquot gallinas, quæ id comedissent; quod olim quoque monuerat Matth. in historia Germanica. Meliùs itaque posthac suis rebus consulent, si istud magna mulierculis & deliciis deditis virginibus aut adolescentibus dono dent, quod est præstantius ad extersionem manuum & faciei, loco saponis, tam ex dulcibus, quam ex amaris.

Magmatis expressionis olei vsus.

AMYGDALOPERSICVM.

Cap. VIII.

Descriptio. Fol. Flos.

Arbor est inter Amygdalum & Persicum ambigens, materie, folio, fructu. Folia enim oblonga, serrata, pediculo plusquam semunciali, virentia, sapore amaro. Flos quinque constat foliolis rotundis, colore carneo, vngue sanguineo, staminibus multis purpurantibus, ex vmbilico caliceue quinquepartito rubente. Carnis pulpinus, densior & copiosior quam Amygdalis, minùs copiosus quam Persicis. Os licet Amygdalarum, vt persicis tamen rugosum: nucleus qualis Amygdalis. Teneriorem fructum, antequam durescat putamen, condiunt. Nucleus vero edulis vt Amygdalarum, à quibus vix gustu discerni queat.

Fructus. Os. Vsus. Locus.

Visa nobis primum hæc arbor in horto nobilissimi Viri Iacobi Waldner à Freudstein in Hartenschuuiler superioris Alsatiæ, ex qua ossicula plantauimus Montbelgardi. Noua progenies, quæ ex Amygdalo seu nuce Græca & Persica facta, seu Amygdalopersicum. Carol. Steph. *Amygdalo Persicum* arbor Græcis haud nominata Gesnero. Consideret tamen Lector quæ de Nucipersico dicta sunt in superioribus. Amygdalopersicus, cuius exterior pulpa Persicum pomum sapit, nucleus interior Amygdalũ Camer. Amygdalopersicum nunc in Alsatia frequens, cuius osseus cortex persici instar rugosus, & nucleum Persicum solet, grati saporis: fortè Persico primò insita. *C. Bauh.* Germ. Ein baum halb Mandel vndt pfersich. Gal. *Amande Peschier*. It. *Mandiola Persico, Mezo Mandiola mezo Persico* &c.

Synonyma. Locus.

AMYGDALAM REFERENS FRVCTVS HIRSVTVS.

Cap. IX.

Amygdala similis.

Scribit Cl*us.* in Exot. A Hie. Garero accepimus fructum qui ita Amygdalam referebat vt primo aspectu Amygdala esse videretur: sed longi villi quibus erat obductus, diuersum esse ostendebant.

Descript.

Huius exhibet figuram in tabella sub numero quarto, Erat autem inquit, vncia paulò longior, minus vncia latus, fuscus, vndique villis obductus (nisi vbi attriti & detersi erant) in dorso autem longioribus, coloris inter fuscum & spadiceum mixti; cortice vero adeò tenaci, licet tenui, præditus, vt magna difficultate aperire possem nucleum enim continere, ex strepitu quem motus agebat, intelligebam: erat verò Amygdalæ suo putamine exemptæ par magnitudine, verò tamen latere sinuosus aliquantulum sic vt Phaseoli formam veriùs exprimeret, quam Amygdalæ, qui que in binas partes separari poterat, tenui candicante membrana tectus, ob vetustatem cariosus, itaque cilce eius sapor discernere nequirem. Solet verò interdum is fructus adferri muria conditus, forma pene exigui cucumeris, sed multo saturatiore viriditate prædirus, qui muria exemptus, paulatim flaccescit, & pulpa tandem in pollinem cum cute resoluta nucem relinquit, eiusmodi villis tectam, vt obseruabam in ea quam ab ipso accipiebam anno 16.. binas vncias cum semisse longam, vnciam aut paulò amplius latam. Illum autem fructum anno insequente *Mangas* esse deprehendebam: de quo consulendi Garcias cap. 4. lib. 1. Christophorus a costa cap. 43. & meum in illud caput scholium.

Nucleus. Phaseoli forma. Muria condita. Mangas.

Adferebat mihi Anno 1599. Franciscus Rodriguez, Bengalæ regno oriundus, ex Bantam Iauæ imperio, Mangas arboris illic nascentis aliquot folia, cum fructus eiusdem arboris nucleo: Erant verò ea folia densa, & quodammodo cutacea, instar annotinorum Laurocerasi foliorum, nouem, decem interdum plures vncias longa, binas cum semisse vel tres lata; in ambitu non serrata, oblongiusculóque mucrone prædita; crassiore neruo illa per medium secundum longitudinem secante, à quo vtrinque sedecim vel septendecim crassiusculæ venæ in latera excurrebant, tenuioribus aliquot venulis vix apparentibus intersepta: ea manducata acrimoniam habere deprehendebantur, quæ forsitan resiccata.

Locus Mangas. Folia.

Miror autem neque Garciam, qui hanc arborem in suo prædio habuisse scribit, neque Christophorum à Costa, qui plura eius genera facit, & plantas ipsas ad viuum expressisse non vno loco gloriatur, foliorum formam declarasse.

Garc. & C. ... tantum.

Nucleus porro longioris Amygdalæ suo crasso operimento repurgatæ magnitudinem habebat, membrana tectus, cinerei coloris, substantia autem pene instar nucis *Fausel* siue *Areca* constans, in qua nullam amaritudinem, imò ne alium quidem manifestum saporem deprehendebam, nisi in resiccato (qualem accipiebam) euanuisset. Ad scriptum erat valde commendari ab incolis.

Amygd. forma ...

Eiusmodi autem fructus immaturos & adhuc tenellos, muria conditos, postea adferebant quotquot nauigationem instituebant in Indiam, quibus in reditu cum aliis cibis vescerentur; teneriorum cucumeris muria, etiam conditorum loco, vt mo-

Eaedem immaturæ conditæ.

Coccymelea Myrobal. emblica. Chrysobalanus.

sto transcripsisse indubiè affirmare ausimus. In hoc tamen euariat Plinius à Theophrasto. Hic Mespilo comparat: ille spinæ Ægyptiæ: hic nucleum rotundum, ille lignum grande dicit: reliqua reipsa eadem, verbis tantùm discrepantia. An verò Coccymelea Plinij seu Theoph. sit Myrobalanus emblica officinarum, vt & Chrysobalanus Galeni flaua, vt ex quorundam sententia annotat Dalech. suo loco patebit. Prunis, inquit Plin. succus aquosus: foris corpus, intus lignum.

Differentia Prunorum. Pruna Hordearia. Asinina. Nigra. Cerina. Purpurea. Armeniaca. Nucipruna.

Alibi verò diligenter persequitur differentias his verbis. Ingens turba Prunorum, versicolor, nigra, candicans. Hordearia appellata, à comitatu frugis eius, (quòd cùm Hordeum metitur ea maturescant.) Alia eodem colore seriora maioraque, Asinina cognominata a vilitate. Sunt & nigra, ac laudatiora cerina atque Purpurea. Nec non ab externa gente Armeniaca, quæ sola & odore commendantur. Peculiaris impudentia est Nucibus insitorum, quæ faciem parentis succumque adoptionis exhibent, appellata ab vtroque Nuciprunà. Et hæc autem, & Persica, & Cerina, ac syluestria, vt Vuæ, autumno cadis condita, vsque ad alia nascentia ætatem sibi prorogant. Reliquorum velocitas citò mitescentium (maturescentium Dal.) transuolat. Nuper in Bœtica Malina appellari cœperunt Malis insita, & alia Amygdalina, Amygdalis. His intùs in ligno nucleus Amygdalæ est: nec aliud Pomum ingeniosius geminatum est. In peregrinis arboribus dicta sunt Damascena, à Syriæ Damasco cognominata, iampridem in Italia nascentia, grandiore quanquam ligno, & exiliore carne, nec vnquam in rugas siccata, quoniam Soles sui desunt: (quanquam Soles sui non desint:) sed Pruna omnia post Catonem cœpisse manifestum est. Cerea quoque Virgil. celebrat vnic.

Malina. Amygdalina. Damascena. Pruna post Catonem.

Cerea Virgil.

Sunt autumnali Cerea Pruna die.

Et in Ecloga 2.

Addam Cerea Pruna, & honos erit huic quoque Pomo.

Cereola.

Columella:

Armeniisque & Cereolis Prunisque Damasci.

Nigra. Generosa. Cerea. Damascena.

Et Ouid. in sua Metamorphosi,

Prunaque non solùm nigro liuentia succo,
Verùm etiam generosa, nouasque imitantia ceras.

Galenus Iberia & Damascena celebrat, vti patebit in viribus. Palladius ea Damascena dicit, quæ suo seculo siccabantur in sole per crates loco sicciore disposita. Talia etiamnum hodiè in officinis Damascena dicta sunt: Δαμασκηνῶν κοκκύμηλα Athenæo tamquam ab alijs diuersum (alij tanquam cæteris præstantiorem) quæ gignuntur in alijs regionibus. Pruna igitur hæc sunt & alijs & Hipponacti memorata, vt refert idem Athen.

Coronam habui è Prunis atque Mentha.

Prunorum Corona concertatorum & præmiũ victoria.

Alexis;

A. Quin & in somnis videre visus sum mihi
Præmium victoria. B. Quale id erat dicito.
A. Aduerte tum animum.
In stadio concertatorum me quispiam
Nudus accedens coronare visus est corona tortili
Prunorum. B. Dij boni. A. Maturorum.

Idem rursus

Vidistin vnquam omasum paratum, aut splenem inquinatum condimento, maturorùmque Prunorum sportam:

Talis est prorsus eius facies.

Nicander:

μῆλον ὁ κόκκυγός χαμᾶζις

Malumque quod, Cuculus vocant.

Coccyges.

Ita vertunt. Annotat Dal. κοκκύμηλον: quòd grandescentibus cucullus è suis latebris prodeat & conspiciatur: sed quid commune aut simile Pruno cum cucullo? Clearchus Peripateticus scribit, Rhodijs & siculis Pruna vocari βράβυλα, vt apud Theocritum Syracusium?

Brabyla.

Ramos Brabylis graues & in terram curuos.

Et alibi:

Quantò Malum Brabylo suauius.

Brabylon. Athen. not. Sylvestre Damascen. Mastyrs. Brabyla. Prunus Spodias. Coccymelea Coccyomalo. Coccymelia Persica.

Est autem Brabylon fructus, Pruno vulgari ambitu minor, eodem sapore, sed paulò acrius. Hæc quidam referunt ad Prunum Damascenum. Dalechamp. reprehendit Athen. quòd τὸ δεῖ ὑστερον ineptè vsurpet, pro εὐφορώτερον, vel ὀξύτερον) Acerbius est Prunum sylu. acidius Damasc. Seleucus in linguis, vt idem tradit Athen. eadem esse ait μάδρυα, βράβυλα, κοκκύμηλα, καὶ τὰ μῆλα. Dicta porrò sunt μάδρυα velut μαλόδρυα: βράβυλα verò quia ducunt aluum, quasi βορὰ ἀποβάλλοντα, id est, cibos depellentia: & μῆλα quasi ἁπαλά, id est, Mala, vt Demetrius Ixion prodidit in Etymologia. Theophrastus, Prunus inquit, & spodias, quæ veluti Prunus syluestris est. Aratos Coccymeleam vocat ipsam arborem: Coccymalum verò eius fructum. Aristophanes Grammaticus in Glossis Laconicis scribit à LaconibusPruna vocari ἀδρύα κα μοσπέρσικα, id est, acida Poma Persica, & à quibusdam Adria. Nec solùm κοκκυμηλέα arbor dicitur, sed & κοκκύμηλος, autore Polluce. Suidas τὰ κοκκύμηλα tradit vocari ζηλοδοτα, quæ tamen rectiùs dicas Armeniaca, de quibus suo loco.

Adria. Coccymelos.

Berecocca. Suidæ not. Ochra. Onychina.

Pruna multi, vt testatur Curtius ὦχρα Græcè vocari arbitrantur. Nos verò eam vocem in hac significatione apud nullum probatum autorem inuenimus. Onychinæ autem ab vnguis colore vocantur eidem. ὄνυξ enim vnguis est. Sunt & versicoloria, & intèr has differentias quædam præcocia, alia serotina: quædam item lignum statim dimittunt, & hæc inter pretiosiora habentur, & huius dotis in multis generibus nomine est: Cæteris verò carne lignum adhæret.

Versicoloria eorum que differentia.

Pruni Etymon.

Goropius è Penu suo Cymbrico nobis aliquid noui importat. Pruna nos (inquit) Pruimen vocamus, quasi Dureruimnen, id est, Mora euacuantia. Latini itaque Prunorum nomen nostrati linguæ acceptum ferre debent. Hermolao teste: κοκκύμηλος & κοκκυμηλέα, seu ut ille scribit, Coccomelea & Cocomelos Græcè dicta: Pomum ipsum neutro genere, arborem masculino media comœdia pronunciat. Folio Arbuti describitur, si Theodorus Gaza audiatur: sed hoc Plinius Theophrastum secutus, non Pruno sed Coggigryæ vocatæ tribuit. Decepit hominem, vel corrupta lectio, vel nominum affinitas. sunt Pruna onychina Columellæ, nigris laudatiora.

Coccomelea. Cocomelos.

Gazæ not.

Onychina. Κοκκυμηλέα. Etymon.

Et quia Pruni Etymi mentio incidit non insulsè nobis Lonicerus in κοκκυμηλέας deriuationem originemne inquirere videtur. Equidem, inquit, haud satis indagare huius vocis, κοκκυμηλέα, etymon possum, vt rei respondeat. Ex compositione certè, κόκκος granum est, μῆλον Malus, aut μηλέα Malum, vnde Pomum potiùs Granatum erit. Verùm historia & natura eius non respondet. Aliud enim est ῥοιά id est Malum Punicum, aliud Prunum. Propemodum eò inclinat animus, vt per barbaralexin putem κοκκυμηλέαν factum esse ex latinè coquendi vocabulo, vt suprà contigit in Armeniacis

malis, quæ Præcocia Romani vocant, quam vocem non rectè assequentes Græci homines, vt fit in aliena lingua, dixere πραικόκια & πρεκόκκια, vt κοκκυμηλέα, veluti Coquimalum, hoc est malum coquens & digerens: deijciendi enim alui ei vis inest præcipua. Hinc & in Asia, vt Galenus ait, arborem & fructum μάδρυον appellant, quæ vox item non satis feliciter translata est. Prumnum enim Asiaticum in medio redundat, quum simpliciter προῦνον Prunum dicendum erat. Atqui satis est κοκκυμηλέαν vel Gal. teste, esse Prunum. Coquimalum igitur prima sua origine dictum Prunum, postea Græcis κοκκύμηλον: & inde κοκκυμηλέαν dictum putat Lonicerus, quemad. à Pruno latinorum, Asiaticum illud προῦνον corruptum.

Coquimalum. Prumnus. Prumnum. Coccymelea est prunus.

At Cordus è contra Pruna, & Germanorum, præsertim Hassorum Praunen à Pruno deductu putat. Quod verò Lonicerus de pruno in genere ait vel Prumnô esse κοκκυμηλέαν, minus fideliter ex Gal. dixisse videtur, qui non omnem vel indefinitè, Coccymeleam, sed syluestrem, μάδρυον in Asia vocari testatur. Quid si κοκκύμηλον dictum quis statuat, quòd malum sit, granum vel semen vnum in se continens: id est, Cocci malum. Immò quid si ipsi etiam Theophrasto dicta sit προῦνον? Is sanè in nono hist. cap. 1. δακρυώδεις, hoc est, lachrymas fundentes arbores, quæ concrescant (gummi vocant) recenset: ἡ δ' ἐν ἐλάταις, inquit, ... &c. Vides ipsum immediatè contingere eiusdem ferè naturæ ac generis arbores, Amygdalum Cerasum, Prunum. Nam & Gaza Prunum vertit, & Constantino in Lexico προῦνον Prunus est arbor Theophrasti ex loco citato. Vnde non mirum si subtilissimo Scaligero mirum videatur, ni nostra vox inde emanauit, si tamen ea nostra sit Prunus, inquit ille. At quominus sit: nihil impedit: immò ex eo ipso loco vel maximè patere videtur esse, Gummi enim seu lachrymam fundit, & Amygdalo & Ceraso affinitate proxima est. Addit Scaliger: Susinum Veneti, & Thusci: nescio an è Persis, μάδρυον etiam apud Galenum: At de syluestri Coccymeleâ hoc Asiaticis dici paulò antè monuimus. ... Laconibus, Had. Iun.

Lonicerus not. Cocci malum. Prune Theoph. Prunus à veteribus Græcorum. Susinum. Scal. not. Linguarū nomina.

Anas, id est, Pruna, Serap. Bellunensis apud Auic. Pruna in margine annotat *Demiran* dici. Sunt qui & *Auas* seu *Hagias* iisdem dici tradant. Hebr. *Kaschap*, teste Elia Leuita, vti citat Tragus. Germ. Pflaumen & Friechen: quibusdam vt in Hassia etiam praunen, quam vocem à Prumno deductam putat Cordus, vt modò dictum. Exsiccata etiam Pruna, quæ ex Hungaria, Bohemia, Austria, Transyluania & Morauia in Germaniam importantur, omnia communi vocabulo Zwetschen vocantur. Minora ferè Friechen vulgò: & Cerea Spilling. Germanis dicuntur, vt patebit in differentiis. Eadem appellatio arboris, si addas cuique dictioni arborem: baum, &c. Gal. *Prunier*: *Prune*. Monbelg. *des Belosses*. It. *Prune*, *Susino*, vel *Succin*. Castil. *Ciruelo*, *Ciruelo* aut *Andrino*: fructus *Ciruelas* aut *Andrinas*: Catal. *Prunas*. Portug. *Ameixiera*: Fructus *Ameixas*, aliàs, *Ameixas*. Belg. Pruyme. Angl. Ploum tree. Bohem. Zilwe Sliwesky. Hung. Szilua fa.

Anas Arab. Demiran. Pruna exsiccata.

Differentiæ vel à sapore sumuntur, quæ potissima esse videtur, quòd ex ea facultas dependere videatur. Sunt enim quædam aluum sistentia, sunt & soluentia, alia mediam quodammodo naturam sunt sortita. Quæcunque dulcia sunt, aluum soluunt: quæ verò acerba sunt & austera, eam cohibent. In neutram partem valdè inclinant, acidodulcia vel acida, sed hæc siti febrientium maximè conueniunt. Sunt rursus alia magna, alia parua. Magna vulgato idiomate ferè pflaumen, parua verò, Triechen appellari consueuerunt. Colorum ac reliquæ differentiæ ex enumeratione patebunt.

Differentiæ à sapore & facultate.

Ergò vt ad Prunorum differentias recentioribus obseruatas propiùs accedamus, ordine quodam singulorum diligentiam inspiciamus, exorsi à Ruellij, Galliæ Pruna potissimùm concelebrantis.

Huius seculi Prunorū differentia. Galliæ Pruna. Prunorum differentia.

Prunorum itaque, apud Gallos innumeræ ferè differentiæ. Prima laus Damascenis tribuitur, nigra cute, carne suauj, rotundo ligno, exili nucleo. Secundas partes sibi vendicant *Pertigona* cognomine, *Iberica*, vt credo vocata, quoniam primùm ex Hispania venerunt, vt inquit Actius, succi dulcioris, duriorisque carnis, suaui gustu: ea qua parte Solem spectant, purpureo nitent colore, aduersa parte candicant vel subrubent: vtraque pressa digitis internum os dimittunt. Alia coloris ceræ ex candido in luteum pallescentia, quæ *Cerea*, vel *Cerea* etiam apud Gallos vocitantur: Alia maiuscula, mollia, purpurea, *Pedicularia* vulgò à vilitate dicta; ijs sues rura sagināt. *Asinina* non ab re putauerim quoque dicenda. Commendantur maximè quoque quæ *Prunidactyla*, à longitudine digiti, vt puto dicta, purpurea, suaui carne, ouata pomi specie, insitionis mangonio nusquam non nascentia. Alia *Neberdiana*, item *Iuliana*, aliquanto seriora, coeruleo colore, cumulatim in parente intorto surculo pendent, dum passa contrahantur, in rugas.

Cerea. Pedicularia. Asinina. Prunidactyla. Neberdiana. Iuliana.

Eadem ferè & Curtius habet: sed nouis annotatiunculis locupletata, & ab his quædam diuersa alia. Quædam grandiore, inquit, sunt ligno, quędam albo, alia purpureo, cætera nigro sunt colore: omnia tamen parua. Hæc enim reliquis præstantiora, intus parum crocea, minimùm succo abundantia, vt edentes ad sitim prouocent, quibusdam *Parisina* dicuntur. Hæc autem genera (inquit Curtius) tempestate Plinij nō fuerunt, aut postea hoc nomine vocari cœperunt. *Armeniaca*, quæ vulgus Armelina vocat, minima sunt, purpurea, grata odore. De his Columella in carmine paulò antè citato, Hispanica liuen, ingrato aspectu, sed miro dulcore prædita, oblonga, ligno intus exili ac longo. Nonnulli à regione citerioris Hispaniæ *Catalonica* malunt appellare. *Iuliana* verò quæ apud Turonenses in Gallia nascuntur, dulcissima, colore nigro. Desiccatá verò per totam Galliam venalia deferuntur, ægris etiam expetita cocta. A dactylorum verò forma *Dactylica* dicta: prægrandia hæc albi purpureique coloris reperiuntur. In honore sunt, ouata in longitudinem figurâ. Quædam verò Hordeacea antiquitus, vt suprà diximus, dicta à comitatu eius frugis, candida, & eius coloris alia seriora, maioráque & propter vilitatem Asinina dicta. In pretio verò nunc sunt, quæ *Perdicona* dicuntur, alij *Iberica* dicunt, quòd primùm ex Hispania venère. Sic enim vocari Symphorianus Champerius medicus doctissimus testatur. A Perdice scilicet aue, dictæ sunt quòd quemad. ea inter aues cibi suauitate cæteras excellat, sic hæc inter Prunorum genera. Serotina hæc purpureo colore, formæ non grandioris, dulcissimi saporis. Cœpere nunc & desiccari, vt *Iulianis* non cedant, A bonitate enim *regia* sunt dicta, amplitudine autem post *Dactylica* sunt etiam parua, nigra, ouali figura

Curtij differentia. Parisina. Armeniaca. Armelina. Hispanica. Catalonica. Iuliana. Dactylica. Ouata. Hordeacea minora. Hordeacea maiora seu Asinina. Perdigona. Iberica. Regia. Mottina.

figura, plurimo succo, si quod aliud genus abundantia, quare *Madrya* vulgus vocat, ac si succum meiere videantur. Alia quædam vsque adeò parua sunt, vt magnitudine Pruni syluestris fructum parum excedant, nigra, rotunda & feriora. Sunt & Acidula, nigro colore, succo etiam abundantia verùm non identidem. In extremum Autumnum durant, vt hyemem attingant.

Minima. *Acidula.*

Clearchus Rhodius & Siculus, Theocritum Syracusanum *Brabyla* pruna appellasse scribunt, quæ & Madrya & Badria Athenæo dicuntur, vt dictum suprà. Fructus quidem hic minor, gustus verò idem, ni aliquantò esset asperior.

Brabrya. Madrya. Badrya.

Ioubertus *Pruna Pertigonia, Prunidactila, Damascena & Imperialia* vocata præ cæteris commendat.

Solerius Asinina seu Pedicularia Plin. Gallis Delphinatibus *Prunes Bouarlx* dici scribit, esseque fortè Hiberica. Idem *Pertigonia* Ruellij, suspicatur esse magna Galenj.

Asinina Plin. Magna Galeni.

Nicol. Abr. à Framboisiere de sanitate tuenda: In Francia excellentiora Pruna sunt Damascena trium generum. Nigra, rubea, & violacea. Secundum locum obtinent Dactyla ob suauitatem. Magni fiunt in Prouincia pruna ex Brignoles: multi etiam fiunt Pruna Pardygoinia ob magnitudinem & gratum saporem. Pruna Reimensia æstimantur ob pulchritudinem potiùs, quàm bonitatem: color enim cæruleus visu delectabilior, quàm sapor gustui gratus: eis inest minimum aciditatis & adstrictionis, incolis dicuntur *Nobertes.*

Gallia Pruna Damasc. Dactylia. Brignoles. Pardygoine. Nobertes.

Sunt etiam apud Reimenses alia Pruna, dicta *des Vignons*, quæ comeduntur plerunque priusquam maturescant. Propter insignem austeritatem & acerbitatem illi iis tantopere delectantur, vt soleant ponere in iusculis, loco vuarum acerbarum.

Vignons.

Hispaniæ celebrata pruna, vt tradit Amatus, hodie Pruna Damascena præcipua habentur, Syracusana ab Hispanis nominata, nigra, rubentia, vel in totum alba, ad citrinum tendentia, oblonga, boni saporis: Citrina multi Cerea appellare non dubitant. Multi quoque ex omnibus Pruni speciebus præcipuè laudant, quam Salmaticenses Andrinas ob colorem nigrum vocant: rotunda sunt, sapore acido, ori gratissima, quæ matura febricitantibus apud Salmaticenses D. Alteretus non sine optimo successu concedebat. Lacuna verò scribit inter Pruna Hispanica præcipuè commendari dicta *De Monte*. Secundum locum obtinere quæ deferuntur ex S. Michaele. Inter ista sequi rotunda, quas vocant Andrinas. Ab omnibus laudari Damascena.

Hispania Pruna Damascena Syracusana. Cerea. Andrinas. De Monte. Pruna S. Michaelis. Andrinas. Damascena.

Perlustremus nunc Italica.

Prunorum, inquit Cæsalp. rotundorum quędam mali amplitudine, flaua, dulcia, odorata, quę primò maturantur: cognominantur autem à Malis. Iis minora, & austeriora, quæ Augusto maturantur, Pruna *Augustana* vocata: & *Albanula* inter pretiosa. Alia nigra, duriore carne, sed gratissimo sapore, vulgò *Perdicona* cognominant. Grandiora iis sunt *Massimiana*, ac succi bonitate præcellunt. Simili specie constant a- ria quædam, vt etiam fallant, sed in suauitate saporis quamprimùm discernuntur, vt quæ *Asinaria*, & quæ *Gabia* alicubi vocantur ingustabilia. Paulo minora iis & oblongiora Viridacea, sic appellata, quia dulcia sunt antè perfectam maturitatem, dum adhuc viridia sunt. Hæc maturitate perfecta ad ruffum tendunt, sed dulcedine minùs grata. Alia in longitudinem extenuantur iuxta pediculum, vt *Damascena* colore flauo: *Catelana* colore subuiridi, alia colore nigro. Multæ aliæ sunt inexplicabiles differentiæ, vario cultu, & studio inserendi inuentæ. Est & syluestris Prunus, &c.

Pruna Italiæ. Pruna mali amplitudine Augustana. Albanula Perdicona. Massimiana. Asinaria. Viridacea. Damascena lana. Catelana. Nigra.

Peculiare (addit idem Cæsalp.) in fructu Pruni, quod deflorescens, si multi imbres contigerint, conuertitur in longum quoddam corpus inane quod *Turca* vocant. Idem ex Theoph. dicit Pruno foliũ esse Arbuti: ac peculiare ei fructú in *pappum* perire: quæ Prunis nostris conueniant, si *pappus* hic non Lanuginem, sed inane corpus significet, *Turcam* dictum. Quod ad primum, vel non rectè nouit Cæsalp. Arbuti folium, vel certè non benè contulit, atque adeò hac collatione aliquem in suspicionem conijcere possit, ipsi neutrum probè cognitum. Quoad posterius: bellam sinè verò interpretationem vocis *papp:*, quam Theoph. per τὸ ἐκπαππώσθαι τὸν καρπὸν expressit. Si Cæsalpinus annotasset obseruationem doctissimi Hermolaj, comperisset id à Theophrasto de Pruno non dici sed de alia arbore. *Turcam* sæpiùs obseruauimus, sed quo iure is vel alius quiuis *pappum* vocet, nondum agnoscimus. Vitium est fructus *Turca* non illi par nec ordinariè omni fructui euenit, vt de fructu eius arboris, de qua Theoph. scribit eum in *pappum* abire, tradit. Quod si verum esset de Prunis, ille sua Perdicona non tantopere commendasset.

Turca prunorum vitium. Cæsalp. reprehen. Alius error.

Sed persequamur reliqua Pruna Italica ab Aug. Gallo obseruata. Pruna, *Brugne* vel *susine* dicta Lombardis optima sunt, & bonitate Damascenis succedunt, quæ quamuis cęteris minora, pulchra tamen sunt, sapida & sana, tàm cruda quàm cocta, potissimùm si cum pullis & auiculis decoquantur. Aluum soluunt cocta parum in aqua, & ita mollia comesta, cum multo saccharo. Sunt & alia magna, & dulcia admodum, quæ probè matura aluum magis lubricant, omnia cruda vel cocta in aqua tepida macerata sitim restingunt. His succedunt dicta *Brogne Agostane*, quæ non pulchra, longa tamen & crassa: sana sunt cruda, & cocta, & sicca. Pruna dicta *Brognoni grossi*, rotunda non postremas tenent, si præsertim benè matura & decocta sub cineribus folijs inuoluta, decorticataque & saccharo aspersa comedantur: vel etiam & meliùs, cruda decorticata, & in patella cum saccharo lentè cocta. Inter Pruna, quæ dicuntur *Brogne* Myrabolani, alba, nigra & lutea salubria esu sunt, non cocta. *Brogne Catelane* dicta, benè matura præferuntur cruda, cæteris omnibus, albis, nigris, viridibus aut rubellis, dulcedine & succi gratia præstant: corroborant magis, & præ alijs sitim extinguunt, decorticata à febricitantibus in ore retenta singulari sunt solatio, mitigant summum ardorem, & restituunt nonnihil appetitum. Sunt etiam alia Pruna Italis vulgò dicta *Agostane bianche, Settembrine, Massimiane, perniccone, Gierusaleme*, & alia multa suauitatis & Salubritatis non contemnendæ.

Lombardiæ pruna Susina. Magna dulcia. Pruna Augustana. Pruna crassa. Pruna myrabolana. Catelana.

His addamus quorum meminit Alpinus, (nisi iam supra scriptorum aliquo nomine dicta sint) & cum dactylo oblongo, magno & crasso confert, *Pruna alba*, quæ Iulio mense in agro Bassanianli maturantur.

Alba Bossaniensia. Damascena vnde aduecta Pannonica.

Matthiolus quem, velut Italum, decebat pulchras istas merces Italicas nobis Germanis prædijs celebrare, ne γρῦ quidem de iis habet: sed postquam palmam tribuisset Damascenis, quæ necæ ex Syria Venetias importantur: secundas tenent (addit) in Germania quæ ex Pannonia & Transsyluania conuehuntur in quorum genere

quæ minuscula sunt, maiorem cum palato ineunt gratiam in vino decocta, & sacharo aspersa: hoc enim modo parata primisque mensis sumpta, & ori grata sunt & aluum commodissimè citant, nam dulcia sunt & sine adstrictione. Verùm si nō gustarit aut nouerit alia, quæ ex Germania prædicaret, deinceps Germani ipsi audiendi sunt, vt quàm Germania hoc fructu ditescat, intelligant etiam exteri: Matthiolumque interim excusent, qui Prunorum differentias inexplicabiles ferè dixit, quod non ægrè confitemur si intellexerit omnes.

Pruna Germaniæ

Damascena

Trago itaque multa sunt Prunorum genera, inter quæ primum apud Germanos quoque locum obtinent Damascena vocata, Theocrito Brabyla, Athenæo Badrya & Madria cognominata. Germani Damascenen pflaumen/ Undt Quetschen vocant. Hæc in Pharmacopoliis exiccata habentur, quemadmodum etiam magna illa Hugarica, ab ipsis Hungaris Damascena, & à Germanis Grosse Zwetschen vel Quetschen / & Ungerische Pflaumen vocata. Quidam his pro Damascenis vtuntur, autore Cordo. Deinde ponuntur, à Trago, purpurea, quæ ex Hispania venerunt. Iberica & Pettigona vocata. Germ. Spannische Pflaumen. Hinc Cerea seu Cereola. Germ. Gälkriechen/ Undt Spilling dicta. Cordus annotat Brabyla quosdam priuatim interpretari kriechen. Quarto ordine collocanda sunt oblonga illa & Cerulea, alias Prunidactyla, Germ. Blaw lang Pflaumen/ blaw Spilling/ vundt Külsen Pflaumen nominant. Quinto loco exigua illa (nec enim nuce auellana maiora sunt) & Autumno prouenientia Pruna, German. klein herbst pflaumen dicta. Hæc Basilienses Zipartten vocant. Postremò sunt & alia genera, vtpote nigra illa quæ vocant, groß Roßpflaumen: & rotunda illa, magna & dura Pruna, quæ Autumno appetente maturantur, German. Schaaffpflaumen / Latini Asinina & Pedicularia nuncupant. *Hac Tragus.*

Damascena Hungarica.

Pettigona. Cerea.

Prunidactyla.

Pruna Autumnalia. Nigra. Rotunda.

Eadem ferè & Lonicerus habet, additque fructus Prunorum Theocrito dici Brabyla.

Differentia Dod. & Had. Iun.

Dodon. verò βράβυλα vult dici magna illa Pruna dulcia cœrulea, Lat. Pruna Damascena: Had. Iun. βράβυλα Theocriti scribit, κοκκύμηλα δαμασκηνά: German. Blew Spilling / Quetschen. Belg. Blauw pruyme/ oft pruyme van Damasc. Gal. *Prunes de Damas.* Secundum Dodon.genus sunt Pruna vulgaria rufa, quę Hispanica vocatur. Luteola, Latinè Cerea & Cereola Pruna? Hæc Had. Iun. Rospflaum, German.& Belg. Peirte rospruyme vocat. Dod. verò quartum suum genus ita nominat, Pruna rubra & rotunda quibusdam Latinè Asinina Pruna, Gal. *Prunes de cheual.* At Pruna asinaria vel asinina vilia dicit Iunius, & maiora. Belg. Paspruyme. Omnium minima Pruna rotunda Dod. Nana H. Iunio. Ger. Kleine herbstpflaum. Belg. Creoslen/Palloken. Gal. *Creches & d'automne.* Sic vnusquisque patria sua priscis accommodare studens, non tamen aduertit sibi non conuenire cum eo qui est ante fores.

Brabyla Damascena

Pruna vulg. rufa. Luteola. Rubra Asinina.

Minima seu nana.

Pruna, quædam Belgiæ. Hordearia

Alia quædam adhuc habet H. Iun. æquè Plinij & priscorum nomenclaturis accommodata, & iam prius quoque dicta. Sic Prunum Hordearium Plinij candens dicit, Belg. Witte Pruyne. Prunum decumanum: Belg. Eierpruyme. Damascenum verò, Prunum passim vocat, & ῥογοsum. κοκκύμηλα ἀσκὲ..., Belg. Pruyme van Damasc. Ital. *Pruno secco* Hispan. *Pruna seca.*

Decumanum.

Damascenum.

Dodonæus quoque addit: Theophr. & Plinij Ægyptium Prunum incognitum esse: nostram ætatem in Germania, circa Damascum Syriæ vrbem natis Prunis carere. Pannonica siue Hungarica laudat oblonga & dulcia, sed magis tamen Morauica, ad aluum leniendam commendat, præsertim Brunæ nata, quæ Morauiæ olim Marcomannorum Prouinciæ, vrbs est primaria: hæc etenim vbi resiccata fuerint, ori suauia palatoque gratissima, aluum citra molestiam ita facile ciunt, vt deiectoria vi Cassiam & Mannam post se relinquant; vt Thomas Iordanus affirmat. Nostra ætas quædam *Gallica* a patria appellat.

Aegyptia. Pannonica. Morauica. Pruna.

Persequamur cæterorum Germanorum differentias. Gesnerus itaque has habet. Prunum quæ fructus magnos, purpureos & acidos sapore fert, Lindauiæ Hengst vocant, Tigurini Bockshoden (quasi capri testiculos dicas) vel Pflaumen. His similia etiam cerei coloris minùs frequentia apud Tigurinos reperiuntur. Pruna Cerea vel Cereola magna subdulcia. Pruna parua, serotina, cereola, quæ Tigurini & Heluetij nescio vnde Zipartten appellant: Inter vrbana minima, tardissimè cerea ferè maturescunt Septembri. Pruna præcociora parua, versicoloria, à tempore quo Auena metitur apud Tigurinos dicta Haberkriechen/ passim illis abundant. Pruna Neapolitana, oblonga, dulcia (ni fallor) alba & Punicea, Lindauiæ. Pruna Hungarica, quæ vulgo Tuetsia vocant, Zweschgen, duorum generum: maiora & oblongiora: & alia minora, rotundiora, dulciora Lindauiæ: Basileæ probè perficit fructum. (Kandelkriechen vocant) Pruna Hungarica præstantissima, Damascena fortè Vvolfello. Euismodi Venetiis mittuntur aliquando Augustam magno pretio, crassa & carnosa, subacida. Hæc vel oblonga Neapolitana, aliqui Imperatoria siue Augusta cognominant, quod iis Imperator Augustus oblectetur. (Itali sita ab Augusto mense, quo maturescunt, *Augusta* dicunt, de quibus supra.) Augustæ Pruna alia Hungarica, aurei vel cerei coloris: magnitudine oui gallinacei: aut etiam Anatini, carnosa, gratissimi saporis. Aliud pruni genus, maturescit circa finem Iulij, cui fructus parui cœrulei, dulces: Blawe kriechen. Pruna minima, subcœrulea, acida, parum humida, Weinkriechen, maturescunt Augusto. Weißkriechen, Pruna alba, tardius aliquando maturata omninò alba. Rosa hödle, partim candida, partim rubella, aluum puto magis soluunt: & hæc aliqui alba vocant, sed minùs propriè. *Hac Gesnerus.*

Gallica. Gesneri differentia. Al agna. Cerea magna. Cereola parua.

Præcocia parua Neapolitana. Hungarica maiora Minora.

Hungarica alba Damascena.

Imperatoria. Augusta.

Augusta pruna.

Pruna parua cœrulea Pruna minima. Pruna alba variegata.

Tabernamontanus quatuor summa Prunorum facit genera: Vulgata, quorum quatuor differentias constituit, nigra, rubella, alba, viridia, quædam etiam flaua & rubra. 2. Pruna Myrobalana, quæ antequam maturescunt sunt viridia, postea rubescunt, tandem perfectè matura atropurpurea fiunt: succulenta, odorata, nucleo paruo. 3. Auenaria Haberschlehen vulgò dicta, primo generi similia, sed fructu paruo acidulo, subastringente sapore, grato tamen. 4. Flaua, oblonga, nucleo exacuto, vulgò cerea, wachsgelbe Pflaumen oder Spilling dicta. His addit quædam alia sed iam dicta: quamuis & hæc fortè iam magna ex parte memorata sint, nec vllus sit iam dictorum, dicendorúmque autorum, qui non alterius quædam habeat, etiamque diuersarum regionum. Scopus tamen noster est, vti suprà quoque in Pomis diximus, non tam nationum quàm ipsorummet autorum, quæ tamen fieri

Tabern. Differentia. Vulgata. Myrobalana.

Auenaria.

Flaua vel Cerea.

Autorum institutum & scopus in recensendis autorum prunorum differentiis.

id

.. posit breuitate, differentias referre quæ etsi sæpiùs interdum repetantur, nullus tamen est, qui non sui idiomatis appellationes addat, & diuersâ aliqua annotatiuncula illustret: simulac, vt consensus & dissensus autorum circa eas lectori ob faciem positus, meliùs innotescat: nec deest nobis in Vniuersali, atque adeò specialissima hac historia, quod adsit alteri: Adsit verò etiam nobis, quod desit aliis ne quis deinceps aliquis nobis veteratoriè obiiciat πολυλογίαν, quam tamen etiam facilè euitare posset, qui omnia exactè cognita haberet. Alioqui lectori fraudem, sibi dedecus parabit, quisquis hoc tentauerit. Quod si placuimus huic vel illi nationi, cur non æquè placeamus & alteri?

Quomodo hoc opus omnium Herbariorũ vices suppleat.

Sed pergamus, & lectori æquè rerum diuersitates, quàm autorum placita ob oculos ponamus: *ita enim demum hoc opus omnium Herbariorum (qui nobis propositus est scopus,) quantùm quidem fieri possit, vices supplebit.*

Camerar. differentia. Myrobalani. Verdaria. Pruna Silesiæ.

Camer. inter Pruni genera varia, potissimùm Hungarica, Morauica, & quæ vulgò Myrobalanos dicunt, itémque Græca, quæ postrema *Verdaria* à viridi colore in Italia vocantur, & aliis præferuntur, concelebrat.

Domestica. Brunensia. Hungarica. minora. Asinaria. Cerea præcocia minora.

Schwenckf. sua diligentia Silesiæ Pruna visitata recenset hæc. 1. Pruna domestica. 2. Pruna Hungarica maiora, Pruna Brunensia, Pannonica, Brunner Pflaumen/ Vngerische Pflaumen. Omnium sunt præstantissima, ori grata. 3. Hungarica minora, Tzwetschken/ kleine pflaumen/ dulcia sunt, & ori gratiora. 4. Asinaria, Roßpflaumen/ magna sunt, rubore perfusa, viliora. 5. Cerea minora, præcocia, Geele pflaumen/ Geele Spillinge.

Cerea maiora.

6. Pruna Cerea maiora, Morannen/ Marunckent hortis instructioribus saltem nota: maxima sunt.

Prunidactyla.

7. Prunidactyla oblonga & cœrulea, Blawe lange pflaumen/ Belsen pflaumen/ Blawe Spillinge/ Blawe Marunckeṅ.

Schwenkfel. not.

Ex semine Prunorũ Cereorum maiorum hæc nasci ait, quod profectò nobis nunquam persuaserit. Considerent igitur Agriculturæ studiosi, an ex Prunorum Cereorum maiorum semine, hoc est, à specie distincta, possit nasci alia species, nempe Prunidactyla cærulea, quod nobis non fit verisimile.

Canina.

8. Pruna canina, Hunde pflcũmlin/ weisse pflcũmlin: parua sunt, pallida, nonnihil rubicantia, dulcia.

Parua autumnalia.

9. Parua autumnalia, serotina, Auenaria, Herbstpflaumen/ Kriechen: Sil. Zipparten/ minora sunt & cœrulea, hortis rusticorum nihil frequentius, ex quibus additâ farinâ edulia parantur haud ingrata, salubria: verùm recentium vsus nimius Dysenteriam procreare solet.

Parua vinosa.

10. Pruna parua vinosa, weinpflcũmlin/ Tarrnickel/ vulgò viridia sunt, vinosi saporis. Condiuntur saccharo febricitantibus grata. Colerus annotat prunis Kriechen dictis, rusticos Silesiæ liberos & familiam suam hyeme alere, quorum variæ differentiæ æquè in syluis

Locus.

proueniant & agris, quàm hortis, eáque adeò quæ syluis nascuntur, esui gratissima & saluberrima esse (gar natürlich zu essen) quasi dicas optimè naturæ conuenire, ventriculum claudere, bonum generare sanguinem. In Misnia dici

Onychina.

Tarnickel. Pruna Onychina.

PRVNVS MYROBALANVS DICTA.

Descriptio arboris.

SVnt quidem superiùs dicta Pruna Myrobalana cognominata, trium generũ nomine solo, ex August. Gallo, qualia tamen vix huc pertinere arbitramur. Meliùs respondent à Gesnero citata addito paruo lemmate. Clusius verò hæc diligentissimè, vt pleraque sua, describit, his verbis. Facilè adolescit hæc arbor, & in vastam excrescit amplitudinem, maiorésque eius rami subinde in alios diuisi, opacam admodum præbent vmbram: caudex multò læuiore gratioreque oculis cortice præditus est, quàm reliqua Prunorum genera: tenuiores rami, graciles admodum, tenerrimo cortice vestiuntur.

Folia. Flos. Fructus.

Folia quodammodo media inter Prunum & Cerasum, tenella per ambitum serrata sunt. Flos candidus, tenuior, quàm in vulgari. Fructus, cuius alternis annis feracissimus est rotundus, oblongo tenuique petiolo inter folia pendens; aspectu iucundus, per initia viret, cùm maturescere incipit, rubet: maturitatem adeptus purpura, nigro commixta nitet, carnem succulentam & palato gratam ac nucleũ non admodũ magnum habet.

Tempus.

Floret cum alijs eius generis nouo Vere, sub Iulij finem & Augusto fructus maturitatem adipiscitur.

Locus.

Nondum vulgaris erat, cùm eam describeret Clusius: sed qui habebant, ex Cæsarej Palatij horto nacti erant, vbi omnium primas conspexit eius arbores tres ingentes, vnde primùm eò delatas, incertum. Nonnulli è Constantinopoli, alij è Gallia genus duxisse arbitrantur.

Myrobalani Chebuli.

Certè ea arbor quæ Biturigibus Gallorum Myrobalanorum Chebulorum nomine ostenditur, huic persimilis esse videtur, vt ex eius folio inde delato, & Clusio à Cl. D. Io. Posthio Palat. Elect. Archiatro donato, æstimatum. Idem Clusius apud Garciam scribit, istud folium Persicæ folio simile non esse, sed Pruni aut Cerasi folium potiùs æmulari, atque nihil aliud se comperisse quàm Pruni genus. Forte Tabern. vel is à quo accepit Iconem, hanc Prunum etiam habuit pro Myrobalano, vt cap. de Myrobalanis monebimus.

Pruni Myrobalani Varietas.

Nunc in eodem Cæsareo horto illius genus alitur ex superioris nucleo natum, quod minore fructu & dulciore pulpa est: in cæteris nihil à superiore differt. Cur huic generi Pruni, Myrobalani sit appellatio data, fatetur se nescire, Clusius: nam, inquit, nec fructus similis est neque ossicula, quæ reliquis Pruni generibus similia habet, licet parua, cum legitimorum Myrobalanorum ossiculis siue nucleis, quæ canaliculata sunt & striata, quicquam commune habent.

Pruna Brunensia.

Idem Clus. meminit Prunorum Brunensium Morauiæ eorumque pulpam cum Laurocerasorũ pulpa conferens, vtrumque dulcem & edulem dicit.

Galatensia pruna.

In Pannonicis verò Galatensia siue Perana Pruneola scriptis prodit, quæ oblongiuscula albáque dicit.

AMYGDALINA PRVNA.

Amygdalina Pruna Lobel. in histor. Belgica oblonga dicit, Dactylorum aut Amygdalarum instar. Amgdalina Pruna etiam in Plant. iconibus dicta Belg. Amandel pruynen oft Danyspruynen. An verò sint ea, quibus Plinius in ligno nucleum Amygdalæ esse dicit, & ex Pruni & Amygdali insitione geminata, asserere non ausimus? Quemadmodum nec an Prunidactyla Ruellij, Curtij, Tragi & Silesiæ suprà dicta.

Pomaria quædam cultiora Gallica quandam Prunopersicum colunt, cuius fructus carne Pruni est, cute subuiridi Pruni, sed nucleo Persici. Pen. & Lob. Eiusdem meminit Cam. apud Matth. externè Pruno similia dicens, nucleo Persici.

Prunula Caraca Indica.

De Prunulis quibusdam Indicis scribit Benzo in hist. noui orbis his verbis: Ad sinum Caraquã procedimus, Cereis quibusdam Prunulis vescebamur, queis quum parum carnis inesset, lignum seu os interius simul comedebamus.

Hactenus ferè tam à priscis quam recentioribus obseruata, & aliqua tamen parte nobis etiam cognita recensuimus, quâ potuimus fide breuitatéque: restat vt & à nobis obiter obseruata, & fortè nec alijs ignota dicamus, adiecto vnicuique more nostro, suo lemmate.

Autoribus obiter obseruata differentia. Pruna Briguola.

Solent curiosiores & lautiores Pharmacopoei, pro delicatioribus, elegans nec minus vtile ac sapidum quoddam Pruni genus ex Galloprouincia ad nos importare, quod *Prunes de Brignoles*, Briolina Pruna vocant. Ea detractâ cute, & vuarum passarum modo, velut in vnum glomum compacta, ficuum instar aduehuntur, aut in scatulis. Colore sunt dilutè rubello, ad flauedinem tamen accedente, carne firmiuscula, qualis corticis Citri conditi aut Cydonij mali, subacida atque vinosa, febricitantibus cruda, vel ex aqua leuissime cocta, mirè expetita, nullo officulo: quippe eximunt incolæ qui reponunt. Figurâ Caricas pingues egregiè referunt, si colorem demas. Eadem cum officulis accepimus: oblonga erant, sicut & officuli, qui durissimi, nucleum continentes modicè amarum, gratum tamen.

Nucipersica.

Hæc Scal. Nucipersica, visus est appellare quando apud Theoph. alicubi sic scribit. Persea Pruni facie, de qua olim dubitabant esset ne nostra Nucipersica, quam Vascones Brignols vocant. Pruna Briolina Lob. teste hodie in Prouincia salubritatis & saporis ergo optima habentur. Idem cum Pena in Aduers. Damascenis olim omnium præstantissimis inquit, *Brignolensia* hodie in Galloprouincià palmam præripuerunt bonitate, salubritate & sapiditate. Dictâ autem Brignola 30. mil. Gallicis à Massilia teste Rauuolfio qui eadem & ad sitim & ad febricitantium vsum valdè probat.

Brignolina Guisio morti tradendo ob insitatem hypothimiã exhibita.

Autor postrem. hist. Bellorum Galliæ scribit, pro Cortice Citrij condito quem petebat Dux Guisius, data Pruna Brignolina, ea ipsâ hora, qua morti erat tradendus, quod ex suspicione haud vana necis instantis veluti hypothimiã quandam præsentiret.

Pruna de Prunioles Lugd.

C. Bauh. apud Matth. eadem Pruna de *Prunioles* vocat.

Pruna dicta vulgò Lugdunensibus *Prune deu* satis magna, breui hærent pediculo, orbiculata, ab vno latere per longitudinem sulcata, aut vestigium fissuræ habentia, rubra ac velut fuligine coerulea aspersa, gustu dulcia, cum quadam aciditate, carne satis dura, quæ haud difficulter ab osse separatur, Matura Iulio.

Armesina rubra acidodulcia.

Iisdem *Prunes Armesines* appellata, prædictis minora, eiusdem fermè coloris, oblongiora, odorata, dulcia cum quadam aciditate, carne firmiuscula, ab officulis facilè separabili, quæ parua, compressa, læuia, dentibus facilè confringuntur. Matura Iulio.

Damascena pulpa purpurea.

Sunt nobis Montbelgardi in horto E. C. Wirt. Pruna quæ dicuntur Damascena: purpurea, valdè rotunda, quibus pulpa ab officulis facilè abscedit, suntque ea ipsa, nisi fallimur quæ Lugduni *de Damas* vocant, maiora iam dictis Armenijs, purpurea, rotunda, ex breui pediculo pendentia, coerulea quadam nebula respersa, tota concoloria, etiam adhuc immatura, valdè acida, officula continentia parua, rotunda, similia officulis Cerasorum. Talia vidimus Ceruinij Pago Pallauantino Septembri optima. Ex hoc genere existimamus esse, quæ sicca apud fontes acidos Griesbachianos vidimus, parua, rotunda, ab officulis facillimè abscedente carne. Aiebant Argentinam Turono vrbe Galliæ aduehi.

Damascena purp.

Pruna Lugd. *Damasa* dicta, Damascenis modò dictis multò sunt maiora eiusdem tamen coloris ac formæ breuissimo adhærent pediculo ipsaque caro firmiter nucleis: acida sunt, nuces oblongæ, satis tumidæ, maiores quàm Prunorum *Dates*.

Pruna Perdigona Lugd.

Perdigoine Gallico idiomate dicta iam modò descriptis minora, rubra fuligine subcœrulea adumbrata, rotunda ferè, carne dulci, satis solida, officulo mediocri minimè adhærente. Hæc Damascenis quodammodo similia, paulò maiora tamen, nec ita rotunda, & vtrinque per longitudinem fissurâ vel sulco notata. Horum surculos Montbelg. in horto inseri curauimus.

Prunidactyla rubra.

Pruna *Dates* Lugdunensibus appellata, Damascenis magnitudine æqualia aut etiam maiora minus rotunda, nec eiusdem coloris, sed rubri, nebula cœrulea obducta, pediculo satis breui, carne firmiuscula, dulci, & ab officulo promptè separabili. Tunica inuestiuntur dura & sicca. Officula breuiuscula, nec magna dentibus fragilia, matura Iulio. Missi nobis Lugduno surculi Montb. in horto E. C. inserendi cum hac inscriptione, *Prunes dates, grosses comme oeufs*, id est Prunidactyla magnitudine oui: possint fortè esse eadem cum Prunidactylis purpureis Ruellj, Curtij, Tragi & Silesiæ.

Prunidactyla Vesuntina viridantia.

Meretur rara hæc Pruni species Curiosiorem etiam descriptionem, siue arboris formam, aut fructus elegantiam præstantiámque species. Visa nobis in horto D. Chassigneri Adfinis nostri, Vesuntij. Haud procera valdè est, sed egregiè patula, & in quamplurimos ramos brachiata, cortice tecta suffusco, & circa extremã ex pullo cinereo mixto.

Cortex. *Folia.*

Folia lata, figura penè ouata, sed principio angustiore, paulatim amplitudinem vergente, ambitu leuiter crenata, saturè viridia aduersa parte, & quasi atrouirentia, auersa dilutiùs. Flores denso agmine stipati, albidi, sed minùs, quam reliquorum. Fructus digiti longitudine, virentes ad perfectam vsque maturitatem, quæ vix effatu digno momento ad citrinam quandam

Flores. *Fructus.*

dam flauedinem inclinant, saporé præ cæteris suaui ac dulci, cute obtecta dura & membranosa, vt meliùs patet in conditis, pulpa recentibus firmiuscula, & à nuce contenta libera. Nux hæc seu ossiculum aliquid peculiare præ cæteris habens, vncia longius, gracile, cõpressum, leuiter incuruum, vtrinque acuminatum, nucleum gracilem, nec valdè amaricantem continet.

Hac arbore nihil fructuosius: fructuum numero ipsa vincente folia, ingenti nihilominus caterua humi iacentia: nec extremis tantùm surculis, sed crassioribus etiam ramis immediatè hærentes quamplurimos obseruauimus. Magna his gratia in cibis, siue crudis siue decorticatis ex saccharo & vini modico aquáue rosacea coctis. Sed modicum addi meliùs, quòd ipsa per se calefacta satis succi fundant, & vt natiuã peculiaremque suam suauitatem non amittant.

Condita. Præcipua gratia conditis. Condiuntur autem saccharo integra, etiam cum ossiculis: sed non perfectè matura esse oportet, maturitati tamen proxima. Sic firmiuscula caro etiam conditis, mirum quantà gratiâ atque dulcedine. Habet quidem Dactylica alba Curtius, quæ ita fortè vocat ad Purpureorum differentiam: Sed hæc eiusmodi viriditatis speciem ac colorem habent, vt alba dici non mereantur: ex viridi tamen albescunt, præsertim probè matura, sed de Curtij nobis ignotis nostrum statuere non est præsertim cùm sua non describat.

Pruna alba Lugd. Pruna dicta Lugdunensibus, *Prunes blanches*, longa sunt satis magna, lutea, cum quadam rubedine, carne satis molli, acidodulci. Ossicula longa, compressa, ab vna parte ad sphæricam formam tendentia, sicut & ipsa Pruna.

Pruna regalia punicea Lugd. *Prunes de Roy*, magna quoque sunt, rubra vel potiùs punicea, rotunda ferè, valdè odorata, carne dulci, tunica satis dura & acida. Caro facilè abscedit ab ossibus, quæ magna & aspera. Matura Iulio.

Pruna rotunda rubella. Montbelgardi habent Pruna Augusto matura, rotunda, satis magna, rubelli coloris, carne ossiculis hærente non ingrata. Plantari curauimus in horto Ill. E. C.

Pruna purpurea serotina. In horto iam dicto abundat Prunus, fructu purpureo, satis magno, serotino, sublongo, acido, carne ossiculis adhærente, quæ nostra cura plantata. Hæc sunt ea quæ Lugd. *Prunes D'Aoust* dicta ex postremis maturescunt, similia Damascenis, minora, quæ etiam viridia planè concoloria sunt, vt videantur matura.

Pruna Augusti.

Pruna purpurea ossiculo incuruo. Pruna purpurea vel coerulea magna, nonnihil sublonga, ossiculo nudo manente, maturescunt Augusti fine. Damascenorum genus quoddam esse videtur, ossiculo incuruato. Montb. in horto E.C. satis copiosè prouenit. Talia obseruauimus Goeppingæ in Ducatu Wirt. vbi copiosè coluntur & exiccantur ad vsus medicos & culinarios. Hungaricis non cedere videntur. vocant Zwetschken. Eadem nobis visa in Wisensteig / horto Ill. Comitis.

Aliud pruni genus præcox in horto Montb. habetur, quod citò maturescit, colore purpureo.

Pruna sublonga, parua, alba, vnciæ, digitiue latitudine, interdum non maiora, facilè nucleum linquentia, acidodulcia, optima & delicatiss. cruda & exiccata. Hæc ex diuersis Burgundiæ locis conquisita in hortum Montb. plantata sunt. Maturantur ferè Aug. principio.

Pruneolorum cereorum vulgò Ziparten dictorũ arbor plerumque vulgaribus Prunorum arboribus minor est, siue caudicẽ spectes, siue ramos & folia. Præcipuũ verò est fructuũ discrimen, qui autumno primùm maturescunt, colore cereo, cui glaucedo aliqua aspersa, non multò maiores Prunis siluestribus, pediculo sescunciali hærentes, sapore dulci, ossiculo facilè à pulpa separabili, cui ab altero latere crista secundum commissuram nonnihil elata. Hæc Basileà accersita, vbi in lautioribus hortis coluntur, in hortum E. C. Montb. plantari curauimus. In pago Raupach Besfordiæ vicino copiosè coluntur, & in magnas arbores excrescunt. Maturescunt Sept. In Ducatu quoque Wirtemb. potissimùm circa fontem ad n. habentur prædicto nomine.

Pruna paruis persicis simillima. Anno 1607. principio Septembris ostendente Char. fratre C. Bauhino vidi pruna valde speciosa, magnitudine ferè paruorum Persicorum, cum sulco in medio, qualem habent Persica, colore sunt rubra, carne firmiuscula, saporis grati, iucundi, subaciduli: prò proportione fructus paruus, à carne separabilis, aiũt plures in hortis haberi, ac inter alios honorandum nostrum affinem Dn. Feschinn Consulem meritissimum. Hoc genus Pruni existimo esse Prunidactyla Clusij. *Hactenus de generibus & differentijs Prunorum.*

Locus & tempus prunorum in genere: Ne verminulosa fiant. Prunus in genere, solo læto gaudet, & humido: Coelo tepidiore meliùs adolescere putatur, quamuis & frigidius possit sustinere. Non temerè in montibus visa Prunus, inquit Plin. Locis glareosis & arenosis, nisi iuuetur lætamine, caduca Poma & verminulosa non grandescunt: autor Palladius. Gignuntur hodiè in omnibus cogniti orbis regionibus, sed potissimùm vbi terra sit soluta & hortensis. Quapropter paucos videas in Europæo tractu hortos paullò cultiores, in quibus non Pruni aliquod genus reperiatur: quamuis Tragus scribat, Pruni varia genera tardè ad Gallos & Germanos commigrasse: sunt tamen hodie apud eosdem vbique ferè locorum notissima.

Pruna omnia, post Catonem cœpisse manifestum esse, ait Plinius: specialia loca in differentijs dicta sunt: Damascena tamen sicca terra & cœlo calido gaudent, vt Pamphilus scriptum reliquit.

Florent plærumque cum Ceraso, Aprili, aut etiam citiùs. Nos Prunum etiam vidimus florentem Septembri in pago *Admancurt*, comitatus Mõtbelgardici, Anno 1580, & denuò non vno in loco An. 1599.: quemad. & hoc quo hæc cõmentamur, 1603. quo & fructus vidimus magnitudine auellanæ: Ex quo patet promptitudo germinandi florendique huius arboris, si vltra consuetum tempus æstiuum extendatur. Fructum diuersimodè maturant, Iul. Aug. & Sept. mensibus, vt particulariùs dictum in præcedentibus. Monspelij obseruauimus Prunum habentem magnum fructum & florem simul mense Aprili: estque contumacis vitæ Prunus.

Sationis tempus. Pruna Columellà post mediam messem, vsque ad Idus Feb. seri præcipit. Plinius verò Italiæ serendi tempus Prunis post mediam hiemem & Idus Feb. indixit: oportet autem Prunos distantiores serere Piris, autore Theoph. si ossibus serãtur, vt tradit Pallad. autumno, mense Nouembri solo putri & subacto, duobus palmis obruantur: eadẽ ponantur mense Feb. sed tunc priùs lixiuio sunt maceranda per triduum, vt citò germinare cogantur. Ponuntur & plantis, quas ex caudice mense Ian. exeunte, vel Feb. circa Idus sumemus radicibus fimo oblitis.

Extirpandæ sunt soboles à radice, exceptis rectioribus, quæ seruabuntur ad plantas. Si lan-

Google

Vulpium venenum. Dulcium vsus. purgant. Nuces Græcæ. Morbus regius. Vitia sedis. Olei vires. Purgat. Vari Vermiculus aurium.

quinis ferè præsumptis, ebrietatem non sentire potores: vulpesque, si ederint eas, nec contingat è vicino aquam lambere, mori. Minùs valent in remedijs dulces, & hæ tamen purgant, & vrinam cient. Recentes stomachum implent. Nucibus Græcis cum Absinthij semine ex aceto sumptis, morbus regius sanari dicitur: item illitis persæ vitia sedis & priuatim condylomata. Idem tussi & sanguinis reiectionis prosunt.

Idem Plin. de Oleo Amygdalino has tradit vires. Oleum Amygd. purgat, mollit corpora, cutèm erugat, nitorem commendat, varos cum melle tollit è facie. Prodest & auribus, cum rosaceo & melle, & Mali Punici germine decoctum, Vermiculósque in his necat, & grauitatem auditus discutit, sonos incertos & tinnitus, obiter capitis dolores & oculorum. Medetur furunculis, & à Sole vstis cum cera. Hulcera manantia & furfures cum vino expurgat: Condylomata cum meliloto. Per se verò capiti illitum, somnum allicit.

Dolor cap. & oculorũ. Vlcera. Condylomata. Ad somnũ. An Amygd. amara sanguinem sistant. Cotra Plin. & Diosc.

Vt verum fateamur, non placet, quod scribit Plin. Amygdalas amaras sanguinem sistere: quod multò minùs existimamus fieri addita Mentha, vt ille vult, quamuis idem quoque sentiat Diosc. In vtrisque enim nulla astrictio aut frigiditas, sed calor & facultas aperiendi. Quod si sanguinem sisterent, et probandæ essent in canum morsibus: nec vtiles essent in obstructionibus.

Vlcera pudendi.

Hippoc. l. 1. de morb. mul. Si prægnanti pudenda superficiario ac feruido vlcere affecta sint, Amygdalas tritas & medullam bubulam cum aqua coquere præcipit, & modica farina addita pudenda illinire, & aqua coctis Myrti baccis perluere. Idem l. 2. ad tussim ex præfocatione veteri præscribit Amygdalas amaras depurgatas.

Tussis ex præfoc. veteri. Ephelis.

Amygdala inquit Gal. quæ palàm amara sunt, omninò extenuãdi vim possident, Ephelin expurgant & excreationibus ex pectore pulmoneque crassorum lentorumque humorum impendio conferunt. In iecore crassorum viscosorumque humorum in extremis vasis impactorum obstructiones abundè expurgant expediúntque. Quin & laterum dolores ab huiusmodi causa natos, & Lienis, & Coli & Renum. Porrò & ipsa arbor vniuersa similem sortita vim est. Nam huius radices coctæ atque illitæ ephelides purgant. Quotquot verò sunt Amygdala dulcia, & ipsa leuiculam amaritudinem possident, quæ tamen dulcedine superante occultatur: cæterùm id temporis spatio clarum fit. Qualitas autem dulcis moderatè calida est.

Obstructio iecoris. Laterum dolor. Et dulcia aliquã habere amaritudinem.

Idem alibi, Amygdalæ, inquit nihil prorsus habent facultatis adstringentis: sola enim tenuandi facultas ac detergendi in eis præpollet, quâ tùm viscera purgant, tùm humores è pulmonibus ac thorace sputis expectorant. Quædam autem ipsarum facultatem habent succos crassos ac lentos incidendi adeò exuperantem, vt mandi præ amarore nequeant: oleosæ tamen ac pinguis qualitatis, vt Nuces, participes: cuius causa, & ipsæ procedente tempore fiunt, vt illæ, oleosæ. Minor tamẽ eis inest hæc qualitas, quàm in Nucibus: quo fit vt tardiùs, quàm Nuces, oleosæ fieri cernantur. Ex ijs sanè intelligi potest, quod neque ventri subducendo cõferunt, neque corpus multùm nutriunt. Quæ verò qualitatem amarã habent præpollentem, eæ ad pus & succos crassos ac lentos ex thorace & pulmonibus expuendos plurimùm conferunt.

Nulla adstrictio. Ventrẽ non soluunt. Non multũ nutriunt. Sputum.

Rursus alibi: Amygdalæ amaræ Mundificant & tenuant, & aperiunt oppilationes hepatis, & adiuuant ad spuendam humiditatem ex pectore & pulmone.

Et de simpl. med. Galeno attributo opusculo hæc leguntur: Amygdala est & suauis & amara, & vtraque viribus stiptica: magis tamen sunt in vsu medicinæ, & aptiores amaræ, eò quòd subtiles magis. At paullò antè ex eodem Galeno traditum nihil planè adstrictionis habere amygdala: ex quo patet librum hunc esse spurium, non genuinum Galenj. Hunc posteriorem locum sequuti Germani plerique falsò sibi persuadent Amygdala ventrem stringere. Eóque res venit vt mulierculæ medicastriæ, quæ hoc à non multò se doctioribus hauserunt annularis togatisq; pecoribus, ignorantiæ ausint insinuare ipsis contrariũ persuadere conantes: sed mundus vult decipi, decipiatur ergo.

Styptica. Lib. de simpl. med. non est Galeni. Vulg. Germanorum error.

Porrò quod de facultate Amygdalarum aduersus ebrietatem suprà ex Plinio & Diosc. adduximus, quia id non parum momenti apud quosdam potatores habere videtur, sciant, si in sua arte confirmari velint, eiusmodi effectus causam esse amaritudinis vim exiccantem, & humiditatem discutientem, vtj vult Plutarchus in sympos. lib. 1. quæst. 6. quo loco refert apud Drusum Tiberij Cæsaris filium Medicum quendam, (nimirum voluit ex arte bibere) qui alios omnes subinde bibendo vincere solitus erat, antequam potaret, quinque sexúe Amygdalas edentem fuisse deprehensum: ac deinceps id facere prohibitum, à vino facillimè superatum fuisse, immò ne tantillùm quidem ad compotationem perferendam valuisse. Bellum veró mehercle Medicum, qui quod naturæ contrarium deprehendit, ne arte destitutns videretur, arte comparandum, vel sanitatis morumque adeò iacturà, non dubitauit. Vtinam non essent hodie, qui ne Amygdalis quidem ad eam rem egerent. Eandem historiam ex Plutarcho citat quoque Athen. qui tradit præsumptas Amygdalas bibendi appetentiam summopere excitare. Eupolis:

Ratio cur Amygdala ebrietati resistant. Medicus potator artificiosus citatur.

Da quas manducem Naxias Amygdalas:
Da vinum quod bibam è vite Naxia.

Naxias.

Ipse quoque Diosc. in Eupor. mulsum Amygdal. amararum Cyathi vnius mensura ebrietatem arcere tradit. Nouimus tamen, qui amuletum illud aduersus ebrietatem in vsu habentes, nihilo secius à Baccho obruuntur, ac nimia sui remedij fiducia decepti, ita prosternuntur, vt nec manus nec pedes suo ampliùs fungi possint officio: vt cogitare necesse sit:

Experimentum contrarium.

Vicisti tandem Bacche, Vicisti.

Diocles apud eundem Athen. scribit nutrimenti multùm Amygdalas suppeditare (hoc sup. Galenus negauit) iucundas esse ventriculo, calfacere, quia oleosum quippiam habeant: τὸ ἐλαιῶδες. Sic legit Ruellius. Quidem legunt ῥογχῶδες: alij κοχχρῶδες: alij ἐπιγλῶδες. Ruellium sequitur Dalech. quamuis certum sit, vt idem quoque annotat, illos qui plurimùm nucibus vtantur, raucescere, humectata illarum pingui liquore tunica interiore gutturis. Amygdalarum tamen minùs operosa coctio est. Quamobrem citra noxam multas edimus.

Lectio apud Athen. varia.

Diphilus scribit, Amygdalas attenuare, prouocare lotium, purgare, parum nutrire: recentes ac virides prauum succum gignere, & eum pauciorem: siccas autem inflare & innatare magis: teneras, plenas, albas, lacteas meliorem succum gignere: ex siccis Thasias & Cyprias, quia sunt teneriores promptiùs excerni.

Purgant. Parum nutriunt. Vrinam cient. Thasiæ & Cypriæ.

Mnesitheus Atheniensis libro de eduliis, scribit: Amygdalas & Nuces Persicas castaneis esse deteriores, ex his tamen & cæteris cunctis nucum generibus in vniuersum edendum nihil esse

quod

quod non sit igne coctum, præter virides Amygdalas. Siccas enim pingues esse, quarum nocentissimam pinguedinem absumat ignis. Cæterùm Diocles scribens nutrimenti multùm Amygdalas suppeditare, cum Galeno, dicente, non multùm nutrire, sic conciliari potest. Parum nutriunt, si comedantur cruda cum cute nucleum immediatè integente, & non optimè masticata: vsque adeò compacta & densa eorum substantia est, vt obseruauerimus in multis portiones Amygdalarum deuoratarum, ac dentibus non benè attritarum, integras reiectas. Optimè verò tritas, vt teruntur pro lacte Amygdalino & aliis cibis ac ἐμβάμμασι, facilè crediderimus cum Diocle posse multùm alimenti suppeditare.

Mnesitheus quoque fortassis considerans incoctas reiici Amygdalas, dixit eas, & Nuces Persicas Castaneis esse deteriores. In Castaneis sanè pulpa non ita solida & cõpacta: nec obseruauimus vnquã incoctas frustulatim reiectas vt Amygdala.

Simeon Sethi eadem ferè de viribus quæ Dioscor. & Plin. habet: Is tradit modicè calidas esse, satis nutrire, attenuare & incidere. Amaras dulcibus esse calidiores: ebrietatem eius dici auertere. Oleum Amygdalarum dulcium, quod eadem ratione vt amararum exprimi potest: (modũ familiarem docebimus postea:) modicè & temperatè calidum esse: iecoris obstructiones aperire & auertere: Pulmoni etiam & pectori vtile esse, quod postremum nostra experientia multorum commodo sæpissimè exploratum.

Serapio ex Aben Mesuai, foliorum & florum Amygdalæ expressorum succum epotum ascarides cum purgatione deturbare scribit. Eodem collura inguina fœtorem amittere, iniectum auribus necare vermes. Oleum nucleorum (subaudi amararum) conferre dolori aurium frigido, & morbillis conferre illitu.

Mesues Oleum Amygdalarum dulcium magnis extollit laudibus, asperitatem gutturis, pulmonis, & partium cæterarum etiam externarum lenire, duritiem omnem ac siccitatem juncturarum & partium aliarum emendare: impinguare, conferre hecticis, semen augere, ardorique vulvæ & vrinæ iniectum commodare. Et est sanè medicamentum verè ἀνώδυνον, & ad multa efficax, blandum, gratum, & velut quidam typus aliorum oleorũ generis eiusdem: scimus quid possit in colico dolore, ab induratis fæcibus, ab humore acri,: in quibus tuto & maximo successu multoties exhibuimus. Sed recenter oportet esse expressum: datur ab vnciis tribus ad libram semis plùs minùs, vel per se, vel cum iure carnium. In constipata aluo, mite, tutum & probatum experimentum, etiam renum dolore diuexatis. Est etiam insigne anodynum, & vnicum propemodum infantium medicamen.

Olei Amygd. amar vires.

Idem Mesues oleum Amygdalarum amararum tradit obstructa aperire, flatus resoluere & dissipare, etiam in aurium tinnitu, & eiusmodi aurium morbis, asperitates lenire, neruorum mulcere dolores, durities mollire, panum faciei delere. Auicenna scribit pilulas fieri ex Amygdalis & oleo Amygdalino ad famem diu tolerandam. Illud consideratione dignum, quod apud Auic. legitur gummi Amygdalæ adstringere & calefacere, quod nobis quidem vero minùs consentaneum videtur, quamuis in eo ipsum adeò Dioscoridem secutus videatur. Facilè concesserimus adstringere per accidens, nempe glutinando, viscido liquamine in humore aliquo dissolutum,

Pilula ex Amygd. ad famem.

Auic. not.

quã ratione dysentericis quoq; prodesse putamus. Sed de hac re doctiorum esto iudicium, aut quibus est in hac re aliqua experientia.

Cautio. Alia Cau-

Non omittendum quod Trallianus tradit Amygdala & Pistacia in hepaticis dysenteriis caueri debere, eò quòd facilè corrumpantur, & oleosa sint, promptéque in bilem mutentur, & excrementum asperius reddant, vt hinc venter magis, crebriúsque iritetur. Idem alibi præcipit de purulentis: si aluus non sit citata succum Amygdalarum, sin autem sit citata nihil prorsus de iis exhibendũ. Quo sanè loco, (quamuis & alios iam suprà ex Diosc. & Plinio citauerimus huc facientes) facilè refutare possis nostrorum Germanorũ, opinionẽ qui existimant adstringi aluum vsu lactis Amygdalini. At nos vix existimamus concedendum Tralliano in hepaticis Dysenteriis caueri debere Amygdalas, eò quòd facilè corrumpantur & oleosæ sint, proruptéque in bilem mutentur. Nobis enim videtur ea quæ difficulter concoquuntur, non facilè corrumpi & in bilem mutari. Nec oleositas tanta est in Amygdalis non rancidis, quæ id præstare possit. Cremor quidem eorum facilè acescit, si loco reponatur calido: non propterea in bilem vertitur. Sunt tamen qui moti autoritate Auic. dicentis Amygdalas ob suam vnctuositatem commouere choleram, sibi persuadent non tutum cremoris Amygdalini vsum febricitantibus, & iis qui stomachum biliosum habent, facilè inflammari, mittere ad caput vapores, vulnerato capite iis non vtendum, excitare dolorem capitis. Nos in cremore vnctuositatem illam non obseruauimus, nec quicquam nocumentorum iam dictorum, licet in febribus & calidis morbis sæpè vsi simus, & vtamur ipsi in dies, etiam in nostro corpore. Quod si etiam vel tantillum eiusmodi vitiorum iis inesset, aqua vel simplex, vel hordei decoctum, quo cum parari iubemus, id facilè emendat. Sed diligentibus medicis ista deinceps curiosiùs examinãda relinquimus: quæ ipsi obseruauimus, annotamus & in publicum conferimus: aliorum obseruationes non spernentes, si ratione & experientia confirmentur. Ridenda profectò & eorum sententia, qui lacteum cremorem è dulcibus Amygdalis parari solitum dari minimè debere anhelosis cæterisque pectoris & pulmonum vitiis laborantibus contendunt, quòd falsò sibi persuadeant cremorem hunc omninò adstrictoriæ facultatis non obscurè esse participem. Amygdalarum in cibis vsum genitale augere semen volunt, quod profectò vix alia fieri queant ratione, quàm quòd multum nutriant eã quã suprà dictum ratione est. Etenim semen excrementum benignum vltimi alimenti. Nam nec magno acriue calore, nec flatulenta qualitate (quæ duæ etiam causæ semen excitare & stimulare solent) illud præstari certum est.

Germanorum error denuò refutatur.

Cur Amygdala semen augeant.

Tragus Amygdalis adstrictionem non tribuit quidem, sed tamen addit. Amygdalæ in cibo vsurpatæ præsertim si pultes ex iis conficiantur, adhibita aqua, in qua candens Chalybs extinctus fuerit, aluum lubricam adstringuunt: At id nos Chalybi tribuimus non Amygdalis. Succus Amygdalæ amaræ expressus coxendicum dolores lenit, teste Sereno.

Qua ratione adstringant Amygdala.

Amygdalis, inquit Matth. plerique vtuntur & ad roborandam venerem; & ad reficiendas vires, quamuis Galenus non multùm alimenti suppeditare scribat. Ægrotantibus nutricibus, Amygdalino lacte, cum aqua cardui benedicti extracto dies aliquot infantes sustentari possunt. Amyg-

Ad Generẽ. Ad Vires.

dalæ dulces masticatæ gingiuarum dolores tollunt.

Virides Amygdalæ. Earumque vires.

Virides Amygdalæ, suo integro operimento, comestæ, vt tradit Amatus, bonum faciunt stomachū, & illū ab humiditate emendant. Quia verò Hipp. æstuosas dicit ob pinguedinem, ideo Auic. dixit *saniē* earum commouere Choleram ob suam vnctuositatem: ad quod aduertant (inquit Amatus) qui indiscretè febricitantibus Amygdalatum porrigunt, aut saltem ijs qui stomachum biliosum habent, ne magnum afferant ægris nocumentum. Sed de hac re paullò antè iudicium nostrum diximus.

Cautio.

Dulces Amygd. Oleum.

Dulces Amygdalæ, teste Turnero, cerebri substantiam augere creduntur, macilentis vtiles. Earum oleum ad Conuulsionem à siccitate laudatur: amararum verò oleum, vno gradu, eo quod ex dulcibus exprimitur, calidius est, accommodum auribus obstructis, flatu distentis crassiusculo, tinnientibus, surdastris, verminantibus. Experientiâ compertum est, hoc oleum præ cæteris omnibus oleis, auribus esse conuenientissimum. Amygdala amara, sumpta cum vino dulci, vt muscatellino, aut arte facto, quod *Bastard* Galli vocant, vrinam prouocat, ac vrinæ difficultatem tollunt, prosunt laborantibus calculo & arenulis, teste Dod.

Aurium obstructio. Tinnitus.

Vrinæ difficultas Calculus.

Lacuna refert Amygdala dulcia difficulter coqui à ventriculis debilibus, mittere ad caput vapores, ideoque reprehensione dignos esse medicos, qui in omnibus naturis & morbis ægris præscribunt Amygdalatum, quòd facilè inflammentur, nisi admisceantur semina Melonum aut Cucurbitarum & papaueris. Nos verò Lacte seu emulsione Amygdalarum dulcium ex decocto Hordei deglubiti, in calidioribus affectibus pro potu vtimur: Addimus etiam interdum semina Cucurbitæ ac Melonum, etiamque papaueris albi & lactucæ, si vigiliæ vrgeant.

Quorundā error.

Bruerinus de re cibaria: Mirum, ait, cur obesiores fieri vescentes Amygdalis nonnullis sit traditum, cùm leuiter alant. Sed mirari desinet, si cogitauerit tales vel esse famelicos & proinde firmo stomacho, vel sanè in quæstione adhuc esse vtrumque ab eo positum: vel denique Amygdalas non primariam esse impinguationis causam, neque simpliciter verum esse, leuiter alere, quamuis Gal. id scribat. Sunt enim & multi alij, qui contrarium statuunt.

Cautio!

Paræus in sua Chirurgia, in fractura capitis non vult læsos vti Amygdalato, dicens Amygdala excitare dolorem capitis. De hoc quoque antè dictum. Nec videmus, qua id ratione fieri queat. Sæpe accidenti alicui hęc vel illa assignatur causa, quæ nihil minùs quàm eius causa est. Ratio inspicienda, non negligenda experientia, si cum aliqua ratione coniuncta sit. Alioqui ne experientia quidem fuerit.

Harchius in suo Enchiridio Amygdalarum viresquasdam paucis versiculis complectitur:

Decoctum faciem decorat capitisque dolores
Sanat, at infessu menstrua pigra ciet:
——————Conciliant somnia fructus.

Quoniam verò compositionum aliquot in his Amygdalarum viribus meminimus, placet præcipuas aliquot hic in gratiam studiosorum adijcere.

Eclegma ex Amygdalis eiusque vires.

Prima sit Eclegma illud Mesuei, phthisicis saluberrimum: sed etiam hecticis & aliter consumptis, quod, & tussim lenit, ac intemperiem multùm siccam pulmonis & thoracis, & tussim inde siccam. Recipit autem Amygd. dulcium & amar. seminis lini torrefacti, nucleorum pineorum, anisi, tragacanthi, gummi Arab. ficci & rad. glycyrrhizæ ana drach. vnam & dimid. sacchari, penidior. ana drach. tres: excipiantur mellis & succi fœniculi simul coctorum quantitate sufficienti.

Marcipanis.

Ex Amygdalis & Amylo Seplasiarij hodie delicatis, & deliciarum mancipijs placentas, *Marcipan* vulgò vocant, conficiunt, quas consultiùs erat ægris exhiberj, quàm nocturnis compotationibus, quod ferè fieri solet, inseruire. Meliores his delicatioresque fiunt ex Amygdalis cum saccharo & aqua rosata. Tabidis conuenientissimum est sequens.

Alius.

Alius ad Tabem.

Amygd. dulcium exortic. vnc. ij. pinearum vnc. ij. passul. enucleat. & decorticat. pulpæ dactyl. ana vnc. j. & f. gummi arab. & trag. ana drach. j. Amyli vnc. ij. pulpæ capi elixi vnc. iiij: fructus macerati cum aqua cum reliquis tundantur, & saccharo paulatim asperso fiat massa: indeque cuiusq; figuræ panes sensim siccandi. Addere potes & semina cucurb. & melonum cum semine papaueris si magis refrigerare voles. Præstans quoque est Pasta regia Mesuei ex ijsdem parata: Nec tamen dicenda, ne potiùs ad pompam, quàm ad studiosorum compendiū & historiæ huius gratiam id præstitisse videamur. Videat apud ipsum, qui volet. Lubet tamen Lactis Amygdalini modum docere, propter exoticos, ad quos fortè hæ nostræ lucubrationes, si Deo ita visum fuerit, vt mereantur, peruenient, apud quosque fortè non est in vsu.

Lactis Amygdalini præparatio.

Amygdal. dulcium à cuticula purgatarum, (quod fit aqua tepida, non feruente, ne oleosa substantia prouocetur in actum, sicque lac non benè album fieret) quantùm voles, vnc. iij vel iiij: addi possunt semina melonum & cucurbitarū, itidem decorticata ad vnc. j. sem. lactuc. & papau. albi (præsertim si refrigerare magis voles, somnūue placidum, non violentum, quod fit opiatis, accersere,) singul. drach. j. vel ij. contundantur in mortario marmoreo, quod omnium optimum ad hanc rem, sensim affusa aquâ coctâ, aut decoctionis hordej, vel etiam sero lactis, pro ratione scopi, traijce per linteum, & in loco frigidiusculo reserua: nam citò acescit. Possis & cū solo hordeato & Amygdalis parare.

Amygdalatum.

Hæc quæ sequuntur desumpta ex Gesn. libello de lacte & operibus lactariis obliuioni tradenda non sunt. Naturæ lac imitatur Amygdalatum, quod tum ad delicias, tum ad sanitatis beneficium ætas nostra frequentissimè parat. Amygdalæ circiter libræ pondere calidâ resoluuntur, vt faciliùs cortice spolientur, deinde cum pane excauato tunduntur. Tusæ ac dissolutæ recenti aqua in cacabum per setaceum fundūtur, & procul flammâ in carbonibus agitatæ cochleari, propter fumum, coquuntur. Sacchari adiicitur selibra. Parum coctutæ amant, liquidum enim hoc ferculum magis quàm spissum placet. Sunt qui & aquam rosaceam addant. Idem ibid. Caseus ex Amygdalino lacte. Amygdalinum lac ouis temperato, salitum decoquito, & si libet crocum adiice, aut alia quælibet aromata: tum densatum igne cochleari diligenter permiscebis, & impones setaceo, vt quod liquidius est defluat, tandem saccharatum conuiuis appones.

Caseus ex Amygdalino lacte.

Si etiam lac cœruleum facere volueris, Amygdalium cū cyani floris succo para loco aquæ. Huic deinde oryzam aut far incoquere licebit. Aliud cibarium ex Amygdalis, lac coagulatum referens. Amygdala tusa per setaceum transferes cum aqua, deinde calfacies ad ignem semper agitando

Google

gitando rude, miscebitque ius piscium, sine pedibus vitulinis aut ouinis gelatum, ac vteris frigefacto. Nos non possumus nobis persuadere ex floribus cyani tantum succi posse extrahi. Coletus in libris de coquinaria multa præclarè parare docet ex Amygdalis, quem consule.

Cinis & lixiuium Amygdala. Vsus Mechanicus. Nec tacendum quod Theoph. scribit Amygdalæ arboris cinerem lixiuiúmque vt acerrima, ad fornaces artésque aliquas commodá materie vtiles esse. Dalech. quoque annotat, Gummi Amygd. in vsu multo esse ad pannos sericeos oblinendos (vulgò artifices id aiūt, *donner l'eau*, dare lustrum) firmiores vt sint, ac minùs corrugati laciniatique, & minùs obterantur.

Noxa Amygdalarū. Obseruatio mirab. sitcendibus. Dictæ sunt vires, dicantur & noxæ. Tradit Marcellus Virgil. felem non vltra septem aut octo Amygdalis amaris haustis torqueri cœpisse, & velut furiosum circumactum, toto tandem corpore distentum periisse, non vltra horam à cibo illo protracta vita.

Matth. quoque non solùm Diosc. sententiam confirmat de Amygdalis amaris lethalibus vulpeculis: Sed nos idem quoque accepimus verum esse, ab industrio Io. Lutzio, pharmacopœo Kirchensi in Ducat. Wirtemb. qui narrabat ex magmate expressionis olei Amygdalarum amararum in plateas eiecto, mortuas aliquot gallinas, quæ id comedissent, quod olim quoque monuerat

Magmatis expressionis olei vsus. Matth. in historia Germanica. Meliùs itaque posthac suis rebus consulent, si istud magna muliercults & deliciæ deditis virginibus aut adolescentibus dono dent, quod est præstantius ad extersionem manuum & faciei, loco saponis, tam ex dulcibus, quam ex amaris.

AMYGDALOPERSICVM.

Cap. VIII.

Descriptio Folia. Flos. ARbor est inter Amygdalum & Persicum ambigens, materie, folio, fructu. Folia enim oblonga, serrata, pediculo plusquam semunciali, virentia, sapore amaro. Flos quinque constat foliolis rotundis, colore carneo, vngue sanguineo, staminibus multis purpurantibus, ex vmbilico caliceue quinquepartito rubente.

Fructus. Carnis pulpa, densior & copiosior quàm Amygdalis, minùs copiosus quàm Persicis.

Os. Os licet Amygdalarum, vt persicis tamen rugosum: nucleus qualis Amygdalis.

Vsus. Teneriorem fructum, antequam durescat putamen, condiunt. Nucleus vero edulis vt Amygdalarum, à quibus vix gustu discerni queat.

Locus. Visa nobis primùm hæc arbor in horto nobilissimi Viri Iacobi Waldner à Freudstein in Hartenschuuiler superioris Alsatiæ, ex qua ossicula plantauimus Montbelgardi. Nona progenies, quæ ex Amygdalo seu nuce Græca & Persica facta, seu Amygdalopersicum, Carol. Steph.

Synonyma *Amygdalo Persicus* arbor Græcis haud nominata Gesnero. Consideret tamen Lector quæ de Nucipersico dicta sunt in superioribus. Amygdalopersicus, cuius exterior pulpa Persicum pomum sapit, nucleus interior Amygdalū Camer. Amygdalopersicum nunc in Alsatia frequens, cuius osseus cortex

Locus. persici instar rugosus, & nucleum Persicum solet, grati saporis: fortè Persico primò insita. Germ. Ein baum. halb Mandel vnd pfersich. Gal. *Amande Peschier.* It. *Mandiola Persico, Mezo Mandiola mezo Persi-co, &c.*

AMYGDALAM REFERENS FRVCTVS HIRSVTVS.

Cap. IX.

Amygdala SCribit Clus. in Exot. A Iac. Garetó, accepimus fructum qui ita Amygdalam referebat, vt primo aspectu Amygdala esse videretur: sed longi villi quibus erat obsitus, diuersum esse ostendebant.

Descr. Huius exhibet figuram in tabella sub numero quarto, Erat autem inquit, vncia paulo longior, minùs vncia latus, fuscus, vndique villis densus (nisi vbi atteri & detergi erant) in dorso autem

Nucl. longioribus, coloris inter fuscum & spadiceum mixti, cortice verò adeò tenaci, licet tenui, præditus, vt magna difficultate aperire possem: nucleum enim continere, ex strepitu quem motus agebat, intelligebam: erat verò Amygdalæ suo putamine exemptæ par magnitudine, vno tamen latere sinuosus aliquantulum, vt Phaseoli formam veriùs exprimeret, quàm Amygdalæ, qui que in binas partes separari poterat, tenui candicante membrana tectus, ob vetustatem cariosus, vt quis esset eius sapor discernere nequirem. Solet

Muria conditus. verò interdum, is fructus afferri muriâ conditus, formâ penè exigui cucumeris, sed multò saturatiore viriditate præditus, qui muria exemptus, paulatim flaccescit, & pulpa tandem in pollinem cum cute resolutâ nucem relinquit, eiusmodi villis tectam, vt obseruabam in ea quam ab ipso accipiebam anno 1606. binas vncias cum semisse longam, vnciam aut paulò ampliùs latam. Illum autem fructum anno insequente *Manga* esse deprehendebam: de quo consulendi Garcias cap. 14. lib. 11. Christophorus à costa cap. 43. & meum in

Manga. illud caput scholium:

Locus. Folia descrip. Afferebat mihi Anno 1599. Franciscus Rodriguez, Bengalæ regno oriundus, ex Bantam Iauæ imperio, Mangas arboris istic nascentis aliquot folia, cum fructus eiusdem arboris nucleo: Erant verò ea folia densa, & quodammodo coriacea, instar annotinorum Laurocerasi foliorum, nouem, decem interdum plures vncias longa, binas cum semisse vel tres lata, in ambitu non serrata, oblongiusculóque mucrone prædita; crassiore neruo illa per medium secundum longitudinem secante, à quo vtrinque sedecim vel septemdecim crassiuscula venæ in latera excurrebant, tenuioribus aliquot venulis vix apparentibus intersepta: ea manducata acrimoniam habere deprehendebantur, qua forsitan retecta.

Garcia ... Mirabar autem neque Garciam, qui hanc arborem in suo prædio habuisse scribit, neque Christophorum à Costa, qui plura eius genera facit, & plantas ipsas ad viuum expressisse non vno loco gloriatur, foliorum formam declarasse.

Amygdalæ forma nucleus. Nucleus porrò longioris Amygdalæ suo crasso operimento repurgatæ magnitudinem habebat, membrana tectus, cinerei coloris, substantia autem pene instar nucis Fausel siue *Areca* constans, in qua nullam amaritudinem, imò ne alium quidem manifestum saporem deprehendebam, nisi in resiccato (qualem accipiebam) eouanuisset. Ad scriptum erat valdè commendari ab incolis.

Fructus immaturi. Eiusmodi autem fructus immaturos & adhuc tenellos, muria conditos, postea afferebant quotquot nauigationem instituebant in Indiam, quibus in reditu cum aliis cibis vescerentur, teneriorum cucumerum muria, etiam conditorum loco, vt mo-

Coccymelea Myrobal. Emblica. Chrysobalanus.

sto transcripsisse indubiè affirmare ausimus. In hoc tamen euariat Plinius à Theophrasto. Hic Mespilo comparat: ille spinæ Ægyptiæ: hic nucleum rotundum, ille lignum grande dicit: reliqua reipsa eadem, verbis tantùm discrepantia. An verò Coccymelea Plinij seu Theoph. sit Myrobalanus emblica officinarum, vt & Chrysobalanus Galeni flaua, vt ex quorundam sententia annotat Dalech. suo loco patebit. Prunis, inquit Plin. succus aquosus: foris corpus, intus lignum.

Differentia Prunorum Plinio. Hordearia. Asinina. Nigra. Cerina. Purpurea. Armeniaca. Nuciprunа.

Alibi verò diligenter persequitur differentias his verbis. Ingens turba Prunorum, versicolor, nigra, candicans. Hordearia appellata, à comitatu frugis eius, (quòd cùm Hordeum metitur ea maturescant.) Alia eodem colore seriora maioràque, Asinina cognominata à vilitate. Sunt & nigra, ac laudatiora cerina atque Purpurea. Nec non ab externa gente Armeniaca, quæ sola & odore commendantur. Peculiaris impudentia est Nucibus insitorum, quæ faciem parentis succumque adoptionis exhibent, appellata ab vtroque Nuciprunâ. Et hæc autem, & Persica, & Cerina, ac syluestria, vt Vuæ, autumno cadis condita, vsque ad aliâ nascentia ætatem sibi prorogant. Reliquorum velocitas citò mitescentium (maturescentium Dal.) transuolat. Nuper in Bœtica Malina appellari cœperunt Malis insita, & alia Amygdalina, Amygdalis. His intùs in ligno nucleus Amygdalæ est: nec aliud Pomum ingeniosius geminatum est. In peregrinis arboribus dicta sunt Damascena, à Syriæ Damasco cognominata, iampridem in Italia nascentia, grandiore quanquam ligno, & exiliore carne, nec vnquam in rugas siccata, quoniam Soles sui desunt: (quanquam Soles sui non desint:) sed Pruna omnia post Catonem cœpisse manifestum est. Cerea quoque Virgil. celebrat vnic.

Malina. Amygdalina. Damascena. Pruna post Catonem.

Cerea Virgil.

Sunt aut: nnali Cerea Pruna die.

Et in Ecloga 2.

Addam Cerea Pruna, & honos erit huic quoque Pomo.

Cereola.

Columella:

Armeniisque & Cereolis Prunisque Damasci.

Nigra. Generosa. Cerea. Damascena.

Et Ouid. in sua Metamorphosi,

Prunaque non solùm nigro liuentia succo,
Verùm etiam generosa, nouasque imitantia ceras.

Galenus Iberia & Damascena celebrat, vti patebit in viribus. Palladius ea Damascena dicit, quæ suo seculo siccabantur in sole per crates loco sicciore disposita. Talia etiamnum hodiè in officinis Damascena dicta sunt: Δαμασκηνῶν κοκκυμήλων Athenæo tamquam ab alijs diuersum (alij tanquam cæteris præstantiorem) quæ gignuntur in alijs regionibus. Pruna igitur hæc sunt & alijs & Hipponacti memorata, vt refert idem Athen.

Coronam habui è Prunis atque Mentha.

Prunorum Corona concertatorum & præmiũ victoria.

Alexis;

A. Quin & in somnis videre visus sum mihi
Præmium victoriæ. B. Quale id erat dic tu.
A. Aduerte tum animum.
In stadio concertatorum me quispiam
Nudus accedens coronare visus est corona tortili
Prunorum. B. Dij boni. A. Maturorum.

Idem rursus

Vidistin vnquam omasum paratum, aut splenem inquinatum condimento, maturorumque Prunorum sportam?

Talis est prorsus eius facies.

Nicander:

μῆλον ὃ κόκκυγ⊙ καλέουσι

Malum quod Cuculus vocant.

Coccyges.

Ita vertunt. Annotat Dal. κοκκύμηλον: quòd grandescentibus cucullus è suis latebris prodeat & conspiciatur: sed quid commune aut simile Pruno cum cucullo? Clearchus Peripateticus scribit, Rhodijs & siculis Pruna vocari βράβυλα, vt apud Theocritum Syracusium?

Brabyla.

Ramos Brabylis graues & in terram curuos.

Et alibi:

Quantò Malum Brabylo suauius.

Brabylon. Athen. not. Syluestre Damascen. Mala 74. Brabyla. Prunus Spodias. Coccymelea. Coccymalum. Persica.

Est autem Brabylon fructus, Pruno vulgari ambitu minor, eodem sapore, sed paulò acrius. Hæc quidam referunt ad Prunum Damascenum. Dalechamp. reprehendit Athen. quòd τὸ δαμασκηνὸν ineptè vsurpet, pro ... vel ... Acerbius est Prunum sylu. acidius Damasc. Seleucus in linguis, vt idem tradit Athen. eadem esse ait μάδρυα, βράβυλα, κοκκύμηλα καὶ τὰ ... Dicta porro sunt μάδρυα velut μαδῶντα: βράβυλα verò quia ducunt aluum, quasi βορὰν βάλλοντα, id est, cibos depellentia: & μῆλα quasi μύηλα, id est, Mala, vt Demetrius Ixion prodidit in Etymologia. Theophrastus, Prunus inquit, & spodias, quæ veluti Prunus syluestris est. Ataros Coccymeleam vocat ipsam arborem: Coccymalum verò eius fructum. Aristophanes Grammaticus in Glossis Laconicis scribit a Laconibus Pruna vocari ... id est, acida Poma Persica, & à quibusdam Adria. Nec solùm κοκκυμηλέα arbor dicitur, sed & κοκκύμηλ⊙, autore Polluce. Suidas τὰ κοκκύμηλα tradit vocari ..., quæ tamen rectiùs dicas Armeniaca, de quibus suo loco.

Adria. Coccymaelus.

Beriocca Suidæ not. Ochra. Onychina.

Pruna multi, vt testatur Curtius ὤχρα Græcè vocari arbitrantur. Nos verò eam vocem in hac significatione apud nullum probatum autorem inuenimus. Onychinæ autem ab vnguis colore vocantur eidem. ὄνυξ enim vnguis est. Sunt & versicoloria, & intèr has differentias quædam præcocia, alia serotina: quædam item lignum statim dimittunt, & hæc inter pretiosiora habentur, & huius dotis in multis generibus nomine est: Cæteris verò carne lignum adhæret.

Versicolorum quæ differentia.

Pruni etymon.

Goropius è Penu suo Cymbrico nobis aliquid noui importat. Pruna nos (inquit) *Pruinnen* vocamus, quasi *Purruinnen*, id est, Mora euacuantia. Latini itaque Prunorum nomen nostrati linguæ acceptum ferre debent. Hermolao teste: κοκκύμηλ⊙ & κοκκυμηλέα, seu ut ille scribit, Coccomelea & Cocomelos Græcè dicta: Pomum ipsum neutro genere, arborem masculino media comœdia pronunciat. Folio Arbuti describitur, si Theodorus Gaza audiatur: sed hoc Plinius Theophrastum secutus, non Pruno sed Coggigryæ vocatæ tribuit. Decepit hominem, vel corrupta lectio, vel nominum affinitas. sunt Pruna onychina Columellæ, nigris laudatiora.

Coccomelea. Cocomelos.

Gaza not.

Onychina. Κοκκυμηλέα. Etymon.

Et quia Pruni Etymi mentio incidit, non insulsè nobis Lonicerus in κοκκυμηλέας deriuationem originemne inquirere videtur. Equidem, inquit, haud satis indagare huius vocis, κοκκυμηλέα, etymon possum, vt rei respondeat. Ex compositione certè, κόκκ⊙ granum est, μῆλον Malus, aut μηλέα, Malum, vnde Pomum potiùs Granatum erit. Verùm historia & natura eius non respondet. Aliud enim est ῥοιά id est Malum Punicum, aliud Prunum. Propemodum eò inclinat animus, vt per barbaralexin puerum κοκκυμηλέαν factum esse ex latinè coquendi vocabulo, vt suprà contigit in Armeniacis

Coquimalum. Prumnus. Prumnum. Coccymelea est prunus.

malis, quæ Præcocia Romani vocant, quam vocem non rectè assequentes Græci homines, vt fit in aliena lingua, dixere πραικόκκια & βερικόκκια, vt κοκκύμηλα, veluti Coquimalum, hoc est malum coquens & digerens: deijciendi enim alui ei vis inest præcipua. Hinc & in Asia, vt Galenus ait, arborem & fructum πρύμνον appellant, quæ vox item non satis feliciter, translata est. Prumnum enim Asiaticum in medio redundat, quam simpliciter πρῦμνον Prunum dicendum erat. Atqui satis est κοκκυμηλέαν vel Gal. teste, esse Prunum. Coquimalum igitur prima sua origine dictum Prunum, postea Græcis κοκκύμηλον: & inde κοκκυμηλέαν dictum putat Lonicerus, quemad. à Pruno latinorum, Asiaticum illud πρύμνον corruptum.

Loniceri not.

At Cordus è contra Pruna, & Germanorum, præsertim Hassorum Praunen à Pruno deductū putat. Quod verò Lonicerus de pruno in genere ait vel Prumnō esse κοκκυμηλέαν, minùs fideliter ex Gal. dixisse videtur, qui non omnem vel indefinitè, Coccymeleam, sed syluestrem, πρύμνον in Asia vocari testatur. Quid si κοκκύμηλον dictum quis statuat, quòd malum sit, granum vel semen vnum in se continens: id est, Cocci malum. Immò quid si ipsi etiam Theophrasto dicta sit προύμνη? Is sanè in nono hist. cap. 1. δακρυώδεις, hoc est, lachrymas fundentes arbores, quæ concrescant (gummi vocant) recenset: ἡ δ' ἐξ ὑγρότης, inquit, τῶν δὲ πάχος ἱκανόν, ὥστε ἀφαιρεῖσθαι: τῶν δ' ἐστὶ δακρυώδεις γίνεται, καθάπερ ἐλάτης, πεύκης, τερμίνθου, κέδρου, ἀμυγδαλῆς, κεράσου, προύμνης, &c. Vides ipsum immediatè contingere eiusdem ferè naturæ ac generis arbores, Amygdalum Cerasum, Prunum. Nam & Gaza Prunum vertit, & Constantino in Lexico προύμνη Prunus est arbor Theophrasti ex loco citato. Vnde non mirum si subtilissimo Scaligero mirum videatur, ni nostra vox inde emanauit, si tamen ea nostra sit Prunus, inquit ille. At quominus sit: nihil impedit: immò ex eo ipso loco vel maximè patere videtur esse, Gummi enim seu lachrymam fundit, & Amygdalo & Ceraso affinitate proxima est. Addit Scaliger: Susinum Veneti, & Thusci: nescio an è Persis, πρύμνον etiam apud Galenum: At de syluestri Coccymeleà hoc Asiaticis dici paulò antè monuimus. βράβυλον προύμνη Laconibus, Had. Iun.

Cocci malum. Prune Theoph. Prunus à προύμνη Græcorum. Susinum. Scal. not. Linguarū nomina.

Anas Arab. Damran.

Anas, id est, Pruna, Serap. Bellunensis apud Auic. Pruna in margine annotat *Dmaran* dici. Sunt qui & *Aras* seu *Hagias* iisdem dici tradant. Hebr. *Kaschap*, teste Elia Leuita, vti citat Tragus. Germ. Pflaumen & Kriechen: quibusdam vt in Hassia etiam praunen, quam vocem à Prumno deductam putat Cordus, vt modò dictum. Exsiccata etiam Pruna, quæ ex Hungaria, Bohemia, Austria, Transyluania & Morauia in Germaniam importantur, omnia communi vocabulo Zwetschen vocantur. Minora ferè Kriechen vulgò: & Cerea Spilling. Germanis dicuntur, vt patebit in differentijs. Eadem appellatio arboris, si addas cuique dictioni arborem: baum, &c. Gal. *Prunier: Prune.* Montbelg. *des Beloces.* It. *Prune, Susino.* vel *Succin.*. Castil. *Ciruelo, Ciruelo* aut *Andrino*: fructus *Ciruelas* aut *Andrinas*: Catal. *Prunas.* Portug. *Amexieira*: fructus *Amexas*, aliàs, *Amexias.* Belg. Pruyme. Angl. Ploum tree. Bohem. Zilwei Sliweesiky. Hung. Zuua fiu.

Pruna exsiccata.

Differentiæ à sapore & facultate.

Differentiæ vel à sapore sumuntur, quæ potissima esse videtur, quòd ex ea facultas dependere videatur. Sunt enim quædam aluum sistentia, sunt & soluentia, alia mediam quodammodo naturam sunt sortita. Quæcunque dulcia sunt, aluum soluunt: quæ verò acerba sunt & austera, eam cohibent. In neutram partem valdè inclinant, acidodulcia vel acida, sed hæc siti febrientium maximè conueniunt. Sunt rursus alia magna, alia parua. Magna vulgato idiomate ferè pflaumen/ parua verò, Kriechen appellari consueuerunt. Colorum ac reliquæ differentiæ ex enumeratione patebunt.

Huius seculi Prunorū differentia. Galliæ Pruna. Prunorum differentia.

Ergò vt ad Prunorum differentias recentioribus obseruatas propiùs accedamus, ordine quodam singulorum diligentiam inspiciamus, exorsi à Ruellij, Galliæ Pruna potissimùm concelebrantis.

Prunorum itaque, apud Gallos innumeræ ferè differentiæ. Prima laus Damascenis tribuitur, nigra cute, carne suauj, rotundo ligno, exili nucleo. Secundas partes sibi vendicant *Pertigona* cognomine, *Iberica*, vt credo vocata, quoniam primùm ex Hispania venerunt, vt inquit Aetius, facci dulcioris, duriorisque carnis, suaui gustu: ea qua parte Solem spectant, purpureo nitent colore, aduersa parte candicant vel subrubent: vtraque pressa digitis internum os dimittunt. Alia coloris ceræ ex candido in luteum pallescentia, quæ *Cereola*, vel *Cerea* etiam apud Gallos vocitantur: Alia maiuscula, mollia, purpurea, *Pediculoria* vulgò à vilitate dicta; ijs sues rura saginăt. *Asinina* non ab re putauerim quoque dicenda. Commendantur maximè quoque quæ *Prunidactyla*, à longitudine digiti, vt puto dicta, purpurea, suaui carne, ouata pomi specie, insitionis mangonio nusquam non nascentia. Alia *Noberdiana*, item *Iuliana*, aliquantò seriora, coeruleo colore, cumulatim in parente intorto surculo pendent, dum passa contrahantur, in rugas.

Cereola. Pediculoria. Asinina. Prunidactyla. Noberdiana. Iuliana.

Curtij differentia.

Eadem ferè & Curtius habet: sed nouis annotatiunculis locupletata, & ab his quædam diuersa alia. Quædam grandiore, inquit, sunt ligno, quędam albo, alia purpureo, cætera nigro sunt colore: omnia tamen parua. Hæc enim reliquis præstantiora, intus parum crocea, minimùm succo abundantia, vt edentes ad sitim prouocent, quibusdam *Parisina* dicuntur. Hæc autem genera (inquit Curtius) tempestate Plinij nō fuerunt, aut postea hoc nomine vocari cœperunt. *Armeniaca*, quæ vulgus Armesina vocat, minima sunt, purpurea, grata odore. De his Columella in carmine paulò antè citato, Hispanica liuen, ingrato aspectu, sed miro dulcore prædita, oblonga, ligno intus exili ac longo. Nonnulli à regione citerioris Hispaniæ *Catalonica* malunt appellare. *Iuliana* verò quæ apud Turonenses in Gallia nascuntur, dulcissima, colore nigro. Desiccata verò per totam Galliam venalia deferuntur, ægris etiam expetita cocta. A dactylorum verò forma *Dactylica* dicta: prægrandia hæc albi purpureique coloris reperiuntur. In honore sunt, ouata in longitudinem figurâ. Quædam verò Hordeacea antiquitus, vt suprà diximus, dicta à comitatu eius frugis, candida, & eius coloris alia seriora, maioráque & propter vilitatem Asinina dicta. In pretio verò nunc sunt, quæ *Perdicona* dicuntur, alij *Iberica* dicunt, quòd primùm ex Hispania venêre. Sic enim vocari Symphorianus Champerius medicus doctissimus testatur. A Perdice scilicet aue, dictæ sunt quòd quemad. ea inter aues cibi suauitate cæteras excellat, sic hæc inter Prunorum genera. Serotina hæc purpureo colore, formæ non grandioris, dulcissimi saporis. Cœpere nunc & deficcari, vt *Iulianis* non cedant, A bonitate enim *regia* sunt dicta, amplitudine autem pòst *Dactylica* sunt etiam parua, nigra, ouali figura

Parisina. Armeniaca Armesina. Hispanica. Catalonica. Iuliana. Dactylica. Ouata. Hordeacea minora. Hordeacea maiora seu Asinina. Perdigona. Iberica. Regia. Mistina.

figura, plurimo succo, si quod aliud genus abundantia, quare *Michela* vulgus vocat, ac si succum meiere videantur. Alia quædam vsque adeò parua sunt, vt magnitudine Pruni syluestris fructum parum excedant, nigra, rotunda & feriora. Sunt & Acidula, nigro colore, succo etiam abundantia, verum non identidem. In extremum Autumnum durant, vt hyemem attingant.

Mamma

Acidula.

Clearchus Rhodius & Siculus, Theocritum Syracusanum *Brabyla* pruna appellasse scribunt, quæ & Madrya & Badria Athenæo dicuntur, vt dictum supra. Fructus quidem hic minor, gustus verò idem, ni aliquantò esset asperior.

Brabya. Madrya. Badrya.

Ioubertus *Pruna Perrigonia, Prunidactila, Damascena & Imperialia* vocata præ cæteris commendat.

Solerius Asinina seu Pedicularia Plin. Gallis Delphinatibus *Prunes Bouarlx* dici scribit, esseque fortè Hiberica. Idem *Perrigonia* Ruellij, suspicatur esse magna Galeni.

Asinina Plin. Magna Galeni.

Nicol. Abr. à Framboisiere de sanitate tuenda: In Francia excellentiora Pruna sunt Damascena trium generum. Nigra, albea, & violacea. Secundum locum obtinent Dactyla ob suauitatem. Magni fiunt in Prouincia pruna ex Brignoles: multi etiam fiunt Pruna Pardygoinia ob magnitudinem & gratum saporem. Pruna Reimensia æstimantur ob pulchritudinem potius, quàm bonitatem: color enim cæruleus visu delectabilior, quàm sapor gustui gratus: eis inest minimum aciditatis & adstrictionis, incolis dicuntur *Nobertes*.

Gallia Pruna Damasc. Dactylyla

Brignoles.

Pardygoine

Nobertes. Vignons.

Sunt etiam apud Reimenses alia Pruna, dicta *des Vignons*, quæ comeduntur plerunque priusquam maturescant. Propter insignem austeritatem & acerbitatem illi iis tantopere delectantur, vt soleant ponere in iusculis, loco vuarum acerbarum.

Hispaniæ celebrata pruna, vt tradit Amatus, hodie Pruna Damascena præcipua habentur, Syracusana ab Hispanis nominata, nigra, rubentia, vel in totum alba, ad citrinum tendentia, oblonga, boni saporis: Citrina multi Cerea appellare non dubitant. Multi quoque ex omnibus Pruni speciebus præcipuè laudant, quam Salmaticenses Andrinas ob colorem nigrum vocant: rotunda sunt, sapore acido, ori gratissima, quæ matura febricitantibus apud Salmaticenses D. Alteretus non sine optimo successu concedebat. Lacuna verò scribit inter Pruna Hispanica præcipuè commendari dicta *De Monic*. Secundum locum obtinere quæ deferuntur ex S. Michaele. Inter ista sequi rotunda, quas vocant Andrinas. Ab omnibus laudari Damascena.

Hispaniæ Pruna Damascena Syracusana

Cerea.

Andrinas

De Monic.

Pruna S. Michaelis. Andrinas.

Damascena

Perlustremus nunc Italica.

Prunorum, inquit Cæsalp. rotundorum quædam mali amplitudine, flaua, dulcia, odorata, quæ primò maturantur: cognominantur autem à Malis. Iis minora, & austeriora, quæ Augusto maturantur, Pruna *Augustana* vocata: & *Albanula* inter pretiosa. Alia nigra, duriore carne, sed gratissimo sapore, vulgò *Perdicona* cognominant. Grandiora iis sunt *Massimiana*, ac succi bonitate præcellunt. Simili specie constant atria quædam, vt etiam fallant, sed in suauitate saporis quamprimùm discernuntur, vt quæ *Asinaria*, & quæ *Gabia* alicubi vocantur ingustabilia. Paulò minora iis & oblongiora Viridacea, sic appellata, quia dulcia sunt ante perfectam maturitatem, dum adhuc viridia sunt. Hæc maturitate perfecta ad rufum tendunt, sed dulcedine minùs grata. Alia in longitudinem extenuantur iuxta pediculum, vt *Damascena* colore flauo: *Catelana* colore subuiridi, alia colore nigro. Multæ aliæ sunt inexplicabiles differentiæ, vario cultu, & studio inserendi inuentæ. Est & syluestris Prunus, &c.

Pruna Italiæ.

Pruna mali amplitudine Augustana. Albanula Perdicona. Massimiana.

Asinaria.

Viridacea.

Damascena, Catelana.

Catelana. Nigra

Peculiare (addit idem Cæsalp.) in fructu Pruni, quòd deflorescens, si multi imbres contigerint, conuertitur in longum quoddam corpus inane quod *Turca* vocant. Idem ex Theoph. dicit Pruno foliū esse Arbuti: ac peculiare ei fructú in *pappum* perire: quæ Prunis nostris conueniant, si *pappus* hic non Lanugineum, sed inane corpus significet, *Turcam* dictum. Quod ad primum, vel non rectè nouit Cæsalp. Arbuti folium, vel certè non benè contulit, atque adeò hac collatione aliquem in suspicionem conijcere possit, ipsi neutrum probè cognitum. Quoad posterius: bellam sinè verò interpretationem vocis *pappi*, quam Theoph. per τὸ ἐκπαππώδους τὸν καρπὸν expressit. Si Cæsalpinus annotasset obseruationem doctissimi Hermolaj, comperisset id a Theophrasto de Pruno non dici sed de alia arbore. *Turcam* sæpiùs obseruauimus, sed quo iure is vel alius quiuis *pappum* vocet, nondum agnoscimus. Vitium est fructus *Turca* non illi par nec ordinariè omni fructui euenit, vt de fructu eius arboris, de qua Theoph. scribit cum in *pappum* abire, tradit. Quod si verum esset de Prunis, ille sua Perdicona non tantopere commendasset.

Turca prunis vitium

Cæsalp. reprehen.

Alius error

Sed persequamur reliqua Pruna Italica ab Aug. Gallo obseruata. Pruna, *Brgne* vel *Susine* dicta Lombardis optima sunt, & bonitate Damascenis succedunt, quæ quamuis cæteris minora, pulchra tamen sunt, sapida & sana, tàm cruda quàm cocta, potissimùm si cum pullis & auiculis decoquantur. Aluum soluunt cocta parum in aqua, & ita mollia comesta, cum multo sacchаro. Sunt & alia magna, & dulcia admodum, quæ probè matura aluum magis lubricant, omnia cruda vel cocta in aqua tepida macerata sitim restingunt. His succedunt dicta *Brogne Agostane*, quæ non pulchra, longa tamen & crassa: sana sunt cruda, & cocta, & sicca. Pruna dicta *Brognoni grossi*, rotunda non postremas tenent, si præsertim benè matura & decocta sub cineribus folijs inuoluta, decorticataque & sacchаro aspersa comedantur: vel etiam & meliùs, cruda decorticata, & in patella cum sacchаro lentè cocta. Inter Pruna, quæ dicuntur *Brogne* Myraboları, alba, nigra & lutea salubria esu sunt, non cocta. *Brogne Catelane* dicta, benè matura præferuntur cruda, cæteris omnibus, albis, nigris, viridibus aut rubellis, dulcedine & succi gratia præstant: corroborant magis, & præ alijs sitim extinguunt, decorticata à febricitantibus in ore retenta singulari sunt solatio, mitigant summum ardorem, & restituunt nonnihil appetitum. Sunt etiam alia Pruna Italis vulgo dicta *Agostane bianche, Settembrine, Massimiane, pernicone, Gierusaleme*, & alia multa suauitatis & Salubritatis non contemnendæ.

Lombardiæ pruna Susina

Magna dulcia

Pruna Augustana

Pruna crassa

Pruna myrabolana

Catelana

His addamus quorum meminit Alpinus, (nisi iam supra scriptorum aliquo nomine dicta sint) & cum dactylo oblongo, magno & crasso confert, *Pruna alba*, quæ Iulio mense in agro Bassanani maturantur.

Alba Bassanensia Damascena vnde aduecta Pannonica

Matthiolus quem, velut Italum, decebat pulchras istas merces Italicas nobis Germanis præ alijs celebrare, ne verbo quidem de ijs habet: sed postquam palmam tribuisset Damascenis, quæ necæ ex Syria Venetias importantur: secundas tenere (addit) in Germania quæ ex Pannonia & Transsyluania conuehuntur in quorum genere

quæ minuscula sunt, maiorem cum palato ineunt gratiam in vino decocta, & saccharo aspersa: hoc enim modo parata primisque mensis sumpta, & ori grata sunt & aluum commodissimè citant, nam dulcia sunt & sine adstrictione. Verùm si nó gustarit aut nouerit alia, quæ ex Germania prædicaret, deinceps Germani ipsi audiendi sunt, vt quàm Germania hoc fructu ditescat, intelligant etiam exteri: Matthiolumque interim excusent, qui Prunorum differentias inexplicabiles ferè dixit, quod non ægrè confitemur si intellexerit omnes.

Pruna Germaniæ

Trago itaque multa sunt Prunorum genera, inter quæ primum apud Germanos quoque locum obtinent Damascena vocata, Theocrito Brabyla, Athenæo Badrya & Madria cognominata. Germani Damascenen pflaumen/ Vndt Quetschen vocant. Hæc in Pharmacopoliis exiccata habentur, quemadmodum etiam magna illa Hugarica, ab ipsis Hungaris Damascena, & à Germanis Große Zwetschen vel Quetschen/ & Vngerische Pflaumen vocata. Quidam his pro Damascenis vtuntur, autore Cordo. Deinde ponuntur, à Trago, purpurea, quæ ex Hispania venerunt. Iberica & Pertigona vocata. Germ. Spannische Pflaumen. Hinc Cerea seu Cereola. Germ. Gälfriechen/ Vndt Spilling dicta. Cordus annotat Brabyla quosdam priuatim interpretari Kriechen. Quarto ordine collocanda sunt oblonga illa & Cerulea, alias Prunidactyla, Germ. Blaw lang Pflaumen/ blaw Spilling/ vnndt Külsen Pflaumen nominant. Quinto loco exigua illa (nec enim nuce auellana maiora sunt) & Autumno prouenientia Pruna, German. klein herbst pflaumen dicta. Hæc Basilienses Zipartten vocant. Postremò sunt & alia genera, vtpote nigra illa quæ vocant, groß Roßpflaumen: & rotunda illa, magna & dura Pruna, quæ Autumno appetente maturantur, German. Schaafspflaumen / Latini Asinina & Pedicularia nũcupant. *Hac Tragus.*

Damascena

Damascena Hungarica.

Pertigona. Cerea.

Prunidactyla.

Pruna Autumnalia. Nigra. Rotunda.

Eadem ferè & Lonicerus habet, additque fructus Prunorum Theocrito dici Brabyla.

Dodon. verò Brabyla vult dici magna illa Pruna dulcia cœrulea, Lat. Pruna Damascena: Had. Iun. βράβυλα Theocriti scribit, μῆνον δαμασκηνόν: German. Blew Spilling/ Quetschen. Belg. Blauw pruyme/ oft pruyme van Damasc. Gal. *Prunes de Damas.* Secundum Dodon. genus sunt Pruna vulgaria ruffa, quę Hispanica vocatur. Luteola, Latinè Cerea & Cereola Pruna. Hæc Had. Iun. Rospflaum, German. & Belg. Roote rospruyme vocat. Dod. verò quartum suum genus ita nominat, Pruna rubra & rotunda quibusdam Latinè Asinina Pruna, Gal. *Prunes de cheual.* At Pruna asinaria vel asinina vilia dicit Iunius, & maiora. Belg. Pispruyme. Omnium minima Pruna rotunda Dod. Nana H. Iunio. Ger. Kleine herbstpflaum. Belg. Creoften/ Palloken. Gal. *Creches & d'auoine*, Sic vnusquisque patria sua priscis acaommodare studens, non tamen aduertit sibi non conuenire cum eo qui est ante fores.

Differentia Dod. & Had. Iun. Brabyla Damascena Pruna Vulg. ruffa. Luteola Rubra Asinina.

Minima seu nana.

Pruna, quædam Belgiæ.

Hordearia.

Alia quædam adhuc habet H. Iun. æquè Plinij & priscorum nomenclaturis accommodata, & iam priùs quoque dicta. Sic Prunum Hordearium Plinij candens dicit. Belg. Witte Pruyne. Prunum decumanum: Belg. Eierpruyme. Damascenum verò, Prunum passim vocat, & Ægosum. κοκκύμηλον ἀσσύριον, Belg. Pruyme Van Damasc. Ital. *Pruno secco* Hispan. *Pruna seca.*

Decumanum.

Damascenum.

Dodonæus quoque addit: Theophr. & Plinij Ægyptium Prunum incognitam esse: nostram ætatem in Germania, circa Damascum Syriæ vrbem natis Prunis carere. Pannonica siue Hungarica laudat oblonga & dulcia, sed magis tamen Morauica, ad aluum leniendam commendat, præsertim Branæ nata, quæ Morauiæ olim Marcomannorum Prouinciæ, vrbs est primaria; hæc etenim vbi reficcata fuerint, ori suauia palatóque gratissima, aluum citra molestiam ita facilè ciunt, vt deiectoria vi Cassiam & Mannam post se relinquant; vt Thomas Iordanus affirmat. Nostra ætas quædam *Gallica* a patria appellat.

Aegyptia. Prunus Pannonica. Morauica. Pruna.

Persequamur cæterorum Germanorum differentias. Gesnerus itaque has habet. Prunum quæ fructus magnos, purpureos & acidos sapore fert, Lindauiæ Hengst vocant, Tigurini Bockshoden (quasi capri testiculos dicas) vel Pflaumen. His similia etiam cerei coloris minùs frequentia apud Tigurinos reperiuntur. Pruna Cerea vel Cereola magna subdulcia. Pruna parua, serotina, cereola, quæ Tigurini & Heluetij nescio vnde Zipartten appellant: Inter vrbana minima, tardissimè cerea ferè maturescunt Septembri. Pruna præcociora parua, versicoloria, à tempore quo Auena metitur apud Tigurinos dicta Haberkriechen/ passim illis abundant. Pruna Neapolitana, oblonga, dulcia (ni fallor) alba & Punicea, Lindauiæ. Pruna Hungarica, quæ vulgò Turcica vocant, Zweetschgen, duorum generum: maiora & oblongiora: & alia minora, rotundiora, dulciora Lindauiæ: Basileæ probè perficit fructum. (Kandelkriechen vocant) Pruna Hungarica præstantissima, Damascena fortè Vvoiserio. Eiusmodi Venetiis mittuntur aliquando Augustam magno pretio, crassa & carnosa, subacida. Hæc vel oblonga Neapolitana, aliqui Imperatoria siue Augusta cognominant, quòd iis Imperator Augustus oblectetur. (Itali sua ab Augusto mente, quo maturescunt, *Augusta* dicunt, de quibus suprà.) Augustæ Pruna alia Hungarica, aurei vel cerei coloris: magnitudine oui gallinacei: aut etiam Anatini, carnosa, gratissimi saporis. Aliud pruni genus, maturescit circa finem Iulij, cui fructus parui cœrulei, dulces: Blawkriechen. Pruna minima, subcœrulea, acida, parum humida, Weinkriechen, maturescunt Augusto. Weißkriechen, Pruna alba, tardius aliquando matura: omninò alba. Roßs hödle, partim candida, partim rubella, aluum puto magis soluunt: & hæc aliqui alba vocant, sed minùs propriè. *Hac Gesnerus.*

Gallica. Gesneri differentia. Ai agua. Cerea magna. Cereola parua.

Præcocia parua. Neapolitana. Hungarica maiora Minora.

Hungarica alias Damascena.

Imperatoria. Augusta.

Augusta pruna.

Pruna parua cærulea. Pruna minima. Pruna alba Variegata.

Tabernamontanus quatuor summa Prunorum facit genera: Vulgata, quorum quatuor differentias constituit, nigra, rubella, alba, viridia, quædam etiam flaua & rubra. 2. Pruna Myrobalana, quæ antequam maturescunt sunt viridia, postea rubescunt, tandem perfectè matura atropurpurea fiunt: succulenta, odorata, nucleo paruo. 3. Auenaria Haberschlehen vulgò dicta, primo generi similia, sed fructu paruo acidulo, subastringente sapore, grato tamen. 4. Flaua, oblonga, nucleo exacuto, vulgò cerea, wachsgelbe Pflaumen oder Spilling dicta. His addit quædam alia sed iam dicta: quamuis & hæc fortè iam magna ex parte memorata sint, nec vllus sit iam dictorum, dicendorúmque autorum, qui non alterius quædam habeat, etiamque diuersarum regionum. Scopus tamen noster est, vti suprà quoque in Pomis diximus, non tam nationum quàm ipsorummet autorum, qua tamen fieri id

Tabern. Differentia. Vulgata. Myrobalana.

Auenaria.

Flaua vel Cerea.

Autorum indicatum & scopus in recensendis autorum prunorum differentiis.

Digitized by Google

ad possit breuitate, differentias referre quæ etsi sæpius interdum repetantur, nullus tamen est, qui non sui idiomatis appellationes addat, & diuersa aliqua annotatiuncula illustret: simulac, vt consensus & dissensus autorum circa eas lectori ob faciem positus, meliùs innotescat: nec desit nobis in Vniuersali, atque adeò specialissima hac historia, quod adsit alteri: Adsit verò etiam nobis, quod desit aliis ne quis deinceps aliquis nobis veteratoriè obiiciat ταυτολογίαν, quam tamen etiam facilè euitare posset, qui omnia exactè cognita haberet. Alioqui lectori fraudem, sibi dedecus parabit, quisquis hoc tentauerit. Quod si placuimus huic vel illi nationi, cur non æquè placeamus & alteri?

Quomodo hoc opus omnium Herbariorũ vices suppleat.

Sed pergamus, & lectori æquè rerum diuersitates, quàm autorum placita ob oculos ponamus: *ita enim demum hoc opus omnium Herbariorum (qui nobis propositus est scopus,) quantùm quidem fieri possit, vices supplebit.*

Camerar. differentia. Myrobalani. Verdaria, pruna Silesiæ.

Camer. inter Pruni genera varia, potissimùm Hungarica, Morauica, & quæ vulgò Myrobalanos dicunt, itémque Græca, quæ postrema *Verdaria* à viridi colore in Italia vocantur, & aliis præferuntur, concelebrat.

Domestica. Brunensia. Hungarica. minora Asinaria. Cerea præcocia minora. Cerea maiora. Prunidactyla.

Schwenckf. sua diligentia Silesiæ Pruna vsitata recenset hæc. 1. Pruna domestica. 2. Pruna Hungarica maiora, Pruna Brunensia, Pannonica, **Brunner Pflaumen/ Vngerische Pflaumen.** Omnium sunt præstantissima, ori grata. 3. Hungarica minora, **Tzwetschken/ kleine pflaumen/** dulcia sunt, & ori gratiora. 4. Asinaria, **Roßpflaumen/** magna sunt, rubore perfusa, viliora. 5. Cerea minora, præcocia, **Geele pflaumen/ Geele Spillinge.** 6. Pruna Cerea maiora, **Morannen / Maruncken**: hortis instructioribus saltem nota: maxima sunt: 7. Prunidactyla oblonga & cœrulea, **Blawe lange pflaumen/ Bilsen pflaumen/ Blawe Spillinge/ Blawe Maruncken.** Ex semine Prunorũ Cereorum maiorum hæc nasci ait, quod profectò nobis nunquam persuaserit. Considerent igitur Agriculturæ studiosi, an ex Prunorum Cereorum maiorum semine, hoc est, à specie distincta, possit nasci alia species, nempe Prunidactyla cœrulea, quod nobis non fit verisimile.

Schwenkfel. not.

Canina.

8. Pruna canina, **Hunds pfleümlin/ weisse pfleümlin**: parua sunt, pallida, nonnihil rubicantia, dulcia. 9. Parua autumnalia, serotina, Auenaria, **Herbstpflaumen/ kriechen**: Sil. **Zipparten/** minora sunt & cœrulea, hortis rusticorum nihil frequentius, ex quibus additâ farinâ edulia parantur haud ingrata, salubria: verùm recentium vsus nimius Dysenteriam procreare solet. 10. Pruna parua vinosa, **Wein pfleümlin/ Tarnickel/** vulgò viridia sunt, vinosi saporis. Condiuntur saccharo febricitantibus grata. Colerus annotat prunis **kriechen** dictis, rusticos Silesiæ liberos & familiam suam hyeme alere, quorum variæ differentiæ æquè in syluis proueniant & agris, quàm hortis, eáque adeò quæ syluis nascuntur cuiui gratissima & saluberrima esse (**gar natürlich zu essen**) quasi dicas optimè naturæ conuenire, ventriculum claudere, bonum generare sanguinem. In Misnia dici **Tarnickel.** Pruna Onychina.

Parua autumnalia. Parua vinosa. Locus. Onychina.

PRVNVS MYROBALANVS DICTA.

Descriptio arboris.

SVnt quidem superius dicta Pruna Myrobalana cognominata, trium generũ nomine solo ex Augusti. Gallo, qualia tamen vix huc pertinere arbitramur. Meliùs respondent à Gesnero citata addito paruo lemmate. Clusius verò hæc diligentissimè, vt pleraque sua, describit his verbis. Facilè adolescit hæc arbor, & in vastam excrescit amplitudinem, maioresque eius rami subinde in alios diuisi, opacam admodum præbent vmbram: caudex multò læuiore gratioréque oculis cortice præditus est, quàm reliqua Prunorum genera: tenuiores rami, graciles admodum, tenerrimo cortice vestiuntur.

Folia. Flos. Fructus.

Folia quodammodo media inter Prunum & Cerasum, tenella per ambitum serrata sunt. Flos candidus, tenuior, quàm in vulgari. Fructus, cuius alternis annis feracissimus est rotundus, oblongo tenuique petiolo inter folia pendens; aspectu iucundus, per initia viret, cùm maturescere incipit, rubet: maturitatem adeptus purpura, nigro commixta nitet, carnem succulentam & palato gratam ac nucleũ non admodũ magnum habet. Floret cum alijs eius generis nouo Vere, sub Iulij finem & Augusto fructus maturitatem adipiscitur. Nondum vulgaris erat, cùm eam describeret Clusius: sed qui habebant, ex Cæsarej Palatij horto nacti erant, vbi omnium primas conspexit eius arbores tres ingentes, vnde primum eò delatas, incertum. Nonnulli è Constantinopoli, alij è Gallia genus duxisse arbitrantur. Certè ea arbor quæ Biturigibus Gallorum Myrobalanorum Chebulorum nomine ostenditur, huic persimilis esse videtur, vt ex eius folio inde delato, & Clusio à Cl. D. Io. Posthio Palat. Elect. Archiatro donato, æstimatum. Idem Clusius apud Garciam scribit, istud folium Persicæ folio simile non esse, sed Pruni aut Cerasi folium potius æmulari, atque nihil aliud se comperisse quàm Pruni genus. Forte Tabern. vel is à quo accepit Iconem, hanc Prunum etiam habuit pro Myrobalano, vt cap de Myrobalanis monebimus.

Tempus. Locus. Myrobalani Chebuli.

Nunc in eodem Cæsareo horto illius genus aliud ex superioris nucleo natum, quod minore fructu & dulciore pulpa est: in cæteris nihil à superiore differt. Cur huic generi Pruni, Myrobalani sit appellatio data, fatetur se nescire, Clusius: nam, inquit, nec fructus similis est neque ossicula, quæ reliquis Pruni generibus similia habet, licet parua, cum legitimorum Myrobalanorum ossiculis siue nucleis, quæ canaliculata sunt & striata, quicquam commune habent.

Pruni Myrobalani. Varietas.

Pruna Brunensia.

Idem Clus. meminit Prunorum Brunensium Moraviæ eorumque pulpam cum Laurocerasorũ pulpa conferens, vtramque dulcem & edulem dicit.

Galatensia pruna. Peruna Prunicola.

In Pannonicis verò Galatensia siue Perana Prunicola scriptis prodit, quæ oblongiuscula albáque dicit.

AMYGDALINA PRVNA.

Amygdalina Pruna Lobel. in histor. Belgica oblonga dicit, Dactylorum aut Amygdalarum instar. Amgdalina Pruna etiam in Plant. iconibus dicta Belg. Amandel pruynen oft Danypruynen. An verò sint ea, quibus Plinius in ligno nucleum Amygdalæ esse dicit, & ex Pruni & Amygdali insitione geminata, asserere non ausimus? Quemadmodum nec an Prunidactyla Ruellij, Curtij, Tragi & Silesiæ suprà dicta.

Pomaria quædam cultiora Gallica quandam Prunopersicum colunt, cuius fructus carne Pruni est, cute subuiridi Pruni, sed nucleo Persici. Pen. & Lob. Eiusdem meminit Cam. apud Matth. externè Pruno similia dicens, nucleo Persici.

Prunula Caraquãdica.

De Prunulis quibusdam Indicis scribit Benzo in hist. noui orbis his verbis: Ad sinum Caraquã procedimus, Cereis quibusdam Prunulis vescebamur, queis quum parum carnis inesset, lignum seu os interius simul comedebamus.

Hactenus ferè tàm à priscis quam recentioribus obseruata, & aliqua tamen parte nobis etiam cognita recensuimus, qua potuimus fide breuitateque: restat vt & à nobis obiter obseruata, & fortè nec alijs ignota dicamus, adiecto vnicuique more nostro, suo lemmate.

Autoribus obiter obseruata differentia Pruna Briolina.

Solent curiosiores & lautiores Pharmacopoei, pro delicatioribus, elegans nec minùs vtile ac sapidum quoddam Pruni genus ex Galloprouincia ad nos importare, quod *Prunes de Brignoles*, Briolina Pruna vocant. Ea detractâ cute, & vuarum passarum modo, velut in vnum glomum compacta, ficuum instar aduehuntur, aut in scatulis. Colore sunt dilutè rubello, ad flauedinem tamen accedente, carne firmiuscula, qualis corticis Citri conditi aut Cydonij mali, subacida atque vinosa, febricitantibus cruda, vel ex aqua leuissime cocta, mirè expetita, nullo ossiculo: quippe eximunt incolæ qui reponunt. Figurâ Caricas pingues egregie referunt, si colorem demas. Eadem cum ossiculis accepimus: oblonga erant, sicut & ossiculi, qui durissimi, nucleum continentes modicè amarum, gratum tamen.

Nuclei.

Nucipersica.

Hæc Scal. Nucipersica visa est appellare quando apud Theoph. alicubi sic scribit. Persea Pruni facie, de qua olim dubitabam esset ne nostra Nucipersica, quam Vascones Brignols vocant. Pruna Briolina Lob. teste hodie in Prouincia salubritatis & saporis ergo optima habentur. Idem cum Pena in Aduers. Damascenis olim omnium præstantissimis inquit, *Brignolensia* hodie in Galloprouincia palmam præripuerunt bonitate, salubritate & sapiditate. Dissit autem Brignola 10. mil. Gallicis à Massilia teste Rauuolfio qui eadem & ad sitim & ad febricitentium vsum valdè probat.

Brignols.

Brignolensia.

Brignolina Gusio mittenda ob suspitionem hypothimiã exhibita.

Autor postrem. hist. Bellorum Galliæ scribit, pro Cortice Citrij condito quem petebat Dux Gusius, data Pruna Brignolina, ea ipsa hora, qua morti erat tradendus: quod ex suspicione haud vana necis instantis veluti Lypothimiã quandam præsentiret.

Pruna de prunioles. Pruna Lugd.

C. Bauh. apud Matth. eadem Pruna de *Prunioles* vocat.

Pruna dicta vulgò Lugdunensibus *Prunes deu* satis magna, breui hærent pediculo, orbiculata, ab vno latere per longitudinem sulcata, aut vestigium fissuræ habentia, rubra ac velut fuligine coerulea aspersa, gustu dulcia, cum quadam aciditate, carne satis dura, quæ haud difficulter ab osse separatur, Matura Iulio.

Armesina rubra acidula.

Iisdem *Prunes Armesines* appellata, prædictis minora, eiusdem ferme coloris, oblongiora, odorata, dulcia cum quadam aciditate, carne firmiuscula, ab ossiculis facile separabili, quæ parua, compressa, læuia, dentibus facilè confringuntur. Matura Iulio.

Damascena pulpa purpurea.

Sunt nobis Montbelgardi in horto E. C. Wirt. Pruna quæ dicuntur Damascena: purpurea, valdè rotunda, quibus pulpa ab ossiculis facilè abscedit, suntque ea ipsa, nisi fallimur quæ Lugduni *de Damas* vocant, maiora iam dictis Armesinis, purpurea, rotunda, ex breui pediculo pendentia, coerulea quadam nebula respersa, tota concoloria, etiam adhuc immatura, valdè acida, ossicula continentia parua, rotunda, similia ossiculis Cerasorum. Talia vidimus Ceruinij Pago Pallantino Septembri optima. Ex hoc genere existimamus esse, quæ sicca apud fontes acidos Griesbachianos vidimus, parua, rotunda, ab ossiculis facillimè abscedente carne. Aiebant Argentinam Turono vrbe Galliæ aduehi.

Damascena purp.

Pruna Lugd. *Damasa* dicta, Damascenis modò dictis multò sunt maiora eiusdem tamen coloris ac formæ breuissimo adhærent pediculo ipsaque caro firmiter nucleis: acida sunt, nuces oblongæ, satis tumidæ, maiores quàm Prunorum *Dates*.

Pruna perdrigona Lugd.

Perdrigone Gallico idiomate dicta iam modò descriptis minora, rubra fuligine subcærulea adumbrata, rotunda ferè, carne dulci, satis solida, ossiculo mediocri minimè adhærente. Hæc Damascenis quodammodo similia, paulò maiora tamen, nec ita rotunda, & vtrinque per longitudinem fissurâ vel sulco notata. Horum surculos Montbelg. in horto inseri curauimus.

Prunidactyla rubra.

Pruna *Dates* Lugdunensibus appellata, Damascenis magnitudine æqualia aut etiam maiora minùs rotunda, nec eiusdem coloris, sed rubris, nebula cærulea obductis, pediculo satis breui, carne firmiuscula, dulci, & ab ossiculo promptè separabili. Tunica inuestiuntur dura & sicca. Ossicula breuiuscula, nec magna dentibus fragilia, matura Iulio. Missi nobis Lugduno surculi Montb. in horto E. C. inserendi cum hac inscriptione, *Prunes dates, grosses comme œufs*, id est Prunidactyla magnitudine oui: possint fortè esse eadem cum Prunidactylis purpureis Ruellj, Curtij, Tragi & Silesiæ.

Prunidactyla Vesuntina videntur.

Meretur rara hæc Pruni species Curiosiorem etiam descriptionem, siue arboris formam, aut fructus elegantiam præstantiámque species. Visa nobis in horto D. Chassigneti Affinis nostri, Vesuntij. Haud procera valdè est, sed egregiè patula. & in quamplurimos ramos brachiata, cortice tecta suffusco, & circa extrema ex pullo cinereo mixto. Folia latas figura penè ouata, sed principio angustiores, paulatim in amplitudinem vergente, ambitu leuiter crenata, saturè viridia aduersa parte, & quasi aeroruentia, auersa dilutius. Flores denso agmine stipati, albidi, sed minus, quam reliquorum. Fructus digiti longitudine, virentes ad perfectam vsque maturitatem, quæ vix effatu digno momento ad citrinam quandam

Cortex.

Folia.

Flores.

Fructus.

dam flauedinem inclinant, sapore pre cæteris suaui ac dulci, cute obtecta dura & membranosa, vt meliùs patet in conditis, pulpa recentibus firmiuscula, & à nuce contenta libera. Nux hæc seu ossiculum aliquid peculiare præ cæteris habens, vnciа longius, gracile, cōpressum, leuiter incuruum, vtrinque acuminatum, nucleum gracilem, nec valdè amaricantem continet.

Hac arbore nihil fructuosius: fructuum numero ipsa vincente folia, ingenti nihilominus caterua humi iacentia: nec extremis tantùm surculis, sed crassioribus etiam ramis immediatè hærentes quamplurimos obseruauimus. Magna his gratia in cibis, siue crudis siue decorticatis ex saccharo & vini modico aquáue rosacea coctis. Sed modicum addi meliùs, quòd ipsa per se calefacta satis succi fundant, & vt natiuā peculiaréinque suam suauitatem non amittant.

Condita. Præcipua gratia conditis. Condiuntur autem saccharo integra, etiam cum ossiculis: sed non perfectè matura esse oportet, maturitati tamen proxima. Sic firmiuscula caro etiam conditis, mirum quantâ gratiâ atque dulcedine. Habet quidem Dactylica alba Curtius, quæ ita fortè vocat ad Purpureorum differentiam: Sed hæc eiusmodi viriditatis speciem ac colorem habent, vt alba dici non mereantur: ex viridi tamen albescunt, præsertim probè matura, sed de Curtij nobis ignotis nostrum statuere non est præsertim cùm sua non describat.

Pruna alba Lugd. Pruna dicta Lugdunensibus, *Prunes blanches*, longa sunt satis magna, lutea, cum quadam rubedine, carne satis molli, acido dulci. Ossicula longa, compressa, ab vna parte ad sphæricam formam tendentia, sicut & ipsa Pruna.

Pruna regalia punicea Lugd. *Prunes de Roy*, magna quoque sunt, rubra vel potiùs punicea, rotunda ferè, valdè odorata, carne dulci, tunica satis dura & acida. Caro facilè abscedit ab ossibus, quæ magna & aspera. Matura Iulio.

Pruna rotunda rubella. Montbelgardi habent Pruna Augusto matura, rotunda, satis magna, rubelli coloris, carne ossiculis hærente non ingrata. Plantari curauimus in horto Ill. E. C.

Pruna purpurea serotina. In horto iam dicto abundat Prunus, fructu purpureo, satis magno, serotino, sublongo, acido, carne ossiculis adhærente, quæ nostra cura plantata. Hæc sunt ea quæ Lugd. *Prunes D'Aoust*

Pruna Augusti. dicta ex postremis maturescunt, similia Damasconis, minora, quæ etiam viridia planè concoloria sunt, vt videantur matura.

Pruna purpurea ossiculo incuruo. Pruna purpurea vel coerulea magna, nonnihil sublonga, ossiculo nudo manente, maturescunt Augusti fine. Damascenorum genus quoddam esse videtur, ossiculo incuruato. Montb. in horto E.C. satis copiosè prouenit. Talia obseruauimus Goeppingæ in Ducatu Wirt. vbi copiosè coluntur & exiccantur ad vsus medicos & culinarios. Hungaricis non cedere videntur. vocant Zwetschen. Eadem nobis visa in Wisensteig/ horto Ill. Comitis.

Aliud pruni genus præcox in horto Montb. habetur, quod citò maturescit, colore purpureo.

Pruna sublonga, parua, alba, vnciæ, digitiue latitudine, interdum non maiora, facilè nucleum linquentia, acidodulcia, optima & delicatiss. cruda & exiccata. Hæc ex diuersis Burgundiæ locis conquisita in hortum Montb. plantata sunt. Maturantur ferè Aug. principio.

Pruneolorum cereorum vulgò *Ziparten* dictorū arbor plerumque vulgaribus Prunorum arboribus minor est, siue caudicē spectes, siue ramos & folia

Præcipuū verò est fructuū discrimen, qui autumno primùm maturescunt, colore cereo, cui glaucedo aliqua aspersa, non multò maiores Prunis siluestribus, pediculo sescunciali hærentes, sapore dulci, ossiculo facilè à pulpa separabili, cui ab altero latere crista secundum commissuram nonnihil elata. Hæc Basileâ accersita, vbi in lautioribus hortis coluntur, in hortum E. C. Montb. plantari curauimus. In pago Raupach Belfordiæ vicino copiosè coluntur, & in magnas arbores excrescunt. Maturescunt Sept. In Ducatu quoque Wirtemb. potissimùm circa fontem ad n. habentur prædicto nomine.

Anno 1607. principio Septembris ostendente Char. fratre C. Bauhino vidi pruna valde speciosa, magnitudine ferè paruorum Persicorum, cum sulco in medio, qualem habent Persica, colore sunt rubra, carne firmiusculâ, saporis grati, iucundi, subaciduli: prò proportione fructus paruus, à carne separabilis, aiunt plures in hortis haberi, ac inter alios honorandum nostrum affinem Dn. Feschium Consulem meritissimum. Hoc genus Pruni existimo esse Prunidactyla Clusij. *Hactenus de generibus & differentijs Prunorum.* *Pruna paruis persicis similia.*

Prunus in genere, solo læto gaudet, & humido: Cœlo tepidiore meliùs adolescere putatur, quamuis & frigidius possit sustinere. Non temerè in montibus visa Prunus, inquit Plin. Locis glareosis & arenosis, nisi iuuetur lætamine, caduca Poma & vermiculosa non grandescunt: autor Palladius. Gignuntur hodiè in omnibus cogniti orbis regionibus, sed potissimùm vbi terra sit soluta & hortensis. Quapropter paucos videas in Europæo tractu hortos paullò cultiores, in quibus non Pruni aliquod genus reperiatur: quamuis Tragus scribat, Pruni varia genera tardè ad Gallos & Germanos commigrasse: sunt tamen hodie apud eosdem vbique ferè locorum notissima. *Locus & tempus prunorum in genere. Ne vermiculosa fiant*

Pruna omnia, post Catonem cœpisse manifestum esse, ait Plinius: specialia loca in differentijs dicta sunt: Damascena tamen siccā terra & cœlo calido gaudent, vt Pamphilus scriptum reliquit.

Florent plærumque cum Cerasо, Aprili, aut etiam citiùs. Nos Prunum etiam vidimus florentem Septembri in pago *Adincourt*, comitatus Mōtbelgardici, Anno 1580, & denuò non vno in loco An. 1599: quemad. & hoc quo hæc cōmentamur, 1603. quo & fructus vidimus magnitudine auellanæ: Ex quo patet promptitudo germinandi florendique huius arboris, si vltra consuetum tempus æstiuum extendatur. Fructum diuersimodè maturant, Iul. Aug. & Sept. mensibus, vt particulariùs dictum in præcedentibus. Monspelij obseruauimus Prunum habentem magnum fructum & florem simul mense Aprili: estque contumacis vitæ Prunus.

Pruna Columella post mediam messem, vsque ad Idus Feb. seri præcipit. Plinius verò Italiæ serendi tempus Prunis post mediam hiemem & Idus Feb. indixit: oportet autem Prunos distantiores serere Piris, autore Theoph. si ossibus serãtur, vt tradit Pallad. autumno, mense Nouembri solo putri & subacto, duobus palmis obruantur: eadē ponantur mense Feb. sed tunc priùs lixiuio sunt maceranda per triduum, vt citò germinare cogantur. Ponuntur & plantis, quas ex caudice mense Ian. exeunte, vel Feb. circa Idus sumemus radicibus fimo oblitis. *Sationis tempus.*

Extirpandæ sunt soboles à radice, exceptis rectioribus, quæ seruabuntur ad plantas. Si lan-

Vulpium venenum. Dulcium vsus. purgant. Nuces Græcæ. Morbus regius. Vitia sedis. Olei vires. Purgat. Vari Vermiculus aurium.

quinis ferè præsumptis, ebrietatem non sentire potores: vulpesque, si ederint eas, nec contingat è vicino aquam lambere, mori. Minùs valent in remedijs dulces, & hæ tamen purgant, & vrinam cient. Recentes stomachum implent. Nucibus Græcis cum Absinthij semine ex aceto sumptis, morbus regius sanari dicitur: item illitis per se vitia sedis & priuatim condylomata. Idem tussi & sanguinis reiectionis prosunt.

Idem Plin. de Oleo Amygdalino has tradit vires. Oleum Amygd. purgat, mollit corpora, cutem erugat, nitorem commendat, varos cum melle tollit è facie. Prodest & auribus, cum rosaceo & melle, & Mali Punici germine decoctum, Vermiculosque in his necat, & grauitatem auditus discutit, sonos incertos & tinnitus, obiter capitis dolores & oculorum. Medetur furunculis, & à Sole vstis cum cera. Hulcera manantia & furfures cum vino expurgat: Condylomata cum meliloto. Per se verò capiti illitum, somnum allicit.

Dolor cap. & oculorũ. Vlcera. Condylomata. Ad somnũ. An Amygd. amaræ sanguinem sistant. Contra Plin. & Diosc.

Vt verum fateamur, non placet, quod scribit Plin. Amygdalas amaras sanguinem sistere: quod multò minùs existimamus fieri addita Mentha, vt ille vult, quamuis idem quoque sentiat Diosc. In vtrisque enim nulla astrictio aut frigiditas, sed calor & facultas aperiendi. Quod si sanguinem sisterent, et probandæ essent in canum morsibus: nec vtiles essent in obstructionibus.

Vlcera pudendi.

Hippoc. l. 1. de morb. mul. Si prægnanti pudenda superficiario ac feruido vlcere affecta sint, Amygdalas tritas & medullam bubulam cum aqua coquere præcipit, & modica farina addita pudenda illinire, & aqua coctis Myrti baccis perluere. Idem l. 2. ad tussim ex præfocatione veteri præscribit Amygdalas amaras depurgatas.

Tussis ex præfoc. veteri. Ephelis.

Amygdala inquit Gal. quæ palàm amara sunt, omninò extenuãdi vim possident, Ephelin expurgant & excreationibus ex pectore pulmoneque crassorum lentorumque humorum impendio conferunt. In iecore crassorum viscosorumque humorum in extremis vasis impactorum obstructiones abundè expurgant expediuntque. Quin & laterum dolores ab huiusmodi causa natos, & Lienis, & Coli & Renum. Porrò & ipsa arbor vniuersa similem sortita vim est. Nam huius radices coctæ atque illitæ ephelides purgant. Quotquot verò sunt Amygdala dulcia, & ipsa leuiculam amaritudinem possident, quæ tamen dulcedine superante occultatur: cæterùm id temporis spatio clarum fit. Qualitas autem dulcis moderatè calida est.

Obstructio iecoris. Laterum dolor. Et dulcia aliquã habere amaritudinem.

Nulla adstrictio.

Idem alibi, Amygdalæ, inquit nihil prorsus habent facultatis adstringentis: sola enim tenuandi facultas ac detergendi in eis præpollet, quà tùm viscera purgant, tùm humores è pulmonibus ac thorace sputis expectorant. Quædam autem ipsarum facultatem habent succos crassos ac lentos incidendi adeò exuperantem, vt mandi præ amarore nequeant: oleosæ tamen ac pinguis qualitatis, vt Nuces, participes: cuius causa, & ipsæ procedente tempore fiunt, vt illæ, oleosæ. Minor tamẽ eis inest hæc qualitas, quàm in Nucibus: quo fit vt tardiùs, quàm Nuces, oleosæ fieri cernantur. Ex ijs sanè intelligi potest, quod neque ventri subducendo cõferunt, neque corpus multùm nutriunt. Quæ verò qualitatem amarã habent præpollentem, eæ ad pus & succos crassos ac lentos ex thorace & pulmonibus expuendos plurimùm conferunt.

Ventrẽ non soluunt. Non multũ nutriunt. Sputum.

Rursus alibi: Amygdalæ amaræ Mundificant & tenuant, & aperiunt oppilationes hepatis, & adiuuant ad spuendam humiditatem ex pectore & pulmone.

Stiptica.

Et de simpl. med. Galeno attributo opusculo hæc leguntur: Amygdala est & suauis & amara, & vtraque viribus stiptica: magis tamen sunt in vsu medicinæ, & aptiores amaræ, eò quòd subtiles magis. At paullò antè ex eodem Galeno traditum, nihil planè adstrictionis habere amygdala: ex quo patet librum hunc esse spurium, non genuinum Galeni. Hunc posteriorem locum sequuti Germani plerique falsò sibi persuadent Amygdala ventrem astringere. Eòque res venit vt mulierculæ medicastriæ, quæ hoc à non multò se doctioribus hauserunt annulatis togatisq; pecoribus, ignorantiæ ausint insinuare ipsis contrariũ persuadere conantes: sed mundus vult decipi, decipiatur ergo.

Lib. de simpl. med. non est Galeni. Vulg. Germanorum error.

Porrò quod de facultate Amygdalarum aduersus ebrietatem suprà ex Plinio & Diosc. adduximus, quia id non parum momenti apud quosdam potatores habere videtur, sciant, si in sua arte confirmari velint, eiusmodi effectus causam esse amaritudinis vim exiccantem, & humiditatem discutientem, vtj vult Plutarchus in sympos. lib. 1. quæst. 6. quo loco refert apud Drusum Tiberij Cæsaris filium Medicum quendam, (nimirum voluit ex arte bibere) qui alios omnes subinde bibendo vincere solitus erat, antequam potaret, quinque sexúe Amygdalas edentem fuisse deprehensum: ac deinceps id facere prohibitum, à vino facillimè superatum fuisse, immò ne tantillùm quidem ad compotationem perferendam valuisse. Bellum verò mehercle Medicum, qui quod naturæ contrarium deprehendit, ne arte destitutus videretur, arte comparandum, vel sanitatis morumque adeò iacturà, non dubitauit. Vtinam non essent hodie, qui ne Amygdalis quidem ad eam rem egerent. Eandem historiam ex Plutarcho citat quoque Athen. qui tradit præsumptas Amygdalas bibendi appetentiam summopere excitare. Eupolis:

Ratio cur Amygdalæ ebrietati resistant. Medicus potator artificiosus citatur.

Da quas manducem Naxias Amygdalas:
Da vinum quod bibam è vite Naxia.

Naxiæ.

Ipse quoque Diosc. in Eupor. mulsam Amygdal. amararum Cyathi vnius mensura ebrietatem arcere tradit. Nouimus tamen, qui amuletum illud aduersus ebrietatem in vsu habentes, nihilo secius à Baccho obruuntur, ac nimia sui remedij fiducia decepti, ita prosternuntur, vt nec manus nec pedes suo ampliùs fungi possint officio: vt cogitare necesse sit:

Experimentum contrarium.

Vicisti tandem Bacche, Vicisti.

Diocles apud eundem Athen. scribit nutrimenti multùm Amygdalas suppeditare (hoc sup. Galenus negauit) iucundas esse ventriculo, calfacere, quia oleosum quippiam habeant: τὸ ἐλαιῶδες. Sic legit Ruellius. Quidem legunt πνιγῶδες: alij χυχρῶδες: alij ... Ruellium sequitur Dalech. quamuis certum sit, vt idem quoque annotat, illos qui plurimùm nucibus vtantur, raucescere, humectata illarum pingui liquore tunica interiore gutturis. Amygdalarum tamen minùs operosa coctio est. Quamobrem citra noxam multas edimus.

Lectio apud Athen. varia.

Diphilus scribit, Amygdalas attenuare, prouocare lotium, purgare, parum nutrire: recentes ac virides prauum succum gignere, & eum pauciorem: siccas autem inflare & innatare magis: teneras, plenas, albas, lacteas meliorem succum gignere: ex siccis Thasias & Cyprias, quia sunt teneriores promptiùs excerni.

Purgant. Parum nutriunt. Vrinam cient. Thasiæ & Cypriæ.

Mnesitheus Atheniensis libro de eduliis, scribit: Amygdalas & Nuces Persicas castaneis esse deteriores, ex his tamen & cæteris cunctis nucum generibus in vniuersum edendum nihil esse

quod

quod non sit igne coctum, præter virides Amygdalas. Siccas enim pingues esse, quarum nocentissimam pinguedinem absumat ignis. Cæterùm Diocles scribens nutrimenti multùm Amygdalas suppeditare, cum Galeno, dicente, non multùm nutrire, sic conciliari potest. Parum nutriunt, si comedantur cruda cum cute nucleum immediatè integente, & non optimè masticata: vsque adeò compacta & densa eorum substantia est, vt obseruauerimus in multis portiones Amygdalarum deuoratarum, ac dentibus non benè attritarum, integras reiectas. Optimè verò tritas, vt teruntur pro lacte Amygdalino & aliis cibis ac ἐμβάμμασι, facilè crediderimus cum Diocle posse multùm alimenti suppeditare.

Mnesitheus quoque fortassis considerans incoctas reiici Amygdalas, dixit eas, & Nuces Persicas Castaneis esse deteriores. In Castaneis sanè pulpa non ita solida & cópacta: nec obseruauimus vnquã incoctas frustulatim reiectas vt Amygdala.

Simeon Sethi eadem ferè de viribus quæ Dioscor. & Plin. habet: Is tradit modicè calidas esse, satis nutrire, attenuare & incidere. Amaras dulcibus esse calidiores: ebrietatem eius dici auertere. Oleum Amygdalarum dulcium, quod eadem ratione vt amararum exprimi potest: (modũ familiarem docebimus postea:) modicè & temperatè calidum esse: iecoris obstructiones aperire & auertere: Pulmoni etiam & pectori vtile esse, quod postremum nostra experientia multorum commodo sæpissimè exploratum.

Serapio ex Aben Mesuai, foliorum & florum Amygdalæ expressorum succum epotum ascarides cum purgatione deturbare scribit. Eodem collura inguina fœtorem amittere, iniectum auribus necare vermes. Oleum nucleorum (subaudi amararum) conferre dolori aurium frigido, & morbillis conferre illitu.

Mesues Oleum Amygdalarum dulcium magnis extollit laudibus, asperitatem gutturis, pulmonis, & partium cæterarum etiam externarum lenire, duritiem omnem ac siccitatem iuncturarum & partium aliarum emendare: impinguare, conferre hecticis, semen augere, ardorique vulvæ & vrinæ iniectum commodare. Et est sanè medicamentum verè ἰατρεῖον, & ad multa efficax, blandum, gratum, & velut quidam typus aliorum oleorũ generis eiusdem: scimus quid possit in colico dolore, ab induratis fæcibus, ab humore acri,: in quibus tuto & maximo successu multoties exhibuimus. Sed recenter oportet esse expressum: datur ab vnciis tribus ad libram semis plùs minùs, vel per se, vel cum iure carnium. In constipata aluo, mite, tutum & probatum experimentum, etiam renum dolore diuexatis. Est etiam insigne anodynum, & vnicum propemodum infantium medicamen.

Olei Amygd. amar vires. Idem Mesues oleum Amygdalarum amararum tradit obstructa aperire, flatus resoluere & dissipare, etiam in aurium tinnitu, & eiusmodi aurium morbis, asperitates lenire, neruorum mulcere dolores, duritics mollire, panum faciei delere. Auicenna scribit pilulas fieri ex Amygdalis & oleo Amygdalino ad famem diu tolerandam. *Pilula ex Amygd. ad famem.* Illud consideratione dignum, quod apud Auic. legitur gummi Amygdalæ adstringere & calefacere, quod nobis quidem vero minùs consentaneum videtur, quamuis in eo ipsum adeò Dioscoridem secutus videatur. *Auic. not.* Facilè concesserimus adstringere per accidens, nempe glutinando, viscido liquamine in humore aliquo dissolutum, quã ratione dysentericis quoq; prodesse putamus. Sed de hac re doctiorum alio iudicium, aut quibus est in hac re aliqua experientia.

Cautio. Alia Cau. Non omittendum quòd Trallianus tradit Amygdala & Pistacia in hepaticis dysenteriis caueri debere, eò quòd facilè corrumpantur, & oleosa sint, promptéque in bilem mutentur, & excrementum asperius reddant, vt hinc venter magis, crebriúsque irritetur. Idem alibi præcipit de purulentis: si aluus non sit citata succum Amygdalarum, sin autem sit citata nihil prorsus de iis exhibendũ. Quo sanè loco, (quamuis & alios iam suprà ex Diosc. & Plinio citauerimus huc facientes) facilè refutare possis nostrorum Germanorũ opinionẽ qui existimant adstringi aluum vsu lactis Amygdalini. *Germanorum error denuò refutatur.* At nos vix existimamus concedendum Tralliano in hepaticis Dysenteriis caueri debere Amygdalas, eò quòd facilè corrumpantur & oleosæ sint, promptéque in bilem mutentur. Nobis enim videtur ea quæ difficulter concoquuntur, non facilè corrumpi & in bilem mutari. Nec oleositas tanta est in Amygdalis non rancidis, quæ id præstare possit. Cremor quidem eorum facilè acescit, si loco reponatur calido: non propterea in bilem vertitur. Sunt tamen qui moti autoritate Auic. dicentis Amygdalas ob suam vnctuositatem commouere choleram, sibi persuadent non tutum cremoris Amygdalini vsum febricitantibus, & iis qui stomachum biliosum habent, facilè inflammari, mittere ad caput vapores, vulnerato capite his non vtendum, excitare dolorem capitis. Nos in cremore vnctuositatem illam non obseruauimus, nec quicquam nocumentorum iam dictorum, licet in febribus & calidis morbis sæpè vsi simus, & vtamur ipsi in dies, etiam in nostro corpore. Quod si etiam vel tantillum eiusmodi vitiorum iis inesset, aqua vel simplex, vel hordei decoctum, quo cum parari iubemus, id facilè emendat. Sed diligentibus medicis ista deinceps curiosiùs examinãda relinquimus: quæ ipsi obseruauimus, annotamus & in publicum conferimus: aliorum obseruationes non spernentes, si ratione & experientia confirmentur. Ridenda profectò & eorum sententia, qui lacteum cremorem è dulcibus Amygdalis parari solitum dari minima debere anhelosis cæterisque pectoris & pulmonum vitiis laborantibus contendunt, quòd falsò sibi persuadeant cremorem hunc omninò adstrictoriæ facultatis non obscurè esse participem. *Cur Amygdala semen augeant.* Amygdalarum in cibis vsum genitale augere semen volunt, quod profectò vix alia fieri queant ratione, quàm quòd multum nutriant eã quã suprà dictum ratione est. Etenim semen excrementum benignum vltimi alimenti. Nam nec magno acriue calore, nec flatulenta qualitate (quæ duæ etiam causæ semen excitare & stimulare solent) illud præstari certum est.

Qua ratione adstringant Amygdala. Tragus Amygdalis adstrictionem non tribuit quidem, sed tamen addit. Amygdalæ in cibo vsurpatæ præsertim si pultes ex iis consiciantur, adhibita aqua, in qua candens Chalybs extinctus fuerit, aluum lubricam adstringunt: At id nos Chalybi tribuimus non Amygdalis. Succus Amygdalæ amaræ expressus coxendicum dolores lenit, teste Sereno.

Ad Venerẽ. Ad Vires. Amygdalis, inquit Matth. plerique vtuntur & ad roborandam venerem, & ad reficiendas vires, quamuis Galenus non multùm alimenti suppeditare scribat. Ægrotantibus nutricibus, Amygdalino lacte, cum aqua cardui benedicti extracto dies aliquot infantes sustentari possunt. Amyg-

Digitized by Google

dalæ dulces masticatæ gingiuarum dolores tollunt.

Virides Amygdala. Earumque vires. Virides Amygdalæ, suo integro operimento, comestæ, vt tradit Amatus, bonum faciunt stomachū, & illū ab humiditate emendant. Quia verò Hipp. æstuosas dicit ob pinguedinem, ideo Auic. dixit *sanie* earum commouere Choleram ob suam vnctuositatem: ad quod aduertant (inquit Amatus) qui indiscretè febricitantibus Amygdalatum porrigunt, aut saltem ijs qui stomachum biliosum habent, ne magnum auferant ægris nocumentum. Sed de hac re paullò antè iudicium nostrum diximus. *Cautio.*

Dulces Amygd. Oleum. Dulces Amygdalæ, teste Turnero, cerebri substantiam augere creduntur, macilentis vtiles. Earum oleum ad Conuulsionem à siccitate laudatur: amararum verò oleum, vno gradu, eo quod ex dulcibus exprimitur, calidius est, accommodum auribus obstructis, flatu distentis crassiusculo, tinnientibus, surdastris, verminantibus. Experientiâ compertum est, hoc oleum præ cæteris omnibus oleis, auribus esse conuenientissimum. Amygdala amara, sumpta cum vino dulci, vt muscatellino, aut arte facto, quod *Bastard* Galli vocant, vrinam prouocāt, ac vrinæ difficultatem tollant, prosunt laborantibus calculo & arenulis, teste Dod. *Aurium obstructis. Tinnitus.*

Vrina difficultas. Calculus. Lacuna refert Amygdala dulcia difficulter coqui à ventriculis debilibus, mittere ad caput vapores, ideoque reprehensione dignos esse medicos, qui in omnibus naturis & morbis ægris præscribunt Amygdalatum, quòd facilè inflammentur, nisi admisceantur semina Melonum aut Cucurbitarum & papaueris. Nos verò Lacte seu emulsione Amygdalarum dulcium ex decocto Hordei deglubiti, in calidioribus affectibus pro potu vtimur: Addimus etiam interdum semina Cucurbitæ ac Melonum, etiamque papaueris albi & lactucæ, si vigiliæ vrgeant. *Quorundā error.*

Bruerinus de re cibaria: Mirum, ait, cur obesiores fieri vescentes Amygdalis nonnullis sit traditum, cùm leuiter alant. Sed mirari desinet, si cogitauerit tales vel esse famelicos & proinde firmo stomacho, vel sanè in quæstione adhuc esse vtrumque ab eo positum: vel denique Amygdalas non primariam esse impinguationis causam, neque simpliciter verum esse, leuiter alere, quamuis Gal. id scribat. Sunt enim & multi alij, qui contrarium statuunt.

Cautio. Paræus in sua Chirurgia, in fractura capitis non vult læsos vti Amygdalato, dicens Amygdala excitare dolorem capitis. De hoc quoque antè dictum. Nec videmus, qua id ratione fieri queat. Sæpe accidenti alicui hęc vel illa assignatur causa, quæ nihil minùs quàm eius causa est. Ratio inspicienda, non negligenda experientia, si cum aliqua ratione coniuncta sit. Alioqui ne experientia quidem fuerit.

Harchius in suo Enchiridio Amygdalarum viresquasdam paucis versiculis complectitur:

Decoctum faciem decorat capitisque dolores
Sanat, at insessu menstrua pigra ciet:
——————Conciliant somnia fructus.

Quoniam verò compositionum aliquot in his Amygdalarum viribus meminimus, placet præcipuas aliquot hic in gratiam studiosorum adijcere.

Eclegma ex Amygdalis, eiusque vires. Prima sit Eclegma illud Mesuei, phthisicis saluberrimum: sed etiam hecticis & aliter consumptis, quod, & tussim lenit, ac intemperiem multùm siccam pulmonis & thoracis, & tussim inde siccam. Recipit autem Amygd. dulcium & amar. seminis lini torrefacti, nucleorum pineorum, anisi, tragacanthi, gummi Arab. ficci & rad. glycyrrhizæ ana drach. vnam & dimid. sacchari, penidior. ana drach. tres: excipiantur mellis & succi fœniculi simul coctorum quantitate sufficienti.

Marcipanis. Ex Amygdalis & Amylo Seplasiarij hodie delicatis, & deliciarum mancipijs placentas, *Marcipan* vulgò vocant, conficiunt, quas consultiùs erat ægris exhiberi, quàm nocturnis compotationibus, quod ferè fieri solet, inseruire. Meliores his delicatioresque fiunt ex Amygdalis cum saccharo & aqua rosata. Tabidis conuenientissimum est sequens. *Alius.*

Alius ad Tabem. Amygd. dulcium exortic. vnc. ij. pinearum vnc. ij. passul. enucleat. & decorticat. pulpæ dactyl. ana vnc. j. & ß. gummi arab. & trag. ana drach. j. Amyli vnc. ij. pulpæ capi elixi vnc. iiij: fructus macerati cum aqua cum reliquis tundantur, & saccharo paulatim asperso fiat massa: indeque cuiusq; figuræ panes sensim siccandi. Addere potes & semina cucurb. & melonum cum semine papaueris si magis refrigerare voles. Præstans quoque est Pasta regia Mesuei ex ijsdem parata: Nec tamen dicenda, ne potiùs ad pompam, quàm ad studiosorum compendiū & historiæ huius gratiam id præstitisse videamur, Videat apud ipsum, qui volet. Lubet tamen Lactis Amygdalini modum docere, propter exoticos, ad quos fortè hæ nostræ lucubrationes, si Deo ita visum fuerit, vt mereantur, peruenient, apud quosque fortè non est in vsu.

Lactis Amygdalini præparatio. Amygdal. dulcium à cuticula purgatarum, (quod fit aqua tepida, non feruente, ne oleosa substantia prouocetur in actum, sicque lac non benè album fieret) quantùm voles, vnc. iij vel iiij: addi possunt semina melonum & cucurbitarū, itidem decorticata ad vnc. j. sem. lactuc. & papau. albi (præsertim si refrigerare magis voles, somnūue placidum, non violentum, quod fit opiatis, accersere,) singul. drach. j. vel ij. contundantur in mortario marmoreo, quod omnium optimum ad hanc rem, sensim affusâ aquâ coctâ, aut decoctionis hordei, vel etiam sero lactis, pro ratione scopi, traijce per linteum, & in loco frigidiusculo reserua: nam citò acescit. Possis & cū solo hordeato & Amygdalis parare.

Amygdalatum. Hæc quæ sequuntur desumpta ex Gesn. libello de lacte & operibus lactariis obliuioni tradenda non sunt. Naturæ lac imitatur Amygdalatum, quod tum ad delicias, tum ad sanitatis beneficium ætas nostra frequentissimè parat. Amygdalæ circiter libræ pondere calidâ resoluuntur, vt faciliùs cortice spolientur, deinde cum pane excauato tunduntur. Tusæ ac dissolutæ recenti aqua in cacabum per setaceum fundūtur, & procul flammâ in carbonibus agitatæ cochleari, propter fumum, coquuntur. Sacchari adijcitur selibra. Parum coctutæ amant, liquidum enim hoc ferculum magis quàm spissum placet. Sunt qui & aquam rosaceam addant. Idem ibid. Caseus ex Amygdalino lacte. Amygdalinum lac ouis temperato, salitum decoquito, & si libet crocum adijce, aut alia quælibet aromata: tum densatum igne cochleari diligenter permiscebis, & impones setaceo, vt quod liquidius est defluat, tandem saccharatum conuiuis appones. *Caseus ex Amygdalino lacte.*

Si etiam lac cœruleum facere volueris, Amygdalium cū cyani floris succo para loco aquæ. Huic deinde oryzam aut far incoquere licebit. Aliud cibarium ex Amygdalis, lac coagulatum referens. Amygdala tusa per setaceum transferes cum aqua, deinde calfacies ad ignem semper agitando

gilando rude, miscebisque ius pisciium, siue de pedibus vitulinis aut ouinis gelatum, ac vteris frigefacto. Nos non possumus nobis persuadere ex floribus cyani tantum succi posse extrahi. Colerus in libris de coquinaria multa praeclare parare docet ex Amygdalis, quem consule.

Cinis & lixiuium Amygdala. Vsus Mechanicus.

Nec tacendum quod Theoph. scribit Amygdalae arboris cinerem lixiuiumque vt acerrima ad fornaces artesque aliquas commoda materie vtiles esse. Dalech. quoque annotat, Gummi Amygd. in vsu multo esse ad pannos sericeos oblinendos (vulgo artifices id aiunt, *donner l'eau*, dare lustrum) firmiores vt sint, ac minus corrugari laciniatique, & minus obterantur.

Noxa Amygdalarū obseruatio & mirab. exitio[?]

Dictae sunt vires, dicantur & noxae. Tradit Marcellus Virgil. felem non vltra septem aut octo Amygdalis amaris haustis torqueri coepisse, & velut furiosum circumactum, toto tandem corpore distentum periisse, non vltra horam a cibo illo protracta vita.

Matth. quoque non solum Diosc. sententiam confirmat de Amygdalis amaris lethalibus vulpeculis: Sed nos idem quoque accepimus verum esse, ab industrio Io. Lutzio, pharmacopoeo Kirchensi in Ducat. Wirtemb. qui narrabat ex magmate expressionis olei Amygdalarum amararum in plateas eiecto, mortuas aliquot gallinas, quae id comedissent, quod olim quoque monuerat Matth. in historia Germanica. Melius itaque posthac suis rebus consulent, si istud magma muliercul[ae] & deliciis deditis virginibus aut adolescentibus dono dent, quod est praestantius ad extersionem manuum & faciei, loco saponis, tam ex dulcibus, quam ex amaris.

Magmatis expressionis olei Vsus

AMYGDALOPERSICVM.

Cap. VIII.

Descriptio Folia. Flos.

ARbor est inter Amygdalum & Persicum ambigens, materie, folio, fructu. Folia enim oblonga, serrata, pediculo plusquam semunciali, virentia, sapore amaro. Flos quinque constat foliolis rotundis, colore carneo, vngue sanguineo, staminibus multis purpurantibus, ex vmbilico caliceue quinquepartito rubente. Carnis pulpinus, densior & copiosior quam Amygdalis: minus copiosus quam Persicis. Os licet Amygdalarum, vt persicis tamen rugosum: nucleus qualis Amygdalis. Teneriorem fructum, antequam durescat putamen, condiunt. Nucleus vero edulis vt Amygdalarum, a quibus vix gustu discerni queat.

Fructus. Os. Vsus.

Locus.

Visa nobis primum haec arbor in horto nobilissimi Viri Iacobi Waldner a Freudstein in Hattenschuuiler superioris Alsatiae, ex qua officula plantauimus Montbelgardi. Noua progenies, quae ex Amygdalo seu nuce Graeca & Persica facta, seu Amygdalopersicum, Carol. Steph. *Amygdalo Persicum* arbor Graecis haud nominata Gesnero. Consideret tamen Lector quae de Nucipersico dicta sunt in superioribus. Amygdalopersicus, citius exterior pulpa Persicum pomum sapit, nucleus interior Amygdalū Camer. Amygdalopersicum nunc in Alsatia frequens, cuius osseus cortex persici instar rugosus, & nucleum Persicum solet, grati saporis: forte Persico primo insita. *C. Bauh.*

Synonyma

Locus

Germ. Ein baum halb Mandel vnd pfersich. Gal. *Amande Peschier*. It. *Mandiola Persico, Mezo Mandiola mezo Persico &c.*

AMYGDALAM REFERENS FRVCTVS VILLOSVS.

Cap. IX.

Amygdala simil.

SCribit Clus. in Exot. A Iac. Garetto accepimus fructum qui ita Amygdalam referebat, vt primo aspectu Amygdala esse videretur; sed longi villi quibus erat obsitus, diuersum esse ostendebant.

Descrip.

Huius exhibet figuram in tabella sub numero quarto. Erat autem inaequalis, vncia paulo longior, minus vncia latus, sulcatus, vndique villis obsitus (nisi vbi attriti & detriti erant) in dorso autem longioribus, coloris inter fuscum & spadiceum mixti, cortice vero adeo tenaci, sicco tamen, praeditus, vt magna difficultate aperire possem: nucleum enim continere, ex strepitu quem motus agebat, intelligebam: erat vero Amygdalo suo putamine exempto par magnitudine, vno tamen latere sinuosus aliquantulum, vt Phaseoli formam verius exprimeret, quam Amygdalae, qui que in binas partes separari poterat, tenui candicante membrana tectus, ob vetustatem cariosus, vt quis esset eius sapor discernere nequirem. Solet vero interdum is fructus adferri muria conditus, forma pene exigui cucumeris, sed multo saturatiore viriditate praeditus, qui muria exemptus, paulatim flaccescit, & pulpa tandem in pollicem cum cute resoluta nucem relinquit, eiusmodi villis tectam, vt obseruabam in ea quam ab ipso accipiebam anno 1600. binas vncias cum semisse longam, vnciam aut paulo amplius latam. Illum autem fructum anno insequente *Manga* esse deprehendebam; de quo consulendi Garcias cap. 4. lib. 1. Christophorus a Costa cap. 13. & meum in illud caput scholium:

Nux. Phaseoli forma. Nucleus. Manga.

Locus Mangae. Folia descriptio.

Adferebat mihi Anno 1599. Franciscus Rodriguez, Bengalae regno oriundus, ex Bantam Iauae imperio, Mangas arboris istic nascentis aliquot folia, cum fructus eiusdem arboris nucleo. Erant vero ea folia densa, & quodammodo coriacea, instar annotinorum Laurocerasi foliorum, nouem, decem interdum plures vncias longa, binas cum semisse vel tres lata, in ambitu non serrata, oblongiusculoque mucrone praedita; crassiore neruo illa per medium secundum longitudinem secante, a quo vtrinque sedecim vel septendecim crassiusculae venae in latera excurrebant, tenuioribus aliquot venulis vix apparentibus intersepta; ea manducata acrimoniam habere deprehendebantur, quia forsitan relicta erat.

Garc. A Costa taxatur.

Miror autem neque Garciam, qui hanc arborem in suo praedio habuisse scribit, neque Christophorum a Costa, qui plurarum generis facit, & plantas ipsas ad viuum expressisse non vno loco gloriatur, foliorum formam declarasse.

Amygdalae forma nucleus.

Nucleus porro longioris Amygdalae suo crasso operimento repurgatae magnitudinem habebat, membrana tectus, cinerei coloris, substantia autem pene instar nucis *Faufel* siue *Areca* constans, in qua nullam amaritudinem, imo ne alium quidem manifestum saporem deprehendebam, nisi in resiccato (qualem accipiebam) euanuisset. Ad scriptum erat valde commendari ab incolis.

Fructus conditus.

Eiusmodi autem fructus immaturos & adhuc tenellos, muria conditos postea adferebant quotquot nauigationem instituebat in Indiam, quibus in reditu cum aliis cibis vescerentur: teneriorum cucumeris muria etiam conditorum loco, vt mo-

Coccymelea Myrobal. Emblica. Chrysobalanus.

sto transcripsisse indubiè adfirmare ausimus. In hoc tamen euariat Plinius à Theophrasto. Hic Mespilo comparat: ille spinæ Ægyptiæ: hic nucleum rotundum, ille lignum grande dicit: reliqua reipsa eadem, verbis tantùm discrepantia. An verò Coccymelea Plinij seu Theoph. sit Myrobalanus emblica officinarum, vt & Chrysobalanus Galeni flaua, vt ex quorundam sententia annotat Dalech. suo loco patebit. Prunis, inquit Plin. succus aquosus: foris corpus, intus lignum.

Differentia Prunorum Plinio. Hordearia. Asinina. Nigra. Cerina. Purpurea. Armeniaca. Nuciprunа.

Alibi verò diligenter persequitur differentias his verbis. Ingens turba Prunorum, versicolor, nigra, candicans. Hordearia appellata, à comitatu frugis eius, (quòd cùm Hordeum metitur ea maturescant.) Alia eodem colore seriora maioráque, Asinina cognominata à vilitate. Sunt & nigra, ac laudatiora cerina atque Purpurea. Nec non ab externa gente Armeniaca, quæ sola & odore commendantur. Peculiaris impudentia est Nucibus insitorum, quæ faciem parentis succumque adoptionis exhibent, appellata ab vtroque Nuciprunâ. Et hæc autem, & Persica, & Cerina, ac syluestria, vt Vuæ, autumno cadis condita, vsque ad aliâ nascentia ætatem sibi prorogant. Reliquorum velocitas citò mitescentium (maturescentium Dal.) transuolat. Nuper in Bætica Malina appellari cœperunt Malis insita, & alia Amygdalina, Amygdalis. His intus in ligno nucleus Amygdalæ est: nec aliud Pomum ingeniosius geminatum est. In peregrinis arboribus dicta sunt Damascena, à Syriæ Damasco cognominata, iampridem in Italia nascentia, grandiore quanquam ligno, & exiliore carne, nec vnquam in rugas siccata, quoniam Soles sui desunt: (quanquam Soles sui non desint:) sed Pruna omnia post Catonem cœpisse manifestum est. Cerea quoque Virgil. celebrat vnic.

Malina. Amygdalina. Damascena. Pruna post Catonem.

Sunt auti mali Cerea Pruna dit.

Cerea Virgil.

Et in Ecloga 2.

Addam Cerea Pruna, & honos erit huic quoque Pomo.

Cereola.

Columella:

Armeniisque & Cereolis Prunisque Damasci.

Nigra. Generosa. Cerea. Damascena.

Et Ouid. in sua Metamorphosi,

Prunaque non solùm nigro liuentia succo,
Verùm etiam generosa, nouasque imitantia ceras.

Galenus Iberia & Damascena celebrat, vti patebit in viribus. Palladius ea Damascena dicit, quæ suo seculo siccabantur in sole per crates loco sicciore disposita. Talia etiamnum hodiè in officinis Damascena dicta sunt: Δαμασκηνῶν κοκκύμηλα Athenæo tamquam ab alijs diuersum (alij tanquam cæteris præstantiorem) quæ gignuntur in alijs regionibus. Pruna igitur hæc sunt & alijs & Hipponacti memorata, vt refert idem Athen.

Coronam habui è Prunis atque Mentha.

Prunorum Corona concertatorum & præmium victoria.

Alexis;

A. Quin & in somnis videre visus sum mihi
Præmium victoria. B. Quale id erat dic tu.
A. Aduerte iam animum.
In stadio concertatorum me quispiam
Nudus accedens coronare visus est corona tortili
Prunorum. B. Dij boni. A. Maturorum.

Idem rursus

Vidistin vnquam omasum paratum, aut splenem inquinatum condimento, maturorumque Prunorum sportam?

Tom. I.

Talis est prorsus eius facies.

Nicander:

μῆλον ὃ κόκκυγος κλείουσι.

Malum quod Cuculus vocant.

Coccyges.

Ita vertunt. Annotat Dal. κοκκύμηλον: quòd grandescentibus cucullus è suis latebris prodeat & conspiciatur: sed quid commune aut simile Pruno cum cucullo? Clearchus Peripateticus scribit, Rhodijs & siculis Pruna vocari βράβυλα, vt apud Theocritum Syracusum?

Brabyla.

Ramos Brabylis graues & in terram curuos.

Et alibi:

Quantò Malum Brabylo suauius.

Brabylon. Athen. not. Syluestre Damascen. Madrya. Brabyla. Prunus Spodias. Coccymelea. Coccygeia. Coccymala. Persica.

Est autem Brabylon fructus, Pruno vulgari ambitu minor, eodem sapore, sed paulò acrius. Hæc quidam referunt ad Prunum Damascenum. Dalechamp. reprehendit Athen. quòd τὸ δεύτερον ineptè vsurpet, pro εὐφορώτερον, vel ὄψιμον. Acerbius est Prunum sylu. acidius Damasc. Seleucus in linguis, vt idem tradit Athén. eadem esse ait μάδρυα, βράβυλα, κοκκύμηλα καὶ τίλβα. Dicta porrò sunt μάδρυα velut μαλόδρυα: βράβυλα verò quia ducunt aluum, quasi βορὰν βάλλοντα, id est, cibos depellentia: & ἄλλα quasi μῆλα, id est, Mala, vt Demetrius Ixion prodidit in Etymologia. Theophrastus, Prunus inquit, & spodias, quæ veluti Prunus syluestris est. Aratos Coccymeleam vocat ipsam arborem: Coccymalum verò eius fructum. Aristophanes Grammaticus in Glossis Laconicis scribit a Laconibus Pruna vocari ὀξέα μῆλα περσικά, id est, acida Poma Persica; & à quibusdam Adria. Nec solùm κοκκυμηλέα arbor dicitur, sed & κοκκύμηλος, autore Polluce. Suidas τὰ κοκκύμηλα tradit vocari βρεικόκκια, quæ tamen rectiùs dicas Armeniaca, de quibus suo loco.

Adria. Coccymalus.

Beriocca Suidæ not. Ochra. Onychina.

Pruna multi, vt testatur Curtius ὦχρα Græcè vocari arbitrantur. Nos verò eam vocem in hac significatione apud nullum probatum autorem inuenimus. Onychina autem ab vnguis colore vocantur eidem. ὄνυξ enim vnguis est. Sunt & versicoloria, & intèr has differentias quædam præcocia, alia serotina: quædam item lignum statim dimittunt, & hæc inter pretiosiora habentur, & huius dotis in multis generibus nomine est: Cæteris verò carne lignum adhæret.

Versicoloria earum que differentia.

Pruni etymon.

Goropius è Penu suo Cymbrico nobis aliquid noui importat. Pruna nos (inquit) Pruinnen vocamus, quasi Pur-ruinnen, id est, Mora euacuantia. Latini itaque Prunorum nomen nostrati linguæ acceptum ferre debent. Hermolao teste: κοκκύμηλος & κοκκυμηλέα, seu ut ille scribit, Coccomelea & Cocomelos Græcè dicta & Pomum ipsum neutro genere, arborem masculino media comœdia pronunciat. Folio Arbuti describitur, si Theodorus Gaza audiatur: sed hoc Plinius Theophrastum secutus, non Pruno sed Coggigryæ vocatæ tribuit. Decepit hominem, vel corrupta lectio, vel nominum affinitas. sunt Pruna onychina Columellæ, nigris laudatiora.

Coccomelea. Cocomelos.

Gaza not.

Onychina. Κοκκυμηλέα. Etymon.

Et quia Pruni Etymi mentio incidit non insulsè nobis Lonicerus in κοκκυμηλέας deriuationem originemne inquirere videtur. Equidem, inquit, haud satis indagare huius vocis, κοκκυμηλέα, etymon possum, vt rei respondeat. Ex compositione certè, κόκκος granum est, μῆλον Malus, aut μηλέα, Malum, vnde Pomum potiùs Granatum erit. Verùm historia & natura eius non respondet. Aliud enim est ῥοιά id est Malum Punicum, aliud Prunum. Propemodum eò inclinat animus, vt per barbaralexin putem κοκκυμηλέαν factum esse ex latinè coquendi vocabulo, vt suprà contigit in Armeniacis

malis, quæ Præcocia Romani vocant, quam vocem non rectè adsequentes Græci homines, vt fit in aliena lingua, dixere πραικόκκια & πρεκόκκια, vt κοκκυμηλέα, veluti Coquimalum, hoc est malum coquens & digerens: deijciendi enim alui ei vis inest præcipua. Hinc & in Asia, vt Galenus ait, arborem & fructum προῦμνον appellant, quæ vox item non satis feliciter, translata est. Prumnam enim Asiaticum m medio redundat, quum simpliciter προῦμνον Prunum dicendum erat. Atqui satis est κοκκυμηλέαν vel Gal. teste, esse Prunum. Coquimalum igitur prima sua origine dictum Prunum, postea Græcis κοκκύμηλον: & inde κοκκυμηλέαν dictum putat Lonicerus, quemad. à Pruno latinorum, Asiaticum illud προῦμνον corruptum.

Coquimalum.

Prumnus. Prumnum.

Coccymelea est prunus.

At Cordus è contra Pruna, & Germanorum, præsertim Hassorum Praunen à Pruno deductū putat. Quod verò Lonicerus de pruno in genere ait vel Prumnó esse κοκκυμηλέαν, minùs fideliter ex Gal. dixisse videtur, qui non omnem vel indefinitè, Coccymeleam, sed syluestrem, προῦμνον in Asia vocari testatur. Quid si κοκκύμηλον dictum quis statuat, quòd malum sit, granum vel semen vnum in se continens: id est, Cocci malum. Immò quid si ipsi etiam Theophrasto dicta sit προῦμνη? Is sanè in nono hist. cap. 1. δακρυώδεις, hoc est, lachrymas fundentes arbores, quæ concrescant (gummi vocant) recenset: ἡ δ' ἐν ὀλίγοις, inquit, τῶν μὲν πολλῶν ἰδιαίτερον, ὥσπερ ἐπὶ τῆς ἀμυγδαλῆς καὶ κοκκυμηλέας ... &c. Vides ipsum immediatè contingere eiusdem ferè naturæ ac generis arbores, Amygdalum Cerasum, Prunum. Nam & Gaza Prunum vertit, & Constantino in Lexico προῦμνη Prunus est arbor Theophrasti ex loco citato. Vnde non mirum si subtilissimo Scaligero mirum videatur, ni nostra vox inde emanauit, si tamen ea nostra sit Prunus, inquit ille. At quominus sit: nihil impedit: immò ex eo ipso loco vel maximè patere videtur esse, Gummi enim seu lachrymam fundit, & Amygdalo & Ceraso affinitate proxima est. Addit Scaliger: Susinum Veneti, & Thusci: nescio an è Persis, προῦμνον etiam apud Galenum: At de syluestri Coccymeleâ hoc Asiaticis dici paulò antè monuimus. ἐξώμαλα τραγικὰ Laconibus, Had. Iun.

Lonicerus not.

Cocci malum. Prune Theoph.

Prunus à προῦμνη Græcorum.

Susinum. Scal. not.

Linguarū nomina.

Anas Arab. Demiran.

Anas, id est, Pruna, Serap. Bellunensis apud Auic. Pruna in margine annotat *Demiran* dici. Sunt qui & *Aras* seu *Hagias* iisdem dici tradant. Hebr. *Kaschap*, teste Elia Leuita, vti citat Tragus. Germ. Pflaumen & Kriechen: quibusdam vt in Hassia etiam praunen, quam vocem à Prumno deductam putat Cordus, vt modò dictum. Exsiccata etiam Pruna, quæ ex Hungaria, Bohemia, Austria, Transiluania & Morauia in Germaniam importantur, omnia communi vocabulo Zwetschen vocantur. Minora ferè Kriechen vulgò: & Cerea Spilling. Germanis dici ntur, vt patebit in differentiis. Eadem appellatio arboris, si addas cuique dictioni arborem: baum, &c. Gal. *Prunier: Prune*. Montbelg. *des Belosses*. It. *Prune, Susino*, vel *Succin*. Castil. *Ciruelo, Ciruelo* aut *Andrino*: fructus *Ciruelas* aut *Andrinas*: Catal. *Prunas*. Portug. *Amexieira*: fructus *Amexas*, aliàs, *Amexeas*. Belg. Pruyme. Angl. Ploum tree. Bohem. Ziliwet Sliweesky. Hung. Zuua fu.

Pruna exsiccata.

Differentiæ à sapore & facultate.

Differentiæ vel à sapore sumuntur, quæ potissima esse videtur, quòd ex ea facultas depèndere videatur. Sunt enim quædam aluum sistentia, sunt & soluentia, alia mediam quodammodo naturam sunt sortita. Quæcunque dulcia sunt, aluum soluunt: quæ verò acerba sunt & austera, eam cohibent. In neutram partem valdè inclinant, acidodulcia vel acida, sed hæc siti febrientium maximè conueniunt. Sunt rursus alia magna, alia parua. Magna vulgato idiomate ferè pflaumen, parua verò, Kriechen appellari consueuerunt. Colorum ac reliquæ differentiæ ex enumeratione patebunt.

Ergò vt ad Prunorum differentias recentioribus obseruatas propiùs accedamus, ordinę quodam singulorum diligentiam inspiciamus, exorsi à Ruellij, Galliæ Pruna potissimùm concelebrantis.

Huius seculi Prunorū differentia. Galliæ Pruna. Prunorum differentia.

Prunorum itaque, apud Gallos innumeræ ferè differentiæ. Prima laus Damascenis tribuitur, nigra cute, carne suauj, rotundo ligno, exili nucleo. Secundas partes sibi vendicant *Perrigona* cognomine, *Iberica*, vt credo vocata, quoniam primùm ex Hispania venerunt, vt inquit Actius, succi dulcioris, durioris que carnis, suaui gustu: ea qua parte Solem spectant, purpureo nitent colore, aduersa parte candicant vel subrubent: vtraque pressa digitis internum os dimittunt. Alia coloris ceræ ex candido in luteum pallescentia, quæ *Cerea*, vel *Cerea* etiam apud Gallos vocitantur: Alia maiuscula, mollia, purpurea, *Pedicularia* vulgò à vilitate dicta; ijs sues rura saginăt. *Asinina* non ab re putauerim quoque dicenda. Commendantur maximè quoque quæ *Prunidactyla*, à longitudine digiti, vt puto dicta, purpurea, suaui carne, ouata pomi specie, insitionis mangonio nusquam non nascentia. Alia *Neberdiana*, item *Iuliana*, aliquantò seriora, coeruleo colore, cumulatim in parente intorto surculo pendent, dum passa contrahantur, in rugas.

Cereola. Pedicularia.

Asinina. Prunidactyla. Neberdiana. Iuliana.

Eadem ferè & Curtius habet: sed nouis annotatiunculis locupletata, & ab his quædam diuersa alia. Quædam grandiore, inquit, sunt ligno, quędam albo, alia purpureo, cætera nigro sunt colore: omnia tamen parua. Hæc enim reliquis præstantiora, intus parum crocea, minimùm succo abundantia, vt edentes ad sitim prouocent, quibusdam *Parisina* dicuntur. Hæc autem genera (inquit Curtius) tempestate Plinij nō fuerunt, aut postea hoc nomine vocari cœperunt. *Armeniaca*, quæ vulgus Armetina vocat, minima sunt, purpurea, grata odore. De his Columella in carmine paulò antè citato, Hispanica liuen, ingrato aspectu, sed miro dulcore prædita, oblonga, ligno intus exili ac longo. Nonnulli à regione citerioris Hispaniæ *Catalonica* malunt appellare. *Iuliana* verò quæ apud Turonenses in Gallia nascuntur, dulcissima, colore nigro. Deliccatā verò per totam Galliam venalia deferuntur, ægris etiam expetita cocta. A dactylorum verò forma *Dactylica* dicta: prægrandia hæc albi purpureique coloris reperiuntur. In honore sunt, ouata in longitudinem figurâ. Quædam verò Hordeacea antiquitus, vt suprà diximus, dicta à comitatu eius frugis, candida, & eius coloris alia seriora, maioráque & propter vilitatem Asinina dicta. In pretio verò nunc sunt, quæ *Perdicona* dicuntur, alij *Iberica* dicunt, quòd primùm ex Hispania venère. Sic enim vocari Symphorianus Champerius medicus doctissimus testatur. A Perdice scilicet aue, dictæ sunt quòd quemad. ea inter aues cibi suauitate cæteras excellat, sic hæc inter Prunorum genera. Serotina hæc purpureo colore, formæ non grandioris, dulcissimi saporis. Cœpère nunc & deliccari, vt *Iulianis* non cedant, A bonitate enim *regia* sunt dicta, amplitudine autem post *Dactylica* sunt etiam parua, nigra, ouali figura

Curtij differentia.

Parisina.

Armeniaca Armesina.

Hispanica.

Catalonica. Iuliana.

Dactylica.

Ouata. Hordeacea minora. Hordeacea maiora seu Asinina. Perdigona. Iberica.

Regia. Mittina.

figura, plurimo succo, si quod aliud genus abundantia, quare *Micheia* vulgus vocat, ac si succum meiere videantur. Alia quædam vsque adeò parua sunt, vt magnitudine Pruni syluestris fructum parum excedant, nigra, rotunda & feriora. Sunt & Acidula, nigro colore, succo etiam abundantia, verum non identidem. In extremum Autumnum durant, vt hyemem attingant.

Minima. *Acidula.*

Clearchus Rhodius & Siculus, Theocritum Syracusanum *Brabyla* pruna appellasse scribunt, quæ & Madrya & Badria Athenæo dicuntur, vt dictum suprà. Fructus quidem hic minor, gustus verò idem, ni aliquantò esset asperior.

Brabyla. Madrya. Badrya.

Ioubertus *Pruna Pertigonia*, *Prunidactila*, *Damascena & imperialia* vocata præ cæteris commendat.

Solerius Asinina seu Pedicularia Plin. Gallis Delphinatibus *Prunes Bouarlx* dici scribit, esseque fortè Hiberica. Idem *Pertigonia* Ruellij, suspicatur esse magna Galeni.

Asinina Plin. Magna Galeni.

Nicol. Abr. à Framboisiere de sanitate tuenda: In Francia excellentiora Pruna sunt Damascena trium generum. Nigra, rubea, & violacea. Secundum locum obtinent Dactyla ob suauitatem. Magni fiunt in Prouincia pruna ex Brignoles; multi etiam sunt Pruna Pardygoinia ob magnitudinem & gratum saporem. Pruna Rejmensia æstimantur ob pulchritudinem potiùs, quàm bonitatem: color enim cæruleus visu delectabilior, quàm sapor gustui gratus: eis inest minimum aciditatis & adstrictionis, incolis dicuntur *Nobertes*.

Gallia Pruna Damasc. Dactyla. Brignoles. Pardygoine. Nobertes. Vignons.

Sunt etiam apud Reimenses alia Pruna, dicta *des Vignons*, quæ comeduntur plerunque priusquam maturescant. Propter insignem austeritatem & acerbitatem illi iis tantopere delectantur, vt soleant ponere in iusculis, loco vuarum acerbarum.

Hispaniæ celebrata pruna, vt tradit Amatus, hodie Pruna Damascena præcipua habentur, Syracusana ab Hispanis nominata, nigra, rubentia, vel in totum alba, ad citrinum tendentia, oblonga, boni saporis: Citrina multi Cerea appellare non dubitant. Multi quoque ex omnibus Pruni speciebus præcipuè laudant, quam Salmaticenses Andrinas ob colorem nigrum vocant: rotunda sunt, sapore acido, ori gratissima, quæ matura febricitantibus apud Salmaticenses D. Alteretus non sine optimo successu concedebat. Lacuna verò scribit inter Pruna Hispanica præcipuè commendari dicta *De Monte*. Secundum locum obtinere quæ deferuntur ex S. Michaele. Inter ista sequi rotunda, quas vocant Andrinas. Ab omnibus laudari Damascena.

Hispania Pruna Damascena Syracusana. Cerea. Andrinas. De Monte. Pruna S. Michaelis. Andrinas. Damascena.

Perlustremus nunc Italica.

Prunorum, inquit Cæsalp. rotundorum quædam mali amplitudine, flaua, dulcia, odorata, quæ primò maturantur: cognominantur autem à Malis. Iis minora, & austeriora, quæ Augusto maturantur, Pruna *Augustana* vocata: & *Albanula* inter pretiosa. Alia nigra, duriore carne, sed gratissimo sapore, vulgò *Perdicona* cognominant. Grandiora his sunt *Massimiana*, ac succi bonitate præcellunt. Simili specie constant aria quædam, vt etiam fallant, sed in suauitate saporis quamprimùm discernuntur, vt quæ *Asinaria*, & quæ *Gabia* alicubi vocantur ingustabilia. Paulò minora iis & oblongiora Viridacea, sic appellata, quia dulcia sunt antè perfectam maturitatem, dum adhuc viridia sunt. Hæc maturitate perfecta ad ruffum tendunt, sed dulcedine minus grata. Alia in longitudinem extenuantur iuxta pediculum, vt *Damascena* colore flauo: *Catelana* colore subuiridi, alia colore nigro. Multæ aliæ sunt inexplicabiles differentiæ, vario cultu, & studio inserendi inuentæ. Est & syluestris Prunus, &c.

Pruna Italiæ. Pruna mali amplitudine Augustana. Albanula Perdicona. Massimiana. Asinaria. Viridacea. Damascena. Catelana. Nigra.

Peculiare (addit idem Cæsalp.) in fructu Pruni, quòd deflorescens, si multi imbres contigerint, conuertitur in longum quoddam corpus inane quod *Turca* vocant. Idem ex Theoph. dicit Pruno foliû esse Arbuti: ac peculiare ei fructui in *pappum* perire: quæ Prunis nostris conueniant, si *pappus* hic non Lanuginem, sed inane corpus significet, *Turcam* dictum. Quod ad primum, vel non rectè nouit Cæsalp. Arbuti folium, vel certè non benè contulit, atque adeò hac collatione aliquem in suspicionem conijcere possit, ipsi neutrum probè cognitum. Quoad posterius: bellam sanè verò interpretationem vocis *pappi*, quam Theoph. per τὸ ἐκπαππόομαι τοὺς καρπούς expressit. Si Cæsalpinus annotasset obseruationem doctissimi Hermolaj, comperisset id à Theophrasto de Pruno non dici sed de alia arbore. *Turcam* sæpiùs obseruauimus, sed quo iure is vel alius quiuis *pappum* vocet, nondum agnoscimus. Vitium est fructus *Turca*, non illi par nec ordinariè omni fructui euenit, vt de fructu eius arboris, de qua Theoph. scribit enim in *pappum* abire, tradit. Quod si verum esset de Prunis, ille sua Perdicona non tantopere commendasset.

Turca pruni vitium. Cæsalp. reprehen. Alius error.

Sed persequamur reliqua Pruna Italica ab Aug. Gallo obseruata. Pruna, *Brogne* vel *susine* dicta Lombardis optima sunt, & bonitate Damascenis succedunt, quæ quamuis cæteris minora, pulchra tamen sunt, sapida & sana, tàm cruda quàm cocta, potissimùm si cum pullis & auiculis decoquantur. Aluum soluunt cocta parum in aqua, & ita mollia comesta, cum multo sacchato. Sunt & alia magna, & dulcia admodum, quæ probè matura aluum magis lubricant, omnia cruda vel cocta in aqua tepida macerata sitim restingunt. His succedunt dicta *Brogne Agostane*, quæ non pulchra, longa tamen & crassa: sana sunt cruda, & cocta, & sicca. Pruna dicta *Brognoni grossi*, rotunda non postremas tenent, si præsertim benè matura & decocta sub cineribus folijs inuoluta, decorticataque & sacchato aspersa comedantur: vel etiam & meliùs, cruda decorticata, & in patella cum sacchato lentè cocta. Inter Pruna, quæ dicuntur *Brogne* Myraboláni, alba, nigra & lutea salubria esu sunt, non cocta. *Brogne Catelane* dicta, benè matura præferuntur cruda, cæteris omnibus, albis, nigris, viridibus aut rubellis, dulcedine & succi gratia præstant: corroborant magis, & præ alijs sitim extinguunt, decorticata à febricitantibus in ore retenta singulari sunt solatio, mitigant summum ardorem, & restituunt nonnihil appetitum. Sunt etiam alia Pruna Italis vulgò dicta *Agostane bianche*, *Settembrine*, *Massimiane*, *perniciene*, *Gierusaleme*, & alia multa suauitatis & salubritatis non contemnendæ.

Lombardix pruna Susina. Magna dulcia. Pruna Augustana. Pruna crassa. Pruna myrabolana. Catelana.

His addamus quorum meminit Alpinus, (nisi iam supra scriptorum aliquo nomine dicta sint) & cum dactylo oblongo, magno & crasso confert, *Pruna alba*, quæ Iulio mense in agro Bassanansi maturantur.

Alba Bassanansia Damascena vnde aducta Pannonica.

Matthiolus quem, velut Italum, decebat pulchras istas merces Italicas nobis Germanis præ alijs celebrare, ne γρῦ quidem de ijs habet: sed postquam palmam tribuisset Damascenis, quæ necæ ex Syria Venetias importantur: secundas tenent (addit) in Germania quæ ex Pannonia & Transsyluania, conuehuntur in quorum genere

quæ minuſcula ſunt, maiorem cum palato ineunt gratiam in vino decocta, & ſaccharo aſperſa: hoc enim modo parata primiſque menſis ſumpta, & ori grata ſunt & aluum commodiſſimè citant, nam dulcia ſunt & ſine adſtrictione. Verùm ſi nô guſtarit aut nouerit alia, quæ ex Germania prædicaret, deinceps Germani ipſi audiendi ſunt, vt quàm Germania hoc fructu diteſcat, intelligant etiam exteri: Matthiolumque interim excuſent, qui Prunorum differentias inexplicabiles ferè dixit, quod non ægrè confitemur ſi intellexerit omnes.

Pruna Germaniæ

Damaſcena

Trago itaque multa ſunt Prunorum genera, inter quæ primum apud Germanos quoque locum obtinent Damaſcena vocata, Theocrito Brabyla, Athenæo Badrya & Madria cognominata. Germani Damaſcenen pflaumen/ Vndt Quetſchen vocant. Hæc in Pharmacopolis exiccata habentur, quemadmodum etiam magna illa Hugarica, ab ipſis Hungaris Damaſcena, & à Germanis Groſſe Zwetſchen vel Quetſchen / & Vngeriſche Pflaumen vocata. Quidam his pro Damaſcenis vtuntur, autore Cordo. Deinde ponuntur, à Trago, purpurea, quæ ex Hiſpania venerunt. Iberica & Pertigona vocata. Germ. Spanniſche Pflaumen. Hinc Cerea ſeu Cereola. Germ. Gel friechen/ Vndt Spilling dicta. Cordus annotat Brabyla quoſdam priuatim interpretari friechen. Quarto ordine collocanda ſunt oblonga illa & Cerelea, alias Prunidactyla, Germ. Blaw lang Pflaumen/ blaw Spilling/ vundt Eülſen Pflaumen nominant. Quinto loco exigua illa (nec enim nuce auellana maiora ſunt) & Autumno prouenientia Pruna, German. klein herbſt pflaumen dicta. Hæc Baſilienſes Zipartten vocant. Poſtremò ſunt & alia genera, vtpote nigra illa quæ vocant, groß Roßpflaumen: & rotunda illa, magna & dura Pruna, quæ Autumno appetente maturantur, German. Schaaffpflaumen / Latini Aſinina & Pedicularia nuncupant. *Hæc Tragus.*

Damaſcena Hungarica. *Pertigona. Cerea.* *Prunidactyla.* *Pruna Autumnalia. Nigra. Rotunda.*

Eadem ferè & Lonicerus habet, additque fructus Prunorum Theocrito dici Brabyla.

Differentia Dod. & Had. Iun. Brabyla Damaſcena Pruna Vulg. ruffa. Luteola. Rubra Aſinina.

Dodon. verò βράβυλα vult dici magna illa Pruna dulcia cœrulea, Lat. Pruna Damaſcena: Had. Iun. βράβυλα Theocriti ſcribit, κοκκύμηλα δαμασκηνά: German. Blew Spilling/ Quetſchen. Belg. Blauw pruyme/ oft pruyme van Damaſc. Gal. *Prunes de Damas.* Secundum Dodon. genus ſunt Pruna vulgaria ruffa, quę Hiſpanica vocatur. Luteola, Latinè Cerea & Cereola Pruna: Hæc Had. Iun. Roſpflaum, German. & Belg. Deute roſpruyme vocat. Dod. verò quartum ſuum genus ita nominat, Pruna rubra & rotunda quibuſdam Latinè Aſinina Pruna, Gal. *Prunes de cheual.* At Pruna aſinaria vel aſinina vilia dicit Iunius, & maiora. Belg. Piſpruyme. Omnium minima Pruna rotunda Dod. Nana H. Iunio. Ger. Kleine herbſtpflaum. Belg. Creoſten/Palloken. Gal. *Creches & d'auoine.* Sic vnuſquiſque patria ſua priſcis accommodare ſtudens, non tamen aduertit ſibi non conuenire cum eo qui eſt ante fores.

Minima ſeu nana. *Pruna, quædam Belgiæ. Hordearium*

Alia quædam adhuc habet H. Iun. æquè Plinij & priſcorum nomenclaturis accommodata, & iam prius quoque dicta. Sic Prunum Hordearium Plinij candens dicit, Belg. Witte Pruyne. Prunum decumanum: Belg. Eierpruyme. Damaſcenum verò, Prunum paſſum vocat, & rugoſum. κοκκύμηλα ἀπεξηραμμένα, Belg. Pruyme Van Damaſc. Ital. *Prune ſecce* Hiſpan. *Pruna ſeca.*

Decumanum. *Damaſcenum.*

Dodonæus quoque addit: Theophr. & Plinij Ægyptium Prunum incognitam eſſe: noſtram ætatem in Germania, circa Damaſcum Syriæ vrbem natis Prunis carere. Pannonica ſiue Hungarica laudat oblonga & dulcia, ſed magis tamen Morauica, ad aluum leniendam commendat, præſertim Branæ nata, quæ Morauiæ olim Marcomannorum Prouinciæ, vrbs eſt primaria: hæc etenim vbi reſiccata fuerint, ori ſuauia palatoque gratiſſima, aluum citra moleſtiam ita faciliè ciunt, vt deiectoria vi Caſſiam & Mannam poſt ſe relinquant; vt Thomas Iordanus affirmat. Noſtra ætas quædam *Gallica* a patria appellat.

Aegyptia. Pruna Pannonica. Morauica. Pruna.

Gallica. Geſneri differentia. Magna. Cerea magna. Cereola parua.

Perſequamur cæterorum Germanorum differentias. Geſnerus itaque has habet. Prunum quæ fructus magnos, purpureos & acidos ſapore fert, Lindauiæ Hengſt vocant, Tigurini Bockshoden (quaſi capri teſticulos dicas) vel Pflaumen. His ſimilia etiam cerei coloris minùs frequentia apud Tigurinos reperiuntur. Pruna Cerea vel Cereola magna ſubdulcia. Pruna parua, ſerotina, cereola, quæ Tigurini & Heluerij neſcio vnde Zipartten appellant: Inter vrbana minima, tardiſſimè cerea ferè mature ſcunt Septembri. Pruna præcociora parua, verſicoloria, à tempore quo Auena metitur apud Tigurinos dicta Haberfriechen/ paſſim illis abundant. Pruna Neapolitana, oblonga, dulcia (ni fallor) alba & Punicea, Lindauiæ. Pruna Hungarica, quæ vulgò Tuncſia vocant, Zweeſchgen, duorum generum: maiora & oblongiora: & alia minora, rotundiora, dulciora Lindauiæ: Baſileæ probè perficit fructum. (Kandelfriechen vocant) Pruna Hungarica præſtantiſſima, Damaſcena fortè Vvoiſeilo. Eiuſmodi Venetiis mittuntur aliquando Auguſtam magno pretio, craſſa & carnoſa, ſubacida. Hæc vel oblonga Neapolitana, aliqui Imperatoria ſiue Auguſta cognominant, quòd iis Imperator Auguſtus oblectetur. (Itali ſira ab Auguſto menſe, quo matureſcunt, *Auguſta* dicunt, de quibus ſupra.) Auguſtæ Pruna alia Hungarica, aurei vel cerei coloris: magnitudine oui gallinacei: aut etiam Anatini, carnoſa, gratiſſimi ſaporis. Aliud pruni genus, matureſcit circa finem Iulij, cui fructus parui cœrulei, dulces: Blawfriechen. Pruna minima, ſubcœrulea, acida, parum humida, Weinfriechen, matureſcunt Auguſto. Weißfriechen, Pruna alba, tardius aliquando matura: omnino alba. Roſs hödle, partim candida, partim rubella, aluum puto magis ſoluunt: & hæc aliqui alba vocant, ſed minùs propriè. *Hæc Geſnerus.*

Præcocia parua. Neapolitana. Hungarica maiora. Minora. Hungarica alias Damaſcena. *Imperatoria. Auguſta. Auguſta pruna.* *Pruna parua cœrulea. Pruna minima. Pruna alba, Variegata.*

Tabernamontanus quatuor ſumma Prunorum facit genera: Vulgara, quorum quatuor differentias conſtituit, nigra, rubella, alba, viridia, quædam etiam flaua & rubra. 2. Pruna Myrobalana, quæ antequam matureſcunt ſunt viridia, poſtea rubeſcunt, tandem perfectè matura atropurpurea fiunt: ſucculenta, odorata, nucleo paruo. 3. Auenaria Haberſchlehen vulgò dicta, primo generi ſimilia, ſed fructu paruo acidulo, ſubaſtringente ſapore, grato tamen. 4. Flaua, oblonga, nucleo exacuto, vulgò cerea, wachſgelbe Pflaumen oder Spilling dicta. His addit quædam alia ſed iam dicta: quamuis & hæc fortè iam magna ex parte memorata ſint, nec vllus ſit iam dictorum, dicendorùmque autorum, qui non alterius quædam habeat, etiamque diuerſarum regionum. Scopus tamen noſter eſt, vti ſuprà quoque in Pomis diximus, non tam nationum quàm ipſorummet autorum, qua tamen fieri id

Tabern. Differentia. Vulgata. Myrobalana. Auenaria. Flaua vel Cerea. Autorum inſtitutum & ſcopus in recenſendis autorum prunorum differentiis.

ad possit breuitate, differentias referre quæ etsi sæpius interdum repetantur, nullus tamen est, qui non sui idiomatis appellationes addat, & diuersa aliqua annotatiuncula illustret: simulac, vt consensus & dissensus autorum circa eas lectori ob faciem positus, meliùs innotescat: nec desit nobis in Vniuersali, atque adeò specialissima hac historia, quod adsit alteri: Adsit verò etiam nobis, quod desit aliis ne quis deinceps aliquis nobis veteratoriè obiiciat παντοκλεψίαν, quam tamen etiam facilè euitare posset, qui omnia exactè cognita haberet. Alioqui lectori fraudem, sibi dedecus parabit, quisquis hoc tentauerit. Quod si placuimus huic vel illi nationi, cur non æquè placeamus & alteri?

Quomodo hoc opus omnium Herbariorū vices suppleat.

Sed pergamus, & lectori æquè rerum diuersitates, quàm autorum placita ob oculos ponamus: *ita enim demum hoc opus omnium Herbariorum (qui nobis propositus est scopus,) quantum quidem fieri poßit, vices supplebit.*

Camerar differentia. Myrobalani. Verdaria.

Camer. inter Pruni genera varia, potissimùm Hungarica, Morauica, & quæ vulgò Myrobalanos dicunt, itémque Græca, quæ postrema *Verdaria* à viridi colore in Italia vocantur, & aliis præferuntur, concelebrat.

Pruna Silesiæ. Domestica. Brunensia. Hungarica minora. Asinaria. Cerea præcocia minora. Cerea maiora. Prunidactyla. Schwenkfel. mos. Canina. Parua autumnalia. Parua vinosa.

Schwenkf. sua diligentia Silesiæ Pruna vsitata recenset hæc. 1. Pruna domestica. 2. Pruna Hungarica maiora, Pruna Brunensia, Pannonica, **Brunner Pflaumen/ Vngerische Pflaumen.** Omnium sunt præstantissima, ori grata. 3. Hungarica minora, **Zweetschken/ kleine pflaumen/** dulcia sunt, & ori gratiora. 4. Asinaria, **Roßpflaumen/** magna sunt, rubore perfusa, viliora. 5. Cerea minora, præcocia, **Geele pflaumen/ Geele Spillinge.** 6. Pruna Cerea maiora, **Marannen/ Marunckenn** hortis instructioribus saltem nota: maxima sunt. 7. Prunidactyla oblonga & cœrulea, **Blawe lange pflaumen/ Bilsen pflaumen/ Blawe Spillinge/ Blawe Marunckenn.** Ex semine Prunorū Cereorum maiorum hæc nasci ait, quod profectò nobis nunquam persuaserit. Considerent igitur Agriculturæ studiosi, an ex Prunorum Cereorum maiorum semine, hoc est, à specie distincta, possit nasci alia species, nempe Prunidactyla cœrulea, quod nobis non fit verisimile. 8. Pruna canina, **Hunds pfleümlin/ weisse pfleümlin:** parua sunt, pallida, nonnihil rubicantia, dulcia. 9. Parua autumnalia, serotina, Auenaria, **Herbstpflaumen/ Kriechen:** Sil. **Zipparten/** minora sunt & cœrulea, hortis rusticorum nihil frequentius, ex quibus additâ farinâ edulia parantur haud ingrata, salubria: verùm recentium vsus nimius Dysenteriam procreare solet. 10. Pruna parua vinosa, **Weinpfleümlin/ Tarnickel/** vulgò viridia sunt, vinosi saporis. Condiuntur saccharo febricitantibus grata. Colerus annotat Prunis **Kriechen** dictis, rusticos Silesiæ liberos & familiam suam hyeme alere, quorum variæ differentiæ æquè in syluis proueniant & agris, quàm hortis, eáque adeò quæ syluis nascuntur, esui gratissima & saluberrima esse (**gar natürlich zu essen**) quasi dicat optimè naturæ conuenire, ventriculum claudere, bonum generare sanguinem. In Misnia dici **Tarnickel.** Pruna Onychina.

Locus. Onychina.

PRVNVS MYROBALANVS DICTA.

Descriptio arboris.

SVnt quidem superiùs dicta Pruna, Myrobalana cognominata, tritum generū nomine solo, ex August. Gallo, qualia tamen vix huc pertinere arbitramur. Meliùs respondent à Gesnero citata addito paruo lemmate. Clusius verò hæc diligentissimè, vt pleráque sua, describit his verbis. Facilè adolescit hæc arbor, & in vastam excrescit amplitudinem, maioresque eius rami subinde in alios diuisi, opacam admodum præbent vmbram: caudex multò læuiore gratioreque oculis cortice præditus est, quàm reliqua Prunorum genera: tenuiores rami, graciles admodum, tenerrimo cortice vestiuntur.

Folia. Flos. Fructus.

Folia quodammodo media inter Prunum & Cerasum, tenella per ambitum serrata sunt. Flos candidus, tenuior, quàm in vulgari. Fructus, cuius alternis annis feracissimus est rotundus, oblongo tenuique petiolo inter folia pendens, aspectu iucundus, per initia viret, cùm maturescere incipit, rubet: maturitatem adeptus purpura, nigro commixta nitet, carnem succulentam & palato gratam ac nucleū non admodū magnum habet. Floret cum alijs eius generis nouo Vere, sub Iulij finem & Augusto fructus maturitatem adipiscitur. Nondum vulgaris erat, cùm eam describeret Clusius: sed qui habebant, ex Cæsarei Palatij horto nacti erant, vbi omnium primas conspexit eius arbores tres ingentes, vnde primum eò delatas, incertum. Nonnulli è Constantinopoli, alij è Gallia genus duxisse arbitrantur. Certè ea arbor quæ Biturigibus Gallorum Myrobalanorum Chebulorum nomine ostenditur, huic persimilis esse videtur, vt ex eius folio inde delato, & Clusio à Cl. D. Io. Posthio Palat. Elect. Archiatro donato, æstimatum. Idem Clusius apud Garciam scribit, istud folium Persicæ folio simile non esse, sed Pruni aut Cerasi folium potiùs æmulari, atque nihil aliud se comperisse quàm Pruni genus. Fortè Tabern. vel is à quo accepit Iconem, hanc Prunum etiam habuit pro Myrobalano, vt cap. de Myrobalanis monebimus.

Tempus. Locus. Myrobalani Chebuli.

Pruni Myrobalani Garciæ.

Nunc in eodem Cæsareo horto illius genus alitur ex superioris nucleo natum, quod minore fructu & dulciore pulpa est: in cæteris nihil à superiore differt. Cur huic generi Pruni, Myrobalani sit appellatio data, fatetur se nescire, Clusius: nam, inquit, nec fructus similis est neque ossicula, quæ reliquis Pruni generibus similia habet, licet parua, cum legitimorum Myrobalanorum ossiculis siue nucleis, quæ canaliculata sunt & striata; quicquam commune habent.

dam flauedinem inclinant, sapore prę cæteris suaui ac dulci, cute obtecta dura & membranosa, vt meliùs patet in conditis, pulpa recentibus firmiuscula, & à nuce contenta libera. Nux hæc seu ossiculum aliquid peculiare præ cæteris habens, vnc cia longius, gracile, cõpressum, leuiter incuruum, vtrinque acuminatum, nucleum gracilem, nec valdè amaricantem continet.

Hac arbore nihil fructuosius: fructuum numero ipsa vincente folia, ingenti nihilominus caterua humi iacentia: nec extremis tantùm surculis, sed crassioribus etiam ramis immediatè hærentes quamplurimos obseruauimus. Magna his gratia in cibis, siue crudis siue decorticatis ex saccharo & vini modico aquáue rosacea coctis. Sed modicum addi meliùs, quòd ipsa per se calefacta satis succi fundant, & vt natiuã peculiaremque suam suauitatem non amittant.

Condita. Præcipua gratia conditis. Condiuntur autem saccharo integra, etiam cum ossiculis: sed non perfectè matura esse oportet, maturitati tamen proxima. Sic firmiuscula caro etiam conditis, mirum quantâ gratiâ atque dulcedine. Habet quidem Dactylica alba Curtius, quæ ita fortè vocat ad Purpureorum differentiam: Sed hæc eiusmodi viriditatis speciem ac colorem habent, vt alba dici non mereantur: ex viridi tamen albescunt, præsertim probè matura, sed de Curtij nobis ignotis nostrum statuere non est præsertim cùm ea non describat.

Pruna alba Lugd. Pruna dicta Lugdunensibus, *Prunes blanches*, longa sunt satis magna, lutea, cum quadam rubedine, carne satis molli, acido dulci. Ossicula longa, compressa, ab vna parte ad sphæricam formam tendentia, sicut & ipsa Pruna.

Pruna regalia punicea Lugd. *Prunes de Roy*, magna quoque sunt, rubra vel potiùs punicea, rotunda ferè, valdè odorata, carne dulci, tunica satis dura & acida. Caro facilè abscedit ab ossibus, quæ magna & aspera. Matura Iulio.

Pruna rotunda rubella. Montbelgardi habent Pruna Augusto matura, rotunda, satis magna, rubelli coloris, carne ossiculis hærente non ingrata. Plantari curauimus in horto Ill. E. C.

Pruna purpurea serotina. In horto iam dicto abundat Prunus, fructu purpureo, satis magno, serotino, sublongo, acido, carne officulis adhærente, quæ nostra cura plantata. Hæc sunt ea quæ Lugd. *Prunes D'Aoust*

Pruna Augusti. dicta ex postremis maturescunt, similia Damascenis, minora, quæ etiam viridia planè concoloria sunt, vt videantur matura.

Pruna purpurea ossiculo incuruo. Pruna purpurea vel coerulea magna, nonnihil sublonga, ossiculo nudo manente, maturescunt Augusti fine. Damascenorum genus quoddam esse videtur, ossiculo incuruato. Montb. in horto E.C. satis copiosè prouenit. Talia obseruauimus Goeppingæ in Ducatu Wirt. vbi copiosè coluntur & exiccantur ad vsus medicos & culinarios. Hungaricis non cedere videntur. vocant **Zweschken**. Eadem nobis visa in **Wisensteig** / horto Ill. Comitis.

Aliud pruni genus præcox in horto Montb. habetur, quod citò maturescit, colore purpureo.

Pruna sublonga, parua, alba, vnciæ, digitiue latitudine, interdum non maiora, facilè nucleum linquentia, acidodulcia, optima & delicatiss. cruda & exiccata. Hæc ex diuersis Burgundiæ locis conquisita in hortum Montb. plantata sunt. Maturantur ferè Aug. principio.

Pruneolorum cereorum vulgò *Ziparten* dictorũ arbor plerumque vulgaribus Prunorum arboribus minor est, siue caudicē spectes, siue ramos & folia. Pręcipuũ verò est fructuũ discrimen, qui autumno primùm maturescunt, colore cereo, cui glaucedo aliqua aspersa, non multò maiores Prunis siluestribus, pediculo sescunciali hærentes, sapore dulci, ossiculo facilè à pulpa separabili, cui ab altero latere crista secundum commissuram nonnihil elata. Hæc Basileâ accersita, vbi in lautioribus hortis coluntur, in hortum E. C. Montb. plantari curauimus. In pago Raupach Belfordiæ vicino copiosè coluntur, & in magnas arbores excrescunt. Maturescunt Sept. In Ducatu quoque Wirtemb. potissimùm circa fontem ad n. habentur prædicto nomine.

Pruna paruis persicis simili. Anno 1607. principio Septembris ostendente Char. fratre C. Bauhino vidi pruna valde speciosa, magnitudine ferè paruorum Persicorum, cum sulco in medio, qualem habent Persica, colore sunt rubra, carne firmiusculâ, sapori grati, iucundi, subaciduli: prò proportione fructus paruus, à carne separabilis, aiunt plures in hortis haberi, ac inter alios honorandum nostrum affinem Dn. Feschium Consulem meritissimum. Hoc genus Pruni existimo esse Prunidactyla Clusij. *Hactenus de generibus & differentijs Prunorum.*

Locus & tempus prunorum in genere. Ne vermiculosa fiant Prunus in genere, solo læto gaudet, & humido: Coelo tepidiore meliùs adolescere putatur, quamuis & frigidius possit sustinere. Non temerè in montibus visa Prunus, inquit Plin. Locis glareosis & arenosis, nisi iuuetur lætamine, caduca Poma & vermiculosa non grandescunt: autor Palladius. Gignuntur hodiè in omnibus cogniti orbis regionibus, sed potissimùm vbi terra sit soluta & hortensis. Quapropter paucos videas in Europæo tractu hortos paullò cultiores, in quibus non Pruni aliquod genus reperiatur: quamuis Tragus scribat, Pruni varia genera tardè ad Gallos & Germanos commigrasse: sunt tamen hodie apud eosdem vbique ferè locorum notissima.

Pruna omnia, post Catonem cœpisse manifestum esse, ait Plinius: specialia loca in differentijs dicta sunt: Damascena tamen siccâ terra & cœlo calido gaudent, vt Pamphilus scriptum reliquit.

Florent plærumque cum Ceraso, Aprili, aut etiam citiùs. Nos Prunum etiam vidimus florentem Septembri in pago *Adincourt*, comitatus Mõtbelgardici, Anno 1580, & denuò non vno in loco An. 1599: quemad. & hoc quo hæc cõmentamur, 1603. quo & fructus vidimus magnitudine auellanæ: Ex quo patet promptitudo germinandi florendique huius arboris, si vltra consuetum tempus æstiuum extendatur. Fructum diuersimodè maturant, Iul. Aug. & Sept. mensibus, vt particulariùs dictum in præcedentibus. Monspelij obseruauimus Prunum habentem magnum fructum & florem simul mense Aprili: estque commaticis vitæ Prunus.

Sationis tempus. Pruna Columella post mediam messem, vsque ad Idus Feb. seri præcipit. Plinius verò Italiæ serendi tempus Prunis post mediam hiemem & Idus Feb. indixit: oportet autem Pruno, distantiores serere Piris, autore Theoph. si ossibus serãtur, vt tradit Pallad. autumno, mense Nouembri solo putri & subacto, duobus palmis obruantur. eadẽ ponantur mense Feb. sed tunc priùs lixiuio sunt maceranda per triduum, vt citò germinare cogantur. Ponuntur & plantis, quas ex caudice mense Ian. exeunte, vel Feb. circa Idus sumemus radicibus fimo oblitis.

Extirpandæ sunt soboles à radice, exceptis rectioribus, quæ seruabuntur ad planta. Si lan-

guida Pruni arbor est, amurca cum aqua æqualiter temperata radicibus debet infundi, vel bubulum lotium solum, vel humanum vetus cum duabus aquæ partibus mixtum, vel cineres ex furno, maximè sarmentorum. Iuuantur frequenti humore, & assidua fossione.

Ne pruna decidant. Aduersus vermes & formicas.

Si poma decidant, Oleastri cuneum terebratæ insige radici. Vermes eius atque formicas rubrica cum pice liquida si adlinatur, extinguet. sed modestiùs propter arboris noxam, ne idem faciat remedium, quod venenum.

Vt odorata nascantur Pruna. Insertio.

Si Pruni surculi in mosco intingantur, & deinde inserantur, fructus inde fieri odoratos, Costæus tradit. Mense Martio extremo Prunus inseritur, meliùs trunco fisso quàm cortice: vel mense Ian. antè quàm incipiat germen lachrymare. Inseritur in se, & Persicum recipit uel Amygdalum vel Malum, sed eam degenerem reddit & paruam. Pruni, inquit Gesnerus, inseruntur Nuci, Malo, Amygdalo. Castaneæ etiam inseri Pallad. tradit his versibus:

Pruna suis addunt fœlicia germina membris.
Dondque cognato corpore lata ferunt.
Exarmat fœtus? sed brachia roboris armat
Castanea Prunus ipsa tenero larem.

Nucibus iam olim inserta fuisse, ex Plinio patet: inde Nucipersica enata. Damascena inseritur iisdem horis vt reliqua Prunus, vt Pamphilus scriptum reliquit.

Vt purgantia Pruna nascantur.

Prunorum surculi sambuco insiti, Carthartica Pruna ferunt. At nisi curam diligentem adhibueris facilè pereunt.

Repositio.

Pruna seruantur cadis vino dulci vel nouo fluitantia, operto diligenter vase. Siccantur etiam in Sole per crates loco sicciore disposita. Hæc sunt quæ Damascena dicuntur. Alij in aqua marina vel in muria feruente recenter lecta pruna demergunt, & inde sublata, aut in fumo tepido faciunt, aut in Sole siccari.

Damascena.

Vires & vsus. Stomachum Alui fluxus.

Pruni fructus, vt tradit Diosc. esculentus est, sed ventriculum malè afficit, aluumque mollit. At Syriacarum, & earum maximè, quæ Damasci nascuntur fructus exiccatus ventriculo vtilis est, aluumque adstringit. Decoctum foliorum, ex vino paratum, vuam, gingiuas, tonsillásque fluxione laborantes ore subinde colluto reprimit. Cæterùm gummi Prunorum agglutinandi vim habet, & in vino potum calculos comminuit. Ex aceto verò illitum lichenas infantium sanat.

Destuxio. Gummi. Calculus. Lychenes.

Diosc. reprch.

Verùm Galenus 8. simp. cum Diosc. non omni ex parte conuenit: ita enim scribit ille: Pruni fructus ventrem subducit, recens quidem plùs aridus minùs. Cæterùm haud scio cur Diosc. Pruna Damascena siccata uentrem sistere dicat, cùm & ipsa palàm etiam subducant, minùs tamen quàm quæ importantur ex Iberia. Siquidem Damascena magis adstringunt: at quæ Iberia fert, dulciora sunt. Quin & ipsæ arbores fructibus proportione respondent. Minùs enim adstringunt, quæ in Iberia nascuntur: magis verò quæ Damasci. Vt autem in summa dicam; quorum in foliis aut germinibus adstrictio quædam inesse apparet manifesta, iis decoctis phlegmonæ in Columella aut tonsillis existentes idoneè colluuntur. Gummi autem arboris sunt qui dicant cum vino potum lapides confringere, cum aceto, puerorum sanare lichenas. Ac si id præstat, (vides dubitare Galenum, quod & nos facimus: nam si manifestam glutinandi facultatem habeat, vt Diosc. fatetur, quomodo calculum comminuat)

Damascena. Iberia. Phlegmone. Gummi.

clarum est incidendi tenuandique illi facultatem inesse. Idem de Alim. fac. l. 2. Rarò fructum hunc austerum, aut acidum, aut omninò iniucundum inuenias, vbi exactam fuerit consecutus maturitatem. Priusquam enim eò perueniat, nullus est fermè qui non acorem aut acerbitatem præ se ferat: est & qui amaritudinem. Proinde ex hoc fructu minimum alimenti corpus accipit. Verùm quum humectare & refrigerare mediocriter ventrem statuemus, vtilis erit, quem subducit humiditatis & lentoris sui gratia. Prunis porrò æquè ac Ficubus concessum est, vt vel exiccata vtilia permaneant.

Parum nutriunt. Tēperam.

Delectus.

Damascenis prima laus bonitatis magna hominum opinione defertur. Proxima ijs quæ in Iberia & Hispania proueniunt. Probatissima in Damascenis sunt, quæ cum mediocri adstrictione magna laxáque sunt. At parua, dura, acerbáque & in cibo permolesta, & ventri subducendo minùs idonea, cui officio Iberica maximè conueniunt. In melicrato plus mellis habente, abundè vētrem molliunt, etiamsi sola comedantur, multò magis si melicratum ipsum subsorbeatur. Hanc vim Prunorum laxantem multi poetæ suis carminibus commendarunt: quale est hoc quo Martialis lusit:

Purgant.

Pruna peregrina carie rugosa senecta
Sume: solent duri, soluere ventris onus.
Sæpe cibi specie, vitio vel corporis ipso:
Potibus aut duris, restricta morabitur aluus.
Vinceturq; mora talis cum gramine Mercurialis
Prunáque conueniunt, quæ mittit clara Damascus.

Folia.

Pruni folia, inquit Plin. decocta, tonsillis, gingiuis, vuæ, prosunt in vino decocta, & subinde ore colluto. Ipsa Pruna aluum molliunt, stomacho verò vtilissima, sed breui momento. Sic Apollonius apud Gal. foliorum Pruni contusorum, decoctum lacte permisto ad aphthas colluere præcipit, pueris nimirum lactis vsum cum folijs contusis præscribens, sicut Diosc. & Plin. vim cum foliorum decocto, adultis & in grauioribus affectionibus.

Aphtha.

Diphilus Siphnius, vt testatur Athen. Pruna succi mediocriter boni scripsit, facilè corrumpi & egeri, parumque alere.

Vires ex Mesua.

Audiamus Mesuen, distinctè admodum ac Medicè de Prunorum viribus tradentem. Pruna, inquit, aluum subducunt, & alterant: sed alba, flaua, rubra, minùs sunt medicamentosa, quàm nigra: quorum quæ μέσα, id est dulcacida sunt, alterant magis. Dulcia verò soluunt largiùs: tamen vtraque alterant, & soluunt, magis scilicet & minùs. Damascena verò, & Armena, vtrumque præter cætera præstant, humida tamen potiùs, quàm sicca corrumpuntur.

Damascena. Armena.

Tēperam.

Dulcia calido frigido temperata, aut paulò frigidiora, humida ordine secundo: μέσα, id est, dulcacida frigida, principio secundi: omnia tamen lauant, leniunt, refrigerant: bilem educunt: ob hæc duo biliosis tum febribus, tum morbis alijs sunt salubria: stomacho nocent, pauci sunt alimenti. Quia imbecilliter soluunt, eis adduntur præsertim infusione, Tamar. Indi, Cassia fistula, Manna, violæ conditæ. Ex horum succo & Syrupus & ex carnibus Electarium in eadem salubre.

Syrupus ex succo prunorum. Electarium.

Vt pruna purgatoria nascantur.

Armeni truncum Pruni arboris locis duobus vel tribus palmæ vnius interuallo tenuiter perforant: immissoque scammonio lutant, Pruna ob id purgatoria euadunt. Dantur succo seu decocto cum saccharo ad libram vnam.

Porrò Plinius tradit, tàm in syluestribus quàm satiuis Prunis esse Limum arborum, quem Græci Lichena

Lichen. Rhagades. Condilomata. Lichena appellant, rhagadis & Condilomatis mitevti iem.

Cautio. A Prunis, inquit, Tragus, æstate potissimùm Augusto mense (quòd tum Dysenteria grassari ferè soleat) abstinendum fuerit. Pruna arefacta & tosta, aliquantò sunt ficcioris naturæ, quàm recentia, inter quæ *Damascena. Cereola.* Damascena & Cereola maximè commendantur. Quo fit, vt in coquinis magnorum dominorum suum quoque iampridem obtineant locum. Ex his enim eclegmata compotationibus nocturnis conficiuntur.

Seplasiarij maiori cum emolumento illis vtuntur, vt qui ex his *Elect. Diaprunum.* Electuarium Diaprunum appellatum conficiant, quod ad omnes calidas & siccas febres vnicè facit; quippe cùm humectandi & refrigerandi vi polleat. Crediderim magna illa *Prunorum decoctum Asinina.* Pruna, quæ autumno maturantur, & Germ. Schaaffpflaumen & Gros Roßpflaumen Lat. Asinina nuncupant, arida vino bono & dulci decocta ac vsurpata, calido & sicco stomacho prodesse, eumque si durior sit emollire. Homines tenuioris fortunæ arida Pruna viua aqua molliunt, iisque in calidis affectionibus ad restinguendam sitim & calorem vtuntur.

Cornarus Dioscoridis patrocinium suscepturus contra Galenum his infit verbis: Miratur Gal. Dioscoridem dixisse quod siccata aluum sistunt, quum etiam ipsa manifestè illam subducant, sed minùs, quàm Hispana. Quando verò etiam ipse Gal. pruna in communi ventrem subducere dixit, recentia magis, sicca minùs: potest & Diosc. Damascena siccata, id quod minùs præstant, omninò non præstare dixisse, & sic contrarium eius de ipsis pronuntiasse: maximè quum Gal. Damascena magis astringere dicat, quam Hispana, quæ *Catalonica Pruna.* Catalonia hodie à regione appellantur, & ad adstringendi vim insuper accesserit assiccatio. Atqui non videt Cornarius cum suo magis & minùs neutiquam Galenum cum Diosc. conciliari posse: quòd ille comparatione ea vsus sit, hic nequaquam. *Corn. refutatur.* Nec magna subtilitas in eo, dicere, id quod minùs præstat, cum eo quod omninò non præstat, quomodocunque conuerti posse. Minùs sic dixeris Rhabarbarum purgare, quàm Turbethum aut Aloe, ideoque dici posse, omnino non purgare, quod nullus proculdubio vnquam sanæ mentis concesserit.

Matthiolus Galenum tuetur contra Diosc. eiusque patronum Brassauolum de Viribus prunorum laxantibus. *Brassauolus reprehenditur.* Refragatur namque Galeno Brasauolus, quòd non animaduerterit Dioscoridem de Prunis Damascenis siccis loqui, quæ præterquam quòd sicca sint, gustu etiam acida, & adstringentia percipiantur. Qua quidem in re Brassauolus sanè hallucinatur. Non solùm enim Pruna Damascena sicca, sed plurima alia medicamenta simplicia & adstringendi & deiiciendæ alui uiribus prædita sunt, vt puta, Tamarindi, Myrobalanorum genera, Rhabarbarum, quæ primùm aluum laxant, deinde adstrictam relinquunt, quam prunorum facultatem etiam Gal. agnouit. Quare cùm loco citato Pruna Damascena sicca aluum ciere tradiderit, eadem tamen etiam astrictoria vi pollere alibi fassus est. Brassauolus verò Galenum insimulare videtur, quasi hæc nesciuerit, quem tamen scimus in decernendis simplicium viribus, omnium quotquot de ea re aliquid prodiderunt nasutissimum fuisse. Possis & hac ratione Dioscoridem tueri, quando Damascena aluum adstringere dixit, de siccis tantùm (vt ipsemet satis se explicat) ideoq; ad saporem & manifestam qualitatem potiùs respexisse, qualis ferè adstringens esse solet. Alioqui dicere Dioscoridem cum respectu ad alia Pruna dixisse, hoc ipsam adeò ridere est rationem: nam quod minùs laxat cæteris, & non laxat, quis sanus dicet adstringere? Nisi fortè id per accidens præstent, ad quam rem sola experientia diiudicandam sufficit. Contra opinionem vulgi ita sentit Ioan. Iacob. Federer Chirurg. Med. Fribargi in Brisgouia de Dysenteria anni 1607. *Prunorum esu non Dysenteriam.* Vulgaris est phantasia fructus horæorum & potissimùm Pruna, copiosè comesta ieiuno ventriculo, generare Dysenteriam: Quandoquidem multi Magnates, & infantuli, puerperæ & alij nonnulli, qui non comederunt pruna, dysenteria corripiuntur, quinimò eorum esu curati. Clarum est diuersis temporibus & annis grassatum hunc morbum, in quibus non erant Pruna vlla, & hoc anno 1607, in quo pauca fuêre Pruna aut alij fructus cum nucleis. Item laudat in uictus ratione tùm ad præcautionem, tum ad curationem, etiam manè ieiuno ventriculo Pruna, quæ vocat Aromatische Eyerpflaumen.

His subnectamus Historiam quam tradit Schenckius l. 4. Obs. 254. *Historia de [illegible] ossibus per [illegible] [illegible].* Mulier è pago Berswalde me accessit, cuius uenter adeò intumuerat, ac si gestaret sobolem, aut aliquam molam diutiùs retentam: fluxum menstruorum per anni spatium non viderat. Ego consideratis omnibus accidentibus, crassum & compactum sanguinem monstrosum esse in causa putaui. Exhibui digestiuum, & pilulas purgantes tam intestina, quam vterum. Hinc illa beneficio alui tantam copiam nucleorum Prunorum domesticorum, quæ ante annum ingesserat, egessit, vt omnibus qui audiuerunt hoc impossibile visum fuerit, illam tam diu viuere potuisse: reiectis nucleis fluxus menstruorum rediit, ac tumor remisit, tandémque benè valuit, cùm antea semper cum morbo conflictaretur.

Ligni vsus. Pruni lignum vulgo operariis ad tornum, ad Sclopetarum thecas & ad cultrorū manubria expetitur: *Ligni [illegible].* idque pulchello mangonio præparare norunt, vel cum lixiuio decoctum, vel cum calce viua & vrina aut lixiuio affuso maceratum, ad elegantem rubedinem, si natura non habeat, redigere. Ex tali, pulchella vtensilia parari solent ab artificibus.

PRVNVS SYLVESTRIS.



Descriptio. ARBOR fruticosa est Prunus siluestris, sepibus notissima, radicis multiplici repratu se propagans, multis ramis donata, & minacibus spinis horrens, cortice subpurpureo & cinereo.

Flores. Flores ante folia ex ramulorum tuberculis profert confertos, niueo candore insignes, teneros, amaros, odoratos si tepes ijs re ser-

(Nam ex his tribus duo intellexisse eum necesse est) Ribes figura appofita.

Alius Corn. error. Pruna sylvestria non esse Brabyla. Quod autem Schlehen seu Prunum siluestrem quam ille Poterion putat Brabyla esse vult Corn. si Dioscoridis & Plinij autoritatem recipit, opinionem suam minimè veracem fateatur necesse est. Scribit enim Diosc. fructum Poterij inutilem esse, & Plinius Brabyla (in quibusdam codicibus legitur Brabilla) vim habere spissandi, Cotonei mali modo: tum fructus Poterij non poterunt esse Brabyla.

Contra Cornarium facit & hoc, quod de Brabylis scribit Plinius in hunc modum. Vim habent spissandi, nec ampliùs de ea tradunt autores. Dubus siquidem locis ampliùs de Poterio scribit Plinius, Veteres secutus. Ex Plinij igitur autoritate non idem sunt Brabyla & Poteria. Ideoque nec frutex Schlehen Germ. poterit esse Poterion, nec fructus eius Brabyla.

Cronemburgius not. Cronemburgius tamē scribit Cornarium probabilibus coniecturis velle spinam Schlehen esse Poterion Diosc. sed Tragum cōtradicere. Verùm siue contradicat Tragus, siue non contradicat, non videntur nobis probabiles coniecturæ Cornarij, quicquid scribat Cronemburgius.

Idem scribit Matthiolum (fortè legendum Cornarium, nam hæc apud Matth. non inuenimus) aduersus Fuchsium constanter affirmare Schlehen neminem vnquam Latinorum scriptorum *Prunulam* ac *Pruneolam*, siue *siluestre Prunum* appellasse, immò ne Prunorum quidem generis existimasse, cùm Pruna ferens planta, iusta arbor sit, non humilis spina ex Gal. & Diosc. testimonio: sed quisquis ille sit, qui hoc scripsit, parùm circumspectè, quæ Plinius de Prunis tradit, perquisiuit, qui loco suprà à nobis adducto, apertè Pruni siluestris mentionem fecit.

Caius Turnerus: Latini (inquit) spinum potiùs, quàm Prunum nominant quantùm memini: Pruni enim nomen apud solum Plinium legi. Palladius Pomum spino, id est Pruno inseri scribit. sed cùm Spinus à spinis sit, Prunus spinosa, *Spinus à spinis.* siue silu. siue satiua spinus rectè nuncupabitur. Vt autem Cornarij sententiam refutet acutè sanè spini seu Pruni siluestris differentias proponit, & alia quædam sua, hoc est Anglica lingua tradit, quæ translata huc referri merentur. Quemadmodum etiam (infit ille) Prunorum hortensium varia sunt genera, ita quoque siluestrium, quorum *Prunus syl. duûm generum.* duas saltem noui differentias. 1 Angl. Bulles tree et Bullestertree. 2. Angl. Slo tree et plackthorn tree. Prior illa duum est generum: vnum in hortos transfertur, & in iustam Pruni magnitudinem excrescit: alterum in sepibus nascitur, nunquam arborescit, sed inter arborem & fruticem magnum consistit. Minus autem genus spinosius est maiori, ideoque spini nomine dignius. Illud autem genus, quod Slo tree vocant Angli, longè adhuc iustiùs spini nomen ob eandem causam meretur.

Corn. opinio refut. At Corn. contra omnium doctorum sentētiam negat Slo tree esse Spinum aut Prunum silu. quòd non sit arbor magna, in quam possit fieri insitio (ex Palladio.) Malè cohæret eius ratio. Etsi enim Palladius Spinum vnum aptum insitionibus censeat, non tamen quemlibet idoneum facit. Nam nec ille nec Virg. negat spinum quemdam minorem insitionibus ineptum. Imò videtur Virg. fruticem Slo intelligere per Spinum syluestrem: Virides, inquiens, occultant spineta lacertos. Quo loco spinetum à spina, id est, Carduo non deducitur, propterea quòd sub Carduis non soleant sese occultare lacertæ. Neque spina apud probatos autores significat Halbthorn (id est, Germ. Hagendorn) nisi cum adiectione albæ, idque in Columella solo, quod meminerim. Neque spinetum ab hortensi Spino neque à magno siluestri spino deductum est: non enim solent vsquam tam densè tantòque numero crescere, vt spinetum dici possint, ideoque nec lacertos à Sole occultare possunt. Relinquitur ergo verisimile esse, spinetum à spinis silu. minoribus, seu Ger. Schlehen *Spinetum unde.* deriuatum. Idem patet ex Theocrito. Ἀιμασιαὶ enim, id est, sepes habet, seu consepta aut sepimenta, quæ ex spinis silu. minoribus fiunt.

Porrò quod pertinaciter defēdit Corn. Schlehen, (Prunum siluestrem) vel Anglorū Plackthorn esse Poterion Diosc. inferens inde non esse Prunum silu. ne Dioscorides dicatur duobus locis de eadem re agere præter cōsuetudinem suam, facilè probauero non esse Poterion. Non enim habet *Rationes cur Schlehen non sit Poterion.* Schlehen ramos longos, lentos, molles, flexiles. Etsi enim Blackthorn in cacumine ramos multos habeat, non sunt tamen ij longi, sed breues, duri, fragiles: fructus aut nullum aut exiguum habent odorem, tantum abest, vt suauem habeat, quæ omnia in Poterio requirit Diosc.

Prunum Theoph. non esse Prunū sylvestrem primum. Cęterùm quòd scribit Corn. Prunum Theophrasto memoratum lib. 4. c. 2. hist. esse Bulles tree (quę est Prunus silu. prima nostra) tam in eo errat, quàm in Pruno silu. Brabylis & Poterio. Arbor siquidem, cuius meminit Theoph. insignis est magnitudinis, cui folia nunquam decidunt. Sed arbori quam nos Bulles tree/ Germani Hessi Bilsen vocant, folia delabuntur, neque insignis est magnitudinis. Nequit igitur esse Prunus Theophrasti. Quare nec fidem hic merentur Cornarii coniecturę. Sed illa Plinii verba, quibus ait, siluestrium Prunorum baccę & cæterorem Cornarii patefaciunt, negantis Schlehen Germ. esse fructum Pruni silu. Nam si in Pruno silu. nascerentur solummodò Pruna magna, nunquam eius fructum nominasset Plinius baccas, quę uox minoribus tantùm fructibus conuenit.

Harchius not. Nihil igitur est quod Harchius tàm securè pronunciet in suo Enchir. Schlehen Germ. *Poteria* vulgò. Mirum verò talia pronunciare aliquem audere, non considerata priùs descriptione, quæ nihil minùs, quàm respondet. Verùm, vti fit, vt vnus error, plures post se trahat errores, ita Cornario euenit, existimanti, ne succum quidem ex *Corn. not.* Prunis siluestribus expressum ac inspissatum Acacię loco esse substituendum: quàm benè docti viderint. Sic autem infit. Officinę Acaciam vocant, quam ex Pruneoli fructu ab ipsis appellato, nostris autem Schlehen dicto, parauerūt, succo illius fructus vnà cum carne in massas coacto. Nos autem fructum illum Poterij esse in Comment. medicis, & apud Diosc. clarè docuimus. [Sed quàm clarè ex præcedentibus patet.] Proinde ex ipsorū Acacia illis sperandum relinquemus eum effectum, qui veræ adscribitur. Nos autem, si sapiemus, illorum Acaciā non vtemur.

Acaciam ex Prunellis reijcit Corn. Sed propter suam falsam *Poterij* opinionem, reiicit Cornarius *Acaciam Prunellorum*, contra plurimorum doctorum sententiam eam *legitimæ Acaciæ* substituentium, vt patebit in viribus.

Prunū sylu. non esse Acaciam. Nec tamen ideò ferendus eorum error, qui existimant Prunum siluestrem esse Acaciam. Ita videmus quosdam Neotericos Practicos, qui tamen egregiè se sapere putant, in suis receptis scribere solitos: Rec. aquę florum Acacię: siue enim sciant non esse Acaciam, siue nesciant, vtroque tamen

modo peccant. Si sciunt non esse, vsu tamen obstinato efficere volunt, vt securè credat posteritas, esse, quod non est. *Est sanè hic morbus successionum, vt quæ semel inoleuerint, nefas putentur mutare. Sic multa absurda in officinas irrepserunt.* Sin nesciunt, ne ea quidem sciunt, quę suis ęgris præscribunt. Sic Dod. succum expressum, inquit, Acaciam appellant, vnde & Acacię Germanię stirpi nomen factum.

Absurditatum quarundam causa & occasio.

Rectè Lonicerus: quidam qui non benè considerant descriptionem Acacię, Agriococcimala & Prumna Grecè dicta [id est, Prunum silu.] volunt esse Acaciam.

Agriococcimala Pruna.

Porrò Prunum siluestrem plerique Herbarii vocant, & Spinum Virgilii dicunt, vt Hermol. Ruell. Dod. & alii recentiores, atque de his propriè intelligendum quod Theoph. ait, contumacis esse vitę Prunum.

Turcæ pruni sylu.

In siluestri Pruno hoc peculiare quod deflorescens simulatque imbres contigerint, conuertatur fructus in oblongum quoddam & inane corpus, quod in Italia *Turcas* vocant, quales se anno 1587. circa Norimbergam obseruasse Camer. scribit. Eiusdem rei & mentio facta suprà in Prunis.

Linguarũ nomina.

Pruna siluestria, Prunella. G. Schlehen/ Dornschlehen/ Spinling / Bilsen. Ipsa arbor, Schlehenbaum/Schlehendorn. Belg. sleen: sleewen Flãdris. Gal. *Prunelles, Pelouses, Prunes sauuages, Fourdeines*, etiamque *Penelles* nonnullis, vt Montbelg. quæ vox etiam apud eosdem in opprobrium abiit adagio vulgato: *Ce sont des Penelles*: de re nihili, aut nullius momenti. Ital. *Pruno saluatico*, & in quibusdam locis Italię, vt in Apulia, Trique, siue Atrinee, vt Pandectarius scribit, vocantur. Hisp. *Pruno* Angl. Slo tree. Bohem. *Trnky.* Vngar Kokény fa.

Adagium — *Trique. Atrinea.*

Differẽtiæ. *Auenaria magna. Parua. Horridior. Lætior.*

Prunorum silu. duas species faciunt. Maiora German. Haberschlehen / quasi dicas Auenaria: reliqua Schlehen simpliciter: hęc pusilla & parua sunt. Ipse quoque frutex infra arboris conditionem constitutus videtur, quòd fruticibus similior, quàm arbori videatur, licet reuera arbor sit: horridior verò priore, spinis rigidior: ex harum fructu fit *Prunellorum Acacia* dicta officinis. Lętior syluestris transplantatione, insertione & cultu in grandem proceram & domesticam abit, [si Penę & Lob. credendum] mitiore pomo, succulentiore, maiore, suauiore. Quod verò Turn. vt Prunorum hortensium, ita & siluestrium varia genera dicit, id nondum innotuit nobis. Plura enim duobus dictis, non vidimus, nisi quis fortè cultũ respiciat: nam alterutrũ sine dubio cultu speciosius euadet & mitius vnde tamen non specierũ numerus, sed varietas tantùm orietur: At insitione multiplicari posse non negamus. Inter siluestria Pruna, inquit Cam. sunt quę fructu duplo maiore, quàm cõmunis est, & admodum dulci. Huius fortè duas differentias constituit Turner. Vnum quod in hortos transfertur, & in arboris proceritatem excrescit: alterum quod in sepibus maneat, nec vnquam in iustam arborem assurgat. Idem ait certum esse ex Columella dari Prunum syluestrem.

Pruna siluestria dulcia. Siluestris culta.

Locus & tempus.

De loco non est, quod multa dicamus: quòd passim ferè proueniant, in sepibus, siluestribus, siluis, dumetis, collibus & planis. Germani iis agros suos sepiunt, & hortos. Montbelgardensis ager etiam abundat: incommoda valdè in sepibus propter nimium reptatum: cõmodior multò Spinus alba, verùm lentè crescit. Turnerus nusquam se copiosiùs vidisse testatur, quàm in agro Sommersetensi Anglię. In Belgio quoque frequens.

Repositio.

Florent Martio & Aprili. Septembri & Octobri fructum maturant, quę colligi possunt, & expressus succus resiccari, vel ipsamet siccata recondi.

Insertio.

Spino seu Pruno silu. inseritur Pomus, vel potiùs Pirus, si rectè inspiciamus textum Palladij. Plinius scribit Tuberes meliùs inseri in Pruno siluestri. Pruna verò eidem omnis generis inseri hodiè translatitium est.

Vires & vsus. *Aluo fluxuo.*

Prunorum siluestrium fructus, autore Diosc. post maturitatem exiccatus, eadem pręstat, quæ satiuorum. Cum sapa verò decoctus vtilior & ad cohibendam aluum aptior euadit. Siluestrium, Prunorum baccę, inquit Plin. vel è radice cortex, in vino austero si decoquantur, ita vt triens ex hemina supersit, aluum & tormina sistunt. Satis est singulos Cyathos decocti sumi. Sic & Galeno, agrestium Prunorum fructus euidenter astrictorius est, ventremque sistit.

Tormina.

Pręstantissima inter siluestria Pruna, autore Trago, ea sunt quę & satis magna apparent, & Augusto mense maturantur, quod in Pruno silu. vulgari non contingit, illius namque fructus sicut & flos frigoribus occupatur, antequam maturetur. Nisi verò illa Pruna mollescant, non sunt edendo, propter immensam ipsorum acerbitatem. Pauperes Pruna silu. igne quandoque vstulare solent, vt commodiùs illis vesci queant.

Prunella quomodo edantur.

Temperamentum. *Dysenteriæ.*

Refrigerantem & adstringentem vim habent. Melle condita non tantùm commessationibus nocturnis proponenda sunt, sed dysentericis etiam & alui profluuijs laborantibus exhibenda. Ad eadem facit vinum ex his fructibus confectum, quod ad Iulium & Augustum vsque menses diligenter adseruare conuenit. Earundem facultatum est & decoctum. Aqua è floribus illorum destillata & data ad laterum dolorem singulari facit experimẽto. Ea verò efficacior fuerit, si flores Pruni silu. recentes per noctem vino forti & optimo macerati in balneo [vt vocant] Marię distillentur. Hac aqua multis se profuisse, Tragus scribit eaque lateris, cordis & stomachi quosuis dolores seu compressiones & puncturas dissolui.

Vinum è Prunellis. *Decoctum. Aqua stillata. Laterum dolor.* *Ad puncturas & compressiones. Vini penduli correctio.*

Aduersus vini penduli vitia nihil efficacius Prunis siluestribus reperitur. Pruna antequam blauo tingantur colore leguntur, & in mortario tusa, pro magnitudine & exiguitate vasis multa aut pauca vino iniiciuntur cumque probè vina agitatione crebra commixta fuerint, obturatur vas per dies 8 vel 10: tum intra paucos dies vinum restituitur. Cęterùm possunt Pruna silu. tusa & in aere siccata ad eos vsus per totum annum conseruari. Wittungus scribit quosdam præscribere aquam florum Pruni silu. ad Pleuritidem, se tamen non animaduertere posse, quomodo prosit, cùm obstruat & adstringat hęc planta. Nolimus tamen dicere aquam florum Prunorum silu. adstringere: sunt enim valdè amari, in quibus nullam adstrictionem animaduertimus. Pręterea Cordus in libello de destillatione purgantem facultatem huic aquę tribuit. Quod verò Tragus scribit, prodesse puncturis cordis, de Ventriculo intelligimus, & per dolorem lateris, eum, qui fit à flatibus: alioqui non videtur conuenire cum vino in Pleuritide cum inflammatione. Florum viridium vnc. j. per noctem in vino albo maceratorum parum mouit aluum. Exhibuimus diuersis maiori etiam quantitate in vino maceratos pluribus diebus, sed leuem euacuationem hactenus in impuris nostrorum hominum corporibus præstiterunt: fortè in delicatioribus plùs efficiant, in quem finem & leuiter bulliri post aliquam macerationem possunt. Suadent tamen Medici Marpurgenses in consilio suo de pręcauenda Dysenteria, si quis duriore strictioreue in aluo, capiat florum Prunellorũ vnc. s

Aquę ad profit in Pleuritide. Vsurpanda. *Aqua purgat.* *Infusio florum.* *Ad præcauendũ Dysent.*

semis

dimidia mensura vini aut cereuisiæ maceret, sæpiùs exprimendo, atque inde per biduum in pastu bibat.

Syrupus ex infus. florũ Prun. s. Wittichius ad febrem epid. cum mania pro purgatione præscribit syr. ex multiplici infusione florum Prunellorum silu. & alibi ait: benè repurgari infantes, si per aliquot dies detur serum lactis in quo per noctem infusus fuerit manipulus florum Prunellorum.

Ad purgandos pueros. Cœliaca. Dysenteria. Matthiolo tota Prunorum silu. planta adstringenti facultate præstat, quemad. & baccæ. Hæ Cœliacis & Dysentericis vtiliter deuorantur. Eædem cum arbusculæ radicibus ex aqua vel vino austero decoctæ, sanant oris linguæ & gingiuarum vlcera & fluxiones, quinetiam columellæ & faucium vlcera, gargarisato earum decocto. *Vlcera faucium. Præcipue ab hydrargyro.* Quamobrem recreantur non parum hoc medicamento, qui hydrargyro peruncti, oris vlceribus & fluxione laborant, addito Lycio, alumine & rhodomelle: idem decoctum in desessionibus auxiliatur fœminis vteri fluxionibus obnoxijs. *Vteri fluxus. Lumbrici.* Aqua è floribus destillata, hausta intestinorum vermes interficit. Succus baccarum ad impetigines vtilis est & inflammationes. *Impetigo. Inflammatio.* Idem inflammationibus oculorum illitus optimè refrigerat. pilos illitu prohibet nasci: & vel per se vel cum aqua Plantaginis fronti impositus & in nares, tractus, hæmorrhagias sistit. *Pili ne nascantur. Sang. fluxus.* Ad procidentiam ani facit illitus succus ad spissitudinem coctus. *Ani procid.*

Matth. not. Duo verò in Matth. obseruanda: Primum, an flores adstringendi facultate sint prædditi, quod nobis non fit verisimile, vti paullò antè dictum, & aliquorum experimento confirmatum contrarium potiùs præstare. Secundum: an Lycium nouerit Matth. quod tam confidenter præscribat quod nec ipsum quidem nobis videtur.

Baccæ Pruni silu. purgare. Goropius in suo Vertumno hoc locò Paradoxus putatur, quando ait: Non absurdum si Prunis agrestibus quoque ventris deijciendi vis tribuatur eo tempore quo pleno autumno ad tardam deuenerint maturitatem, nihil fortè Tamar-Indis seu Dactylis acerbis Indorum vel sapore vel facultate cessura: *Goropius not.* Atqui scire debuit Goropius purgandi facultatem non ex sapore dijudicandam, & hanc rem experimento potiùs, quàm coniecturâ decernendam. Si experientia nouit purgare, cur non dixit? sin minùs, cur adstruit. sed res est expertu facilis, & pauperiores, quibus frequens eorum vsus, hoc scire possunt, ad quos lectorem relegamus.

Schuenckfeld. Prunum siluestré totam exiccantis & adstringentis esse facultatis ait, quod posterius non verum esse, in Matth. iam redarguimus. Idem ait: flores tantillùm amaricare, abstergere, siccare, cohibere: resiccatos in Dysenteria alijsque alui fluxionibus magni esse vsus. *Dysenteria. Schwenkf. not.* Nobis quidem satis amari visi sunt: an verò cohibeant, ex præcedentibus patet. Considerent etiam docti, an flores sicci in Dysenteria conueniant, vt ille vult: si intelligat abstergendo, ferri potest: si cohibendo, ipse viderit. *Quomodo Pruni silu. fructus Dysenteriam causare possit.* Placet quod addit ex sua obseruatione, Fructus immaturos pueris Dysenteriam conciliare sæpissimè à se visum: quod profectò vix alia ratione euenire potuit, quàm cohibendo noxios & impuros humores quibus sæpenumero scatent pueri, adstrictoria sua vi, qui alioqui fortè egererentur: nisi quis malit in eorum acerbitatē qua intestina torquent & irritant culpam referre. Per maturitatem verò resiccati cocti & sacchаro conditi, aluum adstringunt, & ventriculo vtiliores fiunt. Dentium dolores mulcet cortex radicis niger aceto decoctus, fluxionésque inhibet. *Dentium dolor.* Eadem fortè vis folijs & baccis contusis, & ex eodem decoctis si frigida sit fluxio ex uino coqui possunt.

Camer. tradit incanum muscum in vetustis Prunis siluestribus ex vino rubro decoctum, Herniæ incrementum prohibere impositum. *Muscus Hernia.*

Porro Prunellorum succus inspissatus, Acaciæ succedaneum hodie habetur in plerisque Europæ officinis. *Succus spissatus ... Monachi ...* Acaciæ loco, inquit Syluius, ex bacculis Prunorum agrestium coctis succum expressum tessellatum, confectum insolatumque vsurpamus minimo errore, quia refrigerat, siccat, adstringit, vt Veterum Acacia, quæ in partibus nostris ignoratur. Idem & Monachi tradunt apud Mesué, & præferunt eam, quæ fit ex non perfectè maturis, vt adstringentior fiat: Veruntamen, hos fructus non credunt habere tantam virtutis bonitatem, quantam vera Acacia habet. In eius tamen defectu possumus vti. Et Cordus Acaciæ loco succum Prunellorum silu. substituit. Idem in fine de præpar. simpl. componit succedaneum. *A. ind. succedaneum.* Quam tamen rem Matth. paullò morosiùs interpretari videtur, satiùs esse ducens, Dioscoridis præceptis inhærere, qui in defectu Acaciæ, Rhois arbusculæ folia, vel Lentisci foliorum succum, vel hypocistidem medicamentis immiscere præcipit, quibus potiùs seplasiarios vti debere putat, quàm suppositicio silu. stirium Prunorum succo. Eidem ferè & Apollo & Bacchanellus de succedaneo Acaciæ tradunt: sed vicit hodie consuetudo, practicantium consensus, & non improbata vtendi felicitas.

Cæterùm Germani nostri in delicijs quoque habent, præsertim nobiles & ditiores Alsatiæ, vinum quod vocant Schlehenwein / ex Prunellis paratum, quale sæpè gustauimus, & dulcedine aromaticóque sapore, quem à granis contusis acquirit, haud ingratum. *Vinum ... nostratum.* Pruna siluestria matura vel gelu fracida coquunt in fornace, & contusa in mustum seu vinum conijciunt. Probatur in fluxionibus, & alijs profluuijs, vbi non admodum suspectus sit calor vel febris.

Pauperes quoque ex Prunellis contusis & vindemiæ expressæ residuo, additis etiam alijs quibusdam, vt Pomis & baccis berberis secundarium vinum, quod *Loram* vocant, vulgò *Leure*, parare norunt, adfusa multa aqua, vt simul fermescant ac bulliant. *Lora ex Prunellis.* Gratum ipsis est, quòd vini quodammodo saporem æmuletur, sed delicatis & ad colicum dolorem procliuibus, noxium. Parant etiã ex solis Prunellis, (vbi ea abundant) contusis & affusa aqua: tandem vt melius fiat, & cocta adijciunt, vt antea dictum, quale potionis genus per hiemem seruatum non insuaue reddi scimus.

DE MYXIS SIVE SEBESTEN.

CAP. XII.

IN vsu Medico *Sebestena* dicta fructus sunt paruis serotinis Prunis pares, nigricantes, turbinati, in acumen desinentes, in rugas contracti quæ in offic. habentur, calyci insidentes facilè cedenti, qualem in Dactylis videmus, sed longè maiori, & acetabuli instar concauo, cinerei ferè coloris. *Descriptio fructus.* Horum pulpa atra est, viscida, dulci sapore prædita, pertinaciter ossiculo adhærescens, quod alias tribus costis donatur, aliàs compressum Pruni nostratis ossiculum imitatur: in cuius vtrolibet fine foraminulum apparet, atque ex inferiore quoque, qui vel in geminos, vel ternos

Mixa domestica.



Nuclei.

Delectus.

mucrones acutos finditur, germinis ueluti rudimentum exilit: Nuclei tribus loculis seorsim tres continentur, oblongi, triangulares, albi, Melonum vulgari magnitudine & sapore, quique eodem modo vetustate rancescunt, qui non insuaues in recentibus: aliàs vnicus nucleus ossiculo clauditur. Eligenda plena, maiora, pinguia, carnosa, quæque situm non redolent, calyci adhærentia, teredine non arrosa.

Myxa siluestris.



Arboris descriptio & differentia.

Flos.

Arbor s ipsius duo (inquit Alpinus) sunt genera: alterum siluestre, Pruno simile: alterum Domesticum, folijs latioribus, ac crassioribus, à siluestri differens. Vtraque arbor flores fert albos, paruos, Geranij proximos. Siluestr s fructus fert minores, tardè maturescentes, imperfectiores ijs, quos domestica sebesten profert, qui sunt maiores, melioresque.

Serapio Sebesten arbustum dicit altum cortice albicante, ramorum extremorum verò viridante, folijs rotundis, magnis: fructum racematum magnitudine Nucis, sapore dulci, qui glaucescat cum maturatur, intus continentem pulpam viscosam, granum oliuæ.

Myxa.

Hæc etiam profert Cardan. de variet. Myxa, nec auditu olim cognita Antiquis, iam nunc in Italia, vicinisque regionibus colliguntur, vt recentia degustare liceat. Arbor est, vt Matthiolus refert, pruno similis, aliquando minor, cortice trunci subalbido, ramorum autem subuiridi, folio rotundo firmoque, fructus minor pruno, viridis, fuscúsque cùm maturuerit, ossa triangula: gustus dulcis, sed adeò lentus, vt viscum gustasse viderer, nec ab re forsan: referunt enim, in Oriente ex his fructibus optimum viscum confici.

Viscus à myxa.

Synonyma autorum, & placita. *Myxæ Prunorum Syriæ populares.*

Syriæ Prunorum inquit Plin. dici possunt populares eorum Myxæ, quæ & ipsæ nunc cœpere Romæ nasci insitæ sorbis, Aegypti persicæ simili colore.

De his Græci antiqui nihil prodidisse putantur sed posteriores tantum, veluti Paulus, Aetius, Psellus, Actuarius: μύξα quidem Paulo, μυξάρια Aetio & Actuario. ... fructus minor pruno, sed facultate similis. Dicta volunt ἀπὸ τῆς μύξης, id est, à muco lento, è naribus stillante: nam & hunc fructum simili lentore refertum esse.

Mixa. Mixaria.

Etymon.

Sebesten vulgò officinis, Arabicam appellationem magis quam Græcam retinere malentibus: quod nonnulli in Cæsaris honorem factum arbitrantur, qui σεβαστὸς, id est honorabilis dictus. *Abrahamsa* vel *Mothesca*, fructus ferens dulces, quos gentes Pharas nominant sebesten, Serapionj. *Mokatta* Isaaco apud eundem, & est *Rech* in Arabia. *Mukeita*, sebesten, Auic. Myxa Græci vocant, non Myxas, quibus similis est persicus Aegyptia, nisi quòd poma Ægyptiæ rubescunt, Hermolao. quæ posteriora verba ex Plinio sumpsisse videtur, quamuis in eo non ita legatur, sed rubedine similia esse, seu, vt ille ait, Myxis rubentibus. Myxæ vel Sebestæ Cordo.

Offic.

Sebesten cur dicatur. *Abrahamsa. Mothesca. Mokatta. Rech. Persicus Ægyptia.*

Quidam Serica Galeni putant, notante Trago qui Arabes hunc fructum nobilitauisse, Veteribus minimè descriptum, tradit.

Serica.

In nominibus habet Matth. μύξην & sebestina Pruno proxima sebesten, id est si Lat. interpreteris, *Augusta*, Amato.

Matth.

Augusta. Sebastos. Sebasten.

Sebastos Lacunæ, qui ait, posterioribus Barbaris corruptè *sebesten* dici.

Sebastos in Augusti honorem dictos putant Ruell. & Ryff. *Sebasten* ex quibus in Syria fit Viscum, Damascenum dictum, Lonic. *Sebesta* quibusdam: Hanc verò eam esse quam ἀμαμύξην Matron Parodus in cœna Attica apud Athen. appellat, suspicari quidem licet, sed adfirmare non est promptum, præsertim cùm & exemplaria quædam ἀραμύξην habeant: μύξην de fructu Dod. σέβαστε & Myxus Gesn. Prunum Aegyptiam Theoph. & Plinij arborem quidam putant quæ Myxa gignit.

Viscum Damascenum. Sebesta. Amamyxa.

Aramyxa. Prunus Ægyptia.

Hist. Lugd. duas habet icones: priori titulus, *Prunus sebestena* Matth. alteri *Myxas arbor, siue sebestena nostra.* At nobis non videtur differentes esse arbores: altera icon est ex Trago.

Prunus sebesten.

Pruni Aegyptiæ Theoph. & Plin. descriptiones dedimus cap. præcedenti, cui Myxa non per omnia conuenire videntur.

Hist. Lugd. not.

Sebesten Persicam vocem, Syluaticus Mammillam canis dicit, etsi σεβαστὴ Græca sit, ideo Portus sebesten similitudinem tribuit mammillarum canum. Germ. Schwartze brustberlin. Arbor sebestenbaum. Ioan. Lang. Epist. med. l. 1. Epist. 66. circa finem, Myxa a Sebasta Samariæ metropoli, vbi olim crescebant, patrium nomen *sebestē* retinere tradit.

Mammilla canis etc.

Pruna in Damasco nata & Myxa vtraque familiaria suo tempore Italiæ ait Plinius. Alpinus autor est, nasci in Ægypto, toto autem anno in arbore fructus cerni: Vere florere, autumno fructum maturari. Hodie raris admodum hortis & viridarijs Italiæ virent: apud Syros quoque proueniunt, æque ac Ægyptios, ex quibus locis ad nos conferri Matth. testatur. Aegrè verò solo Italico vel Narbonico assuescit. Nostra ætate in Monspeliensis agri vrbecula, vernaculè Massillarges nominata, quidam aluit sed neglecta, & non diu illis superfuit, & tantùm arbuscula fuit, teste Lob. Ex Alexandria Venetias defertur Viscum: Lacuna.

Locus & tempus.

Calabrice, inquit Plin. l. 17. c. 10. spina est siluestris, quæ nunc optimè & Myxas recipit. Inseritur & sorbis. Vnde Idem Plinius l. 15. c. 13. Myxæ & ipsæ nunc cœpere Romæ nasci, insitæ Sorbis.

Insertio.

Vires & vsus. Ex Myxis in Ægypto & vina fiunt, autore Plinio. Paulus tradit Myxas Prunis facultate esse similes, quod doctioribus considerandum relinquimus, cùm pleraque Pruna sint acida nec eâ viscìditate prædita quâ Myxa. Existimaremus Pruna frigidiora. In Pulmonum affectibus pluris facimus Myxa, quàm Pruna. Myxæ, enim calore & frigore medio modo se habent. *Purgant.* Febricitantibus ventrem laxant. *Tussis.* Conferunt tussi cum calore & siccitate iunctæ: *Catarrhus. Stranguria.* Pectus leniunt : catarrhos calidos sistunt. contra stranguriam quam acrior vrina concitauit, efficaces. Ventres expellunt, *ex Serap.*

Asperitates. Tussis. Leniunt aluum. Vt verò Auic. vult, Sebestena, parum abest, quin temperata sint: gutturis asperitates & pectoris leniunt: sitim sedant, potissimum verò eorum semen aluum leniendo soluunt.

Viscum vt fiat. Ex pulpa eorum, teste Alpino, optimum viscum conficiunt Aegyptij: quippe sebesten maturos contundentes, atque lauantes. Sunt aliqui, qui masticando, pulpam ab ossibus linguâ expuentes, viscum parant: quantitatem horum fructuum in vase collectam, paràm, quoad aquea humiditas absumatur, bullientes. Vnde Ioub. Viscum Myxarum [sebesten] siue collam ex pulpa pro visco querno sumi posse autumat.

Visci vsus. Tumores. Temper. Visco vtuntur omnes emplastri modo, ad scirrhosos tumores. Ipsum quidem calidum est, in primo gradu, atque humidum in secundo, vimque habet attractoriam & resoluentem. Resoluit omnes tumores, & emollit omnem duritiem. *Tussis.* Aliqui ad tussim ex eo paratos bolos cum saccharo candido & radicis glycyrrhizæ puluere multis diebus sumunt.

Dyspnoea. Orthopnoea. Pleuritis. Peripneumonia. Raucedo. Febres. Fructuum vsus familiarissimus est ad tussim, dyspnoeam, Orthopnoeam, Pleuritin, Peripneumoniam, & ad vocis raucedinem, parato ex ipsis decocto, quo etiam ad multas febres vti consueuerunt, præsertim pectore noxam aliquam patiente.

Porrò Viscum illud quod ex Myxis Syri & Ægyptij conficiunt, (inquit Matth.) Venetijs Alexandrinum vocatur, aucupijs commodissimum.

Fuch. not. Pollent autem fructus teste eodem deiectoria facultate, non secus atque Pruna, tam Græcorum quàm Arabum testimonio, id quod etiam comprobatur quotidiana experientia, tametsi contrarium censuerit Fuchsius in paradoxis, qui nullam sebestinis deiectoriam esse facultatem contendit, quin potius ex adstrictoria vi pollere. Actuarius pluribus commiscet medicamentis quæ bilem eijciunt, *Sebasten dosis.* vt videre est in suo de comp.med.compendio. Vt millies se expertum ait idem Matth. earum pulpa drach. 10. pondere deuorata, aut ad summum 12. eosdem ferè præbet effectus, quos Cassia vocata. Vtiliter dantur exhibit febricitantibus. Amatus quoque reprehendit Fuchsium quòd restringentem vim Myxis tribuerit : deuorata 30. aut 40. ex iure carnium macerata, prima statim mensa, aluum commodissimè citare. Electuarium quod *Mirabile experimentum.* ex iis conficitur ad ciendam aluum facilè mucorem contrahit, proinde non nisi recenter parato vtendum. Mirabile est illud Porti verbum, quo fatetur Myxa vel Sebesten destillationibus quidem auxiliari, sed ijsdem præstare caninam cutim cuilibet digito circumdatam, res est *Hermolaus.* experienda. Amariora Prunis Myxa dicit Hermolaus, quem miramur, num aliquando gustauerit: neque enim vllam vnquam in ijs amaritudinem deprehendimus, vt taceamus, & ipsa Pruna amara esse debere si Myxa sint amariora, amarius quippe, non nisi respectu amari verè dicitur. Non malè consulunt; qui hos fructus pueris dandos suadent coctos ex aqua, [possis portulacæ aut aliam aliquam conuenientem sumere] aduersus vermes. *Vermes.* Decocta cum Glycyrrhiza, mal. a & rad. Althææ ex vino dulci, & epota, dolores vesicæ mitigant, & gonorrhæam. *Dolor vesicæ. Gonorrhæa.* Eorum etiam varius est vsus ad varios affectus, & multas compositiones, præsertim thoracem & pectus respicientes, ingrediuntur.

HOBVS SEV HOVVS INDICA, PRVNI FAGIL.

Cap. XIII

Descriptio fructus. Prunorum crassitudine. arbor. INdi Occidentales abundè habent fructus *Hobus* dictos, Prunorum Damascenorum crassitudine, pauca carne, grandiore ligno: vbi maturuere flauescunt, subacidi saporis. Arbor eum fructum ferens, magna est, folia verò modica: Benzo.

Expetita arbor pro vmbraculis. Caluetus apud eundem, *Hobus* seu *Honus*, inquit, procera & pulchra arbor: vmbræ quidem salubritate adeò commendata, vt quoties Indi in militiam aut peregrè euntes, aut greges in pecuarijs pascentes, cubare sub dio necesse habeat. *Hobum* semper, vmbræ tantùm gratia expetant & quærant: quippe sub ea dormientibus caput nunquam grauari, vt aliarum arborum vmbraculis, ferunt.

Aquâ redidit ad potum. Mirum præterea de hac arbore proditur. Si fortè in squalidis siccitate campis, aquarum penuria peregrè euntibus sitim accenderit, atque illi casu in Hobum inciderint, ablaqueato arboris pede è radicibus eius taleam excindunt. Mox alterum taleæ caput ori inferentes, velut gutti aut ampullæ epistomium, altero manu elato, tantam inde humoris vim exsugunt, vt facillimè sitim restinguant. Guttatim videlicet primò inde stillante aqua, mox tractim & continuo veluti filo defluente, vt quamuis sitibundos expleat. Id se expertum scribit Ouiedus in hist.Ind.

Prunis similis fructus. Myrobalanus. Eiusdem meminit P. Martyr, de rebus Oceani & nouo orbe l.9.dec.2. *Honos* arbor Prunis persimilem generat fructum, & forma & sapore, sed aliquanto grandiorem: hanc Myrobalanum esse pro certo habent. Est Hispaniolę adeò peculiaris, vt eius fructibus porci saginentur.

Hobos. Hunos. M.Fumee. *Hobus* fructus cum nucleo, cuius arbor alta *Hoos* dicta, vmbraque grata.

Myrabolanus flauis similis. Refert Fragosius in noua Hispania fructum Dactylorum modo nasci Houos nomine, Myrabolanis flauis adeò similem, vt plerique eundem esse contendant. Præalta nascitur arbore, vt vix colligi possit, nisi præmaturus spontè decidat. Hac igitur Fragosi sententia iam cadit P. Martyris aut *P. Martir not.* eorum sententia, qui existimant esse Myrobalanum.

Hono. De eadem etiam tradit Gomara, in gen. sua Ind.historia. Hono, inquit, arbor est præalta & patula, sanam vmbram præbens, ex cuius cacuminibus & cortice odorata fit aqua ad crura roboranda, & fucandam faciem, vtilis: etenim cutem constringit & densat: in quem vsum balnea fiunt ex ea etiam itinere defessis salutaria. Eius radice vulnerata, multa aqua manat potui apta, fructu flauo, paruo, & pulpæ parum habente, sed ossiculum in se continente satis magnum. Salubris est is fructus, & facilis digestionis, sed dentibus molestus & noxius, ob fibrarum copiam.

IANGOMAS PRVNIS SIMILIS.

Cap. XIV

Descriptio. Folia. Flores. Fructus. Serendi ratio.

ARbor Pruni magnitudine, sponte nascitur in agris & etiam in hortis Baçaim, Chaul, & Batequala, multis spinis horrens, folijs itidem Pruni, floribus candidis, fructu Sorbo simili, gustu Prunorum, adstringente & acerbo. Cùm primùm emergit, strobilo persimilis est. Vocatur incolis Iangomas: autor Garzias, qui à fide dignis viris accepisse tradit optimam serendi rationem esse, si fructus postquam cum ederit certa quædam auis, excretus, vna cum excremento seratur. Faciliùs enim hac ratione satum emergere, citiusque frugiferam fieri arborem.

Spinosa.

De eadem sic Acosta. *Iangomas* fructus est sorbis ferè similis colore, & immaturis Prunis sapore, quibus & arborem similem habet, [sed spinis obsitam] & folia & flores.

Locus.

Nascitur sponte in agris & syluis Indiæ: sed in hortis etiam colitur.

Vsus.

Fructus, licet maturus, digitis priùs emolliendus, antequam edi possit: attamen adstrictionem illam, haud mediocrem, nequaquam adhuc deponit: eaque de causa illius vsus est, vbi adstrictione opus habent.

HYVOVRAHE AMER. PRVNI FRVCTV.

Cap. XV.

Descriptio. Lignum. Fructus Pruni aureo. Raro fructū fert.

HYuourahe, Americæ arbor est procera, cortice coloris argentei, ligno rubescente, gustu ferè salso, aut ligni Glycyrrizæ, qui recens liquorem lacteum reddit. Eius maceratio aut infusio colorem vini rubelli acquirit. Fructus Pruni nostri magnitudine, auri obryzi colore, nucleū concludens mirè suauem & delicatum. Hæc arbor quindeno quoque anno fructum profert, quod plerisque incredibile videri posset: id tamen affirmare asseueratione possum, quod curiosiùs perscrutatus sum, didicique à senioribus Americis, quorum vnus arborem mihi ostendit, & asseruit, se toto vitæ tempore ter quaterue solùm huius fructum gustasse. Theuetus.

Synonyma. Guaiacum.

Idem tradit, Arborem hanc Barbaris *Hyuourahe* dictam, idem sonare, quod rem raram. Eodem esse in pretio apud Barbaros, quo Guaiacum apud nos. Quosdam Guaiacum verum existimare, quod ille non probat. Nihilominus Christianos hoc cortice Guaiaci loco vti. Suauitas fructus [addit] mihi reuocat in memoriam fructum Loti cuius meminit Homerus in Odyss. cuius magna erat suauitas.

Lotus Homeri.

Hiuourae. Cortex edulis. Species Guaiaci.

De eadem & Lerius *Hiuourae*, cui cortex crassitudinis dimidij digiti, esui satis gratus, potissimum recenter ab arbore detractus, species Guaiaci, vt mihi affirmarunt duo Pharmacopoei, qui nobiscum fuerunt. Clus. quoque ait, non incommodè referri posse ad Guaiacum Brasilianorum Theueto *Hyuourahe* dictam.

Vires & vsus. Morbus Pians. Lacteus succus.

Lerius scribit siluestres homines vti aduersus morbum, illis dictum *Piaw*, qui non minùs malus, quàm Lues Venerea in his regionibus. Vsum verò corticis, quò Guaiaci loco vtuntur ad curandum illum morbum Indicam Theuetus docet his verbis. Corticis huius, qui recens ab arbore sua auulsus, lacteum succum emittit, quantùm satis sit, in particulas concidunt, tres quatuorue horas in aqua decoquunt, donec vini rubelli colorem acquisiuerit. Hoc decocto 15 vel 20 diebus vtuntur continuis cùm tenui victu, qua ratione, vt audio, curatur optimè morbus Indicus, nec is modò sed quiuis alius qui à frigidis & pituitosis humoribus pendet, qui huiusmodi decocto attenuantur, ac propè exiccantur. Eundem Americi in morbis vsurpant: Estque huius potio etiam satis suauissima.

Decoctum rubellum. Morbus Indicus. Ad alios morbos.

Est & id in hac arbore præstantissimum, quod fructum fert Pruni nostri mediocris magnitudine, auri colore, nucleum suauissimum, ægris & ijs quibus prorsus deiecta est appetentia, vtilissimum.

Deiecta appetentia.

OGEGHE INDICA.

Cap. XVI

Descriptio. Vsus.

IN Congo arbores Ogeghe dictæ, quæ Prunorum flauorum forma fructus proferunt, odore & sapore amoenos admodum. Ex his arboribus ramos detruncant, quibus serie contextis sepimenta constant, vt apud nos ex spinarum virgultis: etiam ex iisdem porticus ac viridaria exstruunt, vt à Sole tuti sint. Ex Historiis Indicis.

PRVNI FACIE FRVCTVS E GVINEA, IN QVO SEMINA.

Cap. XVII.

Descriptio. Cortex. Pulpam.

OStendebat mihi (inquit Clus. Exot.) Theodorus Clutius fructum quem è Guinea allatum dicebat: Pruni ferè magnitudine & forma erat, duas penè vncias longus sescunciam latus, infimâ parte mucronatus, cortice siue ipso corpore satis crasso, veluti fungosa materia constante, foris aliquantulùm rugoso, subfusco colore, internè cauo & pulpam quandam continente in globum conuolutam, albicantem friabilem, insipidam, in quà tenella quædam semina.

PRVNI PARVI MAGNITVDINE FRVCTVS SONORVS, ACIDVS.

Descriptio. Cortex. Stria. Nucleus.

FRuctus hic peregrinus datus nobis est ex singulari Ill. nostræ principis munere vnciam ferè latus, & longus itidem, cortice nigro vetustate verò puluerulento peneque cinereo, leuiter extumescente, peneque compressa superficie latiore, circumquaque rotunda, læui ferè, nisi quòd exiguæ striæ hinc inde per longum discurrentes, inuicémque implicatæ occurrant visui, petiolum sustinet obliquum lateraliter infixum, cinereum, infra rotundum, superiùs verò post alterum internodium cinereum atque quadratum, lignosæ duritiei: fructus cortex adeò tenuis est, vt leui cōpressione introcedat, fortiúsque compressus distringatur rumpatúrque. Nucleus vnicus intus reconditus agitatus resultat. Ex superna pediculi abrupta parte videtur colligi, hunc fructum aliū tibi appensum gestasse: cortex apertus interiùs rubet veluti Nucleus asperiusculus, Lateritióque colore infectus, molliusculus, & digitis comprimendo cedens, eandem, quam cortex ipsius exterior, formam habet, leuiter puta compressam in se, subtumidam, rotundam, latiusculamque, ad latus duas habet foueolas, maiorē, minoremq,

que, ob quædam excrementitia compactaque, paluerulenta tamen, corpuscula, corticis interiori cauo ad latus adnata: nucleus vel potiùs pulpa in duas æquas partes diuisibilis esse videtur, non adhærebat cortici externo, inde sonitus: huic pulposæ substantiæ subest tunica alba, proximè ambiens ossiculum subluteum, subrotundum, latum atque compressum, durum, ad latus exiguum foramen habet cum sulco exiguo per longum inciso, læuis est.

Fructus, inquit Clusius Exot. l. 2. c. 13. donatus à Petro Gareto, orbicularis ferè formæ, vnciam videlicet longus, tantundem latus, paulò tamen planior, vtrinque tumens puluini instar, alter omninò è tenui curuoque oblongo petiolo pendens, tenui fragilique cortice preditus qui pressus, illicò frangebatur, & pulpam continere deprehendebatur fungosam & friabilem, subrubentis coloris, atque valdè acidi saporis, Tamarindorum penè instar (propterea valdè commodam, meo iudicio, ad sedandam & extinguendam sitim) in cuius meditullio semen planum, fusci coloris, candicante membranâ inuolutum erat. Vbi natus hic fructus, quæve arbor ipsum tulisset, ipse Garetus ignorabat.

DE MYROBALANIS ARABVM IN GENERE

Cap. XVIII.

Myrobalani Indæ, nigræ, sine nucleis

Myrobalani Citrinæ.

Myrobalani Chebulæ, citrinis similes, nigricantes.

Myrobalani Emblicæ, in segmentis nucleum habentes, angulosæ.

Myrobalani Bellericæ, rotundiores.



ARabum seu Mauritanorum inuentum est *Myrobalanus*, vti putatur, quod si verum, ab ipsis recentiores Græcos accepisse, dicere par est. Cæterùm has alij in tres, alij in quatuor, alij in quinque, vel vt alijs placet in sex genera discreuere. Sed alios alijs gigni arboribus obseruatum, licet aliqui ex eadem nasci putarint. Placet itaque in genere primùm Autorum de ijsdem placita prælibare: vt innotescat lector, illorum consensus & dissensus circa eas. Videbatur enim hic locus iisdem conuenientissimus, quòd ad Prunorum genera quidam docti referre non dubitarint.

Serapioni itaque *Halig*, id est, *Halig.* Mirobalani species quatuor: Citrini & Nigri Indi vocati: Kebuli & Seni Citrini. Ex autoritate Abé Mesuai & Albasari, Myrobalani de Seni sunt ex speciebus Myrobalanorum, cortice tenui, nigro, colore ad citrinum vergente, similes Oliuis. Aben Mesues in libr. de cibis. Mirabolani de Seni, sunt ex speciebus Oliuarum &c: Item Hunain ait: Myrobalanorum

Differentiæ. Serap. Citrini. Nigri. Cebuli. Seni.

Oliuæ spe-

Kebuli. species, Kebuli, Citrini, & Indi. Errant quidam, qui vendunt nigros ex Kebulis loco Myrobalanorum nigrorum. Nam Nigri reuera sunt Indi, sicut nominant omnes, & ex Kebulis quidam reperiuntur citrini coloris, & quidam nigri, quorum nigredo non ob aliam causam inest, quàm propter diuturniorē moram, qua illum colorem in arbore contraxerunt, suntque Citrinis pinguiores, magis amaricant: Citrini verò sunt acerbi.

Colore differunt.

Auic. differ. Citrinæ. Indæ. Chebulæ. Siniæ. Delectus.

Auic. quoque Myrobalanorum varia sunt genera. *Citrinæ* immaturæ: Indæ Coloris nigri, summam maturitatem consecutæ, reliquis pinguiores: *Chebulæ*, omnium maximæ. *Siniæ* denique minutæ, leuiores. Citrinæ probantur maximè flauæ, ad virorem declinantes, graues, magnæ, duræ. Chebularum laus in magnitudine, grauitate in aqua subsidente, colore ad rubedinem vergente. Siniæ optimæ turbinatæ. Emblicus conditus efficacitate cedit Myrobalanis conditis; ex eorum tamen est genere.

Emblicus.

Mesues differ.

Myrobalani, inquit Mesue, Citreæ, Nigræ, Cepulæ eiusdem arboris fructus quibusdam videntur, vt immaturi sint Citreæ, maturi Nigræ. Cùmque arbor ea his autoribus sit bifera; primi partus sunt Citreæ & Nigræ: secundi verò Cepulæ. Aliis diuersarum arborum fructus videntur, idque creditur quod eorum facultates & opera variant. Citrinæ colore sunt multùm citrino, in viridem inclinante: graues, quia magnæ, & carne multa, densa: si frangitur, gummosa: osse exiguo. Cepulę subnigræ in rubrum inclinantes: quò maiores eò meliores, carne multa: ob hæc etiam graues, adeò vt in aqua mergantur. Indæ sunt nigræ, magnæ, carne densa, graues, tamen exosses, a quibus notis quò harum singulæ absunt longiùs, eò sunt deteriores. Emblicæ præstantiores sunt magnæ, carnis multæ, densæ, graues, ossium paruorum. Bellericæ optimæ sunt magnæ, multa & densa carne graues.

Citrinæ. Cepulæ. Indæ. Emblica. Bellerica.

An Veteres Græci de Myrobal. aliquid tradiderint.

Sunt qui existiment nullum veterum Græcorum de Myrobalanis aliquid prodidisse. Nam etsi Diosc. Myrobalanorum Arabum alicubi mentionem faciat, plerique tamen id de Ben seu Glande unguentaria intelligi nolunt. Aliis contrarium magis placet, vti patebit in progressu. Videtur tamen Autor librorum de Plantis Aristoteli tributorum, eorundem sub finem lib. 2. meminisse, dum eorum acerbitatis causam reddere nititur, cuius etiam sententiæ fuisse aduertimus doctissimum Sarracenum, & ipsum adeò summum Scaligerum, qui ad dictum locum hæc annotat verba. Sic statuit autor, inquit: Arborum Myrobalanorum fructus initio dulces esse. Verùm natura acerbos, & concretione amaros. Id euenire propter ramos arboris ipsius, quorum textura sit rara. Cùm ergo maturescunt: sequitur, inquit, humorum calor, & maturantur fructus, atque initio dulces sunt. Rursus autem per eandem illam raritatem (sic enim interpretatur Scal. verba hęc corrupta [illegible]) superat frigiditas, & siccitas calorem, & humiditatem. Atque inde alterantur fructus in acerbitatem. Vincit rursus calore Sol propter attractionem superfluæ siccitatis in illo semine, quod est in arborum superficie. Vincitque frigus siccitatem. Et sunt fructus vehementis acerbitatis. Inde ascendit denuo naturalis calor adiutus a calore Solis exteriore: & vincit calor ... ac siccitas. Atque ita euadunt amari fructus. Sat erat, addit Scal. hæc recitasse tantùm, ne vos diutiùs obtunderem. Quædam videtis ipsimet quam indigna sint, in quibus opera

Mirobalanus Aristoteli.

ponatur ad contradicendum. Cæterùm me ut promissis liberem attigero modicè. Ait, Myrobalanos amaras esse: gustum autem adstringere. Ramorum affert pro causa raritatem. Arundo tamen quæ est sacchari matrix, rarissima &c. Videris etiam illum ex veteribus Græcis, quisquis ille tandem sit, μυροβαλάνων meminisse, quamuis nihil præterea habeat, quod ad definitionem aut historiam nostrarum, de quibus agimus, faciat. Illud scire operæpretium esset, sintne in principio Myrobalani dulces, quod apud nullum alium hactenus autorem legimus, vt ex citato loco pro certo asserere, agi de nostris Myrabolanis, nobis haud ita integrum esse videatur, quamuis Scaligerum & Saracenum viros Cel. id simpliciter atq; securè credidisse certum sit. Nos interim certiora sectabimur, donec aliquis nobis prodeat Apollo, qui de ea re nos pleniùs edoceat.

Autor librorum de plantis.

Myrobalanus Scaligero & Saraceno.

Inter Græcos recentiores Actuarius de iisdem sic scribit. Fructus nobiles, qui ad nos ex Aegypto Syriaque deportantur, callo corporis compactili, osse intus lignoso, quorum nonnullos vocamus flauos, alios Cepulos, (quidam magnos appellant, alij nigros,) Communi verò vocabulo hæc omnia genera Myrobalana dicuntur. Eandem vim à crassitudine quod Empelicum seu Emblicum, barbara voce nominant, sortiuntur.

Actuarij differ.

Flaui. Nigri seu Magni. Empelicum seu Emblicum.

Posteritas inquit Ruellius Myrobalana in noua alia quinque discreuit fastigiatā non modò effectu differre obseruarunt, sed alia aliis gigni arboribus. Quædam dixere lutea, quæ ex herbacco colore flauescunt, spissa, ponderosa, exili nucleo, cute crassa. His succedunt quæ & a colore coeruleo vulgus Inda nominat, solida, sine nucleis, oliuę forma. Proximè laudant, quæ vocant Cepula, cæteris ampliora grauioraque ex fusco rufescentia, carnosa. Quartum genus Empelicum vocant, cute ossibus hærente, lapillorum penè figura. Sunt qui hæc cum Beletzicis Myrobalanis non adnumerent: vtique specie tota dissidere videntur, angustiora multò, colore in cinereum languente. Beletzica eadem quasi forma spectantur quā Empelitica.

Ruellij diff.

Lutea. Inda. Cepula. Empilica. Beletzica.

Porrò Myrobalanum tam Græci, quàm Latini autores, vt annotat Cordus foeminino genere proferunt, cùm à Balano foeminini generis nomine vocabulum hoc compositum sit. Posteriores ferè & Barbari ad hanc vsque diem masculinum genus eis tribuunt, quorum tres tantùm differentias vetustiores medici tradiderunt: videlicet Indos, Chebulos & Citrinos: de Bellericis & Emblicis seorsim, ceu sui generis medicamentis disserentes. Recentiores verò etiam hos duos fructus Myrobalanis annumerant, quinque eorum differentias colligentes, quas hoc distycho comprehendunt.

Myrobalanus fœm. generis.

Differentiæ ex Actuar. excerptæ à Cordo.

Dissentiunt recentiores à veteribus in Mirob. numero.

Myrobalanorum species sunt quinque bonorum,
Citrinus, Kebulus, Bellericus, Emblicus, Indus.

Quam opinionem etiam sequitur Gabr. Fallopius tract. de medic. purg. simplic. dum inquit, Myrobalanum nullus Græcorum nouit, vno excepto Actuario recentissimo & Nicolao Myrepsico. Species Myrabolani plures sunt, & septem possem ex Serapione enumerare: sed quinque tantùm sunt in vsu in officinis, & primò sunt Mirabolani citrini vocati: secundò Chebuli: tertiò Indi qui & nigri nominantur: quartò Emblici, quintò Bellirici. Hi sunt in vsu ad conficiendos syrupos varios, infusiones, & ad componenda varia medicamenta Arabum.

Species Myrob.

Reuera autem neque Bellericus, neq; Emblicus, ex earum numero sunt, cùm nullam habeant in figura cum Balano, hoc est glande, similitudinē. At quoniam similiter Myrobalani adstringunt,

by Google

Cur Bellerici & Emblici in Myrobal. familiam recepta. Differentia tres unius arboris. Acacalis.

ventremque aliquantulùm comprimendo subducunt, ac lignosos, vt ipsæ, habeant nucleos, vitium est. Recentioribus hos quoque adijcere. Vna & eadem arbor omnes tres Myrobalanorum differentias gignit.

Embelicus Belliricus.

De Acacalide verò quid sit hoc loco ambigi potest. Non cognoscitur in hisce regionibus, cùm in Ægypto nascatur, neque fructus eius ampliùs afferatur: nisi aliquis (Cordi coniectura est) ex Myrobalanis Embilicum seu Belliricum hunc esse existimet, quod, vt non adfirmamus, ita etiam nondum negemus.

Myrobal. Arab Diosc.

Quam Myrobalanum Arabicam, (ait Syluius) intelligat Diosc. cui similem facit fructum Palmæ Ægyptiæ; planè ignoro. Nam Arabum recentiorum Myrobalani quinque generibus distinctæ, Veteribus indictæ putantur, & Prunorum generi potiùs quàm Balanorum, id est Glandium, adsignandæ sunt.

Prunorum genus Veteribus indicta.

Recentiorum Myrobalani non sunt Veterum.

Sic Cornar. Myrobalanorum quinque genera ab Arabibus inuecta, penitùs à Veterum Myrobalanis diuersa esse, disertis scribit verbis.

At Monachi apud Mesuen de Myrobalanorum differentijs sic statuunt. Autores (inquiunt illi) non frustra scribunt Myrobalanos nigros Indos, quia ex Chebulis sunt Citrini & Nigri. Chebuli & Citrini verissimè sunt ex vna & eadem arbore. Citrini sunt immaturi, Chebuli verò maturi.

Chebuli & Citrini ex vna arbore. Citrini immaturi. Chebuli maturi.

Quod idem Ioub. Pharm. in Syr. de Fumar. compositio. agnoscit: fatetur enim Citrinos & Chebulos eiusdem arboris fructus esse, & sola maturitate differre.

Absolutè igitur per Chebulos intelliguntur Chebuli citrini. Connumerantur etiam inter Myrobalanos, Bellericorum & Emblicorum fructus.

Seni incogniti. Sexta species Seni incognita. Chrysobalanus.

Serapionis & Auic. *seni* siue *Seny* Myrob. non habentur nec cognoscuntur, nec exportantur. Myrobalanorum sunt sex genera siue species.

Gal. in 8. de med. comp. meminit Myrobalanorum citrinorum vocans Chrysobalanos ex digerentibus roborantibusque.

Ruff. enumeratis quinque generibus quæ priscis indicta putat, & ad Pruna potiùs quàm glandes recensenda, addit sibi videri Empelitica Actuario quoque, ἀμπελιτικὰ & ἰνδικὰ dici, & Bellirica Beleerzica vocat.

Empelitica Ampelitica. Beleerzica.

Matthiol. Quinque Myrob. genera & facie & viribus inter se distincta videns, omninò censet ea a diuersis produci arboribus, quia tamen ortus earum nobis ignotus, nihil certi adfirmare audet. Flauorum (addit) Chebulorum atque Indicorum arborum imagines excudi curauit Andr. Marinus in suis in Mesuen annot. sed ignoramus an genuinæ sint, an adulterinæ, præsertim quum Mauritanorum nullus habeatur autor, qui Myrobalanorum plantas descripserit.

Arborum icones.

Amatus in Diosc. caput de Palma, vbi Palmæ fructum Arabicæ Myrobalano comparat, annotat Hermolaum, Marcellum, Manar. Leonic. Brassau. Matth. Agric. & Fuchsium intelligere Glandem vnguentariam, quæ Myrobalanus dicitur, quę nō similis est Dactylis. Dioscoridis tamen cōparationem sic defendere conatur. Sunt, inquit ille, Myrobalani communes quinque ex arboribus dissimilibus lectę. 1. Myrob. citrinus colore, oblōgus, intus os habens simile quodammodo cum Dactylis paruis, vt non temerè ijs Diosc. similes dixerit: sed esto, non ita sit, qui Chebuli dicuntur ex susco rufescentes, carnosi, pingues, semidigitales, adeò Dactylis similes, vt meritò ipsis Dactylos persimiles fecerit. De Myrobalanis autem non scripsit quia de illis nullam penitus expe-

Myrobalanus Arab. Diosc.

Cur Diosc. de Myrob.

rientiam habuit, & vires ignorauit. 3. Indici dicti, nullum os habent. 4. Emblici, per fragmenta ferè importantur. 5. Bellerici sunt rotundi, qui, sicuti Chebuli, saccharo conditi ex India ad nos importantur, caput apprimè roborantes, veluti stomachum & reliqua viscera.

lanis non scripserit.

Conditi.

Sed sunt, vti tradit Lacuna, qui existiment quinque Myrobalanos offic. idem esse cum Nuce vnguentaria, quę Myrobalanos Grecis dicitur, qui error maximus, quia Myrobalanos officinarū nullus Græcorum antiquorum cognouit. Existimandum quinque dictas species in diuersis arboribus nasci, quamuis sint qui putent Citrinos & Chebulos ex eadem proficisci, Solus ex recent. Græcis Actuarius scripsit de his Myrobalanis.

Myrob non esse Nucem vnguent Myrobalanus Græcorum.

Inter eos verò qui censent Dioscoridi Myrobalanos fuisse notas, est etiam Saracenus vt iam suprà monuimus, qui in scholijs suis in Diosc. mirari se satis non posse ait, Arabicæ Myrob. descriptionem à Diosc. prætermissam: cùm tamen ex ea, tanquam suis nota & vsitata temporibus, cap. de Palma, fructus eius similitudinem desumat.

Diosc cognitam Myrobalanum.

Lonicerus profectò consideratè, si Dijs placet, de grano *Ben* & Myrobalanis agit. Primùm enim, caput facit de Ben siue Glande vnguentaria Græcorum, vbi de eius specie natura & viribus tractat: mox verò subsequenti capite sub titulo Myrobalani, omnia quidem Myrob. genera depingit, sed priùs eodemmet capite de Balano Myrepsica Græcorum tractat, quæ præcedenti capiti erant addenda. Lectorem ignarum eò ducit vt existimet Myrobalanis Arabum competere, quæ ille confusè & nullo iudicio eorundem figuris subiecit.

Lonic not.

Cordus in comm. ad Diosc. censet Arabicas Myrobalanos Diosc. esse eos fructus, qui adhuc in omnibus pharmacopolijs myrobalani appellatione cognoscuntur, non tamen omnes quinque intelligit, sed tres præcipuas; videlicet Indam Citrinam & Chebulam, quas tres differentias non ita diuersis, sed vna eademque arbore nasci tradit. Indam primum fructus rudimentum esse, quàm Plin. Adypson vocitet, & Citrinam, maturescentem: Chebulam vèro maturos iam fructus. Verùm ei assentiri non possumus, dictasque has tres differentias neutiquam in vna arbore nasci putamus. Eiusdem quoque opinioni resistit rerum Indicarum solers interpres Garcias, vt paullò post apparebit.

Inda. Adipsos Pl. Citrina. Chebula. Cordus refut.

Rondeletius verò Arabicam Myrobalanum illam, cum qua immanitum Palmæ fructum Dioscoridem comparare diximus, vnguentariam esse non arbitratur, sed flauam Cathartricam offic. Qui peculiare quoddam Palmæ genus Adipson vocatum à Plin. Myrabolanum offic. esse volunt, hi perspicuè à Diosc. refelluntur inquit Dalech.

Myrobal. Diosc.

Adipsos.

Differ Lobelii.

Lob. & Penæ quoque iudicio, hi Syriaci fructus, vulgatiùs, quàm veriùs, Myrabolani vocantur. Nam nec ipsi glandes esse volunt, sed Persicis potiùs aut Prunis accensendos: Quorum & si cōplures oriantur differentiæ in Syriacis, Arabicis, & Calecutij regionibus, quibus debentur, à Græcis & à nobis tamen (inquiunt) quatuor quinque duntaxat hodiè prostant in offic. differentiæ e totidem arboribus. Nam Cepulifera & Citrinifera eadem videtur arbor, proditurque à nuperis nauigatoribus, Persici aut Amygdali folio. Bellericiferæ autem latiores Laureæ sunt frondes; sed Indiciferæ salicis, cuiusmodi etiam Emblici videntur. Alioqui inter se congeneres arbores, promunt ipsi fructus mediam quandam naturam in-

Persica. Pruna.

Tot arbores quot species. Aduers. Cepulifera. Bellerifera. Indifera.

Condita. Delectus. ter oleam & Prunum sortitæ. Horum plurimùm duo genera condiuntur, atq; huc condita adferuntur. Pluris institores faciunt horum alterum, qui *Cebulæ cond. alia.* Kebulus aut Cebulus vocatur, omnium maximus: is oblonga pusilli Limoni aut Persici effigie, compacta, callosa, nigraque carne, sapore Iuglandis conditæ. Alter minor est, rotundior, tenerior edendo, Bellericus vocatur. *Bellerica cond.* Kebulo sunt Citrini similiores. Indi nigri. Emblici sunt potiùs fragmenta quàm integra Pruna.

Palma. *Cæsalpinus* noua opinione prodit, existimans Myrobalanos ex genere Palmarum esse, sic scribens: Quos vulgò Mirabolanos vocat, quasi Myrobalanos, vt aliquando Plinius vocat, quos fert Palma, probatissima in Ægypto, quæ ossa non habet in balanis, reliquarum modo, eundem videm, odore Mali Cotonei tradit, vt Dioscorides: nam alibi per Myrobalanum intelligit ipsam Glandem vnguentariam. Adferuntur autem quinque Myrabolanorum genera: eorum tria os continent, solida pulpa & crustosa inclusum. Primi generis sunt cognomine Citrini: secundi Chebuli grandiores, figura Prunorum Damascenorum, saccharo condiri solent. Bellerici Gallæ modo rotundi. Duo præterea sunt nullo intus nucleo manifesto, scilicet Indi & Emblici. *Nuclei nulli in Indis & Emblicis Phoenicobalani.* Quid si hos Phoenicobalanos dicamus: nam nullo intus ligno spectantur, vt Plinius testatur. Qui autem os intus habent, ad Thebaicos & Arabicos Myrobalanos reducamus: de quibus Plinius. Arbores quorundam generum describit Garcias in hunc modum. Folia Emblicorum quidem tenuiter diuisa sunt magnitudine Palmæ: Citrinorum autem vt sorbi: Indorum vt Persici. At, me hercle, videtur Cæsalp. suæ intentioni parum satisfecisse: *Cæsalp. refut.* Nam si Plin. intellexit Myrobalanos nostras per eas quas fert Palma, impropriè admodum locutus est. Quorum Myrobalanorum obsecro figura vsque adeò similis Dactylis? quæ item arbor eorũ similis Palmæ vt Palma dici possit, vel mereatur? Neminem hactenus inuenimus qui dicat vllam speciem Myrobal. vulgarium similem Palmæ, aut Palmam dici posse. Quæ de Emblicis dicit Cæsalp. aliter sonant apud Garciam, ex versione *Emblica.* Clus. dicit quidem Myrobalanum Anuale, quod *Myrob. Anuale.* Emblicum, folijs esse minutim incisis, palmum longis, non, vt ait Cæsalp. Palmæ magnitudine. *Alii duo Cæsalp. errores.* Quis itidem dicat cum Cæsalp. Emblicos sine ligno esse: cùm sæpiùs ligna sine ossa inter earum sicca segmenta appareant manifestè, ac ea quæ condita sunt, sua etiam habeant ligna seu ossa, seu putamina interna: quocunque enim modo libuerit vocites, modo de re ipsa constet.

Dalec. Videtur tamen & Dalech. eiusdem Cæsalp. fuisse opinionis: nam ad id, quod Plin. ait Myrobalanum Palmæ ossa non habere reliquarum modo in balanis, annotat ille: Colliguntur enim virides & immaturæ balani, pomo carne sua tantum obtecto, nondum genito intùs nucleo, quibus verbis Myrobalanos Citrinos intelligere velle videtur, si modò mentem eius probè percipimus. *Myrob citrini.* Quod si ita est, nihilo sanè rectiùs opinatur, quàm ipse Cæsalpimus.

Diosc. Gal. & Plin. nostra Myrobal incognita. Sed videamus tandem quid Garcias de Myrobalanis tradat. Manifestum est, inquit, neque Dioscoridem, neque Gal. neque Plin. nostra Myrobalana cognouisse, sed eorum Myrobalanum planè aliud esse. Et quoniam Auic. & Serapa interpres vidit hæc nostra quodammodo ad glandis formam accedere, nullo iudicio Myrobalana vertit, cùm mea sententia Pruna, quibus similia sunt, meliùs *Prunis similia. Delegi.* vertisset: Vocat ea Auic. *Delegi*: sic etiam Serapio, tametsi Librariorum vitio *Halilig* corruptè legatur. *Halilig.* Omnes enim Medici Arabes mihi affirmarunt, Omnia Myrobalana *Delegi* vocari. Falluntur tam ij qui omnia Myrobal. genera in eadem arbore nasci putant, quàm qui flaua & Chebula tantùm. *Non omnia in eadem arbore nasci neque plura.* Nam quinque sunt diuersa arborum genera: & quod magis mireris, in regionibus sexaginta aut centum leucis inter se distantibus nascentur. *Locus quinque diuersa arborum.* Proueniunt enim nonnulla in Goa & Batecala: alia in Malauar & Dabul. In toto regno Cambaiæ quatuor eorum genera inueniuntur: Quebula verò in Bisnager, Decan, Guzarate, & Bengala. Cæterùm quæ in Lusitaniam sicca deportantur, magna ex parte sumpta sunt in regione quæ est inter Dabul & Cambaya. Nam experientia compertum habemus, hos fructus, quos regio septentrioni vicinior producit, minùs putredini obnoxios esse. Et iam longè ante Garciam Munsterus in sua Cosmogr. scripsit Myrabolanos prouenire in Cambaia.

Garciæ subscribit Acosta, omnium quinque Myrob. genera diuersis arboribus & regionibus nasci scribens, omnesque esse Pruni magnitudine.

Tabern. Indicis & Citrinis seu flauis duas integras arbores, absque radice tamen, appinxit, vbi viderit, aut vnde habuerit, nos latet, illius folia salicis, huius Persicæ. Sed & Chepulis ramum recentem appinxit, cuius fidei acquiescentes & nostris figuris portiunculas appingi curauimus, quauis Garciæ descriptionibus & notis minùs conuenire videantur, vti patebit in progressu.

Ex dictis itaque patet, de sententia Arabum, Myrobalanorum [quæ à Balano myreptica Græcorum diuersæ] quatuor duntaxat esse genera: posteros verò Chebulas & Citrinas differentes fecisse, quales tamen vix essentialiter differre, (saltem vt in offic. hoc nomine habentur) quis existimauerit, qui exactè considerauerit quæ mox traduntur. Nunc singularum, vt in offic. hodie habentur exactas descriptiones & nomina subiungamus.

MYROBALANI INDÆ, NIGRÆ, SINE NVCLEIS.

Descriptio. INdæ dictæ Myrobalani dimidio minores sunt, siue Citrinis, siue Belliricis, graciliores, nec, vt illæ, ventriosæ, rugosæ, turbinatæ, piceæ nigredinis, substantia vbi franguntur succi concreti Hypocistidis aut potiùs bituminis Iudaici modo nitẽte, sapore euidẽter acido, minimùm acerbo, nullo intus vel putamine, vel nucleo, vel semine. *Aliud genus.* His admistæ inueniuntur aliquando in officinis aliæ angulosę magis, paullò maiores, nucleo donatę, quę an eædem cum Indis, non ausimus affirmare. Nos Indas nucleo cassas pingendas curauimus, & ex Tab. ramulum.

De his, inquit Cordus: Indarum Myrabolanarum Plin. in Palmularum enumeratione meminit. *Palmulæ Plinio.*

Inda seu nigra, acerbus, immaturus, & adhuc adolescens fructus est, ideoque nullum intra se nucleum habet, sed quoddam cauitatis secuturum nucleum excepturę rudimentum: magnitudinis est incertę, quoniã tam intempestiuè quam tempestiuè colligitur. Hinc est, quòd aliquę earum vnciam, aliquę etiam sesquiunciam longitudine excedant. Colorem habent foris in viridi fuscum & pallescentem, qui tamen non nisi in abstersa & lota apparet: nam cùm copiosè afferatur, inuicem confricantur & atteruntur, detritoque sibi fusco puluere, in nigrum colorem tinctę con-

uertuntur, figuram habent oliuę & vtrinque turbinatam. Carne constant densa, solida, ponderosa, dum confringitur splendente, colore nigra, aut fusca, gustu vehementer adstringente, aliquantulùm acida, subdulci, tenui, saliuam prouocante ideoque sitim arcente & oris halitum commendante. Odorem nullum fatu dignum siccata spirat.

Delectus. Eligito neque minimas neque maximas, sed mediocres, longitudine vnciâ paulò breuiores, aut ad summum vnciales, pondere triobolares, nonnunquam excedentes, simulque densas, solidas, intus nigerrimas, & splendentes: foris autem in citrino & fusco colore, si abluantur, virescentes, minùs rugosas, nulloque aut ad nodum exili & compresso cauitatis rudimento inanes.

Synonyma. Asuat. Damascenum. Myrobalana Indica siue nigra Arab. *Asuat* vocantur. Quod genus quoddam Myrobalanorum Serapio Damascenum appellat, melancholicis morbis perutile: id facit, non quòd in Damasco proueniat, sed quòd hinc ex India Myrobalana Inda eò deferantur. Myrabolanorum alterum genus, incolis *Rezanuale* dictum, nostra sunt Indica seu Nigra. *Rezanuale* *Rezanuale* octogonum est, & folia salici similia habet: Garcias. *Myrobal. Plin.* Myrabolanus nigra posset esse Plinij Myrobalanus, os non habens. Solerius. Indianisch oder schwartz Myrobalanen vocant Germ. Costa prædictis quoque Garziæ nominibus vtitur. Fallop. dicit Myrobalanos Indos esse paruos, & nigros valdè, Vnde etiam Nigros esse vocatos.

MYROBALANI CITRINÆ.

Descriptio. Myrobalanis Citrinis nomen videtur dedisse color flauescens, qui tum in superficie, tum in substantia penitiore conspicitur. Sunt autem ex rotundo oblongæ, aut turbinatæ, Nucis Myristicæ magnitudine, aut maiores, rugosæ, protractiore subinde apophysi donatæ, qua arbori suæ videntur adhæsisse, nec non quinque costis, quas sæpè totidem aliæ intercedunt, per longum decurrentibus. Cuticulæ exteriori statim subest puluinatus *Calyx.* calix, fragilis, gummosus, sapore mixto *Sapor.* acerbo cum obscuro quodam calore & acore: sequitur *Putamen.* deinde putamen insigniter crassum, costis donatum, per totam substantiam veluti foraminulentum, scrobiculis perpusillis, concreta quadam fuligine plenis, nucleum claudens longum, *Nucleus.* purpurante pellicula tectum, album, minùs acerbum, oleaginosum.

Expendat lector an fortè à Chebulis differant tantùm maturitate vnde coloris diuersitas fortassis pendeat. Tam fructus quàm putamen integrū & apertum in icone satis eleganter expressum. Sed placet etiam Cordi diligentissimi autoris descriptionem in medium adferre.

Myrobalanus, inquit, Citrina ex Inda fit: relicta enim in arbore sua Inda quoad increscat, & maturescere incipiat, concepto intus lignoso semine, in eam quam Citrinam nominauimus, euadit: longitudine sesquiuncialem & nonnunquam maiorem, crassitudine verò media & tumenti parte digitalem, vtrinque in mucronem desinentem, quinque angulis per longitudinem transeuntibus inæqualem, modicè rugosum, tenui cortice, densa solidaque carne & semine constante. Cortici color est citrinus: carni ex citrino ad ruffum vergens. *Semen.* Semē eius lignosum, candidū, angulosum, rugosū, scabrū, valdè durū, figurâ oblongū, vtrinque acuminatum, nucleum tenui, pallidaque cuticula vestitum claudens: figura & sapore Pineo nucleo similem, caro gustu Indæ respondet. Probatissimæ *Delectus.* sunt maiores, maximè citrinæ, minùs rugosæ, densæ, crassæ, & in fracturis splendente subruffaque carne minorique semine prægnantes, & pondere duas drachmas & scrupulum æquantes.

Citrinæ. Gabr. Fallopio Citrini sunt parui, citrino colore donati & subherbaceo: habent nucleum magnum, & paruum, ac tenuem corticem.

Synonyma. Hanc quidam existimant esse χρυσοβάλανον, cuius meminit Gal. lib. 8 & φαρμ. κατὰ τόπους. Alphar. sanè empiricus Myrobalanos citrinos siue Chrysobalanos flauos vocat. Rob. Const. in lex. χρυσοβάλανον, *Chrysobalanus. Myrob. flaua.* alijs Myrobalanus siue citrinus dictus. Nos Syluij quoque indicio acquiescimus apud Mes. annotantis, Chrysobalanum Galeni, cùm calore digerat esse non posse Myrobalanum Citrinam. Garzias scribit: Myrobalana flaua Arab. dici *Azfar*. Myrobalanorum *Azfar* primum genus, quod rotundum est, & bilem purgat, indigenæ [inquit ille] *Arare*, medici *Arare* Atitiqui vocant, nobis sunt flaua. Porro *Arare* *Aritiqui.* rotundum est, & sorbi folia profert. Huic verò *Sorbi folio.* Garciæ foliorum notæ non respondet noster ramulus ex Tabern. adpictus: nec intelligimus, quod Myrobalana flaua rotunda dicit: quæ enim ad nos importantur, & officinis in vsu pharmaceutico sunt, plerunque oblonga esse solent, figura Chebulis similia, multò minùs rotunda Bellericis. Myrobalana citrina Acostæ, quæ à medicis *Aritiqui*, à plebe *Arare* dici ait; & folia sorbi tribuit. Myrob. flauæ, citrinæ, luteæ Herbariorum.

MYROBALANI CHEBVLÆ CITRINIS SIMILES, NIGRICANTES.

Chebulæ Citrinis similes; maiores, magisque turbinatæ sunt, in quinque similiter costas eleuatæ, rugosæ; colore foris obscuriore, & ad *Descriptio.* fuscum inclinante, penitiùs ex ruffo nigricante, sapore consimili, pulpa crassiore, cui putamen subest angulosum, crassum, cauernosum, ut Citrinatum, nucleum continens pinguem, oblongum sapore consimili præditum.

Vide lector, num fortè Citrinis eædem sint, maturitate & eam consequente colore differentes. Os adpingere neglexit pictor. Ramulus exhibitus ex Tabern. non respondet descriptioni Garciæ, & Persicæ folia tribuentis.

Considerandum an non euenerit Tabern. vel illi, à quo accepit, ut eam putarit Pruni speciem, cuius meminit Clus. quamque aliqui Chebulam faciebant de qua videant lectores, quæ scripsimus cap. de Prunis, sub mentione Pruni Myrabolani.

De nostra autem Myrobalano Chebula appellata hæc scribit Cordus. Chebula appellata Myrobalanus fit, cùm Citrina ad consummatam maturitatem peruenerit, quę Citrinę figura, carne, semine & nucleo per omnia respondet, maior tamen est, molliori, crassiori & minùs fragili carne constans, colore tam foris quàm intus nigra, gustu Citrinæ aut Indę simili. Eligantur *Delectus.* maximę ponderosissimæ: foris, cùm abluuntur, in citrino, puniceoque nigrę, carnem crassiorē nigriorem lentam, mollem, & fractu ob succi copiam difficilem habentes: ad trium drach. pondus quàm proximè accedentes. Memoratur Fallop. quòd Chebuli sunt maiores omnium longissimi: Crassi, habent paruum nucleum, Colorem habent citrinum, & qualem habent Myrabolani citrini, suntque rugosi.

Quebula Myrobalana, inquit Garcias, Arab.

Synonyma. Quebula. Quebulgi. Aretca. Condita. Chepula.

Quebulgi Chepula nostra, quæ pituitam purgant, incolis *Aretca* appellantur. *Aretca* magna sunt, & rotunda, oblongiora tamen dum ad perfectam maturitatem peruenerunt & angulosa: folia eius Persicis similia. Chebulorum conditorum maior est gloria: condiuntur hęc in Bisnager, Bengala, & Cambaya: quę tamen rariùs ad nos adferuntur, & non nisi dura & malè condita, teste Clus. Chepula quæ Aretca folijs Persicę, Acostæ: qui tamen fatetur se arborem non vidisse. Myrob. Vel Myrab. Chepula, vel Chebula Herbarijs & offic. Germ. Groß oder schwartz braun Myrobalanẽ.

MYROBALANI EMBLICÆ, IN SEGMENTIS NVCLEVM HABENTES, ANGVLOSÆ.

Descriptio. Emblicæ sessiles sunt, puluinato calyce omnium copiosissimo, nigro, sed non nitido, more carnis Indarum striato, etiam in penitiore substantia pro costarum ossis commissuris spontè dehiscente, qualia plurimùm carnis fragmenta adferri solent: *Sapor.* sapore Indarum acido parum acerbo: os læue, turgidum, hexagonum, substantiâ læui, solida, non foraminulenta, vt putamina Citrinarum & Chebularum, senis loculis distinctis totidem semina disclusa continet Piracea, vel Pomacea, spadicea, triangularia: *Semina Pyracea vel Pomacea.* spontéque in partes fatiscit. Hanc crebrò integram cum nucleis pediculo donatis conditam obseruauimus, quemadmodum figura repræsentat, vt & reliqua satis eleganter.

De ea autem sic scribit Cordus. Myrobalanus appellata Emblica suum peculiare & proprium genus habet, etiam à Bellirico diuersum: magnitudine Bellirico cedit, eadem nunquam integra adfertur, sed in fragmina diuisa & dilapsa: habet enim eius caro sex in longitudine commissuras, quibus, cùm maturuit, dehiscens, in totidem partes dilabitur, quę singulæ adhuc in binas partes digitis findi queunt, crassitudine mediocri, habitu contracto, & aliquantulùm rugoso, colore cinereo aut fusco. Totus fructus sub commissuris singulas cauitates habet, quarum vestigia in fragmentis apparent. Semen in medio est lignosum, durum, ad rotunditatem accedens, colore subrussum, æquale, minimè rugosum, paruæ rotundęque Auellanę æquale: sex angulis & commissuris compactile, & in totidem partes secundum longitudinem fissile, quibus singuli insunt *Nuclei.* nuclej figura oblongi & triquetri, ligneo, tenui, & tamen duro cortice, intus autem medulla constantes. Saporem caro eius Indę Myrobalano aut Chebulo similem habet. *Delectus* Eligito fragmenta eius maiora, solidiora, ponderosiora, & minimè rugis contracta.

Bellirici Gabr. Fallop. notat, quòd Emblici sunt crassi satis, & constant ex pluribus partibus, ita ut videantur constare ex pluribus testellis, & semper deferuntur ad nos in frusta; rarò autem poteritis uidere vnum ex his myrabolanis integrum: nucleus ipsorum est veluti osseus, constatque ex quatuor vel quinque partibus in quibus sunt semina.

Synonyma. Prunus Ægyptia. ... Empelitica. Embelgi Arab.

Scaliger in Theoph. de Pruno, siue κοκκυμηλέα Aegyptia? aliquid, (inquit) contemplabere super Myrobalanis Emblicis aut eiusmodi: multa enim conueniunt. Corrige ἀκρύλλον: non φύλλον. Hęc est illa quæ Empelitica Syluio dicta, eandé putat esse cum ea quæ Actuario ἀμπελιτις & ...ις quoqué dicitur. Myrabolana Emblica, inquit Garzias, Arab. *Embelgi* vocant, sed sub nomine Seni, vt patet ex Serapione, qui *Seni* tenuissimo cortice prædita esse scribit: quæ nota Emblicis conuenit. Quamuis autem Serapio scribat *Seni* cognominata Myrob. genus esse oliuarum, tamen errat, atque erroris causam præbuisse credo, quòd Emblica sale aut aceto condita edantur. *Seni. Serapioni.* Quinto genere Myrob. Amuale incolis nuncupato, nobis verò Emblica, dicto, non vtuntur, nisi dentandis corijs & atramento conficiendo: sunt tamen etiam nonnulli, qui ijs viridibus, vescuntur excitandę appetentiæ causa. *Amuale. Vlus. Folia. Ad appetentiam.* Amuale folijs est minutim incisis, Palmum longis. Emblica copiose recentissima & optumè condita inuehuntur Anturpiam, teste Clus. Emblica autore Acosta, incolis Amuale dicta, folia minutim incisa habent, Filici ferè similia, sed paulò crassiora. *Filici similia folia.* Eschenfarb Myrobalanen Germ. Emblica Herbarijs & Offic.

MIROBALANI BELLERICÆ ROTVNDIORES.

Descriptio. Bellericis, quæ altera parte sessiles ferè, altera turbinatæ, & in apophysen seu pediculũ crassũ desinentes, magnitudo quæ Citrinis, nisi magis ex parte essent rotundiores: superficies quoque læuior, minùs rugosa, obiter duntaxat costarum putaminis vestigia ostentat, quę nõnumquam terreo, aliàs ferrugineo colore, licet penitior pulpæ substantia etiam flauescat, sapore Citrinarum. Putamen angulosum, breuius & rotundius, cauernulas non habet gummi receptrices, veluti Citrinæ & Chebulæ: cauitatem autem possidet longè capaciorem, triplo puta quadruploue: in qua nucleus plerumque marcidus. *Nucleus.*

De hac Cordus: Myrobalanus quæ Bellericus appellatur, à prioribus tribus differt, in alterius generis, quàm illæ, arbore nascens, figuram habet rotundam, aut modicè oblongam, superficiem fuscam, æqualem in longitudine quinque vt plurimùm angulis distinctam, magnitudinem verò maioris gallæ, pondere quatuor aut quinque scrupulos superans aut æquans, tenui carne, & magno, lignoso, duroque semine constans, Chebuli semine multò maiorj, drachmæ pondus leuante, & intus oblongo, acuminatum & Auellanæ propemodum æqualem nucleum claudente. *Semen. Sapor.* Saporem caro eius habet proximè ad prędictarum Myrobalanorum qualitatem accedentem; substantiam verò illis rariorem. *Delectus.* Eligito maiores, ponderosiores, solidiorique carne constantes.

Bellirici. Fallopius. Bellirici rotundi sunt, & quasi piloñ in extima facie: habent pediculum aliqua ex parte adactum, & corticem, ac nucleum crassum. Hi sunt Myrobolani qui in officinis habentur, quorum historia est penitus ignota omnibus, an scilicet omnes istę species sint ex vna eademque arbore; an ex pluribus inter se differentibus, & quales sint arbores: Lodouicus tamen Barthema in libro nauigationum inquit, quod aliqui asserunt arborem, quę producit Myrabolanos esse figurâ Pyrorum, tamen sciatis quod est omnino ignota Mesue & omnibus. Vnde omissa plantâ accipiamus fructus; & agamus infinitas gratias Deo quòd ipsos habemus: & non curemus tunc amplius de historia. Hæc ille.

Synonima. Belerigi. Guti. Gotin. Myrabolana Bellerica, Arab. *Belerigi*: Myrobal. genus tertium *Gotin* incolis nuncupatum, rotundum, Guti folijs Lauri, sed pallidioribus & subcinericeis: Garcias. Bellerica rotunda incolis Gotin, folijs Laurinis. Myrobalani bellericæ recentes

centes & siccæ apud Tibern. qui vtraque pingit, & germanice Belleri ische Myrobalanen illas, has vero, durre Bellerische Myrobalanen vocat. Sępe citato nomine, Bellericę, tum Herbarij quam Practici vtuntur.

Vires & Vsus Mirob. in genere. De Myrobalanorum viribus ita scribit *Serapio.* Myrobalani terantur, aquâ calida macerantur, in colatura dissoluitur saccharum cum tereniabin: illa enim acerbitas eorum remittitur, præterquam quod saccharum etiam abstersione deiectionem adiuuat. Magis tamen earum vis intendetur, si cũ Prunis, sebestenis, vel Iuiubis decoctæ propinentur: horum enim lubricus lentor Myrobalanorum acerbitatem & adstrictionem contemperat, vt facilius per aluum secedant. Consueuerunt etiam cum Tamarindis dari: quorum facultas est bilem reprimere, nauseam & vomitum compescere, ventriculum roborare, ex vomitu laxum & imbecillum redditum: calores febriles extinguere: interim aceto itatis ratione tussientibus obsunt. Citrinæ Myrobalani, autore Auic. Indis calidiores putantur, Indæ verò Chebulis: quanquam interim omnes in primo gradu sunt frigidæ, siccæ in secundo. Bilis feruorem extinguunt omnes. Indæ colori cutis gratiam addunt. Elephanticis vtiles sunt omnis generis Myrobalani. At Chebulæ sensus acuunt, memoriam roborant, & actiones principes, prosunt in Cephalalgia. Citrinæ efficaces sunt contra oculorum resolutiones, lachrymas eo cum impetu ruentes restringunt. Prosunt ad cordis palpitationem & mœrorem abigendum, assumptæ: splenicis itidem & visceribus nutritioni destinatis, præsertim verò nigræ ambæ: nam & ventriculo robur addunt, potissimum siccæ, concoctionem adiuuant: ventriculi superfluos humores absorbeant, tam Citrinæ, quam Nigræ minùs verò efficaces sunt siccæ chebulis. Cæterùm Chebulæ nauseam inducant, conferunt tamen aquæ interceuti. Chebulæ & Indæ ex oleo ventrem stringunt. Citrinæ bilem primariò ducunt, secundariò pituitam. Nigræ melancholicos humores euacuant, conferuntque hæmorrhoidibus. Chebulæ melancholiam & pituitam purgant, & contra colicos dolores valere creduntur, quarum infusarum dosis est, à drach. v. vsque ad drach. xi. In substantiâ verò dantur drach. ii. & plures. Citrinarū infusum propinatur interdum vsque ad drach. x. Infundantur autem in aquam tritæ. Chebulę in diuturnis febribus conferunt. Cæterùm Emblicæ ex Iudæi sententia calidæ sunt: alijs plerisque frigidæ in secundo recessu: Auic. verò siccæ videntur, cum pauca frigiditate. Sanguinis feruores extinguunt, capillorum radices corroborant eosque denigrant: neruis vtilissimæ sunt, oculorum tonum conseruant. Cordi robur addunt ipsumque exhilarant, actiones principes intendunt. Ventriculum roborant, sitim sedant, vomitum compescunt, cibi appetentiam excitant. Venerem vegetiorem reddunt firmioremque, & aluum, vti nonnulli quidam, cohibent. Verùm conditę clementer ventrem leniunt, melancholicos humores & pituitosos subducunt, hæmorrhoidibus conferunt, spiritus inspissant, & maximè tristitiæ conferunt à resolutione spirituum. Est enim cordis confortatiuum medicamen à proprietate quadam: & quia mundificant etiam, ideò vehementer conferunt intellectui & memorię, atque de eorum numero & genere sunt, quę omnia membra confortant.

Nauſea. Vomitus. Febres. Têperam. Ad bilem Color cutis. Elephantiasis Senſus. Memoria. Cephalalgia oculor. resolu. Cordis palpit. Splenetic. Ventriculo Hydropi. Hæmorrhois. Colica. Dosis. Emblicar. temper. Flux ſan. Pili. Neruis Oculi Cor. Ventriculus Sitis Vomitus Venus. Conditæ. Laxant. purgant. Hæmorrhoides. Tristitia.

Mesues de ijsdem sic tradit: Myrobalani Citrinę, Nigrę, Cepulę sunt medicamenta benigna. Tantùm enim abest, vt purgando vires deijciant, vt etiam cor, ventriculum, hepar corpusque reliquum confirment, cogendoque in vnum roborent: qua re vinca his incommodant, qui sunt obstructionibus obnoxij, has enim excitant. Prætera medicamentis acribus, & purgando exoluentibus, vt Scammonio, perfectè corrigendis rectè miscentur: sed huic præsertim Citrinæ sunt miscendæ. Id enim contraria, tum substantia, tum qualitate frangit, & purgationem iuuat. Hæ autem omnes sunt frigidæ primo gradu, siccæ secundo. Siccando enim excrementa partium putridavalenter absumunt, mollesque partes, & laxas durant, & densant, multaque adstrictione cogunt. Cor, stomachum, reliquumque ventriculum, & hepar roborant: quapropter exhilarant, colorem cutis, odorem oris, & sudoris commendant: corpus floridum & iuuenile diu tuentur, tremori cordis conferunt, hæmorrhoidibus commodant. Purgant ventriculum bile, ab eaque tertianam, & reliquas febres biliosas & ardorem extinguunt, præsertim Citrinæ: Hæ enim præter cæteras sunt cholagogæ: ob id calidis & biliosis naturis salubres. Eædem omphacio, vel aqua rosarum, vel succo Fœniculi maceratæ, confricatæ, oculum tergent, intemperiem eius calidam auferunt. Earum quoque puluis tenuissimus, per se quidem delachrymationem stringit, oculum ab humore multo laxiorem tuetur: cum mastiche verò, vlcera siccando sanat. Cepulæ verò sunt phlegmagogæ, ventriculum purgant, & roborant, rationalem animæ partem vegetant, visum (& sensus alios) acuunt præsertim conditæ: hydropi & febribus diuturnis conducunt. Nigræ melancholiam purgant, & bilem vstam: tremori, tristitiæ, lepræ, quartanæ, & cæteris affectibus melancholicis prosunt, coloremque cutis viuidum efficiunt. *Quia verò* dictæ Myrobalani omnes obstructionem promptè excitant, in corpore obstructioni opportuno, & villis ventriculi, & intestinorum facilè adhærentes, ceu fugis quibusdam ea exasperant, non dentur obstructioni obnoxiis, alijs verò dentur cum diureticis, vel infusæ sero lactis, vel succo Fumariæ, vel cum Absinthio, Agarico, Rhabarbaro, Spica nardi. Oleo autem Amygdalarum dulcium, vel rosato, vel sesamino imbutæ &, confricatæ, vel cum Amygdalis dulcibus, aut vuis passis; aut harum melle tritæ, vel Manna, vel Tamar Indis vel Violis conditis, uel alio leniente medicamento sumptæ, ventriculum & intestina leniunt, & citò per ea lubricant, etiamsi quibusdam aliter visum est; neque ampliùs his adhærent, aut rugas inducunt. Hæc verò ipsarum incommoda sic emendabis, & saporem delicatum acquires. Tritas æstate merges oleo Amygdalarum dulcium, confricabis, & lubricas reddes in vmbra, siccabis Sole, affusoque identidem oleo confricabis: idque triduo cum feceris, altero deinde triduo aqua saccharata, vel sero lactis parum saccharato, aliquandiu mersas, in Sole iterum siccabis, affusoque frequenter eodem liquore confricabis, coges in trochiscos, ac in umbra siccabis. Alii ipsarum tritarum partem vnam diebus octo macerant sero lactis caprini, in vase vitreo oris angusti: deinde semel fermentefaciunt, manibus confricant, colant, aquâ deinde siccatas trochiscos, vel catapotia fingunt. Hisque addunt nonnulli medicamenta purgantia benigna. Hæc vel illa pro scopis & indicationibus variis. Datur citrinarum tritarum puluis à drachmis duabus ad drachmas quinque: maceratarum verò expressum, à drachmis quinque, ad drach. viginti. Indarum & Cepularum puluis a drach. duabus, ad drach. quatuor: expressum infusarum à drach: quatuor, ad drachm.

Non valdè purgant, & roborant tamen. Obstructionum. Temperam. Principes partes roborant. Fœtor oris & cutis. Tremor Cordis. Purgant. Citrinæ. Oculis conferunt. Vlcera. Cepulæ. Nigræ. Cautio. Vt Præparentur. Modus præparandi. Trochisci. Dosis

decem. *Ne sume flante Borea : & his j. nuptis, piscib. abstine.* Veruntamen harum decoctum promptiùs & valentiùs obstruit, quàm maceratorum expressum. Assæ item ipsæ minùs purgant, potentiùs constipant, & adstringunt, & his magis vstæ. Harum quoque tritarum puluis quò tenuior, eò vehementiùs adstringit: maceratarum verò expressum, minùs adstringit, omniumq; maximè purgat. Ob id eas infundimus, quando solam vacuationé expetimus. Cepulæ verò conditæ purgant quidem minùs, partes nutritorias roborant magis: non conditæ contrà. Condiuntur autem vel recentes, si harum est facultas: vel siccæ, sed industria humectatæ. Recentes quidem, densæ, stylo confixæ, postea igni lento coctæ, quantùm sufficit: aqua deinde expressæ, vno die super tabulam siccantur, post mulsa biduo macerantur, igni lento percoquuntur, vase vitreo reconduntur, post sex menses utendæ. Si verò siccæ sint, aqua sub Sole dies octo macerentur: deinde in dolio, vel alio vase magno vel fossa in arenis humidis tertio quoque die mutandis secretas, identidem aqua irrigabis, donec tumescant: reliquá vt priùs persequere. *Emblica* parum frigent, siccant ordine primo, pituitá etiam putri ventriculum purgant, eumque & cerebrum, neruos, cor, hepar, & partes laxas constringendo roborant: ob id tremori cordis conferunt, appetentiam inuitant, vomitum sistunt, furorem & latratus eius cohibent, uim animæ rationalem augent, calorem uiscerum insigniorem, & inde natam sitim, extinguunt. Præstantiores sunt magnæ, carnis multæ, densæ, graues, ossium paruorum. Tardiùs purgant, & rugis uentriculo minùs incommodant, si aqua in Sole macerentur, donec humectatæ tumefiant. Postea expressæ mulsa biduo macerantur, igni lento coquuntur: ubi coctæ refrixerint, mellis albissimi parte quarta exceptæ reconduntur. Aromatibus quoque, cinnamomo, xiloaloë, cardamomo, croco, gallia, & similimus nonnulli condiunt. Eæ etiam lacte mane & vespere mutato, macerantur triduo, siccantur uento, & in umbra, & reconduntur. *Bellericæ* etiam sunt benignæ, & roborant: frigidæ primo gradu, siccæ secundo, cæterà Emblicis viribus proximæ. Optimæ sunt magnæ, multa & densa carne, graues. Conditarum vires Mesues alibi persequitur, his verbis. *Cepulæ* Myrobalani Conditæ stomachum & ventriculum firmant, appetentiam inuitant, coctionem promouent, rationalem animæ partem vegetam reddunt, & sensificam: quapropter visum quoque clariorem, & usu crebro iuuentutem tuentur. Accipiendæ verò sunt ex siccis recentissimæ, & iam præscripto modo præparandæ ad condituram, si recentium non sit potestas. Hac etiam arte, quæ priùs Myrobalanos condiendi tradita est, possis quoque alios fructus licciores condire & recentibus similes reddere. Vna manè ieiuno dari potest singulis aliquot diebus. Placent enim sapore austero, & per condituram dulci, & nonnihil aromatico. Quæ autem recentes sunt conditæ, sunt præstantiores: ac diutiùs seruantur, quàm post humectationem conditæ, vt censet Sylvius. His substitui posse idem putat, ex nostris fructibus non paucos, vt Oliuas Colimbades, Nuces conditas, Persica Corboliana, Cydonia condita, Pruna damascena & Iorrana, & dactylia dicta, quæ si condiantur, inquit, eadem præstare possint: de qua re iudicent periti. *Emblicæ* Myrobalani, eodem Mesue tradente, conditæ uentriculum roborant, eius substantiam & facultatem contrahendo, & intemperiem humidam corrigendo. Datur vna semel tota diebus aliquot, ut superior. Non tamen iis adeò fidendum censet Sylvius, vt opinione magis quam veritate adducti eas tanti faciamus, vt ægros, quantumuis opulentos, sumptu parum necessario oneremus magis, quàm proficiamus aliquid. Quàm sim uerus, inquit, iudicare possunt qui usu harum admodum profecerunt. His autem si vtendum sit, mallem contusas accuratè probare, quàm dentibus parum probè commansas deuorare, ne sua dura substantia uentriculum lædant, & coctioni suæ diutiùs resistant adeò, ut ne horis quidem quatuor (quantum tempus harum coctioni tribuere solenne est) percoqui possint, & forsan vix semicoqui.

Porrò in iunioribus medicis quemad. & Actuario illud quoque fortè reprehensione non careat, quòd Chebulas tantùm phlegmagogas, Citrinas cholagogas duntaxat dicunt: ex Serapionis etiam & Auicennæ suprà citatis verbis facilè refelluntur, qui promiscuæ facultatis catharticæ disertis verbis meminerunt.

Sed Actuarium quoque ipsum & vnum inter Recentiores de earum viribus tradentem consuli par est. Perquàm mediocriter, inquit, aluum ciunt Myrobalana: trita duabus aut tribus drachmis repurgant: peculiariter superuacuum capitis humorem exhauriunt: Flaua bilem flauam: atra nigram detrahunt: quemadmodum pituitam Cepula. Stomachum autem & interanea, sua insidente adstrictione firmant, sed vsta multò magis & elota: qua de causa magnam purgantis facultatis iacturam faciunt, quòd tenuioribus & siccioribus constent particulis. In quibus itaque decumbens fluxio partem aliquam fatigat, aut intestina exulcerat, hæc tosta & elota repræsentamus, & mediocriter intestina subducunt. Eandem vim Emblica sortiuntur, vnde hæc omnia miscentes genera, sapienter barbarorum medici paruam triphalon adpellatam ex ipsis componunt.

Gabr. Thollopius tractatu de medicamentis purgantibus simpl. in genere de his hæc habet. Myrabolani in officinis sunt in vsu vel quales sunt, vel conditi. Verùm Auicenna non condit omnes, sed Emblicos & chebulos tantùm, qui etiam nunc condiri solent: Condiuntur & alij, sed precipuè illę duę species, & ratio est: quia benè condiuntur, cùm habeant multam carnem: alij verò habent parum carnis: ideò non benè. Condiuntur autem vel virides, vel siccati: uirides conditi non deferuntur ad nos: sicci verò possunt condiri eo modo, quem docet Mesues. Illi qui redeunt ex Alexandria, dicunt, quod antequam condiantur, macerantur aqua saponis, & hinc moti aliqui nolunt vnquam vti Myrabolanis conditis, quoniam, dicunt, ratione illius aquę saponis, amisere totam suam vim. Sed siue macerentur aquâ illa, siue non, quod nescio, nec volo inquirere: video quod habet suam vim, nam obseruo quod si quis vtatur frequenter ipsis, siccatur optimè caput, & reperio in ipsis astrictionem, qualem in ijs, qui non sunt conditi. Ac ideò consulo vobis, vt quando volueritis roborare, & siccare caput, exhibeatis pluribus diebus à cibo vnam Myrabolanum conditam: cùm verò volueritis magis euacuare quàm roborare, exhibeatis vel infusionem, vel decoctum, vel substantiam Myrabolanorum: verum tamen est quod nunc non est in vsu ex hibitio ipsorum in substantia: & nisi misceant cum aliquo pharmaco, in cujus compositione ingrediatur, vt in Electuario Indo, & similibus, nunquam medici vtuntur ipsis in substantia: & rectè faciunt quia nimis astringunt, & ideò vtuntur vt pluri-

Marginalia (left): Cautio. — Assa Pulues. — Cepula condita. — Condiendi modus. — Sicca vt condienda. — Emblica. — Delectus. — Emblica condita. — Bellerica. Têperam. Delectus. — Cepularũ conditarum vires. Ratio Sensus. — Vtendi modus. — Succedanea Myrobal. condit. — Emblicarũ conditarum vires. Cautio.

Marginalia (right): Iuniorum quorundã medicorum error. — ad vlcerat. intestinorum. — Parua triphalon. — Myrobalani conditi. — Condiendi modus. — Roborant caput. — Vsus in substan...

plurimum eorum, decocto, vel infusione: vtuntur, inquam, ad euacuandos varios humores, nam Emblici euacuant bilem, Chebuli pituitam. Sunt etiam in vsu apud recentiores ad conficiendos sirupos quosdam pro morbo Gallico, quia refrigerant, roborant & euacuant: & reuera optimi sunt si morbus Gallicus sit in principio, & nondum fixerit radices.

Purgant.

Vires. Et, subdit, Myrabolanorum omnium vires sunt, quòd omnes sunt frigidi in primo gradu, & sicci in secundo: & si dicerem quòd in siccitate excedunt secundum, non errarem: quia dum ipsis vtor in affectibus oculorum & in malignis vlceribus video maiorem siccitatem quàm possit prouenire ex secundo gradu. Vnde dicerem, quòd omnes Myrabolani frigidi sunt in primo gradu intenso, & sicci in secundo intenso, vel in tertio incipiente: exceptis tamen emblicis, quos Mesues dicit refrigerare, & siccare in primo tantum gradu: sed intelligatis in primo admodum intenso. Myrabolani omnes astringunt validissime: & ob id ego soleo ipsis vti foelici cum successu in defluuio capillorum, quando opus est astringere & roborare cutim, quod est post euocationem humorum illorum acriorum, atque illarum fuliginum.

Noxa. Incommodum primum, quod est in vsu Myrabolanorum est, quod obstruunt vias, & meatus etiam illos, qui bilem deferunt: & idcircò non sunt exhibendi illis, qui sunt obnoxij obstructionibus: corrigitur autem hoc incommodum admixtis aperientibus, acribus, & diureticis, vt ait Mesues, vt sunt semina odorata. Corrigitur quoque & aufertur hoc incommodum, si nos non exhibeamus substantiam Myrabolanorum, sed eorum decoctú, vel infusionem. Alterum incommodum, quod habent, est quod hærent ventriculo, ita vt non possint descendere. Tertium est, quod corrugant substantiam ventriculi; quæ duo incommoda corrigetis per pinguia, inungendo sc. Myrabolanos ipsos oleo amygdalarum dulcium, vel butyro, dum atteruntur & comminuuntur; vel miscendo cum ipsis passulas aut Cassiam fistulam, vt dicit Mesues.

Correctio

Porta not. Ast Porta Neapol. nouo suo Philosophandi aucupio, Myrobalanorum diuersam purgandi vim ex ipsis coloribus depromit: Myrobalanorum inquiens fructus quosdam luteos vel herbaceo colore flauescentes accensam bilem è corpore deijcere: sic qui atri sint, ad atram bilem deturbandam efficassimos: Genus Empeliticum albicans pituitam trahere: Chebulas vero ex fusco rufescẽtes sanguinem ex melancholia repurgare. Similiter, inquit, Myrobalani quia cor referunt, & eidem conferunt. An vero color & figura sint illarum virium causæ, & an suos effectus præstent quatenus vel albæ; vel hoc aut illo modo figuratæ iudicent Philosophi.

Amatus scribit, ossa chebulorum valere vice Spodij.

Officula Myrob. Myrobalani maceratio & coctura. Maranth. Meth. cognosc. simpl. l. 3. c. 7. paucula hæc habet. Omne Myrobalanorum genus post longam macerationem pharmacopœi quamplurimi diutiùs coquunt, ita vt non solum purgatricem vim in terreis eorum partibus fundatam in decoctum deducant: sed eam rursus nimiâ ad ignem morâ deperdant, dumque lænigare corpus credunt, illud potius adstringant.

Vsus Myrobal. apud Indos. Porrò Myrobalanorum præparationis modus, vt scribit Garcias, apud Indos non inualuit, vtpote qui iis non vtantur purgationis duntaxat gratiâ. Nam si purgare velint, eorum decocto vtuntur, & maiore dosi, quam nos in Europa. Solent autem iis siccato conditis vti magno cum successu, nec quisquam medicorum vsu istorum fama vnquam est periclitatus. Idem stillatitium liquorem ex immaturis elici iubet, quem post sumptam aliquam conseruam adstringentem propinat, & syrupis admiscet, si quando opus est. Flaua & Bellerica præscribere solet initio mensæ, iis, qui aut alui profluuio, aut stomachi ... laborant. Talibus enim conuenit huiusmodi cibus propter adstrictionem cum pauca aciditate coniunctam. Præterea immaturorum Myrobalanorum succum, in alui profluuiis apprimè efficacem esse, expertum se testatur.

Aqua stillat. Myrob.

Alui profluuium.

MYROBALANI SPECIES RAVWOLFIO:

CAP. XIX.

Descriptio Hic fructus qui Myrobalani speciem quandam præ se ferre videtur, æquat magnitudine & forma Oliuam Hispanicam, aut glandem quernam magnam, coloris badij, verrucis raris asperatus, alioqui leuis, nonnihil canulatus, spiris circularibus præcinctus; qua arbori suę hæsit, calycuh vestigium, vt in Dactilis ostendit. Fragili huic cortici subest caro fungosa (vetustatis, vti videtur, ratione) sapore amaricante, ossi aspero & canulato adhærens. Nucleus ossi continetur magnus, vt in Myrobolanis Belliricis, vtrinque turbinatus, canaliculatus, amygdalini nuclei consistentia, pinguis, coloris melini obscuri, pellicula intectus albicante. Hunc fructum dono acceptum à D. Rauvvolfio, inter alia nostra naturalia custodimus, de quo ad nos scripsit: Arborem videre sibi non licuisse, reperiri in in Palestina, quosdam censere Mirobalani speciem esse. *In hac eadem tabella habes & Fagaras iconem, de qua agimus lib. sequenti.*

Sapor.

Nucleus.

MYROBALANI FACIE FRVCTVS INDICVS.

CAP. XX.

Locus. Extima facie ad Myrobalanum quodammodo accedere videbatur. Magnitudo est penè Nucis iuglandis, figurâ, quali Myrobalanus Bellerica, aut Ficus, aut Pirum, sed paulò ventriosior, angulosus, colore ex pullo ruffescente, ea parte qua adhæsit in turbinatam apophysin extenuatus. Pondus leue satis, substantia carnosa fere, colore cinereo, nullo sapore manifesto prædita. Quid in eius visceribus latitet, nescimus, cùm sationi destinauerit Ill. Ducissa Wirtembergica, cum alijs quibusdam exoticis, quæ hunc fructum aliosque

etiam pro descriptione & picturà gratiosè nobis commodauit.

MYROBALANI VRENTES.

Cap. XXI.

Descriptio. Areca.

In Insula S. Mariæ proueniunt etiam pulcherrimi Myrobolani, quos Areca vocant. Obscurè rubent, & lapidem continent insignem. Gustati linquam & fauces adurunt, in modum vt Piper. Linschott. Bry fratres in tabulis æneis Hist. Indiæ Orient. magnam Myrabolanum, Areca dictam vocant, quæ in dicta proueniat insula. Proponunt eadem pagina plures Palmas, sed paruis iconibus, similes maiori iconi quam exhibuerunt pag. xi. nomine Arequeira & Areceæ: vnde nobis suspicio oborta, an fortè aliqua species Palmæ Myrabolaniferæ, cuius Plin. meminit, esse possit. Vtinam essent qui eadem cura vegetabiles hos Indiæ thesauros perscrutarentur & obseruarent qua mineralibus vita carentibus inhiant, magno vitæ suæ (& vtinam non melioris) dispendio.

An Palma Myrabolanifera Plin.

MYROBALANO CITRINO ALIQVOMODO SIMILIS FRVCTVS CAVVS.

Cap. XXII

Descriptio.

Apud Chariss. fratrem C. Bauhinum vidimus Anno 1650. fructum cui aliqua similitudo cum Myrobalano citrino, vnciam tantùm longum: parui Pyri modò formatus, parte vna latiore, altera angustiore: in eo costæ notabiles sex, interpositis quibusdam aliis minoribus inæqualibus, acicula perforauimus, cauus compertus est. Color sordidus cum virore.

FRVCTVS PENTAGONVS VEL OSSICVLVM.

Cap. XXIII.

Descriptio.

Fructus Pentagonus à Paludano datus (Clus. Exot. Lib. 2. c. 20.) veriùs Fructus ossiculum dicendus, vncialis longitudinis, quod ex quinque veluti oblongis tessellis compactum, quibus sublevatis, longus nucleus in singulis apparebat, sed inanis & membranaceus duntaxat: totum ossiculum tuberibus inanibus erat obsitum. Illud vnicum habebat, & quidem vetustate quasi attritum.

Nucleus.

MYROBALANI NIGRI OSSICVLO, NON VALDE DISSIMILIS FRVCTVS EXOTICVS.

Cap. XXIV.

Descriptio.

Myrobalani nigri ossiculo non valdè dissimilis fructus (per Batauos relatus in prima nauigatione in Iauam) maior tamen, inæqualis, suo externo cortice (si quem habuit) aut pulpâ nudatus, & duntaxat, vt mihi persuadeo, fructus alicuius ossiculum, quod confractum satis crasso putamine præditum esse obseruabam, & nucleum continere subfuscum, atque in binas partes diuisum. Clus. Exot. lib. 2. cap. 15. Quale sit ossiculum Myrobalani nigri nondum nobis constat.

MYROBALANI OSSICVLO SIMILIS ANGVLOSVS.

Ossiculo Myrobalani, inquit Clusius Exot. lib. 2. communicatus fructus neque magnitudine, neque etiam forma dispar cum suo ossiculo, ab vna parte hexagono, vel heptagono, neruis oblique per vniuersum dispersis: is autem nigra cute veriùs quam pulpâ tectus erat, acidi saporis: Ossiculum autem duro putamine constabat, in quo nucleus ex rubro fulue scens, non insipidi gustus, sed Amygdalam dulcem vetustam referentis.

Amygdalæ sapore.

NICARAGVÆ POMVM, NVCE ROTVNDA.

Cap. XXV

Descriptio fructus.

In Nicaragua, inquit Benzo, noui orbis prouincia, Pomi quoddam genus peculiare est, neque Hispaniolæ neque vlli alteri Indiæ parti concessum. Piri nostri specie fermè est, ligno interiore rotundo, Nucis crassitudine, & dimidio amplius, optimi & iucundissimi saporis. Arbor procera, exiguis foliis vestita. *Pomum Nicaragua* vocant: alij *Nicaraga*.

Arbor.

COLA FRVCTVS AD SITIM.

Cap. XXVI

Sitis.

Anonymus quidam ad tabulam Cosmographicam scribit: Fructus qui *Cola* dicitur, si mansus in ore detineatur, sitim restinguit, & impositus aquæ, gratum ei saporem indit, & sanos valdè confortat, atque stomachum corroborat. Imò literis proditur, quod si puluis ex hoc fructu confectus, putri ventriculo gallinæ aut alterius cuiuspiam volatilis inspergatur, putredinem discutit, & pristinam ei qualitatem restituit.

Stomacho. Mirum.

Oleum inde destillatum & santalis mixtum, febricitanti, si eo inungatur, intra horas duas vel tres sanitatem confert.

Oleum ad febrem.

Legimus prætereà in descriptione Guineæ, in regno Congi esse arbores, quæ fructum producant *Cola* dictum, Nucis Pineæ magnitudine, continentem alios fructus Castaneis similes: quibus quatuor rubri siue incarnati nuclei continentur, quos dentibus terunt, ac in ore versant, extinguendæ sitis gratia. Fructus hi in aquam coniecti eandem acescere faciunt, ac amarescere palato: stomachum roborant, iecurque corruptum probè emendant.

Sitis. Iecur corruptum.

DE CORNO.

Cap. XXVII.

Cornus satiua, seu domestica.

Descriptio.

A Prunis & Myrobalanis haud insubidè transimus ad Cornos & Cerasos, quæ & ipsæ carni inclusa putamina, & in iis nucleos edules magna ex parte habent.

Materies.

Arbor procera satis est Cornus, & multis ramis brachiata, cortice subrubro vel cinereo, materie alba, firma, solida & dura. (corticem scabrum, & adstrin-

adstringentem valdè dicit Matth.) *Flos.* Flores primùm omnium profert, in ramorum surculis extremis insidentes, numerosos, breuissimo pediculo appensos, è quatuor foliolis extrà purpurantibus vel in ora, aliàs subluteis, intus conuexis, luteolis: intra quæ alia concoloria foliola, incerto numero, teneriora & minora ex quorum concursu apices attolluntur octoni, noueni, deni, hirsuti, qui in quaterna crocea foliola explicantur, staminula exigua lutea continentia. *Fructus.* Subsequuntur fructus oblongi, ad Oliuam accedentes, graciliores, primùm virides, postea rubri, sanguinei, maiores, manus purpurâ rutilâ inficientes contriti, forma sua ad Iuiubas accedentes: *Sapor.* gustu primùm acerbo, at ubi maturatione remollita fuerint, acido dulci & suaui cum quadam tamen adstrictione, *Ossa. Nuclei.* ossa continentes oblonga, teretia, qualia ferè in oliuis, durissima: in quorum angustis cauitatibus nuclei latitant exigui, subdulces, graciles, quique vix integri eximi queant. *Folia.* Folia, qualia uirgæ sanguineæ, [Coroneæ Trago.] Videntur in icone paullò angustiùs picta esse. Reliqua pulchrè expressa.

Cornus mas & fœmina. Theophrasto Cornus [κρανεία] quędam mas: quædam fœmina, quam & θηλυκρανείαν, id est, Cornifœminam [Gaza fœminicornum vertit,] vocant. *Theoph. illustr.* Folium habet Amygdalo [ἔχει δὲ φύλλον μὲν ἀμυγδάλῃ ὅμοιον, habet textus, quem & Gaza sequitur; Dal. vertit utrique folium Malo, aut vulgari, aut Cydoniæ ex Matthiolo] simile; nisi pinguius crassiusque esset, corticem neruosum, tenuem: caudicem haud admodum crassum. Stolones [ῥάβδους] profert fœmina sicut Vitex, [de utrisque hoc dicit Dal.] quæ fruticosior est. [Dal. fœmina quamuis fruticosior, minores.] Vtraque habet, sicut Vitex, geminos, & ex aduerso collocatos. *Materiei diuersitas.* Materies maris excors, totáque solida, cornibus spissitate firmitatéque similis. At fœminæ materies medullam habet, & mollior est, atque cauatur, ideoque ad iacula (εἰς τὰ ἀκόντια), inutilis. Maris altitudo duodecim ad summum cubitorum 5 quanta nimirum sarissarum [σαρισσῶν, quamuis σαρισῶν in vulgaris legatur] Macedoniæ [quam vocem de suo addit Gaza] longissimatum. *Theph. emend.* Nunquam enim totus caudex altiùs assurgit, [τὸ γὰρ ὅλον στέλεχος, ὅλως οὐκ ἴσχει, habet textus: legendum, ut uult Dal. τὸ θηλείας στέλεχος &c. θηλείας corruptum est in ὅλον.] *Alia corrupt.* Qui Idam Troianam incolunt, Marem sterilem dicunt, fœminam verò fructiferam. Nucleum fructus Oliuæ similem continet, gustu dulcem & odore: Florem Oleæ similem habet, & Floret (pro ἀνθεῖ, ἐξανθεῖ) *Alia.* fructumque fert eodem modo, ex vno pediculo plura Corna proferens, atque eodem ferè tempore, quo Oleæ. At Macedones ambas fructiferas affirmant, sed fœminæ fructum haud esse esculentum. Radices Viticis modo, validæ & incorruptę.

Idem Theoph. fœminæ fructum insuauissimum, (ἄβρωτον) lignum infirmum fungosumque dicit: tanta est inter ambas differentia, cùm mari firmissimum sit: quæ tamen postrema verba vel de suo addit Gaza, vel ex Plinio, nec in Græco extant: nostræ tamen benè conueniunt, vt ex natura ipsa deprompsisse illa verba videatur, & nostram marem existimasse. *Præcox. Serotina.* Sed & in præcocem ac serotinam distinguit Theoph. hancque quibusdam fœminam dici ait, & post autumnum demum fructum perficere, quem modò ex eodem insuauissimum &c. diximus. Addit Theop. eodemmet cap. Cornũ fœminam fructum ingustabilem cunctis animantibus gignere, de qua re in viribus. Qua verò ratione Cornus omnem respuat cultum, & vel negligi desideret, cùm siluestris sapidiorem mitioremque proferat fructum, ex eiusdem Theoph. sententia, inferiùs tradetur. *Fructus ingustabilis. Crania.*

Cornus ex sententia Diosc. [κρανίαν] arbor est fortis. [ἀδρὸν] fructum ferens Oliuæ modo, oblongum, primùm quidem viridem, deinde per maturitatem flauum aut cerinum. [ξανθὸν ἢ κηροειδῆ: alii ξανθὸν ἢ κροκοειδῆ, croceum: Lacuna legit in vetusto codice ἐρυθρὸν: & rectiùs, atque ad rem accommodatiùs.] esculentum, adstringentem &c. Plinius sanè Corno fœminæ sanguineum tribuit. *Diosc emend.* Homer. Iliad. τανύφλοιον κρανείην, corticosam Cornum vocat, quæ inter se quatiat extensos ramos sono, nec sine fragore frangi EuroNotóque in montium conuallibus inter se concertantibus ipsamque concutientibus. *Synonima. Lapidosa Corna.*

Ferre Pirum & Prunis lapidosa rubescere Corna.

Et Aneid. 3.

Forte fuit iuxta tumulus, quo Cornea summo
Virgulta, & densis hastilibus horrida Myrtus:
Accessi, viridemque ab humo conuellere siluam
Conatus, ramis tegerem ut frondibus aras.

Ouid *Autumnalia Corna.* Horat. *Rubicunda Corna*: & alibi *syluestria Corna*. *Autumnalia Corna. Corna rubicunda. Corna syluestria.* Eiusdem meminit Colum. traditque Arbustũ gallicum desiderare arborem humilem nec frondosam, cuiusmodi sit Opulus arbor Corno similis: quinetiam Cornus. Et Plin. Cornus circa solstitia reddit primo candidum, postea sanguineum fructum. *Cornus. Sanguineum fructus.* Ex eo genere fœmina post autumnum baccas fert acerbas, & ingustabiles cunctis animantibus: (quod de sequentis capitis corno fœmina, si modò ea Plinij sit, intelligi debet) ligno quoque fungosa & inutilis, cùm mas è fortissimis quoque sit, tanta differentia ab eodem genere fit. Item: ab his, quibus spissa est firmitas, proxima est Cornus: quanquam non potest videri materies propter exilitatem.

Thelycrania. Cornus Indica. Crania & Cornus Gal. θηλυκρανία, Cerasa Italica, Cornus Indica Trago. Corni, addit idem, in Germania nostra vnum duntaxat genus habemus, nempe id quod fert rubras baccas: quæ Cereos ferat fructus hauddum vidi.

Differentia. Locus. Siluestris: Satiua. Vera autem Cornus, autore Cordo, duplex est: Siluestris & satiua. Vtraque in Germania nascitur. Nascitur siluestris Cornus pinguibus montanis locis. Distinguitur etiam alio modo, siquidem altera mas, altera fœmina existit. *Cornus mas. Cornus fœmina.* Mas apud nos (in Germania) montibus familiaris: quinetiam in hortis seritur. Statim Veris initio flores lutei coloris producit. Fœmina etiam in plana descendit: florem in pallido candicantem seriùs emittit, & seriùs fructum percoquit. Inuenitur fœmina Cornus, quam Græci θηλυκρανίαν vocant, plurima inter Danubij Vuerdam oppidum, & Augustam Vindelicorum. *Locus. In quo differat mas à fœmina.* Cornus fœmina, masculæ Corno per omnia similis est: distát tamen ab hac, caudice minùs procero, minúsque recto flore racemo-

anni deflorescentem vidimus Aprili, quod mirum, cùm calidior ea regio quàm nostra. Basileæ verò anno 1609. cornum conspeximus florentem, & apes supra flores, mense Ianuario. Sed multùm tribuendum temperiei anni.

Satio. Scribunt, inquit Camer. arborem è semine nasci, non surculo. Ego verò vtroque prouenire obseruaui. Semen osseum tota hyeme latet sub tellure autequam prodeat. Theophrastus disertis verbis tradit prouenire & semine & surculo, vti suprà citatum. Surculo ab radice auulso & semine plantauimus, sed irrito conatu. Non enim prouenêre.

Cultus corni optimus, non cultus. Porrò si Theophrasto credimus, Cornus non solùm non desiderat cultum, verùm etiam ab omni abhorret opera, cultumque respuit: atque eò deteriorem fieri, ait, & ægrescere. Quod si verum: *optimus illius cultus fuerit, qui vocatur nullus.* Quanquam Scaliger eam sententiam Theophrasti non planè digerere potuerit, quando ait: Quædam cultu multò deteriora redduntur: nonnulla dulcescunt, cùm humescere atque succo abundare cœperint, vt Corni fructus: hic enim mitescens (ἡμερούμενον) deterior (χεῖρον) redditur, atque in totum arbor ipsa humida, soluta, imbecillisque fit. At cùm antea dulcedinem esse diceret fructuum perfectionem: hîc in corno damnat eam (infit Scal.) quâ ex cultu capiat. Neque succum modò fieri deteriorem: sed materiam ipsam quoque. Sanè quæritur ad iacula. Itaque non mirum, si damnetur ob hoc cultura. Cæterùm fructus eius si vescendo est, quare factus dulcior, minùs commendetur, nescio, *Hac ille.* Quæ eius ratio efficit vt illud ἡμερούμενον, non mitescens vertendum censeamus, vt Gaza fecit, vulgatam quidem eius sequens significationem, sed, ad cultum redactam, aut, cultu cicurem & domesticam: Nam quæ hæc esset simplicitas, mitiores fructus vel mitescentes dicere fieri, aut factos deteriores? Sed nondum transactum cum Theophrasto. Quid enim de dulcedine dicemus? An quia dulcedinem acquirunt fiant deteriora? Vt Theophrasto consulamus, & ipsi adeò rei veritati, vel dicendum, dulcedinem exactam & intensam illam non requiri in cornis, quæ subacidula ex dulcore quodam longè sint meliora, in sua specie, quàm si nimis dulcia reddantur: vel sanè (si alicui, cui valdè dulcia magis sapiunt, fortè non sapiat hæc ratio) χεῖρον non quidem deterius minúsue bonum, sed, minùs, simpliciter vertendum, quæ & ipsa eius vocis significatio est: quamuis prior ratio magis arrideat, ob hanc quam modò dicemus causam. Nam si cultu deterior fit, id propter fructum potissimùm intelligendum: licet ad materiam quoque trahat Scaliger, vti dictum. Si propter fructum: ergo quia hunc minùs coquit: minùs verò coquit ob humorem, quem vel cultu vel ex terra ipsa haurit culta. Quia igitur plus acquirit alimenti, quàm quantùm ei opus sit, non benè concoquit: ideoque neque fructum ritè ad perfectionem ducit. Vides vt à cultu hoc fiat, ab humore nimio, à terra præpingui, quam hæc arbor non postulat? Addamus & hoc, quod ad cultum requiritur ramorum & abundantium surculorum præcisio, quibus ferè neglectæ arbores scatent. Hos autem si præcidas, reliquos tum nimium sugere alimentum, quàm par sit. Sed vnus scrupulus adhuc nos habet. Nam si Cornus æquè humidis ac siccis proueniat, cur iam dicamus obesse ei humiditatem terramue pinguem? Solutio facilis. Aliud enim arborem commodè hoc vel illo prouenire loco: aliud hoc vel illo meliorem, sapidioremque fructum aut materiam producere. Ac esset profectò hîc latissimus Philosophandi campus, verùm non sumus in Peripato. Illud reseruatum Theophrasto à me Cherlero restituto, Latio reddito, commentario mactato, & varijs ac subtilissimis disputationibus Botanicis, & ex omni natura depromptis locupletato. Nunc hoc agamus: & velut corollario dissertatiunculam hanc claudamus hac quæstiuncula.

Theoph. ib. bidr.

Theoph. locus explicatur.

Obiect.

Solut.

Theoph. restitutus per Cam. auctus.

Quæstio cur respuat cornus cultum. Sed cur denique respuit cultum Cornus? dicta namque est tantummodò causa ex incommodo consequente: dicamus & ex ipsamet arboris natura, & more depromptam. Sanè verò si arborum robustissima sit Cornus, quo epitheto & Theoph. & Scal. eam dignantur, iusque deque merito habeat nostram in ea fouenda satagentiam. Nunquid nescis homines & equos, quorum natura robustissima, & ad labores comparata, si nimio cultu & mangonio non tantùm cicurentur, sed & reuera mitescant vigore, hoc est, vt nos interpretamur, remittant, languescant, fieri tandem ad labores, segnes, væcordes, elumbes. Illud etiam consideratione meretur, quod Theoph. inter ἀναυξῆ reponit ἀρκευθον, πεύκην, πύξον &c. Perpendendum an talis reuera dici possit Cornus: & an respondeat experientia? Nos quidem id nondum obseruauimus. Fortassis mallemus legere δυσαυξῆ, cùm hę omnes arbores tardioris sint incrementi, & durioris ligni. Sed siquidem tantum concessum robur cornis, nunc etiam vires earundem perpendi par est.

Arborum robustissima Cornus. locus Verus.

Vires & vsus. alui fluxus. Tēperant. Corna, autore Hipp. & Mespila, & quæcunque alia huius generis poma, aluum sistunt & acerba sunt. Diosc. Fructus editur & adstringit, alui profluuio ac dysenteriæ salutaris, siue sapa conditus, siue aliter in cibo exibeatur. Oliuæ quoque instar in muria seruatur. Saniem verò etiam virentia folia dum vruntur exsudant, lichenibus conuenienter illinitur. Cornarius tamen pro φύλλων, ξύλων legendum suspicatur, ut de ligni sudore, non foliorum, istud intelligatur. Nec temerè: nam huius coniectura autorem habet Plin. qui idem remedij genus ex virgis desumi ait, quamuis diuerso modo: Sudor, inquit ille, virgæ corni arboris lamina ferrea candente exceptus, non contingente ligno, illitaque inde ferrugo, incipientes lichenas sanat. Conditurae cura & cornis adhibetur, ne quid non hominis ventri natum esse videatur. Miscentur sapores, & alio alius placere cogitur. Miscentur verò & terræ cælique tractus. Sed eorum floribus læduntur apes. Cornum itaque arborem caueri oportet circa aluearia: nam flore eius degustatò, aluo concita moriuntur. Hic Tabern. aues pro apibus legit, ridiculo errore. Ecquis enim caueat aues, quibus nullus non tractus peruius? At apes arceri possunt, non consitâ hac arbore, prope aluearia. Corni arboris fructus, tradente Gal. admodum acerbus est, esui aptus. [experimur illam acerbitatem in immaturis non in iis quæ maturitate fracida sunt.] Itaque mirum videri non debet, ipsum ualenter restringere, sicut & Mespila. Folia quoque & germina gustu acerba sunt, valenterque desiccant. Itaque maxima vulnera glutinare possunt, potiss. durorum corporum: at paruis vulneribus & mollioribus corporibus magis contraria sunt. Nam nimiùm ea contendunt, ac plus satis desiccant. Induntur etiam fructus in pharmacis stomachicis. Ait tamen Schola Salern.

Lichenas.

Diosc. locus e ...

Cautio.

Tabern. not.

Germina.

Corna nocent stomacho: bruma malè grata rigenti.
Si tuus illa voret venter, auarus erit.

Stomacho noxia. Modus reponendi & condiendi.

Ex ramulis Corni capiti imposita corona, sanat eius dolores, qui ex calidis vaporibus & humoribus contracti fuerint. Serenus.

Gallis, vt refert Ruell. Cornа cum ematuruerunt in lagena patentissimi oris satis leuiter & laxè componuntur, ne collidi possint: deinde ad fauces vsque commissa vimineis surculis sic transuersis arctantur, ut modicè Corna comprimant, nec patiuntur ea, cum acceperint liquorem, subleuari: quam optimo & liquidissimo melle, vel vicariò eius sacchаro, vas vsque ad summum ita repleatur, vt Corna submersa sint. Hæc ratio non solùm ea custodit, sed etiam liquorem mulsei sa-saporis præbet, qui sine noxa possit interdum dari febricantibus, præsertim si uentris profluuio simul corripiantur: suoque subacido gustu, & palatum inuitante morosam abigit malaciam. Possunt etiam torreri, vel sale Condiri sicut oliuæ, qua de re vide Columellam. Quidam sacchаro & melle condiunt Sicut Cerasa & Pruna siluestria: quo pacto parata & esitata dysentericis magnopere prosunt. Et iam officinis quibusdam in usu, ea sacchаro condire. Diligentiores etiam pulpam ex iis conficiunt & in Electaria concinnant dysentericis expetitissima. Cornar. tradit muria condita ad assatas carnes in mensa poni, velut oliuæ colymbades. Fit & sapa ex iis quemad. ex Cerasis ad prædictos usus & ad opsonia. Item ad febres, ad fluxiones biliosas, ad sitim, ad excitandam appetentiam. Quin & ex eorum decocto & sacchаro ut tradit Matth. liquor, ignis opere & coctura concrescit, coagulaturque, qui præterquam quòd gratissimo placeat gustu, datur vtiliter dysentericis, ac fœminis mensium profluuio laborantibus.

Alui profluuium. *Malacia. Corna cõdita.* *Electar. ex pulpa.* *Sapa.* *Dysenteria.*

Ex Corni fructu fit & vinum, hoc pacto. Accipe vini rubri adstringentis lib. C. cornorum maturorum lib. x, aquæ chalybeatæ lib. XII. Commisceantur omnia in vase ligneo mundo, stent dies quindecim: postea in aliud vas defundatur vinum cuius nobilis efficacia in omni fluxu.

Vinum ex Cornis.

Electarium vero ex ijsdem sic fieri pharmacopolis. Cocta corna per cribrum cernunt, pulpam cum sacchаro recoquunt; quo modo cydoniatum fit, vocantque *cornelinam*, cuius usus in alui fluore.

Electuarii parandi modus. *Cornelina.*

Corna sicca contrita, & cum oleo Myrtino aut omphacio mista in Emplastri formam, præsenti auxilio sunt ad vomitiones, ventriculo imposita: contra fluxum autem alui, abdomini inducta: contra menses immodicos, pectini & coccygi applicata.

Emplastrũ ad Vomitũ & menses. Alui fluxus. Cautio demorsi à cane rab.

In Hetruria abstinent demorsi à cane rabido per integrum annum à quorundam lignorum contactu, presertim corni arboris & sanguineæ virgæ vocatæ: siquidem (vt testantur ij qui rem in experimento compertam habent) si harum virgæ tamdiu manibus teneantur, quousque concalescant, illicò demorsi rabie exagitantur. Memini, inquit Matth. me vidisse in ciuitate nostra Ilcinensi, amicum quendam meum rabie correptum, quòd corni arboris virgis, lanam diu excussisset, qui, eorum oblitus, quibus sibi à medicis interdictum erat, rabidus interijt.

Obseruationes.

Fructibus etiã corni, qui ad Mosellam & alia in quibus hæc arbor luxuriat loca incolunt, sues saginare consueuerunt, teste Trago.

Suum Cibus Ligni Vsus

Materies validissima Theoph. censetur vt ante citatum ex l. 3. c. 12. vbi ἀκοντίων, id est iaculorum meminit. Gaza vertit venabula, vsus voce Pliniana, qui l. 25. c. 35 sambuco attribuit quæ Theoph. de corno dixit, vt fusius dicetur l. 5. in historia sambuci. Cornus igitur propter validitatem iaculis expetita Scaligero: & pistrinarijs fabris ad parandos rotarum dentes. Virgis Lanifices ad contundendas lanas vtuntur. Bizantii multę officinæ eorum, qui cornant manubria pro securibus & alijs instrumentis corni ligno præ alijs scatent, quòd durius omnibus alijs lignis perhibeatur: Hocque ligno quemad. & Asphendani onustę naues aduehuntur Bizantium in prædictos & alios vsus, ex regione Mengrelio, vt refert Bellon, vnde patet etiam in ijs locis hanc arborem plurimã abundare. Corni lignum, autore Plinio, non alio pene, quàm ad radios rotarum, vtile: aut si quid cuneandum sit in ligno, clauisque figendum cen ferreis. Inter Adagia celebris est Gordij nodus; quem & Gordonium nodum vocant, Hic autem, autoribus Arriano & Plutarcho, ab Alexandro magno solutus è corni arboris libro, quamuis alij ense dissectum scribant. Vt verò vult Io: Baptist. Porta quę corni baccę per maturitatem rubescunt, dysenteriis ualent, & muliebrium mensium excrescentiis, & albæ baccæ ad rubra profluuia.

Gordonius nodus corni cortice solutus.

CORNVS FOEMINA, PVTATA VIRGA SANGVINEA.

Cap. XXVIII.

EX Fruticum familia est, quam Cornum fœminam vulgò appellant, multis stolonibus luxurians, ramis plurimùm oppositis, cortice spadiceo, sed ramorum sanguineo, odore virosо prædito, materie alba & dura. Folia ad corni satiuæ quam proximè accedunt, atrouirentia, nonnunquam rubore asperso, bina ex opposito nascentia. Flores in vmbella gerit odoratos, candidos, quatuor foliis radiatis constantes: in medio obliquè surgunt totidem eiusdem coloris stamina, stilo recto, subuiridi. Baccæ Hederaceis vel iuniperinis pares, sanguineis petiolis appensæ, primùm virides, per maturitatem nigricant, lacuna in vmbilico parua perfossa; in quibus ossiculum pulpa uireate, acerba, insuaui, nec sine amarore immersum, striatum, nucleum continens album, amarum. Ligni materies, autore Matth. dura osseaque, corno minimè cedens, virgis corno tenuioribus, robustis, nodosis, cortice sanguinis modo rufescente.

Descriptio. *Folia.* *Flores.* *Fructus.* *Ossiculum.* *Materies.*

Cæsalp. fructus niger, ut in ligustro rotundus, osse binas cauitates habente in quibus singula semina continentur.

Si hæc θηλυκράνεια Theophr. seu cornus fœmina eius & Plinii, huc pertinent quæcunque superiori capite de ea tradidimus. Sed an reuera ea sit, adhuc sub iudice lis est: uti patebit ex autorum cõtrouersia. Satis accedere videtur his notis. Serò fructificat: fructus insuauissimus & ingustabilis; caudex non admodum extat: stolones graciles habet sicut vitex: & potiùs frutex est, quam arbor. Quas omnes notas Theoph. suæ Corno fœminę tribuit: Sed & nodos hæc habet, quos vtrisque cornis cõmunes esse ait idem autor. Repugnat verò quòd corniferæ Theoph. lignum infirmum, fungosum, & medullam habens tribuit. Huius verò lignum æquè durum ac firmum sit, ex multorum autoritate, quàm corni maris. Sed hanc difficultatem diligentiores aliquando noua quadam obseruatione conciliabunt.

An sit cornus fœmina veterum.

Nihilo certiùs constat, an sit Virga sanguinea Plinii. Tam pauca enim de sua Virga sanguinea tradit, vt Oedipo ferè opus sit ad explicandum quã describat: Imò si verum fateri velimus eam nec describit quidem. Hæc enim de ea tradit, Nec virga sanguinea fœlicior habetur. Cortex eius interior;

An Virga sanguinea Plin.

Sanguineus frutex.

rior, quæ præsanauere, [celeriùs quàm opus esset sanatæ sunt] aperit. Idem sanguineum fruticem alibi vocat, & de eius vsu ac uiribus diuersis locis agit, quæ infrà trademus in viribus, ne ordo noster interrumpatur.

Tetragonia. Dalech. not.

Dalech. annotat, sanguineos frutices Plinij Tetragonias esse Theoph. quas Gaza Quadratorias vertit; & addit; sanguineam virgam Plinium appellare. Qua verò ratione Dalech. dicat, fruticem sanguineum esse Tetragoniam Theophrasti, nondum agnoscimus, cùm docti aliam iudicent Tetragoniam ab ea de qua dicitur cap. de Euonymo.

An Opulus Colum.

An sit columellæ Opulus, vt olim existimauit Dod. considerandũ sanè quę de opulo pauca tradit Columella, & precedenti cap. à nobis citata sunt, non malè videntur Virgæ sanguineę competere. In historia Aceris & alia de opulo opinio traditur.

Synonima autorumque placita. Idem Cornus fœmina. Virga sang. & Sanguinei frutices.

Bellonius eandem plantam Cornum fœminam, Virgam sanguineam & sanguineos frutices videtur iudicasse, quando ita scribit: Arbor quam Macedones olim cornum fœminam nominarunt, quam Galli nunc Latinos imitantes *Des Sanguins* vocant, in monte Castagna inter vrbem Philippi & Bucephalum nunc *Cavallam* dictam, sito, non multò minores proueniunt, quàm magnę nostrę corni mares.

Cornar. not.

An Corn. apud Diosc. hanc intelligit, cùm ait: Cornum fœminam esse puto, quam Germ. Faulberbaum & Faulboltz vocant, quidam etiã Spindelboltz. Sed fortè Cornar. confundit duas diuersas plantas, aut saltem diuersarum nomina. Spindelboltz enim Germani de Euonymo dicunt: Faulberbaum verò de Alno nigra.

Apud Cordum in Diosc. quidam hæc annotauit: cornum silu. aliqui interpretantur Faulboltz / Faulbaum: sed in aliis locis alios frutices alii.

Corni nomine indigna.

Cornus fœmina, inquit Ruell. dumetis & nemoribus familiaris: Sed quod neglectas & ingustatiles ferat baccas, indignam quæ Corni nomine vocaretur, rura putauerunt.

Sanguinello

Matth. verò, Corno, ait, haud absimilis est planta, quàm in Hetruria à sanguineo virgarum colore vulgari idiomate vocamus *Sanguin*. & *Sanguinello*. Sunt qui velint Cornum esse fœminam, sed non video [inquit quibus argumentis hoc probare nitantur: Virgam sanguineam esse Plinii non ausim affirmare.

Non esse Cornum fœminam. Virga sanguinea. Sanguino. Pseudocrania. ossea. Corniolus

Et alibi scribit: *Sanguino* in Tuscano, multis *Cornelo* (Cornus *fœmina*,) quorum falsa opinio. Et in Germ. Hartrigel quidam vocant Pseudocraniam, alii osseam: Plinio est Virga sanguinea, Corniolus.

Nominis Germanici rationem reddit Tragus, quia (inquiens) fruticis hujus lignum, maximè cùm aridum fuerit, securi & terebro, mirum in modum repugnat, ideo apud Germanos id nominis sortitus est, vt Hartriegel vocaretur, licet ea appellatio ligustro quoque à nonnullis tribuatur, sed perperàm. Quod si hic frutex arborescens hyeme folia sua non amitteret, vocarem illum

Celastrus

Celastrum Germanicum.

Germ. Cornus fœm. Virga sang. Pseudocrania

Gesnerus tamen & Cornum fœminam, & Virgam sanguineam Plinij diuersis locis dicit, capitique gratam, vnde nomen sit apud Gallos *Sanguenum* Italis. Rot berngerten. Pseudocrania Cordi, id est, falsa Cornus. Quærendum monet an hæc sit arbuscula seu frutex, quem à ligni duritia Germ. Hartriegel appellant, addens Plinio virgam sanguineam esse & eruditis Cornum fœminam conijci, sed cum mox cap. 30. aliam Cornum fœminam describere, cuius ipse Iconem apponat.

At verò Iconem quæ ex Trago apposita est Cordo nobis neutiquam videtur respondere descriptioni Cordi.

Lonicero, Cornus silu. Spindelbaum Faulbeer / Cornus fœmina: Item alibi hartriegel, potest dici ossea. Sed malè idem duas ponit figuras & duobus locis diuersis de eodem frutice agit.

Phillyrea.

Euchar. Rosslin in suo Herbar. scribit Phillyream Diosc. existimari à nonnullis Hartriegel. Intelligit autem Cornum fœminam: quo nomine vno loco depingit, & altero sub titulo Spindelboltz / Faulbeer / cornus siluestris.

Lonicer. not. Thelicrania. Opulus. Sambucus silu.

Dod: hist. Gal. *Cornellier sauuage* Gallis: Theoph: *Θηλυκρανία*: Lat. cornus fœm. Colum. Opulus: quibusdam Brabantis, Wilden Vlier / id est, sambucus silu. ita dicta, quia nuper natos ramulos plenos medullæ habet, vt sambucus: Item:

Sanguinus.

Virga sanguinea, ab Ital. dicta *sanguino, Sanguinello.* Petro crescentio *Sanguinus*: Belg. Wilde cornoellee, id est Cornus silu. Videtur Thoph. Cornus fœm.

Dodon. reprob.

Valerius Cordus *Ψευδοκρανίαν* facit, inquit idem Dod. id est falsam seu spuriam cornum. Nobis verò non videtur Pseudocrania Cordi, licet cum Dod. idem sentiant Lob. C. Bauh. & Schuenckf. Apud Cordum enim sunt duæ diuersæ plantæ eo nomine, quarum neutri nobis videtur conuenire, quicquid dicat Lobel. qui sic ait: cornus fœm.

Lob not. Fusaria.

Ψευδοκρανία cordi, Germ. Spindelboltz & faulbeer, id est, Fusaria. Coriarijs expetitur frutex Cordo.

Aduersaria cornum fœm. Pseudocraniam Cordi, & Virgam sanguineam vnum & idem faciunt: quam rectè, ipsi viderint.

Lanionibus in vsu.

Turner. Cornus fœm. Angl. quibusdam, Dog berri tree: alijs corne tree femall: alijs, quòd lanionibus ad verucula conficienda in vsu sit, Prick tree.

Cautè Cæsalp. *Sanguen* inquit, vulgò, folia subhirsuta: hanc Plin. videtur intellexisse Virgam sanguineam vocans. Hanc autem Theoph. cornũ fœm. videtur intelligere.

Corniolus

Securè Schuenckfel. corniolus *Θηλυκρανία* Theoph. Pseudocrania Cordi, Scheißbeeren Silesijs, Faulbaum / Hartriegel Siles. Spindelboltz. Enimuerò qui ista nomina in vnius plantæ designationem concordarit, is nobis egregius & subtilis

Schwenckf. not.

Botanicus fuerit: difficultates iam in præcedentibus ex parte declaratæ, & suis quæque locis declarabuntur.

Camer. circumspectius eadem ferè dicit, quæ Cæsalp. Causam reddit, Virgam sanguineam Plinij asseri non posse, quòd breuis sit in ea.

Θηλυκρανία & corn. fœm. H. Lugd. Tabern. & Thalio. Cornus silu. fœm. Ryffio. Bohem. Sweiba / Hung. gyroufa. Reliquarum linguarum synonyma dicta sunt fusè, suis quæque autoribus tributa.

Virgam sanguineam hunc dictum putamus fruticem [si coniecturæ locus est] propterea quòd virgæ eius magna ex parte rubent, sanguinis instar: quamuis Veteribus & alia de causa sic dicta videatur, quòd ex verberatione Parricidarum, antequàm morti traderentur, sanguine madebant, vnde fortè, eius lignum apud Priscos infelicissimum habitum, vt specialius dicetur in viribus.

Locus.

Subeunt in montosa sanguinei frutices: Plinius. Verùm non in montibus tantùm. Nam in sepibus, frutetis, siluestribus & saxosis locis passim Germaniæ fruticat. Vidimus etiam circa Monspelium & Patauium. Prouenit in Anglia quoque, Turn.

Tempus. Floret April. & Maio, Dod. Iunio, Trago. Iulij initio in Silef. Schuuenckfeldio: Nos Montbelg. etiam Septembri, Geneuæ octob. & Nouemb. Lugduni Maio, Basil. Aug. sept. ac etiam octobri, præsertim circa Muretum, (celebrem ob herbarum frequentiam) montem vicinú florentem obseruauimus. Baccæ imminente autumno magna ex parte nigrescunt, Sebtemb. maturentur.

Vires & vsus. Baccarum sapor. Oleum è baccis. Virgæ sanguineæ baccę, gustu sunt amaro, acerbo, adstringente, vnde necesse est consimili facultate præditum esse earum oleum, quod Ananiensia rura in Tridentino agro conficiunt ad lucernarum vsum, expressis torculari, decoctis priùs in aqua baccis, vt tradit, Matth. Eodem teste, iam suprà dictum in Hetruria demorsos à cane rabido abstinere à contactu sanguineæ virgę: *Cane rabido demorsi.* siquidem si Virgæ tamdiu manibus teneantur, quonsque concalescant, illicò demorsos rabie exagitant.

An de hac frutice sequentia scribat Fracast. de contag. morbis. l. 2. in fine capitis. 1. considerandum, ait: cur verò & qui sub Orbo arbore iacent, *Orbus arbor.* verrus in rabiem vertantur, si aliàs rabidi fuere, consimilem habet latentem causam si modò verum est, quod fama quadam circumfertur, nihil autem prohibet vapores, qui ex ea arbore continenter exhalant, stiptici quidem & hi licet dicere melancholicis, ad hominem delatos, & intus calefactos idem facere posse, quod & seminaria rabiei, magis autem in eo, qui rursus rabidus, propter derelictam dispositionem.

Turdorum cibus. Cæsalp. reprob. Baccarum varietas. Fructus à turdis multùm expetitur, autore Cæsalp. Cui non consentit Dod. qui scribit: Baccas sapore ingratas & volucrium nulli desideratas esse. Partium dissimilarium sunt, quasdam enim habent calidas, amaras, & extersorias: plurimas verò frigidas, siccas, acerbas & adstringentes. Et sanè huic Dod. sententiæ optimè quadrat quod de corno sua fœmina tradit Theoph. fructum eius & Buxi cunctis animantibus ingustabilem esse. An verò reipsa expertus sit Cæsalp. contrarium, nos latet.

De Virgæ sanguineæ viribus sic Plin. Nec Virga sanguinea felicior habetur. Cortex eius interior cicatrices, quæ præsanauere aperit. Item: sunt qui sanguineis virgis tangunt ea, quæ nolunt his obnoxia esse: nimirum, formicis, erucis &c: Eiusdem frutices vitibus vincula suppeditant. At corticem ea præstare nec compertum, nec verisimile Dod. putat. Nobis vero haud similius putatur quod de eorum contactu insecta fugari scribit. Sed cur infœlicem dicit? *Cur infelix putata Virga sanguin.* Modestinus in l. penult. ff. ad leg. Pomp. de Parricid. antequàm sacco parricidæ inderentur, ostendit in more fuisse positum, vt virgis sanguineis cæderentur: nempe *Parricida olim Virgis sanguineis cædebantur.* ex hac arbore sumptis, non, vt quidam legunt, sagmineis, aut, vt alij interpretantur, sanguine rubentibus, ac rorantibus, quoniam hoc lignum infœlicissimum haberetur, ac maximè infame. Magius, *lex de Parricid. exposita.* & ex eo Dal. Porrò quæ ex hoc frutice vtensilia & rustica instrumenta, potissimùm verò ad carros pertinentia conficiuntur, ea diu durant, nec facilè corrumpuntur, teste Trago: *Ligni vsus.* qui quid in medicina possit, sibi inexpertum fatetur. Camer. verò tradit Italos ex huius ligno aquam stillatitiam elicere, *Aqua ad strumas.* qua sola strumas (si qua fieri id possit ratione) penitùs discutiat: sin minus, maturare partim & diminuere. Ryff. Coriarijs expeti hunc fruticem ait: *Coriarii.* sed indagandum id à coriarijs, an hic ipse sit, quem expetunt. Nobis enim de hac re nihil constat.

CORNVS ADVLTERINA SEV PSEVDOCRANIA CORDO.

CAP. XXIX.

Descriptio. Pseudocrania, arbor est, quatuor, quinque aut sex cubitorum altitudine, caudice distorto vt plurimùm, crassiore quàm vt manu complecti queat, cortice vestita spadiceo, ramisque pluribus brachiata. *Folia.* Folia habet subrotunda, ac interim in breuem mucronem desinentia, leuissimè per ambitum serrata, rarò sesquiunciâ latiora, figurâ inter Tiliam, Betulam ac Pirastrum media. *Flores.* Flores post veris initium secus folia è surculis ramulisque profert paruos, colore propemodum in herbaceo pallescentes, staminibus paucis breuibusque stipatos. In medio flore exiguum & oblongum eminet secuturi fructus rudimentum, quod paulatim relicto post se flore, in oblongam excrescit *Fructus.* baccam, vtrinque modicè turbinatam, & Corni fructus modo ouatam. *Radix.* Radice nititur multifida, quoquoversus distractâ. Nascitur in saxosis collibus inter petras, quales sunt supra Regenspurgum *Locus.* vrbem (quam Ratisbonam vocant) in vtraque Danubij ripa, & circa Selhemium. Cordus.

Scimus esse qui velint plantam hanc à Cordo descriptam eandem esse cum Corno fœmina quorundam, seu Virga sanguinea, vt Dod. Lobel. C. Bauh. Schuuenckf. Verùm descriptio non videtur nobis conuenire, vt iam monuimus cap. præced.

Considerandum an affinitatem habeat cum Alno nostra baccifera altera.

DE CERASIS IN GENERE.

CAP. XXX.

Descriptio. IN tanta Cerasorum varietate, primùm Autorum dogmata de ijs prælibanda.

Ceraso, auctore Theoph. natura peculiaris, magnitudo excelsa, quippe quæ ad XXIV cubitorum altitudinem excrescat, admodum recta, & ab ima *Radix.* radice crassitudinis bicubitalis. *Folia.* Folium habet Mespili [sed Setaniæ non Anthedonis. Conft.] sed prædurum & latius. Vt vel è longinquo hæc arbor *Flos.* colore [& altitudine] cerni queat. Corticis leuore, colore, & crassitudine Tiliç [φιλύρα] similis est: ideoque cistas ex ipso conficiunt, sicut etiam è Tiliæ *Cortex.* corticibus. Hic cortex neque recto ductu ascendit, neque in ambitu æqualiter [κατ' ἴσον] circumnascitur, sed volutatim (ἑλικοειδῶς: ἑλικώδη vulg. habet: quidam ἴσον legendum censent.) ambit, ab inferiùs sursum se adducens, quemad. & foliorum descriptio. *Theoph. emend.* Ἀναγραφὴν: intelligimus figuram quando conuoluuntur, vtrinque adductis) cumque desquamatur, hoc eodem modo decorticatur: alioqui scissilis est, nec pars aliqua eodem filo detrahi potest. Crassitudine verò foliatim attenuatur, corticis reliqua parte æquè arborem conseruante, ac integro, quo antea vestiebatur. Cùm verò & reliquus cortex aufertur, exit humor quidam. Sin verò externa tantùm tunica, reliqua pituitoso (μυξώδει) quodam humore nigrescit. Rursus, quæ anno secundo, tunica, vice illius subnascitur, verùm tenuior. Materies neruis cortici similis, tortili ac conuoluto. Virgæ eodem omnes modo illicò enascuntur. Ramis crescentibus euenit, vt inferiores assiduè vergant & nutent, alij sursum versus inarescant

crescant. Omninò arbor hæc minùs nodosa, multò tamen nodosior quàm nigra Populus: radice alioqui multiplici, perquàm sublimi sed non admodum crassa innititur, & conuolutio eadem radicis, & corticis radicem tegentis. Flos candidus, Piro & Mespilo proximus, ex paruis floribus constans, forma fauaceus. Fructus rubet, figura Diospyro similis, magnitudine Fabæ, Verùm Diospyri nucleus durus, Cerasi autem mollis. Nascitur vbi Tilia: omninò autem vbi amnes, & rigua. Huic arbori humor in lachrymæ modum densatur. *Hæc Theoph. de Ceraso verba*, aptè videntur quadrare cum nostra Ceraso, quamuis operosus admodum videatur in descriptione corticis: si quis tamen diligenter attendat, & nostræ quoque aptari posse, intelligent periti.

Flos. Fructus. Faba. Diospyro. Locus.

Flores fauaceos (κηριώδεις Gaza legit, non κνωδεις vt vulg. habent) dicit, vel ob concauitates scilicet frequentes, vt Scal. censet, vel quia, vt ipsemet alicubi Theoph. loquitur de re simili, est quædam συζυγία πολλῶν μικρῶν ἀπὸ μιᾶς κεφαλῆς, ex qua flores Cerasorum dependent. Istud fortè alicui difficultatem iniiciat, quòd Cerasi nucleum mollem dicat. Sed sciat ipsum relatiuè hoc dicere: præmittit enim Diospyri durum esse. Alioqui per se & simpliciter ossiculum Cerasij durum quidem est; quominus dentibus frangi conterìue possit, id quod in suibus animaduertitur, qui ea veluti glandes, agminatim, nulloque negotio fracta comminuuntur.

Theoph. loc. ... Theoph. explic.

Clara sunt, quæ de Ceraso Plin. habet. Medio genere, inquit, l. 15. c. 24. inter baccas acinosque (fructus sunt) Cerasis. Pomum his primò candidum, vt ferè omnibus baccis. Mox aliis virescit, vt Oliuis, Lauris: rubet verò Moris, Cerasis, Cornis. deinde nigrescit Moris, Cerasis, Oliuis. Notandum tamen hoc loco non omnibus Cerasis nigrescere, sed quibusdam inter eas speciebus tantùm. Idem Cerasum inter peregrinas (Italiæ) arbores recenset. Quando autem esse cœperint, dicetur in loco. Eidem, sanguineus succus cerasis, quorum intus lignum, extra caro: cute & succo teguntur. Ramorum Cerasus etiam in XL cubitorum trabes, æquali per totum duûm cubitorum crassitudine reperitur.

Plinius explic.

Athenæus Cerasi historiam potiùs implicat, quàm explicat, quãdo in hunc modum ex Theoph. tradit. De cerasis hoc Theoph. in opere de plantis scriptum reliquit. Peculiarem quoque naturam sortita est cerasus, vastæ magnitudinis, vt quæ ad cubitos XXIV assurgat: folijs Mespilo (Setaniæ nõ Aroniæ Dal.) similibus, duris, crassioribus, cortice Tiliæ simili, flore candido, qualis est Piri & Mespili, ex paruulis floribus composito, qui ceram olet κηριώδης. Apud Athen. κνισσώδης: Ruell. fauo similis, sicut & nos antè, quam vers. & Scal. & Const. doctissimi viri admittunt. At negat Dal. hoc in flore perspici, & odoris Cerei reddit, & omninò verum esse dicit. Et admittimus, tanquam ingeniosam interpretationem, nec reiicimus. Sed an ad mentem hoc sit Theophrasti, valdè ambigimus: cui consuetum, non vno loco flores aut fructus fauaceos seu κηριώδεις dicere, qui in densum agmen & velut in glomerem aut umbellam fauaceo stipatu aggesti sunt.) *Pergit Athen.* Fructu rubro figura, Melampyro [Theoph. Diospyro] simili, fabæ magnitudine: At Melampyri [Theoph. Diospyri] nucleus durus est, Cerasi mollis: [Theoph. Diospyri nucleus mollis est, Cerasi duris. Diospyros autem est Guaiacana, Dal.] Rursum idem Theoph. cratægus: aliis cratægum dicitur: (cratigon mendosè, legend. crataigona

Cerasi amplit. Mespili folio. Tilia Cortice. Theoph. & Athen. illustrati. Melampyri fructus. Diospyros. Cratægus.

Const.) Folium, inquit, rigidum habet, Mespilo (Aroniæ non Setaniæ. Arbor hæc sorbus est torminalis offic. & herbarior. Dal.) simile, sed maius latius, oblongius, & in eo scissuras, Mespilo dissimiles. Arbor ipsa nec crassa est admodum, nec procera: lignum varium, flauum, firmum: cortex læuis, qualis Mespili, radix quæ vnica est, non altè descendit: fructus rotundus, Oliuæ siluestris [ἡλίκον ὁ κότινος] magnitudine: maturus è flauo nigrescit, succo & sapore Mespili. Quamobrem agrestis Mespilus esse potiùs arbor videtur. His scilicet verbis Philosophum [Theoph.] arbitror, inquit Athenæus, quod nunc appellant Cerasion indicare. (Egregium sanè verò iudiciũ in discernendis plantis: sed danda ei venia, vt parum in re herbaria exercitato. Asclepiades (pergit Athen.) Myrleanus arborem quandam chamæcerasum nominans, ita scribit. In agro Bithyniæ chamæcerasus gignitur cuius radix non est admodum magna, nec ipsa arbor: sed par rosarum arbori &c.

Athen. parum in re herb. exercit.

Mox cerasi originem traditurus idem Athen. in Græcos inuehitur sub nomine Laurentij cuiusdam Rhetoris, his verbis: Vos quidem Græci, vobis multa vendicatis, quòd ea primùm vel à vobis inuenta sint, vel nominata, hoc tamen nescitis, Lucullum, Romanum Imperatorem, qui Mithridatem & Tigranem debellauit, è Cerasunte oppido Ponti, hanc plantam in Italiam primùm aduexisse, eundemque nomine ciuitatis illius, fructum hunc Cerasum nuncupasse, quod proditum est à nostris Scriptoribus: (Latinis vt existimamus) *Hæc Athenæus*. Ex quibus apparet dubitasse illum quid esset cerasus apud Theoph. & an eadem quæ cratægus, de qua egimus cap. de Sorbo Torminali, lib. histor. nostræ primo. Nec placet nobis à quibusdam in Græco Athen. textu antiquo & versione Lat. mutata quæ dicuntur de nucleo Diospiri & cerasi in contrarium sensum, quandoquidem ipsemet Theoph. ita habeat: aut monendum erat Athenæum habuisse Theoph. codicem corruptum, quod tamen diligenter considerandum, priusquam certò affirmetur, nec classici Autoris textus tam facilè immutandus. Non displicet quidem mutatio lectionis Melampyri in Diospyron, quia ex Theoph. desumpta, resque ipsa se ita habere videtur. Indignum profectò Athenæo iudicaremus, post cerasum & cratægona tradere de comaro & Menęcylo, & postea iterũ de ceraso, quasi congeneres essent plantæ, nisi & alibi apud eundem obseruassemus, eiusdem plantę historiam, interuentu alterius, & fortè nihil minùs quam congeneris, diuulsam, quod in viro docto & ordinis saltem, si non methodi studioso, neutiquam ferendum. Nos ea quę de comaro scribit, in medio ferè illorum quæ citauimus & in viribus citabuntur, relegauimus ad caput de Arbuto. An verò Guaiacana sit Diospyros, vt censet Dal. suo loco videndum. Sic itaque de tribus distinctis arboribus vno quasi tractu agit Athen. quarum prima est cerasus Theoph. altera Arbuti: Tertia (dicenda in viribus) est, cerasi vulgaris, quam nec distinguit à ceraso Theoph. nec an eadem sit docet. Quod autem de Lucullo tradit, eadem & à Plinio de ceraso vulgari scribuntur

Græci gloriosi. Cerasi etymon & nominis origo. Athen. not. Dal. not. Athen. not. Diosphyra.

Cerasi porrò & Diosc. meminit, præter vires, nihil habens: & Varro, & Palladius, & Galen. qui & Diosphyra habet. Verùm quid sint Diosphyra apud Gal. considerandum, & diligentiùs perquirendum. Const. διόσφυρα Galeni eadem putat

quæ Διόσπυρα Theoph. de qua suprà mentio facta in descriptione Cerasi. Nec enim aliud tradit vel Theoph. vel Gal. de Diospyro vel Diosphyro (si modò sint vnum) quàm quòd ille quidem nucleum habere satis apertè insinuat, quando cerasa officulum durius habere tradit, hic verò sua Diosphyra, quemad. & corna inter eos fructus recenset, qui exiguum quidem habeant alimentum, sed praui succi sint omnes. Vt suspicio aliqua sit Diospyra Veterum ad cerasorum aliquod genus accedere posse: difficile tamen, quid sint, definitè pronuntiare in tanta Autorum breuitate.

Rob. tamen Const. in Lex. liberè dicit Διόσπυρον vel Διόσπυρον genus est Cerasi de quo Theoph.

Nostrum Cerasum esse antiquorum. Gaza ...

Hermolaus non separat Cerasum Theoph. à Pliniano atque adeò nostrate: Gazam verò redarguit, quòd apud Theoph. Διόσπυρον Iouis flammam interpretatus sit, cùm Iouis triticum interpretari debuisset, si vocis vim exprimere voluisset. Sed nec Ruell. distinguit inter Theoph. Plin. & nostram Cerasum, quemad. nec Tragus.

Mespili fol.

At Anguil. in epist. Dubitas, inquit, an nostra Cerasa sint ea de quibus meminit Theoph. mihi etiam res suspecta est, quia nescio quid velint hæc verba: φύλλον δὲ ὅμοιον τῷ τῆς μεσπίλης: quia describendo Mespilum, dicit habere folia Apii: Postea loquens de flore ait: ἄνθος δὲ λευκὸν ἀπίῳ καὶ μεσπίλῃ ὅμοιον ἐκ μικρῶν ἀνθῶν συγκείμενον, κηριῶδες &c. Has notas nostris Cerasis non respondere, nec in foliis nec in floribus apparet: Aliorum tamen esto iudicium. *Hæc ille.* De mespilo suo dictu n loco, & quid de illa foliorum comparatione sentiendum: nempe Setaniam intelligendam, vt & suprà dictum. Quam verò de floribus adducit difficultatem Anguil. est certè aliqua, nondum enim planè apertum est, quomodo flos Cerasi nostratis ex multis flosculis congestus sit. Quid si racemosam intellexisset Theoph. Aut, quid si pro ἀνθῶν, legendum sit φύλλων ita vt foliola florum, intelligantur. Iudicent docti.

Coniectura in Theoph.

Cratægus.

Fuerunt, inquit Goropius qui putarunt cratægū à Theoph. descriptum Cerasum nostram esse: quàm verè non iudico: id interim displicet, quod siluestrem Mespilum videri dicant.

Linguar. Synonyma.

Cerasus arbor κερασέα Græcis, & κέρασος fructus vt Const. interpretatur: & in Geopon. κερασία pro eadem arbore, vt idem explicat. Diosc. verò κεράσια Cerasa, pro fructu, & Cerasia vt interpretes vertunt, pro eodem. κερασιῶν κόμμι vertunt gummi Cerasorum. Had. Iunio Cerasus κερασοῦς Græcè est. Iudæis, teste Trago, **Gudganniorh**, ex nomenclatura Eliæ Leuitæ. Arab. *Serasie* & *Sarasie*. Germ. **Kirsen** vel **Kirschenbaum**: deme arboris nomen **baum**, & habes fructum. Belg. **Kerseboom** & **Crieckenboom / Kriechen / Kersen / Criecken.** Ital. *Siregie*, *ceraso* Gal. *Cerisier*, *Cerise*. Hisp. Castil. *Cerezas* aut *Guindas*: Catal. *Cireres*: Port. *Cereias*, aut *Gineas*. Bohem. **Wissne.** Hung. **Cherosnyofa.**

Gudganniorh. Hebr.

Hispan.

Differentia.

Cerasorum multiplex differentia, à sapore, colore, figura, magnitudine, loco, autoribusque seu inuentoribus ipsis.

Apponiana. Actia. Cæciliana. Iuliana. Duracina seu Pliniana. Lusitana. Variegata. Laurea. Macedonica.

Cerasorum, inquit Plin. Apponiana maximè rubent: nigerrima sunt Actia: Cæciliana verò & rotunda. Iulianis gratus sapor, sed penè tantùm sub arbore sua, adeò teneris, vt gestatum non tolerant. Principatus Duracinis, quæ Pliniana Campania appellat: in Belgica verò Lusitanis. In ripis etiam Rheni. Tertius ijs color è nigro ac rubenti viridique similis maturescentibus semper. Minùs quinquennio est, quod prodiere quæ vocant Laurea, non ingratę amaritudinis, insita in Lauro. Sunt & Macedonica parua arboris; raróque tria cubita excedentis; & minore etiamnum frutice chamæcerasi. Inter prima hoc è pomis colono gratiam annuam refert.

Chamæcerasus.

Hermol. differ. Laurea seu Amarasia.

Hermol. etiam quædam ad differentias pertinentia tradit, his verbis: sunt & Laurea Cerasa, *Amarasia* dicuntur vulgò, quasi amara Cerasia. Etenim Pomum ipsum non Cerasum vocari Seruius præcipit: Cuius & illa quoque verba sunt, Cerasium, inquit, & antequam è Ceraso vrbe Lucullus aduceret, erat in Italia, sed durum, & Cornûs appellabatur, quod postea mixto nomine Cornocerasium est vocatum. Sint autem Cornocerasia idem cum Duracinis genus, an verò Seruio credendum, qui Cornum in Italia Cerasum fuisse prodat, cùm alia res sit Cornus, alia cerasus omninò, satis ambigimus. Cerasiorum porrò discrimen alterum quod Romę Visulum appellant, frequentissimum in Germania & Gallia.

Cerasium.

Cornocerasium. Duracina. Visulum. Viscina.

Sed in Scythia ferè supra modum, vbi & Viscina Barbari cognominant, vt Pomponius Lętus, qui ea loca modò inuisit, constanter affirmat. *Hæc ille.* Videntur autem Viscina Barbaris dicta, eadem quæ Germ. **weichßlen** vocantur.

Galliæ Cerasa. Chamæcerasus. 1

Ruellius de Cerasorum differentiis sic scribit: Gallis horum Malorum varia notantur discrimina: quædam mediocri arbore, interdum pumila, quasi frutice (quam chamæcerasum dici puto) pendent: pediculo breui, pomo rotundo, rubente, carne multa, molli, succosa, osse intus duro, nucleo dulci. Hoc maximè grato placet acore, morosoque laborantium morbo palata recreat, prægnantium etiam malaciis, antequam maturescat expetitum. Hoc Francis tantùm cerasii nomen meruit. Reliqua varias sortiuntur appellationes. Quædam Pomo prodeunt proximo ex arbore grandiuscula, longiore petiolo, fructu multò acidiore & subacerbo cęterà simili: vulgus *Merasia* nominat. Ea nimio sui acremento respuuntur, vt alia, nimia sui dulcedine fastidium pariunt. Alia proceris arboribus exeunt, turbinatiore pomi figura, longioreque, pediculis longis, pluribus unà coeuntibus: baccis partim candicantibus, nonnunquam in totum rubris: prædulci carne, ori iucunda, fragili intus osse, nucleo non insuaui. Sed hoc Malum longè acidis fugacius, primumque in Cerasiorum genere maturitatem sensit; vulgus nunc *Guinea*, nunc *Guindola* vocat. Sed inter ea habentur crassiora, alba carne, prædura, magna ex parte albicantia, prædulci gustu, callo corporis nucleo pertinaciùs hærente: & ob hoc putarim Veteribus Duracina Cerasia nuncupari. Quæ in totum rubent, mollitie cedunt. Quæ partim albicant, partim rubescunt, cùm vtrisque societatem ineunt. Celeriùs inarescunt, quæ molliori constant carne. Inueniuntur & alia in siluis & in nemoribus, nonnunquam in dumetis & cultis, baccis paruis, multùm infra dictorum magnitudinem: callo carnis rotundiore, ossibus appresso, parte Soli obuersa rubescente, auersa candicante, sapore dulci quidem, sed dilutiore: rusti familiaria, sponte nullo humano cultu nascentia. Alia nigerrima, quibus succus inest sanguineus, ea vescentiū manus & labra sanguine suo & Mororum modo, inficiunt: vtraque Sessiana rura vocant. Sed posterius hoc Veteribus Actianum dici putauerim, vt prius illud forsitan Cæcilianum, curtato [vt in Gallia plerumque fieri solet] vetere vocabulo, ac Cessianum pro Cæciliano concisum proferentibus.

Cerasa.

Acida pomalo. 2 *Merasia.* 3 *Dulcia. Guindola.*

Guinea. 4

Duracina. Rubentia. 5 *Variegata.*

Siluestria rubentia. 6

Nigerrima. 7 *Sessiana. Actiana. Cæciliana.*

Germaniæ vsitata Cerasa Trago. 1

Germaniæ vsitata Cerasa Tragus describit: Inter varia, inquiens, genera vel appellationes primum

mum locum obtinent apud Germanos, quæ punicei sunt, seu spadicei coloris, acidi saporis, Amarellen / Wiechslen / Weinstell ijsdem appellata. Hæc fortè sunt, quæ nonnulli Macedonica, Meralia & Gindola vocant. Acida verò & vulgaria cerasia Emmerling vnd Blöderkirsen Germ. dicta, fortè Aproniana appellari poterunt. Nigra, Germ. Wildvogelkirsen / Cerasia Actiana Latinis nominantur. 4. Quæ iucundissimi sunt saporis, & Germ. Großbündtkirsen nominantur, Iuliana Lat. dicuntur. Rotunda cerasa, Cessiana & Cæciliana: Dulcia planè, cuiusmodi sunt alba, Ger. Weißkirsen. Duracina & Pliniana, quæ Lauro insita fuere & amara prorsus sunt Laurea, & Amarasia nuncupantur.

Fuchs. differentiæ. Fuchsius aliter distinguit, dicens: Multa cerasiorum sunt genera: in Germania tamen tria, quod sciam, duntaxat proueniunt. Primi enim generis sunt rotunda, ac maximè rubentia, suaque voce illis dicuntur Amarellen. Alterius generis, quod ad figuram attinet, prioribus similia sunt, differunt autem colore qui illis ad nigredinem accedit. Vocantur autem illorum lingua Wiechsel. Tertij generis prædictis minora sunt ac longiora, partimque rubent, partim nigricant, à nonnullis priuatim Kirsen / vel Kriesen appellantur. Quæ in vtroque genere nigra sunt, ea vescentium manus & labra succo suo, qui sanguineus est Mororum instar, inficiunt.

Cerasa austera. Cordus tradit, austera & maiora, quæ non in magnis arboribus nascuntur, esse ea, quæ è Ponto primùm in Italiam Lucullus attulit. Quæ verò dulcia sunt & in proceris arboribus nascuntur, sponte sua vbique in Germania prouenire. Duracina Plinij autore Cornar. etiam hodie durant, suntque ea, quæ ad Rhenum Rincauiana, aut etiam Maguntina appellantur. Hæc oblonga sunt, & cum albore rubent in perfecta maturitate quæ ipsis circa mediũ ferè Maium contingit, & omninò præcocium generis sunt. Chamæcerasa vt scribit Alex. Bened. vulgus Mariscas ob morbi similitudinem fortè vocauit, aut morbum pomi nomine: alij Laurocerasa vocare maluerunt.

Differentia Dod. Dod. hæ sunt cerasorum differentiæ. Prima: magna & procera arbor siluestris, cui fructus quidã rubent, alij nigricant, sapore dulces. Præcoces olim vocabat, in hist. Gal. Cerasum Theoph. & Gallicè *Guignier & Guigne*. Altera: Cerasus magnis folijs, humilior, hortensis, ceraso maiore, carnosiore, dulci, & colore vel rubente, vna tantùm parte albidiore: vel nigro: vulgò Hispanicum cognominatum, fortè Lusitanicum Plin. quibus principatum Belgica illius ætate tribuit. Olim Dod. vocabat chamæcerasum, Gal. *Grosses Guignes, Cerises d'Espagne*. Brab. Spaensche Kersen. Tertia: Cerasus, prioribus humilior ac tenerior: caudices tenuiores: cerasum rotundius, carnosius, sapore vinoso, acidulum, quod rarius est. Est autem & in hoc & nonnulla varietas alia: quæ etenim citra insitionem nascuntur aut in alias eiusdem generis insitæ, magna admodum cerasa frequenter ex breuibus pediculis dependentia gignunt, quę subinde adeo magna sunt, vt XVI. vel etiam plura suorum ossiculorum pendeant. Earũ verò quæ in siluestre siue priorem cerasum (quod sæpè fit) inseruntur, Cerasa minora sunt, & longioribus hærent pediculis. Citiùs autem maturitatem hæc assequuntur: ossicula vero istorum minora sunt, quàm superiorum. Amarenas posterior ætas huius tertiæ cerasi fructus nuncupat, vel etiam Merendas; Italorum plerique *Marasche* & *Amerine*: alij *Marchiane* vel *Duracine*. Germ. Amarellen: & quæ nigra sunt, Wiechslen / Weinsiel Brab. Criechen alibi, in Belgio etiam Kersen. Ad Duracina Plinij videntur referenda Cæciliana: Item Actia nuncupata. Olim Dod. hæc dicebatur Diospyros siue Iouis flamma Theoph. interp. Gaza, Gall. *Griottier & Griotes. Hæc ille*, qui nobis obscurè ac intricatè satis de cerasis scribere videtur.

Tabern. differentiæ. Tabern. quinque icones cerasorum proponit, cum his titulis. 1. Bundtkirschen, Cerasia Pliniana. 2. Spanisch Kirschen: Cerasia Hisp. 3. Amarellen Kirschen: Cerasia acida. 4. Wasserkirschen: Cerasia aquatica. 5. Schwartzkirschen. Cerasia nigra.

Differ. Schuuenckf. Schuuenckf. in Silesia prouenientia cerasa hæc proponit. 1. cerasus silu. cerasa Cæciliana Plin. Amaralia. & Laurea rubra & nigra, duriuscula, nonnihil amaricantia 2. Cerasia hort. dulcia, rubra seu cæciliana. 3. cerasia nigra, Actiana: 4. Cerasia Hungarica, Hispanica, Iuliana Plin. Grosse Vngerische Kirschen / Spanische kirschen. 5. Cerasia Italica, acidula, acidodulcia, Pliniana, Welsche kirschen: Weisse kirschen / Weinfeurlechte kirschen. Hæc omnium sunt suauissima, quę in culinas veniunt: rubent. 6. Cerasia austera, Amarena, Aproniana, fructu acido Amarellen: Weichsel vulgò. Oportet autem Schuuenchf. egregiè cognita habuisse cerasa Plinij, quòd tam categoricè de ijs pronuntiare audet. Et, quod magis, differentes species ad eiusdẽ cæciliana refert, siluestria & hortensia, & tam rubra quam nigra, amaricantiaque: item dulcia. An hæc omnia ex pauculis illis Plin. verbis extorquere potuerit, vt tam certò ipsi constare possit, docti videant.

Differentia Matth. Italiæ cerasa. Sed Matth. consulamus, qui & Italiæ Cerasia & alia quædam celebrat. Inter cerasa, inquit, principem sibi locum vendicant, quæ Hetruscis vulgò *Marchiane & Duracine* vocantur: tametsi horum alia maiora, alia saturato colore rubeant, alia verò potiùs albicent. Quæ autem Plinio Iuliana, nobis verò vulgò *Acquaniole*, hoc est, aquea dicuntur, in nullo sanè habentur pretio, quandoquidem adeò sunt tenera & fragilia, vt nisi sub arbore sua comedantur, facilè gestatu collidantur, & marcescant: quin & ob aqueæ partis redundantiam insipida sunt, oreque ingrata. Quæ autem, quòd admodum nigricent, *Corbine* nos vulgò vocamus, Plinius verò Actia & Cæciliana, cùm sint duriuscula & dulcia, gustatu habentur non iniucunda: veruntamen quòd manus, dentes ac labra atro colore inficiant, discumbentesque deturpent, mensis rarò apponuntur. Sunt & cerasa, quæ vno tantùm petiolo ternas, quaternas, quinasue baccas sustinent, quinetiam quæ racematim vuæ modo proueniunt, quorum imagines misit ad me Calzol. ac quæ peculiariter in hortis, vineis & viridarijs habetur, viribus & qualitatibus ab alijs cerasorum generibus non differunt. In cerasiorum genere numerantur & illa, quæ Romæ *Visciole*, Senis *Amarine*, & in alijs compluribus Italiæ locis *Marasche* vulgò nuncupantur, à sapore (vt puto) dicta, quòd non iniucundi amaroris tantillùm resipiant. Horum porrò varia notantur genera, quæ etsi omnia sibi acidum asciscant saporem, hæc tamen eius plus, illa verò minùs habent. Rura Tridentina ea *Marasche* vulgò nominant, quæ minùs acida gustu deprehenduntur, quorum genus quoddam admodum gratum habetur, quippe quòd in ijs acidodulce sit admistum, ob idque illa palato maximè placeant. Quædam præterea inibi *Marine & Marinelle* co-

nominantur, quæ & minora & rotundiora sunt, & breuiori pediculo appensa; gustu nihil ferè prædictis reclamante. Est & horum tertium ge-
10. nus, quæ vulgus illud *Verule* nominat, longiore *Verula.* pediculo, bacca etiamnum cæteris crassiore, gustu acerbo, & admodum acido, colore perpetuò russescente, nec vnquam in atrum vergente,
11. etsi cætera, vbi plenè maturuerint, in atrum ru- *Pumila.*
12. bescant. Est etiam Pumilum siluestre genus: sunt *Siluestria.* & siluestria quibus plerumque vescuntur aues.

Lacuna Hispanus Cerasa in dulcia, quæ in Castilia propriè *Cerezas* dicuntur, in acida siue austera, & in acidodulcia discriminat: tertij huius generis, sapore, magnitudine & colore innumeras differentias dicens: nec tamen quales eæ sint addit, nec de in Hispania nascentibus Cerasis specialiùs quicquam tradit. Eidem quoque assentiri *Lacunæ not.* neutiquam possumus tot acidodulcibus differentias tribuenti. In dulcium enim genere multò plures differentiæ, quàm in vllo reliquorum.

Differentia Cæsalp. à Colore. Cæsalp. Philosophicè ac verè Methodicè Cerasorum differentias colligit, sic: Cerasi differentiæ, *ex colore*: nam quædam in maturitate parum rubent ex candido: quædam magis: alia ex rubro nigricant, tingente succo. *Ex sapore*, alia dulcia: alia *A sapore. Amarena. Agriotta. Duracina.* amaritudinis quid retinent, non tamen ingrata, Amarena vocant: talia acidula, Agriotta appellata: alia pulpam duriorem habent, Duracina vocant: *A magnitudine. Laurea. Macedonica.* alia teneram & aquosam. *Magnitudine* quoque & *paruitate* differunt, non solùm fructus, sed & arbores: nam Amarenæ & Acidulæ breues sunt, pediculo quoque breui, licet fructus non minor sit cæteris. Cerasus Theoph: &c: Plin. videtur per *Laurea* significare nostra *Amarena*: per *Macedonica* *Chamæcerasus.* autem ipsa *Acidula*. Chamæcerasus incomperta adhuc. *Hac ille.*

Had. Iunius quoque Neotericorum Cerasa quædam Plinianis accommodare studet, eaque nationum synonymis prodit, hac ratione. Ce- *Differentiarū quarundam synonyma. Actium. Apronianū. Duracinū.* rasum actium: ἀκτιν-κεράσιον. Ger. Schwartz Kirschen. Belg. Kiercken / Schwartz Kirssen. Gal. Griuche. It. *Corbine*. Cerasum Apronianum Plin. quod maximè rubet. Ger. Amarellen. Belg. Roode Kersen. Hisp. *Cerasa ambrunesa Nebrissensi*. Cerasum Duracinum. Ger. Spanische Kirschen. Belg. Spaensche Krieken. It. *Marchiane, duracine* Hetruscis. Hisp. *Cereza dura ó mesta*.

Sed restat vt & nobis obseruatas differentias graphicè depingamus, adiectis etiam differentiarum varietatibus.

CERASVS SILVESTRIS, FRVCTV RVBRO ET NIGRO.

Descriptio. Cortex. Materies. Folia. Flores. Cerasus siluestris communiter dicta, vulgaris notitiæ arbor, procera, recta, cortice obducitur exteriore spadiceo aut cinereo, maculoso, læui: interiore virente, sub quo materies firma, subrufa. Folia loti oblonga, Pruni foliis longiora, densè crenata, splendida, subamara. Flores ex eadem quasi vagina plures simul iuncti, pediculis tenuibus sesquiuncialibus aut sextantalibus, nonnihil rubentibus, ex foliis quinque candidis, & vt in Piro cauis, [quid si hæc cauitas sit illa ipsa, causa propter quam Theoph. flores fauaceos dicit? de qua re antea] in quorum medio capillamenta multa alba, apicibus Croceis donata, (quid si rursus per hæc capillamenta minutulos flosculos intelligat, ex quibus florem Cerasi coagmentatum dicit?) quibus longior stylus in uno calyce surrigitur, & ris in quinque lacinias reflexas, non nihil purpurascentes, diuisis. Ex hoc stylo obseruauimus hortulanum ingeniosè prædicere solitum *Obseruatio.* Cerasorum futuram penuriam: sub eo enim

latet fructus rudimentum, quod frigore affectum facilè nigrescit, remanentibus nihilominus aliquandiu integris, nullaque iniuria tactis florum foliolis. Fructus succedit rotun- *Fructus.* dus, unciali amplitudine inferior, dulcis, magnitudine & colore diuersus, in quo ossiculum, orbiculatum, læue, durum, dentibus tamen fragile, nucleum continens album, exacutum, amaricantem, flauescente tunica contectum. Gummi *Gummi.* stillat, flauum, russum, & densum.

Ex hoc potiss. genere meliora nostri corrent & *Fructus* ... Electuar. conficiunt, pro puerorum cibo ac condimento. Hæc, quàm syluestrem dicimus, quadruplici varietate potissimùm differentes fructus gignit: Rubrum & nigrum; & vtramque vel maiorem & carnosiorem, vel minorem & macri- *Maior* ... orem. Maior tam ruber quàm niger dulcior est cæteris, cultu talis, vt equidem censemus, effectus. *Minor* ... Minor, nullius vnquam cultus gnarus, tam ruber quàm niger, plerumque amaricat, sed eatenus, vt præualente dulcedine haud sit ingratus. Sunt tamen quidam horum qui in umbrosis prouenniunt, vix vllo vnquam Sole illuminatis, quorum fructus haud cuiusuis palatui sapiat. In qua quidem latitudine a perfectè dulci & carnoso, ad amaricantem & macilentum, plurimas inuenias varietates.

Locus. Monspelij rubra parua obseruauimus & alibi: sed præcipua dulcedine grata. Amaricantia, tam rubra, quam nigra, passim circa Basileam prouenium in Dumetis, siluis & montosis. Obseruantur etiam huius generis diuersæ varietates in valle Perrina Episcopatus Argent. Circa acidos fontes, & alibi locorum. Tam macra, quàm carnosa *Cerasa rubra & nigra rubra.* rubra, vulgò siluestria. Rote wilde Kirsen appellantur. Nigra quoque vtriusque varietatis Schwartze wilde Kirsen.

In hoc genere etiam Cerasa alba, parua dulciaque in Alsatia alibique obseruauimus, & in hor- *Cerasa parua alba.* tum Montb. E.C. seuimus. Sed ex prædictis præcipua gratia videtur esse cuidam generi, cuius fru- *Magna rotunda.* ctus, magnus, ac rotūdus, caro satis firma, exteriùs partim albidus, partim rubens, sapore dulci quales in prædicto horto, & aliis quibusdam lautioribus Germaniæ hortis coluntur.

Hæc videntur esse Trago Gantz süssen Kirsen / Als die weissen: dulcissima sicut alba, Duracina & Pliniana. An Ruell. Guinea nunc Gundola? Tabern. Cerasa Pliniana, Hundtkirschen. *Duracina ossiculorum varietas.* Videas & in prædictis, ipsa etiam ossicula, magnitudine & figura variare.

CERASA DVRACENA OBLONGA.

Descriptio.

Speciosus hic Cerasorũ fructus, magnus est, oblongus, ad cordis figuram aliquatenus accedens, carne dura, solidaque, dulci, coloris ex albo rubelli, nucleo magno. Eiusmodi Lugduni obseruauimus Maii principio. Priùs etiam videramus in Valle Thelina Rhætorum, matura Iunio. Item Monspelii. Sed rara ibi. Sata quoque in horto.

Locus.

Synonyma. Hæc videntur à sequentibus autoribus sic vocati. Cerasa Hetrusc*is*, vulgò *Marchane & Duracine*, Matth. Cerasa Duracena, & Vngarica dura, Gesn. Cerasia Duracina; Ruell. Cerasa Hispan. Spannische Kerschen Lob. & Tab. *Duraines* Lugdunensibus.

CERASA ACIDA RVBELLA.

Cerasa acida rubra dilutiora. EX maioribus Cerasis sunt, quæ acida, rubro colore dilutiore, carne haud admodum dura vel compacta. His sapor valde gratus, præsertim probè maturis, non nimiùm acidus, sed quodam modo vinosus, quamuis alia aliis & in hoc genere *Varietas* acidiora, quod cultui dicandum iudicamus. Fructus breui pendet pediculo, & quàm reliquorum ferè, crassiore. Arbores ipsæ haud proceræ, nec *In quibus differat à cæteris.* tectæ, nec in multos ramos brachiatæ, vt dulciũ, sed humiliores multò, quorum & minimæ, atque adeò paucorum annorum, fructum ferre consueuerunt. Ramuli etiam non tenues sunt & flexiles, vt in acidis nigricantibus. Ipsa quoque folia rotũdiora videntur, quod Lobel. insinuasse videtur, quando satiui rotundiora scribit filuestribus. Gũ*Gummi.* mi ex se fundit lucidum, aurei penè coloris. Huic *Radix.* radix rependo latè se diffundit, areasque & vicina loca suis stipat stolonibus, qui transplantati & culti in arbores excrescunt. Lignum quoq; & rami multò fragiliores minusque flexuosi, quàm cæterorum: proinde periculosum has arbores cõscendere.

Synonyma. Macedonica. Chamæcerasus. Austera maiora. Fortè hæc sunt Macedonica Plinij, nisi quis malit eiusdem Chamæcerasum dicere, quamuis prior sententia magis arrideat. *Audiamus Herbarios.*

Cerasa austera & maiora è Ponto primùm in Italiam à Lucullo translata, Cordo. Chamæcera*Chamæcerasus.* sus, quæ Francis tantùm Cerasij nomen meruit, Ruellio. Cerasorum 1. genus Amarellen Fuchs. Emmerling & Bloderkirsen / possent esse Aproniana Trago. Cerasa acida, rubentia, dilutiora, Amarella dicta vulgò Gesn. qui iudicat esse Plinij cerasa Macedonica paruæ arboris, quas ideò & *Macedonica.* Nanas ac pumilas dicere poßis.

Videtur autẽ Gesn. per Chamæcerasum eandem intelligere cum Ruell. quæ vt plurimùm valdè parua & humilis remanet, & quodammodo fruticat. Idem Gesn. eandem putat, quam apud Misnicos Z..ge colunt: nos verò illam, de qua mox, vt ex Cordo colligi posse videtur. Cerasa rubri Tridentino *Marathe* dicta, minùs acido gustu: quo*Varietas.* rum genus quoddam acidòdulce. Quædam præterea ibibi *Marme & Marinelle*, minora & rotũdio*Diospyros.* ra, Matth. Cerasa acida rubra, modò nigra; *Gri*-*Dod. nis.* *tier*: fructus *Griotes*, à Theoph. *Diospyros*, Dod. in hist. Gall. Nobis tamen videtur duo genera Osfundere: neque enim descriptæ differentiæ vllum vnquam nigrum fructum cognouimus, nec apud quenquam autorem legimus. De nigris postea dicetur. Idẽ in hist. Lat. De his, inquit, sub Cerasi 3. specie fructu rubente: Amarenæ tertiæ, Cerasi fructus, Italorum plerique *Marasche & Amerine*: alij *Marchiane* vel *Duracine*, Germ. Amarellen weichsele kirsen & weichselkirschen Lonicer. quo tamẽ nomine alibi nigra acida designant. Cerasa acidula, *Agrettes* dicta, Pen. & Lob. Macedonica Cerasus Clus. Basilieses & Alsati plerique zame kirschen quasi dicas, domestica aut cicurata cerasa, vocãt. Lugdunenses *Des griottes*. Montbelgardi *Cerises Priuées*. Emmere Tigur. autore Gesnero.

Locus. Macedonica cerasus; teste Clusio, Abundat passim in hortis. Per Pannoniam & Austriam in agrorum & vinetorum marginibus frequentissima; raro ad trium cubitorum altitudinem accedit, nihil in reliquo à vulgari, quæ acerbum & rubrum fert fructum, differens. Basileæ & in Alsatia alijsque multis locis abundè suppetunt. Vidimus hoc genus etiam Monspelii, sed macrius ferè & acidius, quàm in his locis.

Tempus. Matura fiunt post dulcia. Vidimus aliquandò *Vinum.* ex solis fieri Vinum, & pultem, quæ tamen non *Pult.* diu seruatur. Exiccantur etiam ad vsum hyemalem pro ossis.

Condiuntur etiam melle vel saccharo integra, præsertim Lugd. Geneuæ, etiamque à nostris, ad ægrotantium, præsertim febricitantium, sitim admodum expetita.

CERASA ACIDA NIGRICANTIA; SOLIDIORA, TARDIVS MATVRESCENTIA.

Descriptio. INter lautiora quidam hoc Cerasi genus habent, cùm ob vinosum saporem; tum ob carnis soliditatem, vt equidem censemus. Non est his ea arborum altitudo quæ filuestribus Cerasis. Ab arboribus *Vt differat à cæteris.* acidorum multùm quoque differunt. Non enim solent in magnos ramos diuidi & extẽdi, sed ramulis tenuioribus, quàm cæteræ omnes donatæ sunt, pendentibus ferè, & ad Betulam quodãmodò accedentibus. Fructus ex longiusculo, pe*Fructus.* diculo magni nigri aut ex nigro spadicei; suo suc-

etiam pro discriptione & picturâ gratiosè nobis commodauit.

MYROBALANI VRENTES.

Cap. XXI.

Descriptio. Areca. IN Insula S. Mariç proueniunt etiam pulcherrimi Myrobolani, quos Areca vocant. Obscurè rubent, & lapidem continent insignem. Gustati linquam & fauces adurunt, in modum vt Piper. Linschott. Bry fratres in tabulis æneis Hist. Indiç Orient. magnam Myrabolanum, Areca dictam vocant, quæ in dicta proueniat insula. Proponunt eadem pagina plures Palmas, sed paruis iconibus, similes maiori iconi quam exhibuerunt pag. xi. nomine Arequeira & Arecæ: vnde nobis *An Palma Myrabolanifera Plin.* suspicio oborta, an fortè aliqua species Palmæ Myrabolaniferæ, cuius Plin. meminit, esse possit. Vtinam essent qui eadem cura vegetabiles hos Indiæ thesauros perscrutarentur & obseruarent quà mineralibus vita carentibus inhiant, magno vitæ suæ (& vtinam non melioris) dispendio.

MYROBALANO CITRINO ALIQVOMODO SIMILIS FRVCTVS CAVVS.

Cap. XXII

Descriptio. APud Chariss. fratrem C. Bauhinum vidimus Anno 1650. fructum cui aliqua similitudo cum Myrobalano citrino, vnciam tantùm longum: parui Pyri modò formatus, parte vna latiore, altera angustiore: in eo costæ notabiles sex, interpositis quibusdam aliis minoribus inæqualibus, acicula perforauimus, cauus compertus est. Color sordidus cum virore.

FRVCTVS PENTAGONVS VEL OSSICVLVM.

Cap. XXIII.

Descriptio. FRuctus Pentagonus à Paludano datus (Clus. Exot. Lib. 2. c. 20.) veriùs Fructus ossiculum dicendus, vncialis longitudinis, quod ex quinque *Nucleus.* veluti oblongis tessellis compactum, quibus sublatis, longus nucleus in singulis apparebat, sed inanis & membranaceus duntaxat: totum ossiculum tuberibus inanibus erat obsitum. Illúd vnicum habebat, & quidem vetustate quasi attritum.

MYROBALANI NIGRI OSSICVLO, NON VALDE DISSIMILIS FRVCTVS EXOTICVS.

Cap. XXIV.

Descriptio. MYrobalani nigri ossiculo non valdè dissimilis fructus (per Batauos relatus in prima nauigatione in Iauam) maior tamen, inæqualis, suo externo cortice (si quem habuit) aut pulpâ nudatus, & duntaxat, vt mihi persuadeo, fructus alicuius ossiculum, quod confractum satis crasso putamine præditum esse obseruabam, & nucleum continere subfuscum, atque in binas partes diuisum. Clus. Exot. lib. 2. cap. 15. Quale sit ossiculum Myrobalani nigri nondum nobis constat.

MYROBALANI OSSICVLO SIMILIS ANGVLOSVS.

OSsiculo Myrobalani, inquit Clusius Exot. lib. 2. communicatus fructus neque magnitudine, neque etiam forma dispar cum suo ossiculo, ab vna parte hexagono, vel heptagono, neruis obliquè per vniuersum dispersis: is autem nigra cute veriùs quàm pulpâ tectus erat, acidi saporis: Ossiculum autem duro putamine constabat, in quo nucleus ex rubro fuluescens, non insipidi gustus, sed Amygdalam dulcem vetustam referentis. *Amygdalae sapore.*

NICARAGVÆ POMVM, NVCE ROTVNDA.

Cap. XXV

Descriptio fructus. IN Nicaragua, inquit Benzo, noui orbis prouincia, Pomi quoddam genus peculiare est, neque Hispaniolæ neque vlli alteri Indiæ parti concessum. Piri nostri specie fermè est, ligno interiore rotundo, Nucis crassitudine, & dimidio amplius, optimi & iucundissimi saporis. Arbor procera, exiguis foliis vestita. *Pomum Nicaragua* vocant: alij *Nicaraga*. *Arbor.*

COLA FRVCTVS AD SITIM.

Cap. XXVI

Sitis. ANonymus quidam ad tabulam Cosmographicam scribit: Fructus qui *Cola* dicitur, si mansus in ore detineatur, sitim restinguit, & impositus aquæ, gratum ei saporem indit, & sanos valdè confortat, atque stomachum corroborat. *Stomachus.* Imò literis proditur, quod si puluis ex hoc fructu confectus, putri ventriculo gallinæ aut alterius cuiuspiam volatilis inspergatur, putredinem *Mirum.* discutit, & pristinam ei qualitatem restituit.

Oleum ad febrem. Oleum inde destillatum & santalis mixtum, febricitanti, si eo inungatur, intra horas duas vel tres sanitatem confert.

Legimus præterea in descriptione Guineæ, in regno Congi esse arbores, quæ fructum producant *Cola* dictum, Nucis Pineæ magnitudine, continentem alios fructus Castaneis similes: quibus quatuor rubri siue incarnati nuclei continentur, quos dentibus terunt, ac in ore versant extinguendæ sitis gratia. *Sitis.* Fructus hi in aquam coniecti eandem acescere faciunt, ac amarescere palato: stomachum roborant, iecurque corruptum probè emendant. *Iecur corruptum.*

DE CORNO.

Cap. XXVII.

Cornus satiua, seu domestica.

Descriptio. A Prunis & Myrobalanis haud insubidè transimus ad Cornos & Cerasos, quæ & ipsæ carni inclusa putamina, & in iis nucleos edules magna ex parte habent.

Materies. Arbor procera satis est Cornus, & multis ramis brachiata, cortice subrubro vel cinereo, materie alba, firma, solida & dura. (corticem scabrum, & adstrin-



adstringentem valde dicit Match.) Flores primùm omnium profert, in ramorum surculis extremis insidentes, numerosos, breuissimo pediculo appensos, è quatuor foliolis extrà purpurantibus vel in ora, aliàs subluteis, intus conuexis, luteolis: intra quæ alia concoloria foliola, incerto numero, teneriora & minora ex quorum concursu apices attolluntur octoni, noueni, deni, hirsuti, qui in quaterna crocea foliola explicantur, staminula exigua lutea continentia. Subsequuntur fructus oblongi, ad Oliuam accedentes, graciliores, primùm virides, postea rubri, sanguinei, maiores; manus purpurâ rutilâ inficientes contriti, forma sua ad Iuiubas accedentes: gustu primùm acerbo, at ubi maturatione remollita fuerint, acido dulci & suaui cum quadam tamen adstrictione, ossa continentes oblonga, teretia, qualia ferè in oliuis, durissima: in quorum angustis cauitatibus nuclei latitant exigui, subdulces, graciles, quique vix integri eximi queant. Folia, qualia uirgæ sanguineæ, [Coroneæ Trago.] Videntur in icone paulò angustiùs picta esse. Reliqua pulchrè expressa.

Flos. Fructus. Sapor. Ossa. Nuclei. Folia.

Theophrasto Cornus [κρανία] quędam mas: quædam fœmina, quam & θηλυκρανίαν, id est, Cornifœminam [Gaza fœminicornum vertit,] vocant. Folium habet Amygdalo [ἔχει δὲ φύλλον μὲν ἀμυγδαλῇ ὅμοιον, habet textus, quem & Gaza sequitur; Dal. vertit utrique folium Malo, aut vulgari, aut Cydoniæ ex Matthiolo] simile; nisi pinguius crassiusque esset, corticem neruosum, tenuem: caudicem haud admodum crassum. Stolones [ῥάβδους] profert fœmina sicut Vitex, [de utrisque hoc dicit Dal.] quæ fruticosior est. [Dal. fœmina quamuis fruticosior, minores.] Vtraque habet, sicut Vitex, geminos, & ex aduerso collocatos. Materies maris excors, totaque solida, cornibus spissitate firmitatéque similis. At fœminæ materies medullam habet, & mollior est, atque cauatur, ideoque ad iacula (εἰς τὰ ἀκόντια) inutilis. Maris altitudo duodecim ad summum cubitorum, quanta nimirum sarissarum [σαρισσῶν, quamuis σαυνῶν in vulgatis legatur] Macedoniæ [quam vocem de suo addit Gaza] longissimarum. Nunquam enim totus caudex altiùs assurgit, [τὸ γὰρ ὅλον στέλεχος, ἄλλως οὐκ ἔχει, habet textus: legendum, ut uult Dal. τὸ θηλείας στέλεχος &c. θηλείας corruptum est in ὅλον.] Qui Idam Troianam incolunt, Marem sterilem dicunt, fœminam verò fructiferam. Nucleum fructus Oliuæ similem continet, gustu dulcem & odore: Florem Oleæ similem habet, & Floret (pro ἀνθεῖ, ἀνθεῖν) fructumque fert eodem modo, ex vno pediculo plura Corna proferens, atque eodem ferè tempore, quo Oleæ. At Macedones ambas fructiferas affirmant, sed fœminæ fructum haud esse esculentum. Radices Viticis modo, validæ & incorruptę.

Cornus mas & fœmina. Theoph. illustr. Materiei diuersitas. Theoph. emend. Alia eor. gest. Alia.

Idem Theoph. fœminæ fructum insuauissimum, (ἄβρωτον) lignum infirmum fungosumque dicit: tanta est inter ambas differentia, cùm mari firmissimum sit: quæ tamen postrema verba vel de suo addit Gaza, vel ex Plinio, nec in Græco extant: nostræ tamen benè conueniunt, vt ex natura ipsa deprompsisse illa verba videatur, & nostram marem existimasse. Sed & in præcocem ac serotinam distinguit Theoph. hancque quibusdam fœminam dici ait, & post autumnum demum fructum perficere, quem modò ex eodem insuauissimum & ædiximus. Addit Theop. eodem met cap. Cornu fœminam fructum ingustabilem cunctis animantibus gignere, de qua re in viribus. Qua verò ratione Cornus omnem respuat cultum, & vel negligi desideret, cùm siluestris sapidiorem mitioremque proferat fructum, ex eiusdem Theoph. sententia, inferiùs tradetur.

Præcox. Serotina. Fructus ingustabilis. Cransa.

Cornus ex sententia Diosc. [κρανίαν] arbor est fortis. [καρπὸν] fructum ferens Oliuæ modo, oblongum, primùm quidem viridem, deinde per maturitatem flauum aut cerinum. [ξανθὸν ἢ κηροειδῆ: alii ξανθὸν ἢ κροκοειδῆ, croceum: Lacuna legit in vetusto codice ἐρυθρὸν: & rectiùs, atque ad rem accommodatiùs.] esculentum, adstringentem &c. Plinius sanè Corno fœminæ sanguineum tribuit. Homer. Iliad. Τ κρανέλαιον κράνειαν, corticosam Cornum vocat, quæ inter se quatiat extentos ramos sono, nec sine fragore frangi EuroNotóque in montium conuallibus inter se concertantibus ipsamque concutientibus.

Diosc. emend. Synonima. Lapidosa Corna.

Ferre Pirum & Prunis lapidosa rubescere Corna.

Et Aeneid. 3.

Forte fuit iuxta tumulus, quo Cornea summo
Virgulta, & densis hastilibus horrida Myrtus:
Accessi, viridemque ab humo conuellere siluam
Conatus, ramis tegerem ut frondibus aras.

Ouid *Autumnalia Corna*. Horat. *Rubicunda Corna*: & alibi *syluestria Corna*. Eiusdem meminit Colum. traditque Arbustū gallicum desiderare arborem humilem nec frondosam, cuiusmodi sit Opulus arbor Corno similis: quinetiam Cornus. Et Plin. Cornus circa solstitia reddit primo candidum, postea sanguineum fructum. Ex eo genere fœmina post autumnum baccas fert acerbas, & ingustabiles cunctis animantibus: (quod de sequentis capitis corno fœmina, si modò ea Plinij sit, intelligi debet) ligno quoque fungosa & inutilis, cùm mas è fortissimis quoque sit, tanta differentia ab eodem genere fit. Item: ab his, quibus spissa est firmitas, proxima est Cornus: quanquam non potest videri materies propter exilitatem.

Autumnalia Corna. Corna rubicunda. Corna sylnestria. Cornus Sanguineus fructus.

Crania & Cornus Gal. θηλυκρανία, Cerasa Italica, Cornus Indica Trago. Corni, addit idem, in Germania nostra vnum duntaxat genus habemus, nempe id quod fert rubras baccas: quæ Cereos ferat fructus hauddum vidi.

Thebi cranis. Cornus Indica.

Vera autem Cornus, autore Cordo, duplex est: Siluestris & satiua. Vtraque in Germania nascitur. Nascitur siluestris Cornus pinguibus montanis locis. Distinguitur etiam alio modo, siquidem altera mas, altera fœmina existit. Mas apud nos (in Germania) montibus familiaris: quinetiam in hortis seritur. Statim Veris initio flores lutei coloris producit. Fœmina etiam in plana descendit: florem in pallido candicantem seriùs emittit, & seriùs fructum percoquit. Inuenitur fœmina Cornus, quam Græci θηλυκρανίαν vocant, plurima inter Danubij Vuerdam oppidum, & Augustam Vindelicorum. Cornus fœmina, masculæ Corno per omnia similis est: distat tamen ab hac, caudice minùs procero, minùsque recto flore racemo-

Differētiæ. Locus. Siluestris. Satiua. Cornus mas. Cornus fœmina. Locus. In quo differat mas à fœmina.

Digitized by Google

anni deflorescentem vidimus Aprili, quod mirum, cùm calidior ea regio quàm nostra. Basileæ verò anno 1609. cornum conspeximus florentem, & apes supra flores, mense Ianuario. Sed multùm tribuendum temperiei anni.

Satio. Scribunt, inquit Camer. arborem è semine nasci, non surculo. Ego verò vtroque prouenire obseruaui. Semen osseum tota hyeme latet sub tellure antequam prodeat. Theophrastus disertis verbis tradit prouenire & semine & surculo, vti suprà citatum. Surculo ab radice auulso & semine plantauimus, sed irrito conatu. Non enim prouenêre.

Cultus corni optimus est nullus cultus. Porrò si Theophrasto credimus, Cornus non solùm non desiderat cultum, verùm etiam ab omni abhorret opera, cultumque respuit: atque eò deteriorem fieri, ait, & egrescere. Quod si verum: *optimus illius cultus fuerit, qui vocatur nullus.* Quanquam Scaliger eam sententiam Theophrasti non planè digerere potuerit, quando ait: Quædam cultu multò deteriora redduntur: nonnulla dulcescunt, cùm humescere atque succo abundare cœperint, vt Corni fructus: hic enim mitescens (ἡμερούμενον) deterior (χείρων) redditur, atque in totum arbor ipsa humida, soluta, imbecillisque fit. At *Theoph. ib. Emend.* cùm antea dulcedinem esse diceret fructuum perfectionem: hîc in corno damnat eam (inquit Scal.) quã ex cultu capiat. Neque succum modò fieri deteriorem: sed materiam ipsam quoque. Sanè quæritur ad iacula. Itaque non mirum, si damnetur ob hoc cultura. Cæterùm fructus eius si vescendo est, quare factus dulcior, minùs commendetur, nescio. *Hæc ille.* Quæ eius ratio efficit vt illud ἡμερούμενον, non mitescens vertendum censeamus, vt Gaza fecit, vulgatam quidem eius sequens significationem, sed, ad cultum redactam, aut, cultu cicurem & domesticam: Nam quæ hæc esset simplicitas, *Theoph. locus explicatus.* mitiores fructus vel mitescentes dicere fieri, aut factos deteriores? Sed nondum transactum cum Theophrasto. Quid enim de dulcedine dicemus? An quia dulcedinem acquirunt fiant deteriora? Vt Theophrasto consulamus, & ipsi adeò rei veritati, vel dicendum, dulcedinem exactam & intensam illam non requiri in cornis, quæ subacidula ex dulcore quodam longè sint meliora, in sua specie, quàm si nimis dulcia reddantur: vel sanè (si alicui, cui valdè dulcia magis sapiunt, fortè non sapiat hæc ratio) χείρων non quidem deterius minúsue bonum, sed, minùs, simpliciter vertendum, quæ & ipsa eius vocis significatio est: quamuis prior ratio magis arrideat, ob hanc quam modò dicemus causam. Nam si cultu deterior fit, id propter fructum potissimùm intelligendum: licet ad materiam quoque trahat Scaliger, vti dictum. Si propter fructum: ergo quia hunc minùs coquit: minùs verò coquit ob humorem, quem vel cultu vel ex terra ipsa haurit culta. Quia igitur plus acquirit alimenti, quàm quantùm ei opus sit, non benè concoquit: ideoque neque fructum ritè ad perfectionem ducit. Vides vt à cultu hoc fiat, ab humore nimio, à terra præpingui, quam hæc arbor non postulat? Addamus & hoc, quod ad cultum requiritur ramorum & abundantium surculorum præcisio, quibus ferè neglectæ arbores scatent. Hos autem si præcidas, reliquos tum nimium sugere alimentum, quàm par sit. Sed vnus scrupulus *Obiect.* adhuc nos habet. Nam si Cornus æquè humidis ac siccis proueniat, cur iam dicamus obesse ei hu-*Solut.* miditatem terramue pinguem? Solutio facilis. Aliud enim arborem commodè hoc vel illo prouenire loco: aliud hoc vel illo meliorem, sapidioremque fructum aut materiam producere. Ac esset profectò hîc latissimus Philosophandi campus, verùm non sumus in Peripato. Illud, reseruatum Theophrasto à me Cherlero restituto, Latio reddito, commentario mactato, & varijs ac subtilissimis disputationibus Botanicis, & ex omni natura depromptis locupletato. Nunc hoc agamus: & velut corollario dissertatiunculam hanc claudamus hac quæstiuncula. *Theoph. restitutus per com. meum.*

Quæstio cur respuit cornus cultum. Sed cur denique respuit cultum Cornus? dicta namque est tantummodò causa ex incommodo consequente: dicamus & ex ipsamet arboris natura, & more depromptam. Sanè verò si arborum robustissima sit Cornus, quo epitheto & Theoph. & Scal. eam dignantur, susque deque merito habeat nostram in ea fouenda satagentiam. Nunquid nescis homines & equos, quorum natura robustissima, & ad labores comparata, si nimio cultu & mangonio non tantùm cicurentur, sed & reuera mitescant vigore, hoc est, vt nos interpretamur, remittant, languescant, fieri tandem ad labores, segnes, væcordes, elumbes. Illud etiam consideratione meretur, quod Theoph. inter ἰσαυξῆ(?) reponit ἀρκευθον, κρανείαν, ζύγον &c. Perpendendum an talis reuera dici possit Cornus: & an respondeat experientia? Nos quidem id nondum obseruauimus. Fortassis mallemus legere δυσαυξῆ, cùm hę omnes arbores tardioris sint incrementi, & durioris ligni. Sed siquidem tantum concessum robur cornis, nunc etiam vires earundem perpendi par est. *Arborum robustissima Cornus. locus Theo.*

Vires & vsus. alui fluxui. Tēperam. Corna, autore Hipp. & Mespila, & quæcunque alia huius generis poma, aluum sistunt & acerba sunt. Diosc. Fructus editur & adstringit, alui profluuio ac dysenteriæ salutaris, siue sapa conditus, siue aliter in cibo exibeatur. Oliuæ quoque instar in muria seruatur. Saniem verò etiam virentia folia dum vruntur exsudant, lichenibus conuenienter illinitur. Cornarius tamen pro φύλλων, ξύλον legendum suspicatur, ut de ligni sudore, non *Lichenes.* foliorum, istud intelligatur. Nec temerè: nam huius coniectura autorem habet Plin. qui idem re-*Diosc. locus e sc.* medij genus ex virgis desumi ait, quamuis diuerso modo: Sudor, inquit ille, virgæ corni arboris lamina ferrea candente exceptus, non contingente ligno, illitaque inde ferrugo, incipientes lichenas sanat. Conditura cura & cornis adhibetur, ne quid non hominis ventri natum esse videatur. Miscentur sapores, & alio alius placere cogitur. Miscentur verò & terræ cælique tractus. Sed eorum floribus læduntur apes. Cornum ita-*Cautio.* que arborem caueri oportet circa aluearia: nam flore eius degustato, aluo concita moriuntur. Hic *Tabern. error.* Tabern. aues pro apibus legit, ridiculo errore. Ecquis enim caueat aues, quibus nullus non tractus peruius? At apes arceri possunt, non consita hac arbore, prope aluearia. Corni arboris fructus, tradente Gal. admodum acerbus est, esui aptus. [experimur illam acerbitatem in immaturis non in iis quæ maturitate fracida sunt.] Ita-*Germina.* que mirum videri non debet, ipsum ualenter restringere, sicut & Mespila. Folia quoque & germina gustu acerba sunt, valenterque desiccant. Itaque maxima vulnera glutinare possunt, potiss. durorum corporum: at paruis vulneribus & mollioribus corporibus magis contraria sunt. Nam nimiùm ea contendunt, ac plus satis desiccant. Induntur etiam fructus in pharmacis stomachicis. Ait tamen Schola Salern.

Stomacho noxia. *Corna nocent stomacho: brutis malè grata rigenti.*
Si tuus illa voret venter, auarus erit.

Modus reponendi & condiendi. Ex ramulis Corni capiti imposita corona, sanat eius dolores, qui ex calidis vaporibus & humoribus contracti fuerint. Serenus.

Gallis, vt refert Ruell. Corna cum ematurue-runt in lagena patentissimi oris satis leuiter & laxè componuntur, ne collidi possint: deinde ad fauces vsque commissa vimineis surculis sic trans-uersis arctantur, ut modicè Corna comprimant, nec patiuntur ea, cùm acceperint liquorem, sub-leuari: quamoptimo & liquidissimo melle, vel vi-cario eius saccharo, vas vsque ad summum ita re-pleatur, vt Corna submersa sint. Hæc ratio non solùm ea custodit, sed etiam liquorem mulsei sa-poris præbet, qui sine noxa possit interdum da-ri febricantibus, præsertim si uentris profluuio si-mul corripiantur: suoque subacido gustu, & pala-tum inuitante morosam abigit malaciam. Possunt etiam torreri, vel sale Condiri sicut oliuæ, qua de re vide Columellam. Quidam saccharo & melle condiunt Sicut Cesara & Pruna siluestria: quo pacto parata & esitata dysentericis magno-pere prosunt. Et iam officinis quibusdam in usu, ea saccharo condire. Diligentiores etiam pul-pam ex iis conficiunt & in Electaria concinnant dysentericis expetitissima. Cordar. tradit multa condita ad assatas carnes in mensa poni, velut oli-næ colymbades. Fit & sapa ex iis quemad. ex Ce-rasis ad prædictos usus & ad opsonia. Item ad fe-bres, ad fluxiones biliosas, ad sitim, ad excitan-dam appetentiam. Quin & ex eorum decocto & saccharo ut tradit Matth. liquor, ignis opere & co-ctura concrescit, coagulaturque, qui præterquam-quod gratissimo placeat gustu, datur vtiliter dy-sentericis, ac fœminis mensium profluuio labo-rantibus.

Alui profluuium. *Malacia.* *Corna condita.* *Elect. ex pulpa.* *Sapa.* *Dysenteria.*

Ex Corni fructu fit & vinum, hoc pacto. Acci-pe vini rubri adstringentis lib. C. cornorum ma-turorum lib. x, aquæ chalybeatæ lib. xii. Commi-sceantur omnia in vase ligneo mundo, stant dies quindecim: postea in aliud vas defundatur vinum cuius nobilis efficacia in omni fluxu.

Vinum ex Cornis.

Electarium vero ex iisdem sic fit à pharmaco-polis. Cocta corna per cribrum cernunt, pulpam cum saccharo recoquunt, quo modo cydoniatum fit, vocantque *cornelinam* cuius usus in alui flu-ore.

Elect. parandi modus. *Cornelina.*

Corna sicca contrita, & cum oleo Myrtino aut omphacio mista in Emplastri formam, præ-senti auxilio sunt ad vomitiones, ventriculo im-posita: contra fluxum autem alui, abdomini in-ducta: contra menses immodicos, pectini & coccygi applicata.

Emplastrū ad Vomitu & menses. Alui fluxus. Cautio de morsis à cane rab.

In Hetruria abstinent demorsi à cane rabido per integrum annum à quorundam lignorum con-tactu, presertim corni arboris & sanguineæ virgę vocatę: siquidem (vt testantur ij qui rem experi-mento compertam habent) si harum virgæ tam-diu manibus teneantur, quoque concalescant, illicò demorsi rabie exagitantur. Memini, inquit Matth. me vidisse in ciuitate nostra Ilcinensi, a-micum quendam meum rabie correptum, quòd corni arboris virgis, lanam diu excussisset; qui, eorum oblitus, quibus sibi à medicis interdictum erat, rabidus interijt.

Obseruationes.

Fructibus etiā corni, qui ad Mosellam & alia in quibus hæc arbor luxuriat loca incolunt, sues sa-ginare consueuerunt, teste Trago.

Suum Cibus *Ligni Vsus*

Materies validissima Theoph. censetur vt ante citatum ex l. 3. c. 12. vbi ἀκοντίων, id est iaculorum meminit. Gaza vertit venabula, vsus voce Plini-ana, qui l. 16. c. 35 sambuco attribuit quæ Theo-ph. de corno dixit, vt, fusius dicetur l. 5. in historia sambuci. Cornus igitur propter validita-tem iaculis experita Scaligero: & pistrinarijs fa-bris ad parandos rotarum dentes. Virgis Lanifi-ces ad contundendas lanas vtuntur. Bizantii mul-tę officinæ eorum, qui ornant manubria pro se-curibus & alijs instrumentis corni ligno præ alijs scatent, quòd durius omnibus alijs lignis perhibea-tur: Hocque ligno quemad. & Asphendani onustę naues aduchuntur Bizantium in prædictos & alios vsus, ex regione Mengrelio, vt refert Bellon. vn-de patet etiam in ijs locis hanc arborem plurimā abundare. Corni lignum, autore Plinio, non aliū pene, quàm ad radios rotarum, vtile: aut si quid cuneandum sit in ligno, clauisque figendum seu ferreis. Inter Adagia celebris est Gordij nodus, quem & Gordonium nodum vocant. Hic autem, autoribus Arriano & Plutarcho, ab Alexandro magno solutus è corni arboris libro, quam alij ense dissectum scribant. Vt verò vult Io: Baptist. Porta quę corni baccę per maturitatem rubescunt, dysenteriis ualent, & muliebrium mensium excres-centiis, & albæ baccæ ad rubra profluuia.

Gordonius nodus corni cortice solutus.

CORNVS FOEMINA, PVTATA VIRGA SANGVINEA.

Cap. XXVIII.

Ex Fruticum familia est, quam Cornum fœmi-nam vulgò appellant, multis stolonibus luxuri-ans, ramis plurimùm oppositis, cortice spadiceo, sed ramorum sanguineo, odore virosò prædito, materie alba & dura. Folia ad corni satiuæ quam-proximè accedunt, atrouirentia, nonnunquam rubore asperso, bina ex opposito nascentia. Flo-res in vmbella gerit odoratos, candidos, quatuor foliis radiatis constantes: in medio obliquè sur-gunt totidem eiusdem coloris stamina, stilo recto, subuiridi. Baccæ Hederaceis vel iuniperinis pa-res, sanguineis petiolis appensæ, primum virides, per maturitatem nigricant, lacuna in vmbilico parua perfossæ; in quibus ossiculum pulpa uirente, acerba, insuaui, nec sine amarore immersum, striatum, nucleum continens album, amarum. Li-gni materies, autore Matth. dura osseaque, corno minimè cedens, virgis cornio tenuioribus, robustis, nodosis, cortice sanguinis modo rubescente.

Descriptio. *Folia.* *Flores.* *Fructus.* *Ossiculum.* *Materies.*

Cæsalp. fructus niger, ut in ligustro rotundus, olle binas cauitates habente in quibus singula se-mina continentur.

An sit Cornus fœmina veterum.

Si hæc θηλυκρανία Theophr. seu cornus fęmina e-ius & Plinii, huc pertinent quæcunque superiori capite de ea tradidimus. Sed an ueuera ea sit, ad-huc sub iudice lis est: uti patebit ex autorum cō-trouersia. Satis accedere videtur his notis. Se-rò fructificat: fructus insuauissimus & ingustabilis: caudex non admodum extat: stolones graciles ha-bet sicut vitex: & potius frutex est, quàm arbor. Quas omnes notas Theoph. suæ Corno fœminę tri-buit. Sed & nodos hæc habet, quos vtrisque cornis communes esse ait idem autor. Repugnat verò quod corniferæ Theoph. lignum infirmum, fungosum, & medullam habens tribuit. Huius verò lignum æquè durum ac firmum sit, ex multorum autori-tate, quàm corni maris. Sed hanc difficultatem diligentiores aliquando noua quadam obseruati-one conciliabunt.

Nihilo certiùs constat, an sit Virga sanguinea Plinii. Tam pauca enim de sua Virga sanguinea tra-dit, vt Oedipo ferè opus sit ad explicandum quā describat: Imò si verum fateri velimus eam nec describit quidem. Hæc enim de ea tradit, Nec vir-ga sanguinea fœlicior habetur. Cortex eius interi-

An Virga sanguinea Plin.

rior,

Digitized by Google

Sanguineus frutex.

rior, quæ præsanauere, [celeriùs quàm opus esset sanatæ sunt] aperit. Idem sanguineum fruticem alibi vocat, & de eius vsu ac viribus diuersis locis agit, quæ infrà trademus in viribus, ne ordo noster interrumpatur.

Tetragonia. *Dalech. not.*

Dalech. annotat, sanguineos frutices Plinij Tetragonias esse Theoph. quas Gaza Quadratorias vertit; & addit; sanguineam virgam Plinium appellare. Qua verò ratione Dalech. dicat, fruticem sanguineum esse Tetragoniam Theophrasti, nondum agnoscimus, cùm docti aliam iudicent Tetragoniam ab ea de qua dicitur cap. de Euonymo.

An Opulus Colum.

An sit columellæ Opulus, vt olim existimauit Dod. considerandũ sanè quæ de opulo pauca tradit Columella, & præcedenti cap. à nobis citata sunt, non malè videntur Virgæ sanguineæ competere. In historia Aceris & alia de opulo opinio traditur.

Synonima autorumque placita. *Idem Cornus fœmina. Virga sang. & Sanguinei frutices.*

Bellonius eandem plantam Cornum fœminam, Virgam sanguineam & sanguineos frutices videtur iudicasse, quando ita scribit: Arbor quam Macedones olim cornum fœminam nominarunt, quam Galli nunc Latinos imitantes *Des Sanguins* vocant, in monte Castagna inter vrbem Philippi & Bucephalum nunc *Cauallam* dictam, sito, non multò minores proueniunt, quàm magnæ nostræ corni mares.

Cornar. not.

An Corn. apud Diosc. hanc intelligit, cùm ait: Cornum fœminam esse puto, quam Germ. Faulberbaum & Faulholtz vocant, quidam etiã Spindelholtz. Sed fortè Cornar. confundit duas diuersas plantas, aut saltem diuersarum nomina. Spindelholtz enim Germani de Euonymo dicunt: Faulberbaum verò de Alno nigra.

Apud Cordum in Diosc. quidam hæc annotauit: cornum silu. aliqui interpretantur Faulholtz / Faulbaum: sed in aliis locis alios frutices alii.

Corni nomine indigna.

Cornus fœmina, inquit Ruell. dumetis & nemoribus familiaris: Sed quod neglectas & ingustatiles ferat baccas, indignam quæ Corni nomine vocaretur, rura putauerunt.

Sanguinello.

Matth. verò, Corno, ait, haud absimilis est planta, quàm in Hetruria à sanguineo virgarum colore vulgari idiomate vocamus *Sanguin.* & *Sanguinello.* Sunt qui velint Cornum esse fœminam, sed non video [inquit quibus argumentis hoc probare nitantur: Virgam sanguineam esse Plinii non ausim affirmare.

Non esse Cornum fœminam. Virga sanguinea. Sanguino. Pseudocrania. ossea. Corniolus

Et alibi scribit: *Sanguino* in Tuscano, multis *Cornelo* (Cornus *fœmina*,) quorum falsa opinio. Et in Germ. Hartrigel quidam vocant Pseudocraniam, alii osseam: Plinio est Virga sanguinea, Corniolus.

Nominis Germanici rationem reddit Tragus, quia (inquiens) fruticis huius lignum, maximè cùm aridum fuerit, securi & terebro, mirum in modum repugnat, ideo apud Germanos id nominis sortitus est, vt Hartrigel vocaretur, licet ea appellatio ligustro quoque à nonnullis tribuatur, sed perperam. Quod si hic frutex arborescens hyeme folia sua non amitteret, vocarem illum Celastrum Germanicum.

Celastrus

Germ. Cornus fœm. Virga sang. Pseudocrania.

Gesnerus tamen & Cornum fœminam, & Virgam sanguineam Plinij diuersis locis dicit, caprisque gratam, vnde nomen sit apud Gallos. *Sanguenum* Italis. Rot Hergerten. Pseudocrania Cordi, id est, falsa Cornus. Quærendum nomen an hæc sit arbuscula seu frutex, quem à ligni duritia Germ. Hartriegel appellant, addens Plinio virgam sanguineam esse & eruditis Cornum fœminam coniici, sed cum mox cap. 30. aliam Cornum fœminam describere, cuius ipse Iconem apponat.

At verò hæc icon quæ ex Trago apposita est Cordo nobis neutiquam videtur respondere descriptioni Cordi.

Lonicero, Cornus silu. Spindelbaum Faulbeer / Cornus fœmina: Item alibi Hartriegel, potest dici ossea. Sed malè idem duas ponit figuras & duobus locis diuersis de eodem frutice agit.

Phillyrea.

Euchar. Rosslin in suo Herbar. scribit Phillyream Diosc. existimari à nonnullis Hartriegel. Intelligit autem Cornum fœminam: quo nomine vno loco depingit, & altero sub titulo Spindelholtz / Faulbeer / cornus siluestris.

Lonicerus. Thelycrania. Opulus. Sambucus silu. Sanguinus.

Dod: hist. Gal. *Cornellier sauuage* Gallis: Theoph: *Θηλυκρανία*: Lat. cornus fœm. Colum. Opulus: quibusdam Brabantis, Wilden Vlier / id est, sambucus silu. ita dicta, quia nuper natos ramulos plenos medullæ habet, vt sambucus. Item: Virga sanguinea, ab Ital. dicta *sanguino, Sanguinello.* Petro crescentio *Sanguinus*: Bel. Wilde cornoellee, id est Cornus silu. Videtur Thoph. Cornus fœm.

Dodon. reprek. *Lob. not.* *Fusaria.*

Valerius Cordus *Ψευδοκρανίαν* facit, inquit idem Dod. id est falsam seu spuriam cornum. Nobis verò non videtur Pseudocrania Cordi, licet cum Dod. idem sentiant Lob. C. Bauh. & Schwenckf. Apud Cordum enim sunt duæ diuersæ plantæ eo nomine, quarum neutri nobis videtur conuenire, quicquid dicat Lobel. qui sic ait: cornus fœm. *Ψευδοκρανία* cordi, Germ. Spindelholtz & faulbeer, id est, Fusaria. Coriariis expetitur frutex Cordo.

Aduersaria cornum fœm. Pseudocraniam Cordi, & Virgam sanguineam vnum & idem faciunt: quam rectè, ipsi viderint.

Lanionibus in vsu.

Turner. Cornus fœm. Angl. quibusdam, Dog berri tree: alijs corne tree femall: alijs, quòd lanionibus ad verucula conficienda in vsu sit, Prick tree.

Cautè Cæsalp. *Sanguen* inquit, vulgò, folia subhirsuta: hanc Plin. videtur intellexisse Virgam sanguineam vocans. Hanc autem Theoph. cornũ fœm. videtur intelligere.

Corniolus *Schwenckf. not.*

Securè Schuenckfel. corniolus *Θηλυκρανία* Theoph. Pseudocrania Cordi, Scheißbeeren Silesijs, Faulbaum / Hartriegel Siles. Spindelholtz. Enimuerò qui ista nomina in vnius plantæ designationem concordarit, is nobis egregius & subtilis Botanicus fuerit: difficultates iam in præcedentibus ex parte declaratæ, & suis quæque locis declarabuntur.

Camer. circumspectiùs eadem ferè dicit, quæ Cæsalp. Causam reddit, Virgam sanguineam Plinij asseri non posse, quòd breuis sit in ea.

Θηλυκρανία & corn. fœm. H. Lugd. Tabern. & Thalio. Cornus silu. fœm. Rysfio. Bohem. Swida / Hung. gyroufa. Reliquarum linguarum synonyma dicta sunt fusè, suis quæque autoribus tributa.

Virgam sanguineam hanc dictum putamus fruticem [si coniecturæ locus est] propterea quòd virgæ eius magna ex parte rubent, sanguinis instar quamuis Veteribus & alia de causa sic dicta videatur, quòd ex verberatione Parricidarum, antequàm morti traderentur, sanguine madebant, vnde fortè, eius lignum apud Priscos infelicissimum habitum, vt specialiùs dicetur in viribus.

Locus.

Subeunt in montosa sanguinei frutices: Plinius. Verùm non in montibus tantùm. Nam in sepibus, frutetis, siluestribus & saxosis locis passim Germaniæ fruticat. Vidimus etiam circa Monspelium & Parauium. Prouenit in Anglia quoque, Turn.

Tempus Floret April. & Maio, Dod. Iunio, Trago. Iulij initio in Silef. Schuuenckfeldio: Nos Montbelg. etiam Septembri, Geneuæ octob. & Nouemb. Lugduni Maio, Basil. Aug. sept. ac etiam octobri, præsertim circa Mutetum, (celebrem ob herbarum frequentiam) montem vicinū florentem obseruauimus. Baccæ imminente autumno magna ex parte nigrescunt, Sebtemb. maturentur.

Vites & vitia. Baccarum sapor. Oleum è baccis. Virgæ sanguineæ baccę, gustu sunt amaro, acerbo, adstringente, vnde necesse est consimili facultate præditum esse earum oleum, quod Ananien sia rura in Tridentino agro conficiunt ad lucernarum vsum, expressis torculari, decoctis priùs in aqua baccis, vt tradit, Matth. Eodem teste, iam suprà dictum in Hetruria demorsos à *Cane rabido demorsi.* cane rabido abstinere à contactu sanguineæ virgæ siquidem si Virgæ tamdiu manibus teneantur, quousque concalescant, illicò demorsos rabie exagitant.

Orbus arbor. An de hoc frutice sequentia scribat Fracast. de contag. morbis. l. 2. in fine capitis. 1. considerandum, ait: cur verò & qui sub Orbo arbore iacent, verrus in rabiem vertantur, si alias rabidi fuere, consimilem habet latentem causam si modò verum est, quod fama quadam circumfertur, nihil autem prohibet vapores, qui ex ea arbore continenter exhalant, stiptici quidem & hi licet dicere melancholicis, ad hominem delatos, & intus calefactos idem facere posse, quod & seminaria rabiei, magis autem in eo, qui rursus rabidus, propter derelictam dispositionem.

Turdorum cibus Cæsalp. reprob. Baccarum varia vis. Fructus à turdis multum expetitur, autore Cæsalp. Cui non consentit Dod. qui scribit: Baccas sapore ingratas & volucrium nulli desideratas esse. Partium dissimilarium sunt, quasdam enim habent calidas, amaras, & extersorias: plurimas verò frigidas, siccas, acerbas & adstringentes. Et sanè huic Dod. sententiæ optimè quadrat quod de corno sua fœmina tradit Theoph. fructum eius & Buxi cunctis animantibus ingustabilem esse. An verò reipsa expertus sit Cæsalp. contrarium, nos latet.

De Virgæ sanguineæ viribus sic Plin. Nec Virga sanguinea felicior habetur. Cortex eius interior cicatrices, quæ præsanauere aperit. Item: sunt qui sanguineis virgis tangunt ea, quæ nolunt his obnoxia esse: nimirum, formicis, erucis &c: Eiusdem frutices vitibus vincula suppeditant. At corticem ea præstare nec compertum, nec verisimile Dod. putat. Nobis vero haud similius putatur quod de eorum contactu insecta fugari scri- *Cur infœlix putata Virga sanguin.* bit. Sed cur infœlicem dicit? Modestinus in l. penult. ff. ad leg. Pomp. de Parricid. antequàm sac- *Parricidæ Olim Virgis sanguineis cædebantur.* co parricidæ inderentur, ostendit in more fuisse positum, vt virgis sanguineis cæderentur: nempe ex hac arbore sumptis, non, vt quidam legunt, sagmineis, aut, vt alij interpretantur, sanguine rubentibus, ac rorantibus, quoniam hoc lignum infœli- *lex de Parricid. exposita.* cissimum haberetur, ac maximè infame. Magius, & ex eo Dal. Porrò quæ ex hoc frutice vtensilia & rustica instrumenta, potissimùm verò ad carros pertinentia conficiuntur, ea diu durant, nec facilè *Ligni vsus* corrumpuntur, teste Trago: qui quid in medicina possit, sibi inexpertum fatetur. Camer. verò tra- *Aqua ad strumas.* dit Italos ex huius ligno aquam stillatitiam elicere, qua sola strumas (si qua fieri id possit ratione) penitùs discutiat: sin minùs, maturare partim & diminuere. Ryff. Coriarijs expeti hunc fruticem ait: *Coriarii* sed indagandum id à coriarijs, an hic ipse sit, quem expetunt. Nobis enim de hac re nihil constat.

CORNVS ADVLTERINA SEV PSEVDOCRANIA CORDO.

CAP. XXIX.

Descriptio PSeudocrania, arbor est, quatuor, quinque aut sex cubitorum altitudine, caudice distorto vt plurimùm, crassiore quàm vt manu complecti queat, cortice vestita spadiceo, ramisque pluribus brachiata. Folia habet subrotunda, ac interim in *Folia.* breuem mucronem desinentia, leuissimè per ambitum serrata, rarò sesquiunciâ latiora, figurâ in- *Flores.* ter Tiliam, Betulam ac Pitastrum media. Flores post veris initium secus folia è surculis ramulisque profert paruos, colore propemodum in herbaceo pallescentes, staminibus paucis breuibusque stipatos. In medio flore exiguum & oblongum eminet secuturi fructus rudimentum, quod paula- *Fructus.* tim relicto post se flore, in oblongam excrescit baccam, vtrinque modicè turbinatam, & Corni fructus modo ouatam. Radice nititur multifida, *Radix.* quoquouersus distractâ. Nascitur in saxosis collibus inter petras, quales sunt supra Regenspurgum *Locus.* vrbem (quam Ratisbonam vocant) in vtraque Danubij ripa, & circa Selhemium. Cordus.

Scimus esse qui velint plantam hanc à Cordo descriptam eandem esse cum Corno fœmina quorundam, seu Virga sanguinea, vt Dod. Lobel. C. Bauh. Schuuenchf. Verùm descriptio non videtur nobis conuenire, vt iam monuimus cap. præced.

Considerandum an affinitatem habeat cum Alno nostra baccifera altera.

DE CERASIS IN GENERE.

CAP. XXX.

Descriptio IN tanta Cerasorum varietate, primùm Autorum dogmata de ijs prælibanda.

Ceraso, auctore Theoph. natura peculiaris, magnitudo excelsa, quippe quæ ad XXIV cubitorum altitudinem excrescat, admodum recta, & ab ima *Radix.* radice crassitudinis bicubitalis. Folium habet *Folia.* Mespili [sed Setaniæ non Anthedonis. Const.] sed prædurum & latius. Vt vel è longinquo hæc arbor *Folia.* colore [& altitudine] cerni queat. Corticis leuore, colore, & crassitudine Tiliæ [φιλύρᾳ] similis est: ideoque cistas ex ipso conficiunt, sicut etiam è Tiliæ *Cortex.* corticibus. Hic cortex neque recto ductu ascendit, neque in ambitu æqualiter [κατ' ἴσον] circumnascitur, sed voluatim (ἑλικηδὸν: ἑλικὸς vulg. habet: quidam λεῖον legendum censent.) ambit, ab inferiùs sursum se adducens, quemad. & foliorum des- *Theoph. emend.* criptio. (ἀναχρεῖ: intelligimus figuram quando conuoluuntur, vtrinque adductis) cumque desquamatur, hoc eodem modo decorticatur: alioqui scissilis est, nec pars aliqua eodem filo detrahi potest. Crassitudine verò foliatim attenuatur, corticis reliqua parte æquè arborem conseruante, ac integro, quo antea vestiebatur. Cùm verò & reliquus cortex aufertur, exit humor quidam. Sin verò externa tantùm tunica, reliqua pituitoso (μυξώδει) quodam humore nigrescit. Rursus, quæ anno secundo, tunica, vice illius subnascitur, verùm tenuior. Materies neruis cortici similis, tortili ac conuoluto. Virgæ eodem omnes modo illicò enascuntur. Ramis crescentibus euenit, vt inferiores assiduè vergant & nutent, alij sursum versus increscant

crescant. Omninò arbor hæc minùs nodosa, multò tamen nodosior quàm nigra Populus: radice alioqui multiplici, perquàm sublimi sed non admodum crassa innititur, & conuolutio eadem radicis, & corticis radicem tegentis. *Flos.* Flos candidus, Piro & Mespilo proximus, ex paruis floribus constans, forma fauaceus. *Fructus. Faba. Dyospyrus. Locus.* Fructus ruber, figura Diospyro similis, magnitudine Fabæ, Verùm Diospyri nucleus durus, Cerasi autem mollis. Nascitur vbi Tilia: omninò autem vbi amnes, & rigua. Huic arbori humor in lachrymæ modum densatur. *Hæc Theoph. de Ceraso verba*, aptè videntur quadrare cum nostra Ceraso, quamuis operosus admodum videatur in descriptione corticis: si quis tamen diligenter attendat; & nostræ quoque aptari posse, intelligent periti.

Theoph. locus ex[plic]atur. Flores fauaceos (κηριώδεις Gaza legit, non κηρώδεις vt vulg. habent) dicit, vel ob concauitates scilicet frequentes, vt Scal. censet, vel quia, vt ipsemet alicubi Theoph. loquitur de re simili, est quædam σύζυγία πολλῶν μισχῶν ἀπὸ μιᾶς κοτύλης, ex qua flores Cerasorum dependent. *Theoph. expl.* Istud fortè alicui difficultatem iniiciat, quòd Cerasi nucleum mollem dicat. Sed sciat, ipsum relatiuè hoc dicere: præmittit enim Diospyri durum esse. Alioqui per se & simpliciter ossiculum Cerasij durum quidem est; quominus dentibus frangi conteriue possit, id quod in suibus animaduertitur, qui ea veluti glandes, agminatim, nulloque negotio fracta comminuunt.

Clara sunt, quæ de Ceraso Plin. habet. Medio genere, inquit, l. 15. c. 24. inter baccas acinosque (fructus sunt) Cerasis. Pomum his primò candidum, vt ferè omnibus baccis. Mox aliis virescit, vt Oliuis, Lauris: rubet verò Moris, Cerasis, Cornis. deinde nigrescit Moris, Cerasis, Oliuis. *Plinius explic.* Notandum tamen hoc loco non omnibus Cerasis nigrescere, sed quibusdam inter eas speciebus tantùm. Idem Cerasum inter peregrinas (Italiæ) arbores recenset. Quando autem esse cœperint, dicetur in loco. Eidem, sanguineus succus cerasis, quorum intus lignum, extra caro: cute & succo teguntur. Ramolarum Cerasus etiam in XL cubitorum trabes, æquali per totum duum cubitorum crassitudine reperitur.

Cerasi amplius. Athenæus Cerasi historiam potiùs implicat, quàm explicat, quãdo in hunc modum ex Theoph. tradit. De cerasis hoc Theoph. in opere de plantis scriptum reliquit. Peculiarem quoque naturam sortita est cerasus, vastæ magnitudinis, vt quæ ad cubitos XXIV assurgat: *Mespili fo[lio].* folijs Mespilo (Setaniæ nõ Aroniæ Dal.) similibus, duris; crassioribus, *Tilia Cortice.* cortice Tiliæ simili, flore candido, qualis est Piri & Mespili, ex parvulis floribus composito, qui ceram olet, κηρώδης. *Theoph. ex Athen. illustratus.* Apud Athen. κηριώδης: Ruell. fauõ similis, sicut & nos antè, quam vers. & Scal. & Const. doctissimi viri admittunt. At negat Dal. hoc in flore perspici, & odoris Cerei reddit, & omninò verum esse dicit. Et admittimus, tanquam ingeniosam interpretationem, nec reiicimus. Sed an ad mentem hoc sit Theophrasti, valdè ambigimus: cui consuetum, non vno loco flores aut fructus fauaceos seu κηριώδεις dicere, qui in densum agmen & velut in glomerem aut umbellam fauaceo stipatu aggesti sunt.) *Pergit Athen.* *Melampyri fructus.* Fructu rubro figura, Melampyro [Theoph. Diospyro] simili, fabæ magnitudine: At Melampyri *Diospyros.* [Theoph. Diospyri] nucleus durus est, Cerasi mollis: [Theoph. Diospyri nucleus mollis est, Cerasi durus. Diospyros autem est Guaiacana, Dal.] *Crataegus.* Rursum idem Theoph. cratægus: aliis cratægum dicitur: (cratigon mendosè, legend. crataigona Const.) Folium, inquit, rigidum habet, Mespilo (Aroniæ non Setaniæ. Arbor hæc Sorbus est torminalis offic. & herbario. Dal.) simile, sed maius, latius, oblongius, & in eo scissuras, Mespilo dissimiles. Arbor ipsa nec crassa est admodum, nec procera: lignum varium, flauum, firmum: cortex læuis, qualis Mespili, radix quæ vnica est, non altè descendit: fructus rotundus, Oliuæ siluestris [ἠλίκον ὁ κότινος] magnitudine: maturus è flauo nigrescit, succo & sapore Mespili. Quamobrem agrestis Mespilus esse potiùs arbor videtur. His scilicet verbis Philosophum [Theoph.] arbitror, inquit Athenæus, quod nunc appellant Cerasion indicare. (Egregium sanè verò iudiciũ in discernendis plantis: sed danda ei venia, vt parum in re herbaria exercitato. *Athen. parum in re herb. exercit.* Asclepiades (pergit Athen.) Myrleanus arborem quandam chamæcerasum nominans, ita scribit. In agro Bithyniæ chamæcerasus gignitur cuius radix non est admodum magna. nec ipsa arbor: sed par rosarum arbori &c.

Mox cerasi originem traditurus idem Athen. in Græcos inuehitur sub nomine Laurentij cuiusdam Rhetoris, his verbis: Vos quidem Græci, *Græci gloriosi.* vobis multa vendicatis, quòd ea primùm vel à vobis inuenta sint, vel nominata, hoc tamen nescitis, Lucullum, Romanum Imperatorem, qui Mithridatem & Tigranem debellauit, è Cerasunte oppido Ponti, hanc plantam in Italiam primùm aduexisse, eundemque nomine ciuitatis *Cerasi etiam nominis origo.* illius, fructum hunc Cerasum nuncupasse, quod proditum est à nostris Scriptoribus: (Latinis vt existimamus) *Hæc Athenæus.* *Athen. not.* Ex quibus apparet dubitasse illum quid esset cerasus apud Theoph. & an eadem quæ cratægus, de qua egimus cap. de Sorbo Torminali, lib. histor. nostrę primo. *Dal. not.* Nec placet nobis à quibusdam in Gręco Athen. textu antiquo & versione Lat. mutata quę dicuntur de nucleo Diospiri & cerasi in contrarium sensum, quandoquidem ipsemet Theoph. ita habeat: aut monendum erat Athenæum habuisse Theoph. codicem corruptum, quod tamen diligenter considerandum, priusquam certò affirmetur, nec classici Autoris textus tam facilè immutandus. Non displicet quidem mutatio lectionis Melampyri in Diospyron, quia ex Theoph. desumpta, resque ipsa se ita habere videtur. Indignum profectò Athenæo iudicaremus, post cerasum & cratægonã tradere de comaro & Memecylo, & postea iterũ de ceraso, quasi congeneres essent plantæ, nisi & *Athen. not.* alibi apud eundem obseruassemus, eiusdem plantę historiam, interuentu alterius, & fortè nihil minùs quàm congeneris, diuulsam, quod in viro docto & ordinis saltem, si non methodi studioso, neutiquam ferendum. Nos ea quę de comaro scribit, in medio ferè illorum quæ citauimus, & in viribus citabuntur, relegauimus ad caput de Arbuto. An verò Guaiacana sit Diospyros, vt censet Dal. suo loco videndum. Sic itaque de tribus distinctis arboribus vno quasi tractu agit Athen. *Diospyra.* quarum prima est cerasus Theoph. altera Arbuti: Tertia (dicenda in viribus) est, cerasi vulgaris, quam nec distinguit à ceraso Theoph. nec an eadem sit docet. Quod autem de Lucullo tradit, eadem & à Plinio de ceraso vulgari tribuuntur.

Cerasi porrò & Diosc. meminit, prêter vires, nihil habens: & Varro, & Palladius, & Galenqui & Diosphyra habet. Verùm quid sint Diosphyra apud Gal. considerandum, & diligentius perquirendum. Const. [illegible] Galeni eadem putas

quæ Διόσπυρα Theoph. de qua suprà mentio facta in descriptione Cerasi. Nec enim aliud tradit vel Theoph. vel Gal. de Diospyro vel Diosphyro (si modo sint vnum) quam quòd ille quidem nucleum habere satis apertè insinuat, quando cerasa ossiculum durius habere tradit, hic verò sua Diosphyra, quemad. & corna inter eos fructus recenset, qui exiguum quidem habeant alimentum, sed praui succi sint omnes. Vt suspicio aliqua sit Diospyra Veterum ad cerasorum aliquod genus accedere posse: difficile tamen, quid sint, definitè pronuntiare in tanta Autorum breuitate.

Rob. tamen Const. in Lex. liberè dicit Διόσπυρον vel Διόσπυρον genus est Cerasi de quo Theoph.

Nostram Cerasum esse antiquorum. Gaza dit.

Hermolaus non separat Cerasum Theoph. à Pliniano atque adeò nostrate: Gazam verò redarguit, quòd apud Theoph. Διόσπυρον Iouis flammam interpretatus sit, cùm Iouis triticum interpretari debuisset, si vocis vim exprimere voluisset. Sed nec Ruell. distinguit inter Theoph. Plin. & nostram Cerasum, quemad. nec Tragus.

At Anguil. in epist. Dubitas, inquit, an nostra Cerasa sint ea de quibus meminit Theoph. mihi etiam res suspecta est, quia nescio quid velint hæc verba: φύλλον δὲ ὅμοιον τῷ τῆς μεσπίλης: quia describendo Mespilum, dicit habere folia Apii: Postea loquens de flore ait: ἄνθος δὲ λευκὸν ἀπίῳ καὶ μεσπίλῃ ὅμοιον ἐκ μικρῶν ἀνθῶν ... &c. Has notas nostris Cerasis non respondere, nec in foliis nec in floribus apparet: Aliorum tamen esto iudicium. *Hæc ille.* De mespilo suo dictum loco, & quid de illa foliorum comparatione sentiendum: nempe Setaniam intelligendam, vt & suprà dictum. Quam verò de floribus adducit difficultatem Anguil. est certè aliqua, nondum enim planè apertum est, quomodo flos Cerasi nostratis ex multis flosculis congestus sit. Quid si racemosam intellexisset Theoph. Aut, quid si pro ἀνθῶν, legendum sit φύλλων ita vt foliola florum, intelligantur. Iudicent docti.

Mespili fol. *Coniectura in Theoph.*

Cratægus.

Fuerunt, inquit Goropius qui putarunt cratægũ à Theoph. descriptum Cerasum nostram esse: quam verè non iudico: id interim displicet, quod illustrem Mespilum videri dicant.

Linguæ. Synonyma.

Cerasus arbor κερασὸς Græcis, & κέρασον fructus vt Const. interpretatur: & in Geopon. κερασέα pro eadem arbore, vt idem explicat. Diosc. verò κεράσια Cerasa, pro fructu, & Cerasia, vt interpretes vertunt, pro eodem. κερασιῶν κόμμι vertunt gummi Cerasorum. Had. Iunio Cerasus κερασὸς Græcè est. Iudæis, teste Trago, **Gudganniorb**, ex nomenclatura Eliæ Leuitæ. Arab. *Serasie* & *Sarasie*. Germ. **Kirsen** vel **Kirschenbaum**: deme arboris nomen **baum**, & habes fructum. Belg. **Kerseboom & Crieckenboom / Kriecken / Kersen / Crieckeu.** Ital. *Ceregie, cerasa* Gal. *Cerisier, Cerise*. Hisp. Castil. *Cerezas* aut *Guindas*: Catal. *Cireres*: Port. *Cereias*, aut *Gineas*. Bohem. **Wissne.** Hung. **Cherosnyosa.**

Gudganniorb. Hebr. *Hissan.*

Differentiæ.

Cerasorum multiplex differentia, à sapore, colore, figura, magnitudine, loco, autoribusque seu inuentoribus ipsis.

Aproniana. Actia. Cæciliana. Iuliana. Duracina seu Pliniana. Lusitana. Variegata. Laurea. Macedonica.

Cerasorum, inquit Plin. Aproniana maximè rubent: nigerrima sunt Actia: Cæciliana verò & rotunda. Iulianis gratus sapor, sed penè tantùm sub arbore sua, adeò teneris, vegetatum non toferent. Principatus Duracinis, quæ Pliniana Campania appellat: in Belgica verò Lusitanis. In ripis etiam Rheni. Tertius ijs color è nigro ac rubenti viridique similis maturescentibus semper. Minùs quinquennio est, quod prodiere quæ vocant Laurea, non ingratæ amaritudinis, insita in Lauro. Sunt & Macedonica paruæ arboris, raroque tria cubita excedentis: & minore etiamnum frutice chamæcerasi. Inter prima hoc è pomis colono gratiam annuam refert.

Chamæcerasus.

Hermol. differ. Laurea cerasa amarasia. Cerasium.

Hermol. etiam quædam ad differentias pertinentia tradit, his verbis: sunt & Laurea Cerasa. *Amarasia* dicuntur vulgò, quasi amara Cerasia. Etenim Pomum ipsum non Cerasum vocari Seruius præcipit: Cuius & illa quoque verba sunt, Cerasium, inquit, & antequam è Ceraso vrbe Lucullus adduceret, erat in Italia, sed durum, & Cornùs appellabatur, quod postea mixto nomine Cornocerasium est vocatum. Sint autem Cornocerasia idem cum Duracinis genus, an verò Seruio credendum, qui Cornum in Italia Cerasium fuisse prodat, cùm alia res sit Cornus, alia cerasus omninò, satis ambigimus. Cerasiorum porrò discrimen alterum quod Romę Visulum appellant, frequentissimum in Germania & Gallia.

Cornocerasia. Duracina. Seruius not. Visulum. Viscina.

Sed in Scythia ferè supra modum, vbi & Viscina Barbari cognominant, vt Pomponius Lętus, qui ea loca modò inuisit, constanter affirmat. *Hæc ille.* Videntur autem Viscina Barbaris dicta, eadem quæ Germ. **Weichslen** vocantur.

Gallia Cerasa. Chamæcerasus.

Ruellius de Cerasorum differentiis sic scribit: Gallis horum Malorum varia notantur discrimina: quædam mediocri arbore, interdum pumila, quasi frutice (quam chamæcerasum dici puto) 1
pendent: pediculo breui, pomo rotundo, rubente, carne multa, molli, succosa, osse intus duro, nucleo dulci. Hoc maximè grato placet acore, morosoque laborantium morbo palata recreat, prægnantium etiam malaciis, antequam maturescat expetitum. Hoc Francis tantùm cerasii nomen meruit. Reliqua varias sortiuntur appellationes. Quædam Pomo prodeunt proximo ex arbore grandiuscula, longiore petiolo, fructu multò acidiore & subacerbo cętera simili: vulgus Merasia nominat. Ea nimio sui acremento respuuntur, vt alia, nimia sui dulcedine fastidium pariunt. Alia proceris arboribus exeunt, turbinatiore pomi figura, longioreque, pediculis longis, pluribus vnà cocuntibus: baccis partim candicantibus, nonnunquam in totum rubris: prædulci carne, ori iucunda, fragili intus osse, nucleo non insuaui. Sed hoc Malum longè acidis fugacius, primumque in Cerasiorum genere maturitatem sensit; vulgus nunc *Guinea*, nunc *Guindola* vocat. Sed inter ea habentur crassiora, alba carne, prædura, magna ex parte albicantia, prædulci gustu, callo corporis nucleo pertinacius hærente: ob hoc putarim Veteribus Duracina Cerasia nuncupari. Quæ in totum rubent, mollitie cedunt. Quæ partim albicant, partim rubescunt, cùm vtrisque societatem incunt. Celeriùs inarescunt, quæ molliori constant carne. Inueniuntur & alia in siluis & & nemoribus, nonnunquam in dumetis & cultis, baccis paruis, multùm infra dictorum magnitudinem: callo carnis rotundiore, ossibus appresso, parte Soli obuersa rubescente, auersa candicante, sapore dulci quidem, sed diluriore: ruri familiaria, spontè nullo humano cultu nascentia. Alia nigerrima, quibus succus inest, sanguineus, ea vescentiũ manus & labra sanguine suo & Mororum modo, inficiunt: vtraque Sessiana rura vocant. Sed posterius hoc Veteribus Actianum dici putauerim, vt prius illud forsitan Cæcilianum, curtato [vt in Gallia plerumque fieri solet] vetere vocabulo, ac Cesilianum pro Cæcilianũ concisum proferentibus.

Cerisa. Acida pediculo longiori. 2. Merasia. 3. Dulcia Guinea. Guinea. 4. Duracina. Rubentia. 5. Variegata. Siluestria rubentia. 6. Nigerrima. 7. Sessiana. Actiana. Cæciliana.

Germaniæ vsitata Cerasa Tragi. 1.

Germaniæ vsitata Cerasa Tragus describit: Inter varia, inquiens, genera vel appellationes primum

Amarellen.

mum locum obtinent apud Germanos, quæ punicei sunt, seu spadicei coloris, acidi saporis, Amarellen / Wiechslen / Weinsicll iisdem appellata. Hæc fortè sunt, quæ nonnulli Macedonica, Merasia & Guidola vocant. Acida verò & vulgaria cerasia Emmerling vnd Blockerkirsen Germ. dicta, fortè Aproniana appellari poterunt. Nigra, Germ. Wildvogelkirsen/ Cerasia Actiana Latinis nominantur. 4. Quæ iucundissimi sunt saporis, & Germ. Großbundrkirsen nominantur, Iuliana Lat. dicuntur. Rotunda cerasa, Cessiana & Cæciliana: Dulcia planè, cuiusmodi sunt alba, Ger. Wißkirsen. Duracina & Pliniana, quæ Lauro insita fuere & amara prorsus sunt Laurea, & Amarasia nuncupantur.

Macedonica. 2. Merasia. Guidola. Aproniana. 3. Actiana. 4. Iuliana 5. Cessiana 6. Duracina. Laurea. Amarasia. Fuchs. differentia 1. Rubra, Amarellen 2.

Fuchsius aliter distinguit, dicens: Multa cerasiorum sunt genera: in Germania tamen tria, quod sciam, duntaxat proueniunt. Primi enim generis sunt rotunda, ac maximè rubent, suaque voce illis dicuntur Amarellen. Alterius generis, quod ad figuram attinet, prioribus similia sunt, differunt autem colore qui illis ad nigredinem accedit. Vocantur autem illorum lingua Wiechsel. Tertij generis prædictis minora sunt ac longiora, partimque rubent, partim nigricant; à nonnullis priuatim Kirsen / vel Kriesen appellantur. Quæ in vtroque genere nigra sunt, ea vescentium manus & labra succo suo, qui sanguineus est Mororum instar inficiunt.

Nigra Wiechsel 3. Dulcia, Kirsen.

Cordus tradit, austera & maiora, quæ non in magnis arboribus nascuntur, esse ea, quæ è Ponto primùm in Italiam Lucullus attulit. Quæ verò dulcia sunt & in proceris arboribus nascuntur, sponte sua vbique in Germania prouenire. Duracina Plinij autore Cornar. etiam hodie durant, suntque ea, quæ ad Rhenum Rincauiana, aut etiam Maguntina appellantur. Hæc oblonga sunt, & cum albore rubent in perfecta maturitate quæ ipsis circa mediú ferè Maium contingit, & omninò præcocium generis sunt. Chamæcerasa vt scribit Alex. Bened. vulgus Mariscas ob morbi similitudinem fortè vocauit, aut morbum pomi nomine: alij Laurocerasa vocare maluerunt.

Cerasa austera. Rincauiana. Maguntina. Præcocia. Chamæcerasa. Marisca. Laurocerasa.

Dod. hæ sunt cerasorum differentiæ. Prima: magna & procera arbor siluestris, cui fructus quidá rubent, alij nigricant, sapore dulces. Præcoces olim vocabat, in hist Gal. Cerasum Theoph. & Gallicè *Guignier & Guigne*. Altera: Cerasus magnis folijs, humilior, Hortensis, ceraso maiore, carnosiore, dulci, & colore vel rubente, vna tantùm parte albidiore: vel nigro: vulgò Hispanicum cognominatum, fortè Lusitanicum Plin. quibus principatum Belgica illius ætate tribuit. Olim Dod. vocabat chamęcerasum, Gal. *Grosses Guignes, Cerises d'Espagne*. Brab. Spaensche Kersen. Tertia: Cerasus, prioribus humilior ac tenerior: caudices tenuiores: cerasum rotundius, carnosius, sapore vinoso, acidulum, quod rarius est. Est autem & in hoc & nonnulla varietas alia: quæ etenim citra insitionem nascuntur aut in alias eiusdem generis insitæ, magna admodum cerasa frequenter ex breuibus pediculis dependentia gignunt, quę subinde adeo magna sunt, vt xvi. vel etiam plura suorum officulorum pendeant. Earú verò quæ in siluestrē siue priorem cerasum (quod sæpe fit) inseruntur, Cerasa minora sunt, & longioribus hærent pediculis. Citiùs autem maturitatem hæc assequuntur: officula vero istorum minora sunt, quam superiorum. Amarenas posterior ætas huius tertiæ cerasi fructus nuncupat, vel etiam Morendas; Italorum plerique *Marasche* & *Amerine*: alij *Marchiane* vel *Duracine*. Germ. Amarellen: & quæ nigra sunt, Wiechslen / Weinsel Brab. Crieken alibi, in Belgio etiam Kersen. Ad Duracina Plinij videntur referenda Cæciliana: item Actia nuncupata. Olim Dod. hæc dicebatur Diospyros siue Iouis flamma Theoph. interp. Gaza, Gall. *Griottes & Griottes. Hæc ille*, qui nobis obscurè ac intricatè satis de cerasis scribere videtur.

Differentiæ Dod. Cerasus Theoph. Cerasa Hispan. Lusitanica. Chamæcerasus. Cerasum vinosum seu acidum. Ex insitione varietas & differentia. Amarena. Morenda. Duracena. Cæciliana.

Tabern. quinque icones cerasorum proponit, cum his titulis. 1. Bundtkirschen, Cerasia Pliniana. 2. Spanisch Kirschen: Cerasia Hisp. 3. Amarellen Kirschen: Cerasia acida. 4. Wasserkirschen: Cerasia aquatica. 5. Schwartzkirschen, Cerasia nigra.

Tabern. differentia.

Schuuenckf. in Silesia prouenientia cerasa hæc proponit. 1. cerasus silu. cerasa Cæciliana Plin. Amaralia & Laurea rubra & nigra, duriuscula, nonnihil amaricantia. 2. Cerasia hort. dulcia, rubra seu cæciliana. 3. cerasia nigra, Actiana: 4. Cerasia Hungarica, Hispanica, Iuliana Plin. Grosse Vngerische Kirschen / Spanische kirschen. 5. Cerasia Italica, acidula, acidodulcia, Pliniana, Welsche kirschen: Weisse kirschen / Weinfeurlechte kirschen. Hæc omnium sunt suauissima, quę in culinas veniunt: rubent. 6. Cerasia austera, Amarena, Aproniana, fructu acido Amarellen: Weichsel vulgò. Oportet autem Schuuenckfel. egregiè cognita habuisse cerasa Plinij, quòd tam categoricè de ijs pronuntiare audet. Et, quod magis, differentes species ad eiusdē cæciliana refert, siluestria & hortensia, & tam rubra quam nigra, amaricantiaque: item dulcia. An hæc omnia ex pauculis illis Plin. verbis extorquere potuerit, vt tam certò ipsi constare possit, docti videant.

Differ. Schuuenck. Cæciliana. Amaralia. Laurea. Cæcil. Actiana. Hungar. Hispan. Iuliana. Amarena. Aproniana. Schuuenckfeld. not.

Sed Matth. consulamus, qui & Italiæ Cerasia & alia quædam celebrat. Inter cerasa, inquit, principem sibi locum vendicant, quæ Hetruscis vulgo *Marchiane & Duracine* vocantur: tametsi horum alia maiora, alia saturato colore rubeant, alia verò potiùs albicent. Quæ autem Plinio Iuliana, nobis verò vulgò *Acquaniole*, hoc est, aquea dicuntur, in nullo sanè habentur prętio, quandoquidem adeò sunt tenera & fragilia, vt nisi sub arbore sua comedantur, facilè gestatu collidantur, & marcescant: quin & ob aqueæ partis redundantiam insipida sunt, ettque ingrata. Quæ autem, quòd admodum nigricent, *Corbine* nos vulgò vocamus, Plinius verò Actia & Cæciliana, cùm sint duriuscula & dulcia, gustatu habentur non iniucunda: veruntamen quòd manus, dentes ac labra atro colore inficiant, discumbentesque deturpent, mensis rarò apponuntur. Sunt & cerasa, quæ vno tantum petiolo ternas, quaternas, quinasue baccas sustinent: quinetiam quæ racematim vuæ modo proueniunt, quorum imagines misit ad me Calzol. ac quæ peculiariter in hortis, vineis & viridarijs habētur, viribus & qualitatibus ab alijs cerasorum generibus non differunt. In cerasiorum genere numerantur & illa, quæ Romæ *Visciole*, Senis *Amarine*, & in alijs compluribus Italiæ locis *Marasche* vulgò nuncupantur, à sapore (vt puto) dicta, quòd non iniucundi amaroris tantillùm resipiant. Horum porrò varia nomantur genera, quæ etsi omnia sibi acidum ascilcant saporem, hæc tamen eius plus, illæ verò minùs habent. Rura Tridentina ea *Marasche* vulgò nominant, quæ minùs acida gustu deprehenduntur, quorum genus quoddam admodum gratum habetur, quippe quòd in ijs acidodulce sit admistum, ob idque illa palato maximè placeant. Quædam præterea inibi *Marine & Marinelle* co-

Differentia Matth. Italia cerasa. 1. 2. Marchianæ, Duracinæ variet. 3. Iuliana. 4. Corbina. Actia. Cæciliana. 5. Cerasa vno pediculo plura. 6. Cerasa racemosa. Visciola. 7. Amerina. Marasche. 8. Marina. 9. Marinella.

CERASA DVRACENA OBLONGA.

Descriptio.

Speciosus hic Cerasorũ fructus, magnus est, oblongus, ad cordis figuram aliquatenus accedens, carne dura, solidaque, dulci, coloris ex albo rubelli, nucleo magno. Eiusmodi Lugduni obseruauimus Maii principio. Priùs etiam videramus in Valle Thelina Rhætorum, matura Iunio. Item Monspelii. Sed rara ibi. Sata quoque in horto.

Locus.

Synonyma.

Hæc videntur à sequentibus autoribus sic vocari. Cerasa Hetruscis, vulgò *Marchiane & Duracine*, Matth. Cerasa Duracena, & Vngarica dicta, Gesn. Cerasia Duracina; Ruell. Cerasa Hispan. Spannische Kerschen Lob. & Tab. *Duraines* Lugdunensibus.

CERASA ACIDA RVBELLA.

Cerasa acida rubra dilutiora.

EX maioribus Cerasis sunt, quæ acida, rubro colore dilutiore, carne haud admodum dura vel compacta. His sapor valde gratus, præsertim probè maturis, non nimiùm acidus, sed quodammodo vinosus; quamuis alia aliis & in hoc genere acidiora, quod cultui dicandum iudicamus. Fructus breui pendet pediculo, & quàm reliquorum ferè, crassiore. Arbores ipsæ haud proceræ, nec rectæ, nec in multos ramos brachiatæ, vt dulciũ, sed humiliores multò, quorum & minimæ, atque adeò paucorum annorum, fructum ferre consueuerunt. Ramuli etiam non tenues sunt & flexiles, vt in acidis nigricantibus. Ipsa quoque folia rotũdiora videntur, quod Lobel. insinuasse videtur, quando satiui rotundiora scribit siluestribus. Gũmi ex se fundit lucidum, aurei penè coloris. Huic radix rependo latè se diffundit, areasque & vicina loca suis stipat stolonibus, qui transplantati & culti in arbores excrescunt. Lignum quoq; & rami multò fragiliores minusque flexuosi, quàm cæterorum: proinde periculosum has arbores cõscendere.

Varietas

In quibus differat à cæteris.

Gummi.

Radix.

Synonyma.

Macedonica.

Chamæcerasus.

Austera maiora.

Chamæcerasus.

Macedonica.

Fortè hæc sunt Macedonica Plinij, nisi quis malit eiusdem Chamæcerasum dicere, quamuis prior sententia magis arrideat. *Audiamus Herbarios.*

Cerasa austera & maiora è Ponto primùm in Italiam à Lucullo translata, Cordo. Chamæcerasus, quæ Francis tantùm Cerasij nomen meruit, Ruellio. Cerasorum 1. genus Amarellen Fuchs. Emmerling & Bloderkirsen / possent esse Aproniana Trago. Cerasa acida, rubentia, diluriora, Amarella dicta vulgò Gesn. qui iudicat esse Plinij cerasa Macedonica paruæ arboris, quas ideò & Nanas ac pumilas dicere possis.

Videtur autẽ Gesn. per Chamæcerasum eandem intelligere cum Ruell. quæ vt plurimùm valdè parua & humilis remanet, & quodammodo fruticat. Idem Gesn. eandem putat; quam apud Mil... cos Z..ge colunt: nos vero illam, de qua mox, vt ex Cordo colligi posse videtur. Cerasa rure Tridentino *Marasche* dicta, minùs acido gustu: quorum genus quoddam acidodulce. Quædam præterea ibi *Marine & Marinelle*, minora & rotundiora, Matth. Cerasa acida rubra, modò nigra, *Griottier*: fructus *Griotes*, à Theoph. *διοσπύρου*, Dod. in hist. Gall. Nobis tamen videtur duo genera Offundere: neque enim descriptæ differentiæ vllum vnquam nigrum fructum cognouimus, nec apud quenquam autorem legimus. De nigris postea dicetur. Idẽ in hist. Lat. De his, inquit, sub Cerasi 3. specie fructu rubente: Amarenæ tertiæ, Cerasi fructus, Italorum plerique *Marasche & Amerine*: alij *Marchiane* vel *Duracine*, Germ. Amarellen weichselkirsen & weichselkirschen Lonicer. quo tamẽ nomine alibi nigra acida designant. Cerasa acidula, *Agriottes* dicta, Pen. & Lob. Macedonica Cerasus Clus. Basilienses & Alsati plerique zame kirschen quasi dicas, domestica aut cicurata cerasa, vocat. Lugdunenses *Des griottes*. Montbelgardi *Cerises Priuées*. Emmere Tigur. autore Gesnero.

Varietas.

Diospyros.

Dod. err.

Locus.

Macedonica cerasus; teste Clusio, Abundat passim in hortis. Per Pannoniam & Austriam in agrorum & vinetorum marginibus frequentissima; raro ad trium cubitorum altitudinem accedit, nihil in reliquo à vulgari, quæ acerbum & rubrum fert fructum, differens. Basileæ & in Alsatia alijsque multis locis abundè suppetunt. Vidimus hoc genus etiam Monspelii, sed macrius ferè & acidius, quàm in his locis.

Tempus.

Vinum.

Puls.

Matura fiunt post dulcia. Vidimus aliquando ex solis fieri Vinum, & pultem, quæ tamen non diu seruatur. Exiccantur etiam ad vsum hyemalem pro ossis.

Condiuntur etiam melle vel saccharo integra, præsertim Lugd. Geneuæ, etiamque à nostris, ad ægrotantium, præsertim febricitantium, sitim admodum expetita.

CERASA ACIDA NIGRICANTIA; SOLIDIORA, TARDIVS MATVRESCENTIA.

Descriptio.

INter lautiora quidam hoc Cerasi genus habent, cùm ob vinosum saporem; tum ob carnis soliditatem; vt equidem censemus. Non est his ea arborum altitudo quæ silueltribus Cerasis. Ab arboribus acidorum multùm quoque differunt. Non enim solent in magnos ramos diuidi & extẽdi, sed ramulis tenuioribus, quàm cæteræ omnes donatæ sunt, pendentibus ferè, & ad Betulam quodãmodò accedentibus. Fructus ex longiusculo, pediculo magni nigri aut ex nigro spadicei; suo suc-

Vt differat à cæteris.

Fructus.

eo inficientes, carne firmiore, acidâ valde, multùm astringente.

Hic fructus, antequam ad perfectam maturitatem perueniat, quatuor ferè colores distinctos ostendit: primò viridis est: mox rubet, quo in statu acerbus valdè & amarus est: tertiò atropurpureus fit in spadiceum: & tandem ex spadiceo plerùmque nigricat, præsertim probè maturus. Is enim color maturitatis nota perhibetur. *Ossiculum.* Ossiculum continet quale cæterorum, atque adeò durius esse videtur, nucleum continens minùs amaricantem. *Radix.* Radices arboris reptantes sunt, & ex se stolones ac prolem, vt acidæ rubræ, emittunt.

Synonyma. *Macedonica.* *Visula.* *Amarena nigra.* *Merasia.*

Fortè sunt Macedonica, Merasia & Guindola, *κεράσια*, Amarellen / Wiechslen, & Weinstell Germ. Trago. Cerasa acida nigricantia solidiora, quæ *Visula* dicunt, Gesn. Cerasi 3. species fructu nigricante, *Amarena nigra*, quæ nigra sunt, Wiechslen, Weinstile Germ. Brab. Crieckene: Gall. *Griotes*, Dod. Cerasa vulgò *Merasia* Ruell. Cerasor. 2. genus, Fuchs. Cerasa vulgò *Verule* Matth. An Iul. Scalig. cerasum grandissimum, adeò serum vt penè cum vua maturescat. Merasum vocant illud seriùs maturescens cerasum, austero fructu, nigro: *Vngar. meggy*, Clus.

Locus. Basileæ & alijs German. locis in hortis colitur haud insolens: colimus & in horto Montb. copiosè, alioqui eo loco non vulgata sunt. *Vsus.* *Vinum Cerasinum.* Commodè exiccantur pro siticulosis febrientibus: Pulpam etiam excoquunt Basilienses. Parant ex ijs contusis cum ipsis adeò nucleis, & mixtis cum bono vino, id vini genus, quod tempore caniculæ in delicijs habent, nomine Wiechselwein. *Parandi ratio optima.* Nos etiam sæpiculè parari iubemus hac ratione. Ex cerasis contusis vna cum nucleis succum manibus tantùm expressum vino admiscent, materiem in massas pomi magnitudine coactas in furno torrent, & demum in oblongo sacculo linteo per dolij os immittunt, sed modicè refrigeratam. Sapidissimum fit, & nescio quid aromatici ex nucleis contusis atque tostis præ se ferens: siticulosis potatoribus æquè ad luxuriam quàm sitim commodissimum.

Varietas arboris huius fructus. Porrò huius arboris fructus pulchellam varietatem obseruauimus: quippe prædictis maiora sunt, sed pediculo breuiori, minùs astringentia. in horto. Ill. C. VVirtemb.

CERASVS PVMILA.

Descriptio. PVmila Cerasus meritò vocetur, fruticulus cubitalis vel bicubitalis, aut certè non multò altior, cortice coloris ex spadiceo cineracei, ramosus. *Folia.* Folia Cerasi, sed multò minora, paulò semuncia latiora, vnciam longa, per ambitum crenata, mucrone obtusiore, plura ex eadem gemma prodeútia: parique pacto ex eodem puncto longis pediculis hærentes, *Flores.* flores plures, candidi, Cerasorum, minores. *Fructus.* Fructus itidem illis similes, sed multò minores, austeri.

Descriptio Clusij. Clus. sic describit. Variæ altitudinis inuenitur Chamæcerasi frutex: nam interdum in cubitalem, bicubitalem, aut ampliorem magnitudinem attollitur, vmbrosis videlicet locis & tenui solo: siccioribus autem locis, & iuxta semitas plerumque supra pedalem altitudinem non assurgit. Tenues & lentos habet ramulos seu virgas nigricante ex cinereo cortice obductas, quæ ex interuallis quædam tubercula & veluti gemmas proferunt, vnde tanquam ex cachrye, aliquot exigua foliola Myrti Tarentinæ folijs æqualia prodeunt, simulque flores bini, terni, quaterni aut plures sese explicant, candidi, quinque foliolis constantes, multis in medio staminulis præditi, Cerasi vulgaris floribus persimiles, minores tamen: infra hos flores, atque etiam in extremis virgis, ex alijs tuberculis exeunt sine floribus folia superioribus maiora, Cerasi vulgaris acerbo fructu foliorum formam imitantia, & in ambitu similiter crenata, longè tamen minora, & atra viriditate splendentia, subamari gustus. His succedit exiguus fructus, rotundus, carnosus, maturitate ruber, exiccantis minusque grati saporis, quàm sint acida cerasa, osseo intus nucleo. *Radix.* Radix crassa, longa, dura, paucis fibris prædita, profundum petens, & quæ difficulter erui possit.

Synonyma auctorumque placita. *Chamæcerasus.* Proueniunt, autore Cordo, sponte Saxoniæ variis locis non longè ab Hala, paruæ, & binos cubitos rarò excedentes cerasi, fructu mediocris magnitudinis, quas non sine causa Chamæcerasos siluestres appellare possumus. Et Matth. Cerasorum silu. pumilumque genus, inquit, nulla adhibita cultura Ananientibus & Tridentino *Locus.* agro ac etiam in Bohemia circa Pragam & in Austria circa Viennam secus itinera & prope sepes sponte prouenit, nihil prorsus tū colore tū etiam *Verule.* sapore ab illis dissidens, quæ inibi *Verule* vulgò uocantur. Hæc breui pediculo pendent in arboribus admodùm pumilis, tantæque breuitatis, vt raræ, uel potiùs nullæ dodrantalem æquent mensuram. Quo factum est, vt crediderim (etsi id pro comperto asserere non ausim) hæc eadem *Macedonica.* esse, quæ Plinio Macedonica dicuntur. Cæterùm ego horum plantam chamæcerasum potiùs vocauerim. Baccæ cùm cæteris austeriores haveantur, etiam cæteris ficciores iure fuerint, magisque astringentes.

Cerasus Nana. Græcis χαμαικέρασον: It. *Ceregio nana*: *Ceregie saluatiche*. Ger. wilde Kirschen

Eiusdem cum Cerasis generis (ait Lob.) Chamæcerasus in hortis Belgicis densè fruticat: omnia Cerasi similia habet, sed quadruplo minora: fructus austerus est.

Chamæcerasus Plin. Clus. Vngaris Vadmegy / id est, silu. Merisus. Clusij figura non respondet descriptioni: dicit enim folia serrata, qualia etiam erant pingenda, etiamque in nostra, quam ex Lob. damus, amanuensis culpa, cùm potuissemus meliorem dare, ex ipsa planta. Chamæcerasus Dod. Taber. Schuenckf. cui etiam cerasus humilis. Ger. Erdweichsel: Wildekirschen Tab. qui nihil præter iconem habet & nomen. Gal. dici posset *Cerisier nain*.

Locus. Apud Gallos autore Clus. sponte non nascitur, sed passim in Pannonia, Austria inferiore, & Morauia, editioribus siccisque locis: ad vinetorum etiam in collibus sitorum margines, & iuxta puplicas vias. In Bohemia videre non meminit. Habetur

bentur & in horto Stuckardiano E.C. Witt. acidissimi saporis, vt ait D. Schvvartz, quæ principio Iunij nondum erant matura. Eadem vidimus in horto Seb. Volmarij Eslingæ. Stutgardià translata in hortum Montb. D. Hochstetter Pfortzhemiæ ostendit in horto. Accepimus pulchellos ramos à doctiss. Medico & Botanico D. Agerio, Argentinensi, nomine Chamæcerasi Pannon. Clusij.

Tempus. Floret Aprili cùm primùm folia germinare incipiunt. Fructum Iunio, interdum etiam Iulio demum maturat.

CERASVS FLORE PLENO.

Descriptio. PVlchra cerasorum species est, si vel flores tantùm spectes, qui rosarum aut Balaustiorum modo pleni sunt, quales aliquando Lugduni vidimus. Aiunt minùs fœcundam esse cæteris. Et ratio in promptu. Magna enim vis absumitur in flores. Considerandum an etiam fructus & arbor ipsa à cæteris differant. Multi quidem depingunt, sed nemo hactenus, quod sciamus, describit. 1. *Cerasa sine foliis.* 2. *Cerasus vulgaris duplici flore*. Cerasi *alia species maior*, pauciores fructus edés. Belgi Criekboome sondern bladern/Vroech bloyende. 2. Gemeine Criekboome/ mett Dobbel bloemen. 3. Criechcboom met groote ende zeerdobbel lüttel Vrüechten Voortbrengsen. Figuras, vti dictum, proponunt floribus plenis & appictis etiã fructibus, sine descriptione. 1 Cerasus præcox, Kirschen. 2 Cerasus multiflora, Kirschen. 3. Cerasus multiflora secunda Kirschen. Taber. Sed bonus hic vir non docet discrimen harum differentiarum: icones ad imitationem Lobelianarum factæ: omnibus appicti flores pleni, additique fructus.

Synonimã. Lob. mé. Tabern. mé.

CERASVS VNO PEDICVLO PLVRA FERENS.

CERASVS RACEMOSA.

Descriptio. IN verè regio & instructissimo Ill. Ducis Wirtemb. horto Stutgardiano duæ coluntur Cerasi species, rubra scil. & nigra: quæ modò duos, modò tres, sæpè etiam quatuor aut quinque vno pediculo proferũt fructus, & ante ipsos, flores vulgatis similes. Surculos in hortum Mõtbelg. inserẽdos curauimus, & iam fructũm ferunt nigrum. Ferunt Vintoduri Tigurinorum prouenire, esui iucunda.

De his & de racemosis sic Matth. Cerasa racemosa Hetruscis *Ciregie grappel se*: cæteris verò Italis *Ciregie del Graspo*: sunt Cerasa, quibus vno tantùm pediculo, ternæ quaternæúe baccæ continentur: quibusdam etiam racematim in vuæ modum proueniunt. Habentur peculiariter in

Locus.

Digitized by Google

Locus. hortis; vineis ac viridarijs Italiæ. Qualitatibus & viribus non differunt à cæteris generibus Cerasorum.

De ijsdem Lob. In viretis quibusdam Belgij visitur cerasus, vno pediculo plura cerasa gerens: Synonyma **Criechken viele aen een steelken.** Cerasi 5. species, cuius iconem Matth. exhibet, cerasa; complurima racematim cohærentia ferens, quam idcirco racemosam vocant.

Dod. Hist. Lugd. quoque vtramque habet, prædictis nominibus. Icon cerasi vno pediculo plura cerasa proferentis ex ipsa planta parata est. At ea quam pro ceraso racemosa exhibemus, nobis absentibus fuit desumpta ex Lob. qui proposuit pro ceraso auium racemosa: verum nobis minùs placet pro ea. Icon. Quandoquidem iam sculpta erat ne otiosa maneat, locum cerasi racemosæ Matth. tantisper occupet, donec aliquando succedat melior. Germ **Viel Kirschen an einem stiel**, cerasia vno pediculo plura. Item: **Rot Fogelkirschen**: Taber. not. Cerasia racemosa rubra secunda Taber. qui duas habet icones, sed more suo sine descriptionibus. Germ. nomen cerasi auium facit, vt ignoremus quam intelligat Taber. Auium cerasum racemosam rubram non vidimus, nec de ea quicquam audiuimus. Si colore tantùm fructus differt à nigra, de qua postea, proprio capite, non erat opus icone. *Hactenus de differentijs cerasorum.*

Cerasorum locus & Tempus in genere. Cerasus, autore Plinio, Septentrione frigidisque gaudet, itémque aquosis montibus. Cerasi eodem tradente ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia. Ab vrbis anno DCLXXX is primùm vexit è Ponto: annisque CXX. trans Oceanum in Britaniam vsque peruenêre. Eædem, vt diximus peregrinæ, in Ægypto nulla cura potuere gigni. Dixerat, quidem antea cerasos, vt & Persicos peregrinas, sed nusquam Ægypti solum dedignatas, præterquam hoc loco. Mirum tamen non est, in tam æstuosa regione, siquidem frigido gaudeant cœlo. Porrò Virg. ætate, & sine dubio ante eum, cerasi frequentes fuerant in Italia, vt patet ex his eius versibus, Geor. l. 2.

Pullulat ab radice aliis densissima silua:
Vt Cerasis, Vlmisque: Etiam Parnassia Laurus.

Intelligit autem stolones, quos à radice expâsa emittunt. Plinio quoque de loco adstipulatur Palladius, sic scribens: Cerasus amat coeli statum frigidum, solum verò positionis humectæ. In tepidis regionibus parua prouenit, Calidum non potest sustinere. Montana vel in collibus constitutâ regione lætatur. In Gallia, vt scribit Ruell. adeò frequens est, vt etiam siluæ eâ scateant, sed omninò exilior humiliorque, quàm Pliniana illa. Iam suprà diximus ex Athenæ Cerasunte Pontico municipio, primùm arborem hanc in Italiam translatam, fructumque gentilitio nomine *Cerasium* appellasse. At hodie tam in Italia quàm Gallia & Germania adeò frequens vbique locorum hæc arbor, nullóque negotio prouenit, vt etiam siluæ nonnullæ ea scateant, vti dictum. Nullaque arbor est, vel Matth. teste in Italia hodiè, quæ vulgò notior sit. Est & frequens in omnibus hortis sed ex species, quæ magnos ferunt fructus *Guignes*, *& Griottier*, dictæ cerasi, in hortis tantùm plantantur. Cerasus autem ferens paruas *Guignes* Dodonæo, quam nos siluestris generis fecimus, vt plurimùm prouenit iuxta agrorum & uiarum limites, itemque in siluis.

Lusitania, inquit Amatus, vt placet Plinio, bona fert cerasa: sed quòd equidem meminerim, nusquam meliora habentur cerasa quàm Lugduni. Porrò acida siue acria cerasa apud Salamanticam Hispaniarum gustui gratissima reperiuntur. Quod de Lugdunensibus tradit Amatus, nobis non improbatur: sapidissima enim & ipsi eius loci Cerasa deprehendimus, fortè ob loci temperiem, agrique bonitatem, & quæ non minima fortè bonitatis causa, ob diligentem cultum. Basilienses quoque multa genera habent; & certè bona. Geneuæ etiam vulgaria aliquot genera. In horto E.C. Montb. varia cerasorum genera colimus è varijs locis conquisita: nec desunt nobis insitæ etiam. Lugdunensia alijs præferuntur.

Tempus. Florent in Germania omnes Aprili: non dubium in Italia & calidioribus, vt aliæ pleræque arbores, citiùs florere. Fructus maturant Iunio & Iulio, pro specierum varietate. Maio optima comedimus Romæ: estque omninò hic fructus qui inter primos è Pomis colono gratiam annuam refert: Monspelij Martio florentem obseruauimus, fructus maturos Maio, qui ex vicinis montibus tamen adferebantur, alioqui circa vrbem non abundant.

Satio. Facilis est cultura & plantatio cerasorum. Seruntur enim nucleis seu pomis, & inseruntur surculis. Seritur autem Malorum & Pirorum more. Insitione tamen potissimùm lætatur, nec vnquam bonum dulcemque dabit fructum, nisi priùs insita, ut Florentinus cum Theod. Dorst. tradit. At nos contrà sæpiùs in syluis optima Cerasa dulcia comedimus. Vt bonus & dulces fiat fructus. Insitio.

Cerasi plantam siluestrem transferre debemus mense Octobri vel Nouembri, & eam primò Ianuario, cùm comprehêdit, inserere, vti suadet Palladius. Varro quoque brumalibus diebus Cerasum inserere præcipit: Plâtaria, inquit, creari possunt, si prædictis mensibus sparguntur poma, quæ summa facilitate nascentur. Ego huius arboris facilitatem probaui, vt virgulta ex Ceraso pro adminiculis per vineam posita in arborem prolilijsse confirmem. Et Ianuar. mense seri potest. Inseritur mense Nouemb. meliùs. Vel, si necesse sit, extremo Ian. Alij & Octobri inserendas esse dixerunt. Facile crescat.

Modus insitionis. Martialis in trunco inseri iubet. Palladio inter corticem & lignum feliciter semper euenit: faciliùs namque coalescit. Qui in trunco conserunt, sicut Martialis dicit, omnem lanuginem, quæ circa est, auferre debebunt: quæ si remanserit, insitis nocere manifestat: nam si comprehendit insitum, putrefacit: quare emuscari & prorsus auferri debet, priusquam trunco conserantur surculi. In cerasis hoc seruandum est, & in omnibus gummatis, vt tunc inserantur, quando his vel non est, vel desinit gummi efflucere.

Cui inserenda. Cerasus inseritur in se, in pruno, in platano, vt alij, in populo. Sed nec Persici, nec Terebinthi respuere hospitium quidam tradunt, nec contrà cerasi Terebinthum & Persicum. Plinius & Lauro insitam dixit. De cuius insitione pereleganter sic canit Palladius.

Inseritur Lauro cerasus, partuque coacto
Tingit adoptiuus virginis ora pudor.
Vmbrantes Platanos, & numquam robore Prunum
Compellit gemmis pingere membra suis.
Populeasque nouo distinguit munere frondes.
Sic blandus spargit brachia cana rubor.

Vt Cerasus Vuas ferat. Cultura. Si quis [vt Flor. tradit] ceraso nigram vitem inserat, Vere feret vuas. Amat cerasus scrobes altas, spatia largiora, assiduas fossiones. Putari in ea patria & sicca debebunt, vel quæ densiùs arctata protulerit, vt rarescat. Fimum non amat, atque inde degenerat. Contrà proficit, si sui ipsius putamina

Vt Cerasa poma citiùs fiant & citò grandescant, & cerasa sine ossibus nascantur.

stamina salice concisa, circum radices sepeliantur, ibique marcescant. Cerasos præcoces facit, cogitque maturescere calx admota: vel sæpiùs affusa aqua calida aut lixiuio, sed poma interuelli meliùs est, vt quæ relicta sunt, grandescant: autor Palladius.

Cerasa sine ossibus enasci Martialis rei rusticæ prudens promittit, si teneram arborem ad binos pedes recisam, vsque ad radicem findas, abrasaque ferro partis vtriusque medullâ, statim subiunctas partes vinculo perstringas, & summā partem & diuisuras laterum oblinas fimo. Post annum ducta cicatrice diuortia coalescunt. Hanc arborem surculis qui fructum adhuc non tulerunt, inseris, & sine ossibus poma (vt asserit) nascuntur.

Cardanus in opere suo de rerum varietate cerasa sine nucleis nasci generali ratione posse, statuit: postea, postquam priorē Martialis modum proposuisset, addit: cùm nunquam hunc fructum viderim existimo aut vix viuere posse, tot vulneribus acceptis, aut non in Italia.

Ne Cerasus putrescat. Ne formicæ noceant. Ne æstus obsit.

Si cerasus concepto humore putrescit, in trunco foramen excauetur, quo possit sanies educi.

Si formicas patitur, succum Portulacæ debebis infundere, cum aceti media parte permistum, vel vini fæcibus truncum arboris florentis adlinere.

Si æstu canicularum fatigatur, trium fontium singulos sextarios post solis occasum radicibus arboris iubeamus influere, sic, ne remedium Luna deprehendat: vel Herbam symphoniacam circa arboris truncum torquebimus in coronam, vel ex ea iuxta imum codicem cubile faciemus: ex Pallad.

Repositio & asseruatio.

Cerasa dulcia toto anno seruare vix possis: Geneuæ tamen seruari testatur Cardanus.

Plinii tempore condiebantur, vt Oliuæ, cadis. Ratio hæc à Florentino rei rusticæ autore sic docetur. Cerasia ante Solis exortum arbore sua decerpta, in vas substratā in fundo satureiā conijciuntur: dein cerasia superponuntur, iterumque alternis satureia: adiicitur nonnihil acidi mellis aliquantùm dulcescentis. Seruantur itidem interiectis Arundinum folijs, & in eundem modum alternatim dispositis in cado. Nostri hanc operam impendere nolunt, sed in seruenti Sole ad rugas siccata, diutissimè seruant: item molliusculo furni calore passa. Alioqui & in sapam densam excoquunt in annuos vsus.

Vires & vsus. Aluus. Gummi. Tussis. Color cutis. Visus. Appetitus. Calculus.

Cerasia in genere frigida & humida putantur. Ea tradente Diosc. bonam quidem aluum præstat, si recentia sumantur; at siccata, aluum sistunt. Gummi verò cerasorum cum vino diluto sumptū diuturnæ tussi medetur: colorem quoque commēdat: visum exacuit & appetentiam inuitat. Ex vino etiam potum calculosis prodest. Plinio quoque autore, cerasa aluum molliunt, sed stomacho inutilia. Eadem siccata aluum sistunt, vrinam cient. Inuenio (inquit ille) apud autores, si quis matutinò roscida cum suis nucleis deuoret, in tantum leuari aluum, vt pedes morbo liberentur. Porrò Galen. Paulus, cæterique Græci Medicinæ principes rectiùs & distinctiùs à saporum differentijs de cerasorum facultatibus videntur tradidisse. Quoniam enim triplici ferè quoad saporum differentia spectantur, nempe dulci, acerbo, & acido: dulcia statuunt magis aluum soluere, & stomacho minùs esse grata: acerba è contra sistere aluum, stomachoque vtiliora esse: acida denique ob eam quam habent incidendi vim, pituitoso excrementitiisque referto ventriculo apprimè conuenire.

Sed interest, Galenum ipsum audiri, quem scimus accuratè rerum medicinalium vires æstimasse. Cerasus, scribit ille, arbor fructum fert non parùs adstrictionis in omnibus particulatim plantis participem. Nam & harum, sicut etiam Malorum Granatorum, & Malorum, quibusdam austera qualitas, in quibusdam verò dulcis, non nullis autem acida exuperat. Quinetiam ipsorum dulcium, ea quæ nondum cocta sunt ac matura, quædam admodum sunt acerba, quædam similiter Moris acida: sed in Moris immaturis acida qualitas acerbam exuperat, in cerasijs non semper. Ergo quæ dulcia sunt, magis quæ intestinis sunt subducunt, sed minus grata stomacho sunt. Contrà austera & quæcunque acida pituitosis excrementosisque stomachis sunt apta: siquidem austera magis desiccant, & nonnihil etiam incidunt. Porrò ipsius arboris gummi communem omnibus viscosis & mordacitatis expertibus medicaminibus facultatem obtinet, quæ & ad arterias exasperatas accommoda est. Propriè autem, si quidem, quod quidam subscribunt, verum est, calculo vexatos adiuuat. (add. cùm vino bibitum.) Nam sic illi tenuium partium inesset facultas quædam. Item alibi: Ex cerasis quædam sunt, quæ Moris sunt similia, cuius modi sunt ea quæ minimam habent adstrictionem: alia Ruborum fructuj, vt ea quæ euidentiùs astringunt: quædā autem sunt, quæ vel valentiùs ijs adstringant. Proinde memoratæ cuiusque speciei facultatem, ex ijs, quæ de Moris & Rubi fructibus diximus, potes colligere.

Dulcia. Austera. Acida.

Gummi. Arterias aspera.

Calculus.

Temper.

Galeno subscribit Paulus. At Simeon Seth paucissimis rem complexus: Cerasia, inquit, frigida sunt & humida, malique succi, ventrem subducunt, stomacho parum idonea; humidum ventriculum lædunt, præsertim cùm matura non sunt: sed calidis & siccis ventriculis & temperaturis prosunt. Gummi autem arboris cum vino sumptū calculosos sanat.

Calidis prosunt.

Celso quoque refrigerant cerasa, aluum mouent, stomachóque idonea sunt.

Athen. refert, virum quendam illustrem Diphilum Siphnium nomine, qui sub Lysimacho rege (vno ex Alexandri successoribus) vixit, multis annis Lucullo antiquiorem, (quem suprà ex Plin. diximus cerasa primum in Italiam importasse) Cerasorum meminisse his verbis: Cerasa stomacho grata sunt (εὐστόμαχα) parum nutriunt, bonum succum gignunt. Cùm frigida sumuntur, placent ventriculo: præferuntur cæteris Milesia, & quæ magis rubent, quoniam mouent lotium.

Parum nutriunt. Milesia Cerasa. Mouent lotium. An Cerasa stomacho grata.

Ita vides non inter se conuenire autores de cerasorū vi stomachica, alijs eadem εὐστόμαχα, alijs κακοστόμαχα facientibus. Sed facilè litem compones si, vt suprà fecimus, ex sapore distingues. Quid si & sic controuersiam tollamus? Cerasa quæ verè talia minùs conuenire stomacho: eò quòd dulcia sint. At acida & austera, (vt suprà alicubi monitum) ne cerasa quidem verè dici. Quidam versibus haud inconcinnè eorum vires comprehendunt, vt noster ille Virgilius Germanus, Eob. Hessus.

Noxia sunt stomacho Cerasi prædulcia poma,
Ingerat hæc eadem si quis acerba, iuuant.
Illa mouent, hæc astringunt communiter aluum,
Vis vnas eadem rubraque Mora tenet.

Fiera:

Iam dedit è Ponto nobis tria Poma Lucullus
Vix tepida & cursus, dulcia, sunt subiti.
Dulcacida, ignito, sistunt, aptissima ventri,
Condit adusta, vorax Acrid Sole Coquus.

Dulcacida

Appetitum irritant.

His aluus fluida arcetur, famis improbus ardor
Crescit &c.

Schola Salernitana.

Calculus.

Si Cerasum comedas, tibi confert grandia dona
Expurgat stomachum, nucleus lapidem tibi tollit.
Hinc melior toto corpore sanguis inest.

Nec reijcienda interpretatio Arnoldi. Tria inquit, his versibus enarrantur cõmoda ex esu Cerasorum. Primum, expurgare stomachum: quod quibusdam verum videtur, si nuclei vnà conterantur, hoc enim modo abstergunt & emundant. Secundum est, nucleum cerasorum peculiarj proprietate frangere lapidem seu calculum in Vesica, si succus eius sumatur, vel lac inde fiat. Tertium est, carnem cerasorum optimum generare sanguinem, confortare & impinguare. Et hoc experientia comprobatur. Videmus enim passeres qui plurimùm cerasis delectantur, eo tempore quo cerasa matura sunt, longè maiora habere hepata, quam aliàs. Vnde colligitur cerasa hepar augere & confortare.

Succus Nucleorum Cerasi. Lac cerasorum.

Cerasis pinguescunt passeres.

Hic notandum duplicia esse cerasa, crassa scilicet & parua. Cerasa rursum duplicia, dulcia & Pontica. Dulcia omnia & parua, insalubria sunt, facilè corrumpuntur in corporibus, Vermes generantia. Crassa Pontica, Cina vocata, & ipsa dulcia inueniuntur. Quædam enim rubra sunt & mollis carnis, quæ recentia sunt edenda in principio mensæ: Vim habent adstringendi stomachum, & ciendi appetitus. Alia Cina nigra sunt & crassa, duræ carnis, & maximè omnium Pontica, quæ summo loco in prandio siue cœna comedenda, quia styptica sua vi in fine mensæ claudunt orificium stomachi, quo clauso digestio meliùs & citiùs peragitur.

Cerasorum discrimen, viribus accommodatũ. dulcia generãt Vermes. Pontica. Cina. Cina nigra.

Ruellius acidis cerasis etiam plus tribuit, obstructiones nempe iocinoris infarctu leuare, flauam bilem extinguere: Gummi lichenes infantium ex aceto sanare.

Obstruct. hepat. Flaua bilis. Lichenes.

Et Tragus, Cerasa, inquit, acida pituitam incidunt, crassosque humores pellunt. Solent illa saccharo quandoque condiri, ægris inflammationibus & calore vehementissimo laborantibus gratissimo cibo.

Condita. Aqua destillata. Ad aphoniam.

Quidam è nigris siluestribus aquam destillant, quæ amissam loquelam restituere dicitur. Omnia verò cerasorum genera, inquit Matth. quæ Amarina dicuntur, aptissima sunt, vt insolentur, saccharoque condiantur. Quin & sapore commendantur ad intinctus conficiendos, quibus non modò sanis edulia iucundissimè condiuntur, sed etiam ægrotantibus, præsertimque biliosis febribus vexatis. Siquidem illis non modò sitim extinguunt, sed oris insuauitatem emendant, & cibi appetentiam conciliant, nec ita facilè, deuorata, vt dulcia corrumpuntur in ventriculo, ideoque ad prædictas febres facilè conceduntur à Medicis Germanis. A pediculis repurgata vuis maturis admiscentur, & deinde vinum ex his paratur, gustu gratissimum, quod in alui fluxionibus vtiliter vsurpatur. Alium vini cerasorum modum suprà docuimus, cuius vsus & in hoc casu esse possit, si vino rubro, nec forti paretur. Siluestria, quibus plerumque vescuntur aues, raro in cibis admittuntur, præterquam a rusticis, tum quòd plus ossis quàm carnis habeant, tum etiam quòd cùm quadam acerbitate amara sentiantur. Oleum è nucleis Cerasorum, faciem abstergit, maculas & lentigines aufert, vtile etiam arthritidi, & calculo renum & Vesicæ. Paratur sicut ex Amygdalis, expressione. Cerasorum quorumuis aqua bibitur contra nimios calores & foris imponitur: priuatim verò dulcium nigrorum, quæ & contra Paralysin à multis commendatur si ori infundatur, & os inde benè colluatur, vt amissum linguæ vsum restituat. Destillatur autem vel caro sola, vel vnà nuclei quoque contriti, vt calculosam renum & vesicæ materiam educat destillatus inde liquor.

Feb biliosa. sitis. Oris insuauitas. Appetitus.

Vinum Cerasor. Siluestria.

Oleum e nucleis. Macula. Arthritis. Calculus. Aqua Cerasorum.

Febres. Paralysis.

Calculus.

Nigra & acida, *Vtsula* dicta, aquam reddunt salubrem in febribus, tum alijs, tum pestilentibus, refrigerantem, & confirmantem vires: vtilem quoque aduersus sitim & Dysenteriam, autore Euonymo. Rithus scribit Dulcium nigrorum recentium destillatam aquam quibusdam mirificè commendari ad Epilepsiam, ita vt cum primùm in os Epileptici paroxismo correpti infusa fuerit, dosi drach. quatuor aut ampliùs, illicò reuiuiscat recreatus, nec vllo ampliùs spasmo conuellatur, donec statuto tempore, vt fieri solet, post aliquot dies, alius paroxismus oboritur, tumque iterum, vti priùs infundendam: impedire enim, auferre, atque sinare Paroxismum. Sunt qui eandem aquam ad hydropem commendent.

Febres. Sitis. Dysenteria. Epilepsia.

Hydrops.

Quoniam verò aquæ cerasorum iam aliquoties mentio facta, præscribamus formulam perbreuem parandi Optimam. Exempli loco sit Aq. Cerasor. acidorum. His contritis & Alembico vitreo immissis affundas bonum vinum, ac destilles in B. M. His destillatis affundas aliquid succi recenter expressi ex prædictis cerasis, vt sapore iucundior fiat efficaciorque. Cor hæc atque Ventriculum mirificè corroborat. Siccis etiam cerasis affunditur mustum: hocque vinum appetitum excitat ac calculum pellit, autore Matth. Existimauerimus, siquidem sicca cerasa, præsertim acida, adstringant, & vinum hoc modo cum ijs paratum adstrictionem induere; ideoque fluctionibus alui varijs accommodum. Aqua ex rubris acidis destillata, ad fluores menstruos expetitissima putatur, itemque ad dysenterias aliasque fluxiones duarum vel trium vnciarum dosi hausta. Hepar refrigerat, & stomachi ardores compescit. Præstans hæc habetur à quibusdam aduersus puerorum conuulsiones. Aq. ceras. nigr. & florum Tiliæ æquas partes misce. do sis vnc. j aut ij pro ætate.

Aq Ceras. acidor.

Cor. Ventriculus. Vinum è siccis.

Aqua ex rubris acidis.

Puerorum Conuuls.

Egregia est & illa compositio Camer. ad ardorem vrinæ. Nucleorum Cerasorum siluat. vnc. ij. interioris pulpæ optimæ Melonum lib. ß addito pauco sacch. contusa destillentur. Huius aquæ hilaritiæ cochlearia aliquot ardorem vrinæ mitigant.

Ardor vrinæ.

Nucleos Cerasorum Taber. commendat ad spleneticos, & ad difficultates vrinę. Labiorum fissuras emendabis mucagine parata ex gummi cerasorum & aqua rosata, eaque sæpiculè illita.

Labiorum fissura.

Nicol. Abr. à Framboif. noui aliquid adferre videtur his verbis. Cerasa [*Cerises*] recentia aluum laxant, sicca restringunt. Quæ ad perfectam maturitatem peruenerant, dulcia sunt, quæ nondum matura, austera aut acida. Dulcia alunt, soluuntque sed ventriculo minùs commoda. Austera contrà. Acida vtilia ventriculo pituitoso & superfluitatibus pleno. Hæc ille, quem non intelligimus in distinctione cerasorum, aciditas, austeritas & dulcedo cerasorum non pendet à maturitate: sed diuersa sunt genera, dulcia, acida & austera.

Framboserius refellitur.

CERA-

Digitized by Google

CERASVS SILV. AMARA MAHALEB PVTATA.

CAP. XXXI.

Descriptio. MAhalebum vocant quidam arborem Cerasis satis similem ramosam & surculosam, caudice, teste Dal. plerumque intorto, cortice rimoso, scabro, subcinereo: ramorum verò cortice ex coeruleo nigricante, læui, colore oculis non ingrato, radicibus crassis, multis, brachiatis. Folia Betulaceis similia, aut Populi nigræ, minora, paullo minùs lata, quàm longa, concinnè in ambitu crenata, Pruni silu. lætiùs & pallidiùs virentia, venosa. Flores odoris grati, ex quatuor foliolis, [vt idem Dal. ait,] nobis, ex quinque congesti, crebrisue staminibus medium occupantibus, filis intus candidis, apice rubro coronatis; cætera Cerasorum floribus similes, albi, minores, pediculis breuibus, vix vncialibus, pluribus ab vno pediculo longiore & ramoso propagatis: quibus succedit paruus fructus, effigie Cerasi, rotundus, niger, amaricans, tinctura sua manus inficiens, ossiculo Cerasi, & nucleo amaricante, eiusdemque saporis cum Cerasi nucleis. Baccæ, inquit idem, succo plenæ purpureo, qui expressus lintea, coriaque munda & candida, floridissima purpura tingit, colore nec fugaci, nec caduco, sed diutissimè permanente.

Cortex. *Folia.* *Flores.* *Fructus.* *Nucleus.*

Lacatha. Lacara. Leucara. An λακάθη Theophrasti: de qua sic ait: Descendit in plana Lacatha; sic enim in Græco legitur, non Lacara, vti vertit Gaza. Item auctu facilis Lacatha, vbi Gaza rursus Lacara vertit, quasi legisset λακάρα. sæpe in vulgatis posteriori loco, λευκάρα, priori λακάθη legitur: nullibi λακάρα. Sed difficilè est iudicare ex tam paucis verbis quid per Lacatham vel Lacaram intellexerit Theoph. quia tamen aliqui suspicati sunt Mahaleb quorundam esse Lacatham, hîc eius meminisse decuit.

Vaccinia. *Plinius illustrat.* An Plin. Vaccinia? Non nisi in aquosis (inquit) proueniunt salices, &c: Item Vaccinia Italiæ aucupiis sata, Galliæ verò etiam purpura tingendi causa ad seruitiorum vestes. Constantinus è Turnebo legit, Italiæ mancipiis sata: quia mangonio Vaccinii tardatur corporis pubertas, quod erat venalitiis vtile. Ego verò (addit Dal.) si eam lectionem probarem, rationem potiùs ex sequentibus verbis afferrem, quia Vaccinii succo tingantur seruitiorum vestes in purpuræ colorem. Prætereà tardior pubertas iis vtilis non erat, sed dominis, & mangonibus, quòd pluris eos nondum barbatos venderent.

Vaccinia. An Vacinia nigra Virgilii.

Cerasi silvestres. De præsenti verò arbore sic scribunt Monachi apud Mesuen. Reperiuntur etiam & cerasi siluestres, sed non sic passim, vt vrbanæ nascuntur. In partibus Apuliæ plures arbores vidimus, quæ ab incolis loci *Nera* vocantur, quarum fructus non est Almahaleb, vt mox patebit. Est enim fructus *Nera* minor, neque nigrior Cerasio domestico, & foliú rotúdius, minus ac solidius. In caudice autẽ & cæteris partibus non differt Nera à Ceraso. Et tam Cerasus quàm Amarenus inseritur in Nera, & optimè fit. *Nera. Almahaleb. Gummi.*

Producit & gummi *Nera* affluenter vt Cerasus.

An Tragi siluestre cerasi genus, quam Pumila cerasum aut Chamæcerasum dici posse ait? Lectorem tamen ad Ruellium remittit. At ille loco ab ipso citato meminit Chamæcerasi, quæ nihil commune habet cum Tragi siluestri Ceraso, de qua alibi.

Tragi siluestris cerasus humilis. Suam autem sic describit Tragus. In Rheni tractu siluestre quoddam & humile cerasi genus reperitur, ripis fluuiorum potissimùm gaudens, ligno & fronde satiuo per omnia simile. At poma eius longè sunt minora satiuis, nec etiam vulgare hortense Pisum magnitudine excedunt, colore ferè nigricante tincta, singula singulis suffulta pediculis, dulci, sed ingrato, & qui nauseam vomitionesque excitet, gustu prædita.

Sapor. *Chamæcerasus petræa.* C. Bauh. qui apud Matth. Chamæcerasum petræam vocat, satis securè Cerasum siluestrem Tragi pronunciat.

Nos dubitanter proponimus, quia folia & locus non conueniunt cum nostra ceraso amara: cui folia diuersa à satiua: Gaudet etiam locis siccis & petrosis. Non videtur etiam dicenda Chamæcerasus: quandoquidem loco commodo non excisa in arborem non paruam excrescat. Quid fieret si multa cura etiam coleretur?

Mahaleb. Ab Anguil. in Epist. *Arbor Mahaleb* prouenien in Italia, Veronensi agro, itinere ad montem Baldum & in Sclauonia: de qua plura apud Serap. Putauit itaque Anguil. hanc arborem de qua hîc agimus (si modò eam intelligit) esse Mahaleb Serap. de qua nos lib. 5.

Mahaleb non esse Phillyream. Matth. quoque sic scribit. *Mahaleb* dicta quibusdam Neotericis planta cuius semen in vsu, quàuis non sit Phillyrea. Non desunt argumenta quæ inducunt, vt credam, verum & legitimum Mahaleb Arabum, quia video apud Serap. facultates ex Arabib. desumptas vt Mesue & Rasi, diuersas à Phillyreæ facultatibus: concedo errasse Serap. existimando Phillyream & Mahaleb Arabum idem esse. Auic. Mahaleb abstergit &c: Matthiolo tamen assentiri non possumus, nec concedere Serapionem errasse. Lib. 5. ostendemus argumentú Matthioli nullius momenti nobis videri. *Serap. lib.*

Vsus. Dalech. doctiss. Medicus, Chamæcerasum (vt scribit Gesn. in epist. quadam) nominat arbusculam quæ Arabicè *Mahaleb* dicatur. Aduehi ex Syria, quamuis vbique per sepes istic (circa Lugdunum) nascatur, sed arbore humiliore, fructu minùs habito, nucleo & semine tenuiore ac graciliore, folio rotundiore, flore albo &c. Bellonium sibi retulisse seminibus eius quæ odorata sunt, vti Lugduni, illos, qui Chirothecas odoribus imbuunt.

Plin. vbi. Dalechampius autem annotat apud Plin. Constantinum putare Vaccinium fuisse Hyacinthum: Se verò arbusculam in sepibus frequentem, quam Mahaleb quidam vocant. Plinius certè Vaccinium arbusculam perperàm Hyacinthum reddit, eamque cum Hyacint. bulbosa herba confundit.

Videamus & Rob. Const verba: *Lacatha* (inquit) apud Theoph. retineo, quamuis alicubi λακάθα habeatur, & Gaza λακάρα legerit: & nisi fallor est Macaleb Serapionis, quæ in agro Veronensi pro-

uenit, vt etiam mihi testis locupletissimus Io. Anguil. totius nat. hist. experientissimus.

Vaccinium Plin. Chamæcerasus. Silu. cerasus. Vaccinij nuclei. Mahaleb nuclei.

Sunt, inquit Hist. Lugd. qui Vaccinium Plin. Theophrasti verò Lacatham arborem, nonnulli chamæcerasum siue silu. Cerasum esse existimarunt: verùm à quouis id Cerasorum genere differt. Non desunt etiam qui Vaccinij nucleos ex Oriente aduectos pro nucleis Mahaleb ostendant & vendant: tamen Mahaleb alia arbor est. Vaccinium in sepibus ferè semper prouenit ad Ligustros: quam ob causam Virgil. fortasse eodem versu coniunxit:

Alba Ligustra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.

Hist. Lugd. not.

Verùm Hist. Lugd: more suo frustra duas posuit figuras vnius plantæ: priorem nomine Mahaleb Matth. & multis capitibus interiectis, denuò, nomine Vaccinij Plin. & Lacathæ Theoph. quamuis eæ figuræ multùm inter se differant.

Chamæcerasus Petræa Petrocerasus.

Mahaleb Gesnerus, in Epist. 3. ad Zuing. vt annotat Camer. mauult chamæcerasum petræam aut Petrocerasum vocare quòd in petrosis montium locis nascatur. Idem ait: non conuenire plantam quam vocant nunc Macaleb cum Phillyrea Diosc. quę videatur esse Macaleb Diosc.

Tabern. reprehensus. Tilia petræa. Cerasi genus. Vaccinium Plinij Lacatha.

Macaleb Gesn. & Matthioli, Lob. diuersis operibus. Macholebum Matth. Tabern. **Ein geschlecht der steinlindern.** Verùm hoc Germ. nomen Tabern. haud nobis placet, quod Tiliam petręam significat. Quid enim arbori propositę cum Tilia commune, aut quę affinitas: Mahaleb à nonnullis dictum, ex sententia Clusii ad cerasi genera referendum, rusticis Austriacis steinweixsel, hoc est, petrosa cerasus. Sunt (addit idem) qui Vaccinium Plin. & Lacatha, (cuius nudũ nomẽ apud Theop.) esse censent: Plinius Vaccinia aquosis solùmmodò nasci tradit, tingendi causa, in quem vsum neminẽ hunc fruticem, aut eius baccas usurpare intellexi: at palustris illa Vitis Idęa, cũ ea quę nigris baccis est tincturę apta, vt annotaui. Ex his verbis Clusii satis apparet ei non placere opinionem de Vacciniis: quę tamẽ plausibilior nobis videtur, quàm noua illa de Viti Idęa. Non enim sunt arbores, Vites Idęę, nec facilè seri possunt, ut fieri ait Plinius. Pręterea minùs cómodę earum baccę pro tinctura vestium municipiorum videntur, in qua re libèter peritiorum audiemus iudicium.

Vitis Idæa palustris. *Clus. refut.*

Locus.

Gesnerus ex Dalech. testimonio tradit ubique per sepes in Gallia & circa Lugdunum nasci. Bellonium sibi quoque retulisse, & inuenisse se in mõte illo Rhetorum qui inter Curiam & Clavennam interiacet. Nascitur [addens] si bene memini copiosè in mõte proximo Vesę oppido, quod ad Riuarium Lacum in Helvètia situm, exeunti Curiã versus, ad sinistram, locis lapidosis. Et, ni fallor in Vallesia quoque. Calzolarius annotat prouenire in Italię monte Baldo. Clus. quoque testatur nasci scopulis & saxosis Pannoniæ locis, & Collium vrbi Viennensi vicinorum radicibus: ob eam causam Steinweixel appellari vt dictum. Hunc etiam plerisque Narbonensis Prouinciæ & Allobrogum locis, non procul à Rhodano sitis obseruare memini. Habemus in horto E. C. Montb. quæ in magnam excreuit arborem. Abundat circa Clarauallum E.C. Wirt. oppidum Burgundiæ vbi *Crenollier* vocant. Basileæ vidimus in horto Cl. D. Zuingeri, vt & alias multas rariores: Propè vrbem illam iuxta pagum & arcem **Dornach**: in Heluetia prope **Balstal**: in Alsatia prope **Than/** in monte **Rang** (in quo generosa, dulcia & Basiliensibus celebratissima vina nascuntur) & locis vicinis.

Crenollier.

Tempus.

Lugd. multis in locis, vt ad portam D. Sebast. florentem vidimus Martio & Aprili. Multi etiam medici, quibus hæc curæ esse deberent, prætereuntes, nec obseruantes diligentiùs, Prunum siluestrem oscitanti quadam securitate censent. Obseruauimus etiam in Delphinatu inter Valentiam & Lugdunum, fructu paruo, nigro, maturo Iulio. Tiguri in Wese ad Riuarium eodem mense maturum **Tintebeer** vocabant: quasi dicas atramentorias baccas, vel potiùs tinctorias, quòd tingant.

Tintebeer.

Vires & vsus. Ad pilos. Oleum è nucleis. Cibus auium.

Nuclei plantæ, quam aliqui vocant Mahaleb, calfaciunt, emolliunt: saponarios globulos ingrediuntur, pilosque horridiores & duriores emolliunt, attenuant, affrictu crebro, Matth. Ex nucleis teste Hist. Lugd. oleum conficitur iucundi odoris, quo ad illinendas manicas vtuntur. Baccis istis maturis Turdi, Merulæ, aliæque auiculæ auidissimè vescuntur, quamobrem Italia ad eas alliciendas, sepes & dumeta Vaccinijs conserebat. Plinio quoque, vt iam suprà dictum, Vaccinia Italiæ in aucupijs sata: Galliæ verò etiam purpura tingẽdi causa ad seruitiorum vestes. Mõtbelgardi in horto II. E C. Ab auibus deuorantur baccæ. An horum nucleorũ vsus sit, quem tradit Matth. Hist. Lugd. considerandum.

CERASVS RACEMOSA QVIBVSDAM: ALIIS PADVS.

CAP. XXXII.

Descriptio.

CAudice, ramis, cortice, crenatisque foliis ad Cerasum quàm proximè accedit: verùm folia maturescente fructu, aut eo maturo, infrà redduntur candidiora, suprà aliquantò nigriora, ut longiùs à Cerasi foliis abesse videri possint. Flores autem priuato surculo palmum longo racematim cohærent, ut in Laburno, Cerasorum floribus similes, nonnihil odorati, candidi, è quinis foliis compositi, apicibus luteis, pediculo semunciali. Fructus nigri, dulces, non tamẽ admodum grati, ossiculo duro, oblongo, scabro: nucleum continente. Dalech. scribit, flores suauissimè redolere, nec minùs olfacienti gratos, quàm Mali Citriæ flores. Fructum gustanti acerbum, Mespilaceique saporis graue quiddam, cùm manditur, naribus afflantem. Id ei admirationem parere: rarò quippe accidere solere vt suauissimi floris odorem fructum molestus fœtor excipiat.

Folia. *Flores.*

Synonyma. Padus. *Hist. Lugd. not.*

An ἡ πάδος Theophrasti: quam ait vehementer vmbrosis gaudere locis. Sanè Hist. Lugd. apertè scribit Padum esse Theophrasti, sed quis ei hoc secretum aperuerit, vt tam liberè de re tam obscura tamque dubia pronunciaret, nondũ cognouimus. Circumspectiùs doctissimus Const. in Theoph. πάδος inquit, frutex quem vocant *Putier* Allo-

Pades. Putida arbor. Pudis. Padis. Cerasus silu. Cerasus auium. Cerasus racemosa.

Allobroges, Pados esse creditur. Sed hæc coniectura incerta: alia est *Pades* apud Plin: Dicta autem *Putter*, id est, putida arbor, à grauolentia. Sequani vocant *Pudis* quasi *Padis*, voce Padæ corrupta. Quidam cerasum silu. esse putant, verùm à cerasorum natura flos distat maximè.

De eadem sic Clusius tradit. Cerasus auium aut cerasus racemosa vulgo Herbariorum: in siluis frequens: Germ. Elex aut Elexen dicunt: Vngari Zelnicesa. Belgicæ officinæ pro Vitice habuerunt.

Sunt (addit idem) qui Padum Theoph. esse censent: Sed cùm Theoph. eo loco Padum duntaxat retulerit inter arbores vmbrosis gaudentes, nulla addita descriptione: qua ratione suam opinionem stabiliant non video.

Pseudoligustrum. Agnus. Vitex. Pseudoagnus. Auium Cerasa. Mahaleb.

Arbuscula silu. cerasi folijs Gesn. Pseudoligustrum, tradente Dod. Sunt qui ἄγνον siue Viticem; sed perperàm vocitent, vnde & Pseudoagnos à nonnullis dictum, vulgò Vogelkirsen (id est, auium cerasa) nominant.

Suspicantur nonnulli esse Mahaleb de quo Auic. c. 478. & quod à Serapione ex Mesuæ sententia refertur: sed difficillimum fuerit asserere. Pseudoligustrum verò Dod. est hæc ipsa de qua hic agimus.

[illegible]

Nescimus verò quis cerasum racemosam vocitarit Mahaleb: quisquis tamen ille fuerit, suspicamur ei non fuisse notam eam plantam; quæ multis Mahaleb dicitur.

Cerasus racemosa. Cerasus auium racem. Taber. not.

Cerasus racemosa, & Cerasus auium racemosa, Lob. & Penæ. Angl. Cluster Cherries. Cerasia racemosa nigra, Schwartz Vogel Kirsen Ger. Tabern. qui more suo, nihil præter iconem & putum putum nomen habet. De rubra eius racemosa antè scriptum.

Cerasus sil.

Doctis Herbarijs considerandum relinquimus, an Cæsalp. de hac scribat, cùm ait: Est quædam cerasus silu. breuis, racemulis oblongis, fructum ferens paruum, qui in maturitate ex viridi flauescit, subausterus, nucleo subaspero.

Cerasus montana racemosa. Schuuenckf. not. Arbor Vitis. Staphylodendrum. Arbor Vitis.

Cerasus montana racemosa, Padus Theoph. Germ. Olantbaum/ Olkirschen, Ohlbaum: arbor procera valde, Schuuenckf. Sed quo fundamento, & is tam confidenter Padum Theoph. statuat, ipse viderit.

C. Bauh. nobis retulit prouenientem in horto Patauino, Guilandinum vocasse Arborem Vitis Recétiorum, staphylodendron Veterum verum, & Arborem vitis.

Locus.

In glareosis & arenosis locis prodit circa sepes & dumeta. H. Lugd. Sectatur ripas fluuiorum in dumetis Silesiæ Schuu. Nos in horto Montb. iamdudum colimus, illatam ex vicinis montibus, & ex itinere Basileam versus circa Sept dictum pagum, vbi Schwartzbendele-holtz vocarunt. Prouenit etiam in vicinis Basil. montibus, potissimùm circa Münchenstein. Item inter Bernam & Solodurum & Bure oppidum: vbi fructu acerbo in

Tempus.

principio Iunij vidimus: florentem Geneuæ Maio. In Delphinatu verò vno Miliari Lugduno, florentem Aprili. In montibus Lotharingicis circa thermas Plumbarias quoque nascitur; & inter Beffordiam ac Girardmegni, vbi à nobis obseruata, mense Septembri. Magnates quidam Bononienses in hortis colunt.

Vsus & Vires.

Semina Germani commendant ad Epilepsias puerorum, appensa collo & vocant Gichtbeeren, & Holtzbeeren. In Silesia, teste Schuuenckf. pueris nota, qui verno tempore ramos cum floribus decerpentes in conclauia transportant, odoris gratia. Fructus cibus auiculis gratus quo &

Cibus.

pueri delectantur. Dulces sunt bacculæ, sed ingratæ, & facilè nauseam mouent. Vehementer adstringunt, & aluum cohibent.

Temperam. Aluu flux.

CHAMÆCERASVS MONTIS GENEROSI.

Cap. XXXIII.

Descriptio. Locus.

Misit Gesnerus ad Dalechampium fruticis effigiem, qui nascitur; vt scripsit, in montis Generosi Insubriæ crepidinibus, cliuis ac præcipitijs, folio Aceris albi, quod Galli Plane vocant, latiore & ampliore, per ambitum valdè insecto: fructu rotundo, rubro, ceraso simili, vnde Chamæcerasi nomen. Chamæcerasum montis Generosi tam Gesnerus quàm Hist. Lugd. vocat.

Folia. Fructus.

LOTVS ARBOR FRVCTV CERASI.

Cap. XXXIIII.

Descriptio.

Lotus dicta arbor, magna est; caudice crassissimo, ramis Cerasi instar brachiatis, sed in latitudinem magis, quàm in altitudinem extensis, cortice leui, subalbido, (vt Cæsalp. ait: vt Matth. in cœruleum nigrescente) folijs Vlmi lõgioribus; & magis in acutum desinentibus; inferiore parte nonnihil incanis, supernâ viridantibus, rugosis, in ambitu serratis, in acumen desinentibus, quæ nihil nobis cum Ilice vidétur commune habere. Ad vnumquodque ferè folium est bacca subnigra, ceraso silu. similis, minor tamen, ex longo pediculo; pulpam paucam albam cõtinens cum dulcedine adstringentem, gratam: ossiculum, ad fructus proportionem magnũ, bacca tota siccissima, vt vix ea quis satiari possit. Flosculi, teste Cæsalpino, ex binis foliolis constát summo fructui insidentibus: Baccæ nigræ: ossiculum durum, veluti quadripartitum, intus unica seminis medulla, dulcis.

Cortex. Folia. Fructus. Ossiculum. Flores.

Hanc arborem, aut certè huius generis aliquã, ob fructus gratam dulcedinem Vlyssis socij, vel ipse potiùs Poetarum maximus Homer. suis carminibus celebrasse videtur, cui Λωτὸς dicta, & Populi, qui eius fructu victitabant, Λωτοφάγοι, ad quos missis ex Vlyssis socijs tribus exploratoribus, qui eorum mores indagarent, fructus dulcedine illecti, ad nauem redire noluerunt, nisi verberibus compulsi: tutiùs esse rati apud Lotophagos subsistere, quàm tot erroribus atque periculis in mari quotidie cum Vlysse iactari. Vide præclarè Vlysses apud Hom. Odyss. lib. 9.

Autorum placita atque Synonyma. Lotus Hom.

V

Homer. loquens de Lotophagis.

Τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν,
Οὐκ ἔτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι.
Ἀλλ' αὐτοῦ βούλοντο μετ' ἀνδράσι λωτοφάγοισιν
Λωτὸν ἐρεπτόμενοι μενέμεν, νόστου τε λαθέσθαι.

Sensus est: Quisquis horum, Loti mellitum fructum edisset noluit denunciare quicquam, neque redire, sed illic cum Lotophagis permanere malebant, vt Lotum decerperent, reditusque obliuiscerentur. Existimamus autem illos periculi potiùs (sicut dictum, & doctissimi quique sentiunt,) euitandi causa, quàm huius fructus illicio tractos emansisse. Etsi enim dulcedine non careat, tam macer tamen est (si saltem hanc nostram intelligit) vt si ad voluptatem esurientibus, ad satietatem verò ijsdem nunquam fortè esse possit. Ecqua verò etiam ex ijs possit esse voluptas, tam exsuccis, tamque adeo [ad nobiliores sapidioresque fructus comparatis] nullis; Vt mirum huius fructus aridam infœcundamque dulcedinem, nomen & genti, & regioni [vt plerosque sentire videmus] dedisse, atque adeò nimis hospitali illa aduenarum obliuione, in adagium [Λωτὸν ἔφαγε] abijsse. Sed fortè in ijs regionibus carnosior ac vel nostra etiam suauior, cùm & esse credantur quæ nucleo carent, vti dicetur mox:

Loti homonymia. Loti plures species.

Est verò Loti apud Autores varia & multiplex receptio: immò apud ipsos etiam Botanicos plures non solùm plantæ, sed & arbores hac voce comprehenduntur;

Theoph. de huius differentijs & significationibus sic ait: Quædam speciebus pluribus constant, quanquam vnum nomen sortiantur, vt ita sint, quasi homonyma sicut *Lotus*. Huius enim plura genera, folio, caule, flore, fructuque ipso discrepantia. Sed de his postea, & suis quibusque locis fusiùs. Nunc de hac, & præcipua, sine dubio, inter arbores Loto, quam idem autor abundè describit, his verbis. Est autem (Λωτὸς Celtis Gaza ex Plin.) peculiare genus, procerum, magnitudine Piri, [ἡλίκον ἄπιος] aut paulò minus: folio inciso, vt Ilicis: (πρινώδες: Cornar. suspicatur legendum πριονῶδες: serrato: nec displicet lectio. Plin. paulò aliter conuertit, vti patebit mox) materie nigra. Genera eius plura, fructibus distincta. Fructui magnitudo Fabæ (κύαμος) qui velut vuarum botri maturescit, colores mutans. Nascitur alternatim, ex aduerso, veluti Myrtorum baccæ, super germinibus densus. In cibo est Lotophagis dictis, dulcis, iucundus, innoxius, & stomacho gratus: πρὸς τὴν κοιλίαν ἀγαθός: Gaza vertit, bonæ frugis: Dal. aluo ciendæ vtilis: Anguil. ventriculo bonus: Scal. Ventriculo vtilis.) Suauior etiam qui nucleo caret (ὁ ἀπύρηνος: sic & Plin. & Gaz. & Scal. Vulgat. exempl. ἥδιον δὲ ὁ πύρηνος, suauior verò nucleus: Anguil. videtur legisse πρῶτος, suauior autem primus.) ex quo etiam vinum conficiunt. Copiosa illic est hæc arbor, multumque fructifera. Quare Ophelli exercitum, cum Carthaginem proficisceretur in commeatus penuria, eo fructu in plures dies vitam sustentasse tradunt. Est igitur in insula Lotophagite, quam Pharidem vocant [ea nunc *Gerbi* dicitur. Dal.] ea Lotus frequens. Ea insula sita est, haud longè à Continenti. Cæterùm non illic tantùm, sed etiam in Continente multò largiùs prouenit. Nam in Africa [λιβύῃ] vti diximus, Loti vt & Paliuri maximus prouentus: sed hæc Lotus ab illa Lotophagorum differt.

Piri magnitudine. Serrato folio Ilicis. Genera plura. Fabæ magnitud. fruct. Lotophagis. Apyrenus. Vinum ex Loto. Lotophagiten Lotus Pharidis.

Paliurus Theoph.

Paliurus Loto fruticosior est, folio huic nostrati similis, sed fructu diuerso: non enim latum, sed rotundum & rubicundum, magnitudine quâ Cedri, aut paulò minore, cuius nucleus non simul editur, quemadmodum acini punici. Fructus verò ipse suauis est, cui si quis vinum affundat, & ipsum suauiorem fieri tradunt, & vinum ipsum quoque suauius efficere.

Lotus arbor fruticosa. Semen. Vinum. Lignum. Radix.

Referunt quidam Lotum arborem fruticosam, ramosam, caudice firmo, semine incluso nucleo, exteriùs non carnoso, sed magis cutaneo, in cibo non tam dulci, quàm ori grato & suaui, sed vinum quod ex eo parant minimè durabile est sed duos tresúe dies tantùm, dein acescit. Fructus apud Lotophagos suauior est. Materies optima in Cyrenæa regione, calidiore Lotophagorum regione. Radix arboris, multò est ligno nigrior, minùs densa, & ad pauca commoda, nimirum & ad pugiones, & ad glutinandas assulas: Lignum ad tibias, & ad alia plura vtile.

Acanthi lignum. Arbor circa Memphim. Locus.

Idem Theoph. tradit Acanthum Aegyptiam ligno esse λωτίνῳ colore. Et paullò pòst, circa Memphim arborem tantæ esse magnitudinis, vt tres homines eius caudicem amplecti nequeant, cuius etiam materies cæsa operibus sit apta, densa valdè, & coloris Loti. (λωτώδης.) In Africa verò Lotum plurimam, optimàmque gigni: itemque Paliurum: quin & alijs quibusdam partibus, vt Nasamonica regione, & apud Ammonem, alijsque locis prouenire.

Aethiopes Lotophagi.

Porrò quod Homerus & Theoph. de Lotophagis tradunt, istud & Strabo confirmat quidem, sed de diuersis nationibus id scribit, locaque quamplurima, in quibus nascitur, memorat. Æthiopes inquit, Mauritaniæ accolæ in Occasum spectantes, Lotophagi vocitantur, loti cibos carpentes, gramen & radicem quandam, nullo indigentes potu, nec facultatem eius propter aquarum penuriam habentes. Horum Natio vsque in Cyrenæorum loca extenditur. Alii rursus Lotophagi nominantur, alteram inhabitantes è regione paruæ Syrtis insulatum Menyngem. Et alibi: Minori Cercinitis [Syrtis insula est] continua est, minor Syrtis, quam Lotophagitim Syrtim vocant. Iuxta vtrumque promontorium, quæ os efficiunt, insulæ adhærescunt continenti, Circinna scilicet, de qua diximus, & Meninx, magnitudine æquales. Meningem Lotophagorum terram putant, cuius Homerus meminit, & signa quædam extant, & Vlyssis terra, & fructus ipse, Nam Lotos multa in ea est, fructu suauissimo.

Lotophagi Menyngenses. Lotophagitis. Syrtis.

Lotophagorum terra. Lotos arbor. Celtis.

Plin. de Loto arbore quæ habet ex Theoph. transcripsisse videtur; adiectis tamen quibusdam vel de suo, vel ex alijs quibusdam etiam mutatis. *Sic autem scribit.* Africa quà vergit ad nos insignem arborem Loton gignit, quam vocant Celtin, & ipsam Italiæ familiarem sed terrà mutatam. Præcipua est circa Syrtes (Theoph. vocat Lotophagiten, & Pharidem, hodie Gerbi: Syrtes verò *los Baxos & Secagne di Barbaria* Hisp. Dal.) atque Nasamonas. Magnitudo, quæ Piro, quanquam Nepos Cornelius breuem tradat. Incisuræ folio crebriores: alioquin Ilicis viderentur. (Plin. apud Theoph. legit πρινώδες: alij verò πριονώδες Dal.) Differentiæ plures eæque maximè fructibus fiunt (Nam alii, qui & suauiores, exosses sunt, alii nucleũ continent ex Theophr.) Magnitudo huic fabæ, color croci [priusquam perfectè maturescat: maturo niger, Dal.] Sed ante maturitatem alius atque alius, sicut in vuis. Nascitur densus in ramis, Myrti modo, non vt in Italia, Cerasi: tam dulci ibi cibo, vt nomen etiam genti terræque dederit, nimis hospitali aduenarum obliuione patriæ. Ferunt ventris non sentire morbos, qui eum mandant. Melior sine interiore nucleo, qui in altero genere osseus videtur. Vinum quoque exprimitur illi, simile

Differentia. Exosses. Color croci.

mile mulso, quod vltra denos (duos quidem, ex Theoph.) negat durare idem Nepos: (hocverò Theoph. de fructu Loti fruticantis) baccasque contusas cum alica (Zea deglubita) ad cibos dolijs condi. Quin & exercitus pastos eo accepimus [Theop. hoc de fructu prioris Loti] vltro citroque commeantes per Africam. Ligno color niger. Ad tibiarum cantus expetitur. Et radice cultellis capulos, breuesque alios vsus excogitant. Hæc ibi natura arboris. Et paulò pòst. Cyrenaica regio Loton suæ postponit Paliuro. Fruticosior hæc, fructuque magis rubens, cuius nucleus non simul manditur, iucundus per se, atque suauiore vino: quin & vina succo suo commendans. Et alibi. In cacumine ramosa Lotos, siue Faba Græca: quam Romæ a suauitate fructus siluestris quidem, sed cerasorum penè natura Loton appellant. Præcipuè domibus expetitur ramorum petulantiâ, breui caudice, latissima expatiantium vmbra & in vicinas domos sæpe transilientium. Nulli opacitas breuior: nec aufert Solem hyeme, decidentibus foliis. Nulli cortex iucundior, aut oculos excipiens blandiùs. Nulli rami longiores validioresque, aut plures, vt dixisse totidem arbores liceat. Cortice pelles tingunt, radice lanas. Quid verò per Loton suam transmarinâ intelligat Plin. cui nullum omnino esse caudicem dicit, nondū nobis innotuit. Dioscoridi sanè Lotos arbor, Lotos silu. & Lotos Ægyptia caulem habent.

Vsus ligni. *Lotus Paliurus.* *Lotos Faba Græca.* *Lotus transmarina.*

Item alibi idem Plin. Ex relquis siccissima (materie) Lotos, quæ Romæ ita appellatur. De Loti longæuitate sic scribit: Verba leguntur lib. XVII. c. I. & sunt Crassi oratoris Cn. Domitium alloquentis. An tu, inquit, qui H-S millies sex arbores æstimes: Eæ fuere Loti, patula ramorum opacitate lasciuæ, Cecina Largo e proceribus crebrò in iuuenta nostra eas in domo sua ostentante. Durauerùntque, quoniam & de longissimo æuo arborum diximus, ad Neronis principis incendia, quibus cremauit vrbem, annis CLXXX. postea, cultu virides iuuenesque, ni Princeps ille accelerasset etiam arborem mortem.

Loti longæuitas. *Lotus magna æstimationis.*

Item: Romæ Lotos in Lucinæ area anno qui fuit sine magistratibus 369. vrbis æde condita: incertum ipsa quanto vetustior: esse quidem vetustiorem non est dubiū, cū ab eo Luco Lucina nominetur. Hæc nunc circiter annum 450. habet. Antiquior illa est, sed incerta eius ætas, quæ capillata dcitur, quoniam Vestalium Virginum capillus ad eam defertur. Verùm altera Lotos in Vulcanali, quod Romulus constituit ex victoria de Decumis, æquæua ibi intelligitur, vt autor est Masurius. Radices eius in forum vsque Cæsaris, per stationes municipiorum penetrant.

Lotus capillata. *Lotos in Vulcanali.*

Loto autem baccas tribuit Plin. diuersis locis. Hæc eius ferè sunt placita de Loto arbore cum ijs, quæ in viribus traduntur.

Diosc. Λωτὸς τὸ δένδρον. Lotus arbor, stirps est benè magna: fructum fert Pipere maiorem, dulcem, edulem, stomacho aptum, quique aluum sistit. Idem alio loco: Trifolij Asphaltitis folia tribuit, Loto arbori (λωτῷ τῷ δένδρῳ) in singulis germinibus tria.

Lotus arbor Fructus Pipere maior. *Folia trifol. Asphalt.*

De Loto quoque sic scribit Athenæus. Quæ, inquit, de Loto Lybica scripsit Herodotus, eadē refert Polybius Megalopolitanus, oculatus testis libro duodecimo historiarum, his verbis: Est autem Lotus, δένδρον in Græco habetur) ... [οὐκ Dal.] ... : ἔχει δὲ φύλλον ... (... iuxta Theoph. Dal.) ... ... Dalech. vertit: minimè procera, aspera (non tamen, addit Dal. aculeata folio Rhamni vel potiùs iuxta Theoph. Ilicis: eidem Dal. qui omittit paruo) paulò latiore & crassiore. Fructus per initia colore & magnitudine simili perfectis baccis (albi. Dal. omittit.) Myrti, dum augescit, coloris phœnicei, Oleæ magnitudine, rotundus, nucleo admodum pusillo. Maturus is colligitur, & cum alica tusus ad seruorum, famulorumque cibum in vasa conculcatur ac sti patur: ingenuorum autem edulijs, detracto nucleo eodem modo reponitur, ac pro cibo est? gustu caricis & palmulis non dissimili, odore tamen suauiori. Fit & ex eo vinum in aqua macerato & trito, saporis grati & iucundi, qualis optimi mulsi. Merum id & sine aqua bibunt, sed vltra decimum diem non perdurat. Quamobrem paulatim ad vsū tam breuis temporis conficiunt. Fit & acetum ex eo. *Hac ille de sua loto.*

Lotus Lybica. *Nucleus.* *Vinum.* *Acetum.*

In descriptione Athenæi modò citata videtur Natalis de Comitibus, qui vertit folio crassiore, legisse παχύτερον: quandoquidem βαθὺς interdum significat amplum & maius: quid si interpretemur paulò amplius vel maius ac latius? Dalech. apud Athen. vbi scriptum Oleæ magnitudine, annotat: Ilbæ Theoph. quæ fructum habet inclusū nucis putamiē, Herod. l. 4. fructum tradit esse Lentisco similem. Hæc Dalech. à cuius opinione non parū dissentit Anguill. Polybii Lotū qui diuersū statuit à Dioscoridea, vt dicemus l. 6. in historia Iuiubarū.

Consulamus Arabes, quorum *Nabach*, ad nostram Lotum accedere videtur nisi sit idem, vt quibusdam placet.

Nabach Arab.

Rhaza: Nabach frigidæ sunt & siccæ, quæ ventrē adstringunt, & bilem flauam reprimunt: dulces verò ad hoc sunt debiliores. An verò Nabach Rhazæ sit nostra Lotus, pro certo asserere non audemus.

Serap: *Sadar* est arbor cuius fructus *Nabach*. Habohanifæ *Sadar* sunt duæ species: vna est Africana, altera Adhal: sed Africana non habet spinas acutas, & folia ambarum specierum sunt lata & rotunda. Et Nabach & Adhal sunt fructus parui, qui offerūtur regibus, alijs omnibus dulciores melioresque, odoris ac saporis aromatici: odore inficiunt vestes, velut alia aromata. Dioscorid arbor magna Galeno &c. Sed quæ scribit Serapio ex diuersis autoribus, haud vni plantæ nobis conuenire videntur. Consideret lector, quæ à nobis traduntur cap. de Paliuro Athenæj.

Sadar.

Auic. *Nabach* id est Lotus arbor dicitur *Alsedar*. Item alibi: de Sadar inquit diximus ca. de Nabach. Bellunensis in margine scribit Sedar.

Alsedar.

Actuar. inter posteriores Græcos meminit tantùm scobis Loti (λωτοῦ ῥίνημα vocat) in διὰ ... compositione. *Sed nunc Recentiores de Loto differentes producamus.*

Scobs Loti.

Inter eos primus Hermolaus apud Diosc. Lotus, inquit, arbor Latinis *Celtis* & *Faba græca*, Serum *Faba Syriaca*. *Anacacabean* vulgò apud Græcos dici autor Aetius, vt fructum eius Alicacabon scripsere Græci: vulgò Romæ *Pulsi Syriaca*, Padi accolæ *Bacam Syriacam* appellant, Polybius vidisse se testatur spinis asperam. Ludicræ tibiæ fieri ceptæ sunt è Loto, quas Alexandrini Photingas appellant: Propterea Cœnomani Lotum arborem hodie appellant Calamum. Spectatur Patauii antiqua Lotos in quodam Antoniani templi xisto. Est quando Hipp. Luton pro Loto nomi-

Celtis *Faba Græca* *Anacacabean.* *Anacacabun* *Puls Syriaca.* *Lotus spinosa.* *Ludicra tibia.* *Photinges* *Calamus*

nat. Faba Graeca siue Arbor Pontica, genus diuersum est à Faba Graeca; id est, Loto, magnitudine Fici, fructu Fabae: succo vestibus expresso quem *Acty* vocant: niger autem crassusque est: Nascitur in Scythia. *Hac Hermol.* quem suspicamur nostram Lotum nouisse ac intelligere, quamuis, more suo, misceat quę Theoph. Plin. & alii scripsere de Loto, cum suis, quae pauca sunt: eáque nostro iudicio indistinctè satis, nec clarè ad erudiendum lectorem acommodata: praestitisset eum Theoph. & Plin. aliisque autoribus suas seorsim relinquere obseruationes, iisdemque suas vel subnectere, vel si libuisset etiam praemittere, non eorum verbis quasi coalita aut cohaerentia sua interserere: sic omnia apud illum essent clariora.

Lotus Hip. Faba Graeca Arbor Pontica. Hermol. taxat.

Manardus: Fuit, inquit, Lotos quandoque Italiae familiaris, nunc adeò rara, vt ferè pro miraculo ab aduenis spectaretur ea, quae propè templum Diuo Antonio dicatum Pataui Hermol. viuente videbatur. Scribit de fructu eius Auic. sub grano Anescen: non absque tamen errore: ponit calidum in secundo ordine, quum Razes & Serapio reponant inter frigida. Scrapio arborem vocat *Sadar*, fructum *Nabar*; quem sequutus videtur Auic. qui de sadar quoque scripsit cap. 6;1. nihil tamen aliud tradens, nisi quod ad caput de Nabac lectorem remittit, nulla habita ratione quae de grano Anescen scripserat. *Celtis* haec arbor Lat. dicitur & *Faba Graeca* vel *Syriaca*, quia autore Theoph. fructum fert magnitudine Fabae. *Hac Manardus.*

Lotus Manardo. Anescen Auic. Auic not. Sadar Nabar. Serapioni. Celtis.

Interpretes Auic. dicit granum Anescen esse Lotum arborem: quanquam non existimauerimus Auic. de Loto intelligere, sed *Anescen* aliam quãdam plantam censemus, vt ex descriptione colligimus. Non igitur reprehendimus Auic. cum Manardo, sed eius interpretem.

Marnard. & Auic. not interpres reprehen.

Haec autem tradit Auic. Granum Anescen est magnitudine Piperis, eiusdem coloris, fragilius, medulla insigniter alba, boni odoris. Hoc granũ est calidum & siccum in secundo gradu: vtile ventriculo frigido & relaxato. *Hac ille*: qui cap. de Nabach quaedam habet quae ad Lotum pertinent, cuius verba infrà referemus, inter Loti vires.

Descriptio. Anescen Auicenna. eius not & vsus.

Porrò Loton arborem, teste Bruerio, in Africa gigni inter omnes conuenit: ideoque peregrinam. Verùm & nostri orbis familiarem factam certum est. Plinius terra mutatam in Italia existimat.

Euariant autores, tum Graeci tum Latini in arbore hac describenda. Odorem grauem baccis Diosc. tribuit: Plin. nullum. Studiosi rei arborariae apud nos (Lugduni) eam arborem esse existimarunt, quam vulgus Alysiam cognominat. Nos & aliam arborem vidimus, quam Alysiam vocant. Quae verò sint Loti & Alysiae Bruerino demonstratum cap. de Sorbo torminali, & cap. de Sorbo Alpina.

Autorum discrepãtia in designãdo Loto. Alysia.

Ruell. de Loto agens, arborum agmen producit his verbis: Lotus arbor quam Aphri *Celtin*, Lat. *Fabam Graecam*, Graecum vulgus *Anacacabea*, vt Aetius est autor: Italia hodiè tum *Amarenum*, tum *Visciulum*, quidam *Acrifolium*, alij *Ciceraginem*: Galli *Alysam* & *Alyserum*. Vt non temerè hoc suo nominum stipatu in dubium nos conijciat Ruellius, num cognita ei fuerit Lotus arbor, tam variarum diuersarumque arborum nomina miscens, exhibensque, ac si unius eiusdemque essent.

Anacabea. Amarenum Visciulum. Acrifolium. Ciceraga. Alysa. Alyserus.

Meritò itaque eum Cordus reprehendit scribens: quid sit Lotus non conuenit inter autores. Nam quod Ruell. Hermolai fretus testimonio scribit eam esse quam Calamum Cenomani appellant, haud induci possum, vt credam. Idem, Pongeriacum, Visciolum, & Ciceraginem ab Italis vocari scribit, Gallis Alysam & Alyserum, quod falsum. Est enim Cerasi species, cuius baccae Recentioribus Visciola, Germ. verò *Weysseln* dicuntur. *Hac ille.* Hermolao notam fuisse Lotum iudicamus. Non placet verò opinio Ruellij Cerasi speciem intelligentis. Cord. in sua Obseru. silua Loti folium describit.

Visciolum.

Curtius quoque Lotum non agnouisse videtur, quando ait, Lotum Italis *Amarenum*, Gallis *Alysam* & *Alyserum* vocari, quae diuersarum stirpium nomina sunt.

Curtius not.

Lotum Monachi apud Mesuem eam existimant arborem, quae vulgò Romae *Pulsaraca* nuncupatur.

Quidam Siculus dixit eis vocari in Sicilia Fabam inuersam, volens fortè dicere Fabam Graecam. Iidem volunt esse Arabum Sadar & Nabach.

Faba inuersa.

Anguillara putat Lotum Theoph. & Diosc. esse diuersas plantas, quòd Theoph. suam folio Ilicis, Diosc. trifolio Asphaltiti similem dicat. Ilici enim folia sunt dentata, Trifolio omninò aequalia. Existimat tamen apud Theoph. legendum πετρῶδες (πρινῶδες volebat scribere) id est, serratum. Si ita legamus, inquit, nullum dubium quin arbor dicta *Perlara* sit Theoph. & Iamblici Lotus. Plinij Lotus dicta Faba Graeca esset Diosc. Lotus, si Plinij Loti fructus descriptio responderet descriptioni Diosc. ac etiam folia. Easdem enim vires vterque suae tribuit Loto. Theoph. verba de Loto quidam malè vertunt. Is non errat meo iudicio, qui dicet Lotum descriptam ab Athen. ex Polybio esse Theoph. Lotum Pharidis: Eadem etiam est Lotus ossica Plin. Existimo esse Iuiubas satiuas. *Hac Anguill.* De Loto autem Pharide plura vide cap. de Iuiubis.

Lotus Theophrast. & Diosc. diuersa. Lotus Iamblici. Lotus Ath. & Theophr. Polybij Lotus.

Matth. eam existimat arborem, Lotum, & quidem Diosc. & Plin. veram, quae in Tridentino & Goritiensi agro vulgò *Bagolaro* vocatur: in Veronensi verò & in alijs quibusdam locis Italiae, *Perlaro*, folijs Ilici proximis: Gallis *Alysier*. Lotũ Polybij [de qua suprà ex Athen.] existimat esse Dactylos ex Trapesonda. Est etiam (addit ille) Lotus Africana altera species. Qui Lotũ Athen. ziziphum nostratem putant, decipiuntur. *Hac Matth.* de Loto Polybij ex Athen. Videat lector cap. de Guaiacana & de Iuiubis.

Bagolaro. Perlaro. Lotus Africana.

Idem Matth. Anguillarae ridet diligentiã in vertenda ex Theoph. Loti historia in Italicum sermonem. Siquidem is, inquit Matth. dum nescio quos carpit, quod perperàm [vt ille putat] Theoph. lectionem verterint, ipse prae caeteris dum se peritissimum eius interpretem facit, erroribus illis omnibus, quorum alios accusat, apertissimè notari potest. Nam vbi Theoph. habet ... , ille quidem vertit: *Come quelli del Myrto intrecciati*, id est, Myrti modo triplici ordine implicitis. Deinde vbi statim Theoph. habet, πυκνὸς ἐπὶ τῶν βλαστῶν, manifestò declarans fructum ipsum densum prouenire super ramorum germina: ille ad arborem non ad fructus respiciens, autoris sententiam destruit, his verbis: *è copioso di germogli*: id est, germinibus copiosus est: deinde vbi paulò inferiùs Theophrasto legitur, ... Ille admodum; & sine vllo protsus sensu, vertit Anguil. hoc modo: *Ma di questo è piu soaue il primo, percioche ve n'è vna sorte cosi chiamata, & di questo, se ne faceua vino.* id est, isto suauior est primus, quoniam genus vnum est ita vocatum, ex quo vinum parabatur. Haec qui viderint, facilè cognoscent

Anguillara reprob. Alter Anguil. error. Tertius Anguil. error.

Quartus Anguill. error. çene Anguillaræ in Græcis literis peritiam. Deinde manifestò is hallucinatus deprehenditur, vbi Plin. auctoritate parari vinum dicit, ex eo Loti arboris fructu, qui nucleum habet. Siquidem contrà Plinius ex ijs Loti baccis vinum fieri scribit, qui sine interiori nucleo habetur, quemad. scribit etiam Theoph.

Annotat autem Matth. Lotum Zurgelbaum Germ. dici. Matthiolo applaudens Apollo: Lotum (inquit) Matthiol. Bagolarum & Perlarum esse, tam euidentibus notis delineat, vt eius opinio maximè probāda videatur &c.

Apollo not. Verùm non multùm irradiat Apollo hoc loco: nam nec discribit suam Lotum, nec quid sit Lotus sciisse videtur, à qua multùm differt Alysia Bruyerini. Præterea tam Theoph. quàm Plinio imponit bonus ille censor: Theoph. enim ne verbum quidem habet de Croci colore: sed ἰσομέγεθη fructum Paliuri suæ dicit, quam tamen à Loto sua vtraque differentem facit. Plin. verò non dicit Loti fructum croci colore esse, dum est maturum, non enim habet hæc verba, sed illa tantùm, croci colore: quod intelligendum, vt doctiss. vult Dalech. antequam maturescat, maturo verò niger: cui explicationi optimè conueniunt illa verba, quæ statim subdit Plin. sed antè maturitatem alius atque alius, sicut in vuis. Saltem in nostra Loto conspicitur fructus primùm viridis, mox flauescens; dein ruffus: tandem perfectè maturescens niger aut nigricans. Meliùs fecissent, nostro quidem iudicio, boni isti Italiæ doctores Botanici, si illam Plinii difficultatem explicassent, quando ait: mutatione quidem terræ mutatam & arborem in Italia: nosque circa eam rem docuissent: num sapore fructus, an figura foliorum, an colore fructus, an florum varietate, an denique proceritate, breuitateue arboris. Horum enim neutrum explicat Plinius. Sed hæc candidè & obiter dicta sint, vt alii quoque qui ingeniosissimū hoc studium excolunt, suam his & similibus difficultatibus mentem adhibeant, eáque præstent ipsi in tanta rerum & nationum frequentia, quæ ob harum carentiam aliis plerisque denegata.

Italia Botanicos amice hortantur auctor.

Lotus. Celtis Romiglia. Const. Lotum Theoph. & Celtin Plin. Sabaudicè tradit *Ambrozelles* vocari. Lotum Diosc. Italorum esse *Bagolaro*, siue *Perlaro*; & Bergomatibus *Romiglia*. sibi *Alisier*. Athen. Lotum esse aliam. Esse & Loton Plin. siue Fabam Græcam Romæ, Cerasorum penè natura. Hanc *διώνυμον* Theoph. falsò credere nonnullos: quoniam Lotus arbor, vel Plin. teste ad tibiarum cantus expetatur: *λώτινος αὐλός*, & apud Pollucem etiam *λωτὸς* dicitur. vnde dicti Lothages, qui Lotum exercent. *Lotages.* Sed dubii hæremus an R. Const. Lotus, de qua potissimùm hoc capite agimus fuerit nota, & an rectè distinguat. *Alisier* nomen non conuenit: quam verò plātam per *Ambrosellès* intelligat, inuestigandum. *Const. not.*

Cerasus Theoph. Lotus maior. Goropius more sibi solemni nouā prodit opinione, Theoph. Cerasum, Lotum suspicatus, dum ait: Theoph. sic Cerasum describit, vt prorsus maximā eam arborem depinxisse videatur, quam Bononiæ sępiùs sub nomine maioris Loti conspeximus.

Carauia. Micaculier. In Insula Creta Lotus vocatur Carauia, Gallis *Micaculier*, teste Bellon.

Almez. Lacuna not. Lacuna Lotum Arab. *Sadar* & eius fructus Nabach dictum scribit vocari, Castil. *Almez*. Ital. *Bagaloro*, aut Cerase dinuerno. Gal. *Alisier*: quæ tamen postrema appellatio Gallica neutiquam Loto competere videtur, quam vel ex Ruell. vel Matth. haurire potuit, qui idem nomen tribuunt.

Amatus not. Amatus quoque cum Loto aliarum plantarum nomina confundit, nec videtur Lotum probè cognitam habuisse, vt copiosiùs dicetur cap. de Laurocerasō.

Lotus arbor, autore Gesn. Italis vulgò vocatur Fago, Monspeliensibus *Ledonier*. *Et alibi*: Fabago, inquit, arbor, Bellonii. circa Lutetię iam crescit: sic autem nominat Lotum fortè, quæ alio nomine Faba Syriaca dicitur. *Fago. Ledonier. Fabago. Faba Syriaca.*

Turn. Lotum siue Celtin Angl. **Nettletree**, id est, Vrticę arborem, & Lote tree vocari scribit. *Vrtica arbor.* Et sanè; si, quod res est, fateri velimus, haud malè quadrat comparatio foliorum Vrticæ cum folijs Loti. Minùs tamen placet figura Turneri, quam sibi propriam effinxit.

Seuerò edicto Guiland. in satyrico illo suo scripto, cui nōn truculentiùs debit nomen quàm inseruit maledicta; Arbor inquit, quæ in Tridentino agro *Bagolaras* vocatur, vel Diosc. non est, vel Diosc. ipsemet Lotum ignorauit. *Bagolaras.*

Itali viderint, maximeque Tridentini, an suæ *Bagolaras* competat descriptio Dioscór. necne. Matth. sanè, nec ille tantùm sed & alij plures eandem facere videntur, vt patet in pręcedentibus.

Lotus arbor Lobelio Lotus Dioscoridea est, *Micocoulier* Linguagottis: It. *Bagolauro*: quæ vox aptiùs ad Latinam deriuationem accedere videtur; quàm illud *Bagolaras*; aut *Bagaloro* quæ voces nobis Gymnasiorum Collegiorumque nobiles illos Baccalaureos in memoriam reuocare videntur, ex Baccho & Lauro, aut si mauelis, ex bacca & Lauro; magno interdum labore concinnatos. *Micocoulier. Iocus.*

Fructus *Micocoules* dicunt Linguagotti, vt annotat Dod. qui Loto simpliciter folia Ilicis tribuit, atque adeò suspectum se reddit, sibi neutram recte cognitam fuisse, præsertim quum sint alia nobis recentioribus folia quibus nostram Lotum comparemus. *Micocoules Dod. not.*

Hist. Lugd. putat *Micocoules* vocem ex Lotó deflexam, quasi μικρὸς καλὸς κόκκος. Sit ita. Illud potiùs videamus, quod addit: *Lotum* esse Diosc. siue *Celtin* Dalechampij aliorumque doctissimorum sententia. *Micocoules.*

Ex Plinio corrigendus Theoph. textus. Plinius inquit eiusdem Loti lignum ad tibiarum cantus expeti, è radice cultellis capulos, breuesque alios vsus excogitari scripsit, quæ Theoph. de ligno & radice Loti secundę prodidit. *Theoph. ...*

Eandem Loton Plin. arborem Syriticam rectè appellat: mox velut immemor eius historiæ à seipso descriptæ; Fabam Græcam vocat, eique vires eas tribuit quas Loto suæ Diosc. Lotum secundam Theoph. eam esse iudicauit Dalech. quam nonnulli docti Herbarii Laurocerasum nominant, de qua cap. proprio. *Arbor Syritica Plin.*

Lonicerus ingentem appellationum stipatum ex Hermol. & aliis sublectum eundemque diuersarum plantarum vni tribuit Loto, quem vniuersum huc referre piget, quòd nihil in eo sit, quod non dictu & reprehensum sit priùs. Maioris momenti sunt quæ Cęsalpinus ait. Lotum arborem, quam & Lotum Diosc. facit, & Celtim Plinii, fructu graueolente. Hetruscis *Baggatum* vocari. Idemque putat apud Theoph. Loti fructum Diospiron appellari, quasi Iouis triticum, ideo quia in pa[illegible] cogebatur more tritici, quę nobis coniectura i[n]geniosa videtur, verùm in Loti fructu nihil gr[a]ueolentis obseruauimus, quicquid dicat Cęsalp[i]nus; deceptus fortè versione Diosc. apud Marcellum, quę videtur legisse *βαρύοσμον* pro *γλυκὺν*, dulcem. Oportebat Cęsalp. fidere potius suo gustui, quàm malæ versioni Marcelli.

V 3

co inficientes, carne firmiore, acidâ valde, multùm astringente.

Hic fructus, antequam ad perfectam maturitatem perueniat, quatuor ferè colores distinctos ostendit: primò viridis est: mox rubet, quo in statu acerbus valdè & amarus est: tertiò atropurpureus fit in spadiceum: & tandem ex spadiceo pleniùs nigricat, præsertim probè maturus. Is enim color maturitatis nota perhibetur. *Officulum.* Officulum continet quale cæterorum, atque adeò durius esse videtur, nucleum continens minùs amaricantem. *Radix.* Radices arboris reptantes sunt, & ex se stolones ac prolem, vt acidæ rubræ, emittunt.

Synonyma. Macedonica. Visula. Amarena nigra. Merasia. Fortè sunt Macedonica, Merasia & Guindola, κεράσια, Amarellen / Wiechslen, & Weinstell Germ. Trago. Cerasa acida nigricantia solidiora, quæ *Visula* dicunt, Gesn. Cerasi 3. species fructu nigricante, *Amarena nigra*, quæ nigra sunt, Wiechslen, Weinsiile Germ. Brab. e rieckens: Gall. *Griotes*, Dod. Cerasa vulgò *Merasia* Ruell. Cerasor. 2. genus, Fuchs. Cerasa vulgò *Verule* Matth. An Iul. Scalig. cerasum grandissimum, adeò serum vt penè cum vua maturescat. Merasum vocant illud seriùs maturescens cerasum, austero fructu, nigro: *Vnga r.* ... Clus.

Locus. Basileæ & alijs German. locis in hortis colitur haud insolens: colimus & in horto Montb. copiosè, alioqui eo loco non vulgata sunt. *Vsus. Vinum Cerasinum.* Commodè exiccantur pro siticulosis febrientibus: Pulpam etiam excoquunt Basilienses. Parant ex ijs contusis cum ipsis adeò nucleis, & mixtis cum bono vino, id vini genus, quod tempore caniculæ in delicijs habent, nomine Weichselwein. *Parandi ratio. optima.* Nos etiam sæpiculè parari iubemus hac ratione. Ex cerasis contusis vna cum nucleis succum manibus tantùm expressum vino admiscent, materiem in massas pomi magnitudine coactas in furno torrent, & demum in oblongo sacculo linteo per dolij os immittunt, sed modicè refrigeratam. Sapidissimum fit, & nescio quid aromatici ex nucleis contusis atque tostis præ se ferens: siticulosis potatoribus æquè ad luxuriam quàm sitim commodissimum.

Varietas arboris huius fructus. Porrò huius arboris fructus pulchellam varietatem obseruauimus: quippe prædictis maiora sunt, sed pediculo breuiori, minùs astringentia. in horto. Ill. C. VVirtemb.

CERASVS PVMILA.

Descriptio. PVmila Cerasus meritò vocetur, fruticulus cubitalis vel bicubitalis, aut certè non multò altior, cortice coloris ex spadiceo cineracei, ramosus. *Folia.* Folia Cerasi, sed multò minora, paulò semuncia latiora, vnciam longa, per ambitum crenata, mucrone obtusiore, plura ex eadem gemma prodeuntia: parique pacto ex eodem puncto longis pediculis hærentes, *Flores.* flores plures, candidi, Cerasorum, minores. *Fructus.* Fructus itidem illis similes, sed multò minores, austeri.

Descriptio Clusij. Clus. sic describit. Variæ altitudinis inuenitur Chamæcerasi frutex: nam interdum in cubitalem, bicubitalem, aut ampliorem magnitudinem attollitur, vmbrosis videlicet locis & tenui solo: siccioribus autem locis, & iuxta semitas plerumque supra pedalem altitudinem non assurgit. Tenues & lentos habet ramulos seu virgas nigricante ex cinereo cortice obductas, quæ ex interuallis quædam tubercula & veluti gemmas proferunt, vnde tanquam ex cachrye, aliquot exigua foliola Myrti Tarentinæ folijs æqualia prodeunt, simulque flores bini, terni, quaterni aut plures sese explicant, candidi, quinque foliolis constantes, multis in medio staminulis præditi, Cerasi vulgaris floribus persimiles, minores tamen: infra hos flores, atque etiam in extremis virgis, ex alijs tuberculis exeunt sine floribus folia superioribus maiora, Cerasi vulgaris acerbo fructu foliorum formam imitantia, & in ambitu similiter crenata, longè tamen minora, & atra viriditate splendentia, subamari gustus. His succedit exiguus fructus, rotundus, carnosus, maturitate ruber, exiccantis minusque grati saporis, quàm sint acida cerasa, osseo intus nucleo. *Radix.* Radix crassa, longa, dura, paucis fibris prædita, profundum petens, & quæ difficulter erui possit.

Synonyma autorumque placita. Chamæcerasus. Proueniunt, autor: Cordo, spontè Saxoniæ variis locis non longe ab Hala, paruæ, & binos cubitos rarò excedentes cerasi, fructu mediocris magnitudinis, quas non sine causa Chamæcerasos siluestres appellare possumus. Et Matth. Cerasorum silu. pumilumque genus, inquit, nulla adhibita cultura Ananiensibus & Tridentino *Locus.* agro ac etiam in Bohemia circa Pragam & in Austria circa Viennam secus itinera & prope sepes spontè prouenit, nihil prorsus tu colore tu etiam *Verule.* sapore ab illis dissidens, quæ inibi *Verule* vulgò nocantur. Hæc breui pediculo pendent in arboribus admodùm pumilis, tantæque breuitatis, vt raræ, uel potiùs nullæ dodrantalem æquent mensuram. Quo factum est, vt crediderim (etsi id pro comperto asserere non ausim) hæc eadem *Macedonica.* esse, quæ Plinio Macedonica dicuntur. Cæterùm ego horum plantam chamæcerasum potiùs vocauerim. Baccæ cùm cæteris austeriores haveantur, etiam cæteris sicciores iure fuerint, magisque astringentes.

Cerasus Nana. Græcis χαμαικέρασος: It. *Ceregio nana*: *Ciregie saluatiche*. Ger. wilde Kirschen

Eiusdem cum Cerasis generis (ait Lob.) Chamæcerasus in hortis Belgicis densè fruticat: omnia Cerasi similia habet, sed quadruplo minora: fructus austerus est.

Chamæcerasus Plin. Clus. Vngaris Vadmegy/ id est, silu. Merisus. Clusij figura non respondet descriptioni: dicit enim folia serrata, qualia etiam erant pingenda, etiamque in nostra, quam ex Lob. damus, amanuensis culpa, cùm potuissemus meliorem dare, ex ipsa planta. Chamæcerasus Dod. Taber. Schuenckf. cui etiam cerasus humilis. Ger. Erdweichsel: Waldekirschen Tab. qui nihil præter iconem habet & nomen. Gal. dici posset *Cerisier nain.*

Locus. Apud Gallos autore Clus. spontè non nascitur, sed passim in Pannonia, Austria inferiore, & Morauia, editioribus siccisque locis: ad vinetorum etiam in collibus sitorum margines, & iuxta puplicas vias. In Bohemia videre non meminit. Habetur

bentur & in horto Stuckardiano E.C.Witt.acidissimi saporis, vt ait D. Schvvartz, quæ principio Iunij nondum erant matura. Eadem vidimus in horto Seb. Volmarij Eslingæ. Stutgardiâ translata in hortum Montb. D. Hochstetter Pfortzhemiæ ostendit in horto. Accepimus pulchellos ramos à doctiss. Medico & Botanico D. Agerio, Argentinensi, nominat Chamæcerasi Pannon. Clusij.

Tempus. Floret Aprili cùm primùm folia germinare incipiunt. Fructum Iunio, interdum etiam Iulio demum maturat.

CERASVS FLORE PLENO.

Descriptio. PVlchra cerasorum species est, si vel flores tantùm spectes, qui rosarum aut Balaustiorum modo pleni sunt, quales aliquando Lugduni vidimus. Aiunt minus fœcundam esse cæteris. Et ratio in promptu. Magna enim vis absumitur in flores. Considerandum an etiam fructus & arbor ipsa à cæteris differant. Multi quidem depingunt, sed nemo hactenus, quod sciamus, describit. 1. *Cerasa sine foliis.* 2. *Cerasus vulgaris duplici flore.* 3. *Cerasi alia species maior*, pauciores fructus edés. Belgi Criekboome sondern bladern/Vroech bloyende. 2. Gemeine Criekboome/ mett Dobbel bloemen. 3. Criechboom met groote ende zeerdobbel lüttel Vrüechten Voortbrengsen. Figuras, vti dictum, proponunt floribus plenis & appictis etiã fructibus, sine descriptione. 1 Cerasus præcox, Kirschen. 2 Cerasus multiflora, Kirschen. 3. Cerasus multiflora secunda Kirschen. Taber. Sed bonus hic vir non docet discrimen harum differentiarum: icones ad imitationem Lobelianarum factæ: omnibus appicti flores pleni, additique fructus.

Synonima. Lob. nom. Tabern. nom.

CERASVS VNO PEDICVLO PLVRA FERENS.

CERASVS RACEMOSA.

Descriptio. IN verè regio & instructissimo Ill. Ducis Wirtemb. horto Stutgardiano duæ coluntur Cerasi species, rubra scil. & nigra: quæ modò duos, modò tres, sæpè etiam quatuor aut quinque vno pediculo proferunt fructus, & ante ipsos, flores vulgatis similes. Surculos in hortum Mõtbelg. inserẽdos curauimus, & iam fructum ferunt nigrum. Ferunt Vintoduri Tigurinorum prouenire, esui iucunda.

De his & de racemosis sic Matth. Cerasa racemosa Hetruscis *Ciregie grappel-se*: cæteris verò Italis *Ciregie del Graspo*: sunt Cerasa, quibus vno tantùm pediculo, ternæ quaternæúe baccæ continentur: quibusdam etiam racematim in vuæ modum proueniunt. Habentur peculiariter in

Locus.

Locus. hortis, vineis ac viridarijs Italiæ. Qualitatibus & viribus non differunt à cæteris generibus Cerasorum.

De ijsdem Lob. In viteris quibusdam Belgij visitur cerasus, vno pediculo plura cerasa gerens: Synonyma **Kriecken viele aen een steelken.** Cerasi 5. species, cuius iconem Matth. exhibet, cerasa complurima racematim cohærentia ferens, quam idcirco racemosam vocant.

Dod. Hist. Lugd. quoque vtramque habet, prædictis nominibus. Icon cerasi vno pediculo plura cerasa proferentis ex ipsa planta parata est. At ea quam pro ceraso racemosa exhibemus, nobis absentibus fuit desumpta ex Lob. qui proposuit pro ceraso auium racemosa: verùm nobis minùs placet pro ea. *Icon.* Quandoquidem iam sculpta erat ne otiosa maneat, locum cerasi racemosæ Matth. tantisper occupet, donec aliquando succedat melior. Germ **Viel Kirschen an einem stiel**, cerasia vno pediculo plura. Item: **Rot Fogelkirschen**: *Taber. nom.* Cerasia racemosa rubra secunda Taber. qui duas habet icones, sed more suo sine descriptionibus. Germ. nomen cerasi auium facit, vt ignoremus quam intelligat Taber. Auium cerasum racemosam rubram non vidimus, nec de ea quicquam audiuimus. Si colore tantùm fructus differt à nigra, de qua postea, proprio capite, non erat opus icone. *Hactenus de differentijs cerasorum.*

Cerasorum locus & Tempus in genere. Cerasus, autore Plinio, Septentrione frigidisque gaudet, itémque aquosis montibus. Cerasi eodem tradente ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia. Ab vrbis anno DCLXXX is primùm vexit è Ponto: annisque CXX. trans Oceanum in Britaniam vsque peruenêre. Eædem, vt diximus peregrinæ, in Ægypto nulla cura potuere gigni. Dixerat, quidem antea cerasos, vt & Persicos peregrinas, sed nusquam Ægypti solum dedignatas, præterquam hoc loco. Mirum tamen non est, in tam æstuosa regione, siquidem frigido gaudeant cœlo. Porrò Virg. ætate, & sine dubio ante eum, cerasi frequentes fuerant in Italia, vt patet ex his eius versibus, Geor. l. 2.

Pullulat ab radice aliis densissima silua:
Vt Cerasis, Vlmisque: Etiam Parnasia Laurus.

Intelligit autem stolones, quos à radice expansa emittunt. Plinio quoque de loco adstipulatur Palladius, sic scribens: Cerasus amat coeli statum frigidum, solum verò positionis humectæ. In tepidis regionibus parua prouenit, Calidum non potest sustinere. Montana vel in collibus constituta regione lætatur. In Gallia, vt scribit Ruell. adeò frequens est, vt etiam siluæ eâ scateant, sed omninò exilior humiliorque, quàm Pliniana illa. Iam suprà diximus ex Athen. à Cerasunte Pontico municipio, primùm arborem hanc in Italiam translatam, fructumque gentilitio nomine *Cerasium* appellasse. At hodie tam in Italia quàm Gallia & Germania adeò frequens vbique locorum hæc arbor, nullóque negotio prouenit, vt etiam siluæ nonnullæ ea scateant, vti dictum. Nullaque arbor est, vel Matth. teste in Italia hodiè, quæ vulgò notior sit. Est & frequens in omnibus hortis sed eæ species, quæ magnos ferunt fructus *Guignes*, & *Griottes* dictæ cerasi, in hortis tantùm plantantur. Cerasus autem ferens paruas *Guignes* Dodonæo, quam nos siluestris generis fecimus, vt plurimùm prouenit iuxta agrorum & uiarum limites, itemque in siluis.

Lusitania, inquit Amatus, vt placet Plinio, bona fert cerasa: sed quod equidem meminerim, nusquam meliora habentur cerasa quàm Lugduni. Porrò acida siue acria cerasa apud Salmanticam Hispaniarum gustui gratissima reperiuntur. Quod de Lugdunensibus tradit Amatus, nobis non improbatur: sapidissima enim & ipsi eius loci Cerasa deprehendimus, fortè ob loci temperiem, agrique bonitatem, & quæ non minima fortè bonitatis causa, ob diligentem cultum. Basilienses quoque multa genera habent, & certè bona. Geneuæ etiam vulgaria aliquot genera. In horto E.C. Montb. varia cerasorum genera colimus è varijs locis conquisita: nec desunt nobis insitæ etiam. *Lugdunensia alijs præferuntur.*

Tempus. Florent in Germania omnes Aprili: non dubium in Italia & calidioribus, vt aliæ pleræque arbores, citiùs florere. Fructus maturant Iunio & Iulio, pro specierum varietate. Maio optima comedimus Romæ: estque omninò hic fructus qui inter primos è Pomis colono gratiam annuam refert: Monspelij Martio florentem obseruauimus, fructus maturos Maio, qui ex vicinis montibus tamen adferebantur, alioqui circa vrbem non abundant.

Satio. Facilis est cultura & plantatio cerasorum. Seruntur enim nucleis seu pomis, & inseruntur surculis. Seritur autem Malorum & Pirorum more. Insitione tamen potissimùm lætatur, nec vnquam bonum dulcemque dabit fructum, nisi priùs insita, ut Florentinus cum Theod. Dorst. tradit. At nos contrà sæpiùs in syluis optima Cerasa dulcia comedimus. *Vt bonus & dulcis fiat fructus. Insitio.*

Cerasi plantam siluestrem transferre debemus mense Octobri vel Nouembri, & eam primò Ianuario, cùm comprehēdit, inserere, vti suadet Palladius. Varro quoque brumalibus diebus Cerasum inserere præcipit: Plātaria, inquit, creari possunt, si prædictis mensibus spargantur poma, quæ summa facilitate nascentur. Ego huius arboris facilitatem probaui, vt virgulta ex Ceraso pro adminiculis per vineam posita in arborem prosilijsse confirmem. Et Ianuar. mense fieri potest. Inseritur mense Nouemb. meliùs. Vel, si necesse sit, extremo Ian. Alij & Octobri inserendas esse dixerunt. *Facilè crescit.*

Modus insitionis. Martialis in trunco inseri iubet. Palladio inter corticem & lignum feliciter semper euenit: faciliùs namque coalescit. Qui in trunco conserunt, sicut Martialis dicit, omnem lanuginem, quæ circa est, auferre debebunt: quæ si remanserit, insitis nocere manifestat: nam si comprehendit insitum, putrefacit: quare emuscari & prorsus auferri debet, priusquam trunco conserantur surculi. In cerasis hoc seruandum est, & in omnibus gummatis, vt tunc inserantur, quando his vel non est, vel desinit gummi effluere.

Cui inserenda. Cerasus inseritur in se, in pruno, in platano, vt alij, in populo. Sed nec Persici, nec Terebinthi respuere hospitium quidam tradunt, nec contrà cerasi Terebinthum & Persicum. Plinius & Lauro insitam dixit. De cuius insitione pereleganter sic canit Palladius.

Inseritur Lauro cerasus, partuque coacto
Tingit adoptiuus virginis ora pudor.
Vmbrantes Platanos, & iniquam robore Prunum
Compellit gemmis pingere membra suis.
Populeasque nouo distinguit munere frondes.
Sic blandus spargit brachia cana rubor.

Vt Cerasus Vuas ferat. Cultura. Si quis [vt Flor. tradit] ceraso nigram vitem inserat, Vere feret vuas. Amat cerasus scrobes altas, spatia largiora, assiduas fossiones. Putari in ea patria & sicca debebunt, vel quæ densiùs arctata protulerit, vt rarescat. Fimum non amat, atque inde degenerat. Contrà proficit, si sui ipsius putamina

tamina falce concisa, circum radices sepeliantur, ibique marcescant. Cerasos præcoces facit, cogitque maturescere calx admota: vel sæpiùs affusa aqua calida aut lixiuio, sed poma interuelli meliùs est, vt quæ relicta sunt, grandescant: autor Palladius.

Vt Cerasus præcoxfiat. Vt cerasa grandescat. Vt cerasa sine ossibus nascantur.

Cerasa sine ossibus enasci Martialis rei rusticæ prudens promittit, si teneram arborem ad binos pedes recisissam, vsque ad radicem findas, abrasaque ferro partis vtriusque medullâ, statim subiunctas partes vinculo perstringas, & summá partem & diuisuras laterum oblinas fimo. Post annum ducta cicatrice diuortia coalescunt. Hanc arborem surculis qui fructum adhuc non tulerunt, inseris, & sine ossibus poma (vt asserit) nascuntur.

Cardanus in opere suo de rerum varietate cerasa sine nucleis nasci generali ratione posse, statuit: postea, postquam prioré Martialis modum proposuisset, addit: cùm nunquam hunc fructum viderim existimo aut vix viuere posse, tot vulneribus acceptis, aut non in Italia.

Si cerasus concepto humore putrescit, in trunco foramen excauetur, quo possit sanies educi.

Ne Cerasus putrescat. Ne formicæ noceant. Ne æstus obsit.

Si formicas patitur, succum Portulacæ debebis infundere, cum aceti media parte permistum, vel vini fæcibus truncum arboris florentis adlinere.

Si æstu canicularum fatigatur, trium fontium singulos sextarios post solis occasum radicibus arboris iubeamus influere, sic, ne remedium Luna deprehendat: vel Herbam symphoniacam circa arboris truncum torquebimus in coronam, vel ex ea iuxta imum codicem cubile faciemus: ex Pallad.

Repositio & asseruatio.

Cerasa dulcia toto anno seruare vix possis: Genus tamen seruari testatur Cardanus.

Plinii tempore condiebantur, vt Oliuæ, cadis. Ratio hæc à Florentino rei rusticæ autore sic docetur. Cerasia ante Solis exortum arbore sua decerpta, in vas substratâ in fundo satureiâ conijciuntur: dein cerasia superponuntur, iterumque alternis satureia: adiicitur nonnihil acidi mellis aliquantùm dulcescentis. Seruantur itidem interiectis Arundinum folijs, & in eundem modum alternatim dispositis in cado. Nostri hanc operam impendere nolunt, sed in feruenti Sole ad rugas siccata, diutissimè seruant: item molliusculo furni calore passa. Alioqui & in sapam densam excoquunt in annuos vsus.

Vires & vsus. Aluus. Gummi. Tussis. Color cutis. Visus. Appetitus. Calculus.

Cerasia in genere frigida & humida putantur. Ea tradente Diosc. bonam quidem aluum præstant, si recentia sumantur: at siccata, aluum sistunt. Gummi verò cerasorum cum vino diluto sumptũ diuturnæ tussi medetur: colorem quoque commẽdat: visum exacuit & appetentiam inuitat. Ex vino etiam potum calculosis prodest. Plinio quoque autore, cerasa aluum molliunt, sed stomacho inutilia. Eadem siccata aluum sistunt, vrinam cient. Inuenio (inquit ille) apud autores, si quis matutinò roscida cum suis nucleis deuoret, in tantum leuari aluum, vt pedes morbo liberentur. Porrò Galen. Paulus, cæterique Græci Medicinæ principes rectiùs & distinctiùs à saporum differentijs de cerasorum facultatibus videntur tradidisse. Quoniam enim triplici ferè quoad saporum differentia spectantur, nempe dulci, acerbo, & acido: dulcia statuunt magis aluum soluere, & stomacho minùs esse grata: acerba è contra sistere aluum, stomachoque vtiliora esse: acida denique ob eam quam habent incidendi vim, pituitoso excrementisque referto ventriculo apprimè conuenire.

Sed interest, Galenum ipsum audiri, quem scimus accuratè rerum medicinalium vires æstimasse. Cerasus, scribit ille, arbor fructum fert non paris adstrictionis in omnibus particularum plantis participem. Nam & harum, sicut etiam Malorum Granatorum, & Malorum, quibusdam austera qualitas, in quibusdam verò dulcis, non nullis autem acida exuperat. Quinetiam ipsorum dulcium, ea quæ nondum cocta sunt ac matura, quædam admodum sunt acerba, quædam similiter Moris acida: sed in Moris immaturis acida qualitas acerbam exuperat; in cerasijs non semper. Ergo quæ dulcia sunt, magis quæ in intestinis sunt subducunt, sed minùs grata stomacho sũt. Contrà austera & quæcunque acida pituitosis excrementosisque stomachis sunt apta: siquidem austera magis desiccant, & nonnihil etiam incidunt. Porrò ipsius arboris gummi communem omnibus viscosis & mordacitatis expertibus medicaminibus facultatem obtinet, quæ & ad arterias exasperatas accommoda est. Propriè autem, si quidem, quod quidam subscribunt, verum est, calculo vexatos adiuuat. (add. cum vino bibitum.) Nam sic illi tenuium partium inesset facultas quædam. Item alibi: Ex cerasis quædam sunt, quæ Moris sunt similia, cuius modi sunt ea quæ minimam habent adstrictionem: alia Ruborum fructuj, vt ea quæ euidentiùs astringunt: quædã autem sunt, quæ vel valentiùs ijs adstringant. Proinde memoratæ cuiusque speciei facultatem, ex ijs, quæ de Moris & Rubi fructibus diximus, potes colligere.

Dulcia. Austera. Acida. Gummi. Arteria aspera. Calculus.

Galeno subscribit Paulus. At Simeon Seth paucissimis rem complexus: Cerasia, inquit, frigida sunt & humida, maliquè succi, ventrem subducunt, stomacho parum idonea, humidum ventriculum lædunt, præsertim cùm matura non sunt: sed calidis & siccis ventriculis & temperaturis prosunt. Gummi autem arboris cum vino sumptũ calculosos sanat.

Tempus. Calidis prosunt.

Celso quoque refrigerant cerasa, aluum mouent, stomachoque idonea sunt.

Athen. refert, virum quendam illustrem Diphilum Siphnium nomine, qui sub Lysimacho rege (vno ex Alexandri successoribus) vixit, multis annis Lucullo antiquiorem, (quem suprà ex Plin. diximus cerasa primùm in Italiam importasse) Cerasorum meminisse his verbis: Cerasa stomacho grata sunt (εὐστόμαχα) parum nutriunt, bonum succum gignunt. Cum frigida sumuntur, placent ventriculo: præferuntur cæteris Milesia, & quæ magis rubent, quoniam mouent lotium.

Parum nutriunt. Milesia Cerasa. Mouent lotium. An Cerasa stomacho grata.

Ita vides non inter se conuenire autores de cerasorũ vi stomachica, alijs eadem εὐστόμαχα, alijs κακοστόμαχα facientibus. Sed facilè litem compones si, vt suprà fecimus, ex sapore distingues. Quid si & sic controuersiam tollamus? Cerasa quæ verè talia minùs conuenire stomacho: eò quòd dulcia sint. At acida & austera, (vt suprà alicubi monitum) ne cerasa quidem verè dici. Quidam versibus haud inconcinnè eorum vires comprehendunt, vt noster ille Virgilius Germanus. Eob. Hessus.

Noxia sunt stomacho Cerasi prædulcia poma,
Ingerat hæc eadem si quis acerba, iuuant.
Illa mouent, hæc astringunt communiter aluum,
Vis vnas eadem rubraque Mora tenet.

Fiera:

Iam dedit è Ponto nobis tria Poma Lucullus
Vix tepida & cursus, dulcia, sunt subiti.
Dulcacida, ignito, sitiunt, aptissima ventri,
Condit adusta vorax Acria Sole Coquus.

Dulcacida

Appetitum faciunt.

His astus fluida arcetur, famis improbus ardor
Crescit &c.

Schola Salernitana.

Calculus.

Si Cerasum comedas, tibi confert grandia dona
Expurgat stomachum, nucleus lapidem tibi tollet.
Hinc melior toto corpore sanguis inest.

Nec reijcienda interpretatio Arnoldi. Tria inquit, his versibus enarrantur cómoda ex esu Cerasorum. Primum, expurgare stomachum: quod quibusdam verum videtur, si nuclei vnà conterantur, hoc enim modo abstergunt & emundant. Secundum est, nucleum cerasorum peculiari proprietate frangere lapidem seu calculum in Vesica, si succus eius sumatur, vel lac inde fiat. Tertium est, carnem cerasorum optimum generare sanguinem, confortare & impinguare. Et hoc experientia comprobatur. Videmus enim passeres qui plurimùm cerasis delectantur, eo tempore quo cerasa matura sunt, longè maiora habere hepata, quam aliàs. Vnde colligitur cerasa hepar augere & confortare.

Succus Nucleorum Cerasi. Lac cerasorum. Cerasis pinguescunt passeres.

Hic notandum duplicia esse cerasa, crassa scilicet & parua. Cerasa rursum duplicia, dulcia & Pontica. Dulcia omnia & parua, insalubria sunt, facilè corrumpuntur in corporibus, Vermes generantia. Crassa Pontica, *Cina* vocata, & ipsa dulcia inueniuntur. Quædam enim rubra sunt & mollis carnis, quæ recentia sunt edenda in principio mensæ: Vim habent adstringendi stomachum, & ciendi appetitus. Alia Cina nigra sunt & crassa, duræ carnis, & maximè omnium Pontica, quæ summo loco in prandio siue cœna comedenda, quia styptica sua vi in fine mensæ claudunt orificium stomachi, quo clauso digestio melius & citius peragitur.

Cerasorum differentia & usibus accommodatio. Dulcia generant Vermes. Pontica. Cina. Cina nigra.

Ruellius acidis cerasis etiam plus tribuit, obstructiones nempe iocinoris infarctu leuare, flauam bilem extinguere: Gummi lichenes infantium ex aceto sanare.

Obstruct. hepat. Flaua bilis. Lichenes.

Et Tragus, Cerasa, inquit, acida pituitam incidunt, crassosque humores pellunt. Solent illa saccharo quandoque condiri, ægris inflammationibus & calore vehementissimo laborantibus gratissimo cibo.

Condita. Aqua destil. lata. Ad aphoniam.

Quidam è nigris siluestribus aquam destillant, quæ amissam loquelam restituere dicitur. Omnia verò cerasorum genera, inquit Matth. quæ Amarina dicuntur, aptissima sunt, vt insolentur, saccharoque condiantur. Quin & sapore commendantur ad intinctus conficiendos, quibus non modò sanis edulia iucundissimè condiuntur, sed etiam ægrotantibus, præsertimque biliosis febribus vexatis. Siquidem illis non modò sitim extinguunt, sed oris insuauitatem emendant, & cibi appetentiam conciliant, nec ita facilè, deuorata, vt dulcia corrumpuntur in ventriculo, ideoque ad prædictas febres facilè conceduntur à Medicis Germanis. A pediculis repurgata vuis maturis admiscentur, & deinde vinum ex his paratur, gustu gratissimum, quod in alui fluxionibus vtiliter vsurpatur. Alium vini cerasorum modum suprà docuimus, cuius vsus & in hoc casu esse poßit, si vino rubro, nec forti paretur. Siluestria, quibus plerumque vescuntur aues, raro in cibis admittuntur, præterquam à rusticis, tum quòd plus ossis quam carnis habeant, tum etiam quòd cum quadam acerbitate amara sentiantur. Oleum è nucleis Cerasorum, faciem abstergit, maculas & lentigines aufert, vtile etiam arthritidi, & calculo renum & Vesicæ. Paratur fieri ex Amygdalis, expressione. Cerasorum quorumuis aqua bibitur contra nimios calores & foris imponitur: priuatim verò dulcium nigrorum, quæ & contra Paralysin à multis commendatur si ori infundatur, & os inde benè colluatur, vt amissum linguæ vsum restituat. Destillatur autem vel caro sola, vel vnà nuclei quoque contriti, vt calculosam renum & vesicæ materiam educat destillatus inde liquor.

Feb. biliosa. fitis. Oris insuauitas. Appetitus. Vinum Cerasor. Siluestria. Oleum e nucleis. Macula. Arthritis. Calculus. Aqua Cerasorum. Febres. Paralysis. Calculus.

Nigra & acida, *Vrsula* dicta, aquam reddunt salubrem in febribus, tum alijs, tum pestilentibus; refrigerantem, & confirmantem vires: vtilem quoque aduersus sitim & Dysenteriam, autore Euonymo. Rifius scribit Dulcium nigrorum recentium destillatam aquam quibusdam mirificè commendari ad Epilepsiam, ita vt cum primùm in os Epileptici paroxismo correpti infusa fuerit, dosi drach. quatuor aut ampliùs, illicò reuiuiscat recreatus, nec vllo ampliùs spasmo conuellatur, donec statuto tempore, vt fieri solet, post aliquot dies, alius paroxismus oboritur, tumque iterum, vt priùs infundendam: impedire enim, auferre, atque sanare Paroxismum. Sunt qui eandem aquam ad hydropem commendent.

Febres. Sitis. Dysenteria. Epilepsia. Hydrops.

Quoniam verò aquæ cerasorum iam aliquoties mentio facta, præscribamus formulam perbreuem parandi Optimam. Exempli loco sit Aq. Cerasor. acidorum. His contritis & Alembico vitreo immissis affundas bonum vinum, ad destilles in B. M. His destillatis affundas aliquid succi recenter expressi ex prædictis cerasis, vt sapore iucundior fiat efficaciorque. Cor hæc atque Ventriculum mirificè corroborat. Siccis etiam cerasis affunditur mustum: hocque vinum appetitum excitat ac calculum pellit, autore Matth. Existimauerimus, si quidem sicca cerasa, præsertim acida, adstringant, & vinum hoc modo cum ijs paratum adstrictionem induere; ideoque fluctionibus alui varijs accommodum. Aqua ex rubris acidis destillata, ad fluores menstruos expetitissima putatur, itemque ad dysenterias aliasque fluxiones duarum vel trium vnciarum dosi hausta. Hepar refrigerat, & stomachi ardores compescit. Præstans hæc habetur à quibusdam aduersus puerorum conuulsiones. Aq. ceras. nigr. & florum Tiliæ æquas partes misce. do sis vnc. j aut ij pro ætate.

Aq. Cerasor. acidor. Cor. Ventriculus. Vinum è siccis. Aqua ex rubris acidis. Puerorum Conuuls.

Egregia est & illa compositio Camer. ad ardorem vrinæ. Nucleorum Cerasorum siluat. vnc. ij. interioris pulpæ optimæ Melonum lib. ß addito pauco sacch. contusa destillentur. Huius aquæ stillatitiæ cochlearia aliquot ardorem vrinæ mitigant.

Ardor vrinæ.

Nucleos Cerasorum Taber. commendat. ad spleneticos, & ad difficultates vrinę. Labiorum fissuras emendabis mucagine parata ex gummi cerasorum & aqua rosata, eaque sæpiculè illita.

Labiorum fissura.

Nicol. Abr. à Framboif. noui aliquid adferre videtur his verbis. Cerasa [*Cerises*] recentia aluum laxant, sicca restringunt. Quæ ad perfectam maturitatem peruenerunt, dulcia sunt, quæ nondum matura, austera aut acida. Dulcia alunt, soluunt: sed ventriculo minùs commoda. Austera contrà. Acida vtilia ventriculo pituitoso & superfluitatibus pleno. Hæc ille, quem non intelligimus in distinctione cerasorum, aciditas, austeritas & dulcedo cerasorum non pendet à maturitate: sed diuersa sunt genera, dulcia, acida & austera.

Framboserius refellitur.

CERA-

Digitized by Google

CERASVS SILV. AMARA MAHALEB PVTATA.

CAP. XXXI.

Descriptio. MAhalebum vocant quidam arborem Cerasis satis similem ramosam & surculosam, caudice, teste Dal. plerumque intorto, *Cortex.* cortice rimoso, scabro, subcinereo: ramorum verò cortice ex cœruleo nigricante, læui, colore oculis non ingrato, radicibus crassis, multis, brachiatis. *Folia.* Folia Betulaceis similia, aut Populi nigræ, minora, paullo minùs lata, quàm longa, concinnè in ambitu crenata, Pruni silu. lætiùs & pallidiùs virentia, venosa. *Flores.* Flores odoris grati, ex quatuor foliolis, [vt idem Dal. ait,] nobis, ex quinque congesti, crebrisue staminibus medium occupantibus, filis intus candidis, apice rubro coronatis; cætera Cerasorum floribus similes, albi, minores, pediculis breuibus, vix vncialibus, *Fructus.* pluribus ab vno pediculo longiore & ramoso propagatis: quibus succedit paruus fructus, effigie Cerasi, rotundus, niger, amaricans, tinctura sua manus inficiens, ossiculo Cerasi, & nucleo ama- *Nucleus.* ricante, eiusdemque saporis cum Cerasi nucleis. Baccæ, inquit idem, succo plenæ purpureo, qui expressus lintea, coriaque munda & candida, floridissima purpura tingit, colore nec fugaci, nec caduco, sed diutissimè permanente.

An λακάθη Theophrasti? de qua sic ait: Descendit in plana Lacatha; sic enim in Græco legi- *Lacatha. Lacara. Leucara.* tur, non Lacara, vti vertit Gaza. Item auctu facilis Lacatha, vbi Gaza rursus Lacara vertit, quasi legisset λακάρα: sæpe in vulgatis posteriori loco, λευκάρα, priori λακάθη legitur: nullibi λακάρα. Sed difficilè est iudicare ex tam paucis verbis quid per Lacatham vel Lacaram intellexerit Theoph. quia tamen aliqui suspicati sunt Mahaleb quorundam esse Lacatham, hîc eius meminisse decuit.

An Plin. Vaccinia? Non nisi in aquosis (inquit) *Vaccinia* proueniunt salices, &c: Item Vaccinia Italiæ aucupiis sata, Galliæ verò etiam purpura tingendi causa ad seruitiorum vestes. Constantinus è Tur- *Plinius illustrat.* nebo legit, Italiæ mancipiis sata: quia mangonio Vaccinii tardatur corporis pubertas, quod erat venalitiis vtile. Ego verò (addit Dal.) si eam lectionem probarem, rationem potiùs ex sequentibus verbis afferrem, quia Vaccinii succo tinguntur seruitiorum vestes in purpuræ colorem. Præterea tardior pubertas iis vtilis non erat, sed dominis, & mangonibus, quòd pluris eos nondum barbatos venderent.

Vaccinia An Vacinia nigra Virgilii.

De præsenti verò arbore sic scribunt Monachi *Cerasi silvestres.* apud Mesuen. Reperiuntur etiam & cerasi siluestres, sed non sic passim, vt vrbanæ nascuntur. In partibus Apuliæ plures arbores vidimus, quæ ab *Nera.* incolis loci *Nera* vocantur; quarum fructus non *Almahaleb.* est Almahaleb, vt mox patebit. Est enim fru- *Glossema.* ctus *Nera* minor, neque nigrior Cerasio domestico, & foliū rotūdius, minus ac solidius. In caudice autē & cæteris partibus non differt Nera à Ceraso. Et tam Cerasus quàm Amarenus inseritur in Nera, & optimè fit.

Producit & gummi *Nera* affluenter vt Cerasus.

An Tragi siluestre cerasi genus, quam Pumilum cerasum aut Chamæcerasum dici posse ait? Lectorem tamen ad Ruellium remittit. At ille loco ab ipso citato meminit Chamæcerasi; quæ nihil commune habet cum Tragi siluestri Ceraso; de qua alibi.

Suam autem sic describit Tragus. In Rheni tra- *Tragus notat. Siluestris cerasus humilis.* ctu siluestre quoddam & humile cerasi genus reperitur, ripis fluuiorum potissimùm gaudens, ligno & fronde satiuo per omnia simile. At poma eius longè sunt minora satiuis, nec etiam vulgare hortense Pisum magnitudine excedunt, colore ferè nigricante tincta, singula singulis suffulta pediculis, dulci, sed ingrato, & qui nauseam vomitionesque excitet, gustu prædita.

C. Bauh. qui apud Matth. Chamæcerasum pe- *Sapor. Chamæcerasus petræa.* træam vocat, satis securè Cerasum siluestrem Tragi pronunciat.

Nos dubitanter proponimus, quia folia & locus non conueniunt cum nostra ceraso amara: cui folia diuersa à satiua: Gaudet etiam locis siccis & petrosis. Non videtur etiam dicenda Chamæcerasus: quandoquidem loco commodo non excisa in arborem non paruam excrescat. Quid fieret si multa cura etiam coleretur?

An Anguil. in Epist. *Arbor Mahaleb* proueniens *Mahaleb.* in Italia, Veronensi agro, itinere ad montem Baldum & in Sclauonia: de qua plura apud Serap. Putauit itaque Anguil. hanc arborem de qua hic agimus (si modò eam intelligit) esse Mahaleb Serap. de qua nos lib. 5.

Matth. quoque sic scribit. *Mahaleb* dicta quibus- *Mahaleb non esse Phillyream.* dam Neotericis planta cuius semen in vsu, quāuis non sit Phillyrea. Non desunt argumenta quæ inducunt, vt credam, verum & legitimum Mahaleb Arabum, quia video apud Serap. facultates ex Arabib. desumptas vt Mesue & Rasi, diuersas à Phillyreæ facultatibus: concedo errasse Serap. existimando Phillyream & Mahaleb Arabum idem esse. Auic. Mahaleb abstergit &c: Matthiolo tamen assentiri non possumus, nec concedere Se- *Serap. def.* rapionem errasse. Lib. 5. ostendemus argumentū Matthioli nullius momenti nobis videri.

Dalech. doctiss. Medicus, Chamæcerasum (vt scribit Gesn. in epist. quadam) nominat arbusculam quæ Arabicè *Mahaleb* dicatur. Aduchi ex Syria, quamuis vbique per sepes istic (circa Lugdunum) nascatur, sed arbore humiliore, fructu minùs habito, nucleo & semine tenuiore ac graciliore, folio rotundiore, flore albo &c. Bellonium sibi retulisse seminibus eius quæ odo- *Vsus.* rata sunt, vti Lugduni, illos, qui Chirothecas odoribus imbuunt.

Dalechampius autem annotat apud Plin. Constantinum putare Vaccinium fuisse Hyacinthum: Se verò arbusculam in sepibus frequentem, quam Mahaleb quidam vocant. Plinius certè Vacci- *Plin. reiic.* nium arbusculam perperàm Hyacinthum reddit, eamque cum Hyacint. bulbosa herba confundit.

Videamus & Rob. Const verba: *Lacatha* (inquit) apud Theoph. retineo, quamuis alicubi λεύκαρα habeatur, & Gaza λακάρα legerit: & nisi fallor est Macaleb Serapionis, quæ in agro Veronensi pro-

uenit, vt etiam mihi testis locupletissimus Io. Anguil. totius nat. hist. experientissimus.

Vaccinium Plin. Chamæcerasus. Ilu. cerasus. Vaccinij nuclei. Mahaleb nuclei.

Sunt, inquit Hist. Lugd. qui Vaccinium Plin. Theophrasti verò Lacatham arborem, nonnulli chamæcerasum siue Ilu. Cerasum esse existimarunt: verùm à quouis id Cerasorum genere differt. Non desunt etiam qui Vaccinij nucleos ex Oriente aduectos pro nucleis Mahaleb ostendant & vendant: tamen Mahaleb alia arbor est. Vaccinium in sepibus ferè semper prouenit ad Ligustros: quam ob causam Virgil. fortasse eodem versu coniunxit:

Alba Ligustra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.

Hist. Lugd. not.

Verùm Hist. Lugd: more suo frustra duas posuit figuras vnius plantæ: priorem nomine Mahaleb Matth. & multis capitibus interiectis, denuò, nomine Vaccinij Plin. & Lacathæ Theoph. quamuis eæ figuræ multùm inter se differant.

Chamæcerasus Petræa Petrocerasus.

Mahaleb Gesnerus, in Epist. 3. ad Zuing. vt annotat Camer. mauult chamæcerasum petræam aut Petrocerasum vocare quòd in petrosis montium locis nascatur. Idem ait: non conuenire plantam quam vocant nunc Macaleb cum Phillyrea Diosc. quę videatur esse Macaleb Diosc.

Macaleb Gesn. & Matthioli, Lob. diuersis operibus. Macholebum Matth. Tabern. **Ein geschlecht der steinlindern.** Verùm hoc Germ. nomen Tabern. haud nobis placet, quod Tiliam petręam significat. Quid enim arbori propositę cum Tilia commune, aut quę affinitas? Mahaleb à nonnullis dictum, ex sententia Clusii ad cerasi genera referendum, rusticis Austriacis steinweixsel, hoc est, petrosa cerasus. Sunt (addit idem) qui Vaccinium Plin. & Lacatha, (cuius nudú nomé apud Theop.) esse censent: Plinius Vaccinia aquosis solùmodò nasci tradit, tingendi causa, in quem vsum neminé hunc fruticem, aut eius baccas usurpare intellexi: at palustris illa Vitis Idęa, cũ ea quę nigris baccis est tincturę apta, vt annotaui. Ex his verbis Clusii satis apparet ei non placere opinionem de Vacciniis: quę tamé plausibilior nobis videtur, quàm noua illa de Viti Idęa. Non enim sunt arbores, Vites Idęę, nec facilè seri possunt, ut fieri ait Plinius. Prętereà minùs cõmodę earum baccę pro tinctura vestium municipiorum videntur, in qua re libèter peritiorum audiemus iudicium.

Tabern. reprehensus. Tilia petræa. Cerasi genus. Vaccinium Plinij Lacatha. Vitis Idæa palustris. Clus. refut.

Locus.

Gesnerus ex Dalech. testimonio tradit ubique per sepes in Gallia & circa Lugdunum nasci. Bellonium sibi quoque retulisse, & inuenisse se in mõte illo Rhętorum qui inter Curiam & Clavennam interiacet. Nascitur [addens] si bene memini copiosè in mõte proximo Vesę oppido, quod ad Rivarium Lacum in Helvętia situm, exeunti Curiã versus, ad sinistram, locis lapidosis. Et, ni fallor in Vallesia quoque. Calzolarius annotat prouenire in Italię monte Baldo. Clus. quoque testatur nasci scopulis & saxosis Pannoniæ locis, & Collium vrbi Viennensi vicinorum radicibus: ob eam causam Steinweixel appellari vt dictum. Hunc etiam plerisque Narbonensis Prouinciæ & Allobrogum locis, non procul à Rhodano sitis obseruare memini. Habemus in horto E. C. Montb. quæ in magnam excreuit arborem. Abundat circa Clarauallum E. C. Wirt. oppidum Burgundiæ vbi *Crenollier* vocant. Basileæ vidimus in horto Cl. D. Zuingeri, vt & alias multas rariores: Propè vrbem illam iuxta pagum & arcem **Dornach**: in Heluetia prope **Balstat**: in Alsatia propę **Than** in monte **Rang** (in quo generosa, dulcia & Basiliensibus celebratissima vina nascuntur) & locis vicinis.

Crenollier.

Tempus.

Lugd. multis in locis, vt ad portam D. Sebast. florentem vidimus Martio & Aprili. Multi etiam medici, quibus hæc curæ esse deberent, prætereuntes, nec obseruantes diligentiùs, Prunum siluestrem oscitanti quadam securitate censent. Obseruauimus etiam in Delphinatu inter Valentiam & Lugdunum, fructu paruo, nigro, maturo Iulio. Tiguri in Wese ad Riuarium eodem mense maturum **Tintebeer** vocabant: quasi dicas atramentorias baccas, vel potiùs tinctorias, quòd tingant.

Tintebeer.

Vires & vsus.

Nuclei plantæ, quam aliqui vocant Mahaleb, calfaciunt, emolliunt: saponarios globulos ingrediuntur, pilosque horridiores & duriores emolliunt, attenuant, affrictu crebro, Matth. Ex nucleis teste Hist. Lugd. oleum conficitur iucundi odoris, quo ad illinendas manicas vtuntur. Baccis istis maturis Turdi, Merulæ, aliæque auiculæ auidissimè vescuntur, quamobrem Italia ad eas alliciendas, sepes & dumeta Vaccinijs conserebat. Plinio quoque, vt iam suprà dictum, Vaccinia Italiæ in aucupijs sata: Galliæ verò etiam purpura tingédi causa ad seruitiorum vestes. Mõtbelgardi in horto H. E C. Ab auibus deuorantur baccæ. An horum nucleorũ vsus sit, quem tradũt Matth. Hist. Lugd. considerandum.

ad pilos. Oleum à nucleis. Cibus auium.

CERASVS RACEMOSA QVIBVSDAM: ALIIS PADVS.

CAP. XXXII.

Descriptio.

Caudice, ramis, cortice, crenatisque foliis ad Cerasum quàm proximè accedit: verùm folia maturescente fructu, aut eo maturo, infrà redduntur candidiora, suprà aliquantò nigriora, ut longiùs à Cerasi foliis abesse videri possint. Flores autem priuato surculo palmum longo racematim cohærent, ut in Laburno, Cerasorum floribus similes, nonnihil odorati, candidi, è quinis foliis compositi, apicibus luteis, pediculo semunciali. Fructus nigri, dulces, non tamé admodum grati, ossiculo duro, oblongo, scabro: nucleum continente. Dalech. scribit, flores suauissimè redolere, nec minùs olfacienti gratos, quàm Mali Citriæ flores. Fructum gustanti acerbum, Mespilaceique saporis graue quiddam, cùm manditur, naribus afflantem. Id ei admirationem parere: rarò quippe accidere solere vt suauissimi floris odorem fructum molestus fœtor excipiat.

Folia. Flores.

Synonyma. Padus.

An ἡ πάδος Theophrasti: quam ait vehementer vmbrosis gaudere locis. Sanè Hist. Lugd. apertè scribit Padum esse Theophrasti, sed quis ei hoc secretum aperuerit, vt tam liberè de re tam obscura tamque dubia pronunciaret, nondũ cognouimus. Circumspectiùs doctissimus Const. in Theoph. πάδος inquit, frutex quem vocant *Putier*

Hist. Lugd. not.

Allo-

Pades. Putida arbor. Pudis. Padis Cerasus silu.

Allobroges, Pados esse creditur. Sed hæc coniectura incerta: alia est *Pades* apud Plin. Dicta autem *Putter*, id est, putida arbor, à graueolentia. Sequani vocant *Pudis* quasi *Pades*, voce Padæ corrupta. Quidam cerasum silu. esse putant, verùm à cerasorum natura flos distat maximè.

Cerasus auium. Cerasus racemosa.

De eadem sic Clusius tradit. Cerasus auium aut cerasus racemosa vulgo Herbariorum: in siluis frequens: Germ. Elex aut Elexen dicunt: Vngari Zelnicefa. Belgicæ officinæ pro Vitice habuerunt.

Sunt (addit idem) qui Padum Theoph. esse censent: Sed cùm Theoph. eo loco Padum duntaxat retulerit inter arbores vmbrosis gaudentes, nulla addita descriptione: qua ratione suam opinionem stabiliant non video.

Pseudoligustrum. Agnos. Vitex. Pseudoagnos. Auium Cerasa. Mahaleb.

Arbuscula silu. cerasi folijs Gesn. Pseudoligustrum, tradente Dod. Sunt qui ἄγνον siue Viticem; sed perperàm vocitent, vnde & Pseudoagnos à nonnullis dictum, vulgò Vogelkirsen (id est, auiũ cerasa) nominant.

Suspicantur nonnulli esse Mahaleb de quo Auic. c. 478. & quod à Serapione ex Mesuæ sententia refertur: sed difficillimum fuerit asserere. Pseudoligustrum verò Dod. est hæc ipsa de qua hic agimus.

... tatur.

Nescimus verò quis cerasum racemosam vocitarit Mahaleb: quisquis tamen ille fuerit, suspicamur ei non fuisse notam eam plantam; quæ multis Mahaleb dicitur.

Cerasus racemosa. Cerasus auium racem. Tabern.

Cerasus racemosa, & Cerasus auium racemosa, Lob. & Penæ. Angl. Cluster Cherries. Cerasia racemosa nigra, Schwartz Vogel Kirsen Ger. Tabern. qui more suo, nihil præter iconem & putum putum nomen habet. De rubra eius racemosa antè scriptum.

Cerasus sil.

Doctis Herbarijs considerandum relinquimus, an Cæsalp. de hac scribat, cùm ait: Est quædam cerasus silu. breuis, racemulis oblongis, fructum ferens paruum, qui in maturitate ex viridi flauescit, subausterus, nucleo subaspero.

Cerasus montana racemosa. Schuuenckf. not. Arbor Vuæ. Staphylodendron. Arbor Vitis.

Cerasus montana racemosa, Padus Theoph. Germ. Olantbaum / Olkirschen, Ohlbaum: arbor procera valde, Schuuenckf. Sed quo fundamento, & is tam confidenter Padum Theoph. statuat, ipse viderit.

C. Bauh. nobis retulit prouenientem in horto Patauino, Guilandinum vocasse Arborem Vuæ Recẽtiorum, staphylodendron Veterum verum, & Arborem vitis.

Locus.

In glareosis & arenosis locis prodit circa sepes & dumeta. H. Lugd. Sectatur ripas fluuiorum in dumetis Silesiæ Schuu. Nos in horto Montb. iamdudum colimus, illatam ex vicinis montibus, & ex itinere Basileam versus circa Sept dictum pagum, vbi Schwartzbendele-holtz vocarunt. Prouenit etiam in vicinis Basil. montibus, potiss. circa Münchenstein. Item inter Bernam & Solodurum & Bure oppidum: vbi fructu acerbo in

Tempus.

principio Iunij vidimus: florentem Geneuæ Maio. In Delphinatu vero vno Miliari Lugduno, florentem Aprili. In montibus Lotharingicis circa thermas Plumbarias quoque nascitur; & inter Beffordiam ac Girardmegni, vbi à nobis obseruata, mense Septembri. Magnates quidam Bononienses in hortis colunt.

Vsus & Vires.

Semina Germani commendant ad Epilepsias puerorum, appensa collo & vocant Gichtbeeren, & Holtzbeeren. In Silesia, teste Schuuenckf. pueris nota, qui verno tempore ramos cum floribus decerpentes in conclauia transportant, odoris gratia. Fructus cibus auiculis gratus quo &

Cibus.

pueri delectantur. Dulces sunt bacculæ, sed ingratæ, & facilè nauseam mouent. Vehementer adstringunt, & aluum cohibent.

Temperam. Aluũ sist.

CHAMÆCERASVS MONTIS GENEROSI.

Cap. XXXIII.

Descriptio. Locus.

Misit Gesnerus ad Dalecchampium fruticis effigiem, qui nascitur; vt scripsit, in montis Generosi Insubriæ crepidinibus; cliuis ac præcipitijs, folio Aceris albi, quod Galli Plane vocant, latiore & ampliore, per ambitum valdè insecto: fructu rotundo, rubro; ceraso simili, vnde Chamæcerasi nomen. Chamæcerasum montis Generosi tam Gesnerus quàm Hist. Lugd. vocat.

Folia. Fructus.

LOTVS ARBOR FRVCTV CERASI.

Cap. XXXIIII.

Descriptio.

Lotus dicta arbor, magna est; caudice crassissimo, ramis Cerasi instar brachiatas sed in latitudinem magis, quàm in altitudinem extensis; cortice læui, subalbido, (ut Cesalp. ait: vt Matth. in cœruleum nigrescente) folijs Vlmi lõgioribus; & magis in acutum desinentibus; inferiore parte nonnihil incanis, supernà viridantibus, rugosis, in ambitu serratis, in acumen desinentibus, quæ nihil nobis cum Ilice vidẽtur commune habere. Ad vnumquodque ferè folium est bacca subnigra; ceraso silu. similis, minor tamen, ex longo pediculo; pulpam paucam albam cõtinens cum dulcedine adstringentem, gratam: ossiculum, ad fructus proportionem magnũ, bacca tota siccissima, vt vix ea quis satiari possit. Flosculi, teste Cæsalpino, ex binis foliolis constãt summo fructui insidentibus: Baccæ nigræ: ossiculum durum, veluti quadripartitum, intus vnica seminis medulla, dulcis.

Cortex. Folia. Fructus. Ossiculum. Flores.

Hanc arborem, aut certè huius generis aliquã, ob fructus gratam dulcedinem Vlyssis socij, vel ipse potiùs Poetarum maximus Homer. suis carminibus celebrasse videtur, cui Λωτὸς dicta; & Populi, qui eius fructu victitabant; Λωτοφάγοι, ad quos missis ex Vlyssis socijs tribus exploratoribus, qui eorum mores indagarent, fructus dulcedine illecti, ad nauem redire noluerunt, nisi verberibus compulsi: tutiùs esse rati apud Lotophagos subsistere, quàm tot erroribus atque periculis in mari quotidie cum Vlysse iactari. Vide præclarè Vlysses apud Hom. Odyss. lib. 9.

Autorum placita atque Synonyma Lotus Hom.

V

Homer. locus de Lotophagis.

Τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν,
Οὐκ ἔτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι.
Ἀλλ' αὐτοῦ βούλοντο μετ' ἀνδράσι λωτοφάγοισι
Λωτὸν ἐρεπτόμενοι μενέμεν, νόστου τε λαθέσθαι.

Sensus est: Quisquis horum, Loti mellitum fructum edisset noluit denunciare quicquam, neque redire, sed istic cum Lotophagis permanere malebant, vt Lotum decerperent, reditusque obliuiscerentur. Existimamus autem illos periculi potiùs (sicut dictum, & doctissimi quique sentiunt,) euitandi causa, quàm huius fructus illicio tractos emansisse. Etsi enim dulcedine non careat, tam macer tamen est (si saltem hanc nostram intelligit) vt si ad voluptatem esurientibus, ad satietatem verò ijsdem nunquam fortè esse possit. Ecqua verò etiam ex ijs possit esse voluptas, tam exsuccis, tamque adeo [ad nobiliores sapidioresque fructus comparatis] nullis; Vt mirum huius fructus aridam infœcundamque dulcedinem, nomen & genti, & regioni [vt plerosque sentire videmus] dedisse, atque adeò nimis hospitali illa aduenarum obliuione, in adagium [Λωτὸν ἔφαγε] abijsse. Sed fortè in ijs regionibus carnosior ac vel nostra etiam suauior, cùm & esse credantur quæ nucleo carent, vti dicetur mox:

Loti homonymia. Loti plures species.

Est verò Loti apud Autores varia & multiplex receptio: immò apud ipsos etiam Botanicos plures non solùm plantæ, sed & arbores hac voce comprehenduntur:

Theoph. de huius differentijs & significationibus sic ait: Quædam speciebus pluribus constant, quanquam vnum nomen sortiantur, vt ita sint, quasi homonyma sicut *Lotus*. Huius enim plura genera, folio, caule, flore, fructuque ipso discrepantia. Sed de his postea, & suis quibusque locis fusiùs. Nunc de hac, & præcipua, sine dubio, inter arbores Loto, quam idem autor abundè describit, his verbis. Est autem (Λωτὸς Celtis Gaza ex Plin.) peculiare genus, procerum, magnitudine Piri, [ἡλίκον ἄπιος] aut paulò minus: folio inciso, vt Ilicis: (πρινῶδες: Cornar. suspicatur legendum πριονῶδες: serrato: nec displicet lectio. Plin. paulò aliter conuertit, vti parebit mox) materie nigra. Genera eius plura, fructibus distincta. Fructui magnitudo Fabæ (κύαμος) qui velut vuarum botri maturescit, colores mutans. Nascitur alternatim, ex aduerso, veluti Myrtorum baccæ, super germinibus densus. In cibo est Lotophagis dictis, dulcis, iucundus, innoxius, & stomacho gratus: πρὸς τὴν κοιλίαν ἀγαθός: Gaza vertit, bonæ frugis: Dal. aluo ciendæ vtilis: Anguil. ventriculo bonus: Scal. Ventriculo vtilis.) Suauior etiam qui nucleo caret (ὁ ἀπύρηνος: sic & Plin. & Gaz. & Scal. Vulgat. exempl. ἥδιον δ' ὁ πύρηνος, suauior verò nucleus: Anguil. videtur legisse πρῶτος, suauior autem primus.) ex quo etiam vinum conficiunt. Copiosa illic est hæc arbor, multumque fructifera. Quare Ophelli exercitum, cum Carthaginem proficisceretur in commeatus penuria, eo fructu in plures dies vitam sustentasse tradunt. Est igitur in insula Lotophagite, quam Pharidem vocant [ea nunc *Gerbi* dicitur. Dal.] ea Lotus frequens. Ea insula sita est, haud longè à Continenti. Cæterùm non illic tantùm, sed etiam in Continente multò largiùs prouenit. Nam in Africa [λιβύῃ] vti diximus, Loti vt & Paliuri maximus prouentus: sed hæc Lotus ab illa Lotophagorum differt.

Piri magnitudine. Serrato folio Ilicis.
Genera plura.
Fabæ magnitud. fruct.
Lotophagi.
Apyrenus.
Vinum ex Loto.
Lotophagites Lotus Pharidis.

Paliurus Theoph.

Paliurus Loto fruticosior est, folio huic nostrati similis, sed fructu diuerso: non enim latum, sed rotundum & rubicundum, magnitudine quà Cedri, aut paulò minore, cuius nucleus non simul editur, quemadmodum acini punici. Fructus verò ipse suauis est, cui si quis vinum affundat, & ipsum suauiorem fieri tradunt, & vinum ipsum quoque suauius efficere.

Lotus arbor fruticosa.
Semen.
Vinum.
Lignum.
Radix.

Referunt quidam Lotum arborem fruticosam, ramosam, caudice firmo, semine incluso nucleo, exteriùs non carnoso, sed magis cutaneo, in cibo non tam dulci, quàm ori grato & suaui, sed vinum quod ex eo parant minimè durabile est sed duos tresúe dies tantùm, dein acescit. Fructus apud Lotophagos suauior est. Materies optima in Cyrenæa regione, calidiore Lotophagorum regione. Radix arboris, multò est ligno nigrior, minùs densa, & ad pauca commoda, nimirum & ad pugiones, & ad glutinandas assulas: Lignum ad tibias, & ad alia plura vtile.

Acanthi lignum.
Arbor circa Memphim.
Locus.

Idem Theoph. tradit Acanthum Aegyptiam ligno esse λωτίνῳ colore. Et paullò pòst, circa Memphim arborem tantæ esse magnitudinis, vt tres homines eius caudicem amplecti nequeant, cuius etiam materies cæsa operibus sit apta, densa valdè, & coloris Loti. (λωτώδης.) In Africa verò Lotum plurimam, optimàmque gigni: itemque Paliurum: quin & alijs quibusdam partibus, vt Nasamonica regione, & apud Ammonem, alijsque locis prouenire.

Aethiopes Lotophagi.
Lotophagi Menyngenses.
Lotophitis. Syrtis.
Lotophagorum terra.
Lotus arbor.
Celtis.

Porrò quod Homerus & Theoph. de Lotophagis tradunt, istud & Strabo confirmat quidem, sed de diuersis nationibus id scribit, locaque quamplurima, in quibus nascitur, memorat. Æthiopes inquit, Mauritaniæ accolæ in Occasum spectantes, Lotophagi vocitantur, loti cibos carpentes, gramen & radicem quandam, nullo indigentes potu, nec facultatem eius propter aquarum penuriam habentes. Horum Natio vsque in Cyrenæorum loca extenditur. Alii rursus Lotophagi nominantur, alteram inhabitantes è regione paruæ Syrtis insulam Menyngem. Et alibi: Minori Cercinæ [Syrtis insula est] continua est, minor Syrtis, quam Lotophagitim Syrtim vocant. Iuxta vtrumque promontorium, quæ os efficiunt, insulæ adhærescunt continenti, Circinna scilicet, de qua diximus, & Meninx, magnitudine æquales. Meningem Lotophagorum terram putant, cuius Homerus meminit, & signa quædam extant, & Vlyssis terra, & fructus ipse, Nam Lotos multa in ea est, fructu suauissimo.

Plin. de Loto arbore quæ habet ex Theoph. transcripsisse videtur, adiectis tamen quibusdam vel de suo, vel ex alijs quibusdam etiam mutatis. *Sic autem scribit.* Africa quà vergit ad nos insignem arborem Loton gignit, quam vocant Celtin, & ipsam Italiæ familiarem sed terrâ mutatam. Præcipua est circa Syrtes (Theoph. vocat Lotophagiten, & Pharidem, hodie Gerbi: Syrtes verò *dos Baxos & Secagne di Barbaria* Hisp. Dal.) atque Nasamonas. Magnitudo, quæ Piro, quanquam Nepos Cornelius breuem tradat Incisuræ folio crebriores: alioquin Ilicis viderentur. (Plin. apud Theoph. legit πριονῶδες alij verò πρινῶδες Dal.) Differentiæ plures eæque maximè fructibus fiunt (Nam alii, qui & suauiores, exosses sunt, alii nucleũ continent ex Theophr.) Magnitudo huic fabæ, color croci [priusquam perfectè maturescat: maturo niger, Dal.] Sed ante maturitatem alius atque alius, sicut in vuis. Nascitur densus in ramis, Myrti modo, non vt in Italia, Cerasi: tam dulci ibi cibo, vt nomen etiam genti terræque dederit, nimis hospitali aduenarum obliuione patriæ. Ferunt ventris non sentire morbos, qui eum mandant. Melior sine interiore nucleo, qui in altero genere osseus videtur. Vinum quoque exprimitur illi, simile

Differentia. Exosses. Color croci.

mile mulso, quod vltra denos (duos quidem, ex Theoph.) negat durare idem Nepos: (hoc verò Theoph. de fructu Loti fruticantis) baccasque contusas cum alica (Zea deglubita) ad cibos dolijs condi. Quin & exercitus pastos eo accepimus [Theop. hoc de fructu prioris Loti] vltro citroque commeantes per Africam. Ligno color niger. Ad tibiarum cantus expetitur. Et radice cultellis capulos, breuesque alios vsus excogitant. Hæc ibi natura arboris. Et paulò pòst. Cyrenaica regio Loton suæ postponit Paliuro. Fruticosior hæc, fructuque magis rubens, cuius nucleus non simul manditur, iucundus per se, atque suauiore vino: quin & vina succo suo commendans. Et alibi. In cacumine ramosa Lotos, siue Faba Græca: quam Romæ a suauitate fructus siluestris quidem, sed cerasorum penè natura Loton appellant: Præcipuè domibus expetitur ramorum petulantiâ, breui caudice, latissima expatiantium vmbra & in vicinas domos sæpe transilientium. Nulli opacitas breuior: nec aufert Solem hyeme, decidentibus foliis. Nulli cortex iucundior, aut oculos excipiens blandiùs. Nulli rami longiores validioresque, aut plures, vt dixisse totidem arbores liceat. Cortice pelles tingunt, radice lanas. Quid verò per Lotum suam transmarinâ intelligat Plin. cui nullum omnino esse caudicem dicit, nondũ nobis innotuit. Dioscoridi sanè Lotos arbor, Lotos silu.& Lotos Ægyptia caulem habent.

Item alibi idem Plin. Ex relquis siccissima (materie) Lotos, quæ Romæ ita appellatur. De Loti longæuitate sic scribit: Verba leguntur lib. xvii. c. i. & sunt Crassi oratoris Cn. Domitium alloquentis. An tu, inquit, qui H-S millies sex arbores æstimes: Eæ fuere Loti, patula ramorum opacitate lasciuæ, Cecina Largo e proceribus crebrò in iuuenta nostra eas in domo sua ostentante. Durauerùntque, quoniam & de longissimo æuo arborum diximus, ad Neronis principis incendia, quibus cremauit vrbem, annis CLXXX. postea, cultu virides iuuenesque, ni Princeps ille accelerasset etiam arborem mortem.

Item: Romæ Lotos in Lucinæ area anno qui fuit sine magistratibus 369. vrbis æde condita: incertum ipsa quanto vetustior: esse quidem vetustiorem non est dubiũ,cũ ab eo Luco Lucina nominetur. Hæc nunc circiter annum 450. habet. Antiquior illa est,sed incerta eius ætas, quæ capillata dicitur, quoniam Vestalium Virginum capillus ad eam defertur. Verùm altera Lotos in Vulcanali, quod Romulus constituit ex victoria de Decumis, æquæua ibi intelligitur, vt autor est Massurius. Radices eius in forum vsque Cæsaris, per stationes municipiorum penetrant.

Loto autem baccas tribuit Plin. diuersis locis. Hæc eius ferè sunt placita de Loto arbore cum ijs, quæ in viribus tradentur.

Diosc. Λωτὸς τὸ δένδρον. Lotus arbor, stirps est benè magna: fructum fert Pipere maiorem, dulcem, edulem, stomacho aptum, quique aluum sistit. Idem alio loco: Trifolij Asphaltitis folia tribuit, Loto arbori (Λωτοῦ τοῦ δένδρου) in singulis germinibus tria.

De Loto quoque sic scribit Athenæus. Quæ, inquit, de Loto Lybica scripsit Herodotus, eadẽ refert Polybius Megalopolitanus, oculatus testis libro duodecimo historiarum, his verbis: Est autem Lotus, δένδρον in Græco habetur) οὐ μέγα, τραχὺ δὲ κ[αὶ Dal.] ἀκανθῶδες: ἔχει δὲ φύλλον χλωρὸν παραπλήσιον τῷ ῥάμνῳ (πρίνῳ iuxta Theoph. Dal.) μικρὸν βαθύτερον καὶ πλατύτερον, ὁ δὲ καρπὸς τὰς μὲν ἀρχὰς μοιὸς ὅτι κα τῷ χρώματι τὰς λευκὰς μυρσίνας. Dalech. vertit: minimè procera, aspera (non tamen, addit Dal. aculeata) folio Rhamni vel potiùs iuxta Theoph. Ilicis: eidem Dal. qui omittit paruo) paulò latiore & crassiore. Fructus per initia colore & magnitudine simili perfectis baccis (albi. Dal. omittit.) Myrti, dum augescit, coloris phœnicei, Oleæ magnitudine, rotundus, nucleo admodum pusillo. Maturus is colligitur, & cum alica tusus ad seruorum, famulorumque cibum in vasa conculcatur ac stipatur: ingenuorum autem edulijs, detracto nucleo eodem modo reponitur, ac pro cibo est: gustu caricis & palmulis non dissimili, odore tamen suauiori. Fit & ex eo vinum in aqua macerato & trito, saporis grati & iucundi, qualis optimi mulsi. Merum id & sine aqua bibunt, sed vltra decimum diem non perdurat. Quamobrem paulatim ad vsũ tam breuis temporis coficiunt. Fit & acetum ex eo. *Hac ille de sua loto.*

In descriptione Athenæi modò citata videtur Natalis de Comitibus, qui vertit folio crassiore, legisse παχύτερον: quandoquidem βαθὺς interdum significat amplum & maius: quid si interpretemur paulò amplius vel maius ac latius? Dalech. apud Athen. vbi scriptum Oleæ magnitudine, annotat: Fabæ Theoph. quæ fructum habet inclusũ nucis putaminẽ, Herod. l. 4. fructum tradit esse Lentisco similem. Hæc Dalech. à cuius opinione non parũ dissentit Anguill. Polybii Lotũ qui diuersã statuit à Dioscoridea, vt dicemus l. 6. in historia Iuiubarũ.

Consulamus Arabes, quorum *Nabach*, ad nostram Lotum accedere videtur nisi sit idem, vt quibusdam placet.

Rhaza: Nabach frigidæ sunt & siccæ, quæ ventrẽ adstringunt, & bilem flauam reprimunt: dulces verò ad hoc sunt debiliores. An verò Nabach Rhazæ sit nostra Lotus, pro certo asserere non audemus.

Serap: *Sadar* est arbor cuius fructus *Nabach*. Ha bohanitæ *Sadar* sunt duæ species: vna est Africana, altera Adhal: sed Africana non habet spinas acutas, & folia ambarum specierum sunt lata & rotunda. Et Nabach & Adhal sunt fructus parui, qui offerũtur regibus, alijs omnibus dulciores melioresque, odoris ac saporis aromatici: odore inficiunt vestes, velut alia aromata. Dioscorid. arbor magna Galeno &c. Sed quæ scribit Serapio ex diuersis autoribus, haud vni plantæ nobis conuenire videntur. Consideret lector, quæ à nobis traduntur cap. de Paliuro Athenæj.

Auic. *Nabach* id est Lotus arbor dicitur *Alsedar*. Item alibi: de Sadar inquit diximus ca. de Nabach. Bellunensis in margine scribit Sedar.

Actuar. inter posteriores Græcos meminit tantùm scobis Loti (λωτοῦ ῥίνημα vocat) in διὰ ῥινήτων cõpositione. *Sed nunc Recentiores de Loto differentes producamus.*

Inter eos primus Hermolaus apud Dios. Lotus, inquit, arbor Latinis *Celtis* & *Faba græca*, Seruio *Faba Syriaca*. *Anacacabean* vulgò apud Græcos dici autor Aetius, vt fructum eius Alicacabon scripsere Græci: vulgò Romæ *Puls Syriaca*, Padi accolæ *Baccam Syriacam* appellant, Polybius vidisse se testatur spinis asperam. Ludicræ tibiæ fieri ceptæ sunt è Loto, quas Alexandrini Photingas appellant: Propterea Cœnomani Lotum arborem hodie appellant Calamum. Spectatur Patauii antiqua Lotos in quodam Antoniani templi xisto. Est quando Hipp. Luton pro Loto nomi-

cent Anguillaræ in Græcis literis peritiam. Deinde manifestò is hallucinatus deprehenditur, vbi Plin. autoritate parari vinum dicit, ex eo Loti arboris fructu, qui nucleum habet. Siquidem contrà Plinius ex ijs Loti baccis vinum fieri scribit, qui sine interiori nucleo habetur, quemad. scribit etiam Theoph.

Quartus Anguill. error.

Annotat autem Matth. Lotum Zurgelbaum Germ. dici. Matthiolo applaudens Apollo: Lotum (infit) Matthiol. Bagolarum & Perlarum esse, tam euidentibus notis delineat, vt eius opinio maximè probāda videatur &c.

Apollo not.

Verùm non multùm irradiat Apollo hoc loco: nam nec describit suam Lotum, nec quid sit Lotus sciisse videtur, à qua multùm differt Alysia Bruyerini. Præterea tam Theoph. quàm Plinio imponit bonus ille censor: Theoph. enim ne verbum quidem habet de Croci colore: sed ἰσοδ... fructum Paliuri suæ dicit, quam tamen à Loto sua vtraque differentem facit. Plin. verò non dicit Loti fructum croci colore esse, dum est maturum, non enim habet hæc verba, sed illa tantùm, croci colore: quod intelligendum, vt doctiss. vult Dalech. antequam maturescat, maturo verò niger: cui explicationi optimè conueniunt illa verba, quæ statim subdit Plin. sed antè maturitatem alius atque alius, sicut in vuis. Saltem in nostra Loto conspicitur fructus primùm viridis, mox flauescens; dein ruffus: tandem perfectè maturescens niger aut nigricans. Meliùs fecissent, nostro quidem iudicio, boni isti Italiæ doctores Botanici; si illam Plinii difficultatem explicassent, quando ait: mutatione quidem terræ mutatam & arborem in Italia: nosque circa eam rem docuissent: num sapore fructus, an figura foliorum, an colore fructus, an florum varietate, an denique proceritate, breuitateue arboris. Horum enim neutrum explicat Plinius. Sed hæc candidè & obiter dicta sint, vt alii quoque qui ingeniosissimū hoc studium excolunt, suam his & similibus difficultatibus mentem adhibeant, eáque præstent ipsi in tanta rerum & nationum frequentia, quæ ob harum carentiam aliis plerisque denegata.

...illustr.

Italia Botanici amice hortantur autor.

Const. Lotum Theoph. & Celtin Plin. Sabaudicè tradit *Ambrozelles* vocari. Lotum Diosc. Italorum esse *Bagolaro*, siue *Perlaro*; & Bergomatibus *Romiglia*, sibi *Alisier*. Athen. Lotum esse aliam. Esse & Loton Plin. siue Fabam Græcam Romæ, Cerasorum penè natura. Hanc διόσπυρον Theoph. falsò credere nonnullos: quoniam Lotus arbor, vel Plin. teste ad tibiarum cantus expetatur: λώτινοι αὐλοί, & apud Pollucem etiam λωτὸς dicitur. vnde dicti Lothages, qui Lotum exercent. Sed dubii hæremus an R. Const. Lotus, de qua potissimùm hoc capite agimus fuerit nota, & an rectè distinguat. *Alisier* nomen non conuenit: quam verò plātam per *Ambroselles* intelligat, inuestigandum.

Lotus Celtis Romiglia.

Lotages.

Const. not.

Goropius more sibi solemni noua prodit opinione, Theophr. Cerasum, Lotum suspicatus, dum ait: Theoph. sic Cerasum describit, vt protius maximā eam arborem depinxisse videatur, quam Bononiæ sępius sub nomine maioris Loti conspeximus.

Cerasus Theoph. Lotus maior.

In Insula Creta Lotus vocatur Carauia, Gallis *Micaculier*, teste Bellon.

Carauia. Micaculier.

Lacuna Lotum Arab. *Sadar* & eius fructus Nabach dictum scribit vocari, Castil. *Almez*. Ital. *Bagolaro*, aut Cerase dinuerno. Gal. *Alisier*: quæ tamen postrema appellatio Gallica neutiquam Loto competere videtur, quam vel ex Ruell. vel Matth. haurire potuit, qui idem nomen tribuunt.

Almez. Lacuna not.

Amatus quoque cum Loto aliarum plantarum nomina confundit, nec videtur Lotum probè cognitam habuisse, vt copiosiùs dicetur cap. de Laurocerasō.

Amatus not.

Lotus arbor, autore Gesn. Italis vulgò vocatur Fago, Monspeliensibus *Ledonier*. Et alibi: Fabago, inquit, arbor, Bellonii. citra Luteticę iam crescit: sic autem nominat Lotum fortè, quæ alio nomine Faba Syriaca dicitur.

Fago. Ledonier. Fabago. Faba Syriaca.

Turn. Lotum siue Celtin Angl. Nettletree, id est, Vrticę arborem, & Lote tree vocari scribit. Et sanè; si, quod res est, fateri velimus, haud malè quadrat comparatio foliorum Vrticæ cum folijs Loti. Minùs tamen placet figura Turneri; quam sibi propriam effinxit.

Vrtica arbor.

Seuerò edicto Guilād. in satyrico illo suo scripto, cui non truculentiùs debit nomen quàm inseruit maledicta; Arbor inquit, quæ in Tridentino agro *Bagolaras* vocatur, vel Diosc. non est, vel Diosc. ipsemet Lotum ignorauit.

Bagolaras.

Itali viderint, maximeque Tridentini, an suæ *Bagolaras* competat descriptio Dioscór. necne. Matth. sanè, nec ille tantùm sed & alij plures eandem facere videntur, vt patet in precedentibus.

Lotus arbor Lobelio Lotus Dioscoridea est, *Micocoulier* Linguagottis: It. *Bagolauro*: quæ vox aptiùs ad Latinam deriuationem accedere videtur, quàm illud *Bagolaras*, aut *Bagaloro* quæ voces nobis Gymnasiorum Collegiorumque nobiles illos Baccalaureos in memoriam reuocare videntur, ex Baccho & Lauro, aut si mauelis, ex bacca & Lauro, magno interdum labore concinnatos.

Micocoulier.

Iocus.

Fructus *Micocoules* dicunt Linguagotti, vt annotat Dod. qui Loto simpliciter folia Ilicis tribuit, atque adeò suspectum se reddit, sibi neutram rectè cognitam fuisse, præsertim quum sint alia nobis recentioribus folia quibus nostram Lotum comparemus.

Micocoules. Dod. not.

Hist. Lugd. putat *Micocoules* vocem ex Lotó deflexam, quasi μικρὰ καὶ ... Sit ita. Illud potiùs videamus, quod addit: *Lotum* esse Diosc. siue *Celtin* Dalechampij aliorumque doctissimorum sententia.

Micocoules unde.

Ex Plinio corrigendus Theoph. textus. Plinius inquit eiusdem Loti lignum ad tibiarum cantus experi, è radice cultellis capulos, breuesque alios vsus excogitari scripsit, quæ Theoph. de ligno & radice Loti secundę prodidit.

Theoph. ...

Eandem Loton Plin. arborem Syriticam rectè appellat: mox velut immemor eius historiæ à seipso descriptæ; Fabam Græcam vocat, eique vires eas tribuit quas Loto suæ Diosc. Lotum secundam Theoph. eam esse iudicauit Dalech. quam nonnulli docti Herbarii Laurocerasum nominant, de qua cap. proprio.

Arbor ... Plin ...

Lonicerus ingentem appellationum stipatum ex Hermol. & aliis sublectum eundemque diuersarū plantarum vni tribuit Loto, quem vniuersum huc referre piget, quod nihil in eo sit, quod non dictu & reprehensum sit priùs. Maioris momenti sunt quæ Cęsalpinus ait. Lotum arborem, quam & Lotum Diosc. facit, & Celtim Plinii; fructu graueolente. Hetruscis *Baggatum* vocari. Idemque putat apud Theoph. Loti fructum Diospiron appellari, quasi Iouis triticum, ideo quia in pan... cogebatur more tritici, quę nobis coniectura i... geniosa videtur, verùm in Loti fructu nihil gr... ueolentis obseruauimus, quicquid dicat Cęsalp... nus, deceptus fortè versione Diosc. apud Marce... lum, que videtur legisse ... pro ... edulem. Oportebat Cęsalp. fidere potius suo g... stui, quàm malæ versioni Marcelli.

Lon... Pr...

adstringunt. Sed fortè non adeò adstringunt, quin & partes resoluentes quasdam habeant, alioqui tumores quod ille ait, neutiquam resoluerent. Legat lector caput de Paliuro Athenæi. Baccas Loti maturas aucupijs vtiles dicit Matth. Ligni & radicis vitam supra diximus ex Theoph. & Plinio.

GVAIACANA.

Cap. XXXV.

Descriptio.

GVaiacanæ proceritas, quanta arboris magnæ: in ramis folia alternatim posita, Nucis foliis singularibus æqualia, acuminata, atro virore splendentia superiùs, subtùs magis albicantia, vtrinque modicè hirsuta, sed magis parte auersa, breuibus petiolis hærentia, sapore mixto, subaustero, leuiter amaro, tandem & subdulci. Flores radiatis calycibus insidentes ramis apprimuntur, mari quidem maiores: fæminæ non tantùm minores, sed etiam calyce illo destituti, quos nullus sequitur fructus, qui tamen maris florem sessilis excipit, magnitudine & colore Pruni siluestris, sapore dulci, suauj, in quo semina aliquot, Pomorum seminibus paullò maiora, eiusdem cum illis Coloris, tanta duritie, vt vix dentibus atteri possint. Cortice vestitur hæc arbor tenui, rugoso, fusco. Materies ei spiris in orbem circinata, colore cineraceo, vel subcoeruleo, in omnibus à Guaiaco valdè diuersa.

Flores ... Fructus. Cortex. Materies.

De hac sic scribit Matth. in edit. cum magnis figuris, Lat. Misit ad me plantam, cuius imaginem damus, Constantinopoli allatam, *Augerius de Busbecho*, cui subscriptum erat *Dactyli ex Trapezonda dulces & gustu delectabiles*: hanc ego inter Lotorum genera annumerandam censerem, & præsertim cùm legerim apud Athen. eadem de Loto scripsisse Polybium quæ de Dactylis scripsit Herodotus: nec fortasse ab re fuerit inter Lotos recensere aliam quoque plantam, quam hic Pseudolotum vocauimus. *Hæc Matth.* qui duas exhibet icones, vnam nomine Pseudoloti, cuius folia lata pictura ostendit: alteram hoc titulo; Loti Africanæ species, cui angustiora adpicta folia. Idem in Comment. Ital. cum magnis figuris. At in Epitome: Pseudolotus, Italicis *Loto bastardo*: arbor procera, foliis latis oblongisque, firmis, ac neruosis, fructu Sebestenorum effigie, sed longè minore: colore per maturitatem coeruleo, pluribus intus ossiculis, sapore non ingrato. Italiæ peregrina hæc arbor, & rarò in viridariis habetur. Non rectè sentiunt, qui Pseudolotum hanc Guaiaci plantam esse putant.

Dactyli ex Trapezonda. *Loti genus.* *Pseudolotus Loti Afric. species.* *Pseudolotus* *Sebesten. effigies.* *Guaiacanam Non esse Guaiacum*

Lotus Africana altera, siue Loti Africanæ species eidem arbor est procera, foliis alterius Loti latioribus, baccis rotundis, acuminato tantùm cacumine, colore coeruleo subnigricante. Hæ pediculis carent, calyculis tamen ima parte obductis, perinde ac glandes & Mixa, arboris ramis & surculis seriatim cohærentibus. Habentur arbores multis in locis in Italia, è longinquis tamen regionibus allatæ. Aberrant qui hanc Loti speciem, Guaiaci esse plantam contendunt.

Lotus Afric. 2. Lotus.

Hæc historia Matth. satis demonstrat, quantùm fidei tribuendum ipsi in Botanica, quicquid tandem de ipso eiusque scriptis sentiant eius Glossatores, & qui se eiusdem patronos profitentur. Is commentarijs editis anno 1565 & anno 1568. Lotum Africanam non describit, sed nuda icone angustifoliam facit. At anno 1581. Latifoliam pingit, parum differentem ab eius pseudoloto, atque adeò latioribus eam dicit folijs, quàm Pseudolotum. Vtramque Lotum describit, ac proceras ait arbores in Italia peregrinas: differentiam nullam tradit, vt qui nec viderit, nec nouerit. In hist. Germ. quæ conscripta 1563, vnicam proponit iconem cum latioribus folijs ac rotundioribus, cui titulum facit **Gemeinter Zürgelbaum** / Pseudolotus, de qua scribit: in Italia esse arborem, quæ existimetur Lotus vera: verùm multas deesse notas, folia ferè similia Piro, firma: baccas ferre multas simul iunctas, visu pulchras, cœruleas, acuminatas, non ingratas: quosdam existimasse Guaiacum, quibus non assentiatur, quòd sciat diuersam eius esse formam edoctus ab Hispanis & Lusitanis. Ecce Comicam profectò vnius arboris metamorphosin, ceu diribitor quidam Botanicus pro suo arbitrio, (quod ei propemodum familiare ac solemne, vti passim hoc opere ostendetur,) vni & eidem speciej, nunc hanc, nunc illam tribuit figuram: susque deque habens, quod humanæ sapientiæ antistes Arist. non contemnendo edicto cauet, *Species non esse temere multiplicandas.*

Guaiacum. Matth. not. *Lotus Africana Angustifolia. Latifolia Pseudolotus.* *Lotus vera.* *Guaiacana* *Matth. impostura.*

Camer. ad epitomen Matth. duas nouas adposuit icones, easque differentes, sed longioribus folijs vtramque. Idem ad hist. Germ vnicam ponit, scribens Pseudolotum Matth. esse, alijs Lotum Theoph. veram: in Italia vocari Guaiacanam.

Gesn: Guaiacum arbor, quæ Patauij hoc nomine in horto medicorum ostenditur: quam audiuisse scribit, nasci in montibus circa Veronam, & è ramis eius aqua maceratis rusticos viscum parare: atque ideò *Viscaginem* ab eruditis quibusdam ficto nomine, quoniam Guaiacum non sit. Fructus eius immaturos adstringere, maturos verò ita dulces esse, vt ferè nauseam moueant. Est & in Cordi hist. adposita icon huius, pro Guaiaco, sed perperàm. Nec vspiam legimus, nec audiuimus à quoquam [quod quidem recordemur] Guaiacanam circa Veronam prouenire. Qui de ea Scribunt pro peregrina tradunt, tantùm abest, vt rustici circa Veronam ex ea viscum parent. Sed fortè nominis ambiguitas decepit Gesnerum, virum alioqui diligentissimum & in tradendis suis placitis candidissimum: ex Agrifolia enim, quæ Lotus dicitur quibusdam, Viscum parari solet.

Guaiacum. *Viscago.* *Gesnerus.*

Guaiacum à Fallopio satam (Guaiacanam) & creditam in horto Patauino, quam Commentator sibi Constantinopoli missam iactat, non aliam certè esse, quàm Patauinam, seu Guaiacum Patauinum, Veram Lotum Theoph. Pena & Lob. volunt.

Guaiacum. *Guaiacum Patauinum. Lotus vera Theoph.*

Ermelinus Cæsalp. autore, arbor peregrina: quidam Guaiaci lignum esse putauerunt. *Ermelino* in Hetruria.

Ermelinus. Ermelino.

Quid si apud Plin. dicamus inter Mala, esse Tuberum genus, quod Sericum cognominatum à colore? Gal. Serica ab insolentibus tantùm cibo expeti testatur. &c:

Tubera. Sericum.

Lotus 3. Hist: Lugd: Tertia Loti species, quæ etsi (inquit) Lotus non esset, tamen in Loti generibus numerata est; eaque celebrata à Plin. Lib. 16. c. 30. Lotus & Faba Græca dicta, quam Romæ, à suauitate fructus siluestris quidem, sub Cerasorum penè natura, Loton appellant. *Faba Græca.* Hetruscis hodie vocatur *vua d'India*, præsertim Florentiæ; vnde aduehendam curauit Dalech. *Vua India.* Fructu Cerasis non absimili, nucleo duro, qui in Ceraso tener est ac fragilis, quod Theoph. annotauit l. 3. hist. c. 13. *Cerasi tener nucleus.* cortice diluto, rubore iucundo, & quo verisimile est pelles tingi posse, radice lanas, vt mirum sit Matth. suæ Loti cortici tribuisse quod Plin. de huius cortice literis prodiderat, cuius tincturâ colorem rufum fieri alibi scripsit. *Cortex ad tincturam.* Ramenta ligni decocta in vino prosunt Dysentericis. *Matth. not.* Sunt qui, nec vanâ quidem ducti coniecturâ, hanc arborem Theoph. διόσπυρον esse censent, fructu Ceraso simili, duro intus & solido nucleo, non vt in Ceraso fragili: maximè cùm Plin. Theophrasti verba singula Latinè solitus exprimere, Fabâ Græcâ descriptâ, nusquam alibi Diospyri meminerit. *ad dysenter. Diospyros.* Plin. l. 24. c. 2. Fabam Græcam cum Loto primi generis confundens; eadem & quæ Diosc. Loto suæ tribuit. *Faba Græca Plin. not.* Hæc est Faba Græca (addit eadem Hist. Lugd.) quam Bellon. à Constantinopol. Cerasum Trapezuntiam vocari scribit. *Faba Græca. Trapezuntia.*

Porrò eadem Hist. Lug. duas habet figuras ex Matth. vni titulus Diospyros siue Faba Græca Latifolia, Pseudolotus Matth. alteri Diospyros siue Faba Græca angustif. seu Lotus Africana.

Idem tradit, Laurocerasi fructum accepisse se Byzantio, nomine *Trabizon Curmasi*, licet simili forma, colore & sapore præditum: bina aut terna habuisse sub pulpa nullo putamine inclusa semina, plana, spadicei coloris, plurimùm accedentia ad Loti Africanæ, vulgò *Guaiacana* nuncupatæ semimina. *Trabison.* Dixerat autem iam antè in Pannonicis, Lotum Africanam vulgò esse Guaiacanam. Semina verò Clusio missa existimamus fuisse Loti Africanæ, & non Laurocerasi, cuius officula singularia, multùm differentia à Guaiacanæ seminibus. *Clus. deceptus.*

Tabern. duas Loti species facit. Vnam Lotum Africanam: alteram Pseudolotũ à Matth. descriptã. Gurgelbaum. Græcè λωτὸς δένδρον, Arabicè *Sadar*: Lat. *Lotus Afric. & Pseudolotus*: It. *Loto albero*. Item in icon. Lotus Africana, & sub altera figura, Pseudolotus Matth. Vermeinter Gurgelbaum. *Vna Loti species.* Egregie sanè verò, si diis placet. Ambas Matth. figuras habet Guaiacane, verùm nomina à Matth. tributa Loto, is miscet cũ Guaiacana, atque adeò litile etiã tribuit, maiori'ne ignorantia an oscitantia, Lector iudicet. *Tabern. decept.* Nec ullam videmus rationem, cur vna dicatur Lotus Africana, altera Pseudolotus, quum eiusdem plantæ figuræ videantur, aut saltem parum, & foliorum latitudine tantùm, differentes, in quo quidem Matthiolum imitatus est, quàm rectè, norunt periti. *Sic vnus error plures parit errores*; vt in prouerbio est.

Guaiacanam iam à pluribus annis colimus in Il. E. C. horto Montb. sed hactenus nec florem nec fructum protulit, quia quotannis ferè gelu maior ramorum pars conficitur. Prouenit nobis ex semine quod à D. C. Bauh. Patauio missum accepimus nomine Loti Africanæ Matth. *Locus.* Misit etiã Vesuntio ad nos Cl. D. Chiffletius, eiusdem vrbis ἰατρός, titulo Guaiaci. Argentinæ in horto D. D. Melchioris Sebizii medici & professoris, amici singularis, pulchram vidimus arborem cum fructu. *Et ascitus ex seminib.* In horto Patauino colitur: Basileę, In hortis Plateri, Zuingeri, & Io. Heintzman Pharmacopœi. Lugduni etiam prouenit nobis ex semine, quæ floruit Maio. Colebant ibidem & alij in hortis, nec siluestris ibi reperiebatur, vt Pena & Lob. ex Valerandi Donrez testimonio scribunt. In illustri illo horto Stuchardiano magnæ arbores maris & fœminæ (quæ sterilis) conspiciuntur: ex quarum materie pulchella vascula tornanda curauimus. *Tempus. Pena & Lobel. not. Mas & fœmina.*

Licèt parum fidei tribuamus hoc loco Matth. adscribemus tamen vires, quas Pseudoloto tribuit, sic tradens: Qualitates eædem ferè illi sunt, quæ legitimæ Loto tribuuntur. Vires quoque eædem illi sunt, si rerum experimentatoribus credimus. *Vires & vsus.* Item sunt qui velint Lotum Africanam alteram eisdem cum Loto pollere viribus, id quod nos quoque putamus. *Sic ille.* Sed quinam sunt illi experimentatores: Maneant itaque hæc tantisper talia, qualia sunt, donec aliquid certiùs rescisscamus.

FINIS LIBRI SECVNDI.

HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER TERTIVS.

QVI NVCVM EST, ET EARVM QVÆ VEL FACIE ARBORIS, AVT FRVCTVS, AVT NOMINE SOLO CVM HIS AFFINITATEM indeptæ, siue indigenæ, siue peregrinæ.

DE Pomorum in censu & Nuces sunt. Sed harum quoque acceptio ampla & multiplex. Κάρυα sane (Nuces) & Attici, & alij Scriptores communi vocabulo fructus omnes, operimento duro tectos appellant. Harum intus corpus, foris lignum, vt Plinius limitat. Sed sunt, quibus & extra lignum caro vel pulpa, eaque vel edulis, vel cassa & magna ex parte neglecta. Prioris generis pleraque persecutus liber præcedens, nimirum nuces plerasque pulpa eduli obtectas, quemadmodum primus Poma, quæ magna ex parte sunt edendo: Ergo eas deinceps persequemur, quæ [illegible] habent vel ex toto vel ex parte. Neque enim operimenti modus vnus. Aliter Nux Iuglans obtegitur, aliter Auellana [illegible], aliter Indica, aliter Pistachia, aliter Staphylodendros. Sunt forte inter peregrinas quibus & nullum tegumentum osti obductum: quædam & tota lignum, aut corpus ferè vniforme. Operimentum, vel coriaceum, vel pulpaceum: & hoc rursus vel edule, vel non. Edule dicimus ad cibum suaue, non medicatum, quale Iuglandi, aut Auellanis plerisque: non alicui animantium, nec homini. In Exoticis tamen nondum de istis plenè innotuit, quòd ea magna ex parte pulpa vel tegumento exuta ad nos importentur. Sed rem ipsam aggrediemur à Iuglande Nucum vulgatissima.

NVX IVGLANS.

CAPVT I.

Descriptio. PRocera arbor est Iuglans, multis prælongisque nixa radicibus, trunco ad binûm ternûmque cubitorum complexus sæpiùs crassescente, *Materies.* materie ampla, russa, vel subfusca, multis exiguis segmentis scarificata, quibusdam partibus vndulatim crispa, robusta: firmis, vastisque ramis brachiata, cortice cinera ceo, crasso, læui, per senium hiulco, & in rimas altas dehiscente. *Folia.* Folia pinnatim disponuntur coniugationes claudente folio impari, quorum singularia ampla, sesquipalmum longa, palmum ferè lata, principio & mucrone angustiora, venis obliquis à medio neruo deductis, pulchrè viridantia, odore iucundo, ferè laureo, sed grauiori & vehementi, sapore adstringente. *Iulus.* Iulum profert longum, multiplici callo compactilem, cuius flaccescentes paniculæ breui decidunt, tum flos emergit herbaceus, totidémque caliculacea tegumenta, quot flores petiolo contrahuntur, quibus singulis singulæ *Flos. Fructus.* includuntur Nuces. Nucem siue fructum [quales simul multi confertim ex eodem pendent pediculo] iam perfectiorem tegit puluinatus calyx, acerbi & amari saporis, nec sine acrimonia, nigro colore manus inficiens, cui subiectus cortex lignosus, rugosus, in duas carinas apertilis, nucleum continens in binas partes ad medium ferè *Nucleus.* fissum, & penè quadripartitum, reuolutionibus cerebri similiter inæqualem, primò mucosum, ac insipidum ferè, deinde per maturitatem callosum, candidum, dulcem, cuticula pallida tectum, exortum trahens ex candida & ex acido amari-

cante quadam substantia pulposa, cuius terrestrior portio in lignea vel ex ligneo membranacea quædam nucleorum dissepimenta abit, qualibus tenuioribus interior ossis cauitas magna ex parte obducta est. Integri & maturi magnitudine minoris aut mediocris Persici & pulpa viridi, seu integumento externo pulminato, [quem Festus vocat *Culeolum*, quasi exiguum Culeum] atque carnoso dempto, vncia ferè latiores, & hac ipsa latitudine longiores, ex rotundo in oblongum subtumescentes, sed delumbata vtrinque quà valuarum commissura est circinatione rotundi. Sunt & vncia non ampliores: in figura naturali, aliæ rotundiores, longiores aliæ.

Fructus varietas. Huius porrò fructus varia & magna ex parte monstrosa est varietas. Nux enim Iuglans sua naturali & consueta constitutione biualuis est, ex duabus carinis æqualibus commissis constituta. Nobis verò multæ sunt ad manus, plures obseruatæ, vniualues, biualues, sed non medio tenus, vti communes triualues: idque diuersa proportione, valua maiore reliquis; vel geminæ vel tripartitæ maiori: aliàs æqualiter tripartita, aliàs inæqualiter, vna integra, altera gemina, & hoc etiam variè.

Nux nana. Est & quæ nulla nec valua nec commissura insignis, sed oui ferè in modum, ex integra testa constituta. Sunt & nanæ, Auellanam mediocrem non excedentes. *Geminæ.* Geminas habemus, tam firmiter & pressim coalitas, vt integras separare non sit: & integra potius duplex, si figuram spectes, quam ex duabus constituta videatur, ni insignis ille sulcus per medium ambitum speciosè diuideret.

Breui mirandà figuræ luxuriâ vel in hoc fructu naturam lusisse certum. Reliquas differentias specialiores postea dicemus, hic enim fructus tantùm varietatem, magna ex parte monstrosam, paucis insinuasse sit satis.

Autorum placita atque Synonyma. Cæterùm difficile est pronunciare & pro certo adfirmare, quid sit Iuglans aut quomodo vocetur apud Theophrast. expressam enim & specialem eius descriptionem non inuenimus.

Fortè lib. 3. cap. 7. meminit, nomine περσικῆς καρύας, de qua ait, earum germina in vnum foliū finiri. Et Gaza quoque Nucem Iuglandem conuertit. Scaliger tamen annotat haud satis esse vertere, sed vertendum esse in Persica Nuce: quæ species sit in Nuce, sicut Pontica & Græca. *Persica Caryæ. Persica Nux.* Non repugnat tamen Scal. esse Iuglandem, alioqui refutasset: non enim mos eius præterire quicquam quod reprehensioné mereatur: sed verbis Theophrasti natiuam suam significationem relinquendam censet: & rectè. Theophrast. cap. 18. lib. 1. ait: Quorundam semen statim post inuolucrum ambiens subest, vt Palmæ, nucis: καρύα Græcè habetur, & Scal. vult interpretandum Iuglandis: nos tamen existimamus, hunc locum posse cõueniре Auellanis, ideo lectores conferent quæ paulò post de nuce Euboica Theophrast. scribemus, quæ fortè non alia, quàm Iuglans. Scimus Gazam diuersis in locis καρύας interpretari Iuglandem: verùm ea loca, & quæ περὶ καρύας ἡρακλεωτικῆς habet ad Auellanas retulimus: διὸς βάλανον, quæ quibusdam Iuglans existimatur, dicemus capite de Castanea. *Nux Iuglans.* Nux Iuglans. κάρυα βασιλικὰ Dioscor. c. de Centaurio magno: & cap. proprio: καρύα βασιλικὰ, ἅτινες περσικὰ λέγονται. Et cap. de Pæonia, βασιλικὰ καρύα: quando ait ... ἔχει καρύα βασιλικὰ ... κάρυον βασιλικὸν Gal. Nux regia (sic interpres reddit) eidem lib. de pond. & mens. pendet drach. quatuor.

Nuces caluæ. Cato Nuces caluas, Auellanas Prænestinas & Græcas habet: An vna harum possit esse Iuglans, incertum. *Nux Iuglans vnde.* Varro apertè Nuces Iuglandes appellat, quando inquit: lib. 4. de ling. Lat. Nux Iuglans, quòd hæc Nux antequàm purgetur, similis glandi. Hæc glans optima & maxima ab Ioue & glande Iuglans est appellata. Eadem, Nux, quòd vt nox aŭrem, ita huius succus facit corpus atrum. *Hæc ille.* Ad quæ postrema Scalig. Alii, inquit, à nocendo Nucem dictam volunt, quomodo & & Græcè quoque κάρυον ἀπὸ τοῦ καροῦν. Est autem vox Syriaca *Luz* sed L. in N. abiit, vt *Lympha, Nympha.* Idem Varro in Geop. ait: Si Iuglandes magnæ, crebræ, finitimæ fundi oram faciunt sterilem. Item: Nucem Iuglandem, quantò citiùs promas, iucundiore vtare, quòd vetustate fiat aridior. Eãdem in arena seruandam præcipit. Iuglandem & Colum. dicit & Palladius, vti suis patebit locis.

Nux Tarentina. Apud hunc speciatim obseruauimus vocem Tarentinam manifestè competere Iuglandi: quia nulla facta mẽtione vllius Nucis præterquàm Iuglandis, dicit: Si Tarentinam facere volueris &c. Clarum quoque eandem vocem non tantùm de Iuglande dici, verùm etiam de aliis nucibus, vt sit epitheton diuersarum specierum, vt patet ex lectione Columellæ, & dicetur quoque cap. de Auellana. Nuces Virgilius suo quoque celebrauit carmine: Ecl. 8.

Mopse nouas incide faces, tibi ducitur uxor:
Sparge marite Nuces, tibi deserit Hesperus
Oetam.

Nuces spargere. Spargebantur autem olim in Nuptiis boni ominis ergò, quòd hæ essent in tutela Iouis, cuius felix erat cum Iunone matrimonium: Indéque & *Iuglandem* quasi *Iouis glandem* dictam volunt. *Iuglans vnde.* Alioqui etiam Nuces spargere adagialiter dicitur, pro relictis nugis & iuuenilibus exercitiis, ad grauiora se conferre, quod Persius insinuasse videtur: quando ait.

-----Et Nucibus facimus quæcunque relictis
Cum sapimus patruos.

Et Catullus lepidè:

Da nuces pueris iners
Concubine: satis diu
Lusisti nucibus: lubet
Iam seruire Talasio.

Virgilius verò etiam prædictiones ex Nuce Iuglande desumpsisse videtur: sic canens: Georg. 1.

Contemplator item, cùm se Nux plurima syluis
Induet in florem, & ramos curuabit olentes:
Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore.
At si luxuria foliorum exuberat umbra,
Nequicquam pingues palea teret area culmos.

Curtius notatur. Curtius Nucem interpretatur hoc loco Nucem Amygdalum: sed quâ id ratione, vel quâ saltem apparentia nondum videmus. Considerent lectores, an per florem Virg. non intellexerit Iulos Iuglandis, & an Amygdalus propriè habeat ramos olentes. Aut quis vnquam Amygdalum simpliciter vocauit Nucem? quis eam in syluis crescere dicat. Crescit sanè Nux, si rariùs in syluis, in syluarum marginibus frequenter.

Sed attendamus, quid Plinius de hac tradat. Ab his (Sorbis) inquit, locum amplitudine vindicauere, quæ cessere autoritati Nuces Iuglandes: quanquam & ipsæ nuptialium Fescenniorum comites, multum Pineis minores Vniuersitate, eadémque portione ampliores nucleo. Nec non & honor his naturæ peculiaris, gemino protectis operimento, puluinati primùm calycis, mox lignei putaminis. Quæ causa eas nuptiis fecit religiosas tot

tot modis fœtu munito: quod est verisimilius, quàm quia cadendo tripudium sonúmve faciant. Et has è Perside à regibus translatas, indicio sunt Græca nomina. Optimum quippe genus earum Persicon atque Basilicon vocant. Et hæc fuere prima nomina. Caryon à capitis grauedine, propter odoris grauitatem conuenit dictum. Tinguntur cortice earum lanæ, & rufatur capillus, primùm prodeuntibus nuculis. Id compertum infectis tractatu manibus. Pinguescunt vetustate. Sola differentia generum in putamine duro fragilive, & tenui ac crasso, loculoso & simplici. Solum hoc pomum natura compactili operimento clausit. Nàmque sunt bifidæ putaminum carinæ, nucleorúmque illis quadripartita distinctio, lignea intercursante membrana. Cæteris quicquid est, solidum est, vt in Auellanis, & ipso Nucum genere. Cato Græcas nominat, quas quidam & in Iuglandium genere seruant. Adiecit præterea Auellanas, & Galbas [Caluas ex Vet. gloss. Turn.] Prænestinas, quas maximè laudat, & conditas ollis, in terra seruari virides tradit. Nunc Thasiæ & Albenses celebrantur. Et Tarentinorum duo genera, fragili putamine, ac duro: quæ sunt & amplissimæ, & minimè rotundæ. Præterea Molluscæ putamen rumpentes. Sunt qui honoris nomen interpretentur, & Iouis glandem esse dicant. Nuper Consularem virum audiui, biferas & Iuglandes nuces habere se profitentem. *Hæc Plin.* qui & diuersis locis de Nuce Iuglande hæc habet. Succus pinguis Nuci Iuglandi: putamine clauduntur: his intus corpus, foris lignum: iisdem putamen statim recedit à ligno, extra gemina geminantur vicia: grauis & noxia etiam capiti humano, omnibúsque iuxta satis Iuglandium vmbra, quæcunque attigit, non dubiè venenum est.

Nux Persica. Basilica. Caryon vnde. Tinctura. differentiæ.

Nuces Græcæ. Galba.

Prænestina.

Thasia. Albenses. Tarentina. Mollusca. Iouis glans. Bifera.

Porrò quod de tripudio ait Plin. id ita habet. Patresfamiliàs sponsi cùm domesticos pueros meritorios ab officio turpi dimitterent, nuces dabant, quas spargerent *nuptialia fescennina* cantantes.

Apud Græcos, eodem instituto nouus sponsus τὰ καταχύσματα, Iuglandes, Amygdala, & Nuces id genus alias spargebat, vt putant Grammatici, nuptæ clamor ne audiretur. Scalig. in Catullum.

Duras apud Festum Titinnius *Moracias* vocat, vnde diminutiuum *moracillum*.

Moracia. Calua nux. Mollusca nux. Plin.

In veteri glossario Calua Nux, κάρυον βασιλικόν. Turnebo Calua Nux alia est. Plautus in Calceolo Molluscam Nucem super eius dixit impendere tegulas, quam Iuglandem quidam interpretantur, & Plinius citato loco ad eorum genus referre videtur.

Scaliger reprehendit Plin. quòd solius Iuglandis nucleum binis legi valuis scripserit. Nam & in Pistaciis (inquit) vestigia quæ per seipsa hiant, aliquando vetustate. Molluscula sanè Iuglandis (addit idem) omninò genus, aut cum Tarentino idem.

Mollusca Iuglandis genus.

Illud animaduertentes ex eiusdem obseruatione, Εὐβοϊκὸν apud Theoph. lib. 1. c. 18. hist. distingui ἀπὸ τῆς καρύου, tanquam diuersum à Iuglande, vt intelligas errorem Gazæ, qui lib. 5. ne semel Εὐβοϊκὸν Nucem pro Iuglande est interpretatus, dum Plinii authoritatem nimis securus famæ sequitur.

Caryon & Euboicum diuersum. Gaza not.

Nec temerè quis dubitauerit, an quæ Plin. de Tarentinis dixit, intelligenda de Iuglande, vt sanè intellexisse videntur Ruell. & Curtius, quorum hic ait: Est aliud nucis Iuglandis genus, quod Tarentinum dicitur, quod ita molle est, vt vix attrectatum frangatur: à Tarento, quod est Sabinorum lingua molle. Ad quod alludit Horatius:

Tarentina nux.

—Et molle Tarentum.

De qua in libro Fauorini, authore Macrobio, sic reperitur. Itémque quidam Tarentinas oues, vel Nuces dicunt, quæ sunt Tarentinæ. Tarentinorum tamen Plin. duo genera posuit, vt priùs dictum.

Esse præterea quoddam genus Iuglandium Nuces sine putamine edentium Africanus author est, quanquam arte id fiat & cultura.

Iuglandes sine putamine.

Rarum & propemodum ostento proximum, quod Tragus refert Vasoniæ, qui locus ad Rhenum situs est, Iuglandem repertam, quæ ante diem D. Ioan. sacrum (qui non multò ante solstitium æstiuum incidere solet) neque folia, neque Nuces ostenderet. Cùm verò id tempus adesset, parem reliquis nucibus fuisse, quod ad fructum & folia attinebat, id quod singulari naturæ miraculo factum credit.

Iuglans rara.

Apud eundem Tragum in margine scriptum inuenimus, eiusmodi arbores Gengenbachii binas extare. Tales sanè aliquando etiam circa Tigurum vidimus. An quia impedimentum aliquod habeant, vel à radice, vel à solo, quo tardiùs germinent? An verò species quædam peculiaris naturæ, vel arte aliqua ad hæc comparata?

Cæterùm quod Plin. de bifera Iuglande obiter tetigit, haud vanum videtur. Nam & Hermol. doctus & fide dignus Scriptor, biferas Iuglandes Siluatiano Patauini agri viculo prouenire, satis constare tradit.

Bifera.

Eiusdem obseruationis est, germinare hanc arborem, non cacumine, vt maxima pars arborum, sed lateribus, impulso priore pullulo, qui forma & caudex totus & prægrandes rami crescunt.

Mutari in Quercum senio nonnulli produnt: quod nobis sanè fabulæ aut Græciæ mendacis speciminì propius esse videtur, quàm vel rationi, vel experientiæ, quibus non potest non perpetuò incedere stipata veritas in naturalibus. Nam de iis quæ prodigiosè transformantur eos solicitos esse sinamus, qui se Magos, aut Magiæ professores gloriosa buccina proclamant.

Mutatio in Quercũ, exploditur.

Tarentinas duriores & amplissimas, à frangendi motu & *moracillas* à quibusdam vocari, idem Hermol. tradit. Præterea Molluscas putamen rumpentes. Ideò Macrobium qui Persicum vulgò dictum, Molluscam esse putat, apertè hallucinatum, cùm is non de Persico, sed de Nuce Regia & Iuglande, quæ sit è Perside conuecta primùm ad nos, *Molluscam* intelligat: nam à quibusdam Nucem Persicam vocari tradit, Sueuii hominis doctissimi testimonio fretus.

Moracia. Mollusca. Macrobij error.

Thasiam quoque Nucem atque Græcam Amydalarum esse generis Cloatius existimat.

Thasia nux. Nux Græca. Prænestina.

Prænestinam Macrobius eandem esse cum Auellana Varronis & Neuii authoritate meminit.

Iuglandem Diosbalanon Theoph. vocasse author est Cloatius. Sed certè Diosbalanos Castaneam Diosc. significat. Proinde non parciùs errauerit Non. Marcellus, qui Iuglandem pro syluestri nuce interpretatus est.

Diosbalanos Theoph. Nonii error.

Persicas & Regias Græci, vt tradit Marcellus: Romani verò Iuglandes in genere Nucum eas dixerunt, quas nunc priuatim Hetruria gentésque aliæ mulcæ Nuces nominant. Nuces Ponticæ, siue vt Theoph. ab Heraclea Ponti ciuitate semper appellat, Heracleoticæ.

Persica. Regia. Nuces.

Iuglans, (tradente Ruell.) Græcis Caryon Basilicon, id est, *Regia Nux*, interdum Persica, Euboi-

Caryon basilicon. Persica. Euboica.

ed by Google

ciàque, Gallis *Noierm* dictam. Nucis callosum herbaceúmque corticem *Gulioeam* dicunt: Tenuis tunica, *Nauci*, vt quidam volunt, nominatur. Inferiori sui parte fertiliores sunt Iuglandes. Sed mirum est, quod proditur, Quercum & Iuglandem tam pertinaci odio dissidere, vt iuxta Nucem Iuglandem depacta moriatur, quû mutari in Quercum senio nonnulli tradant. Eandem esse Nucem Persicam, Regiam, Iuglandem, fatebitur, qui bonos autores euoluerit. Optimum earum genus Persicum atque Basilicon, in eo genere, quæ mollior sit, & putamen frangat, *Mollusca* dicitur, vt *Tarentina* quæ nuda cortice, vel molli & fragili prodeat putamine.

Culiom. Nauci. *Iuglandis & Quercus odium.* *Nux Persica. Regia Iuglans.* *Mollusca quæ. Tarentina quæ.*

Nos quod de odio inter Iuglandem & Quercum scribit Ruellius, facilè credimus. Iuglans enim citò crescit, & magna sua vmbra Quercui officit, amplissimísque radicibus vicinæ cunctabúdæ, tardiúsue crescenti alimentum subripit. Sed alterius in alteram mutationem, tanquam fabulosam respuimus. Erroris autem Macrobii causa fuit, quòd ipse putauerit idem esse Malum Persicam & Nucem Persicam.

Cur Iuglans & Quercus se mutuò oderint.

Bruyerus. Bruyerus Nuces à nocendo ideo dictas putat, quòd frangendo dentibus noceant: quasi verò huius noxæ causa primariò ab ipsa depédeat Nuce, & non ab homine, qui suû in morem dentibus conterere velit, quod possit alia ratione: Magis arridet illa medicorum, quòd edendo aut nimio vsu noceat, vti patebit in viribus: maximè verò quòd satis nocere credatur, quod certè sensisse videtur Ouid. in Eleg. de Nuce, cùm ait.

------Quoniam sat a lædere credor
Cultus in extremo margine fundus habet.

Non. Marcellus vt annotat Curtius, Iuglandes Nuces agrestes interpretatur: Sed hoc quidem minùs benè, si vocis etymon consideretur. Mautem Varroni dicitur, quòd hæc antequam purgetur, glandi similis sit: Macrobio autem à Iuuando & glande. C. enim Bassus, vt hic scribit in lib. qui de verb. signif. inscriptus, Iuglans perinde ac Iouis glans. Græcè autore Cloatio Verrio in lib. à Græcis tract. διὸς βάλανος, vt etiam Theophr. ait. Græcorum enim nonnulli imitatione κάρυον ἀπὸ τ̃ κάρου, id est, capitis grauedine. Plutarch. in Sympos. quòd spiritu graui & capiti nociuo sit. Ab hac voce Caryatides (de quibus Vitruuius lib. 1.) dictæ, Luctatius, vt aliis placet Lactantius, apud Statium in Thebaide à Nuce arbore nominatas scribit. Philostratus in iconibus Iuglandes Castaneas appellasse videtur. Pontica Nux etiam & Heracleotica dicitur. Plin. verò earum optimum genus Basilicum & Persicum esse dicit. Hoc autem vltimum Mollusca Nux dicitur, quòd cæteris generibus mollior sit, vt voluit Macrobius cuius putamen facilè rumpatur, de qua Plautus in Calceolo: Molluscam nucem &c: Hanc verò ille errore, vt Nicolao Perotto episcopo Sypontino placet, putat dici ex Sueui autoritate, quæ Malum Persicum est. Sic enim hic in edulio quod Moretum inscribitur.

Non. Marcellus non. Nuces agrestes Iuglans. Vnde Nux vnde dicta. *Dios balanos Caryon Vnde.* *Caryatides.* *Castanea. Pontica Nux Heracleotica.*

Mollusca hæc Nux est, ne quis fortè insciens erret.

Non enim his, vt hic arbitratur, de Persico teneriori Pomo agit, sed de Nuce Persica. In Moreto enim Poma tenera poni non solebant, sed Persicæ Nuces. In Perotti sententiam item, si cuiusdam classici autoris monimentis doceret, in Moreto non Poma tenera, sed Persicas solùm Nuces, id est, Iuglandes, poni solitas, quod ex Virgiliano Moreto non probatur. Ausonio Nux simpliciter dicitur:

Malum Persicum. *Nux*

Et duplici defensa putamine quinque genus Nux.

Culeola Festo cortices Nucum viridium sunt, dicta à similitudine Culeorum, quibus vinum siue oleum continetur, cuius diminutiuum videtur culiocæ. Eidem verò autori Iuglandium Nucum summa & viridantia putamina sunt. *Culeola. Culioca.*

Nace Festo, vel *Nauci* Pompeio, nucis putamé est, aut oliuæ nucleus, vel medium Nucum dissepimentum, id est, membranula illa, quæ in medio Nucis intersita visitur: denique cuiusuis putamen *vel λέπος*, nauci vocatum existimant. Quidam à voce Græca νάκη, quod pellem caprinam declarat. Sosipatro fabæ granum est, cùm se aperit. Nauci enim facere & nauci esse dernantur, quod est nihil esse, & nihil facere. Plautus etiam protulit: *Vitam tuam vitiosa Nuce non emam*, quod prouerbialiter dicitur, nec minimo quidem. Apud Aristoph. *vnica Nuce emere* dicitur. *Nace Nauci.* *Nace.*

Regia Nux Caryon, eò quòd, [vt scribit Goropius] *Car-hut* ad vnguem Cimbris designet ipsius quod carum est, custodiam, ideo tessera matrimonii. Nucleum *Carn* vocamus. *Caryon.*

Iniurius est Plinius Iouis glandi, dum à capitis grauedine, quam inducat, nomen accepisse dicit, quod tantùm abest, vt verum sit, vt ne hoc quidem ipsi demus, hoc nomen esse peculiare: imò commune non cæteris modò Nucibus: sed etiam Amygdalis esse asseramus. Neque verò Iuglandes magis capiti nocent, quàm Amygdala. Quid dico nocent? Cùm vtrumque genus robur capiti addat, vt in medicorum scholis nemini dubium esse credo. *Plinius reprehe.*

Latinis (ait idem) ratio nominis Nucum ignota, tametsi & ab horum quibusdam eò ventum sit, vt à nocendo Nucem deriuent, quoniam satis noxiam esse dicant. Absit omen, vt fructus dulcissimus tam inauspicato nomine à vetustissimis fuerit vocatus. Nuces teneræ non parum Myrobalanis omnibus præstantiores. Nux Cimbris *Not* vel *Nut*, à quo non mirum est Latinos Nux fecisse, cùm Alemani quoq; Nuß inde forment: dicitur à Nott, quod necessitatem significare scimus. Hæc Goropius, cui facilè concedimus fructum Iuglandis, siue nucis nucleum esse innocuum, non tamen ideò concluserimus, vt malè Goropius, Plinium scilicet Iouis glandi fore iniurium: is enim, nostro iudicio, non intelligit per Caryon fructum, siue nucem à suis putaminibus separatam (quæ non habet odoris grauitatem) sed Caryon cum suis putaminibus, vel ipsam potiùs Iuglandem arborem cum suis frondibus, quibus vtrisque grauis odor inest. *Nux* *Nut.*

Monachis in Mes. Nux Alexandrina est Nux Iuglans. *Nux Alexandrina. Nuces Italica.*

Corn. Nuces regias, inquit, nostri [Germani] Nuces Italicas nominant. Placotomus annotat, absolutè, pro Iuglande sumi, vt ab Ouid. de Nuce. Baptista Fiera in Cœna:

Mille Nuces poteras dixisse, sed vnica Iuglans
Nux dicta est, lingua iam nocitura tua.

Et Rob. Const. Latini cùm Nucem simpliciter dicunt, Iuglandem intelligunt, κάρυον, καρύα arbor ipsa, id est, Iuglans. Macrobius ementita Theophrast autoritate, Iuglans inquit, quasi Diuglâs, id est, διὸς βάλανος, sicut Theophrast. ait. Trago Nux Persica, Nux regia, Græca, Euboica, Caryon, Iuglans, Iouis glans, aut Diuglans: Nux, & Nux Iuglans plerisque herbariis. Hebr. Aeggos, Cantic. 6. In Hierem. principio [vt Diu. Hieron. in Eccles. caput 12. scribit] Baculus Nuceus *Saced* si varietur accentus & Nucem significat & Vi- *Synonyma linguarũ.*

Digitized by Google

& Vigilias in Eccles. 70. Interpretes posuerunt τὸ ἀμύγδαλον ipsum verbum *Saced*, quod in Hieremiæ principio est: sed ibi in Nucem versum est, hîc in Amygdalum: de qua re etiam cap. de Amygdalo. Arab. *Ieuz*, *Leuz*, aut Gauzi. Serap. cap. 162. Leum, id est, Nux. Germ. Nußbaum: Fructus, Baumnuß/Welschnuß/Nuß. Gal. Noisier, Noix. Belg. Noteboom, Noteleer: Okernote/Walnote, Walsche noten: Iuli nucum, Catteken. Hisp. *Nogal*, *Nuez*. Catal. *Nou*. Portug. *Noz* & *Nogueira* arbor. Bohem. Wlasky Orech. Angl. Walnut tree, fructus Walnut. Hungaris Dio.

Differentiæ huius seculi. Diximus quasdam superiùs Priscorum ex Plinio differentias: Posteritas etiam suas obseruauit, & Nucis Iuglandis proprias. Tragus in teneras & duras distinguit: quæ tenerum corticem habet,
Tenera seu Tarentina. Dura. *Tarentinas Nuces* dici ait: quæ durum, Germ. Grübelnuß. Lonicer⁹ triplici magnitudine distinguit. Primæ magnitudine pugni, Pferdsnuß/aut Roßnuß: Lat. *Nuces equinæ*. Secundæ mediæ: gemeine
Nuces equinæ. Mediæ. Duræ seu minores. Surdæ. Nuß: Tertię minores, valdè duræ, Stein nüß. quæ postremæ fortasse illæ sunt, de quibus Cæsalpinus ait, quæ purgari vix à putamine possint, *Surdas* vocari. At sanè qui ad figurę, magnitudinis, duritiei atque adeò saporis varietates respicere volet, innumeras propemodum deprehendet Nucum Iuglandium differentias. Nam & earum, quas medias facit Lonicerus, & teneras Tragus, diuersa & magnitudo, & figura, & duritie. Sic & duræ seu Surdæ & figura & magnitudine variant ..., quarum tamen nuclei, etsi difficulter eximuntur, sapidissimi sunt. Inter
Delectæ. vulgatas ... præstant, oblongæ, ... fragiles, ... albo intus nucleo, ... gustu dulci & ... Nucum genus,
Caballinæ. quas *Caballinas* vocant ... & pondere, ad proportionem reliquis cedunt, non enim intus oppletæ, sed magna ex parte vacuæ sunt, minùs sapidæ ... magnitudine æquales, ex quarum ... seu valuis ... pueris gestanda sunt. ... quod Thomas Hariot in hist. ... Virginia ... tradit: 1. Nucum
Nuces Virginiæ. magnarum in Virginia copiosè prouenire duo genera; vnum ... saporis & formæ, aut parum differentis ab Anglicis, eis tamen putamina duriora esse & crassiora. 2. Aliud genus maius & durius, nucleo magno, oleaginoso, dulci.

Locus. Nux Iuglans, authore Palladio, amat loca montana, humida, & frigida, plerúmque lapidosa. Potest tamen & locis temperatis iuuante humore nutriri. Existimauerimus tamen in Italia aliísque ... regionibus frigida amare, respectu ... magis illarum. A ... si Ruell. credimus, ... Iuglandes, frigorísque ... sunt. Passim ... ferè Germaniæ hortis prouenit. In ... Galliæ, Germaniæ tam inferioris quàm ..., præsertim agrorum marginibus plan... Montbelgardi & locis vicinis ... perduntur summitates, quemadmodum ... arbores, præsertim si loco humidiore plantatæ fuerint. Basileæ & in Alsatia abundant, reperiuntur etiam in syluis quibusdam, vbi arborem vidimus folia cæteris multò tardiùs proferentem, similémque Argentinæ, & circa Tigurum. Dalech. Nuces, quæ antea velut aridæ ac mortuæ, pridie D. Ioannis festum, diem redeunt ac germinant, & folia mittunt, in agro Lugpentè germinant, & folia mittunt, in agro Lugdunensi perquàm multas reperiri asserit, qualem cùm Tragus aliquando obseruasset, id singulari naturæ miraculo fieri credebat. Eiusmodi arbores Gengenbachi binas hodie etiamnum extare, iam suprà dictum. In Sueuia Nuces magnę fiunt. In Rheni tractu sæpè totos agros iis consitos videas, vbi oleum copiosè paratur ex fructu. Omnibus vulgò in Italia nota, teste Matth. nullúmque aërem aspernatur, si Curtio credendum. In Helvetia passim obuia, sed ab hortis exulare suadet Gesn. ob magnam & noxiam vmbram, & quòd solum vicinum emaciare soleat, ob nutrimenti copiam quod attrahit. *Nux Caballina maxima.*

Nucem Caballinam maximam in horto Exc. C. Month. à nobis plantatam colimus, & alterius generis plures, variantésque, fructuum figura & magnitudine.

Thalius viscum vidit in Iuglande in horto Monasterii Ilfeldensis. *Viscum.*

Paniculas seu Iulos atque gemmas protrudunt *Tempus.*
Martio, si tardiùs, Aprili, seu vt Plinius ait, germinant post afflatum Fauonii, fructificat Autumno. In nostris regionibus Nuces pleræque maturæ sunt circa finem Augusti, & Septembri magna ex parte. Habentur tamen in quibusdam locis præ- *Præcoces nuces Augusti.*
cociores, fructum Aug. initio perficientes, quas Augstnüß, *noix d'Aoust* vulgò vocant. Tardæ & *Serotinæ.*
serotinæ sunt, quas à D. Ioann. vocatas diximus non enim ante Octob. maturantur, & cùm aliæ defecerunt, illæ demùm recentes mensis adhibentur, quamuis putaminis duritie, saporisque gustu fatuo minùs gratas sint qui dicant: Ex duris tamen etiam cognitum nobis genus præcipuæ suauitatis. Multos annos superuiuit Nux, ac mirum in modum grandescit: Cariem (vt annotat Tragus) vetustatémque non sentit. Tenera est arbor in calidioribus regionibus locísque apricis feliciter prouenienss.

Seruntur Nuces porrectę commissuris iacen- *Satio.*
tibus à Cal. Martii ad Idus easdem. Ad Idus Martias Iuglandem serere præcipit Colum. Iuglans, vt Damogeron, & Pallad. author est, nucibus suis eo more quo Amygdala seritur, & iisdem mensi- *Vt melius adolescat.*
bus: tem auulsione & viuiradice. Sed nux quam positurus es, melior: dolescet, si pueri impubis, vel nondum experti Venerem vrina quinque diebus maceraueris, quod & Amygdalis commendatur. Sed quas Nouembri mense depones, aliquatenus in Sole siccabis, vt exiccetur noxium virus humoris. Quas verò mense Ian. vel Febr. positurus es, aqua simplici pridiè macerabis. Po- *Serendi ratio.*
nemus autem transuersas, vt latus, id est, Carina ipsa, figatur in terra. Cacumen ipsum, cùm ponimus Nucem, in Aquilonis partem dirigemus. Lapis subter, vel testa ponenda est, vt radicem non simpliciter, sed repercussa respergat. Lætior fiet, *Vt latior fiat.*
si sæpiùs transferatur. In frigidis locis bima, in calidis trima transferri debet.

Radices plantarum (sicut in aliis arboribus solemus) in hoc genere resecare non debes. Fimo *Cultus.*
bubulo ima planta tingenda est: sed meliùs cinis aspergatur in scrobibus, ne calore stercoris aduratur: nam cinis creditur vel corticis teneritudi- *Vt cortex tenerior fiat.*
nem procurare, vel fructuum densitatem adferre. Altis scrobibus delectatur pro arboris ma- *Vt fructus fiat densior.*
gnitudine, & desiderat interualla maiora, quia stillicidiis foliorum suorum proximis vel sui generis nocebit arboribus. Debet aliquando, circumfodi, ne caua fiat vitio senectutis, quæ si vitietur: canalis longus à summo trunco ad imum debet excudi, sic beneficio Solis, & venti durescunt, quæ in putredinem transibant.

Posteritatis memoriæ mandarunt rei rusticæ periti, (vt refert Ruell.) neque Iuglandem, neque resiniferas arbores, nullo insitionis inter le- *Vt vitiata succurrendum.*

aut cum aliis pignore iungi posse, ita vt Iuglans alteram non admittat arborem, suum etiam surculum respués si pangatur, nec vllo fœderis nexu coalescens.

Iuglandem non inseri.

Hinc fortè Tragus commotus, (nisi peculiari vel sua vel aliorum id tradiderit experientia) Nucibus, inquit, seritur Iuglans, nec inseri vult, vt aliæ arbores. At Palladius contra in Ian. cap. 16. scribit: Inseritur, vt plerique asserunt, mense Feb. in Arbuto, sed melius in trunco, vt alii, & in Pruno, & in se: Deque eius insertione hos fecit versus.

Arbuteas frondes vasta Nucis occupat vmbra,
Pomaque sub duplici cortice tuta refert.

Et ii planè, vt Damogeronti placet, à veritate defecerunt, qui nullam insitionem admittere Iuglãdem crediderunt, experientiáque docuit Iuglandis resinosæ Terebintho aut Pistacio insitum cõprehendisse, & in grandiorem sua sorte arborem euasisse.

Terebinthus & Iuglans surculum Pistacii recipiunt, qui conceptus persæpè coaluit. Et licèt forsitan non facilè coeat, non ideò tamen id habendum neglectui, si res non semper suum sortiatur effectum.

Insitionis genus.

Sunt qui hoc insitionis vtantur genere. Nucem obruunt, & vbi adoleuerit, bimam aut trimã radicitùs eruunt, radicique surculũ iuxta carnem infigunt, & iterum terræ religant. Alii ramulum anniculum legunt & inuertunt, insitúmque diligenter viminibus obligant. Vt vt res sit, nos sanè insitionis multa cura non opus esse iudicamus, siquidem, nucum satu facilè ac fœliciter proueniãt, & iterata [nostri sanè iterata semel atque iterum contenti ferè sunt] transplantatione breui adolescant: nisi quis fortè insitionem Mangonii ergò tentare velit. Huic nostræ sententiæ subscribit Ouidius, quando ita canit:

Aliud.

Sed puto magna mei est operoso cura colono.
Inuenias, dederit quid mihi præter humum?
Sponte mea facilis contempto nascor in agro,
Parsque loci, qua sto, publica pene via est.

Ne dura vel nodosa sit Nux.

Si dura Nux erit, vel nodosa, cortex [præcipit Pallad.] circumcidendus erit, vt vitium malè ducat humoris. Alii radicum summa præcidunt. Alii terebratæ radici palum de Buxo imprimunt, vel Cuprinum clauum, vel ferreum, ad medullam vsque vt quidam volunt. Sic etiam lætiorem futuram. Si quis terebro (vt Damogeron autor est) per medullam arborem traijciat, atque foramini parem Vlmeum adigat cuneum, nodosam duritiem Nux exuet.

Vt fructũ non amittat.

Ea fructum non amittet, si Verbasci radicem vel coccinium è sterquilinio pãnum amuleti vice suspendat. Cuius amuleti ratio naturalis cùm nulla sit, eius dignitatem inter vanitates Græculas reponimus.

Vt fructus tenerior nascatur.

Cinis ingiter, vel caudici, vel radicibus offusus, & teneritudinem adfert, & fragiliorem nuclei carnem efficit, autore eodem.

Tarentina fiat.

Si Tarentinam, inquit Pallad. facere volueris, solam Nucis carnem lana propter formicas obuolutam in seminario debebis obruere. Si ferentem iam in hoc genus velis mutare, lixiuio per annum continuum ter rigabis in mense.

Alius modus.

Vt Nuces nudæ nascantur.

Nuces nudas & sine putaminibus edent Iuglandes, vt pollicetur Africanus, si fractis vtrinque carinis integer nucleus illæsa prorsus carne, lana vel vitigineis foliis recentibus, aut Platani frondibus obuoluatur, quominus à formicis enucleatus erodatur fructus: dein terræ mandetur. Hoc idem Florentinus asserit. Vt Tarentina fiat,

A Tarentina nascatur alius modus.

siue, quod idem esse putat Ruell. suis operimentis spoliata, solam Nucis carnem vellere propter formicas, inuolutam in seminario obrui iubent, quod in Amygdalis quoque venturum promittunt: sed cinerem scrobibus aspergendum, qui modus ferè idem cum prædicto Palladii. Vt Nuces in proximum annum copiosiùs proueniant, mos est hodie apud rusticos quosdam, vt Nuces perticis decutiantur. Hinc non inconcinnè quidam alludendo cecinit:

Nux, asinus, mulier, simili sunt lege ligata:
Hæc tria nil fructus faciunt, si verbera cessant.

Credunt enim, si Nucem glumeis vinculis obuinctam, fustibus tundant, reddi fœcundiorem.

Democritus scriptum reliquit, si quispiam ieiunus seorsum lentis grana mandat, atque dum adhuc mansum in ore versat, quum flore pubet Iuglans, ramum demordeat, arbor Persica distabescet. Item si flagrans igni Lentis granum radicibus imprimatur: aut si in traiectam terebra arborem, puerile lotium indatur: aut si quis iuxta ablaqueatam radicem dictamnum, fabas, vel pannum menstruo sanguine mulieris imbutũ deponat, arborem aruditate tabida conficiet. Hæc Constantinus refert, & ex eo Ruellius, sed vt liberè dicamus quod sentiamus, eiusmodi vel superstitiosa, nec vlla ratione fundata putamus, quæ ex Democrito adducta sunt: vel sanè illicito quodam aut Diabolico condimento non vacua: vel denique, ab impostoribus & mendaciorum mancipiis veteratoriè emcta & ementita. Nostrum est, non solùm non tradere talia, sed nec tradita credere, nec si opinio quædam sinistra nos trahat, vt credamus temerè vanéque expertis: interim tamẽ de vanis & nulla bona ratione fundatis aut stabilitis, liberè, nullaque vsi circuitione, sententiam nostram pronunciare. Sed de his satis.

Vt Nux distabescat.

Cortex Iuglandis hians, & abscedens maturitatis argumentum est, quales & reponi debent. Seruantur, vt tradit Pallad. vel paleis obrutæ, vel arena, vel foliis suis aridis, vel arca ex ligno suo facta inclusæ, vel Cepis mistæ, quibus hanc vicissitudinem reddunt, vt eis acredinem tollant. Martialis asserit, & expertum se ait, virides Nuces tantùm liberas putaminibus suis melle demergi, & post annum virides esse, & ipsum mel ita medicabile fieri, vt ex eo facto potio arterias curet & fauces.

Repositio.

Hyppocrati Amygdalæ æstuosæ (καυσώδεες) sunt, verùm probè alunt [τρόφιμοι.] Aestuosæ quidem sunt propter pinguedinem, nutriunt autem propter carnositatem, & Nuces (κάρυα) calidæ similes his sunt. Nuces regiæ, aliquibus Persicæ dictæ autore Diosc. in cibo sumptæ coctu sunt difficiles, stomacho nocent, bilem gignunt, capitis dolorem inferunt, suntque tussientibus inimicæ: vtiles verò in cibo ieiunis, ad vomitiones concitãdas. Venenis quoque resistunt cum ficubus, & ruta præsumptæ, ac etiamnum post ipsa venena hausta comestæ. Largiùs autem esitatæ, latos lumbricos pellunt. Imponuntur & mammarum inflammationibus, abscessibus, luxatisque, cum mellis exiguo & ruta. Cum Cepa autem melle & sale, contra canis hominisque morsus proficiunt. Eædem cum calyce suo perustæ, & vmbilico admotæ, tormina sedant. Putamen verò combustum, tritumque in vino & oleo, puerorum capite peruncto capillos condecorat, Alopeciásque replet. At qui intra ipsum est, nucleus vstus, tritus, & cum vino appositus, menses sistit. Perueterum autem Nucum nuclei commanducati & impositi, gangrænis, carbunculis, ægilopibus & Alo-

Vires & vitia.
Noxa.
Ad vomitũ concitandum.
Venena.
Lumbrici.
Mammar. inflam.
Luxata.
Ad morsum
Torminæ.
Ad capillos decorãdos.
Menses.
Gangræna.
Carbunculus.

& alopecis præsenti sunt remedio. Fit & ex iisdem oleum tusis, expresisque. Porrò recentes, vtpote dulciores, stomacho sunt innocentiores: quapropter & Alliis miscentur ad acrimoniam ipsorum eximendam. Ex ipsæ quoque impositæ liuentia seu sugillata emendant.

Nuces Iuglandes, vt scribit Plin. Græci à capitis grauedine appellauêre. Etenim arborum ipsarum foliorúmq; vires in cerebrum penetrant: hocque minore momento; sed in cibis, nuclei faciunt. Sunt autem recentes iucundiores, siccæ vnguinosiores, & stomacho inutiles, difficiles concoctu, dolorem capitis inferentes, tussientibus inimicæ, (quoniam impleto vaporoso halitu capite, fluxionem concitant, vti putat Dal.) & vomituris ieiunis: (laxatum enim & emollitum oleoso suo vnguine ventriculi os, ad vomitionem imbecillum reddunt) aptæ in Tenesmo solo: trahunt enim pituitam. (Conueniunt in Tenesmo, non quia trahunt pituitam, sed quia flatus crassos recti intestini extremam oram distendentes discutiunt, & viscidam pituitam ibi tenaciùs inhærentem abstergunt, Dal.) Eædem præsumptæ venena hebetant: item anginam cum ruta & oleo. Item aduersantur Cæpis (Alliis Diosc.) leniúntque earum saporem. Aurium inflammationi imponuntur cum mellis exiguo. Item cum Ruta mammis & luxatis. Cum cæpa autem & sale & melle, canis hominisque morsui. Putamine nucis iuglandis dens [illegible]. Putamen combustum tritúmque in oleo aut vino, infantium capite perunctо, nutrit capillum: & ad alopecias eo sic vtuntur. Quò plures nuces quis edent, hoc faciliùs tineas (Tænias Vet.) pellit. Quæ perveteres sunt Nuces, gangrænis [illegible] medentur: item sugillatis. Cortex [illegible], lichenum vitio, & [illegible] prodest. Folia trita cum aceto, aurium dolori [illegible] Mithridatis maximi regis [illegible] compositionem antidoti, è duabus [illegible] siccis, item Fici totidem, & Rutæ foliis viginti simul tritis, addito salis grano: & qui hoc ieiunus sumat, nullum veneficium nociturum illo die. Contra rabiosi quoque canis morsus, nucleus è [illegible] homine commanducati illitique præsenti remedio esse dicuntur.

Antidoti à Plin. memoratæ, eleganti quoque carmine meminit Serenus cap. [illegible] de venenis prohibendis:

Antidotum [illegible] multis Mithridatica fertur
Consociata modis, sed Magnus [illegible] Regis
Cùm caperet victor, vilem deprendit [illegible]
Sinthesin, vt vulgata fatis medicamina risit.
Bis denum Rutæ folium, salis & breue granum,
Iuglandésque duas, totidem cum corpore Ficus.
Hæc oriente die pauco conspersa Lyæo
Sumebat metuens dederat quæ pocula nutor.

Accedamus ad Galenum. Is diuersis locis de Nucis Iuglandis viribus hæc habet. Nucis regiæ [illegible] capitis parit dolorem. Nuces teneræ, rancidæ, vstæ, cinere digerunt & adstringunt. Quidam Nuces regias appellant eas, quæ nunc Nuces ab omnibus nominantur. Sunt & aliæ quædam, quæ [illegible] appellantur, prædictis multò minores, quas nonnulli [illegible], id est, Ponticas seu Auellanas vocitant. Multus autem ambarum est vsus: alimentum corpori præbent exiguum, copiosius tamen Pontica nuncupata, quàm Nux regia: quòd ipsius substantia sit coactior, ac minùs oleosa. Regiæ autem laxior est, continétque in seipsa plus pinguitudinis. Habet tamen & adstringentis qualitatis non exiguum, quæ tandem procedente tempore marcescit, tota ipsius substantia in succum pinguem transmutata, adeò, vt cibo prorsus sit inepta, quòd sua pinguedine, oleo veteri assimilis appareat. Cæterùm quæ viridis adhuc est ac humida, neque adstringentis qualitatis, neque oleosæ conspicuè est particeps, sed magis quodammodo est [illegible], id est, Qualitatis expers, quod saporis genus aqueum vocare consueuimus. Coquitur tamen hæc Nux faciliùs, quàm Pontica, stomachóque est gratior, & multò magis, quando cum Caricis manditur. Traditum autem à plerisque Medicis est, hominem à Pharmacis lethalibus nihil magnoperè læsum iri, si vtrasque has ante alios cibos cum Ruta sumpserit. Liquet præterea, quòd humida quidem apta ad deiectionem est: sicca verò minùs. Plerique autem ventris subducendi gratia cum garo etiam ipsam præsumunt: in quem vsum viridis est accommodatior, vt quæ adstringentis qualitatis minùs sit particeps. Quin & siccarum quoque, si priùs (quod nonnulli faciunt) in aqua fuerint maceratæ, facultas viridibus est assimilis. Ipsa verò Carya arbor tum in foliis, tum in germinibus adstrictionem quandam habet. Cæterùm euidentem plurimámque in nucis putamine recenti pariter & sicco, proinde eo fullones quoque vti solent. At nos eius expressi succo, similiter vt Mororum & Ruborum, in melle decocto, vice stomatici medicaminis vtimur, & ad omnia reliqua adhibemus, ad quæ modò dicti succi conuenire censentur. Porrò ipsius id, quod edendo est, oleosum est, & tenue: itaque etiam facilè exprimitur: & quo diutiùs reconditum fuerit, magis tale efficitur. Quamobrem oleum ex eo inueterato exprimere liceat. Tunc ferè admodum fit per halitum euaporatorium. Itaque quidam eo gangrænas, & carbunculos, & [illegible] pas sanant, a[c] nonnulli ad neruorum vulnera vtuntur. Cæterùm si recens sit, adstringentis nonnihil qualitatis etiam obtinet. At quod imperfectum est etiamdum, ac nondum siccum, veluti reliqui fructus omnes, qui virides sunt, plenum est semicoctæ humiditatis. Nucleus tamen eius (alii putamen malunt) vbi inaruit, (aridum & vstum) tenuium partium & exiccatorium est medicamentum, morsus expers.

Est & aliud eiusdem Gal. memorabile experimentum à nucibus, quod his tradit verbis. Ego quando primùm in patriam redii, agrum pertransiui, & inueni quemdam hortulanum, ab vua & tonsillis ac glandibus ferè suffocatum. Vtebatur autem collutione aquæ mulsæ Rosis in ipsa incoctis. Cùm igitur vidissem fructum nucum in vigore esse, iussi detractum ab eis extremum corticem, quo etiam tinctores videram vtentes, statim in mortario contundi, & succum eius per linteum excolari, nondum sciens, quomodo iuxta crassitiem aut tenuitatem haberet: Cùm verò reperissem aquosum, & compage tenuem, gargaritare eum iussi ipsum hortulanum. Postquàm verò valdè tenuis apparebat, præcoxi: & mel commensuratè, velut in eo quod ex Moris fit, fieri solebam, admisceri: atque vbi iam ad compagem mellis redactum esset, hortulano vtendum reliqui. Porro cùm viderem celerrimam vtilitatem ipsi inde oboriri, præstabile ratus sum in multis experiri: atque ex hoc sufficiente experimento accepto de facultate eius Pharmaci, semper ipso vtor. Meritò itaque mirandum, nullum ex prioribus Medicis aliquid de hoc Pharmaco mente concepisse, vt tum parabili, tum generosо

hoc succo vterentur, maximè cùm viderint, quomodo etiam manus inficiantur eorum qui virides Nuces decorticant. Ex his enim apparet, qualis sit earum succus, & quod ægrè elui possit ipsarum adstringendi vis, adeò vt neq; per fortissima exterforia elui queat.

Partium earum tinctura.

Amplius autem adhuc miratus sum de medicis, quòd non cogitarint fortem esse ipsarum vim, cùm etiam tinctores videant eiusmodi Nucum corticibus vti. Nisi enim in profundum manuum descenderet, & nisi per omnem substantiam lanarum penetraret, non certè ægrè eluibilis esset. Cum verò descendat, indicat planè substantiam succi tenuium partium esse: rationi autem consentaneum est, adstringendi vim maximè proficere, vbi in eiusmodi substantia continetur. Etenim quæ ex adstringentibus crassas partes habent, per adstrictionem cogunt & condensant superficiem corporum quibus adhibentur, & à progressu in altum ipsorum corporum sese impediunt. Quibus enim etiam aliàs ob substantiæ crassitudinem impossibile erat progredi in altum, his sanè amplius impossibile fuerit, densato corpore iuuare, & quod totum est inflammatum. Optimum itaque esse Nucum succum persuasus, vt qui etiam coctum cum melle gustarim, nihil insuaue habentem.

Hæmorrhoides. Capitis graues.

In libello de Dynamid. Galeno attributo, in formula ad hæmorrhoides recipitur cortex virginis Nucis. Persicæ Nuces, ex sententia Athen. capiti non minùs graues sunt quàm Heracleoticæ, magis nutriunt, os & fauces exasperant: assæ verò minùs lædunt, & ex omnibus nucibus, si edantur cum melle, egeruntur promptissimè.

Diphilus Siphnius regias Nuces scribit dolorem capitis excitare, innatareque stomacho, & ex iis teneras, quæ adhuc candicant, esse meliores, ac succi laudabilioris: parciùs nutrire, quæ in furnis friguntur. Persicas Nuces Castaneis esse deteriores, nec edendas, nisi igne sint coctæ ac frixæ: harum quippe vnginosam nocentissimamque pinguedinem, ignem assumere.

Nuces persica.

Nux viridis.

Nux viridis, vt pote adhuc aquatioris humoris, vt refert Plinius Valerianus, stiptica & frigida virtute censetur. Potest eadem & stomacho aliquid vigoris acquirere, & ventrem cum garo sumpta mollire.

Stomachus.

Aluum soluit.

Temperamentum.

Nuces virides, autore Simeone Sethi, atque recentes, calidæ prima distantia reponuntur: quę verò siccæ sunt, secunda distantia calidæ censetur. Virides etiam ventrem cient. Et ideò quidam antè cibum cum sapa vel defruto comedunt: concoquuntur etiam meliùs, quàm Amygdala: aridæ autem si edantur inflammationes & vlcera efficiunt. Stomacho quidem meliores sunt, si cum caricis edantur. Concoquuntur insuper Nuces probè in ventriculis frigidis, in calidis verò potiùs alterantur, ac in biliosum humorem vertuntur: faucium præterea & capitis dolorem adferũt, & tusses augent. Antè alios cibos sumptæ, vomitus sunt effectrices. Si ad saturitatem edantur, ventris lumbricos educunt, & ad dentium mordicationes lancinationésue vtiles sunt. Eob. Hessus:

Quibus comedenda: quibus non.

Vomitus. Lumbrici. Dentium dolor.

Iuglandes prodesse ferunt, nec pascere multùm:
Pascere Auellanas plùs, valuisse minùs.

Temperã. partium Nucis.

Marcellus Virg. ex antiquorum decretis significat, habere arboris Iuglandis coliculos aliquid quod adstringat: summum verò Nucis operimẽtum, quod ea maturescente decidit multa hac potestate esse. Interius deinde carinatum & bifidum putamen crematum extenuandi vim acquirere, & sine erosione siccare. Quódque in eo clauditur edendo aptum, oleosum quod est, facillimè bilem augere: consectúmque ex eo oleum extenuãdi vim habere: ac tumores præterea discutere.

Hermol. not.

Idem Hermol. reprehẽdit, quod *δυσπεπτα* apud Dioscor. resides in corpore & difficilè trãsire dixerit, longiore quàm decuit verborum ductu: nec satis apto rei intellectu, quoniam aliud sit ægrè concoqui aliquid, aliud residere aliquid in corpore, nec facilè transire. At vocibus iis vsus aliquãdo in libris de re rustica Varro est: scimus id quidem: nec Varronem in iis quę docuit damnamus: sed quod aptius & certius in Dioscor. ad medicinam dici debuerat, desideramus. Meliùs Plin. difficiles concoctu dixit.

Diuersæ sententiæ circa temperamentum Nucis.

Fuchsio Virides Nuces primo ordine siccę, secundo verò calidæ censentur. Dodonæo Nux viridis adhuc & recens frigida est & desiccat, partésque tenues habet. Cortex nucum multùm desiccat, adstringitque. Folia eiusdem ferè sunt temperamenti. At Curtio recentes siue virides Nuces primo ordine excalfaciunt, tenuiúmque partium sunt & exsiccantium.

Corticis puluis pro condimento.

Tragus scribit, quosdam guliocam [sic enim callosum illum herbaceumque corticem exteriorem vocant] arefacere, inque puluerem redactũ, Piperis loco in condiendis cibis vsurpare. Quod si huic pulueri folia Saluiæ siccatæ ac tusæ admisceantur, non contemnendi saporis condimentũ futurum. Pari ratione prima ac tenera rubráque foliola siccata ac tusa vsurpari posse.

Condita Nuces.

Nuces Iuglandes exiguæ immaturæ circa Festum D. Ioan. lectæ ac sacharo aut melle conditæ ægris exhibentur à mulierculis, quarum confectionem ipsis relinquemus. Componitur & medicamentum ex putamine viridi Nucis, quod ore agitatum prodest omnibus inflammationibus & vlceribus incipientibus in gutture, amygdalis & ore. Ad idem etiam facit idem cortex decoctus. Earundem ferè Virium sunt folia.

Inflammatio.

Testa ad vulnera c.

Dod. Theophrast. Parac. vult testam Nucis Iuglandis (quoniam cranium nostrum referat) summum à natura, vulnera, omniáque mala cranii factum esse remedium, existimat enim cœli influxu notas quasdam in singulis medicamentis simplicibus impressas reperiri, ex quibus de præcipuis singularum facultatibus iudicandum sit.

Catuli purgant Gesn.

Et Gesn. in enumeratione simplicium purgantium ponit Catulos Nucis Iuglandis. Fernel. quoque Iuglandis iulos sursum purgare scribit. Mõtuus ad immoderatam menstruorum purgationẽ hoc præscribit. Acc. flor. cucurbitę & nucamentorum Iuglandis an. vnc. j. fiat puluis. Concoregius dat drach. j. cum ouo sorbili. Verùm cùm putamina seu nucamenta Nucum calida videantur Gesnero atque Fernelio atque purgent: & ipsæ nuces, autore Matthiol. menses cient, vix nobis probari potest in eo casu prædictũ medicamentũ.

Ad mensiũ profluuiũ.

Capilli tinctura.

Cortices Nucum recentium sæpè infusi in oleo, cum modico alumine, benè tingunt capillos, teste Bayro. Idem tradit, fricatos dentes cum radice Nucis singulo quinduo semel, intellectum uegetare, sensus acuere.

Ad memoriam.

Matthiolo tradente, Iuglandes virides decerptæ Maio vel Iunio appetente, antequam earum putamina obduruerint, saccharo vel melle adseruatę stomacho vtiles euadunt, & ori non ingratæ.

Condita.

Iuglandium Iuli, qui mense Martio prima germinatione erumpunt sicci, & in puluerem contriti, & ex vino albo poti, drach. pondere fœminis strangulatu vuluæ affectis mirificè prosunt.

Præfocatio.

Inest quoque Iuglandibus Nucibus propria quædam, & peculiaris facultas ad remoratos menses

Ad ciendos menses. menses ciendos, adeò vt facto periculo, se non parum demiratum testetur Matth. & præsertim vbi cætera medicamenta, quæ ad hoc munus obeundum præstantiora censentur, nihil mouerant. Macerantur itaque ad id in aqua Iuglandes nuces cum suis putaminibus, quousque remollitæ, atque humefactæ eorum nuclei à contegente membrana, perinde ac virides, expoliari possint: sumuntur deinde expoliati nuclei, & conduntur macerandi in aqua vitæ præstanti, & post duos dies præpurgatis priùs fœminis, nuclei duo vel tres integræ Nucis, quotidie dantur manè ieiunis deuorandi, decem continuis diebus, ante tempus menstruæ fluxionis.

Pestis. Ad Pestem hoc præstat. Nucleorum Iuglandium, bacc. Iunip. Rutæ an. vnc. sem. macerentur in aceto, de hac miscella ieiuno ventriculo, si sumatur, quanta est nux Myristica, hominem eo die à peste totum præstat.

Aliud ad pestis præcautionem. Acc. corticum Iuglandium virid. vnc. sem. Zedoar. drach. ii. affunde aceti boni lib. ii. stent benè cooperta. Huius omni manè cochlearia bibantur tria quatuórve. Cum prodis in publicum, Zedoariam ore teneas licet. Aqua stillatitia è virentibus corticibus pota, *Sanguis concretus.* sanguinem concretum dissoluit. Cortex arboris medius, adhuc succulentus, si exiccetur, pro *Cortex vomitorius.* vomitorio est. Catuli seu iuli ex iusculo aut vino *Catuli ad calc.* ad calculum & colicam propinantur. Emulsio ex Iuglandibus recentibus, cum momento sem. *Somnus.* Papau. somnum conciliat. Asparagorum Maio *Purgans.* decoctio ex aqua ventrem emollit pota. Succus autem radicis violenter purgat, validis rusticis exhibendus.

Gummi. Scaliger alicubi tradit, ferre gummi Iuglandem, renibus imbecillis vtile.

Aeromeli. Et Hist. Lugdun. Æstate, inquit, feruidissima, quod aëromeli ruffum è cœlo stillat, folijs & frondibus Nucis Iuglandis magis insidere quàm vicinarum arborum, obseruauit Dalech. (eoque melle irrorata Iuglandis folia, ori indita, sitim sedare,) folijs propinquarum arborum exsuccis & aridis, quasi maior sit huius arboris cum cœlo concordia & cognatio.

Iuglandis aqua. Iuglandis aquam ex immaturis Nucibus commendat Paræus ad dissoluendos thrombos concreti sanguinis. Quidam vtuntur in malis vlceribus tibiarum, vbi caro putrida apparet, & contra Meliceria Celsi: quamuis de hoc vocabulo dubitetur inter doctos, ita tamen rem describit, inquit Camer. vt cum eo affectu, quem vulgò das Gliedwasser vocant, conuenire videatur.

Refrigerat. Sed de aquæ Iuglandium viribus Euonymi thesaurus paulò specialiùs tradit, his verbis. Nucum Iuglandium immaturarum aqua, circa festum *Vulnera. Vlcera. Anthrax pestilens.* D. Ioan. parata, foris imposita prodest vulneribus & vlceribus calidis, & anthraci pestilenti: pota etiam ad duas aut tres vncias refrigerat, & pesti*Putaminũ aqua.*lentiæ resistit. Ex putaminibus etiam exterioribus Iuglandium (siue maturis, ita vt iam à Nuce soluantur, siue nondum omnino.) mense Sept. aqua destillatur: nec refert, nigra fuerint, modò ne putredinem senserint, imò nigra præferuntur. Huius aquæ mediocris potio (cum tertia parte aceti, si cum calore morbus ingruat) vena priùs *Pestis. Aurium tinnitus. Angina.* sectâ, aduersus pestem, tanquam certum experimentum propinatur. Laudatur & ad aurium tinnitus, & audiendi difficultatem, & ad anginas gargarisata.

Foliorum aqua. Ad mordendum vomitum recipit Fel. Plat. aquæ Nucum viridium cum aceto destillatæ vnc. iii. Sed monendum nos ab aceto destillato grauia aliquando symptomata vidisse. Foliorum, si placet, vsum percipe.

Foliorum verò Iuglandis aqua circa finem Maij destillata, mirè commendatur, ad siccanda & adstringenda vlcera, & inducendam eis cicatricem, si manè & vesperi inde lauentur, & madidum inde linteolum imponatur: Brunsuicensis. An verò aqua Iuglandium refrigeret, vt Euonymus tradit, vix adduci possumus, vt credamus. Iudicent docti atque experti. Porrò multis modis cibos hominum & medicinas adiuuant nuces. Nam & immaturæ, vt Bruyer. annotat, & nato nuper nucleo gulæ delicias præbent: quantò verò propiùs ad maturitatem accedunt, tantò cibis ingratiores: quippe ijs tantùm pro medicamento in esu piscium vtimur. Medicorum etiam recentiorum schola prædicat, aduersus piscium aquosos & pituitosos succos, aduersari namque pugnante quadam vi, & quadam antipathia piscium iniquitati ac malignitati persuasissimum habet. Vnde illud tritum:

Post pisces nuces: post carnes caseus adsit.

Nonnulli hanc virtutem eis tribuunt ob calefaciendi & siccandi earum facultatem. Certum est etiam easdem venenis repugnare præsumptas in cibis, si quicquam aliud, vt iam diuersimodè ostensum, quod & Serenus hoc versu insinuasse videtur.

Ante cibos igitur Iuglandis fœtus edatur.

Ceparum item & alliorum saporem lenire ac mitigare, inuenerunt gulæ proceres, vnde alliatum vocant vulgò quoddam condimentum, ex Allio & nucibus concinnatum, quod ad *iuscula* & intinctus piscium adhibent. Sæuiente pestilentia *Pestis.* proceres pariter ac plebs infima, quinetiam rura tostas ieiuni mandunt.

Officinæ nuper natas, & virentes iam maiusculas cum puluinato calyce, & ligneo putamine nondum duritiam adepto, Garyophyllis ac Cinnamomo confixas, saccharo condiunt, seruántque in multos annos. Sed nostri in plusculos *Condiendi modus offic.* dies priùs obiter decorticatas in aqua frigida fontis macerant, quotidiè affusâ nouâ, vt hac maceratione ad condituram quasi aptiores sapidioresque reddantur. Ergo teneræ Nucis cortex, putaménque antequam lignescant, deglubuntur cultro cuticula virente & teneriuscula tenus, è vestigióque ne nigrescant in aquam puram proijciuntur, vti dictum, tum vsque dum mollescant coquuntur, tum frustulis Cinnamomi, Garyophyllis aut etiam corticum Arantiorum segmentis traiectæ, saccharo aut melle in syrupum perfectè cocto bulliunt tribus quatuórve ebullitionibus: túmque quò saccharum ebibant, triduo aut quatriduo inibi sinuntur. Et quia saccharum recrudescit, propter humorem quem imbiberat, illud idem saccharum per se denuò coquitur, & sic bis térve repetitur, ex præscripto Lob. & Penæ. Nostri vnica coctura eleganter conditurum absoluunt, sed post macerationem & coctionem, linteis abstersas, non diu in syrupo coqui sinunt, ne nimiùm mollescant, sic minùs sapidæ palato futuræ, sed syrupum ad perfectam consistentiam decoquunt, conditaræ complementum vlteriori in syrupo macerationi committentes. Posteritatis hoc inuentum putamus, vt eiusmodi alia multa ad medicinam excogitata, sed quæ à salutari *Conditarũ vires.* orta principio, hodie passim ad ventris ganeam *Ventriculus.* rapiantur. Sic conditas ventriculo refrigerato & *Calfaciunt.* imbecillo, visceribúsque aliis frigidioribus vtilis*Vrgunt.*simas promittunt. Senibus item & pituitosis, ma-

ritisque in Venerem pigris: calidioribus naturis ac biliosis minùs tutas esse.

Schvvenck. not. Schvvenckf. annotat, ligneam illam membranam, nucleis intercursantem, Nauci vocatam, vulgò das böglin in der Nuß, aduersus calculum vulgi experimento laudatam esse. Sed veremur ne ille cum ipso vulgo decipiatur. Multùm est, alicui rei experimentum tribuere, cuius nec rationē scias, nec effectum euidentem videris vnquam. Ecquis enim est probatorum medicorum, qui eūdem vnquam sibi visum, & apertè agnitum vllo experimento testetur? Non recipimus hic vaniloquos Empiricos, quibus nil aliud in bacca quàm secreta & experimenta, tam vera, quàm ipsi vites eorum, quæ tractant, medicaminum noscunt ac intelligunt. Ecquid obsecro operari queat, insipida, terrestris, exucca atque adeò tam Nauci illud membranaceum corpusculum, quod fortè adstrictione quadam non destituitur? Obesse potiùs atque adeò nocere calculosis existimauerimus, & quantùm quidem in iis sit, exitum calculi vel arenularum potiùs impedire, quàm promouere. Sed mundum velle decipi, iam aliquoties dictum, totiésque dicetur, quoties eiusmodi friuolas opiniones in sacratissimæ Medicinę Rempublicam irrepsisse deprehenderimus.

Aduersus Empiricos.

Iuglans rancida venenum. Glans pro pueris. Raimundus a Vinario, in opusculo suo de peste scribit, Iuglandem rancidam planè venenatā, & Rhasis testimonio confirmat. Idem ex Iuglandis Nucis medio glandem parat pro pueris. Rhazis scribit enim ad Alm. Si quis malè habuerit ab esu Nucum corruptarum, vomitus excitetur, deinde exhibeatur syrupus omphacinus, malorū macianorum, & similia in potu, vti concoctu facilia & appetitum excitantia. Haud incelebris est hodie apud Medicos compositio, *διακάρυον* Græcis dicta, cuius inuentionem Galeno tribuunt, nosq; supra inuentionis occasionem & modū iam superiùs abundè docuimus. Lubet tamen & ex Mesue eiusdem vsum & conficiendi rationem subiicere. Medicamen est efficax ad catharrum acrē, & tenuē à capite in asperam arteriam, pulmones, thoracem, à quo phlegmone, suffocatio, mors, impendent. Libræ quatuor succi ex corticibus Nucum viridium, diebus canicularibus extracti semel feruefiunt: tunc mellis lib. ii. additis, coquuntur ad mellis crassitiem: idque medicamentum pueris, mulieribus & natura humidis salubre est. Quod si phlegmones initium, adstringentium aliquid admiscendum est, vt Rosa, Balaustium: si in statu, crocus & Myrrha: si in declinatione, nitrum & sal ammoniacus, & similia. Alioqui vires habet easdem cum diamoro ad omnes oris phlegmonas, & cynanchas, sed efficaciores, vt ex Galeno discimus.

Diacaryon. Eius vsus. Conficiendi modus.

Ligni vsus. Iuglandis materies mensis & vtensilibus laudatis dicatur, & operi tectorio. In Galliæ multis locis, præsertim Lugduni plurimi fit hoc lignum pro mensis, scamnis, lectis, abacis, & aliis eiusmodi, quę tela cerea fricant sæpè: sic egregiè poliuntur, & nitidum splendorem acquirunt. Talia multa singularis elegantiæ opera videas Lugduni in tota Burgundia, etiamque Montbelgardi. Ad furfures VVurf. comburit lignum Iuglandis, vel putamina Nucum, facitque ex cineribus lixiuiū, quo abluit caput. Ad paroxismos febrium medicamen ex cortice interiore Nucis ramorum parat Felix Plat. quod nigram maculam nonnihil erodit. Recipit autem corticum q. s. macerat in aceto, & applicat ubi pulsus arteriarum sentitur, quo remedio feliciter vtitur. Idem probat decoctum hoc ℞. Zing vnc. ß. piper. drach. i. membranarum Nucum interiorum seu Nauci drach. ij. &c. Nos membranam Nucum insulsam & insipidam verè nauci facimus in hoc affectu, cætera autem non. Ex viridibus putaminibus Nucum decoctis colorem parant fabri lignarii ad mentiendum lignum quoduis eo tinctum.

Olei Nucum vsus. Sed de olei Nucum viribus speciatim quoque tradendum, etiamsi iam suprà quædam attigerimus. Eodem autē modo, [vt Dioscor. Aetius & alii scribunt] oleum Nucum [*κα(ρ)ύινον*] Iuglandium paratur, quo Amygdalinum, Nucibus aut tusis & expressis, aut post contusionem in aquam feruentem coniectis. Dioscor. eandem ei vim tribuit quam Balanino: Aetius, quam Amygdalino. Insuperque hoc priuatim habere tradit, quod inaurantibus, aut inurentibus conducit. Siccat enim, & ad multum tempus inaurationes & inustiones continet & adseruat. Discutit hoc, (vt Curtius ex quorundam sententia prodit) & nonnulli ad gāgrænas, carbunculos, ægylopas, & neruorum vlcera vtuntur. Vim habet etiam tumores extenuandi, ac putredines. Infusum verò aurium surditati prodest, & idem vtile calidis doloribus illitum. Cæterùm iners & graue corpori, sapore. Enimuero si quid in nucleo putredinis fuerit, totus modus deperit, fiétque oleum mox rancidum. Recens verò nonnihil adstringentis qualitatis habet. Oleum, quod de Iuglandibus Nucibus elicitur, nullius in Medicina vsûs esse reperit Matthiol. & si lucernis & lampadibus, qui parsimoniæ student, id maximopere expetant, quippe ignis funiculo non tam citò consumitur, quàm id, quod ex oliuis paratur. Præfertur etiam pictoribus eo quod è Lini semine exprimitur: siquidem hoc cerussæ admistum tractu temporis colorem immutat, illud verò incorruptum perpetuò afferuat. Sed quid dicit Matthiolus? Suíne est oblitus? aut sibi ipsi inconstans pro arbitrio contraria tradit? non recordatur verborum suorum eiusdem libri primi. Fit quoque è Iuglandibus nucibus oleum, quo ad lucernas vtuntur Insubres, & ad opera sua pictores & fabri lignarii, vbi splendorem suis operibus addere volunt. Haustum hoc quinque aut sex vnciarum pondere, flatus potenter dissipat, quo fit, vt in coli affectibus à flatu genitis, plurimùm adferat auxilii. Illitum tumores discutit, & contractos neruos emollit, addita præsertim calce lota: antiquam verò scabiem sanat. Non animaduertit usum in Medicina apud Dioscor. quem commentatur? Nonne dicit Dioscor. ad eandem vim haberet, quam Balaninum? Notat da quoque autem animaduersio, tutò licere vti oleo Nucum Iuglandinum pro Balanino: Non item Balanino pro Iuglandium oleo. Vis maligna nulla in nucibus, qualis in Balano Myripsica.

Parandi modus. Ad inaurationes & inustiones. Tumores. Surditas. cap. dolor. Cautio. Matthiol. redarguitur. Colicus dolor. Tumores. Scabies.

Memorabile experimentum est, quod à Regulo quodā Ducatus VVittembergici, optimo ac nobilissimo viro acceptum, perlibenter posteritati publicamus. Is pro certo nobis affirmauit se oleo è Iulis Iuglandium parato, rusticum surditate vnius auris egregiè atque perfectè sanasse. Oleum sic parabat. Per annum cucurbitam vitream Iulis plenam sub fimo condiebat, quo transacto, ex iis vnguinosis, oleum exprimebat. Hoc mixtum cum alio Nucum oleo expressione parato aliquot guttas in aurem iniiciebat. Oportere autem dicebat ægrum in sublimi positum aure excipere olei guttulas, quo recepto cum impetu desilire, vt meliùs intret ac penetret.

Oleum Iulorum nucum ad surditatem.

Nec tacendum Plinii Valeriani Oleum ad Alopeciā. Inter Calendas & Idus Iulii centum numero.

mero Nuces statim vt arbori demptæ sunt, cortice adhærente quassantur: his admiscentur aluminis scissi lib. iii. & in nouo fictili vase ponuntur: super hæc infunduntur olei boni lib. iii. & diligenter in loco neque humido neque nimium sicco obruuntur, post xc. dies dabunt oleum, quod fluentium capillorum damna restituit.

Ad defluuium capillorum.

Iam persæpè vtilissimum in peste curanda expertus est Gesnerus aceti stillatitium liquorem, cuius compositionem hîc adscribam: Nuces Iuglandes immaturæ (in eorum defectu cortices radicis Tamarisci, vel Fraxini substituuntur) circa diem S. Ioannis, numero 100. minutim contunduntur aut conciduntur. Scabiosæ, Verbenę, Solani, Sempeuiui an. lib. j. miscentur, & affuso aceto optimo bulliunt: dein manent per noctem, postridiè destillantur igne leui. Sic habet descriptio libri Germ. Augustæ olim excusi.

Restat vt & de alia è Nuce Iuglande vtilitate dicamus, nempe de *Isca*. Sunt autem Iscæ [ἴσκαι] vt describit Paulus, spongiosa quædam corpora in Quercubus & Nucum regiarum arboribus nascentia, quæ Barbari magis in vsu habent. His inter cætera cauteriorum genera vsos fuisse Antiquos, idem Paulus testatur, quando in longis stomachi destuxionibus ad imprimendum cauterium supra os ventriculi, non ferramentis, sed Iscis appellatis vti voluerunt. Easdem accensas hydropicis quoque super stomachum, iecur, lienem, & vmbilicum imposuerunt, quinque crustas adhibentes. Quomodo autem Iscis ad vstionem vterentur sic demonstrat Cæl. Aurelianus. Alii fungos ligneos inferiùs ac superiùs angustos formantes patientibus apponunt locis, quos summitate accensos sinunt concremari, donec cinerescant, atque sponte decidant. Id hodie imitantes Turcæ sarmentum vitis bene aridum parti malè affectæ applicant, & summitatem eius accendunt.

De Isca Iuglande eiusque vtilitate.

Iscarum adhibendarum modus.

An verò rectè Hermol. medullam appellauerit, ex dictis facilè lector iudicabit. Sic enim scribit: medulla nucis quæ in ligno ipso continetur, *Isca* dicitur Ætio: fortè, vt alia multa, quoque deprauatè à Latinis id acceptum, quasi *esca*, quoniam igniario & cauterio quoque fit Medicis. *Et paulò post*: Fomites ex Nuce Mnestor optimas fieri cùm dixit; de Iuglandis videtur intellexisse. Eius imitatione Cornarus quoque ἴσκαι medullam Nucis arboris non satis rectè vertisse videtur.

Hermol. error.

Easdem Hip. nostro quidem iudicio Fungos videtur appellare, dum hæc tradit. Καύσαι αὐτὸν, τὰ μὲν ἴσκαι μύκησι [illegible] δ' σιρώδια, &c.

Bayrus ad denigrandos capillos, fungos, inquit, nucis combure, & in oleo solue & vnge. In Germania creber est vsus Fungorum nucum sicuti & Montbelgardi: solent enim qui sclopetis iaculantur eorum segmentis sæpiùs vti ad conseruandum ignem: ex iis contusis & suo modo præparatis donec sint molles & spongiis penè similes, fiunt ignis fomites, qui facilè excipiunt ignem, qui ferro & lapide excutitur: Zündell vocant Germani. Fungos integros ponunt, supra linteamina cum lixiuio mundantur, vel cum aqua & cinere præparant, deinde in partes secant, & apponunt bombardæ, meliores sunt, quàm funiculi præparati. Audiuimus Germanos in carbones reducere & præparare, ac modo dicto ad bombardas vti.

Fungi nucum pro capillis.

Fungi nucum conseruant ignem.

Claudamus Iuglandis historiam coronidis loco hac quæstione. Quærit Arist. cur nuces tostæ, refrigeratæ deteriores reddantur, rursus calefactæ meliores. Quòd in refrigeratis succus accrescat, & constet, tepefactus verò dilabatur. Etenim suauitas non nisi per succum percipi potest.

Quæstio.

CARYA, SEV NVX EVBOICA THEOPHRASTI.

CAP. II.

Evboicæ Nucis historia cùm sit obscura, cogimur Lectoribus omnia proponere, quæ Theophrastus & Interpretes de eâ scripserunt, vt faciliùs ad eius cognitionem peruenire possint. Is igitur hist. lib. 5. cap. 7. scribit: τὸ δὲ τῆς Εὐβοϊκῆς καρύας [Iuglandis Gaza, Plin. Castaneæ, Dalech.] lignum frangi se sonitu pronunciat: est enim vel eius materies ampla, vsúsque ad opus tectorium, ita vt præsentire homines possint, quod & in Antandro accidisse, omnésque è balneis terrefactos profugisse traditum est. Sed hoc in loco (inquit Scalig.) Theodorus Plinium secutus omisit cognomen Εὐβοϊκῆς, malè: námque si non addas: non erunt necessaria verba illa γίνεται γὰρ μέγα. Vulgaris Iuglandis nostratis non erat opus magnitudinem indicare. Lego δοκοί. Plinius etiam aliter scribit, τὸ [illegible]. Fiunt ex ea trabes. πρὸς τὴν [illegible]. Quod alibi [illegible]. Theodorus ad opus tectorium malè. Vides apud Vitruuium, quid sit tectorium opus, quid trullisatio. Plinius simplicissimè: firmissima in tectum. Et hæc Scaliger. Cuius argumenti vim nondum intelligimus: cur non erat opus Iuglandis nostratis magnitudinem indicare, an quia Theophrasto vulgaris fit? si ita, quonam nomine fuit vulgaris? fortè autem nomine Euboicæ nucis fuit vulgaris, nec adhuc videmus, quid impediat, aut cur Plinio repugnemus? non tamen asserimus, quandoquidem peculiarem arborem magnam Scaliger dicit, sed non qualem. Εὐβοϊκὴ καρύα [pergit Theoph. lib. 5. cap. 8.] vtilis ad rem ædificatoriam, tum subdialem, tum obruendam sub terram: durat enim immunis putredine, quinimò omnium præcipua operi subterraneo redditur. Et cap. 10. Quibusdam operibus molliores carbones expeti solent, ceu ferreis metallis, τῆς καρύας τῆς Εὐβοϊκῆς [Iuglandis Gaza] cùm iam exarserit. Theodorus omisit Εὐβοϊκῆς, sicut sæpè hactenus. Scalig. legit [illegible]. Nam hoc tractat, quem ad vsum οἱ χαλκεῖς [illegible] expetuntur. Natales nunc quod concernit, Solum, vt apud Theoph. lib. 3. de caus. cap. 7. videre est, nuci Euboicæ, opacum atque roscidum conuenit. Nec non & ad flatus loca situm commodè obtinere non parum prodesse animaduertimus; quamobrem id quoque considerandum est. Prorsus omnia locum spiritûs placidi quærunt: etenim alimenta locis eiusmodi meliora, fructúsque maturiores præbentur. Ventosum & inquietum nulla penè arbos humana persequitur. Paruæ námque detortæ, exiguæque proueniunt ex flatuum ictu. Quibusdam etiam syluestribus, locus eiusmodi nocet. Fructus enim suos perficere nequeunt, sicut de nuce Euboica quoque narrant ad florem vsque tantummodò proficisci, cùm illæ, quæ locis tranquillis stant, ampla incrementa suscipere, fœcundissimæque euadere possint. Omninò enim [quod sæpenumerò diximus] temperiem suæ naturæ conuenientem, omnia desiderare videntur: pariter in cæteris rebus, & in mutationibus aëris. Sed fortasse sunt etiam, quæ locorum propria poni debeant: quip-

Euboica carya.

Lignum sonans.

Gaza not.

Scalig. reprob.

Duratio.

Carbones.

Locus.

Flos.

pe cùm singula (vti retulimus) diuersa secundum materiam habeant: non solùm, quòd eandem meliorem: deterioremque possideant; verùm etiam quòd ferant, vt Tmolus, Olympúsque Mysius Nucem, & Castaneam [κάρυον καὶ διοσβάλανον, puto legendum κάρυα.] plurimam ferunt. In Eubœa verò, & circa Magnesiam Euboicę, (εὐβοϊκὰ καρύα Peculiaris arbor, vnde & cognomen, Scal.) multæ quidem habentur, è reliquis autem nulla.

Fossio vti-lis.

Cæterùm fossionem huic quoque vtilem esse, ostendit Theophrast. lib. 3. caus. cap. 14. his verbis: Fossio, omnibus prodest: tollit enim quę impediant, vel auferant pabulum, ipsúmque solum humectius atque suspensius reddit: Adhæc aër humo permistus (permisceatur enim necesse est, cùm terra agitatur) præbet vaporatum quendam humorem, atque alimonium efficit. Quocirca solum squalidum atque siticulosum, fodere, agitaréque sæpe oportet. Palustribus quoque, vliginosisq; fossio prodest: quanquam mirum appareat, solis inter se aduersis curam eandem posse conducere. Verùm nihil mirandum id est: alterum enim siccat, alterum humefacit, scilicet cùm vtrumque contrario adiuuari desideret. Alimento autem meliori, vberiorique, cùm ipsæ arbores vigent, fructus meliores creantur. Nam & nuclei minores, & eorum quæ ligno crustáue teguntur, vt Nucis Euboicę, tegmina tenuiora, inestina verò ampliora vtique fiunt: quippe omninò alimenti copia humefacit pulpámque auget fructus. Quas ob res ratione sic euenit, quod si reliqua quoque adsit cultura, magis magísque ampliores, suauiorésque fructus perficiuntur, quoniam & plus alimenti, & amplior excoctio foret.

Nux Euboica.

Semen.

Nunc semen (quod autore eodem, hist. lib. 1. c. 18.) postremum in omnibus est, humorémque atque calorem insitum in se habet: qui cùm deficerint, infœcundum relinquitur) quorundã protinus post tegmen ambiens subest, vt Palmę, Nucis Amygdalæ: quibus ambientia plura vtique sunt, ceu Palmæ: quibusdam caro, & nucleus interiacent, vt Oleæ, Pruni, aliorúmque.

Pulcherrima hîc de semine comtemplatio, quæque mereatur esse pars nostrorum (inquit Scalig.) librorum, quos ad hanc materiam, multis laboribus digessimus numero septem. Ait Theophrastus, in omni semine & humorem, & caloré esse: diuina vox. Altera materia est: altera aut forma, aut formæ assecla, atque instrumentum. Alterum est principium actionis, cum proportione ad marem: alterum passionis ad fœmellam.

Ἐκλιπόντων. Deficientibus calore, & humore, semina sterilescere, sicut & oua intelligemus: etiã verò alterutro tantùm deficiente. Theodorus deficerint. At desiit, quod fuit. Philosophus autem hîc profundiùs sentiat, vt non solùm calor, qui fuerit, abeat: verùm etiam, qui esse debeat non adsit, sed desit, vt in ouis hypenemiis: cùm abit calor & corrumpitur, ἐκλιπεῖν dicitur alibi à Theophrasto: tunc desinit: in principiis constitutionis, si non insit: deest, non desinit. Λείπειν vniuersalius, quàm ἐκλιπεῖν. Sed & hæc verba [ἐν ἐνίοις μὲν εὐθὺς τὸ σπέρμα μετὰ τὸ περιέχον] excitabant contemplationem iudicii non vulgaris, Sic enim dicit. εὐθὺς. Statim, inquit, sub tegmine est semen in quibusdam. In aliis autem μεταξὺ, scilicet tegminis & seminis, est caro, & testa. Igitur opponit τὸ μεταξὺ τῷ εὐθύς. At videamus exempla τοῦ μεταξύ. Oliuam ponit, & Prunum, rectissimè. Inter nucleum enim & cutem intereſt caro, & testa. Videamus exempla τοῦ εὐθύς. Palmulam ponit & Iuglandem, & Amygdalum: quasi verò non habeat

Theoph. vas.

cutem Iuglans: deinde carnem, tum autem testã. Nam quid est πυρὴν in Pruno, quod non sit in Amygdalo? Neque enim semen est ipsa testa, sed quod intus. Quid quod etiam aliquid aliud præterea habet Palmula? quippe membranam inter os & carnem. Quid quod ipse, cùm dicit, εὐθύς, sibi contradicit, atque ait: πλείω δὲ τούτων τὰ περιέχοντα, ὡς τὸ φοινικος. Postremò in vtraque diuisione est, & Palmula, & Oliua. Vtraque cum carne esculenta, vtraque cum cute, vtraque cum testa nucleum operiente. Theodorus κάρυον, ἀμυγδάλην, Nucis Amygdalæ: verùm minùs cautè. Nam Amygdalum quoque nux est: meliùs Iuglandis. πυρῆνα Plinius item nucleum vocat, qui nucis vicem gerat. Nuculam nos excogitauerimus: vt nucleus, quod intus esset esculentum tantùm significaret. Est autem valdè æquiuocum nomen τοῦ πυρῆνος, si & Oliuæ nuculam significet, & ligneum Punici acini, intra quod nihil aut est, aut non apparet.

Gaza & al. Iuglans.

Sed quid hæc moràmur, ad negotium propiùs accedamus institutum. Arborum (pergit Theophrast.) nulla semine nudo, sed aut carne obducto, aut cute, aut crusta τὰ μὲν σπερματικοῖς, δερματικοῖς τὰ δὲ ξυλώδεσι) ceu Glans, & Euboicum: aut ligno, ceu Amygdala & Nux: nullum in vasculo semen arboris est, nisi conum vasculum dixeris, quod absolui de fructibus potest. Semina ipsa quibusdam protinus carnosa, seu illa, quæ nucum, & glandium genere comprehẽduntur. Quibusdam caro in nucleo est, ceu Oliuæ, Lauro, & aliis. Sed quid ad hæc Scaliger. ἢ σαρξὶ, ἢ δέρματι aut carne semen obducitur, aut cute, ne intellige carnẽ solã, etenim ipsa quoq; cute ambitur, néue intellige cutem aliter, quàm solam. Cutis naturam diuidit in duo, sic: τὰ μὲν σπερματικοῖς, τὰ δὲ ξυλώδεσι. Quid sit σπερματικοῖς: haud satis percipio. Theodorus vertit crusta, vt sit ὀστρακώδεσι sanè placet: verùm contextus non placet. Sic enim scribit, aut cute, aut crustà. Igitur non videtur diuidere τὸ δέρμα in crustaceum, & ξυλώδες, at Theophrastus diuidit. Sic ego diuiderem, extimum operimentum, in cutem, membranam, corium, lignum, testam, os. Cutis est, in frumento: membrana in acino Punici: corium, in Castanea: lignum, in Iuglande: testa in glande: os, in Pistacio. Notabis diligentiùs, si pro σπερματικοῖς legas, ὀστρακώδεσι. non conuenire exempla de glande. Etiam illud animaduertes εὐβοϊκὸν hîc distingui ἀπὸ τὸ κάρυον tanquam diuersum ab Iuglande. Itaque in 4. hist. Euboicas arbores etiam in Magnesia oriri, pro narratione minimè vulgari posuit: vt intelligas errorem Theodori, qui in 5. nec semel, εὐβοϊκὸν, nucem pro Iuglande est interpretatus, dum Plinii autoritatem nimis secutus famæ sequitur. Διὰ τὸ χωρίζεσθαι τῶν καρπῶν Theodorus, quod absolui de fructibus potest. Non intelligo quid velint sibi verba hæc: at Græca ita interpretor: χωρίζεσθαι τῶν καρπῶν: à natura fructuum segregari. αὐτὰ δὲ τὰ σπέρματα, Semina, inquit, protinus quædam carnea, exempla ponit. Quæ in nucum: aut glandium genere censentur: alia, inquit, ἐν πυρῆνι ἔχει τὸ σαρκῶδες: intra nuculam carnem habet, vt Oliua. Quæ diligentiùs quidem sunt notanda. Apertâ namque glandis crustâ, protinus caro inuenitur: & non absimili modo, Oliua nucleo aperto statim carnem habet seminalem. Videtur differentia: quia Oliuæ nucleus esculenta obducitur carne: idcircò dixit εὐθύς, hoc sic appareтur, vt potest. Nam sanè alterum exemplum, videtur laborare: ait enim Iuglandem habere statim carnem seminalem. At enim verò eadem sede & Iuglans habet,

Theoph. lectio

Glans. Euboicum.

Euboicum distinguitur à Caryo.

Gaza not.

Glans. Oliua nucleus.

Iuglans.

bet & Oliua. In vtraque primo æquè loco est caro, quanquam diuerso vsu. Verùm id nunc non disputatur: sed de sede, atque ordine inter se, & medullæ seminalis, & integumentorum: deinde est nucleus, tum pulpa. *Lauri bacca* Præterea nulla ratione conuenit exemplum baccæ Lauri, cum Oliua. Habet enim cuticulam Oliua, quæ à carne non abscedit: habet carnem: habet os: postremò intus medullam semigalem pusillam: at Lauri bacca os nullum, πυρῆνα nullum. Sed primum, atque extimum, corium, deinde membranam, intra *Calamus* quam caro firma ac solida: qualis Castaneæ. Ea est bipartita nihil intra se continens, tantùm ad verticem ligulam habet Castaneæ modo, quam ligulam vulgus germen vocat. *Huc vsque Scalig.*

Caryon Theophrasti est Auellana. Euboicam, Iuglant. Scalig reprob. Cæterò apud Theoph. nos per κάρυον intelligimus Auellanam, quamuis Scal. Iuglandem interpretetur, magna siquidem similitudo Auellanarum & Glandium. Per Euboicam autem Iuglandem potiùs aliter, quàm Scalig. nec videmus, quod repugnet, lignosum est eius putamen: cur potiùs lignum sit in glande, quàm in Castanea, vt scribit Scaliger, aut cur Glandis putamen non sit etiam corium, aut dici possit, non intelligimus: Nec etiam illud cur in Iuglande testa, & non etiam in Pistacio? Si de Pistacio os dici potest, poterit etiam de Iuglande, vtrisque est aliud tegumentum aut putamen carneum. *Castanea* Quidam porrò κάρυον & διὸς interpretantur Castaneam, vt Athenæus, quod idem faciunt, qui eum sequuntur, inter quos Rob. Const. qui ait Athenæum cœlum miscere mari, Plinium & Gizam erroris accusat, qui Iuglandem interpretati sint, eorum tamen opinio meliùs nobis placet. Constantini verba recitabimus cap. de Castanea lib. 7.

NVX INDICA NON BIFORIS IVGLANDI SIMILIS.

Cap. III.

Descriptio ADducitur quidam fructus ex Occiduis, adeò Nuci Iuglandi similis, vt nondum introspectum, sæpiùs putauerimus Nucem Iuglandem esse: sed effracto, caro fuit vesca, intus albida, Castaneæ sapore, nullis distincta nucleis: putamine & testa vtraque crassiore, quàm Nucis Iuglandis. Hunc Rocellæ sibi dono datum à D. Launæo Medico, Lob. & Penæ obseruationi debet posteritas, donec quid certius de ea resciscamus.

GENIPAT AMERICAE FRVCTVS TINCTORIVS: ET ALIVS EDVLIS.

Cap. IV.

Descriptio GEnipat dictum fructum incolis Americanis, authore Theueto magni faciunt, non quia edulis, sed propter vsum eius ad tincturam corporis. *Fructu Persic.* Hi magnitudine & colore nostris Persicis similes in ramorum extremis nascuntur, sibi mutuò incumbentibus, miranda quadam ratione. *Folia Iuglandis.* Folia Iuglandis similia sunt. *Vsus.* Fructus huius arboris succo Americani vniuersum corpus inficiunt, hoc modo. Miseri illi & bruti homines cùm succum ex hoc fructu aliter exprimere nesciant, illum mandunt, ac si voraturi essent, deinde ore reiiciunt, & manibus veluti spongiam exprimunt, vt succum emittat, quemadmodum limpidus est. Profecturi igitur illi ad stragem aliquam edendam, aut ad insultandos amicos, aut ad solemne aliquod, totum corpus hoc liquore madefaciunt. *Corporis tinctura.* Is quò magis in corpore exsiccatur, eò magis natiuum colorem acquirit, qui vix verbis exprimi potest: est enim quodammodo inter nigrum & cœruleum, siue eum colorem, qui vulgò azurus dicitur, medius. Hoc infecti Barbari incedunt, non minùs ornatos sese existimantes, quàm nos nostris coccineis, aut holosericeis vestimentis. In America reperitur & alia arbor *Genipat* dicta, fructu multò maiore, eoque eduli.

IVNIPAPPEEYWA BRASILIANORVM NVCVM FOLIIS SIue Genipat.

Cap. V.



ARboris ramulum [inquit Clus. Exot.] foliis Nucum cū fructu, Francofurti ad Mænum accipiebam anno restauratæ salutis humanæ 1598: Londino missum à Richardo Garth, quem illicò in tabella exprimendum curabam, vt eius iconem cū historia lectoris oculis proponerem. *Nucum folia* Mittebatur autem Iuniperi Brasiliani appellatione, quæ vox *Iuniperus Brasilianus.* statim mihi suspicionem iniecit, illius arboris esse posse, quam Brasiliani *Iunipappeeyvva* nominant, teste Iano Stadio Hesso, qui apud *Tappin-Inbartos* nouem & amplius mensibus captiuus fuerat, demùmque non sine Dei benignitate anno 1545. liberatus est: Theuetus & eum sequutus Lerius, corruptè *Genipat* nomen indiderunt. *Genipat.* Huius porrò præmansi deinde expressi succo, Brasiliani corpus atro colore inficiunt. *Atro colore corpus inficiunt.* Is autem quem accipiebam, mediocris mali magnitudine erat, orbicularis penè formæ, supernâ parte, paulò planior, & veluti exiguâ coronâ insignitus, denso cortice, & [quia resiccatus] duro, exteriùs rugoso, & fusco colore, internè læui & spadiceo: *Descriptio* tota pulpa quasi in mallulam contracta erat ob siccitatem, pluriMáque grana continebat simul *Grana* iuncta, quemadmodum in stramonia conspiciuntur, plana, nigra, rugosa. Ipsam autem pulpam, *Pulpa acidi saporis.* licèt vetustam & prorsus exsuccam, paululùm tamen præmansam, nigro colore inficere, & valdè acidi saporis esse deprehendebam. Summo porrò ramulo terni aut quaterni fructus inhæsisse videbatur. Sed & ipse Theuetus suo *Genipat* plures fructus extremis ramis coniunctim nascentes tribuit, & Iuglandis folia, quorum Stadius non meminit, vt apparebit ex vtriusque descriptione, *Iuglandis folia.* reponenda in Peregrinarum Plantarum Historia ex variis Neotericis Authoribus, qui suas peregrinationes descripserunt, à me, Deo concedente, concinnanda & in lucem producenda.

Cæterùm, an etiam *Xagua*, cuius Ouiedus c. 5.

Digitized by Google

lib. 5. Primæ partis Generalis & Naturalis Historiæ meminit? Certè easdem facultates suę Xaguæ tribuit.

MACOCQVER VIRGINENSIVM.

Descriptio



LOndino ad me, inquit Clusius exot. mittebat, anno 1591. Iac. Guaretus fructum ex VVingandecaouu Prouincia, quam Angli [à quibus primùm obseruata] Virginiam nuncuparunt, relatum. Erat autem prorsus orbiculari formâ, quatuor vnciarum diametro, cortice duro præditus, foris læui & subfusco, internè nigra membranâ inducto, perquam sparsæ quædam fibræ à pediculo ad summum: continebat verò pulpam nigram [quia non recens sed siccus & vetustus] acidique & quodammodo salsi saporis, in qua plurima grana inuoluta, subfusci coloris, plana, & cordis [vt vulgò pingitur] formam referentia, medullâ albicante prædita. Quum porrò hic fructus ex Virginia relatus esse dicatur, faciiè mihi persuaderi sinam illum esse, quem eius regionis incolæ *Macocquer* appellant, & [magno aliquo periculo liberati, vel bello defuncti, in lætitiæ signum structo igni assidentes] pulpâ seminibusque exemtis, implent lapillis aut crassioribus quibusdam granis, vt maiorem strepitum agitatus & commotus edat, bacilloque aptantes manu tenēt, perinde ac Brasiliani suum *Tamaraca*, sed nullis pennis ornant.

Tamaraca

Similem deinde anno 1602. à Christi natiuitate, conspiciebam apud eruditissimum Iuuenem Ioannem de Laet Ioan. F. qui illo anno Amstelrodami redemerat ab iis qui in varias prouincias nauigant. Orbicularis verò formæ non erat, vt meus, sed paulò oblongior, fusco colore præditus, qui me præsente, apertus nigram pulpam superioris pulpæ prorsus similem, quâ grana, alterius granis non dissimilia, erant inuoluta, continere deprehendebatur. Cæterùm hic fructus non valdè dissimilis videtur *Higuera* tetrasyllabo Ferdinandi Ouiedi.

Higuera.

Conferant lectores historiam huius *Macocquer* cum Arboris *Iunipappeeyuua* Brasilianorum Clusii paulò antè dicta, comperient in iconibus & descriptionibus plæraque conuenire.

IVNIPAPPEEYVVÆ SIMILIS PENE FRVCTVS ORBICVLARIS IN quo semina Staphisagriæ similia.

Descriptio

ORbicularis penè fructus è Brasilia vt referebat Paludanus, allatus: forma non valdè dissimilis *Iunipappeeyuua* Brasilianorum, teneriore tamen cortice, præditus, & superna parte planus, atq; quodam modo in teneram vmbilicum desinens: continebat autem interna parte multa semina rugosa, Staphisagriæ seminibus non dissimilia, nucleum continentia in binas partes diuisum: pediculus cui inhærebat, triuncialis longitudinis. Clus. Exot. lib. 2. c. 7.

IVNIPAPPEEYVVÆ ALIVS SIMILIS FRVCTVS.

Descriptio

REferente Clus. Exot. lib. 2. cap. 17. à Richardo Garth. Londino missus fructus receptus è Brasilia, prorsus confractus, vt eius forma dignosci nequiret: nullum nomen additum: putaminis fragmenta satis fragilia erant, foris & cineracei ex fusco coloris, internè nigri, pulpa rugosa & in vnum coacta, nigra, quæ gustata, acidi saporis deprehendebatur, & nigro colore inficiens, non secus quàm *Iunipappeeyuua* Brasilianorum: huius tamen cortex *Iunipappeeyuua* cortice fragilior, & in huius pulpa nulla semina obseruabam, quemadmodum in illius fructu.

Acidus pulpa gustu.

ARBOR VINIFERA, COVTON, IVGLANDI SIMILIS.

CAP. VI.

MIrabilis est arbor, quam Theuetus Americæ suæ cap. 80. sic describit. In Canada prouenit arbor crassitudine & figura similis Iuglandi, cuius vsus diu incognitus mansit, donec quidam excindendo arborem obseruauit fluere succum boni & sapidi saporis, qualis optimi vini Aurelienßis, aut Beaunienßis: ita iudicarunt noster capitaneus & alii nobiles, qui eum comitabantur: Eius succi subitò collegerunt quatuor aut quinque magnas amphoras: suo idiomate hanc arborem vocant *Couton*.

Iuglandi similis. Vinosus succus. Couton arbor.

LIGNVM COPA-V SIMILE IVGLANDIS LIGNO.

CAP. VII.

SCribit Leri in Brasilia prouenire lignum, quod nominant *Copa-v*: cuius arbor similis quodammodo Iuglandi, non tamen nuces ferens. Asseres, vti vidi pro vtensilibus, adaptati, easdem cum Iuglande venas siue fibras habent.

ARBOR TINCTORIA.

CAP. VIII.

AVtor est, Theuetus inter arbores in Regno Senegæ, vbi Aethiopes degunt, arborem esse glandiferarum nostrarum crassitudine, fructû ferentem Dactylis parem, ex cuius nucleo oleum exprimitur miris virtutibus præditum. Aquæ permistum, croceo colore planè inficit, quo tingunt pocula, ac pileos quosdam ex Iunci, vel orizæ paleis contextos. Præterea id oleum odore est Violæ Martiæ, olei nostri sapore. Quamobrem multi pisces, orizam, aliósque cibos eo condiunt.

PENQ.

ed by Google

PENOABSOV ARBOR AMERICANA.

Cap. IX.

Descriptio

EST & in America, eodem teste, arbor Penoabsou dicta, cortice odoris planè admirandi, foliis Portulacæ, valdè spissis, perpetuò virentibus. Fructus edit magnos, grandioris Pomi magnitudine, orbiculatos, pilæ lusoriæ modo, minimè edules, imò venenatos. Singuli senas Nuces intus habent, Amygdalis nostris similes, nisi quòd latiusculæ sunt, & magis compressæ, in singulis singuli nuclei conduntur. Hi ad sananda vulnera mirificè prosunt, quibus etiam vtuntur Barbari sagittis icti, aut quouis alio modo in prœliis vulnerati, ex his contusis oleum exprimentes rursum, eóque vulnera illinentes.

Pomi forma venenatum. *Vsus. Ad vulnera sagittarum. Oleum*

NVX COVLCOVL.

Cap. X.

Descriptio *Parua grana.*

COnstantinopoli, authore Bellonio, venduntur Nuces duos pugnos crassæ, quibus caremus, quæ plenæ sunt paruis granis esui bonis. Auellanarum modo dulces, *Coulcoul* vocant, id est, Nuces *Coulcoul*. Qualcebenus lib. 3 epist. Matth. de plantis peregrinis Constantinopoli missis. De Coulcoul & Hebuldem, inquit, nihil dum certi intelligere potui, nisi quòd Coulcoul quibusdam in delitiis sint, præsertim quando recentes ex Ægypto aduehuntur. Matth. respondens Qualcebeno scribit, Nucleus quem *Coulcoul & Hebulden* appellas, est arboris quæ Staphylodendron appellatur. Ex quibus patet Matth. sententiam multùm dissidere à Bellonio: notandum quoque Bellonium scribere Constantinopoli vendi semina Hembulden, quibus nos non vtimur: separat autem ea à Coulcoul. Nec etiam Qualcebenus videtur idem dicere Coulcoul & Hebulden: de iis plura nunc non occurrunt nobis scribenda.

Hebuldem. *Staphylodendron.* *Matthiolus.*

NVX AROMATICA, VVLGO MOSCHATA.

Cap. XI.

Descrip.

POst Iuglandem *Aromaticam* dici conueniat. Nam & generis nomen, & triplex cum illa inuolucrum cōmune habet: & folia huius à nōnullis dicuntur esse Iuglandis similia, vt taceamus has conditas cum istis ab institoribus frequenter adulterari. Adde quod exterius eius putamen viridi Iuglandis simile dicatur.

Duo genera.

Dum porrò maximè generum sunt Nuces moschatæ: vnum figura Oliuari, alterum longius minúsque rotundum. Vtrumlibet verò genus, prout conditum adfertur, Persicam malum mediocrem æquat: primúmque puluinato tegitur, Iuglandis vel Persici in morem, calyce: huic subest mediocris crassitudinis putamen seu cortex lignosus, nullo nec sapore nec odore, intus cinereus, foris ex nigro spadiceus, valleculis hinc inde depressis inæqualis, quas extimo & huic iam dicto cortici interiecta Macis dicta explet, reticulato plexu certis locis durum illum corticem obuoluens, pertinaciùs circa pediculum adhærens, alioqui liber & incubitu duntaxat leui appressus facili negotio auellendus, coloris ex rubro flauescentis, saporis iucundissimi aromatici, acriusculi cum amarore quodam, velut oleaginem quandam puncturam remittens, quem & acu punctus reddit nucleus, quem vulgò omnes *Nucem moschatam*, eruditi verò etiam totius nomine nucem myristicam vocitamus, oliuæ magnitudine, vel paulò longior, Dactylum tam figura quàm magnitudine referens, (*longas* appellant mares: *rotundas* fœminas,) coloris ferè cinerei extrinsecus & rugosus, spadiceis & ex flauo albicantibus venis vndatim, vel sine vllo ordine hinc inde discurrentibus, substantiâ solidâ. Sed in pila fragili, nec difficulter in fistula dissiliente, sapore & odore aromatico & subadstringente.

Macis. *Sapor Macis.* *Nux myristica.* *Mas & fœmina.* *Sapor nucis.*

Author est Garcias, arborem quæ Myristicam Nucem & Macin profert, Piri esse magnitudine, foliis eiusdem, sed breuioribus & subrotundis, seu veriùs Persicæ malo haud absimilem, rotundioribus tamen foliis. Fructum ferre, duro cortice munitum, quo per maturitatem dehiscente, calycem echinatorum, qui Castaneas amplectuntur modo, macis appareat. Verùm in iis, quæ nostro orbi conditæ importantur, non obseruauimus echinum Castaneæ, sed Persici puluinatum calycem, vt iam dicebamus. Reperitur, sed rariùs, gemellus quoque nucleus, facie interiore, quà se ambo nuclei tangunt, compressim, externè gibbosus, qualem & nos inter Exotica nostra naturalia reconditum habemus.

Arboris [illegible] *Gemelliæ.*

Porrò videtur nux moschata κώμακον esse apud Theoph. Scimus alios existimare, Comacum esse Gariophyllos, de quibus suo loco. Nobis plausibilius videtur, esse nucem aromaticam, quia fructum dicit. Verba Theoph. sunt: τὰ δ' ἄλλα πάντα τὰ εὔοσμα, οἷς πρὸς τὰ ἀρώματα χρῶνται, τὰ μὲν ἐξ Ἰνδῶν κομίζεται, κἀκεῖθεν ἐπὶ θάλατταν καταπέμπεται, τὰ δ' ἐξ Ἀραβίας, οἷον πρὸς τὸ κινάμωμον, καὶ τὴν κασίαν, καὶ κώμακον. Ἔστι δὲ τὸ κώμακον καρπός, τὸ δ' ἕτερον ἀναμιγνύουσιν εἰς τὰ πολυτελέστατα τῶν μύρων. Sed [illegible] superfluum censemus, & legendum post οἷον, τὸ [illegible]: in quem modum etiam Gaza legit atque conuertit, hoc sensu: Cætera autem odorata, quibus ad vnguentorum confectiones odoras vtuntur, quædam ex India aduehuntur, ac inde transmittuntur ad mare: quædam ex Arabia, vt Cinamomum, Cassia, Comacum, atque hunc diuersum fructum esse, quem vnguentis sumptuosissimis permiscere solent. Vides ipsum Comacum apertè appellare fructum: Garyophylli propriè sunt flores. Vnguentis etiam commodior nux moschata, immò expressus eius liquor per se ipse vnguentum est, vt his notis Theophrasti Comaco apprimè competat.

Comacum Theoph. *Comacum Gariophyllum non esse.*

Eundem Cinnamum & Caryopon esse censemus apud Plinium, nisi fortè Comacum quoque legendum sit. Chiffletius sanè vir doctissimus & amicus noster singularis iamdudum Comacum

Cinnamū Caryopon Plin. *Comacum.*

legit apud Plin. pro Caryopon, vt Dal. quoque obseruauit. Sic autem ait Plin. In Syria gignitur & Cinnamum, quod Caryopon appellant. Hic est succus nuci expressus, multùm à surculo veri cinnami differens, vicina tamen gratia. Pretium in libras asses quadraginta. Vt etiam Theophrasto clariùs nucem nostram moscatam Plinius insinuasse videatur.

Plin. illust.

Nucem manifestè dicit, Caryopon succum ei expressum: quod oleum dicere possis, etiamnum hodiè lautioribus Pharmacopœis, pro delicatioribus exprimi solitū, quod mox in vngue iti cōsistentiā concrescit.

Locus.

Reliqua quoq; non repugnant: nam & vicinam Cinnamo gratiam habet, & ab eo tamen plurimùm differt. Maffeus autor in hist. Ind. Ad Bandam ditionis Molucarum vicinas aliquot insulas totius orbis terrarum solas [quod constet] spontè, lautiores in epulas & medicamenta mortalium, ex vna eademque arbore Nucem myristicam & Macim progignere.

Nux Myristica.

Arbor [addit] Plinius ad Pyri similitudinem accedit: fructus Mala Persica quadantenus imitatur: floret quo tempore ibidem aliæ quoque plantę & herbæ varii generis:

Tempus.

è quibus vniuersis mirificus odor, incomparabilis cuiusdam suauitatis exilit.

Odor floris.

Vbi defloruit maturescens pomum, paulatim è viridi, tum cœruleas luteásque, tum purpureas & igneas transit in maculas, quales in arcu cœlesti:

Pomi color varius.

atque eo ipso tempore Psittaci & aliæ aues eximiæ pulchritudinis ad gratissimum sibi pastum aduolantes augent oblectationem, cùm folia & fructus & alites ipsæ variis colorum picturis in certamen vsque luxurient. Lud. Rom. Nucis Mosch. historiam sequentibus tradit:

Myristica nux.

Myristicę nucis caudex Persico caudici similis, ramos foliáque consimilia producit, verùm nonnihil angustiora: priusquam nuces huiusmodi percoquant, instar arborem mastix florentis Rosæ imitat: & vbi nux percoxerit, mastix eam complectitur.

Mastix.

Ex quibus sanè verbis apparet Ludouico Romano non bene cognitum fuisse Macis crescendi modum, quem malè vocat Masticen: non floret Rosæ instar, latet enim sub pulpa: fortè olim Matthiolus ex Lud. Rom. descriptione curarat concinnandam suā iconem.

Ludouic. not.

M. Fumee in hist. gen. Ind. Gallicè conscripta Moschatam arborem similem Quercui facit, ferentem Nuces vt Glandes, aut more Dactylorum, quæ habeant Macin. Sed bonus ille vir de arbore sibi incognita, neque visa scribens adiecit quæ omnibus qui de ea tradunt, ignota sunt atque inaudita, ne dum visa, nempe Quercui similem esse. E contra, & rectiùs Maximil. Transylu. de Moluc. insulis, Nucis Myristicæ arborem proceram, amplámque esse dicit, eique, quæ Nucem Iuglādem ferat, admodum similem. Neque hanc Nucem aliter, quàm Iuglandem produci, gemino protectam operimento, puluinati primùm calycis, sub hoc tenuem membranam, quę reticulatim nucem amplectatur. Hanc nos Muscatæ florem, (inquit is,) Hispani Macim vocant. Alterum operimentum, ligneum esse putamen, vt Auellanæ, cui ipsa nux insit Muscata. κάρυον ἀρωματικὸν, μυρεψικὸν, μυριστικὸν quidam Græcè vocant: alii etiam [illegible]. Sed nunquid Dioscor. incognita fuit Nux moschata? Fuit: nihil enim de ea scripsit: scribit quidem de Macere non de palliolo huius, seu cuticula foliacea, Macis dicto, à quo Macer haud parum diuersus.

An Diosc. incognita. Nux Muscata Giauziban. Iesbaque.

Auic. Giauziban, Nux muschata. Serap. Ieuzbaue vel Iesbaque, id est Nux muschata. Item Bisbese, id est, Macis. Isaac Eben amram: Est cortex Nucis Muscatæ, qui est supra corticem crassum inutilem: fructus qui vtilis, nominatur in Oriente Adaches. Hermol. Nux odorata, quam Græci modò Caryon myristicon appellant, hoc est, Nucem vnguentariam, quæ sanè diuersa à Glande vnguentaria.

Nux odorata. Caryon myrist. Moschocaryon.

Moschocarion, teste Ruell. à Græcis recentioribus dictum, Latinis occasionem dedit, vt eius imitatione Nucem moschatam nominarent: ea membranoso primùm vestitur calyce, foliato, fissili, mox lignoso. Mauritaniæ factionis principes Macis nomine extimam intelligunt membranam.

Ruell.

Ex quibus Ruell. verbis facilè patet ei crassiorem & exteriorem corticem carneū non fuisse cognitum. Nec intelligimus quid sibi velit his verbis, quando ait: Hippocrates Aegyptiæ Balani meminit.

Balanus Aegyptia.

Sed multùm à veritate mihi deficere videntur, qui Nucem odoratam, quam vulgò dicunt Moschatam, hac glande vnguentaria comprehendi putent, longè profectò differentem, & Veteribus, vt existimo, prorsus incognitam.

Nux moschata.

Aegyptia reliquarum modo ossa non habet in balanis. Aluum & menses sistit in vino austero, & vulnera agglutinat.

Glans Aegyptia. Caryon Aromat. Aetio Sylu. & Ruell.

κάρυον ἀρωματικὸν Aetio, Veteribus ignotum, Syluio: qui ait, historiam eius graphicè depingi à Ruellio. In margine: Nux moschata vulgo, etiamsi moschum non oleat. At nobis non videtur graphicè descriptam à Ruellio, cui non cognitum fuit exterius corpus callosum, vti patet ex eius descriptione. Tagaultius quoque à veritate multùm deficere tradit eos, qui Nucem odoratam, seu Muscatam vulgò sub Glande vnguentaria comprehendi putent.

Non esse Glandem Vnguent. Cordi descriptio.

Nux Muscata, id est, vt scribit Cordus, fructus qui totus cùm ad iustum peruenerit incrementum, Iuglandis, viride carnosúmque putamen habentis, magnitudine cernitur, triplici cortice nucleóque compositus: exterior cortex carnosa cōsistentia, cui subest tenuior, non continuus, Macis appellatur: eo detracto apparet tertius in fusco, purpureus, lignosus, intra se nucleum continens subrotundum, oblongum, longitudine vncialem. Saporem habet & odorem tenuem, suauiter acrem, iucundum valdè aromaticum & adstringentem, qui Nux muschata vocatur: decorticatus ex India affertur.

Nuces moschatæ conditæ.

Adferuntur etiam integri fructus, melle conditi: quos nuper cœperūt adulterare, eius singulis nucleis, viridi Iuglandiū putamini diuiso impositis, & rursus composito:

Adulteratio.

qui dolus facilè deprehenditur mollitia, sapore, & quia diuisæ erant commissuræ.

Vt deprehendatur fucus.

Carnosus enim Moschatæ nucis cortex iucundum habet saporem, solidiorémque consistentiam: Iuglandis verò austeriorem & molliorem. Similiter quoque excipiuntur Limonum & Chebulorum: [quos sic vocant] conditorum carne, sed hic dolus cōmissuris deprehēdendus est, quoniā condita earum caro gustu ferè nihil à Nucis moschatæ carnoso putamine differt.

Aliud adulterium.

Est & Moschata mascula, præcedenti similis, maior tamen oblongiórque, figura atque magnitudine ferè ad vulgares Palmulas accedit, cuius pericarpium quale sit, nondum nobis constat. Saporem habet subacrem, aliquantulùm tenuem & aromaticum.

Moschata mascula.

An Galeno Chrysobalanos, cuius meminit lib. de comp. med. s. loc. 8. cap. 3. in duobus pharmacis Asclepiadis stomachicis: vbi ait Chrysobalanon esse ex discutientibus & corroborantibus. Item lib. 9. cap. 4 in medicam. Asclepiadis ad Coli affectus præscribitur Chrysobalanos.

Chrysobalanus.

Glans muscata, Bapt. Fierę in carnibus cœnæ.

Glans muscata.

Nux quam pigmentarii Moscatam appellant, Platinæ de honesta volupt. Myristica Nux Scalig. Cornar. in Gal. lib. 5. de comp. med. cap. 1. Quæ hodie Nux muscata seu Muschata vocatur, non alterius

Nux muscata.

(inquit)

[inquit] generis quàm Myrobalanorum Græcorum censendam puto, & fortassis ea est, quæ Chrysobalanos eidem Gal. lib. 8. citati operis appellatur. Neque enim credere sustineo Veteribus ignotam fuisse, in tanta hodie frequentia. Nam quæ ab Arabibus Medicis ei adscribuntur vires, magna ex parte Diosc. βαλάνῳ μυρεψικῇ tribuit: verùm est hæc in suo genere magis aromatica, & stomacho commoda, tum corroborans ac concoctionem iuuans, quod Dioscor. de Balano Myrepsica negasse videtur: κακοστόμαχος ὅτι ἱκανῶς, inquit. Ad olei certè ex ea expressionem reliquis generibus etiam accommodatior videtur. Succum autem ex Balano Myrepsica expressum, olei vicem in vnguentis pretiosis præbuisse Diosc. lib. 4. testatur, & cùm in aliis, tum in Amaracino ac Cinamomino vnguento lib. 1. meminit, idem, velut Plin. quoque facit oleum Balaninum sæpè appellans. Nobis tamen hac parte in hac rerum obscuritate quicquam adseuerantius adstruere. *Hac Cornar.*

Chrysobalanus. Cornar. putat Veteribus incognitam Nucem mosch.

At Matthiol. Hodie, infit, ignorata videtur quæ χρυσοβάλανος Græcis vocatur, digerens & roborans Indicæ Nardi modo, ad Colicos affectus, ventriculi ardores & singultus à Gal. Asclepiadis authoritate commendata. Non desunt è Recentioribus, qui sibi persuadeant Chrysobalanum esse Nucem myristicam: cùm tamen plura sint, quæ eorum destruant sententiam, nempe cinereus color, acutus ori sapor, & quod Myristicæ nucis nusquam meminerint Veteres Græci. Nullam huiusce, quod legerim, mentionem fecit Gal. in libris simplicium medicamentorum: id quod argumento esse potest, Gal. ipsum non habuisse compertum, quid esset Chrysobalanus. Verùm Matth. rationes nobis non satisfaciunt. Primò quidem certum est, nostram Nucem aromaticam esse cineritio colore: interea tamen nullus (quod equidem sciamus) meminit coloris Chrysobalani, nisi ab etymologia nominis sumatur. Verùm quid si non à colore, sed à præstantia aurea Balanus dicatur? Vel quid si propter Macin aurea dicatur, quo fortè obducta visa fuerit ab Asclepiade? Secundò, quid impedit acutus ori sapor, cùm dicat Gal. esse ex discutientibus. Tertiò, quod Veteres nusquàm Myristicæ nucis meminerint, nihil ad rem, nam etsi hoc nomine non meminerunt, non sequitur tamen non potuisse meminisse sub nomine Chrysobalani. Quartò, cuius quæso momenti hoc argumentum. Galenum de simpl. non meminisse Chrysobalani, propterea Galenum non habuisse compertum quid esset. Quin potiùs Galenum existimamus sciuisse quid esset, cùm dicat esse ex discutientibus & corroborantibus, quæ sanè in nuce nostra aromatica reperiuntur, & ad eadem nos nostra vtamur, ad quæ Asclepiades sua Chrysobalano vtebatur, vt videre est ex facultatibus Nuci moschatæ attributis. Ita nolimus adhuc Cornarii opinionem reiicere, existimantis Asclepiadi, Galeno, & Prisco adeò illi æuo cognitam fuisse Nucem nostram aromaticam, donec firmiora argumenta audiamus. Nec tamen eius sumus opinionis, Nucem moschatam eandem cum Balano Myrepsica Dioscoridis. Matthiolum quoque lapsum in Myristica nuce Guilandinus ait: quódque Antiquis incompertam dicit non probat. Quid enim? [inquit] An eam Theophr. Comacum & Plinio Cinnamum Caryopon appellari euertet?

Chrysobalanus.

An Chrysobalanus sit Nux Myrist.

Matth. refut.

Aurea Balanus.

Matth. error.

Comacum. Cinnamũ. Caryopon.

Sed audiamus ipsum Matth. de Myristica nuce scribentem. Sic autem tradit apud Diosc. Myristicæ nuces, quæ vulgò offic. ob odoris præstantiam Muscatæ quasi Moschatæ dicuntur: Hæ post foliorum germinationem florem statim emittunt, quem Macim Arabes vocant: panditur is sylvestrium Rosarum modo: & vbi maturitatem senserit, expansus eam circumplectitur. Suo Maci tanquam rete comprehensæ Venetiis in Officinis visuntur, duro putamine conclusæ.

Vnde Moschata dicta.

Idem in post. com. Lat. & Ital. cum magnis figuris, mutata icone scribit: vt referunt ii, qui Indica littora perlustrarunt, has proferunt arbores quædam nostratibus Persicis haud absimiles, angustioribus tamen foliis ac breuioribus. Fructus nostratibus Nucibus adhuc in arbore existentibus persimiles sunt. Siquidem primo crasso ac viridi cortice conteguntur, cui deinde subest Nux ipsa, duro satis putamine occlusa, nostrate tamen tenuiore, quo fracto Macis apparet, rubicundus, reticulæ instar nucleum circumuestiens: id quod palàm faciunt Myristicæ nuces, quæ saccharo, aut siliquarum melle adseruatæ, integræ ex India ad nos conuehuntur.

Fructus nucibus nostr. similes.

Cæterùm miramur quid cogitarit Matth. quòd scripserit olim, atque adeò vnquam scribere ausus sit, Macim esse florem Nucis moschatæ, vt etiam ex sua phantasia pinxit, & postea dicere, comprehendere tanquam rete, quod pictura etiam exprimit. Miraculosa profectò metamorphosis, nuper floris arboris, iam in fructus corticem transfigurati, atque adeò maior, quàm si Rosa Hierichontis macerata se aperiat atque pandat die natalitio, Saluatori Christo dicato, vel parturientibus mulieribus. Sed quid opus diu verbis ludere. Macim arboris florem esse, eius cerebelli figmentum est vnum ex innumeris aliis, atque adeò veteratoriè ab eo factum, quòd figuram ex sua descriptione imaginaria, [quod quidem attinet ad florem] pingendam curare fuerit ausus. Si Nuces moschatas, quales in India integræ condiuntur & in Europam importantur vidisset, aut diligenter considerasset, animaduertisset præter durum putamen & Macim reticulatam, aliud esse externum, crassum & carneum nucamentum, seu putamen, seu callosum carnosúmve corpus liceat appellare, quale ferè in Iuglande, Amygdalis, Persicis immaturis & similibus.

Matth. not.

Dum verò in post. com. Lat. & Ital. priorem errorem emendare satagit, alio nouo & crassiore ingeminat. Nouam quippe figuram atque descriptionem excogitans, corticem appingit crassiorem, quem fatetur adesse, vt in Iuglandibus: verùm Macim esse tradit sub cortice duriore, immediatè supra ipsam Nucem moschatam vulgò dictam, idque apparere ait in Nucibus conditis ex India allatis, quod falsum: perinde sanè, ac si nos luscos existimasset. Proinde ex eo quoque constat, posteriorem figuram ab eo fuisse effictam: nec probè sibi visam aut cognitam œconomiam partium Nucis moschatæ.

Alter Matth. error.

In Hist. Germ. alium situm Macis meritò tradit: verùmquid sibi volunt in descriptione hæc verba linde holzrinde / id est, cortex lignosus mollis. In epitome quoque bene ab eo factum, quòd situm Macis aliter, & ex ipsa adeò natura, non suo ingenio declararit, nihilominus tamen in postrema, & reformata eius editione Macis dicitur flos: vt ipso adeò Matth. rediuiuo sed meliùs edocto opus esse videatur, qui repetitam suam Cramben recoquat, atque adeò digerat, quàm hactenus factum, meliùs.

Camer. apud Matthiol. in hist. Germ. & Epitome reiecit iconem Matthiol. subrogata alia.

Nec impunè nobis abeat Tabern. qui pro nu-

Taber. not.

ce moschata deterius etiam figmentum exhibet, quod vna icone duas falsas Matthioli complectitur: qua postea icone de nouo nouissimam Matthiol. editionem mactauit eius patronus: digno mehercule patellâ operculo.

Hist. Lugd. not. Hist. quoque Lugd. Consarcinator censura dignus qui assumpta Matthiol. descriptione ac figura falsa, securè & oscitanter prætérit, non animaduerso vtriusque næuo: quod tamen ei facilè fuisset, quippe qui ad manus habuerit libros Arom. Garciæ, quem citat in margine.

Alter hist. error. Eadem Hist. aliam præterea nouam, sed falsam quoque iconem ex Acosta ostendat.

Munsterus not. Faciliùs excusabimus Munsterum, qui vitiosam descriptionem atque figuram in sua Cosmogra. exhibet quem scimus in alieno foro hac in parte versatum: hoc tamen docet, in Insula Sumatra nasci eas.

Euch. Roslin not. Falsam quoque iconem in suo Herbar. habet Euch. Röslin.

Curtius not. Curtius vno eodemque loco Macim bis describit, nec videtur eius extimum putamen carnosum cognouisse.

Lacuna not. Lacuna ex iis quoque est, qui tum Nucem moschatam tum Macim antiquis Græcis incognitam putant. Is quoque iconem falsam habet; diuersam à Matthioli icone: in eo tamen cum eius priore consentientem quòd externum crassum putamen non habeat, licet ipse scribat, deferri in Lusitaniam siue Portugalliam conditam magnitudine Persici siue Melocotonis, in eius medio tenuem esse corticem, vulgò Macis dictum, retis modo inuoluentem testam duram: mox tamen sui oblitus, contrarium dicit. Macim esse florem Nucis moschatæ.

Lonicer. reprehen. Lonicerus eandem cum Lacunæ fictitiam iconem habet, & præterea perperàm scribit Macim & Macerem corticem ambire Nucem Muscatam, quasi esset flos eius. Neque idem Macis & Macer, vti patebit postea.

Dolendum Cronemb. ita vanum & fabulosum vt cum aliis de peregrinis scribat à se nos visis: Cudit enim hic suam descriptionem ex falsâ icone Matthioli, vel alius alicuius. Si is vidisset Nuces in arbore prouenientes, vel eas, quæ ex India cōditæ adferūtur, aliter descripsisset. Est enim supra Macim crassus cortex vel potiùs caro, & in Iuglandibus & Persicis, nec floret Rosæ instar, vti dictum.

Nux Myristica. Nec sapit Amato Nucem Moschatam Myristicam appellari, ciúsque nomine Hermolaum & Manardum, aliósque doctores taxat, quasi minùs benè ita ab ipsis vocaretur, quòd illud nomen Glandi Vnguentariæ ex directo respondeat, quā Græci βάλανον μυρεψικὴν sua voce appellant. Et sanè si rem suo pede metiri velimus, minùs propriè ita vocari comperiemus, quòd ea vox sit æquiuoca, & vtrique vnguenti significatu atque respectu competat.

Non propriè dici Nucem Myristicā.

Sed quid Costa de ea, Indiarum ille explorator? nimirū Piro similem facit hanc Nucem, paulò rotundiorem, externum operimentum carnosum, & durum aliquantulùm, à Bandæ incolis ferè neglectum, nisi viridi cum sale & aceto vescerentur, quoniam grati & adstringentis gustus sit. Verùm eius iconem falsam esse, vel ad libitum factam, vel ex eo apparet, quòd ramum pingit cum Nuce aromatica Maci tantùm obducta, sine extimo putamine, quâ formâ vtique ramo non adhæret.

Corticis sapor.

Cronembur. lib. 1. de Comp. med. Cornarium falli scribit, existimantem Chrysobalanon esse Galeni, vt ex colore & sapore vulgaris Nucis moschatæ demonstrari queat. Sed cur non refutat eundem.

Garcias quoque vult Nucem moschatam cum suo Maci veteribus Græcis incognitam. Eos qui nostram Myristicam nucem Myristicam nucem Chrysobalanum Galeni esse volunt satis conuinci cùm forma, tum colore & temperamento. Sed si formam Chrysobalani tam bene nouit, cur eam non docet: cæteris rationibus responsum priùs, dum nobis res esset cum Matthiol.

Dod. Nucis moschatæ descriptionem paucissimis comprehendit. Primùm, inquit, habet corticem viridem crassum: deinde pelliculam quæ Macis supra putamen lignosum, in quo Nux. *Nucis mosch. partes.*

Affinem fronde & fructu Persico, esse arborem Nucis Myristicæ, quam frequentem habent insulæ orientis è Moluscis, vnà referebant, (vt tradūt Pen. & Lob.) qui attulerunt easdem Nuces decerptas suis manibus amici, & triplici cortice protectas, quales conditæ prostant in offic. & posse nostro cœlo assuescere negabant.

Iam Cæsalpinus, qui diuersas descriptiones opinionésque nouas habet, audiatur. Nux muscata ex Insulis vltra Gangem aduehitur, maior Auellana, minor Iuglande, rotunda: adfertur autem purgata à suis putaminibus: aliquæ tamen visæ cum suis corticibus, vtpote immaturæ, quarum exterior tunica dissecta magis quàm Auellanarum calyx, colore russo, aromatica, totam Nucem circumplectens: sub ea cortex osseus continetur. Tradunt eius arborem Persico Malo similem: foliis paulò angustioribus: in incultis nasci, fructum ante maturitatem circumdare instar florentis Rosæ, quę postea perfectam Nucem complectatur vndique. Incolas verò eius loci, quamprimùm huiuscemodi complexū viderint, certatim colligere. Alii distinctiùs referunt, arborem specie & folio Nuci Iuglandi similem: fructum completum magnitudine Mali Cotonei, externo cortice viridi & crasso, vt in Iuglande, qui Sacchаro conditus gratus est gustui, & aromaticus. Sub hoc membranam tenuem contineri, quæ Macim [fortè leg. Nucem] circundat rubicundum & implicatum circa duriorem corticem: intra hunc postremum Nucem muscatam contineri. Eius mentio reperitur apud quosdam ex Græcis recentioribus, *Moscocaryon*, & Myristicam vocantes. Fortè Aetius eandem intellexit sub nomine Nucis Indicæ, quod recipit in suffimento muscato. Arabes optimè nouerunt in medicinis expetentes & medullam internam & externum corticem tenuem, quem Macim vocant: nam medius qui osseus est, inutilis iudicatur. Si diuinare liceat in re adeò ipsis Autoribus incomperta, quid obstabit si dicamus extimum Nucis muscatæ corticem apud Dioscor. vocatum fuisse *Narcaphthum* inter suffimēta odorata quod ex India corticosum aduehitur. Alterum autem eiusdem corticem crassiorem esse Macerem, qui ob substantię crassitiem acerbus sit, & minimum quid redolens: ideo inutilis iudicatur, Serapioni. Quasi putamine tantùm iis temporibus afferrentur, Nuce in patria remanente: ea tamen vt pretiosa & valdè peregrina exosculabatur antiquitas. *Hactenus Cæsalp.*

Prior descriptio. *Iuglandis folio.* *Nux Indica Aet. Cæsalp. coniectura.* *Narcaphthum.* *Macer*

Cæterùm fabulosam esse historiam priorem Cæsalp. de tunicis & flore satis supérque demonstratum. Nam quando dicit, exteriorem tunicā totam Nucem circumplecti: circumnasci florentis Rosæ instar: postea cōplecti vndiq; falsa sunt hæc omnia. Vt mirum sit tam magnū Botanicum atque Philosophum, etiam post alios Scriptores incon-

Multi Cæsalpini errores aeteguntur.

inconsultiùs commentatum de re, quæ diligentem considerationem optimè merebatur. Sed, inquies, ex aliorum relatione ista magna ex parte tradidit. Sed, inquam, eius fuerat, in tanto loco, & tam famosa Italiæ regione constitutum aliorum errores taxare, eos præsertim, qui iam ante ipsum fuerant detecti. Censuram & considerationem etiam merentur ista, quando dicit, visas cum suis corticibus immaturas esse: folia Iuglandi similia, nec addens Authorem, qui viderit: medium verò corticem osseum esse. Qualia sint folia, Persicine, an Iuglandis, fatemur nobis nondum planè constare. Corticem extimum non esse *Narcaphthum*, satis demonstrant ea, quæ de eo dicit Acosta, nempe ferè neglectum corticem Nucis moscatæ: neque Garcias neque Acosta aromaticam vim ei tribuit, vt fecit Cæsalp. Cortex ille alter siue putamen nihil habet, quod respondeat iis quæ Diosc. & Gal. de Macere scripsêre. De Maci & Macere subsequentibus agemus capitibus: De Narcaphtho, suo loco.

Corticem extimum non esse Narcaphthum Diosc. Alterum corticem nō esse Macer. Diosc.

Nux moscata mas.

De Nuce moscata mascula dicta, vel maiore, quædam peculiaria habet C. Bauh. eam esse gustu adstringente, odore ferè nullo, cariosam magis, minùs oleosam, affectibus ventriculi & capitis commodiorem. Verùm Nucem masculam hactenus non obseruauimus differre à vulgari adstrictione, odore, carie & oleositate: nec etiam viribus: ex vetustate aliqua possit oriri varietas a vulgatis, præter magnitudinem & figuram quam habet: nam quia rariores, diutiùs adseruari solent, vnde fit vt exolescant. Deinde si odore ferè nullo sint, & cariosæ magis, non videmus quomodo ad prædictos affectus possint esse commodiores. Verum quidem est, Rondeletium olim pro roborando ventriculo prætulisse eas Nuces, in quibus minùs sit oleositatis, sicciores & magis exuccas. Mihi sanè Bauhino, quæ multo oleo refertæ, ructus mouent.

C. Bauh. In quibus à vulg. differat mas.

Synonyma linguar.

Nux moschata, κάρυον μυρεψικόν Const. in Lex. quo authore, ipse viderit: nisi quia fortè eandem vocis vim existimaret quæ [illegible], Arab. *Iausi-baud*, vt quidam scribunt, id est, nux Bausensis, & *Seigar*: Germ. Muscat nuss. Belg. Note moscaet. Gal. *Noix muscade*, ou *muguette*. Ital. *Noce moscade*. Hisp. *Nuez de especia, mozquada*. Bohem. Kulki Mussfatowe. Persis arbor *Druch*. Turcis *Agache*. Vngar. Zerecsen dic.

Locus.

Nascitur Myristicæ nucis arbor in insula Banda. Inueniri etiam tradunt in Moluccis, sed non est fructifera, quemadmodum nec ea quæ in Zeilan prouenit. Garcias. Acosta tradit in Molucis humiles esse, & fructu pusillo nasci. In insula maris Indici, Banda dicta, abundant in syluis spontaneæ, vt scribit Lud. Romanus. Nux moscata mas ex India quoque ad nos importatur, non tamen copiosè, vt reliquæ, sed rarò, inter reliqua aromata, præsertim inter moscatas vulgatas.

Vsus, & vires Temperamentum. Lentigo. Visus.

Nux moscata, vt scribit Auic. calida & sicca est in fine secundi vsque ad tertium: stiptica est: confert lentiginibus & odorem oris bonum facit: confert panniculæ & visum acuit: corroborat hepar, splenem ventriculumque, maximè verò eius officium constringit, pronocat, & confert difficultati vrinæ, & cum in oleis ponitur, confert doloribus, & similiter in pessariis, & prohibet vomitum.

Difficultas Vrinæ. Dolor Vomitus.

Serapio scribit: nucem moscatam Aben Mesuaio esse naturæ Garyophyllorum, calidam & siccam in tertio gradu.

Stomachus. Hepar.

Ventrem & stomachum & iecur firmare tradit Ætius, cibi coctionem iuuare: longis iocinoris valetudinibus opitulari, sed pulmonibus officere. Singultum tollunt tostæ, aut ad ignem desiccatæ: fluxum ventris sanant, maximè si in vino rubro sumantur. Matrici vtiles sunt, renibus & vesicæ: ad difficultatem vrinæ, quæ à frigida causa prouenit, & aliis multis morbis, tam virorum quàm mulierum.

Singultus. Fluxus ventr.

Difficultas Vrinæ.

Calculum frangunt & pellunt, maximè si maceratæ fuerint in oleo Amygd. dulcium, authore Dod. Verùm tam calculum frangere credimus, quàm cætera quæ dicuntur id præstare sine vlla certa ratione aut firma experientia. Cordus annotat, Venetas muliercuIas Nucem moscatam masculam contra difficiles partus assumere. Plerisque existimatur nux moscata caput confortare præ aliis medicinis, id quod & Placot. testatur in lib. de tuenda bona valetudine. Immaturam, atque adeò integram nucem sacchato condiunt Lusitani: nam præter odoris suauitatem & saporis gratiam, propter quæ expetitur, Indici Medici & Brachmanes multùm illa vtuntur, in omnibus frigidis cerebri morbis, Paralysi, & aliis neruorum atque vteri affectibus. Maioris verò æstimationis sunt apud illos grandiores Nuces, quàm apud nostrates, teste Acosta.

Dod. not.

Ad diffic. partum.

Condita sacchato.

Paralysis.

Conditæ descriptio.

De iisdem conditis sic Amatus: Est Pomum quod non diu ex India ad nos sacchato confectum deferri cœpit, magnitudine qua Pomum Persicum, rotundum, obscuris quibusdam lineis interfectum, nam color illi Persici quoque inesse videtur. Huius autem Pomi caro suauissima & gustui gratissima est, & cordialis: & ea de causa eius libra quatuor venditur aureis ducatis.

Aestimatio

Nucis myristicæ dimidium, teste Cam. ex vino haustum, facit ad citam respirationem. Longè rectiùs ad diuturnitatem conditantur vina, vna aut altera nuce myristica in doliolum iniecta, quàm impuro sulphure.

Cita respiratio. Doliorum correctio.

E recentibus priùs contusis & in cacabo calefactis prælo exprimitur oleum seu liquor oleagineus, qui refrigeratus Ceræ nouæ instar concrescit, saturè flauum, fragrantissimum spirans odorem, frigidis morbis, potissimùm neruorum articulorúmque diuturnis doloribus à frigore excitatis vtilissimum, quin & Venereis inunctionibus maximè expetitur, vt tradit Matth. Datur ex calido iusculo aduersus dolores Colicos, tormina, & cruciatus nephriticos.

Oleum expressum.

Dolor.

Colica Nephritis.

Ex iisdem quoque, sicut ex aliis aromatibus, destillatur oleum, Gummi arboris, quæ nucem myristicam fert, vti refert Camer. nonnunquam inter alia aromata à Lusitanis in Italiam importata, reperitur, eximiè fragranti odore præditum, si accendatur; pulchrè autem rubet, cuiusmodi se portiunculam habere testatur.

Oleum destillatum. Gummi.

Cl. Medicus Bapt. Montanus scribit sæpiùs se huius præclaras expertum esse vires in imbecillitate membrorum corrigenda, potissimùm verò articulorum, & podagra. Myristicum oleum vnguinosum, [ex sententia Lob. lib. de Balsamo] laxando & inquinando nec quicquam vulneribus glutinandis Balsamo simile habet, nec stomachi vires colligendo idoneum est. Quamobrem Rondeletius in cordis & ventriculi corroborantibus medicamentis immaturas, siccas, leues, austeras, aliquantulùm cariosas, adstringentes nuces moschatas ponderosis, maturis, vnguinosis præferebat, coquis, culinariis blandimentis committens pingues aut præpingues. In Anglia vocatus ad generosam matronam prægnantem, quæ cum summo desiderio auidè duodecim nuces moschatas tanquam panem commanducasset, in-

Imbecillitas membror. Podagra.

Ventriculus.

Delirium ab esu nucum mosch.

incidit in delirium, vel potiùs ebrietatem, sed post imperatam quietem & somnum copiosum, repellentibus capiti admotis conualuit.

Idē Lob. Masculas ad affectus vētriculi & capitis commodiores & aptiores ait: de qua re paulò ante vires iudicium nostrum diximus. Præferri tamen posset, iis rationibus, quas modò ex Rondel. attulimus: quia mares ferè vetustiores esse consueuerunt in nostris officinis, si modò habeantur.

Experimētum aduersus Colicam à flatibus ex aqua frigida. In mea iuuentute, quum ego I. Bauhin. pedes Florentia redirem, & in Apenninis montibus frigidam auidiùs bibissem, subitò incidi in insignes ventris dolores, flatibus in scroto vexantibus, accedente tumore, sine tamen vlla hernia præcedēte aut subsequente. Cùm existimarem me in monte præ doloribus periturum, itineris socius, insignis nunc medicus Ill.mi Principis, Ducis Wirt. &c: Osualdus Gabelkouer amicè obtulit Nuces moschatas, quas secum habebat. Deuoratis 4. subitò per D.G. & hoc remedio liberatus fui à doloribus, atque iter perfeci sospes & incolumis: quod perpetuæ gratitudinis ergò, & in gratiam aliorum qui in idem periculum incidere possent, hic à nobis referri par fuit.

Adulteriū olei. Sciendum denique Antuerpiâ, & ex aliis locis adferri ab institoribus oleum Nucis moschatæ, quod interdum adulteratum. Adulterari potest addita cera. *Vt deprehendas fucum.* Fucus deprehenditur à pentis masticatione, qua cera se dentibus prodit, & gustu languidiore minùsque acri. Odor enim etiam adulterati, vix remittit, vt dignosci eo solo queat. Prestat itaque vti recenter expresso, quale nos parari curamus in vsus quotidianos.

DE MACI ARABVM, SEV CORTICE AROMATICO NVCIS moschatæ.

PLacet de Maci seorsim agere, tum ob nobilitatem vtilitatémque eius priuatam: tum ne mixta tractatio Lectori pariat confusionem: quamuis in præcedentibus iam satis constet, quid sit Macis. *Bisbese.* De eo autem sic scribit Serapio. *Bisbese*, id est Macis. *Delectus.* Isaac Eben, *Auram* est cortex Nucis moscatæ, qui est supra crassum corticem alium. Præfertur qui sit coloris fusci: deterior est niger. Crassioris corticis nulla vtilitas, sed fructus, qui in Oriente vocatur Adaches. Macim dicunt aliqui esse corticem, qui non ex Græcorū regionibus apportatur. Color eius est flauus, estque naturę crassæ & admodum stipticæ. *Talisfar.* Galen: Talisfar est cortex qui defertur ex India. Hæc Serap. qui saltem in eo laudandus quòd nihil tradat temerè ex se, nec confundat Macim cum Macere. Quod scribit. *Serapio illustratur.* Dicunt aliqui quod Macis &c: (sic enim in impressis legitur) & quæ subiungit de Talisfar Gal. & de Machir Dioscor. ad Macim non pertinent, sed ad Macer. Recitat enim quæ Dioscor. & Gal. scripserunt de Macere.

Macis, inquit Auic. est simile quiddam foliis geminis duplicatis seu inuolutis siccis, vergens ad rubedinem & citrinum colorem, sicut cortex, & lignum & folia, mordicans linguam, sicut Cubebe. Filius Mesuæ testatur esse corticem Nucis moscatæ. Auicennam verò confundere Maceris vires cum viribus Macis, patebit postea ex viribus Maci attributis.

Auic. not. Macer & Xylomacer. Hermolaus scribit: Macis Græcè μάκερ & ξυλομάκερ, cortex est rubens radicis magnæ: Recentiores Macis non radicis, sed Nucis odoratæ corticē ac folliculum esse affirmant, idque verò propius est, & planè ita modò cernitur. Fallitur in eo Hermol. quod dicit Macis, Græcis μάκερ &c: non enim idem sunt Macis Arabum, & μάκερ Græcorum, quē tamen errorem non animaduertisse Marcellum, (acris alioqui censor Hermolai) ex eius verbis apud Dioscor. lib. 1. cap. 100. patet. Ruell. Cornar. Cordus, Bacchanel. Had. Iun. Manar. Brunfelſ. Brassauola, aliique viri alioqui doctissimi, secuti sunt. Sic enim Ruell. De primo cortice quasi nucamento Nucem moschatam inuoluente, non cōuenit inter autores antiquos & recentiores. Namque Mauritanæ factionis principes Macis nomine intelligunt. Macer cortex est rubens arboris magnæ. Recentiores non arboris, sed odoratæ Nucis corticem esse contendunt: nobis verò litē hanc dirimere non licet. Item alibi: *Macis*, vt alii *Macer*, offic. *Macir*, Plin. Dioscor. Galeno cortex est arboris. Recentioribus odoratę Nucis, idque verò propius. *Ruell. not.* Iniuriam facit Ruell. citatis autoribus, quibus non Macis, sed Macer, cortex est arboris.

Cornar. not. Nihil meliùs Cornar. Macis inquit, Dioscoridis profectò etiam hodie tum culinis tum Offic. notissima res est: sed non arboris corticem ipsi vidimus, sed Nucis odoratæ. Vulgus tamen nostrū, Muscatenbluet/ velut Nucis moscatæ florem appellat. Quare non ambigendum esse putat Corn. Macis appellatum officinis & barbaris idem esse enim Macere Græcorum & Plinii. Sed fallitur: sunt enim diuersa.

Cordus not. Miramur verò Cordum diligentissimum & naturæ peritissimum in hanc sententiam descendere ausum vt scriberet, conuenire inter omnes propemodum doctos, Macer, corticosum illud aroma esse, à pharmacopolis Macis appellatum, ipsis Arabibus etiam id testantibus: qui in descriptione sui Macis Dioscor. caput de Macerę allegant.

Nemo autem miretur cur Dioscor. suum Macer arboribus misceat, cùm potiùs inter aromata de eo agere debuerit. Venia dignus est in hac Dioscor. cuius ætate res noua, nec penitùs cognita fuit, Credebant tamen arboris corticem esse quapropter ab eo inter arbores recensetur. Nostra verò ętate quid reuera sit cognoscere incepimus. Nam Arabes clarè scribunt corticem esse Nucis moscatæ. Item alibi: Macis seu vt Veteres vocāt, Macer, nequaquam exterior vt hactenus nobis traditum est, sed medius Nucis moscatæ cortex. Videsą ab eo manifestè confundi, cùm tamen quid reuera sit, se scire sibi planè persuadeat. *Erroris Cordi aliorumque caussa.* Sciuit nimirum quid esset Macis: non quid Macer. Ipse verò potiùs venia dignus, [non Dioscor.] qui Arabum scriptis, maximè Auic. deceptus, vnum & idem esse putauit, eaque propter de Dioscor. & Gręcorum Macere non diligentiùs perquisiuit.

Ita Bacchanellus quoque idem peccatum committit in suis consiliis.

At audaciùs etiam Amatus: non approbo, infit, illorum iudicium, qui Macerem à Maci Offic. diuersum esse statuunt, qum reuera Antiquorum Macer, Macis nostra sit. (Si diis placet.)

Monachi quoque in Mesuen. lata incedentes via: Macis, inquiunt, cortex Nucis Myristicæ: apud Diosc. autē, Gal. Paul. & Pli. Macer, seu Macis, seu Macher vocatur, vt patet ex Serap. & Auic. *Talisfar.* Arabicè etiam Talisafar, vt in Auic. & in Synonymis Rhasis, legimus Macin vocari.

Auicen. can. duo capitula habet de Mace: vnum nomine Macis, in quo Andreas Bellun. multa correxit: [fortè etiam corrupit] & alterum sub titulo

Goo

tulo Talisfar siue Talisafar; vnde probatur quòd ipse Auic. sub vario nomine varia intellexerit simplicia, cùm idem sit Macis & Talisafar.

Mundella not. Aloisius Mundella, in annot. in examen Brasfauolæ præ aliis sapere sibi videtur, quando inquiet Macer non est radicis cortex, quemadmodum hactenus videre potui, sed cortex tantùm simpliciter, non radicis, aut alterius rei vt Hermol. voluisse videtur: verba enim illa Galeni, quæ citat, Galeni non sunt, sed Plinii esse omnibus manifestum est. Sed sapiendo facit Mundella, vt nihil sapiat: nam quid sibi vult, non est cortex radicis aut alterius rei, sed cortex tantùm simpliciter. Cortex sanè (si sit) esse non potest, quin sit, vel fuerit alicuius rei cortex, φλοιὸς, κέλυφος, est enim nostro quidem iudicio de genere πρός τι: haud secus ac indumentum, integumentū, vel consimilis aliqua vox, quę respectū habeat.

Hermol. excusatur. Quando verò Hermol. dicit, (vt Gal. inquit) intelligit de his verbis. [gustu acerbo, & cum quadam acrimonia, &c.] quæ ex Galeno sunt.

Gal. excusatur. Ausimus & addere, non solùm Plin. dixisse esse corticem arboris, verùm etiam Galenum, quamuis fortè in Gal. excusari possit (si concedamus nostrum Macim esse Macerem Veterum, quod tamen non concedimus) quòd dixerit arboris, non radicis arboris, vt Plin. quandoquidem Macis supra Nucem moscatam prouenit, quæ fructus arboris est, potest dici quodammodo cortex arboris. Nam siquidem fructus sit arboris, & cortex fructus: cortex vtique arboris quoque fuerit: vel iuxta illud Mathem. quæ vni tertio &c. Hac igitur in parte non errauit Hermol. sed potiùs Cordus, qui putauit Macerem Diosc. esse Macim, & ideò Diosc. redarguit, quòd Macerem inter arbores reposuerit. *Cordus not.* Consulamus acutissimum Scalig. sic tradentem. Si noster Macis non sit Antiquorum Machir, facit suspicionem, Machir interiisse: si non interiit, nominis affinitatem multùm valere ad persuadendum hoc illud esse, & illud hoc. Argumenta verò si verum statuunt, Myristice nucis corium Veteribus ignoratum, fateri necesse est: quod tamen ipsa nuce longè est nobilius, ac fortasse omnium aromatum obtinet facilè principatum. Ex Arabum lectione, Macis aliud, aliud Machir. *Macis præstantia.* Macis ab Auic. pingitur luculentè. Machir verò est, quod vocat idem Talisafar. Vides quanta cautela sua prodat Scaliger? vt si vel peccare videatur, vix tamen inuenias in eo quod reprehendas.

Macis non est Macer. Apertiùs doctiss. Sylvius: *Macis & Macer* res planè diuersæ, quod ex Plin. apertè patet. Macer hodie incognitum: tamen pro Nicol. Macis Actuar. μάκις reponit. Macis Arabum membrana est extima, nucem moscatam propè totam vestiens. Propè totam ait, non enim omninò extima est, sed intra eam latitat, & conuexo interiori incumbit.

Sic Matth. quoque Offic. inquit Macis, quo Myristicæ nuces prætextus instar conteguntur, à Diosc. Macere multùm differt. Differentiam non ignorauit Serapio. (idem & Hist. Lugdun. dicit), Quod cùm compertum haberet Auic. de vtroque seorsim tractauit, & Macim ad c.456. relegauit: Macerem cap.694. sub titulo Thalisfar descripsit. Monachi nullam inter Macin & Macerem ponendam differentiam affirmant: nullâ tamen authoritate (quod equidem sciam) aut ratione nituntur.

Item in postrema editione reformata: Hic asserere non dubitauerim Macerem Diosc. & Gal. Myristicæ nucis florem esse nequaquam. Nam si ad eos floris cognitio peruenisset, veri quidem simillimum est, quòd etiam fructus notitiam habuissent. In hac eadem reformata editione, quod vocat florem, paulò antè dicit sub crasso putamine subesse nucem duro satis putamine occlusam, nostra tenuiori Maci circumuestito &c. egregium sanè florem in Pomo latitantem. *Matth. not.*

Curtio quoque Macis aliud à Macere. Et Cronemburgio: qui omnes, qui contrarium dicunt, præter Galeni doctrinam, etiam Arabum testimonio conuincantur.

Et Rob. Const. μάκις Recentioribus Græcis est Macis Arabibus, res planè diuersa à Macere. Est aromaticus cortex ambiens inuolucrum nucis myrepsicæ.

Eadem dicunt atque statuunt apertè Dod. Lacuna, Garcias, Acosta, Hist. Lugd. Musa, & Recentiorum plurimi.

Cæsalp. denique de hac ipsa re sic scribit. Arabes authores optimè nouerunt in medicinis expetentes nucis moscatæ externum corticem tenuem quem Macim vocant: Macis nomen assumptum ex Macere, cuius Diosc. & Gal. & Plin. meminerunt. Nam Serap. ex Diosc. transfert, in corticem nucis moscatę, quæ de Macere scribuntur. Scribit Diosc. de Macere ex Barbaria aduehi, &c. Ex ieiuna Diosc. Plin. & Gal. descriptione significatur incertam illis fuisse historiam, & non esse extimam nucis moscatæ tunicam: repugnat enim eius tenuitas & acredo maior quàm adstrictio. *Hactenus de authorum consensu & dissensu circa Macin.*

Macis, μάκις, quibusdam μάκερ, non tamen Antiquorum, Offic. Macis, ab incolis *Bunapalla*, teste Garcia, qui ait, vocis *Besbabe* Auic. deriuationem se nunquam scire potuisse. Arab. hodie *Besbele & Besbaca.* Macis oleum Arab. *Gensisami*: Persis *Genzi erugaant*: Turcis *Genziat* dici, testatur Acosta. Germ. Muscatbluhe / Muscatblüst: Belg. Maciis/ foelie/ bloem van moscaet. Gal. & It. *Macis.* Hisp. *Macas, Macias, Gingibre moqui.* In Iaua hodie *Maca* vocari, & *Bengua* lingua Malaya: itaque *Macis* nomen esse Indicum. *Synonyma linguar. Bunapalla. Besbabe. Besbele.*

Locus. De loco in præcedentibus quædam attigimus: Et cùm pars nucis moscatæ integrans sit atque essentialis, ibidem prouenire certum, vbi & ipsa. Ex India autem vehitur per Syriam in Asiam superiorem, & inde in Græciam. Item ab eadem India per Assyriam in Aegyptum, atque porrò in Italiam, ad hæc per Oceanum Meridionalem: de iisdem Indiæ partibus in Hispanias, Scaligero teste, & hoc seculo copiosè longa & pertinaci nauigatione ex Indiis, ac ipso ideò interdum solo natali, à nuperis Belgicis nauigatoribus in Germaniam copiosè cum Nucibus moscatis aliisque aromatibus aduehitur.

Tempus durationis. Sunt qui annos decem efficacem seruari posse in nostris regionibus credant, quod Sylvio neutiquam placet, qui vires eius citiùs euanescere magna ex parte existimat.

Delectus. Deligendus autem Macis integer, crassissimus, fuluus seu rubentior, copiosiorem liquorem ex impressa plaga fundens, pinguissimum & ponderosissimum.

Vires & Vsus. Temperā. Tumores. Oris halitus. Sodæ. De viribus Macis sic tradit Auic. Macis Mescha dicit facultate similem Naremesch, subtilioris tamen. Paulus ait esse æqualis temperamenti, non calidum valdè, & esse siccum in secundo gradu. Resoluit tumores in cerato, quamuis habeat adstrictionem quandam. Halitum oris commendat. Ex eo cum oleo Violato fit caputpurgium ad sodam frigidam à flatibus crassis in capite, & ad

ſtrictione non nihil mordicet, breui tamen euaneſcit hæc velut inſenſibilis mordicatio.

Quia dubitamus an Lobel. eundem corticem nobiſcum pro Macere intelligat, exhibemus eius iconem noſtræ eadem tabella iunctam.

Autorum placita. Macer.

Μάκερ Dioſc. cortex eſt è Barbaria aduehi ſolitus, ſubflauus, [*ὑπόξανθον*] craſſus, ſatis [*ἱκανῶς* Ruell. & Sarr. perquàm] adſtringens. Videtur autem Dioſcor. Barbariam Gangetis Indiæ fluuii inſulam innuere, vt annotat Sar.

Gal. Macer cortex eſt, qui ex India conuehitur, guſtu ſatis [*ἱκανῶς*, non multùm, vt quidam vertunt: Cornar. verò qui malè Macim intelligit, multùm calfaciens.] acerbo cum leuicula quadam acrimonia, odorata, iucundum ſanè redolens, vt pleraque aromata ſiue odorata, quæ ex India conuehuntur. Item: *τὸ καλούμενον μάκερ, ὀσμάζεται δ' εὐωδῶς τε καὶ ἀρωματικὸν, ἐκ τῆς Ἰνδίας κομιζόμενον, ἱκανῶς θερμαῖνόν τε καὶ στῦφον.*

Cortex aromaticus.

Paulus & Ætius de hoc ipſo verba facientes, *ἐκ τῆς Ἰνδίας* ſeu *Ἰνδικὸν* aſportari ſolitum commemorant.

Macir.

Sic Plinius. & Macir ex India aduehitur, cortex rubens radicis magnæ, nomine arboris ſuæ. Qualis ſit ea, incompertum habeo.

Taliſfar. Machir.

Serap. Dicunt aliqui Macim eſſe corticem qui adſertur aliundè quàm ex Græciâ, flauum, craſſum & ſtypticum valdè: Galeno Taliſfar: Dioſc. aliter nominat, nempe Machir &c. Idem Serap. eo ipſo capite ſtatim à principio tradit Macim diuerſum admodum eſſe à Macere.

Taliſafar.

Taliſafar, cortex Indicus adſtringens, Auicen. Ex infrà ſcriptis autem viribus ſatis apparere videtur Auic. nomine Taliſaphar intellexiſſe Maceris corticem, quamuis cap. de Maci, vires Maceris cum eo confuderit, vti priùs dictum cap. de Maci.

Auic. not.

Porrò Sole clarius eſt iam Macerem & Macem inter ſe differre, & res planè diuerſas eſſe. Macer enim cortex craſſus eſt: contrà Macis tenuis. Macer perquàm adſtringit: Macis ſapore ſubacris eſt. Macer temperatus: Macis calida: reliqua ex vtriuſque deſcriptione facilè innoteſcũt, quam differentiam non ignorauit Serapio, vt Matth. cenſet. Nam poſtquam tradidiſſet ex authoritate Iſach, Macim eſſe Nucis odoratæ operimentum, dixit ſecus eſſe, de quo loquebatur Dioſc. quippe quòd ſcriptum reliquerit Macerem eſſe ligni corticem ſiue Corium. Quod cùm compertum haberet Auic. de vtroque ſeorſim tractauit.

Præterea maximo eſt argumento, inquit Matthiol. quòd Macis & Macer vtique inter ſe differant, quod Dioſc. Gal. & Paul. de odoratis nucibus, quorum Macis eſt tegmentum, nihil ſcriptis memoriæ reliquerunt: quippe ſi Macer, qui eis conuehebatur, Macis noſter vulgaris extitiſſet, credendum ſanè, quod cum illo quoque aduectæ eſſent Myriſticæ nuces: quarum illi hiſtoriam, & facultatem, cùm ſint & in viribus & in odore admirabiles, nequaquam deſcribere prætermiſiſſent.

Quod Macer longè differat à Maci haud obſcurè ex verbis Gal. colligi poteſt. Namque ipſe guſtu non reperio hoc eſſe adeò acerbum, nec tam leuiuſculæ acrimoniæ, quin potiùs ſi deguſtetur, linguam & fauces admodum vellicat: odorem iucundum perfundit, & leuiuſculum amarorem quadam cum ſiccitate relinquit, reliquáſque ſuprà ſcriptas qualitates poſſidet, quas nemo dixerit Maceri conuenire, cui Gal. eſſentiam frigidam atque terreſtrem magna ex parte, paucam verò calidam tribuit. Matth. ſententiam ſequitur Curtius.

Sed quid multis hic opus verbis? præcedenti capite authores dicti ſunt, qui Macerem à Mace differentem faciunt: nunc hoc agendum vt conſtet potiſſimùm de natura & eſſentia Maceris.

Cortex Xylocaſſiæ facie.

An Lob. & Pen. cortex Xylocaſſiæ facie, idémque vt ipſi coniectantur Dioſcor. & Plin. Macer? Cortex [inquiunt] cuiuſdam arboris ſtipitis imo exemptus, interiori ſui parte valdè ſimilis & concolor xylocaſſiæ, ſed minùs craſſus, ferè inodorus, aut quiddam Iuglandis & Lauri redolens guſtu: perparum coloris glutiniſque mixti adſtrictioni habens: cùm autem Dioſcor. & Gal. adſtringens ſit & calefaciat, arboris cortex hic videtur. Item Hiſt. Belg. Cortex Xylocaſſiæ facie: an Dioſc. & Plin. Macer? Belg. Baſelaer.

Arbor contra fluxũ. Folia cordata. Cortex craſſus. Similis Guaiac. Amarus.

Monar. *Arbore contra il fluſſo*, id eſt, cortex ad alui profluuia: (vt Cluſ. vertit.) Profert (inquit) nouus orbis prægrandem arborem, foliis cordis effigie, nullo fructu. Eius cortex digiti craſſitudine aut amplior, ſolidus, durus, & ponderoſus, tenui candicante pellicula integitur. Similis eſt admodum cortici Gayacan, vti Gentiana amarus, manifeſtè adſtringens, grati tamen ſeu aromatici cuiuſdam odoris particeps.

Cæterùm ne quis fallatur, conſiderent Lectores Monardem tribuere ſuo cortici amaritudinem, cuius alii non meminerunt quantùm nobis quidem conſtat. An fortè ab aliis audita ille ſcribat, vel de cortice diuerſo?

Deſcriptio

Conſiderandum venit, an Cluſ. Exot. l. 4. c. 4 noſtrum Macer intelligat, cùm ſcribit: corticis cuiuſdam pedalis aut ſexdecim vnciarum longitudinis fragmentum Amſtelredami videbam, anno à nato Chriſto 1603. apud D. Stephanum Backerum illius vrbis Medicum, binas vncias aut paulò ampliùs latum, ſatis craſſum; ſubrubentis exteriùs coloris & veluti nodoſum, internè ſubfuſci, & & multis rimis hiantem, adſtringentis ſaporis. Si meam opinionem de hoc cortice liberè proferre licet, plurimùm ad Veterum Macer accedere videtur, tametſi paucas eius notas nobis illi reliquerint, è quibus exactam coniecturam facere poſſimus. Eaſdem tamen facultates, Maceri tribuunt, quibus hunc corticem præditum ferebant ii, à quibus Backerus ſe accipere aiebat. Et qui incolas ad alui profluuia ſedanda frequenter eo vti aſſererent. Idem apud Acoſtam cap. 12. de Macere, procul dubio noſter cortex magnam affinitatem habet cum Macere Acoſtæ.

Macer Veterum.

Macer Græcorum.

Solenand. Macer Græcorum, cortex ille craſſus eſt, qui hoc tempore à Luſit. iterum cognitus cœpit importari. Scribit autem hoc in Conſ. med edit. anno 1583. eodémque opere alibi his verbis. Macer quod ex Luſitania ad nos ante aliquot annos adſerri cœpit.

Arbor Dyſenteriæ. Arbor Sancta. Arbor D. Thomæ. Macruyre. Macre.

Sic Acoſta nomen vulgare huius arboris apud Luſitanos tradit, *Arbore de las Camaras*, & *Arbore Sancto*: hoc eſt, Arbor Dyſenteriæ, & Arbor Sancta: ab indigenis Chriſtianis *Arbore de Sancto Thome*, id eſt, Arbor D. Thomæ, & *Macruyre*: à Medicis Brachmanis *Macre*, apud quos ſummo in pretio eſt arboris cortex. Quidam rhizotomos (addit) cui arborem oſtendi, aiebat ſua lingua dici, *Cura ſantea macrè niſtuſa garul*, hoc eſt, Macre ab Angelis oſtenſum hominibus ad ipſorum ſalutem. Certiſſimum eſſe ait Græcis probè notum fuiſſe Macer, de quo dubitamus, & quod plerique adhuc ignorant: neſciuiſſe autem Macem & nucem moſcatam nobis apprimè nota. Admonuiſſe præterea ſe Medicum quendam Regis Go-

chiri, ne dubitaret, quin hic cortex Auic. Macer esset. Macis & Maceris differentiam Auic. probè fuisse cognitam: quippe qui Macem odoratæ Nucis inuolucrum cap. 456. & Macerem radicis corticem cap. 695. sub titulo Talisfar descripserit. Neque ignotam etiam Serapioni, qui ex auctoritate Isaac, Macim esse Nucis odoratæ operimentum dixit: Macerem esse ligni corticem.

Talisfar.

Hinc patet Monachos suam oscitantiam satis prodere, quando aiunt Macim & Macerem non differre.

Monachor. error.

Hist. Lugd. de ea binis locis tractat: Primo sub titulo, Monardæ Arbor foliis cordis effigie. Secundo sub tit. Macer Acostæ.

Hist Lugd. not.

De Xylomacere nihil habemus, quod dicamus, Solum nomen apud Neotoricos nostros, vt Hermol. Ruell. Curtium &c. inuenimus. Apud Antiquos nihil hactenus. Crediderimus ab eis fictum occasione verborum Plinii superiùs citatorum. Meliora tamen docentes perlibenter audiemus.

Xylomacer.

Macer, teste Cronenburgio ex India conuehitur vt Plin. & Gal. dixerunt, non ex Barbaria vt Diosc. quare rationali coniectura in eo Scriptore suppostitium hoc cap. Marcellus denunciauit sed Matthiol. banc difficultatem explicare conatur hoc modo scribens haud ignorandum est, nec Galeno nec Plinio, quod dixerunt ex India aduehi Macerem Dioscoridem repugnare, qui ex Barbaria adferri dicit: quoniam [vt Ptolomæus est autor] quędam in Indo fluuio insula, vel vrbs sita est, quæ Barbaria dicitur, ex qua facilè comportabatur Macer: vel quod afferretur ex Arabia eo maris sinu, qui à Barbaria insula Barbaricus appellatur: Quandoquidem, [vt inquit Strabo] omnia quæ in India proueniunt, ea scilicet parte, quæ ad Austrum vergit, similiter in Arabia nascuntur. Acosta perhibet, Maceris arborem nasci quibusdam Orientalibus insulis, presertim verò in Prouincia Malabar, in insulis S. Crucis regni Cochin, tum in ripis fluminis Mangate & apud Granganor.

Locus.

Diosc. not.

Macer, autore Dioscor. bibitur ad sputum sanguinis & Dysenterias & alui fluxus. Gal. videtur ex mista constare essentia: pleraque terrena frigida, paucula verò calida, & tenuium partium. Quamobrem desiccat valenter & proinde Cæliacis, & Dysentericis miscetur facultatibus, in tertio exiccantium consistens ordine, in caloris frigorisque differentia neutrum insigniter efficiens. Hæc l. 7. simpl. At in lib. qui ei tribuitur de opt. secta Empir. sic ait: Finge à me Macerem nunquā expertum esse, qui arboris cortex est ab Arabia delatus. Hunc omnes quicunque de medica materia scripserunt aluum constipare affirmant: nunquid illis credendum erit, vel non credendum? ego quidem credendum assero, cùm omnes ita esse conueniant. Talisafar apud Auic. Indicus est cortex, adstringens cum acrimonia, nonnihil odoratus, in quo est substantia terrea plurima & subtilis. Nulla in eo nec caliditas nec frigiditas effatu digna à Gal. memorata. Sunt tamen qui calidum & siccum faciant in secundo gradu. Adstringit & potenter siccat, & resoluit, nam ex mixtis constat substantiis, sed terrea præualet. Confert Diarrhœę, Dysenteriæ, mensibus immodicis hæmorrhoidum nimio fluxui atque tenesmo. Hæc Auic. Verùm quod antè nonuimus, ex viribus Talisafar ab Auic. hic traditis, apparet de Macere hic propriè agi: quem & separat à Maci, licèt male huic quoque illius tribuat vires, vt patet ex cap. præcedenti.

Vires & vsus.
Sputum sang.
Dysenteria.
Temperamentum.
Caliaca.
Alui fluxus.
Temperā.
Diarrhœa.

Paulus catapotia ex Macere ad Dysenteriam admiranda prædicat. Videtur autem ex eo solo parata intelligere, cum aliquo liquore conueniēti, nam nihil preterea addit. Reinerus Comitissæ prescribit ad compescendum fluxum sanguinis vterinum, ac dicit Lusitanos in acido lacte ad Dysenterias vti. Radicis cortice recente, vt tradit Acosta, trito, & cum oxygala seu lacte acido mixto, omnis generis Dysenterias & alui profluuia mirabili successu curant omnes medici cùm Brachmanes tum Canarini & Malabarici. Aliqui huius corticis sicci & in puluerem redacti semunciam per noctem macerant in quatuor vnciis seri lactis, eumque bis in die propinant manè & vesperi, deinde medicamento sumpto, oryzam sine sale & butyro coctam, atque pullos gallinaceos coctos, maceratos & tritos in Oryzę decoctione statim ægro exhibent: interdum si necessitas vrgeat, Opium admiscent, roborandi medicamenti causa.

Catapotia.
ad Dysent.
Ad fluxum mens.
Vtendi modus ad Dysent.

Solent verò etiam Arabes cuiuscunque generis alui profluuia Opio, Nuce moschata admixta curare. Huius item radicis vsus salutaris creditur, ad vomitus compescendos & ventriculum roborandum cum aqua Menthę, & Mastiches puluere.

Ad varia alui profluuia.
Vomitus.

Brachmanes quidam Medicus rogatus de huius corticis, quem Macre vocant, facultatibus, in hæc verba respondit. Si vos Lusitani hunc corticem probè nossetis, multò pluris ipsum faceretis, quàm Piper: sed quoniam isthic in Lusitania eius facultates ignoratis, idcirco contemnitis. Puluis quem in omnis generis alui profluuio ex oxygala propinare soleo, ex hoc cortice de quo percunctaris, conflatus est. Rhizotomus quidam isthic mihi asserebat, istius corticis apud ipsos vsum esse in compescendis vomitibus, aluique profluuiis sistendis, plúsque pollere huius radicis portiunculam, quàm magnam quantitatem Myrobalanorum aut Arecæ, eamque præstantiorem esse Coru Malabarico.

Brachmanis medici sententia de Macere.
Alui fluxus.
Vomitus.

Referebant præterea Macre fructum omnis generis lumbricos in humano corpore natos necare & expellere, & calculum in renibus frangere: tum etiam eos qui singulis diebus manè eo vterentur, liberos fore à calculo & à coli doloribus neq; inebriari posse.

Macre fructus: Lumbricum.
Calculus.
Præseruatio à calculo & colica, & ab ebrietate.

Monardes quoq; scribit suum corticem magna esse apud Indos æstimatione, vt qui eo vtantur aduersus omnis generis alui profluuia, huius pulueris drachmæ pondere, aut paulò ampliùs manè propinantes ex aqua conueniente, aut crasso vino rubro. Ter aut quater id remedium repetitur, obseruatúrque in reliquis victus ratio, quæ huiusmodi morbo necessaria est. Eiusdem corticis fragmento donatus sum antè paucos dies, cuius periculum iam bis feci in alui profluuiis inueteratis magno successu.

NVX AROMATICA FEMINA

CAP. XIII.

Lvbet hîc Nucum Aromaticarum descriptiones ex Clusii exoticis subiicere. Nucis Myristicæ inquit, vulgò appellatæ, quam feminam censent, & quæ apud nos frequenti in vsu, historiā satis perfunctoriè tradidisse mihi videtur Garcias ab Orta cap. de Maci: nec qui hunc per omnia imitatus, Christophorus à Costa c. de Nuce moschata, multò plura attulit. Horum commentaria ante multos annos in Epitomen contrahebam & Latina faciebam, additis etiam in ea scholiis, & interdum

Nux Myristica.

interdum nonnullis figuris certè in scholio ad caput de Maci Garciæ, Nucis integræ per mediū sectæ iconem, eiusdem insuper suo illo crasso operimento liberatæ, vt Macis faciliùs conspici posset, dabam. Quia verò anno 1600. ex insula Banda, in qua sola nasci perhibēt, à Batauis recenter allatas conspiciebam muriâ conditas cum suis tenellis ramulis & foliis, illius descriptionem paulò accuratiorem dare conabar, quæ in hunc primum Exoticorum librum inseratur, & ipsius Nucis integræ cum suo ramulo & foliis expressam figuram adiiciendam existimabam. Referentibus porrò iis qui in Banda insula fuerant, arbor quæ Nucem myristicam fert, magnâ copia istic spontè nascitur, & excelsa est, Pyro haud minor, perpetuò virens, & frequentibus ramis prædita, quos teneriores videlicet & virentes, alternatim, non ex aduerso, sed inæquali serie ambiunt folia, Laurinis prorsus similia, minùs tamen dura, & paulò interdum latiora, siue, vt veriùs comparem, Mali Arantii foliis propiora, ademptis appendicibus, breuique pediculo nitentia, in ambitu non serrata, sed venis quibusdam à medio neruo in latera excurrentibus insignita: fructus satis crassus est, mali Persici magnitudine, orbicularis, nisi supernà parte pediculo proximà aliquantulùm turbinatus esset: breui autem pediculo inter folia ramo non inhæret, vt Matthiolus & plerique alii exhibent, sed ex tenuioribus extremis ramulis oblongiusculo crassiusculóque pediculo subnixus, pendet, singularis vt plurimùm, quemadmodum ab ipsis Indis, quos Hollandi ex Iaua Amstelredamum anno nonagesimo septimo supra millesimum & quingentesimum aduexerant, deinde ab ipsis Hollandis triennio post ex Iaua, vt dixi, reducibus intelligebam, tum ex ipsis nucibus, suis ramulis qui folia adhuc retinebant inhærentibus, muriâ conditis, ab Hollandis eo anno relatis, deprehendebam: interdum tamen binas etiam nuces coniunctim nasci, se obseruasse mihi asserebat Cheirurgus, qui Hollandis in ea profectione comes fuerat. Constat autem is fructus denso operimento, quod veluti sulci cuiusdam, illum in binas æquales partes diuidentis, formà præditum est, eáque etiam parte maturum dehiscit, *Macim* sub ipso latentem & nucis corticem retis instar ambientem ostendens, adeò vt rubentem & elegantem initio, vt admirationem pariat, sed aëri expositus, paulatim illam elegantiam amittit, & flauescentem colorem tandem contrahit. Ex recenti autem oleum extraxerat D. Lambertus Hortensius Medicus dum in Banda erat, rubens admodum, liquidum, & magni ad pleraque vsus, præsertim verò ad roborandum ventriculum.

In Banda insula sola nascitur. Nuces conditæ.

Laurini folia, vel mali Arantij.

Mali Persici magnit.

Matth. not.

Operimenti descriptio.

Macis.

Oleum.

Vis.

Nux myristica montana.

Audio in eius Insulæ montanis illam etiam arborem nasci, sed fructum vix maturitatem consequi: eam ob causam illius nucem negligi, cùm adseruari nequeat, sed breui teredinem sentiat & duntaxat legi, vt Macis adimatur: quæ verò ad nos aduehuntur nuces, earum esse arborum, quæ in planis & cultioribus locis nascuntur.

Macis.

NVX AROMATICA.

Cap. XIV.

QVia nemo hactenus (quod equidem sciam) dicit Clus. eius myristicæ nucis oblongioris, quam marem censent, historiā tradidit (nisi eam designare videtur Christ. à Costa, quum scribit grandiores nuces maioris esse pretii apud incolas, & pluris æstimari quàm apud nos) non inutilem operam me sumpturum arbitratus sum, si eius breuem historiā, qualem videlicet ex ramo sicco sua folia & fructum retinente, donato Cl. V. Petro Pauuio, concinnare potui, hic subiicerem, atque ipsius etiam effigiem Lectoris oculis proponerem. Erat porrò is ramus sesquipedalis longitudinis, crassitudinem autem habens tubi pennæ anserinæ, quo ad scribendum vti solemus, retinens adhuc aliquam ligni præcedente anno nati partem, cineracei coloris cortice tectam, superna autem quæ illo anno quo ramus abruptus nata erat pars, tenerior erat, & multâ medullâ interanâ parte præditâ, colorémque habebat ex fusco rufescentem, huic ramo inæquali serie adnata erant septena aut octona folia, longè sanè maiora & crassiore pediculo prædita, quàm illius quæ nucem moscatam vulgò notam refert: etenim illi folia sunt Mali Aurantiæ foliis non absimilia, exceptâ illâ appendice, qua Nucis folia carent, & tenuiora pediculo nituntur, gracilioribúsque etiam ramulis adnascuntur: hæc verò folia, licet non multò densiora, interdum pedis Romani longitudinem æquabant, trium aut ampliùs vnciarum latitudinem, magnâ autem ex parte, eorum longitudo septem aut octo vnciarum erat, latitudo duarum cum semisse, color parte prona canescens, supina viridis & splendens: à medio illo crassóque neruo folium per longitudinem medium secante, exoriebantur alii minores tenuioresque nerui, ad folii latera expansi, vtrinque quatuordecim aut quindecim, nonnunquam etiam plures, iique non pro folii amplitudine, sed indifferenter: nam in pedalis longitudinis foliis interdum tredecim aut quatuordecim duntaxat obseruabam, in iis verò quæ septem vncias solummodò erant longa, quindecim, sexdecim, aut plures: tenues prætera, & vix conspicuæ ob folii spissitudinem, obliquæ venulæ per neruorum lateralium interstitia erant sparsæ, & licet ante multos menses abruptus fuisset ille ramus, atque inter chartas adser-

Rami descriptio.

Cortex.

Folia.

Mali Aurantij.

Color folior.

Sapor & odor.

uatus, non mediocrem tamen acrimoniam, sed suauem & non valde vrentem retinebant folia: Summo autem rami fastigio inhærebant binæ Nuces crasso breuique pediculo innixæ, in quo tamē binæ aut ternæ aliæ coniunctim creuisse videbantur, quia adhuc apparebant vestigia vbi adhæserant, atque etiam in ipso rami fastigio bina alia similium pediculorum loca: vt non sine causa Abdala Guzaratensis, qui prima illa Batauorum in Iauā nauigatione Amstelredamum aduectus fuerat, deinde secunda reuectus, mihi affirmaret Nucem myristicam [ab illo enim percontabar an singulæ nuces in foliorum alis nascerentur quemadmodum pingit Matthiolus] Iuglandis modo prouenire, videlicet singulares interdum, binas, ternas, aut plures nonnunquam, & coniunctim in eodem crasso pediculo natas, de hac nimirum nuce mare ipsum voluisse dicere arbitror, quoniam illam quæ nobis in vsu, aliter prouenire certum est. Cæterùm hæ nuces binas vncias longæ erant, summoque suo operimento tectæ valdè rugoso, nec illo quidem valde crasso quia ante earum maturitatem ramus abruptus: & villum suum Amygdalarum instar retinente, ferruginei hoc est ex ruso fusci coloris, in binas æquales partes hilo & hiante, nucemque ostendente suo maci eam reticulatim amplectente septam, cui similem è suo operimento exemptam, suo tamen Maci opertam, ab eodem C. L. V. Pauuio acceptam, inferiore tabellę parte, in qua huius nucis ramus cum suo fructu immaturo expressus, adiici curabam: Macis autem illud, etiam resiccatum, elegātioris coloris quidem est eo quod aliam nucem ambit, sed multò infirmioribus viribus præditum esse creditur.

Nuces. *Matth. not.* *Nuces.* *Villum Amygda.* *Macis.*

ADMIRABILIS FRVCTVS INDVS.

CAP. XV.

Descriptio

Batavi ex prima nauigatione in Iauam inquit Clusius, attulerunt Admirabilis formæ fructum: quatuor enim membranaceis foliis, ex aduerso inter se oppositis, ex eodem tamen pediculo prodeuntibus, constabat, quę superna & extima parte veluti cocūtia, officulum infima parte ipsi inhęrens & fragile occultabant, in quo nucleus orbicularis formæ, nucis moschatæ magnitudine continebatur, foris fusca, & fungosa quadam materia oblitus, durus, vt qui reficcatus, internè albus & corneæ duritiei: membranacea illa folia, multis venis erant distincta, & rhomboidis formæ, atque vncialem longitudinem & latitudinem habebant. Nullum eius nomen indicare poterant Indi ab Hollandis aduecti, quemadmodum multarum aliarum rerum: sed quæcunque ignorabant (ignorabant autem plurima, vt qui omnes vilia mancipia fuissent, præter Abdalam, quem in Iaua mercede conduxerant, interrogati qui vocarentur, Madagascar respondebant, tanquam innuere volentes, apud ipsos non nata, sed è Magascar, siue D. Laurentii insula, esse delata, quia naucleros Hollandos in ea aliquot dies hæsisse non ignorabant, imò illorum vnus minimus inde aduectus fuerat.

Officulum.

DE CORYLO ET AVELLANIS.

CAP. XVI.

Corylus satiua.

Varius operimenti modus vt antè indicatum, aliter enim nux Iuglans, nux Myristica aliter, & aliter Auellana ex Corylo producta, folio Alni, sed acutiore, nec eū in modum viscido, hirsuto, modicè serrato, rugoso, suauiter odorato. Flos è gēmula erumpit coccineis filamentis compositus: simúlque Iuli longi, tenuiores quàm Nucis Iuglandis qui priusquam decidunt, flaui sunt. Fructus simul aliquot iuncti, inuolucris cillosis, succosis, herbaceis, barbatis, hirsutis, adstringentibus & acidis obtecti, magnitudine dimidio minores vt plurimùm Iuglande, oblongi vel globosi, putamine vmbilicato per maturitatē flauescēte, aut russo, læui, lignoso ac duro satis: cui subest pellicula in domesticis quibusdam coccinea, in aliis subrussa, nucleum obuestiens albidum, firmusculum sicut Amygdali nucleus, eiusdémque sapore dulci, lacteum remittentem succum. In auellanis nucibus, antequam nucleus formetur aut perficiatur, ambiens pulpa est candicans, fungosa, saporis acidi. Ipsi verò nuclei plurimùm obnoxii sunt vermiculis, qui deficiente intus ac omni consumpto aut in nigrum puluisculum redacto nutrimento, ipsum etiam putamen pertundunt & prorepunt. Ipsa Corylus arbor est, ex radice crassa latè se diffundente nodosa atque crispa, caudices magna ex parte aliquot emittens, in multos ac robustos subductos stolones virgásque lentas & obsequiosas, quales quotannis emittit nouas, nec ramosas: materie candida, molli. Caudex vbi annosus fuerit, cortice obducitur incano, & Viscum nonnūquam producit, teste Trago.

Descriptio *Folium.* *Flos.* *Iuli.* *Fructus.* *Nucleus.* *Arbor ipsa.*

Theophrastus in Coryli seu Nucis Auellanæ historia haud breuis nec sterilis esse videtur, qui eius in quamplurimis locis & [Greek] , & [Greek] nomine meminisse videtur, quamuis circa interpretationes non consentiant autores. Ergo eius de ea dogmata collecta, consideratáque in lectoris Botanici gratiam hic referemus: sic igitur ait.

Corylus seu vt Græcum habēt [Greek], (inconsideratè hîc quis Nucem auellanam vertat, Const.)

Theophr. Varen locis emend. illustr.

Const.) (nam & huius quoque natura syluestris est) quoniam syluestris, nihilominus, aut certè non multò deteriùs quàm vrbana fructificat, hyemes quascunque ferre potest, montibúsque magna ex parte prouenit, & quidem fœcundissima temporaria vbertatis promotione. Præterea non caudicosa, sed fruticosa potiùs, virgis sine alis enodibus, sed paruis, etiámque crassis nonnullis assurgit. Cæterùm & mansuescere potest. Differt tamen hæc ab illa, quòd fructum meliorem, foliúmque maius habeat. Circumserratum folium ambabus, simillimum Alno, sed latiùs, & arbor ipsa maior est. Fœcundior & assiduè reddetur, si virgæ præcidantur. Vtriusque duplex genus: quædam enim rotundam, quædam oblongam ferunt nucem. Candidiores verò fructus satiuæ, & pulchrior, & circa aquatica maximè fructifera est.

Satiua & syluestris.

Vt fæcundior reddatur.

Syluestres translatæ mansuescunt, corticem extimum habent tenuem, pinguem, maculis albidis peculiariter variatum. Materies admodum lenta, vt prægraciles virgæ, decorticatæ, crassæ, detasæ renouentur. Habent medullam tenuem, flauam, quâ concauantur. In Corylo [ἡρακλεωτικῇ] postquam deciderit fructus, bryodes quiddam (vulg. habent βρυώδης, sicque & Gaza & Dal. legit: nobis meliùs placet ζωώδες cum Const. & rei accommodatiùs) vermis maioris magnitudine, ex vno petiolo plura (παχέα δὲ: vulgat: παῦλα, pingue.) ἴουλοι id est, Iulos nonnulli vocant. (perperàm lutum apud Gazam) constant hi ex minutissimis particulis squammatim digestis eodem ordine, quo in Nucibus Pineis (ἐν τοῖς κώνοις τῶν πευκῶν) conspiciuntur, vt non absimilis sit Nuci Pineæ nouellæ ac viridi, nisi esset oblongior, & vbique æqualiter crassus. Hyeme augetur: ineunte Vere dehiscit. Squammata illa flaua fiunt, & ad trium digitorum longitudinem increscunt. Vere autem erumpentibus foliis decidunt, ac tum totidem calyculacea tegumenta gignuntur, compactim innexa, in vno pediculo, quot & flores, horúmq; singulis singulæ nuces [κάρυα] insunt.

Theoph. emend.

Iulorum descriptio.

Idem quod modo Iulum dixit, paulò antè, & eodem quidem cap. κάχρυν, Cachryn appellauit (Gaza Amentum reddit) quam & Abieti, & Pino, & Roboti, Tiliæ, καρύᾳ (Nuci Iuglandi Gaz.) Diosbalano, (Castaneæ, Gaza) & Piceæ tribuit.

Cachrys.

A latere (pergit Theophr.) germinant & Nux Persica, & Corylus, (ἡ περσικὴ καρύα, καὶ τὸ ἡρακλεωτικόν) & quædam aliæ, quarum omnium germina in vnum folium finiuntur. Idæi Prunum & Nucem Auellanam (ἡρακλεωτικὴν) altissimam radicem habere dicunt, sed Corylum (ἡρακλεωτικὴν) tenuem atque robustam. Prunum numerosam. Quæ ratio & quasi necessitas cogat, vt ambæ diutiùs viuant, aut difficulter moriantur. (δυσθάνατα εἶναι.) Quidam ἡρακλεωτικὴν καρύαν (Nucem Auellanam Gaza) & διὸς βάλανον florere existimant: alii nullam earum, sed ἴουλον, (villum vertit Gaza, rectiùs è Græco Iulum retinuisset) καρύαν Nucis, φηγόν Quercus &c. grossis præciduis (πρὸς τὰς ἀκτινωτὰς ἐρινεοῖς papillis prauus fortè rectiùs dicas) proportione respondere existimant. Maturè germinat κάρυα, (Nux Iuglans Gaz.) eadémque fructum reddit autumno. Scalig. in annot. ad Theophr. Considerabis, inquit, quo consilio Nucem Iuglandem inter feras connumeret Theophr. Quid si intelligat Theoph. Corylum? Contingit enim Alnum, ei similem: & egregiè respondet locus: Nam in syluestribus vtraque & montanis. Vt hac coniectura Scaligeri difficultati & suspicioni satisfactum iri non temerè fortè quis iudicarit. Item Σημύδα, Betula, folio Caria dictæ, præterquam paulò angustiore. Et Gaza quoque Caryæ reponit. Hinc Scal. Theodorus, inquit, refugit Iuglandis interpretationem: & est ratio. Non enim notis rebus addimus τὸ ἀγνώριστον, τὴν καρύαν. Nostrò quidem iudicio malè vertisset Gaza, Iuglandis. Quid enim similitudinis Iuglandis folio cum Betulæ? Math. liberè fatetur, sibi non compertum, quid apud Theoph. sit κάρυα. Item: κάρυα, (Nux Iuglans Gaza.) καὶ διὸς βάλανος (Castanea, id.) frigoris cupida montanáque. Atqui Iuglans non est frigoris cupida: nescimus etiam an verè ac propriè montana dici possit, quapropter hoc loco potiùs intelligimus Corylum. Item: Tmolus, Olympúsque Mysius, κάρυον (Nucem Gaza, legend. existimamus, καρύαν) & διὸς βάλανον (Castaneam G.z.) plurimam ferunt: In Eubœa & circa Magnesiam Euboicæ &c. καρύαν rursus pro Corylo intelligimus, quam Alpinam dixit alibi, ἡρακλεωτικὴ κάρυα gignit Iulum. τὰ κάρυα τὰ ἡρακλεωτικά, (id est, Nuces Auellanæ) maximè seruantur, quia Ligneo putamine obtecta, eóque denso, sed amara tandem fiunt.

Carya.

Scal.

Adhæc ait. Fomites tametsi ex multis fieri possint, tamen optimi ex nuce: (vt Gaza vertit) celerrimè namque & latissimè concipit. Quantùm ex circumstantiis iudicare possumus, per κάρυον hîc intelligenda Corylus, cui lignum rarum, & quod faciliùs ignem sumpsit, quàm lignum Iuglandis, quod durum & solidum. *Hactenus ferè quæ Theoph. de Corylo & Nuce Auellana.*

De eadem Plin. in hunc scribit modum. Cæteris (Caryis, dixerat enim de Iuglande) quicquid est, solidum est, vt in Auellanis ex ipso nucum genere, quas antea *Abellinas* patrio nomine vocabant. In Asiam Græciamque è Ponto venére, & ideò *Ponticæ nuces* vocantur. Has quoque mollis protegit barba. Sed putamini nucleisque solida rotunditas inest. Eæ & torrentur. Vmbilicus illis intus in ventre medio. Idem tradit: Catonem Nucibus adiicere Auellanas & Galbas Prænestinas, &c. Verùm apud Catonem legimus, Nuces caluas, Auellanas, Prænestinas &c. In veteri glossario Calua nux, κάρυον ἑλλυκόν. In eodem Albanæ Nuces, Prænestinæ. In Priapeis, Longæ nuces, Auellanæ: Nucémque longam, quam vocant Abellinam: Turneb. Calua nux, quæ fructum caluum fert, id est, summo apice nudum, nec vndique putamine corticis obductum, qualis est Auellana. Turnebus è veteri codice legendum putat Abellanas. Idem & caluas Prænestinas ex dicto glossario, vt annotat Dalech. Idem Plin. Ferunt & Auellanæ Iulos, inquit, compactili callo, ad nihil vtiles. Et alibi Xylon barbatæ Nucis similem deferre fructum tradit. Quia verò loco paulò antè adducto Abellinas seu Ponticas nuces, molli protegi barba scripsit, ideò per *barbatam nucem* Auellanam quidam intelligunt vti postea patebit.

Abellana.

Abellina.

Pontica nuces.

Plin. locus restit. Nux calua.

Barbata nux.

Coryli meminit & Colum. inter ea quibus nemora vestiuntur. Pallad. Auellanæ. Virg. Georg. 2. Duras Corylos dicit:

Et Egl. 7.

Phyllis amat Corylos: illas dum Phyllis amabit
Nec Myrtus vincet Corylos, nec Laurea Phœbi.

Arbor fragilis canente Ouid.

Et Coryli fragiles, &c.

Dioscor. κάρυα ποντικά, ἃ ἔνιοι λεπτοκάρυα καλοῦσι: Nuces Ponticæ, quas aliqui Leptocarya vocant, id est minores nuces, ... vt & ἡρακλεωτικόν, atque etiam διὸς βάλανον. de hac nuce tandem meminit Athenæus: sed nucum Iuglandi Pune-

Corylus. Arbor fragilis. Nuces Ponticæ. Leptocarya. Lenima Athen. Caryæ explicatus & illustratus.

ticarum & Heracleoticarum cognitio haud ita ex ipso Lectori sit obuia.

Auellana vnde. Pontica vnde. Heracleotica vnde. Pranestina.

Porrò Auellanam Seruius ab Auellano, Campaniæ oppido, vbi abundat, dictam putat. Ponticam Græci, quòd in Euxino Ponti frequens sit. Ita & Theophrast. Heracleoticam, ab Heraclea Ponti ciuitate: alii Præstantinam ab agro Prænestino atque (vt ait Macrobius) vnaquæque natio huic nomen indidit ex loco, vbi copiosè nascatur: Corylus autem arbor ἀπὸ τῆ κεφάλης, autore Prisciano, & ex eo citante Curtio, quamuis ea vox (quę locum aliquem denotare videtur) nondum planè innotuerit nobis. Platina de honesta voluptate: Nux, inquit, Auellana, seu Prænestina, quam Græci Ponticam vocant ex Corylo. Et Zuing: in Theatro ex Macrobio. Carfytani homines in agro Prænestino aluntur Nucibus Auellanis, quæ idcirco Prænestinæ dicuntur, & aliàs Ponticæ. Du Choul lib. de Quercu Auellanę Nuci inter Glandiferas locum concedit.

Corylus vnde.

Auellana. Pranestina Pontica.

Nux Auellana Herac. Pranestina. Pontica. Heracleotica non sunt Castanea. Macrob. not. Alare. Alaria.

Nux Auellana, quam Græci Heracleoticam appellant, nostri (Hermol. verba sunt) Prænestinam & Abellinam patriæ vocabulo: in Asiā Græciàmque venit è Ponto: propterea nunc Ponticæ nunc Heracleoticæ dicuntur: quo nomine Macrobius Castaneas intelligi falsò putat, Opium secutus. Ponticas sunt, qui & *Alare* ac Nuces cognominent. Inuenio & *Alariam* vocari arborem, vnde iacula & hastæ factitari soleant. Auellana nux, seu Corylus; vti putat Ruell. rara videtur fuisse Theophrasto, qui tam anxiè singulas eius partes consectatur: apud quem eadem esset cum Alno, nisi folio esset latiore, & fructum ferret. Rura Gallica *Nucellas Coryllus* vel *Coryelos* & *Auellinas* nominant. At nobis quidem præter fructum & foliū, fat videtur patere distinctiones apud Theophrast. inter Corylum & Alnum, vt ex citatis suprà locis colligere est.

Nucella. Coryli. Auellina. Rueli not.

Marcell.

Marcellus Virg. Ponticas Nuces à Theophrast. semper Heracleoticas Nuces vocari tradit: de qua re nobis anceps iudicium. Supra in Theophrast. locis aliquot coniecturas ac difficultates mouimus, an & κάρυα simpliciter alicubi apud Theophrast. possit esse Corylus vel Auellana.

Ruell. & Fuchs. not.

Porrò Ruellius, Fuchs. aliique nonnulli constanter negant Corylum florere, quod procul dubio non erant facturi, si Theophrasti codicem, vel potiùs, vt inquit Tragus, in naturæ libro hunc florem vnquam vidissent.

Pontica.

Pranestina

Auellanæ antea Abellinæ, aliis Ponticę vocitatæ, in magna, inquit Bruyer. nominum sunt ambage. Prænestinas enim nonnulli etiamnum dicunt, quòd Prænestini iis abundent, vel quòd olim à Pœnis inclusi, famem iis tolerauerint. Quidam verò & Heracleoticas. Lugdunenses nomen Auellanarum retinuerunt. Aulici & maxima Galliæ pars, Nuculas. Galli nuptiis religiosas fecerunt, sed præsertim sponsalibus: vulgóque iactatur, in prouentu Auellanarum maximo, annum nuptiarum quoque fertilissimum fore.

Heracleotica Auellana Lugd. Nucula Nuptiales. Prasagium ab Auellanis.

Placotomus apud Eob. de tuend. valetud. inter Auellanas, λεπτοκάρυα Græcis dictas, & Ponticas propriè dictas distinguit, hásque ait Lampertische nüsse Germ. dici, reliquísque multò esse meliores, fortè intelligens eas, quæ alias rubræ vulgò vocitantur, vt patebit in differentiis.

Constant: in lex: κάρυα ποντικὰ, siue λεπτοκάρυα Dioscor. id est, κάρυα ἃ ἔχοντα λεπτὸν Polluci. Prænestinæ Nuces Macrobio: Auellanæ siue Abellinæ Plinio. Has minimas Nuces, vt Græci, Iuuen. Satir. 3. nuncupauit. Arbor quæ Virg. est Corylus, Theophrast. ἡρακλεωτικὴ καρύα dicitur, & alibi καρύα ἡρακλεώτις, quo Athænei (apud quem Eubulum Auellanas κάρυα existimo nominasse) erratum coarguitur, vbi inquit, τὰ δὲ ἡρακλεωτικὰ κάρυα, καὶ διὸς βάλανα & c. quibus duo diuersa, distinctísque separata nominibus. Auellanas scilicet, & Castaneas confundit, sicut & Macrob. Castaneam Nucem Heracleoticam appellans. Tamen Athen. malo culpa liberare, errorémque deprauato codici imputare: distinguendum enim pòst καρύα, substituendúmque κάρυα pro καρύα ibi duobus locis inculcatum.

Minima Nuces.

Corylus. Athen. corrig.

Philotimus ἐν τοῖς περὶ τροφῆς prodidit τὸ ποντικὸν, λεπτόν. Alex. ab Alex. non approbat eorum sententiam, qui apud Tranquillum, vbi dicit Augustum ocellatis Nucibus lusisse, intelligunt Auellanam vel oscillam. Dalechampius apud Plinium scribit his verbis: Ocellatas Nuces vocat Tranquillus in Augusto, quòd ea parte, qua barbatæ suæ cuti adhærent, cùm auelluntur, oculi figura delineata conspiciatur, nec id in alia vlla Nuce appareat. Alex. ab Alex. Quo loco plurima ludorum genera veteribus visitata commemorat: ocellatas Nuces dici putat Persicorū nucleos, quòd crebris velut ocellorum foraminibus pertusi sint, sed cōfidenter magis, quàm rectè. Mnesitheus autore Goropio per Nuces Heracleoticas, Nuces Ponticas intellexisse videtur, quæ Nuculæ Prænestinę dictæ. Nucula Sexto Pompeio, Nux minima. Iuuenali Heracleotica, quamuis Castaneā interpretentur falsò: ἀναρὸν Hesych. teste Had. Iun. ἄρυα Dalechamp. Nux parua: Nux Coryli, Euch. Rœsl. Caspar. Bauhin. tradit Auellanam apud Plin. barbatam Nucem dici. Iam suprà diximus Plin. Ponticas Nuces dicere, molli protegi barba: Locum verò vbi expressè barbatas Nuces vocitet, vel Auellanas vel Ponticas, nondum inuenimus. Xyli quidem fructui confert barbatas Nuces, vt antea diximus, quas quidam Auellanas esse volunt, nec refragamur. Corylus: *Nux Auellana*: *Pontica*: *Pranestina*: *Leptocarya*: *Heracleotica Carya* seu *Nux*: *Carya Pontice*: apud diuersos Herbarios dicitur. Nucamentum eius oblongum ἴουλος Theophrast. Germ. teste Trago, Haselzapffen oder das getreid: Cortex exterior Nucis Auellanæ, Calyx. Germ. die eusserst schelet / oder leiffel. Quod circa radicem annascitur, Germ. Masere / Theophrast. ἀμφαυξὲς, & ἀμφιφυὲς: Gaza circumauctionem & circumagnationem interpretatus est. Hist Lugd. frustra florem denegat & floris loco Iulos proferre dicit. Nos Theophr. Trago & Gesnero assentimur, dicentibus flores habere præter Iulos, vt qui eos sæpiùs obseruauerimus. *Lusim* Hebr. Genes. 30. Nucem Auellanam vertunt, notante Trago. *Agileum* apud Serap. id est, Auellana. *Agilenz* seu *Bunduch* Arab. dici tradunt. Germ. Haselbaum / Haselstaud / Haselstrauch: Fruct. Haselnuß. Gal. *Couldrier*, *Noisetier*, *Noiselier Auelanier*, *Noisette*, *Noiselette*, *Aueline*. *It. Nocciuole*. *Nuciuolare*, *Auellane* & *Nocella*. Hisp. *Auellano*. Castil. & Catel. *Auellanas*. Portug. *Auellan*. Belg. Haselnote / Haselaer / Haselnoteboom. Angl. Haselltree / Hasellenat. Bohem. Worechlyssow. Nux Auellana Hung. *monyarosa* & iulus coryli siue flos *Monyaro barkocza*.

Oscilla.

Nucula Pranest. Castanea. Anaron. Arya. Nux parua. Nux Coryli. Barbata Nux. C. Bauh.

Lingvarū Synonyma

Lusim Hebr.

Sed differentiæ, harúmque nomina quoque dicenda. Carol. Steph. Nuces Auellanas, in maiores & rotundiores, *des Aulines*: ac minores & turbinatiores, *des Noisilles*, distinguit. Fuchs. in syluestrem, quam priuatim Germ. Haselnuß vocari ait: & Vrbanam seu domesticam Rhornuß / oder Rubrnuß / & Lampertische nuß: Tragus vtramque

Auellanarum differentiæ, & nomina.

tranque subdiuidit: satiua rubras & oblongas fert, Rohthaselnuß oder Römischnuß: syluestris alia magnas, alia exiguas: quædam oblongas, nonnulla rotundas largitur Nuces. Turnerus potiùs differentias quàm species esse putat: Hortensis, Angl. Fylberd tree: syluestris, Woodnuttree. Duas habet figuras: quarum vna Coryli: altera Pruni, errore typographico fortè.

Vera Antiquorum nuces Ponticæ. Dod. Vrbanas, Gal. *noisettes rouges*, & Germ. Rohtehaselnuß antè dictas veras Nuces Ponticas ab antiquis descriptas censet. Lacuna in longas & rotundas distinguit: longas sapidiores, maiores tardiùs maturari.

Nuces Ponticæ, autore Cordo duplicis sunt differentiæ: *Vulg. silu.* 1 quædam sponte vbique in Corylo vulgari nascuntur, quæ à Germ. Haselnuß nominantur: *Longa rubra.* 2 *Nuces barbata.* quædam verò, in hortis seruntur arbore Coryli simili, sed fructu oblongiore, & toto ceu barbato putamine vestito: nucleus russa vt plurimùm membrana cogitur. Plinius has barbatas in Xyli descriptione appellat. *Satiua.* 3 Est & tertium Auellanæ genus in hortis satum syluestri simile, sed maius nucleo, & gustu suauius. *Macedonica racemosa.* 4 Quartum genus est, quod in Macedonia nascitur, arbore non quemadmodum apud nos multiplici, caudice fruticoso, sed singulari, procero, & iustam arborem æquante: foliis latis, Nucibus in grandem racemū pingui magnitudine congestis.

An autem Veteres hanc cognouerint, neque negare neque affirmare ausim. Certè apud eos, qui nūc extant autores nulla extat descriptio, quæ eam referat. *Locus.* Inuenerunt autem hanc Corylum in Macedonia & Hemo Thraciæ monte Legati quidā è Buda Constantinopolim missi, inter quos fuit & Paulus Rubigallus, qui hæc nobis retulit.

Bruyerius & satiuas duplices facit: *Satiua rotunda.* quippe quædam insignes rotunditate & amplitudine, membranam, quæ ambit, candidam habentes. Aliæ oblongæ magnæq; rubescentem tunicam nactæ, has Gesnerus Lombardicas aliquos cognominare: additque vrbanas & rotundas, satisque magnas se vidisse in Sabaudia.

Italicarum auellanarū differentia. In Italia, si Mattheol. credimus, & in vrbanarum & in syluestrium genere numerosæ reperiuntur. Ex domesticis aliæ oblongæ, aliæ rotundæ sunt. Oblongæ præstantiores putamine, vehementer rubent, & fractu minimè sunt contumaces, quales sunt Vicentinæ, *Vicentina.* quæ tam suaui sunt sapore, vt Pistacis ferè comparari possint. Siquidem non omnibus Auellanis idem sapor reperitur, neque eadem pulpæ gratia: aliæ namque prædulces ac mansu faciles aliæ verò asperiusculæ & ingratiores, & mansu duriusculæ habentur. *Tempus* Oblongæ serius maturitatem sentiunt: celeriùs verò rotundæ: quapropter illæ vegetiori sunt nucleo, diùque perdurant. Syluestres in Tridentinis montibus oblongæ & rotundæ. Vestitur Auellanæ nucis putamen viridi callosaque membrana, in extremitatibus tamen mollior & fimbriosa in barbæ modum protrahitur: quo fit vt quibusdam hæ Barbatæ Nuces appellentur, *Nuces barbata.* etsi genus reperiatur haud barbatum, sed adeò breui amictu, vt putamen anteriori parte nudum videatur. Nuci nucleus quandoque albus, quandoque purpurea vestitur membrana. Putamen aliis rubrum, aliis fuluo colore aureum, rursum aliæ dulces, omnis acrimoniæ expertes: aliæ contra, eodem teste. Cæsalpin. vrbanarum fructum candidiorem dicit, quod admitti potest, si putamine liberum, & cute russa exutum intelligat nucleum. *Cellenses* Camer. apud Norimbergēses, Cellenses, à quodam monasterio prope VVirzeburgum denominatas aliis præferri ait: sed quales sint non docet. Crescere etiam apud se addit maiores istas, quæ ipsis à loco, vnde adferuntur, Lugdunenses vocentur. Colligamus paucis iam dictas differentias. Auellanæ aliæ syluestres, aliæ hortenses. Syluestres vel longæ vel rotundæ, hortensibus minùs sapidæ. Hortenses oblongæ & rubræ, putamine & cute interna cæteris nobilissimæ habitæ, & Germ. rothe vel zamte haselnuß / aliis Rohte Kührnuß / vt iam monuimus, sunt & hortenses aliæ magnæ amplissimę, Franciæ, Lugdunenses, Lombardicæ, aliis Italicæ dictæ. *Autoribus obseruata Aueli differentia.* Hæ nostris regionibus cognitæ: nam quas Cordus Macedonicas vocat, nostris hortis nondum innotuerunt. Habemus racemū ferè specie duodecim auellanas sibi mutuò cohærentes, *Multa simul coharentes.* verùm eæ de syluestrium genere sunt: Item geminas, & trigeminas syluestres & satiuas non iniucundas visu, naturæ peccantis potiùs aut luxuriantis opera, quàm distinctæ alicuius speciei. *Monstrosa auellana.* Non inelegantius est, quod ferè quadrangulum quatuor costis torosis ac eminentioribus constans adseruamus. Sed placet, more nostro, nobis obseruatarum Auellanarum descriptiones, breuiter subiicere, quamuis eæ pleræque iam dictæ sint.

Siluestres auellana. 1. Quæ passim in nostris proueniunt montibus, syluestres dictæ, paruæ sunt, albæ, subrotundæ, vel sublongæ, vmbilico gibboso putamine dentibus fragili flauescente nucleum continent, fungosa atque russa quadam cuticula obtectum.

Siluestres minores rotunda. 2 Speciéne distinctæ sint, an varietas tantùm, quas paruas admodum, rotundas, magis russas, vmbilico magna ex parte sessili habemus, adfirmare pro certo non ausimus. Hæ quidem syluestres sunt.

Siluestres culta. 3. In syluestrium quoque censu habentur, vulgata illæ, quas passim in hortos & viridaria translatas colunt, arboris & fructus facie primis similes, sed duplò ferè maiores speciosioréique, sed vtrinque ferè obtusiores, nucleo habitiori suauioriqne pellicula albicante tectos. Longitudine tamen vnciam non æquant, latitudine semunciali.

Graciles oblonga. 4. Eleganti varietate conspicuæ, & ipsæ in hortis cultæ sunt graciles admodum, & quædam calamum scriptorium crassiorem crassitudine sua, præsertim circa vmbilicum, non superantes longitudine vnciali. Cylindriaca atque torosa ferè figura: nisi parte inferna modicè dilatarentur, quò fit, vt à notabili illa rotunditate vmbilico tenus prædita, desciscant.

Prædictæ omnes & sequentes putamine suo herbaceo media ferè parte detectæ & nudæ, ob quam fortè causam à Priscis caluæ nuncupatæ, vt quidam volunt. *Nux calua.*

Satiua rubra. 5. Satiuæ rubræ prædictis omnibus maiores, vnciā tamen ferè breuiores, vmbilico magno, elato, opposita parte exacuta: hæ putamini suo herbaceo atque barbato penitùs immersæ, vix acuminis partem exerunt. Estque exterius putamen magis barbatum cæteris, sed principio minùs ferè calloso carnosóve. Cortex lignosus durus, rubens, quem exscindendo cuspidem cultro faciliùs adaperias, præsertim non planè recentem, quàm dentibus. Nucleus rubra vel potiùs purpurante tunica contectus, præsertim in recenti & haud ita pridem decerpta, gustu gratiore præcedentibus: ideò & præ illis lautiorum mensis adhiberi solitæ. Vulgò persuasum scimus, prædictis omnibus facilè causari, Dysenteriam. Vnde Rohte Rühr nuß à quibusdam, quasi dysentericæ *Dysenterica nuces.*

Nuces Barbata Auellanę seu Nuces dictæ. Has Nuces barbatas, Bartnuß / Io. Wittichius vocat.

Auellana magna Lugdun. Restant magnæ illæ, quas alii Lugdunenses, alii Italicas vocant, vnciali amplitudine, rotundæ: Et hę rubro putamine ligneo contectæ, sed duriore cæteris omnibus. Latiores tamen ferè sunt quàm altæ, vmbilico sessili, leuiter impresso: nucleo duriore cæteris, gustus suauitate facilè cum rubris dictis certantes, ideóque delicatioribus expetitæ. Lugduni saccharo incrustantur.

Delectus. Porrò ex omni specie Nucum auellanarum prę feruntur & modò dictæ magnæ: rubræ: sed & inter has & reliquas, quæ integræ sunt, ponderosæ, ligno non pertuso, corpulento nucleo, sapore grato, & inter Castaneam ac Amygdalum quodammodo medio. Duratione præferuntur maximæ, vel ipsis rubris durabiliores, vti putatur: nec tamen sapore inferiores. Infimæ sunt syluestres, ligno ex nucleo candicante. Improbantur leues, perforatę, quia vermiculosę, vetustate oleagineæ, rugoso nucleo & exucco. Delectus signum haud postremum quis capiat à Petronio Arbitro qui in suo Satyrico sic ait. Auellanas Nuces cum precatione mersit in vinum: & siue in summum redierant, siue subsederant, ex hac coniectura dicebat, nec me fallebat, inanes scilicet, ac sine medulla ventosas Nuces in summo humore consistere: graues autem & plenas integro fructu ad ima deferri. Sed par est & Byzantinam dictam Auellanam inter differentias accenseri.

AVELLANA BYZANTINA.



Descriptio. Auellanæ Byzantinæ fruticem supra cupitalem altitudinem rarò excrescere, sed pumilum semper persistere referunt. Crassos verò admodum, magnósque fert teretibus pediculis calyces, *Calyce.* extrema parte in multas crassas longásque lacinias diuisos, sede etiam multis, laciniatis appendicibus obsita. Sunt autem ii calyces foris valdè dura asperaque lanugine hirsuti, interiore parte *Fructus.* læues, continéntque fructum Auellanæ syluestri & sponte nascenti ferè similem, breuiorem tamé, *Nucleus.* durόque putamine, vt illæ, constantem. Qualis verò sit, qui in eo continetur nucleus, indicare nequeo, cùm vnicum duntaxat fructum mihi dederit Magnif. D. Daniel Vngnad (de paucis quod ad serendum retinuit) eamque ob causam confringere noluerim. Postea tamen cùm plures nactus essem, & aliquot ab ipso accepissem suis calycibus inclusos & exemptos, non modò degustare volui, sed etiam telluri commisi in fictilibus, non cum *Satiuis modus.* suo calyce, vt antè mihi fuerat significatum, sed nudos: atque illi quidem altero duntaxat à satione anno nati sunt, & in singularem virgulam excreuerunt pedalem, quam sine ordine oblongiora paulò quàm in vulgari ambiebant folia, per- *Folia.* inde tamen rugosa. Eius vnicum fruticem humanam altitudinem superantem adhuc alebam, cùm Francofurto discessi M.D.XCIII. sed qui vllius fructus speciem nondum dederat, imò neque etiam anno M.D.XCV. licet in magnā altitudinem excreuisset, vt ad me scribebat, cui arborem discedens reliqueram. *Clus.*

Idem Auellanæ rarum admodum genus hoc atque peregrinum dicit, quod Turcarum Imperatori eiusque Proceribus in deliciis sit, Constantinopoli allatum. Constantinopolitanisch Haselnuß Taber.

Locus. Montes (autore Constant.) amat Corylus, descenditque etiam in plana. Gaudet humidis & argillosis. Sic Montes in Gallia & Germania passim syluestribus atque vulgatis Corylis vestiuntur, & nemora scatent, maximè vliginosa, aliqua sunt partibus Rheno finitimis, vt annotat Tragus. Vt Matthiol. in Italia vrbanarum pariter & syluestrium numerosus prouentus. Syluestribus Coryletis, propemodum innumeris, scatent Tridentini montes, quæ oblongas pariter, & rotundas largiuntur Nuces, tanta vbertate, vt eas rura saccis legant, vbi maturitatem senserint. Domesticis horti ornantur in Gallia & quibusdam Germaniæ locis, quorum pergulæ vmbra superbiunt multa, densa, per caniculares ardores recubantibus expetitissima. In Heluetia, vt tradit Gesn. rotundæ minores in sepibus & syluis, præsertim humidioribus locis copiosæ: Vrbanæ rotundæ in Sabaudia, Lausannæ, præsertim verò Lugduni abundant. Has aliquoties Montb. in horto E. C. Lugduno accersitas plantandas curauimus, sed frustra. Rubras tamen habemus, ex Alsatia & Basilea accersitas, in quibus locis non infrequentes sunt, & optimæ. Syluestres verò hic passim in vicinis montibus proueniunt: itémque in Silesiacis tam montibus & collibus quàm syluis, teste Schvvenckf. In Scotia tum longæ, tum rotundæ spontaneæ in syluis vbique, autore Cargillo, medico doctissimo. Quales proueniant Monspelii diligenter non obseruauimus. Aduehuntur quidem eò magna copia ex Hispania (vti perhibent) maximæ illæ, quæ & Lugduni copiosè vendūtur, & à nostratibus interdum emptæ mercatoribus ad nos importantur. Tho. Hariot in hist. Virgineæ insulæ scribit in ea prouenire Auellanam Nucem [Coudrier] & ex ea incolas arcus parare.

Tempus. Iuli primo quoque tempore erumpunt, nondū soluta hyeme. Imò & Octobri & Nouembri Iulos nouos exertos sæpenumerò conspeximus, qui deinde Martio aut Aprili succrescentib' foliis flauescentes abscedunt: mox verò flosculi emicant, & post eos folia. Fructus syluestrium Augusto mense: satiuarum Autumno maturus legitur, teste Dod. Nos tamen etiam rubras illas satiuas Augusto in mensis sæpissimè vidimus. Locis calidis Iulio circa Nonas matura est, teste Pallad.

Satio. Auellanæ, eodem præcipiente, ponendæ sunt Nucibus suis. Nec amplius supra terra ducenda est, quàm crassitudine duorum digitorum. Plantis tamen & sobole expertum se testatur meliùs prouenire. Mense Februario, seu planta seu semen exponitur. Gaudet loco macro, humido, frigido & sabuloso.

Cultura. Translatu mitescunt syluestres, prægraciles virgæ desquammantur, crassioréisque de radice ingerpolantur. Nux Pontica, vt tradit Didymus apud Const. seritur eo quo Amygdalus modo, aut Nux, & tempore eodem deponitur: Ex eo genere

Rotunda celerius crescit. *Vt fructus melior copiosiorque nascatur.* te est rotunda & oblonga. Rotunda si eodem quo longior tempore pangatur, celeriùs comprehendet, & lætior adolescet. Arborem si quis frequenter colloce, fructum meliorem copiosioremque ferre traditur, neglectáque migrat in fruticem. Quare tonderi resecarique præcipiunt, sic fœcundiorem reddi: alioqui si arborescere patiatur aliquis, in corpulentiam alimentum omne transferet.

Vires & vsus. Stomacho nocent. Tussi. Catarrhus. Nuces Ponticæ, quas nonnulli Leptocarya vocant, ex sententia Dioscor. stomacho infestæ sunt: ipsæ tamen tritæ, & in aqua mulsa potę, veteri tussi medentur. Tostæ verò si cum Piperis exiguo comedantur, destillationem concoquunt. *Alopecia.* Sin autem totæ crematæ fuerint, & cum axungia aut adipe vrsi tritæ, illitu alopeciis capillum reddunt. Aiunt nonnulli vsta putamina, & cum oleo ad læuorem contrita, cæsias infantibus oculorum pupillas perfuso sincipite denigrare. *Ad denigrandos oculos.* *Noxa. Cap. dolor. Stomachus. Pinguedo. Temperamentum.* Nuces Auellanæ, vt tradit Plin. capitis dolorem faciunt, inflationem stomachi, & pinguedini corporis conferunt, plus quàm sit verisimile. Et Gal. Est & aliud genus nucum minorum, quæ nimirum Ponticæ nuncupantur, plus habens essentiæ terrestris ac frigidæ. Itaque etiam gustanti austerior tum cortex tum planta, tum fructus apparet. Cæterà magnæ Nuci Iuglandi similes sunt.

Noxa. Simeoni Sethi Auellanæ calidæ sunt & humidæ, magis nutriunt quàm Iuglandes Nuces, difficiliúsque concoquuntur: &, vt quidam aiunt, comestæ ieiunum intestinum lædunt. Faciliùs autem concoquuntur, minúsque ventrem sistunt, si interior earum cortex abiciatur. Dicitur quoque, si quis ante reliqua cibaria sumpserit, cum ruta, huic venena nec morsus venenatorum efficere dicilla, scorpioné sque ab eo fugere. Sumptę verò cum caricis, morsum scorpionis venenatis sanant. Ad acidam qualitatem, quæ à nigro humore in ventriculo excitatur, valdè proficiunt. *Aduersus venena. Contra scorpiones. Ad melanchol.*

Plutarchus scriptum reliquit, Quoties Coryli nucula laquearius appensa cohærebit scorpius in domicilia non irrepet. Negat enim Auellanam à scorpio adiri. Nec est omittendum, quòd simplex rusticitas obseruauit & Ruell. annotat, serpentem obtorpescere, quæ Coryli caudice vel virga fuerit icta, & tandem emori. *Contra serpentes.* An quia ob earum firmitatem, (propter quam & ad equos castigandos expetuntur) ictæ spina, quæ per eius longitudinem extenditur, vertebris sibi mutuò per apophysin haud secus ac in cæteris animantibus, insertis, luxetur, sicque ad motum ineptior reddita tandem contabescat? Peculiarem eis esse hanc antipathiam assererere non ausimus.

Athen. scribit, Heracleoticas nuces non tantum alere, quantum Amygdala, ac præterea aliquid habere quod innatet, & stertorem ac raucedinem (ῥεγχῶδες, alii κερχνῶδες) vocis efficere: largiùs sumptas caput grauare. & minùs nocere recentes quàm siccas. Et mox: Ponticam nucem pinguem dicit, concoctúque difficilem, & iterum. Heracleoticas nuces Castaneis esse deteriores, ideóque frigendas, vt nocentior pinguedo absumatur.

Auellana, teste Ætio, præterquam quòd frigidior, austerior, terrestriorque est, in reliquis Iuglandi assimulatur.

Cur vermibus obnoxiæ. Sed quare Auellanæ tempore obnoxiæ sunt vermibus? Sanè quia Attiboreli humor putredinis materest, causa vel nimiæ earum humiditati tribuenda, qualis præsertim recentibus necdum maturis inesse solet: vel, quia parum olei habent. Ac vtraque ratio egregiè consentit. Nam adultiores & iam oleaginosiores, vix ampliùs vermibus infestari videmus, sed potiùs contrà, & exiccari. Eandem ob causam Iuglandibus nulli solent innasci vermes, nempe quòd oleo magis abundent omni tempore, vel recentes vel antiquę. *Cur Iuglandibus non innascantur vermes?*

Temperā. Nucibus Iuglandibus quoque comparat auellanas Auicen. easque tradit decliues esse ad caliditatem & siccitatem paruam: & nonnulli recentes illas in secundo ordine calidas faciunt & siccas. Gal. tamen illas potiùs frigidas censet. Maturum fructum primum ordinem non excedere arbitratur Brassauola: imò antequam sit maturus, humiditatem habet, & crassam.

Noxa. Porrò nuces Auellanas stomacho tenuioribúsque intestinis infestas esse, maximè si non satis maturæ fuerint, non solùm ex versiculo Macri:

Ex minimis Nucibus, nulli datur esca salubris.

Dysenteria. Sed etiam experientiâ ipsâ docere conatur Tragus. Pueri namque (inquit) si Augusto mense Auellanas nuces auidè deuorant, facilè in Dysentericum morbum incidunt. Idem Ruellium ridens, quòd Coryli bacculo vel caudice serpentem ictum ex rusticorum obseruatione, mori tradit. Ego verò, addit, non dubitarim fustes, quos ex Coryli radicibus rustici desumptos hinc inde secum gestant, id nullo negotio efficere posse, quibus vel canem rabiosum interficere difficilè non sit. Nos verò an aliqua id ratione fieri possit, etiam cum tenuioribus virgis, (quæ tamen digitalem ferè habeant crassitudinem) paulò antè quædam attigimus.

Oleum auell. Oleum Nucum Auellanarum efficacissimum ad tussim veterem, & destillationem, eidem Trago.

Ad menses. Ad destill. & articulor. dolores. Matth. author, bilem augere Auellanas: ad menses cohibendos valere subrufam cuticulam sub putamine nucleum ambientem. Oleum earum destillationes efficacissimè concoquere, & articulorum dolores inunctum leuare. Sed quod Dioscorid. putaminibus vstis, ac cum oleo tritis, glaucas in pueris oculorum pupillas denigrare prodidit, hoc illustri experimento facto aliquoties se cognouisse, & verissimum esse comperisse gloriatur *Cornarius.* *Experimētum.*

Tēperam. I. VVittich. in præfer. sanit. Nuces, ait, Auellanas seu Ponticas laudat Hippocr. quòd cerebrum augeant, verùm sunt calidæ & siccæ naturæ, facilè grauant caput & ventriculum. In eo laudantur, quòd hepar corroborent. *Hepar corroborant.*

In Thuringia Mures agrorum coaceruant nuces, quas quidam perquirunt, tollunt, suspendunt per aliquot dies ad fumum, & vocant Meusennuße. Hæ nuces non solùm sunt sapidæ, verùm parùm nocent, vt sæpè se expertum dicit.

Lacuna scribit istud quod dicitur stomachum & caput grauare, & experientię, & communi reclamare opinioni: bonæ quippe matronæ Hispanicæ tostis vulgariter vtuntur ad placendum suo stomacho, cerebrúmque confortandum, non sine felici successu.

Succus lacteus Aluū fluxus. Cœliaca. Dysenteria. Iuli. Calculus. Ardor vrinæ. Lac generant. Succus ex Auellanis veluti ex Amygdalis lacteus extractus, valenter aluum adstringit Dodonæo, atque Cœliacis & Dysentericis hac ratione prodesse potest. Iuli frigidi ac sicci, & similiter adstringentes, ventris quoque fluxiones sistunt, Auellanarum Cellensium cremor in calculo renum & ardore vrinæ vtiliter exhibetur.

Camer. Auellanæ lac generant, quia commanducatæ lactis plenæ sunt: ad restituendas vires, & ad Venerem roborandam præstant. Porta ex Galeno.

Hort. Luſ. autor. nit.

Horti Luſatiæ autoris, quiſquis ille ſit, vana nobis videtur illa coniectura, qua dicit, Auellanas ſimiles Calculis renum & Veſicæ, eorum affectibus conferre. Similior ſilex aut lapis alius tophaceus, num igitur conferat? Nec magnoperè videmus quid in Auellanis eſſe poſſit, quod ad calculum conferre queat, niſi fortè exhibitum oleum ex iis expreſſum, quomodo Amygdalinum, ad dilatationem, ad lubricandas vias, ad dolorem.

Bruyerius refert, Auellanas rubras, matronis in cibis gratiſſimas, præſertim recentes & maturitatem exactam non adeptas. In Plinii ſententiam, pinguedini corporis conferre, poſterior medicina manibus pedibúſq; deſcẽdit. Toſtas autẽ inſalubriores dicũt, quicquid dicat Athenęus.

Pinguefaciunt.

Seplaſiarii ſaccharo incruſtant, quæ bellariorum vices implent, præcipuè quæ ſunt ampliores & rotundæ.

Saccharo incruſtata

Notabile eſt hoc Arnoldi: Ad Albulam & nebulam valens. Accipe virgam Auellanæ, in capite perfora, imple foramen granis Piperis, & tere ſupra cotem cum vino albo, quod diſtillarit, collige & in oculo pone.

An nebulã oculorum.

Horſtius tradit, ad Dyſenteriam peſtilentialẽ Auellanas nocuas, idémque & vulgò perſuaſum nouimus paſſim ferè. Hinc Illuſtriſſ. Princeps Guilhe. Palatinus Dux Bauar. in quodam mandato de Politia obſeruanda tempore peſtis, cauet ne venales proponantur Auellanæ (Haſelnuß) & vinum ſublimatum [Brantwein] ſine permiſſu, quia ſanitati reſiſtere & Peſti occaſionem præbere per doctos exiſtimentur.

Mandatũ de Auellanis.

Caudex Coryli quotannis multis ſtolonibus, ſeu virgis fruticat, quæ ſi non lædantur, intra paucos annos ita craſſeſcunt, vt ex his circulos doliares elegantiſſimos conficere queas.

Caudicum vſus.

Ex ligno etiam carbones parant pictores, ſculptores, & aurifabri ad delineationes & figurarũ præludia ducenda commodos. Ex huius etiam ligni carbonibus pyrius puluis conficitur. Sed & ligno aſſulatim ſecto ad cribra vtuntur.

Ex radice nodoſa ac vndulatim criſpa vaſa & ſupellectilia varia fabricantur, quæ ad longos annos durant, nec facile corrumpuntur. *Tragus.*

Radicis vſus.

Nic. Metri in libro medico, per Heremiam Martium in lucem edito mirabiliter commendat Viſcum Coryli [Haſelſtauden Michſtel] quem librum, quia non ampliùs nobis ad manus, lector ipſe, ſi lubet, conſulat. Coryli vrbanæ attegiis & ſcenis opere topiario texendis, & in altum etiam eleuandis conueniunt. Tales in Galliæ multis locis, in magnatum & nobilium hortis: præcipuè Biturigibus, vt Geſnerus annotat, conſtructæ viſuntur. Vidimus in ſplendiſſimo quodam horto (putamus fuiſſe Reguli cui de Fleury cognomen, quondam ad Heluetios Legati) ſub topiarica Corylo commeſſantes, vel potiùs ex gentis more, pomeridiana collatione ſub vmbra ſitim fallentes pro libitu hinc iſthinc ceu in Muſeolo ſedentes pulchras & ſapidiſſimas diuerſi generis Auellanas decerpſiſſe. Ipſæ alioqui Coryli denſæ frondes pullis Gallinaceis optatam præbent vmbram & quoddam velut aſylum, aduerſus impetum & rapacium auium inſidias.

Viſci Coryli vſus.

Frondium vſus.

Reſtat, vt Coronidis locò, de inſigni illa Coryli virgarum vtilitate aliquid dicamus, quia nobilis & eximia à nonnullis, ſpes vanas prętio vendentibus, ad inueniendas auri aliorúmque metallorum mineras atque [ſi Diis placet] gazas ſubterraneas, præſtare creditur Modum & rationem doctè & elegãter deſcripſit Agricola, rei Metallicæ, ſi quiſquã alius, ſui ſeculi conſultiſſimus, in hunc modum. De virgula furcata inter metallicos multæ & magnæ contentiones ſunt: nam eam alii aiunt, in venis inueniendis, ſibi maximo vſui eſſe, alii negant. Qui tractationem & vſum virgulæ probant, eorum alii primò furcam cultro reſecant colurnam: quam præ cęteris ad venas quęrendas idoneam eſſe cenſent: præſertim ſi Corylus ſupra venam aliquam creuerit. Alii pro varietate metalli diuerſis virgulis ad venas inquirendas vtuntur: etenim Coryli virgulas adhibent ad venas argenti: fraxini, ad æris: Piceaſtri, ad plumbi, maximè candidi: ex ferro vel acie ferri factas, ad auri: deinde vtriq; virgulæ cornua manibus pręhendentes pugnos faciunt: neceſſe autem eſt vt digiti compreſſi ad cœlum ſpectent, vtque virgula erigatur ea parte, qua cornua coëunt tum huc & illuc paſſim cùm per locos montoſos vagantur: itàque dicunt ſimul atque ſupra venam pedem poſuerint, ſtatim virgulam verſari & volvi, ſibique prodere venam: ubi pedem retulerint: & ab ea diſceſſerint, rurſum virgulam immobilem manere. Verùm, vt ipſi aſſerunt, cauſa motionis virgulæ eſt vis venarum: eaque interdum tanta eſt, vt arborum, prope venas creſcentium, ramos ad ſe flectat. Contrà qui virgulam nulli viro bono grauíque vſui eſſe poſſe dicunt, hi vim venarum iccirco motionis eius cauſſam eſſe negant, quòd omnibus non ſoleat moueri, ſed iſtis tantummodo, qui cantionibus aut aſtutiis vtuntur: vim pręterea venarum negãt ad ſe trahere ramos arborum, ſed exhalationem calidam & ſiccam eos efficere contortos. Ad quæ iſti reſpondent: quod vis venarum virgulam, cùm quidam è metallicis aut cæteris hominibus eam tenet in manibus, non vertat, in cauſa eſt hominis proprietas quædam ſingularis, quæ vim venarum impedit atque alligat: quia enim vis venarum verſat & voluit virgulam, non aliter ac magnes ferrum ad ſe allicit & trahit, eam occulta hominis proprietas debilitat & frangit, non ſecus atque allium Magnetis vires infirmat & excludit. Etenim allii ſucco Magnes oblitus ferrum ad ſe non trahit: nec idem trahit rubiginoſum. Quin etiam de tractatione virgulæ nos admonent, vt digitos leniter non ſtringamus, neque cõprimamus acriter: nam ſi leniter tangemus virgulam, decidet, inquiunt, antequam vis venarum eam verſet: ſin acriter conſtringemus, vis manuũ vi venarum reſiſtet, & eam ſuperabit. Itáque, vt ipſi cenſent: quinque res ſunt neceſſarię ad hoc, vt virgula ſuum faciat officium: quarũ prima eſt, virgulæ quantitas: vis enim venarum baculum nimis magnũ voluere nequit: altera virgulæ figura, nam niſi furcata fuerit, eadem vis eam uertere non poteſt: tertia vis venarum, quæ naturam voluendi habet: quarta virgulæ tractatio: quinta priuatio proprietatis occultæ. Ex iam dictis autem ſolent concludere hoc modo. Si quòd virgula omnibus non moueatur, in cauſa eſt inepta eius tractatio, aut occulta hominis proprietas, quę vi venarum repugnat & obſiſtit, vt ſupra diximus, qui venas ipsã quærunt non neceſſe habent id cãtionibus facere, ſed ſatis eſt eos virgulam aptè tractare poſſe, & occulta proprietate carere. Virgula igitur in inueniendis venis viro bono grauíque vſui eſſe poteſt. Verùm de ramis arborum contortis plura non dicunt iſti, ſed manent in ſententia.

Vſus vel potius abuſus Virgula furcata, Coryli.

Furca colurna.

Modus tenendi Virgam

Tractionis cauſa

Aſſerentis partem reſponſio.

Impoſtura ſuſpicionum.

Cautio ſu. cata in tenenda virgulæ

Quinque neceſſaria ad vſum Virgula.

Cùm autem hęc res controuerſa ſit inter metallicos, ea ſuis ponderibus, examinanda.

Res etiamnum controuerſa inter metallicos.

Virgula diuina, qua incantatores ſcrutantur venas, vt annulis etiam, ſpeculis, cryſtallis, quamuis forma furcæ figurari poſſit, nihil tamen

ad

Nihil conferre figuram

ad rem interest, recta sit, an in aliam figuram formata: non enim valet virgulę figura, sed incantamenta carminum, quæ mihi commemorare non licet neque libet. Veteres autem, non ea modò quæ ad victum & cultum attinent, virgula diuina conquisiuerunt, sed rerum etiam formas verterunt: etenim incantatores Ægyptiorum virgas, vt Hæbreorum litteræ narrant, in serpentes mutarunt: & apud Homerum Minerua senem Vlyssem virgula diuina repentè in iuuenem conuertit, ac rursus restituit in senem. Circe quoque socios Vlyssis mutat in bestias, eísque reddit hominis effigiem: quinetiam Mercurius virga, quæ caduceus appellatur, vigilantibus somnium dat, ac à somno excitat dormiẽtes. Itaque virgula diuina primò ex incantatorum impuris fontibus defluxisse videtur in metalla: deinde cùm viri boni abhorrerent ab incantamentis carminum eaque reiicerent, virgula à simplici metallicorum vulgo est retenta, & in quærendis venis vestigia antiqui vsus remanserunt.

Virgula eius apud Veteres multiplex, exemplis illustratur

Virgulæ origo.

Quomodo ad metalla translata

Quoniam verò metallicorum virgulæ mouentur, etiamsi eas incantare non solent, alii dicunt, motionis earum causam esse vim venarum, alii tractationem, alii vtramque. Verùm quæ vi ad se attrahendi prædita sunt, ea omnia in orbem non torquent res, sed eas ad se alliciunt, verbi gratia: magnes ferrum non volvit, sed id ad se trahit: & succinum attritu concalefactum non vertit paleas, sed simpliciter eas ad se allicit. Similiter vis venarum, si eandem cum Magnete aut succino naturam haberet, virgulam toties non versaret, sed semel tantummodò ad spatium semicirculi versatum rectà ad se traheret, &, nisi compressio hominis qui virgulam teneret in manibus ipsi venarum vi resisteret & repugnaret, virgulam ferret ad terram: quod cùm non fiat, necessariò sequitur tractationem esse causam motionis virgulæ. Id verò hinc etiam perspicuum est quòd callidi isti tractatores rectam virgulam non capiunt, sed furcatam, atque eam colurnam, aut aliquam aliam ita flexibilem, vt si sic tenetur in manibus, vt eam tenere solent, omni homini, quocunque in loco steterit, in orbem vertatur: nec mirum si virgula non versatur cùm inertes eam tenent. Etenim eius cornua acriter comprimunt, aut leniter stringunt: hoc autem ipsum vulgo metallicorum fidem facit virgulà venas inueniri, quòd ea vtentes casu aliquas inueniunt, sed itidem multò sæpiùs perdunt operam, & vt venas inuenire possint, nihilo minùs in fossis agendis defatigantur, quàm aduersæ partis metallici. Metallicus igitur, quia eum virum bonum & grauem esse volumus, virgula incantata non vtitur, quia rerum naturæ peritus & prudens, furcatam intelligit sibi vsui non esse, sed habet naturalia venarum signa, quæ obseruat. Itaque ea si natura vel casus, aliquo in loco, ad fodiendum aptos patefecit, ibi Metallicus agit fossas, si non ostendit, crebris fossionibus vsque eo scrutatur locum, quoad venam crudariam reperit.

Motionis virgulæ causa. Non trahi.

Venas non vi vertere virgula

Tractationem esse causam motionis virgula

Cur furcatam sumat colurnam

Proba quærendi mineras ratio

Schvvenckfeldius rem paucis comprehendit: Vulgus, inquiens, Metallicorum ad virgulam Diuinam, vt vocant, qua venas Metallorum inquirit, præ cæteris furcam eligit colurnam, verùm cùm ex impuris fontibus incantatorum primò in Metalla defluxerit, Metallicus, vtpote vir bonus, & grauis ac naturæ peritus, ea non vtitur, sed alia naturalia signa venarum obseruat. Verè ac rectè, & per omnia Agricolæ iudicio consentiens. Enimuerò sanè plerosque vti virgulâ, nulla quidem Magica arte, vel bona (cuius ne nomen quidem nouerint) vel mala imbutos existimamus. Sed ex mera quadam impostura, ac spe lucrandi, hoc est, decipiendi Magnates ac Principes, quibus persuadeant hoc fuco vt nummos suppeditent ad perquirenda metalla. Sunt enim & hi, noctuæ ad aucupia crumenarum, è quibus aurum, quod pollicentur ipsis, sibi effod ant priùs. Talem aliquando vidimus & deprehendimus in insigni quodam & extra pudorem impostore, qui Ill. Exc. C. V Vitt. Principi nostro ac Patrono clementissimo multa vanitatis plena persuadere conatus fuerat, vt suppeditaret argentum & aurum, ad vestiganda effodiendáque illa. Vidimus, didicimus & probè scimus: Solent isti manu vtraque in pugnum contracta, furcam hanc Colurnam præhendere, angulo sursum spectante, & vtroque radio ex apprehensione reflexo. (eam autem præferunt quidam, cuius alter ramus cum capite & angulo eiusdem anni, bimulus, alter verò statim post angulum nouitius & proximi anni, solus, & integer sit fœtus.) Ita vagantes per loca, metallis (si credere fas est) vel opportuna vel prægnantia, velut in æquilibrio, situ prædicto, virgulam continent vbi volunt, nullo manifesto motu premunt vel laxant, vtroque enim ferè modo declinare solet si vafrè tractetur, tum à metallis tractam insigni impudentia mentiuntur. Tenemus & ipsi modum: (nam vt imposturam detegas, imposturam discas licet, quòd nemo temerè fraudem detegat, nisi qui eandem priùs nouerit) sed inter nostras manus nullus motus aut tractio inuoluntaria, vel subiecto auro & argento, consecuta. Ita dextrè possumus tenere, vel potiùs regere virgulam, vt in æquilibrio maneat, nec tamen vi teneatur vlla, si adsit vis aliqua, vel leuissima, quominus attrahat. Possumus etiam, nemine id deprehendente, facere, quod illi faciunt, vt allici aut trahi à quodam subiecto metallo videatur. Sed malè fortè nobiscum actum existimabunt, quòd vel Magica arte, (qui eam ad hanc rem postulant) vel sympathia illa metallifica destituamur. Quibus confutandis, & ad turpitudinem, si verecundiam nesciant, redigendis, vel hæ sufficiant rationes. Aut vis trahendi primaria est in metallis, aut in virgula accedendi. Vbicunque sit, ibi certum est, primum esse motionis principium: mouens seu agens, in mouente: patiens in moto. Rursus eadem vel sufficiens, vel non. Si sufficiens, quid opus hominis sympathia, aut Magica arte? Quamuis, vt ingenuè fateamur, consensum adesse oporteat, tam ad laxandam virgulam, quàm ad aucupandum sumptus non necessarios, quod paucis metallis dixeris, ad decipiendum. Si non sufficiens: Ergo iam inter hominem & metallum cognatio quædam. Est, est, proh dolor, & maximus inter vtrumque consensus, quo nisi fascinata essent maximorum & ingeniosissimorum alioqui Principum ingenia, eiusmodi nebulonum, patibulo dignorum, arte aut experimento serò vel nunquam deciperentur: docerentque tandem istos lucripetas nequitias suas exuere, quibus sine opprobrio furti, interim etiam sine virtute, honores atque diuitias licet indagare atque consequi.

Vir bonus ea non vtitur.

Virgula conditio meliorum

Impostura manifeste & clare detegitur.

Ludanti

* *
*

STAPHYLODENDRON.

CAP. XVII.

Descriptio

STaphylodendron densè fruticat, nonnunquam in arborem adolescens, cortice virente aut rufo, materie virenti, medulla ampla, alba, molli. *Folia* Sambucinis proxima, vel Fraxini, acuminata, argutè crenata, quina aut septena ad costam annexa, impari alâ claudente. *Flores* longo & pendulo pediculo ex interuallis verticillatim oriuntur, ita vt eminus intuenti racemulum mentiantur, odore Sambuci, quinis foliis radiatim expansis, albis mucrone nonnihil interdum foris rubente, totidemque candidis, item surrectis, coëuntibus leuiter mucronibus, vt concauam vrceoli figuram exprimere posse videantur, quę intercedunt totidem stamina alba, apicibus luteis donata, mediū occupante stylo albido, bifido. Superueniunt vesicę magnę virentes, in duos loculos ceu scrotum dispertitæ, in quibus duę nuculę cohęrentes, putamine fragili & tenui, colore flauo aut subruffo, in quibus nuclei corio virescente obtecti, sapore nonnihil nauseoso. Ex nucleis caluarię commodè exprimi possunt, sculptura leui.

De eadem sic scribit Plin. Est & trans Alpes arbor, simillima Aceri albo materie, quę vocatur *Staphylodendron.* Staphylodendron. Fert siliquas, & in iis nucleos, saporis Nucis Auellanę.

Ruell. de Colutea altera Theophrast. tradens, hāc Plinio ait, Staphylodendrum dici existimant. Quę interim sit Staphylodendros aut qualis non docet Ruellius. *Ruell. not.* Cuntius quoque nihil aliud habet, preter ea quę dicta à Ruellio.

Pistacia. Quidam, vt scribit Tragus, sub Pistaciis Dioscor. comprehensas volunt nuculas, arborémque ipsam Staphylodendron Plinii vocant. *Staphylodendron.* Verùm cùm Plin. Staphylodendron siliquas ferre dicat, hæc verò Vesicas gerat, non video (inquit) quo iure ex Nuce Vesicaria Staphylodendron hi faciant, nisi fortè per siliquas, vesicas intelligere velint, quod per nos quidem illis licebit. Nos tamen in præsentia Nuces Vesicarias & folliculares nuncupabimus, quoad emergat aliquis qui certiorem nos doceat nomenclaturam. Ex quibus verbis patet Tragum quodammodo hæsitasse an Staphylodendron Plinii sit hæc de qua agimus. Difficultas quam obiicit, leuis est, siliquę vocē ampliore significatu, pro folliculo vel vesicula Plinio vsurpante.

At Scal. Apud Iesuates nostros, inquit, arbor est, è qua virga pacta, & adoleuit celerrimè, & effusis stolonibus frequentissimam circa se confecit syluam. Enodis, si quæ alia, oliuæ folio simplici, aut Salicis frondi proximo. E ramis folliculum, qualem Halicacabus, durum tamen. *Folliculus Halicacabi.* In eo fructus conduntur bini, terniue, esculenti, natura, colore, sapore Pistaciorum, sed orbiculatiore facie. Quare qui Pistacii arborem ignotam habeā: ex hac Pistaciorum medullam esitarim: an sit iam ad Pistaciorum species referenda, non ambigam. *Pistaciorū species.* Idem paulò antè [extat autem locus lib. 1. de Plāt. falso Arist. tributus] Pistaciis vestigia esse scribit, quæ per seipsa hient aliquando vetustate: Ne hac in parte Plinii sequatur errorem, qui solius Iuglandis nucleum binis tegi valuis scripsit, additque Pistacii arborem sibi nunquam visam.

Scaligerum equidem vt virum doctum atque adeò summi acuminis admiramur, & ab eius lectione non rarò doctiores redire nos profitemur: quando verò tam leui de causa Plinium, grauem, antiquum ac venerandum autorem, virum, inquam, ob summos labores & diligentiam, ei pręsertim seculo quo scripsit, omnibus admirandum, taxat atque adeò erroris accusat, vt solet aliàs, hoc loco id impunè non feret, maximè cùm ipsemet talpa cæcior loco citato grauissimos committat errores. *Plin. laus. Scalig. not.* Primùm enodis an sit iudicabunt quibus primò occurret visenda planta. Iam verò, quæ obsecro Staphylodendri folio similitudo cum oliuæ aut salicis. Quin nec harum sanè ea similitudo, vt vtraque vni eidémque rei, conferri mereantur, aut à subtilitatis adeò professore debeāt. Meliùs videntur Tragus & Matthiol. Fraxini foliis comparasse. Natura, color & sapor, Staphylodendri fructui diuersus à Pistaciis quibus putamē fragile tenui membrana [virenti fortè in virente] immediatè obductum atque adhærescens. *Pistacii & Staphylodendri fructus collatio & dissimilitudo.* Staphylodendri fructus in amplo & rotundo residet folliculo, vmbilicotenus tantùm adhærens, hoc est, basi, velut columna quædam in theatro aliquo constituta. Staphylodendri fructus fusci Trago, & recentes rufi, Pistacia candidissima Cordo, vel sanè pallidula ex albo. At nuclei plurimùm differunt: Pistaciis quidem nucleus colore in flauo virescens, valdè suauis, tenuis (teste Cordo) oris halitum commendās: Staphyl. albus, qui Matthiol. sapore dulci nauseam commouens dicitur. Sed fortè pro Scaligero quis obiiciet nobis, eum non scribere de Staphylodendro, sed de alia planta: quod nobis non fit verisimile, neque persuaderi nobis patiemur vnquam donec prodeat aliquis, qui doceat, quam aliam intelligat. Cætera quæ scribit de sua Pistatia arbore omnia nostrę conueniunt Staphylodendro. Gesn. Nux Vesicaria, Staphylodendrō Plin. Itali quidam, vt Romæ, vocant Sambucum validam.

Lob. & Pē. not. Σταφυλόδενδρον, *Arbor vitis*, Anguil. Lob. & Pen. Aduers. an Staphylodendron Plin. vt quidā volunt, qui tamen Aceris folium dicit. In Obs. tamen, apertè Staphyl. Plin. vocant. Lectori verò considerandum relinquimus vbinam locorum suo Staphylodendro Plinius tribuerit Aceris folium. In loco sanè citato de ligno locutum intelligimus. Qualecbono scribenti, de Coulcoul & Hebulben nil dum certi se intelligere potuisse, respondet Matthiol. Nucleum quem *Coulcoul & Hebulben* appellas, Arbor Plin. Staphylodendron. *Coulcoul. Hebulben.* Nobis verò non constat an Quelecbonus idem putarit quod Matthiol. nimirum *Coulcoul & Hebulben* idem esse, nec etiam quo nomine miserit nucleos Matthiolo. Ex Bellonio sanè manifestum est *Hebulben* rem esse diuersam à *Coulcoul.* Descriptio Nucis Coulcoul apud Bellon. nullo modo potest conuenire cum nostra Staphylodendro. *Hebulben* non describit.

Idem

Idem Matth. apud Diosc. scribit, quibusdam in locis Pistaciorum sylvest. nomine appellari cuiusdam arboris fructum, quem Plin. Staphylodendron, nominat. Et in Epitom. Staphilodendron, siue Pistacia agrestia. Nux vesicaria, Neotericis quibusdam Pistachium, Dodon. *Staphylodendron* Plin. eidem.

Pistacia agrestia. Pistachium.

Vesicaria Follicularis

Loniceri iudicio posset vocari *Vesicaria* aut *Follicularis*. *Pistachia vulgaris* Cast. Dur. Staphyl. Plin. Pistacea siluestris quibusdam dicta: affinis videtur Aceri & Fraxino. Caesalp. Ex Plinii verbis falsum esse perspicitur, quod multi contendunt, Staphylodendron illud Plin. Colyteam esse Theoph. quae folio est Salicis &c. Hist. Lugdun. Staphylodendron vocat sicut & Camerar. & Tab. & reliquum ferè Herbariorum vulgus. [illegible] quibusdam.

Germ. Pimpernußbaum/pimpernüßle, wilde pimpernüßle. Belg. Antuenis noetkens, pimpernote. Gal. *Nez coupés, Baguenaudes à patenostres*: It. *in Abruzzo*, *Lagrime di Ioppe*, teste Anguil. alijs in locis *Pistachi saluatici*. Boh. Klokad a. Hung. Halagfa.

Locus.

Nux vesicaria videtur vdis & humidis gaudere locis. Nam Basileae extra portam Albanam & Rhenanam ad aquas nascitur. Ibidem pulchra arbor in horto Coenobii Carthusianorum. Scaliger quoque ait apud suos Iesuates arborem prouenisse. Gesn. testatur prouenire in agro Tigurino in sepibus: quamuis rara locis humidioribus: frequentiorem circa Arouã Heluetiae oppidum. Anguil. dicit haberi Patauii in horto, ac in multis Italiae locis. Dod. in Germania infer. interdum in sepibus inueniri. Geneuae & Lugd. in hortis colitur. Ferrariae in Monasterio S. Dominici *à l'Angeli*. Bononiae in horto S. Saluatoris. Inter Solodurum & VVallenburgum quoque spontè prouenientem obseruauimus. Matth. tradit crescere in syluis & fruteus. Habetur in horto Montb. E.C à nobis sata.

Tempus.

Floret Maio: Nuculas maturat Autumno, mense Septembri.

Satio.

Facillimè seritur & propagatur. Tragus annotat, quocunque in loco plantetur, facilè prouenire. Seritur autem nuculis, nec non surculis, seu stolonibus qui quotannis è radice prosiliunt circa radicem, sicut in Cotonea. Hi surculi Autumno aut Vere instante transplantari possunt, qua ratione à nobis sata egregiè adoleuit.

Vires & Vsus

Sunt qui sibi persuadent, in hortis satam arcere venenata animalia. E nuculis multis in locis orbiculos precarios conficiunt, praesertim pauperes, aut qui nummis parcere volunt. Fructus dulcis nauseam commouet, vt si copiosè edatur, ex Matth. sententia, indubiè vomitionem commouere possit.

PISTACIA.

CAP. XVIII.

Pistaciorum arbor.

Descriptio

Folia.

Fructus.

Vt Auellanae alio tegumento obducuntur à nucibus, sic Pistacia ab Auellanis diuerso, quorum arbor in longa costa è ramis propagata, folia coniugatim disposita habet, quanquam non vsque adeò exactè semper respondeant singularium foliorum ortus. Sunt ea verò nunc subrotunda, nunc in mucronem acuminata, neruosa, Terebinthi foliis, nisi iis maiora essent, similia. Fructus Officinis notissimi, Auellanae magnitu-



dine, oblongi, acuminati, vna parte in gibbum cristatum eminentiorem protuberantes, altera depressiori in acutum fastigiati, opposita parte, qua pediculi, quo adhaeserunt, vestigium, obtusi, lignoso, lento, fractu contumaci ac prepemodum inter osseũ & crustaceum medio cortice, sed tenui, laeui, candido, cui rugosus alius, ac ferè aridus, coriaceus, tenuis, & fragilis, superstenitur, colore supremo Amygdalae putamini similis, in exoletis niger. Lignosus cortex nucum modo in duas partes separari solet, interdum sua sponte bians. Nucleum continent russa pellicula conuestitum, in flauo virescentem, dulcedinis suauissimae, pinguem, halitum etiam masticatu commendantes, praesertim recentiores. Flores, vt perhibent Aduersaria racemosi, purpurantes, Terebinthi.

Cortex.

Nucleus.

Flos.

Rauvvolff. tradit Pistachiae arbores circa Alepum trunco esse crasso, ramis expansis, cortice obductis cinereo, speciosis rotundis foliis, (qualia & pingit in sua icone,) saturè virentibus, illorum Charnubi [id est Siliquis] similibus, iuxta quae dependent multae nuculae racematim dispositae.

Autorum placita & Synonyma

[illegible] à Graecis, vt apud Nicandr. in Theriac. apud Diosc. Galenum, & alios [illegible]. Alciphroni: Dioscor. Pistacia similia Pineis nucibus [[illegible]] dicit. Nicander eidem germina Amygdalii tribuit, locúmque natalem docet.

[illegible]

[illegible]

Psittacia.

Sunt tamen qui [illegible] apud eundem Nicand. legant, vt Dodon. & alii. Sensus est: quaecunque sub Indum murmurantis Choaspi fluxum Pistacia cum germinibus suis Amygdalis similia videntur. Vnde Marcellus suspicatur, quoniam apud Diosc. [illegible] legatur, ex his voculis, [illegible], speciem aliquam apud Diosc. deesse: posset ergò ex Lonicer. sententia ita instaurari ex hoc Nicandri loco: [illegible]: quae verò in India apud Choaspum proueniunt, Amygdalis sunt similia. Marcellus pro [illegible] legendum censet, id est, nummus: quam veram & antiquam huius loci lectionem putat, facilémque fuisse in vna tantùm syllaba ad vitium lapsum. Sed huic difficultati iam consultum ex vet. codice, in quo, teste Sarac. legitur [illegible], omisso [illegible]. Sic sensus integer est, si vera sit lectio: quod si alicui fortè non sapiat, suspicari etiamnum possit, speciem aliquam apud Diosc. omissam, quod & Pallad. duas faciat, vt dicetur, aut recurrere ad priorem lectionem.

Diosc. illust.

Diosc. locus emend. ex Nicand.

In Nucum genere Pistacia nota, inquit Plinius. Hermol. scribit Venetiis hanc Iudaeco vico satu seminis enatam vidisse, folio maiore, quàm Lentisci. Nicander Colophonius Psittacia [[illegible]] vocauit, & alius Nicander, vt idem Hermol. testatur, Phistacia, sunt qui Listacia [[illegible]] vt Possidonius. Inuenitur & Astacia scriptum in Poetis.

Psittacia. Phistacia. Listacia. Astacia.

Digitized by Google

Athen. auctor est Terminthos siue Terebinthos credi solitas à nonnullis, quæ nunc Syri Pistacea vulgò appellant: foliorum similitudine, vt arbitror fallente.

Fistica. Offic. *Fistica*, & *Fisticorum grana* vocant: itemque sequaces seplasiorum medici: qui malunt corruptam vocem sequi quàm geminam, vel meliorem nesciunt.

Ruell. teste in Parisiensi agro in ædibus D. Mariæ satu seminis enata, folio maiore, quàm Lentisci, ita in ordinem vtrinque deposito, distantioribus frondium interuallis. *Pustech.* Serapio *Pustech*, voce nimirum, vt putat Tragus, à Pistaciæ nomenclatura deflexa nominauit.

Thereb. Indica. Matthiolus Pistaciam arborem legitimam Indicam Theophrast. Terebinthum nulla dubitatione esse censet: In Italia vidisse foliis Lentisci maioribus, colore ex viridi in luteum inclinante, ac eodem ordine extremis ramusculis emergentibus, è quibus racematim suis quæque pediculis pendeant Pistacia. At postremis comment. omittit, quod de foliis Lentisci tradit, quasi priùs vera *Matt. not.* non dixisset: Nunc verò ait totam arborem Terebintho similem: explicasset saltem priorem sententiam, ne lectori fucum fecisse videretur.

Terebinthum Theophrasti in India nascentem non contemnendis coniecturis Dioscoridis Pistachium credidit esse Io. Vincent. Pinellus. Sunt etdim Pistacia & foliis & arbore Terebintho simillima: quanquam nescio, ait Marantha, quo pacto Mattholi pictura serratas in ambitu reddat frondes: quæ ita reuera non sunt, sed nihil à Terebinthi euariant foliis. Adde quòd Pistaceorum arbor resinifera est, & in Sicilia passim in Terebintho inseritur, & pulchriores suauioresque fructus profert: quibus induci possumus ad credendum Terebinthi speciem esse. Quod vel illud magis persuadebit, quòd Theophrast. nullam facit mentionem de Pistaciis: vel quia ex India non adhuc in Græciam allata esset huiusmodi planta: vel quòd sua tempestate sub Terebinthi Indici nomine Pistacia noscerentur: paulatimque progressu temporis in hoc nomen transierit.

Porrò quod opinionem de Terebintho Indica Theophrast. attinet, eam non omnino reiicimus: quid tamen de ea re sentiamus, indicabitur seq. c. de Terebintho Indica.

Ryff. annotat Pistacea vel Pistaia Nicandro dici, quem locum nondum vidimus.

Pistacea. Pistaia. Pistachium plantam Terebintho similem dicit Anguill. ideoque Terebinthum Indicam Theophrast. vocari.

Lacunæ not. Lacuna aliquid noui suo figmento sapere voluisse videtur, quando nouam, ab aliis diuersam, foliis serratam, breuiter confictam iconem proponit.

Turner. testatur se arborem pumilam adhuc Bononiæ vidisse, verùm folia nihil cum Len- *Matt. not.* tisco habere simile, vt scribit Matthiol. præter cre- *Hermol. & Ruell. not.* scendi ordinem, formâ, magnitudine & colore differentia. Eadem ratione & Hermol. & Ruellius censura digni, qui idem tradidere. Nos veram descriptionem ex ipsamet planta dedimus. Ipse verò etiam Turner. præter descriptionem propriam, figuram non laudabilem ponit, cui additi fructus: qui vix nisi in pumila adhuc arbore.

Rob. Const. Syriacas Nuces Pistacia interpretatur. Terebinthum Indicam Lob. & Pen. aper- *Pistacia vnde.* tè tradunt esse Pistacia Diosc. ac addunt: à nucleis Piceæ strobilos imitantibus πιστάκια dictas. Item in Obs. Pistacia cum corniculis. Quo loco miramur à Lob. pingi cũ corniculis, & tamẽ referri ad *Lob. not.* Aduersaria, vbi aliam posuerat iconem Pistaciæ à *Cornicula. Folia acuta.* se visæ, sine illis corniculis, & quorum etiam ne verbulo quidem meminit: saltem indicasset vbi vidisset aut legisset. Vtrobique folia pinguntur acuta quemadmodum & à Camer. apud Matthiol. ipseque adeò Matthiol. & hunc secutus aut imitatus Tabern.

Dodon. duas icones habet: vnam cui titulus Pistaciorum arbustum: alteri, Pistacii ramulus cum fructu & corniculis, quæ eadem cum Lob. posteriore: Verùm corniculorum tantùm titulo tenus meminit: vtraque folia acuta habet. Loniceri icon non est folio acuto. Sunt nobis rami Pistaciæ, in quibus folia acuta, quamuis in ramo Lutetiæ collecto quædam folia sint penè rotunda in eodem ramo.

Rauuolff. suæ Pistaciæ omnia folia adpingit rotunda: quapropter diligentioribus considerandum relinquimus, an sit aliqua inter Pistacias diuersitas.

Tereb. Indicam Theophrast. statuunt Dodon. *Thereb. Indica.* Camer. Clus. Sed hic parùm consideratè in Hi- *Clus. not.* spanicis hist. ait omnium consensu esse Terebinthum Indicam. Cautiùs in historia postrema dicit, plurimorum consensu. Rauuolff. testatur Pistacias arbores circa Alepum *Fistach* appellari: *Fistach.* iisdem confert Terebinthi nuculas peregrinas, quibus satis similes dicit, nisi essent breuiores: alioqui non minùs bonas, de quibus seq. c. specialiùs.

Cæsalpinus quoque prorsus sibi persuaserat Pistaceam esse Terebinthum Indicam Theophrast. Ait enim Theophrast. non solùm nostratem Terebinthum indicare cui paruæ sunt baccæ, sed & Pistaceam, cuius fructus grandiores vtiles in cibis *Pistacea.* afferuntur, aut Pistacea ex Syria, quanquam & in Sicilia proueniant. Nucleos esse oblongos, paulò crassiores Pineis, aut Auellanam longam referentes: cortice albo, crustoso magis quàm osseo, externa tunica arida, subnigra & decidua: medulla interna viridi, dulci, & subacri. Arborem quæ ex eius satu aliquando apud se, [Pisis aut Florentiæ] prouenerit, magnam esse, foliis Terebinthi aut Siliquæ, perpetuis: florere in cacuminibus racematim vt Rhus, exiguo & rubro flore. Hanc Theophrast. Terebinthis annumerasse, cum aliàs *Terebinthus.* Pistaciorum non meminerit: testari & Athen. credi à nonnullis Terebinthos, quas Syri vulgò Pistacia appellant.

Et certè, nisi Rauuolffius nobis demonstrasset Terebinthum Theophrast. de qua seq. c. indubiè & ipsi sentiremus non tantùm cum Cæsalp. sed & cum Anguil. Athen. Matthiol. Lob. Camer. & Clus. Pistaciam esse Terebinthum Theophrast. sed Ἀντίπας ἐγεννήθη vicère.

Ex quo verò autore Ruell. scribit Pistacea in Syria nasci ex arbore omninò nuda, præterquam ramorum cacuminibus, nos latet. Fortè ipsemet nesciuit. An eæ sint arbores, quas Plin. ait in Syria peculiares nasci? Peculiares quoque si foliorum species rotunditatẽ, videntur esse quas Rauuolff. depingit, & ipsas in Syria notas, de quibus paulò antè.

Fustech. Serap. interpres *Fistici* reddit: Cordus *Synonyma* etiam *Phistica* vocat, vtraque vox vulgi errore detorta videtur ex Arabica: quibus & *Pistech Pustech* aut *Festuch.* Offic. & Barbaris *Fistici* circa Tripolim & Alepum *Fisthic.* Germ. Welsch pimpernüßlin. Belg. *Fistici.* Gal. *Pistaches.* It. *Pistacchi.* Hisp. *Alhocigo, Alhocigos.* Catal. *Festucs.* Portug. *Fisticos,*

Fisticos. Bohem. *Pistacya.* Angl. *Pistacies & Fisticks.*

differentia. Præter foliorum varietatem, qua vel natura ludit, vel autores decipiuntur, si non sit speciei quædam varietas atque distinctio, vnicus, quod nobis quidem constet, Palladius cum Damogeróte Maris & Fœminæ differentiam agnoscit. Marem, inquit, dicunt, cui sub Corio velut ossei videntur latere testiculi: quibus verbis quid sibi velit fatemur nos nescire. Omnes enim fructus Pistaciorum, qui ad nos importantur, inter se sunt similes. Staphylodendro quidem fructus geminus intra corium latitat velut testiculi, non tamen Pistaciam marem dicimus.

Mas & Fœmina.

Locus. Pistacia ex sententia Palladii, amat locum calidum, sed humectum, & rigatione gaudet & Sole. Hæc autem tradente Diosc. in Syria nascitur, vbi & Galen. vbertim nasci testatur, præsertim verò Alexandriam earum esse feracem, sed in primis Berrhæam oppidum Syriæ. Hanc L. Vitellius, qui censor fuit, in Italiam primus intulit è Syria, cùm Legatus in ea Prouincia fuisset, nouissimis Tiberii Cæs. temporibus: simúlque in Hispaniam Flaccus Pompeius, eques Romanus, qui cum eo militabat, authore Plin. qui & Syriam peculiares habere scribit arbores. Nicander in India apud Choaspum amnem Pistacia nasci, suprà citatis versibus testatur. Ruell. in Parisiensi agro, in ædibus sacris D. Mariæ satu seminis enatam vidit. Bruyer. in tractibus Galliæ quibusdam satas vidit arbores, sed haud temerè peruenire dicit ad maturitatem: ita nec in Gallia Narb. obuiam eam arborem quanquam cœlum solúmque habeat huiusmodi arboribus aptum.

Rauvvolff. narrat, cùm tenderet ex Tripoli ad vrbem Damandt & Halepum, vidisse circa vrbem Sermin syluas arborum Pistachiorum, quæ ibi coaceruantur, & Tripolim deportantur, vbi nostris mercatoribus venduntur. Secus vias quoque obseruasse, potissimùm in vico Bafilo. Circa Halepum quoque vulgatam admodum esse. Arborem qualem in hortis Italicis vidisse Lobel. scribit, etiamque in horto Pharmacopœi ad Londini in Anglia mœnia, prorsum [inquit] dicas Terebinthum. Coluntur in Italiæ & Galloprouinciæ locis quibusdam, sed maturitatem non assequuntur. Anguill. in Italia prouenire tradit, sed fructum non ita bonum, vt in Aegypto & Syria. Proueniunt & in Sicilia in Agrigentino, vt refert Cæsalp. Vt Matth. Pistacia quorum est communis in Offic. vsus, ex Persia, Arabia & Syria Venetias importari solent. Horum arbores [addit] Venetiis, Caietæ, Neapoli, & in aliis Italiæ locis vidimus. Quidam doctus vir perhibuit, sibi demonstratam in hortis Carthusianorum Parisiensium. Lugduni vidimus arborem per aliquot annos durantem, vbi etiam fructus tulisse, testatur Hist. Lugd. Item Geneuæ quondam visa nobis in quodam horto. Fructum qualis copiosè Lugdunum importari solet, aliquoties terræ commisimus in horto Montb. sed frustra. Ramos binos habemus, alterum Lutetiæ collectum in horto Robini insignis Botanici regii: alterum cum fructibus satis magnis: vnde accepimus, non ampliùs recordamur.

Satio. Pistacia ex sententia Pallad. seruntur Autumno & mense Octobri sobole, & nucibus suis. Sed meliùs ipsa Pistacia iuncta ponuntur mas & fœmina. Qui diligentiùs facere voluerit, pertusos calyculos, & stercorata terra repletos parabit, & in iis Pistacia terna constituet, vt ex omnibus germen quodcunque procedat; quòd vbi conualuerit planta, hinc faciliùs transferatur, mense Februario.

Serendi modus.

Diophanes nucem integram, suísque putaminibus illæsam, ac ne desquammatam quidem plantandam præcipit. Damageron circa Cal. April. serebat, maris & fœminæ coniuncto matrimonio, sed ita vt maris dorsum ad Fauonium spectaret. Sic enim matricis coniunctis largiorem fructum, vt ille promittit, producent. *Vt largius fructificet.*

Inseritur & eodem tempore, & in sui generis arbores, & in Terebintho, & vt idem existimat, Amygdalo. *Insitio.*

Paxamus iubet scrobes priùs faciendos esse locis apricis, & optimè insolatis, probè subactos, & accipiendos arborum stolones aut viuiradices nouellas, vegetas, easque vnà colligatas in scrobem demergendas, Luna secunda, terráque in ambitum accumulata scrobiculos adimplendos, & sufficienti stercoratione pastinandos. Sed operam dandam, vt octonis diebus rigentur, & denuò rursus constringantur. Postquam verò triennales facti fuerint caudices, ablaqueatione factâ, effossisque scrobibus fimum adiiciendum, & impulsò altiùs trunco, aggere vndique probè muniendos, vt cùm arbor in vastam exiret proceritatem firmiùs stet, aduersus ventorum impetus. *Cultus.*

Didymus in Georgicis suis quoque ait Pistacion in Amygdalum inseri. Et Pallad. inseri Terebintho tradit mense Febr. vel Martio: at secundum alios & Amygdalo inseri posse, de qua re hos fecit versus.

Quin & Amygdaleos subeunt Pistacia ramos
Et debitum mane de breuitate petunt.
Hac & signato cingens Terebinthus amictu
Nutrit ad spissum nobilitanda comis.

De repositione institores eorum locorum, vbi proueniunt, aut qui aduehunt curiosi sunto. Nobis sufficiat hoc loco de delectu aliquid dixisse. Ergo deligantur maiora, ponderosiora, & candidissima, quæque adeò sua sponte modicè dehiscant, nucleum recentem, non rugosum neque rancidum continentia. Nam quæ ab his notis recedunt, aut inutilia, aut certè parum grata minúsque proficua sunt. Possunt tamen & ista confectionibus sugillata curantibus immisceri, ex iudicio Cordi. Syluius recentia eligi suadet, nucleo intus herbaceo, sapore iucundo. Incrustantur à seplasiariis sacchara, sed perit vetustate gratia: rancida enim vt cæteræ nuces fiunt. *Delectus.*

Pistacia Dioscor. stomacho grata sunt. Eadem siue edantur, siue trita in vino bibantur, aduersus reptilium bestiarum morsus opem ferunt, quod posterius & Plin. confirmat: alioqui eosdem vsus & effectus habere quos Pinea nuclei. Fructus Pistaciæ, vt scribit Gal. quodammodo tenuioris essentiæ est, subamarum quid & odoratum habens. Obstructiones itaque liberat, sed maximè iecoris, veruntamen etiam thoracis pulmonisque. Et alibi: parum quidem nutriunt, verùm ad hepar roborandum, & succos in ipsius viis infarctos purgandos vtiles sunt: qualitatem enim habent aromaticam, subamaram & subadstringentem. Porrò non ausim affirmare vllam ex ipsis stomacho accedere vtilitatem aut læsionem insignem: quemadmodum neque quòd aluum deiiciant, aut sistant. Et in lib. de med. expertus Galeno falsò attributo. Decoctio Fistici confortat stomachum, & mundificat canales pulmonis & hepatis. At nos nullas eiusmodi vires in cortice deprehendimus, nisi fortè sint in extimo recentium, antequam ad nos aduehantur, aut in cortice arboris itidem recenti. Sic de Dynami-

Vires & vsus.

Obstructiones.

Temperã.

Stomachus.

Digitized by Google

diis eidem attributo opusculo Fisticorum fit mentio in Antidoto ad Lumborum dolorem, & frangendos lapides, & vt lumbi pinguescant.

Gal. integritas. Cæterùm consideret hoc loco Lector insignem Gal. modestiã & in tradendis suis scriptis posteritati prudentiam integritatémque, qui ne nobis imponeret, nihil inexpertum literis mandare voluit. Non audet vti vides affirmare, an stomacho prosint vel obsint: aluúmne moueant, an cohibeant, vt vel hinc coniici, imòo quasi sciri possit, non nisi assidua experientia cum fide explorata, ne vitam salutaribus fraudaret, prodidisse.

Tantò magis ridendi neotericorum multi, qui vix cognita pro certis experimentis produnt, fucũ potiùs simplicibus, quàm commodum Republicæ medicæ præstantes: de quorum perfidia vel vanitate aliquando ridebit posteritas. Paulus Aegineta Galeno posterior, moderatè grata stomacho censuit, easdémque vires obtinere Amygdalis, in expurgandis visceribus atque thorace: præstantiora verò in leuandis iecinoris anfractibus.

Aetius tenuioris esse substantiæ, & cætera Galeno consimiliter scripsit. Simeon Sethi ait parum nutrire: reliqua quæ habet iam dicta sunt, nisi quòd addat, oleum quod ex Pistaciis confectum *Oleum Pistaciorum.* est, conferre pectori, renibus & pulmoni.

Auic. scribit: Fistici calidiores sunt quàm Nux & Amygdala, suntque calidi in fine secundi, cũ *Temperamentum.* aliqua humiditate. Quidam perperàm existimarunt frigidos esse. Hepatis obstructiones & par- *Hepar.* tium nutritioni dicatarum liberant, propter suam amaritudinem & vim aromaticam, conferuntque *Stomachus.* stomacho. Oleum eorum prodest in do- *Nausea.* lore hepatis ab offensu succi crassi & pituosi: ar- *Vomitus.* cet nauseam & vomitum, & confortat os stomachi. Aluum nec soluit, nec retinet: habent ta- *Cordiale.* men viscidam quandam & aromaticam adstrictionem, propter quam tradunt exhilarare cor idque corroborare: eáque propter inter theriacales medicinas connumerantur.

Venerem excitant. Amato teste, Venerem stimulant, & apprimè nutriunt, quibus de causis hodiè bellariis instaurantibus & reficientibus ἀναστατικοῖς Græcis dictis commiscentur, tam ab Hispanis quàm ab Italis & Gallis medicis.

Rabbinus Moses de Aegypto ex omnibus fru- *Præstantissimi fructuum.* ctibus Fisticos præstantissimos æstimat. Non abs re miratur Alois. Mundella, cur Trallianus lib. 3. *Cur Venerem stimulent inquiritur.* cap. de Dysenteria ex frigida hepatis intemperie facta ita illa damnet, vt certissimè putredini obnoxia, & in bilem conuerti, ideóque summè in morbo vitanda, maximè cùm Gal. ea probet ad iecur refocillandum & tum ipse tum plerique alii Stomachica dicant. Illud quoque dubio non caret, qua ratione Venerem stimulare credantur, cùm modici alimenti perhibeantur à Gal. neque flatum generare constet, neque humida esse, cuiusmodi solent esse ea, quę Venerem prouocant & incendunt. Generant siquidem semen, quæ vel probè nutriunt, vel tota substantia familiaria sũt, vel acrimonia aliqua incitant, vel denique flatu generant. At horum neutrum manifestè in Pistaciis deprehenditur, nisi quis fortè velit substantiæ proprietatem id præstare, credere, eandemque vti tanquam portitore aromatica illa qualitate, & fortè etiam plus nutrire, quàm vulgò credatur. Nam siquidem restaurantibus accenseantur, talia autem optimè nutriant, & quæ optimè nutriunt, semen prolificum quoque gignant, certum est & hac vi, & insuper suo calore & vegeto, nec nimio tamen, & fortè etiam substantię similitudine Venerem ciere posse. Hæc propter medicinæ conditatos: alioqui in historia potiùs ὅτι ἐστι, quàm διότι tractandum scimus, & ab omni disputationis ambitu non necessario sibi temperandum esse.

Matthiol. quoque à medicis ad conciliandam *Venus.* Venerem, & ad pinguedinem inducendam maciе *Impinguare.* & Marasmo affectis, commendari tradit. Perpe- *Marasmus.* ràm facere Pharmacopœos qui odoratam cuticulam nucleis detractam abiiciunt: inesse enim huic *Cuticula nuce adhærenda.* cuticulæ vim quandam sensim constringendi, & viscera corroborandi. Pistaceorum oleum potum *Oleum.* dolores internos sedare, quibus origo sit à pituita *Dolores.* viscida & flatibus. Idem prodesse contra spasmũ *Spasmus.* & Paralysin, & interno vsu facere ad generatio- *Paralysis.* nem.

Dalechamp. in 6. lib. Paul. Aegin. cap. 40. Si fortè [inquit] in sectione venę basilicæ vulneretur subiecta arteria, Albucasis putaminis Pista- *Putamina eius.* cii fissi partem mediam [vt cui vis sit adstrictoria] superponi iubet cum plagellis & ligatura; itáque *Arteria secta.* dimittendum in diem insequẽtem. At nobis pro- *Albucasis & Dalec.* fectò non placet Albucasis medicamentum hoc: non enim tanta adstrictio cortici, vt multùm præ- *Tutamenta eius.* stare possit ea ratione impositus: præterea cauitas eius exitum præbere videtur sanguini arterioso, non benè comprimendo arteriam, quod Dalech. annotare debuisset.

Rauuolff. refert in Halepi finitimis locis Aethiopes verno tẽpore recentes colligere turiones, priusquam se explicent folia, eosdémque in acetariis præparare, sicut nos asparagos. Finiamus Pistaciorum vires hoc Fieræ Distycho.

Igne Nuces superat, renes iuuat, & iecur humens
Pistaceum hic stomachi Cœna senilis amat.

TEREBINTHVS INDICA MAIOR FRVCTV ROTVNDO.

CAP. XIX.

Descriptio. TErebinthũ Indicam cũ Theophrast. plerique existimarunt esse Pistaciam arborem vt patuit cap. præcedenti. Huius *Nuces.* porrò Terebinthi Indicæ nuculę Pistaciis bonitatę nõ cedunt, in quibus præter saporem salsum, inest mediocris quędam siccitas. Pistaciis etiam satis similes, sed breuiores & rotundiores, extremis pendent vt illa, vel potiùs vt bacca Terebinthi, pro qua etiam nonnullis habentur, potissimùm quia arbores suis maximè foliis longiusculis Terebinthi foliis satis similes, quæ notã facilè quoque à Pistacia arbore distinguuntur cui folia rotundiora speciosaque, vt testatur Rauuolff.

Pistacia Indica. Pistaciæ Indicæ Nicandri præcedenti quidem capite meminimus, adscriptis eius verbis, quæ for-

tè

ad hanc haud temerè quis referat, quòd hæc ipsa adeò Nicandri Pistacia Indica videri possit.

Terebinthus Indica.

De sua verò Terebintho Indica sic scribit Theoph. l. 4. c. 5. Ferunt & Terebinthum in India haberi, alij similem arborem Terebintho: cui folia & rami & reliqua omnia Terebintho similia, fructus autem diuersus, quippe qui similis sit Amygdalis. Sed & in Bactris Terebinthum esse, ferréque nuces Amygdalarum magnitudine; verùm non magnas, sed aspectu similes, & suauitate Amygdalis etiam præstantiores, & ideò loci illius homines his potiùs vti.

Amygd. similes

Iam antea monuimus hanc Terebinthi Indicæ descriptionem Theoph. satis bene conuenire Pistaciis antè dictis. Verùm cùm in ipsa quoque India reperiatur arbor correspondens, & quæ nomine quoque conueniat, maluimus hoc loco potiùs recitare quæ Theoph. de ea scribit, quàm c. de Pistaciis.

Synonyma *Terebinthus Botin. Terbauk.*

Peregrinæ hæ Terebinthi nuculæ, authore Rauvvolfio Itiner. Arab. *Botin*, Persis *Terbauk*, *Botin quibir*.

Idem censet maiores has nuculas esse *Bel* Serap. Auic. & Rhasis, quæ potissimùm in India proueniunt: & Theoph. Indicam Terebinthum. I tem parte quarta, vbi figuram proponit, Indica Terebinthus Theophr. Arab. *Botin* & *Albotin*. Germ. Groß Terebinthen nüßlin. Serap. tract. 2. Mesarugiæ Albazari & Rhasi authoribus *Phel* Pistachiorum aliud genus Rauvvolfii. Cam. Terebinthus Indica 1. Theoph. Hist. Lugd.

Albotin.

Locus.

Magni Champ Officinæ & loca vicina abundant Terebinthis Indicis. Copiosè proueniunt in Aegemia aut Persia, Mesopotamia & Armenia. Rau.

Vires. *Hæmorrhoides.*

Mesarugiæ, vt scribit Serap. *Phel* est medicina calida & sicca: Albazari & Rhasi confert ventositati hæmorrhoidum.

TEREBINTHVS INDICA FRVCTV PARVO, AD CORCVLVM accedente.

Descriptio

Terebinthi Indicæ alterius nuculæ cum suis putaminibus, magnitudine ferè sunt Pisi, rotunditate accedunt ad Coreulum aut Doram, id est Indicum Milium, in cæteris similes præcedenti.

Locus. Synonyma *Bel.* *Botin Sougiar.*

Ibidem vbi & præcedens nascitur Rauvvolf. cui *Bel* Serap. Auic. & Rhasi: *Botin Sougiar* Arab. German. Kleine Terebinthin nüßlin.

Vires. *Defluxio. Podagra. Hæmorrhoides.*

Serap. tract. 2. Eben Amran. Bel est Medicina Indiç. Calidum & siccum est in tertio gradu. Confert defluxioni in neruos & articulos, & podagræ, semen prolificum auget: Mesehar: Prodest etiam ventositati hæmorrhoidum.

TEREBINTHVS.

CAP. XX.

Descriptio

Arbor est Terebinthus, sed quæ Clus. teste, maxima ex parte fruticat, ramis longis, raris, cinereo cortice tectis, nec ea quidem quantùm animaduertimus, frondis sue per hyemem tenax. Primus ferè est florum verno tempore apparatus, quos è ramulorum tuberculis copiosos in longo racemo producit, meris stamineis fibris purpurascentibus contextos. Hinc se explicant in alam folia, quæ quàm non semper æquali situ, Laurinis similia, sed magis obtusa, [Pistachus & eiusdem odoris Cl.] coniugatim vt in Sorbo nascentia, subrubentia, quæ crebris obliquis neruulis percurruntur. Fructus delapsos flores excipiunt, parui, ex rotundo oblongi, rubentes, Carpobalsamo Offi: penè similes, resinoso lentore viscidi, nucleum continentes. Pro Carpobalsamo, ab impostoribus interdum diuendi putamus.

Flos. *Folia.* *Fructus.*

Obseruauimus sæpè in Terebintho copiosum excrementum, vesicis instar, vt in Vlmo: in extremis etiam ramulorum cartilagineæ substantiæ cornicula rubentia, quatuor, quinque aut sex digitos longa, aut etiam longiora, quibus apertis lenta saliua in conspectum se dat, quà inuiscati hærent culices parui, alati. Abundat hæc arbor resinâ.

Folliculi Terebinthi *Cornicula.*

Bellonius annotat etiam Gallas ferre, de quibus in viribus. Videntur autem Corniculorum tantùm primordia esse.

Galla.

Terebinthum Theophr. inter ἀείφυλλα ἄγρια, inter arbores syluestres, quæ semper folia habent, ponit. Eodem authore, alia mascula est, alia fœmina. Mascula non fert fructum, ideò [inquit] marem nominant. Fœminarum autem alia fructum protinùs rubrum fert, magnitudine Lentis, qui coqui nequit. alia viridem (χλωρὸν: alij χλωρὸν legunt vt Plin. qui pallidum vertit) primò editum, postea rubentem, & cum vua maturescentem: postremò nigrum, magnitudine Fabæ, [[illegible]] resinosum. [[illegible]: Dal. legendum censet [illegible], id est Thyiæ fructui similiorem: Gaza legit [illegible], sulphurosum: Plin. vertit odore iucundiorem, quasi legisset [illegible] quam lect. Const. veram putat: sed & vulgata illa bona est, & fortasse hac melior, & inter omnes optima.] Arbor autem est circa Idam & Macedoniam, breuis, fruticosa, contorta. Circa Damascum Syriæ, magna, frequens & pulchra. Montem enim aiunt inibi admodum magnum Terebinthis refertum. Sed in quo nulla alia arbor gignatur. Materies ei lenta, [γλίσχρα] radices validæ & profundæ, & tota arbor incorrupta.

Semperuirens. *differentiæ.* *Theoph. de lustr.*

ca vindemias, dum maturuit virescentem.

Pudis. Ryff. not. Terebinthus arbor, inquit Ryff. cuius picturam damus, iuxta Monspessulum nascitur, *Pudis* appellata. Ast non satis mirari possumus quorundam temeritatem [vt ne quid dicamus grauius] de stirpibus historias compilare audentium, qui nihil minùs sunt, quàm Botanici, vt ex eorum scriptis facilè quiuis, & passim deprehendat, vel semestris Herbarius: atque adeò planè incognita sibi prodere non erubescentium, vt eo abierit etiam fingendi licentia, vt falsas pro veris introducere audeant figuras: qualis est Ryffii, nullo modo Terebinthum exprimens, immò, vt existimamus, nullam plantam naturalem. Et tales sunt, qui vulgi manibus triti, exotica, si Diis placet descripsisse putantur.

Anguill. ex Theoph. annotat: Terebinthum aliam magnam, aliam esse paruam.

Lob. & Pena de Terebintho sic tradunt. Coccinæ racemorum bacculæ aut acini rubelli similes & concolores quadantenus Ciceri nomen Terebintho obtuerunt fecisse: nam *ἐρέβινθος* Græcè Cicer est. *Terebinthus vnde dicta.* Huius autem semper virentis & perpetuifoliæ, nullus collis aut deuexus paulò apricior Narbonæ aut Galloprouinciæ non feracissimus, vbi duas folio tenus discernendas meminimus. *Differentia ex foliis. Angustifolia Latifolia* Frequentior quippe est angustiore Lentisci positu (non Fraxini, vt Senensis) colore & habitu, folio duplo maiore. Alteri autem folia multò latiora, rotundiora, vicina Lauro & Pistachiæ, adeò vt eminus intuentem fallat. Vuæ vtrique eædem, acinulis, quàm Lentisci, minoribus, coccineis, purpurantibus: demùm ex viridi in cœruleum maturescentibus, non per initia, (vt putauit radiatus Apollo) flore Lentisci aut Sumachi racemosi, *Apollo reprehen.* folliculi cartilaginei, teretes, aut cornici, angulosi, vel sphærici: vnde culices è fuliginoso excremento euolant, succo similari ad Balsamum laudato effluente. Vberiores, & adultiores sunt, arboream proceritatem affectant: & ferro vulnusculis factis, in Valena Sylua Monspeliensium, sæpiùs nobis non paucam Terebinthinam extillarunt lucidam.

Apollo excusat. Cæterùm si reprehendatur Apollo, cur non potiùs Theophrastus ex quo transcripsit? Hoc sanè arguit, Pen. & Lob. non consuluisse Theophrastum, aut eius verborum non recordatos. Quamuis Matth. supra vulgus neutiquam fuerit in cognitione stirpium versatus, vt ex diuersis eius commentariis, potissimùm prioribus, vel leuiter peritis apertum est, veritati tamen studentes, hoc loco à vero neutiquam deflexisse, vt Pen. & Lob. sibi persuadent, statuimus. Positus Lentisci, Terebinthi similis, addamus & Fraxini, quatenus positus: vt ne quis nodum quærat in scirpo. Coniugata folia vbique magna ex parte, eadémque situ & ordine, si impar supremum existimas (in Lentisco, cui plerumque deest) disposita, vt patebit dictarum arborum ramos diligenter conferenti. Notandum verò, eos Terebinthum perpetuifoliam facere: num rectè, ipsi viderint. Cæsalp. profectò in Italia deciduis esse foliis testatur, quamuis Theoph. inter perpetuò virentes recenseat.

Diosc. locus correct. Cæterùm Diosc. [vt annotat Lob.] dicit: Adulteratur Carpobalsamum semine Hyperico simili, quod è Petra oppido defertur: sed minimè ita legendum videtur, quamuis & Plin. ita habeat, sed petræa Terebintho. *Petræa Terebinthus Adulteriũ Carpobalsamo* Terebinthi resinam ex Arabia Petræa deferri asseuerauit Dioscor. Apparet Carpobalsamum Terebinthi fructu adulterari posse, quemadmodum euenit hodie. Sed in hoc

solùm differunt, quòd Terebinthi fructus immaturus inanis sit, minúsque rotundus, & vtraque parte magis acutus.

Synon. linguar. *Τέρμινθος* Theoph. Diosc. Polluci & Græcis: Apud Theoph. etiam *τερέβινθος*, Et Pollux, *εἴρηται δ' αὐτὰ τὰ τερμίνθου ὁ καρπὸς ὑπ' ἐνίων καὶ τερέβινθος*: eius resina *ῥητίνη τερμινθίνη*. Plin. & Latinis atque Herbariis vulgò Terebinthus. Et resina, Terebinthina. Monachi apud Meletiam Terminthum, & ab ea Terminthinam resinam dicunt. Arab. *Helcalimbat, Albotin*, siue *Botin*, vel *Boton*, aut *Baton* à Rhasi *Haelibalmibir* scribitur. Gluten *Alimbath*, siue *Alimbac*, siue *Alimbach*, seu *Olimbath*, seu *Albotin*, *Albothin*, idem quod Terebinthina. Nonnullis Hebræis *Batnen*. Gen. 41. nominatur: Resina iisdem *Zari* Ieremiæ 51. Gen. 43. teste Lonic. Germ. Terbenthinbaum. Gal. *Terebinthe*. Ital. *Terebinto*. In *Abruzzo* comitatu de Roca Scaligna vocatur *Trinente*. Romæ Cornucapra: In Patauina ditione Lentisco, teste Anguill. Cornucapram Italis dici propter folliculos cornu similes, annotat Camer. Hisp. Castil. *Cornicabra*: Catal. *Lo abre del pi.* *Cornucapra.* Belg. Terpentijn ost termenthijnboom.

Lob. duas icones habet, vnam, titulo, Terebinthus cum flore: alteram, Terebinthus maior. Totidem & Tabern. 1. Terebinthus. 2. Terebinthus latifolia.

Locus. Resina Terebinthi ex Arabia Petræa conuehitur. Prouenit tamen etiam in Iudæa, Syria, Cypro, Africa & Cycladibus insulis, authore Diosc. Plinio verò montes amat Terebinthus. Theoph. *Olea in Terebintho.* tanquam rem miraculo proximam narrat, Terebinthum visam in Olea, & Polypodium vocitatum in quibusdam arboribus. Nobis verò non videtur mirabile granum Terebinthi in aliquam cauam Oleam incidisse, & ibi germinasse etiamq; excreuisse, vti sæpiùs vidimus in Quercubus Salicibus & eiusmodi, alias prouenisse arbores. Mirabiliùs est in præaltis muris, vt castrorum vetustissimorum fastigiis, summis montium ac præruptis iugis atque saxis nasci arbores, quales non rarò conspiciuntur. Quasi verò non eò delata fuerint olim semina, vel per ventum, vel ab auibus, vel ab animalibus etiam quadrupedibus, vt sunt Mures, Sciuri, &c.

Cæterùm lubenter prouenit locis siccis, lapidosis & Soli expositis, vt testatur Matth. qui primam se vidisse gloriatur in colle vulgò cognomine *Castel Trento*, non procul à ciuitate Tridenti prope Athesim, à Theoph. historia haudquaquam dissimilem: ipsamque deinde reperisse in aliis compluribus Hetturiæ locis, videlicet in collapsis Romanorum ædificiis ac rudetibus: sed frequentem admodum in lapidiæ collibus, propè Pucinum castrum, Adriatico sinu non longè à Tergesto. Et Bellon. In Creta [inquit] proueniunt. Inter Siderocapsam & vrbem de la Caualle, olim nominatam Bucephalam, sunt monticuli, in quibus Terebinthi non crescunt in magnas arbores, vt fit in Insula Corfu. Sed cùm regio rupibus aspera sit, non altiores Corylis proueniunt. Gignuntur & in montibus circa Hierosolymam, circa Libanum: in Cilicia & Syria. Inuenisse se scribit rusticum Arabem ducentem Camelum oneratum seminibus Terebinthi: proximos enim montes refertos esse eiusmodi arboribus, ex quibus Gummi colligunt, quod vendendum ferunt Damascum, quod autem in Cairo *Gummi* venditur: adferri ex regione Turcis dicta Asania; Latini vocarunt Chaldeam, cuius caput Babylon. Turcæ comprehendunt sub Asamia Mesopotamiam & Assyriam. Constantinopoli in Officinis

vendunt omnes semen viride Terebinthi, & eius resinam, quæ dura est.

Resina dura.

Verum Terebinthum, si Thurnisio credamus, hodie etiamnum alit Aegyptus & Tmolus Lydiæ. perhibetur & in monte Horeb Libanique syluosis iugis crescere. In agro Romano circa Virgouarum Castellum Vesinorum sunt Terebinthi altissimi & crassissimi, sicuti etiam in Sclauonia supra Zaratinum in insula Sala. Sed qui nascuntur in Tuscana & Lombardia & in Abrusso, parui sunt, atque contorti, Angul. Venetiis in Franciscano cœnobio reperitur, & in montibus, prope Veronam & prope Tridentum iuxta Episcopi arcem. In Germania nusquam vel sponte nascitur, vel in vllo [quod Cordus & Gesnerus quidem se scire aiunt] horto reperitur. Sponte quoque, teste Clus. prouenit plurimis Hisp. & Lusitaniæ locis, quemadmodum & Galliæ Narbonensis, vbi interdum in arboris formam assurgit, sed maxima ex parte solummodò fruticat. Nusquam, quod ille sciat, commemoratis locis resinam & Terebinthinam elici. Circa Monspelium in syluis Aegremont & Valeua sponte nascentem sæpissimè vidimus, & flores folliculos, fructus atque cornicula legimus. Sata in horto Montb. etiamnum durat, sed parua, & singulis annis folia decidunt. Diligenter hyeme custodienda à frigore hyemis.

Tempus.

Floret Monspelii mense Aprili: Septembri cum fructibus legimus, sicut & folliculos atque cornicula. Theophrasto ineunte Vere germinat Terebinthus: circa Tritici messem, aut paulò serius semen reddit, eademque ferè & Plin. tradit. Montbelgardi prouenit nobis etiam ex semine Terebinthi. Contraria videtur scribere Hipp. de vsu fructûs Terebinthi. Nunc enim si fluor muliebris copiosior sit, Terebinthi (τερμίνθου) fructum tritũ ex vino & aqua propinat. Nunc si menses non eant eodem modo ieiunæ bibendum dat, & calide lauat.]

Vires & vsus.

Terebinthi folia, fructus & cortex (tradente Dioscor.) qua pollent astringendi vi ad eadem ad quæ etiam Lentiscus conueniunt, simili parata modo sumptàque. Eius fructus esculentus est, ac stomacho noxius: vrinam verò ciet & excalefacit. Est & ad excitandam Venerem aptissimus: ex vino verò potus contra phalangiorum morsus prodest. Et Gal. Terebinthi (inquit) tum cortex tum fructus astrictorium quiddam obtinent. Sed & secundo ordine excalfaciunt. Itaque quod etiam desiccent manifestum est: recentes quidem etiãnum humidique modicè: sicci verò ordine secundo. Cæterùm aridus propinquus est etiam tertio ordini desiccantium. Est enim adeò calidus, vt mandentibus protinus eius caliditas percipiatur. Itaque etiam Vrinam prouocat, lienibus prodest. Plin. Terebinthi folia & radix collectionibus imponuntur. Decoctum eorum stomachum firmat. Semen in capitis dolore bibitur in vino, & contra difficultatem vrinæ. Ventrem leuiter emollit: Venerem excitat. Celebratur & Thericles nomine, calyces ex Terebintho solitus facere torno, per quem probatur materies. Omnium hæc sola vngi vult, meliórque oleo fit. Color mirè adulteratur Iuglande ac Piro syluestri tinctis, atque in medicamine decoctis. Eiusmodi calyces ex Terebintho à Thericle factos à figlinis discernere facilè non erat. Quidam Θηρίκλεια dicta volunt Terebinthi ligna, quòd in iis feræ insculperentur: Rhodig. Figulum Corinthium Thericlum fuisse, non autem vsum torno scribit Athen. Idem tamen ex Apollodoro Geloo citat Θηρίκλεια τορευτά: Dalech. quod ante Plin. & alios Theophrast. prodidit his verbis. Nigrum admodum ac densum est Terebinthi lignum: Tradúntque circa Syriam nigrius esse Ebeno: ex hoc quoque capulos pugionum fieri & pocula Thericlea tornari, quæ à fictilibus secerni non possint: Verùm cor tantùm accipi, & oportere lignum perungi, sic fieri & melius [κάλλιον] & nigrius. Hæc Theophrast. qui tamen postea alio loco, vbi recenset vsum diuersarum arborum, tum ad ædificia, tum ad vtensilia diuersa, addit: Terebinthus non nisi fructu resináque vtilis, quod profectò prædictis contrarium videtur, nisi inueniamus aliquam Theophr. excusandi rationem. An igitur ibi de Terebintho arbore, hic de fruticante tantùm locutus? Sed leuis excusatio hæc: & textus ipse Grecus per se sat euidens. Existimandum, Theophrastum fuisse hominem, & tam ab aliis falli potuisse, quàm fallere alios. Mirum tamen Scaligerum, virum supra Simonidem memorem, in suis annotationibus huius contradictionis ne verbulo quidem meminisse, quam tamen de Phylica eo ipso loco circa eandem rem detexit. Impostores pro Ebeno phalas ad pedestres lanceas venditant è Terebintho. Scal. Bellonius testatur, veterum morem in comedendis seminib⁹ Terebinthi nũc adhuc durare in Cilicia & Syria, sibiq; aliquãdo rusticũ Arabem occurisse (vt iam supra quoque monuimus) ducentẽ Camelum Terebinthi seminibus onustum. Testati sunt autores fide digni, ante duo millia annorum hominibus, etiam seminum Terebinthi in vsu fuisse, ac Persas iis victitasse antè vsum panis. Rustici Thraciæ & Macedoniæ scientes magnũ esse vsum Gallarum Terebinthorum, qui per colles crescunt & abundant, [vt idem Bellon. scribit] lucri quod inde sperant occasionem non prætermittunt. Nam circa Iunii finem parua poma sub foliis colligunt, aut ad ramiradicem, ferentis semina ad formam racemi, vbi inueniunt paruam Gallam vacuam & inanem, magnitudinis Auellanæ, quæ si crescere sineretur, longa euaderet ad formam parui cornu: sed adhuc paruam colligunt, ac carè vendunt, ad tingenda serica subtilia diuersis coloribus in vrbe Bourse: vbi in communi vsu est simplex hoc veteribus incognitum. Quotannis consumunt plusquam sex millia librarum.

Stomachus. Vrinam mouet. Venus.

Temperã.

Lien. Tumores. Stomachus.

Cap dolor. Aluum mouet. Ligni vsus. Adulteriũ.

Theophr. sibi contradicit.

Galla

Et alibi. Species sunt Gallæ, magnitudine paruarum Gallarum, Romanarum, intus cauæ, pronenientes ex excrescentiis foliorum Terebinthorum Masculorum, colliguntur vere, quo tempore nisi colligerentur in longitudinem semipedalem excrescerent ad formam cornu.

DE RESINA TEREBINTHINA, EIVSQVE VIRIBVS.

NOn inconueniens diximus de Resina Terebinthi, quam Terebinthinam hodiè passim vocant, specialiùs differere. Nomina, Locus, modusque eliciendi è planta sua superiùs declarata.

Tinctura.

Legitur tamen nonnunquam minùs rectè, & quasi barbarè per varios libros Ferbentina, seu Ferebintina, vel Trebintina, Trementina aut Fermentina, vt annotant Monachi apud Mesuen. Gluten Alimbath, alimbar, alitbath: vt ferè omnes iuniores declarant, idem significat quod Terebinthina. Est verò Terebinthina vocata, vt describit Cordus Terebinthi arboris resina, colore candida, subflaua, vitrea, aut candida, cœruleum colorem affectans, interdum pellucida, quæ friata, primùm in plurimas micas teritur, mox lentescit

scit & glutinosa fit, odorem habet acrem, suauem, aliquantulùm grauem, & Laricea resinæ non dissimilem, præsertim manibus tractata, & prunis imposita. Gustu modico amarescit, & inter dentes lentescit, iis dum masticatur adhærens. Destillat hæc primùm liquida, deinde paulatim arescit. Eandem hactenus sacrificuli vnà cum Thure accensam, in templis adoleuerunt, ob id incensum appellantes: quo factum est, vt hodie adhuc cum Thure ex Syria & Aegypto allata, pro Thuris quadam specie vendatur ab imperitis & impostoribus mercatoribus, qui differentiam inter vtrumque facturi, hanc, Incensum siue Thus appellant: (sed magno errore) Thus autem verum, Olibanum, non intelligentes hæc duo vocabula, alterum Græcum, alterum Latinum, eiusdem rei nomen esse. Porrò ex præmissa descriptione facilè patet, eam quæ hodie vulgò Officinis Terebinthinæ nomine habetur, genuinam Terebinthinam non esse, quippe quæ tenax, liquida, interim lenta, flauescat, & odore sit graui, Abietino vel Lariceo, de qua re specialiùs suo loco.

Thus. Incensum. Olibanum. Institorum error

Præfertur autem à Dioscoride magis pellucida, candida, vitreo colore, & in cœruleum vergente, odorata ac Terebinthum olens.

Delectus.

Resinas porrò omnes eodem authore, antecedit Terebinthina: proxima huic Lentiscina: deinde Pinea [πιτυΐνη].& Abiegna. Post has numeratur ea quam ferunt Piceæ [πευκίνη] & strobilina.

Resinarum comparatio.

Vis autem resinæ cuiusuis molliendi, calefaciendi, discutiendi, dissipandive & expurgandi. Tussi ac tabi conueniunt in eclegmate, per se aut ex melle, quæque ex pectore educi oportet expurgant. Vrinam quoque mouent, cruda concoquunt & ventrem emolliunt: ad agglutinandos palpebrarum pilos conferunt: itémque ad lepras cum ærugine, sutorio atramento ac nitro. Ad aures denique sanie manantes cum melle & oleo, nec non ad genitalium pruritum sunt vtiles. Emplastris quoq;, malagmatis & acopis admiscentur: quin & per se illitæ aut impositæ laterum doloribus auxilio sunt. *hac Diosc.* Ex cuius verbis patet eum resinam Terebinthinam omnium optimam, strobilinam verò infimam statuere. Cui quasi è diametro contrariari videtur Galen. Is enim 3. de comp. med. κατὰ γένη. principem calore facit strobilinam, proximam huic Abiegnam, postremam Terebinthinam esse scribit. Scilicet de bonitate resinarum absolutè locutus est Diosc. Galenus verò de earum qualitate, seu caliditate agit: in aqua primas haud dubiè obtinet strobilina, veluti & eo ipso loco disertè admonuit Gal. ne à Dioscor. dissentire videretur.

Vsus & vires. Tussis Tabes. Vrina. Purgat. Pili palpebrarum. Lepra. Aures purulenta. Genitalia. Laterum dolor.

In eandem porrò sententiam 8. simpl. Terebinthinam & huic viribus proximam Lentiscinam, ob eam quam præ cæteris maiorem habent partium tenuitatem, magis digerere, magísque attrahere prodidit. Sed ipsummet dicentem audiamus. Inter resinas (inquit) primas meruit omnium Lentiscina: inter alias præfertur Terebinthina, manifestam quidem non tamen similiter atque mastiche adstrictionem possidens. Cæterùm adiunctam habet amaritudinem quandam, per quam magis etiam quàm mastiche digerit. Ob eam qualitatem inest & abstersio, tanta quidem, vt & psoras sanet. Quinetiam quæ in profundo resident, cæteris resinis magis attrahit, nimirum, cùm illis maiorem habeat partium tenuitatem. Attamen Picea, & hac etiam magis Strobilina, acriores quidem ea sunt, sed non magis tamen digerunt neque attrahunt. Mediæ inter has sunt Pinea & Abietina: acriores quidem quàm Terebinthina, minùs tamen quàm aut Picea, aut Strobilina. Habet porrò etiam emolliens quiddam Terebinthina. Secundum locum habet in emolliendo Lentiscina, sicut & Cyparissina acrimoniæ. Quo loco rursus patet Lentiscinam à Gal. reliquis omnibus præferri, sicut à Dioscor. Terebinthina. Sed ad diuersa respexit vterque; vt patebit Galeni integrum illum locum legenti. Non enim hic omnes controuersias specialiùs declarari consultum.

Psora *Digerit.* *Emollit*

Persequamur vires ex Gal. Terebinthina resina, cùm detergendi discutiendiq; facultatem habeat, etiam affectus tales quod concoquat, quidpiam obtinet. In lib. de sanitate tuenda, vbi docet, quibus senes vti debeant ad aluum ciendam, eam nucis Ponticæ magnitudine, aliquando duarum triúmve sumi præcipit. Quippe non modò aluum soluere citra noxam posse, sed & viscera omnia, iecur, lienem, renes, pulmonémque abstergere. Idem & Paulus confirmat, & ventri vel oliuæ magnitudine deglotitam apprimè conferre testatur. Andromachus Terebinthinam in sua Theriaca addit, & quidem Libycam: de quo miratur Galenus, cur hanc potiùs Chiæ præferat: hanc enim penè omnes meliorem iudicare, quanquam & Libycam laudandam censeat, si bona sit, sed proculdubio bonam semper non esse, quemadmodum quæ è Chio venit. Nasci quoque & in Ponto, & in aliis aliquot locis optimam. Verùm Chiam reliquas & odore & sapore vincere.

Purgans *Viscera purgat* *Andromachi not. Chia* *Libyca. Delectus & locus.*

Sic Plin. in Oriente optimam tenuissimámque Terebinthos fundere Terebinthinam, odoratissimámque tradit.

Porrò non diu est, inquit Matth. quod Venetias defertur ex Cypro. Antea coctam afferebant, vel quòd esset aduectu aptior, vel quòd impostoribus, ad adulterationem aditus hoc modo facilior fieret. Verùm liquida, vt per se ex arbore manat, iam frequens facta est. Cæterùm quia Terebinthina iamdiu in Italiam non aduehebatur, Larigna non modò Terebinthinæ locum sibi vendicauerat, sed etiam cognomentum: Larignam enim falsò Terebinthinam Officinæ vocant, quanquam in hoc magnum errorem haud committi Amatus existimet, quum vtraque easdem ferè vires ac facultates obtineat, vt testatur Gal. cui postea & Paul. & Æt. subscripserunt. Satiùs tamen esset vera vti Terebinthina. At dum ea caremus, illa eius vice vti possumus. At Monachi, satiùs esse ducunt, in defectu veræ Terebinthinæ vti Mastiche, quippe quam ipse Diosc. in omnibus Terebinthinæ correspondere tradat. Ideóque tutiùs quoque esse in eius carentia ponere Masticem, quàm aliud. Sibi autem certè cognitum esse, eam, qua hodie sub Terebinthinæ nomine vtimur, ex Laricis arbore excipi, tamen Aetii authoritate, ad omnia quæ Terebinthina valet.

Larigna *Mastiche*

Auic. in cap. de Terebinthina nihil dicit: sed mittit lectorem ad cap. de grano viridi. Verumtamen Bellunensis in capite illo pro Terebinthina, rescripsit *alchalambar*.

Inuenitur etiam apud filium Serap. *Helcalimbat*, quod idem est, quod *Alchalimbat*, id est, gluten *alimbat*. *Halc* enim, siue *Holc* Arabicè, gluten interpretatur Latinè.

Quæ pro resina Terebinthina venditur, ex Syluii testimonio, aut Laricea est, aut Abietina. Terebinthinam veram è Cypro allatam, Venetiis, ad eum misit, Io. Bapt. Opizo Medicus, nostræ Laricinæ & Abietinæ affinem, sed infinitis

Laricea. partibus præstantiorem. Terebinthinæ proxima est Larices. Larici bonitate & tota natura est affinis Abietina, quæ hodie propè sola pro Terebinthina ab omnibus officinis supponitur, magno errore, cùm sit multò inferior Terebinthina. *Abietina.*

Quod si Gal. non modò Terebinthinam exigebat, sed Chiam tanquam omnium præstantissimam requirebat, quâ, non dico, ignominiâ, sed pœna mulctandi sunt illi, qui, scientes, Abietinam pro Terebinthina vendunt, vsurpántque non sine Medicorum id permittentium insania & culpa.

Syluio adstipulatur Apollo de adulterio, sed de virium diuersitate neutiquam. Sic enim infit. Terebinthina, multis iam præteritis lustris Medicos omnes latuit, nec dudum Venetias ferri cœpit cocta, & in massas velut placentas congesta, fortè quòd ita commodiùs vehitur, aut sic faciliùs adulteria admittit. Nec deest liquidæ copia, qualis ex Terebintho manat. Huius loco ætas nostra resinam Laricinam vsurpauerat, ei Terebinthinæ locum, & cognomentum falsò vendicans: nec graui admodum errore, quum ex Galen. lib. 4. de comp. med. per gen. cap. vlt. omnibus his Pharmacis, quæ Chironiis conuenire palàm est, Larix resina, loco Terebinthinæ, nullo errore misceatur, sibi inuicem affini similitudine 1. de comp. med. per gen. c. 15. atque Lentiscinę Terebinthinæ respondeat, ex Diosc. altera alterius defectui satisfacere poterit, quanquam Terebinthina passim vendita, flaui coloris, & mellis Attici, ex Larice resina sit. *Hactenus Apollo.* qui inter cætera Terebinthinam leuissimam dicit, sed qua vel ratione, vel quo authore, nusquam apparet. Ex Theoph. id desumpsisse videtur, sed malè intellecto, qui inquit, quod sit *εὐωδεστάτη καὶ κουφοτάτη τῇ ὀσμῇ*, id est, odoris suauissimi & leuissimi, siue qui leuissimè feratur, quique grauis odore non sit: quod bonus ille Apollo ad pondus retulit.

Non improbat Apollo vsum Laricis.

Apollo not.

Quoad veram Terebinthinam, de qua hîc agimus, Valer. Dourez annotauit se collegisse ex ipsamet arbore facto sacrificatu. Eiusmodi rara est admodum, vidimus tamen in cucurbitis quæ ex Creta Venetias delatæ dicebantur, qua etiam vsi sumus Lugduni & Geneuæ ad Theriacen quam præparabat Valer. Dourez me Bauh. præside & intendente. Pulchra erat, lucida, ac multò densior resina illa liquida, quæ ex Abiete colligitur. Veram Terebinthinam Dod. calidam facit ad secundum gradum, non tamen vsque adeò siccam.

Temperamentum. Dosis.

Porrò vt & de Recentiorum viribus vtendiq; modo aliquid addamus, dosis eius ferè hodie à drach. j. ad drach. 4. quinque etiam exhibemus, vel in bolo cum puluere Glycyrrhizæ, vel cum drachm. j. pulueris Rhabar. vt Syluius qui drach. iij. rarò excedebat, vel potu dabat ex decocto Cicerum, vel eius loco aquæ illius aut Olei destillando separati vnciam dimidiam cum vino albo propinabat nephriticis: purgatis priùs venis primis & ventre reliquo

Vtendi modo.

Purgat thoracem ab omni immunditie: Item iecur, splenem, renes & Vesicam. Confert veteri tussi, spirandi difficultati, sputo sanguinis purulento, vertiginosis, calculosis, & peculiariter etiam ischiadicis, Podagricis, Chiragricis: aperit, mundat, calfacit & roborat neruos. Vnde Cermison *sanctissimam appellauit medicinam.* Quidam eius potum vtilem prædicant in affectibus vteri cum decocto artemisiæ, & infusione Chamæmeli. Mulieres Persæ vtuntur ad masticandum gummi Terebinthinæ, quod prodest ita masticari, vt dentibus non adhæreat, nec in ore consumatur, teste Bellon. Lob. in libello de Balsamo scribit, Liquoris Balsami loco nullum præstantius esse Opobalsamum, veri Terebinthi latice.

Sanctissima medicina.

Gummi Tereb.

Balsami succedaneũ.

Verno namque tempore ramulorum pullulantia tenella Terebinthi effracta flagella ipsoque etiam Narbonensi, Nitiobrigum, siue Linguagotico aut Monspeliensi agro, instar Ficulneæ arboris, lac stillant, quod conchis exceptum & adseruatum in limpidissimum, tenacem, resinosum laticem abit, qui dum recens est, id est, in musto, vt Plin. verbis vtar, in laneam vestem fusus, neque maculam faciens, neque si eluatur vestigium aut notam relinquens: senescens tempore crassescit: nec abluitur nisi oui vitello addito. Qui Garyophyllorum, Nucis Myristicæ aut Cinnamomi oleum huic liquori præferunt, suauitati & sapori plùs quàm optatis facultatibus deferunt. Sic Clemens Clementinus, Terebinthinam destillatam proximam esse Oleo Balsami prædidit, vel parum calidiorem & conferre omnibus ægritudinibus frigidis, & maximè neruorum. Immò ipse Dioscor. Terebinthino oleo Balsamum adulterari dixit.

Liquor Terebinth.

Oleum Tereb.

Quod verò frigefacere vertunt *τὸ ψύχειν* interpretes Dioscor. ostendunt quàm parùm ad rem ipsam attendant, cùm manifestè calfaciat oleum Terebinthinum, tantùm abest vt refrigeret. Meliùs Sarrac. iuxta alterũ *τοῦ ψύχειν* significatum siccare conuertit: quandoquidem & fructus Terebinthi è quo illud exprimitur (nam eodem modo, quę Lentiscinum & Laurinum ex fructu parari docet Dioscor.) euidenter exiccare proditum est à Gal. 8. simpl. cap. de Terebintho. Quod si quis *ὁμωνυμίας* vitandæ gratia *ψύχει* legere maluerit apud Dioscor. pro *ψύχειν*, possit. Hoc autem oleum hodie apud nos, vt & in Italia, neque paratur neque habetur, quod & Matthiol. testatur. Hoc tamen, vt Mesues tradit, vulnera consolidat: medetur item conuulsis, Opisthotonicis, neruorúmque duritiis, & creberrimè Cataplasmatis admiscetur.

Diosc. ill. Diosc. interpretes reprch.

Diosc. mend.

Aliud est Oleum quod arte destillatoria ex ipsamet Terebinthina in retortam posita destillatur in arena, vel per se, vel cum aqua simplici, vel rosarum, aut etiam vino, vel hoc cum illa admixto: quale ego Cherl. haud ante multos annos sæpiùs Lutetiæ paraui pro Generosis ac Nobilissimis coniugibus D. de Sancy Cõsil. Regii à latere, & D. de Fay Thesaurarii & Conf. Regii, quarum prior illa miserè interdum Nephritide conflictabatur, & ex hoc oleo singulare solatium sentiebat. Terebinthinam probè lotam sacco lineo immittebam, huncque in retortam vino albo & aq. rosf. semiplenam. Sic arenæ imposita adhibito excipulo, primò aqua limpidissima exibat, qua finita, oleum splendore sine dubio margaritas referens exibat, prædictæ aquæ innatans. Dixisses perlas dissolutas. Magna opus cautione, in regimine ignis, quippe si vel pauxillum incandescat supra modum, *ἐμπύρευμα* sentiet oleum. Vbi sufficiens album exstillasse putaui, mutaui excipulum: non enim expectandum, donec flauescat. Tum & flauum secutum, & tandem rutilum. Primi, quod à sua aqua separatur, vsus est intra corpus, ad omnia supra scripta longè præstantissimus. Secundi & tertii quæ igneam propemodum naturam habent & topica, præsertim fridos partium morbos, & summam extersionem. Quod remanet in retorta [quodque tamen non expectandum] Colophonia vulgò habetur,

Oleum stillatitium Terebinth.

habetur, quæ, quò plus olei extraxeris, eò nigrior fuerit: adde, quòd ea indurata, retortam frangi necesse sit. Modum hunc, & alia destillatoriæ artis nobilissima opera me docuit magnus ille vtriusque Medicinæ Coryphæus Ios. Quercetanus, Cons.& Med. Regius, cui per aliquot annos, ceu alter adsui Achates.

Varios modos parandi olei Terebinthinæ habes in Euonymo, eorúmque vsum: Item apud Ryffium, Cordum, Cronemburgium & alios. Videnda quædam etiam lib.9. titulo de Pini resina.

Vinum Terebinthinũ. Dioscor. etiam vinum Terebinthinum parat è bacciferis eius ramis tusis, decem minarum pondo, in tribus musti congiis feruefactis, donec duo supersint, aut certè dimidium: id vinum colatum ad vsus reconditur. *Vires.* Adstringit, stomacho accommodatur, & defluxionibus intestinorum, vesicæ & stomachi, & sanguinis profluuio. Vlcera omnia fluxionibus obnoxia, fotu ad cicatricem perducit: fluxiones vuluæ ac sedis insessione cohibet.

LENTISCVS.

Cap. XXI.

Descriptio. MVltis fruticat Lentiscus stolonibus, mediocriter crassis, flexilibus ramis brachiatis, cinereo cortice obductis. Interdum in iustæ magnitudinis arborem excrescit, vt obseruauit Clus. *Folia.* folia minora, quàm Pistaciorum vel Terebinthi, Glycyrrhizæ foliis paria, sed Buxeorum soliditate, ex viridi nonnihil rubentia, coniugatim, sine vllo impari, ad costã canaliculatam rubescentem connexa, in spinulam plerumque desinentia, inque eandem ferè partem vergentia, iucundi cum quadam grauitate odoris, sapore acidiusculo & adstringente. *Folliculi.* Iis interdum folliculi (vel vesiculæ quędam) adnascuntur culicibus exiguis referti, haud secus ac in Terebinthinis vel Vlmeis. *Flores.* Ad alæ imum exoriuntur flosculi, veluti racemuli, rubentes, vel colore ex herbaceo pallescentes, nonnihil purpurascentes, *Fructus.* qui in fructus abeunt, dimidio ferè Pisis minores, in stylum minutum desinentes, rotundi, rubentes, & per maturitatem nigricantes, acidæ, nucleum continent paruulum, durum, nigrum, albam medullam continentem. Fructum Cæsalp. oleaginosum dicit, medullam viridem.

Lentiscus siue σχῖνος ea arbor fuit, sub qua Iudæorum accusantium alter se Susannam adulterantem inuenisse Danieli falsò testificatus est.

Schinus. Σχῖνος Hipp. de morb. mulier. qui & alibi eiusdem operis χῖνον λεπτὰ pro Lentisco. Postea scribit ad strangulatam vteri naribus illinito χῖνον λεπτὸν ἢ δάκνοντα. Cornarius sic interpretatur Schinum tenuem, Scillæ speciem, quæ mordeat.

Theoph. σχῖνος eadem est, quæ Lentiscus, quando ait: alii Thuris arborem similem esse dicunt σχίνῳ (Lentisco Gaza) & fructum quoque τῆς σχίνου. (Lentisci Gaz.) Folium subrutilum, ὑπέρυθρον. At in libris de caus. aliam plantam denotat, scribens: ... σχῖνον ... ἢ σκίλλῃ, πάντα ... βλαστάνει ... φυτεύονται ... Gaza: meliora euadunt, & quæ Lentisco aut Scillæ inserta terræ mandantur.

Et alibi eiusdem operis: omnia quæ Lentisco (σχίνῳ) inserta terræ mandantur (φυτευόμενα) minùs vermiculationem sentiunt, odoris feruorisque causa. Quibus posterioribus locis quid sibi velit Theoph. non intelligimus, aut quænam possint plantari in Lentisco, vel terræ mandari, vt vertit Gaza. Si non faceret mentionem odoris: per σχῖνον intelligeremus Scillam, quam & ipsummet intelligere verisimile est, vt patebit conferenti proximè antè hunc citatum locum.

Manet tamen difficultas de odore. Ecquis enim odor acquiri possit ex Scilla. Si acquirat, nullum sanè gratum acquiret. Habet autem Lentiscus per se ipsa satis gratum odorem.

Σχῖνος Diosc. Gal. Arato, Const. in Geop. & aliis plerisque Græcis. *Lentiscus.* Lentiscus Cic. Plinio, qui ei baccas tribuit, & resinam quæ ex ea fluit Mastichen, & Lentisci glebas vocat. Plutarch. gloriatur se vidisse è Lentisco pullulantem Oleam. *E Lentisco Olea.*

Porrò Lentiscus, si Hermol. credimus Resinam vbique sudat. Mastichen verò dictam in Chio tantùm insula ferre ait, Lentisci fructum Hippoc. de morb. mul. Schinida (σχινίδας) nominauit, etiamsi Librariorum culpa, non Schinides, sed Echinides (ἐχινίδας) legantur, sicut & Cechrides pro Cedrides. *Schinis Hipp. corr.*

Plinius Lentiscum Italicam dicendo videtur præter Chiam alia quoque genera nouisse. Fructus initio rubet, post nigrescit, qui & in racemis Sambuci specie dependet, folio Pistacii sed minore, per extremitatem rubente, in summo siliquæ Pisorum, sed corniculi modo intortæ, in quibus resina odoris iucundi continetur. *Folia. Lentiscus Italica. S... Resina.*

Romæ demonstratur in ruderibus monumentisque Lentiscus folliculis inanibus & deformibus, iis confractis culices euolant frequentes. *Culices.*

Marcello authore, notior quàm nunc sit, quondam Lentiscus fuit: & si, testante id Plinio, Ciceroni credendum est, rusticæ plebi necessaria; quæ cœli & in eo syderum imperita, arandi suorum operum auspicia ex propinqua arbore certiùs cognoscere posset, vt specialiùs dicetur in tempore.

Lentiscum dictam putat Ruell. quòd liquore quodam lentescat. *Lentiscus vnde.* Arbor est, vt ille tradit, Roboris magnitudine, Sorbi folio, Terebinthi odore, acinis siluestris Punicæ rubentibus, vbi maturuerint nigris, tantisper dum coquuntur rufis. Fertur & alia Iunipero similis. Plinius (addit idem) præter Lentiscum Chiam, aliud genus nouisse videtur, Lentiscum Italicam dicens, ea traditur folio Pistacii, &c. *Lentiscus Chia Italica Pistacii folio.* Sed Ruell. de illorum censu est, qui de sibi ignotis tradunt, adeò vt sub quo cœlo Botanico, quando ista commentus est, fuerit, prorsus ignorasse videatur. *Ruell. not.* Nam quæ nobis ille monstra pro Lentisco producit, aut quibus authoribus Roboris magnitudine? Quænam illa, aut vbi visa? Sorbi folio? indicta hæc hactenus, præterquam ipsi, qui solus eam vidit, in suo cerebello. At Iunipero similem quando dicit, nobis *Roboris magnit. Sorbi folio. Iunipero similis.*

Xylobalsami succedaneum in Officinis vsurpari, Lentiscinisque dentiscalpiis post epulas dentes emundari, illius refellent & ridebunt commentationem.

Caphura. Porrò Mastiche ementiuntur Caphuram hodie Veneti mangones, id quo modo fiat, neque innotuit adhuc nobis, nec ipsi cognitum volunt.

Lacuna fictitiam exhibet figuram ex prioribus comment. Matth. qualem & Dod. proponit, & folia Fraxini tribuit, parum rectè, nostro quidem iudicio.

differentiæ. Italica. Chia. Qui in Chio aliquandiu hæserunt, Clusio retulerunt Lentisci arbusculas ab iis quæ in Italia nascuntur, nonnihil differre. Et Camer. Sunt, inquit, qui velint Italicam Lentiscum à Chia in eo tantùm differre, quòd fruticosa sit illa, hæc verò arborescat, etiam sine cultu. Audiui ex quibusdam è Chio oriundis, arbores quæ Mastichen ferunt, longè proceriores pulchriorésque syluestribus esse, quę tamen sæpenumero eodem loco nasci solitæ.

Modus colligendi Mastichen. Collecturi autem Mastichen, certo die priùs arborem vulnerant, vnde in subiectam humum mundatam lachryma albissima destillat, quæ mox in ore liquescit, quàmque ad ventriculi corroborationem comedunt. Quò vetustior, eò melior.

Synonyma linguar. Daru Arabi. Lentiscum Germ. Mastixbaum/ Mastichen/ oder Zahnstörerbaum. Belg. Mastickboom. Daru Arab. Gall. *Lentisque: Restrincle, & Pestinge* Monspeliensibus. Ital. *Lentisco*: in Apulia *Stinchi* nomine corrupto à Græco Schinos, vt putat Auguill. *Lentisco, Mata*, Hisp. nonnullis *Charneca*: Lusit. *Aroeira*. Boh. Lantyssus.

Tempus. Floret Lentiscus magna ex parte Aprili, vel Martio. Fructus Octobri & Nouemb. primùm maturescit, rubens, rotundus, acidus. Ter autem fructum ferre tradunt, fortè quòd tribus distinctis temporibus eundem perficiat: de qua re sic scribit Constant. in Geopon. ἡ δὲ σχῖνος τρεῖς καρποὺς φέρειν, εἰ μὲν ὁ πρῶτος καρπὸς καλὸς γένηται, τὸν πρῶτον ἄροτον ... Studio Græca verba adduximus, vt constet crasso errore hallucinatos Pen. & Lob. qui istud ad flores detorquent, vti priùs dictum & refutatum. Item Ruellium, qui confidenter ait, ter anno florere, etiam adductis Cic. versibus quos & ipsi hic subsignabimus.

Pena Lob. & Ruell. notantur.

Schinos seu Lentiscus tria arandi tempora demonstrat.

Iam verò semper viridis sempérque granata,
Lentiscus, triplici solita est grandescere fœtu
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Semper granatam dicit, quod de fructu vtique intelligendum, quem ipsemet exprimit, per, ter fruges, &c. Et Const. τρεῖς καρπούς.

Videamus & Aratum de Scilla, quam eius etiam testimonio, vt Lentiscum, σχῖνον vocant, quod idem prodidit Theoph. lib. 7. cap. 12. hist. vbi tamen σκίλλης expressè legitur, quamuis alibi σχῖνον voce non Lentiscum modò sed & scillam denotare videatur, de qua in cap. principio satis multa. Id quod idem quoque Aratus vtramque distinctè nominans his confirmat verbis:

ὅσσα δ᾽ ἐπὶ σχῖνοι ἀέξονται εὐθὺ ... καρποῦ,
... σκίλλης ... ἀνθήσαντα ...

Lentisci in fructu quod seruat rusticus, albo
In flore & Scilla seruandum existimat idem.

Quasi verò natura quoque ipsa in rustica disciplina instituere voluerit, vt agendarum rerum leges & tempora ex ipsa discamus.

Locus. Amat verò Lentiscus humida loca, & plantatur à Cal. Ianuar. authore Constant. in Geop. Nascitur in vniuersa ferè Hispania & Apulia: in Creta, in montibus circa Hierusalem teste Bellon. In Italia frequentissima, inquit Matth. præsertim in Hetruria maritimis Senensibus: in collapsis Romanorum ædificiis ac ruderibus. Quinetiam in tractu Tyrrheni vbique copiosa oritur, in Campania maximè. Fert etiam Lentiscus Italica Mastichen, vt testatur idem, quanquam, ait, non ea copia, qua in Chio, & Creta Aegæi insulis. Itaque immeritò à nonnullis notatur Auicenna, quòd Mastichen Italicam memoriæ prodiderit. Quippe quòd ii, qui maiori in errore versantur, existimauerint non alibi fortasse quàm in Chio nasci. Hæc Matth. qui sibi ipsi contradicens in Hist. Germ. dicit: in sola insula Chio Lentiscum Mastichen fundere. Cæsalp. quoque testatur frequentem esse Lentiscum in asperis maritimis Italiæ, sed ibi lachrymam ferre exiguam, in Chio copiosam. Et Lacunæ Lentiscus in Italia fert Mastichen, quamuis non facilè, quæ vel Chiæ comparanda. Aegyptia autem nigra est.

Mastiche Italica. Mastiche Cretensis. Auic. defenditur. Matthioli contradictio. Mastiche nigra.

Indica Mastiche. Indicam Mastichen è spinosa quadam planta manare, non solùm Theoph. sed etiam alii tradidère, quemadmodum & Plin. Ranvvolff. inter Rama & Iappe reperit Lentiscos Mastichen fundentes.

Porrò Lentisci feracissima est vniuersa Narbonensis ora maritima, quæ ad Taurinorum iuga atque ad Pyrenæos vsque Alpes protenditur, vbi passim fruticosam tantùm obseruauimus, sed nunquam Mastichen fundentem, aut qui viderit, innotuit nobis. In Italiæ hortis quibusdam colunt & nos paruam vnam aut alteram in horto E. C. Montb. colimus delatam Monspelio. Interdum quando non cæditur, sed negligitur, vt plerisque locis ad Anam flumen, quod Hisp. *Guadiana* appellant, obseruauit Clus. in arborem iustæ magnitudinis excrescit. Prouenit copiosè per Lusitaniam, Bæticam, regnum Valentinum, & toto illo tractu ad mare mediterraneum obuerso.

Vt in arborem excrescat.

Vires & Vsus. Vteri vlcera. Fluxus vteri. Succus inspissatus. Hippoc. ad vlcera in vtero resiccanda: Lentisci (inquit) folia in aqua coquito & cum hac colluito: Idem iisdem vtitur foliis ad resiccandum fluxum vteri. Diosc. Lentiscus arbor nota, partibus suis omnibus adstrictiora est. Etenim ipsius (inquit) fructus, folium ramorum & radicis cortex pares vires sortiuntur. Exprimitur & succus ex cortice, radice ac foliis sufficienter in aqua decoctis: quæ deinde vbi à coctione refrigerata fuerit, abiectis foliis iterum coquatur, donec mellis habeat crassitudinem. Valet is, qua pollet adstringendi vi, ad sanguinis reiectiones, alui profluuia & Dysenteriam in potu: itémque contra sanguinis ex vtero eruptiones, atque tum ipsius vteri, tum etiam sedis procidentias. In summa denique Acaciæ & Hypocistidis vice ipso vti licet. Eadem quoque præstat succus è tritis foliis expressus. Quin & eorum decoctum fotu caua explet, ossaque quæ nondum conferbuerunt obducto callo solidat: ex vtero fluxiones sistit, nomas arcet, vrinas ciet, ac dentes mobiles collutione firmat atque stabilit. Virentes autem surculi arundineorum dentiscalpiorum vice dentibus affricti, eos repurgant. Fit denique & ex ipso Lentisci fructu adstringens Oleum, ad ea quæ adstrictionem desiderant accommodatum. Has baccas Plin. velut Oliuas & Corna in cadis muria condi dicit, ne quid non hominis ventri natum esse videatur. Lentisci, vt idem author est, & arbores, & semen, & cortex, & lacryma vrinam cient, aluum sistunt. Decoctum eorum vlcera quæ serpunt, fotu. Illinitur in humidis, & igni sacro, &

Alui profluuium. Dysenteria. Menses immodici. Vteri & sedis procidentia. Vlcera. Ossaque fracta. Vteri fluxus. Noma. Dentes. Dentifricia. Oleum Lentisci. Bacca condita.

& gingiuas colluit. Folia dentibus in dolore atteruntur: mobiles decocto colluuntur. Capillum tingunt. Lachryma sedis vitiis prodest, cùm quid siccari excalefieriue opus sit. Folia tenera oculis inflammatis illinuntur. Medetur & attritis partibus, siue oleo è semine eius facto [de quo postea] ceræque misto, siue foliis ex oleo decoctis, siue cum aqua virilia foueantur. Quo loco non displicet nobis Dalechamp. lectio, pro virilia, naturalia legentis, nempe vuluæ, quamuis de vtrisque intelligi possit.

Ignis facer. Capillus.

Idem Plin. testatur Democratem medicum in valetudine Considiæ M. Seruilii Consularis filiæ, omnem curationem recusantis, diu efficaciter vsum lacte caprarum, quas Lentisco pascebat. Morbum eum fuisse Vlcus pulmonis renúmue credibile est, aut immodicas sanguinis profusiones, ex coniectura Dalech.

Vlcus Pulmonis. Vlcus renum. Sanguinis profusio.

Lentiscus, ex traditione Galeni ex aquea essentia leuiter calida facultate, & terrena frigida non pauca composita est. Desiccat igitur secundo ordine completo, aut tertio incipiente: in caliditates & frigiditatis differentia quodammodo est medius & symmetrus. Similem omnibus sui partibus astrictionem obtinet in radicibus, ramis extremis tenuioribus, germinibus ac foliis: præterea fructu, & cortice: ac si succum ex foliis eius viridibus exprimas, similis hic ordinis est, moderatè adstringens. Itaque bibitur & per se, & cum aliis medicamentis, quæ Dysenterias & alui affectus sanant: quin & ad sanguinis expuitiones: sanguinisque ex vtero eruptiones, tum sedis vuluæque procidentias idoneus est, vt pote ad hypocystida nonnihil propè accedens. Idem in Eupotistis: ad gingiuas sanguinolentas extremitates Lentisci & Balaustia in posca coqui & collui præcipit. Porrò dentiscalpia ex Lentisco parata tum priscis, tum hoc seculo magnatibus & delicatioribus præsertim in vsu quotidiano pro optimis & præstantissimis habentur, quod Valer. Mart. quoque insinuat.

Tempera. Sanguinis sputum. Gingiua. Dentiscalpia.

Foeditque tonsis ora laxa Lentiscis.

Et in Apophoretis,

Lentiscum melius: sed si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna leuare potest.

Dentrifricia eiusmodi per Hispanias, Italiam & Galliam, vbi passim ferè venalia habentur, & ad Germanos quoque à Mercatoribus importantur, in quotidiano sunt vsu. Fabrè efficttum & exsculptum mihi Cherlero aliquando obtulit mulier Africana, vt arbitror, cum Venetiis Anconam versus solueremus vnà. Sed nec id inter nostra naturalia lignorum ordine positum, nec alia multa exoticę raritatis nobis chara, rapaces cuiusdam, cui nimiùm fidebamus, manus deuitare potuit.

Cæterùm eiusmodi assidui dentium exsculptores adagialiter vocantur σχινοτρῶγες, id est, Lentisci arrosores dicuntur, quod in eos potissimùm quadrat qui nitiduli esse gestientes nimia satagentia corpus expoliunt. Linguagothi Lentisci virgultis ad calfacienda clibana & ad coquendum pro quouis alio ligno promiscuè vtuntur.

Adag.

E Lentisco etiam vinum fit, quod Schinium siue Lentiscinum dicitur. Si verò Masticheu accipiat, Masthichites. Hac ratione. Bacciferi rami cum foliis tunduntur decem minarum pondo, & in tres musti congios merguntur, coquunturque donec duo supersint, aut certè dimidium, tádémque colatum id vinum ad vsus reponitur. Astringit hoc, stomacho accommodatum. Eo etiam in testinorum, vesicæ & stomachi destillationes sistuntur, ac etiam eruptiones sanguinis. Vlcera & fouentur & ad cicatricem perducuntur. Sedis vuluæque fluxiones tum iniectu tum potum cohibet.

Vinum Lentiscinum. Masfichites. Vsus eius.

Vt vini præscripti, ita & Olei Lentiscini parandi rationem & vsum docet Dioscor. Lentiscinum oleum similiter atque Laurinum ex maturo fructu confectum, ac prius inspissatum, scabiem iumentorum canúmque sanat. Pessis, acopis & ad Lepras tollendas accommodatis medicamentis aptè & vtiliter immiscetur: ac sudores etiam cohibet. Idem & Plin. tradit, additque idem effecturum quod rosaceum, ni durius paulò intelligeretur: vsum eius esse ad papulas à nimio sudore excitatas. Gal. in defluuio capillorum Lentiscinum oleum valdè commendat, habere námque adstrictionem atque maiorem oleo in Iberia aut Hispania nato, sponteque naturæ tale existere, quale est ipsum Ladanum. Quare neque expertum se, neque mente concipere posse vllum præstantius Pharmacum ad defluos capillos, quàm quod ex Ladano & Lentiscino oleo permistum constet.

Oleum Lentiscinum. Scabies. Lepra. Sudores. Papulæ. Defluuium capill.

De eodem sic Actuar. tradit. Quod si gingiuæ ob inflammationem doluerint, oleum Lentiscinum, si moderatè calidum ore contineatur, præstantissimum est remedium. Sit autem recens: nam quod vetustum est, deterius est. Porrò id in duplici vasi calefieri debet. Est igitur hoc gingiuarum inflammationi quàm maximè accommodatum. Nec verò minùs, si quis in alia quapiam parte membranæ, tum linguam vestientis, tum succingentis totum os, dolor ob inflammationē oriatur, Lentiscinum sedare potest. Repellit enim placidè, & citra asperitatem quam austerorum plurima obtinent. Adhæc, absque morsu discutit, quo inflammata omnia inprimis opus habent.

Linguæ inflam.

Apud Germanos tamen, teste Cordo, nullus est olei Lentisci vsus, quoniam nec aliunde affertur ipsum oleum neque in Germ. nascitur, ex cuius baccis confici possit: quoniam tamen præstās eius vsus est, vti patet, possent perfacilè ex Gallia Narbonensi vel Italia accersiri, cùm & ea quæ gulæ & ventri deseruiunt abundè ista loca institorū cura nobis suppetant. Ab Hispanis sanè Oleum fructuum Lentisci in maximo habetur vsu, præsertim etiam pro inficiendis chirothecis, quod sua voce *Azeite à Mata* apellitant, teste Amato. Et Clus. quoque scribit, cùm in Narbonensi degeret Gallia, oleum ex baccis exprimi solitum magni ad varia vsus quod in peregrinas regiones asportabatur.

Adulteratur eiusmodi oleo opobalsamum, si Lob. credimus. Appellatur Gallis *Huile de Mastic*.

Opobalsami adulterium.

LENTISCINA RESINA, MASTICHE.

Descriptio

MAstichen & dictum, Lentiscus Lachrymatur, (modúmque superiùs declarauimus, & specialiùs adhuc dicetur postea) cuius grumi, quales ad nos importati in Officinis habentur, orizæ granum æquant, longè etiam interdum maiores, candidi, pellucidi, fragiles, qui statim sub dente dissiliunt, mox tamen friatura omnis denuò coit, continuata masticatione, lentescitque mollitie ceræ, [sine adhæsionis ad dentes metu] quam rursum exuit simul atque aërem sensit: prunis iniecta flammam concipit, promptiùs tamen fumat, quàm flammescat, contrà ac Thus, guttásque af-

Vt à Thure differnat Mastichen. statim destillat, id quod Thuri negatum, odorémque non ingratum spirat. Sapor leuiter adstringens cum calore modico.

Adulterium. Cordus annotat aliquos hodie Mastichen Sandaracha adulterare. At Diosc. seculo, vt ipsemet testatur, Thuris & resinæ Strobilinæ admixtione.

Synon. linguar. Resina Lentiscina, Mastiche, μαστίχη, ῥητίνη σχίνου: Offic. Mastix. Germ. Mastich / & Mastix vulgò. Belg. Mastick. Gal. Mastic. It. Mastice. Hisp. Almaciga, ó Almasliga. Arab. Gluten Romanum.

Gluten Romanum Mastiche. Huius & Theophr. meminit lib. 9. quando ait: ex Lentisco (σχῖνε) & spina Ixine dicta lachryma effluit, quæ μαστίχη vocatur. Et Diosc. E Lentisco, inquit, gignitur quoque resina, Lentiscina cognominata, & à nonnullis μαστίχη dicta. Præstantissima porrò & copiosissima in insula Chio prouenit. *Delectus.* Præfertur pellucida, ceræ Tyrrhenicæ candore similis, densior vel plena, arida, friabilis & odorata. Viridis autem minùs probatur. Myrrham verò Lentisci glebis adulterari, quemadmodum & gummi, apud Plin. legimus. Scimus inter Mastiches glebas haud rarò reperiri glebulas gummi Tragacanthi & Arabici, qui fucus tamen à peritis facilè discernitur, ab aliis etiam masticatu aut igne. Reliqua vitia deprehenduntur sapore gummi dente lentescentis.

An Lentiscus Iunipero similis Ruellio. Lamam vocant. Mastiche, authore Plin. & ex alia spina fit in India (an hæc illa spina quam supra Ruell. Lentiscum dixit similem Iunipero?) itémque in Arabia: Lamam vocant. Sed mastiche quoque geminta est: quoniam & in Asia Græciáque reperitur herba, radice folia emittens, & carduum similem Malo, seminis plenum: lacrymáque erumpit incisa parte summa, (ima Dal.) vix vt dignosci possit à Mastiche vera. *Mastiche tertia in Ponto. Pretium.* Nec non & tertia in Ponto est, Bituminis similior. Laudatissima autem Chia candida, cuius pretium in libras xx. nigræ verò xii. Chia è Lentisco traditur gigni gummi modo. Adulteratur vt Thura, resina. *Hæc Plin.*

Ixine. Quod verò de herba illa tradit, Ixinem apud Theoph. insinuare videtur, ex quo verisimile est eum partem transcripsisse. Dal. annotat eum Chamæleonem album intelligere, qui Ixiam Mastiche similem gignit. Porrò in Medicis Græcis Mastiche etiam solùm Chia vocata reperitur, vt falli possint quilegunt, & ad proximè antecedens medicamentum hanc vocem referre.

Mastiche personata. Mastichen personatam Marcellus Medicus empiricus vocat alicubi, fortè ex eo quòd faciei illitionibus admixtam, claritatem ac nitorem inducere Diosc. dixit, vt sit velut προσωπῖτις, vt coniicit Cornar. Quamuis autem Gal. 2. ad Glauc. laudet Masticem Aegyptiam, scimus tamen (inquit Bellon.) in sola insula Chio nunc prouenire, vbi Lentisci arbores coluntur ea diligentia, & non minoribus sumptibus quàm apud nos vites: istius insulæ diuitiæ consistunt potissimùm in Mastiche. *Chio diuitiæ Mastiche.* Et nisi colerent diligenter, Oleæ modo, Lentisci parum Mastiches proferrent. Turcæ tributi vice incolæ annuatim quatuor vel quinque millium ducatorum Mastichen soluunt, singulo pondo centum & quinque ducatos æstimato. Reliquam sibi reseruant. Mercatores Galli, quia vident perpetuò eo diuendi pretio, aiunt, ac sibi persuadent, Chienses collecta certa quantitate Mastiches, reliquam abiicere. Sed hoc falsum. Nam, vti dictum, multum impendunt, in excolendis Lentiscis. Sed Mastiches pretium nec minuunt, nec augent propter quantitatem pretii 4000. ducatorum, quam tenentur Turcæ persoluere: ita eius detrimento summo imminuerent vel ampliarent pretium.

Ergo quæ ad nos importatur & in vniuersam ferè Europam vel Matth. quoque teste, in Chio prouenit ex domesticis solùm Lentisci plantis, vulnerato quotannis arboris trunco. *Modus colligendi.* Fluit enim inde Mastiche, & in terra circumpauita concrescit. Mastiches idemne quod in tota insula prouenit, Reipublicæ debetur, quò fit, vt qui vindemiæ tempore propriis in agris Mastichen colligunt, id totum absque dolo in commune ferant. Mulctantur secta manu, qui Lentiscum Mastichen fundentem, in proprio vel alieno agro exciderint, tanta est Mastiches cura & reuerentia apud Chios. Necabs re quidem, cùm illis tantùm Mundus ferè vniuersus tam necessarium & salubre medicamentum acceptum ferat. *Mastiche Cretensis.* Tradunt etiam in Creta Lentiscum Mastichen fundere, sed flauam, amaram, & Chiâ longè deteriorem.

Caphura adulterium. Idem Matth. certò se scire ait, Caphuram, Mastiche, ardenti aqua, Zedoariáque ab impostoribus adulterari. *Plinius.* Plinium verò tum ipse tum Amatus reprehendit, quòd liquidarum generi Lentiscinam adscribat, quæ est nostra Mastiche, cæteris profectò durior. Sic & Dalech. Plinium falsò Mastichen resinis liquidis annumerasse scribit. Et alibi: E Lentisco inquit resinam liquidam fluere tradit Plinius, quod tamen vsus falsum esse monstrat.

Matth. Amat. & Dal. not. Hæc isti boni viri aduersus Plinium, non aduertentes quàm facilè ab eorum reprehensione vindicari possit. Liquidis vtique accenseri potest, quatenus effluit. Non enim nisi hac specie promanare quit. Ex quo & post ... reprehensio exploditur, nam siquidem liquida effluit, & in terram decidens, vel ipso Matth. teste, concrescit, non videtur falsitatis in eo accusandus Plinius. *Plin. defenditur.* Immò nihil concrescit, nisi quod liquidum est. At rem concretam ne Dalech. quidem negauerit. Stat igitur immota Plinii sententia. Si verò contrariú vsum sciuit Dalech. cur non docuit: quamuis hercle nondum rectè percipiamus, quid per suum vsum intelligat.

Idem Amatus in Hispania & Italia prouenire quidem fatetur Mastichen, adeò tamen in parua quantitate reperiri, vt de ea colligenda homines nullam habeant curam, Sed officio suo satisfecisset, si docuisset, eadémne cum Chia, an diuersa, & in quibus differat, aut conueniat. *Amat.* Annotat Apollo Dioscor. scripsisse Mastichen propolis more ductilem esse. Nostram autem vix talem esse compertum existimamus, & locum illum in Dioscor. nondum reperimus.

Vires & vsus. Ructus. Dentes. Fucus. Pili. Halitus. Gingiua. Mastiche pota sanguinis reiectioni & veteri tussi vtiliter adhibetur. Stomacho quoque est vtilis, ructúmque mouet. Additur etiam in dentifricia & faciei illitus: quippe quæ nitorem cuti conciliet. Quin & pilos oculorum fluentes glutinat & cohibet: commanducata oris halitum commendat, gingiuásque contrahit, Diosc. Quod & Plin. confirmat ex parte, his verbis: Mastiche Lentisci replicandis palpebris, (oculorum pilis supernè agglutinandis) & ad extendendam cutem in facie, & smegmata adhibetur, & sanguinem reiicientibus, tussi veteri, & ad omnia quæ Hammoniaci vis. (Acaciæ vel hypocistidis Dioscor.) *Sang. sputum. Tussis.*

Temperamentum. Inflammat. Viscera. Nigræ seu Aegyptiæ vires. Galeno Mastiche candida & Chia consueto more cognominata quodammodo ex contrariis composita facultatibus est, adstringente videlicet & emolliente. Proinde stomachi, ventris, intestinorum, iecorisque inflammationibus competit, vt puta secundo ordine excalfaciens & desiccans. Nigra verò quæ Aegyptia cognominatur, tum

magis hæc deficcat, tam minùs astringit: quamobrem aptior est ad ea, quæ validiorem digestionem per halitum exposcunt. Hac ratione furunculis bonum est remedium. Porrò oleum vnguentúmque ex Chia conficitur, non admodum sanè ex Aegyptia. Cæterùm similis est & ipsum Mastiches facultatis. Paratur autem docente Diosc. è trita Mastiche. Contra omnia vuluæ mala efficax est, leniter calefaciens, astringens simul & emolliens. Est & vtile ad prominentes circa stomachum scirrhos, vt & ad Cœliacorum Dysentericorúmque cruciatus. Vitia quæ sunt in facie emendat, colorémque meliorem præstat. Optimũ verò in Chio insula componitur. Præparandi modus etiam apud Paulũ, Aetium & Mesuen habetur, alter simplex, alter compositus. Prior: Mastiches vnc. iij. ol. sesamini sextario coquuntur in vase duplici. Alter. Mastiches vnc. iij. Vini albi boni vnciæ iij, alii octo, ol. rof. lib. j. in vase duplici coquuntur ad vini consumptionem. Cerebrum neruos, iuncturas, ventriculum, hepar corroborat, tumores duros lenit, dolores sedat. Posterius hodiè ferè tantùm est in vsu, quia præstantius habetur priore, quicquid clamitet Matthiol. seplasiarios priorem oblitos conficiendi modum. Sciant tamen Pharmacopœi in duplici vase, hoc est, balneo calentis aquæ confici debere, non æreo vase carbonum igni admoto, vti solent. Matthiol. oleum simplex, Syluius cum Paulo oleũ omphacinum sumẽdum potiùs existimat, quàm sesaminum: sed diuersa olea pro diuersis scopis sumi possunt: ac par est scopum Vniuersalem ei relinqui, ne iudicium iuniorum medicorum turbetur.

Furunculis. *Oleum Mastiches.* *Vuluæ. Stomachi Scirrhus. Cœliaca. Dysenteria.* *Parandi modus.*

Matthiol. gloriatur se vitreis organis è purissimo tantùm Mastiche illud sæpiùs confecisse. In officinis cum oleo rosaceo fieri solet, ad cõsumptionem vini, ex præscripto Cordi, quem ferè hodie sequuntur. Fernel. loco vini, aq. rof. sumit, & ol. vel omphac. vel rof. Sic lienteriæ & vomitioni magis fuerit accommodatum, quoniam magis adstringendo roboret. At ex ol. rof. & vino antiquo ad partium lassitudinem & imbecillitatem fit Mesuæ in fine Canonum. Dioscor. suum, quod simplicissimum est, ad duritias imponi præcipit, imbuto videlicet linteolo in ipso, atque ita imposito, verùm duritiem priùs calidè oleo fricari par sit. Sed vox ἐπιῤῥιπτούμενα ad σκιῤῥώματα (quamuis Marc. σκιῤῥώματα legat) ambiguam lectionem fecit: vt putat Corn. Verùm, inquit, si ἐπιῤῥιπτούμενα legitur, & ad oleum refertur, integram & rectam sententiam exhibet. Quasi verò ἐπιῤῥιπτούμενα non æquè apertè ad σκιῤῥώματα reduci possit, sensu integro & congruo, vt nobis quidem videtur, & ex loco superiùs ex Dioscor. adducto, satis patere potest.

Duritiei. *Corn.*

Ad omnem ventriculi dolorem, vt refert Matthiol. vomitum & nauseam magni faciunt hoc remedium Alfarabius & Matthæus de gradi, ℞. Vitellum oui no. j. mellis despumati cochl. ij. Mastiches gr. xv. Contrita & commista, indantur testę magnæ oui anserini, si haberi possit, & in calidis cineribus assentur. Ex hoc magmate si comedat ęger, certò iuuabitur. Solent & Mastiches grana aliquot in aqua hordei decoqui, iis quibus interdictum est vinum. Ad dolores ventriculi topicum: in puluerem redigitur Mastiche inspergẽdum linteo aut alutæ, pòst calfacta imposita ventriculo dolorem & vomitum compescit. Vel ℞. panem tostum, tere subtilissimè, cui admisce Mastiches drach. ij. Sacculo imposita, & calfacta, ventriculo imponantur. Contra omne alui profluuium, præsertim verò hypercatharsim. Cingitor arctissimè, mox prunis iniecto puluere ex æqualibus partibus Mastiches & Thuris suffitum ano excipito: extemplo sistet. Egregium & probatum ad inueteratum coxendicis dolorem, ℞. Myrrhę & Mastiches ana part. æqual. contrita coquantur in oleo Chamæmelino, eo calido inungatur locus dolens. Emplastrum ad arthritidem à frigida causa. ℞. Mastich. Cymini, Puleg. Salu. Bacc. Lauri. Sabinæ ana part. æqual. Subacta cum melle calida applicentur.

Ad dolorẽ ventriculo topicum. *Alui profluuium.*

Addendum Coronidis vice de Mastiche, quod vt annotat Camer. ex liquida adhuc & lenta fiant vascula magnatibus ad debiliorem ventriculum expetita, quę infuso potui gratum saporem conciliant.

Vascula ex Mastiche.

NVCVLA EXOTICA PISTACII SPECIE.

CAP. XXII.



Rara prorsus & exotica nunc sequũtur: nam ab initio huius libri dictum fuit de nuce vulgatissima Iuglande sc. & de peregrina nuce aromatica, Auellanis, Staphylodendro, Pistaciis, Terebintho & Lentisco. Fructus igitur exotici in maxima copia mox tradendi sequũtur, nucibus Auellanis, Pistachiisque similes.

Sunt nobis peregrini fructus seu nuculæ, quæ, si benè recordamur reperiuntur interdum cum Anacardis & Aromaticis aliis, ad Pistacia suo clausa officulo accedentes, magnitudine & forma oblonga, nonnihil angulosa & conuexo inæquali: putamen fragile, fuscum, rugosum, nucleum comprehendit solidum, coloris obsoleti, pingui, rancido [in nostris saltem vetustissimis] sapore præditum, quem obuoluit tenerior quędam pellicula, coloris cinericei.

Descriptio. *Pistaciis similis.*

NVCVLA PEREGRINA ALIA.

CAP. XXIII.

Clus. in peregrinis lib. 2. c. 10. describit octauo loco, fructúmque hunc peregrinum depingit, quem dicit Pinei alicuius se existimare, adeò nostratis Pineæ nucleos referre, licèt plerumque sint & longiores & crassiores: duro scilicet putamine eodémque colore. Huc referre libuit, quia de Nucum familia sunt, sed quarum planta, nondum innotuit. *Huius icon est cum superiore.*

Descriptio. *Pineæ species.*

SEL

SEL SERAPIONIS, ET AVIC.

Cap. XXIV.

Descriptio. FRuctus *Sel*, quales Rauvvolff. vidisse scribit, carent duris putaminibus, planéque nudi sunt, magnitudine Pistaciorum, colore Iuglandibus nostris non dissimiles, (Sapor.) sapore satis amaro cum manifesta acrimonia. Dedisse sibi M.noritam quendam Hierosolymis, qui dicebat in vicinis locis prouenire Esse autem *Sel* Serapionis & Auic. De quo sic Serap.tradit. *Sel* Isaaci Eben (Sel Citonium Indum.) Amram, est Citonium Indum, fructus rotundus sicut Auellana, absque cortice. Virtutem habet Zingiberis, calefacit tertio, humectat primo ordine. (Vires Sel.) Attenuat humores crassos, & induratis neruis confert. Mesihaho idem tradit. Rauvvolff. verò etiam *Scel* vocari citat.

CACAO AMERICÆ, SEV AVELLANA MEXICANA.

Cap. XXV.

Descript. Cacao. CAcao Scaligero arbor est Castaneæ folio, fructu Amygdali, specie rubicundo tum cortice tum nucleo. Benzo sic describit: (Cacanate Moneta.) *Cacanate* vulgò Indi vocant, monetæ illis vsum præbet. Est arbor modicæ magnitudinis, nec nisi calido loco & opaco viuit. Simul ac Sole tacta est, contabescit: itaque ferè in syluis vmbroso & humido loco seritur, neque id satis, sed iuxta eius generis arborem aliam editiorem plantant, quæ simul, ac adolescere cœpit, eius cacumen ita concinnant aptántque vt adulta ea arbor *Cacanatem* inumbret defendátque ita ab æstu, vt Solis radiis lædi non possit. (Fructus. Cucurbita.) Fructus Amygdalarum specimen referens, siliquis quibusdam, velut Cucurbitis includitur, crassitudine & latitudine Cucumeris: annuo spatio maturescit. Maturas eas vbi legere volunt, excussum folliculis fructum super storeis expansum ad Solem exponunt, donec sudorem exsudauerit.

(Amygd. similis.) Clusio verò Amygdalo planè similis est hic fructus suo putamine exemptus, membrana tectus tenui, nigra, nucleo qui in binas aut ternas partes diuiditur subfusco & cinereis venis distincto, adstringentis & ingrati gustus, quare non mirum est, si qui primùm degustant à potione ex eo confecta abhorreant. Eam tamen claris hominibus propinant, vt nos aromatites vinum solemus, referentibus iis qui pauculos fructus retulerunt.

(Synonyma. Palma.) Cacanate Benzoni. *Cacao* Scalig. Clus. Hist. Lugdun. Taber. de quo Guiland. Palmarum, inquit, naturam obtinet Auellana Mexicana, cuius fru- (Auellana Mexic.) ctum indigenæ *Cacao* appellant, quæ citra sociam sui generis arborem non fruticat.

(Locus.) Prouenit in India Scal. Celebrem per vniuersam Americam multique vsus fructum Peruanæ Prouinciæ littora legentes secum detulerunt Cacao. Clus.

(Vires & vsus.) Ex nucleo Cacao fiunt Sorbitiunculæ refrigerantes: eam ob causam adeò expetitæ, vt cùm eis quiduis vel pretio vel vsu carum facilè commutent. Hunc potum confectum (inquit Benzo) in testa fictili ad focum exsiccant: mox lapidibus, quibus pinsitur panis, contusum & commolitum, fusúmque in pateras (quæ cucurbitæ specie è certis arboribus per omnem Indiam enascuntur) (Cucurbitæ species.) paulatim aqua temperant, atque interdum paululo Pipere quasi vulgò vtuntur, condiunt, eóque in potu vtuntur. Porcorum ea verius colluuies, quàm hominum potio. Quum eam Prouinciam peragrarem, plusquam integrum annum à tali lora abhorrui: & cùm pagum aliquem prætereuntem Indus fortè aliquis ad bibendum inuitaret, ego verò aspernarer, multùm mirans ridénsque abibat. Sed cùm mihi vini copia non esset, ne semper aquā bibere cogerer, alios imitari didici. Et Cælia sapore a- (Sapor.) liquantum amaro satiat & refrigerat corpus, minimè tamen inebriat. Hæc præcipua & clarissima merx earum regionum est: neque quidquam aliud Indi maiore in pretio habent, vbi quidem in vsu est.

CACAO SIMILIS FRVCTVS.

FRuctum, inquit Clusius in Exot. à Iac. Gareto (Descript.) accipiebam adiunctum Oregionellæ: Cacao fructum magnitudine penè æquabat, membrana fusca tectus, per medium secundum longitudinem diuisibilis, vt Amygdalæ, Auellanæ, Glandes & similes non obliquè, vt *Cacao*, eiusdem tamen cum illo saporis, & forsitan eius genus: gemellum similem etiam cum illo accipiebam.

FRVCTVS BRASILIANORVM PERNITIOSVS.

Cap. XXVI.

(Descript.) IAcobus Garetus Clus. vt intuenti apparebit in Exoticis, lib. 2. cap. 16. mittebat fructum, qui vncialis erat longitudinis, non tam denso quàm lento cortice tectus, spadicei ex flauo coloris, nucleum continens cineraceo colore præditum, & tenui, nigerrimáq; & splendente membrana obuolutum, præterquam infima parte, quæ aut

Digitized by Google

candicans, aut (detersa membrana) nuda, quantùm quidem mihi obseruare licebat, dimidiatum enim fructum cum integro nucleo duntaxat accipiebam, ita vt hîc expressus: gustare tamen nolebam, quia, qui mittebat adscripserat, Brasilianos monuisse illos, qui hunc fructum legebant, ne manducarent, quoniam perniciosus esset.

CVRCAS AVELLANAE MAGNITVDINE.

Cap. XXVII.

Descriptio. NAscitur in Malauar, autore Garcia, fructus quidam magnitudine Auellanæ, cum suo putamine, non tamen adeò rotundus est, candidus, gustu quali sunt Tubera cocta, dependet ex ramis cuiusdam plantæ quæ seritur: nullius, quod sciam, in medicina vsus. *Synonyma. Chiniquilenga. Inhame.* Dicitur in Malauar *Chiniquilenga*, id est, exiguum Inhame. In Cairo vbi frequens est *Curcas* (sic enim in quibusdam Malauar locis) in Cambaya Carpata. Quantùm coniectura assequi possum videtur Serap. huius meminisse, vocasséque *Habelculcul* corrupto vocabulo, cum *Habalculcul* dixisse deberet, quod *Curcas* significat. (nisi nos ipsi fortè *Curcas* corruptè vocemus) *Hab* enim magnum semen sonat: *al* articulus est genitiui. *Habelculcul Serap.* *Vsus. Sperma auget. Cholera.* Scribit autem Serapio eius frequentem vsum, seminis quidem copiam facere, sed choléricam, quam vocant, passionem excitare: quæ omnia Malauares huic fructui tribuunt. *Kilkil.* Eius meminit Rhases de re med. lib. 3. cap. 20. vocàtque *Kilkil*, sed forsitan corruptè. Clus. tamen annotat, videri Serapionem eo loco non Curcas intelligere, sed suum potiùs Secacul: *Secacul.* Se præterea ingenuè profiteri, quod ignoret, quid sit exiguum *Inhame*, nisi sit Trasi, quod Hispani *Iuncia Auellanada* appellent. Sed nobis Clusii suspicio non placet, vt dicemus cap. de Trasi, lib. 18.

PETITA PERVANVS: ALIVSQVE SIMILIS FRVCTVS.

Cap. XXVIII.

Descriptio. IN fructu hoc quædam est varietas: nam alter altero maior & amplior est, licet color & forma propemodum eadem. Planus est & oblongiusculus, altera parte latior, altera angustior, glaber & læuis, totus fusci aut interdum spadicei coloris, nisi linea quædam candicans, qua parte suo fructui adhæsit (nam alteri inclusus fuisse videtur) varium faceret, prægnans est, & sonitum edit. Clus.

Alter similis. Huic similem si non eundem habemus ex liberalitate Illustrissimæ Ducissæ Wirtembergicæ: qui magnitudine Amygdali, lubrica læuitate splendicat, colore ex pullo flauescente obsoleto: cortice mediocriter duro. Supernè latior, infernè angustior, alteram faciem compressam habet, veluti vestigium ex appressu alterius: parte opposita tumidior. Laterorsum hilo insignitur longo, profundo, candicante. Non pictum damus, quòd Clus. adpictæ figuræ satis benè exprimant. Habet præterea hic fructus affinitatem cum fructu Amygdaloyde nitido peregrino sequenti. *Amygdaloides nitidus.* Color & magnitudo ferè eadem, sicut & læuor. Figura tantùm variat. Tres à D. Paludano accepimus, forma & colore huic similes, nisi quòd vnus ex iis vtrinque puluinatus: hylus quoque non albus vt in prædicto. Nucleus qui intus est Pineo nucleo minor, obsoletus & rancidus.

FRVCTVS AMYGDALOIDES NITIDVS PEREGRINVS.

Cap. XXIX.

LÆuis & lubricus est superficie, nuclei Amygdalini magnitudine & forma, nisi quòd vna parte paulò est acutior, obtusâ Amygdali parte, infràque mucronem alterum lacuna orbicularis insculpta, non tamen effatu dignæ altitudinis: fortè hinc prodibat germen. Color est ex flauo ferè cinereus: & altera quidem parte magis in arcum curuatur Damasceni Pruni nuclei modo: corticéque tegitur tenui, fragili nucleum in se continens. Vnde acceperimus non occurrit.

FRVCTVS PERVANVS AMYGDALOIDES, SVB TERRA NASCENS.

Cap. XXX.

MIssus est (inquit Monar.) ex Peru fructus sub terra natus, pulcher admodum aspectu, & grati saporis, qui & radice caret, neque aliquã plantam profert, aut ab vlla planta producitur, sed solummodo sub terra enascitur, quemadmodum tubera: Dimidii digiti magnitudinem æquat, rotundus est & contortus, & affabrè elaboratus, coloris spadicei, nucleum intus continens, resonantem dum siccus est, Amygdalæ similem, cortice fusco, intus album, & in duas partes diuisum, vt Amygdala, grati saporis, & Auellanam gustu referentem. Multæ nos rationes mouerunt, vt ad Nuces referremus. *Descriptio.*

Inuenitur apud flumen Maramnon, nec vspiã alibi per vniuersam Indiam. Editur recens & exiccatus, sed torreri præstat. Adponitur secundis mensis bellariorum loco, quoniam ventriculum admodum exsiccat & roborat. Sed si liberaliùs edatur capitis grauedinem generat. Eum admodum æstimant cùm Indi tum Hispani, nec immeritò, quoniam eos, quos ad se missos tradit idem Monardes grati saporis esse deprehendit, cui & temperatus esse videtur. *Locus. Vires & vsus. Ventriculus. Noxa.*

MANOBI LERII.

Cap. XXXI.

FRuctum quendam Syluestribus *Manobi* appellatum, ait, Lerius Amer. Hist. sub terra Tuberum modò nasci, tenuibus filamentis simul cohærere, nucleum non esse maiorem domestica Auellana, eiusdémque saporis, cinerei coloris, cortice non duriore, quàm Pisorum siliquæ: an verò folia, semenue proferat ignorare se fatetur, licèt frequenter fructum ederit. Clus. Lerium interpretatus, vertit aliter quàm nos: Fructum nucleũ continere, ac Manobi sibi videri idem cum fructu Amygdaloide. Nos dubitamus an Monardes benè descripserit suum fructum, qui nobis videtur potiùs arboreus: fortè Manobi erit *Trasi* genus aliquod. *Trasi* autem sunt veluti fructus & nuclei Auellanarum. *Manobi Lerio. An Trasi.*

AMYG.

Digitized by Google

AMYGDALA PERVVIANA CORTICE TRIANGVLARI, RVGOSO.

Cap. XXX.

Almendras del Peru

Clusio, vt habetur in Exot. lib.2.c.18. Hispali Simon de Touar mittebat fructum anno 1596. cui nomen erat inditum, *Almendras del Peru*, id est, Amygdalæ Peruanæ, quia fortè operimentum quo hæc Nux tecta fuit, illi simile quod Amygdalam tegit, aut quia nucleus quem continet amygdalæ nucleo non est dissimilis: certè huius quam aperiebam, nucleus, & substantia & sapore, amygdalæ nucleum valdè referebat, sed ossis siue lignei corticis qui nucleum continebat, forma dissimilis: nam triangularis erat, dorso lato, in bina latera angulosa desinente, valdè rugoso, quemadmodum & vtrumque latus: supina pars etiam rugosa, sed angusta & cuneiformis.

Descriptio

In aquam iniecta hęc nux, non mergebatur, licet nucleum adeò integrum haberet, vt totum ligneum corticem expleret. Iconem huius exhibemus sub Numero I.

FRVCTVS EXOT. PRONA PARTE IN ARCVM ELATVS, SVPINÀ planus, fuscus.

Descriptio

Delatus per Batauos ex Iaua, inquit Clusius l.2.c.15. Fructus, qui binas penè vncias latus, paulò autem longior, pronà parte in arcum elatus, supinà planus, denso, crasso, duróque cortice præditus, fusci coloris, &, quando immaturus, quodammodo spadicei, materia spongiosa, firma tamen, constans: nucleum verò continebat vncialem, planum, durum, fusci coloris externa parte, subrubentem interna, in binas partes diuisum, quadam adstrictione initiò præditum, deinde saliuam cientem, tenui spadicea membrana inuolutum, nullum nomen erat additum. Huius iconem demonstrat Numerus II. sicut & sequentis tertius.

NVCI CYPOTE ACCEDENS FRVCTVS, ORBICVLARIS, LÆVIS, spadicei coloris.

Descriptio

Testatur Clus. in lib.2. quem de Exot. scripsit c.19. sibi dono datum, anno 1600. per Ornatissimum Virum Henricum ab Os Amstelredamo, fructum exoticum, qui orbicularis penè erat formæ, quatuor verò vnciarum erat eius ambitus, cortice, siue veriùs putamine quidem duro, sed non valdè crasso tectus, qui superna parte læuis & spadicei coloris, infernà rugosus & fuscus, nucis *Cypote* ferè instar, nucleum continens durum, foris fuscum, intus album, non ingrati saporis, eà parte quà læui putamine tectus fuerat, striatum, altera prorsus rugosum.

FRVCTVS BIVALVIS INDICVS NIGER.

Cap. XXXI.

Descriptio

Leuitatis præcipuæ fructus Anonymos biualui tegitur cortice, non duro, &, vti videtur, fragili, hiantibus iam medio tenus valuis, nigris, subscabris, figura oblonga vtrinque exacuta, modicè compressa, alioqui ouatam relatura. Latitat intus nescio quid nuclei, quòd vnicus esset inter Exotica Plateriana, aperire non licuit. Sapor cortici nullus.

AVELLANÆ INDICÆ MAIORES CORTVSI NIGRICANTES.

Cap. XXXII.



Descrip.

Fructus quē hac tabella ex Matth. postremis comment. Lat. & Ital. cum magnis figuris exhibemus ab eodem sic describitur. Auellana Indica, quam mihi dono dedit Iac. Anton. Cortusus, contegitur putamine exteriori Cardamomi maioris putamini simili, sed duriore compactiore, & colore magis obscuro: magnitudine Iuglandis, viridi adhuc putamine circumtectus. In eo Auellana concluditur oblonga, vtraque parte acuminata, dorso arcuato, & inferiori parte lata, ac sessili, osse contecta duro, læui, Castanearum colore, in quo nucleus concluditur solidus, eiusdem ferè figuræ, albáque membrana circumuestitus, dulcíque intus medulla & ipsa quidem albicans. De eius autem facultate hactenus nihil compertum habeo. *Hac ille.*

Matth. ing.

Sed quotusquisque intelligat de quo loquatur fructu, cùm in vna eadémque figura ad minus tres vel quatuor differentes fructus depingat, tredecim distinctis iconibus. In epito. solam iconem proponit sine descriptione: tertium genus (vt existimamus) faciens: hic propositas, quas, inquit, ex earum imagine facilè quispiam intelligere poterit. Ita suos Lectores figuris Solis atque ideis satiare vult. In comment. duorum tantùm meminit. Porrò Matthiolum iconibus à nobis hoc loco propositis, vnum tantùm genus intellexisse affirmare non possumus, licet vnius eiusdémque omnes existimemus, diuersas tantùm facies, tum nucis tum putaminis exhibere, adiecta aperta testa cum nucleo. Camer. ad Hist. Germ. Matth. easdem adiungit, addita descriptione, & descriptionem Auellanæ 2. Matth. quam videtur comprehendere sub iconibus à nobis propositis, de quibus sic Clus. apud Garciam. Auellanæ nostræ ferè simile genus minùs nigricante colore, quod à Matth. inter Indicas Auellanas exhibetur. Tabern. & C. Bauh. apud Matth. omiserunt iconem hanc maioris Auellanæ Matth. quam Taber. tradit sub Nucula Indica 3. & reponunt sub icone *Mebenbetene*, quæ Matth. est Auell. 2. Indica, ni fallimur: quasi Auellana illa maior Matth. comprehendatur sub iconibus *Mebenbetene*. Res eò redit

Nucula Indica. Mebenbetene.

Digitized by Google

Matthiol. & prædictos sibi non constare, nec iis cum eo conuenire, qui eius opera illustrarunt.

AVELLANA INDICA MAIOR SVBRVFA CLVS.

Descriptio. Avellana verò Indica hic proposita ex Clus. annot. in Garc. lib. 1. c. 26. pollicari longitudine, duorum verò digitorum crassitie, inferiore parte sessili, rugosa scabraque & cinerea: superna autem, & eminentiore parte læui, subrufiq; coloris, ita vt animalculum duro corio contectum videatur: prægnans est, & aliam continet. Huic ferè simile genus inuenitur minus, nigricanteq; colore quod a Matthiol. exhibetur inter Indicas Auellanas. Hãc etiam pro Auellana Indica Clus. altera exhibet Hist. Lugd.

Anno 1606. Gener rediens ex Anglia & Belgio dedit, forte munere Iac. Garett, fructum plane eâ magnitudine & figura, quæ est icon nostra ex Clusio, et tamen optimè respondet descriptio, cui hoc addimus, corticem esse fragilem, instar ferè testæ ouorum, minùs tamen cùm sit spissior, continet nucleũ magnum, tectum tenui membrana, cinerea, in qua saporem insignem non animaduertimus: Nucleus autem magnus, rugosus, firmus, Amygd. modo, sapore non ingrato. Cum hac Auellana Lectorum oculis inspiciendã quoque proponimus iconem Fructus peregrini oualis, Iudaico lapidi magnitudini paris, itémque alterius nucem ponticam non excedentis.

NVX SIVE OSSICVLVM CYPOTE SIMILE NVCI BALSAMI Peruuiani.

Descriptio. Scribit Clus. Exot. lib. 2. cap. 18. Accipiebam Hispali anno 1596. à Doctiss. viro Simone de Touar, fructum, cui nomen adscriptum erat, Nux siue Ossiculum Cypote. Non autem erat valdè absimilis illi, qui mihi aliquando missus pro fructu eius arboris, quæ liquorem illum Balsami appellatione donatum, in insula Hayti siue Hispaniola profert: sed minor, nec spadicei, vt ille, coloris, verùm fusci prorsus, & præ liuore splendens: ventre siue inferna parte: cineracei coloris, non læui, vt superna, sed scabrâ: quem pictor valde negligenter expressit. Alio fructu haud dubiè inclusus fuerat, nam ossiculum duntaxat erat alterius fructus: qualis autem fuerit arbor quæ fructum protulit, aut quâ in prouinciâ nata, nihil erat adscriptum: tametsi autem nucleum continere hanc nucem certum esset, agitata tamen nullum strepitum edebat, nec aqua mersa subsidebat.

BALSAMI PERVVIANI FRVCTVS CLVS.



At quos hic exhibemus Clus. lib. 2. de peregr. & Exot. c. 29. similes ait suę Auellanæ Indicę maiori (de qua modò antè) ternas autem vncias longitudine superant, crassitie vnam, altitudine duas ferè ęquãt, alioqui forma & colore illi auellanę planè similes: nẽpe crasso cortice seu putamine constantes, inferiore parte &c: vt in præcedenti. Prægnans & hic est, & nucleum intus continet duas vncias longum, vnam latum, geminum, extima parte simul cohærentem, tenui cinereáque mẽbrana tectum, materie firma vt Amygdalæ aut Castaneæ recentes, subfusca, pingui, & oleaginosa, odore satis iucundo prędita, & gustu nõ ingrato. Eum accepit Lusitanus Descript. Locus. quidam mercator Petrus de Frias nuncupatus à prouinciæ Peru Protege, pro fructu illius arboris in nouo orbe nascẽtis, ex qua balsamum elicitur, cum ipso Balsami oleo. Verùm si D. Monardes descriptioni credendum, longè minor est Balsami fructus. Consule finem cap. 8. ipsius histor. simpl. ex nouo orbe, quem Latinum fecimus. *Hæc Clus.* Hist. Lugd. eandem iconem habet nomine fructus Balsami. Balsami fructus.

AVELLANA INDICA PRO BALSAMI FRVCTV MISSA, EIVSQVE SPECIES alia minor.

Hanc primò depictam à superioribus, si non specie, at figura diuersam, Hercules Saxonia ad nos cum aliis aliquot munificæ naturæ Indicæ monumentis, adiectisque etiam iconibus ad viuum, nobis dono misit sub hoc titulo: *Fructus Balsami Petri de Frias minor.* Magnitudinẽ eicon ostẽdit, digitum ferè æquat, & si competentẽ haberet crassitudinem atque rotunditatem, galeam quodammodo repræsentaret. Testa constat læui, splendida, ex ruffo ad spadiceum vergente, crassa Descript. Fructus Balsami minor.

satis



Alia species minor

satis, substantia ossea. Nucleus intus latet Amygdalini facie sed latior, in cæteris proportioni nucamenti respondens: sapore rancido, quippe exoleto, quem Num. II. exprimit. Num. III. Prædicto multo minor concolor, figura nonnihil variat: potissimû hyli illud vestigium, quàm in fabis nostris vulgatis non latius, nec vt in prædicto eminet. Testa tenuior multò, nucleum quoq; paruum, sibique proportionatû continet.

Descriptio

BALSAMI PERVVIANI FRVCTVS METÆ FORMA.

FRuctus Exoticus concessus à Paludano, inquit Clus. Exot. lib. 2. c. 20. in aquam coniectus, non mergebatur, licet satis grauis, & nucleum contineret, vt ex strepitu quem agitatus edebat, coniecturam faciebam, vncialem superabat magnitudinem, metæ formam quodammodo referens, hoc est ab ampla basi sensim gracilior assurgens, cineracei fortè coloris. Paludanus ad se missum scribebat pro fructu Balsami Peruiani: alterius tamen erat formæ, & valdè ab eo differens quem eo nomine ante multos annos accipiebam, (Lector eius iconem inueniet in prima tabella cap. XXVIII. huius libri) vt ex vtriusque collatione cuilibet manifestum esse poterit. Si porrò vterque conferatur cum fructu à Nicolao Monardes Balsamo Peruano attributo neuter conueniet.

BALSAMVM EX PERV.
CAP. XXXIII.

Descript. BAlsamum Peruuianum quod antè aliquot annos ab Illustriss. Principissa D. Dorothea Ducissa Lotharingiæ, vidua Illustriss. Ducis Brusuic. &c. (cùm ei in graui morbo à consiliis essemus) Nucula Indica Oui vix maiori reconditum, gratioso & liberali dono accepimus, liquor est ponderosus, melleæ consistentiæ, densus, lentoris resinacei: *Color Odor* color ex ruffo ad nigrum vergens odor fragrantissimus, Styracis, ad Benzoini suauitatem nonnihil accedens, & qui sua fragrantia totum adeò conclaue perfundat, diúque perseueret. *Sapor* Sapor subacris, linguam mordicans. Dentibus attritus lentus, nec illicò separabilis adhærescit. Flammam facillimè concipit igni admotus, suauiterq; olentem similiter fumum spargit. Aquæ iniectus mox fundum petit, in qua existens, si vel statim digitis atteratur, albescit: nec ideò lentorem deponit, sed instar resinæ digitis etiam magis, quàm dentibus adhæret.

Monardis Bals. Xilo Balsamum Monardis Lectores considerent idémne sit cum nostro hoc quod describit Monardes his verbis: Balsamum nouæ Indiæ, Xilo, liquor est, qui ex nouæ Hispaniæ littoribus præstantissimus ad nos importatur, & *Balsami* nomen obtinuit ob insignes & admirabiles eius virtutes huic cum Ægypti vero Balsamo communes. Prouenit ex arbore, Granato maiore, foliis donata vrticæ, dissectis, tenuibus. *Arbor Balsami Vrticæ folio*

Quomodo fiat Fit autem duobus modis. Primus: Fisso incisísue cortice liquor exstillat tenax subalbidus. 1 Alter, Indis vsitatus. Dissectum truncum & ramos 2 in minutissima frustula, in capacissimum Lebetem aqua plenum coniiciunt & bullire sinunt, quod satis sit. Quâ refrigeratâ oleum supernatans conchis colligunt; quod pro Balsamo ad nos inuehitur, & quo istic communiter vtuntur. Colore est pullo, ex ruffo scilicet ad fuscum vergente, odoris suauissimi. Neque verò aliter asseruatur, quàm vase argenteo, stanneo, vitreo aut vitreato, propter insignem penetrandi vim. *Asseruandi ratio*

Idem parte secunda ait: Qui per incisionem exstillat, ad nos non adfertur. Multò enim labore colligitur. Iam verò nauibus quibusdam à continenti Americæ & noui orbis soluentibus magna copia Balsami incisurâ extracti ad nos inferri cœpit. Illud autem ex arboribus quibusdam elicitur, arboribus eius Balsami, quod per decoctionem paratur, similibus. *Arbores Balsami, quales* Hæ sunt magnitudinis proceræ, à quibus ad radices rami plurimi extenduntur, duplici cortice tecti, exteriori crasso, Quercuum cortici simili, tenui altero, qui interior ligno proximus adhæret. Ac intra hos duos cortices Balsami liquor collectus per vulnus exstillat, albus, pellucidus, odoratissimus. Huius Balsami, vel sola guttula toti amphoræ præcedentis præfertur, quod vsus eius cuiuis manifestum faciet. Et certò mihi persuadeo, huncce Balsamum Aegyptio illo vero, quo iam à tot seculis caremus, præstantia & viribus neutiquam esse inferiorem, ita vt illum etiam isto multò pretiosiorem existimem. *Fructus exiguus Siliqua Vsus fructus* Est verò mihi illius fructus, exiguus quidem pro arboris magnitudine, ciceris que grano vix maior, gustu amaricante, in siliquę summo latitans, quæ digitum lata, compressa, alba atque tenuis est. Eo fructu vtuntur Indi in suffumigiis ad capitis dolores atque fluxiones tollendas. Idem Monardes proponit iconem pro Balsami fructu. An verò respondeat eius descriptioni, iudicent qui viderunt aut videbunt. Clusius sanè eam omisit. Consideret Lector, quantùm differat ea icon à Balsami fructu Clusii, de quo nos antè.

Amatus Amatus, Opobalsamum (inquit) quod è Peru regione noua adfertur, purum & sincerum esse crediderim, *Odoris fragrantia* cùm tantæ sit fragrantiæ & odoris, vt omnes alios præstantissimos odores antecellat: quod, vt tradunt qui arborem illic viderunt ex arbore Pinu persimili non adeò tamen procera colligitur, *Arbor Pino similis* gustu pingue, acutum, diu in ore saporem retinens, odoris ad Belzuinum tendentis, colore & substantia aquæ mellis inspissatæ. Manifestum non esse eiusdem speciei cum Iudaico aut Aegyptio: *Differt à Iudaico Balsamo Trogi Pompeij Balsamum* quanquam Trogus Pompeius arbores Opobalsami, quæ in Iudæa nascebantur, Pineis similes fecit, ita vt has arbusculas Peru delineasse visus sit.

Matth. Matth. liquorem, qui ex Occidentalibus Indiis odoratissimus adfertur, liquido Styraci admodum similem dicit, quem qui deferunt, inquit, Balsamum vocant. Verumtamen cùm, teste Strabone, Balsami lachryma lacteo colore sit, crediderim potiùs nouum liquorem hunc, veram Stactem vel Styracis liquorem, quàm Balsami: *Stacte* ob idque non esse penitùs ab re si quispiam eo Balsami loco vteretur.

Lacuna Styracis oleum At Lacuna audentiùs, Balsamum scribit, ex noua Hispania non verum est Balsamum, sed oleum

Styracis purissimum. Et alibi: Balsamum odoriferum quod adfertur ex noua Hispania est Dioscor. Styracinum oleum.

Scaliger. Goacomax. Consulamus scientissimum Scaligerum. Is ad Cardanum sic scribit. Quæ de Goacomax pingis arbore, *Oleum, Indicum.* vnde oleum fiat Indicum, Balsamum ab Hispanis appellatum: cur eius facies non persuasit tibi, vt Iudaicæ Balsamo congenerem iudicares: *Balsamũ. Punica similis arbor* Siquidem vt Balsamum Theophrast. ita tu hanc Punicæ similem agnoscebas. Est apud nos liquor is inter alia Indiæ monumenta. Balsami vires multas æmulatur. Non omnes expertus sum. Tantùm in aquam stillatim non diffunditur, sed neque lac cogit, neque fundum petit.

Coll. Flor. Collegium Florentinum quoque & Borgarucus testantur pro Balsami liquore Balsamum ex India aduehi.

Alpinus. Prosper Alpinus in suo Dialogo de Balsamo, Balsami Occidentalis Indiæ, Amati & Monardis meminit. Idem, Balsamum, inquit, nunquam ab aliquo nostrorum vel Arabum visum est neque auditum: nisi fortè produceretur nouissimè ab Occidentalibus Indiis delatum, à quibusdam pro *Opobalsamum falsũ.* legitimo Opobalsamo receptum, quod falsum esse planè constat.

Balsamum adulterinũ M. Fumee in hist. gen. Indiæ scribit: In Insula S. Dominici Balsamum adulterinum prouenire ex *Geaconax. Goropius.* arbore Geaconax, nec esse eiusdem bonitatis cum Aegyptio vel Iudaico. Ad flumen Maragnon incolas coquere panem cum Balsamo, aut saltem cum liquore ei simili.

Goropius: quid dicam, ait, de arbore ex Atlantico orbe, quæ liquorem illum suppeditat nobilissimum, quem ob odorem, suauitatem, & maximas recentium vulnerum curandorum vires, Bal- *Duo genera.* samum vocamus? Eius duo genera sunt, alter cortice inciso limpidissimus distillat, haud secus atque oleum Abiegnum: alter excoquitur & iccirco spissior est.

Cæsalp. nouum genus Balsami ex India Occid. ex ruffo ad nigredinem vergens: arbori folia Vr- *Xylon.* ticæ: Indi appellant Xylon: decoquunt ramos & colligũt oleum: Lachrymam etiam excipiunt: fructus Ciceris modo inclusus &c.

Balsamum Peruuianum compactum, quod immixtum in aqua subsidet, Lob. qui & alibi Peruianũ illud officin. Opobalsamum vocans, minimè sincerum vtplurimùm esse putat.

Balsamum Indicum seu Occid. Hist. Lugd. Monard. fructum Balsami dicit: *Linscier, Fruict de Baume.*

Vires & Vsus. Eius vsus, autore Monar. in Medicina tantùm celebris, & ab eo ipso ferè tempore, quo innotuit Indis, Hispani quoque Indorum exemplo eo vulnera persanarunt. Tum primùm tanto erat in pretio, vt vncia vna decem aut etiam viginti ducatis venderetur. Hodie verò libra vna non pluris tribus aut quatuor emitur. Romam primùm *Pretium.* delati vncia centum ducatis fuit diuendita. Nunc tam copiosè eo delata, haud ita magni æstimatur, vt etiam amici hoc se mutuo ditent dono: Adeò rerum abundantia homines in sui rapit despectũ. Nam quod rarum in principio frequentissimo fuit in vsu, illud vulgatum nunc meliorique æmptum pretio ferè contemnitur, iuxta illud:

Omne rarum carum, vilescit quotidianum.

Vtendi modi. Porrò triplex eius vsus medicus. Aut enim per os introrsum assumitur, aut foris applicatur, aut Chirurgicis remediis permiscetur. Sumptum manè à *Asthma. Menses. Ventriculi dolor.* ieiuno Asthmaticis vtile est, & vesicę labes & vlcera abstergit. Menses ciet sumptum, & pessi modo subditum. Dolores Ventriculi inueteratos lenit linctu matutino repetito, eúmque roborat. *Hepar. Pectus.* Hepatis vitia corrigit: pectus alleuiat infarctum: iuuentutem conseruat. Illustris mihi notus heros, *Iuuentutis conseruatio* qui ex huius vsu frequenti ætatis vigorem iuuenilem cunctis repræsentabat, absque vlla corporis *Phthisis. Dolor* molestia. Pthisicis plurimis profuit. Fœminę steriles, pessi vice feliciter admiserunt. Omnes frigidos & flatulentos dolores apprimè demulcet litu calido aut imposito linteo eo imbuto. Resol- *Temperamentum. Apostemata* uit enim, discutit, & apostemata antiqua & frigida absumit. Membra roborat impositum. Cere- *Cerebrum. Paralysis.* brum confortat mirabiliter, doloremque lenit à qualicunque causa obortum. Paralysin tollit, si caput, ceruix & spina parsque ipsa resoluta eo illi- *Nerui. Spasmus. Ventriculo.* natur. Omnibus pariter neruorum imbecillitatibus & Spasmis medetur. Ventriculo illitum, aut panno calido inductum concoctionem adiuuat, & robur ei addit: flatus dissipat: oppilationes eius *Lien. Intestina. Vrina.* Lienisque remollit atque aperit: Intestinorum cruciatus abigit, calidè infusum: Vrinam prouocat illitum: doloribus iuncturarum mirè confert, *Ischiatica.* in quibus, atque adeò Ischiaticis primas tenet. Durities & apostemata resoluit. In neruorum passionibus nulli secundum. Destillationes quasuis absumit ac sistit.

Chirurgicus vsus Sit & in Chirurgia varios habet vsus, tum per se, tum aliis medicinis admistum, quæ omnia particulatim exponere longum foret. Cuique perito artifici debitus miscendi vtendiq; modus relictus esto. Vulnera quæuis, etiam capitis, vbi cranium *Vulnera Sarta.* non fractum fuerit, contusiones item & sugillata persanat. Sed vulnera etiam recentia sine suppuratione glutinat.

Eius vsus apud Venetos ad plagas celeberrimus est, & vel intra triduum vulnera restituit: omnia præstat, quæ ad vulneris glutinationem requiruntur, vt non temerè egenorum thesaurum quis dixerit. Neruorum iuncturarúmque, omnia denique tam recentia quàm antiqua vulnera vel *F. brec.* per se, vel aliis permixtum, mirum quantâ felicitate persanet. In febribus chronicis spina eo calente inuncta paulò antè paroxismum, super- *Horror.* haustisque statim vini aliquot guttis horrores abigit & anteuertit discutiendo. Sed repetito vsus opus est.

Cęsalpinus tradit, Balsamo ex India Occid. delato magnas vires tribui, præcipuè vulneribus glutinandis, & cæteris ad quæ Opobalsamum Aegyptium laudatur. Idem ad suprà scriptos affectus omnes deprædicat, si quatuor aut quinque guttæ vino vel aqua modica vel intra fauces intromitantur sensim deglutiendo, ita tamen ne linguam attingat, vt vel gustum deprauet vel eidem pertinaciùs adhæreat.

BALSAMVM DE TOLV.

Descriptio arboris. Ceratia folio. Arbores è quibus colligitur *Balsamum de Tolu*, inquit Monardes, pumilis Pinis sunt similes, multos ramos, quaquauersum spargentes, foliaque Ceratiæ similia obtinentes, perpetuò virentia.

Delectus. Præferuntur domesticæ & in cultis natæ.

Colligendi modus. Colligunt verò hunc liquorem Indi vulnerato & inciso arborum cortice, qui tenuis & tenellus est, suppositisque & arbori adnexis veluti quibusdam cochlearibus è Cera nigra, in illis regionibus nata confectis, quę emanantem è vulneribus liquorem excipiant, quem deindè in alia vascula ad eam rem parata effundunt. Id verò feruentissimo fieri sole necesse est, vt liquor faciliùs emanet: nam

etiam noctu ob frigiditatem nihil effluit. Erumpit etiam interdum ex ipsis arboris nodis & aliis nonnihil liquoris, qui cùm exiguus sit, & in solum decidat, perit.

Balsami descriptio. Color. Balsamum verò hoc colore est rubro ad aureum tendente, mediæ inter liquidum & densum consistentiæ, glutinosus admodum, & vbicunque reponatur firmiter inhærens: *Sapor* sapore dulci & grato, nec si fumatur nauseam mouente, quemadmodum reliqua Balsama, odore excellentissimo & limonum fragrantiam quodammodo referente, sic vt vbicunque reponatur, abscondi non *Odor* possit, sed suo odore locum gratiorem reddat, ac etiam pauxillum in vola manus attritum, suauissimum spiret odorem, vt Iasmini ferè.

Locus. (Lusi. quoque tradit nunc recens aduehi ex continentis quadam Prouincia inter Carthaginem & Nomen Dei sita, *Tolu* ab Indis appellata: *Balsamū Toletanum* ideóque Hist. Lugdun. Balsamum Toletanum vocat.

Monardes pauxillo simili Balsamo à Morgano sub suum è Londino discessum donatum se testatur.

Vires & Vsus Balsamæus hic liquor, vt idem refert apud Indos maximè celebris est, ob insignes eius facultates, à quibus edocti deinde Hispani, cùm miros eius effectus animaduerterint, pro re maximi pretii inde in Hispaniam detulerunt, magno illum istic redimentes, nec absre, quandoquidem præstantius esse maioribúsque facultatibus pollere videtur, eo qui è noua Hispania aduehitur. Eius facultates insignes sunt, quoniam incisione elicitur, quemadmodum olim Balsamum in Aegypto: ad eadem omnia, ad quæ illud celebratur, efficax. *Vulnera* Omnia recentia vulnera curat, consolidat, glutinátque labra, nec materiam purulentam in iis exoriri sinit: quódque maius est, nullum cicatricis vestigium curatis vulneribus relinquit, si eorum labra probè iuncta fuerint. *Faciei vulnera* Quapropter in faciei vulneribus singularis est. *Vtendi modus* Primùm autem emundandum est vulnus, ab omni spurcitie, & vino eluendum: deinde eius labra probè vnienda, Balsamúmque subtepidum illinendum, & lineus pannus duplicatus eodem Balsamo intinctus superimponendus, atque ita colligendus, vt labra hiare nequeant. Postmodum victus ratio sit tenuis, secetúrque vena si necesse sit, quarto demùm die soluatur ligatura (nisi symptoma aliquod antè soluere cogat) & vulnus consolidatum inuenietur. Quod si singulis diebus vulnus curare necesse sit, lineum pannum Balsami intinctum liquori subinde adponendo glutinabitur. Etenim eius facultas est prohibere, ne materia in vulnere generetur. Præsertim verò vtile est in vulneribus in quibus *Ossa fracta* confracta sint ossa, exemptis priùs iis, quæ separata sint fragmentis, & reliquis intactis, quoniam Balsami facultas ea expellet, vulnúsque sensim consolidabit.

Vulnera articulorū Miræ etiam virtutis est in articulorum vulneribus & neruorum sectionibus, omnibúsque puncturis: etenim ea curat & à contractione liberat, ne partes inutiles fiant, & motu priuentur.

Altè penetrantia & cuniculosa vulnera curantur huius Balsami albo vino mixti per Syringam iniectione, & post ternas deinde horas eius eductione. *Punctura* Idem fit in vulneribus punctim inflictis, semel in die mediocriter calidum iniiciendo. *Contusio* Vtile præterea est in contusionibus, reliquísque Chirurgi operam requirentibus, modò nulla insignis inflammatio adsit: Eâ verò conuenientibus medicamentis sublata, Balsami est vsus. In morbis in quibus Chirurgi opera non est necessaria, plurimùm prosunt haustæ eius aliquot ex albo vino guttæ, veluti in asthmate. *Asthma* Capitis dolorem è frigida causa prognatum lenit lineus pannus eius liquore tinctus capiti circumligatus. Temporibus adpositum, omnem defluxionem, *Defluxio* in oculos præsertim, cohibet, eorúmque dolores lenat: præcalidum cerebro impositum dolorem tollit, roborat, & Paralysi remedio est. *Paralysis Phthisis* Vsi sunt & nonnulli Phthisici, manè aliquot guttas è manu lambendo, magnúmque senserunt commodum, quoniam pectus egregiè expurgat. Aliquot eius guttæ ex aqua vitæ calida initio rigoris *Quartana Tertiana* in quartanis aut tertianis diuturnis & importunis sumptæ, vtiles sunt: sed etiam ante frigus eodem Balsamo feruenti oleo rutaceo permixto ceruices inungendæ. Si quis ab orificio ventriculi *Ventriculus.* ad vmbilicum vsque inungatur, ventriculus roboratur, & dolore liberatur, languens cibi appetentia excitatur, concoctio iuuatur, flatus discutiuntur. At longè maiore efficacia istud molitur, si æquales Balsami & olei Nardini compositi vel simplicis partes misceantur: faciliùs etiam illinitur. Longa experientia apud Indos probatum est, eos qui Hydropicorum in morem tument, si *Ventris tumor* hoc Balsamo æquis partibus cum vnguento aperitiuo mixto ventrem illinant, Lienis regionem præsertim, magnum leuamen sentire: quoslibet *Tumores diuersarū partium* tumores & œdemata cuiuscunque partis corporis resoluit: omnes dolores à frigida causa promanantes, etiam diuturnos, tollit, *Dolores* emplastri modo applicatum, & continuè delatum donec spontè decidat. Eosdem effectus præbet calidè adpositum, lineóque panno, qui aqua vitæ selectissima & calefacta madeat, superimposito, vbi *Flatus* sunt flatus, siue in ventre, siue in alia corporis parte. *Nephritis* Magnæ est etiam efficaciæ in Nephritico dolore, si feruens cum aliis oleis ad eum morbum vtilibus mixtum illinatur: contractorum neruorum dolorem lenit, & si per summos æstus illo illinantur & fricentur, eos relaxat. Parotides seu Scrophulas cæcas & apertas curat. Alias præterea multas facultates obtinet hic mirabilis liquor, quæ me latent: sed quas intelligere potui, vniuerso orbi notas facio, vt adeò præclaro medicamento, & tam insignibus viribus prædito (quibúsque longè plures & maiores tempus deteget) quilibet vti queat.

BALSAMVM NOVVM FRVCTV RACEMOSO.



Descriptio AVtor generalis historiæ Indiarum narrat in India & Hispaniola insula plantam quámdam spontè nasci, arboris magnitudine, vt porte quæ ad duorū hominum proceritatem interdum assurgat; caulibus cinereis, foliis viridibus, superiore parte magis quàm inferiore, grandibus & amplis, costa crassiore & elatiore per

Fructus. per medium diuisis foliorum pediculis non virentibus, sed rubescentibus. Fructus est racemosus, longus, instar manus digitatę, acini eius rari, virentes, quandoque rubescentes, & qui maturescendo magis ac magis rubescunt. *Extrahēdi ratio.* Succum ex eo hoc modo extrahunt. Cymas & asparagos teneros huius plantæ colligunt, alii racemos addunt, & ex his succum exprimunt, quem in aqua coquunt ad dimidias: deinde magis ac magis ad sapæ aut mellis crassitudinem. Residere sinunt, & ad vsum reponunt. *Folii descriptio.* Eius folium hic ad viuum est expressum, vtroque extremo acuminatum, sex digitos longū, latum quatuor cum dimidio.

Locus Reperitur in multis locis Insulæ Hispaniolæ.

Vires *Sang. fluxus.* Vlceribus & Vulneribus admouēt: sanguinem enim reprimit: terget & mirificè eis medetur, etiam vero Balsamo efficacius. *Aqua destill.* Ex eius summitatibus destillatur aqua, præstantior aqua vitæ, *Vulnera.* vulneribus vtilissima, & *Morbi frigidi.* morbis omnibus qui à frigore ortum habent, vti dolori *Ventriculus.* ventriculi aut partis alterius, si diebus aliquot bibatur. Refert Hist. Lugd.

De hoc Balsamo Posthius Electoris Pal. Medicus doctissimus sic cecinit.

Hæc fertur ex Hispania
Noua nouum, ecce Balsamum,
Aegyptio haud minùs potens.
Odore nam suauissimo.
Nares caputque recreat,
Morbisque prodest frigidis
Infirma firmans viscera.
Idem dolores corporis
Totius illitum leuat:
Vnguento & omni fortius
Cruenta sanat vulnera.
Miram ô Dei potentiam!

BALSAMVM VERVM, XYLOBALSAMVM, CARPOBALSAMVM, OPObalsamum.

Cap. XXXVI.



Ordinis ratio. ET si alio fortassis loco, si ipsum spectemus fruticem, Verum & Iudaicum Balsamum dici potuisset: cur tamen huc referremus, & Balsamorum citatorum tractatio, & liquoris, si non arborum similitudo, ipsaque adeò tractationis ratio postulare videbantur: vt taceamus huic conuenire cum Terebintho, fructu, & huius oleo istud vel adulterari, vel eidem substitui, aliaque quæ suadere poterant, hoc potissimùm loco de eo tradendum.

Xylobals. Offic. Porrò vt à nobis notis exordiamur, exoleti illi ramuli, qui Xylobalsami nomine in Offic. venditātur, nec saporem nec odorem vllum euidentem sensibus ingerere solent, contorti, digitali crassitie, duplici cortice intecti, exteriore tenuiori, rugoso, cinereo, aut ex cinereo russescente, interiore crassiore, fusco, textura satis compacta: nodosi sunt admodum & multis tenuibus ramulis brachiati.

Carpobalsamum offic. Carpobalsami nomine in Offic. habentur semina Terebinthi acinorum oblonga forma & magnitudine, pediculo breui donata, cortice rugoso, fusco, quatuor costis in totidem quadrantes distincta, cui subest tenerum putamen album, sæpè cassum, interdum *Nucleus.* nucleo pingui dulci, nisi vetustate nimia rancescat, grauidum: alioqui sapor effœtis, cuiusmodi in officinis asseruati solent grana, nullus: nullus odor.

In ipsius verò arbusculæ descriptione, mirum quàm inter se varient autores, vt patebit in progressu. De namque tam pretiosa, tam rara, sed tam principibus atque magnatibus omni tempore expetita aliquid solidi medicum & Botanicum scisse par est. Operæ pretium igitur facturi si autorū tam priscorum quàm recentiorum, & inter hos illorum potissimùm qui Aegyptum peragrarunt, eiusque solum natale viderunt obseruata in medium producamus, exorsi à *Theophr.* Theophrast. Botanicorum vetustissimo.

Locus. Balsamum, inquit ille, in valle Syriæ gignitur, in duobus tantùm, vti ferunt, hortis, quorum alter viginti iugerum est, alter multò minor. *Arboris descriptio.* Arboris magnitudo, quæ magnæ malo Punicæ, ramis valdè multis, *Fol. Rutæ.* folio Rutæ simili, sed subcandidiore, perpetuò virente. *Fructus Terebintho similis.* Fructus similis est Terebintho, magnitudine, figura & colore, valdè odoratus, ipsáque adeò lachryma odoratior. *Balsami colligendi modus.* Hanc ex incisura colligi tradunt in caudicem facta vnguibus ferreis circa suprema, sub sydere, æstu feruente. Colligi æstate tota perhibent nonnulli, verùm haud multum esse quod effluit, nec magis vna conchâ plenâ in diem colligi. Sed odoris suauitate eximia & diffusa præstare, adeò vt vel tantilli odor longum spatium permeet: sed sincerum ad nos nullum aduehi, *Adulteratur.* sed cùm collectum est atque permixtum: multarum namque rerum permistione vitiari, & quod in Græcia venditur sæpè adulteratum esse: Sed & valdè odoratos esse huius arboris ramulos, *Virga sem rama.* hosque quotannis putari, non tam vt reliqua valentiora seruentur, quàm vt emolumenti plus comparetur: vendi namque vel illos magno posse pretio. Atque huius arborum cultus causam ad imbres referunt, quos crebrò decidere perhibent: Sic & virgarum amputationem causam quandam esse dicunt, ne *Cur non fiant proceræ.* proceræ fiant arbores. Etenim frequenter putatæ vel attonsæ, virgas tantùm emittunt, nec in vnum caudicem vires intendūtur. Syluestre Balsamum nullibi extare accepimus. Ex maiori horto vasa duodecim plena colligi, quæ congii dimidium capiant: Et ex altero duo tantùm. Sincerum vendi duplo ad argentum pretio: pro ratione mixtionis. *Præstantia.* Balsami præstantiam præcipuè in odore consistere uideri.

Vitibus similis. Solinus in Polyhist. similes vitibus stirpes esse tradidit.

Strabo. Strabo Cosmog. 16. Balsami historiam paucis complexus est, his verbis: Hiericus est campus à montana quadā valle circundatus, quæ in theatri speciē ad ipsum declinat. *Viridarij Balsami topica descriptio.* Hoc in loco est Palmetū, cui immixta est etiam alia materies domestica, & ferax, Palmis abundans, spatio stadiorum C. & totum irriguum & habitationibus plenum. Vbi & regia est, & Balsami viridarium, quæ arbor aromatica est & fruticosa, Cytiso & Terebintho persimilis

Arboris descriptio. Terebintho similis. Balsamum lacti simile.

similis: eius corticem scindentes succum in vasis suscipiunt, te naci lacti persimilem, susceptus autem in conchis coagulatur. Dixerat autem eodē lib. in Arabia apud Sabæos tractu maritimo thus & myrrham & Cinamonum nasci: in ora etiam Balsamum & quandam aliam plantam valdè odoratam. Et rursus: à Iordane lacum esse: qui aromaticum Iuncum & Calamum ferat: habere etiam paludes. Lacum Genesareticum vocari. Gignere etiam Balsamum. Videtur autem Strabo Sylvestre balsamum aliquod denotare, eo quod sponte in maritimis Sabæorum nascitur, etsi istud incognitum fuerit Theophrasto.

Balsamum siluestre

Et Dal. apertè scribit siluestre illud esse. Pausanias in Bœoticis balsami arbores in Arabia describit, Myrtorum magnitudine, foliis Amaraci. Videat Lector reliquam historiam viperarum sub eius fronde latitantium, quam longum esset hic referre.

Myrti magnit. Folia Amaraci. Plinius

Sed consulamus potiùs Plinium, qui non parùm balsami historiam ex Veterum monumentis, suisque annotatis illustrasse videtur. Postquam igitur de pluribus Arabiæ & Aegypti odoratis tradidisset, omnibus odoribus præferri (inquit) balsamum, vni terrarum Iudææ concessum, quondam in duobus tantùm hortis, vtroque regio, altero iugerum xx. non ampliùs, altero pauciorum. Seruit nunc hæc, & tributa pendit cum sua gente, in totum alia natura, quàm nostri externique prodiderant. Quippe Viti similior, quàm Myrto. Malleolis seri dicitur, nuper vincta, vt vitis: & implet (at nunc implet Dalec.) colles vinearum modo, quæ sine adminiculis se ipsæ sustinent. Tondetur similiter fruticans, ac rastris nitescit, properatque nasci, intra tertium annum fructifera. Folium proximum Rutæ, perpetua coma. Sæuiere in eandem Iudæi, sicut in vitam quoque suam. Contra defendere Romani, & dimicatum pro frutice est. Seritque nunc eum Fiscus: nec vnquam fuit numerosior aut procerior. Proceritas intra bina cubita subsistit.

Viti similior quam Myrto. Cultus. Tempus. Rutæ folio. Omnino hoc vox. Genera.

Arbori (Xylobalsamo) tria genera. Tenui & capillacea coma, quod vocant *Eutheriston*. Alterum scabro aspectu, incuruum, fruticosum, odoratius: hoc *Trachy* appellant. Tertium *Eumeces*, quia est reliquis procerius, læui cortice. Huic secunda bonitas, nouissima Eutheristo. Semen eius (*Carpobalsamum*) vino proximum gustu, colore russum, nec sine pingui: peius in grano, quod leuius atque viridius. Ramus crassior, quàm Myrto. Inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis. Ferro lædi vitalia odit. Emoritur protinus, eadem amputari superuacua patiens. Incidentis manus libratur artifici temperamento, ne quid vltra corticem violet. Succus (alibi oleum vocat) è plaga manat, quem Opobalsamum vocant, suauitatis eximiæ, sed tenui gutta: ploratu lanis parua colligitur in cornua. Ex iis nouo fictili conditur crassiori similis oleo, & in musto candida. Rubescit deinde, simúlque durescit è translucido. Alexandro Magno res ibi gerente, toto die æstiuo vnam concham impleri iustum erat. Omni verò fœcunditate è maiore horto congios senos, minore singulos, cùm duplo rependebatur argento (Quem locum ex Dioscor. lect. sic restituit doctiss. Budæus lib. 5. de asse: Anni verò fœcunditate è maiore horto congios senos singulis annis, cùm & duplo rependebatur argento.) Nunc etiam singularum arborum largior vena, ter omnibus percutitur æstatibus, postea deputatur. Et sarmenta quoque in merce sunt DCCC. (denariis trecentis.) Amputatio ipsa surculúsque vænijt intra quintum demum annum. Xylobalsamum vocatur, & coquitur in vnguentis. Pro succo ipsum substituêre Officinæ: corticis etiam ad medicamenta pretium est. Præcipua autem gratia lachrymæ, secunda semini, tertia cortici, minima ligno. Ex hoc buxosum est optimum, (κιῤῥὸν Dioscor. Plin. videtur legisse ὀζῶδες) quod est odoratissimum: è semine autem maximum & ponderosissimum, mordens gustu, feruénsque in ore. Adulteratur Petræo Hyperico, (semine Hyperico simili, quod à Petra oppido defertur Dioscor.) quod coarguitur magnitudine, inanitate, latitudine ceu longitudine, odoris ignauia, sapore Piperis. Lachrymæ probatio, vt sit pinguis, tenuis, & modicè russa, & in fricando odorata. Secundus candido colos, peior viridis crassúsque, [cæsiúsque Dalec.] pessimus niger. Quippe, vt oleum senescit. Ex omni incisura maximè probatur, quod ante semen fluxit. Et aliàs adulteratur semine suo (seminis succo. C H.) víxque maleficium deprehenditur gustu amariore. Esse enim debet lenis, (læuis Dioscor.) non subacidus, odore tantùm austerus. Vitiatur & oleo rosæ, Cyperi, [Cypri M. & CH.] Lentisci, Balani, Terebinthi, Myrti, Resina, Galbano, cera Cypria, [cerato Cyprino aut Myrtino Dioscor.] prout quæque res fuit. Nequissimè autem gummi, quoniam ipsum quoque inhærescit manu inuersa, & in aqua sidit: quæ probatio eius gemina est. Debet sincerum & inhærescere: sed hoc & gummi addita fragili crusta euenit. Et gustu deprehenditur. Carbone verò, quod cera resináque adulteratum est, nigriori flamma. Nam melle mutatum statim contrahit muscas. Præterea sinceri densatur in tepida aqua gutta sidens ad ima vasis, adulterata olei modo innatat: & si in metopio vitiata est, circulo candido cingitur. Summa probatio est, vt lac coagulet, in veste maculas non faciat: nec manifestior alibi fraus. Quippe millibus denariûm sextarii empti: vendente fisco tricenis denariis væneunt. In tantum expedit augere liquorem. Xylobalsamo pretium in libras VI. (XV. M. & CH.)

Xylobalsamum. Succedaneum Balsami. Cortex. Lignum delectus. Seminis delectus. Adulterium seminis et dignosc. Lachrymæ probatio. Aliud adulterium et id varium. Probatio. Summa probatio. Pretium.

Tacitus medicam arborem ait, vt non tam ex aliorum erga cæteras arbores comparatione, quàm definitè ex hoc paruam arborem esse oporteat.

Parua arbor.

Iustinus historicus è Trogo Pompeio tradit, Opes genti ex vectigalibus Opobalsami creuisse, quod in iis tantùm regionibus [Iudææ gignitur. Est namque vallis, quæ continuis montibus velut muro quodam cincta instar hortorum clauditur, spatium loci ducenta millia iugerum, nomine Iericho dicitur. In ea valle sylua est, & vbertate & amœnitate insignis, siquidem Palmeto & Opobalsamo distinguitur. Et arbores Opobalsami formam similem Pineis arboribus habent, nisi quòd sint humiles magis, & in vinearum morem excoluntur. Hæc certo tempore anni Balsamum sudant.

Loci descriptio alia. Pineis similes esse.

Iosephus quoque magnus ille Hebræorum Historicus in Iudæa nasci confirmat. Et Egesippus de excidio Hieros. Locum ait propè Hiericho esse, in quo balsamum gignitur, virgultisque innascitur, quæ acutis lapidibus incidant pueri agricolarum, pérque eas incisiones destillare humorem lachrymis pulchrè rorantibus.

Diosc. non solùm in conualle Iudeæ quadam, sed Aegypto quoque nasci testatur, cuius verba quoque de Balsamo referre lubet, quòd à prædictis, maximè Plinio, non parùm euariet. Sic igitur

Opobalsamum. Reditus quantus.

Lycij seu Pyxacanthæ uox quid. Lectio Pyracanthæ. ait. Balsamum arbor Lycii seu Pyxacanthæ [[illegible]: Auicaquoque Lycium habet: alii legunt [illegible]: ac videtur [illegible] vocabulum omnino perperàm ex dictionum affinitate [illegible] irrepsisse, quod facilè concedet, qui vel ad prædictorum & sequentium autorum iudicium circa magnitudinem respexerit, vel ipsum adeo [illegible] cum Pyxacanthæ aut Pyracanthæ, aut Granati, aut Vitis, aut aliqua alia prædictarum vel dicendarũ magnitudine cõtulerit,] magnitudine conspicitur, [illegible] habet Rutæ proxima, *Folia Rutæ.* sed candidiora multò & perpetuò magis virentia. In *[illegible].* vnius Iudeæ certa quadam conualle, & Aegypto nascitur, differens ipsum à seipso, scabritia, proceritate & gracilitate. Quod igitur in frutice tenue *Theriston.* & capillaceum est, Theriston quasi demessile dicitur: quoniam fortassis ob gracilitatem facilè de- *[illegible].* metatur. Quod verò Opobalsamum dicitur, æstiuis sub ortu Canis ardoribus excipitur incisa ferreis Vnguibus arbore. Sed tam paucum exstillat, vt quotannis vix plures quàm seni septeniue congii colligantur: inibique pondus argento duplo *Duratio.* rependitur. Est autem bonus succus qui recens est, validi odoris, sincerus, non subacidus, diluï facilis, læuis astringens. & linguam modicè mordés. Sed variè vitiatur. Sunt enim qui ipsi olea, vn- *Adulterin.* guentáue admisceant, quale Terebinthinum est, Cyprinum, Lentiscinum, Susinum seu Liliaceum, Balaninum ac Metopium: itémque mel & cerarũ Myrtinum aut Cyprinum valdè liquidum. Huiusmodi verò maleficium facilè deprehenditur: *Vt depre- hendatur Balsami probatio.* Siquidem sincerus laneæ vesti instillatus, si deinde eluatur, neque maculam facit, neque notam illam relinquit: at vitiatus inhærescit. Rursúmque purus lacti instillatus, idipsum coagulat, id quod adulteratus non efficit. Quin & sincerus lacti aut aquæ infusus, celeriter diffunditur atque lactescit: at adulteratus olei modo innatat, in orbem circumagens aut diffundens sese stellæ in modum. Attamen sincerus etiam vetustate crassescens, se *Error in probatione.* ipso deterior euadit. Porrò hallucinatur qui sincerum hunc existimant aquæ instillatum priùs ad ima sidere fundúmque petere, ac postea tanquam qui facilè diffundatur & diffluat sursum remeare. *Xylobalsami proba- tio* Lignum verò quod Xylobalsamum uocant, probatur recens, sarmento tenui, ruffum, odoratum, quadantenus Opobalsamum spirans. E fructus *Fructus delectus & adulteriũ fructus & dignoscas.* genere (nam & huius necessarius & vsus) eligito, flauum, plenum, grandem, ponderosum, gustu mordentem & feruentem in ore, modicè Opobalsamum redolentem. Asportatur à Petra oppido semen Hyperico simile, quo fructus hic adulteratur: sed ex eo dignosces, quòd maius illud sit, inane, ignauum, sapore Piperis. Scribit tamen Gal. Balsami neque fructus neque lignum fraudes illas admittere: forte quòd fucum facillimè de- *Opobal.* prehendi posse existimaret. Opobalsamum Syriacum, inquit idem, quod à loco in quo pluri- *Sagadinũ.* mum & optimum prouenit; alterum quoque nomen accepit, Sagadinúmque dicitur: cunctis aliis melius, quod in Palestinæ prædiis colligitur. Quãtum verò Palernum vinum eo quod Caupones *Delectus inter pura Balsama.* vendunt, præstantius est, tantum Aegyptio Opobalsamo Sagadinum vocatum præstat. Sciens itaque Galenus Balsamum vsque adeò pluribus artibus adulterari, vt internosci vix queat, ipsemet in Iudæam nauigare & coram inspicere voluit, quomodo liquorem fundat, ac inde particulam ceu regulam quandam aliorum sumptam apud se *Galeni in- tegritas.* semper habere. Ac multas quidem didicit eius adulterationes, quæ etiam exercitatissimos lateant, quas tamen publicare scientes dignum non iudicauit, ne praui id addiscẽtes, in multorum fraudem ea arte abuterentur.

Hactenus è Veteribus ferè præcipuis Balsami historiam persecuti sumus, studio omittentes eos qui obiter tantùm de eo aliquid tradidere, vt illud Virg. Georg. 2.

> *Quid tibi odorato referam sudantia ligno*
> *Balsamáque &c.*

Item

> *Balsamáque & baccas semper frondentis Acanthi.*

Quod nec suis caret laudibus in sacris paginis. Sed restat ex prædictis difficultas explicanda de *Controuersia de modo extrahendi Balsamum, seu incidendi cortices.* modo colligendi Balsamum. Nam Theophrast. & Dioscor. ferreis Vnguibus incidi scalpiue solitas arbores testantur. At Plinius non solùm non ferro amputari tradit, sed eo lædi: incidi autem vitro, lapide, osseisue cultellis. Quod & Solinus confirmat, Lignum, inquiens, caudicis attrectatum ferro, sine mora moritur: eapropter, aut vitro, aut cultellis osseis, sed in solo cortice artifici plaga vulnerandum. Tacitus quoque cauet ne vis ferri huic arbori adhibeatur, hanc enim pauere, ideoq; venas fragmine lapidis aut testa aperiri. Sed leuis admodum hæc difficultas diligentiùs consideranti videbitur, prædictique Autores facilè inter se *Solutio.* conciliabuntur, si dixerimus, rem eò redire, idque vnum voluisse omnes, in vulneranda Balsami arbuscula apprimè cauendum esse, ne quid vltra *Cautio.* corticem oblædatur, ideóque fortè à cultellorum ferreorum nimia illa acie abstinendum censuerũt hi, illi verò eo cautè vtendum, non quòd ferrum ipsum per se efficiat. Nam ferreis alioqui etiam vnguibus, hoc est, instrumentorum ferreorum eo genere, quod ad vnguis humani figuram (vt Serrac. censet, fortè melius ad figuram vnguium auiũ etiam aptari refert, in falcis speciem, quali & hodie vinitores vti solent) conuexum sit, quidni corticem inuiolato intactóque caudicis ligno scalpere liceat, haud secus atque vitro, testa, fragmine lapidis, osseisue cultellis? Eiusmodi verò ferreorum vnguium mentionem facit Colum. lib. 12. cap. 18. quibus vindemiatores vnguium vice ad colligendas vuas vti voluit, vt ne manibus vuas distringerent, sicque non minima fructus portio dispersis acinis in terram dilaberetur.

Colligendi modum nobis indicare voluit Fr. Broc. Monach. in descriptione Aegypti, his verbis. Saraceni carpebant folium vnum à stipite [adhærent enim folia stipiti] & contra radium Solis illud discerpentes, guttam lucidissimam, & supra modum odoriferam colligebant. Et is est verus liquor Balsami qui in phialas vitreas colligitur, & ad diuersas mundi partes mittitur: tametsi rarò sine mixtura ad regiones nostras perueniat. Aiunt etiam si folium illud contra radium Solis non frãgeretur, minimè succum illum stillaret.

Inter recentiores Cordus non dubium esse scri- *Xylobalsamum vulg.* bit quin pro Xylobalsamo alterius cuiusdam fruticis surculi vendantur: reperiuntur tamen inter eos nonnunquam qui mirum in modum odoris & saporis gratia commendantur. Idem quoque de Carpobalsamo vocato vsu venit. Semina inana *Carpobalsamum vulg.* sunt & insipida, habéntque figuram Hyperici fructuum: non rarò tamen inter ea inueniuntur adulterinis granis maiora, pleno pinguique intus & oleoso nucleo, odoris in attritu grauissimi, & quæ gustu ineffabili, odoris, saporisque gratia otis habitum diu commendent. Ipsum porrò Carpobalsamum vix credit Cordus ad nos adferri amplius, vastatis Syria, Iudæa, & nunc etiam Aegypto

gypto Turcarum & Barbarorum rabie & incursionibus. Itaque nemo speret temerè se sinceram Balsami lachrymam consecuturum. Quid dicemus sinceram? ne adulterati quidem copia nobis contingit, & si importetur, in Principum tantùm versatur manibus, qui potissimùm speciosis eiusmodi imposturis illiciuntur. Vidisse se tamen verum Balsamum gloriatur idem, quod hominum memoria aliqui ex Aegypto attulerint, Hierosolymis huc reuersi, colore fuluum, lentum, spissum & inueteratum: interim tamen suauissimi adhuc odoris, cuius tantillum totum palatium penetraret. Antiquitus, vt tradunt suprascripti authores, Plin. & Theoph. Balsamum vni terrarum Iudeæ concessum erat. Sed postea, si Matth. credimus, propagata admodum fuit species, cùm Iudæa ipsa simul cum Balsamo Romani potiti fuait, qui eam malleolis serendo, atque iterando, non secus ac vites in collibus propagantur, latiùs auxerunt. In Arabia nasci ex Pausania dictum, sed quomodo sit factum [vt in Syriam peregrinantes vno ore fatentur] quòd hoc tempore omnibus sanè balsami plantis Iudæa sit penitùs destituta, cùm olim sola eiusdem ferax à compluribus crederetur, declaratu haud ita obuium.

Hodie non haberi Balsamum sincerum apud nos

Balsamum

Propagatio

Iudæa hodie balsamo destituta

Verùm, inquit Matth. cùm certò sciam probatissimorum virorum testimonio, qui ex Italia soluentes plures in Aegyptum nauigarunt, Memphi balsami viridarium extare. Illud fortasse euenisse putandum est, quòd è Iudæa ab Aegypti regibus, quibus vniuersa subiiciebatur Syria omne in vniuersum balsamum eò fuerit translatum, quò decoris inde plurimùm Regiæ accederet. Si vnquam hodie Opobalsamum venale inueniatur [tametsi in Italia per longas ætates non ampliùs venturum putem] non ematur, nisi priùs de eo omne fiat periculum. A Veterum balsami fructu, quod hodie Carpobalsamum vocatum, & ex Alexandria importatur longè differt. Suspicandum hoc idem esse semen simile hyperico, quod [vt suprà ex Dioscor. diximus] olim à Petra Palestinæ oppido deferebatur.

Memphicū viridarium bals.

Cautio

Quod Xylobalsamum hodie vocant potiùs Myrtum quàm balsamum referre censet Matth. Mirum Dioscoridem corticis non meminisse, & Plinio tamen dictum, eiúsque medendi vsum.

Xylobalsamum vulg. Myrtus

Amatus certum se ait balsamum in Ægypto nasci, indéque nunc Xylobalsamum verum adduci, primo aspectu vitis ramusculos figura & colore referens. Cæterùm hodie alibi balsamum, quàm in supradictis regionibus nasci sibi cognitum. Sed aliud balsamum non intelligit, quàm id quod priùs Peruuianum vocatum, quod verum balsamum Antiquorum non est.

Amatus not.

Fuchsius in ea suspicione est, quemadmodum & Lacuna, neque Carpobalsamum, neque Opobalsamum, neque Xylobalsamum Seplasiarum esse legitimum & verum: ideóque non temerè illis ad conficienda medicamenta vtendum, sed potiùs ex officinis Medicorum eiicienda, & succedaneo illorum vtendum esse, de quo nos postea specialiùs quædam trademus.

Cautio

Scaliger suo more censoria stipatus virgula incedit. Sic enim Card. alloquitur: balsamum defiisse ais: ac paruo esse in pretio: quorum vtrumq; vanum est. Nam & apud Maximil. Cæs. multùm, & nonnihil apud patrem meum vidimus, ex ipsis allatum locis purissimum: Nec parum apud Carolum Sabaudiæ Ducem. Miror te Iesemino balsamum comparasse. Aboali non corrigebas? qui de balsamo cùm scriberet, idem & in aqua constare, & cum aqua misceri scripserat in eodē loco.

Card. not.

Aboali not.

Lonicerus lignum quod Xylobalsami nomine adfertur excoctum putat, quemadmodum & fructum adulteratum. Is falsam figuram habet, ad descriptionem effictam, non ad visam plantam.

Lonic. not. Cast. Dur. not.

Castor Durantes quoque figmentum ponere videtur pro balsamo. Munsterus herbam vocat in sua Cosmogr. & picturam stirpis nec visæ nec cognitæ exhibet.

Munster. not.

Scripsit Lob. ex professo libellum de balsamo, ex quo sequentia potissimùm ex eius obseruationibus annotanda. Dioscor. vires balsami meliùs quàm stirpem notam habuisse, eóque ab Ægyptiis potiùs & Arabibus quàm à Græcis petendam. Apud Dioscorid. minimè legendum λευκὸν [quamuis omninò ita legendum censeat Marcell.] sed eam vocem expungendam, aut legendum κυτίνῳ, cui & Strabo comparat. Pro Pyxacantha apud Diosc. leg. Pyracantha, cuius nulla mentio apud Antiquos.

A quibus balsami hist. petenda

Marcell. not.

Diosc. emēd.

Apud Trogum Pompeium, quem & Iustinus historicus citat meritò mendum multi docti in codice suspicantur, quando balsamum Piceæ arbori comparat. Pausaniæ collatio cum foliis Sampsuchinis balsamo minimè repugnat.

Trogi mendum

Matthiolomastix Guillandinus, Bellonius, & Prosp. Alpin. qui arbusculam foliis Rutæ aut Lentisci, aut Iasmini profitentur, quod Theoph. Dioscor. & Plin. minimè repugnat.

Folia Iasmini

De balsami liquore varia est lectio. Alii ἀδιάχυτον cum Ruell. & Marcell legunt, qui citissimè penetrat, facilè diluitur: quæ lectio rei ipsæ minimè quadrare videtur. Alii, vt rei meliusculè conueniat ἀδιαίρετον, quod facilè scissilis, penetrabilis & facilè diuiditur, vertunt. Vetus interpres Serenum interpretatur, qui ἀδηλον legisse videtur, Serap. secutus, quem ἀδιάλυτον, id est, facilè solubilem legisse autumant: nam ipse interpretatur velocis resolutionis. Marcelli verò versio recipienda videtur, quia maximè cum balsamo partium tenuitate conuenit. Quod etiam à Plin. tenue dictum est: multóque magis etiam ab ipso Gal. lib. 7. simpl. qui Diosc. tacitè reprehendit. Vbi autem Diosc. dicit adulterari Cypria cera liquida, videtur legendum Cypreo aut Cyprino cùm nulla sit cera Myrtea aut Cyprea.

Diosc illust. & correct.

Varia lect.

Diosc. not.

Diosc. corr.

Opobalsamum crassum [inquit Lob.] legitimæ Terebinthinæ Cypriæ veteris siue vietæ aut resinaceorum liquorum instar densatum seruamus, glebæ Benzoini ferè concretione, sapore acri, & colore fuluo, masticanti vt Mastiche, lentescente. Recens præfertur Antiquis, quare in hoc maximè vulgus hallucinatur, qui quò antiquiùs est, eò meliùs opinatur. Viperæ illæ, quæ in balsametis vitam degunt, innocuæ sunt.

Opobalsamum concretum

Vulgi error

Viperæ innocuæ

Carpobalsami arborem Aduersaria ex amici cuiusdam relatione sic referunt. Humilis est frutex, aspectu deformis, cineracei coloris, flore Iasmini lutei simili, minore, perpetuis virgis. Liquor aureus, sapore Moschi. Mirum verò quod Pen. & Lob. in suis Aduers. referunt, [ex cuiuscunque id tandem testimonio tradant] & contra omnium scriptorum authorum sententiam, saporem esse Moschi. Si odorem intelligunt, neque sic vera narrare videntur: quis enim vnquam balsamo Moschi propriè tribuit odorem? Si saporem, quæ quæso possit esse saporis gratia Moschi, partis excrementitiæ, siue iam sanguis sit, siue sudor, siue peculiaris alia collectio excrementitia, de quo nondum constare certò apud plerosque videtur. De genuini verò balsami odore & sapore, plus satis suprà.

Carpobalsamum Frutex. Flos

Lob. & Pen. not.

C. Bauh. apud Matth. balsami arbusculam de-

C. Bauh.

Flos Violæ albæ. scribens, ait esse floribus albæ violæ similibus, vt figura Alpini adposita exprimat. Mox subdit in India & Aegypto prouenire. At apud nullum hactenus autorem legimus flores esse Violæ albæ, nec illud Alpini icon declarat vlla ratione, nec ipsius Alpini historia, qui expresse ait Acaciæ floribus proximos, id quod dicta icon haud inconcinnè exprimere videtur, quæ flosculos ex meris apicibus constantes exprimit, quales nemo stirpium gnarus facilè dixerit, vllam habere similitudinem cum Leucoio. Præterea negant Alpinus & Bellonius, quibus præ aliis huius fruticis vera & exacta debetur historia, prouenire in India ac Aegypto spontaneam.

Sed par est tandem & eos audiri qui ipsam arbusculam in loco suo natali viderunt & eius historiam literis prodiderunt, quales inter alios præcipui sunt Theuetus Bellonius & Prosp. Alpinus, qui posterior de eo tractatum integrum conscripsit. Huic Italia, sed potissimum Serenissima Respub. Venetorum debet, quòd Agyptii Balsameti monumentũ viuum in Augusta sua viderint vrbe. Binas, inquam, plantas, ex Arabia cum aliis [nisi fallor secum allatas, aut accersitas, sed duas tantùm cum habuisse & coluisse, ex ipsomet [ego Ch. rlerus, cùm anno 1596 & 1597 Patauii agerẽ] intellexi, & alteram quoque bis vidi, quæ Leucoii magnitudinem nõ excedebat, foliis Iasmini quodam modo: de cæteris certò statuere, quòd è longinquo tantùm & per fenestram viderim, nõ possum. Altera autem famuli eius vti putabatur, vel cuiusuis alterius maleferiati furto nequissimè ei erepta, adeò morosum ipsum effecit, vt nemini aditus ad residuum pateret. Vidi tamen, & semel vidit mecum Henricus Ellenberger, tum Consil. Illust. Germ. nat. Patauii, qui nunc, vt audio, professorem Celeberrimum agit Marpurgi, qui idem mecum, si recordatur, testari potest. Sed quid magno opus testimonio, cũ hoc notum sit omnibus, & ipsemet iam superioribus annis aluerit, vt ex ipsiusmet testimonio aliorumque infrà patebit: & ipse Alpinus adhuc sit in viuis, nunc magno suo merito Celeberrimi illius horti Patauini præfectus, idémque Professor Botanicus Patauinus.

Theuetus. In Aegypto. Sed placet prius audire Theuetum. Hic testatur se vidisse hortum non procul à Cairo Aegypti liquore illo raro & pretioso ex Balsamo arbore profluente celeberrimum, quam Prouinciæ præfectus adhibitis custodibus diligentissimè cõseruat, vt eius liquorem colligat, quem quotannis ad Turcarum Imperatorem mittat. Itẽ à Græcorum Patriarcha & vrbis senioribus audiuisse, eũ qui hodiè colligitur, neque tam oleosum, neque vulneribus vlceribúsque curandis tam vtilem quàm qui postremi Regis Aegyptii tempore colligebatur. Plures quidem clàm Opobalsamum vendere, sed adulteratum. Narrasse Arabes ex historiis Cleopatram Aegypti Reginam ex Iudæa Balsamum primùm in Aegyptum transtulisse. Sed huic historiæ vix assentitur Theuetus, quod in aliis vulgari Græca lingua conscripta, in Palæstina legerit, Traiani tempore Balsami feracia fuisse mõtana Engadi, & quędam alia Asiæ minoris loca:

De loco quodam. quanquam re vera cùm hęc lustraret, nullam reperire potuerit Balsami stirpem. Præterea Balsami montis Libani incolę ex historiis suis referebant, in quadam montis parte, quæ Solis ortum spectabat, Alexi Græcis imperante, tantum Balsami colligi solitum, quantum in Aegypto. Sed regione à Turcarum tyrannide oppressa, & exactis inde Christianis, eius liquoris memoriam vnà cum planta ipsa exoleuisse. Aegypti Reges nihil pretiosius habebant, quod Regibus & Imperatoribus Persidis, Catax, Aethiopiæ, Græciæ, cæterisque dono darent, siue ad ineundam, siue ad confirmandam cum eis amicitiam.

Autor descriptionis Africæ, in octaua eius parte tradit extra vrbem Aegypti *Melfrubetich* primã in Aegypto à Mahumentanis conditam ad Nilum, excellentes esse & magnificas sepulturas Regum Aegypti: nec procul ab illis esse hortum vnicam alentem arborem, quæ Balsamum producit, nec in toto orbe vllam aliam esse præter hãc solam. Plantata est in medio fontis instar putei: nam est procera arbor. Folia eius similia sunt foliis Vitis & parua. Audiuisse se refert, qui dicerent, si aqua fontis diminuatur, plantam ipsam siccatam iri. Hortus cinctus est validissimis muris, in quem ingredi nemo potest nisi maximo fauore, aut dono custodibus dato. Multa quidem hæc illi de Balsamo: nullus tamen notis omnibus delineauit eius imaginem, vt verisimile sit eam præsertim Veteribus illis incognitam fuisse. *Folia Vitis.*

Bellonius denique & Alpinus Balsami historiã perspicuè, vt putamus, sic tradunt. Arbuscula est (inquit Alp.) viticosa, quę excrescit ad altitudinem *Elhanne*, seu Ligustri, vel Cytisi, folia paucissima gerens, Rutæ proxima, non tamen, vt dicebat Dioscor. iis candidiora, sed potiùs Lentisci foliis similia cernuntur, scilicet colore viridi, subalbido, perpetuóque virentia. Eius lignum gummosum leneque apparet, colore exteriùs subrubro, cuius ramuli eodem colore conspicui sunt, longi, recti, graciles, paucis foliolis ordinatim referti, foliáque simul terna, aut quina, aut septena alæ adnata, aliquo pacto Lentisci foliorum æmula. Sunt ramuli odorati, gummosi digitísque contrectati eis tenaciter adhærentes. Flores fert paruos, albos, Acaciæ floribus proximos, ternos singulis appensos, quasi in vmbellæ forma, summè odoratos (odor paululo temporis resoluitur) a quibus semina promanant flaua, folliculis nigris subrubescentibus contenta, valdè odorata, intúsque humorem flauum melli persimilem habentia, sapore subamaro, pariterque acri linguam ferientia, Opobalsamumque redolentia, Terebinthi fructuum figuræ & magnitudinis æmula, extrema aculeata & medium crassum obtinentia. Opobalsamum, cùm primùm eductum, colore, vt audio, est albo, qui paulò pòst in viridem, tertiò in aureum, & demum in melleum mutatur. Eius succi etiam substantia inprimis turbida crassáque, vt oleum statim ab Oliuis expressum cernitur, postea tenuissima atque clarissima, demũ Terebinthi modo crassescit, odore eximio inprimis atq; acutissimo Terebinthũ redolens, cum suauiore odoris fragrantia cernitur, saporéque amaro, acri & adstringente. Leuissimũ est in primis diebus, atque vsque adeò validi & acuti odoris, vt aliquibus inter odorandum sanguis è naribus eruperit, & prę multa eius leuitate in aquam stillatum non desidet, sed ex alto in eam proiectum parumper in ipsa mergitur, feréque continuò assurgens supra totam aquæ superficiem totum expanditur, eique miscetur, & citissimè in ea dissoluitur, vt ab aqua maxima cum difficultate separetur: in qua paulò pòst concrescit atque coagulatur, coagulatúmque stylo totũ ab aqua eximitur, quòd tunc colore lactescit, siue album quale lac visitur. Quantò hic succus annosior, eò fit inodoratior, atque ad motum segnior. Inprimis itaque statim albo colore cõspicitur, qui color paucissimis diebus in viridem mutatur, oleique crassitie cernitur, qui postea longo temporis

Bellon. & Alp. hist. Balsami.
Ligustri vel Cytisi facie.
Rutæ folia.
Diosc. not.
Lentisci folia.
Acaciæ flores.
Semina.
Sapor.
Terebinthi fructu.
Odoris vehementia.
Aetate albescit.
Mutatio per ætatem.

nis intervallo depuratur, nonnullisque annis tenuissimus euadit atque clarissimus, ex viridique colore in aureum splendidissimum transit. Senio verò confectus, crassus qualis Terebinthina fit, qui si in aqua vel lacte stilletur, statim considet, multáque cum difficultate, & non nisi longo tempore, denuò supra aquam fertur, tardissiméque in ea dissoluitur. Vnde Plinium ex varijs coloribus ac substantijs in Opobalsamo inspectis, varias eiusce succi differentias vel species facientem errasse clarissimè patet. Impropriè & falsò Opobalsamum quoque appellatur nigrum illud, quod ex India Occidentali apportatur, cùm sit diuersæ arboris, magnitudine, figura, ramis, folijs, fructibus, à vera balsami arbore longissimè differentis.

Plinij error. *Opobalsamum nigrum Indi[cum] falsum.*

Bellon. descriptio.

Bellonio teste, quotquot eius frutices in horto Matereæ apud Cayrum aderant, stipitem solum habebant pedis longitudine & pollicari crassitie, tenuibus alis præditum, raris folijs obsitum. Vbicunque autem nascantur, duorum aut trium cubitorum altitudinem non superant: & pedali altitudine cùm sint, in multos graciles ramulos anserinæ pennæ caule haud crassiores finduntur. Balsami frutices Matereæ iam recens putati fuerant, sic vt soli stipites superessent, qui ramulorum rudimenta producebant. Eiusdem etenim est balsamum cum vite naturæ, quam singulis annis putare necesse est, alioqui degenerat. *Alpin.* Audiui in Arabiæ solo ad Lycii, Terebinthi & Pyracanthæ magnitudinem [vt scripserunt Diosc. atque alij] & maiorem etiam excrescere. Iustinum verò quòd Piceæ arbori plantam balsami similem asserat, deceptum omninò fuisse credendum est. *Bellon.* Folia vtrinque in neruo nata, vt in Rosarum, vel Fraxini, vel Iuglandis folijs videre est: ciceris tamen foliorum magnitudinem non excedebant, sicque constructa erat ipsorum series, vt postremum foliolum extimam alam occupans, imparem numerum efficeret: nam totius alæ foliolis numeratis, terna, quina aut septena inueniūtur: septenarium certè numerum superare vix animaduertimus: extremum autem foliolum reliquis maius est: facto etenim ab illo progressu reliqua sensim minutiora fiunt, vt in Rutæ folijs. Ipsum lignum candicat, odorisque & saporis expers est, non secus atque aliud inutile lignū. *Alp:* Balsamum quod ex seminibus nascitur, bina folia inprimis habet, bifolijs nascentis vitis maximè similia, & quæ post hæc, quæ sunt tria quatuor vel quinque, prodeunt, Amaraci folijs sunt proxima: quæ verò tertiò nascuntur singula trina existunt, Rutæque proxima cernuntur. Hæcque sunt Balsami folia, aliter quàm Scriptores antiqui descripserint, ex quibus atque alijs Dioscoridem fortasse atque alios multos antiquos Scriptores viuentem Balsami plantam non inspexisse iure suspicamur. Ramum & folia (addit Bellon.) degustauimus, quæ facultatis nonnihil astrictoriæ esse comperimus, pinguisque aliquantulùm saporis, atque aromatici: ramulorum autem cortex his odoratior. Gemino cortice præditi sunt ramuli, extimo foris subrubente, qui vt membrana internum operit. Is gustatus, inter Thus & Terebinthi folium sapit, Satureiæ syluestri sapore simili admodum grato, atque digitis tritus Cardamomum olet.

Putatio necessaria. *Lycij Tereb. & Pyracanthæ magnit. Iustini error.* *Ciceris folia.* *Foliorum numerus & proportio.* *Lignum quale.* *Foliorum uaria pro ætate Vitis folia Amaraci folia Rutæ folia.* *Ramorum & folior. qualitates.* *Geminus cortex. Corticis sapor.*

Locus.

Ex dictis hactenus patet quanta sit autorum varietas, non tantùm circa arboris formam & magnitudinem, sed & partium eius descriptionem, cui tamen controuersiæ & obscuritati, ex posteriorum, maximè Bellonii atque Alpini [qui ipsimet arbusculas diligentissimè considerarunt] placitis & annotatis magnam huic balsami historiæ lucem accessisse indubiè quis affirmare audet. Restant & de loco & tempore quędam specialius excutienda.

Ergo quoad locum, vt iam patet ex præced. Dioscor. in sola Iudæa in quadam valle & in Aegypto nasci tradit, differens ipsum à seipso asperitate, longitudine & gracilitate. Ante ipsum Theoph. in duobus tantùm vallis Syriæ viridarijs: Strabo & in Syria, valle illa fertili quæ Libanum & Antilibanum interiacet, iuxta lacum Genesareticum, & in Arabia quoque Sabæorum tractu maritimo. Hierony. in Epitaphio Paulæ matris cap. 5. Contemplata est [inquit] balsami vineas in Engaddi. Ita plerique autorum balsamum in Aegypto nasci perhibent, regione quæ nunc Solis oculus siue fons dicatur, quondam Heliopolis, vt annotat Hermol. ex Auic. balsamum, vt scribit Lob. vnâ terrarum Iudeâ & Aegypti Memphi ciuitate, quā Cayrum vocant, oriundam Theophrast. Dioscor. Plin. & nonnulli antiqui affirmant: hodiè tamen constat, neque Iudæam, neque Aegyptum, eius esse spontaneum solum. Eius olim multæ plantæ è Mecha Arabiæ felicis oppido in Aegyptum translatæ. Sed Monardes balsamum antiquorum periisse scribit in Aegypto, & in hoc mundo non amplius reperiri. Idem & Petrus Martyr confirmat, nempe balsamum circa Cayrū Aegypti periisse: interitus varias recenset causas, & inter alias menstruum sanguinis venenum, quæ nobis non videntur verisimiles. Sed quid ad hæc Bellonius? Sunt, ait, qui existimēt Matereæ balsamum è Iudæa fuisse translatum, nos verò nunquam in valle Hiericuntina cultum arbitramur. Non longè Cayro Aegypti hortense duntaxat existit. Quanquam autem putarit Theophrast. nusquam syluestre reperiri, constanter tamen affirmare audemus, & olim & etiamnum in Arabia felice extitisse, vnde lignum & fructus ab omni antiquitate cum alijs mercibus Arabicis deferri solita: quod ex Mithridatica antidoto, ex Dioscor. Diod. Siculo Pausan. Strab. Cor. Tacito facilè est probare, adeòque institores Cayrini de balsamo interrogati, responderunt, quicquid Xylobalsami & Carpobalsami vnquam vendiderint, cum alijs medicamentis Mechâ Arabiæ delatum: meminisse autem balsami arbusculas, quæ hodie Matereæ visuntur, magnis Sultani sumptibus ex Arabia fœlice adportatas fuisse. Cæterùm arbusculæ, quas ego Matereæ vidi iuxta Cayrum, pauca admodum habebant folia mense Septembri. Et Alpinus: Habentur, inquit, arbusculæ in horto Mattharia propè Cayrum, cura Eunuchi Messer dicti, Aegypti Præfecti Mechâ & Medinâ, ex Monte quodam arenoso in quo multas balsami plantas viuere affirmant, quas insigni Mahemetis miraculo in sterili illo monte natas affirmant, per Haly sui peregrinorum ducem, Anno à partu Virginis 1575 transuectæ. balsami plantam apud me viuentem vetustissimam, Iacobus Contarenus Senator clariss. Iohan. Vothus nobilis Anglus, Franc. Ferretius Gallus, Ioach. Iungermanus Germanus, Marcus Fenarius Venetus Pharmacopola & plures alij viderūt, verùmque etiam Opobalsamum ab eius foliorum alis dissectis exstillasse quod multis maximè mirum fuit, cùm aliàs Italiam hanc plantam habuisse, nusquam appareat. Arabia autem felix balsami locus patrius semper fuit, nunquam Aegyptus ac Iudæa.

P. Martyr. *Syluestre Balsamum contra Theoph.* *Institorum Cayrinorū responsum.*

Opobals.

Legitimum Opobalsamum notis omnibus cōprobatum vidisse gloriatur Matthiol. apud Imper.

Ferdin. à Solimano Imp. Turcarum missum: cui simile omnino sibi visum ait illud, quod Franciscus Calceolarius Veronensis referebat Reuerendissimo D. Barbaro, Electo Aquiliensi Patriarchæ, ad suam parandam theriacem.

Porrò, vt Campesius in suo speculo pharmaceutico testatur, Balsamum incognitum (quod non simpliciter, sed magna ex parte intelligendum censemus) in Gallia, Italia, Hispania, & magis in Germania verum non habemus, sed tantum adulteratum. Aliquando se vidisse iactat idem apud D. Annam Franciæ, x. aut xii. ampullas vitreas, quarum quædam erant missæ per Sultanum Aegypti Regi Ludouici xi. eius patri: aliæ Duci Burgundiç Carolo: aliæ Reg. Carolo viii. S[illegible] vnum non fuisse simile alteri, existimatque maiorem partem fuisse veram Terebinthinam ex Grano viridi. Balsami ramulum vegetum adhuc nactus Bellon. eundem exiccatum cum Xylobalsamo Offic. collatione facta, per omnia conuenire deprehendit, idémque de Carpobalsamo dicit.

Tempus. Incidi tradunt autumno ad liquorem eliciendum, teste Hermol. Alpinus tamen refert mensibus Iunio, Iulio, Augusto, partim sponte, partim supposito ferro scarificato destillare & in vitrea vascula recipi album, quod postea téporis successione mutatur, vt prius dictum.

Extrahendi ratio. Lob. & Pen. ex amici cuiusdam relatione perhibent Decembri mense ramulos præscindi, quibus cera oblitæ appendantur amphoræ excipiendo aureo liquori.

An sit Perpetui folia. Folia, vt iidem tradunt exuit Decembri, quibus non nisi mense Maio noua sufficiantur. Quod si verum, iam corruit omnium tam priscorum quam neotericorum recepta opinio esse perpetuifolia. Et sanè inter notas à Veteribus proditas, quibus Balsamum dignosci possit, vna est, vt perpetuò vireat: illud tamen in Materea, apud Cayrum, teste Bellonio, pauca admodum folia Septembri mense habebat: quod sibi insolens visum est. Nam reliquæ arbores, quæ hyeme virere solent, folia, inquit ille, solùm nouo vere abiiciunt, cùm videlicet noua germina produxerunt: soléntque autumno magis virere, quàm nouo vere. At reliquæ, quæ folia abiiciunt, id sub hyemem facere solent, vt æstate noua acquirant. Ideóque nobis præter naturam videbatur Balsamum folia abiicere, vt hyeme noua germina produceret: nobis enim id obseruantibus, quæcunque habuit folia, recens nata erant.

Pen. & Lob. Has fortè difficultates vel ex relatu scientes, vel subolfacientes Pen. & Lob. perpetuis virgis Balsamum dixerunt, non perpetuis foliis: at perpetuis virgis eodemmet merito, vt nobis quidem videtur, dicas salicé, vitem, aliásque arbores vel frutices plurimos.

Nomina Linguarũ. *Palsamum* Balsamum Pausanias in Bœotiis *Palsamum* proferri vult: *βάλσαμον* Græcis à quo reliquarum ferè Linguarum nomenclaturæ detortæ videntur. Serap. *Belesen* vel *Belesma*, qui ex Dioscor. dicit arborem esse magnitudinis Grani viridis & sicuti arboris *Rucates*. *Belsan* Auic.

Arab. Inuenimus & *Balsem* Arab. dici. Alp. tradit antiquis Arabiæ medicis *Belessam* dictum.

Germ. *Balsam*. Ital. *Balsamo*. Gal. *Baume*. Hermol. liquorem *Oleum Balsaminum* vocat, quam rectè ipse viderit.

Balsami succedanea Recẽtiorum. Dicta sunt suprà Balsami, *ἀντιβαλλόμενα* ex Dioscor. Plin. & aliis: nunc & recentiorum quorundã de ea re sententiam audiamus, antequam transeamus ad vires. Etsi enim ex suprà scriptis satisque inculcatis notis Balsamum nosse, fortè haud videatur difficile, attamen cognitum habere longè difficillimum esse certum est. Opera itaque danda accuratissima, quò eius vires quàm exploratissimas habeamus, vt quando non licet illo frui, saltem bonitate proximis & simili facultate præditis vtamur.

Tribus huius plantæ partibus, tria succedanea est meditata posteritas. Liquoris namque loco sua Balsama (quæ vocant) vnguináque vulneraria nostri Barbari in Thesauris habuêre, quorum mirificæ vires literis & experimentis proditæ sunt. *Liquoris succedanea.* Quidam Ol. Terebinth. vel Laurinum, vel Gummi hederæ substituunt, vt legitur in quodam incerti autoris libello, quem Seplasiarii Quid pro quo nuncupant. *Ol. Tereb. Laur. Gum. Hederæ.* Syluius Placoto. Borgarucus, Lacuna, Monachi, Lobel. Myrrham stacten substituunt, id est, Myrrhç pinguissimæ expressæ liquamẽtum, quod quidem nobis, si ad Myrrhæ facultates quis respiciat non displicet. *Myrrha stacte.* Alii substituendum malunt Styracis electæ liquorem. *Styrax.* Verùm & ea ipsa rara habetur hodie electa, pura, nec commixta: alioqui non improbaremus. Antidotarium Romanum Oleum è seminibus Citri substituit, quod improbare non possumus, præsertim ad venena in theriaca: alioqui si de vulneribus iudicium fiat, aliter statuendum. *S. Citri ol.* Matthiol. mauult supponere Ol. Myristicæ nucis, vel Styracinum, quàm Terebinthinum vel laurinum. *Ol. nucis od.* Colleg. Florent. Cordus, Placotomus, Borgar. Antid. Rom. Ol. Garyophyllorum: Medici præsertim Romani expressè dicunt Ol. ex Gariophyl. non multùm distare à Balsamo: quorum sententiam tamen improbant Pen. & Lob. ob nimium eius feruorem. *Ol. Garyoph.* Cordus vult Ol. Cinnam. similes virtutes esse Balsamo: quod ob suam acrimoniam oculis neutiquam conuenire videtur. *Ol. cinnam.* Placot. speciatim Ol. Iuniper. candidũ, quod & ipsum in quibusdam nostro calculo admitti possit. At Terebinthi è pullulantibus botris atque flagellis tempore verno laticem limpidissimum, odoratissimum, non parum tenacem emũxisse se profitentur Pen. & Lob. qui digerendo, glutinando, doloréque mulcendo, vt illi tradũt, omnia quæ Opobalsamo insunt, conferre videtur. Quod non modò doctiorum, sed & Chirurgorum consensus secutus est. Nullum enim videre est ex illis vnguinibus, quod virium prestantia nomen Balsami meruerit, cui non sit admixta Terebinthina vulgata: Quid putas futurum, si genuinum Terebinthi liquorem admiscuissent? Eà de causa nullum præstantius succedaneum iidem arbitrantur, cuius omnes partes omnibus respondeant partibus, liquori, semini, quàm Terebinthum genuinum. Matthiol. & qui suum Garyophyllorum, Nucis Myristicæ, aut Cinnanomi oleum, huic liquori præferunt, suauitati & sapori plus quàm optatis facultatibus deferunt. *Matth.* Hæc namque tametsi eximios fundant liquores: tamen nec Dioscor. nota, nec venenis aut Theriacis cõparata fuêre. Et præterquam quòd plerumque vel fœtent vel feruent ignis empyreumate, præsertim ab ignaris parata: tamen si vel probè sint confecta, acriora sunt, quàm ad tale institutum par sit, ideóque intemperiem feruidam imprimere nata. Oculorum verò hebeti aciei [quod à Balsamo genuino postulatur] si quis admouere ausit, ne ille hominem ex luscioso cæcum faciet. Myristicæ verò oleum, laxando & inquinando, nec foris vulneribus glutinandis, nec stomachi viribus colligendis idoneum est, nec quidquam Balsamo simile habet. Alii, teste Lob. Copaum suam Indorum Balsami loco obtrudunt: quem & nos aliquando vidimus magnis laudibus celebratam pro Balsami genere Ill. Duc. Wirt. quod nominabant *Azeida di Capo una*.

Carpo-

Carpobalsami substituta Cubeba.

Carpobalsamo cubebas substituit Cordus, & Matthiol. qui plerosque rei medicæ studiosos secum sentire confirmat: addit præterea rationis loco, quod si ex mandantur, dentibúsue conficiantur, mordent gustum, feruentes in ore percipiuntur, & aromatis non modicum resipiunt, quas nimirum qualitates Balsami fructui inesse Diosc. testatur. Eiusdem sententiæ sunt Borgarucus. Placotomus & Adolphus in multis locis, & quidam alii. Fuchsius Galeno vtique illo tributo tractato, Quid pro quo, dicto, deceptus nimiúmue tribués, Carpobalsami loco Leucoii radicem substituendam censet. Sed ad rem ipsi respiciendum fuit, non ad putati autoris testimonium, & deprehendisset nullis qualitatibus præditam eam radicem, quæ vel minimo ad Carpobalsamum legitimum accedere possit, suámque illam opinionem nec Gal. genuinis libris, nec vllius probati autoris calculo comprobari. Garyophyllos recipiunt, Adolphus, Cord. Placot. Borg. & Colleg. Flor. Cardamomum Cord. Borg. Placot. Grana Paradisi, Colleg. Flor. Fructum Hederæ, Tract. quid pro quo. Xylobalsamum æquali pondere, idem. Grana Iuniperi, Medici Veneti, vt testatur Alpinus, quos taxat & reprehensione dignos censet. Pena & Lob. qui in ea sunt opinione, Carpobalsamum quod in Offic. prostat, neutiquā esse fructus Balsami, imò cuiusnam plantæ, incertum esse, rancidū, vietum, exoletū, inodorum, minime Capobalsami loco vsurpari debere: quin potiùs huius penuria. semen Terebinthi vel Lentisci immaturi eximias vires, omnes Carpobalsami facultates, & dotes, vt si quod aliud, explere ipsis videtur. Prosper Alp. tamen vulgaria semina pro vulgari falsò Carpobalsamo à multis recepta, quorum ad nos singulis annis magna copia aduehitur, verum esse Antiquorum Carpobalsamum se iudice affirmandum suadet. Idem tradit Pseudocarpobalsamum, Carpobalsamo admodum magnitudine, colore, figuráque simile esse: differre tamen à vero, quia eo sit oblongius & ex medietate tantùm folliculo contectum sit: Illúdque esse suspicatur quod olim Dioscor. tempore ex Petra oppido Arabiæ pro Carpobalsamo asportabatur, & quo verum Carpobalsamum adulterabatur, si Piperis saporem præ se ferret.

Fuchs. & tract. Quod pro quo not. Leucoii radix. Garyophylli. Cardamomum. Grana Paradisi. Galanga. Nux moschata. Fructus Hederæ. Grana Iuniperi. Colleg. Venet. not. Semen Terebinth. Semen Lentisci. In quo differat pseudo carpobalsamum à vero Carpobalsamo.

Xylobalsami substituta.

Campesius in suo speculo pharmaceutico apertè dicit nec Carpobalsamum nec Xylobalsamum inueniri Lugduni, Antuerpiæ, Medinæ campi, aut Francofurti. Quod si ita est, & quis eo vti velit, vtique de antiballomeno sollicitus esse debet bono, & viribus quàm proximè accedente. Testatur tamen Alpinus virgas apud se adseruatas, cum iis quæ apud Venetos Pharmocopolas sunt, easdem esse, modico tamen tempore omni odore & sapore exui, vt & hac de causa succedaneo opus sit. Perperàm autem quidam Nerio Alpino pro eo vtuntur, vt tradit Gesn. Et Fuchsius nihilo prudentiùs radicē Leucoii ex tractatu Quid pro quo, qui & eidem lignum Hederæ supponit. Acorum verum Colleg. Colon. Macim Colleg. Florent. Macerem Fernel. quia Xylobalsamum, vt apud eundem annotat Plantius, Gallis minimè suppetit. Maceris & Cypri ana part. æq. Adol. Occo: qui & alibi Cyperum solam sufficit, sicut & Colleg. Flor. Agallochum Matth. Cubebas Adol. Occo & Bapt. Montanus, vt testatur Cronemb. Cyperum totundum maiorem & minorem in Italiā ferunt ad Theriacæ compositionem. Aptissimum enim Xylobalsami succedaneum iam diu Patauina & Veneta Collegia sanxerunt & vsurparunt, tametsi ex Pen. & Lob. sententia commodiora hodiè suffici possent. Cúmque ex illorum sententia, Lignum quod Xylobalsamum dicunt officinæ, Lentisci sint surculi, plerumque cariosi, tamen neutiquam contemnendi, modò recentes sint, nec odorem amiserint: gratissimus namque puluis intus & foris, stomacho, propter naturæ amicum temperamentum: cuius argumentum faciunt dentiscalpia, quæ aromatica & moderata astrictione & calefactione dentes, gingiuásque perpurgant, roborant & mulcent. Idcircóque eorum multæ myriades parantur à miseris mancipiis, qui in triremibus Ligurum sub neruo vitam degunt. Pseudoxylobalsami huius magna copia pauco ære parari potest ex Italia & Gallia Narbonensi.

Nerium Alp. Fuchs. not. Radix Leucoii. Acorum verum. Macis. Macer. Cyperum. Agallochū. Cubeba. Cyperus vterque. Lentisci surculi.

Balsami vires & vsus ex Dioscor. Oculi. Vulua. Menses. Rigor. Vlcera. Vrina. Asthma. Aduersus Aconitum & morsus viperarum. Fructus vires. Pleuritis &c. Ligni vsus.

Efficacissima liquori vis inest, vt qui maximè calefacit. Quæ pupullis tenebras offundunt extergit: itémque vuluæ perfrictionibus medetur, cum cerato rosacco adpositus. Menses quoque, secundas, & fœtus extrahit: rigores illitu soluit, sordidáque vlcera expurgat. Quin & potus concoctionem iuuat, vrinásque ciet: ægrè spirantibus conuenit, nec non & iis qui aconitum hauserunt, si cū lacte exhibeatur, itémque à vipera demorsis. Miscetur & acopis, malagmatis & antidotis. Ac in Vniuersum efficacissimam vim habet Balsami liquor: proximam huic fructus: minimam verò Lignum. Fructus potui datus conuenit Pleuriticis, peripneumonicis, tussientibus, ischiadicis, comitialibus, vertiginosis, Orthopnoicis, torminosis, difficulter meientibus, & à vipera, venenatisque aliis animalibus demorsis. Porrò & ad muliebres suffitus accommodatur: itémque decoctus insessu vuluam aperit, humiditatémque exhaurit. Lignum easdem cum fructu vires habet, attamen minores: ex aqua decoctum & potum cruditatibus, torminibus, virulentorum morsibus, conuulsísque opitulatur. Vrinas quoque cit, & capitis vulneribus cum Iride sicca conuenit: squamas etiam passim extrahit. Denique ad vnguentorum etiam spissamenta editur. Ad capitis dolores, & suffusiones oculorum incipientes, & habitudinē mirificè conferre tradit Strabo, eóque pretiosius esse, quod in Hierocontio solùm tractu nascatur.

Plin. not.

Plin. Balsami vires tradens inter olea Balsaminum oleum vocat obliuiosè, quod apertissimè priùs in eius historia succum esse scripserat, vt reuera est, vel Dalechamp. quoque teste. Sic autem Plin. tradit de viribus. Balsaminum longè pretiosissimum omnium, (oleorum) vt in vnguentis diximus contra omnes serpentes efficax. Oculorum claritati plurimùm confert, caliginem discutit. Item dispnœas, collectiones omnes, duritiásque lenit. Sanguinem densari prohibet, vlcera purgat: auribus, capitis doloribus, tremulis, spasticis ruptis perquàm vtile. Aduersatur Aconito ex lacte potum. Febres cum horrore venientes perunctis leuiores facit. Vtendum tamen modicè, quoniam adurit, augétque vitia non seruato temperamento.

Adu. Serpentes. Caligo oculi. Dyspnœa. Tumores. Sang. resoluens. Vlcera &c. Adu. Aconitum. Horrores. Cautio. Temperamentum.

Balsamum, autore Gal. desiccat & excalefacit secundo excessu: est autem & tenuium partium, adeò vt odoratum sit. Sed liquor eius subtiliorū etiam partium est quàm ipsa planta, non tamen adeò calidus veluti quidam existimant, tenuitate partium falsi. Porrò fructus eius persimilis facultatis est, cæterùm longè in subtilitate partium inferior. Videtur autem his verbis Galenus Dioscor. tacitè reprehendere, qui credidit Balsamum præsentissimas & primarias facultates ad calfaciendum habere, deceptus partium tenuitate, vt euidenter Gal. testatur. Diosc. tamen Plin. quoq; secutus est, vt liquet ex vtriusq; verbis adductis.

Scaliger. Vulnera. Balsami felicissimum successum vidisse testatur Scal. ad ingens vulnus cuiusdam equitis in inguine: periculosissimúmque vulnus & maximû, cuius cicatrix quam sub oculo læuo habebat, vix ostendebat vestigia, non alio, quàm Balsami sibi ab Heroina misso, auxilio sanatum scribit. Lob. quoque *Experimentum.* experimentum siue mirandum periculum factum esse tradit Opobalsami in quodam nobili, ore sonipedis vngula sauciato: momento & breui tempore restituto, bis tantùm perun&cto aut imposito.

Balsami vsus apud Aegyptios Cæterùm nullum est medicamentum, vt refert Alpinus, quo magis ac frequentiùs Aegyptii medendo vtantur, quàm Opobalsamum, quod illi ad omnes ferè morbos ac symptomata adhibent, ad eósque maximè qui vel ex simplici intemperie *Ad intemperies. Vulnera.* frigida & humida, vel frigidis humidisque succis, vel à venenis concitantur. Summa cum laude eo vtuntur ad omnia vulnera, quo mirificè curantur, quod experientia in Petro Mariano Veneto mercatore, in capite à Turcis nocte quapiam vsque ad os pessimè lignis vulnerato, comprobatum: Balsamo siquidem inuncta ea vulnera, per diem tantùm, ferè omninò coaluerunt, & eo quàm paucissimis diebus, vt is testis esse potest perfectè sanatus est. *Vlcera.* Vtuntur etiam ipso ad vlcera sordida, *Morsus & ictus Venenati.* quæ eo mundantur atque sanantur. In venenatis & demorsis à serpentibus, atque ictis à scorpionibus, tum epotum, tum illitum maximè iuuat. *Pestis.* In peste, vt ab eius contagio defendantur, nihil maius habent, quo vtiliùs & tutiùs vtantur, singulis diebus eius semidrachmam deglutientes. *Febres.* Multásque etiam putridas febres eo epoto illi sanant, largiore ab ipso erumpente sudore. In chronicis febribus à crudis frigidísque humoribus, *Obstructiones.* obstructionibúsque viscerum, nihil vtibus ac præstantius experiuntur, quàm Opobalsami binos scrupulos vel drachmam per os quotidie exhibere, *Dosis.* liberat enim valenter viscera ab obstructionibus, calorémque naturalem fouendo, crudos humores concoquit ac digerit: hincque eius vsus ad omnes frigidos morbos ac symptomata apud eos est frequentissimus. Oculis visum deperditum, atq; auribus auditum, instillatum restituit, auriúmque dolores sanat. Præterea ad conuulsos ex humiditate ac frigiditate, ad vertiginosos, epilepticos: resolutos, trementes, ad tussimque ex frigido humore, orthopnœam & omnem spirandi difficultatem, pulmonum fluxiones, humiditates & dolores, ad stomachi frigiditatem, cruditates, atque ad omnes flatuum molestias, ad uteri frigidam humidamque intemperiem, ad præfocationes, dolores, sterilitatem, albos fluores, ad interceptam vrinam ex frigiditate, flatu, vel lapidibus, ad calculósque in renibus valenter frangendos ac abstergendos, vsus Opobalsami est apud omnes illos populos notissimus, & ad hæc omnia mala præstantissimum illi auxilium experiuntur.

Mulieres verò Aegyptiæ steriles eo tum supposito, tum epoto, tum suffito, fœliciore successu sæpè ad remouendam sterilitatem vtuntur.

Fucus. Non minori in vsu etiam habent ad pulchram faciem afficiẽdam, quando eo ipsa illita à rugis defendatur. Ferunt etiam aliquas ad conseruandam faciei pulchritudinem ac iuuentutem non inutiliter vsas fuisse. Balsamanda enim mulier (vt sic loqui liceat) in balneum calidum inprimis moratur, quousque multùm incaluerit, quo tempore cutim Opobalsamo multoties copiosè illinit, à qua linitione per horam & ampliùs in balneo valdè calido, quosque cutis rectè Opobalsamo imbibatur & arescat, morata, balneum egreditur, solitáque munia exercet, permanétq; sic facie atque pectore Opobalsamo inunctis, per tres ad minùs dies, in quibus nunquam perunctã cutim abluit vel mundat, ac tertia die ab inunctione rursum in balneum eodem iam dicto modo se confert, faciémque ac pectus valdè calefactum copioso Opobalsamo multoties perungit: aliquæ sunt, quæ vel decies vno die cutim inungunt, obseruantes commodum interuallum, quo rectè cutis peruncta totum Opobalsamum imbibat, atque paululùm arescat, vt promptiùs succum intimiùs haurire queat: quam Opobalsami inunctionẽ hoc modo præstitam, multoties moliuntur, saltem diebus triginta, in quibus cutem nunquam lauant vel mundant, à quibus quindecim & etiam ampliùs sic cute Opobalsamo inuncta quiescunt, quosque nihil liquoris ostendat, *Aqua Fabarum.* probéque ab eo siccata fuerit, quo tempore aqua fabarum stillatitia, priùs ad eas partes præmissa modica olei Amygdalarum amararum inunctione se lauant, cutémque multis diebus abstergunt.

Fructuum vsus apud Aegyptios, & virgarum. Stomachus. Seminum atque virgarum quoque recentium vsus apud illos est familiaris. Eis siquidem ad omnia ferè, ad quæ Opobalsamo vtuntur: præsertímque ad robur stomacho conciliandum, eius enim puluerem cum decocto Spicæ Nardi ad binas drachmas exhibent, idem præstat decoctum, quo maximè calorem naturalem fouent, augent & roborant. Vtuntur & ipso in spirandi difficultate, tussi frigida atque aliis morbis à frigiditate nascentibus. Vsum frequentissimum habet puluis & decoctum ad humiditates vteri exsiccandas, eiúsque calorem viuificandum. Suffitum ex his frequentant ad morbos omnes vteri à causa frigida concitatos. *Ligni vsus.* Eodem modo & ligni vsus est. Succus enim, semina, ac lignum, iisdem facultatibus donata sunt, ad eadémque vsum habent. Veruntamen Opobalsamum efficacius potest, eóque minùs Carpobalsamum, omniúmque minimè Xylobalsamum.

OPOBALSAMVM SOLIDVM.

Cap. XXXVII.

Descriptio ILlustrissimæ Celf. Wirtemb. misit D. Paludanus Opobalsami solidi nomine, quod ita est solida substantia, vt flexioni interim non resistat, pellucida, & digitis ductili, non friabili vt Colophonia, quam colore rutilo egregiè refert, vniformi, odore suaui Benioini, quem fragrantiorem, cùm adoletur, adspirat naribus, nec segniter flammam concipit: sub dentibus lentescit, & iis inhærescit. Fortè hoc idem est cum Lobelii Opobalsamo concreto de quo capite præcedenti.

BALSAMVM CERTARVM QVARVNDAM PLANTARVM, QVAS Copaibas vocant.

Cap. XXXVIII.

Descriptio Copaibas. IN Brasilia [vt refert Maff. Indic. nauig.] certus è plantis, quas vulgò *Copaibas* vocant, inciso per æstatem cortice, in modum Balsami liquor suauissimi odoris emanat: cui, cùm ad alios mortalium vsus, tum ad curanda vulnera & cicatrices *Vires.* tollendas mirificam esse perhibent vim. Ex plantæ cernuntur affrictu animalium attritæ, quæ à serpentibus venenatis, aut à feris icta, ad remediũ illud ipso naturæ instinctu se conferunt.

AVEL-

AVELLANA INDICA MEHEMBETHENE CORTVS. CAP. XXXIX.

Descript.



ÆQuat magnitudine paruam Iuglandem, formâ ferè ouali, in cuius basi triquetrum patet foramen, producens ex singulis angulis costam, ita vt præter ternas illas costas totidem aliæ alterno situ per longum concédant, putamen durum, crassum, nonnihil inæquale ex cinereo flauescit: quo effracto, tres cellulæ sese ostentant nucleum continentes oblongum, album, ac dulcem, si Clusio credimus.

Hunc verò eundem fructum fortè Matthiol. in Comment. ad Diosc. Gal. Lat. & Ital. cum magnis figuris sic describit: Auellana superiori [de qua antè egimus] longè minor à Cl. Cortuso mihi Patauio missa, quæ suo tegumento exempta, quod læue molléque est, colore subpallido, nec folio Palmæ crassius, glandis acuminatæ aut Myrobalani flaui ferè figura, duro putamine, colore vulgaris Auellanæ, oblongo intus nucleo, pumilam Amygdalam referens, vt ex eius hic imagine omnibus palàm fiet. Sed non apertè agit nobiscum Matthiol. quando nos ad icones remittit. Nam cùm tres vel quatuor diuersos fructus in eadem proponat tabula, duos verò tantùm describat, reliquorúmque ne verbo quidem meminerit: coniectura potiùs licet assequi, quàm certò scire quàm intelligat. (Matth. not.)

In Epitome ait, secundum & tertium genus ex eorum imaginibus facilè intelligi posse. Nimirum sic botanicæ studiosis, præsertim in Exoticis non versatis, egregiè prospectum. Quicquid sit, per Auallanam eius alteram hanc ipsam intelligimus, quamuis minùs acuratè ab eo describatur.

(C. Bauh.) C. Bauh. apud Matthiol. adponit iconem qualem habet Clus. & Lob. pro *Mehẽbethene*: & Nucis Ind. nomine eandem tabellã, quæ villosum habet inuolucrum, cuius tamen Matthiol. ne verbulo quidem meminit: ipse verò (Casp. Bauh.) eandẽ faciens cum *Mehenbetene*, (à qua Clus. diuersam fecit nec describit tamen. Ita tenebræ obducuntur nebulis.

(Mehembethene Cortuso.) Clus. in edit. 4. Garziæ de arom. Auellana Ind. 3. à D. Cortuso missa nomine *Mehembethene*, quauis non admodum eius descriptioni conueniat, & potiùs eorum sententiam amplectendam censeat, qui inter Vnguentarias referunt: pollicem transuersum longam dicit, forma triangulari, duram & ligneo putamine, fractam tres habere cellulas, in quibus nucleus oblongus, albus dulcísq; inueniatur. Et placent quidem icones à Clus. propositæ: at non placet eius vel eorum opinio, qui ad Nucem Vnguent. referendam censent. Sanè in paucis cõuenit cum ea: durus admodũ hic fructus, & tres habet cauitates, quas in illo non habes. (Nux Vnguentaria.) (Clus. taxatur.)

(Auell. Ind. Varietas) Mehembethene siue Auell. Ind. varietas Lob. qui se inter Nuces Moschatas Antuerpiæ aliquando reperisse testatur eandem, quam pro Mehẽbethene Cortusus misit. Colore, [addit] figura & magnitudine Nucem Myristicam refert, sed triangularis forma, osseo & præduro cortice, Nuculæ Indicæ nostræ: ac effracta tres cellulas habet, vnâ conspicuâ dulcem nucleum claudente. Cæterùm Lob. eandem habet iconem cum Clus. à quo tamen in eo dissidet quòd Auellanam priorem exiguam villoso inuolucro non distinguit aut separat à *Mehembethene*.

Tabern. in icon. & Hist. *Mehembethene* vocat Indianisch haselnuß. Hist. Lugd. Matth. Auellana Ind. 2. Item Clus. Auell. Ind. 3. Quomodo autem inquit; *Mehembethene* nomen illi tribui possit, non video, cùm Auic. de *Mehembethene* tractans nihil aliud, quàm Græcorum Lathyrim describat. At eadem Hist. Lugd. ne ἀμοίρα figurarum destituta videretur, duas posuit, vnam ex Matth. alteram ex Clus. (Lathyris.) (Hist. Lugd. not.)

Anno 1608. Illustr. nostra Princeps dedit octo fructus Auellanæ Mehembethene Cortuso dictæ, magnitudine, longitudinéque differentes, omnibus triquetrum foramen, vnus à nobis per medium sectus planè respondet iconi Clusii, tres insunt cauitates, duæ minores vacuæ, in maiori nucleus inuolutus, tenui, ruffa tunica, albus, grato sapore cum quadam aromaticate.

AVELLANAE INDIAE MEHEMBETHENE VALDE SIMILIS FRVCTVS.

Descript.

VT videre est apud Clus. Exot. lib. 2. cap. 15. Inter aromatum Tripoli allatorum purgamenta inuentus septimus fructus cum plurimis quisquiliis, Nucis vnguentariæ genus, à nonnullis Mehẽbethene nuncupatum. Erat enim figura orbiculata, cortice spadicei coloris, cóque leui constans, atque veluti in binas partes secto. An verò alio cortice, siue inuolucro tecta fuerit hæc nux (vt verisimile est, me latet: alia tamen addita erat minùs crassa, sed paulò oblongior, neque adeò spadicei coloris, quæ mediâ ex parte tecta erat suo inuolucro nigro & rugoso, cui petiolus adhuc inhærebat, quo in ramo firmata fuerat. (Alia nux)

AVELLANA IND. PECVLIARIS CAMER.

Descript.

I

II

DE hac Auellana hoc tantùm habemus apud Matth. in Hist. Germ. & in Epitome per Camer. renouatis, quod hic pro Auellanæ Indicæ peculiari specie pingit, quam tamen non describit, quamuis à Matth. Auell. 2. diuersam facere videatur, cuius iconem omisit. Si quid tamen ex icone sola coniectari sit integrũ, suspicamur differentiam quandã Auell. Indicæ Mehembethene dictæ esse, iam modò descriptæ.

A.ELL. IND. VILLOSA, FORAMINATA.

Descriptio. AVellana Indica, tribus lateribus elatioribus, atque itidem tribus foraminum vestigiis, uti Nux Ind ca seu Coccus conspicua, villosa quodã involucro, veluti *Fausel*, ferè tecta, nucleum continens dulcem, tenui candicante membrana inclusum Clus. Cui apud Garciam de arom. Auellana prior exigua: & de peteg. stirp. Prima Nux annot. hist Aro u.dicitur.

Mehembethene sive Auell. Indicæ varietas Lob. qui eandem cum Clus. iconem habet, verùm non separat à *Mehembethene* vt Clus. Sed videtur eãdem specie facere varietate tantùm distinctam.

C. Bauh. Casp Bauh. iconem ponit nomine Nuculæ Indicæ, nulla addita descriptione, cuius tamen non meminerat Matthiol. præterea eandem facit cum *Mehebethene* contra mentem Clus. & Tabern. qui Nuculam Indicam quoque & Indianisch Nüßlin vocans, non citato Clusio, addit, tria habere foramina, testam esse cortice villoso, Fauseli ferè modo. Nec tamen negamus & ipsi hanc Nuculam seu Auell. Indicam, fortè speciem aut differentiam præcedentis *Mehembethene* Cortusi esse posse.

AVELL. MEHEMBETHENE CORTVSI SPECIES ALIA: NVDA, ET VESTITA VILLO.

Descriptio. ANte à nobis descripto fructu speciosiorem, & altero ferè tantò crassiorem, minúsque longum dono ad nos misit, vir sapientiâ, maximisque doctrinis clarus Herc. Saxonia Med. Patauinus Primarius, sub nomine, *Fausel* Arabum, & nucis Indicæ paruæ. Qui præter eas notas, quas superiùs descriptus habet, pulchrè etiam tripartitus est, medianttibus tribus costis quæ in imo & sũmo coëunt, cõmunem triangulum supernè comprehendentes, cui area albescens, triquetrũque foramen in medio est: reliqua facie corporis rugosa, eo ferè modo, quo Nux moschata. Dignum pictura censuimus hunc fructũ, quòd cum prioribus non esset pictus, ab iis tamen non parum euariaret, & à tanto viro nomine diuerso missus esset,

Fausel.



quale sine dubio haud temerè ei impositu.

Alia varietas. Hunc eundem suspicamur fructum quem apud Cl. D. Platerum obseruauimus, cuius figuram quoque depictam damus. Magnitudine & figura prædicto respondet, superius quoque foramen triangulare habẽs sed villis ex parte tectum. Nam totus corticosis ac lentis segmentis paruis, putamini tenaciter adhærentibus obductus est, in modum ferè Auell. Ind. Clus. de qua c. præced. Eadem segmenta à trianguli foraminati veluti centro facto exortu, & in ambitu fructũ vniuersum complectentes, parte opposita in scopam & veluti caudam coëunt.

Hic fructus pro magnitudine admodum ponderosus, ac si osseus esset, aut lapideus, color fuscus, aut ex Cinereo nigricans, concussus strepitat, argumento intus contenti nuclei. At quia noster non fuit, aperire non decuit. Lectori considerandum relinquimus, in quibus & quantùm ab Auell. Mehembethene superiùs descripta discrepet. In secunda tabella pinguntur etiam Globuli Saponarii.

NVX, SIVE OSSICVLVM, FRVCTVS EX PALMARVM GENERE.

Descriptio. NVx aliqua Clus. Exot. l. 2. cap. 14. siue Ossiculum fructûs ex Palmarum genere, à Petro Gareto, cui villi, qui illam uestiebant, adempti fuerant, nam daldè tersa & polita erat, multisque venis nigris, à summo ad imum distincta, præsertim iis, quæ à tribus veluti vmbilicis æquali propemodum spatio ab inuicem discretis originem ducebant, & magnam venustatem nuci adferebant: alioqui nux binas vncias longa erat, eius ambitus tres cum semisse continebat, vmbilici autem penè vnciam ab inuicem distabant: duro cortice nux illa erat prædita: & nucleum continere, ex motu strepitum ciente, manifestum erat.

FRVCTVS IVGLANDIS FERE MAGNITVDINE, DVRISSIMVS, INDIS Carairi, sapore nucis moschatæ.

CAP. XXXX.

Descriptio. ANno 1608. cùm essemus Stutgardiæ, Mercator quidam, cui nomen Claudius Cintre, dedit nobis fructum, magnitudinis paruę iuglandis, non ponderosum, inæqualem valdè, tunica tectum cinerea, sub qua alter durissi. crassitudinis dorsi cultri, niger vbi effractus: non facilè frangitur, plenus est, nucleo aut medulla siue pulpa flauescente, oleosa, per medium fissa, saporis grati & nucis moschatæ, mitioris tamen.

Digitized by Google

2. Idem fructus, ni fallimur, nobis datus ab Ill. nostra Principe, qui speciosior, maior, qui bene exprimitur icone nostra desumpta ex Clusio, is etiam inæqualis, vna parte tamen magis gibberosa, alterá depressa. Cor penè exprimit hic fructus, prout vulgò pingitur, cortice exteriore minùs cinereo, quo abraso, subest niger, durus: Eum non aperuimus. De prædictis fructibus Clus. in libello de peregrinis, vbi icon sub numero II. scribit. Fructus alter peregrinus, Nucis Iuglandis ferè magnitudine est, extima parte latiusculus, totus rugosus, atque vt Nucis Iuglandis putamen inæqualis, niger, sed magna ex parte veluti crusta quadam durissima & cinerea tectus. Leuis est & minimè ponderosus, tametsi admodum solidus sit, & saxea duritie præditus, nec minùs in aqua subsidat, quàm lapis. Confractus crasso durissimóque cortice constare, deprehenditur, & nucleum candidum succulentum, grati saporis, iucundique

Macis oleũ odoris, oleum ferè Macis referentis, continere, in binas partes sectum & tenui candidáque membranâ diuisum, alia insuper paulò crassiore firmioréque inclusum. Eiusmodi ante plurimos annos Antuerpiæ inter aromata inuentos, cùm repurgarentur, memini.

Addit præterea: Anno 1597. inter aromata, quæ Batauí ex Iaua referebant, similes multò recentiores conspiciebam, *Camiri* quos Abdala *Camiri*, adpellari dicebat.

Et c. 15. Inter nuces Myristicas repertus fuerat Sextus, quem ab Indis Camiri appellari intelligebam, vncialis magnitudinis, nuci Iuglandi, suo illo externo viridi cortice exemptę, non dissimilis, inæqualis, summâ parte latior, infima in obtusum mucronem propemodum desinens, putamine satis crasso saxeæ duritiei præditus, nucleum continente album, amygdalæ penè sapore. Alio fructu, siue externo cortice opertus fuisse videbatur, quia depressioribus putaminis locis cineraceam quandam materiam adhuc inhærentem retinebat. *Camiri & huic similis* Sed & alios similes inter aromata non semel repertos habui. Atque anno M.D.C. Vnum inter plures à Parduino accipiebam, tenui, fragilique, & in binas partes sectili putamine inclusum, cuius suprema pars mucronata in vnum non coibat, aut claudebatur, sed aperta erat, atque supinâ parte plana fidem faciebat, binos fructus coniunctim nasci, vel etiam ternos, è pediculo aliquo dependentes, quemadmodum apud nos Staphilodendri fructus. Eundem hunc fructum ex Clusio proponit Hist. Lugd. Tabernæ dicitur fructus peregrinus 3.

NVX INDICA PVLCHRA, CVI VNGVIS ALBVS.

Cap. XLI.

Cvm fructibus Exot. Ill. C. Wirt. piæ memoriæ Stutg. 1608. pulcher fructus, vnciam & semis longus, vnciam latus, compressus, niger, splendens, in suprema parte veluti vnguis albus, sonorus est. Cortex niger, mediocriter crassus, subest medulla alba, in iis saporem manifestum non animaduertimus, medullæ autem albæ subest fortè ossiculum, est enim sonorus, fructum aperire non sum ausus, quia reseruat Illust. Principissa. *Descriptio*

FRVCTVS PEREGRINVS OVATVS, SIMILIS LAPIDI IVDAICO.

Cap. XLII.

Frvctus peregrinus alter Clusio, libello de peregr. & Exot. l. 2. c. 3. ouatus, Iudaico lapidi magnitudine par, & eius formam exceptis striis pulcherrimè exprimens, ex fusco nigricantis coloris est, vt maiores nonnullæ gallæ, leuis, & aquæ impositus supernatans, duro putamine constans, ac nucleũ continens. Nactum se ait Clus. Londini eo delatum ex ea Nigritarum in Aphrica regione quæ vulgò Guinea appellatur, & circiter quinque gradus ab æquatore distat. *Descriptio*

FRVCTVS FVSCVS, DVRVS, STRIATVS, STREPITVM EDENS.

Mihi, inquit Clusius Exot. l. 2. c. 24. fructum exoticum concedebat, vt describere possem Cl. V. Petrus Paauvvius, primarius in Academia Lugduno Batauа artis Medicæ, idémque Anatomes & simplicium medicamentorum Professor atque Academici horti Præfectus: Is paulò erat longior vnciâ, triũ verò vnciarum *Descript.*

ambitum (quâ parte crassior) continebat, colore fusco præditus, durus, striatus in obtusum mucronem desinens, in quo ossiculum vel nucleus inclusus, quia agitatus strepitũ edebat. Icon. N°. I.

PYRIFORMIS FRVCTVS, RVGOSVS, NIGER, DVRO CORIO TECTVS.

Descrip. EXoticus fructus anno 1601. ex Orientali India aduectus authore Clusio Exot. lib. 2. cap. 24. turbinatus, erãtque pyri forma, binas vncias cum semisse longus, quatuor cum semisse eius ambitus, læuis tamen, rugosus, prorsus niger, adeò duro & tenaci corio tectus, licet non valdè denso, vt difficulter cultro, nisi malleoli vi adacto, aperire possem: apertum binas cellulas habere deprehendebam membrana quadam fusca & splendente distinctas, in quarum singulis nucleus bifariam diuisus, mediâ etiam intercurrente membranâ, quemadmodum ferè in nuce Iuglande: totus nucleus situm vetustate contraxerat, & initio quidẽ nullo manifesto sapore præditus videbatur, diutiusculè tamen in ore retentum quandam acrimoniam habere, & tandem fauces quodammodo vrere, comperiebam. Icon. N°. II.

PYRIFORMIS FRVCTVS, LÆVIS, SPADICEI COLORIS, FRAGILI cortice tectus.

Descriptio EXoticus fructus visus Amstelredami 1601. ex Orientali India aduectus, binas etiam vncias cum semisse longus, cuius ambitus trium vnciarũ, læuis totus, & spadicei cum cineraceo mixti coloris, in longum mucronem desinens, fragili cortice constans, qui an alio operimento tectus fuerit, me latet, inquit Clus. Exot. lib. 2. c. 24. pulpam autem continebat nigram, in qua ossiculum latebat vnciâ magis longum, durum, cineracei ex fusco coloris, obtuso mucrone præditum, & summâ parte in vno latere veluti exsculptũ, in quo haud dubiè nucleus, licet agitatus nullum sonitum ederet. Vtrunque hunc Amstelredami nanciscebar. Icon. N°. III. in præcedenti tabella.

FICVI SIMILIS FRVCTVS EXOTICVS.

Cap. XLIII.

Descriptio FRuctus, quem dono accepimus ab Illustriss. Duc. ssa Wirtemb. Ficum communẽ magnitud. & figurâ quodammodo repræsentaret, si non angustius esset & supernè cordatus. Cortex exterior substantus fragilis quo decorticato alius subest crassus, durus, niger. Concussus non crepitat. Iniectus aquæ suo pondere sidit. Similem accepimus à D. Paludano, sed crusta cinerea obtectum.

NVCVLA IND. LOB. ET PENÆ.

Cap. XLIV.

Descriptio NVculam Indicam hanc, admodum fructu variam fortẽque & syluestrem esse suadent Nuculæ quas ex finibus Trogloditicæ Guineæ habemus: hæc vix magnam æquat Oliuam, corticoso nucleo, oleaginoso, ac sapido, illi prorsus Nuci

Indicæ similis, sed huic Nuculæ testa ossea. Adu. & ic. & hist. Belg. Icon integra magnam habet similitudinem cum Chamæriphes fructu.



NVCVLA INDICA PECVLIARIS CAMER.

Descript. DE hac Nucula Indica peculiari Camerarii nihil habemus in præsentia quod scribamus præter nomen: is enim iconẽ posuit in hist. Germ. Matt. in tabella Nucis Indicæ, ascribens esse Nuculam Indicam particularem Ein besunder Indianisch Nüßlin. In epit. Matt. solam exhibet iconem sub Nuce Indica: quam verò intelligat nescimus. Si non scripsisset Nuculam, suspicio esset, eum intelligere Nucem Ind. paruam cuius mentionem fecimus c. de Balsamo Peruuiano. Conferatur etiã cum nostra Nuce Ind. laruata. Est autem cum Auellana Indica peculiari Camerarii.

NVCVLA INDICA AB HERCVL. SAXONIA MISSA.

Cap. XLV.

Descript. MAgnificus vir Herc. Saxonia, Medicus nostri seculi nulli secundus hanc misit Nuculam, hoc titulo: *Cocbriglio de Guigne.* Vncia leuior est, semunciam vix lata, nigra, dura, modicè exteriùs arcuata, interiùs sinuata, phasioli modo, multis fissuris, seu lineis excauatis variè sparsis sulcata; quæ tamen omnes in tuberculum, paruum, vmbilici speciem præferens, coëunt.

FRVCTVS PEREG. SVLCATVS.

Cap. XLVI.





Descriptio AVellanæ domesticæ magnitudine est, oblongus, turgidus, niger, cætera læuis & politus, præterquam ad latera profũdus sulcus, rectus, (quem à summo ad imũ habet exaratũ, lineola in medio tantillũm eminente) vbi nonnihil rugosus: parte opposita sulco respondẽt leuia, quædam alterius cuiusdã sulci vestigia impressa.

Digitized by Google

Is verò quem inter monumenta nostra Exotica seruamus, foramine per longum peruius est, ad cuius margines in altero finium apophysis parua est, in medio fissa: inanis est, & pulsatus resonat, proculdubio aliquando pulpa plenus, vnde nacti sumus, non commeminimus.

FRVCTVS OMNINO ROTVNDVS, LVTEVS, NON SPLENDENS, cum suo frutice.

CAP. XLVII.



Hic frutex est ex globulo ipsi applicato, hoc anno sato, cuius coloris verò ille fuerit, me latet. Frutex quidem, qualis primo anno erat, sua magnitudine est depictus. Huic ex opposito latere idem foliorum numerus, duobus scilicet inferioribus ramulis folia sunt duodecim, superioribus autem tantùm vnum. *Idem foliorum numerus*

Spina In hoc frutice, anno 1608. Iunio nullam spinam obseruo in trunco, in foliis incipiunt apparere aliquæ, sicuti etiam in principio caulis superante duos priores ramos. *Sapor.* Sapor foliorum ingratus, cum aliqua amaritudine. *Frutex alius* Vidimus & alium similem fruticem hoc anno natum, *Caulis* cui caulis glaber & folia priora penè eadem, *Folia imparia* cui tamen non tot foliola. In vno enim nouem, in altero decem. *Sapor* Sapor idem, in supremitate nondum apparent folia illa quatuor sibi inuicem opposita, *Color* color virens & lucidus est. *Fructus.* Huius Ill. Principissa apposuit fructum planè luteum non splendentem, sed asperum, modicè circinatæ rotunditatis, cum rubente vmbilico, qui minor reliquis. Anno 1608. obseruaui globulorum luteorum plantas spinosas in horto Ill. nostræ Prin. Stutgardiæ.

FRVCTVS PEREG. TANQVAM TORNO ELABORATVS ARGENTEVS.

CAP. XLVIII.

Descript. Turgidus ex rotundo aliquantùm oblongus est, politi & lubrici læuoris, coloris argentei, circularibus lineis saturatioribus densè cinctus, durus, altero fine nonnihil turbinato, vmbilico liuido, & in eo veluti pediculi vestigium ostentans, à quo vna aut altera linea demittitur, ad oppositam ferè basin pertingens, prægnans est, & concussu resonat. Hunc vidimus apud Illustrissimam Ducissam VVirtemb. *Folia.* germinasse satum, produxitséque bina folia pinnata, spem futuræ arboris facientia, vel ipso Ianuar. principio. Plantarat autem Exc. Celsit. fructum adapertum & prius in arena madida maceratum, in olla in hypocausto posita, & quotidie rigari iubebat.



Eundem dono accepimus à D. D. Schuartz Ex. Cell. VVirtemb. Medico & collega nostro honorando.

Variat. Videtur autem hic fructus nonnihil variare. Nam minùs tumidum & nõnihil angulosũ accepimus ab eadem Excell. Celsitud. lineis prædictis carentem, nihilo minùs tamen, quàm ille, densè cinctum zonulis, quo secto serrâ per medium, depræhendimus corticem crassum satis, ac duritiei osseæ, eiusdémque externam tantùm faciem argenteam esse, internam substantiam subrufam. Nucleus qui intus latet pallidus est, duriusculus, gustu amaro. Aquæ iniectus fundum petit.

C. Bauh. Milium Indicum vocat. Scimus & à quibusdam Italis Auellanam Indicam aliquam putari. *Milium Indicum. Auell. Indica*

FRVCTVS PEREG. TANQVAM TORNO ELABORATVS, FLAVVS.

Descriptio Ad figuram orbiculatam quamproximè accedit, & vel tantillùm ad oblongam vergit. Cortex læuis, colore flauescente, ac ferè melino, zonulis saturatioribus quidem, sed vix ac ne vix quidem conspicuis densè cinctus, perinde ac si arte torni ita factus esset. Parte extrema aut suprema area quædam liuida aut subfusca conspicitur, in cuius medium punctum, adhæsionis vestigium. Ponderosus est, & aquæ immissus, mergitur. Quia vnicum tantùm habemus Ill. Ducissæ VVirt. munere aperire non libuit.

Eundem Clus. fructum pereg. 6. vocans in suo Libello, & Exot. lib. 2. cap. 29. describit, orbiculari ferè rotunditate, tanquam torno elaboratum, ouo passerino minorem, flauum omni ex parte, nisi in altera extremitate subfusca macula insignitus esset, solidum, lapideaque duritie, & in aqua subsidere.

Doctrinâ insignis vir & consultissimus Adsessor Cameræ Spirensis, Dominus Tengnagell. hæc de hoc fructu ad nos scribit: Nucem hanc aliquando confregi, intus habebat nucleum, colore & carne nucem Pistachiam referentem, sed duriorem & solidiorem & magis ad flauum colorem inclinantem, nulla albedine, totam nucem sine vllo tomento implet, sapore est adeò amaro, vt Aloës quoque amaritudinem vincat. Purgandi vim habere creditur. *Nucleus Mater Minor*

Anno 1606. Gener noster Cherlerus ex Anglia & Belgio rediens, pulcherrimam hanc Nucem maiorem attulit, quàm nostra argentea vnciâ longiorem, non rotundam, vt est icone nostra ex Clusio, sed longam & oualem. Attulit etiam omninò sphæricam, minorem multò & icone Clusiana non maiorem, coloris penè Aurantiorum non maturorum splendentem vmbone & macu-

la partim apparente, striis etiam circularibus, minus euidentibus, in aquam iniecta, sidit.

FRVCTVS IND. TANQVAM TORNO ELABORATVS VIRIDIS.

Descript. EIusdem generis cum argenteo iam descripto videtur. Sed color viridis est, & multis angulis & impressionibus inæqualis, ac si ab aliis vicinis fructibus compressus fuisset. Zonulis item saturatioribus frequentibúsque in orbem cinctus, vt nisi æqualitas id clueret, torno & hunc elaboratum diceres. Concussu sonat: aquæ iniectus non mergitur, fortè quia non perfectè maturus (vnde fortasse adhuc viridis) nisi quis coniectari malit nimis esse exoletum.

Dubitatur an idem sit cum eo quem Clus. depingit ac describit in sequenti lemmate: quia color diuersus tantùm, cætera conuenire videntur. Eundem non damus, quia Clus. figura satis benè exprimit, si Zonulas addas.

FRVCTVS PEREG. CLVS. DVRISSIMVS: ALIVSQVE SIMILIS.

Cap. XLIX.

Descriptio A Lteri iam memorato non admodum dissimilis est Clus. libelli de pereg. Sed minor & Ponticam Nucem non excedens, [tametsi Iuglandi ferè æquales videre meminerim] læuis, splendens, cinerei coloris, & saxea duritie præditus, licet in aquam demersus supernatet, inæqualis aliquantulùm, & compressus vti Pisa quæ in eadem siliqua nata sese mutuò contigerunt.

Alia varietas si non idem. Considerandum an ille fructus Cordi in Obseru. sylua huc possit referri, de quo sic ait: Fructus quidam globosus modicè, acuminatus, osseæ foris soliditatis, colore cineraceus, linea quadam à basi vsque ad apicem spiræ modo circumuoluens. Norimbergæ vidi.

FRVCTVS PEREG. ORBICVLATVS CVSPIDATVS.

Cap. L.

Descriptio



FRuctus hic, teste Clus. l. de pereg. & Exot. lib. 2. cap. 30. mediocrem Nucem auellanam non excedit, orbicularis ferè, nisi infirma parte paulò angustior in triangularem veluti cuspidem desineret, colore ex russo nigricante, tametsi leuis, in aqua subsidens & imum petens, duro crassóque putamine constat, & nucleum candidum tenui fusca membrana tectum continet. Londini datus fuit, qui ex Guinea delatus erat. Terræ commissus non est natus. In hac imagine habetur etiam fructus peregrinus sphæricus penè, &c. itémque Fr. Ind. sphæricus granulatus, ac etiam Fr. Ind. Beruha dictus.

LAVRI BACCÆ SIMILIS FRVCTVS.

Cap. LI.

Descriptio EStnobis fructus peregrinus, magnitudine & forma, quæ Baccæ Lauri maiuscula, coloris nigricantis, læui & nitida superficie, ex altero turbinato fine stylum retusum, quemadmodum in glandibus videre est, proferens: altero autem, tanquam ab acicula impressum vestigium habens, durus, & lapidi allisus cum sonitu resiliés. Eorum vni circa medium insculptus apparet scrobiculus, naturâ an arte nescio.

SAPONARIÆ SPHÆRVLÆ ARBORIS FILICIFOLIÆ.

Cap. LII.

Descriptio FRuctus quos *Saponarias sphærulas* vocant, dono accepimus à Cl. D. D. Fel. Platero Archiatro & Profess. Basil. sine nomine, cui ex Anglia aliquot erãt missi. Gallæ sunt magnitudine, orbiculati, nigro corticoso atque rugoso quodam putamine contecti: sub quo alius cortex testaceus ac penè osseus, verùm non crassus, colore fusco splendente. Horum aliàs duo, aliàs, vt ex vestigiis patet, tres. Intus fructus latet exquisitè sphæricus, osseo & crassiusculo cortice contextus, nigro, læui, & Ebeni politi in modum splendicante. Hic mediante flauescente quodam tomento ab extimo putamine distinctus videtur. Nuculeus qui in globulis est, pallet, Auellanæ instar, oleagineus, & per

& per vetustatem rancidus, quem etiamnum alia cutis spadicea atque fungosa cingit, perinde atque Auellanarum nucleos. Eicon vtrumque ostendit, cum putamine cui paruus & abortiuus adhæret, & nucleum exemptum, integrum atque dissectum.

Iuglandis magnitud. Parata & iam sculpta icone, alium prædictis maiorem, nempe Iuglandis magnitudine accepimus missum ab insigni Botanico Regio D. Robino. Huius cortex spadiceus, pulposus quodammodo, læuis & splendicans, atque adeò per omnia, quàm iam descripti, elegantior, minimè rugosus, pediculo crassiore, quippe qui perfectiorem maturitatem consecutus videatur. Sonitu intus latentem globulum facilè prodit.

Outedus. De iis Outedus in Hist. Ind. sic scribit. Sunt in *Locus.* Hispaniolæ insulis & continenti quædam arbo- *Arboris descriptio. Filicis folia.* res, quæ à precariis sphærulis & à sapone nomen acceperunt, quarum folia Filicis folia nonnihil referunt, licet minora sint. Celsæ sunt & formosæ, fructum ferentes Auellanæ aut Cerasii magnitudine, corolla insignitum, minimè edulem, qui Sole exiccatus subflauum colorem retinet: is ossiculum intus continet globulo bombardario æqualem, rotundum, nigrum: at si Solis radiis opponatur, subrussum, quod semen exiguum & amarum habet.

De fructu eadem penè tradit Monardes additque pumilam eorum esse arborem, incuruam magis quàm rectam, veluti Ruscus, cuius folia Filici sint similia. Sphærulas adeò duras dicit, vt nisi malleo aut alia quapiam re solida & dura confringi nequeant.

Vires & vsus. Ossiculis perforatis fiunt precatoriæ corollæ, non inelegantiores, quàm si ex Ebeno confectæ essent: immò iis præstant, cùm quòd læuiores sint, tum non adeò fragiles. Fructu integro cum aqua calida panni purgantur, perinde atque sapone. At si quis frequentiùs eo vtatur, pannos vrit & corrumpit. Semel duntaxat necessitatis causa eluisse sufficiat. Pulpa ossiculum ambiens ea est quæ saponis vicem præbet. Est verò is fructus, teste Monarde, adeò amarus, vt nullum quadrupes, aut auis, eum degustet. Iis vestes elutæ multò nitidiores redduntur, quàm si saponis librali pondere elotæ forent: plurimam etenim spumam excitant, eosdémque effectus præbent quos sapo, paulatim liquescentes donec solæ sphærulæ supersint, quæ in precarias coronas perforatæ concinnantur, vti dictum.

Anno 1608. Gener Cherlerus secum deferebat ex Anglia vt existimo duos globulos simul iunctos eo modo, quo Clusius pingit Exot. lib. 2. cap. 16. minores paulò & non maiores, quàm in icone nostra: de iis autem ille scribit: Fructum accepimus à Iac. Gareto orbicularem & semuncialem, duro cortice tectum instar fructûs styracis, duplo tamen maiorem, colorisque minùs illo splendentis, & quasi fuliginosi, nucleum aliquem continentem, quia agitatus strepitum edebat.

NVX PVRGATRIX SIMILIS SPHÆRVLÆ SAPONARIÆ, FVSCA.

Descriptio. Mittebatur, inquit Clus. Exot. lib. 2. c. 16. à Iacobo Gareto, ossiculum non valdè dissimile saponariæ sphærulæ, Nucis purgatricis appellatione: etenim orbicularem, vt ille, habebat formam, & eandem magnitudinem, huius tamen color non adeò niger, sed fuscus potiùs in quo apparebant subflauescentes quædam venæ. Alio autem fructu comprehensum fuisse, & nucleum duntaxat fructus alicuius esse, apparebat: nam sectus, versicolore substantiâ constare deprehendebatur, magnis albis maculis fuscæ substantiæ, & satis molli [vt quæ cultello sine difficultate incidi posset] permixtis.

PLANTA GLOBVLORVM SAPONARIORVM.

CAP. LIII.

Descriptio. Globulorum saponariorum plantæ folia sunt Persici arboris, quædam in duas partes diuiduntur, alia in tres: saporem insignem non experimur. In horto Ill. Princ. nostræ Stutgardiæ, anno 1608. Iunii principio reposita hæc planta per Hyemem, triennalis erat, folia cœperat protrudere Aprili. Sphærulas nobis dedit Illustriss. nostra Princeps.

FRVCTVS RVGOSVS, PARVVS, GRAVIS, ORBICVLATÆ PÆNE FIGURÆ, quasi compressæ.

CAP. LIV.

Descriptio. Fructus exoticus minor, à Paludano datus, grauis, orbiculatæ penè formæ, planioris tamen & quasi compressæ, rugosus, cineracei ferè coloris, durus & solidus, aquâ tamen mersus non subsidens. Eius nomen, vt etiam sequentis Paludano ignotum, nec ex qua Prouincia vtrumque accepisset significabat. Ex relatione Clusii Exot. lib. 2. c. 20.

FRVCTVS PLANVS, FORMA CORDIS, CVM MVLTIS TVBERCVLIS.

CAP. LV.

Descriptio. Fructus exot. à Paludano missus, alter minor, [ait Clus. Exot. lib. 2. c. 20. planus, binas vncias longus, totidem latus, summâ parte, cordis [vt vulgò pingitur] formam quodammodo referens, multis tuberculis eminentibus inequalis, fusci coloris, læuis, aliquantulùm cariosus, quia immaturus collectus fuisse videbatur, an aliquo putamine inclusus fuerit, me latet, quia nullum petioli à quo pependisset, vestigium in eo apparebat.

FRVCTVS ORBICVLARIS, PERPOLITVS, MVCRONE GLANDIS.

CAP. LVI.

Descriptio. Clus. Exot. lib. 2. c. 25. Fructus exoticus, orbicularis formæ, vncias pænè tres ambitu comprehendens, læuis & perpolitus, spadicei coloris, superna parte exiguo mucrone [veluti glandes] præditus, infernâ, vestigio quodam, cui

I



II



pediculus inhæsisse videbatur, leuis & aquæ innatans, tametsi nucleum aut pulpam continens, vt ex strepitu deprehendebam.

FRVCTVS SVBLONGVS, CORTICE DVRO, FVSCA TECTVS Epidermide.

Cap. LVII.

Descript. FRuctus exoticus iam descripto orbiculari nō valdè dissimilis: paulò tamen minor & oblongior, tametsi etiam reperiatur eiusdem cum illo magnitudinis, corticem verò habebat durum, pænè instar putaminis nucis ponticæ, fuscâ tectū epidermide, internam autem partem cineracei coloris: aquâ mersus non subsidebat, sed innatabat, licèt nucleum contineret auellanâ non minorem, cineraceum, rugosum ob vetustatem, non adeò solidum vt primo intuitu apparebat, sed qui cultello facilè secaretur, substanâ carne, siue substantiâ, quæ manducata, satis acris deprehendebatur. Clus. Exot. lib. 2. c. 25.

Icon capite præced. habetur sub: n°. II.

FRVCTVS INDICVS, VEL NVCLEVS LVTEVS PARVVS Auellanæ oblongæ facie compressus.

Cap. LVIII.

Descript.



FRuctus quē nunc describo Basileæ anno 1608. antè à me descriptus est Montbelgardi, ac etiam picturâ expressus est: vnciam ferè longus, flauus, læuis, lucidus, Ricino maiori aliquomodo accedens, vnciâ semis angustior, penè compressus, vtrinque tamen ferè in medio elatior, vna parte paulò latior & rotundior; parte autem quâ hæsisse apparet, nonnihil angustior, & non ita rotundus, asperior cortex facilè acicula perforatur, in eo nucleus: qualis medulla nobis nondum constat, nondum enim aperuimus quia vnicus.

Hunc fructum etiam vnicum vidimus apud fratrem C. Bauhinum, figurâ multùm differentem, breuiorem, minùs compressum. Multò quà adhæsit parte angustior, quasi vmbilicus, aut oculus. Crista item non ita apparet, repræsentat Staphilodendron.

CHAMÆRIPHES OSSICVLO NON DISSIMILIS, SED MAIOR, orbicularis penè.

Cap. LIX.

EXoticus fructus, relatus, vt ait Clus. Exot. lib. 2. cap. 15. in prima nauigatione in Iauam per Batauos, orbicularis penè formæ, *Chamærifes* fructus ossiculo non dissimilis, sed maior, læuis, cineraceo colore præditus, putamine satis tenui, quod fungosâ quadam materiâ fulsultum, internâ, quâ nucleus includebatur, læue & fuscum erat: ipse etiam nucleus ferè orbicularis formę, infimâ tamen parte in mucronem desinens, qui in binas partes diuiduus erat instar glandis & similium: eius substantia dulcis, vt amygdalæ ferè subflaui coloris. Descriptio

OSSICVLVM FRVCTVS INDICI. TVBERC.

Cap. LX.

OSsiculum quoddam alicuius fructus Indici esse videtur, maius ossiculo Cerasi, subrotundum, vndique rugosis tuberculis asperatum, colore pullo. Visum & depictum apud Ill. E. C. Wirt. Icon habetur antè cum aliis cap. 57. Descriptio

AVELLANÆ COMPRESSÆ FACIE FRVCTVS VEL SEMEN.

Cap. LXI.

IAcobus Cargillus doctiss. Medicus ex Anglia ad nos misit fructum Anonymum quendam, vnciam ferè longum, vix semunciam latum, modicè compressum, durum, dilutè croceum ac splendidum, parte angustiore, qua adhæsisse putamus, saturatiùs tinctum: longæ alicuius Auellanę speciem quodammodo referre videtur, sed planè exoticum esse & facies & notę iam scriptę satis insinuant. Huius fructus Icon habetur cum aliis antè cap. 3. & 58. Descriptio

Anno 1605. inter exotica, quæ gener Chérletus secum adferebat ex itinere Anglico & Belgico, reperimus duos fructus similes prædictis, nullo adscripto nomine, quorum vnus eiusdem magnitudinis cum nostra icone & eiusdem figuræ: alter erat breuior & latior: color idem, vterque aspersus longiusculis maculis albescentibus, extremitas partis angustioris, scabra, & cinerei coloris, videntur etiam vna parte magis plani: cultello perforatus vnus, cortex visus paulò firmior, quàm castaneæ, & tenax, intus apparuit medulla alba, tenera, quæ extracta per paruum foramen, & parua quantitate degustata, sapiebat cum acrimonia.

nia: fortè commodiùs Ricino subnecterentur hæc semina, vel fructus.

SEMEN, TAMARINDI SEMINI SIMILE, VNA EXTREMITATE dentatum.

Cap. LXII.

Descript. IGnoto, inquit Clus. Exot. lib. 2. cap. 16. cuius fructus semen, quod Iacobus Garetus mittebat, quod quidem Tamarindi semini non valdè dissimile erat figura, sed magis planum, & oris magis compressis, cortice spadicei coloris tectum, semen continente album, durum, & ob vetustatem rancidum: ipsum semen cum suo cortice ab vna extremitate dentatum.

SEMEN FRVCTVS EXOTICI FORTE' CVCVRBITACEI.

Cap. LXIII.

Descriptio CLus. Exot. lib. 2. cap. 16. à Iacobo Gareto, accepit semen fructus potiùs, quàm fructum, vel cucurbitacei generis, vel alterius cuiuspiam, nam similem quodammodo formam habebat, licet aliquantulum crassior, nec adeò rugoso, verùm læui, colorisque vel spadicei, vel ex spadiceo flauescentis cortice tegeretur: sed nec huius generis semina eiusdem erant magnitudinis, verùm quædam latiora, nonnulla angustiora: nucleus qui in eo continebatur, durus ob vetustatem & insipidus.

ARATACOV BRASIL. SEMINE MELONIS FVSCO, FERVIDO.

Cap. LXIV.

Arataceu descriptio. DOctissimus vir Richardus Garth, vt ait Clus. Exot. lib. 2. c. 17. mittebat fructum, quem è Brasilia accepisse significabat, quem non integrum accipiebam, & ab incolis *Aratacou* appellari adscriptum erat, sescuncialis longitudinis fuisse videbatur, quantùm quidem ex fragmento summâ parte abrupto coniecturam facere licebat, de crassitudine nihil pronuntiare possum: sed illud fragmentum fungosâ quadam materiâ præditum erat, in qua latebant quaterna aut quina semina fusci coloris, duobus ordinibus à summo ad imum serie quadam disposita, melonum seminibus formâ non valdè absimilia, medio tumentia, medullámque continentia feruidi saporis, etiam toto quatuordecim annorum curriculo, postquam accepissem elapso: ipse fructus foris inæqualis & fusci coloris. Cuius porrò fuerit vsus apud indigenas, me latet, & qui mittebat, nullam mentionem faciebat.

NVCES INSANÆ, BELGIS PRVNVLA INSANA, PVTAMINE FVSCO, ossiculo membranaceo nigro, cum macula alba.

Cap. LXV.

IAcobus Cuelenerus, authore Clus. Exot. lib. 2. c. 16. Vir ornatiss. & Commissarius in ea naue, cui nomen Amstelredamum illius classis, quę in Indiam Orietalem ablegata 1603. rediit, inferebat exoticum fructum quendam, quem nautæ ab effectu mal̃e pruymkens, hoc est, fatua siue insana prunula appellarunt, ego nuces dicere maluissem, quia maiorem similitudinem cum nucibus habere mihi videbatur, quàm cum prunis, nisi ab ossiculo, quod continet, prunis sylucstribus in spinis nascentibus non dissimili, appellationem sumendam esse contendant.



Descript. Erat porrò hæc nux prorsus orbicularis formæ: nam eius ambitus, siue à pediculo per longitudinem, siue per transuersum metireris, paulò plus quàm binarum vnciarum erat, putamine non valdè denso, satis tamen firmo constans, foris subfusco, & non læui, internâ autem parte spadicei coloris, & læui, ossiculum membranaceum continens nigrâ quadam pulpâ tectum, pruno siluestri nec formâ, nec magnitudine absimilem, in- *Pruno siluestri non absimilis* fimâ & sessili parte, quæ petiolo respondebat, albâ maculâ satis amplâ insignitum, sub quo nucleus, cineracei coloris duriusculus latebat: ipsa nux breui crassiusculóque petiolo prædita erat, quam maxima ex parte singularem, interdum autem geminam simul coniunctam nasci intelligebam in arbore cerasi magnitudinem æquante, cui folia essent longa & angusta, mali Persicæ foliis non dissimilia.

Cæterùm occasionem, cur istum fructum fatuum siue insanum nautæ appellarint, præstat vt Lector intelligat ex ipsius Iacobi Cueleneri narratione scripto comprehensa vernaculo sermone, & ad me missa, quam sic Latinam faciebam.

Duodecimo die Octobris anno à nato Christo 1601. post longos errores, tandem singulari Dei beneficio, in Sinum quendam appulimus, situm vndecim gradibus & quadraginta quinque scrupulis ab Aequatore versus polum Arcticum. In eorum sinu prunorum quoddam genus reperiebamus, quo cercopithecos (qui isthic valdè frequentes) vesci conspiciebamus: nostri nautæ, qui alioquin alimentis non abundabant, id obseruantes, hæc pruna etiam legerunt & comederunt, nec ea re contenti nonnulli ipsa fructus ossicula cum nucleis in aqua macerata coquentes, vorarunt: quotquot autem vorarunt, capitis vertigine & mentis alienatione correpti sunt, mi- *Noxa* râsque imaginationes habuerunt pro naturæ cuiusque temperamento: vnus enim arbitrabatur in suo cubili seu sponda, ædes fabricari, ad coquendam ceruisiam commodas, & quotquot propter stabant compellabat, dicens: Videte quid ista vetula in meo cubili agat: alter singulos conuocans percontabatur, an pisces emere non cuperent; se enim cepisse omnis coloris genere præditos: tertius in sua sponda iacens conquere-

batur sibi de toto corpore carnes detrahi: quartus vociferabatur ingentem nauem in suo cubili fabricari: quintus etiam in sua sponda iacens, quatuor aut quina vasa confringebat, dicens, multos humunculos istic adesse qui eius spondam occupare conarentur: sextus nauclerū compellans, videsne inquit, diabolum in rostro nauis sedentem & pisces captantem? septimus affirmabat se per nauis aluum anchoras in imo maris fixas conspicere: nostri Naucleri filiolus ad patrem accedens, chare pater, inquit, plurimos homunculos per tuum nasum cursitantes video: sic vt ipse pater cum quodam metu admiraretur: quibus porrò somno indulgere licebat, statim istæ rerum imagines euanescebant, nec defuerunt, qui per triginta sex hōrarum spatium, imò per integrum biduū dormierunt: fuerunt etiam qui alui profluuio correpti sunt. Eiusmodi & pleræque aliæ imaginationes contigerunt, qui naue Amstelredamum appellata vehebantur, quas nimis longum esset referre: inter reliquos autem nautas, Anglus quidā, in cœlum suspiciens, illud apertum se videre affirmabat, atq; voce inclamabat, O Domine te lubēs sequor, variisque suis gestibus, risum omnibus qui circa ipsum erant mouebat: nihilominus semper in cœlum suspiciens progrediebatur, vt parū abesset, quin in mare prolaberetur, nisi qui ipsi astabant, detinuissent. Hactenus Cuelenerus. Quę cūm ita sint, mirari necesse est vnius eiusdem fructus manducationem, tot tàmque varias imagines, in hominum cerebro potuisse parere.

FRVCTVS DYSENTERICVS FLAVVS.

Cap. LXVI.

Descriptio PRouenit in India, autore Monarde, fructus Dysenteriam sanans, delatus ex Quito, qui videtur esse vastæ arboris, altera parte læuis, flauus, altera asper, coloratissimus, ac veluti pullus. Cæterùm qualis esset fructus, cuiúsue arboris, nūquam peruestigare licuit. Clus. in versione sua vocat fructum Dysentericum: Hist. Lugd. Fructum & Corticem ad Dysent. Monard.

In pollinem tenuissimum redactus, & cum aq. capitum rosarum manè & vesperi exhibitus, dysenterico fluxu miserè afflictum breui sanitati restituit, indicante Indo, qui sæpiùs expertus erat in aliis.

FRVCTVS PEREG. TVBEROSVS MAIOR CLVS.

Cap. LXVII.

Descriptio ALicuius fructus officulum sphærica penè figura, cuius magnitudo penè vncialis, putamen crassum admodum & durum, perpetuis tuberculis vndiquè obsitum: coloris flauescentis, linea eminentiore transuersum secante, quam, vt in Iuglandibus, putaminum coniūctionem & commissurant esse arbitror. Clus. libello pereg. & Exot. lib. 2. cap. 31.

Iconem autem dedimus antè cum aliis cap. 50.

FRVCTVS IND. GRANVLOSVS VEL TVBEROSVS MINOR.

INter Pipera interdum reperitur fructus, quales duos habemus, alterum Pruni parui serotini magnitudine, alterum dimidio minorem, lapideæ & inuictæ ferè duritiei: forma vtrique oliuaris ferè, color rutilus: superficies externa granulis omnigenis asperata: ab vmbilico modicè cauo ad oppositam partem leuiter elatam, inter prærupta veluti scopulorum quinque decurrunt rectæ lineę in minore, in maiore duæ duntaxat conspicuæ. Descriptio

Clus. de fructibus peregrinis & Exot. lib. 2. cap. 30. quintum facit, nostro iudicio, quem sic describit. Alicuius fructus officulum forma planè sphærica est, magnitudo globuli minoris sclopi, putamen flauescentis coloris, & perpetuis tuberculis, at non adeò crassis, obsitum, nullaque linea cinctum. Ex nostris fructibus depicti sunt.

Icon etiam habetur antè cum aliis cap. 50.

NVCVLA EX GVINEA.

Cap. LXVIII.



NVcis Myristicæ ferè magnitudine & forma, leuis, concussa sonum edens, cuius alter finis styli quid simile habet, ex quatuor paruis sulcis siue eminentiis procedens, oppositus verò scrobiculum, vnde auulsus videtur pediculus, vnde radii recti producuntur: cortice mediocriter læui subrufo tectus, quo abraso subest albus durus qualis in Nuce moschata: huic subest alius crassior, spadiceus, fungosus, politus: nucleum ambit immediatè quartus pertinaciter adhærens, pelliculæ tenuis instar, rugosus, spadiceus quoque, ipse verò nucleus amplus, candidus, piguis, gustu dulci cum fastidioso quodam sapore. Primò accepimus munere Ill. E. C. Witt. cui miserat D. Paludanus, qui postea etiam nobis communicauit nomine Nucularum ex Guinea. Prior cum externo putamine ex Ill. E. C. fructu depictus fuit, quem sationi destinarat: posteriores ex nostris. Descriptio

NVX IND. ALIA.

Cap. LXIX.

MInor est Iuglande, latitudine vnciali, paulòque longior, colore pullo obsoleto, fuscis maculis conspersa. Definit in breuissimum acumen, qua parte quinquepartita esse videtur. Parte opposita pediculi pars adhæret lignea prorsus, firma Descriptio

firma crassaque, vnde coniectura arboreum fœtum. Ipse alioqui fructus leuis, minimè ponderosus. Interiora introspicere non licuit, quòd terræ commissura erat Illustr. Ducissa VVirtemb. apud quam descriptus atque depictus. *Huius Icon cap. praeced. cum alia habetur.*

NVCVLA INDICA, GLOBOSA, SONORA.

CAP. LXX.

Descriptio

INter fructus peregrinos Ill. Celsit. VVirt. piæ memoriæ Stutg. 1608. Orbicularis siue globus, Gallæ paruæ, siue paruulo globulo similis, cinerei & maculosi coloris, costâ penè totus cinctus, sonorus. Cortex non admodum durus. Figuram indicat numerus I.

NVCVLA PYRIFORMIS INDICA ET SONORA.

CAP. LXXXI.

Descriptio

FRuctus repertus inter Ill. C. piæ memoriæ peregrinos, articulo postremo pollicis non maior, exprimens paruum pyrum Moscatellinum, solidus, durus, rugosus, ferè cinereus, lignosus, sonorus: saporem manifestum non sensimus. Ill. Principissa, reseruauit fructum 1608. Stutgard. sua magnitudine pictus est. Icon cum prægressa sub Numero II.

FRVCTVS PYRIFORMIS, FVSCVS, LAEVIS, STRIATVS CVM CORONVLA, in quo nucleus.

CAP. LXXXII.

Descriptio

IAc. Garetus misit fructum, inquit Clus. Exot. lib. 2. cap. 16. vncialis magnitudinis, qui prorsus fuscus, penè orbicularis, striatus, læuis admodum & in aqua supernatans, illâ mersus, tametsi nucleum continere ex agitatione deprehenderetur: anteriore parte veluti coronulam striatam habens, in qua florem sedisse verisimile est, posteriore autem in oblongiusculum pediculum desinens. Figura ponitur etiam in præcedenti tabula sub numero III.

FRVCTVS TRIANGVLARIS SCISSVRAS OSTENDENS.

CAP. LXXXIII.

EXoticus fructus à Paludano concessus, de quo Clus. Exot. lib. 2. cap. 25. Triangularis forma erat, eminentibus tribus angulis, & scissuras ostendentibus, ex quibus, internas partes facilè diuidi posse, intelligere licebat: leuis erat, & aquæ innatans, nec imum petens, tametsi diuturno tempore in ea hæreret: foris fusci coloris: an quidpiam interiore parte contineret; ignoro, quandoquidem confringere sum veritus, quòd vnicum illius generis haberet Paludanus: arbitrabat tamen pulpam continere, quòd licet agitatus, nullum strepitum ederet.

DE NVCE VNGVENTARIA.

CAP. LXXIV.

Nux vnguentaria arbor.

Nucula siue glans vnguentaria.

Descriptio fructus.

NVces Vnguentariæ dictæ, oblongæ ferè sunt, nuclei Auellanę magnitudine, aut etiam nucleo cum suo putamine, sed minoris, figura triquetra: putamine teguntur albicante, mediocriter crasso, fragili, cui nucleus subest crassiuscula fungosa pellicula niuei coloris obductus, albidus, auellanæ nuclei aut Amygdalæ consistentia, pinguis, quique nobis iam in Nucibus ante triginta annos repositus non rancescerat, sapore tantùm amaro præditus. Huius generis nuculę aliæ sessiles, aliæ oblongæ, maiores, minores. Effigies triquetra, sed rotunda & glandis æmula huic nomen generis aptauit.

Nucleus. Fructus Varietas.

Siliquæ descriptio.

Nascitur autē in siliqua, quam, (vt inquiunt Aduers.) nullus Veterum aut Recētiorum literis mandauit, admodùm eleganti, palmum longa, carinula bifori conflata, tereti, rotunda, gracili, binísque loculis ventriosa, nempe ima mediaque sui parte, quâ protuberat, glandem singulam singulo claudens, summa verò, acuto stylo, quo, rostri instar, vel Rhododendri vel Periplocæ repentis, acutum mucronem, protendit: intus subrusso colore, foris pullo cinereóve, & secundum longitudinem striis rugisque exarata: coriacea tota, flexilis & corticosa, insi-

pida, subastringens & sicca. *Videamus quid de ea tradant Autores.*

Autorum placita. Balanus. Arboris descriptio. Theophr. ementa. Βάλανος Theophrast. quæ, vt ille tradit, nomẽ obtinuit à fructu. Folium habet Myrto [μυρρίνῃ] simile, sed longius. Ipsa arbor sincera & benè magna, non recta, (ὀρθοφυὴς vel ἀδυνής Gaz. pro eo quod in vulg. legitur ἀφυής: nec improbat Scal. qui & ἀφυὴς legit) sed contorta. Fructus corticibus vtuntur Vnguẽtarii propter odoris iucũditatem: habet enim odoratos. Fructus verò ipse inutilis, qui magnitudine & aspectu capparis fructui similis ligno constat valido, cùm ad alia, tum ad nauigia accommodato. *Lignum Balanus Myrepsica. Diosc. correct.* βάλανος μυρεψική Dioscoridi fructus est arboris Myricæ [μυρίκη: fortè rectiùs legas cum Theophrast. μυρσίνη vel μυρρίνῃ, id est, Myrti) similis, magnitudine Nucis auellanæ (ποντικῷ καρύῳ) cuius interna pars [nucleus: τὸ ἐντὸς, rectiùs quàm quibusdam visum, τὸ ἐκτὸς, de qua postea specialiùs] *Locus.* Amygdalarum amararum more tusa pressáque liquorem reddit, quo in pretiosa vnguenta *Delectus.* pro oleo vtuntur. Nascitur in Aethiopia, Aegypto, Arabia & Petra oppido secus Iudæam. Præfertur recens, plena, candida, quæque facilè cortice spoliatur.

Myrobalanum. Idem ferè & Plin. confirmans de eius differentiis quoque tradit, his verbis: Myrobalanũ [quod illi, sicut & Aetio idem est cum glande Vnguentaria, longè aliud ab Arabum Myrobal. de qua lib. superiori) Troglodytis, & Thebaidi, & Arabiæ, quæ Iudæam ab Ægypto disterminat commune est, nascens vnguento, vt ipso nomine apparet. *Heliotropij folio* Quo item indicatur & glandem esse arboris, quã dicemus inter herbas, Heliotropio simili folio. *Differentia earumque delectus* Fructus magnitudine Auellanæ nucis. Ex his in Arabia nascens Syriaca appellatur, & est candida. *Syriaca. Nigra.* Contrà in Thebaide nigra. Præfertur illa bonitate olei quod exprimitur: sed copiâ Thebaica. *Troglodytica* Inter hæc Troglodytica vilissima est. Sunt qui *Aethiopica.* Æthiopicam iis præferant, glandem nigram ac pinguem, nucleóque gracili, sed liquore, qui exprimitur, odoratiori, [quod vitium est. Prorsus *Aegyptia.* enim odoris expertem oportet esse liquorem cum Dal.] nascentem in campestribus. Aegyptiam pinguiorẽ esse & crassiori cortice rubentẽ: *Arabica* [rubenti, Dal. tali ferè colore est durum putamen] & quamuis in palustribus nascatur, breuiorem, sicciorémque. E diuerso Arabicam viridem ac *Petræa.* tenuiorem: & quoniam sit montosa, spissiorem [densiori & firmiori cortice.] Longè autem optimam Petræam, ex quo diximus oppido, nigro cortice, nucleo candido. Vnguentarii autem tantùm cortices premunt: medici nucleos, tundentes [tundunt, Dalec.] affusa eis paulatim calidâ aquâ.

Hæc Plin. qui cum Theophrast. in eo consentire videtur, vnguentarios cortice tantùm vti ad vnguenta, vtrique sanè contra mentem Dioscor. qui ex nucleo exprimi oleum tradit, id quod verisimilius: quis enim vnquam vel dicat, vel credat ex exucco putamine, quale est Nucis vnguentariæ, elici Oleum, spreto nucleo, vt inquit Theophrastus? *Theophr. & Plin. not.*

Falsum etiam quod Plin. his postremis scribit verbis: vnguentarios tantùm cortices, medicos premere nucleos: Nam vt & doctiss. testatur Dalechamp. nucleos vtrique premunt: sed vnguentarii absque igne & aqua calida, vt, quod fluit oleum, alienæ prorsus qualitatis expers sit, nec rancescat: medici affusa calida, vt plus olei extundãt. Vt velin hoc nescio an Medicorum, an Pharmacopœorum potiùs auaritia notanda videatur, qui sincerius ad fucum trahi videntes, ipsi copiosius & minùs sincerum ad sanitatem & vsus medicos conferre non erubescunt.

Eas difficultates aduertens Dalechamp. maluit legere apud Plin. Vnguentarii autem exuto cortice premunt, affusa eis paulatim calida aqua: medici nucleis tusis vtũtur. *Plin. locus restit.* ἐκχυλίζοντες καὶ ἐκθλίβοντες πίτυρα apud Dioscor. tusæ & expressæ fæcem. Plin. falsum putat idem Dalech. corrupta Theophr. litera, τῷ καρπῷ δὲ τοῖς κελύφεσι χρῶνται οἱ μυρεψοὶ κόπτοντες. ἀδυνές δ' ἔχει. τὸν δὲ καρπὸν αὐτῶ ἀχρεῖον: pro quibus ille sic legit: *Theophr. locus restit.* τῷ καρπῷ δὲ ἐκ τοῖς κελύφεσι χρῶνται οἱ μυρεψοὶ κόπτοντες. ἀδυνὲς δ' ἔχει. ὁ δὲ καρπὸς ἐδώδιμ ἀχρεῖος. Vnguentarii putamine non vtuntur, sed tuso fructu. Is enim odorum suauitatem retinet. Est autem edendo inutilis. Sic sanè Theophrast. cum reipsa & parandi modo consentiet. Quod sic etiam veterem Theophrast. lectionem retinere libeat, non tamen deerunt eum tuendi, eiúsue sententiam in meliorem partem interpretandi rationes. *Theophr. illustratur.* Videtur autem Theophrast. ad vnguenti odorem potissimùm respexisse, qui ei ex putaminibus conciliatur, quemadmodum & ipsa duratio. Nam, vt alicubi ait, τὸ δὲ ἔλαιον τῆς αἰγυπτίας μύρεψ, αὐτὸ μὲν ἐκ ἄγαν ἀσαπές. μεγίστην δὲ ποιεῖ τὴν διαμονήν, etiam si tempus spectes, quia minimè pingue non rancescit, vt annotat doctiss. Const. qui & ipse testatur ex putaminibus quidem balani non extrahi oleum, sed ipsa tusa vel pressa in oleum coniici, quo vtantur vnguentarii odoris stymmatisque causa: ad quę oleum inodorum quod paratur ex nucleis Balani inutile sit: vsurpari tamen in pretiosis vnguentis [vt ait Dioscor.] sed olei loco, ad suspiciendos odores, & vt rancor vitetur. Hoc & vtuntur medici. Sic Theophrast. Dioscor. Pliniúsque cum aliis & inter se consentire, quodammodo videntur, & vt Const. putat, πάνυ ὀλιγώτ nodus expeditur, verúsque sensus huius loci (verbis etiam & lectione Theophrasti antiqua stante) eruitur. At vrgeat aliquis. Cur ergo Theophrast. nucleum inutilem dixit? Dic tu vel cum Dalechamp. inutilem ad cibum: vel cum *Obiectio. Sol.* Const. ad odoratum, per se ita & hanc difficultatem solutam habes: quamuis vt ingenuè fateamur nimis crassè nobis locutus videatur Theoph. (si modò genuina, eius verba sint) quando ait, ex putaminibus tantùm elici oleum: fructum verò inutilem esse: quem & Plinius, vt aliàs secutus est.

Cæterùm ad Myrobalani quoque vocem, eandem glandem denotans, allusisse videtur Martialis sic canens.

> *Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,*
> *Hoc ex vnguento, constat, & ex Balano.*

Mesues porrò in eo quoque à Dioscor. dissentit, *Contrarietas soluitur.* quòd, non vt hic, recentem, sed vetustam præferat. Sed & hic nodus facilè dissolui queat, si dicas, Dioscor. ad id respexisse, quòd recens plus olei reddat: Mesuem ad id, quòd antiqua fundat sincerius: Ratio solutionis est: quia recens plus humiditatis excrementitiæ continet, vetusta minùs, ideóque minùs ventriculum subuertat, ad quod Mesues potissimùm respexit. Cuius sententia & ex Mesue probatur, sic scribente. Balanus Myrespica, id est, Glans vnguentaria, fructus est magnus quidem nucis Auellanæ magnitudine, triangulus. *Balanus Myrepsica Glans vnguentaria, Delect.* Paruus verò ciceri similis, malus: vterque tamen medulla leni, & vnctuosa. Magnus est præstantior, præsertim si vetus est: cortice est albo, læui, tenui: medullâ intus albâ, leni, pingui: & vetus est innocentior.

Balanos Galeno. Glans, quàm Græci βάλανον vocant, Celso. *Balanus Glans Celso.* Aegyptię meminit Hipp. differt à Glande

à Glande vnguentaria; quæ Nux odorata siue Moschata vulgò Veteribus incognita, vt existimat & annotat Hermol.Cornar.com.in Gal.c.11.l.5.de comp.med. secundùm loca βάλανον αἰγυπτίαν Critonem eo loco dicere existimat, quam mox sequ.pharmaco βάλανον μυρεψικὴν appellat, quámque *glandem vnguentariam* Latini, *Myrobalanum* Plin.vocat Aegyptiam autem dici patria appellatione, vbi & μυροβάλανον nasci affirmat, & φοινικοβάλανον dictam, hoc est, Palmæ glandem: vnde error vtique committi potest, vt altera pro altera sumi possit, à quo errore neque Plinius immunis fuit, nisi error Librario imputandus, qui lib.23.c.5. pro Phœnicobalano Myrobalanum substituit: quanquam idem Plin.lib.12.cap.22. vbi ait: Myrobalano in vnguentis similem proximúmque vsum habet Palma in Aegypto, quæ vocatur adipsos, viridis, colore Mali cotonei, nullo intus ligno,&c. videatur planè Phœnicobalanum cum Myrobalano confundere, quum tamen res sint diuersissimæ, & Palmæ succus in Vnguenta commodus nequaquam exprimatur. Quare quod Diosc. de Palmæ fructu dixit παρεμφέρειν τῇ ἀραβικῇ μυροβαλάνῳ: Plinius in vnguentis similem proximúmque vsum habere ait, cùm Diosc. id non velit, sed παρεμφέρειν de aliquali figuræ similitudine dicat, non de vsu in re medica ac vnguentis. Imò planè alias vires Palmulis, quæ & Dactyli hodie vocantur, & Diosc.& Gal.adscribunt, quàm Myrobalano siue glandi vnguentariæ, vt ex suo patebit loco. Ideò doctiss. Dalech. apud Plin. legendum censuit, Myrobalano vnguentariæ similem proximámque figuram habet, ex cit. Diosc.lectione, quam similitudinem Plin. ad vnguenta negligenter retulit.

Myrobalanum verò Arab.à Diosc.dictam, non esse aliam, quàm βάλανον μυρεψικὴν ab eodem lib. 4.descriptam, vel hinc patere potest, quòd nullibi speciatim Myrobalanum describit, sicut neque Gal. neque Aetius, neque Paul. minimè relicturi, si diuersa ab illa ipsa esset. Quare certum esse, penitus sibi persuadet Cordus, Myrobalanum Græcorum Medicorum, nihil aliud esse, quàm βάλανον μυρεψικὴν ab iisdem dictam: quod ipsum & Aetius conceptis declarat verbis, cùm ait: ἀλλ᾽ ἡ μυρεψικὴ βάλανος, ἣν μυροβάλανον καλοῦσι, vti pluribus declarat diligentissimus Cordus.

Hanc eandem sententiam non solùm secutus est Lacuna, sed & in magno errore versari scribit eos, qui putant eiusdem generis esse Myrobalanos Arabum seu Officinarum cum Glande vnguentaria.

Arabes *Ben* vocant. Sic enim legimus apud Serap.*Habben*, id est, granum *Ben*. Et Auicen.*Ben* est granum maius Cicere, albidum, cui medulla lenis & vnctuosa. Et Hali Abbas: Ben per simplex e, inquit, & sine h, est fructus cuiusdam arboris, similis Myricæ, teste Diosc.&c. Audet tamen Tagaultius scribere *Ben*, *Been*, vel *Beben* nomina esse Barbara, Arabibus Balanum Myrepsicam denotantia. Idem Mesuem taxat, quòd Ben antiquum melius dixerit recenti. Sed ipsemet potiùs taxandus videtur, qui Mesuei mentem non intellexerit, de qua antè diximus: Mesues nostro iudicio præfert in vsu medico antiquum Ben, quia in eo consumptus humor quidam, siue serum acre ac malignum, quale obseruamus admixtum oleo, cùm recens exprimitur. Eundem in modum Asari etiam radices & folia violenter purgant per inferiora & superiora, vbi virent, propter tale aliquod serum: si exsiccentur, amittunt vim illam malignam & vehementem. Quod idem quoque euenit Iridi, quæ virens vrit & purgat violenter: Exsiccata non item.

Cæterùm Olei expressi magma residuum, vt annotat Sylu. videtur esse μυροβαλάνου πίεσμα, id est expressum, quod cataplasmatis miscet Gal.lib.11. & 13. Meth.& bis lib.9. comp. ph.par.splenicis remediis adhiberi scribit Gal. Quo in loco μυροβαλάνου tantùm, aliquando βαλάνου μυρεψικῆς leges: aliquando μυροβαλάνου ἄλευρον, id est, farina & puluis, & μυροβαλάνου λέπισμα, id est, putamen & cortex & μυροβαλάνου λέπισμα κεκομμένα καὶ σεσησμένα, id est, Myrobalani testæ & cortices incisi & tusi cribratique. Omnia hæc ad splenicos scribuntur, vt sit credibile maximè de fructu eodem, scilicet Balano Myrepsica, & eius partibus omnia hæc intelligi.

Matth.examinandum proponit, an Lilac dicta arbor sit ea, quæ glandem vnguentariam fert. Idem Theophr.reprehendit, quod è putamine fructus oleum elici tradat: Plinium addens & Theophr.& Diosc. sententiam comprobare. Veruntamen hac ætate ab omnibus tantùm è nucleis à putaminibus repurgatis exprimi. Nec se credere ex solis putaminibus, vel fortissimo prelo pressis quicquam effluere, maximè cùm hanc parandi rationem Diosc.prætermiserit, non solùm cap.de glande vnguentaria, sed etiam libro primo, vbi tamen de Oleis & Vnguentis conficiendis latiùs disserit.

Idem Manardum notat, quòd dubitarit, an Vnguentariæ glandis oleum è nucleo, an è putamine exprimi debeat, Galenum tamen, qui rem hanc abundè enucleauit, constanter asseuerasse, Balaninum oleum vnguentariis ex carne nucleorum, non ex putaminibus exprimi. Id quod etiam facilè ex Diosc.colligi possit, cùm dicat consimili modo fieri Balaninum & Amygdalinum. Tandem & in eam cadit suspicionem Theophr.locum esse deprauatum aut minùs integros aut veraces fuisse authores, à quibus fortassis Vnguentariæ glandis historiam acceperit. Sed de hac re abundè iam priùs actum, vt ex quibus hæc & similis omnis difficultas de hac re facilè vel tolli, vel explicari possit.

Andreas Marinus, inquit idem Matth. Medicus non vulgaris, in suis super Mesuem annotationibus, plantam quandam pingit pro vnguentaria glande, à Cl.Pet.Ant.Michaelio Patritio Veneto acceptam, quæ à præscriptis omnibus tota facie differt: sed an legitima sit, cur probet aut improbet, non habere. Titulum eius mendacem esse: siquidem Ben album inscriptum habeat. Itaque verendum ne & ipsa quoque imago tituli sequatur errorem.

Idem in post.com.cum magnis fig.addit. Plantam cuius imaginem damus, Constantinopoli allata est, sub nomine *Lilac*. Eam cùm inspexissem & fructus eius agnoscerem, Pistaciorum faciem perquàm bellè referre, illicò in suspicionem veni (inquit) an hæc fortassis glans vnguentaria dici posset. Ast mehercle *Lilac* fructus nihil habere nobis videtur, quod sit simile Pistaciis, vt clariùs patebit suo loco.

Amatus glandem vnguentis Pistachiis similem facit, non malè, si cortice extimo spoliata sit, quamuis minor sit, & forma triquetra.

Porrò obseruatione digna sunt Bellonii verba, in hunc modum scribentis. In Arabia ad pagum Pharagou dictum, conscendimus rupes, vbi inuenimus arbores Balani Myrepsicæ, prouenientes ad altitudinem Betulæ inter rupes, cuius rami ei etiam similes, truncus albus est, ita vt è longinquo

Betulæ similis. videntes certò crederemus esse Betulam. Incolæ in Pharagou diligenter colligunt huius arboris semina, ex quibus magnam olei quantitatem parant: fuerunt in causa, vt inueniremus siliquas, quæ in tres diuiduntur partes, quas Arabs in cumulum coniecerat propè pagum. Magna sanè est varietas folia Myrto similia facere, vt Theoph. Myricæ, vt Dioscor. [nisi corruptus sit eius codex, de quo supra] Heliotropio vt Plin. & iam totam arborem Betulæ similem, vt Bellon. à quo difficultatis aut varietatis illius Veterum explicationem expectaueramus, ex iis oris ad nos reduce.

Cæsalp. not. Cæsalp. in ea suspicione est, Plinium intelligere, quas Castaneas equinas appellant Constantinopoli, cuius arbor traditur folio Pentaphylli. Sed suspicetur quantum volet nobis Myrti folio oblongiori (vt Theophrast. dicit) similius videtur Heliotropii folium, quàm Castaneæ equinæ: propter eam igitur notam nolimus Myrobalanum Plin. referre ad Castaneam equinam, de qua suo loco.

Lonic. not. Lonic. Granum Ben, seu Glandem Vnguentariam, Nuculam triangularem vocat arboris similis Tamarisco: satis quidem temerè, quamuis corruptæ Dioscor. lectioni eius sententia inniti videatur. Nam cur non potiùs dixit Myrti similis cum Theophrast. qui ita audacter pronunciare audet de arbore nec sibi visa aut cognita, nec de qua consentiant autores? Eandem censuram meretur Tabern. qui idem facit. Sed dubitationem hanc tollit Io. Pona in descriptione Montis Baldi, proponens effigiem plantæ cum radicibus & foliis cui hunc titulum fecit: Icon legitima Glandis Vnguētariæ, &c.

C. Bauh. apud Matthiol. pollicetur se folia aliquando exhibiturum, qualia ex Alexandria adferantur nobis hactenus non visa.

Synonyma Linguarū Βάλανος· βάλανος μυρεψική· ἡ τῆς μυρεψικῆς βάλανος· μυροβάλανος, βάλανος αἰγυπτία Archig. *Ben* Arab. Maurit. atque etiam Offic. *Glans Vnguentaria & Myrepsica* Herbariis: *Vnguentaria*, *Cathartica siliquata* Aduers. *Nucula Vnguentaria* aliis: *Glans Aegyptia* Plin. & fortè etiam Hipp. Myrobalanus Græcorum: Germ. frembde Haselnüßlin/ Salbnüßlin. Belg. Myrobalaen/ teste Had. Iun. It. *Ghianda Vnguentaria*. Hisp. *Auellana de la India*, *Tartago & Muia*.

Differentiæ. Maior. Minor. Sunt qui duas species faciant Nucis Vnguentariæ, vt Lacuna: Maiorem, magnitudine Auellanæ, cortice fragili, cinereo, triplici costa, medulla alba, tenera, oleaginosa, acri cum leui amarore: Minorē ciceris magnit. cortice ad nigrum accedente, medulla ingrata, quam perniciosam existimari ait: maiorem solam esse in vsu. Scribit tamen Monardes ex Ben paruo Ciceris magnitudine Italos odoratum oleum exprimere: fortè omnes indifferenter intelligens. Sunt nobis quidem, vt in nostra descriptione notauimus, Balani seu glandes vnguentariæ diuersæ magnitudine, omnes tamen triangulares sunt: eas verò qualitatibus aut viribus vix diuersas putamus: sapore partim subdulci, partim subamaro: quod & Cordus statuit. Superiùs locum citauimus ex Mesue, vbi magnas & paruas facit, hasque vitiosas dicit, vbi & de delectu dictum, & postea in viribus non obscurè patebit, valentiores paruas efficacioresque esse. Cōsiderent tamen naturæ consulti & diligentes Seplasiarii an Mes. & Lac. de alia quadam diuersa intelligant.

Delectus. Superiùs aliquid traditum de modo parandi hoc oleum, quemadmodum & de delectu. Omnino autē ex nostris deligendæ candidæ, benè magnæ, plenæ, album: minimè rugosum aut flauum nucleū continentes.

Modus parandi. Paratur autem Ol. Balaninum contusis & tostis nucleis, addita aqua Rosarum, vt annotat Lonic. Sed hoc loco difficultas oritur ex Paulo, qui sic tradit: lib. 7. καὶ τὸ βαλάνινον δὲ σκευάζεται τῶν ἀπὸ ἀμυγδάλων ὁμοίως, ἀπὸ τῶν τῆς δρυὸς βαλάνων. Quid? è Quernis ne fiat glandibus oleum Balaninum, in modum Amygdalini, uti verba sonant?

Lonic. not. Paulus corrig. Lonicerus minùs credulus hunc locum citans, conquiescit. Ast nobis meritò, nostro quidem iudicio Corn. Pauli codices corruptos dicit, quòd nullum oleum è Quernis glandibus exprimi soleat. Legendum igitur: γίνεται οὐκ ἀπὸ τῶν τῆς δρυὸς βαλάνων ἀλλ᾽ ἀπὸ τῆς μυρεψικῆς λεγομένης βαλάνου: ex quibus & Aetius parare docet, [& ipse quoque Paulus disertè lib. 8.] qui & ipse Balaninum appellat: alii oleum de Nuce seu Glande Vnguentaria. Ol. Myrepsicum. Hisp. *Azeite de Auellana de la India*. It. *Olio di Ben*. Dioscor. simpliciter ait, similiter parari ut Amygdalinum, cuius parandi modum suo docuimus loco.

Olei Synonyma.

Locus. Dicta iam supra quædam de loco: restant & hæc dicenda. In Arabia prope Pharagou, in itinere à Cairo ad Montem Sinai nascitur, autore Bellonio. Adfertur verò ex Syria & Aegypto in Europam, atque illuc putat Matthiol. ex Arabia aduehi, & fortè etiam adhuc ex Aethiopia, vbi ait Dioscor. nasci. Eodem tradente in Hispania frequentissima gignitur: adferturque hodiè copiosa in Italiam. Et in postr. com. lat. Glans vnguentaria, inquit, in quibusdam Hispaniæ locis (vt audio) copiosa prouenit. Videt vt mitiget priùs delictum: Vt audio, ait: at priùs simpliciter & nulla circuitione vsus in Hispania frequentissimam gigni tradiderat. Eant nunc Pharmacopœi atque Matthiol. more suo fidentes quærant & colligant in Hispania Balanum Myrepsicam, vel si lubeat etiam Basileæ aut Montbelgardi vbi indubiè inuenient Matthiol. Balanū myrepsicam: at sciant interim: nunquam expressuros se oleum. Amatum si consulant, non ibunt in Hispaniam, vbi nasci negat: sed in Indiam, vnde ait in Hispaniam importari, si modò verum dicit: Aliter enim sentit Bellon. & ipse adeò Matt. in postr. suis comment. Garcias profectò, qui diligentissimè de Indicis scripsit, Balanum myrespicam non tradit inter Indicas plantas nec quisquā Veterum (quòd sciamus) meminit eam in India nasci. Gal. ait ex Barbarica regione adferri.

Matth. reprob.

Amat. not.

Vires & vsus. Dosis. Lien. Podagra. Psor. Lepra. Vitiligo. Lentigo. Vari. Papula. Vomitoriū. Purgans. Oleum. Cortex. Magma. Scabrities. Prurigo. Glans vnguentaria, autore Dioscor. trita, & ex posca drach. pondere pota, Lienem absumit. Quin & eadem vlceri cum Lolii farina, itémque podagricis cum aqua mulsa imponitur. Cum aceto cocta, psoram & lepram exterit: cum nitro, vitiligines & cicatrices nigras emendat: & cum lotio lentigines & varos, maculas à Solis ardore contractas & papulas in facie tollit. Vomitiones autem mouet, aluúmque soluit cum hydromelite: sed valdè stomacho aduersatur. Oleum quod ex ea exprimitur, aluum potu subducit: at cortex eius magis astringit. Cæterùm quod ex ea tusa expressáque reliquum est, quasi retrimentum seu magma, smegmatis immiscetur, quæ ad scabritias & prurigines accommodantur. Ipsum etiam oleum vim habet extergendi maculas, lentigines, varos & cicatricum nigritias. Purgat idem aluum, sed stomacho quoque aduersatur. Contra dolores aurium sonos atque tinnitus auxilio est cum anserino adipe infusum. Cæterùm obseruatione indiget quod Dioscor. ait seq. cap. Oleum sesaminum & Caryinum (è nucibus) eandem vim obtinere

Stomachus. Tinnitus & dolor.

cum

cum balanino, quod nobis quidem nemo facilè persuaserit; hoc ... manifestam & efficacem habet, illa aut nullam aut certè obscuram, & quæ fortè simplicissimi olei oliuarum vires non transcendat, quamuis altero pro altero vsum fuisse, non magna consequi possit noxa.

Temperamentum. Vnguentarii, tradente Gal. vtuntur carnis eius succo, qui calidus est. Reliquiæ autem vnde expressus est, vincentem habent qualitatem amaram. Sed & admista est quædam adstrictio. Proinde extergentem simul & incidentem contrahentemque & stipantem effectum possident. Itaque (præter iam dictos vsus quos studio non repetimus) & Iecur indurescentia liquant. *Vomitoriũ. Purgans.* Drach. pondere cum melicrato caro eorum pota, vomitum mouet: sæpè etiam per inferna aluum largiter subducit. Viscera expurgat. Externis noxis cum aceto administrari debet. Sic efficacius reddetur ad prædictos cutaneos morbos omnes: item ad Exanthemata quæuis alia, achoras, & vlcerosa, & quæcunque cutis sunt succi. Cicatricibus decorem affert. Lieni illinendum cum farina quadam exiccante, ut Erui aut Lolii.

Cortex. Malagma ad Lienem. Cortex eius admodum adstringit. Itaque vbi adstrictione opus, accommodari potest. Celsus ad lienem sic aptat. Glandis (quam ... Græci vocant) cortex & nitrum, paribus portionibus contunduntur, resperguntur que aceto quàm acerrimo. Vbi Cerati crassitudinem habet, linteo antea in aquam deiecto illinitur, & sic imponitur, supraque farina hordeacea inincitur: sed manere ibi non ampliùs sex horis debet, ne Lienem consumat: satisque est bis aut ter fieri. *Cautio.* Specialiùs, ac vti solet medicè admodum, eiusdem vires Mesues persequitur, sic: calfacit in ... initio ord. 3 siccat 2. Humiditatem habet excrementosam & acrem, quæ ventriculum subuertit, nauseam excitat, viscera conturbat. 1 *Noxa.* Pituitam crassam & lentam vomitu & deiectione purgat: quare confert colico affectui pituitoso & flatulento, *Colica.* sumptus, balano, clystere iniectus, cataplasmate ex ... medulla hordei farina & melle appositus, *Vermis modo Gariof.* & calore suo neruorum frigidis affectibus, *Neruis, Spasmus. ... Viscerum obstructio.* spasmo, tetano, contractioni. Tumores quoque duros, strumas, nodos, resoluit cum melle. Hepati autem aut Lieni obstructo, vel durato cum farina Lupinorum & ... confert imposita. Ad hæc fructus minor, & eius oleum efficaciùs admouentur. Idem oleum auri infusum, tinnitui, sibilo, surditati auxiliatur: 2 *Surditas.* cicatrices fœdas, lentigines, alphos, & cætera cutis vitia emendat. Incidit enim, tenuat, terget, expurgat, aperit obstructa. *Qualitates. Parum ... res ... Auicen.* Paruus autem ad omnia est valentior, molestè purgat, vires dat ... sudoremque frigidum mouet. Ob id non vtendus etiam oleo, nisi emplastro, vnctione, cataplasmate. Magnus ne ventriculo noceat, facit assatio. Ea enim humiditatem excrementosam & acrem horum symptomatum causam coquit & resoluit: tuncque solùm deiectione purgat. Adduntur præterea ipsi, præsertim coquendo, semen anisi & fœniculi. Ex huius autem ita cocti medulla cum dimidio pondere Amygd. dulcium, & melle vuarum passarum, formæ fiunt Auellanarum effigie. *Trochisci.* Ipsi autem fructus integri, vel potiùs horum medullæ multùm tritæ aromatibus aliquibus, vel anisi aut fœniculi semine adiecto, inuoluuntur papyro, & maza: pòst coquuntur sub cinere calido.

Oleum quomodo conficiendum. Non absque ratione dubitat Manardus, an vnguentariæ glandis oleum conficiendum sit ex fructu, an ex eo, quod cortice obducitur, hoc est, fructus substantia: ex Diosc. namque scriptura ex nucleo fieri debere colligitur. Nucleus autem & corticem continet, & id tenerum, quod in cortice continetur, quod totum semen veriùs, quàm fructum dixeris: nam si totum fructum: mirum est, quòd à corticibus ita siccis oleum exprimi possit: si tantùm ab eo, quod intus est: videtur Dioscor. scripturæ repugnare. Sed dicendum ibi fructum pro eo, quod in semine continetur, accepisse, quod ostendit id, quod subdit: præferri, quæ facilè delibretur: quasi delibratam assumi debere ex hoc significaret. Cui & hodiernus vsus, teste Maranthâ, adstipulatur. Vnguentarii enim ex seminis substantia, non ex toto semine oleum de Been [ita enim glandem vnguentariam appellant] eliciunt. *Been. Glans vnguentaria.* Oleum autem quod ex his extrahitur datur à drach. sem. ad drach. j. & sem. *Dosis olei.* Ben ex sententia Auicen. fluxum sanguinis narium reprimit sua adstringenti facultate. *Fluxus sang.*

Dolor dentium. Decoctum radicis colluendo os confert dolori dentium, Duritiem hepatis ac splenis aufert cum aceto drachm. ii. pond. potum. Sed stomacho noxium, nauseamque facit, aurei pondere cum melicrato haustus succus vehementer vomitum & aluum ciet. Loco eius ponitur tantundem *Substitutũ.* Rubiæ, medium Castiæ ligneæ & decima pars Macis. Quæ Auic. verba haud supinè accipienda. *Auic. not.* Quod si nota ei arbor Ben eiusque radix, cur non describit? & quis ante ipsum has radici tribuit vires? Respiciat Lector ad dosin drach. ii. cùm vnica tantùm, vel ipsomet teste vehementem vomitum moueat. Diosc. drach. j. tantùm præscribit. Maior dosis nobis suspecta. *Cautio.* Quale obsecro succedaneum illud? docti iudicent.

Amatus testatur Medicos hodie, qui in India degunt, glandem vnguentariam in potu ad subducendam aluum & prouocandum vomitum ægris propinare.

Chirothecarum tinctus seu fucus. Vnguentarii oleo vtuntur pro conficiendis odoratissimis vnguentis, in quæ & moschum, ambram & zibetum addunt pro Chirothecis & manicis, aliisque suffitu perfundendis aut illinendis. Porrò præ aliis omnibus oleis hoc potissimùm celebrant Vnguentarii, non quòd aliqua odoris præstantia commendetur (inodorum enim est, si Matth. credimus) sed quòd nunquam vetustate rancorem contrahat. Ergo rancoris expers cùm sit, omnium aptissimum habetur ad misturas [sic vocant] deliciis & lasciuiæ causa excogitatas. Quandoquidem, si odorata prædicta alio quouis oleo liquescerent in vnguentum, aut quouis alio modo exciperentur, cõtracto inde nõ multò pòst tempore rancore, *[ætate enim omne oleum præter Balanimum rancescit]* non modò vniuersam odoris suauitatem exuerent, sed etiam putida fœtidaque euaderent.

Barba fucus. Senectæ tegatur alienum fucorũ. Itali odorato oleo de *Ben*, quale ad eum vsum studio singulari parant sibi cæsariem & barbam inungunt [teste Monarde] deliciarum gratia, & iamdudum hic luxus à meretricibus ad fœminas reliquas, & ipsos quoque viros transferri cœpit, quasi interesit homini bestiæ odorem præ se tulisse. Et multi egregiè in hoc gestiunt.

Præseruatio ol. Amygd. Matthiolus & Amatus ubique tradunt nunquam senescere nec rancidum fieri hoc oleum: imò (inquit hic) si oleo Amygd. gutta vna aut altera huius olei adiungatur, illud à corruptione præseruat.

AVELLANA PVRGATRIX NOVI ORBIS.

Cap. LXXV.

Locus.



NOuo orbe primùm inuento, insula D. Dominici, vti refert Monardes, quoddam genus Auellanarũ misit, quæ colore & forma nostris sunt similes, putamine tenui, coloris spadicei, triangulares, medulla interiore alba & dulci, sic vt multi, dulcedine illecti, decepti sint. Clus. addit: Auellanã, cuius iconem hîc exhibeo, lentus & mollis contegit cortex, partim ex cinereo candicans, partim nigricans: hunc sequitur putamen minùs solidum, quam in vulgaribus Auellanis: id nucleum continet Auellanæ magnitudine candidum, solidum, Auellanæ vulgaris aut Ilignex, sapore, tenui membrana obductum. Integra nux altera parte sessilis est, & coniunctim binæ nasci videntur, vt interdum Castaneæ. Monardes *Auellanas purgatrices* vocat, additque Medicorum vulgus *Ben magnum* vocare (nam esse duorum generum,) paruũ autem esse id de quo præced. cap. egimus, nempe ex quo oleum conficiatur odoratum. Ben magnum Hist. Lugd. Nuces purgantes, frömbde purgierende Hasselnuß Taber.

Descrip.

Ben magnum.

Nuces purgantes.

Vires.

Eodem Monarde teste, his Indi familiariter se purgant. Postea Hispani necessitate compulsi, illis etiam purgare se cœperunt, non sine vitæ discrimine. Pituitam & bilem supernè & infernè purgant. Nonnulli tamen earum vehementiam assatione infringebant. Coli doloribus præsens sunt remedium, flatus discutiunt, & Clysteribus iniectæ, mediocriter euacuant. Dosis est à drach. 1. ad drach. 1. sed assandæ sunt. Calidi sunt temperamenti initio tertii gradus, & siccæ in secundo.

Purgant.

Colica.

Dosis.

Temperã.

PINEI NVCLEI MALVCANI SIVE PVRGATORII.

Cap. LXXVI.

Descript.

Folia.

ALitur in hortis quibusdam Malabar, tum etiam in nonnullis syluis spontè nascitur arbor magnitudine Pini, cuius folia infernè diluto virore prædita sunt, supernè autem saturo, admodum tenella & mollia, quæ gustata valdè acria deprehenduntur, & linguam diu vellicant. Fructus triangularis, Auellanæ magnitudine, interiùs in multa receptacula distinctus, in quibus semen est album, solidum, rotundum Pineo nucleo seu putamine exempto par. *A Costa.*

Fructus Auellanæ magnit.

Considerandum an eædem sint Pineæ Nuculæ catharticæ Monardis, quas sic designat. Trãsmittit noua Hispania Pineorum nucleorum genus, quo Indi se purgabant: quos imitati sunt plurimi harum regionum. Nostris Pineis nucleis similes sunt, nascẽtes in strobilis magnis, quales sunt Mayci spicæ Muticæ: molliore putamine, & nigriore, quàm nostri, rotundi, intus albi, pingues & gustu dulces.

Pineæ Nuculæ Monardi.

Pignoli di Maluco, Canarinis *Gepalu*: *Costa*. Et in alia edit: vulgò *Pingnones de Maluco*, hoc est Pinei nuclei Malucanini, quo nomine & Hist. Lugd. habet. An apud eandem Pinei nuclei cathartici Monardæ? Et an eæ ipsæ quæ Pignoli purgatiui & Pinei nuclei purgatorii dicũtur eidem Monardæ?

Synonyma.

Gepalu.

Eo fructu, autore A Costa, frequenter vtuntur Indi, cùm in curandis quibusdam morbis, tum etiam in suis nequitiis. Binos Eiusmodi nucleos, tenui membrana quæ illos contegit liberatos terunt, & clysteribus vulgaribus admiscent aduersus Schiaticam & vrinæ difficultatem: seu propinant cum gallinæ iusculo ad educendos putridos, lentos, crassosque & frigidos humores & asthmaticos curandos, aduersus quem morbum plurimùm commendant & frequenter vtuntur. Ex aqua tritis impetigines inunctæ, primùm tamen diligenter confricatæ & abrasæ, probè & breui temporis spatio curantur, sed admodum vrunt, vt experientia didicit idem autor. Improbæ etiam mulieres illarum prouinciarum suis maritis parum æquæ, quatuor grana siue nucleos edendos præbent, vt eos interimant. Nuclei pinei cathartici, vti scribit Monar. bilem, pituitam & aquas validissimè purgant: & licet Auellanis mitiores, attamen vomitum cient, atque ventrem subducunt. Assi, neque tam valenter, neque cum tantis torsionibus purgant. Dantur in diuturnis morbis, & peculiari quadam facultate crassos humores expellunt. Quinque aut sex triti & vino diluti, dantur pro virium robore, præparato priùs conuenientibus Syrupis humore, qui euacuandus est, & obseruata, quæ decet, victus ratione. Etenim qui eis vtetur, illum obseruare oportet, quæ ab his obseruari solent, quibus purgans medicamentum propinatum est.

Vires & Vsus.

Schiatica.

Vrina diffic.

Asthma.

Impetigo.

Purgant, & vomitum.

Calidi in tertio, & sicci in secundo, pinguedine tamen quadam præditi, quæ siccitatem nonnihil imminuit.

Cautio.

Quibus obtingent Pinei nuclei Malucani A costæ, vel Pinei nuclei cathartici Monard. siue diuersi, siue iidem sint, non temerè exhibeant ægris: siquidem, vt refert Acosta, grana quatuor interimunt, & admodum vrunt. Monard. verò ad euacuandum quinque aut sex exhibet.

Temperamentum.

BERE

Digitized by Google

BERETINVS FRVCTVS.

Cap. LXXVII.

Descriptio arboris. IN Cancrorum insula celsissimas inuenerunt arbores, Quercu maiores, foliis Laurinis, crassis, splendentibus, & minimè in ambitu serratis, quæ oblongiusculum fructum ferunt, exiguis Iligneis glandibus similem, nullo tamen calyce, vt ipsi referunt, inclusum, cortice tenui cinereo, interdum atro, tectum, nucleum cõtinentem oblongiusculum, candidum, nullo [cùm induruit] manifesto sapore præditum, tenui membrana tectum. Similibus arboribus abundat Beretina insula illi vicina, ad quam postea delati sunt: à cuius incolis illarum arborum fructum, quem priùs non attigerant, edulem esse didicerunt. Eo deinde more leguminum delixo, aut in farinam contuso, & pultus modo cocto & inspissato, alterius cibi penuria, cùm in ea insula, tum in naui famem subleuarunt. Eam arborem etiam alunt omnes Moluccæ insulæ. Clus. qui sibi hunc fructum à Cancellariæ Londinensis Primicerio communicatum fuisse, tradit.

Fructus.



Locus.

Cibus.

An Beretinus fructus. Est & nobis quidam fructus ex liberal. Illustr. Ducissæ VVirtemberg. cuius figura ferè Corni est minoris, nempe oblongus, ouatus ferè, cortice tectus tenui, flauescente, & vngue haud difficulter separabili. Substantia intus albicat vt Dactylorum, sed firmitudine inferior, & cultello sectilis, nullo gustu manifesto. Summa apex paruus & niger occupat: Ima adhæsionis vestigium. Videtur autem nucleus quidam esse aliquo cortice tectus, quo nunc exutum habemus, nec suspicione caret, esse fortè Beretini iam descripti, de quo tamen nihil certi nobis adhuc constat.

GLANDI ILIGNEÆ QVODAMMODO SIMILIS FRVCTVS, CORTICE fragili.

Descriptio EX fructibus peregrinis Ill. C. Wirt. 6. an. 1580. Stutgardiæ offerebatur paruus fructus, paruam glandem Ilignean quodammodo exprimens formâ & ferè colore: cortex tenuis & fragilis, subest alter tenuis, flauescens: nucleus albus, durus. Conferendus est hic fructus cum Beretino, similis enim videtur.

FRVCTVS INDICVS, VILLOSVS, PARVVS.

Cap. LXXVIII.

Descriptio INter fructus exoticos seu peregrinos Illustriss. Celsitt. VVirtemberg. p. m. 1608. repertus vnus magnitudine auellanæ vulgaris, constans tunicis villosis, subflauis: cortice tenero, vna parte nigricante. Qualis fuerit intus nucleus, nos latet, quia carie corruptus.

I

II

NVX, PONTICAE NVCI NON VALDE ABSIMILIS, SPADICEI COLORIS.

Cap. LXXIX.

AMstelredami, inquit Clusius Exot. lib. 2. c. 26. accipiebam ab ornatissimo viro Henrico van os / eius vrbis ciue, Nucem spadicei coloris, Ponticæ nuci non valdè absimilem, vnciam longam, eius ambitus vnciâ paulò maior, sessili siue infimâ parte angustior, extimâ crassior, & veluti decussatim formata, dura, solida, nec vllo motu strepitum edens: an aliquo calyce excepta fuerit, glandis aut auellanæ instar, me latet, nec is sciebat qui illam mihi donabat: nam inter aromata illo anno aduecta fuerat. Huius iconem cum præcedenti damus. *Descriptio*

NVCVLA INDICA, CORTICE TENERO, FORTE BERETINI FRVCTVS.

Cap. LXXX.

AMe visus inter fructus peregrinos Ill. Cels. VVirt. Stutg. 1608. vnus fuscus, paruæ oliuæ magnitudine, vna parte, vbi adhæsit, latiuscula, alterâ in acumen desinente, in quo paruæ costæ sex numerantur, rectæ non obliquæ: distinctus, sonorus est: cortex cedit vngue compressus. In hac tabella numerus primus, primam: secundus, alteram, & tertius tertiam denotat nuculam. *Descriptio*

NVCVLA INDICA ALTERA COMPRESSA, CORTICE DVRO, COLORIS castaneæ, sonora.

EX fructibus peregrinis Ill. C. VVirt. p. m. Stutg. 1608. vnus erat longitudinis vnguis, nuclei parui Pruni quodammodo dissimilis, sublongus, eâ magnitudine qua pictus, compressus, costis in vno latere constans, coloris penè castaneæ, lucidus, sonorus, duæ facies sunt depictæ. *Descriptio*

NVCVLA INDICA TERTIA SPLENDIDIOR.

HIc fructus idem fortè cum præcedenti, color penè idem, nisi dilutior & splendidior, magis *Descriptio*

etiam compressus & latior, potissimùm vnâ parte: est etiam sonorus, duæ facies pinguntur.

FRVCTVS INDICVS, OVI PARVI FERE FORMA.

Cap. LXXXI.

Descriptio

EX fructibus peregrinis Ill. Ill. Cels. Wirt. p. m. 1608. Stutgardiæ, paruus fructus, formâ ferè parui oui & iconis magnitudine, coloris quodammodo castaneæ, sed dilutioris, splendens, duę facies exprimuntur, circulus ambit ferè totum, qui non splēdet, quid continuerit nescio, erat in vtraque parte foratus.



NVCVLA SVBLONGA, VEL OS FRVCTVS ALICVIVS INDICI.

Cap. LXXXII.

Descript.

EX fructibus peregrinis Ill. E. C. Wirt. 1608. Nucula vel, os alicuius fructus Indici, vnciam longa, vnciam semis circiter lata, rotunda, fusci coloris, vna parte latior, lignosa, caua: in ea nucleus cortice tenui tectus, qui fuscus, intus fissus, durus, albus & sapore manifesto destitutus. Nucula hæc in priori tabula expressa.

NVCVLA TRIANGVLARIS, INDICA, CASTANELLÆ FERE FACIE.

Cap. LXXXIII.

Descriptio

IVcunda aspectu, nucula sessilis, triangula, piso maiori haud maior, inter angulos compressa, ex vno latere commissura nigricante insignita, colore subfusco, in russum quasi ex spadiceo in cinereum vergit. Concussa non strepitat, vt quid intus latitet nos lateat, sed circulum perelegantem nuculæ concolorem, parte sessili innatum vel potiùs enatum (nam linea eleuatior & nonnihil splendicans) intersecat commissuræ huic prædicta. Ex obs. Cherleri.

NVCVLA IND. OVATA FERE.

Cap. LXXXIV.

Descriptio

NIsi vtrinque acumen quoddam extaret, ouatæ esset figuræ. Longitudo vncialis, latitudo media: colore inter fuscum & pullum medio, maculis dilutioribus picturato. Costis quibusdam eminentibus, quales in Nuce vnguentaria *Ben* dicta, insignita. Nucleus intus latet albus vt ex leuiter adaperto fructu deprehendimus, quem corrumpere non debuimus, vt integer terræ committi posset ab Ill. Ducissa Wirt. quæ aspectus & picturæ vsuram concessit.

NVCVLA QVÆDAM AFRICANA.

Cap. LXXXV.

Descriptio

FRuctus peregrinus Clusio, nucis Auellanæ magnitudine & eiusdem colore, putamine puro, veluti in duas partes diuiso nucleum intus continens. Similes aliquando Granaræ in Hispaniis accepit idem ex Africa [*El pennon de Velez* arce ab Hispanis occupata] delatos, nucleum continentes album, dulcem, quos ad vnguentariæ Nucis genus aliquod referendos existimabat. Huius icon est cum Fr. Amygdaloide nitido peregrino.

OSSICVLVM SVLCATVM FRVCTVS PEREGRINI.

Cap. LXXXVI.

Descriptio

ALicuius fructus Indici ossiculum esse videtur. Figura ouata est, vtrinque extremorum acuminatum, per longitudinem profundè satis sulcatum, colore pullo. Visum & depictum apud Ill. Ducissam VVittemb. &c:

Icon habetur cum aliis huius libri cap. 88.

OSSICVLVM TAMARINDI ADMIXTVM.

Cap. LXXXVII.

Descriptio

EX prima nauigatione Batauorum relatū Clus. vt videre est Exot. lib. 2. cap. 15. ossiculum cuiusdam fructus, vncialis ferè longitudinis, semuncialis crassitudinis, læui spadiceique coloris putamine tectum, supernè quodammodo cristato, & coloris albi, atque paulò infra conumillum ad latus vestigio apparente, quo suo fructui inhæserat. Inter aromata ferunt repertum cum Tamarindorum seminibus & aliis quisquiliis, quæ sæpenumerò iis commisceri solent.

FRVCTVS EXOTICI OSSICVLVM ALIVD.

Cap. LXXXVIII.

Descriptio



VIdetur & hoc peregrini cuiusdam fructus ossiculū esse: semunciam longum, nucleo Pini ferè figura par, ambitu tereti obiter turbinato, durum, politum, læue. Colore russescente, maculis quibusdam albicantibus aspersum. Visum & pictum apud Ill. L. C.

FRV-

FRVCTVS IND. CORNI FIGVRA.

Cap. LXXXIX.

Descriptio

DIceres Corna esse, si rubri essent, adeò figura & proportione respondent, sed niger est, læuis, splendidus, durus, pediculi residuo crasso. Concussus non sonat, & aquæ iniectus sidit, ponderis argumento. Dono accepimus ab Ill. Ducissa VVirtemb. &c. Eicon cum aliis cap. præced. habetur.

FRVCTVS IND. OSSICVLVM PERELEGANS.

Cap. XC.

Descript.

MAgnitudo ferè Amygdalæ est, sed figura nonnihil diuersa. Collo supernè donatus angusto: quatuor insignibus per longitudinem lineis notatus, cætera quoque parte nonnihil rugosus, colore pullo. Vidimus apud Ill. E. C. VVirt. aperire nec licuit, nec interna describere.

HIBOVCOVHV AMERICANVS. ITEMQVE CARAMENO FRVctus iisdem.

Cap. XCI.

Tom Vermiculi Americani & ab iis morbus. Sirones.

AMericanorum mirabilis morbus quidam est, quem exigui quidam vermes procreant, dum pedibus eorum se insinuant. Lingua illorum *Tom* dicuntur, nec Sironum vulgò dictorum magnitudinem multùm excedunt. Crediderimus in ipsis pedibus generari. Ita abundant interdum vnico loco, vt tumorem mox excitent magnitudinis fabæ, nec sine dolore, partisque arrosione. Eâdem plagâ & nos [inquit Theuetus] aliquando vexati, dum in America ageremus, adeò vt pedes eius nodi tumoribus ferè scaterent. Iis adapertis vel spontè dehiscentibus, albus se in conspectum dabat vermiculus inspicienti, cùm puris pauxillo. Hoc mali genus incolæ oleo ex fructu *Hybouconhu* ipsis dicto sanant, qui Dactylum aliquo modo repræsentat, nec edulis est. Oleum istud adseruant vasculis quibusdam ex fructibus excauatis paratis, quos *Caramenu* suo idiomate nuncupant. Eo oleo vtuntur, vt ii perhibent, felicissimo successu. Sed & corpora labore ac lassitudine fracta, eiusdem affrictu refocillant. Experientia quoque docti fuêre conferre vulneribus ac vlceribus.

Remedium. Fructus descriptio. Oleum. Carameno fructus.

Vulnera & Vlcera.

GOAN ARBOR TVTIAE, CVI NVCLEVS CVM PVTAMINE.

Cap. XCII.

Tutia quid.

TVtia nos hic in India (inquit Garcias) vtimur, quamque in Lusitaniam & Hispanias reliquas Occidentales regiones exportant, è metallicis conflata non est, sed ex eorum est genere, quæ Diosc. ἀντίσποδα appellantur. Mihi enim retulit mercator harum similiúmque rerum curiosus indagator, se certò accepisse à Persicis negotiatoribus hanc *Tutiam* in Quirmon Persiæ regione, & Ormuz finitima [vbi etiam laudatissimum totius Persiæ cuminum nascitur] fieri, atque conflari è cineribus arboris cuiusdam illhic nascentis, nomine Goan, quæ fructum eiusdem nominis profert, cortice & putamine constantem; corticem verò & nucleum, qui putamine clauditur edules esse. Hanc Tutiam Alexandrinam vocari, non quòd in Alexandria fiat, sed quòd è Quirmon Ormuz delata, deinde in Alexandriam exportetur, ex qua tandem & Italiæ & Galliæ communicatur. *Hac ille.*

Antispoda. *Cuminum.* *Goan arbor.* *Goan fructus.* *Tutia Alexandrina.*

At nos non vidimus vllam hactenus in Officinis Germaniæ, Galliæ & Italiæ *Tutiam* præter Cadmiam Botryitem: De Tabaxir Arabum quod malè Spodium dixerunt, & de Antispodiis trademus lib. 3. post Salices.

Cadmia Botryites. Tabaxir Arab.

ARBOR GEHVPH SIVE COBBAN.

Cap. XCIII.



Descriptio

ALit Taprobana insula hodie Sumatra nuncupata, arborem admirandæ facultatis, vt fert Theuetus, ... Indis Cobban dicitur. Fructus est paruus, quemadmodum & arbor quæ siliquam catharticam fert, ramis breuioribus, cortice flauescente siue croceo, fructu crassiusculo & rotundo pilæ lusoriæ instar, in quo Nux Auellanæ par coërcetur, quæ nucleum includit valdè amarum, qui linguæ admodum radicis Angelicæ saporem refert.

Gehuph. Cobban. *Fructus flauescens amarus.*

Fructus ad sedandam sitim commodissimus. Eo tamen nucleus quamuis amarus longè præstantior: ex eo enim indigenæ oleum eliciunt, sedulóque conseruant, quia ad Hepatis & Lienis dolores maximè confert, quibus doloribus cùm affliguntur, primùm dies aliquot parcissimo vtuntur victu: deinde octo dierum spatio oleum sumunt: quo tempore morbus paulatim minuitur, & tandem curatur. Quod si qui oleum sumere noluerint, velut pueri & mulierculæ, eo ventriculum, spinam dorsi & latera, inungunt. Idé articularis morbi, cui huius insulæ incolæ valdè obnoxii sunt, summum est remedium.

Vsus. Oleum. *Inunctio. Arthritis.*

Ex eadem arbore gummi manat vtilissimum. Ex eo enim cum mediocri oleo supradicto dissoluto, cataplasmata conficiunt quæ pellibus illinunt, & partibus laborantibus applicant. Hanc arborem diligenter propè ædes suas, & in hortis colunt.

Gummi. *Cataplasma.*

FRVCTVS ORBICVLARIS, CRASSI CORTICIS, TVBERCVLOSI, NIGRI COLORIS.

Cap. XCIV.

Descriptio

A Petro Gareto, inquit Clus. Exot. lib. 2. c. 14. missus fructus orbicularis propemodum, bi-

Digitized by Google

*

I

II

nas vncias longus, quatuor vnciarum eius ambitus, craſſo præditus cortice, inæquali, & multis tuberculis obſito, nigri extrinſecus coloris, intrinſecus ſubruſi, continens nucleum tenui cineracei coloris membranâ tectū, odoris non inſuauis, ſed violam quaſi referentis, & non ingrati ſaporis: craſſo pediculo ſubnixus fuiſſe videbatur, vt ex veſtigio, cui inhæſerat coniecturam faciebam. *Icon in tabula habetur ſupra* N. I.

FRVCTVS MVLTIFARIAM FISSVS

Cap. XCV.

Deſcript. INter fructus peregrinos, quos adferebat Gener Cherlerus rediens ex Anglia & Belgio erat fructus ferè orbicularis totus, niſi vtraque parte eſſet nonnihil compreſſus, finditur circiter in duodecim partes, quæ fungoſæ ſunt, ſaporis manifeſti nullius, ineſt internè oſſiculum durum quid autem cōtineat ignoramus, nōdū aperuimus, cortex totius fruct. exterior, tenuis fuſcus, & cinereus.

Sapor. Cortex

FRVCTVS IND. IVGLANDI SIMILIS, TVBEROSVS.

Cap. XCVI.



Deſcriptio IVglandē puluinato ſuo calyce etiamnum intectum æquat, perpetuis tuberculis, & longioribus iugis aſperatus, ex cinereo ruſſeſcens, cuius interuenia tenuis replet cortex fuſcus: infimapars vmbilicū habet ſeſſilem, oppoſita modice in conum faſtigiatur: durus eſt & grauis fructus. Illuſtriſſ. noſtro Principi a quo accepimus miſit D. Paludanus nomine Indici fructus peregrini.

FRVCTVS IND. OVALIS RVGOSVS.

Cap. XCVII.

Deſcriptio OVali eſt figura, vncias ferè duas altus, quinque in ambitu baſis colligens, in qua & pediculi veſtigium apparet cum circulo penè fuſco Superficie eſt aſperiuſcula, & veluti furfuroſa, punctulis albidis, cinereis, ferrugineis verſicolori: grauis eſt, & concuſſus reſonat, nucleum contentum teſtatus. D. Palud. Illuſtriſſimæ C. VVittemb. peregrini fructus Indici nomine miſit: Vidimus præterea Baſileæ apud D.D.F. Platerum ſub titulo Dactyli cum cortice, quod nomen eidem non conuenit. Similem fructum attulit Gener Cherlerus poſteaquam Londino rediiſſet 1606. ſine nomine, à Iacobo Gareto datum, vti exiſtimamus, eâ eſt magnitudine, quâ noſtra icon.

Cluſ. Exot. lib. 2. c. 25. videtur pingere & deſcribere his verbis. Exoticus fructus primus, ſeſcuncialis longitudinis, binas [fortè legendum quinas] latus vncias, aut amplior eius ambitus, duro, inæquali, rugoſóque cortice conſtans, fuſci coloris, grauidus, hoc eſt, alium fructum vel oſſiculum, ſiue pulpam continens: nam agitatus, ſtrepitum edebat: quid verò contineret, me latebat initio, quia, quum vnicus mihi eſſet, corrumpere nolebam: ſed alium ſimilem poſtea nactus, aperiebam, & nucleum continere deprehendebam, craſſum, euſdem cum ipſo fructu formæ, cauum intus & inanem, ſubſtantiâ tamen fuſcâ conſtantem, & ſapore quaſi vetuſtæ & rancidæ amygdalæ. Noſtra figura eleganter expreſſa nobis magis arridet, quàm Cluſii, quæ non correſpondet aliis multis in libris ſuis paſſim expreſſis.

Icon cum alia præcedenti capite habetur.

FRVCTVS EXOT. OBLONGVS, ANGVLOSVS CINERACEVS.

Cap. XCVIII.

FRuctus Exoticus alter, euſdem erat cum primo (modo dicto) longitudinis & craſſitudinis, non quidem in rotunditate oblongus, vt ille, ſed angulosus, cortice inæquali & valde fibroſo, ciner acei foris coloris, internè fuſci, leuis, aquę dum eâ mergebatur, innatans, nucleum cōtinens prorſus rugoſum [quia fortè ante maturitatem lectus] & ſubſtantiæ ruſeſcentis, adſtringentiſque ſaporis. Cluſ. Exot. lib. 2. c. 25. Deſcriptio

Icon habetur cum alia cap. 94. ſupra N. II.

FRVCTVS IND. ECHINATVS, SONORVS.

Cap. XCIX.

*



I



II

INter fructus peregrinos Ill. Principis, Ducis Wirtembergici pię memoriæ, erat fructus, magnitudinis circiter nucis moſchatæ, coloris cinerei, plurimis abundans tuberculis, obtuſis, deguſtatus videbatur aliquid aſtrictionis habere: pediculus craſſus, ligneus, quid contineat, nos latet: ſonorus eſt, non licuit aperire, quia Ill. Principiſſa ibi reſeruauit. Quidam Deſcriptio

dam vir doctus descripserit se putare *Stramoniam*, verùm ineptè.

FRVCTVS EXOT. STRAMONIÆ MODO TVBERCVLIS OBSITVS.

CAP. C.

Descriptio NAuigatione Iauanâ Batauì retulerunt, authore Clusio Exot.lib.2.cap.15. fructum sescuncialis longitudinis, vnciam latum, paulò enim planiore erat formâ, colore ex fusco subrubente. Totus tuberculis leuiter mucronatis obsitus, perinde fermè atque *Stramonia* fructus: nucleum autem continebat fuscâ quadam membranâ tectum, oblongiusculum, læuem, spadicei coloris, qui albescentem medullam continebat, sed duram, [quia sicca] & quodammodo insipidam. Huius eicon cum alia cap.præced. habetur.

FRVCTVS PEREGRINVS NOVEM NERVIS DISTINCTVS.

CAP. CI.

Descriptio NOn inelegans erat, referente Clusio. Exot. lib.10.cap.10. fructus, quem Cl. V. Paludanus mutuò dabat, cuius tamen nomen & ipse ignorabat, & illi à quibus acceperat. Erat verò orbicularis formæ, sex vncias in ambitu crassus, tres longus, ductâ à petiolo cui inhærebat, ad extremum fructum lineâ, hoc est, in toto illo ambitu sex vnciarum longitudinem explens. nouem neruis à summo ad pediculum semunciam penè longum ductis, distinctus, fusci vel spadicei quodammodo coloris, leuis, prægnans tamen, & nucleum vel pulpam reficcatam cum seminibus continens; quia agitatus, strepitum edebat.

FRVCTVS PEREGRINVS, ORBICVLARIS, NOVEM NERVIS DISTINCTVS, minor, cum ossiculo anguloso.

CAP. CII.

Descriptio FRuctus peregrinus, inquit Clusius: ære meo cum plerisque aliis exoticis redemptus erat quoque orbicularis formæ, nouem similiter neruis à summo ad petiolum distinctus, vt iam descriptus, minoribus tamen neque adeò eminentibus, longè etiam minor: nam trium duntaxat vnciarum quaquauersum erat eius ambitus, nec strepitum vllum edebat agitatus, quia maturitatem forsitan nondum adeptus, & leuis vt alter: hunc aperiebam, & in eo multam pulpam cortici adhærentem inueniebam, cum ossiculo valdè inæquali, & totidem angulis, quot fructus neruos habebat, ad summum corticem pertingentibus distinctum, cui sanè simile ossiculum nullum videre memini: qualem verò nucleum contineret, ignoro, quia confringere nolui.

FRVCTVS PEREGRINVS ORBICVLARIS, SENIS NERVIS DISTINCTVS.

CAP. CIII.

Descriptio FRuctus Clusio prorsus orbicularis figuræ, sed senis duntaxat neruis distinctus ab infimâ sede ad extremum vsque per longitudinem rectâ lineâ excurrentibus, sescunciam longus & crassus, fusci coloris, aliqua tamen ex parte cineracei, nucleum vel pulpam à cortice seiunctam, & liberam continens: leuis tamen erat, & aquâ mersus, innatabat. Hunc ex Guinea acceptum Paludanus etiam concedebat vt describerem, quo nomine appellaretur ignarus.

FRVCTVS PEREG. EXIGVVS, ORBICVLARIS CVM SEX NERVIS.

CAP. CIIII.

II

III

I



Descriptio FRuctus peregrinus quem Petrus Garetus misit Clusio, à quo pingitur & describitur Exot. lib.2.c.14. valdè exiguus & orbicularis penè formæ, vix semuncialis longitudinis, læui cortice præditus, & sex quasi neruis eminentioribus à pediculo ad summum caput æqualiter distante ferè spatio excurrentibus, distinctus, fusci coloris: quid verò contineret, me fugit, quia agitatus & commotus nullum strepitum edebat, & quia vnicus, confringere nolebam. Huius iconem exhibet in hac tabella numerus III.

FRVCTVS GVYANENSIS OVALIS, CINERACEVS.

CAP. CV.

Descriptio FRuctus peregrinus Clusio Exot.lib.2.c.6.anno 1598. Secundus ex Guyana delatus, valdè solidus & grauis erat, oualis formæ, penè binas vncias à pediculo ad extimum mucronem longus, tres cum semisse medii corporis ambitu complectens, corio denso, fibroso, cineracei ex fusco coloris, tectus, ambiente putamen crassum admodum, durum, & nigricans, quod nucleum continebat ferè orbicularem, durum, cineracei penè coloris. Figura est in præcedenti tabula sub num. I.

NVCLEVS EX GVYANA SPADICEI COLORIS MEMBRANA TECTVS.

CAP. CVI.

Descriptio TErtius ex Guyana fructus allatus, vt ait Clusius, quem Garetus mittebat, cuius icon, in præcedenti tabella, paulò longior erat ouali: nam duarum vnciarum longitudinem superabat, non adeò tamen crassus vt superior, & magis inæqualis, vt veriùs dici mereretur nucleus alicuius fructus quàm fructus, spadicei coloris membranâ

tectus qui haud dubiè aliquo fructu aut nuce fuerit inclusus, medullam siue pulpam continens albam, non ingrati saporis, licet vetustate contractior esset, & eius medullium in lacunam dehisceret. *Huius figuram exprimit tabula antecedens, sub numero* II.

FRVCTVS RETICVLATO CORIO, PEREGRINVS.

Cap. CVII.

Descriptio FRuctus Clus. Exot. lib. 2. cap. 11. Duro corio, & multis fibris retis in modum quodammodo inter se intertextis & duris contecto præditus erat hic fructus, foris quidem inæquali & rudi, intus verò læui & splendente, coloréque ad spadiceum tendente, tres vncias cum semisse longus, binas & ampliùs latus, supernâ in gibbum extuberãs, infernâ planus ferè, nucleum continens crassum, plenum, succulentum, & qui in naui, quà recens ex Guineâ aduectus fuerat, iam germinare inceperat, vt mihi referebat Parduinus, qui illum anno 1595. adquisierat: quique haud dubiè creuisset, si statim terræ commissus fuisset.

Toto porrò decennio antè similem accipiebam Viennæ Austriæ, à D. Richardo Garth. Londino missum, pro ossiculo magni cuiusdam fructus in *VVingandecaovv* siue Virginia nascentis, vt adscriptum erat. Eius pulpa licet solida, quia tamen vetusta, rugosa foris & fusci pænè coloris, internâ autem parte albicantis, & acris aliquantulùm saporis: nullum eius nomen neque tunc, neque postea intelligere potui. Similem præterea conspiciebam anno 1603. illúmque paulò ampliorem & magis planum, villos quibus tectus erat densos adhuc retinentem, partim crassiusculos & rudes, partim valde tenues & molles, omnes cineracei ex albo coloris.

FRVCTVS EXOT. BAMIÆ INSTAR ANGVLOSVS.

Cap. CVIII.

Descriptio FRuctus ex Iauana nauigatione per Batauos delatus, authore Clusio Exot. lib. 2. cap. 15. binas ferè vncias longus, vnam crassus, in quinque angulos distinctus, instar penè fructus Bamiæ, siue Alceæ Ægyptiacæ, durus, fusco colore (cui albedo permixta) præditus, solidus, hoc est, nullũ strepitum, quamuis agitaretur, edens, leuis, & in aqua non subsidens: & hic nullâ appellatione insignitus.

Huius iconem indicat in hac tab. num. I.



I



II

NVX TRIFIDA EXOTICA.

Cap. CIX.

FRuctus exoticus Clus. Exot. lib. 2. cap. 25. vncias pænè tres ambitu comprehendens, sphæricæ formæ, putamine costãs qualis nux iuglãs, firmo, fusci externâ parte coloris, internâ spadicei, qui in tres æquales partes diuidebatur, & internâ parte in 3. veluti concamerationes vel loculos separabatur, in quibus singularia grana, malorum vulgarium seminibus non valdè dissimilia. Descriptio

Cum superiori super numero II.

FRVCTVS EXOT. CINEREVS, CVM LINEIS ET TVBERCVLIS, DVRIS.

Cap. CX.

Descriptio

I

II

FRuctus exoticus, quem Clus. Exot. lib. 2. cap. 19. scribit sibi missum à Iac. Plateau, binas vncias cum semisse longus erat, quatuor in ambitu crassus, cineracei coloris, quem aliquo operimento tectũ fuisse arbitratur: in quinque partes diuidi posse, venæ per longitudinem ductæ indicabant: alioqui eminentibus aliquot tuberculis instar vesicularum, obsitus erat, quæ aperta, inanes & inæquales lacunas ostẽdebant spadicei coloris & splendentes, quasi semen aliquod continuissent: valdè durus autem erat is fructus, & astringente facultate præditus. *Fructum hunc denotat num.* I.

FRV

Digitized by Google

FRVCTVS MALO AVRANTIO RESICCATO SIMILIS, LEVIS, AVREI coloris, octo neruis distinctus.

Cap. CXI.

Descriptio

IAcobus Plateau, inquit Clusius, mittebat fructum exoticum, qui prorsus orbicularis erat formæ, quatuor enim vnciarum erat eius ambitus, siue à pediculo circumferentiam metireris, siue medio corpore, corio siue cute tectus coloris ex aureo flauescentis, vt exiguum aurantium malum resiccatum videretur, octo tamen neruos satis crassos à pediculo ad summum fructum omni ex latere ductos habebat [vt hac ratione inter exoticos fructus neruis distinctos, reponi posset] eorumque nonnullos geminos, alios quaternos simul iunctos, alios singulares: valdè autem leuis erat, quia resiccatus: breuiter omnes notas habebat mali aurantii, præter illam neruorum distinctionem. *Est hic fructus cum superiori sub numero II.*

FRVCTVS IND. ROTVNDVS, TVBERCVLIS ASPERATVS, NIGER.

Cap. CXII.

Descriptio



AN nux sit vel de Phasiolorum familia, pro certo adserere non possumus. Fructus Indicus est, aspectu non vsque adeò speciosus, circinatæ ferè rotunditatis, vncias duas penè latus, compressus, sed eò vsque vt vnciam mediâ crassitie æquet, præsertim parte gibbosiore: nam vtrinq; ceu gibbus quidam eminet. Cortice vestitur nigro, tuberculis quibusdam asperato, duro: supernè vmbilicatus, sub cortice tunica intermedia albicans substantiam internam nucleatam inuoluit, quam ritè considerare aut gustu decernere non fuit, quippe quem Ill. nostra Princip. VVirtemb. terræ committere constituerit, apud quam vidimus, descripsimus & figuram hanc sua magnitudine ferè depingi curauimus.

AMYGDALA GVIANENSIS, QVODAMMODO TRIANGVLA CVM TVBERCVLIS.

Cap. CXIII.

Descriptio

PEregrinus fructus scribente Clusio Exot. lib. 2. cap. 6. anno 1598. ex Guyana ad me mittebat Garetus, valdè crasso & duro putamine erat preditus, vt non immeritò nux appellari queat, infima enim parte ferè rectilinea erat, & depres-

*

sior, binas vncias longa, deinde ab eius lineæ duobus extremis in orbem ita assurgebat, vt semicirculum efformaret quinque penè vnciarum, quâ parte longè densior erat, & magis tumebat, multis tuberculis per vniuersum corpus sparsis, coloris ex rubescente spadicei. Ea in binas partes secta [qualem eam accipiebam] magnū nucleum continere deprehendebatur, eiusdem cum nuce figuræ, pelle siue membranâ opertum rufâ, sed interiore parte candidissimum, atque in binas partes separatum, instar amygdalæ, cui etiam similem saporem habebat: qua de causâ non ineptè forsitan *Amygdala Guyanensis*, siue *Guyanica* dici possit.

FRVCTVS EXOTICVS DVOBVS ANGVLIS DISTINCTVS.

Cap. CXIV.

Descriptio

INter fructus per Batauos ex Iauana nauigatione erat authore Clusio Exot. lib. 2. cap. 15. nonus vnciam longus, minùs vnciâ latus, cortice denso constans, cineracei coloris, duobus angulis distinctus, & extimâ parte mucronatus, leuis, & in aqua haud subsidens, tametsi eâ mergeretur, durus tamen erat, & agitatus strepitum non edebat.

FRVCTVS HEPATICVS INDICVS.

Cap. CXV.

Descriptio

RAriorum fructuum ex Indiæ Guinea nouè importatorum hic vnus, Lutetiâ nobis missit insignis Botanicus Regius Robinus cum hac inscriptione. *Fructus quo Indiani vtuntur in obstructionibus Hepatis.* Cuius an quisquam hactenus meminerit, nondum nobis constat. Figura sanè hepati quodammodo respondet. Est enim altera parte gibba seu conuexa, altera sinuata & concaua, figura oblonga, magnitudo Castaneæ maioris, eique concolor, hoc est, spadiceus, sed ad pullum accedens: Superficie tenus inæqualis, rugosus, nihil corticosi habet, eademque ferè substantia interna. An alio cortice fuerit comprehensus, nobis incertum. Biualuis est, aut geminus potiùs, sulco tamen satis insigni in ambitu cohærentiam designante: nec multa vi diuiduus. Substantia tota glandulosa, Quernea glandis siccatæ, durior, præter leuem quandam quam præbet adstrictionem, nullo nec gustu nec odore insigni. Placuit curiosiùs describere propter nouitatem & facultatis pollicitationem.

Digitized by Google

FRVCTVS IND. DECVSSATVS.

Cap. CXVI.

Descriptio



OVilli renis formam habet, tanquam ex pluribus partibus coagmétatus, castaneæ magnitud. & colore, oblongus, crassiusculus, parum cõpressus, interdum magis orbiculatus, pastillum terræ sigillatæ (qualis in Officinis ferè ostendi & haberi solet) forma & magnitudine adæquans, quē vna quidem parte duo sulci decussati in quatuor partes suis radiis diuidunt: Opposita verò parte, sigmoides sulcus duplex conformem porcam ambiens, artificiosè exaratus, inter cuius cornua triplex eminentia germinis sedet. Vnde habuerimus pulcherrimum hunc fructum Indicum non recordamur. Binos etiamnum inter Indica nostra monumenta seruamus. Figura vtramque faciem haud imperitè ostendit.

Hunc eundem fructum à Iacobo Gareto depictum exhibet, ni multum fallimur, Clus. Exot. lib. 2. cap. 16. addita hac descriptione. Elegans sextus fructus & veluti ex quatuor Auellanis simul connexis constans, læuibus, spadicei coloris, qui alio operimento tectus fuisse videbatur: nam inter intersticia, quibus singulæ nuces ab inuicem separatæ, restabant adhuc membranaceæ cuiusdam fuscæ cutis partes, quâ tecti fuerant. Constabant porrò singulæ istæ auellanæ putamine spadicei, vt dixi, coloris, firmo quidem sed non valde denso, in quo nucleus continebatur crassus, durus, foris subrufus, internâ parte candicans, nec ingrati saporis.

FRVCTVS ATER, QVATVOR SVLCIS DISTINCTVS.

Cap. CXVII.

Descriptio

PRorsus ater erat xi. fructus à Iacobo Gareto missus læuisque & splendens, quatuor sulcis supernè distinctus (tanquam in quatuor partes diuisus esset) quorũ bini ad partis aduersæ vmbilicum vsque ducti: planus alioqui, & orbicularis penè formæ, vnciâ paulò minor, supernâ parte aliquantulùm tumescens, & quasi puluinatus, nisi quâ parte sulci deprimebant: aduersa pars vestigium retinebat fuscum, quo fructui siue cortici, qui tegebat, firmiter inhæsisse videbatur, quale in castaneâ equina conspicere est, verùm non adeò amplum: durum autem & solidum deprehédebam, adeò vt etiam limam quodammodo respueret: eam ob causam, quem nucleum contineat, mihi incompertum. Huius mentionem facit Clus. Exot. l. 2. cap. 16. *Formam huius fructûs depingit numerus I.*



FRVCTVS ORBICVLARIS FERE, CVM TRIBVS SVLCIS ET TRIBUS FORAMINIBUS.

Cap. CXVIII.

Descriptio

FRuctus quem misit Iacobus Garetus, formam orbicularem habebat, inquit Clus. Exot. lib. 2. cap. 16. paulò tamen planior erat, superna & sessili parte, vnciam latus, solidus, nec vllum strepitum dum agitaretur, edens: cineracei coloris, tribus canaliculis siue sulcis distinctus à summo vsque ad tria formina, quæ in lateribus obtinebat, tribus aliis minoribus summâ parte præditus. *Ideam huius demonstrat tabula præcedentis num.* II.

FRVCTVS ORBICVLARIS FERE FORMÆ, FVSCI COLORIS.

Cap. CXIX.

Descriptio

FRuctus peregrinus quartus à Petro Gareto missus, [Clus. Exot. lib. 2. c. 14.] orbicularis formæ, vncialis magnitudinis, læuis, fusci coloris, breui quidem subnixus pediculo, sed cortice satis duro, tametsi non valde crasso præditus, qui apertus [nam in binas partes diuidi posse ex signis apparebat] quatuor grana nigra continere deprehendebatur semunciam lata & longa, cordis humani formam quodammodo referentia, sed magis plana, binis duris membranis, ut in nuce iuglande, illa separantibus. *Exprimitur hac figura sub numero* III. *in praced. tab.*

NVX ORBICVLARIS, CINERACEI COLORIS.

Cap. CXX.

Descriptio

FRuctus (seu veriùs Nux) à Petro Gareto miss⁹, orbicularis formæ, variæ tamen magnitudinis (plures enim conspiciebam,) quorum nonnulli ternas, aliqui binas duntaxat vncias ambitu comprehendebant: omnes duro sed non crasso præditi cortice, cineracei foris coloris, & qui alio operimento tecti fuisse videbantur: interna nucis pars fusca & splendens, atque nonnulla ex parte (quâ videlicet

Digitized by Google

*

videlicet nuclei, quem continebat, fastigium tegebat) fungosâ materiâ plena: nucleus autem inferiore parte crassior erat, deinde in metã quodammodo assurgebat, & in nutantem mucronem desinebat, coloris exterius subpuniceі, substantiâ satis molli & interiore parte flauescente præditus, iniucundi odoris & valdè ingrati saporis, vt non mirer, eos qui edissent, malè affectos fuisse, quemadmodum mihi referebant qui obseruauerant. Cæterùm qualis arbor esset quæ hunc fructum protulisset, cuiusve formæ fuissent eius folia, intelligere non potui. *Hæc refert Clus. Exot. l. 3. c. 14.*

FRVCTVS PLANVS, RVGOSVS, NIGER, SEMINA CONTINENS.

Cap. CXXI.

Descriptio

*

OStendebat mihi, inquit Clus. Exot. lib. 2. c. 13. anno 1602. honestus vir Emanuel Zvveert, exoticum fructum, quem à Nautis peregrè redeuntibus redemerat, qui planus erat, tres vncias longus, paulò plus quàm duas latus, semũciam crassus, totus rugosus & ater, denso duroque putamine constans, sine cortice, & semina continens, vt strepitu, quem agitatus faciebat, deprehendere poteram: alio integumento haud dubiè tectus fuerat, nam alterius fructus ossiculum, siue nucem esse apparebat. Verùm enimverò qui mihi commodabat, nihil certi affirmare poterat.

NVX ORBICVLARIS PEREGRINA, GLABRA, SPADICEA.

Cap. CXXII.

Descriptio

NVx hæc Clusii, lib. 2. cap. 13. orbicularis penè formæ, paulò tamen longioris: nam illius ambitus, sumptâ vtrinque per longitudinem mensurâ, quinque vncias cum semisse continebat, vix autem quinque vnciarum erat circumfe-



*

rentia: infernâ parte nonnihil mucronatâ, supernâ verò obtusiore, duro & satis glabro putamine constãs, spadicei coloris, & nucleum continens, vt ex agitatæ strepitu cõiecturam facere poteram: alio verò inuolucro tectum fuisse certum est: quale porrò id fuerit, aut quali in arbore nata hæc nux, intelligere nequiui.

NVCIS AMYGDALINÆ PENE FORMÂ fructus, rugosus, subrufi ex fusco coloris, vnâ parte planus.

Cap. CXXIII.

Descriptio



*

ACcepit Clusius Exotic. lib. 2. cap. 14. à Petro Gareto, Fructum siue nucem [nam alio operimento tectus fuisse videbatur, qui binas vncias cum semisse longus erat, sescunciam latus, aut paulò amplior, amygdalinâ penè formâ, rugosus, dorso aliquantulùm subleuato, supinâ parte planâ, & infimâ latiore, quàm ea quæ à pediculo pependerat, subrufi ex fusco coloris, non valdè grauis, licet densissimo corio constans, vt quod semuncialis ferè esset crassitudinis, multisque fibris obliquè & transuersim sese secantibus contextum, & adeò durum, vt aperire nequiuerim ad conspiciendum quid contineret, nisi cultro magnâ vi cum malleo adacto: geminum autem & oblongum nucleum continere deprehendebam nigrâ membranâ septum, internâ quidem parte albicantem, dulcisque, vt amygdala, saporis, nisi iam rancidіtatem ob vetustatem contraxisset.

FRVCTVS INFERNA PARTE PLANVS, membranâ spadicei coloris tectus.

Cap. CXXIV.

Descriptio

FRuctus alter peregrinus, quem accepit à Petro Gareto Clus. Exot. lib. 2. cap 14. erat longitudinis fructûs prædicti, qui nucis amygdalinæ formâ, minùs tamen crassus, inferna parte pla-

Digitized by Google

nus, supernâ in gibbum assurgens, infimâ parte quâ pediculo adhæserat, latior quàm extimâ, quæ in obtusum mucronem desiisse videbatur: membrana autem dura & splendens, spadiceique coloris, fuscum corticem tegebat, continentem nucleum siue pulpam quandam cineracei ex albo coloris, quæ ore aliquantulùm retenta, in farinaceam materiam resoluebatur quadam acrimoniâ præditâ.



*

FRVCTVS OSSICVLA TERNA, AVT QVATERNA SIMVL IVNCTA, cortice non valdè duro, rugoso, cineraceique coloris.

CAP. CXXV.

Descriptio

FRuctus inquit Clus. Exot. lib. 2. c. 14. à Petro Gareto acceptus, siue vt veriùs dicam, fructûs ossiculû (terna enim aut quaterna simul coniunctim nata fuisse videbantur alio quodam fructu inclusa) binas vncias longum erat, totidē latum, mediâ parte, tumente & sese attollente planis & compressis lateribus: quæ fidem faciebant, bina ad minimùm alia adiuncta fuisse, cortice non valdè duro præditum, externâ parte rugosum & scabrû, cineraceique coloris, internâ autem læue & candidum: magnum nucleum continens prorsus implentem corticem, solidum quidem, non tamen durum, tenui membranâ tectum: ipsa autem interna materia siue pulpa, nucis vnguentariæ penè odorem habebat, sed acriusculum saporem, an ob vetustatem, ignoro.



*

BACCÆ CVIVSDAM PRÆGRANDIS OSSICVLVM.

CAP. CXXVI.

Descriptio

FRuctus à Paludano concessus, inquit Clus. Exot. lib. 2. cap. 20. baccæ cuiusdam prægrandis ossiculum, ipsi quidem & mihi ignotæ, videbatur: sed quod formâ Oliuę ossiculum vtcunque referret, longè tamen maius, vt pote sescuncialis lōgitudinis, vncialis verò latitudinis, rugosum, solidum: nucleum in se continens, vt ex agitati strepitu coniecturam facere licebat.

FRVCTVS OLIVÆ OSSICVLVM REferens, rugosum, cum tribus lineis.

CAP. CXXVII.

Descript.

AVthore Clusio Exot. lib. 2. Fructus sextus concessus à Paludano, vnciam crassus erat, sescunciam ferè longus, forma etiam oliuæ ossiculum quodammodo referens, maior tamen, rugosus, & veluti frequentissimis tuberculis obsitus, tribus neruis secundum longitudinem distinctus, extremâ alterâ parte obtusâ, alterâ verò mucronatâ, satis grauis, & nucleum aut tale quidpiam continens, vt ex agitatione coniiciebam: in aquam iniectus, non mergebatur.

AVRANTII FORMA, COLORIS cineracei fructus, strepitum edens.

CAP. CXXVIII.

Descriptio

FRuctus communicatus à Paludano, vt ait Clus. Exot. lib. 2. cap. 20. prorsus orbicularis erat, vtrique nostrum ignotus, parui mali, siue aurantii formâ, quatuor aut quinque vncias ambitu continens, leuis, coloris ferè cineracei, solidus & durus, pulpam aut nucleum iam resiccatum continens, quoniam commotus strepitum edebat.

DATVRÆ SEMINE FRVCTVS.

CAP. CXXIX.

Descriptio

CLus. Exot. lib. 2. cap. 20. scribit fructum sibi concessum à Paludano, orbicularis ferè etiā formæ, qui tenui veluti membranâ constaret, breui petiolo præditus, penè cineracei coloris, intùs inanis, nisi quędam rugosa granula continuisset, iis quæ in Solano manico maiore conspiciuntur non valdè absimilia, inhærebat autem sarmentis quibusdam, vitis viniferæ sarmenta referentibus.

NVCLEVS NVCIS QVODAMMODO conuolutus.

CAP. CXXX.

Descriptio

ANnotatum à Clusio Exot. lib. 2. cap. 20. Paludanum concessisse fructum in orbem quodammodo conuolutum, nucleum veriùs, quàm fructum, qui putamine aut nuce aliqua conclusus fuisse videbatur, solidus tamen & fusci exteriùs coloris, internè albus: non ingrati quidem saporis, sed acidiusculi, quem tamen vermiculi albi, iis non dissimiles qui in Ponticis siue auellanis nucibus generantur, sed minores, valde appetebant, & breui tempore totum erodebant.

BARV-

Digitized by Google

BARVCE FRVCTVS E PLVRIBVS NVCIBVS, ARBORIS HVRÆ.

CAP. CXXXI.

Descript. VValichius Syvertz anno 1599. redemerat de Nautis ex America reducibus, inquit Cluſ. Exot.lib.2.cap.21. fructum *Barucæ* appellatum, qui erat admirabilis formæ, & in Guyana naſci ferebatur ſatis celſa arbore, *Hura* nuncupata. E multis autem veluti nucibus vncialis magnitudinis mirabili modo ſimul iunctis & connexis conſtabat, quæ in bina lignoſa duraque putamina dehiſcebant, & orbicularem planumq; nucleum continebant cineracea membrana tectum. Eum verò fructum tot nucibus ſimul iunctis, & veluti in vnum caput coactis interdum creſcere intelligebam, vt tanquam orbicularem clauam, geminum pugnum craſſitudine æquantem, & in multos angulos deſinentem referre videtur. Huius fructus nucleo, incolas vti dicebant, ad corpus vomitu & alui deiectione purgandum.



VVARICORAMORI, RVGOSÆ GLANDI SIMILIS FRVCTVS.

CAP. CXXXII.

Deſcriptio EMptus fructus à VValichio Syvvertz de Nautis reducibus ex America, vt ait Cluſ. Exot.lib. 2.cap.21. cui adſcriptum erat ſecundum flumen *Arrivvari* creſcere, ad quam tamen rem vtilis eſſet, ignorari. Binos autem ſimiles accipiebam, eiuſdem quidem formæ, ſed magnitudine differentes: nam vnus binas ferè vncias longus erat, alter vncialem longitudinem non ſuperabat, vterque tereti & rugoſæ glandi ſimilis, adſtrictoriæ facultatis, qui alio cortice ſiue putamine tectus fuiſſe videbatur.

ARARA FRVCTVS AMERICANVS.

CAP. CXXXIII.

Deſcriptio ARara fructus emptus, inquit Cluſius, In Kajana creſcere, in arboréne an humiliore planta, non erat adſcriptum. Erat verò vncialis longitudinis, cute veriùs quàm putamine conſtans, ſatis durâ tamen, nigráque, longiore pediculo & inæquali nitens, vt plures flores inhæſiſſe viderentur. Incolæ eius confracti & in aqua elixi decocto, maligna vlcera lauant, ad ea curandum: aiebant etiam vtilem ad aluum emolliendam, quod de nucleo intelligendum arbitror, quo carebat fructus à VValichio acceptus, ſed alium paulò poſt ad me mittebat Iacobus Garetus magis integrum, continentem nigrum nucleum ſylueſtris oliuæ magnitudine. Habetur hæc figura ſub numero I.

OSSICVLVM FRVCTVS ORBICVLARE, aliquantulùm mucronatum tuberculis obtuſum, fuſcum.

CAP. CXXXIV.

Deſcriptio COmmunicabat VVilhelmus Parduynus Cluſ. Exot.l.2.c.22. oſſiculum fructûs veriùs quàm fructum, quod erat vncialis longitudinis, orbiculari penè formâ præditum, [niſi, quâ parte fructus ipſe quo continebatur, è pediculo pependerat & extimâ, quæ aliquantulùm mucronata] trium ferè vnciarum ambitu, fuſci coloris durum, & perpetuis tuberculis obſitum [quæ pictor non expreſſit] in quo tamen apparent veluti triangularis formæ veſtigia in vtraque extremitate, ſolidum, graue, aquæ tamen innatans, nec ſidens, etiamſi eò mergatur. E Guinea allatum ſignificabat. Eſt cum præcedenti numero ſcilicet II.

CVNANE, FRVCTVS ARBORIS MORREMOR, LONGVS, VEL OVALIS, FERE NIGER.

CAP. CXXXV.

Deſcriptio VValichius Syvertz Amſtelredami anno 1599. de Nautis ex America reducibus redemit authore Cluſio Exot. lib. 2.cap.21. fructum *Cunane* vocatum, binas vncias lõgum: vnciâ ſummo capite latus, deinde paulatim ad infimum vſque gracilior fiebat, dorſo paulò elatiore læuis, niger & ſplendens, tribus foraminibus ſummo capite præditus, vno supernè binis infernè. Illum in puſilla arbore naſci ferebant, cui nomen *Morremor*: immaturus



autem erat: sed plenam maturitatem adeptum, duplo maiorem afferebant: cúmque supra prunas tostum, manducari ab incolis aduersus capitis dolores. *Hunc fructum indicat numerus I.*

CVNANE, NVCI SIMILIS, CINEREI COLORIS.

Cap. CXXXVI.

Descriptio FRuctus, quem communicabat Wilhelmus Parduyous, inquit Clus. Exot. lib. 2. cap. 22. erat longitudinis duarum vnciarum cum semisse: qua parte autem latissimus, vncialis aut paulò amplior latitudo, forma nonnihil conuexa, dorsū elatum & assurgens, arctius caput, infima pars in mucronem desinens, cineraceus color, crassiores eminentioréque nerui à summo capite ad infimam partem per dorsum excurrentes tantâ arte expressi, vt humanâ industriâ sculptos quis arbitrari potuisset: alio autem cortice tectum verisimile est, qui assidua à fluctibus marinis in littore volutatione attritus fuerit: constabant verò illi nerui ex fibrosa materia, quemadmodum infima pars nonnihil attrita fidem faciebat. Ad nucis porrò Cunane formam valdè accedebat, exceptâ illâ neruorum eminentiâ, tum etiam colore, qui in Cunane prorsus alter erat. *Hac icon ostenditur in præcedenti tabula numero* II.

FRVCTVS PLANVS SVBPVRPVREVS, nucleo impensè amaro.

Cap. CXXXVII.

Descriptio

FRuctus nobis à Iac. Gareto datus, inquit Clusius Exot. lib. 2. cap. 16. planus erat & circino ductæ ferè rotunditatis, quem non singularem, sed plures simul connexos alio fructu inclusos fuisse arbitror: nam alii aliis quasi incubuissent vestigia in nonnullis adhuc apparebāt. Erat verò crasso quidem, sed fungoso cortice præditus, subpurpurascentis coloris, leuis, sescunciam latus, nucleum continens planum, candicantem, impensè amarum: nullum nomen erat adscriptum, vt nec aliis plerisque quos mittebat.

FRVCTVS EXOT. INÆQVALIS, fusci coloris.

Cap. CXXXVIII.

Descriptio IAcobus Garetus, vt Clus. testatur Exot. lib. 2. c. 16. mittebat fructum durum, densóque cortice præditum, eoque inæquali & fusci coloris, interne leuiore & quodammodo cineraceo, mediâ eius parte fibrosâ & firmâ, nucleū autem continebat auellanę suo putamine inclusæ magnitudine, graué, durum, rugosum (quia resiccat᷑) in binas partes diuisum, fissidum, interiore parte albicantem, in quo nullum manifestū saporem deprehēdere poterā, quia omnis vis ob vetustatem fortè euanuerat.

FRVCTVS TOTVS NIGER, BINIS FORAminibus insignitus.

Cap. CXXXIX.

Descript. FRuctus à Iac. Gareto missus Clus. vt apud eum videre est, Exot. lib. 2. cap. 16. vncia maior erat, circiter vnciam latus, totus niger & satis læuis, anteriore parte binis foraminibus insignitus, posteriore vestigium retinēs, quo vel petiolo inhæserat, vel suo loco, si aliquo lobo inclusus fuerat: an nucleum contineret, ignoro: agitatus enim nullum strepitum edebat, & in aquam cōiectus non mergebatur. E Brasilia allatus ferebatur.

ANACARDIVM. Cap. CXL.

Descrip. ANacardio fructui nomen dedisse creditur forma auiculæ cordis æmula, compressa, vnciam longo, aliquando maiori, in obtusum mucronem desinenti, ex pediculo rugoso totam basin occupante appenso, colore nigro, aut fusco splendenti: externo hoc cortice ex altero nucleum immediatè ambiente clauditur

tur liquor glutinosus, seu melligo nigricans, cui alii vim causticam, Cordus saporem primùm dulcem, mox acrem, deinde vehementissimè adstringentem, adeò vt fauces in angustiam constringat & strangulationis periculo respirationem detineat, adscribit. Nos in inueteratis, quæ habemus, vt substantiam diuersam concretæ melliginis splendido nigrore bitumen Iudaicum referentis & porosæ, inuenimus, ita & saporem penitùs exoleuisse, & nihil quàm fatuam dulcedinem linguæ offerri, nucleum verò in membranæ nigricantis tenuitatem exaruisse, quem Cordus planum candidumque prodit. Obseruauimus & gemella, aut certè per medium diuisa, cuiusmodi curauimus vnum depingendum, & alium cum crasso pediculo, tertium apertum.

Balader Serapioni est Anacardus fructus arboris similis Cordi auis, cuius color est rubeus, cordi penè concolor, in quo continetur substantia quædam sanguinis æmula. Auicenna *Anacardum* similem ossi Tamarindorum facit: medullamque eius similem medullæ Amygdalæ dulcis, nec in ea vllum esse nocumentum: cortice raro, perforato, vel habente foramina, [sic interpres ait] hoc est, vt nos interpretamur, intus cauo, vt patet in sequentibus: nam addit in cuius raritate (cauitate) est mel viscosum, odoratum. Sunt qui cum Nuce masticent, absque vlla noxa.

Anacardi, & Anacardum montanum Rhazæ. Inde confectio quam ab Anacardi cuiusdam arboris Indicæ [vt ille ait] fructu Anacardinum appellant: & Anacardorum succus, qui ob similem melli consistentiam mel Anacardinum dicitur. Eorundem & Mesues meminit, vt dicetur in viribus ἀνακάρδιον Medicis recentioribus, sicut legimus apud Paulum in quadam compositione, & apud Actuar. in antidoto aureo Alexandri & in Dianacardo vocato.

Anacardus, Pediculus Elephantis ab imperitis perperàm dicitur, teste Pandect. At Platearius, Anacardi, inquit, sunt fructus in India nascentes: quidam dicunt, quòd sint pediculi Elephantis, quod falsum est. Et tamen hortus sanitatis quoque Pediculum Elephantis vocat, in quo icon exhibetur: cuius plantæ sit, nos latet: saltem Anacardum non exprimit.

Ruell. & Matth. apertè dicunt veteribus Græcis incognitum, quemadmodum & Rheginus, cui Anacardus dicitur in masculino. Anguil. optimè descriptum ait à Serap. ἀνακάρδιον Frischlino in Nomenclat. Hertzbaum. Anacardium siue Anacardus, Germ. Anacardien, Elephanten aut Helffanten lauß. *Abollader* in Onom. phil. Toxiti. Lacuna Anacardos inter Nuces refert. Garcias Anacardio nomen, inquit, indiderunt recentiores Græci [nam Veteribus ignotum fuit] à cordis tum similitudine, tum colore, Arabum vestigia secuti, quibus *Balador*, Indis verò quoq; *Bybo* dicitur.

Vult autem Clusius legi *Beledhar*, ac notat Garciam sic scribens. An Anacardum habet aliquid simile cum Beledhar? an verò Beledhar habet cordis significationem? vtroque modo acceperis, vtrumque falsum.

Lusitanis Faua Malaqua, quòd viridis & in arbore pendens similis sit nostrati maiori Fabæ. Quod confirmans Acosta, Anacardium, ait, fructus Fabæ vulgaris admodum similis dum adhuc viret, & recens est: exsiccatus verò niger & splendens: continet medullam Amygdalæ similem, inter quam & supremum corticem oleum admodum vrens inuenitur. Miramur verò neque Garciam neque Costam arborem Anacardiorum descripsisse.

Cæsalpinus verò noua prodit opinione, quando ait: Ab Anacardo non abhorrent conditiones traditæ Perseæ: nam similis est Myxis rubentibus, vt Plin. testatur: depressus autem est Amygdalæ modo, cui Theoph. comparat. Præterea venenum continet: licet alicubi innoxiè comedatur. *Hac ille.*

Illis quæ Veteres scripsêre de Persea, lib. præcedenti relatis, Lector Anacardos conferre potest, potiss. cum verbis Theoph. quæ & ab ipso Cæsalp. citantur. Nucem intus habet Persea, vt Prunus, longè minorem & molliorem: carnem vehementer dulcem, suauem, concoctu facilem: nec si comedatur, quicquam nocet. Anacardum verò non esse fructum similem Pruno nec Nucem, qualis est in Pruno, & ex pediculo Anacardis interdum adhærente satis patet, & ex tota adeò facie & constitutione fructus. Præterea Anacardos nullam supra se habere carnem, qualem Pruna, neque habuisse nostros, man. festum esse putamus, & vel semestri Pharmacopœo constare possit.

Serapio scribit deferri ex Sim, & nasci in Siciliæ montibus ignis. Paludanus etiam testatur se virides ex arbore pendulos in Siciliæ monte Aethna vidisse. Monachi quoque tradunt è Sicilia optimos adferri Anacardos: & Curtius non in Siciliæ tantùm montibus, sed & in Apulia prouenire inquit. Cordus verò adferri ex transmarinis partibus ad nos in Europam. Magna, inquit Garcias, [vt & Linschottanus nauigationis suæ cap. 81.) eius est in Cananor copia, tum in Calecut, reliquisque Indiæ Prouinciis, mihi cognitis, velut in Cambaia & Decan. Et Acosta magnam refert esse copiam in Malabar & reliquis Indiæ regionibus, quod præter hos & Platearius, & Ruell. Gorrhæus, Rob. Const. & Curtius tradunt: hic speciatim etiam è Syria adferri.

Deligenda nigerrima, ponderosissima, candidum recentem nucleum & copiosiorem ac fluidiorem liquorem habentia, vt suadet Cordus, qui plurimis annis durare ait, antequam vetustate corrumpantur. Rhasa præcipit ea [vasa] quibus conseruantur, semper infrigidanda & humectanda esse.

Anacardi, tradente Rhaza, calidissimi sunt, frigidis ægritudinibus & obliuioni auxilium ferentes: sanguinis tamen generant adustionem, ac fortassis ad amentiam perducunt. Iidem hausti acutos morbos creant. Confectio verò Anacardina dicta est theriaca Paralysis & Torturæ & Apoplexiæ. Baladar seu Anacardus ex Aben Mesuai apud Serap. calidus est in quarto gradu, & confert vitiatis sensibus, memoriæ, & omnibus ægritudinibus cerebri factis à frigiditate & humiditate, & neruis resolutis. Idem ex Galeno citat drach. eius dimidium sumptum conferre memoriæ, sed meliùs & efficaciùs eius partem internam, delere verrucas, & exulcerare cutem. Ex Abegerig citat, vehementer calidum esse, commouere *alguesgues* & *baras* & lepram, & apostemata, præsertim iuuenibus & cholericis, & fortè etiam interficere. Quapropter iis non exhibendos. Prodesse tamen Paralyticis, & ad eam procliuibus. Anacardium, Auicen. authore calidum & siccum est in quarto recessu. Eius melligo exulcerat, inflammat, sanguinem & humores adurit. Verrucas delet & leucen, alopecias implet à pituita ortas, neruorum refrictionibus & resolutionibus confert, memoriæ abolitæ aut imminutæ succurrit, præsertim

confectio ab Anacardis denominata, mentem tamen mouet. Hæmorrhoides immodicè fluentes suffitu exiccat. Denique veneni non est expers, quin aduriendo humores occidit, cui occurritur *mad.* vaccino (fortè lacte) & oleo nucis. *Venenosus.*

Rhaza aduersus Anacardos in principio butyrum coctum & crudum, & oleum sesaminum, donec fuctio & mordicatio, si quæ sentiatur in faucibus ac ventriculo, cesset, danda præcipit, postea verò aquam hordei & lac vaccinum acidum in potu, & oleum violaceum olfactu præbendum. Caput quoque epithematis, qualia c. de algue leque præscripsit, muniendum. Sed & Psyllii mucilago cum sirupo aliquo conueniente aut succo Granatorum in potu dari potest. Nuces verò proprietate quadam iis resistunt, eodem teste. Menes fecit. Anacardino speciatim his vires tribuit. Ventris totius inferioris & cerebri affectus frigidos compescit, sanguinem reddit puriorem, & inde spiritu animali reddito purgatiore & tenuiore sensus omnes apprehensioné, intellectum & memoriam iuuat, colorémque viuidum corpori tribuit. Compositionem vide apud eundem. Sed quod sextum demum mensem dandum consulit ad drachmi cum aq. Fœnic. &, Apii: quo sumpto, vitandum laborem, iram, coitum, ebrietatem. Ideo autem post sextum mensem dare iubet, quod tum vis ferè eius maligna, vt censet Syluius, expirauerit seruando antè namque vis est periculosum. Apud Actuar. quoque antidotum diaanacardion habes, ad vertiginosos, comitiales, difficulter spirantes, & ileosos: menses pellit, incipientem hydropem & cachexiam sanat. Paratur vt Mel Anacardinum dictum, cui incocti sunt Anacardi recentes & relicti. Vsu frequens est, in compositionibus, vt passim videre est apud Practicos. *Hæc Veteres.*

Elect. Anacardini vires.

Dosis Cautio.

Antidotus Dianacardion eiusque vires.

Mel Anacardinum.

Temperā. Anacardi Matthæo calfaciunt & exiccāt tertio excessu: præstat in medicina liquor, etsi myropolæ cōmuni errore & cortice & nucleo vtantur. Porta Neapol. Anacardia noxia dicit, & deleteria non vacare facultate, quibus remedium sit oleum ex eorum nucleis expressum. Garcias Serap. reprehendit, quod Gal. citat, tanquam huius fructus meminerit, [cùm tamen illi planè fuerit incognitus, vt ille ait,] quódque deleteriam habere facultatem scribit, cui tamen experientia refragetur, siquidem in Indiis è lactis sero maceratum asthmaticis dari, & aduersus lumbricos. Præterea iis viridibus (addit) & sale cōditis vtimur in cibariis, oliuarum conditarum modo. Fructu verò siccato caustici vice vtuntur in strumis: totáque India huius cum calce misti vsus est ad pannos obsignādos. Auicē. dem taxat, quòd inter venena retulerit, quæ deleteriæ sint facultatis. Nulla enim præditum esse venenosa facultate, ostensum: causticam verò vim non nisi in siccato esse. Nonnulli, infit idem, calidum & siccum constituunt in quarto, alii in tertio, nemo tamen mihi satisfacit, quādoquidem in virente clarum est deesse hunc excalfacientem & exsiccantem excessum: neque rationi consentaneum videtur in eo caliditatis & siccitatis gradu constituere quo est Piper, nisi fortè quod in Sicilia nascitur sit ea facultate præditum.

Myropolarum error. Porta. Serap. not.

Non Venenatis. Asthma.

Lumbrici. cibus.

Causticum Strumis. Ad obsignandos pannos. Auic. not. Controuersia de temperam.

Eiusdem fructus facultates Acosta persequitur in hunc modū. Ego sanè vidi hunc fructum viridū, & per multos dies sale & aqua conditum Oliuarum Hispanicarum modo venalem in foro proponi, & edi non solùm quidem, sed excitandæ appetentiæ causa coctæ orizæ admisceri, vti solent fructum Mangas vocatum, aliósque fructus astringentes & acidos, alios minimè. Nonnulli in desiccato extimum corticem demūt, omnemque membranam, qua medulla tegitur, deinde medullam edunt ad bibendi appetitum irritandum. Illud porrò certissimum, oleum id quod inter corticem & nucleū continetur, admodum causticum esse & venenosum. Totâ tamen prouinciâ Malabar, illius vsus est caustici vice. Si quis instillet in putridum & cauum dentem, vrit, frangitque, & corrumpit facilè. Calce addita ad bombycinos pannos obsignandos, & alias res quaslibet notandas vtuntur: etenim notam adeò firmiter imprimit, vt nulla lotione eximi queat. Solent interdum Indi nonnulli hunc fructum cuspidi cultelli infixum candelæ ardenti imponere, qui, dum vritur, mirum quos strepitus edat, quas ignis scintillas quasi fulmina eiiciat diuersorum colorum, eáque ratione rudioribus quibusdam & mulierculis imponunt, illis persuadentes, se in iis scintillis & flammæ radiis spiritus conspicere qui ipsis loquantur, & edoceāt quodcunque scire cupiant. Tali igitur commento miseros fallunt, persuadentque quod volunt, dantes responsa iis, qui ipsos consulunt, pro suo arbitrio. Vt verò omnes isti Gentiles, augures, incantatores, & diuinatores rarò loquuntur, & cum mora ponderéque respondent, in suis responsis semper sunt ambigui, & adeò astuti, vt quomodocunque res, de qua consulti sunt, cadat, sua existimatione minimè periclitentur, dicántque se euentum prædixisse.

Condita. Cibus. Mangas.

Pyrus illicitum. Oleum causticum.

Cauus dens.

Sigillum.

Pulchra obseruatio.

Indorum impostura.

CAIOVS.

CAP. L.

CAioi nomine innotuit fructus peregrinus (*hic cum præcedenti pictus.*) Castaneæ maiori par, forma renum, altera parte gibbosus, opposita lacunam impressam habens, quà pediculi auulsi vestigium apparet crassior, infima parte tenuior, cortice autem tegitur cinereo, duobus maculis magis albicantibus vtrinque lacunam dictam obsidentibus. Præter hunc corticem alius nucleum complectitur pallidum, eâ formâ quâ & totus est fructus, succulentum, sapore Amygdalæ dulcis, substantia molliori: inter duos cortices, qui culmi ferè latitudine inuicem absunt, tophaceis cauernulis coërcetur melligo crassiuscula & læta, sæpè cerasorum colore & consistentia, sapore primùm adstringente, mox insigni acrimonia linguam vellicante, seruata tamen adstrictione. *Descriptio.* *Melligo. Sapor.*

Theueto depingitur & describitur arbor ipsa, folio Piri, acutiore paulò, mucrone subrubente: cortice item nonnihil rubente, satis amaro, materie molliuscula: fructum ferre pugni magnitudine, oui anserini forma, cuius fini Nux quædam Castaneæ æqualis adnascatur, renis leporini forma. In eius tamen figura accessariæ nuculæ connexum alium ostendit, quàm ipsius consideratio doceat: siquidem, vt mox diximus, pediculus quo primario fructui connectitur, non in tenuiori, sed crassiore latioréque parte conspicitur, quod etiam meliùs demonstratur per figuram Linschotani, qui hæc tradit de *Caiou.*

Arboris descriptio Theueti. Folia. Fructus.

Theueti not.

Arbor in India ad Mali fructus formam fert Piri magnitudine, flauo colore, posteriore parte acuta, & anteriore crassa, molli tractu sunt maturi, & contraria planè forma Pomis crescunt. Cùm enim Poma pediculo in crassiori parte arbori adhæreant, hi fructus (quos *Caiones* vocant) ibidem Castaneam ostendunt, magnitudine pollicis prioris articuli, alio sanè & diuerso à castaneis *(aqua* colore.

Alia descriptio.

Caiou.

colore. Saporem quoque gratiorem habent, verùm assari debent. Introrsum albescunt vt castaneæ Europæ, putamine tamen crassiore, cui cœruleus color ac luridus est. *Catones* ipsi ea parte quæ anterior est pomo, caulem habent insitum arbori.

Gesnerus. Gesn. epistolâ ad Adolphum Occonem: Fructus reni similis quodammodo, figura & magnitudine leporinum renem referens. Anacardiis vocatis congener, vt inde ἀνακάρδιον ἰνδικὸν appellatione nominari possit. *Anacardium. Anagyris Indica.* Qui namque Ἀνάγυριν Ἰνδικὴν vocitant, minimè mihi placent. Longè autem magis errant, qui ἐλαιάγνον seu Oliuellam aut Fabam Aegyptiam appellitant. *Oliuella. Faba Aegyptia.* Indigenæ quidem Indi, Canibales maximè & Anthropophagi arborem *Acaiou* & *Caiou* nuncupant: fructum verò Recentiorum quidam κάστανον βρασιλιανὸν, id est, *castaneam bresilianam*. *Castanea bresiliana.*

Castanea. Rondel. in praxi sua, quam mihi mea transscripsi Monspelii [ait Bauh.] Castaneæ, inquit, quæ adferuntur ex India, quæ formam renis habent, ita vt videantur esse species quædam Anacardi, fructus ligni quod vulgò dicitur *Bresil*. Sed fallitur Rondel. *Anacardi. Rondel. not.* Theuetus enim aliique Indicarum regionum αὐτόπται Scriptores, Brasilium ab hac arbore separant: Theuetus speciatim quoque Brasilium ait fructu carere.

Nucis genus. Clus. apud Garciam, Nucis genus vocat è Brasilianorum regione, incolis Caious dictum, cuius arbor magna, fructum ferens oui anserini forma &c. quo vtuntur Brasiliani, [licet Theuetus contra asserat] in extremo fructu prominet Nux quædam renis leporini forma &c. *Theuet. not.* Idem apud Acostam: mirari satis nequeo, Acostam non describere Nucem quæ in extremo fructu Caious nascitur. *Costa not. Nux.* Caious pronuntiandum potiùs, quàm Caius. Acosta notat *Catu* vulgò appellari fructum. *Caiu.* Theueto Arbor Acaious. Depingunt arborem Theuetus & Linschottanus, nec figuræ admodum differunt, sed huius tamen concinnior, quia ære exsculpta, quemadmodum & Bryfratrum. *Caious. Anacardos.* Caious Clus. Hist. Lugd. Cast. Dur. Caiones Paludan. qui omnes testantur quoddam Anacardiorum genus existimare. Sed Hist. Lugdun. Caious & alio loco denuò de eo tradit sub titulo Acaiou. *Hist. Lugd. not. Acaiou. Taber. not.* Et Taber. Caioum audacter Elephantenlauß German. vocat, quod nomen & Anacardis quidam tribuunt, vt dictum cap. præcedente quasi ipsi certò constaret ad Anacardos esse referendum. Et Cat. Francof. Caiou apertè Anacardium Brasilianum vocat. *Lerius.* Lerius Brasilianam arborem dicit elatam Vlmorum modo, cuius fructus à siluestribus Aca-iou dicatur, crassitudine & figura oui gallinæ, per maturitatem Cydonio magis flauo, non tantùm eduli, sed succo etiam acido suaui, orique ita grato vt nihil suprà, habetque vim refrigerandi. *Acaiou.* Difficulter propter altitudinem arborum decuti, nec sibi fuisset licitum, nisi Similæ caudatæ, quæ eius esu delectantur copiosè deiecissent. *Dubium.* Cæterùm in huius historia hoc nobis obscurum videtur, quod Lerius & Acosta non meminerint Nucis à nobis depictæ, Theuetus verò non bene appingat. Præterea si quis ritè consideret Nucem nostram, est quod dubitet, an alteri fructui vnquam adhæserit, Vestigium, vbi pependisse creditur, nescio quid aliud demonstrat: & potiùs tuberculum dicas à natura factum, quàm pediculi aut adhæsionis vestigium: Perpendendum igitur, an idem nomen non tribuatur duobus diuersarum arborum fructibus. *Locus.* In Canibalum Prouincia, vber est arborum Acaious prouentus, Theuet. per Indiam copiosi, eodem *Tempus.* tempore quo Mangæ maturescunt. Linschott. E Brasilianorum regione Vlysipponem adferuntur, Clus. Adseruamus & nos aliquot fructus, & vnum inter hos speciosissimum ab Ecc. Herc. Saxonia Profess. Med. apud Patauinos celeberrimo cum aliis multis exoticis ad nos missum. Paludanus ait: Orientalis Indiæ proprii non videntur fuisse: verùm eò ex Brasilia allatos volunt.

Vires & Vsus. Saporem gratiorem habent quàm castaneæ siquæ, verùm assari debent. Crudas nemo securè ore aperiet, quòd continuò cutem abradant, magno dolore eorum qui ignari temerè eas referant. *Cautio.* Ideò cultro aperiuntur, aut igne vtuntur vt manducari possint. Guttur autem peculiari natura cùm deglutiuntur stringunt, gustu acido & succulento. In orbes ideò scinduntur, adiunctâ aquâ, siue vino, saleque iniecto: quibus modis adstringendi illa facultas mitigatur, palato ita gratissimi. *Vt palato grati fiant.* Mangis tamen Ananisque cedunt, viliores enim sunt: Linschott. Sunt qui ex fructu potum quendam conficiant, quanquam per se minimè suaui gustu, sapore Sorbi mediæ maturitatis. *Potus.* Nuculæ accessoriæ nucleus non ingratum quoque præbet cibum leuiter tostus. *Nucleus. Nucleus.* Ex melligine, quam cortices gemini claudunt, copiosius oleum possent incolæ elicere, quàm nos è Iuglandibus. *Oleum.* Nullus apud Cannibales ligni vsus, præterquam ad fouendum ignem, vt quibus aliorum non magna suppetat copia. *Lignum.* Theuet. Clusius quoque testatur nucleo leuiter tosto incolas vesci, gratiorem ita esse, & Venerem stimulare. *Ad Venerem.* Acaiou oleo nihil præstantius esse ferunt ad Lichenes & impetigines tollendas. *Ad Lichenes. Impetigo.* Incolæ etiam aduersus scabiem vtuntur.

AHOVAI, FRVCTVS VENENATVS.

CAP. CXLII.



Descriptio. AHouai fructum nobis donauit Lutetiæ Io. Robinus stirpium exoticarũ cultor propemodum singularis. Is triquetræ figuræ deltoïdes est, mediocris castaneæ magnitudine, duobus cornibus compressioribus, cæteroqui turgidus, coloris raui, superficie aliquantùm inæquali: ac inter duo inferiora cornua rimam agit ad intima penetrantem: à summo apice, in quo foraminulum peruium, quatuor ducuntur sulci, in totidem quadrantes fructum diuidentes, qui conquassa nucleum inesse testatur.

Arboris descriptio. Arbori, inquit Theuetus altitudo Piri, folium verò duos tresvè pollices longum, duos latum, æterni viroris: cortex albicat: rami vulnerati succum lacteum manant: odorem autem spirant amputati insigniter fœtidum, quare siluestres isti nullo modo vtuntur, ne ad ignē quidem fouēdū. *Succus lacteus. Fœtor.*

Hasuuay. Appellatur autem *Abouai* & *Hasuuay*: Vtroque enim modo scriptum habet. De eadem Lerius sic scribit. Arbor in Brasilia syluestribus hominibus *Aouai.* dicta *Aouai* tanti fœtoris & ita Allia redolens, vt cùm scinditur aut igni admouetur, odor tolerari non possit, foliis Pomis nostris ferè similibus: fructus quodammodo similis tribulo aquatico, nucleo summè venenato.

Lib. 4. trademus plantam nomine Aspalathi, cuius lignum grauiter quoque olet. Potuisset hic tradi, nisi nominis affinitas & similitudo quædam cum Aspalatho ibi describi postulasset. Nescimus tamen cuius arboris sit lignum.

Goropius se eiusmodi ligna ex Atlantico orbe allata subolfecisse testatus, humanum stercus naribus repræsentasse perhibet. Hist. Lugd. binis locis de eadem icones nomine Arboris fructu perniciosa *Hasuuay* Theueti. 2. titulo *Abouai* & *Abouay* The-*Hist. Lugd. mar.* ueti ex Clus. ac vtriusque figuram proponit. *Abouai* Theueti nomine & Clus. & Lob. & Tabern. habent.

Vires & Vsus. Ahouay porrò fructum fert venenatum, vt dictum, & pernecabilem, veréque deleterium: talis autem potissimùm est nucleus, quo exempto syluestres putaminibus tintinnabulorum loco vtuntur, quæ cruribus circumdata nihilo remissiùs sonant quàm campanulæ nostrates. Tantùm verò abest, vt ii peregrinis fructus istos recentes donent, vt suis etiam liberis tactu interdicant, priusquam exemptus fuerit nucleus. *Theuetus.*

NVCVLA QVÆDAM FALSO HIGVERO ET AHOVAI PVTATA.

Cap. CXLIII.

Descriptio. Fructus quê Higuero nomine accepimus Phaseoli vulgaris est magnitudine, nihilque aliud quàm putamen quoddam, læuissimum, nitidissimum, coloris spadicei obscurioris, intrinsecus striatum, russum: gibbus foramine exiguo pertusus: sima pars tota patet, vt lembum mentiatur. Collisu mutuo tinnulum sonum reddunt. Foraminula arguunt ex



funiculo traiecto pependisse. Dono accepimus à D. Casp. Bauh. & pluscula vidimus apud D. Fel. Platerum.

Clus. ad Garciam in edit. 4. Ahouai Theueti vocat. Olim verò sine nomine & descriptione posita erat figura. Quod deinde Ahouai Theueti nomine propositæ sint, existimamus Typographi errore id factum.

Lob. & Hist. Lugd. Hist. Lugd. Fructum Higuero vocat ex Clusio. Lob. idem dicit. Atqui Clus. non vocat hunc fructum Higuero, quod adhuc quidem obseruauerimus, sed relinquit innominatum. Higuero longè alius est fructus: quæ ratio quòd maiori cautela Taber. Higuero fortè suspicatus sit, non definitè statuerit.

NVX PEREGR. OCVLATA, COMPRESSA

Cap. CXLIV.

Maior est Nuce vomica Offic. dicta, quæ hirsuta est: hæc verò circumscriptione haud ita rotunda, sed per ambitum nonnihil sinuata, altera parte in gibbum exuberante, altera compressa. Color cinereus vel in russum declinans. Gibbus per decliuia ordine positos habet ocellos quinque impressos: compressa pars scrobiculos habet insculptos, in vmbilico quidem vnum, vnde & petiolus videtur prodire: in marginibus autem multi incerto numero. Ocellis respondent totidem locelli distincti, in quorum vnoquoque se-*Descriptio.* men vnicum, Pomorum aut Pirorum seminibus simile, sed habitius, substantia pingui, oleosa, sapore Auellanæ: circumiecta omnis substantia lapideæ est duritiei. *Semen.*

An Serap. *Leum alkei*, vel *albe*, id est, (vt reddit interpres) Nux vomica. Habix: Vomitum vehementer mouet, vel per se, vel cum aliis trita cum modico salis, quod facilitat vomitum. Dosis drach. j. Abraam apud eundem: Est nux, inquit, colore inter glaucum & album medio, Auellana paulò maior, in qua sunt nodi, cuius corticis drach. j. trita & cribrata, sumpta cum duobus aureis Anethi triti aut semine Fœniculi, addito melle, sicque mixta cum aqua calida vomitum cient, & humores cholericos eiiciunt simul ac phlegmaticos, atque adeò alii quoque superfluitates per interna subducunt. Non ausimus pro certo asserere Nucem nostram oculatam hic depictam esse Vomicam Serapionis, quia vires ignotæ nobis sunt. Quod scribit in ea nodos esse, respondere videtur. Bellun. in Arab. nom. interpret. Illa Nux ait, quam Veneti Nucem *Metel* vocant & quæ reperitur inter Nuces moschatas, non habet spinas quas ei tribuit Auic. eadémque Nux, quæ importatur ex India, ignoratur à Physicis Orientalibus quid sit, & ab Italis connumeratur inter stupefactiua, Mauritani Nuces memorant, quas Vomicas & Metellas vocant. Sed tam Officinæ quàm medicorum vulgus has magno errore confundunt, quòd plerumque legitimas vomicas, Metellorum loco vsurpant, & contrà *Metellas* nonnunquam *Vomicarum* vice. Metellas vocant, quæ nonnihil exuberantes, quibusdam nodis, veluti paruis oculis, per ambitum sunt refertæ: at eorum lapsus facilè deprehendi potest Serapionis testimonio quæ sunt legitimæ Vomicæ Serapionis. Hæc Matthiol. qui tamen in postr. com. Lat. & Ital. non scribit esse legitimas Serap. Vomicas, sed in silentio

Nux vomica. Vires. *Nux.* *Nux Metel.* *Error Offic. & medicorum.* *Metella vulgo.* *Matth. not.*

tio præterit, ac potiùs negare videtur, adeò sibi ipsi constare didicit in suis scriptis.

Nux vomica vera, & Pharmacopolis malè Nux metella, Lacun. Nux vomica vera: *Metella* offic. Germ. *frǣenauglin*/Lonic. Nux vomica Serapionis, & Metella Seplasiariorum, Amat. Quidam volunt, inquit Anguil. Nucem *metel*, vulgarem esse vomicam: verisimilius est Metel commune esse Metel verum, quàm vomicam. At nobis, vt iam diximus, nostra Nux oculata meliùs respondere videtur Nuci vomicæ Serap. quàm eiusdem Methel, si ritè considerentur quæ Serapio scripsit. Nux methella Offic. Hist. Lugd. Fructus pereg. 6. Taber. Et rursus fructus pereg. 6. Clus. eidem Histor. Lugd. qui de eadem Nuce duobus diuersis locis agit, non sine oscitantia.

Nux metella. Nux vomica. Metel. Vulgaris vomica. Metel verum. Methel.

Clus. qui peregrinum 6. facit sic describit. Nuce vomica maior est, planus idem atque similis coloris, nempe cinereus, superna parte paulò eminentior, & in ambitu quodammodo sinuosus, infima verò, quinque grana inter se disiuncta, & veluti ipsi impressa ostendens, Mespilorum Setaniorum ossiculis non valdè absimilia, quæ exempta, satis alta lacunarum vestigia relinquunt. Totus lignea duritie præditus est.

Hist. Lugd. me. Descriptio Clus.

Cæterùm de vomicarum Serapionis facultatibus priùs diximus: qui nullam vim lethalem eis tribuit, sed tantùm vnius aut duarum drach. pondere cum Anethi decocto ac sale mirificè per superna, nihilominus quoque per inferna, humores biliosos pituitososque educere.

Vires & vsus.

NVX MECHIL SERAP.

Cap. CXLV.

Descriptio

DE hac ita scribit Serapio, *Leum Alrachaha*, id est, *Nux mechil*. Haamet eben Dauid, ex Arabis cuiusdam relatione dixit Rachahe esse arborem magnam sicut Nux, foliis amplis Ficus magnæ, fructu Malogranati parui nascente ad foliorum exortum, in modum Ficuum, pediculo incuruo, ob fructus pondus & magnitudinem. Neque nominandum esse Iumauzen, id est, Ficus Pharaonis, quòd non sit Ficus, sed Rachaha. Se verò idem tradit in Oriente plures vidisse, Ficubus similes, cute densa, sapore dulci, suaues, odoratos, ideóque hominibus & pastoribus potissimùm expetitos. Anninebeten apud eundem Serap. vult esse Nucem vomicam. Sed differunt nimirum inter se Rachaha & Nux vomica: *Hæc Serap.*

Arboris descriptio. Iumauzen & Ficus Pharaonis. Rachaha. Nux vomica.

De eadem Monachi in Mesuen ita tradunt. Serapioni nux Mechil, siue Mochil (diuersa à nuce Methel) est quædam planta magna quæ in Syria copiosè nascitur, speciatim in deserto Iesu Christi, vbi nimirum 40. dies & noctes ieiunauit. Similis penè est in omnibus nuci Methel dictæ: sed fructus eius non est spinosus, & à pastoribus comeditur, vt plures fratres nostri ordinis retulerunt nobis: quæ planta videbatur eis esse species Solatri, quam plantam adhuc nonnulli ex Mauritanis Mochil vocant, & alii aliter vulgò nominant. *Sic illi.* Enimuero sanè, vt quod res est fateamur liberè, nec Serapionem neque Monachos rectè intelligimus. Et multùm est, si ipsimet seipsos intellexerunt. Quæ Monachi tradunt de nuce Methel, licebit videre capite de Strammonea. Scribit Bellon. Tatulam siue Solanum somniferum prouenire circa Hiericho, quod notandum propter ea quæ Monachi dicunt de Solatro: Verùm Tatula spinosa est.

Nux mochil. Solatrum. Solanum somniferũ.

NVX HENDEN ARABVM.

Cap. CXLVI.

NVcis nomen facit vt plantam nobis incognitam tradamus ex Arabum sententia, de quibus Lectoribus & nobis cum tempore iudicandum. *Ieum henden*, inquit Serap. dicitur *Nux henden*, vel *Nux handen*. Rasis: dicitur *Adeps terræ*, & *Petra terræ*. Idem in Zaraui tradit, esse Tuber, ex quo fiat vinum cum melle. Isaac eben amram *Ieuz handen* sunt tubera granata, sicut cicera alba, colore in glaucum vergente. Adfertur de Barcha, & de Corascen, estque illud cum quo viuificatur mel, & nominatur Tuber. Salomon eben hahasen: Nux henden in Perside, est Tuber mellis, quod viuificat ipsum mel. Adfertur de Keruen, & vomitum ciet. Paulus: Ex sententia Galeni est sicca, modicè refrigerans, tollens impetigines, restinguens calorem, & fluxum sanguinis comprimens. Liber de talsamethi. Hæc in Barbaria vulgato nomine dicitur Nux columbarum, & in Damasco Nux handen: de quibus vnum cange proiicitur in libras x. mellis: & in lib. j. minùs tertia aquæ calidæ, & agitatur bene, postea cooperiatur vas. Ita vinum fit, quo Barbari vtuntur. Alchanzi: Impinguat & sperma auget. Mesarugiæ idem ait, & modicè calidum dicit. Arabari verò & hæc tradit, & præterea addit libidinem excitare ad coitum, stuporemque dentium tollere. Rasis in libro aggregato: calidam & humidam dicit, & prohibere appetitum luti [an Picam?] *Hactenus ex Serap.*

Ieum henden. Nux handen. Adeps terræ. Tuber. Locus. Vires & vsus. Impetigo. Nux columbarum. Vinum.

Audiamus & Auic. *Bux kenden* [vel *Kuzi kenden* Bellun.] id est, Nux henden, est res leuis, sicut *Asne* lutea: in Rakia vocatur stercus columbarum: in Bagaded, Nux handen: vel vt quidam scribunt Genden. Melior inter eas est Barbarica: sed Rakia inefficacior. Calida & humida est, in primo excessu: sunt qui tradant leuiter refrigerare, de quo nondum satis constat. Exiccat & extinguit: quidam dicunt incidere sanguinem. Fit ex iis vinum: Huius vini descriptionem tradit, vt & similis Serapio, scribitque vterque id & impinguare & vomitum ciere. Quod si hoc aliquid ad declarationem obscuræ huius Nucis historiæ facere queat, sciat lector *Asne* multis dici Muscum. Qualem igitur Muscum intelligat Auic. vt incompertum nobis, curiosioribus subtilioribusque considerandum relinquimus.

Asne lutea. Stercus columbarum. Nux genden. Electio. Temperã. Vinum ad Venerem. Impinguãs. Asne.

Quæ sequuntur ex alio Auic. loco, nempe lib. 2. tr. 2. c. 503. hanc historiam reddunt obscuriorem, scribit enim Nux hendem, est terra glutinosa, sicut cicer, alba, declinans ad citrinitatem, quę defertur ex Barcha & Corasceni, ex qua cum melle fit vinum. Paulus dicit habere virtutem refrigerandi, extinguendi, & exsiccandi parumper: Fluxum sanguinis inhibere: impinguare. Sanare impetigines, excitare coitum. Bellunensis ad marginem Auic. addit: Gianzi hendem totum hoc caput à Serapione accepit.

Terra glutinosa. Gianzi.

NVX VOMICA VVLGO OFFIC. COMPRESSA, HIRSVTA.

Cap. CXLVII.

SEplasiis vulgò Nux vomica nominata, orbiculata, nummo aureo quem scutatum vocant, æqualis, subinde minor, compressa, calamum

Descript.



scriptorium vix crassa, tenera, & tactu molli superficie villum holosericeũ imitata, coloris ex cæsio cinerei, & vario lucis obiectu renidente, vmbilico vtrinque medium occupante, sed altera facie expressiore. Villus derasus comminuto Amianto similis quodammodo vel Cordo etiam teste. Fissa in geminas abit ceu crustas, duritie ferè cornea, colore ex fuluo cãdicante, sapore insigniter amaro. Ipsa substantia tritu & contusu contumax, adeò solida lentaque est, nec nisi probè siccata frustula, & ea quidem ne vix ac ne vix quidem contundi, seu in puluerem redigi apta. Cùm in duos orbiculos finduntur, vterque in orbis circumferentia exiguum foramen habet, quo continetur, vt annotat Cordus, germinaturæ, & ex semine hoc sato exituræ plantæ rudimentum: exiguo pediculo, & veluti paruo Tiliagineo aut Hederaceo, venoso, duplicique folio constans, tam exquisita perfectaque figura, vt cum veri folii consummata forma de perfectione certet: eius vnica tantùm pars, hoc est pediculus, prædicto foramine vel cauerna continetur, foliola verò duplicis fructus commissurâ clauduntur. Reperitur, sed raruis, formâ oblongâ. Vomica dicta quod vomitũ ciere credatur, & soleat.

Varietas. *Etymon.*

Nux vomica Offic.

Hæc itaque est *Nux vomica* quâ hodie vtuntur officinæ, & qua se vsum officinasque suo tempore testatur Cordus.

Castanea vomica vel Indica.

Nux vomica, inquiunt Monachi, quæ & Castanea vomica vel Indica dicitur, tenetur esse illa, quæ defertur ex Orientalibus plagis, quę est velut placenta, denarii magnitudine, albicans, depressa & incurua. Non contrariante quòd legatur in Serapione, esse maiorem Auellana, & quod in ea sint nodi. Nec etiam obstante quod in ipso Serap. & Auic. cap. de Nuce methel dicatur, esse similem Nuci vomicæ, cùm expresè videatur contrarium: forsan quòd vel vterque textus sit malè translatus, vel quòd ipsi intelligendi sint de virtutum seu proprietatum operationúmq; similitudine: alioqui in aliis qualitatibus in iis omnia vera comperiuntur.

Nux methel.

Fuchs. not. Tithym. Myrsin.

Fuchsius Tithymalum Myrsinitem, cuius fructus Caryites [vt ille ait] dictus, esse qui Nucem vomicam, Germ. Kronäglin vocatam putent, tradit, nec refutat aut improbat, Quamuis reuera eorum opinio qui Nucem hoc cap. à nobis depictam atque descriptam Myrsinitis fructum putant, tam sit absurda, vt aliam refutationem nõ mereatur quàm lectionem vtriusque descriptionis ab intelligente factam, in quo fortè aliquo pacto Fuchsius excusari possit, qui eandem hanc nostram Nucem Vomitoriam nuncupat.

Nux vomitoria.

Ryff. quoque testatur quibusdam Tithym. Myrsinitis fructum censeri. Sed quibus?

Easdem Nuces, vti refert Matthiol. memorant Mauritani quas vomicas & Metellas vocant. Sed tam Officinę quàm Medicorum vulgus has magno errore confundunt, quòd plerunque legitimas vomicas Metellorum loco vsurpent, & contrà Metellas nonnunquam Vomicarum vice [vt & cap. de Nuce oculata monuimus.] Nam Vomicas quidem eas appellant errore ducti, quæ Lupinorum instar compressæ sunt. Serapioni Nux metella arboris fructus est Mandragoræ, hirsuto cortice. Quas vomicas nuncupant, corticem hirsutum habent, facultatibus, non autem notis (vt quidam falsò existimant Serapion. intellexisse,) Mandragoræ fructus referunt.

Medicorũ & Offic. error.

Idem in post. com. Lat. & Ital. nunc primùm intelligere scribit se in censendis Mauritanorum Nucibus Vomicis & Metellis in errore versatum esse. Credidisse enim nuces quas Vomicas seplasiæ vocant genuinas esse Metellas, nec id sine adstipulantibus indiciis. Nucem Vomicam quidem genuinam non esse Auic. & Serap. Itaque hanc caninam non vomicam posthac appellare licere, quòd canes deuorata, parua temporis morâ interimat.

Matt. mutat sententiam.

Nux canina.

Sed Matthioli seuerus ille censor Guiland. iam priùs hanc opinionem priorem in suo Theone exploserat: Nucem vomicam (inquiens) falsò Matthiol. Metellam contra Bellunensis sententiã decernit. Auctores habeo Ebenbithar, Auic. Haesen & cæteros Mauritaniæ Scriptores. Qua censura coactus & ipsemet tandem suam opinionem retractauit.

Matt. not.

Lacuna eandem pingit nomine Nucis metellæ, addicit Pharmacopœos errare qui Vomicas vocent.

At Amatus, Matthiol. imitatus ait, Nucem metel, quæ vulgaris sit Vomica, similem dici Mandragoræ semine & virtute, non figura.

Nux metella vera Vomica Offic. Krãenäuglin, Lonic.

Nux metella vera.

Aliquid noui importat Anguil. Non existimo, inquit, Nucem vomicam communem, Vomicam esse nec Methel: non respondet notæ Methel intellexi à D. Io. Verelli Materrano Apuliensi, Nucem vomicam vulgarem radicem esse foliis rotundis ac serpere: id si verum, certum nostram Vomicam, cùm sit radix & non fructus, non veram Methel. Quidam volunt [addit idem] Nucem vomicam vulgarem esse Metel veram: quod, vt verùm sit, oportet secundum Auic. in ea contineri semen simile Citro aut Mandragoræ, quod non reperitur in ea.

Nux opinio.

Nux Vomicam radix.

Nux metel, autore Cæsalp. vulgò & Fungus Orientalis appellatur osseum quiddam compressum, & circulare instar Fungi abiecto pediculo: aliud integro circulo, aliud deficiente vt Luna: in centro apex quidam, in labro seminis medulla continetur, ob paruitatem inuisibilis, vt in Dactylorum ossibus, quasi ab eis differat tantùm: quia in Dactylis extrema ossis vtrinque replicata sunt media quadam rimula constituta: in Nuce metella eadem sunt explicata & aperta, vnde circularis figura. Est autem id lanugine tenui obductum & candicante: vtuntur eo solùm pro veneno ad canes interficiendos puluere insperso carnibus: idem pisces & aues obstupefacit. Putarunt quidam hanc esse Nucem vomicam Serap. quæ describitur maior Auellana & nodosa, cuius corticibus pro medicamento vomitorio, non pro veneno vtebantur: minor etiam fuerit quæ Nux metel apud eundem & Auic. traditur, fructui Mandragoræ similis, cortice scabro, licet ea obstupefaciens sit venenum, sed apud Plin. videtur inter Palmæ fructus poni, cùm inquit, quibusdam osseum

Fungus Orient. Differentia.

Palma fructus.

osseum continetur lunatumque, dente contra fascinationes religione politum.

Amatus not. Acosta Amato succenset, quòd, vt ille putat, existimarit nucem Vomicam & Metellam idem esse, nec describat plantam, quodq; referat quæ Serap. dixit de Metella, quæ non sint diuersa ab opinione eorum, qui existimant nucem Metellam esse Strammoniam. Sed respondemus Acostæ, Amatum satis demonstrasse, se non Strammoniam intelligere per nucem Metellam: dicit enim esse planam vtraque parte, quid minus Strammoniæ fructui, quid melius competit Metellæ? *Acosta notatur & excusatur Amatus.*

Tabern. ait, se proponere duo genera Nucis vomicæ Brẽchnaugen, vt figuræ demonstrant. 1. genus Apothecariis dicta *Nux vomica*, verùm esse Nucem metellam: nam Nucem vomicam esse Serap. &c. Sed is, quicunque tandem fuerit, qui in lucem emisit partem tertiam Hist. Tabern. cùm alibi passim, tum etiam hoc loco summam ignorantiam suam in re herbaria prodidit: & cur in figuris dicit poni duo genera Nucum, quum sint quinque figuræ vnius eiusdemque fructus: præterea quem pingit, non conuenit cum Metel. Fructus quem vocat Nucem vomicam Serapionis est in historiæ eius alio loco inter fructus peregrinos numero vi. *Compilator Hist. Taber. not.*

Vires & vsus. Porrò Nuces vomicæ vulgò nuncupatæ, si Matth. credimus, oleosæ, & gustui non ingratæ facultatibus, non autem notis [vt quidam falsò existimant Serap. scribentem de nuce Metella intellexisse] Mandragoræ fructus referunt, cùm authore Serap. quarto refrigerent excessu, ita vt drach. ii. pondere esitatæ interimant, minore verò mensura temulentiam faciant. Quos quidem effectus præstare videmus non modò in canibus, sed etiam in hominibus, quibus hæ datæ fuerint, quas vomicas esse contendunt. Verùm iam antea ostendimus Matthiolum mutata sententia non existimasse ampliùs nucem Vomicam vulgarem esse nucem Methel. *Quorundã error.*

Matth. not. Illud notandum præterea, nos nucem Vomicam vulgarem, de qua hoc loco agimus non oleosam, & gustui non ingratam, vt Matth. scribit, sed substantia corneam, & gustu peramaram cùm aliis multis non deprehendisse, vt & lingua & oculi Matth. fefellisse videantur, quando de earum qualitatibus decreuit.

Nux Vomica narcotica. Cæterùm nucem Vomicam Narcoticam esse, & vel opio deteriorem, de quo priùs dubitabat Gesnerus, tandem facto experimento certiùs cognouit hac ratione. Drach. semis exhibitam, canis cum carne cruda deuorauit, post horæ quadrantem obdormiit, & inter dormiendum modò caput mouebat, ac si conuelleretur, modò tibias anteriores, modò posteriores, tandem post horas quatuor extinctus est. Tum rursus alteri etiam cani tantundem huius nucis similiter dedit, & pòst horas ferè tres, cùm grauia symptomata ipsum iam inuasissent, Antidoti Saxonicæ Morbani drach. sem. cum carne exhibuit, quod remedium cùm deuorasset, sanatus est, & nihil mali passus est, etsi non euomuerit, fortè quòd tardiùs antidotus data fuerit. Cani aliquando bene magno atque robusto, Anatomiæ, in gratiam studiosorum, deficiente humano subiecto, destinato, integram exhibuimus cum caseo: sed ea die ex illa nihil mali passus, sequenti tamẽ die somno oppressum interfecerunt studiosi, impatienter moram Anatomicæ inspectionis ferentes. Alia vice, dissecta & leuiter in minutiora quædam frustula vna & semis data cum caseo masticato, paucis horis interfecit canem, sed prædicto multò minorem. Ne autem pereant nucis Vomicæ veneno canes, auricula eorum vulneranda [vbi iam gestus & saltus miros insanientium edunt] ita vt sanguis exeat, aut etiam pars eius amputanda. *Experimentum.* *Aliud.* *Tertium.* *Penultimũ remedium.*

Pestis. Electuarium de ouo, quod tantopere deprædicant aduersus Pestem, nucem Vomicam recipit: Quàm bene atque prudenter, docti sal: & circumspecti Medici iudicabunt. Gesnerus tamen dubitat adhuc, vt ipsemet fatetur in epist. quadam, an vi refrigerandi in quarto excessu polleat, sicut, aiunt. Adolphus Occo in sua Pharm. testatur Iulium Alexand. ad se scripsisse Nucem vomicam ablegandam esse, nec ad compositionis illius vsum admittendam, quippe aduersaturam semper naturæ humanæ, nec quicquam tamen interea vnquam commodi allaturam: quæ doctissimi viri sententia nobis perplacet: nec quenquam hactenus vidimus qui suo experimento aliquid laude dignum illorum vsu profecisse prodiderit.

CORDIS FIGVRA NVX, PLANA, CINERACEI COLORIS.

Cap. CXLVIII.

Descriptio Ostendebat mihi, inquit Clus. Exot. l. 2. cap. 26. Ornatissimus Vir Christianus Porretus, quandam Nucem planam, cineracei coloris, formam cordis, vt pingi solet, referentem, & quibusdam locis tumescentem, eamque adeò lento cortice constantem, vt maxima cum difficultate aperire possem, ad obseruandum quid contineret: reperiebam autem sub eo album corticem, non minùs lentum superiore, subflaui coloris, tegentem nucleum candicantem, falsi saporis, inuolutum rufescente membrana.

NVCVLA TAPHET HERC. SAXONIÆ.

Cap. CXLIX.

Descriptio Taphet nomine ab insigni viro & Med. Herc. Saxonia missa Nucula, amplitudine sua vnguem medii digiti æquat. Sessilis est modicè, in gibbum hæmisphæricum penè elata, ita vt per medium sectum globum ferè repræsentet. Cortice munita est duro, cinereo, perinde atque Nux hirsuta, Vomica Offic. dicta. In centro partis planæ foraminulum vmbilicale impressum. Substantia interna nigra est, duritie cornea, sine sapore notabili. Ad quod genus fructuum aliud referenda sit, quàm ad Nucem prędictam, nondum constat, ex cuius fortè familia & classe & hæc vna esse possit. Lectoribus tamen proponimus discutiendum, an Clus. Exot. lib. 2. cap. 9. non meminerit huius Nuculæ in descriptione sequentis fructus?

FRVCTVS ORBICVLARIS, PEREGR. CVM GRANIS NVCIS VOMICÆ similibus?

Descriptio Anno 1597. Amstelredami ostendebatur mihi, inquit Clusius lib. 2. c. 9. ab honesto viro Stephano Iohann. Scharm Pharmacopæo orbicularis & sphæricæ prorsus figuræ quidam fructus, quem nauigatione Batauorum prædicti anni ex Iaua allatum asserebat: Illum tamen ostensum



Descriptio

Indis qui ex Iaua adducti erant, negarunt apud se natum sed è Madagascar insula delatum. Dimensi autem siue per longitudinem lineâ ductâ, siue per transuersum, ambitus erat penè vnciarum nouem, nonnihil tamen striatus erat, circa eam partem quà pediculus adhæserat, coloris fusci, leuis & intus cauus, aliquid tamen continẽs, vt ex strepitu quẽ agitatus edebat, coniecturam facere licebat. Ex illo postridie pertuso, educta sunt multa grana plana, nucis vomicæ formam perbellè referentia, nisi minora fuissent, & oras minùs crassas habuissent, saporémque minimè vt illa amarum: ossea tamen eorum duritie.

FRVCTVS EXOT. LATVS COMPRESSVS, COLORE SVBERIS.

CAP. CL.

Descriptio



IN Cl. D. Fel. Plateri naturalium theatro hunc obseruauimus, vt & alia non pauca. Duas vncias latus est ac paulò longior, æquabili ferè ambitu ad orbiculatam figurã accedens, prætérquam quòd parte superna [vbi fortè adhæsit] exiguum quendam sinum vmbilicali specie impressum habet. Compressus est, mediam crassitudine vnciam vix æquans, modicè incuruus, vt altera facies concaua, altera in gibbum sublata atque conuexa videatur. Cortice constat colore suberis ferè, non valdè duro, sed vel mediocri compressu fragili, nucis Auellanæ crassitudine, fungoso quodammodo: sed interior pars magis fungosa est, fusca, insipida, quia euanida, & magna ex parte caua. Quæ ratio quod & ipse fructus pro sua magnitudine admodum sit leuis.

LIGNVM MOLVCENSE, PAVANA DICTVM, FRVCTV AVELLANÆ.

CAP. CLI.

Descriptio

ARbor est domestica, Mali cotoneæ magnitudine, cuius folia Maluæ vulgaris foliis sunt similia, fructus verò Auellanis, sed minor, mollior cortice & nigricante, Costa: qui *Lignum Molucense* vocat: & cùm illic gubernaret Lud. de Tuyde, ipsius nomine hanc arborem dictam fuisse testatur. Lignum Molucense Hist. Lugd.

Locus.

Inuenitur in Moluccis. Seritur, colitúrque in hortis diligenter, nec alibi facilè inuenias: tanti enim ab incolis æstimatur, vt peregrinos ne ad eius quidem aspectum admittant.

Vires & Vsus.

Huius ligni [inquit idem Costa] periculum feci, cùm in nonnullis ægris, quorum curam habebam in nosocomiis, tum in variis morbis, qui in longa nauigatione plerumque oriri solent, cùm in Lusitaniam redirem: partim adiutus facultatum relationibus quas intellexeram, & vtendi methodo: partim iis quæ nobilis quidam in Moluccis dixerat. Illius semen iam antè videram, mihi donatum ad aues capiendum: Etenim eo in aucupiis vtuntur non modò in illa regione, sed etiam in multis Indiæ prouinciis, ad quas eius rei gratia, venale defertur. Huius pauxillum cum oriza coctæ mixtum, auibus syluestribus exponunt; quæ degustant, illicò decidunt sopitæ & stupidæ: quæ verò auidiùs id edant, moriuntur antequam illis auxilium præberi possit, quod est, vt frigida caput perfundatur. Graculi omnium citissimè eo degustato extinguuntur. Nunc ad salubrem huius arboris materiam accedamus, cuius pauxillũ hodie plurimi facio. Intus sumptum, aut foris appositum, omnibus venenis resistit. Intrò assumitur magno commodo ex aq. ros. vel vulgari, aut ũque iusculo, eius pulueris apta quantitas pro necessitate, & ægri natura, modò decem grana non excedat, sed infra id pondus consistat, & viperarum, Regulorum [qui serpentes pileati appellãtur, & admodum noxii sunt] aliorũ neque similium aspidum aut serpentum morsus: Bibitur hic puluis ex aqua, ipsisque morsibus inspergitur. Eadem ratione præbent in vulneribus, quæ à sagittis toxico illitis facta sunt, quibus illius regionis incolę plurimùm vtuntur. Puluerem verò ex hoc ligno sibi parant lima è pelle marinæ caniculæ cõfecta, aut tenui aliqua ferrea lima. Robustissimo cuique dimidius eius scrupulus ex aqua limpida tepida aut rosacea, aut gallinaceo iusculo tepente, summo mane datur; cœna autem diei præcedentis parca esse debet, euacuat enim omnes humores, præsertim crassos, lentos, & melancholicos: conuenit quartanis diuturnis, febribus continuis, Iliacis Colicisque doloribus, flatibus, hydropisi, arenulis, renum calculis, vrinæ difficultatibus, sæuissimæ cholericæ passioni, aliisque morbis, veluti articulorum & tibiarum inueteratis doloribus, scyrrhis & scrofulis. Omnis generis lumbricos necat, & appetentiam deiectam reuocat: & si nimia fiat euacuatio, bibat æger dimidium Cyathum *Cania*, hoc est, decocti Orizæ, aut auiculam comedat, subitò cessabit, quòd sanè multa laude dignum est, paucisque medicamentis vulgare, vt in potestate sit medici aut ægri, purgari quantùm cupierit. Huc accedit quòd neque fœtorem, neque tædium, neque metum, dum sumitur, pariat, possitque sine Diætæ obseruatione, etiam iis qui sua negotia foris peragunt, propinari, vt ex iis deprehendi, qui vna mecum naui vehebantur, nullum sentientes incommodum, tametsi, dum purgarentur, nulla Diæta vterentur, viueréntque solutissimè. Obseruaui etiam illius præstantiam in inueteratis capitis doloribus, hemicrania, apoplexia aurium tinnitu, arthritide, Ventriculi & vteri affectibus & asthmate. Proptera.

Semen. Ad aucupia. Vtendi modus ad aucupia. Ligni facultates. Ad venena. Vt administrandũ in medicamentis. Ad serpentum morsus. Vulnera venenata. Puluis. Purgat. Quartanæ, Feb. Continua. Colica. Hydropis. Calculus. Vrinæ diffic. Cholericæ passio. Scyrrhi. Lumbrici. Appetentia. Cania. Placidiss. medicamẽ. Dolor. Cap. Apoplexia. Aurium tinnitus. Arthritis. Ventriculus. Vterus. Asthma.

rea fidens illi plurimùm, sæpiùs in diuersis naturis, ætatibus & locis feliciter vsus sum, & sine vlla molestia, nisi quòd in biliosis naturis, calidisque ventriculis nonnihil molestiæ parere, donec cibum sumerent, & in nonnullis vomitum excitare, visus est: sed biliosis nonnunquam hunc pulverem dedi syrupo acetoso, aut Carambola condita exceptum, aut in Catapotia cum sacharo rosato efformatum. Exhibendus est summo mane, neque cibus aut potus concedendus, donec purgati sint, quantum necessarium videtur: tum demum Cyathus iusculi gallinarum tepidè datur, dimidiaque aut integra hora pòst conceditur pullus gallinaceus, & paululùm vini aqua bene diluti: deinde toto illo die potu abstineat ad cœnam vsque, quæ parca erit, & facilis concoctionis. Subsequenti die sumitur saccharum rosatum cum aq. buglossi, aut borrag. aut communi, atque initur clyster ad aluum eluendam. Solet verò interdum in nonnullis ani pruritum & excoriationem excitare, atque in aliquibus [sed paucis admodum] hæmorrhoides. Hæc sunt quæ de hoc ligno *Amatus* conspexi & intellexi: Nunc verò in illis regionibus magnus est eius vsus, tantaque æstimatio, vt sine metu in multis morbis suprà enumeratis vsurpent. Ego bis illud sumpsi in Colico dolore, & hemicrania, mihique salutare esse deprehendi. Cæterùm cùm propter eius insignes facultates incolæ plurimi faciant, illasque quantùm in ipsis est, celare non studeant, quæ proculdubio longè plures sunt quam quas nouimus, sperandum est temporis successu reliquarum notitiam nos consequuturos.

Cautio. Administrandi modus. Exhibendi tempus. Quid post agendum. Noxa. Colica. Hemicrania.

XYLON, SIVE GOSSIPIVM HERBACEVM.

Cap. CLII.

Descriptio.

XYlon tam herbaceum, quam arboreum Nucem fert, quapropter hunc locum sibi meritò vendicant, sed illud priorem, qui a vulgatius. Breuis autem vitæ herbaceum Xylon, caule cubitali vel altiori, lignescente, cortice rubente hirsuto tecto, in ramos aliquot [ternos, vel quaternos F. Io. Quintin.] breues diducto: [Cæsalpin. Maluæ similem dicit:] foliis vitigineis, primaria diuisione triplice, Aceris minoris folia æquantibus, hirsutis, ex pediculis duas tresve vncias longis, pilosis. Pro floribus numerosi apices crocati [subcærulei, Quintin.] antheræ vocatæ, [Cæsalp. in medio purpurantes] figura floris Maluæ, fructum [amplitudine Auellanæ nucis, Quint.] barbulis quibusdam florem tegentibus inclusum, qui [maturitate ruptus, prædura pilas ostendit. Quint.] per maturitatem in tres vel quatuor

Folia. Flores Anthera. Fructus.

fragiles, atque punctatas carinas dehiscentes mollissimam delicatissimamque ostendunt lanuginem, in fila ductilem, cui inuoluuntur semina Strobylis suppariа, tenero fragilique cortice, cui lanugo pertinaciter adhæret, nucleo intus dulci. Strobylorum Amygdalarumve dulci sapore. Ipse fructus vncia longiore pendet pediculo ex calyce crassiusculo emergente. Carinæ singulæ singulum interstitium internè in medio sui secundum rectitudinem habent, quasi ante maturitatem in fructus meditullio coiuissent. Singula quoque carina vel valua in singulos apices fissos ac breuiter extrorsum reflexos, desinit. Nucis color in nostris siccis, quales aliquot habemus, planè putamini nucum Iuglandium osseo concolor. Aliud est Xylon arboreum, de quo mox.

Semina. Nucleus.

Dioscoridi notam fuisse Bombacem [quæ nihil aliud est, quàm Gossipium vt patebit] nobis videtur cum Amato, licet Matth. contrarium statuat: scribit enim Diosc. lib. 3. de Acanthio, *Cταβαχοειδής χιτών*: ait ex eius lanugine texta fieri vestes bombacinis similes: quamuis alii bombycinis conuertant. Gossipium *Cάμβαξ* est, non *βόμβυξ*. Notum autem quid differat Bombax & Bombyx, quamuis & ipse adeò Plin. Xylo, seu Gossipio, seu Bombaci [nam vnum & idem sunt] Bombycis nomen alicubi tribuat.

An cognitus Diosc. Matth. not.

Sed si cognitum Diosc. Gossipium, cur [inquies] de eo non tradit? Id ideò factum putamus, quòd eius ætate nondum in vsu medico fuerit. Scribit autem de materia medica. Quid? quod ne de Serico quidem scripserit, quod tamen ante eius tempora Aristoteli & Theophrasto non incognitum fuit? Non enim sequitur, non scribit de eo, ergo non cognitum habet. *Sed ad rem.*

Apud Cordum describitur *Coton* herba lanigera: floribus luteis, rosea figura, intus lanuginosis & purpureis, semina habens Ciceris quantitate, intus cinereis sparsa punctis, candida, multaque lana inuoluta.

Coton.

Ruellio. Xylon siue Gossipium frutex est exiguus laniger, palmæ folio, similem barbatæ Nuci gignens fructum, cuius in exteriori bombyce lanugo netur in linum candidissimum mollissimumque, quod *Cotonum* vulgò vocamus, vt lanuginem ipsam *Coronum*. Plinius superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui Gossipion vocant, plures Xylon, & ideò lina inde facta Xylina vocant. Fruticulus similem barbatæ Nuci defert fructum lanugine plenum quæ netur: nec vllum lini genus est, quod huic candore & mollitia præferatur, quanquam firmitatis in eo parum. Ea Nux cum hiascès fatiscit, lanuginis globos repræsentat, qui nendo sunt. Hoc iam in Gallia nasci ferunt ex Italia delatum. Ita vides Ruelleum herbaceum Xylon intellexisse, cui tamen Plinii aptata verba, sed mutata, vti solet, & iam fruticem vocat, iam fruticu-

Xylon. Gossipion.

lum, cùm tamen reuera herba sit annua, ideoque dupliei ratione à frutice vel arbore distant. Plin. verò non herbam, sed arborem intellexit, quamuis fruticem nominet, quod constat, quia sua verba ex Theoph. transcripsit, qui de arboreo tradit non de herbaceo Gossipio, quamuis sub alio nomine, vt patebit postea.

Matth.tamen & ipse de herbaceo tradens, de hoc, inquit Plin. ait: Paruulus est, similémque Barbatæ nuci defert fructum: ex quo patet Matthiolo, vt plerisque aliis, non fuisse cognitum, Gossipii diuersas fuisse plantas, herbaceam scilicet & arboream, eique tantùm herbaceam cognitam fuisse, quæ non cõuenit cum δενδροῖς ἐριοφόροις Theophrast. vt Matthiol. suspicari videtur, quamuis neget prisc s Græcis cognitum Gossipion seu Bombacem, sicut & Fuchs. Lacun. At non fuit Theophrasto, nec Suidæ, neque Polluci, saltem arboreum: & iam antea monuimus Diosc. cognitam Bombacem. Apud Plin. verò nec fruticem exiguum, neque fruticulum, neque fruticem simpliciter legimus, vt ex eius verbis quãuis à Ruellio (plantam non sibi cognitam, sed eandem met cum Plin. describente,) licentiosè nonnihil commutatis liquet: neque verò etiam paruulum apud eundem legitur, vt Matthiol. citat, licet compilator Hist. Lugdunensis eandem vocem retinuerit, manifesto argumento ex Matthiol. potiùs commentis, quàm ex ipso Plinio, Plinii transcripsisse verba.

Matt. not. *Differentia*

Matth. & Hist. Lugd. not.

A mali Cotonei similitudine id quod in hoc fructu gignitur, aut à pocilli forma, vulgò *Cotoneum* vocatum Ruell. existimat: aliqui *Githonem* à *Gith*, cui similem ferè gerit in capite folliculum, appellant. Videtur tamen Ruellius suspicatus, (si ingenuè fateri velimus quod res est) nec obscurè, Gossipium in diuersis nasci plantis, quamuis arboreum non agnouerit. Nam postquam aliquoties fruticem dixisset, subdit postea, gigni etiam in quadam arbore & de qua mox: & addit: Theophrast. lanigeras Indiæ arbores demonstrare Mori folio, corpore autem Cynorrhodi.

Etymon. *Githon.*

Cæterùm metetur sanè Monachorũ diligẽtia hoc loco Celebrari, qui Bambacem seu Cottonem vi vocant: ita scriptis tradiderunt. Lanugo ipsa (si ita dici libet) ab omnibus cognoscitur, quia in multos habetur vsus. Est enim simillima bombycis serico albissimo. Planta autem ipsius non ita cognoscitur, quia non vbique prouenit, sed in regno Apuliæ copiosè. Bicubitalis herba est, & ramosa, effigiem parui arbusti ferens. Radix dodrantalis, alba atque lignosa. Folia vt vitis habet, minora valdè. Flores fert mellinos, è quibus scapi ad instar Nucis vsualis (Iuglandis) trisecti prodeunt: & in eis semen vti semen Citrii, minùs tamen & ordinatè positum, lanugine dicta vndiq; obductum. Qui scapi maturationis tẽpore, lanugine dicta intumescẽte, tripertitè diuiduntur, [nos & quadripartitos habem⁹] & tanquã flos niueus, lanugo ipsa *Bambax*, seu *Bombax*, quasi *Bombyx* dicta vnà cum suis granis siue seminibus scatet, ac inter defluendum colligitur. Et licet ipsa *Bombax* sit albissima, vt nix: semen tamen ipsum exteriùs vergit ad nigredinem potiùs, quàm ad albedinem: interiùs verò est album, vnctuosum, gustúsque non ingrati. Hallucinantur autem nonnulli putantes Bambacem arte dealbari. Sed scitote, ipsam à natura ita candidissimam nasci: in quo quidem dissidet à cæteris Lini generibus. Nam cùm lauatur, non accipit, (quod nec potest accipere) aliquid albedinis: sed è contra amittit magnam partem sui niuei candoris, vt experientia testatur. Scimus mulierculas quasdam lepidè deceptas, cùm, nimiæ albedinis ornamentorum capitis illico perculsę, ex bõbace telam texere curarent, ac eam multa lotione ruffescere, & pristinum nitorem amisisse aduertentes, ad Lini ordinarii texturã tandem redierunt. Hanc enim, quo sæpiùs laueris, eò candidiorem efficies. Cæterùm arte separantur grana ab ipsa bombace, hac ad lanificia, illis ad vsum medicum reseruatis, quamuis multa etiã in ea residua inueniantur, nondum depexa: in qua, qui iis indiget, semper inueniet.

Descriptio Monachorum.

Citrii semine.

Semen quale.

Lotione amittere albedinem niueam.

Lacuna de eadem Plin. tradidisse scribit: sed fallitur: existimamus enim Plin. de arbore scribere, quam in Arabia nasci tradit.

Lacunæ not.

Eodem errore decepti, Matthiol. Rob. Const. & alii. Dod. Gossipion arborem lanigeram Theophrast. vocat, quamuis ei arbor neutiquam cognita fuerit, cuius ignorantia effecit vt etiam Theophrast. tacitè carpere voluisse videatur, quamuis intempestiuè, quando inquit: nec mirum videri debet, si stirpem incognitam & in remotis regionibus nascentem arborem esse putauerit, cùm & hac ætate, quã plurima in cognitionem venit, lanugo huius Baumwoll/ id est, arborea lana à Germ. appelletur: quasi insinuare velit incognitũ fuisse Theophrasto, esse herbam, cùm ipsemet potiùs Dod. ignotum fuerit, esse etiam arborem.

Matth & Const. not. Arbor lanigera.

Pena & Lob. libenter Gossipium herbaceum voluissent Dioscor. facere Gnaphalium, aut eius speciem, & per descriptionem licère putabant. Verùm Theophrast postea loco moniti, ad illius lanigeras vites referẽdam esse censuerunt, Theophrastique lectionem ibi corrigendam monuerunt, simúlque Matthiol. reprehendunt, existimantem, nullam huius à Græcis antiquis factam mentionem. An verò Theophrast. vel Plin. hanc intellexerit aliculã herbaceam Bombacem, nondum nobis innotuit.

Gnaphaliũ. *Vites lanigera.* *Matt. not.*

Idem Pen. & Lob. ξυλον ἐριοφόρον Guilandini dicunt, sed vel hic vel illi, vel vtrique decepti: non enim hæc arbor est.

Lob Pen. & Guiland. not.

Cæterùm plantam istam Veteribus Græcis incognitam fuisse multi arbitrantur: sed illi, ex sententia Hist. Lugd. errant: quæ vult ad lanigeras Theophrast. vites planè referendam, vbi per fructum, non vesem intelligendum putat. At nusquam apud Theophrast. inuenimus mentionem factam Vitium lanatarum, sed arborum. Ait quidem folio esse vitis. Videtur Hist. Lugd. in hoc imitata Lob. & Penam.

Hist. Lugd. not.

Sed & ipse quoque Hon. Bellus vocis Bombacis seu Gossipii homonymia deceptus videtur, quando ait: Gossipium in Arabia & Ægypto arborescit & multos annos durat: sed in Creta hyeme perit. Nobis verò duæ diuersæ sunt plantæ, quæ non solùm variant loco & duratione, sed specie ipsa. Illa enim Arabiæ & Ægypti arbor est. Quę in Creta perit, herba.

Hono Bellus not.

Cæsalp. in eundem impingit scopulum: sic enim scribit: Quamuis Serapio *Cotonem* seu *Bombacem* arborem tradat esse, non tamen putandum aliud genus Bombacis ostendere, quàm id quod superiùs descripsi, [describit autem herbaceum] cùm testetur eodem anno, quo sata est, Bombacem ferre, ac magis præferẽdam: sed apud nos aduentante hyeme pereunt ex toto eius plantę, ob frigoris impatientiam. Fortè apud Plin. [addit] eædem sunt arbores, quas Gossipinos vocari tradit. Ast differt Gossipium Cæsalpini ab arbore diuersimodè: illud annuum & herba videtur: alterum arborum modo durat. Figura etiam, immò specie ipsa diuersa, vti dictum: suntque folia arbo-

Cæsalpini error.

Cæsalp. not. *In quibus differant Gossipium herbaceum & arboreũ*

sco

Digitized by Google

reo glabra: loca item vbi proueniunt diuersa, neque mutantur transplantatione in se inuicem. Quid? quod ex ipso etiam Serap. manifesta appareat distinctio, vti patebit ex eius verbis postea citandis.

Synonyma linguar. Porrò etsi Gossipium herba plerisque Veteribus Græcis incognitum fuisse videatur, nominum tamen Græcorum stipatu neutiquam caret, quæ sibi communi iure cum arboreo vindicasse videtur. Appellatur enim βάμβαξ siue πάμπαξ ϗ παμβάκις, ϗ βαμβάκιον Suidæ. Vulgò Herbariis ξύλον ϗ χοασύπιον. Pollux etiam ξύλον vocat. βαμβάκιον Nico. Myrepsus: ἐριόξυλον quoque ipsam lanuginem Iurisconsultus, & ex eo Had. Iun. Latinis *Xylon, Gossipium, Bambax, bombyx, bombax*: vulgò etiam *bombas*: *bambacium, bombacium, Cotton* vel *Cotto, nu*: seu *Cotton, tti*, seu *Cotum, ti*: seu *Cottonum, ni*: & alia plura pro vno & eodem, scilicet bombace, testibus Monachis in Mes. à iunioribus accipiuntur. Priores autem Latini prædictis ferè Græcis nominibus vsi sunt: quidam *xylinon* & *gossipion* dixerunt. Barbaris & Arabibus *cotum* & *bombax*, & & *bombasum*, & *bambasum*. Sed genuino suo idiomate *bablabab*: Troglodytæ *basut*, teste Scaligero. Ab hac planta uestes *xylina* & *lina xylina*, nominantur. Iurisconsulti lanam eius *lineam* nuncupant: Syri *cot*: Gal. *cotton*. Ital. *cotone*, *bombace*, *bambagia*. Hisp. *algodon*. Ang. & Belg. Cotton/ His verò magna ex parte Boomwol/ cottoen & bombestin dicitur. Germ. Baumwol. Boh. Bawelna: Ægyptiis *Gotnesegiar*, vt scribit Alpinus. Vngar. gyapott.

Locus. Olim, authore Lacun. plantabatur solùm in Aegypto, nunc ferè per totam Europam habetur. Nam & in Gallia nasci, ex Italia delatum, Ruellius testatur. Fusch. nunc in Germ. hortis plantatur: qui tam fertilem tradit esse hunc fruticem, vt simulatque adoleuit, quod duorum fit spatio mensium, nunquam desinat florem & fructum proferre, donec asperitate & inclementia hyemis impediatur. Italia, vt scribit Bellon. tempore Romanorum abundabat *cotone*: nunc nulla planta inuenitur. Inter Marat & Halepum abundat. In Creta, insula Lemno, inter Hierosolymam & Damascum magna copia seritur, vbi pleni agri conspiciuntur, magnique ex eo fiunt reditus. Seritur & hac ætate in Cypro Maltha & Sicilia insulis, vbi copiosissimè prouenit, quemadmodum & in regno Apuliæ. Denique calidis gaudet locis Gossipium, inquit Alpinus, Aegyptii ad ipsorum vsum aliunde aduehunt: neque enim apud ipsos herbacea illa planta, ex qua Syri vel Cypri Gossipium colligunt, nascitur, sed tantùm quæ arboreus frutex est.

Tempus. Seritur in Apulia Febr. vel Martio mensibus. Colligitur Septembr. & Octobr. testibus Monachis. Bellonio verò tradente, inter Marat & Halepum satum Maio aut Iulio, demetunt Septembri: nec manet satum in terra per medium annum, nam & in Creta hyeme perit, teste Bellon. In Germania Camerar. speciatim Norinbergæ ex semine prodiit & floruit, sed fructum ferre per æstatis fugacitatem non consueuit. Nobis quoque, vt Geneuæ ita & Montbelgardi non semel creuit ex semine Massilia allato, & abundè floruit, flosculis pallidis, nucularumque primordia protrusit, sed subinde decidua, antequam grandescerent. Radice nitebantur profunda: Nouembri inaruerunt. Creuit etiam Platero Basileæ. Solum amat tenue Cotonon, [quod nostrates [ait Quintin.] ab exotico animante detonsum credunt,] magis quàm pingue, cœlum vtique siccum, vix aliter habiturum Melitę arcum. Miratus sum hoc quanquam calidius solum est, fimo misceri ab agricolis & stercorari, quum Sole **Cultura.** satum inarescant omnia. Vere seritur, nec nisi pridie madefactum, & in aruo statim restibili [illo enim agrum pinguescere ferunt] mox aratum integitur **Satio.** crate, vel rastro quod supertrahunt: suo sarritur tempore, & runcatione quadam inutilibus herbis liberatur tam manu quàm sarculo: dum vellitur, tunc pluuias horrent. Incolæ hoc maximè cupiunt serere, si liceat: quoniam quæstus plus quam è frumento: cuius etiam admodum ferax non est insula. Hac vna re vel maximè felix, quod iuxta sita est Sicilia, frugum omnium fertilissima, quæ illis pro horreo est, fame alioqui perituris. Et paulò pòst Biferæ arbores, binæ sæpè messes: demisso enim hordeo, mox *cotonum* succedit, vel Hordeum *cotono*, adeò terra non cessat parere.

Quod ad vsum attinet, nullum Lini genus est, **Vires & vsus.** quod huic candore & mollitia præferatur, quanquam firmitatis in eo parum esse videatur. Excalfacit **Têperam.** authore Matth. planta ipsa. & siccat. Vsta sistit sanguinis profluuia: & præsertim in vulneribus. **Sanguinis fluxum.** Seminis medulla tussientibus & difficulter **Tussis.** spirantibus mirificè auxiliatur: geniturам **Asthma.** quoque auget, proinde Venerem stimulat. Oleum è **Genitura.** seminis medulla expressum lentigines, alphos, **Oleum ex semine.** & cæteras cutis infectiones delet. Eiusdem lanugo **Lentigo.** manifestè quoque calefacit ac siccat: quæ si **Lanuginis vires** comburatur, mirum in modum manantem è vulneribus sanguinem sistit. Eadem accensa, & naribus **Vteri strangulatum.** suffita, vteri strangulatus auertit. Oleum seminis palpebrarum quoque asperitates lenit. Cotoni semen gratissimum præbet pabulum bubus, glandis sapore, Quintinus. Iuba ex eius lanugine tradit fieri lintea Indicis præstantiora. Lanugine eadem hodie passim vtuntur ad farciendas vestes fouendi caloris ergò. Fiunt & lintea ex ea diuersi artificii, vt femoralia, quæ *bracbas* appellamus, **Femoralia.** siue subligacula, quæ sunt multiiugi coloris, vt punicei & albicantis, nec non vermiculati. Nigritis etiam locupletioribus omnibus est habitus ex **Habitus.** cotonina quadam alba admodum, quæ instar camisiæ vestem eis suppeditat. Reticula quoque quædam magna ex bombyce parant Insulani fortunati, quæ in aëra suspendunt ac in illis dormitant. Ex relatione Lud. Rom. Lineis vestibus **Vestes.** [verùm versicoloribus, amiciuntur milites Sultani vrbis Aden in felici Arabia, arcendi algoris gratia: Xylon siue Gossipium, Neoterici bombicem appellant. Sunt enim gossipinæ huiusmodi vestes prælio nauando non ineptæ, quas ob id ituri in bella chlamydis loco induunt. Idem Regi ac Reginæ vrbis Calechut, incolisque, idolorum cultoribus haud dubiè dissimilis non est habitus: quippe qui Gossipino, haud sanè serico panno obscœna tantùm velant: Chirurgi quidam solent **Chirurgorũ error.** post sectionem venæ bombacem applicare, quod ego rarò fieri velim, filamenta enim quæ vulnus ingrediuntur, conglutinationem retardant, & interdum in causa sunt, vt in eo aliquid puris generetur. Si tamen amplior sit sectio, & periculum ne vena iterum aperiatur, applicari potest.

XYLON ARBOREVM.



Descriptio. XYli arborei adolescentiorem plantulam munere dedit D. Zuingerus in horto suo natam: cui radix simplex & singularis, gracilis, palmũ longa: è cuius capite duo ramuli prodeunt, vnciales circiter, foliis donati pulchris, vnciã minoribus, ad Tiliæ primùm pullulantis folia nonnihil accedentib⁹, glabris, diuisura triplici, profunda, acuta, (vna in vnamquamque lacinium excurrente,) ac totidem neruis distinctis, pediculis hærentibus semunciã longioribus.

Alp. not. Manifestè differt hoc Xylon arboreum ab herbaceo, cui folia hirsuta non glabra, quã tamen notã non distinxit Alpinus, paucis his eam describens: Gossipium Ægyptiis est arboreus frutex, in quibusdam tantùm viridariis proueniens, pluribus annis viuens, dissimilis ab herbaceo tantùm proceritate caudicis, ramorum atque foliorum figura. Crescit ad decem vsque cubitorum altitudinem, stipite ramisque duris lignosis, eandem quam herbaceum fert lanuginem: quæ ob modicam penes ipsos quantitatem in vsu non est.

Hoc *δένδρον ἐριοφόρον* est Theophrast. quod sic describit. In Tylo insula (quæ in sinu Arabico est, parte ad Oriente spectante) lanigeras arbores plurimas nasci proditum est: hæ folia habent Vitis, verùm minora: fructum nullum. [*καρπὸν δὲ οὐδένα ἴσχει· ἐν ᾧ δὲ τὸ ἔριον*] Id quod Lanam continet, Mali verni amplitudine est, clausum ac velut in sinum contractum: vere compressum, maturitate se recludens, vnde lana eximitur, ex qua telas texunt, aliàs pretiosas, aliàs viliores. Hoc idem in India fit, & in Arabia. Quo loco obscuritas declaranda. Nam quid hoc est dicere, nullum ferre fructum, & ferre aliquid Mali magnitudine, clausum, in quo lana? Sunt qui ita explicent, nullum ferre fructum vescum. Sed hoc non satisfacit. Fructus enim essentia aut ratio formalis non est, vt sit vescus: súntque fortè non pauciores non vesci, vescis. Scaliger hîc nihil olfecit. Nos ita legendum ex re ipsa censemus. *καρπὸν δὲ, ἐν ᾧ τὸ ἔριον*: ita vt *οὐδένα* istud expungatur. Sic consentiet lectio Theophrast. cum re ipsa. (Lanigera arbor Theophr. illustr.) (Theophr. correct.)

Eadem ex Theophrast. Plinius transcripsit, his verbis. Tylos insula in eodem sinu [Arabico] est, repleta syluis, quà spectat Orientem, quáque & ipsa æstu maris perfunditur. Eiusdem insulæ excelsiore suggestu lanigeræ arbores alio modo, quàm Serũm. His folia infœcunda: (Lanæ secus quàm apud Seras, quorum in tractu Laniferæ arbores folia lana operta gerunt. Dalechamp.) quæ, ni minora essent, Vitium poterant videri. Ferunt Cotonei mali amplitudine Cucurbitas, quæ maturitate ruptæ ostendunt lanuginis pilas, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt. Hanc & alibi paulò aliter sic describit: Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui Gossipion vocant, plures Xylon, & ideo lina inde facta Xylina. Paruus est, similémque barbatæ Nucis defert fructum, cuius ex interiore bõbyce lanugo netur. Nec vlla sunt eis candore mollitiáue præferenda. Mirum verò Plinium Xyli herbacei non meminisse: an quia suo seculo nõdum sereretur, aut ipsi saltem nondum innotuisset: an, quod verisimilius videtur, quòd non agnosceret discrimen. In Aegypto autem arboreũ nascitur, non herbaceum, vel Alpino teste. (Plinii illustr.) (Gossipion. Xylon.) (Bombyx.)

De eadem arborea intelligendus Serapio, sic tradens: Coton, id est, Bombax: Narrant quidam medici de Kelbe, Cotonem nasci apud se in arboribus Antipersicorum similibus, duraréque viginti annis. Præferri nouum & recens, debitoque anni tempore plantatum. (Coton. Bombax.)

Scal. de arborib. Eriophoris Theoph. tradit quidem: at non demonstrat an eædem sint cum Gossipio, quamuis id insinuare videatur. (Delectus.)

Matthiol. verò cum Xylon siue Gossipium à Theophrast. *δένδρον ἐριοφόρον* appellari ignoraret [inquit Guiland. in suo Theone] priscis illis Græciæ hominibus silentio præteritum affirmare non erubuit. Ipse verò etiam Guilandinus non demonstrauit discrimen inter Xylon herbidum & arborem Laniferam Theophrasti. Apud Indos, inquit Gorop. delicatissimæ vestes in arboribus crescunt, Lana Xylina, & Bombycis tela, de qua falsò credidere Veteres, arboribus depecti solere, in quibus fuit Virgilius: (Matth. not.) (Guiland. not.) (Virgil. not.)

Velleraque vt folijs depectunt mollia Seres.

Scimus arborem esse, cuius Nux lanas inuoluit, è quibus fiunt telæ mollissimæ hoc tempore Cotoneæ dictæ. Idem in Vertumno.

Cæterùm huius arboris laniferæ [vt annotat Bellon.] primò mentionem fecit Herodotus, quem postea secuti sunt Theophrast. & Plin. ac plures alii, estque è numero semper virentium. (Semper virens.)

Bellonium carpit Bellus sic scribens: Bellon. fortè sub arboris Lanigeræ nomine intelligit fruticem *Ossar*. Si verò hanc Lanigeram Theophrasti aut Plinii esse putauit, valdè hallucinatus est: Lanigeræ Theophrast. nihil aliud sunt quàm Gossipium, quod in Arabia & Aegypto arborescit, & multos annos durat: sed in Creta hyeme perit. *Hæc ille.* At nobis sanè omnia quæ scribit Bellon. de arbore Lanifera, videntur conuenire cum Xylo arboreo, à quo nec Alpinus dissentit. Ipse verò Bellus hallucinatus nobis videtur, opinatus Aegypti arbores laniferas easdem esse cum Xylo herbaceo Cretensium, quæ opinio in superioribus sufficienter refutata. (Ossar.) (Bellon. not.) (Bellon. defenditur aduersus Bellum.) (Belli error.)

Casp. Bauh. Gossipium alterum arboreum vocat. Eadem denique nomina atque Synonyma, linguarum quæ suprà herbaceo assignata sunt, & huic conuenire possunt, si arboris differentiam addas.

Nascitur in Aegypto & Arabia, autoribus Alpino & Bellonio, qui & in hortis Cairi altitudinem hominis excedentes inuenisse tradit, quæ hyeme non pereat: & in Arabia ignem fecisse ex ligno arborum Laniferarum. Creuit hæc Anno 1595. in horto Cl. D. D. Zuingeri, Basileæ quam mense Augusto in spithameam ferè altitudinem excreuisse vidimus, paruulámque eius plantulam iconi adiungi curauimus. Qui verò fructus in eadem depicti sunt, mox describentur, à Xylo vtroque iam dicto diuersi. (Locus.)

Plinius eius lanugini candore mollitiáue nullam (Vires & vsus.)

Digitized by Google

Iam aliam præferendam censet, vestesque ait, inde sacerdotibus Aegypti gratissimas fieri: quod specialiùs declarat Apuleius Apologia prima de lineo texto. Purissimum est, inquit, rebus diuinis velamentum: quippe lana segnissimi corporis excrementum pecori detracta, iam inde Orphei & Pythagoræ scitis, prophanus vestitus est: sed enim *Linum.* mundissima lini seges, inter optimas fruges terra exorta, non modò indutui & amictui sanctissimis Aegyptiorum Sacerdotibus, sed opertui quoque inde rebus sacris vsurpatur.

Arabes, teste Bellonio, ex ea pulchras telas texunt tenuiores & subtiliores ipsis sericeis candidioribus & bombacynis. Hocque demonstrari posse tradit pomis à se allatis, in quibus magna sit lanæ copia. Quæcunque verò suprà de viribus Xyli herbacei dicta sunt, & huc referenda sunt ex Serapione, qui & hæc specialiùs addit, succum *Fluxus ventris.* foliorum conferre fluxui ventris puerorum. Bombacem calidiorem dicit recentem: semen conferre tussi: & commodum pectori. Lanugine, vt refert Alpinus, Vtuntur Ægyptii, linearum petiarum loco, quibus nostri tantùm vtuntur ad *Vlcera. Vulnera.* vlcera, vulneraque omnia sananda: quando lineis petiis apud nostros ad vulnera vlceraque frequentata, illi non vtantur: adhibent & ipsa, vti nostri faciunt, ad fluentem sanguinem sistendum. Seminum quoque mucilaginis vsus est frequen- *Febres ardentes. Venena.* tissimus ad omnes febres ardentes atque venena erosionem ventriculo & intestinis inferentia. Ad tussientes ex acrium salsorumque humorum destillationibus plurimis apud eos vsus. In Arabia ex hac Xylini lanugine telas illas tenuissimas *Sessa telæ genus: Bysso simile.* (quas *Sessa* illi appellant, atque multis Byssum Antiquorum esse persuasum est) parant, quæ vtique ob pulchritudinem ab omnibus commendantur.

XYLON BRASILIANVM.

Cap. CLIII.

Descriptio ILlustrissimo Duci VVirtemb. Xyli Indici seu Brasiliani nomine à D. Paludano cum aliis mul- *Granum.* tis Indicis missus fructus, in quo grana duobus versibus, quos lanugo xylina vulgari similis intercedit, distincta, sicuti figura, quam præcedenti tabella xyli arborei exhibemus demonstrat: obliquè per superficies planas sine vlla lanugine media inter se incubitu disposita, oblonga, Strobylorum forma, minora, fusca, glabra, bombace vt in Xylo herbaceo toto grano non adhærente, quorum extremum agmen granum vnum singulare cogit: intus cuticula membranea priori subiacens, exalbida, medullam continet candidam, pinguem, dulcem vt in vulgari.

Cotton Ind. De quo & Bellon. Adfertur genus Cotonis ex India aut Brasilia, quod multùm differt ab Asiatico. Brasiliano crassum semen, nigrum, conglomeratum ex x. aut xii granis, aliter quàm Asiatico, cui grana singularia separata.

Lob. in diuersis suis operibus, quemadmodum & *Camer.* & *Dod.* grana separatim picta exhibent, qualia à Bellon. descripta, sed eaque describunt, nec vllam faciunt eius scripto mentionem. Vide- *Gossampina arbor.* tur autem huius arbores Gossampinas dixisse *Martir* in opere suo de rebus Oceani & noui orbis, quod ibi ea nasci & Gossipii nomine appellandum censet, atque apud Canchiitenses vulgò *Locus.* suapte natura nasci, vt apud nos arbusta syluestria.

De hoc Gossipio Brasiliano tradit Lerius quæ obseruauit in suo Itinere, Brasiliano scilicet. Arbores bombacem ferentes abundant in Brasilia, mediocris sunt altitudinis, flores campanulis si- *Descriptio Lerij.* miles ferunt, luteos, instar cucurbitarum vel citrulorum. Fructus maturus accedit ad figuram Fagi, qui in quatuor etiam partes finditur, bombax [Cotton] Americanis dictum *Ameni-iou* *Ameni-iou.* ex iis pendet magnitudine paruarum pilarum, in medio grana nigra, simul arctè iuncta, renem exprimentia: Faba non crassiora nec longiora. Hoc mulieres syluestres colligunt & filum ex eo parant, pro *Filum.* suis lectis.

LANIFERA ARBOR PEREGRINA.

Cap. CLIV.



Locus. Descriptio Arbor procera. CIrca Bantam Iauæ Insulæ vrbem celebrem, referente Francisco Rodrigues è Bengala oriundo, qui anno 1598. Amstelrèdamo cum nauibus in eam insulam profectus, insequente anno cum iisdem inde rediit, nascitur arbor procera, multis ramis prædita quos sepiunt numerosa *Folia.* folia, vt conspicere est in salice, sed illis longè angustiora, & libanotidis coronariæ *Fructus.* foliis similia, longiora tamen. Eam ferre dicebat fructus siliquarum penè instar, (quorum vno, quem retulerat, me donabat,) sex vncias longos, quinque in ambitu crassos, à pediculo sensim augescentes, cute veriùs quàm cortice præditos, cineracei coloris, rugosos, extimâ parte mucronatos, in quinque partes dehiscentes, plenos tenuissimo mollissimoque & candidissimo tomento, in quo latebant multa semina nigra, legitimi xyli se- *Semina.* mine minora, tomento siue lanæ non adhærentia, vt in xylo, sed libera, & circum quinque veluti assulas longas mediam siliquam occupantes, *Vsus.* nascentia. Ea lanâ negabat Franciscus incolas vti ad stamina ducenda, quemadmodum alio xylo, nimis enim breuis est, sed puluinaria impleri asserebat, ad quam sanè rem commodissimam esse mihi videbatur, vt quæ vulgari tomento, imò vel ipsa etiam plumâ mollior sit. *Clus. Exot.*

Fructus alter. Cæterùm anno 1601. reduces ex septem illis nauibus ex Moluccis & Iaua insulis, nuce myristica, pipere & alio aromatum genere onustis, alium fructum huic similem, sed maiorem & magis integrum, honestissimi viri Petri Garetii diligentia acquirebam, suum pediculum durum & lignosum binas vncias longum adhuc retinentem: eum autem fructum obseruabam, non ab imo mucrone in quinque partes dehiscere, vt putaram, sed à summo, videlicet à pediculo, à quo procedunt quinque illæ assulæ, circa quas semina nascuntur. Intelligebam præterea ab Isbrando Hieronymi filio, Cheirurgo, qui naue, insigne siue symbolum

S item habente, vectus fuerat, incolas eo vti non modò ad amplenda ceruicalia, sed illud etiam ab ipsis in stamina torqueri (alia tamen ratione quàm vulgò Linum, lana, xylum) iisque staminibus suas vestes farcire.

Arbor lanifera Sebaldo de Weert ad Guineam visa. Sed etiam Sebaldus de Wert affirmabat arbores similem fructum gerentes in Guineæ maritimis crescere, quæ tamen ampliora haberent folia, quàm Franciscus Roderiguez illi tribuit. Eam ob causam suspicabar, an illa lanifera arbor esse possit, cuius meminit Petrus Bellon. cap. 60. & 67. l. 2. suarum Obseruationum, quas nos Latio donauimus ante multos annos, & breui, Deo volente, longè correctiores & aliquot scholiis illustratas, euulgare habemus in animo.

An verò ea arbor, ex qua teste Philostrato Byssum nasci ferunt, basi quidem Populo persimilem, foliis autem salicis.

COCCI ORIENTALES.

CAP. CLV.



Descriptio. ADferuntur ex Oriente grana quædam, quæ *Coccos Orientales* appellitant, Ciceribus paria aut maiora, renis ferè figura, fusco, rugoso cortice exteriore, interiore crassiore, cinericeo, iisdem rugoso, vtroque lento, nucleum claudente fragilem, obsoleti coloris, lenticulari apophysei, quã geminæ ex vmbilico corticis partes emittunt, circumiectum. Cohærent autem interdum Cocci bini aut terni cruscults totidem hærentes, vt plurimùm singulares. Sustinentur pediculis vncialibus, vnico modo articulatis, qui sanè lignei cùm sint, arboris fructus esse haud obscurè insinuant: quæ ratio cur Nucibus subiecimus, quòd & putamine, eoque gemino constent, & intus nucleum contineant. Sapore sunt admodum amaro.

Coccini Orientales. Aristolochia Ruell. non Cucubus. *Coccos Orientales* officinæ vocant. Ruell. Aristolochiæ cuiusdam fructum suspicatur, quamuis nihil commune habeant, cum ea saltem quoad figuram. *Cuculi* fructus sunt, in Aegypto nascentis furiosi Solani [Annotat. vulgò *Cocce de leuante* nominat Historiæ solani apud Diosc. & Theophrast. non respondet] racemoso, dum adhuc in matre sua hærent, habitu, nouem, decem, aut duodecim. (Cordo Hist. plant. id attestante) acinis ab vno pediculo Corymbi figura dependentibus: *Caro. Cortex.* infra succosa, mollique carne, lignoso cortice, & nucleo constantibus, quorum caro paulatim, exiccato eius succo, tabescit, & rugis contrahitur antequam ad nos è tam longinqua regione perferantur. Singulis acinis siccatis Auellanæ paruæ magnitudo est, & rotunda, aliquantulùm oblonga figura, & circa annexum modicè renum instar *Nucleus.* sima. Nucleum habent candicantem, pinguem, sinuoso, contorto & lignoso distinctum intersepto, sapore amaricantem, subdulcem, & modicè tenuem, quo ad capiendos pisces vtuntur. *Sapore Dulcis.* Eligito maximos, ponderosissimos, & candido nucleo intus repletos, nam ad nos allati, vt plurimùm inanes & leuissimi sunt. Idem in Annotationibus: Στρύχνον μανικόν, in Aegypto copiosum nasci tradit, vnde ad nos afferatur, & à Pharmacopœis cuculos *de Leuante*, id est Solanum Orientale vocari: Nam Cuculum idem esse, quod Cacubalum, siue solanum ait: præterea semel satis recêtes se vidisse. Verùm nihil in his videmus quod cum strychnis vel solanis respondeat. *Cuculi Solanum Orientale. Cacubalum Cordus non.*

Grana Orientis vulgò, Officinis *Coccali Elephantini*, itemque *Coccali grana* & *Piscatoria grana*. Nec satis constat ex qua planta producta sint, licet sint qui Clematitis fructum esse opinentur, teste Corn. & Apolline. Verùm ii plurimùm falluntur. *Grana Orientis, Coccali Elephant.*

Amatus Tithymali cuiusdam semen esse putat: quæ & olim Matthiol. fuit opinio, quam candidè se mutasse fatetur. Et si Amatus contulisset descriptiones Tithymali cum *Cocco piscatorio*, nunquam existimasset esse Tithymal. cuiusdam semen. *Error quorundam, Amati nos.*

Thaddæus Nenicus ab Hagek ad Matthiol. in epist. Germanico idiomate *Gebulas*, Offic. *Cocculas Elephanticas* Fuchs. ab animali Elephante vocari prodidit, Eius historiam à nemine antè se traditam putat Matthiol.

Elephantinas vocari sunt qui censeant, quòd Elephantis gratissimus sit cibus. Sed ii à veritate aberrant, ex Matthiol. sententia. Primùm allatæ in Italiam nullo nomine ex Alexandria. Vnde factum vt à Venetis negotiatoribus *Cocce de leuante*, id est Baccæ Orient. vocarentur, quod nomen in vniuersam Italiam diuulgatum est. *Cuculi* siue *Cucubali* Indianus, quem insanum seu furiosum solanum faciunt. Lob. Nec sua destitutus opinione. Cæsalp. fortè Nucem vomicam esse putat, quæ in Offic. Galla orientalis dicitur ad pisces obstupefaciendos quæsita. Idem baccas inanes dicit, & in cauitate inchoationem tantùm seminis apparere, indicio colligi antè perfectionem, neque grandiores esse Auellana, vt monet Serapio. *Quorundam error. Nomenclatura. Cuculus. Cucubalus. Nux vomica. Galla orientalis.*

Taber. Morgenlendische Nüss Germ. vocat, de quibus ait Garciam in hist. aromatum lib. 1. cap. 26. agere. Sed fallitur: nulla enim ibi mentio horum fructuum, sed historia traditur Cocci Indici siue Nucis Indicæ, cuius historiam non sine supina oscitantia tradit idem Taber. nomine prædicto: licet inter se nihil planè commune habeat. *Cuculus Indicus* Lat. Cast. Dur. *Cocculas* Offic. Kockel Kerner / & Fischkerner / Reformatio Wormat. vocat. Incolæ *Doam Samet* vocant, teste Rauuolff. Piscatores Italiæ vulgò *Cocca*. *Taber. error.*

Cocculas has substantiæ calidæ ac igneæ esse, ipse gustus euidenter indicat. Thaddæus. Lobelius tradit, Ceruisiæ Germanis & Belgis Cuculos incoqui: cur autem id faciant, siue Narcoticas, quis credat, vt Matth. siue insigniter tantùm amaras, vt reuera sunt, & nihilominus fumoso suo halitu cerebrum [vti plerisque visum] obfuscant & stupefaciunt, non temerè quis mirabitur. Nam Pædagogus quidã vt refert Amatus, Cubebas poscens, ex imprudentia pharmacopolæ fructum accepit quem piscatores vulgò Coccam vocant, & quo pisces interficiunt, & quem ipse Tithymali cuiusdam semê esse putat: Cuius cùm quatuor ad summum grana auidissimè comederet, illicò in nauseã & singultum ac animi angustias incidit: mox ei vomi- *Vires & Vsus. Obseruatio. Noxa.*

vomitorium exhibitum, quo vel intra horam ex integro ab eo agone & periculo liber est factus.

Obseruatio. Nihil præstantius [inquit Cardanus de subtilit.] ad pisces attonitos reddendos, eo fructu qui ex Oriente vehitur, vocant *cogolum*, nigra bacca est, persimilis laminæ, sed minor ac rotundior. Compositio nostra ad pisces capiendos experta hæc est: Baccarum Orientalium quadrans vnciæ, cymini & aquæ ardentis singulorum sextans, casei vncia, farinæ vnciæ tres, digeruntur contusa in pastillos. *Noxa.*

Mixtura pro illicio piscium. Thaddæus Nemicus Matthiolo scribens: solent, inquit, Coccos Orientales miscere cum veteri caseo, melle & farina tritici: inde formant globulos, seu pilulas pisi magnitudine, quas in flumen, vbi piscium concursus frequentior fieri consueuit, proiciunt. Alii hac sequenti compositione vtebantur, qua idem Thaddæus & se dum esset adolescens, delectatum fatetur, non tam quòd teneretur [vt ille ait] studio capiendorum piscium, quàm quòd vehementer admiraretur artem & effectum. ℞. Cotularum Elephantularum. [coccorum di leuanto] adipis agni ana. vnc. sem. casei antiqui vnc. j. sem. cannabini seminis vnc. j. Sem. anethi, hyoscy. ana. drachm. iij. farinæ tritici drach. ij. mellis drach. vj. camphoræ drach. j. hæc omnia in mortario in massam redigantur, & fiant inde catapotia pisi magnitudine, quæ flumini placido iniecta [ne videlicet rapidiùs flumen pisces aliò abripiat & deferat, vnde posthac tolli non possint] & à piscibus deuorata, paulula interiecta mora, eos infatuant, vt hinc inde nunc in flumine discursent, nunc moueantur in orbem, magna cum voluptate adolescentum. Mox fatigati, & iam ferè exanimes, in summo fluminis natantes, reticulo piscatorio extrahuntur: extracti subitò vel exenterantur, vel in recentem aquam coniiciuntur, eiecta priùs ex illorum ore pilula deuorata, quæ plerunque adhuc in faucibus, ex ventriculo fortasse eorum reiecta, hærere solet. Plerique redeunt ad se, & quasi reuiuiscunt, quod etiam quibusdam accidit, si fortè paulò diutiùs, vel in flumine relinquantur, vel vi fluminis in alium locum deferantur. *Modus capiendi pisces.*

Tēperam. Eidem Thaddæo respondens Matth. sic infit: Tractu temporis cùm diligentiùs hasce baccas examinarem, nec iis necari pisces, sed in soporem vel stuporem agi viderem, priorem sententiam qua Tithymali alicuius fructum esse existimabam, deserui. Quo factum est, vt posthac mihi persuaserim alicuius sopor feræ stirpis Aegypti, vnde deferuntur, eas esse fructus. Et certè dum harum baccarum facultates mihi propono examinandas, cùm adeò soporiferas esse sciam, vt sumentes in stuporem agant, easdem sanè calidas, igneas, siccasque habere vires, non ita facilè mihi persuadere possum. Soporiferas esse has manifesto est argumento, quòd additis caseo tantùm & farina, ac subinde defruto vel dulci vino exceptæ, piscibusque obiectæ, ii paulò pòst stupidi fiant. Nec me à mea mouet opinione amaror ille, qui gustu percipitur, quique aliquem non absque ratione calidas esse has ad credendum inducat, quòd Opium, quo nihil validius est in sopore stuporeve excitando, amaritudine longè maiore pollere videamus, quæ quidem amaritudo non impedit [si Galeno credimus] quominùs Opium sit ex quarto refrigerantium ordine. Quinetiam amara sunt Papauerum capita foliaque, quemadmodum & Mandragoræ radices amarore non vacant, quæ tamen omnes sua frigiditate somnum conciliant. *Alia compositio.* *Frigidas esse.*

Huic Matth. sententiæ etiam Gesnerus subscribere videtur quando ad Grasserum Medicum scribit in hunc modum: Mirum nucem Vomicam & & Opium, vtraque peramara, summè tamen frigida esse, sicut & Coccos Leuanticos dictos. Hoc etiam mirum, frigidissima hæc sudorem mouere. Nobis sanè minimè probabile videtur ob suam frigiditatem sudores mouere, imò ne mouere quidem, nisi fortè per accidens, hominem in Lypothimiæ vel Syncopes metum coniiciendo, ob molestiam, quam stomacho creant assumptæ, de qua re ampla posset institui disputatio, si tractationis hæc ratio id admitteret. *Frigidissima.* *Gesnerus*

Audiendus tamen & Codronchius, qui cocculas in tractatu quodam singulari, neutiquam frigidas, sed potiùs calidas putat, idque multis rationibus non solùm probare, sed & Matth. conceptam opinionem conuellere nititur, quando ita scribit.

Baccas Elephanticas dictas calidas & siccas esse, experimento adeò constat, vt nulla ferè indigeat probatione: nihilominus id apertè constat ex sensu gustus cùm amaras experiamur. Nouimus autem ex Galen. quòd omnes sapores amari non modò calidam, verùm & siccam facultatem ostendunt: nec Baccas Orientales tantùm calefacere & siccare, verùm & impensè id facere videmus. Cùm enim amaræ sint, & amarum à caloris excessu fiat, ita vt quantò res aliqua est amarior, à maiori etiam oriri caliditate credendum sit. Quapropter dubium non est pediculos & pisces interimere posse. Quanta verò sit amaritudo istarum baccarum, ab vxore piscatoris idem se didicisse narrat, qui cùm eas pro pasta conficienda idonea capiendis piscibus in mortario contudisset, & eius vxor in eo optimè abluto ac deterso scriblitas confecisset, adeò amaræ ipsæ effectæ sunt, vt nullo pacto ab eis, quamuis admodum pauperibus comedi potuerint. Præterea cùm millies experientia visum fuerit, & ab eodem in puerulis suis [vt ipsemet scribit] frequenter comprobatum sit, puluerem harum baccarum etiam in exigua quantitate cum adipe suillo vel pomo decocto & similibus permixtum & capiti appositum, egregiè pediculos in capite ortos interficere, & feliciùs quàm Staphidem agriam, tutiúsque, quàm hydrargyrum, caliditate & siccitate intensa affectas esse iure fatendum erit, atque adeò vi pollere, non solùm siccandi & calefaciendi, sed & ex alto trahendi. Experientia quoque compertum est, in aliquibus puerulis cutem totius capitis rubefactam esse, & vt dicunt mulieres inflammatam, & per aliquot dies pruritu satis intenso affectam, signo manifesto Cocculas has esse valdè calidas & siccas. Et propter hac in re tam manifesta non potui [inquit Codronchius] opinioni Matthioli adhærere. Cùm igitur clarum sit, has baccas calefacere & exsiccare, facilè est etiam ex dictis colligere illarum alias facultates, egregiè nempe abstergendi, incidendi, aperiendi, trahendi, euacuandi, nec non pediculos ac pisces necandi. An verò baccæ istæ inter venena reponendæ sint, & ob id pisces & pediculi? Sum ego huius sententiæ, eas nullo pacto facultate deleteria vel venenosa præditas esse, neque hac ratione, verùm merito primarum qualitatum & suæ amaritiei animalia ista interficere. Quòd nō sint venenatæ ex eo potissimùm conici potest, quòd etiam aliqua leuis noxa ex illarum applicatione perlongum satis tempus non fuerit visa, nec vllum symptoma secutum sit. Et si obu- *Calidæ & siccæ.* *Id Pediculos.* *Experientia* *Pasta ad capiendos pisces.* *Pediculos.* *Matth. reii.* *Qualitates eius.* *An venenata.*

ciat aliquis non esse mirum, cùm tantùm exteriùs applicentur, si nullum inde oriatur symptoma: dico, quod si medicamentum venenatum esset, ratione nobilitatis membri & ratione mollitiei & debilitatis illius in pueris necessariò aliquid mali exinde oriri aliquando fuisset obseruatum, quod cùm non euenerit: nulla facultate deleteria ipsas insignitas esse credere cogor: sed, vt dixi, non solùm ratione caliditatis & siccitatis insignis, verùm & multò magis fortasse ratione suæ amaritudinis istud medicamentum habet interimere pisces & pediculos: cùm habeamus à Gal. 6. simpl. med. amaritudine lumbricos necari: Cùm autem ventris tineæ amaris interficiantur, multò magis pediculi & pisces necabuntur, cùm mea sententia faciliùs sit eos quàm vermes occidere. Espropter Matthiol. sententiam probare non possum, scribentis puluerem harum baccarum pisces infatuare, vel in soporem & stuporem eos deducere, & ob id soporiferas esse, frigidas & humidas, sed potiùs piscatorum opinionem sequi cogor, à quibus intellexi ab isto medicamento pisces etiã breui temporis curriculo necari, & ideò nisi quamprimùm capiantur, facillimè putrescere, & in plures partes diuidi: quod nõ nisi ratione intẽsę caliditatis agentis in carnem illam valdè mollem, teneram, & humidam, prouenire potest: immò etiam ab iisdem relatum, pisces, qui puluerem hunc sumpserint, nisi citò capiantur & aperiantur, vt plurimùm medios rumpi, non tamen ita celeriter contabescere. Quod autem pisces ex hoc assumpto puluere non infatuentur, sed interimantur potiùs præter hanc piscatorum relationem possumus à simili comprobare. Quemadmodum enim pediculi ex apposito puluere harum baccarum non infatuantur, nec hac vel illac per caput discurrunt, sed statim interimuntur, ita & multò magis piscibus euenire existimandum erit. Et si quis obiiciat, pisces per aquam discurrere & volutari assumpto puluere, & id ratione ebrietatis seu facultatis, euenire, illis dicam ego, non harum ratione, sed doloris quem percipiunt à contrario illo sic agitari & volutari, vt vnumquodque animal facere, & præsertim homines solent, cùm dolore aliquo torquentur. Postremò, cùm pisces platyphyllo Tithymallo teste Diosc. necentur, Tithymali autem omnes vincentem habeant acrem calidamque facultatem insitque amaror, ratione quarum qualitatum necare pisces Galenus asserit, idem de istis baccis statuo. Consectarium ergo est, piscibus sic captis, tutò absque nulla veneni suspicione nos vesci posse, etsi aliqua ratione à mensis abdicandi essent, quòd mortui vel semimortui, præsertim in æstate capti, ratione suæ mollitiei citissimè à putredine corripiantur. Si tamen cumprimùm capti sunt exenterentur & coquantur, absque vllo periculo comedi posse crederem. *Hactenus Codronchius.*

Matth. ratio refut.

Piscatorum experimentum.

Simile.

Conjectaneum.

Talibus controuersiis & iactationibus percelluntur, qui nudas rerum qualitates sectantur, nihil earum formæ aut occultæ proprietati tribuentes, quæ tamen vna diuersarum, etiamque contrarium facultatum dispensatrix, genitrix & moderatrix. Non disputabimus hic, quòd locus non sit si tamen alterutri hærendũ esset sententiæ, posteriorem probabiliorem existimaremus. Tutiùs tamen incedere eos statuimus, qui proprietati occultæ eorum tribuunt, quod ab iis pisces quasi œstro quodam perculsi interficiantur, vt ab his etiam metus sit in cibis. Quod si à colore, aut à baccis quatenus calidis: vtique idem præstabunt Piper, Pyrethrum, Zingiber. Aut si à baccis quatenus amaris: idem poterunt omnia amara valdè.

Authorum sententia.

Occulta proprietas.

FAGARA MAIOR ET MINOR.

Cap. CLVI.



Descript.

Misit nobis *Fagara* Auic. nomine nobiliss. D. Cortusius putamina Pisis paria, rugosa, fusca in geminas carinas ad medium vsque dehiscentia, pediculo tenui donata, intrinsecus læuia.

Sunt nobis etiam his similes cortices minores multò, quales Imperatus pingit pro *Fagara minore*: cortice quoque sunt biualui, hiante, foris aspero, intus pellicula candicante interfepto, sapore aromatico, subamaro, linguam calore suo vellicante, non ingrato tamen, simili ferè Corticum Arantiorum.

Cubeba.

Accepimus pro Cubebis veris Constantinopoli allatis.

Est autem referente Clus. *Fagara* fructus Ciceris arietini magnitudine, cortice tenui constans, ex cinereo nigricante, cui subest tenue putamen nucleum continens satis solidum, & tenui nigraque membrana obductum. Integer fructus cùm magnitudine tum forma & colore adeò similis est ei, quem nostræ Officinæ *Cocculum Indum* (de quo cap. præced.) appellant, vt primo aspectu fallere, & pro eo sumi possit.

Nucleus.

Similitudo cum cocculo Indico.

Meminit huius Auic. cap. 266. in hunc modum. Fagara quid est? Granum simile Ciceri, habens granum Mahaleb, & in concauitate eius est granum nigrum, sicut *Schebedenegi*, & adportatur de Sofale.

Imperatus vtramque agnoscit speciem & maiorem diligenter ab Arabibus descriptam esse. Verùm ab eam diuersam esse speciem minorem quæ deferatur etiam ex Orientalibus regionibus.

Locus

Linschott. in Iaua crescere ait Fagaram, magnitudine Cubebæ aut Piperis, Cortice obtectam tenui, in quo granum vnicum cute nigra tenuissima obtectum.

Fagara

Vires & vsus. *Temperies.* Fagara Auic. granum est calidum & siccum in tertio, mistam habens cum resolutione adstrictionem: additur in medicamenta, quibus frigida *Ventriculi.* *Hepar.* ventriculi & iecinoris intemperies corrigitur. Ventris fluxum, cui originem dedit frigus, constringit, concoctionem adiuuat. Linschott. testatur, maximè conducere ad pectoris frigidos *Pectus.* morbos & imbecillitates stomachi: immò ad alias quoque fluxiones. Siccare enim & calefacere in modum cubebarum.

OREGIOELLA.

Cap. CLVII.



ALiquando à Iacobo Gareto, inquit Clus. Exot. lib. 2. c.16. accepi exoticum quid, siue cortex ab aliquo fructu detractus, an aliud quidpiam, prorsus hęrebam, nec qui ad me mittebat, quidquam de ea re scribebat: schedæ duntaxat in quo inuolutus cum sequente fructu, adscriptum erat *Oregioella*, nuncupari, atque ex ea, cui admisceretur fructus *Cacao* similis, potionem fieri incolis vsitatam. Erat verò hic cortex [si corticem appellare licet] vncialis magnitudinis, reflexis oris præditus, crassiusculus & satis durus, aciduli saporis & fatuam cientis, cineraceique ex fusco coloris. *Est figura sub num.* I.

Oregioella non multum differre videtur à nostro folio Indico descripto, & forsitan idem.

FRVCTVS QVADRANGVLVS NIGER, CVM MEMBRANA MINIATA.

Cap. CLVIII.

Descriptio OStendebat, inquit Clus. Exotic. lib. 2. cap. 26. fructum vnciam longum, quadrangulum, lateribus aliquantulùm depressis, prorsus nigrum, media tamen ex parte tectum tanquam membranâ foris miniata, fructui firmiter inhærente. Quo autem nomine appellaretur, cuiusve plantæ esset, aut qua in regione natus, intelligere nequiuerat. *Icon huius exprimitur in tab. cap. praeced. num.* II.

PALMA.

Cap. CLIX.

MAgnus stipatus fructuum exoticorum ad nuces aliquo modo accedentium exhibitus. De Palma non inconsideratè hoc in loco agetur, cum nuce enim Indica postea tradenda maxima affinitas.

Descriptio Vidimus quidem Monspelii aliisque locis Palmam, sed in iam dicta vrbe bene proceram, etiamque florentem: verùm quandoquidem, dum hæc commentamur, arborem integram ad manum non habemus, earum quæ suppetunt partium descriptionem damus. Ramus



plusquam tricubitali est longitudine, minimi digiti crassitudine & ampliore, præsertim circa infimum, sensim ad summa vsque tenuatus, vt multùm de crassitudine decedat, solaque ferè latitudo pristina sit notabilis, tâdem in folia aliquot arcto ortu cohærentia degeneret, triangularis, striatus, intus nonnihil fungosus, & quasi ex longis filamentis, quorum spatia farcit medulla quædam, compactus. *Pulpa.* Huic folia complura vtrinque adnascuntur, arundinacea, rigida, semunciam lata [inprimis superiora, infima enim dimidio sunt angustiora] in acutissimum mucronem desinentia. Adnexus ad ramum plerumque est obliquus, ita quidem vt vel bina vel terna propinquo exortu circa rami infimum sint coniuncta, relicto inter coniugationes duorum triumve digitorum interuallo, at superiora agminatum pari ferè passu pinnatimque exsurgunt. Id autem quod spathâ inuolutum fructus sustinet, *Scopa.* non malè scopis comparaueris: à manubrio siquidem compresso, sesquiunciam lato, sensim gracilescente, materie cum ramis persimili, in fila solubili, bacilli scoparum forma, cubitales & ampliores exeunt quàmplurimi, gradatim, ex interuallis modicis, vt totidem è vimine nassarum rudimenta mentiantur: singuli autem bacilli, parte *Bacilli.* inferiore, quæ nuda est, quadrati, tanquam cultro præcisi apparent: superiùs paulò inæqualiter torqueri & crebris tuberculis, quibus fructus adhæret, asperari incipiunt.

Dactyli. Dactyli figura oblonga mediante calyculo sessili bacillis adhærent, cortice externo per maturitatem fuluo, cui subest pulpa pinguis & dulcis: *Membrana.* huic verò subtenditur membrana alba in tenuia filamenta diuidua, proximè ossiculum contegit eiusdem, vt videtur, portio, colore cinereo, albido aut fuluo. *Ossiculum.* Ipsum ossiculum oblongum, modò tenue, bruchi instar, modò crassum benéque habitum, rugosum, altera parte secundum longitudinem sulco profundo exaratum, aduersa parte, suspensa lineola notatum, in cuius medio impressus vmbilicus, cui intrinsecus respondet antrum exiguum, conceptaculum germinis albicantis & *Germen.* mollis. Detracta vltima membrana, substantia apparet rubra vuarum acinis concolor, superficialis, nisi quod ex sulco penitùs se insinuat in intimam ossiculi seu nuclei substantiam albam, duram vt cornu, atque adeò verè osseam, marmorisque fragmenta fractu imitatur: eiusdem duritiam & colorem, cum duritia & colore cornuum mistam gerens, sapore subdulci, & haud instrenuè adstringente, in cuius visceribus medulla latet, *Medullæ.* quæ penè cartilaginis refert naturam.

Flores numerosi, tenuibus quibusdam villis appensi hærent, in magni racemi modum, facie crocinis similes, sed multò minores, colore albi.

Spatha. Ipsa verò vagina, Elate & Spatha priscis scriptoribus dicta, flores & fructuum rudimenta primò claudens, mox hians, diuitias reconditas ostẽdens, quale nos habemus, pedale quiddam est, tres vncias latum, modicè compressum, sed in medio nihilominus protuberans, vtroque extremo angustius, intus cauum, substantia corticosa, arũdinaceam diceres: hæc nouo accedente vere, [vti Marcell. ex eorum relatione qui diu in Aegypto & Syria fuerunt, testatur.] cùm noui in hac arbore fructus appetunt, tumet in summo trunco Palmę, qua parte folia simul & fructus nascuntur, velut in frugibus spicarum vagina: & in vtroque Dracunculo seminis corticosum inuolucrum, tenera primùm, mox lignosa materia, quæ vsque dum flores prodeunt cum latitudine aliqua in lõgum procedit: prolatis deinde floribus, & post flores racemoso Palmularum fructu arescit: relictáque in arbore sequenti anno aufertur non aliter quàm putatione inutilia sarmenta in Vitibus nostris per ver auferuntur.

Theophr. Hanc florum & fructuum, vt ita dicamus, vaginam Theophrast. quoque expressit, inquiens: maximè propria & peculiaris (ἰδιωτάτη) cùm respectu reliquorum seminum, tum eorum quæ ex ligno constãt fructuum (ξυλώδη τῶν καρπῶν) est Palmę generatio. Non enim à vetulis, nec à nouellis [germinibus] fructificat, sed à rudimentis &c: Inter alios quippe ramos virga [ῥάβδος: oculũ rectiùs diceres, nisi Græcum prohiberet] quæ fructum gerit, quemadmodum spica, (καθάπερ στάχυς) erumpit. Cuius rei causam arboris siccitatem quis dixerit, & totam adeò eius formam. (καὶ τὴν ὅλην μορφὴν) Cùm enim fructus egeat munimento quopiam ad conseruationem, & cùm editi sunt, & cùm exeunt: aliarum arborum fructibus hoc præsidium in frondibus comparatur: in Palma verò quoniam non est secundum frondem fructus, necesse fuit in ipso sinu confirmari atque consistere, vt non tener, sed validiusculus prodeat in aerem. *Quomodo fructus exeat.* Iccirco intus in cognato atque sibi necessario [ἐν τῷ συγγενεῖ καὶ οἰκείῳ (quasi gremio primò conceptus atque inchoatus, postea editus est, fortasse quia frugibus inspicandis in morem eius fructificatio peragi debuit. Ergo si fructificatio hæc similis est spicarum fœtificationi: quoniam hæc spicarum editio communis & multis: communem quoque cũ illis multis Palmę fructus causam obtinebit. Quod si soli Palmæ id contingit, priuata causa exquirenda erit. Mirum tamen inter omnes arbores soli Palmæ id euenire: nam si quid peculiare eueniat in congenerum aliquo, id verò iure quodam admirationem meretur. Quamobrem de hoc ampliùs cogitandum.

Cęterùm Palma, vt idem Theophrast. fusè passim describit, ex earum arborum numero est, quę *Descriptio arboris ex Theophr.* semine exeunt: auctu difficilis, perpetua fronde virens, & sola inter arbores nullis ramis constat, præualida alioqui ad sustinenda pondera, non enim flectitur deorsum, vt cætera ligna, sed ponderi retinendo sursum incuruatur, materię tamen est leui, tractu facili ac molli, quemad. Suber: sed *Materies.* melior Subere, quia densa: Suber enim fragile est: [θραυστόν: non rigidum, vti Gaza vertit ex sua opinione, nec ad mentem Theophrasti.] quamo- *Gaza not.* brem simulachra nunc ex Palmis factitant, spreta Suberis materie, vt incommoda. Neruos non per totum corpus diffundit, neque prolixos extendit, neque eodem positurę modo cunctos porrigit, sed multifariam. Siccari hæc materies potest, cùm dolatur & serratur. Vim genitalem in vertice candido tanquam in capite gerit, in quo medullæ copia continetur, quod cerebrum Palmę [ἐγκέφαλος] vocatur: hinc & folia & fructus exeunt, quod cacumen si quis auferat, sterilescere videtur, nec nõ penitùs interiore. Caudice seu trũco assurgit simplici [licet alicubi etiam bifidus & in plures partes diuisus assurgat vt dicetur posteà] recto, firmo cortice scabro & veluti squammis obducto, ligno neruoso, vti dictum, sine tamen medullæ discrimine. Virgæ quas emittit foliis vestiũtur harundineis, sed multis ex vno pediculo lignoso & crasso aculeatóque prodeuntibus in multam longitudinem, angustis, sibi inuicem cùm adhuc nouella sunt cohærentibus, colore subalbido, læuibus, [cultellos vocant, quos in sacris mysteriis vnà cum Olea assumunt] vtilia ad nexus, & ad leuia capitis vmbracula texenda. Eadem postea explicantur duriora effecta ac viridiora, inflexáque ad latera, aliis ex medio stipite succrescentibus. *Foliorum usus.* Figura folii explicati, qualis hominis Palma, (hoc in Palma, humili potiùs obseruatur, de qua posteà) sed longissimis digitis numerosísque quanquam differentias multas sortiatur. *Palma humilis.* Quædam enim etiam explicata nunquam tamen inuicem disiunguntur, vt in modò natis aut nascentibus Palmis omnibus, & in quodam genere peculiari: quędam diuiduntur, sed aliqua tantùm parte, non ex toto, vt relinquat palmæ manus latitudinem, præter digitos, vt in humili genere apparet: quædam ex toto disiunguntur vsque ad pediculum, vt in Palma, quæ dactylos fert, quã hoc capite descripsimus & depinximus. *Foliorum varietas.* Hæc in arborem prægrandem assurgit: cui folia ad longitudinem quatuor cubitorum, & cum sua virga incuruata veluti in orbem sparguntur, (cuiusmodi ramum pictura exhibet) quod Palmæ ramos vocant. His præcisis vestigia in caudice frequenti relinquuntur ad scandendum opportunissima: vt pulchrè obseruari potest in eleganti & procera illa quæ in domo cuiusdam Patricii Monspelii visitur) alioqui si derelinquantur, impenetrabili vallo scandentibus aditum intercludunt, [vt in iuniore illa, quæ in horto Cl. D. D. Hũcheri professoris Regii & Cancell. Med. Vniuersitatis Monspel. conspicitur, animaduerti potest, & quibusdam etiam aliis locis Narbonnæ.] *Palmæ rami.* Fructus racematim velut ex Milii iubis dependent, prodeuntibus non ex medio cerebro, vnde nouella exeũt foliorum germina, sed à latere. *Fructus racematim.* Vestitur initiò racemus tunica conuoluta, similitudinem gerens ensis cuiusdam lati, sua vagina inclusi, (antea ex eodem Theophrast. diximus σπάθην, spatham appellari.) ventre quodam medio elatiore, propè cubitali longitudine stans inter folia. Qua adaperta: & hiante, iuba illa, quæ intus latitabat, in conspectum se dat: ac in mare quidem flores tantùm sine fructu, candidos puluisculo quodam refertos: in fœmina autem fructus sine flore. *Spatha.* Nam Palmarũ τῶν μὲν ἄρρενα αἰσθητόν τὸ δὲ θῆλυ ... ἀλλ᾽ εὐθὺς προφαίνεται τὸν καρπὸν, conceptis verbis testatur idem Theophrast. *Mas flores tantum. Flos quo... Fœmina tantùm fructum fert.*

Tradit prætereà puluerem illum Maris fœminæ aspersum, eam fœcundiorem reddere, neque fructificare ipsas Fœminas, nisi ipsis Mas adfuerit, hoc est, iuxta ipsas consitus sit. *Vt fœmina fœcundior fiat.*

Alpinus ait, Palmæ caudicem in rectum se attollere, viginti passuum & ampliùs altitudine. *Mira Palmæ altitudo.*

Caudicis

Caudicis postremam partem, humi proximam, pondusque totius arboris sustinentem, multò graciliorem debilioremque reliquo caudice esse. [Quod si ita est, aliter ab eo depingitur arbor, aliter describitur. Nam trunci inferiorem partem crassiorem ostendit eius icon. Meliùs illud exprimitur in vltima Matth. editione.] Hinc plures Aegyptiorum hoc miraculo ducti, dixere, Palmas non terra radicibus attracta, sed aëre ex sublimiori arboris parte ali, ac viuere, quod hac etiam coniectura sibiipsis persuadent: quia si Palmæ sublimior pars, [quam cor ipsi vocant,] excidatur, vniuersam plantam illicò arescere obseruarunt: quod non accidit inferiori radicum concisa parte. *Hac ille.* Supernâ parte præcisa, arborem emori, etiam Veteres obseruarunt, vti tradetur. At concisa radice, nec Aegyptii, neque Alpinus nobis persuadebunt, superuiuere arborem.

Alpin. not. Aegyptiorū opinio.

Cæterùm Theoph. authore, lib. 2. c. 8. Palmarum multa sunt genera: Primarium autem & quasi maximum discrimen est, quòd aliæ frugiferæ sint, aliæ steriles. Rursus fructiferarum, aliæ Mares, aliæ fœminæ. Ac ea quidem inter has differentia est, quam iam modò diximus. Mas enim primùm florem in Spatha [ἐν τῇ σπάθῃ Plin. modò Palmitem vertit, modò Spatham.] profert. Fœmina fructum illicò longum. [καὶ δὲ θήλεια καρπὸν ἀδύναμεν habent vulgata: nos cum Scal. legimus ἀδὺ εὐθὺς μακρόν: quia mas πρῶτον ἄνθος φέρει: vt mas primùm floreat: fœmina illicò edat fructum sine flore. Ipsorum etiam fructuum differentiæ plures.

Palmarum differentia Theoph. Fructifera. Steriles. Mares. Fœmina. Theoph. locus corr.

Sed de hoc loco difficultas non leuis oritur in contextu, qui sic habet. οἱ μὲν γὰρ ἀπύρηνοι, οἱ δὲ μαλακοπύρηνοι: id est, quidam nucleo carent, quidam nucleum ferunt mollem. Gaza interposuit apertiores diuisiones, ac ita legit: οἱ μὲν γὰρ ἀπύρηνοι, οἱ δὲ πυρῆνα ἔχοντες, καὶ τούτων οἱ μὲν σκληροπύρηνοι, οἱ δὲ μαλακοπύρηνοι, quam lectionem nec Scal. improbat, & secutus est Dalech. vt sensus sit: alii enim nucleo carent, alii nucleum habent: quidam durum, alii mollem. Plin. verò ita legisse videtur: οἱ μὲν γὰρ σκληροπύρηνοι, οἱ δὲ μαλακοπύρηνοι &c. vt ex infrà eius adductis verbis liquet. Præterea à se inuicem fructus differunt colore quippe alii candidi, alii nigri, alii lutei: denique non pauciores, quàm in Ficis traduntur esse colores, neque pauciora genera. Differunt etiam magnitudine & figura. Quidam enim rotundi sunt, sicut Mala, & eius magnitudinis, vt quatuor tantùm vnica spica comprehendant, succulenti & odorati: [ita enim legimus cum Scaligero. ἔγχυλοι, καὶ ὀσμώδεις, pro ἐστὶ δὲ καὶ ἀπόδεις, vt in vulgatis legitur, nullo sensu: ideoq; Gaza & Dalec. ea transiliit.] Sunt alii parui Cicerum magnitudine: [ἡλίκοι ἐρέβινθοι.] Sed & succis à se inuicem discrepant, sed optimum tam inter candidos quàm nigros genus esse tradunt, quod βασιλικὸν seu Regium nuncupant: sed rarum id esse. Ferè enim in solo horto Batti [Βάττου: alii Βάγου: Gaz. Bagoi: Plin. Σκύθου: alii Βάγω. Sed parùm refert, cùm nomen sit proprium, nec rei multùm addat aut demat,] apud Babylonem inueniri. Est & aliud genus in Cypro peculiare, cuius fructus non maturescit, sed crudus nihilominus valdè suauis dulcisque est, peculiaremque dulcedinem habet. Palmæ quædam non fructu modò, sed & arbore ipsa, tam proceritate quàm fecunditate alias formas distant. Sunt enim quædam minimè proceræ & effusæ, sed humiles & adstrictis ramis, interim aliis etiam fœcundiores, & in trimatu statim feraces, quales plurimæ sunt in Cypro. In Syria & Aegypto Palmæ proueniunt homini altitudine, quæ quadrimæ & quinquennes

Differentia fructuum. Theoph. locus corr. & illustr. Nucleo carentes. Nucleum habentes. Candidi. Nigri. Lutei. Rotundi. Theoph. emend. Parui. Regij. Palma Cypria. Syriaca. Aegyptia.

fructum edunt. Aliud genus in Cypro nascitur folio cæteris ampliore &c. [de quo nos cap. de Musa. lib. 1. hist. nostræ.] Est autem Palma, in genere dicendo, simplici caudice & vnistirps: [μονοστελεχὴς καὶ μονοφυές.] quædam tamen etiam bifidæ [διφυεῖς] exeunt, vt in Aegypto, stantque ita bifurcatæ, & ab ea caudicis parte qua diuiduntur, statura quinque cubitali iuxta se inuicem assurgunt. Tradunt verò plures Cretensium bifidas esse, quasdam & trifidas. In Lapæa verò genus quoddam quinceps [πεντακέφαλον: vulgata habent πεντηκέφαλον, Gaza quino cerebro vertit,] nasci ferunt. Verisimile itaque in fertilioribus locis eiusmodi plures species ac differentias nasci. Aliud genus est, quod aiunt plurimùm gigni in Aethiopia, Cycas [κύκας. Cyce Gaza.] vocant, fruticosum, nec vno assurgens caudice, sed multiplici, & interdum quasi ex multis composito: virgas fundere non longas, sed cubitales tantùm, leui tamen coma cacumini annexa: folio lato, & quasi ex duobus minutis coalito, forma & aspectu pulchro: fructu quoque figura, magnitudine, atque sapore diuerso, quippe cæteris rotundiori, maiori, gustu suauiori, sed minùs dulci. Triennio hoc genus fructum maturat, vt fructum veterem habeat, nouo subnascente. Panes quoque ex his conficiunt. Quæ verò ex Palmis Chamæriphes appellantur, aliud genus est, quasi æquiuocè dictum, de quo cap. seq. *Hactenus de differentiis Palmarum à Theoph. propositis.*

Musa. Vnistirps. Bifida. Trifida: Theoph. locus corr. Aethiopica Cycas dicta Palma. Panes ex Palma. Chamæriphes.

Strabo Georg. lib. 17. pauca quædam genera refert, his verbis. Cùm in tota Aegypto Palma sterilis sit, vel fructum afferat non esculentum, tamen in locis Alexandriæ proximis Thebaica Palma optima est: quare admiratione dignum est, quomodo qui eandem plagam habitant, quam Iudæi & finitimi qui circa Deltam sunt & Alexandriam, tantum ab illa differant, quæ vltra aliam Palmam etiam Caryotam gignit, non multò meliorem quàm Babylonia. In Thebaide, & in Iudæa duplex est Palma, Caryota scilicet atque reliqua. Ac Thebaica quidem quanquam durior sit, gustatu tamen suauior. Est etiam insula quædam quæ Palmam optimam fert, & prouentum maximum Principibus pendit. Extremi quoque Aethiopes Poma alia non habent præter Palmulas, atque eas perpaucas in hortis regiis. Notandum verò quod Strabo dicit, Palmam in tota Aegypto sterilem esse. Aliter tradit Theoph. Aegyptias Palmas quadrimas aut magna ex parte quinquennes fructificare: & mox subiicit Aegyptiæ fructus recentes omnes consumi. Sed quid Plinius? nimirum vt mox dicetur, frugiferam eam nusquam esse ait, nisi in regione feruida. At quotus quisque est, qui Aegyptum non inter feruidarum primas recenseat?

Palma genera Strabonis. Thebaica palma. Caryota Babylonia. Palma Caryota. Palmulæ. Strabo reprehen.

Palmarum plantam Cephalonem vocari Palladius author est.

Cephalo Palladio.

Sed inprimis Plinius etiam consulendus, qui de Palmarum natura ac differentiis quàm diligentissimè tradidisse videtur, in hunc modum lib. 13. c. 4. Iudæa inclyta est vel magis Palmis: quarum natura nunc dicetur. Sunt quidem & in Europa, vulgoque Italia, sed steriles. Ferunt in maritimis Hispaniæ fructum, verùm immitem: dulcem in Africa, sed statim euanescentem. Contrà in Oriente ex his vina, gentiumque aliquibus panis: plurimis verò etiam quadrupedum cibus. Quamobrem iure dicentur externæ. Nulla est in Italia spontè genita, nec in alia parte terrarum, nisi in calida: frugifera verò nusquam, nisi in feruida. Genera earum plura: & prima fruticem non ex-

Palmarum differentia à loco. Plin. Steriles. Vinum & panis è Palma. Locus. Fruticosa.

cedentia: sterilem hunc, alibi & ipsum fertilem, breuique ramorum orbe foliosum. Tectorii vicem hic parietibus plerisque in locis præstat contra aspergines. Procerioribus sylua arbore expissa, foliorum aculeo fruticante circa totas pectinatim, quas syluestres intelligi necesse est. Incerta tamen libidine etiam mitioribus se miscent. Reliquæ teretes atque proceræ, densis gradatisque corticum pollicibus, vt orbibus, faciles se ad scandendum Orientis populis præbent, vtilem sibi arborisque induuiis [arborémque indulus. CH.] circulum mira pernicitate tum homine subeunte. Coma omnis in cacumine: & pomum est, non inter folia, vt in cæteris, sed suis [suos al.] inter ramos palmitibus racemosum, vtraque natura vuæ atque pomi. Folia cultrato mucrone, lateribus in se se bifidatis, bellas primùm demonstrauere gemmas: [leg. bullas cùm primùm demonstrauere gemmeas Dal. Alii, nouellas demonstrauere gemmas: quæ lectio ex Theophrast. probatur.] nunc ad funes vitilium que nexus & capitum leuia vmbracula finduntur. Arboribus, imò potiùs omnibus quæ terra gignit, herbisq; etiam, vtrumque sexum esse diligentissimi naturæ tradunt. Quod in plenum satis sit dixisse hoc in loco. Nullis tamen arboribus manifestiùs. Mas in Palmite floret, fœmina citra florem germinat tantùm spinæ (spicæ: vet.) modo. Vtrisque autem prima nascitur pomi Caro: postea lignum intus, hoc est, semen eius. [Nota Plinio tam marem, quàm fœminam frugiferam, contra Theophrastum. Vocat autem lignum, quod alibi Græcos imitatus osseum dixit.] Argumentum, quòd paruæ sine hoc reperiuntur in eodem Palmite. Est autem oblongum, non, vt Oliuis, orbiculatum. Præterea cæsum, à dorso puluinata fissura, & in aluo media plerisque vmbilicatum, vnde primùm spargitur radix. Multis candidisque lignum hoc à carnibus discernitur tunicis, aliis corpori adhærentibus: laxéque distans, tantùm cacumini filo adhæret. Caro maturescit anno. Quibusdam tamen in locis, vt in Cypro, quanquam ad maturitatem non perueniat, grato sapore dulcis est: & folium ibi latius, fructúsque reliquis rotundior: [fortè iniucundior] nec vt deuoretur corpus, verùm vt expuatur, succo modò expresso. (Hæc à Theophrast. de duobus generibus dicta, malè in vnum confunduntur.) Et in Arabia languidè dulces traduntur esse Palmæ: quanquam Iuba apud Scenitas Arabas præfert omnibus saporibus, quam vocant Dabulan. [Dablan M. & CH.] Cæterùm non sine maribus gignere fœminas spontè edito nemore confirmant: circáque singulos plures nutare in eum pronas blandioribus comis. [Idem prolixiùs Florentinus in Georgicis] Illum erectis hispidum, afflatu visúque ipso, & puluere etiam reliquas maritare. [illas maritari. D.] Huius arbore excisa vidua pòst sterilescere fœminas. Adeóque est veneris intellectus, vt coitus etiam excogitatus sit ab homine, ex maribus flore ac lanugine, interim verò tantùm puluere insperso fœminis. Idem & Theophrast. scribit, & modum specialiùs docet, quem infra tradem us in Cultura eius.

Porrò quod Plin. ait, non sine maribus gignere fœminas, id præter Theophrast. etiam alii testantur. Guiland. in Aegypto & Orient. obseruauit. Item Pontanus, vt dicetur postea.

Pergit Plinius. Quædam in Syria & Aegypto in binas diuidunt se truncos: in Creta & in ternos: quædam & in quinos. In Cypro verò, Syria, Aegypto, quadrimæ aliæ, aliæ quinquennes, altitudine hominis, nullo intus Pomi ligno; quandiu sunt nouellæ, ob id spadonum accepto nomine. Genera eorum multa. Sterilibus ad materias, operúmque lautiora vtitur Assyria, & tota Persis. Sunt & cæduæ Palmarum quoque syluæ, germinantes rursus ac radice succisæ. Dulcis medulla earum in cacumine, quòd cerebrum appellant, exemptáque viuunt, quod non aliæ. Vocantur autem Chameropes. Fructiferarum aliis breuius lignum in pomo, aliis longius: his mollius, illis durius: quibusdam osseum lunatúmque, [limatúmque CH.] dente contra fascinantes religione politum. Aliud pluribus vestitum paucioribúsq; tunicis, aliud crassioribus tenuioribúsue. Ita fiunt vndequinquaginta genera, si quis omnium persequi velit nomina, etiam barbara, vinorúmque ex iis differentias. Clarissimæ omnium, quas Regias appellauere ab honore, quoniam regibus tantùm Persidis seruabâtur, Babylone natæ vno in horto *Bagou*. Ita enim vocant spadones: qui apud eos etiam regnauere. Hortus ille nunquam nisi dominantis in aula fuit. At in meridiano orbe præcipuam obtinent nobilitatem Syagri, proximámq; Margarides. (Magatilides alii. Ex breues, candidæ, rotundæ, acinis, quàm balanis similiores. Quare & nomen à margaritis accepere. Vna earum arbor in Chora esse traditur, vna & Syagrorum. Mirúmque de ea accepimus, cùm phœnice aue, quæ putatur ex huius Palmæ argumento nomen accepisse, emori ac renasci ex seipsa: eráque cùm hęc proderem fertilis. Ipsum pomum grande, durum, horridum, & à cæteris generibus distans sapore ferino, quem fermè in apris nouimus: euidentissiméque inde causa nominis. Quarta autoritas Sandalidum, à similitudine appellatarum. Iam in Aethiopiæ fine quinque earum nec plures arbores tradunt, non raritate magis quàm suauitate mirabiles. Ab his Caryotæ maximè celebrantur, & cibo quidem, sed & succo vberrimæ. Ex quibus præcipua vina Orienti, (E Chydęis maturis fieri scribit idem Plin. alibi vt & Dioscor.) iniquacapiti, vnde Pomo nomen (nempe ἀπὸ τοῦ κάρου.) Sed vt copia ibi atque fertilitas, ita nobilitas in Iudęa, nec in tota, sed Hierichunte maximè. Quanquam laudatæ & Archelaide, & Phaselide atque Liuiade, gentis eiusdem conuallibus. Dos his præcipua succo pingui lactentibus, quodámque vini sapore, ut in melle prędulci. Sicciores in hoc genere Nicolai, sed amplitudinis præcipuæ, quaterni cubitorum longitudinem efficiunt. Minùs speciosæ, sed sapore Caryotarum sorores dictæ, proximam suauitatem habent, non tamen eandem. Tertium ex his genus Pateton, [Patete CH. alibi ait fieri & è Palmis, quo Parthi & Indi vtuntur, & Oriens totus, maturarum quas vocant Chydæas modio in aquæ congiis tribus macerato expressóque] nimio liquore abundat: rumpitque se pomi ipsius, etiam in sua matre, ebrietas, calcatis similis. Suum genus è sicciore turba dactylis, prælonga gracilitate curuatis interim. Nam quos ex his honori Deorum dicamus, Chydęos (viles, exigui pretii D.) appellauit Iudæa, *Gens contumeliâ Numinum insignis.* In totum arentes Thebaides (sic dictæ à Thebis Aegypti. Papinio in syluis Thebaicæ. *Charta, Thebaicene, Caricane.* Rhod.) atque Arabicæ, macrόque corpore exiles, & assiduo vapore torrentes, crustam veriùs, quàm cutem obducunt. In ipsa quidem Aethiopia friatur, [tanta est siccitas] & farinæ modo spissatur in panem. Gignitur autem in frutice ramis cubitalibus, folio latiore, pomo rotundo, sed maiore, quàm Mali, amplitudine, triennio maturescunt

Marginalia (left column): *Procera.* — *Contexta.* — *Coma.* — *Vsus* — *Mas. Fœmina.* — *Plinio tam mas quam fœmina fructifera. Ossei descriptio.* — *Tunica.* — *Plin. reprehe. Languidè dulces. Dabula.* — *Fœminam non fructificare sine mare.*

Marginalia (right column): *Spadones.* — *Palma cerebrum. Chamæropes. Ossium differentia.* — *Genera vndequinquaginta. Phœn. Regia.* — *Hortus Bagou.* — *Syagri. Margarides.* — *Phœnix auis.* — *Sandalides.* — *Caryotæ* — *Vinú. Chydæi.* — *Lauan.* — *Archelaide. Phaselide. Liuiada. Palma Nicolai amplissi.* — *Adelphides.* — *Patetoni.* — *Vinum fœtidum.* — *Dactyli.* — *Chydæi. Iudæorum nomen. Thebaides. Thebaica. Arabica.* — *Panis.*

Thebaides condita. turescunt: semperque frutici pomum est, subnascente alio. Thebaidis fructus extemplò in cados conduntur, cum sui ardoris anima: ni ita fiat celeriter expirat: [ita fit vt celeriter expiret CH.] marcescitque non retostus furnis. Ex reliquo genere *Plebeia. Tragemata. Balani.* Plebeiæ videntur. Syri & Iuba tragemata appellant. Nam in aliqua parte Phœnices, Ciliciæque, populari etiam nomine à nobis appellantur Balani. Eorum quoque plura genera. Differunt figura rotunditatis aut proceritatis. Differunt & colore, nigriores, ac rubentes. Nec pauciores Fici [quàm Fico Theoph.] traduntur colores. Maximè tamen placent candidi. Distant & magnitudine. *Dactyli cubitales.* Quidam sunt non ampliores Faba [Cicere Theoph.] Seruantur hi demùm, qui nascuntur in *Delectus.* salsis atque sabulosis, vt in Iudæa, & Cyrenaica Africa. Non item in Aegypto, Cypro, Syria, & Seleucia Assiriæ. Quamobrem sues & reliqua ani*Suum cibus.*malia ex his saginantur. Vitiati aut vetusti pomi signum est, decidisse candidam verrucam quæ ra*Palma adipsos.*cemo adhæserit. Est & Palma in Aegypto, quæ vocatur Adipsos, viridis, odore Mali cotonei, nullo intus ligno. Colligitur autem paulò antè quàm incipiat maturescere. Quod relinquitur [Quod *Phœnicobalanus.* si relinquatur. M. & CH.] Phœnicobalanus vocatur, & nigrescit, vescentesque inebriat. Cæterùm *Plin. illust.* Palmula Aegyptia quæ Plinio hoc loco ἄδιψος dicta, medio suæ maturitatis tempore πῶμα, quasi *Cur ἄδιψος dicta.* potus seu potio vocatur Dioscoridi. Ἄδιψος dicta, quoniam humore multo plena non aliter sitim minuit, quàm si bibatur aqua, nec caput tentat, ac maturitate percocta, à puniceo, siue Phœ*Cur phœnicobalanus.*niceo colore Phœnicobalanus dicitur: ac sic caput grauat, vt, quod ait Solinus, sensus intercipiatur, gressus præpediatur, lingua retardetur, obsessisq; mentis & corporis officiis, imitetur vitium ebrietatis.

Quod verò Plin. de Palma adipso tradit, id Dioscor. de Palmulis refert, verùm non ait, os siue li*Apyrenos.*gnum intus nullum esse. At Theoph. quoque speciem agnoscit, quæ nullum intus habeat os, ἀπύρηνος dicta eidem & Actio, qui id fieri scribit & natura & arte, sed quænam ea sit ars, non explicat.

Myrobalanus. Plin. quoque alibi ait Palmam quæ fert Myrobalanum, probatissimam in Aegypto, ossa non habere reliquarum modo in balanis, quod Dalec. ita exponit. Colligi virides & immaturas balanos, pomo carne sua tantùm obtecto, nondum genito intus nucleo: ex lib. 12. cap. 22. vt ipsemet citat. Ast sanè Plinii verba aliter sonant. At enim, nul*Dalec. reprob.*lo intus ligno, & colligi paulò antè quàm incipiant maturescere: quanquam lib. 13. cap. 4. dicat Palmæ mari & fœminæ nasci Pomi carnem: postea lignum intus, hoc est, semen eius: Ex quibus tamen verbis nunquam extorquebit Dalec. quod intendit. Reprehendit verò Plinium, cum malè lignum vocare inquiens, cùm sit officulum, quasi *Plin. purif. Latinus.* ipse velit docere Plinium, purissimum Scriptorem, Latinè loqui. Certum quidem à Græcis, vt Theophrast. & aliis os vocari, vt & suprà monuimus: quanquam si rem ipsam inspiciamus, æquè ad ligneam naturam, & fortè etiam magis, quàm ad osseam accedere videbuntur.

Porrò ipse quoque Plin. apertis verbis lib. 15. c. 28. scribit, cuidam Palmarum generi nec intus, nec extra esse lignum. Item carne Palmas placere, crusta Thebaicas, succo Caryotas.

Palmarum comparatio. Dioscauthor est Palmam in Aegypto gigni. Ex ea verò fructum in medio Autumni vigore colligi, Arabicæ Myrobalano similem, quæ Poma *Poma.* [πῶμα] dicatur, colore viridi, Mali cotonei odorem referente. Quod si dimittatur, vt maturescat, *Phœnicobalanus. Caryotides. Thebaicæ.* Phœnicobalanum fieri. Idem & καρυωτῶν meminit, & θηβαικῶν, & nucleos Aegyptiarum, atque ex *Aegyptia. Palma humilis.* humilibus Palmis [ἐκ τῶν χαμαιζήλων φοινίκων] cæteris in vsu medico præfert. Item, ἐλάτη inquit, id est *Nuclei delectus.* Palma, quam nonnulli ἐλάτην aut σπάθην [Elaten aut spatham] appellant, inuolucrum est Palma*Palma Elate.*rum [φοινίκων] adhuc florentium. Optima habetur odorata, adstringens, pondere sola, præclusa, interna parte pinguis. Sed & fructus qui sub ea continetur Elate appellatur, à nonnullis Borassus. *Spatha delectus. Elate fructus.* [βόρασσος] Et medulla caudicis, ἐγκέφαλος τοῦ φοίνικος vocatur. Idem & alibi Palmæ Chydnææ siue Sula*Palma Chydnæa siue Sulanea.*neæ meminit. Diligentibus verò considerandum relinquimus, an Palmæ Spatha sit odorata, vt ait Diosc.

Palmulas porrò Thebaicas, sunt qui putarint Officinarum esse Tamarindos, quos ab acido sapore nonnulli ὀξυφοίνικας vocant, verùm omninò differunt à Palmis & Dactylis, Thebaicæ autem reuera genuinis Palmarum generibus accensendæ videntur: nam, vel Strabone teste, omnium censentur optimæ ac suauissimæ, & inter eas maximè quæ Caryotæ dicuntur, vti prius dictum, cui etiam consentit Plin.

Præterea Palmæ fructus Pomis accensentur, *Tamarindos non esse de palmarum censu. Diosc. illust.* quod de Tamarindis nemo naturæ stirpium gnarus facilè dixerit, cuius fructus potiùs inter siliquas referendus. Doctissimus Saracenus in notis suis ad Diosc. pro πῶμα, πόμα legendum suspicatur, seruata Analogia, ἀπὸ τοῦ πίνειν: quamuis etiam πῶμα pro poculo aut potione interdum, sed *πῶμα vnde.* rarius vsurpetur. Quòd si πῶμα, quasi Pomum Latinorum, dictum quis velit quandocumque φοίνιξ seu Palmæ fructum, quòd, vti dictum, sit de censu Pomorum generaliter dictorum possit.

Pericarpium Elate Spatha. Amphiesma. Galeni locus corr. Sebasum. Cæterùm περικάρπιον istud, quod ἐλάτην seu σπάθην appellat Diosc. nominat Paulus τὸ περίσαρκον, ἤτοι ἀμφίεσμα τὸ καρπὸν τοῦ φοίνικος, hoc est, operimentum fructum enascentem ambiens. Galenus verò τὸ ἐν ἀυξήσει φοίνικος, quo loco ἀμφίεσμα deprauatè legitur. Archigenes apud Gal. 2. κατὰ τόπους, eandem σεβάσιν appellat, quam quidem vocem obscuriùs exponit Hesychius, τὸ ἐν ἄκρῳ τοῦ φοίνικος φλοιῶδες φυόμενον, quod in summa Palma corticosum enascitur.

Elate homonymum. Palma cortex. Palmæ fructus. Apud Diosc. ἐλάτης nomine, non tantùm eiusmodi tegumentum, Palmæ corticem Plin. & Columellæ dictum, significari, sed fructum quoque ipsum eo cortice inclusum, ex ipsismet Diosc. verbis liquet.

Alia ab his diuersa significatione ἐλάτης vocem vsurpauit Gal. loco citato, dum τὸ ἁπαλὸν ἐκβλάστημα τοῦ φοίνικος, Palmæ tenellum germen esse voluit. *Palmæ germen.* Cum eo sensit idem Hesychius, ἐλάτην, explicans, φοῖνιξ τὸ πρὸ τοῦ ἀνθεῖν ἔνδον. Placuit hæc obiter ex *Differt Elate Gal. ab Elate Diosc.* Cornar. & aliorum Obseruat. annotare, vt intelligant studiosi ἐλάτην Galeni à Diosc. Elate diuersam esse.

Et quoniam in vocum explicationem incidimus, placet & hæc adiicere. Palma vitalem vim non in radicibus defossam, vt cæteræ stirpes habet, sed in summo trunci vertice, [vt ex præcedentibus liquet] quasi cor, sitam in ramorum medio, à quibus circumquaque stipatur ceu princeps à suis satellitibus. Eam partem ἐγκέφαλον φοίνικος vocat Diosc. caudicis quasi corculum seu me*Cor.*dullam, quam ἀμυελὸν Theophr. καρδίαν, μήτραν, seu μυελὸν appellare consueuit. Idem speciatim etiam lib. 2. hist. c. 8. Strabo lib. 15. Plutarch. in lib. de tu. san. Philostratus lib. 2. de vita Apollonii ἐγκέ-

Cephalon.

φαλον τοῦ φοίνικος: vulgus, Cephalonem: qua dictione etiam Palladius vtitur sed toto opere tantùm semel. Plin. idem & medullam & cerebrum dixit, quod Dioscor. ἐγκέφαλον. Sanè hic etiam idē quod reliqui Græci scilicet, & Latini sensisse censendus est, quatenus cerebrum à Veterum plerisque ἐγκέφαλος & ἐγκέφαλος quoque dicitur, quemadmodum ex Lycophrone & Plutarchi Sympoſiacis annotauit Eustachius in noua Iliadis rhapsodia.

Falluntur tamen, inquit Saracenus, qui in Palma ἐγκέφαλον τοῦ φοίνικος cum ἐγκεφάλῳ idem esse censent: quamuis ipse ἐγκεφάλῳ suum etiam ἐγκέφαλον esse non negauerim. Gal. siquidem 2. de alim. fac. φοίνικος ἐγκέφαλον vulgò appellari ait, τὴν κορυφὴν τοῦ φοίνικος, Palmæ videlicet turionem seu summitatem, quam etiam citra famem à nonnullis esitari ibidem commemorat. Idem 4. simpl. ἐγκέφαλον interpretatur, τὸ ἀκρότατον τοῦ φοίνικος, summam partem Palmę. Lib. verò de atten. vict. rat. tenerum germen, quod è summa ipsa planta producitur. Sic Plin. humilium Palmarum [quas ipse Chamærops, Theophrast. χαμαιριφεῖς Dioscor. χαμαιζήλους vocat] dulcem ait esse medullam in cacumine, quod cerebrum appellant. Xenoph. l. 2. ἀναβάσεως. ἐνταῦθα καὶ τὸν ἐγκέφαλον τοῦ φοίνικος πρῶτον ἔφαγον οἱ στρατιῶται &c. Nicand. in Georg. Apud Athen. lib. 2. Σὺν καὶ φοίνικος νεαρὸν ... ἐγκέφαλον ... : quæ specialiùs traduntur in viribus. In lib. de stirpibus falsò Aristoteli attributis scribitur Eunuchos appellari quoddam genus Palmulæ, quod alii Enorchos vocent, quasi testiculares aut spadonias. Sic autem ait: φοίνικας ... ὥς τινες ἀνόρχους καλοῦσιν, οἱ δὲ ἀπυρήνους, vt citat Athen. apud quem ita redditur à Dal. φοίνικας, Palmarum nonnullas tanquam testibus carentes, ἀνόρχους, vocant quidam, ἀνόρχους castratas, alii ἀπυρήνους nucleorum expertes: annotátque Aristotelem his verbis intelligere Palmulam Adipson Plin. & τὸ ἄδιψον Diosc. cui lignum ideò nullum intus esse putat Dalechamp. quia viridis & immaturus decerpatur, priusquàm genitus sit nucleus. Palmulis enim (addit) prima nascitur Pomi caro, postea lignum intus, hoc est, semen eius. Argumentum quòd paruæ sine hoc reperiantur in eodem Palmite. Sed hanc Dalechamp. opinionem iam antea reiecimus, diximusque distinctam peculiaremque esse speciem τῶν ἀπυρήνων.

Palma Coryphe. seu turio.

Humilis Palma.

Cerebrum.

Eunuchi.

Dalech.

Etsi verò vox ἀνόρχους, quam idem pro ἐνόρχους [sic enim legendum apud Athen. non ἐνόρχων, vt in vulgatis corruptè habetur] reponit, apprimè competat rei, eam tamen apud nullum probatum autorem hactenus legimus, nec Budæus, Tusanus, & Constantinus in probatissimo suo Lexico de ea quicquam tradunt. At ἐνόρχης præter Athen. etiam, Aristoph. meminit sed contraria significatione, nempe pro mare, seu testiculato: ἐνόρχης verò Cyrillus pro eo quod vnicum testiculum habet.

Athen. emend.

Pergit Athenæus. Hellanicus, in suo ad Ammonem ascensu, si germanum & verum id opus illius est, ac Phormus Comicus in Atalantis, φοίνικας Palmæ fructum vocarunt. De Palmulis quas Nicolaos vocant, & quæ aduehuntur à Syria, hoc tantùm vobis possum dicere, ab Augusto imperatore hoc nomen inditum fuisse, qui admodum cibo eo delectaretur, quòd Nicolaus Damascenus eius amicus Palmulas sæpiùs illas ad ipsum mitteret. Fuit quidem is Nicolaus Peripateticus, & historiam luculentam condidit. *Hæc ille.* Plutarchus quoque scripsit Augustum à Nicolao Philosopho maximas pulcherrimásque Phœnicobalanos siue palmulas, Nicolaos appellasse. Earundē quoque Paulus lib. 7. meminit in epithemate vel cataplasmate ex vinaceis, vbi φοίνικας νικολάους Nic. conijcere iubet: Harum palmularum autem ex Plinio meminimus, apud quem diuersa lectio cōsideranda: Hermolaus enim scribit Nicolai siccióres, amplitudinis vastæ, & quæ cubitorum quaternorum longitudinem compleant: melius tamen nobis placet, lectio vulgata, quam supra posuimus. Vastæ sanè essent amplitudinis fructus, si ita legeretur, vt legit Hermolaus, quinimò, magnitudo etiā non parua est, secundum lectionem vulgatam Plinii, quam meo iudicio non tenuisset Plutarchus, & Athenæus. Paulus etiam tot non præscriberet in suo epithemate, nos verò suspicamur apud Plinium legendum amplitudinis præcipuæ quaternorum digitorum longitudinem efficiunt. Non sunt etiam Nuces Indicæ, vt videtur Cæsalpino ex Xenophonte. Meminit prętera Athenæus magnitudine & pulchritudine admirabilium, Electro similium: de quibus infra inter vires. Melanippides Milesius in Danaidibus, vt legimus apud eundem Athenæum, ἀδύτου φοίνικας celebrat, Phœnicemque vocat non Palmam arborem, sed fructum illius, quem inter Syriæ insignes opes recenset.

Nicolai Palmula.

Phœnicobalani ...

Plinii diuersa lectio palmularū Nicolai. Hermol. not.

Cæsalp. reprob.

Palmula Electro similis, magna.

Pausaniæ in Arcadicis, seu lib. 8. Antiquissima Palma *Deli* dicta. *Machla*, vt legimus apud Serap. Arabibus Palmam denotat: *Cyfiliones* sunt summitates: cortex cacuminis est *Lafri* & *Kafri*: fructus immaturus est *Balach* Dioscoridis. Palmæ fructus similis est grano, [Myrobalano Dioscor.] quod ex Arabia adfertur. Cùm est viridis dicitur Betonia [Poma Diosc.] & est Balach. Quum fit *bassa* [maturescit] nominatur Panchiotoma, i. phœnicobalan. Diosc.] & *Bassar* (recentes Diosc.) magis astringit, quàm *Chesb.* (sicci) &c. *Cedumactimas* est nucleus seu os Dactyli &c. (nuclei ex Aegypto ex humilibus Palmis. Dioscor.) Idem & Caryotidum appellatarum, & Thebaicarum meminit. Eidem mox cortex *Cafri* dicitur. Autore Ahamet apud eundem, *Cyfilio* est Palmæ internum cor album. Item alibi: *Rorab*, id est, Dactyli. Aben Mesuaio teste, meliores sunt *Rorab* Zuccharini, & *Habarad* & *Hayron*.

Machla Serapioni. Cyfiliones. Lafri. Kafri. Balach. Betonia. Panchiotoma. Sedumactimas.

Cafri.

Rorab. Habarad. Hayron.

Abohanifa autore *Hayron* est species Dactylorum, colore citrino & rubeo. Yhaya verò dicit, *Hayron* esse meliorem speciem *Rorab*. Sequuntur glauci, qui non sunt nigri. Rasi, *Rorab. Hæc Serapio.* In nostro Rasi siue Raza lib. 3. cap. 20. distinguuntur Dactyli à *Rotab* (ita enim scribitur, non *Rorab*) dum ait: *Rotab* minùs calidi sunt quàm Dactyli.

Rotab.

Luminare maius: Dactyli inquit, iuxta Matth. Syluaticum & secundū Simeonem Ianuensem & Serapionem dicuntur *Rotab*. Sed Rasis in 3. Almāsoris, cap. de virtutibus fructuum dicit Rotab minùs calidos Dactylis. Ergo Rotab non sunt Dactyli. Cheiron sunt denominati à loco, vel Hayron, vt asserit Matthiol. Syluaticus. Verùm vt hoc obiter dicamus, non videtur adeò simpliciter concludere ratiocinatio Luminaris maioris. Potest enim *Rotab* species quędam esse Dactylorum, nudè & simpliciter dictorum, de quo tamen nihil certi asserere possumus. Perquirant peritiores.

Cheiron. Hayron.

Aduersaria volunt in Mesue legendum esse Dactyli *Keyron*, à Chayro oppido, vt habet vetus codex. Ideò Syluium malè legisse *Cyrron*, quod fulsum vertit.

Sed emersi tandem ex Barbaris istis voculis, Recentiorum Herbariorum quorundam de Palma

Palmae ramos. [illegible] inaudiuimus, inter quos ferè primus Hermol. paucos Palmæ ramos tribuit [loquitur autem dè Palma vulgatissima, quæ dactylos fert, quamque depictam dedimus] impropriè nimirum virgas ramos appellans, quæ tamen plurimæ sunt. Aut si alicubi in ramos brachiatam vidit, cur locum non declarat? *Hermol. not.* Bifidas, trifidas, immò etiam quincipedes supra diximus ex Theoph. Medullam omnem Palmæ denegat idem Herm. à qua Myrobalanum cognominatam toto genere distinctam ait. *Medulla nulla. Myrob.* Palmulas è mari *Plenes*, è fœmina *Balanos* appellari, ex Iulio Polluce tradit, qui sumpsit ab Herodoto. *Plenes. Balanus.* Phœnix non modò Palmam, sed & herbam denotat, dè qua inter herbas. *Aequiuoca.* Item musicum instrumentum, ab inuentore ita dictum, siue vt aliis placet, quia primùm ex Deliana palma, cubiti eius facti fuerunt. Ipsos Palmarum cum fructu termites, *Baia & Spadices* Græci præsertim Dorici appellant, à quo & color equino generi spadix aut spadiceus & phœniceus, hoc est, Palmeus: vnde vulgò quoque *baius*: *Baia. Spadices. Color palmeus.* alioqui phœniceus propriè is est, qui vermiculus & puniceus vocatur ab Eusebio siue Hieronymo in Chronicis, nomen habens à Phœnice illo qui literas inuenerit. Caryotidum siue Caryotarum Hermol. tria genera tradit: *Caryotidũ differentia Herm. Sicciores Nicolai.* Nicolai sicciores, amplitudinis vastæ, vt quæ cubitorum quaternûm longitudinem compleant: de quibus paulò antè ex Athenæo. Alterum genus minùs speciosæ, sed sapore Caryotarum proximo sorores, vnde nomen. *Sorores.* Tertium genus nimio liquore madidum, rumpente se pomo in parente ipsa quoque calcato simile: ob id Pateton appellatum. *Pateton.* *Chamæzelon* idem apud Diosc. Pumilam interpretatur, & à *Chamærriphe* Theophr. appellata, hoc est, abiecta & repente humi Palmâ distinguit. *Chamærriphe.*

Porrò quod in Ægypto natis Palmulas Arabicis Myrobalanis comparauit Dioscorid. figura aut quantitate similitudinem hanc intelligendam censet Marcellus: *Palmula Marcello. Myrobalanus Arabicus.* nam [inquit] quod ad odorem & vsum pertinet, nulla erat similitudo: odoratus enim Arabicus Myrobalanus, & vnguentis quondam tantùm natus, vt cuncta alia quæ in felici & odorum feraci Arabia nascebantur, & vt videre licet, adhuc nascuntur: Aegyptiæ verò, omnesque aliæ Palmulæ in cibis & in Medicina quotidianum habent vsum, inclinat animus tamen, facileque persuadeor congeneres plantas & fructus esse, diuersisque regionibus natos, diuersa bonitate diuersos habuisse vsus: & quoniam in Arabia natæ ob odoris bonitatem ad vnguenta exprimerentur Myrobalani facto ex vnguento & glande nomine appellatas fuisse: cæteras verò omnes ex aliis notis laudes & nomina inuenisse. Indicatque id Plin. qui in lib. xii. antequam ab odoratis in Arabia discederet, post Casiam, Cinnamomum aliaque multa, de Myrobalano egit, statimque illi coniunxit, quòd ad Aegyptias palmulas & Phœnicobalanos pertineret: quasi natalium non generis inter Myrobalanos & Aegyptias palmulas discrimen sit. *Discrimen inter Myrobalanos & Aegyptias Palmulas.*

Cordus Hermolaum reprehendit & magni erroris insimulat, *Hermol. not.* quòd Nicolaos palmulas scribit quaternûm cubitorum habere longitudinem, cùm Plinius dicat, earum quaternas cubiti longitudinem habere. Auxit itaque Barbarus decies & sexies earum mensuram. Cordus ipse multa ponere videtur in sua Palmæ descriptione, quæ pertinent ad Palmam, siue nucem Indicam. *Cordus not.* Neq; intelligimus descriptionem Elates eiusdem: nam nec squammatum compactilem, nec pinguem, nec odoratam obseruauimus.

Tragus ad Palmæ suam historiam, falsam apponit figuram, *Tragus not.* nam Dactylos ex summitate ramorum pendentes ostendit, non ex Spatha: quem errorem & Gualth. Ryff. secutus est. *Ryff not.* Nec placet apud eundem & Lonicerum Tamarindos iungi, quasi eius quoque sint fructus. Sed decepti sunt: quod v. Tamarindi etiam Dactyli dicuntur à Mesue, & Iacobo Manlio placet.

Fallitur & Lonic. in eo quòd ait φοινικοβάλανον seu Palmæ glandem etiam ἐγκέφαλον, id est, cerebrum appellari à Galeno. *Lonic. not.* Nam & Galeno imponit, & vel ex ipso Dioscor. discere potuit aliud esse φοινικοβάλανον Diosc. & ἐγκέφαλον Gal. vt ex præcedentibus liquet.

Duas figuras habet Lonic. sed vtramque falsam. Idem parum scitè Spatham in Palma, nil aliud esse censet quàm folia.

Plinium taxat Cor. eum [inquiens] non agnouisse Myrobalanum, [siue vnguentariam balanum] & cum immaturo Palmæ fructu confudisse. *Plin. not.* Non enim ille Palmæ fructus Myrobalano similis in vnguentis vsum habet, sed similis est, vt Diosc. ait, magnitudine. Grauiùs deliquit, vbi ait, Palma fert Myrobalanon: *Alter Plin. error.* non enim Palma fert Myrobalanum, sed alia arbor. Quare Phœnicobalanum legendum esse videtur, si non rursus confusionem illi imputare velimus, etiamsi Phœnicobalanus maturus saltem Palmæ fructus vocetur, & ipse hic de immaturo loquatur.

Sunt qui priuatum quoddam Palmæ genus Adipson vocatum à Plin. Myrobalanum appellatam esse volunt: *Adipsos nõ particularis Palma species.* hi palàm redarguuntur à Diosc. qui eidem Palmæ, & Poma immaturum, & Phœnicobalanum maturum fructum attribuit, & ab ipso etiam Plin. qui quod de Adipso relinquitur, Phœnicobalanum vocari dixit.

Deceptus & in eo Plin. quòd peculiarem arborem Palmam Elaten siue Spathen prodidit, *Alius Plin. error. Elate Spathe.* ipsamque medicinæ germina, folia, corticem conferre dixit: quum tamen omnem medicinam ab ipso traditam, vna pars quæ fructus tegumentum & inuolucrum est, præstet: deinde etiam ipse fructus, borassus appellatus, idem efficiat. *Borassus.* Sed hæc lib. 23. c. 5. tradit, vt qui de ipsa arbore antea lib. 12. fine, longè maiore errore dixisset. Est præterea arbor ad eadem vnguenta pertinens, quam alii Elatem vocant, quod nos Abietem, alii Palmam, alii Spathen. Videtur enim vel Palmam cum Abiete confundere, vel sanè insinuare velle Abietem quoque ad eadem vnguenta pertinere. *Plin. not.*

Ferendi non sunt, qui Elaten, [vt de Abiete nihil dicamus, quæ nihil commune habet cum Palma, seu Palmæ cortice Elate, aut Spatha dicta] Palmam & Spathen inter se confundunt, quæ à se inuicem manifestè distinguuntur in præcedentibus.

Bellon. Palmarum abortiuarum meminit, de quibus posteà c. de Palma humili. *Palma abortiua Bellon.*

Curtius Palmam Adipson separat à cæteris, atque ab ipsa adeò genuina Palma contra Dioscor. mentem. *Curt. not. Adipsos.* Adipsos relinquenda sub genere verarum Palmarum: ex ea enim Phœnicobalanos. Quis autem scripsit [quòd idem ait] Adipson folio Myrti? *Folia Myrti.* Videtur Curtius sibi confinxisse descriptionem Palmæ, quæ non est in rerum natura, confusis diuersarum plantarum notis.

Matthiol. in diuersis suæ historiæ editionibus diuersas Palmæ figuras effinxit. Nam in prima editione Dactylos appingebat foliis. In secunda mutauit, sed non in melius, omisitque Spatham: tandem in postremis editionibus meliùs ex Spathis emergentes fructus expressit. Atqui præsti-

tisset vel in prioribus etiam editionibus quorundam imitatione omittere fructum, quàm non visum falsò & ex suo cerebello appingere. Non enim Dactyli adhærent foliis, id quod tantus Botanicus poterat discere ex Dioscor. qui ἐλάτην ἢ σπάθην vocat ... prout & nos obseruauimus in trunci vertice, ex quo exit inuolucrum magnum & speciosum, in quo continentur multi veluti ramuli satis longi, qui sunt instar virgarum crisparum, quibus adhærent Dactyli alternatim positi.

Annotat Theuetus in eodem ramo reperiri quasdam Palmulas paruas sine ossibus.

Miror quod scribit Lacuna Elatem esse qui existiment esse Coccum Indicum: alios qui Macem, vtrinque tamen falluntur, immò nihil ferè commune aut simile inter se habent, vti constat omnia ista noscentibus, vt fusius declarabitur suis locis.

Ipse verò Lacuna quoque cum Amato hallucinatur, existimante vtroque, Tamarindos esse Palmulas Thebaicas: hoc etiam amplius sibi persuadente Nucem Indicam esse Elatem.

Sed à priore opinione non prorsus alienus fuisse videtur doctiss. Scaliger. qui in notis suis ad Theophrast. ita scribit: Palmulæ quæ ex Alexandria ad nos afferuntur permultos durant annos: quas, si dicas, ab Indis conuehi; quæram qua ratione peculiari vocant aliud certum genus medicamenti, Tamarindos. Tamar enim Palmulam significat. At Curtius Tamar Barbaris Dactylum esse ait.

Dod. scribit Palmam proceram admodum esse arborem: sed an talem viderit non annotat. Caryotæ sunt et dulciores Palmulæ.

Guiland. apud Plin. lib. 13. cap. 11. vbi ex Varrone memorat in Palmæ foliis scriptitatum, Maluæ foliis reponendum censet. Ast sanè nobis Maluæ folia parum videntur apta scriptioni, vt taceamus ipsum manet Plin. pro Papyro annotasse de quo postea, & capite de Indica Palma vulgò Nux Indica dictâ.

Cæsalpinus nobis minimè probatur, qui putat Mirobalanos vulgò dictas esse ex genere Palmarum, sicque dici quasi Myrobalanos, vt aliquando Plin. vocat, quos fert Palma probatissima in Aegypto, quæ ossa non habet in balanis &c: Sed deceptus fuit Cæsalp. hac Plinii lectione, quam vel corruptam esse oportet, vt fortè legendum sit, Phœnicobalanos: vel sanè æquiuocè ibi accipit à Plinio vocem Myrobalani: nam ex Myrobalanorum historia facilè Lectori constabit, non esse de genere Palmarum, nisi quis plurimùm differentes plantas sub vnum genus cogere velit. Sed addit Cæsalpin. Quid si Embilicos Phœnicobalanos dicamus: qui os intus habent, ad Thebaicos & Arabicos Mirobalanos reducamus? Hæc ille. Verùm qui diligēter cōsiderabit ea quæ de Myrobalanis suo loco tradidimus, is facilè à Phœnicobalanis & cæteris discernet.

Audiendus quoque Cardanus de rerum varietate lib. 6. cap. 20. Palmarum tot sunt genera, inquit, vt non vna arbor censeatur, sed quædam ligno maximè probantur: nam hastis conficiendis adeò sunt idoneæ, vt absque ferro feriant acriter, nec tamen frangantur aut flectantur, quæ verò nigræ sunt, pulchritudine præstant: porrò coloris causa est exustio, duritiei soliditas ex humido tenui, bene concocto: quid enim prohibet, cùm ferrum quod ducitur & liquescit, tam vehementer feriat diuidatque, quin & ligna idem non possint? Sed & ossa & lapides huic vsui apta sunt, verùm ferrum, non duritie, sed tenacitate præstat.

Cæterùm vt Palmæ nomina & Synonyma in vnum quasi fasciculum collecta demus, φοίνικα Græci arborem & fructum simul dixerunt, à colore pomi facto vtrique nomine: φοινίσσειν enim & φοινικίζειν puniceo colore rubere est, quo maturi in hac arbore fructus videntur. Homerus sanè ob arboris huius pulchritudinem Phœniciæ puellæ venustatem Palmæ ramo assimilauit. Latini arborem *Palmam*, fructum verò *Palmulam* dixerūt: indicatque id in Claudio Suetonius, quem in conuiuio & inter epulas obdormiscentem Oliuarum ac Palmularum ossibus ab aliis incessi solitum Scriptor ille ait. Nostra ętas vna appellatione *Dactylos* omnes hos fructus dicit, cùm tamen propriū genus & nomen Dactyli quondam haberent, qui in Palmularum censu pręlōga gracilitate curuati, humanis digitis, quos Gręci δακτύλους dicunt, similes sunt, vt annotat Marcellus Virgilius.

Maro *arduam Palmam* dixit, estque prę aliis arboribus nobilissimis ac variis epithetis ornata ab autoribus classicis: *Olympiaca, victrix, nobilis, Etea, amœna, egregia, florida, triumphalis, Idumæa, Aegyptia, tremula, victoris præmium, frondosa, vmbrifera &c.*

Quid φοῖνιξ ἐλάτη, id est, Palma Elate sit, antè dictum: veruntamen antiquiores Gręci, vt Pollux etiā testatur, totas sępe & arbores & earū ramulos iisdem appellationibus indicauerunt: ... inquit ille: id est, Palmæ quoque ramulus æquiuocè Palma appellatur: quam rationem secutus Dioscor. Elatem siue spathem, Palmæ partem, Palmam dixit: & ne legentes totius arboris appellatio falleret, adiecit, quam Spathem siue Elatem aliqui vocant. Vnde Spathalion ramus, cui Dactyli dependent.

Dicta autem videtur ἐλάτη ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν, quòd in longitudinem simul & latitudinem procedat: docentque veteres Græcorum Grāmatici tria Elatem significare: notissimam primò omnium arborem Abietem. Tum extremam & latiorem remi in nauigio partem: qua fortè significatione non à palma manus, sed à Palmæ arboris parte hac Latini in remo palmulam, & Maro in spectaculis ab Aenea in Sicilia editis.

Et leuas stringat sine Palmula cautes,

dixerunt: denique noui & tamiam nascentis in Palma fructus inuolucrum, simili tum forma tum figura, ob quam & σπάθη dicta, quā voce ea Gens gladium vocat: & rudem qua bullantes in coquendo feruores despumātur: & in homine latiores costas, autore Polluce. Sic Colum lib. 12. cap. 22. spathā ligneā permiscendam præcipit lixiuiam cum pice liquida ad condiendum mustum, notissimum in coquina instrumentum ea voce significans dicatum despumationi. Ab horum omnium similitudine nouam Palmæ germinationem Græci ἐλάτην & σπάθην appellarunt. Aduers. ab arundinacea cultrata Xyphii fronde Spathas dictas aiunt.

De Corde seu Cerebro Palmæ antea dictum.

Dioscor. ait clausum in Spatha Palmæ fructum Borassum dici. βόρασσος legitur in vulgatis: aliis βάρασσος, aliis βράσσος magis placet, quas tamen voces apud nullum alium Scriptorum præter Diosc. inuenimus, videtúrque à Barbaris promanasse. Palmæ folia etiam Thali Polluci dicuntur, & ramus, seu auulsus è Palma termes, θαλλός. Alioqui θαλία & θαλλία apud autores propriè Oleæ est termes siue frons, cauliculus & surculus. Sunt qui Palmulas seu Dactylos lata significatione Caryotas

Caryotides, Caryotum. tas sive Caryotidas, vel Caryota neutro genere vocitent. Statius:

——latente palma
Prægnantes Caryotides cadebant.

Martialis:

Et notæ Caryotidas theatris.

Phœn. Batanus. Spatus. Nonnulli specialius Palmarum genus duplex distinguunt. Nam Polluci masculæ fructus φοῖνιξ dicitur, alii βάλανον scribunt: fœmellæ βάλανος, & Spatha, vnde βάλανοι dependent. Dorici Spadica quoque auulsum cum fructibus termitem vocant. Datta Thamar. Ficus regia. Thimorab. Hathumora. Machla. Palmæ fructus Franci *Datas & Ficus regias* dicunt. Hebræi authore Trago *Thamar, Thomer, & Thimorah*, vt Canticor. 7. Ioel. 1. Iudicum 4. Ezech. 41. Exod. 15. Et Hathumora 1. Reg. 6. Apud Dauidem in Psalmis: *iustus vt Palma florebit*. Arab. *Machla* aut *Nachal*, & *Tamar*, fructus. Gall. *Dattier, arbre de dattes, palme, dattes*, & *figue royalle*. Ital. *Palma, Dattoli*. Castil. & Catal. *Palma Palmera*. Portug. *Palmeyra*: & iisdem Dactyli ob commercium cum Tamaras. Africanis *Tamaras*, teste Lacuna. Germ. Dattelbaum/Datteln. Belg. Dageboom/Dadelbaum Vng. Palma fa. Bohem. Palma & fructus Daktyli. Angl. Date tree/Dateltree. Palmam Aegy-Dachel. Samarrbuh. Dux. ptii vocant *Dachel*, & ramum cui appensi sunt Dactyli *Samarrbuh*. Dactylorum inuolucrum *Dux*: Dactylum recenter enixum prorsus immaturum *Talla*. & grandiorem fructum *Nin*, & Talla. Nin. Ramuch. Bellam. Tamar. Rotob. *Ramuch* perfectiorem sine penè maturum, maturumque *Bellam*: siccos maturos *Tamar*, & qui ferè putridi sunt *Rotob*: foliaque arboris *Zaaf*.

Locus. Porrò et de loco tandem disseramus, Palma, inquit Theophr. caloris est auida: quapropter in Aegypto nascitur, vbi largè suauiterque fructum progenerat, atque etiam magis circa Babylonem ac Syriam fructu præcellit, cœlumque frigidum ferre nequit. Apud Babylonem fructum mirum in modum largitur. In Græcia verò ne fructum quidem maturat, apudque nonnullos nec fructum vllum ostendit. Palmas quoque nonnullæ partes Indiæ plerasque habent. Amat loca salsa; atque necto quòd vbi Palmarum copia est, solum tale spectatur, vt in Africa, Syria aliisque eiusmodi tractibus. Quo fit, vt vbi salsugo non sit, ope proxima salis subueniant. Etsi enim Palma aërem circumfusum calidum desideret, vt fructus maturescere possit, tamen radicibus refrigerari ob siccitatem desiderat: quod efficit sal. Quamobrem apud Babylonios salis vsus, non stercoris est. Causam verò quare salsum solum tantoperè Palmæ prodest, naturæ eius proprietati imputari par est. Materies enim radicesque huius arboris plurimùm à cæteris distant: quapropter sale admotæ alimentum vberius trahunt, quo & sibi satisfacere, & arborem totam augere facilè possint. Cùmque Palmis acerbitas insit, eandem protinus salis vis à primis initiis collit. Parte Africæ, qua nunquam pluit, Palmas magnas & optimas prouenire tradunt. Cæterùm vbi Palma salsuginem, & riguum esse locum, nec admodum in profundo aquam comperiri, & dulcem ibi salsamque inuicem propinquas. At vbi reliqua oriuntur, solum siccum, & omni aqua orbatum esse. Ita & aquas Palmis subditas esse ad Ammonis delubrum, ferunt. Palma fructifera sterilescit in Græcia. *Hæc Theoph.*

Quin & Varro: non scitis, inquit, Caryotas in Syria parere, inuectas in Italiam non posse. Refert Strabo Posidio Arabici sinus ora, continuum esse Palmetum quoddam aquis abundans, & in magno honore haberi. Propterea quòd tota circumstans regio æstuosa sit, & arida, & vmbrarum expers. Hic maximam Palmarum copiam esse. Luco vir & vxor præsunt per genus constituti, pelliti ambo, victum ex Palmis ducentes, dormiunt in tuguriis factis super arboribus, propter ferarum multitudinem.

In Aethiopia Aegypto contermina, authore Plin. Palmæ, quales retulimus, (supra inter differentias) Gignuntur leui fabulosaque terra, maiore in parte & nitrosa. Gaudent & riguis, totoque anno, bibere cùm ament, anno sitienti. A fimo quidem etiam lædi putant: & Assyriorum pars aliqua, si non riuis misceatur. (si non aquis misceatur fimus Theoph.) Diximus saltum ab his solum diligi. Ergo vbi non est tale, salem aspergunt, non radicibus, sed longius paulò. Est & Iudeæ Hiericunte Palmetis condita, & gens Essenorum socia Palmarum. Infra hos Engadda oppidum fuit, secundum ab Hierosolymis fertilitate Palmetorumque nemoribus: nunc alterum bustum, Regio Aulocrene est, per quam ab Apamia in Phrygiam itur, ibi Palma Deli ab eiusdem Deli Palma Deli. ætate conspicitur.

Const. Cæsar salsam terram ad omnia ineptam dicit, prætorquàm Palmæ fructus, quos optimos & fertilissimos producat: propter hoc enim in talibus locis solum Palmæ fructum fertilitate præstare.

Cæterùm narrat Ammianus Marcellinus lib. 24. Iulianum Imperatorem, postquam armatus Assyriam est ingressus, inuenisse plures agros consitos vineis varioque pomorum genere: vbi oriri arbores assuetæ Palmarum per spatia ampla, instar ingentium nemorum. Et qua incesserit quispiam, termites, & spadica cernere assidua, Mel & vinum ex fructu. quorum ex fructu, mellis & vini conficitur abundantia. Garcias memoriæ prodidit, Palmas Palma in India, nulla. nusquam tota India reperiri, & fructus earum deferri ex Arabia in Indiam, ibi magna quantitate siccas edi, similiter & in massam compactas abiectis nucleis: Meminisse tamen se vidisse quoddam genus syluestre Palmarum in Cambaya & Guzarat, sed sterile.

Theuetus, ait, in tota India Americana & Peruuiana in terra firma & insulis inueniri septem Garcias est Dactylis earum in India Theueto. species Palmarum fructu differentium, inter quas reperit quasdam ferentes esui bonos Dactylos, quales Aegypti, Arabiæ felicis & Syriæ.

Doctiss. Guilandinus ex eo loco Garciæ (quem supra trigesimum annum medicinam in India Orientali continenter fecisse testatur) colligit per palmas, quas Theophr. Arrianus, Strabo, & alii Scriptores Veteres nasci in India narrauerunt, intelligendas esse non propriè dictas: sed quas recentior ætas nuces Indicas cognominat, de qua Nux Indica. Palma fusiùs Guilandini sententiam recitabimus, capite de nuce Indica. Apertè verò Plinius scribit, vinum Indos è palmis exprimere. Scribit etiam Tobias Roelsus, Nigrorum, insulam Sancti Thomæ habere Palmam, quæ fert Dactylos. Maximil. Transsylu. de Moluc. Insul. Potus Indorum, Potus ex palmis. Insulæ Subuth & Porne (quem Præfecto exhibuerunt bibendum) erat humor, qui ex concisis palmarum ramis defluere & manare solet. Verùm litem hanc diriment, qui Indias perlustrarunt.

Proueniunt & palmarum diuersæ species diuersis locis. In Europæ Italia, vt & Sicilia steriles, Palma Europea. in quibusdam limitibus Hispaniæ fructiferæ, sed fructu immiti esuique ingrato. In Africa dulcis, sicut & in Cypro, Creta, Arabia, Iudæa, vt circa Hierico copiosè. In Canariis insulis, quæ olim Palma insula. fortunatæ dicebantur: inter quas & palma, à pal-

Digitized by Google

marum copia dicta. Palmam non ignorauit Iuuenalis apud Tentyram nasci in Aegypto. Sic enim.

Qui vicinæ colunt vmbrosa Tentyra Palmæ.

Sunt, inter quos est Curtius, qui Palmam in aliis ferè regionibus præterquàm in Syria & Babylone sterilem esse statuunt, sed posteritas aliter obseruauit, vt iam partim dictum, partim dicetur amplius. In Babylone Diodorus Caryotas magnitudine ferè sex digitorum ferre scribit: illa autem fœcunditate præcipua, ac copia & nobilitate inclyta, non tamen tota, sed Hierichuns tantùm (scribente Secundo) in Rechelaide, Phasalide & Liuide eiusdem conuallibus prosperè enutrita. Hæc etiam vrbs, in sacris literis dicitur *vrbs Palmarum*, vt annotauit Theodoretus in suis quæstionibus. Theophrast. verò vallem esse dicit, quæ per Arabiam, ad mare rubrum progrediatur, atque in parte concauiore has gigni, condique & reseruari.

Caryota magna

Palmarũ vrbs.

Diodorus autem largiùs Iudæam omnibus locis Palmetis fertilem refert, quæ fluminibus & aquis irrigentur.

Solinus verò Engadam oppidum Esseniorum in ea fuisse, quod nunc excisum est, iuxta quod duret Palmarum decus, lucis eminentissimis. Idumæa Syriæ regio, ab Idume ciuitate dicta, Palmis abundantissima. Virgil: Georg.3.

Engada Palmarum decus.

Primus Idumæas referam tibi Mantua Palmas.

Lucan. lib.3.

------Et arbusto palmarum diues Idume.

Statius:

Non sibi fœlices syluas ponentis Idumes.

Silius:

Palmiferámque senex bello domitabit Idumen.

Persiam vsque ad Mesenem, & mare magnum, Palmis abundare, autor Ammianus. Dulcem ferre tradunt Africam, verùm non durantem, statimque euanescentem & putrescentem.

Idumæa Palma. Persica.

Africana.

Diodorus squallidam ac paruam describit cuiusmodi in Aegypto & Phœnice, quamuis Syriæ propinquæ sint, Theophrast. autore. In illa si serat, minimè esculentam. In locis tamen Deltę & Alexandriæ proximis atque Thebaica, optimam.

Squallida & parua. Deltica.

Thebaica.

Eodem tradente, in Cypro genus quoddam peculiare, dulcedine suauitatéque apprimè commendabile, etsi non maturescat. In Arabia verò languidæ dulcesque traduntur, quanquam Iuba Rex, vt refert Plin. apud Scenicas Arabas Palmam, quam vocant Dabulam, sapore cæteris omnibus præfert.

Cypria.

Arabica.

Palma Dabula.

Palmas Selinas memorat Silius: & Vergil.---*Palmosa Selinus:* Vrbs iuxta Lilibæum.

Palma Selina.

Palma certè Syriam maximè significat, atque eius illam partem, in qua Iudæa continetur, vt est in illo nummo videre, qui Iudæam ceptam habet sub Palma sedentem, quod Diodorus quoque Siculus annotauit, Caryotas huius regionis propriasesse dicens.

Syriaca. Iudaica.

Extat vero symbolum in antiquo illo nummo Aug. Cæs. vbi Corcodilus Palmæ alligatus, indicans primò per eum deuictam Aegyptum: cum hac inscriptione: Colligauit nemo.

Nummus Aug. Cæs.

Eadem sunt insignia antiquissimæ & nobilissimæ ciuitatis Nemausensis, quondam Coloniæ Romanæ, vt patet ex adscriptis notis Col. Nem. non quòd Palmarum ferax sit ea ciuitas, sed quia calidarum Europæ regionum notissima, sicut Aegyptus, ita & illa sub Rom. Imper. redacta, vt equidem coniectamur. Palma enim symbolicè calidam regionem denotat, quemadmodum Crocodilus Aegyptum.

Col. Nem.

Est & alia Vespasiani moneta Palmam fructiferam continens, cum hac inscriptione: Ipsa suæ testis victoria cladis: indicans fortè ab eo deuictam Iudæam, vbi abundat Palma: sed victoriâ cruentâ.

Nummus Vespas.

Porrò in sacris paginis legimus venisse Mosen in Helim, vbi duodecim reperit fontes & Palmas septuaginta &c: Elidem Goropius Belbam, siue vt vulgò vocatur, Belbes esse censet, quam Bellon. de Palmarum copia celebrat, à quibus regionem Palmiram, vt ille ait, vocat, longè diuersam à Palmariena.

Palma Helim.

Palmira regio. Palmariena.

Idem tradit ex ipso mari obseruasse in Aegypto Palmas, & eas in magnam excrescere altitudinem circa Cairum: Ad Nilum syluas esse Palmarum: In Creta prouenire Palmas, sed steriles, propter loci frigiditatem. Media leuca à *Thor* portu maris rubri in planitie quadraginta esse Palmas, quarum fit mentio in Bibliis: ac prope ipsas esse paruum balneum aquæ calidæ.

Est ciuitas [teste Paulo Veneto] inter Baldachum & Chrysin, Bascia nomine, quæ magno Palmularum nemore circumdatur, de quo maxima dactylorum copia colligitur. Inueniũtur etiam in regione Camandu in magna copia Dactyli. Tandem abundat terra, *Formosa* dicta, arboribus Palmarum. Adhæc Regio ciuitatis *Escier* palmis cum dactylis. Inuenitur flumen, autore Aloysio, vltra flumen S. Annæ ad miliaria fere 70. cui ob copiam palmarum, nomen à palmis inditum est.

Curtius quoque perhibet in Europa, in Græcia scilicet, ac Italia vulgò nasci, sed fructum non maturare, & apud nonnullos ne quidem vllos ostẽtare. Ad Matth. contrà, Quæ in Creta, (inquit) proueniunt, fructum sanè percoquunt, sed magis admodum Cypriæ: vt vter nunc verum dicat, Cretensibus diiudicandum relinquamus.

Anguill. Palmam in Italia raram admodum dicit, nec vulgò in Italia nasci, quod Curtius dixit.

Curtius not.

At Matthiol. Visuntur, ait, Palmarum arbores in compluribus Italiæ ciuitatibus, nempe in hortis, viridariis, & monachorum claustris dictis, insigni magnitudine, ac speciosa proceritate, cùm tamen climatis Italici temperies earum naturis inclementior sit, fructum ibi non proferunt, sed steriles consenescunt.

Certum tamen nullam esse in Italia, quæ spontè & absque diligenti cultu genita sit, nec in alia terrarum parte, nisi calida. Ideò fortè raram dixerunt prædicti, in Italia. Nos sanè in multis Italiæ hortis vidimus satis adultas, sed benè magnas nuspiã alibi, quàm Monspessuli vnam insignem, de qua suprà diximus, vere florentem diximus, & Dactylos etiam ferentem autumno, quo tempore & Matthi. cum Fructibus maturescere scribit: [sed ante eum Dioscor. medio autumni vigore.] Satis magnos, ac ipsi etiam ex arbore deceptos habemus tam flores quàm Dactylos, quamuis Gesner. l. de hortis dicat Palmæ arbores circa Monspelium steriles. Cæteræ verò omnes quæ tum Monspessuli tum Nemausi, Arelatæ, itemque cæteris Narbonæ & Liguriæ maritimis, & præsertim ad Olbiam Galloprouinciæ frequenter & fœliciter enatæ visuntur, fructum non maturant, ferunt tamẽ quædam, immò plures: ferent indubiè & reliquæ vbi ad ætatem peruenerint. Monspeliensis illa insignis cẽtesimum annum superare creditur: Et vulgò ibi persuasum ante grandem ætatem fructum non proferre, & vix ante quinquagesimum annum, vt qui-

Monspeliensis. Tempus Gesner. not.

quidam perhibebant. Sed plerisque locis tam Italiæ quàm Galliæ Narbonensis, decoris, raritatis & voluptatis potiùs, quàm vtilitatis causa alitur.

Mirum verò, quod Palladius refert, eum locum, vbi Palmæ sponte nascuntur, nullis propè fructibus vtilem. Tanta est regionum in ferendis arboribus differentia, proprietasque.

Videtur & in Baldo in Minoritarum Monachorum insula florida & pulcherrima palma. Coluit in horto suo Heidelbergæ Sprengerus. Coluimus & ipsi Montbelgardi nucleo satas, sed hyemem non pertulerunt, etsi repositæ, & diligenter custoditæ. Ipsi verò palmarum fructus Venetias aduehuntur ex Syria & Alexandria Aegypti, atque etiam Neapoli illuc priùs ex Numidia importati.

Postellus de Repub. Turc. ex Alcorano Mahomed recitat impiam historiam de beata Virgine, quam dicit diu fuisse sub Palma, quam nolumus hîc referre ne inter Christianos, quod perperàm fecit ipse, eiusmodi mendacia vel cogitatu piis horrenda & abominanda spargamus.

Satio.

Nunc de Palmæ satu atque cultu tradendum, primùm ex Theophr. tum etiam ex aliis. Palmarum itaque satus & cultus præter aliarum arborum peculiaris est. Seruntur officula plura iuxta se in eodem foramine deposita, bina superiùs totidémque infernè colligata: sed omnia prona. Germen enim non ex cauis partibus emittunt, vt quidam putant, sed è supernis. Quapropter in coniunctione illorum quæ superponuntur neutiquam operienda sunt principia (seu vmbilici, vnde germen emergere solet. Ista verò expertis nota sunt. Plura autem simul seruntur, quoniam germen vnius tantùm infirmum est. Horum radices mutuo amplexu connectuntur, & statim primæ germinationes ita coalescunt, vt vnus ex omnibus stipes gignatur. Talis itaque satio eius, quæ ex semine fit. *Alia ferendi ratio.* Seruntur & trunco duorum cubitorum longitudine, à cerebro ipso arboris viridi, fissuris diuiso, atque defosso. *Quale solum deligendum. Theoph. emend.* Amat autem Palma solum arenosum & salsum. (addendum enim, καὶ ἁλμυράν, vt ex ipso textu colligitur, quamuis in vulg. exempl. desit.) Quare vbi tale non fit, agricolæ salem aspergunt. *Cultura.* Hoc autem non circa radices facere oportet, sed paulò remotiùs accumulare quantùm semisextarius. Amant etiam maximè rigationem. *An delectetur fimo.* De fimo diuersa sententia est. Quidam enim fimo neutiquam delectari contendunt, sed prorsus abhorrere. Alii vsum fimi probant, & magnum inde incrementum capere tradunt: sed fimum optimè irrigandum esse, sicut Rhodii facere solent. Sed de hoc ampliùs indagandum. Fortè enim alii hoc, alii illo modo colere consueuêre. Et fimum ipsum cum aqua vtilem esse, sine ea etiam nocuum.

Transplantationis tempus.

Cùm autem anniculæ sunt, eas transferunt, salemque adiiciunt, & bimas rursus transponunt (nam vehementer transplantatione gaudent.) Transferunt quidam Vere: sed Babylonii circa caniculam. Omninò autem maior pars eo tempore serit, quò & proueniat & crescat celeriùs. Nouellam minimè tangunt, sed comas tantùm religant, vt recta assurgat, & virgæ non recuruentur. *Putatio.* Post hæc deputant, cùm iam maiuscula sit, & crassitudinem habeat. Tantum virgæ relinquunt, quantum magnitudo palmi. Quandiu nouella est, fructum nullo intus osse profert: postea verò cum osse. Quidam perhibent Syrios nullam adhibere culturam, sed purgare tantùm atque irrorare. *Theoph. corr. Gazæ not.* Gaudet verò magis aqua per colliquias deriuata, ([illegible] legendum, non [illegible], vt vulgata habent. Perperàm Gaza scaturientem aquam vertit. Nam quis singulis palmis queat singulos fontes adhiberet) quàm pluuia, vt aiunt. Talem autem in conualle palmetis consita exuberare. Conuallem istam per Arabiam vsque ad rubrum mare protendi Syri affirmant, ac plerique qui inde venerunt: Eiusque conuallis parte cauissima palmas nasci. Sed hæc vtroque modo forsitan fieri possunt: nam pro regionibus vt ipsæ variant arbores, & earum culturam variare, neutiquam absurdum. Cæterùm inter siccas, & vnico caudice (absque stolonibus) nasci solitas plantas, palma sola præter seminis ortum alia quoque nascendi genera patitur. *Alia ferendi ratio.* Virgas enim tenerrimas Babylonios viuiradices efficere, adultasque transferre accepimus. Quin & Græciæ locis, si quis ramos supernè decisos serat, radicem demittit: & germen non solùm cerebro enasci, sed etiam subtus radicari largiùs asserunt. *Alia.* Item si truncus inuersus deponatur, sitque solum humectum, multis partibus radices demitti, & germina remitti. Id tamen ampliorem magnitudinem capere nequit. Sed virgis commodissimè procreari potest, tum humi frugalitate, tum expeditæ germinationis habilitate. *Quales virgæ deligendæ.* Sumendæ autem virgæ tenerrimæ, quia tales humidissimæ sunt. Sed ex cerebro potiùs quàm imis partibus germen prodire ratio est: hinc enim & virgarum exortus, & omninò veluti principium quoddam vitale hoc est. Qua causa, cerebro exempto, aut morbo aliquo laborante, mox Palma emoritur. Hactenus Theophr. de satu & cultu. *Trogus not.* Trogus antiquissimus Scriptor folia palmarum apud Babylonios seri, atque ita arborem prouenire prodidit, quem ridens Plinius eum hoc credidisse demiratur. At Theophrastus, inquit Scal. etiam à lachrymis, idq; non de vna tantùm: quem tamen locum apud Theoph. nondum animaduertimus. Nam nec cap. 8. lib. 2. hist. neque cap. 2. lib. 1. caus. quibus locis potissimùm & curiosiùs de palmæ satu, sationisque diuersitate tractat, quicquam de ea re habet. Quidquid sit, vtrumque nobis minùs videtur probabile.

Plinius rem paucissimis expedit. Palmæ ligno [inquit] puluinata fissura, & in aluo media, plerisque vmbilicatum, vnde primùm spargitur radix. *Serendi modus.* Seritur autem pronum, & bina iuxta composita semina, superque totidem, quoniam infirma singulis planta est: quaternæ coalescunt. Seruntur autem Palmæ & trunco, duûm cubitorum longitudine, à cerebro ipso arbori (arboris fissuris. M. & CH.) viridi fissuris diuiso atque defosso. Et ab radice auulsæ vitalis est satus, & ramorum tenerrimis. *Palma frutex.* In Assyria, ipsa quoque arbor strata in solo humido tota radicatur, sed in frutices non in arborem. Ergo plantaria instituunt, anniculasque transferunt, & iterum bimas. Gaudent enim mutatione sedis, verna alibi; in Assyria autem circa canis ortum. Nec ferro attingunt ibi nouellas: sed religant comas, vt in altitudinem exeant. *Sationis tempus.* Robustas deputant crassitudinis gratia, semipedales ramorum relinquentes truncos, qui decisi alibi necant matrem. Nam si quis palmæ cacumen auferat, sterilescit, nec moritur, quod ante Plin. etiam Theoph. scripsit.

Planta Cephalone.

Palladius circa Calendas Maias plantam palmarum, quam Cephalonem vocat, locis apricis & calidis ponendam præcipit. Et in Octobri. Cui [inquit] placet curas agere seculorum, de palmis cogitet conserendis. *Ossium ad sationem delectus.* Hoc igitur mense Dactylorum non veterum, sed nouorum ac pinguium recentia ossa debebit obruere, terræ cinerem misce-

Qui locus eligēdus. Qua terra.

re. Si plantam velit, ponenda est Aprili mense, vel Maio. Locis delectatur apricis & calidis. Fouenda est, vt crescat humore. Terram solutam & sabulonem requirit, ita tamen, vt quando planta deponitur, circa eam vel sub ea terra pinguis fundatur. *Transplantationis tempus.* Annicula transferatur, aut bima Iunio mense, vel Iulio incipiente. Circumfodiatur assiduè, vt rigatione continua æstatis vincat ardores. Aquis Palmæ aliquatenus salsis iuuantur, quę infici debent salibus, etiamsi tales eas natura nō præbuit. *Vt ægra curanda.* Si ægra est arbor, fæces vini veteris ablaqueatæ oportet infundi, vel radicum superuacua capillamenta decidi, vel cuneum salicis interfossis radicibus premi.

Constant. Cæsar stercoris vsum ad Palmas non improbat quidem, præsertim salsi & terræ dulci commixti: at verò fœtidam terram penitùs fugere oportere suadet, vt quæ omnibus inutilis existat. De Palmarum verò plantatione specialiùs ex Leontio hæc tradit. Scrobem cubitorum duorū profunditate, eadémque latitude, aut etiam ampliore, aggere terræ cum stercore caprino explebis, semicubitali profunditate relicta, deinde in *Modus plantationis.* medio aggere glandis Palmę nucleum siue os implantabis, ita vt acies ipsius sursum spectet, obruésq; terra cum stercore & sale admixto, & quotidiè rigabis, donec germen emittit. Quidam igitur hoc ipsum transplantant, quidam in loco sinunt: & quandoquidem salsa terra gaudet, singulis annis circumfodere oportet, & salem adiicere. Sic enim citò magnæ fient. Est enim tarda admodum *Vt palma plantula citò magna fiat.* Palma in crescendo, autore Varrone. Floridiores autem euadunt fæce vini veteris rigatæ. *Vt floridus fiant.* Ossa verò Palmarum non statim in terra ponēda sunt, sed in tegulæ fundo, atque sunt transplantanda.

Vt generosos ferat fructus. Fructus Palmarum generosos fieri promittit Democritus, quum vacuas vaginas, quas aliqui helicas vocant, florentes ablatas & siccatas ex ramis ac truncis suspenderis, quemadmodum grossos ex ficis.

Vt florida et alta fiat palma. Floridæ verò & altæ fiunt Palmarum arbores, tradente Didymo, fæce vini veteris incolata radicibus affusa. Iuuantur etiam sale iniecto. *Vt germina sportarum texturæ commodiora ferat.* Quò verò ad storearum & sportarum texturam alba & idonea fiant germina, viridia adhuc ipsa de ramis auellenda, & sub tegmine deponenda ad quatriduum, & postea rursus roribus exposita, ad quatriduum complui sinenda, & à Sole resiccari, donec alba euadant.

Posteritas obseruauit, nec iniucundo spectaculo & Naturæ ostento, commodissimè seri Dactylorū *Recentiorū serendi ratio.* tria ossicula, vnaque iuncta pangi: tres inde oriuntur exiles stipites, sed in vnum conflati: foliorū tamen pusillorum & harundinaceorum trina pullulatione distincti, cuiusmodi in nostris etiam regionibus haud difficulter prouenire solent. Ternis itaque satis simul ossibus, qui stipites ex iis prodierint, vnus stipes fiunt. Amat enim Palma coitionem. Itaque propriam speciem tametsi non inuenit ad legitimum coniugium: tamen quod potest desiderium explet amoribus succisiuis, vti more suo facetè iocatur Scaliger. Non tamen caret profunda ratione. Societatis quippe atque cōiunctionis appetens est, [vt mox fusiùs dicetur] ideóque nixu quærit sibi cohæsionem.

Nobis sanè ex vnico etiam Dactylo sato foliū erupit non semel, quod tamen aduentante frigore vel in hypocausto repositum cōtabuit, nec vnquam repullulauit nuclei residuum radicatum anno sequenti.

Costæus tradit, os vino maceratum citiùs quàm aliàs prouenire. Camer. annotat ex nucleis enata germina Norimbergæ rarò vltra hyemem durare. *Obseruatio de ossi satis.* Mirum est, quod nucleus seu os Dactyli initio durissimum in terra tandem ita emolliatur, vt decorticari queat & auferri ab interiori medulla.

Non omittendū quod Sueton. de D. Octau. August. scribit, enatam inter iuncturas lapidum ante domum suum Palmam, in compluuium Deorum Penatum transtulisse, vtque coalesceret magnopere curasse.

Ad culturam quoque pertinet mirabilis ille modus quem tradit Theophrast. in historiis lib. 2. cap. 9. ad maturandum Palmæ fructum. Palmis [inquit] mascularum coitum tribuunt: hoc enim *Coitus palmarum.* & perdurare & maturescere fructus potest: quod aliqui ob similitudinem quandam caprificari [ὀλυνθάζειν] dicunt. *Palmarum Caprificatio.* Fit autem in hunc modum. Dum mas floret, spatham abscindentes, ex qua flos emergit, protinus vt lanuginem, & florem & puluerem continet, super fructus fœminæ. Illa sic eo aspersu afficitur, vt fructus suos retineat, & neutiquam amittat. Ita fit, vt vtrique (ἀμφοῖν, ambabus: hoc est: æquè Palmæ ac Ficui.) à mare fœminæ auxilium præstetur. *Theophr. sibi ipsi contradicens.* Fructiferam enim fœminam vocant (at paullò ante æquè marem ac fœminam fructiferam dixit: Ergo sibi contradicit, nisi ita illum excusemus, ibi ex sua, hic ex aliorum loqui sententia: ideò ait καλοῦσι.) Sed alterum veluti coitu, alterum alia ratione contingit. Et in secundo de causis, postquam de Ficuum caprificatione abundè tradidisset, subdit: Quod verò Palmarum generi euenit, non idem est: habet tamē similitudinem quandam: ideò & illud opus caprificari [ὀλυνθάζειν] appellant. Quando enim maris flos & puluis & lanugo fœminę fructibus insperguntur, siccitatem ex caliditate ac reliqua potestate concipiunt, atque spirantiores redduntur: quibus causis vis perdurandi acquiritur. Item alibi eiusdem operis: Fructum in Palma fœmina perdurare nunquam posse, nisi florem maris cum puluere super eā concusserint [ita enim quidam afferunt] peculiare sanè est præ aliis: sed simile caprificationi [τῷ ἐρινασμῷ] Ficorum, qua fructus perficitur. Vt iure quis dicere queat, fœminam ad perficiendum minùs sibi sufficere: sed hoc non in vno genere aut duobus, sed vel in omnibus, vel in pluribus constare deberet: naturam enim generis ita diiudicamus. Et in his tamen ipsis paucis generibus mirum, quòd Palmæ nulla ratio dari possit, cùm caprificationis causa conspicua esse videatur. Ergo causam expressam caprificationis Palmæ, [liceat enim nunc & nobis cum illo loqui] quam profiteretur, cùm videret Theoph. deesse sibi paullò ante citato loco, quod potuit, apposuit exemplum in natura piscium, quod etiā extat in historiis animalium Aristotelis. *Exemplum à piscibus.* Oua edita à fœmella sequutus mas aspergit suo semine: atque ita demum fœcunda fiunt ac vitalia. Nam vel ex remotis generibus similitudines desumi possunt.

Eiusdem Palmatis caprificationis non obscurè meminit & Pollux.

Sed apertissimè Herodotus & ἀμφοῖν Palmarum meminit, & eas Ficorum modo coli: (συκέων τρόπον θεραπεύεσθαι) *Caprificatio Palmarum. Culices Palmarum.* Ait enim Palmarum, quas mares (ἔρσενας) appellant, poma illis circumligari quæ balanos edunt, vt earum fructum maturet culex subiens, nec ex arbore is defluat: Culices autem in maris fructu concipi, non aliter quam in Caprificus grossis (καθάπερ οἱ ὄλυνθοι.) Differt itaque in eo Herodotus à Theophrasti sententia, quòd is non

maris

maris fructum, sed eius florem admoueri fœminis, & ex eo puluerem succuti scribit. Præterea Culicum, quod equidem sciamus, è Palmulis natarum nusquam meminit, quamuis caprificationi hanc medelam apertè contulerit.

Ex horum classicorum authorum scriptis, aliorumque proculdubio, quæ fata nobis inuiderunt, Plin. philosophandi rationem arripuit, ita prodens: Arboribus, imò potiùs omnibus [hoc & Theoph. dixit ante eum] quæ terra gignit, herbisque etiam, vtrumque sexum esse diligentissimi naturæ tradunt. Cæterò non sine maribus gignere fœminas Palmas, sponte edito nemore confirmant: circaque singulos plures nutare in eum pronas blandioribus comis. Illum erectis hispidum, afflatu visuque ipso & puluere etiam reliquas maritare. [illis maritari. D.] Huius arbore excisa viduas pòst sterilescere fœminas. Adeoque est Veneris intellectus, vt coitus etiam excogitatus sit ab homine, ex maribus flore ac lanugine, interim verò tantùm puluere insperso fœminis.

Fœminarum coniugium.

Cæterùm Palmas inuicem maritali quadam copula coniungi, maresque attrahere ad se fœminas, neque congressum, quantumcunque adniti possunt, aufugere, sed vltrò ramis ab vtraque vicissim ad osculum quodammodo exporrectis, manifesta dare mutui desiderii signa eleganter refert Philostratus in imaginibus, attingitque Gal. lib. 6. de loc. malè affectis cap. 5. non sine graui interpretis errore, qui, quæ ibi de palmarum arboribus dicuntur, ipse Phœniciæ populorum amoribus tribuit. Quem interpretis lapsum primò deprehendit Hier. Mercurialis eximius ille Medicorum Italiæ Coryphæus. & post ipsum, sed ipso in suo genere & studio neutiquam inferior doctissimus Guilandinus.

Galeni interpretis error.

Eadem non modò comprobat sed & ampla commemoratione declarat Florentinus apud Cassianum Bassum, & Const. Cæsarem lib. x. *γεωπονικῶν*, cap. 4. his verbis: Palmæ vehementi se mutuo prosequuntur amore, ita vt altera alteram depereat: neque priùs desiderium in ipsa cessat, quàm ipsam adamatus mas consoletur. Videre namque est ipsam pronam & incuruatam suis comis incumbere, impatientemque seipsam firma stabilitate vix sustinere: quin & quasi viduam sterilescere. Atque hoc ipsum agricolam non latet. Nouit enim quòd amet, sed cuius amore deflagret, aut in quem maritandi cupidine sollicitetur, ignorat. Quapropter complures Palmas inibi circiter obsitas digitis contrectans, ac blandè demulcens, reuersus ad hanc denuò quæ corripitur amore, & manibus hoc dato tanquam osculo contingit: tum quadantenus veluti refricato huiuscemodi desiderio denuncians, blandioribus comis perinde quasi manibus in eum nutat, cuius cupidinis tabe peribat. Hoc velut oculorum gestu amorem confessa, seseque huius studio constimulata, quasi radicitus abiicit. Huius vesaniæ remedia sunt, si subinde manus ei admoliatur agricola, quæ marem cuius amore capiebatur, attigerint. Multò magis insanus amor discutietur, si maris flores trunco erutos idem Amasiæ capiti circumponat: hæc mariti ornamento collustrata fructum dabit, hocque pignore amoris exhilarata fœcundabitur, optimumque & pulcherrimum fructum edet.

Mira amoris vis in palmis.

Palmæ amoris remedia.

Similia quoque narrat Ammianus Marcellinus lib. XXIV. nempe maritari palmas ipsas, facileque sexus posse discerni. Quin & generare fœminas seminibus illitas marium, easque amore mutuo delectari: atque hoc inde clarere, quòd contra se vicissim nutantes, ne turgidis quidem flatibus auertantur. Et, si ex more fœmina, cuius arboris amore perculsa sit ignoretur, vnguento ipsius infici truncum, & arborem aliam naturaliter odoris dulcedinem concipere, hisque indiciis velut coeundi quandam prodi fidem.

Ampliùs Hexaëmeri tertio cum magno Basilio Ambrosius. Est etiam inquit, quod mireris: nam ipsis sexus Pomis inest: inest arboribus sexus discretio: quippe palmam videas, Dactylos quæ promit, plerumque ramos proclinantem suos, seseque submittentem, ac concupiscentem, & amplexus speciem quodammodo arbori prætendentem, quam Palmam marem nuncupant rusticorum pueri. Palmam igitur illam fœminam intelligunt, quæ sexum subiectionis specie confiteatur. Quo sanè argumento agricolationis periti ramis eius Dactylorum, vel masculæ Palmæ semina præstruentes, veluti perfunctionis sensum infundunt, ac expetiti concubitus exhibent gratiam. Quo affecta munere surrigitur denuò, ac planè hilarior comam protollere animaduertitur.

Arborum sexus.

Palma mas & fœmina.

Hunc maximorum ac fide dignissimorum de amore Palmarum authorum consensum doctissimus Guilandinus pro re certissima asseuerat, atque Palmarios etiamnum in Aegypto, Arabia, Mesopotamia, Iudæa, Phœnicia, tota Syria, volentes cauere, ne fœminæ, aut sterilitatis noxam incurrant, aut fructum, quem aliquando imaginatione libidinis, vt ita dicamus, concipere solent, [quemadmodum aues oua irrita, quæ hypenemia dicimus] ante maturitatem amittant, ita ordinare vtriusque sexus Palmas, vt mares eo saltem interuallo à fœminis distent, quò puluis ventorum flatibus à foliis mascularum sublatus, in fœminarum folia incidat: idque satis ad fœcunditatem, & fructus maturationem facere compertum esse. Sed mirum dictu, quod, si qua procul à mare abstiterit, vt neque puluis neque aura, odórve eius ad eam permeare possit, excogitauerunt coloni funem à mare religatum ad fœminam vsque producere, atque ita quasi maritali vinculo copulatam masculi virtute clanculum per funem irrepente fœcundam fieri, quæ priùs sterilescebat in ea solitudine. Quæ omnia, ne quis fabulosa suspicetur, inquit idem Cæsalp. eiusmodi amoris exemplum atque coniugii, nondum octogesimus agitur annus, [scripsit autem ante 30. circiter annos] ex quo id genus arbores in Italia, studiorum omniúmque virtutum altrice terra, dedêre. Huius autem rei celebris testis est Iouianus Pontanus, Alphonsi iunioris Neapolitani regis præceptor, & epistolarum magister, Philosophus, Orator, ac Poëta insignis, & quem fabulas pro historia, de re maximè suo tempore omnibus conspicua, scribere puduisset. Hic sanè duas celebrat Palmas, vnam marem Brundusii, alteram fœminam Hydrunti, quæ diu steriles permanserint, donec scilicet paulatim succrescentes, nondum alteram altera contueri poterat: vbi verò tantum adoleuere, vt sese inuicem conspicere potuerint, longo quantumlibet multorum stadiorum tractu dissidentes, fœtificare cœperint. Sed cur non ipsum audiamus?

Aliud remedium.

Aliud.

Italia laus.

Maris tantum aspectu fœcundari palmam.

Brundusii latis longè viret ardua terris
Arbor, Idumeis vsque petita locis.
Altera Hydruntinis in saltibus æmula Palma,
Illa virum referens, hæc muliebre decus.
Non vno creuere solo, distantibus agris,
Nulla loci facies, nec socialis amor.

Permansit sine prole diu, sine fructibus arbor
Vtraque, frondosis & sine fruge comis.
Ast postquam patulos fuderunt brachia ramis
Cœpere & cœli libertore frui,
Frondosique apices se conspexere, virique
Illa sui vultus, coniugis ille sua.
Hausere & blandum venis sitientibus ignem,
Optatos fœtus sponte tulere sua.
Ornarunt ramos gemmis, mirabile dictu,
Impleuere suos melle liquente fauos.

Palmæ ætas & duratio. Porrò Palmam vitæ longæ esse scribit Theophr. & Palmam Deli longæuam in exemplum adducit, quod & Plin. facit, quamuis à fabularum autoribus proditum, vt ipsemet Theophrast. fatetur. Alibi tamen spissitudinem siccitatémque eius longæuitatis ac durationis causas adducit: quibus fiat vt nullus extrinsecus pateat aditus, nullúsque adeò includatur humor, qui putrescere queat: quapropter neque bestiolis aut vermiculis infestari.

Palmæ semen diuturnissimũ. Omnium quoque feminum, quæ pulpa ambit, diuturnissimum Palmæ esse tradit, vtpote, quod siccissimum sit, atque densissimum. Ipsas quoque Palmulas repositas quantò citiùs promas, iucundioribus vtare, quòd vetustate fiat cariosior, vel Varrone teste, atque ipsa adeò experientia.

Quales reseruentur. Seruantur hi demum Dactyli, qui nascuntur in salsis atque sabulosis, vt in Iudæa, & Cyrenaica Africa. Non item in Aegypto, Cypro, Syria, & Seleucia Assyriæ. *Suũm cibus.* Quamobrem sues, & reliqua animalia ex his saginantur.

Vitiati aut vetusti signum. Vitiati aut vetusti eius pomi signum est, decidisse candidam verrucam, quæ racemo adhæserit, autore Plinio.

Delectus. Quod verò delectum attinet Dactylorum qui in officinis ad vsus medicos habentur, probantur Syluio magni, flaui, parum rugosi, molles, pleni tamen, & carne intus multa subdura, ad nucleum candicante, ad corticem rubescente, non pertusi, non vermiculosi, & qui concussu nihil aut minimùm sonent, sapore vinoso. Deteriores sunt graciles, flaccidi, duri, quia excarnes, excusso pediculo pertusi: iidem ferè vermiculis scatentes.

Vires & Vsus. *Ex Theophr.* *Sed ad vires tandem.* Palma autore Theophr. suapte natura fumosa est: Ex quo illud Cheremonis carmen:

τῇ τε δυσκαπνωτάτῃ
φοίνικ⊕ ἐκ γῆς ῥιζοσπόρους φλέβας.

Est autem Iambicum senarium cum hemistichio præcedente: quod in hunc modum aptè interpretatus est Gaza.

Palmæque venas vsque fumosissima radice natas.

Igniaria. Ideóque inter eas arbores recenset Theophrast. quæ ad igniaria, adque carbones conficiendos commodæ sunt. Ex sterili Palma Babylonii lectos & vasa conficiunt. Diu enim durat eius lignum. Inest & Palmis acerbitas: eiusque crudos fructus qui comederit, ab iis strangulari cognitũ est. *Strangulant Dactyli virides.* Et vt Plin. prodidit, Alexandri milites Palmis viridibus strangulati sunt. In Gedrosis id factum est pomi genere: alibi copia euenit. Est enim tãta musteis suauitas vt finis mandendi non nisi periculo fiat. *Funes.* Palmæ folia cumprimùm nouellas demonstrauere gemmas Plinii seculo ad funes vitiliúmque nexus, & capitum leuia vmbracula findebantur. Quod & alibi repetens: in Oriente, ait, funes validos è Palmæ foliis fieri dictum est, eósque in humore vtiliores esse. Et apud nos ferè Palmis à messe decerpuntur. Ex his meliora, quæ sese non diuiserint. [Et apud nos vere Palmea à matre integra decerpuntur. Meliora enim sunt, quæ diuisa non fuerint. Vetusta omnia. Consentiuntque cum modò prædictis. D.] Siccãtur sub tecto, quaternis diebus: mox in Sole expanduntur, & noctibus relicta donec candore inarescant, postea in opera finduntur. *Foliorum præparatio ad funes.* Fiunt & è Palmæ foliis scopæ: Martial. *Scopæ.*

In pretio scopas testatur Palma fuisse,
Otia sed scopis nunc analecta dabunt.

Palmei baxei. Apud Apuleium. lib. 2. Asini aur. Zachlas Aegyptius Propheta palmeis baxeis pedes indutus est. *Plantas* Ipsæ porrò Palmæ, vt tradit Plin. carne placent, crusta Thebaicæ, succo cariotæ. Succus Palmarum dulcis. Iisdem à vitibus oleisque proxima nobilitas, inebriant recentes: capitis dolorem afferunt minùs siccæ: nec, quantùm videtur, vtiles stomacho: tussim exasperant, corpus augent. *Noxa à Dactylis. Impinguat. Vires reficit succus.* Succum decoctarum antiqui pro hydromelice dabant ægris, ad vires recreandas, & sitim sedandam, in quem vsum præferebant Thebaicas. *Sitis. Sputum cruentum.* Sanguinem quoque excreantibus vtiles, in cibo maximè. Illinuntur Caryotæ stomacho, vesicæ, ventri, intestinis. *Prunæ Illitum diuersarum partium.* Cum cotoneis & cera & croco sugillata emendant. *Sugillata.* E Palmis prunę viuaces, ignisque lentus. *Cremati nuclei pro spodio.* Nuclei Palmarum cremati in fictili nouo, cinere loto spodii vicem efficiunt, miscentúrque collyriis, & calliblephara faciunt addito nardo. Palma quę fert myrobalanum ossa non habentẽ reliquarum modo (ἀνόμοιον dici suprà traditum.) aluum & menses sistit [ciet. C H.] in vino austero, & vulnera conglutinat. Palma, siue Elate, (Palma, Elate CH.) siue spathe, medicinę confert germina, folia corticem. *Spathes vires.* Folia imponuntur pręcordiis, stomacho, iocinori, vlceribus quæ serpunt cicatrici repugnantia. *Vlcera. Psora.* Psoras cortex eius tener cum resina & cera sanat diebus xx. Decoquitur & ad testium vitia. Capillum denigrat suffitu, [illitu Dioscor.] partus extrahit. *Partum euocat.* Datur bibendus renum vitiis & vesicæ, & præcordiorum: *Renum & vesica vitia. Præcordia.* capiti & neruis inimicus. *Caput. Nerui.* Vuluæ ac ventris fluxiones sistit decoctum eius. Item cinis ad tormina potus in vino albo, in vuluarum vitiis efficacissimus. Sed Dalechamp. pro vuluarum legit vuarum: puta columellarum, gurgulionis. Vuam enim iacentem & laxiorem eximia vi siccandi, quam habet, reprimit & adstringit.

Dioscorides. Verùm quæ Plin. sparsim hinc inde de Palmarum viribus, ea pleraque Dioscor. non multò ante eum scriptis tradidit, sed multis aliis mactata atque adaucta & ad artis vsum breuiter, sed eleganter accómodata. Palmæ fructus, inquit lib. de medica materia l. 1. c. 125. Arabicæ myrobalano similis, ac Poma dicitur colore viridi, mali cotonei odorem referens. Quod si ad integram maturitatem prouenire sinatur, phœnicobalanus fiet. *Temperamentum.* Est porrò ille acerbus atque astringens, & contra alui profluuia, fluxúmque muliebrem in vino austero bibitur. *Alui profluuia.* Hæmorrhoidas quoque sistit, & vulnera illitu cõglutinat. *Hæmorrhoides. Vulnera.* Phœnicobalani verò recentes plùs siccis astringunt: sed capitis dolorem afferunt, & copiosiores in cibo sumptæ inebriant. *Noxa. Stomachi.* Siccæ autem sanguinem excreantes, stomachicos ac Dysentericos esitatæ iuuant: *Dysenteria.* nec non & tritæ cum Cydonio & cerato oenanthino, vesicæ vitiis vtiliter illinuntur. *Vesica. Faucium asperitas.* Maximè verò Caryotæ si comedantur (addunt Marc. & Serap. cum Pineis nucleis) faucium asperitati medentur. Thebaicarum decoctum potui datum, Causonem (febrem ardentem) sedat, & cum hydromelite vetusto sumptum vires recreat. *Causus. Vires reficiunt. Vinum.* Quin & ipsæ cibo idem præstant. Fit etiam ex iis vinum eiusdem cum fructu facultatis. Decoctum earum per se potum &

garga-

Nucleorũ præparatio. gargarizatum vehementer adstringit & cohibet. Palmarum verò nuclei cæterorum omnium more in fictili nouo cremantur, deinde restincti vino lauantur,& tanquam spodii vicem supplentes, ad *Palpebrarum ornatus.* ornandas decorandasue palpebras conducunt. Quod si non sufficienter vsti fuerint, illud idem iteratur. Vim habent adstringentem, & spiracula *Oculorum vitia.* cutis obstruentem,ad oculorum pustulas,staphylomata, ciliorumque defluuia addito Nardo efficacem. Supercrescentem carnem cum vino reprimunt, & vlcera ad cicatricem perducunt. Omniũ *Vlcera. Nucleorum delectus.* verò aptissimi sunt Aegyptii nuclei, qui ex humilibus palmis excerpuntur. Palmæ spatha Vnguen- *Spathes vsus.* tarii in vnguentorum spissamenta vtuntur. Optima habetur odorata,adstringens,ponderosa,præ- *Spathes delectus.* clusa,interna parte pinguis. Vis ei adstrictoria, *Vlcera. Luxatio.* quæ vlcera depascentia sistit,laxatosque articulos committit,si trita malagmatis & cataplasmatis ad- *Viscerum affectus.* misceatur. Prodest & præcordiis ac stomacho imbecilli, nec non & iecinoris affectibus, conuenientibus mista cataplasmatis. Eius decoctum sub- *Capilli.* inde affrictum capillos denigrat. Potui verò datum, renum, vesicæ, aliorumque viscerum vitiis *Alui vterique flux. Scabies.* confert: alui, vterique fluxiones sistit. Ipsa verò scabiem sanat diebus viginti, si adhuc tenera cum resina & cera decocta imponatur. Fructus etiam qui sub ea continetur *Elate* quoque & *Borassus* dictus, & ipse adstrictorius cùm sit, spathæ quoque *Medulla caudicis.* præbet effectus: nisi quòd ad vnguenta non æquè est vtilis. Cæterùm alba quoque caudicis medulla [ἐγκέφαλος τοῦ φοίνικος λευκόν] tum recens comesta, tum decocta ad eadem facit, ad quæ etiam Borassus. *Hæc Diosc.*

Sitis. Ægyptiam Palmam sitim sedare, Solinus author est, apud quem in impressis cunctisque aliis *Solinus emend.* legitur [illegible], nullo sensu: ideò ἀφεψηθεῖ legit Marcellus ex Plinio, dimittatur pro decoquatur: rectè.

Panis, mel: Vinum: acetum: textilia: carbones: iumentorum cibus. Ex Palma, tradente Strabone, apud Harmenios & Babylonios panis & mel & vinum & acetum fit, & textilia varia. Nucleis pro carbonibus Fabri ferrarii vtuntur: qui in aqua macerati bobus & ouibus in pabulum dantur. Dicunt esse carmen quoddam Persicum in quo ccc. & LX. Palmæ *360. Palmæ vtilitates.* vtilitates numerentur. Nam vel Galen. authore in *Differunt viribus differentiæ Palmarũ. Galenus.* palmis, respectu virium & facultatum, non parua est differentia. Quædam enim sunt siccæ & adstringentes, vt Aegyptiæ: aliæ molles, humidæ & dulces, vt quæ Caryotæ appellantur. Præstantissimæ autem hæ in Syria & Palæstina nascuntur, in Hierichunte. Reliquæ omnes aliæ Palmulæ inter hæc duo genera sunt mediæ.

Difficiles autem sunt concoctu, capitique dolorem inferunt: verùm ex his aliæ magis, aliæ mi- *Temperã.* nùs sunt humidæ ac dulces, siccæ atque adstringentes. Verùm constitutis extremis, iam omne quod in medio est, facillimè cognosces. Nulla certè ex ipsis est, quæ non dulcedinem quandam & adstrictionem habeat. Siquidem Caryotæ exiguæ adstrictionis, Thebaicæ obscurę dulcedinis sunt participes. At succum quidem dulcem nutrire, austerum autem gratum esse stomacho, & ventrem sistere ostensum est. Palmulæ si largiùs sumantur, omnes concoctu sunt difficiles, & capiti dolorem afferunt: quædam autem & morsus cuiusdam sensum ori ventriculi inducunt. Succus autem qui ab ipsis in corpus distribuitur, crassus quidem omninò est, habet autem & lentoris copiam, cùm Palmula ipsa pinguis fuerit, sicut Ca- *Noxa.* ryotæ. Quum autem dulcedo tali succo mista fuerit, celerrimè quidem hepar ab ipsa obstruitur. Læditur autem maximè ab ipsarum esu, quòd aut inflammatur, aut scirrho obsideatur: post hepar autem & lien obstruitur ac læditur. Maximè autem Palmulæ virides, si paulò largiùs sumantur, ad omnia sunt noxiæ, ac dulces quidem succum habent calidiorem, adstringentes frigidiorem. Quin & Palmulæ virides, sicut Ficus, flatus *Palmulæ virides.* gignunt. In regionibus autem non admodum calidis palmulæ haud perfectè maturescunt, [vt & superiùs declaratum, adeò vt reponi queant: quo fit vt cùm homines cogantur ipsis viridibus vesci, crudis succis impleantur, & rigoribus qui ægrè calefiant, & hepatis obstructionibus præhendantur.

Confirmat hoc Galen. cuiusdam sibi coætanei exemplo, qui Alexandriæ Palmulis immaturis per *Obseruatio* complusculos dies antè & post balneum satiatus, absque febre sæpè horruit, ac riguit. Phœnix seu *Arboris vires.* Palma arbor, eodem authore adstrictoriæ facul- *Têperam.* tatis omnibus suis partibus est particeps. Igitur *Ramorum succus.* ramorum succus austerus est, ex aquea substantia tepida, & terrea frigida constans. Summis facultatis est Encephalos, hoc est, cerebrum esui aptum. At *Encephalos Dactyli.* fructus eius, & maximè dulcis, non paucam habet caliditatem. Cæterùm cùm edendo sit, multò est vsui, non tantùm foris impositus, vbi quid roborare, desiccare, contrahere, stipare, densareque consilium est, sed etiam tanquam cibus sumptus & simul cum aliis, & per se. Porrò quod Elaten *Elate.* vocant, tenerum illud Palmæ germen, eandem cum cerebro eius facultatem obtinet. Quod verò velut integumentum eius est, adstringentem etiam qualitatem habet. Verùm plus quàm dicta omnia exsiccat, vtpote quod essentiæ consistentia illis siccius est, & minimùm habet humiditatis. Itaque iure vtuntur illo ad vlcera putrescentia, *Vlcera. Luxatio.* ad articulos plus iustò laxatos. Ad hæc medicamentis hepaticis & stomachicis, seu intrò sumantur, seu foris admoueantur. Sed & radix plantæ *Radicis vires.* desiccatoriæ citra morsum facultatis est, adiunctum habens & ipsa adstrictionis quippiam. *Hactenus Gal.*

Nicander in Alexiphar. Palmæ fructum cum lacte epotum ad haustam Buprestim commendat, quum ait:

> ----[illegible]
> [illegible]

Lac, inquit, vasi infundens sæpè admisce tenerum Palmæ fructum:

Siue recente reple non magnum lacte Catinum,
Et tenerum misce victrice ex arbore fructum.

Meminit & Xenophon lib. 2. expeditionis Cyri cerebri Palmæ & palmularum. Peruenerant iam ad eos vicos, inquit ille, è quibus iussu ducum suorum commeatus capiendi erant. Pluri- *Frumentũ & vinum e palmulis.* mum illic & frumentum & vinum è Palmulis aderat, acetumque ex iisdem elixis paratum. Palmarum verò fructus [βάλανοι τῶν φοινίκων : glandes *Glandes palmarum magna Electro pares.* palmarum] quales apud Græcos videre non licet, seruis ac famulis præbebantur: seligebantur quas seruarent dominis, magnitudine & pulchritudine admirabiles, aspectu prorsus Electro similes. Eas quidam arefactas in vsum bellariorum reponebant. Vinum quidem illud potu suaue erat, sed capiti graue. Milites eo primùm in loco Palmarum cerebrum esitarunt, omnibus cui detractum id fuisset, exarescentibus, admirantibus cunctis eius cibi speciem ac suauitatem quandam peculiarem, quæ tamen valdè caput tentat.

Herodotus lib. 1. cùm de Babylone loquitur scribit: In eius toto agro Palmas generari, magna ex parte fructiferas, è quibus non solùm vinum, mel, cibum conficiunt, sed illas etiam Cari-

carum modo in offas cogunt. Nicander in Georgicis.

Pullulantes in Palma fl. lentes [παραφυάδας] exscindunt,
Cerebrumque, ad descentibus expetitum cibum afferunt.

Diphilus Siphnius [vti citat Athen.] narrat, Palmarum cerebrum plenitudinem corporis efficere, largiùs nutrire, ventriculum grauare, vix distribui, situm inuehere, aluum coercere.

Paulus Aegineta palmulas stomacho commodare scribit si non valdè fuerint pingues. Et rursus alibi. Palma fructus maturus moderatè calidus, & corroborans, & stomacho gratus, siue intrò sumatur siue foris imponatur. Verùm quod reliquum est in ipsa abundè adstringit: vnde stomachicis & hepaticis compositionibus admiscetur. Omnium autem maximè adstringit id quod enascentis fructus velut inuolucrum quoddam.

Sethus.

Simeon Sethi præter pleraque illa quæ ex Galeno adducta sunt de palmularum viribus hæc tradit. Palmulæ calidæ sunt secundo ordine, humidæ primo: rigorem difficulter incalentem gignunt. Omnibus autem gingiuis dentibusque noxiæ sunt. Sed enim reliquis meliores sunt, quæ cum aliqua vi adstringendi, aliqua etiam duritie constant, vnà cum modica dulcedine & non valdè mellea. Quæ verò in frigidis regionibus nascuntur, pessimæ sunt: quoniam non maturescunt & noxas cum rigore febrili inferunt, morbosque & quamplurimas obstructiones: meliores autem quã rubræ, giluæ sũt. Quæ verò austeræ sunt, calidæ sunt primo ordine, siccæ secundo: neque enim paruum inter Palmulas est discrimen: nam aliquæ siccæ sunt & astringentes, vt Ægyptiæ: quædam molles & humidæ vt dulces, vt quæ in Bactris nascuntur. Mediæ inter has sunt reliquæ. Qui ex omnibus sanguis gignitur turbulentus est.

Temperã. Noxa. Delectus. Palmularum collatio. Sanguinẽ vitiosum gignunt.

Scribit Rufus, cum pineis nucleis fauces lenire, bonumque corporis habitum conferre, præsertim si frigidum sit temperamentum, sed assiduo vsu vesicam explere. Oportet autem ab his abstinere, qui facilè obstructionibus capiuntur, & anginis, & lippitudinibus, & dentium doloribus.

Quibus à Palmulis abstinendũ.

Audiamus paucis & Arabes. Raza Rotab minùs calidos esse quàm Dactylos, quique cùm sint lenitiui, stomacho prosint. Apud Serap. legitur Rorab. Interpres reddit Dactylos. Aben Mesuai apud eundem profert Rorab Zuccharinos, & Habarad & Hayren. Est autem Hayron species Dactylorum colore citrino vel rubente, quæ cæteris præstat, post quos sunt glauci. Improbantur nigri. Ex Rasi Rorab citò conuertitur in bilem, & noxium est iis qui temperamento sunt calido, aut hepate. Deteriores ex eis sunt magni, dulciores. Frigidis naturis competunt, eósque inpinguant. Cyulonis, [autore Aben Mesuai apud eundem Serap.] id est, cordis Palmæ, temperies frigida est in fine primi gradus, sicca in medio eiusdem: confert cholerææ, calori & efferuescentiæ sanguinis, sed stomacho grauis, ventrem astringit, parum nutrit. Sedat tamen dolores stomachi à proprietate quadam. Secundum Rasin, compescit fluxum sanguinis, stomachi arcet inflationes, sed tardè descendit ad fundum stomachi. Expeditiùs deuoluitur, si edatur cum zingibere condito, aliòue electuario quodam calido. Cæterùm Spatha prolatis floribus & post flores racemoso palmarum fructu arescit: relictaque in arbore sequenti anno aufertur, non aliter quàm putatione inutilia sarmenta in vitibus nostris per ver auferuntur: vt iam suprà quoque dictum. Nec alius

Raza. Rorab Zuccharinus. Hayron citrinus. Glauci. Nigri. Cyulo. Dolor stomachi. Fluxus sanguinis. Stomachi inflammatio. Spatha explicata pro ligno.

nunc eius toto illo Aegypti ac Syriæ tractu, quàm ad ignes vsus est, vt annotat Marcellus ex relatione eorum qui illa loca perlustrarunt.

Et Bellon. refert, vix alia ligna in Aegypto reperiri quàm Palmæ, sed ad ædificia & Archietecturas nihil valere. Addit à rusticis eius regionis summitates præscindi, & medullam internam eximi, Alexandriámque venalem deportari: Ibidem enim crudam comedi, gustúque Carduum esculentum (*artichaut*) referre: illud ipsum esse quod Græci ἐγκέφαλον, & cerebrum Palmæ nuncupent.

Ligna Palmæ. Bellon. adv.

Bellonio circa ligni vsum contrariatur Alpinus, qui ait, non esse vllam aliam arborem, Palmâ, humano generi vtiliorem: at Aegyptios ex truncis domorum trabes facere, ex ramis parietes, multaque alia lignea vasa ad vsum, quæ *Cuffaz* nominat. Et sanè Alpino etiam fauet Theophrast. qui & ea Africæ parte, in qua nunquam pluit, Palmas benè magnas & altas, optimasque prouenire, & materiem earum diuturnam esse, quippe spissam, siccam lignosamque: quæ quidem optimæ sunt notæ ligni ad Archytecturam expetiti.

Palma vsus apud Aegyptios ex Alpin.

Strabo quoque Palmaceis trabibus Babyloniæ tantum robur tribuit, vt tecta quoque sustineant, vt ampliùs dicetur in fine capitis. Ex foliis [addit idem Alpin.] flabella & sportas, è caudicis cortice funes pro nauibus conficere.

Sed quem ipsi ad medendum vsum habeant, nunc quoque dicendum. Ex Palma tria sunt, quibus Aegyptii sanitatis gratia vtuntur, quippe Spatha [Spartum ter legitur apud Alpin. quamuis eam vocem eo significatu apud nullum alium autorem legerimus.] puluis in spatha vel inuolucro contentus, atque Dactyli. Spathæ igitur membrana cùm puluis facta, vtuntur, tum ex ea parato decocto. *Puluis* maximum vsum habet per os sumptus ad Diarrhæam, Lienteriam atque Dysenteriam, nec minùs ad omnes alias vel sanguinis, vel alterius humoris innaturales vacuationes compescendas: præcipuè verò ad hepaticum fluxum, hæmorrhoidum, atque vteri cruentam vacuationem, atque ad sputum sanguinis. Eodem vtuntur ad refrænenda vlcera depascentia, ad vuæ relaxationem, ad firmandos dentes mobiles. *Decocto* ad omnia prædicta quoque vtuntur, sed sæpè cum eo puluere admixto: articulos debiles, aptósque defluxionibus mirum in modum iuuat eos firmando & roborando. Puluere quoque albo in inuolucro veris tempore inuento, quando scil. Palmæ florere incipiunt, vtuntur familiarissimè ad raucedinem, tussim & ophtalmias cum saccharo misto. Estque ipse dulcis & subastringens, quo mulieres Aegyptiæ familiarissimè vtuntur non tantùm ad cohibendos menses, sed ad retinendum fœtum. Eundem vsum habent *Dactyli* immaturi in cibo per se, & ex decocto. *Dactylorum* maturorum vsus frequens ad sanandum raucedinem, tussim. Dispnoeam, pleuritim & peripneumoniã. Decocti etiam ad iuuandas variolarum in pueris excretiones.

Puluis. Diarrhæa. Lienteria. Dysenteria. Fluxus hepaticus. Hæmorrhoides. Vterinus fluor. Sputum sanguinis. Vlcera. Vuæ relaxatio. Dentes mobiles. Artuum debilitas. Raucedo. Tussis. Ophtalmia. Ad retinẽdum fœtũ. Pectoris morbi. Variola.

Lacuna ossa Dactylorum plurimùm conferre putat ad roborandum cor, propter figuram illam quam cordi, vt ille ait, quodammodo similem habent. Sed parum facimus eiusmodi facultatum æstimationes à figuris, quas nullam per se agendi vim habere, boni Physici norunt, ac ne sanè occultam quidem, vt quidam opinari audent. Inuenias præterea multa cordi similia, etiámque lapides, immò fortè & venenata quædam, vt Anacardi, Ahouai fructus & eam propterea cordi conferre dicemus: Mirum verò tot præcipuos autores, vt ex antè dictis patet, noxam ex Palmularum esu

Lacuna not.

capiti

capiti vno consensu tradidisse, quemadmodum & vini earum potu, vnicum tamen Aretæum [quantùm hactenus quidem nobis constat] scribere ausum, omniáque bellaria caput dolore infestare, præter Palmulas, Ficus & vuas: quod si ipsi soli & probè cognitum fuit, habet posteritas ius sententiam eius confirmandi: sin minùs, temeritatem risu, scripta spongiâ castigandi. *Aretæus not.* Inter Saturnalia dona olim palmulæ mittebantur, vt testatur Ouidius: *Saturnalia dona.*

Quid vult Palma sibi, rugosaque carica dixi.

Et Martialis:

Aurea porrigitur Iani Caryota Calendis. *Aurea Caryota.*

Vinum palmeum, quomodo fiat. Palmulæ Chydææ. Vini è Palmulis in superioribus aliquoties mentio facta: quod vt conficias, tradente Diosc. Palmulas, quas Chydæas quasi vulgares vocant, bene maturas in doliolum fundo perforatum & arundine picata obstructum mittes, ita vt foramen etiam lino sit obturatum. Tum denis Chœnicibus ternos aquæ congios affundes: quod si non admodum dulce id esse libeat, quinos congios infundes, & ad dies decem macerari sines. Exacto eo spatio, hoc est, die vndecima, detracto ab arundine linteo, vinum crassum ac dulce excipito, atque reponito. Suaue illud quidem, sed capiti noxium. *Vini vsus.* Contra fluxiones, propter adstrictoriam vim, efficax: eandem ob causam stomachicis, cœliacis, & sanguinem excreantibus conuenit. Tamen qui eo non sunt assueti, & primùm bibere cœperint, ventris fluxum cient, inquit M. Paul. Venet. Qui verò assueti fuerint, mirum in modum pinguescunt. Incolæ ciuitatis Cormosæ pane triticeo non vescuntur, sed comedunt dactylos. Sunt qui addita rursum pari aquæ mensura, manantem deinde liquorem excipiunt: id quod tertiò, quartò, & quintò faciunt, non item ampliùs: quando quod reliquum ab his est, acescit. Meminit & Xenophon loco superiùs citato vini è palmulis optimi. *Aliut modus.* Plinius verò lib. 14. c. 16. in vini præparatione à Diosc. discrepat, tum quòd Palmularum minorem quantitatem sumit, scilicet modium, qui, teste Paulo, chœnices duntaxat octo continet, tum quia post macerationem palmulas ipsas exprimit: sic ait: Fit & vinum è Palmis, quo Parthi & Indi vtuntur, & Oriens totus, maturarum [mitiorum Vet.] quas vocant Chydæas modio in aquę congiis tribus macerato, expressoque. At idem lib. 13. c. 4. E Caryotis fieri tradit, non è Chydæis. Dioscoridi etiam in eo contrariatur Plinius quòd Palmeum vinum ventri molliendo non inutile prædicat, quemadmodum & sanguinem excreantibus. *Plin. locus restit.* Sed Librariorum potiùs, quàm Plinii errorem hunc putant: ideò Corn. pro molliendo, morando: Sarrac. molliori legit, eodem penè sensu. Ex Recentioribus Theuetus vinum Palmeum excellens esse prædicat, sed cerebrum lædere. *Vnguentum Elatinum.* Fit & Vnguentum ex palmæ Elate seu spatha apud Diosc. Sic: Tusam discerptamque Elatem in labrum conicito, & Omphacinum oleum affundito: in quo tridui spatio eam macerari finito. Mox fiscella exceptam exprimito. *Vires & vsus.* Sint verò vtraque paria pondere. Tandem vbi vase mundo reposueris vtitor. Vim habet rosaceo proportione respondentem: sed aluum minimè mollit. *Plin. error.* Fallitur Plinius, quando inquit: Est præterea arbor ad eadem vnguenta pertinens, quam alii Elatem vocant, quod nos Abietem: alii palmam, alii spatham. Nam vocis, Elate, homonymia ei imposuit. Exoleuit hodie huius vnguenti parandi modus & vsus. *Diacalcitheos.* Extat & compositio Diacalcitheos apud Gal. quam palmeo baccillo commiscendam præcipit: non alia de causa, vt quidam volunt, quàm vt adstrictionis aliquid inde capiat.

Quibus deest Palma recens, pro Spathula ad empl. diachal. seu diapalmes, teste Ioub. suadet Mesues radices Arundinis illud obire: Verùm non est similis horum facultas, vt alterum alteri possit substitui: *Substitutũ.* quum radix prædicta euellat spicula ex alto, vt dicit Diosc. suffragante experientiâ. Palma verò potiùs constringendo repellat. Quam ob rem malim ego huic subrogare arundinis cannam seu calamum, vel spatham factam ex querno, mespilino aut alio eiusmodi adstringente ligno. Guido pineam substituit, Chirurg. paruæ d. 1. cap. 3. cùm antea spatulam de canna esse voluisset.

[illegible] Diaphœnicon. Ingrediuntur & dactyli optimam & selectissimam illam compositionem Mesuei, Diaphœnicon à Palmulis dictam. Vulgò officinis à Palma dicitur *Diapalma* emplastrum. Paulus Aegin. in Epithemate ex vinaceis φοινίκας νικολάους δέκα conîcere iubet.

Ad vulgaris Palmæ naturam illa quoque pertinet historia. Ex palmarum cinere, & oleo fieri aiunt Saponem, omnium præstantissimum, ad manuum candorem, notante Scaligero. *Sapo ex palma.* Est apud Americanos, referente Stadio, natio quædam Karaya nomine, quæ ex Palmis salem conficere solet in condimentum ciborum. Verùm qui eò liberaliùs vtuntur, vitæ sunt breuioris. *Sal.* Parandi autem huius salis modum, quem & vidisse & in parando semel iuuisse testatur, hunc docet. Palmam prægrandem incidunt, quam scindunt minutim. Hinc struem ex lignis aridis conficiunt, cui palmę segmina superimponunt, & omnia simul ignibus subiectis cremant. Hinc ex cineribus illis lixiuium parant, quod coctum cogitur, & sal illud producit. Ego quidem nitrum arbitrabar, sed ignis exploratione secus se rem habere deprehendi. Sal sapiebat, & colore erat cinereo.

Restat et geminus palmæ honos, ac vterque præcipuæ nobilitatis dicendus, alter literarius: militaris alter. Palmarum quippe foliis primò scriptitatum fuisse Plin. ex Varrone prodidit. Verùm quia Recentiorum quidam eam gloriam peculiari tribuunt palmæ speciei, huic quoque rei caput proprium paulò post dicandum fuit. Nunc militarem atque adeò triumphalem celebremus. Ecquis verò virtutis alumnus nescit palmam omnibus penè priscis & anteactis seculis, (excepto vltimo hoc propemodum sordido) vincentium in certaminibus fuisse præmium? *Palma vincentium præmium.* Quod sanè illustrissimi quique, immò Reges & Imperatores ipsi, non modò non detrectarunt, sed omni nisu & conamine, atque adeò vel cum vitæ discrimine quęsiuerunt: vt qui maiorem apud suos exterosq; gloriam spectarent, ac pluris arboream, quàm auream facerent. Qua non semel pluriésve contenti, ni iterum ac sæpiùs illa insignirentur, vt tantò plus se accepisse decoris existimantes, quò frequentiùs in ludis sacris & certaminibus vicissent. Ita vel etiamnum hodie plurimorum triumphales statuæ palmæ ramum manu gestantes. Noti sunt triumphi Græcorum: noti Romanorum Cõsulum & Imperatorum. *Exempla.* L. Papyrio, & Sp. Caruilio Consulibus, deuictis Samnitibus, captisque illorum oppidis, Aquilonia videlicet & Corsino, Palma victoribus data: more tunc primùm è Græcia ad Romanos translato. Postea autem inoleuit, vt qui certaturi forent, spadicem haberent. Claudianus.

Nutant ad mutua Palmæ fœdera.

Cæsar in Hispania contra Pompeii liberos decertauit, eosque deuicit. Ergo in eo campo, vbi bel-

latum, Palmæ ramus statim post victoriam agnatus: quod tamen non ad Cæsarem, sed ad Octauium, è sorore filium portendit. Nam ibi prælians multa præclara armis facinora peregit, quibus clarus futurus erat. Hæc Xiphilinus in Epitome Dionis.

Suetonius Tranquillus in Octauio: Apud Mundam, inquit, Diuus Iulius castris locum capiens, cùm siluam cæderet, arborem palmæ repertam conseruari, vt omen victoriæ, iussit. Ex ea continuò nata soboles, adeò in paucis diebus adoleuit, vt non æquipararet modò matricem, verùm etiam obtegeret, frequentareturque columbarum nidis: quamuis id auium genus duram & asperam frondem maximè vitet.

Musa palmâ coronata. Phœnices literarum inuentores. Cur Musa Palma coronata. Musæ prætereà (Phurnuto authore) Palma coronatæ, propter homonymiam, quòd Phœnices primi inuenisse literas credantur. Nam Palma Græcè φοῖνιξ. Hanc tamen rationem non probat ille: verùm ob arboris teneritudinem (vel potiùs inaccessam scabritiem, aut ramorum hispiditatem qua caudicem muniunt, nisi circumcidantur, vt superiùs dictum, vt nos interpretamur.) propter quam non facilè scanditur, sicut nec ad Musas & poësin, propter difficilem ad earum pulchritudinem accessum. Nam dulcissimos fert fructus. *Difficilis ad Musas aditus. Corona palmea.* Ab huiusmodi corona Palmea postea vsurpatum, vt æquè vocabulum Palma, atque arbor ipsa, victoriam denotaret. Cuius significationis vnum Ciceronis, alterum Virgilii, tertium Ouidii locum citasse satis esse ducimus. Ille de senectute:

quam Palmam vtinam Dii immortales tibi, Scipio, reseruent. Alter:

----*Eliadum Palmas Epeiros equarum.* Hic:

Et lentæ victoris præmia Palmæ.

Prouerbia de Palma. Vnde prouerbia nata: *Palmam dare Palmam ferre, deferre, tribuere, præripere, accipere*: *Habere Palmam ex aliquo: Reseruare alicui.* Quæ omnia ad victoriam referantur. Et *Palmarium*, autore Plin. quicquid in victoria sit. Dicitur etiam Vlpiano Iurisc. *Victoria salarium.* Terent. in Eunuch. tum hoc alterum, id verò est, quo mihi puto Palmarium. Victoriam: *Deam Palmarem* Apuleius vocitat: &c. *Palmaris vestis*, siue *Palmata*, propriè triumphantium fuit, quam merebantur, qui de hostibus Palmam reportassent. *Dea Palmaris. Palmaris vestis.* Etiam in pace Consulum fuit. Ausonius in Panegyrico, Palmata vestis, vt in pace Consulis est, sic in victoria triumphalis. Et *Palmaris sententia*, quæ vincit. Cicero: Sententia philosophorum Palmaris. Et *Palmaris statua*, Ciceroni, quæ alicui propter victoriam erigebatur. *Palmaris sententia. Palmaris statua.* Sed quo rapimur? An celebramus Palmam, vt Palmam in posteritatis Theatro mereamur? Felices verò eos qui Emblematicam illam Coronam cum Palma ex gladio mortis immortali victoria reportant: vt habeant contra terrenos hos fastus quod trucibus Christianæ fidei oppressoribus atque tyrannis desuper occinant: *Cessit victoria victis.* *Martyrum Emblem.*

Cur palma triumphis dicata. Prima ratio. Sed cur tandem Palma præ aliis arboribus præcipuis victoriæ triumphis dicata? adeòque vt & certaminum euaderet symbolum, attestante in Symposiis Plutarcho? Huius rei vt annotat Curtius hæc perhibetur ratio. Theseum deuicto Minotauro, è Creta redeuntem, Delum appulisse ferunt, & in ea, ob adeptam victoriam, Apollini sacros ludos instituisse, in quibus victores Deliaca palma coronarentur: *Deliaca palma. Sacra palma.* Alii ibi è sacra Palma ramum decerpisse, & secum detulisse, vt inde postea inoleuerit mos, vt cuiusque certaminis victor, Palmæ ramis contonaretur. Pausanias etiam huic rei aliam causam attribuit. Nam Iasium vbi in Olympicis vicisset, dextra Palmę terminem gestasse scribit, & equo insidentem abiisse: vt inde, dextris Palma portata, victoriæ indicium sit. At Aristoteles, Plutarchus, Plinius & Autorum tam priscorum quàm posterorum plerique qui de hac re aliquid prodiderunt, causam reddunt hâc, quòd vrgentibus ac prementibus ponderibus minimè cedat: à qua vi atque natura Græci νίκην victoriam dictam volunt, quasi ἀπὸ τοῦ μὴ εἴκειν: à non cedendo. *Victoria Græcis vnde dicta.* Strabo sanè in xv. Geogr. scribit Palmaceas trabes peculiare quiddam pati. Nam cùm solidæ sint, cùm inueterascunt, non cedunt (inquit) in partem inferiorem, sed in superiorem panduntur, propter onus, vnde meliùs tectum sustinent. Quin & Theoph. in fornicem concuruari Palmam sursum versus pondus ait. Plinius. Palmæ arbor valida, in aduersum enim curuatur. At Populus, contra omnia inferiora pandatur: Palma è contrario fornicatur. Quamuis alii inualida legant, & ita in vulgatis habeatur: ita tamen ex Strabo. & Theophrast. aliisque legendum, nisi contrarium huic velimus facere Plinium, qui ex eo hunc locum transcripsisse videtur: sicque etiam in m.s. exemplari legitur, teste Dal.

Plin. locus restit. Ea res in admirationem traxit Aulum Gellium sic scribentem. Perhercle rem mirandam Arist. in vii. probl. & Plutarch. in viii. Sympos. dicit: Si supra Palmæ [inquit] arboris lignum magna pondera imponas, ac tam grauiter vrgeas oneresque, vt magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum Palma cedit, nec intra flectitur, sed aduersus pondus resurgit, & sursum nititur, recuruatúrque. *Mira palmæ natura.* Propterea, inquit Plutarchus, in certaminibus Palmam signum esse placuit victoriæ, quoniam ingenium eiusmodi ligni est, vt vrgentibus opprimentibúsque non cedat.

Idem testatur Cardanus, additque idem euenire Asinis Canthelius ex Xenophonte. Causas verò quas reddere conatur, tanquam futiles & pueriles explodit Scaliger. exercitatione CLXXIII ipse tamen meliorem non addit, sed ingenuè fatetur nodum hunc se soluere nescire, quod rarum & mirum in tanto subtilitatis Professore. *Card. opi.* Plutarchi saltem conatus produxisset, qui tam stupendi in Palma experimenti [vt Guiland. ait,] triplicem causam recitat in libello de causis naturalibus, probl. xxxii. quod vnà cum sequentibus octo in Græcis exemplaribus impressis desideratur. *Rationes cur Palma oneri resistat.* Verùm, inquit, quòd ignea, & spiritalis facultas, quà maximè polles, cùm tentatur & irritatur, sese exercens, magis & magis erigit? An quoniam pondus ramos subitò vrgens, aërem omnem, qui in his est, oppressum cedere retrò cogat, qui deinde resumptis paulò viribus aduersum onus non sustinẽtes, cùm onus quiescit, paulatim se erigunt, & speciem, quasi contra illud assurgant, exhibent?

Negatur fides ea Palmæ. Sed neutra istarum nobis satisfacit: & frustra τὸ διὸτι quæritur, vbi non constat de τὸ ὅτι. Nam Amatus Lusit. & Antonius Musa Brasauola, quæ de Palmæ ligno tradita sunt, suo experimento falsa esse comperisse testantur, nec enim contra põdera inniti aut recuruari, imò experientiam indicare, lignum hoc debile esse. Fortè hoc dicit Amatus, quia apud Plin. legerat, inualida. Aut si expertus sit, vel non ritè expertus est, hoc est, Vel in ligno non satis adulto, aut non ritè secto: vel non adhibita mora temporis competente. Nam tot classicorum Autorum consensum vnius experimenti putati specie reiicere, prudentis non est. In inueteratis illud obseruari dicit Strabo. Ergo multo tempore opus. Aut si in inueteratis istud viderunt,

viderunt, cur locum non citant, quod fecit Strabo: aut experimenti sui modum assignant? Quamuis autem de hac re nihil certi nobis constet, attamen tot summorum authorum consensus non patitur temerè sibi fidem derogari. Immò nec ipsa quoque ratio, quam quodammodo dari posse putamus. Ergo audendum aliquid. Multùm sanè potest in lignis neruorum atque fibrarum ductus ad flexuram & incuruationem. Tales & palmam habere existimandum. Nam ita putamus. Quemadmodum rami ex trunco exeuntes mox in fornicem incuruantur, ita incuruationis illam causam ex fibrarum trunci continuato ductu dependere. Quod si hoc in virgis euenit, cur non idem in Palmeis trabibus eueniat, etsi mole pressis. Quid? quod & Abietina tigna in ædificiis ponderi neutiquam cedere, sed cum tempore etiam sursum flecti nobis à peritissimis Archytectis & Carpentariis relatum sit? de quo tamen ampliùs perquirendum. Nec dubitamus, si Palmæ arboris caudex secundum rectitudinem in quatuor vel plures diuisuras finderetur, vnamquamque earum quasi in arcum incuruatam iri, haud secus ac in rostellis Geranii exiccatis euenit, quorum veluti costæ in viridi ac integro adhuc rostro recto ductu cohærent, at maturi aut siccitate fatiscentis atque diuulsi filamentorum quorundam vi ita incuruantur partes illæ vt vermiculorum aut serpentum motum flexuosum iucundo spectaculo imitentur. *Sed de hac re nunc satis.*

Autorum ratio cur onere resistat palma.

PALMA VINIFERA THEVETI.

Cap. CLX.

Palma species.

Arbor est è Palmarum genere, vti refert Scaliger, à vulgari palma differens. Cæditur ad imum trunci: vnde liquor. Aquâ succum temperant: alioqui ebrii futuri. Cùm stillat, dulcissimus est. Seruatus acescit, sapore non ingrato. *Mignol* vocant. Cardanus describit, quale à Ludouico Mustano accepit. Cæterùm neque arborem, vnde eliciatur, neque eius saporem indidem narrat.

Mignol.

Locus.

Postquam igitur Theuetus in lib. suo de singularibus Galliæ Antarcticæ tradidisset, subdit: Promontorium viride Palmis abundat, ex quibus Syluestres Æthiopes vinum parant, quod vocant *Mignol*. Est autem hæc palma pulcherrima siue proceritatem, siue perpetuam viriditatem, atque alias speciosæ arboris dotes contempleris. Fert paruos Dactylos austeros & acidos, vt non facilè edi possint. Arboris tamen succus gustus suauissimi est, ideò hunc magni faciunt Indi, quemadmodum nos vina generosa. Caudicem ima parte duorum pedum altitudine à terra perforant, ita liquor effluit, quem vase terreo ad foraminis altitudinē exceptū, & in alia ad id destinata trāsfusū, ad vsum referuant. Hoc vinum, vt faciliùs à corruptione præseruetur, sale aliquantùm condiunt, quo humiditas illa putredini obnoxia consumatur. Colore vina alba Campaniæ & *d'Anion* refert: gustuque est præsuaui, & quouis defruto *Cidre* Britannis dicto, Pirorúmve vino præferendo. Aptissimum est ad ardorem & sitim, cui incolæ obnoxii sunt ob excedentem eius regionis calorem. Eodem Ægyptii olim mortuorum cadauera, antequam Balsamo condirent, ter quaterve abluebāt, ita tutiora futura existimantes à putrefactione: postmodum Myrrha & Cinnamomo inungebant. Eiusdem potus vsus est in plurimis Aethiopię tractibus.

Vinum Mignol.
Descriptio
Dactyli parum acide.
Vini proliciendi modus.
Cadauera mortuorū apud Aegyptios condiendi modus.

Cogitent verò Lectores an hoc palmæ genus non idem esse possit cum præcedenti, quamuis hoc modo ex illa vinum educi à nullo hactenus proditum obseruauerimus. Distinctionem tamen etiam ostendit Palmularum exiguitas & sapor acidus, ex quibus tamen vinum fieri vt ex prædictis Dactylis non docet Theuetus.

Consideret item Lector an possit esse illud palmæ genus, quod India profert, [vt Matth. ex Iosephi Indi nauigationibus perhibet, è cuius truncis, excisis consultò ramis, mense Augusto distillat liquor, quem incolæ vasis excipiunt, ebibuntque suauiter vini vice: verumtamen nisi excoquatur, post triduum in acetum acerrimum desciscit. Eaq; propter illum decoquunt, vt nos defrutum, fitque hoc modo, velut mel suauissimum, quod postmodum ex aqua resoluunt, & diebus viginti artificio quodam percolant, donec optimè sit defæcatum, atque pellucidum: quo artificio iucundissimus redditur potus, diuque perennat.

Palma genus ex India.
Alia parandi potus ratio.

PALMA GVINEAE.

Cap. CLXI.

In Guinea circa metallicas auri venas [*Castel de Minas* nuncupant] abundè crescunt arbores ab inquilinis Palmæ appellatæ, altitudine & crassitudine naualis mali, [ita enim describit Franc. Peninus apud Clus. in hist. Aromat. Garciæ] summo fastigio gestantes folia [foliorum alas intelligit] deorsum inflexa, 12. aut 15. pedes longa, arundinum ritu incisa: sub his foliis [ramos aut foliorum alas veriùs appellarit] nascuntur, breuibus pediculis inhærentes vuæ humani capitis magnitudine, in quibus congesti fructus prunis maiores, coloris aurei, quorum nucleos incolę eximentes contundunt, ex his exit liquor olei lympidi instar [cuius pauxillum cum nuce ad te mitto speciminis gratia] oleum de palma ab ipsis appellatus, quem eduliis miscent, ad odoris colorisque gratiam conciliandam. Is liquor huc delatus frigore concreuit butyri instar, coloremque aureum contraxit. Eum liquorem siue oleum qui retulerunt, recentibus vulneribus & artubus contorsione læsis vel afflictis illitu leuamen attulisse deprehenderunt. Incolæ, terebra perfossis arboribus ligneum paxillum indunt, ex eo foramine profluit liquor dulcis seri lactis instar, quorum melle syluestri commixto, potionem conficiunt vini de palma appellatione quo liberaliùs hausto, etiam temulenti fiunt. Arboris materia rubescens, flauis venis distincta, ad fabricas inutilis, quia fissa, tenuibus & gracilibus segmentis dissilit.

Descriptio
Oleum de palma.
Oleum.
Vsus.
Modus colligendi.
Vinum de palma.
Arboris materia.

PALMA HVMILIS SEV CHAMAERIPHES.

Cap. CLXII.

Palma humilis Hispanica non spinosa.

Fructus Chamæriphes quos habemus, magnitudine sunt & figura oliuari, triplici cortice obtecti: extimus colore Castaneæ, in russo nigricans tenuis est: huic alter subiacet crassior, colore cinereo, in fila ductilis: tertius ad nucis moschatæ colorem accedit, nucleum obuestiens duritie cornea, sapore dulcem, album, quem per-

Descriptio fructus.

Palma humilis Hispanica non spinosa.



Folia

currunt lineæ russæ breues, ex iisque vna cæteris longior ad centrum pertingit, vt figura nostra ostendit. Folia verò quæ in herbario nostro sicco asseruamus, ita sunt digesta, vt muscarii instar ex pediculo vno ceu manubrio triangulari, non multùm crasso, foliorum densè stipatum agmen assurgat, quorum singula semunciam lata, striata, bifida aliquando, longitudine ferè sesquicubitali in cultratũ mucronem desinunt.

Palma humilis spinosa.



Palmæ genus humile pumilúmque, (inquit Matthiol.) quod in Sicilia & Creta copiosissimũ prouenit: quin etiam in maritimis Senensibus, cubiti altitudinem parum excedens, folio cæteris simili, sed longè minore breuioréque. Flores edit ex obliquo è capillacea quadam coma emergentes: è quibus baccæ racematim prodeunt, vt ex appicta figura cognosci potest. Pars radici propinquior in globum extuberans internum, germen quoddam quod Cerebrum vocant, innumeris ferè inuolucris circũseptum habet, tenerrimum, sapidum, & ori gratissimum, de quo Lobel. Encephalum gulæ blandimentum, scapus propè radicem ventricosior, crúsque humanum æquans, fistulosus, claudens medullam, qualem esitauimus suaui Carduorum gustu.

Flores.

Cerebrum

Chamæriphes.

Palmæ hoc genus Theophr. χαμαιῤῥιφὴς vocat, de quo sic tradit. Palmæ autem χαμαιῤῥιφεῖς vocatæ, (humiles vertit Gaza.) aliud quoddam genus est, quasi æquiuocè dictum. Nam exempto cerebro viuunt, & ab radicibus succisæ repullulant. Fructu quoque ex foliis distant. Sunt enim lato mollique folio: ob id sportulas, tegetes & capitis vmbracula eo contexunt.

Vsus foliorum.
Cadua palma.

Easdem Plin. designasse videtur his verbis: Sunt & cæduæ Palmarum quoque syluæ, germinantes rursus ab radice succisæ. Dulcis medulla earum in cacumine, quod cerebrum appellant: exemptáque viuunt, quod non aliæ. Vocantur autem Chamæropes, folio latiori ac molli, ad vitilia vtilissimo.

Chamærops

Chamæzeli.
Patala.

Dioscor. χαμαιζήλους vocat. Plerique intepretes humiles Palmas reddunt. *Patalas* quoque dici minutas Palmas, & θαμνώδεις notauit Cœl. Rhodig.

Chamærepes

Annotat quoque Scal. in notis suis ad Theophrast. ad vocem χαμαιῤῥιφεῖς, in suo codice Pliniano scriptum esse, Chamærepes. Hoc ab ῥίπτω illud ab ἕρπω. Hermo. neque iudicat, neque indicat: sed ‖ corollario prudenter vtrumque complexus est illis verbis, abiectam & repentem humi. Idem aliam tradit hanc, & illam quam Diosc. χαμαιζήλην vocat. Neque tamen potest causas adducere: solo quippe nomine posito à Dioscoride. Chamæriphas putat idem easdem cum iis, quas Siculum vulgus Ciphilionem, & Matthiol. & plerique alii recentiorum Herbariorum vocat, vt patebit mox: de quo tamen dubitare videtur Scal. quod Theophrastus vsum ipsius cerebri in cibo non dixit. At ferre potuit aut debuit, Theophr. perrarò vires dicere, sed historias potiùs & causas plantarum tradidisse, quemadmodum Dioscor. earum vires.

Palmitis.
Nucula Indica.
Elate Encephales.

Coldembergius insignis Pharmocopœus, fructum quem in principio descripsimus & in icone expressimus ad nos misit cum hac inscriptione. Palmitis vulgò Hispanorum fructus à Palma est diminutiuum: qui sanè tectus villo suo apprimè respondet Lobelii *nucula Indica*. Sed circa hanc vnicam plantam opinionum quasi messem, vtinam confusione vacuam, nobis obtrudit Amatus in Com. ad Dioscor. sic scribens: ἐλάτη ἐγκέφαλος, Cephalio, Palmites, Palma agrestis, Hisp. *Palmitos*: Ital. & præsertim in Sicilia *Cephaglione*. Quanquam & Encephalos plantas reperiatur parua, à nonnullis Cephalio nuncupata, quam vocem hodiè Neapolitani seruant, eam Cephagilon nuncupantes, Lusitani verò, simul ac reliqui Hispani *Palmitum* vel *Palmitam* appellant, quam Viues in Colloquiis agrestem Palmam nominat. *Hactenus*: qui etiam ait, sub persona Ludouici quam introducit, Elatem Dioscor. & Elatem Encephalon Galeni hanc esse plantam. Postea addit: reuera plantam bulbosam Theophr. lib. 7. hist. & ex eo Plin. lib. 19. cap. 2. esse Encephalon siue Palmam nostrum paruam. Item addit: de ea Serapio Bdellium confici meminit quam Cifilionem corrupta voce appellat. Palma humilis Garciæ, Gazæ. Palmæ humilis genus Dod. Germ. Heine Palmen. Palma minor Tab. Chamæriphes siue reptatrix Palmula Pen. & Lob. quarum Enchephalum siue cerebellum Antiquis imprimis commendatum: tota minor est vulgari Palma foliis angustioribus, baccis crebrioribus, minoribus.

Cephalio.
Palmites.
Palma agrestis.
Palmites.
Palmitum.
Palmeta.
Elate.
Planta bulbosa lanata Theophr.
Palma humilis genus.
Palma minor.
Palmula reptatrix.

Differentiæ.
Palma abortiua.

Bellonius duas species *Cephaloniæ*, quam & *Palmam abortiuam* vocat, obseruauit: *Hispanicam* cuius fructus aut cerebrum nautæ in Gallias per maria inuehunt, suntque eæ ipsæ Palmulæ, quas Institores & Aromatarii Rotomagenses & Parisienses quatuor aut quinque assibus regiis singulas diuendunt: Et alteram *Creticam spinosam*, à modò dicta differentem. Hist. Lugd. vtramque depictam dat, his titulis: Palma chamærops Plinii: 2. Chamæriphes seu Palma humilis Matthiol. Vtramque & nos exhibuimus.

Cretica spinosa altera.

C. Bauh. Hist Lugd. autor.

C. Bauh. in libello suo cui titulum fecit, Animaduersiones in Hist. Lugdunensem, (quam cœpit Dalech. Medicus Lugdunensis, vir Doctissimus, sed quæ à quodam stirpium non satis perito

rito

zito & quamplurimis ignorantiæ ac oscitantiæ næuis conspersa] eandem carpit quasi vnius plantæ figuras duas & duas penè similes descriptiones posuerit, posterioremque fuisse iconem assumendam, tanquam meliorem. Verùm siquidem veritati & studiosorum vtilitati studendum in omnibus, quantùm quidem in nobis fuerit, hanc eius censuram neutiquam probare possumus. Nam apertè ex Bellonio constat, duas distinctas esse species, spinosam Cretensem, qualis pingitur à Matth. alteram Hispanicam diuersam, quam existimamus per Dalechampium bene depictam, qualem aliquando obseruauimus in horto Patauino, iuxta domum in angulo ferè, spinis carentem, & quatenus ex ipsis ramis ex illa auulsis, quos adhuc habemus, diiudicare possumus, differentes à pictura Matthioli. Palmam humilem spinosam nos existimamus à Cordo in silua Obser. malè pro herba his verbis tradi. Phleon palustris herba, aculeata sub foliorum exortu: folus Harundineis ab vno principio in ventilabri figuram explicitis. Affertur ex Italia cum farcinis aliarum, idque casu.

C. Bauh. — Phleon Cordo malè.

Locus. Chamæriphes Theoph. seu vt Plin. vocat Chamæropes, vtrisque authoribus in Creta insula abundè prouenitunt, atque etiam multò plures in Sicilia. Plurimas quoque gignunt maritima Senensia, sed pumilas: quibus paulò maiores illæ quæ ex Sicilia Neapolim inuehuntur, teste Matthiol. In monte nigro Pisensium notissimi Cefaglioni. Anguill. atque adeò plerisque Hispaniæ, Galloprouinciæ & Italiæ maritimis vt obseruarunt Pen & Lob. Eiusdem potissimùm in Bœtica regione & Algarbia Lusitaniæ parte, magnus est prouentus. Ex quibus regionibus, teste Amato Antuerpiam magna inuehitur copia. vbi in maximis habetur deliciis, nec nisi Optimatibus aut Principibus præsentatur, quum cibus sit delicatissimus, suauis, ventriculo gratus, multùm genitalis seminis gignens, qua ratione ab illis multùm desideratur. Cæsalp. notat, spontè oriri in scopulis maritimis insulæ Iluæ, & Palmeola vocata insula illi contermina. In pluscúlis etiam Italiæ hortis, speciatim Bononiæ in horto quodam. Fructus & ramos inter χειμήλια nostra adseruamus. Sed fructus, quamuis recens & integer videbatur, à nobis satus Montb. non prouenit.

Cibus.

Vires & Vsus. Iam suprà dictum ex Theophr. folia sportulis, tegetibus & capitis vmbraculis texendis vsum præbere. Diosc. huius nucleis easdem vires tribuit quas nucleis Palmarum, atque ad omnia ea aptissimos esse Aegyptios nucleos qui ex humilibus palmis decerpuntur. Ideò Lectorem ad eum locum remittimus. Nonnulli huius Palmæ cerebro easdem vires tribuunt, quod Gal. ex differentibus partibus constare tradit, aquea videlicet quadam substantia tepida, & altera terrestri frigida: proinde humidum esse, & cum adstrictione quadam refrigerans. In cibo sumptum crudos humores ac flatus gignit: atque ideircò cum sale & Pipere edi conducibile est. Pars tuberosa iuxta radicem, inquit Matth. tenerrima sapida & ori gratissima: adstringenti pollet facultate: itaque roborat & cohibet. Germen quod cerebrum vocant, estur secundis mensis pro bellariis, cardui esculenti modo cum Pipere & salis momento. Arridet enim maximè gustui. Id [vt aliqui aiunt] ad Venerem excitandam haud parum præstare creditur. Cardanus eius substantiam carneam dicit, candidam, solidam, sed partem imam quæ radici iungitur mandi solùm. Surculi, qui Palmæ folia referunt, candidi & ipsi, sed lignosi, non apti cibo. Rami quadragesimali tempore deferuntur venales per totam ferè Italiam, ad exornandos Oleæ ramos varioque plexu contexendos, qui sacra palmarum die ab omnibus in templis gestantur. Præstant iidem ad sportulas, tegetes, [etiamnum hodie æquè ac Theophr. seculo.] & scopas parandas: sunt enim ad verrendas domos rami vnà cum foliis ad scopas parandas, non solùm peridonei, sed etiam vtiles; quòd non confringantur, nisi tempore longo. Cætera cum maiori palma communia habet. Baccæ sua adstringenti vi, dantur contra omnes corporis fluxiones. Palmitarum tuberosæ radicis Scal. concretionem pinguem dicit, & tuberaceam medullam intus: gustum gratum assuetis. In Sicilia & ora Bœtica maritima magna vis cæditur. quæ Romam affertur magna ex parte quadragesimæ ieiuniis venalis: alioqui veriùs sunt gulæ blandimenta quàm cibus, gustu ferè Carduorum. Aegypti rustici quoque cerebrum magna copia cædunt in campis, & Alexandriam vendendum important, vbi crudum manditur, sapore iam dicto, teste Bellonio.

Sportula. Tegetes. Capitis Vmbracula. — Temperã. — Cibus. — Venus. — Scopa. — Fluxiones.

CHAMAERIPHE PEREGRINA.

Cap. CLXIII.

Petrus Garetus mittebat Clus. peregrinæ cuiusdam humilis palmæ ramũ, qui erat pedem romanum longus, vel maior, quadragenis aut pluribus virgis præditus, fusci coloris, inæqualibus & frequentissima vestigia retinentibus, in quibus hæsissent flores, aut fructus rudimenta, contortis infimâ parte, vt facilè appareret, aliquo inuolucro siue spatha fuisse tectas: prodibat verò hic ramus ex denso quodam cortice semunciam alto, quatuor autem vel plures vncias lato, & lunato, subflaui coloris, pronâ quidem & supinâ parte læui, sed ipsâ corticis materiâ è multis transuersis fibris constante, iis penè similibus quæ in magnarum illarum nucum Indicarum, quas vulgò *Coccos* appellant, tegumento conspiciuntur, aut quæ humilium palmarum germina, à plerisque in deliciis habita, vestiunt.

Descriptio.

Nautæ à quibus repertus fuerat hic ramus, se in altissimo quodam scopulo, è mediis maris caput attollente, nascentem reperisse & rescidisse affirmabant: facilè nihilominus mihi persuasérim, non in scopulo marino, verùm in aliqua insula, ad quam appulissent, reperisse, & ex arbore vel frutice detraxisse, & tegmen ademisse, vt obseruare possent quid sub illo lateret.

Vbi repertus.

Digitized by Google

CHAMÆRIPHES FORTE FOLIVM.

CAP. CLXIV.

CVm Chamæriphes superioris surculo mittebat idem Garetus folium, ab amico acceptum commodatò, vt illud conspicere, atque etiam, si vellem, describere possem. Admirationem autem mihi pariebat, quòd adscriberet, illum, qui ipsi hoc folium mutuò dederat, adfirmare Nymphææ esse in Moluccis insulis natæ, & supra aquā haud secus spargi, quàm nostræ Nymphææ folia: illiusque florem non esse nostratis flori dissimilem, ei præsertim qui candidus est, sed colore dumtaxat differre, hoc est, non album esse, sed cæruleum. Ex illo autem folio concinnatum erat flabellum ad ventulum faciendum, atque ex duplicata pediculi eius parte manubrium confectum, quod manu teneri posset.

Descript. Huius porrò flabelli ambitus erat trium pedū & nouem vnciarum: Longitudo ad manubrium vsque, siue ad folii pediculum, duodecim vnciarum, latitudo quà maximè patebat, tredecim vnciarum: manubrii ex ipsius folii pediculo duplicato confecti, & vimineo vinculo adstricti, vt commodiùs manu teneri posset, longitudo, quinque vnciarum. Istius folii prona pars crassiorem neruum ostendebat, per medium folium secundum longitudinem procurrentem, ex quo oriebantur alii minores in latera expansi: ab vno quidē latere viginti tres, ab altero autē viginti quatuor: supina pars totidem plicaturas, quà adeò de causà suspicio mihi oriebatur non esse Nimphææ sed Chamæriphes alicuius generis potiùs folium, quodque non in aquatica planta, sed in terrestri natum esset, qualis fortè illa, quam Batavi in insula Mauritii nascentem obseruabant, habentem [vt illius nauigationis diarium refert] tam ampla folia, vt vnico quispiam sese tegere, & ab imbre præseruare posset: pictura similiter quæ in eo diario addita, tametsi rudíter expressa, meam suspicionem confirmare videbatur. Folii autem, ex quo flabellum concinnatum, color, flauus erat, qualis in culmis maturæ segetis conspicitur, parte tamen supinâ splendidior quàm pronâ: in folii verò ambitu, ad illud expansum retinendum, annexus erat vimineus limbus, illi penè similis quo manubrium adstrictum, rubro tamen colore infectus.

Nymphea folium non est.

Color.

PALMA HVMILIS PAPYRACEA ET DE papyro ex Palmis.

CAP. CLXV.

Descriptio SVnt & humilia Palmeta, folio tam politæ superficiei, vt eo pro chartis vtantur ad scribendum in prouincia Mangi: alterius arboris vsus idem. *Tal* dicitur. Scalig. Palmarum folia olim Papyri vsum præstitisse, cùm Plinius ex Varrone, tum alii plures autores, (qui ferè eorum mos esse solet, vt qua primùm data porta est, præcipites, & posteritatis nimis securi scriptores, irruāt,) tradunt: verùm quæ sit illa Palmæ species, nemo hactenus, quod equidem sciamus, propriùs atq; distinctiùs exposuit, quàm Maffeus & Scaliger: hicque fortè, vt coniicere est, ex relatione aliorum. Nam si eam notam habuisset, (quæ fuit eius viri erudiendæ posteritatis inimitabilis propemodum sagacitas) indubiè diserto lemmate declarasset.

Papyracea arbor Tal.

Humilium palmetorum folia polita dicit, vt iis pro charta vtantur ad scribendum. Sed priùs audiamus Plinium.

Hic lib. XIII. cap. XI. postquam de Aegyptiis arboribus, atque inter eas sanè ad longum & elegāter de Palmarum natura ac differentiis disseruisset, sic infit. Priusquam digrediamur ab Aegypto & Papyri natura dicetur, cùm chartæ vsu maximè humanitas vitæ constet, & memoria. Et hanc Alexandri Magni victoria repertam, autor est M. Varro condita in Aegypto Alexandria. Anteà nō fuisse chartarum vsum: in Palmarum foliis primò scriptatum: deinde quorundam arborum libris. *Hac Plin. de charta ex Palma.*

Charta quâ humanitas constat. Quando reperta.

Testatur quidem Io. Linschottanus in suis narrationibus Indicis, ex eo Palmæ genere, quam Nucem Indicam vulgò vocant *Chartam* Indos habere, verùm non ex foliis, sed ex interiori medulla arboris, [fortè hæc vna earum est, quarum libris deinde scriptatum Plin. dixit.] eam esse, omnésque libros Indiæ ex hac materia, natura producēte in ipsa arbore plicas ad distinctionem foliorum.

Nux Indica.

Plin. illust. Libri Indici.

At Maffeus in sua historia Indica apertè ait, eius Palmæ cuius fructum Nucem Indicam Lusitani dixere, [de qua nos pòst] folia libranis pro Papyro esse, & loco tegularum imposita domibus arcère imbres, tum etiam in vestes forma facili simul ac spisso contextu necti. Verùm hæc nec Palma humilis est de qua loquitur Scaliger, nec eius Folia adeò lata ab Autoribus traduntur, (immò Palmę vulgatæ aut arundini similia ait Garcias, Clus. simpliciter Palmæ comparat foliis, quę sanè cultrata sunt & perangusta. A Costa ne foliorum quidem meminit in sua descriptione.) vt chartæ vices supplere queant. Adde quod Plin. suam Palmam, in Aegypto nasci satis manifestè declarat, in quo nemo autorum, quod nobis quidem constet, Nucem Indicam dictam nasci prodit.

Folia Nucis Indicæ, pro Papyro.

Quas fortè difficultates subolfaciens Doctissimus Guilandinus in eruditissimo illo suo opusculo de Papyro, [quod commentarii vice scripsit in Plinii caput de Papyro.] apud Plin. pro Palmarum foliis, Maluarum foliis: quoniam olim, vt ille putat, in Maluarum foliis scribebatur. Huius suæ audaciæ [sic enim vocat] non vnam causam prætexit, sed quòd apud neminem Varrone antiquiorem comperit, Palmarum folia ad vsum scribendi aliquando accommodata fuisse: tum quòd natura asperiora, duriorāque sunt, quàm vt commodè in eum vsum recipi queant, tum verò quòd arundinea passim obuia subrogari præstabat. Palmæ frondem Suetonius Trāquillus durā & asperam dixit. Accedit [addit Guil.] ad gratiam quòd Maluarum folia rectiùs opponuntur arborum libris, quàm folia Palmarum, quæ & ipsæ arbores sunt: præterquàm quòd Cinna antiquus Poeta, cuius Catullus & Seruius meminere, in Maluarū foliis scriptitatum indicat. Adducit præterea Guilandinus tetrastychon ex lib. VI. Isidori, (quos vid. infrà, Cap. de Malua) quibus dicitur, carmina Maluæ libello scripta fuisse. Hæ Guilandini sunt rationes quibus apud Plin. in Maluarum foliis primò scriptitatum fuisse, legendum indicat: quamuis & alios versus, ex Virgil. III. Aeneidos, vbi de Sibylla canit: vt ex lib. VI. eiusdem: Iuuenalis item Satyr. VIII. in eum sensum quasi vi trahere conatur, in quibus tamen omnibus ne verbulo quidem aut significatione aliqua Maluæ fit mentio, sed simpliciter foliorum, quasi uerò Sibyllæ folia fuerint Maluæ?

Plin. locus corr.

Suspicatur denique etiam huc respexisse Pythagoram

gorum, quando sanctissimum esse folium μαλάχης, id est, Maluæ dicebat. Sed hæ meræ sunt coniecturæ, & nostro quidem iudicio, in veritate reique natura parum fundatæ. Nam quotusquisque credat in Maluæ folio tam fragili tam molli, [vnde & nomen accepit] atque vno verbo, tam ad libros & scripturam inepto, vnquam scriptitatum fuisse, aut quod scripturæ vel libri titulum mereatur, ex eo vnquam desumi potuisse? Sume quamcunque voles Maluæ speciem, etiam arboream, cuius folia latissima, sed hirsuta, ideoque scriptioni inepta, & in eius folio scribendi periculum fac, & habeas tibi si lubet bullam pro libro. Eodem sanè iure plurimorum aliorum foliorum pro charta vsus esse possit. Nec dubitandum, & id Herbariorum consensus approbat, Veterum Maluam ad nos etiam pertigisse. Aut si ipse quoque Guilandinus aliam cognouit ad eum vsum aptiorem, cur nos non docuit? Cur non declarauit modum? At Isidorus, inquies, hoc versibus Cinnæ expressit? At his opponimus viros grauissimos Varronem & Plinium. Enimuerò sanè tanti facimus Poëtas illos in re herbaria, quanti hos authores in Theologia, in qua si claruit Isidorus, non ideò claruit in hoc studio. Et malimus sanè apud istos Poëtas & Isidorum emendare Palmæ, quam apud Varr. & Plin. Maluæ.

Maluæ folium sanctissimum.

Guilandini sententia improbatur.

Sed cur non Varronem quoque emendauit Guilandinus, apud quem tamen ipsemet fatetur legi, priscam illam hominum ætatem, nec dum satis excultam, atque politam, suas literas exarasse. Quod verò obiicit, Palmæ folia naturâ asperiora durioraque esse, quàm vt commodè in eum vsum recipi queant: hoc de vulgari intelligendum, quæ Dactylos fert, & olim in victoriis celebrata fuit, cuiusque folia nobis planè inepta ad eum vsum videntur: non verò de omni palma, aut saltem non de iis, quas ex Scaligero, Maffeo, & Linschottano chartæ vsum suppeditare diximus.

Guilandini obiectio diluitur.

Siue igitur aliqua harum apud Plin. intelligenda sit, siue alia aliqua, quæ nondum nobis innotuit. Statuamus etiamnum Palmarum foliis [neutiquam Maluarum] legendum, maximè cùm suppetant Palmæ, quæ eum vsum præstent, donec aliquis prodeat, qui nos clariora doceat ac certiora.

Plin. locus antiquus approbatur.

Non tacendum hoc loco quod idem Guiland. ex Anacreonte, Alceo, Aeschylo Comicis Veteribus, Platone, Aristotele probat, Papyrum siue Byblum cognitam quidem fuisse, antequam nasceretur Alexander; verùm in vsu frequenti & publico fuisse, Alexandri seculo. Quare non eius tempore reperta primùm charta, sicut Plin. ait. Quin & Lopez in hist. Ind. tradit Indos Palmæ foliis res memorabiles & instrumenta inscribere solere, vt fusiùs declarabitur cap. de Nuce-Indica, vbi prius quasdam alias Papyracearum arborum historias interseruerimus.

Philemon.

PALMAE INDICAE GENVS LANTOR DICTVM.

Cap. CLXVI.

Scribit Linschottanus in hist. Ind. Orient. Cocci seu Palmæ quatuor genera vniuersam propemodum Indiam Orientalem alere: quartum autem genus, lingua Malayuica *Lantor* vocari, fructum ferre exiguum, magnitudine Cerasi, colore qualis Arantiorum, nucleum intus continentem, quem Coccos nuncupent. Ex hoc fructu perelegans fieri oleum, colore Arantii, esui iucundum admodumque salubre assuetus. Esse qui hanc speciem Nucis Indicæ antè dictæ fœminam faciant. Vtramque reperiri in Guinæa. Ex quarta hac specie [addit idem] Indi suam chartam parant ad scriptionem & libros. Et quamuis omnes eæ quatuor supradictæ species conueniant similitudine foliorum, quippe quæ folii arundinis speciem quodammodo ferunt, qualia etiam quædam ex India, Palæstina & Syria ad nos importantur: nihilominus tamen quarti huius generis folia cæteris ad scripturam aptiora commendabiliora sunt.

Lantor. Descript. Fructus.

Nux Indica fœmina.

Charta.

Arundinis folio.

Bry quoque fratres in eiusdem hist. annotant, *Lantor* genus esse *Coccos* Indis dicti, seu nucum Indicarum. Folia viri longitudinem æquare, quibus Indi chartæ loco vtantur. Arboris figuram Palmæ nonnihil similem esse. Cæterùm quia Linschottanus ait, fructum eius esse Cerasi magnitudine, memoriæ subit ea species palmæ, cuius meminit Theophr. lib. 2. cap. 8. eam fructus ferre minutos inquiens, Cicerum magnitudine μικροὺς ἡλίκους ἐρεβίνθους. Dixerat autem paulò antè, colore quosdam esse flauos. Sed in tanta breuitate nihil statuere licet.

Lantor Cocci genus.

An Palma Cicerum magnit. fructum ferens Theophr?

Capite de nuce Indica maiore, ex Ferdinando Lopez: Facta mentio *Olla*, siue Palmulę foliorum, quibus Indi inscribunt res memorabiles. Hic Clusius apud Garciam in postr. edit. subiungit: Similia folia cùm integra, tum per medium secundum longitudinem secta, Malacensibusque characteribus inscripta ab Hollandis ex Iaua sunt relata, anno 1597. quorum bina Petri Gareti operâ, nanciscebar, cubitalis longitudinis, extremitatibus tamen recisis [nam integra bicubitalia aut longiora sunt] secundum medium neruum per longitudinem excurrentem complicata, & binas ferè vncias lata, vtroque latere exteriore secundum longitudinem tribus versibus inscripta: videbam & quæ quatuor versus inscriptos haberent, præterea librum sex & septuaginta foliis constantem, non integris quidem, sed quæ extremitatibus recisis, per medium folium secundum nerui longitudinem secta, vtrinque quatuor versibus stylo ferreo exarata essent, vt apud illos moris est, tribus locis pertuso, in medio videlicet, & duabus extremitatibus, funiculo traiecta, aptatis vtrinq; binis asserculis, quibus contracto funiculo tegerentur. Sed & ea folia quæ nanciscebar, & aliquot alia, quæ apud diuersos conspiciebam, ab vna extremitate pertusa erant, & charactere quopiam in capite notata, vt funiculo connexorum series dignosci posset. Intelligebam porrò ab ipsis Indis, hos characteres nostro more exarari, hoc est à sinistra ad dexteram ducto stylo, non Hebræorum aut Arabum, qui à dextra ad sinistram scribendo calamum ducunt: sed [quod dolebam] nullus istorum Indorum, qui in diuersis Prouinciis, vt Guzarate, Malabar, Iaua, & Medagascar erant nati, legere, aut scribere norat, vt characterum aliquam notitiam assequi possem, præter vnum Sinensem, ex Cantan oriundum, quem, meo rogatu, pingentem quosdam Sinenses characteres, integram dictionem denotantes conspiciebam, à summa pagina ad infimam, sumpto initio à dextro latere paginæ, deinde seruato eodem ordine in singulis versibus, ad sinistram procedendo, Sinensium vsitato more, illorum enim scribendi rationem intelligere volebam. Ea autem folia illius Palmæ non erant, quæ Coccos siue prægrandes illas nuces fert, sed

Locus. Descriptio

Palma Coccos ferentis folia non sunt.

Lantor. peculiaris illius generis palmæ, quæ à Iauæ Incolis Lantor appellatur.

ARECHÆ ARBORIS FRVCTVS COFFOLO.

Cap. CLXVII.

Coffolo. Arecha. EDere fueuerunt, autore Ludou. Rom. lib. nauig. Calechuti fructum quendam, cui *Coffolo* nomen est: hunc mittit arbor *Arecha* nomine, Palmæ non absimilis, quæ Cariotas gignit etiam non absimiles. Hæc arbor, eiúsque fructus qualis indagent Posteri.

PAPYRVS VETERVM PALVDANO.

Cap. CLXVIII.

Descriptio. PApyri Veterum nomine à Cl. Paludano missum ceu folii Arundinacei speciem quandam repræsentat. Est illud tres cubitos longum, nec tamen integrum, vt ex extremitatum laceratione apparet, sescunciam latum, crassitudine pergameni crassioris, colore paleaceo, & nonnihil ad cinereum tendente. Fibrarum stamina canabinis similia, fragiliora tamen, utraque facie per rectitudinem decurrunt, sine vlla tamen costarum striarúmue eminentia, quæ subtegminis vice aliæ transuersæ intercurrunt, ac vtrinque membranæ suæ tenuitatis leuissima quædam ac vix conspicua, stylo tamen perceptibilia, vestigia imprimunt. Quæ textura porosa quadam medulla farcitur. Stylo suprà scripsimus, sed scriptioni impedimentum aliquod obiecerũt intertexta stamina & fungosus folii habitus. Nec apparebant characteres nisi saliua, vel aqua madefacti & affricti. Quo facto, legibiles illicò apparent.

Varietas. Eiusdem faciei foliaceum quiddam splendidius ac læuius, [non tamen diuersum, vti putamus, quamuis paulò latius, & ni fallimur, naturali sua latitudine] ab eodem accepimus, vtrinque nigris litteris Arabicis, ni fallimur quales aliquando vidimus, aut certè his similibus insculptum acuto quodam stylo, quatuor linearum ordine, nobis sanè gratissimum vetustatis monumentum. Iudicium peritioribus relinquimus cuius plantæ possint esse ista folia. Fit quidem cap. de Nuce Indica mentio Chartæ à Linschottano D. Paludano missæ: verùm eandem asserere hæc folia temerarium nobis videtur.

PAPYRACEA ARBOR TAL.

Cap. CLXIX.

DE Papyracea arbore *Tal*, cuius mentionem fecimus cap. de Palma humili Papyracea ex Scaligero, quæ in prouincia Lagni prouenit, hæc scribit Thenetus in sua Cosmog. In prouincia Magni est arbor Tal nomine, folio grandi, quod chartæ vsum præbet in tota India. Fructus profert magnis Napis similes. Quod cortici subest, tenerũ est, dulce, esu gratum. Cortex tamen melior & suauior à quibusdam *Vguetal* nominatur.

Descriptio. *Fructus.* *Vguetal.*

PAPYRACEA ARBOR GVAIABARA.

Cap. CLXX.



Descriptio. PApyracea arbor minor Ouiedi in Insula Hispaniola prouenniens *Guaiabara* Barbaris dicta, Hispanis *Vuero*, ab vua, quòd pro fructu vuas ferat. Materia est rubescente, rotúda, densa, atque ideò optima, præsertim ad carbonem ramis expansis. Vuas edit rariùs sparsas, atque à sese dissitas, Moris ferè concolores, exigua earum parte esculenta: nam acini sunt Auellanæ nucis magnitudine, nucleum tam crassum concludentes, vt parum carnis supersit. Folii figuram hic depictam videtis, ab aliarum arborum foliis planè diuersam, atque ideò memoratu dignam. Maximum palmæ manus magnitudine par est, dempto pediculo. Id Hispanis in insula Hispaniola & finitimis bellum gerentibus Papyri & atramenti vsum præbebat. Tota enim hæc regio charta ad scribendum & atramento prorsus caret. Folium istud viride est, aliquando rubrum, crassum & æquè spissum, ac esse possent duo Hederæ folia simul iuncta. In parte tam prona quàm supina literas pingebant acicula, aut stylo aliquo, modò recens esset, & eodem die decerptum, quæ candidæ apparebant, aut ita diuersi à folio coloris, vt facilè legi possent: neque enim folium literas transmittit: & costa per medium eius excurrens, etsi crassiuscula sit, tamen venulæ ab ea deductæ sunt tenues, vt scribentis manum parum aut nihil remorentur.

Fructus. *Acini. Nucleus.* *Folium.*

Guibaras. An M. *Fumee* hist. Ind. Occid. gen. lib. 1. cap. 1. *Guibaras* fructus habens nucleum? An Lerio cap. 13. *Arbor Bresiliæ prouenienis*, cuius folia testili crassiora.

PAPYRACEA ARBOR COPEIA.

Cap. CLXXI.

Descriptio. *Pix.* PEtrus Martir de rebus Oceani & noui orbis, Dec. 3. lib. 8. E Copeia [inquit] arbore, pix non aliter legitur, quàm ex Pinu, licet dicant plerique stillicidio colligi, comburendo eius lignum. Fructus autem eius paruus est, vti Prunum, esui satis aptum. Arborem esse hanc existimandum est, cuius foliis, Chaldæi literarum primi repertores, conceptus mentis absentibus significabant, priusquam vsus chartæ reperiretur. Spithameum est latitudine folium, rotundúmque ferè: acu aut

Fructus Pruna similis.

stylo quouis ferreo siue ligneo inscribunt, non ineptiùs quàm chartæ.

M. Fumee in Histor. Gen. Ind. Occid. Gallicè scripta lib. 4. c. 95. *Copei in Berney* insula Indiæ, arbor ferens Camphoram. Item l. 1. c. 34. Cum stylo scribitur supra folia *Copei*, & ex iis fiunt chartæ lusoriæ. Papyracea arbor altera maior [inquit Hist. Lugd.] Ouiedo l. 8. c. 14. in Insula Hispaniola proueniens, *Copei* nuncupata, *Guiabara* procerior, folio specie quidem simili, sed duplo maiore, crassiore, & ad scribendum aptiore cum acicula, aut stylo aliquo, venulæque exiliores sunt, quàm superioris, & minus scribenti impedimentum adferunt. Quamobrem cùm Hispaniolam & cæteras insulas Hispani subiugarent iis foliis chartarum lusoriarum vice vtebantur, quòd in iis Regum, Reginarum, Equorum, & aliorum huiusmodi figuras facilè imprimerent, nec facilè rumperentur.

Camphora. Copei.

Ex hac fortè papyracea arbore moneta illa fiebat, quæ, tradente Fr. Hauhono Armeno lib. de Tartaris cap. 1. in regni Cachay partibus expendebatur, quæ formâ quadrata regalique signo erat signata, secundum quod moneta maioris pretii habebatur vel minoris: hæc, si quando timebatur per vetustatem corruptam iri, à possessore ad regalem curiam deportabatur, inibique mutabatur. *Eicon cum alia habetur capite præcedenti 170.*

PAPYRACEA ARBOR, AMPLISSIMO ET TENVISSIMO FOLIO.

Descriptio

Nic. Costinus in Itinerario prodidit, haud procul ab vrbe Caël nasci arborem sine fructu, cuius folia sex brachia sunt longa, totidem lata, adeò tenuia, vt compressa comprehendi manu possint, quibus chartæ vice vtuntur ad scribendum & ad pluuiam arcendam: folio enim expanso, tres quatuórve in Itinere ita operiuntur, vt pluuiam non metuant.

Mira folii amplitudo.

PAPYRVS ARBOREA TENVISSIMA, EX IAVA.

CAP. CLXXII.

Librum arboris scribit Clus. habuisse se tenuissimæ membranæ instar candidum, quo omnis generis scriptura perinde atque vulgari Papyro excipi queat. Eum in Iaua Insula aliarum mercium permutatione Drake comites acceperant.

Huius arboris [inquit Clusius Exot.] ni fallor meminit Antonius Pigafetta in suo Itinerario, vbi refert Insulæ Tidore fœminas pudenda tegere panno, è libro arboris hac ratione confecto. Delibratur cortex, & aquâ maceratus donec mollescat, ligno tunditur, atque qualibet longitudine ac latitudine diducitur, adeò tenuiter, vt sericei veli instar, venis transuersim discurrentibus contextus videatur.

Pannus è libro arboris.

PAPYRACEA ARBOR, CVIVS LIBER SVBPVNICEI COLORIS.

CAP. CLXXIII.

Descriptio

Elegantissimus arboris liber, quem ab honestissimo viro Willhelmo Parduyn anno 1599. accipiebat Clus. licèt non albi esset coloris, sed subpunicei. Erat autem illius Libri fragmentum [à quo plus dimidiâ parte resectum fuisse arbitror] pedalis ferè longitudinis, quatuor vncias latum, adeò læuis vbique & æquabilis superficiei, vt ne charta quidem scriptoria magis æqualis sit: id, tametsi neque densum, neque crassum, in sex tamen pagellas nulla difficultate separare poteram, quæ perbellè scripturam admitterent, perinde ac charta scriptoria, nec atramentum transmitterent. Et si quis maiorem curam in separando adhibere voluisset, in plures adhuc pagellas haud dubiè diuidere potuisset. Similem etiam pagellam, latiorem & longiorem, aliquando accipere memini à Iacobo Gareto, quâ inuoluta erant Tabaci folia, quemadmodum inuoluere solent nonnulli Americani, dum, vt eius fumum hauriant, tubum ab altera extremitate incendunt.

Tabaci inuolucrum.

Non abs re fuerit hoc loco πάρεργον aspergere, sanè annotatione dignissimum, siquidem foliorum Papyraceorum tenuissimorum mentio inciderit. Anno salutis 1602. Circa Calend. Martii Huldrichum Christianum, puerum 12. annorum, I. Christoph. Zenger Ill. E. C. VVirtemb. Cancellarii Montbelgardensis ex coniuge nepotem, febre maligna etiamque phrenitide periculosissimâ, aliisque grauissimis Symptomatis stipatâ, à me Dei Gratia persanatum fuisse: cui sub morbi declinationem vniuersi corporis Epidermis seu cuticula tanta facilitate abscessit, vt pedales etiamque ampliores, quales adhuc adseruamus auulserit ipse puer, absque vllo dolore, non sine adstantium admiratione. His quoque [si chartis cutis humana accensenda] nullo negotio inscripsimus: quod hic annotare placuit, vt habeant sagaces Medici, quod philosophentur.

PALMA INDICA NVCIFERA.

CAP. CLXXIV.

Palma nucifera arbor.

Descriptio fructus.

Fructus qui Nucis Indicæ nomine ad nos adfertur, interdum humani capitis magnitudinem æquat, aut etiam superat, interdum magnitudine oui Struthii, qualem & nos habemus, & aliam Cygni ouo vix maiorem: figura cucurbitina, aut Melonis, nisi quòd tot angulis non sit donatus, sed ex rotundo triquetrus magna ex parte, duplici cortice obtectus, extimo crasso, carnoso, crassitudine digitali superficie tenus neruis quibusdam per longitudinem perreptantibus, ac si ex meris fibris esset congestus, quemad. & tota eius crassitudo, colore ex fusco cinereo



Nux indica.



Palma Elephantis Acosta.



extrinsecus intus coloris ruffescentis & æruginosi, simili medulla pulueruléta farcto, quæ siccata aut vetustior reddita, vel leui attritu in puluerem fatiscit. Ab hoc proximè subest alius solidus, ac propemodum osseus, triquetrus quoque, anteriùs barbatus & insigni foramine peruius, iuxta quod adhuc alia duo impressa conspiciuntur, vt laruæ alicuius effigiem quodammodo æmulétur, prædicto concolor, cuique plurimi prædictorũ villorum inserti conspiciuntur, ex quorum concursu dicta barba resultat, interna substantia fuscus & subniger. Nucleus in hoc cõtinetur, totam eius cauitatem proportionaliter explens, cùm recens est: [vt Cordus ãnotat] siccatus verò, concussa nuce mouetur. Color ei est in rugosa superficie fuscus, intus albus, oleaginosus, recens sapidus, subdulcis, inueteratus rancidus, in medio concauus: in quo maturo ac recenti liquor gustu suaui ac dulci continetur, qui ætate acescit ac rancescit, donec tandé penitùs concrescat & exiccetur.

Osseus cortex diligenter politus & argento decoratus apud plurimos hodie speciosi poculi vice in conuiuia venit, quale & nos habemus munere Ill. E. C. Wirtemb.

Descriptio arboris. Folia. Flores. Arbor ipsa, autore Garcia, vastæ est magnitudinis foliis Palmæ aut Arundini similibus, aliquantulùm tamen latioribus: flore Castaneæ, materia fungosa & ferulacea. Tradente quoque Costa, præalta est arbor, & recta, nec admodum crassa, præsertim in fastigio: nam ab infimo ad summum paulatim gracilescit, & colore cinereo est: truncum à radicibus ad fastigium vsque paruis quasi gradibus circumdant rami, qui ascensuris scalarum vicem præbeant: flos Castaneæ similis: fructus verò integer capite humano maior, forma oblongiore, trianguli, & colore viridi, admodum diluto. *Fructus.* Coccos ferentem arborem inquit Clus. apud Garciam palmæ modo crescere & in altum extolli, ex Fabricii Mordentis Salernitani aliorúmue relatu, qui eam nascentem conspexerunt, intelligebam: eius autem caudicem minimè scabro, vt Palmæ Dactyliferæ, sed læui cortice esse præditũ. Eam ob causam vinculis ligaturísque ex spartho aut alia simili materia constantibus per interualla subinde cingi solere, eáque vincula ferreis clauis trunco interdum adfigi, vt firmiùs hæreant, faciliorémque ascensum præbeãt: alioqui difficulter omninò scandi posse, nisi laqueis pedibus aptatis. Eius ramos, vt in Palma, deorsum inflecti, arcus instar, dorsóq; esse eminentiore oris vtrinque in anteriorem siue supernam partem vergentibus, vnde folia nascuntur Palmæ similia. *Rami. Folia Palmæ similia.* Ex inferiorum ramorum, qua caudici inhærent, alis, alios enasci ramos, qui quinas & senas proferunt Nuces crassas (imò etiam multò plures, interdum vsque ad vicenas, quemadmodum mihi Amstelredami anno 1597. referebant Indi eodem anno è Iaua maiore aduecti) suo multiplici densóque velamine tectas. *Nuces.* Porrò adeò vicinas interdum solêre crescere Arecæ & Cocciferæ Palmæ arbores aiebat Fabritius, vt illarum rami mutuò sese implicantes, pulcherrima vmbracula præberent ad Solis radios æstúsque arcendos. In his etiam commorantur plerúmque Simiæ & Cercopitheci, pérque ramos ex vna arbore in alteram transcendũt, venatorum qui eas persequuntur conatus ea ratione subinde eludentes. *Simiarum habitacula.*

Illarum autem arborum materies non est fungosa, vt Palmæ illius quæ Dactylos fert, neque ferulacea, vt Garcias asserit, sed solida & ad fabricas idonea: neque minùs elegans est & splẽdens, quàm Iuglandis materia: & ipsemet paulò pòst, materiem ad plurima vtilem esse fatetur.

Scaligeri descriptio. Eandem arborem & historiam eius perelegánter tradit Scaliger, in hunc modum. Coccum ferens palma trunco est recto, procero, excelsæ altitudinis, ad summa vsque in orbem sese effundentium ramorum initia inoffensæ læuitatis. *Foliorum vsus.* Palmæ folium, quo tegunt ædes factis ex eo storiis, certo aduersus iniurias cœli munimento, fenum mensium vtilitate. *Fructus confertus.* Confertim gerit fructum, palmularum more, singulæ ad centenas, ducenasve nuces. *Medulla esculenta.* Medulla recens esculenta est, tum per se, tum loco panis cum obsonio, Sapor Amygdali, sed iucundior. *Panis.* E sicca farinam faciunt, atque ex ea panem. *Carbones.* Tegitur medulla cortice proximo ad carbonum vsum accommodato. Aurifices sibi præcipuum habent. *Cinis.* Vrunt etiam ac cineres legunt ad medicamenta. *Extimum Corium.* Extimum corium multis inuolucris quasi stupeis, crassissimum ita interpolatur, vt ex eo tanquam Gossypium fiat: *Pannus.* cuius tenuissimam partem ad pannos apparant, sericeis non ignobiliores. *Funes & rudentes.* Quod reliquum est, nent ad funiculos: è quibus deinde complexis, rudentes componunt. *Cambata.* Eius filum *Cambata* vocant Indi. *Aqua in nuce.* Vbi nux prodire, atque consistere incipit, simul intus aqua concreatur, simul atque perfecta nux est, completur aqua: cuius incrementi finis initium nuclei est. *Nucleus.* Ex eius namque condensatione concrescit nucleus. *Quantitas aquæ.* Quantitas aquæ Cyathos mensarios interdum trinos explet. *Sapor nectareus.* Eius sapor nectareus cæteros omnes, vt aiunt, superat suauitate. *Oleum nuclei.* Ex nuclei medulla pressa nobilissimum faciunt oleum. *Cineres nuclei.* Ex fracibus fieri possunt cineres. *Modus eliciendi liquoris.* Vbi arbor ad iustam adoleuit magnitudinem, quosdam è ramis Augusto mense ad medium amputant: eius, v. quod reliquum est, summitatem ferro paululùm scindunt. Singulis appensus calix quatuor scyphorum completur in die. Crudus liquor bibitur cum sapore & vi. Coctus sapam excellentissimam

simam

Sapor ex liquore. Saccharum Iagara. Acetum. Fructificat semper. Aetas. Lignum. Locus. Dubium de medulla magnitudine.

simam imitatur, ad inebriandum efficacissimus. Accuratiore decoctione in saccharum densatur. *Iagara* vocant Indi. Si non coquatur, amittit dulcorem, quo per initia commendabatur, atque aceti vim praefert. Fructum perpetuò gerit, alio a lium subeunte. Tricenos, aut quadragenos viuit annos. Lignum ad materiam caedunt: posteaquam vitae finis aduenit ei. Amat sabuleta. De Cocci medullae magnitudine potest ambigi. Vartomanus ait, esse minimi digiti crassitudine. In Indicis Nauigationibus Hispanorum legimus: Cocco immaturo semicyathum aquae contineri. Nulla igitur contradictio. Quippe de testa hic: ibi de medulla. Magnoperè tamen est considerandum. Neque enim ex ducentis Amygdalis magnus vsus ad edendum vna ex arbore queat esse. Neque tantulum cauum respondere capacitati binum cyathorum. Ob authorum ignauiam orta est hec ambiguitas: vt de Nucis Indicae, quam videmus quotidie facie, natura haereat dubitare. Cocci tamen testam describunt nigram: atque ex ea vasa fieri. Nucis huius Indicae fulua est, non autem nigra. Caeterùm haud alia est. Nam & in medullae medio sinus est cauus, vbi fuerat liquor: & capillamentis obductam vnam & alteram vidimus. Solimanus Turcarum Princeps, è calyce potabat nucis Indicae, fregoli auro ad formam Cyphi adornato. Honos apud indigenas par vtilitatibus.

Indicarum verum authorum ignauia. Vasa ex testa. Varietas testa.

Calix Solimani Turca.

Theuetus quoque Nucis Indicae arborem ait similem esse Palmae Aegyptiae siue Arabicae, altitudine & foliis: & in insula Madagascar, aliàs S. Laurentii fructum patrio nomine vocari *Chicarin*. Arborem adeò esse teneram, vt si vel leuiter ferro vulneretur, liquorem extillet dulcem, & sedandae siti aptissimum.

Chicarin. Liquorem fundit.

An verò Theoph. & reliqui hanc descripserint, haud ita iudicatu facilè: verùm quia Garcias memoriae literis prodidit, Palmas nusquam tota India reperiri [vt iam dictum suo quoque loco] & fructus earum deferri ex Arabia in Indiam: ita est, existimandum sanè cum Guilandino, per Palmas, quas Theophr. Arrianus, Strabo & alii Scriptores veteres nasci in India tradunt, intelligendas esse non propriè dictas, sed hanc ipsam de qua hic agimus. Non quidem illo argumento, quòd mel, panis, vinum & acetum ex Palma conficiantur, quae omnia fieri ex palma nata in Mesopotamia, vbi Nux Indica non oritur, testatur Strabo lib.16. & qui hunc multis seculis praecessit Herodotus lib.1. & vtroque posterior Plin.l.13.c.4. Sed quia Palma, quae passim in Asia & Africa gignitur, nusquam tota India pullulat: & sicubi in ea prouenit, illicò sterilis, & infoecunda exsurgit.

Palma Indica Veterum.

Iam verò palmas in India quoque nasci, paucis quidem sed apertis verbis testatur Theophr. vbi de arboribus Indicis tradit. Palmas, [φοίνικας] inquit, quoque nonnullae partes [Indiae] plures habent. πολλοὺ, habet textus. Gaza plerasque vertit, alieno ab authoris sensu: quasi pleraeque palmarum differentiae in India nascerentur. Verùm quales sint eae palmae, nullibi, quod nobis quidem constet, declarat. Palmas tamen intelligit, quae sint arbores. Nam statim subdit: καὶ ταῦ-[illegible]

Phoenix Indica. Gaza not.

Videntur & illa Plinii verba, [quę & suprà citauimus in Palmarum differentiis,] ad hanc pertinere, quibus ait: Reliquae teretes atque procerae, densis gradatisque corticum pollicibus, vt orbibus, faciles se ad scandendum Orientis populis praebent, vtilem sibi, arborisque induuiis circulum mira pernicitate tum homine subeunte. De qua re & paulò antè dictum ex Acosta & Clusio.

Haec tamen perperàm videtur Cordus ad vulgatam palmam referre, eamque cum hac confundere, quando ait. Cortice vestitur carne & capillatis neruis concreto, qui ex interuallo velut in orbes, circulos & verticillos extuberat: quibus se ascensuris veluti gradibus ad hoc natis scansilem praebet. [Non ad hoc natos, sed arte factos antea dictum.] Vidimus nos Palmae frondes, materiam & corticem, adeoque magnos corticum circulis adhuc circumdatos truncos: quod ideò referimus, ne ex relatione aliorum haec scripsisse, aut ex Plinio excerpsisse videremur. *Hac ille.* Sed viderit, quantùm volet, non vulgatae siue Aegyptiae, sed huius Indicae palmae corticem vidisse verisimile est, si modò vera dicunt praedicti authores. Ipse verò Cordus satis apertè declaratis verbis palmam Dactyliferam sibi nunquam visam, saltem non adultam, cuius caudicis cortex totus squarosus, ac veluti squammis, nullis ex interuallo circulis in orbes cinctus est.

Cordus not.

Cordo ignota palma Dactylifera.

Verba Strabonis suprà retulimus in viribus Palmae. Rhaza lib.3.cap.20. *Naragil* vocat. Et apud Serap.cap.218. Neregil est Nux Indica, estque Palma insulae quae sita est in mari Arni, & in insulis Zing. Sunt qui dicant Neregil esse Palmam de Mochol, quae insulae vocantur Dabget, ex quibus defertur Dabig, id est, Neregil. Vltima istarum insularum est Sarandib.

Synonyma linguar. Naragil. Neregil. Palma.

Dabig.

Apud Auic. quoque lib.2.tract.2.cap.505. Nux Indica est Neregil. & in marg. Gianzi ialhend. Ita quidem in nostris horum Arabum exemplaribus legitur: & subscribit Matth. qui & ipse Arabibus Neregil vocari testatur, & Dabig seu Gianzi ialhend.

Gianzi ialhend.

Serap. & Rhases arborem ipsam *Iaralnare*, id est Arborem nuciferam.

Iaralnare. Arbor nucifera.

Vocatur autem vulgò ipsa arbor *Maro*, & fructus *Narel*, quod vocabulum Narel commune est Persis & Arabibus. In Malauar arbor ipsa *Tengamaran*: fructus verò maturus *Tenga*, sed viridis adhuc & immaturus *Eleni*, & Goae *Lanha*: in Malaio, arbor *Trican*, ipsa nux *Nihor*, cui Lusitani nomen Coquo indiderunt, ob tria illa foraminum vestigia, quibus Cercopitheci aut alterius similis animalis caput repraesentat. Rami in Malabar vocantur *Olla*: Vinum mustum ex ea, *Cura* & *Sura*: decocta Cura ab incolis vocatur *Orraqua*. Destillata fit aqua ardens, eis dicta *Fula*, id est, flos. Suram siue Curam Solis aestu vel igne densatam sacchari modo *Iagran* vocant. Nuces recentes siccatae *Copra* vocantur.

Maro Narel Tengamaran. Tenga. Eleni Lanha Trican Nihor, Coquo.

Olla. Cura. Sura Orraqua. Fula.

Iagran.

Huius arboris descriptionem, (vt annotat Clus. apud Garciam) cùm alii, tum Lud. Romanus lib.5. c.10. & Iosephus Indus cap.137. & 138. tradiderunt. Sed & Strabonem Geogr.16. huius palmae meminisse, idem statuit, vt satis mirari non sit, Garciam veteribus Graecis incognitam dicere ausum hanc arborem, cùm vel Theophrastum Indicae Palmae meminisse, ex superioribus clarum sit.

Garciae not.

Nusquam in nostris exemplaribus authores adductos à Garcia *Iaralnare* meminisse occurrit, at *Neregil* meminerunt, quemadmodum & Pandectarius cap.565. Ferdinandus Lopez lib.1. hist. Ind. Olla vocat, non palmae ramos, sed ipsa folia, quibus inscribere solent Indi res memorabiles, & instrumenta publica. Refert idem, simili Ollae seu folio, Arabicis characteribus inscriptam fuisse eam epistolam quam Rex Calecut ad Lusitaniae

Iaralnare. Neregil.

Olla. Epistola Palmae folio ad Lusitaniae regẽ Emanuelẽ scripta.

Digitized by Google

Regem Emanuelem dedit, cùm eò primum appulerunt Lusitani.

Foliis nucis Indicæ amplissimum Clusio.

Inuectæ porrò sunt Antuerpiam superioribus annis ex India merces magnis foliorum nucis Indicæ [vt asserebant] fragmentis inuolutæ: cubitalia erant ea fragmenta aut ampliora, crassiora tamen quàm vt quicquam his inscribi commodè posset: nam etsi per medium aperta essent: interdum bubalini corii crassitudinem æquabant, læuia vtrinque & pe. polita, ac, quantùm ex fragmétorum magnitudine colligere licebat, quaternos aut quinos cubitos longitudine, binos verò latitudine superauerant, ita vt non incommodè ædes & naues his tegere, vt Garcias asserit, possint.

Huius fragmentum penes se habere, idem testatur Clus. à Guilhelmo Andrea Pharmacopœo Antuerpiensi acceptum. Cæterùm, tametsi [inquit Costa] Narel huius arboris nucem vulgò appellent cùm Persæ, tum Arabes, negant tamen Persæ legitimum esse nomen, sed Nargel dicendum: ipsam arborem Darach Persæ vocant, Arabes *Siger Indi*: Turci autem arborem, fructum *Cox Indi*: Brachmanes arborem nuncupant *Maro*, nucem *Naralu*. Recentiores Græci κάρυον Ἰνδικὸν vocant, Nucem vel Coccum Indicum. German. Indianische Palmenbaum: Indianische Nüß. Meernüß. Ital. *Noce d'India*. Gal. *Noix des Indes*. Bohem. Orechy Indian sk. Zerechon dio/ Hungar. *Cocom* Hisp. dicunt arborem, & Palmeiras nuces, *Cocos*.

Narel. Nargel. Darach. Agach. Maro. Naranu. Caryum Indicum. Nux Indica. Coccus Indicus. Cocom. Cocos.

Tenga maran. Elenj. Fructuum numerus. Lignum. Radix.

Linschott. testatur arborem Malauaribus Tenga maran nuncupari: immaturum etiamnum *Eleni*. Idem testatur fructus sub foliis, veluti clypeo latére, iunctos inter se decem subinde numero, rarissimè vnicam nucem separatim prodire. Lignum spongiosum, rarâ densitate, nec perinde firmum esse. Radicem ipsam tenui spatio porrectam, contra fidem ferè terræ inhærere, ob insitatam trunci proceritatem, vt ascendens oculos animumque aspicientium nimia altitudine perturbet, cum desperatione Lusitanorum, quibus id facinus terribile habetur. Nucem ipsam interiorem *Coquos* magnitudinem ferè habere oui Struthionis, quę etiamnum culleolâ viridi tegatur, vt Nuces Basilicæ seu Iuglandes dictæ.

Coquos.

Elate. Spathe.

Cæterùm non desunt qui nucem Indicam nihil aliud esse, quàm ἐλάτην ἢ σπάθην Dioscoridis affirmare ausi sunt, inter quos est Amatus, qui scribit Diosc. per Elatem manifestè nucem Indicam intelligere. Primum huius fructus corticem esse, quem Dioscor. inuolucrum & operimentum fructus Palmularum vocat: Corticem lignosum quoque eundem Elatem dicere, veluti Borassum alii, in quo foramina quædam simiæ figuram repræsententia, ob quæ Nux hæc à Lusitanis *Quoquos* appelletur. Medullam internam cor Dioscoridi dici: arborem ipsam siue Palmam à multis, *Pauperis refugium*. Fructum virentem seu *Lanba*, *Deorum Ambrosiam* plurimis appellari. Destillare quoque ex ista arbore liquorem qui olei munia suppleat, de quo & melle Diosc. simul, tanquam ab eadem arbore emanantibus, mentionem fecerit cap. de Elæomelite. *Hæc illa.* Qui præterea scribit: In India verò, & insulis cap. viridis Palmitas hodie nasci nouimus, ex quibus non solùm oleum lucernis, & cibo deseruiens extrahitur, sed etiam vinum, mel, fructus, linum pro parandis sacculis, & ligna igni deseruientia colliguntur, vt mirum planè sit quantis dotibus hanc natura dotauerit arborem.

Borassus. Quoquos. Cor. Pauperis refugium. Deorum Ambrosia. Elæomeli.

Amatus notatur.

Amatus videtur non cognouisse palmularum inuolucrum verum, dum vult Elatem, seu Spatham esse extremum Nucis Indicæ corticem.

Apud eos, qui scripserunt de Nuce Indica, neminem obseruauimus, qui scripserit, ex ea Palma destillare liquorem, qui olei munia suppleat. Ex nucleo quidem exprimitur oleum. In Syria etiam prouenire Palmam hanc nuciferam nondum legimus. Plinius autem scribit, Elæomeli manare in Syria ex oleis, non ex Palmis.

Cuciophorum. Cuci.

Fuchs. putat κουκιοφόρον Theophrasti, seu Cucci Plinii esse eam arborem, quæ nucem Indicam parit. Eadem etiam opinio est Rob. Constantini. Vtrum autem hæc conueniant, considerent Lectores. Nos Theophr. & Plinii verba posuimus, paulò pòst sub titulo Palmæ Cuciophoræ, vbi fructus describitur, qui nobis meliùs respondere videtur.

Dubitatio.

Dubitamus præterea, an Nux Indica, quod ait Const. proueniat in Arabia, & Aegypto, & vernaculâ linguâ vocetur Cocos.

Plin. corr.

Solerius Medicus suspicatur in Plinii lectione *de Cuci* mendum esse, & legi velares pro versicolores: collatione factâ verborum Plinii, cum Theophrasti. Talia refert ille. Nos potiùs Theophrastum ex Plinio corrigendum censemus, vt postea indicabitur.

Ryffius asserit, Palmæ, seu Nucis Indicę Veteres non meminisse: Actuarium verò in Diasatyr o ac Diaromato.

Cycas. Coicas.

Histor. præterea Lugd. ad Plinii locum de Palmis [vbi scribit gigni in frutice ramis cubitalibus, folio latiore, pomo rotundo, sed maiore, quàm Mali amplitudine Cycas] annotat Cycas esse Theophrasto Coicas, hodie Coccas, iis qui in Aethiopiam nauigant, officinis Nucem Indicam.

Hist. Lugd. not.

Hîc obseruandum Hist. Lugd. Exoticarum historias tanto hiatu profitentem, circa hanc arborem tam fœdè lapsum, vt Nucem Indicam esse Dactylum, seu Palmam Thebaidem, atque ex frutice nasci crederet, adducens Plinii verba, quæ nos superiùs cap. de Palma recitauimus. Cycas vocant [addit Hist. Lugd.] Coicas Theophr. Nos autem Coicas Theoph. cum Cycis prędictis, cum Hist. asserere non audemus, nec etiam esse Nucem Indicam, vt verò liberum sit Lectoribus iudicare de istis, subiungemus, quæ, præter dicta, Veteres & Neoterici de iis scripserunt.

Nux Ind. ca non est.

Inter frutices ergò, folia nonnullis sunt Arundinacea [vt Theophrast. ipse testatur] vt Palmæ, Coici, cæterisque similibus, quæ [vt in vniuersum loquatur prædictus author] foliis angularibus constant. Bulbosa plura, nec iis pauciora notare licet. e.g. Violam albam [λευκόϊον] Cyicen [Græcè κύϊξ, lege κόϊξ, Hist. Lugd.] Cæterùm Coicina dicuntur, inquit Herm. à Coice frutice in Aegypto textili, & ad nexus vtili, à quo & Fiscellæ genus. *Coix* Atticè, vt inquit Pollux, quod Doricè Cois dicitur. Ruellius Hermolai verba recitat pro suis, nec demonstrat, vbi Theophr. scripserit Coicen ad nexus vtilem. Robert. Const. legendum censet κόϊξ, vt Hist. Lugdun. dicitque plantam esse ἐν τοῖς γωνιοφύλλοις, recenseriq; apud Theoph. inter Bulbacea. Gesnerus in catal. pl. scribit *Cois*, & *Coix*, Palmularum species.

Cyice. Coix frutex. Ruell. not.

Coix Palmularum species.

Lythospermum Arundinaceum Dalech. quidam putant esse Coicen Theophr. de quo scribemus Hist. n. lib. 18. sub Lachryma Iobi. *Coix*, cuius descriptio, & icon est in Hist. Lugdun. quamque Myconus Gramen nodosum suspicatur, malè pictum, traditur in Hist. n. lib. 18.

Aequiuocà Lachryma Iobi. Gramen nodosum.

Quibusdam [inquit Hist. Lugd.] Coix est Gladioli [τοῦ ξιφίου] species, à nostrate diuersi. Videtur autem

Gladioli genus.

Sysirinchium. autem aliis esse Sysirinchium, in quo explicando Theophr. geminam radicem adnotasse videtur, quanquam aliud Sysirinchium ex Dodon. ostendatur.

Aegilopa Plinij. Quid si Aegilopa Plinii quis esse dicat, quam inter bulborum genera numerat?

Pergit Historiæ Lugdunensis, quæ scribit

Palmam quæ nucem Indicam fert non esse pro dignitate celebratam, ne ab ipsis quidem Arabibus, videtúrque à Garciæ opinione non aliena, priscis Græcis fuisse incognitam, quamuis suspicetur Strabonem eius meminisse. Et in appendice eandem bis posuit, sub diuersis figuris & titulis. 1. Palma Indica, quæ & Elephanus. 2. Palma Elephantis Acostæ. Vtra icon verior sit, nescimus. *Eiusdem adhuc alius error. Flos.* Lob. & Pena, ei florem Glandis aut Ilicis tribuunt, qui non multùm differt à Castaneæ flore, quem cæteri authores habere dicunt. Iidem dubitant, an sit Cuciophoron, sed breue responsum: non est. *Cuciophoras Lob. & Penæ not.* Auicenn. Nucem vocare notant. M. Fumee in Hist. Gen. Indiæ tradit in insula Zebut fructum eius vocari Coccon: & oleum de Coco: arborem similem esse Palmæ, &c. *Nux. Cocos. Oleum de Coco.* Cæsalp. annotat, aquam quæ in Nuce gignitur rosaceæ similem effundi, incisas quoque arbores liquorem fundere. Idem putat in genere Caryotarum esse quos Plin. Nicolaos vocat, in eo genere strictiores, amplitudinis præcipuæ: *Nicolai Caryota.* nam quaterni cubiti longitudinem efficiunt, aut quod paulò pòst Pateton vocat, nimio liquore abundans, rumpit enim se Pomi ipsius etiam in suam matrem ebrietas, calcatis simile. *Pateton.* Sed irrita est & erronea vtraque opinio Cæsalpini, vel id demonstrantibus Plinii etiam verbis. Quid enim commune Nuci Indicæ cum Caryotis? quis cum Plutarcho vocabit Phœnicobalanos? *Cæsalp. geminus error refut. Nux Indica non est Caryota Nicolas.* Præterea quaternæ nuces maiorem (immò vel duplo maiorem, si vel modicas sumas, triplo, si maiores) cubito longitudinem efficiunt, quanquam hanc lectionem Plinii non probemus: suspicamur enim legendum pro cubitorum digitorum. Indicæ nuces prouenuint in India. Nicolai Palmulæ è Syria mittebantur Augusto Imperatori: qui admodum cibo eo delectabatur, teste Athenæo. Nuci Indicæ sapor dulcis & pinguis. Sed quis decem nuces Indicas ponat in Epithemate? At Paulus decem Palmas Nicolai ponit. *Nux Indica non est Pateton Plinij.* Nec eadem nobis videtur nux Indica cum Pateton: non enim nimio liquore abundat, sed in cauitate tantùm, circa medium, quod satis sit ad repletionem: nec vllus authorum dixit nucem Indicam dirumpi, præ humoris copia: nec quomodo etiam rumpi queat nimio liquore, tam firma ac ossea testa, densa medulla, vel cogitatione vllâve ratione assequi possumus. Sed quid in Nuce Indica, vel tracta, calcatis Palmulis simile? Nihil itaque commune nuci Indicæ cum Palmulis Nicolai, nec cum Pateton dictis, nisi fortè solum arboris nomen, quòd omnium mater æquiuocè dicatur Palma.

Maffeus sanè in Indica sua historia Palmas Indicas, Iudaicis & Africanis, Caryotas ferentibus, longè præstantiores statuit, non tantùm proceritate & pulchritudine, sed & fructus forma, magnitudine & vsu, vt declarabitur in viribus.

Anonymus quidam ad tabulam Cosmographicam annotat, nucum Indicarum, quas Cocos vocant, putamina simiis simillima, in aliquibus locis pro personis indui ad perterrefaciendos paruulos. *Infantium terror.* Oportet igitur ea putamina bene magna esse, vt capiti humano in laruæ vicem obduci queant. Mirum verò nullum supradictorum authorum aliorúmve quos consuluimus istorum forarum vsum declarare. Cæterùm circa foliorum formam & magnitudinem discrepant authores, qui de hac Palma prodidêre; vt patet ex dictis: *Dissident authores circa folia.* Alii enim folia Palmæ Dactyliferæ similia dicunt arundinis, vt Garcias & alii quidam, vt patet ex superioribus: alii tantæ amplitudinis faciunt, vt ædificia iis integantur apud incolas. Alii scripturæ apta dicunt. Clus. visum à se nucis Indicæ folium ad scripturam ineptum ait. Dissident etiam circa fructuum numerum. *Controuersia circa fructuum numerum.* Scal. centenas ducenásve nuces: Linschottanus oculatus Scriptor, decem tantùm, rarissimè vnicam proferre testatur. De qua re nos docebunt aliquando ii, qui Indias perlustrarunt. Nunc ad differentias. *differentiæ* Has Palmas Indi in duo genera distinguunt: alterum enim fructus ferendi causa seruant: alterum Suræ cogendæ gratia: quæ est vinum mustum: teste Garcia. Sed hæc fortasse cultus tantùm differentia est. Author Linschottanus, Coccos seu Palmas quatuor generum vniuersam propemodum Indiam Orientalem alere. *1 Nucifera.* Prima est, quæ nuces fert Indicas, vtilissima arbor, si quæ alia sit in orbe terrarum, incolisque apprimè necessaria, quippe ex qua nutrimentum sumunt præter Ananas & Ficum. Ea námque & oleum præbet illis, & vinum, & lac, & saccharum, & acetum, aliáque vitæ præsidia. Ex testa vascula conficiunt capiendis cibis & potu apta. Plures vtilitates postea dicentur. *2 Arrecquero.* Alterum genus à Lusitanis appellatur Arrecquero. *3 Dactylifera, Tamar.* Tertium genus Dactylifera arbor est, Tamar dicta, cuius copiosus prouentus in Barbaria, & in parua insula Gerbi. *4 Lantor Cerasi fructu.* Quartum lingua Malayuica Lantor vocatur: fructum fert exiguum, magnitudine Cerasi, &c. de quo antea c. proprio. *Taber. not.* Tabern. primam & secundam facit, duabus appositis figuris: quod non placet: nam figuræ illæ non diuersas exprimunt species, sed prior tantùm varietatem fructuum: posterior arborem ex Clusio. *Alter error Tab.* Id omninò non probandum, quod huius arboris descriptionem ponit sub figura & titulo Coccorum Orientalium longè diuersorum.

C. Bauh. C. Bauh. apud Matth. Nucis Indicæ & alteram speciem minorem facit, quæ Cuci Theoph à Cordo censetur: idem separat Cuciophoram à Cuci Cordi: nobis verò nux Indica minor Cordi eadem est cum Cuciophora Matth.

Locus. Cæterùm Palma Indica, gaudet arenoso solo & mari vicino, vt in mediterraneis haud facilè sit reperire, teste Garcia. Linschott. scribit, amare ripas, ac propter aquam libentissimè crescere, arenosis in locis Indiæ. Legimus in Diario nautico Batauorum in Indiam Orientalem, in Sumatra nuces Indicas in tanta gigni abundantia, vt naues Iauanicæ quoque iis plenæ onerentur. Item vrbis Bantam domus ferè omnes esse sub nucibus, quæ Cocos ferunt, quarum in ea vrbe ingens sit copia. Ex India in Lusitaniam, & inde in varias orbis Prouincias nuces distrahuntur, vt iam nullus ferè Pharmacopœus sit in locis celebrioribus, qui non vnam aut alteram in Myropolio suo ad transeuntium spectaculum ostentet. Sed præclaras atque recentes plurimas vidimus apud Illust. Ducem VVirtemberg. à quo & quasdam dono accepimus. Sunt & plurimæ in Maldiuæ insulis. Canarini quoque sub his arboribus degunt, quas diligenter colunt, & ad eum vsum adaptare norunt, ex prouentu earum vitam sustentantes, conductione initâ cum proprietariis, quibus mercedem persoluunt. Tanta multitudo ibi harum vbique Palmarum est, vt Hispaniæ ac Lusitaniæ oliuas, & Batauiæ salices numero supe-

rent. Cortice igitur detracto nucleus ficcatur, & immenfa copia in Malabaræ, Cambaiæ, Ormutii, Goæ, Septentrionaleique regiones, ac in Ballagattæ loca diuittitur.

Satio. Seritur in hunc modum. Facta fcrobe nucem terra operiunt, vt rorem ebibat. Mane tegunt iterum, ne Sole fugatur. Quinto anno ferendis fructibus habilis eft.

Vt autem fructuum horum lætius incrementũ prohibeant ruftici, ipfos prætos fructuum flores abfcindunt, atque amphoram rotundam collo angufto alligant, eámque ne venti aut fpiritus penetrent, figulina terra obturant. Inde poft paucos dies fucco eo ipfo iam fæpiùs citato amphora repletur. Cercopitheci autem plurimi Palmas Indicas vaftant perniciosè. Iifdem in arboribus beftiolæ quædam difcurrunt quas *Bichos de Palmeiras* vocant, id eft, beftiolas Palmæ. Similes funt viuerris, fciuri cauda, pilis variis ad delitias & voluptatem expetitæ. *Hæc obiter.*

Tempus. Producta igitur in virilis ftaturæ altitudinem, transfertur, ac hybernis temporibus cinere ftercoratur: æftate verò aquâ irrigatur. *Colitur.* Lubenter circa ædificia crefcit, quòd luto delectetur: inter paucos annos probè culta fructus producit. Hæc Canarinorum cura eft, vt perhibet Linfchottanus. Calecutiis quoque Indiæ fabuletis maritimis vaftiffima & vtiliffima gigni traditur.

Duratio. Nucleus aliquot durat annis, ob corticis foliditatem, qui non in annos, fed fecula durare poteft. Acetum his nucibus apud infignem illum naturæ perfcrutatorem D. Paludanum videas, qui nad. & chartam infcriptam.

Vires & vfus. Attigimus fuprà quædam de viribus, in defcriptionibus, fed obiter tantùm: quapropter cùm hæc arbor autorum fuffragio inter Palmas præftantiâ, nobilitate, vtilitatéque palmam obtineat & famam, eædem nunc paulò ampliùs diducendæ. Ergo tradente Rhaza, Naragil, quæ ei nuces Indicæ funt, calidæ funt, fperma augent, renes calefaciunt & partes vicinas.

Apud Serap. autoritate Artram, in lib. de cibis, Temperã. Nux Indica calida eft fecundo, & humida primo receffu: fubftantia eius craffa, ftomacho grauis, nec tamen mali fucci. Præfertur recens medulla alba, fucco dulci fapidóque plena, vnde recentẽ Delectus. effe facilè dignofcas. Exterior membrana decorticanda, dura quippe eft & ftomacho molefta, & *Vtendi ratio.* nutritioni inepta. Medulla cum facchara tabarzed aut cum penidiis calidioribus naturis confert, fuperhaufto oxymelite cum mica. Ita enim faciliùs defcendit. Phlegmatici cum melle ieiuni capiant, longè à paftu ieiunóque ventriculo. Inueterata fubftantiæ quadam proprietate afcarides pellit. *Oleum. Afcarides. Lumborum flatus. Gonagra. Hæmorroides.* Oleum vetuftum eiufdem lumborum flatus carminat, genuum doloribus opitulatur. Hæmorrhoidibus item phlegmaticis potu & illitu vtilis, maximè fi cum Perficorum nucleorum oleo præbeatur, fing. drach. vnius pondere. Oleum recentis Phlegmaticis confert, eftque melioris naturæ, quàm butyrum vaccinum vel ouillum, quippe non ita ftomachum vellicat, nec humectanda laxat, vt illa. Mefarugiæ apud eundem calidum eft, & ventrem retinet. At ex Sindaxar fententia, oleum eius laxat ventrem, & confert veficæ. Garzias apud Serap. pro Mefarugiæ, legit Manfarunge, & annotat ex Serap. fententia, antiquum *Antiquus Mefues* effe Mefuem.

Ligni vfus. Materies ligni, tradente Garciâ, cùm fit procera, ad plurima perquàm vtilis eft, ita vt interdum in Naledina infula (Maldiuam vulgò vocant.) Naues. ex hac arbore naues fabricentur, atque clauis, malis & ruderibus armentur. Ex ramis fiunt ædium tecta, & nauium tabulata & opercula.

Vinum autem muftum, quod Suram vocant, *Vini parãdi ratio.* ita colligunt & præparant. Præcifis ramis, vafcula alligantur, ad liquorem excipiendum: quem vt ex altioribus ramis colligant, arborem confcendunt, aptatis ad pedes compedibus & laqueis, aut fafcus vinculifque quibufdam arbores per interualla colligantes. Hæc fura deftillatur aquæ ardentis modo, vinúmque extrahitur aquæ ardenti per omnia fimile, vt etiam pannus lineus eo madefactus non fecus ardeat, quàm fi aquæ ardenti *Vinum ardens. Fula.* intinctus foret. Vocatur autem ftillatitius hic liquor *Fula*, id eft, flos: quod reliquum eft, *Orraqua* ap- *Orraqua.* pellatur, admifto ftillatitii liquoris momento. Sura antequam exftilletur infolata, fit acetum fa- *Acetum.* tis interdum acre. Sublato priore vafculo, fi vulnus in arbore factum adhuc Suram exftillet, feruitur ea, & folis æftu vel igni denfata, facchari modo cog... id Iagra vocant. Optima cenfetur quę *Iagra Saccharum.* in Naledina infula nafcitur, etenim non nigricat, veluti quæ in aliis regionibus gignitur. Tegitur nux adhuc recens tenero admodum cortice, Ci- *Cortex tenellus.* naræ, dum guftatur, faporem referente. Conftat tenera valdè & dulci medulla, quæ in fe conclu- *Medulla.* fam aquam fuauem & dulcem habet, & faftidium non parientem, multóque tempore durantem. *Aqua.* Quantò autem recentior eft Nux, tantò eius liquor fuauior tum etiam medius, qui Amygdalis *Medius cortex.* fuauitate non cedit, editúrque à nonnullis cum Iagra, cuius paulò antè meminimus, aut cum facchero: aut ex eo trito lac exprimitur, cum quo co- *Lac.* quitur oriza non minùs fuauis, quàm fi cum lacte caprino decocta effet: aut ex hoc & auium quadrupedúmue carnibus edulia parantur, *Caril* illis *Caril edulia.* nuncupata. Maturior verò facta Nux, continet quidem etiam liquorem, fed non adeò fuauem, vt *Liquoris diftinctio.* prior, quique interdum acefcat. Nuces ifte ficcatę, atque fuperiori cortice delibratæ & confractæ, ab indigenis *Copra* vocantur, deuehunturin Ormuz, *Copra.* Balaguate, aliaſq; regiones in quib. minore copia nafcũtur quàm vt exner... poffint, aut in eas prouincias quæ his omnino carent. Suaues fun... que vtuntur tanquam caftaneis ficcis. Gratiores multò funt palato, quàm quæ integræ in Lufitaniam perferuntur.

Ex iifdem fragmentis, fiue Copra, limpidiffimum oleum magna copia torculari exprimitur, *Oleum ex Copra.* non modò ad lucernas vtile, fed etiam orizæ coquendæ aptum. Duplex verò exprimitur ex his *Oleum ex Coco recẽti. Parandi modus.* nucibus recentibus contufis, calida affufa aqua, quibus expreffis oleum aquæ fupernatat. Hoc vtuntur ad purgandum excrementis ventriculum & inteftina: purgat enim leniter & fine noxa *Purgat.* Multi Tamarindorum expreffionem addunt, quod & vtile medicamentum effe fæpiùs expertus eft Garcias. Si hoc oleum intelligunt Serap. & Auic. cùm id butyro præferunt, rectè fentiunt: in eo verò falluntur, inquit idem, quòd ventrem minùs lenire dicant, quàm butirum. *Olei ex Copra facultates.* Alterum genus olei id eft, quod fuperiùs ex Copra exprimi diximus. Id prętet iam dictas facultates, neruis admodum eft vtile. Siqui- *Nerui contracti. Podagrici dolores.* dem magnã huius vtilitatem quotidie experiuntur Indi in neruorum contractionibus & articulorum doloribus antiquis: hoc enim inunctum ægrum Cupæ grandi, quæ hominem capere poffit, imponunt, ibiq; dormire & quiefcere concalefactum finunt, magno cum adminiculo. An verò lumbricos enecet, vt fcribunt Auic. & Serap. nondum (inquit idem Gar.) expertus fum.

Quod verò ipfam Nucem eadem facultate prædictam

Digitized by Google

Auic. & Serap. error. ditam scribunt, non modò rationi consonum non est, sed ipsa quotidiana experientia manifestissimum est, eius vsu lumbricos generari: cui morbo totus Prouinciæ Malabar incolæ admodum obnoxii sunt, teste Costa. Quod verò Serapio ait, Nucis huius esu alui profluuia sisti, alienum à ratione non est, quòd ea sit terrestrium partium: oleum verò, quod tenuium & aërearum est partium, ventrem subducere. Nullum autem oleum exstillat illa arbor, sed duntaxat ex ipso Cocco exprimitur: tametsi Lacuna in Comm. ad Diosc. scribat in ea opinione quosdam esse, vt credant, dulce id oleum, quod ex hac Palma stillat, Dioscoridis esse Elæomeli, quem errorem suprà refutauimus.

Lumbricos generat. Nux aluũ sistit. Cur oleum purget. Quorundã error. Elæomeli.

Cæterùm duplici cortice integitur hæc Nux: extimus villosa materie compactus est, ex qua fit Cairo Malauaribus dictus, hac in Prouincia magni vsus. Nam & ex eo rudentes & funes nautibus necessarii fiunt, qui incorrupti manent in aqua marina. Ac vt Clus. annotat, omnes rudentes & funes nautici Onerariarum Regiarum Vlyssipone confecti sunt ex villis istarum nucum, præsertim verò earum, quæ in Indiam nauigant. Sed & ex iis villis fiunt nodosa cingula, magni vsus inter omnes ferè tenuioris fortunæ mulierculas Vlyssiponenses.

Cairo. Rudentes & funes. Cingula.

Idem ait: meminisse videre ex similibus villis ducta stamina valdè tenuia & candida, è quibus nobiles matronæ vittas reticuli instar contexebant ad capillos coercendum. Ex eadem materia authore Garcia stupæ loco naues obturantur ac stipantur, ipsisque adeò stupis præstat, quòd putredini minùs sit obnoxia, & aqua marina imbuta infletur densetúrque.

Stamina tenuia & candida. Stupa ad obturandas naues.

Nulla certè, [inquit idem Garcias,] ex hac villosa materie fiunt aulæa, vt persuadere nobis nititur Lacuna. Ex putamine illo interno & prædurο vasa in tenuiorum vsum tornantur, & etiam carbones fiunt, Aurifabris perquàm vtiles. Sed ea vasa Paralyticos, si inde bibant, minimè iuuant, vt putauit Sepulueda, & vulgo Lusitanorum creditum est. Nam nihil huius fructus neruis salutare est, præter oleum, de quo paulò antè. Sed nec ipsi incolæ huiusmodi facultates talibus vasculis tribuunt, nec quisquam probatus author meminit. Incolæ quoque istarum Palmarum germinibus vescuntur: gratiora enim sunt palato, quàm aut Castaneæ molles, aut humides Palmæ. Quò autem vetustior est Palma, eò tenerius & delicatius germen producit. At eo sublato perit Palma: hinc fit vt qui huiusmodi germen edit, non immeritò Palmam vorare dicatur.

Lacunæ error. Testa duræ vsus. Sepulueda & Lusitanorum error. Germina.

Costa quoque eadem ferè de huius Palmæ vtilitatibus cum Garcia confirmat, & præterea specialiùs quædam addit: Ex hac arbore [inquit] ex insulis de Naledina fabricantur naues, atque clauis, malis, velis, rudentibus, aliisque armamentis necessariis instruuntur: instructæ iam, mercibus ex eadem arbore confiatis onerantur, Oleo, vino, aceto, saccharo nigro, fructibus, aqua, & ardente aqua vulgò vocata. Ex illa etiam ipsa exstruuntur ædes cum suis tabulatis satis firmæ: atque eiusdem ramis [quos Ola dicunt,] contegunt imbricum vice, nam imbres commodè arcent. Ex iisdem ramis tecta comparant ad tegendas hyeme naues, quæ in portum deductæ, remulco deinde in terram trahuntur.

Totus nauium apparatus. Mercibus ex eadem arbore onerata naues. Ola.

Fructus recens, antequam nigrum colorem contrahat, tener & candicans est, editúrque cum sale, vel sine sale, vel cum aceto & Pipere interdum, atque gustu est Cinaræ. Cùm verò iam non-nihil induratus cœpit, Cardui caput sapit. Medulla cortici adhærens, tenera & dulcis est, continétque multam aquam limpidam, suauem, nec fastidium aut nauseam sua dulcedine parientem, quæ vulgò in Solis ardoribus bibitur. Frequens est huius aquæ sub dio refrigeratæ, atque etiam Iagræ vsus aduersus iecoris renúmque nimios calores, purulentæque materiæ per virgam excretionem. Refrigeratur hæc aqua in sua nuce viridi *Lanna* appellata: diu conseruatur: nam toto anno inueniuntur istæ nuces virides, quarum nonnullæ interdum tres aut quatuor libras siue pintas aquæ continent.

Cibus ex fructu. Sapor. Aqua suauis. Iecoris renumque calor. Gonorrhæa purulenta. Aquæ quãtitas.

Postquam iam indurata est hęc nux, duriorémque medullam contraxit, remanet in concauitate limpida quidem aqua, at non adeò dulcis vt prior. Nucem tum vocant Malabares *Eleui*. In annotinis nucibus mutatur hæc aqua in rotundam quandam substantiam, Mali instar, candidam, spongiosam, & leuem, sapore dulci. Vel, vt Linschottanus tradit: aqua si nux arbori diu hæreat, in albumen siue nucleum coalescit, isque interior fructus est, sapore nuci Auellanæ similis: dulcior tamen aliquantulùm.

Eleui. Aqua in solidam substantiam mutatur.

Medulla nucis recentis tenera, alba & dulcis, sola editur ab incolis, aut cum *Iagre* hoc est Sacchаro è Sura confecto, aut cum *Aucla*, pulmento ex Oriza in aqua cocta, deinde trita & probè Sole exsiccata. Editur item cum piscis quodam genere siccato ex insulis de Naledina aduecto, simili ferè bubulis carnibus fumo induratis, *Colamasa* vocant, bonúmque condimentum est, ad bibendi appetentiam prouocandam. Ea verò mixtura non modò incolis in vsu est, sed ab ipsis etiam Lusitanis expetitur.

Edendi modi. Aucla. Colamasa. Bibendi illicium.

Ex eadem medulla lac conficitur, Amygdalino simile, ad edulia paranda vtile.

Lac.

Tomentosum & stuppeum operimentum, prę ter supra scripta, & lanæ, xyli, lini & sparti vsum præbet. Niger durúsque cortex incolis *Xareta* dictus scutellas & alia vasa potoria in tenuium vsum subministrat. Dictum quoque ex eo vstulato carbones Aurifabris vtiles fieri, qui in illis Prouinciis periti & industrii, nec admodum sumptuosi reperiuntur. Solent enim suum opificium proclamantes compita circumire, secum deferentes vrceolum, malleolum, & duo cæla, cannæq; tubulum palmari longitudine manu tenentes, quo focum incendunt. Ii in ædes admissi, vasa ex auro & argento conficiunt, pro eorum qui ipsos euocarunt, arbitrio. Fiunt & ex huius Palmæ foliis petasi maiores & minores, ad Solis ardores & imbres arcendos idonei. Texuntur etiam storeæ, & alia pleraque.

Xareta, cortex tenuiorum. Carbones. Malabariũ Aurifabri quales eorumque mos. Foliorum vsus. Petasi. Storea.

Cæterùm tota prorsus Palma in vsu est ita multiplici, vt vulgò, si quem frugi, & industrium laudibus efferre volunt, Palmâ vtiliorem appellent. Verùm prima dos, in fructu ipso. *Tengam*, *Narlémve* Indi, *Cocum*, siue Nucem Indicam Lusitani dixère: humani fermè capitis magnitudine, duplici operimento: quorum exterius in summo læue, stupea intus densitate netur ac texitur Cannabis, & Sparti modo, cùm alios in vsus, tum præcipuè in vitilium nexus, & anchoralia.

Adagium. Corticis nucum vsus.

Sed pręstupei illius corticis materiâ, his paratis anchoralibus, non inuenias aliam ad nauticos funes & maris impetus obsequentiorem: nàmque vt salsuginem amat hæc arbor, ita & lanatus ille cortex [Cairum vocant,] in funes aptatus & marinis aquis immersus identidem reuirescit: qui anchoris illigati, Maffeo teste, fluitantes in salo naues egregiè continent, non tam ab innata du-

Cairũ funes.

ritie, vel operis firmitate, quàm viriditate ipsa, & lentitia quadam ad instar Coni: vt sese vel in altum elato nauigio miram in tenuitatem extendat: vel residente rursus in crassitudinem contrahat, quod secus in nostris euenit rudentibus, quæ nimirum ipsa vi ac pertinacia sæpè rumpuntur. Oportet igitur neruosas admodum illas corticis venas esse. Interior autem calix, ruso colore, & globosâ rotunditate prædurus, addito auro vel argento, in pocula figuratur: ipsa verò pomi caro Amygdalæ in modum, pinguedine quadam, & grato sapore lactescens, non per se tantùm in cibo grata est, ac salubris: verùm etiam vbi visum fuerit, exhausto lacte, paulatim in oleum eliquatur: totus autem racemus, dum ex eo tener adhuc emicat fructus, modò constrictus, ac leuiter incisus, in obdita oris angusti vascula opimum instillat succum, ex quo variis artibus, coctionibúsque, veteri, vt Strabo ipse testatur, inuento, mel, vel Surearum, vinum, acetúmque, perficitur. Iam folia, cùm & Librariis pro Papyro sunt: tum etiam in vestes formâ facili, simul ac spisso contextu, nectuntur. Denique vna eademque arbor, omnia prorsus ad rem nauticam instrumenta, ac materiem præbet: quippe truncum & ramos, in malum, ligamenta, clauósque: comam in vela: Cairum, in funes [vt dictum est] omnium optimos, filaque ad laterum suturas: postremò Cocum ipsum, quæque ex eo conficiuntur, in onera: ita non sine miraculo quodam, omnibus planè rebus ex semet apta, & instructa nauigat Palma.

Calicis interioris vsus. Caro. Racemus. Succus. Foliorum vsus. Lignum.

Incolæ importato Lino, sericóque, talares tunicas quoq; eleganti opere texunt, quibus honestiùs multò quàm cæteri Indi velant corpora. Nã & Congi Rex Æthiops, (vti testatur idem Maffeus in Hist. Ind.) munere misit Ioanni Regi Lusitaniæ, magnâ eboris vim, vestemque permultâ (hæc Aethiopum gaza est) è Palmarum foliis admodum scitè atque artificiosè contextam. Idem eburneæ sellæ insidens mitratus erat infula è Palmæ foliis opere subtili & eleganti perfecta. Sed rudentes & funes prædictos aqua salsa conseruari debere suadet Linschott. dulci quippe situm & putredinem contrahere, quòd picis illitu careant. Eius nauis, qua ipse ex India in Lusitaniam vehebatur, rudentes eiusmodi post dies quatuordecim semel fuisse marinis fluctibus immergendos, vt à putredine seruarentur, eoque modo rudentum è cannabi vicem facilè supplere. Piscantur etiam palmeis vericulis minuta conchylia (sunt qui venereæ conchæ genus putent) miro splendore & colorum varietate.

Tunica. Vestes. Infula Palmea. Consilium. Palmea verricula. Concha Venerea.

Sed relatione dignum quoque quod Linschottanus annotat ambulantem viatorem siti correptum, Canarinum aliquem compellare, qui illicò cultro accinctus arborem ascendit, *Lanhásque* (fructus immaturos) pro arbitrio poscentis numerosas abscindit *Basaruci* vnius [id monetę exigui pretii species] aut duorum pretio, ac ad potum peritè præparat. Aquæ huius potus, licèt multus, non nocet, quòd amœnus sit, & naturæ commodus.

Canarinorum obsequia erga viatores. Pretium fructuum.

Secunda ex *Sura* destillatio (quam Vracam vocant) vinum totius Indiæ vnicum est, calidum sanè, & efficax, quod tamen Indi aquæ instar potant. Colore albo est. Lusitanis hoc modo temperatur. In dolium Vracæ tres manipulos ex vuis passis purgatis coniiciunt, quæ in Indiam ex Ormutio vehuntur. Manipulus ibi 12 pondo habet. Epistomium apertum permittunt, ipsumque dolium non ex toto implent. Vt enim caloris mox temperetur, feruescit quippe ad bullientis aquæ modum. Singulis autem diebus, duarum septimanarum spatio, mouent liquorem, eo transacto, ipsa Vraca rubrum colorem pulcherrimum nanciscitur, æmulum vini rubri Lusitaniæ, à quo sapore parum distat, nisi quòd dulcis & calidus sit. *Vinum* autem *passæ*, siue *rosinorum* vocatur: frequenti negotiatione in Bengalæ, Malaccæ, & Chinæ loca translatum Goæ communiter triginta Pardauis æstimatur. Sacchari Iagra ex succo parati, apud eos paruæ æstimationis est, ob nigredinem, cùm aliàs in India candidi sacchari vsus promiscuus sit.

Vini temperam. Vinum Indorum vt Lusitani temperent. Vinũ passæ.

Medulla arboris siue trunci *Palmito* nominatur, quæ magno in pretio loco muneris ad opulentiores potentioresque mittitur. Chartæ autem tenuitate & candore, formâ plicabili crescit, ita vt subinde quinquaginta aut sexaginta plicas habeat togæ muliebris instar. Ex hac Indi chartam & libros instaurant. Ex ea etenim charta tenuis ducitur. Virentibus inscribunt plicis, quæ tum siccatæ literas indelebiles habent, stimulo ferreo antè notatas.

Medulla arboris Palmito. Charta vnde. Charta vt fiat.

Indis *Ollam* vocari suprà dictum, constántque ex eadem materia omnes gentis annales, libri, & volumina, quam & signare norunt in epistolarum vsus. Chartam huiusmodi, vt priùs monuimus, ac literas apud D. Paludanum eiusdem Linschottani munere videas.

Olla.

Theuetus in suis Singularibus Galliæ Antarcticæ nihil peculiare habet de hoc fructu, nisi quòd totum bonum & edulem dicit, etiamque carnem superficialem, quam vocat: deinde ait: hunc fructum ea esse odoris fragrantia, vt etiam pocula ex testa eius confecta ad odorem nucis moschatæ accedant, eosdémque qui communiter ex iis bibant, [vt sibi à Iudæo primario in Cairo coràm relatum asseuerat] à capitis & nephriticis doloribus immunes esse, etiamque prouocare vrinas, sibique hoc experientia cognitum asserit. Quod nec Plinium subticuisse ait, tradentem omnes Palmæ species esse cordiales, & in quamplurimis morbis prodesse.

Dolor capitis. Nephritis.

Sed duo in Theueti verbis animaduersione digna videntur. Primò quòd totum fructum edulem facit, nam nec stuppeum & corticosum illud operimentum elui aptum. Quando verò huic nuci odoris fragrantiam tribuit, cuius nullus cæterorum Authorum ne verbulo quidem meminit, docet, vel sibi emunctiores fuisse nares, vel non probè cognitam habuisse hanc Nucem eiúsve arborem. Nucis moschatæ odorem, quem ille fortè in vno aut altero poculo ex eo sensit, ascititium existimamus, nempe ex affrictu nucis moschatæ, vt ferè vulgò fieri solet: alioqui in nostris, & aliis Recentioribus, etiamque integris nihil tale deprehendimus.

Theueti no.

Porta Neapol. noluit committere, quin & circa hunc fructum nouæ suæ Philosophiæ specimen ederet, inquiens, huius Nucis succum biliosis interdici, quòd Nux ipsa ex rubro flauescat. Hic næuus esse solet nouitatis Philosophicæ, vt vtrobique impingat. Nam si iecoris renúmque nimios calores emendat ille liquor, vt testantur Costa & Paludanus, quo iudicio is biliosos ab eius vsu arcebit? Deinde si vel ex rubro flauesceret ea Nux, quod tamen apud neminem hactenus legimus, & in iis quas vidimus non verum est, non ideò sequeretur biliosis interdicendam, quòd tales plures sint fructus, biliosis conuenientissimi.

Portæ not. Alter eorũ error.

Ergo si vtilitates omnes, quæ ex hac arbore & fructu redundant inspicias, vtique naturæ non infimum

Arbor omnibus vtiliss. & naturæ miraculũ.

ſimum fateberis eſſe miraculum, nullamque arborem in orbe terrarum vſibus humanis aptiorem, vt mirum ſit, ab Arabibus, [in aliis alioqui ſat ſcrupuloſis] propemodum neglectam, [quod & Garcias conqueritur] qui tam pauca de ea tradiderunt.

NVCIS INDICÆ FOLIVM QVIBVSDAM.

Cap. CLXXV.

Deſcriptio



DEbemus, [inquiunt Pen. & Lobel.] Occiduis Indiis iſtud coriaceum folium, cui ſimile aut par latitudine aut craſſitie nullum nouimus. E Palmæ congenere arbore euulſum videtur: quin ipſa tota textura aſſerẽ binos cubitos latum, aut potiùs tegetem, quaternos aut quinos cubitos longum refert, tegulę modo fornicatum, & media ſecundum longitudinem coſta ſemidigitum craſſa carinatum, ſuperna ora quaſi præſectum eſſet, margine digitali tenuiore, duriore, clauditur. Vniuerſum folium à ſummo ad imum in villos, iis quadantenus ſimiles qui obducunt nucem Indicam aut capillitium texendis funibus aptum, diſcerpitur, quemadmodum totum eſt tectoriis ædium & ſtoriis accommodum. Huius folii iconem exhibent iidem in diuerſis ſuis operibus cum hoc titulo: Prægrande folium Palmæ filamentis.

Draconis arboris folium. Hiſt. Lugd. err.

Hiſt. Lugdun. eandem iconem habet, & folium arboris Draconis ex Indiis delatum, quod Pena deſcripſit, appellat. Sed quid eius hiſtoriæ compilatorem mouerit, cur ita vocarit, neſcimus: neque enim conuenit cum eius arboris foliis.

An verò ſit folium nucis Indicæ, aſſerere non audemus. Si eſt, veriſimile iconem Cluſii nucis Indicæ minùs bonam eſſe, qui Palmæ ſimilem pingit: Et Garciam alioſque nihilo feliciùs Palmæ aut Arundinis foliis contuliſſe.

Coſtæ loco Palmæ gradus.

Acoſta longè diuerſam habet à Cluſiana figura. Quippe paucas & ex longis interuallis foliorum diuiſuras pingit, vtrinque pediculum inſignem ex trunci cacumine dependentem, quaternis & quinis fructibus onuſtum. In cacumine trunci ſpicam inſignem oſtendit. In trunco veluti gradus quoſdam inciſos. Cæterùm videtur idem folium hic depictum ex Cluſio deſcriptum eſſe cap. præcedenti, quod Antuerpiæ vidit.

PALMA SACCIFERA.

Cap. CLXXVI.

Deſcriptio



ADmirabilis eſt arbor, inquit Cluſ. in Exot. quæ à Batauis quibuſdam nautis qui Amſtelredamum anno 1599. redierunt, in deſerta inſula reperta in America. Nautas Inſulam *Coronopez.* appellaſſe mihi relatum eſt: in qua integras ſyluas repererunt nullâ aliâ arbore conſtantes, quàm palmę quodam inuſitato genere, cui, ab inuolucro ſaccum ſiue colum referente in quo fructus reconditus [Spata enim commodè dici nequit illud inuolucrum] *ſaccifera* nomen indidi, quandoquidem forma valdè ſimile eſt illi colo ſiue ſacco, quali hoc tẽpore Pharmacopolæ vinũ aromatites [Hippocraticum vulgò appellãt] percolare ſolẽt: nam crebertimis quibuſdam fibris ſpadicei coloris tranſuerſim & obliquè ab infimo ad ſupremum excurrentibus magno à natura artificio contextum eſt, idque varii longitudine: quod enim ab ornatiſſimo viro Theodorico Coornhart accipiebam, viginti duas vncias longum erat, & ea parte, quà patebat, ſeptem latum.

VVilhelmus Parduynus vir honeſtiſſimus vnum habebat, cuius longitudo meum octo vnciis ſuperabat, etenim binos pedes cum ſemiſſe ſiue triginta vnciis longus erat, eius latitudo par cum meo. Plura quàm hæc duo mihi videre non contigit: vtrumque autem ſenſim gracileſcens in mucronem deſinebat.

Fructus nucis iuglandis magnitudine.

Iſta porrò inuolucra [iis referentibus qui ab arbore reſciderant] plena fuerant fructibus nucem iuglandem cum externo ſeu puluino ſiue viridi cortice magnitudine æquantibus, in quibus orbiculares aliæ nuces adeò rotundæ, vt torno elaboratæ viderentur, & globulis illis, quos pueri in luſu pollice impellere ſolent [vulgus Battauorum Knickers, Galli *Martres* appellant] eſſent perſimiles, cùm magnitudine tum colore, atque adeò duræ [vnam enim confringebam, vt viderem quid contineret,] vt niſi ferreo malleo & cum difficultate confringere quiuerim, tametſi non valdè craſſo putamine ſint præditæ: continebat autem ea orbicularem nucleum putamini adhærentem, medio cauum, & qui ſiccitate Lacunam contraxiſſet, candidum, ſapore initio quaſi leguminum, deinde inſtar Lupini amaro. An verò ſaccus ille aliquo cortice aut cute tectus fuerit, me latet, nec mihi facultas data eſt eos conueniendi qui obſeruauerant, vt diligentiùs omnia perſcrutarer: ſaccum autem, qualem accipiebam, cum orbiculari nuce ad pingendum curabam, in illorum gratiam, qui exoticarum rerum ſtudio delectantur.

Globuli rotundi tanquam torno elaborati. Knickers. Martres.

FILVM ARBOREVM TENVISSIMVM ET CANDIDISSIMVM.

Cap. CLXXVII.

Descrip. SCribit Clus. Exot. lib. 1. c. 4. Candidissimi fili glomum Garetus ad me mittebat, cum alijs: eum autem ex arboris cortice confectum scribebat: cuius sanè tenuissima, valida tamen, erant stamina, filo etiam à Lino aut Cannabi deducto longè validiora, tres pedes cum semisse longa, ex vna parte resecta, vt longiora fuisse verisimile esset: ex quibus vittæ & similia ad muliebrem ornatum pertinentia, commodissimè fieri possent. Inter ea, quæ anno 1605. Gener Cherlerus adferebat ex Anglia procul dubio à D. Iacobo Gareto, fili stamina comperimus, vlnas tres longa, alba, serici modo tenuia & firma, non monitus iudicarit esse cannabina: non dubitauerimus ex iis staminibus parari posse tenue & optimum filum. Considerent Lectores, quæ ex Clusio de staminibus ad vittas scribimus c. de nuce Indica magna.

NVX INDICA MINOR.

Cap. CLXXVIII.

Descript. NVcis indicæ testam habemus oui anserini circiter magnitudine, in ea erat Balsamum Peruuianum: minorem hactenus non vidimus: hanc diuersam facimus à Cordi nuce Indica siue *Cuci*: & prædictæ nucis Indicæ genus paruum existimamus: ea, fortè Clusio, Exot. lib. 2. cap. 9. est orbicularis fructus peregrinus tertius, non valdè dissimilis à suo secundo, de quo mox agemus, longior & crassior, oui anserini formâ & magnitudine, in quo adseruabatur Balsami illius Americani liquor odoratus & ad multos morbos salutaris. Hunc accipiebat Clus. ab honesto viro Petro Gareto. *Nux Indica Cordi, siue Cuci non est.*

NVX INDICA AD VENENA CElebrata: siue Coccus de Maladiua.

Cap. CLXXIX.

Descriptio NIger est, teste Garcia Cocci de Malidiua cortex, & nitidior vulgari Cocco seu Nuce Indica, figura ouali magna ex parte, nec ita rotunda vt vulgaris: medulla siue pulpa interior, quæ siccata dura est admodum & candida, nonnihil tamen ad pallorem inclinans, in superficie rimosa est & valdè porosa, nullo sapore excellens.

Medulla. Huius Cocci medullæ fragmento nos donauit Illustriss. noster Princeps: fungosum est, eâ consistentiâ, quam videmus in fungis Nucum, colore foris in luteo cinereo, intus pallido, fibris variatum subinde ferrugineis & croceis, gustu insipido. Integras autem duas Nuces apud eundem Ill. nostrum Principem vidimus Stutgardiæ, Nuce seu Cocco Indico maiores, longiores, admodum capaces: pedem sunt longæ, rotunditatem vix duabus manibus amplecti poteramus: pars compressa erat sex vncias lata, in qua amplum foramen apparebat ab alio fructu separatum, ita vt gemellus fuerit fructus: coniunctorum fructuum ingentem fuisse magnitudinē apparebat. Vtriusque capacitas erat insignis: cortex durus & spissus, qualis aliis nucibus, externè striis obliquis, longis, excauatus, colore nigro: pulsatus ollæ modo resonans. Sic corticem etiam villosum habet, vt aliæ nuces Indicæ, prægrandem fructum esse oportet capitéque humano maiorem multò: foramen ei tantum est, vt pugnus indi possit. Dicuntur CC. aureis Gallicis emptæ. Eius iconem geminam damus vtrámque faciem ostendétem.

Est quidem Clusio icon apud Garciam, quam omittimus, quia ob ornatum parùm de natiua figura denotat.

Acosta testatur, hanc nigriorem, nitidiorem, longiorem, maiorémque esse, quàm vulgata Nux Indica. Coccum de Malediua vocat idem, ex vers. Clus. Garcias verò *Coccum de Maladiua.* Item *Coccus de Maladiua* Hist. Lugd. Et rursus in appēd: [ne ei deesset numerus] Coccus de Nalediua eidem. *Grana Maldiuana*: *Nuces Maldiuana*: *Cocci di Maldiua*: Ein frömbde purgierende Frucht / Catal. Francofurt. Sed cur purgantem fructum Germanicè vocet, nescimus. Nec placet tam magnum fructum grani nomine vocare. *Synonima* *Hist. Lugd. mer.*

Laudatur hic Coccus, aut hæc Nux [sed præsertim eius medulla] aduersus venena ab ipsis earum Insularum incolis. Et à viris fide dignis accepisse se Garcias testatur, ad Coli dolores, Paralysin, Epilepsiam, aliósque neruorum affectus se vtilem sensisse. A coli quidem doloribus, quod vomitum excitaret: ab aliis verò ægritudinibus immunes reddi ægros, si aquam in iis nucibus (adiecto medullæ momento) aliquandiu conseruatam ebiberent. Sed cùm ipse non sit expertus, minùs fidei his tribuit. Fatetur tamen, nullam periculum faciendi, occasionem habuisse, quòd vti malit medicamentis quorum facultates iam sibi sint perspectæ & multa experientia comprobatæ, velut sunt lapis Bezar, Theriaca, Smaragdi, terra sigillata, & alia pleraque medicamenta, quàm recentibus minúsque certis. Nam quod nonnulli dicant, se huius vsu commodum sensisse, an id persuasione & imaginatione factum sit, ignorare se, nec quicquam affirmare posse. Inueniuntur interdum isti Cocci prægrandes admodum, interdum etiam exigui: omnes autem in littus eiecti. *Vires & vsus Ad venena* *Colica. Paralysis. Epilepsia.* *Vtendi modus.* *Varietas in fructu*

Vulgari autem fama accepimus, [addit idem] insulas Meldiuas aliquando continentem fuisse, sed inundatione maris submersā, has insulas effecisse: in quibus obrutæ Palmæ fuerint, quæ hos Coccos protulissent, qui terra indurati in hunc modum conspiciuntur. Sintne verò eiusdem generis cum nostris, facilè iudicari non potest, cùm hactenus nemo folia aut arboris truncum vidēre potuerit: sed soli Cocci in littus eiciantur, nunc bini coniunctim, nonnunquam verò singuli separatim. Sed hos nemini colligere licet, nisi cum capitis periculo: quoniam Regis esse asserunt, quicquid *Locus* *Arbor incognita.*

quicquid de mari in littus eiicitur: quæ res maiorem authoritatem huic Nuci conciliauit. Eximitur autem ex his Coccis pulpa siue medulla, deinde exsiccatur eadem ratione qua Copra, [hoc est, nuces Indicæ à superiori cortice delibratæ & confractæ,] atque induresçit eo quo venditur modo. Diceres esse caseum ouillum. Coccus de Naledíua cognominatus, vt scribit Acosta, adeò commendatur ab ipsis incolis, & à Malabarensibus, non modò à plebe, sed à Regibus & Principibus viris, vt in omni ferè morborum genere ad eum confugiant, tanquam ad sacram anchoram.

Maldiuani fructus æstimatio.

Fiunt in eam gratiam ex illo pocula, quæ auro vel argento excipiuntur, & in nauium triremiumque figuram efformantur, ad aquam bibendam, in quam ex catenula medullæ ipsius Cocci fragmentum pendere sinunt: sibique certò persuadent, illis, qui aquam ex his poculis hauriunt, nullum venenum nocere posse, futurosque immunes à multis morbis, in quos sanè memini multos incidere, qui ex iis poculis bibere soliti erant. Et licèt omnem diligentiam adhibuisset Costa, nunquam tamen obseruare potuit similia pocula aliquem ex morbis curare, ad quos vtilia esse creduntur. Potiùs igitur arbitratur & is, tantam laudem obtinuisse à vulgi opinione.

Pocula ad venena.

Nonnullos eiusmodi vasculis bibere solitos, sibi affirmasse ait, sese experientia didicisse iecur incendi, renes noxam contrahere, & calculum generari: nihilominus tamen magnum esse eorum pretium, longéque pluris æstimari iis locis vbi inueniuntur, quàm aliis procul inde dissitis: nam interdum eiusmodi nuces nudas, neque auro aut argento exornatas, L. aut ampliùs aureis nummis æstimari.

Noxa.

Clus. apud Garciam lib. 1. cap. 16. Vidimus cùm Vlyssipone, tum aliis locis, vascula ex Cocco de Maldiua confecta, oblongiora pleraque iis, quæ ex vulgari Cocco parantur, magisque nigra & nitida. Quinimò ipsam medullam siccatam venalem reperias, cuius facultates mirificè extollunt, atque omnibus ferè Alexipharmacis præferunt: eamque ob causam ingens eius pretium. Quam verò parum fidei sit adhibendum huiusmodi fabulosis & commentitiis facultatibus ex Clusio satis liquet.

Paludanus quoque à se tentatum, an contra venena aliquid posset, tradit, sed nullo successu.

SAMBAVCAIE.

Cap. CLXXX.

Descriptio. IN Brasiliana regione prouenit arbor Syluestribus hominibus dicta Sambaucaie, cuius fructus crassior duobus pugnis, formæ cyphi, in quo continentur parui nuclei, similes Amygdalis ac eiusdem ferè saporis. Putamen eius ad vasa commodum est. Existimo à nostris vocari nucem Indicam, aut eius speciem esse.

Amygdalis similes nuclei.

Meminit Matthiolus aliarum nucum Indicarum rotundarum & dependentium ex arboribus magnitudinis magnorum melonum, quarum in prædicta regione vidi putamina: vbi torno polita sunt, apud nos solent argento excipi & muniri. In Brasilia insignis tornio Petrus Boardonus, parauit multa pulchra vasa, tum ex his fructibus Sambaucaie, tum ex aliis lignis diuersorum colorum, quorum ille partem dono dedit D. Villegagnon, qui magni faciebat. Lerius in Hist. Amer. Talem sanè nucem à nemine hactenus descri-

Nux Indica vel species eius.

ptam legimus, quæ paruos contineat nucleos. Qui vidit aut nouit, doceat nos, & posteros.

ARBOR MANICONGO NVCIFERA, ET DE ALIIS QVIBVSDAM ARBORIbus Guineæ.

Cap. CLXXXI.

Descriptio. QVidam Anonymus in tabula Cosmographica apposita hac figura sic tradit. Sunt arbores in regione Manicongo, proferentes fructum Nuci magnæ similem, qui intrinsecus & extrinsecus viridis est: inde non solùm oleum, sed & vinum, acetum, bellaria & panis præparantur. Oleum seu butyrum viride, torculari exprimitur è medulla. Eius vsus est in condiendis cibis, in lychnis & vnguentis præparandis. Panis ex putaminibus, quæ nucleum ambiunt, conficitur. Nucleus salubris est comestus, nec non boni saporis. Vinum ex summitate arboris prouenit, foramine in arboris vertice terebrato, è quo humor lacti similis promanat, qui [dum recens est] propter dulcedinem loco vini vsurpatur: sed si diu seruetur vappescit, ac denique in acetum vertitur, quod acetariis præparandis vtile est. Sed haustum calculo specifica vi medetur, ita vt illic loci, vbi prouenit, [quemadmodum scriptis proditur] nullus calculo afflictus reperiatur.

Nuci similis. Oleum seu Butyrum. Panis. Nucleus. Vinum. Acetum. Ad calculum.



Cæterum figurâ, quam ex eadem tabula hîc proponimus, videtur quodammodo referre Musam: de qua lib. 1. Descriptio & vsus in plerisque conuenit cum Nucis Indicæ descriptione. Eius tamen tabulæ author antè meminit nucum Indicarum, quas separat ab arbore Manicongo. Postea verò & aliarum arborum Dactyliferarum historias tradit, & à prædictis quoque distinguit, easdem tamen vires illis quoque tribuens, quæ nuci Indicæ tribuuntur. Hæc autem sunt eius verba. Habentur in Guinea distinctæ arbores, quæ decem commoda præstant. Proferunt racemátim nuces Dactylis similes: cortex exterior foco commodus: ex proxima materia tenuissima, sericum est, media linum, crassior cannabis loco vsurpatur ad funes nauium. Ex altero putamine carbones parantur. Tertium putamen nucleo adhærens, est aptum est, in quo aqua pura gratissima. Elicitur ex Nucibus oleum bonum & pingue. Cùm ventorum vi corruunt arbores hæ, percommodam tegendorum ædificiorum materiam suppeditant. Aliquas istarum arborum fœcunditate priuant ad succum eliciendum, quem excoquunt, donec aquæ similis reddatur, qui tantæ efficaciæ est, vt non solùm sapore, sed & odore temulentiam inducat. *Hæc ille.* Quæ postrema magna ex

Musa. Nux Indica. Arbores Guineæ. Nuces Dactylis similes. Sericum. Linum. Cannabis. Carbones. Aqua. Oleum. Liquor inebriant.

parte ad Nucem Indicam referri possent. Verentur eum de incognitis sibi scripsisse: quasdam inter se arbores confudisse, aut saltem aliqua intempestiuè repetiisse.

PALMA ADY INSVLAE S. THOMAE & fructus Abanga & Caryoces.

CAP. CLXXXII.

Descriptio. MEritò Arbori ex Manicongo subiicimus Palmam *Ady* in cuius descriptione multa conueniunt, licèt icon apposita, huic non respondere videatur, sed Musæ. Palma *Ady* de palmarum genere est, vt tradit Tobias Roelsus in Epist. ad Clus. cùm scribit: Insula S. Thomæ Nigrorum habet palmam tertiam, illis *Ady* nominatam, arbor valdè celsa est, & insigni proceritate, arborisque truncus crassus, nudus, & erectus est, non suffruticat, ipsaque Pinum superat altitudine, vt mihi à variis relatum fuit. *Trunci & ramorum materies. Folia.* Trunci atque ramorum materies rara est, succo prægnans: foliis prioris palmæ similibus constat. In vertice plurima excrescunt germina, quibus præcisis vel cæsim læsis, vas aliquod idoneum appendunt: in quo *Succus. Facilè inebriat, & acescit. Vinum.* Lachrymantem colligant succum, qui vini vicem apud Indos tenet, & facilè inebriat. Dulce hoc enim est, verùm post aliquot dies acescit: Non omnes Palmæ tunc vini liquorem fundunt, sed ea tantùm quæ *Ady* ab ipsis Nigris nominatur: nec idcircò fructus suos facere desinunt eiusdem arboris reliqua germina, quæ à ferro intacta manserunt. Huius autem Palmæ Ady germen non edunt incolæ istius Insulæ, quæ quidem maiori cura & diligentia percontatus sum, quòd apud Garciam legerim, Incolas regionum Orientalium, Palmarum germinibus vesci: & quod sublato germine pereat Palma. *Sed hac ipse de Palma Indica generatim loquitur.*

Fructus. Caryoces, & Cariosse. Nunc superest vt de fructu palmæ *Ady* aliquid subiiciam. Integer fructus Lusitanis dicitur *Caryoces* & *Cariosse*, ab indigenis Nigris istius insulæ *Abanga* nominatur; qui satione producit arborē. *Abanga* nucleum ad te misi, cui etiam tum putaminis præduri pars inhærebat: putamen huiusmodi tegit pulpa seu caro fuluescens, ac pariter luteus est exterior cortex. Itaque cortici caro subest (non aliter quàm in malo Persico) quam pullum putamen osseum sequitur: hoc verò intus nigrum cōtinet nucleum esui aptum, qui adempta pellicula candidus est. Fructus integer formâ & magnitudine est Citrii istius mali quod *Limon* vel *Limonem* vocant. *Vsus.* Eduntipsi hos fructus inassatos, frequenter etiam crudos: Caryoces nucleos integros inter edendum miscent farinæ Manyoucæ. Hos nucleos credunt ipsi mirum in modum reparare languentes ex morbo vires, adeò vt suis ægris bis terue in die confortandi causa tres quatuórue *Abanga* nucleos exhibeant. Quod ipsis tam familiare est, quàm nobis est ouum sorbile, vel pullus gallinaceus, vti asserebant Lusitani, qui Indorum præfecto tunc temporis aderant. Præterea ipsi ex hoc fructu oleum conficiunt: nempe vt carni à nucleis auulsæ adiiciant aquæ feruentis bonam partem, deinde iubent vt pulpa in lebete diu agitetur, commisceaturque exactè super ignem, deinde remotum ab igne lebeten tanto temporis interuallo stare sinunt, donec amurca omnis in fundum subsederit: tandem oleum aquę supernatans cochleari excipiunt: quo exhausto, iterum affusa aqua feruente bene commiscent vt *Oleum.* prius, & postquam decoxerint, quicquid olei puri supernatauerit vasculo rursum excipiunt. Olei color croceus est, qualem Caryoces pulpam esse diximus, cuius tibi nunc speciem mitto in vitreo vase, concreuitque ex frigore nostræ patriæ, aliàs autem liquidum est oleum. *Olei color.* Nisi vererer Epistolæ limites nimis excedere, mouerem quæstionem quæ inter scribendum occurrebat: Cur nimirum Oleum in aqua supernatet? Dicunt aliqui corpora ob grauitatem submergi, & ob leuitatem natare. *Cur oleum in aqua supernatet.* Quòd autem corpora non ponderis aut leuitatis ratione natent aut subsideant, sed pro Elementorum, ex quibus constant, proportione & dominio, locum inter Elementa petant: paruus scrupulus in flumine ostendit, qui ob terream & compactam lapidis substantiam subsidet, in quo ingens trabs lignea, ob aëream eius & porosam substantiam supernatat. Sed his præteritis ad Oleum Caryoces reuertor, quod famem non minus tollere potest, quàm oliuarum oleum & butyrum nostrum vaccinum: quare pransuri vel cœnaturi, suis eduliis hoc oleum miscent. *Famem tollit.* Et cùm apud nos Medioburgi essent, pisces, carnes, pyra, poma, aliáque cibaria ex hoc oleo in sartagine torrebant, atque ad omnia obsonia tam assa quàm elixa exhibebant hoc oleum Nigræ, ad quæ videlicet videbant venustas nostras ancillas butyrum addere. Sed Butyri nostri ex Batauia allati sapor & odor magis mihi placet: ipsisque profectò ancillis nigris Galliâ deformioribus cum oleo isto instructa fercula epulasque lubens relinquam, quasque cum oliuarum vel amygdalarū oleo, præstanteue Zelandiæ butyro, ancillæ nostræ colore genarum roseo decoræ apposuerint, sēper preferā. Olei huius vsus apud ipsos etiam vulgaris est ad inungendas corporis partes rigidas, atque contractas, imprimisque neruos distentos relaxare dicunt. *Neruos distentos. Lassitudo.* Exercitatos etiam, & quouis labore fessos toto corpore inungunt: nēpe quòd exercitiis similares corporis partes exsiccentur, & colliquescant: quod ipsum humectatione sua impedit huius olei perfunctoria ac lubrica frictio. Hoc ipsorum acopum est, & insigne lassitudinis remedium esse prædicant. Olim hæc corporum inunctio frequenti in vsu fuit tam apud Græcos, quàm apud Romanos illorum in delitiis æmulos: & habita certè fuit non postrema salubrioris Medicinæ prophylacticæ, id est, sanitatis conseruatricis, pars, vt partim Galeni scripta perhibent.

Huius palmæ *Ady* meminit autor descriptionis Guineæ, *Manicongi*, Angolæ & vicinarum regionum occidui Oceani, vbi dotes regni Congo refert, In campis proueniunt permultæ & variæ Palmæ, vt pote, quæ Nuces fert Indicas, & quæ dactylos gignit. *Nuces Indica.* Crescit præterea alia ibidem Palmæ species, non multùm à duabus primis fronde diuersa, ex qua oleum, vinum, acetum fructus, ac panem colligunt: per viam expressionis fit oleum è fructus pulpa, vti ex oliuis fieri solet, colore & substantia simile nostro butyro: præterquam quòd è viridi in flauum colorē magis declinet. *Oleum per expressionem.* Vtuntur eo ipsi pro butyro & oleo: lampadum flammas eo alunt, eodem oleo sua perungunt corpora, vt glabra & agilia reddantur. Denique cibi vicem gerit necessitatis tempore, vti nobis euenit, qui fame periissemus, nisi hoc oleum habuissemus. Huius palmæ vel fructus nomen non refert: verùm ex orationis serie satis patet, hanc esse palmam *Ady* quæ fructum *Cariosse* fert, ex cuius pulpa fit illud croceum oleum.

NVX INDICA VELVT LARVAM OSTENDENS, ET ALIA EI SIMILIS si non eadem.

Cap. CLXXXIII.

Descriptio

APud Principissã nostram Clementiss. mirabilem hunc fructũ Indicum vidimus & depictum accepimus, quemadmodum & alterum fructum. Prior niger est, duas vncias ferè longus, vnciam penè latus, ceu monticulis quibusdam inæqualis, ouatâ figura longiore: cui terni scrobiculi superne aduersa facie impressi, eo situ, vt laruam quandam simiç caudatæ aliquo modo repręsentent sine naso. Pictus est bis sua magnitudine, vnus auersam, alter aduersam partem ostentans.

Fructus. Sequitur alius fructus dono datus, vt iam dictum. Hunc cum præcedenti eundem esse suspicamur, quamuis figura nonnihil euariet. Nam & tres illas scrobiculas habet, sed tribus lineis canaliculatis, in medio concursu tres angulos oppositos facientibus: interstinctas. Figura fructus etiam ad triangularem accedit, secundum longitudinem canaliculis striatus atque sulcatus: eâ parte qua foramina sunt latiore, oppositâ acutiore. *Color.* Color ex pullo cinereus. Concussus nullum sonum præbet. Et quia singularem tantùm habemus, integrum relinquere maluimus: quod non maximoperè Reipub. medicæ interesse iudicaremus, scire quid intus latitet

FRVCTVS PEREGRINI DVNTAXAT NVCLEVS.

Cap. CLXXXIV.

Descriptio NAturalium periti conferant fructum à Clus. pro quinto descriptum in libello suæ peregrinationis cum *Sel*, vel *Seel* Arabum, de quo egimus post Lentiscum & Masticen: de sito autem fructu ille sic ait. Duntaxat nucleus est, suo putamine siue cortice exemptus, firmus, tenui membrana fusca & multis venis distincta, firmitérque ipsi nucleo inhærẽte, tectus. Ipsa materies firma est, candida, pulpæ nucis Indicæ siue Cocci similis, nullo quidem odore prædita, sed satis grato sapore. *Temperã.* Calidum in primo gradu, aut secundi initio iudicat. Clus. exot. lib. 2. c. 29. omittit, quæ scripserat de temperamento, & addit, quæ sequuntur. Hunc nucleum anno 1598. Deprehendebam eius nucis esse, quæ tertio loco, siue pro tertio huius capitis fructu descripta est: nam multi similes nuclei, partim sui putaminis fragmentum adhuc retinentes, maxima autem ex parte nudi, & à suo putamine liberi, nonnulli etiam integrum corticem adhuc habentes adferebantur naue quadam ex Insula Diui Thomæ aducta, *Locus.* quibus Lusitani quidam eâdem naue vecti, sua mancipia cum radicis cuiusdam farina commixtis, alebant in itinerę. Est autem fructus Palmæ *Aedil* nuncupatæ.

NVX PEREGRINA, NIGRA, ANGVLOSA, CVM TRIBVS CAVITATIBVS VELVti nucleis.

Cap. CLXXXV.

FRuctus hic Indicus formâ est inæquali, partim enim extuberat alicubi, & quasi in gibberum extumescit, partim verò alicubi in concauitatem depressiusculam abit: parte inferiore, collectæ multæ fibræ neruosæ in vnum conspiciuntur albidæ ex omni latere ductúque continuo inibi concurrentes, colore castaneo: alterâ verò parte opposita quà adhæsit tribus in locis trianguli in morem inter se dispositis tres occurrunt rotundiusculæ cauitates albicantes in quibusdam, in aliis verò minùs conspicuæ multis ex neruosis cirris conflatæ, per longum ipsius tractum nerui oblongi ducuntur trahuntúrque castanei coloris: agitati quidam commotique sonitum edunt, aliicuius intus nuclei latentis argumentum præbentes, aperti cùm essent corticem durum crassúmque præbebant conspiciendum, intra cuius cauum nigrum album nucleum condebant, propria tunica nigra vestitum, quæ intra se continebat pulpam albam vetustate tamen insigni rancedine donatam, sicut & alii his similes fructus, si non iidem planè nigricantes, oblongiores, in quibusdam locis tuberosi: totus fructus per longitudinem suam sulcis quibusdam oblongis, modò altiùs, modóque leuiùs impressis ac vetustate albicantibus conspicuus est, parte cui adhęserunt tres itidem concauitates rotundę, altiùs quàm in prioribus impressæ occurrunt visendæ, quarum quædam in aliquibus foraminulentæ sunt redditæ, vel arte, vel, quod credibilius est, vetustate peruię factę, corticem quidam sortiti sunt crassum nigrum, sunt etiam sonori.

Descriptio. *Neruũ.* *Nucleus.* *Cortex.* *Nuclei nũcleus.* *Pulpa.* *Fructus alij.* *Cortex.*

Nos munere Ill. nostræ Principis, anno 1608. nuculas descriptas Stutgardiæ accepimus, quarum Iconem proponit Clusius in lib. Peregr. pro fructu tertio propositam exhibemus.

Icon. Descriptio fructus Clusij.

Ita porrò suum fructum describit Clusius. Magnam similitudinem habet fructus tertius cum prima nuce in Adnotationibus ad 26. cap. 1. hist. arom. [de qua nos antè, post nucem *Mehenbethene*, sub titulo, Auellanæ villosæ foraminatæ] sed paulò minor est, angulosus, niger, crassioribus quibusdam, firmísque villis ipsi incumbentibus; & firmiter inhęrentibus obseptus (alterâ parte tribus foraminum vestigiis insignitus, quorum tertium maiusculum est & infrà spectat. Clus. hęc inclusa omittit in lib. Exot.) præduro putamine constat, & prægnans est (hinc concussu crepitat, & sonitum edit. Hæc etiam relinquit.] *Hist. Lugd.* pro fructu tertio Clusii. *Tabern.* autem pro peregrino 2. proponunt.

Icon Clusij. Clus. not.

Nos sanè suspicamur Clusio non bene perspectam fuisse, & quidem postremò Exoticorum deteriùs cognitam, quandoquidem omittit trium foraminum vestigia: quæ sanè apparent in iis, quas describemus.

An Auellana Indica villosa, tria etiam foramina habeat, dubitamus, quia Lobelius ali-

ter sentire videtur, dum Mehenbethene varietatem facit.

PALMÆ FACIE CVCIOFERA.

Cap. CLXXXVI.



Descriptio fructus.

Cortex externus

Nucleus.

Cortex interior.

FRuctus quē Cucioferam vocant, pugillari est magnitudine, coloris ferè melini, altera parte latiori, altera magis turbinata: Cydonium malum aliquatenus referens. Cortice polito, punctis notato, duro, cui fungosa subest substantia, medium digitū ferè crassa. Nucleus minor quàm figura Clusii [sub nomine Bdellii fructus] exprimat, Piri parui forma turbinata, nonnihil angulosus, sescunciam ferè longus, vnciam latus, cortice vndiquaque obtectus nonnihil rugoso, ruffo, tenui, pelliculæ interiori Auellanarum aliquatenus simili: sub quo immediatè substantia candida, cornu instar dura [in sicca nostra,] gustu sapido & suaui, vt Nucis Indicæ pulpa aut Amygdalarum dulcium nucleus, semunciam crassa.

Cauitates duæ.

Cauitates duas habet: alteram in totius fructus medio oblongam, fructus formæ respondentem, inæqualiter tuberosam, pultis ex oryza facie, sed cornea duritie, cæteroqui inanem: alteram in parte turbinata paulò supra priorem incipientem, & ad corticem desinentem, oblongam, exiguam, quam exactè complet corpusculum quoddam, ruffum, molle, dulce, quod germen existimamus, à quo per maiorem cauernam filum demittitur, duritie, colore & sapore cum nucleo conueniens.

Germen. Cuciophorum. In quo differat à Palma.

Theophrast. lib. 2. cap. 4. de Aegypti arboribus tractans: κουκιόφορος [inquit] appellata, Palmæ similis est, similitudinē habens in caudice & foliis. Sed differt ab ea: nam Palma indiuidua simpléxque assurgit: hæc autem, vbi pluſculùm adoleuerit, diuiditur & fit bifida, [δίκρουν enim legendum, non ἄκρον, vt in vulg. habetur, quasi diuisa fiat cacumen: inepto sensu.] atque vterque ramus rursus subdiuiditur. Fert præterea virgas breues & paucas. Cortice, [φλοιῷ: fortè rectiùs legas φύλλῳ folio: quam lectionem Palmæ historia approbat.] sicuti Palmæ ad vtensilium nexus vtuntur. Fructum peculiarem parit, magnitudine figura & succo [χυλῷ: non κυλῷ vt vulg.] à Palmæ fructu differentem: quippe magnitudine ferè, quā manū adimpleat, rotundum, non oblongum, [ὑπόξανθον] colore flauicantem; succo dulcem & ori gratissimum: cæterùm non confertum, vt Palma, sed singillatim diuisum: nucleo magno, vehementer duro, ex quo velares detornant annulos, [κρίκους legimus cum Plin. vulg. κρίνους habent: Gaza versicolores annulos vertit.] ad lectorum pedes conficiendos: [quibus in stragulariis vinculis vtuntur, Gaza.] Materies quoque à Palma plurimùm differt: altera enim (nempe Palmæ) rara corpore, fibrosa & viridis: altera spissa, grauis, carnosáque, & cæsa crispa admodum, atque dura. Ideò & apud Persas ad lectorum vsum, quorum pedes ex ea cōficerent, in pretio fuit.

Theophr. locus corr.

Alter locus corr.

Vsus.

Tertius locus restit.

Sapor.

Quartus emend.

Materies.

Eadem ferè & Plin. transtulit lib. 13. cap. 9. Cuci titulo. Cuci [inquit] in magno honore, Palmæ similis, quando & eius foliis vtuntur ad textilia. Differt quòd in brachia ramorum spargitur. Pomo magnitudo, quæ manū impleat, color fuluus, commendabilis, succo ex austero dulci. Lignum intus grande, firmæque duritiei, ex quo velares detornant annulos. In eo nucleus dulcis, dum recens est. Siccatus durescit ad infinitum, vt mandi non possit, nisi [nisi in M. deest.] pluribus diebus maceratus, Materies crispioris elegantiæ, & ob id Persis gratissima.

Cuci Plin.

Cæterùm textilem Persicum, quam Theophr. plurimam in Aegypto nemore Thebaico fuisse scribit, quidam [inquit Hermol.] pro Cuci capiūt, Palmæ simili, alia à Persea.

Persica textilis Cuci.

Cordus nucem Indicam minorem vocat, & à Theophrast. Cuci appellari ait: cui tamen Cuciophora dicitur & Plinio. Cuci sic describit: Cuci dicta nuci Indicæ similis est, multò tamen minor: totus enim fructus tres aut quatuor vncias longitudine rarò excedit, idem superiùs latior est, quàm inferiùs, vbi pediculo adnascitur, figura triquetrus, foris carnoso venosóque cortice, intus lignoso constans, quo nucleus continetur oblōgus, in summo quàm imo latior, vtriusque corticis modo triquetrus, vnus tamen angulus harum partium acutus est: reliqui duo obtusi ac teretes. Color nucleo & in superficie fuscus, intus candidus: habet etiam in medio cauitatem proportione toti fructui respondentem, aquoso humore plenam, paulatim cùm exiccatur euanescēte. Sustantia nucleus constat primùm cartilaginosa, paulóque duriore, quàm maior nux Indica, sed cùm inueteratus fuerit, cornu soliditate ęquat, qui pluribus diebus in calida aqua maceratus teneræ cartilaginis duritiem acquirit. Saporem habet, quemadmodum & odorem subrancidum, velut maior.

Cuci

Aquosus humor.

Substantia variat pro ætate.

Cordi descriptionem hic totam dedimus, vt iudicent Lectores vtra opinio verior, Nostra, quæ ad Cucioferam referimus, an Caspari Bauhini, qui ab ea diuersam facit, vt antè dictum cap. de nuce Indica. An Anguill. epistola quarta κουκιόφορος Plinii Ariena, qui ait ex Nubia, distantissima regione, adferri, cuius fibrata substantia masticata paucam præbeat dulcedinem, reliquum exspui: nucleum internum, Pruno similem esse, viridantem

Locus.

ridantem, ex quo manubriola fiant Terebellorum, & annuli, etiam ex traditione Theoph.

Sanguis.[illegible] circa Cuciferā. Nos tamen κουκιόφορον Theoph. ab Arιena Plinii, diuersum existimamus, de qua egimus lib. 1. c. de Musa.

Nux. Satyrium Erithronii. Matthiol. Cuciophoram sibi pro nuce ex Constantinopoli per Qualcebenum missam ait. Idem in Com. ad Diosc. cum magnis fig. Satyrii (inquit) Erithronii vocati radicem Mali effigie, ad me misit Cochinus Martinellus Rauennas Pharmacopœus, cuius imaginem excudi curauimus ante multos annos. Valerandus Doutez doctus Pharmacopœus, stirpium peritissimus, quique Italicas officinas curiosè admodum perlustrauit, asserebat esse Cuciophori medullam, quod tamen pro certo affirmare nec audemus nec possumus. *Matth. not.*

De Matthioli Satyrio plura scribemus lib. 19. de Bulbosis. Cuciophorę autem nucem quidam, vel Camer. teste, receperunt pro Bdellii fructu.

Quercus [illegible] spinosa. Bdellij fructus. Et, vt perhibent Pen. & Lob. in Aduers. noluerunt quidam non nisi tanquam syluestrem à satiua Myrrha distare Bdellium. Porrò Myrrhę descriptio quam dant, non est ita diuersa ab ea, quam Plin. scripto reliquit, fructu Caprifici: quem Caprifici quadantenus effigie fructum industria Car. Clusii in versionibus è Garcia habemus.

Idem in Obs. Bdellii fructum nulla circuitione vocant. Sed Palinodiam canens Lob. (cum Clusio) in Hist. Belg. Fructus, infit, quem Clus. Bdellii putauit esse, eodem nuper monente, videtur potiùs esse Cuciophori.

Cuciophorae. Persea fructus. Hist. Lugd. in Append. habet nomine Cuciophoræ Matthioli. Item lib. 18. cap. 47. vbi figuram posuit, titulo Perseę fructus Dalech. Item lib. 18. cap. 18. pro Bdellii fructu Cortuso. Ita vides, eius Hist. compilatorem, exotici huius fructus tres icones, tribus distinctis locis ac titulis, supina quadem oscitantia proposuisse. *Hist. Lugd. compilator taxatur.*

Nux Indica. Rob. Const. in Lex. & alii κουκιόφορον, siue Cuciosoram, arborem putant, quæ nucem Indicam parit, de qua antè sub Palma candida nucifera.

Bdellij fructus. Clus. tandem de eo sic tradit apud Garciam in notis. Bdellii fructus à Cortuso missus, fructu iuglandis nucis magnitudine, aut etiam amplior, triangulari etiam forma, odoratus, colore subcinereo, durissimo putamine, quod pręgnans esse & nucleum continere videtur. Sed in post. edit. paulatim ad recentum inclinans: non desunt, ait, qui hunc fructum magis referendum censeant ad Cuci Theoph. & Plin.

Hist. Lugd. not. Persea fructus. Et in vltima sua Hist. in fol. Quidam, inquit, Perseæ historiam negligentiùs perpendentes, nostram fructus Cuci suo puluino nudati iconem pro Perseæ fructu adiecêre, qui nobis aliquando pro Bdellii fructu obtrusus fuit. Verùm quod in principio dixit Clus. nullum odorem, ac ne vel in attrita quidem, percipimus, nec nucleum in eo, quem ille Bdellii fructum putabat, hoc est in nucleo totius Cuciosferæ vnquam deprehendimus, sed cauitatem quandam inanem, vti prius descripsimus: qui error quoque Clusio cum altero illo reuocandus fuit. *Clus. not.*

Taber. not. Etymon. Cuciopheram ineptè scribit Tabern. Putamus enim κουκιόφορον Græcis dictam arborem, quòd Cuci ferat, vnde fortè fructus tantùm nomine à Plinio appellatur: aut quòd Cuci æquè arborem ac fructum significet, sicut Nux: nam & de arbore, & fructu agit.

Locus. Cuciosferam Theophrast. inter Aegypti arbores tradit: & eius peculiarem esse testatur Scaliger. Fructum primum Patauii vidimus & alia plura exotica apud Nobiliss. Cortusum horti Patauini Præfectum. Obseruauimus quoque Basileæ apud D. Fel. Platerum apertum quem prior icon nostra repræsentat, posterior verò, tum extimum puluinum, tum interioris nuclei magnitudines diuersas, ex nostris quas inter naturalia asseruamus, parata, quamuis minùs feliciter sculpta.

Nullum eius vsum hactenus traditum scimus, præter suprascriptum ex Theoph. & Plinio. *Vsus.*

PINEÆ NVCI SIMILIS INDICVS FRVCTVS.

Cap. CLXXXVII.

Descriptio. Scribit Cordus in obs. silua: Nux quædam Pineæ nuci similis, sed maior, crassiori cortice, venenosa quadam carne operta, nucleo duro. Affertur ex India: *Hæc ille*: quem autem fructum intelligat fatemur nos ignorare, quædam videntur quadrare cum fructu Cuciosferæ ab ipsomet Cordo descripto.

FAVFEL SIVE ARECA PALMÆ FOLIIS: EIVSQVE FRVCTVS VARIETATES.

Cap. CLXXXVIII.

Descriptio fructuum. NVcum *Faufel*, quas habemus aliæ nigræ, aliæ russæ, aliæ cinereæ: maxima magnitudo Nucis moschatæ, minima Ceraso ferè par: sunt & aliæ his intermedię. Nigrarum aliæ turbinatæ, aliæ sessiles. Turbinatæ seu conformes, rugosæ sunt & striatæ extrinsecus, à latiuscula basi in obtusum mucronem desinentes; materie non admodum cædenti cultro, renitente, venis nigris intus discurrentibus, atque lateribus ad medium tendêtibus, citra tamen centrum desinentibus, durioribus: quarum spatia & oblongum meditullium infarcit substantia russa, mollior, fungi arborum compacturâ: sapor totius aromaticus nonnihil, nec obscurè ad- *Coloris varietas. Magnitudinis varietas. Figura varietas. Turbinata. Sapor.*

Sessiles.



stringens. Sessiles compressam offulam imitantur, aut pastillos terræ Turcicis characteribus signatæ, altera parte planior, altera gibbosa, rugis externis, internarúmque venarum discursu & sapore cum turbinatis conuenientes. Ex russis quæ sessiles sunt, aliæ adhuc intectæ sunt cortice, russo, in fibras sectili, sub quo nux rugosa, itidem russa: internè quoque discurrentibus venis russis, quarum interuenia complet materia alba lignosa, & pulchra, refert Nucis moschatæ substantiam interiorem. Turbinatæ verò, portio corticis læuis russi adhæret, quo alibi exuta Ochram pallidam colore imitatur, multò minùs rugosa quàm præcedentes, parte sessili propendet fibrarum lutearum barbitium: intrinsecus autem omnium pulcherrimè striis russis albidisque variata est: materie magis solida quàm reliquæ dictæ, [quam dissectam pictura exhibet in media tabella: ex hoc genere videntur Camerianæ notatæ K. I. L.] Cinereas item duplices habemus, sessiles & turbinatas: hæ cortice tenui cinereo obuestiunt nuculam nonnihil rugosam, intus Nuci moschatæ crispo venularum discursu perquàm similem. (cui respondere potest figura Clus. not. B.) Sessiles non minùs tenui cortice cinereo teguntur, ipsæ quoque interna substantia turbinatis respondentes. Sapor omnibus vnus, aromaticus & adstringens, in vetustis quas adseruamus: & plerumque omnes ad basin lacuna seu foramine hiant, qui locus videtur germinis.

Russa. Cortex. Barbitium. Cinerea. Sapor. Foramen.

Cordus Fausel in genere sic describit: fructus est longitudinis vncialis, inferiùs sublata basi, turbinata cauernula, modicè concauus, superiùs teretis coni figura in mucronem desinens, qui supra mensam basi collocatus, cauitatem tegit, erectæ pyramidis figuram imitans: foris cinereo aut subfusco colore, tenuibúsque rugis, intus versicolore venarum discursu, Nuci moschatæ similis. Saporem habet mediocriter adstringentem, odorem verò nullum fatu dignum.

Auellana Indica, Serap. & Arboris descriptio. Negil, Neregil.

Cæterùm apud Serap. Fausel est Auellana Indica: Autore Habonnisa, arbor Fausel similis est arbori Negil: (fortè legendum Neregil, id est, Nux Indica) fert camerulas [putamina intelligimus] in quibus est Fausel, sicut Dactylus. Hæc arbor non prouenit in Arabia. Isaac Eben Amram de hac scribit: Fausel est Auellana Indica, fructus similis Nuci moschatæ quantitate & colore, rugosus, sapore nonnihil calido cum pauca amaritudine. Defertur ex Sim.

Sapor.

Arboris exactior descriptio.

Sed arboris descriptionem exactiorem dant Garcias & Clus. *hanc ille:* Arbor Fausel recta est, fungosa materie, foliis Palmæ, fructu nucis Moschatæ, minore tamen, aut Iuglandibus exiguis simili, intus duro, & candidis rubentibúsque venis resperso, non planè rotundo, sed altera parte sessili, quæ tamen notæ non omnibus Arecæ generibus conueniunt. Integitur hic fructus inuolucro admodum lanuginoso & foris subflauo, perquàm simili Dactylis, cùm maturuit, & antequam siccatus sit. Arbor Arecæ Clus. teste in magnam altitudinem excrescit, trunco æquali propemodum vbique crassitudine, qui cortice integitur adeò leui, vt nullum ascensum præbeat, nisi aptatis ad pedes compedib. & laqueis, aut cincto per interualla caudice, vinculis quibusdam ex sparto aliàue materia confectis. Huius rami deorsum non inflectuntur, sed sursum vergunt & incuruantur, vt procul intuentibus orbem quodammodo conficere videantur. Folia pectinatim ramos vtrinque ambiunt, alioqui Palmę similia. Fructus deni aut duodeni, suis inuolucris villosis tecti dependent ex crassis & oblongis pediculis, qui in inferiorum ramorum alis nascuntur.

Inuolucrum fructus. Areca. Rami. Fructus.

Oliua Indica.

Idem in Arom. Garc. hist. nobis scribit de Fausel. Iudaicus codex Auicennæ dicit esse speciem Oliuæ Indicæ: quæ verba neque in Latina editione extant, neque in Arabico exemplari, quod lōgè vberiùs, quàm editio Bellunensis Fausel describit. Verba ita habent in Arabismo. Fausel fructus plantæ in India similis nucis Moschatæ, nisi quòd Fausel est rubro colore, frangi contumax, & & in particulas frangitur, & ex fractione fragranti odore. Indi autem assumunt illud ad emendādum halitum: & inficit dentes rubore. Facultas eius proximè accedit ad facultatem Sandali. Frigidum in tertio cum aliqua siccitate. Frigefacit cum quadam adstrictionis facultate. Bonum ad Apostemata calida & crassiora membra oculi, quæ inflammatione laborant. Cohibet humores frictum & illitum. Hæc omnia ferè desunt in cod. Latino: quæ nos, vt solemus, non satis latinè, sed perspicuè, & fideliter reddidimus. Alioqui & latinè, & nitidè reddidissemus, si maiorem eloquij quàm verborum Auicennæ, rationem habuissemus. *Hactenus Clus.* Sed hîc se exerceat Philosophus naturalis, quomodo fieri possit, vt fragranti odore sit Fausel, & nihilominus frigidum tertio. In nostro Fausel hunc odorem experimur, nec tenemus, vt ad nos adfertur, frigidum tertio.

Temperamentum, Vires & vsus. Apostemata. Animaduersio.

Palmæ species.

De eadem sic Scaliger. Est & alia Palmæ species gracilior, procera, foliis læuissimis, inter quę racematim hærent poma, nucum magnitudine, alba. Fructus is pro bellariis cum Betol manditur à Proceribus. *Areca* nomen est. Fertur in mercatus magna æstimatione recens. Seruatur & in modum Palmarum siccata. Vartomanus *Areca* vocat arborem: fructum *Coffol.* In nauigationibus, & apud Odoardum Barbosum & apud Lud. Barthema de India, fructus Chosole, alibi etiam Coffolo dicitur: arbor Arecha: & alibi Palmæ species Areca.

Cibus. Areca. Coffol. Chosole. Coffolo. Arecha.

Methella.

Matthiol. in post. com. Lat. & Ital. vbi figuras quinque ponit & vnam cum inuolucro: sunt, inquit, quædam nuces, quas quidam Methellas putant, Myristicarum magnitudine & colore, aliæ rotundæ, altera parte sessiles, aliæ oblongæ, conteguntur capillaceo quodam inuolucro. *Nuces Farfalach* Constantinopoli uocari scripsit ad me Qualcebenus, vt latiùs in epistolis scriptum est. Ego verò Indicas crediderim Auellanas Serapionis Fausel appellatas, videtúrque hasce nuces rectè agnouisse Matthæus Syluat. quippe qui Fausel Auellanam Indam, Nuci moschatæ simillimam interpretatur.

Nux Farfalach. Auellana Indica.

Satis autem admirari non possumus, quid venerit in mentem Matthiolo, vt scribat Fausel & Auellanas Indicas esse, quas quidam Methellas putant

putant, magnitudine Myristicarum & nucis Farfalach. Ostendatur nobis author aliquis, qui Fausel Methellam dixerit. Qualeebenus scribit se per nuces Farfalach intelligere nuces vomicas ipsius Matthioli, id est, nostras nuces cellatas: quæ quibusdam Methel, de quibus antè: planè existimamus eum non intellexisse, quid commentaretur, & confudisse fructuum siue nucum duo diuersa admodum genera.

C. Bauh. not. In eiusdem Matthioli commentariis Illust. per C.Bauhinum l.1.c.141. insignis est confusio, postquam enim Matthiolus annotasset multa de Methella & Vomica vulgari ac Stramonio, quod Methel censet, earúmque vires retulisset. Sunt & aliæ, inquit, quædam nuces, quas quidam Methellas putant, Myristicarum magnitudine & colore, suis mixtionibus, de quibus, quid in præsentia dicam non habeo. Atqui non omnibus eadem est facies, quippe quòd aliæ rotundæ sint, quæ ad Fausel pertinent, & non ad Stramonium.

Camerarius quoque quibusdam *Methellas* dici ait.

Fausel Arabum. Arabum Fausel Garcias cum plerisque Herbariis confirmat, tametsi corruptè Auic. lib.2. c.262. *Filfel* & *Fufel* legatur: tum etiam in Dofar ex Xael portubus Arabicis: in Malauar *Pac* à vulgò, à nobilibus verò *Areca*; quo nomine vtuntur Lusitani, qui in Indiis habitant, quoniam primùm ea regio fuit illis cognita: in Guzarate & Decan, *Supari*: in Zeilan, *Poaz*: in Malaca, *Pinan*: in Couchin, *Chacani*. *Pac. Supari. Poaz. Pinan.*

Meminit quoque Arecæ Lud.Rom. in nauig. fructum *Chofolo*, inquiens nasci in arbore *Arecha*, Palmæ non absimilem.

Hist. Lugd. not. H.Lugd. more suo de hac tractat, locis diuersis: primò sub nomine Areca siue Fausel Clus. vbi arborem pingit, l.18 c.10. & mox inter alios fructus, vnicum in medio cum inuolucro. Secundò alio in loco nomine Arecæ, absque icone. Tertiò, in appendice, titulo, Auellanę Indicæ Acostæ. Tam egregius ille fuit distributor exoticarum.

Nuci Indicæ affinis Cæsalp. Cæsalp. Nuci Indicæ affinem ait, arbore erecta, fungosa: fructu inuolucro crasso & lanuginoso contento, exteriùs flauo, imitante Dactylos maturos, sed non siccos. Lusitani *Arequero* vocant.

Cupressi fructu. Linschott. quędam à prædictis diuersa habet. Fructus, inquit, Cupressi fructum similitudine refert, quidam verò ab vna parte planiores, ab altera elatiores sunt, alii maiores ac durissimi, [quos forfice scindunt ac cum Bettela dentibus terunt] interiùs venis multiplicibus distincti, colore rosaceo. Crescit arbor sicut Palma Coquifera, verùm tenuiore ligno, foliísque minutioribus, vt non malè quis Palmæ speciem quandam syluestrem dixerit. *Palma sylvestris.* Fructus primùm cortici inclusus est, donec florere incipiat, tum aperitur cortex qui maturo iam fructu & flauescente decidit. Fructus verò ipse ex longo crassóque ramo, in petiolos scopæ instar diuiso, dependet, magnitudine haud pari. Sed ad figuram æneam Palmæ quidem similem iconem pingit, verùm cum calyce foliaceo. An bene, nescimus, quia fructum recentem aut ex arbore pendentem nunquam vidimus. Idem tamen in alia figura variat, nec calycem ita artificiosè appingit.

Arboris figura quam Clus. exhibet plurimùm differt facie ab Acostæ. Vtinam esset, qui exotica ista aliquando fideliter & ex rei natura depingeret, describerétque. *Genus Arecæ nigrū paruum Checaninū.* Genus Arecçe apud eundem Linschott. describitur, quod Indi *Checaninum* vocant, minutum, nigrum, ac durissimum. Tamen cum cæteris pariter *Bettela* adiungitur, in mastications & vsu, nullo nisi ligneo sapore. Ipsum tamen os humectat, ac rubore & nigredine inficit, ita vt nondum siccâ dentes ac labia Areccâ, velut ex cruore madeant. *Rubor.* Et alia inuenitur, quæ manducata homines quasi ebrios in vertiginem rapit. *Alia species inebrians.* Verùm id malum citò cessat. Areccæ ac Bettelę libum ex ligno siue arbore, quam *Kaatam* vocant etiam admiscent, ipsáque Bettelę folia calce vngunt ex ostrearum testis adustis confectâ, quæ tamen ob exiguitatem corpori nocere nequit. *Mistio Indorum ex Arecca & aliis Kaatam.* Hanc confectionem pariter deglutiunt, succum nempe, nam cætera exspuunt. *Vires & vsus.* Valet (vt aiunt) aduersus fœdum oris halitum, firmat dentes ac gingiuas, oscedinem, siue (vt vulgò vocant) Scorbutum auertit, atque ideò experimentis constat Indis nunquam os malè olere, nulli dentium dolorem esse aut stomacacces fœditatem, vel huiusmodi alia vitia, ad summam senectutem vsque inuiolato dentium ordine, cùm interim os velut cruore delibutum, fœdo adspectu squaleat. *Oris fœtor. Dentes mobiles. Scorbutum. Experimentum Indorum.*

Lusitanorum mulieres in Indiis degentes eundem manducandi morem habent, cui cibo ita assueti sunt, vt sine Arecca atque Betele viuere sibi ἀβίωτον ducant. Mares perinde ac fœminæ toti die, imò etiam noctu masticare solent, cùm dormire nequeunt. Aiunt eius esu ventriculum roborari, nauseam arceri, appetentiam promoueri. In hos scopos post singulos pastus Areccam cum Bettelo & calce vorare consueuerunt.

Téperam. Cæterùm Serapioni, ex authoritate Isaac eben amram, *Fausel* est frigidum & vehementer adstringit ac roborat membra, eiusdémque est facultatis cum Santalo rubro: confert apostematibus calidis: quo deficiente substituitur idem pondus Santali rubri & media pars Coriandri virentis. *Apostemata. Succedaneum.* Mahazer dicit frigidum & siccum, & vtile esse in morbis calidis illitum. Bedegoras verò ait conferre crassis ac duris apostematibus. Mesarugia in dolore dentium & scabie palpebrarum commendat. *Dolor dentium.* Aben Mesue tradente, frigidum & siccum est *Fausel* in tertio gradu, & stipticum, confert dolori dentium eósque vacillantes cum gingiuis firmat, ac reprimit calorem oculorum. *Calor oculorum.* *Hæc apud Serap.* Verùm non placet Bedegoræ sententia: nam quæ valdè adstringunt, & sicca frigidáque sunt, non possunt resoluere induratos tumores. *Bedegoræ sententia improbatur.* Nec frigidum existimamus in tertio gradu.

Scribit idem Serapio excalefacere, & amaritudinis particeps esse. Sed cùm degustauissem, inquit Garcias, nullum calorem deprehendi, verùm cum insipiditate adstrictoria facultate præditum esse comperi. *Serap. error.* Itaque puto aut Serapionem hanc Arecam non nouisse, aut, si nouerit, illum nunquam degustasse.

Immaturi vires. Immaturus fructus, eodem Garcia teste, stupefacit & inebriat. Editur autem immaturus à nonnullis, vt veluti inebriati, dolorum cruciatus non sentiant.

Arecca preparatio. Siccatum verò fructum sic parant. Contusam nucem Fausel in tenuissimas partes cum Lycio & folio Betre, cui exemptus sit neruus, masticant, & priorem saliuam, quæ cruenta est, exspuunt, eáque ratione cerebrum & ventriculum expurgant, gingiuas & dentes stabiliunt. Potentiores ex Fausel, Lycio, Caphura, ligno aloes, & Ambari momento formas orbiculares siue pastillos componunt, quos masticant. *Pastilli.*

Aqua ex Fausel. Ex ea viridi aquam stillatitiam vitreis organis elici iubet idem Garcias, qua maximo cum successu in biliosis alui profluuiis vsum se gloria[illegible]

Arcanum cur alus profluuia. tur: sed arcanum id sibi hactenus fuisse.

Ridiculum est quod scribit Lud. Rom. ac parum rationi conuenire videtur, nescimus an experimento respondere possit, (quoniam quæ sanitatis tuendæ causa eduntur, præsentissimum venenum asserit) nisi historiam & modum ipse adiiceret. *Mira historia de Sultani morte.* At Sultanus, inquit, letho traditurus è Satrapis quempiam, ad se accersitum cui mors imminet, nudum sibi assistere compellit, móxque edit nonnullos fructus, *Chofoles* vocant, instar nucis myristicæ: mandit etiam quædam herbarum folia, modo mali Assyrii, *Tamboles* nominant, *Tamboles* addit etiam attritarum concharum ostreæ calcem, simulque cuncta mandendo ruminat. Tãdem in eum, quem cupit occidi, exspuit, aspersoque eo, continuò mors subsequitur, præsentaneo veneno vitam perimente: nam vbi in hominem, vt præmisimus, exspuerit contrita venena, intra mediæ horæ spatium perfusus veneno, in terram corruens efflat animam. *Hec ille* de Sultano Cambaiæ, quem pater à cunabulis veneno *Aliud historia.* aluerat. Similis historia est apud Auicennam ex Rufi testimonio, olim nutritam puellam esse veneno, eam tantùm ob occasionem, vt reges quosdam & principes (quòd formosissima esset) qui secum rem haberent, inficeret: verùm Matthiol. ait eam historiam Arabicas potiùs fabulas imitari, quàm rem aliquam, quæ omnibus naturalis Philosophiæ rationibus comprobari possit. Nos etiam *Auic. not.* in eam sententiam facilè adducimur fabulosam historiam esse Auicennæ, vt & historiam de Sul- *Ludouicus Rom. not.* tano Cambaiæ, & non dubitanter dicimus cum Clusio, Ridiculum quod scripsit Lud. Rom. de ea nec causam morbis quam putat idem recentem subitaneámque exputionem esse, credimus: nec quòd Sultanus Cambaiæ enutritus sit veneno, propterea contrita dentibus venenata reddi. Intelligendum igitur aliam mortis causam, violentam interuenire, alioqui ridiculum esset illam exputionem passum interfici: sicque exputitio non caussa, vt ille ait, sed signum erit mortem præcedens.

Locus Porrò, vt refert Garcias Fausel nascitur plurimùm in Malauar, in Guzarate & Decan pauca quantitate, idque duntaxat in maritimis, sed laudatum, præsertim in Chaul, quod defertur Ormuz. *Varietas ex regionibus.* Optimum item prouenit in Mombaim insula. Laudatur etiam quod in regione Basaim prouenit, atque id defertur in Decan cum hoc quod in Gauchin nascitur nigrum & pusillum, durum admodum, postquam siccatum fuerit. Nascitur etiam in Malaca, sed tam parua quantitate, vt vix incolis sufficiat. Item in Zeilan magna copia, sed candidum, quod in eam partem regionis Decan defertur, quæ Cotamaluco paret: tum etiã in Bisnaga. Defertur etiam ex Zeilan in Ormuz, Cambaya, & in insulas Maldiuas, siue Naledinas. *Serap. not.* Et tametsi scribat Serap. lib. simpl. cap. 345. Arabiam non alere Arecam, [de mediterraneis locis, magna ex parte intelligendum id est:] nascitur tamen laudata: sed exigua in Dofar & Xael locis maritimis. Amat enim hæc arbor maritima loca, & mediterranea respuit. Adfertur ad nos ex Indiis in Europam, sed rarissimè, nec nisi à curiosioribus. Casu tamen inuenias inter alia aromata, præsertim Zingiber. Sed nuper admodum Hollandiæ portus naues appulisse scimus, earum non paruam quãtitatem aduehentes, de quibus plures diuersarum figurarum, & quasdam cortice albo eoque tenui immediatè tectas, atque etiamnum barbitio hærente accepimus ab amico quodam nostro pharmacopœo.

Quod si quis & apud nos ad vsum transferre volet (hactenus enim in Europa in vsum medicum non venere, quod sciamus.) is eligat maiores, ponderosiores, recentiores, adstringentioréque, vel Cordo id suadente. *Delectus*

NVCI MOSCHATAE ET FAVFEL similis nucleus.

Cap. CLXXXIX.

QVum Gener reuerteretur anno 1606. ex Anglia, & Belgio inter varios fructus, non adscripto nomine, habebat fructum formâ, & magnitudine nucis Moschatæ, non sessili, & turbinatã, vt plerumque est *Fausel*, vnciam sublongum, durum, resistentem sectioni, qui iniectus in aquam sidit: in vna parte pulcher vmbilicus, in medio nonnihil protuberans: ab vmbilico exoriuntur nerui nonnihil elati, albi, qui per nucem fuscam, vel nigricantem, obliqui, & reticulatim perueniunt ad oppositam partem, nucleum existimamus vt Fausel, cuius fortè genus, in parua parte aliquid corticis nigri. *Descriptio* *Vmbilicus. Nerui.* *Nucleus Fausel.*

FRVCTVS VNA PARTE SESSILIS, velut sulcis distinctus, instar nucis Fausel.

Cap. CXC.

*

INter fructus, quos adferebat Gener Cherlerus ex Anglia, vnũ reperio ab humanissimo Pirolac. Gareto procul dubio datum, qui magnitudinis iuglandis cum suis tunicis, ponderosus, in aqua tamen non sidit, durus, sectioni resistens, videtur solidus, & nihil continere, sed nucleus esse, saltem nihil sonorum, colore fusco est, globosus ferè, nisi vnà parte nonnihil sessilis, non tamen *Fausel* modo, sed suo particulari, cui alioqui ferè similes habet sulcos, penè reticulatim distinctos: corticem duplicem, vnum tenuem, nigrum, lucentem: externus fuscus est, cum aliquo rubore, similis cortice nucis moschatæ, duro, fragili tamen: habet magnum vmbilicum, album. *Descriptio* *Nucleus est. Color.* *Sulci* *Cortex duplex* *Vmbilicus*

Existimamus hunc fructum ita tradi per Clusium Exot. l. 2. cap. 22. Fructus è VValachria acceptus, & communicatus per honestum virum VVilhelmum Pardoynum orbicularis penè erat figuræ

ed by Google

Deſcriptio Cluſii. Cutis. Fauſel. Areca. Cortex. Pulpa. Sapor.

figuræ, vnâ tamen parte ſeßilis & quodammodo planior, alterâ in orbem aſſurgens, crebertimiſque ſubnigrâ, ſpendentéque, quâ tegebatur, cute, ſiue membranâ, quaquauerſum velut ſulcis diſtinctus, inſtar nucis *Fauſel* ſiue Arecæ ſuo inuolucro exemptæ, cui etiam ſubſtantiâ non videbatur adeò diſſimilis: verùm longè maior, nec adeò turbinatus. Grauis erat, cortice fuſco præditus, eóque, quem dixi, modo ſulcatus, interna pulpa ſiue ſubſtantia, dura, candicans, ſalſi initiò ſaporis, dein adſtringentis.

SIRI GATA GAMBER INDIS, PASTILLI EX FAVFEL.

CAP. CXCI.

Deſcriptio. Color. Non fructus ſed paſtillus ex Areca pollino.

EX fructibus [inquit Cluſ. Exot. l. 2. c. 15.] delatis per Batauos in prima nauigatione, datus decimus tertius [ſi fructus appellandus eſt] prorſus circinatæ erat rotunditatis, planus, nucis Vomicæ magnitudine, & penè formâ, ex fuſco cineracei coloris, qui confractus, internâ parte albus, amaritudinis cum aliqua acrimonia particeps. Si fructus erat, externum corticem habuerat quo ſpoliatus: ſed facilè mihi perſuaſerim non fructum fuiſſe, verùm paſtillum ex Arecæ polline, & calce, aut aliqua re ſimili confectum: nam ſtatim atque *Albada* Guzaratenſis [quem euocari curaueram, quum exotici illi fructus mihi conſpiciendi tradebantur, vt nomina, ſi quæ ipſi nota eſſent, percontarer] vnum & alterum in os iniecit, & appellatione indicatâ, *Siri gata gamber*, præſentibus binis mercatoribus manducauit: eam ob cauſam, quum maiore diligentia hos paſtillos conſiderarem, & cap. 25. lib. 1. Hiſtoriæ aromatum Garciæ examinarem, prorſus ſimiles iis eſſe videbantur, de quib. lectione quinta illius capitis ſcribit: Potentiores videlicet ex Fauſel ſiue Areca, Lycio, caphura, ligno Aloës, & Ambari momento formulas componere, quas eſitent. Similes antè accipere memini Londino miſſos, quum Francofurti ad Mœnum habitarem, cum hac Inſcriptione, Apud Indos magno in pretio haberi. Sed & quotquot naues deinde in Indiam profectæ, redierunt, huiuſmodi aliquot formulas retulerunt.

FAVFEL ACCEDENS NVX.

CAP. CXCII.

Deſcriptio. Putamen. Color. Fauſel.

OStendebat mihi Theodorus Clutius, [inquit Clutius Exot. lib. 2. c. 23.] fructum exoticum, ſeſcuncialis longitudinis, vncialis craſſitudinis, cutaceo putamine præditũ, cineracei, foris coloris, internè multis fibris cõſtantem, penè inſtar inuolucri nucis Fauſel, ſiue Arecæ, infernâ parte veluti gemino, & duplicato calyce muritum, extimâ ſiue ſupremâ mucronatâ: nucleum ſiue veriùs nucem continebat nigram, valdè rugoſam, duram, *Fauſel* non diſſimilem, ad cuius genus non ineptè referri poſſe arbitror. Similem deinde aliunde accipiebam, cuius oſſiculum erat durum, nigrum, multis villis obſitum, nucleum continens rugoſum, durum, inſipidum. *Figura eſt num. I.*

Nucleus. Vel verius nux. Fructus alius.

NVCLEVS PYRAMIDALIS INDICVS, AD FAVFEL ACCEDENS, VENIS.

CAP. CXCIII.

Deſcriptio. Ad Fauſel accedit. Pulpa. Sapor. Nucleus.

INter fructus peregrinos Illuſt. Celſ. V Virtemb. fœlicis memoriæ Stutg. 1608. Pyramidalis erat, vnciam longus, qua magnitudine pictus, externa parte nigricantibus venis pictus, ad *Fauſel* accedentibus, pulpa albâ, durâ, in medio aliqua cauitas, eo modo, quo in nuce Indica magna, ſaporem manifeſtum non expertor. Nucleus videtur non maior, quam cauitas nucis hirſutæ, quæ antè in huius libri c. 188. tertia numero habetur. *Huius icon eſt cum præcedenti, num. II.*

PALMAE FACIE HAIRI.

CAP. CXCIV.

Deſcript. Ebenus cur non ſit.

HAiri in America arbor eſt, folio palmeo, ligno marmori nigro ſimili, quamobrem multi Ebenum eſſe exiſtimant: quorum ſententiam Theuetus non approbat in ſua hiſtor. Galliæ Antarcticæ. Nam Ebeni lignum nitidiùs ſplendet. Deinde arbor hæc tota ſpinoſa eſt, minimè verò Ebenus. Poſtremò Ebenus in Aethiopia & Calecuto naſcitur. Lignum illud ferri modo ad ima aquæ ſidit? quare Barbari ex eo enſes conficiunt atque monilia, adeóque durum ac validum eſt, vt ex eo ſagittæ quaſuis ferreas loricas penetrare poſſint.

Vſus ligni. Fructus. Nucleus. Airy. Hebeni ſpecies. Yayama.

Fructum edit pilæ luſoriæ magnitudine, altero extremo quodammodò acutum. Intus nucleus eſt niuei candoris. Hanc autem arborem ſylueſtrem Braſiliæ Airy dictam Lerius exiſtimat Hebeni ſpeciem, quam deſcribit folijs Palmæ, trunco multis ſpinis armato tenuibus & pungentibus inſtar acuum, fructu mediocris magnitudinis, in quo nucleus candidus, non edulis. Lignum nigrum, ex quo propter duritiem ſylueſtres homines parant enſes, & fuſtes, & ſagittas. Politum eſt & lucidum, ita ponderoſum vt aquæ iniectum fundum petat. Theueti *Hairi* quadantenus ſimilem fructum nomine *Yayama* deſcripſit Ouiedus.

Conſiderandum an de *Hairi* hæc ſcribat Plin.

lib.12.cap.5. vbi postquam de Ebeno tradidisset, sic ait: Ibi (in India videlicet) & spina similis, (Ebeno dictæ) sed deprehensa vel lucernis &c.

PALMA YRI.

Cap. CXCV.

Geraü. IN Brasilia, vt scribit Lerius, Palmarum quatuor aut quinque species conspiciuntur: inter communiores sunt, quas Sylu. homines vocant *Geraü*, *Tri fructus* & quæ dicuntur *Yri*, sed in nulla earum Dactylum vidit, existimat etiam non proferre. Yri quidem fructus est rotundus, Prunellorum seu Pruni sylu. dictę specie, sed in magnum racemum congestus, tantæ magnitudinis, ac ponderis quantùm homo vna manu attollere queat: sed meri sunt nuclei, nec cerasi nucleis maiores, quorum quidem sit vsus. Sed & teneram quandam gerit summitatem inter folia istarum sed iuniorum, quam in cibum cædebat cum sociis: testatúrque nobilem à Ponte hæmorrhoidibus vexatum, dixisse eas sibi remedio fuisse. *Hæmorrhoides.* Antea egimus de Palma *Lantar* dicta fructu cerasi, sed ab hac diuersa.

EBENVS.

Cap. CXCVI.

EBenum vt iungamus Palmis ansam præbet Plinius, qui Ebenum Palmarum generis facit. Hairi quoque modò descripta, quæ à quibusdam Ebenus existimatur, Palmeo est folio. Cæterùm Ebeni lignum quale ad nos Europæos importatur, (Hoc etiam testante Hen. Schickart, industrio & peritissimo Ill. E.C Wirtemb. Architecto) *Duûm generum.* duûm est generum: *Verum* seu genuinum: [Gutt Eben Germ.] & syluestre: [Wild Eben] Vtriusque fructum egregium & perpolitum dono ab eo accepimus.

Verum. Estque illud quod *Verum* appellatur syluestri ponderosius, nigrum, alicubi interdum colore ligni nucis Iuglandis, aut etiam pallidius, quam coloris varietatem in bonitatis notis habent. Passim ceu minutis quibusdam segmentis scarificatum, longè frequentibus aliis splendicantibus nec impressis refertum. Idem Architectus aliquando, sed rariùs, hominis crassitudine truncos vidisse testatur, sed nullum vnquam quod non putredinis aliqua labe alicubi fuerit infectum: quale & nos aliud habemus, ac suberis quodammodò fungosæ substantiæ in parte quadam, quod ætati & corruptelæ tribuissemus, ni is monuisset aliter.

Syluestre. Syluestre ab eo vocatum, prædicto nigredine ac pondere cedit, sed vix elegantia atque splendore: passim quoque lineis ceu scarificationis quibusdam vestigiis, verùm non vt in priori, profundis aut incisis, nihilominus tamen splendentibus, conspicuum. Veri portio adolescens flamma, non iniucundum spirat odorem, vt nobis quidē videtur, nō tamen sine odoris quadam grauitate peculiari. Vtrúmq; aquę iniectum protinus sidit & vix aliud è lignis inuenias ponderosius. Videtur tamen syluestris natura nonnihil pinguior & oleaginosior esse. *Sed quid Autores de hac tradiderint audiamus.*

Differentia Theophrast. de arboribus Indicis tradens, Ebenus (ἐβένη: Gaza Hebenum vertit:) quoque, inquit, eius regionis propria est: Cuius duo genera: alterum præstanti pulchróque ligno: alterum vile ac ignobile. Rarum est id quod præstantius: aliud copiosè habetur. Coloris gratiam recondita & asseruata non acquirit, sed natura statim. Ipsa arbor fruticosa est, veluti Cytisus. (Sic cum Plin. & Gaza tantisper legamus, donec prodeat qui nos doceat quid sit κυτισώδες, vt in vulg. exempl. legitur) *Theophr. correct.* Eius lignum Buxo [πύξῳ] aspectu simile est, sed decorticatum, nigrum apparet: multæ durationis est, ac naturæ quodammodo perpetuæ: nam ne arefactum quidem leuius redditur. Graue est, quia densum.

Aristoteles Ebenum aquas subire ait propter densitatem in lib. de mistorum affectibus. Non autem fluitare ait, quia πυκνότερον ὕδατος ἐστι. *Cur non fluitet Ebenus.* Quo ex loco & id obseruandum, quod ait: ἐν δὲ τῇ ἐβένῳ τῇ μελαίνῃ. Quasi etiam non nigra quæpiam sit Ebeni species, vt ne id quidem latuerit Virgilium, qui epitheton adiecerit, tanquam necessarium, cùm diceret: Sola India nigrum fert Ebenum. Hærodotus tamen ex Aethiopia post expeditionem Cambysæ vectigales Aethiopas factos, centenas Ebeni phalangas tributi nomine Persarum Regibus pendère solitos, scribit, vt mox quoque specialiùs dicetur ex Plinio. Id quod adegit viros doctos (vt annotat Scal.) suspicari, Guaiacum *Guaiacum* iam vsu Venereæ luis factum nobis populare, nihil esse aliud, quàm Ebenum decolorem. *Ebenus decolor* Quæ ligna si sunt affinia, potiùs hominum opinione, quàm specie, meminerimus, ab autoribus prodi, frondes Ebeni Buxo similes: Gaiacinas vidimus allatas, Comari, Laurúsue facie. De Pausaniæ hac *Pausaniæ noc.* quoque in historia [inquit idem] mendaciis non est hic locus: Ebenum radicem esse opertam sine stipite. [Sed ex alterius sententia illud tradit, vt dicetur mox.] *Ebeni adulterium. Terebinthus. Populus. Robur.* Contrà, impostores & phalas ad pedestres lanceas venditant è Terebintho, & incoctas atramento Populnas assulas ad speculorum capsulas: & ad tessellatum emblemmatis opus Roboris frustilla, quod diu sub aquis nactum fuerit nigredinem commendabilem.

Plinius. Plin. de Ebeno sic tradit: Vnam è peculiaribus Indiæ arboribus Virgilius celebrauit Ebenum, nusquam alibi nasci professus. Herodotus eam Aethiopiæ intelligi maluit, ac in tributi vicem regibus Persidis è materie eius centenas phalangas tertio quoque anno pensitasse Aethiopas cum auro & ebore, prodendo &c. *Aethiopiæ arbor.* Romæ eam Magnus Pompeius in triumpho Mithridatico ostendit. Accendi eam Fabianus negat: vritur tamen odore iucundo. Duo genera eius: rarum, id quod melius, arboreum, trunco enodi, materie nigri splendoris, ac vel sine arte protinus iucundi: alterum fruticosum Cytisi modo, & tota India dispersum. [De vtroque id Theophrast. non tantùm de viliore: vbi videas alitet hæc tradita loco paulò antè citato.] Spississima ex omni materie, ideò & grauissima iudicatur Ebenus & Buxus gracilis natura: (magis placet hæc lectio, pro vulgata illa, Ebenus & Buxus, graciles: nam paulò antè arboreum dicit: & visi sunt trunci arboris iustæ magnitudinis. At Theophrast. Buxum quidem totam gracilem dicit, Ebenum medulla.) neutra in aquis fluitat. Cytisus proximè accedere ad Ebenum videtur. Quanquam non desint, [vt Theoph.] qui Syriacas Terebinthos nigriores affirment.

Porrò quod antea de Pausania dictum neutiquam fabulosum existimat Matthiol. Ergo vt res propriùs cognoscatur, verba eius producenda. Is Græciam describens sic ait: Audiui Cyprium hominem

minem oppidò quàm peritum in herbarum generibus ad medendi vsum notandis, qui diceret, Ebenum nulla folia, nullúmque omninò fructum ferre, quin & stirpem nullam esse Soli expositam: radices tantùm terra occultari, quas eruant Aethiopes, atque ii inprimis, qui quo maximè locó reperiatur, norunt. *Hæc ille.* Quæ etsi fabulosa fortasse videantur, faciliùs tamen illi credendum censet Matth. quàm Anguillario, qui minorem Anagyrim, quam Ananienses *Eghenum* vel *Eghelum* vocant, vocis tantùm similitudine fretus, secundum Ebeni genus [ridenda sanè opinione,] Theophrasto esse censet. Cùm Eghenus fœtidissima sit planta, & scribant Theoph. & Plin. id Ebeni genus in India tantùm nasci, & in India tota dispersum.

Anagyris. Eghenus. Eghelum. Anguill. not.

Sed quod de Pausaniæ Ebeno dictum, istud quidem haudquaquam fabulosum putat Matth. cùm scribat Georg. Agricola, fossilium indagator maximus, reperiri etiam in Germania Ebenum fossile, ad 7. libri ferè calcem, his verbis. Quinetiā Hildesheimi intra terram aluminosam iuxta lignum in lapidem mutatum, & in eius commissuris reperitur Ebenum fossile, quod & sparsum in aliorum lapidum cauernis, tanquam in aluo latere Theophrastus non ignorauit. Stirps est nigra, foliis fructúque carens, cornu politi modo splendida, solida sed leuis, omninò aspectu similis gagatæ lapidi, sed natura admodum diuersa. Nam Ebenum ignem non sentit, Gagates accensus ardet & igni perit. *Hæc ille.* Sed verba Pausaniæ videntur demonstrare potiùs adulterinum Ebenum, quàm verum, de quo hic agimus: aut saltem ei non notam eius arborem.

Ebenum fossile.

Quod si Matth. quoque credidit Ebenum illud fossile & lapideum de quo Agricola agit, esse id quod hoc capite descripsimus, tam errat, quàm verè Pausaniæ narratio mendacium à Scalig. vocatur: vt taceamus Ebenum adulterinum, non magis esse Ebenum, quàm statua, homo. Scribit Goropius in Ad. lib. primo. Stabant ingentes sub profunda terra trabes, quæ diuturno seculorum decursu Ebeni tum colorem tum duritiam contraxerant: documento, quì in hac regione Ebenum possimus imitari, quod illi nouerunt, qui vermiculata è lignorum diuersitate opera componunt. Scaliger. de Plant. lib. 2. similium Ebenorum meminit ex diuersis lignis adulteratorum, de quibus paulò antè.

Ebenum adulterinum.

Consulamus Dioscoridem. Ebenus, inquit, optima censetur Aethiopica, nigra, venarum penitus expers, cornu elaborato læuore similis, quæque fracta densa apparet, mordet autem gustu ac leniter adstringit. Prunis imposita cum odore iucundo & citra fumum vritur. Recens verò igni admota ob pinguitudinem accenditur, & ad cotem trita subfulua redditur. Est & altera Indica, intercurrentibus lineis prædita, candidis & fuluis, itémque maculis frequentibus: cæterùm prior bonitate antecedit. Nonnulli porrò Mori aut Acanthi ligna, quòd consimilia sint, pro Ebeno vendunt. Ex eo autem internoscuntur, quòd fungosa sint, & in assulas ad purpuram vergentes resoluantur, nihil mordacitatis in gustu, nec suauis odoris in suffitu præ se ferentia. *Hæc Diosc.*

Ebeni delectus. Ebenus Aethiopica.

Ebenus Indica.

Alia Ebena adulterina. Vt fucus dignoscendus.

Nunc quæritur an Ebenum, quod ad nos importatur, & hodie apud Magnates & artifices pro Ebeno celebratur, quale duûm generum suprà descripsimus, sit verum aliquod ex his à Dioscor. descriptis. Dubitationis occasionem præcipuam putat Matthiol. quòd suffitum nullo commendetur odore. Nostrum sanè non solùm non

An Ebenū nostrum sit Diosc.

fœteret, sed & iucundi quiddam spirare videbatur, flammâ adolescens. Quod verò Matth. ait, Plinium nullibi odorati Ebeni meminisse, ostendit se Plinii locum, vbi maximè de Ebeno disserit, admodum oscitanter perpendisse.

Matth. not.

Dalech. putat odorem eius tempore longo, per maria & itinera euanescere posse, quod in totum vix fieri potest in tam solido densóque ligno.

Curtius quasi in nouum quendam orbem delatus de Ebeno iudicat: Arborem vt plurimùm esse tenuem, vimine raro, & in crassitudinem caudicis extuberato, cortice hiulco, & admodum reticulato, adeò venis dehiscentibus, vt per sinus ipsos intima pars tenui libro contegatur. Sed quo authore hæc dicit? aut vnde ementitus est hanc Ebeni descriptionem? quis ei dixit arborem vt plurimùm esse tenuem? Quasi verò ei nota fuerit. Neque hoc illi sat erat, nisi hanc suam temeritatem ingeminaret aliâ: Theophr. autem [inquit] foliis ramísque, ac reliquis denique omnibus Terebinthino similem dicit, fructu tamen diuerso, & Amygdalis conformi. Plus sanè ille vidit apud Theoph. si hæc vidit. Sed qui Theoph. consulet, facilè agnoscet ipsum ei imponere. Ita enim ait l. 4. c. 5. hist. [Greek illegible] &c. [Greek illegible]. Nihil hic de Ebeno: sed Terebinthum Indicam comparat cum Terebintho Græca.

Curt. not.

Alter Curtij error.

Anguill. liberè fatetur, Verum Ebenum quale sit, se ignorare, ac quum in nostro desit odor, qui à Diosc. requiritur, verum Ebenum se dicere non posse. Et alibi: *Egan.*, ait, videtur Ebeni secunda species Theophr. [quam opinionem improbari à Matth. paulò antè dictum.] Totam Ebenum quâ vtuntur Veneti, scio esse ex Egano quæ deuehitur ex Syria & Cypro, vbi hodie adhuc vocatur *Hebeus*. De hac Ebeno Anguill. plura c. de Laburno. De Hō. Belli Cytiso vera, & medulla nigra Ebeni Theophrast. agemus cap. de Cytiso vera & Maranthæ, & de Ebeno Cretica Hon. Belli cap. de Cytiso Cretica flore rubro.

Ebenum Venetum esse Laburnum. Ebeni medulla Cytisi. Ebenus Cretica.

Guiland. Theonino suo dente Matthiolum petit, quòd Ebeni innumeros haberi in Italia truncos adstruit, nec animaduertit, lignum quod vulgò Ebeni nomine venit, suffitum supra carbones, iucundum odorem non efflare, neque ad cotem allisum ruffescere, neque etiam cum aqua tritum in succum abire: quapropter fœdum ait esse hunc Matth. errorem. Sed, vt ita sit, ista omnia non conuenire truncis istis, quos vterque intelligit, tamen candidiùs cum Matth. agere debuit, quippe qui ipsemet fassus sit in suis scriptis, vt antea dicebamus, Ebenum vulgò dictum, suffitum nullo commendari odore. Deinde scire debuit Guiland. istas notas quas adducit non Indico sed Aethiopico tantùm tribui à Diosc. quapropter nihil obstare quominus Indica Italis & Matthiolo fuerit cognita. Ita sæpè non videmus manticæ quod in tergo est.

Matth. not.

Matth. ex parte excusatur & Guiland. not.

Amatus Ebeni secundam speciem, Guaiacum facit.

Verùm nescimus quid sibi velint Pen. & Lob. quando in Adu. sic aiunt. Officinarum Hebenum [siue Xylaloes Offic. in marg.] quin sit species Guaiaci nihil obstat: nam praduræ assulæ, grauissimæ, quæ in Officinis visuntur, & aquæ mersæ sidunt, tum pinguedo, quæ exudat igni, perinde atque è Guaiaco, tum aspectus ipse, & vires, & sapor, videntur testari: nam odor etiam ei inest Guaiaci, vires ad eadem quæ Guaiacum commendantur. Sed si id intelligunt, quod in Offic. nomine Xylaloes seu ligni Aloës habetur, esse

Offic. Ebenum. Species Guaiaci.

Lob. & Pena not.

Ebenum, vt ipsimet cap. de Agallocho apertè declarant: Et Lob. in Obs. ait, Hebenum siue Xylaloën, officinarum legendum: nullo sanè labore refutantur: Non enim nigra est Xylaloë, cui quàm benè Guaiaci odorem tribuant, ipsi videant.

Hist. Lugd. not. Hist. Lugd. quoque Ebenum officinas pro Xylaloë habere ait: quasi nec ipsa apud priscos illos Theophrast. Diosc. Plin. & alios legisset Ebenum esse nigrum.

An verò Ebenus sit species Guaiaci, vti censent, asserere non possumus. Sanè quæ Ebeni nomine hodiè habentur ligna, nec odore, nec sapore nec pinguedine cum Guaiaco conueniunt. Videntur & Guaiaco duriora, quamuis substantiæ soliditate ac pondere ad id quamproximè accedant. Hatri quoddã ibeni putare, suprà dictum. Lacuna plures Ebeni species esse scribit, excellentissimam autem quæ vulgò dicitur Guaiacum: Sed vnde hoc scit.

Synonyma Linguarũ. Hebenus. Hebenum. Ebenus. Ebenum. Eben. Dicitur Græcis ἔβενος, & ἔβενον Suid. *Ebenus* siue *Ebenum*, teste Seruio Mauro: vel vt alij scribunt, *Hebenus* & *Hebenum*. Sed meliùs *Ebenus* dici videtur, à nomine Hebræo *Eben*, quod lapidem significat, vt notat Gesn. Sanè & hæc Hebenus & hoc Hebenum cum aspiratione & sine ea scribitur à doctissimis autoribus. Luc. lib. 10.

-----Hebenus Mareotica vastos
Non operit postes.

Hebenus autem, inquit Seruius, arbor est, quæ cæsa durescit in lapidem. Maluimus tamen hac in parte sequi Græcos [quòd & ipsa Græca dictio esse appareat] qui sine aspiratione scribunt.

Hauben. Goropio notante in Vertumno, Hebenum dicitur Hauben apud Hebræos, vt est apud Ezech. c. 27. Verùm quia Hebenum vox est Latinis, Græcis, Hebræis, Arabibus & Chaldæis communis, suspicatur iam ad antiquissimos referendam natales. *Hauben* namque, quid [inquit] aliud est quàm *Haut-been*, [Combustũ est lignum osseum, siue lignorum os. Arab. dicitur *Habenum*, vel vt alij volunt *Abanus* vt Serap. cap. 152. seu *Abenus*, Barbaris *Ebanus*. Germ. Ebenholtz: Gal. *Ebene noir*: It. Ebeno: Hisp. Castil. *Ebano*: Portug. *Abenus*: Apud Paulum Epulonem Marcaorum, (qui in epistolis à se collectis scribit inter munera missa regi Hisp. Philippo per Regem Persarum fuisse *quattro cornetti di legno Audanico, quali risplendino come specchio*, [per lignum Audanicum splendens vt speculum, Ebenum intelligendum suspicamur.

Etymon.

Habenum. Abanus. Abenus. Ebanus.

Locus Theophrast. Indicam tantùm dixit Ebenum: Dioscor. tam Aethiopicam, quàm Indicam. Virg. Georg. 2.

-----Sola India nigrum
Fert Ebenum, solis est thurea virga Sabæis.

Ad quam Virg. sententiam Servius: Atqui, inquit, & in Aegypto nascitur. Sed Indiam omnem plagam Aethiopiæ accipimus, quam & Virgilius, vel Constantino teste, Indiæ nomine complexus est. Lucanus per Mareoticam Habenum Aegyptiam videtur ostendisse, vt idem putat. Negat tamen Plin. in Aegypto nasci. Solinus exigua Aethiopiæ parte tantùm crescere autumat. Strabo ex Megasthene scribit, apud Prasios (in India) nasci. Apud Plin. Meridiano Aethiopiæ tardine syluæ Hebeno maximè virent: quod & Theuetus confirmat, additque etiam in Calecut nasci. Ex Pomponio Mela discimus etiam in Arabia, & aliis varijs locis nasci, vt annotat quoque Amatus, qui addit, hodiè magnos truncos in officinis haberi vbi pectines fiunt, & eos egregios. Videas tamè Venetiis & Augustæ Vindelicorum tanta copia Ebenum, vt sint ibi artifices, qui nihil aliud ferè quàm hoc lignum tractent. Apud Magnum Ducem Hetruriæ splendidissima opera affabrè facta ex Ebeno nigerrimo, politissimo, nec vulgatæ magnitudinis vidimus, & vidère possunt curiosi qui Florentiã transeunt. Ferunt, inquit Curtius, Ebenum in mari rubro nasci, foliis Fructúque Oliuæ proximo. Sed hæc nouitas merebatur titulum sui autoris. *Curtius not.*

Duratio. Cariem inquit Plin. non sentit Ebenus: eandem maximè æternam putant, claro iudicio in templo Ephesiæ Dianæ, de cuius simulacro Deæ ambigitur. Cæteri ex Ebeno esse tradunt.

Vires & Vsus. Oculorum caligo. Fluxiones. Ebenum Theophrastus ad cotem tritum, oculis vtilem prædicat. Et, vt scribit Dioscor. vim habet ea extergendi, quæ pupillis caliginem offundunt: pollet & ad veteres fluxiones ac pustulas. Quod si quis facta ex ea coticula (ἀκόνην) vtatur ad terenda collyria, efficaciùs medebitur. Ad oculorum medicamenta efficax quoque redditur, si scobes ramentáue in vino Chio per diem ac noctem macerata, diligentérque ad læuorem contrita, in collyria digerantur. Nonnulli ipsa priùs trita cribro cernunt, ac deinde reliqua eo modo peragunt. Quidam pro vino aquã vtuntur. Vritur etiam in fictili nouo, donec in carbones redigatur: lauatúrque plumbi vsti modo: Itaque præparatum aridis scabritiq; lippitudinibus conducit. Non tractamus, inquit, in medicina alienos orbes: non omittetur tamen Ebenus propter miraculum. Scobem eius oculis vnicè mederi dicunt: lignóque ad cotem trito cum passo, caliginē discuti. Ex aqua verò & radice, albugines oculorum. Item tussim pari modo Dracunculi radicis adiecto cum melle. Ebenum medici & inter arrodentia assumunt. Consideratione quidem dignum quomodo intelligenda Plinij verba inter arrodentia. *Carbones.* *Albugo. Tussis.*

Galenus. Eiusdem meminit Gal. lib. 6. simpl. his verbis. Ebenus ex iis lignis est, quæ trita cum aqua facilè in succum resoluuntur, æquè ac lapidum nonnulli. Vis ei inest excalfaciendi, extergendi & tenuium partium, quamobrem quæ pupillas offuscant vitia extergere creditur. Miscetur aliis remediis ocularibus, quæ ad vlcera vetera, fluxiones & bullas siue pustulas accommodata sunt. Cæterùm variat nonnihil Plin. à Dioscor. qui Ebenum super coticula tritum collyriis indi ait: illo autem Ebeni ligno ad cotem trito caliginem discuti. At Serapio ex Ebeno parari coticulam [fricatorium vertunt] cui collyria affricentur. Sed res eodem ferè redit, modò vis medicatrix collyrij dependeat ab Ebeno. Ἀκόνη sanè voce Græci non modò coticulam intelligunt, sed & medicamentum ipsum ad cotem tritum, qualem ex Ebeno fieri ad eum vsum perinde ac ex hæmatite nihil vetat. *Temperã. Vlcera.*

Strigiles. Strabo autor est, Indicos exercitium, præcipuè frictionem, probare; maximè strigilibus leuibus corpora expolire.

Ebeni siccatos truncos, teste Matthiol. maximè hac ætate nouit Italia: namque innumeri visuntur in eorum officinis, qui pectines conficiũt ad explicandos aptandósque capillos: item apud illos, qui globulos funiculo traiciendos ad preces numerandas torno in orbiculos expoliunt. Porrò quod de frictione ait Strabo, id & Curtius probat ex Celso, quòd corpus exedat, euocet, educat, leuétque exasperatum. Curtius etiam miratur, aliquos credere pectines & orbiculos deprecatorios, aliáque minima & leuia, torni opera, vt ille ait, ex Ebeno fieri, præsertim verò cùm tot,

& tam

& tam varia venundanda exhibeantur. Existimat enim tanti pretii ac nobilitatis lignum in vulgatos hos vsus non venire, rariúsque esse, quàm vt eousque innotuerit vulgo.

Vtensilia. Sceptra. Pet. Martyr de rebus Oceani & noui orbis, in insula Guanabana scribit esse vtensilia ex ligno nigerrimo, lubrico, lucido, quod Hebenum Doctor I. Baptista Elysius esse contendit.

Reges Indos ex Ebeno sceptra gestare, Solinus author est. *Deorum simulachra. Pocula.* Eosdem non nisi ex Ebeno Deorum suorum simulachra fingere: item pocula cratera̅sque ex eo fa ctitare tradunt, quòd sanè credant contra maleficia efficacissimum esse, & quicquid veneficii fuerit, tractu eius auerti. *Contra maleficia.* Vt itaque nil mirum sit, si peregrè in pretio sit, cùm etiam his apud quos nascitur & familiare est, ipsisque adeò Regibus summo in honore sit.

Refert enim Plutarchus in vita M. Antonii Cleopatram Aegypti Reginam, Alexandriæ, apud Isidis ædem, & in præclarissimis sepulchris, aurum, argentum, pretiosósque lapides, Ebenum quoque, & quicquid denique rarum ac pretiosum haberet, condidisse & occultasse, propter bellum, quod Octauius Cæsar contra eam, & Marcum Antonium gerebat.

Adalligatum infantium cunis, tumultuosa insomnia prohibere scribit Albertus.

Hodie, vt dicebamus, varia opera ex ea fiunt, apud Magnates & Principes, thecæ, arculæ, abaci, capsellæ, speculi thecæ, pectines, narthecia, tragematothecæ, sellæ plicatiles, pocula, ad altaria exornanda, signa crucis, cingendas imagines Principum aut Sanctorum, & alia eiusmodi propemodum infinita, eáque vel per se pura, vel auro, argento, aut ebore vario artificio adornata, qualia Venetiis, & Augustæ Vindelicorum apud artifices aut Magnates videri possunt.

EBENI VERSICOLORIS MATERIA ARBOR PYRIFOLIO.

CAP. CXCVII.

Descriptio SCribit Theoph. lib. 5. cap. 4. vbi de Terebintho Syria agitur, quæ Ebeno nigrior. Aliam arborem reddunt, quæ cum nigredine varietatem *Vsus.* quandam præ se fert subrutilam, vt aspectus Ebeni versicoloris appareat, fieri ex hac lectos, & subsellia, & reliqua lautiora opera narrant. Amplam maiorem in modum, & frondibus conditam pulchris, similémque Pyris eam assignant.

FRVCTVS PEREGRINVS TETRAGONVS.

CAP. CXCVIII.

Locus. Descriptio arboris. FRuctum peregrinum tetragonum referebant, teste Clus. in Exot. Bataui Naucleri, qui ineunte Septemb. anno 1601. ex Iaua & Moluccis Insulis reduces Amstelredamum, in quali tamen arbore nasceretur intelligere nequiui. Si tamen, coniecturà vti licet, prægrandis alicuius palmæ cuiusmodi illa, quæ magnas Indicas nuces, vulgò *Coccos* appellatas, aut nucem *Fausel*, siue *Arecam* *Fructus.* profert, fructum arbitror, atque plures simul ex crasso vno pediculo instar illarum pendere.

Binas autem eiusmodi nuces videre mihi contigit. Vnam magnam, quam Cl. V. D. Petrus Paauius artis Medicæ Professor in Academia Lugduno Batauà, à Mercatorū societate cum aliis quibusdam exoticis adquisiuerat. Alteram longè minorem, quam mihi donabat Amstelredami honestissimus vir VValthius Syuertz, illius vrbis Pharmacopæus, ab Isbrando Hieronymi F. Cheirurgo, qui eam retulerat redemptam. Vtraque verò quadrangularis erat formę.



Fructus maior. Maior porrò, nitidiore & læuiore cortice tecta, septem vncias à summo fastigio ad pediculum vsque longa, pedem cum semisse crassa erat, siue sesquipedalis eius ambitus: singuli enim anguli quatuor penè vncias cum semisse ab inuicem di- *Cortex.* stabant: cortex valdè densus, ex multis fibris, retis quodammodo formà contextis, constans, materiam fungosam intermixtam continebat, corióque, vt dixi, læui & splendente, spadicei coloris, *Color.* exteriore parte tectus erat. Tota tamen nux valdè leuis pro sua magnitudine: quid verò ea contineret, me latebat, quia, cùm mea non esset, aperire nolebam. *Minor fructus.* Sed minorem, quæ mihi donata, mediam secabam, vt me omni dubitatione exsoluerem: nam quum Cheirurgus, qui illam attulerat, affirmaret, se in maris littore nascentem eruisse, medià ex parte arenà mersam, fibrísque in ea firmiter hærentem, & supernà parte cauliculum promere lignosum, viridi cortice tectum, fastigio quina aut sena folia Myrtinis similia sustinentem, eáque adeò ratione bulbaceam esse plantam sibi *Planta bulbacea.* persuaderet: ego verò multas notas conspicerem, quæ me, vt arboris potiùs fructum esse crederem, impellerent: illam aperiebam.

Descriptio Superiore longè minor hæc erat, vt quæ tres duntaxat vncias cum semisse longa, octo autem ambitus contineret, non nitido cortice tecta, vt superior, sed valdè rugoso, quo ante maturitatem adempta, & subrufà cute tectà, quadrangularis, perinde atque superior, formæ, sed angulis magis inæqualibus, neque adeò distinctè ab inuicem seiunctis, sub externa cute, multis fibris, retis instar transuersim sese intersecantibus, cortice con- *Cortex.* stabat, quemadmodum etiam interiore parte, quæ ossiculum tegebat & inter illas fibras, fungosa materia insipida, & valdè resiccans, suberini corticis *Ossiculum.* instar: ipsum ossiculum formam habebat, ab infima sede latiore in metam assurgentem, & crassiusculum erat, molle tamen [quia fructus immaturus] subrubente cute tectum, acidi saporis, sicut etiam nucleus qui in eo continebatur candidà membranà tectus.

Sapor. Hæc sunt quæ de illo fructu, seu nuce, commentari potui: quia qui retulerant, nihil ad eius historiam plenius & accuratiùs describendam afferebant, præter paucas illas incertas, quas enumeraui notas.

Digitized by Google

PEREGRINVS FRVCTVS CRASSVS, IN QVO MAGNVS NVCLEVS.

Cap. CXCIX.



Descriptio Valdè crassum fructũ, inquit Clus. Exot. lib. 2. cap. 7. apud Cl. v. Paludanum conspiciebam, geminum pugnũ magnitudine æquabat, orbiculari penè figurâ, sed latior siue crassior quàm longior, vt cuius circũferentia esset decem vnciarũ, longitudo verò à pediculo vtrinque ad summum fastigium, *Cortex.* dumtaxat nouem: crasso rugosóque cortice præditus erat, illoque fusco, cauum orbem vmbilici instar circa pediculum habente, supernâ autem parte tuberculis quibusdam obsito: internè *Nucleus.* magnum continebat nucleum in binas partes sectũ, valdè rugosum, fusci [quia siccus] coloris externè, ex atro verò rubentis internè, adstringentis *Sapor.* initiò saporis, deinde subdulcis.

Locus Ex Indiáne, an ex America, Guineáue allatus esset hic fructus, ipse Paludanus, qui eum, vt describerem, concedebat, ignorabat.

FRVCTVS PEREGRINVS, ABIEGNÆ nuci persimilis.

Cap. CC.

Abiegnæ nucis facie. Fructus squamosus primus [Clusio in Exot.] est Abiegnæ nucis facie, quam conspiciebat 1595. apud Cl. V. Paludanum: cui similem eodem anno adquirebat. Cylindroide autem erat formâ, tres vncias longus, binarum vnciarum eius ambitus, multis veluti squamis imbricum modo *Descriptio* dispositus constãs, in medio nonnihil compressis, oris tenuioribus & quodammodo villosis instar penè abiegni strobili, sed breuior, colore spadiceo [qui fuscus, & villis carẽs, quia fortè vetustior] grauis, & nu- *Nucleus* cem vel nucleum continens, nam agitatus crepitabat & sonitum edebat, quemadmodum & ille, quem ipsi dono dabat sexennio post, Nobiliss. vir Paulus



Choartus Buzenuallius, Christianissimi Reges apud Illustrissimos Ordines confœderatarum Prouinciarum Legatus: cui detersi etiam erant (si quos habuerat) villi: breui fragilique pediculo subnixi *Pediculus.* fuisse videbantur omnes: nucleum autem illum qui in similibus fructibus, oblongæ esse formæ obseruabat, durum, solidum, quique confractus, crebras venas ostendebat, quales *Nux Fausel & nux Moschata* habent.

FRVCTVS PEREGRINI NVCLEVS.

Cap. CCI.



Anno 1602. Emanuel *Descrip.* Zvveert, ciuis Amstelredamensis ostendit fructũ, quem à nautis peregrè redeuntibus emerat, qui anserini oui magnitudinẽ æquabat, imò etiam superabat, quinque videlicet vncias penè longus, septem cum semisse crassus, siue totidem *Pulpa seu nucleus* eius ambitus comprehendebat, valdè grauis, nucleus siue pulpa veriùs cuiuspiam fructûs, quàm fructus censendus: nam mollis erat, tenui quadam & rugosâ mẽbranâ ex fusco cineracei coloris tectus, vngui- *Color.* bus (si quis premeret) cedens, coloris subflaui, ob *Sapor.* vetustatem fortè, & salsi quodammodo saporis: qui an naturâ ipsius pulpæ, an arte adquisitus, ignorat Clus. Exot. lib. 2. cap. 13. sed haud dubiè aliquo putamine clausa fuerat? nam membrana eam tegens, vestigia adhuc retinebat impressa à crassioribus ipsius nucis internis neruis.

Qualis autem fuerit nux, quâ hæc pulpa inclusa, se ignorare dicebat à quo illam accipiebat, atq; etiam quali in arbore, quaue in prouincia nata.

PALMAPINVS SIVE CONIFERA.

Cap. CCII.



Descript. Robinus hortulanus Regius, & stirpium exoticarum cultor propemodum singularis fructum ad nos misit anonymum, perelegantem, figurâ & magnitudine ouatum, cortice constantem fuluo, in spadiceum polito ac splendicante, duro satis, tetragonis squãmulis pyxidatim coaggesto artifici-



artificiosissima compage, per quarum media singulis ordinibus æquabilis canaliculus, per vniuersi fructus longitudiné descendit, vno insigni, cæterisque ampliori canali eodem ordine ac descensu inter cæteros conspicuo. Parte supernâ apex eminet, circa quem longè minutiores squammulę reliquarum seriem claudunt, & in dictum apicem fastigiantur, pulchro prorsus & visendo artificio. Ipse fructus concussu sonorus intus contentum nucleum prodit. Fructum hunc cum ipsa arbore Palmæpini siue Coniferæ nomine sic fortè describunt Pena & Lobelius, in Aduersariis. Vulgaris Palmæ [inquiunt] congeneres esse multas syluestres in sinu Guineæ Oceani occidui, quæ steriles sunt, nec nisi exilitate à satiuis absunt, narrabant nobis mercatores industrii Gallobritones, qui illuc quotannis fermè commercii causa adeunt. Inter quas & alii Angli institores non parum venustam & miram hanc, icone hic expressam, inibi oriri affirmant, cuius ramos luculenta conorum fœtura onustos dono iidem attulerunt stirpium cultorisque artis peritissimo Pharmacopœo & Ciui Londinensi Io. Riccio, qui nos donauit isto Palmite, aut potiùs Pinopalmæ termite: cuius arborem, quasi quandam ex Palma & Pino hybridam natura ludibunda videtur conflasse.

Palma vulgaris congeneres.

Lignum. Est quippe lignum ipsum fungosâ Palmæ prorsum texturâ, in villos dehiscens, & squammosa cute loricatum, fastigio termitis numerosis & in orbem exortis surculosis ligulis quadraginta aut quinquaginta compactili verticulorum & squammarum serie pyxidatim articulatis, pedem longis, rotundis, parum compressis. Quarum singulis commissuris, singuli, numerosi coni altiùs inseruntur triceni, aut quadrageni, qui mediocrem Conum Cedri ementiuntur, pululis in quincuncem digestis, reticulatóque & imbricatim extuberante ventrioso nucis cortice, fusco, nitido, polito, crassitie & concretione nucis Indicæ, intus nucleum glandémve oblongam, [sesquiunciam aut duas vncias longam] continente, prædurο, ínque farinam ægrè friatili, gustu glandis & castaneæ, quæ sunt ei Genti panis supplementum.

Termites. *Fructus.* *Cortex.* *Nucleus.*

Vsus. In Obs. idem Lob. Auellanæ Indicæ genus oblongum Clusii idem censet esse cum nucleo huius Palmæpini, quod an ei concedendum considerandum est.

Palma conifera. Tab. Palmam coniferam Germ. Zapffenpalm.

NVX INDICA OBLONGA, INTRINSECVS SIMILIS NVCI MOSCHATÆ.

CAP. CCIII.



Descriptio NVcem hanc seu potiùs nucleum habemus ex dono Valerandi Dourez: forma est oblonga duas vncias æquans: lignum quis dicat: externa facie rugosa est, & rectis sulcis à summo ad imum profundè exarata, cortice partim russo, partim fusco: internè alba, maculis nigris partim rotundis & paruis, partim oblongis notata; aliquatenus venas internam Nucem myristicam percutientes imitata. In meditullio nonnihil fungosi macularum extremis circumscriptum: reliquæ enim circumquaque partes maculosæ duriores existunt.

Hanc Camerar. quoque eleganter exprimit in Matth. hist. Germ. sub titulo Auellanæ Indicæ. *Auellanæ Indicæ genus.*

Clus. quoque apud Garciam de Arom. lib. 1. cap. 25. depingit sub nomine Auellanæ Indicæ oblongæ, vbi nuces oblongas vocat, & fortè Fausel genus esse putat. Hunc autem fructum scribit Exot. lib. 7. siue lib. Arom. cap. 25. esse oblongum, Fausel nucem cum suo inuolucro magnitudine penè æquantem, prædurum, foris nigricantẽ qui per medium trãsuersim sectus, myristicæ nucis nucleũ nõ secus, quàm Fausel mirificè referebat. Faufel genus fortitan erit, aut simile quidpiam: sed quum vetustate exsuccum videre tantùm licuerit, de sapore & temperamento nihil pronunciare possum: talem etiam ad me, post aliquod temporis interuallum, mittebat Morganus Pharmacopæus diligentissimus. Similes mihi adhuc postea ostendebantur, sed læuigati & expoliti, quos lapides quosdam raros, magnique pretii esse mihi persuadere conabantur. *Fausel genus.*

Lob. idem existimat cum nucleo Palmæ-pini: cui tamen non assentimur, donec meliùs edoceamur. *Lob. sent.*

An Matth. & Qualcebeno in epist. Matth. Nucis quoddam genus ex Aegypto?

Taber. nomine Arecæ seu Fausel pingit. *Arecæ.*

Auell. Indica Matth. Hist. Lugd.

IVGLANDIS FERE FACIE FRVCTVS EXOTICVS, SVLCATVS, TVBEROSVS.

CAP. CCIV.

EX Cl. D. D. Felicis Plateri naturalium thesauro amplissimo hic nobis innotuit fructus. Magnitudo nucis Iuglandis habitioris maiorisque, cortice tectus cinereo non duro, sed gallarum instar fungoso, quasi recens putamen carneum

ter sentire videtur, dum Mehenbethene varietatem facit.

PALMÆ FACIE CVCIOFERA.

CAP. CLXXXVI.



Descriptio fructus. FRuctus quē Cucioferam vocant, pugillari est magnitudine, coloris ferè melini, altera parte latiori, altera magis turbinata: Cydonium malum aliquatenus referens. *Cortex externus.* Cortice polito, punctis notato, duro, cui fungosa subest substantia, medium digitū ferè crassa. *Nucleus.* Nucleus minor quàm figura Clusii [sub nomine Bdellii fructus] exprimat, Piri parui forma turbinata, nonnihil angulosus, sescunciam ferè longus, vnciam latus, cortice vndiquaque obtectus nonnihil rugoso, ruffo, tenui, *Cortex internus.* pelliculæ interiori Auellanarum aliquatenus simili: sub quo immediatè substantia candida, cornu instar dura [in sicca nostra,] gustu sapido & suaui, vt Nucis Indicæ pulpa aut Amygdalarum dulcium nucleus, semunciam crassa. *Cauitates duæ.* Cauitates duas habet: alteram in totius fructus medio oblongam, fructus formæ respondentem, inæqualiter tuberosam, pultis ex oryza facie, sed cornea duritie, cæteroqui inanem: alteram in parte turbinata paulò supra priorem incipientem, & ad corticem desinentem, oblongam, exiguam, quam exactè complet corpusculum quoddam, ruffum, molle, dulce, quod germen existimamus, à quo per maiorem cauernam filum demittitur, duritie, colore & sapore cum nucleo conueniens.

Germen. Cuciophoron. In quo differat à Palma. Theophrast. lib. 2. cap. 4. de Aegypti arboribus tractans: κουκιόφορον [inquit] appellata, Palmæ similis est, similitudinē habens in caudice & foliis. Sed differt ab ea: nam Palma indiuidua simpléxque assurgit: hæc autem, vbi plusculùm adoleuerit, diuiditur & fit bifida, [δίκρον enim legendum, non ἄκρον, vt in vulg. habetur, quasi diuisa fiat cacumen: inepto sensu.] *Theophr. locus corr.* atque vterque ramus rursus subdiuiditur. Fert præterea virgas breues & paucas. Cortice, [φλοιῷ: fortè rectiùs legas φύλλῳ folio: quam lectionem Palmæ historia approbat.] *Alter locus corr.* sicuti Palmæ ad vtensilium nexus vtuntur. *Vsus.* Fructum peculiarem parit, magnitudine figura & succo [χυλῷ: non κυλῷ vt vulg.] *Tertius locus restit.* à Palmæ fructu differentem: quippe magnitudine ferè, quā manū adimpleat, rotundum, non oblongum, [ὑπόχλωρον] colore flauicantem; succo dulcem & ori gratissimum: *Sapor.* cæterùm non confertum, vt Palma, sed singillatim diuisum: nucleo magno, vehementer duro, ex quo velares detornant annulos, [κρίκους legimus cum Plin. vulg. κρόκους habent: Gaza versicolores annulos vertit.] ad lectorum pedes conficiendos: [quibus in stragulariis vinculis vtuntur, Gaza.] *Quartus emend.* Materies quoque à Palma plurimùm differt: altera enim (nempe Palmæ) rara corpore, fibrosa & viridis: *Materies.* altera spissa, grauis, carnosáque, & cæsa crispa admodum, atque dura. Ideò & apud Persas ad lectorum vsum, quorum pedes ex ea cōficerent, in pretio fuit.

Eadem ferè & Plin. transtulit lib. 13. cap. 9. Cuci titulo. *Cuci Plin.* Cuci [inquit] in magno honore, Palmæ similis, quando & eius foliis vtuntur ad textilia. Differt quòd in brachia ramorum spargitur. Pomo magnitudo, quæ manū impleat, color fuluus, commendabilis, succo ex austero dulci. Lignum intus grande, firmæque duritiei, ex quo velares detornant annulos. In eo nucleus dulcis, dum recens est. Siccatus durescit ad infinitum, vt mandi non possit, nisi [nisi in M. deest.] pluribus diebus maceratus. Materies crispioris elegantiæ, & ob id Persis gratissima.

Cæterùm textilem Persicum, quam Theophr. plurimam in Aegypto nemore Thebaico fuisse scribit, quidam [inquit Hermol.] pro Cuci capiūt Palmæ simili, alia à Persea. *Persica textilis Cuci.*

Cordus nucem Indicam minorem vocat, & à Theophrast. Cuci appellari ait: cui tamen Cuciophora dicitur & Plinio. *Cuci* sic describit: *Cuci* dicta nuci Indicæ similis est, multò tamen minor: totus enim fructus tres aut quatuor vncias longitudine rarò excedit, idem superiùs latior est, quàm inferiùs, vbi pediculo adnascitur, figura triquetrus, foris carnoso venosóque cortice, intus lignoso constans, quo nucleus continetur oblōgus, in summo quàm imo latior, vtriusque corticis modo triquetrus, vnus tamen angulus harum partium acutus est: reliqui duo obtusi ac teretes. Color nucleo & in superficie fuscus, intus candidus: habet etiam in medio cauitatem proportione toti fructui respondentem, aquoso humore plenam, paulatim cúm exiccatur euanescēte. *Aquosus humor.* Sustantia nucleus constat primùm cartilaginosa, paulóque duriore, quàm maior nux Indica, sed cùm inueteratus fuerit, cornu soliditate æquat, qui pluribus diebus in calida aqua maceratus teneræ cartilaginis duritiem acquirit. *Substantia variat pro ætate.* Saporem habet, quemadmodum & odorem subrancidum, velut maior.

Cordi descriptionem hic totam dedimus, vt iudicent Lectores vtra opinio verior, Nostra, qui ad Cucioferam referimus, an Caspari Bauhini, qui ab ea diuersam facit, vt antè dictum cap. de nuce Indica. An Anguill. epistola quarta κουκιόφορος Plinii Ariena, quā ait ex Nubia, distantissima regione, adferri, cuius fibrata substantia masticata paucam præbeat dulcedinem, reliquum expui: nucleum internum, Pruno similem esse, viridantem *Locus.*

ridantem ; ex quo manubriola fiant Terebellorum,& annuli,etiam ex traditione Theoph.

Sanguill. errores circa Cuciferā. Nos tamen κουκιόφορον Theoph. ab Arena Plinii,diuersum existimamus,de qua egimus lib.1.c. de Musa.

Nux. Satyrium Erythroniū. Matthiol. Cuciophoram sibi pro nuce ex Constantinopoli per Qualcebenum missam ait. Idem in Com.ad Diosc.cum magnis fig.Satyrii (inquit) Erithronii vocati radicem Mali effigie , ad me misit Cochinus Martinellus Rauennas Pharmacopœus, cuius imaginem excudi curauimus ante multos annos.Valerandus Doutez doctus Pharmacopœus , stirpium peritissimus , quique Italicas officinas curiosè admodum perlustrauit, asserebat esse Cuciophori medullam , quod tamen pro certo affirmare nec audemus nec possumus. *Matth. not.*

De Matthioli Satyrio plura scribemus lib.19.de Bulbosis.Cuciophorę autem nucem quidam , vel Camer.teste,receperunt pro Bdellii fructu.

Quorundā opinio. Bdellij fructus. Et, vt perhibent Pen.& Lob.in Aduers.noluerunt quidam non nisi tanquam syluestrem à satiua Myrrha distare Bdellium. Porrò Myrrhę descriptio quam dant , non est ita diuersa ab ea, quam Plin.scripto reliquit,fructu Caprifici:quem Caprifici quadantenus effigie fructum industria Car.Clusii in versionibus è Garcia habemus.

Iidem in Obs.Bdellii fructum nulla circuitione vocant. Sed Palinodiam canens Lob.(cum Clusio) in Hist.Belg. Fructus , inquit, quem Clus.Bdellii putauit esse , eodem nuper monente , videtur potiùs esse Cuciophori.

Cuciophorus. Perseæ fructus. Hist.Lugd. in Append. habet nomine Cuciophoræ Matthioli. Item lib.18.cap. 47. vbi figuram posuit, titulo Persee fructus Dalech. Item lib.18. cap.18. pro Bdellii fructu Cortuso. Ita vides,eius Hist.compilatorem,exotici huius fructus tres icones , tribus distinctis locis ac titulis,supina quadem oscitantia proposuisse. *Hist. Lugd. compilator taxatur.*

Nux, Indica. Rob.Const.in Lex.& alii κουκιόφορον siue Cuciosoram arborem putant , quæ nucem Indicam parit, de qua antè sub Palma candida nucifera.

Bdellij fructus. Clus. tandem de eo sic tradit apud Garciam in notis. Bdellii fructus à Cortuso missus, fructu Iuglandis nucis magnitudine , aut etiam amplior, triangulari etiam forma , odoratus , colore subcinereo, durissimo putamine , quod pregnans esse & nucleum continere videtur. Sed in post.edit. paulatim ad recentum inclinans : non desunt,ait, qui hunc fructum magis referendum censeant ad Cuci Theoph.& Plin.

Hist. Lugd. not. Perseæ fructus. Et in vltima sua Hist.in fol. Quidam , inquit, Perseæ historiam negligentiùs perpendentes,nostram fructus Cuci suo puluino nudati iconem pro Perseæ fructu adiecêre, qui nobis aliquando pro Bdellii fructu obtrusus fuit. Verùm quod in principio dixit Clus. nullum odorem , ac ne vel in attrita quidem , percipimus , nec nucleum in eo , quem ille Bdellii fructum putabat , hoc est in nucleo totius Cuciosferæ vnquam deprehendimus , sed cauitatem quandam inanem , vti priùs descripsimus : qui error quoque Clusio cum altero illo reuocandus fuit. *Clus. not.*

Taber. not. Etymon. Cuciopheram ineptè scribit Tabern. Putamus enim κουκιόφορον Græcis dictam arborem,quòd Cuci ferat, vnde fortè fructus tantùm nomine à Plinio appellatur : aut quòd Cuci æquè arborem ac fructum significet, sicut Nux : nam & de arbore, & fructu agit.

Locus. Cuciosferam Theophrast.inter Aegypti arbores tradit : & eius peculiarem esse testatur Scaliger. Fructum primùm Patauii vidimus & alia plura exotica apud Nobiliss. Cortusum horti Patauini Præfectum. Obseruauimus quoque Basileæ apud D.Fel.Platerum apertum quem prior icon nostra repræsentat , posterior verò , tum extimum pulninum,tum interioris nuclei magnitudines diuersas , ex nostris quas inter naturalia adseruamus, parata,quamuis minùs feliciter sculpta.

Nullum eius vsum hactenus traditum scimus, præter suprascriptum ex Theoph.& Plinio. *Vsus.*

PINEÆ NVCI SIMILIS INDICVS FRVCTVS.

Cap. CLXXXVII.

SCribit Cordus in obs. silua : Nux quædam Pineæ nuci similis , sed maior , crassiori cortice, venenosa quadam carne operta , nucleo duro. Affertur ex India : *Hæc ille* : quem autem fructum intelligat fatemur nos ignorare , quædam videntur quadrare cum fructu Cuciosferæ ab ipsomet Cordo descripto. *Descriptio.*

FAVFEL SIVE ARECA PALMÆ FOLIIS EIVSQVE FRVCTVS VARIETATES.

Cap. CLXXXVIII.



NVcum Fausel,quas habemus aliæ nigræ, aliæ ruffæ, aliæ cinereæ:maximæ magnitudo Nucis moschatæ , minima Ceraso ferè par: sunt & aliæ his intermedię. Nigrarum aliæ turbinatæ,aliæ sessiles. Turbinatæ seu conformes, rugosæ sunt & striatæ extrinsecus , à latiuscula basi in obtusum mucronem desinentes ; materie non admodum cædenti cultro; renitente , venis nigris intus discurrentibus , atque lateribus ad medium tendētibus , citra tamen centrum desinentibus , durioribus:quarum spatia & oblongum meditullium infarcit substantia ruffa , mollior , fungi arborum compacturâ : sapor totius aromaticus nonnihil , nec obscurè ad-

Descriptio fructuum. Coloris varietas. Magnitudinis varietas. Figura varietas. Turbinatæ.

Sessiles.

stringentes. Sessiles compressam offulam imitantur, aut pastillos terræ Turcicis characteribus signatæ; altera parte planior, altera gibbosa, rugis externis, internarúmque venarum discursu & sapore cum turbinatis conuenientes. Ex russis quæ sessiles sunt, aliæ adhuc intectæ sunt cortice, russo, in fibras sectili, sub quo nux rugosa, itidem russa: internè quoque discurrentibus venis russis, quarum interuenia complet materia alba lignosa, & pulchra, refert Nucis moschatæ substantiam interiorem. Turbinatæ verò, portio corticis læuis russi adhæret, quo alibi exuta Ochram pallidam colore imitatur, multò minùs rugosa quàm præcedentes, parte sessili propendet fibrarum lutearum barbitium: intrinsecus autem omnium pulcherrimè striis russis albidísque variata est: materie magis solida quàm reliquæ dictæ, [quam dissectam pictura exhibet in media tabella: ex hoc genere videntur Camerianæ notatæ K. I. L.] Cinereas item duplices habemus, sessiles & turbinatas: hæ cortice tenui cinereo obuestiunt nuculam nonnihil rugosam, intus Nuci moschatæ crispo venularum discursu perquàm similem. (cui respondere potest figura Clus. not. B.) Sessiles non minùs tenui cortice cinereo teguntur, ipsa quoque interna substantia turbinatis respondentes. Sapor omnibus vnus, aromaticus & adstringens, in vetustis quas adseruamus: & plerumque omnes ad basin lacuna seu foramine hiant, qui locus videtur germinis.

Russa. *Cortex.* *Barbitium.* *Cinerea.* *Sapor.* *Foramen.*

Cordus Fausel in genere sic describit: fructus est longitudinis vncialis, inferiùs sublata basi, turbinata cauernula, modicè concauus, superiùs teretis coni figura in mucronem desinens, qui supra mensam basi collocatus, cauitatem tegit, erectæ pyramidis figuram imitans: foris cinereo aut subfusco colore, tenuibúsque rugis, intus versicolore venarum discursu, Nuci moschatæ similis. Saporem habet mediocriter adstringentem, odorem verò nullum fatu dignum.

Auellana Indica ex Serap. Illi Arboris descriptio. Negil, Neregil.

Cæterùm apud Serap. Fausel est Auellana Indica: Autore Habonnifa, arbor Fausel similis est arbori Negil: (fortè legendum Neregil, id est, Nux Indica) fert camerulas [putamina intelligimus] in quibus est Fausel, sicut Dactylus. Hæc arbor non prouenit in Arabia. Isaac Eben Amram de hac scribit: Fausel est Auellana Indica, fructus similis Nuci moschatæ quantitate & colore, rugosus, sapore nonnihil calido cum pauca amaritudine. Defertur ex Sim.

Sapor.

Arboris exactior descriptio.

Sed arboris descriptionem exactiorem dant Garcias & Clus. *hæc illa*: Arbor Fausel recta est, fungosa materie, foliis Palmæ, fructu nucis Moschatæ, minore tamen, aut Iuglandibus exiguis simili, intus duro, & candidis rubentibúsque venis respersо, non planè rotundo, sed altera parte sessili, quæ tamen notæ non omnibus Arecæ generibus conueniunt. Integitur hic fructus inuolucro admodum lanuginoso & foris subflauo, perquàm simili Dactylis, cùm maturuit, & antequam siccatus sit. Arbor Arecæ Clus. teste in magnam altitudinem excrescit, trunco æquali propemodùm vbique crassitudine, qui cortice integitur adeò leui, vt nullum ascensum præbeat, nisi aptatis ad pedes compedib. & laqueis, aut cincto per interualla caudice, vinculis quibusdam ex sparto aliáue materia confectis. Huius rami deorsum non inflectuntur, sed sursum vergunt & incuruantur, vt procul intuentibus orbem quodammodo conficere videantur. Folia pectinatim ramos vtrinque ambiunt, alioqui Palmę similia. Fructus deni aut duodeni, suis inuolucris villosis tecti dependent ex crassis & oblongis pediculis, qui in inferiorum ramorum alis nascuntur.

Inuolucrum fructus. *Areca.* *Rami.* *Fructus.*

Oliua Indica.

Idem in Arom. Garc. hist. nobis scribit de Fausel. Iudaicus codex Auicennæ dicit esse speciem Oliuæ Indicæ: quæ verba neque in Latina editione extant, neque in Arabico exemplari, quod longè vberiùs, quàm editio Bellunensis Fausel describit. Verba ita habent in Arabismo. Fausel fructus plantæ in India similis nucis Moschatæ, nisi quòd Fausel est rubro colore, frangi contumax, & & in particulas frangitur, & ex fractione fragranti odore. Indi autem assumunt illud ad emendãdum halitum: & inficit dentes rubore. Facultas eius proximè accedit ad facultatem Sandali. Frigidum in tertio cum aliqua siccitate. Frigefacit cum quadam adstrictionis facultate. Bonum ad Apostemata calida & crassiora, membra oculi, quæ inflammatione laborant. Cohibet humores frictum & illitum. Hæc omnia ferè desunt in cod. Latino: quæ nos, vt solemus, non satis latinè, sed perspicuè, & fideliter reddidimus. Alioqui & latinè, & nitidè reddidissemus, si maiorem eloquij quàm verborum Auicennæ, rationem habuissemus. *Hactenus Clus.* Sed hîc se exerceat Philosophus naturalis, quomodo fieri possit, vt fragranti odore sit Fausel, & nihilominus frigidum tertio. In nostro Fausel hunc odorem experimur, nec tenemus, vt ad nos adfertur, frigidum tertio.

Temperamentum. Vires & vsus. Apostemata.

Animaduersio.

Palmæ species.

De eadem sic Scaliger. Est & alia Palmæ species gracilior, procera, foliis læuissimis, inter quę racematim hærent poma, nucum magnitudine, alba. Fructus is pro bellariis cum Betol manditur à Proceribus. *Areca* nomen est. Fertur in mercatus magna æstimatione recens. Seruatur & in modum Palmarum siccata. Vartomanus *Areca* vocat arborem: fructum *Coffol*. In nauigationibus, & apud Odoardum Barobosum & apud Lud. Barthema de India, fructus Chofole, alibi etiam Coffolo dicitur: arbor Arecha: &. alibi Palmæ species Areca.

Odorem Areca. *Coffol. Chofole. Coffolo. Arecha.*

Methella.

Matthiol. in post. com. Lat. & Ital. vbi figuras quinque ponit & vnam cum inuolucro: sunt, inquit, quædam nuces, quas quidam Methellas putant, Myristicarum magnitudine & colore, aliæ rotundæ, altera parte sessiles, aliæ oblongæ, conteguntur capillaceo quodam inuolucro. *Nuces Farfalech* Constantinopoli vocari scripsit ad me Qualcebenus, vt latiùs in epistolis scriptum est. Ego verò Indicas crediderim Auellanas Serapionis Fausel appellatas, videtúrque hasce nuces rectè agnouisse Matthæus Syluat. quippe qui Fausel Auellanam Indam, Nuci moschatæ simillimam interpretatur.

Nux Farfalech. *Auellana Indica.*

Satis autem admirari non possumus, quid venerit in mentem Matthiolo, vt scribat Fausel & Auellanas Indicas esse, quas quidam Methellas

putant

putant, magnitudine Myristicarum & nucis Farfalach. Ostendatur nobis author aliquis, qui Fausel Methellam dixerit. Qualeebenus scribit se per nuces Farfalach intelligere nuces vomicas ipsius Matthioli, id est, nostras nuces cellatas: quæ quibusdam Methel, de quibus antè: planè existimamus eum non intellexisse, quid commentaretur, & confudisse fructuum siue nucum duo diuersa admodum genera.

C. Bauh. not.

In eiusdem Matthioli commentariis Illust. per. C.Bauhinum l.4.c.141. insignis est confusio, postquam enim Matthiolus annotasset multa de Methella & Vomica vulgari ac Stramonio, quod Methel censet, earúmque vires retulisset. Sunt & aliæ, inquit, quædam nuces, quas quidam Methellas putant, Myristicarum magnitudine & colore, suis mixtionibus, de quibus, quid in præsentia dicam non habeo. Atqui non omnibus eadem est facies, quippe quòd aliæ rotundæ sint, quæ ad Fausel pertinent, & non ad Stramonium.

Camerarius quoque quibusdam *Methellas* dici ait.

Fausel Arabum.

Arabum Fausel Garcias cum plerisque Herbariis confirmat, tametsi corruptè Auic. lib.2. c.262. *Filsel* & *Fufel* legatur: tum etiam in Dofar ex Xael portubus Arabicis: in Malauar *Pac* à vulgò, à nobilibus verò *Areca*: quo nomine vtuntur Lusitani, qui in Indis habitant, quoniam primùm ea regio fuit illis cognita: in Guzarate & Decan, *Supari*: in Zeilan, *Poac*: in Malaca, *Pinan*: in Couchin, *Chacani*.

Pac. Supari. Poac. Pinan.

Meminit quoque Arecæ Lud.Rom. in nauig. fructum *Chofolo*, inquiens nasci in arbore *Arecha*, Palmæ non absimilem.

Hist. Lugd. not.

H.Lugd. more suo de hac tractat, locis diuersis: primò sub nomine Areca siue Fausel Clus. vbi arborem pingit, l.18 c.10. & mox inter alios fructus, vnicum in medio cum inuolucro. Secundò alio in loco nomine Arecæ, absque icone. Tertiò, in appendice, titulo, Auellanæ Indicæ Acostæ. Tam egregius ille fuit distributor exoticarum.

Nuci Indicæ affinem Cæsalp.

Cæsalp Nuci Indicæ affinem ait, arbore erecta, fungosa: fructu inuolucro crasso & lanuginoso contento, externùs flauo, imitante Dactylos maturos, sed non siccos. Lusitani *Arequero* vocant.

Cupressi similem.

Linschott. quædam à prædictis diuersa habet. Fructus, inquit, Cupressi fructum similitudine refert, quidam verò ab vna parte planiores, ab altera elatiores sunt, alii maiores ac durissimi, [quos forfice scindunt ac cum Bettela dentibus terunt] internùs venis multiplicibus distincti, colore rosaceo. Crescit arbor sicut Palma Coquifera, verùm tenuiore ligno, foliisque minutioribus, vt non malè quis Palmæ speciem quandam syluestrem dixerit. Fructus primùm cortici inclusus est, donec florere incipiat, tum aperitur cortex qui maturo iam fructu & flauescente decidit. Fructus verò ipse ex longo crassoque ramo, in petiolos scopæ instar diuiso, dependet, magnitudine haud pari. Sed ad figuram æneam Palmæ quidem similem iconem pingit, verùm cum calyce foliaceo. An bene, nescimus, quia fructum recentem aut ex arbore pendentem nunquam vidimus. Idem tamen in alia figura variat, nec calycem ita artificiosè appingit.

Palma syluestris.

Arboris figura quam Clus. exhibet plurimùm differt facie ab Acostæ. Vtinam esset, qui exotica ista aliquando fideliter & ex rei natura depingeret, describerétque. Genus Arecæ apud eundem Linschott. describitur, quod Indi *Checaninum* vocant, minutum, nigrum, ac durissimum. Tamen cum cæteris pariter *Bettela* adiungitur, in masticatione & vsu, nullo nisi ligneo sapore. Ipsum tamen os humectat, ac rubore & nigredine inficit, ita vt nondum siccâ dentes ac labia Areccâ, velut ex cruore madeant. Et alia inuenitur, quæ manducata homines quasi ebrios in vertiginem rapit. Verùm id malum citò cessat. Areccæ ac Bettele liburn ex ligno siue arbore, quam *Kaatam* vocant etiam admiscent, ipsaque Bettelę folia calce vngunt ex ostrearum testis adustis confectâ, quæ tamen ob exiguitatem corpori nocere nequit. Hanc confectionem pariter deglutiunt, succum nempe, nam cætera exspuunt. Valet (vt aiunt) aduersus fœdum oris halitum, firmat dentes ac gingiuas, oscedinem, siue (vt vulgò vocant) Scorbutum auertit, atque ideò experimentis constat Indis nunquam os malè olere, nulli dentium dolorem esse aut stomacacces fœditatem, vel huiusmodi alia vitia, ad summam senectutem vsque inuiolato dentium ordine, cùm interim os velut cruore delibutum, fœdo adspectu squaleat.

Genus Arecca nigrũ paruum Checaninũ. *Rubor.* *Alia species inebrians.* *Mixtio Indorum ex Arecca & aliis Kaatam.* *Vires & vsus.* *Oris fœtor. Dentes mobiles. Scorbutus. Experimẽtum Indorum.*

Lusitanorum mulieres in Indiis degentes eundem manducandi morem habent, cui cibo ita assueti sunt, vt sine Arecca atque Betele viuere sibi *ἀβίωτον* ducant. Mares perinde ac fœminæ tota die, immò etiam noctu masticare solent, cùm dormire nequeunt. Aiunt eius esu ventriculum roborari, nauseam arceri, appetentiam promoueri. In hos scopos post singulos pastus Areccam cum Bettele & calce vorare consueuerunt.

Tẽperam.

Cæterùm Serapioni, ex authoritate Isaac eben amram, *Fausel* est frigidum & vehementer adstringit ac roborat membra, eiusdémque est facultatis cum Santalo rubro: confert apostematibus calidis: quo deficiente substituitur idem pondus Santali rubri & media pars Coriandri virentis. Mahazer dicit frigidum & siccum, & vtile esse in morbis calidis illitum. Bedegoras verò ait conferre crassis ac duris apostematibus. Mesarugia in dolore dentium & scabie palpebrarum commendat. Aben Mesue tradente, frigidum & siccum est *Fausel* in tertio gradu, & stipticum, confert dolori dentium eósque vacillantes cum gingiuis firmat, ac reprimit calorem oculorum. *Hæc apud Serap.* Verùm non placet Bedegoræ sententia: nam quæ valdè adstringunt, & sicca frigidáque sunt, non possunt resoluere induratos tumores. Nec frigidum existimamus in tertio gradu.

Apostemia. Succedaneum. *Dolor dentium.* *Calor oculorum. Bedegora sententia improbatur.*

Scribit idem Serapio excalefacere, & amaritudinis particeps esse. Sed cùm degustauissem, inquit Garcias, nullum calorem deprehendi, verùm cum insipiditate adstrictoria facultate præditum esse comperi. Itaque puto aut Serapionem hanc Arecam non nouisse, aut, si nouerit, illum nunquam degustasse.

Serap. error.

Immaturus fructus, eodem Garcia teste, stupefacit & inebriat. Editur autem immaturus à nonnullis, vt veluti inebriati, dolorum cruciatus non sentiant.

Immaturi vires.

Siccatum verò fructum sic parant. Contusam nucem Fausel in tenuissimas partes cum Lycio & folio Betre, cui exemptus sit neruus, masticant, & priorem saliuam, quæ cruenta est, exspuunt, eáque ratione cerebrum & ventriculum expurgant, gingiuas & dentes stabiliunt. Potentiores ex Fausel, Lycio, Caphura, ligno aloës, & Ambari momento formas orbiculates siue pastillos componunt, quos masticant.

Arecca preparatio. *Pastilli.*

Ex ea viridi aquam stillatitiam vitreis organis elici iubet idem Garcias, qua maximo cum successu in biliosis alui profluuiis vsum se gloria-

Aqua ex Fausel.

tur: sed arcanum id sibi hactenus fuisse.

Arcanum ... profundum.

Ridiculum est quod scribit Lud. Rom. ac parum rationi conuenire videtur, nescimus an experimento respondere possit, (quoniam quæ sanitatis tuendæ causa eduntur, præsentissimum venenum asserit) nisi historiam & modum ipse adiiceret. At Sultanus, inquit, letho traditurus è Satrapis quempiam, ad se accersitum cui mors imminet, nudum sibi assistere compellit, móxque edit nonnullos fructus, *Chofolos* vocant, instar nucis myristicæ: mandit etiam quædam herbarum folia, modo mali Assyrii, *Tambolos* nominant, addit etiam attritarum concharum ostreæ calcem, simulque cuncta mandendo ruminat. Tãdem in eum, quem cupit occidi, exspuit, aspersoque eo, continuò mors subsequitur, præsentaneo veneno vitam perimente: nam vbi in hominem, vt præmisimus, expuerit contrita venena, intra mediæ horæ spatium perfusus veneno, in terram corruens efflat animam. *Hac ille* de Sultano Cambaiæ, quem pater à cunabulis veneno aluerat. Similis historia est apud Auicennam ex Rufi testimonio, olim nutritam puellam esse venenio, eam tantùm ob occasionem, vt reges quosdam & principes (quòd formosissima esset) qui secum rem haberent, inficeret: verùm Matthiol. ait eam historiam Arabicas potiùs fabulas imitari, quàm rem aliquam, quæ omnibus naturalis Philosophiæ rationibus comprobari possit. Nos etiam in eam sententiam facilè adducimur fabulosam historiam esse Auicennæ, vt & historiam de Sultano Cambaiæ, & non dubitanter dicimus cum Clusio, Ridiculum quod scripsit Lud. Rom. de ea nec causam morbis quam putat idem recentem subitaneámque expuitionem esse, credimus: nec quòd Sultanus Cambaiæ enutritus sit veneno, propterea contrita dentibus venenata reddi. Intelligendum igitur aliam mortis causam violentam interuenire, alioqui ridiculum esset illam expuitionem passum interfici: sicque expuitio non caussa, vt ille ait, sed signum erit mortem præcedens.

Mira historia de Sultano Cambaiæ.

Tambolos

Auicenna.

Auic. not.

Ludouicus Rom. not.

Locus

Porrò, vt refert Garcias Fausel nascitur plurimùm in Malauar, in Guzarate & Decan pauca quantitate, idque duntaxat in maritimis, sed laudatum, præsertim in Chaul, quod defertur Ormuz. Optimum item prouenit in Mombaim insula. Laudatur etiam quod in regione Basaim prouenit, atque id defertur in Decan cum hoc quod in Gauchin nascitur nigrum & pusillum, durum admodum, postquam siccatum fuerit. Nascitur etiam in Malaca, sed tam parua quantitate, vt vix incolis sufficiat. Item in Zeilan magna copia, sed candidum, quod in eam partem regionis Decan defertur, quæ Cotamaluco paret: tum etiã in Bisnaga. Defertur etiam ex Zeilan in Ormuz, Cambaya, & in insulas Maldiuas, siue Naleduas. Et tametsi scribat Serap. lib. simpl. cap. 445. Arabiam non alere Arecam, [de mediterraneis locis, magna ex parte intelligendum id est:] nascitur tamen laudata: sed exigua in Dosar & Xaer locis maritimis. Amat enim hæc arbor maritima loca, & mediterranea respuit. Adfertur ad nos ex Indiis in Europam, sed rarissimè, nec nisi à curiosioribus. Casu tamen inuenias inter alia aromata, præsertim zingiber. Sed nuper admodum Hollandiæ portus naues appulisse scimus, earum non paruam quãtitatem aduehentes, de quibus plures diuersarum figurarum, & quasdam cortice albo eoque tenui immediatè tectas, atque etiamnum barbitio hærente accepimus ab amico quodam nostro pharmacopœo.

Varietas ex regionibus.

Serap. not.

Quod si quis & apud nos ad vsum transferre volet (hactenus enim in Europa in vsum medicum non venere, quod sciamus.) is eligat maiores, ponderosiores, recentiores, adstringentioresque, vel Cordo id suadente.

Delectus

NVCI MOSCHATAE ET FAVFEL similis nucleus.

Cap. CLXXXIX.

Qvum Gener reuerteretur anno 1606. ex Anglia, & Belgio inter varios fructus, non adscripto nomine, habebat fructum formâ, & magnitudine nucis Moschatæ, non sessili, & turbinatâ, vt plerumque est *Fausel*, vnciam sublongum, durum, resistentem sectioni, qui iniectus in aquam sidit: in vna parte pulcher vmbilicus, in medio nonnihil protuberans: ab vmbilico exoriuntur nerui nonnihil elati, albi, qui per nucem fuscam, vel nigricantem, obliqui, & reticulatim perueniunt ad oppositam partem, nucleum existimamus vt Fausel, cuius fortè genus, in parua parte aliquid corticis nigri.

Descriptio

Vmbilicus. Nerui.

Nucleus Fausel.

FRVCTVS VNA PARTE SESSILIS, velut sulcis distinctus, instar nucis Fausel.

Cap. CXC.

*

Inter fructus, quos adferebat Gener Cherlerus ex Anglia, vnũ reperio ab humanissimo l'Irolac. Gareto procul dubio datum, qui magnitudinis iuglandis cum suis tunicis, ponderosus, in aqua tamen non sidit, durus, sectioni resistens, videtur solidus, & nihil continere, sed nucleus esse, saltem nihil sonorum, colore fusco est, globosus ferè, nisi vnâ parte nonnihil sessilis, non tamen *Fausel* modo, sed suo particulari, cui alioqui ferè similes habet sulcos, penè reticulatim distinctos: corticem duplicem, vnum tenuem, nigrum, lucentem: externus fuscus est, cum aliquo rubore, similis cortice nucis moschatæ, duro, fragili tamen: habet magnum vmbilicum, album.

Descriptio

Nucleus est. Color.

Sulci

Cortex duplex

Vmbilicus.

Existimamus hunc fructum ita tradi per Clusium Exot. l. 2. cap. 22. Fructus è VValachria acceptus, & communicatus per honestum virum VVilhelmum Pafdynum orbicularis penè erat figuræ

Descriptio Clusii. Cutis. figuræ, vnâ tamen parte sessilis & quodammodo planior, alterâ in orbem assurgens, creberrimisque subnigrâ, spendentéque, quâ tegebatur, cute, siue membranâ, quaquauersum velut sulcis distinctus, instar nucis *Faufel* siue Arecæ suo *Faufel. Areca.* inuolucro exemptæ, cui etiam substantiâ non videbatur adeò dissimilis: verùm longè maior, nec adeò *Cortex.* turbinatus. Grauis erat, cortice fusco præditus, eóque, quem dixi, modo sulcatus, interna pulpa *Pulpa. Sapor.* siue substantia, dura, candicans, salsi initiò saporis, dein adstringentis.

SIRI GATA GAMBER INDIS, PASTILLI EX FAVFEL.

Cap. CXCI.

Descriptio EX fructibus [inquit Clus. Exot. l. 2. c. 15.] delatis per Batauos in prima nauigatione, datus decimus tertius [si fructus appellandus est] prorsus circinatæ erat rotunditatis, planus, nucis Vomicæ magnitudine, & penè formâ, ex rufo cineracei coloris, *Color.* qui confractus, internâ parte albus, amaritudinis cum aliqua acrimonia particeps. Si fructus erat, externum corticem habuerat quo spoliatus: sed facilè mihi persuaserim non fructum fuisse, verùm pastillum ex Arecæ polline, *Non fructus sed pastillus ex Areca polline.* & calce, aut aliquâ re simili confectum: nam statim atque *Albada* Guzaratensis [quem euocari curaueram, quum exotici illi fructus mihi conspiciendi tradebantur, vt nomina, si quæ ipsi nota essent, percontarer] vnum & alterum in os iniecit, & appellatione indicatâ, *Siri gata gamber*, præsentibus binis mercatoribus manducauit: eam ob causam, quum maiore diligentia hos pastillos considerarem, & cap. 25. lib. 1. Historiæ aromatum Garciæ examinarem, prorsus similes iis esse videbantur, de quib. sectione quinta illius capitis scribit: Potentiores videlicet ex Faufel siue Areca, Lycio, caphura, ligno Aloës, & Ambari momento formulas componere, quas esitent. Similes antè accipere memini Londino missos, quum Francofurti ad Mænum habitarem, cum hac Inscriptione, Apud Indos magno in pretio haberi. Sed & quotquot naues deinde in Indiam profectæ, redierunt, huiusmodi aliquot formulas retulerunt.

FAVFEL ACCEDENS NVX.

Cap. CXCII.

I

II

Descriptio OStendebat mihi Theodorus Clutius, [inquit Clusius Exot. lib. 2. c. 23.] fructum exoticum, sescuncialis longitudinis, vncialis crassitudinis, cutaceo putamine præditũ, *Putamen.* cineracei, foris coloris, *Color.* internè multis fibris cõstantem, penè instar inuolucri nucis Faufel, siue Arecæ, *Faufel.* infernâ parte veluti gemino, & duplicato calyce munitum, extimâ siue supremâ mucronatâ: nucleum siue veriùs nucem continebat nigram, valdè rugosam, duram, *Faufel* non dissimilem, *Nucleus vel verius nux.* ad cuius genus non ineptè referri posse arbitror. Similem deinde aliunde accipiebam, cuius officulum erat *Fructus alius.* durum, nigrum, multis villis obsitum, nucleum continens rugosum, durum, insipidum. *Figura est num. I.*

NVCLEVS PYRAMIDALIS INDICVS, AD FAVFEL ACCEDENS, VENIS.

Cap. CXCIII.

INter fructus peregrinos Illust. Cels. V Virtemb. *Descriptio* fœlicis memoriæ Stutg. 1608. Pyramidalis erat, vnciam longus, qua magnitudine pictus, externâ parte nigricantibus venis pictus, ad *Faufel* accedentibus, *Ad Faufel accedit.* pulpa albâ, durâ, in medio aliqua cauitas, eo modo, quo in nuce Indica magna, *Pulpa. Sapor. Nucleus.* saporem manifestum non experior. Nucleus videtur non maior, quàm cauitas nucis hirsutæ, quæ antè in huius libri c. 188. tertia numero habetur. *Huius icon est cum præcedenti, num. II.*

PALMAE FACIE HAIRI.

Cap. CXCIV.

HAiri in America arbor est, folio palmeo, ligno marmori nigro simili, *Descript.* quamobrem multi Ebenum esse existimant: quorum sententiam *Ebenus cur non sit.* Theuetus non approbat in sua histor. Galliæ Antarcticæ.

Nam Ebeni lignum nitidiùs splẽdet. Deinde arbor hæc tota spinosa est, minimè verò Ebenus. Postremò Ebenus in Aethiopia & Calecuto nascitur. Lignum illud ferri modo ad ima aquæ sidit? quare Barbari ex eo enses conficiunt atque monilia, *Vsus ligni.* adeóque durum ac validum est, vt ex eo sagittæ quasuis ferreas loricas penetrare possint. *Fructus.* Fructum edit pilæ lusoriç magnitudine, altero extremo quodammodò acutum. Intus nucleus est niuei candoris. *Nucleus.* Hanc autem arborem syluestrem Brasiliæ Airy dictam Lerius existimat Hebeni speciem, *Airy. Hebeni species.* quam describit foliis Palmæ, trunco multis spinis armato tenuibus & pungentibus instar acuum, fructu mediocris magnitudinis, in quo nucleus candidus, non edulis. Lignum nigrum, ex quo propter duritiem syluestres homines parant enses, & fustes, & sagittas. Politum est & lucidum, ita ponderosum vt aquæ iniectum fundum petat. *Yayama.* Theueti *Hairi* quadantenus similem fructum nomine *Yayama* descripsit Ouiedus.

Considerandum an de *Hairi* hæc scribat Plin.

lib.12.cap.5. vbi postquam de Ebeno tradidisset, sic ait: Ibi (in India videlicet) & spina similis, (Ebeno dictæ) sed deprehensa vel lucernis &c.

PALMA YRI.

Cap. CXCV.

IN Brasilia, vt scribit Lerius, Palmarum quatuor aut quinque species conspiciuntur: inter communiores sunt, quas Sylu. homines vocant *Geraü*, & quæ dicuntur *Yri*, sed in nulla earum Dactylum vidit, existimat etiam non proferre. Yri quidem fructus est rotundus, Prunellorum seu Pruni sylu. dictę specie, sed in magnum racemum congestus, tantæ magnitudinis, ac ponderis quantùm homo vna manu attollere queat: sed meri sunt nuclei, nec cerasi nucleis maiores, quorum quidem fit vsus. Sed & teneram quandam gerit summitatem inter folia istarum sed iuniorum, quam in cibum cædebat cum sociis: testatúrque nobilem à Ponte hæmorrhoidibus vexatum, dixisse eas sibi remedio fuisse. Antea egimus de Palma *Lauter* dicta fructu cerasi, sed ab hac diuersa.

Geraü. *Yri fructus* *Hæmorrhoides.*

EBENVS.

Cap. CXCVI.

EBenum vt iungamus Palmis ansam præbet Plinius, qui Ebenum Palmarum generis facit. Hairi quoque modò descripta, quæ à quibusdam Ebenus existimatur, Palmeo est folio. Cæterùm Ebeni lignum quale ad nos Europæos importatur, (Hoc etiam testante Hen. Schickart, industrio & peritissimo Ill. E.C Wirtemb. Architecto) duûm est generum: *Verum* seu genuinum: [Gutt Eben Germ.] & syluestre: [Wild Eben] Vtriusque fructum egregium & perpolitum dono ab eo accepimus.

Duûm generum.

Estque illud quod *Verum* appellatur syluestri ponderosius, nigrum, alicubi interdum colore ligni nucis Iuglandis, aut etiam pallidius, quam coloris varietatem in bonitatis notis habent. Passim ceu minutis quibusdam segmentis scarificatum, longè frequentibus aliis splendicantibus nec impressis refertum. Idem Architectus aliquando, sed rariùs, hominis crassitudine truncos vidisse testatur, sed nullum vnquam quod non putredinis aliqua labe alicubi fuerit infectum: quale & nos aliud habemus, ac suberis quodammodò fungosæ substantiæ in parte quadam, quod ætati & corruptelæ tribuissemus, ni is monuisset aliter.

Verum.

Syluestre ab eo vocatum, prædicto nigredine ac pondere cedit, sed vix elegantia atque splendore: passim quoque lineis ceu scarificationis quibusdam vestigiis, verùm non vt in priori, profundis aut incisis, nihilominus tamen splendentibus, conspicuum. Veri portio adolescens flamma, non iniucundum spirat odorem, vt nobis quidē videtur, nō tamen sine odoris quadam grauitate peculiari. Vtrumq; aquę iniectum protinus sidit & vix aliud è lignis inuenias ponderosius. Videtur tamen syluestris natura nonnihil pinguior & oleaginosior esse. *Sed quid Autores de hac tradiderint audiamus.*

Syluestre.

Theophrast. de arboribus Indicis tradens, Ebenus (ἔβενος: Gaza Hebenum vertit:) quoque, inquit, eius regionis propria est: Cuius duo genera: alterum præstanti pulchróque ligno: alterum vile ac ignobile. Rarum est id quod præstantius: aliud copiosè habetur. Coloris gratiam recondita & asseruata non acquirit, sed natura statim. Ipsa arbor fruticosa est, veluti Cytisus. (Sic cum Plin. & Gaza tantisper legamus, donec prodeat qui nos doceat quid sit κυτισώδης, vt in vulg. exempl. legitur) Eius lignum Buxo [πύξῳ] aspectu simile est, sed decorticatum, nigrum apparet: multæ durationis est, ac naturæ quodammodo perpetuæ: nam ne arefactum quidem leuius redditur. Graue est, quia densum.

Differentia *Theophr. correct.*

Aristoteles Ebenum aquas subire ait propter densitatem in lib. de mistorum affectibus. Non autem fluitare ait, quia διακίνδυνος ὁ ἀήρ. Quo ex loco & id obseruandum, quod ait: ἐν δὲ τῇ ἐβένῳ τῇ μελαίνῃ. Quasi etiam non nigra quæpiam sit Ebeni species, vt ne id quidem latuerit Virgilium, qui epitheton adiecerit, tanquam necessarium, cùm diceret: Sola India nigrum fert Ebenum. Hærodotus tamen ex Aethiopia post expeditionem Cambysæ vectigales Aethiopas factos, centenas Ebeni phalangas tributi nomine Persarum Regibus pendēre solitos, scribit, vt mox quoque specialiùs dicetur ex Plinio. Id quod adegit viros doctos (vt annotat Scal.) suspicari, Guaiacum iam vsu Venereæ luis factum nobis populare, nihil esse aliud, quàm Ebenum decolorem. Quæ ligna si sunt affinia, potiùs hominum opinione, quàm specie, meminerimus, ab autoribus prodi, frondes Ebeni Buxo similes: Gaiacinas vidimus allatas, Comari, Laurúsue facie. De Pausaniæ hac quoque in historia [inquit idem] mendaciis non est hic locus: Ebenum radicem esse opertam sine stipite. [Sed ex alterius sententia illud tradit, vt dicetur mox.] Contrà, impostores & phalas ad pedestres lanceas venditant è Terebintho, & incoctas attamento Populnas assulas ad speculorum capsulas: & ad tessellatum emblemmatis opus Roboris frustilla, quod diu sub aquis nactum fuerit nigredinem commendabilem.

Cur non fluitet Ebenus. *Guaiacum* *Ebenus decolor* *Pausaniæ mendacium.* *Ebeni adulteratio.* *Terebinthus.* *Populus.* *Robur.*

Plin. de Ebeno sic tradit: Vnam è peculiaribus Indiæ arboribus Virgilius celebrauit Ebenum, nusquam alibi nasci professus. Herodotus eam Aethiopiæ intelligi maluit, ac in tributi vicem regibus Persidis è materie eius centenas phalangas tertio quoque anno pensitasse Aethiopas cum auro & ebore, prodendo &c. Romæ eam Magnus Pompeius in triumpho Mithridatico ostendit. Accendi eam Fabianus negat: vritur tamen odore iucundo. Duo genera eius: rarum, id quod melius, arboreum, trunco enodi, materie nigri splendoris, ac vel sine arte protinus iucundi: alterum fruticosum Cytisi modo, & tota India dispersum. [De vtroque id Theophrast. non tantùm de viliore: vbi videas aliter hæc tradita loco paulò antè citato.] Spississima ex omni materie, ideò & grauissima iudicatur Ebenus & Buxus gracilis natura: (magis placet hæc lectio, pro vulgata illa, Ebenus & Buxus, graciles: nam paulò antè arboreum dicit: & visi sunt trunci arboris iustæ magnitudinis. At Theophrast. Buxum quidem totam gracilem dicit, Ebenum medulla.) neutra in aquis fluitat. Cytisus proximè accedere ad Ebenum videtur. Quanquam non desint, [vt Theoph.] qui Syriacas Terebinthos nigriores affirment.

Plinius. *Aethiopica arbor.*

Porrò quod antea de Pausania dictum neutiquam fabulosum existimat Matthiol. Ergo vt res propriùs cognoscatur, verba eius producenda. Is Græciam describens sic ait: Audiui Cyprium hominem

Digitized by Google

minem oppidò quàm peritum in herbarum generibus ad medendi vsum notandis, qui diceret, Ebenum nulla folia, nullúmque omninò fructum ferre, quin & stirpem nullam esse Soli expositam: radices tantùm terra occultari, quas eruant Aethiopes, atque ij inprimis, qui quo maximè locò reperiatur, norunt. *Hac ille.* Quæ etsi fabulosa fortasse videantur, faciliùs tamen illi credendum censet Matth. quàm Anguillario, qui minorem Anagyrim, quam Ananienses *Eghenum* vel *Eghelum* vocant, vocis tantùm similitudine fretus, secundum Ebeni genus [ridenda sanè opinione,] Theophrasto esse censet. Cùm Eghenus fœtidissima sit planta, & scribant Theoph. & Plin. id Ebeni genus in India tantùm nasci, & in India tota dispersum.

Anagyris. Eghenus. Eghelus. Anguill. not.

Sed quod de Pausaniæ Ebeno dictum, istud quidem haudquaquam fabulosum putat Matth. cùm scribat Georg. Agricola, fossilium indagator maximus, reperiri etiam in Germania Ebenum fossile, ad 7. libri ferè calcem, his verbis. Quinetiã Hildesheimi intra terram aluminosam iuxta lignum in lapidem mutatum, & in eius commissuris reperitur Ebenum fossile, quod & sparsum in aliorum lapidum cauernis, tanquam in alto latere Theophrastus non ignorauit. Stirps est nigra, foliis fructúque carens, cornu politi modo splendida, solida sed leuis, omninò aspectu similis gagatæ lapidi, sed naturâ admodum diuersa. Nam Ebenum ignem non sentit, Gagates accensus ardet & igni perit. *Hac ille.* Sed verba Pausaniæ videntur demonstrare potiùs adulterinum Ebenum quàm verum, de quo hic agimus: aut saltem ei non notam eius arborem.

Ebenum fossile.

Quod si Matth. quoque credidit Ebenum illud fossile & lapideum de quo Agricola agit, esse id quod hoc capite descripsimus, tam errat, quàm verè Pausaniæ narratio mendacium à Scalig. vocatur: vt taceamus Ebenum adulterinum, non magis esse Ebenum, quàm statua, homo. Scribit Goropius in Ad. lib. primo. Stabant ingentes sub profunda terra trabes, quæ diuturno seculorum decursu Ebeni tum colorem tum duritiam contraxerant: documento, quò in hac regione Ebenum possimus imitari, quod illi nouerunt, qui vermiculata è lignorum diuersitate opera componunt. Scaliger. de Plant. lib. 2. similium Ebenorum meminit ex diuersis lignis adulteratorum, de quibus paulò antè.

Ebenum adulterinum.

Consulamus Dioscoridem. Ebenus, inquit, optima censetur Aethiopica, nigra, venarum pectinúmve expers, cornu elaborato læuore similis, quæque fracta densa apparet, mordet autem gustu ac leniter adstringit. Prunis imposita cum odore iucundo & citra fumum vritur. Recens verò igni admota ob pinguitudinem accenditur, & ad cotem trita subfulua redditur. Est & altera Indica, intercurrentibus lineis prædita, candidis & fuluis, itémque maculis frequentibus: cæterùm prior bonitate antecedit. Nonnulli porrò Mori aut Acanthi ligna, quòd consimilia sint, pro Ebeno vendunt. Ex eo autem internoscuntur, quòd fungosa sint, & in assulas ad purpuram vergentes resoluantur, nihil mordacitatis in gustu, nec suauis odoris in suffitu præ se ferentia. *Hac Diosc.*

Ebeni descriptio. Ebenus Aethiopica. Ebenus Indica. Adu Ebenũ adulterina. Vt fucus dignoscendus.

Nunc quæritur an Ebenum, quod ad nos importatur, & hodie apud Magnates & artifices pro Ebeno celebratur, quale duûm generum suprà descripsimus, sit verum aliquod ex his à Dioscor. descriptis. Dubitationis occasionem præcipuam putat Matthiol. quòd suffitum nullo commendetur odore. Nostrum sanè non solùm non fœtet, sed & iucundi quiddam spirare videbatur, flammâ adolescens. Quod verò Matth. ait, Plinium nullibi odorati Ebeni meminisse, ostendit se Plinii locum, vbi maximè de Ebeno disserit, admodum oscitanter perpendisse.

An Ebenũ nostrum sit Diosc.

Matth. not.

Dalech. putat odorem eius tempore longo, per maria & itinera euanescere posse, quod in totum vix fieri potest in tam solido densóque ligno.

Curtius quasi in nouum quendam orbem delatus de Ebeno iudicat: Arborem vt plurimùm esse tenuem, vimine raro, & in crassitudinem caudicis extuberato, cortice hiulco, & admodum reticulato, adeò venis dehiscentibus, vt per sinus ipsos intima pars tenui libro contegatur. Sed quo authore hæc dicit? aut vnde ementitus est hanc Ebeni descriptionem? quis ei dixit arborem vt plurimùm esse tenuem? Quasi verò ei nota fuerit. Neque hoc illi sat erat, nisi hanc suam temeritatem ingeminaret aliâ: Theophr. autem [inquit] foliis ramisque, ac reliquis denique omnibus Terebinthino similem dicit, fructu tamen diuerso, & Amygdalis conformi. Plus sanè ille vidit apud Theoph. si hæc vidit. Sed qui Theoph. consulet, facilè agnoscet ipsum ei imponere. Ita enim ait L. 4. c. 5. hist. [Greek text illegible] &c. [Greek text illegible]. Nihil hic de Ebeno: sed Terebinthum Indicam comparat cum Terebintho Græca.

Curt. not.

Alter Curtij error.

Anguill. liberè fatetur, Verum Ebenum quale sit, se ignorare, ac quum in nostro desit odor, qui à Diosc. requiritur, verum Ebenum se dicere non posse. Et alibi: *Egan*, ait, videtur Ebeni secunda species Theophr. [quam opinionem improbari à Matth. paulò antè dictum.] Totam Ebenum quâ vtuntur Veneti, scio esse ex Egano quæ deuehitur ex Syria & Cypro, vbi hodie adhuc vocatur *Hebens.* De hac Ebeno Anguill. plura c. de Laburno. De Ho. Belli Cytiso vera, & medulla nigra Ebeni Theophrast. agemus cap. de Cytiso vera & Maranthæ, & de Ebeno Cretica Hon. Belli cap. de Cytiso Cretica flore rubro.

Ebenum Venetum esse Laburnum. Ebeni medulla Cytisi. Ebenus Cretica.

Guiland. Theonino suo dente Matthiolum petit, quòd Ebeni innumeros haberi in Italia truncos adstruit, nec animaduertit, lignum quod vulgò Ebeni nomine venit, suffitum supra carbones, iucundum odorem non efflare, neque ad cotem allisum russescere, neque etiam cum aqua tritum in succum abire: quapropter fœdum ait esse hunc Matth. errorem. Sed, vt ita sit, ista omnia non conuenire truncis istis, quos vterque intelligit, tamen cand.diùs cum Matth. agere debuit, quippe qui ipsemet fassus sit in suis scriptis, vt anteà dicebamus, Ebenum vulgò dictum, suffitum nullo commendari odore. Deinde scire debuit Guiland. istas notas quas adducit non Indico sed Aethiopico tantùm tribui à Diosc. quapropter nihil obstare quominus Indica Italis & Matthiolo fuerit cognita. Ita sæpè non videmus manticæ quod in tergo est.

Matth not.

Matth. ex parte excusatur & Guiland. not.

Amatus Ebeni secundam speciem, Guaiacum facit.

Verùm nescimus quid sibi velint Pen. & Lob. quando in Adu. sic aiunt. Officinarum Hebenum [siue Xylaloes Offic. in marg.] quin sit species Guaiaci nihil obstat: nam prædurræ assulæ, grauissimæ, quæ in Officinis visuntur, & aquæ mersæ sidunt, tum pinguedo, quæ exudat igni, perinde atque è Guaiaco, tum aspectus ipse, & vires, & sapor, videntur testari: nam odor etiam ei inest Guaiaci, vires ad eadem quæ Guaiacum commendantur. Sed si id intelligunt, quod in Offic. nomine Xyloaloes seu ligni Aloës habetur, esse

Offic Ebenum. Species Guaiaci.

Lob. & Pena not.

Ebenum, vt ipsimet cap. de Agallocho apertè declarant: Et Lob. in Obs. ait, Hebenum siue Xylaloën, officinarum legendum: nullo sanè labore refutantur: Non enim nigra est Xybaloë, cui quàm benè Guaiaci odorem tribuant, ipsi videant.

Hist. Lugd. not. Hist. Lugd. quoque Ebenum officinas pro Xylaloë habere ait: quasi necipsa apud priscos illos Theophrast. Diosc. Plin. & alios legisset Ebenum esse nigrum.

An verò Ebenus sit species Guaiaci, vt censent, asserere non possumus. Sanè quæ Ebeni nomine hodiè habentur ligna, nec odore, nec sapore nec pinguedine cum Guaiaco conueniunt. Videntur & Guaiaco duriora, quamuis substantiæ soliditate ac pondere ad id quam proximè accedant. *Hauet* quoddã ... putare, suprà dictum. Lacuna plures Ebeni species esse scribit, excellentissimam autem quæ vulgò dicitur Guaiacum: Sed vnde hoc sciat.

Synonyma Linguarũ. Hebenus. Hebenum. Ebenus. Ebenum. Eben. Dicitur Græcis ἔβενος, & ἐβένη Suid. *Ebenus* siue *Ebenum*, teste Seruio Mauro: vel vt alii scribunt, *Hebenus* & *Hebenum*. Sed meliùs *Ebenus* dici videtur, à nomine Hebræo *Eben*, quod lapidem significat, vt notat Gesn. Sanè & hæc Hebenus & hoc Hebenum cum aspiratione & sine ea scribitur à doctissimis autoribus. Luc. libro.

-----Hebenus Mareotica vastos

Non operit postes.

Hebenus autem, inquit Seruius, arbor est, quæ cæsa durescit in lapidem. Malumus tamen hac in parte sequi Græcos [quòd & ipsa Græca dictio esse appareat] qui sine aspiratione scribunt.

Hauben. Geropio notante in Vertumno, Hebenum dicitur Hauben apud Hebræos, vt est apud Ezech c. 27. Verùm quia Hebenum vox est Latinis, Græcis, Hebræis, Arabibus & Chaldæis communis, suspicatur iam ad antiquissimos referendam natales. *Hauben* namque, quid [inquit] aliud est quàm *Haut-been*, [Cimbris] id est lignum osseum, siue lignorum os. Arab. dicitur *Habenum*, vel vt alii volunt *Abanus* vt Serap. cap. 122. seu *Abenus*, Barbaris *Ebanus*. Germ. Ebenholtz: Gal. *Ebene noir*: It. *Ebeno*: Hisp. Castil. *Ebano*: Portug. *Abenus*: Apud Paulum Epulionem Marcaorum, (qui in epistolis à se collectis scribit inter munera missa regi Hisp. Philippo per Regem Persarum, fuisse *quattri cornetti di legno Audanico, quali risplendeno como specchio*, [per lignum Audanicum splendens vt speculum, Ebenum intelligendum suspicamur.

Etymon.

Habenum. Abanus. Abenus. Ebanus.

Locus. Theophrast. Indicam tantùm dixit Ebenum: Dioscor. tam Aethiopicam, quàm Indicam. Virg. Georg. 2.

-----Sola India nigrum

Fert Ebenum, solis est thurea virga Sabæis.

Ad quam Virg. sententiam Seruius: Atqui, inquit, & in Aegypto nascitur. Sed Indiam omnem plagam Aethiopiæ accipimus, quam & Virgilius, vel Constantino teste, Indiæ nomine complexus est. Lucanus per Mareoticam Habenum Aegyptiam videtur ostendisse, vt idem putat. Negat tamen Plin. in Aegypto nasci. Solinus exigua Aethiopiæ parte tantùm crescere autumat. Strabo ex Megasthene scribit, apud Prasios (in India) nasci. Apud Plin. Meridiano Aethiopiæ tardine syluæ Hebeno maximè virent: quod & Theuetus confirmat, additque etiam in Calecut nasci. Ex Pomponio Mela discimus etiam in Arabia, & aliis variis locis nasci, vt annotat quoque Amatus, qui addit, hodiè magnos truncos in officinis haberi vbi pectines fiunt, & eos egregios. Videas sanè Venetiis & Augustæ Vindelicorum tanta copia Ebenum, vt sint ibi artifices, qui nihil aliud ferè quàm hoc lignum tractent. Apud Magnum Ducem Hetruriæ splendidissima opera affabrè facta ex Ebeno nigerrimo, politissimo, nec vulgatæ magnitudinis vidimus, & vidêre possunt curiosi qui Florentiâ transeunt. Ferunt, inquit Curtius, Ebenum in mari rubro nasci, folus Fructúque Oliuæ proximo. Sed hæc nouitas merebatur titulum sui autoris. *Curtius not.*

Duratio. Cariem inquit Plin. non sentit Ebenus: eandem maximè æternam putant, claro iudicio in templo Ephesiæ Dianæ, de cuius simulacro Deæ ambigitur. Cæteri ex Ebeno esse tradunt.

Vires & Vsus. Oculorum caligo. Fluxiones. Ebenum Theophrastus ad cotem tritum, oculis vtilem prædicat. Et, vt scribit Dioscor. vim habet ea extergendi, quæ pupillis caliginem offundunt: pollet & ad veteres fluxiones ac pustulas. Quod si quis facta ex ea coticula (ἀκόνιον) vtatur ad terenda collyria, efficaciùs medebitur. Ad oculorum medicamenta efficax quoque redditur, si scobes ramentáue in vino Chio per diem ac noctem macerata, diligentérque ad læuorem contrita, in collyria digerantur. Nonnulli ipsa priùs trita cribro cernunt, ac deinde reliqua eo modo peragunt. Quidam pro vino aquâ vtuntur. Vritur etiam in fictili nouo, donecin carbones redigatur; lauatúrque plumbi vsti modo: Itaque preparatum aridis scabritiis lippitudinibus conducit. Non tractamus, inquit, in medicina alienos orbes: non omittetur tamen Ebenus propter miraculum. Scobem eius oculis vnicè mederi dicunt: lignóque ad cotem trito cum passo, caliginē discuti. Ex aqua verò & radice, albugines oculorum. Item tussim pari modo Dracunculi radicis à hecto cum melle. Ebenum medici & inter arrodentia assumunt. Consideratione quidem dignum quomodo intelligenda Plinii verba inter arrodentia. *Carbones.* *Albugo. Tussis.*

Galenus. Eiusdem meminit Gal. lib. 6. simpl. his verbis. Ebenus ex iis lignis est, quæ trita cum aqua facilè in succum resoluuntur, æquè ac lapidum nonnulli. Vis ei inest excalfaciendi, extergendi & tenuium partium, quamobrem quæ pupillas offuscant vitia extergere creditur. Miscetur aliis remediis ocularibus, quæ ad vlcera vetera, fluxiones & bullas siue pustulas accommodata sunt. Cæterùm variat nonnihil Plin. à Dioscor. qui Ebenum super coticula tritum collyriis indi ait: illo autem Ebeni ligno ad cotem trito caliginem discuti. At Serapio ex Ebeno parari coticulam [fricatorium vertunt] cui collyria affricentur. Sed res eodem ferè redit, modò vis medicatrix collyrii dependeat ab Ebeno. Ἀκόνη sanè voce Græci non modò coticulam intelligunt, sed & medicamentum ipsum ad cotem tritum, qualem ex Ebeno fieri ad eum vsum perinde ac ex hæmatite nihil vetat. *Temper. Vlcera.*

Strigiles. Strabo autor est, Indicos exercitum, præcipuè frictionem probare; maximè strigilibus leuibus corpora expolire.

Ebeni siccatos truncos, teste Matthiol. maximè hac ætate nouit Italia: namque innumeri visuntur in eorum officinis, qui pectines conficiūt ad explicandos aptandosque capillos: item apud illos, qui globulos funiculo traiiciendos ad preces numerandas torno in orbiculos expoliunt. Porrò quod de frictione ait Strabo, id & Curtius probat ex Celso, quòd corpus exedat, euocet, educat, leuétque exasperatum. Curtius etiam miratur, aliquos credere pectines & orbiculos deprecatorios, aliáque minima & leuia, torni opera, vt ille ait, ex Ebeno fieri, præsertim verò cùm tot, & tam

& tam varia venundanda exhibeantur. Existimat enim tanti pretii ac nobilitatis lignum in vulgatos hos vsus non venire, rariúsque esse, quàm vt eousque innotuerit vulgo.

Vtensilia. Sceptra. Pet. Martyr de rebus Oceani & noui orbis, in insula Guanabana scribit esse vtensilia ex ligno nigerrimo, lubrico, lucido, quod Hebenum Doctor I. Baptista Elysius esse contendit.

Reges Indos ex Ebeno sceptra gestare, Solinus author est. Eosdem non nisi ex Ebeno Deorum suorum simulachra fingere: item pocula cratérásque ex eo factitare tradunt, quòd sanè credant contra maleficia efficacissimum esse, & quicquid venefícii fuerit, tractu eius auerti. Vt itaque nil mirum sit, si peregrè in pretio sit, cùm etiam his apud quos nascitur & familiare est, ipsísque adeò Regibus summo in honore sit. *Deorum simulachra. Pocula. Contra maleficia.*

Refert enim Plutarchus in vita M. Antonii Cleopatram Aegypti Reginam, Alexandriæ, apud Isidis ædem, & in præclarissimis sepulchris, aurum, argentum, pretiosósque lapides, Ebenum quoque, & quicquid denique rarum ac pretiosum haberet, condidisse & occultasse, propter bellum, quod Octauius Cæsar contra eam, & Marcum Antonium gerebat.

Adalligatum infantium cunis, tumultuosa insomnia prohibere scribit Albertus.

Hodie, vt dicebamus, varia opera ex ea fiunt, apud Magnates & Principes, thecæ, arculæ, abaci, capsellæ, speculi thecæ, pectines, narthecia, tragematothecę, sellæ plicatiles, pocula, ad altaria exornanda, signa crucis, cingendas imagines Principum aut Sanctorum, & alia eiusmodi propemodum infinita, eáque vel per se pura, vel auro, argento, aut ebore vario artificio adornata, qualia Venetiis, & Augustæ Vindelicorum apud artifices aut Magnates videri possunt.

EBENI VERSICOLORIS MATERIA ARBOR PYRIFOLIO.

CAP. CXCVII.

Descriptio SCribit Theoph. lib. 5. cap. 4. vbi de Terebintho Syria agitur, quæ Ebeno nigrior. Aliam arborem reddunt, quæ cum nigredine varietatem quandam præ se fert subrutilam, vt aspectus Ebeni versicoloris appareat, fieri ex hac lectos, & subsellia, & reliqua lautiora opera narrant. Amplam maiorem in modum, & frondibus conditam pulchris, similémque Pyris eam assignant. *Vsus.*

FRVCTVS PEREGRINVS TETRAGONVS.

CAP. CXCVIII.

Locus. Descriptio arboris. FRuctum peregrinum tetragonum referebant, teste Clus. in Exot. Batauí Naucleri, qui ineunte Septemb. anno 1601. ex Iaua & Moluccis Insulis reduces Amstelredamum, in quali tamen arbore nasceretur intelligere nequiui. Si tamen coniecturà vti licet, prægrandis alicuius palmæ cuiusmodi illa, quæ magnas Indicas nuces, vulgò *Coccos* appellatas, aut nucem *Faufel*, siue *Arecam* profert, fructum arbitror, atque plures simul ex crasso vno pediculo instar illarum pendere. *Fructus.*

Binas autem eiusmodi nuces videre mihi contigit. Vnam magnam, quam Cl. V. D. Petrus Paavvius artis Medicæ Professor in Academia Lugduno Batauа, à Mercatorũ societate cum aliis quibusdam exoticis adquisiuerat. Alteram longè minorem, quam mihi donabat Amstelredami honestissimus vir VValhius Syuertz, illius vrbis Pharmacopæus, ab Isbrando Hieronymi F. Cheirurgo, qui eam retulerat redemptam. Vtraque verò quadrangularis erat formę.

Maior porrò, nitidiore & læuiore cortice tecta, septem vncias à summo fastigio ad pediculum vsque longa, pedem cum semisse crassa erat, siue sesquipedalis eius ambitus: singuli enim anguli quatuor penè vnciis cum semisse ab inuicem distabant: cortex valdè densus, ex multis fibris, retis quodammodo formâ contextis, constans, materiam fungosam intermixtam continebat, totóque, vt dixi, læui & splendente, spadicei coloris, exteriore parte tectus erat. Tota tamen nux valdè leuis pro sua magnitudine: quid verò ea contineret, me latebat, quia, cùm mea non esset, aperire nolebam. Sed minorem, quæ mihi donata, mediam secabam, vt me omni dubitatione exsoluerem: nam quum Cheirurgus, qui illam attulerat, affirmaret, se in maris littore nascentem eruisse, mediâ ex parte arenâ mersam, fibrísque in ea firmiter hærentem, & supernâ parte cauliculum promere lignosum, viridi cortice tectum, fastigio quina aut sena folia Myrtinis similia sustinentem, eáque adeò ratione bulbaceam esse plantam sibi persuaderet: ego verò multas notas conspicerem, quæ me, vt arboris potiùs fructum esse crederem, impellerent: illam aperiebam. *Fructus maior. Cortex. Color. Minor fructus. Planta bulbacea.*

Superiore longè minor hæc erat, vt quæ tres duntaxat vncias cum semisse longa, octo autem ambitus contineret, non nitido cortice tecta, vt superior, sed valdè rugoso, quo ante maturitatem adempta, & subrufâ cute tectâ, quadrangularis, perinde atque superior, formæ, sed angulis magis inæqualibus, neque adeò distinctè ab inuicem seiunctis, sub externa cute, multis fibris, retis instar transuersim sese intersecantibus, cortice constabat, quemadmodum etiam interiore parte, quæ officulum tegebat & inter illas fibras, fungosa materia insipida, & valdè resiccans, suberini corticis instar: ipsum officulum formam habebat, ab infima sede latiore in metam assurgentem, & crassiusculum erat, molle tamen [quia fructus immaturus] subrubente cute tectum, acidi saporis, sicut etiam nucleus qui in eo continebatur candidâ membranâ tectus. *Descriptio. Cortex. Officulum. Sapor.*

Hæc sunt quæ de illo fructu, seu nuce, commentari potui: quia qui retulerant, nihil ad eius historiam pleniùs & accuratiùs describendam afferebant, præter paucas illas incertas, quas enumeraui notas.



artificiosissima compage, per quarum media singulis ordinibus æquabilis canaliculus, per vniuersi fructus longitudinē descendit, vno insigni, cæterisque ampliori canali eodem ordine ac descensu inter cæteros conspicuo. Parte supernà apex eminet, circa quem longè minutiores squammulę reliquarum seriem claudunt, & in dictum apicem fastigiantur, pulchro prorsus & visendo artificio. Ipse fructus concussu sonorus intus contentum nucleum prodit. Fructum hunc cum ipsa arbore Palmæpini siue Coniferæ nomine sic fortè describunt Pena & Lobelius, in Aduersariis. Vulgaris Palmæ [inquiunt] congeneres esse multas syluestres in sinu Guineæ Oceani occidui, quæ steriles sunt, nec nisi exilitate à satiuis absunt, narrabant nobis mercatores industrii Gallobritones, qui illuc quotannis fermè commercii causa adeunt. Inter quas & alii Angli institores non parum venustam & miram hanc, icone hic expressam, inibi oriri affirmant, cuius ramos luculenta conorum fœtura onustos dono iidem attulerunt stirpium cultiorisque artis peritissimo Pharmacopœo & Ciui Londinensi Io. Riccio, qui nos donauit isto Palmite, aut potiùs Pinopalmæ termite: cuius arborem, quasi quandam ex Palma & Pino hybridam natura ludibunda videtur conflasse. — *Palmæ Vulgaris congeneres.*

Lignum. Est quippe lignum ipsum fungosà Palmæ prorsum textura, in villos dehiscens, & squammosa cute loricatum, fastigio termitis numerosis & in *Termites.* orbem exortis surculosis ligulis quadraginta aut quinquaginta compactili verticulorum & squammarum serie pyxidatim articulatis, pedem longis, rotundis, parùm compressis. Quarum singulis *Fructus* commissuris, singuli, numerosi coni altiùs inseruntur triceni, aut quadrageni, qui mediocrem Conum Cedri ementiuntur, pululliis in quincuncem digestis, reticulatóque & imbricatim extuberante ventrioso nucis cortice, fusco, nitido, *Cortex.* polito, crassitie & concretione nucis Indicæ, intus nucleum glandémve oblongam, [sesquiunciam aut duas vncias longam] continente, prædu- *Nucleus.* ro, inque farinam ægrè friatili, gustu glandis & castaneæ, quæ sunt ei Genti panis supplementum.

Vsus. In Obs. idem Lob. Auellanæ Indicæ genus oblongum Clusii idem censet esse cum nucleo huius Palmæpini, quod an ei concedendum considerandum est.

Palma conifera. Tab. Palmam conifera. Germ. Zapffenpalm.

NVX INDICA OBLONGA, INTRINSECVS SIMILIS NVCI MOSCHATÆ.

CAP. CCIII.



Descriptio NVcem hanc seu potiùs nucleum habemus ex dono Valerandi Donrez: forma est oblonga duas vncias æquans: lignum quis dicat: externa facie rugosa est, & rectis sulcis à summo ad imum profundè exarata, cortice partim russo, partim fusco: internè alba, maculis nigris partim rotundis & paruis, partim oblongis notata, aliquatenus venas internam Nucem myristicam percurrentes imitata. In meditullio nonnihil fungosi maculatum extremis circumscriptum: reliquæ enim circumquaque partes maculosæ duriores existunt.

Hanc Camerar. quoque eleganter exprimit in Matth. hist. Germ. sub titulo Auellanæ Indicæ. — *Auellanæ Indicæ genus.*

Clus. quoque apud Garciam de Arom. lib. 1. cap. 25. depingit sub nomine Auellanæ Indicæ oblongæ, vbi nuces oblongas vocat, & fortè Fausel genus esse putat. Hunc autem fructum scribit Exot. lib. 7. siue lib. Arom. cap. 25. esse oblongum, Fausel nucem cum suo inuolucro magnitudine penè æquantem, prædurum, foris nigricantē qui per medium trāsuersim sectus, myristicæ nucis nucleū nō secus, quàm Fausel mirificè referebat. Fausel genus forsitan erit, aut simile quidpiam: sed quum vetustate exsuccum videre tantùm licuerit, de sapore & temperamento nihil pronunciare possum: talem etiam ad me, post aliquod temporis interuallum, mittebat Morganus Pharmacopæus diligentissimus. Similes mihi adhuc postea ostendebantur, sed læuigati & expoliti, quos lapides quosdam raros, magnique pretii esse mihi persuadere conabantur. — *Fausel genus.*

Lob. idem existimat cum nucleo Palmæ-pini: cui tamen non assentimur, donec meliùs edoceamur. — *Lob. not.*

An Matth. & Qualcebeno in epist. Matth. Nucis quoddam genus ex Aegypto?

Arecæ. Taber. nomine Arecæ seu Fausel pingit: Auell. Indica Matth. Hist. Lugd.

IVGLANDIS FERE FACIE FRVCTVS EXOTICVS, SVLCATVS, TVBEROSVS.

CAP. CCIV.

EX Cl. D. D. Felicis Plateri naturalium thesauro amplissimo hic nobis innotuit fructus. Magnitudo nucis Iuglandis habitioris maiorisque, cortice tectus cinereo non duro, sed gallarum instar fungoso, quasi recens putamen carneum





fuerit. Totus per longitudinem speciosè sulcatus est: sulcosque rectos decem in hoc numeramus nec sine eminentiis extraordinariis, inæqualibus, tuberosis. Ima parte quà sulci conueniunt scrobiculus est: Opposita gibbus. Si acu substantiam eius confodias, interna duriora deprehendes. Aperire quia noster nô esset, integrum non fuit. Nec odor eius nec sapor vllus effatu dignus, quippe obsoletus iã planè & multis foraminibus, præ ætate aliáue occasione, vt arbitramur, scatens.

NVX INDICA OBLONGA, CORTICE CONTECTA.

CAP. CCV.

Descriptio — SPecies quædam iam dictæ esse videtur, si non eadem. Magnitudinem icon ostendit, quemadmodum & figuram. Cortice russo obsoletiore contecta est, tenui, & oui putamine non crassiore, fragili, & vngue separabili. Sub quo substantia fusca, dura, feréque ossea, secundum longitudinem flexuosè sulcata, quorum impressiones vestigia in extimo quoque cortice conspiciũtur. Sapor adstringens. Interiorem substantiam describere non possumus, cum fructum dissecare [quòd noster non esset, sed Cl. D.D. Plateri, qui picturæ & descriptioni suppeditauit,] non fuerit integrum.

Fructus alius. — Anno [illegible]08. ex munere Ill. nostræ Princ. nacti sumus similem fructum vncias duas longum, vnciam vnam non latum, externè ex fusco nigrum, cortice tenui tectum, sub quo materia fusca, cui subest os durum, albicans.

Alius — Datus præterea alius longior & paulò crassior, in quo detractus cortex & pars elatiorum rugarum, quod limace forte factum.

Tertius. — Tertius item minor, verùm torno omninò lævigatus & ophitem lapidem repræsentans, colore & maculis nigris: in medio est foramen non totum penetrans, quod arte factum existimamus. *Icon cum alia habetur in cap. præc. 204.*

FRVCTVS CANNAE DE BENGALA creditus.

CAP. CCVI.

Descript. — TRadit Clus. Exot. lib. 2. cap. 3. fructum peregrinum, squamosum, exilem, de quo ait: Erat paruæ Auellanæ nucis magnitudine, valde elegans, orbicularis, nisi extima pars in mucronẽ desiisset: petiolus, cui inhærebat, breuis, tribus appendicibus veluti calyce fructum imâ parte apprehendens, qui tanquam squamulis serie quadam in obliquum dispositis constabat, ab extimo, versus petiolum vergentibus, contrario prorsus quàm in præcedente situ. Flauescebat autem & inanis erat. Si verò Abdalæ Guzaratensi [quem dixi à Batauis Naucleris illo ipso anno ex Iaua aduectum fuisse, cuique eum fructum Amstelredami ostendebam, percontans an agnosceret,] fides est adhibenda, *Canna de Bengala fructus est*, sed exilis & immaturus. Franciscus tamen Roderiguez è Bengala ipsa oriudũs, sibi notum esse negabat.

FRVCTVS PEREGR. ELEGANS, SQVAMOSVS.

CAP. CCVII.

Descriptio — FRuctum tertium peregrinum, squamosum icone & descriptione proponit Clus. loco citato, de eo autem scribit. An eius generis ille fructus, quem vt describere possem anno 1599. ab honesto viro Ioanne Gouerz vander Aer, mercatore Amstelredamensi, mutuò accipiebam? Certè formâ non dissimilis, sed longè maior, vt qui Iuglandem externum illum viridem corticem adhuc retinentem crassitudine superaret, orbicularis penè figuræ, magis tamen depressæ, & quasi in vmbilicum sidentis supremâ & imâ parte [inter quas trium ferè vnciarum erat interstitium,] & penè sex vnciarum ambitu: constabat verò veluti squamis eleganti serie in obliquum dispositis, ab extimo versus petiolum tendentibus, illisque quodammodo sectis & lacunam habentibus per longitudinem: squamulæ autem petiolo proximæ sursum vergere nonnihil videbantur, nucis color splendens & spadiceus: eàque nucleum cõtinebat: nam cõmota & agitata strepitum edebat, valdè tamen leuis erat pro eius crassitudine. E qua regione esset allata, quoúe nomine appellaretur, ignorare se dicebat, qui illam mihi commodabat. — Squamæ. — Color.

NVX INDICA TESSELLATA PERELEGANS.

CAP. CCVIII.





Descriptio — NEc minori sed vel operosiori naturæ ostento, præcipuęque elegantiæ, si quem alium videre hactenus contigit, insignitum hunc fructum & alios non paucos habemus ex liberalitate Ill. ac Clementiss. nostrę Principissę, Ducissæ Wirtemb. &c: Amplitudo sescuncialis, exactè propemodum rotunda, nisi vtrinque leuiter

Digitized by Google

leuiter sessilis esset. Infernè sinum & pediculi vestigium habet. *Cortex.* In cortice decus præcipuum, qui culmum crassus & firmus satis, exterius læuis, splendidus, spadiceus, totus tessellatus, sulcis ac striis impressis per singulas tessellas secundum longitudinem excurrentibus, & rursus aliis obliquè & intercussatim, pulcherrimo, mehercle, naturæ emblemate. Corticis interna pars fungosa, eademque penè quæ interioris corticis castaneæ, tam colore quàm substantia, sed densior ac minùs villosa. *Nucleus.* Nucleum continet magnitudine ferè Iuglandis, sed rotundum, aut certè rotundo proximum, supernè vmbilico præditum satis insigni, à quo per eius longitudinem sulcus insignis descendit, substantiâ ossea, qui serra dissectus ebur politum colore, læuore, & duritia refert. Sapore quidem nullo manifesto, aut quod vetustate exoleuerit, quippe qui in terra per annum ferè manu eiusdem Illustr. Cels. consitus delituerit. Qui demùm, quòd nullam faceret germinationis spem, ad nostras quoque peruenit manus. Vtriusque faciem non malè exprimit icon nostra.

Locus. Descriptio. Clus. Exot. lib. 2. cap. 4. huius fructus etiam iconem habet, ac de eo scribit. Londino anno 1598. fructum elegantissimum accipiebam à Iac. Gareto, ex Guyana Americæ Prouincia, ab his, qui Generosum Equitem VValterum Raulæum comitati fuerant, allatum. Orbicularis rotunditatis ferè erat primus, ab vmbilico siue infima parte ad supremam tres vncias vtrinque latus, & sex vnciarum totus per transuersum eius ambitus, *Cortex. Color.* cortice siue corio valdè duro tectus, spadicei è nigro coloris, sed adeò elegantibus, cùm rectis, tum obliquis, transuersisque ad amussim, &, proportione quadam seruatâ, ductis sulcis insignito, vt summum Naturæ miraculum appareret: *Ossiculum.* ossiculum satis magnum in se continere, ex sonitu quem agitatus edebat, coniecturam facere, & per sedem, quæ nonnihil aperta & hians, videre licebat: quâ tamen formâ, quóve temperamento esset præditum, me latet, quia fructum, qui mihi vnicus erat, & propter venustatem charus, confringere verebar, ne corrumperem.

Fructus alius Locus. Similem anno insequente mihi ostendebat honestissimus vir VVilhelmus Parduynus Mediobturgensis etiam ex Guyana, vt aiebat, delatum, sed minorem, vt qui binas duntaxat vncias cum semisse ab infimâ sede ad extremum mucronem, & totidem in ambitu haberet.

Tertius. Alium huic etiam non dissimilem nanciscebatur Christianus Porretus Anno 1600. qui licet vetustus & cariosus, calycem tamen cui pediculus annexus erat, adhuc retinebat: *Squama.* in illo etiam squamæ magis distinctæ apparebant, & à summo ad imum progredi manifestè conspiciebantur, non à pediculo ad summam partem: quod in duobus aliis obseruare non licuerat, adeò arctè & firmiter cohærebant, vt ipsum corium siue integumentum sulcis duntaxat distinctum videretur.

BALY INSVLÆ FRVCTVS, PYRI FORMA, ASPER.

CAP. CCIX.

Locus. Descriptio. IVxta Scriptorem primæ partis Historiæ nauigationis Batauorum in Indiam Orientalem anno 1598. euulgatam cap. 37. *Baly* Insula profert fructum magnitudine nostratium Pyrorum, cortice præditum aspero instar squammarum piscium, pulpâ albâ præditum, adstringente & continente vnum ossiculum, sæpenumerò etiam bina. Nascitur in altis arboribus confertim congestus vuarum modo, tantâ abundantiâ, vt mirum sit ramos non confringi.



Asseruatio. Adseruatur melle coctus, aut muriâ conditus. Hunc Clus. Exotic. lib. 2. cap. 4. hunc in modum describit: *Descriptio.* Pyri propemodum formam habebat, ex Baly insula Iauæ vicinâ delatus, muriâ, ni fallor, conditus, à Naucleris Batauis anno 1597. vt conseruare possent. Erat autem tres vncias longus, eius ambitus, eâ parte, quâ pediculo inhæsisse videbatur, sex penè vnciarum, supernâ verò parte angustior, & veluti in metam desinens: vt quodammodo Ficus aut Pyri formam æmularetur, quo nomine etiam Christiano Porreto missus fuerat Amstelredamo. Aspero tectus erat cortice, & ab infima parte, sursum versus, densis ordinibus veluti squamularum sibi mutuò incumbentium ornato, quæ seiungi nequibant, sed cum integro cortice non valdè denso eximi poterant, *Cortex. Color.* flauescentis coloris, dum recens ex conditura exemptus, deinde subfusci. *Pulpa.* Continebat porrò hic fructus pulpam albam, odoratam, instar Pyri formatam, substantiâ autem non valdè absimilem, albo illi condimento, quod ex Amygdalis repurgatis & contusis, lacte, farinæ flore, aqua stillatitia è Rosarum floribus & saccharo fieri solet, solidiorem tamen, nec adeò glutinosam, sapore [quia fructus muria conditus fuerat, valdè salso & linguam mordacante, *Ossiculum.* continentem in medio ossiculum solidum, penè vncialem, & in metam assurgentem, formaque ipsum fructum referentem, infernâ parte crassiorem, supernâ angustiorem, pulpæ autem integræ adiunctos obseruabam binos aut tres grumos, & veluti ex crassiore fructus parte dependentes: etenim corticem secundum longitudinem fissum, facilè integrum à pulpa separare poteram, haud secus ac serpentis exuuium, quia pulpa non adhærebat, nisi paullulùm eâ parte, quæ à pediculo pependerat.

FRVCTVS PEREGRINVS IERASOY.

CAP. CCX.

IErasoy dictus fructus è rarioribus quoque esse videtur: per medium sectus cauus apparet, sed binis cellulis intergerino pariete interueniente distinctus, aut si integer esset, [vti non esse coniectamur, quem apud Cl. D. D. Fel. Platerum & C. Bauhinum vidimus, prædicto nomine] quaternis. Extima facie læuis, sed squammatus, albicans, pediculo crassiusculo. Rosæ nondum expansæ, ac per medietatem sectæ figuram nonnihil referret, nisi esset cauus. Ita squammata eum extrinsecus ambiunt foliola.

DRACO ARBOR: ET DE EIVS Lacryma, seu sanguine Draconis, Cinnabari Veterum.

Cap. CCXI.



BAro quidã Germanus, cuius nomen non amplius occurrit, olim ex Hispania nobis foliũ attulit Lugd. nomine arboris *sanguinis Draconis*, simile folio depicto à Clusio, cuius iconem (ego Bauh.) pro Hist. plant. Lugd. curaui depingendam, qualem etiamnum in ea conspicere est. *Descriptio folii.* Accedit aliquo modo ad Palmæ foliũ, commune aliquid cum folio Iridis, & potissimùm palustris luteæ, habens, striatum, virescens, cubitos duos & semis longum, acuminatum: sescunciam latum, latius multò quà trunco adhæret, plusquam quincunciale, membraneis veluti alis vtrinque donatum, & colore lucido ad luteum tendente præditum. Transuersim in tabella pictum vides.

Arboris descriptio. Est verò Draco (vt auctor est Clus.) procera arbor Pinum procul intuentibus referens, adeò æquales sempérque virentes sunt rami. Huic truncus crassus, *Rami.* octo aut nouem bicubitales ramos, æquales & nudos sustinens: hi rursus in summo finduntur, & in alios ternos aut quaternos ramos cubitales aut paulò ampliores, brachialisque crassitudinis *Folia.* desinunt, nudos item & sine foliis: qui in summo gestant capita plena cubitalium foliorum, maiusculi pollicis latitudine, sensim in mucronem desinentium, in medio densiorum, & eminentiore costa, vt in Iridis foliis, tenuium & rubentium in lateribus. Mucronem planè repræsentant ea folia, sempérque virent, & Aloës & Iri- *Truncus.* dis modo, inuicem amplexando nascuntur. Trũcus perquàm scaber, multis rimis dehiscit, humoremque fundit per Caniculæ æstus, qui in ru- *Lachryma eius, sanguis Draconis.* bram lacrymam densatus, *sanguis Draconis* appellatur, ob quam causam, hanc arborem *Draconem* nuncupauit. Materia trunci firma est, ferrúmque *Lignum.* difficulter admittit, quòd veluti fibris trãsuersim & obliquè excurrentibus constet, at rami cùm multo succo prægnantes sint, satis facilè cædi possunt. Eã arborẽ Vlysipone primùm vidisse testatur *Locus.* idem, Anno Christi 1564. pòst monasterium D. Virgini sacrum, cui nomen *à Gratia*: octo Palmorum crassitudine inter aliquot Oleas in colle nascentem, monachis ignotam & neglectam, quam neque florem neque fructum ferre assererent: rem tamen aliter se habere postea deprehendit, ramulo ex illa ipsa arbore anno sequente donatus ab amico. Est autem hic ramus (quem cum aliquot foliis, corticisque fragmento, & lacryma suis manibus exempta multo tempore seruare se ait.) pedali ampliorée longitudine, cui inhærent alii ramuli, multo fructu racematim *Fructus.* compacto onusti. Fructui color flauescens, sapor aliquantulùm acidus, magnitudo exigui cerasi. Eum in summis capitibus nasci verisimile est, vt in Palma dactyli nascuntur: spatha tamen vti illos includi non intellexit. Huius porrò arboris recentia capita tenella sunt, & humilium Palmarum siue Chamæriphes modo, cuius cerebrum in deliciis est, edi possent, nisi amaritudo prohiberet. Hæc ex obs. Clus. quibus subiicienda quædam de eius succo à nobis obseruata.

Sanguinis Draconis descriptio. Pulchros sanguinis Draconis grumos asseruamus, glebis Thuris æquales, rotundos vt plurimùm, alios inæquales, foris ferrugineos, fractos pellucidos, coccineos, concretione Vernicis duræ, dentibus fragiles, saporis expertes, saliuã statim & affatim rubore tingentes, qui candelæ admoti flammam concipiunt liquescúntque *Adulteriũ.* Resinarum instar. Admistæ reperiuntur glebæ, quæ colorem præcedentis Resinæ egregiè mentiuntur, cæterùm concretione gummi Arabici: non enim accẽduntur flammæ candelæ admotę, sed bullas agunt, crepitántque, in aqua soluuntur, quam & mucilaginosam reddunt, dentibúsque lentore suo valdè adhærescunt: & vix leuiter *Qualis sit officinarũ.* saliuam rubore tingunt. In Offic. plerúmque sordidior est, corticésque habet admixtos, coloris ferruginei, nunc crassiores, nunc tenuiores, sapore adstringente, qui flammescunt quoque, vnde decidentes adnatæ lachrymæ liquefactæ tingunt itidem. Atque hæc nobis obseruata sunt in sanguine Draconis, quam lachrymam vocant.

Sang. Draconis facticius Duplex. Alium habent off. duûm generum: Vnum siquidem, licet ligni cuiusdam rubri assulis admixtis impurius videatur, flammam tamen luculentam concipit, liquescitque glebularum instar minorũ præcedentium Thuris magnitudine: vt ab illis non nisi impuritate quadã discrepare sit verisimile. Alterum ossis constat compressis, obscurioris & sordidi coloris, nullo modo flammam concipiens, & gummi instar lentescens adulterinum. Cæterùm quoniam iam suo seculo Dioscor. scribit Creditã Cinnabarim esse sanguinem Draco- *Cinnabaris Diosc.* nis, placet eius ea de verba proferre. Cinnabarim [inquit] falsò putant nonnulli cum eo quod Minium appellatur vnum & idem esse: [reliqua vid. lib. 5.] Cinnabaris autem de qua hic agitur ex Africa quidem inuehitur, at magno constat: & vsque adeò rara est, vix vt versiculoribus pictorum lineis satis esse queat. Est porrò altè & abundè colorata, & eam ob causam quidam sanguinem esse Draconis existimauerunt. (αἷμα δράκοντος: al. δρακόντων.)

Vt iam Dioscor. non temerè à Galeno lib. 11. simpl. notetur, ὡς ἀγνοῶν τῆς Ἑλλάδος φωνῆς, καὶ ἀγνοῶν τὰ σημαινόμενα τῶν Ἑλληνικῶν ὀνομάτων, qui non agnouit τὸ κιννάβαρι vocem esse æquiuocam, significaréque etiam Minium illud arenarium, quod quia ex naturalibus arenis fieret, à Theophrast. περὶ λιθῶν, ἄμμιον dictum est, quod vel ex hoc autore discere potuisset. Et fortè qui tum Cinnabarin, sanguinem Draconis dixerunt, non animal, sed arborem hanc intellexerunt: quanquam Theophr. κιννάβαρι de quo ipse agit δράκοντος αἷμα creditum scribat, quod saturè rubro esset colore.

Fortassis & ea ipsa arbor est aut eiusdem saltem generis, cuius Strabo lib. 3. Geograph. ex Possidonio meminit, his verbis: De arbore in Gadibus *Arbor Gaditana.* existente scriptis prodidit Possidonius, quæ ramos humum vsque incuruatos habeat, frondes sæpissimè mucronis speciem gestantes, quarum ad cu-
bitum

bitum longitudo est, latitudo verò digitorum quatuor. Circa nouam Carthaginem arborem esse, quæ de spina corticem emittat, ex quo telæ pulcherrimæ conficiantur. Huic quidem Gaditanæ, nos in Aegypto, in ipsa ramorum curuatura similem perspeximus. Cæterùm, fronde dissimilem, ac infructuosam. Hanc autem fructum ferre dicit. In Cappadocia quoque è spinis collecta texuntur. Arbor autem nullas spinas affert, è quibus cortex extet, verùm humi serpens herba. Gaditanæ verò arbori, & illud innatum esse traditur, quod vno fracto ramo lac effluit, quod si radicem absciderìs, minii humor exsudat. *Hæc ille.* Verùm arbor de qua hic traditur, teste Clus. neque ramos habet incuruatos, neque folia tam lata habet, nec illius ramis effractis lac exsudat, at humor aqueus duntaxat. De radice quod adscribit, nostræ satis quadrare videtur, è qua secundum radices terebrata, lachrymam statis anni temporibus effluere aiunt rubram, vt posteà dicemus.

Altera & similis.

Minij humor.

Plin. & Solini error. Sanguis Draconis.

Plin. lib. 33. cap. 7. Itémque Solinus, cap. 28. suæ historiæ, in eo errore versati sunt, vt existimarent Cinnabarim Indicam, sanguinem seu saniem esse Draconis elisi Elephantorum morientium pondere, permixto vtriusque animalis sanguine. Videntur autem mercatorum fabulis decepti ita credidisse. *Sed præstat ipsum audire Plinium*: Milton, ait, vocant Græci minium, quidam Cinnabarin. Vnde natus error Indico Cinnabaris nomine. Sic enim appellant illi saniem Draconis elisi Elephantorum morientum pondere, permisto vtriusque animalis sanguine, vt diximus. (lib. 8. c. 11.) Neque alius est color qui in picturis propriè sanguinem reddat. Illa cinnabaris antidotis medicamentisque vtilissima est. At hercule Medici, quia Cinnabarin vocant, pro ea vtuntur hoc minio, quod venenum esse paulò mox docebimus. Cinnabari Veteres, quæ etiam nunc vocant Monochromata, pingebant. Pinxerunt & Ephesio Minio, quod derelictum est, quia curatio magni operis erat. Præterea vtrumque nimis acre existimatur. Cinnabaris adulteratur sanguine caprino, aut sorbis tritis. Pretium sinceræ nummi quinquaginta. *Hæc Plin.* Qui dum Medicos erroris insimulare conatur ipse in longè maiorem quasi præceps ruit, quando credidit Draconis bestiæ maximè venenatæ cruorem salubrem esse, antidotisque admisceri.

Milton. Minium.

Adulteriū. Pretium. Alter Plinerror.

Hermol. not.

Hermol. de generationis sanguinis Draconis modo eadem quæ Plin. dicit, quasi ipsemet vidisset. Sed iam prisco ille æuo Arrianus in Periple ac lustratione maris rubri prodidit, Cinnabarim Indicam cognominatam, lachrymæ instar ex arboribus colligi in insula Dioscoridis appellata nascentibus: γίνεται δ' ἐν αὐτῇ [inquit] ἡ κιννάβαρι ἡ λεγομένη ἰνδική, ὡς ἀπὸ τῶν δένδρων ὡς δάκρυ συναγόμενον.

Cinnabaris Indica.

Et hoc seculo Aloisius Cadamustus Venetus l. 4. suæ nauig. eiusmodi arborum in insula *Sancti portus* Lusitanis vocata, hodie nascentium meminit, fructum earum similem esse Ceraso, coloris *Veneti*, hoc est, cœrulei: arbores certo anni tempore incidi: anno verò proximè sequenti fluere lachrymam. Insulæ, quæ arbores eas fert, incolæ *siluam Draconum* vocant, & aduenas eam adeuntes per iocum tali nomine deterrent. Ipsam verò lachrymam exceptam è vulnere incolæ ahenis decoquunt, & defæcatam *sanguinem Draconis* appellant. Sed nobis non videtur verisimile decoqui lachrymam, nisi paretur ad adulterium. Meminit quidem αἵματος δράκοντος Ætius, tum alibi sæpiùs, tum etiam Tetrab. 4. Serm. 3. cap. 12. in Emplastro Purpura inscripto: sed fallitur dum suum illud αἷμα δράκοντος in India ex herba quadam Draconculo appellata colligi scribit, præsertim si Codice musto αὐτόπτῃ fides adhibenda aliisque Recentioribus, qui de ea arbore tradiderunt.

Sylua Draconum.

Modus parandi.

Apud Serap. legimus *Demalochahen*, id est, sanguis Draconis: Diosc. Verùm non possumus dicere Serap. intellexisse Cinnabarim, quando quidem verba tantùm Diosc. & Gal. de Achillea recitat, nec arboris fit mentio in nostro Codice, licet Cornar. scribat eum arborem dicere. Fortè interpretis culpa fit mentio sanguinis Draconis. Quicquid sit falluntur vulgata exemplaria, dum iam dictæ herbæ succum sanguinis Draconis nomine describit. Vt non videamus quo iure Cordus reprehendit Anton. Musam, qui putat nostrum Draconis sanguinem diuersum esse ab eo, qui à Serapione describitur. Ipse potiùs reprehensione dignus vti patebit descriptionem eius cum arbore & sanguine Draconis conferenti.

Serap. Des[...]

Error [...] Serap.

Cordus not.

Marcellus vtramque Cinnabarim, tam Plin. quàm Diosc. ait passim esse in vsu: primùm in eo peccans quòd differentes facit: deinde si tales agnouit, quod vix credimus, quòd non doceat quænam illę sint.

Marcelli geminus error.

Monachi in Mesuen de Sanguinis Draconis diuersitate & homonymia tradentes, deteriorem fieri aiunt & albi, ex Sorbis contusis, bolo non Armeno, & caprarum seu hircorum sanguine; alii quę diuersis rebus, & placentarum more pastes formatas, furno aut Sole desiccari. Vtplurimùm in equorum & similium medicaminum vsam adhiberi, licèt multos non pudeat ad humanorum corporum vsus eas quandoque administrare. Veræ autem *Draconis* arboris surculos recentes habuisse, sed depactos Romæ non creuisse. Vlyssipone autem vidisse ingentes eiusdem arbores, columnarum modo erectas & vnistipites, more Palmarum, absque ramis. Folia eis esse similima Spatulæ fœtidæ, crassiora tamen. Corticem trunci subcinericium, & vnà cum tota arbore, rubro succo prægnantem. Scarificatas tempore congruo emittere lachrymas sanguineas, quas more gummi condensatas abradunt è cortice incolæ, nec vilius vendunt. Multos etiam lignum eius frustulatim incisum ebullire facere, decoctionémque huiusmodi igne aut Sole condensare. Ac vtrumque *sanguinem Draconis* nuncupari. Sed longè meliorem esse lachrymam, seu succum collectum ligni decoctione. Sed sine dubio falluntur, quando aiunt, meliùs esse huius veri loco vti succo sideritis seu Achilleæ Serapionis, vel succo lactucæ cum Auic.

Sang. Dracon. [...] Monach.

Vsus.

Locus Vbi Draconis arbor [...]

Descrip[...]

Geminus sanguinis Draconis [...]

Delectus.

Monacho[rum error].

Cardanus putabat arborem sanguinis Draconis è genere Cerasi esse, sed regionum varietatem effecisse, vt illius lachryma pro sanguine Draconis in vsu sit. Et mox: certè, inquit, vt colore præstat vero sanguini Draconis, qui teste Diosc. à Sideritide excipiebatur herba: ita vsu incognita propemodum. At Sideritidem Millefolii speciem putat Brasauolus. *Hæc ille.* Cuius ridiculam opinionem non temerè reiicit Scaliger, vir, vti videtur, ad explodenda pleraque Cardani dogmata natus. Nam [inquit] qui foliorum faciem ignoraret, à solo fructu non poterat vniuersæ speciei præscribere communem. Tantò minùs, cùm fructum illa, vt ille ait, cœruleum, vt alii, luteum ferat. Nostræ tot, tamque diuersis speciebus omnes rubrum. Nimirum totius quoque arboris facies diuersa est. Stipes ab imo ad summum sese subiicit, totus teres, fastigio Pyramidis. In suprema cuspide rami aliquot, cum quernis frondibus. Cortex ei admodum delicatus. Secundò malè loquitur

Cerasi [...]

Ridicula Cardani opinio.

Refutatur error Cardani per Scaligerum [...]

Quernis frondibus [...]

Cardanus: non enim regionis diuersitas efficit vt eius lachryma pro sanguine Draconis habeatur, sed color. Neque si coloris autorem dicat regionem, continuò rectè sentiat. Non enim regio est, sed forma. *Tertius error.* Tertiò: qui scit Cardanus, huius lachrymæ colore sanguinis Draconis colorem minùs esse commendabilem: cui, qualis illa sit Sideritis, incompertum est. Brassauoli quoque satis fugidè turget autoritate. Nam si Cardano nota fuisset, vel herba, vel succus ille, à Serapione potiùs, atque Aboali accepisset qui primi omnium, quod è scriptis quidem constet, id ei nomen indiderunt. *Alachum. Dem Alachuen* Alter enim *Alachum*, alter *Dem Alachuen* vocat: quam ad rem cùm testem citaret Dioscoridem: nonne sibi erat conscius incuriæ & audaciæ suæ? Quid sibi vult à nobis credi posthac? *Cardanus falsò accusatur* quando sibi è Sideritide Dioscor. expressit sanguinem Draconis: At ille inter quatuor Sideritidum historiam, de eo nihil. Vbi verò castigat eos, qui Cinnabarin sanguinem Draconis existimarunt: tantum. At præterea nihil. Vnde huc noua subtilitas emergit. *Alia Cinnabaris Diosc. alia nostra mineralis seu factitia.* Nostrum enim Cinnabrium ab illa Cinnabari Dioscor. longè est diuersissimum. Cinnabarim Diosc. huius arboris succum existimo: Cinnabarin nostrum, siue Cinnabrium, rē factitiam. Sic Plin. Indicam Cinnabarin aliud à metallo fuisse docet, in illa sua vndetricesimi libri declamatione. De sanguine Draconis autem tota fabula est. Atque ita quidem Scaliger & Cardanum perstringit, & suam de hac re sententiam liberè nullâque circuitione vsus, explicat. Potuisset tamen mitiùs tractare hominē Scaliger, si animaduertisset eum Serapionis textu aut fortasse eius interpretis versione lapsúque deceptum, qui ad illud Sideritis caput Dioscor. citat, quasi ex eo desumpsisset: Cui fidens Cardanus, Diosc. vlteriùs non consuluit, maiore sanè oscitantia, quàm tantum Philosophum decebat.

Porrò quum hodiè Materiarii Mancipes, & officinæ medicamentariæ, sanguinem Draconis ostendant, quem ita nominant, ac pro Draconis sanguine diuendunt: non satis constat, an hic *sanguis Draconis* vera illa Indica Plinii cinnabaris sit, an adulterata, velut quibusdam videtur, qui iuxta Plin. ex sanguine hircino, bolo armena, & sorborum succo, aut aliis similibus succis (vt priùs dictum) factitium quiddam esse censent. *Sanguis Drac. offic. Cinnabaris Indica Plin.* Rem certè metallicam esse, nullo argumento, quod sciamus, probari posse, cum Cornario arbitramur. *Cinnabriū factitium.* Est enim Cinnabaris vel Cinnabrium [liceat ita cum Scal. vocare ad illius discrimen] quod pictoribus & Officinis hoc nomine notum, res planè factitia, ex Sulphure & argento viuo multo igni inuicem calcinatis & reuerberatis [vt loquuntur] effecta. Est & aliud fossile, spontè per se nascens: quorum neutrum id est, quod sanguinem Draconis in offic. vocant: ac sanè ne illud quidem quod Cinnabarin Dioscorides, quæ ex Africa defertur, eadem facultate pollens, quâ hæmatites lapis, vt patebit in viribus, quas nemo Cinnabrio minerali, vel factitio, vel fossili tribuet.

Cinnabarin verò Dioscor. esse sanguinem arboris Draconis atque adeò hanc lachrymam quæ hoc nomine hodie habetur legitimam esse Diosc. *Autorum consensus de Cinnabari Diosc.* Cinnabarin præter iam dictos autores, Matthiol. Amatus, Lacuna, Fallop. Castor Dur. Theuetus, Clus. Dalech. Hist. Lugd. & Celebriores Medici plerique, vt non malè iam Diosc. ætate, Sanguis Draconis, non animalis quidem, sed arboris fuerit nuncupata.

Fuchs. err. Fallitur verò Fuchs. de Matth. censura, quando existimat, in Nic. Myrepsici codice in Damasonii antidoto ab aliquo imperito additam esse cinnabarim. Nam non de factitia cinnabari vel fossili, sed de arboris Draconis lachryma, Dioscoridi Cinnabaris dicta intellexisse censendum. Deceptus autem fuit Fuchs. non tam vocis homonymia quàm rei ignorantia, vt quidem conicere est. Verùm ipsius Nicolai verbis doceri potuisset, quando ait: κιννάβαρι καὶ αἷμα δράκοντος.

Sed quid Theuetus de hac arbore tradit paucis quoque videamus. *Theueto Sanguis Draconis.* In insula Madera, inquit, quædam arbores certo anni tempore Gummi exudāt, quod sanguinem Draconis vocant, perforata arbore propè radicem magno & profundo foramine. Eius fructus luteus est, magnitudine Cerasi nostratis, refrigerando corpori, & leuandæ siti, in febre aut ardorib. valdè vtilis. *Fructus luteus Ceraso similis. Eius vtilitas. Cinnabaris.* Non est dissimile à Cinnabari Diosc. de qua & Plin. Apud nos non reperitur nec Cinnabaris, nec Sanguis Draconis puri, quales descripserunt Veteres, sed vterque adulteratus. Prædictum igitur Gummi omninò existimo Cinnabaris & sanguinis Draconis astringente vi. Hæc Theuetus, Sed mirum cùm αὐτόπτης sit istarum Insularum scriptor, eum arborem non describere, ac ne vlla vel notula quidem designare, non absque negligentiæ næuo. *Theuet. not.* Videt etiam Lector recentiores hos Autores, Aloisium Cadamustum, [cuius suprà meminimus] & Theuetum in fructus colore minimè conuenire, hic flauum dicit, cui subscribit Clus. ille Venetum, id est, cœruleum vt Vegetius interpretatur, vel marinum, & Thalassinum, vt Lucretius & Lampridius: vel ferrugineum, vt alii. Hi enim tres tātùm ex Recentioribus, quod equidem sciamus, hanc arborem descripserunt. Sed fieri potest, vt fructus ipse variet, vel mutatione coloris, vel pro diuersitate arboris speciei varietate differentis.

Ergo hæc arbor δράκων siue δράκοντος τὸ δένδρον, quamuis eius arboris veteres Græcos meminisse nondum apertum sit: *Synonyma Linguas.* Lacryma verò κιννάβαρι Antiquorum & αἷμα δράκοντος recentiorum Græcorum. Draco arbor: Cinnabaris: sanguis vel lachryma Draconis. Germ. Drackenbaum/ Drackenblut. Gal. *sang de Dragon.* It: *Sangue di Drago in lacrime.* Castil. *Sangre de Drago en lagrima.* *Etymologia.* Portug. *Vermellao.* Arborem quoque Hispani *Draconarium* vel *Draconem* appellant, vnde eius liquor sanguis Draconis: quod nescientes decepit, vt sanguinem animalis esse crederent.

Locus. Apud insulas Maderiæ & Canarias, olim Fortunatas dictas magna ex parte prouenit, & fortè etiam in Africa quæ Cinnabarim Dioscor. tempore subministrabat. Ex quibus locis in Italiam importatur parua quantitate, & carè venditur, teste Lacuna. Sed adulterata per totum ferè mundum distribuitur. Aloisius Cadam. scribit sanguinis Draconis arbores præcipuè crescere in parua quadam insula Atlantica Oceani propè Maderan, quam Lusitani Portum sanctum appellarunt, vti dictum. Fructum fert Martio mense. *Tempus.* Olysipone nasci arbores, iam suprà dictum.

Cæterùm ad id, quod Strabo ex Possidonio arborem suprà ex eodem descriptam in Gadibus nasci prodidit, ait Clusius, se, tametsi diligenter totam insulam perlustrarit, nullam arborem cōspexisse, qualem Possidonius scribit: sed neque vllam aliam, præter aliquot salices, & vnam aut alteram siliquam, licet [vt ab incolis viris fide dignis accepit] circa vrbem Gades, recenti adhuc adhuc memoria, lætissima viridaria fuerint, omni fructiferarum arborum genere excultissima, quorum

rum ne vestigia quidem nunc apparent, saburra arenacea, quam naues eò appellentes exonerarunt, omnia complente & exurente. Simile folium, quale separatim in icone expressum, qualéque olim Baro Germanus ex Hispania attulerat, dono accepimus à perdocto & egregio Medico D. Osuualdo Crollio, quod rapaci cuiusdam manu nobis fuit surreptum. Lobel. annotat creuisse Draconem arborem suo tempore in Coldenbergii horto Antuerpiæ ex Hispaniis delatam, talem omnino, qualem eleganter Clus. descripsit.

Vires & vsus. Oculi. Cinnabaris, vt prodidit Diosc. eandem vim habet, quam Lapis hæmatites, ad oculorum medicamenta vtilem, imò etiam efficaciorem: magis enim adstringit & sanguinem cohibet. *Sang. fluxus.* Igni quoque ambustis, & papularum eruptionibus cerato excepta medetur. Galeno Cinnabari modicè acrem facultatem obtinet. Habet verò & adstrictionis quippiam. *Ambusta. Papulæ.* Fructus aciditas argumento est vtiliter in febribus, vt censet Theuetus, præberi posse. Eius lachryma, inquit Clusius, adstringendi vi pollet, illiúsque vsus non infelix ad muliebres & dysentericas fluxiones, cruentas excreationes, firmandos commotos dentes, & roborandas gingiuas. Quæ facultates eis admodum sunt similes, quas Diosc. Cinnabari tribuit. Non tamen existimamus frigidam & siccam esse tertio gradu, vt Lonic. scribit: nullam etiam insignem vim hactenus animaduertimus in legitima, ad reprimendos fluores sanguinis. In adulterino ob admixta adstringentia maiorem credimus.

TACORI FOLIA DRACONIS ARBORI SIMILIA.

Cap. CCX.

Locus. VValchius Syvertz Amstelredami redemerat de nautis anno 1590. reducibus ex America folia Tacori, in Kayana & VViapock nascentia: arborisne verò, an alicuius alterius plantæ, non erat adscriptum, inquit Clus. Exot. lib. 2. cap. 21. *Descriptio* Draconis tamen arboris, cuius historiam primo Rariorum Plantarum dabam, foliis valdè similia erant, cubitalis, vel etiam bicubitalis longitudinis, vncialis verò latitudinis infimâ parte, deinde paulatim in mucronem gracilescentia. *Vsus.* Incolas aquâ macerare dicebant, contundere, & in tenuia stamina diducere lini aut serici instar, *Filum. Funes.* quin & funes ex illis torquere ad tigna in suis fabricis colliganda idoneos. An alterius sit apud illos præterea vsus, ignoro.

SVCCVS, SEV GVMMI, AVT POTIVS RESINA CINNABARIS COLORE inficiens.

CAP. CCXI.

Descriptio MIttebat Garetus, inquit Clusius Exotic. lib. 4. cap. 8. succum duodecimum, quem anno 1603. ab iis, qui Iacobum van Neck ex Sinarum regno comitati erant, acceperat: gummi cuiusdam fragmentum in planam massam redacti semuncialis penè crassitudinis, quod lucernæ adhibitum liquescebat, id, quum eleganti & florido cinnabaris colore inficeret, mihi persuadebam *Gummi arboris Draconis.* Arboris Draconis, purius & defæcatum gummi esse posse, quod sanguis Draconis appellatur. *Sanguis Draconis.*

SVCCVS RVBRO COLORE INFICIENS, AN OVIEDI BIXA?

CAP. CCXII.

DOnabat mihi, inquit Clusius Exot. 4. cap. 8. Amstelredami anno 1600. honestissimus vir Petrus Garetus Iacobi frater eius vrbis ciuis, succū concretum, ab iis, qui eodem anno ex sua longinqua nauigatione redierant, redemptum, qui siccus erat & durus, vt potiùs in pollinem attereretur, quàm dentibus cederet, aut ore retentus mollesceret: eius color ex atro rubescens, vt saliuâ leuiter aspersus non minùs rubro colore inficeret, quàm terra synopica, in quo tamen leuis quædam flauedo inspersa videretur, odoris, quemadmodum etiam saporis, expers (mea quidem opinione) nisi ex præcedentium odoratu & gustatione, odor & sapor naribus & palato adhuc inhærentes, meum iudicium deprauassent. *Descript.* Succúmne concretum hanc massam appellarem, an terram aliquam in globum congestam, hærebam: in eâ tamen opinione magis inclinabat animus, vt terræ genus quoddam id esse existimarem posse, quàm resinæ, quia igni admota nigrescebat, & candens consumebatur, quàm arderet & liquesceret. Nisi forte Bixa Ouiedi censenda sit, cuius in suo Summario meminit c. 10. & lib. 8. c. 6. primæ partis Hist. General. & Natural. *An Bixa Ouiedi?*

DRACONIS SANGVINIS FRVCTVS MONARDI, DRACONIS EFFIGIEM impressam habens.

CAP. CCXIII.

Descriptio FRuctum arboris, ex qua manat lachryma illa, quam sanguinem Draconis vocāt, quémque attulit ex noui orbis continenti Episcopus Carthaginensis, authore Monarde, longè diuersus est à prædicto, & admirandus: nam sublata, quâ integitur pelle, illico Dracunculus apparet, tanto artificio à natura fabricatus, vt à peritissimo aliquo artifice è marmore sculptus videatur, collo oblongo, ore hiante, spina aculeis horrida, cauda oblonga, & pedibus conspicuus. *Dracunculus.* Ab eo fructu denominationem proculdubiò sumpsit arbor, & eius lachryma, quæ ex illa per incisionem legitur, quam ex Carthagine Peruana selectissimam aduehunt: vnde Veterum & multorum Recentiorum inscitia deprehenditur, qui quid esset sanguis Draconis, aut cur sic appellaretur, omninò ignorarunt. *Etymon.*

Magna est arbor, cortice satis tenui, & qui fa-

Digitized by Google

cilè incidi potest: eâ vulneratâ, liquor ille effluit, quem *sanguinem Draconis* in lacryma dicunt, ab eo differens, quem sanguinem in pane vocant, quod in panes seu massas illic cogatur, quemad. resina in Castella.

Cæsalpinus quoque ex Monarde meminit huius sanguinis Draconis: sed arboris præcedenti cap. descriptæ non meminit. At Clus. refert, à Francisco de Hollebecque regis Hisp. hortulano sibi missos quosdam fructus Dragonalis nomine, ex quibus terræ cōmissis nonnulli prodierunt. Erant ferè foliis Iridis, oblongis, viridibus, per oras rubris [qualia in grandi arbore Olysipone conspexisse ait,] sed subsequēs hiems abstulit. Fructus is erat cerasi magnitudine aut Oxymirsines, rotundus, tenui pelle contectus; quâ sublatâ, osseus nucleus conspiciebatur, qualis est in fructu Rusci: sed is nullam animalis, nedum Dracunculi tanto artificio fabrefacti figuram referebat. Verùm rotundus erat & læuis, & totus osseus, vti dictum. *Hæ: Clus.*

Fructus Sang. Draconis descriptio Clus.

Sed & in eo repugnat descriptio Clus. à Monardis, quòd hic arborem scribit esse cortice satis tenui: ille verò ferrum difficulter admittere, atque adeò truncum eius perquàm scabrum esse, multisque rimis dehiscentem. Vnde Hist. Lugd. suspicatur Dracunculi fabulam esse cum mirando illo fructu, ac huius arboris historiam effictam, quod nos tantisper in medio relinquimus, & huius etiam historiam separatim hoc cap. apposita figura damus, non vt approbemus Monardis dicta contra sententiam Clusii [quam tamen directè neutiquam reiicit] sed donec prodeat qui nos doceat vter illorum veriora tradiderit: nam sanè si vterque vera scripsit, necesse est duas esse diuersas sanguinis Draconis arbores.

AGNVS SCYTHICA, BOROMETZ.

Cap. CCXIV.

Descriptio

HVic Monardis Dracunculi fructui insculpti narrationi attexamus longè insolentiorem, ex Scaligero. Superiora ludum putes, prout est admirabilis Tartaricus frutex. Tartarorum horda primaria Zauolha est, vetustissimæ nobilitatis commendatione. In eo agro serunt semen seminis Melonis simillimum, sed minùs oblongum. Ex eo satu plantam exire tradunt, quam Borometz, idest, Agnum vocant. Crescit enim Agni figura, ad pedum ferè ternûm altitudinem: quem pedibus, vngulis, auribus, toto capite, præterquàm cornibus repræsentat. Pro cornibus pilos gerit, singularis Cornu specie. Obducitur corio tenuissimo: cuius detracti vsus ad capitum tegmina incolis. Ferunt internam pulpam Gammari referre carnes. Cæterùm è vulnere quoque sanguinem manare. Dulcore esse admirabili. Radicem humo exertam surrigere ad vmbilicum vsque. Illud miraculi fouet magnitudinem. Quandiu vicinis obsidetur herbulis, tandiu viuere, quasi agnum in læto pascuo. Absumptis illis, tabescere, atque interire. Idque non solùm vel casu vel tractu temporis, sed etiam experiundi gratia, subtractis atque ablatis euenire. Quin illud auget admirationem: appeti à Lupis eam, non item ab aliis bestiis, quæ carne vescantur. Hoc quasi condimentum, atque intritum, ad fabulæ & Agni allusionem. Illud scire velim. Ab vno stipite, quatuor dissita crura cum suis pedibus, qui possint prouenire atque produci.

Tartaricus frutex. Semen melonis. Agnus frutex. Pedes. Vngula. Aures. Caput. Cornua pilosa. Corium. Caro. Sanguinis. Herbis gaudet. Lupis appetitur.

Laurentius etiam Seruius in Chronica Germ. anni 1504. meminit huius seminis Meloni similis, ex quo in Tartaria proueniat Agnus, lanam, carnē & sanguinem habens, qui ex medio ventre radicem habeat, terræ adhærentem, qui viuat ex esu adiacentis herbæ, quâ depastâ moriatur. Lupos & rapacia animalia ei infesta esse: hanc historiam confirmari per multos insignes viros. Inter quos Io. Maria Bonard. de miner. Agno similis planta apud Tartaros, quæ voratur à lupis, quasi agnus esset.

Et *Carotoë* similis fructus in regione Cadissa, in qua animalculum reperitur cum carnibus, ossibus, & sanguine, simile Agno sine lana, quod comeditur cum fructu.

Carotoë similis fructus.

Eadem Sigismundus Liber refert in suis Comment. de rebus Moschouitarum, vt mirum sit Scaligerum nec hunc, nec alium à quo fortè accepisse potest, citare pro teste, præsertim cùm hanc nec viderit, nec ab vllo visam proditum sit vnquam. Merebatur sanè tanti miraculi [nisi sit fabula, quòd valdè veremur,] recitatio, autoris honore mactari. Sed adeò nimirum omnia voluit scire, aut scisse putari vir ille sine æmulo maximus, vt vel in eo seipso fretus, noluerit alieni nominis subsidio gradum sibi facere ad gloriam suam.

Scalig. not.

FINIS LIBRI TERTII.

HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER QVARTVS.

QVI ARBORES VARIAS CONTINET POTISSIMVM INDICAS, AROMATICAS, ODORATAS, ALIASVE EXOTICAS, QVIBVS VARII generis interseruntur cortices & ligna.

TOt exoticarum ordini non absurdè subijcientur vel huius, vel remotissimi orbis Odoratæ arbores, earumque partes, quas quidem æquorea illa velitatio mortalium, proiectæ audaciæ plena, habendique cupiditate compulsa, & in hanc vsq; diem accersere ausa, non minori sanè huius Orbis ditandi compendio, quam ampliandæ felicitatis humanæ conseruandæque sanitatis accessorio, comparauit: cuiusmodi diximus, odoratas plerásque, & quicquid exoticarum diuitiarum nostro studio addisci potuit, vt doceremus alios: exorsi ab ea quæ præ foribus quasi occurrit; odoratarum vulgatissima, fortè & nobilissima, Lauro.

LAVRVS.

CAP. I.

Descriptio. LAurus plerumque multis stolonibus luxuriat, vel mediocris arboris altitudinem assecuta, alioqui in iustæ magnitudinis arborem excrescit, præsertim regionibus calidioribus, caudice enodi, cortice tenui, materie rara, nec multùm valida.

Radix. Radices habet crassas, inæquales & obliquas. Cæterùm perpetui viroris est, nitidi viroris in iunioribus, in adultioribus saturatioris, (eleganter Ouid.

Vtque meum intonsis caput est iuuenile capillis,
Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores.)

Folia. Folia ei oblóga, dura, acuminata, sed mucrone aliàs acutiore, aliàs obtusiore, sescunciã aut vncias duas lata, palmo longiora, versus pediculũ & mucronem paulatim angustiora reddita, quæ secundùm longitudinem percurrit costa recta, obliquàs in margines nullo ordine neruos exporrigens: *Sapor.* sapor acer aromaticus & subamarus. Adhærent autem folia ramis viridantibus, breui pediculo. *Flores.* Flores secundum ramos exeunt conferti, Hederaceis *Fructus.* quadantenus similes, maiores, albi, [Lobelio flauescentes] multis in medio apicibus: quibus succedunt baccæ Cerasiis minoribus pares, oblõgæ, colore primùm viridi, vbi maturuerint, nigræ: quæ sub cortice tenui, nucleum bifidum, callosum, ac durum, cum aliqua acrimonia amarum & pinguem claudunt.

Theophrasto quoque Laurus perpetuò viret: eius fructus benè olet & pinguis est. Pro flore vuam fert, [τὸ βρύον: fortè leg. [illegible], quod floris certum quoddam genus, in Lauri florem non malè quadrans.] Sed fructifera, quanquam non omnis, sed genus quoddam: tamen vna in Lauro non fructifera, quam marem vocant, magis *Differentiæ Lauri maris & fœm.* gignitur. Facilè perit Laurus ob raritatem infirmitatémque, quamuis non abundè fructificet: nã in hoc genere quædam sterilis est, vt & quędã *Sterilis.* muscosa. Non vermiculatur Laurus, quia acerba est, quamuis citò putrescat.

Delphica. Catonis. Cypria. Syluatica. Cato ex Lauri differentiis habet Delphicam, Cypriam & Syluaticam, quam postremam Clus. *Laurum Tinum* suspicatur, de qua postea.

Plinius de Lauro. Sed videamus Plinium in Lauris Triumphantem, qui tredecim eius genera recenset. Laurus, inquit, propriè triumphis dicatur, vel gratissima domibus ianitrix Cæsarũ Pontificúmque: quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat. Duo eius genera tradit Cato: Delphicam & Cy-

Ebenum, vt ipsimet cap. de Agallocho apertè declàrant: Et Lob. in Obs. ait, Hebenum siue Xylaloën, officinarum legendum: nullo sanè labore refutantur: Non enim nigra est Xylaloë, cui quàm benè Guaiaci odorem tribuant, ipsi videriat.

Hist. Lugd. not. Hist. Lugd. quoque Ebenum officinas pro Xylaloë habere ait: quasi nec ipsa apud priscos illos Theophrast. Diosc. Plin. & alios legisset Ebenum esse nigrum.

An verò Ebenus sit species Guaiaci, vti censent, asserere non possumus. Sanè quæ Ebeni nomine hodiè habéntur ligna, nec odore, nec sapore nec pinguedine cum Guaiaco conueniunt. Videntur & Guaiaco duriora, quamuis substantiæ soliditate ac pondere adeò quamproximè accedant. *Hatri* quoddam *Ebenū* putare, suprà dictum. Lacuna plures Ebeni species esse scribit, excellentissimam autem quæ vulgò dicitur Guaiacum: Sed vnde hoc scit.

Synonyma Linguarū *Hebenus. Hebenum. Ebenus. Ebenum. Eben.* Dicitur Græcis ἔβενος, & ἔβενον Suid. *Ebenus* siue *Ebenum*, teste Sirmio Mauro: vel vti alij scribunt, *Hebenus* & *Hebenum*. Sed meliùs *Ebenus* dici videtur, à nomine Hebræo *Eben*, quod lapidem significat, vt notat Gesn. Sanè & hæc Hebenus & hoc Hebenum cum aspiratione & sine ea scribitur à doctissimis autoribus. Luc. lib. 10.

-----Hebenus Mareotica vastos
Non operit postes.

Hebenus autem, inquit Seruius, arbor est, quæ cæsa durescit in lapidem. Malimus tamen hac in parte sequi Græcos [quòd & ipsa Græca dictio esse appareat] qui sine aspiratione scribunt.

Hauben. Goropio notante in Vertumno, Hebenum dicitur Hauben apud Hebræos, vt est apud Ezech. c. 27. Verùm quia Hebenum vox est Latinis, Græcis, Hebræis, Arabibus & Chaldæis communis, suspicatur tam ad antiquissimos referendam natales. *Etymon.* *Hauben* namque, quod [inquit] aliud est quàm *Haut-been*. [Cimbris id est lignum osseum, siue lignorum os. *Habenum. Abanus. Abenus. Ebanus.* Arab. dicitur *Habenum*, vel vt alij volunt *Abanus* vt Seran. cap. 152 seu *Abenus*, Barbaris *Ebanus*. Germ. Ebenholtz: Gal. *Ebene noir*: It. *Ebeno*: Hisp. Castil. *Ebano*: Portug. *Abenus*. Apud Paulum Epulionem Marcaorum, (qui in epistolis à se collectis scribit inter munera missa regi Hisp. Philippo per Regem Persarum, fuisse *quattri cornetti di legno Audanico, quali risplendeno come specchio*, [per lignum Audanicum splendens vt speculum, Ebenum intelligendum suspicamur.

Locus Theophrast. Indicam tantùm dixit Ebenum: Dioscor. tam Aethiopicam, quàm Indicam. Virg. Georg. 2.

-----Sola India nigrum
Fert Ebenum, solis est thurea virga Sabæis.

Ad quam Virg. sententiam Seruius: Atqui, inquit, & in Aegypto nascitur. Sed Indiam omnem plagam Aethiopiæ accipimus, quam & Virgilius, vel Constantino teste, Indiæ nomine complexus est. Lucanus per Mareoticam Habenum Aegyptiam videtur ostendisse, vt idem putat. Negat tamen Plinius Aegypto nasci. Solinus exigua Aethiopiæ parte tantùm crescere autumat. Strabo ex Megasthene scribit, apud Prasios (in India) nasci. Apud Plin. Meridiano Aethiopiæ cardine syluæ Hebeno maximè virent: quod & Theuetus confirmat, additque etiam in Calecut nasci. Ex Pomponio Mela discimus etiam in Arabia, & aliis varijs locis nasci, vt annotat quoque Amatus, qui addit, hodiè magnos truncos in officinis haberi vbi pectines fiunt, & eos egregios. Videas planè Venetiis & Augustæ Vindelicorum tanta copia Ebenum, vt sint ibi artifices, qui nihil aliud ferè quàm hoc lignum tractent. Apud Magnum Ducem Hetruriæ splendidissima opera affabrè facta ex Ebeno nigerrimo, politissimo, nec vulgatæ magnitudinis vidimus, & vidêre possunt curiosi qui Florentiā transeunt. Ferunt, inquit Curtius, Ebenum in mari rubro nasci, folijs Fructúque Oliuæ proximo. Sed hæc nouitas merebatur titulum sui autoris. *Curtius not.*

Cariem inquit Plin. non sentit Ebenus: eandem maximè æternam putant, claro iudicio in templo Ephesiæ Dianæ, de cuius simulacro Deæ ambigitur. Cæteri ex Ebeno esse tradunt. *Duratio.*

Ebenum Theophrastus ad cotem tritum, oculis vtilem prædicat. Et, vt scribit Dioscor. vim habet ea extergendi, quæ pupillis caliginem offundunt: pollet & ad veteres fluxiones ac pustulas. Quod si quis facta ex ea coticula (ἀκόνην) vtatur ad terenda collyria, efficaciùs medebitur. Ad oculorum medicamenta efficax quoque redditur, si scobes ramentáue in vino Chio per diem ac noctem macerata, diligentérque ad læuorem contrita, in collyria digerantur. Nonnulli ipsa priùs trita cribro cernunt, ac deinde reliqua eo modo peragunt. Quidam pro vino aquā vtuntur. Vritur etiam in fictili nouo, donec in carbones redigatur: lauatúrque plumbi vsti modo: Itaque preparatum aridis scabritijs lippitudinibus conducit. Non tractamus, inquit, in medicina alienos orbes: non omittetur tamen Ebenus propter miraculum. Scobem eius oculis vnicè mederi dicunt: lignóque ad cotem trito cum passo, caliginē discuti. Ex aqua verò & radice, albugines oculorum. Item tussim pari modo Dracunculi radicis adiecto cum melle. Ebenum medici & inter arrodentia assumunt. Consideratione quidem dignum quomodo intelligenda Plinij verba inter arrodentia. *Vires & Vsus. Oculorum caligo. Fluxiones. Carbones. Albugo. Tussis.*

Eiusdem meminit Gal. lib. 6. simpl. his verbis. Ebenus ex iis lignis est, quæ trita cum aqua facilè in succum resoluuntur, æquè ac lapidum nonnulli. Vis ei inest excalfaciendi, extergendi & tenuium partium, quamobrem quæ pupillas offuscant vitia extergere creditur. Miscetur alijs remedijs ocularibus, quæ ad vlcera vetera, fluxiones & bullas siue pustulas accommodata sunt. Cæterùm variat nonnihil Plin. à Dioscor. qui Ebenum super coticula tritum collyriis indi ait: illo autem Ebeni ligno ad cotem trito caliginem discuti. At Serapio ex Ebeno parari coticulam [fricatorium vertunt] cui collyria affricentur. Sed res eodem ferè redit, modò vis medicatrix collyrij dependeat ab Ebeno. Ἀκόνην sanè voce Græci non modò coticulam intelligunt, sed & medicamentum ipsum ad cotem tritum, qualem ex Ebeno fieri ad eum vsum perinde ac ex hæmatite nihil vetat. *Galenus. Temperā. Vlcera.*

Strabo autor est, Indicos exercitium, præcipuè frictionem, probare; maximè strigilibus leuibus corpora expolire. *Strigiles.*

Ebeni siccatos truncos, teste Matthiol. maximè hac ætate nouit Italia: namque innumeri visuntur in eorum officinis, qui pectines conficiūt ad explicandos aptandósque capillos: item apud illos, qui globulos funiculo traiiciendos ad preces numerandas torno in orbiculos expoliunt. Porrò quod de frictione ait Strabo, id & Curtius probat ex Celso, quòd corpus exedat, euocet, educat, leuétque exasperatum. Curtius etiam miratur, aliquos credere pectines & orbiculos deprecatorios, aliáque minima & leuia, torni opera, vt ille ait, ex Ebeno fieri, præsertim verò cùm tot,

& tam

Google

& tam varia venundanda exhibeantur. Existimat enim tanti pretii ac nobilitatis lignum in vulgatos hos vsus non venire, rariúsque esse, quàm vt eousque innotuerit vulgo.

Vtensilia. Sceptra. Pet. Martyr de rebus Oceani & noui orbis, in insula Guanabana scribit esse vtensilia ex ligno nigerrimo, lubrico, lucido, quod Hebenum Doctor I. Baptista Elysius esse contendit.

Deorum simulachra. Pocula. Reges Indos ex Ebeno sceptra gestare, Solinus author est. Eosdem non nisi ex Ebeno Deorum suorum simulachra fingere: item pocula craterásque ex eo factitare tradunt, quòd sanè credant contra maleficia efficacissimum esse, & quicquid veneficii fuerit, tactu eius auerti. *Contra maleficia.* Vt itaque nil mirum sit, si peregrè in pretio sit, cùm etiam his apud quos nascitur & familiare est, ipsísque adeò Regibus summo in honore sit.

Refert enim Plutarchus in vita M. Antonii Cleopatram Aegypti Reginam, Alexandriæ, apud Isidis ædem, & in præclarissimis sepulchris, aurum, argentum, pretiosósque lapides, Ebenum quoque, & quicquid denique rarum ac pretiosum haberet, condidisse & occultasse, propter bellum, quod Octauius Cæsar contra eam, & Marcum Antonium gerebat.

Adalligatum infantium cunis, tumultuosa insomnia prohibere scribit Albertus.

Hodie, vt dicebamus, varia opera ex ea fiunt, apud Magnates & Principes, thecæ, arculæ, abaci, capsellæ, speculi thecæ, pectines, narthecia, tragematothecę, sellæ plicatiles, pocula, ad altaria exornanda, signa crucis, cingendas imagines Principum aut Sanctorum, & alia eiusmodi propemodum infinita, eáque vel per se pura, vel auro, argento, aut ebore vario artificio adornata, qualia Venetiis, & Augustæ Vindelicorum apud artifices aut Magnates videri possunt.

EBENI VERSICOLORIS MATERIA ARBOR PYRIFOLIO.

CAP. CXCVII.

Descriptio SCribit Theoph. lib. 5. cap. 4. vbi de Terebintho Syria agitur, quæ Ebeno nigrior. Aliam arborem reddunt, quæ cum nigredine varietatem *Vsus.* quandam præ se fert subrutilam, vt aspectus Ebeni versicoloris appareat, fieri ex hac lectos, & subsellia, & reliqua lautiora opera narrant. Amplam maiorem in modum, & frondibus conditam pulchris, similémque Pyris eam assignant.

FRVCTVS PEREGRINVS TETRAGONVS.

CAP. CXCVIII.

Locus. Descriptio arboris. FRuctum peregrinum tetragonum referebant, teste Clus. in Exot. Bataui Naucleri, qui ineunte Septemb. anno 1601. ex Iaua & Moluccis Insulis reduces Amstelredamum, in quali tamen arbore nasceretur intelligere nequiui. Si tamen coniectura vti licet, prægrandis alicuius palmæ eiusmodi illa, quæ magnas Indicas nuces, vulgò *Coccos* appellatas, aut nucem *Fausel*, siue *Arecam* *Fructus.* profert, fructum arbitror, atque plures simul ex crasso vno pediculo instar illarum pendere.

Binas autem eiusmodi nuces videre mihi contigit. Vnam magnam, quam Cl. V. D. Petrus Paavvius artis Medicæ Professor in Academia

Lugduno Batauа, à Mercatorũ societate cum aliis quibusdam exoticis adquisiuerat. Alteram longè minorem, quam mihi donabat Amstelredami honestissimus vir VValthius Syuertz, illius vrbis Pharmacopæus, ab Isbrando Hieronymi F. Cheirurgo, qui eam retulerat redemptam. Vtraque verò quadrangularis erat formę.

Fructus maior. Maior porrò, nitidiore & læuiore cortice tecta, septem vncias à summo fastigio ad pediculum vsque longa, pedem cum semisse crassa erat, siue sesquipedalis eius ambitus: singuli enim anguli quatuor penè vnciis cum semisse ab inuicem di- *Cortex.* stabant: cortex valdè densus, ex multis fibris, retis quodammodo formâ contextis, constans, materiam fungosam intermixtam continebat, corióque, vt dixi, læui & splendente, spadicei coloris, *Color.* exteriore parte tectus erat. Tota tamen nux valdè leuis pro sua magnitudine: quid verò ea contineret, me latebat, quia, cùm mea non esset, aperire nolebam. *Minor fructus.* Sed minorem, quæ mihi donata, mediam secabam, vt me omni dubitatione exsoluerem: nam quum Cheirurgus, qui illam attulerat, affirmaret, se in maris littore nascentem eruisse, mediâ ex parte arenâ mersam, fibrísque in ea firmiter hærentem, & supernâ parte cauliculum promere lignosum, viridi cortice tectum, fastigio quina aut sena folia Myrtinis similia sustinentem, eáque adeò ratione bulbaceam esse plantam sibi *Planta bulbacea.* persuaderet: ego verò multas notas conspicerem, quæ me, vt arboris potiùs fructum esse crederem, impellerent: illam aperiebam.

Descriptio Superiore longè minor hæc erat, vt quæ tres duntaxat vncias cum semisse longa, octo autem ambitus contineret, non nitido cortice tecta, vt superior, sed valdè rugoso, quo ante maturitatem adempta, & subrufà cute tectà, quadrangularis, perinde atque superior, formæ, sed angulis magis inæqualibus, neque adeò distinctè ab inuicem seiunctis, sub externa cute, multis fibris, retis instar transuersim sese intersecantibus, cortice con- *Cortex.* stabat, quemadmodum etiam interiore parte, quæ ossiculum tegebat & inter illas fibras, fungosa materia insipida, & valdè resiccans, suberini corticis *Ossiculum.* instar: ipsum ossiculum formam habebat, ab infima sede latiore in metam assurgentem, & crassiusculum erat, molle tamen [quia fructus immaturus] subrubente cute tectum, acidi saporis, sicut etiam nucleus qui in eo continebatur candidâ membranâ tectus.

Sapor. Hæc sunt quæ de illo fructu, seu nuce, commentari potui: quia qui retulerant, nihil ad eius historiam pleniùs & accuratiùs describendam afferebant, præter paucas illas incertas, quas enumeraui notas.

Digitized by Google



artificiosissima compage, per quarum media singulis ordinibus æquabilis canaliculus, per vniuersi fructus longitudinē descendit, vno insigni, cæterisque ampliori canali eodem ordine ac descensu inter cæteros conspicuo. Parte supernà apex eminet, circa quem longè minutiores squammulę reliquarum seriem claudunt, & in dictum apicem fastigiantur, pulchro prorsus & visendo artificio. Ipse fructus concussu sonorus intus contentum nucleum prodit. Fructum hunc cum ipsa arbore Palmæpini siue Coniferæ nomine sic for-
Palma vulgaris congeneres. tè describunt Pena & Lobelius, in Aduersariis. Vulgaris Palmæ [inquiunt] congeneres esse multas syluestres in sinu Guineæ Oceani occidui, quæ steriles sunt, nec nisi exilitate à satiuis absunt, narrabant nobis mercatores industrii Gallobritones, qui illuc quotannis fermè commercii causa adeunt. Inter quas & alii Angli institores non parum venustam & miram hanc, icone hic expressam, inibi oriri affirmant, cuius ramos luculenta conorum fœtura onustos dono iidem attulerunt stirpium cultiorisque artis peritissimo Pharmacopœo & Ciui Londinensi Io. Riccio, qui nos donauit isto Palmite, aut potiùs Pinopalmæ termite: cuius arborem, quasi quandam ex Palma & Pino hybridam natura ludibunda videtur conflasse.

Lignum. Est quippe lignum ipsum fungosà Palmæ prorsum texturà, in villos dehiscens, & squammosa
Termites. cute loricatum, fastigio termitis numerosis & in orbem exortis surculosis ligulis quadraginta aut quinquaginta compactili verticulorum & squammarum serie pyxidatim articulatis, pedem lon-
Fructus. gis, rotundis, parùm compressis. Quarum singulis commissuris, singuli, numerosi coni altiùs inseruntur triceni, aut quadrageni, qui mediocrem Conum Cedri ementiuntur, pululliis in quincuncem digestis, reticulatóque & imbricatim ex-
Cortex. tuberante ventrioso nucis cortice, fusco, nitido, polito, crassitie & concretione nucis Indicæ, intus nucleum glandémve oblongam, [sesquiun-
Nucleus. ciam aut duas vncias longam] continente, præduro, inque farinam ægrè friatili, gustu glandis & castaneæ, quæ sunt ei Genti panis supplementum.

Vsus. In Obs. idem Lob. Auellanæ Indicæ genus oblongum Clusii idem censet esse cum nucleo huius Palmæpini, quod an ei concedendum considerandum est.

Palma conifera. Tab. Palmam coniferam Germ. Zapffenpalm.

NVX INDICA OBLONGA, INTRINSECVS SIMILIS NVCI MOSCHATÆ.

CAP. CCIII.



NVcem hanc seu potiùs nucleum habemus ex dono Valerandi Dourez: forma est oblonga duas vncias æquans: lignum quis dicat: externa facie rugosa est, & rectis sulcis à summo ad imum profundè exarata, cortice partim ruffo; partim fusco: internè alba, maculis nigris partim rotundis & paruis, partim oblongis notata; aliquatenus venas internam Nucem myristicam percurrentes imitata. In meditullio nonnihil fungosi maculatum extremis circumscriptum: reliquæ enim circumquaque partes maculosæ duriores existunt. *Descriptio*

Hanc Camerar. quoque eleganter exprimit in *Auellana Indica genus.*
Matth. hist. Germ. sub titulo Auellanæ Indicæ.

Clus. quoque apud Garciam de Arom. lib. 1. cap. 25. depingit sub nomine Auellanæ Indicæ oblongæ, vbi nuces oblongas vocat, & fortè Fausel genus esse putat. Hunc autem fructum scribit Exot. lib. 7. siue lib. Arom. cap. 25. esse oblongum, Fausel nucem cum suo inuolucro magnitudine penè æquantem, prædurum, foris nigricantē qui per medium trāsuersim sectus, myristicæ nucis nucleū nō secus, quàm Fausel mirificè referebat. Fausel ge- *Fausel genus.*
nus forsitan erit, aut simile quidpiam: sed quum vetustate exsuccum videre tantùm licuerit, de sapore & temperamento nihil pronunciare possum: talem etiam ad me, post aliquod temporis interuallum, mittebat Morganus Pharmacopæus diligentissimus. Similes mihi adhuc postea ostendebantur, sed læuigati & expoliti, quos lapides quosdam raros, magnique pretii esse mihi persuadere conabantur.

Lob. idem existimat cum nucleo Palmæ-pini: *Lob. sent.*
cui tamen non assentimur, donec meliùs edoceamur.

An Matth. & Qualcebeno in epist. Matth. Nucis quoddam genus ex Aegypto?

Taber. nomine Arecæ seu Fausel pingit: *Areca.*
Auell. Indica Matth. Hist. Lugd.

IVGLANDIS FERE FACIE FRVCTVS EXOTICVS, SVLCATVS, TVBEROSVS.

CAP. CCIV.

EX Cl. D. D. Felicis Plateri naturalium thesauro amplissimo hic nobis innotuit fructus. Magnitudo nucis Iuglandis habitioris maiorisque, cortice tectus cinereo non duro, sed gallarum instar fungoso, quasi recens putamen carneum





fuerit. Totus per longitudinem speciosè sulcatus est: sulcosque rectos decem in hoc numeramus nec sine eminẽtiis extraordinariis, inæqualibus, tuberosis. Ima parte quà sulci conueniunt scrobiculus est: Opposita gibbus. Si acu substantiam eius confodias, interna duriora deprehendes. Aperire quia noster nõ esset, integrum non fuit. Nec odor eius nec sapor vllus effatu dignus, quippe obsoletus iã planè & multis foraminibus, præ ætate aliáue occasione, vt arbitramur, scatens.

NVX INDICA OBLONGA, CORTICE CONTECTA.

CAP. CCV.

Descriptio. SPecies quædam iam dictæ esse videtur, si non eadem. Magnitudinem icon ostendit, quemadmodum & figuram. Cortice ruffo obsoletiore contecta est, tenui, & oui putamine non crassiore, fragili, & vngue separabili. Sub quo substantia fusca, dura, feréque ossea, secundum longitudinem flexuosè sulcata, quorum impressiones vestigia in extimo quoque cortice conspiciũtur. Sapor adstringens. Interiorem substantiam describere non possumus, cum fructum dissecare [quòd noster non esset, sed Cl. D.D. Plateri, qui picturæ & descriptioni suppeditauit,] non fuerit integrum.

Fructus alius. Anno 1608. ex munere Ill. nostræ Princ. nacti sumus similem fructum vncias duas longum, vnciam vnam non latum, externè ex fusco nigrum, cortice tenui tectum, sub quo materia fusca, cui subest os durum, albicans.

Alius. Datus præterea alius longior & paulò crassior, in quo detractus cortex & pars elatiorum rugarum, quod limace forte factum.

Tertius. Tertius item minor, verùm torno omninò læuigatus & ophitem lapidem repræsentans, colore & maculis nigris: in medio est foramen non totum penetrans, quod arte factum existimamus. *Icon cum alia habetur in cap. præc. 204.*

FRVCTVS CANNAE DE BENGALA creditus.

CAP. CCVI.

Descript. TRadit Clus. Exot. lib. 2. cap. 3. fructum peregrinum, squamosum, exilem, de quo ait: Erat paruæ Auellanæ nucis magnitudine, valde elegans, orbicularis, nisi extima pars in mucronẽ desiisset: petiolus, cui inhærebat, breuis, tribus appendicibus veluti calyce fructum imâ parte apprehendens, qui tanquam squamulis serie quadam in obliquum dispositis constabat, ab extimo, versus petiolum vergentibus, contrario prorsus quàm in præcedente situ. Flauescebat autem & inanis erat. Si verò Abdalæ Guzaratensi [quem dixi à Batauis Naucleris illo ipso anno ex Iaua aduectum fuisse, cuique eum fructum Amstelredami ostendebam, percontans an agnosceret,] fides est adhibenda, *Canna de Bengala fructus est*, sed exilis & immaturus. Franciscus tamen Roderiguez è Bengala ipsa oriudũs, sibi notum esse negabat.

FRVCTVS PEREGR. ELEGANS, SQVAMOSVS.

CAP. CCVII.

Descriptio. FRuctum tertium peregrinum, squamosum icone & descriptione proponit Clus. loco citato, de eo autem scribit. An eius generis ille fructus, quem vt describere possem anno 1599. ab honesto viro Ioanne Gouertz vander Aer, mercatore Amstelredamensi, mutuò accipiebam? Certè formâ non dissimilis, sed longè maior, vt qui Iuglandem externum illum viridem corticem adhuc retinentem crassitudine superaret, orbicularis penè figuræ, magis tamen depressæ, & quasi in vmbilicum sidentis supremâ & imâ parte [inter quas trium ferè vnciarum erat interstitium,] & penè sex vnciarum ambitu: constabat verò veluti squamis eleganti serie in obliquum dispositis, ab extimo versus petiolum tendentibus, illisque quodammodo sectis & lacunam habentibus per longitudinem: squamulæ autem petiolo proximæ sursum vergere nonnihil videbantur, nucis color splendens & spadiceus: eáque nucleum cõtinebat: nam cõmota & agitata strepitum edebat, valdè tamen leuis erat pro eius crassitudine. E qua regione esset allata, quoúe nomine appellaretur, ignorare se dicebat, qui illam mihi commodabat. Squama. Color.

NVX INDICA TESSELLATA PERELEGANS.

CAP. CCVIII.





Descriptio. NEc minori sed vel operosiori naturæ ostento, præcipuęque elegantiæ, si quem alium videre hactenus contigit, insignitum hunc fructum & alios non paucos habemus ex liberalitate Ill. ac Clementiss. nostrę Principissę, Ducissæ Wirtemb. &c: Amplitudo sescuncialis, exactè propemodum rotunda, nisi vtrinque leuiter

leuiter sessilis esset. Infernè sinum & pediculi vestigium habet. *Cortex.* In cortice decus præcipuum, qui culmum crassus & firmus satis, exteriùs læuis, splendidus, spadiceus, totus tessellatus, sulcis ac striis impressis per singulas tessellas secundum longitudinem excurrentibus, & rursus aliis obliquè & intercussatim, pulcherrimo, mehercle, naturæ emblemate. Corticis interna pars fungosa, eademque penè quæ interioris corticis castaneæ, *Nucleus.* tam colore quàm substantia, sed densior ac minùs villosa. Nucleum continet magnitudine ferè Iuglandis, sed rotundum, aut certè rotundo proximum, supernè vmbilico præditum satis insigni, à quo per eius longitudinem sulcus insignis descendit, substantiâ ossea, qui serra dissectus ebur politum colore, læuore, & duritia refert. Sapore quidem nullo manifesto, aut quod vetustate exoleuerit, quippe qui in terra per annum ferè manu eiusdem Illustr. Cell. conditus delituerit. Qui demùm, quòd nullam faceret germinationis spem, ad nostras quoque peruenit manus. Vtriusque faciem non malè exprimit icon nostra.

Locus. Descriptio. Clus. Exot. lib. 2. cap. 4. huius fructus etiam iconem habet, ac de eo scribit. Londino anno 1598. fructum elegantissimum accipiebam à Iac. Gareto, ex Guyana Americæ Prouincia, ab his, qui Generosum Equitem VValterum Raulæum comitati fuerant, allatum. Orbicularis rotunditatis ferè erat primus, ab vmbilico siue infima parte ad supremam tres vncias vtrinque latus, & sex vnciarum totus per transuersum eius ambitus, *Cortex. Color.* cortice siue corio valdè duro tectus, spadicei è nigro coloris, sed adeò elegantibus, cùm rectis, tum obliquis, transuersisque ad amussim, &, proportione quadam seruatâ, ductis sulcis insignito, vt summum Naturæ miraculum appareret: *Ossiculum.* ossiculum satis magnum in se continere, ex sonitu quem agitatus edebat, coniecturam facere, & per sedem, quæ nonnihil aperta & hians, videre licebat: qua tamen forma, quove temperamento esset præditum, me latet, quia fructum, qui mihi vnicus erat, & propter venustatem charus, confringere verebar, ne corrumperem.

Fructus alius. Locus. Similem anno insequente mihi ostendebat honestissimus vir VVilhelmus Parduynus Medioburgensis etiam ex Guyana, vt aiebat, delatum, sed minorem, vt qui binas duntaxat vncias cum semisse ab infimâ sede ad extremum mucronem, & totidem in ambitu haberet.

Tertius. Alium huic etiam non dissimilem nanciscebatur Christianus Porretus Anno 1600. qui licet vetustus & cariosus, calycem tamen cui pediculus annexus erat, adhuc retinebat: *Squamæ.* in illo etiam squamæ magis distinctæ apparebant, & à summo ad imum progredi manifestè conspiciebantur, non à pediculo ad summam partem: quod in duobus aliis obseruare non licuerat, adeò arctè & firmiter cohærebant, vt ipsum corium siue integumentum sulcis duntaxat distinctum videretur.

BALY INSVLÆ FRVCTVS, PYRI FORMA, ASPER.

CAP. CCIX.

Locus. Descriptio. IVxta Scriptorem primæ partis Historiæ nauigationis Batauorum in Indiam Orientalem anno 1598. euulgatam cap. 37. *Baly* Insula profert fructum magnitudine nostratium Pyrorum, cortice præditum aspero instar squammarum piscium, pulpâ albâ præditum, adstringente & continente vnum ossiculum, sæpenumerò etiam bina. Nascitur in altis arboribus confertim congestus vuarum modo, tantâ abundantiâ, vt mirum sit ramos non confringi.

Adseruatio. Adseruatur melle coctus, aut muriâ conditus. Hunc Clus. Exotic. lib. 2. cap. 4. huncin modum describit: Pyri propemodum formam habebat, ex Baly insula Iauæ vicinâ delatus, muriâ, ni fallor, conditus, à Naucleris Batauis anno 1597. vt conseruare possent. *Descriptio.* Erat autem tres vncias longus, eius ambitus, eà parte, quâ pediculo inhæsisse videbatur, sex penè vnciarum, supernâ verò parte angustior, & veluti in metam desinens: vt quodammodo Ficus aut Pyri formam æmularetur, quo nomine etiam Christiano Porreto missus fuerat Amstelredamo. Aspero tectus erat cortice, & ab infima parte, sursum versus, densis ordinibus veluti squamularum sibi mutuò incumbentium ornato, quæ seiungi nequibant, sed cum integro cortice non valdè denso eximi poterant, *Cortex. Color. Pulpa.* flauescentis coloris, dum recens ex conditura exemptus, deinde subfusci. Continebat porrò hic fructus pulpam albam, odoratam, instar Pyri formatam, substantiâ autem non valdè absimilem, albo illi condimento, quod ex Amygdalis repurgatis & contusis, lacte, farinæ flore, aqua stillatitia è Rosarum floribus & saccharo fieri solet, solidiorem tamen, nec adeò glutinosam, sapore [quia fructus muria conditus fuerat, valdè salso & linguam mordicante, *Ossiculum.* continentem in medio ossiculum solidum, penè vncialem, & in metam assurgentem, formâque ipsum fructum referentem, infernâ parte crassiorem, supernâ angustiorem, pulpæ autem integræ adiunctos obseruabam binos aut tres grumos, & veluti ex crassiore fructus parte dependentes: etenim corticem secundum longitudinem fissum, facilè integrum à pulpa separare poteram, haud secus ac serpentis exuuium, quia pulpa non adhærebat, nisi paullulùm eà parte, quæ à pediculo pependerat.

FRVCTVS PEREGRINVS IERASOY.

CAP. CCX.

IErasoy dictus fructus è rarioribus quoque esse videtur: per medium sectus cauus apparet, sed binis cellulis intergerino pariete interueniente distinctus, aut si integer esset, [vti non esse coniectamur, quem apud Cl. D. D. Fel. Platerum & C. Bauhinum vidimus, prædicto nomine] quaternis. Extima facie læuis, sed squammatus, albicans, pediculo crassiusculo. Rosæ nondum expansæ, ac per medietatem sectæ figuram nonnihil referret, nisi esset cauus. Ita squammata eum extrinsecus ambiunt foliola.

DRACO ARBOR: ET DE EIVS Lacryma, seu sanguine Draconis, Cinnabari Veterum.

CAP. CCXI.



Descriptio folii.

BAro quidã Germanus, cuius nomen non amplius occurrit, olim ex Hispania nobis foliũ attulit Lugd. nomine arboris *sanguinis Draconis*, simile folio depicto à Clusio, cuius iconem (ego Bauh.) pro Hist. plant. Lugd. curaui depingendam, qualem etiamnum in ea conspicere est. Accedit aliquo modo ad Palmæ foliũ, commune aliquid cum folio Iridis, & potissimùm palustris luteæ, habens, striatum, virescens, cubitos duos & semis longum, acuminatum: sescunciam latum, latius multò quà trunco adhæret, plusquam quincunciale, membraneis veluti alis vtrinque donatum, & colore lucido ad luteum tendente præditum. Transuersim in tabella pictum vides.

Arboris descriptio.

Est verò Draco (vt auctor est Clus.) procera arbor Pinum procul intuentibus referens, adeò æquales sempérque virentes sunt rami. Huic truncus crassus, octo aut nouem bicubitales ramos, æquales & nudos sustinens: hi rursus in summo finduntur, & in alios ternos aut quaternos ramos cubitales aut paulò ampliores, brachialisque crassitudinis desinunt, nudos item & sine foliis: qui in summo gestant capita plena cubitalium foliorum, maiusculi pollicis latitudine, sensim in mucronem desinentium, in medio densiorum, & eminentiore costa, vt in Iridis foliis, tenuium & rubentium in lateribus. Mucronem planè repræsentant ea folia, sempérque virent, & Aloës & Iridis modo, inuicem amplexando nascuntur. Trũcus perquàm scaber, multis rimis dehiscit, humoremque fundit per Caniculæ æstus, qui in rubram lacrymam densatus, *sanguis Draconis* appellatur, ob quam causam, hanc arborem *Draconem* nuncupauit. Materia trunci firma est, ferrúmque difficulter admittit, quòd veluti fibris trãsuersim & obliquè excurrentibus constet, at rami cùm multo succo prægnantes sint, satis facilè cædi possunt. Eã arborẽ Vlysipone primùm vidisse testatur idem, Anno Christi 1564. pòst monasterium D. Virgini sacrum, cui nomen *à Gratia*: octo Palmorum crassitudine inter aliquot Oleas in colle nascentem, monachis ignotam & neglectam, quam neque florem neque fructum ferre assererent: rem tamen aliter se habere postea deprehendit, ramulo ex illa ipsa arbore anno sequente donatus ab amico. Est autem hic ramus (quem cum aliquot foliis, corticisque fragmento, & lacryma suis manibus exempta multo tempore seruare se ait.) pedali amplioréue longitudine, cui inhærent alii ramuli, multo fructu racematim compacto onusti. Fructui color flauescens, sapor aliquantulùm acidus, magnitudo exigui cerasi. Eum in summis capitibus nasci verisimile est, vt in Palma dactyli nascuntur: spatha tamen vti illos includi non intellexit. Huius porrò arboris recentia capita tenella sunt, & humilium Palmarum siue Chamæriphes modo, cuius cerebrum in deliciis est, edi possent, nisi amaritudo prohiberet. Hæc ex obs. Clus. quibus subiicienda quædam de eius succo à nobis obseruata.

Rami. *Folia.* *Truncus.* *Lachryma eius, sanguis Draconis.* *Lignum.* *Locus.* *Fructus.*

Sanguinis Draconis descriptio.

Pulchros sanguinis Draconis grumos asseruamus, glebis Thuris æquales, rotundos vt plurimùm, alios inæquales, foris ferrugineos, fractos pellucidos, coccineos, concretione Vernicis duræ, dentibus fragiles, saporis expertes, saliuã statim & affatim rubore tingentes, qui candelæ admoti flammam concipiunt liquescúntque Resinarum instar. Admistæ reperiuntur glebæ, quæ colorem præcedentis Resinæ egregiè mentiuntur, cæterùm concretione gummi Arabici: non enim accẽduntur flammæ candelæ admotæ, sed bullas agunt, crepitántque, in aqua soluuntur, quam & mucilaginosam reddunt, dentibúsque lentore suo valdè adhærescunt: & vix leuiter saliuam rubore tingunt. In Offic. plerúmque sordidior est, corticésque habet admixtos, coloris ferruginei, nunc crassiores, nunc tenuiores, sapore adstringente, qui flammescunt quoque, vnde decidentes adnatæ lachrymæ liquefactæ tingunt itidem. Atque hæc nobis obseruata sunt in sanguine Draconis, quàm lachrymam vocant.

Adulterinũ. *Qualis sit officinarũ.*

Sang. Draconis factitius Duplex.

Alium habent off. duûm generum: Vnum siquidem, licet ligni cuiusdam rubri assulis admixtis impurius videatur, flammam tamen luculentam concipit, liquescitque glebularum instar minorũ præcedentium Thuris magnitudine: vt ab illis non nisi impuritate quadã discrepare sit verisimile. Alterum ossis constat compressis, obscurioris & sordidi coloris, nullo modo flammam concipiens, & gummi instar lentescens, adulterinum. Cæterùm quoniam iam suo seculo Dioscor. scribit Creditã Cinnabarim esse sanguinem Draconis, placet eius ea de verba proferre. Cinnabarim [inquit] falsò putant nonnulli cum eo quod Minium appellatur vnum & idem esse: [reliqua vid. lib. 5.] Cinnabaris autem de qua hic agitur ex Africa quidem inuehitur, at magno constat: & vsque adeò rara est, vix vt versiculoribus pictorum lineis satis esse queat. Est porrò altè & abundè colorata, & eam ob causam quidam sanguinem esse Draconis existimauerunt. (αἷμα δράκοντος: al. δρακόντιον.)

Cinnabaris Diosc.

Vt iam Dioscor. non temerè à Galeno lib. 11. simpl. notetur, ὡς ἀληθῶς τῆς ἑλλάδος φωνῆς, καὶ ἀγνοῶν τὰ σημαινόμενα τῶν ἑλληνικῶν ὀνομάτων, qui non agnouit τὸ κιννάβαρι vocem esse æquiuocam, significaréque etiam Minium illud arenarium, quod quia ex naturalibus arenis fieret, à Theophrast. ἀπὸ λιθῶν, ἄμμιον dictum est, quod vel ex hoc autore discere potuisset. Et fortè qui tum Cinnabarin, sanguinem Draconis dixerunt, non animal, sed arborem hanc intellexerunt: quanquam Theophr. κιννάβαρι de quo ipse agit δράκοντος αἷμα creditum scribat, quod saturè rubro esset colore.

Arbor Gaditana.

Fortassis & ea ipsa arbor est aut eiusdem saltem generis, cuius Strabo lib. 3. Geograph. ex Possidonio meminit, his verbis: De arbore in Gadibus existente scriptis prodidit Possidonius, quæ ramos humum vsque incuruatos habeat, frondes sæpissimè mucronis speciem gestantes, quarum ad cubitum

bitum longitudo est; latitudo verò digitorum quatuor. Circa nouam Carthaginem arborem esse, quæ de spina corticem emittat, ex quo telæ pulcherrimæ conficiantur. Huic quidem Gaditanæ, nos in Aegypto, in ipsa ramorum curuatura similem perspeximus. Cæterùm, fronde dissimilem, ac infructuosam. Hanc autem fructum ferre dicit. In Cappadocia quoque è spinis collecta texuntur. Arbor autem nullas spinas affert, è quibus cortex extet, verùm humi serpens herba. Gaditanæ verò arbori, & illud innatum esse traditur, quod vno fracto ramo lac effluit, quod si radicem absciderís, minii humor exsudat. *Hæc ille.* Verùm arbor de qua hîc traditur, teste Clus. neque ramos habet incuruatos, neque folia tam lata habet, nec illius ramis effractis lac exsudat, at humor aqueus duntaxat. De radice quod adscribit, nostræ satis quadrare videtur, è qua secundum radices terebrata, lachrymam statis anni temporibus effluere aiunt rubram, vt posteà dicemus.

Altera & similis.

Minij humor.

Plin. lib. 33. cap. 7. Itémque Solinus, cap. 28. suæ historiæ, in eo errore versati sunt, vt existimarent Cinnabarim Indicam, sanguinem seu saniem esse Draconis elisi Elephantorum morientium pondere, permixto vtriusque animalis sanguine. Videntur autem mercatorum fabulis decepti ita credidisse. *Sed præstat ipsum audire Plinium*: Milton, ait, vocant Græci minium, quidam Cinnabarin. Vnde natus error Indico Cinnabaris nomine. Sic enim appellant illi saniem Draconis elisi Elephantorum morientium pondere, permisto vtriusque animalis sanguine, vt diximus. (lib. 8. cap.) Neque alius est color qui in picturis propriè sanguinem reddat. Illa cinnabaris antidotis medicamentisque vtilissima est. At hercule Medici, quia Cinnabarin vocant, pro ea vtuntur, hoc minio, quod venenum esse paulò mox docebimus. Cinnabari Veteres, quæ etiam nunc vocant Monochromata, pingebant. Pinxerunt & Ephesio Minio, quod derelictum est, quia curatio magni operis erat. Præterea vtrumque nimis acre existimatur. Cinnabaris adulteratur sanguine caprino, aut sorbis tritis. Pretium sinceræ nummi quinquaginta. *Hæc Plin.* Qui dum Medicos erroris insimulare conatur ipse in longè maiorem quasi præceps ruit, quando credidit Draconis bestiæ maximè venenatæ cruorem salubrem esse, antidotísque admisceri.

Plin. & Solini error.
Sanguis Draconis.
Milton. Minium.
Adulterium. Pretium. Alter Plin. error.

Hermol. de generationis sanguinis Draconis modo eadem quæ Plin. dicit, quasi ipsemet vidisset. Sed iam prisco ille æuo Arrianus in Periplo ac lustratione maris rubri prodidit, Cinnabarim Indicam cognominatam, lachrymæ instar ex arboribus colligi in insula Dioscoridis appellata nascentibus: γίνεται δὲ ἐν αὐτῇ [inquit] καὶ κιννάβαρι, τὸ λεγόμενον ἰνδικὸν, ἀπὸ τῶν δένδρων, ὡς δάκρυον συναγόμενον.

Hermol. not.
Cinnabaris Indica.

Et hoc seculo Aloisius Cadamustus Venetus l. 4. suæ nauig. eiusmodi arborum in insula *Sancti portus* Lusitanis vocata, hodie nascentium meminit, fructum earum similem esse Ceraso, coloris *Veneti*, hoc est, cœrulei: arbores certo anni tempore incidi: anno verò proximè sequenti fluere lachrymam. Insulæ, quæ arbores eas fert, incolæ *siluam Draconum* vocant, & aduenas eam adeuntes per iocum tali nomine deterrent. Ipsam verò lachrymam exceptam è vulnere incolæ ahenis decoquunt, & defæcatam *sanguinem Draconis* appellant. Sed nobis non videtur verisimile decoqui lachrymam, nisi paretur ad adulterium. Meminit quidem αἷμα δράκοντος Ætius, tum alibi sæpiùs, tum etiam Tetrab. 4. Serm. 3. cap. 12. in Emplastro Purpura inscripto: sed fallitur dum suum illud αἷμα δράκοντος in India ex herba quadam Dracunculo appellata colligi scribit, præsertim si Cod. musto αὐτόπτῃ fides adhibenda aliísque Recentioribus, qui de ea arbore tradiderunt.

Sylua Draconum.
Modus parandi.

Apud Serap. legimus *Demalochahen*, id est, sanguis Draconis: Diosc. Verùm non possumus dicere Serap. intellexisse Cinnabarim, quando quidem verba tantùm Diosc. & Gal. de Achillea recitat, nec arboris fit mentio in nostro Codice, licet Cornar. scribat eum arborem dicere. Fortè interpretis culpa sit mentio sanguinis Draconis. Quicquid sit falluntur vulgata exemplaria, dum iam dictæ herbæ succum sanguinis Draconis nomine describit. Vt non videamus quo iure Cordus reprehendit Anton. Musam, qui putat nostrum Draconis sanguinem diuersum esse ab eo, qui à Serapione describitur. Ipse potiùs reprehensione dignus vti patebit descriptionem eius cum arbore & sanguine Draconis conferenti.

Serap. Demalochahen.
Error vulgat. Serap.
Cordus not.

Marcellus vtramque Cinnabarim; tam Plin. quàm Diosc. ait passim esse in vsu: primùm in eo peccans quòd differentes facit: deinde si tales agnouit, quod vix credimus, quòd non doceat quænam ille sint.

Marcelli geminus error.

Monachi in Mesuen de Sanguinis Draconis diuersitate & homonymia tradentes, deteriorem fieri aiunt & alibi, ex Sorbis contusis, bolo non Armeno, & caprarum seu hircorum sanguine, alii que diuersis rebus, & placentarum more pastes formatas, furno aut Sole desiccari. Vt plurimùm in equorum & similium medicamentum vsum adhiberi, licèt multos non pudeat ad humanorum corporum vsus eas quandoque administrare. Veræ autem *Draconis* arboris surculos recentes habuisse, sed depactos Romæ non creuisse. Vlyssipone autem vidisse ingentes eiusdem arbores, columnarum modo erectas & vnistipites, more Palmarum, absque ramis. Folia eis esse simillima Spatulæ fœtidæ, crassiora tamen. Corticem trunci subcineritium, & vnà cum tota arbore, rubro succo prægnantem. Scarificatas tempore congruo emittere lachrymas sanguineas, quas more gummi condensatas abradunt è cortice incolæ, nec vilius vendunt. Multos etiam lignum eius frustulatim incisum ebullire facere, decoctionémque huiusmodi igne aut Sole condensare. Ac vtrumque *sanguinem Draconis* nuncupari. Sed longè meliorem esse lachrymam, seu succum collectum ligni decoctione. Sed sine dubio falluntur, quando aiunt, meliùs esse huius veri loco vti succo sideritis seu Achilleæ Serapionis, vel succo lactucæ cum Auic.

Sang. Draconis factitij parandi modus.
Vsus.
Locus vbi Draco arbor prouenit.
Descriptio.
Geminus sanguinis Draconis parandi modus.
Delectus.
Monachorum error.

Cardanus putabat arborem sanguinis Draconis è genere Cerasi esse, sed regionum varietatem effecisse, vt illius lachryma pro sanguine Draconis in vsu sit. Et mox: certè, inquit, vt colore præstat vero sanguini Draconis, qui teste Diosc. à Sideritide excipiebatur herba: ita vsu incognita propemodum. At Sideritidem Millefolii speciem putat Brasauolus. *Hæc ille.* Cuius ridiculam opinionem non temerè reiicit Scaliger, vir, vti videtur, ad explodenda pleraque Cardani dogmata natus. Nam [inquit] qui foliorum faciem ignoraret, à solo fructu non poterat vniuersæ speciei præscribere communem. Tantò minùs, cùm fructum illa, vt ille ait, cœruleum, vt alii, luteum ferat. Nostræ tot, tamque diuersis speciebus omnes rubrum. Nimirum totius quoque arboris facies diuersa est. Stipes ab imo ad summum sese subiicit, totus teres, fastigio Pyramidis. In suprema cuspide rami aliquot, cum quernis frondibus. Cortex ei admodum delicatus. Secundò malè loquitur

Cerasi non Cardani.
Ridicula Cardani opinio.
Refutatur error Cardani per Scaligerum. Eruditionis.
Quernæ frondes. Altera dantur.

Cardanus: non enim regionis diuersitas efficit vt eius lachryma pro sanguine Draconis habeatur, sed color. Neque si coloris autorem dicat regionem, continuò rectè sentiat. Non enim regio est, sed forma. Tertiò: qui scit Cardanus, huius lachrymæ colore sanguinis Draconis colorem minùs esse commendabilem: cui, qualis illa sit Sideritis, incompertum est. Brassauoli quoque satis frigidè turget autoritate. Nam si Cardano nota fuisset, vel herba, vel succus ille, à Serapione potiùs, atque Aboali accepisset qui primi omnium, quod è scriptis quidem constet, id ei nomen indiderunt. Alter enim *Alachan*, alter *Dem Alachuen* vocat: quam ad rem cùm testem citaret Dioscoridem: nonne sibi erat conscius incuriç & audaciæ suç? Quid sibi vult à nobis credi posthac? quando sibi è Sideritide Dioscor. expressit sanguinem Draconis: At ille inter quatuor Sideritidum historiam, de eo nihil. Vbi verò castigat eos, qui Cinnabarin sanguinem Draconis existimarunt: tantum. At præterea nihil. Vnde hæc noua subtilitas emergit. Nostrum enim Cinnabrium ab illa Cinnabari Dioscor. longè est diuersissimum. Cinnabarim Diosc. huius arboris succum existimo: Cinnabarin nostrum, siue Cinnabrium, rè factitiam. Sic Plin. Indicam Cinnabarin aliud à metallo fuisse docet, in illa sua vndetricesimi libri declamatione. De sanguine Draconis autem tota fabula est. Atque ita quidem Scaliger & Cardanum perstringit, & suam de hac re sententiam liberè nullâque circuitione vsus, explicat. Potuisset tamen mitiùs tractare hominè Scaliger, si animaduertisset eum Serapionis textu aut fortasse eius interpretis versione lapsúque deceptum, qui ad illud Sideritis caput Dioscor. citat, quasi ex eo desumpsisset: Cui fidens Cardanus, Diosc. vlteriùs non consuluit, maiore sanè oscitantia, quàm tantum Philosophum decebat.

Tertius error.

Alachan. Dem Alachuen

Cardanus falsò accusatur

Alia Cinnabaris Diosc. alia nostra mineralis seu factitia.

Porrò quum hodiè Materiarii Mancipes, & officinæ medicamentariæ, sanguinem Draconis ostendant, quem ita nominant, ac pro Draconis sanguine diuendunt: non satis constat, an hic *sanguis Draconis* vera illa Indica Plinii cinnabaris sit, an adulterata, velut quibusdam videtur, qui iuxta Plin. ex sanguine hircino, bolo armena, & sorborum succo, aut aliis similibus succis (vt priùs dictum) factitium quiddam esse censent. Rem certè metallicam esse, nullo argumento, quod sciamus, probari posse, cum Cornatio arbitramur. Est enim Cinnabaris vel Cinnabrium [liceat ita cum Scal. vocare ad illius discrimen] quod pictoribus & Officinis hoc nomine notum, res planè factitia, ex Sulphure & argento viuo multo igni inuicem calcinatis & reuerberatis [vt loquuntur] effecta. Est & aliud fossile, spontè per se nascens: quorum neutrum id est, quod sanguinem Draconis in offic. vocant: ac sanè ne illud quidem quod Cinnabarin Dioscorides, quæ ex Africa defertur, eadem facultate pollens, quâ hæmatites lapis, vt patebit in viribus, quas nemo Cinnabrio minerali, vel factitio, vel fossili tribuet.

Sanguis Drac. offic. Cinnabaris Indica Plin.

Cinnabriū factitium.

Cinnabarin verò Dioscor. esse sanguinem arboris Draconis atque adeò hanc lachrymam quæ hoc nomine hodie habetur legitimam esse Diosc. Cinnabarin præter iam dictos autores, Matthiol. Amatus, Lacuna, Fallop. Castor Dur. Theuetus, Clus. Dalech. Hist. Lugd. & Celebriores Medici plerique, vt non malè iam Diosc. ætate, Sanguis Draconis, non animalis quidem, sed arboris fuerit nuncupata.

Autorum consensus de Cinnabari Diosc.

Fallitur verò Fuchs. de Matth. censura, quando existimat, in Nic. Myrepsici codice in Damasconii antidoto ab aliquo imperito additam esse cinnabarim. Nam non de factitia cinnabari vel fossili, sed de arboris Draconis lachryma, Dioscoridi Cinnabaris dicta intellexisse censendum. Deceptus autem fuit Fuchs. non tam vocis homonymia quàm rei ignorantia, vt quidem coniicere est. Verùm ipsius Nicolai verbis doceri potuisset, quando ait: κιννάβαρις ἢ αἷμα δράκοντος.

Fuchs. err.

Sed quid Theuetus de hac arbore tradit paucis quoque videamus. In insula Madera, inquit, quædam arbores certo anni tempore Gummi exudāt, quod sanguinem Draconis vocant, perforata arbore propè radicem magno & profundo foramine. Eius fructus luteus est, magnitudine Cerasi nostratis, refrigerando corpori, & leuandæ siti, in febre aut ardorib. valdè vtilis. Non est dissimile à Cinnabari Diosc. de qua & Plin. Apud nos non repetitur nec Cinnabaris, nec Sanguis Draconis puri, quales descripserunt Veteres, sed vtérque adulteratus. Prædictum igitur Gummi omninò existimo Cinnabaris & sanguinis Draconis astringente vi. Hæc Theuetus, Sed mirum cùm αὐτόπτης sit istarum Insularum scriptor, eum arborem non describere, ac ne vlla vel notula quidem designare, non absque negligentiæ næuo. Videt etiam Lector recentiores hos Autores, Aloisium Cadamustum, [cuius suprà meminimus] & Theuetum in fructus colore minimè conuenire, hic flauum dicit, cui subscribit Clus. ille Venetum, id est, cœruleum vt Vegetius interpretatur, vel marinum, & Thalassinum, vt Lucretius & Lampridius: vel ferrugineum, vt alii. Hi enim tres tātùm ex Recentioribus, quod equidem sciamus, hanc arborem descripserunt. Sed fieri potest, vt fructus ipse variet, vel mutatione coloris, vel pro diuersitate arboris speciei varietate differentis.

Theueto Sanguis Draconis.

Fructus luteus Ceraso simplus.

Eius vtilitas.

Cinnabarin.

Theuet. not.

Ergo hæc arbor δράκων siue δράκοντος τὸ δένδρον, quamuis eius arboris veteres Græcos meminisse nondum apertum sit: Lacryma verò κιννάβαρις Antiquorum & αἷμα δράκοντος recentiorum Græcorum. Draco arbor: Cinnabaris: sanguis vel lachryma Draconis. Germ. Drackenbaum/ Drackenblut. Gal. *sang de Dragon*. It: *Sangue di Drago in lacrime*. Castil. *Sangre de Drago en lagrima*. Portug. *Vermellao*. Arborem quoque Hispani *Draconariam* vel *Draconem* appellant, vnde eius liquor sanguis Draconis: quod nescientes decepit, vt sanguinem animalis esse crederent.

Synonyma Linguas.

Draconaria.

Apud insulas Maderiæ & Canarias, olim Fortunatas dictas magna ex parte prouenit, & fortè etiam in Africa quæ Cinnabarim Dioscor. tempore subministrabat. Ex quibus locis in Italiam importatur parua quantitate, & carè venditur, teste Lacuna. Sed adulterata per totum ferè mundum distribuitur. Aloisius Cadam. scribit sanguinis Draconis arbores præcipuè crescere in parua quadam insula Atlantica Oceani propè Maderan, quam Lusitani Portum sanctum appellarunt, vti dictum. Fructum fert Martio mense. Olysipone nasci arbores, iam suprà dictum.

Locus.

Cæterùm ad id, quod Strabo ex Possidonio arborem suprà ex eodem descriptam in Gadibus nasci prodidit, ait Clusius, se, tametsi diligenter totam insulam perlustrarit, nullam arborem cōspexisse, qualem Possidonius scribit: sed neque vllam aliam, præter aliquot salices, & vnam aut alteram siliquam, licet [vt ab incolis viris fide dignis accepit] circa vrbem Gades, recenti adhuc adhuc memoria, lætissima viridaria fuerint, omni fructiferarum arborum genere excultissima, quorum

Tempus.

rum ne vestigia quidem nunc apparent, saburra arenacea, quam naues eò appellentes exonerarunt, omnia complente & exurente. Simile folium, quale separatim in icone expressum, quaséque olim Baro Germanus ex Hispania attulerat, dono accepimus à perdocto & egregio Medico D. Osuualdo Crollio, quod rapaci cuiusdam manu nobis fuit surreptum. Lobel. annotat creuisse Draconem arborem suo tempore in Coldenbergii horto Antuerpiæ ex Hispaniis delatam, talem omnino, qualem eleganter Clus. descripsit.

Vires & vsus. Oculi. Sang. fluxus. Ambusta. Papula.

Cinnabaris, vt prodidit Diosc. eandem vim habet, quam Lapis hæmatites, ad oculorum medicamenta vtilem, imò etiam efficaciorem: magis enim adstringit & sanguinem cohibet. Igni quoque ambustis, & papularum eruptionibus cerato excepta medetur. Galeno Cinnabari modicè acrem facultatem obtinet. Habet verò & adstrictionis quippiam. Fructus aciditas argumento est vtiliter in febribus, vt censet Theuetus, præberi posse. Eius lachryma, inquit Clusius, adstringendi vi pollet, illiúsque vsus non infelix ad muliebres & dysentericas fluxiones, cruentas excreationes, firmandos commotos dentes, & roborandas gingiuas. Quæ facultates eis admodum sunt similes, quas Diosc. Cinnabari tribuit. Non tamen existimamus frigidam & siccam esse tertio gradu, vt Lonic. scribit: nullam etiam insignem vim hactenus animaduertimus in legitima, ad reprimendos fluores sanguinis. In adulterino ob admixta adstringentia maiorem credimus.

TACORI FOLIA DRACONIS ARBORI SIMILIA.

Cap. CCX.

Locus. VValichius Syvertz Amstelredami redemerat de nautis anno 1599. reducibus ex America folia Tacori, in Kayana & VViapock nascentia: arboris ne verò, an alicuius alterius plantæ, non erat adscriptum, inquit Clus. Exot. lib. 2. cap. 21. *Descriptio* Draconis tamen arboris, cuius historiam primo Rariorum Plantarum dabam, foliis valdè similia erant, cubitalis, vel etiam bicubitalis longitudinis, vncialis verò latitudinis infimâ parte, deinde paulatim in mucronem gracilescentia. *Vsus.* Incolas aquâ macerare dicebant, contundere, & in tenuia stamina diducere lini aut serici instar, *Filum. Funes.* quin & funes ex illis torquere ad tigna in suis fabricis colliganda idoneos. An alterius sit apud illos præterea vsus, ignoro.

SVCCVS, SEV GVMMI, AVT POTIVS RESINA CINNABARIS COLORE inficiens.

Cap. CCXI.

Descriptio MIttebat Garetus, inquit Clusius Exotic. lib. 4. cap. 8. succum duodecimum, quem anno 1603. ab iis, qui Iacobum van Neck ex Sinarum regno comitati erant, acceperat: gummi cuiusdam fragmentum in planam massam redacti semuncialis penè crassitudinis, quod lucernæ adhibitum liquescebat, id, quum eleganti & florido cinnabaris colore inficeret, mihi persuade- *Gummi arboris Draconis. Sanguis Draconis.* bam Arboris Draconis, purius & defæcatum gummi esse posse, quod sanguis Draconis appellatur.

SVCCVS RVBRO COLORE INFICIENS. AN OVIEDI BIXA?

Cap. CCXII.

Descript. DOnabat mihi, inquit Clusius Exot. 4. cap. 8. Amstelredami anno 1600. honestissimus vir Petrus Garetus Iacobi frater eius vrbis ciuis, succũ concretum, ab iis, qui eodem anno ex sua longinqua nauigatione redierant, redemptum, qui siccus erat & durus, vt potiùs in pollinem attereretur, quàm dentibus cederet, aut ore retentus mollesceret: eius color ex atro rubescens, vt saliuâ leuiter aspersus non minùs rubro colore inficeret, quàm terra synopica, in quo tamen leuis quædam flauedo inspersa videretur, odoris, quemadmodum etiam saporis, expers (meâ quidem opinione) nisi ex præcedentium odoratu & gustatione, odor & sapor naribus & palato adhuc inhærentes, meum iudicium deprauassent. Succúmne concretum hanc massam appellarem, an terram aliquam in globum congestam, hærebam: in eâ tamen opinionem magis inclinabat animus, vt terræ genus quodpiam æstimari posse, quàm resina, quia igni admota nigrescebat, & citiùs consumebatur, quàm arderet & liquesceret. Nisi fortè Bixa Ouiedi censenda sit, cuius in suo Summario meminit c. 10. & lib. 8. c. 6. primæ partis Hist. General. & Natural. *An Bixa Ouiedi?*

DRACONIS SANGVINIS FRVCTVS MONARDI, DRACONIS EFFIGIEM impressam habens.

Cap. CCXIII.

Descriptio FRuctum arboris, ex qua manat lachryma illa, quam sanguinem Draconis vocát, quémque attulit ex noui orbis continenti Episcopus Carthaginensis, authore Monarde, longè diuersus est à prædicto, & admirandus: nam sublata, quâ integitur pelle, illico Dracunculus *Dracunculus.* apparet, tanto artificio à natura fabricatus, vt à peritissimo aliquo artifice è marmore sculptus videatur, collo oblongo, ore hiante, spina aculeis horrida, cauda oblonga, & pedibus conspicuus. *Etymon.* Ab eo fructu denominationem proculdubiò sumpsit arbor, & eius lachryma, quæ ex illa per incisionem legitur, quam ex Carthagine Peruana selectissimam aduehunt: vnde Veterum & multorum Recentiorum inscitia deprehenditur, qui quid esset sanguis Draconis, aut cur sic appellaretur, omninò ignorarunt.

Magna est arbor, cortice satis tenui, & qui fa-

Digitized by Google

HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER QVARTVS.

QVI ARBORES VARIAS CONTINET POTISSIMVM INDICAS, AROMATICAS, ODORATAS, ALIASVE EXOTICAS, QVIBVS VARII generis interferuntur cortices & ligna.

TOt exoticarum ordini non absurdè subiicientur vel huius, vel remotissimi orbis Odoratæ arbores, earumque partes, quas quidem æquorea illa velitatio mortalium, protectæ audaciæ plena, habendique cupiditate compulsa, & in hanc vsq; diem accersere ausa, non minori sanè huius Orbis ditandi compendio, quàm ampliandæ felicitatis humanæ conseruandæque sanitatis accessorio, comparauit: cuiusmodi diximus, odoratas plerásque, & quicquid exoticarum diuitiarum nostro studio addisci potuit, vt doceremus alios: exorsi ab ea quæ præ foribus quasi occurrit, odoratarum vulgatißima, fortè & nobilißima, Lauro.

LAVRVS.

Cap. I.

Descriptio. LAurus plerumque multis stolonibus luxuriat, vel mediocris arboris altitudinem assecuta, alioqui in iustæ magnitudinis arborem excrescit, præsertim regionibus calidioribus, caudice enodi, cortice tenui, materie rara, nec multùm valida. Radix. Radices habet crassas, inæquales & obliquas. Cæterùm perpetui viroris est, nitidi viroris in iunioribus, in adultioribus saturatioris, (eleganter Ouid.

Vtque meum intonsis caput est iuuenile capillis
Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores.)

Folia. Folia ei oblóga, dura, acuminata, sed mucrone aliàs acutiore, aliàs obtusiore, sescunciã aut vncias duas lata, palmo longiora, versus pediculũ & mucronem paulatim angustiora reddita, quæ secundùm longitudinem percurrit costa recta, obliquàs in margines nullo ordine neruos exporrigens: sapor acer aromaticus & subamarus. *Sapor.* Adhærent autem folia ramis viridantibus, breui pediculo. *Flores.* Flores secundum ramos exeunt conferti, Hederaceis quadantenus similes, maiores, albi, [Lobelio flauescentes] multis in medio apicibus: *Fructus.* quibus succedunt baccæ Cerasis minoribus pares, oblõgæ, colore primùm viridi, vbi maturuerint, nigræ: quæ sub cortice tenui, nucleum bifidum, callosum, ac durum, cum aliqua acrimonia amarum & pinguem claudunt.

Theophrasto quoque Laurus perpetuò viret: eius fructus benè olet & pinguis est. Pro flore vuam fert, [τὸ βότρυν: fortè leg. ὄϊν, quod floris certum quoddam genus, in Lauri florem non malè quadrans.] Sed fructifera, quanquam non omnis, sed genus quoddam: tamen vna in Lauro non fructifera, quam marem vocant, magis gignitur. Facilè perit Laurus ob raritatem infirmitatémque, quamuis non abundè fructificet: nã in hoc genere quædam sterilis est, vt & quędã muscosa. Non vermiculatur Laurus, quia acerba est, quamuis citò putrescat. *Differentiæ Laurei maris & fæm. Sterilis.*

Cato ex Lauri differentiis habet Delphicam, Cypriam & Syluaticam, quam postremam Clus. *Laurum Tinum* suspicatur, de qua postea. *Delphica. Catonis. Cypria. Syluatica.*

Sed videamus Plinium in Lauris Triumphantem, qui tredecim eius genera recenset. Laurus, inquit, propriè triumphis dicatur, vel gratissima domibus ianitrix Cæsarũ Pontificúmque: quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat. Duo eius genera tradit Cato: Delphicam & Cy- *Plinius de Lauro.*

priam [imò tria tradit, vt modò dictum.] Pompeius Lenæus adiecit, quam Mustaceam appellauit, quoniam mustaceis [Edulis genus, è farina siliginis musto conspersa, Aniso, Cymino, adipe, caseo, ramentis virgæ Lauri, subditis, dum coquuntur Lauri foliis.] subijceretur. Hinc esse folio maximo flaccidóque & albicante. Delphicam æquali colore, viridiorem, maximis baccis, atque è viridi rubentibus. Hac victores Delphis coronari, & triumphantes Romæ. Cypriam esse folio breui, nigro, per margines imbricato, crispam. Posteà accessère genera: *Tinus*, hanc syluestrem Laurum aliqui intelligunt, nonnulli sui generis arborem. Differt enim colore, est enim ei cœrulea bacca. Accessit & Regia, quæ cœpit Augusta appellari, amplissima & arbore & folio, baccis gustatu quoque non asperis. Aliqui negant eandem esse, & suum genus Regiæ faciunt longioribus foliis latioribúsque. Iidem in alio genere Baccaliam appellant hanc quæ vulgatissima est, baccarúmque fertilissima. Sterilem verò earum, [quod maximè miror] triumphalem, eáque dicunt triumphantes vti: nisi id à Diuo Augusto cœperit, vt docebimus, [mox] ex ea Lauru, quæ ei missa è cœlo, minima est altitudine, folio crispo ac breui, inuentu rara. Accedit in topiario opere Taxa, excrescente in medio folio paruulo, veluti lacinia folii. Et sine ea Spadonea; mira opacitatis patientia. Itaque quantalibet sub vmbra solum implet. Est & Chamædaphne syluestris frutex, & Alexandrina & Daphnoides, de quibus suo loco. Notatum Antiquis, nullum genus Lauri in Corsica fuisse: quod nunc satum & ibi prouenit. Ipsa pacifera, vt quam prætendi etiam inter armatos hostes quietis sit indicium. Romanis præcipuæ lætitiæ victoriarúmque nuntia additur literis, [lituis Vet.] & militum lanceis, pilisque. Fasces Imperatorum decorat. Ex hac in gremio Iouis Opt. Max. deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit. Idque non quia perpetuò viret, nec quia pacifera est, præferenda ei vtroque Olea, [vtique Myrto & Olea Vet.] sed quia spectatissima in monte Parnasso. Ideoque etiam grata Apollini, assuetis eò dona mittere iam & regibus Romanis, teste L. Bruto. Fortassis etiam in argumentum, quoniam ibi libertatem publicam is meruisset, lauriferam tellurem illam osculatus ex responso. Et quia manu satarum receptarúmque in domos, fulmine sola non icitur. Ob has causas equidem crediderim, honorem ei habitum in triumphis potiùs, quàm quia suffimentum sit cædis hostium & purgatio, vt tradit Massurius. Adeóque in prophanis vsibus pollui Laurum & Oleam fas non est, vt ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his altaria aræve debeant. Laurus quidem manifestè abdicat ignes crepitu, & quadam detestatione. Tiberium Principem tonante cœlo coronari ea solitum ferunt contra fulminum metus. Sunt & circa D. Augustum euenta eius digna memoratu. Namque Liuiæ Drusillæ, quæ postea Augusta matrimonii nomen accepit, cùm pacta esset illa Cæsari, gallinam conspicui candoris sedenti aquila ex alto abiecit in gremium illæsam. Intrepidéque miranti accessit miraculum, quoniam teneret rostro Laureum ramum onustum suis baccis. Conseruari alitem & sobolem iussere aruspices, ramúmque eum seri, ac ritè custodiri. Quod factum est in villa Cæsarum, fluuio Tiberi imposita iuxta nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur *Ad gallinas*: miréque sylua prouenit. Ex ea triumphans posteà Cæsar, Laurum in manu tenuit, coronámque capite gessit: ac deinde Imperatores Cæsares cuncti. Traditúsque mos est ramos, quos tenuerunt, serendi. Et durant syluæ nominibus suis discretæ, fortassis ideò mutatis [nominatis Vet.] triumphalibus. Vnius arborum Latina lingua nomen imponitur viris. [Libertus Ciceronis Laurea Tullius vocatus est.] Vnius folia distinguuntur appellatione. Lauream enim vocamus. Durat & in vrbe impositum loco, quando Loretum in Auentino vocatur, vbi sylua Lauri fuit. Amyci Bebry tumulus in Ponto circa Heracleam à supremo die Lauro tegitur, quam insanam vocant: quoniam si quid ex ea decerptum inferatur nauibus, iurgia fiant, donec abiiciatur. *Hæc Plin.*

Delphica. — *Cypria.* — *Tinus.* — *Regia Augusta.* — *Baccalis.* — *Triumphalis.* — *Taxa.* — *Spadonia.* — *Chamædaphne.* — *Alexandrina.* — *Daphnoides.* — *Pacifera.* — *Laurifera tellus.* — *Fulmine sola non icitur Laurus.* — *Cur honor Lauro habitus in triumphis.* — *Coronatus Tiberius Lauro contra fulmina.* — *Miraculum.* — *Laurea.* — *Lauri insana.*

Dioscoridi duæ Lauri species celebratæ: [illegible] [inquit] [illegible]: Laurus alia tenuifolia, alia latifolia est. Lauri folia [illegible] Veteres appellasse Athen. autor est, quòd Placentis Cammatidibus nuncupatis obducebantur. Placentæ id genus fuit oleo & melle maceratum Eustathio: aliis farina cum oleo cocta, Lauri foliis operta. Sed par fuit & à Poëtis Laurum suam celebrari. Id quidem abundè præstitum & veluti certatim. Hanc verò Apollini Deo suo dicatam, omnes consentiunt: vide Virgilius:

—— Phœbo sua semper apud me
Munera sunt Lauri.

Laurus tenuifol. — *Latifolia.* — *Cammatidia Placenta.* — *Laurus Apollini dicata.*

Hanc enim ob rem, Eurotam fluuium, qui Spartam præterfluit, quòd Lauris ab vtraque ripæ parte obsitus sit, Apollini sacrum Poëtæ dixerunt: inter quos hic, in Sileno:

Omnia quæ Phœbo, quondam meditante beatus
Audiit Eurotas, iussitque ediscere Lauros.

Simili ratione & Parnassus mons huic sacer, quòd Laurus in eo spectatissima semper proueniat. Lucanus:

Cardine Parnassus gemino petit æthera colle
Mons Phœbo, Bromióque sacer.

Hæc autem Laurus Virgilio Phocaica, quòd Parnassus mons in Phocaica regione situs sit.

Candida Phocaica complectitur insula Lauro.

Hic obiter notandum apud Virg. in Bucol. Egl. 6. vbi legitur iussit educere Lauros, nostro iudicio rectiùs legi Tauros, perperámque legi à nonnullis ediscere Lauros, vt rem poëtico studio magis adaptent, temeraria satis, mehercle, non coniectura, sed emendatione: quippe qui vidère potuerint poëtam paulò antè de armentis aliisque animalibus locutum. Ferunt præterea templum, quod toto orbe terrarum Apollini primùm erectum, apud Delphos ædificatum fuisse: atque tantùm è Lauri ramis, è Tempe ac Peneo Thessaliæ petitis, ac in terram in specus morem defixis, scribente Pausania in Phocensibus. Nam postea, in Apollinis sacro festo ac pomparum solemnitate puer solitus sacram gestare Laurum. In Ismeno colle [à quo Apollo Ismenius: licet quidam non à colle, sed à fluuio dictum velint] extra dextram Thebarum portam templum Apollini sacrum, cuius sacerdos Daphnophorus, id est, Laurifer cognominatus. Daphnites etiam à Syracusanis Apollo dictus, authore Hesychio. Sed nunc ad rationem dedicationis deueniamus: cuius variæ sunt Authorum, sicut in re vana, opiniones. Iubet tamen poëticas has amœnitates paulò diligentiùs perstringere, quòd in iis interdum multiplex interiórque delitescit rerum scientia, atque adeò verborum illo inuolucro nonnihil etiam veri prætendere soleant.

Laurus Phocaica. — *Virg. locus correct.* — *Templum Apollinis ex Lauro.* — *Daphnephorus.* — *Daphnites.*

Diodorus igitur Siculus hanc causam affirmat, quòd ille primus hanc plantam inuenerit. Alii

Cur Laurus Apollini dedicata.

quòd

quòd hæc fulmine non iciatur. Phornutus, quòd facilè incendatur, & ad purgationes inprimis idonea, propterea Deo mundissimo ac flagrantissimo dedicatur. Cui opinioni assentit Eusebius, propter vim igneam. Lactantius verò Grammaticus, propter vim diuinandi triplicem, præteritorum scilicet, præsentium, & futurorum. Ideóque maximè illi Laurum Delphicam deuouit, quòd hanc radices tres habere existimet: vt propterea Apollo Vatum præses habeatur: atque sacerdotes ad artis insigne, Lauro coronentur, vt sentit Aristophanis interpres: qui, Lauro, inquit, sacerdotes coronabantur, & diuinaculi ὡς γνώρισμα τῆς τέχνης: quia esset id artis indicium, ac veluti quoddam τεκμήριον. Laurum igitur Apollini vaticino Deo sacram, futurorum habere præsensionem quandam inter poëtas celebratum. Siquidem [vt refert Rhodig.] nil crepitantius vritur, sicut à Lucretio proditum quoque nouimus. Sed eo prior etiamnum Theocritus canit. Nam & hinc Daphne dici videtur, velut Eustachius interpretatur: δα intentionis vim habet: φωνεῖν verò loqui est, ac canere. Sicque δάφνη quasi δαφωνὴ dicta. Igitur euentus rerum ex crepantis modo Veteres aucupabantur: quod nec Porphyrium latuit: nam si crepuisset abundè ac sonantiùs, haud dubiè portendi felicitatem rebantur. Quod significat illo versiculo Elegiographus nobilis Tibullus.

Laurus vbi bona signa dedit, gaudete coloni.

E diuerso si tacita deflagrasset, inauspicatissimũ infelicissimumque arbitrabantur: quod approbat etiam Propertius.

Et tacet extincto Laurus adusta foco.

Sic Aphthonius diuinationis symbolum esse Laurum testatur: & Claudianus venturi præsciam Laurum dixit: nisi quòd opinantur plerique Lauri folia, si noctu puluillo subiiciantur, veritatem somniorum conciliare. Quod, non omnino malus auctor, Fulgentius non omisit. Et Dionysius Halicarnasseus in Panegyricorum ratione Laurũ μαντικὸν φυτὸν, id est, vaticam arborem: sicut Eustachius quoque, qui & Apollinis corollam fuisse Lauream scribit, quam secum tulerit Chryses in Græcorum exercitum veniens. Interpres Theogoniæ Hesiodi Laurum scribit ἐνεργητικὴν τῆς τῶν ἐνθουσιασμῶν, id est efficacis esse auxilii in numinum afflatu: propterea in Cassandra Sophocles ait, δάφνην φαγὼν ὀδόντι πρῖε τὸ στόμα. Et Lycophron, δαφνηφάγων φοιβάζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα. Hinc aperitur Tibulli locus de Sibylla:

Vera cano, sic vsque sacras innoxia Laurus
Vescar, & æternùm sit mihi virginitas.

Et Iuuenalis:

Eloquium vocale modis, Laurúmque momordi.

Lycophronis interpres in Alexandra, dici omnia putat fabulosè, nisi quod Chresmologi & vates futura præcinebant Lauro coronati, vt quæ vireat semper, ac sit alexicaca. Vorare autem inde dicti, quoniam diuinationum capturis alerentur ferè. Quibus verò cogerentur numina vel recedere vel accedere, illis maximè versibus commonemur, qui appositi à Porphyrio ita fermè Latinè sonant:

Soluite serta, pedes liquidis & spargite lymphis:
Eque manu ramum, Lauros auferte virentes:
Linea sitque omnes deleta omnisque character.

Referamus & Daphnes fabulam in Laurum commutæ, sicut cecinit Ouid. & ex Geoponicis Scriptoribus refert Const. Cæsar. Fuit Daphne quæ priori nomine Pasiphaë dicta est Plutarcho in Agide autore, Penei Thessaliæ amnis filia: quare Ouid. Peneiam vocat. Aut vt Const. Cæsar tradit Ladonis Arcadiæ fluuii & terræ pulcherrima filia. Huius amore perditus Apollo eam deperibat, dat operam vt ea tanquam amasiâ potiretur: eam igitur sectatur. At ipsa fugæ labore deuicta, & ab eo capta, Peneium ac Tellurem parentes deprecata est, vt se in suum reciperent gremium. Quorum miseratione in Laurum arborem conuersa. Re conspectâ deterritus Apollo, arborem gentili virginis nomine donauit, & Daphnen, hoc est, Laurum æquiuocè appellauit. Fraudatusque suis amoribus nihilominus arborem amplexus, vulso ex ea ramo capiti suo coronam aptauit: sic enim Ouid. Metam. lib. 1.

Hanc quoque Phœbus amat.

Et ille pòst ad eandem:

At quoniam coniux mea non potes esse,
Arbor eris certè, dixit, mea: semper habebunt
Te coma, te cithara, te nostra, Laure, pharetra.
Tu ducibus lætis aderis, cùm læta triumphum
Vox canet, & longas visent capitolia pompas.
Postibus augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediámque tuebere Quercum.
Vtque meum intonsis caput est iuuenile capillis,
Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores.

Ex eo itaque tempore Laurus vaticinationis signum fuit, idque non incongruum. Quippe puellam quoque Sophronem, id est, temperantiam vel sobrietatem [quamuis alii sapientiam vertant] vocarunt, quòd facultas diuinandi ab his proficiscatur.

Fabulantur insuper Leucippum Oenomai Pisæ Regis filium illius amore mirum in modum exarsisse: Qui quum eius nuptias assequi nequisset [exosa enim illa masculinum sexum erat.] habitu muliebri, comâque in modum virginum cõtexta, ad eam accessit, mentitúsque est se Oenomai filiam. Qui quum generis nobilitate, ac venandi peritia, cæteras virgines antecelleret, Daphnes beneuolentiam facilè sibi conciliauit. Hæc autem quum aliquando cum cæteris Nymphis in Ladone lauaretur, Leucippũ per lasciuiam vi expoliat, cogitque vt vna secum lauaret, & nataret. Deprehensus itaque mas, hastis & pugionibus est confossus. Qui verò Apollinis erga Daphnen amores celebrant, illum Leucippo, antequam exueretur, inuidisse aiunt. Sub his autem Poëticis Laruis subest interdum scientia, quam ingenium acre, lectio varia, iudicium excussum emunctúmque promit in literas, quo, vt ait Cælius, studiosissimus quisque accuratiùs exerceatur, nec conceptâ semel facilitate, in vtrámque aurem dormiat.

Verùm ex Poëticis viretis regressi naturalem Lauri historiam persequamur, perpendentes etiã in ea, more nostro, diuersorum Autorum placita & obseruata.

Hermol. annotat, degenerare Laurum vt Quercus & Myrtus pertinaciter, adeò vt in Antandro fructus è rubro niger eueniat. At contrarium scripsit Plin. qui lib. 17. cap. 10. Lauro naturam esse dicit omnino non degenerãdi, quoquo modo feratur, quem locum mirum est à doctissimo Hermolao non perpensum aut lectum.

Inter Posteros Cordus in differentiis non tantùm Latifoliam & tenuifoliam agnoscit, sed & in ipso fructu differentiam animaduertit. Siquidem alterius in rotundo modicè oblongus est: alterius oblongus, gracilis, & vtrinque ouato mucrone turbinatus. Quod verò apud eundem scribitur: Laurum diuidi in sylue. & satiuam: ac rur-

Laurus Delphica.
Laurus diuinationis insigne.
Daphne vnde dicta.
Laurus Diuinationis Symbolum.
Vatica arbor Apollinis corolla Laurea.
Alexicaca.
Daphnes fabula in Laurum commutata.
Apollinis benedictio Lauri.
Alia fabulae enarratio.
Laurus degenerat.
Laurus nõ degenerat.
Differentia fructus.

Google

fus vtramque in syluestrem & satiuam: quid sibi velit, Oedipo alicui diuinandum relinquimus.

Bellon. in monte Athos quinque species Lauri semper virentis obseruasse tradit, & inter eas vnam inodoratam.

Lauri natura. Theophrasti differentiam maris & fœminæ sic explicat Hermol. Fert & vuam suam Laurus, tam fœcunda, quàm sterilis: nec tamen fœcunda omnis: copiosiùs sterilis quam marem appellamus.

At Matth. maris & fœminæ differentiam à foliorum diuersitate desumendam censet, quando ait: folia habet Laurus oblonga & lata origine, in acutum desinentia, in vno genere latiora, in altero angustiora: quæ foliorum differentia alterâ marem, alteram fœminam censemus. Sed plantarum studiosis decernendum remittimus an vllum aliquando viderint Lauri folium, origine latum.

Matth. not. Dod. alteram mediocris arboris altitudine, foliis duris ait: alteram fruticosam magis, à radicibus germina plura emittere, quæ tamen in tantam altitudinem non assurgat, & corticibus ramulorum rubeat, cuique sint folia teneriora ac minùs dura, quas differentias & Dioscoridem agnouisse putat.

Laurus baccifera. Virgulacea non baccata. Daphne unde. Lobelio vulgatior Laurus baccifera: humilior virgulacea non baccata dicta, quam & Gigartiferam cum Pena vocat in Aduers. Quoniam verò frondes igni fragorem edunt salis strepitu, *Daphnen* dictam volunt quasi *Drophnen*. Quem strepitum fortè & Virg. insinuauit:

Et fragiles incende bitumine Lauros.

Id est, vt explicat Dalech. inter vrendum fragores & crepitum edentes. Nihil enim æquè magno sonitu crematur ac Laurus.

Tabern. septem proponit Lauros totidem distinctis figuris, ac titulis insignitas, has. 1. Laurus mas, Lorberbaum menlin. 2 Laurus fœmina, Lorberbaum weiblin. 3. Laurus latifolia mas. Groß lorberbaum menlin. 4. Laurus latifol. fœm. Groß lorberbaum weiblin. 5. Laurus tenuifol. mas, Klein lorberbaum menlin. 6. Laurus tenuifolia baccifera, Klein lorberbaum menlin. 7. Laurus angustifol. mas, Lorberbaum menlin. An verò ea barum sit differentia, quæ septem figuris indiguerit, Lauri varietatum gnari Lectores iudicent.

Apud Amatum quoque in Edit. Lugd. cum annot. Rob. Const. pro Lauro malè posita Hypoglossi icon. Arbor Græcis δάφνη, qua voce etiam Latini, vt Petron. Arbiter. Et baccis redimita Daphne & etiam Ladonis, patronymica appellatione à patre Ladone. Sunt etiam qui ἀκείδαφνην vocitent: alii χαμαιδάφνην. Baccæ eius δαφνίδες. Laurum τεμπίδα in Alexipharm. vocat Nicander, quoniam in Thessalia comperta fuerit primùm, vt notat Cæl. Rhod. Lauri turiones cùm legis, summas partes intellige, ac præteneras. Folia in Catone dicuntur *Laurea & Lorea*. Fructus *Lauri bacca*, *Daphnococci*. Oleum δάφνινον. Arabibus Laurus, vt videre est apud Serap. *Gaur* vocatur. Item *Gar*. Lignum in Auerrh. *Aegarelchaar*. Laurus German. Lorberbaum. Fructus, Lorberbeer. Gal. *Laurier*, *Grain de Laurier, ou Bayes de Laurier*. Ital. *Lauro & Orbaco*: *Bacche di Lauro*. Hisp. Cat. il. *Laurel*, Portugal. *Laureiro*. Catal. *Lorel*. Fructus Castil. *Vayas*. Angl. Laurelbaytree, vel Laurel tree/ & Baytree / Belg. Laurusboom / Lauwer & Laurierboom. Fruct. Bay & Baerseler. Bohem. Bobek.

Synonyma linguar. Tempe.

Laurea. Lorea. Daphnococci. Gaur & Gar.

Lauri Epitheta. Laurum denique variis Poëtæ ornarunt epithetis, insignis eius nobilitatis vberrimo argumento: *Sacra, Apollinea, Apollinaris, Phœbea, Delphica, Fatidica, Pythica, Pieria, Phocaica, Aonia, Parnassia, Thessalica, Palatina, Triumphalis, Delia, Chalcidica, Indica, Martia, Pacifera, Virguncula, Enthea, Virginea, Mystica, Tacita, Virgo, casta, comans, crepitans*, & aliis quampluribus. Romani *boni genij plantam* vocant, teste Const. Cæsare.

Boni genij planta. Locus.

Ex iis quæ mansuescere possunt, Laurus & Myrtus, vt tradit Theoph. quàm minimè in frigidis durare possunt. Fert tamen frigidiorē locū Laurus magis quàm illa, argumento: quòd in Olympo Laurus multa, Myrtus omninò nulla: in Ponto autem toto neutra est, quanquam summo studio, omnique solertia serere conantur ad vsus religionis. Subit & montosa Laurus, vt tradit Plin. Sed à Theoph. nonnihil variat quando ait: Frigus inimicum Lauro fecerat; sed in Olympo copiosior nulla est. Circa Bosphorum Cimmerium in Panticapæo vrbe, omni modo laborauit Mithridates rex, & cæteri incolæ, sacrorum certè causâ Laurum Myrtúmque habere: non contigit, cùm teporis [teporis in M.d. temporis CH.] arbores abundent ibi. Theophr. tanquam rem raram & ostento similem narrat, Laurum aliquando ortam in Platano & Quercu. Gaudet locis calidioribus. Quare in Lexobiis, ac Bellocassiis Neustriæ, hortos maris afflatu tepentes non dedignatur. Quin & in Italia & Hispania non tantùm hortis & vineis cognita, sed & syluis & montibus, potissimùm mari vicinis. Ad lacum Benacum secus itinera sepes vbique ferè sunt, ex Lauris artificiosissimè concinnatæ: sed & abundè ibi passim in collibus & nemoribus sua sponte prouenit, quemadmodum & in Creta. In monte Athos altè Lauri spontaneę nascentes ardorem Solis omni tempore reprimunt. In monte Amano Laurus latifolia frequens, teste Bellon. In Germania, Gallia, Anglia, & Belgio non nisi sata & diligenter culta prouenit, in Magnatum tamen hortis haud adeò insolens. Apud Germanos hyemem non facilè perfert, nisi recondatur. In Anglia, inquit Turnerus, in magnam arborem non excrescit: feliciùs tamen adolescit viretque quàm in Germania. Sed huius regiones fortè is non omnes perlustrauit. Stutgardiæ sanè in horto E.C. pulchras Lauros vidimus cum baccis: verùm hyeme teguntur, ac hypocaustis reseruantur. Basileæ quoque in horto D. Fel. Plateri elegantes habentur, vbi copiosè florent, sed sine baccis. Monspelii in magnas excrescunt arbores. Colimus Montbelgardi veluti syluulam quandam, cuius tamen minores omnes ex maiore veluti matre expullularunt. Rariùs floret.

Tempus Post Fauonium demùm germinare Theophr. author est. Primo Fauonio, Plin. Floret Martio & Aprili. Baccæ maturantur sub finem Autumni cum oliuis, & nisi decerpantur per totam hyemem ad ver vsque in arbore hærent. Theophrast. scribit Lauro vites offendi, æquè ac Brassica, odorisque eius vehementia reddi deteriores, quàm in se attrahant: vt mirum sit, Const. Cælatem eam commodam ad vitium sepes dixisse. At sub Pinu Laurum commodè seri, quòd ea radice simplici altàque sit, idem Theoph. prodidit. Quod verò Laurum auctu difficilem ait, fatendum nos contrarium obseruasse. Pauculis enim annis ad hominis altitudinem creuisse scimus. Baccæ passim in Officinis habentur.

Vites oderunt Laurum. Const. not.

Theoph. not.

Satio. Seritur autem pluribus modis. Nam & semine prouenit, & auulsione [ἀπὸ σπαράγματος. Theophr.] si quis amputatis surculis serat. Sed

quod

quod auellitur, radicis aut stipitis (ὑπόῤῥιζον, ὑπόπρεμνον: radicatum esse aut ramosum) aliquid habere debet. Eius enim extrema germinare nequeunt: nisi id rarò & præter naturæ consuetudinem eueniat. Nam nec rami prægrandis germẽ Lauri vnquam erumpit, ac ne auulsione quidem, nisi difficilè. Cuius causa siccitas & raritas. *Hæc Theophrast.* Cui non consentit Plin. quando ait: Testatum sic obiter & ramo Laurum seri; quoniam dubitauere Democritus & Theophrastus. Crebras deponere Lauros non plus nouenis pedibus distantes præcipiunt.

Theophr. & Democr. not.

Insertio.

Quintilius inseri posse tradit Lauros mutuò, & in Sorbo & Fraxino. Diophanes baccas suadet legi circa Cal. Decẽb. seri verò post Idus Martias: viuiradices transferri mense Octobri. Alii mense Ianuario Aquilonis afflatu siccante baccas legi præcipiunt, expandique raras, ne calefiant aceruo. Postea quidam fimo ad serendum paratas vrina madefaciunt. Alii in qualo pedibus in profluente deculcant, donec auferatur cutis; alioquin vligo infestat, nec patitur nasci. In sulco repastinato palmi altitudine vicenæ ferè aceruatim ponuntur mense Martio: eædem & propagine feruntur. Triumphalis taleâ tantùm: Augusta & Baccalis pluribus modis: ab occasu Aquilæ ad occasum Sagittæ seri iubent. Baccis recentibus, [notante Trago] verno tempore in humo pingui, digiti altitudine depositis, Maio mense erumpunt, quæ si diligenter colatur, ac Autumno in figulina transplantetur, in arbusculam euadit mediocrem. Seritur & surculis apud nos, quos vere terra obruere conuenit, qua ratione & Lauendula propagatur. Nostra obseruatione scimus surculis difficulter admodum prouenire: posse tamen: faciliùs si quid radiculæ habeant, quales copiosè è matris radice pullulantes emergunt. Nostri in vasis colunt, & hyeme diligenter reponunt: vereque rursus exponunt, vel in iisdem vasis, scrobibus in area excauatis, quod in Magnatum hortis fieri solet. Curam eandem adhibent, quam Citris adhiberi diximus.

Serendi modus.

Vires & Vsus.
Baculi pro senibus.

Laurus inquit Theophrast calida est: ideò ex ea ignaria facere solent. Est verò rara corpore: ideò senes ex ea pulchros & prælenes baculos faciunt. Dioscoridi vtraque Laurus [tam tenuifolia quàm latifolia] excalfactoriam emollientémque facultatem habet. Itaque decoctum ex his insessu vuluæ ac vesicæ vitiis conuenit. Virentia folia [τὰ χλωρὰ τὰ φύλλα: sic enim leg. non ξύλον, vt quædam ex habent] nonnihil astringunt: trita & illita vesparum apúmque ictibus opitulantur. Eadem adhibita cum polenta & pane ad inflammationem quamlibet leniendam valent. Pota verò stomachum grauant, & vomitiones mouẽt. In Græco legitur, πινόμενα δὲ πραΰνει τὸν στόμαχον, καὶ ἐμέτους κινεῖ. Corn. pro πραΰνει, id est, mitigant, βαρύνει legit, id est grauant. Faciléque fuisse ait alteram vocem pro altera agnoscere. Plin. certè omisso priore membro, simpliciter dixit: folia pota vomitiones mouent. Marcello quoque vetus lectio suspecta est, putatque aliud aliquod similiter desinens non adeò dissimile verbum substituendum: qualia sunt τραχύνει, ταράττει, aut ἀνακινεῖ, vel his simile aliquod aliud quod subuertendi, miscendi, & exasperandi significationem haberet. Sanè in alterutro membro clausulæ errorem subesse ostendit eorum inter se repugnantia, vt rectè animaduertit Corn. Verùm is nostro iudicio non in primo, vt placet Cornario, esse videtur, qui βαρύνει legit, vt conformet cum sequentibus

Temperã. Diosc. emend.

Ictus vesp. Inflammationes. Nausea. Dioscor. emend.

καὶ ἐμέτους κινεῖ: sed in his potiùs postremis. Certum enim est tum experientia tum ex Galeno, aromaticam esse totam, & amaricantem cum nonnulla adstrictione hepati amica, qualia ventriculum tantùm abest vt subuertant, vt nauseabundum corroborent potiùs. Quare rectè retineri πραΰνει, optimorum codicum fidem secuti, existimamus: τὸ κινεῖ verò in textum irrepsisse & expungendum esse: quemadmodum legisse verisimile est Galenum, alioqui hoc non taciturum. *Plinius autem videri potest corrupto vsus cortice, vt multis locis ei euenisse patet.* Pro nostra opinione facit quoque Dodonæi obseruatio, quando scribit, Lauri folia à recentioribus non rarò cum nonnullis cibariis præsertim piscibus coquuntur: verùm inde nulla nausea accedit: sed cibus istis conditus sapidior ac ventriculo gratior redditur. Nostra ætate à nonnullis cum carnibus suillis in eundem scopum coqui solent.

Corn. sententia reprobatur.

Porrò Lauri baccæ (addit Diosc.) magis quàm folia calefaciunt. Proinde in Eclegmate tritæ cum melle aut passo prosunt tabi, orthopnœæ ac thoracis rheumatissimis. Contra scorpionum ictus ex vino bibuntur, & vitiligines emaculant. Expressus ex iis succus aurium doloribus auditúsque grauitati auxiliatur, cum vino vetere & rosaceo instillatus. Inseritur & acopis & vnguentis tum etiam discutiendi vi præditis. Cæterùm cortex radicis calculos rumpit, partus necat & hepaticis prodest, tribus obolis in vino odorato potus. *Hæc Dioscor.* Nostra ætas baccis non ad pulmonis aut pectoris morbos vtitur: sed ad ventriculi, Iocinoris, Lienis ac Vesicæ affectus folia exhibet: refrigeratum ventriculum concalfaciunt: concoctionem crudorum humorùm promouent: languentem appetentiam excitant: cibi fastidium pellũt: iocinoris ac lienis obstructiones aperiunt: vrinas ciunt: menses mouent, & ad secundarum expulsionem faciunt.

Tabes. Orthopnœa. Rheumatismo. Scorpiõnum. Vitilig. Aurium dolor. Calculi.

Appetitus.

Plin. eadem ferè quæ Dioscor. habet, sed aliis quoque adaucta. Laurus inquit, excalfactoriam naturam habet, & foliis & cortice & baccis: itaque decoctum ex his, maximè è foliis, prodesse vuluis & vesicis conuenit. Illita folia vesparum crabronúmque & apum, item serpentum venenis resistunt, maximè sepis, dipsadis & viperæ. Prosunt & mensibus fœminarum cum oleo cocta. Cum polenta autem quæ tenera sunt trita ad inflammationes [Ruell. legit collectiones: quid si legamus inflationes?] oculorum: cum ruta, testium: cum rosaceo, capitis dolores, aut cum irino. Quin & commanducata atque deuorata per triduum terna, liberant à tussi. Eadem prosunt suspiriis trita cum melle. Cortex radicis cauendus grauidis: ipsa radix calculos rumpit, iocinori prodest trib. obolis in vino odorato pota. Folia pota vomitiones mouent. Baccæ menses trahunt appositæ tritæ, vel potæ. Tussim veterem & orthopnœam sanant binæ, detracto cortice in vino potæ. Si & febris sit, ex aqua, aut ecligmate ex aqua mulsa, aut ex passo decoctæ. Prosunt & Phthisicis eodem modo, & omnibus thoracis rheumatismis. Nam & concoquunt pituitam, & extrahunt. Aduersus scorpiones quaternæ ex vino bibuntur. Epinictidas ex oleo illitæ & lentigines, & hulcera manãtia, & vlcera oris, & furfures. Cutis pruriginem [porriginem CH.] succus baccarum emendat & phthiriasin. Aurium dolori & grauitati instillatur, cum vino vetere & rosaceo. Perunctos eo fugiunt venenata omnia. Prodest contra ictus & potus, maximè autem eius Laurus, quæ tenuiora habet folia. Baccæ cum vino

Ad vespas & serpentes. Menses. Inflam. ocul. & testium. Cap. dolor.

Tussis.

Grauidis noxia.

Menses.

Febres.

Phthisis.

Epinyctides. Vlcera. Phthiriasis.

serpentibus, & scorpionibus & araneis resistunt. *Gangræna.* Ex oleo & aceto illinuntur & lieni & iocinoris gangrenis cum melle. Et in fatigatione etiam aut perfrictione succo eo perungi, nitro adiecto, prodest. *Partũ promouet radix.* Sunt qui celeritati partus multùm cõferre putent radicem, acetabuli mensura in aqua potam, efficaciùs recentem, quàm aridam. Quidam aduersus *Scorpionũ ictus.* scorpionũ ictus, decem baccas dari iubent potui. *Vuula.* Item & in remedio vuæ iacentis, [Gargareonis demissi & laxioris] quadrantem pondo baccarum foliorúmve decoqui in aquæ sextariis tribus ad tertias, eámque calidam gargarizare: & in *Capitis dolor.* capitis dolore, impari numero baccas cum oleo conterere, & calefacere. Laurus Delphicæ folia *Pestilentia.* trita olfactaque subinde, pestilentiæ contagia *Oleum.* prohibent, tantò magis si & vrantur. Oleum ex Delphica ad cerata acopaque, ad perfrictiones *Aurium dolor.* discutiendas, neruos laxandos, lateris dolores, febrésque frigidas [vel rigores febriles, vel hepialas & Lypirias, in quibus ardent simul ægri & algent. D.] vtile est. Item ad aurium dolorem, in mali Punici cortice tepefactum. Folia decocta ad tertias partes aquæ, vuam cohibent gargarizatione: potu alui dolores, intestinorúmque. Tenerri- *Vuula. Ventris dolor.* ma ex his trita in vino, papulas, pruritúsque, illita noctibus. Proximè valent cætera Lauri genera, de quibus singulis specialiùs suo loco. Laurus quidem manifestè abdicat ignes crepitu & quadam detestatione: interaneorum etiam vitia & *Interaneorum vitia.* neruorum ligno torquente. [etiam vitiis vuluæ, vesicæ, & neruorum lassitudini medentur. Dal. ex Diosc.] Eadem purificationibus adhibetur.

Crepitus Lauri quid denotet. Cæterùm crepitum illum sonorum Laurini folii adolescentis portendere fœlicia existimatum à Theocrito, Lucretio, Porphyrio: contrà verò, Laurum iniectam igni & tacitam, tristia: de qua re & suprà quædam attigimus.

Porrò non temerè existimamus vtendum foliis Lauri in inflammationibus oculorum & testium, nec etiam in capitis doloribus, quicquid *Plin. not.* dicat Plinius. Quod tamen doctioribus considerandum relinquimus.

Nec displicet Ruellium legere pro inflammationibus, collectiones. Sed magis nobis probatur *Plin. corr.* si legamus inflationes, quibus folia conferre posse neutiquam dubitamus.

Herodianus lib. 1. in maxima peste, consulentibus Medicis, Commodum Imperatorem ob co- *Pestis.* piam arborum Lauri, Laureatum secessisse memoriæ tradidit.

Galeno Lauri arboris & folia & fructus desic- *Temperã.* cant & calfaciunt vehementer, plúsque etiam fructus quàm folia. At radicis cortex minùs quidem acris est & calidus, plus tamen amarus, habétque etiam adstrictionis nonnihil. Quamob- *Calculus.* rem & calculos confringit, & iecori prodest: bibitur ex vino fragrante trium obolorum pondere. Lauri porrò folia pro bellariis apud Veteres *Cibus.* habita fuisse, referente Athen. sic docet Callias, siue Diocles in Cyclopibus: Lauri folia tu arrodes.

Iidem Lauream coronam, quòd calefaceret & graue spiraret, compotationibus inutilem esse indicarunt. Fructus educit & euocat, teste Celso: calculosis prodesse Soranus Ephesius asserit.

Partus. Radicis corticem ante Plinium Hippoc. partus celeritati plurimùm conferre prodidit. Contra venenata animalia succi remedio, & contra alia venena, si Curtio credimus, munimur. Hoc etiam inuncti protegimur, vt etiam venenosæ bestiæ nos fugiant. Lauri folia in aqua marina decocta *Pulices.* omnes pulices pelium ingredi compellent. Oe- *Aduersus Tabanos, & muscas.* strum, siue Tabanus boues aliaque quadrupedia in amentiam præcipitare solent, maximè per æstiuos calores: aduersus quas molestias, si Lauri baccam contuderis, & in aqua coxeris, & eo loco vbi boues depasturæ, aut incubaturæ sint, inspersens; proderit. Hæc Sotio. A muscis autem ne infestentur, baccas Lauri contundito, atque oleo incoquito, & boues inungito.

Huius autem arboris vim propè diuinam, non ignorarunt aliquot animalia. Nam Coruus auis, *Etiam bestiæ Lauri vires norunt.* occiso Chamæleonte, qui etiam victori nocet, Lauro infestum virus enecat. Pituita quoque gallinas, præsertim messis ac vindemiæ tempore, *Pituita gallinarũ.* vt plurimùm infestat: illarum medicina est, vt cubatus earum in Lauri fumo fiat. Hoc autem fit cæca naturarum discordia, quam ἀντιπάθειαν vocant Græci. Aduersus boum contagionem, tradente Colum. proderit Laurum decoquere, & ea ca- *Contagio boum.* lida terga fouere, multóque oleo & vino confestim subigere, ac per omnes partes apprehendere & attrahere pellem, idque optimè fit sub dio, Sole feruente. Idem animalis genus Cephalal- *Cephalalgia boum.* gia, hoc est, capitis dolore torquetur: quod tunc dignoscitur, vbi aures demittens non comedit: tum foliorum Lauri, quantùm manus apprehendit, in os iniicies.

Sed ad vtilitates potiùs, quas homini præstat, redeamus. Baccæ Lauri à cortice exteriori mundatæ, deinde per noctem infusæ in vino albo vsque ad consumptionem, fortiter exprimantur, liquor reponatur in vas vitreum: de eo in angulo lachrymali pone vnam vel alteram guttam, & *Lachrymæ oculorum.* potenter lachrymas restringet. Eadem in vino cocta, trita & oculis superposita dolorem & tumorem tollit, attestante Arnoldo. Amatus inter *Ambustio.* selecta medicamenta combustionibus medentia, siue ab igne vel aqua feruente, aut alia aliqua causa eueniat, hoc primatum obtinere certum esse testatur ab Indico Medico acceptum. Super Lauri folia facies de alto cadere porcinam carnem ignitam, quousque folia in cinerem vertantur. Eo vnguento combustam partem inunges, bis in die, & intra tres dies sanam reddes. Lauri te- *Aurium grauitas & sonus.* nerrimas summitates cum Nardo in vino decoctas, aurium grauitati & sonis mederi, scribit Matthiol. si eius decocti calentis vapor infundibulo in aures recipiatur. Laurus ex se vim habet ignem *Ignis ex Lauro.* producendi: quippe si exsiccatæ ramus ramo frequentiùs confricetur, superaspersο sulphuris puluere, ignis statim exiliet. Ex baccis in nodulo in vino aut cereuisia maceratis, vtilis fit potio ad colicum dolorem: dissipant enim baccæ flatus: *Colica.* in quos vsus asseruatur in Officinis Elect. de baccis Lauri nuncupatum. Lauri baccis laxata Columella seu vuula ad locum reducitur, si cum æquali *Vuula.* pondere Cymini, Hyssopi, Origani, Euphorbii, melle excipiantur, & summo capiti calidæ applicentur. Eaedem vnciæ pondere cum tritici vel hordei furfuris manipulo, baccarum Iuniperi vncia semis, Allii bulbis tribus contusas, & affusis vini albi libris duabus ad emplastri consistentiam decoctas, & pectini admotas, tanquam singulare remedium ad vrinæ retentionem, vel *Vrinæ retentio.* suppressæ prouocationem, prædicat. Septem Lauri baccas à prægnantibus propediem partu- ris, cùm se dormitum recipiunt, deuoratæ, faci- *Partus.* lem felicémque partum præstare. Tenerrimas Lauri Cymas cum Calamintha & sale contritas, *Purgant. Lumbrici.* ex tepida aqua sumptas, aluum ciere, pituitamque & lumbricos celeriter expellere. Baccæ Lauri

& Piræ

Dolor capit. & Pira Syluestria contusa simúlque imposita fronti & temporibus in linteolis, Camer. teste, sedant dolores capitis. Eædem baccæ cum pauca Scammonea & Croco tritæ in aceto & oleo rosaceo, instarque linimenti applicatæ in *Hemicrania.* hemicrania diuturna non parum prosunt. Lauri folia Veteres olim inter bellaria adhibebant ii, qui nolebant vinum sibi nocere: vt namque exsiccatoria foliorum, fumi ad caput elati adsumebantur: vel *Vini odor celatum.* potiùs qui, cùm vinosi essent, vinum tamen redolere nolebant, & sobrietatem mentiri conabantur: id quod Martialis facetè & clarè admodum significat.

Fœtere multo Myrtale solet vino,
Sed fallat ut nos, Folia deuorat Lauri,
Merúmque, cauta fronde, non aquæ miscet.

Ægyptiorum Hieroglyphica Picam folium Lauri ore tenentem pingunt, quo designabant hominem sibi ipsi medentem. Nam Pica ægrotans *Morbos pica amouet Lauro.* dicitur Lauri folia in nidum congerere, & illis morbos arcere. Palumbes præterea, graculi, merulæque, perdices quoque, vt noxias bestiolas fugent, nidulis suis Lauri folia ingerere traduntur. Scribit etiam Secundus, eas annuum fastidium Lauri folio purgare. Refert insuper Horus Apollo in Hieroglyphicis literis, palumbum quoties ægrotauerit, Lauream frondem in suo nido apponere, quo remedio statim reconualescit. Quamobrem Aegyptii hominem sibi ex oraculi responso vtiliter medentem ostendere volentes, vt modò dictum, Picam, vel secundum alios, palumbum, Lauri folium tenentem effigiant.

Mirum quoque, quod de eo in suo Asino aureo scribit Apuleius, Anethi scilicet modicum cum Lauri foliis immissũ cum aqua fontana, lauacrum & poculum esse ad faciem pristinam recipiendam, arte magica immutatam.

Cõuenire etiam narrant in maleficiis amatoriis Laurum incendi, etsi amantium quærimonias repræsentet.

Columbæ etiam pullis suis contra fascinationes præcauentes, Laurinos ramulos nidis reponunt. *Antipathia Lauri.* Anser folium Lauri non exest, ne quidem si vel fame prematur, attingit: nec rosam Lauricam, neque etiam vi adhibita. Præclarè enim intelligit, si id comederit, vita se priuatum iri. Hæc Aelianus de Animalibus. Scribit etiam Lucianus, equo, asinóque Lauri cibum perniciosum, & è vestigio mori edentes.

Colum. vult boues satiari circa autumnum fronde Laurea. Et ante ipsum Cato, si metuitur mors, adhuc tamen sanis Laurea folia tria cum sale & porri fibris danda præcipit.

Olei Laurini conficiendi rationes. Laurinum oleum apud Dioscor. è drupis, seu maturitate deciduis Lauri baccis [δρυπεπέσι] in aqua decoctis conficitur. Tum enim ex ambiente cortice pinguitudinem quandam exudant, quæ manibus priùs expresso è tritis baccis succo conchis excipitur. Nonnulli verò vbi Omphacinum oleũ Cypero, iunco odorato, & calamo priùs inspissauerunt, tenera deinde Lauri folia in id conjecta simul decoquunt: Sunt qui Lauri baccas addant, dum iustus odor accesserit. Alii styracem & Myrrham admiscent. Porrò ad eiusmodi olei confectionem optima est Laurus montana & latifolia. Palladio ex Lauri baccis oleum conficitur, hoc modo, Lauri baccas quàmplurimas, & maturitate turgentes in aqua calida bullire facies, & vbi diu ferbuerint, olei quod ex se dimiserint, supernatantis vndam pennis leniter cogentibus in vasa transfundes. At Plin. Fit inquit, è Lauro admixto drupatum oleo. Quidámque à baccis exprimunt tantùm: alii foliis modò: alii folio & cortice baccarum, nec non Styracem addunt, aliósque odores. Optima Laurus ad id latifolia, syluestris, nigra baccis. Sed non satis explicat Plin. an baccæ Laurorum oleo drupatum conteri ac exprimi debeant, aut ab expresso simul vtroque fructu sic olei drupatum admixtio fiat. Græci verò medici Aetius, Actuarius, & Paulus, alterum Laurinum parum faciunt è Lauri baccis expressum: alterum mixtum, ita vt ad quinque oliuarum maturarum sextarios, de baccis Lauri sextarius vnus, aut etiam æqualis mensura addatur, & olei expressio fiat. Meliùs verò baccæ Lauri maturæ & recẽtes teruntur in pila, ex aqua in Lebete coquuntur, pòst torculari plano exprimuntur in vas subiectum, in quo aquæ supernatans oleum colligitur. Simplex vtilius, & quò recentius & viridius colore: amarissimum est & acre. Ex Gallia Narbonensi vtribus, vt commune, aduehitur, vnguẽto similius quàm oleo. Nostri non parant, sed allatum emunt.

Olei vires. Vis ei excalfaciendi, emolliendi, spiracula venarum aperiendi, & lassitudines discutiendi. Quin & malis neruorum omnibus, doloribus aurium ac destillationibus confert: renum verò vitio ex frigore contracto laborantibus illitũ est præstantissimum & maximè, si quid aliud, vtile. At potũ idem nauseosum est. Ob vim eius excalfactoriam *Neruorum affectibus.* Paralyticis, Spasticis, Ischiaticis, suggillatis, capitis doloribus, inueteratis destillationibus, auribus in calyce Punici calfactum illinitur. Aperit, mollit, discutit. Ideò intemperiem omnem frigidam solam & cum pituita vel flatibus sanat, & ab his Colo dolenti clystere infusum mirè prodest, vt partibus omnibus cerebri illitum, articulis, ventriculo, spinæ dorsi, horrori febrili, denique omnibus neruorum vitiis, algoribus, lassitudinibus, catarrhis, hepatis, Lienis, renum, vteri, frigidis affectibus. Scabiẽ detergit eo impetigines, in balneo illitum: verùm eo continẽt abstinere in lichenibus, psoris *Cautio.* & aliis inflammationem minantibus, & in reliquis calidioribus & biliosis temperaturis. Vermes *Vermes. Pediculi.* & pediculos tam agrestes, quàm domesticos & lẽdes enecat. Capitis furfures emendat: alopecias & quæ ophiasis nominatur, corrigit. Ad hos enim vsus in balneo illinendum: postea verò oportet vino & melle, vel ouo, cum melle & Fœnigræci farina detergere. Cauendi ne capiti calorem sentienti hoc admoueatur. Ano suppositum vel iniectum, hæmorrhoidum dolorem mitigat, & ex his profluentem sanguinem sistit, notante Curtio. Fit & uinum è Lauro, vt ait Plin. *Laureum Vinum.*

Emplastrũ Laurinum. Ex eius baccis conficitur emplastrum officinis frequentatum, autore Mesue. Recipit Thuris, Mastiches, Myrrhæ, sing. vnc. i. Baccar. Lauri vncias duas, Cyperi, Costi, sing. vnc. f. mellis colati quãtùm ad ea comprehendenda sufficiat. Si autem Cyperi sescunciam admisceas, & stercus capræ aut vaccæ siccum ad pondus omnium, ad Hydropẽ *Hydropi.* fit mirabile. Alioqui ventriculi, intestinorum, hepatis, renum, vesicæ, vteri, & partium aliarum dolorem, à flatibus, aut intemperie frigida ortum *Colicæ.* placat. Quare in colico dolore à flatu & pituita salubriter calidum ventri imponitur, vacuata plenitudine. In clystere quoque inicitur vncia vna, vel sescuntia, cum cæteris eodem pertinentibus. Inflationem quamuis, id est, à flatu tensionem, & tumorem, eadem ratione iuuat.

Diuersum ab hoc Emplastro Malagma διὰ δαφνίδων apud Galenum, id est, è baccis Lauri, Nitro rubro, Ammoniaco, Cera, Resina, Picea, Pice Brutia. *Electuarium Laurinum.*

Electuarium de baccis Lauri Iac. de Manlis in

in luminari maiori, cuius descriptio est apud Rhazam lib. 9. c. 72. cur à Lauro nomen acceperit, non videmus. Sunt enim in eo Electuario efficaciora & maiora quantitate, quàm sit Laurus. *Igniaria.* Fiunt & igniaria ex lauri ligno. Exploratorum hoc vsus in castris Pastorúmque reperit, quoniam ad excutiendum ignem non semper lapidis occasio est. Teritur ergo lignum ligno, ignémque concipit attritu, excipiente materia aridi fomitis, fungi, vel foliorum facillimo conceptu. *Hedera.* Sed nihil Hedera præstantius, quæ teratur, Lauro quæ terat, authore Plinio. Mercurio id inuentum tribuit hymnus ad eum scriptus. Sanè pleriq; etiamnum pastores, inquit Tragus, coacto isto igne [Sic enim à Germanica voce **Notfeür** dicere possumus,] ad multas vtuntur superstitiones, quę seductæ & miseræ plebi longè magis arrident, quàm veritas ipsa. Sed de hoc lauri attritu & priùs quædam dicta: quemadmodum & de Mustaceis, quos *Mustacei.* sic facere iubet Cato. Farinæ siligineæ modium vnum musto conspergito. Anisum, Cyminum, adipis p. ii. Casei libram, & de virga Lauri deradito, eodem addito. Et vbi defrixeris, lauri folia subtus addito dum concoques. Hinc Cicero ad Atticum ait, Bibulum in Amano cœpisse Laureolam in mustaceo, non sine cauillo. Quum enim quis absumpto mustaceo seriùs aduenisset, facetè dicebatur: *Adag.* *ille in mustaceo Laurum quærit*, vtpote cui præter sedimentum nihil superesset. Quum itaque deuictis, profligatisque à Cicerone Amani montis incolis, Romani populi sempiternis hostibus, Bibulus superuenisset, vt nonnihil gloriç occuparet, falsè à Cicerone dictum est, eum in mustaceo laureolam quæsiisse. Quod in eos quadrat, qui in minimis ac friuolis negotiis venantur gloriam.

Laurus insuper Alexipharmacum est aduersus venena, vt suprà dictum: vnde Græcum adagium, *δαφνίνην φέρω βακτηρίαν*, hoc est, Laureum gesto baculum. *Aliud adagium.* Quod his conuenit, qui fœliciter à periculo aufugissent, & tutos se asserere volentes illud pronuntiarent. *Catonis locus illustr. Libum.* Videntur porrò apud Catonem Lauri folia intelligenda in illa Libi confectione, quando ait: Casei pondo ii. in mortario bene disterat: vbi bene distriuerit, farinæ siligineæ libram, aut si voles tenerius esse, selibram siliginis solùm eodem indito, permisceróque cum caseo bene, ouum i. addito, & vnà bene permisceto. Inde panem facito. Folia subdito. In foco calido sub testa coquito leuiter.

Aduersus fulmina. Cæterùm præter vires medicas alias propè diuinas habere creditur Laurus, si modò vera sint, quæ Authores tradunt. Quippe iam suprà ex Plinio dictum, quod & Tranquillus ait, solam fulmine non ici Laurum. Hinc Tib. Principem, qui tonitrua præter modum expauit atque exhorruit, tonante cœlo, contra fulminum metus nunquam non Lauream coronam capite gestasse. Et Horatius:

Tum spissa ramis Laurea feruidos
Excludet ictus.——

Quod & Colum. confirmat, quando ait: Plurimi etiam infra cubilium stramenta graminis aliquid, & ramulos Lauri subiiciunt: quæ cuncta remedia creduntur esse aduersus tonitrua, quibus vitiantur oua, pullique semiformes interimuntur, *Ad conseruanda oua & pullos.* antequam toti partibus suis consummentur. *Pro conseruatione Vini.* Quidam etiam, teste Curtio, Lauri ramos in dolia imponunt, ne tonitrua & fulgura vina peruertant, per contrariam naturæ vim auxiliaturi. Sed hæret & non absque ratione Hier. Fracast. lib. de Sympath. & Antipath. rerum, vtrùm in Lauro talis antipathia sit: [quod nimirum à fulminis tactu immunis tradatur,] illud magis inquit in causa puterim, quòd Laurus rotunda admodum est, & corticis densi ac læuis, à quibus omnibus fit, vt incidens vapor non inhæreat, propter quam rationem nec columnas, à fulminibus tangi videmus, quòd rotundæ tersæque sint.

Contrarium etiam experimentum profert Lacuna, qui scribit anno 1539. Romæ in Palatio Ducis de Castro fulmine elegantissimam Laurum ictam. *Laurus fulmine icta.* Vt meritò ante eum Tragus videatur dixisse: fulmen non icere Laurum Veterum superstitio credidit: quod idem de aquila & vitulo marino affirmant.

Simile fortè & illud, quod tradunt odio maximo à Dæmonibus haberi. Aiunt enim plures sacrum morbum aliquem aut dæmonem eum locum infestare minimè, vbi Laurus adfuisset.

Quare Romani, boni Genii plantam vocauêre, vt suprà dictum, quia secundam valetudinem adferre existimatur. Proinde Laurus & Caricæ Ianuat. mensis prima die, à populo Principibus donabantur.

Aduersus segetum rubiginem. Rubigo autem segetum maxima pestis. Lauri ramis in aruo defixis abigitur, transitque ex aruis in earum folia, attestantibus Columella & Plinio.

Empedocles quoque philosophus Laurum tanti fecit, vt optimam conuersionem in arborem existimauerit, quasi post mortalium vitam in bestiarum demigrandum sit.

Laurus triumphantium corona. Porrò præcipuus quoque Lauro honos & vsus ad victrices triumphantium coronas. Romanorum sanè Principum corona è Lauro fuit, vt legimus in historiis. *Exempla quædam.* Nam vt memoriæ Appianus reliquit, Iulium Cæs. post ciuilia bella in vrbem reuersum, multi Regem appellarunt, & vt aliqui ex sermone rem ipsam exprimerent, eius imaginem Lauro coronarunt, tænus albis insertis. Marcus Antonius Consul quoque, vt ex Plutarcho in illius vita est, illi in foro lauream porrexit. Quam quum huic semel atque iterum repudiatam denuò obtulisset, iussit in Capitolium deferri, offerentem pauci faciens. Ipsi verò renuenti, plures congratulati, vt libertatis Reipublicæ assertori. Scribit tamen Dion, ciuibus inuitis post victorias obtinuisse, vt in conuentibus, veste regia, & corona laurea, ornari perpetuò sibi liceret: cuius rei caussam afferebat, quòd caluus esset. Decretum insuper est, vt Augusti palatium Lauros propositas haberet, ex quibus corona cornea penderet: quasi ipse hostes perpetuò vinceret, & ciues conseruaret.

Iulianum autem nondum Principem, Socrates in Hist. Ecclesiastica refert, quandam ciuitatem ingressum, & Lauream coronam inter columnas pendentem, rupto fune, super eum decidisse, & illum amplissimè coronasse. Quod qui viderent, hoc signum futuri imperii fore acclamarunt. *Laurus signum victoriæ.* A ludis, & illorum victoriis, inde obseruatum [referente Curtio] vt qui de hostibus victoriam reportassent, simili honore afficerentur, vt propterea triumphantes ex Lauro corona caput suũ cingerent. *Laurea in rota.* Nam, vt dicebamus ex Plinio, hæc propriè triumphis data fuit: vnde in Aristide dicit Plutarchus: quicquid ob victoriam publicitus fiebat, id cum Lauro erat: vt ea præterea victoriç signum remanserit. Quemadmodum enim in victoriis Delphicis lauro coronabantur, sic Romæ triumphantes. Quare de ea sic Ouidius:

——*Tu ducibus latis, cùm læta triumphum*
Vox canet.

Iuuen. Satyr. 8.

Nobilis

Nobilis ornetur Lauro collega secunda.

De Mario loquitur, qui secundò de Cimbris triũphauit. Lucanus.

Altaque Laurifera damnat Syllani iuuenta.

Hoc autem dixit propter Syllam qui Pompeium adhuc iuuenis detrectaret triumphum.

Nonnulli tamen leguntur, qui in hac pompa, non lauream corollam gestarint, Verùm tantùm Lauri ramum dextrâ: quod solùm Plutarchi, & Appiani testimoniis clarum fiet. Hic in Libyco: Scipionem de Carthaginensibus triumphantem altera manu sceptrum, altera Laurum tenuisse scribit: Ille Paulum Aemilium in triumpho dextra Lauri ramum detulisse meminit. Gordianus etiam Carthaginem ingrediens ramum Lauri tantùm tulit, attestante Herodiano. Sed ex alia quoque arbore, quàm Lauro coronas gestasse triumphantes, legere est: Nam Papyrius Naso de Sardis triumphans, Myrtea vsus corona, quòd illos in campis myrteis debellasset. Cæsarem etiam in triumpho Gallico, è Citro induisse coronam autor Paterculus. Verùm pòst Augustum natum, hæc corona desumi è Lauro primùm in palatio consueuit, atque eâ die quâ Augustus natus, germinasse dicitur, vt Seruius Maurus memoriæ mãdauit. Sed vt paulò altiùs historiam repetamus, Suetonius autor est, aquilam prætereuolantem, & gallinam albam, Lauri ramulum rostro ferentem, apprehensam: in Liuiæ gremium, post Augusti nuptias, quum Veientanum suum reuiseret, demisisse. Quem cùm pangi placuisset, postea adnatum lauretum, ex quo deinde triumphaturi Cæsares, Laureas decerperent, vt alias eodem loco fererent, quas sub cuiusque fatorum obitu, vt elanguerent obseruatum, Neronis verò ante interitum omnis sylua exaruit, & genus albarum gallinarum interiit. Fuit autem vltimus è Cæsaribus, qui ab Aenea processerunt. *Hæc Dion.* Ramus autem Lauri baccas habuit, vt aliquid magnum significaret, eodem autore. Hæ coronæ triumphales & Festo & Gellio inquientibus dictæ: quæ in ipso triumpho, ad Iouis Capitolini pedes deponebantur. Quod Lucanus exprimere videtur:

Lauri ramus triumphantis insigne.

Quando Laurea corona caperit.

Ex Ramis quoque corona

----Haud sacras possunt Capitolia Laurus.

Nazarius, siue alius sit, qui panegyrim Constantino dixerit: Vidisti, inquit, Apollinem tuum, comitante Victoria, coronas tibi laureas offerentem. Cæterùm ministri triumphi dicti, autoribus Pompeio & Gellio, quique prælio non interfuerunt sed triumphum procurarunt, primo quidem corona oleaginea vsi sunt, posteà verò augescente huiusmodi solennitate milites etiam laureati, triũphantis currum secuti sunt: vt sic purgati à sorde humana, vt existimabant illi, vrbem ingrederentur: vnde Lucanus:

Milites Laureati

Lauriferos nullo comitentur vulnere currus.

Primùm autem hac corona triumphasse reperiuntur Liber pater, de Indis, & Romulus deuicto Acrone Ceninensium Rege, tradente Dionysio Halicarnasseo. Sed & oualis corona tandem è Lauro fuit, quæ priùs, autore F. Pompeio, Myrtea fuerat. Nam M. Crassus, qui fugitiuos & Spartacum vicit, cum Laurea ouauit, Massurio autore. Ita Nero vt Xyphilinus autor, è Græcia Romam reuersus ouauit oliua coronatus, Laurum Pythicam præ se ferens. Tanti denique in victoriis Romani Laurum fecere, vt sæpiùs pro victoria acciperetur. Horat. in odis:

Qui primum Laurea Corona triumpharint.

Oualis vnde.

Cui Laurus æternos honores

Dalmatico peperit triumpho.

Scribit enim, teste Acrone, ad Asinium Pollionem, qui Salonas apud Dalmatiam ciuitatem ceperat, & Lauream tanquam Poëtæ, & triumphanti dedicauit. Idem ad Pompeium Varum:

Longáque fessum militia latus

Depone sub Lauru mea.

Nempe victores, præterquàm in triumphis, Laurea donabantur. Cleanthus enim, ab Aenea Virgiliano Laurea corona redimitus, vndique adnelat tempora Lauro: quòd is primus Fidenam irrupisset.

Sed Augusti in Hispanos victoria abundè declarat Laurum symbolum victoriæ fuisse, quam idem Poeta in odis sic celebrat:

Herculis ritu modò dictus, ô plebs,

Morte venalem petiisse Laurum,

Cæsar Hispana repetit penates

Victor ab ora.

Sed & aliter præterquàm in triumphis etiam victoriæ nuntia fuit Laurus: nam & taberna[illegible] & fasces, & literæ, naues, militumque iacula Lauro, in eam significationem adornata sunt. Notum est, Pompeianos milites, de futura contra Cæsarem victoria (quamuis nimis securè confidentes, sua tabernacula Lauro condecorasse. Plutarchus scribit Paulum Aemilium, Persam Macedonum Regem expugnasse, & post victoriam ad tabernacula reuersos milites, illa Lauro, atque Hedera ornasse. Lucullus, vt Appianus in Mithridatico autor est, capto apud Lemnum insulam Varo, Alexandro, ac Dionysio eunucho, nauem Lauro ornatam, vt in victoria [illegible] mos est, cum literis Romam misit. Lanceæ etiam, quæ victoriam nuntiarent, Lauri foliis insignibantur. Sic enim Liuius lib. 5. ait: Literæ à Posthumio Laureatæ sequuntur, victoriam populi Romani esse, Aequorum exercitum deletum. Idem. Post deuictum Perseum nuntius Laureatas literas consuli C. Licinio, victoriæ nuntias. Iulianus ad Prouinciarum signa, literas Laureatas misit, vt testatur Ammianus: quibus se in expeditionibus inter primores versatum significaret. Sic enim Acron in Odis Horatianis inquit: Laureatæ literæ de victoria mittebantur.

Laurus victoriæ nuntia.

Nauis laureata

Litteræ laureatæ.

De fascibus, hoc vnum tantùm è Plutarcho in vita Luculli exemplũ erit. Lucullum ac Pompeium in quodam Galatiæ vico conuenisse scribit: Laureatos vterque propter victoriam fasces ferebat: verùm longo Pompeii per loca squalida & arida, atque arboribus sterilia itinere, Lauri circa fasces palluerant, ac fermè aruerant: quod vbi Lucullani Lictores aduerterunt, ex propriis, quas recentes, & virides in manu habebant, liberaliter contulere: currúmque Pompeii frondibus impleuerunt: quod in bonum Pompeii omen cessit. Etenim Luculli res gestæ Pompeii imperium perornarunt. Idem in Pompeio, Tabellarios vt Mithridatis mortem, Pompeio gratam visu nuntiarent, iaculorum cuspides Lauro adornasse, memoriæ mandauit. Dion in Nerone: Nuntius ad Neronem veniens, Laurum ferebat, vt illi significaret victoriam, quam Corbulus, de Vologeso, Parthorum Rege, & Teridate, Armeniæ principe, habuisset. Mos etiam Priscorum fuit, vt vates Lauro coronatus, ac si de futura Victoria speraret, & facem gestans, aciem præcederet. A quo verò omnes abstinerent, quòd ferrum in sacrum virum stringere nefas esset. Vnde prouerbium: *Ne ignifer quidem superfuit*: Cùm significare volumus, omnes ad vnum interiisse.

Laureati fasces.

Laureatus currus.

Laureata iacula.

Vates laureatus.

Sunt & aliæ Lauri celebritates, quibus Antiquis decora atque honorabilis extitit. Nam quod dicebamus ex Plinio, Gratissima domibus iani-

Digitized by Google

trix, Cæſarum, Pontificum, ſola & domos exornat, ad limina excubat: Menſe quippe Martio ingrediente, vt ſcribit Macrobius, tum in regia curiiſque, atque Flaminum domibus laureæ veteres, nouis laureis mutabantur. Apollo enim apud Ouid. Laurum ſic alloquitur.

Poſtibus auguſtis eadem fidiſſima cuſtos,
Ante fores ſtabis.

Poſtes laureati.

Feſtis poſtea diebus Lauro ornare poſtea cœperunt: vt his Tertullianus atteſtatur: Cur die læto non laureis poſtes obumbrent: quod oſtendit Iuuenalis:

Pone domi Lauros, duc in Capitolia magnum
Cretatumque bouem.

Magiſtratibus etiam prima menſis Ianuarii, folia Lauri à populo porrigebantur. Laurum præterea omnibus ſuffitionibus adhiberi ſolitum erat, quòd omni tempore vireat, vt ſimiliter Reſpublica vireſcat. Peractis enim funerum ſolemnitatibus, vt aqua Lauri ramo aſpergerentur aſtantes, mos apud Antiquos fuit. Quod Virgil. lib. 6. Aeneid. in Oliuæ ramum commutauit, atque id in Auguſti gratiam. Ad rem enim lugubrem laurum adaptare noluit:

Idem ter ſocios pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.

Mercurius Mercatorum.

Romæ autem extra Capenam portam fons Mercurio ſacer, à quo nomen accepit. Ad quem cùm mercatores irent, [ſub Mercurii enim tutela Mercatores ſunt] vnuſquiſque alterius caput eius aqua cum Lauri ramo, inuocato Mercurio, aſpergebat, proiatus in futuri periurii exprobationem, quibuſdam verbis. Huius verò rei ampliſſimus teſtis Ouidius, cuius largum teſtimonium hic inſerere, quòd rem maximè exprimat, non intempeſtiuum fuerit.

Eſt aqua Mercurii portæ vicina Capenæ:
Si iuuat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator, & vrna
Purus ſuffita, quam ferat, haurit aquam.
Vda fit hinc Laurus: Lauro ſparguntur ab vda
Omnia, quæ dominos ſunt habitura nouos:
Spargit & ipſe ſuos Lauro rorante capillos,
Et peragit ſolita fallere voce preces.
Ablue præteriti periuria temporis, inquit:
Ablue præterita perfida verba fide.
Siue ego te feci teſtem, falsóve citaui,
Non auditurí numina vana Iouis:
Siue Deum prudens alium, Diuamve feſelli,
Abſtulerint celeres improba verba Noti.
Et pereant, veniente die, periuria nobis:
Nec curent Superi, ſi qua locutus ero.
Da modò lucra mihi, da facto gaudia lucro,
Et fac, vt emptori verba dediſſe iuuet.

Poëtæ laureati.

Porrò triumphantibus ac ouantibus in ſuo genere non inferiores Poëtæ, parem quoque ſibi coronam ingenii & facundiæ [nam vtraque in vera Poëſi excellit] compararunt. In quem finem ludi literarii pluribus in locis inſtituti, vt idem honos vincentibus, atque in ludis Olympicis, Iſthmiis, & cæteris concederetur. Fuitque duplex, ex Lauro videlicet atque Hedera. Sed ea lege ac diſcrimine, vt maiores lauro, minores Hedera coronarentur. Lauro itaque coronatos vel iam olim fuiſſe Poëtas, quamuis per ſe ſatis apud literatos conſtet, vno tamen alterόve teſtimonio clariùs euadet. Horatius:

Coronandis conſueta Poëtis
Laurea.

Idem in Odis.

——Et mihi Delphica
Lauro cinge volens Melpomene comam.

Et alibi in Pindaro:

——Immenſus ruit profundo
Pindarus ore,
Laurea donandus Apollinari.

Statius:

——Sed nec ſolita mihi vertice Laurus,
Nec fronti vittatus honos.

Cur Lauro Poëtæ coronati.

Hac enim ratione coronandos Lauro Poëtas antiquitas cenſuit, quòd hæc Apollini, qui Muſis præfectus, ſacra ſit. Scribit enim Heſiodus ſtatim in limine ſuæ Theogoniæ, ad illum iuxta Heliconem montem, mulieres nouem veniſſe [hæ Muſæ erant] & ramum heliconicæ laurus illi manducandum porrexiſſe. Qui cùm deguſtaſſet, repentè vniuerſâ doctrinâ & poëticâ repletus. Cuius rei meminit Ouidius:

Non mihi ſunt viſa Clio, Cliuſque ſorores
Aſcræ tuis.

Fortè & Iuuenalis:

Laurúmque momordit.

Et in hanc vſque diem, Poëtæ celebres, vel qui hunc titulum, aliorum ceu edicto, quibus tales creare poteſtas ab Imperatoribus data, Poëtæ Laureati [quorum tamen non minima pars verius laruati] quaſi Laurea redimiti appellari conſueuerunt.

Laurea Apollinea.

A Poëtis non inſubidè nec certè minori merito [ſi verè tales ſint] Lauream quoque ſibi vſurparunt Medici: nimirum cùm & hi, pari cum iis iure, Apollinea proles ſint atque dicantur, præmium atque coronam ſuorum quoque laborum ac vigiliarum, in Doctoræ [quam vocant] ſolemne ſymbolum aſciuerunt, vt quos Doctoris titulo inſignirent, Laurea Phœbea ſeu Apollinari redimitos pronunciarent. Qui ſanè mos hodie in Italiæ & Galliæ locis non paucis, adeóque per vniuerſum Rom. Imperium in Academiis ad id inſtitutus: inprimis verò in alma illa Baſilienſium Academia [ab Aenea Syluio in Conſilio Baſil. ad imitationem Bononienſis, matris ſtudiorum nuncupatæ, inſtituta,] tam receptus atque ſolemnis, vt ex hac, tanquam ex equo Troiano, Apollinari Laurea redemita turba prodiens, in varia Regna & Prouincias diffundatur.

LAVRVS TINVS, SEV SYLVESTRIS, TRIVM GENERVM.

Cap. II.



De Lauro ſilueſtri Cluſ. hæc ſcribit. Inter Lauri genera Plinius Tini meminit, nulli fortè Veterum Latinorum præterea cognita, niſi M. Cato lib. de re ruſtica eam nomine Lauri ſiluaticæ intelligat. Eius tria genera nonnihil inter ſe differentia. Prior Tinus frutex eſt, Cornus fœminæ magnitudine, virgis oblongis & quadrangulis ramo-

Laurus ſiluatica.

Folia. ramosis foliis ordine distinctis, & perpetuò geminis simul inter se aduersis, magnis & latis, Cornus fœminæ ferè similibus, sed ad Laurina accedentibus nigricantibus & splendentibus, perpetuis, nullo odore, sapore amaro, cum nonnulla *Flores.* adstrictione. Summis ramis vmbellas florum quinis foliis constantium profert, candidorum & o- *Fructus.* doratorum. Deinde fructus succedit, Myrti baccis paullò longior, planior, angulosus, cœrulei *Locus.* coloris elegantissimi. Nascitur præruptis & lapidosis inter alios frutices, & in sepibus circa oppida Lusitaniæ Montemorho & Tomar, vbi cũ suo flore & fructu collegit mense Nouembri, ta- *Tempus.* metsi aliàs Iulio & Augusto floreat, ac fructus maturetur Octobri.

TINVS ALTERA



Altera, eadem quæ superior altitudine assurgit, ramis frequentioribus & firmioribus, & cortice ex rubro virescente tectis: circa *Folia.* quos folia superioris; angustiora & oblongiora aliquantulùm, & venulis pluribus distincta, sibi inuicem opposita, vt in priore. *Flores.* Flores extremis ramis vmbellatim etiam nascuntur, colore nonnihil purpurascente, neque adeò odorati, vti superio- *Fructus.* ris: fructus etiam minor, plenior, nigrior. Hæc vno duntaxat loco in Lusitania, quodam monasterio *Pera longa* dicto, locis incultis supra Vlyssipponem extructo obseruauit secundùm pisci- *Locus.* nas, & in Bœticæ maritimis.

Tinus 3. Locus. Tertia ei primùm in Belgicis hortis conspecta, semine ex Italia delato, nata apud Clariss. virum D. Ioh. Boisot, arbusculæ magnitudine, quæ sin- *Satio.* gulis annis & florem & fructum profert. Alunt nunc plærique alii rei Herbariæ studiosi, tum nobiles matronæ, tum viri, ramis ex ea arbuscula desumptis, & terræ commissis enatos frutices. Minor verò est quàm superiores, folio Laurino tamen latiore, læui, & nigricante, perpetuo, ramos ordine quodam per interualla ambiente, vt in prioribus generibus: vmbellæ florum alborum foris nonnihil purpurascentium summos ramos coronant, deinde fructus ex cœruleo nigricans, lætis, minor quàm in aliis. Bis plerumque floret, vere & sub hyemem.

Daphne agria. Synonyma Linguar. Theophrasti lib. 1. cap. 4. inter perpetuò virentes è syluestribus dicitur δάφνη ἀγρία: à Plin. Tinus & Laurus syluestris: Lusitani priorem Tinum, *Folhado Perro* [est tamen & alia planta dissimilis hoc nomine donata.] Alteram *Folhado*, à foliorũ, vt arbitror, frequentia vocant: Bœtici *Durillo*. Italicã [siue tertiam] Anguillara *Lauro saluatico* vulgari nomine dici scribit, & à Brutiis *Moleffo*: Bellon. *Lentagine* nominat. Hæc Clusius.

Cæterùm iconem nostram primo loco propositam potuit Clusius pro Tino 2. Pro tertia aliam iconem habet, in qua nulla folia hirsuta: quamuis Lobel. pilos in margine foliorum pingat, nec tamen eorum meminerit. Eadem cum Pena in aduers. Laurus Tinus cœrulea bacca valdequàm elegans & noua assurgit in arboris æmulationem. Fert corymbaceam vmbellam multis confertam, Terebinthi seminibus, aut Gigartis, vuarum similibus, sed ex argenteo in cœruleum luridis: flore ex albo purpurascente. *Folia pilosa.*

Ad iconem Lobelii in margine additur Laurus regia Italorum. In ea icone nobis videntur flores & baccæ minùs fœliciter expressæ. Folia, vti dictum, appingunt hirsuta in marginibus. Existimamus eandem esse cum Clus. tertia, quamuis pilorum nullam faciant mentionem.

Lob. in Obs. Clusii secundam vocat Tinum Lusitanicam Clusii. *Tinus Lusitanica.*

Dod. in hist. Lat. vnicam exhibet iconem, nempe eã quam primo loco posuimus, titulo [illegible] siue Lauri syluestris. Tabern. tres icones habe[illegible] prima, quæ falsa, iuxta non bonam iconem Lob. & Penæ in adu. omisit tamen pilos: non erat etiam nostro iudicio separanda à Tino quam ponit pro secunda, licet Clusio sit tertia. Lusitanica autem Tabern. est Clusii secunda, quam Germ. Portugalesisch wilden Lorberbaum vocat idem Tab. *Tin. Tabern.*

Camer. in epit. Matthiol. Laurum syluestrem seu Tinum, intrepidè Catonis syluaticam dicit, addens Italis *Lauro saluatico*, *Lauro regia* & *Lentagine* dici: folia, inquiẽs, esse nitentia, inodora, lanugine tenuissima pubescentia: flores ex albo purpurascentes: baccas sapore acerbo. *Laurus syluatica.*

Mirum verò Gazam apud Theophrast. loco citato Laurum simpliciter conuertere, cùm tamen in omnibus exemplaribus, quæ hactenus quidem videre licuit, manifestè legatur δάφνη ἀγρία. Alii tamen δάφνη ἀγρία, siue Laurum sylu. [si ita interpretandus Theoph. locus] esse malunt veram Laurum, sine hominum cultu prouenientem, quales multæ circa Monspelium in sepibus visuntur. *Gaza not.*

Dalechamp. inter peritos Herbarios constare ait, depictam à se arborem in historia Lugdunensi esse Laurum Tinum Plinii, quam Laurum nonnulli sui generis arborem intelligant, alii syluestrem Laurum etiam Theophrasti. Arbor hæc eodem Dalechamp. autore, cortice vestitur subrubro: ramis abũdat, ex quorum nodosis articulis folia enascuntur, bina semper aduersis pediculis sita, venosa, carnosa, minimè dissecta, in acutum desinentia. Flos ex albo purpurascens est in vmbellis, copiosissimus: Cœrulea bacca plurima, oblonga, angulosa, gustu astringens. Arbor ista nunquam exuitur. Quarè mirificè intuentium oculos delectat, & allicit frondis honore sempiterno, vmbellarũ aureo fulgore, & baccarum cœruleis aceruis. Nascitur in asperis, saxosis & maritimis Galliæ prouinciæ, Hetruriæ, agrique Latini collibus. Itali vocant *Lantagine* & *Lauro saluatico*, diuersam à *Lantana* sua, quam Matthiol. Viburnum esse arbitratur. Nascitur & in plerisque locis montis Cesti inter Glandiferas Ilices. Placuit totam Lauri Tini Dalechamp. descriptionem proponere, cuius iconem merito in quibusdam displicet, vix descriptioni in omnibus respondens. Quicquid sit, Laurum Tinum eandem putamus cum Tino 3. Clus. donec meliora doceamur, quan- *Laurus Tinus Plinii. Descriptio. Semen. Locus.*

Digitized by

quam aliter sensisse videatur compilator Histor. Lugd. Facit enim primam, nec tamen eandem dicit cum Clusii prima, cuiusque descriptionem omittit.

C. Bauh. Liberiùs quoque nobis videtur C. Bauh. in suis Aduers. scripsisse hæc verba: Sic dicendum erat; summis ramis vmbellas profert candidas & odoratas: & hoc vel ex viua planta, vel ex lectione diligenti Clusii habuisset: Hæc sanè verba apparet desumpta esse ex descriptione Clusii. Sed oportebat priùs pro certo statuere Dalech. Laurum Tinum eandem esse, antequam docti viri descriptionem carperet. Nos potiùs coniectamur, quàm pro certo adstruamus, magis conuenire cum tertia Clusii. Ipse verò C. Bauh. in sua descriptione, quam apud Matth. dat & odorem florum & saporem totius plantæ omisit. In floris descriptione ait esse quinque folium, & icon, quam eandem cum nostra ex Camer. apponit, quadrifolium tantùm ostendit. Quanquam, vt verum fateamur, facilè existimamus quinque foliola pingenda fuisse.

Locus. De loco & tempore satis sparsim dixisse nos videri possemus, nisi & a Lob. & ab aliis alibi quoque nasci obseruatum fuisset. Etenim in Valenæ nemore Narbonæ plurima, & plerisque Ceti montis, inter cocciferas Ilices frequens, vbi & legimus. Italiæ ac Hispaniæ agri, & aliæ fortè regiones huius feraces sunt, inprimis verò eâ syluæ Hetruriæ abundant. In Samnitibus circa Linzanam & alibi reperitur eius magna copia: abundat circa Anconam & Spoletum, sed copiosiùs in Narbona.

Cultus. In Germaniæ hortis facilè fert hyemem, parum tecta, & ex ea fit pulchrum opus topiarium: nimis tamen frigoribus succumbit, vt annotat Camer. Cæsalp. scribit in Hetruriæ syluis hyeme florere, fructumque anniotinum nouellum expectare. Semen nobis ex Italia missum aliquoties seuimus Montbelgardi: sed irrita spe. *Foliorum varietas.* In hac planta folia variare deprehendimus: superiora enim inferioribus sunt magis glabra. *Laurocerasus.* Bononiæ vidimus in horto Saluatoris, vbi perperàm Laurocerasum vocitabant. Patauii in horto publico, & alio Pharmacopœi Germani elegantes arbusculas vidimus. Item Heidelbergæ in horto Electoris, Anno 1595.

Vires & vsus. Ex baccarum acerbitate facilè industrius quis ad præscriptum Galeni de earum vsu medico statuat. Premitur ex iis oleum authore Lobelio, quamuis eius nullum vsum declaret: iisdem valdequàm lubenter vescuntur sturni, turmatimque ad illas conuolant.

LAVROCERASVS.

Cap. III.

Descriptio Folia. Peramœna est arbor Laurocerasus, frondis æternæ, Citriorum folia æquantis, palmaris, sesquipalmaris, duorum triúmve digitorum latitudine, obiter per margines crenatæ, hilari virore micantis, lætis, pinguiusculæ, cuius medium percurrit neruus crassiusculus, auersa parte elatior, vnde sine ordine in oras excurrunt venæ haud ita multæ: sapor subamarus, adstringens. Ramulorum cortex viridis est, lignum internè album. *Fructus.* Fructus racematim serie longa disponitur, breuibus hærens pediculis gratus, dulcis, Ceraso paulò maior, sublongus, ex cœruleo rubescens: sub pulpa non semina bina aut terna plana, plurimùm accedentia ad Loti Africanę semina, habet, vt vult Clusius: sed officulum vnicum Cerasi officulo simile, longius tamen, sapore amaro ad Cerasi nucleos accedente, neque simile quicquam habet cum Guaiacana vulgò dicta. *Clusius.*

Aliter Clusii error. At ne quis interim Clusio diuersam à nostra traditam putet, eius descriptionem subiicimus integram. *Descriptio.* Laurocerasus iustæ magnitudinis est arbor, caudice recto, multis ramis donato, qui cortice atrouirente obducti sunt, nouellis tamen omninò virentibus. *Folia.* Folia alternatim ramos ambiunt, non decidua, Lauri latifoliæ, siue potiùs Citriæ mali foliorum æmula, per ambitum nonnihil dentata, neruis aliquot ex media costa in latera excurrentibus, supernè splendentia, infernè nequaquam: *Color. Sapor.* Color in vetustis ex atro virescens, in nouellis ex viridi pallescens: sapor amarus, nucleorum mali Persicæ aut Amygdalarum amararum æmulus. Oblongas in summis vetustis ramis inter superioris anni folia fert hastulas, digitalis longitudinis, crassiusculas, in quibus breui pediculo numerosi, & racemi in modum conferti nascuntur flores, *Flores.* candidi, quinque foliolis constantes, multis in vmbilici ambitu staminulis præditi, Cerasi autum vulgò nuncupatæ floribus non admodum dissimiles, odoris tamen expertes, qui nullum fructus

rudimentum præbuerunt, sed caduci admodum fuerunt, quales in Germania creuerunt. Supra hos deinde rami germinant & nouella folia protrudunt. *Fructus.* Fructus Constantinopoli missus, forma fuit ouali, exigui pruni magnitudine. Sebesten fructui proximus, foris niger, rugosus, pulpam continens dulcem & edulem, Ceratiorum vel Brunensium in Morauia Prunorum pulpæ modo, in qua latent bina aut terna semina plana, spadicei coloris, plurimùm accedentia ad Loti Africanæ vulgò Guaiacanæ nuncupatæ semina. Quam seminis descriptionem tamen Clus. in posteriori suæ hist. editione denuò inculcat, atque ita sibi missum testatur hunc fructum anno 1581. præmissa tamen vera & germina officuli descriptione ex alia sibi visa, officulum (inquiens) continens sessili parte orbiculare, deinde sensim in oblongam tenuémque cuspidem desinens. Sed quicquid sit, valdè suspicamur diuersa hoc loco semina à Clus. descripta, prorsusque non fuisse Laurocerasi.

Laurus regia Plin. ex Cæsalpino. Non displicent quæ Cæsalp. de hac arbore his verbis scripsit: Plinius affert Laurum regiam amplissimam & arbore & folio, baccis gustatu quoque non aspero. Hanc Pisis habemus peregrinam foliis longioribus, pulposisque, ad Malum Medicam accedentibus, perpetuò virentibus, sed odore graui: flores in racemis erectis fert candidos, suaueolentes: baccas Lauro similes, paulò maiores, oblongiores, in maturitate nigras, pericar-

pio

plo pulpolo, suaui, quod quò magis siccatur in arbore, dulcius redditur: intus nucleus est oliuaris, fragilior, perficitur Autumno incipiente: medulla interna amara. Seritur optimè ramo. Fructum terræ diligenter commissum, etiam in fictilibus, minimè tamen germinasse sibi Clus. affirmat. Arbusculæ autem Constantinopoli missæ germina, vbi paulò altius excreuissent, in terram inflexa radices egerunt, aliásque arbusculas dederunt.

Tempus. Sat.

Camner. ait surculis propagari, verùm non sine labore.

Missa porrò fuit hæc arbuscula Clusio Trabison Curmasi nomine, quod Trapezuntinam Dactylum interpretati sunt. Sed cùm nihil cum Palma commune habeat, satis impropriè hoc nomen illi inditum censet.

Dactylus Trapezunt.

Bellon. lib. 2. Obs. inter arbores perpetuò virētes recenset Trapezuntinam quandam ferentem cerasa. Meminit & eo libello, cui de ratione cicurandi syluestres arbores titulum fecit cap. xx. & Laurocerasum appellat: eius tamen historiam non describit nisi quod eodem capite illius ramum mali Citriæ ramo æqualem facit, & eius prægrandem arborem Genuæ in horto Principis *d'Oria* postea vidisse asserit. Cùm verò huius nostræ folia maximam similitudinem cum Citriæ foliis habeant nec defluant, & Trapezunte Constantinopolim, vt nomen indicat, primum allatam fuisse verisimile sit, eam esse omnino censet Clusius, quam Bellon. obseruauit.

Laurocerasus Bellon.

Laurocerasi autem nomen coniicit ei impositum à foliorum Laurinis similitudine, & fructu cerasis æquali: tametsi postremo loco ex Pliniana historia id euenisse affirmet. Verùm [inquit] nusquam apud Plin. Laurocerasi vocem legere memini. Is quidem lib. xv. cap. xxv. vbi Cerasi genera enumerat, de Cerasis Lauro insitis agit. Minùs quinquennium est, ait, quod prodiere quæ vocant Laurea, non ingratæ amaritudinis, insita in Lauro. Hanc autem quam proponimus arborem, ipsum intelligere, vix se sibi persuadere posse Clus. scribit: Sed [addit] cùm aptiore appellatione careamus, neque sine iudicio Bellonius eâ vsus esse videatur, Laurocerasum cum ipso nuncupabimus donec ex Veterum monumentis commodior aliqua sese offerat. Si cui tamen Palmæ Trapezuntinæ vocabulum, quod Constātinopoli adepta est, aut Cerasi Trapezuntinæ vocabulum, vt Bellon. etiam Gallico sermone vsurpat, magis arridet, vti eo possit. Itali *Laurum regiam* vocant: alii *Laurum Trapezuntiam*. Hortus Patau. *Lauro regi ò Dattilo di Tribisonda.*

Etymon.

Laurocerasa Plin.

Palma Trapezunt. Cerasus Trapezuntina. Laurus regia. Laurus Trapezunt.

Dalechamp. eam secundam Loton Theophr. esse iudicauit, quam nonnulli docti Herbarii Laurocerasum nominant, ex Africa aduectam, Plinio & Matthiol. incognitam [si Hist. Lugd. credimus.] & in hortis principis Doriæ Genuæ luxuriantem. Sed hæc Dalechamp. opinio de Clusii sententia minimè probanda: nam huius fructus non nascitur Myrti modo alternis, siue vt Græcus codex habet, χωρὶς τὰ μύρτα παράλληλα, sed racematim, vuæ modo, quemadmodum & flores in hastula confertim plurimi nascuntur, vti dictum. Neque quod Dactylum Trapezuntiam esse statuit Lotum Africanam Matthioli, cui durum nucleum tribuit: qua de causa διόσπυρον Theophrast. esse vult, cuius nucleus durus est, in qua opinione etiam est, marginalibus in Athen. ab ipso Latio donatum scholiis. At, infit, Clus. Lotus Africana non nucleum sed semina duntaxat habet. De qua re vide plura capite de Guaiacana.

Dalec. not.

Alter Dalech. error. Lotus Africana. Diospyron Theoph.

Cæterùm iam priùs dictum, videri Clusium duos fructus confudisse, nempe Laurocerasi cum Guaiacana, ex eo errore hic quoq; denuò impegisse videtur, nec minùs censura dignus quàm Dalech.

Porrò Laurocerasum primus nobis idem celebris medicus Dalech. Lugduni ostendit nomine Lauri regiæ Pisis missam, quam postea agnouimus in horto Cl. D. Fel. Plateri: ei pro ignota & innominata putata: &, ut perhibebat, Lucernâ Heluetorum missâ. Eadem hybernum frigus aliquot annis non tecta pertulit, fructúsque Lucernæ protulit dulces, gratos, quorum partem in horto Montb. seuimus, sed vana spe, partem inter naturalia nostra sicca etiamnum asseruamus.

LAVROCERASI FOLIO ARBOR

CAP. IV.

Apud CL. Paludanum [inquit Clus.] conspiciebam anno 1595. ramulum peregrinæ arboris, qui erat circiter pedem longus, satis gracilis, foris læuis, nigro colore præditus: intùs cauus, summa parte nodosus: cui nimirum folia alternis inhærebant, ex aduerso semper sita, sena, aut octona, mali foliis maiora, magnitudine & formâ proximè ad Lauri Cerasi folia accedentia, supernè læuia & splendentia, infernè minimè, sed venis à medio neruo in latera excurrentibus insignita, in ambitu non serrata. An perpetuò vireant, nec ne, mihi incompertum: sed fusca erant quæ videbam, vtpote resiccata: sub singulorum autem foliorum exortu ad latera singulares nascebantur appendices, summa parte orbiculatæ, & deorsum inflexæ, siue quodammodo fornicatæ: summo rami fastigio sena, aut plura inhærebant vascula breui petiolo innixa, nuce ponticâ minora, membranacea, & denis neruis distincta, summáque parte in quinque lacinias siue foliola diuisa, exili nigro semine plena, satis feruidi saporis. Quo nomine apud incolas appelletur, aut quis illius apud eos vsus, indicare non poterant, qui præcedenti anno ex Guinea attulerant nautæ. An verò huic simile folium illud, quod à Batauis naucleris anno 1597. ex Iaua, vel Madagascar relatum, *Branas* vocari Abdala Guzaratensis mihi dicebat?

Descriptio. Folia. Vascula. Branas.

BVNA, BVNNV, ET BVNCHOS ARABVM.

CAP. V.

Bvnæ nomine, quem habemus fructum, magnitudine æquat, aut certè parum superat, Ricini nostratis semen, oliuari figura, vna parte sulcatus, vel vtraque, cortice exteriore crassiore nigricante, interiore tenuiore, & quà nucleum spectat rutilo, altera facie cinericea. Vtroque cortice detracto nucleum comperimus durum, Dactyli ossiculi effigie, lacunâ secundum longitudinem sulcatum, pallentis cinerei coloris, saporis amaricantis & ingrati. Ab vmbilico ad oppositum mucronem ostentat gemina grana. Hunc fructum Bunæ nomine à quamplurimis amicis acce-

Descript. Sapor amarus.

Digitized by Google

Bon Ban. cepimus: ſed à Cl. D. Paludano nomine Bon vel Ban, eúmque etiam vel vnico ſulco donatum vel duobus.

A Cl. D. D. Fel. Platero datus ſub nomine Bunæ Cluſii. Et apud eundem in ſcatula quadam habetur nomine granorum quibus Turcæ ſomnum fugant. *Grana contra ſomnum.*

Rauvvolff. in Itinerario ſuo de ſimili fructu ſcribit: Halepi Turcæ parant potionem ex fructu dicto incolis *Bunnu*, qui extrinſecus & colore & magnitudine ferè refert baccas Lauri, gemino veſtitus cortice: adfertur ex India, vt aiunt, duobúſque locellis totidem ſeorſim grana flaueſcentia continet. Conſideratis viribus & nomine omnino reſpondere videtur Buncho Auicennæ, & Buncæ Rhaſis ad Almanſorem. *Bunnu Rauvvolff. Locus. Buncho Auic. Bunca Rhaſis.*

Cluſius quoque de eo ſcribit in hunc modum. Puſillus fructus, quem miſit D. Alphonſus Pancius, quémque Buna nonnullis, aliis verò Elzane nuncupari tradit, Fagaræ eſt magnitudine, aut paulò amplior, oblongior, plerumque colore ex cinereo nigricante, cortice tenui, & veluti ſulcum quendam per longitudinem vtrinque habente, per quem facilè in duas æquales partes diuiditur, quæ ſingula grana continent oblonga, altera parte plana, fulueſcentia, guſtu acido. *Buna Cluſii. Elzane. Sapor acidus.*

Taber. & Hiſt. Lugd. Bunæ nomine habent.

Cæterùm Buna quam deſcripſimus, quamuis extima facie apprimè reſpondeat iconi à Cluſio propoſitæ, eandem tamen dicere non audemus (propter quaſdam notas non reſpondentes) Bunnum Rauvvolff. & Bunam Cluſ. multò minùs pro certo aſſerere auſimus eſſe Bunchum Auic. de quo l. 2. Tract. 2. c. 91. & Rhazæ ad Almanſ. l. 3. c. 22. (quorum verba paulò pòſt adſcribemus) neque enim deſcribunt. *Bunchus.*

Serapio c. 53. ſub nomine *Such*, id eſt, (vt vertit Interpres) Gallia, ea ipſa verba recenſet, quæ Rhaſis de Bunca ſcribit. *Such* verò, vel Gallia, res factitia eſt, vt ex ipſo Serap. patet, qui ex authoritate Iſaac ſcribit *Such* parari ex Ramich, Moſcho &c. Nobis fit veriſimile Bunam Cluſ. & Bunnum Rauvvolff. idem eſſe cum Bon vel Ban Alpini, ideò hoc eodem cap. ſubiiciemus eius hiſtoriam, vbi priùs vires Bunchi & Bunæ recitauerimus. *Such Serap. Gallia. Ban Alpini.*

Bunchus, inquit Auic. defertur de Iamen. Quidam dixerunt decidere ex Anigalen. Eligitur citrinum, leue, odoratum. Reprobum, album & leue. Calidum eſt & ſiccum in primo: aliis in primo frigidum. Membra corroborat, cutem emaculat, & ſub ea concluſas humiditates abſorbet: corpus odore grato commendat, ventriculo prodeſt. Bunchum, authore Rhaza, calidum eſt & ſiccum, quod ſtomacho congruum exiſtens, mali ſudoris odorem aufert. *Vires & vſus. Auicenna delectus. Tempera.*

Rauvvolff. ſcribit, familiarē eſſe Turcis potū, quē magni faciunt, *Chaube* nomine, huic colorem atramenti nigerrimum, cuius in multis morbis, potiſſimùm ventriculi, multus eſt & efficax vſus: hunc matutinis horis, etiam publicè in compitis, paſſim pitiſſando bibunt ex teſtis & procellanis, quàm poſſunt calidiſſimum. Fit autem ex fructu *Bunnu* incolis dicto cum aqua. Nihil hoc potu frequentius apud illos, quem eodem loco habent, quo nos vinum abſinthites aut aromatites. *Chaube potus. Bunnu.*

Cluſ. quoque teſtatur traditum à nonnullis in Alexandria potionem quandam fieri ex *Buna*, vim refrigerandi non mediocrem obtinentem.

BON. VEL BAN ARBOR.

ARbor cuius ſemina ex fœlici Arabia aſportantur Euonymo ſimilis, foliis craſſioribus, viridioribus, perpetuóque virentibus, quam, inquit Alpinus, vidi in viridario Halybei Turcæ, ex qua ſemina illa ibi vulgatiſſima *Bon* vel *Ban* appellata, producuntur: ex his omnes tum Aegyptii, tum Arabes parant decoctum vulgatiſſimum, Coaua vocant, quod vini loco ipſi potant, venditúrque in publicis œnopoliis, non ſecus ac vinum apud nos. Preterea vtuntur eius decocto ad roborandū ventriculum frigidiorem, adiuuandámque concoctionem, & non minùs ad auferendas à viſceribus obſtructiones: in tumoribúſque hepatis ac lienis frigidis, & antiquis obſtructionibus, fœliciori cum ſucceſſu decoctum multos dies experiuntur. Quod etiam vterum maximè reſpicere videtur: ipſum enim excalfacit, obſtructionéſque ab eo aufert: ſic enim in familiari vſu eſt apud omnes Aegyptias, Arabáſque mulieres, vt ſemper, dum fluunt menſes, huius decocti copioſioris ſorbitione tunc ipſam vacuationem adiuuent, aut in quibus ſuppreſſi ſunt, prouocent, nec abſque magna quidem vtilitate, ſic in plures dies purgato corpore. Neque verum videtur, quod Auic. hoc ſemen calidum in tertio, & ſiccum in ſecundo gradu conſtituit, quando ſemen ſapore dulceſcat cum pauco amarore, nullámque acrimoniam præ ſe ferat. Nihilominus ipſum obſtructionibus viſcerum, frigidíſque tumoribus hepatis vel lienis multùm conferre docuit. Sed ait ſtomacho nauſeam concitare, pituitamq; purgare atq; multa alia hæc ſemina præſtare, ac ſe experientiā penes Aegyptios didiciſſe Alpinus ait, atque hanc arborem Cayri vidiſſe. Hæc Alpinus ex Auic. citat, non addito tamen nomine, quo Auic. vocat: neque hactenus apud Auic. reperire potuimus nomen *Bon* vel *Ban*, nec ſcimus quo nomine eius meminerit. Videntur tamen nobis, ritè omnibus conſideratis, ſemina *Bon* vel *Ban* conuenire cum *Buna*. Conſideretur potio quæ ex Bon fit, & ea quæ ex Buna. *Deſcriptio. Vires & vſus. Coaua potio. Temperam. Menſes. Auic. not. Obſtructiones. Locus. Buna.*

CARYO.

CARYOPHYLLI INDICI.

CAP. VI.



Descriptio.

NOtiores nobis ipsa arbore Caryophylli: eius autem ramuli aut surculi siue pediculi, quos obseruauimus, coloris sunt fuliginosi, longitudinis duarū circiter vnciarum, cortice satis crasso, gustúque nonnihil aromatico. His adhærent sæpè caryophylli aliquot: partes inferiores, quæ crassiores, quadrangulæ apparent. Ex prædictis ramulis, quorum aduersus situs, ceu præpilati claui rugosi affiguntur singulares, semúciā longiores, externè fuliginosi coloris, internè dilutiores paulò, qui quatuor déticellis decussatis radiatim coronãtur, quorum medio capitulum Pisi parui magnitudine insidet, è foliolis squammatim implicatis cõtextum, quibus patentibus fibræ quamplurimæ apparent, russescentes, & inter has ex cauitate quadrangula stylus rectior eiusdem coloris: atque hunc quidem florem esse non absurdè quidam scripserunt, cuius odor fragrantissimus: quòd tamen non in omnibus conspicitur, quippe quod facilè in tanto itinere atteratur: sapor recentium feruidus non sine amarore, valdè tamen gratus & aromaticus (Cordo adstringẽs quoque) & nescio quid stuporis linguæ imprimens. Succo oleaginoso & rubente. Flore autem excusso, cauda claui in ventrem turgescit, longa tamen semper remanens, inque corticem degenerans: nucleum ventre concipit, aliàs simplicem, aliàs geminum, vt duriorem dentibusq; difficulter fragilem, ita parum illius gratiæ aromaticæ feruidæ retinentem, nigram in duas partes εἰς ὄνυχα commissas fissilem.

Caryophylli. Flos. Nucleus.

Porrò arbori formam Lauri attribuit Garcias, nec non magnitudinem: folia etiam Laurina, sed angustiora: ramos multos, flores copiosos, primùm candidos deinde virescentes, postremùm russescentes, dum viridès sunt adeò odoratos (vt à fide dignis viris accepit) vt reliquos flores odoris suauitate superent. Interdum cum Caryophyllis reperitur gummi nigrum, vel potiùs resina, de qua paullò pòst.

Arboris descriptio. Folia Laurina. Flores. Resina.

Caryophylli folia, si Cordo credimus densa sunt crebrisque & tortuosis venulis exarata: figura autem & magnitudine tenuifoliæ Lauri folia imitantur: colorem habent iisdem paulò fusciorem: odorem ac saporem Caryophyllorum, sed remissiorem.

Folia Cordo.

Idem minores seu graciles Caryophyllos immaturos: maiores ac ventriosiores, maturos dicit. Surculos verò, festucas Caryophyllorum, (aliquibus *fusti* aut *fustichi* nominati.) Arborem paruam, materie solida, duráque, & Lauri folia habentem. Immaturum decerpi, cùm floret, cùm adhuc est secuturi fructus rudimentum. Materiam cartilaginosam, modicè lignosam, lentam, infragilem, tritu difficilem, tam foris, quàm intus. Cur verò paulò pòst hunc eundem Caryophyllum immaturum seu minorem acerbum vocitet, fatemur nos nec gustu nec vlla ratione posse assequi. Maturus ille seu tumidus ac omnibus tam Medicis quàm Pharmacopolis Anthophyllus appellatur, quem non insubidè idem oliuæ seu Corni nucleo æqualem dicit, si quadrangularem pythmena, quod superiùs habet eximas. Cortice detracto duplicem quoque obseruauit nucleum, ligni aut Cornu instar solidum, tritúque difficilem.

Caryophylli immaturi. Caryophylli maturi. Festuca Caryophyllorum. Fusti. Fustichi. Cordi ius. Anthophyllus.

Charissi. frater Caspàrus Bauhinus anno 1604. ostendit nobis folium quoddam, ei missum pro Caryophylli folio, eiusdem longitudinis, quã icõ est Clusii in nostra tabella expressa, verùm latius, & ad Lauri folium accedens, Malabathri modo splendens parte supernâ, infernâ non item, in qua vnica costa, vel rachis, à qua per latera neruuli dispergnntur: degustatus pediculus optimè Caryophylli saporem exprimit.

Tradit porrò Clus. in Exot. apud Garciam lib. 1. cap. 21. Caryophylli folia nec esse rotunda, neque Pyri foliis similia, sed Lauri foliis potiùs, tam eius, quæ latiore est folio interdum, quàm eius, quæ est paulò angustiore: quapropter ipsi fuit impositum, quando folium illud Laurino multò angustius, & Salicis, Persicæúe mali folio simillimum, oblongiore tamen pediculo præditum, cum Caryophyllorum ramulo muriâ condito, pro legitimo eius folio obtrudebatur: qualem cum eodem ramulo exprimi curabat in prima Hist. Aromatum editione. Eam ob causam nunc illud ademptum. Legitimam porrò exactámque Caryophyllorum historiam, cui adiunctus est ramulus, suis foliis & fructu onustus ad viuum expressus, in primo Exot. suorum dat, eámque denuò cum ea, quæ foliorum expers, hic subiicit. Eam (historiam exactam) autem sequentibus verbis proponit.

Folia. C. ij descripta.

Noua icon Clusii.



QVum Octobri mẽse, anno 1600. Amstelredami essem, binos arboris Caryophyllos ferentis ramos, suo fructu onustos, valdè recentes adquirebã, vt qui præcedente Aestate nauibus, quæ ex Ternate insula 19. die Augusti, anni 1599. discesserant, aduecti essent. Vnum quidem singularem, pedalis ferè longitudinis, cuius formam in præsenti tabella exprimi curabam: alterum longè maiorem, sesqui-

Descriptio.

Digitized by Google

pedalem, aut cubitalem, summâ quidem parte in quinos, aut plures, graciles ramulos, suo fructu onustos, atq; alternatim ex aduerso nascentes, diuisum, infima autem [à qua tres, aut quatuor minores rami resecti erant] scriptorii calami crassitudinem non superante, cineraceique coloris cortice tectum, graciliores, tenellique ramuli eum candicantem habebant, præter extremas festucas ipsum fructum sustinentes, quæ fusci coloris erant: folia angustifolia Lauri foliis valdè similia habebat, minúsque lata ijs, quæ in ramo in hac tabella expresso, oblongiusculo pediculo prædita, alternis, sub singulorum ramulorum alis ex aduerso nascentia, medio neruo singula folia per longitudinem secante, & multis venis vtrinque in latera excurrentibus: extremi ramuli in eas, quas modò dixi, festucas desinebant, alternis etiam & contrario inter se situ plures pediculos ferentes, eósque ternos vt plurimùm, suis petiolis sustinentes Alabastros (qui sunt ipsi Caryophylli) summâ parte in quatuor denticulos decussatim diuisos, medio florem nondum apertum continentes, sed in quorum nonnullis (qui aperti quatuor constitisse videbantur) multa exilia staminula congesta apparent: tametsi verò folia & cortex non tantâ odoris gratiâ fragrarent, vt ipsi Caryophylli, non tamen prorsus odore destituebantur, sed Caryophyllos nonnihil redolebant, atque etiam eorum saporem referebant, quemadmodum & ipsorum ramorum lignum.

Folia Lauro.

Alabastri sunt ipsi Caryophylli.

Sapor foliorum & ligni.

Minorem ramum, qui hac tabella expressus, donabat Io. Langhe Chirurgus Amstelredamensis: maiorem verò nanciscebar curâ Petri Gareti, qui alium æquè magnum mihi procurabat, sed foliis orbum, cuius tamen fructus longè acerrimus. Caryophyllorum porrò flores intelligebam post diligentem inquisitionem ab iis, qui se vidisse affirmabant, formâ non dissimiles esse floribus Cerasiorum, eósque non candidos, sed elegantis cœrulei coloris esse, quorum singula foliola tribus candidis radiis, seu venis essent distincta, staminula verò medium florem occupantia, purpurei coloris.

Flores.

Flores Cerasiorum æmulos.

Cæterùm (vt mihi affirmabat VVibrandus à VVaruvick, celsæ sunt Caryophyllorum arbores, nec Malis, aut Pyris apud nos nascentibus minores: crescunt verò illæ in Amboyna, Ternate, Motir, Bacian, Marigeran, Makian, Tidore potissimùm: in aliis tamen quibusdam vicinis insulis similiter, sed perparcè: præstantiores tamen censentur, quæ in Makian & Tidore nascuntur.

Locus. Arbores celsæ.

Caryophyllorum delectus.

ICON ALIA CLVSII.

QVia autem (inquit is in Auct.) vetus hæc Caryophyllorum Icon ad capitis 21. lib. 1. Garciæ scholion proposita, quæ sine foliis, tum ea, quam cap 17. lib. 1. Exot. exhibendam, mihi per omnia nô satisfaciebant, alium ramulum, qui fructus rudimentum iam formatum & florem nondum explicatum sustinens, & rudimentum formari incipiens, foliáque haberet, nactus, sex prioribus Exoticorum libris iam typis expressis, illum non modò à perito pictore in tabella delineandum, sed & ipsam tabellam à perito etiam artifice sculpendam curabam, cuius exemplar in hoc Auctario adiunctum esse volui scholio ad cap. 21. lib. 1. Hist. Arom. Garciæ, tametsi scholion

illius capitis & veterem foliorum expertem, & alteram è capite 17. lib. 1. Exotic. petitam contineat.

ICON CAMERARII.



CAmer. ad Epitomen & Histor. Germ. Matthioli, tabellam iconum Caryophyllorum proponit, in qua folium ex Matthiolo designatum litera M. quod nos existimamus folium Indi vulgaris: pinguntur præterea duo foliorum genera notata litera G. quę denotat Gesnerum. Verùm Camerarius de istis foliis nihil scribit, contentus dare iconem, quod etiam facimus, ne quid desit stirpium studiosis ad ritè perquirendam Historiam Arboris Caryophyllorum. Eadem occasione in hac eadem tabella exhibemus florē, sub signo *, deinde Antophyllos, sub numer. 1. putamen autem exterius, sub num. 2. interiorem nucleū, 3. nuclei partes, 4. In altera verò tabella iconem Acostæ posuimus, quam Clusius falsam existimat, quod nobis verisimile videtur, potissimùm, quod ad situm florum & fructuum: de foliis nihil affirmare possumus.

ICON ACOSTAE.



Cæte-

Cæterùm nuſpiam veteres Græcos, vt Theoph. Dioſcor. aut Galenum Caryophyllorum mentionem feciſſe inuenimus: tametſi Serapio ex Galeni autoritate de iis tradiderit.

Caryophyllon Plin. Nominis quidem Plin. meminit, quando lib. 12. cap. 7. ſic ſcribit: Eſt etiamnum in India Piperis grani ſimile, quod vocant Garyophyllon, grandius, fragiliúſque. Tradunt in Indico luco id gigni. Aduehitur odoris gratia. Dalechamp. ad Plin. hunc locum annotat: hoc quidem eſſe putant Comacum Theophraſt. memoratum cap. 7. lib 9. hiſt. *Comacum Theophr.* Nos verò cap. de moſchata oſtendimus, videri Comacum Theophraſt. meliùs conuenire Nuci moſchatæ: parum etiam ſimilitudines habent Caryophylli cum Pipere; quæ occaſio vt Scal. non exiſtimet Plinii Garyophyllon idem cum vulgari, ſed potiùs Cubebas. *Cubebæ.* Ferrantes Imperatus alium fructum, nempe Indorum *Negundo*, de quibus ſuis locis. Eſt quidem in Caryophyllis Capitulum illud deſcriptum figura ſatis ſimile Piperi, quemadmodum & magnitudine: ſed ſubſtantia, hoc eſt, duritie aut ſoliditate nequaquam. Saporis quoque acrimonia non parum diſtant.

Placet quod Paulus Aegineta ait, Caryophyllon non pro nominis ratione etiam ſubiit intiam habere, quum folium Nucis illo ſignificetur: verùm ex India velut flores quoſdam arboris, feſtucarum ſpeciem præferentes afferri. Idem Caryophyllon non Garyophyllon vocandum exiſtimauit: quâ fortè etiam notâ noſtros Caryophyllos à Garyophyllis Plinii differre apertum fiat.

Claui. A facie clauata Francis ſibi nomen *Claui* Caryophyllum aſſumpſit. Non deſunt qui Caryophyllum repræſentent Buxi caudice, Lauri folio ſed rotundiore, vt annotat Ruell: qui cum multis aliis Herbariis huius nec Dioſcor. nec Galenum in cenſu ſimplicium vllam feciſſe mentionem apertis verbis teſtatur. *Buxi caudice.*

Carunfel. Serap. Garyophylus. Apud Serap. *Carunfel* eſt Garyophylus, [Ita enim ſcribit interpres,] qui annotat cum Paulo, aliam eſſe eius eſſentiam, quàm nomen ipſum exprimat: quod folium Nucis denotat. Adferri ex Indiæ locis, ſimilem flori ſuæ arboris, eſſe veluti lignea quædam fruſtilla, nigra, longitudine tranſuerſi digiti, (quæ fortè recentium eſt: nam ſicca breuiora ſunt) odorifera, ſapore acuto cum quadam amaritudine. Paulum citat, eundémque eadem cum Galeno ſcripſiſſe de iis de verbo ad verbum. Sed locum eum apud Galenum nondum legimus.

Charunfel Auic. Maſculus. Apud Auic. Garyophyllus [*Charunful* Bellun.] ſimilis eſt Sambuco, ſed nigrior. Maſculus eſt veluti Oliuæ nucleus, longior & nigrior: fructus arboris Indiæ.

Caryophyllon Nucifolium. Καρυόφυλλον quaſi Nucifolium dicas, inquit Curtius, tametſi illius naturæ aut effigiei nihil habeat. Flos arboris cuiuſdam, vel, vt aliis placuit, fruticis, fuſtaceus, longitudine pollicari, ſubamarus. Tantâ longitudine vbi viderit miramur. *Hæc ferè Antiquorum de Caryophyllo Placita. Nam vires poſtea dicentur.*

Qui verò poſterioribus ſeculis in Indiam & ad Inſulas Molucas nauigârunt, cerni aiunt ibi arborem, tum altitudine, tum craſſitudine, foliis quoque, tametſi maioribus ac rotundioribus, Lauro ſimillimam, affatim in congeriem folioſam, vt Buxus, cui eius caudicem quoque compararunt. *Lauro ſimillima arbor.* Naſci autem fructum, quem à ſimilitudine, *clauum* vocitant, ex ſummis, ſingulos ſingulis ramulis, corollam primùm, tùm in ea haud aliud, quàm Mali aurei veluti aciem, quæ cuſpis ipſa Caryophylli. *Claui.* Summis ſurculis inſidere, ac paulatim in longum exurgentes, veluti mucronem facere. Primò autem rubeſcere, mox verò totum Sole nigreſcere. Leguleios autem fructum arundinibus decutere, ſolo ſecundum arborem tegetibus priùs ſtrato. *Legendi modus.* Locorum verò indagatores Caryophyllorum odorem per longum ſpatium in mari præſentire. *Ita quidem Curtius refert.*

Vartomanus, qui ad Moluchas non peruenisſet, vt perhibet Scaliger, auditione ſola, quæ de Caryophylli arbore ſcripſit, acceperat. Eſſe buxeo caudice, Lauri foliis, paulò minùs longis: oriri in *Molos* inſula proxima *Bundan*. Nos eius nominis inter *Moluchas* nullam inuenimus. Tres adeò eſſe, in quibus oriatur: *Tidor*, *Terenati*, *Macchian*. Caudici craſſitudo, quanta humano corpori. Cortex oleæ: folium Cinnamomi: multùm fruticare: confertos flores in ſummis prodire ſurculis, denos & vicenos, oblongos, lato capite, criſtato atque in ſtellæ modum coronato, radiatóque. *Cortex. Folium. Flos.* Initiò virides, poſtea albeſcere: tum flaueſcere. Poſtremò in fructum excreſcere tumidum, intus oſſeum, bipartitum, buxeo colore, corio nigro tectum. *Fructus. Nucleus. Antophylli.* Anthophylla vocant Apothecæ, vt diximus. Ipſos verò Caryophyllos tribus vocat nominibus, *Gamode*, *Chianche*, *Bugalauan*. Alibi naſci negant. An Plinio notum fuerit [inquit Scaliger] haud conſtat ex eius hiſtoria. In duodecimo granum ſimile Piperi tradit, maius & fragilius. At Caryophyllum neque granum eſt, neque vlla in re Piperi ſimile. Dum creſcit, ſatis lentum: cùm adoleuerit, duriſſimum. Quamobrem neutiquam his aſſentior qui ita prodidere. *Non eſſe Garyophyllon Plinii. Cubebe. Oxymyrſine. Carpeſion.* Fortaſſe potiùs Cubebe ſit hoc Plinii granum. Non enim eſt Oxymyrſine, vt videbimus. Eorum præterea vetus error, qui putarunt *Folium* quod *Indum* cognomen habet, ex arbore Caryophylli prouenire. Carpeſion puſillos Caryophyllorum ſurculos ſomniaſſem, niſi in Ponto & Pamphylia naſci prodidiſſent. Quare ne Cubebæ quidem noſtræ illud erunt, ſed Plinii caryophyllum.

Matthiol. quoque Caryophylli caudicem Buxo ſimillimum dicit, eandémque eius materiem, quam comparationem paulò liberiùs ab eo prolatam ſuſpicamur. Nam vt duritie, colore vel pondere ſimilis quidem ſit, non tamen erit eadem. Contrarium ſanè vel ſurculi inſinuant, qui adferuntur, & quæ Cæſalpinus de ligno eius ſcribit.

Caryophylli abortiui. Idem Matthiol. craſſiores caryophyllos vocat abortiuos, qui non benè prouenerint, eoſdémque ait cum iis quos Antophyllos vocant, & in edit. Germ. Mutternegelin vocat. Folia Cinnami vulgaris inſtar habere, ſed rotundiora: Fructu eſſe paruo. At in Epitome, folia eius ſcribit Laurinis eſſe anguſtiora, Salicis aut Perſicæ mali ſimilibus, ſenſim per ambitum ſinuatis: *Folia Perſicæ aut Salicis. Florum varietas.* multis arborem præditam eſſe ramis; floribus numeroſis, in principio candidis, deinde virelcentibus, poſtremò ruſeſcentibus, vſque adeò odoratis, vt reliquos flores odoris ſuauitate ſuperent, è quibus caryophylli proueniant, qui nil aliud ſint, quàm rudimentum fructus. *Caryophylli quid.* Flores enim qui quaternis foliolis conſtant, huius fructus rudimento inſidere: Fibris numeroſis refertum, perinde ferè ac Myrti flores. Prouenire in extremis ramulis, Myrti modo. *Matthioli...* At quid Matthiol. intelligat per Cinnami Vulgaris folium, vel Cinnamomi, vt in Ital. edit. ait, explicare debuit, neque ignotum aut obſcurum, per æquè obſcurum, ac fortè ſibi quoque ignotum, interpretari. Folium ſanè quod iuxta Caryophyllos pingi ſolet, ſimile apparet eſſe folio, quod vulgò Malabathrum

dicitur, quódque prudenter in aliis quibusdam editionibus omissum: sed ineptè adiunctum in icone Tabern. quam ideo operum Matth. vindex in postrema Editione adaptare non debuit. Etsi verò ipse quoque Matth. in sua epitome retineat solum istud, nullam tamen eius facit mentionem, sed dicit, foliis esse Salicis.

Tabern. mot. Icon Taberni folio optimè inserta.

In vltima quoque editione eius manifesta contradictio, tum ipsiusmet authoris, tum patroni & commentatoris oscitantia posita & relicta, quando primò ait, folia Cinnami vulgaris instar habet, sed rotundiora; postea verò, esse Salicis, in quibus, quid appareat rotunditatis, ipsi videant.

Matth. sibi contradicit.

Illud quoque considerandum, Matthiolum contra aliorum opinionem crassos Caryophyllos, *abortiuos* vocare, quos illi omnes vnanimi consensu fructus dicunt maturos. Neque videntur nobis Caryophylli prouenire in extremis Myrti modo: vt patum absit, quin existimemus, ipsum Myrtum florentem nunquam aspexisse, cuius flosculos per ramulos inter folia emicare vel trimestres norunt Botanici.

Tertius Matth. error. Quartus eiusdem error.

C.Bauh. præter falsam iconem Taber. apponit etiam Clusii cum folio angusto, nec quale verum & legitimum sit docet, at sic neutrum sibi cognitum fuisse non obscurè declarat.

C. Bauh.

Amatus Caryophyllum festucarium quendam florem vocat, arborem verò Buxo figura trunco & foliis persimilem tradit: fallique eos qui eidem folium Nucis aut Cinnamomi inesse autumant, quum reuera arbor Caryophyllorum Buxi folio vestiatur. Vt nunc cæteris fide dignis Scriptoribus ad Indicas oras remigrandum sit, vt Caryophyllorum folia rectiùs inspiciant, qui Lauri angustioribus, Persicæ aut Salicis folio perhibuerunt. Sed si tam bene constat Amato de Buxeo Caryophylli folio, cur non docet vnde id sciat? vbi viderit? à quo habeat? nimirum ingens hæc temeritas alio tegmine occultari non potuit, quàm experientiæ vel *αὐτοψίας* [quam ipsi nullam fuisse haud vanè suspicamur] silentio.

Festucarius fol. Buxi folio. Amatus not.

Lacuna quoque folia Cinnamomi foliis breuiora & rotundiora dicit: sed aliorum fultus pronunciato, plantam trunco & ramis Buxo similem scribit, cùm nihil ferè minùs in surculis, si quis eas cum Buxi ramulis conferat, appareat. Notandum quod Garcias annotat, eos Caryophyllos, qui in arbore hærent, crassiores fieri, neque ab aliis nisi vetustate differre, tametsi falsò existimarit Auic. crassiorem hunc marem esse.

Lacuna not. Crassiores Caryophylli.

Falsa quoque eorum opinio, qui Caryophylli arborem cum Moschatæ nucis arbore eandem esse putant.

Auic. error. Quorundam error.

Clusio Caryophyllum nihil aliud est, quàm rudimentum fructus.

Describunt etiam Lud. Rom. l.6.c.25. & Maxim. Transf. de Moluccis insulis. At quem M. Paulus Venetus lib.2.cap.38. exhibet, planè alia est planta.

Caryophyllus Pauli Veneti.

Caryophylli folium [inquit Clus.] Laurino angustius, Salicis aut Persicæ mali folio simillimum aliquando vidimus vnà cum Caryophyllorum ramulis muria conditis.

Folium quale eius? Ramuli muria conditi.

Idem Clus. olim in fine Histor. Gal. Dodonei scripsit Caryophyllon Plinii, Pauli & Sethi, flores officinis dici, & Caryophyllos fructus, Antophyllos, cùm potiùs flos ita sit vocandus. Auicennæ florem esse fœminam, fructum marem.

Mas & Fœmina.

Acosta tradit in arboribus Caryophyllos proferentibus nasci fructus Ficus modo, sparsim per ramos ad foliorum basin, binos, ternos, quaternos simul iunctos, vel vnicos interdum. Huic dnæ descriptioni & figuram aptauit, &, vt ipsum taxat Clus. vel hanc vel vllam aliam ad viuam imaginem imitatus est, & scripta sua pleraque, præter illa quæ imaginariè effinxit, ex Garciæ Obseruationibus desumpta.

Costa not.

Legitimam iconem in Aromatum eiusdem Garciæ historia ex ipso ramo, muria condito, se exhibere Clus. testatur, vidisséque ait ramos dodrantales & pedales siccos à Franc. Dracke nauclero Anglo, [qui vniuersum orbem circumnauigauit] ex Moluccis, sed omnes extrema parte fructus protulisse.

Item.

Mouerat fortè Costam Matthioli temerarium iudicium, qui dixit, Myrti florum modo Caryophylli flores ramulis adnasci, vti notatum antè. Voluit igitur Costa in sua icone Caryophyllos eo modo, quo Myrti flores nascuntur, flores interserere, non minùs, mehercle, lepido, quàm ridendo atque adeò nouo tradendarum Exoticarum Historiarum aucupio.

Franc. Alexander in suo Apolline refert, audiuisse se Citream malum Indicæ regionis esse: id quod etiam comprobarit Mentia Lusitana Illust. Renati comitis Chiliani vxor, quæ flores nostratium afferri iussit, hósque ablatis barbulis, viuam Caryophyllorum imaginem prorsus repræsentare indicauit: torrido autem Indicæ regionis Sole, pomum non maturescere, ac in eo grano, quod Caryophyllis insidere consueuit terminare asserebat: sique ita sit, ipsi acceptum referet. Sed si radiatus ille Apollineúsque buccinator considerasset crassiores Caryophyllos, quos Anthophyllos vocant, animaduertisset eos in duas partes findi, quod in nullo Citrii fructus rudimento fieri potest, ac vel eo solo argumento discere potuisset Caryophyllos ex nulla esse Citria malo, nec passus fuisset, vnius mulierculæ coniectura in eam ferè se trahi opinionem.

Citria malus Indica. Franc. Alexander not.

Eius folia, quæ se habuisse testantur Pena & Lob. fuerunt Arantii magnitudine, minùs vnctuosa: alia latiora ac rotundiora ostendebant Doctissimi Comascus & Anguillara, hic Ferrariæ, ille Venetiis. Spirabat istud Caryophyllum. *Hæc ipsi.* Nihilominus Lob. in suis Obser. & Icon. proponit iconem folii qualem Clus. habebat, quod ipsorum descriptioni minùs conuenire videtur, quale & nos exhibuimus.

Folia aromatica. Lob not.

Lonicerus rudis profectò & inscius planè, scribit Negell oder Indische bletter folia esse sicma, vt Nardus, iucundi odoris & saporis, cùm potiùs intellexisse debuisset Folium Indum siue Malabathrum, quod malè pingit cum Caryophyllis pro eorum foliis.

Loniceri error.

Cæsalp. Caryophyllorum fructum cùm perfectus est ad maturitatem vsque minùs odoratum, ac minùs acrem esse annotat, figura & magnitudine constare Laurinæ baccæ oblongæ, aut fructus Rosarum, semine intus durissimo, implicato.

Antophylli apud Nicolaum intelliguntur grandes Caryophylli, cùm tamen verbum Anthophyllon debuisset florenti fructui aptari, Caryophyllon autem fructui perfecto ob Nucis similitudinem. Idem perhibet ex eorum relatione qui Indicas oras perlustrarunt, folia esse Cinnamomi, rotundiora, ad Laurina accedentia, in surculorum cacuminibus fructus esse quindecim aut viginti simul, initio candidos, postea rubentes. Si ad perfectam magnitudinem intumescant, duros euadere & inutiles, præter corticem. Saporis acredinem inesse etiam arboris cortici, ligno & foliis virentibus, vt fructui.

Antophylli not. Cortex.

Caryo-

Carpesium

Caryophylli Clauus fortè fuerit Carpesium apud Quintum Medicum à fructu cognominatū, sed Galeno incognitum.

Cast. Durant.

Cast. Durantes caryophylli nomine exhibet iconem Costi, quam pro falsa reiecit Clusius.

Lauro similis.

Maffeus in hist. Ind. arborem caryophylli & stipite & folijs Lauro similem dicit, flore inprimis odorato, qui è viridi in rufum immutatus, vbi obduruerit, *Caryophyllon* Arabibus: at Hispanis, quod capitatus sit, *Clauus* appellatur.

Oliuæ cortex.

Portugalensis quoque historia, arborem crassam & magnam ait, folijs Lauri, cortice oliuæ similis: Caryophyllos rarò ad maturitatem peruenire: primò esse virides paullò pòst albos: maturescentes rubere, siccos nigricare. Collectos ablui aqua marina.

Hist. Lugd. err.

Hist. Lugd. figuræ Caryophyllorum præter Clusij folium apponit etiam figuram *Indici folij* vulgò dicti, quod potuerat imò debuerat omittere, cùm ab eò differens specialem tractationem requirat.

Nihilò rectiùs duas icones exhibet Tabern. vnam pro Anthophyllis, & alteram pro Caryophyllis, quasi res essent, specie, non perfectionis tantùm gradu, differentes. Sed quando idem folia Inda seu Malabathri vulgò dicta Anthophyllorum & caryophyllorum ramo densè stipato &

Tabern. erratum.

racematim digesto distinctis figuris appingit, tam nostris illudit iudicijs & suæ ipsius existimationi, quàm certum est, imaginariè eas figuras ab ipso effictas. Meliùs famæ suæ consuluisset, si media, quæ Clusiana est contentus, fictitias & monstrosas illas duas omisisset.

Caryophylli, vt tradit Cronemb. proueniunt in insula Monoch. vbi aër fragidiusculus itinere 6. dierum ab insula Binta. Arbor eorum est similis Buxo, ita ramosa & crebris surculis: folia autem similia Canellæ. Quum caryophylli sunt in tum extendunt lintea sub arbore, & arūdine decutiūt. Solum, vbi proueniunt, videtur arenosum. quamuis non sit arena: hæc regio est loco valdè depressa, ita vt non appareat ibi st. illa dicta Tramontana. *Hacu.* Ego non existimo Indos expectare

Cronemb. error.

maturitatem, id videtur apparere ex clausis floribus, ac etiam ex Anthophyllis dictis, qui sunt caryophylli, vt existimo maturi, vel penè maturi, verùm minùs efficaces, qui solent ad nos copiosè adferri.

Descriptio Linschottana.

Tandem prædictorum & Linschottani obseruationi acquiescendum censemus, donec prodeant qui diuersa, non sua imaginatione, sed diligenti *αὐτοψίᾳ* eruditi nos doceant. Scribit autem hic: Arborem Lauri speciem habere, foliáque huic similia, flores primùm candidos, inde virentes, postremò rubros ac duriores, in caryophyllon desinere. Virides adhuc amœnissimum supra cunctos odores odoramentum spirare: densa maximè enasci, magno numero decerpta siccari. Iustum eorum colorem tum subfuluum, fumo demū in nigredinem compelli. Caryophylla quæ arbori adhærent crassiora, in sequens vsque anni tē-

Autorum diuersitas circa Caryophyllorū historiam.

pus matrum caryophyllorum nomine durare. Ita videt lector autores tùm circa arboris & foliorum formam, tum circa caryophyllorum colores variare, alijs asserentibus, ea primùm viridia dein candida esse: alijs contrarium statuentibus, penès quos singulos huius historiæ fides esto. Magno

Palud. err.

verùm periculo versatur Paludanus, ne suspicemur, eum caryophylli plantam nunquam vidisse, quando præter omnium prædictorum (excepto Matthiol.) mentem ait, Caryophylla in extremitate ramorum crescere, vt fuæ Myrti. Nam, vt in extremitate quidem crescant, non ideò crescunt vt baccæ Myrti, quas sparsim hinc inde per ramos nasci non semel in diuersis regionibus obseruauimus, & indies adhuc spectamus, neutiquam verò in ramulorum extremis, cuiusmodi Caryophyllā summitatibus innascentia pinguntur à Clusio. Quàm propriè etiam idem *Myrti* vuas dicat, [nisi aliter fortè in locis peregrinis nascantur quàm apud nos] ipse viderit. Is quoque ait, arborem quidem Lauri magnitudinem ac formam habere, sed tamen folia graciliora esse, vt Amygdali aut Salicis: nec scimus an ex ea sua, vel aliorum, quos antè citauimus, obseruatione.

Synonyma Linguarum.

Cæterùm caryophyllon, quod Barbari Garyophyllon scribunt, & Garyophylum: Græcis *καρυόφυλλον* seu *κάρυ φύλλον*, Lat. etiam caryophyllum & caryophyllus, quod suprà diximus, *Nucifolium* de verbo ad verbum reddi posset, quàuis res ipsa neutiquam id insinuet. Nostris *Clauus*, quòd *claui* in modum capitatus sit. Hinceque Germ. Negelin: Gal. *Clou de Gyrofle* & *Gyrofle*: It. *Garofani*. Hisp. *Clauo d'especia*. Belg. Gherofle Naghel. Apud Turcas, Persas, Arabes, ac plur mos Indorum *Calefur* nominatur. At in Moluccæ insulis, quibus

Calafur.

id aroma peculiare tantùm est, *Chambe*, vt scribit Linschott. Garcias *Chanque* ijsdem dici ait. Mauritanis *Carhumsel* & *Charunsel*. Nomina autem quæ sunt in Pandectario, *Arunsel* & *Charunsel*, corrupta esse putat. Sed *Carunsel* corruptum non est, inquit Clusius, sed ita vocatur & scribitur Arabicè

Chambe. Chanque. Charumfel.

Arab. Arunfel.

Karunfel. Quare quod dicit, à Turcis & Arabibus dici *Calafur*, eamque esse rectam appellationem, siue ita vocant, siue non, sciat esse corruptum ex *Karunfel*. Certè nunquam consuluit Auicēnam Arabicum, quum saltem a quodam medico Arabismi perito illud petere potuisset. In Iaua Caryophyllum vocatur *Syanke*, in Malaya *Syngen*. Quare videndum an deprauatum sit ex illo Moluccarum *Chanque*. De quo profectò non dubito, quum sciam literam Tzad à Lusitanis in *Ch.* mutari: vt *Tzina*, *China*. Tabern. Anthophyllos Germ. Mutternägelin vocat institorum exemplo: & cæteros Krämer Nägelin vulgi imitatione, quasi mercatorum clauos dicas, ad differentiam florum Betonicæ coronariæ. Ipsa arbor teste Costa, Persis ac Turcis *Siger*, folium *Taraqua*

Siger.

appellatur. Quod Lusitani *Baston* vocant, Belgæ *Rumpam*, Caulis est, quo Caryophylla arbori adhærent, *Fusti* officinis. It. *Fusti di Garoffani*: *Seiteragi* primum Auic. inquit Matthiol. odoratæ festucæ Caryophyllorum instar, *Seiteragi* verò secundum Auic. videtur esse fructus, [vt idem censet] quos Italicæ Seplasiæ Anthophyllos & pseudocaryophyllos vocant. Nec sanè malè quadrat

Seiteragi.

lignei pediculi Caryophyllorum *Seitaragi Ind.* Auic. (Ita enim scribitur in nostro codice) Quos si intellexit Auic. non debuit separare à Caryophyllis: nisi fortè ipsemet ignorarit quid esset Seitaragi: Iunxit enim herbæ Iberidi.

Matth. err.

Nec placet opinio Matthioli existimantis Caryophyllos crassiores esse secundum genus Seiteragi Auic. Eos namque cum cæteris tradidit capite proprio. Præterea vt postea dicemus, cap. particulari de Seitaragi, noster Auic. non habet duo genera Seitaragi Indi. Sed vbi Matthiol. legit fructus, in nostro exemplari scriptum fractus.

Locus.

Nascitur Caryophyllorum arbor in Orientalibus plagis, quibusdam Indici pelagi insulis, non longè à *Bandam*, *Tidor*, *Terenati*, *Macchian*. Alibi nasci negant, inquit Scal. Qui ad Indicas regiones nostris temporibus nauigarunt, referunt Caryophyllos tantùm in quinque prouenire insulis

Oceani, vltra sinum Gangeticum, Locis montanis, & si aliò transferatur, nequaquam viuere. Nascuntur & in *Mate*, authore Loupetio. Nascitur, inquit Garcias, duntaxat Caryophyllon in *Maluccis* insulis, quæ sunt quinque numero [quarum primaria est *Gilolo*] nec procul nimiùm à mari, nec etiam locis mari nimis vicinis. Nascitur etiam in *Zeilan*, nonnullisque aliis locis, sed nullibi fructifera est arbor, quàm in Maluccis, quæ sub linea Æquinoctiali sitæ. Ex præter Caryophyllon nihil ferunt, quod inde per orbem distrahitur. In locis quibus hæ arbores crescunt, nullum gramen esse perhibent: omnem enim succum ad eas deriuari.

His subscribit Maximil. Transf. ad Card. Salzb. Insulæ, inquit, Molucæ sunt numero quinque, *Tarante*, *Muthil*, *Thedori*, *Mate & Matthien*, tum citrà, tum vltrà, tum etiam sub ipso Aequinoctiali sitæ, vicinæ omnes, sed paruæ atque angustæ admodum. Quarum minima *Tarante*, proxima *Thedori*: quippe quæ paulò vltra sex milliarium Italicorum ambitum habent. Est huic finitima *Matthien*, & ea exilis. Hæ tres ex quinque Molucæ insulis Garyophylli magnam copiam gignunt, sed longè vberiorem in quartum annum. Arbores hæ non nisi in abruptis rupibus prouenire solent, & ita densantur, vt plerumque lucum faciant. A mari ad tormenti iactum, inquit Linschott.] Caryophylli arbores dissitæ crescunt, sponte sua, nullà curà aut plantatione: humum decerptum ea incolæ duntaxat purgant subtus.

Colligendi modus. In anni magna fertilitate Caryophylla foliorum numerum facilè superant. Manu non colliguntur, sed ad ramos alligatis funibus multa vi auelluntur. Ideò læsis grauiter arboribus fructus sequenti anno nullus est, spe in tertium producta.

Tempus. Colligitur Caryophyllum, authore Garcia, à decimoquinto Septembris vsque in Ianuarium & Februarium, non in mu, vt nonnulli volunt, sed violenta flagellatione.

Repositio. Decussi Caryophylla biduum aut triduum siccantur, deinde asseruantur, & Malacam, in aliasq; Prouincias mittuntur. Quæ in arbore hærent, crassiora fiunt, nec ab aliis nisi vetustate differunt. Magni prouentus augurium est, si arbor plures flores produxerit quàm folia: icircò non debent nimiùm flagellari arbores, quia vehemens & nimia flagellatio steriliores efficit. Cauliculi seu surculi simul decutiuntur. Etenim in Moluccæ insulis Caryophylla nequaquam emundantur, carò autem in India, plurimùmque venduntur cum *Cautio.* matre, [sic Anthophylla, seu magna & ventriosa, quæ maturiora diximus, vocant,] puluere ac cauliculis. Quæ tamen in Lusitaniam mittenda veniunt, ea distinguuntur.

Satio. Arbores aliæ ex deciduis Caryophyllis sponte crescunt, vt Castaneæ, quàm citissimè ob imbrium abundantiam. Intra octo annos fructum ferunt, intra quod tempus adolescunt, duraturæ vsque ad centesimum, quemadmodum ipsi incolæ testantur.

Scaliger ex Vartomani relatione tradit, bis, in anno legi, Decembri & Iunio. Quarto quoque anno liberiorem esse prouentum. Triennio vacante vindemia, ita demum efferari, atque degenerare. Cæsalp. ex eorum narratione, qui Indicas oras perlustrarunt, bis in anno sub vtroque Solstitio colligi prodit: neque sinere incolas vt ad perfectam magnitudinem intumescant.

Caryophylla olim apud Maluccanos neglecta. Nullius autem pretii fuisse Caryophylla ferunt apud Maluccanos, donec eo delati nauibus Chinenses, inde magnam eorum copiam in suam regionem exportarunt, & inde in Indiam, Persiam & Arabiam. Conseruari autem in sua bonitate si marina aqua inspergantur, alioqui teredinem sentire. Viridia saccharo conseruata, ac in condimentum, quod *Achar* vocant, redacta, in Malaccam quoque ac Indiam mitti. Hodie quoque flores conditi cum petiolis & ramulis teneris, præcipuis quibusdam Europæ emporiis, vt, Venetiis, Genuæ & Antuerpiæ visuntur, testibus Pena & Lob. *Conseruandi modus.* *Achar.* *Condita.*

Fusti. Ipsi quoque surculi, *Fusti* dicti vnà cum Caryophyllis adferuntur, & hodie in quamplurimis locis, potissimùm Genuæ & Lugduni, saccharo incrustantur. Sed folia rarò cum iis adferuntur, notante Cordo. Fructus potissimùm seu Caryophylla ingenti lucro tam per Asiæ quàm Europæ Prouincias distrahuntur.

Delectus Caryophyllorum. Caryophyllum deliges nigrius, solidius, ponderosius, & copiosiorem liquorem diuulsum vngue, vel acu punctum, exudans, odoratum, frangi contumax ac lentum, recens linguam masticatu vnà cum faucibus penè adurens, acre & aromaticum. Annos quinque seruari posse ait Syluius loco temperato: nam in humidiore putrescere, sicciore arescere, & rugosius euadere atque imbecillius.

Fustorum delectus. Minùs probantur Anthophylla dicta, quippe quorum acrimonia remissior, ac interdum penè nulla. Ex surculis seu fustis dictis præferuntur quoque nigriores, pinguiores, liquorémque fructuum modo remittentes, odore ac sapore ad Caryophylla quamproximè accedentes.

Foliorum delectus. Folia, si quis eorum vlus esse debeat, suadente Cordo, deligantur maiora, crassiora, firmiora, integráque. Fracta verò in puluerem, aut fragmenta eorum, vitanda. Possis tamen his, quemadmodum & *fustis*, substituere ipsa Caryophylla, quæ abundè suppetunt.

Matth. scribit ramusculum Caryophyllis onustum, cuius iconem posuit, Veronâ sibi misisse Calceolarium, sed absque foliis.

Vires ex veter. Caryophylli Paulo Æginetæ sunt aromatici, acres, subamari, calidi ac sicci circa tertium ordinem, multiplicis vsus tum in obsoniis, tum in aliis medicamentis. Ætius in secunda calefacientis siccandique classe reponit. Auicen. in tertio vtriusque qualitatis. Et sanè, Calor tam est huic aromati essentialis & genuinus, vt cùm in India emendatur, si vas aliquod cum aqua aliòve liquore adstet [teste Linschott.] id omne intra duos dies, etiam aliquatenus dissitum, ingenti siccitate Caryophyllorum exhauriatur, vt sæpenumerò experimentis comprobatum ait. Oris halitum commendant, ideò mulieres Indorum frequenter manducant, in eundem finem, quod & Lusitanæ fœminæ & plerique alii cæterarum Nationum promiscui sexus iamdudum facere occeperunt. Ad oculi aciem conferunt, & nubeculas exterunt. Ventriculo robur addunt, & hepati. Vomitum compescunt, & nauseæ aduersantur, authore Auicen. Drachmarum quatuor pondere [quæ dosis nobis satis magna videtur, quam tamen & Palud. retinet: malimus scrupulos quatuor cùm Amato, quòd prior dosis, præsertim delectorum & recentium, magnum incendium sit allatura, maximè in corpore bilioso.] *Oris halitus.* *Visus. Ventriculus. Vomitus.* *Serap. insufic.*

Venus. Veneris incentiuum sunt, Serapioni; qui & ligni [surculorum] & fructus vsum esse ait: præferique ea quæ ad ruborem inclinant; quæque sigillatim ex arbore digitis decerpantur: vbi subaudiendum putamus ad delectum. Alioqui nihilo præ-

præstantiores iudicantur decerpta, quàm vi decussa, quòd ex eis illo nihil iniuriæ effatu dignæ iis accendere queat. Cor roborant, digestionem adiuuant, sed aluum cohibent eidem. Simeon Sethi pulmonem lædere ait. Auenzoar in proœmio libri de conser. san. scribit sibi à multo tempore propria experientia compertum esse, si hyeme vertex subtilissimo Caryophyllorum puluere aspergatur, frigidos catarrhos & capitis humores consumi. Attamen satiùs esse, capitis summa priùs vino ardente madefieri; vt puluis faciliùs adhæreat; eiusque vis penetrare queat, quod meliùs & citiùs fiet, superligato linteolo aut Cucupha, ne vis eius exhalet. Puluis eorum oculis inditus visus claritatem adfert. Sed cautione opus ad hanc rem, addendæque aquæ quædam oculares, feruorem eorum ex parte retundentes, qualis esse possit rosarum, Euphrasiæ, aut similium.

Catarrhus.

Conducunt porrò caryophylli contra morbos omnes cerebri frigidos, Apoplexiam, spasmum, Paralysin, Lethargũ, stuporẽ. Iidẽ siue suffimento, siue esu faciunt contra aërem pestiferũ. Ad anhelitus fœtorem, cum vino assumitur puluis ex crusta panis secalini, Galangæ, cum pauco Caryophyllorum. Contra nauseam & vomitum omnẽ, omnémque profluuium alui ex causa frigida, editur crusta panis, vino Cretico madens, puluéréque caryophyllorum aspersa, autore Matth.

Ad cerebri affectus frigidos.

Oris fœtor.

Profluuiũ alui.

Aduehebatur olim odoris tantùm gratia, vel Plinio teste [si de nostro scribit:] nunc quoque excrescente ad ingluuiem auiditate, eò ferè mores abierunt, vt sine caryophyllo dapes despiciantur. Ac tantum potu tinge-stola gula, vt non tantùm ἐνδόσιμοι pertinaciter inspergeretur eorum puluis, sed & gallinæ, capones, galli Indici, bubulæ linguæ, iocinora vitulina, vaccarum vbera & alia eiusmodi plura non nisi caryophyllis transfixa assentur. Quin & iis fructus transfigi & condituras, vt Mala, Pira, Cotonea &c: à mulierculis consueuerunt.

Vsurpant item ad olfactoriola, & vestiũ odores. Quidã Cereuisiæ saporem iucundum cõciliant caryophyllorum puluerátorum drach.ii. tantundem baccarum Lauri contusarũ, sacculo inclusis in dolio suspendendo.

Vt Cereuisia sapidior fiat.

Ad Lipothymiam.

Animo linquentibus præmansi caryophylli naribus offeruntur: ad idem valet acetum, in quo macerati sint caryophylli & Rosæ. Estque iam ferè transſlatitium apud Germaniæ mulierculas caryophyllos aliquot secum gestare ad obuiandum eiusmodi affectui.

In Lixiuio suspenditur vtiliter nodulus caryophyllorum cõtusorum, quo morbis frigidis laborans caput abluitur.

Vsus est etiam in ventriculo dicatis scutis & sacculis, tum ad vomitum, tum ad ventriculi & ventris dolores à causa frigida, quales interdum vulgò præscribere solemus cum crusta panis puluerisata, asperso aceto rosa. modico, aut vino rubro odorato, additis aliis quoque aromatis ad id pertinentibus. Quidam puluere caryophyllorũ caput spargunt contra dolores capitis ac grauedines. Sed & vtinam certe sunt qui scribant.

Ad ventriculi affectus.

Apud Indos quoque, vt prodit Garcias, in multiplici vsu sunt, tum ad obsonia, tum ad medicamenta: tamen expetuntur in *Iaua* crassiora illa & annotina caryophylla: à nobis verò tenuiora, quę adhuc viridia aceto & sale apud Maluccanos condiuntur, sed his teneriora sacchаro asseruantur, in magnam palati amœnitatem.

Condita.

Nostri quoque caryophylla sacchаro incrustare solent, non inconcinno, ad placendum palatui, & calefaciendum frigidum stomachum, inuento.

Ex caryophyllis quoque destillationis artificio elicitur, Oleum, quod quidam omnibus pollere Balsami facultatibus asserunt, tam interno quàm externo vsu. Id tamen calidius multò censemus authore Camerario. Guttæ aliquot exhibitæ cum vino aut Gallinæ iusculo, sunt præstantissimum remedium in ingenti dolore Ventriculi, à flatibus & pituita.

Oleum Caryoph.

Lusitanicæ mulieres, quæ apud Maluccanos degunt, è caryophyllis viridibus aquam stillatitiã organis eliciunt, mira odoris suauitate fragrantem, & cordis affectibus vtilem. Sed & sudor iis qui Lue Venerea laborant, excitatur caryophyllis, Maci, nuce Myristica & longo nigróque Pipere.

Aqua Caryoph.

Lues Ven.

Si quid autem sit, quod Cinnamomi vicem supplere queat, caryophyllos esse Cæsalp. iudicat.

Cinnam. antibal.

CARYOPHYLLORVM RESINA.

HOc nomine Resinam asseruamus, glebâ [vt apparet] fusili, crocei coloris, fragilem admodum & siccam, nullum gustanti saporem offerentem, (fortè ob vetustatem) odore tamen vbi adoletur, suaui, caryophyllorum: facilè ardet, claráque incendia dat.

Descriptio

Caryophyllorum gũmi [inquiũt Pena & Lob.] quod eximii odoris est, glebæ Ammoniaci concretione & colore seruamus: quod Lob. postmodum in sua hist. Belg. denuò repetit, & colore foris nigricante esse ait. Gerossels gummi vocat. sed rectiùs, nostro quidem iudicio *Resinam* vocasset, quòd promptè flammam concipiat, cuiusmodi lachrymas Diosc. generaliori voce κόμμι vocat.

Serapio cap. 39. ex autoritate Albugerig: Glutẽ inquit, [potiùs resina] Garyophyllorum est simile glutino *Albotim*.

Scribit Auic. caryophyllorum gummi, *Albotim* seu Terebinthinæ facultate respondere. Hanc ob causam percontatum se ait Garcias ab iis qui ex Maluccis caryophyllum aduehunt, sed negasse se huiusmodi gummi vidisse. At nos non in Moluccis sumus, & vidimus tamen, & habemus inter fructus repertum. Oliuus quoque testatur Calceolarium habere Gummi caryophyllorum: sed cur non descripsit rem tam raram?

Clus. quoque annotat inter caryophylla, quæ Antuerpiam adferuntur, inueniri interdum gummi ex atro rufescens, odorum, & quod prunis iniectum caryophyllorum sanè odorem referat: suspicatúrque idem esse gummi, de quo Auic. prodidit.

CARYOPHYLLO AROMATICO similis fructus.

CAP. VII.

FRuctus delatus in priore Batauorum nauigatione, anno 1597. ex Iaua de quo Clus. exot. In binarum vnciarum longitudinem, vel etiam ampliorem, & vncialem crassitudinem excreuerat septimus fructus: videbam enim caryophylli aromatici vetustioris in fructum iam se formantis dũtaxat magnitudine, cui sanè valdè similis, vt primo intuitu mihi imponeret. Totus fuscus erat, nec val-

Descriptio

Digitized by Google

dè læuis, supernè quatuor alis decussatim crucisve formâ dispositus præditus, instar Caryophyllorum aromaticorum, infernè angustior & pertusus, prodeunte ex foramine veluti caudâ, crassâ aut tenui pro fructus magnitudine: quæ nihil aliud est, quàm nuclei extima pars, qui in fructu continetur, in maiore crassior & caua, & veluti articulis distincta, in minore, angusta & mucronata: fructus ipse denso duróque cortice erat præditus, vt cultro vix aperiri posset, & vtrumque salsi saporis. An verò hic fructus, salsedinem ex aquæ marinæ aspersione contraxisse ignoro? *Nucleus.*

CARIOPHYLLOS REDOLENS FRVCTVS.

Cap. VIII.

Descriptio SCribit Garcias in opusculo suo de Aromatibus, Barbarissimam illam Gentem quæ Insulam D. Laurentii incolit, mercatoribus, qui eò interdum deuehuntur, fructum quendam ostendere, qui Caryophyllos redoleat, Auellanæ magnitudine cum suo putamine, aut eâ amplior, sed incomperti adhuc vsus. *Auellanæ magnit.*

MALABATHRVM ET FOLIVM INDVM OFFICINARVM.

Cap. IX.

Descriptio VOcant Officinæ Malabathrum & folium Indum ex India importari solitum, nonnunquam ramis suis inhærens, sæpè solum & auulsum. Sunt autem rami, vt ex cubitali specimine, quod habemus apparet, satis magni & mediocriter crassi, cortice fulnescente, aut nigricante aromatico, tecti; materie Fagina, ex quibus alii pronascuntur ramuli ex aduerso siti ita quoque & folia apposita sunt, notiora nostro Orbi, quàm rami, quæ magnitudine va- *Rami.* *Materies.* *Folia.*



riant: nam & aliquando dodrante longiora prostant, aliàs palmum longa, latitudine vnius aut duarum triúmve vnciarum. Forma Laurini folii, latiora tamen, & quædam rotúda ferè, cui & nitore nô cedût parte superiore, color.n. parte inferiore est cineraceus. Iam verò insignis est costarum nota, quas ternas semper habet, easque subtus quàm suprà magis extantes, mediam rectam, laterales pari ab ea interuallo abscedentes, sinuatas, à quibus hincinde & in margines venulæ transuersæ discurrunt. Sapor aromaticus. *Costæ.*

Cùm ad nos peruenit, colore est, inquit Cordus, virescenti, sapore glutinoso, tenui, aliquantùm subacri, aromatum modo iucundo, veluti si quis Piperis & Cinnamomi odores commisceat. Caryophylli folia differunt, quòd neruum seu costam tantùm habeat, non tres, vt nostrum Malabathrum. *Sapor.*

A prædictis folia diuersa pro Malobathro sic describit Cordus: Folium propemodum rotundum, & disci figura orbiculatum, trium ferè digitorum quoquouersus latitudine, colore in fusco & spadiceo cinereum, venosum, densum, Laurino crassius, lentum, flexile, & fractu contumax, nisi omninò aridum fuerit, gustu subacre, subamarum, tenue, per palatum se diffundens, orísque halitum odoris gratia diu commendans, odore acri, Nardi æmulum, & admodum aromaticum. *Malabathrum Cordi folio orbiculato.* *Sapor.*

Μαλάβαθρον, inquit Diosc. nonnulli Nardi Indicæ folium esse arbitrantur, odoris quadam cognatione decepti. [Sunt enim multa odore Nardo similia, veluti Phu, Asarum, Neris: νῆρις Græcè habent: aliqui legunt ἴρις, cuius tamen odor nobis Nardo non admodum similis videtur.] Secus autem se res habet. Etenim peculiare genus est, quod in paludibus Indicis gignitur. Folium id est, quod Lentis palustris modo aquæ innatat, nulla fultum radice. Idipsum collectum statim Lino traiicitur, siccatúmque reconditur. Aiunt & aqua per æstiuos ardores exiccata, cremus, fomitibúsque aridis terram peruri: atque id nisi fiat, non ampliùs renasci. Laudatur recens & in nigrore quodam subalbidum, minimè fragile, integrum, nares odore feriens, illiúsque suauitate diutiùs implens, Nardo sapore simile, nullo salis gustu. [ναρδίζον ἢ τῇ γεύσει, μὴ ἁλμυρίζον: aliàs si Lacunę credimus, ναρδίζον ἢ ἐν τῇ γεύσει &c.] infirmum verò ac minutatim concisum, & vetustate cariosum expirans halitum, vitiosum est. *Malabathrum.* *Nardum Indicum.* *Delectum.* *Diosc. illustr.*

Sic verò Plinius: Dat. & Malobathrum Syria, arborem folio conuoluto, arido colore [colore aridi folii. C H] ex quo exprimitur [paratur D. quę lectio & nobis placet.] oleum ad vnguenta, fertiliore eiusdem Ægypto. Laudatius tamen ex India venit. In paludibus id gigni tradunt, Lentis modo, [Lenticulæ palustris modo aquis innatare. D.] odoratius Croco, nigricans, scabrúmque, quodam salis gustu. Minùs probatur candidum. Celerrimè situm in vetustate sentit. Sapor eius Nardo similis esse debet sub lingua. Odor verò in vino suffertuefacti antecedit alios. In pretio quidem prodigio simile est, à singulis ad ccc. peruenire libras: Oleum [Folium M. & C H.] autem ipsum in libras LX. [LXX. M. XIX. C H.] *Malabathrum.* *Plin. corr. & illustr.* *Pretium.*

Ita vides Plin. à Diosc. non parum variare circa Malobathri historiam, vt valdè vereamur ne ipsemet cum plerisque Veterum ignorarit, quid verè sit Malobathrum. Sed vt cum Diosc. conueniat Plin. de palustri Malobathro, pro iis verbis, [quodam salis gustu. Minùs probatur candidum. Celerrimè situm &c.] ita legendum censent: Quod salis gustu, minùs probatur: candidum celerrimè *Plin. corr.*

lentimè fitum &c: Alioqui Plin. minùs probaret candidum, laudatiùsque censeret, quod est quodam falis gustu, contra Dioscor.

Malobathrum tria. Tembul. Hermolaus. Quod si vera scripsit Plin. gemina Malobathri conditio: alterum palustre, alterum ex arbore: posteritas fortè nec primum nec secundum, sed tertiũ Malobat. genus nouit, vel doctissimi Hermol. iudicio, appellatum à Mauritanis *Tembul*, cuius surculi [inquit] cum folio, quale Arbuti siue Lauri est: Pollicares plerumque ad nos feruntur, & fructus quoque Laurinis baccis simillimus. Omnia tria Folii appellatione significari consueuerunt, sed priora duo maximè.

Vidisse se tamen iactat Corn. Materiarios, vt nunc vocant, qui etiam priora illa duo genera ostenderent, & pro vero Malabathro venderent: quibus, inquit, si quis omninò fidem deneget, tum in his, tum in aliis, quæ ex longa experientia pro genuinis agnita nobis aduexerunt, quo tandem tota medica materia deueniet? Sed nimirum egregium illum Herbarium, si Diis placet, ac potiùs omnis propemodum naturæ Botanicæ imperitissimum, in cæteris alioqui doctissimum, decuisset, duo illa Malabathri officinarum priora genera [vt illorum relatione fretus, confidenter vocat,] describere, & ipsum priùs ex diligenti inspectione discere in quo differant, tum inter se, tum à *Tembul* Mauris dicto, vt doceret alios, quâ forma, colore, sapore &c: deprehenderit. Iam non institoribus, sed ipsiusmet negligentiæ denegabimus fidem: quanquam non videamus, quomodo post tot secula Materiarii scire queant, quænam sint legitima Veterum Malabathri genera, quos nemo nescit, ditandi potiùs quàm discendi aucupio inhiare, quæque adeò à peritissimis & sagacissimis tam medicis, quàm Herbariis pro incompertis, aut saltem pro non probè compertis habentur, vti patebit in progressu. Deneganda vtique fides non tãtùm ἀγύρταις Materiariis, sed vtique omnibus qui sine ratione, sine experimento certò aliquid proferunt, maximè de iis quæ ad salutem hominum pertinent. Eat nunc Corn. & omnium, quot in Mundo sunt, nobilissimæ artis materiam vel considerationis subiectum [subiectum enim reductionis homo est] ab idiotis, earúmque vel temeraria, vel falsa & inscia, vel denique decipiente & sophistica relatione addiscat, vt sibi materiæ medicæ cognitionem acquirat, non interim consideratis Veterum de ea traditis notis, cæterísque quæ propria industria considerari ab industrio medico possunt & debent. Nam reuera in talibus vel ipsomet fatente, Hippocraticum illud requiritur, μηδὲν εἰκῇ, μηδὲν ὑπερορᾶν: vt nihil temerè approbemus, neque rursus contemnamus: sed Veterũ descriptiones diligenter examinemus, adhibitis non tantùm auribus, quid vel hi, vel nostri dicant institores, sed & oculis, naribus, ac ipso adeò gustu, cùm sæpè contingat ex vna aut altera nota non penitùs respondente, rem, aut conceptam relationem opinionémue totam subuerti: *quod semel & in plenum hoc loco dixisse conueniat.*

Corn. not. Medicinæ subiectum duplex est. Quomodo materia medica addiscenda.

Aetius eundem Malabathri delectum habet cum Diosc.

Synonyma Linguar. Dicitur autem Græcis μαλάβαθρον vel μαλόβαθρον cum Arrian. quod etiam vocatur μαλάβαθρου φύλλον, & simpliciter φύλλον, καὶ ἰνδικὸν φύλλον. Nec φύλλον σκύλματος aliud esse videtur apud Aëtium, quàm Malabathrum siue Malobathrum Plinio, quod & Folium tantùm nominatur & *folium Indicum*. Cæterùm cùm apud ipsum Aetium φύλλον simpliciter dicatur, cur folium Scylmatis vocitet, fatemur nos ignorare. Neque vox σκύλματος aliunde hactenus nobis nota, nisi ex Epigrammate vbi legitur, σκύλματος κόμης, Laniatus comæ. Sed quid laniatus ad Malabathrum? Cogitent peritiores. Est & foliatum vnguentum apud Plin. ex hoc ipso folio confectum. Et foliatum vnguentum Plautus videtur in Curcul. vocasse Petalion.

Folium Scylmatis. Malabat. Malobat. Folium.

Tu Stacte, tu Cinnamomum, tu Rosa es, tu Crocum, tu Casia es, tu Petalium.

Petalion. A voce Græca πέταλον, id est, folium. Quo nomine etiam Iurisconsultus Malabathrum appellauit, ff. de his quæ debent Imperatori vectigal.

Phyllon. Sic & Paul. Aegin. lib. 4. cap. 48. dum φύλλου μαλαβάθρου σφαιρία β. id est, folii Malabathri pilulas duas in medicamentum quoddam recipere iubet, nihil aliud quàm folium ipsum in pilam & globulum conuolutum intelligere videtur.

In quem eundem sensum Const. Cæs. lib. 6. cap. 6. φύλλου μαλαβάθρου σφαιρία ε. id est, folii Malabathri pilulas quinque in picationem quandam recipit. Et lib. 7. cap. 13. in quandam vini conditurain, φύλλου simpliciter σφαιρίον ἕν, id est, folii pilulam vnam assumit, quum in præcedentem conditurain adhuc minùs, nempe φύλλου τριώβολον. id est, folii trientem recipere iussisset.

Quomodo globuli en Malabathro fiunt. Locus. Quod autem locis citatis τὸ σφαιρίον ipsum foliũ in globum conuolutum significet, vel Plinii quoque lecto lib. 12. cap. 26. satis apertè insinuat, quãdo Malabathron arborem folio conuoluto dixit. Cui rei Folii Indi historia, quæ ab Arriano, circa finem Peripl. maris Erythræi describitur, perbellè respondet. Is enim illa folia tradit à Sesatis populis, qui finitimi sunt Cirrhadibus (apud quos etiam præstantissimum nascitur Malabathrum, teste Ptolemæo) circa ciuitatem Thinam afferri, ac dum in vicinia populabundi vagantur, stramentorum loco substerni, tandémque postquam remigrarunt, ab ipsis Thinæ incolis auidè conquiri, & in globulos conuolui atque complicari, calamorúmq; villis consui. Sed hinc tria genera effici. E maioribus enim foliis, quod ἁδρόσφαιρον Malabathrum dicitur: è mediocribus, μεσόσφαιρον: è minimis, μικρόσφαιρον. Quæ sic compacta & consuta in Indiam deportantur, & magno venduntur. Notandum obiter hoc loco mendosè ac ineptè in apologia Paul. Hessi pro Guilandino aduersus Matthiol. legi ἁδρόσφαιρον, μεσόσφαιρον & μικρόσφαιρον. Atque hinc fortassis prædicti Autores Malabathri pilulas, Plin. verò Malabathrum folio conuoluto dixisse videri potest: quanquam ille totidem, quot Arrianus genera, iisdémque nomenclationibus nuncupata, non Malabathro Syriaco, quod Folio simpliciter vocitato reddidit.

Malabathri tria genera Arriano. Hadrosphærum. Plin. ill. Folium Barbaricum.

Plin. not. Quia verò Nardinum vnguentum etiam parabatur cum Malabathri folio, vt docet Diosc. hinc fortè factum vt Plin. deceptus, ipsum Nardinum etiam foliatum vocitarit lib. 13. cap. 1. Galenus tamẽ spicatum à foliato accuratè distinxit lib. 1. cap. 5. κατὰ γένος. Quæ fusiùs explicare placuit, quia in his labuntur vel doctissimi, vt ille, tamen insigniter eruditus, interpres Theophrasti de Odoribus, vbi ait in Scholiis, Nardinum vnguentum Theophr. non è folio paratur, &c: vbi quid folium, quid nardus, vel quid foliatum aut spicatum, vel Const. quoque iudice, ignorasse videtur.

Interpres Theophr. de odor. not.

Plutarch. locus correctus. Malobathrinum vng. Plutarchus quoque in libello, cui titulus est, quod bruta ratione vtuntur, φύλλον simpliciter vocat, odoramentis aliis coniungens, simúlque numerans & folium. Malabathrum s. hoc. Quæ vox, à Marcello ex antiquo & probatioris fidei Græco codice instaurata illic est, vbi legitur: Ab hac appellatione Malobathrinum vnguentum, foliatum

Digitized by Google

Martiali & plerisque aliis ex Græcis & Latinis Scriptoribus dictum est: & ob odoris similitudinem, idem Nardino est creditum aliquando.

Nardinū ung. *Sedig.* *Sadegi.*

Apud Serapion. legimus *Sedig*, id est Malabathrum, Diosc. est herba quæ nascitur in India. Apud Auic. Folium Indum est *Sadegi* & Malabathrum. Folia & rami sunt *Sabesesfram* [Garc. *Satsifram*] similes: flos frangibilis, [Dioscor. floris nullius meminit:] prouenit in Indiæ paludibus, innatat aquæ Lenticulæ aquaticæ modo, & radici non appensum: ibidem ligant filo & exiccant. Quidam existimarunt esse folia Nereidis [Nardi Indicæ propter virium similitudinem: Garc. Golfam legit, quam vocem Clus. Nymphæam reddidit.] Arabes secundum quosdam etiam vocant *Tembul*, à quo differre postea dicetur.

Tembul.

Bethrum, Bathrum. Etymon.

Indi verò, apud quos prouenit in regione Malabar, dicunt *Bethrum* vel *Bathrum*, vnde composita à Græcis videtur dictio *Malabathrum*: hodiéque apud Indos, etiamnum teste Garciâ, paucis immutatis folium *Tamalapatra* nuncupatur. Quam vocem, vt putat Garcias, Græci & Latini imitantes corruptè *Malabathrum* nuncuparunt.

Malabathrū vnde. *Cadegi Indi.*

Arabes *Cadegi Indi*, id est, *Folium Indum*. dicunt: nec dicitur Folium per excellentiam, sed quoniam Auic. lib. 2. cap. 259. ita vocauit. Qui & folia *Saisifram* esse ait, quamuis in quibusdam Exempl. *Sabesefram* legatur.

Saisifram. Sabesefrā.

Ital. *Malabathro* & *Folio Indiano*. Hisp. Castil. Catal. *Folio Indi*. Gal. *feuille des Indes*. Lacuna ait Lusitanis *Betea y Beter*. Sed vel is vel hi falluntur, qui nomen *Betere* alteri folio tribuunt. German. Indianisch blatt. Quidam, qui tamen egregii Herbarii vulgò creduntur, temerè & nulla ratione solida, Negelbletter vocant, vt Euch. Rosslin, Lacuna & alii: ac temerario etiam magis ausu alii Caryophyllis adhærentia pingunt, vt Tabern.

Lacunæ not. *Quorundā Herbarior. temeritas.*

Rueli. not.

Ne fallaris, inquit Ruellius, [cui placet identidem Hermolai decocta ruminari, & pro suis venditare,] quod Officinæ *Folium* nominant *Indicum*, Cinnamomi non Malobathri dicunt esse comam: profectò id quidem sub lingua Cinnamomi refert saporem, folio Iuglandis, flauo, venisque tribus &c.

Cinnamomi folium.

Desiit, inquit Syluius, & *folium Syriacæ arboris* Plinio celebratum. In horum locum Mauri inuexerunt folium Laurino proximum, sed maius, & neruis tribus folium intercursantibus distinctum, odore iucundo: Primum illud *folium Indum* dicitur Serapioni: tamen Actuarius in Hedychroo magmate, φύλλον ἰνδικὸν & φύλλον μαλαβάθρου ceu diuersa miscet. Idem in Antibal. vult pro Malabathro sumendum folium illud vulgare Indi dictum, quam opinionem quoque sequitur Placotomus.

Succedan. Folium Indi.

Malabathrum, vt tradit Cordus, crediderunt multi Nardi Indicæ folium esse, verùm decepti & falsò, vt Dioscorid. cum ipsa experientia contrarium testantur. φύλλον Græci, Romani *folium* dixerunt, quoniam nihil aliud esset quàm folium.

Malabathrum non esse Nardi folium. Folium cur dictum.

Iam verò ampliùs non affertur, præterquamquod casu nonnunquam cum Nardo Indica affertur, quod descripsimus folio orbiculato. Eius in locum, Casiæ, Cinnamomi & Caryophylli folia substituta sunt, quæ pro Malobathro quidem in vsum recipere licet cuilibet: sed eadem *Malabathrum* siue *folium Indum* appellare, non perinde licere arbitramur.

Malabathri substituta.

Malabathrum vulgare. Cinnamomi folium non est.

Idem alibi scribit: folium quod hodie pro Malabathro in vsu est, & simpliciter *folium* magno errore vocatur, Cinnamomi folium à plerisque etiam Doctis creditur, sed malè: nam sine dubio à viliore & non adeò efficaci Casia producitur, quod pediculi eius sapor manifestè indicat, qui planè rubentem & glutinosi saporis Casiam refert, & nequaquam Cinnamomum. Nobis autem vti non certò constat, quid sit Malabathrum Veterum, ita etiam Cordi & vulgare Malabathrū non reiicimus. Atque vt Cinnamomi folium non esse & ipsi putamus, ita nec Casiæ rubentis esse iudicamus: Malabathri enim siue Folii Indi vulgaris cortex tenuissimus est, nec similis cum Casia rubente.

Casia rubens. *Cord. not.*

In Nauigationum Tomo primo ex Edit. tertia pinguntur folia Malabathri vulgaris seu folii Indi nomine *Betelle*, aut *Betre*: vbi scribitur *Betelle* Persis dici, & Arabibus *Tembul*, in Italia, *folia Canellæ*: sed perperàm, nostro quidem iudicio: vti in eodem Nauig. libro *Betellè* & *Tembul* planta, arbores scandens eadem existimatur ab Odoardo Barbossa cum folio Indo vulgò vocato. De *Betre* plura videant Lectores c. seq.

Betelle. Betre. *Tembul.*

Malabathro, infit Scal. non subest radix, si vera Græci fabulantur. Et alibi apertiùs. Sine radicibus quædam, vt Lenticula aquæ. Nihil ei præter folia. Nam de Malabathro Veteres somniarunt. Qui enim omnes Arabias, ac Vniuersas Indias penetramus hodie, nusquam folium illud mirabile compertum habemus. Et iterum alibi. Folii *betel* facies & magnitudo, quæ & quanta Citrio: multis neruis, ac venis quasi striatur. An sit hoc, quo vtimur, *folium*, cùm de facie, tum ex effectione deprehendi potest. Mansum enim iis, quæ suo loco dicta sunt, indiciis sese prodet. An verò sit hoc Malobathrum Antiquorum? Ad hoc non respondebo. Quia mendaces Græci *folium Indum* in aqua natare palustri, sine radice, prodidère. Cuiusmodi toto Indiæ Orbe nullum compertum est.

Folium.

Fuchsius lib. 1. de Comp. Med. quatuor folii differentias proponit. 1. à Diosc. pictum, folium Indum Græcis dictum à quo Vnguentum foliatum, à Nic. Myrepso descriptum. 2. Malabathrum, folium arboris cuiusdam Plinio, ac vtrumque folium hodie adferri desiisse. 3. Esse præterea aliud cuiusdam plantæ folium, Nucis Iuglandis folio simile, in Malabar Indiæ regione natum, quod incolæ Batrum nominent. Hoc cerebrum & stomachum roborare, cor exhilarare, venerem incitare, & halitum oris commendare: itidémque Indiæ incolis *folium* appellari. 4. In horum locum Arabes quartum inuexisse *folium*, Laurino proximum, sapore Cinnamomi iucundo. Vnde quibusdam Cinnamomi folium putatum: at Officinis, vt Mauritanis, simpliciter *folium* dici. Et rursus postea: raro hodie Cinnamomum affertur. Nam quo Cinnamomi nomine, vtuntur Seplasiæ, magna ex parte Cassia est. Cæterùm arboris huius folia Nucis Iuglandis foliis similia sunt, quæ in Officinis falsò pro Malabathro venduntur. *Hæc ille*. Cuius quatuor species, si verum fateri licet, nec intelligimus ipsi, nec ipsummet vel nouisse, vel etiam, quid scriberet intellexisse, putamus. Suspicamur enim eum his idem tradere. Folium Barbaricum & Malabathrum res esse diuersas, inquit Anguill. vt dicam, facit authoritas Digestorum tit. de publican. & vectig. lib. 39. in Pandectis Florent. Videtur etiam Gal. facere duas compositiones: vni nomen *Foliatum*: alteri *Malabathrinum*. Apud Nic. Myreps. in pluribus compositionibus præscribuntur Folium & Malabathrum. Apud Auicen. in quodam medicamento lib. de vi-rib. Cord. manifestum discrimen apparet. Malabathrum non cognosco. De folio Barbatico & folio simpli-

Quatuor species Fuchs. *Batrum.* *Folium.* *Fuchs. not.* *Foliatum. Malabathrinum.* *Folium Barbaricum. Folium.*

Duo genera Anguil. simpliciter dicto historiam narrabo, quam aliorũ iudicio subiiciam. Reperiuntur duo Foliorum genera, quæ incolæ solent tenere in ore, & masticare boni halitus ergo: Vnum prouenit in India: alterum in Persia. Indicum in India dicitur *Betel*: *Betel.* Persicum, à Persis *Tembul*. Fertur *Betel* prouenire in Malabari locis potiùs humidis quàm siccis: ex eo parantur Pergulæ: cuius folia Indi in ore tenent & masticant, vt concilient oris gratum odorem. Hoc multis in Italiæ locis vtuntur pro Folio *Tembul.* Indo: reperitur & cum ramis Venetiis. Tembul, vt testatus est Eccell. Michaël de Muti, arbor. est similis Piperi nigro, foliis Tiliæ &c. Posset affirmari hæc duo foliorum genera esse duo Folia à *Anguil. lapsus.* nobis dicta: aliorum tamen indicio relinquo. Nobis sanè non placet Anguil. recitata Foliorum historia, dubiorum sanè plena, quæ omnia hîc explicare non est locus. In eo autem nobis potissimùm lapsus videtur, quòd *Betel* cum folio Indo vulgari confundit. Si *Tembul* est foliis Tiliæ, cur Folii speciem faciat, non videmus. Consule caput de *Betre* siue *Betele*.

Cassia vel Cinnamomi folia. Caryophyllifolia. Audiamus Matthiolum. Malabathrum, quod plerique *folium Indicum* vocant, ait ille, qui hac ætate viderit, habeo neminem. Non desunt, qui Indici folii loco Casiæ odoratæ vel Cinnamomi folia suppeditent, quæ esse Caryophylli existimat Brassauolus. Nonnulli præterea quædam arborum folia ex Alexandria aduecta, quæ Lauri vel Arbuti frondes referunt, in Malabathri vsum vẽditant. *Hermol. Ruell. & Brassauol. not.* Hæc Hermol. Ruell. paritérque Brassauolus eos secutus, nulla autoritate, quod sciam, Nigritarum *Tembul* esse arbitrantur: verùm cùm adhuc eorum, qui *Tembuli* historiam & notas scribant, inuenerim neminem, quamuis de eo Auicen. breuiter scripserit: iccircò illa potiùs asseram arborum folia esse penitùs ignota, quàm illorum sequar opinionem. Nullo itaque modo hæc ad vsum veniunt admittenda. Nam cùm eorum facultates nos lateant, non est, cur ea comprobare valeamus. *Plin. not.* Plinius præter Diosc. sententiam præstantius Malabathrum dixit, quod falsum est [Plinii lectionem mutatam antea dedimus.] *Vnum Folium Antiquis.* Vnum tantùm fuit *Folium* apud Antiquos. Vnguentum Malabathrinum apud Galẽ. non differt à Foliato, quòd Folium & Malabathrum diuersa sint medicamenta, sed quòd diuersa fuerit parandi eiusmodi vnguenta ratio. Non negauerim trium *Folia Iurisconsul. tria. Pentasphærum. Iurisconsult. locus quo de materia medica tractat mendis scatet.* Foliorum à Iurisconsultis fieri mentionem, nempe Malabathrini, Barbarici, & Pentasphæri. Atqui ille titulus Digestorum pluribus scatet mendis. Pẽtasphæri nullus Antiquorum meminit. Et agmẽ istud errorum [Nam Cassamum, ita ibi legitur, Turiana, Aroma Indicum, Alchelusia, Sargogalla, Omerabicum, Carpasum, opus Bussicum, ferrum Indicum, Folium pentasphærum, barbara, mehercle, & magna ex parte inaudita vocabula, quorũque explicationem ne ex Tripodo quidem haurias, & alia nonnulla quæ ibi deprauatè leguntur, *Digest. voces restitutæ.* Et legi debebãt, Cancamum, Thymiama, Ammoniacum, Agallochum, Sarcocolla, Gummi Arabicum, Carpesium, opus Byssinum, Ebenum Indicum.] Satis superque arguit, nihil solidi, veri que, de Folio Pentasphæro ibi haberi: quin etiam nec fortasse de Barbarico de quibus nihil apud Theophrast. Dioscor. Gal. Plinium posteritatis memoriæ traditum est. Quapropter non pentasphærum legi debere censeo, sed potiùs Hadrosphærum, aut Mesosphærum, aut Microsphærum. Nam trium horum, vt ex præcedentibus liquet, & Plin. & Arrianus meminit, non quòd specie aut genere differant, sed amplitudine tantùm, vt ex ipsis eorũ verbis patet non obscurè. Existimandum itaque censet Matthiol. Pentasphærum non esse per se genus, sed ita deprauatè legi in Iurisconsultorum Digestis: existimatque vnicum tantùm esse Folium nempe Malabathrum: Et Syriacum Plinii Malabathrum potiùs fabulosum esse, quàm verum. *Syriacum Plinii fabulosum.*

Errant præterea (addit idem) Recentiorum nonnulli, in censendo *Tembul* [nam quidam & *Tembul.* hoc quoque Folii genus faciunt, vt dictum.] quòd putant hoc differre ab Indorum Betel. *Betel.* Nihil enim inter se differunt. Siquidem, quod Indi *Betel* vocant, Arabes & Persæ *Tembul* & *Tember* appellant. *Tember.* Id illi continuè mandunt, quòd putent, secundæ valetudini multùm conferre, corporibus vires addere, Venerem augere, Cor & cerebrum roborare. Vbi autem copiosiùs edatur, mentem mouere. *Indorum Tarnasari mulieres mos.* Iccirco mulieres Tarnasari in dele... maritu rogum seipsas iniecturæ, tantum illius vorant vt amentes efficiantur. Id aqua aspergunt, qua soluta sit calx e conchis parata, ac tum demum vescuntur eo. Sed hæc perperàm trãscripsit notus quidam rei herbariæ indagator, [Anguillara] quippe qui hæc folia calce vel cinere circumuoluta ab *Anguil. not. Betel quid.* Indis deuorari scribit: sed tam suaue obsonium nobis non vendet. Est *Betel* folium, plantæ quę Hederæ Smilacísue modò arbores scandit, neque per se consistere potest absque pedamento. Floret nunquam, nunquam fructum profert: foliis est hæc planta Citrio æmulis, neruis quibusdam secundum longitudinem discurrentibus, vt in Plantagine. Hæc Alexandria Aegypti ad nos pluribus antè annis comportatur. Nec desunt, qui loco Malabathri iis vtantur. Sed videant illi an rectè: mihi verò (infit Matth.) Malabathri vicem nunquam præstabunt.

Atqui, mehercle, ipse etiam Matthiol. parum sibi constat in tradendo vulgari Malabathro, siue folio Indico, & pleraque in postremis comment. omittit, quasi priùs præter veritatem scripsisset: olim quippe ipsi duplicia Folia aduehebantur pro folio Indico, nempe alia, quæ folia Cinnamomi dicit, alia ex Alexandria folio Lauri vel Arbuti: quæ nunc nescio an doctior factus an cautior, folio plantaginis comparat. Enimuero sanè valdè veremur versutum illum plantarum *Metaplasten* *Matt. plãtarum Metaplastes.* [vt ita dicamus] de plantis sibi ignotis commentatum. Nec obscurè suam vel in eo prodit ignorantiam, quòd cum Malabathro siue Folio Indico vulgari, arbore, plantam scandentem *Betre* vel *Betele* plurimis Neotericis dictam [de qua suo loco] confundit. Is præterea in postremis Comm. & Epitome, ni multùm fallimur Caryoph. iconi appingit Folia Indica vulgaria, quasi eorundem essent Folia, id quod iam c. de Caryophyllis monuimus. In Hist. Germ. dicit è Lusitania sibi aduecta, quod antè siluerat, nunc fortè de nouo excogitauit. Sed nimis profectò crassa, & vel lusco animaduertenda illa contradictio, quæ in vltima eius editione, Illustrata per Casp. Bauhin. vno eodemque capite, nec ita multis interiectis lineis legitur in hunc modum: scribit Arrianus antiquissimus auctor, se magnam Malabathri copiã *Contradictio crassa in vlt. edit. Matt.* reperisse in quibusdam Rubri maris insulis, quarum oras & littora legebat. Et post.. ait falsissimum extare apud Arrianum se reperisse Malabathri copiam. Quam contradictionem in illum vel Typographicos Lectores adeò oscitanter præteriisse, quàm vel tyro quisquam simplici lectione deprehendisset, & vel ipsi Matthiolo, vel eius editionem collatoribus ac interpolatoribus securæ *Interpolatores Matthiol. not.* hunc inconsiderantiæ næuum inussisset. Quid sibi volunt tales Scriptores posthac à nobis credi?

Ipse profectò Guiland. quoque in suo Theone clamitat lapsum Matthiolum in Malabathro, & Folio, hæcque medicamenta duo in vnum ab ipso confusa, quæ Apitio, Martiano Iurisconsulto, Galeno & Plinio latè distinguuntur. Paulus item Hessus in Defens. pro Guiland. vbi triplex Malabathrum facit, Indicum, Syriacum & Folium, tam imm ab illo statuit, vt Plin. Malabathrum Syriacum idem esse cum Folio senserit, vt tria etiam huius generis fecisse eum putet, quæ omnia toto cœlo ab vtroque Malabathro discrepent. Sed si liceat verum fateri, nondum comperimus, quod putat Hessus, per Guilandinum probatum, Malabathrum Indicum, Syriacum, & Folium, esse tria. Dioscor. enim historia Malabathri nascentis in India sine radice, falsa esse videtur, vt antè dictum, nec id memorat Plin. quamuis cum Diosc. dicat in paludibus gigni Lentis palustris modo: nec quicquam tale percipimus ex Neotericorum Indicis nauigationibus de planta in India nascente. Authoritas Iurisconsulti, cùm non fuerit Medicus aut Herbarius, nec discrimina docuerit, parui facienda, nec maioris, quàm quanti fieret ab ipso Medici iudicium in explicandis legibus, quo tamen in multis ex necessitate egent. Cætera argumenta ab vnguentorum diuersis denominationibus desumpta parui momenti existimamus, & iam supra sparsim magna ex parte explicata sunt. Cæterùm non propterea asserimus vulgare Folium Indum esse Malabathrum Veterum: [quis enim in re tam ancipiti & lubrica, & in tam obscura Authorum narrationis obscuritate ferat iudicium?] hoc tantùm monitum volumus, in nostro *folio Indo* eiúsque partibus quædam esse, quæ respondere videntur Cinnamomo Veterum, vt apparebit consideranti quæ scripta sunt ex eis cap. de Casia & Cinnamomo.

Triplex Malabathrum. *Hessus & Guiland.* *Diosc. historia de Indico Malabathro falsa.* *Nulla Iurisconsulti authoritas in arte medica.* *Folium nostrum Indū in multis cum Veterum Cinnamomo conuenit.*

Quæ fortè animum adiecerunt Amato, vt tam confidenter scriberet, certum se esse, Folium quoddam Officinis hodie pro Malabathro receptum non *Betrum* esse à nobis descriptum, sed potiùs Cinnamomi folium, vt Officinarum Seplasiarii quoque fatentur. Immò manifestiùs alibi Cinnamomum ex Zeilam appellat: foliáque quibus vestitur esse Iuglandis, quæ in Officinis pro Malabathro, falsò tamen vendantur. Sed interim in hac sua securitate ipsi metuẽdum fuerat, ne *Canellam* siue Cinnamomum nunc vulgò dictum, cum folio Indo Officinarum confunderet.

Folium. *Betrum. Cinnamomi folium. Cinnamomum ex Zeilam.*

Lacuna quoque, Pharmacopœi [inquit] non cognoscunt Malabathrum: eius loco quidam assumunt Cassiæ odoratæ folia, quæ est Canella: alii alterius, valdéque aromaticæ arboris, quæ adfertur ex Alexandria, & existimata *Tembul* Arabum. Nos autem suspicamur Lacunam nesciuisse quid scriberet.

Cassia odoratæ folia. *Lacuna error.*

Manardus se vix vnicum folium Malabathri vidisse affirmat, in eo sanè felicior nobis, qui nullum vidimus aut nouimus, quod tam audacter Veterum Malabathrum dicere ausimus: quod vnicum etiam ab eo visum vix Veterum genuinum fuisse putamus.

Pena & Lob. in Aduers. titulo tenus, & maiusculis quidem literis, ceu edicto Regio promulgant. NOSTRATE FOLIVM MALABATHRVM est. Adduntque tamen mox: Nihil lubet aut licet asserere de Malabathro Antiquorum. Diosc. prodidit sine radice innatare paludibus, cùm tamen nullo vspiam angulo totius Indiæ illius, quæ nostræ ætati multò notior est, quàm illis fuerit sua Græcia, comparuit hactenus istud folium, quod nec expressit fatis Dioscor. Vnde gemina hæsitandi occasio: primùm notúmne habuerit: deinde quî possit fieri, vllum vt sit folium, non modò sine caulis adminiculo, sed etiam sine radice, id est, sine ore. Quid si ortus & natales aliquantùm deprauatè tradantur? Quare id sanè fuerit istud nostrate Malabathrum, tamdiu Arabibus cognitum, & hodie Italis Medicis vsu receptum, non modò quia in Malabar Indiæ regione cognomine oritur, sed etiam quò [propter eximias vires plus proportionis habet cum plantis aquaticis, quàm illa folia Cinnamomi aut Caryophylli, quibus folium Laurinum ferè est. Fibræ verò secundum dorsi longitudinem ductæ, cuiusmodi Potamogetoni, qui propter figuræ & natalitiam similitudinem, nonnullis ineptè Folium putabatur. Nobis secus, cùm huius folia apud Anguillaram & alios non multis abhinc annis vidissemus, quibus adhuc hærebant lignei pedicelli: & quasi surculi è ramis effracti, [quin potiùs integros ramos meminimus.] Cinnamomi autem folio & Garyophyllis facies fermè eadem, nitidus læuor, aromaticus, suauiss. odor. Temperamentum, crasis, modus & vsus non ita disparia sunt, & halitum commendant omnia, vt Diosc. Malabathro attribuit. Verùm quid intelligant Pena & Lob. per folia Cinnamomi aut Caryophylli, ingenuè fatemur nos nescire. Olim Folium Indum existimabatur Cinnamomi aut Caryophylli: nec existimamus illud Folium quod Lobel. ex Clus. depingit fuisse vulgare aut in Officinis demonstratum pro Cinnam. folio: nam eius descriptionem à nullo traditam hactenus nouimus, ac ne ab ipso Clusio quidem, qui pingit.

Nostrate folium esse Malabathrum. *Diosc. not.* *Malabathrum nostrate.* *Cinnamomi aut Caryophylli folia.* *Potamogeton ineptè putabatur folium.*

Quinque tradit Benedictus Malabathra, statuítque, *folium Indum* vulgare, de quo hoc agimus capite, diuersum à Malabathris Veterum: Præterea [quod planè displicet] separat Malabathrum tertium ab Hermolao traditum à Pharmacopolarum folio, licèt non sit diuersum, isque nostro iudicio sub nomine Bathri, confundere videtur cum folio Indo vulgari plantam dictam *Betre* siue *Betele*, vt postea pleniùs dicetur.

Bened. notatur.

Cæsalp. refert, allatos quondam ex Oriente surculos quosdam, cum foliis Laurinis & baccis, quod Folium Indum vocabant, quasi esset Malabathrum Diosc. Quosdam putasse esse Casiæ aut Cinnamomi folia aut Caryophylli: alios rectiùs putasse esse *Tembul* apud Auic. de quo inquit, frigidum est in primo gradu &c. hócque [addit] videtur intellexisse Plin. Malabathri ex Syria nomine. Non esse autem hoc illud genus folii, quod Indi *Betellas* vocant. Atque quod surculos ex Oriente allatos attinet, fides penès ipsum esto. Non enim de ignotis iudicamus. Videat verò Lector cap. de *Betre*, vbi docebimus Cæsalpinum non bene distinxisse *folium Indum* vulgare à *Betelle* seu *Betre*, sed potiùs cum eo confundere.

Cæsalp. not.

C. Bauh. apud Matth. triplex facit Malabathrũ 1. Diosc. quod apud Plin. secundum dicit. 2. quod Plin. primum ait. 3. Officinarum quibusdam Folium Caryophyllorum: aliis Cassiæ folium, aliis Canellæ, Trago Malabathrum: Casia aromatica Cordo: Folium Indianum Acostæ: Folium Offic. Lobel. Fructus vocati Tembul, Fructus Canellæ nomine ad nos ex Italia missi. Non malè factum à C. Bauh. nostro iudicio, quod iconem ex Clusio apposuit Matthioli historiæ: sed bene interim quoque fecisset, si monuisset incautos studiosos à se etiam positam iconem horum foliorum pro Caryophyllis in falsa icone Tabern.

C. Bauh.

Prætereà illud quoque notandum studiosis, cap. de Cinnamomo ex eodem Tab. arboris folii Indi

Indi vulg. baculos duos, vel lignum malè posuisse sub titulo Cinnamomi, sub quo etiam duos cortices Cinnamomi offic. siue vulgaris pinxit, & folium, quod Clusio Cinnam.

Malabathro. Sed vt tandem intricatam hanc Folii seu Malabathri inuestigationem concludamus: Malabathrum neque Indicæ Nardi folium est, vt verè monet Dioscorid. Neque id folii genus, quod Arab. *Betre*, Persis *Tembul* appellatur. Diligentissimus Garcias multò minùs Canellæ aut Caryophylli folium esse censet: sed sui generis Folium, non quidem in Syria aut Aegypto, vti voluit Plin. sed in India ex arbore procera decerptum, hodiéque, vti dictum, etiamnum *Tamalapatra* dictum. *Diosc. multiplex error, eorumque qui ipsum secuti sunt.* Non innatat aquis, vt scripsit Dioscor. & hunc secutus Plin. Decepti quoque fuerunt Serap. & Avic. qui eiusdem historiam ex Græcis mutuati sunt: qui cùm Malabathrum non norint: ex eorum scriptis aliis innotescere non potuit. *Collectio.* Non colligitur, inquit Garcias, vt Dioscor. perhibet: sed collecta in fasciculos colligantur, atque ita væneunt. Dilutiore viridi colore nitent, non ex candido nigricant. *Plin. error.* Plin. in Syria & Aegypto nasci scribit: Medici Memphitici, Damasceni & Alepitini negarunt omnes. Non est tam validi odoris, vt Crocus, nec saporis Nardi, vt scripsit Plin. *Folia non sunt Caryophyllorum.* neque tam validi odoris atque spica Nardi, sed suauioris. Falluntur qui Caryophyllorum foliū esse asserunt. *Locus. Folia Canella.* Scribit Franciscanus quidam in Aethiopia gigni, sibique datum cum inscriptione foliorum Canellæ. Verùm in Aethiopia nullæ sunt Canellę arbores, neque Folium. Addit Clus. ad Garciam: Folium Indum, quale hic autor describit, ad nos etiamnum adfertur: legitimum coniicio ex Garciæ descriptione: differt à Caryophyllorum folio &c.

Delectus Cæterùm quod Folii Indi, quod in officinis habetur delectum attinet, deligendum recens, densius, crassius, maius atque integrum, quodque non facilè in partes minutas frangitur, quod tam gustu quàm odore proximè ad Cassiam accedit, vt vult Cordus. Fragmēta verò & friatorum puluerē medicamentis ne commisceas. Sed Sylvius inter bonitatis notas postulat, vt ad albedinem declinet, quam ex Dioscor. desumpsisse videtur.

Succedanea. Thalisfar. Macer. De succedaneis quoque solliciti fuerunt Medici. Nam eo deficiente, idem pondus *Thalisfar* substituunt, ex Auic. præscripto: quod quid sibi velit, Garcias fatetur se planè ignorare. Clusius Macerem intelligit. Nec opus erat, inquit idem, ἀντιβαλλομένων, si diligentiores essent pharmacopolæ & medici Lusitani: siquidem tanta eius Copia hinc exportari poterat, quæ vniuersæ Europæ sufficeret. *Canella folia. Spica Nardi.* Eius autem penuria Canellæ foliis vtatur, si ea nancisceretur: sin minùs, Spica Nardi, non autem Maci, vt voluerunt nonnulli. Vbi opus est Malabathro, & illud abfuerit, Gal. Cassiam odoratam, vel Nardum Indicam supponendam vult.

Vires & Vsus. Vrinas cit. Malabathrum Dioscoridi easdem cum Nardo vires sortitur, sed illud efficaciùs omnia præstat: attamen Malabathrum & vrinas ciendi maiore vi pollet, & stomacho conuenientius est. *Stomachus. Oculorum inflam. Oris halitus. Aduersus tineas.* Oculorum inflammationibus in vino feruefactum tritúmque ac illitum apprimè confert. Subditur & linguæ ad commendandum oris halitum. Quin vestibus etiam vtiliter interponitur: eas siquidem & à tineis defendit, & odore non inelegante tuetur. Ex eo olim pretiosissima fiebant vnguenta, de quo specialiùs idem tradit eadem habere quæ Nardinum spissamenta, Myrrhæ autem plusculùm addi: qua de causa calfacit, Crocino aut amaracino viribus respondens. *Vnguentū Malabathrinum.* μαλαβάθρινον vocat. Apud eundem è Syriaca Nardo & Celtica Malabatroque *Vinum* paratur in hunc modum: singulorum minæ semissem in binos musti congios mittito, & post bimestre colato: Cyathum vnum cum tribus aquæ exhibeto. *Vinum Malabathrinum. Vini Vsus.* Bene facit hoc vinum nephriticis, ictericis, hepaticis, vrinæ difficultate laborantibus, decoloratis & stomachicis. *Alius modus.* Sunt qui Acori vnciam vnam aut alteram, & Celticæ Nardi vncias tres in musti amphoram adiiciunt. Plinio singuli succi nobilia vnguenta faciunt: Inprimis Malabathrum. *Oculorum epiphor. Somnum conciliat.* Ipsum folium oculorum epiphoris vino expressum vtilissimè imponitur. Item frontibus dormire volentibus: efficaciùs si ex aqua bibatur. Cætera de viribus ex Dioscor. eadem habet. Iam priùs ex Gal. diximus Foliato vnguento olim Romę fœminas ditiores oblini solitas: & oleum exprimi ad vnguenta ex Plin. & quàm variis immisceatur compositionibus apud diuersos autores. Vnguenti celebrem apud Veteres fuisse vsum, vel ex Horat. patet ad Pompeium Varum sic canente.

Pompei meorum prime sodalium,
Cum quo morantem sæpe diem mero
Fregi, coronatus nitentes
Malabathro Syrio capillos.

Martial. Epigr. 11.

At mea me libram foliati poscit amica.

A quo Malobathratus eo vnguento delibutus. Quo vsus est Sidonius Apollinaris. In pretio quidem prodigio simile fuit (scribente Secundo) à singulis denariis ad trecentas peruenire libras: oleum autem ipsum in libras sexaginta. *Pretium.* Consule etiam quæ suprà ex Plinio de pretio tradita. Auic. Folium Indum calidum & siccum facit, in secundo gradu. Decoctum in aqua rosacea & tritum vtiliter imponitur apostematibus calidis, etiam oculorum, eodem autore. *Apostemata.*

CINNAMOMI NOMINE EXHIBITVM
Lignum: nobis Lignum Folii Indi
Officinarum.



Descriptio Habemus penès nos bacillos ligni Cinnamomi nomine exhibitos, palmo longiores, crassitudine plusquam pollicari, materie inter duram & mollem media, coloris cinericei, pectinibus rectis, cum micis exiguis trāsuersis, in rectū fissiles, medullā iunceam æquāte, duriore multo: ex ipso meditullio emergens forásque vergens callus nodosarum arborum sorte non esse eximēdam hanc arborem arguit. Sapor ligno nullus,

Odor. Sapor. odor in cortice tenui ambiente, cinericeo, rugosoque ad Cinnamomum aliquatenus accedit, in quo etiam sapor acriusculus, suauis, aromaticus, Cinnamomo haud absimilis, multò imbecillior: nec mirum, cùm tam ante annos triginta penès nos sit, nec bene ab iniuriis aëris tuti tecti e baccilli, & extra dubium sit, multos annos, partim apud alios, partim in itinere hæsisse.

Tales quoque fuisse videntur baccilli, de quibus Clusius: Cinnamomi, inquit, duos ramulos in Belgio vidi. Sunt ij recti, crassitudine pollicari, non enodes, sed nodis quibusdam siue ramulorum vestigiis palmum ab inuicem dissitis insigniti. *Cortex.* Cortex tenuis est, subcinerei quodammodo coloris, iucundi odoris, suauis gustus, sed qui sua acrimonia aliquantùm linguam vellicet. *Lignum.* Lignum certè inodorum est & insipidum, non minùs, quàm Salicis ramus, cui perquàm similis est. Retinet autem cortex suauem illam cùm odoris, tum saporis iucunditatem [tametsi totis quadraginta annis à sua matre reuulsi sint ramuli] atque eam etiam maiorem, quàm nostra canella, cuius folium Io. Placa Medicus in Hispania mihi dedit.

Nos præter Clusii iconem addimus & nostri bacilli non omnino teretis, sed per longitudinem fissi.

Cassia. Scribunt Pena & Lobel. se Cassiam ad Cinnamomum verum proximè accedentem vidisse in Offic. Guil Dries Pharmac. Antuerpiensis, multorum iudicio putatum surculum illum Cinnamomi, *Cinnamomum.* baccillo solido, fractu facili, Cinnamomæo cortice obtecto, cui etiamdum cuticella pullo colore obducta fuit. *Folium.* Folium verò seu pictum seu siccum, multis in locis videre est.

Hos idem Lob. in Hist. Belg. *Cassiam, Cancel/ Zymmetroerlin.* Gal. *canelle.* Hisp. & Ital. *canella* vocat. Item in Obser. & Icon. nomine Cassiæ proponit.

Lob Pena & Clus. examinatur. Sed dum pressiùs bacillos nostros cum Clus. & Lob. bacillis corticéque perpendimus, non possumus nobis persuadere, vel hos vel illos esse Cinnamomi vel canellæ vulgaris: id quod facilè discent, quibus eiusmodi ad manum fuerint: alios docebit cortex cinericeus, tenuis vnicus & simplex, nec alteri vel subiectus vel superiectus. Quin collata nostrorum bacillorum tam materie quàm cortice, magnam animaduertimus habere *Malabathrum Folium Offic.* affinitatem cum ramis Malabathri vulgaris: [quales foliis præditos reseruamus,] vt in eam ferè propendeamus sententiam, vt ad Folium Offic. seu vt volunt Malabathrum potiùs quàm canellam referendum hoc lignum putemus.

Folium canellæ. De folio Canellæ quod pingunt, non habemus quod dicamus, an sit Cinnamomi nec ne, quòd nemo id describat. Icon sanè diuersum à folio Indo Offic. demonstrat.

Cassia odorata. Matth. scribit, Cassiæ odoratæ frustulum cum cortice & ligno suo interiore sibi dono dedisse Ferdin. Archiducem Austriæ, ab integro ramulo abscissum, quem ipse reconditum habebat. Huius corticem colore quidem cinereo à nostro vulgari Cinnamomo dissidère, non tamen odore ac gustu: quandoquidem manifestum, id ipsum, quod vulgus Canellam vocat, ori planè repræsentaret. At lignum quod cortice contegitur, fragili constare materie: neque vllo prorsus odore saporéque commendari. Quare hinc facilè colligi posse, corticis tantùm eius vsum esse: atque etiam *Theoph. Cinnam.* Theophrastum non abs re memoriæ prodidisse, huius virgas in frusta secari, recentique bouis corio hæc consui, vt vermiculis, qui ex eo nascuntur, lignum illud inutile erodatur.

Cæterùm hoc quoque Matth. lignum idem putamus cum eo, quod à nobis descriptum, quódque Amato Cinnamomum dicitur, cuius verba postea tradentur: nam apertè dicit Cinnamomum esse cuius folia in Offic. pro Malabathro falsò credantur. Sed interim nescimus an facilè possit lignum tam tenui contectum cortice, sine iactura huius à vermiculis erodi, vt Matth. de suo ligno ex Theoph. persuadere conatur. *Matth. not.*

Nostro iudicio Tabern. in tabella seu icone à se proposita pro Cinnamomo, ligni, quod descripsimus bacillos duos pictos habet, quemadmodum & C. Bauh. apud Matth. ex Tabern.

CANELLÆ FRVCTVS QVIBVSDAM, NOBIS POTIVS FOLII INDI.

Fructus quos suprà in tabella iuxta Malabathrum depictos dedimus, glandium figuram ferè repræsentant. *Descriptio* Calyci quippe pullo & supernè cristato angulisque inæquali glandula immersa est rufescens & spadicea. Pediculo donatur crasso, lignoso, cupulæ concolori. Sapor Cinnamomæus aliquatenus, qualis Officinarum folii Indi, sed obscurior, vel quia euanidus fructus, vel quia ad maturitatem non peruenerit. Sunt plures quàm 35. anni, ex quo habemus hos fructus à Valerando Donrez: eodem etiam nos donauit Cl. Fel. Platerus. Sed plures ad nos cum aliis exoticæ raritatis nomine nobis gratissimis, insignis illa Medicorum Italiæ stella Hercules Saxonia, sub titulo fructus Cinnamomi.

Cordus quoque prodidit Cinnamomum ferre fructum paruum, glandibus in acetabulis similem. *Cinnamomi fructus.* Et Vib. Calu. apud Benzo. lib. 3. cap. 8. ponit descriptionem ex Aug. Zarat. Hist Peru. cuius fructum ait esse calyce Suberino aut Quercino similem. Lectores considerent descriptionem positam cap. de Cinnamomo siue Canella vulgari, cum qua fortè confundit fructum Folii Indi. *Fructus canellæ.*

Sed & Clus. testatur à Cortuso accepisse se fructum exiguum glandis forma, cum hac inscriptione: *Fructus canellæ* ex quorundam sententia, ex aliorum verò *Tembul* conuoluuli in India. *Tembul.*

Eum quoniam dicitur interdum vnà cum folio Indo vulgari ad nos adferri, [quandoquidem Tembul fructus longè sit diuersus] folio Indo Clus. imitatione appingendum curauimus.

At Lob. in Obs. Fructum *Tembul* ait esse exiguæ glandis figura, quadruplo minore: & tamen adpingit iconi folii Indici vulgaris, à quo si diuersum putat, non assentimur. *Lob. not.* Sed nec Clus. nec alii pro Tembul fructu recipiunt. Casp. Bauh. apud Matth. eosdem fructus Canellæ fructus nomine sibi missos testatur.

CANELLA ACOSTAE.

Canella arbor, vt scribit Acosta, Mali aureæ magnitudine est, nonnunquam maior, interdum minor, ramosa admodum, cuius teneriores rami recti sunt: *Descriptio* *Folium.* folium Laurino simile, latius tamen, colore dilutiore, & minùs siccum, tribus neruis insignitum. *Flos.* Flos candidus, odoris propemodum expers. *Fructus.* Fructus syluestris Oleæ baccis par, virescens initiò, deinde rufescens, & vbi plenam maturitatem consecutus est, niger atque splendescens, [quo tempore colligi debet] ossiculum intus continens syluestribus Oliuis simile, *Ossiculum.*

simi-

similique carne præditus, ex quibus stillat oleo igniteus quidam liquor subrubescens, odore baccarũ Lauri, sapore acri cum paucillo amarore commisto. Præditus verò est hic fructus sessili parte paruo calyce, hirtiore, minúsque crispo, quàm sint Ilicis calyces. Harum arborum magna est frequentia in sylvis prouinciæ Malabar: sed præstantia & odore longè sunt inferiores iis quæ in Zeylam insula nascuntur. *Hæc Acosta*: cuius figura, ex qua tantum hic depictum & † notatum vides, satis conuenit cum Folio Indo: conuenire etiam descriptio videtur, licèt multa habeat communia cum descriptione Canellæ Garciæ: habet tamen etiam in quibus differre videtur. Sed peritioribus diiudicandum relinquimus vter melius descripsit.

Liquor. *Odor et sapor.* *Locus.* *Folium Indum.*

De hac tradere videntur Bry fratres, Icon. part. 4. Indiæ Orient. his verbis: *Canella de mato* copiosè prouenit in sylvis Iaua: est Cinnamomum sylvestre nullo sapore insigni, quamuis cortices teneri sint paulò gratiores. Iidem exhibent iconem arboris baccas proferentis, cuius folia non ita multum differunt à foliis arboris à Costa pro Canella exhibitæ: an verò eandem intelligant plantam asserere non ausimus. Libuit tamen earundem iconem cum trunco adiicere, propter similitudinem iam dictam.

Canella de mato. Cinnamomum sylu.

Stillatitius Canellæ Acostæ liquor, vt ipse refert, vitreis aut plumbeis organis extractus is præfertur, qui è viridi cortice, præsertim radicũ, minutim inciso eductus est: etenim non modò corroborat, & stomachi imbecillitatem, colicósque dolores ex frigida causa prouenientes lenit, sed vrinam cit, & oris halitum commendat: vtilis est præterea iecoris, splenis, cerebri & neruorum ægritudinibus, atque in syncope cardiacisque affectibus confert: venenis resistit, & virulentorum animalium morsibus: menses mouet, & vteri affectibus prodest: vomitiones cohibet, & appetentiam excitat. Valet item ad spasmos, & Comitiales morbos: atque vt summatim dicamus, aperit, incidit, digerit, calefacit ac corroborat. Elicitur etiam liquor ex eiusdem Canellæ floribus, sed longè minore quantitate, minúsque præstans superiore.

Vires & vsus aquæ stillat. Stomachus. Colica. Vrinam cit. Ad varios morbos. Ad venena. Menses. Vomitus. Spasmus. Comitialis morbus. Temperã. Aqua ex floribus.

BETRE SIVE BETELLE.

CAP. X.

NOn incommodè potuisset de hac planta tradi inter scandentes: Verùm quia nonnulli Folia Inda Offic. huius folia putant, atque adeò cum hac confundunt, placuit eius historiam hîc referre.

Folia Betre nomine missa, qualia à plurimis annis in nostris Musæi thesauris habemus, circumscriptione, & magnitudine cum Tiliaceis possent conferri, rotunda, sed in mucronem non setum, sed mox desinentia, glabra, atrovirentia, tenuia, Potamogetonis modo, neruis quinque aut septem, partim rectis, partim sinuatis ad mucronem vsque excurrentibus, pediculo vnciali appensa, sapore aromatico, tenui, mansu nescio quid arenosi sub dentibus esse videtur. Nisi iam parata fuisset figura, cùm descripsimus, iunxissemus ad latus tabellæ iconem ex nostro folio depictam.

Descriptio folii. *Sapor.*

Garcias aliam à nobis descriptionem habet, hanc: Est *Betre* folium simile ferè Mali medicæ folio, oblongius tamen & per extremũ arctius, venas siue Costas per longitudinem excurrentes habens, amarum. Optimum censetur benè maturum, colore fulvescente, tametsi nonnullæ mulieres præferant quod immaturum est, quippe quod maiorem sonum edat in ore, dum masticatur. Corrumpitur si recens à planta collectum diutiùs manibus tractetur. Fert Betre in Maluccis fructum quendam contortum, Lacerti caudæ similem, quem istic edunt, quòd benè illis sapiat. Fuit id semen delatum Malacam, atque degustatũ optimi saporis inuentum est. Seritur autem vitis modo, adduntúrque stipites & pedamenta, per quæ repens se sustineat, nostratis Hederæ modo.

Descriptio Garciæ. *Delectus.* *Fructus.* *Cibus.* *Satio.*

Aloisius Cadamustus tradit viros & fœminas incedere per vrbem Calecut, esitantes folium quoddam, cui nomen sit *Betelle*: eo infici dentes colore subrusso: hoc more abstinere tantùm obscuro loco natos: vbi verò ob funera pullam induunt vestem in speciem moestitiæ, temperare sibi à folio huiusmodi, vt & dentes præ se ferant moerorẽ: subrusso colori succedere nigricantem. Verùm Cadamustus colorem subrussum perperàm Betele tribuere videtur, qui potiùs acceptus ferendus Arecæ, quam simul masticare solent.

Scandens planta. Betelle. *Calecutensium mos.* *Cadamusti error.*

Quoniam verò *Betre* à quibusdam *Tembul* Auic. existimatur, vt mox apparebit, hic subiicimus quæ ille tradit. *Tembul* frigidum est in primo, siccum in secundo ordine, stypticum & exsiccans, roborat gingiuas: continuò masticant Indi, quia ventriculo confert. Bellun. ad marginem annotat, Tembul Haly l. 2. c. 6.

Tembul Auic.

Lud. Rom. scribit, Regem Calecut, quandoque adductum superstitione, ad annum à re Venerea abstinere, & item animo destinare velle nolle *Betellis*. Ex folia Assyrii mali, frondis similitudinem exprimere: hancque frondes in cibatu habere gratissimas.

Reges Calecut. mos. *Assyrii mali folio.*

Folium indum. Tembul.

Odoardus Barbosa de Ind. Or. in nauig. tr. 1. Betelle inquit folium, nostris *folium*, scandit arbores, &c. Æthiopes, Arabes, Persæ, vocant *Tembul*. Summarius quoque de populis Orient. *Betelle* ait, *folium Indum* dici. Et Ant. Pigafetta in nauig. *Betelle* vel *Betre* Persianis & Arab. *Tembul* dici affirmat, in Italia *folia canella*: aliisque considerandum relinquit, sitne verum folium Indum.

Folia canella.

Herba Tembor. Betole Pigafetta errat.

Lud. Barthema in Nauig. Herbam *Tembor* & *betole* vocat. *betela* P. Aluares in Nauig. Ast sanè quicunque fol a canella vulgò dicta eadem putant cum *Betre*, manifestè produnt se in re plantaria nentiquam versatos, minùsque in cognitione Exoticarum. Vna arbor est surrecta: altera scandens, cuiusmodi plantas ἀναδενδράδας Græci vocant. Cap. de Malabathro monuimus in Nauig. libris pro *betelle* pingi folium Indi vulgare.

Pam. Siri.

Betre, inquit Garcias, in Malauar, in Decan, Guzarate & Canam, Pam: in Maleio, Siri. Hallucinantur qui *Betre* folium Indum esse putant: in quo errore etiam versatus sum, cùm primùm in Indiam appuli. Auic. diuersis capit. de *folio* & *Betre* agit. Illud *Cadegi Indi* hoc *Tembul* vocat, corrupto, vti videtur, aliquantulùm vocabulo, quod ab omnibus *Tambul*. Verùm descriptio Garciæ multùm à nostra differt, quoad folium, & à pictura Clusij: nec multùm dissidet eius descriptio à folio Indo.

Tembul.

Locus.

Est apud Indiam regio quædam, [vt perhibet Amatus] Malabar dicta, cuius maritimæ ciuitates sunt Batequala, Canandr, Calicut, Chalequa, Tahor, Cochym, Charamandel & aliæ plures quas Lusitani frequentant, in qua regione, planta magni nominis & pretii viticosa, quæ circumuoluitur arboribus folio viridi, perpetuo, amplo, persimili Nucis folio, quod à parte exteriori tribus satis notis lineis ornatur, nam totum folium vndulatum est. Vocant Indici *Betrum* siue *Batrum*. Alii *Malabathrum*, &c. An Arabum Tembul sit, pro firmo, vt credam, ait ille, nondum statui. Suadeo si *Betrum* hoc Indicum haberi possit [quod hodiè verum ex India delatum Anconâ habemus, & ex Olyssipone.] nullum aliud desideretur Malabatrum, Folium dictum, quum omnia in Folio Indico desiderata, in *Betro* reperiantur. Et nisi tanta esset authoritas Diosc. non vererer affirmare nullum in India vnquam Malabathrum reperiri, præter hoc in India repertum cum antiqua voce. Verùm Plin. Malabathri duo facit genera: alterum palustre, de quo agit Dioscor. & omnibus hodie ignotum. Alterum verò arboreum à nobis delineatum. *Hac Amatus*. Sed si Diosc. Malabathrum idem est cum Betro, non erit ignotum, quum ipsemet Amatus dicat vendi Vlyssipone. Cur etiam Betrum potiùs Plin. arboreum Malabathrum dicatur, non videmus: suspicamur Amato non cognitum Betrum & confundere cum folio Indo Offic. ac præterea, vt postea dicemus, cum Cinnamomo siue Canella vulgari.

Betrum [illegible] Malabathrum.

Folium indum.

Malabathrum Plinio.

Amat. not.

Tembul. Capreolis.

Tilia folio.

Locus.

Anguill. not.

Anguil. ex relatione D. Michaëlis de Muti, tradit *Tembul* esse arborem similem Piperi nigro, multis capreolis vitium modo pergulis adhærentem, foliis Tiliæ similibus, cui nerui quales Plantagini, magnitudine foliorum Alni: Nec semen nec florem proferre. Foliorum tantùm esse vsum. Prouenire locis aridis & siccis in Persia, vbi incolæ soleant boni halitus ergo masticare cum aliis quibusdam mixta. Posse affirmari, vnum esse ex Foliis Veterum. Videant Lectores quæ scripsimus de Malabathro, vbi indicauimus nobis videri confundi historiam plantæ *Betel* seu *Betre*, de qua hoc cap. agimus cum Malabathro siue folio Indo vulgò dicto.

An item Matth. probè fuerit cognitum folium *Betele* & *folium Indum vulgare* intelligent Lectores ex antè positis cap. de Malabathro verbis: veremur enim & ipsum confudisse, quemadmodum & Lacunam.

Matth. et Lacuna [illegible] Anguill. not. Fructus.

Quod verò Anguill. dixit nec semen nec florem gignere, satis refutatur testimonio Garciæ & Clus. quorum hic sic tradit. Arboribus se implicat & circumuoluit *Betre*, easque scandit Hederæ modo, cui perquàm similia habet folia, teste Fabricio & picturâ: fructum ex foliorum exortu promit contortum, vt Garcias refert, & pictura ostendit. Cui cùm simillimus videatur fructus à Rassio [Lutetiano] ante decennium donatus, eius etiam iconem oculis subiecimus.

Hist. Lugd. more sibi fatali duobus distinctis locis de hac tractat: primo sub nomine *Betre*. Deinde in appendice, titulo *Betre* Garciæ ab horto, vt incertum sit, an memoria defuerit eius compilatori, an stirpium cognitio, an vtrumque, rem eandem adeò nobis ceu repetitam Crambem obtrudenti.

Linschott. in Hist. Or. scribit *Betele* siue *Betra* folia aliquantulùm grandiora & acutiora esse quàm Mali Medicæ. Alibi Pisi foliis persimilia dixit, pulchrè virentia, vt colore fortè tantùm similia intellexisse videatur. Scandere arbores ac stipites ambire. Caule quippe esse gracili ac obsequioso. Atque adeò Piperi ita similem esse, vt à longè vicinum Piper à Betella vix discernas. Nullos autem fructus præter ipsa folia reperias. Idem in figura ænea iconem exhibet *Betele* nomine, sed angustioribus & longioribus foliis, quàm in icone Clusiana à nobis proposita.

Piperi simile.

Curtius ex Lusitanorum narratione scribit eos regionem quandam nomine Malabar apud Indos inuenisse, vbi planta scandens folio amplo, perpetuò virenti, Nucis persimili, lineis tribus multùm amplis & vndantibus. Incolis *Bethrum* dicitur esse apud eum pretiosam. Sed videtur nobis Curtius quoque hac sua descriptione confundere *Betelle* siue *Bethre*, cum planta quam antè vocauit *folium Pharmacopolarum*, vt iam monuimus cap. de folio Indo seu Malabathro vulgari.

Curt. not.

Bry fratres annotant harundines *betelen* adrepere, Piperis instar, ab eóque propter similitudinem vix discerni. Crescere simili modo, vt apud nos Pisorum genera.

Non omittenda quæ Cæsalp. de hac planta sanè quàm confusè prodidit. Malabathrum, inquit, ex Potamogetonis genere videtur esse: nam affertur ex India, quod folium Indum vocant, Lauro simile, cui tres venæ seu nerui discurrunt secundum longitudinem, iucundi odoris, sapore pingui ac subacri. Huiusmodi ferunt apud Calecutenses mandi voluptatis gratia: *betellas* patrio nomine vocant: ora mandentium, & dentes inficere colore subrufo. Putant quidam huiusmodi esse, aut Casiæ folium, aut Caryophylli, quoniam earum folia Lauri vel Mali Assyrii traduntur. At qui arbores eas viderunt, vt Betellas, tanquam rem diuersam tradunt, vt videre licet apud Lud. Rom. & Alo. Cadamustum, & alios, apud quos & pictura eiusdem folii traditur: neque fuerit *Tembul* Auic. Consideranti igitur Potamogeti folium in nostris paludibus, & figura, & neruis tribus discurrentibus maximè affine huic folio esse, nullum videbitur absurdum, si hoc Malabathrum statuamus apud Diosc. Contendit Garcias Malabathrum esse Indiæ arborem ingentem in siccis

Cæsalp. not.

Betella.

Potamogeton.

Malabathrũ Diosc.

ficcis natam. De *Betellis* autem, inquit, in insulis Moluccis fructum ferre similē caudæ Lacertæ, nasci vbique in maritimis Indiæ, ac in mediterraneis nequiquam, nisi transferatur: egēre aquarum irrigatione continua. Ex quibus significatur plantā palustrē esse, similem quoq; fructui nostro Potamogeto, intelligique pro Malabathro Diosc. Quod autem *Tamalapatra* vocant Indi, esse genus arboreum, quod scribitur a Plin. & apud Auic. Tembul. *Sicille.* Sed nihil aliud quàm Folium Indum vulg. cum *Betelle* dicto confundere videtur, vt iam suo loco dictum. Fallitur & in eo quòd putat inficere colore subrufo: nam propter Arecam seu Fausel euenit ille color, quod simul masticant. Quæ de similitudine cum Potamogetone dicit, & obscura nob.s videntur, & minùs aptè quadrare. In Potamogetoum plures nerui quàm tres. Nec tantummodò irrigatione indigent palustres plantę, sed in aquis aut certè iis proximè nascuntur. Potamogetum certè vix videas extra aquas natum. At testatur Anguill. prouenire eam plantam, (quam paulò ante ex eodem descripsimus, & nihil aliud quàm Betelle esse videtur) in locis aridis & siccis Persiæ, quamuis vel ex Garciæ & Linschottani historia minùs verisimile videatur in Persia nasci, vt in sequentibus patebit.

Tamalapatra. *Cæsalp. multiplex error.*

Quicquid sit, difficile putamus & difficultatibus plenum Betele Malabathrum Dioscor. dicere, licèt Lacuna dicat: In Malabar herba valdè odorata, aromatica, vsque adeò cardiaca, vt ore contenta sustentet hominem per quinq; vel sex dies, *Betre* dicta, sine dubio Malabathrum est.

C. Bauh. Casp. Bauhin. apud Matthiol. *Betel* seu *Tembul* ait esse Folio Indo adeò simile, vt idem esse multi credant & misceant, Sed misceant quantùm velint, non ideò tantam eorundem similitudinem tam confidenter asserere ausimus, præsertim cùm ex fide dignis autoribus constet, huius esse surrectam arborem Betel verò plantam scandentem, vt iam plus satis inculcatum.

Locus Cæterùm *Betellæ* folia, quæ vulgariter Indis in vsu sunt, quotidianā manducatione, in omnibus item Indiæ Lusitanis cognitis plagis crescunt, teste Garciā: non quidem interiore regionis secessu vel continenti, nisi rarò admodum, sed maritimis in locis, aut si ex his in illa transferantur. Verum quidem est in Dultabado vrbe opulenta in Decan & Bisnagua inueniri, sed minori certè quātitate, quam vt ad Persas & Arabes deferatur. Supra Calaiate, quod octoginta leucis ab Ormus distat, inuenire haud erit facilè. In frigidis, vt in China, non nascuntur, neque etiam in valdè calidis, aut à Solibus nimiùm adustis, vt in Mozambica & Soffala.

Satio & Cultus. Seri vitis modo, priùs dictum. Quidam maioris quæstus gratiā Piperis aut Arecæ arboribus id maritant, atque ita pulcherrima vmbracula cōficiunt. Multam verò curam & assiduam rigationem desiderat. Atque adeò singulari cultura in pretio ab incolis habetur, ob quotidianum eorū vsum. Nā decerpta per longum etiam tempus facilè conseruantur, ac duodenariis venduntur. Ibi tum mulieres iuxtà ac viri quouis die tria ac duodenaria, & quod excurrit consumunt, non quidem prandii aut cœnæ gratia: sed ita illorum mos fert.

Vires & vsus. Matutino tempore, pomeridiano, vespertino, imò etiam nocturno *Betrulam* māducant, eamque cōtinuò manib. gestant. Sed nec simpliciter *Betellā* vtuntur: nam masticata, amara deprehenditur. Ergo ad mitigandam hanc eius amaritudinem, *Arecam* admiscent. & calcis momentum, sicque preparatam, suauissimi esse saporis affirmant. Garciæ sanè, cùm primùm degustauit, propter amarorem ita displicuit, vt ab illo tempore semper abhorruerit, nec vnquam degustare potuerit. Alii Betellæ Lycium admiscent: ditiores & potentiores Caphuram de Burneo: Alii lignum Aloes, Moschum & Ambarum cineritium: atque eo modo præparat asuauem gustum habet, orisque halitum adeò commendat sua fragrantiā, vt perpetuò ferè illam masticent opulentiores, tum etiā alii pro facultatum ratione, tametsi non desint, qui Arecam cum Cardamomo aut Caryophyllis masticent.

Betela cū aliis miscetur. *Oris halitus.*

In terræ interioribus plagis à mari remotis folia hæc magno venduntur pretio. Fertur N[illegible] nostræ Regem quotannis 50. millia aureorum Lusitanicorum, quos *mileferos* vocant, impendere. Hæc tragemata illorum, hæc dona [illegible] propinant. Hæc Reges ipsi ditioribus largiuntur, aliisque per famulos. Item [illegible] crumenæ ex bysso donantur cum præparata *Betella*: nemo autem absque eo munere liberè abi[illegible]: est enim diplomatis loco. Satrapæ ac Reges famulum continuum habent, qui cum argentea phiala vbiuis locorum illis adsistat. In ea *Betella* iacet cum condimentis necessariis, quibus Folium præparatum, famulus porrigit. Legati non audiuntur licet ipse Rex linguam calleat, nisi per interpretem, tuendæ autoritatis gratia. Ipse interim Rex decumbit, vel in lecto insidet terræ iniecto, famulo cum *Betella* adstante, quàm continuò dentibus terit, succúmque ac reliquias in argenteam peluim inspuit, quæ adstat, vel à famularum mulierúmue aliqua tenetur. Hęc magno honore Legatum adficiunt, præsertim cùm & illi Rex *Betellam* offert. Ita recepto more omni in loco ac ad actus omnes *Betella* adest.

Satrapæ ac Indiæ reges pilulis ex Arecca, Cata, Camphora, & Aloe cōtusa vtuntur, cum Ambaro. Eas cum *Betella* loco Areccæ manducant. *Pilulæ*

Lusitanorum mulieres eundem Betellæ manducandæ morem habent, cùm sine ea vitam vix sibi constare posse arbitrentur. Ideò nocturno tempore ad caput aut iuxta pedes lecticæ apponitur, ibi somno cessante, mox illis *Betela* os inficit, quam tum velut fluentem sanguinem(quē colorem ab Arecca admixta conciliari suprà dictum:) exspuunt. Ita interdiū (alio enim exercitii genere præter ablutiones carent) mulieres otiosæ, eandem veluti pecora ruminant. Etiam Lusitani consuetudine mulierum inducti, idem faciunt. Etiam ad coniugii vsum proficiscentes mulieres *Betellam* manducant, quòd per eam lasciuiam augeri, atque adeò Veneris summam esse illecebram opinentur. Inde in visitationibus ac mutuis salutationibus *Betella* ipsis in manu est, & summa beneuolentiæ significatione, vbique ea offertur cum calce & Arecca, in catino ligneo, quē ad eum seruant vsum. Quamobrem omnibus in locis Betella venalis ac iam cum prædictis præparata prostat. Primùm autem ex Kaata aliquid ex Arecca sumunt, idque mandunt ac mox Betellæ folium adiungunt, quod neruis seu costis vngue pollicis, quem scutum recepto more habent, excerptis, calce vngunt, ac ita rotatum ori inferunt, succum priorem inde exspuentes, certo ad purgationem cerebri ac stomachi à phlegmaticis humoribus remedio. Quod exspuunt cruorem repræsentat, vt dictum; succum alterum deglutiunt. Indi communiter per plateas & vicos *Betellam* hanc edentes incedunt, præcipuè cùm

Veneris stimulus. *Kaata.*

aliquem ex Optimatibus conuenire volunt: ita enim bonum odorem halitus comparant, absque eo qui sermonem facit, probro sese exponit. Ideo omnes illum etiam post prandium sumunt, quod cibi aliter fastidium [vt sibi persuadent] paterentur: & qui comedere suetir post abstinent, eos corrupto halitu oris laborare deinde existimant. A Betella tamen abstinent certis temporibus, in funere alicuius propinqui, & quibusdam ieiunio destinatis diebus, vt & quidam Arabes faciunt, ac sequaces Al Machometi Soceri in suis abstinentiæ dicatis diebus.

Quando abstineant a Betelio.

Errat, [inquit Paludanus, & ante ipsum Garcias] Auic. cùm folia hæc primo gradu frigida ponit, & sicca secundo: idque vel interpretis vel certè ipsius authoris errato commissum: aut exemplar vitiosum est, quod eruditi Arabes arbitrantur. Nam folia hæc calida sunt & sicca in fine secundi gradus, vt Garcias ipse experimento dicit, quam notam odor gustúsque approbant. Vt mirum sit Massœum in sua Historia scribere Principes Indos hæc folia assiduè mandere leuandæ sitis gratia. Nam quâ ratione calida & sicca sitim leuare queant, equidem nescimus.

Auic. not.

Temperam.

Sed nimirum bonus ille vir, medicinæ ignarus in hoc vulgi errorem secutus videtur, vtpote cùm, vt annotat idem Garcias, Piper, Cardamomum, Cepa, sint frigida.

COCA INDORVM FOLIIS MYRTI.

Cap. XI.

DE Coca sequentia scribuntur à Monarde iuxta Clusii interpretationem: Cùm tam multis annis celebrem illam apud Indos plantam, quam *Coca* nuncupant, & tanta cum diligentia serunt atque colunt, quoniam omnes eam in quotidianos suos vsus & oblectationes conuertunt, videre cuperem, ad me perlata est. Est verò ea vlnæ magnitudine, foliis Myrti paulò maioribus [quæ veluti aliud folium simili forma in meditullio delineatum habent] mollibus, dilutiùs virentibus: fructu racematim cohærente vti Myrti fructus, rubente quando maturescit, eiusdémque magnitudinis, quando verò plenam maturitatem adeptus est, nigricante: tum verò herbæ est messis, quæ collecta in canistris, aliisque rebus ad exsiccandum reponitur, vt meliùs conseruari & in alias partes transferri queat: nam è montibus in alios montes defertur mercimonii gratia, próque aliis mercibus commutatur, vestibus, gregibus, sale, & aliis rebus, quia illis pro pecunia est.

Benzo huius quoque meminit, cùm dicit, Peruuani peregrè profecturi rubro quodam Bitumine faciem obliniunt, aduersus ventos: herbamque ore clausam [*Cocam* illi appellant] velut panchrestum quoddam Pharmacum circumferunt. Quippe eius præsidio freti, integrum diem, nullius nec cibi nec potus egentes, iter faciunt. Atque hoc quidem herbæ genus earum rerum, quibus mercaturam exercent, præcipuum est.

Coca.

Pro cibo & potu.

Cæterùm, inquit Clusius, quotquot Peruuanam Historiam scripserunt, referunt earum regionum incolas, admodum delectari quarundam radicum ramusculorum, aut herbarum gestatione in ore, vt Orientales suo *Betre* delectantur: præsertim verò familiarem esse [Petri Ciecæ testimonio] quandam herbam *Coca* illis dictam, quam à summo mane ad noctem vsque perpetuò in ore retinent, tametsi neque eam mandant, neque deglutiant. Percontati cur eam assiduè in ore habeant, respondent eius vsu neque famem neque sitim sibi molestam, & vires robúrque sibi confirmari. Est autem hæc pumila arbor, folio [quod *Coca* vocant] Myrti, vel vt alii volunt, Rhois coriariorum. Eius arbusculæ folia Sole desiccata oblongis angustísque canistris circiter libras 25. continentibus reponuntur in vsum quotidianum. Seritur hæc arbuscula magna cura, plerisque locis in conuallibus montium, quos incolæ *Andes* dicunt, à ciuitate Guamanga, vsque ad eam quæ ab argento, Plata, Hispanis nomen mutuata est. Cæterùm tanto in pretio est apud eos ista *coca*, vt illam auro, argento, panique præferant, & anno Domini 1548. & aliquot subsequentibus, singularum hæreditatum, in quibus seritur pretia, alia octoginta, alia sexaginta, alia quadraginta, alia viginti ducatorum millibus singulis annis æstimata sint. Postea verò adeò eius culturæ studuerunt, vt nunc vilior sit, nunquam tamen desinit summo in pretio esse: imò plerique iam in Hispaniis viuunt, qui solius *coca* mercimonio ditissimi euasêre.

Impedit famem & sitim Arbor.

Locus.

Pretium ingens Coca.

Vulgaris est Cocæ vsus inter Indos ad multas res, tum ad eas quæ ad iter necessariæ sunt, tum ad eas quæ ad voluptatem in suis ædibus seruiunt, hoc modo: Conchylia aut ostreorum conchas, vrunt, & calcis modo comminuunt: folia deinde Cocæ dentibus atterunt, & subinde puluerem illum conchyliorum vstorum admiscent, & simul quasi fermentant, vt tamen minor sit calcis quàm foliorum quantitas: ex hac massa trochiscos, seu orbiculos conficiunt, & siccandos exponunt. Quando iis vti volunt, vnum orbiculum in ore sumunt, cúmque exugunt, subinde in ore nunc hac, nunc illac versantes, & quamdiu possunt retinentes: vno absumpto alium sumunt, deinde tertium: sic pergentes toto tempore quo ii in longis itineribus conficiendis opus habent, præsertim si per loca fiant, vbi nulla aut cibi aut aquæ copia est: quoniam horum orbiculorum sorbitione, famem, sitímque sibi leuari, & vires sustentari asserunt. Si duntaxat voluptatis gratia vti volunt, solam Cocam mandunt, eamque in ore versant, donec omnis facultas absumpta sit, deinde aliam sumunt. At si inebriari, aut aliquantulùm extra se rapi, & veluti mente alienari, Cocæ Tabaci folia admiscent, atque simul mandunt & sorbent: ea ratione extra se feruntur veluti homines ebrii, magnam voluptatem inde capientes. Et profectò res admiratione non caret, conspicere quàm isti Indi oblectentur mente & sensu quasi priuari, quandoquidem eius rei gratia *cocam* cum Tabaco sumant, aut solum Tabacum.

Vires & vsus.

Trochisci.

Tabacum facit ebrietatem.

DE CINNAMOMO ET CASIA EX PLACITIS ANTIQVORVM.

Cap. XII.

NIhil lubet aut licet asserere de Cinnamomo & Casia Veterum, quando ex eorum monumentis tam confusam habeamus historiam, vt satiùs ducamus tantisper hæsitare, aut etiam nos nescire fateri, donec certiora rimemur, quàm de Priscis minùs benè sentire, aut ab erudita posteritate parum gratiæ inire. Illi namque adeò laxa notione rem signarunt, vt quid capias, nescias: quos, antequam de nostro Cinnamomo tradamus, priùs de suo vel differentes vel narrantes,

(& vtinam interdum quosdam non etiam fabulantes!) audiri par est: subinde quid nostræ aliorumúe obseruationis ac iudicii sit, interseri.

Scribit Arist. lib. 9. hist. an. c. 13. In Arabia Cinnamomum Auem [κινάμωμον ὄρνιν] appellari, quam Cinnamomum [κινάμωμον] comportare, ac nidos ex eo conficere tradunt: quamuis vbi & quomodo nascatur hæc planta, non assignent. Nidificare in excelsis arboribus & ramis: sed incolas sagittis plumbatis nidos petere, atque ita decussum in terram Cinnamomum legere. Eadem & Solinus scribit, de Arabia tractans, additque Cinnamomum hoc amplioribus vendi pretiis, quippe quod mercatores magis probent, quàm aliud: sed auem ipsam non Cinnamomum, sed *Cinnam* vulgò appellari.

Cinnamomus auis, Aristot.

Aristotelis verba & Plin. repetit. lib. 10. cap. 33. sed auem Cinnamologum vocari ait in Arabia, & Cinnami surculis nidificare: plumbatis eos sagittis decutere indigenas mercis gratia. Postea verò lib. 12 cap. 19. huius narrationis vel immemor, vel eandem dissimulans, vel sanè reprobans, infit: Cinnamomū & Casias fabulosè narrauit antiquitas, princepsúe Herodotus, auium nidis, & priuatim Phœnicis, in quo situ Liber pater educatus esset, ex inuiis rupibus arboribúsque decuti, carnis quam ipsæ inferrent [ipse inferret. M.] pondere, aut plumbatis sagittis. Item Casiam circa paludes [gigni] propugnante vnguibus diro vespertilionum genere, aligerisque serpentibus: his commentis augentes rerum pretia. De Cinnamomi natalibus, delectu, pretio vario, colligendi more &c. plura Plinius, quæ breuitati studentes prætermittimus, cùm præsertim plæraque sint Theophrasti, ex cuius scriptis huc postea referentur.

Cinna auis Solino. Cinnamologus auis Plinio. Herodot. fab.

Serpentum fabula ex Theophrast. lib. 9. hist. c. 5. ita habet, ipso etiam fabulam vocitante. Conuallibus, inquit, exire id aiunt, in iisque serpentes plurimos conuersari, morsum hominibus mortiferum inferentes, aduersum quos incolas septis manibus pedibusque descendere, atque ita legere Cinnamomum quod cùm deportauerint, ac in tres partes diuiserint, inire cum Sole sortiendi rationem: tum quæ portio illi obtigerit, eam relinquere: abeuntésque flagrare eam spontè confestim cernere. Sed hoc planè fabula est. De Cinnamomo & Casia [κινναμώμου καὶ κασσίας] eodem Theophrast. autore, ista narrant: vtrumque fruticem esse non magnum, sed magnitudine Viticis seu Agni, [ἄγνου: perperàm Gaza Amerinæ reddidit.] multis lignosisque ramis constantem. Cinnamomum excisum in quinas partes diuidi: Id optimū esse, quod germinibus proximum fuerit: quod ad palmi longitudinem cæditur, aut paulò maius. Bonitate proximum, secundum, quod sequitur, quod & breuiùs cæditur, esse & tertium & quartū. Vltimum omniúmque vilissimum, quod radici proximum: quòd minimum corticis habeat: is enim vtilis est non lignum. Quam ob causam quod ex cacuminibus decerpitur omnibus præfertur, quia plurimùm corticis habeat. Hæc quidem ita referunt. Alii fruticosum esse Cinnamomum aiunt. Duo eius esse genera: nigrum & candidum. Atque de isto prædicta fabula narratur. Casiam verò aiunt virgultis constare crassioribus (παχυτέρας prò πλατυτέρας rectè legere nobis videtur Gaza.) valdè neruosis, nec suo cortice exui posse: vtilem verò esse huius corticem. Quando igitur secant virgas, in frusta duorum digitorum [εἰς διδάκτυλα τὸ μῆκος: Plin. habet longitudine binûm cubitorum] aut paulò maiora consecant,

Fabula. Descriptio Cinnam. Theophr. Gaza error. Quinque Cinnamomi partes. Duo Cinnamomi genera. Casiæ descriptio Theophr.

recentique bouis corio ea consuunt, tum ex eo & lignis putrescentibus vermiculos nasci, qui lignū exedant, corticem verò nequaquam attingant, ob amarorem odorísque acrimoniam. Atque ita quidem de Casia & Cinamomo referunt. Gignitur Casia & Cinamomum regione Arabum media circa Sabe & Adramyta, & Citibæna, & Manali. Per Cinamomum Caryopum Plinii Guiland. intelligit Nucem moschatam. Frutex & Casia est, inquit Plinius, iuxtàque Cinnami campos nascitur, sed in montibus, crassiore sarmento, tenui cute veriùs, quā cortice, quem contra atque in Cinnamo leuari & exinaniri [tenue ac gracile esse] pretium est. Amplitudo fruticis trium cubitorum: Colos triplex. Cùm primùm emicat, candidus, pedali mensura: deinde rubescit addito semipede: vltrà nigricans. Hæc pars maximè laudatur, ac deinde proxima: damnatur verò candida. Consecant surculos longitudine binûm cubitorum. [Digitorum aut paulò ampliores Th.] Probatur recens maximè, & quæ sit odoris mollissimi, [grauissimi alii. Cur non gratissimi potius?] gustúque quàm maximè feruens potiùs, quàm lento tepore leniter mordens, colore purpureo, quæque plurima minimùm ponderis faciat, breui tunicarum fistula, & non fragili. Lactam (Ledam Vet. Ladam CH: fortasse Achy, vt apud Dioscor.) vocant talem barbaro nomine. Alia est Balsamodes, ab odore simili appellata, sed amara, ideóque vtilior medicis, sicut nigra vnguentis. Pretia nulli diuersiora. Adulteratur styrace, & propter similitudinem corticum, Lauri tenuissimis surculis.

Casia descript. Plin. Colos Casiæ triplex. Candidus. Rubescens. Nigricans. Adulteriū.

Cinamomiferam plagam postremam ad meridiem habitatam nouimus, inquit Strabo. Habet India quæ Australis est Cinnamomum, Nardum & alia aromata, quemadmodum Arabia & Aethyopia, cùm his Sole persimilis sit. In fœlicissima quoque Sabæorum terra Cinnamomum nascitur: pro combustibili materie, Cinnamomo & Casia vtuntur. Aromatiferam regionem in partes quatuor diducunt. Ex aromatibus Thus, & Myrrham ex arboribus esse dicunt: Casiam verò ex lacubus. Sunt qui dicant magnam eius partē ex India adferri. Sed alia quadam diuisione totam fœlicem regionem in quinque regna partiuntur, quorum aliud habet eos, qui opificia & artes tractant: aliud Myrrham fert, aliud Thus: eadem tamen & Casiam & Cinnamomum & Nardum ferunt. Sed quænam Casia illa Virgilii? de qua agit Georg. 2.

Locus Strabonis. Ligni vsum præbent. Casia ex lacubus.

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas: quibus ipsa, procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta superbis
Mane salutantum totis vomit ædibus vndam:
Nec varios inhiant pulchrâ testudine postes,
Illusásque auro vestes, Ephyreïáque æra,
Alba nec Assyrio fucatur lana veneno,
Nec Casia liquidi corrumpitur vsus Oliui
At secura quies & nescia fallere vita.

Equidem existimamus Virgilium hoc loco intelligere Casiam Aromaticam, diuersam ab ea quam eo ipso lib. humilem Casiam apibus gratam ait, de qua postea c. proprio.

Casiæ Vergil. duo genera.

Sed quæ sit Casia frondens apud Colum l. 3. c. 8. non æquè facilè fuerit pronunciare. Sic scribit: Tmolon, & Coricion florêre croco, Iudæam & Arabiam pretiosis odoribus illustrem haberi, sed nec nostram ciuitatem [Romam] prædictis egêre stirpibus, quippe cùm pluribus locis vrbis: iam

Casia Columella.

Casia frondens Colo. Casiam frondentem conspicimus, iam Thuream plantam, florentésque hortos Myrrha & Croco. His tamen exemplis nimirum admonemur curæ mortalium obsequentissimam esse Italiam, quæ penè totius orbis fruges adhibito studio colonorum ferre didicerit. Quid? Casiam odoratam aliquando creuisse Romæ? nam si humilem intellexisset, non opus fuisset ea iactantia, cùm hæc illâ longè inferior æstimatione esse videatur, & vel Plin. teste, in nostro quoque orbe seratur, & in extrema margine imperii, quà Rhenus alluit. Ergo suspendamus etiam circa hanc tantisper iudicium veluti Pyrrhonium, donec acutior aliquis hariolus prodeat, qui hanc rem nos doceat clariùs.

Nunc potiùs totius materiæ medicæ principem de Casia & Cinnamomo differentem inaudiamus. Cassiæ [κασσίας] complura sunt genera, quæ circa feracem aromatum Arabiam gignuntur. Habet autem crassi corticis sarmentum, foliáque Piperis [ὡς πεπέρεως. Alii: ὥσπερ ἴρεως: instar Iridis: sicut & Serap. legit.] Delige fuluescentem, probè coloratam, corallii æmulam, perquàm angustam, [στενὴν λίαν. Al. λείαν: læuem: sicque & Aët.] longam, crassam, fistulosam [τοῖς συρίγγεσι πλήρη. Fortè τῇ συριγγίῳ: fistulosam, plenam.] gustu mordacem, & cum multo feruore [μετὰ πολλῆς πυρώσεως. μετὰ ποσῆς, cum aliquanto: Plin. Aët. Ruell. & Matth.] adstringentem, aromaticam, odore vinoso. Talis ab indigenis Achy [ἄχυ al. ἀσί. Marcellus ex Plin. Lada restituit: nulla tamen certa ratione] nuncupatur: à mercatoribus verò Alexandrinis Daphnitis cognominatur. Huic præfertur nigra, purpurascens simul & crassa, quæ Gizir [γίζιρ. Par. ζιγιρ] appellatur, tanquam rosarum odorem spirans, & ad vsum medicum maximè accommodata. Secundum locum tenet antè dicta. Tertia verò censetur quæ Mosyleticus blastus [βλαστὸς μοσυλητικός. Par. βλάκηθ. al. βάτος. Pl. Lactam. M. Virgil. βάτος ex melioribus Græcis legendum censet, & Rubum vertit.] hoc est, Mosyleticum germen nominatur. Reliquæ viles habentur, velut ea quæ Aphysemon Ἀφύσημον mel. cod. Al. ἀσύσημον. Al. ἀφήμον] dicitur, nigra, iniucunda & cortice tenui aut etiam rimoso: nec non & ea quæ Moto & Darca vocitatur. [μωτὼ apud Gal. & Arrianum legitur: quos seq. Sarac. quamuis in vulg. leg. ἡ κιττὼ καὶ δάκαρ. Antiq. tamen δάκαρ habet. al. δάρκα. Darca & Citto Matth. Videntur esse barbaræ voces.] Est & quædam adulterina Cassia, similitudine ineffabili: attamen gustu deprehenditur: quippe quæ neque sit acris, neque aromatica, adhærentémque medullæ corticem habeat. Reperitur & lata fistula, tenera, leuis, surculosa: [quidam λίρπος: ramosa:] quæ alteri illi [τῷ ἄλλῳ. Vet. al. τῆς ἄλλης.] præstat. Reiice albicantem, scabram, quæque hircinum virus oboleat, neque fistulam habeat crassam, sed tum scabram, tum tenuem. [καὶ σωλῆνα μὴ ἔχουσα δὲ σωλῆνα εὐέγγυα παχεῖαν, ψωρώδη καὶ λεπτήν: quam Lect. doct. sequuntur.]

Cassiæ genera Diosc. Diosc. multipliciter correct. & illustr. Delectus. Achy. Gizir. Zigir. Mosyleticus blastus. Aphysemon. Moto. Darca. Citto Dacar. Darca. Cassia adulterina. Odoris hirci.

Cinnamomi genera Diosc. delectus. Mosylum. Cinnamomi plura sunt genera: gentilitiis regionum in quibus nascuntur designata nominibus. Excellit verò quod Mosylum [μόσυλον. Ald. μόσυλον] ex eo dicunt, quòd aliquantulam retineat similitudinem eius Cassiæ quæ Mosylitis (Ald. μοσυλῖτις.) nuncupatur: prætereáque in eo ipso genere quod recens est, colore nigrum, ex vinoso in cinereum vergens, tenuibus virgultis, læue, nodis frequentibus præditum, perquàm odoratum. Ferè siquidem præstantissimum ex odoris iucundi proprietate diiudicatur. Etenim in optimo & singulari reperitur odor Rutæ (πηγανίζουσα. Quid si ὀριγανίζουσα legendum: Origani odore. Plin. Origani folio dicit.) aut Cardamomo (ex veteri interprete καρδάμῳ, id est, Nasturtio legendum censet M. Virg.) proximus. Præfertur & gustu acre ac mordacitatis particeps: nec non etiam cum calfactione quadantenus salsum, quódque inter atterendum non citò friatur, ac inter frangendum etiam ex se puluisculum emittit, læuiaque interim habet internodia. Facturus periculum sumito ab vna radice surculum: siquidem facilis est huiusmodi probatio. Enimuerò fragmenta miscellanea quædam sunt: atque adeò cùm primùm fit experimentum, quæ præstantiora fuerint, dum halitu afflatúve suo odoratum implent, deterioris iudicium impediunt. Est & montanum crassum, pumilum, colore admodum fuluescens. Itémque tertium à Mosylo, quod est nigrum & valdè odoratum, attamen fruticosum, [al. ἀκριώδες: ramosum,] nec ita multis interstinctum geniculis. Quartum verò album est, fungosum, aspectu tuberosum ac vile, fragile, grandique radice Cassiam redolente. Quintum odore nares ferit, fuluescit, corticémque habet Cassiæ ruffæ simillimum: tangenti verò solidum animaduertitur, non valdè neruosum est, (ἰνῶδες. Al. οἰνῶδες, vinosum. Marc. Al. λεῖον.) radicéque crassa firmatur. In hoc genere, quod thus, Myrtum, (μυρσίνης. Quidam meliùs nostro iudicio σμύρνης Myrrhæ, vt inferiùs) Cassiam aut Amomum odoris suauitate imitatur, deterius est. Deligito candidum, scabrum, rugosóque cortice: at læue (καὶ λεῖον. Lac. addit τελείως.) & quod circa radicem lignosum est, tanquam inutile repudiato. Est & aliud quiddam simile, quod adulterinum Cinnamomum cognominatur, vile, odoris inualidi, viribúsque defectum. Appellatur & quiddam Zingiber, quod habet aliquam cum Cinnamomo cognationem, cùm tamen sit Xylocinnamomum. Est verò lignosum Cinnamomum virgultis longis (μακροῖς. Ald. & Vet. μικροῖς breuibus.) robustísque præditum, sed odore longè Cinnamomo inferioribus. Sunt & qui Xylocinnamomum genere ipso à Cinnamomo differre dicant, quasi alterius sit naturæ. *Hac vsque Diosc.* Nam vires postea ex eo trademus, vbi priùs Galenum & alios quosdam audiuerimus.

Odore Rutæ aut Cardamomi. Experimentum. Montanum crassum. Tertium nigrum. Quartum album. Quintum fuluescens. Delectus. Cinnamomum adulter. Zingiber. Xylocinnamomum.

Persuasum est mihi, inquit ille lib. 1. de Antid. c. 13. ipsum cognitu facillimum ex omnibus esse illis, qui sæpè optimum Cinnamomum viderint. Optimum verò consequi non potest, nisi repositum ab Imperatoribus intueatur, sex generibus quodammodo distributum. Siquidem & in hoc ipso velut & in Cassia optimi ad deterrimum tam magna differentia est, vt suprema Casia ab infimo Cinnamomo parum distet. Neque verò Cinnamomi virtus ad vsum apta, longo tempore durat. Ad triginta siquidem annos, quam à principio vim habuit, integram non conseruat. Nugantur enim qui Cinnamomum ex hisce medicinis esse dicunt, quæ senectutem non sentiant. Atque ego non centum neque ducentûm annorum interuentu, sed pauciorum, si quis ad tantam numerum conferat, vetustius factum obseruaui: quo tempore siquidem Antonio Imp. theriacam paraui, vasa lignea, in quibus eiusdem generis Cinnamomum inerat, multa conspexi, alia Traiani, quædam Adriani, nonnulla Antonini, qui post Adrianum Imperator fuit, ætate reposita, omniaque hæc sese & saporis & odoris imbecillitate vehementiáque tantùm planè superabant, quantùm & tempore differebant. Olim è Barbarorum terris

Cinnamomi genera Gal. Duratio. Quorundã error. Antonin. Imp. Traianus. Adrianus. Antoninus.

Arbor integra Cinnamomi.

terris arca cubitos quatuor & medium longa Romam perlata cùm fuisset, in qua Cinnamomi primi generis integra arbor erat, ex eoque M. Antonino Imp. Antidotum quondam composuissem, ipsa cæteris multùm præstare deprehendi, adeò vt Imperator quoque eâ degustatâ, medicinæ concoctionem, velut in alijs fieri solet, expectare noluerit: Sed statim ea vsus sit nondum integrè duobus mensibus elapsis. Antonino subsecutus est Commodus, qui nec Theriacæ, nec Cinnamomi curam illam habuit, sub quo non solùm arboris illius, quod superfuerat, omne dissipatum est, verùm etiâ quodcunque post Adriani tempora comportatum fuerat: Quo factum est, vt nunc Imperator noster Seuerus, cùm me sibi theriacam eo modo cõficere iussisset, quo M. Antonino confeceram, ex Cinnamomo Traiani & Adriani tempore reposito sumere coactus sim, imbecilliórque planè mihi visa est, & tamen nondum anni triginta intercesserant. Hinc optimi Cinnamomi notas quasdam necessarias subiiciemus. Summoperè ipsum benè olere, inexplicabilémque præ cæteris bonum quendam odorem spirare, ac calidum gustantibus se multùm exhibere. Non ita tamen vt medicando tristitiam palato inferat. Colorem denique talem habere, qualem si quis lacti nigrum colorem admisceat, atque cœrulei, quẽ vocant, aliquantulùm addat. Ex hoc igitur quantùm volebam, vt mos mihi fuit, cùm accepissem, ramusculos aliquot apud me deposui, in ea apotheca, in qua res meas omnes pretiosas seruabam. Verùm ipsa combusta, qua tempestate & templum pacis incensum est, & hæc, & aliæ quinque Cinnamomi species, quas mihi conquisiueram, periêre. Nunc itaque cùm imperatori nostro Seuero theriacam componerem ex Cinnamomo Adriani tempore reposito, quod optimũ visum est, elegi, de quo etiam vtile quiddam lecturis subdere, cùm possim, id facere non grauabor. Supersunt adhuc ibi multa vasa lignea, quæ varias Cinnamomi species continent, quarum nulla tamen veluti truncus in ramos plures diuisus, multùm attollitur, sed Ellebori figuram præ se fert. Immò verò Damasonii quod è Creta ad nos adfertur. Quæuis autem Cinnamomi species ab vna radice, seu frutex quidam paruus consurgit, emittitque hæc sex, illa septem virgulta, vel paulò plura pauciorâue: non æquali tamen omnia longitudine sunt, verùm quod maximum est, pedis Romani dimidium non excedit. Vniuersa autem Cinnamomi natura similis est quodammodo optimæ Casiæ, quam qui adferunt Barbari *Gizi* vocant. Item de Antid. lib. 1. cap. 11. Ob similitudinem optima Casia in Cinnamomum euadit. Vidimus enim alias frequenter Casiæ elatæ & auctæ tantum, vt fruticis magnitudinem æquaret, ramos quosdam Cinnamomo penitùs similes aspectu, corticis tenuitate, & præterea hisce signis quæ Cinnamomum certissimè ostendunt, ac gustu olfactúque percipiuntur. Item cap. 14. in multis de medicina libris scriptum est: duplum Casiæ si quis Cinnamomo egeat iniiciendum. Hoc dictum irridens Satyrus magister meus, vnam ex Quinti facetiis ipsam esse dicebat, asseuerantis eos qui duplum Casiæ imponere iubent, si Cinnamomo careamus, similia illis facere, qui nos cẽsent si quando Falerno caruerimus, illius quod in Cauponis venditur duplicatâ mensura bibere: siquè panis siligneus desit, furfuracei duplum comedere. Mihi verò hæc Quinti facetia si de re vna quapiam, quæ per se sola vti velimus afferatur, vera irreprehensibilisque videtur: sin de re

Commodus.

Optimi Cinnamomi necessaria nota. Odor. Sapor. Color.

Apotheca Galeni combusta.

Descriptio Cinnamomi Gal. Ellebori figurâ, aut Damasonij.

Virgultorum longitudo.

Gizi.

Casia in Cinnamomum versa. Frutex.

Quinti facetia.

quæ in societatem multorum veniat, non est eodem pacto vera. Nam cuiuscunque quod solùm corpori admoueri debet, Rhus puta, Absinthium, Iris, Gẽtiana, vel id genus alia aliqua medicina: si quis minùs boni duplum loco præstantissimi accipiat, & corpori vel extra, vel intra admoueat, duplicato etiam nocebit. At si multis vnũ aliquod optimum commiscendum fuerit, quod se auctorum aliorum vires spondeat, si præstantissimum desit, peius nihil erit vti duplo illius quod proprietates eiusdem generis habeat, etiamsi deterius hoc illo videatur. Siquidem Casia &c. Casia. Cinnamomo genere proxima vsque adeò est, vt ex ipsa Cinnamomum quandoque oriatur, spectentúrque nonnunquam Casiæ arbores integræ, in quibus aliqua Cinnamomi virgulta è Casiæ ramis prodeant. Mihi reiiciendum omnino non videtur eorum præceptum, qui pro Cinnamomo duplum Casiæ imponendum censent, quanquam ego semper imposuerim ipsum Cinnamomum. Nam quibus Romæ antidotos composui, cùm vel Imperatorum amici, vel diuites essent, facilè fuit illis quidem à regibus petere; iis verò Cinnamomum emere. Quibus illud etiam addidisse, quando imperatoribus antidotos composui, me Cinnamomo nunquam eguisse, superuacaneum planè fuerit. Necessum est illud etiam inprimis explicemus quæ Casia Theriacæ iniicienda sit. Nã *Gizi* nuncupatam præcipuè laudant, secundo autem loco *Moto* dictam. Sunt & qui Arebo Daphnitẽnque probent. Cæterùm *Gizi* quam vocant in omnibus Cinnamomo similem esse superiùs quoque diximus. Hæc est quæ ab aromatum peritis perinde atque Cinnamomum assiduè venditur. Quanquam Andromachus iunior Casiam à quibusdam fistulam appellatam imponendam arbitratur. Hæc omnibus cognita est. Nam & vtiliùs cæteris venditur. Cuius exterior cortex fistula appellatus, quia obuolutus ipsam repræsentet, saporem & odorem validum habet. Interior autem pars debilis adeò est, vt nullum vsum præstet. In carminibus itaque Patris [quorum narrationem habes lib. 1. de antid. cap. 10.] Casiæ nomen absolutè pronunciatum est. In soluta verò Filii oratione fistulæ nomen Casiæ adiectum est. Atque ab eo series per eos qui ante nos theriacam imperatoribus composuerunt, in nos vsque deriuata, fistulæ nomen nunc vsque appositum seruat.

Quomodo duplum substitui alteri debeat: & quando non.

Casia Cinnamomo genere proxima.

Gizi. Moto. Arebo. Daphnites.

Item de Theriaca ad Pisonem cap. 12. Casiæ cinnamomíque non modica est differentia, quæ plurimos fallere consueuit. Nam & adulteratum cinnamomum licèt vero sit simile, gustu tamen & olfactu multò deterius esse deprehenditur, atque à Xylocinnamomo differt, quòd lignea hoc plùs sit, durioréſque ramusculos habeat, nec tam benè redoleat. Nam verum cinnamomum illud quod in montibus nascitur, nec subtile, nec longum cùm sit, colorem habet ad modicam rubedinem magis tendentem, reliquum autem aliquantulùm nigricat, & veluti quasdam fibras habet. Aliud reperitur cinnamomum planè albicans, fragile, non durum, nec magnam radicem habens. Est & aliud russæ Casiæ simile, redolens & leue. Omnibus tamen præstat id, quod ab incolis Mosyllum appellatur, colorem habet cinereum, virgas paruas & subtiles, ramos densos, odorem vehementer redolentem: hoc nos præcipuè seligere consueuimus, cùm & odoratum suauissimum, & gustatum acre & mordax valdè appareat, mansúmque Rutam imitari videatur. Leue est etiam, & frangi facilè potest. Casia quoq;

Cinnamomum adulteratũ. Xylocinnamomum.

Cinnamomum albicans. Russum & redolẽs. Mosyllum.

Ruta sapore.

Digitized by Google

& ipsa, nisi quis in indicando peritus existat, fallere sæpenumerò consueuit. Nam extat quædam falsa Casia, quæ quidem similis veræ plurimum est, sed tam benè non olet, & medullæ corticem adhærentem habet. In summa verò, quæ censetur optima, modicè rubet, rosam spirat, gustata linguam implet, concaua est, vinum refert, & valdè redolet. Zigerum nonnulli hæc nuncupatur. Denique lib. 6. de Comp. Med. cap. 9. in Dentifricio: Si, inquit, odoratum esse velis, Casiæ aut Amomi drachmas illas admisceto: Si verò in Regis vsum præparaueris, cinnamomi drachmam addito. *Hactenus Gal.*

Casia falsa à vera differentia. Optima Zigir. Casia Cinnamomum.

Apud Actuar. de Comp. Med. in pastillo contra vitia ilcolorum legimus: tenuis Cinnamomi, casiæ duplicitæ singulorum drachmæ, cuius & denuò meminit in pastillo è Capparibus.

Cinnamomum tenue.

Aetius Cassiam (ita enim vocat) eligi præcipit fuluam, boni coloris, corallium referentem, arctam valdèque longam, crassam, fistulis plenam, gustu mordacem & astringentem cum quodam aromatico feruore, vinum redolentem. Verùm purpuream & crassam *zigir* appellatam, Rosam odore referentem, ad Medicum vsum maximè aptam esse: quod cum ex Diosc. & Gal. sumpserit, atque & ipsum ex Diosc. desumpsisse dubium non est.

Casia duplicata. Delectus Cassia. Zigir.

Athen. ex Mnesimacho in eximio illo apparatu cœnæ inter alia hęc refert:

Casiam vrunt adulteram ab Asiatica terra, nempe maritimis Syria:
Nares procul vnitus odor quatit
Cinnamomi.

Philostratus in vita Apollonii, in hac parte Caucasi montis, quæ in mare rubrum porrigitur, nasci Cinnamomum scribit, quod nouis sarmentis assimiletur. Cuius bonitatis experimentum è capra suscipiant. Si quis enim Cinnamum porrexerit, tanquam catulum admurmurare, hominemque relictò ouili sequi. Quod si propiùs ad nares admoueatur, non secùs acclamare, quàm si pabulo vi abstraheretur.

Aetius septem genera enumerauit, gentile nomen à locis, quibus nascuntur referentia. forsitan sub hac mentione complexus *Cinnamomum*, quod Pseudocinnamomum dicitur: omnibus tamen prætulit *Mosylon*.

Aetius septem genera.

Hermol. putat Balsamoden esse, quam Diosc. Zegir & Gal. *Gizir*, Aetius *Ozen* vocarunt. Pachnoides Cassia fortè eadem sit cum Daphnoide Mangonum Plinii, quam Daphnitim à mercatoribus vocari scribit Diosc.

Balsamodes. Pachnoides Cassia. Daphnoides Nota.

Notandum, si quando Cassiam Syringam, hoc est, fistulam, in Antiquis Scriptoribus legere contigerit, non pro ea capiendam Cassiam fistulam hodie dictam, sed aromaticam.

Habes Veterum placitorum congeriem de Casia & Cinnamomo, quos tamen nec cumulo fidem, nec narratione sua scientiam nobis peperisse videas certam: quin potiùs plus quærendum reliquisse, nósque adeò inopes inter ignotas opes deseruisse. Nihilò enim minùs vel peritissimus quisque (nisi sibi vehementer præsumat) hodie etiamnum quærat: Quid est Casia & Cinnamomum Veterum?

Auctorum incertum studium Veterum De Casia & Cinna.

Mirum verò non magis perspectam fuisse Casiam aromaticam & Cinnamomum Arabicis Scriptoribus, quàm Græcis & Latinis. Serapio enim nihil de iis tradit, præter ea quæ Dioscor. & Gal. scripsere, vt videre est cap. 256. vbi Cinnamomum ei dicitur *Darsem*: & cap. 291. Casia lignea *Selykha* vel *Selcha*. Idem etiam patet ex Auic. lib. 2. tr. 2. cap. 127. Quo loco Cinnamomum *Darsini*: & cap. 154. Casia *Salibacha* vocatur.

Non dum cognitum quid sit Casia & Cinnamomum Veterum. Darseni & Salibacha Auic.

Sed paucis, quid in citatis Veterum scriptis notandum sit, videamus. Ac primùm quod Auic. & cæteri ferè omnes eum secuti in Arabia & Aethiopia nasci tradunt Cinnamomum, vel falsum esse dubium non est, vel sanè nostrum Cinnamomum Cassiámve neutiquam intellexisse. Verùm, vt scribit Garcias, tam longa difficilique via petebantur olim hæc aromata, vt perfectam eorum notitiam consequi Veteribus haud facilè fuerit. Hinc factum, vt innumeræ fingerentur fabulæ, quas Herodotus pro veris refert. Et quoniam ingens eorum erat pretium, maiórque in hominibus lucri cupiditas, adulterabantur aromata, & hac ratione fiebat, vt diuersa illis inderentur nomina, tametsi plerumque eiusdem essent generis. Propter locorum igitur distantiam, & minùs frequentatas regiones Indicas ac Americanas regiones a Negotiatoribus, probè cognita Casiæ & canellæ Historia Veteribus non fuit. Nam qui eam Ormuz & Arabiam deuehebant, Chinenses erant, ex Ormuz, deinde in Alep emporium totius Syriæ nobilissimum ab aliis Negotiatoribus transferebatur. Qui verò inde ad Græcos deportabant, aut apud se nasci, aut in Aethiopia dicebant, multisque cum superstitionibus cædi, vt suprà ex Theoph. & Plin. retulimus.

Veteres perfectam Cinnam. & Casiæ notitiam habere non potuerunt. Herodoti fabulas credit in Thalia.

Cæterùm neque Casiam neque Cinnamomum apud Aethiopes, aut Arabes nasci, Lusitanorum nauigationibus palam factum est: qui licet totam illam oram circumlegerint, magnáque ex parte terrestri itinere peragrarint, nullam tamen casiam aut cinnamomum vidisse affirmant. Huc adde, quòd ipsimet Arabes *canellam* dictam ex Indiis petunt, cuiusque pretium apud illos intenditur, quotiès bis è non defertur. Licet aliquis, canellam quidem apud eos non nasci, & propterea ab Indis petere, sed legitimâ Casia, & vero cinnamomo eos non carere, fortè autem à Barbaris & incondius populis ignorari. Familiares habeo (subdit Garc.) eruditos viros Medicos Arabes, Turcas, & Corasçones, qui omnes canellam crassiorem, *cassiam ligneam* appellant. Præterea nonnulli ex nostris totam Aethiopiam sub Aegypto (quam nunc Guineam vocant) non solùm secundum mare, sed & in Mediterraneis peragrarunt, alii ab insula D. Thomæ nuncupata vsque ad Sofala & Mozambique, & inde Goam penetrantes, alii plerique à promontorio Bonæ spei cùm naufragium passi essent) vsque ad Mosambique & Melindam, ita vt vtramque Aethiopiam supra & infra Aegyptum perlustrarint, nulla tamen his conspecta est Canella vel cassia. Cùm igitur orbis nunquam ita fuerit cognitus, vt nunc est, præsertim Lusitanis, verisimile est non defutura huiusmodi aromata & celebria medicamenta, qualia sunt cinnamomum & casia: sed abundantiam ipsam, hanc nobis dubitationem parere. Neque enim (tametsi nostri minimè curiosi fuissent) credendum ipsos incolas tam nobilia aromata celaturos. Nam quemadmodum barbarissima Gens, quæ insulam D. Laurentii incolit, mercatoribus, qui eò interdum deuehuntur, fructum quendam Auellanæ magnitudine ostendit, qui Caryophylla redolet: eadem ratione credendum Aethiopes cinnamomum & casiam (adeò odorata medicamenta) nostris ostensuros fuisse.

Casia & Cinnamomum non in Arab. nec in Aethiop. nasci. Canella crassior. Canella à Turcis. Guinea. Promontorium Bonæ spei. Caryophylla redolens fructus.

Sed quid opus est verbis? dubium non est, Aristotelem, Theophrastum, Solinum, Strabonem, Dioscor.

Dioscoridem, Plinium, pleráque quæ de Cinnamomo & Casia prodidêre, ex aliorum relatione, non quòd ipsimet vel in Arabia vel in Aethiopia viderint, tradidisse.

Plin. not.

Insulsè quoque Plin. vt rectè notat Dal. apud Aethiopas nasci tradit, mox subiungens Aethiopas mercari à conterminis. Si enim apud illos nascerentur, ab aliis non emerent. Multò magis etiam oscitat: cùm per vasta maria eas merces Aethiopas vehere scribit. Nam si contermini sunt, qui vendunt, Nauigatione tam longa quorsum opus est?

Alter Plin. error.

Vt nunc, ita & olim, è Moluccis in superiorem Indiam Cinnamomum vehebatur, mercimonium id potissimùm exercente, quæ ad rubrũ mare iacet, Aethiopium Gente, quos Abyssinos vocamus, ob commodam Oceani propinquitatem: quæ res Plinium fefellit. Ergo per eos qui in Arabiam vehunt, non Aethiopes, sed Chinenses potiùs apud Plin. intelligendi.

Plin. ill. lustr.

Imnò etiamnum hodiè teste Garciâ interrogati Chinenses, cinnamomum casiam in Ormuz aut in Arabiæ oram maritimam aduehentes quænam essent hæc aromata, & vnde ea adueherent, fabulas illas narrabant, quas recenset Herodotus, vt his commentis earum mercium pretia augerẽt. De qua re plura dicentur postea vbi de de nostra casia & cinnamomo tractabimus.

Nunc videamus quid in Veterum scriptis occurrat quod nostræ casiæ & cinnamomo minùs competere videatur, & quæ præterea in iis notanda vel censenda occurrant.

An Veterũ Cinnamomum & Casia sint nostra quæ hodie in vsu.
Collatio Cinnam. Veterum cum nostro.

Ac primò sanè non nullis at friuolis inniti videntur rationibus qui casiam & cinnamomum Veterum nostrum, quod vtrumque in officinis hodie passim habetur, esse volunt. Nostrum profectò cinnamomum non potuisset ab auibus in nidos concinnari: neque verisimile est eos esse surculos de quibus Aristot. & Theophrast. & reliqui agunt: non enim sunt surculi, sed cortices crassorum ramorum, aut fortè etiam truncorum. Neque colligi nostrum ex virgultis [quod Theophrast. ait] satis apparet corticum circumuolutionibus, quæ apertè demonstrant ex crassis arborũ vel brachiis vel truncis fuisse detractos, vti dictum. Quod Theophrast. & Plin. tradunt, lignum Casiæ à vermiculis excauari, cortice incolumi & illæso ob suam amaritudinem, id fabulæ sanè similius quàm vero: & Dalechamp. apud Plin. aliique apertè fabulosum esse clamitant. Deinde quis credat nostrum Cinnamomum aut casiam ex arbuscula Viticis magnitudine, vt inquit Theophrast. decerpi? Præterea quis nostro Cinnamomo tribuat odorem Rutæ, quod facit Dioscor. & Gal. Quanquam quando Rutæ aut Cardamomo confert, quæ nihil minùs quàm similia sunt odore, mendum ibi aliquod subesse possit. Coniecturam nostram suprà diximus, quamuis valdè vereamur ne inanem. Et quamuis montanum cinnamomum crassum dicam, tamen ne illud quidem nostrum esse posse videtur: addit enim & pumilum esse. At nos supra hominis altitudinem & crassos corticosos videmus interdum bacculos, quid igitur de eorum statuemus arbore?

Theophr. & Plin. not.

Plin.

Plinius folio Origani dicit: posteritas foliis Citreæ Mali, aut etiam Piperis, quemad. in vulgatis habetur exemplaribus.

Galen. not.

Galenus id cinnamomum quod maximum pedis Romani dimidium non excedere ait: nostrum, quanta sit longitudine, nemo nescit. Quamuis ipse etiam Gal. parum sibi constare videatur, ac modò arborum, modò fruticum genere comprehendisse. Iam verò si casia aliquando in cinnamomum vertatur, quod idem scribit, quis ritè philosophantium speciẽ differre credat, nisi & credat, species in se inuicem transmutari?

Tales & multæ aliæ difficultates, quas breuitatis causa hoc loco omittimus, [aliquando latiùs in discussionibus Botanicis D. F. explicandas] occurrunt in Veterum de casia & Cinnamomi historiis.

Ne tamen prorsus eorum cinnamomum aut casiam nostro seculo incognitam credidisse videamur, fatendum casiam fistulam Galeni haud temerè nobis videri in quibusdam nostro cinnamomo siue Canellæ vulgari respondere: sed eius mutationem cinnamomi in casiam ingenuè confitemur nos nulla ratione intelligere aut comprehendere posse. Quæ autem Aristoteles & Theophrast. de cinnamomi surculis & virgultis, Dioscor. de virgis, Galenus de ramis Ellebori aut Damasonii figura atque virgultis tradit, possent conuenire cum ramis & surculis Folii Indi vulgò dicti, quod cum suis partibus descripsimus c. de Malabathro putato.

Casia fistula Gal. nostro Cinnamomo in quibusdam respondet.

Folium Indum vulg.

Nunc vires casiæ & cinnamomi Veterum subiiciamus, vt ne quid temerè nostris tribuamus, quæ an cum Priscorum sint eadem, nos adhuc incertos esse fassi sumus: quamuis ab iisdem traditæ vires, nostris etiam competere posse neutiquam dubitemus.

Cassia, autore Dioscor. vim habet calfaciendi, vrinas mouendi, exiccandi & leniter astringendi. Conuenit ad ea medicamenta, quæ exacuendæ oculorum aciei gratia concinnantur, & ad malagmata. Lentigines tollit cum melle illita, menstruáque ciet. Quin & à vipera demorsis pota auxiliatur. Confert & epota internis inflammationibus omnibus, renibúsque affectis. Prodest quoque fœminis tum insessu tum suffitu ad vteri dilatationem. Si desit cinnamomum, huius duplum medicamentis admistum eadem quæ illud præstat. Est denique ad multa perquàm vtilis. Cæterùm suspectum nobis est quod Dioscor. ait, internis inflammationibus omnibus epotam prodesse, quam tamen calidam & siccam tradidit. In Græco est: πρὸς τὰς ἐντὸς φλεγμονὰς πάσας ποιεῖ. Malimus equidem πρὸς τὰ ἐντὸς φλέγματα &c: ad internas pituitas, cùm & huius offarctus eiusmodi medicamentum talique modo sumptum egregiè liberare consueuerit. Iudicium esto Doctiorum.

Cassiæ & Cinnamomi Veterũ Vires & vsus.
Oculorum acies.
Lentigo.
Menses.
Vipera morsus.
Inflammationes.
Vterus.
Cinnam. suffit.
Dioscor. corr.

Pergit Diosc. Cinnamomum omne vim habet calfaciendi, vrinas ciendi, emolliendi atque concoquendi. Menstrua quoque ac fœtus pellit cum Myrrha, tum epotum, tum & appositum. Contra bestias quæ virus eiaculantur, venenáque conuenit. Quæ pupillis caliginem offundunt, discutit, calfacit simul & attenuat. Illitum ex melle, lentigines & maculas à Solis ardore contractas exterit. Facit & ad tusses, destuxiones, hydropem, renum vitia, vrinæque difficultatem. Quin & vnguentis pretiosis admiscetur: ac in vniuersum ad multa est vtile. Quò diutiùs duret, tritum vino excipitur, in vmbra siccatur, atque ita reconditur.

Cinnamomi Vires & Temperam.
Menses & fœtus.
Morsus venen.
Caligo ocul.
Lentigo.
Tussis.
Catarrhus.
Hydrops.
Renum vitia.
Repositio.

Cinnamomi vnguenti descriptionem habes apud eundem Dioscor. lib. 1. quod hic non ponimus, quia & ex multis aliis constat, & in vsu hodie non est.

Galeno Cassia exiccat & excalfacit tertio quodammodo ordine: sed & tenuium admodum partium est: gustu verò plurimùm habet acrimoniæ: leuiter quoque nonnihil astringens. Quamobrem hæc omnia incidit, simúlque digerit, quæ in cor-

Temperamentum.

pore sunt retrementa, & adhæc robur etiam intestinis addit. Idoneam verò etiam suppressis *Menses.* mensibus, cùm videlicet ob copiam simul & crassitudinem excrementorum, quod sufficiat euacuari nequeunt. Cinnamomum summè tenuium *Cinnam. temperam.* est partium, non summè tamen calidum, sed ex tertio ordine. Nihil autem æquè desiccat eorum quæ pari sunt excalfaciendi facultate, propter tenuitatem scilicet essentiæ. At *Cinnamomum* *Cinnamomus.* est velut *imbecillum Cinnamomum.* Nonnulli ipsam *pseudocinnamomum* nuncupant.

DE CINNAMOMO ET CANELLA VVLGARI.

Canella seu Cinnamomum vulgare.



Cinnamomi arbor Theueti.



Descriptio INter omnia aromata notissimum, pretiosissimum, suauissimum, vsúque frequentissimum vulgò Cinnamomum & Canella dictum, in nostris Officinis variat magnitudine, spissitudine & colore. Alii tubi cubitales, alii sesquicubitales, longiores, breuioresque alii, alii digitali crassitudine, alii brachiati, nunc singulares, nunc veluti gemelli ab vna parte: parietibus modò sextante vnciæ crassioribus, modò chartæ lusoriæ crassitudine respondentibus, infinitisque modis inter hæc extrema variantibus, texturâ lignosâ & fibrosa, fragili tamen. Est & vbi sæpè in longum secundum lentas fibras findi possunt. Superficies rugosa interdũ, aliquando polita & læuis, nonnunquam veluti zonulis præcincta, nodis quandoque tuberosa.

Coloris varietas. Color ruber, ferrugineus, vel fuscus, & vterque mistione infinitâ varians, rariùs cinericeus, idque non vbique, sed obiter hinc inde respersus. *Sapor.* Sapor acriusculus, subdulcis, suauis & aromaticus, sed cùm sit partium tenuium non ita multò pòst euanescens, cui etiam respondet *Odor.* odor, sed exterior si teratur manducatum in puluerem quodammodò facessit, lentoris non participem.

Cordus *Cinnamomi characij*, id est, visualis; & casiæ aromaticæ genera sibi cognita sic describit. *Cinnamomi characium.* *Cinnamomum characium*, quod nunc vbique *cinnamomum* siue *canella* vocatur, cortex est rectus, longitudine cubiti, aut maiore, fistulæ aut canalis modo concauus, colore in fusco rubescens, cuius crassiores & inferiores partes, alio cinereo, tenui & scabriore cortice vestiuntur, qui, quoniam inutilis penitùs existit, deraditur: baculi autem arboris, à quibus deglubitur, pollicis aut digiti crassitudine sunt. Saporem habet valdè acrem, non cum molestia pungentem, sed iucundum, & supra omnia aromata, suaui acrimonia linguam titillantem. Odorem item suauissimum, siue gustetur, siue aliàs tritum, aut confractum naribus admoueatur, spirat. Optima autem est interior *Delectus.* corticis pars tenera, & in longum fissilis: exterior enim scabrior existit, & remissiori acrimonia, eáque simul adstringente constat: quod verò cortice continetur, lignum inutile est, ideóque ab in- *Lignum.* colis, vbi nascitur, abiicitur. *Casiæ* apud Veteres multæ, quemadmodum etiam cinamomi, genera *Veterum Casiæ & cinnamomi genera deleuerunt.* cognita fuerunt, quæ multis seculis iam delituerunt: iam verò tria rursus afferri cœperunt. Est autem quodlibet horum Cinnamomo similis frutex aut arbuscula, quatuor plerunque, aut quin- *Casia arbuscula.* que cubitorum altitudine, tectis caudicibus & ramis adolescens, duorum pollicum, aut vnius crassitudine: superiores verò ramuli graciliores sunt. *Folia Lauri aut Citri.* Folia habet densa, Laurinis similia, multò tamen maiora, ad Citri potiùs folia accedentia, vtrinque fastigiata, ternas indiuiduásque venas per longitudinem transeuntes habentia, quarum media crassior rectaque est, reliquæ duæ leniter curuantur, eæque à tergo eminent, & euidentiores sunt, quàm intus. Fructus fert Laurinis baccis similes, *Fructus.* minores tamen & rubentes, calycibus, seu capulis glandium modo insidentes, qui rarissimè adferuntur. Cortices verò eius, qui iam adferuntur, *Cortices.* longitudine cinnamomo characio similes sunt, crassiores tamen & nigriores, præsertim duo priores: quorum vnus saporem habet acrem & *Sapor mixtus.* aromaticum, veluti si quis cinnamomum Galangam & Caryophyllos æquis portionibus misceat, modicè insuper glutinosum: alter verò paulò remissiorem, glutinosum in gustu lentorem, instar Symphyti, reddens. Tertia species gracilior existit, colore & forma ad Cinnamomum accedens, cui etiam saporem similem habet, sed remissiore acrimonia & glutinoso lentore leniter adstringentem. Quæ verò passim iam in omnibus Pharmacopoliis habetur, appellata *cassia lignea*, adul- *Cassia lignea.* terina est, & à præscriptis diuersa penitùs: radicis enim cuiusdam cortex existit, nullum fatu dignum saporem, præter adstringentem habens.

Et in Comment. ad Dioscor. idem Cordus scribit: *Casia* siue *cassia* multiplices habet differentias. *Casia, cassia.* Est autem casia Diosc. Cinnamomo cognata arbuscula, cuius ramuli & surculi si cum ipso cortice ligno adhuc inhærente vendantur, Xylocassia ap- *Xylocassia. Cassia Syringitis.* pellantur, cùm verò exempto ligno cortices tantùm adportantur, cassiæ Syringitis vel Syringis nomine veneunt, quoniam excauati cortices fistulæ similitudinem habeant. talis est *cassia fistu- Cassia fistula Antiquorum. la* siue *fistularis cassia* Antiquorum: Arabes aliam introduxerunt. Veterum cassia fistularis siue lignea multis surculis in Europa visa non est. Iam *Aliquot species cassia hodie adferũtur.* verò quorundam diligentiâ factum, vt aliquot eius species rursum adferantur: sed tanta est quorundam Pharmacopolarum ignauia & pertinacia, *Pharmacopolarũ ignauia.* vt

Digitized by Google

vt eam sibi non compararent. Habet autem hæc casia tantam cum cinnamomo similitudinem, vt alterutra in aliam non raro degeneret. vt Gal. scriptum reliquit. Itaque difficile est etiam ipsius cassiæ species dignoscere. Porrò cinnamomi species non pauciores quàm Cassiæ sunt. Optimum autem est, quod Gal. locis suprà cit. describit: tali verò hodie omnino caremus. Hactenus enim ex omnibus eius speciebus tantùm vnum illud ad nos in Germaniam allatum est, quod Arabes *Darseni*, & Græci *Charactum*, hoc est, *vallare* vocant: propterea quod bacculorum crassitudine vallos æquet. Quidam opinantur nos in vniuersum *Cinnamo* carere, & vocatum vulgò *Cinamomū* siue *Canellam Casiæ* potiùs speciem esse. Quum verò tam cinamomi quàm casiæ plures sint differentię, inter se valdè cognatæ, temerarium esset pronunciare nos in totum quouis Cinnamomo destitui. Cinamomum autem, vt hodie adfertur, cortex est, siu fruticis, canali conuoluto similis; ideò Canellam aliqui vocant. Maximè verò errant illi, qui Cinnamomum credunt Caryophyllos & Nuces Moschatas ferre. Neutram enim fert, sed paruum fructum glandibus in acetabulis suis calyculis adhuc hærentibus similem, multò tamen minorem. *Hactenus Cordus.*

Cinamomi species. Cinamomo optimo Gal. caremus. Quale hodie adferatur. Darseni Charactū. Canella vulg. an Cinnam. Cassia. Canella vnde. Caryoph. & Nuces mosch. non sunt fructus Cinamomi. Cordus not.

Sed siquidem tam confidenter casiæ arbusculā describit, nec vbi viderit, vel à quo didicerit monet, tam sibi quàm nobis iniuriam facit. Si ex Veteribus tantùm desumpsit, quod fecisse videtur, debuit indicare. Saltem docuisset ex quo desumpserit descriptionem foliorum suæ Casiæ. In India non fuit, nec vidit in arbore. Suspicamur eum describere folia nostri *Folii Indi* vulgaris. Sanè fructum glandi similem existimamus esse eiusdem Folii Indi dicti, vt antè cap. de Malabathro dictum. Mirum verò ab eo non obseruatum *Cinnamomi* siue *Canellæ* vulgaris tubos plerúmque tantos, vt euidenter appareat, ex maioribus ramis detractos quàm pollicaribus.

Sed vt ad arboris *Cinamomi* descriptionem propiùs accedamus, scribit Garcias *Cinnamomum* siue *Canellam* arborem esse magnitudine Oleæ, interdum minorem, multis ramis præditam, non iis quidem contortis, sed rectis fermè: foliis Lauri quidem colore, sed formà ad Citri folia accedente [non foliis Iridis, vt fabulosè quidam scripsere] floribus candidis, fructu nigro & rotundo, Auellanæ magnitudine, aut exiguæ Oliuæ simili. Est autem *Canella* nihil aliud nisi secundus & interior arboris cortex, (In nostra sanè Canella interdum inuenies fragmenta quæ non videntur interior ille cortex, sed omninò superior cinerea quodammodo pellicula obductus. Plerique tamen tubuli delibrati & crassiori inæqualique cortice denudati videntur. Cl.) nam hæc arbor duplici cortice munita est veluti Suber, non eo tamen adeò crasso & distincto. Exemptus ergo cortex crasso illo & exteriori libro repurgatur: deinde in laminulas quadrangulas sectus humi abiicitur, atque ita per se conuoluitur, vt trunci vnius rami integer cortex videatur, cùm tamen partes sint duntaxat corticis in tubulos digiti crassitie conuolutæ: truncus verò interdum femoris crassitudine reperiatur. Ipsum autem illum, siue ex cinereo vinosum colorem Solis calore contrahit: qui, non probè paratus, candicans siue cinerei coloris fit: nimiis verò ardoribus Solis adustus, niger. Adempto cortice tribus postea annis ab ea arbore abstinetur. Frequentes sunt hæ arbores in Zeilan, Solebátque vili emi *Canella*: sed triginta abhinc annis nemo eam emere potuit, præter

Arbor Cinam. descr. Garcia. Folia Lauri & fol. Citri colore. Flores Fructus. Canella quid. Modus siccandi Cinnamomum. Truncus quantus.

Procuratorem Regiorum negotiorum, *Factorem* vocant. Zeilanicis minores sunt eæ quæ ignobiliorem *Canellam* præbent in prouincia Malauar, in Ioa siue Iaua: non tamen adeò pusillæ, vt eas Plin. & Gal. censent. Sunt verò omnes syluestres & sponte nascentes.

Plin. & Gal. not.

Garciæ circa descriptionem arboris folii, floris, fructus & corticum consentit Linschottanus. At Theuetus partim eidem assentitur, partim ab eo non parum discrepat. Quippe in Cosmogr. sua narrat ab insulæ, quæ *Moneriquę* dicitur celebriores esse Cauit & Subanin, propè quas optima *Canella* prouenit, quam Maluarici *Cais-mani* appellant, quæ vox dulce lignum significat. creditque Theuetus corrupto inde nomine Cassiam ligneā vocitasse. Ac reuera Veteres plerique, insitile, existimarunt arborem, quæ *Cassiam* & eam quæ *Cinnamomum* & *Canellam* fert, eandem planè esse, quod falsum est, etiam si Garcias id quoque asserere voluerit: tantùm enim differt hæc ab illa, quā tùm glandifera arbor à Castanea arbore. *Canella arbor* in montibus nascitur, Lauro nostrati similis, cuius ramuli duntaxat, & tenuiores surculi statō anni tempore Regis iussu amputantur & væneūt. Ramulis multùm brachiata est, in quorum extremis flores sunt parui, quibus Solis feruore statim flauescentibus & delapsis succedit fructus ferè rotundus, Nucis auellanæ magnitudine, ex cuius nucleo oleum exprimitur, inodorum, nisi sit igni excoctum. *Canella* quæ ad nos aduehitur: secundus est arboris cortex, qui dissectus in sese conuoluitur, & colorem mutat. Radix vilis est, nec non succus qui ex arbore manat.

Locus. Veterum error. Garcias not. Canella arb. desc. Theueti Lauro similis. Nuclei o... Canella.

Lud. Rom. quoque cinnamomi arborem Lauro foliis & baccis similem tradit, & eius ramorum, (non truncorum) corticem, tertio quoque anno delibratorum.

Cardan. item *Cinnamomi* partes omnes per omnia similes esse Lauro scribit: iccirco Laurum esse Indicam. In Zeilam nasci cinnamomum, & in Mutir vnà ex Moluchis. Nullum gerere fructum. Aestu corticem findi atque absistere. Bis in anno deglubi: dulcem primùm: mense postea perfici. Iccirco ibi *Caunama* vocari. *Cau* namque lignum significat: *Nama*, dulce. Tam propinquus etiam nunc vocis sonus est vocabulo nostro. Et Syri affini voce, *Chamam* dicunt. Vt queri iam desinant nostri seculi medici, cinnamomum nobis incognitum: cùm sit hoc aliud, quàm quod describitur à Galeno. Sed Cardanum reprehendens Scaliger, eum falsi etiam accusat. Profectò inquit Scal. quale prodit ille nusquàm comparet. Mirum sanè. Sed mirum magis, in toto terrarum ambitu atque complexu, qui nunc nobis vniuersus notior, quàm ipsi domus sua fuerit, apud tot reges Aethiopum, Arabiarum, Persiarum, Indiarum omnium, nulla in insula, nullo in Continentis angulo latère, meditullio reperiri. Non Othomanus ipse, cui lac affluit gallinaceum, suam Theriacam vero Cinnamomo perfici curarit.

Laurus Indica. Caunama. Etymo. Chamam. Veterum Cinnamomum hodie incognitum.

Dioscor. optimo nigrum statuit colorem, vinosum, subcinericium, Mossilitiæ casiæ simillimum. Acutum vult, mordacem, læui superficie, non sine aliqua salsedine, lenta fragilitate, non sine puluere. Quæ omnia nisi in istis fistulaceis corticibus inuenias, non inuenias in mari salem. Quanquam de cinnamomi salsedine non subscribo. Cùm igitur à locis in duas species Canellam partiantur, Zeilanitam & Mutiream: priorem puto esse *Casiam*: crassior enim est: hoc quod è virgultis eximitur exilioribus, *Cinnamomum*.

Videtur Diosc. Cinnam esse nostrum. Duæ Canellæ species. Zeilanita. Casia. Sc. Mutirea. Cinam. Scal.

Cinnam. descriptio Amati.

Amatus refert, se audiuisse à quodam qui viginti annos in Zeilam egerat, Cinnamomum esse arborem, quatuor ferè cubitos altam, crassitudine brachiali, sex vel septem è trunco mittentem ramulos, qui singulis annis amputantur, atque iterum pullulant: quorum cortex, qui cinnamomum est, vt tenuissimus ita maximo in pretio habetur, colore exteriore subrufus, rugosus, cum quadam nigredine: Nam intùs cinericeus conspicitur, odore suauis, gustu acer ac mordax. Folia quibus arbor hæc vestitur, Nucis Iuglandis esse dices, quæ in Offic. pro Malabathro, falsò tamen venduntur. Hæc enim cinnamomo nostro [inquit ille] ita respondent, & à Gal. tam sæpè descripto, vt nullum aliud vnquam cinnamomum extitisse crediderim. Proinde rectè mea sententia Seplasiarii, nostro cinnamomo pro vero & Græcorum Cinnamomo vtuntur. Quare nullo opus habemus duplo casiæ pondere, cinnamomi loco, quum cinnamomo vero abundemus. Argumentum verò quod Recentiores adducunt, vt credamus, nos vero carêre cinnamomo, ex Gal. verbis desumunt, quæ si quis penitùs animaduertat, inueniet Galenum non quidem asserere suo tempore Cinnamomum venale non prostare, sed potiùs quum sex cinamomi genera passim ferebantur, vt faciliùs quis bonum à malo discerneret cinnamomum, opus erat Imperatorum cinnamomum optimum, tanquam regulam & cotem videre, & cum eo conferre. Sed quòd regium magis quàm aliud nominet Cinnamomum, illud videtur in causa esse, vt integras cinnamomi arbores, vt in orbe alieno, apud Imperatores stare indicaret. Tacebunt deinceps Scribentes ac Medici, nec ampliùs verum desiderabunt cinnamomum, quum eo nos abundare in confesso sit. Indici gentiles quum arbores exorticant, vtriusque [casiæ cum cinnamomo] cuius, teste Gal. magna confinitas, nullam faciunt differentiam, sed indiscretè casiam cum Cinnamomo in fasciculos redigentes ad nos mittunt. Omnes tamen Neoterici *canellam* siue Offic. *cinnamomum*, Græcorum casiam esse opinati sunt.

Iuglandis folia. Malabathrum. Cinn. Gal.

Cinnamomo secundum Amatum abundamus.

Amatus præterea scire se tradit, in vastissimis capsis canella refertis, quæ ex India Antuerpiam afferebantur, & *casiæ* & *cinnamomi* omnia penè reperiri genera, vt qui hæc quoque curiosè quæsiuerit, inueniet. Est tamen Cinnamomum nonnullis internodiis ornatum; ad nigredinem rubens, sapore acri, linguam maximè vellicans, odoratissimúmque: vnde fit, vt eius loco casiæ duplici pondere, vt olim Quintus præcipiebat, minimè opus habeamus, quum cinnamomo maximè abundemus. *Casia* verò coralli modo rubet, nec linguam ita intensè vt cinnamomum erodit, sed cum acritate quadam adstringit, cuius maior copia quàm cinnamomi semper comperitur. *Hec Amatus,* qui dum Cinnamomi folium id putat quod in Offic. pro Malabathro venditur, perperàm id cum cinnamomo confundere videtur, cuius etiam lignum Matth. cinnamomum dicitur: quod an cum canella vulgari adferatur nescimus. Minimè putamus Folium Indum vulgare esse ex arbore canellæ.

Casia copiosior eadem.

Amati err.

Granato similis canella arbor.

Aliter à prædictis & infrà scriptis Authoribus omnibus de *canellæ* arbore scribit Histor. Portug. author: Eam inquiens, in Molucis insulis ex arbore valdè simili Granato esse, cuius cortex vi Solis findatur: deinde detractus mundetur ad Solem.

Maximil. Trans. quoque epistola de Moluccis insulis cinnamomi arborem Punicæ mali similem fecit, quam rectè [inquit Clus.] nescio: eundem secutus Franciscus Gomara in Histor. General. capite 92.

Hermol. tradit non conuehi modò casiam, prætetquam rarissimè, inter Xylocinamomi fasciculos quandoque inuentam, nigritiæ argumento. Qui cur Cinnamomum vulgare Xylocinnamomum vocet, non adhuc percipimus. De casia eius nigra postea. Cinnamomum Veterum quod intelligat, non docet.

Hermol.

Marcellus de canella nostra nihil scribit, nisi quòd casiam nostræ ætatis nominet: verùm quid per Cinnamomum Veterum intelligat ne verbulo quidem explicat, vir alioqui doctissimus, sed in stirpium cognitione parum versatus.

Ruell. ex Hermol. eo tamen non citato, pleraque transscribit: is canellam nostram recipit pro Cinnamomo, sed definire debuit, quam intelligeret, & monêre se antea cap. de casia Xylocinnamomum vocasse.

Ruell.

Syluii sententia est, nos cinnamomo vero carere: nostram *canellam aut casiam* esse, aut *Pseudocinnamomi* speciem. *Et alibi*: cinnamomum inquit, casia dicitur, Syrinx fistula sæpè apud Gal. à purgatrice & Aegyptia diuersa.

Casia. Syrinx. Fist.

Fuchs. rarò putat cinnamomum ad nos afferri: quo enim sub hoc nomine vtuntur Seplasiæ magna ex parte cassiam esse: cuius folia Nucis Iuglandis foliis similia sint, & in Offic. falsò pro Malabathro vendi: quæ eadem descriptio apud Amatum habetur: suspicamúrque duas ab eo confundi plantas. Dixerat autem priùs, veram casiam quibusdam non videri esse nisi id, quod Nic. Myrepsus & alii *canelam* & *canellam* nominant. Sed haud dubiè in capsis canella refertis & casiæ & cinamomi genera reperiri.

Fuchs. err.

Canela.

Si proximæ & nostræ etiam [inquit Cornar.] ætatis homines, non indoctos illos, sed hac parte nimis curiosos sequemur, cassiam Diosc. & Veterum eam accipiemus, quæ hodie Cinamomum & *canula* siue *canella* appellatur. Cinnamomum autem verum nos non habere confitebimur, notas videlicet respicientes, quas ex illorum sententia, cassia Dioscor. habet, & canella hodierna præfert. At verò si vsum & longi temporis præscriptum spectare volumus, Cinnamomum & canellam hodiernam quæ optima est, verum Veterum Cinnamomum credemus, & cassiam esse eam, quæ Offic. adhuc cassia lignea appellatur, & à Græcis ξυλοκασία, itémque χασία σύριγξ & σύριγξ quod Diosc. dixit, fistulis plena. Hoc itaque ad dit Corn. nos faciemus, *cassiam ligneam* Offic. *cassiam veram* Veterum esse censebimus. Miramur verò Cornarium, contra Doctiorum sententiam retinere insulsam Offic. Cassiam ligneam, pro cassia. Si aromaticam intelligit, quæ non fuit vulgaris eius tempore, cur non docet discrimen?

Canela.

Veterum verum Cinnamomum.

Corn. err.

Anguill. discrimen agnoscit inter *casiam* & *cassiam*. *Casiam* Diosc. & reliquis Græcis, aromaticum corticem esse arboris nascentis in India, cuius variæ species ad nos non adferantur, sed solùm vnam bonam, quæ sit ex speciebus Dioscor. De *cinamomo* fatetur non posse se plura dicere, quàm quæ dixerit Diosc. & Gal. nec quid sit.

Matth. [inquit Hist. Lugd.] contra Veterum & Recentiorum omnium, qui de Cinam. & cassia scripserunt, sententiam, cinnamomum, lignum non corticem, esse ais. Sed inspiciamus quæ quid cita. Vt dicam [inquit] quid ego sentiam, si quis fistulam, quam Cinnamomum perperàm appellamus, & vulgò *canellā*, cassiæ generibus comparauerit, facilè nouerit vulgaris vsus Cinnamomum

Matth. err.

Canella vulgaris legitima Casia.

nam legitimam Cassiam procul dubio referre. Describit Gal. quoddam aliud deterioris cassiæ genus, quod tradit iuniorem Andromachum cassiam fistulam nominasse, cum fistulis sunt [illegible] canaliculatis, & crassi corticis: cuiusmodi in vulgari Cinnamomo frequentissima conspiciunt. Huius sane [illegible] esse generis, quam in suo conficiendorum Pharmacorum libello præfert Cordus, quod velit, Cassiam præter Dioscor. & Gal. sententiam lubrici esse gustus. [illegible] in Græcorum monumentis (excipio Actuar. & Nic. Myreps. qui à Mauritanis multa acceperunt) cassia aliqua inuenta fuerit, vel in Mauritanorum compositionibus à Græcis transcriptis, cassiam odoratam, à Dioscor. & Gal. descriptam semper adhibendam existimo. Cinnamomum quod legitimum sit, quanquam diu multumque tum Venetiis tum Neapoli, & apud mercatores, qui ferè quotannis in Alexandriam nauigant, diligenter conquisiuerim, nusquam tamen videre licuit, neque cur percipere potui, num hoc tempore apud magnos negotiatores, qui è Lusitania Indiam & Felicem Arabiam classe paratissima petunt, vel apud quempiam Principem Regem vel Imperatorem legitimum reperiri possit. [illegible] cum hac ætate cassiæ plurimum afferatur, quæ, vt Theophrast. & Plinius inquiunt, nascitur iuxta cinnamomi campos, sed in montibus, cinnamomi tamen nihil importetur. Quare non deest suspicio [illegible] omne ferè cinnamomi genus deperierit in Arabia, quemadmodum & Balsamum in Iudæa. [illegible] quidem enim scriptum Plin. lib. 12. c. 19. combustas iam esse plurimas cinnamomi syluas: Facile credi possit à Plinii æuo [illegible] quod cinnamomi reliquum erat; pariter vel Barbarorum bello, vel igne [illegible] tibus deperiisse. Nam si aliter se res haberet, qui cassiam ad nos deferunt, cùm multò plus lucri ex cinnamomo, quam ex cassia se consecuturos sciant, cinnamomum etiam vnà cum cassia inueherent. Verumtamen cùm non afferantur, [illegible] pertinet, an aliam ob causam, [illegible] manifestius referre [illegible] qui hoc tempore Liburnicis eò ad aromata conquirenda quotidie nauigant. Sed videtur Gal. satis perplexè de cinnamomo scripsisse. Nesciuerim explicare, quid sibi hac in historia voluerit, præsertimque cùm tam tenui ipsum sarmento esse tradiderit, vt Veratri vel Damasonii radicibus compararit. Sed illud etiam mirum videtur, quod ex cassia [vt ipse ait] cinnamomum oriatur, spectenturque nonnunquam cassiæ arbores integræ, in quibus aliqua cinnamomi virgulta è cassiæ ramis prodeant, cùm tamen cinnamomum & cassia diuersæ inter se sint plantæ. Nisi fortasse inter vtramque tanta sit generis cognatio, vt aliquando inuenta sint cassiæ virgulta, tanta odoris saporisque fragrantia, vt omni ex parte cinnamomi referrent, etsi legitima fuerit cassia. Præterea non desunt, qui putarunt, hac Gal. autoritate freti, cassiam & cinnamomum ex vna & eadem arbore prouenire: quæ dum pusilla sit, cinnamomum edat: dum verò adolescit, cassiam. Sed cùm dicit Gal. cassiam mutari in cinnamomum, non autem cinnamomum in cassiam, cadit communis sententia vel Theophrast. etiam sententia, qui (vt supra ostensum) docet diuersas esse plantas: licet de earum forma & proceritate nihil certi exploratique affirmet. Cæterùm cùm scribat Strabo Arabes, cinnamomo & cassia vti, ad ignem parandum, cæterorum lignorum loco, videntur hæ plantæ non esse adeò pumilæ, vt quidam (præsertim Veteres) scribunt. Quod de cassia facilè dici potest. Siquidem Venetiis cassiæ visuntur tantæ crassitudinis lon-

Cordus not. cassiæ lubrici gustus.

Cinnamomum legitimo hodie non inuenitur.

Cassia plurima affertur.

Combustæ Cinnamomi syluæ.

Gal. not.

Gal. locus explic. quo Cinnam. è Cassia prodire ait.

Quorundam opinio reiicitur.

gitudinisque, vt facilè quisque indicare possit eas è ramis, seu virgultis non sanè breuibus fuisse deceptas.

Lacunam etiam [illegible] quod dixit Galenus excellentem cassiam sæpius mutari in cinnamomum, cùmque cinnamomum sit perfectissima cassia, aromata verò omnia cum ætate deteriora euadant, amittendo multum de odore & viribus: itaque difficile videatur posse conuerti in rem magis perfectam & cardiacam, quàm per se sit: rationabiliusque esse cinnamomum mutari in cassiam. Sed imponit Lacuna Galeno, non enim dixit, nec intellexit, nostro quidem iudicio, cassiam in thecis repositam, aut à sua arbore auulsam, mutari in cinnamomum, sed cassiæ fruticem ramos quosdam cinnamomo penitus similes aliquando retulisse: & rursus alibi: spectari interdum cassiæ arbores integras, in quibus aliqua cinnamomi virgulta prodeant: quamuis equidem nec hunc modum in vna planta nos intelligere ingenuè fateamur. Porrò [addit Matthiol.] tametsi hactenus abundè probatum videatur, quod cassiam veram habeamus, desideremus autem optimum & legitimum cinnamomum: sunt tamen hac ætate Scriptores, qui non cassiæ solùm, sed etiam cinnamomi genera inueniri tradunt, inter quos extat Fuchsius, qui id lib. de comp. med. scribit. Sed quibus id rationibus, aut autoritatibus comprobet, non video: nisi hoc acceptum referat Amato Lusit. qui apud nos cinnamomi genera inueniri, atque etiam illud aroma notissimum esse contendit. Illud tantùm addam, quod nobis, qui cinnamomum lignum, non corticem, esse ostendimus, [illegible] Fuchsium, qui [illegible] contrarium scripsit: In hanc, meo quidem iudicio vanam opinionem Fuchs. non decus atque in superiorem venisse deprehenditur, secutus Amatum, qui eandem ferè prius, quam ille post cinnamomi effigiem reddidit, quanquam eam à quodam accepisse fateatur.

Cinnamomi arborem, (vt refert Curtius) qui ad Indos profecti sunt; dicunt Lauro simillimam, acinis tantùm minoribus & albicantibus: arboris libro tantùm vtuntur, quem è ramis, illæso caudice, in tenuem [illegible] deliberant: non statim, sed post mensem ab incisione. Alii autem in Moluccis insulis & in Zeilam apud Indos nasci aiunt, surculosa arbore, aliquandò sterili, huic quæ apud nos Malum Punicum fert persimili. Huius autem corticem ad Solis ardores detrahentes [illegible] paulatim ad Solem torreri. Mirum verò Curtium nihil de nostra canella specialis tradere. Cassiam [illegible] vilem, Plinii verbis deceptus, [illegible] distinguit ab aromatica.

Lacuna notatur.

Cinnamomo fuisse nomen [illegible]

Fuchs. [illegible]

[illegible] Cinnamomi lignum [illegible] cortex.

Fuchs. & Amat. reprob.

Lauro simile Curtio.

Malo Punico simile.

Curtius notat.

Lacuna cassiam à Diosc. descriptam [illegible] nihil aliud esse quàm *Canellam* vulgò dictam, licet cinnamomum existimetur: additque si quis Lisbonæ aut Venetiis magnos fascos Canellæ peruestigarit, quod se aliquoties fecisse iactat, inuenturum omnes distinctas cassiæ species à Dioscor. recitatas, inter quas præcipua est *Zigir*.

Dioscor. [illegible] species reperiri

De Cronemburgii sententia verissimum est, quod Manardus asserit, cinnamomum nostrum genuinam esse Dioscor. cassiam: putatque si quis magnas illas vulgaris cinnamomi congeries, quæ Antuerpiam deferuntur, intelligat, eum vniuersa cassiæ Scriptorum genera in illis inuenturum. Verùm cùm tot genera agnoscant Lac. & Cronemb. debuerant eadem describere, & vnumque propriis dicatis notis, inter se distinguere,

Lacuna & Cronemb. not.

aliosque, vel in eo saltem, suæ felicitatis participes facere.

Darsini Lignum Chinense, Chondrocinnamomum, Xylocinnamomum.

Coudebergus, doctiss. Pharmacopœus Antuerpianus ad Diacinamomum Mesuæ, in Dispens. Cordi, vbi Cinnam. tenuis, & cinnam. crassi bonitate pariter ponuntur, annotat. Per *Dirsem* vel potius *Darchini* lignum Chinense seu lignum odoratum, siue est, china, hoc est, tanquam Chinæ Amomum, siue cinamomum intelligunt Persæ atque Scriptores Arabes, cortices quandoque ligna appellantes, vt Xylocinnamomum Græci. Quod interim crassi corticis est, cinnamomum vocant. Per Darsini cinamomi igitur, cinamomum crassi corticis, tanquam ligneum significare volunt: est enim & in genere crassioris cinnamomi quod & valdè bonum est, hoc est, acre, odoratum ac aromaticum.

Scipio Mazzella de Antiquit. Puteol. verum cinnamomum incognitum perhibet, ex relatione eorum, qui aromata ex Oriente accersunt. At pro eo assumit cassiam odoratam, quam *canellam* vocat.

Casiam odoratam Lobelio.

Pena & Lob. tradunt, iam non ambigi, an verè extet cassia, sed disceptari, quid ab hac cinnamomum distet. Istud autem hodiernum cinnamomum, neque idem cassiæ, neque tamen multò diuersum esse, pro certo asserunt: nec Dioscor. descriptioni magnoperè attendendum esse: nam cùm dicit varias species esse, intelligere gradus potius & varietates etiam vnius speciei. Nunc modò [addunt iidem] non deest nobis cinnamomum verum, quod conqueruntur, ex Gal. descriptione, sed etiam adsunt plura quàm ille memorat: nempe illud gracilioris fistulæ, colore fusco, sapore & odore vegetissimis, quod plurimi hodie sit Venetus, & Theriacis, vt verum, additur Cinnamomum: deinde nostra canella vulgatior: postremò cortex crassus. Denique vt Cæsalp. scribit, qui nostra ætate Indicas oras perlustrarunt, referunt vnanimi consensu, Cinami arborem Lauro haud absimilem, præsertim foliis [ni minora essent, Cronemb.] baccas quoque Lauro similes, sed minutiores, albicantes: incidi ab indigenis eius ramos singulis tertiis annis, caudicem nequaquam: asseruari enim vt nouos stolones ferat: ramos præcisos delibrari: corticem eo modo detractum cinnamomum vocari. At protinus cùm collectum est, non inesse suauitatem, sed post tres demum menses odoratissimum reddi.

Dioscor. species cinnamomi potius esse gradus.

Theophrastus historiam non absimilem refert, inquit Cæsalp. sed duos esse frutices, vnum *cinnamomum*, alterum *casiam*. Si nostri cinnamomi fistulas contempléris, illas vero & legitimo cinnamomo, vt hic censet, respondere inueniemus, quæ ex toto absolutæ à ligno sunt, quarum præstantiores comperimus, quò magis propè germina fuerint. Quibus autem adhæret aliquid ligni, crassam fistulam vocant, ad casiam pertinere putandum est: argumentum certissimum non ex surculis, sed ex crassioribus ramis cæsas fuisse, siue eiusdem plantæ, à qua Cinnamomum cæditur, siue alterius. Profectò Galeni testimonio eadem planta aliquando & casiam & cinnamomum reddit. Galeno laudatissimum mordens cum quadam salsugine. Dicemus: procul dubio inter nostras fistulas optimum cinamomum habemus à substantia lignosa purgatum: nam salsugo illa acredini adiuncta dulcedo est, quam in optimo cinamomo sentimus: sal enim cæteris saporibus admixtum, dulciores reddit. At casia in cæteris quidem cum cinamomo conuenit, sed loco salsuginis adstrictionem habet. Quidam ex Recentioribus ob fistulosam casiæ formam, putauerunt omnes cinamomi appellati fistulas ad casiam pertinere, & Cinamomum legitimum deesse. At eximia illa odoris fragrantia, & saporis dulcedo, qualis reperitur in fistulis quibusdam, nequaquam casiæ conuenit. Nuper ex India Occid. lignum afferri cœpit cortice odore casiæ simili: appellant Sassafras. *Hæc Cæsalp.* Si autem quod scribit, trunco arboris non detrahi corticem, verum est, suspecta nobis est icon Theueti, quam proponimus. In omnibus canellis cinnamomisve, latens sal agnoscimus, sed non gustu perceptibile, quod dem instrechonitatem cinamomi, quicquid scribat Gal. & cum eo Cæsalp. Cinamomum si sal resipiat, id per accidens fieri, eoque deterius esse, ac à mari potiùs contractum id vitium ex diuturnis nauigationibus arbitramur. Nam & in caryophyllorum conuectione idem est animaduersum, vt alicubi notat Scaliger.

In cinnamomo salsedo. *Sassafras.* *De icone Theueti.* *Salsedo in cinnamomo non est signum bonitatis contra Gal. & Cæsalp.*

Refert Clus. in Notis ad Garciam, cinnamomi duos ramillos in Belgio se vidisse. Folium sibi in Hispania datum, cui nos peculiare caput dicauimus, quia non compertum nobis an sit folium canellæ Garciæ. De bacillo canellæ à Clus. proposito itidem particulatim agimus, quia non censemus esse canellæ Garciæ: nec etiam folium appictum nobis videtur esse ex eâ arbore, quæ cum bacillum protulit, quem existimamus esse folii Indi vulgaris, vt diximus c. de Malabathro.

Folium cinnamomi Clus. *Bacilli canellæ.* *Folium Ind. vulg.*

Tabern. canellam vulgarem iungit cùm prædicto fol. cinnamomi & Ligno Clusii, quod nobis non placet, cùm diuersarum stirpium partes esse censeamus, quamuis eum C. Bauh. quoque imitetur.

Tab. not. *C. Bauh.*

Non omittendum hoc loco, quod Lacuna scribit in suo Herbario Hispanicè edito: non mirum esse, si hoc seculo non cognoscamus cinamomum, cùm Galeni tempore, cùm Imperatores Imperium tenerent, rarissimum fuerit, & frusta eius inter thesauros reposita. Vidisse tamen se gloriatur Romæ secundum genus Cinamomi, colore ad ruffum inclinans, quod *montanum* dicitur, sibique tanquam singulare donum datum frustillum à D. Gilberto Medico excell. Repertum fuisse, inter alia valdè pretiosa iuxtà Mariam Sororem Imperatorum Arcadii & Honorii, vxorem Stiliconis, quæ fuerit sepulta ante 1400 annos in Vaticano: quod sepulchrum detectum fuit sub Pontificatu Pauli tertii. Vnde apparet manifestè pretiosum fuisse cinnamomum, quandoquidem, vt ille ait, ita vetustum, nihilominus valdè acre, & gustu aromaticum deprehensum sit, adeoque suauem suum retinuerit odorem. Verùm non ritè hic nobis functus videtur Lacuna Botanici officio, cui tanta contigit felicitas videre tale cinnamomum, [si modò non fabulantur, vt plenè putat Garcias,] quòd nobis non specialiores tradidit notas, quibus differebat à nostra *canella*, an cortex vel lignum, vel ramuli cum cortice & ligno, cuius crassitudinis, substantiæ &c. Id si fecisset, potuissemus certius scire, an Cinamomum Veterum, vt illi scribunt, fuerint ramusculi fruticum vel arborum, & fortè nostræ canellæ summitates, aut arboris, quæ fert folium Indum vulgare. *Sed nunc & reliquas à nobis obseruatas canellæ vel casiæ varietates describamus.*

Historia Lacunæ. *Vetustissimum cinnamomum.* *Lacunæ not.*

Monardis sententia de Canella, cassia & cinnamomo est infra c. de Canella Peruuiana.

CANEL-

CANELLA SIVE CINNAMOMVM VVLgare, crassiore cortice.

Descriptio

CAnella siue Cinamomum vulgare crassiore cortice, notabilis est crassitudinis, triplo quadruploue crassior cortex eo qui passim prostat, textura lignosa & fissili, vt ex textura ahi Tilæ quodammodo mentiri possit præsertim parte interiore, foris rugosus, dilutiore ferrugine tinctus, intus adhuc etiam dilutiore: post annos triginta ad minus, quibus asseruamus adhuc, sapore acriusculo, suaui, aromatico, cum quadam dulcedine, non diuerso à vulgari Cinamomo siue Canella, cuius fortè secundus cortex.

Extimus cortex.

Nam est nobis adhuc extimus cortex, eo superior, per cætera non absimilis: at conuexa parte rugosus & scaber est, ac Zona præcinctus, coloris cinericei, sapore minus vegeto: cuius figuram Pictam damus.

Hunc eundem designasse videntur Pena & Lob. quando aiunt: Veneti Institores, qui Londini negotiantur, attulerunt corticem fermè pollicem crassum, scabrum, callosum, & foris Ilex aut Oleæ concolorem, interius verò conuexum mollius superficie: odore sapore & colore quadantenus Canellæ vulgaris, quam prorsum gustado præ se fert nostra. Ideo & quorundam sententia fert esse Cassiæ arboris extimum & crassissimum corticem, cuius interior sit delicatior.

Vires.

Est hic gustu astringenti, sicco, adque sistédum vt putatur non parum opportuno. Eius interior superficies videtur à caudice arboris Canellæ auulsa, odoris præstantia nares feriens, & os, mansu complens gusto Cinamomeo.

Xylocassia Lob. An Pseudocinamomum Diosc. Adu. Xylocassia hist. Belg. & Hist. Lugd. Belg. Baselaet.

Casp. Bauhin. quoque Xylocassiam dicit, eiusque figuram ponit apud Matthiol. siquidem [inquit] Matthiol. monet odoratæ Cassiæ loco multos segmentis incognitæ arboris vsos esse. Huius Xylocassiæ nomine meminit Cordus in Dioscor. Fortassis Pseudocinamomum Diosc. *Hæc C. Bauh.*

C. Bauh. not.

Nobis sanè non videtur Canella hæc crassior respondere descriptioni Pseudocinamomi Diosc. nec quod Cordus scribit de Xylocassia huic respōdet, quorum verba licet videre in antecedentibus. In hoc cortice non adest lignum, sed exemptus est à ligno, & fortè intercedit adhuc Canella tenuior inter hunc & lignum.

Canella ad Cinamomum vulgare accedens.

Descriptio

INter singularia nostra naturalium conquisita iam à septenis lustris habemus læues & politi tubi, annulari digito, pares, concauo fusco, conuexo ferrugineo dilutiore vndulato, parietibus mediocriter crassis, fragiles, nullis fibris donati, sapore multò ignauiore quàm Canella, licet simili, omnisque lentoris experte.

Cassia Mosylitica nomine data cortex.

Descriptio

CAssiæ Mosyliticæ nomine cortex, Veronæ à Pharmacopœo ad symbolum Angeli, anno 156[illegible] datus anno 1604. reperissimum adhuc retinet saporem & iucundissimum, grata & insigni acrimonia linguam vellicans, Canellæ instar nisi validior videretur, ineffabile quiddam & diuersum gustanti offerens: alioqui læuitate, colore, textura non differt.

Cassia lignea fusca aromatica, Cinnamomum ex Sarmatia dicta.

Descriptio

EST nobis cortex nomine Cinamomi ex Sarmatia, cuius tubuli minimum digitum crassitudine æquant, rugosi & paucis tuberculis inæquales, coloris ferruginei obscurioris, parietibus mediocriter crassis, substantia minus fragili quàm Cassiæ ligneæ glutinosa, & nonnihil lignosa, fibrosaque, sapore [etiam post annum iam trigesimum ex quo habemus] acri & aromatico, Canellæ proximo, diuerso tamen, nullo lentore admisto, vt in Cassia lignea fusca.

Cassia lignea fusca aromatici & glutinosi saporis.

Descriptio

CAnellæ similes tubuli, capaces, crassi, fusci in rubore, gustu Canellæ imbecilliore, subadstringente, glutinoso. Corticem hunc satis magnis ramis detractum esse apparet. Copiosè habemus, dat in nomine *Cinam. mi ex Decan*, quæ conseruauit suum saporem aromaticum etiam post trigesimum annos. Nobilis diligens & industrius C. Wirtemb. Pharmacopœus Monib. habet in Officina, eaque loco Cassiæ ligneæ, vti solet, eoque nomine emptam Lugduni, & in plerisque Emporiis ita denominari testatur.

Cinam. ex Decan.

Cordus in Dispens. In Diamio Mesuæ, pro Cassia lignea vera, inquit, debet accipi, quæ noper cœpit efferri, figura Cinamomi, gustu aliquantum lubrica, & Cinamomi æmula: at non ille paruus cortex &c.

Cordum Matthiol. reprehendit, quod velit Cassiam præter Dioscor. & Gal. sententiam lubrici esse gustus. Verùm immeritò carpit: non enim dicit notam esse Dioscor. & Galeno; quamuis hi etiam illam notam neutiquam denegent. Quidsi hæc Cassia referatur ad nigram, purpuream & crassam, quæ Zigir Dioscor. dicitur? Præterea

Matth. reprehen.

An Zigir Diosc.

Cordus vult, hanc sumendam, & non consuetum insipidissimum corticem. Non dubitatum egregiè aromaticam esse recentem, cum post tot annos haud insuauem suum gustum aromaticum adhuc retineret. Siquidem fere quot annis tantum, quam do acceperamus, ab arbore sua fuerat detracta. Sanè per tot annos nec innoluta, nec vlla alia cura, quam inter reliqua Cinnamomi, Cassiæ, atque conditorum aromatum genera, in theca inter illa iacet.

Xylocassia subnigra Brayn met wild Canel. Lobel. eaque est, cuius Matth. meminit cassiæ fistulæ An ho nachi nomine: quam & Cordus in Diosc. Cassiæ Syringitis nomine expressisse videtur, vt censet C.Bauh.

Cassia fistula aromatica.

Cassia lignea fusca aromatica acrior.

Aliud Cassiæ ligneæ genus habemus, tubulis constans minoribus, digito minimo paribus, dimidia fere tenuioribus, magisque scabris & inæqualibus, coloris ferruginei, saporis minus viscidi, vegetioris, acrioris, magis aromatici, propiusque ad Canellam accedentibus: Etiam supra trigesimum annum satis reposita.

Cassia externa parte insipida.

INter epistolas Doctiss. Pharmacopœi Valerandi Donrez reperimus vnam scriptam à plantarum peregrinarum diligentissimo indagatore Alberto Martinello Veneto, scribente anno 1567 Venetiis, se mittere frustum generis Cassiæ ligneæ valdè odoratæ, cui pars interior valdè suauis & aromatica, exterior autem insipida. An verò hæc sit vna ex iam descriptis, vel non, asserere non audemus.

AN CASSIA FORTE VETERVM?

QVi, inquit Clus. Exot. l. 4. cap. 1. anno 1600. & eum sequente ex Molucis & Iaua reduces, Amstelredamum aromata inferebant, corticem quendam in longos & enodes tubos conuolutum adducebant. Constabant autem illi tubi cortice non valdè denso, eoque, vt dicebam, enodi, coloris exteriore parte interdum candicantis, nonnunquam cineracei, & illo quidem læui, aliquando etiam scabro: aliquantulum, coloris fului, vt vilior quædam canella censeri posset; interiori verò parte, qua ligno adhæserat, prorsus fusci: saporis quidem non ingrati, sed acrioris non adeò tamen, vt legitima canella; qui nihilominus in illius penuria, non incommodè mea opinione vsurpari posset, aut Cassiæ Aromaticæ à Dioscoride descriptæ [ad cuius aliquod genus referri debere non ineptè forsitan quispiam existimet] vicem supplere. Percontabar porrò ab his à quibus eum corticem accipiebam, an intellexissent, quo nomine apud incolas appellaretur, & an arborem, à qua detractus, obseruassent, negabant omnes, & illud duntaxat se scire profitebantur, incolas, illius polline, ad condienda sua Edulia frequenter vti. Aliquo temporis spatio ore retentus & manducatus hic cortex, præter acrimoniam, lentorem quendam habere deprehendebatur. Similem etiam corticem ex *Patane* referebant biennio post, quo istic vtebantur Canellæ loco.



Descriptio Corticis.

Canella vilior. Sapor.

Substitutus legitimæ.

Vsus.

Similis cortex.

Vir eruditissimus Lambertus Hortensius Medicus, qui naue vectus, cui symbolum Luna, ex Moluccis & Iaua redibat anno à Christi natiuitate 1601. donabat me exiguo Canellæ fragmento, quam in Iaua nasci asserebat. Erat verò illud fragmentum quatuor vncias longum, semunciam penè latum, satisque crassum, coloris ad rubedinem quodammodo tendentis, qualis ferè in viliore canella conspici solet: eius odor exiguus, imò penè nullus: sapor, qui in viliore Canella, aut in cortice modò descripto, in quo tamen mandendo obseruaretur quidam lentor, & veluti gummositas, quæ vel summis tantum digitis admotis inhæreret, & quodammodo Glutinis instar distendi posset.

Canella vilior, Iauanica. Descriptio. Odor.

Cinamomum Græcis [illegible], vt scribitur apud Arist. & Theoph. quod & apud Dioscorid. & alios [illegible], Cinnamomum, vel quod idem, ab aliis etiam cinnamomum appellatur: vulgò *canella*, à figura canaliculata. Est & [illegible] apud Gal. Cinamomi genus fruticosum, quod & ab ipso Gal. & Diosc. [illegible] dicitur, & Cinamoides quibusdam. Arabum Scriptorum nomina suprà dicta. Hodiernis Arabiæ hominibus cuiuscunque tandem generis canella sit, *Querfaa*, & *Querfe*, vt vult Garcias: *Quirfa* vt Linschott. scribit. Reliqua verò nomina Arabibus prodita, corrupta sunt, vt *Darsibahan* & similia. Incolis Zeilam, apud quos plurimum crescit, *Curdo*, vt alii, *cuurdo*, vt alii *cuurde*: Malacitanis, *caumains*, vt alii *cassiuan*, vt alii *caiumams*: Malabaris, & Iauanis *camea*, vt alii *camca*. Quod verò Serapio *Darchini*, arborem de China interpretatur, corrupta est interpretatio & ab interprete addita. In Ormuz *Darchini* dicitur, id est, *lignum Chinense*.

Cinnamomi diuersa nomina.

Darsinibahan.

Darchini.

Quæ verò Græcis [illegible] & [illegible] vocatur, vel vt Theoph. scribit [illegible] Gal. [illegible], id est cassia fistulosa Actuar. [illegible] Nic. Myrepsi [illegible] & [illegible] recentioribus Græcis: Lat. *Cassia* & *cassia lignea*. Arab. *Selicha, Selihe*, siue *Selihacha*: à vulgo autem Indorum, eodem nomine dicitur quo *canella*: nullum enim inter *canellam* & *cassiam* discrimen faciunt, authore Garcia. Neque, vt verum dicam, inquit idem, quispiam cassiam à canella differentem vidit. Cassiam Latini, inquit Hermol. pronuntiant, etiamsi apud Græcos ferè omnes geminata consonante scribitur. Cassiam autem Etymologicum dici vult, [illegible], quasi [illegible]. Sed fortè festiuius quasi [illegible] dictum putabimus, quod corticem coriaceumve, operimentum denotat, cuiusmodi sanè ferè conspiciuntur Cassiæ nostræ tubuli. Ital. *cassia*, atque etiam Italorum vulgò Canella. Gall. *canelle*. Hisp. *canela*. Belg. Caneel. Germ. Zimmet/zimmet rinden, vel zimmetrörlin.

Cassiæ nomina.

Cassia vnde dicta.

Cæterùm quod Canellæ diuersa Cinnamomi & Cassiæ nomina indita fuerint ab Americanis, occasionem præbuisse, putat Garcias, mercatores Chi-

Vnde canella nomen duxerit.

Chinenses. (Nam Annales vrbis Ormuz produt olim quadringentas naues è China vno eodémque tempore eò appulisse) qui cùm è sua regione aurum, sericum, vasa murrhina [*porcellanas* vocant] moschum, Cuprum, margaritas, aliasque huiusmodi merces eucherent, nonnullas ex eis in Malaca vendebant: sandalum, nucem myristicam, macerem, Caryophylla, lignum aloës, contrà in suas naues inferentes: quæ rursus in zeilan & Malauar diuendebant, indéque sumebant Canellam, ex zeilan videlicet laudatissimam, & ex Malauar minùs selectam. Similiter & ex Iaoa. vnde etiam Piper *Cardamomúmque* euchebant, eáque omnia deinde Ormuz, aut in Arabiæ oram maritimam perferebant. Cùm igitur quæ in Iaoa & Malauar sumpserāt, differre conspicerent, diuersa illis indidêre nomina, cùm tamen eiusdē generis essent cortices, pro soli cœlique varietate solùm differentes, vt plerumque idem fructus pro regionum & soli varietate suauior fieri, aut à naturali bonitate degenerare solet. Ementes ergo Ormuz incolæ eam *Canellam* à Chinensibus, idcirco eam *Darchini*, quod Persis lignum Chinense sonat, appellarunt: deinde Alexandriam vehentes, vt eam Græcis confluentibus cariùs venderent, *Cinamomum* vocarunt, quod significat lignū odoratum, quasi Amomum ex China delatum. Deteriori autem Canellæ, quæ scilicet ex Malauar & Iaoa delata esset, idem nomen quo in Iaoa appellatur, indiderant, scilicet *Cais manis*, quod lingua Malaya dulce lignum sonat [hanc corrupto vocabulo cassiam, Græci dixerunt] duo diuersa nomina eidem rei imponentes. Vsus est autem Auic. cum Rhase & reliquis Arabibus vocabulo Persico *Darchini*, vt plerisque aliis Persicis solet. *Hæc ex hist. Garciæ.*

Darchini

Cinamomum.

Cais manis.

Cassia Vnde.

Verùm quoniam Garcias Indicarum rerum naturalium sine dubio diligentissimus & sagacissimus Scriptor planè vult cassiam, cinnamomum, & nostram Canellam, vnum idémque medicamentum esse, placet ea de re eius placita subiicere. Scribunt [inquit] nonnulli Canellam nostram Veterum cassiam non esse, quòd [vt aiunt] nigricans sit, & inodora: aut, si sit, Pseudocassiam Dioscor. esse potiùs, quàm legitimam. Fit interdum, vt etiam hic in India cassiam admodum deprauatam cum aliis inueniamus, non exigua quantitate (quoniam aut non benè parata fuit, aut non suo tempore cæsa) quandoquidem vix Aroma reperias corruptioni magis obnoxium, quàm Canella est, præsertim si diu in naui perstiterit. Est enim ea regio putredini admodum obnoxia, maritimis præsertim locis, immò quotidiana experientia videmus, *Canellam* singulis annis multùm de sua illa odoris & saporis suauitate deperdere. Si quis plura de cassia requirat, legat Monardum lib. Epist. 8. ep. 1. Sed quod Cinamomum cum Matthiol. neget, in eo falluntur, cùm *Cassia*, *cinnam. & nostra canella* vnum idémque sint medicamentum. Annotauit Lacuna lib. 1. cap. 13. in ædibus Iudicis Vlyssipone se omnia Cinnamomi genera à Veteribus descripta obseruasse. Sed ego hic in India plura duobus non obseruaui, videlicet quod in zeilan nascitur, & quod in Iaoa & Malabar. Nam quod in Lusitaniam deuehi solet, zeilanicum omninò est. Poterit autem fieri, vt quinque genera bonitate discreta inuenerit, non autem genera diuersa. Nusquam alibi, quod sciam, nascitur *canella*, tametsi Franciscus de Tamara scribat in freto maris Erythræi Cinamomi arbores, & Lauros maris æstu interdum opertas inueniri: quoniam nostri singulis annis per mare Erythræum nauigant, nullam tamen huiusmodi arborem viderunt. Nam quod ad Occidentalis Indiæ historiā attinet, non verisimile videtur Canellam istic nasci quandoquidem eam dicit calyces glandésque suberis modo ferre, cùm legitima *Canella* velut oliuas ferat: sed alia erit sui generis arbor [de qua nos postea.] Nec, vti eadem refert, in China nascitur: nam è Malaca Chinam cum aliis mercibus defertur. Intelligo verò plurimam etiam Canellam in insula Mindanao nasci, & vicinis Insulis: sed eç procul à China absunt. Putarūt etiam nonnulli in Alep nasci Canellam, quòd apud aliquod Scriptores præscriptum inuenerint Cinamomum Alipinum: sed sciant non magis istic, quàm in Hispaniis nasci. Verùm cum ex regionibus Ormuz & Giden, atque inde Alep deuehatur, factum est, vt incorrupta & recens Canella isthinc in Europam aduecta ab ipsa vrbe Alep denominata sit. Quamuis autem zeilanica reliquis præferatur, inuenitur tamen etiam interdum ignobilis, qualis est, quæ crassiori cortice cōstat, minúsque in Tubulos conuoluitur, quòd non sit eiusdem anni: quò enim vetustior cortex eò deterior. Quæ verò in Malauar nascitur, tota ferè est ignobilis, tantúmque à zeilanica differt, vt centenæ zeilanicæ libræ decem aureos pēdeant: Malauaricæ verò libræ quadringentæ vnum duntaxat aureum. Cæterùm ut de nominibus generum canellæ à Veteribus traditis aliquid hic dicam: fieri posse existimo, vt zigir vocatus fuerit totus ille Chingalarum tractus, qui est zeilan. Nam Persæ & Arabes nigros vocant zangues: omnes verò zeilan & Malauar incolæ nigro colore præditi sunt. Mosolyticum ab insula zeilan, quæ montosa est dici puto. Plin. in Gebanitarum portum Ocila vocatum deferri tradit, qui nihil aliud est, quam Chingalarum siue zeilan portus. *Hucusque Garcias.*

Garcia laus

Cassiam Cinam. & nostram Canellam vnum idemque esse ... Veterum Cassiam.

Canella facile corruptioni obnoxia.

Monard. & Matth. reprob.

Canella sine Cinamomi duo duntaxat esse genera. Locus.

Franciscus Tamara not.

Nullam Canellam in America nasci.

Nullam item in China.

Cinamomum Alipinum

Comparatio Canellarum inter se

Canella zeilanica.

Canella Malauarica

Pretium.

Zigir Veteris quid

Nigri.

Mosolyticum

Ocila Plin. quid.

Fallitur itaque Cordus, quando scribit: Omnes Cinamomi & Cassiæ species partim in India partim etiam in felici & odorifera Arabia nasci. Sed multò crassiùs Marcellus, qui ad cap. Dioscorid. de cassia & cinam. ait casiam in maiore Romanæ gentis fortuna vbique in aluearibus conditam, & sub Septentrionibus viuere coactam, nullibi tamen nostra ætate in Italia reperiri: negatam oculis formam eius omnem & speciem, difficillimúmque nobis de ea commentationem facere, præsertim in tam corruptis Græcorum Latinorúmque omnium codicibus, & in tanta Theophrasti Pliniique in eius historia breuitate. Sed hallucinatur bonus ille Marcellus, quamuis ex Plin. ita putandi ansam desumpserit. Nam nec olim quidem vnquā Italiam Dioscor. & Veterum casiæ prouentū gauisam esse, existimamus nec hodiè gaudere aut fortè gaudebit: tantò minùs sub Septentrionibus.

Cordus not.

Marcellus lapsus.

Linschott. eadem ferè quæ Garcias prodit, insulam Seylon Cinamomum præstantissimæ notæ producere: ibi per syluas & saltus abundanter spargi. Haberi & in tractu Malabar: verùm vix ex dimidio comparari posse Seylanæ casiæ, quòd & arbores humiliores sint, cortice crassiore, & virtute haud perinde efficaci. Ideò cassiæ ex Seylon triplicatam suprà hanc æstimationem esse. Vocatur hæc *Canella de Mato*, id est, casia syluestris. Edicto, ne quis eam in Lusitaniam vehat cautum est: verùm nihilominus magna copia exportatur, titulo tamen *Seylani Cinnami*: vt Regi idem ex bona malàque casia vectigal sit: Cùm in India Casiæ Seylanæ quintallus 50. aut 60. pardauiis æstimatur, tum siluestris duntaxat 10. aut 12. valet. In In-

Insula Seylon præstantissimum Cinam. fert.

Malauarica arbores Cinnam. quales

Casia siluestris.

Æstimatio

tia tamen *Seilana* titulo, albo inscribitur, cuius etiam nomine Lisbonæ vectigal soluit, 15. aut 16. milreïos in quintallum indifferenti æstimatione, citra bonam aut deteriorem Casiam. In Iaua, ad littus Sunda Casiæ syluestris magna copia crescit. Arbores teneriores pro optimis habentur: cæteræ gustum non notabilem, sed communi ferè ligno similem habent. Vili pretio emitur magna copia. Lignum quod igni struendo communiter per Indiam vsurpatur, odore Cinnamomum aliquo repræsentat.

Vectigal ex cinam.

Lignum pro igne Cinnam. redolet.

Lignum arboris canellæ, vt testatur Olinus, quod fortè non contigit vsquam vidisse, neque in celeberrimis emporiis inspexisse, hodie Veronæ apud Calceolarium prostat. Similiter Cinnamomum tam vehementer à Galen. celebratum, cuius nunc, vt idem ait, maxima inopia, fragrantissimum & iucundissimum odore, læui cortice & tenui, quale nec Antuerpiæ vidisse neque alibi dicit, apud eundem haberi, quemadmodum & Aquam ex floribus Canellæ arboris stillatitiam, quam & olim pro Regina Flandriæ Margarita Austriaca habuerit.

Lignum arboris canellæ.

Aqua floribus canellæ arboris.

Delectus.

De Cinnamomi delectu pro Soli natalis ratione, satis multa paulò antè. Si quis & nostræ canellæ delectum facere volet, Is sciat nobis cum Actuario ..., nempe tenuem & interius, pro optimo, odoratissimo, suauissimo, acutissimoque probari. Cæterùm rogatos vult Garcias, omnes cùm Medicos tum Pharmacopœos, vt posthac cassiæ loco canellam deteriorem præscribere desinant, & selectissimâ vtantur, quandoquidem tanta nunc eius sit copia. Tum etiam ne cassiam duplici pondere pro Cinamomo in compositionibus mittant, tametsi freti Diosc. & Gal. authoritate.

Diosc. & Gal. acc.

Vires & vsus.

Iam suprà meminimus ex Hermol. apud Veteres per cassiam Syringam seu fistulam, non etiam sumendam quæ nunc [magna barbarie & rerum ignorantia] etiam ab omnibus cassia fistula dicitur, sed canellam hanc nostram siue cassiam odoratam, quæ & ipsa fistularis est, vti dictum. Felix, si modò liber eius est qui circumfertur, appellatione fistulæ simpliciter, cassiam odoratam siue aromaticam intelligit.

Aqua cinnamomi viridis.

Ex Cinamomo, etiamnum ex parte viridi, aquæ magnæ æstimationis destillatione educuntur, quæ in India maximo in vsu sunt, & in Lusitaniam item transmittuntur. Odore ac potu amœnæ sunt: cæterùm calidæ & vehementes, valent aduersus dolorem colicum, aliásque infirmitates, ex frigida intemperie, etiam contra prauum oris halitum. Aqua item ex floribus Cinnamomi prolicitur itidem arte destillatoria, sed quæ fragrantia & odoris suauitate prædictæ cedat. Vtilis est ad multa. Nam stomachi imbecillitatem roborat, coli dolores ex causa frigida prouenientes illicò lenit, vt plerumque se expertum testatur Garcias, faciei colorem commendat, atque etiam oris halitum. Vtraque verò edecendis condiendos suauiorésque efficiendos cibos perquàm idonea. Sed Lacunam perperàm reprehendit, aut sanè non intellexit Garcias, quando eum insimulat, quasi ex solis floribus aquam elici prodidisset lib. 1. capite. Nam apertè in suo Commentar. Hispanicè edito vtriusque meminit, à paucis annis ex Indiis importari cœpti, & ad omnes lypothimias & cordis stomachique debilitates, tanquam remedium admirabile prædicat. Sumpta duo cochliaria ieiuno ventriculo firmare & confortare ad deliquium animi procliues: ventriculum imbecillem incredibili celeritate reficere. Resoluere omnem ventris dolorem à flatu vel à frigore externo.

Critica.

Oris halitum.

Aqua ex floribus.

Stomachus.

Garcias reprehe.

Ex canellæ baccis oleum extrahitur, quemadmodum ex Oliuis, sebaceum quodammodo, & saponis Gallici modo in panes coactum, inodorum, nisi calefactum sit, tunc enim cinamomum aliquantulùm olet. Eo vtuntur aduersus ventriculi & neruorum frigidam intemperiem. Radix canellæ, aquam præbet camphoram redolentem: verùm ea [edicto ita cautum] non euellitur, ne soboles pereat. In nostris quoque regionibus ex canella destillationis artificio aqua varius modis paratur. Alii eam contritam aqua fontana affusa destillant. Alii per dies octo in aqua ardente macerant. Quod si in aqua ardente rectificata, hoc est, pluries destillata maceretur in vase vitreo bene incrustato & tum destilletur lentè, spiritum extillare nouimus, cuius guttula vna aut altera integrum cyathum vini statim velut Hippocraticum efficiunt, præsertim si aliquid facchari addas, nisi eiusmodi per se sit dulce. Alii & alia aromata simul macerant in eundem vsum. Mirum quà vel leuiter minutà guttulà eius spiritus imbuta lingua, vniuersum statim os incalescat, ac vis eius etiam ad cor & vniuersum corpus pertingat. Sed senibus ac pituitosis hominibus tantùm eius vsus esse debet, isque parcus. In cæteris minùs tutus.

Oleum ex canellæ baccis.

Aqua ex radice canellæ camphoram redolens.

Aqua cinnamomi variis modis parata.

Vinû Hippocraticum.

Tutior est sequens. Cinamomi optimi triti non cribrati, libram, pone in fundo vasis destillatorii, cautè, ne puluis dissipetur aut lateribus adhæreat: & mox sesquimensuram aquæ recentis affundes, & operculo imposito, & vase recipiente subiecto, ignem lentum subdes. Destillari solet eo modo quo aqua ardens, nempe tubulo per dolium frigidâ plenum traiecto, per quem ex vase destillatorio in recipiens vas defluat. Posset etiam, vt Euonymus putat, destillari in cucurbita vitrea luto incrustata, vt aqua fortis, eo modo fortassis fortior, non icircò melior, vt idem censet futura. Sed prior modus nobis & expertis melior, & vtilior videtur, qui fit per B. M. modóque prædicto. Nos vini albi optimi lb. ff. ad Cinam. el. lb. semis affundere iubemus, atque ita destillare. Et sanè suauissima est quæ sic paratur, & inter eam quæ cum vino ardente, ac eam, quæ cum aqua simplici paratur, media. In morbis calidioribus tamen, vbi eius vsus requiritur cum aq. ros. destillari potest, addito etiam, si videatur, modico vini. Aut iam destillatæ modicum cum Iulepo rosato permisceri. Ita longè suauissimum ac tutissimum Cardiacum efficies. Quæ effluit aqua, albicat, quæ tamen facilè clarificatur. Sub finem etiam clarior effluit. Si augeas ignem tandem & flauescet. Sed vix immunis erit hæc Empyreumatis. Albedo illa in oleum cogitur, quod postea separatur: sed magis olei innatabit quò recentius & melius fuerit Cinnamomum. Item si cum aqua aliquid spiritus vini affundas, qui potentiùs quàm vel aqua simplex vel vinum Cinamomi vim prolicit. Cùm aqua flauescere incipit, peractum opus est. Sed satiùs paulò infrà subsistere. Sunt qui eandem rursus, separato oleo, alio nouo Cinamomo affundant, & denuò destillent, vt priùs. Ita quæ effluit aqua, longè efficacior & calidior, quàm prædicta. Ex Cinamomi libra vix oleí boni & puri drachmam aut drach. vnam & semis aut ad summum duas elicias. Hoc cum ceræ albæ modico nonnulli incrassant, & pixidibus argenteis ac magnificis, cum aliorum aromatum eodem modo paratis oleis, affabrè ad hoc aucupium paratis inditum, Diuitibus & Magnatibus

Aqua cinnam. parâda ratio.

Alia ratio.

Oleum cinnamomi.

Balsamum Cinnamomi.

libus magnis differunt, per Balsamo Cinamomi.

Aq. Cinā. alia. Matthiol. Aquam Cinamomi ita parat. Sumito Cinamomi lib. s. aq. rosf. stillat. lib. iiii. Vini albi odorati lib. semissem destilletur in B. M. Vt parandi modo, ita & viribus variat. *Aq. Cinā. vires.* Aqua cinnamomi: sed in genere vires egregiè reficit: contra omnes morbos quos frigus excitauerit, efficax est, vtpote quæ pituitam humorúmque lentitiam digerat, incidat, absumat, flatúsque discutiat. Priuatim verò ventriculum iecur, Lienem, Cerebrum neruósque iuuat & roborat: animi deliquio, cardiacisque affectibus præsentaneo remedio succurrit, venenis venenosorúmque animalium morsibus aduersatur, menses pellit, & vrinam ciet. Cœliacis auxiliatur, nauseam sedat, & fastidium abigit, vteri morbis perquàm vtilis est. Proinde suspitiosis, resolutis, conuulsis & Comitiali morbo laborantibus, gustui gratissima est, atque oris halitum commendat. In summa vbi excalfacere aperire, incidere, digerere & roborare sit opus, huius aquæ vsus maximam præstat vtilitatem. Atque adeò quicquid virium Veteres Cinamomo & Cassiæ tribuerunt, huic nostro quoque egregiè competunt, quas anteainter Veterum placita recensuimus.

Viscera roborat. Lypothymia. Venena. Menses. Cœliaca. Nausea. Vteri morbi. Asthma. Neruorum & Cerebri morbi. Temperā.

Puluis Ducis. Consuetus est hodie apud multos puluis Ducis dictus, ex Canella & Saccharo paratus, ad prædicta omnia vtilis, suauissimi gustus, vt hodie ad ditiorum fercula addito vino embammatis vicem præbeat: eò cupiditatis venêre mores, vt & medicamentorum delicias in cibi delectum traxerint.

Secretum. Præstans quoque est Syrupus de Cinamomo quem nos eleganti nec inartificioso compendio parare nouimus cum aqua ardente in qua à iamdiu Cinnamomi nodulus maceratus fuerit, accensa, quoad satis sit, & modico sacchari adiecto. Nihil suauius excogitari potest. Diligentibus & curiosis sat diximus.

Vinum Hippocraticum. Hippocratitum vinum quod ex eadem paratur in vino infusa, & per manicam Hippocratis, [vt vocant,] hoc est, filtrum, cum saccharo transcolatum, nunc vbique in vsu est. Addunt & alia aromata, cùm nostris hominibus nil nisi ex variis commixtum sapiat. Nobis quò simplicius, eò suauius videtur. Si tamen aliquid piperis, zingiberis, aut Caryophyllorum, vel omnium simul libeat addi, non moramur. Hęc palati hodie illicia sunt. *Aqua Hippocratica.* Hippocraticum aqueum, quod Galli *Bouchet* vocant, & *Hippocras d'eau* Germ. Wasser Hippocras, Aqua Hippocratica, cum aqua limpidissima saccharo & Cinnamomi pulueriſati modico parata, in siti & ardoribus, etiámque putridis & pituitosis febribus grata & vsu multùm prodesse potest.

CINAMOMI FOLIVM CLVSIO.

Descriptio. Refert Clus. in notis ad Garciam Cinnamomi duos ramulos in Belgio se vidisse, tertium Bristolii. Lignum inodorum, corticem tenuem, odoris ac saporis incunditatem maiorem quàm in nostra Canella. Cuius folium à D. Io Placa medico Valentino se accepisse ait.

Nobis verò ex tam paucis nondum constare potest, quodnam aut cuius plantæ sit folium hoc à Clus. depictum: non enim existimamus esse Cinamomi folium, ac ne quidem Cinnamomi ipsius *Clus. tax.* Clusii: cuius Cinnamomum nihil nobis aliud esse videtur quàm Folii Indi vulgaris Lignum & cortex. Potuisset tamen is, imò debuisset foliū illud diligentiùs describere, vt aliàs facere consueuit, præsertim in exoticis & raris.



Lob. reprehē. Sic & Lob. in Obs. & icon. & Hist. Teut. Cassiæ titulo exhibet idem foliū & lignum à Clus. propositum pro Cinamomo: quale autem sit foliū, cuius coloris, odoris aut saporis &c: non demonstrat. Si existimauit esse idem folium cuius mentionem facit nomine folii Cinamomi cap. de Malabathro, saltē nos monere debuisset. *Taber. tax.* Taber. quoque in sua iconeiungit Cinamomi folio Clus. Canellam vulgatem, ac ni multùm fallimur, Cinamomum Clus.

C. Bauh. Hoc idem folium posuit Casp. Bauhin. ex Taber. apud Matthiol. titulo Cinamomi Officinarū. Vnde id norit aut sciat, nos latet.

CANELLA FOLIO MALI PVNICÆ.

Canella similis planta. Canellæ similes plantæ seu arbores M. *Fumeè* [hist. gen. Ind. Occid. Gallicè edita] tradente, prouenenīunt in Moluccis insulis, valdè similes Malo granatæ: ex quarum floribus paratur aqua &c: Eodem autore, in Insulis Leucoiis arbores similes sunt Granatis, quarum cortex gustu Canellæ similis est, sed acris vt zingiber, odore Caryophyllorum: non sunt tamen in numero aromatum. Fr. Loupez de Gomara hist. gen. Ind. In Maluccarum, inquit, insula abundat Canella, arbore Granato valdè simili, &c.

CANELLA PERVVANA FRVCTV Pileo simili. Et alia ei similis arbor.

Descriptio. Scribit Monardes in noui Orbis prouincia quadam, quæ à Canella nomen sumpsit, sub Æquatore sita, ab Indis Cumaca vocata, Arbores quæ *Canellam* ferunt, mediæ esse magnitudinis, & immortali coma præditas, vti reliquæ Indicæ arbores, foliáque habere Laurinis similia: Fructū esse paruo pileo seu petaso formâ similem, ea latitudine quâ nummus Hispanicus octo regalibus æstimatus (qui Germanici taleri amplitudinem æquat) interdum etiam maiorem, intrinsecus & extrinsecus ex purpura nigricantem, interiùs lævem, foris asperum, cuius margines crassitie iam dictum nummum æquent, summitas verò longè superet, & pediculo prædita sit, vnde ex arbore dependeat. Gustatum eandem saporis suauitatem & odoris fragrantiam habere, quam legitima

Canella ex Orientali India delata, cum nonnulla adstrictione coniunctam. In puluerem tritum, & edulijs inspersum, eandem illis saporis & odoris gratiam conciliare quam Indica *canella*. Arboris corticem, qui crassius est, nullum canellæ spirare odorem, aut saporem referre, An interior tenuiórque membrana simile quid obtineat, ipsum latére: nam crassiorem duntaxat corticem, ipsúmque fructum vidisse. Folia trita [inquit idem] tenuem quendam Canellæ odorem spirare ferunt: sed primaria vis in solo fructu consistit, contrà quàm in Orientalis Indiæ Canella, quæ omnem odoris & saporis gratiam in cortice obtinet, vt omnibus notissimum. Verum quidem est, alteram alteri præstare, quoniam [licet eiusdem generis sint omnes arbores quæ Canellam ferunt] aliæ tamen tenuiore cortice præditæ sunt, qui magis commendatur, aliæ crassiore, qui superiori bonitate cedit. Hinc factum est, vt nonnulli Canellam in varia genera distinxerint, videlicet in Cassiam, in Cinnamomum, & in Cassiam ligneam, cùm tamen vnius arboris genus istos cortices proferat, & sola loci varietas faciat alteram alteri præstantiorem. Itaque Cassia & Cinnamomum solis nominibus differunt, cùm vtroque Canellâ tenuior. & præstantior sit. Eam ob rem, vbi Cassia præscripta inuenitur, cinnamomum substitui potest, & è contrà. *Hæc Monardes.*

Arboris cortex. — *Canella Orientalis.* — *Cassia. Cinnamomum. Cassia lignea.*

Quod ad Occidentalis, quam vocant, Indiæ historiam attinet, tradit Garcias non verisimile videri canellam istic nasci, quandoquidem eam dicit calyces glandésque Suberis modo ferre, cùm legitima canella velut Oliuas ferat: sed aliam esse sui generis arborem. Quotquot tamen Peruanam historiam descripserunt, istius canellæ, quam in Prouincia Sumaco nasci tradunt, meminerunt, teste Clus. Est verò, ex eorum descriptione, *canellæ ea arbor* vasta admodum, folio Laurino, fructu racematim cohærente, sed qui calyce suberino simili contineatur, ampliore tamen & magis cauo, colore nigricante. Huius arboris fructui, folijs, cortici & radicibus [licet canellæ saporem & odorem habeant] longè calyces præferuntur, quorum duntaxat puluis in vsu est. Nam si canellæ modo cum cibis decoquantur, tantum abest vt suauitatem edulijs concilient, quin potiùs eorum facultas & saporis gratia decoctione euanescit. Quamuis autem multæ sint huius generis arbores syluestres, diligenter tamen & magna cura eas in suis prædijs colunt, [fit enim cultu longè melior] atque in vicinas regiones deferunt, alias merces ad vitam humanam necessarias hoc aromate redempturi.

Canella Peruana arboris descriptio. — *Non decoquendu.* — *Cultus.*

De hac etiam Fr. Gomara in Histor. Gen. c. 143. Aug. Carate lib. 4. Hist. Perua. cap. 2. & Pet. Cieca, parte prima Chronici Peruani, c. 40. Vrb. Caluet ad Benz. lib. 3. c. 8. candem denotat his verbis. Regio Canellæ ferax in Quitensi Prouincia Orientem versus. Arbor Canellæ ferax in Prouincia Zumaco sub Aequinoctiali linea reperta, ampla est, folijs Lauri, minutis baccis racematim cohærentibus, quæ calyce Suberino aut Quercino simili continentur, ampliore tamen & magis cauo, colore nigricante. Hæc etsi syluestris per se sit, tamen culta longè nobiliorem Canellam quàm illa, producit: iccircò eam incolæ & diligenter colunt, & in magno pretio habent. Cæterùm in hac Caluet. descriptione hoc obscurum videtur quod ait minutas esse baccas, quæ tamen calycem habeant Suberino ampliorem, in quo contradictio esse videtur. Contrarium etiam dicit prædictis authoribus, præsertim Garciæ & Monardi, quando ait, cultam longè nobiliorem Canellam gignere. Nam Garcias negat, vllam in ea India canellam gigni: & Monardes arboris corticem nullum Canellæ spirare odorem, aut saporem referre. Nescire tamen se ait, an interior membrana simile quid obtineat. Præcipuam vim in calyce ponit, quam annotauit Franciscus Loupez Gomara in Hist. sua Indiæ. Suspicamur igitur Caluetí descriptionem ex diuersis arboribus compositam. Certiora docebit ingeniosa posteritas. Considerent Lectores etiam, an non pleraque in hac descriptione conueniant cum folio Indo, si calycum amplitudinem excipias. Thom. Hariot. in Hist. Virgineæ insulæ, cuiusdam arboris meminit, Asopo nomine, valdè similis Lauro, cuius cortex calidus & acris gustu, ac tradit eam multùm referre arborem Indiæ Occid. quam Monardes vocat Cassiam ligneam.

Arbor canellæ ferax. Folia Lauri. — *Syluestris & satiua.* — *Asopo arbor, prorsus similis ex Virginia.*

Calycum puluere, vt prædicti Authores tradunt, ad plerosque morbos vtuntur, sed præsertim aduersus Coli, intestinorum & stomachi dolores in potionibus propinant. Vtilis porrò ad multa est hic fructus Canella vocatus: nam in pollinem tritus ventriculum roborat, flatus discutit, oris fœtorem corrigit, cordi prodest, & colorem faciei commendat. Pultibus & cibis velut Canella inspergitur, quoniam iisdem facultatibus præditus est. E vino aut aqua ad eam rem accommoda sumptus, muliebres purgationes molitur. Calidus est in tertio excessu, & siccus in primo, cum manifesto robore, ob adstrictionem qua prȩditus est.

Vires & vsus. Ventris & stomachi dolores. Oris halitus. Cor. Faciei color. Menses. Tēperam.

CINAMOMI ET CASSIÆ SVBSTITVTA ET SVPPOSITITIA ITEM ADVLteria, & æquiuoca.

CInnamomi & Cassiæ substituta paucis dicemus, non quòd alicubi eorum defectum esse putemus apud nostros, sed vt vel facultatum similitudo ex Authorum sententia pateat, vel sanè dissimilitudo ex ratione. Ergo cinnamomo deficiente. Cassiæ aut Amomi duplum ad odoris gratiam ponit Galen. lib. 5. Comp. Med. in dentifricio. Pro Cinamomo duplum optimæ casiæ, vel cum Quinto Medico duplum vel multùm Carpesii, vel certè non parcior casia eidem supponitur lib. 2. 5. & 8. Comp. Med. & lib. 1. Antid. Quidam carentes Cinamomo in vicem eius ponunt æquale pondus ex Sem. Cardamomi. Syluius ait, se pro Cinnamomo casiæ optimę duplum miscere medicamentis, vt quantitate qualitatis imbecillitatem redimat. Colleg. Florent. cinnamomi vulgaris, quam canellam vocant, duplum. Nos selectę nostræ & interioris canellæ æqualem portionem sufficere existimamus. Tractatus Quid pro Quo, cinnamomo substituit duplum Cubebarum.

Casia. Amomum. — *Carpesium.* — *Cardamomum.* — *Cubeba.*

Præter rationem nobis videtur Ruta sylu. supponi pro Cinam. vt est in Antibal. Fuchsii & aliorum. Nempe nobilissimum & odoratissimum aroma petentibus, fœtidam obtrudunt herbam.

Ruta sylu.

Sabinæ duplum pro Cinam. poni planè displicet, quod fit in Syluii substitutis & aliis.

Sabina. Valeriana.

Valerianæ Hortensis radicum pro Cinamomo vsum ex Cæsalpino ostendemus c. de Valeriana. lib. 27.

Casiam existimari à quibusdam Malabathrum, siue folium Indum vulg. demonstratum est antea suo loco.

Malab. siue folium Indum vulg.

Cæsalpino Casiæ specie & odore simile est lignum

Nardus Indica. Malabathrum. Sabina.

gnum Sassafras. Pro Casiæ cortice, inquit Sylvius, & Gal.lib.6. comp. med. Nardus Indica vel Malabathri folium.

Casiæ substitui Sabinam inuenimus in tract. Quid, pro Quo, Fuchs. & Placotom. quod antiballomenon nobis neutquam placet.

Scribit Anguill.esse qui Sabinam, quæ Dioscor. similis Tamarisco dicitur, esse Casiam veram putent: quorum opinio nobis reprobanda videtur.

Capparis.

Annotat Platearius Sophisticari quandoque Casiam ligneam admixtione radicum Capparis.

Rosmarinus. Sanamunda.

Pro Casia Poëtica siue Hygini exhiberi Lauendulam dicetur suo loco. Rosmarinus Coronarius à quibusdam existimatur Casia Hygini & Virgilii. Cæsalpino Cneorū Theoph.& casia Plin.est planta Clusio dicta Sanamunda 3.

Chamælaea.

Cassiam videntur Latini appellasse Chamæleam, inquit Ruellius. Lob. autem & Pena dicunt Guilandinum hallucinari dum Chamæleam cassiā esse putat. Plin. Chamæleam in petrosis nasci tradit: videtur autem, [inquit Cæsalp.intelligere Cneorum candidum Theophrast.quod inter Coronarias Casia à Latinis vocatur:de qua nos mox. Casia Matthiol. quam alio nomine Cneorum vocat, est Chamælææ species Tabernamontano.

Thymelæa.

Thymelæam Latini casiam videntur appellare, inquit Ruell.

Laureola folio deciduo.

Annotat Tragus Thymelæam Dioscor. Hyginam cassiam nuncupasse. Tragi autem Thymelæa videtur nobis dicta Laureola folio deciduo.

Caryophyl.

Caryophyllorum lignum quibusdā videtur habere similitud.cūm Cinnamomo Antiquorum.

Cæsalpin. caryoph. intelligit esse Carpesium Quinti, & antiquos pro cinamomo vsos.

Ridendus nuperorum medicorum error. Cassiæ solutiuæ cortex.

Cassiæ loco in Diamarg. cal. Auic. malè imponitur Tapsia ob deprauatam lectionem. Legebatur Capsia, teste Lac. in annot.in proœm. Dioscor. Sed crassus & ridendus mehercule, est nuperorum etiamque famosissimorum quorundam medicorum error, qui cassiæ solutiuæ siue purgatricis corticem singulari suæ vel oscitantiæ vel inscitiæ næuo vsurpant & præscribunt in affectibus muliebribus & aliis pro vera cassia.

In cassiæ nomine, inquit Marantha, facilè est errare: eam, quæ ab Hygino ita appellatur, atque(si Gazæ interpretationem insequamur) etiam à Theophrasto, ad menses educendos exhibendo, vice nimirum odoratæ, vel ad aluum leuiter emolliendam:catharticam credentes esse cassiam: posset hic error hominem ad interitum facilè perducere: cùm Hygini Theophrastique cassia [est enim Cneorum] vehementissimè pituitam, bilémque extrahat.

DE CASIA APVM, CORONRIA ET Poëtica: etiámque de Cneoro.

CAP. XIII.

Emersi tandem ex cinnamomi & cassiæ aromaticæ tractatione, nihilominus de cognomine vel potiùs æquiuoca Poëtarum casia, aliisque huic similibus, si non iisdem, tradendum restat. De illa autem Virg.Eclog.2.sic canit.

Casia

Tum casia atque aliis intexens suauibus herbis,
Mollia luteola pingit Vaccinia Caltha.

Item:

Casia humilis

Nam ieiuna quidem cliuosi glarea ruris
Vix humilis apibus casias, roremque ministrat.

Item Eccl.4.

Hæc circum (stationem apum) casia virides & olentia latè
Serpilla ...

Item:

Casia recentes.

Subiiciunt fragmenta, Thymum, casiásque recentes [al. virentes.]

Io. Frisius in suis ad Virg.Scholiis casiam interpretatur peregrinum pretiosum corticem, cinamomum, Zimmet/aut cinamomo similem. Quam postremam clausulam non incautè adiecit. Nam similis esse nobis videtur: sed nomine fortè solo. Verùm, *ne sutor quidem vltra crepidam*, habet adagium. Ita nos de ipso. Obseruasset saltem Virgilium casiam inter herbas, easque domesticas reponere, quamuis idem Georg.4.vti dicebamus, casiam aromaticam intelligat,cùm ait:

Nec casia liquidi corrumpitur vsus Oliui.

Casia apud Rhenū.

Quin & in nostro orbe seritur, [casia] inquit Plin. extremóque in margine imperii, quà Rhenus alluit, viuit (vidi.vet.) in aluearis apum sata. Color abest ille torridus sole, & ob id simul idem odor. Ex hoc fortè Plin.loco, vti dicebamus, deceptus, vir alioqui ingeniosissimus Marcellus, credidit casiam aromaticam hic à Plin. intelligi, quam ait in maiore Romanæ gentis fortuna vbique in aluearibus consitam, & sub Septentrionibus viuere coactam, nullibi (quod nouerit) nostra ætate in Italia nunc reperiri. Negat am oculis formam eius omnem & speciem.

Marcell. not.

Casia siliquas ferens.

Casiam quam nostræ ætatis medici ligneam appellant, vnguentariis, vitæque deliciis magis, quàm medicinæ quondam quæsitum fruticem: ideoque ab omnibus Poëtis passim celebratum, diuersum ab ea arbore, quæ eadem cum casiæ appellatione siliquas potiùs quàm fistulas fert. Casiam Poëtarum fruticem dicit, cùm Virgil. manifestè inter herbas recenseat. Ac eandem à casia Veterum aromatica non distinguit, sed à purgatrice tantùm.

Lauendula. Libanotis coron.

Cæterùm ad Plin. citatum locum annotat Dalechamp. hæc verba: casia, Lauendula nostra, Theophrast.alba casia: eidem nigra, nostra Libanotis coronaria. Casiam Hyginii, quæ Theoph. cneorum est, cùm Indica negligenter Plin.hic cōfundit. At nos, quam plantam intelligat Plin. asserere non possumus. An benè conueniat descriptio cum Lauendula, Libanotide Coronaria & casia Hyginii, suis locis demonstrabitur. Considerandum, vt alio etiam monebimus loco, quænam conueniant cum Tamarisco in prædictis Plin.verbis.

Tamariscus.

Plin coron. Casia Coronaria.

Rursus alibi Plin. In coronamenta folio venêre Melethron, Spireon, [Spiræa M. & CH.] Trigonon, [origanum ex Th. Thryganum. CH.] cneoron,quod casiam Hyginus vocat:& quod cunilaginem, quæ Conyza [& Conyza, quam Cunilaginem. Vet.] Melissophyllon, quod Apiastrum, Melilotum, quod Sertulam campanam vocamus. *Item paulò pòst.* Et Cneori duo genera, nigri atque candidi. Hoc & odoratum: ramosa ambo. Florent post æquinoctium autumni. *Et alibi*, casiam inter alia coronamenta iuxta aluearia serendam præcipit, Thymum, scilicet Apiastrum, Rosas, Violas &c: quæ Theophr. vt suffruticum genera ... recenset, non vt plantas ad Coronamenta expetitas.

Cneoro duo. Casia apum.

Cneorum album. Lauendula. Cneorum nigrum.

Cneorum album Anguill. Lauendula nostra vtraque, mas & fœmina: Cneorum nigrum, Libanotis coronaria siue rosmarinus, cuius nusquā sub alio nomine Theophrast. meminit, inquit idem Dalechamp. Ergo videamus quid Theophr. de Cneoro scribat. Eorum, inquit, (suffruticum) quibus aculeus deest, digestio nulla penitùs ge-

neratim fieri potest: quippe cùm foliorum diuersitas amplitudine, paruitate, figuráque immensa incertaque sit. Sunt autem genera eorum complura, magnas differentias habentia, vt Hedera [κισσός. Malimus κίστος, Cistus.] Melothrum, Rubia, Smecea, casia, [ita Gaza. Græcè κνέωρον, quam vocem debuit reseruare] Origanum, Satureia, Lens [φακός. leg. σφάκελος] Marrubium, Pulicaria, Apiastrum. Hæc lib. 6. Hist. cap. 1. Mox seq. cap. cneori [casiæ Gaza licentiosiùs, vt antè. Græcè κνέωρον.] duo genera: vnum album, alterum nigrum. Albi folium est cutaceum, [δερματώδες] oblongum, figurâ Oleæ quodammodo simile. Nigri verò Tamarisci simile, carnosum. Album humile est, & odoratum quidem, [εὐώδης] sed nigrum suauissimi odoris [ὁ δὲ μέλας εὔοσμος: Gaza legit ἄοσμος, &, odore caret, vertit, secutus Plin. quem & Corn. & Const. sequuntur. At Dal. priorem lectionem præfert. Fortè non malè quis dicat cum Scal. ὀσμώδης, olens, odore grauis. Niger autem odore bono.] Vtrique radix alta, magna, rami multi, crassi, lignosi, ferè statim è terra, vel paulò suprà diuisi. Materie lignosâ quidem, sed lentâ admodum constant [ita enim legimus: ξυλώδη μὲν ἔχει τὴν ὕλην: γλίσχρα δὲ σφόδρα.] Ideò iis vitilium modo vtuntur ad colligandum & comprehendendum. Germinant florentque post æquinoctium Autumni, ac diu florent.

Theophr. corr. Gaza not. — Theophr. illustr. — Theophr. corr.

Fatetur Goropius, Virgilium *Casiæ* nomen herbæ dedisse, odoratæ illi quidem, sed longè differenti à *casia Indorum*: qua tamen in re, dum semel, humiles, iterum, virides Casiæ, dixit, satis ostendit [inquit ille] de illa sese casia loqui, quam Hygino teste, Cneorum vocarunt.

Casia & Cneorum Hygini.

Simplicium medicamentorum peritissimi, inquit Matth. [vt eorum testantur volumina] nihil inuicem differre censent, *cassiam* quæ in arborum genere Diosc. & Gal. recensetur, & eam quæ Antiquis inter coronarias numerabatur herbas, quæque olim passim circa apum aluearia serebatur in Italia. Verùm enimuerò longè aliter hæc res intelligi postulat. Palàm est ex Virg. & Plin. casiam coronariam, quâ tantoperè delectantur apes, herbam, non arborem fuisse, & credendum Cneorum Græcis vocatam, quod Theophr. candidum & nigrum facit. Sed quænam plantæ oriantur in Italia, vel aliundè eò afferantur, quæ Cneorum referant, quid veri referam non habeo. Hallucinatus Anguil. qui sibi persuadet Lauendulam Cneorum esse album: Nigrum verò Rosmarinum coronarium. Aberrant etiam qui contendunt, Theoph. Chamælæam esse vel Thymælæam. Inuenimus in Bohemiæ syluis plantam, quę omnibus suis partibus Cneorum candidum refert. *Hæc Matth.* Difficulter iudicari possit, inquit Clus. cur suffrutici, quem exhibet Matth. Cneori nomen accommodare voluerit. Multi mirantur. Postrema autem Editione, cap. de Thymælęa lib. 4. aliud nobis Theophr. Cneorum adfert, nullis, vt ipsius vtamur verbis, deficientibus notis. Sed cùm nudam tantùm imaginem, addito Cneori nomine, nostris oculis subiiciat, illiúsque historiam planè subticeat, si parum fidei ipsius assertioni adhibuerimus, nemo, vt opinamur, vitio vertet.

Casia coronaria herba, non arbor. — Lauendula Anguil. repreh. Rosmarinum. Chamælæa. Thymelæa. Cneorum. Matth. not.

Dioscor. & Gal. Cneorum, ad Thymelęam & Chamælæam referendum esse censent doctissimi quique. Anguil. arbitratur Gazam mendosum exemplar Theophr. secutum Cneorum nigrum legisse ἄοσμος pro εὔοσμος. Cuius rei causa mirificè illum exagitat. Aldinus sanè codex disertè habet: ὁ δὲ μέλας εὔοσμος. Porrò de Cneoris Matth. suis locis: de *primo* inter frutices. de *postremo* inter herbas nomine Saponariæ Dalech. siue Ocymoidis nostri minoris. De Cneoro item pro Thymælæa suo quoque loco.

Thymelæa. Chamælæa.

CASIA LIGNEA MONSPELIENSIVM.

CAP. XIV.

CAsiam vel cassiam ligneam, alii Herbaceam vocabant Monspelii, fruticem bicubitalem & tricubitalem, in multas virgulas variè diuisum, fuscas, striatas, lentas, virescentes, interdum etiam nigricantes, præsertim cùm nouellæ sunt, teste Clus. folia purpurascentia, angusta, satis longa, interdum foliis Linariæ proxima, saporis amari. Flores vt Ribes vulgò dicti, odore iucundo, planè Gallium referente præditi, [Lob. ex viridi flauescentes: Clus. adstrictoriæ facultatis in eodem pediculo congesti.] Baccæ satis magnæ, per maturitatem rubræ, dulces, (Lob. glutinosæ valdè, Clus. subdulces lentæ, tandem nonnihil acrimoniæ excitantes) in quibus osseus nucleus, medullam continens albam, subdulcem. Camerario baccæ sunt sapore & odore ingrato. Totus frutex adstringentem nonnihil facultatem habet. Radix dura & lignosa, subrusso, crassóque cortice, valdè adstringente tecta, vt notat Casp. Bauhin.

Descriptio. — Folia. — Flores. — Baccæ. — Radix.

Hæc planta sic tradita videtur à Cordo in Obs. sylu. fruticulus tenuibus & cubitalibus virgultis: foliis Polygoni masculi: semine rotundo, nigro, Iuniperinis Baccis simili: gustu acri: allatus est mihi ex horto Episcopi Cremonensis è Gallia, à Petro Bellonio.

Casia Poetica Monsp. an Theophrasti? Adu. Anguil. & Guiland. non aliam proposuissent, quàm hanc, si eam vidissent in Romano Narbonensíque agro, Cocco copioso Cneori, vel Asparagi marini æmulo. Hanc Rondel. & Pellicerius Episc. Monspel. casiam fecerunt, quia in Diosc. deerat, & in Theoph. supererat.

An casia Theoph.?

Casia quorundam Clus. qui refert, suo tempore Monspelii à studiosis pro *Osyride* habitam, ac successores casiam appellare maluisse, quod nomen etiam nonnullis Hisp. locis obtinet.

Casia. Osyris.

Placa Medicus & Professor Valentinus Polygonum Plin. existimabat: quod si fuerit, inquit Clus. ad quartum Polygoni Pliniani genus referendum esset. Nos tamen aliam plantam proponemus, quæ magis quadrare videtur. Hispanorum vulgus *Badaiez*, & vicina incolens loca *Guardalobo* nuncupat. Si quis cum Osyride Plinio descripta conferet, aliquot notas conuenire deprehendet: Nihil tamen statuimus. Certè κνέωρον Theophrast. quod casiam ab Hygino vocari Plin. tradit, cuiusque ex Theophr. duo quoque genera constituit, minimè esse potest. Sed neque etiam Virgilii casia, planta odorata, quamuis huius sententiæ videatur esse Lacuna, qui nihil aliud quàm casiam Monspessulanam describere videtur, sic inquiens: A cassia odorata & à Cassia solutiua differt Virgiliana, Plinio coronaria dicta, cui rami quadrati, folia Rosmarini: fructus rufus, Asparagi modo rotundus, sparto multùm similis: aliqui Cneorum faciunt. Radices sunt Bacchari similes, odore & sapore multo canelæ, cui adnumerari potest. Abundat hæc casia Romæ in vinea Ill. Margaritæ Austriacæ. Cæterùm an hæc planta odorem & saporem canelæ habeat, quam ei tribuit Lacuna iudi-

Casia Hisp. Polygonum. Polyg. 4. Plin. — Badaiez. Guardalobo. — An Osyris Plin. Non est Cneorum Theophr. Nec casia Virgil. seu Poetica. Lacunæ not. — Cneorum. — Sapor canelæ.

Digitized by Google

iudicent Medici & Pharmacopœi, qui Romæ degunt.

Rauuolff. in itin. de plantis montis Libani, scribit, se reperisse casiam Monspeliensium ibi vocatam *Mackmudi & Muckmisi* baccas autem *Habel mickemes*: suspicatúrque an sit *Anacsium* Rhasis.

Mackmudi Muckmisi Habel mickemes An Anacsium Rhas.

Cassia lignea maritima Hist. Lugd. quam [inquit] ligneam Herbarii vocant, cuius nominis causa mihi adhuc incognita. In maritimis crescit, caulibus lentis, fractúque contumacibus, foliis Lẽticulæ, numerosis, gustu astringentibus: fructus oblongus, niger, vmbilicatus, ita gustu astringens, vt acerbitatis nonnihil habeat. Quidam Genistæ marinæ genus esse putant, licet siliquas nullus edat.

In eadem Hist. Lugd. traditur Polygonum marinum 2. Dal. quod multa communia habet cum iam dicto frutice.

Genista marina. seu Polyg. mar. 2. Dal. Cassia Poet. Cassia lig. subst.

Camer. & Cassiam Monspel. vocat, & cassiam poëticam eorundem, additque nonnullos corticẽ radicis vti pro cassia lignea. Cassia quorundã: Cassien Tab. *Casia* Poët. Lob. I. Gerard.

Nec Virg. nec Hyginii est, inquit Casp. Bauhin. quam odoratam dicunt: Osyridísque Plinii notas aliquas habere putat. Cæsalp. cassia lignea offic. eidem.

Locus

Cæterùm *Casia monsp.* dicta Romano, Narbonensique agro vbere prouentu oritur ad ripas Lani, propè pontem Castri noui, in sepibus, præsertim quà ad sinistram versus flumen ad montem contenditur. Et ad ingressum *Peraul* pagi ad stagnum Volcarum siti, deinde siluula *Egremont* cœnobio proxima, & in *Gramont*, Nec non Nemausi plurimis locis, & alibi passim in Galloprouincia iuxta sepes & oliuetarum margines. Variis etiam Hispaniæ locis secundum vias, frequentissimè autem Granatensi & Valentino regno, teste Clus. In Italiæ hortis quibusdam etiam cultam vidimus D. Rentzius Medicus Wirtembergicus dedit nomine *Casia poëtarum*, collectam propè Tergestũ versus mare Adriaticum, in monte dicto Cars.

Tempus.

Floret Iunio, semen rubet Augusto: Lob. floret æstate: fructus Octobri vel antè maturescit Clus. Nos & Aprili & Maio florentem obseruauimus Et Nemausi Iunio fructum. Communiter tamen Augusto perficit toto illo tractu Narbonensi.

Vires & Vsus.

Totus frutex, vt dicebamus astringens est. An verò rectè quidam radicis huius cortice pro Casia Veterum vsi sint, vt notat Camer. ipsi viderint. Et quamuis eadem esset cum Osyride Plin. non existimauerimus tamen, radicum decoctum sanare arquatos: magna enim illa astrictio quæ ei tribuitur, non videtur conuenire in obstructione hepatis insigni, qualis plerumque est arquatorũ vel Ictericorum. Camer. notat Casiam nihil ferè aromatici habere, sed radicem validè astringere. Nec non vti quosdam radicis cortice in obstructione iecoris. Malimus nos in contrario quodam eius affectu aut consimili alio intestinorum fluxu, præmissis præmittendis vti.

DE CASSIIS OFFIC. ADVLTERINIS.

CAP. XV.

Tamaricis radices, Medicorum & offic. error. Ruell. err.

Officinæ, si Hermol. credimus, Tamaricis radicem *Casiam* vocare solent: & quæ palàm Imperitia Medicorum est, pro *Casia odorata* vtuntur. Idem & Tragus ait, & Ruell. ex Hermol. iisdem planè verbis, nec eo citato.

Myricæ radix

Myricæ [eadem est cum Tamarisco] radices, inquit Matthiol. pro odorata casia venditabant imperiti Impostores. Sed postquam fraus à peritis deprehensa est, eius in offic. vsus penitùs exoleuit. Quandoquidem verò Tamarix copiosè prouenit ad ripam Rheni, subeunt memoriam Plinii illa verba, quæ suprà citauimus, de casia quæ seritur extremo in margine imperii, quà Rhenus alluit. Non tamen audemus affirmare eandem.

Scribit Cordus, pro Veterum cassia fistulari à multis seculis in Europa visa, corticem venosum radicis cuiusdam gustus acerbi & tenuis vendi. Et in Dispens. monet, pro casia lignea in Diantho Mes. non sumendũ esse paruum corticem saporis insipidi ac stiptici, vt hactenus factum. Fortè de hac eadem ait: Allatus est hactenus in totam Europam pro cassia lignea cortex radicis cuiusdam crassiusculus, colore purpurascens, præsertim fractus, gustu stipticus, tenui odore, gustantium palatum ad halitum commendans, quem ex Aspalathi specie aliqua detractum opinamur: nihil tamen affirmamus.

Offic. error. *Descriptio* *Aspalathi species. cassia Corn. vet. Corn. reprob.*

At securè Cornar. cassiam ligneam Offic. [inquit] cassiam veram Veterum censebimus. Sed prudentiùs fecisset, si indicasset, quid intellexerit per cassiam ligneam offic. & docuisset, cur veram cassiam Veterum existimet. Nam cortex ille, quo sub cassiæ nomine hactenus vsi sunt pharmacopœi non est vera Cassia, quòd nec gustu cinnamomum referat, aut acris sit, nec odorati, vt & Fuchs. annotauit. Sunt qui Genistæ radicis corticem esse putent.

Genistæ radix.

Hactenus, vt scribit Matthiol. tum medici, tum seplasiarii odoratæ cassiæ loco quædam incognitæ arboris segmenta, nec odore nec viribus prædita, semper capescunt. Veruntamen postquam nonnulli nostræ ætatis viri stirpium historias diligenter examinarunt, detectâ fraude, mercatores ex Alexandria mercimonia Venetias comportantes, in aliud nouum cassiæ genus segmenta illa commutarunt: quæ sanè præter odorem, paritérque saporem, quibus ferè penitùs exoleta sentitur, cassiæ à Dioscor. descriptæ admodum habetur consimilis. Quapropter nec eos errasse crediderim, qui dicerent, hanc Dioscor. Pseudocassiam esse: quippe & crasso cortice constat, & in eius cauitate lignosa etiam visitur materies, paululúmque est odorata, minimèque acris. Nonnulli hac non contenti, quædam vocati cinamomi fragmina cassiæ vice usurpant, quæ cùm nullo odore saporéque commendentur, potiùs Quercum vel Fagum quàm cassiam referunt.

Cassia offic. alba *Pseudocass. Diosc.* *Cinamomi fragmina, exoleta* *Cassia inodora*

Casiam, inquit Marantha, nullo odore, nullã habentem acrimoniam medicamentis apponunt Seplasiarii, vt nihilò deteriùs quispiam lignum quoduis admiscere possit: sic enim cùm tanta alicuius medicamenti quantitas tam citò exteri non queat, in officina diutiùs seruatur ac vetustate fit elanguidum: illud tamen, ne mercem perdant, in compositis adhibent. Cronemb. & Manardus quoque testantur nefariè hactenus cassiam Ligneã vocitatam, & pro ea diuenditam, nihil minùs quàm germanã esse cassiam inodorum quid, & proin penitùs abiiciendum. Quod verò cinamomum [inquit Casp. Bauhin. apud Matthiol.] cõmuniter pro cassia exhibent, nihil aliud esse videtur, quàm Pseudocassia Dioscor. & fortè cassia fistula Androm. iunioris apud Gal. antid. licèt alii corticem cassiæ Monsp. esse velint. Sed optassemus cum graphicè delineasse quid intelligat per cassiam communiter exhibitam.

Cassia Cronemb. *Pseudocassia Diosc. Cassia fistul. Andr. Cortex Casi. Monsp. C. Bauh.*

POLYGONVM MARINVM ANGVSTIFOLIVM DALECH.

CAP. XVI.



Descriptio. SCribitur in Histor. Plant. Lugd. Polygonum marinum alterum Dalechampii in maritimis fruticat, *Radix.* radice lignosa, nigricante, modicè fibrata, *Caulis.* caulibus multis, vno & altero cubito proceris, *Cortex.* cortice subrubro vestitis, ramosis: *Folia.* foliis admodum densis, ramos & surculos operientibus, Polygono mari similibus, nonnihil angustioribus & longioribus gustu in maritimis salso, alioqui adstringente. *Polygonum sylu. Plinij.* Herbarii quidem Polygonum syluestre à Plinio descriptum esse putant. Quartum genus, inquit, syluestre appellatur, penè arboris modo frutex, radice lignosa, stirpe Cedri rubicundo: ramis sparti binûm palmorum, nigris geniculorum ternis quaternisve articulis, fuêre qui Aizioum *Aizoum marinum.* marinum vocaverint.

Considerandum quantum Polygonum Dalechampii differat à frutice qui dicitur à Monspeliensibus, Cassia lignea.

CASSIÆ ADVLTERINÆ VEL PSEVDOCASSIÆ NOMINE DATVS CORTEX.

CAP. XVII.

Descript. HOc nomine exhibitus cortex, crassitudine ferè semunciali, Maceris æquat corticem, coloris ferruginei, punctis albicantibus aspersis, superficie tam conuexa quàm concaua leui, substantia nullis fibris intertexta, sapore nullo euidenti, anno 1589. Datus autem fuit hic cortex Patauii, anno 1561. in Pharmacopolio ad Symbolum Aquilæ.

Considerandum an de hoc cortice scripserit Matth. Epist. l. 3. ad Quacelbenum: Corticis illius *Argillada.* frustulum, cui titulus erat, *Argillada*, putarem ego Pseudocassiam esse, quam nostri Pharmacopœi cassiam ligneam vocant.

LIGNVM AROMATICVM, SEV POTIVS CORTEX MONARDES.

CAP. XVIII.

Lignum aromaticum Monard. BErnardinus de Burgos Pharmacopola, inquit Monardes, Italus ostendit mihi ligni cuiusdam fragmentum, quod primo intuitu putabat Lignum Sanctum portus diuitis S. Iohannis. Lignum est, quod adolescens candelâ, fragrantissimi odoris fumum excitat, alioqui insipidum & *Corticis odor.* inodorum, haud secus ac lignum commune aliquod. Corticis verò odor aromaticus præstantis- *Sapor.* simus, sapor Macis aut Nucis moschatæ, eóque *Acrimonia maior quam Piperis.* etiam vegetior ac suauior, aromatica sua gratia vel quoduis cinnamomum & acrimonia ipsum adeò Piper superans, & vel ex leui dentium attritu omnes fauces permadens, ac toti ferè decumbuens. Magna huius ligni quantitas in monte quodam cæsa fuerat à Nauclero è Hauana [portu Cubæ, inquit Clusius, Insulæ ad Septentrionem *Locus.* sito, & Floridæ Prouinciæ ferè opposito] redeunte, & in nauem seu Liburnicam delata, ignis struendi causa.

Lignum sylu. idem. Clusius in Annot. ad cap. 16. lib. de Simp. Med. Hist. Monardi ait: Simile lignum me nactum esse arbitror anno 1597. Truncus enim quem in plures orbiculares partes sectum conspiciebam, solida & durâ massâ constabat, eaque non minùs graui quàm Guayacum, candidiore tamen, hoc aliquot nigricantibus venis distincta: illius etiam cor nigrum instar Guayaci, odor autem valdè tenuis erat, vt qui vix percipi posset; sapor verò nonnihil calidus. Cæterùm orbiculare illud fragmentum quod accipiebam, palmaris erat lon- *Descriptio.* gitudinis siue altitudinis, & quinque vnciarum diametrum ferè habebat, cortice suo denudatum: quapropter initiò nihil de illo pronuntiare pote- *Guayaci genus.* ram, nisi Guayaci genus aliquod vilius videri, donec anno insequente aliud fragmentum suo cortice adhuc tectum nancíscerer: tum demùm diligentiùs obseruato & cortice & ligno, illud esse *Cortex.* de quo Monardes scripserat, confidentiùs asserere audebam. Comperiebam enim illius descriptionem huic ligno prorsus conuenire, atque huius corticem cortici ab illo descripto ita ad amussim quadrare, vt quin ille ipse sit, nemo ambigere posset. Quum verò in solo cortice sit illa odoris & saporis gratia: mirari subit, cur Monardus li- *Monardes mos.* gno potiùs quàm cortici aromatici nomen tribuerit.

In ea porrò sum opinione, ipsi ligno aliquas inesse facultates, illis quæ Guayaco tribuuntur, non dissimiles: & forsitan qui in Angliam id adferebant, arbitratos se quæstum ex eo, perinde *Vsus.* atque ex Guayaco facturos: verùm cùm sua spe se frustratos animaduerterent, ex eo globos tornari curasse (vt mihi relatum) quibus exercitii gratia ad iactum vterentur, propter ligni soliditatem & grauitatem. In Histor. verò Lugd. *Lignum aromaticum Monardes* dicitur.

CORTEX VVINTERANVS ACRIS, SIVE CANELLA ALBA.

CAP. XIX.



Descriptio. MVnere Ill. Ducis VVirt. Principis nostri Cl. habemus corticem E. C. missum per D. Paludanum, nomine prædicto. Canulatus est, crassitudine cassiæ ligneæ fuscæ, fragilis, coloris parte gibbâ cinerei, conuexa fusci, per substantiam cinerei & fului. Saporem *Sapor.* imprimit è vestigio feculentem acrem, subamarum, & aromaticum, qualem haberet Zingiber mul-

multum cum Zedoaria pauca confusum. Sed cùm tenuium sit partium feruida eius acrimonia, non ita multò post euanescit, remanente suaui colore cum amaritudine grata.

Similem corticem Gener Cherlerus rediens ex Anglia anno 1605. accepit à Iac. Gareto, Pharmacopœo peritissimo. Corticem autem hunc crassissimum & acerrimum, præ omnibus aliis, Winterano respondentem inuenio præter tubulos corticum conuolutorum, vt solent Canellæ vulgaris: ex quibus apparet, fuisse detractos ex truncis, aut ramis arborum non paruarum: externa parte sunt illi tubuli, vel cortices cinerei coloris rugosi, ac etiam in quibusdam partibus ramosi, cum multis tuberculis: interna quidem fusci: duplici cortice constant, interiori spissiori: exteriori Buxei ferè coloris, & interna parte vti modò dictum, fusci. Horum tubulorum odor aromaticus sanè, gratus: sapor acerrimus cum amaritudine. Fragiles sunt tubuli quamuis crassi, quique dentibus facilè atteruntur. *Descriptio*

Winteranum corticem, sicut solet singula, præsertim peregrina & Exotica, quà potuit fide, descripsit Clusius lib. 4. cap. 1. in sequentibus verbis: Wilhelmus Winter, qui Generosum Franciscum Dracke ad Magellanicum vsque Fretum comitabatur anno redempti generis humani 1507. vlteriùs non progressus, nauim, cuius præfectus erat, in Angliam anno insequente reducebat, atque collectum istîc corticem referebat, viliori canellæ cùm substantiâ, tum colore non valdè dissimilem, plerumque tamen crassiorem, & cineracei coloris, vel fuscum externa parte, atque vlmei corticis instar scabrum, internâ verò nonnunquam dissectum, & multis rimulis hiantem, Tiliæ corticis modo, aliquando etiam valdè solidum & durum, odore non ingrato, sed perquàm acri sapore, linguàmque & fauces non leuiùs vrente, quàm piper.

Vsus Cæterùm Winteranus cortex, teste Clusio de peregr. plurimùm accedere videtur ad iam descriptum ligni aromatici corticem Monardis, tametsi singularem illam odoris fragrantiam, quam suo cortici tribuit, in hoc nô deprehêdere potuerit. Hist. Lugd. *Winteranum* corticem à ligno aró. Monardis separat & distinctis locis & capitibus de iis agit, vt Clusius etiam facit Exot. lib. 4. cap. 2. Castori Dur. Lignum aromaticum Indiæ Orientalis.

Winterus verò (inquit Clusius) illius facultates nullas exploratas habuit, sed eo, dum recens esset, partim melle condito, vt acrimoniam deponeret, partim resiccato & in pollinem trito, vt in eduliis Canellæ aliorúmque aromatum vicem præberet, vsi sunt, qui eâ naui vehebantur. Postea tamen intellexi aduersus stomachici siue Scorbuti morbum, quo eorum nonnulli in illa nauigatione affecti fuerant, optimo successu vsos esse.

CORTEX ERIOPHORVS.

CAP. XX.

Descriptio ANno 1603. mittebat ad me Petrus Garetus, inquit Clus. in Exot. corticis cuiusdam fragmenta, illo ipso anno ex India allata eaque veluti in tubos media ex parte conuoluta, quæ an à radicibus, an ab arboris alicuius ramis defracta fuerint, ignoro, erát illa fragmenta cineraceo quidem colore, satis verò acri sapore prædita: valdè fragilia, quæ vel in minutas etiam partes fracta, & protracta, veluti tenuissima stamina, instar telæ aranearum, vt lana autem candida, ostendebant, quemadmodum *Eriophori bulbi* folia, & squammæ radicis ipsius, de quo H. G. l. 19.

CANELLA ALBA QVORVNDAM.

CAP. XXI.





ANnotat noster Cherlerus se accepisse à peritissimo Pharmacopœo Londinensi, Iacobo Gareto in Anglia anno 1605. cinamomum album inter obtusos cortices, ligna & alia, quæ ad nostras manus peruenerunt sine nominibus. Inuenimus duos cortices albos, quorum prior eiusmodi est; multò læuior quàm tubulorum pro Winterano cortice modò descriptorum, externa parte albus, tantillùm ad cinereum tendens, rugosus vt Winteranus: internè candidior, qui duplex videtur, fragilis & qui dentibus facilè frangitur, odore & sapore æmulatur Winteranum corticem, verùm multò remissiùs: nescimus an intellexerit per hunc corticem cinnamomum alterum, vel Winteranum corticem. Secundus cortex albus, non rugosus vt præcedens, sed læuis, hinc inde tamen quædam veluti tubercula habet, facilè atteritur dentibus, parum habet saporis, non grati cum leui acrimonia, odorem non sentimus. *Descriptio*

De Canella alba, cuius nos iconem exhibemus, hæc scribit Clusius, in Exot. Ante paucos annos inferri cœpit Exoticus quidam cortex: quoniam in tubos plerumque conuolutus est, Canellæ instar, tum etiam propter albedinem, *Canella alba* nomê indiderunt. Eius autem duo genera obseruare mihi videbar. Vnum maioribus longioribúsque tubis, & etiam crassius, quod vilius, meo iudicio, æstimandum. Alterû tenuius, minoribúsq; tubis, quod præferendû. Vtrique generi extimus cortex scaber, ferro, aliòue instrumento, detersus & æquatus videbatur: crassiori, color minùs albus, minórque acrimonia: tenuiori, maior acrimonia, & color magis candicans, maiórque fragrantia. Etsétne verò hic cortex ab aliquâ arbore fruticéue ademptus, an à radice aliqua, hærebam initiò: nam candidioris tenuiorísque corticis collatione tum quidem facta cum cortice fragmenti radicis cuiusdam, quod anno 1591. Londino ad me mittebat doctiss. vir Richardus Gartha, ex Wingandecaou, siue Virginia, vt adscriptum erat, acceptum, sed nullo nomine insignitum, reperiebam neque colore, neque substantiâ, neque acrimoniâ multùm inter se differre. In ipsa quidem radicis substantia, nullâ manifestam qua- *Canella alba quorundam.* *Descriptio*

litatem deprehendebam, sed in ipso cortice tota facultas consistebat. Erat porrò illud radicis fragmentum dodrantalis longitudinis, pollicaris crassitudinis, [quia forsitan nondum adulta] in aliquot ramos infernâ parte diuisa, cortex ipse rugosus, pallescens, & valde acris; quam ob causam non est dubium, quin apud incolas aliquo in vsu esset: nihil tamen de facultatibus, neque etiam de ipsa planta, cuius radix fuerat, Garthus meminerat. Non absimilium porrò corticum fragmenta pedalis longitudinis vel etiam ampliora referebant anno 1601. nautæ Bataui ex Moluccis & Iaua reduces: quibus, quòd candore excellent eximio, & acrimoniæ non expertia, *canellæ albæ* nomen indiderant &c.

Radix. Cortex. Canella albæ radice.

DE SEITARAGI ARABVM: EIVSQVE SVBSTITVTIS ET ÆQVIVOCIS.

Cap. XXII.

SEitaragi Indi, vel vt Bellun. scribit in margine, Sitharagi [& in titulo Lepidium] Auic. lib. 2. Tract. 2. cap. 666. frusta sunt ligni parua, tenuia, & cortices sicut Caryophylli: Fractus [Monachi & Matth. legunt Fructus,] declinat ad rubedinem & nigredinem. Et Sitharagi quidem [fortè leg. quidam] oritur in parietibus antiquis &c. Serap. cap. 362. *Seitaragi*, id est, *Hausab* Gal. Diosc. &c. Nostro iudicio Auic. meliùs posuisset cap. de Caryophyllis, quàm iungere ligna & cortices cum tenui herba Iberidis, [de qua suo loco] vt & Serapio, qui & ipse iungit cum Iberide siue Lepidio, vt existimamus: Est verò *Seitaragi* vox Arabica, &, vt scribunt Monachi, est Lepidium Diosc. Proposita Auicen. descriptio cum nullo conuenit Authore.

Sitharagi. Hausab. Auic. not. & Serap.

Secundo loco leg. Alseiteragi quidem oritur, &c. Sanè de eorundem sententia, Auic. confusè loquitur, & plura genera sub vno nomine comprehendit. Primum genus Indum non est herba: sed quædam species Casiæ ligneæ, vt testatur Bellun. in suis interpret. nominum Arab. ac etiam in 5. Can. ipsius Auic. in pluribus confectionibus & Electuariis, vbi legebatur Casiæ vel Casiæ Indæ, ipse ponit Sytragi, vel Sytragi Indi, quia sic fatetur esse in Arabicis exemplaribus. In multis etiam confectionibus & Elect. filii Serapionis, in quibus legitur Seitaragi, seu Seitaragi Indi, in eisdem Auic. loco eius, habet casiæ, seu casiæ Indæ: vt in Elect. Alsargius & aliis pluribus. In nonnullis etiam confectionibus ipsius Auic. legitur Casiæ, quæ loca Bellun. non permutauit. Vnde in illis locis non intelligitur Seitaragi Indus, sed est alia Casiæ species. Rhasis in 3. ad Almansorem Setaragi seu Setarach, casiam esse dicit. In Composs. Auic. & aliorum legitur cassiæ Persicæ, & idem est quod Seitaragi Persicum, quoniam reperitur & Seitaragi Persicum, vt in 5. breuiarii filii Serap. c. 3. de Baras, & aliis in locis. Cæterùm *Seitaragi* siue *Sytragi*, siue *Setragi* siue *Sitaragi* siue *Siraregi* & similia, idem significant. De hoc *Seitaragi Indico* locutus est Hali Abbas, secundo Pract. cap. 42. quod est de medicaminibus, quæ sunt ligna num. 370. vbi dixit: Sitaregum melius Indicum &c. Secundum Seitaragi autem quod scribit ipse Auic. est species cuiusdam fructus. Tertium Alseitaragi Auic. cuius descriptio conuenit descriptioni Iberidis Diosc. Serapionis *Seitaragi*, distincta est species ab Auic. *Alseitaragi*. Sunt igitur quatuor species Seitaragi ad minus: quia præterea alia species Seitaragi seu casiæ quæ vocatur Persica. De-

Alseiteragi Auic. reprehensus. Casia lignea. Casia Inda Sytragi. Casia species. Setarach Casia Persica. Sytragi. Sitarag. Iberis Diosc. Seitaragi 4. species.

clarationes Luminaris maioris &c. Seitaragi sunt confusæ. Monachis tamen non assentimur existimantibus apud Auic. tradi tria Seitaragi genera. Ex primo enim genere Indo duo non sunt facienda: nam nostro iudicio, vnius est descriptio: in nostro codice pro fructus vocabulo meliùs legitur, Fractus.

Luminaris maioris. Monachi reprehensi. Auic. non tria Seitaragi genera. Auic. corr. Monachi not.

Monachi, (inquit Apollo) Vincetoxicum Iberidem esse scribunt, quúmque Seitaragi Indi in Triphera legeretur, ideò primum Auic. Seitaragi accipiendum & Casiæ aromaticæ speciem. At hi nobis videntur sapere Auicennianam caliginem quum res quatuor diuersas eodem cap. implicuerit, cuius sanè factionis Calopodiani illi, post longam nimis garrulitatem, re tandem infecta, operam & impensam perdunt. Vincetoxicum foliis hederaceis pro Diosc. Asclepiade habita. At Franciscus Alexander Calopodianis insultans, se cerebro caluum ostentat, nec bene hoc loco irradiare videtur in suo Apolline. Auic. enim vno capite Seitaragi nomine duas tantùm res diuersas tradit, non quatuor, vt ipse autumat. Monachos non intelligit: quorum Vincetoxicum non est Asclepias. Qui docet ipse quid ponendum in Triphera pro Seitaragi.

Vincetoxicum. Apollo not.

Matth. quoque Monachos reprehendit, quòd in Comment. in Damascenum perperàm sibi persuaserint, nil aliud Mauritanis Seitaragi designare, quàm Indicam Cassiam, veterem Auic. Edit. secuti: siquidem Bellun. lib. 5. in Confect. Philos. in Triphera magna, cùm in prima, tum etiam in altera in Elect. de gemmis viridibus aliisque nonnullis, vbi Gerardus modò casiam Indicam vertit, Seitaragi in Sythragi restituerit. Et lib. 5. Epist. scribit Matth. Seitaragi primum Auic. odoratæ festucæ Caryophyllorum instar, quas nos vulgò vocamus *Fusti di Garoffani*, puto subesse interpretis vel Scriptoris Auic. mendum in dictione, Cortices, quum Caryophylli cortices non sint, sed fructus, putarim legendum tanquam putamina Caryophyllorum, quæ à Gerardo perperàm cortices sint translata. Mihi omninò persuasum velim, nil aliud Seitaragi Indici loco in Triphera Sarac. magna Io. Damasceni imponi debere, quàm Caryophyllorum festucas seu pediculos Seiteragi secundum Auic. præ se ferre videntur fructus, quos Italicæ Seplasiæ Antophyllos & Pseudocaryophyllos vocant. Sed de hac Matthiol. opinione quid sentiamus, diximus cap. de Caryophyllis: & apud Auic. non duo tradi Seitaragi Inda, sed tantùm vnum. Cæterùm non displicet Anthophyllos substitui pro Seitaragi.

Matthi. reprehen. Cassia Indica. Caryophyllorum pediculi. Auic. corr. Antophylli Matth. not.

Annota: Brassauolus in Exam. Pil. quæ sequuntur: Sceiteragi Indi primo loco inconstantissimè Auic. meminit; de quo fortè intelligit Mes. in Pil. Aggr. Sceiteragi Indum Auic. est Galeni Carpesium: à qua opinione tanquam falsa se dissentire cogi scribit Matth. lib. 5. Epist. quum Auic. de Cubebis scribens cap. 35. lib. 2. nil aliud scribat quàm Carpesium.

Carpesium Gal. Brassau. not.

Monachi dicunt loco Seitaragi Lepidii posse poni Iberidem, quoniam eædem vires. Monachis autem Iberis dicitur Vincetoxicum, sicut etiam Brassauolo, non autem intelligunt per Vincetoxicum, Asclepiadem, vt antè dictum: quicquid scribat Apollo, qui Brassauolum redarguit, sed meliora non docet, dum ait: Brassau. in lib. Pillul. cap. de aggreg. per Sceitragi vel Carpesium, vel Fumariam seu Vincetoxicum vltimò existimat, quod prius Pipirellam coniecerat, animi inconstantiam facilè demonstrans.

Iberis. Vincetoxicum Apolo not. Pipirella.

Seitaragi, Lepidium est Matth. qui lib. Epist. 5. ait:

Sithrogi. Sythragi. ait : Seitaragi siue Sithrogi siue Sythragi (Synonyma sunt hæc apud Arabes) plura designare minimè fuerit ambigendum. Serapioni nihil aliud quàm Dioscor. Iberis siue Lepidium. Auicennæ tria genera explicantur. Postremum nulli dubium est, quin legitimam Iberim designet: sed ibi interpretis errore legitur Cordumeni pro Cardamini. Auic. locus corrig.

Lepidium (inquit Tragus) quod & Piperitis dicitur, Germ. Senfftraut / in Serap. vidi Seitaragi Indum [noster codex Serap. non habet Indum.] & Hunsab appellari : nolim tamen super hac te cu quoquam contendere.

Ruell. hoc Lepidium intelligere videtur cùm scribit: Sataragin Maurica lingua Lepidium nominant. Brassauolus in exam. Pil. aggreg. Scitaragi, Sataragi nonnunquã Seitaragi Arabum, est Diosc. Lepidium. Auic. confundit Iberidem cum Lepidio. Lepidium verò & Sceterag est Penerella. Colligendum est in hac pillul. comp. pro Sceteragi Arabes Lepidion intelligere : verùm concipere nescio, quid in ea faciat, vel facere possit Lepidion. Sceteragi. Auic. not. Penerella.

Cordo in disp. supra pil. fœtidas Rhasis, Seitaragi siue scytari Indum est Lepidium maius : Pfefferkraut.

Monachi in Mes. dist. 1. cens. 40. in Triphera hoc idem tradere videntur Seitaragi siue Lepidium, cùm aiunt : Non est multùm à veritate alienum tenere Piperellam esse Lepidiũ. Iidẽ Lepidium est illa, quæ vulgari vocabulo apud Italos dicitur *Crapinella* vel *Caprinella*. Quia dicit Simon Ianuensis in litera Seitaragi, quod quidem seitaragi vocauerunt Nucem viduarum seu captiuam. Considerandum an Monachi non intelligant Raphanum rusticanum Germ. dictum Meerrettig. Nux viduarum.

Iisdem autoribus pro Seitaragi sumendum Nasturtium, quod viribus, odore & sapore simile.

Io. Manlius, teste Trago, Nasturtium agreste, Sataragi, Senation & Lepidion vnius & eiusdem plantæ nomenclaturas esse censet. Vbi pro Seitaragi, inquiunt Monachi, intelligitur Lepidium, si non habetur, sumatur Rubia ex Auic. & Gal. autoritate. Rubiam & tractat. Quid pro Quo substituit, quod sanè substitutum nobis pro nullo Seitaragi conuenire videtur. Vesalio in Rhas. lib. 9. cap. 9 Seiteragi est Thaphsia Indica ita & habet Arabicarum dictionum antiqua interpretatio sub finem. Auic. Setaragi, id est, Thaphsia. Brassauol. in exam. pil. aggr. Nisi vocabulo Sceitaragi addita esset particula Indi, lectionem corruptam esse putarem: & legendum esse Sitarag, id est, Fumi terræ, quem recipiendum suaderem, posteaquam Carpesium abesse certum est. Apollo accusat Brassauolum inconstantiæ, sed nostro iudicio immeritò, vt suo loco ampliùs declarabitur. Arabicorum nominum antiqua interpretatio habet. Seteragi, id est, Fumus terræ. Nasturtiũ agreste. Sataragi. Senation. Rubia. Monachi eã tract. Quid pro Quo, reprob. Thapsia Indica. Sitarag. Fumus terra. Apollo not.

Ita habes sanè Seitaragi Arabum satis intricatam historiam, non tam ex vocis multiplici variatione, vt equidem opinamur, quàm Arab. Scriptorum incondita barbarie (quam sæpè vel inuiti sequi cogimur, ne, verborum puritatem aut lenocinia sectantes, latentem nucleum vel penitus omittamus, vel intempestiuè peruertamus) eósque proximè secutorum medicorum negligentiâ. Autorum nunc sententias dixisse, nostramq; sententiam interposuisse sit satis, donec aliquid certius addiscamus de his, quæ ad Casiæ historiam pertinere videbantur. Arabum barbaries.

CORTEX ANTIRHEVMATICVS.

CAP. XXIV.

Refert Monardes, ex Peru missum esse crassum quendam corticem ex vasta arbore Vlmo simili cùm amplitudine tum forma, detractũ. Ferunt nasci ad ripas fluminis cuiusdam viginti quinque leucis à *Lima* distantis : nec alibi facilè in India reperiri. Indos capitis defluxionibus, rheumatismis aut alioqui capitis grauedine laborantes huius arboris corticem in tenuissimum puluerem comminutum naribus indere : humores enim insigniter educere, eáque ratione liberari : quod verum esse expertum se testatur. Videri secundum caloris gradum excedere. Descriptio. Locus. Vires. Catarrhum leuamen. Temper.

PACAL ARBOR.

CAP. XXV.

Arbor *Pacal* eodem autore, multò minor est, quàm arbor cuius cortex Rheumaticis vtilis est, quæ iam descripta. Nascitur in India ad fluminis cuiusdam ripas, vigintiquinque leucis à *Lima* distantis. Descriptio.

Huius ligni vsti cineribus cum sapone mixtis Indi ad tollendos lichenes etiam fœdissimos vtuntur, cùm qui in capite nascuntur, [de quibus Martial. Vires.

Non vlcus acre, pustuleue lucentes,
Nec triste mentum, sordidíque lichenes]

tum qui reliquas corporis partes occupant. Sed & vetustas cicatrices emaculare dicitur. Paululùm huius ligni accepit Monardes, vt eius facultates experiretur. Lichenes.

ARBOR AQVAM STILLANS.

CAP. XXV.

Inter innumera penè naturæ præclara atque memoranda, quæ Ill. noster Princeps, Dux Wirtemb. in singularium suo Theatro amplissimo adseruat, est ramus ex arbore, quem ipsemet Clementiss. noster princeps nobis demonstrauit, qui propria manu hæc adscripsit verba. Mirabilis arbor ex insula dicta *Ferro* : quæ arbor à multis centenis annorum sine mutatione consistit : & quotidiè tantum fundit aquæ, vt incolæ satis pro potu habuerint. Missa per D. Paludanum 1600. Iun. 20. Eiusdem rami portionem liberaliter nobis communicauit Ill. E. C. quem primùm à nobis describi conueniat: deinde quid alii Scriptores de eo prodiderint, subiici. Locus.

Ramus est crassitudine arundinis vulgaris, vel digiti pueruli, substantia lignea, sed satis fragili, colore subfusco, & quodammodo ad rufum tendente : per cuius medium medulla transit fungosa. Cortex exterior tenuis, cinereus, rugosus, multis nodulis scatens, cui adhæret certis quibusdam locis muscus paruus, citrinus aut subuiridis, ex minutissimis filamentis coaggestus, musco nostratium arborum non multum absimilis, sed bre- Descriptio rami. Cortex. Muscus.

issimus. Vestigia quoque apparent foliorum alternatim positorum. Diuisus est hic ramus in alios, qui etiam crassiusculi in quaternos ferè minores subdiuiduntur. Folia hærent Laurinis similia, sed breuiora, crassitudine alioqui pari. Iuglandis foliis particularibus non malè quis compararit, ex quorum costa media satis insigni, alii minores neruí sursum versus, sed in obliquum per folii substantiam disseminantur. Eadem parte aduersa, instar foliorum Malabathri splendicant, auersa nequaquam. Sed & verrucosis quibusdam tuberculis iuxta pediculos maximè & costam obsita sunt, qualia ferè in prædictis foliis obseruari solent. Ramorum extrema, Lauri Tini in morem quasi in vmbellam cessant: quibus flosculi adhærent perexigui, stellati, ob paruitatem specialiùs vix describendi. Sapor ligni nullus: cortex nonnihil aromaticus, non sine acrimonia & adstrictione. Foliorum itidem aromaticus & glutinosus: ita vt dentium attritu cum saliua in mucilaginem abeant, qualem semina mali Cydonii præbere solent. Paulò curiosiùs hunc ramum descripsimus propter admirandam eius historiam, si modò vera sunt, quæ Authores de ea referunt.

Benzo enim, in sua Canariarum Insularum relatione historica sic scribit. In insula *Ferro*, insularum Canariarum vna, arbor est, perennes aquas è foliis exsudans stillánsque, & quidem tantâ copiâ; vt non incolis modò, sed etiam multò pluribus sufficere possit. Ea arbor mediocri magnitudine, nucis Iuglandis folio, quanquam paulò maiore, muro circum lapideo septa, instar fontis est: & eo cratere defluens aqua suscipitur. Arcanum equidem naturæ mirabile: non reperiri tota insula vllam aquam præter eam, quæ ex illa arbore manat. Porrò arborem perpetua ac densa nebula circumuestit: quæ tamen interdiu, vbi Solis æstus flagrare incipit, paulatim discuti ac resolui videtur. Principio, Hispanos eam insulam subigere aggressos, quum neque fontes neque puteos, nec flumina inuenirent, ingens admiratio stupórque incesserat. Quúmque ab indigenis sciscitando exsequerentur, vnde aquam sibi pararent: illi pluuialem aquam in vasis collectam reponere ad necessarios vsus se respondebant: arbore nimirum priùs arundinibus, terra aliísque integumentis opertâ, quippe ita rati Hispanos, vbi aquam non reperissent, ex omni insula excessuros. Sed parum astus profuit. Nam insulana mulier Hispano cuidam, quo cum familiaris ei consuetudo intercesserat, arborem & arcanam vim eius aperuit: protinúsque ille Hispanorum Duci. At Dux, qui rem ita insusitatam pro fabula duceret, risu temperare non potuit: mox tamen detecta arbore, & rei certitudine comperta, omnes rei tam nouæ miraculo defixi obstupuêre. Neque mulier indicium impunè tulit, siquidem Primores insulę proditum ab ea arcanum cùm cognouissent, breui ei necem clanculùm intulêre. Breuiter ea arbor tanta copia aquam fundit optimam atque salubrem, vt non insulanis modò, eorúmque armentis, sed etiam nauibus eò fortè ad aquandum appellentibus sufficiat.

Creditur vero Insula *Ferro* ea esse, quam Plin. & Solinus Ombrion seu Plouialiam vocant, de qua Plinius lib.6.c.32.

Ouiedus quoque rem certam esse scribit, tametsi arborem vidisse negat, cùm ter in eam insulam appulerit, iter in Americam instituens. Et Cornar. de Iudæis, ad Orbis figuram. In insula Ferro quotidiè circa meridiei tempus, nubes quędam spissa è cœlo se demittit, magnam quandam arborem in monte stantem circumdans, & in eam nocte proxima, vna aut altera ante Solis ortum hora se resoluens, adeò vt hinc tanta aquarum copia dimanet, quanta insularum necessitati sufficiat. Et Anonymus quidam ad Orbis figuram, Quis non admiretur in insula Fierro peculiarem stillantem arborem esse, quæ continuos per ramos & folia radios emittit, in tanta abundantia, vt vix dictu credibile sit: & quod incolæ se suósque huius aquæ beneficio sustentent, nullam aliam [propter diuturnam siccitatem] habentes. Atque huiusmodi arbores testatur Io. Heukens in Guinea multas se vidisse, verùm nullas quæ tam abundanter aquam destillarent, quàm quæ sunt in insula Fiero. Nobis verò non constat, ex quo authore Corn. de Iudæis sumpserit figuram arboris aquam fundentis quam habet. Penes authorem sit fides.

Folia. Tubercula. Flores. Sapor. Mucilaginosa folia. Arboris historia mirabilis. Descriptio arboris aquam stillantis. Mulier insulæ arborem detegit. Ratio naturalis. Esse etiam in Guinea.

DE ASPALATHO, EX SENTENTIA VETERVM.

CAP. XXVI.

DE hoc ita scribit Diosc. Aspalathus, aliis Erysisceptrum, [ἐρυσίσκηπτρον: quidam ἰσίσκηπτρον ex Plin. legendum suspicantur] frutex est lignosus, spinis crebris aculeatus. Nascitur in Istro, Nisyro, Syria & Rhodo: eóque Vnguentarii ad spissanda vnguenta vtuntur. Probatur ponderosus, detracto cortice rubens, aut in purpuram vergens, densus, odoratus, & gustu amarescens. Est & alterum genus candidum, lignosum, inodorum, quod etiam deterius habetur.

Breuissimè Theoph. Quibus ad vnguenta vtuntur, hæc ferè sunt: Casia, Cinamomum, Aspalathus &c.

Plin. lib.12. cap.24. In eodem tractu [Cyprio] Aspalathos nascitur, spina candida, magnitudine arboris modicę, flore Rosæ. Radix vnguentis expetitur. Tradunt, in quocunque frutice curuetur arcus cœlestis, eandem, quæ sit Aspalatho, suauitatem oris existere: sed in Aspalatho inenarrabilem quandam. Quidam eum Erysisceptrum vocant: alii Sceptrum: [sceptrum Helysæ: Elysium: cuius probatio est in M. Dal.] probatio eius in colore rufo vel igneo, tactúque spisso, & odore Castorei. Permutatur in libras xv. Item lib.24. cap.13. Vulgaris quoque hæc spina, ex qua cortinæ fulloniæ implentur, radicis vsus habet. Per Hispanias quidem multi, & inter odores, & ad vnguenta vtuntur illa [alia Vet.] Aspalathum vocantes. Est sine dubio hoc nomine spina syluestris in Oriente [vt diximus] candida, magnitudine arboris iustæ. Sed & frutex humilior æquè spinosus in Nisyro, & Rhodiorum insulis, quem alii Erysisceptrum, alii Adipsatheon, siue Dipsacon, siue Diacheton [vel Diaxylon, vt Diosc. inquit Hermol.] vocant. Optimus, qui minimè ferulaceus, rubens, & in purpuram vergens, detracto cortice. Nascitur pluribus locis, sed non vbique odoratus. Quam vim haberet cœlesti arcu in eum innixo, diximus. *Hæc Plin.* quem vides à Diosc. non parum variare. Non lignum, vt ille, sed radicem vnguentis expeti scribit. Discrepat & in eo, quando ait: probationem eius in colore ruffo vel igneo, tactu spisso, & odore Castorei: cùm tamen ipse deinde optimam asserat rubentem, & in purpuram vergentem &c. Quod de flore ait Plin. in Diosc. non legitur.

Per

1 Aspalathus. Erysisceptrum. Descriptio. Locus. Delectus. 2 Alterum genus. Aspalathus. Flore Rosæ. Probatio. Odor astrorum. Spina syluestris. Alterum genus. Adipsatheon. Dipsacon. In quibus discrepet Plin. à Diosc. Plin. illustr.

Per vulgarem Spinam fulloniam Dalechamp. intelligit Hippophæston: de quo suo loco. Oscitanter Plin. [inquit idem] Aspalathum Orientalem album esse putat, quàm Rhodium. Probatur sanè Dioscor. ..., quicquid Plin. cum suo Castore odore occinat. Hippoc. quoque lib. 2. de morb. mul. sub finem ferè, radicem nigram cum aliis quibusdam tritam, in vino nigro diluto bibendam præbet, ad fluxum, & omnes morbos qui ab vteris fiunt. Vbi sanè Gal. exponit ..., radicem Aspalathi aromatici.

Plin. not.

Radix nigra Hip.

Esse autem Aspalathum fruticem admodum spinosum, etiam ex Platone cognoscimus, qui 10. de repub. Dialogo, Ardiæum & alios tyrannos fruticis Aspalathi spinis apud inferos laniari, ex Eris Armenii fabulis recenset. Propterea Theocr. pastor admonebat, ne discalceatus per montem deambularet, qui Rhamnis & Aspalathis frondesceret. Edyl. 4.

Fabula de Aspalathi spinis.

ἐν γὰρ ὄρει ῥάμνοι τε καὶ ἀσπάλαθοι κομόωντι

Interpres sic exponit: εἶδος ἀκάνθης, ... A percussis difficulter auellitur vel aufertur. A Augerandino verò quidam ..., quod Græci ... dicunt, vel ..., quæ vox gladium significat, quod frutex hic suis aculeis & gladio iugulet, vt annotat Curtius & Marcell. qui Sphagnō & Phasganon apud Dioscor. legi ait, ita indicans à se recipi voces supposititias, apud Diosc. quæ ab aliis reiiciuntur.

Aspalathus Sphag. Phasganon

Serapio eius meminit sub nomine *Darsisahan*, id est, *Ayrach*. Alii scribunt *Darsisan*. Est arbor iustæ crassitudinis, sicut aliorum lignorum &c. De eo Dioscor. & Gal. Scribit autem Omnas Bentamin, quæ sequuntur. *Tarsisaban*, Apothecariis *Ayrach*, est arbor Granati agrestis, cui lignum citrinum crassum, odoratum. Eius fructus vocatur *Bel*: quod in fructu carnosum est, dicitur *Chirbabet*: astringit aluum, & confert febribus. Sub nomine *Epenbahasen* scribit esse plantam spinosam, quæ ingreditur medicamenta odorata, flore croceo, cortice subrubente: speciem esse ligni, ex quo parantur capsulæ, in quibus reponuntur lances vel etiam pugillares. Magis odoriferum esse quod nascitur in riparis, recipi in trochiscos theriacicos: nominari in Barbaria *Asdani*. Ex quibus patet ineptia interpretis Serapionis, qui huic capiti titulum fecit, de arbore Granati. Quæ ea Dioscor. Gal. apud Serap. citantur partim iam adducta sunt, partim dicentur in viribus.

Darsisahan Serap. Ayrach Darsisan.

Lignum. Bel fructus Chirbabet.

Asdani. Serap. interpr. not.

Auicen. *Darsiscaban* magna est arbor, spinis grandibus armata, quâ pigmentarii vnguentis acerbitatem conciliant [quo ad vnguentorum spissamenta pigmentarii vtuntur. Diosc.] Est autem partium dissimilium: Cortex enim acer est, flos calidus, lignum acerbum: quo fit vt diuersas quoque habeat facultates: calefaciendi & refrigerandi. Sunt qui Indicæ spicæ [fortè leg. Spinæ.] radicem esse velint, quod asserere nolim. Eligitur grauis, cortice detracto rubens aut in purpuram vergens, odore & sapore grato: candida verò, inodora, reproba est.

Darsiscaban Auic.

Partium temperies.

Delectus.

Patet itaque Arabes in eo distare à Diosc. quòd illi arborem crassam, spinas magnas habentem: hic fruticem tantùm, spinis crebris aculeatum [ἀκάνθας πολλὰς ... : Aldin. ἀκάνθαις πολλαῖς ...: Vetus quidem ...] describat. Sunt & ex Recentioribus nonnulli, qui Aspalathi Veterum meminère, sed quam plantam intelligant, ipsi definitè non explicant. Sic Prosp. Alpin. In Aegypto, ait, crescit Acacia secunda Matthioli, quàm ego florente mense Februario conspexi, folus floribusque minoris Anagyridis proximus, quæ gustata sapore adstringenti feriunt, paucisque tamen ac mollibus spinis obsita. Neque arbitror veram esse Acaciam, quam in Cappadocia & Ponto nasci Diosc. prodiderat, &c.

Sic Hermol. apud Dioscor. Aspalathus, inquit, in Aegypto quoque nascitur, spina sylu. magnitudine arboris Medicæ, candida, flore Rosæ: cuius radix vnguentis expetitur. Idem frutex humilior in Syria &c: Sanè per Hispanias multi ad odores vtuntur spina, quam vocant Aspalathum. Sed ea vulgaris est, ex quâ fullonæ implentur venæ, radicisque vsus tantùm habetur. Necdum comperi, sitne idem vulgaris spina & topiaria, de qua in Acantho diximus.

Aspalathus Aegyptia. Frutex Syriacus. Fullonia.

Ita Hermol. more suo pro suis venditat ex diuersis autoribus conquisita, ac temerè de Aspalatho pronunciat, quasi à se visa & experta, cùm interim tantùm absit vt aliquid doceat, vt etiam obscuriorem eius reddat historiam.

Hermol. not.

Cæterùm inter supposititia legas apud Diosc. à Syris Diaxylō vocari, quod, vt annotat Marcell. nihil aliud significat, quàm mediolignum: quia lignosus hic frutex: sed de ea voce nihil Grammatici nostri.

Diaxylon.

Berchorio Aspalathus arbor est Cypro similis de qua Plin. Sanè Aspalathi appellatione hodiè nusquam in pharmacopoliis medicamentum habetur, nec quicquam certi hactenus scrutari licuit, quod ad eius cognitionem faceret, quod cum diligentissimo Cordo fateri cogimur.

Cypro similis. Aspalathū incognitū.

Non sine ratione miratur idem, non dubitare aut perpendere Dioscor. interpretes, cuinam Aspalathi parti inesse debeat subrubens & purpurascens color. Nam dubium nobis reliquit Diosc. vtrum de cortice an ligno id intelligendum sit, cùm probat Aspalathum ... : indefinitè enim infinitiuus ... (Aetius, ...) Interpretes verò omnes, quemadmodum & Plin. infinitiuo modo positum verbum in participium Latinum conuertunt: quo fit, vt omnes intelligant eum colorem ipsum lignum præ se ferre debere, postquā deglubatur. Nos verò contrarium intelligimus: censemus enim id de cortice dicere Dioscor. Apud Serap. *Sulachin*, subrufum cortici colorem tribuit, vti dictum. Corticem in vsu fuisse testantur Gal. & Aetius.

Color de cortice intelligendus.

Dioscor. loc. illustr.

Dioscor. interpret. not.

Rondel. in dictatis in Dioscor. miratur de radicis cortice à nemine vsquam mentionem fieri, præterquam in Hedychroi magmate apud Gal. nec se quicquam certi habere fatetur, quod de eo scribat.

Tam Matthiol. quàm Cornar. Aspalathum hodiè & officinis & sibi ignotum confitentur.

Lonic. vulgò Lignum Rhodium putat: eo tamen nos distituit.

Dispen. Colon. Aspalatho tanquam rei incognitæ Lignum Aloes substituendum esse. Syluio contraria est sententia, qui censet, Lignum Aloës Offic. Aspalathum verius esse quàm Agallochum. *De Aspalathi succedaneis postea.*

Lignum Rhodium. Lignum Aloes.

Hoc loco non intempestiuè paucis expendemus, quod suprà traditum ex Plinio de arcu cœlesti, qui, in quocunque frutice curuetur, eandem quæ sit Aspalatho suauitatē odoris existere, sed in Aspalatho inenarrabilem quandam. Ita & Arist. l. Prob. s. 12. Arbores, inquit, reddi odoratas aiunt, in quas cœlestis arcus decubuit. Vtrum verum hoc sit, an falsum? Et, si verum, quam ob causam id eueniat? Nam nec omnes arbores, nec sem-

per aliquas, odorem ita acquirere palàm est. Sæpè enim arcus cœlestis consistit, nec tamen arborem odoris spirasse quicquam, quod sensum mouere posset: cúmque odor contrahitur (accidit enim id aliquando, ac ita euenire narratur,) non in quaque materie contrahi potest. Causa verò ad arcum per accidens referenda est: præsertim si arcus ipse nulla est natura, quæ fixa & permanens sit; sed obtutus tantùm refringendi affectio & apparitio. Prouenit autem odoris affectus ille, non qualitercunque materies se habeat. Neque enim in viridi, neque in arida, sed in exusta, post quam, quæ arcui superuenerit, certam reddi suauitatem odoris, pastores referunt, præcipuè vbi Aspalathus aut etiam Rhamnus est, aut id genus alia, quorum flos suauiter oleat. *Hæc ille.*

Aspalathus Arist.

Inde, nec absque ratione Aspalathum quidam non ἐρυθρόσκηπτρον vt in vulg. Diosc. cod. habetur legendum censent, sed ab incubitu & innixu Iridis, ἰρισκηπτρον: vt videre etiam est apud Plutarchum in Sympos. l. 4. Quæst. 2. Notabis Aspalatho suauiter olentem tribui florem ab Aristot. neque negari ab arcus incubitu odorantiorem reddi. Cuius rei causam specialiorem idem summus Philosophus alibi tribuisse videtur halitui cuidam terræ prælauat, quem emittere solet eo loco, in quem cœlestis arcus decubuerit. Ita enim scribit lib. 17. Hist. Nat. Quod si admonendi sumus, qualis sit terræ odor ille, qui quæritur: contingit sæpè etiam quiescente ea, sub occasu Solis, in quo loco cœlestis arcus decubuerit capitibus suis. Et quum à siccitate continua immaduerit imbre, tunc emittit halitum illum suum diuinum ex Sole conceptum, cui comparari suauitas nulla possit. Terra etenim quum feruet atque inuritur, quod ediderit principiò, bene olet. Etenim, quæ parcè humido quendam in modum recaluerint, odorata redduntur: humor enim calore concoqui potest. Hinc quæ ad Orientem spectant, odoratiora exsurgunt. Irin verò efficere hoc putant, quoniam sine aqua effici nunquam potest. Quum verò materies immaduerit, caloréque interiori concoxerit, respirare iam incipit, vaporémque interiùs conceptum emittit. Nec verò aquam nimiam accessisse oportet: eluit enim atque extinguit calorem abigne iniectum. Quæ autem post arcum eueniunt, semper ferè mediocres sunt. Hæc qui non suspicantur, quum causam nullam reperirent insignem, iridi effectum contribuerunt, Aspalathum autem & odoratos flores odoratiores ideò reddi, tum putauerimus, vel quòd odor odori accedens, vegetior reddatur & copiosior, vel sanè quòd in eo ipso halitu Aspalathi odor per aërem potentiùs diffundatur, vt ferè simili de causa euenire videmus in arboribus & herbis florentibus mensibus Aprili & Maio, idque non tantùm incumbente Iride, sed aliàs etiam, postquam tepidum terræ halitum pluuiæ consimilis interuentu Solis vis euocarit, & florum vim vel adauxerit vel sanè latiùs sparserit. Subest & alia subtilitas. Quòd eo tempore potissimùm flores aperiri soleant: vnde odor ille maior tantò, quantò recentium & nondum omninò hiantium florum odoratior esse solet, quàm iamdudum apertorum. Sed de his & similibus aliquando D. V. plura & specialiora in disputationibus Botanicis, & Quæstionibus mirabilibus Cherleri. Nunc ad Aspalathi vires transeamus, à Veteribus traditas.

Diosc. locus corr.

Flos odor. Arist.

Aspalathi vires Diosc. *Vlcera oris.*

Aspalathus, vt tradit Dioscor. vim calfactricem cum adstrictione obtinet. Quo fit vt ad tetra oris vlcera in vino decoctus collutúsque conueniat: atque etiam ad genitalium nomas, immundámque illuuiem, nec non ad ozænas commodè infundatur. Pesso additus, fœtus detrahit. Eius verò decoctum aluum sistit. Quin & potu sanguinis reiectionem cohibet, vrinæque difficultatem ac inflationes discutit. Addit Plin. præter iam dicta, rhagadia quoque sanare. Discutere & stangurias corticem, aluúmque sistere, similia præstare syluestrem quoque putari. Fit & oleum ex Aspalathi succo in oleo macerato. Dioscor. quoque confectionem tradit ex Aspalatho, oleo omphacino, musto, calamo & iunco odoratis, nardo Celtica, spatha, costo, meliloto.

Nomæ genitalium. *Ozæna.* *Fœtû protrudit.* *Alui fluxus.* *Sang. reiectio.* *Vrina diff.* *Rhagades Plinio.*

Galeno Aspalathus, gustu quidem acris simul & adstringens est: facultate verò ex dissimilaribus constat: nempe partibus suis acribus excalfaciens: partibus verò aliis, austeris scilicet, refrigerans. Itaque vtriusque ratione desiccat, & proinde ad putredines & fluxiones est vtilis. Corticis vsum in medicamentis testatur idem lib. de Ther. ad Pis. & de Ther. ad Pamphyl. In magmate Hedichroo iubet recipi Ἀσπαλάθου ῥίζης τὸ ἔλαιον. Idem testatur Aetius in suffumigio quodam.

Sapor. Galeno. *Tēperam.* *Putredo.* *Fluxiones.*

DE LIGNO RHODIO: QVOD ALII ASPALATHVM RHODIVM VOCANT.

Rhodii ligni, siue Aspalathi Rhodii quibusdam putati historia nobis non minùs obscura & intricata videtur, quàm Aspalathi Veterum. Nos vt nulla desit stirpium indagatoribus occasio ad perfectiorem earum cognitionem perueniendi, & vt discant, non temerè omnibus Scriptoribus credendum, potissimùm iis, qui vel ex leui aliquâ coniecturâ, quicquid in buccam & calamum veriùs quàm mentem venerit, vel ex aliis hinc inde consarcinando ac scopas faciendo, pro notis sibi, atque adeò suis produnt, lubet ea quæ à Neotericis de eo tradita sunt, interposita, vbi opus videbitur, censurâ, hic referre.

Institutū ratio.

Exordiemur à Ruell. cui Aspalathus videtur id esse, quod nunc Officinæ vocant *Lignum Rhodium*, nonnullis, quanquam falsò, *Lignum Aloës*: vulgus *Rodoen*. Siquidem [inquit ille] singulæ quæ à Plinio & Diosc. traduntur delineationes huic ad amussim, nullâ reclamante notâ, respondent: námque lignum fuisse fruticosum nodi satis testantur, quibus adhuc exasperatum scatet. Declarant etiam aculeorum vestigia nonnunquam id frequentibus spinis inhorruisse, quamuis spiculis castratum & suis viduum surculis: quin potiùs cortice spoliatum, ad nos deferri soleat: modicam tamen arborem vel fruticem fuisse, satis nobis hæ ligni reliquiæ docent. Pondus eius graue satis libram manus perpendit, quòd cæterorum more demersum aquis non protinùs extat, sed lapidis modo confestim præceps sidit: nec sic obtutum quouis modo consueuit emergere. Adde quod hoc lignum subrubet, & in purpuram quandam exuto cortice tendit, quod oculis euidentius est, quàm vt probari mereatur. Satis supérque duritiam & spissitudinem tactus sentit, odoris quoque suauitatem, ligni suffitus indicat. Cæterùm si lingua consulatur, leuem amarulentiam resipere, & quadantenus amarescere constabit. Gal. tamen gustu acrem Aspalathum adstringentémque deprehendit, cuius iudicio satis lingua subscribit, nec iis plura quæ ad eius cognitionem pertineant Diosc. scripta reliquit. Asportatur ad nos è Rhodiorum insulis: inde *Rhodij* appellationem

Aspalathus Ruell. *Lignum Rhodium.* *Lignum aloës.*

Rhodium lignum.

tionem declinauit. Quin & de flore fruticéque toto ad Rhodios Negociatores retulimus, qui florem Rosæ tribuebant, prædicabántque humilem arbusculam, fruticémue lignosum, crebris spinis aculeatum. Ergo igitur, quæ fideli narratione accepimus, & ipsius ligni pericula quæ vnus quisque facere potest, in hanc traxerunt opinionem, vt Rhodium hoc lignum sit idem, quod à Veteribus *Aspalathus* diceretur. Accedant etiam nostræ nimirum sententiæ, qui diligenter hæc scrutari, & singulas notas disquirere voluerint. Quippe quũ magnitudo ei arboris modicæ, vel potiùs frutex humilior, spinosus in Rhodiorum insulis frequẽs, vnde defertur ad nos: flore est Rosæ atque vergit in purpuram: cortice detracto, densus, gustu subamaro. Mangones officinarum perlæpe pro Agallocho Aspalathum substituunt, manifesto errore. *Hæc Ruell.* cuius descriptioni, vt ingenuè fateamur, non fidimus: nec relationi Negotiatorum. Veremur eius descriptionem potiùs esse repetitionem notarum Diosc. & Plin.

Aspalathus Veterum.

Agallochum Ruell. non.

Cordus apud Diosc. refutando Ruellii opinionem descriptionem amplissimam tradit, quæ non in omnib. videtur conuenire cũ Ruell. descriptione. Lignum, inquit, Rhodium, quod Ruell. vulgò Rodoen appellari scribit, idem est cum eo, quod apud nos à quibusdam *Rhodisium* appellatur lignum, venditur sæpè pro Agallocho, quod etiá Xylaloen, hoc est, Lignum Aloes vocant, & ponderosum est, ita vt aquæ immersum lapidis modo sidat, nec vnquam postea emergat. Fiunt ex eo quoque globuli, quibus funiculo traiectis præces suas mulierculæ numerant. Est præterea odoratum. Contra Ruell. asserimus non esse aspalathum: ac neminem ratiocinari posse, Rhodium lignum fuisse fruticem. Quod nodi in Rhodio ligno scateant, non probat fruticem fuisse sed intortam & tuberosam arbusculam. Est enim incurua, tuberibus & conuolutis pectinibus intorta eius materia, quæ res manifestè indicat arboris potiùs caudicem quàm fruticis virgas fuisse. Quod Ruell. subiungit, spinis id inhorruisse incertius multò est. Apparent quidem in superficie eius tubercula quædam & nodi & præcisorum ramulorum vestigia, sed quæ nihil minùs referebant, quàm aculeorum reliquias. Modicam arborem fuisse ipsi quoque ex materia non vsque adeò crassa colligimus. Sed non continuò Aspalathus est. Neq; adeò gracilia sunt hæc ligna, vt frutices fieri possint: afferuntur enim sæpissimè quæ vnà manu nemo complectatur. Vidimus nos non rarò à caudice aut radicum principio resecta tubera, quæ crassitudine vtramque manũ implerent, vt propter eam amplitudinem pocula ex ipsis fiant. Cõtra Aspalathus frutex ea crassitudine non describitur. Quod verò ponderosissimum sit lignum Rhodium, perinde non comprobat Aspalathum id esse: cùm nullus vnquam Scriptor tanti ponderis tantæque densitatis notam Aspalatho tribuerit. Dioscor. Aspalathus ξυλώδης & Latinis lignosus: illud autem non lignosum, sed lignum & plus quàm lignum appellandum est. Negamus etiam subrubere & in purpuram quandam tendere hoc lignum. Miror autem cùm Rhodio ligno diuersi sint, sibique alternis vicibus immixti colores, cur Ruell. silentio præterierit candicantem & pallidum, rubescentem tantùm & purpurascentem eligens, quia hi propiùs, quàm illi ad descriptionem accedebant. Sed pace Ruellii dixerim, non rubescere neque ad purpuram vergere Rhodium lignum: sed habet venas partim nigrantes, partim pallidas, partim in sp... adiceo fuscas & nigras, qui omnes colores aspectu luridi sunt, rarissiméque inuenitur, quod non distinctos habeat hos omnes. Interpretes omnes, etiam Plinius, colorem hũ Aspalatho intelligunt ipsum lignum præ se ferre debere, postquam deglubatur. Nos verò contrarium intelligimus, censemus enim id de cortice dicere Dioscor. In Rhodio ligno cortices studio & industria, ceu omnis aromaticæ facultatis & vtilitatis expertes cum proxima & exteriori materia profundiùs resecta abijciuntur, solúsque ligni cor odore & sapore commendatur. Odorem ad castorium accedentem in Rhodio ligno tam crudo quàm prunis impositо non percipimus. Miramur cur Ruell. dicat Rhodium lignum leuem amaritudinem resipere. Si accuratè gustum consulamus, Oleastri saporem, sed amariorem & acriorem in eo sentiemus. Gal. nullam amaritudinem Aspalatho tribuit. Rhodio verò ligno tanta inest amaritudo, vt nullus gustum fugere possit: cui adiuncta est cum aliqua adstringẽdi vi manifesta acrimonia, que paulatim incipiat, donec prorsus excalefactas fauces propemodum vt Cocognidium exasperet & feruore detineat: quare id in tertio gradu completo calidum pronuntiamus. Animaduertendum ne decipiamur in Agallocho comparando: plerique enim Rhodium lignum ignaris pro eo vendunt. Adulteratur præterea Agallochum, vt Platearius tradit, ligno quodam in montibus Almasiæ nato, quod pondere, nodoso habitu, & quadam aromatica vi Agallochi notas vtcunque refert. Matth. Syluaticus in Pand. idem paulò aliis verbis refert, & lignum quod pro Agallocho vendi conqueritur, Chamælææ radices esse scribit. Per Chamælæam hoc loco intelligamus Oleastrum necesse est, qui parua & syluestris est Olea: maximè cùm talis ei sit materia, quæ facilè pro Agollocho substitui queat: Est enim oleæ, densum, solidum, ponderosum, gustu amarum, & acre lignum, præsertim syluestri: inprimis autem in Arabia & Aethiopia nascenti, cui propter cæli calorem etiam odorata est materia. Censemus igitur sæpe pro Agallocho vendi Aethiopici siue Arabici, aut alibi in calidioribus locis enati Oleastri lignum. Nã ipsi Arabes Scriptores testantur in Arabia nullum Agollochũ gigni, sed aliud quoddam lignum ei non dissimile, quod est oleastri. Id ipsum autem idem est Rhodio ligno vulgò vocato. Non obstat: quod Ruellius dicit in Rhodo Insula nasci. Cur enim in Rhodo non nasceretur, Oleaster? Ergo quum in Rhodio siue Rhodisio ligno omnes notæ Oleastro conueniant, & manifestè constet, id ipsum ex Alexandria Aegypti, Aethiopiæ vicinæ, afferri, neminem profectò futurum arbitramur, qui neget Aethiopiæ oleastri materiam esse.

Cordus refelut. Ruellii opinionem.
Rhodisium Lignum.
Agallochum Xylaloe.

Ruell. opinio refut. & multiplex eius error.
Rhodium lignum non esse Aspalathum.

Non esse aut fuisse spinosum.

Crassitudo; Rhodii.

Lignum est non lignosum.
Non rubet.

Colores.

Interpret. Diosc. & Plin. nota.

Cortices abiiciuntur.

Non olet Castorium. Alius Ruell. error.

Amaritudo.

Temperã.

Agallochi adulteriũ.

Chamælæa

Olea lignũ.

Oleastri lignum.

Porrò idem Cordus in Hist. scribit: Agalochũ, id est, Xylaloë solida & ponderosa, in plures species ab Autoribus, præsertim recentioribus diuiditur: quo verò passim vtimur, lignum est duûm triúmue digitorum crassitudine densum, ponderosum: & aquæ iniectum fundum petens, pingue, nodosum, pectinibus non adeò rectis, sed interdum in tuber inuolutis, colore varium maculosúmque, nigris, fuscis, & flauis distinctum venis, gustu acre, amarum ac aromaticum: odore, dum Prunis imponitur, grato & iucundo: prunarum calore pinguem rubentemque remittens liquorem, & spumæ modo paruas agentem bullas: affertur & hoc decorticatum sandalorum modo. Nascitur in India & Arabia. Quidam hoc Agalochum, lignum Rhodium siue Rhodisi-

Locus; Xylaloe

Rhodium lignum quale.

constare ex alexandria Aegyti, Aethiopiæ vicinæ afferri. Debebat Amatus Aspalathū à se visum describere, & præterea corticem Bugiæ. Constantinus Rhodiensis Pharmacopœus Candiæ, vt notat Anguill. vult Lignum Aloes Rhodium esse verum Aspalathum, de quo scripsit. Inuenitur in insula Rhodo frutex spinosus, foliis Oleæ, sed paulò minoribus: flore albo odoratissimo: cortice albicante & aspero. Reperiuntur inter has arbusculas quædam, quæ detracto cortice coloris sunt rubescentis: quò vetustiores, eò vegetior color. Totum lignum non rubet, sed solùm partes quæ adhærent cortici. Non reperitur in tota insula Rhodo lignum vllum ibi nascens odoratum, excepto hoc. Ex quo Turcarum nobiles singularem parant compositionem ad suffimigia, in hunc modum. Dissecant in minutas partes macerantque in aqua rosacea per triduum: tum admiscent bonum moschum. Deinde sumpto saccharo dissoluunt, miscentque cum prædictis, omniaque simul decoquunt, donec videantur veluti frusta combusta. Postea sinunt refrigerari. Hæc frustula prunis imponunt, vnde odor valdè gratus & suauis excitatur. Hoc lignum ego firmiter credo esse verum Aspalathum, considerato odore, sapore & substantia. Hæc omnia scripsit ille Pharmacopola, cui opinioni etiam assentitur Anguill. nec vllo modo dubitat quin sit illud lignum verū Aspalathum, quum apud se frustum habere testetur, omnibus notis ab antiquis Aspalatho attributis præditum.

Errant, inquit Lacuna, qui pro Aspalatho accipiunt lignum cum venis luteis & nigris vulgò dictum Lignum Aloes, & alio nomine, Oleaster Rhodius, ex quo globulos precarios tornant. In huius ligni genere nullum rubrum visum quale debet esse Aspalathi.

Lignum Rhodium, vt annotat Gesn. ceu verus Aspalathus, Theriacæ inijcitur: quod tamen lignū est, & trunci & rami pars: ac substitui non improbat: cùm Veteres radicem aut potiùs radicis corticem vsurparent. In ligno Rhodio tamen nulla astringendi vis videtur.

Scribit Ryffius asportari ad nos Aspalathum ā Rhodiorum insulis. Rhodium lignum esse Veteribus Aspalathum. Agallochum lignum Aloes quod ostendunt officinæ verius esse Aspalathum: quem Germani Paradeiß aut Aloes holtz vocant. Verùm Ryffius videtur nimis securè de sibi ignotis iudicare.

Lonicerus fatetur lignum quod in Offic. demonstratur pro Rhodio esse peregrinum & incognitum. At Clus. in append. Dod. Gallicæ hist. ait Officinas ostendere duo genera ligni Aloes, præter lignum Rhodium, quod nihil aliud sit quàm Oleaster Rhodo delatus, quo Officinæ olim vsæ sunt pro ligno Aloes.

Apollo Ruell. & Amatum taxat, quòd arbusculam quandam Oleastri Rhodii cognomine, aliàs pro ligno Aloë habitam, Aspalathum putarint, quod non comprobandum censet, quum hoc Rhodium lignum coronarius fabris vulgatissimum nullibi rubescat, sed variegatum è nigro in croceum vergere videatur, exutum enim cortice ad nos affertr. Matthiolum verò Rhodiorum historiam ex insula Melita redidisse putat maiore contradicendi curâ, quàm quòd res ita se habeat. Ex Anguill. lectione nullam in hoc desiderari notam. Hic obsistere Gal. 6. simpl. ex quo gustu acris est, simul & astringens, quæ in Rhodio oleastro non reperiri ait, vt neque amaritudo, quam illi tribuit Diosc. Veruntamen etsi de re dubia ineptum sit firmiter velle contendere, eius loco Rhodium id lignum, odoratum, amarulentum poterit substitui.

Catal. Francfor. Bugiæ Cortex: die rind von Rodiserholtz. Item *Aspalathus vulgaris*: *Lignum Bugiæ*. [leg. *Bugiæ*, Rhodiser Holtz. Refor. Wormat. *Lignum Aloes Rhodiorum*: *Lignum Rhodium*, *Lignum Bugiæ*, *Aspalathus supposititius*. At considerandum censemus, quid intelligant autores Catal. Francfor. & Reform. Worm. per corticem Bugiæ, & quale sit eorum lignum Rhodium.

Cæsalp. de ligno Rhodio hæc tradit. Ex Oleastrum radice simulachra sculpere solent perpetua, autore Theophrast. in quem vsum hodie oleastrū Rhodium maximè expetunt, maculosa facie, prædensum, vt quodammodo Agallochum Indicum æmuletur, impostoribus adulterandi ansam præbens.

Nec omittenda quæ perdoctus & celebris medicus Cretensis Honor. Bellus in epist. ad Clus. scribit. Mitto, inquit, ramum floribus & foliis onustum, simul cum fructu ligni illius Rhodii, quod Matthiol. *Oliuastrum*, non nulli *Agallochum* vocant, & quamplurimis etiam pro legitimo Aspalatho in Theriacis vsurpatur, ex cuius intuitu facillimè cognosces in quantis tenebris omnes adhuc versentur. Nam lignum illud neque spinosum est, neque Oleæ, & multò minùs Aspalathi: sed veræ & legitimæ Cytisi, cuius quàm similis à Maranthe descriptio, sic vt vnum & idem esse credam. Oritur hic frutex in insulis Rhodo propinquis, & Rhodo ipsa *Calaiers*. Pastim in sphærularum precariarum vsum conuertunt: medullâ spissâ & nigra.

Errauit Matthiol. credens lignum spinosum esse, & oleæ speciem: non est. autem Aspalathum rectè iudicat. Errauit & Anguill. cum suo Rhodiensi pharmacopœo, qui illud suffimigii genus somniauit. Hoc enim scire diligentissimè cupiens mendacium esse deprehendi. Sed omnes maximè in errore versantur, qui hoc ligno in Theriacis pro Aspalatho rectè vti iudicant, quemadmodum celeberr. Patauinorum collegium. Verùm de hac Cytiso copiosiùs agemus postea.

Aspalathi adulterium: fortè Oleastri radix.

Pro Aspalatho obseruauimus in quadam Officina lignum quoddam validissimum, & solidissimū, durum, graue, tortuosum, nigricans partim, partim albicans, alternantibus interdum vtriusque huius coloris venis, alicubi flauescens, subinde trāsuersis micis pectines secantibus, odore nullo, sapore amaricante.

Considerent Studiosi, an hoc lignum fortè traditum sit ab aliquo ex præcedentibus vel plerisque nomine ligni Rhodii & Oleastri, quod facilè nobis persuademus. Nescimus tamen ex qua planta sit. De eodem ligno fortè scribit Sylvius in Pharmacopœa. Sunt qui ligni Aloes loco Oliuæ arboris matricem substituunt. Et Monachi in Mes. Sophisticatur lignum Aloes præcipuè cum lignis radicum sil. Oliuæ.

Lignum Aloes Rhodium. Folia Oleæ. *Lignum odoratum, Rhodo in sola. Compositio Turcarum ad suffimigia.* *Aspalathus.* *Lignum Aloes. Oleaster Rhodius.* *Aspalathi subst.* *Lignum Rhodium non astringit.* *Ryffius not.* *Duo genera Ligni Aloes.* *Ruell. & Amatus tax.* *Matt. not.* *Lignum Rhodium amarulentum, Lignum Bugiæ. Aspalathus suppositit.* *Lignum Rhodium Matth.* *Non spinosum. Cytisus.* Locus. *Matth. reprehens. & Anguil.* *Patauin. medici errant.* Descriptio.

ASPALATHVS CRETICA ALPINI, ODORIS PERSVAVIS.

Cap. XXVI.

QVæ scripsit antè Hon. Bellus de Aspalatho Rhodio à nobis sub finem præced. cap. citata, faciunt, vt hoc loco proponamus Aspalathum Creticam odoris suauis Prof. Alpini, de qua scribit lib. de Plantis Aegyptiacis in hunc modum. *Locus.* Aspalathum, vt aliàs quoque dictum est, copiosissimum propè Fraschiæ portum [Cretæ] in quodam colle virentem atque florentem sæpè inspexi, odorisque eximia suauitas ex huiusce plantæ floribus ad me delata, fuit in causa, vt ipsum agnouerim. *Descriptio* Quæ planta est frutex densis ramis, spinis albis, duris, hotudis, cortice caudicis albo, ad trium cubitorum & plùs altitudinem in *Flores.* altum assurgens; floribus multis paruis, croceis, sparthæ similibus, sed summè odoratis. Huius arbusti radices duræ, longæ, crassæ, colore flauo; atque cortice summè odorato tunc temporis à me fuere obseruatæ. Multasque meas Pharmacopœus decerpsit, Cayrumque ad vsum medicinæ meo iussu detulit. *Hæc ille.* Sed quum tot difficultatibus intricata sit Aspalathi historia, tam in Antiquorum quàm Recentiorum scriptis, vti patet in præcedentibus, rem dignam industrio *Alpin not.* Botanico præstitisset Alpinus, si diligentiùs paulò Aspalathum suam Creticam descripsisset, ac demonstrasset folia, florum formam, & totius plantæ saporem.

Mirum præterea hunc fruticem tam suauis odoris non obseruatum in Creta per Bellon. & Honor. Bellun. Non censemus Alpinum intelligere Aspalathum trifoliam, quia antè eius meminit, nomine Acaciæ Matthioli.

LIGNVM ROSÆ ODORE: ALIIS LIGNVM THVRIS: ALIIS ASPALATHVS.

Cap. XXVII.



Descriptio DVrum & solidum est, Guaiaci ferè textura, pectinibus vtcunque rectis, secundum quos finditur, ponderosum, odore Rosarum. Bicolor quemadmodum Guaiacum, in medio fuluū, in ambitu album: *Cortex.* cortice adhuc alicubi adhærente, satis crasso, scabro, coloris ex fusco cinerei, *Sapor.* sapore paulò acriore, nonnihil amaricante. Sapor ligno aromaticus, primùm amaricans, pòst acer ad Schœnanthus saporem quodammodo accedens. Prunis impositum flammam celeriter satis concipit, & quidem *ἀγαθον*, sed nihil resinosi aut pinguis fundit. Fragmentum nostrum satis magnum, brachialem arguit ligni [vnde decisum est] crassitudinem: quod nobis pro Aspalatho aliquando datum Veronæ: & denuo Eslingæ per D. Volmarium solertem Pharmacopœum pro eodem Veronâ missum. Accepimus & à D. Coudembergio Pharmacopœo Antuerp. celebri, cum hoc titulo: Lignum ex Palma insula vna Canariarum.

Eiusdem ligni videtur meminisse Ruellius his verbis: Iam Liburnicis nouum Orbem longa nauigatione petentibus, delatum ex insulis ad nos *Lignum ex insulis.* lignum ex arborescente frutice, in nodos inflexo, scabroso: cortice faciéque lacunosa: materie dura, crispaque, colore intus buxeo, candido cingente orbiculo, quod prorsus olet Rosas: ita vt *Vsus.* scobem eius, vel etiam ramentum ligni, pro Rosis, vestibus interponi fuerit gratissimum: nec odore cedit Rosis, etiamsi decoquatur igni. Iam ex hoc pectines, depurgando capiti ob odoris *Pectines.* gratiam non insalubres fabricant: item alabastros, pyxides, & cætera id genus. An Zigir *Zegir.* [Cassiæ genus] fuerit, non ausim asserere. *Hæc ille.*: quem non placet huius eiusdem ligni [vt equidem censemus] aliam ponere descriptionem *Ruell. alia descriptio.* inter herbas lib. 3. cap. 95. cùm ait: Ex illo nouo repertarum insularum orbe, Liburnicarum remigatu lustrato, delatum nuper ad nos lignum crasso cortice & hulco, multis tuberibus & nodis inæquale, ponderis eximii, ita vt immersum aquis pessum eat, nec sidens rursum emergat. Buxi colorem, crassitudinem & duritiem imitatur. Hoc tritum, vel in scobem derasum, Rosas odoris suauitate prouocat, quin potiùs de paritate certans, iucunditate vincit. Hoc rosaceum appellamus cùm barbarum regionis nomen audire *Rosaceum lignum.* non potuerimus. In persiles orbiculos pilulásve, quæ à mulieribus gestantur, Aspalathi aut Agallochi more tornatur, quibus filo immissis, mulieres supplicationes suas numerant.

Cæterùm de quo Ruell. non imprudenter, nostro iudicio, dubitat, id Porta magna securitate affirmatiuè pronuntiat. Casia [inquiens] quæ Zegi vocatur, Rosæ odorem refert, ac ad eadem ad *Casia.* quæ Iuncus præstat: ob id ex hoc pectines depurgando capiti, ob odoris gratiam non insalubres fabricant, alabastros, pyxides &c.

Vides eum verba ex Ruell. desumpsisse, eo non citato: nihilominus pro certo asserere id, de quo ille dubitabat.

Scribit Anguill. se aliquando existimasse *lignum coloris Mali aurei* [naranzato] & odoris Rosæ *Porta not.* sine amaritudine esse Aspalathum: verùm deinceps cognouisse esse lignum Thuris. Nec desse, *Non esse Aspalathum Lignum Thuris.* qui suam imitati opinionem adhuc existiment esse Aspalathum, sed errare.

An illud Aspalathi frustulum exquisitissimum, quod Lacuna iactat Romæ sibi datum ab insigni materiæ medicę perscrutatore Gilberto? Enimuerò sanè quum historia Aspalathi obscura admodum sit, si Lacuna bonus fuisset Botanicus, descripsisset.

Nec ignotum fuit istud lignum Goropio, dum *Lacuna not.* ligna ex Atlantico Orbe peti scribit, quæ suauitate cum Rosis certent.

Lignum odoratissimum quod ex America non *Ligna ex Atlantico Orbe.* ita pridem aduectum, Palmario de Feb. pest.

In America siue Bresilia arbor speciosa, odoris suauissimi: Ligna manu retenta, Rosam spirant. Lerius.

Lignum rosaceum, Rhodoxylon, Aspalathus roseus, Rosenholtz Germ. Catal. Francof. & Re- *Rhodoxylo.* form. Worm.

Recentiorum sedulâ vestigatione factum est, vt

Tres lignorum differentia. 1. vt tres lignorum differentiæ nobis innotuerint, quarum quælibet Aspalathi nomine digna est. *Prima* nobis visa Veronæ & munere data ab eximiis Pharmacopœis Fr. Calceolario & And. Bellicoco, qui suis Theriacis Mysticis, de Doctorum Veronensium consilio imposuerunt. Frustum quod habemus densum, solidum & compactum fuit, quasi cuiusdam fruticis imæ parti resectum, radiatis fibris, ponderosum, colore buxeo, sed saturiore, suauissimo odore & pertinaci. Eum esse verum Aspalathum tum persuasi fuimus. Sapor non ita amarus, nec gustu insuauis. 2. *Altera species* Venetias aduecta Rhodo, de qua paulò pòst. *Aspalathus* 3. Aspalathi 3. *species*, albida foris, intus thorulo subflauo aut citreo, Santali albi & citrini simillima, albam Rosam sapit, (olet fortè voluit dicere) nullam gustanti manifestam exhibet qualitatem nisi tantillum calidi, quod vix gustu discerni potest. Hāc primùm nobis dono dedit Morganus Pharmacopœus Londin. & nomen id indicauit: *Oliuastri Rhod. Santali species.* alioqui Oliuastri Rhodinensis aut Santali speciem arbitrantibus.

His addit Lob. in hist. Belg. superiore anno 1560. pulchrum ligni huius fragmentum conspexi contrectauique apud doctum & industrium pharmacopœum Theodoricum Cluyt Delfensem, *Cortex inodorus & Gummi suauis odoris.* quod corticem etiamnum adhærentem habebat, rugosum tortuosúmque admodum, colore & textura Ilicis, inodorum: in rimis hærebat nonnihil gummi suauis odoris. Hoc curauimus pingendum, eiusque portiones adhuc seruo ab eodem Pharmacopœo dono datas.

Idem Lob. in Adu. portiunculam habet paruam depictam sui Aspalathi tertij. Belgica autem historia addit maiorem figuram maioris portionis. *Icon.* Item icon. Plant. Aspalath rosei nomine. Nos igitur hic exhibemus icones à Lob. datas pro tertio Aspalatho.

Lignum roseo odore, quod descripsimus, optimè respondet Aspalatho primæ Aduers. cui fortè congener, si non eadem Aspalathus 3. Lob. sanè Hist. Lugd. & Aspalathi primæ speciei Penæ: & Aspalathi tertiæ speciei nomine proponit: additque hanc alios Aspalathi speciem, alios Oleastri Rhodii aut Santali putare.

C. B. apud Matt. scribit: Rhodius Oleaster dicitur Rhodiū lignū Cordo in Diosc. cui & Olea Aethiopica videtur. Aspalathi 3. species Penę & Lugd. quę pro Agalocho sæpè venditur. Quare Agalochum & Xyaloe solida & ponderosa Cordo Hist. cuius duæ species: altera albicat, & torulo est cinereo: altera rubet, & hoc Aspalathi 2. genus est Penæ & Lugd. Rhodium lignum rubescens Cordo in Dioscor. Aspalathus roseus Lob. in icon. *Hac ille.* *C. Bauh. not.* Obseruandum Casp. Bauhinum iconem à nobis propositam ex Lob. in suo Matthiol. ponere titulo Aspalathi rosei. In Cordi ligno Rhodio, siue Rhodio oleastro nihil inuenimus quod conueniat cum Aspalatho 3. Lob. hæc enim albida foris, intus subflaua: illud venas habet, partim albicantes, partim fuscas & nigras, multúmque differt à Santalo albo & citrino.. In hac odor Rosæ: in illo nihil tale prædicatur. caret manifesta qualitate, illud amarum &c.

ASPALATHVS RHODIVS RVBENS odoratiss.



Descriptio Aspalathi altera species inquiunt Pena & Lob. in Adu. Venetias aduecta Rhodo, missa fuit Nicolao Comasco Medico inprimis erudito, apud quem tum maximum truncum vidimus, cortice exutum, rubētem, Taxo cōcolorem, odore adeò fragrātem, vt quàm latè patebat cœnaculū eximio imbueret odore. Eiusdem nos adhuc frustulum seruamus dono missum à peritiss. pharmacopœo Valerando Dourez, qui ab eodem accepit. Idem Lob. tam in icon. quàm in hist. Belg. Aspalathum Rhodium vocat. Figura in Aduers. nulla erat, sed hanc quam hic damus, primùm exhibuit Lob. in hist. Belgica. Et postea etiam Casp. Bauhin apud Matthiol. Quæ autem de eo scripsit, paulò antè dicta sunt. Interim perquirant Lectores vbi Cordus Diosc. scripserit de ligno Rhodio rubescente quod conueniat cum hac Aspalatho 2. Lob. odoratissima.

ASPALATHI NOMINE DATVM Lignum grauiter olens.

CAP. XXVIII.

Descriptio A Valerando Dourez Aspalathi nomine nacti sumus fragmenta ligni cuiusdam dura, contorta, nodosa, micis per transuersos pectines apparentib⁹, vt in Fagino ligno, colore per meditulliū aliquatenus fusco, per reliqua cineraceo exalbido, odore graui, hircoso quem & per se, & prunis impositus spirat, sapore ingrato. Ex frusti nostri consideratione facilè diiudicamus siue trūcum siue ramum brachialis crassitudinis & spinosum fuisse.

Aspalath. Fortè Oliuus quoque de hoc ligno scribit: Aspalathum genuinum, sincerum & legitimum in Musæo Calceolarii notauimus, qui primus omniū Matthiolo misit. Odore, vt censet Plin. proximus est Castorio Aspalathus. Senticosus, horrens ex multis spinis. Illis sanè vnguentarii ad spissamēta vnguentorum maximè vti solent: parandæ Theriacæ satis præcipuus, loco cuius nescio quas quisquilias admiscebat superior ætas. Odoratum Aspalathum itaque atque suaue olentem, vbi vi-

dere voles, non granati fumus locum oſtendere, ne ſurculoſam hanc plantam apud Rhodios quætas, aut in Syria.

Hanc quoque in ſua peregrinatione annotauit Aldroandus. Aſpalathus albus pluribus quidem in locis naſcitur, ſed non odoratus. Sed ſibi habeat Olinus ſuaueolentem Caſtorei odore Aſpalathum, nobis delicatior odoratus, qui talem neutiquam ſuaueolentem credimus. Suſpicamur bonum hunc virum confundere duo ligna demonſtrata pro Aſpalatho. Caſtorei namque odor ſuauis non eſt, ſed hircino proximus, aut etiam deterior. Si quis putet huius modi aliquod aut vidiſſe aut etiam naribus adhibuiſſe Plinium, nos non omnino habebit repugnantes.

Plinius not.

Conſiderandum tamen quoque an Matth. in poſt. Com. de hoc Aſpalatho ſcribat, cùm ait maniſeſtè hallucinatos eſſe cùm Ruell. ipſum, tum Anguil. palàm facere Aſpalathum, quem primus dono dedit Fr. Calceolarius, & deinde eiuſdem Aſpalathi truncum, humani brachii craſſitudine à Barth. Rolleo Medico, & à Conſt. Syluestrio Pharmacopœo Ariminenſi ex Cypro Inſula ad eum miſſum: cùm huic, qui eiuſdem generis eſt, cum altero à Calceolario miſſo, nihil penitus deſit, vt ille ait, quod in legitimo Aſpalatho comprobando deſiderari poſſit: & præſertim cùm non ſolùm detracto cortice, purpureo colore rufeſcat, guſtu ſit amaro, & materiæ denſitate grauis, ſed quòd Caſtoreum non obſcurè reſpiat, vt Plin. inquit. At Matthiolum deſcribere ſuum nouum Aſpalathum præſtaret, quàm ſuo more tribuere audacter notas veri Aſpalathi. Exiſtimamus in eo non repertas iri. Et cautio fuit apud eundem, ne quis vſuram videndi expeteret: quippe militis glorioſi in morem minatur iis qui ad eum concedent videndi cauſa, naſum ligno ſurſum impulſo ita protruſurum, vt inde ſanguis profluat. Dignum, mehercle, verbum Gratioſo Medico & ſtudioſos docere profitente. Vt iam benè conſultum ſit Geſnero aliiſque, qui eius figmenta deteruerunt, quòd non adierint hunc Thraſonem, videndi & examinandi eius Aconiti gratia & alia ab ipſo veteratoriè efficta. Nemini profectò conſueuimus à nobis deſcriptum lignum grauiter olens in Theriaca aliiſve compoſitionibus poni loco Aſpalathi, niſi fortè quis malit olentes crepitus, quàm Thura. Ahouai ſanè lignum quoque fœtet, cuius fructus venenatus, de qua arbore lib. 3.

Matth. reprob.

ASPALATHVS I. DIOSC. PLINII ET GALENI, LEGITIMA PONÆ.

CAP. XXVIII.

VOlui [inquit Pona in Baldo] repræſentare, & delineatione, & breui deſcriptione Aſpalathum legitimam primæ ſpeciei Dioſcor. quæ eadem eſt & odorata, & medicamentoſa à Plinio deſcripta, quam etiam adnotauit Galenus, & idcircò apta Antidotis, quibus vti debemus: non autem grauis, vti Ebenum: non amara, vt Abſinthium, neque abſque ſpinis, vti malè exiſtimarunt quidam, quod prorſus ab opinione Antiquorum Scriptorum abhorret.

Hæc ſubſtantia non eſt tam compacta, vt iniecta in aquam proruat in fundum, ſed ſi conferatur cum multis aliis lignis, ſatis compacta, & grauis dignoſcitur: cortex ipſius ſuperior eſt colore cinereo nigricante, & quadam acrimonia aſtringente prædi-

Descr.



ditus, hoc cortice dempto offert ſeſe membrana quædam fibroſa, longè efficacior, ſi deguſtetur, primo cortice: colore rubro, ignem imitante: quo dempto ex parte inhærente, lignum in ſuperficie ad purpurã vergens detegitur, intus palleſcens, pars verò interna ad nigrum vergens. Lignum hoc totũ eſt qualitatis adſtringentis, cum aliqua acrimonia mixtæ. Odoratum eſt valdi odoris, & qui nares ferit, tam citò & profundè, quàm Caſtoreum: illud eſt ſarmentoſum, ſpinis quibuſdam oppletum. Sed miramur Ponam non annotare vnde delata ſit, & vbi obſeruauerit ſuam Aſpalathum.

Aſpalathi antiballomena & æquiuota.

Aſpalatho deficiente plurimi ſubſtituunt *Lignum Aloe.* Offic. vt Col. Florent. Cordus in Trochiſ. Scill. Androm. Borgarucus: Diſp. Col. in Troch. Helichroi, Apollo. C. Bauh.

Lignum aloes.

Matthi. in Epiſt. ſcribit, eſſe qui *Agallochum* ſubſtitui Aſpalathi loco ſuadeant: quorum placitis is facilè ſubſcribit, & Apollo in El. Cyphoides. Cæſalp. ait ab Aſpalatho Dioſc. non multùm recedere. Eſſe Aſpalathum negat Braſſauol. Corn. Agric. Scaliger.

Agallochũ.

Santalum ſpeciem eſſe Aſpalathi, exiſtimabat Manardus. Cardanus Sandalum rubrum putat. Santalum loco Aſpalathi ſumi conqueritur Matthiol. in proœmio in Dioſc. poſtea aberraſſe dicit, qui Santal. rubrum, Aſpalathum credidêre. Idem & Apollo reiicit.

Santalum rub.

Aſpalathi loco Cordus in Troch Scill. Androm. ſubſtituit *Santalum citrin.* odoratiſſ.

Santalum citrin.

Eidem ſubſtituit quoque *Agallochum*: aut vbi in eodem medicamento vtrumque recipitur, *lignum Guaiacum.* In tota Europa pro Caſſia lignea cortex radicis cuiuſdam ex Aſpalathi ſpecie aliqua detractum opinamur, inquit Cordus: de eo autem cortice antè cap. de Caſſia adulterina. De frutice ſpinoſo trifolio, Aſpalathi genus 2. Dioſc. & Plin. putato, tradetur poſtea.

Agallochũ.

Lignum Guaiac.

Aſpalathus trifolia.

Pro Aſpalatho ſecundo, quidam exhibent quandam plantam ſpinoſam, cui foliola parua ſimplicia, de qua lib. 11. Cluſ. etiam alios affines tradit duos, de quibus lib. 11. Aſpalatrum, Aſpalatus, eſt Geniſtella Pandectis.

Aſpalathus foliis paruis ſimplicibus.

Geniſtella.

Darſiſahan malè apud Serap. Interpretem poſuiſſe, eſſe Malum Granatum ſylueſtr. luce clarius: Meritò igitur Amatus: pro Aſpalatho non Granati ſylu. radice vtendum, vt multi perperàm faciunt. Pandect. confundit Darſiſahan & Aſpalatum cum Granato ſylu. Verùm Toxites ex Poëta ſubitò factus Medicus Paracelſiſta, medica tractans quaſi eſſent fabulæ poëticæ, introduxit confuſionem plurium ſtirpium in Onomaſtico [vt vocat] Philoſophico. Stultis hæc pro iiſdem obtrudenda: Benzuin, wolriechender laſer, aut Aza wilder Granatbaum, *Arbor tremula, Arbor Granatiſyl. Aſpalathus, Aſpaleos, Arbor Berberis, Aſſa odorata;*

Malus Punica ſylu. Serap. corr.

Pandect. not.

Toxites tax.

odorata, *Darsisahan*. Impostura est, de rebus docere velle sibi incognitis.

Impingunt inquit Cord. in Dioscor. qui credũt Aspalathum, siue, vt Arabes vocant, *Marsisaban*, idem esse cum *Berberi*. Apollo etiam reprehendit eosdem, & meritò qui Berberum pro Aspalatho supponunt. *Berberis.*

Rosa Hierichontea vulgò dicta, quibusdam existimata est Aspalathus odoratus: Aliis Amomum, cùm sit inodora planta, vti suo dicetur loco. Ex Gal. attributo libro de substitutis & Auic. multi Aspalatho deficiente volunt supponi semẽ Agni Casti, vt Cordus, Fuchs. Lacun. Amat. Placot. Borgar. Bacchan. Apollo, Harchius, Castor, Lonic. C. Bauhin. *Rosa Hierichunt.* *Vitex*

In eodem Gal. tributo libro, pro Aspalatho, ponitur Erices fructus. Aspalathum dici de Cypero, videbitur suo loco. *Erica.* *Cyperus.*

Annotat Fuchs. de comp. med. supra Ol. Irinum Nicol. Myrelp. Aspalathum in Latinis exempl. desiderari: pro eo radicem Lilii rectè substitui: se iudicare legendum κρίνου ῥίζης. *Lilium.*

Autore Trago Aspalton dicitur Diosc. l. 4. c. 4. de Polygono. *Polygonum*

Aspalathus, id est, Tapsus, Pandect. & Trago Verbascum, Barbaris Aspalathum.

Auic. interpres dum Theriacam describit, quo loco autores Græci Aspalathum scribunt, ille *Mumiam* habet, vt annotat Bellon. de Bitumine.

Aspalax in herbaceis Theophrast. l. 1. c. 11. quæ planta sit, indagandum. *Aspalax.*

DE AGALLOCHO VETERVM in genere.

Cap. XXX.

Agallochum Dioscor. lignum est (ξύλον ἐστί): Vetus addit ad marg. τὸ ὂν ξυλαλόη) quod ex India & Arabia deportatur, Thyiæ ligno simile, punctis maculisque distinctum, odoratum, gustu quodammodo astringens, cum quadam amaritudine: cortice vestitur cutis instar molli & aliquantùm versicolore. In Græco habetur, ἐοικὸς θυίνῳ ξύλῳ, pro eo quod diximus, Thyiæ ligno simile. ἐοικὸς θύνῳ ξύλῳ, legunt Orib. Aegin. Ruell. Goupylus, Hermol. Marcell. & Sarrac. Sunt antiquiores Græci qui Sorbo legunt. Marc. pro ἀστικτόν, punctis maculisque distinctum, Aldi codex habet ἐμμέσον: pro quo fortè ex Aldin. cod. legend. ἐμμεσον, hoc est, συστηματόν, compactum, solidum: aut potiùs ex Orib. ἔστι. Nam neque Serap. nec Oribas. nec Paul. punctorum macularúmue mentionem vllam fecerunt. Attamen in optimo Agallocho cinereas discurrentes venas Recentiores nonnulli agnoscere videntur, vt notat Sarrac. *Descriptio* *Thyinum lignum.* *Diosc. emend. & illustr.*

Paul. de Agallocho eadem ferè quæ Dioscor. scribit.

Sim. Sethi ξυλαλόη, (quod Lignum Aloes interpres conuertit) lignum est arboris, quæ in diuersis Orientis regionibus nascitur, & partibus Meridionalibus, quod quandiu corruptum est, nullã habet differentiam suo odore à cæteris arboribus. Vbi verò putruit, bonum nanciscitur odorem, non admodum tamẽ perfectum: sed earum regionum incolę concidunt, & sub terram multo puluere obruunt: & post aliquod temporis spatium, quantùm sufficere visum est, ipsius ligni partes educunt, & mercatoribus vendunt. Qui verò in Aegypto & aliis regionibus sunt, abradunt, & corticem abiiciunt, & ita in hanc speciẽ redigunt. Xylaloe verò decem sunt differentiæ: quarum decima quidem *Indica* est, & in India nascitur. *Samphia* verò dicitur, quæ in Samphi ciuitate prouenit, & quæ *Speon* dicta est: quæ Xyloaloe similis est, cùm non sit propriè *Xyloaloe*. Ad hæc, est quæ appellatur *Humida* [ὑγρόν] cuius rursus quatuor sunt differentiæ, de quibus non est vt nunc dicamus. *Locus* *Modus praeparandi Xyloaloë* *Xylaloe decem differentiæ.* *Indica.* *Samphia.* *Speon.* *Humida.*

In suffumigio, inquit Aet. *Tarum*, hoc est, Lignum Aloes, vt in suffumigio Dominæ Romulæ, vnguentarii præscribunt. Xylaloen autem Aetio & vulgo medicorum ob amaritudinem dictum volunt, quasi Lignum Aloes. Hermol. à nonnulla similitudine coloris. *Tarum.* *Aet. & Plin.* *Xylaloe vnde.* *Lignum Aloes*

De *Taro* sic Plin. Ex confinio Casiæ Cinnamique & Cancamum ac Tarum inuehitur, sed per Nabatæos Troglodytas, qui considere ex Nabatæis. [Sic vocat Chinenses Dal.]

Pauca hæc Plin. de Taro habet: nec vspiam alibi, quod nobis quidem constet, huius ligni sub Agallochi nomine meminit, quamuis sedulò Dioscor. scripta perlegisse eum dubium non sit: *Tarum* autem Aetius idem cum Agallocho putat, vti dictum. Mirum nusquam Galenum in libris de simpl. med. fac. Agallochi meminisse, præsertim cùm Dioscor. ante eum de eo tradiderit, quem ipsum diligenter legisse constat, ac post eum Paul. Aegin. qui pleráque sua excerpere consueuit. Sed verisimile est etiam Galenum in libris simplicium de eo tradidisse, præsertim cùm Arabes eundem de Agallocho loquentem introducant. Sed fortè temporum iniuria Librariorúmque incuria, quod & suspicatur Cordus, caput illud excidit. In libro tamen eius suppositio, cui titulus Medicinalia experimenta, de eius viribus & vsu traditur. Et in libro succedaneorum eidem attributo Agallocho Centaurium substituitur. Sed quàm bene, postea dicetur.

Apud Serap. ita legimus. *Hoad*, id est, lignum Aloes. Dioscor. Agaloian est lignum quod defertur ex India: &c. Gal. in translatione Albatarich. Agaloyan est lignum aloes Indum, habens odorem bonum &c: Abohanifa. Dicitur in Arabia nihil ferre præter lignum. *Nenig* quidem ibi nascitur, quæ ad species eius accedit. Præfertur tamẽ Indum. Et quamuis plures ibi nascantur species, vna tamen propriè Inda dicta est, reliquæ tantùm per participationem loci, sicut Myrobolani nigræ Indæ cognominantur. Reperitur etiam Lignum Aloes Indum in insula Fimua, in India. Præfertur nigrum, inclinans ad varium colorem, multa refertum humiditate, graue, durum, densum, carens omni albedine, diu durans supra ignem. Proximum ab eo est *Monduni*, ab Indiæ loco Mondel dicto appellatum. Post hoc *Seisi*, quod inter bonas ligni aloes species censetur: nam aquæ immersum sidit ob pondus: quò crassius eò melius. Sequitur, *Alkumeri*, prædicto bonitate cedens. Tridui spatio distat eius locus natalis. Ex hoc genere præfertur nigrum, mundum, aut etiam ad albedinẽ vergens, graue, diu permanens in igne, in quo tamen Seisi dicto cedit. *Chealsetebeni* quoque Indum cæteris omnibus præfert: postea Seisi, cuius bonitatis nota, si aliquid luti adhæreat, quoniam sepeliunt in terris Siti. Post hoc *Alkymeri*, cuius duæ species: vna dicitur *Kathile*, que melior est: altera *Sufari*, vilior. Post has *Seni*, in quo tumiditas superflua. Tum *Albel*, quod defertur ex terris Sufellæ, similis speciebus cæteris Ligni aloes, excepta *Seni*. Vltima *Albabeli*, omnium maximum & crassissimum: ideò ex eo fiunt *Hoad.* *Agaloian.* *Agaloyan.* *Nenig.* *Indum.* *Delectus.* *Nigrum.* *Monduni.* *Seisi.* *Alkumeri.* *Alkumerò duæ species* *Kathile.* *Sufari.* *Seni.* *Albel.* *Albabeli.*

Digitized by Google

Agallochum, Lignum Aloes, Xylaloe, Xylum Aloes, Calambucum, Lignum Taprobanum, Tarum Plin. Lignum Paradisi, omnia pro vno & eodem ponuntur. 2. Lignum Aloes silu. Lignum Comorinum vocat: wild Aloes holtz. Lignum Aloes vulgare, de quo mox tradetnus; gemein Paradiß holtz. Reform. Worm. idem.

Vires & Vsus Agallochi Veterum. Agallochum commanducatum, itémque decocto colluitum, halitum oris commendat: *Oris halitus.* ac toti quoque corpori siccum tritúmque odoris gratiâ inspergitur. *Suffimenta.* Ad suffimenta denique thuris instar adhibetur. Radix verò drach. 1. pondere pota, stomachi superfluos humores, imbecillitatem, *Stomachus.* ardorémque mitigat. Iis quoque quos lateris & iecinoris dolor excruciat, *Lateris & Hep. dolor.* ac Dysentericis atat torminosis ex aqua bibita opitulatur. *Dysenteria.* Diosc.

Temperamentum. Autore Sechio: Cunctæ Xylaloes species calidæ sunt & siccæ, & ventrem sistunt, *Alui fluxus.* & stomacho bonæ, præsertimque Humida, & post Indica. Cæteræ verò minùs. Corroborant autem partes interiores, & quæ iecore sunt obstructiones soluũt, *Hepatis obstruct.* humiditatéque ventriculi absumunt. Cæteræ verò species, si crebro suffiantur, propter dulcedinem pediculos gignunt. *Pediculos gignunt. Indica prohibet.* Sed Indica sola prohibet horum generationem, ob suam acredinem. *Agbari* apud Serap. quoque calidum est & siccum, & stipticum, ideoque viscera corroborat & reficit gratia sua aromatica, corporisque superfluam humiditatem absorbet. Rhasis idem ferè ait. Isaac eben amram, calidum & siccum in secundo ordine facit, & bonum ait esse cerebro, à quo pituitam detrahat, discutere flatus, reserare obstructiones, prohibere vrinæ stillicidium inuoluntarium, causatum à frigore & debilitate vesicæ. Auic. cap. de Agallocho eaidem vires tradit cum Dioscor. *Temperā.* At cap. de Xylaloe addit: Calidum & siccum est, in secundo gradu, vt puto. Subtilium est partium, aperit, & confortat omnia membra, & neruos quoque. Cerebro inprimis confert, & corroborat sensus. Cordi etiam robur addit, ipsumque exhilarat. Lignum Aloes eidem simile est viribus Ambræ, sed eâ inferius. Recentiores quidam eius vsum prædicant etiam ad diapalmata, de qua re non contemnenda habes apud Marcellum Virgilium commentar. in Dioscor.

LIGNVM ALOES OFFIC. ET AGALLOchum plerisque putatum.

Descriptio. Lignum peregrinum, quod *Xyloaloen* vel *Lignũ aloes* vocant officinæ, pectinibus plerumque densis & rectis est contextum, quódque transuersim sectum Quernei ligni pectines æmulatur, partim albicans, durum, graue, pingue, sapore amaricante cum quadam acrimonia aromatica, prunis iniectum bullas agit totúmque sensim colliquescit, suauissimum spirans odorem, tandem verò si sufflando pergas, flammescit. Tale habetur in officina industrii viri Theob. Noblot. Ill. E. C. Wirt. pharmacop. Montbelgardi.

Agallochum crassissimum & vsu probatissimũ hodiè magna copia Venetiis habent Institores, vt referunt Pen. & Lob. gustu astringenti, præsicco, non multum amaro, suffitu suauissimum reddit odorem, & succum aut liquorem pinguem, odore, qualem in Hebeno vel Guaiaco videas, cui concolor, & fortè congener. Eidem Lob. in

Obs. Agallochis præstantissimus verior siue Xylaloes. *alia species.* Illius autem Xylaloes quæ Officinis notissima, altera species Antuerpiâ adue cta, primum nobis visa, & munere data ab optimo pharmacopœo Antuerpiano Frãc. Pennino, in cuius instructissima officina præstat. Frustulum quod habemus è trũco vulsum, ponderosum est, multis venis constans, probatissimæ Xyloaloes officinatum ferè concoloribus, fuscis, odore & sapore non dissimilibus, sed suauioribus, amaris, & pinguioribus multò, quæ manducatæ lentescunt ceræ modo, reliqua ligni materia & superficies alba est, fragilis & fractu facilis, minùs aromatica: istud sanè lignum aloes omnium quæ vnquam vidit, sapore & odore vegetissimum esse testatur idem Lob. ex quo desumpta est icon inferna parte posita. Superior desumpta ex Taber.

Triplex genus arboris ligni Aloes. Porrò scribit Lud. Rom. in suis nauig. Ind. Or. (& ex eo Cronemb. qui eius historiam corrũpit, tanquam ipse vidisset) triplex genus eius arboris haberi: Primum quod ibi *Calampat* vocatur, *Calampat.* optimum, vendi in vrbe Sarnau, apud quos nascitur, aureis decem in libras, sed hoc distribui inter reges illarum prouinciarum nec ferri ad nos: eius fragmentum duarum vnciarum manibus contrectatum, inenarrabilem odoris suauitatem super omnia suffimenta spirare: Duo alia genera in insula Taprobana haberi: quorum vnum flumine quodam importatur, quod Lubam vocant: Alterum, Bochor, *Lubam. Bochor.* cuius ortus illis manifestus est: quæ duo genera ad nos conuehuntur.

Descriptio arboris. Ipsa arbor, teste Garcia Oleæ instar est, interdum maior: Vidit enim ramum eius cum foliis. Fructum aut florem vidêre non contigit, ob difficilem & periculosam huius arboris diuturnam obseruationem, frequenter in illis locis vbi crescit, grassantibus Tigribus. Ferunt autem recens dissectum *Agallochum* nullâ odoris fragrantiâ gratum esse, nec nisi siccatum, odoratum esse: imò eum odorem per vniuersam ligni materiem non diffundi, sed in ipso arboris corde sine matrice coaceruari. Crassum enim esse corticem, & ligni materiem odoris expertem. Haud negauerim tamen, (inquit Garcias) quin putrescente cortice & ligno, oleosus ille & pinguis humor matrici sese insinuet, illámque odoratiorem reddat: sed vt odor Agallocho concilietur, minimè putredine opus est. Multi enim sunt adeò experti & dextri in Agallocho dignoscendo, vt etiam de recens dissecto indicare possint, sitne odoratum futurum, an nulla odoris iucunditate spiraturum. Etenim in omni lignorum genere aliud alio præstantius est. Solent autem Malacæ incolæ Agallochum

Digitized by Google

repurgare antè quàm negotiatoribus vendant. *Delectus.* Præfertur verò multùm nigricans, cinereis discurrentibus venis, ponderosum, plurimo humore pingui prægnans. Probatio erit, si igne accensum, multum humoris exudet, non si in aquam coniectum, subsidat. Nam selectissimum quandoque innatat, nec subsidit. Guzarate & Decan incolæ, præter prædictas notas, requirunt, vt magna sint fragmina: persuadent enim sibi, quò maiora sint, eò plus facultatis in se continere.

Euiusmodi quale hic commendatur, annotat Clus. ex India Vlyssiponem adferri, sed magno æstimari. *Sphærulæ precariæ.* Fieri interdum ex eo sphærulas precarias, odoris iucunditate & pretii magnitudine commendabiles. Frequentiores tamen esse eas, quæ ex Xylaloe, vt vocant syluestri [nam tale in Comorin & Zeilan prouenire, quod *Aguila braua*, *Aguila braua. Lignum aloes sylu.* id est, Lignum aloës syluestre vocant, testatur Garcias.] torno concinnantur: quod mirum in modum Agallochum æmulatur: inodorum tamen est.

Calambai Linsch. Palo d'Aguila. Lignum aloës, quod in India *Calamba*, siue *Palo d'Aguila* vocatur, authore Linschot. maximè in Malacca, insula Samatra, Cambaia & Siana, *Locus.* vicinisque locis Orient. inuenitur. Arbores Oliuarum forma sunt, licet maiores, detruncatæ non ita bene olent, propter viriditatem immaturam. Siccitate etenim melior odor crescit. Optimum *Calamba* vocatur, alterum *Palo d'Aguilla.* Ab his diuersa syluestris prædicta, magno item in pretio, quòd Indi Satrapis & Sacerdotibus inde rogum defunctis struant, pari honore, quo apud nos marmorea sepulchra celebrantur. Verùm cum supradicto Aguillæ ligno siue *calamba* comparari nequaquam potest. Syluestris, & iam dictis locis, & in tractu Choromandel nascitur. Optimæ autem notæ *Calamba*, item *Aguilla*, circa Malaccam.

Scribit quidem Diosc. Agallochum ex India & Arabia deportari: sed legitimum lignum aloës, inquit Garcias, non nisi ex India deportatur. Ex Arabia quidem adferri potuit, priùs tamen ex India eò deportatum, vt pleræque aliæ merces. Nam in Arabia nasci non putat. Cute non vestiri, vt Diosc. de suo Agallocho tradit, sed cortice, vt reliqua ligna. *Agallochū pro Thure non substituē.* Neque verisimile esse pro Thure ad suffimenta substitui: sed potiùs è contrà pro Agallocho Thus substitui debuisse, vtpote cuius semper maior copia fuerit. Non solere enim rariora & inuentu difficilia vulgaribus substitui: sed contrà. Nam Thuris selecti centum pondo aureo duntaxat in India emi, tametsi ex Arabia huc deportetur. *Pretium.* Lignum verò aloës, licet in India natum, tres aureos pendêre in singulas libras. In *Auic. not.* omnibus quidem Prouinciis, quas Auicen. tradit, Agallochum nasci, non autem verum & legitimum Lignum aloës. Ac id quod in Promontorio Comorin, Veterib. Cori dicto, & Zeilā inuenitur, lignum quidem odoratum esse, non tamen syluestre Lignum aloës, vt vocant. Legitimum verò in Malaca & Samatra nascitur, vnde à Chinensibus ferebatur. Hallucinari Auic. cùm ab incolis *Auic. alter error.* elixari, vt omnem odorem eliciant, scribit idem. Nos verò hoc loco idem dicere possumus, quod Clus. apud eundem Garciam, nos totam Agallochi *Serap. ill. instr. & explicatus.* historiam apud Auic. legisse, sed nusquam vllius elixationis mentionem ab eo factam inuenisse, saltem in nostro exemplari Basileæ impresso. Quare omninò dicendum Garciam, tam à nostro, quàm à Clusii exemplaribus diuersa habuisse. Quid verò per illa vocabula quæ Serapio habet in historia Agallochi, [suprà à nobis citata,] intelligendum sit, planè ignorare se fatetur Garcias, & nomina admodum deprauata esse putat. Per *Mondel*, fortè Melindam intelligi: per *Seiss* & *Alcumeri*, Zeilan insulam, & Promontorium Camorin, [in quibus Lignum aloës syluest. dictum nascitur] à quo triduano itinere marino Zeilan insula distat. Quod idem de ramorum sepultura donec marcescat cortex, lignúmque purum remaneat: Item de collabentibus ex Agallochi arboribus ramis, à fluminum inundationibus raptis, pérque circumstantes Regiones deferri solitis tradit, in nonnullis testatur eum veritati consona referre, sed in quibusdam veritatem assecutum non esse. Quod verò fructum proferre rotundum Piperis modo, & rubentem scribit, an *Piperis fructum.* verum sit, idem se ignorare confitetur, cùm videre sibi non contigerit, nec quenquam inuenerit, qui aliquando viderit. Nec eius reliqui Arabes, Rhases, Auenrois, & Isaac, vsquam meminerunt, tametsi Agallochi facultates descripserint.

Quatuor quę recenset Agallochi genera Ruellius vidisse negat Garcias, sed vnicum genus Indicum nouisse. *Agallochi legitimi vnicum genus immiscere.* Fieri posse, vt reliqua genera legitimum Agallochum non sint, sed lignum aliquod odoratum. Eundem tametsi per omnia veritatem assecutus non sit, in plerisque tamen hallucinatum non esse. Scribunt Musa & Cronemburg. inueniri harum arborum syluas, quod eidem Garciæ minimè probatur: raras enim dicit esse has arbores. *Musa not. & Cronēb.*

Scribit Paludan. in Annot. ad Nauig. Linschot. Agallochi, seu Ligni aloës multas species se habere, amœnas omnes odore, variatas & maculosas, pinguedine plenas, densas adhæc & crassas. An verò sint ex distinctis specie Ligni aloës arboribus non docet: saltem multas species se habere ait: quem sanè decuisset omnes graphicè depingere, & docere in quo discrepent, in tanta huius rei caligine non paruam lucem allaturum.

Selectissima quoque Agallochi fragmenta in χειμηλίοις suo adseruare iactat Clus. Sed sibi tantùm habet, cùm describere non fuerit dignatus, alioqui præter morem eius diligentiæ.

Sed quid reliquum Herbariorum vulgus, quid item Medici quidam de Ligno aloës Officinarum tradant videamus.

Inter quos primus occurrit Cordus, cui Agallochum odoratum est lignum, quod Recentioribus Græcis Xyloaloe, hoc est Lignum aloë, appellatur, quo nomine vulgò in Pharmacopolis ostenditur. *Agallochū Xyloaloe.*

Quidam è Recentioribus id etiam simpliciter *Aloe*, & *Aloa* nominant, quorum in numero est *Aloe. Aloa.* Lud. Vartomannus, qui Orientales & Australes regiones descripsit. Videntur tamen etiam Veterum nonnulli similiter per aloën Agallochum *Aloe in prouerb. Salom.* intellexisse. Nam Diapasma illud, quo lectulum suum odoris gratia conspferserat muliercula, de qua in Prouerb. Salom. legitur. Myrrham, Aloën & Cinamomum recipit: quo loco minimè intelligendus densatus ille amarissimus & grauiter olens succus, *Aloe* vocatus, qui nullis odoratis pulueribus, aut Diapasmatis miscetur vnquam, nec reputatur inter aromata & odoramenta. Itaque hoc Prouerb. loco per Aloën, Xylaloen, hoc est, Agallochum intelligimus, ceu plerisque etiam aliis locis.

Sunt autem plures Agallochi differentiæ, inquit Cordus, ex quibus optimum quod ad suos *Plures Agallochi differentiæ.* vsus reseruant Indi & reliqui Australes populi, nobis quod non ita bonitate excellit mittentes. Idem testatur sæpè vidisse se maculosum crispúmque

que, quale à Dioscor. describitur. Idem autem Agallocho euenire putat quod Thyiæ. Quemadmodum enim non quæuis eius materia aut pars crispatur, ita etiam non quoduis Agallochum crispum apparet. Quod verò radici proximum, aut radicis pars fuerit, fluctuantibus venis in crispum habitum vibratur.

Porrò quod ad nos defertur non vsque adeò ponderosum est, vt aquæ iniectum lapidis modo subsidat. Hæc enim nota non est præcipua, neque omnibus Agallocho speciebus propria: alioqui Rhodium lignum, de quo suprà, quod pro Xyloaloe venditur, optimum esset Agallochū. Considerandæ potiùs hæ notæ: videlicet, vt sit odoratissimum, etiam per se. vt est integrum: gustu valdè aromaticum, modicè amarescens, leuiter astringens, pingue & resinosum, cuius suffitus gratissimum latè spargit odorem: & vt gustatum ac palatum commendet.

Rhodium lignum.
Ligni Aloes vera nota.

Apud eundem Cordum in historiis scribitur. Agallochum, id est, Xylaloe solida & ponderosa. Quidam hoc lignum Rhodisium siue Rhodium appellant, & Aspalathum affirmant, vt Ruell. sed errat, vt suo loco declaratum. *Tarum*, id est, Xylaloe fissilis, leuis & aromatica, quamuis Agallochi species sit, & ab Aetio Xyloaloe appellatur, diuersum tamen penitùs à prædicto Agallocho [videl. ligno Rhodio] existit. Crassiore quidem multò est trunco, &c. Adfertur & aliud ex India *Tarum*, prædicto simillimum, &c. Nos Cordi *Tarum* existimamus idem cum Ligno Aloes à nobis descripto.

Ruell. not.
Tarum.
Aliud Tarum.

Sylulus iudicat id, quod ostendunt Officinæ esse verius Aspalathum. Xylaloe dictum putat quòd sit lignum Aloes arboris, non herbæ, cuius tamen succum nigredine & amaritudine pauca, & succo intus gummoso nonnihil repræsentet. At profectò nobis tanta inter hæc similitudo est non videtur, quæ homonymiam imponere debuerit, vti patebit *Aloen succum*, cum *Aloes lign* diligenter conferenti.

Xylaloe Gaza.
Aloes arbor.

Sauonarola in quinto suæ practicæ, Græcæ linguæ ignorantiâ deceptus, Lignum Aloes & Xylaloe facit diuersa.

Sylu not.
Sauonarol. reprem.

Lignum Aloes quod Agallochum vocant, Hebræis in vsu fuisse constare ait Leuin. Lemnius. Idem Lignum [ait] licet leue sit, nec vllius ponderis, subsidere tamen, atque aquę immersum in profundum labi, quòd compactum sit, nec illi quicquam inane sit. At quomodo id quod compactum est, non sit quoque solidum, ac proinde ponderosum, non videmus. Fortè Lemnius non in multis periculum fecit: nam quædam etiam nō sidere animaduersum, quæ sanè leuiora ratoraque esse ratio suadet ipsa, iis quæ sidunt. Nec pondus bonitatis notam esse perpetuam in eo, iam dictum est.

Brassauolus Lignum Aloes hoc ipsum esse ait quod Dioscor. & Paul. Agallochum vocant. Sed certum se esse ait id quod ad nos defertur, ex probatissimo genere non esse. Venetos vnum genus nouisse, quod Alexandriâ Aegypti habeant, illuc ex Arabia delatum. Quod enim ex India adfertur, ad Venetos non ferri. Ex Sumatra Lusitanos tres species agnoscere, quas etiam tractent. Suspicatur eas esse de quibus Serapio.

Tres species.

Ferunt, inquit Cardan. *Lignum Aloen* vocatum nostro [Ligno Rhodio siue Oleastro] quod ad nos defertur longè fragrantius. Sunt enim illius tria genera: optimum quod *Colampat* dicitur, adeò fragrans vt in manu detentū omnem alium odorem obscuret: huius rei causâ ad nos non vehitur. Nascitur enim in Taprobana insula, quæ nostra ætate Sumatra, tum ab incolis, tum à Lusitanis dicitur, vbi prætet opes egregias luxus etiam prohibet, ne thymiamata pretiosiora ad nos deferantur. Hoc illud esse existimo, quod accensum, in Lacrymam totum vertitur, licet lignum sit. Idque nobis spectantibus ostendit Gulielmus Casanatus Besuntinus medicus. Secundum quod in aqua mergitur, vt Buxus, lignum Sanctum, licet leue, cùm robur innatet, aëris enim expers est. Meminit huius experimenti D. Erasmus, & nos periculum fecimus illius. Huius quàm primi maior copia est, minor tamen quàm vilissi ni. Hoc est, quod neque soluitur in lacrymam ab igne, nec in aquam descendit: sed tamen, dum flagrat, flagrat mirum in modum. Quapropter quum inter odorata odore præstet, medica ratione inter aromata meritò mirantur. In loco Agallochi diu vendiderunt Oleastrum. *Hac Card.* Quem more suo castigaturus Scaliger, sic infit: Lignum Aloes, quod scribis esse densum, videris ipsum nō notum habuisse. [illegible] tu putabas, lignum hoc, quod impostores venale circumferunt, ac Lignū Aloes vocant, è quo precarios mulierculis detornant globulos, esse Agallochum: nequaquam est. Sed aut Cotini radix, aut alia omninò planta. At Agallochum nostrum, quod habemus, leue est, odoratúmque adeò, vt sola tractatione, sine vllo subiecto igni, spiret admodum validè, sed iucundè. Et vt nobis Erasmum facis autorem: quem totius ignarum fuisse Naturæ, cùm alibi, tum eo demonstrauimus commentario, quem de eius fecimus Chiliadibus. Is in iisdem libris ait: se apud quendam Germanum vidisse lignum quoddam, ex quo fit Aloe. Quibus ex vnguibus Leonem istum metiri tuum facilè queas. Rursus fundum quare petat doces. Quia inane, inquis, nihil continet, in quo claudatur aër. O ingentem confidentiam! Si non est inane, quod aerem capiat, quonam modo leue sit? Non aërescenti terræ hac de caussa, suprà leuitatem adiungebas? Si terra grauis ex se est: leuis, quia mutatur in aerem: rarescat necesse est. In ea raritate, dissitis terræ partibus, si terra non est, aliquid aliud inerit necessariò. Non ignis: non aqua: non enim propterea fieret leuior, sed adderetur grauitas grauitati. Ergo aut inerit aër, aut dabitur vacuum, aut leuitas in tuo iudicio fuerit: in ligno Aloes propterea nō erit. Sanè si aer non includitur, quæro, quæ natura deprimet ipsum in aquis. Non enim descendet propter aquam: minùs propter aerem, si intus ibi nullus. Non igitur submergetur nisi propter terram. Non esse igitur leue, quod deorsum sub aquas fertur, argutari potest. *Et alibi*: De Agallocho, inquit, quod aiebas, te eius in aqua pondus agnoscere ex Erasmo, fefellit nos. Sperabamus enim ex principe Aboali testimonium sumpturū. Hoc enim prodit ille. Quod Agalochum præstantissimum habetur, non necesse est ad suffitus adoleri flammis. Sola præsentia cubile, quantum quantum sit, odore complet. Hactenus Scal.

Colampat.
Oleaster.
Card. Castig.
Cotinus.
Eras. not.
Scal. not.

Sed impunè non ferat, quòd Erasmi tanti viri gloriæ infensum obtrectatorem se præbere voluerit, cùm aliàs, tum hoc loco, supra modestiam, quod sanè eius pace dici volumus: addimus etiam fortè infra veritatem. Quid? Erasmum ideò totius ignarum fuisse Naturæ tam securè pronunciare ipsi sit integrum, quòd & aquæ immergi Lignū Aloes expertus sit: & alicubi scribat se apud quendam Germanum vidisse lignum quoddam, ex quo fiat Aloe. Quid si dicamus vtrumque verum esse? & non temerè hoc ostensum, illud pronuncia-

tum? Prius namque & alii ante Erasmum & post Scaligerum experti sunt, vt abundè declaratum in hac Historia. Non enim necessitatem Ligni aloës bonitatis notam esse, grauitatem seu pondus, iam declaratum. Sed quando Germanus ostendit Erasmo Lignum ex quo fit aloë [modò recens & genuinum fuerit Lignum aloës] dicimus eum nec ineptè illud dixisse, nec temerè credidisse Erasmum, quod nesciebat Scaliger. Aloë quid sit in S. pagina iam declaratum. Excisos arboris ramos terra obrui, vt putredinis interuentu corrumpatur id, quod inodorum, nempe cortex & exterior ligni pars, ex Sethio & Serapione annotauimus. Nec refragatur diligentissimus Indicarum Prouinciarum Historiographus, Garcias, qui huius Ligni Historiam omnium optimè tradidisse videtur, nec alii qui de ea prodidêre. Si igitur crudum adhuc frustum, & cortice suo obtectum ostendit Germanus, ostendit id ex quo non quidem fit de nouo, attamen prædicto modo paratur Lignum aloës, vel aloë Priscis dicta: non aloë succus, quem si intellexisset Scaliger, deceptus fuit, quem non ex ligno elici, sed ex herba, ipsemet scire potuit. Crudum sinè Agallochum vbique Mesues requirit, quod vel recens intelligi potest, ab extimo tamen cortice mundatum, vel non coctum. Coqui enim à quibusdam excipiendi odoris gratia post Auicennam annotauit Syluius.

Erasmus defenditur aduersus Scal.

Nicol. quoque Agallochi crudi sæpè mentionem facit: per quod Fuchsius intelligit id, quod non putruit: quamuis Matth. cum Syluio intelligendum censeat id quod non fuerit elixum, quòd inde fortassis odoratissima lauacra ex Agallochi decocto sibi conficiant Indi, aliaque odoramenta in regales præparent vsus, vt etiam cum Rhabarbaro fieri narrant. Vel fortè per crudum illud intelligi putat idem, quod impetu fluminum longóque eorum ductu, [vt suprà dictum ex Serap. & latiùs dicetur mox,] per regiones non defertur. In his namque calorificis regionibus aquæ à Solis æstu non obscurè calefactæ non modò illud omni ex parte diluunt, sed etiam elixant. Illud præterea addiderim, quòd cùm non modò crudum, sed & bonum addiderit Nicolaus, nullum aliud expetere videtur, quàm quod recens ab ipsa arbore excisum, & ab omni inodoro, ac superfluo purgatum sit, nec vlla vel putredinis vel elixationis macerationisve qualitate immutatum. Non reiicimus tamen Fuchsii sententiam, præsertim cùm eidem & Cronemb. subscribat, & Apollo, qui nouæ laudis studio Matthiolum Fuchsii sententiam refellere scribit quòd per crudum aloës Lignum intelligat, quod non putruit, sed statim ab arbore excisum, ad vsus rapitur, sed à cortice & extima parte mundatum, quale ostendisse potuit Germanus Erasmo. Quod si etiam Erasmus credidisset Aloen succum, parari ex eo ligno, non ideò totius naturæ fuisset ignarus, quem virum omnis literaturæ capacissimum celebrat posteritas. *Ergo Scaliger* postquam exercendo atque disceptando subtilitatibus suis summum fastigium imposuisset, rerum ipsarum fastigium nactus, subtilitatibus ipsis quoque modum statuisset, si statuisset reprehensionibus. Vt Erasmus, qui doctissimorum iudicio literarum scientiâ summus videbatur, nunc sese in suo genere Scaligero inferiorem non agnoscat: tantò minùs ab eodem suppressus videatur.

Per crudũ Agallochũ quid intelligendum.

Matth. not.

Authorum iudicium de Scal. & Erasmo.

Sed lubuit aliquantisper digredi, redeamus in viam. Monachi in Mes. Lignum aloës nihil aliud censent, quàm Agalochum Auic. *Agalugen* vel *Agalugin*: in eadem opinione videntur esse Amatus, Lacuna, Borgaruc. Apollo, Marancha, Cæsalp. & alii plures. Anguill. tamen, multi existimant, inquit, Agallochum esse Lignum aloës: verùm nunc id non asseuerabo, quandoquidem nescio an Thuiæ lignum sit Sabinæ. Clusius quoque annotat, plerósque Doctorum virorum existimare, Lignum aloës, esse Agallochum Diosc. nec repugnat Garcias, qui sua Arabum scriptis accommodat. Matth. non diu esse tradit, quod legitimum Agalochum importari cœpit: nam licet antea quibusdam non defuisset Agalochum verum, nihilominus, quòd rarissimum esset, Officinas ferè omnes eius loco Oleastrum Rhodium suppeditasse, quem falsò putauit Ruell. Aspalathum esse. Verum Agalochum illud, quod tantoperè præstet, se vidisse negat Matth.

Agalochus Agalugen.

Agalugin.

Diguntur aloes esse Agallochum Veterum.

Oleaster Rhodius Ruell.

Sunt, inquit Matthiolus qui somniantes dixerint, Agallochi arborem vidisse neminem, cùm terrestri tantùm paradiso proueniat, illúdque ferri fabulantur fluminibus, quæ [vt sacra testantur monumenta] ex eo manant. Atqui pro comperto habetur, & paucis innuit Serapio, Gangem Indiæ amplissimum fluuium quamplurima secum Agallochi fragmina vehere, quæ tamen in ipsum ducuntur aliorum fluminum cursu, qui in eum confluunt. Quippe cùm fluuii transfluant loca, vbi Agallochum prouenit, aquarum inundationibus turgentes, huius truncos, fragmina, ac ramenta rapiunt vnà cum aliis varii generis lignis, & in Gangem transferunt, quemadmodum in nostris etiam fluminibus sæpè ac sæpiùs visitur. Cuius rei indicium affert illud, quod Venetiis venditur, vtpote quod longo aquarum discursu omni ex parte laceratum, exesum, comminutúmque spectetur. Quamobrem mirum non est, addit idem Matth. si dum manibus tractatur, id odoris non præstet, quo illud fragrare prædicant ex natali solo in Lusitaniam aduectum. Sic ab ea opinione minimè est alienus Matthiol. ad cuius tamen marginem fabulosa dicitur.

Fabulosa de Agallocho opinio.

Officinæ, ex obseruatione Clusii, demonstrant duo genera Ligni aloës, præter lignum Rhodium, siue Oleastrum, qui Rhodo affertur, quo vsæ sunt loco Ligni aloës. 1. Vni diuersi colores, ex venis fibrísve albis, aut ex luteo pallidis: aliis ex nigro russescentibus, simul mixtis, magis in ramis, quàm trunco. Hoc genus quidam Docti Thuiæ lignum existimant, alii Aspalathum Diosc. 2. Lignum aloës aliud ex nigro russescit, resinosum, quod vstum gratum ex se reddit odorem, ponderosum, & aquæ fundum petens. Hoc quidam putant speciem Ebeni Diosc. Lignum aloës affertur ex Calecuth & Alexandria in Europam. Verùm consideratis Clusii verbis suspicio incidit, quosdam confudisse lignum Rhodium, quem Oleastrum perhibent, cum Ligno aloë hic à Clusio descripto.

Duo genera Ligni aloes Offic.

Thuia.

Ebenus.

Ryffius quoque Agalochum siue lignum Rhodium militibus frequens dicens in corollis precariis, vel alterutra voce abutitur, vel vtrumque confundit. Nec minùs in eo hallucinatur, quòd verius Aspalathum acre dicit & austerum existimat.

Ryff. not.

Castor Durantes pro Agallocho siue Ligno aloës ponit iconem, quam postea iterum reponit pro ligno odorato.

Castor not.

Cæterùm eadem nomina, quæ suprà Agallocho tributa fuêre Authorum plerique etiam Ligno aloës Officinarum tribuunt, cùm maior pars vnum & idem esse putet, quod nec nos negamus, sed in re nondum planè certa & cognita.

Digitized by Google

gnitæ iudicium tantisper suspendimus, donec certiora discamus.

Vires. Easdem vires plerique Recentiorum tribuunt Ligno Aloes offic. dicto, quas suo Agallocho tribuunt Veteres, quas antea proposuimus.

Agallochi & Ligni Aloes substituta, adulteria & æquiuocationes.

Santalum. Textor in lib. suo de Peste Agallocho deficiente substituit Santalum luteum vel rubrum. Lob. ait, Officinas quasdam autumare Agallochũ esse Santalum citrinum, quod & Rondel. in pil. Alephang. supponit. De ligno Rhodio & Aspalatho vel Agalocho vsurpato, dictum suprà. Lignum Rhodium.

Adulterium. Adulteratur Agallochum, vt Platearius tradit, ligno quodam in montibus Almasiæ nato, quod pondere, nodoso habitu, & quadam aromatica vi Agallochi notas vtcunque refert, sed neque nomen ligni, neque vbi siti sint Almasiæ montes indicat. Matth. Syluat. Pandectarum autor idem paulò aliis verbis refert, & lignum quod pro Agallocho vendi conqueritur, Chamęleæ radices esse scribit. Videndum igitur, quidnam per Chamæleam eo loco intelligendum sit. Significat autem Chamęleà propriè [vt ille vult] eam plantam, quàm Latine Oleaginem & Oleastellum, Arabes verò Mezereon vocant, Thymeleæ, hoc est, granum Gnidium ferenti frutici figurà & viribus similem. Eius radices Matth. Syluaticus, pro Agallocho vendi credidit. Cordus per Chamæleam meliùs, nostro iudicio eo loco putat intelligendum Oleastrum, vti dictum quoque cap. de Ligno Rhodio. Absonum enim, inquit Garcias, quod Pādectarius scripsit, & à veritate omninò alienum, Chamælęà adulterari Agallochum, cùm totà eà regione, vbi Agallochum prouenit Chamælęa non nascatur. Lignum quoddam peregrinum. Chamæleæ. Oleago. Mezereon. Pandect. autor.

Oleastrum. Sophisticatur, inquiũt Monachi in Mes. Lignum Aloes multis modis: vt cum lignis similibus, & pręcipuè cum lignis syluestris Oliuæ, & Chamæleæ atque Thymælęa. Et quandoque bulliunt ipsum lignum bonum, & accepta decoctione desiccant illud atque vendunt: rarissimè ab aromatariis purum emitur.

Syluius quoque testatur esse qui ligni Aloes loco Oliuæ arboris matricem substituunt.

In Pharmocopolis quibusdam Verselensibus, [inquit Apollo] non Oleastri Rhodii frusta, olim pro Agallocho vsurpata, vtpote demersa aquis non emergentia, quadantenus amarulenta, nec odoris iniucundi, sed, quod iniquius est, veterum lignorum segmenta, Nardino odore imbuta, in medicamenta inseruntur, Venetiis tamen expetita absque delectu: pecunias potiùs curant, & illegitima sinceris præponere malunt. Oleaster Rhodius. Adulteriũ. Veterum lignorum segmenta.

Castor Dur. Agallochus adulteratur ligno Oleæ in aqua odorifera & cum oleo odorato, vel cum Aspalatho vncto. Thus.

Diligenter notandum, quod scribit Honor. Bellus, nonnullos vocare Agallochum plantam Creticam eandem cum *Maranthæ* Cytiso: de qua lib. II.

Non verisimile esse arbitratur Garcias pro Thure ad suffimenta substitui Agallochũm, vt latiùs dictum antè.

In succedaneis Gal. attributis Agallocho centaurium substituitur. Centaurium scribitur in textu Græco, & non Calamus aromaticus, vt in Lat. codicibus, vt annotat Borgarucus, magisque probat textum Græcum. Cui nos non adstipulamur. Nam calamum magis probamus quid enim cum Agallocho Centaurium? in quo tanta amaritudo. nec aromatica illa & cardiaca qualitas, ac ne odor quidem ipse, quæ in Agallocho requiruntur, & in Calamo aromatico non obscurè sunt. Centaurium. Calamus arom. Borgarucus.

TAVZARGHENT RADIX ODORATA.

CAP. XXX.

Quoniam Scal. exerc. 142. Agallocho subiungit radicem *Tauzarghent*, & odoris gratiâ confert, eandem & hic referre lubet. Scribit autem esse in Occidentali Mauritania eam radicem tanti tamque boni odoris, vt appensa laquearibus haud magna quantitas suppleat vicem magni suffimenti. Nec quicquam aliud de ea apud quenquam legimus.

THYMIAMA SIVE STYRAX RVBRA Offic. & de Nascaphto.

Styrax rubra Offic. sunt corticum fragmenta crassiuscula, fragilia, pulli coloris, aut ex pullo nonnihil russescens, exsucca ferè, quæ admota igni vix tantillum resudant, nec flammam satis claram edunt, nec pertinacem, odore destituta & sapore, ob vetustatem, vt existimamus. Talia erant à multis annis à nobis seruata, & olim Lugduni ex officinis empta. Similia vidimus Argentinæ, sed multò maiora segmenta, quorum quædam vncias duas longa, vnciam lata, quædam crassa, quædam tenuia, prædictis concoloria, odore quoque ac sapore manifesto destituta. Inter quæ fructum leuiter cortici adhærescentem obseruauimus, de quo postea. Huius corticis lib. j octo batziis vendunt. At Styrax liquida, res odorata & prædictà longè pretiosior ante bienniũ nempe anno 1602. à pharmacopœo Montb. eodem pondere 16. solidis regiis: hoc est, paulò minori pretio quàm cortex iste inodorus, propemodum dixerimus sordidus ac penitùs nihili. Similes cortices, ante aliquot annos, apud industrium quendam pharmacopœum, cuius nomen nunc excidit, obseruauimus, nomine *Thymiamatis*; inter quos quidam crassiores quàm prædicti. Sed & hi erant euanidi & exoleti. In eodem pharmacopolio, eodem quoque nomine, anno 1597. dati cortices Argentinæ empti, qui in tenues multas partes contusi, & in glebas compacti, admodum erant succulenti, fusci hoc est prædictis concolores, nisi essent saturatiores, odore graui, non sine suauitate tamen, qui odor adhuc pertinaciter durabat anno 1604. licet iam situm cinereum haud leuiter contraxissent, & multò sicciores euasissent. Igni admoti fumum & flammam luculentam dabant. Sapor nullus insignis, attamen glutinosus cum quadam acrimonia. Odor sane videtur aliquatenus referre odorem Balsami Peruuiani, & vt liberè dicamus, Styracis liquidæ offic. Descriptio. Fructus. Thymiama. Cortices odorati.

Corticem supradictum Cordus Nascaphthi nomine sic describit: *Nascaphthum*, quod hodiè *Thymiama*, & *Storax rubea* in pharmacopoliis vocatur, crassi corticis fragmenta sunt, colore in russo nigricantia, quæ sola per se aut cum aliis quibusdam ad odores vaporantur: habétque acrem, Nascaphthum. Storax rubea.

nec iniucundum in suffitu odorem : gustu nullam ferè qualitatem præ se fert, præter siccantem : estque huius rei causa, quòd nimis inueteratum ad nos afferatur.

Narcaphthon. Nascaphthon, inquit Diosc. quòd alii Νάρκαφθον vocant ex India quoque defertur. Est verò corticosum quiddam, Mori [συκαμίνου] libro simile, quod iucundi odoris gratia suffitur. Factitiis suffimentis inferitur : vuluam quoque adstrictam suffitu iuuat.

Paulus quoque Nascaphthon Indicum aroma dicit, eiusdem vsus. At in compositione Cypheos Solaris λακάφθου dodrantem admiscet, & ait esse corticem Pini [πίτυος] aut alterius cuiusdam arboris. Qua sua hæsitantia & inconstantia effecit, vt incertum sit *Vsus Lacaphthi.* viris doctissimis, an idem Nascaphthon cum Lacaphtho putandum sit. *[...]tegia not.* Cuius sanè alii Scriptores non meminerunt, vt sicut ipsorum, ita & nostro seculo, [si idem non sit cum Styrace rubra] penitus ignotum videatur. Apud Plutarch. tamen lib. de Iside & Osiride, in compositione eiusdem Cyphei hæsitat, ut .. λακάφθου habet λαάφθου, corruptè vt videtur, & *Plutar. locus correct.* censet Conft. Non est tamen ... quis cedat Pini aut Piceæ, [verum ... eodem modo velis exponere vocem πίτυος] corticem Nascaphthum esse. Nam si harum arborum corticem Nascaphthum appellarent Authores, nihil propemodum vilius in Europa Nascaphtho esset. Quoniam verò ex alio Orbe ad nos afferri ... est, nihil minùs quàm Pini aut Piceæ cortex fuerit. Nisi sicca Storax appellata, Nascaphthum fuerit, prorsus nos etiam ignorare cum Cordo fatemur. Certè non constat vnde afferatur, & cuius arboris cortex sit. Ex India non afferri, ... vt ... quamuis alius quoque indicus constet.

Narthe ... Cæterùm quid sit νάρθηξ apud Theophr. difficile est pronuntiare in tanta breuitate, cùm eius semel tantùm me meminerit nominetenus. Suspicio tamen est posse esse Narcaphthon Dioscor. maximè cùm Theophr. lib. 9. Hist. cap. ... inter ea medicamenta recenseat, quorum vsum esse ait ad vnguenta, quæ sunt omnia aromatica. Auget conjecturam quòd quidam eo loco ex Diosc. ... legendum censent. Hermol. Lacaphthon idem putat cum Nascaphtho : hócque à Plinio prætermissum arbitratur consultò, quia incerta esset natura eius, vt aliorum quoque plurium, quæ ille Orbi nostro tantùm nominibus cognita esse tradit, vt Sericatum Gabaliúmque. Marcellus quoque fatetur, nihil de Narcaphtho à se inuentum Theophr. aut Plinium docuisse. Ideóque illis incognitum fuisse suspicatur. Immò in antiquissimo sibique probatissimo codice, nullibi etiam illud caput de Narcaphtho apud Diosc. legi, ac ne vestigium quidem eius ab eodem deprehensum : non leui, nisi Paulus id confirmaret, suspicione, cùm liceret Plinio, ab eodem Diosc. à quo plura alia acceperat, hoc etiam accipere, quod tamen ne verbo quidem fecit. Sed Paulus suspicionem amouit, qui eadem penè cum Diosc. dicit. Pro eo verò quod diximus, vuluam adstrictam, habetur *Diosc. illust.* gemina lectio in Codicibus. Sunt enim in quibus μήτρας ἐστενωμένας, & in quibus ἐστενωμένας legatur, vt vel angusta præclusaque, vel adstricta nec humores remittens matrix intelligenda videatur. Nos cum Marcello & aliis doctioribus Interpretibus id maluimus quod ab antiquo medicinæ authore Paulo Ægin. confirmabatur. Sed de Plinio nondum transactum. Sunt enim qui eum Narcaphthum intellexisse putent per Sericathum, *Serichathum.* quando ait : Eò comportatur & Serichatum & Gabalium, quæ intra se consumunt Arabes, nostro Orbi tantùm nominibus cognita, sed cum Cinnamo Casiáque nascentia. Peruenit tamen aliquando Serichatum, & in vnguenta additur ab aliquibus. Permutatur in libras xxvi. Ex obscurissimo hoc tripode, quasi Laurum momordisset, velut edicto quodam pronuntiat Amatus, Plinium non Narcaphthum appellari voluisse, sed magis Serichatum, huiusque descriptionem, tanquam rei sibi incognitæ prætermisisse, tantùm ab aliquibus in vnguenta addi, dicere contentum. Ergo Plinio incognitum fuit, & nihilominus Amato cognitum, Serichatum apud Plin. esse Narcaphthum : cùm tamen ingenuè fassus sit nostro Orbi tantùm nomine cognitum? Vt iam non immeritò μαντευτὰς eiusmodi coniectores appellarit doctus quidam, qui tantâ securitate pronuntiare, tantâ facilitate diuinare, atque adeò tam audacter pronuntiare didicerunt, quid authores scripserint in his præsertim, quæ velut non intellecta prætererunt, contenti nomina tantùm apponere, vt de Serichato & Gaballio fecit Plinius. *Amatus not.* Sed fortè istud mouit Amatum, quod in vnguenta addi Plin. ait, quod idem & de sua Narthe Theophrastum scribere diximus, quam quidam Narcaphthum putant : quodque idem tradat Dioscor. Sed & his & talibus coniectari aut suspicari liceat : neutiquam verò temerè interpretari ac statuere.

Mirum etiam Gal. nihil de Narcaphtho tradidisse, quem tamen Diosc. libros diligenter euoluisse liquet.

Serapio Abicis cuiusdam testimonio fretus tradit, siccam vocatam Storacem corticem esse arboris Storacem [Styracem resinam] fundentis, qui *Storax sicca.* decoctæ & expressæ liquidæ Styraci supersit, quod tanquam verisimile, inquit Cordus, non impugnamus. Hoc tamen reticendum haud existimamus, nobis videri aliam esse & diuersam arborem, liquidam Styracem fundentem, ab ea quæ calamitam sudat Styracem, vt de Styrace docebimus. *Styrax liquida & Styrax calamita differunt.* Hoc enim loco non de Styrace, sed Nascaphtho nobis tradendum. Io. Rhoder. Lusitanus Nascaphthum putat esse pretiosam illam arboris cuiusdam Indicæ materiam, quam *Ligni aquilæ* nomine instructiores Lusitanorum Officinæ seruant. *Lignum aquila.* Sed cùm hoc lignum nôn sit cortex, sed arboris cuiusdam Indicæ materia, Agallocho similis [cuius etiam speciem esse arbitramur] non audimus eius opinionem confirmare. Siquidem Nascaphthum cortex est arbori suæ detractus. Aquilæ verò lignum, non cortex, sed lignum est, quamuis nonnunquam etiam cortice vestitum afferatur, sed rarò, & cui non sit eadem, quæ ipsi ligno in odore & sapore gratia, de quo plura diximus cap. de Agallocho & Ligno aloës. Fatetur itaque ingenuè Cordus sibi nihil certi de Nascaphtho constare, hortatúrque alios vt id inquirant. Idem in Dioscoride D. Nicolai annotat hæc : Storacis rubeæ : hoc enim loco non est accipiendus cortex ille fuscus & aridus, quem vocant Thymiama, atque malè Storacem rubeam : sed Storacis Calamitæ purissimæ guttæ, quibus rufus est color. *Styrax rubea. Thymiama.* Item ad Troch. Alyptæ Mosch. Styrax rubra hîc non significat Thymiama, aridum illum nigrum corticem &c.

Non desunt indicia, inquit Matth. [si modò ad nos hodie deferatur] id omninò esse Narcaphthum, quod vulgò Offic. vocant *Tignamé*. Nam *Tigname* non aliud integrat quàm *Thymiama* apud Græcos. *Tignamé.* Serap. Narcaphthum *Lasahaten* vocat : dicitur etiam Arab. *Nabath*. Ital. *Agallocho* atque *Lasahaten. Nabath.*

etiam

etiam *Tigname* Seplasiarum vulgò. Idem postr. com. Lat. & Ital. Et Epist. lib. 5. scribit: Placeret quidem Val. Cordi doctrina, qui rubeum Styracem imponi iubet, si tamen pro rubeo flauum, vt pote præstantissimum intelligeret. Sed cùm ipse Germanus fuerit, & sciam ego Germanicas seplasias nihil aliud quàm Thymiama, quod Diosc. Narcaphthum vocari censeo, Styracem rubeum appellare: vereor sanè, ne ipse quoque pro Cozumbri, Thymiama addendum crediderit. Sed demus eũ de selectissimo Styrace intellexisse, errauit tamen, cùm sciret quid apud suos Myropolas rubeus designaret Styrax, quòd illis manifestam errandi ansam præbuerit, à quo errore non habeo quibus excusem: præsertim cùm mihi certò persuadeam, Cordum in hoc Iac. Manlium esse secutum. Namque Manlius simul ac perperàm exposuit Cozumbri, fæcem esse Styracis liquidi, mox subiunxit Arabicum nomen secundùm Compositorem nil aliud designare, quàm rubrum Styracem seu Thymiama, seu Thus Iudæorum. Quæ vt inepta, inania & incertis Autoribus allata, ita ridenda & reiicienda videntur. *Hac ille.* Sed considerent eruditi Lectores, an Cordus non sit excusandus, qui in duabus compositionibus prædictis apertis verbis declarauit, se per Styracem rubram non intelligere Thymiama ac proinde ei à Matthiol. iniuriam fieri.

Cozumbri — *Cordus reprehen.* — *Manlius reprehen.* — *Thus Iudæorum.* — *Cordus defenditur aduers. Matth.*

Ipse verò Matthiol. [vt annotat Guiland. in suo Theone] crassè in Narcaphtho & Stacte errat, quæ ille medicamenta duo pro vulgari Tigname & Styrace liquida exponit, rectiùs facturus si recãtarit. Styrax enim liquida ex recentibus Styracis arboris corticibus, admixto oleo ingentibus torcularibus, in Asia minori Aegypto & Græcia premitur, quos ita expressos cortices magna Italiæ pars *Tegamé* vocat, sicuti & Calabri *Busuri*. Sed nos de Styrace liquida & aliis Styracis generibus specialiùs trademus post resiniferas arbores.

Matth. reprehen. — *Styrax liquida vt fiat.* — *Tegname Italis quid. Busuri.*

Amato Narcaphthon Arab. *Nabach, Labasten*, lignum est corticosum & velut putidum, antiquitatem nimiam præ se ferens, quod idem ait cum eo, quod Offic. hodie Thymiama, quia in suffimentis præcipuè eo vtuntur. Itali corrupta voce *Tigname*: Hispani Mauritanica *Almeam* appellant. Cæterùm *Thymiama* vagum nomen est, suffitus omne genus comprehendens.

Labasten. — *Almeam.*

Lacunâ quoque teste, pro certo creditur *Almeam* esse corticem Styracis, ex quo per cocturam detracta Storax liquida offic. Storax rubra inquit Clus. in offic. Galliæ & Belgiæ, quibusdam in Brabantia *Thus Iudæorum* dicitur, aliis Thymiama. Ex doctorum tamen sententia Narcaphthon Antiquorum.

Thus Iudæorum.

Diosc. descriptio conuenit cum Styrace rubra offic. harum regionum. Vt verò scribit Apollo, Styrax liquidus offic. stacte non est. Est & Styrax ruber Arabistis fæx Styracis liquidi & Myrrhæ Stacteæ seu etiam Cozumbrum, & Iudæorum aut Thymiama pro Stacte inuecta.

Styrax rubra. Styrax liquida.

Serapio inania garriens pro Thymiamate omnia simul obruit, vt etiam Auic. Pharmacopœi quidam ineptè satis, per Ammoniacum thymiama, Ammoniacum simul ac huiusmodi corticem accipiunt. Bellon in suis obser. de iis quæ in Rhodio vidit, refert vidisse se exonerantes nauiculam ad ripam portus, plenam simplici cuius in medicina vsus est, quod Styrax rubra dicitur. Græcis nunc vocari *Maurocapno*. Sibi dictum fuisse, arborem in ipsa insula nasci: verùm non datum fuisse otium videndi.

Serap. & Auic. not. Pharmacopœorum quorundã error. — *Locus* — *Maurocapno.*

Vt Narcaphthi olim, vt suprà dictum, vsus fuit ad suffitus, ita Styracis rubræ hodie dictæ itidem præcipuus vsus in compositis odoramentis, quæ ad suffiendum parantur: ita vt præterquamquod per se [si modò recens sit, aut tale quale suprà vltimo loco descripsimus] id muneris præstet, paucæ fiant suffimentorum compositiones, quæ ipsum non recipiant. Sed quæ Pharmacopœorum quorundam hodie est pertinax proteruitas, malunt in hanc vsque diem euanidum illum & nullius nec gustus nec odoris corticem immiscere, fungum pro aromate, quàm meliora docentibus obtemperando operam impendere conquirendi præstantiora.

Vires & vsus.

SASSAFRAS SIVE LIGNVM PAVANVM.

CAP. XXXII.





Descriptio Ligni. — *Cortex.*

Lignum Sassafras parũ ponderosum est, corticéque (prout ad nos importatur) tegitur, extimo quidem tenui, cinericeo, interiore crassiusculo, rufescẽte fungoso nõnihil, molli, materies subiacet alba, vel ex albo rufescẽs, aliquâ interdũ etiam parte ad cinereum vergens, mollitie & pectinibus Tiliaceis, odore & sapore suaui aromatico, acriusculo & subdulci, quodammodo Anisi. Cortici verò siccitas cum nõ obscura astrictione inest. Vidimus frusta femoris crassitudine, sed quæ vel prope ramos vel radice excisa ex nodis & vestigiis conjectabamur. Accepimus & portiones quasdam à D. Volmario, quæ eundem exhibent saporem & odorem, sed texturæ raræ & veluti porosæ, pediculorum Nymphææ instar.

Folium vidimus anno 1607. apud charissimum fratrem Casp. Bauhinum, sublongum, in tres partes diuisum, cuius pediculus degustatus, fuit aromaticus.

Descriptio arboris.

Arbor ipsa, teste Monarde [cuius iconem ex-

hibemus quæ prima fronte Cinnamomi videbatur, magnam proceritatem adsequitur, quanquam & mediocres & paruæ reperiantur. Maximæ Pinum mediocrem æquant, formâ etiam recta non absimiles, truncus singularis est, nullis adnatis ramosus, Palmæ instar, atque superiùs duntaxat ramos Pini mundatæ in modum emittit, in orbem poculi instar circumactos. Cortex crassus, fului coloris, alio tenuiore cinericeo tectus. Materies alba in fuluum deuergens. Estque tam truncus, [vt & rami] flexilis. Cortex commansus, aromatico sapore præditus apparet, qualis est Fœniculi, tanto támque fragranti, vt pauca eius quantitas totum conclaue compleat, habet & acriusculi quippiam. Lignum ipsum minùs efficax, minúsque aromaticum. Ramis hærent folia viridia, tertiariam diuisa, ficulneorum æmula, tenera adhuc, Piri foliis similia sunt, vixque vllum angulum ostendunt, atrouirentia, odorata, multóque magis exiccata. Perpetuâ fronde est arbor, aliisque foliis marcescentibus alia succrescunt. Nescitur an fructum aut florem ferat. Radix pro magnitudine arboris crassa aut gracilis, flexilis quidem, minùs tamen quàm truncus & rami, summâ tellure vagans, vnde facilè exstirpatur.

Cortex. *Folia Fecum.* *Radix.*

Cæsalp. quoque corticem specie & colore Casiæ similem ait.

Synonyma Sassafras. Sassepes. Lignum Pauanum. Lignum floridum. Pauameh.

Vulgus Herbariorum, Medici item & Offic. *Sassafras* vocant: Camer. Lignum *sassepes*, quod odore *Molle* arboris liquorem referre ait. *Lignum Pauanum* Tab. Catal. Francof. Refor. Wor. & *Lignum floridum*: *Indica radix quæ Sassafras* Codronchio. Gallis & Hispanis corruptè *Sassifragia*: Indis *Pauamen*, Hisp. Italis, *Tiers*. In Virgin. insulis *Winanck*. Germ. Sassafraß.

Locus.

Nascitur in maritimis, locisque temperatis, nec humiditate nec siccitate excedentibus. Scatent hac arbore montes, suauissimúmque odorem præternauigantibus ea adspirat. Floridæ familiaris, vno tantùm loco, in portu S. Helenæ, & portu S. Matthæi: alibi nusquam, authore Monar. Non ita diu ad nos importari cœptum, nunc in omnibus bene instructis Pharmacopoliis habetur.

Vires & vsus.

Folia, [inquit idem Monard.] contusis imponunt Indi, sicca in Medicos etiam vsus assumunt. Optima pars arboris & efficacissima est radix, cui cortex intrinsecus multùm viscidus, coloris fului, odore tum ramos, tum reliquam arborem vincens. Aromaticus magis est cortex quàm radix: efficacius & odoratius est decoctum radicis, quàm reliquæ arboris & ramorum. Quare tum ob hanc causam, tum ob copiam, in maiore est apud Hispanos vsu.

Têperam.

Calidum est hoc lignum cum ramis, & siccum in secundo, paulò magis calidus est cortex, adeò vt ad tertium caliditatis & siccitatis gradum ascendat, id quod ex decocto facilè percipitur. Dandá igitur opera, vt lignum & rami cum cortice habeantur, sine quo inefficaciores sunt illi.

Indi fragmentum ligni aut radicis rasæ pro arbitrio aquæ incoquunt, quo fit, vt inde reduces milites, quilibet pro suo placito decoctum præparet. Ego verò hoc modo vtor. Considerato vsuri temperamento & morbi modo, decoctum præparo: leuius quidem & ex minore ligni quantitate propino biliosis: pituitosis meracius, & ex maiore ligni portione. In sanguineis media via incedo. Eodem modo etiam pro morbis soleo variare, quæ omnia nisi animaduertantur, fieri non potest, quin multi errores in vsu committantur. Nec non magna victus ratio habenda, prout morbus exigit. Aliter hyeme parandum decoctum, aliter Vere: aliter pro robustis, atque aliter pro imbecillis. Idem de temperamentis tum corporum, tum regionum iudicium est: quorum neglecta obseruatione, nobilis quædam matrona ex meraciori decocto in periculum est deducta. Hispani incolæ Floridæ insulæ in omnibus morbis vtuntur, tam acutis quàm diuturnis, tam calidis quàm frigidis, tam leuibus quàm grauibus.

Modus vtendi. *Cautio.*

Vtilitas magna eius est in obstructionibus hydropicorum, febribus quotidianis. Hepar enim corroborat, obstructionibus liberat, ventriculum confortat. Tertiana notha laborantem iuuenem, & in hydropem propendentem, sanaui pilulis de Rhab. Dialacca, & decocto Sassafras. Meracius decoctum manè loco syrupi cum vel sine Sacharo bibitur: simplicius in potum ordinarium cedit. Bene etiam succedit, si eo vinum diluant, qui vino assueti. Appetentiam mirum in modum reuocat. In doloribus capitis tam nouis, quàm inueteratis, ex frigiditate ortis, datur meracum decoctum calidum, manè, in prandio, & in cœna, obseruata debita victus ratione. Sed operæpretium est, vt præcedat purgatio, medióque tempore vsus decocti, pilulæ sumantur de Hiera simplici. Qui autem decocto vtuntur, non necesse habent conclaui se continere: satis enim est, si probè vestiti sint, & frigus aërisque intemperatiorem caueant, cibis autem laudabilibus vescantur. In morbis thoracis frigidis efficax est, meatus pectoris aperit, pituitam absumit, catarrhos in thoracem delabi prohibet. Primum decoctum calidum manè bibitur: dilutius verò seu secundum decoctum pro potu ordinario. Postea verò meracæ sorbitiunculæ matutinæ interminuntur, succedente diuturno & continuo secundæ decoctionis vsu. Etsi enim debilius agat, continuato tamen vsu, idem quod prima decoctio efficit: debet autem ei admisceri saccharum, vt fœlicior sit operatio. In frigidis ventriculi affectibus & flatulentis, præmissa vniuersali euacuatione: meracior decoctio manè calida sumitur, aliàs dilutior, vt dictum est. Prodest maximè in doloribus inueteratis, quo modo ventriculi dolores antiquissimos curaui, indicto postea continuo vsu simplicis decoctionis, assumptisque semel in hebdomade catapotiis de hiera simplici. Debiliter coquenti ventriculo subuenit, flatus dissipat, ructus acidos tollit: vomitum continuum compescit: oris & anhelitus odorem commendat: Ischiadicis efficaciter propinatur; præsente quidem dolore meraca decoctio & calida, & ad præcautionem dilutior longo vsu, per se aut cum vino. Nec minore vtilitate calculosis datur, & iis quibus arenulæ gignuntur in renibus. Nam & pituitam consumit, & flatus dissipat. Aduersa est iis qui ardore vrinæ laborant, aut calida partium vrinæ destinatarum intemperie. Alioqui vrinam ciet, maximè si impedimentum fiat ab humore aut causa frigida. In artuum debilitate, & gressu impedito, sudor decoctione Sassafras prouocandus per dies multos. Nihil etiam refert interim, si non sudet. Dolorem dentium mirificè leuat lignum masticatum. In Lue Venerea, idem præstat quod Guaiacum, China, Sarsaparilla, simili vsu & vtilitate. Valet & ad arthriticos, podagricósque cruciatus, nec non membra resoluta. Ventrem soluit Cyathus mane calidè assumptus. Passionem cœliacam diuturnam sanat, flatus veteri & cruditates consumit, certo experimento. Menses mirificè prouocat. Obstructiones expedit, fœdósque faciei colores emendat. Sunt quæ contra steri-

Hydrops. Febres. Ventriculus. Tertiana notha. *Appetitus. Dolor cap.* *Pectoris morbis frig.* *Ventriculi morbis frig.* *Flatus. Vomitus. Oris halitus. Ischiad. dolor.* *Calculus. Nephritis.* *Quibus aduersa sit. Vrina supp. pressa. Artuum debilitas.* *Dolor dentium. Lues Venerea. Arthritis. Paralysis. Aluum laxat. Cœliaca. Flatus frigiditas. Menses. Obstructiones. Faciei fœdus color.*

Sterilitas. sterilitatem non infeliciter vsæ sunt, quibus videlicet vterus fuit frigidior. Macilentis confert, & carnem auget, ob id fortassis quòd hepatis obstructionibus sublatis melior sanguis generetur. *Macies. Pestis.* Multos nouimus ad pestis præcautionem aqua seu decocto eius vsos immunes euasisse à contagio: alios, qui radicis aut ligni frustulum continuò circumgestantes olfacerent, ad aëris labem corrigendam. *Hæc Monardes.*

Admirandam profectò huius ligni facultatem non pauci alii medici hodiè celebrant, idque non tam ob odoris suauitatem, & quòd nullo ingrato sapore præditum sit eius decoctum, quàm ob virium efficaciam, si debitè administretur. Non facilè credat,, qui non sit expertus, eius ligni vnciam vnam, [vel semunciam vt velut Monardes] dare octo libras potionis, vt saluberrimæ ad corpora superfluis humoribus liberanda, ita consuetis ob odoris saporisque suauitatem ita amicæ, vt vt post aliquot dierum vsum assuefacti, non aliam sibi potaturi sint vlli, nisi fortè quorum genius penitùs Baccho mancipatus.

...illatū. Potest destillatum ex eo parari, vel ipso decocto efficacius, præsertim si ramenta aliquandiu in in aqua sub cineribus calidis macerata fuerint: quę postea destilletur in B.M. ita vt nihil viriū ligni exhalet, sicut fieri solet in decoctione. Dosis quoque minor erit quàm decocti: potéstque & secundarium parari destillatum. Sed quia id lignum non admodum recens ad nos importari solet, maior ligni dosis à peritis medicis sumi solet.

Decoctum Monspel. Cùm Monspelii ageremus, ligni cum suo cortice derasi vnc. j. ß. in tribus tantùm aquæ fontanæ libris per hor. 12. infundi solebat, deinde ad lib. ij. consump. decoqui, & de colatura lib. ß. manè sumi calidè. Meliùsque censemus cum celeberrimis eius loci medicis sic parari in duas tantùm doses, quàm in plures, tum quia asseruatum gratiam odoris amittit, tum quòd facultas illius facilè euanescit. Est enim tenuissimarum partium. *Secundarium decoctum.* Residentiam prædicti decocti infundebant per tres horas in lib. xvi. aq. font. decoquebant ad lib. ij. cōsumpt. colatoq; per manicam Hip. cum saccharo, Boscheti titulo, aut absque eo pro potu ordinario vtebantur, liberaliore adhibito victu, quàm in decocto Guaiacino, quo nomine frequens eius *In quibus morbis à medicis Monsp. præscribatur.* vsus in corporibus macilentis. Hac ratione magno successu præscribebant ad podagras, Ischiadas, veteres fluxiones, obstructiones confirmatas, febres nothas & antiquas, & singulari propemodum experimento ad fœdos virginum colores. *Fœdus virg. color.* Et nos iam ad quosdam prædictorum morborum non infœlici successu præscripsimus. Ipsa ligni materies, etsi ad opera satis inepta videatur, sustinuit tamen in elegantem pyxidulam torno elaborari quam adseruamus.

LIGNVM ANISI.

CAP. XXXII.

INter ligna Atlantico Orbe aduecta, vidi (inquit Gorop. in Hisp. lib. 7.) quod Anisi odorem ita spirabat, vt *Anisi lignum* nuncuparem.

Sanè si Goropius non separasset Sassafras à suo ligno Anisi, suspicati fuissemus idem cum Sassafras. Saltem colorem & formam quoque indicasset.

Descriptio Sed datum nobis eodē nomine lignum, ab industrio medico & amico nostro D. Thoma Platero, vncias duas latum, ex trunco brachii crassitune, nec illo tamen integro excisum, odore Anisi & quàm Sassafras suauiori, mitiorique materie, solidâ, subfuscâ, pectines rectos maculis transuersis ac splendicantibus intercipientibus, quales ferè in Fagino ligno videri solent: facilè finditur. Flammæ admotum, facilè adolescit, & luculentā flammam præbet: sed odorem gratum non reddit sicuti Sassafras. Perquirant Studiosi an tale aliquod apud Veteres vel Recentiores descriptum extet.

ZINGI FRVCTVS STELLATVS SIVE Anisum Indicum.

CAP. XXXIV.



VIsus nobis hic fructus primùm apud Cl. D. D. Fel. Platerum in amplissimo eius *κειμηλιαρχείῳ*, idémque postea nobis exhibitus à fratre eius Thoma Med. Doct. ex Anglia delatus, vbi ab annicis ex India, vt aiebat, illatum dono acceperat. Stellæ figuram repræsentat. Constatque ex septē nuculis particularibus, radiorum in morem in centro coëuntibus, triangularibus, longis, leuiter compressis, eà parte quâ committuntur impressis, extimâ & conuexa peripheria semicirculum ferè describentibus, cortice gemino tectis, duro, & spadiceo, nigricante, rugoso, interiori propemodum osseo, internâ substantia cupri diffracti instar lucente, biualui, atque in siccis & inueteratis nonnihil hiante. Nucleus verò cum in singulis nuculis latitat singularis, leuis, splendidus, colore *Nucleus.* seminis Lini aut Pomorum, sed paulò dilutiore. Odor & sapor Anisi planè est, vndè fortè Anisum *Odor & sapor.* Indicum dictum, cùm interim nihil præterea cum Aniso commune habeat. Relinquit tamen nescio quid acrimoniæ in lingua commansus. Figura magnitudinem ferè exprimit eius quem vidimus.

Zingi. Apud eundem Plat. didicimus etiam *Zingi* dici.

De hoc ipſo, poſtquam iſta commentati eſſemus, in vltima rariorum ſuorum hiſtoria prodidit Cluſ. *Aniſum Philippinarum inſularum.* Aniſum Philippinarum inſularum (quæ ducentorum ferè milliarium interuallo à Sinarum regione diſtant) allatum ante paucos annos à Nauclero Anglo, cui nomen Thomas Candi, cùm è ſua nauigatione, quâ totum orbem circuiuit, rediiſſet. De huius autem radice, caule, foliis, vel etiam floribus quicquam pronuntiare poſſe negat, quòd ſeminum & vmbellarum tantùm partes Londino acceperit Aniſi nomine: proprium nomen, quod natali loco obtinet, eſſe *Damor.* *Damor* [addiderat enim Garetus appellationem, vnius ex inſularibus, quem Candi aduexerat, manu exaratam Sinanis characteribus.] Erant, inquit ille, vmbellæ ſatis latæ, Archangelicæ vmbellis non minores, ſed vt coniicere licebat, etiam laxiores, aliquot pediculis ſatis craſſis & firmis, in orbem ex ſummo ramorum faſtigio naſcentibus conſtantes, quorum ſinguli, non geminum ſemen, quale Aniſi vulgaris, ſuſtinebant, ſed plura in orbem, vnciam latum interdum, ferè quadam diſpoſita, videlicet ſena, octona aut plura, fuſci coloris, rugoſa, in binas æquales partes compacta, quæ ſuperâ parte diuiſi, vt plurimùm inania reperiuntur: aliquot tamen plena deprehenduntur, & ſemen vnicum continentia, læue, ſplendens, ciueracei coloris, Orobi penè magnitudine. *Sapor.* Sapor idem qui in vulgaris Aniſi ſemine, atque etiam odor.

DE SANTALIS.

CAP. XXXV.

Deſcriptio citrini. DEcorticata Santali citrini, quæ adferuntur fragmenta, truncum arguunt ſatis craſſum. Eſt autem lignum ſolidum, ponderoſum, pectinibus rectis, quo fit vt haud difficulter in rectas aſſulas findatur, colore ex pallido ruffeſcente, aut veriùs flaueſcente ac nonnihil in citrinum vergente, vnde nomen indeptum putamus: ſapore aromatico, amaricante cum acrimonia totum os implente, ſuaui, odore fragranti, moſchum nonnihil æmulante, aut ſanè ex eo ad roſarum odorem nonnihil vergente.

Santalum album. Santalum album parum colore differt à Citrino: magis palleſcit, Piri ligno quòd pallidum ſit colore ſatis ſimile: alioqui eadem ſubſtantia, eadem textura, & pectines iidem. Sed odore inferiùs, quippe qui debilis vix percipiatur, vti nec ſapor.

Cæterùm quoniam Cordus magna diligentia deſcripſit Officinarum plantas, & potiſſimùm peregrinas, placet eius quoque deſcriptiones hoc loco proponere.

Citrinum Sandalum. Quod *Citrinum* appellatur Sandalum, diuerſum penitùs à [*ruffo* ſiue *rubro*] eſſe videtur: nam graciliùs quàm illud eſt, & diſſimili conſtat materia & qualitatibus, ſine cortice ad nos affertur, foriſque pallidius eſt: intus verò ſolido, ponderoſo, pingui, & ſi aquæ imponatur, fundum petente, leni, tenuiſſimo, nullámque medullam habente, ligno conſtat: ſapore acri, aromatico, per totum os ſe diffundente, & ad caput vſque penetrante: colore in flauo rubeſcente. Odorem habet quemadmodum & ſaporem aromaticum, iucundum, fortémque, qui facillimè caput tentet & repleat. *Sandalum album.* Eſt & tertium *Sandalum*, quod quidam *album* vocant, ſed reuera nullam habet in colore, quâ à citrino dignoſcatur, differentiam: inuenitur enim quod magis flauo & profundiore ſit colore, quàm iam dictum citrinum. Quapropter hac nota non eſt à prædicto diſcernendum, ſed tantùm odore & ſapore. Hos n. *In quo peſſimum differant.* valdè imbecilles, vix perceptibiles, & citrino diſſimiles habet: magnitudine verò & materia illi omninò ſimile eſt, & ſimiliter decorticatũ ad nos adfertur. Sandalum *Machazijri*, *Machazijri.* eſt ſpecies citrini Sandali odoratiſſima, & valdè aromatica, tam guſtu, quàm odore, & adfertur ad nos cum Sandalo albo, & citrino vulgari.

Santalum citrinum.

Santalum album.

Sed par eſt à Garcia quoque deſcriptiones Santalorum in ipſa Ind a obſeruatorũ proponi. Santalum album & pallidum in India naſcitur. Præfertur autem, quod ad Portum Mena inuenitur: eſt enim id haudquaquam lignoſum, ſed totum ferè cor. Ad portum Matpmea eſt Santalum etiã pallidum: *Pallidum.* ſed illud multùm ligni, parum cordis habet: Lignum autem à corde ſegregat, quoniam in corde tota odoris gratia conſiſtit. Ad alium portum, Camanaſe appellatum, *Improbum Santalum* naſcitur, vtpote, quod plurimum lignum, & nihil ferè cordis poſſideat. *Improbum.* Huiuſmodi eſt & illud, quod ad portum Seruiago nuncupatum inuenitur. Sunt autem Mercatores in his diſcernendis adeò exercitati, vt conſpecto ligno, ſtatum indicare poſſint, vnde ſit allatum. Inuenitur etiam Santalum album & pallidum in Verbali, portu Iaue, *Album.* vehementer quidem odoratum, ſed quod breui ſeneſcat, vnde debeat poſt annũ multo ligno adempto eius odor reuocari, qui in meditullio conſiſtit. *Odor in meditullio. Pallidum optimum.* Primum verò locum obtinet pallidum, quod odoratius eſt, ſed minori copia inuehitur. Etenim inter innumeros Santali truncos vix quinquageſimus quiſque pallidus eſt. Nuper tamen à Mercatoribus relatum, qui diu in ea inſula verſati ſunt, plurimum Santalum pallidum locis apricis naſci, tantùmque inter vtriuſque San-

Arborum magna affinitas. Santali arbores esse affinitatem, vt pallidum à candido discerni non possit, nisi fortè ab ipsis incolis, qui eas cæsas mercatoribus vendunt. *Descriptio arboris.* Cæterùm Santalum in Nucis Iuglandis magnitudinem attollitur; *Folia Lentisci.* foliis admodum virentibus Lentisci æmulis: *Flos.* flos ex cœruleo nigricans: *Fructus.* fructus Cerasi magnitudine, primùm viridis, deinde niger, insipidus, & facilè decidens. Inodoram ferunt esse arborem, nisi detracto iam cortice exiccata. *Arbor recens inodora.*

Quantùm igitur ex hac Santali descriptione colligere licet, valde [inquit Clus. in not. ad Garc.] erit dubitandum, an legitimum Santalum pallidum habeamus: quandoquidem scribit vix in Lusitaniam deferri, quoniam eius pretium maius sit apud ipsos Indos quàm apud Lusitanos. Fieri igitur poterit, vt aliquod aliud odoratum lignum nobis pro legitimo Santalo obtrudatur. Certè candidum nostrum planè inodorum est. At legitimi pallidi librale fragmentum, è stipite aliquot pedes longo, semipedem crasso, recisum, donauit mihi anno 1581. Morganus fragrantis admodum odoris. Est verò id graue, solidum, nodosum, colore intus flauum, odore suaui reficiens cerebrum, & grato sapore palatum feriens. *Sapor gratus.*

Apud antiquiores Græcos nullam Santalorum mentionem inuenimus, sed apud Arabes qui ea nobis ostenderunt, & tria fecerunt, *album, rubrū & luteum*, quorum placita de Santalis infrà inter vires videre licet.

Sandalum herba, Plin. Sericatum. Apud Plin. Sandalum non est arbor, sed herba frumentacea, de qua suo loco. Sunt tamen qui Sericatum Plinii Santalum flauum esse coniectentur, à Serici crudi colore, vt annotat Dalechamp. Sed optauerimus tales Laurum in solidum momordisse, qui ex tam leui occasione coniectari, & vt ipsi censent, interpretari, nos, ludificari, audent.

Videtur tamen Galenus de Santalis tradidisse, quoniam eum citat Auicenna: sed valde suspicamur ne id falsò: Nam si cognita fuissent Santala Galeno, vtique eorum passi n non vno tantùm in loco meminisset: vt nemo nunc quiritari queat ea capita vel libros periisse. Extat quidem de Sandalis libell⁹, sed falsò Galeno inscriptus cui de secretis Galeni titul⁹ est. In eo vbi de Ictero traditur, Sātalorū fit mentio quamuis non santalum, sed, Mahazari legatur, quam vocem Recentiores quidam, santalum citrinum interpretati sunt, vt postea specialiùs dicetur. His autem non exhibendam esse fidem doctissimi iudicarunt. Eò quòd ab Arabe quodam collectus sit is libellus, & Galeni nomine inscriptus. Actuarius verò ex recentioribus Græcis in Diaromaton suum Basilicum inter alia, recipit Santali tria genera, nempe *Citrinum, rubrum & candidum*: totidem & Hermol. genera facit: sed citrinum *Luteum* vocat.

Tria genera ista, ex tribus distinctis arborum generibus ex quorundam sententia prouenire tradit Curtius: quorum primum rubrum, inodorum: alterum luteum: tertium album, quod in abscessu frigiditatis sibi gradum vendicet. Rubrum verò aliquantò cæteris frigidius existimari, omnibus præferri luteum, si pingui quadam scateat. Et statim subdit: & quia odorum, quod rubrum est, secundas partes obtinet. Album tertiam sibi classem arrogat, quod inodorum est, duobus prioribus suauiter spirantibus. Vt nunc *Curtius not.* in magna suspicione versetur bonus ille vir, ne credatur neutrum istorum vidisse, contrectasse, ac minùs etiam olfecisse. Nam quid sibi velit, dicēs rubrum inodorum: & postea odorum, & suauiter spirare, nec scimus ipsi, nec intellexit ipse. Quis odor rubri sit, pòst dicetur. Santalum citrinum inuentu rarum Plateario & Syluio: Hic speciatim Santàlia [sic enim vocat] quæ sunt in officinis, acri sapore, linguam mordentia, præsertim Citrinum, minimè in vsum recipienda censet: quod non aliam ob causam scripsisse videtur, quàm quòd Santala ab Arabibus in tertio refrigerantiū ordine collocari videret, quam temperiem, vel potiùs temperiei excessum Santalis hodie in Officinis prostantibus vix nostro iudicio rectè tribuerit: vt ex hoc, quoque dubitari queat, an nostra Santala sint Arabum. *Santalia.* *An nostra Santala sint Arabum.* Monachi in Mes. tradunt, Santalum citrinum non ampliùs adferri. Aromatarios hodiernos excauare meditullium ex albo, & pro Citrino obtrudere: immò illud ipsum esse asserere. *Santalo Citrino nos carere.* Sed magnopere errare. Vnumquodque enim eorum genus suam propriam habere arborem, esseque diuersas arbores, & non duas. *Tres arbores diuersa.* Omnium testimonio album esse minùs bonum. Inde colligunt: si Citrinum fuisset pars albi, non fore melius rubro, sed potiùs eo vilius quod est contra omnes autores. Addunt, reperiri quandoque scriptum Sandali Mazabari: quod accipiendum sit pro citrino. Sed hæc vox tum hos tum alios non parum torsit. Etenim in descriptione aromatici rosati Gabrielis; & in aromatici rosati Mes. & in aromatic. Cariophyl. & in confect. Ramich, & in cap. de Tamarindis, & in cap. de Sorda & aliis similibus post Sandalum immediatè sequitur Machazari, vel Mazabari, vel Macizir &c. *Machazari Mazabari* De Santalo autem dubitant debere intelligi Citrinum: quia semper [vt plurimi testantur] si legatur Sandalus absolutè, Citrinus intelligitur qui est magis aromaticus & præstantior, teste etiam Serapione. *Sandalus absolute quid.* Vocabulum proximè sequens Sandalum multi ex iunioribus volunt referri ad Santalum tanquam adiunctum: vnde & pro Citrino siue luteo exponunt.

Quod confirmauit Simon Ianuensis, qui scribens de Citrino. Vocati ab Aben Mesue Mazahan. Vltra septuaginta Barbaras variationes huius barbari vocabuli, per varios codices, in variis descriptionibus reperimus: *Machazari, mazabari, macoziri, matasari, mazazir* &c: & nõnulli simpliciter legunt *Sandali*. Quidam ex Recentioribus, *Sandali citrini*. In quibusdam antiquis exemplaribus, & in priori impressione librorum Mesues, inter simplicia sunt quædam Synonyma in quibus legitur Machazir, id est, odoriferi. Quæ sanè expositio benè conuenit Santalo citrino. Garcias tamen Arabicarum vocum non indiligens vestigator & interpres se prorsus ignorare fatetur, quid sibi velint ista vocabula, nisi fortè *Machazari* significet è Malaca pretium: aut Mazasrani legendum sit, quod pallidum aut croceo colore infectum sonat. *Mazasrani.* Antid. Rom. Sandalum *Nazzambari*, Sandalum citrinum seu odoratum exponit. *Nazzambari* Io. Wittichius, in febre Epidemica præscribit *Santalum Machozici*, quod itidem interpretatur citrinum odoriferum. *Machozici* Medicorum inscitiam, vel pharmacopolarum ignauiam, taxat Bellon. qui Sandala nulla ratione vulgò Cedrum vocant. *Cedrus* Nullam autem Sandalus cum Cedro habet affinitatem, & à neotericis Arabibus tantùm cognitus. Sed error hinc emanauit, quòd cùm Theriaca Cedri ramos admittat, quibus illi carent, Sandalon pro Cedro assumunt. *Error medicorum & Pharmacop.*

Cæsalp. duo tantùm Santalorum genera agnoscere videtur, quæ ligna odorata vocat: *candidum*, & *rubrum*: *Flauum* autem quod hodie habetur, esse candidi medullam multò suauiorem reliquo ligno quod album est.

Sunt tamen plures alii qui tria distincta genera cum Arabibus agnoscunt, de quo, cùm arbores ipsas non nouerimus, nihil certi statuere audemus.

De tempe. ramento Garciæ, Ruell not.

In Santalorum collatione inter se, & æstimatione non consentiunt Authores. Ruell. omnes in frigidorum classe ponit, sed rubrum aliquantò frigidius dicit: satis temerè, quoniam ex suo cerebello. Excusandus fuisset, si dixisset ex Arabum sententia.

Matth. not.

Matth. omnibus præfert pallidum: secundum locum tribuit albo: postremum rubro, quòd, vt ille ait, nullo commendetur odore: priora verò duo suauiter spirent. Remissiùs quàm in Italicis lucubrationibus, inquit Apollo, vbi vtrumque odoratissimum dixit: & si demum rectiùs nares admonuisset, deprehendisset vtique id, quod vulgò citrini seu flaui nomine circumfertur, multò fragrantius esse albo. Amato quoque luteus siue citrinus odoratissimus est, & cæteris melior. Tertius verò albus, medium inter rubrum & citrinum possidens. Præfert igitur rubrum albo, cùm tamen hunc odoratum, illum inodorum plerique faciant. Lacuna sanè citrina & alba valdè odorata dicit: de rubro, dicit nullum habere odorem effatu dignum, sed aliquem tamen acquirere ab aliis Santalis. At radians ille Apollo citrina seu flaua sola ferè odorata dicit, quamuis alba communem ligni colorem habentia, & flauo inserta (vt ille ait) aliquantulùm etiam redoleant:

Apollo not.

Brassauolúmque reprehendit, quòd in examine vnguenti Santalini falsò nihil omninò habere odoris censeat. At non videt tot radiis stipatus, à se quoque non nisi per accidens tribui odorem albo, quando ait flauo intersetta aliquantulùm etiam redolere, satis apertè his verbis asserens, quod animo & contradicendi

Santalum absque rubrum.

studio taxat. Idem Musa Rubrum tradit, omni fragrantia destitui, etsi pro Santalo absolutè, illud quidem accipiendum velint, quasi magis infrigidans, ipsi tamen Apollini (Serapionis authoritate freto, qui ex Santalis meliùs esse dicit flauum) magis flauum arridet, quamuis calidius.

Machozi-ri.

Cordum insuper taxat, quòd per Sandalum Mchoziri, vel ex Genuensi codice Mazahari apud Mesuem speciem Citrini Santali, à vulgari diuersam atque odoratiorem supponit: hoc nimi-

Card. not.

rum eius adolescentiæ inurendum esse dicens, quòd vetustate exanimata citrina Santala, recentibus collata, minùs fragrare comperérit, proinde in specie diuersa existimauerit, quum præter enarrata non sit dare quartam speciem Santalorum. Quod verò quidam Cedrum putarunt, &

Sylaius not.

calida officinarum Santala cum Syluio, id in rubro nullo pacto admittendum censet. At nos nec alba quidem Cedrum existimari debere censemus.

Apollo not.

Ipse verò Apollo nobis videtur nimis securè asserere, non dari quartam speciem Santalorum: quasi ille solus omnia viderit. Si diutiùs vixisset Cordus, vtique docuisset eum, quid intellexerit per quartam suam Santali speciem, (quam sanè ne nos quidem intelligimus) nec suam famam eius radiis obfuscari vnquam tulisset,

Cordi laus.

iuuenis quotquot vnquam vixerunt præter ætatem de Repub. Medica meritissimus.

C. Bauh. not.

Interim quoque mirari subit, vbi C. Bauh. legerit, Fr. Alexandrum in suo Apolline quartum Santalorum genus esse voluisse: cùm ex prædictis eius verbis apertè pateat, eum contrarium asserere.

Synonyma linguar.

Porrò apud authores scriptum inuenias *Santalus & Sandalus*: *Santalum & Sandalum lignum*: Serap. Auic. & Mauritanis cæteris itémque Persis corrupto nomine *Sandal*: Ab incolis locorum, in quibus nascitur *Chandanacon* teste Linschott. In

Chandanacon.

Timor insula omnibúsque Prouinciis Malacæ vicinis *Chandama*: à Decanitis, Gusarattis, Canarinis, aliísque Indis *Sercandaa*. Lusitanis & Italis

Sercandaa.

Sandalo. Gal. *du Santal*. Germ. Sandel/ Sandelsholtz.

Succedan. Sepulueda not. Medicum redeculat quidam.

Cæterùm in pallidi penuria albi & rubri partes æquales præscribendas non censet Garcias, vt vult Sepulueda, sed potiùs solum candidum: magis enim pallido affine est album, quàm rubrum. Pen. & Lob. in Adu. alicubi Medicum quendam anonymum obiter carpunt, qui ridiculè conquerebatur perperàm fieri hodie, quòd Santalum citrinum adulteretur Ligno aloës. Ita quidam imperiti de rebus incognitis quiritari solent, ne nihil sciuisse videantur. Sed soli docti eiusmodi Leones ex vngue norunt, & à verè peritis discernunt.

Locus.

Scribit Matth. Santalum in vtraque India syluis densissimis ingentissimísque nasci: Syluius, ex agro Calicuthi Indiæ emporii aduehi à Lusitanis. Sed de hac re certiora nos docent Garcias & Linschott. Album & flauum ex insula Tymor aduenit, quæ Iauis adiacet, vndique portuosa. Integræ ibi albi flauique Santali syluæ visuntur, frequentique hinc commercio per totam Indiam distrahuntur. Aduehitur autem vtrumque Santalum Lusitanorum Liburnicis ex Malaca & in Couchin & Goa maxima totius Indiæ emporia inuehitur. Periit enim nunc Calecut amplissimum olim emporium. Inde scilicet ex Couchin & Goa potissimam partem exportant in Malauar, Canara, Bengala, Decan, & Guzarate: minima verò

Santalum Citrinum rarò in Lusitaniā exportari.

defertur Ormuz, in Arabiam & Lusitaniā. Imò vix in Lusitaniam legitimum Citrinum deferri putat Garcias, cùm multò pluris ibi ematur, quàm in Lusitaniam delatum vendi possit. In exteras regiones delata Santali arbor etiam crescit. Vidisse enim idem testatur in Andanager totius regni Decan vrbe primaria, vbi regiam suam habet Nizamoxa, attamen non fuisse odoratum. Habere autem Nizamoxam istic hortos amplissimos, omni peregrinarum arborum, etiam nostratium genere excultissimos, quæ fructiferæ sint. Significatum ipsi fuisse, in insula D. Laurentii Santalum etiam inueniri, & ipsos Æthiopes incolas sic asserere. Verùm intellexisse postea non esse Santalum, sed ligni duntaxat genus odoratum, cuiusmodi ibi plurima inueniuntur. Maffeus tradit in Chersoneso insula primæ notæ Santalum album nasci. Leuin. Hulsius in Nauig. Holand. Insula, inquit Madagascar, id est, Lunæ, nunc S. Laurentii, quæ ex maximis & ditissimis insulis censetur totius orbis in India Orientali abundat Santalo, Ambaro & Ebore.

Vires & vsus. Téperam.

Serapio ex multorum Arabum autoritate Santalum frigidum esse statuit in tertio gradu. Auic. verò in fine secundi ordinis ad tertium vsque, siccum in secundo vterque. Rubrum tamen Serap. frigidius esse dicit albo & citrino: illúdque

Carbarrus. Erysipelas. Podagra.

præ cæteris, humorum fluxum inhibere, Erysipelatis, inflammationibus, podagræ à bile ortæ ex succo Solani, aut Sedi, aut Portulacæ, aut Lenticulæ palustris vtiliter imponi. Simile esse *Faufel* frigiditate & siccitate, atque adstrictione, roborare gingiuas & stomachum. Omnia Cardiacæ à bile & calidis febribus aduersari. Trita & mixta cum aq. rol. & modico camphoræ vtiliter temporibus illini ardori capitis. Santala alba media

Ardor capitis.

quantitate sarcocollæ adiecta, & cum albumine oui temporibus imposita, ad idem valere, & aduersus descensum humorum in oculos, incipientésque

Ophthalmia. vtque Ophthalmias. Apostemata calida lenire, & humorum influxum à membris arcere. Omnibus autem præferri Citrinum pingue, & postea Citrinum siccum: Vilissimum esse rubrum, & siccius citrino. Eadem cum aq. rof. epithematis vice *Febres.* ventriculo admota, eius feruorem in ardentissimis febribus mitigare, stomachúmque firmare. *Stomachi ardor.* Santalum quoque autore Auic. cordi amicum est, lætitiam enim adfert, & robur ei addit: Quare iis *Cardiaca Palpitatio.* miscetur medicamentis, quæ Cordi & eius palpitationi succurrunt. Hæc Arabes de Santalis, qui cur Santala frigida faciant, & quidem ordine ter*Santala an frigida.*tio, rem tam odoratam, aromaticam sapore, amaricantem quoque, immò fauces quoque sua acrimonia imbuentem, si nostra intelligunt, nondum satis intelligimus. Hinc sanè Doctiss. Syluius itemque Fuchs. ansam sumpserũt suspicandi, nostra Sãtala, non esse Arabum vera. Patet tamen à plerisque receptum esse, non carere nos geminis Sãtalis, súntque qui Arabum potiùs iudicium de Santalorum qualitate improbandum censeant, quibus sanè nos non inuiti subscribimus. Santala frigida esse, persuasum est omnibus, inquit Scalig. vbi Santalum ab Aspalatho, tanquam rem frigidam à calida differre docet: vt & ipse quoque in ea sententia fuisse videatur. Sanè Quæstio pulcherrima est, & medico ad iudicia tum facienda, tũ pronũtiãda maximè necessaria: super quã subtiliter Cardanus: solidè verò Scaliger le exercen.: vt ex eorum scriptis vidère est.

Santalum album inter frigida censet Ioubertus, quod, si, acrimonia careat, concedimus, quale possit esse euanidum: aliàs nequaquam. Pro nostra quoque sententia faciunt Matthiol. Dalechamp. aliique non reiiciendi Autores, qui hac in parte Arabum sententiam neutiquam probandam censent.

Porrò nomen medicamento triuiali indiderũt Medici, quod ab illo triplici Santalorum commer*Triasantalum.*cio, *triasantalum* nominatur, & *Diatrion santalum*, cuius descriptionem habes apud D. Nicolaum, & ex eo in plerisque Dispensatoriis vulgò dictis. Præscribi solet à medicis aduersus calidam hepatis intemperiem, eiúsque obstructi reliquias, & icterum, (ad quos sanè affectus si tamen frigida essent santala, vti clamitant, obessent potiùs quàm prodessent) ad ventriculi & viscerum debilit. tem. *Ceratum Santalinũ.* Simili ratione Ceratum Santalinum vocitatum apud Mesuen describitur, aduersus phlegmonas & intemperaturas omnes calidas, ventriculi, hepatis, & aliarum partium; quas potentissimè extinguere promittit. Ac à quibusdam simplex etiam, tantúmque ex meris Santalis, sed duplã ad reliqua citrini dosi, puluis paratur.

Nunc in multis locis medicorum potiones, vt gratiam assumentium ineant, iis imbuuntur. Quin aliquid sibi odoris iucundi adsciscant, paulisper in eis macerantur: quo fieri putant, vt medicamenta à morosis ægrotantium palatis longè minùs respuantur: atque Cinnamomi modo, iis qui medicinas horrent, fastidium abolere, apertè profitetur Ruellius: quod & ipsum faciat ad probandum eius calorem. Hinc putamus misceri optima ratione cæteris cor roborantibus remediis.

Cæterùm Garcias prodidit, Sandalum vsibus humanis valde necessarium esse, vt pote quod Cordis affectibus non parum conueniat: magnámque tam albi quàm Citrini quantitatem per vniuersam Indiam absumi, valdéque tam ab ipsis in*Vsus apud Indos.*colis Indis, quàm à Mauris Iudæis & Gentilibus expeti. Pinsunt hoc ipsi ac tundunt in lapideis mortariis, affusáque, & in pultem redigunt, ac vnguenti more ad corporis inunctiones vtuntur, deinde siccari sinunt, tum ad æstus corporis tollendos, tum ad odoris gratiam corpori cõciliandã. Indi enim naturâ odoramentis addicti sunt.

SANTALO ALBO SIMILE LIGNVM Sembrane.

Inuenitur & in Malabar odorati ligni genus, Santalo albo persimile, quo se in febribus indigenæ inungunt: lingua Malauanica *Sambarane* appellatum. *Garcias.*

Eadémque repetens Acosta addit non esse Sãtalum, neque illius facultates obtinere. Medicos tamen eius prouinciæ Santali speciem esse asserere, & conferre tenuioris fortunæ hominibus, com*Santali substitut. Erysipelas.*mendare ad Erysipelata & inflammationes, atque Santali rubri modo eo vti.

Consultum profectò fuisset, ab vtróque ligni speciem & saporem describi, arboremque ipsam, si *Garciæ & Costa not.* viderunt. Hoc enim diligentes medicos & Botanicos decebat.

SANTALVM RVBRVM.

CAP. XXXVI.

Lapideæ ferè duritiei & ponderis sunt, è Santali rubri trũcis fusta, quæ delibrata importantur, colore intentiùs rubente, quàm Bresilium, vt ferè nigrescat, pectinibus re*Descriptio*ctis densissimis, interdum cuspis tuber, aut nodositatum vestigia imitantibus. Odorem nullum euidentẽ *Odor nullus. Sapor.* spirant, sapore ferè fatuo cum leui adstrictione. Commansum saliuam vix modicum rubeo colore tingit. At linteo affrictum, tingit. Cordo Sandalum rubeum, est arbor, materia, crassitudine, & pectinibus rubenti Presilio similis, colore multò rubentiore, & ad nigredinem accedente: huius etiam solidior, & propterea ponderosior est, quàm illius materia, ideóque aquæ iniecta, quamprimùm fundum petit. Saporem habens dulcescentem, adstringentémque leuiter: odorem nullum fatu dignum: tingit hoc etiam quemadmodum Presilium, sed gratior profundiórque huius est, quàm Presilii color.

Differunt vt vult Garcias, inter se Santalum rubrum & lignum Brasilium: nam Santalum rubrum neque dulce est, neque inficit, quæ notæ in Brasilio manifestè deprehenduntur, quamuis

vtrumque inodorum sit. Musa quoque diuersarum arborum ligna esse testatur. Et sanè ipsa lignorum facies & color, paulò diligentioribus satis manifestam differentiam ostendunt.

An odoratum sit Santalum rub. Lis turbus est inter Authores de odore Santali rubri. Odorem ei inesse negant Matthiolus, Amatus, Musa, Lacuna, Scaliger, Apollo, Casp. Bauh. aliique: & si fortè nonnihil redoleat, ei per accidens inesse illum odorem, quod cum aliis importari soleat, quidam ex iis dicunt. *Curt. not.* Curtius in vtrumque paratus, modò inodorum, modò odoratum, & leniter spirare, pronuntiat. Non desunt verò, qui tenue quiddam etiam per se spirare censeant, præsertim recens, quibus contigerit videre tales iudicent. Cæsalpinus aliquid noui importat: variâ fortè videri, quoddam exigui odoris, quoddam nullius; quoddam præterea longè odoratius flauo, non sine quadam Castorei æmulatione, sed meræ coniecturæ. *Odor Gesnerg.*

Inficere negant Garcias, Acosta, C.Bauh. At Clutius testatur Santalum suum inficere. Et Histor. Lugd. Santalum rubrum sæpè inficere solere tradit. Industrius & in singularibus versatissimus Medicus Fel. Platerus Archiatros Basil. suo lib. de febribus, ad febres continuas, Santalum rubrum, aqua maceratum, et rubrum colore conciliare testatur. Omnia nostra fragmenta, [habemus autem non pauca de diuersis locis conquisita,] madefacta & linteamini affricata, rubro id tingunt, sed leuiter: masticata alia magis, alia minùs labium inficiunt, quædam nihil ferè. Aquam maceratione non facile tingunt, nisi in puluerem redacta diu macerentur, aut ebulliant. Pyxidulæ torno recenter elaboratæ, vel per se, vel saliuâ madefactæ linteolo affricatæ imbuebant, colorem eliciunt quidam aceto, alii Aqua vitæ, ac rubro colore inficiunt Tragemata ex sacchаro. Si qui sunt qui contrarium obseruarunt in suo, habent quod dicant, vel differre inter se Ligna Santali, vel in eo saltem, vel se aut nos non verum Santalum agnouisse. Iudicium feret aliquando posteritas.

Synonyma Linguar. Hispani *Sandalos roxa & bermeia* vocant. Ital. *Santali rosso*. Gal. *Santal rouge*. Germ. Roter Sandel.

Santalum rosaceum rub. Rhodosantalum. Io. VVittich. de Feb. Epid. cum mania præscribit Santalum rosaceum rubrum: & postea iterum Rhodosantalum, id est, rubeum odoratum, non vulgare, seu Pseudosantalum, quod nihil valet. Sed existimamus bonum illum virum, præscribere Santalum sibi incognitum. Tale enim nullum hactenus nobis innotuit.

Adulterium. Cæterùm Verzini vulgò dicti, seu Ligni Brasiliani rubri puluere adulterari odoratum Santalum, annotat Cæsalp. Sed si odoratum esset rubrum, facilè detegeretur fucus ἐκ τῆς ὀσμῆς, vel ex odore remissiori. Non diffitemur tamen posse & solere Santali rubri puluerem illius loco ab impostoribus diuendi: talem enim & nos habemus, ab institore quodam Santali rubri nomine datum. Sed ex dilutiori colore & facilitate inficiente facilè fucum deprehendes.

Vt fucum depreh. Santalo absolutè apud authores posito, quidam rubrum accipi volunt: quorum sententiam non temerè improbauerimus, si ad calidos affectus vsus esse debeat, quicquid ex Serap. clamitet Apollo. *Vires & vsus.* Quicquid enim virium antea ex Arabibus aliisque aduersus ardores & varios morbos calidos præscriptum est, huic potissimùm competere existimamus, quippe quod frigiditati proximius, aut in primo refrigerantium [securè nimirum in tertio Ench. Roes. statuit,] collocatum, *Temperã.* insuper etiam leuem quandam adstrictionem obtineat, in prædictis affectibus conuenientissimum. Consule itaque cap. præced.

Vsus apud Indos. Febres. Rubri Santali apud Indos exiguus est vsus, & rarus. Vtuntur tamen contra feruidas febres, eo tempora, frontem, & arterias inungentes. Ad alias regiones magna copia transfertur, potissimùm in Lusitaniam Occidentalésque regiones, quòd summi in Medicina vsus sit. Indi ex eodem ligno idola siue *Pagodos* & delubra sua interdum fabricant: qua de causa crassiora ligna magis expetuntur, maiorique pretio redimuntur, authore Garcia. Festiuè satis D. Platerus docet in febribus ardentibus delirantes decipere infuso aut decocto santalorum rubrorum, eos qui vinum expetunt. *Ad fuc.* Gratius & melius etiam efficietur, si addito Granatorum succo vini aliquem saporem ei concilies.

Locus. Porrò rubrum Santalum non nascitur in Timor, sed loco valdè distanti, videlicet in India intra Gangem fluuium, in Tanasarim, & maritimis quibusdam Charamandel: ex his locis omne Santalum rubrum adferri pro certo asserit Garcias.

ABELICEA SIVE SANTALVS ADVLTERINA CRETICA.

CAP. XXXVII.

Descriptio. Abelicea authore Hon. Bello, arbor est magna, recta, multis ramis prædita, aspectu pulchra, cui folia Alaterni, sed rotundiora, profundè serrata: [quos flores proferat, ignorare se fatetur.] *Fructus.* Fructus magnitudine Piperis, figurâ quasirotundus, colore inter viridem & nigrum medio: materies ligni dura, & paululùm odorata, puluis enim huius Santala imitatur: vnde Pseudo-santalus Cretica iure appellari posset. *Pseudosantalum. Locus.* Arbor hæc in solis montibus Leucis, eorúmque altissimis iugis prouenit, & ex ea trabes fiunt.

Antiquis idem ignotam fuisse putat, ni sit Vlmus montana Theoph. descripta l.3 c.14. Sed folia neque leuiter serrata esse, neque magna, vt Piri, verùm longè minora. Vocatur ἀμπέλιτζα.

BRASILIVM LIGNVM.

CAP. XXXVIII.



Descript. Brasilium vulgò dictũ durum & ponderosum lignum est, delibratúmque ad nos importatur, pectinibus satis rectis, colore sanguineo foris, & quà parte imbres Solémque est passum, intrinsecus autem dilutiùs rutilescit: *Sapore.* sapore dulci est, saliuámque commansum, aut liquorẽ cui fuerit infusum, colore rubro tingit.

Cordus sic depin-

pingit. Presilium lignum aliquam in materia cum Acere habet similitudinem, colore tamen rubet: inuenitur etiam in ruffo candicans, sed prædictum melius est: crassitudine Guaiaco æquiparatur: pectines habet rectos, ideóque facilè finditur, scobina asperiore in assulas redigitur, quæ in liquorem, quo decoquuntur, rubedinem suam deponunt, tinctoribus expetitam, scribendis etiam rubris literis aptam. Eligito materiam eius rubertimam. Decorticata ad nos adfertur, vt pluuias, vel alias ex industria affusas aquas faciliùs imbibere possit: hoc enim pacto id quod pallidius est, floridiorem acquirit colorem: quidam etiam lixiuio humectant: facilè deprehenditur: purpurascit enim in superficie, intus remanente pallore. Saporem habet modicè dulcem.

Delectus

Fucus detegitur

Descriptio Arboris Cardani. Folia quercina.

Arborem Cardanus non magnam tradit, Enzinæ similem, sed tenuiorem, & magis obliquam: folium quercinum non tamen asperum: corticem ex arbore propter siccitatem spontè excidere. Lignum colorum varietate, cum aliis arboribus certare. *Verzinum* vocari.

Quomodo Bresilium inuentum sit

Longè aliter describit Theuetus, simúlque modum tradit quo reperta sit hæc arbor. Portugalenses [inquit] regiones perquirentes, [nempe terræ Americæ] viderunt pennas rubras, quarum tingendarum rationem rescíscere voluerunt. Quibus ab incolis lignum Bresilium ostensum fuit, visu pulcherrimum. Cortex exterior totus cineritius est: lignum internè rubet, maximè in mediculio, quod excellentius, cuius etiam plus asportant. Tunc igitur magnam aduexêre Portugalenses quantitatem, quod adhuc fit. Hæc arbor folia fert similia Buxo, ita parua, sed spissa & crebra. Nullum gummi emittit, vt quædam aliæ. Olim maioris fiebat quàm nunc fit, maximè i Oriente.

Folia Buxi.

Lerius arbores in Quercuum altitudinem excrescere scribit, quasdamque arbores tantæ esse crassitudinis, vt tres homines amplecti non possint. Folia Buxi esse viridiora, fructum non ferre. Lignum non esse humidum vt pleraque ligna, sed naturaliter siccum: vrendo minimū & penè nullum fumum emittere, cinereum quoque tingere. Qua ratione *Brasilium lignum* differat à *Santalo rubro*, antea dictum.

Lignum naturaliter siccum.

Apud Veteres nihil de hoc ligno proditum nouimus. Existimatur tamen primò Lignum hoc ex Regina Saba Salomoni delatum, cuius sit mentio in historia 1. Regum dictum *Dalmagin*, vt notat Theuet. Magnus ille dux Onesicritus in itinere insulæ Taprobanæ sitæ ad mare Indicum Orientale, attulit huius magnam quantitatem, quod multùm probauit Alexander.

Dalmagin.

Rondel. in praxi m. f. cap. de Apoplex. tradit Castaneas quæ adferuntur ex India forma renis, esse fructus Ligni, quod vulgò dicitur *Bresil*. Verùm cùm Theuetus dicat Brasilianam arborem non ferre fructum, per Castaneam Rondeletii intelligimus *Caious*.

Rondel. not. Caious.

Peculiare quid, more suo Cæsalp. quoque sapit. Spinam vulgarem fullonum, quam in Hispania Aspalathum vocari à quibusdam testatur Plin. hodiè *Verzinum* vulgò vocari, Lignum rubrum crassitudine tibiam excedens, rubeo colore inficiens, cuius puluere adulterent odoratū Santalum. Sed eius opinio de Aspalatho iamdudum explosa est à pluribus, aduertat etiam Lector arboris Brasilii crassitudinem longè aliam traditā ex Lerio.

Verzinum

Aspalathus

Synonyma

Osorius in Brasilia admodum frequentes & altissimas dicit arbores. Earum quoque aliquoties meminit Pet. Martyr. de rebus Oceanicis & noui orbis, Arbores Coccineas vocans, quarum lignū mercatores Itali *Verzinum*, Hispani *Brasilium* appellent. Gesn. *Bresilium lignum* & *Bersilicum*. Fuchs. notat *Verzinum* vel *Bresilium*, quòd è *Brasilia* adferatur. Incolæ *Arboutam*, Theuet. It. *Ligno Verzino*. Gal. *Arbre de Bresil*: *Bois de Bresil*. Germ. Presilgen holtz.

Arbores coccineæ. Brasilium, Bersilicum, Verzinū &c.

Casp. Bauhin. apud Matth. Bresilii ligni duo genera facit: alterum ruffum, alterum citrinum: ruffum aliud ruberrimum esse, aliud in ruffo candicare: hoc tinctoribus expeti. Citrinum verò *Bugia* vocari. Verùm hactenus apud neminem legimus vllum Bresilium citrinum siue Bugiā ex Brasilia adferri.

Genera duo.

C. Bauh. not.

Cæterùm iam annorum nostrorum memoria deportari cœpit hoc Lignum ex Brasilia aliisque insulis longo Liburnicarum nauigatu quæsitis. Munsterus in Calcut & regno Pego nasci scribit. Maffeo teste, ea Regio vbi crescit S. Crucis nomine vocata in aliquot annos: sed à Brasilio rubro ligno, superinditum Brasiliæ cognomen.

Locus

Theuetus monet Bresiliū quod prouenit versus fluuium Ianairel, Morpion, & Capo de Frie, melius esse altero, quod nascitur versus Caniballes & totam regionem Marignan.

Delectus

In Officinis Europæ hodiè nihil frequentius, imbuendis magnoperè velleribus aliísque rebus expetitum, ex quo Infectores magnum faciunt quæstum. Nam vt obseruauit Ruell. In tenuissima segmenta vel taleolas findunt, & aliquot diebus macerant lanas, elutriatásque cortinis incoquunt, vt succum liberaliter ebibant. Color tantò dulcidior, quantò saturitate fraudatā, minùs saniei huius epotarunt. Sed si plùs sitiunt vellera, vt largiùs succo satientur, inebrientúrue, subnigricante colore refulgebunt. Certaret is infestiuus color cum purpura, si pannis tam pertinaciter hæreret vt primam gratiam gestatu, attritu, aut vsu non exueret. Sed vellus huius succi non semper tenax, in rubrum colorem degenerat.

Vsus

Tingendi modus.

Qui librorum mangonio dant operam, segmēta ligni aceto tantisper macerant, dum omnē coloris vim ad se rapiat, cui nonnihil gummi, ne chartas penetret adiiciunt.

Lignum rubens ad scripturam

Alii lixiuio potenti, & adhuc feruente illius scobem immittunt: vitro derasum, optimum est ad hanc rem, quia tenuissimum, sufficitque ligni pars octaua, additóque modico aluminis inter cineres calidos per horam excoquitur, protinúsque in vsum admittitur. Nec opus hic gummi Arabico, nisi splendicantes literas habere voles. Alii etiā loco aceti aut lixiuii aquam simplicem sumūt, sed efficaciùs priora tincturam eliciunt. Si diutiùs coquas quàm par sit, sanguineum colorem acquiret: sed si pergas, cœruleus aut atropurpureus. Neutro tamen modo, ni protinus in vsum admittatur diu seruari potest. Tempore enim mutatur, quemadmodum & in vellentibus ipsis. Hócque non ineleganti purpureo librorum margines ductis concinniter lineis exornant. Itidem atramenti scriptorii vice, voces quas velint marginibus adnotari, hac rosacea sanie sparsim exarant. Quare roseum, vel potiùs Rosetum vulgus nominant. Hoc tam eleganti venere libros commendat, vt lassos & continuo conspectu nigritiæ & candoris fatigatos, oculos sua iucunditate recreet.

Alia parandi ratio

Rosetum.

Cinis quoque tingit lintea colore rubro, vt nullo sapone possit elui: quod & se obseruasse aliquando testatur Lerius. Indi eodem ligno vtuntur ad tingendos funiculos suos bombacinos &

pennas, quibus elegantissimam coloris gratiam conciliare norunt.

Iam in multas rerum perpulchrarum formas lignum tornatur. Hoc etiam fabri lignarii ad tenues tessulas, ad operum pretiosiorum lautitiam & elegantiam vtuntur. Eodem etiam gladiorum cultellorúmque manubria muniuntur & alia leuia opera tam tornatili quàm dolatili opera fabricantur. Nec omittendum hoc loco Fallopii experimentum, quo dignoscas alumen in aquis medicatis seu thermalibus contineri. *Vnde dignoscas alumẽ contineri in aquis medicatis.* Coquatur lignum Bresilium ex aqua donec penè nigrescat, de qua affunde supra sedimentum destillationis illius aquæ, & si alumen adsit, color ille ad nigredinem vergens mox reddetur dilutior clariórque. Huius ligni vis medica nulla hactenus innotuit nobis.

BRESILIO SIMILE LIGNVM VERNIMBOCK GERMANIS DICTVM.

Cap. XXXIX.

Descriptio. VIdimus apud quendam Fabrum lignarium Vlnam metricam, ponderosam admodum, quippe quæ aquæ iniecta statim sidebat, solida Ebeni instar, rubens, Id lignum *Vernimbock* nominabat. Aiunt in oppido Wittembergico Kalb Infectores eo vti ad tingendum. Vlmæ Braunpresilgen nominant, quasi dicas, Bresilium purpureum. Argentinæ non incelebri emporio perquirentibus, quid esset Vernimbock, frusta duo obtulerunt Institores, exterius nigricantia, intus russa, solida valdè, & pondere suo aquæ fundum petentia. Ingeniosus D. Frid. Meyer, Armamentarius Argentinensis elegantem colorem rubrum pro scripturâ parare dicebat, addito gummi & alumine. *Vsus. Liquor ad scripturam.* Idem aiebat, adiecto puluere concharum lacustrium purpureum reddi colorem.

In quo differat a Bresilio. Hoc lignum differt à Bresilio nobis Geneuæ pro Santalo rubro exhibito, quod non sidit, habétq; quo cũ Fagineo ligno nonnihil conueniat, [si colorem demas] præsertim maculis illis transuersis atque crispantibus per substantiam eius sparsis, neque dulcorem illum masticatum præbet.

Vernimbock vocant fortè Germani descriptum lignum, à loco vnde defertur: scribit enim Theuetus, constructam esse arcem à Lusitanis, quæ nominatur Fernamboa, vbi syluestres homines mercaturam cum eis exercent.

An Cordo in Obs. Materia arboris cuiusdam peregrinæ, colore inter Sandalum rubeum & Bresilium medio, ex qua faciunt capulos cultrorum Norinbergæ.

ARBOR ΜΗΤΡΟΣΙΔΗΡΟΣ SCALIG.

Cap. XL.

Descriptio. GRæcum fortasse nomen à nobis inditum plus Historiæ conueniet, quàm ingenio nostro. Tam enim est propè mendacium, quàm nos à voluntario mendacio alieni. Animi tamen gratia reponetur hîc. In Iaua maiore, aiunt, raram esse arborem, cuius medulla ferrea sit: exilis illa quidem, cæterùm porrecta ab imo ad summum plantæ fastigium. *Mirabilis vis.* Atq; eam fructum gerere ferro impenetrabilem. Eadem refert Nic. Conftinus in Itinerario suo. *Deinde expergiscebamur.*

LIGNVM BRESILIO SIMILE COERVLEO TINGENS.

Cap. XLI.

Descriptio. HAud ita dissimili facie Bresilio est lignum quoddam à Porentruyensi Pharmacopœo nobis donatum, colore & pectinibus Bresilii vulgaris, sapore tamen luculentiore, & cum dulcedine nonnihil acri, *Sapor.* & odore grato, quem acquisitum negant: sed lignum esse recentius, quò odoratius: in segmenta diuisum solent Officinæ Galliæ diuendere, quibus dicuntur *Bois d'Inde*: Germanis Pesell: hoc etiam leniter masticatum cœruleo colore tingit, ideò à tinctoribus expeti aiunt, *Color.* ad coriorum & telarum tincturam.

Montbelgardenses & Porentrutenses accersunt ex Trecensi vrbe & Argentina, *Vnde afferatur.* emunt libram aliquot grossis: tincturam meliorem reddi dicunt, addito Alumine.

LIGNVM VIOLACEVM BRESILIANVM.

Cap. XLII.

Descriptio. VIdimus in Bresilia, inquit Lerius, lignum naturaliter violacei coloris, & eo ligno attulimus regulas. An Hist. Lugd. ex Theueto Arbores in America ligno purpureo, ex quo pulcherrima tinctura fieri posset?

De hoc autem ligno sic Theuetus: In America prouenit lignum colore purpureo, ex quo meo iudicio, pulcherrimæ sculpturæ parari possunt. Dubito an fuerit Lignum purpureum, in quo *Lignum purpureũ.* Plutarchus scribit Caium Marium Rutilium primum Dictatorem ordinis popularis inter Romanos, curasse sculpi bellum, personarum imagines 369. digitis minores: delatum fuerat lignum ex suprema Africa. Est & quoddam lignum Violaceum *Erralche* dictum Leoni Africano in Descript. Africæ, *Erralche. Lues Ven.* quo vtuntur Medici ad Luem Veneream curandam: Iuniperus maior Scalig. quam suo loco trademus.

LIGNVM NEPHRITICVM, COERVLEO ET FLAVO TINGENS.

Cap. XLIII.



INdustrius & eruditus Illustr. Ducis VVittem. Medicus & collega noster Do. Schopffius mandante E.C. misit nobis nomine *Pali Indiani* *Palum Indianum.* craterẽ ligni huius, fabrè sanè factũ, amplum satis, cuius Diameter ferè spithameus: cuius pulchritudo non vulgaris ex variantium linearum emblemate resultans. Et simul eiusdem ligni scobem, colore rufescente, *Scobs.* sapore nullo manifesto: quæ in aqua macerata eam breui spatio mirabili colore cœruleo & flauo tingit, quæ lumini-

ni obuersa Opali lapidis Gemmæ variantem colorem pulchrè repræsentat, ita vt in ea vario modo igneus, luteus, & rutilus splendor, & fulgens purpura, & virens mare incredibili pariter mistura tranlluceant.

Lignum Bezoardicum. Eiusdem ligni speciem, eodémque colore variante tingens frutulum accepimus nomine ligni Bezoardici seu aduersus Venena, à quodam Italo, cuius historiam mox recitabimus. Hoc saturatiùs rubet Santalo, & ad spadiceum nonnihil tẽdit, pectinibus rectis, nullo nec odore nec sapore, fortè quia euanidum, materie satis dura.

Vires & Vsus. Renum vitia. Vrinæ difficultas. Obstructio viscerum. Mittit, inquit Monard. noua Hispania ligni quoddam genus crassum & enode, materia Piri, cuius vsus iam diu receptus fuit in his regionibus ad renum vitia, vrinæ difficultates & incommoda. Postea experimento compertum est, eius aquã in iecoris & lienis obstructionibus vtilem esse. Fit autem hoc modo. Lignum assulatim & minutim concisum in optima & limpidissima fontana aqua maceratur, atque in ea relinquitur, donec aqua à bibentibus absumpta fit. Dimidia hora post iniectum lignum, aqua cœruleum dilutiorem colorem contrahit, qui sensim intenditur pro tẽporis diuturnitate, tametsi lignum candidum sit. *Modus vtendi.* Id adulteratur ligno illi simili, quod aquam croceo colore inficit: de quo postea. Hac aqua qui assiduè vtuntur, eâ vinum diluentes, mirabiles experiuntur effectus sine vlla humorum commotione, neq; alio opus est victus ratione, quàm temperata: aquæ enim sapor non magis immutatur ligni iniectione, quàm si pura esset, & nihil in ea maceratum. Calidum & siccum est in primo gradu.

Cum poculo & scobe prædicta, missa ab E.C. adiunctum erat hoc scriptum. Palligni Indiani scobis vnc. j in vncias iij. aquæ font. loco calido horis ıı. infusa, & tepida assumpta infusio manè stomacho ieiuno, in dolore lumborum & prouocanda vrina plurimùm valet. *Dolor lumborum.* Idem præstat si aqua aliquandiu in poculo ex einsmodi ligno parato infusa tepida bibatur, repetendo quoties opus fuerit.

Experimenta aduersus Venena. Cæterùm Italus, quem dicebamus, sui Bezoardici ligni libram j duodecim coronatis Solaribus æstimabat, promisso experimento extemporaneo. Cõuenit studiosorum non paruus numerus, (qui hæc nostra commentaria legentes, hoc ipsum testari possunt) inter quos & ego Cherlerus, ducente, & præeunte nobis, more Monspeliensibus laudatissimo, Cl.D.D. Pradilæo, profess. Regio, viro Gratiosissimo. Adsunt gallinæ duæ, cuique cum pulte farinacea intruditur Arsenici scrupulus. Sed alteri de aqua, quam ex infusione scobis prędicti ligni paratam habebat, apponitur, quam misella gallina ob intus excitatum ardorem auidè haurire, ex parte refocillata quidem, nihilominus tota ea die moribundæ simillima videbatur. Euasit tamen tandem, vt aiebat Pharmacopœus, nescio an corruptus vel largitione delinitus. Altera verò, quæ nihil de illa aqua hauserat, variis iactationibus conuulsionibúsque fatigata, miserè interiit. Hîc studiosorum caterua alteram superuiuentem conspiciens, certatim de ligno poscere cœpit, soluto pretio, sed remissiori, [pro singulis vnciis mediũ coronatũ, vel asses aut solidos 30. regios, nisi fallor.] D.D. frustulum obtulit dono. *Impostura detecta.* At ego quiritari & causari, aquæ frigiditati ac copiæ potiùs eam vim dicandam, quæ ardentissimi veneni vim retũderet. Italus imposturã detectã, séque præsenti lucro priuatum iri vidẽs, me tanti boni frustulo beare, blanditiísque delinire felicius potuit, quàm debuit, vt tacerem. Nec caruit experimento suspicio. Nam sequenti die præsentibus aliquot studiosis idem penitùs obseruatum in columbis, quibus itidem Arsenicum exhibitum, altera epotâ aquâ simplici sed frigidissimâ sospes euasit, altera interiit.

Lignum ad colicam. Porrò dubitamus an de hoc ligno intelligat Goropius, quando ait: Lignum quod à colicis doloribus curandis quidam mihi nominarunt, nec dum ad vsum medicum vocaui.

Fraxini genus. Cæsalpinus qui nunquam non aliquâ nouitate stipatus incedere solet, ex Fraxini genere suspicatur lignum in noua Hispania repertum, cuius ramenta in aqua post horæ dimidium cœruleum elegantissimum reddunt, cùm ipsa candida sint.

Vtuntur (addit idem) aqua prædicta in potu quotidiano vsu cum vino ad Renum morbos, vrinæ difficultatem, & Ischiadicos. Eiusdem ex eodem meminit Camer. Hist. Lugd. Lignum ad dolores renum vocat. Catal.Francof. *Lignum nephriticum*: Grießholtz.

LIGNVM CROCEO TINGENS.

CAP. XLV.

Hoc est illud lignum quod paulò antè diximus nephritico ligno substitui, & aquam croceo tingere, vti testatur Monardes. Plura de eo dicenda non habemus.

An Theuet. Americæ Lignum luteum ex quo aliqui suos parant enses?

An Virtz. Serap. Considerandum an tale quid insinuet Serap. quando ex autoritate Aben Mesuai tradit *Virtz*, afferri ex prouincia Iaiemen, esse corticem arboris, ex quo paratur color similis croco. Sub *Virtz* nomine eodem loco meminit aliarum plantarum ex variorum autoritate, de quibus suo loco.

LIGNVM CANDIDVM FVNGOSVM cotis vicem præbens.

CAP. XLVI.

Descriptio. Anno 1597. è Iaua maiore delati ligni fragmentum datum sibi, ait Clus. Exot. l.1. cap.8. valdè leue, vt nihil nisi Sambuci medulla quodammodo videretur, fungosâ materiâ constans & candidâ, cortice admodum tenui, & quasi mẽbranaceo tecta, cineracei coloris. Interrogatus à me Abdala Guaratensis, quem Batàui nautæ Amstelredamum aduexerant ex Iaua, vbi aliquot annis vixerat [aliqua enim ex parte Lusitanicam linguam callebat] quod esset huic ligno nomen, & quis esset eius vsus, de nomine quidem nihil respondebat, sed educto suo cultello, signis mihi innuebat, ad cultrorum obtusam aciem exacuendam inseruire: & sanè postea faciebam, atque ad id præstandum valdè commodum esse deprehendebam.

Ligni exotici flauescentis, venis à centro ad circumferentiam ductis à Gareto accepti descriptionem tradit Clus. Exot. l.1.c.7. ex quo petenda relinquitur.

CANDIDISSIMVM LIGNVM BRASILIANVM.

Cap. XLVII.

Descriptio IN Bresilia scribit Lerius vidisse se Lignum candidum vt charta siue Papyrus. Theuetus quoque tradit in America nasci arbores ligno candidissimo & tenerrimo, nullius tamen apud Americos pretii. Consideretur Tocut gehit arbos, cuius lignum summi candoris, Authore Fragolo, cuius meminimus Hist.n.l.9.

LIGNVM LEVISSIMVM.

Cap. XLVIII.

Descriptio GEner.Io. Henricus Cherlerus rediens ex Anglia attulit ligni portionem cum hac annotatione: Ligni leuissimi frustum crassitudinis crassioris carpi, vlnaris longitudinis habuit D. Iacob. Garetus Pharmacopœus Londinensis peritissimus, misit D.Clusio, deditque mihi portionem. Hoc sanè lignum leuissimum est, per transuersum sectâ rotulâ, suâ circumferentiâ maiori ex parte rotundâ, in quadam parte totum fungosum, cuius superest etiam aliquid corticis tenuis cinerei, totum suberi simile flauescens, distinctum circularibus lineis, ignem facilè concipit, odor nidorulentus, sapor subsalsus, quem acquisititium suspicamur. De quo ligno etiam Clus. Exot.l.1.c.8.

COCCIGRIA: SIVE COTINVS PVTATA.

Cap. XLIX.

Descriptio



DVo suadebant hoc loco de Cotino, arbore propiùs ad Orbem nostrum accedente tradi: tum quòd & ipsa tinctoria sit, tum quòd à quibusdam pro Bresilio habita, eodémque nomine sit appellata. Arbuscula est fruticosa, contortis caudicibus, non crassis, ramis crebris, mediocris crassitudinis, quos rubens rufúsve cortex tegit, medullâ multâ farctos, quibus folia pediculis subrubentibus semuncialibus & vncialibus alternatim adnascuntur, ex oblongo rotundata. *Folium* Pistachiorum foliis paria, glabra, neruosa, odore quodammodo Lentiscino, gustúque adstringente, non iniucundo tamen; sub æstatis finem rubescunt, elegantissimóque nitore oculos oblectant, id notante Clus. Ramulorum fastigia infinitos propemodum Mæandros tenuissimorum sed rigidorum filamentorum latè diffusos sustinent, pilis plumatim oblitos: & in his obiter semina compressa rubentia Lenticulis æqualia: Cæsalpino flauescentia, quasi triangula, duro putamine, sed ob tenuitatem impartibili, [vt ille loquitur.] *Semina.* Materies flaua, solida, pectinibus rectis, externis orbibus albicantibus, interna parte vsque ad matricem fungosa. *Materies.* Flores scribit Clus. esse ex herbido pallescentes: radicem duram, lignosam, raris fibris donatam, vt in Terebintho. *Flores. Radix.*

Huius arboris lignum videtur nobis sic à Cordo describi. Presilium Citrinum, id est, *Bugia*, longi sunt baculi, crassitudine quâ ferè manum impleant, rectis per longitudinem descendentibus pectinibus. *Presilium Bugia. Cordo.* Colorem habet flauum vel citrinum, dolabris in tenues & fasciis similes assulas scinditur, quæ in aqua decoctæ, luteum vel citrinum remittunt colorem, quo fullones tingendis lanis & pannis vtuntur, in gustu ferè nulla qualitate linguam afficit. *Tinctura.*

Hoc est illud lignum quod C. Bauh. apud Matthiol. Bresilii [quod ex Brasilia adferatur,] alterum genus, nempe Citrinum, quod Bugia vocetur, facit: verùm hoc lignum ex Brasilia vel India adferri, apud neminem hactenus legimus, vt cur Bresilium dicatur, aut dici debeat nondum nobis constet. *C.Bauhino not.*

Si quæ alia planta hodie cognita, certè hæc, quam modò descripsimus & pictam damus, ad κοκκυμηλέαν Theophr. referri posse videtur, quam sic describit. Coccymelea [κοκκυμηλέα] Arbuto & Adrachne folio similis est, sed arbuscula parua. *Coccymelea.* Peculiare in hac, fructum eius in pappum facessere ac resolui [ἐκπαππώδεσθαι τὸν καρπόν.] Hoc enim de nulla alia arbore accepimus. Sed planè videtur ea vox κοκκυμηλέα esse mendosa, etiam doctissimorum Herbariorum calculo. *Theophr. m. Gaza m.* Gaza antiquam vocem retinens, & hanc potiùs respiciens satis securè conuertit Prunum. At quod Pruni genus in pappum seu lanuginem abeat, vel quæ Prunus similis sit Arbuto, nec sciuit ipse, nec hactenus obseruatum. Prudentiùs igitur Græcam vocem retinuisset. Potuisset etiam animaduertere apud eundem Theoph. aliam κοκκυμηλέαν, hoc est, Prunum ab hac planta diuersam esse descriptam, quod sanè auget suspicionem lectionis mendosæ.

Mendosè in Hist. Lugd. legitur κοκκυμηλέα. κοκκυμηλέας legit Ruell. Certum verò est Plinium legisse κοκκυγέας, doctissimorúmque virorum iudicio eandem ille Cotinum vocat.

Eandem etiam esse cum Coccygria eiusdem Plin. censent Anguil. Dod. Pena & Lob. Dalech. Const. Taber. Casp. Bauh. Sed videntur in tanta breuitate Cotinum nimis securè eandem facere cum Coggrygia. Nam quid similitudinis habent inter se Coggrygiæ & Cotoni descriptiones Plinii.

Clus. certè consultissimus Botanicus satis circumspectè: Cotini, inquit, Plinius meminit breuiter, vt nemo facilè colligat, an ei stirpi, quæ apud Herbariorum vulgus tale nomen obtinuit, Cotini appellatio rectè applicata sit. Coggrigiam tamen eiusdem fatetur plurimas notas habere nostræ stirpi conuenientes. Dicamus iunioribus quales. Parua est arbor. Est & nostra. Nec folia malè conueniunt. Sed an nostræ semina vel fructus, in papposa illa filamenta facessant, nondum obseruatum. Iisdem obseruatum adhærere, qualia antea descripsimus. Vt & hoc dubium explicandum restet. Camer. quoque hæsitanter pronuntiat, in eo imitatus Clusium. Dubitat quoq; Cæsalp. non segnis alioqui ad pronuntiandum.

Plin. not. Sed nec Plin. abeat absque censura. Falsum enim quod ait: nullius arboris præter Coggrigię fructum amitti lanugine, seu pappo: nec videtur agnouisse Salices, Populum & similes, aut saltem earum non recordatum. Cautiùs Theophrast. de nulla id alia inandisse. Cæterùm, de sententia Clusii, aptiùs hanc stirpem Cocconeleian, aut Coggygriam [si quis fortè Theophr. sic scripsisse cum Plin. censet.] appellabimus quàm Cotinum: cùm κότινος & Theophrast. & Dioscor. Oleaster sit. *Cocconeleia.*

Cotinus. Scytharion. Thapsum. Sunt verò, (vt Dalechamp.) qui Plinii Cotinum esse putent, quod Scytharion, tanquam Scythicum lignum Græci vocauerunt: alii Thapsum: alii Chrysoxylon, flauo melinóque colore, & lanas tingens, & capillum.

Matthiol. in post. com. Cotinum esse ait foliis odore subgraui, Gallæ contusæ modo, caudice humano brachio paulò minore: gerere plumosam congeriem, vmbellæ ferè speciem præ se ferentem, colore ex candido rufescente, in qua siliquæ oblongæ, Hyperici ferè similes: in quibus semen conclusum: vocari vulgò *Rose & Scotano.* Ast hactenus non legimus à quoquam obseruatas siliquas, nec ipsi obseruauimus. Sed fortè Matth. non recordatus se de hac planta alibi scripsisse, imaginatione sua fuit deceptus. *Matt. not.*

Iouis Barba. Terebintho Cognata. Coccygria. Styrax. Gesn. l. Hort. *Barba Iouis Plinii*, arbuscula Terebintho cognata. Spontè circa Vrbanum nascitur: fortè Coccygria Theophrast. *Idem* alibi eiusdem operis: Styracem arborem, inquit, ad quatuor cubitos enatam si benè memini, idque è semine, ni fallor, vidi Augustæ in horto doctiss. med. Ad. Occonis, qui ad me scripsit, his verbis: Styracem meam quodammodo bifurcatam, in duas partes radicitùs, & ex vna arbuscula duas feci satis insignes. Hæc arbor mirificè me delectat, tum quòd sciam nullam eius generis reperiri in Germania nostra, præsertim finitimis huic nostræ ciuitati regionibus: tum quia foliorum etiam florum pulchritudo speciosa videtur: de fructu in hisce partibus despero. Sed idem Gesn. in alia quadam Epist. ad eundem scribit: Non est Styrax, quam mihi demonstraueras arborem Augustæ, sed Barba Iouis à me olim existimata, quòd incanam veluti barbam circa fructum suum funderet. Rectè Gesn. Styracem esse negat, quod vel ex eo patet, quòd hæc nostra folia nō habet lanuginosa vt Styrax: neque hęc Barbam fert Iouis quoque barbam Plinii, non censemus, cui folia argentea, quod nostræ arbusculæ non conuenit. Terebintho quoque cognatam non ausimus dicere: non enim est resinifera. Folia quoque manifestam differentiam faciunt: in illa plura ex vna costa emergunt, vt in Iuglande, in hac nostra singularia sunt. *Styrax non est. Barba Iouis non est. Gesn. not. Terebintho non videtur cognata.*

Rhus. Turner. not. Turner. pingit sub titulo Rhus: descriptio tamen quam ponit, non quadrat figuræ.

Clus. annotat, hoc frutice ad paranda Coria, vti Coriarios non minùs quàm Rhoë, cùm alibi, tum circa Viennam Austriæ, ibique etiam Rhois vulgare nomen Sumach indidisse.

Sumach. Cotinus Coriaria. Dod. not. Hinc Dod. Cotinum coriariam vocat: sed quando ait esse Vlmi foliis, prodit se plantam cuius iconem exhibet non nouisse. Vlmi folium hirsutum est, asperum, longum, serratum.

Rhus 2. Lob. & Pena & adu. Rhus 2. Theophrast. dicunt. Sic enim habent: Coccigria Theophrast. Cotinus Plin. & Theophrast. Rhus alterum: vt vel Cotinum Theophr. dicere velint, vel Theophrast. Rhus alterum. At nullam Cotinum apud Theophrast. nouimus, quæ Plinii Cotino possit respondere? Rhus quoque Theophrast. esse non potest, cuius meminit lib. 3. cap. 18. vbi Giza vertit: fortè in Adu. non legendum Rhus alterum, sed Rhus Allobrogum. Neque enim credimus Pen. & Lob. tam differentem plantam cum hac nostra seu Coggrygia confundere voluisse, quam eleganter sic depingunt. *Kόμαι* sunt cirrei flocci, quales in galeis aut galli gallinacei vertice visuntur, quâ de similitudine floris, dictus fuit hic frutex, qui è summis virgultis, quinûm cubitorum altis, pulcherrimum lanitium tollit, sericeo vellere & contextu calamistratum: quod crispatur & explicatur in latam Cæsariem, crinibus puniceis, fuscis, tortilibus, semine lentis minore, ex nigro ruffescente: caudice & virgultis fuscis, vimineis: foliis circinatis, densis, rigidis, Capparis, Pistachiam aut Terebinthum redolentibus, & concoloribus. Quo magis miramur, tantæ venustatis stirpem frequenti vsu & mercatu ad coria curanda expetitam indictam esse Commentatori Matthiolo. *Cotinus unde dicta.* *Matth. not.*

Casp. Bauhin. annotat Oleam Aethiopicam Hippoc. nominari solitam à Guilandino. Pannoniis **Farblauff**/ Dod. fortè leg. **Farblaub**. Sabaudis *du Fustet*: Allobrogi. *Rhu* falsò, sed propter vsum in tinctura: Appennini incolis *Scotano & Scotens* corrupta Cotini voce, Const. Quidam & vsus & similitudinis argumento Germ. **Gelb presilgen holtz** quasi dicas *Bresilium flauum. Scotanum luteum* Scaligero. *Olea Aethiopica.*

Locus Copiosè nascitur in Italia Lombardica inter sepes, vt obseruauimus Patauio, per Vicentiam Veronam, Bressiam, Pergamum, [finitimásque vrbes animi gratiâ lustrantes] Mediolanum tendentes Iunio, quo iam defloruerat, & cirrorum fructuúmque specimen ostendebat: sed humiles ferè sunt omnes, & vix videas hominis altitudinem superantes, paucas æquantes. *Floret* circa Viennam Austriæ Maio: calidioribus locis maturiùs. Fructus maturescit Iulio & Augusto. Crescit spõtè in monte, Badensibus thermis quæ à Vienna quatuor miliaribus absunt, imminente, vicinisque quibusdam montanis locis. vbi interdum adeò pumila nascitur, ut vix cubitalem altitudinem attingat. Clus. Prouenit & copiosè in Tridentino agro. potiss. etiam in Apēnino monte: in Histriæ alpibus, in Pannoniæ superioris siue Austriæ: tum & in Hungariæ ac Bohemiæ arduis syluis, si Dod. credimus. Auriaco agro quatuor miliaribus Auenione, quà insulas & aquas Sextias itur, magnus prouentus est. Lob. *Tempus.*

Satio Ex ramo auulso diu viridis remansit sed non regerminauit lata Gesnero: vnde colligit plantam hanc diu durare posse si semel apprehendat. Vidimus etiam inter Camberium & Lugdunum, quò lignum copiosè aduehitur ad tincturas, quēadmodum & ad alia loca tinctoriis officinis celebria. Itali qui Serici confectionem & tincturas instituunt ostenderunt nobis Stutgardiæ 1600. ramenta ex Italia delata nomine *Scodano*. Valer. Dourez ad ipsam plantam annotauit Guilandino dici Chrysoxylon apud Anac. ita etiam vocabat Vlyss. Aldroandus cùm essemus Bononię. *Scodano.* *Chrysoxylon.*

Vires & vsus. Tinctura. Radicibus vtuntur infectores, illisque pannum ruffo [rosso] colore inficiunt. Foliorum etiam & ramulorum vsus apud Coriarios in repurgandis coriis. Anguill. Iidem ramis luteo tingunt, teste Const. qui tamē Plin. verba explicans, quando ait: ad lineamenta modo conchylii colore insignis, id de cortice intelligendum tradit. At nos ligni tantùm vsum, nullum corticum obseruauimus cum Anguil. & Cæsalp. qui ait: cau-

dicibus decorticatis infectores vtuntur: flauo enim colore tingunt. Vis illi adstrictoria insignis, exiccans, cohibénsque. *Têperam.* Sanantur foliorum decocto in collutionibus oris & linguæ vlcera, quin etiam columellæ & faucium defluxiones. *Vlcera oris. Defluxio in fauces.* Valet item ad genitalium quoque vlcera, si eo sæpè abluantur. *Vlcera genitalium.* Adduntur folia in desessionibus, quæ ad menses cohibendos parantur. *Menses.* Siccorum foliorum ac ramusculorum puluis, ventri priùs aceto rosaceo illito, inspersus, alui defluxiones quascunque compescit. Matth. *Alui defluxiones.* Possis etiam eiusdem decocti collutione dentium dolorem incipientem à fluxione calida arcêre.

BVXVS.

Cap. L.



DE Buxo nô intempestiuè nunc tradetur, quòd Bresilii folia [de quo antè] tradantur esse Buxi: sicut annotauit Theuetus, ita parua scilicet, densa & spissa.

Descript. Est verò Buxus perpetuæ frondis arbor, dêsis ramis brachiata, cortice scabro, albo, *Materia.* materie durissima, flaua, nulla intus medulla, valdè æquali, ponderosa, adeò vt aquæ iniecta rectà sidat. Imò nec cariem sentire in aquis, notat Matth. *Folia.* Folia crebertima, æterni viroris, splendentia, læuia, Myrteis obtusiora, firmiora, interdum concaua, &, quod notatu dignum, duplicia, quæque *Obseruatio.* diligenti vel cultello ita à se inuicem separari possunt, vt tenuissima & ferè pellucida alterius plantæ esse exercitatissimo cuique videantur: suntq; Buxi folia odore parum grato, sapore tamen ingratiore, quorum ortus, sicuti & ramorum ferè est aduersus: ex quorum alis secundum ramulos *Globuli. Flosculi.* globuli racematim cohærent, qui mox in flosculos stamineos flauescentes explicantur, quos *Fructus.* vascula excipiunt vrceolis similia, viridia, Myrti baccis paulò maiora, superiore parte vmbilicata, & tribus vel quatuor veluti ausulis donata, in *Semina.* quibus semen continetur lucidum, Fraxinellæ semini simile. Radix magna ex parte nodosa tuberosaque, parte præsertim supernâ, & ex parte eminenti, qua materies eius crispa & elegans ad varia opera expetita. Reliqua radix non magna, nec profunda, materie cum ligno eadem.

Chamæbuxus. Vesuntij nomine Chamæbuxi ostendit nobis Cl. D.D. Chiffletius, eius vrbis Archiater & amicus noster singularis, arbusculam Buxi humilem admodum & vix bipedaneam, stipite tamen crassiusculo, cuius folia valdè parua, Myrti Tarentinæ. Similem ramum nobis postea exhibuit lectiss. iuuenis Iac. Mieg. Basil. Med. studiosus, *Buxus humilis.* nomine Buxi humilis, dodrantalem, in aliquot minores diuisum, foliis prædictis, quem etiamnum in Herbario nostro sicco adseruamus. Eandem & Dod. describit ad duos aut tres tantùm pedes attolli, ramos tenues admodum, foliis esse rotundioribus & dilutiùs virentibus. Theophr. Buxus [πύξος] non est magna arbor, folio Myrti, nascitur locis algidis atque asperis: Etenim Cytorii montes tales sunt, in quibus abundè prouenit. Olympus quoque Macedoniæ frigidus, in quo gignitur, sed non magna. Maxima autem & pulcherrima in Cyrene. Nam procera est, & cæteras crassitudine longè superat. Ideò mel insuaue, Buxum redolens, attamen multum & copiosum. Serotina admodum fert fructum, ingustabilem cunctis animalibus. Materies eius grauis, quia densa, quæ ne arefacta quidem leuis redditur. Ob nimiam spissitatem omninò enodis, aut paucissimis nodis. *Hæc ille.* Quod postremum nô perpetuæ videtur veritatis. *Theoph. illustr.* Vidimus enim, imò habemus in syluestribus natas, penitùs propemodum nodis scatente ligno: sed id rariùs tamen obseruatur. Cùm autem id euenit, id fieri suspicamur à crebra ramorum ipsius supernorum abruptione. In cultis & maioribus, quod sciamus nunquam.

Ennius lib. 7. Buxum amaro corpore dicit:

----Longéque Cupressi
Stant rectis foliis, & amaro corpore Buxum.

Inprimis verò materies honorata Buxo est, inquit Plin. rarò crispicanti, nec nisi radice: cæterò lenis quies materiæ, silentio quodam & duritie ac pallore commendabilis, ipsa verò arbor topiario opere. *Genera 3. Gallicum.* Tria eius genera 1. *Gallicum*, quod in metas emittitur, amplitudinémque procetiorem. *Oleastrû.* 2. *Oleastrum* in omni vsu damnatum, grauem præfert odorem. *Siluestre.* 3. Tertium genus nostrate vocant: syluestre, vt credo, mitigatum satu: diffusius, & densitate parietum virens semper ac tonsile. Flos non spernendus, sed causa amaritudinis mellis, præsertim in Corsica. Semen illius cunctis animantibus inuisum. Buxo è syluestrium genere folia non decidunt, quæ concaua. Plurima fert Buxus, nam & semen suum, & granum, quod *Carthegon.* Carthegon [Cratægum. Vet. & cu.] vocant, & à Septentrione viscum, à Meridie Hyphear. In quibusdam omninò nullus fructus, vt in suo genere Buxo. Hæc cum Ebeno spississima ex omni materie, ideò & grauissima, graciles natura: neutra in aquis fluitat. *Hæc Plin.*

Oleastrum, nisi mendosus locus sit, id Buxi genus vocant, [annotat Dal.] quòd Oleastri modo semper humile sit, ac vix vnquam in arbusculæ magnitudinem assurgat: *Oleastrum an Chamæbuxus.* & quòd reliquis generibus folium minus habet, quemadmodum Oleastri folia, si cum Olea conferas, breuiora & angustiora sunt. Idem prorsus deceptum fuisse Plin. aut eius libertum Scribam putat. *Plin. error.* Nam cùm apud Authorem Græcum reperisset secundum Buxi genus ἀγριώτερον τὸ, omnino syluestre & agreste esse, incautè legisse, ἀγριέλαιον τὸ, Oleastrum esse. Idem ineptè scripsit semen Buxi Carthegon vocari. *Alter Plin. error.* Nam cùm apud Theoph. Historiæ Buxi statim & Crategi descriptionem subiecisset, Plin. huius partem cum illius historia confudit. Ineptiùs idem Buxo tribuit, quæ de Ilice Theophrast. scripserat. Sic enim ait Theophr. *Tertius eiusdem error.* Præter glandem, puniceum granum Ilex fert, ac insuper viscum & Hyphear, vt interdum contingat fructibus quatuor onerari, &c. quæ ille oscitanter adscribit Buxo.

Virg. crispas Buxi radices dixit.

Diosc. Buxi historiam non habet, quod mirum, arbo-

Digitized by Google

arboris tam vulgatæ. Sed cùm is ad vires potissimùm respiceret, & vsum eius in arte medica exiguum suo seculo agnosceret, ideò fortè omisit. Meminit tamen eius aliquoties: vt cùm ait, Visci folium esse Buxi folio simile. *Et alibi* Lycium dicit foliis Buxi densis.

Scriptura in Buxo. Esaiæ 30. legimus: Scribe ei supra Buxum.

Porrò etsi Buxus nullius in medicina vsus, vt Veteres prodidere, non desunt tamen è Recentioribus, vt notat Matthiol. qui velint, non aliud esse Italis Buxum, quàm Indis lignum quod Guaiacum vocant, eà tantùm ratione ducti, quòd pluries experimento compertum sit, eius decocto etiam faciliùs eos sanatos esse, qui Gallica Lue affecti erant: quod si experientiæ concedi possit, illud Buxi lignum præstare: attamen quòd Buxum in Italia nascens, & Guaiacum ab Indis petitum vna & eadem sint planta [vt in secunda centuria Amatus Lusit. asserere videtur,] nunquam profectò crediderim. Siquidem Guaiacum pingue, resinosúmque visitur: materie intus nigra, Ebeni ferè modo. Quin & sapor huic amarior & acris, quibus omnibus notis siccam Buxi materiem carere constat. Quin etiam Guaiaco (vt narrant ii, qui ab Indis ad nos redeunt) folia sunt Plantaginis, breuiora, crassiora, durioráque: lutei flores, & fructus Iuglandis magnitudine. Buxus verò fert folia Myrti; breuiora: flores herbaceos, & fructum Myrto nusquam grandiorem.

Buxum eundem cum Guaiaco quibusdam. *Quo differat Guaiacum a Buxo.*

Nihilominus sunt impostores qui propter vicinum vtriusque colorem, sæpè pro Guaiaco in Italia præsertim exponunt, inquit Cronemburg. Ast, mehercle, stupidos prorsus atque rerum ignaros oportet esse eos, qui Buxum sumant pro Guaiaco: dixerimus penè Cretam pro Carbone, vt Cronemburgius parum in eo suæ experientiæ cōsulere videatur, dum vicinum vtriusque colorem asserit. Etenim quamuis venæ & radii interdum in Guaiaco appareant ad Buxi colorem accedentes, tamen ita substantiâ differunt atque odore, vt non magis ceram aut aliud quoduis flauescens lignum cum eo conuenire dicas.

Cronemburgius.

Dubitat Cæsalp. an Oleastrum Plin. possit esse densissimus frutex, qui in scopulis maritimis spōtè vi ventorum tondetur Buxi modo, quem alaternum alibi vocat: quod tamen nobis non fit verisimile. Vide cap. de Alaterno.

Alaternus.

Casp. Bauhin. Buxum fruticem dicit, quamuis quædam etiam in arborem excrescat: at nos omnem buxum arborem potiùs quàm fruticem dicendam censemus, consideratâ eius materie, & ipsa adeò arboris definitione. Fruticare creditur, quia tardè admodum crescit, satis clarè tamen vbiuis arboris notas exhibet. Quam verò idem adiungit Chamæpyxum Tragi & Tabern. non videtur ad Buxum referenda.

C. Bauhinus.

Synonyma Linguarū. Buxus vnde. Πύξος Græcis dicta, vt ex qua tabulæ ad scribendum olim fiebant, πυξία dictæ, vnde & Pyxides. Latini Y in V mutarunt, vt in plurimis aliis, testibus Festo & Prisciano. *Buxus* igitur, Capro autore, arbor: *Buxum* verò materies erit. Hebr. *Theaschur*, teste Trago. Germ. **Buxbaum**. Belg. **Busboom/ & Buexbaum**: vulgò **Palboom**, teste Dod. Gall. *Bouïs*. It. *Bosso* & *Buxo*. Hisp. *Box*. Angl. **Boxe/ The Boxe tree/ & Buxe**. Boh. **Pospan**. Hung. **Puspang**. Buxi paruum genus χαμαίπυξος, *Humibuxus*. Angli **Dwarf Boxe**,

Epitheta. Poetis celebrata *isemica, Berecynthia, Comosa, frondosa, annosa, solida, tonsilis, crispata, constrepens.* Ex ea enim fiebant multiforatiles tibiæ. Vnde & pro musico instrumento interdum accipitur. Vergil. Aeneid. l. 9.

Tympana vos, Buxúsque vocat Berecynthia matris.

Locus. Buxum in Cyrno prouenire ex Theophrast. dictum. Plin. in Pyrenæis montibus legisse videtur, nisi in altero mendum sit vicinitate vocabulorum enatum, vti suspicatur Ruell. Locis feruidis difficillimè prodit. Cytoris quoque montibus plurima & Berecynthio tractu. Cytorus, habet Thesaur. ling. Latinæ, Paphlagoniæ mons Buxo abundans, quem Macedoniæ esse magno errore credidit Seruius. Vergil. lib. 2. Georgicorum.

Et iuuat vndantem Buxo spectare Cytorum.

Ab hoc, quæ Buxea sunt, Cytoriaca dicta, Ouid. lib. Metam. 4.

Sæpe cytoriaco deducit pectine crines.

Sed l. 6. aliter

Vtque cytoriaco radium de monte tenebat.

Crassissima in Corsica. In Olympo Macedoniæ gracilior sed breuis. Amat frigida, aprica, montes. Nullà magis quàm hac glisscunt montes & colles in Delphinatu & Galloprouincia. Quibusdam etiam aliosis ad Septentriones, cliuosis, incultis, frutescit & arborescit. In Heluetiæ, Sabaudiæ, Burgundiæque montibus non infrequens. Etsi verò spontanea sit, tamen in lautioribus hortis tam Italiæ quàm Germaniæ Galliæque aliarúmque circumiacentium prouinciarum hortis passim colitur, quippe quæ tonderi topiario operi facilis, & perpetua viriditate amœna. Patauii vidimus, in horto quodam prope templum à Sancto cognominatum Labirynthum opere topiario pulcherrimum ex Buxo. Item Veronæ & & in Italiæ magnatum quorundam hortis Buxi plantas artificiosè animalia varia exprimentes. Hortum E. C. Wirt. Monthelgardiensem areis Buxo cinctis ex vicinis sumpto, videas amœnæ facie etiam Hyeme virentem. In Germaniæ & Burgūdiæ quibusdam tractibus, non temerè in pago aliquo templum videas, quod non vna aliáue egregia Buxi arbore stipatum.

Floret communiter Feb. & Martio. Geneuæ etiam Decembri florum rudimenta obseruauimus. Fructum fert Autumno, quo demum semen perficit, cum fructu diu arbori adhæsurum, nisi auellatur. Aprili noua germina promit. Sed priùs lignum secari consultum, si magis flauum cupis. *Tempus.*

Facilè seritur & ramis: Stolonibus etiam multiplicari loca iis consita testantur. An semine oriatur facilè, indagandum. De insitionis mangonio nihil adhuc specialiùs circa eam compertum habemus. Constantinus ait: plantari auulsione, & clauis & ramis, depositis in plantario post Idus Nouemb. Gaudere autem humidis locis, quòd semper vireat. *Satio.*

Porrò maximè æternam eius materiam putant, vetustatémque non sentire cùm tamen nos in Ducatu Wirtemb. anno 1608. hyemali sæuitie gelúque eum consumptum obseruauerimus.

Duratio. Durities quoq; eius cum amarore teredines in ea nasci prohibet. Eius materies pertinaciùs ferris resistit, earúmque dentes replet æqualitate inertiū qua de causa artifices alternâ inclinatione egerūt scobem.

In igni duritia quæ ferro, nec flammæ nec carbone vtili, inquit Plin. Atqui obseruatum est, Buxum, præsertim benè exsiccatum optimos ac viuacissimos ex se remittere Carbones, quamuis cum Plin. & Tragus & Lonic. asserant contrarium. Semen quoque à formicis reconditur in hyemem, inquit Soler. Quamobrem non est cunctis animantibus inuisum vt Theophrast. & Plin. existi- *Theophr. Plin. Lonic. & Trag. redarg.*

Pectines. marunt. Hodie pectinum dote commendatur buxi materies, ex qua laudatissimi fiunt. Vnde Martialis de Caluo.

Quid faciet nullos hic inventura capillos
Multifido Buxus quæ tibi dente datur.

Pyxides. Fiunt & vnguentariæ pyxides, quarum plurimas torno varia figura, pereleganti que fabrè effectas habemus, præsertim & radicum tophis. Commendatur etiam Ruellio ad plaustrorũ axeis, & aratrorũ buras: item Cochlearia. Folio cum materiei scobina & lixiuio capillum rufant, nec nullius in medicina vsus est hæc arbor, vt Ruellius putat. Quippe Amatus testatur, se fœlici successu vsum Buxi decocto in laborante Lue Venerea: moderatius sortiri temperamentum, quàm Guaiacum, ac proinde iis qui calidiori sunt temperatura, & morbo calidiori affliguntur, præcipuè in æstate, liberaliùs eius decoctum dabat: nec putat Guaiaci & Buxi arbores inter se aliter differre quàm soli diuersi ratione, quod suprà refutatum. Buxi verò lignum vnicè iecur plus iusto calidum emendare, vt sudorem egregiè euocare, multa experientia sibi compertum esse testatur. Idem in Centuriis curationem recenset Hemicraniæ per consensum ventriculi factæ, & per buxi ligni decocti potionem curatæ. Item de dolore in genu cum tumore per tres vel quatuor menses perdurante, buxi decocto postea curato. Huic sententiæ contrariatur Herc. Saxon. differens: licèt Amatus se quendam hoc morbo laborantem buxi decocto integrè curasse profiteatur, tamen vt dicitur, vna Hirundo non facit Ver, non est buxus lignum Indicum, vt ille putat: Natat enim buxus in aqua. Lignum Indicum residet in fundo, vt etiam Ebenus, vt ex pondere, colore, & densitate facilè quisque conicere poterit. Sic & Leuin. Lemnius neutiquam probat eos, qui buxo tanquam Guaiaci antiballomeno vtuntur, miramque historiam hac de re commemorat in Biblicarum herbarum explicatione, cap. 41. Testatur nihilominus, Lob. virgulta, lignum & folia decocta, Guaiaci modo, sudores elicere, huiúsque decocto famulam pauperculam Anglam à Lue Venerea vindicatam. Ditioribus propter ingratum & tetrum odorem reiicitur.

Axes. *Bura Cochlearia* *Ruell. not.* *Vsus medecus.* *Lues Ven.* *Amat. not.* *Iecur.* *Sudorificũ.* *Hemicrania.* *Tumor genuum.* *Lues Ven.*

Recentiores, inquit Fuchs. temperatam buxi essentiam esse statuunt, id quod non videtur verisimile. Haud dubiè verò adstringit atque adeò exiccat. Scobem eius decoctam in aqua, alui profluuia sanare tradunt, quod & Matth. confirmat. Quibusdam buxi decoctum cum vino rubro profuit in doloribus dentium à frigidis fluxionibus. Lonicerus quoque adstringentis & siccantis naturæ dicit: addítque folia siccata & in puluerem redacta data cum aqua Lauendulæ tollere insaniam & maniam. Verùm, quum vmbra ipsa Lonicero atque etiam Fuch. teste [qui ait somnũ sub hac arbore cerebro vehementer incommodare, quòd eius odor naturæ prorsus aduersetur] naturæ sit contrarius, minuátque intellectum, non ausimus præscribere folia ad insaniam, ne forte eam adaugeamus, odore illo graui ad cerebrum rapto. Nam quod quidam etiam buxi comam tusam apoplecticis propinent: ratione caret, ait Dodon. nam fructus vel odore frequenti, quem tamen exiguum habet, cerebro ac capiti molestus est. Multùm quoque & à veritate aberrabit, qui huius scobe, ligni Guaiaci loco vti voluerit.

Temperã. *Alui fluxus* *Dolor dentium.* *Maniam* *Lonic. not.* *Apoplex.*

Pestis. Textor libello suo de peste, aduersus pestem commendat ignem ex ligno buxi. Sed quâ id ratione non videmus, nisi penitùs tetri odoris vapore, insidians virus venenatum abigere velit, quâ ratione non improbauerimus vel quæuis fœtidissima accendi.

Car. Steph. buxum plantandam prohibet vbi sint apes: quia, inquit, flos eius statim interficit: corrumpitque aërem suo fœdo odore, ideóque paucissimam in hortis plantandam censet. Verùm in eo contrarius esse videtur Theoph. dicenti, in Cyrena, vbi buxus, mel insuaue esse, buxúmque olens, multum tamen & copiosum. Ergo apes non statim interficit. Ferunt quoque serpentes vulneratas eius radice degustata statim sanitatem recuperare. *Car. Steph. not.* *Serpentum cura.*

Oleum aut Sulphur paratur ex buxo perpetuò virente & vitriolato, cuius ingrato odore sulphur Narcoticum, quod continet, nobis exhibetur. Eius [inquit Querc.] buxi oleum, etsi facilè cremabile, maximum tamen dolorum omnium lenitiuum est, vtpote sulphuris narcotici vitriolati naturam ac proprietatem æmulans, omnique cum vitriolo, epileptico etiam morbo specificè conferens. Item ex rasura lignorum & corticum viridium arborum ac vitriolatorum, quales sunt, Iuniperus, Buxus, Quercus, Guaiacum, &c. acidulus mercurialis liquor igne lento primò extillat ad dissolutionem Corallorum, Perlarúmque idoneus. *Oleum aut sulphur.* *Rasura lignorum.* *Liquor mercurialis.*

Cæterùm iam translatitium est Germanos ex Galliæ Narbonensis Hispaniæ finitimis, præcipuè montibus Pyrenæis, circa oppidum *Limons* haud procul *Carcassona* crispatum buxi radicum magnam copiam aduehere, ob varias maculas & intortos linearum discursus ad lautiora opera expetitarum, ex quibus cochlearia, cultellorum manubria, latrunculi, fistulæ doliorum, & nescio quæ ludicra fiunt, ab his præcipuè qui oppidum illud Burgundicum in monte Iura D. Claudio celebre incolunt. *Vtensilia buxea.*

Et, vt vno verbo dicamus, ad ea quæcunque torno elaborari possunt nihil hoc ligno lautius, præstantius, tenacius. In hoc enim ligno Sculptores exercent artem: nam politissimas quarumcunque rerum icones, plantarúmque imagines, ob insignem Ligni læuorem, vt vel viuas non rarò repræsentent, ex eo parant. Sed secto cautio sit exuere corticem, alioqui findi periculum est, præsertim in loco sicciori aut calidiori collocatum. Non omittendum, quamuis ludicrum satis, Turcarum pueros mingere in cunis per tubulos ex buxo factos, diuersos pro masculis, diuersos pro fœminis, affabrè factos, quod dicit Bellon. vt non maculent & madefaciant vrinâ linteamina sua: optimæ sunt fistulæ ex hoc ligno paratæ pro iniciendis clysteribus: Pro iis & similibus deligendum lignum à multo tempore exsiccatum, non subitò calore magno siccandum, facilè enim finditur, vt obseruauimus euenisse lignis retro fornacem ad exiccationem positis. *Ad sculpturam.* *Cautio.*

BVXEI COLORIS LIGNVM BRASILIANVM.

CAP. LI.

Apud Brasilianos testatur Lerius vidisse se ligna coloris lutei vt buxus. Theuetus quoque prodidit in America nasci arbores quasdam ligno luteo, ex quo enses fiant. Plura hactenus de eo non legimus. *Descriptio* *Locus.*

PAL-

PALMÆ SANCTÆ SIMILIS ARBOR.

CAP. LII.

FErebat quidem Instituti nostri ratio vt Buxo substitueremus Guaiacum, lignum illud Indicum Antiquis tum Græcis tum Latinis incognitum, quod à mirabili effectu quem in curandis morbis perniciosissimis & contumacissimis præbet, Lignum Sanctũ, *Lignum Benedictum*, Palum Sanctum, Palmam Sanctam, &c. vocitauerunt. Verùm, nonnullas graues ob causas, hîc tantùm ex Pen. & Lob. de Palmæ Sanctæ simili arbore agemus, alio loco Guaiaci Historiam fusè tradituri.

Descriptio *Palmæ sanctæ similis arbor.* Ex naucleris, inquiunt, qui ex India Occidua in Angliam remearunt, habuit Morganus, & nos ab illo, surculos, qui rami sunt arboris grandioris, recti, cortice arboris Iudæ, folio Citri, carnoso, nudo, Lauro latiore, breuiore, neruoso: horum in summis hærent folliculi pallidi, coriacei, circinatæ rotunditatis, admodum compressi, nummo Coronæ Gallicæ pares, quorum medio insunt semina Lentis effigie & colore, compressiora, gustu amaricante. Hanc quidam arbitrantur *Palmam* aut *Palum Sanctum*, quæ species diuersa à Guaiaco est, quamuis similis designetur: nempe non vasta, vt Fraxinus, sed minor, ei concolor cortice: folia cuiusmodi plantago, sed crassiora, minora, pinguiora, breuiora: fructus Iuglandis magnitudine, aluo subducendæ idonei.

Folio Citri *Semina Lentis.* *Palma aut Palum Sanctus Quo palma sanctus differat à Guaiaco*

Eadem Aduersaria in appendice & Ic. Pl. Tom. 2. p. 187. sicut & Hist. Lugd. iam descriptæ arboris folliculum ferentis iconi à nobis ex iis propositæ, inscripserunt: *Palma Sancta similis arbor*. Qualem verò, intelligant *Hebenum* de quo tradunt mox post *Palum Sanctum*, ignoramus. Sic aiunt: Officinarum Hebenum siue Xylaloës, quin sit species Guaiaci, nihil obstat: nam prædurææ assulæ, grauissimæ, quæ in Offic. visuntur, & aquæ mersæ sidunt, tum pinguedo, quæ exudat igni, perinde atque Guaiaco, tum aspectus ipse, & vires, ac sapor videntur testari: nã odor etiam ei inest Guaiaci: vires ad ea ad quæ Guaiacum commendantur. Ne porrò quis obiiciat, solam Indiam nigrum ferre Hebenum ex Poëta, dicimus Hebeno idem euenire posse vt Guaiaco, quod non modò in Traprobanæ finitimis ad Orientem, Austrum: sed etiam in India Occidua longissimè dissita, frondet.

Hebenum Offic. Xylaloës.

* *
*

FRVCTVS GVAIACI PVTATVS ET FOLIA.

CAP. LIII.



CL. apud Basil. Medico & Professori Casp. Bauhino, fratri & adfini nostro amantissimo acceptum ferimus fructum Indicum, eidem ex Italia, nomine fructus Guaiacini, qui geminatus arctè cohæret, ambitus vnguis pollicaris, nisi quòd breuior paullò, effigie cordis, in breuem mucronem reflexũ (in exiccato) terminans in medio vtrinque extuberans, circa extrema in ambitu compressus, cortice quasi testaceo, penè rufescẽte, quem exterius alius ambit tenerior, valdè amarus. Nucleos singuli binos continent, sed membrana intergerina distinctos, quâ mediante geminæ nuculæ combinatæ, formâ & magnitudine Ricini vulgati, substantia dura, ac ossea: quam tenuis inuestit pellicula. Perhibetur descriptus ab Ouiedo, qui autor nobis nunc non ad manus. Lob. fortè Hispalensium fructus Guaiaci, de quo antè: sicut & Cardani. Lector consideret fructum Arboris tristis, Acostæ, mox sequentis: in cuius descriptione comperiet ferè similia, si non eadem.

Descriptio

An fructus arboris tristis

Quia porrò figura, quam hoc in loco proponimus ex Clusii Exot. lib. 10. capitis 20. mutuata est, fas erit quoque verba eius describere. Sub initium anni 1601. accipiebam, inquit, à Petro Gareto, ramulum legitimi Guaiaci, qui pedalis erat lõgitudinis, valdè contortus, & frequentibus nodis distinctus, scriptorii calami, siue anserinæ pennæ crassitudinem infernâ parte vix attingens, materiâ durâ & pallescente præditus, atque cortice tectus rugoso, cineracei coloris: supernâ verò parte in tenues ramulos diuisus, quorum nonnulli folia adhuc retinebant, alii etiam flores, & fructûs rudimenta: nata autem erant folia, seu veriùs foliorum alæ, in tenellis ramis contrario inter se situ, singulis alis quaterna, aut sena foliola Lentisci modo ex aduerso semper nascentia obtinentibus, crassiuscula, orbiculata, & multis venis distincta, quæ siccitate facilè defluerent, manentibus nudis alis, & foliorum, vbi sita fuerant, vestigia duntaxat retinentibus: in superiorum ramulorum nodis nata erant veluti tubercula, è quibus coniunctim exorti erant seni, octoni, dèni, interdum plures, tenues, vnciámque longi petioli, sustinentes singuli florem, non magnum, sex foliolis constantem (albíne, an flaui, aut cœrulei coloris essent, propter siccitatem iudicare nequibam) è quorum vmbilico multa prodibant stamnula, & in nonnullis floribus fructûs rudimentũ medium emergere incipiebat, binis lateribus præ-

Ramulus. Descriptio *Materia. Cortex.* *Folia.* *Lentisci.* *Flos.*

ditum, & penè formatum instar loculorum Bursæ pastoris vulgaris. *Cæterùm* à Francisco Peninio 29. Iulij biennio antè iam acceperam Guaiacan arboris folia, sed singularia. Ziziphinis formâ & magnitudine, non multùm absimilia, firmiora tamen, & multis venis prædita: præterea radicis fragmentum, vncialis crassitudinis, aut amplioris, materia flauescente constans, & denso, succulentóque cortice cinctum, ex Trinitate Insula delatum. Insequente verò Septembri Amstelredamo ad me miserat Walichus Syvertz, Guaiaci fructus aliquot, quorum nonnulli singulares, alij coniunctim è longis pediculis dependebant, geminis loculamentis constantes, fructûs Aceris quodammodo instar, in hoc differentes, quòd hic alis illis careret, quibus Aceris fructus est præditus, loculamentaque non haberet adeò distincta, vt Aceris fructus, tum etiam quòd alterum loculamentum plerumque esset inane, alterum plenum, nucleum continens durum, ex albo flauescentem, sed qui immaturus fuisse videretur. Accipiebam & à Pona fructus Guaiaci appellatione insignitos, illósque magis crassos, & integros, quorum vnus tribus loculamentis præditus: ossicula in illis reperta longiuscula erant instar ossiculorum Euonymi penè, & materiâ valdè durâ, corneaque constabant, ossiculorum Dactylorum instar, nucleum, planum, inanem flauescentis coloris continentia. De Gummi ita scribit: Guaiacan arboris gummi quod à F. Peninio acceperam calidi saporis erat, & manducatum dentibus cedebat instar resinæ Mastichinæ, fusci tamen coloris. Quod autem Londino Iacob. Garetus ad me mittebat, nigri coloris erat, lenti tamen & splendentis, igni admotum, non iniucundi odoris.

Folia. Radix. Locus. Fructus. Nucleus. Ossicula. Euonymi. Gummi, siue resina.

ARBOR TRISTIS.

Arbor tristis Acostæ.



Arbor tristis Clus. Icon I.

Icon alia.

Descriptio. Folia Pruni.

ARbor tristis Oleæ est magnitudine, foliis Pruno similibus, flore noctu odoratissimo: Garcias. Vel, vt tradit Acosta, Arbor magnitudine & formâ ferè Pruni, multis prædita ramis tenuibus, & recta per spatia nodulo distinctis, à quo vtrinque singularia folia enascuntur, Pruni foliorum magnitudine, mollia, & lanuginosa parte auersa, quemadmodum ferè Saluiæ folia, & viridia, nonnihilque aspera, parte interiore, non adeò serrata in circuitu vt Pruni folia, neque tam multis venis prædita. E singulorum foliorum sede nascitur pediculus quinque capitula summâ sui parte sustinens, quæ quatuor foliolis subrotundis constant, è quorum medio quinque flores exiliunt candidi, elegantes, Aureæ mali floribus magnitudine & figura pares, tenuiores tamen, elegantiores & odoratiores, pediculo magis ad rubrum, quàm ad flauum colorem tendente, quo in illis regionibus Indicis edulia tingunt, quemadmodum apud nos vulgò fit Croco. Fructus magnitudine Lupini est, virescens, cordis effigie, per medium secundum longitudinem sectus, continens in vtraque parte quoddam receptaculum, in quo semen occluditur magnitudine seminis Ceratii siue Siliquæ, cordis effigiem retinens, album, tenerum, membrana subuirente tectum, nonnihil amarum.

Flores. Tinctura cibi. Fructus effigie cordis. Semen.

Ab Acostæ figura aliam, longéque diuersam, eodem tamen nomine ponit Clusius apud Garciam cum hac inscriptione: Viennæ Austriæ honestus vir Fabritius Mordente Salernitanus multa de Arbore tristi mihi referebat, cuius naturam (dum Goæ viueret) summoperè esset admiratus: Assurgere eam arborem interdum ad trium hominum altitudinem, iustámque crassitiem acquirere dicebat, & ramos ferre multis alis concauos, & foliis Myrti quamsimillimis onustos. In tenerioribus autem ramis nasci flores pediculis oblongis ex foliorum internâ sede prodeuntibus inhærentes, copiosos, hoc est, ternos, quaternos, aut plures simul ferè congestos, candidos, Iasmini floribus formâ, magnitudinéque pares, foliisque mucronatis, vt illi, constantes, sed pleniores, multiplicique foliorum texturâ, odoris fragrantissimi, & haud multùm à Iasmini florum odore dissimiles, noctu autem solêre in flores explicari, & oriente Sole, simulátque ab ipsis radiis illustrari incipiunt, illicò decidere, vel antipathiâ quadam, vel præ nimia succi tenuitate, quem Solares radii absumant: nam quos Sol non attingat, diutiùs in arbore hærere. Studiosè autem colligi eos flores, propter odoris fragrantiam,

Descriptio Clus. Folia Myrti. Flores. Iasmini odore.

Mogli aqua dicta. tiam, & vitreis organis odoratissimam ex illis aquam elici, quæ [asserente Fabricio] *aqua de Mogli* dicitur, quoniam Malabarico sermone arbor *Mogli* appellatur, cuius flores idem nomen retinent. Fructum obseruasse negabat. *Fructus.* Cæterùm anno 1601. mihi mittebat amicus Amstelredamo fructum eius arboris suo pediculo adhuc inhærentem, quem ab illis qui ab India Orientali redierant, acceperat: erant verò plures fructus siue lobi, vnciarum binarum, longo ramulo siue crasso pediculo nati, satis contigui, similes penè iis lobis, quos Spartium II. Hispaniacum cap. 70. lib. 2 meæ plantarum Historiæ descriptos habet, siue fabæ vulgari minori, quæ apud Belgas in iumentorum pabulum cedit magnitudine pares, satis crasso cortice constantes, coloris cineracei, qui aperti, sex semina cõtinere deprehendebantur, vtroque latere terna. Stramoniæ seminib. quodammodo similia, sed immatura. Qualem autem accipiebam, in eadem tabella cum ramulo suis floribus onusto, exprimi curabam, in illorum gratiā qui hoc studio delectantur. Altero autem post acceptum & descriptum illud semen anno, multi eius arboris flores C.V.D. Petro Pauvvio mittebantur: iique oblongo & tenui arboris alicuius aut herbæ folio traiecti corollarum instar, è quib. licèt prorsus aridis, eam tamen formam agnoscere poteram, quam Fabricius mihi descripserat: quæ sanè longè dissimilis est iis floribus qui à nõnullis proponuntur leucoio similes, quatuor dũtaxat foliis constantes.

Lobi Spartio Hispan. sim.
Fabæ vulg.
Semina Stramon.
Flores Leucoio non similes.

Icones. Ab Acosta insuper icone & descriptione, discrepant Clusii descriptio & binæ eius icones, quæ quidem & ipsæ, cùm non parùm inter se differant, occasionem inde sumpsimus, vt omnes tres apposuerimus. Prima igitur Acostæ sit, aliæ verò duæ Clusii. Prior, cui olim in notis in Garciæ Arom. hist. p. 12. floris Mexicani fructum appinxerat. Altera, in qua in poste. Exot. dictum fructum omisit, alium racemosum addens, qui non multùm differt à fructu, qui Guaiaci dicitur, qualem diximus fortè descriptum ab Acosta.

Ab his figuris etiam diuersa icon Io. à Doet. tam foliis quàm florum forma, quæ quadripartita pingit. Innominatus quoque quidam iconem à propositis differentem habet, cuius flores quinque partiti &c: sic adscribit. *Arbi tristi.* Arbor *Arbi tristi* qualibet nocte [post occasum Solis] virides suos fructus renouat, floribus fuluis (quorum pediculi crocũ imitantur) egregiè ornata. E contrà verò de die, post ortum Solis fructus suos deiicit, totaque marcescit.

Figura ænea Bry fratrum obscura est, ipsâ fortè obscuritate exprimere volentes, quod non potuerunt vel ausi sunt apertè & claré. Florem quadripartitum habent. Indicent qui viderunt arborem, vter horum rectiùs pinxerit. P. Hogger ad fig. æneam.

—— ramum nigra quem nox suauibus ornat,
Exuit ornatum floribus alma dies.
Vt decus hoc vna vigeátque & defluat hora
Continuas obeunt illa diesque vices.
Traxit & hinc nomen tristi quòd squalida trũco
Auricomum rutilo cùm nitet orbi iubar.
Haud secus & nostro, qua sensu splendida fumos
Esse fidem veri Lux rediuiua facit.

Tristis arbor Unde

Synonyma Linguar. *Mogli* Hanc autoribus prædictis Goæ Parizataco, in Malayo *Singadi* vocant: in Decan *Pul.* Arabibus *Guart*: Persis & Turcis *Gul.* lingua Malauarica *Mogli*, quo nomine & flores appellantur: vnde nomen liquori stillatitio, *Aqua de Mogli.* *Arbore triste* Io. à Doet. *Arbor tristis* Herbar. qui de ea tradidére: quod nomen illi inditum quòd noctu tantùm floreat.

Peculiaris est hæc arbor Goæ, quam è Malaca allatam asserunt, nec se alibi per Indiam vidisse testatur Garcias. *Locus.* Multi in Lusitaniam transferre voluerunt, sed irrito conatu. *Satio.* In Malabar autem & Goa, locisque vicinis, cum tanta facilitate nascitur, vt quilibet rami in terram depacti comprehendant.

Incolarum Goa fabula. Fabulantur autem indigenæ, Satrapæ cuidam nomine Parizataco elegantem fuisse filiam, quæ Solem deperiens: ab illo compressa fuerit: Cùm verò postea illam relinqueret alterius amore irretitus, Parizataci filiā præ amoris impatientia sibi ipsi mortem consciuisse. Ex cuius crematæ cineribus [nam adhuc vruntur in ea regione cadauera] hanc natam esse arborem, cuius flores adeò Solem exhorrent, vt eum videre non sustineant. Miranda sanè res & obseruatione longè dignissima, inquit Costa, elegantissimam hanc arborem intueri noctu pulcherrimis suauissiméque spirantibus floribus illustratam lætam, atque odoratissimam: eádémq; flores, vt primùm radiis Solaribus illustratos, deponere atque abiicere: ipsam verò arborem totam vnà cum foliis suis veluti marcidam apparere.

Flores insignis suauitat. Sanè quotquot hactenus odoratus sum flores, horum ego nullum [si quid mei iudicii est, hisce prætulerim, nedum certè contulerim: adeò suauiter spirat, præsertim primulùm locum ingredientibus, vbi arbor colitur. Iidem, manibus cõtacti, vt euanid: redduntur & inutiles. *Sapor. Vires & vsus.* Flos sapore est subamaricante, quem ex nuper collecto & degustato deprehendi. Eum cor refocillare incolæ censent. *Cor.* Nam & Gentiles ibi medici semen eius inter Cardiaca referunt. Garcias nullum se vsum eius nouisse tradit, propter teneritatem: nisi quòd florum pediculis, qui lutei sunt, Goæ incolæ vtantur cibis tingendis, quos Croci modo inficiant. *Tinctura.* Velle etiam nonnullos aquam stillatitiam florum oculis vtilem esse, admoto lineo panno hac intincto. *Oculi.* In quem vsum studiosè colliguntur ab incolis & propter odoris fragrantiam, quam insignem habere testatur Clusc a relatione Fabritii.

ARBOR INDICA DORMIENS.

Cap. LV.

THeophrastus apud Libanium in India arborem perhiberi ait, foliosam instar Rosæ, quæ noctu conniueat, & oriente Sole iterum se expandat seu aperiat, meridie planè explicet, & hinc iterum paulatim in noctem componat: Incolas dicere eam dormire.

ARBORES ET HERBAE TACTUM refugientes.

Cap. LVI.

NAscitur circa Memphim peculiaris quædam materia [Gaza vertit: Gulandinus autem quiddam: Plinius arbor] non foliis, vel ramis, vel totâ formâ peculiare quid sortita, sed euentu. *Descriptio arboris.*

Digitized by Google

Herba viua Acosta.



Quippe facies eius formosa: Folium Filici simile. [πτέριδι: ita & Gaza. Plin. legit πτερίδι, id est, pēnis.] Sed quum ramulos quispiam contigerit, folia velut arescentia & languescentia contrahuntur, [vulgata ex. habent ... Gaz. legit ...: nam hebetata conuertit, duro sensu. Leg. ... cum Scal. obarcheta.] deinde paulò post ad vitam redire & viuere. Theoph. lib. 4. Hist. cap. 3.

Filicum *Theoph. correct.*

De eadem & Plin. Syluestris fuit & circa Memphim regio tam vastis arboribus, vt terni nequirent vel circumplecti, vnius peculiari miraculo, nec pomum propter, vsumve aliquem, sed euentum. Facies ei non spinæ, folia habet ceu pennas, quæ tactis ab homine ramis, cadunt protinus, ac post à re ... Huic arbori affinem herbam prodidit Apollodorus Democriti discipulus, quā ... Aeschynomenen appellabat, quia admoto ... contrahi ... folia ...

Hinc Guilandi de Papyro: Annos ... Aeschynomenen narratam Apollodoro Democ. discipulo, cum superioribus annis in Arabia peregrinarer, appropinquante manu, folia contrahentem his oculis vidi. Quæ, aut eadem fuerit, aut ei simillima, cum ea, quam Lusitania hodie *Herbam viuam* appellat, ex Brasilia Prouincia primùm subuectam, quæ attacta non solùm refugit, verùm etiam omnia folia ceu indignabunda ad terram deiicit. Octonum circiter pedum est plantæ proceritas, quæ oritur in Prouincia Malabar: ea rerum accessum videtur sensu percipere: appropinquante homine aut animali ramos constringit, recedentibus, pandit. Folia Polypodii, flores verò luteos habet. Hanc Veteres ignorasse, vti censet Garcias Hortus, Proregum in India Orientali Medicus celeberrimus, non puto: quinimò suspicor de hac loquutum esse Theoph. lib. 4. cap. 3. peculiare quiddam circa Memphim nasci tradentem: Ego stirpem istam diu multúmque in Aegypto circa Memphim, Heliopolim, Tanim & Alexandriam quæsitam nusquam offendere potui. Hæc Guilandinus, quem voluissemus describpsisse suam visam Aeschynomenen, ac indicasse, esset ne herba, aut arbor.

Herba Viua descriptio. *Locus.* *Folia Polypodij. Flores.* *Garcias repreh.*

Meminit & M. Funcc in Hist. Ind. Gen. Arborum, quarum folia tacta in Nicaragua arescunt. At Monardes scribit sibi duas herbas siccas delatas: vnam, quæ suo solo stans ac in vigore, si manu tangatur, subitò in terram quasi mortua decidat: alteram supra terram delapsam, si tangatur vt colligatur, crispari & contrahi, vt Brassica Mutciana.

Duæ species. *Brassica Murciana.*

Sed herbæ viuæ historiam Acosta sic tradit. Nonnullis inquit Asiæ locis planta quædam inuenitur, vulgò *Herba viua* nuncupata, à Circumforaneis illis *Iogues* appellatis, *Herba amoris*, ab Arabibus & Turcis *Sulac*, & à Persis *Sulaque*. Exiguam habet radicem, è qua supra terram exiliunt octo ramuli duos digitos longi, foliis vtrinque in ordinem digestis, & inter se respondentibus onusti, quæ plurimùm ad Erui tenella folia accedunt, nec dissimilia sunt foliis prioris Polypodii, cuius iconem Lacuna exhibet l. 4. cap. 185. in Diosc. sed longè tenuiora, & vtrinque lævia, & grato virore oculos pascentia, vti Tamarindorum folia: è medio radicis capite exiliunt pediculi [nam caule caret] quatuor, singuli suum florem sustinentes, flauum, aspectu pulcherrimum, minoribus Caryophylleis similem, sed sine odore. Nascitur calidis & humidis locis. Adeò mira est huius plantulæ natura, vt eam humana ratio assequi nequeat. Nam cùm maximè viret, gratissimáque est aspectu, si quis illam apprehendere cupiat, illicò folia contrahit, atque sub tenues ramulos recondit: si verò apprehendat, subitò adeò marcida conspicitur, vt exsiccari putet. Sed quod maiore admiratione dignum est, si manum detrahat, illicò suum nitorem recuperat, & toties marcescit, atque reuirescit, quoties comprehenditur, aut manus ab ea retrahitur.

Herba Viua qua & Herba amoris exacte describitur. *Sulac.* *Sulaque.* *Erui folia. seu Polypodij.* *Flos.* *Mira plantæ natura.*

Testatur autem Acosta sibi relatum fuisse, Philosophum quendam in Malabar, dum nimis curiosè huius plantæ naturam obseruare & perpendere cuperet, amentem esse redditum. Plantam se conspexisse, eámque cum suo cæspite, nihil minùs quàm de ipsa cogitans, eruisse, & in hortum quendam transtulisse, vbi permanserit, at statuum mutare vidisse. Herbam Aeschynomenen Appollodori, Lusitani [Authore Dalecham. apud Plinium.] vocant Herbam viuam. Eius meminit Theoph. c. 3. l. 4. Oui ... in America Hist. & Iulius Cæs. Scalig. nec non Garcias.

Philosophi cuiusdam historia.

Hist. Lugd. quoque scribit esse, qui existiment, *Arborem pudicam* Scalig. esse eandem quam describsit foliis Polypodii, & Theoph. folio Filicis. Sed illa separat, & tribus distinctis locis agit de *Arbore pudica* Scal. de *Herba viua Acosta*, & de *herba tacta flaccescente*, & *alia se contrahente* Monardis, ita vt quatuor faciat differentias hoc capite descriptarum plantarum, inter se distinctas.

Nonnulli indigenæ Medici, vt Acosta perhibet, *Herbam viuam* affirmarunt vtilem esse ad virgines corruptas, in integrum [si credere fas est] restituendas, & ad reconciliandum amorem miræ esse efficaciæ. Gentilis Medicus, & pro ea regione satis doctus, cùm adeò cupidum cognoscendi huius herbæ facultates conspiceret, ait, vnam se edocturum adeò compertam & certam, vt ceruicem pro pignore deponeret, nisi sic se habere comperiret. Nempe vt illi cuiuspiam mulieris, qualiscunque etiam status, nomen modò indicaret, se effecturum vt illa in omnibus sibi [Acostæ] obsequeretur, dummodò ex ipsius præscripto herba vteretur. Sed conditionem respuisse ait, in re tam illicitâ. Nihil igitur aliud post diligentem inquisitionem de hac planta intelligere potuisse, quàm apud Gentiles, præsertim verò Brachmenes Canarinos & Iogues in magna æstimatione esse. Quodam die sibi accidisse plantas conquirenti non procul à flumine Mangate, vt Gentilem quendam humi sedentem, & verba quædam obmurmurantem, tanquam oraret, fortè conspiceret, quem cùm compellasset, nihil respondisse, sed suo interpreti, quem comitem duxerat Acosta, manu duntaxat innuisse: eum homine intellecto celeriter sese inde proripuisse, ac se quoque secedere iussisse, dicentem, Gentilem illum

Vires & vsus. *Virginitatis restauratio.* *Amoris illicitum.* *Historia.*

illum incantatorem esse cuiusdam illius regionis Capitanei, quem Caymal appellant, & illic fortes iacere supra Herbam viuam: id fieri solere expurgato prius circa ipsam plantam solo ad hominis longitudinem, recitarique quædam concepta verba, & expectari primam auem, aut rem animatam, quæ istam plantam prætergrederetur, dum verba obmurmuraret, cuius sanguine [si comprehendi posset] perluenda esset: sin minùs, alterius eiusdem speciei, idque cum multis ceremoniis hîc prætermittendis, cùm indignæ sint, vt scriptis mandentur. Idem testatur conspexisse se deinde istam plantam siccam inter suppellectilem mulieris prostitutæ pudicitiæ. Vt iam nobis videatur hæc herba potiùs impudica dicenda, quàm pudica.

Sortes gentilitia quomodo.

Herba impudica.

ARBOR VENEREM EXTINGVENS.

Cap. LVII.

Descriptio

HVic etiam impudicæ herbæ, aliam plantam tanquam prostitutæ pudicitię ἀντίχειμενον φάρμακον addidisse conueniat. Arbor quædam in India Peruana inuenitur, materie spongiosa, ex qua Indi nunquam ignem struent, tametsi quis illis mortis periculum minitetur. Aiunt enim, quotquot ad eius flammam siue ignem accedunt, aut quos fumus solummodò pertingit, in re Venerea impotentes fieri: Refert Monar. ex epistolis Petri de Osma. Quæ res, si fide non caret, lepidè sanè inuertet illud Terentii, Accede ad hunc ignem propiùs, & frigesces plus satis.

Venerem extinguit.

ARBOR AMBVLANTIBVS FOLIIS.

Cap. LVIII.

Descriptio

INsulæ Cimbulon vicina est alia, in qua nascitur arbor, cuius folia, cùm in terram deciderint gradiuntur perinde ac si viuerent. Ea Mori foliis multùm similia sunt, parte vtraque binos pedes breues & acutos habent: quibus abstractis sanguis minimè manat. Statim atque folium quis attigerit, illud mouetur & abit.

Mori foliis. Pedes

M. Ant. Pigafetta, qui hæc refert in itinerario, testatur se octo dies vnũ in scatula habuisse, quod cùm tangeret, circa scatulam iuisse: nec alia re quàm aëre viuere existimabat.

Eadem & Scaliger prodidit, sed nullo citato autore. Quasi ipse vidisset & habuisset. Varia tamen in eo, quod non pedibus abstractis, sed compressis nullum exire sanguinem scribit. Immensum profectò naturæ miraculum, nisi subsit id, quod suspicamur: nempe folia illa ex corruptela quadam & proprietate specifica ex arbore sua delapsa nobiliorem vitam acquirere, nempe sensitiuam, licet obscurè, quàm perpetuò cum motiua coniunctam esse Physici tradunt. Iamque non ampliùs erit de censu plantaceo, quia non sub plantæ forma, sed sub perfectiori. Mouentur enim: immò seipsas mouent & promouent. Immò & sentiunt. Tactæ enim abeunt, acre fugiunt. Viuunt igitur nunc vitam animalis. Quanquam equidem summum etiamnum videatur naturæ miraculum arboris folio animalem sociare ter sum & gressum.

Scal. not.

Eandem celebrat doctiss. Guiland. libello de Papyro, his verbis: Mirabilem plantam, qui Magellanicæ circumnauigationi interfuerunt memorant. Quippe in insula Cimbulon, quæ proxima est insulæ Burnei, conspexerunt arborem, cuius frondes in terram lapsæ, reptione quadam seipsas promouent: &c.

Locus.

An M. *Fumee* in hist. gen. Ind. Arbor cuius folia si cadant supra terram conuertuntur in vermes? Prouenit in Borney insula Indiæ.

Vermes.

AMBVLON ARBOR.

Cap. LIX.

Descriptio

NOminis affinitas & hanc iungat. Ambulabat ista reipsa: hæc nomine solo. Arbor est, cui nomen Ambulon, quam fert Atuchet insula: cuius è cortice fructus exit candidus, Sacchari specie, & magnitudine Coriandri. Scaligerum vidisse & nouisse dicas, tam confidenter refert, nec dicto autore.

Scal. not.

ARBOR MVSCARVM SPLENDENTIVM.

Cap. LX.

VErsamur sanè inter mirabilia. Ad quandam figuram Cosmographicam ab Anonymo quodam hæc annotata. De arborum specie legitur, quæ nullos peculiares atque vsui aptos pariunt fructus: sed noctu examine muscarum cinguntur, quarum quæque radiantem lucem de se spargit, non aliter ac si plurimæ candelæ circa arborem accensæ essent, haud exiguam admirationem & terrorem incutientes iis, qui eius rei ignari, de improuiso in eam incidunt.

Musca splendentes.

ARBORES MAXIMAE ALTITVDINIS & crassitudinis: vt Ceibæ.

Cap. LXI.

INter hæc arborum miracula, libet & naturæ potentiam celebrare in arborum vasta & propemodum immensa altitudine & magnitudine.

Vasta Indiæ arbores Strabonis.

Scribit Strabo lib. 15. de Indicis arboribus. Qui dixerunt trans Hyarotidem visam fuisse arborem, quæ vmbram in meridie faceret quinque stadiorum, cunctos exuperant de arborum magnitudine.

Refert Theophrast. In Corsica (vulg. Basil. codex κορσίκῃ, pro eo quod in Aldin. legebatur ἐν τῇ κύρνῳ. Correctionem approbant Scal. & Gaza.) nasci ligna ad miraculum vsque procera, enodia, læuia, sed vastâ magnitudine arbores, magnoque discrimine reliquas excedentes. Et quamuis in Latino agro Abietes & Pini [πεῦκαι] tam magnitudine quàm pulchritudine inter omnes arbores præstent, has tamen nihil esse ad illas. Romanos enim aliquando oppidi condendi causa in eam insulam nauibus quinque & viginti profectos, tam vastis arboribus locus dicitur excepisse, vt nauigantes per sinus quosdam & portus, telas & vela densosque malos passim & variè perruperint & dilacerarint: & omninò totam illam insulam conferussimam & quasi efferatam immani illo arbo-

Corsica arbores maxima Theophr.

Digitized by Google

rum stipatu. Quamobrem Romanos à condendo oppido destitisse. Sed nonnullos ingressos exiguo loci spatio, tam largam cæcidisse materiem, vt ratem percondERENT quinquaginta velis ducendam, quàm in Pelago periisse addunt.

Annotat Scal. nunc in Corsica non esse ea miracula arborum, quæ iactat Theophr. Et Romanos fatuos, qui à litore non abstiterent priùs, quàm arborum proceritate, atque frequentiâ, quas procul liceret [vt mos est nauigantibus] conspicari, vela scinderentur. Fidem propemodum excedit quod canit Virg. Georg 2.

Vasta arb. Indiæ Virg.

Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis: vbi aëra vincere summum
Arboris haud vllæ iactu potuere sagittæ.

Virgilium & Valerius Flaccus imitatur, eandem arborum enormitatem exprimens. Quod cùm legisset Plin. aut fortè aliunde quoque vel auditione lectionéve didicisset, in India tam altè scripsit arbores ascendere suis fastigiis, vt sagittis superari nequeant. Constituit etiam quibusdam designatam proceritatem, ad centum scilicet quadraginta quatuor [CXIIII. CII.] pedes: sed eas quia nomine tenus tradit, dicemus suis locis.

Petrus Martyr.

Sic & Petrus Martyr de rebus Oceanicis & nouo Orbe, illarum arborum altitudinem prædicat tantam, vt nulla virilis lacerti vis sit, quæ domum ædificatam in illis iactu lapidis attingere sufficiat. Ex illis arboribus plerasque dimensos brachiorum ambitu viros septem interdum octo stantes vix complexos esse. *Idem alibi*: Arbores ibi esse ita proceras balbutiunt, vt pleræque sexdecim hominum manu iunctorum in gyrum vix lacertis concludi queirent.

Mira arborum crassities.

Ac vtrumque hominum numerum pro amplexu cor firmat quoque M. Fumee in Hist. Gen. Indiæ Occid. traditque ibi vnam ingentis esse altitudinis, supra quam morabatur Indus Caciqua Abibaba. Et rursus alio loco: Arbores, inquit, altissimæ in Nicaragua, inter quas quædam vocatur Cerba, tantæ crassitudinis, vt quindecim homines amplecti non possint.

Cerba Arbor.

Ceiba arboris descriptio.

Referunt enim, vt annotat Cardanus, ibi quandam inuentam è Ceibæ genere [nam hoc est arboris genus omnium maximæ] trifidam inter cæteras, cuius singuli trunci viginti pedum ambitu cingebantur. Spatia verò ipsa inter truncos iuxta terram totidem pedibus distabant: per ipsa verò spatia currus onustus pulchrè duci poterat. At vbi trunci in vnum coibant: hoc autem à terra procul fermè pedibus quindecim, crassitudo arboris pedum erat quadragintaquinque. Ab ima parte crassioris trunci, vsque ad locum vbi primò prodibant rami, pedes octoginta: superior pars, ex qua rami pendebant, absque mensuræ modo. Huius tantæ proceritatis causa solum fœcundum, cæli robur, arboris natura: nam Lignum eius leuissimum est, terræ modicùm & tenuioris habens, humidi plurimùm. Eandem arborem Cerba in Nicaragua nasci ex authoritate Historiographi Indiæ Occid. refert, vt quindecim homines eam circumplecti nequeant. Ex eodem narrat duas visas, alteram octo, alteram sexdecim hominum amplexus excedentem. Tot sanè Authorum consensus fidem sibi derogari vetat. Mirum tamen, nullum eorum, qui de Indicis plantis ex professo prodidêre, qui quidem hactenus ad nostras peruenerit manus, illas arbores descripsisse, non Garciam, non Acostam, non Monardem.

Lignum leuissimum.

ARBOR FARINIFERA.

CAP. LX.

Descriptio.

Non admiratione caret, [inquit Clus. Exot.] *Arboris Fariniferæ* natura, quam illi, qui generoso viro Francisco Drake, Equiti, [dum totum Orbem circumnauigauit] comites fuerût, obseruabant. Referebant, anno 1581. præcedentem anno inde reduces in Tarenate Insula æquatore proxima ad Arcticum Polum vergente nasci arboream quandam plantam, cuius truncus humanæ coxæ crassitudinem æquaret, decem verò pedum altitudinem attingeret: summo fastigio in orbiculatum caput Brassicæ



capitatæ instar extuberantem, in cuius meditullio natura quandam candidam farinam produceret ad illius insulæ homines tenuioris fortunæ sustentandum: Eam diligenter colligere, deinde affusâ, siue inspersa veriùs, modica aqua, fermentare, pinsere, & in formulas quasdam coctili latere constantes immittere longa serie, atque prunis ardentibus circumquaque admotis & super etiam impositis coquere. Erant verò ii panes [liba, siue placentæ] interdum palmares, vnciali crassitie, quibus illius insulæ incolæ calidis & recenter coctis vesci solerent: at vbi induruissent, tepidâ aquâ macerantes pultis modo ederent. Insipidi saporis esse, cùm degustarem, hic panis mihi videbatur. Verùm iniecto Piperis aut Cinamomi momento cum saccharo, nonnullis deliciæ esse queat. Eiusmodi panis bina fragmenta, quæ à nostri Morgani opera accepimus, hac tabella exprimi curauimus.

Vsus.

Panes.

Zagu.

Præparatio ad panem.

An hæc porrò Zagu, cuius meminit Ferd. Lopes Ind. Hist. l.6.c.11? Scribit enim ex eius medulla panem fieri in hunc modum. Medullam exemptam in fictilia inicientes, aqua salsa macerant, post aliquot dies Soli exponunt, resiccatam mandant, vel ex eius farina seu polline panem conficiunt, nostro [vidi enim] qui ex secale fit, colore & sapore persimilem.

Sagu.

Antonius Pigafetta, qui primus orbem naue, cui insigne Victoria circuiuit, in suo Itinerario Sagu per s. non per z. scribit.

Pal Fenol arbore Farinifera.

Nec incommodè fortassis ea censeri possit, cuius meminit M. Polus Venetus lib. 3. sui Itinerarii, de regno Fansur agens, his verbis, quæ de Italico sermone ita reddebam: etenim Latinus interpres satis negligenter suo munere functus, mihi videtur. In ea, inquit, Prouincia, vastarum arborum genus est quas duorum virorum vlnæ vix amplecti queant: harum adempto cortice, qui tenuis est succedit ligni materies, medullam in se con-

continens farinaceam, similem [vernaculo eius sermone vtar] à quella de catuol o[carici lignorũ] Hæc in figulinum vas aqua plenum, iniecta, baculo agitatur, vt furfures & sordes supernatét, puraq; farina subsidat; effusa deinde aquâ, fit è repurgata farina, massa ad varii generis edulia conficienda, idonea, quæ sæpiùs edisse, & non nulla Venetias vsque detulisse refert, pani hordeaceo, colore & sapore simulta. Illius arboris lignum ferro confecti potest, nam in aquam iniectum, sidit illicò & mergitur, directéque, vt harundo donax finditur. Ex eo incolæ lanceas sibi parant, sed breues [longas enim ob nimiam grauitatem nemo ferre posset quorum extimam partem in cuspidem excauant, & adurunt: his quamlibet armaturam faciliùs penetrant, quàm si ferrea cuspide munitæ essent. Alibi lib.2.cap.16.scribit Ternatem insulam, neque Oryzam ferre, aut alias fruges è quibus panem conficere queant, eam ob causam, ab arbore materiâ illos petere necesse quâ panis loco vtantur. Eam itaque arborem recisam in multas partes findunt, quas malleis ex crassa arundine factis condũt, atque inde eliciunt veluti farinam quandam ipsis *Sagge* appellatam [ea haud dubiè *Sagu*, siu *Zagu*, de qua mox dictum] scobi lignorum, quæ serra resecta sunt, similem, ex qua panis satis albi placentas quadrangulas conficiũt palmi magnitudine, quibus non modò vescuntur, sed magnâ ferè ex parte sua mercimonia exercét, harum permutatione alias res quibus indigent, redimentes.

Ad edulia. *Lignum.* *Panis ex arbore* *Sagge farina.*

ARBOR FARINIFERA VENENATI SVCCI

Cap. LXIII.

Arbor cuius scarificatę liquor venenatus Risagali modo mortifer, radix tamen edulis, ex qua faciunt farinam Syluestres in insulis Canibalinis dictis, vti fit in America, licèt arbor differat trunco, ramis, & foliis.

Quæ de Iuca traduntur, habent quę conueniunt cum hac arbore, vt videre est sub cap. de Manihot & Iuca. Meminit & Scal. apud Theophr. exitialis Indicæ plantæ, cuius è farina, succo abiecto, conficiunt panes.

BAXANA ARBOR VENENATA aliaque similis, si non eadem.

Cap. LXIV.

Ab insula Ormuz decem miliaribus distat ea quæ Queiône nominatur, è regione illius sita, olim Principum quorundam deliciæ, nunc inculta & deserta, tum quòd magna ex parte diruta sit ob vehementes terræ motus, tum ob viperarum, aspidum, colubrorum, qui colore à nostris valdè differunt, atque serpentium omnis generis copiam, quæ illic stabulantur: ex quibus tam venenata & pestilens aura exhalat, vt non solùm homines perimat, qui vel aliquantulam moram illic fecerint, sed etiam stirpes ipsas inficiat, in quibus est arbor *Baxana*, cuius fructus vel minimùm degustatus, mox suffocat: id quod ipsius etiam vmbra præstat, si quis vel quadrantem horę sub ea moretur. Cùm tamen aliis in regionibus eiusdem arboris radix venenorum omnium sit antidotus, illic lethalis, nec non & folium ipsius, & fructus qui *Rabuxit* vocatur. *Theuet.*

Arbor Baxana *Venenorũ antidotum.* *Rabuxit*

De eadem aut certè simili arbore scribit Pet. Martyr de rebus Oceani & noui Orbis. Est arbor, cuius si folia nudum corpus tetigerint, vibices eleuent ingentes: & nisi illis aqua marina vel saliua matutina medeatur, illicò lethalem suo veneno excitent dolorem. Hanc arborem & Hispaniola parit. Eius etiam lignum olfactu aiunt esse mortiferum, nec portari à quoquam lignum posse sine vitæ periculo. Reperti sunt eo ligno voluisse Primarios noctu dormientes suffumigatos interimere. Habent ipsi genus herbæ, cuius odore fulti remedium sibi comparant ab eius ligni veneno, vt portare illud queant indemnes.

Lignum mortiferũ. *Remedium*

ARBOR VENENATA ALIA.

Cap. LXV.

Inter Peru & Canibales multæ sunt insulæ, quæ vnius imperio parent, quem *Casique* nominãt: in quarum maxima, in qua sæpiùs Rex habitat, arbor nascitur fructum ferens magnitudine pilæ Palmæ, visu speciosum, sed venenatum. Huius succo Barbari sagittas imbuunt, iis aduersus hostes in prœliis vsuri. *Theuet.*

Locus *Vsus.*

ARBORES NAVTICÆ, VT ANGELINA.

Cap. XLVI.

Ad figuram æneam à Io. Linschottano annotatum, in Oriente Arbores esse crassitudine mirabiles, ex quibus etiam nauigia conficiantur. Circa Cochinum Arborem esse, quam *Angelinam* vocant, ex qua itidem naues ædificentur, quas *Tones* nominant, integro trunco capacissimo & durissimo: nam & ferrum duritie sua rodere. Nullas in hisce nauigiis commissuras esse: ita excauatum duntaxat lignum pelago innatare. An Acosta easdem intelligit quando ait. Colubrinum lignum proueniens locis humidis & inter arbores præsertim secundum eas quæ *Angelins* nuncupantur, nec procul à mari.

Angelina *Colubrinũ lignum.*

An easdem Osorius? Brasilianorum nauiculæ sunt ex magnis arborum corticibus, quædam ita amplæ, vt 30. homines facilè capiant. Nam Indi alueis ex singulis arboribus cauatis nauigãt, quas Cymbas illi *Piraguas* vocant, & earum maximæ quinquaginta circiter homines ferunt: vt notat *Benzo.*

ARBOR CANOARVM SIVE NAVIcularum Indorum.

Arbor est aliquot ramulos supernè protrudens, ex qua Indi suas carinas, quas *Canoas* illi, Nostri *Nachen* vocant, conficiunt. Bry fratres Icon. part.4. Ind. Or. Earundem meminit Itinerarium anni 1599. quarum vsus in Insula S. Mariæ. Canoas insuper incolæ Hispanæ insulæ norunt, cymbas siquidem, non tamen ferro, sed cote pręacuta excauant, easque *Canoas* appellant. Testa-

Descriptiõ

Dig

Arbor nauigij.



tur hoc Maximilianus Transiluanus, dum inquit: accedunt aliam exilem Insulam Indiæ, vbi duas Canoas Indorum conspiciunt, sic enim hoc genus nauigii, quod peregrinum est, ab Indis nuncupari solet, est enim excisum, cauatúmque ex vnico arboris trunco, capitque vnum, vel ad summum, alterum hominem.

Hanc est in inferiore tabellæ parte Aphyllon Indicum.

ARBORIS YGA CORTEX AD NAVIGIA.

SVnt arbores [inquit Io. Stadius] in regione Yga, Yuera dictę, hásque integras decorticant, à summo vsque ad imum, & vt cortex illæsus detrahatur, peculiari apparatu arbores cingũt, hinc cortices detractos in montes prope mare ferunt, & ignibus excalefactos, in vtraque extremitate multùm incuruant, per medium ligna transuersa religant ne dilatentur: & scaphas ita conformant, quarum singulæ vel triginta viros armatos bello inuehere sufficiant. *Cortices amplissimi ad nauigia*

Cortex hic pollicaris est crassitudinis, latus quatuor circiter pedes, longus verò quadraginta, alii etiam longiores sunt, alii breuiores. Has illi, Scaphas summa agilitate impellunt, & quò libet locorum in iis vehuntur. Si mare impetuosum est, subducunt eas in terram, donec serenitas redeat. Vltra duo milliaria in altum non progrediuntur sed secus littus pro libitu procul excurrunt. **Descriptio**

FINIS LIBRI QVARTI.

Digitized by Google

HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER QVINTVS.

ARBORES ET FRVTICES BACCIFEROS, MINORESQVE BACCAS FERENTES HABET.

POst variam illam exotici Orbis diuitiarum lustrationem, nunc propiùs ad nostrum Orbem gressum & oculos dirigentes, vnâ quasi tribu complexas dicamus Bacciferas. Baccas tam non adeò strictè sumi velimus, quarum ex edicto Plinij, intus lignum, & extra caro, vt Vlmis, Cerasis: nec tam vago significatu, vt eadem his cum Pomis naturæ tribuatur com eodem: sed potissimùm, quas veriùs bacculas dicas: quanquam & Ebuli baccas dixerit Virgilius, & Hederam bacciferam Seneca, nihilò, Hercle, minùs ac Oleam, Laurum &c. Inter illas Choragij tus tribuatur Myrto, ne eam negligentes, fortè ad Myrtum canere iubeamur.

DE MYRTIS IN GENERE

CAP. I.

MYrto Theoph. ramos tenues tribuit, perpetua coma virentes, folijs crebris angustis & odoratis: flores fructibus insidentes: ait fructificare ex annotinis: fructum esse vinosum. In fruticem transire, nisi sæpiùs purgetur: monte Cyrenæo Coronarij generis videri, cùm cæteræ ampla exeant magnitudine. Semine satam degenerare, & ex fructu nigro rubrum fieri. In Ægypto tenuem esse, & odore longè præstantiorem: fructu exiguo, nec candido sed nigro. Hæc sparsim Theoph. cum iis quę suis dicenda locis. Agnoscit igitur has differentias: *Coronariam*, cui quasi opponit magnitudine *amplam, candidam, & nigram*, respectu fructuum. Agnouit & *Myrtum absque semine* ἀπύρηνον, sed arte & Mangonio factam, vti dicitur.

Differentiæ Theoph.
1. *Coronaria.*
2. *Magna.*
3. *Candida.*
4. *Nigra.*
5. *Apyrinos.*

Quatuor quæstiones Arist. de Myrto.

1\. Quærit Aristoteles, cur nigræ Myrti copiosiores sint frondes, quàm albæ? An inquit, quòd nigræ generis sunt siluestrioris? Cuius iudicium, quòd locis rusticis istæ proueniunt, minimèque ex cultu mutantur. Humida autem omnia fronde crebriore conduntur. Quòd enim minùs suos fructus decoquere possunt, idcircò ad frondem alimentum se conuertit.

2\. Idem quærit, quam ob causam Myrta collisa in manu dulciora sentiamus, quàm integra? An quemad. racemorum acini vindemiati dulciores sunt quàm non vindemiati. Etenim musto, quod natura suaue est excepti acini quasi conduntur: quippe qui vel extrinsecus multum resudent, ac qui in racemo cohærent, vtique insuauiores existunt. Ergo Myrta quoque natura dulcia, intúsque suam dulcedinem acinorum in modum vuæ continentia, vbi manu compressa, conflictataque sunt, diffusâ intestina dulcedine, parte quoque exteriore inopplentur: itaque dulciora non immeritò sentiuntur.

3\. Sed cur Myrta enucleatiora [ἀπυρηνότερα] sunt quæ minora? An quia minùs perfecta sunt quæ minora: idcircò semen continent imperfectum, cui perinde, vt finis, nucleus deputatus est: quamobrem & minora sunt, vtpote surculi quidem agnati exteriores partusque imperfecti, & minus dulcia, quàm quæ iustum continent nucleum: sunt enim minus concocta. Concoctio autem, non nisi perfectio est.

4\. Cur denique fructus Myrtorum non conditarum magis quàm folia, defluant, conditarum autem, reseruatarumque Alga [τῷ φύκει] vt fit, folia defluant, fructus adhæreant? An ita euenit non conditis: quoniam natura sancitum est, vt fructus peracta decoctione flaccescant ac decidant: quæ quidem decoctio in repositis fieri non potest, sed Algæ vapore prohibetur, ne humor fructus peruertatur ac immutetur: folia contrà cùm liccescant, decidunt. Algæ autem, vt salsa, exsiccandi vim habent. Ergo non idem folijs accidit arbori adhærentibus, & conditis, modo quo dictum est. *Hæc fere Arist. de Myrtis habet.*

Apud Diosc. est μυρσίνη ἥμερος, id est, satiua: & μυρσίνη ἀγρία, siluestris, id est, Ruscus. Satiua duplex, μέλαινα, & λευκή, nigra & alba: & in eo ipso genere accommodatior ἡ ὀρεινή, montana. Myrto siluestri suæ, folium tribuit Myrti, sed latius &c. de qua alibi.

Differentia Diosc.
Satiua.
Nigra.
Candida.
Montana.

Cato Myrtum coniugulam habet & albam &

 V ij

nigram: sed Colum. duo tantùm Myrti genera agnoscit, nigrum & album.

Martidanum Hip. Ruell. not.

Hippoc. Martidanum videtur nominasse, vt obseruauit Ruell. Myrtidanũ verò ipsum Piper. Hinc fortè Ruell. satis imperitè Myrti baccis, Piperis gustũ tribuit: quamuis idem magna securitate dicat Curtius.

Succus.

Myrto Plin. tribuit folia perpetuò virentia, angusta, disposita. Sed succorum natura, vt idem refert ex Theoph. præcipuam admirationem in Myrto habet, quando ex vna omnium Olei vinique bina genera fiunt, de quibus inter vires. Arbor ipsa, inquit idem, in Europæ citeriore coelo, [solo. Dal.] quod à Ceraunijs montibus incipit, primùm Circeijs in Elpenoris tumulo visa traditur: Græcùmque ei nomen remanet, quo peregrinam esse apparet. Fuit vbi nunc Roma est, iam tum cùm conderetur. Quippe ita traditur: Myrtea Verbena Romanos Sabinosque, cùm propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos in eo loco, qui nunc signa Veneris Cluacinæ habet. Cluere enim antiqui purgare [pugnare. Gr. Gyral.] dicebant. Et in ea quoque arbore suffimenti genus habetur. Ideo tum electa, quoniam coniunctioni, & huic arbori Venus præest. Haud scio, an prima etiam omnium in locis publicis Romæ sata sit, fatidico quidem & memorabili augurio. Inter antiquissima namque delubra habetur Quirini, hoc est ipsius Romuli. In eo sacræ fuere Myrti duæ, ante ædem ipsam per longum tempus, altera patritia appellata: altera plebeia. Patritia multis annis præualuit, flaccescente plebeia, exuberans ac læta: quamdiu Senatus quoque floruit, illa vigens, plebeia retorrida, & squalida. Quæ posteaquam eualuit flaccescente patritia Marsico bello, languida autoritas Patrum facta est, ac paulatim in sterilitatem emarcuit maiestas. Quin & ara vetus fuit Veneri Myrteæ, quam nunc Murtiam vocant. Cato tria genera Myrti prodidit: nigram, candidam, coniugulam, fortassis à coniugijs: ex illo & Cluacinæ genere. Nunc & alia distinctio: satiuæ aut siluestris, & in vtraque latifoliæ. In siluestri propria oxymyrsine. Satiuarum genera topiarij faciunt. Tarentinam folio minuto, nostratem patulo, exoticam densissimo, senis foliorum versibus. Hæc non est in vsu. Ramosa vtraque alia. Coniugulam existimo nunc nostratem dici. Myrtus odoratissima est in Ægypto.

Myrtea Verbena.

Romæ sacræ Myrti duæ.

Patritia. Plebeia.

Venus Myrtea. Catonis tres Myrti. Coniugula. Cluacina. Differentiæ Plin. Siluestris. Tarentina. Nostras. Exotica. Coniugula.

Hermol. pro Coniugula legit Coniugalis, sicque in vetusto Catonis codice legisse se testatur Io. Maria. Illud potiùs annotandum, quod dicebamus Columellam duo Myrti genera tantùm fecisse, tanquam Catonis verba sint aliter accipienda, quàm Plin. senserit: coniugalem scilicet Myrti albæ & nigræ epithetum, quòd esset idonea ad connubium, & non Myrti tertium genus. Nam coniunctioni præerat Venus, cui hæc arbor sacra, eiusque tutelæ subiecta. Quare Virgilius,

Cato & Plin. illustr.

Myrtus Veneri sacra.

Formosæ Myrtus Veneri.

Et apud eundem, Æneas Veneris filius spectaturus ludos,

Velat materna tempora Myrto.

Et alibi de Augusto Iulij adoptiuo.

Et te maximus orbis
Autorem frugum, tempestatumque potentem,
Accipiat, cingens materna tempora Myrto.

Habuit enim Iulius originem ab Ænea, vt tradunt: de quo idem:

Solido Paphiæ de robore Myrtus.

Silua Myrtea apud Inferos.

Hic etiam Siluam Myrteam apud Inferos cingere campos fingit, in quibus essent, qui amore roderentur, quòd Venus amoris dea esset. Æneid. l. 6.

Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi, sic illos nomine dicunt:
Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & Myrtea circum
Sylua tegit.

Myrtus Paphia.

Statius etiam Myrtum Paphiam vocat, propter insulam Paphum Veneri dicatam. Mulieres insuper, vt Plutarchus in Numa prodit, mense Aprili, Veneri sacrificabant, quòd is mensis huic Deæ sacratus esset, ad cuius Calendas Myrto coronatæ lauarentur. Veneri Myrteæ Romæ ad vicum intimum sub monte Auentino ara vetus fuit. M. autem Varro Murtatam vocabat. Postea verò Plutarcho, Murtia dicta est. Quod probat Liuius, dum ait: Ad Murtiam datas sedes Latinis; scilicet à Rege Anco, ad habitandum. Et Apul. l. 6 sui Asini aurei: Conueniant, inquit, retrò ad metas Murtias Mercurium prædicatoré.

Murtata. Venus Murtia Venus.

Veneri simulachrum ex Myrto pullulãte ad flumẽ Hermum fecit Pelops. Quare Hippodamiæ consecutus est nuptias. Nunc prosequendum, quare Myrtus Veneri dicata sit: & variæ à pluribus opiniones assignantur. Phurnutus hanc rationem esse ait, quòd hæc planta ad amores conciliandos faciat. Alii quòd Venus in mari, videlicet Cyprio nata sit, vnde ἀφροδίτη & Cyprigena. Amat enim Myrtus maris littora: quare Veneri sacra: vel, vt etiã Seruius ait, quòd huius arboris in mulierum necessitatibus vsus multus ac plurimus sit, sicuti Medicorum Libri indicant, & nos inter vires declarabimus, quantùm feret institutum. Cæteri verò ob arboris odorem: nempe Venus & odoribus & vnguentis delectatur. Græcorum etiam antiqui Musici, vt Plutarch. in Sympos. l. 1. ex Aristoxeno & Phili autoritate scribit, dispositis circa vnam mensam lectis, accumbẽtes Myrteis, per vices, coronis redimiti, sententias & amatorias cãtilenas, per obliqua carmina succinere consueuerãt. Hæc ita collecta diligentiã Curtii.

Veneris simulachrum ex Myrto. Cur Myrtus Veneri dicata.

Veterum ... Græcorum ...

Bellicis quoque se rebus inseruit Myrtus, vt prodidit Plin. triumphansque de Sabinis Posthumius Tubertus in Consulatu [qui primus omnium ouãs ingressus vrbem est, quoniã rem leuiter sine cruore gesserat] Myrto Veneris Victricis coronatus incessit, optabilemque arborem etiam hostibus fecit. Hæc postea ouantium fuit corona, excepto M. Crasso, qui fugitiuis & Spartaco Laurea coronatus incessit. Massurius autor est, curru quoque triumphantes Myrtea corona vsos. L. Piso tradit Papyrium Massonem qui primus in monte Albano triumphauit de Corsis, Myrto coronatũ ludos Circenses spectare solitum. Auus maternus Africani sequẽtis hic fuit, M. Valerius duabus coronis vtebatur, Laurea & Myrtea: qui & hoc voueerat. Myrto, quod Plin. tacet, & annotat Dal. mortuorum busta etiam Græci ornarunt, cùm inferias soluerent, vt videre est apud Euripidem in Electra.

Myrtea ... Ouantium Corona.

Myrto busta ornarunt Græci.

Ἀγαμέμνονος δὲ τύμβος ἠτιμασμένος,
πώποτ' οὐ χοὰς, οὐδὲ κλῶνα Μυρσίνης
ἔλαβε, πυρὰ δὲ χέρσος ἀγλαϊσμάτων.

Cui respondet Agamemnonis alter:

ἦλθον γὰρ αὐτοῦ πρὸς τάφον πάρεργ' ὁδοῦ,
καὶ προσπεσὼν ἔκλαυσ' ἐρημίας τυχὼν,
σπονδάς τε λύσας ἀσκὸν ὃν φέρω ξένοις
ἔσπεισα, τύμβῳ δ' ἀμφέθηκα μυρσίνας.

Præterea qui olim in conuiuiis scholia carmini cãtabant, Myrtum, Laurumue manu tenebant: Laurum, qui versus Homericos recitarent: Myrtũm, qui Aeschili, Simonidis, Stesicori. Dicæarchus lib. de certaminibus musicis. Eubulus in Auge apud

Veteris ... Myrtus.

apud Athen. corónas etiam Myrti celebrat:

A. Coronas fortasfis vultis, an e Serpyllo,
An e Myrto? alia defloruerunt.
Has e Myrto nos volumus:
Alias omnes his exceptis vendito.

Controversum fuit apud Græcos, quodnam coronæ genus esset Anacreonti Naucratides appellatum. Et pluribus visum est, non aliud esse, quam ex Myrto, Rosis comitantibus: quamuis alii aliter interpretentur. Celebris est Hyppoliti & Phædrę amoribus Trœzenia, cuius folia, vt inquit Pausan. prope Veneris delubrum satæ, perforata nascebantur: iniuriam videlicet ferentia sæuientis vnguibus & cala nistris fœminæ.

Corona Naucratides. *Myrtus Trœzenia.*

Aliam commenti sunt Græci Fabulam: Myrsinē Atticam fuisse puellam pulchritudine ac robore insignem, vt reliquas puellas omnes, ipsosque adeo iuuenes fortitudine superasse, ideoque Palladi, vel vt alii, Mineruæ gratissimam. Hanc in palæstris ac ludis semper versatam, & vincētes coronasse. Cùm autem certamine iuuenes quosdam superasset, ab eis ob inuidiam interfectam: Sed Mineruæ fauore in Myrtum conuersam. Ita factū vt ne mors quidem eius amicitiam deleuerit, Myrto à Dea illa etiamnum peramata. Eiusmodi nugis Græculi suas spes & cogitationes delectabant, ex quibus tamen mysticum sensum elicere norunt ingeniosi ac docti.

Myrsines fabula.

Lesbii, vt inquit Athen. Myrti ramulos hypothymidas vocant: iis se coronant implexis floribus: Alii pectorales coronas, quibus & ceruices quoq; redimibāt, hypothymiadas hypothymidasque dicebant. E Myrto constant & Hellotides vocatæ, ambitus ingentis, cubitorum vicenûm: ab Europa dictę, quam Ellotida Corinthii appellant, quòd eius ossa in Myrto condita ferantur. Quidam Elotida & Mineruam dictam volunt. *Canere ad Myrtum* prouerbio dicitur. In conuiuiis enim mos antiquus fuit, vt vnusquisque suam cantionem cātillaret. Quòd si quis cytharā accipere recusasset, (quod & Themistocli euenit, aliàs doctissimo, sed eo ipso indoctiori habito) vtpote Musices ignarus, is per iocum accepto ramo vel Lauro, vel Myrteo, ad eum canere cogebatur.

E Myrto, Corona Hypothymides. *Hellotides.* *Canere ad Myrtum.*

Plutarchus in prim. simp. aliter: Mos antiquus fuit vt in principio cōvivii voce cōmuni primùm, Deum canerent: deinde Myrti ramū, quem *ἄισακον* vocarent, vnicuique traderent post circumlatam lyram. Alii dicunt Myrtum ordine non solere circumduci, sed è sponda ad spondam transferri, vt postquam cecinisset is, qui in prima spōda primus sedebat, ei traderet qui in sec. lecto prim. accumberet. Hic rursus tertii lecti primo. Deinde rursum primi lecti secundus secundo, in secunda sponda sedenti, vt ad hunc modum per omnes iret. De ignaris dicitur.

Redeamus ad Myrti historiam: quam Ouid. vnico versu geminam dixit:

Myrtea silva subest bicoloribus obsita baccis:

Baccas quippe candidas, vel in purpura albicantes, candida: nigra nigras parit.

Candida. Nigra.

Barbari ex Myrtis, Myrtillis & Cubebis differētiam facientes, Cubebas vocant *Myrtos albos*: nigras verò *Myrtillos*.

Cubeba. Myrtills. Myrtus sterilis Fructifera

Bellon. meminit Myrti sterilis, & fructiferæ folio lato circa Athos montem, nulla facta mentione coloris fructus: verùm alibi scribit se reperisse in Amani montis inferiore parte Myrtum fructu albo: item planiciem Cæsareæ Ciliciæ abundare eā, & planiciem in qua Alexandri & Darii conflictus habitus, copiosam, sed tantùm fructu albo: sed non docet quo folio sit Myrtus alba. Pòst verò annotat inueniri inter Alexandriam & Rosettam iuxta mare paruas Myrtos nigras.

Locus

Matthiolo Myrtus tam satiua quàm silvestris nigra & alba, vna icone folio latiore expressa: secunda Tarentina: Tertia Exotica:

Pars Myrtus nigra Differentiæ Matth.

Lacunæ quoque & domestiua & silvestris fructu est albo & nigro.

Turnerus in Anglico suo Herbario Myrti differentias ex Dios. ita digessit, & his aptauit. Duo, [inquit] habet Myrti genera Dios. De Myrto satiua libro primo agit: De silvestri, Latinè Rusco, lib. 4. etsi innuere videatur, p̄ter Ruscum, aliam esse Myrtum silvestrem. Duo facit idem Dios. Myrti satiuæ genera: Albam, [Angl. **Wite myrt vel myrtel tree**] & Nigram: (Angl. **Black myrtel tree**) quarum vnam vidisse ait Bononiæ, quintuplò minoribus foliis, quàm à Matth. nomine Myrti vulgaris satiuæ proponitur. Eandem vidisse in Apennino: sed qui demostrabant, Myrtum sylvestrem denominasse: illam verò foliis minoribus, [quam reuera censet Myrtum satiuam Tarentinam] solam Myrtum satiuam. Ego tamen [inquit ille] hac in re Matthiolo potiùs assentior quàm contrarium sentientibus. Quanquam videtur mihi Matth. Ruscum nimis exiguis foliis pingere, Myrtum autem [alterius ratione] nimis latis, magnisque, siquidem Dios. in Myrti silu. seu Rusci descriptione [Angl. **Bochers broome**] folia ei tribuit latiora quàm satiuæ Myrto. Vtramque vidi. Et certè erratum est in tenuitate foliorū Rusci; vt in Rusco dicetur fusiùs.

Myrtus vulgaris satiua. *Satiua alba.* *Myrtus Tarentina.*

Satiuæ Myrti rami lenti, cortex ruber, folia longa, æterni viroris, ad Punicæ folia accedentia. Albæ folia candidiora: Nigræ nigriora. Vtrisque flores albi, odorati. Satiuis baccæ maiores, quàm silueſtribus.

Satiua Myrtus. In quibus differat alba à nigra.

Cæterùm Turneri Myrtus visa Bononiæ nobis videtur Tarentina, quæ sanè olim non pingebatur à Matth. Dubitamus an Turner. viderit in Apennino Myrti illius speciem spontaneam, quā Matth. pro satiua & vulgari pingit. Scimus autem cultam non minora habere folia Rusco: & apud Turner. parte secund. cap. de Rusco positam iconem Myrti vulgaris pro Rusco, non tamen bonam, sub titulo Sabinæ. Non displicet illa sententia, quæ asserit Tarentinam esse satiuam Diosc. vt postea dicetur.

Turner. ass.

Dod. notante, Myrtus frutex haud magnus, cultura in exiguam arboris speciem quandoque adolescit: folia vni minuta, alteri verò maiora, & Vincæperuincæ vulgaris æmula: tertiæ autem mediæ magnitudinis. Sunt eadem nonnullis rariora; quibusdam frequentia. Fructus sunt baccæ oblongę, colore aut nigrę aut subalbidę. Hæ Dod. qui pro suis differentijs quatuor proponit icones plantarum, sibi non benè (vt existimamus) cognitarum: nec etiam videntur ritè eius accommodatę differentijs. Olim in hist. Gal. duas tradebat Myrtos sub vna icone, magnam & paruam.

Dod. not.

Annotat Clus. se in Hispanica sua peregrinatione aliisque locis multa genera Myrtorum obseruasse, nec dubitare quin ex satione maior adhuc varietas oriri possit. Myrtus, Græcis *μύρτος*, *μυρσίνη*, *μύρρινος* vel *μυρσίνη*: illud apud Aristoph. & Plat. hoc apud Gal. *μυρσίνη*. Theophr. *μυρσίνη*. Polluci. Archilochus Myrton vocauit; & Græci Comici phibaleon, vt Antiphanes, notante Hermol. Non philaleon, vt habet Curtius. Pro Ficu inuenimus apud Etym. nullibi pro Myrto. Quod verò Rithius notat, Murtam dici Varroni fructum, hoc apud eum nondum reperimus. Colum. quidem tradit

Synonyma Linguar. *Myrton. phibaleon. Myrtum. Murta.*

Digitized by G

Oleæ genus l.5.c.7.quod vocat Murtam. Fructus μύρτα Nic. in ther. Interp. μυρσίνης κεραῖς, sic enim legendum, non μυρτίνης. Μυρσινόκοκκα Græcis dici monet Curtius: Vbi id legerit, nos latet. *Myrta* alioqui dictæ: *Myrtilli*: *Myrti bacca*. Inuenimus & μυρτίδας dictas Myrti baccas & μύρτα. Sunt qui velint Myrtum sic vocatam propter Myrrhæ quandam æmulam odore gratiam, qua pollent bacculæ, vt annotant Aduersaria: quamuis dubium adhuc sit, vtrum Græcis innotuerit prius, Myrrha, an Myrtus: nobis sanè longè petita videtur nominis deriuatio, & Myrrhæ odorem longè diuersum à Myrti bacculis agnoscimus. Has μυρτίδας vocat Lonic. Hebræis *Hadas*: Esa. 55. Arab. *Aes Alas* siue *As*. It. *Myrto*, *Mortina*, & *Mortella*. Hisp. Catal. & Portug. *Murta*: Castil. *Arrayhan*. Gal. *Myrte & Meurte*. Germ. Myrtenbaum, Welsch oder Frömbder Heydelbeerbaum. Belg. Myrtus. Angl. Myrtel-tree.

Myrta. Interp. Nic. corr. Myrta. Myrtilli. Myrtides. Myrtia. Etymon.

Hadas. Aes; Alas: As.

Nunc à nobis & Recẽtioribus obseruatas Myrti differentias proponamus.

MYRTVS VVLG. NIGRA ET ALBA, SATIVA ET SILV.

Hvius Myrti quam exhibemus, notante Matthiol. produntur duo genera: *satiuum*, quod in candidum & nigrum diuiditur, & *siluestre*. Satiuæ in arbores facilè adolescunt, ramis flexilibus ac lentis: rubro cortice: foliis lõgiusculis, perpetuóque virentibus, Punicæ æmulis; quanquam in nigris nigriora; in candidis candidiora spectantur. Flores omnibus insident candidi, odorati. Baccæ oblongæ, agrestes Oleas quadantenus referentes, multò sanè siluestribus maiores, etsi contrarium asseueret Marcellus.

Genera. Satiuæ descriptio. Folia. Flores. Bacca. Marcell. mor. Siluestris.

Inter siluestres quoque alba & nigra reperitur, quarum quamplurimas plantas vidisse mille locis testatur Matth. quibus maturæ inerant baccæ non sanè nigræ.

De eadem Myrto existimamus Clus. hæc tradere. Myrti quartum genus, siue Myrtus Bætica silu. non adeò densè fruticat; neque admodum assurgit, ramis tenuibus & fragilibus; folijs eiusdẽ cum Myrti Bæticæ angustifoliæ folijs magnitudinis, similiter mucronatis, duplici serie rarius circa ramos nascentibus, nigricantibus, odoratis: flos alijs similis: fructus rotundus; oblongis pediculis ex foliorum alis prodeuntibus inhærens; copiosus, primùm viridis, deinde candicans; per maturitatem verò niger; vinosus, grati admodũ cũ astrictione quadam saporis. Spontè prouenit plerisque agris & collibus Extremaduræ (quæ Bæticæ pars est; ad Anam flumen sita) & Lusitaniæ illi conterminæ, adeò copiosè vt per aliquot miliaria, nulli ferè alij frutices conspiciantur. Octobri interdum florentem; sed maxima ex parte fructu onustam hanc Myrtum colligebam, cùm Madritio Vlissiponem proficiscerer, locis incultis & procul à mari, procul à fluminibus dissitis; nunc lætioribus, viridioribusque & amplioribus folijs, nunc planè exsuccis, & ferè rigentibus pallescentibusque, pro locorum natura & situ. Nam in conuallibus nata, multò lætior & viridior semper erat. Hispani simpliciter *Arayhan* & *Myrta* vocant: eam siluestrem iudico, quoniam spontè locis incultis prouenit.

Sapor. Locus

Foliorum varietas. Arayhan Myrta.

Plinius siluestrem Myrtum, minore semine. Cordus fruticem arborescentem dicit, foliis Lentisco vel Buxo similibus, acuminatioribus tantùm, gustu aliquid aromatis præ se ferentibus & odoratis, quæ hodie cum fructu ex Italia afferunt.

An Bellon. Myrti semperuirentes, in vallibus montis Athos prouenientes, folio lato, steriles & fructiferæ.

Brassauolam quoque facilè crediderimus, Myrti nigræ & albæ titulis, in suo exam. latifoliam intelligere.

Matth. sanè testatur siluestri Myrto vniuersa ferè Tyrrheni littora virescere: siquidem in agro Senensi, in maritimis, ac in vniuerso Liguriæ tractu: Romano, atque Neapolitano, vbique Myrtos spontè prouenire constet.

Locus.

Pro icone Matthioli aliam posuit Camer. in Epit. & Hist. Germ. Matth. ad quam & nostra facta. Camer. dicitur Myrtus communis Italica, Mortella: C. Bauhin. aliam iconem habet titulo Myrti Romanę. Eiusdem Myrti, de qua hic agimus iconẽ habent Lonic. & Ryff. sed non placet. Minùs verò quod ille ait; aquaticis locis libenter prouenire. Lacuna, qui Hispanus: & Amatus, qui Lusitanus, nihil docent de ea præter antè dicta, satiuam esse & silvestrem: vtramque fructu nigro & albo, adhibita Matth. icone. Hic Hispan: *Ratad* & *Murta* dici ait.

Myrtus Italica. Mortella Myrtus Romana. Lonic. not.

Scribit Anguill. in epist. Myrtum albam non esse speciem separatam à nigra: differre tamen colore: notissimam vtramque esse in Italia; Regno Neapolitano & Tuscana: vocari *Mortellam* & *Myrtellam*.

Myrtum albam non differre à nigra.

An Aduers. Myrtus maior vberiùs in Galloprouincia maritima fruticans, propter baccas, lanulas effigiantes, maior dicta: folia item maiora, Phyleręæ aut Gratiæ minora, floribus albidis & Myrti minoris similibus: Alterius modi ex hortis Franciscanorum Venetorum habuimus foliis albidioribus; & fructu albo pari & simili, nec alioqui ita diuiso, illis alba Myrtus vocatã. Itẽ Obs. Myrtus vulgaris folia promit paulò minora quàm exotica Myrtus siue Mauritanica: in angustum desinentia.

Alba.

Icon. Plant. Myrti maioris 5. species: Item Obs. Myrtus 3. folio est oblongo, supernè latiusculo, cum superiore (videlicet postea à nobis posita titulo latifoliæ Belgicę densiore folio) ferè pari bacca alba.

Sed peritis tamen perpendendum relinquimus, an iam locis citatis de eadẽ Myrto alba tradatur: à Clus. Myrto alba diversam esse manifestum est, de qua postea. Dod. in Hist. Gall. hanc nostram videtur vocare magnã Myrtum, arbusculam in Belgio crescentem ad altitudinẽ hominis, foliis Vincæ pervincę. Hęc fortè erit quam alteram vocat in postrema Hist. Lat. pro qua ibi videtur proponere duas Icones: vni, titulus Myrtus 2. quę à Lob. posita pro Myrto Laurea maxima: alteri iconi titulus est, Myrti ramuli cum flore ac semine, quę Lobel. Myrtus vulgaris.

Cæsal-

Cæsalp. Myrtus arbor est fruticosa, in sterilibus & maritimis nascens, subrusso cortice, materie candida, foliis Buxo latioribus in acutum desinentibus, odoratis: Flores candidi, foliati, multis in medio staminibus, ex alis foliorum longo pediculo prodeuntes: fructus oblongi: intus semina triplici septo membranaceo distincta: color in maturitate aliis niger, aliis ex rubro candicans. Turnero an nota fuerit, dubitamus: Icon tamen, sed nō admodum bano posita videtur incuria typographica Cap. de Rusco sub titulo Sabinę.

Matth. err. Cæterùm nostram Myrtum vulgarem, folio latiore, non ausimus cum Matth. facere Diosc. satiuam, etiamsi colatur: quia ipse Diosc. scribit cap. de Rusco, satiuæ folia esse minora quàm Rusci, quod in hac nostra nondum obseruatum. Quam verò depictam dedimus, eandem censemus cum iis quas Frontignani & Monspelii vidimus in aliquot hortis.

Locus. Pataui cum baccis mense Decembri, in horto à Cortuso ostensa: Veronæ cū iisdem Martio. Colunt & Bononiæ in hortis: Basileæ Platerus, & Lutetiæ Robinus hortulanus Reg. aliquot egregias arbusculas colunt, sed magna cura hyeme recondunt. In Plateri Myrto mense Aprili obseruavimus baccas & folia binario numero distributa, sapore astringente, amariusculo & aromatico, odore grato terendo. Ex horto Stutgardiano, vbi plures habentur, in Montbelgardensem transtulimus, sed non fœliciter prouenit, cùm tamen Tarentinæ rami depacti facilè radices agant.

MYRTVS BOETICA LATIFOLIA DOMESTICA.

Descriptio. HÆc autore Clus. Hispanis dicta *Arayhan morisco*, hoc est, Mauritanica Myrtus, ramis est satis crassis, foliis duplici serie rariùs dispositis, magnis, vt interdū ad Lauri tenuifoliæ aut Arbuti foliorum amplitudinem ferè accedant; colore dilutiùs paulò virente, odoratis: rariùs hæc floret aut fructus fert, quòd eâ sepibus texendis, quas tondêre solent, plerumque vtantur. Nusquam hoc genus vidisse ait, nisi in Monasterio quodam Hispali & in lætissimis Mauritanorum Granatæ viridariis, in quibus piscinas & lacus claudebant sepes hoc Myrti genere constantes, & ex alio quodam, non multùm huic dissimili, minoribus tamen & paulò densioribus foliis, cuius nos hic picturam damus, quamuis minùs peritè nostram a pictore ex Clusiana depictam agnoscamus.

Descriptio. Myrtus Bætica 1. latifolia siue Laurea Clus. Item Myrtus Bætica 2. Clus. Lob. Obs. vbi eadem icon cum Clusiana.

Myrtus Bætica latifolia exotica.

Myrti Bæticæ latifoliæ secundum genus altius quàm Bætica latifolia domestica fruticat, & à radice plurimos, densos, crassos, firmósque ramos promit: folia dictæ secundę speciei similia, sed adeò confertim nascentia, vt mutuò ferè sese contingant pediculi interdum duplici tantùm serie, sæpenumerò triplici, admodum odorata: flos eius candidus, quinque folijs constans, Cerasiorum floribus ferè similis, villis candidis plenus, odoratus: cui fructus succedit paullò oblongior, quàm in Tarentina, primùm viridis, deinde cùm maturescere incipit, purpurascens, tandem vbi plenam maturitatem adeptus est, niger, vinosus, sapore grato, grana candida incurua in se continens. *Clus.* qui hoc genus primò conspexisse scribit in Complutensis arcis horto, multis fruticibus serie quadam & ordine dispositis, elegantissimo spectaculo, cùm semper vireat. Deinde Cordubæ in quibusdam hortis. Nos quoque Stutgardiæ obseruauimus Myrtum, odore perquàm fragranti, cui ex certis interuallis folia ferè semper terna indidem prodeuntia, lata: an verò eadem cum prædicta sit asserere non audemus. Locus.

An Lob. Obs. Exotica Myrtus Plin. pluribus foliorum versibus, siue 4. amatoria Venetique sacra: *Arayham Morisco* maior Hisp. vocata, folijs [tertię Myrto vulgari albæ] non disparibus, sed canulatis, & confertim iucundissimo spectaculo stipatis.

Clus. in Hisp. nullam habebat iconem: in postrema hist. eandem habet quam Lob. pro Myrto Bætica angustifolia, de qua nunc.

MYRTVS EXOTICA ANGVSTIFOLIA

MYrtus Bætica angustifolia exotica eadem est foliorum densitate & serie, quâ Myrtus Bætica exotica latifolia verùm folio minore & saturatiùs virente: fructu etiam maiore & magis orbiculato, qui, reliquorum Myrtorum fructus instar, alba & inflexa grana fert, minora tamen quàm præcedentis. Descriptio.

Huius generis vnicam arborem vidisse refert Clus. in Hieronymitarum monasterio, primo ab vrbe Corduba miliari. Hispani *Arayham morisco*, hoc est, Myrtum Mauritanicam vocant. Latinis de Clus. sententia poterit esse Exotica, licèt ternis ad summum foliorum versibus distinctam idem viderit, cùm Plin. senos versus suæ exoticæ tribuat: verum quidem est, adeò densè stipata interdum nasci in exotica latifolia antè dicta & in hoc genere folia, vt pluribus versibus constare videantur.

Pro Myrto exotica angustifolia Clus. ponit iconem a Lob. exhibitam pro exotica Myrto Plinij pluribus foliorum versibus, de qua antè.

De Myrto exotica angustifolia Clus. hæc fortè

scribit Lob. Myrtus 10. Pluribus foliorum versi-
Myrtus 10. Lob. bus: Myrtus Mauritanicus alter Hisp. *Arrayhan* Morisco minor, folijs item canulatis confertis & densissimè striatis, vulgatæ Myrto ferè paribus. Iconi iam dictæ ex Lob. & Clus. Dodonæus in postr. hist. Lat. nomen indidit Myrti 3. cuius folia tradit mediæ magnitudinis.

Matth. in Diosc. olim sine descriptione pro Myrto exotica Plin. exhibuit iconem. In postremis autem scribit: Exotica habetur nunc in Italiæ hortis & viridarijs, folio nostrati non absimili, dilutiore tamen, acuminatiore copiosioreque, adeò denso, vt eo rami vbique stipentur. Fructum fert oblongum è longóque pediculo dedependentem, seminibus refertum, communi Myrto haud absimilem. Flores albicantes, vt in cæteris generibus: topiarijs operibus peridonea habetur. Item postr. com. Lat. Exotica Myrtus nunc habetur in Italiæ hortis, folio nostrati non absimili &c: Et in hist. Germ. vbi figura à Camer. appicta: **Der Außlendische Myrtenbaum**, Myrtus exotica, quòd olim Italiæ peregrina, aliunde translata, maximè verò in Regnum Neapol. &c. Baccæ oblongæ, vt in Myrto vulg. sed sapore non adeò grato, verùm asperiore & magis acerbo.

Bacca. Camer. iconem nouam posuit in Epit. ex hist. Germ. Matth. & Gesnerianis, vt existimamus, ad quam & nostra depicta.

Cęterùm Myrtum exoticam Matth. à nobis visam Veronæ apud Calceolarium inter Italicas nostras obseruationes inuenimus? eodem nomine & titulo D. C. Bauh. ramum attulit Ferrariæ lectam.

MYRTVS LATIFOLIA BELGICA; FORTE ROMANA.

Descriptio.

Latifolia quę Belgicis in hortis colitur, inquit Clus. amplo est folio quo latifoliæ Bœticæ primæ magnitudinem non æquat, viridi, rariore ordine, & eo duplici circa ramos disposito. Hanc Romanã dici posse existimat idem, quam Plin. eandem cũ coniugula Catonis esse putat: eam ex Italia & Roma in Belgiã illatam certum esse, in Hispania sibi non visam.

Romana. *Coniugula.*

Lob. in obs. Myrtus prima omnium maxima, Laurea dicta à folio Laurino, Lauro Tino siue Regiæ simili, sed minori & magis acuto, attonitente, nigráque bacca: alitur in altissimo Paradiso D. Philippi *Deurnagle* D. de *Vrylande*. Dod. iconem hanc ponit pro Myrto 2. cui folia Vincepervincæ.

Myrtus Laurea.

Myrti Romana alia species. C. Bauh. Myrti Romanę nomine attulit ramum Myrti Bononię in hortis nascentis cuius folia Myrti exoticę, sed nonnihil latiora, in acumen desinentia, longitudine vnciali, sed longè alio ordine disposita: quippe bina sibi opposita, ex interuallo penè vnciali, qua in re multùm etiã differunt ab exotica; & accedunt Myrto vulgari: sed ab hac quoque dissidet mollitie, foliorumque latitudine maiore.

Myrtus latifolia Belgica minor.

Myrtus alia, teste Clus. in hortis Belgicis prouenit, paulò minor præcedenti interdum vegetiore viridioreque folio, quandoque pallidiore & tristiore. An Lob. Obs. Myrtus 6. inter maiores minima, folio Oleæ silu. siue Oleastri? *Descriptio*

Myrtus latifolia Belg. densiore folio.

In Belgicis hortis obseruauit Clus. Myrtum densiore folio & magis mucronato quàm præcedens Belgica, eodemque nunc vegetiore & lætiore, nunc etiam pallidiore. An Lob Obs. Myrtus 2. folia habens paulò minora [quàm prima omnium maxima] superne item mucronata, & in acutum fastigiata? *Descriptio.*

Myrtus Belgica medio folio.

Myrtum quandam tradit idem in Belgicis hortis visam, medio folio & Myrto Bœticæ silu. non multùm absimili, sed minùs nigricantibus & quodammodo pallescentibus virgultis, longiore etiam fructu. An Lob. obs. Myrtus 7. inter minores maior, folio angusto Phillyreę tenuifoliæ breuiore. Hanc eandem existimamus à nobis obseruatam Vesuntii in instructissimo exoticorum horto D. *de Bellefontaine*: folia erant paulò maiora, quàm in Tarentina & acuminatiora. *Descriptio.*

MYRTVS TARENTINA.

Descriptio.



Nostro cœlo soloque reliquis notior est Myrtus Tarentina, duplici tripliciue versu dispositis foliis, crebris, paruis: hilari virore nitidis, fragrantibus: Flores quinque foliis candidis aliarũ more constant, quorum mediũ occupat numerosa stamina, odore grato & amabili. Baccæ per (maturitatẽ haud secus ac aliæ) nigrescunt, semine plenæ, inflexo, albo. Huius iconem olim Matth. exhibuit sine descriptione. At in postr. com. hanc tradit nomine Myrti Tarentinæ, quam ait à Tarento Apuliæ ciuitate, vbi copiosè proueniat ita vocatam, folio nostrate [id est latiore vulgari] longè minutiore, robustioreque: fructu minore, copiosiore & in summitate pluribus apicibus coronato, colore ex nigro purpurascente, minutis, crebris, albicãtibusque intus ossiculis: floribus communi Myrto similibus. Topiariis peridonea. *Locus.*

De eadem sic Clus. In Belgio Myrtus prouenit minore folio omnium frequentissima in Septentrionalium regionum hortis, antequam minor domestica fructu alba nota esset. Eius cùm ramuli facilius

Digitized by Google

citius radices agat, si pingui solo pangantur, quàm huius; etiam satis vulgaris facta est multis Germaniæ hortis. Habet verò minor hæc conferta admodum folia, duobus vt plurimùm versibus in ramulis disposita, nonnunquam ternis: quemad. in alijs generibus aliquando etiam accidit. Floret plerumque in Belgio autumno: fructus rarissimè ad maturitatem peruenit, sed in ipsa planta tota hieme hærens, cùm rursus sud veris finem aëri exponitur, inanis & immaturus decidit. Ad Tarentinam Myrtum referenda est: nisi quis potiùs ita censeat, candidam minutissimo omnium folio Tarentinam esse vocandam. Nam cùm Cato tantùm nigræ, albæ, & coniugulæ meminerit: iam verò coniugula Plin. sit Romana, nigra & fructu satis nota: restat candida, quæ ad nullum Plinio descriptum genus referri possit quàm ad Tarentinam. Sic Hortensis in Belgio proueniens minutiore folio non incommodè Ægyptiam Theoph. descriptam referet.

Satio. *Tempus.* *Ægyptia Theoph.*

Minoris Myrti nomine Aduersaria tradunt, Offic. notiorem esse suis baccis, adeoque totam hortis Septentrionalium delitias & ornamentum. Fruticare virgis tonsilibus, rectis, flexilibus, nigricantibus, effigie Buxi, folio minore, sed Rusci mucronato, baccis nigris Hederæ, vineum succum pressu remittentibus: quibus post vindemias saginentur aues, tamque suaues illas edendo fieri, vt integræ, non exenteratæ esitentur, eoque prouerbio feratur, stercus carum præstare carnibus.

Auium sagina.

In Galloprouincia maritima, vbi siccaneus collis nullus, cui arrideat paullò placidior aura, nó mulcavernat hæc Myrtus, autore Lobelio & Pena. Sed, quod aiunt Myrti minoré suis baccis officinis notioré, vix cócedere possumus, licet in Belgio frequentior sit, teste Clusio. Consideret lector vnde adferantur baccæ. In Belgio sanè non maturantur, quot eis sufficiant: sed nec istud placet, quod folio Rusci mucronato dicant.

Aduers. repreh.

Hanc eandem censemus Lob. obs. Myrtum 8. minorem vulgata, breuioribus [quam 7. a] folijs stipatam: vbi sicut & in Icon. Plant. proponitur titulo Myrti minoris vulgaris. Gal. *petit Myrte*, quo nomine & Dod. in Hist. Gal. describere videtur: qui iconem habet, quam tamen non docet an maioris sit vel minoris, quasi neutram probè cognitam habuerit: Nos minoris esse putamus. In postr. hist. Lat. omissa descriptione, meminit tantùm Myrti folijs minutis: ac iconem à Lob. positam pro Myrto noua angustifol. & à Clus. pro Myrto domest. fructu albo, exhibet is titulo Myrti prioris: nec distinguit Tarentinam à minore, nec à Myrto fructu albo.

Dod. not.

Camer. Myrti Tarentinę titulo iconem Gesneri habet aliquando ex nostra ipsi transmissa planta sicca, paratam. Ei quippe (ego Bauh.) omnes meas plantas siccas cum descriptionibus & obseruationibus per Italiam, Galliam, aliasque prouincias collectas lubens, eo id flagitante, transmisi. In ea icone folia sua magnitudine picta.

CÆSALP. fortè Myrti Hispanicæ genus angustissimi folij, sed numerosissimi. Ceterùm quod Diosc. ait l. 4. de Rusco: ἀγρία, [illegible]: mouet nobis dubium, an satiua eius Myrtus non sit referenda ad Myrtum Tarentinam. An Turner. Myrtus satiua Tarentina, de qua antè.

Porrò Myrtus Tarentina pulchrè apud Matth. picta quanquam folia crebriora possent appingi.

Locus.

Abundat Monspelij in hortis & in maiusculam arborem excrescit. Fructum fert Augusto mense & autumno. Floret Iulio aut Iunio. In Italiæ multis hortis copiosè colitur: Item in magnatum tam Germaniæ quàm Galliæ hortis, sed raro fructum fert aut certè rarum, quemad. & apud nos Montbelgardi, vbi plures alimus, aliquot etiam duos cubitos altas, stipite pollicari, iam à multis annis. Floret æstate & aduentante autumno: sed fructum pluuiæ autumnales intercipiunt. Feliciter propagatur ramis & surculis depactis: sed annotinæ vix hiemem ferunt, nondum firmis actis radicibus, nisi curiosè muniantur. De loco & cultura quemad. & viribus omnium Myrtorum postea.

Tempus. *Satio.*

Myrtus domestica fructu albo.

Descriptio.

Myrtus domestica fructu albo, siue candido, tradente Clus. satis altè fruticat, tenellorum & rubentium ramorum frequentia densa, folijs omnium minimis, angustioribus & magis mucronatis, quàm in vlla Myrto, saturatiùs virentibus, fragrantis odoris. Flos par reliquis tum etiam fructus, qui initiò quidem viret, maturitate autē non nigrescit, vt reliquorum, sed exalbidus manet. Primum hoc genus eidem conspectum in hortulo Ill. Viri Dn. Ferdinandi Colinho Lusitani peregrinarum studiosiss. cuius hortuli sepes ex hoc Myrti genere constabant. Conspicitur etiam apud Cl. V. D. Io. Boisot, qui omnium primus ex seminibus ab eodem communicatis aluit.

Flos. *Fructus.*

Hæc fortè Tarentina Plin. vt cap. præced. dictum. Hæc eadem fortè Diosc. μυρσίνη λευκή Clus. in hist. Hisp. eius iconem non ponit: verùm in postrema exhibet candem quam Lobel. posuit pro angustifolia minima, ex quina nobis mox codem titulo proponitur. Myrti domesticæ alteræ ex Hispania allatæ fructu albo se Clusium donasse ait Camer. sed frigoris impatientem periisse.

MYRTVS ANGVSTIFOLIA MINOR.

Descriptio.

Clus. tradit Myrti domesticæ fructu albo inueniri aliam speciem eiusdem formæ, sed per omnia teneriorem, exiliore folio, primùm visam in hortulo Ill. prædicti viri.

An hæc Lob. in obs. Myrtus 9. minima, foliolis angustis, Thymi Cretensis longioribus: cuius iconem proponit in appendice & in icon. titulo Myrti 9. angustifoliæ. Clus. verò in postrema sua historia posuit pro Myrto domestica fructu albo. Nos Lucetiæ in horto cultissimo Robini Botanici Regij diligentissimi obseruauimus Myrtum angustiore & minore folio quam Tarētina, aliàs nullibi, quod equidem sciamus, nobis visam, ac ne siccam quidem. Iconem hanc, vt antè dictum, Dod. ponit pro Myrto priore. Hactenus Myrti differentias digessimus, prout censemus distingui posse. Nunc aliquid etiam de Myrtidano tradendum,

Digitized by Google

MYRTIDANVM.

Descriptio. QVod μυρτίδανον dicitur, teste Diosc. id est, quod Myrto adnascitur, inæquabile, verrucosum, intumescénsque & concolor: quod perinde, quasi manus, Myrti caudicem amplectitur. De hoc ipso locutus videtur Gal. l. 7. simpl. his verbis: ὁ μύρτου τοῦ στελέχει περὶ τοὺς κλάδους ἀνώμαλος ἐπίφυσις ἐχδῶδης, ἣν ἔνιοι μυρτίδανον ὀνομάζουσι. Verùm Paul. Ægin. non μυρτίδανον, sed μυρτίδα hoc ipsum appellauit. Idem Gal. Gloss. Hip. Dioscoridem citans, inquit: μυρτίδανον, οἱ πλεῖστοι μυρτὶ πίπερι. Διοσκουρίδης δὲ ὁ Ἀναζαρβεὺς ἐν τῷ περὶ ὕλης, ἐπίφυσιν ἀνώμαλον καὶ ἐχδῶδη περὶ τὸ τῆς μυρσίνης στέλεχος. ὁ γε μὴν Ἱπποκράτης ἐν τῷ περὶ γυναικείων ὀνομάζει ἐν τῷ φύλλῳ, ὅπερ αὐτὸς φησὶν ἕτερον ... πίπερι. Meminit autem myrtidani Hip. in secundo de morb. mul. Ergo aliter ab Hip. aliter à Diosc. accipitur τὸ μυρτίδανον. Galeno verò homonymum est & utramque significationem agnoscit. De Hip. myrtidano dicetur cap. de Pipere. Plin. verò longè aliter myrtidanum accepit, nempe vinum ex siluestris myrti baccis factum, de quo postea.

Myrtida. Myrtida. Myrtidanũ. Homonymia. Myrtidanum. Plin.

Scribit quoque Brassau. in exam. Myrtò adnasci paruam Myrtum, quæ Myrtidanum dicatur & Myrtida à Paulo. Id enim intelligere se per adnatũ id, quod circa corticẽ nascitur. Epimyrtũ vocat, & frequẽtissimè à se visũ, quamuis Gal. myrtida sobolem Myrti solùm intellexerit. At facere nobis videtur Brassau. intelligendo, vt nihil intelligat. Nam apertè ex Gal. locis modò citatis patet à Gal. per Myrtida non tantùm sobolem Myrti intellectam, cùm ipsum etiam Diosc. citet. Immò vbi sobolem per μυρτίδα intelligat, nondum vidimus. Non enim æquè feliciter nobis Brassau. sobolem dicet, quod Diosc. & Gal. ἐπίφυσιν vocitarunt. Et iam nobis Brassau. paruam Myrtum facit ex myrtidano, quod Diosc. si non excrementosum quid, sanè pars quædam tuberosa & excrementitia dicta: quam nobis seuerus ille examinator nunquam rectè paruam myrtum dicet.

Parua Myrtus. Epimyrtus. Brassau reprob.

Agric. not. Idem tradit, Myrti semen ab Hip. myrtidanũ dici. Locum nondum vidimus. Si tamen quis per Myrtidanum vel myrtida, æquè intelligere velit paruam myrtum, magnæ adnascentem, quod & Agricola fecit, ac adnatum id, quod circa corticem nascitur: primùm est vt doceat nos quæ & qualis sit illa Myrtus parua, vt aliud nomen à matre sua habuerit, quàm rami aut surculi: aut quo autore istud faciant. Non enim putamus vt Cisto hypocistis, ita myrto Epimyrtum seu hypomyrtum innasci. Nec quicquam hactenus, quod equidem sciamus, simile obseruatum.

Hermol. sanè myrtidanum seu myrtadam virgultum & sobolem myrti vocat, qualis fortasse in Fîcu quoque fruticet, exiens ab radice? eundem fruticem ab Hip. *Martidanum* appellatum, *Myrtidanum* verò ipsum Piper. Quo verò in loco is apud Hip. legerit martidanum, nec addit, nec notum est nobis. Ruellius ex eo meminit martidani. De ea autem voce nihil Grammatici nostri. Nihil etiam de martidano seu myrtidano frutice recentiores Herbarij: quod legerimus. Quod autem autem Diosc. myrtidanum nominatur, vulgò notissimum est, vbi myrtus frequens nascitur, vel Matth. teste.

Martidanum.

Myrtidani descriptio. Annosis myrti arboribus, inquit Camer. in ramis nascitur inæquale & tuberosum, colore vario, excrementum, quod manus instar, arborem complectitur, quod Myrtidanum appellant, astringentius efficaciúsque quàm myrti vel folia vel semen.

Horum neuter fruticis aut stolonum meminit. Myrti adnascentias dixit Lonic. An easdem intellexit Nicand. in Ther. per ἐμφύλλια μύρτα, stipantia Myrta. Myrtades quippe Myrto ipsa efficaciùs stipare & obstruere apud omnes in confesso. Nunc Natales Myrtorum in genere dicamus.

Myrti adnascentia.

Locus & natales Myrti. De Myrti Natalibus non conuenit inter Virgilium & Ouidium. Ille, Amantes frigora myrtos, dixit: hic, metuentem frigora myrtum. Nodum soluisse putat Camer. sic: Ouid. loqui de plantis tenellis, Virgil. de adultis iam & hic Eclog. 7.

Dum teneras defendo frigore Myrtos.

Sanè tenellas myrtos, vt facilè à frigore, ita facilè à Solis æstu pati experimẽto scimus. Malimus itaque sic. Vtrumque de myrto etiam adulta locutũ, sed Ouidium magna frigora, Virgilium, loca vmbrosa & frigidiuscula intellexisse. Magna frigora myrtus perferre nequit. Sub ardenti Sole non feliciter fruticat. Non vmbras amat quòd breui radice sit autore Theoph. qui tamen in Aegypto regione calidissima myrtum mirum in modum odoratam assurgere scribit, vbi cætera omnia hebescunt. Hermol. vitam ei, vt quibusqam animalibus, ambiguam esse ait, hoc est, terram & aquam. Ita Virgilius

Amantes littora Myrtos. Et

Littora Myrtetis lætissima.

Et Ouidius *Littorea Myrtus.* Subeunt & in montosa autore Plin. Sed myrtum in feruidis locis nasci etiam Theoph. autor est, minimèque in frigidis durare, minùs adhuc myrtum quàm Laurum argumento, quòd in Olympo Laurus multa, myrtus nulla omnino, in Ponto autem toto neutra sit: quanquam summo studio omnique solertia serere conati sint ad vsus religionis. Hinc Plinius circa Bosphorum Cimmerium in Panticapęo vrbe, omni modo laborauit Mithridates Rex, & cæteri incolæ, sacrorum certè causa Laurum myrtumque habere: non contigit, cùm teporis arbores abundent ibi. Circęum promontorium, quod vocant excelsum, refert Theoph. myrto scatere, quod Circen incoluisse tradunt indigenę, & in Elpenoris inibi tumulo coronario genere nasci, in quo primùm visa traditur, Gręcumque ei nomen remanet, quo peregrinam esse Italię apparet. Libenter myrtus in sepulchris nascitur. Fingit etiã Vergilius è Polydori in Thracia sepulchro cornũ & myrtum agnatas: ad quas cùm Aeneas venisset, & vellet sacrificare, & aram frondibus contegere, nixus est myrtum euellere, è cuius radicibus sanguis effluxit:

Nulla Myrtus in Olympo, nulla in Ponto.

Fortè fuit iuxta tumulus, quo Cornea summo
Virgulta & densis hastilibus horrida Myrtus &c.

Græcorum mos. Hoc verò è consuetudine Græcorum Poetam finxisse censet Turnebus, qui tumulis & bustis, cùm alia virgulta, tum myrtum imponere solebant, quod eruditissimus vir Victorinus annotauit. Io. Agric. ex Hermol. vt putamus, tradit myrtũ modò in terris, modò in aquis nasci. Idem repetit Ruell. Sed nos contrà non existimamus myrtum aliquã veram in aquis nasci. Si intelligant Oxycocca Vaccinia quorundam aquatica, valde errant, quẽ errorem iamdudum annotauit Turnerus Anglus. Copiosè verò nascitur in Galloprouinciæ maritimis tractibus, quemadmodum & Italię & Hispanię. Sed non omnis. Loca propria differẽtijs assignauimus. Clusius annotat, omnia myrti genera Hispanica pręter Beticam latifoliam domesticam conspecta apud cl. v. D. I. Boissot, qui omniũ primus ex seminibus à se cõmunicatis aluit: deinde apud plerosque alios quibus cõmunicauit. Rami enim in terram pacti radices agunt, vt mox dicetur

Hermol. & Agric. reprob. & Ruell. Oxycocca.

tur. Apud eundem & alios Illustres viros & nobiles matronas in Belgio alia myrti genera ab Hispanicis diuersa aluntur. Coluntur in Italiæ hortis & Galliæ, sed rariùs Germaniæ nec nisi Magnatum, diuersa genera, potissimùm Tarentina & latifolia. In Italia eleganter in topiaria opera cóncinnare solent, quemadmodum & in Galliæ locis quibusdam. Myrtum Ferrariæ in horto Comitis cuiusdam tam artificiose Liburnicam referentem vidimus, vt nihil suprà. Triremem item tam pulchrè tres triremorum ordines exprimentē, & ramos in eo tonsili opera tam aptè in humanam effigiem aptatos tam Romæ quàm Venetiis vidimus, vt ab eo tempore ad opera topiaria myrto nihil aptiùs, nihil sequaciùs iudicauerimus. Quãuis autem passim in hortis Italię colantur abundè myrti, nihilominus in montibus cæduntur ad coria depsanda, vt Rhus & Lentiscus, teste Cæsalpino. Tarentina facilè germinat in Germaniæ hortis sata & culta: paulò difficiliùs, latifolia, Montbelgardi sæpiùs à nobis sata nigra & alba: sed frustrà. Folia cum baccis ex citatis regionibus, maximè Italia & Galloprouincia importantur.

Liburnica & Triremis è Myrto.

Sunt qui diuturnissimam & validissimam myrtum esse affirment, autore Theoph. Serò suum perficiunt fructum apud nos in Germania; aut rarissimum. Florent pro ratione loci, calidis citiùs, frigidis tardiùs: communiter æstate, Iunio & Iulio mensibus. Quæ citò occidunt, inquit Plin. velocia sunt; vt ficus, myrtus, &c. & tamen antecedunt diuitiis. In trimatu enim ferre incipiunt, ostendentes & antè. Ita vides circa durationem & ætatem myrti Plin. non consentire cum Theoph.

Tempus & duratio.

Seritur ligno, ramis & semine: sed terra iugiter accumulanda, dum germinantes ramuli roborentur. Ligna tamen eius haudquaquam palmo minora diuidi oportet, inquit Theoph. Crebras serere, non plùs, quàm nouenos pedes distantes præcipiunt. Myrti genera omnia in Campania seruntur, vt Plin. tradit. Romæ propagine Tarentina. Democritus & alio modo seri docet, grandissimis baccarum tusis leuiter ne grana frangantur, eaque intrita restem circunlini, atque ita seri: sic parietem fore miræ densitatis ex quo virgulæ differantur. Sic & spinas sepis causa serunt; tomice moris spinarum circumlita. Pullas autem Lauros & Myrtos oenopas [ita enim leg. cum Dal. pro eo quod in vulgatis habetur: Pilas autē Laurus & Myrti inopia.] à trimatu tempestiuum est transferre. Sic inquam legendum. Nam Lauri & myrti terra emergentes & nouellæ, coloris sunt herbacei: grandiores verò obscuriùs virescunt & adultæ subnigræ visuntur, quas οἰνωπὰς vocant. [Quidam legunt Pullulos autem Lauri & myrti, in inopia à trimatu &c: Alij: Pullos autem &c:]

Satio.

Myrti oenopa.

Plin. correct. & illustr.

Myrtus & taleis seritur eodem autore. Græci locis editioribus seri præcipiunt, quòd vicina odoris suauitate repleat. Auulsus stolo, aut termes à cacumine decerptus, proceritate subrectus pangitur: qui solo stercore satiato, quousque ramulos emittat, exaggerari debet. Sunt qui cubitales palos, crassitudine manus, scrobibus, Olearum more, in obliquum mergunt. Alij ex baccis seminaria faciunt, quas leuiter tunsas; & restibus Butomo contextis inuolutas, fossulis obruunt. Alij meliùs fructificare arbitrantur si in caput plantentur.

Serendi modus.

Inseritur in suum genus; & candida nigræ ac vice versa: Item Punicæ, malo, mespilo, Ilochne: teste Constant. Ex myrto per insitionem malum Punicum crescere Plutarch. in sympos. testatur. Democritus quandam sympathiam esse naturalem myrto ad mala granata scribit. Proximè enim consitas, fœcundiores fieri, earumque radices inuicem connecti, & si non multùm etiam propinquæ sibi fuerint. Idem scriptum reliquit Sim. Sethi.

Insitio Ylochne.

Sympathia Myrti cum Granata.

Si verò iuxta ipsam plantentur Rosæ, lætiore coma virebit, vberioremque fructum pariet vtraque. Baccas Myrti in areolas ab Idibus Feb. vel etiam Calendis disserere præceperunt.

Baccas sine internis nucleolis creabit crebro aquæ tepentis imbre rigata, autore Theoph. Deprǽhensum id est fortuitò, cùm myrtus iuxta balneum staret neglecta. Ab hac enim vacua nucleo semina petentes serebant atque ita genus huiusmodi Athenis esse cœpit, inquit idem: quod tamen nobis rationi minùs consonum videtur, nescimus an experimento compertum, cùm in acinis seu nucleis vtique vis generatiua potissimà consistat, tanquam in semine. Quæ enim huic obducta pellicula & caro, semen non est, sed seminis operimentum.

Serendi tempus.

Vt baccæ sine nucleis nascantur.

Etsi igitur ἀπύρηνον nasci fructum ex quorundā relatu tradat Theoph. quod & Constantinus Geoponicus confirmat, ex codē tamen alias nasci aut vnquam natas minimè putamus. Vt vel ἀπύρηνον Theoph. pro ὀλιγοσπέρμονα accipiendum videatur, respectu reliquorum, hoc est; pauciora semina ferentium: vel sanè magna dubitatio relinquatur, quomodo ex fructu ἀπυρήνῳ nasci queat myrtus. Scaliger, difficultatum alioqui morosissimus examinator, super hunc locum nihil. quod acumen eius redoleat. Historiam perspicuam ait. In myrto mutationem fieri per balnei strigmenta & sordes: diuturna illa aspersione talem factam, adeò vt in naturam transierit. Ex ea namque species eas fuisse postea Athenis, hoc (addit) fortuitum fuit. At sit fortuitum, tepidæ aspersu, vel, vt ille explicat, sordium, ἀπύρηνον factam: at non ideò fortuita fuit eius propagatio. Decerpta quippe ab Atheniensibus semina, sataque ordinato natu ræcursu similes produxerunt species; quæ in principio (ἐξ ἀρχῆς, vt Theophrast. loquitur, ἐκ τοῦ αὐτομάτου) casu fortuito talis facta. Sanè & ipse Theoph. subdubitasse videtur. Quid enim sibi aliud vult illud ἔχοι δ᾽ ἄν τινα πίστιν habētia aliquam probabilitatē vel fidem. Sed nobis magis hâc apud vulgus, qu'à illā apud sapiētes. Meditemur acutiùs. Quid si per ἀπύρηνον non omninò enucleatum aut exacinatum intelligamus myrti fructum, sed nuclei tantùm duri, aut talis, qualis in cæteris; expertem: Sic eodem sensu ἀπύρηνος ῥοιά, Mali Punici genus, cui lignosus nucleus abest; quales blandiores acinos dixit, minùs amaros, distinctos membranis. Et Apollon. apud eundem l. 3. eiusdem: ῥοιὰς ἀπυρήνους γλυκείας καὶ ὀξείας χυλοῖς. Non igitur per ἀπύρηνον, omninò nucleis carentem intelligimus, alioqui nihil inde nasceretur: Sed carentem tali & tali, suæ speciei consueto; completo duro &c. Nā & Apyrena Punica grana habere & acinos in cōfesso est. cur nō & Apyrem myrtilli:

Theoph. explic. & illustr.

Scal. morosus difficultatum examinator.

Porrò Myrtis etiam validius stercus congerendum præcipiunt, inquit Theoph. nempe spurcitias pellium, vt namque quum germina prosilierint: quasi fructus ita reddi apyrenos (sic enim malumus, quàm exacinatus, aut nucleo carens) queat.

Gaudet Myrtus iugi repurgatu, ita in altiorē proceritatem adolescit. Degenerat in fruticem, nisi crebrò purgetur. Maximam purgationē quærere Andronition est autor. Lætius enim germi-

Cultura.

Vt latius germinet

nat, & ex annotinis fructificat surculis, à qua pluta fuerint adempta, largioremque fructum ministrabit.

Vere anniculis fructificat.

Assiduè quoque circumpurgata, cùm ad textilia vasa, tum ad iacula ac spicula apta fit, autore Constantino Geoponico ex Græcorum testimonio. Humana vel ouilla vrina rigari desiderat: siquidem ea, vt produnt, mirè lætatur. Plantas Myrti à trimatu tempestiuum est transferre. Diligenter à frigore munienda, quoniam & tota arbor minùs calida est, & proinde facilè gelatur. Eiusdem maiores plagæ, si aliquæ fortè inferantur, contegendæ, ne admittatur vel Sol vel aër: nam alioqui periculum est, ne morbum contrahat quod sauciatum fuit. Sed nec corticē detrahendum censent Geoponici, quod alioqui in alijs quibusdam vtiliter fit: obsepit enim, conseruatque arboris vitam. Breui quoque interuallo conserendæ, vt se contectu operiant mutuo, atque Solis nimios æstus aufugere possint. Myrtus mulso macerata, meliùs redolēre incensa putatur, vti prodit Theoph.

Repositio.

Virgas Myrteas si voles cum baccis seruare, inter se alligato, fasciculos facito, eos in amurcam demittito, suprà stet amurca facito. Sed ea, quæ demissurus eris, sumito paulò acerbiora. Vas, quo condideris, oblinito planè: *Cato*. Myrti baccæ in vasa non picata coniectæ & copertæ, ad multum tempus virides habebuntur. Alij vnà cū ramulis ipsas componere præstabilius putant: *Const*. Myrti fructus Soli expositus mox arescit: in vmbra autem posita, Solemque modicè sentiens, humorem suum, qui exiguus, seruat, & paulatim coalescit.

Myrtorum vires & vsus.

Myrtus satiua nigra, docente Diosc. medicinæ vtilior quàm candida: & in eo ipso genere accōmodatior montana: fructum tamen inefficaciorem habet. Vis tum ipsi Myrto, tum etiam fructui astrictoria. Ac fructus quidem seu viridis, seu etiam aridus in cibo datur sanguinem excreantibus, vesicæque erosione laborantibus. Virentibus baccis expressus succus eosdem effectus exhibet, stomacho vtilis est, vrinamque ciet. Prodest cum vino à phalangio demorsis & à scorpione ictis. Fructus quoque decoctum, capillum tingit. Is ipse cum vino subseruefactus & impositus, vlcera in extremitatibus corporis nata sanat. Cū tenuissimo verò polentæ polline impositus, oculorum inflammationes lenit: quin & ad ægilopas illinitur. Vinum porrò myrtites, quod expresso & aliquantùm feruefacto fructu fit, (aliter enim paratum acescit) præsumptum, crapulam arcet, & ad eadem ad quæ fructus ipse valet. Vtile quoque ipsum in desessionibus vuluarum & sedis procidentiæ, itemque fœminis fluxione vuluæ laborantibus: detergit etiam furfures, vlcera capitis manantia, & papularum eruptiones: fluentes quoque capillos continet. Additur & in Emplastris lenibus, quæ liparas vocant, veluti etiam quod ex ipsius folijs conficitur oleum. Quin & foliorum decoctum ad insessus conuenit: eòque laxati & ægrè solidescentes articuli, itemque fracta, quæ non conferbuere, vtiliter fouentur. Vitiligines quoque emaculat: Ad aures purulentas, denigrandosque capillos infunditur. Sed & eorū succus eadem efficit. Ipsa verò folia trita & ex aqua illita, humidis visceribus & partibus omnibus fluxione laborantibus, coeliacisque prosūnt. Siquidem admisto oleo omphacino, aut exiguo rosaceo cum vino, valent ad herpetas, Erysipelata, testium inflammationes epinyctidas & cōdylomata. Arentia verò folia trita paronychijs & pterygijs, itemque alis feminibusque humentibus, adeoque tetrum virus spirantibus vtiliter inserguntur, & cardiacorum sudores prohibent. Cæterùm cremata, aut etiam cruda, cum cerato ambustis, pterygijs & paronychijs medentur. Exprimitur & folijs succus affuso vino vetere aut aqua cœlesti, cuius recentis vsus est. Nam exiccatus situm contrahit, viresque amittit.

Temperam. Sang. sputum. Vesicæ erosio. Stomachus. Phalang. morsus & scorp. Capillorum tinctura. Vlcera. Ophthalmia. Ægilops. Vinum Myrtites. Crapula. Procidentia ani & vulua. Fluxiones. Furfures. Vlcera capitis. Papula. Capillor. defluu. Luxatio. Fractura. Vitiligo. Aures purulenta. Capillorum tinctura. Humida vlcera. Fluxiones. Caliaca. Herpetes. Erysipel. Testium inflam. Epinyctides. Condylomata. Paronychia. Pterigia. Ala alentes. Cardiacus sudor. Ambusta. Foliorum succus.

Quod verò Myrtidanum dicitur, magis quàm Myrtus astringit. Tusum verò & vino austero addito coactum in pastillos, siccatumque in vmbra reponitur. Efficacius porrò est tum fructu tum folio, ceratis, pessis, insessionibus & cataplasmatis admistum, vbi constringendum aliquid est. *Hactenus Diosc.*

Myrtidani vires. Pastilli.

In quibusdam Hipp. exemplaribus de nat. mul. legitur: Myrti nigræ (μύρτον μελάνων) fructum tritum, aqua maceratum, & polentâ immissa ebibitum vteros purgare. At me quidem quod attinet, Hippocratis codices hoc capite grauiter transcribendo conturbatos existimo, cùm præsertim m.m. ad fluorem muliebrem rubrum MYRTI baccas nigras (μύρτα μέλανα) commendet.

Hip. codices conturbati.

De MYRTI viribus & Plin. tradit, sed admodum confusè, quædam etiam repetita. Lubet tantùm ex eo præcipua colligere, & à Diosc. non tradita, vel aliter. Succorum (inquit) natura præcipuam admirationem in MYRTO habet, quando ex vna omnium Olei vinique bina genera fiunt. Item MYRTIDANUM vt diximus. Et alius vsus baccæ fuit apud Antiquos, antequam Piper reperiretur, illius obtinens vicem, quodam etiam generosi obsonii nomine inde tracto, quod etiam nunc MYRTATUM vocatur. Eademque origine aprorum sapor commendatur, plerumque ad intinctus additis MYRTIS. Folia & per se siccantur in farinam ad vlcerum remedia in corpore humano leniter mordaci puluere, ac refrigerandis sudoribus. Quinimò oleo quoque (mirum dictu) inest quidam vini sapor, simulque pinguis liquor, præcipua vi ad corrigenda vina, saccis antè perfusis. Retinet quippe fæcem, nec præter purum liquorem transire patitur, datque se comitem præcipuæ commendatione liquato. Virgæ quoque eius gestatæ manu viatori prosunt in longo itinere pediti. Quin & virgei anuli expertes ferri inguinum tumori medentur. Quin & virga iaculi (ut repetente Turnebo) fortasse quòd è MYRTO iacula nonnunquam fierent, quorum hastile nondum ferro spiculatum Virgam vocant. Virg.

Myrtatum obsonium. Vlcera. Aduersus sudores. Ad corrigenda vina. Aduersus lassitudinem. Inguinum. Virga iaculi.

Crebris hastilibus horrida Myrtus.

Iterum,

Et pastoralem præfixa cuspide Myrtum.

Itaque virgæ iaculi dici possunt, tam grandes, ut pro iaculo muniri ferro possint. Nic. in Ther. MYRTA constipantia & obstruentia dixit.

MYRTUS, tradente Galen. ex contrariis substantiis constat: vincit tamen in ea frigidum terrenum. Habet verò etiam tenue quiddam calidum. Itaque valenter desiccat. Porrò tum folia, tum germina, tum fructus, tum succus, non parum inter se in astrictione dissidet. MYRTADA verò quanto dictis siccius est, tantò & astringit vehementiùs. Quidam id tondentes reponunt, postea vino subigentes, in pastillos formant. Folia item arida viridibus plùs desiccant: viridia enim humiditatem quandam habent. Succus non tantùm ex virentibus foliis exprimitur, sed & fructu. Restringendi vim hæc omnia habent tum foris imposita, tum intrò sumpta in corpus.

Myrti temperam.

Succus.

Simeoni Sethi MYRTI: Baccæ frigidæ sunt & siccæ primo ordine; opitulantur à scorpionibus percussis, & iis quibus aluus fluit. Eam enim fortiter ... sistunt.

Alui fluxus. Noxa. sistunt, sed vesicæ nocent. At albæ & dulces, alicuius sunt participes caliditatis. Cunctæ verò alvum compescunt, soluuntque calidas & humidas exhalationes: eademque ratione ipsius plantæ folia odorata, & capiti imposita. *Dentium dolor.* Medentur & dentium doloribus, qui ex calore fiunt, si ipsarum decocto calido os coluatur. *Capillor. defluuium.* Baccæ vtique ad defluentes capillos simul cum galla valent, cum oleo si conterantur, & capiti imponantur. Foliorum verò succus, viperæ & serpentis ictus sanat, si eius libræ dimidium sumatur.

Myrteam coronam meri vapores inhibere, ex sententia Philonidis testatur Athen. Turdus suis nidulis vti bestiolas noxias abigat, Myrtum ingerit. *Myrtus auium medicina. Contra Elleborum.* Coturnices etiam, vt Didymus auctor, est, Elleborum pastæ, in tantum vitæ discrimen adducuntur, vt distendantur conuellanturque, ceu vertigine correptæ: illis auxiliantur Myrti baccæ. *Oris anhel.* Odorem oris commendant, vel pridiè commanducatæ: quod hoc hemistichio comprobat Serenus:

Myrtusque emendat oris odorem.

Dysenteria. Dysenteriis denarii pondere dantur. Folia Noxiis bestiis & venenatis; quæque exulcerando nocent, medentur. Ex vino articularibus morbis & collectionibus. *Hydrops. Dolor dentium.* In vino verò decocta dysentericis & hydropicis potui dantur. Aceto, in quo eadem decocta fuerint, os ad dentium dolores colluitur. *Puluis.* Coliculi autem cum flore decocti, & in nouo atque operto fictili, in furno cremantur, postea ex vino teruntur. Puluis hic ad omnia, quæ foliorum puluis potest, efficaciter administratur. *Aqua florum.* Aqua ex floribus Myrti destillata, odoris suauitate Myropolis plurimum expetitur.

Semina saccharo condita. Semen siue baccas eius Musa Brassau. primus saccharo condire docuit, optimum variis morbis condimentum, & ægris magnoperè placens.

Camer. ideo veneri dicatam Myrtum iudicat, quia multos habeat vsus in morbis muliebribus: *Mulierum morbi.* Sanè in quibuscunque fluxionibus ritè administrata, plurimum potest.

Porta puniceas species tam fructu quàm cortice sanguinis excreationibus & mensibus opitulari scribit, & non atras. Adeò in coloribus is atque figuris suos medicandi fontes hausit? *Porta reprob.* Quis autem nigris Myrtillis astrictionem denegare audit, cui gustus sanus est?

Aduersus fungorum strangulatus. Scribit Diosc. Fungos strangulatus suspendio similes concitare, quibus confestim succurrendum; Communiter ex oleo vomere cogendos &c. Quod & Matth. approbat: & rectè. Vt mirum sit, qua ratione idem Matth. Myrti vsum tantoperè commēdet in eodem casu, vt etiam mirificè præstare dicat. *Matth. reprch.* Nobis contrà minùs tutus eius vsus videtur. Nam cùm ex iam citatis autoribus astringat, astringentia autem coarctando oesophagum & orificium ventriculi vomitum impediant, atque adeò fungorum retentionem adiuuent, non videtur tutus Myrti vsus. Nec etiam foliorum Pirastri, quāuis id Diosc. tradat. *Diosc. not.* Horum tamen vsus aliquis si possit esse in eo casu, tunc maximè futurum censemus, si superueniat à Fungis: Aut certè eiectis iam vomitu Fungis, & multa agitatione laxato & prostrato ventriculo. Myrti baccis, vltimā maturitatem adeptis, Italicæ mulieres vtuntur ad intinctus, qui cum assatis carnibus essati maximam cum palato ineunt gratiam, teste Matth. ac simile quiddam videtur fuisse quod Plin. Myrtatum, Cato *Murtatum* Murtatum vocauit: Attamen Myrteum condimentum seu ἡδύσμα languidos ventriculos robo- *Ventriculus.* rat.

Nec differunt viribus inter se Myrti species. Foliis siccis omnium generum, quotquot habere possunt vtuntur Coriarii ad spissanda crispandaque *Ad Coria paranda.* Coria. Bellon. quoque scriptis prodidit Illyricos Myrti foliis coria perficere.

Vinum. Fit & vinum e Myrto, quod Theoph. non ignorauit, qui Myrto atque vinosum ac oleosum tribuit succum, quamuis vtrumque obscurum. Habere enim ait talem quoque humorem, qui vino cùm sacco transmittitur ac colatur, innatet, quem detrahunt, & ad lumen lucernarum accen- *Oleum.* dunt, quod Plin. admirationem creauit, geminos hos succos ex vna re promanare. Sed vini ratio duplex est, vt bina etiam appellatione distin- *Vini duplex ratio.* guatur. Primum enim *Myrtiten* vocant; siue *Myrtidanum, Myrtanum, Myrtile*, vel *Myrteum vinum*, quod ex baccis: alterum *Mursiniten*, quod ex tota arbore fieret. Plin. Myrtidanum quoque vocat, quod ex silv. mori baccis conficitur. Myrtei vini parandi rationem hanc præcipit Cato. *Myrtei vini varij parandi modi.* Myrtum nigram in vmbra arefacito: vbi verò iam passa, seruatā ad vindemiam, in vrnam musti condito (alii habent contundito) Myrtæ semodium. Id oblinito. 1. Vbi desiuerit feruere mustum, Myrtum eximito. *Alum crudā. Lateris dolor. Caliaca.* Id est ad alvum crudam, & ad lateris dolorem, & ad cæliacum, & si alvus non consistit. *Alui fluxus.* Habet & suam ex Catone Plinius: Habent etiam suas Dioscorides, aliique Græci: sed apud omnes Autores (ex quibus petendę) admodùm variant, vt vel ex hac sola variationis diligentia apertum fiat, quantę existimationis fuerit, cùm propter gratiam, tum propter vim medicam, quam ex Catone iam diximus.

Myrtitis vires. Attestante verò Columella quoque Myrtites valet ad tormina, ad alui profluuium, & ad imbecillum stomacum. *Tormina. Alui fluxus. Stomachus. Sang. fluxus.* Nam Diosc. teste, potentèr, astringit, & vbicunque stypticis vtendum, valet. Reiectiones sanguinis inhibet, & alui stomachique rheumatismis prodest; itemque contra intestinas vlcerationes, fluoremque muliebrem: denique capitis etiam denigrat capillos. *Dysenteria. Menses. Capillorum tinctura. Myrsinites. Eius Vlcera cap. Pabula. Faucium inflam.* Myrsinites, eodem autore, contra manantia capitis ulcera, furfures, papularum eruptiones, gingiuarum ac tonsillarum inflamationes, & aures purulentas efficax est, ac sudores quoque cohibet.

Ol. Myrtinum. Myrtei quoque Olei, siue Myrtini, duplex ratio. Aut enim è baccis fit, aut è foliis. *Olē baccis.* E baccis in 1. Ianuario ita fieri docet Palladius. Vnciam baccarum (in vulg. ex. legitur foliorum) per olei libram vnam mittes, & per vncias x. vini veteris styptici heminam, & cum oleo bullire facies. Idcirco autem vino respergentur folia, ne frigantur antè quàm decoquantur. Tale hodie non est in vsu, sed ex Arabum præscripto paratur ex Myrti baccis, & oleo omphacino, hoc est, im- 2. maturo. Commodè etiam adderetur succus, si haberi posset. Hoc oleum Myrtillorum vulgò vocant ad differentiam Myrtini, quod ex foliis fit, *Ol. Myrtillorum* cuius cōficiendi rationem geminam tradit Diosc. *Ol. Myrtinum 3.* Myrti nigrę seu siluestris seu satiuę tenerrima quęque folia tundito atque exprimito, succo deinde Omphacini olei parem mensuram admisceto, & ad prunas calfacito, donec simul cocta fuerint, tollens id quod supernatat. 4. Fuerit verò minùs operosa confectio si foliorum mollissima contusa in aqua & oleo decoquas, & quod innatat, adimas. 5. Peculiari quoque modò, si exposita Soli folia in oleo maceres. Nec desunt, qui oleum prius inspissent Malicorio, cupresso, Cypero ac Iunco odorato. Ita vnguentum Myrtinum describit *Vnguentum Myrtinum.* Plin. E vilissimis quidem hodie est ob id creditum, & id in vetustissimis esse, quod constat oleo Myrteo, calamo, Cupresso, Cypro, Lentisco, malogranati cortice: nimirū hic calamum addit,

Diosc. ex Plin. illustr. Plin. err.

& ἀλείφεσθαι κατεψυγμένα, χεῖρα, χυτρὰν ἐν χεῖρον apud Diosc. legisse videtur. Apud eundem verò Plin. in olei Myrtei confectione secunda, quam cum priore ex Diosc. desumpsisse videtur, perperàm legi videtur: alii deiecta ea in oleum prius Sole maturam, pro macerant: ἀποβρέχειν: quamuis Plinium secuti sint plerique interpretes. Videtur enim voluisse Diosc. deiecta in oleum folia sub Sole prius aliquantisper macerari, quàm decoquantur. Aut etiam (quod & Ruell. voluisse videtur) Myrti foliorum in oleo ad Solem maceratione sola myrtinum oleum à nonnullis confici: Cui sanè ad ea, ad quæ celebratur oleum Myrtinum, non multùm tribuerimus, nisi prius contundantur folia.

Olei Myrtini delectus.

Efficacius porrò oleum est, quod gustu subamarum deprehenditur, oleosum viride & translucidum cernitur, ac Myrtum redolet.

Ol. Myrtini Vires. Vlcera.

Vis ei astringendi & indurandi: quare efficaciter cicatricem obducentibus medicamentis immiscetur. Facit quoque ad ambustiones, vlcera capitis manantia, furfures, papularum eruptiones, attrita, rhagadas, condylomata & laxatos articulos. Sudores compescit: denique ad omnia valet, quæ astrictionem densationemúe desiderant. Nam & Gal. autore, crassarum partium est, multoque efficaciùs cortice, & folio ac semine adstringit & indurat. Gingiuis, dentium dolori, dysenteriæ exulceratæ, & plærisque suprà scriptis morbis tam fotu quàm illitu confert. Denique refrigerat, astringit & roborat: propriè verò cor, ventriculum, cerebrum, atque neruos.

Syrupus Myrtinus. Eius usus.

Fit & syrupus ex Myrtillis, simplex ex eorum succo, & Compositus additis & alijs astringentibus & refrigerantibus, cuius descriptiones habes apud Cordum. Ventriculum & viscera corroborat, vetus alui profluuium, sanguinis omnem eruptionem, omnemque cerebri destillationem sistit: ideò & tussim mitigat.

PSEVDOMYRTVS BELLONII.

CAP. II.

Descriptio

In Ciliciæ planitie, in qua fuit Alexandri & Darij conflictus obseruauimus arbusculam fruticosam, alibi non visam, Myrto multùm similem: postquàm transmisissemus portas Cilicias, loco sterili & petroso prædictam arbusculam reperimus, cuius nomen exprimere non possumus, nisi vocemus Pseudomyrtum Bellon.

AVACARI FACIE MYRTI.

CAP. III.

Descriptio.

In Malauarica Indiæ prouincia pusilla nascitur arbor, maior frutice *Coru*, quæ folijs, floribus, & fructu Myrto persimilis est. Fructus eiusdem etiam est cum Myrto saporis, multò tamen astringentior. Hanc arbusculam trifolium olere ferunt. *Auacari* nominant incolæ. Nascitur in montibus. Aiūt mirè esse efficaciæ aduersus inueteratas Dysenterias è causa frigida prouenientes. Eius experimentum se fecisse asseruit Lusitanus quidam senex in filia sua: quæ cùm integro anno Dysenteria laborasset, nec ei quicquam reliqua medicamenta profuissent, sumpto huius plantæ cortice trito & in aqua orizæ macerato in ptisanæ modū, sanata est. *Garcias.*

Odor. Auacari. Locus. Vires & usus Dysenteria.

VITIS IDÆA MAGNA QVIBVSDAM: SIVE MYRTILLVS GRANDIS.

CAP. IV.

Descriptio.

Nisi iam lib. 1. tradidissemus de frutice qui vocatur Diospyros seu *Amalanchier*, & Clus. Vitis Idæa 2. posset non incommodè hoc loco poni. Ad eum igitur locum Lectorem remittimus. Nunc *Vites Idæas*, vulgò, *Myrtillos* dictas tradamus, quarum prima inter eas quæ à nobis obseruatæ fruticosior est, virgultis sesquicubitalibus, teretibus, ramosis, cortice spadiceo obductis, materie satis solidâ & densâ: in quibus folia vitis Idææ angulosæ magnitudine paria, oblonga, magis tamen rotunda, glabra, nec vllo modo, vt illa, serrata, inferiore parte nonnihil glauca, sapore adstringente prædita, decidua. Baccæ Iuniperinis vel Myrti Tarentinæ pares, vmbilicum habent latiorem, ex cuius medio apex prodit, quo fit, vt quàm Vitis Ideæ angulosæ baccæ minus rotundæ sint: hærent autem pediculis longiusculis, sapore præditæ grato, subacido, & vinoso, quibus continentur grana aliquot minima, sublutea.

Folia. Baccæ. Sapor. Grana.

Iconem ex Clus. damus, cùm siccæ tantùm plantæ nobis essent ad manum, cuius descriptionem etiam libet adiicere, ne decipiamur fortè vel ipsi, vel dicipiamus alios. Censemus tamen eandem cum nostra. Vitis Idæa altera (inquit) vicinior est vulgari (angulosæ,) ramos habet interdum humi diffusos, teretes, lentos, nonnunquam verò firmos & erectos, cortice modò cinereo, modò rubescente tectos, in multas alas diuisos, & in his folia, illi quæ rubro est fructu formâ similia, sed tenuiora, venosa, subtus exalbida, gustus adstringentis & nonnihil acidi. Flos vulgari similis, ex candido purpurascens, concauus, labris in quinque crenas diuisis, & exteriùs reflexis, albis intus staminulis. Fructus vulgari similis, maturitate niger, saporisque gratia non minùs quàm vulgaris Offic. Myrtillus commendabilis, plurima granula in se continens. Radix est dura, lignosa, multis fibris capillata. Sarmenta siue rami procumbentes, subinde radices agunt. Ab Austriacarum & Stiriacarum alpium Venatoribus Jegerbeer nūcupantur. Libenter enim eius baccis victitant: vnde nomen: quasi Venatorū baccæ. In Silesia vocatur Rausch/ quemad. & ea quæ rubro fructu prædita est, & palustris: Similem etiam apud illos vsum obtinent, qualem Ledon alpinum Infectoribus alpinis præstat. Hæc ille.

Radix. Jegerbeer. Rausch. Vsus.

Nos nódum adhuc pro certo asserere ausimus an Theoph. & Plin. hāc intellexerint, an angulosam (ille sub nomine Vitis Idææ: hic sub Vitis Alexandrinæ) an, quod vult Dod. ab his plantis diuersam. Libet tamen eorūdem verba hīc assignare,

re, ne cogamur alibi repetere. Quidam enim & huic, & sequentibus Vitis Idææ nomen tribuunt.

Vitis Idæa. Vitis Idæa, [ἄμπελος] inquit *Theoph.* nascitur in ea parte Idæ quam Phalacras nuncupant. [calvas Lat. dixeris] Paruis virgultis fruticat, ramosque cubitales emittit, quibus acini ad latera adhærent nigri, Fabæ [κύαμος] magnitudine, dulces, vinaceorum (γιγαρτώδες) instar, aliquid intus continentes, molle (μαλακὸν : quam vocem Gaza omisit. Folium rotundum, indiuiduum, paruum. Per κύαμον verò non est quod Fabam nostratem intelligas, alioqui nec figura nec magnitudine conueniet. Const. intelligit de Faba Græciæ, à cuius similitudine etiam κύαμος dictus est ὀνίσκος bestiola multipes, vulgò Asellus dicta, de qua in hist. Insect.

Theoph. illustr.

Vitis Alexandr. Porrò eadem planta est Vitis Alexandrina Plin. quæ vitis Idæa Theoph. nam planè iam dicta verba Theophr. sub eo nomine transcripsit Plinius sic: Alexandrina appellatur vitis circa Phalacrá, breuis, ramis cubitalibus, acino nigro Fabæ magnitudine, nucleo molli & minimo, obliquis racemis prædulcibus: folio paruo & rotundo, sine diuisuris.

Du Choul in descriptione montis Pilati ait: In *Airelles.* ipso montis penè vmbilico passim conspicitur humilis admodum frutex, *Atrelles aut Aurelle* nominant.

Vua dolce. Phalacras. Du Choul. Vitim Idæam Theoph. inquit Cl. Miletus vocant Phalacras. Itali (vt accepimus) *Vua dolce*, hác vocitant. Quæ sanè descriptio huic nostræ satis competit. Verùm in eo fallitur, quod dicit Theoph. vocari Phalacras, cùm nomen hoc sit partis montis Idæ vt modò dictum.

Baccolara. An Cæsalp. *Baccolarum* vulgò in Alpibus, quasi *Baccularum* alterum genus, fructu minore constans [quàm Vitis Idæa angulosa, de qua paulò pòst] & paucioribus intus seminibus: foliolis infernè albicantibus, specie Mali cotonei, sed pusillis. Videntur hi frutices quasi humiles Mespili, *Hæc ille*: Nolimus tamen pro vero statuere hanc Cæsalp. descriptionem nostræ esse Vitis Ideæ, quia multa continet quæ conueniunt cum Cotonastro, de quo lib. 1. Præterea nostra Vitis Idæa magna nihil commune habet cum Mespilo.

An Camer. Hort. Vitis Idæa Gesn. maior, quam crescere tradit in silua prope Negeldorff / pago mille passus a Norimberga vrbe sito, quam Clus. in Pan. Jegerbeer / & frater eius Ludouicus Trunckelbeer nominari aiebat, quia copiosior earum vsus aliquem quasi inebriet.

Satio. In horto plantata non comprehendit.

Myrtillus grandior. Myrtillus grandior: Grossen Heidelbeer: Rosberen: Drumpelberen, Bruchberen / Trago. Vitis Idæa maior Sueuis dicta: Mosberi Heluetiis, Gesner. Vitis Idæa 2. maior: Gross Heydelbeer Tab. Compilator eius historiæ, satis clarè sua prodit descriptione, se nescire quid scribat.

Tab. non. Gerardus aut. Gerar. Anglus huius plantæ iconem posuit pro Vaccinijs rubris, quæ non parum differunt ab hac Vite Idæa maiore.

Schwenck f. Vaccinium Alpinum Schuuenckf. in Catal. Siles. qui & Vitim Idæam 2. Clus. & Vitim Idæam nigram maiorem Thal. & Vitim Idæam maiorem Gesn. easdem planè satis confidenter facit, quod tamen non temerè negauerimus.

Locus. Nascitur, eodem teste, in montibus & solitudinibus & siluosis. Tradente Clus. inuenitur in Deitzalben iugo duobus supra Neuberg Germanicis miliaribus: postea etiam in descensu herrenalben supra Thechof, multo fructu onusta, atque in Etschero Austriæ monte supra Gamingam. Reperitur etiã in silua Norimbergensi vrbi proxima, ad Latomias, vbi & vulgares nigris & rubris baccis maxima copia nascuntur sub Pinastris, Piceis & Abietibus. Nos in Burgundiæ locis alpinis frigidis obseruauimus, & in inferiore parte montis d' Pré, loco paludoso, dicto *Malfaigne* vbi Burgundi *Dauernter* vocant, Item in montibus Vogesis Lotharingiæ adiacentibus (*Ballon* vocant) in cacumine, sed loco itidem paludoso. Copiosam etiam vidimus in montibus inter Nagel arcem Wirtembergicam & Thermas Ill. Marchionum Badensium. Sæpè in hortum Montb. transtulimus, fructusque seuimus, sed frustrà.

Vires & vsus. Inebriant. Baccis inebriandi vim inesse referunt venatores, & aratores: testanturque du Choul, Camer. aliique, præsertim copiosius deuoratis. Nec mirum. Sunt enim sapore vinoso & grato. Folia *Ad tincturas.* quoque aliquid aciditatis habent, sed astrictionem maiorem. Quare tum his tum virgultis Tinctores vtuntur, idem præstantibus quod Ledum Alpinum, vti dicebamus.

VITIS IDÆA FRVCTV NIGRO.

Cap. V.

Descriptio. Hanc Clus. priorē facit, ramis flexilibus, & humi diffusis, gracilibusque, multis germinibus, vix è Musco (quo rami occultantur) prominentibus, in quibus nullo ordine digesta sunt folia, prioris Ledi Alpini foliis penè similia, paulò tamen longiora, angu- *Folia.* stiora, teneriora, minusq; crassa, admodum venosa, supernè virentia, infernè dilutiora, leuiter per oras crenata, & mollibus quibusdam villis hirsuta, longo pediculo inhærentia, gustus valdè astringentis. In summis ger- *Bacca.* minibus præcedentis anni, baccas fert rotundas, Cerasii nonnunquam magnitudine, oblongis & tenuibus pediculis dependentes, coloris initiò viridis, deinde rubri, postremò nigri, succulentas, non ingrati saporis, nulla ossicula conti- *Semina.* nentes, sed plana duntaxat semina, alba, numero *Radix.* vt plurimùm quina. Radix lignosa quibusdam fibris donata, & rami per terram sparsi similes fibras nonnunquam agunt.

Locus. Maturis & immaturis onustum hunc fruticem iuxta Ericam bacciferam alteram nascentem, in vnius Snealben iugi supra Neuberg scopulis mense Augusto eruebat idem. Florem non obseruauit.

An verò in classem Vitis Ideæ rectè retulerit, alijs iudicandum relinquit: nec enim sibiipsi in illius nomenclaturâ satisfacere ait.

Ledi alpini generibus adscribi posset, nisi baccæ, quibus prædita est, & aliæ quædam notæ refragarentur. Simlerus ad Com. de Alpibus eius

meminisse videtur, & Garlobesiaden appellare: nam parum à Rosæ montanæ frutice differre asserit. Huius folia satis ad illam accedunt. Hæc Clus.

Tabern. not. Taber. Vitim Idæam 3. vocat, & Heydelbeers Sed compilator eius iconem & descriptionem Clus. proponit, nulla eius facta mentione: flores appingi curauit, quos nec describit, nec Clus. vidisse fatetur.

Gerardus Anglus figuram Compilatoris habet: ac Vaccinia Pannonica, siue Vitim Idæá appellat.

VITIS IDÆA ANGVLOSA.

CAP. VI.

Descriptio. Vitis Idæa angulosa virgultis fruticat plærumque pedalibus, interdum cubitalibus, satis crebris, virentibus, angulosis & fractu córumacib⁹, in multos ramulos diuisis: in quib⁹ *Folia.* folia crebra, tenera: virentia, caduca, vnciam circiter lóga, plusquam semunciam lata, acuminata, glabra, per ambitum argutis denticellis crenata, sapore partim acido, potissimú primùm emergentia, partim austero. *Flores.* Flores in singulis hærét, inter folia, bullati siue vrceolum referentes, colore ex albo punicante, stylo croceo. *Bacca.* Succedunt baccæ, singulares quoque, Iuniperinis ferè pares, per maturitatem violaceæ potiùs quàm nigræ, vmbilicatæ, sapore grato & acido primulùm degustatę, quæ tamé paulò pòst nescio quid nauseabundi in ore relinquunt, purpureouiolacea, satisq; pertinaci *Grana.* tinctura: cui grana immerguntur multa, parua, rubentia. Radix tum recta, tú obliqua quaquauersú agitur, è supina etiam parte stolones emittens.

Hanc perperá quosdam Myrtum existimasse ex his Cordi liquet verbis, quando ait: Myrtus non est exiguus ille fruticulus, quem Germ. Heidelstrauch, (al. Heidel vel Heidelstaud :) & cuius baccas Heidelbeer appellant, vt hactenus falsò à plerisque creditur etiam Staudelbeeren. Plerisque *Myrtilli.* hodiè Myrtilli Latinè dicuntur.

Quidam etiam fructus eius Vaccinia nigra appellant, autoritate Virgilii. Sed insulsi homines videntur, inquit Tragus: nam Virg. de flore loquitur, Hyacinthum cum intelligens cuius Diosc. l. 4 historiá proponens; Romanis testatur Vaccinium dici. Huius alterum genus Kopbeeren/ Drumpelbeeren/ & Bruchbeeren dicitur. Myrtillos Auerrhoes lingua sua Arabica vocat Her.

Her Auerr. Trag. not. Non placet figura Tragi, in qua folia non serrata. Nec quod scribit folius vestiri solidis, Buxi per omnia similibus, sed tenerioribus. Quid si non distinguat Vitim Idęam fructu rubro, folio semper virente ab hac? eius enim non meminit, licet sæpiùs cum hac proueniat.

Quoniam vero Germani & Bohemi legitima Myrto se carêre perspicerent, aliam in siluis nascentem sibi compararunt pharmacopolæ, eamque *Matth. not.* myrtillum vocauêre, nempe hanc plantam, vt annotat Matth. Quod verò idem de hac planta scribit, folijs virere Buxo ferè similibus, sed tenuioribus, Myrti minoribus, robustis, non placet. Considerent quæso herbarum studiosi: quænam sit his cum Buxo similitudo, quódque robur in folijs. Suspicamur Matth. minùs versatum in *Chamæmyrsine.* Myrtillorum differentijs, pauciores probè nouisse. In Epit. χαμαιμύρσινη, It. *Myrtillo*: Ananiensibus *Calanezza* Dodon. *Confines* in quibusdam Galliæ locis: Brabantis Crakebesien / pestelbesien & Hamerbesien/ qui ait posse dici Latinè Vac- *Vaccinia. Myrtilli.* cinia; non tamen Virgilij: meliùs tamen conuenire nomen Vacciniorum, quàm Myrtillorum, vt quidam apellant.

Videntur autem Vaccinia dicta à baccis, quasi *Baccinia.* Baccinia.

Quicquid sit, Vaccinia hæc nostra dici possunt, & cum Vaccinijs Plin. ac Vitruuij (de quibus suo loco) in eo conueniunt, quòd vestes telæque li- *Non est Vitis Idæa Theoph. aut Alexandrina Plin.* neæ tingi purpureo colore his queant. Cum Theoph. autem ac Plin. Vitis Ideæ descriptione haudquaquam conuenire satis manifestu: humilis enim est frutex, vix cubitum altus, paucis, breuibus, & nequaquam cubitalibus ramulis; haud racemos, vt Plin. ait, nec vuarum acinis similes fructus sed veluti Taxi baccas, profert; non dulces, sed subacidas & adstringentes; in quibus quoque non χονδρώδες, molle, sed multa exigua, candida, plana semina: folium non rotundum, sed rotundo longius. Iam & credibile est hunc in Italia, Græcia, ac minore Asia non reperiri, cùm Germaniæ proprium Matth. asserere videatur: tantùm abest vt Vitis Idæa aut Alexandrina dici haberiúe queat. *Dod. not.* Porrò non placet Dod. icon quam in hist. Gallica proponit, nec illa quam in Latina, quamuis prior melior videatur: in eo tamen peccatum quòd adeò recta picta, in speciem arboris, nec foliorum serraturas expresserit.

Atrelle du Choul non est ea stirps quam Dod. pro Vacciniis nigris exhibet, vt ipse putat, sed ea de qua proximè egimus.

Cæterùm Vitim Idæam, Heidelbeer vulgò dictam, esse à se primùm obseruatá gloriatur Gesn. & viros aliquot eruditos consentientes inuenisse. Aduersari quendam de re herbaria bene meritum, *Passula Corinth.* & Vitem Idæam interpretari illam quæ Passullas Corinthiacas vulgò dictas ferat. Se verò nobilissimum illud vuæ passæ genus non in Ida, nec aliis prealtis niuosisque montibus nasci putare: sed vel in planicie collibus apricis, magna hominú cura.

Vitis Idæa Theoph. Idem de collectione stirpium Vitim Ideam Theoph. esse ex eiusdem descriptione se interpretari ait: quæ tamen opinio paulò antè refutata per Dodod. Item in Catal. plant. Dryophonum, Offic. *Dryophonum. Myrtus nemor.* nemoralis Myrtus: Δρυοφόνον: *Confines.* Myrtus offic. *Ruff.*

Lonicer. not. Lonicerus qui pleraque sua Botanica ex Trago consarcinauit, eundem de Myrtillis tradentem parum diligenter legisse videtur, quando ait, posse statui duplicem differétiam, magnam & paruam, ambas tamen eiusdem esse figuræ: nam, apertè Tragus docet, maiorem & minorem figura differre. Ἄμπελος Ἰδαία, (vt annotat Rob. Const. ad Theoph. & in Lex.) Galeno ἄμπελος ἀρκτῶν planta est, id est, Vua vrsina, in Apennino adhuc vocatur *Vigna dell' orso*, quam vult esse Vitim Idæam Theoph. Anguillara: Vulgo *Auertes*, aliis *Aurelles*, It. *Vua dolce*, apud Northmannos nihil copiosiùs prouenit, præsertim in Bellocassiorum agro vbi vocant

cant *Maurets*. Sed si Const.intelligit nostram Vitim Idæam angulosam, vt suspicamur, dubii adhuc sumus an sit *Vigna del Orso* Anguil. siue Vua Vrsina Gal. quia tribuitur ei fructus ruber, qui in hac purpureoviolaceus & multis niger dicitur.

Vuam Vrsi differre à Vite Idæa. Myrtillo Germanico. Quod nonnulli vuam vrsi Gal. à Theoph. Vite Idæa non differre putent, falluntur Clusii iudicio, cui Vitis Idæa nihil aliud esse videtur, quàm Myrtillus Offic. Germaniæ. Idem in Pan. tradit Vitim Idæam Theoph. rei herbariæ peritis esse Myrtillum Germ. vulgarem baccis nigris.

Et Aduers. Herbariorum Vaccinia nigra & rubra sunt Myrtilli Offic. An Idæa radix. Maturitatem (inquiunt) assecutæ baccæ nigræ vineo succo turgent, prædulci gustu: flores Ericæ aut Vnedonis, minores, pallentes, radix lignosa multa edit virgulta pede altiora. Folia effigie Myrti aut Rusci rotundiora, molliora, sed hieme decidua.

Vaccinia. Lob. Obs. Vaccinia nigra & rubra, Idæa Vitis Theoph. Dalech. Clus. Myrtillus Offic. Germ. & Myrtus montana: Vua Vrsi Anguil. Gal. *Aurelle Airell*. It. *Vua Orsa*. *Vitis Idea Myrtus montana.* At figura Lob. non placet, quia nullas foliorum serraturas ostendit, quarum nec in descriptione meminit: non placet etiam comparatio foliorum cum Myrro & Rusco: nec quòd duas plantas velit vnâ eademque illâ figurâ complecti, licet neutra conueniat. *Aduers. & Lob not.* De Vua Vrsi Anguil. paulò pòst.

Bagula. Cibus. Cæsalp. not. Audiamus Cæsalp. *Bagulæ* (inquit) vulgò in Alpibus quasi bacculæ, fructus dulces, subacidi, paruis vuis similes, in maturitate nigri quos esitant Alpini: fert eos paruus frutex dodrantali altitudine, ramulis virentibus & striatis, foliolis in rotunditate oblongis, leuiter serratis, sine pediculo annexis alternatim: flosculis radiantibus, concauis vt Arbuti, qui summis fructibus insident. Alterumgenus &c: Videntur hi frutices quasi humiles Mespili. *Hæc ille.* Quæ tota descriptio satis conuenit cum nostra Vite Idæa angulosa, si excipias quod ait, Vuis similes, & quod videantur quasi humiles Mespili. Nos sanè considerata eius descriptione ac etiam ipsa planta nihil videmus quod respondeat cum Mespilo, cuius folia sunt hirsuta, longa, rami nec virentes nec striati, sed rotundi: flores ex foliolis constant: fructus in totum diuersus, figura, colore, substantia, & sapore. Quid verò sibi velit cum flosculis radicantibus, in hac planta non apparet, nisi fortè legendum sit candicantibus.

H. Lug. not. *Hist. Lugd.* in ea est opinione, esse Vitim Idæam Theoph. & Vitim Alexandrinam circa Phalacrum Plin. In Auerniæ montibus (vbi prouenit) dici *Airelles*, Italis *Vua del' orso*: Germ. Heidelbeer: *Vitis Idæa minor.* Vuam Vrsi Anguillaram vocare: Dod. Vaccinia nigra & *Consines*: Ab hac Idæa Vite differre à Lob. *Chamæmyrsine Myrtus terrestris seu Pumila.* pictam Myrtum Germ. foliorum incisuris, de qua tradat Matth. in Germ. & Bohem pharmacopœis Myrtillum dici. Sed frustra Hist. Lugd. duas facit plantas, cùm duæ sint figuræ vnius plantæ, quarum prior deterior.

Locus. Vitis Idæa minor passim in Harcynia Saxothuringica, Thal. An Camer. in hort. Vitis Idæa nigra passim in siluis. Itim paulò pòst: Vaccinia nigra. Dodonæi Vaccinium nigrum. χαμαιμυρσίνη Penc. Myrtus terrestris seu Pumila: Blauwe Heidelbeer/ Staudelbeer / Roßbeer Schuuenckf. Vitis Idæa siue Myrtillus 1. Tab. Angl. Blacke Whortes or Whortle Berries / Gerar. Myrtilli & Vua Vrsi Anguil. C. Bauh.

Nascitur tam in alpibus quàm in vastis desertis, vliginosis & tenebrosis vallibus aliisque humectis locis Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Seuenæ inaccessis, alpibus Tridentinis, monte Fracto iuxta Lucernam Heluetiorum, in sylua Harcynia, testibus Trago, Gesn. & Lob. In Heluericis alpibus & sylu osis non paucis locis obseruauimus, Item Alsatiæ, Burgundiæ, Sabaudiæ: speciatim in Burgundia propè Castellum *Mesche* vbi fructu vescuntur & *Beulter* vocant: Item in cacumine montis *Roßberg* prope *Beulter.* Mesocomium: circa Befordiam, in monte *Ballon* Lotharingiæ vicino.

Fructus Augusto maturos legimus. Eodem *Tempus* mense Richenvvillâ proficiscentes ad fodinas à S. Maria cognominatas, multos pueros atque puellas obuiantes plenosque calathos ad cibum referentes offendimus. Floret Maio. Fructus interdum etiam Iulio maturos edit.

Baccis terream & frigidam inesse substantiam *Vires & vsus.* ait Tragus, quare cibo quàm medecinæ accommodatiores esse. At nobis medicinæ quàm cibo aptiores videntur: si vera tradit Matthiol. fructus refrigerare, exsiccare, roborare, reprimere, cohibere, *Tragus reprob. Temperam. Dysenteria.* quæ omnes facultates medicamenti potiùs sunt, quàm alimenti. Dari baccas cùm recentes, tum quoque siccas deuorandas Dysentericis & Cœliacis. Has igitur Germanis vnà cum Vniuersa planta haud inefficaciter Myrti vicem præstare idem censet. *Matth. not.* Cui hac in parte non assentimur: Myrti fructus aromatici sunt: hi minimè. Præterea nostro iudicio Matth. perperàm tribuit Myrti vires Viti Idææ angulosæ, licet ei valdè sint similes. Quare Dod. & Camer. potiùs subscribimus, quorum sententiâ si crudę edantur baccæ ventriculum debilem & frigidum offendunt & aluum perturbant sua frigiditate, tantùm abest, vt aluum adstringant, aut fluentem reprimant: quod succus illorum excoctus donec crassescat (*Rob* vocant) addito melle & sacchararo, vt cóseruetur, haudquaquam efficit. Ideo ab aliquibus parari solet ad hæc mala siue ex ipsorum esu, siue aliunde contracta. Cæterùm eodem *Temperam. Ventriculi ardor.* Dod. tradente Vaccinia hæc facultate secundo ordine, eoque satis intenso frigida sunt, & vnà cum manifesta adstrictione resiccant. Ventriculo æstuanti conueniunt: sitim sedant: ardentium febrium calores mitigant: aluum reprimunt: vomitum sistunt: dysenteriam ex flaua bile natam curant: aduersus choleram morbum prosunt. Sed ad hos vsus *Rob* seu succus cum sacchararo vel melle inspissatus ipsis baccis longè præferendus, ob rationes dictas. Pueris tamen qui omnia deglutiunt, itemque auiculis siluestribus ob dulcedinem & suauitatem cibo gratissimæ sunt. *Cibus Puerorum.* Paupercula quoque plebs, vt annotat Schuuenckf. in Silesia ex baccis pultes cũ farina coquit, haud ingratas, vt ille ait: sapidiores, hercle, existimaremus absque farina, & in simplicem sapam, vel per se integras coctas, more ceraliorum. Sed vt magis nutriantur, ideò farinam addere putamus.

Lonicerus huic plantæ multas vires adscribit, parum rationi consonas, & fortè in eius cerebello natas. Folia & fructus in vino maceratos & epotos vrinam ciere, ac menses, pellere calculum vesicæ: quas vires qua ratione rei adstringenti, adeoque frigidæ & terreę [vt ipsemet fatetur] tribuat, ipse viderit. *Vrina cit. Menses. Calculum. Lonic. not. Bilis effusio. Dolor cap.* Item tradit conferre ad effusionem bilis & dolorem capitis, quod partim adstringendo & cohibendo bilem, partim calóres & vapores reprimendo pręstare posse rationabilius. Foliorum succus in ore retentus aphthas mitigat. *Aphtha.* Sed quo consilio idem ait eundem succum mixtum cum lacte, & auribus illitum in ambitu, omnia eorum vitia tollere, atque adeò visum acuere, iudicent docti. *Sanguinis sputum.* Succus cum sacchararo epotus sputo sanguinis resistit, & generationi calculi in renibus: sic enim

Calculus. *Vulnera.* *Caro putris.* *Tumores pudendorum.*

eius verba explicamus, quibus ait conferre ad calculum renum. Radicis puluis vulneribus inspersus, carnis excrescentiam & putrilaginem cohibet & adimit, & efficaciter cicatricem promouet. Ad pudendorum tumores in emplastrum cum oleo rof. concinnata folia eos tollunt absque noxa. Radix cum Aniso & Fœniculo pari dosi puluerisata, addito saccharo, & ieiuno quantùm cochlear capiat sumpta, certo remedio est flatibus & colicis doloribus, *inquit ille*: in quo sanè circumforaneo empirico similior videtur, quàm rationali Medico: Nam cur rem terrestrem, frigidam, & adstringentem, cum calidis, & discutientibus commiscet? qua vi flatus carminare, & colicos cruciatus putat compescere id, quod temperamenti sui ratione nihil minùs præstare, fortè etiam citiùs causare possit? Abeat *ad Scholas, ad Scholas*, immò ipsam potiùs rei naturam, optimam & fidissimam medicorum scholam, & meliùs discat, rerum temperaturas in vsus dispensare, vulgóque credulo vanis suis pollicitationibus imponere.

Scribit Matth. Germanos Parmacopœos baccis passim vti Myrti baccarum vice, cùm iis destituantur: quinetiam æstate edi fragorum vice à Pastoribus & aliis, quòd gustui placeant. Peculiariter autem iis vtuntur Infectores ad Inficienda linteamina & chartam cœruleo colore, ac etiam à Pictoribus. Succus cum alumine & Galla coctus eleganti cœruleo tingit chartas. Linteamina eodem colore ita tinges. Ollæ huius succi plenæ affundes poculum aceti vini, aluminis puluerisati unc. j. squammæ æris itidem in puluerem redactæ drach. ij. bulliant vna: tum retenti decocto immerge lintea: siccetur in aëre, demum frigida aqua laua, & pereleganti coeruleo tinctum habebis. Si dilutius uelis, omitte squammam æris: si saturatius, etiam plus addes. *Sic docet Lonicerus.* *Caeruleo Tingendi modus.*

VITIS IDÆA SEMPERVIRENS, FRVCTV RVBRO.

Cap. VII.

Descriptio. Ramis hæc fruticat dodrantalibus, rotundis, non angulosis, quos vestiunt folia satis frequētia, crassiora quàm Vitis Ideæ angulosæ aut magnæ, oblonga, modò per extremum rotunda, modò leuiter acuminata, non serrata, in quibus nerui subtus potissimùm apparent, gustu astringēte & amaricante. *Folia.* Flores racematim cohærent in virgularum extremis Lilij conuallium floribus similes, albi, interdum blandè rubentes: *Flores.* quibus delapsis baccæ similiter racemosæ succrescunt, sex, plùs minùs, racemulo vno, Pisi minoris magnitudine, ex albo luteóue rubentes, sapore acido, valdè iucundo, carne simili Vacciniis palustribus, cui immersa grana paruula lutea. *Bacca.* Radix obliqua ferè, tenuibus capillamentis fibrata. *Radix.*

De hac, ni fallimur, scribit Camer. Epit. Matth. his verbis: Vitis Idæa rubra, nonnúllis Rhus minimus Plin. Germ. Rot Heidelbeer, Steinbeerlin/ Bronsbeer: Gal. *Aurelles rouges*. Suffrutex est exiguus, foliis Buxi, interdum leuissimè cen ferratis marginibus, flosculis Arbuti, candidis, confertis, ex quibus Baccæ rubentes in summitate, ceu corona quadam, denticulatæ nascuntur, sapore acidæ & astringentes. Radix tenuis serpit. *Vitis Idæa rubra. Rhus minimus Plin.*

Anguil. Epist. 5. *Vua Vrsi* Galeno dicta l. 7. de comp. f. loc. c. 4. Arctostaphylos hodierna die in Appennino vocatur adhuc *Vigna del' orso*. Hanc idē à Theoph. appellatam Vitim Idæam censet. Inueniri ait in omnibus Italiæ montibus, vbi niues. Galeni verba cap. sequentibus trademus. Hanc autē potiùs suspicamur ab Anguil. dici *vuam vrsi*, quàm præcedentem, conferendo eam cum Gal. descriptione. *Vua Vrsi Gal. Arctostaphylos.*

Gesn. scribit Vitis Idææ speciem esse, acinis rubris Coldenbergio, Vaccinia rubra: pingi à Dod. bis, altera icone meliore: acinos acidiores esse, sine vmbilico. At nos apud Dod. vnicam tantùm huius Vitis Idęæ iconem inuenimus, quæ placet: nobis etiam gratiores videntur baccæ: Prior apud Dod. quæ displicet est Vitis Idęæ angulosæ. *Vitis Idæa, Vaccinia rubra.*

Vitis Idæa buxeis folijs nec deciduis, baccisque rubris Clus. quamuis minùs benè simpliciter Buxea dicat: id potiùs conuenit sequenti plantæ, quam Radicem Idæam suspicamur. *Clus. not.*

Vaccinia rubra Herbarior. & aliis. Myrtillos dicunt Aduers. vt & præcedentia: an Idæa Radix sit dubitant: ac tradunt fruticem lætiore & habitiore aspectu semperuirēre: non perindè vt nigrā frequentem, nec tamen nigræ dissimilia folia, sed paulò maiora & ad Myrtum albam siue maiorem, & Rhus Plinianum accedentia, rotundiora: Bacculas nec dissimiles, sed rubras, astringentes magis, nec perinde succulentas ferre. Radicem æquè lignosam fibris serpere Ericæ ritu. Flores ex oblongis calyculis paruulis subpurpureis apiculos è medio exerere. Sed ista descriptio Aduers. Vacciniorum rubrorum non placet: folia namque nobis videntur valdè dissimilia, & ad Myrtum vel Rhus nullo modo accedere. *Aduers. not.*

Iconem certè non spernendam proposuerat Dod. in Hist. Gal. quam etiam retinuit in postrema: vbi notat Gesnero Vitem Idæam rubris acinis dici, sed multò minùs quàm nigram cum Idæa vite hanc conuenire, ipsarum baccarum exortus ostēdit. Non enim ad latera Cauliculorum, veluti nigra, sed è ramulorum cacuminibus, Corymborum instar, dependent. *Gesn. reprob.*

An *Cam. hort.* Vitis Idæa vulgaris. An Thal. Vitis Idæa seu Vaccinia rubra Dod. Idem Thalius refert, hanc stirpem olim Aemilium existimasse esse Rhum Plin. minorem. Vulgò Braus beer dici: Noricis Rote preiselbeer/ quorum Siluæ hoc frutice refertissimæ sunt. Belg. Roote Crakebesien, teste Dod. Red Hohortus or Whortle, Anglis. *Rhus Plin. minor.*

Vaccinia rubra Gerard. qui figuram habet ex Taber. quæ posita erat pro vite Idæa maiore, à qua Vitis Idæa fructu rubro multùm differt. Vbi autem Taber. ac etiam Tragus de hac scripserint, nescimus, nisi fortè sub Chamæbuxo, vti monuimus Cap. de Radice Idæa. *Gerardi not.*

Schwenckfeld in suo Catal. Siles. varia nomina diuersa imponit, hæc: Vaccinium rubrum, *χαμαι κέρας*: Vitis Idæa rubra Matth. [sed vbi?] *Schwenckfeld. not.*

Erica

Erica baccifera latifolia Taber. Vua vrsi Anguil. Rote heydelbeer/ Rote preußelbeer/ preußelbeer, Rausch Taber. sed an sine confusione, ipse viderit & Herbarum periti.

Locus. Gaudet & hæc locis siluosis, saxosis ac opacis: itemque alpibus: Monte fracto Heluetiæ: Item in similibus Brabantiæ locis. Copiosissima circa Wernigerodam in Broccenbergo & vicinis montibus. Item circa Walckenridam, Gerenrodam, alijsque locis quampluribus, teste Thalio. Vastis etiam siluis circa Boleslauiam & saganum silesiæ plurimum: Schuenckf. Nobis verò obseruata in cacumine montis Rossberg propè Mesocomium tractus Alsatici Octobri pulchrè virens, cum angulosæ folia decidissent ferè omnia. Hanc semper virere existimamus. Item in monte Ballon Lotaringiæ vicino, cum Vite Idæa angulosa, & alia fruticosiore siue magna. Augusto iam racemulos gerebat, sed tum primum baccæ nonnihil incipiebant maturescere, cùm aliarum iam dictarum omninò essent maturæ: vnde patet serotinam magis esse. Communiter etiam sub Abietibus atque piceis crescere videas quod & Camer. annotauit. Floret Maio & Iunio. Septembri demum perfectè maturatur.

Tempus.

Vires & vsus. Temperam. Cùm baccæ sint acidæ magisque adstringentes cæteris, nec perinde succulentæ vt Myrtilli, facultatem vtique frigidam siccamque habebunt, quam & Dod. aliique ipsi tribuunt. Quapropter ad eos vsus, vbi adstrictione opus accommodari posset. Hinc vsus eorum in Dysenteria non contemnendus: item in diarrhœa, & superiùs dictis affectibus plerisque. Qua verò ratione puluis ex acinis aridis exhibeatur calculosis, vt scribit Camer. & reperit Schuuenkf. nec nouimus ipsi, nec facilè declarabunt isti. Possis & ex harum succo Rob conficere addito saccharo aut melle, ad viscerum calores & sitim in febribus calidis. Quidam ad ἐμβάμματα commendant, additis aromatibus. Foliorum vsus ob adstrictionem idem esse possit, qui præcedentium.

Camer. & Schuenckfeld not. Febres.

RADIX IDÆA PVTATA, ET VVA VRSI.

Cap. VIII.

Descriptio.

Vitis Idææ rubræ affinis est quam Radicē Idæam Diosc. vocant, à qua tamen manifestè differt: siquidem folia habet densiora, ad Buxum accedentia, ex oblógo rotundata, angustiore ad pediculum ceruice, vtrinque rugosa, nec neruos, vt illa, præter vnicum, qui secundum longitudinem decurrit, exhibentia, quamuis pictor perperàm quasdam propagines laterorsum appinxerit, gustu cum amarore adstringente, quemadmod. Vitis rubro fructu. Hærent autem ea ramis lignosis, pedalibus, cortice tenui & facilè cedenti tectis. Flores racemosi, concaui, rubri. Fructus vt in Vite sempervirente racemosus in extremitate ramulorum. Quæ de radice Idæa Diosc. & Plin. scripsēre, annotatata sunt postea, quibus bene consideratis fortè erit, quod monet Fab. Columna. *Bonifacia*, siue *Bislingua*, cum qua meliùs videntur conuenire, quæ Veteres de ea scripserunt: Ab aliis positam plantam dicit nullam cum Rusco habere affinitatem.

Flos.

Valerandus Donrez, sagacissimus alioqui stirpium vestigator ac censor olim putabat Vaccinia rubra Dod. & Myrtum montanam Cordi esse hanc ipsam: sed vt tempore & hominum curâ omnia fiunt clariora, ita & in apricum datæ, in opacis aliòqui delitescentium suffruticum distinctiones à nobis propositæ.

Vaccinia rub. Myrtus montana.

Quum verò Tragus Vitis Idææ rubræ non meminerit cap. de suis Myrtillis, licet coniectari eum de hac scribere, aut certè de Radice Idæa his verbis: In altissimis Wasgouiæ siluis non procul à Cæsareo Luthro humâ arenoso, exigua stirpis species Ericâ haudquaquam maior reperitur. Hæc folia habet Buxo aut Myrtillis quàm simillima, humique magis procumbit, quàm in altum sese attollat. An verò ea Chamæpyxos fuerit, ait se affirmare non ausum.

Chamæpyxos.

Considerandum an eadem sit Vva Vrsi Galeni apud Clus. quam scribit fruticare pedalibus ferè ramulis flexilibus & lentis, humi diffusis, rubescente cortice tectis, vt teneriores Arbuti ramuli: folia illi frequentia, Arbuti folijs minora, carnosa, Chamæleæ Italicæ foliorum planè æmula, minimè tamen hirsuta, cum astrictione amaricantia. Extremis ramulis flores proferre ex candido purpurascentes, siue candidos, quibus leuiter purpurascens color admixtus sit, cauos, Arbuti floribus similes, & vuæ modo simul congestos: fructum non vidit: sed incolæ rubentem, rotundum, exigui cerasi instar acidum referebant. Radicem paruam sed lignosam. Perpetua fronde virere. Peritiores quidam Hispani, quibus eam ostendebat, Chamædaphnen esse existimabant, crassitudine foliorum procul dubio decepti.

An Vua Vrsi Galeni an Clusio.

Chamædaphne.

Clusio verò ad amussim quadrare videtur ἀρκτοστάφυλον quam Gal. lib. 7. c. 4. κατὰ τόπους sic describit: Vua Vrsi in Ponto nascitur, planta humilis & fruticosa, folio memæcyli, fructum ferens rubrum, rotundum, gustu austerum. Sed icon Vuæ Vrsi Clusij nobis scrupulum iniicit, an eadem sit cum Radice nostra Idæa, in qua non apparent nerui transuersi vt pinguntur in Clusij icone.

Arctostaphylos.

Descriptio Gal.

Lob. *cum Pena* obscurè admodum de his plantis scripserūt, vt apparet ex eorum Aduers. vbi aiūt: Alpigena Chamærhodendros odora, frutex, flore purpureo, pinguis tota &c. Alpinis *Alprosen*: Baccu las Asparagi vel Taxi pares & concolores, Septēbri edit. Et in Obs. Genuina Vua Vrsi Galeni apud Clus. eadem videtur cum Alpigena Chamærhodendro exibita in Obs. p. 199. & Adu. p. 154. cuius flores Arbuto similes, sed ex candido purpurei aut candidi conspiciuntur. Hæc Lob. qui figuram eandem habet cum Clus. Is pagin. Obs. prædicta figuram habet aliam cum baccis lateralibus, & nō in extremitatibus, his titulis: Alpigena Chamærhodendros odora Aduers. p. 154. Balsamum Italicum vulgare, siue Rhododaphne parua rustica: Terionarcha Plin. putata Guilandino. Sed Lobelium diuersa nomina, plantas & icones confundere clarè patebit rem ipsam, eiusque, & Clusii verba consideranti. Nec scimus an extet aliqua Chamærhodendros odora baccifera. Si extet grati

Chamærhodendros. Vua Vrsi.

Chamærhodendros Alpigena. Balsamum Italicum. Rhododaphne. Therionarcha. Lob. error.

erimus erga demonstrantem.

Hist. Lugd. repreh. Aſt *Hiſt.Lugd.* more ſuo duas vel tres confundit, dum vni huic diuerſarum ſtirpium hæc nomina tribuit: *Radix Idæa Therionarcha.* Idæa radix, ſiue Idææ vitis ſpecies: Dod. Vacinia rubra: Clutio Vua vrſi Gal. Italis Rhododaphne parua ruſtica: quibuſdam Balſamum Italicù vulgare: Theriouarcha Plin. Idæa radix Dioſc. Plin. Gal. Tam egregiè Chaos iſtud ſtirpes digerere conſueuit.

Ericæ baccifera latifolia. Tabern. proponit figuram Ericæ bacciferæ latifoliæ nomine, quam & *Rauſch* Germ. vocat, ſine deſcriptione, quæ exprimere videtur noſtram Idæam radicem. De *Vua vrſi* quam idem ex Cluſ. *Tabern. vox.* habet, iam diximus noſtram ſententiam. Chamærhodendron Alpinam latifoliam & is ſanè confundit cum Ledo Alpino: *Chamæpy.* Figuram etiam proponit Lobelianam, cuius næuos iam deteximus. De Chamæpyxo eius idem dicimus, quod de Tragi Chamæpyxo, nobis videri eo nomine tradi Vitis Idææ ſpeciem, cuius iconem ſi quis conſideret, fortè ſuſpicabitur potiùs accedere ad vitim Idæam rubro fructu, quàm ad Radicem Idæam. Rem Lectoribus conſiderandam relinquimus. Quicquid ſit, cum D. Caſparo *C. Bauh. Laus Vaccinia Vrſi.* Bauhino Botanico verſatiſſimo exiſtimamus non eſſe ex genere Buxi.

Gerard. quoque Chamærhodendros alpigena dicitur: Angl. Dwarffe roſe Baies Item Vaccinia Vrſi ſiue Vua vrſi Cluſ. Beares Weſortle berries.

Locus Cęterùm *Vua Vrſi* Clutio non niſi vnico loco *Tempus* naſcens viſa arido ſolo & aprico, via regia in colle imminenti cuidam viculo, *Venta el babul* vocato, inter Guadix & Baca, regno Granatenſi, iam florens Martio. Seriùs tamen plerumque florere, fructum æſtate matureſcere, & in planta ad hiemem vſque perdurare ipſi incolæ affirmabant. Nos in montibus circa Geneuam obſeruauimus. Prouenit etiam Baſileæ via qua tenditur ad S. Chriſchonæ fanum iuxta vineas. Legimus etiam in Veganijs Narbonæ montibus.

Vſus. III. Princeps noſter Frid. Dux Wirtemb. miſit nobis plantam ſiccam monens copioſè reperiri circa Curiam Rhætorum, ferre baccas rubras: magni fieri hanc plantam à tinctoribus pro tinctura nigra, ac eis dici Rauſch.

CHAMÆBVXVS SIVE CHAMÆPIXOS. QVIBVSDAM.

CAP. IX.

Deſcriptio.

QVamuis hæc planta non ſit de tribu bacciferarum, iungendam tamen cenſuimus propter quandā ſimilitudinem cum præcedenti, à quibuſdam Chamæbuxus putata. Hunc ſuffruticem itidem Chamæbuxū dixére, multis virgultis tenuibus, lentis, ſpithamam circiter longis prędìtum, quæ vbi terram attigerint, fibris de- *Radix.* iſſis radicantur: alioqui & radicem habet, ſa- pè nonmultò ipſis virgulis breuiorē, lignoſam, ex cuius capitibus (quæ plura poſſidet) ipſę emergunt. *Folia.* Folia per ramos incondita, Buxeis quodammodo ſimilia, magis acuminata, carnoſa, pediculis breuiſſimis hęrentia, [guſtantibus primùm ingrata, deinde amara & acria Cluſ.] amaricantia: ex quorum alis, in ramulorum extremis flores exeunt *Flores.* Coluteę ſcorpioidis floribus ſimiles, ſimul plures iuncti, qui, teſte Cluſ. odoris expertes, nonnullis verò locis odoratiſſimi & Narciſſinam quandam fragrantiam ęmulantes, tribus foliolis conſtant, quorum duo alba ſunt, & alarum modo ſurſum expanſa, galeolâ exalbidâ illorum exortū integente, tertium folium in oblongum veluti tubulum conuolutum eſt; ſurſum per longitudinem apertum, per extremitatem braccę modo efformatum atque luteum, & vetuſtate interdum omnino purpuraſcens aut rubeſcens. Floribus ſuccedūt *Siliqua.* latę & compreſſę ſiliquę, Thlaſpi latifolii ſiliquis paulò minores, virides, quę bina plerumque [nōnunquam verò vnicum tantùm] continent grana, *Grana.* exigui Erui magnitudine, colore ex cinereo nigricante, hirſuta & veluti quoddam animalculū ementita, Polygalę vulgaris maioris rubrę ſemini haud abſimilia, ſed minora, quę aperientibus ſeſe per latera loculis, ſponte decidunt.

Varietas. Interdum etiam pro loci natura floris colorem variare deprehenditur: nam bina illa folia alarū inſtar, ſurſum expanſa, galeolaque eorum exortum tegens, alba non ſunt, ſed pulcherrimè ex purpura rubent: tertium autem veluti in tubulum conuolutum flaueſcit, eiuſque extrema pars aurea eſt.

Cordum exiſtimamus in Obſ. ſilua de hac plāta ita tradidiſſe: [licet Thalius aliò referat] Fruticulus exiguus, humi proſtratus, iunceis viridibuſque virgulis: foliis Myrtinis, duris, acuminatis, perennibuſque: floribus papilionaceis ferè, diuerſo *Flores ſpa... ſubiernans.* colore, videlicet albo, flauo & rubente: extimum quidem albet, proximum flauet, intimum rubet. Naſcitur in ſiluis montanis circa Egeram, in Bauaria & Vindelicia. *Locus.*

Ἀνώνυμος Coluteę flore, ſiue elegans Cluſ. qui à nemine adhuc deſcriptam putat. At nos à Cordo. Quidam à perpetuâ viriditate wintergrün appellari dixerunt, quod nomen alioqui & Vincę peruincę conuenit.

Anonymos Peruicę folio: Camer. Geſn. item olim [cùm ego Bauhinus ipſi conuiuerem] Chamębuxū ſeu Chamępyxon vocauit. Argentinę vidimus inter Plantas D. Agerii ſiccas nomine Myrtogeniſtę, *Chamæbuxus. Myrtogeniſta.* quod nomen non diſplicet: nec ſanè malè poſt Geniſtam ponit Cluſius. Sed magis arriſit Chamæbuxi.

Locus. Frequens eſt prior teſte Cluſ. non modò in montibus Calenberg, Medeling, & Badenſibus thermis imminentibus, ſed & in alijs ad Auſtriacas & Stiriacas Alpes excurrentibus, qui omni Reſiniferarum arborum genere integuntur, inter ſaxa. Plurimis etiam Pannoniæ locis eſt obuia, veluti ad Polonium, Sopronium & Zolonock. Altera verò rarior inuentu.

Tempus. Floret vtraque Aprili & Maio. Semen prioris [nam alterius non obſeruauit] Iunio perficitur. D. C. Bauh. attulit Patauio in horto lectam, his nominibus: Vitis Idæa Theoph. cum baccis Myrti; Olea Æthiopica Dioſc. Guilandino. Sed decepti fuere qui ita vocarūt, niſi nomina caſu ad plantam fuerint adiecta. Tiguri etiam obſeruauimus & collegimus. Locus particularis nunc non ſuccurrit. Hactenus neglecta fuit hæc planta, nec in vſum Medicum vocata, quod ſciamus.

VITI IDÆÆ AFFINIS POLIIFOLIA MONTANA.

Cap. X.

Descriptio. ORtu & facie est Polii nostratis, virgultis crebris, dodrante longioribus, lignosis, ex nigro rubentibus, magna ramorum sobole fœcundis. *Folia.* Folia Polii nostratis, acutiora, neruosa, vncialia, angusta, superiùs viridantia, pronâ parte cinerea vel glauca, neruo elatiore per longum currente. Extremis ramulorum *Calyculi.* petiolis calyculi hærent perexigui, foliosi, rub nies, vnde angulosa pyramis exilit Conchyliata, baccæ alicuius rudimentum promittens. Pro radicibus passim ex ramis nascuntur capilli instar tenues fibræ terram morsu comprehendentes. Appingi curauimus latiusculum folium, iuxta angustum; cuiusmodi pauca plantæ à nobis collectæ adhæserunt.

Locus. Hanc plantam reperimus vliginosis, muscosis, & frigidis locis cum alijs Vitis Idææ speciebus, Maij principio in montibus Harciniæ siluæ inter vallem Griesbachianam vbi fontes acidi, & **Risbelsauwen**, vbi etiam fons acidus. Vidimus quoque cum flore apud D. Platerum Basileæ, sed siccam, collectam in monte Pilati.

Myrtus tenuifolia. Hanc eandem videtur Thalius in Harcynia sua Myrti tenuifoliæ nomine sic descripsisse. Copiosè reperitur in vligine illa, vltra Andersbergum vrbem, Broccenbergum montem versus, quam nominant **Den roten Bruch**, hoc est, Vliginem rubeam, quòd totus ille vliginosus tractus sub radicibus Broccenbergi, & & vicinorum montiũ rubro musco plenus sit, quà videlicet ex Andersbergo via patet Goslariam versus. Fruticulus est lignosus, palmaris, viticulis multis, incuruis: folijs oblongiusculis, vncialibus, Myrti folijs angustioribus, quorum extrema plerumque in tergũ *Tempus.* contorquentur. In exiguis recuruis pediculis profert circa autumnum flosculos paruos, rubicundiusculos ex albo. Fructum nunquam adipisci potuit, cumque serò admodum floreat, eo autem loco, vbi nascitur, hiems citiùs, quàm alibi incipiat, citiùs etiam grandiores ibi niues cadant, opinatur rarò eius maturos fructus haberi posse. Cognatum fortè quid cum hoc habere putat fruticulum illum exiguum Cordi, folijs Myrtinis, quem nos diuersum censemus, ac Chamæbuxum præcedentem.

Vitis Idæa rubra Bavarica. An Camer. Vitis Idæa rubra Bauarica, baccis insipidis sine succo. Fruticulus est supinus, crassiore caudice quàm vulgaris (ea fortè, quæ rubro fructu) quæ apud nos passim cum nigra [fortè angulosa] in siluis crescit, & **Steinbeerlin** vocatur: folijs item oblongioribus, acuminatioribus & angustioribus, per autumnum rubentibus. *Locus.* Crescit circa Monacum in campis asperis inter Ericas. In horto adhuc viuit & viget, nedum vt siluestres huiusmodi plantæ videntur interitura. *Hac ille.* Quum vero nobis certò non constet, quò sit referenda hæc Vitis Idæa Bauarica, hic lubuit eius descriptionem referre; donec meliùs nobis innotescat.

OXYCOCCVS SIVE VACCINIA PALVSTRIS.

Cap.

Descriptio. PRelongis viticulis, lignosis, ex atro rubentibus, lentis & fractu contumacibus, inque adnatas propagines diductis serpit, *Folia.* quas folia vestiunt crebra, positu ferè pinnato, dura, serpylli folijs paria, superiùs viridantia, subtus ex cinereo ru*Bacca.*bentia. Baccæ figura, vt inquit Cordus, rotundę & cordis modo inferiùs iuxta annexum turbinatæ, colore foris primùm candicantes, mox puniceæ & purpureis contiguisque maculis & punctis conspersæ, intus verò in candido modicè rubentes, & quatuor exiguis *Semina.* cauitatibus parua & veluti abortiua semina claudentes: eæ vnà cum cauliculis humi procumbunt, nonnunquam etiam in musco tanquam abscondi*Flores.*tæ latent. Flores in extremis & capilli instar tenuibus surculis, Glycypicridos floribus similes, co*Radix.*lore propemodum puniceo. Radicibus nititur breuibus, capilli modo tenuissimis & flauis, ex viticulis subinde demissis. *Sapor.* Saporem coliculi & folia habent adstringentem: baccæ vero egregiè & simpliciter acetosum.

Dod. scribit se obseruasse radicem esse instar tenuis bacilli, obliquam, ex qua sursum complures coliculi & inferiùs fibræ, aliquot demittuntur.

Thalius autem hæc annotat: oxycoccon copiosè in Broccenbergo & vicinis montibus humidioribus, folijs non ita subrotundiusculis, vt est eius icon apud Cordum, sed oblongioribus ac strictioribus, lenticulæ ferè, breuioribus tamen: quorum ambitus versus dorsum vtrinque leniter reflectitur. Longis lignosisque ac obliquis procepit in vliginoso musco viticulis; radicibus constans tenuibus, multifidis, lignosis, quibus capillaceæ fibræ multæ adhærent. Flosculi exigui sunt, purpurei, veluti exigui Citinj.

Vaccinia palustria. Vaccinia palustria Dod. videntur fortè eiusdẽ stirpis fructus esse, vel congeneris. Tantus autem radicum truncus nostro oxycocco non est, quantum icon Dod. suorum vacciniorum exibet. Hic idem in hist. Gal. Vaccinia palustria ait Belgicè vocari **Veenbesien & Veencoren**: Gal: *Cousines des marets*: nullumque aliud nomen sibi co-

purpureo succo, vti Mora, plenæ, in quibus multa inæqualia & veluti triangula grana. Radix lignosa & dura est. Hanc florentem, & viridibus baccis onustam, multasque adhuc superioris anni maturas retinentem, inuenit idem in præcelsi mōtis, Vulgò Dechse appellati, scopulis, quinto supra Neapolim Austriæ vrbem miliari, mense Iunio: Postea etiam Augusto, immaturo & maturo fructu plenam in Sneberg & Snealben Celsissimarum Austriæ & Styriæ alpium iugis. Illius etiam arenosis Holandiæ tumulis erutæ ramum suis baccis maturis & immaturis onustum misit ad eundem N.V. Io ab Hoghelande. Miramur verò in Clus. icone ramos pingi hirsutos, nec tamen fieri mentionem in descriptione: alioqui icon angustis foliis meliùs conuenit cum Erica à nobis descripta, quàm icon Camer. à nobis proposita:

Grana. Radix. Locus.

Iam antea monuimus Penam & Lob. & hos sequutum Schuuenkf. existimasse Vaccinia palustria esse Ericam bacciferam Matth. quem errorem dudū deprehendimus. Sed quoniam idem Schuuéckfeld. Oxycoccon dicit esse Ericam bacciferam Matth. & πιθήκοκκον Thalii, cùm ex eo apertè cōtrarium pateat nempe πιθήκοκκον diuersum esse à Vacciniis: placet eius historiam totam subiicere, quæ sic habet. Erica baccifera Matth. Nam hanc de qua nunc agimus, eandem esse censemus. Angli verò in Aduersar. Vacciniorum palustrium nomine eam proponunt, quamuis hæc nostra in palustribus non nascatur. Fruticulus est humi procumbens, in oblonga, multifidaque brachia rubētia, lignosa, obsequiosa ac foliosa latè super terramse prorependo explicans: foliolis densè obuestitur breuibus, oblongiusculis, strictis, suffulvis, sæpè etiam nonnihil cœruleis, splendentibus, ex quorum alis in ramulorum extremitatibus æstate sub Syrii æstu micant tenuissima staminula, breuiaque, filamentorum sericorum ferè instar, quorū summitatibus apicula insident, coloris ex rubro nigricantioris aut spadicescentis ferè: hæcque filamenta & apicula florum vicem explent, iisque decidentibus, emergunt baccæ splendentes, Iuniperinis minores, similes baccis Vitis Ideæ seu Vacciniorum nigrorum Dod. rotundæ, ex purpura nigricantes, dulci pulpā constantes, cui infarcta continentur semina purpurascentia. Prouenit copiosè in summo Broccenbergi iugo & saxorum aridorum fissuris. Saxones qui montem illum accolunt, vocant hosce fructus Apenbeer / hoc est, Simiarum baccas. Vnde, si quis neque Ericæ, neque Vacciniorum speciem stirpem istam esse voluerit, is nomine conficto πιθήκοκκον appellare posset. Inde autem ei hoc nomenclaturæ inditum est, quòd esus ipsorum vberior capiti noxia inferat quædam symptomata, ad quæ deliræ subsequantur gesticulationes, ratione nonnihil interturbatā, vt is, qui ipsis vsus fuerit copiosiùs, simiarum instar sese habere gestu risibundo videatur. Hinc plantulam hanc deleteriā facultate minimè carere contendunt, & ab eius esu omninò abstinent, alijsque ipsorum vsum sanctè interdicunt. At amicus quidam noster Andreas Roselerus, pharmacopoeus Halberstadiensis, vir opt. & rei herbariæ non triuialiter gnarus, hanc stirpem Chamætaxum vocare solet, tum ratione qualitatis istius malæ, tum foliorum oblongiusculorum Taxi, sed breuiorum. Æmilius eam olim, cùm needum illo tempore à quoquam esset hæc stirps descripta, Corios speciem faciebat, Corin Broccenbergensem nominans. Reperiuntur & vetulæ herbariæ in Saxonia, quæ hanc plantam Gichtkraut vocitant, commendantque eam mulierculis vt præsentaneum præsidium contra istiusmodi morbum, nempe Conuulsionem. Matth. fatetur se de suæ Ericæ bacciferæ qualitatibus nihil certi habere.

Pen. Lob & Schuuenckf. error. Semina. Locus. Simiarum bacca. Pithycocca cur dictum. Noxa ex baccis. Deleteriam esse. Chamætaxum. Corios species. Vsus. Conuulsio.

ANONYMOS FRVTICOSA, FOLIIS ERICÆ BACCIFERÆ MATTH.

Cap. XIII.

Elegantissimi huius fruticelli ramq pulchello nos donauit Cl. D. Agerius Med. Argent. & stirpium sagacissimus vestigator, qui surculosus, lignosus, variè diuisus, infrà parte ruffus aut fuscus, annotinorum ramulorum principium dilutè rubens, extrema flauescunt. Ex inæqualibus internodijs foliola emittit magna ex parte bina, nec tam numeroso ac denso agmine, vt in præcedenti, altero verò latiora, crassiora, & in totum maiora, dilutè virentia, & Buxi recentis in morem flauescentia. Ramulorum summa surrectis & longiusculis petiolis rufis insidentia occupant vascula Ledi Narbonensis aut Nerij Montani quodammodo similia, foliaceo calyculo suscepta. Folia magis quàm præcedentis amara, nec sine adstrictione.

Descriptio. Folia. Vascula. Sapor.

De hac Aduer. vt putamus sic scribunt: Chamærhododendros altera celsis & rigidissimis cautibus, floribus purpureis perquam exiguis, Ericæ foliolis, non deciduis, prouenit: humilis tota, à nobis tantùm sicca visa.

Flores.

Gesn. de hort: Rosæ alpinæ altera species, foliolis minimis, Acinariæ palustris nostræ foliolis persimilibus.

Rosa alpin. species. Locus.

Nascitur in Adula monte Rhætorum: inde autumno allata, in hortulo plantata, vbi nunc media hyeme egregiè viret nec perdit folia: duraturam tamen vix spero, altissimis, siccis, ventosis & apricis frigidisque locis assuetam. Species hæc Rosæ alpinæ rarissima est.

Ex Clus. Pan. desumpta est nostra icon, sed minùs feliciter pictor imitatus est: titulus erat ἀνώνυμος folijs Thymi: de ea scribebat nondum sibi constare, quò esset referenda, eam ob causā ἀνώνυμον etiam relinquere: nisi fortè ea sit quam Pena & Lob. in Adu. Alpinam alteram vocant, & statim post Chamærhododendron odoram collocant.

Anonymus folijs Thymi.

In postr. hist vocat Chamæcistum 7. Olim (inquit) non mihi constabat, quò istam plantulam referre deberem, quòd mediam naturam inter Chamæcistū & Cneorum Matth. obtinere videretur: eam ob causam inter vtriusque capita locaueram. Sed diligentiùs postea obseruatam, inter Chamæcisti genera reponere placuit, impel-

Chamæcisti genus

lentibus me aliquot causis. Oblongis quandoque dodrantalibus tantùm serpit ramis humi diffusis, nigricantibus, in multos alios breues ramulos diuisis. folia frequentia & conferta sunt, bina semper inter se opposita, [non semper hoc obseruatum in planta] exigua, serpillo minora, Thymi durioris folijs haud maiora, crassa, superiore parte viridia, infernè candicantia, amaricantis saporis. *Flosculi.* Extremis ramulis innascuntur bini aut quaterni flosculi simul iuncti, perpusilli è quinque foliolis compositi, carnei quasi coloris. *Capitula.* His succedunt capitula, maturitate in quinas crenas sese aperientia, & semen exile admodum ostendentia. Radix dura, lignosa, aliquot fibris donata: quinque etiam rami subinde tenues fibras agunt. Exiccata planta non iniucundo spirat odore.

Locus. Nascitur tenui solo inter saxa, in summis *Sneberg*, *Snealben*, & alijs Austriacarum Styriacarúmque Alpium supercilijs.

Tempus. Floret Iunio, interdum etiam paulò maturiùs, pro temporis, quo nix quæ iuga illa tegit maturè aut serò soluitur, ratione.

ERICA BACCIFERA LVSITANICA.

CAP. XIV.

Descriptio. Erica foliis Corios Clusio fruticosa est, cubitalibus assurgens ramulis, fragilibus, nigriore quàm reliquę cortice, *Folia.* folia quoque iis similia, sed nigriora & crassiora, gustu cum adstrictione calidiusculo, trino ordine circa ramulos sunt disposita. *Fructus.* Fructum a reliquis Ericis differentem summis ramulis inhærentem gerit, vniones obscuriores tum forma tum colore referentē, succulentū, sapore acido, tria granula dura plerumq; continentem, qui exiccatus per se decidit. *Non florere.* An floreat, nondum constat: incolæ negabant, & fructum paullatim intumescere ampliöremque fieri donec maturesceret affirmabant.

Camarinhara. Et verò hæc longè diuersa à Matth. Erica baccifera. Lusitani vulgò *Camarinhara*: fructum verò *Camarinhas* dicunt. Erica baccifera Lob. Erica baccifera tenuifolia Tab. qui & Rausch vocat. An verò & hoc nomen Germanicum, quod pluribus plantis tribuebatur, & huic conueniat, considerandum.

Acacalis. Ἀκακαλίς, Lat. Acacalis Amato in Com. ad Diosc. Est verò Acacalis eidem planta fructum ferens album, rotundum, paruis margaritis persimilem, quem Lusitani sua voce *Camarinhan* appellitant: neque putat fructum istum in Europa vniuersa, præterquam apud Olyssiponem crescere. Planta media est inter Myricen & Ericen qua de causa Diosc. prudentissimè cùm de Myrice & Erice sermonem fecisset, de hac illicò caput sequens constituit. Fructus est esui gratus: Verùm *Cacalia* herba longè alia est, quanquam Plin. illi quoque fructum margaritis simillimum inesse dicat. *Cacalia.* Quæ Acacali conueniunt, Cacaliæ Plinium tribuisse deprehendimus, dicentem: Cacalia siue Leontice vocatur semen margaritis minutis simile &c. De Acacali Paulus quoque ex Diosc.

Camarinas. Bry fratres Hist. Ind. Oriental. notant quoque Lusitanis *Camarinnas* vocatas foliis esse equiseti, sed obscurioribus. Fructus esse baccas rotundas, perlacei candoris, sapore subacido.

Locus. In vna Lusitania hanc plantam obseruauit Clus. non procul Vlyssippone inter *Riofrio* & *Aldea Galega*, & etiam supra Vlyssiponem, solo admodum arenoso, copiosè suo fructu albo onustam: ait initiò Mannæ grana isti frutici inhærentia existimasse, adeò procul ipsi inspicienti imposuisse. Septembri & Octob. fructum fert, qui Nouembri exiccatur & per se decidit. *Vires & vsus. Febres. Sitis. Cibus.* Fructus Sept. & Octob. mensibus Vlyssippone inuenitur, febrientibus exhibent, ad sitim quâ premuntur, restinguendam: sanè etiam idem fructus à pueris & mulierculis expetitur, Si Acacalis est, aquam in qua maduerit eius fructus, ad Collyria quæ ad excitandam oculorum aciem conueniunt, addi, testis est Diosc. Amatus quoque testatur fructum esui esse gratum, eoque mulieres & effrenatos pueros in cibo frequenter vti.

LIGVSTRVM.

CAP. XV.

Descriptio. Ligustrū frutex est arborescens, radicem hinc inde per obliquum spargēs, tres aut quatuor cubitos altus & maior, crebris virgis lentis & in ramos diuisis constans, cortice cinereo obtectis, præsertim verò stipites & rami crassiores tali cortice vestiuntur: nam ramuli *virides* leguntur, materie albida, dura. *Folia.* Folia bina aduerso situ ex interuallis oriuntur, oblonga, angusta, figura ad Salicis folia quodammodo accedentia, sed breuiora, crassioraque, atrouirentia, læuia, nitentia, gustu acri & subamaro, non sine adstrictione. *Flores.* Flores in ramorum summis profert suauiter olentes, candidos, racematim congestos, quorum singuli quaternis, quinis, aut senis foliolis constant, apicibus ex luteo herbidis, qui decerpti statim flaccescunt: *Baccæ.* quos excipiunt Baccæ racematim quoque in Pyramidis figuram aggestæ, Hederæ baccis minores, læuiores ac nigriores, Iuniperinis æquales, initiò virentes, per maturitatem nigricantes, continentes *Grana.* bina grana, hinc gibba, inde compressa, cortice spadiceo, carne exalbida, vel digitorum leni pressu fragilia: sapore amaro ac iniucundo, quamuis quibusdam aliquid dulcedinis habere videantur.

Tragus

Varietas. Luteo flore. Tragus annotat huius generis nonnullos frutices sub luteo comari flore, atque eos quidem in uentu rariores esse.

Ligustri meminit Virgil. celebrato illo carmine: vbi flores intellexisse videtur.

Alba Ligustra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.

Et Colum. in hortis: *Fer Calathis Violam. Et Nigra permista Ligustro Balsama* &c: ad fructum potissimum respiciens: vt censet Tragus.

Marcell. not. Marcellus sibi persuadet, Ligustrum hoc vulgare idem esse cum Cypro Diosc. vt satis aperte insinuat, quando ait: Quos Maro cecinit pastoribus negligi & inutiliter petere Ligustri Flores, medicina & Vnguentariorum Officinæ libenter exceperunt. Nostra æstate nulla aut exigua eius ratio est, cùm alioqui vulgaris & ubique paratus frutex hic sit. Cisalpina omnis adhuc Gallia sic vocat, *Rauisticum.* Hetruria corrupta appellatione *Rauisticum.* De Diosc. & Plin. Cypro cap. seq. Sunt tamen qui & Plin. Cyprum eam esse Arborem censeant, quæ etiamnum in Italia Ligustrum vocatur, vt dicetur in progressu.

Ipsiusmet Ligustri paucissimis meminit Plin. *Tessera ex Ligustro.* Ligustra inquiens non nisi in aquosis prouenire, tesseris vtilissima. Alex. ab Alex. tessaras hic lusorias interpretatur: Dal. verò rectiùs nostro iudicio lignea signa, vinum, frumentum, oleum aut aliud quippiam significantia, & promittentia, quibus in congiariis & publicis largitionibus Imperatorum vtebantur.

Porrò magna difficultas orta est inter Herbarios *An Ligustrum sit Cyprus Diosc. & Plin.*

Ligustrum esse Cyprum. Ligustrum. Cyprus. Cyprum quidam, vt Plin. inquit, esse dicunt arborem, quæ in Italia Ligustrum vocatur.

Et Ruell. Ligustrum apud nos eadem est arbor, *Troenea. Alcanna. Henné.* quæ in Oriente & Græcia Cyprus, Gallis *Troenea*, Suessionibus *Druyna*, officinis ad Barbaros desinentibus tum *Alcana* tum *Henne.*

Virgil. pro flore vsurpauit *Alba Ligustra.* Cypri, id est, Ligustri, florem putat corollis intorquendum.

Scio, infit Tragus, qui Phyliream Diosc. velint, (vt Fr. Massarias Venetus & illius Simiæ) mihi verò est *κύπρος*, Lat. *Ligustrum*, de quo Diosc. *Massarius not. Phylirea non est Cyprus.* Quidam immeritò vocant Bartrigel.

Cordus quoque scribit, Ligustrum sine dubio arbusculam esse quæ Græcis Cyprus vocatur: propterea Plinium idem scripsisse nunquam pœniteat.

Annotat Corn. Posterioribus plerisque omnibus esse Cyprum: nec tam multis annis confirmatam opinionem velut errorem damnari debere, quum magna adeò sit inter Cyprum & Ligustrum affinitas & similitudo. Eidem aut Cypros est Italiæ Ligustrum, aut Philerea: eos tamen addit qui Italiæ Ligustrum viderunt magis Phillyreæ simile id quàm Cypro depingere.

Eorundem sententiam tuetur Matth. & in errore versari tradit nouum quemdam Herbarium [Anguillaram] qui censeat *Cyprum & Ligustrum* *Anguillar. taxat.* diuersas esse stirpes, friuolis argumentis ex Plin. desumptis. Hallucinari qui non videant Ligustrum omnibus suis notis referre Cyprum. Sed *Matth. not.* Anguillaræ argumenta non videtur Matth. sufficienter refutare, & nimis audenter pronuntiare hallucinari eos, qui suæ opinioni non assentiuntur de Ligustro.

Ab eorundam partibus stant Io. Agric & Turner. Hic speciatim, eius notas omnes cum Cypro *Massar. reprob.* Diosc. conuenire scribit: ac quanquam Massar. Venetus lib. de Piscibus strenue neget Ligustrum esse Cyprum, rationes tamen quibus nititur, non eam habere vim, quin cófutari possint. Ac optassemus sanè refutasset viuis rationibus, si potuisset, aut à reprehensione abstinuisset. *Turner. not.*

Amatus ne ambigendú quidem censet Cyprum Ligustrum esse, quum Plin. dicat arborem Ægypto familiarem, in Italia Ligustrum vocari. Ideò omninò falli Mass. Venetum, Cyprum aliam arborem à Ligustro esse contendentem. Ligustri verò radicibus hodiè Mauros suos inficere capillos, velut equorum quoque crines, quod olim quoque fieri Diosc. tradidit. Verùm vel ex eo facilè conuincitur Amatus, Ligustrum nostrum neque esse Cyprum, neque id lignum quo Mauri capillos inficiunt, quia nihil tale præstat Ligustri nostri lignum, sed *Henne*, quod Cyprum existimamus. *Amatus refut. Lacuna not.*

Amati errorem vtrumque ruminatur Lacuna, (vir nostro iudicio parum in re Botanica versatus.) nempe & *κύπρον* esse & Ligustri radicibus à Turcis tingi caudas equorum; additque Poëtas huius arboris flores vocare Ligustra, & fructus eius Vaccinia: sed dubium non est duas ab eo confundi plantas: non enim nostratis Ligustri, sed alterius exoticæ arboris radice, de qua postea, tinguntur pili equorum. *Ligustra Poet. Vaccinia Poet.*

Ad vnius huius plantæ historiam idem Lacuna accumulat & tertium errorem. Ponit Ligustri iconem ex Matth. & aliam habet eiusdem plantæ nomine Halimi, cum quo nullo modo conuenit. Cæcis ita inponendum est, non nobis & diligentibus studiosis. *Tertius Lacunæ error.*

Monachis etiam *Cyprus* Græcorum & *Ligustrū* Latinorum vnum & idem sunt, quemad. & *Alcanna*, vt legentes [inquiunt] Serapionem, & Diosc. cú Plinio conferentes non latet. Addunt in oleo Cyprino Actuarij legi florum Ligustri, Græcis Cyprus dicti.

Loniceto *Ligustrum* Diosc. Philyra est & Cypris, cuius duas species facit, magnam & paruã. Esse Virg. alba Ligustra, & Colum. Nigra Ligustra. Ita vides non minori ignorantia quàm oscitantia ab illo vni plantæ tribui tria diuersarum plantarum nomina. Præterea vnius plantæ duas icones, minorem & maiorem ponit, & propter eas potiùs, quàm ex re ipsa, aut quòd viderit, vel ab aliquo didicerit, duas tradit species, à nemine hactenus, quod equidem sciamus, obseruatas. *Lonic. confug. Alter eiusdem error.*

Eius priorem iconem Ryff. prædicto non magis in re Herbaria versatus, pro Ligustro ponit, scribens: *Ligustrum* Plinij aliorumque Latinorum, cuius picturam damus omnes fere hactenus Diosc. Cyprum interpretati sunt, sed illos nuper redarguit Massarius, demonstrans Ligustrum esse *φιλυρέαν* non Cyprum. Ryff. igitur qui ineptè posuit pro Cypro iconem Ligustri vulgaris, vti dictū, cap. sequenti iconem maiorem eiusdem plantæ cum eodem Lonic. ponit pro Philyrea Diosc. *Ryff 1. error. Ryff error.*

Altiùs sapuisse sibi persuadent Pen. & Lob. in Adu. quando *Ligustrum* Diosc. nostras vocitant, subolfacientes fortè nostrum diuersum esse à Dioscoridæo, & nihilominus ad illud reduci posse aut debere existimantes, vt equidem candidè interpretaremur nisi sequentia eorum verba diuersum proderent, quando aiunt: de florum fœtura Cyprus dictus Græcis videtur: *κυπρίζω* enim floreo est, quo allusisse visus est Maro, vbi *alba Ligustra cadunt*, canit. Auic. dicit baccas esu sanguineum lotium aut potiùs colore cruentum ciere, quod præstitisset Refractarijs experiri, quàm Ligustrum verum inficiari. Quæ tamen Alkannæ afferuntur assulæ, vel baccilli, luteo sunt intus ligno, eoque si crinem (vt videtur Auic. ex Diosc. velle) inficiant, sunt sanè aut melioris notæ Ligustri, aut diuersæ *Cyprus vnde.*

plantæ. Quibus postremis verbis & notis non temere ceu recidiua quadam hæsitatione iactari nobis videntur, adeoque nihil certi statuisse. Non placet igitur eos priùs *Ligustrum* & *Cyprum* idem dixisse: nec quæ huic nostræ ascribunt de vrina cruenta, quod decebat illos potiùs experiri priùs, quam redarguere eos qui negant *Cyprum*, cùm ipsimet dubitent, vt apertè docent eorum verba de Alkana, de qua nos seq. cap.

Castor Dur. errat.

Denique ligustrum nostras etiam Cyprum Diosc. faciunt Cast. Durantes, [qui non benè duas figuras & descriptiones vnius plantæ ponit, quasi diuersæ sint plantæ.] Taber. & Cæsalp. Lonic. addit Cypron ab insula dici.

Ligustrum non esse Cyprum Diosc.

His omnibus strenuè se opponunt, iam sæpè citatus Massarius, Fuchs. Dod. Anguil. Rob. Const. apud Amatū, Goropius, Porta, aliique quorum iudicio & rationibus sanè in hac re plus tribuimus, eisque hactenus subscribimus, donec prodeat aliquis, qui nobis diuersum persuadeat. Quanquam Diosc. Cypri descriptio propiùs ad nostrum Ligustrum accedere videatur quàm Plinii: quamuis nostram vix propriè & simpliciter arborem dicas, adhuc minùs peregrinam. In nostri quoque Ligustri foliis nihil tale quid apparet, quod capillos ruffet, quæ notæ nostrum Ligustrum à Diosc. Cypro potissimùm distinguere videntur, quamuis & aliæ fortè sint circa vires, nondum obseruatæ. Sed quid multâ opus velitatione, cùm alia planta, nec frutex, sed arbor Recentiorum industria inuenta sit, meliùs cum Diosc. Cypro conueniens.

Nec Cyprum Ægyptium Plin.

Sed nec Cypro Ægyptiæ descriptioni Plinii quadrat nostrum Ligustrum. Plinii namque Cyprus semen habet Coriandri, peregrinaque est arbor. At Ligustrum nostrum grana non Coriandro similia habet, vt facilè ex descriptione nostra proposita conferenti notas cum Coriandro patebit. Nec sanè nostrum ligustrum, quod spontè in sepibus & senticetis passim occurrit nascitur in Ægypto. Rectè igitur Fuchs. Ligustrum quo nomine Græcis appellatum sit, nondum certo nobis constat, neque enim, vt ferè omnes hodiè putant, Cypros est.

Plin. not.

Dod. quoque ipsum in hac re adeò Plin. reprehendere audens, eum scribit perperàm Ligustrum eandem arborem esse censere, quæ in Oriente Cyprus. Quam censuram mitigans Anguil. Cyprum, inquit, quidam volunt esse Ligustrum in Italia dictum: verùm credere non possum *Conastrello*. quam habemus in Italia esse Cyprum: notæ non respondent. Plin. etiam non affirmat Cyprum esse Ligustrum, quamuis alio loco id asserere videatur. Verùm fortè Plinio addita quædam aut deceptus Plinius sibi contrarius. *Conastrello* non potest esse Cyprus Plin l.12.c.25. Ligustrum Latinorum non negarim. Quæ planta sit Cyprus ignoro. *Conastrello* est Philyrea vt patet ex descriptione. *Hæc ille.* Qui existimando *Conastrello* esse Philyream, fallitur, de qua mox transigemus.

Conastrello. Plin. excusat. Ligustrum Latin.

Eadem ferè & Rob. Const. confirmat his verbis. Quid sit Ligustrum siue Cypros, profectò ignotum est his nostris temporibus. In hoc solùm Diosc. & Plin. consentiunt, quòd vterque dicat esse arborem quâ vel solâ nota excluditur vulgaris illa planta ab huius consortio, quam nobis pro Ligustro & Cypro ostendunt Herbarij, quę fortasse est Ligustrum Virgil. non autem Cypros Diosc. aut Plin. Ligustrum, imò nec Columellę. Hic enim frutex in sepibus maximè communis, vix vnquam visus est arborescere: nos Galli vocamus *du Troesne*: sed Cyprus siue Ligustrum, id est, Arabum *Alcanna*, arbor rara est, & inter pretiosa simplicia semper adnumerata.

Ligustrum Virgil. Non esse Ligustrum Columellæ.

His ac similibus rationibus motus doctiss. Goropius, Ligustrum alterum Veteribus dicere maluit, & apertè ait Virgilij Ligustrum non intelligendum esse de Cypri flore odorato. Sed cur Ligustrum alterum Veterum dicit, vbi duo genera Ligustri apud Veteres inuenit: sanè nisi id intelligat vel apud Plin. vel hoc nostrum Ligustrum ceu alteram Ligustri Veterum speciem agnoscat, quid aliud velit nondum olfacimus. Nam, vti dicebamus, præter Cyprum [cuius aliquoties meminit,] & Ligustrum sæpiùs citat, vt in sequentibus patebit, nec tamen hoc idem esse cum illo categoricè affirmat: immò lib. 12. c. 24., vt & l. 23. c. 4. videtur ambigere, vtrum ea Cypros sit, quæ in Italia Ligustrum vocabatur: dum id ita esse, non ex sua, sed ex aliorum potiùs sententia pronuntiat. Certissimum quoque diuersitatis nostri Ligustri & Cypri Antiquorum argumentum producit Porta, ab ipso experimento desumptum: nempe, inquit, Ligustri vulgaris folia non rufum capillum reddunt: quare non est Cyprus Diosc. sic igitur primam difficultatem excussimus.

Nondum plane constat an Plin. Cyprus & Ligustrum vnum & idem sint. Quod igitur mirum si à Recentioribus quoque dubitatum.

Altera difficultas est *an Ligustrum nostras sit Alcanna & Henne Arabum.*

An Ligustrum nostras sit Alcanna & Henne Arabum.

Asserunt Ruell. Tragus, Matth. Lacu. Monachi, Lonic. Brunfels. Bouius, Comes à Neuenar, & Cast. Dur. ac in genere omnes ferè ij qui, nostrum Ligustrum cum Cypro Veterum idem faciunt, cùm Arabes pleraque sua de Alcanna ex Diosc. cap. de Cypro transcripserint. Sed hinc non sequitur nostrum Ligustrum esse Alcanam Arabum, sed verisimile tantùm sit hanc & Cyprum Diosc. esse idem. Idcirco fallitur, quisquis ille sit, qui apud Cordum annotauit Ligustrum Arabicè dici *Alcanna, Henne*: Nam vti dictum *Henne* quidem est Cyprus, sed non Ligustrum nostrum vulgare. Rectè igitur Bellon. Arabum interpretes Latinos *Henne* seu *Alcanna* falsò ligustrū vertere notat, cùm diuersa sit arbor. Quod verò idē *Henne* siue *Alcanna* differre tradit à Cypro aut Ligustro Gallicè dicto *Troesne*, quòd hieme Henne non deponat folia vt Ligustrum, nobis non probatur. Nam cùm Henne & Alcanna Serap. sit Cyprus Diosc. Ligustrum verò nostrum, vel ipso teste, non sit *Henne* & *Alcanna*, ne Cyprus quidem erit, aut rectè dicetur.

Cordo commentator. nec Arabum interpretum error. Bellon. prob.

Cæterum cùm (vt ex Adu. dicebamus) quæ Alhannæ nomine importantur ligneæ assulæ sint luteæ, satis patet à nostro Ligustro differre, si modò veræ & genuinæ sint Alcannæ.

Agricola not.

Leonicenum carpit Agricola, quòd Cypron similem Ligustro fecerit, nec se eum sequi, ait ipsemet tamen idem Ligustrum facit & Græcis Cypron dictam: ac in eo hallucinatus est, quòd similitudinem negauerit, & quòd ipse cum plerique idem putarit. Meliùs igitur fecisset, si meliùs sententiam secutus fuisset.

An Ligustrum sit Philyrea. *Dod. pugnantia [illegible]*

Tertia difficultas est, *An Ligustrum nostrum sit Philyrea*, vt voluit Massarius, Fusch. Anguil. Gesn. Euchar. Roesslin, Dod. (qui malè non tantùm Philyream Ligustrum facit, sed & eam, quæ existimatur Philyrea, ponit pro Cypro.) Sed Gesn. ex aliorum potiùs, quàm sua sententia id dixisse videtur. Fuchs. quoque parum fortè suæ opinioni tribuens, iudicium penes prudentem lectorem esse voluit. *Apertè negant* Tragus, Dod. & nos, apertis rationibus moti, quas suo loco tradetmus.

Vaccinium Virg. Non esse An caprifol.

Baccas, sunt qui velint, dici Vaccinium, de quo Vitruu. Archit. l.7.c.14. verùm certò affirmari non potest. Sunt qui & Ligustri baccas à Virg. Vaccinia vocari putent, sed malè, inquit Matth. Non defuerunt, qui existimarint Ligustrum esse Mauritanorum caprifolium, sed perperàm. Sunt qui Ligu-

strum

strum dictum velint, à ligando, quòd sepibus ligandis & muniendis conueniat: Alkanna & Henne omnibus ferè iis, qui Cyprum esse putant, vti dictum. Germ. Beinhöltzlin / quòd lignum ossis instar durum habeat: propter duritiem dicitur etiam, hartrigel, sed perperam, vt notant Tragus, & Hier. Brunch. Herckholtz Taber. Aliis dicitur Mundholtz / Geißholtz: Reinweiden / quòd salici similis sit, & Rheni ripa copiosè nascatur: Mundweiden / quòd oris vlceribus medeatur, quamuis Fuchs. Ligustrum officinis inusitatum dicat, vt reuera est, potest tamen commodè in vsum reuocari. Ait tamen Matth. sed malè Officinis *Alcanna* dici, alii *Alchanna* scribunt) & Mauritanis *kenne*, [alii *Chenne* scribunt] Henne, seu *Hanne*. Belg. Heelcruet, Rynweilgen / Shuuenckf. qui Ligustrum inter Silesiæ plantas hortenses refert, ait Germ. Schulweiden dici Gal. *Troesne, Frezillon*. It. Hetruscis *Guistrico*, quod inibi etiam aliqui Olivetta, nonnulli Oliuella, quidam Chambrossene vulgò vocant: alii Callostro. A mulieribus & pueris Romæ *Fior fiorello* Alphab. scribit & *Chryselno* dici: *Conastrello* Patauinis. Hisp. *Alhena, Alfena*: Castil. *Arbor de Parayso*, aut de *Alhenna*: Portug. *Alfenheyro*. Bohem. Pracii Zob. Vngar. fagyalfa. Apud Bollenses in ducatu Wirtemb. Schwartze Huntzbeeren vocant. Vt annotauit aliquando Solerius Delphinatibus dicitur *Sanguin blanc*, & Prouincialibus *Olivier sauuage*.

Synonyma linguar.

Oliuella.

Locus.

Nascitur magna ex parte in locis asperis, potissimùm vepribus & sepibus, frequens admodum passim Germaniæ, Galliæ, Italiæ. Ad Rhenum abundat. Lob. ait nulli calidiorum regionum hodiè deesse, paullò licentiosiùs: non enim inuenitur in Ægypto Ligustrum Italicum, teste Alpino vt dictum: copiosè prouenit etiam in Dioecesi Cantabrigiési ad sepes, & propemodum in omnibus Londini viridariis. Quin & in frigidioribus regionibus in hortis colunt, quorum sepris & areis cingendis accommodata quia tonsilis, & tam floribus quam racemulis tota æstate læta. Floret Aprili & Maio, citiùs aut tardiùs pro locorum ratione. Flores tota ferè æstate durant, aliis prætereuntibus, aliis emergentibus. Septembri racemuli maturescunt, & subinde per totam ferè hyemem restant, non sine singulari utique prouidentia Dei, præcipuum auicularum famis refugiū per sæuissimas hyemes futuri. Folia ad hyemis initium durant, postea decidunt, & vere noua renascuntur.

Lob. Ber.

Vires & vsus. Temperam. Aqua stillat. Oris Vlcera. Inflammatio. Vlcera pudendorum. Ambusta.

Virium. Ligustri meminit Galenus libro septimo simplicium medicamentorum, sic inquiens. Cypri seu Ligustri folia, summaque germina in vsum veniunt, & facultatis & temperamenti maximè misti: habent enim quiddam digerens cum aquea substantia modicè calida: habentque etiam adstrictorium quiddam ex terrena substantia frigidas, &c.

Folia, flores & acini Ligustri vt prodidit Tragus, astrictoriam vim habent: hodie apud nos extrinsecus ferè vsurpatur. Aqua è teneris Ligustri foliis Maio mense, aut è floribus Iunio destillata, gargarisatu exulcerationibus oris auxiliatur, neque non feruidis inflammationibus, carbunculisque & pudendorum vlceribus ambustisque igni prodest collutu. Hoc enim remedio ad prædictos morbos Chirurgi penè omnes vtuntur. Flosculi aceto macerati, frontique impositi, capitis dolorem sedant. Acinis Ligustri maturis quidam rubello Vino nigrum inducunt colorem, & vt crassius euadat efficiunt, quò magis sit vendibile. Solent etiam illi tam nigrum quàm Ve-

Cap. dolor. Vini sophisma.

Chartarū tinctura.

Aqua florū dicitur.

netum colorem præstare, quo nomine ab his, qui chartulas lusorias, aliasue picturas coloribus variis illuminant, leguntur. Pueri bacculis inficiunt decoctis in aqua, & atramenti loco scriptitant, quod & se aliquando conficere solitum testatur idem: sed pictura in coeruleum quadantenus spectat.

Diarrhœa. Lippitudo. Oleum florum & vulnerum, tuss. ca. dolor cap. Auium cibus. Ad caueas auium Virga ad instruendos equos.

Aqua stillatitia, è floribus Ligustri, tradente Matth. potu menses superfluos constringit, vtilis aduersus hæmoptoysim & diarrhoeam. Eadē per per se, aut cum Pompholyge in oculos instillata, rubores eorum & lippitudines tollit. Ex floribus cōficitur & oleum, quod ad inflammationes vulnerum insigne est, si calidum illinatur: idem dolenti à calore capiti benefacit. Hieme baccis vescuntur aues, præsertim Merulæ ac Turdi. Ex virgis flexibilibus, solida tamen materie, caueæ fiunt ad canoras seruandas aues, ac virgæ ad instruendos equos. Nullum reperiri posse, inquit idem, medicum tam inexpertum crediderim, qui non nouerit Ligustrum iis omnibus præstare viribus, quibus pollere scriptum reliquerunt Diosc. & Gal. Atqui Herbario illi [Anguillaræ] venia danda, quòd in noscendis tantùm plantis, non autem earum facultatibus examinandis operam nauarit. *Hac Matth.* vt iam nobis Sesquiaristæus quidam esse videatur, qui solus omnia invenerit, vel inuenisse somniarit. Sed quæ hæc temeritas, de rę sibi incognita statuere, & alios insuper reprehendere, cùm ipse potiùs redarguendus est quòd præcipuam illam notā Ligustri quod Cyprum existimat, non examinarit, an eius folia rufent Capillū, vt docet Diosc. Et vehementer profectò miramur qui tam audacter ausit pronunciare de viribus Ligustri, quod ex sua persuasione vult esse Cyprum quam nouit.

Anguil. not.

Acinos Ligustri contra Phthiriasim & Gallinarum pituitam prodesse, scribit Schuuēkf. qui ea desumit ex viribus attributis Cypro: Lectores, poterunt sine periculo experiri an nostrum Ligustrum hæc præstet. Iac. du Fouloux de venat. in cura morbi canum ad dolorem aurium commendat fruticem dictum *Troesne* qui nihil aliud est, quàm Ligustrum. Zefiriel in fulmine laudat ad Arthritidem intra mediam horam Oleum florum Ligustri, Veronēsibus dictum *Conastrello* factum ad Solem, aut in Balneo Mariæ, calidè applicatum. Frutex, vti dicebamus, aptissimus est sepimentis, propter lenta & flexibilia vimina, ex quibus reticulato plexu Garyophyllei flores in vasis circumsepiuntur à nonnullis, non sine elegantia. Sic & ad topiarias scenas expetitur à nonnullis, quas non ineleganter conuestit. Foliorum succum quidam celebrant ad oris vlcera & inflammationes. Nec vires à Matth. traditas negamus, sed ab eo potiùs effictas rationabiliter, & aliunde mutuatas censemus, quàm experimento cognitas. Ex gustu facilè quiuis vel mediocriter versatus vnicuique plantę vires probabiliter assignare possit. At pro veris & compertis prodere non item. Tantò minùs reprehendendi ii qui id non faciunt, nec facere volunt, nec debent.

Phthiriasis & pituita Gallinarū. Dolor aurium canū. Arthritis.

* * *

*

Digitized by Google

LIGVSTRVM ÆGYPTIVM : CYPRVS GRÆCORVM : ELHANNE ARABVM,

Cap. XVI.

Descriptio. Ligustri Ægyptiaci, à se propositi racemos nobis dono dedit Alpinus: cuius baccę multò numerosissimę. nostratis Ligustri baccis ferè pares, magis sessiles, coloris *Bacce,* cineręi ferè, [in sicca] quatuor decussatas impressiones ostentantes, *Semen.* semine refertæ copiosissimo, minuto, Melochiæ, & figura angulosa, & magnitudine æquali, coloris rufi, saporis strenuè adstringentis, idque citra omnem morsum. Folia *Folia,* admista Ligustri nostratis satis similia, sed minùs lata & candidiora, sapore acidulo subadstringēte. Flores autore Alpino, coloris cinericei, non albi, *Flores,* sambuci floribus proximi, minores tamen: odor admodum acutus, & Ligustri odore suauior. Flores Rauuolfio ex luteo pallidi sunt, odoris suauis *Perpetuò virет.* Moschi: concolores floribus baccilli: tota hyeme viret: semen ei pulchellum, spadiceum, piramidale, trigonum eleganter exprimens, basi ita æquali, vt surrectum latrunculi instar stet.

Hanc veram Diosc. Cyprum censemus, quo tradente, κύπρος arbor est foliis circum virgulta Oleæ similibus, sed latioribus, mollioribus & viridioribus: floribus candidis, muscosis, odoratis: semine nigro, sambuci fructui simili. Optima nascitur in Ascalone & Canopo. Idem Philyream tradit esse arborem similem Cypro. Pro muscosis floribus βρυώδη habent vulgata exemplaria: Oribasius accommodatiùs videtur legisse βοτρυώδη, id *Diosc. correct. & illust.* est racemosos: sunt enim in racemi speciem digesti. Vetus vtraque voce caret, & simpliciter ἀνθηρὰ dicit ἢ ἐυώδη.

Cyprus Ægyptia Plin. Cyprum Ægyptiam describit Plin. his verbis: Cyprus in Ægypto est arbor ziziphi folijs, semine Coriandri, flore candido odorato. Coquitur hic in Oleo, premiturque posteà, quod Cyprus [Cyprum Dal.] vocatur. Pretium ei in libras quinque. Optimum habetur è Canopica in ripis Nili nota. Secundum Ascalone Iudææ. Tertium Cy- *Ligustrum* pro insula odoris suauitate. [præcipuum Dal.] Quidam hanc esse dicunt arborem, quæ in Italia Ligustrum vocatur. Item alibi. Ligustrum eadem arbor est, quæ in Oriente Cypros. Monet tamen Corn. in vetusto Plin. exemplari legi: Ligustrum si eadem arbor &c.

Huic ex Virgil. competere videtur: *alba Ligustra cadunt &c.* Et Ouid. 13. Metam.

Candidior folio niuei Galathea Ligustri.

Ligustrum. Vt quod flori Virg. folijs Ouidius tribuat, quæ candicant in hac non in præcedenti: quamuis Virgilium de præcedenti locutum esse, nihil vetat, vt qui in Italia vixerit vbi illa, non in Ægypto vbi hæc, nascitur.

Huic etiam competere censemus omnia illa nomina Arabica, à plerisque præcedenti attributa. Apud Serap. *Henne*, id est *Alcanna*, cuius flos *Henne, & Alcanna Serap.* similis est floribus Myrti, sed racematim digestus, albus, & nonnihil ad glaucedinem declinans, odoris acuti. Hæc ex Isaaci testimonio. Citat & Diosc. eiusque suprascripta verba.

Cyprus Hebræis *Cypher*, Cantic. 1. vt Græcus *Cypher Hebr.* interpres reddidit. Hanc etiam intellexisse videtur Hieron. in Cant. Cant. homil. 2. his verbis: Botrus Cyperi [Cypri] fraternus meus mihi in vineis Engaddi. [βότρυς τῆς κύπρου] Quantum autem ad literæ explicationem, habet aliquid ambiguum: quia & vua florens Cyperus [Cyprus] *Botrys Cypri.* appellatur, & species quædam extrinsecus virgulti est quæ Cyperus (Cyprus) dicitur, ferens etiam ipsa floridum quendam fructum, in modū florentis Vuæ prolatum. Sed videtur magis ad fructum Vitis respicere sermo, quandoquidem Vinearum Engaddi facta est memoria &c: Hanc *Comparatur florenti Vuæ.* igitur cognitam habuisse quidem, sed non eam, verùm ipsam Vitem in Canticis intelligi voluisse Hieronymum satis apertum esse arbitramur.

P. Berchorius in reductorio, Cyprum seu Cy- *Cyperus.* perum, vtrunque legi tradit: Cyprum esse arborem similem Oliuæ in folijs, quæ secundum Isidorum & Plin. suauissimi est odoris cuius semen si cum oleo coctum fuerit &c: Sed Berchorius videtur ignorasse discrimen inter Cyprū arborem & Cyperum herbam, cuius radix quo- *Berchorius* que suauissimi odoris: quapropter confundit has duas plantas. Cyperus etiam ab Hieron. scriptū videtur, vt notauimus. Idem ibidem rectè: Cyprus inquit, cum Nardo, Nardus & Crocus, fistula & Cinnamomum cum Vniuersis lignis Libani. Et Ioseph. historicus Lib. 4. περὶ ἁλώσεως, εἶτα δὲ ὀποβάλσαμον ὃ δὴ τιμιώτατον τῶν ἐκεῖ φυτῶν, κύπρον τε καὶ μυροβάλανον & subdit esse σπουδαῖα καὶ κάλλιστα. Vt videas Cyprum apud Veteres in magno pretio fuisse.

Theophr. κύπρος dicitur vnguentum ipsum, *Cyprus in magno pretio apud Veteres.* quod & Cyprinum vocatur, παρὰ τὴν κύπρον à Cypro.. Sed an ab hac, an alia quadam herba Cypro dictâ, vt magna securitate asserit Lonic. nondū ausimus statuere.

Placet iudicium Constantini, κύπρος, inquit, arbor Ægypti assimilis ei quam Ligustrum vocat Italia: quam quidam etiam cum Ligustro eandē esse contendêre Plin. temporibus: hic vt ferè interpretes omnes eandem Ligustrum reddant, cùm diuersæ sint, vt rectè censet Massarius.

Marcell. apud Diosc. legit cypron, Romani *Interpretat. Diosc. & ... error.* Ligustrum dicunt: cuius lectionis nullam nec rationē nec autoritatē addit. Videtur Plin. lectione motus id fecisse. Quod si ita est, abutitur sanè eius autoritate, qui ne ipse quidē id ex sua sententia sed aliorum pronuntiare sit ausus, quamuis id alio *Marcell. reprob.* loco id fecisse quibusdam videatur: aliis ex veteri lectione, aliter. Sed Dioscoridi addere ex Plinio, tanquam genuina, nobis non videtur integrum, neque consultum. Ecquis scit, quid illud sit, quod olim Romani Ligustrum appellarent. Enimuerò sanè cùm Italica planta sit Ligustrum vulgare atque adeò Romæ cognita, cyprus nequaquam, illam Romanum Ligustrum esse verisimilius, quàm hæc. *Frutex Henne. Alcanna.*

Sed à Diosc. & Plin. sententia recedit Bellon. fruticem solummodò dicens, non arborem. Sic autem scribit de ea, ac seipsum declarat. In Ægypto inuenimus paruum fruticem, nominatum *Henne* aut *Alcanna*, quem resecant & colunt diligenter.

Latini

Latini interpretes Arabes dixerunt Gallorum *Troesne* Latinè dictum Ligustrum, sed id falsum est, quia arbor *Troesne* differt ab ea. *Henne* prouenit ad altitudinem Mali Granati verùm sectus, profert tantùm tenues virgas, vt Salix. Magnus eius est reditus in Ægypto [vt dicetur in viribus] propter tincturam. *Item alibi*: Arbor Henne, nascens in Ægypto alio nomine Alcanna, in hoc differt à Cypro aut Ligustro, quod Galli *Troesne* nominant: huic enim folia decidunt: Henne verò retinet. *Hæc ille.* Ergo cùm Henne differat à Ligustro vulgari, vt testatur Bellon. patet quoque non esse cyprum, cùm Henne & Alcanna apud Serap. nihil aliud sit quàm cyprus Diosc. cuius verba recitat.

Quo differat Henne à Ligustro.

Alpin. not. Alcanna. Auic. Cyprus Plin.

Alpin. sequens deprauatam Interpretum versionem, ait esse Diosc. Ligustrum: & addit esse Alcanna Auic. cyprum Plinio, Ægyptijs Elhanne ac Tamarhendi. Bellon. & Alpini sententiam approbat quoque Rauuolff. additque Græcis communi vocabulo *Schenna* dici: ex huius radice Arabes vrere spodium, vt etiam meminit Auic. c. 17. Meliùs conuenire cypro Diosc. de qua Salom. in cantico, quàm nostras Ligustrum. Figuræ suæ titulum fecit, Cyprus Græcis.

Elhanne. Tamarendi. Schenna.

Amat. & Lacun. not.

Amatus & Lacuna hanc cum Ligustro confundunt. Denique falluntur omnes, qui vel Plin. non intellecta mente, vel vulgata eius lectione, vel sua decepti opinione κύπρον censent esse Ligustrum nostras, quos in superiori cap. sufficienter refutauimus.

Henne. Dod. repreh.

Annotat Dod. à Turcis vocari Henne: cur verò in eius historia pro cypro ponantur duæ icones Phillyreæ nescimus, nisi Cyprũ Phillyreã putarit, quorundã Recentiorum errorem secutus, qui Ligustrum Italorũ & nostras, ac ipsius etiam fortasse Plinij cum Diosc. Phillyrea vnum & idem esse existimarunt. Cyprus Græcorum Hist. Lugd. quæ præter sententiam Alpini atque figuram quam habet ex Rauuolfio in descriptione sua dicit flores duobus digitis lõgiores.

Non est Phillyrea.

Matth. not. Locus.

Ligustrum siue Cypros Diosc. Portæ: quod è Turcia nobis adfertur, vulgò *Alchena* dictum, cuius folia contrita, crocea siue ruffa ruffum capillum reddunt, vt idem inquit, non autem vulgare Ligustrum Matth. Videat etiam Lector quæ cap. præced. notauimus de *Alkana* assulis.

Iam ex Diosc. dictum eptimam cyprum nasci in canope & Ascalone. Plinio Cypros in Ægypto nascitur. Bellonio *Alkanna* Ægypti incola est, vbi omnibus notissimam testatur Alpinus. Speciatim refert Rauuolff. Tripoli & potiss. in Cairo prouenire. Eam Turcas & Mauritanos propter gratum & suauem odorem Moscho similem, quẽ flores exhalant, diligenter in vasis custodire, & hieme, ne frigore pereat, in cubiculis & subterraneis locis seruare. Et quia tardè noua folia protrudat, nempe Augusto, quosdam irrigare aqua sapone infectã; alios radici calcem ad ouere, vt citiùs floreat. Ad nos multi baccilli adferuntur. Puluis viridis in instructioribus habetur officinis saccis plenis ex Ægypto & Africa delatis. Onustæ naues deuehuntur per Turciam, eodem teste. Eiusdem puluerem subtilissimum habemus munere Valerandi Dourez, cum inscriptione, Henne Bellon. Est is ex fusco flauescens. Verùm cùm semine nobis misit D. Paludanus nomine *Elhanne*. Pulchello sracemulos inter κειμήλια nostra peregrina seruamus à Cl. Alpino nunc horti Patauini præfecto dignissimo accepta.

Tempus. Cultus.

Vires & vsus.

Cypri folia, ex Diosc. astrictoriam vim habent: quare oris vlcera commanducata medentur, & illita tum feruidis alijs inflã mationibus, tum etiam carbunculis prosunt. Eorumdem decoctum igni ambustis applicatur. Ruffant & capillos trita, & illita folia, siue in struthii succo maduerint. Flos ex aceto tritus & fronti inductus capitis dolores sedat. Cæterùm quod ex eo præparatur Cyprinum vnguentum, odoratum est, ac neruos excalfacit & mollit: siquidem feruenti natura præditorum medicamentorum misturam recipit. Plin. Cyprinum oleum vocat, quo autore, excalfacit, mollit neruos. Folia stomacho illinũtur: & vuluę concitatæ, [sanguinem emittenti vel procidenti] succus quoque eorum apponitur. Folia recentia commanducata, vlceribus in capite manantibus, item oris, medentur, & collectionibus, condylomatis: Decoctum foliorum ambustis & luxatis prodest. Ipsa rufant capillum tusa, adiecto Struthei mali succo. [Fallitur Plin. στρυθίου vocis homonymia: στρυθίου χυλὸν habet. Diosc. De Struthij herbæ seu Lanariæ succo, non Struthij Mali intelligendum.] Flos capitis dolores sedat cum aceto illitus. Idem combustus in cruda olla nomas sanat, & putrescentia vlcera per se & cum melle. Odor floris olet, qui somnum facit. Succus Ligustri, seu Cypri, eodem teste neruis, articulis, algoribus: folia vbique[vtique vet.] veteri vlceri cum salis mica, & oris exulcerationi prosunt. Acini contra Phthiriasin, item contra intertrigines, foliaúe. Sanant & gallinaceorum pituitas acinj. Cypri arboris folia, inquit Gal. summaque germina in vsum veniunt, & facultatis sunt ac qualitatis maximè mixtæ: habent enim quiddam digerens cum aquea substantia, modicè calida: habentque etiam astrictorium quiddam ex terrena substantia frigida. Itaque eorum decocto quidam ambusta fouent. Vtuntur verò etiam aduersus igneas phlegmonas & carbunculos. Nam absque molestia & morsu desiccant. Quinetiam spontè prouenientibus in ore vlceribus, aphthodesi, & ipsis puerorum aphthis commensa accommoda sunt. Paulus in viribus hoc ampliùs quam Diosc. Cypro tribuit, vt aptè remediis his misceatur, quæ ad lienem conficiuntur: quod demiretur aliquis, inquit Marcell. nisi quia mollit Ligustrinum vnguentum, durato Lieni ideò accommodatum sit. Nec mirabitur, qui, vt dicebamus ex Plin. aduertet, calida quoque medicamenta recipere, quæ vtique vim habent aperiendi & discutiendi, præter vim remollientem, quàm habet. Serap. præter ea quæ Diosc. & Gal habet, addit, in muliebribus affectibus idem præstare, quod sanguis draconis. Cypri florem Plutarchus putat collis intorquendum, quòd placidum suauemque somnum potoribus accersat, quippe qui lenem auram & mitem expiret, quæ temulentorum salebrosas aspritudines sensim læuiget, ita vt conciliata tranquillitate hebes crapula retundatur, & caloris officio percoquatur. Folia madentia & inuncta discutiunt (vt ait Celsus) ea, quæ in aliqua corporis parte inhærent. Vnguentum è Ligustro Alexandro magno misit Abdelonymus Sicyonius, vt scribit Pollux. Auic. tradit, quod si quis hominem tinxerit Ligustro quod producit florem albam, Alchannam vocat ipse, eum micturum vrinam nigram: Sed durum est credere, id euenire ex illitione externa, nec apud vllum alium id legimus. Certum quidem est, apud Turcas admodum consuetam esse illitionem ex eo. Attamen de ea re nihil hactenus accepimus: nec verisimile est. Magni porro Ægyptijs (vt scribit Bellon.) ex Cypro reditus: folia enim resiccata in puluerem redigunt ad tincturas flauas. Ex eo in Turcico imperio census 18000 ducatorum superat. Quin tatè etiam patet Turcia, consuetum fœminis noç

Oris Vlcera. Inflammationes. Ambusta. Capillorum tinctura. Cyprinum Vnguentum.

Stomachus. Menses.

Luxata.

Plin. error. Cap. dolor. Nomæ. Vlcera putrida.

Contra pediculos.

Têperam.

Ambusta. Inflammationes Carbunculi. Oris vlcera. Aphtha.

Lien.

Noxa.

Auic. not. Magni reditus ex Cypro.

Calculus. Vulnera. Caro putris. Tumores pudendorum.

citus verba explicamus, quibus ait conferre ad calculum renum. Radicis puluis vulneribus inspersus, carnis excrescentiam & putrilaginem cohibet & adimit, & efficaciter cicatricem promouet. Ad pudendorum tumores in emplastrum cum oleo ros. concinnata folia eos tollunt absque noxa. Radix cum Aniso & Fœniculo, pari dosi puluerisata, addito saccharo, & ieiuno quantùm cochlear capiat sumpta, certo remedio est flatibus & colicis doloribus, *inquit ille*: in quo sanè circumforaneo empirico similior videtur, quàm rationali Medico: Nam cur rem terrestrem, frigidam, & adstringentem, cum calidis, & discutientibus commiscet, qua vi flatus carminare, & colicos cruciatus putat compescere id, quod temperamenti sui ratione nihil minùs præstare, fortè etiam citiùs causare possit? Abeat *ad Scholas, ad Scholas*, immò ipsam potiùs rei naturam, optimam & fidissimam medicorum scholam, & meliùs discat, rerum temperaturas in vsus dispensare, vulgóque credulo vanis suis pollicitationibus imponere.

Cæruleo Tingendi modus.

Scribit Matth. Germanos Parmacopœos baccis passim vti Myrti baccarum vice, cùm iis destituantur: quinetiam æstate edi fragorum vice à Pastoribus & aliis, quòd gustui placeant. Peculiariter autem iis vtuntur Infectores ad Inficienda linteamina & chartam cœruleo colore, ac etiam à Pictoribus. Succus cum alumine & Galla coctus eleganti cœruleo tingit chartas. Linteamina eodem colore ita tinges. Ollæ huius succi plenæ affundes poculum aceti vini, aluminis puluerisati unc. j. squammæ æris itidem in puluerem redactæ drach. ij. bulliant vna: tum retenti decocto immerge lintea: siccetur in aëre, demum frigida aqua laua, & pereleganti coeruleo tinctum habebis. Si dilutius uelis, omitte squammam æris: si saturatius, etiam plus addes. *Sic docet Lonicerus.*

VITIS IDÆA SEMPERVIRENS, FRVCTV RVBRO.

CAP. VII.

Descriptio.

RAmis hæc fruticat dodrantalibus, rotundis, non angulosis, quos vestiunt folia satis frequêtia, crassiora quàm Vitis Ideæ angulosæ aut magnæ, oblonga, modò per extremum rotunda, modò leuiter acuminata, non serrata, in quibus nerui subtus potissimùm apparent, gustu astringête & amaricante. Flores racematim cohærent in virgularum extremis Lilij conuallium floribus similes, albi, interdum blandè rubentes: quibus delapsis baccæ similiter racemosæ succrescunt, sex, plùs minùs, racemulo vno, Pisi minoris magnitudine, ex albo luteóue rubentes, sapore acido, valdè iucundo, carne simili Vacciniis palustribus, cui immersa grana paruula lutea. Radix obliqua fere, tenuibus capillamentis fibrata.

Folia. Flores. Bacca. Radix.

Vitis Idæa rubra. Rhus minimus Plin.

De hac, ni fallimur, scribit Camer. Epit. Matth. his verbis: Vitis Idæa rubra, nonnullis Rhus minimus Plin. Germ. Rot Heidelbeer, Steinbeerlin/ Bronebeer: Gal. *Aurelles rouges.* Suffrutex est exiguus, foliis Buxi, interdum leuissimè ceu serratis marginibus, flosculis Arbuti, candidis, confertis, ex quibus Baccæ rubentes in summitate, ceu corona quadam, denticulatæ nascuntur, sapore acidæ & astringentes. Radix tenuis serpit.

Vua Vrsi Gal. Arctostaphylos.

Angul. Epist. 5. *Vua Vrsi* Galeno dicta l. 7. de comp. s. loc. c. 4. Arctostaphylos hodierna die in Appennino vocatur adhuc *Vigna del' orso.* Hanc idê à Theoph. appellatam Vitim Idæam censet. Inueniri ait in omnibus Italiæ montibus, vbi niues. Galeni verba cap. sequentibus trademus. Hanc autê potiùs suspicamur ab Anguil. dici *vuam vrsi*, quàm præcedentem, conferendo eam cum Gal. descriptione.

Vitis Idæa, Vaccinia rubra.

Gesn. scribit Vitis Idææ speciem esse, acinis rubris Coldenbergio, Vaccinia rubra: pingi à Dod. bis, altera icone meliore: acinos acidiores esse, sine vmbilico. At nos apud Dod. vnicam tantùm huius Vitis Ideæ iconem inuenimus, quæ placet: nobis etiam gratiores videntur baccæ: Prior apud Dod. quæ displicet est Vitis Ideæ angulosæ.

Clus. sent.

Vitis Idæa buxeis folijs nec deciduis, baccisque rubris Clus. quamuis minùs benè simpliciter Buxea dicat: id potùs conuenit sequenti plantæ, quam Radicem Idæam suspicamur.

Aduers. sent.

Vaccinia rubra Herbarior. & offic. Myrtillos dicunt Aduers. vt & præcedentia: an Idæa Radix sit dubitant: ac tradunt fruticem lætiore & habitiore aspectu semperuirêre: non perinde vt nigrâ frequentem, nec tamen nigræ dissimilia folia, sed paulò maiora & ad Myrtum albam siue maiorem, & Rhus Plinianum accedentia, rotundiora: Bacculas nec dissimiles, sed rubras, astringentes magis, nec perinde succulentas ferre. Radicem æquè lignosam fibris serpere Ericæ ritu. Flores ex oblongis calyculis paruulis subpurpureis apiculos è medio exerere. Sed ista descriptio Aduers. Vacciniorum rubrorum non placet: folia namque nobis videntur valdè dissimilia, & ad Myrtum vel Rhus nullo modo accedere.

Gesn. reprob.

Iconem certè non spernendam proposuerat Dod. in Hist. Gal. quam etiam retinuit in postrema: vbi notat Gesnero Vitem Idæam rubris acinis dici, sed multò minùs quàm nigram cum Idæa vite hanc conuenire, ipsarum baccarum exortus ostêdit. Non enim ad latera Cauliculorum, veluti nigra, sed è ramulorum cacuminibus, Corymborum instar, dependent.

Rhus Plin. minor.

An Cam. *hort.* Vitis Idæa vulgaris. An Thal. Vitis Idæa seu Vaccinia rubra Dod. Idem Thalius refert, hanc stirpem olim Aemilium existimasse esse Rhum Plin. minorem. Vulgò Brausbeer dici: Noricis Rote preißelbeer/ quorum Siluæ hoc frutice refertissimæ sunt. Belg. Roote Crakekesien, teste Dod. Red Hoboꝛtts or Whoꝛtle, Anglis.

Gerardi sent.

Vaccinia rubra Gerard. qui figuram habet ex Taber. quæ posita erat pro vite Idæa maiore, à qua Vitis Idæa fructu rubro multùm differt. Vbi autem Taber. ac etiam Tragus de hac scripserint, nescimus, nisi fortè sub Chamæbuxo, vti monuimus Cap. de Radice Idæa.

Schwenckfeld. sent.

Scuuenckfeld. in suo Catal. Siles. varia nomina diuersa imponit, hæc: Vaccinium rubrum, χαμαὶ ῥῶξ: Vitis Idæa rubra Matth. [sed vbi?]

Erica

Erica baccifera latifolia Taber. Vua vrsi Anguil. Rote heydelbeer/ Rote preußelbeer/ preußelbeer, Rausch Taber. sed an sine confusione, ipse viderit & Herbarum periti.

Locus. Gaudet & hæc locis siluosis, saxosis ac opacis: itemque alpibus: Monte fracto Heluetiæ: Item in similibus Brabantiæ locis. Copiosissima circa Wernigerodam in Broccenbergo & vicinis montibus. Item circa Walckenridam, Gerenrodam, alijsque locis quampluribus, teste Thalio. Vastis etiam siluis circa Boleslauiam & saganum silesiæ plurimum: Schuenckf. Nobis verò obseruata in cacumine montis Rossberg propè Mesocomium tractus Alsatici Octobri pulchrè virens, cum angulosæ folia decidissent ferè omnia. Hanc semper virere existimamus. Item in monte Ballon Lotaringiæ vicino, cum Vite Idæa angulosa, & alia fruticosiore siue magna. *Tempus.* Augusto iam racemulos gerebat, sed tum primum baccæ nonnihil incipiebant maturescere, cùm aliarum iam dictarum omninò essent maturæ: vnde patet serotinam magis esse. Communiter etiam sub Abietibus atque piceis crescere videas quod & Camer. annotauit. Floret Maio & Iunio. Septembri demum perfectè maturatur. *Vires & vsus.* Cùm baccæ sint acidæ magisque adstringentes cæteris, nec perinde succulentæ vt Myrtilli, facultatem vtique frigidam siccamque *Temperam.* habebunt, quam & Dod. aliique ipsi tribuunt. Quapropter ad eos vsus, vbi adstrictione opus accommodari posset. Hinc vsus eorum in Dysenteria non contemnendus: item in diarrhœa, & superiùs dictis affectibus plerisque. Qua verò ratione puluis ex acinis aridis exhibeatur calculosis, vt scribit Camer. & repetit Schuuenkf. nec nouimus ipsi, nec facilè declarabunt isti. *Camer. & Schuenckfeld not.* Possis & ex harum succo Rob conficere addito saccharo aut melle, ad viscerum calores & sitim in febribus calidis. *Febres.* Quidam ad ἐκλείγματα commendant, additis aromatibus. Foliorum vsus ob adstrictionem idem esse possit, qui præcedentium.

RADIX IDÆA PVTATA, ET VVA VRSI.

CAP. VIII.

Descriptio. Vitis Idææ rubræ affinis est quam Radicé Idæam Diosc. vocant, à qua tamen manifestè differt: siquidem folia habet densiora, ad Buxum accedentia, ex oblógo rotundata, angustiore ad pediculum ceruice, vtrinque rugosa, nec neruos, vt illa, præter vnicum, qui secundum longitudinem decurrit, exhibentia, quamuis pictor perperàm quasdam propagines laterorsum appinxerit, gustu cum amarore adstringente, quemadmod. Vitis rubro fructu. Hærent autem ea ramis lignosis, pedalibus, cortice tenui & facilè cedenti tectis. *Flos.* Flores racemosi, concaui, rubri. Fructus vt in Vite sempervirente racemosus in extremitate ramulorum. Quæ de radice Idæa Diosc. & Plin. scripsêre, annotatata sunt postea, quibus bene consideratis fortè erit, quod monet Fab. Column. *Bonifacia*, siue *Bislingua*, cum qua meliùs videntur conuenire, quæ Veteres de ea scripserunt: Ab aliis positam plantam dicit nullam cum Rusco habere affinitatem.

Vaccinia rub. Myrtus montana. Valerandus Donrez, sagacissimus alioqui stirpium vestigator ac censor olim putabat Vaccinia rubra Dod. & Myrtum montanam Cordi esse hanc ipsam: sed vt tempore & hominum curà omnia fiunt clariora, ita & in apricum datæ, in opacis alioqui delitescentium suffruticum distinctiones a nobis propositæ.

Quum verò Tragus Vitis Idææ rubræ non meminerit cap. de suis Myrtillis, licet coniectari cum de hac scribere, aut certè de Radice Idæa his verbis: In altissimis Wasgouiæ siluis non procul à Cęsareo Luthro humâ arenosa, exigua stirpis species Ericâ haudquaquam maior reperitur. *Chamæpyxos.* Hæc folia habet Buxo aut Myrtillis quàm simillima, humique magis procumbit, quàm in altum sese attollat. An verò ea Chamæpyxos fuerit, ait se affirmare non ausum.

An Vua Vrsi Galeni ex Clusio. Considerandum an eadem sit Vua Vrsi Galeni apud Clus. quam scribit fruticare pedalibus ferè ramulis flexilibus & lentis, humi diffusis, rubescente cortice tectis, vt teneriores Arbuti ramuli: folia illi frequentia, Arbuti folijs minora, carnosa, Chamæleæ Italicæ foliorum planè æmula, minimè tamen hirsuta, cum astrictione amaricantia. Extremis ramulis flores proferre ex candido purpurascentes, siue candidos, quibus leuiter purpurascens color admixtus sit, cauos, Arbuti floribus similes, & vuæ modo simul congestos: fructum non vidit: sed incolæ rubentem, rotundum, exigui cerasi instar acidum referebant. Radicem paruam sed lignosam. Perpetua fronde virere. *Chamædaphne.* Peritiores quidam Hispani, quibus eam ostendebat, Chamædaphnen esse existimabant, crassitudine foliorum procul dubio decepti.

Arctostaphylos. Clusio verò ad amussim quadrare videtur ἀρκτοστάφυλος quam Gal. lib. 7. c. 4. κατὰ τόπους sic describit: *Descriptio Gal.* Vua Vrsi in Ponto nascitur, planta humilis & fruticosa, folio memæcyli, fructum ferens rubrum, rotundum, gustu austerum. Sed icon Vuæ Vrsi Clusij nobis scrupulum iniicit, an eadem sit cum Radice nostra Idæa, in qua non apparent nerui transuersi vt pinguntur in Clusij icone.

Lob. *cum Pena* obscurè admodum de his plantis scripserút, vt apparet ex eorum Aduers. vbi aiút: *Chamærhododendros.* Alpigena Chamærhodendros odora, frutex, flore purpureo, pinguis tota &c. Alpinis *Alprosen*: Bacculas Asparagi vel Taxi pares & concolores, Septébriedit. *Vua Vrsi.* Et in Obs. Genuina Vua Vrsi Galeni apud Clus. eadem videtur cum Alpigena Chamærhodendro exibita in Obs. p. 199. & Adu. p. 154. cuius flores Arbuto similes, sed ex candido purpurei aut candidi conspiciuntur. Hæc Lob. qui figuram eandem habet cum Clus. Is pagin. Obs. prædicta figuram habet aliam cum baccis lateralibus, & nó in extremitatibus, his titulis: *Chamærhodendros Alpigena. Balsamum Italicum. Rhododaphne. Theriomarcha. Lob. error.* Alpigena Chamærhodendros odora Aduers. p. 154. Balsamum Italicum vulgare, siue Rhododaphne parua rustica: Teriomarcha Plin. putata Guilandino. Sed Lobelium diuersa nomina, plantas & icones confundere clarè patebit rem ipsam, eiusque, & Clusii verba consideranti. Nec scimus an extet aliqua Chamærhodendros odora baccifera. Si extet grati

erimus erga demonstrantem.

Hist. Lugd. reprehe. Ast *Hist. Lugd.* more suo duas vel tres confundit, dum vni huic diuersarum stirpium hæc nomina tribuit: Idæa radix, siue Idææ vitis species: Dod. *Radix Idæa Therionarcha.* Vacinia rubra: Clusio Vua vrsi Gal. Italis Rhododaphne parua rustica: quibusdam Balsamum Italicũ vulgare: Therionarcha Plin. Idæa radix Diosc. Plin. Gal. Tam egregiè Chaos istud stirpes digerere consueuit.

Erica bacci-fera latifolia. Tabern. proponit figuram Ericæ bacciferæ latifoliæ nomine, quam & *Rausch* Germ. vocat, sine descriptione, quæ exprimere videtur nostram Idæam radicem. De *Vua vrsi* quam idem ex Clus. *Tabern.* habet, iam diximus nostram sententiam. Chamærhodendron Alpinam latifoliam & is sanè con-*Chamæpy.*fundit cum Ledo Alpino: Figuram etiam proponit Lobelianam, cuius næuos iam detexinus. De Chamæpyxo eius idem dicimus, quod de Tragi Chamæpyxo, nobis videri eo nomine tradi Vitis Idææ speciem, cuius iconem si quis consideret, fortè suspicabitur potiùs accedere ad vitim Idæam rubro fructu, quàm ad Radicem Idæam. Rem Lectoribus considerandam relinquimus. Quicquid sit, cum D. Casparo *C. Bauh.* Bauhino Botanico versatissimo existimamus non esse ex genere Buxi.

Vaccinia Vrsi. Gerard. quoque Chamærhodendros alpigena dicitur: Angl. **Dwarffe rose Baie**: Item Vaccinia Vrsi siue Vua vrsi Clus. **Beares Whortle berries.**

Locus. Cęterùm *Vua Vrsi* Clusio non nisi vnico loco nascens visa arido solo & aprico, via regia in colle *Tempus.* imminenti cuidam viculo, *Venta el babul* vocato, inter Guadix & Baca, regno Granatensi, iam florens Martio. Serius tamen plerumque florere, fructum æstate maturescere, & in planta ad hiemem vsque perdurare ipsi incolæ affirmabant. Nos in montibus circa Geneuam obseruauimus. Prouenit etiam Basileæ via qua tenditur ad S. Chrischonæ fanum iuxta vineas. Legimus etiam in Veganijs Narbonæ montibus.

Vsus. Ill. Princeps noster Frid. Dux Wirtemb. misit nobis plantam siccam monens copiosè reperiri circa Curiam Rhætorum, ferre baccas rubras: magni fieri hanc plantam à tinctoribus pro tinctura nigra, ac eis dici **Rausch**.

CHAMÆBVXVS SIVE CHAMÆPIXOS QVIBVSDAM.

CAP. IX.

Descriptio.

QVamuis hæc planta non sit de tribu bacciferarum, iungendam tamen censuimus propter quandã similitudinem cum præcedenti, à quibusdam Chamæbuxus putata. Hunc suffruticem itidem Chamæbuxũ dixêre, multis virgultis tenuibus, lentis, spithamam circiter longis prędîtum, quæ vbi terram attigerint, fibris de-*Radix.*missis radicantur: alioqui & radicem habet, sępè non multò ipsis virgulis breuiorẽ, lignosam, ex cuius capitibus (quæ plura possidet) ipsę emergunt. *Folia.* Folia per ramos incondita, Buxeis quodammodo similia, magis acuminata, carnosa, pediculis breuissimis hęrentia, [gustantibus primùm ingrata, deinde amara & acria Clus.] amaricãtia: ex quo-*Flores.*rum alis, in ramulorum extremis flores emicant Coluteę scorpioidis floribus similes, simul plures iuncti, qui, teste Clus. odoris expertes, nonnullis verò locis odoratissimi & Narcissinam quandam fragrantiam ęmulantes, tribus foliolis constant, quorum duo alba sunt, & alarum modo sursum expansa, galeolã exalbidã illorum exortũ integente, tertium folium in oblongum veluti tubulum conuolutum est, sursum per lanuginem apertum, per extremitatem braccę modo efformatum atque luteum, & vetustate interdum omni-*Siliqua.*no purpurascens aut rubescens. Floribus succedũt latę & compressę siliquę, Thlaspi latifolii siliquis paulò minores, virides, quę bina plerumque [nónunquam verò vnicum tantùm] continent grana, *Grana.* exigui Erui magnitudine, colore ex cinereo nigricante, hirsuta & veluti quoddam animalculũ ementita, Polygalę vulgaris maioris rubrę semi-*Varietas.*ni haud absimilia, sed minora, quę aperientibus sese per latera loculis, spontè decidunt.

Interdum etiam pro loci natura floris colorem variare deprehenditur: nam bina illa folia alarũ instar, sursum expansa, galeolaque eorum exortum tegens, alba non sunt, sed pulcherrimè ex purpura rubent: tertium autem veluti in tubulum conuolutum flauescit, eiusque extrema pars aurea est.

Cordum existimamus in Obs. silua de hac plãta ita tradidisse: [licet Thalius aliò referat] Fruticulus exiguus, humi prostratus, iunceis viridibusque virgulis: foliis myrtinis, duris, acuminatis, pe-*Flores papilionacei.*rennibusque: floribus papilionaceis ferè, diuerso colore, videlicet albo, flauo & rubente: extimum quidem albet, proximum flauet, intimum rubet. *Locus.* Nascitur in siluis montanis circa Egeram, in Bauaria & Vindelicia.

A *nomina* Coluteę flore, siue elegans Clus. qui à nemine adhuc descriptam putat. At nos a Cordo. Quidam à perpetuã viriditate **wintergrün** appellari dixerunt, quod nomen alioqui & Vincę peruincę conuenit.

Anonymos Peruicę folio: Camer. Gesn. iam olim [cùm ego Bauhinus ipsi conuiuerem] Chamębuxũ seu Chamępyxon vocauit. Argentinę vidimus in-*Chamæbuxus.*ter Plantas D. Agerii siccas nomine Myrtogeni-*Myrtogenista.*stę, quod nomen non displicet: nec sanè malè post Genistam ponit Clusius. Sed magis arrisit Chamæbuxi.

Locus. Frequens est prior teste Clus. non modò in montibus Calenberg, Medeling, & Badensibus thermis imminentibus, sed & in alijs ad Austriacas & Stiriacas Alpes excurrentibus, qui omni Resiniferarum arborum genere integuntur, inter saxa. Plurimis etiam Pannoniæ locis est obuia, veluti ad Posonium, Sopronium & Zolonock. Altera verò rarior inuentu.

Tempus. Floret vtraque Aprili & Maio. Semen prioris [nam alterius non obseruauit] Iunio perficitur. D. C. Bauh. attulit Patauio in horto lectam, his nominibus: Vitis Idæa Theophrastum bacci: Myrti, Olea Æthiopica Diosc. Guilandino. Sed decepti fuere qui ita vocarunt, nisi nomina casũ ad plantam fuerint adiecta. Tiguri etiam obseruauimus & collegimus. Locus particularis nunc non succurrit. Hactenus neglecta fuit hæc planta, nec in vsum Medicum vocata, quod sciamus.

VITIS

Digitized by Google

VITI IDÆÆ AFFINIS POLIIFOLIA MONTANA.

CAP. X.

Descriptio. ORtu & facie est Polii nostratis, virgultis crebris, dodrante longioribus, lignosis, ex nigro rubentibus, magna ramorum sobole fœcundis. *Folia.* Folia Polii nostratis, acutiora, neruosa, vncialia, angusta, superiùs viridantia, pronâ parte cinerea vel glauca, neruo elatiore per longum currēte. Extremis ramulorum *Calyculi.* petiolis calyculi hærent perexigui, foliosi, rub nres, vnde angulosa pyramis exilit Conchyliata, baccæ alicuius rudimentum promittens. Pro radicibus passim ex ramis nascuntur capilli instar tenues fibræ terram morsu comprehendentes. Appingi curauimus latiusculum folium, iuxta angustum, cuiusmodi pauca plantæ à nobis collectæ adhæserunt.

Locus. Hanc plantam reperimus vliginosis, muscosis, & frigidis locis cum alijs Vitis Idææ speciebus, Maij principio in montibus Harciniæ siluæ inter vallem Griesbachianam vbi fontes acidi, & Kisbelsauwen, vbi etiam fons acidus. Vidimus quoque cum flore apud D. Platerum Basileæ, sed siccam, collectam in monte Pilati.

Myrtus tenuifolia. Hanc eandem videtur Thalius in Harcynia sua Myrti tenuifoliæ nomine sic descripsisse. Copiosè reperitur in vligine illa, vltra Andersbergum vrbem, Broccembergum montem versus, quam nominant **Den roten Bruch**, hoc est, Vliginem rubeam, quòd totus ille vliginosus tractus sub radicibus Broccenbergi, & & vicinorum montiū rubro musco plenus sit, quà videlicet ex Andersbergo via patet Goslariam versus. Fruticulus est lignosus, palmaris, viticulis multis, incuruis: folijs oblongiusculis, vncialibus, Myrti folijs angustioribus, quorum extrema plerumque in tergū *Tempus.* contorquentur. In exiguis recuruis pediculis profert circa autumnum flosculos patuos, rubicundiusculos ex albo. Fructum nunquam adipisci potuit, cumque, serò admodum floreat, eo autem loco, vbi nascitur, hiems citiùs, quàm alibi incipiat, citiùs etiam grandiores ibi niues cadant, opinatur rarò eius maturos fructus haberi posse. Cognatum fortè quid cum hoc habere putat fruticulum illum exiguum Cordi, folijs Myrtinis, quem nos diuersum censemus, ac Chamæbuxum præcedentem.

Vitis Idæa rubra Bavarica. An Camer. Vitis Idæa rubra Bauarica, baccis insipidis sine succo. Fruticulus est supinus, crassiore caudice quàm vulgaris (ea fortè, quæ rubro fructu) quæ apud nos passim cum nigra [fortè angulosa] in siluis crescit, & **Steinbeerlin** vocatur: folijs item oblongioribus, acuminatioribus & angustioribus, per autumnum rubentibus. *Locus.* Crescit circa Monacum in campis asperis inter Ericas. In horto adhuc viuit & viget, nedum vt siluestres huiusmodi plantæ videtur interitura. *Hac ille.* Quum verò nobis certò non constet, quò sit referenda hęc Vitis Idęa Bauarica, hic lubuit eius descriptionem referre; donec meliùs nobis innotescat.

OXYCOCCVS SIVE VACCINIA PALVSTRIS.

CAP.

Descriptio. PRælongis viticulis, lignosis, ex atro rubentibus, lętis & fructu contumacibus, inque adnatas propagines diductis serpit, *Folia.* quas folia vestiunt crebra, positu ferè pinnato, dura, serpylli folijs paria, superiùs viridantia, subtus ex cinereo rubentia. *Bacca.* Baccæ figura, vt inquit Cordus, rotundæ & cordis modo inferiùs iuxta annexum turbinatæ, colore foris primùm candicantes, mox puniceæ & purpureis contiguisque maculis & punctis conspersæ, intus verò in candido modicè rubentes, & quatuor exiguis *Semina.* cauitatibus parua & veluti abortiua semina claudentes: eę vnà cum caulyculis humi procumbunt, nonnunquam etiam in musco tanquam abscondi*Flores.* tæ latent. Flores in extremis & capilli instar tenuibus surculis, Clycypicridos floribus similes, co*Radix.* lore propemodum puniceo. Radicibus nititur breuibus, capilli modo tenuissimis & flauis, ex viticu*Sapor.* lis subindè demissis. Saporem coliculi & folia habent adstringentem: baccæ vero egregiè & simpliciter acetosum.

Dod. scribit se obseruasse radicem esse instar tenuis bacilli, obliquam, ex qua sursum complures coliculi & inferiùs fibræ, aliquot demittantur.

Thalius autem hæc annotat: oxycoccon copiosè in Broccenbergo & vicinis montibus humidioribus, folijs non ita subrotundiusculis, vt est eius icon apud Cordum, sed oblongioribus ac strictioribus, lenticulæ ferè, breuioribus tamen: quorum ambitus versus dorsum vtrinque leniter reflectitur. Longis lignosisque ac obliquis prorepit in vliginoso musco viticulis; radicibus constans tenuibus, multifidis, lignosis, quibus capillaceæ fibræ multæ adhærent. Flosculi exigui sunt, purpurei, veluti exigui Citinj.

Vaccinia palustria Dod. videntur fortè eiusdē stirpis fructus esse, vel congeneris. Tantus autem radicum truncus nostro oxycocco non est, quantum icon Dod. suorum vacciniorum exibet. *Vaccinia palustria.* Hic idem in hist. Gal. Vaccinia palustria ait Belgicè vocari **Veenbesien & Veencoren**: Gal: *Consines des marets*: nullumque aliud nomen sibi co-

purpureo succo, vti Mora, plenæ, in quibus mul-
Grana. *Radix.* ta inæqualia & veluti triangula grana. Radix lignosa & dura est. Hanc florentem, & viridibus baccis onustam, multasque adhuc superioris anni maturas retinentem, inuenit idem in præcelsi mō-
Locus. tis, Vulgò **Dechse** appellati, scopulis, quinto supra Neapolim Austriæ vrbem miliari, mense Iunio: Postea etiam Augusto, immaturo & maturo fructu plenam in **Sneberg** & **Snealben** Celsissimarum Austriæ & Styriæ alpium iugis. Illius etiam arenosis Holandiæ tumulis erutæ ramum suis baccis maturis & immaturis onustum misit ad eundem N.V. Io ab Hoghelande. Miramur verò in Clus. icone ramos pingi hirsutos, nec tamen fieri mentionem in descriptione: alioqui icon angustis foliis meliùs conuenit cum Erica à nobis descripta, quàm icon Camer. à nobis proposita:

Iam antea monuimus Penam & Lob. & hos sequutum Schuuenkf. existimasse Vaccinia palustria
Pen. Lob. & Schuuenckf. error. esse Ericam bacciferam Matth. quem errorem dudū deprehendimus. Sed quoniam idem Schuuéck. feld. Oxycoccon dicit esse Ericam bacciferam Matth. & πιθυόκοκκον Thalii, cùm ex eo apertè cōtrarium pateat nempe πιθυόκοκκον diuersum esse à Vacciniis: placet eius historiam totam subiicere, quæ sic habet. Erica baccifera Matth. Nam hanc de qua nunc agimus, eandem esse censemus. Angli verò in Aduersar. Vacciniorum palustrium nomine eam proponunt, quamuis hæc nostra in palustribus non nascatur. Fruticulus est humi procumbens, in oblonga, multifidaque brachia rubétia, lignosa, obsequiosa ac foliosa latè super terramsese prorependo explicans: foliolis densè obuestitur breuibus, oblongiusculis, strictis, suffuluis, sæpè etiam nonnihil cœruleis, splendentibus, ex quorum alis in ramulorum extremitatibus æstate sub Syrii æstu micant tenuissima staminula, breuiaque, filamentorum sericorum ferè instar, quorū summitatibus apicula insident, coloris ex rubro nigricantioris aut spadicescentis ferè: hæcque filamenta & apicula florum vicem explent, iisque decidentibus, emergunt baccæ splendentes, Iuniperinis minores, similes baccis Vitis Ideæ seu Vacciniorum nigrorum Dod. rotundæ, ex purpura nigricantes, dulci pulpâ constantes, cui infarcta con-
Semina. tinentur semina purpurascentia. Prouenit copiosè in summo Broccenbergi iugo & saxorum arido-
Locus. rum fissuris. Saxones qui montem illum ac-
Simiarum baccæ. colunt, vocant hosce fructus **Apenbeer** / hoc est, Simiarum baccas. Vnde, si quis neque Ericæ, neque Vacciniorum speciem stirpem istam esse voluerit, is nomine conficto πιθυόκοκκον appellare pos-
Pithyococcū cur dictum. Noxa ex baccis. set. Inde autem ei hoc nomenclaturæ inditum est, quòd esus ipsorum vberior capiti noxia inferat quædam symptomata, ad quæ delitæ subsequantur gesticulationes, ratione nonnihil interturbatâ, vt is, qui ipsis vsus fuerit copiosiùs, simiarum instar sese habere gestu risibundo videatur. Hinc plan-
Deleteriam esse. tulam hanc deleteriā facultate minimè carere contendunt, & ab eius esu omninò abstinent, alijsque ipsorum vsum sanctè interdicunt. At amicus quidam noster Andreas Roselerus, pharmacopoeus Halberstadiensis, vir opt. & rei herbariæ non triuialiter gnarus, hanc stirpem Chamætaxum voca-
Chamætaxus. re solet, tum ratione qualitatis istius malæ, tum foliorum oblongiusculorum Taxi, sed breuiorum. Æmilius eam olim, cùm necdum illo tempore à
Corios species. quoquam esset hæc stirps descripta, Corios speciem faciebat, Corin Broccenbergensem nomi-
Vsus. *Conuulsio.* nans. Reperiuntur & vetulæ herbariæ in Saxonia, quæ hanc plantam **Gichtkraut** vocitant, commendantque eam mulierculis vt præsentaneum præsidium contra istiusmodi morbum, nempe Conuulsionem. Matth. fatetur se de suæ Ericæ bacciferæ qualitatibus nihil certi habere.

ANONYMOS FRVTICOSA, FOLIIS ERICÆ BACCIFERÆ MATTH.

CAP. XIII.

Elegantissimi huius fruticelli ramū pulchello nos donauit Cl. D. Agerius Med. Argent. & stirpium sagacissimus vestigator, qui surculosus, lignosus, variè diuisus, imâ parte ruffus aut fuscus, annotinorum ramulorum principium dilutè rubens, extrema flauescunt. Ex inæqualibus internodijs folia emittit magna ex parte bina, nec tam numeroso ac denso agmine, vt in præcedenti, altero verò latiora, crassiora, & in totum maiora, dilutè virentia, & Buxi recentis in morem flauescentia. Ramulorum summa surrectis & longiusculis petiolis rufis insidentia occupant vascula Ledi Narbonensis aut Nerij Montani quodammodo similia, foliaceo calyculo suscepta. Folia magis quam præcedentis amara, nec sine adstrictione. *Descriptio.* *Folia.* *Vascula.* *Sapor.*

De hac Aduer. vt putamus sic scribunt: Chamærhododendros altera celsis & rigidissimis cautibus, floribus purpureis perquam exiguis, Ericæ foliolis, non deciduis, prouenit: humilis tota, à nobis tantùm sicca visa. *Flore.*

Gesn. de hort: Rosæ alpinæ altera species, foliolis minimis, Acinariæ palustris nostræ foliolis persimilibus. *Rosa alpinæ species.*

Nascitur in Adula monte Rhætorum: inde autumno allata, in hortulo plantata, vbi nunc media hyeme egregiè viret nec perdit folia: duraturam tamen vix spero, altissimis, siccis, ventosis & apricis frigidisque locis assuetam. Species hæc Rosæ alpinæ rarissima est. *Locus.*

Ex Clus. Pan. desumpta est nostra icon, sed minùs feliciter pictor imitatus est: titulus erat ἀνώνυμος folijs Thymi: de ea scribebat nondum sibi constare, quò esset referenda, eam ob causā ἀνώνυμον etiam relinquere: nisi fortè ea sit quam Pena & Lob. in Adu. Alpinam alteram vocant, & statim post Chamærhododendron odoram collocant. *Anonymus foliis Thymi.*

In postr. hist vocat Chamæcistum 7. Olim (inquit) non mihi constabat, quò istam plantulam referre deberem, quòd mediam naturam inter Chamæcistū & Cneorum Matth. obtinere videretur: eam ob causam inter vtriusque capita locaueram. Sed diligentiùs postea obseruatam, inter Chamæcisti genera reponere placuit, impe- *Chamæcisti genus*

lentibus me aliquot causis. Oblongis quandoque dodrantalibus tantùm serpit ramis humi diffusis, nigricantibus, in multos alios breues ramulos diuisis: folia frequentia & conferta sunt, bina semper inter se opposita, [non semper hoc obseruatum in planta] exigua, serpillo minora, Thymi durioris folijs haud maiora, crassa, superiore parte viridia, infernè candicantia, amaricantis saporis. **Flosculi.** Extremis ramulis innascuntur bini aut quaterni flosculi simul iuncti, perpusilli è quinque foliolis compositi, carnei quasi coloris. **Capitula.** His succedunt capitula, maturitate in quinas crenas sese aperientia, & semen exile admodum ostendentia. Radix dura, lignosa, aliquot fibris donata: quinque etiam rami subinde tenues fibras agunt. Exiccata planta non iniucundo spirat odore.

Locus. Nascitur tenui solo inter saxa, in summis *Sneberg*, *Snealben*, & alijs Austriacarum Styriacarúque Alpium supercilijs.

Tempus. Floret Iunio, interdum etiam paulò maturiùs, pro temporis, quo nix quæ iuga illa tegit maturè aut serò soluitur, ratione.

ERICA BACCIFERA LVSITANICA.

Cap. XIV.

Descriptio. Erica foliis Corios Clusio fruticosa est, cubitalibus assurgens ramulis, fragilibus, nigriore quam reliquę cortice, **Folia.** folia quoque iis similia, sed nigriora & crassiora, gustu cum adstrictione calidiusculo, trino ordine circa ramulos sunt disposita. **Fructus.** Fructum a reliquis Ericis differétem summis ramulis inhærentem gerit, vniones obscuriores tum forma tum colore referenté, succulentú, sapore acido, tria granula dura plerumq; continentem, qui exiccatus per se decidit. **Non florere.** An floreat, nondum constat: incolæ negabant, & fructum paullatim intumescere ampliorémque fieri donec maturesceret affirmabant.

Camarinhara. Et verò hæc longè diuersa à Matth. Erica baccifera. Lusitani vulgò *Camarinhara*: fructum verò *Camarinhas* dicunt. Erica baccifera Lob. Erica baccifera tenuifolia Tab. qui & Rausch vocat. An verò & hoc nomen Germanicum, quod pluribus plantis tribuebatur, & huic conueniat, considerandum.

Acacalis. Ἀκακαλίς, Lat. Acacalis Amato in Com. ad Diosc. Est verò Acacalis eidem planta fructum ferens album, rotundum, paruis margaritis persimilem, quem Lusitani sua voce *Camarinham* appellitant: neque putat fructum istum in Europa vniuersa, præterquam apud Olyssiponem crescere. Planta media est inter Myricem & Ericen qua de causa Diosc. prudentissimè cùm de Myrice & Erice sermonem fecisset, de hac illicò caput sequens constituit. Fructus est esui gratus: Verùm **Cacalia.** *Cacalia* herba longè alia est, quanquam Plin. illi quoque fructum margaritis simillimum inesse dicat. Quæ Acacali conueniunt, Cacaliæ Plinium tribuisse deprehendimus, dicentem: Cacalia siue Leontice vocatur semen margaritis minutis simile &c. De Acacali Paulus quoque ex Diosc.

Camarinas. Bry fratres Hist. Ind. Oriental. notant quoque Lusitanis *Camarinnas* vocatas foliis esse equiseti, sed obscurioribus. Fructus esse baccas rotundas, perlacei candoris, sapore subacido.

Locus. In vna Lusitania hanc plantam obseruauit Clus. non procul Vlyssippone inter *Riosfrio* & *Aldea Calega*, & etiam supra Vlyssiponem, solo admodum arenoso, copiosè suo fructu albo onustam: ait initiò Mannæ grana isti frutici inhærentia existimasse, adeò procul ipsi inspicienti imposuisse. Septembri & Octob. fructum fert, qui Nouembri exiccatur & per se decidit. **Vires & vsus. Febres.** Fructus Sept. & Octob. mensibus Vlyssippone inuenitur, febrientibus exhibent, ad sitim quâ premuntur, restinguendam: **Sitis.** quinimò etiam idem fructus à pueris & mulierculis expetitur, **Collyria.** Si Acacalis est, aquam in qua maduerit eius fructus, ad Collyria quæ ad excitandam oculorum aciem conueniunt, addi, testis est Diosc. Amatus quoque testatur fructum esui esse gratum, eoque mulieres & effrenatos pueros in cibo frequenter vti.

LIGVSTRVM.

CAP. XV.

Descriptio. Ligustrũ frutex est arborescens, radicem hinc inde per obliquum spargẽs, tres aut quatuor cubitos altus & maior, crebris virgis lentis & in ramos diuisis constans, cortice cinereo obtectis, præsertim verò stipites & rami crassiores tali cortice vestiuntur: nam ramuli *virides* leguntur, materie albida, dura. **Folia.** Folia bina aduerso situ ex interuallis oriuntur, oblonga, angusta, figura ad Salicis folia quodammodo accedentia, sed breuiora, crassioraque, atrouirentia, læuia, nitentia, gustu acri & subamaro, non sine adstrictione. **Flores.** Flores in ramorum summis profert suauiter olentes, candidos, racematim congestos, quorum singuli quaternis, quinis, aut senis foliolis constant, apicibus ex luteo herbidis, qui decerpti statim flaccescunt: **Baccæ.** quos excipiunt Baccæ racematim quoque in Pyramidis figuram aggestæ, Hederæ baccis minores, læuiores ac nigriores, Iuniperinis æquales; initiò virentes, per maturitatem nigricantes, continentes **Grana.** bina grana, hinc gibba, inde compressa, cortice spadiceo, carne exalbida, vel digitorum leni pressu fragilia: sapore amaro ac iniucundo, quamuis quibusdam aliquid dulcedinis habere videantur.

Tragus

Varietas. Luteo flore

Tragus annotat huius generis nonnullos frutices subluteo comari flore, atque eos quidem inuentu rariores esse.

Ligustri meminit Virgil. celebrato illo carmine: vbi flores intellexisse videtur.

Alba Ligustra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.

Et Colum. in hortis: *Fer Calathis Violam, Et Nigro permista Ligustro Balsama* &c: ad fructum potissimùm respiciens: vt censet Tragus.

Marcell. not. Marcellus sibi persuadet, Ligustrum hoc vulgare idem esse cum Cypro Diosc. vt satis apertè insinuat, quando ait: Quos Maro cecinit pastoribus negligi & inutiliter perire Ligustri Flores, medicina & Vnguentariorum Officinæ libenter exceperunt. Nostra æstate nulla aut exigua eius ratio est, cùm alioqui vulgaris & ubique paratus frutex hic sit. Cisalpina omnis adhuc Gallia sic vocat, Hetruria corrupta appellatione *Ruuisticum* De Diosc. & Plin. Cypro cap. seq. Sunt tamen qui & Plin. Cyprum eam esse Arborem censeant, quæ etiamnum in Italia Ligustrum vocatur, vt dicetur in progressu.

Ipsiusmet Ligustri paucissimis meminit Plin. Ligustra inquiens non nisi in aquosis prouenire, tesseris vtilissima. Alex. ab Alex. tessaras hîc lusorias interpretatur: Dal. verò rectiùs nostro iudicio lignea signa, vinum, frumentum, oleum aut aliud quippiam significantia, & promittentia, quibus in congiariis & publicis largitionibus Imperatorum vtebantur.

Porrò magna difficultas orta est inter Herbarios *an Ligustrum sit Cyprus Diosc. & Plin.*

Ligustrum esse Cyprum. Cyprum quidam, vt Plin. inquit, esse dicunt arborem, quæ in Italia Ligustrum vocatur.

Ligustrum. Cyprus. Et Ruell. Ligustrum apud nos eadem est arbor, quæ in Oriente & Græcia Cyprus, Gallis *Truenta*, Suessionibus *Druyna*, officinis ad Barbaros desinentibus tum *Alcana* tum *Henne*.

Virgil. pro flore vsurpauit *Alba Ligustra*. Cypri, id est, Ligustri, florem putat corollis intorquendum.

Scio, infit Tragus, qui Phyliream Diosc. velint, (vt Fr. Massarias Venetus & illius Simiæ) mihi verò est κύπρος, Lat. *Ligustrum*, de quo Diosc. Quidam immeritò vocant Bartrigel.

Massarius not. Phylirea non est Cypros. Cordus quoque scribit, Ligustrum sine dubio arbusculam esse quæ Græcis Cyprus vocatur: propterea Plinium idem scripsisse nunquam pœniteat.

Annotat Corn. Posterioribus plerisque omnibus esse Cyprum: nec tam multis annis confirmatam opinionem velut errorem damnari debere, quum magna adeò sit inter Cyprum & Ligustrum affinitas & similitudo. Eidem aut Cypros est Italiæ Ligustrum, aut Philerea: eos tamen addit qui Italiæ Ligustrum viderunt magis Phillyreæ simile id quàm Cypro depingere.

Eorumdem sententiam tuetur Matth. & in errore versari tradit nouum quemdam Herbarium [Anguillaram] qui censeat *Cyprum & Ligustrum* diuersas esse stirpes, friuolis argumentis ex Plin. desumptis. Hallucinari qui non videant Ligustrum omnibus suis notis referre Cyprum. Sed Anguillaræ argumenta non videtur Matth. sufficienter refutare, & nimis audenter pronuntiare hallucinari eos, qui suæ opinioni non assentiuntur de Ligustro.

Anguillar. damnat. Matth. not.

Ab eorundam partibus stant Io. Agric & Turner. Hic speciatim, eius notas omnes cum Cypro Diosc. conuenire scribit: ac quanquam Massar. Venetus lib. de Piscibus strenue neget Ligustrum esse Cyprum, rationes tamen quibus nititur, non eam habere vim, quin cófutari possint. Ac optassemus sanè refutasset viuis rationibus, si potuisset, aut à reprehensione abstinuisset.

Massar. reprob. Turner. cap. 8.

Amatus ne ambigendú quidem censet Cyprum Ligustrum esse, quum Plin. dicat arborem Ægypto familiarem, in Italia Ligustrum vocari. Ideò omninò falli Mass. Venetum, Cyprum aliam arborem à Ligustro esse contendentem. Ligustri verò radicibus hodie Mauros suos inficere capillos, velut equorum quoque crines, quod olim quoque fieri Diosc. tradidit. Verùm vel èx eo facilè conuincitur Amatus, Ligustrum nostrum neque esse Cyprum, neque id lignum quo Mauri capillos inficiunt, quia nihil tale præstat Ligustri nostri lignum, sed *Henne*, quod Cyprum existimamus.

Amatus refut. Lacuna not.

Amati errorem vtrumque ruminatur Lacuna, (vir nostro iudicio parum in re Botanica versatus.) nempe & κύπρον esse & Ligustri radicibus à Turcis tingi caudas equorum: additque Poëtas huius arboris flores vocare Ligustra, & fructus eius Vaccinia: sed dubium non est duas ab eo confundi plantas: non enim nostratis Ligustri, sed alterius exoticæ arboris radice, de qua postea, tinguntur pili equorum.

Ligustra Poet. Vaccinia Poet.

Ad vnius huius plantæ historiam idem Lacuna accumulat & tertium errorem. Ponit Ligustri iconem ex Matth. & aliam habet eiusdem plantæ nomine Halimi, cùm quo nullo modo conuenit. Cæcis ita inponendum est, non nobis & diligentibus studiosis.

Tertius Lacuna error.

Monachis etiam *Cyprus* Græcorum & *Ligustrū* Latinorum vnum & idem sunt, quemad. & *Alcanna*, vt legentes [inquiunt] Serapionem, & Diosc. cú Plinio conferentes non latet. Addunt in oleo Cyprino Actuarij legi florum Ligustri, Græcis Cyprus dicti.

Lonicero *Ligustrum* Diosc. Philyra est & Cypris, cuius duas species facit, magnam & paruá. Esse Virg. alba Ligustra, & Colum. Nigra Ligustra. Ita vides non minori ignorantia quàm oscitantia ab illo vni plantæ tribui tria diuersarum plantarum nomina. Præterea vnius plantæ duas icones, minorem & maiorem ponit, & propter eas potiùs, quàm ex re ipsa, aut quòd viderit, vel ab aliquo didicerit, duas tradit species, à nemine hactenus, quod equidem sciamus, obseruatas.

Lonic. cap. fig. Alter eiusdem error.

Eius priorem iconem Ryff. prædicto non magis in re Herbaria versatus, pro Ligustro ponit, scribens: *Ligustrum* Plinij aliorumque Latinorum, cuius picturam damus omnes fere hactenus Diosc. Cyprum interpretati sunt, sed illos nuper redarguit Massarius, demonstrans Ligustrum esse φιλυρέαν non Cyprum. Ryff. igitur qui ineptè posuit pro Cypro iconem Ligustri vulgaris, vti dictū, cap. sequenti iconem maiorem eiusdem plantæ cum eodem Lonic. ponit pro Philyrea Diosc.

Ryff. 1. error. Ryff. error.

Altiùs sapuisse sibi persuadent Pen. & Lob. in Adu. quando *Ligustrum* Diosc. nostras vocitant, subolfacientes fortè nostrum diuersum esse à Dioscoridæo, & nihilominus ad illud reduci posse aut debere existimantes, vt equidem candidè interpretaremur nisi sequentia eorum verba diuersum proderent, quando aiunt: de florum fœtura Cyprus dictus Græcis videtur: κυπρίζω enim florco est, quò allusisse visus est Maro, vbi *alba Ligustra cadunt*, canit. Auic. dicit baccas esu sanguinem lotium aut potiùs colore cruentum ciere, quod præstitisse Refractarijs experiri, quàm Ligustrum verum inficiari. Quæ tamen Alkannæ afferuntur assulæ, vel bacilli, luteo sunt intus ligno, coque si crinem (vt videtur Auic. ex Diosc. velle) tussant, sunt sanè aut melioris notæ Ligustri, aut diuersæ

Cyprus vnde.

plantæ. Quibus postremis verbis & notis non temere ceu recidiuâ quadam hæsitatione iactari nobis videntur, adeoque nihil certi statuisse. Non placet igitur eos priùs *Ligustrum* & *Cyprum* idem dixisse: nec quæ huic nostræ ascribunt de vrina cruenta, quod decebat illos potiùs experiri priùs, quàm redarguere eos qui negant *Cyprum*, cùm ipsimet dubitent, vt apertè docent eorum verba de Alkana, de qua nos seq. cap.

Denique ligustrum nostras etiam Cyprum Diosc. faciunt Cast. Durantes, [qui non benè duas figuras & descriptiones vnius plantæ ponit, quasi diuersæ sint plantæ.] Taber. & Cæsalp. Lonic. addit Cypron ab insula dici.

Castor Dur. errat.

His omnibus strenuè se opponunt, iam sæpè citatus Massarius, Fuchs. Dod. Anguil. Rob. Const. apud Amatū, Goropius, Porta, aliique quorum iudicio & rationibus sanè in hac re plus tribuimus, eisque hactenus subscribimus, donec prodeat aliquis, qui nobis diuersum persuadeat. Quanquam Diosc. Cypri descriptio propiùs ad nostrum Ligustrum accedere videatur quàm Plinii: quamuis nostram vix propriè & simpliciter arborem dicas, adhuc minùs peregrinam. In nostri quoque Ligustri foliis nihil tale quid apparet, quod capillos ruffet, quæ notæ nostrum Ligustrum à Diosc. Cypro potissimùm distinguere videntur, quamuis & aliæ fortè sint circa vires, nondum obseruatæ. Sed quid multâ opus velitatione, cùm alia planta, nec frutex, sed arbor Recentiorum industria inuenta sit, meliùs cum Diosc. Cypro conueniens.

Ligustrum non esse Cyprum Diosc.

Sed nec Cypro Ægyptiæ descriptioni Plinii quadrat nostrum Ligustrum. Plinii namque Cyprus semen habet Coriandri, peregrinaque est arbor. At Ligustrum nostrum grana non Coriandro similia habet, vt facilè ex descriptione nostra proposita conferenti notas cum Coriandro patebit. Nec sanè nostrum ligustrum, quod spontè in sepibus & senticetis passim occurrit nascitur in Ægypto. Rectè igitur Fuchs. Ligustrum quo nomine Græcis appellatum sit, nondum certo nobis constat, neque enim, vt ferè omnes hodiè putant, Cypros est.

Nec Cyprum Ægyptiam plin.

Dod. quoque ipsum in hac re adeò Plin. reprehendere audens, eum scribit perperàm Ligustrum eandem arborem esse censere, quæ in Oriente Cyprus. Quam censuram mitigans Anguil. Cyprum, inquit, quidam volunt esse Ligustrum in Italia dictum: verùm credere non possum *Conastrello*, quam habemus in Italia esse Cyprum: notæ non respondent. Plin. etiam non affirmat Cyprum esse Ligustrum, quamuis alio loco id asserere videatur. Verùm fortè Plinio addita quædam aut deceptus Plinius sibi contrarius. *Conastrello* non potest esse Cyprus Plin. l. 12. c. 25. Ligustrum Latinorum non negarim. Quæ planta sit Cyprus ignoro. *Conastrello* est Philyrea vt patet ex descriptione. *Hac ille.* Qui existimando *Conastrello* esse Philyream, fallitur, de qua mox transigemus.

Plin. not. *Conastrello.* *Plin. excusat.* *Ligustrum Latin.*

Eadem ferè & Rob. Const. confirmat his verbis. Quid sit Ligustrum siue Cypros, profectò ignotum est his nostris temporibus. In hoc solùm Diosc. & Plin. consentiunt, quòd vterque dicat esse arborem qua vel solâ notâ excluditur vulgaris illa planta ab huius consortio, quam nobis pro Ligustro & Cypro ostendunt Herbarij, quę fortasse est Ligustrum Virgil. non autem Cypros Diosc. aut Plin. Ligustrum, imò nec Columellę. Hic enim frutex in sepibus maximè communis, vix vnquam visus est arborescere: nos Galli vocamus *du Troesne*: sed Cyprus siue Ligustrum, id est, Arabum *Alcanna*, arbor rara est, & inter pretiosa simplicia semper adnumerata.

Ligustrum Virgil. Non esse Ligustrum Columellæ.

His ac similibus rationibus motus doctiss. Goropius, Ligustrum alterum Veteribus dicere maluit, & apertè ait Virgilij Ligustrum non intelligendum esse de Cypri flore odorato. Sed cur Ligustrum alterum Veterum dicit, vbi duo genera Ligustri apud Veteres inuenit: sanè nisi id intelligat vel apud Plin. vel hoc nostrum Ligustrum ceu alteram Ligustri Veterum speciem agnoscat, quid aliud velit nondum olfacimus. Nam, vt dicebamus, præter Cyprum [cuius aliquoties meminit,] & Ligustrum sæpiùs citat, vt in sequentibus patebit, nec tamen hoc idem esse cum illo categoricè affirmat: immò lib. 12. c. 24., vt & l. 23. c. 4. videtur ambigere, vtrum ea Cypros sit, quæ in Italia Ligustrum vocabatur: dum id ita esse, non ex sua, sed ex aliorum potiùs sententia pronuntiat. Certissimum quoque diuersitatis nostri Ligustri & Cypri Antiquorum argumentum producit Porta, ab ipso experimento desumptum: nempe, inquit, Ligustri vulgaris folia non ruffum capillum reddunt: quare non est Cyprus Diosc. sic igitur primam difficultatem excussimus.

Nondum planè constat an Plin. Cyprus & Ligustrum vnum & idem sint: Quid igitur mirum si à Recentioribus quoque dubitatum.

Altera difficultas est *an Ligustrum nostras sit Alcanna & Henne Arabum.*

Asserunt Ruell. Tragus, Matth. Lacu. Monachi, Lonic. Brunfels. Bouius, Comes à Neuenar, & Cast. Dur. ac in genere omnes ferè ij qui, nostrum Ligustrum cum Cypro Veterum idem faciunt, cùm Arabes pleraque sua de Alcanna ex Diosc. cap. de Cypro transcripserint: Sed hinc non sequitur nostrum Ligustrum esse Alcanam Arabum, sed verisimile tantùm sit hanc & Cyprum Diosc. esse idem. Idcirco fallitur, quisquis ille sit, qui apud Cordum annotauit Ligustrum Arabicè dici *Alkanna, Henne*: Nam vti dictum *Henne* quidem est Cyprus, sed non Ligustrum nostrum vulgare. Rectè igitur Bellon. Arabum interpretes Latinos *Henne* seu *Alcanna* falsò ligustrū vertere notat, cùm diuersa sit arbor. Quod verò idē *Henne* siue *Alcanna* differre tradit à Cypro aut Ligustro Gallicè dicto *Troesne*, quòd hieme Henne non deponat folia vt Ligustrum, nobis non probatur. Nam cùm Henne & Alcanna Serap. sit Cyprus Diosc. Ligustrum verò nostrum, vel ipso teste, non sit *Henne* & *Alcanna*, ne Cyprus quidem erit, aut rectè dicetur.

An Ligustrum nostras sit Alcanna & Henne Arabum. *Cordo commentator nos Arabum interpretum errores.* *Bellon. comprob.*

Cæterum cùm (vt ex Adu. dicebamus) quæ Alhannæ nomine importantur ligneæ assulæ sint luteæ, satis patet à nostro Ligustro differre, si modò veræ & genuinæ sint Alcannæ.

Leonicenum carpit Agricola, quòd Cypron similem Ligustro fecerit, nec se eum sequi, ait ipsemet tamen idem Ligustrum facit & Græcis Cypron dictam: ac in eo hallucinatus est, quòd similitudinem negauerit, & quòd ipse cum plerique idem putarit. Meliùs igitur fecisset, si meliùs sentientem secutus fuisset.

Agricola not.

Tertia difficultas est, *An Ligustrum nostrum sit Philyrea*, vt voluit Massarius, Fuchs. Anguil. Gesn. Euchar. Roesslin, Dod. (qui malè non tantùm Philyream Ligustrum facit, sed & eam, quæ existimatur Philyrea, ponit pro Cypro.) Sed Gesn. ex aliorum potiùs, quàm sua sententia id dixisse videtur. Fuchs. quoque parum fortè suæ opinioni tribuens, iudicium penes prudentem lectorem esse voluit. *Apertè negant* Tragus, Dod. & nos, apertis rationibus moti, quas suo loco trademus.

An Ligustrum sit Philyrea. Dod. perperam errat.

Baccas, sunt qui velint, dici Vaccinium, de quo Vitruu. Archit. l. 7. c. 14. verùm certò affirmari non potest. Sunt qui & Ligustri baccas à Virg. Vaccinia vocari putent, sed malè, inquit Matth. Non desuerunt, qui existimarint Ligustrum esse Mauritanorum caprifolium, sed perperàm. Sunt qui Ligustrum

Vaccinia Virg. non esse Ligustri baccas.

Synonyma linguar.

strum dictum veluti à ligando, quòd sepibus ligandis & muniendis conueniat: Alkanna & Henne omnibus ferè iis, qui Cyprum esse putant, vti dictum. Germ. Beinhöltzlin/ quòd lignum ossis instar durum habeat: propter duritiem dicitur etiam, hartrigel, sed perperàm, vt notant Tragus, & Hier. Brunch. Hereckholtz Taber. Aliis dicitur Mundholtz/Geißholtz: Reinweiden/quòd salici similis sit, & Rheni ripa copiosè nascatur: Mundweiden/ quòd oris vlceribus medeatur, quamuis Fuchs. Ligustrum officinis inusitatum dicat, vt re-uera est, potest tamen commodè in vsum re-uocari. Ait tamen Matth. sed malè Officinis *Alcanna* dici, alii *Alchanna* scribunt) & Mauritanis *kenne*, [alii *Chenne* scribunt] *Henne*, seu *Hanne*. Belg. Heeleruet, Rynweilgen/ Shuuenckf. qui Ligustrum inter Silesiæ plantas hortenses refert, ait Germ. Schultzreit en dici Gal. *Troesne, Frezillon*. It. Hetruscis *Guistrici*, quod inibi etiam aliqui Olitterra, nõnulli Oliuella, quidam Chambrossene vulgò vocant: alii Callostro. A mulieribus & pueris Romæ *Fior fiorello* Alphab. scribit & *Chryseluo* dici: *Conastrello* Patauinis. Hisp. *Alhena, Alsena*: Castil. *Arbor de Parayso*, aut de *Alhenna*: Portug. *Alsenheyro*. Bohem. Pracit Zob. Vngar. fagralsa. Apud Bollenses in ducatu Wirtemb. Schuartze Huntzbeeren vocant. Vt annotauit aliquando Solerius Delphinatibus dicitur *Sanguin blanc*, & Prouincialibus *Oliuier sauuage*.

Oliuella.

Locus.

Nascitur magna ex parte in locis asperis, potissimùm vepribus & sepibus, frequens admodum passim Germaniæ, Galliæ, Italiæ. Ad Rhenum abundat. Lob. ait nulli calidiorum regionum hodiè deesse, paullò licentiosiùs: non enim inuenitur in Ægypto Ligustrum Italicum, teste Alpino vt dictum: copiosè prouenit etiam in Diocesi Cantabrigiēsi ad sepes, & propemodum in omnibus Londini viridariis. Quin & in frigidioribus regionibus in hortis colunt, quorum sepris & areis cingendis accommodata quia tonsilis, & tam floribus quam racemulis tota æstate læta. Floret Aprili & Maio, citiùs aut tardiùs pro locorum ratione. Flores tota ferè æstate durant, aliis prætereuntibus, aliis emergentibus. Septembri racemuli maturescunt, & subinde per totam ferè hyemem restant, non sine singulari utique prouidentia Dei, præcipuum auicularum famis refugiū per sæuissimas hyemes futuri. Folia ad hyemis initium durant, postea decidunt, & vere noua renascuntur.

Lob. hop.

Vires & vsus. Temperam. Aqua stillat. Oris vlcera, inflammatio. Vlcera pudendorum. Ambustia.

Virium Ligustri meminit Galenus libro septimo simplicium medicamentorum, sic inquiens. Cypri seu Ligustri folia, summaque germina in vsum veniunt, & facultatis & temperamenti maximè misti: habent enim quiddam digerens cum aquea substantia modicè calida: habentque etiam adstrictorium quiddam ex terrenâ substantia frigidas, &c.

Folia, flores & acini Ligustri vt prodidit Tragus, astrictoriam vim habent: hodie apud nos extrinsecus ferè vsurpatur. Aqua è teneris Ligustri foliis Maio mense, aut è floribus Iunio destillata, gargarisatu exulcerationibus oris auxiliatur, neque non feruidis inflammationibus, carbūculisque & pudendorum vlceribus ambustisque igni prodest collutu. Hoc enim remedio ad prædictos morbos Chirurgi penè omnes vtuntur. Flosculi aceto macerati, frontique impositi, capitis dolorem sedant. Acinis Ligustri maturis quidam rubello Vino nigrum inducunt colorem, & vt crassius euadat efficiunt, quò magis sit vendibile. Solent etiam illi tam nigrum quàm Ve-

Cap. dolor. Vini sophistica.

Chartarū tinctura.

Aqua florū Ligustri.

netum colorem præstare, quo nomine ab his, qui chartulas lusorias, aliasue picturas coloribus variis illuminant, leguntur. Pueri bacculis inficiunt decoctis in aqua, & atramenti loco scriptitant; quod & se aliquando conficere solitum testatur idem: sed pictura in cœruleum quadantenus spectat.

Diarrhœa. Lippitudo. Vlcerum flo- rum vulnerum... dolor cap. Auium cibus. Ad caueas auium virga ad ... quos.

Aqua stillatitia, è floribus Ligustri, tradente Matth. potu menses superfluos constringit, vtilis aduersus hæmoptoysim & diarrhoeam. Eadē per per se, aut cum Pompholyge in oculos instillata, rubores eorum & lippitudines tollit. Ex floribus cōficitur & oleum, qoud ad inflammationes vulnerum insigne est, si calidum illinatur: idem dolenti a calore capiti benefacit. Hieme baccis vescuntur aues, præsertim Merulæ ac Turdi. Ex virgis flexilibus, solida tamen materie, caueæ fiunt ad canoras seruandas aues, ac virgæ ad instruendos equos. Nullum reperiri posse, inquit idem, medicum tam inexpertum crediderim, qui non nouerit Ligustrum iis omnibus præstare viribus, quibus pollere scriptum reliquerunt Diosc. & Gal. Atqui Herbario illi [Anguillaræ] venia danda, quòd in noscendis tantùm plantis, non autem earum facultatibus examinandis operam nauarit. *Hæc Matth.* vt iam nobis Sesquiaristæus quidam esse videatur, qui solus omnia invenerit, vel inuenisse somniarit. Sed quæ hæc temeritas, de re sibi incognita statuere, & alios insuper reprehendere, cùm ipse potiùs redarguendus est quòd præcipuam illam notā Ligustri quod Cyprum existimat, non examinarit, an eius folia rufent Capillū, vt docet Diosc. Et vehementer profectò miramur quî tam audacter ausit pronuntiare de viribus Ligustri, quod ex sua persuasione vult esse Cyprum quam nouit.

Anguil. not.

Acinos Ligustri contra Phthiriasim & Gallinarum pituitam prodesse, scribit Schuuēkf. qui ea desumit ex viribus attributis Cypro: Lectores, poterunt sine periculo experiri an nostrum Ligustrum hæc præstet. Iac. du Fouloux de venat. in cura morbi canum ad dolorem aurium commendat fruticem dictum *Troesne* qui nihil aliud est, quàm Ligustrum. Zefiriel in fulmine laudat ad Arthritidem intra mediam horam Oleum florum Ligustri, Veronēsibus dictum *Conastrello* factum ad Solem, aut in Balneo Mariæ, calidè applicatum. Frutex, vti dicebamus, aptissimus est sepimentis, propter lenta & flexibilia vimina, ex quibus reticulato plexu Garyophyllei flores in vasis circumsepiuntur à nonnullis, non sine elegantia. Sic & ad topiarias scenas expetitur à nonnullis, quas non ineleganter conuestit. Foliorum succum quidam celebrant ad oris vlcera & inflammationes. Nec vires à Matth. traditas negamus, sed ab eo potiùs effictas rationabiliter, & aliunde mutuatas censemus, quàm experimento cognitas. Ex gustu facilè quiuis vel mediocriter versatus vnicuique plantę vires probabiliter assignare possit. At pro veris & compertis prodere non item.

Phthiriasis & pituita Gallinarū. Dolor aurium canū. Arthritis.

Tantò minùs reprehendendi
ii qui id non faciunt, nec
facere volunt, nec
debent.

Digitized by Google

Latini interpretes Arabes dixerant Gallorum Troesne latinè dictum Ligustrum, sed id falsum est, quia arbor Troesne differt ab ea. Henne prouenit ad altitudinem Mali Granati verùm fectus, profert tantùm tenues virgas, vt Salix. Magnus eius est reditus in Ægypto [vt dicetur in viribus] propter tincturam. *Item alibi*; Arbor Henne, nascens in Ægypto alio nomine Alcanna, in hoc differt à Cypro aut Ligustro, quod Galli *Troesne* nominant: huic enim folia decidunt: Henne verò retinet. *Hæc ille*. Ergo cùm Henne differat à Ligustro vulgari, vt testatur Bellon. patet quoque non esse cyprum, cùm Henne & Alcanna apud Serap. nihil aliud sit quàm cyprus Diosc. cuius verba recitat.

Qua differat Henne à Ligustro.

Alpin. sequens deprauatam Interpretum versionem, ait esse Diosc. Ligustrum: & addit esse Alcanna Auic. cyprum Plinio, Ægyptijs Elhanne ac Tamarheindi. Bellon. & Alpini sententiam approbat quoque Rauuolff. additque Græcis communi vocabulo *Schenna* dici: ex huius radice Arabes vrere spodium, vt etiam meminit Auic. c. 17. Meliùs conuenire cypro Diosc. de qua Salom. in cantico, quàm nostras Ligustrum. Figuræ suæ titulum fecit, Cyprus Græcis.

Alpin. not. Alcanna. Auic. Cyprus Plin. Elhanne. Tamarende. Schenna.

Amatus & Lacuna hanc cum Ligustro confundunt. Denique falluntur omnes, qui vel Plin. non intellecta mente, vel vulgata eius lectione, vel sua decepti opinione κύπρον censent esse Ligustrum nostras, quos in superiori cap. sufficienter refutauimus.

Amat. & Lacun. not.

Annotat Dod. à Turcis vocari Henne: cur verò in eius historia pro cypro ponantur duæ icones Phillyreæ nescimus, nisi Cyprũ Phillyreã putarit, quorundã Recentiorum errorem secutus, qui Ligustrum Italorũ & nostras, ac ipsius etiam fortasse Plinij cum Diosc. Phillyrea vnum & idem esse existimarunt. Cyprus Græcorum Hist. Lugd. quæ præter sententiam Alpini atque figuram quam habet ex Rauuolfio in descriptione sua dicit flores duobus digitis lõgiores.

Henne. Dod. repreh. Non est Phillyrea.

Ligustrum siue Cypros Diosc. Portæ: quod è Turcia nobis adfertur, vulgò *Alchena* dictum, cuius folia contrita, crocea siue ruffa ruffum capillum reddunt, vt idem inquit, non autem vulgare Ligustrum Matth. Videat etiam Lector quæ cap. præced. notauimus de *Alkana* assulis.

Matth. not. Locus.

Iam ex Diosc. dictum epti nam cyprum nasci in canope & Ascalone. Plinio Cypros in Ægypto nascitur. Bellonio *Alkanna* Ægypti incola est, vbi omnibus notissimam testatur Alpinus. Speciatim refert Rauuolff. Tripoli & potiss. in Cairo prouenire. Eam Turcas & Mauritanos propter gratum & suauem odorem Moscho similem, quẽ flores exhalant, diligenter in vasis custodire, & hieme, ne frigore pereat, in cubiculis & subterraneis locis seruare. Et quia tardè noua folia protrudat, nempe Augusto, quosdam irrigare aquã sapone infectã; alios radici calcem ad nouere, vt citiùs floreat. Ad nos multi baccilli adferuntur. Puluis viridis in instructioribus habetur officinis saccis plenis ex Ægypto & Africa delatis. Onustæ naues deuehuntur per Turciam, eodem teste. Eiusdem puluerem subtilissimum habemus munere Valerandi Dourez, cum inscriptione, H[illegible] Bellon. Est is ex fusco flauescens. Verùm cũ semine nobis misit D. Paludanus nomine *Elhanne*. Pulchello sracemulos inter [illegible] nostra peregrina seruamus à Cl. Alpino nunc horti Patauini præfecto dignissimo accepta.

Tempus. Cultus.

Cypri folia, ex Diosc. astrictoriam vim habent: quare oris vlcera commanducata medentur, & illita tum feruidis alijs inflãmationibus, tum etiam carbunculis prosunt. Eorumdem decoctum igni ambustis applicatur. Ruffant & capillos trita, & illita folia, siue in struthii succo maduerint. Flos ex aceto tritus & fronti inductus capitis dolores sedat. Cæterùm quod ex eo præparatur Cyprinum vnguentum, odoratum est, ac neruos excalfacit & mollit: siquidem feruenti natura præditorum medicamentorum misturam recipit. Plin. Cyprinum oleum vocat, quo autore, excalfacit, mollit neruos. Folia stomacho illinũtur: & vuluæ concitatæ, [sanguinem emittenti vel procidenti] succus quoque eorum apponitur. Folia recentia commanducata, vlceribus in capite manantibus, item oris, medentur, & collectionibus, condylomatis: Decoctum foliorum ambustis & luxatis prodest. Ipsa rufant capillum tusa, adiecto Struthei mali succo. [Fallitur Plin. στρούθιον vocis homonymia: στρούθιον χυλῷ habet. Diosc. De Struthij herbæ seu Lanariæ succo, non Struthij Mali intelligendum.] Flos capitis dolores sedat cum aceto illitus. Idem combustus in cruda olla nomas sanat, & putrescentia vlcera per se & cum melle. Odor floris olet, qui somnum facit. Succus Ligustri, seu Cypri, eodem teste neruis, articulis, algoribus: folia vbique[vtique vet.] veteri vlceri cum salis mica, & oris exulcerationi prosunt. Acini contra Phthiriasin, item contra intertrigines, foliaúe. Sanant & gallinaceorum pituitas acinj. Cypri arboris folia, inquit Gal. summaque germina in vsum veniunt, & facultatis sunt ac qualitatis maximè mixtæ: habent enim quiddam digerens cum aquea substantia, modicè calida: habentque etiam astrictorium quiddam ex terrena substantia frigida. Itaque eorum decocto quidam ambusta fouent. Vtuntur verò etiam aduersus igneas phlegmonas & carbunculos. Nam absque molestia & morsu deliccant. Quinetiam spontè prouenientibus in ore vlceribus, aphthodesi, & ipsis puerorum aphthis commensa accommoda sunt. Paulus in viribus hoc ampliùs quàm Diosc. Cypro tribuit, vt aptè remedijs his misceatur, quæ ad lienem conficiuntur: quod demiretur aliquis, inquit Marcell. nisi quia mollit Ligustrinum vnguentum, durato Lieni ideò accommodatum sit. Nec mirabitur, qui, vt dicebamus ex Plin. aduertet, calida quoque medicamenta recipere, quæ vtique vim habent aperiendi & discutiendi, præter vim remollientem, quàm habet. Serap. præter ea quæ Diosc. & Gal habet, addit, in muliebribus affectibus idem præstare, quod sanguis draconis. Cypri florem Plutarchus putat corollis intorquendum, quòd placidum suauemque somnum potoribus accersat, quippe qui lenem auram & mitem expiret, quæ temulentorum salebrosas aspritudines sensim læuiget, ita vt conciliatã tranquillitate hebes crapula retundatur, & caloris officio percoquatur. Folia madentia & inuncta discutiunt (vt ait Celsus) ea, quæ in aliqua corporis parte inhærent. Vnguentum è Ligustro Alexandro magno misit Abdelonymus Sicyonius, vt scribit Pollux. Auic. tradit, quod si quis hominem tinxerit Ligustro quod producit florem album, Alchannam vocat ipse, eum micturum vrinam nigram: Sed durum est credere, id euenire ex illitione externa, nec apud vllum alium id legimus. Certum quidem est, apud Turcas admodum consuetam esse illitionem ex eo. Attamen de ea re nihil hactenus accepimus: nec verisimile est. Magni porro Ægyptijs (vt scribit Bellon.) ex Cypro reditus: folia enim reliccata in puluerem redigunt ad tincturas flauas. Ex eo in Turcico imperio census 8000 ducatorum superat. Quinetiã enim patet Turcia, consuetum fœminis noç

Vires & Vsus.

Oris vlcera. Inflammationes. Ambusta. Capillorum tinctura. Cyprinum Vnguentum. Stomachus. Menses. Luxata. Plin. error Cap. dolor. Nomas. Vlcera putrida. Contra pediculos. Téperam. Ambusta. Inflammationes Carbunculi. Oris vlcera. Aphtha. Lien. Noxa. Auic. not. Magnus reditus ex Cypro.

puluerem annus, pedes, partesque pilosas flauo rufoque colore tingere, viris verò eodem vngues rufare: additoque alumine capillos pueris tam maribus quàm fœmellis inficiunt: nec non equis pilos, pedes, muscarium. Regionum illarum fœminis decorum habetur, femora, epigastrium, partesque pudibundas flauo colore tinctas habere, id quod hoc puluere efficiunt balneo egressę. Tunc enim tinctura faciliùs imbibitur. Tantus verò est eius vsus, vt non solùm Turcis familiaris sit, verùm etiam in Daciam & Bosnenam exportetur. Sæpè fit vt Alexandriæ naues hoc solo onustæ Constantinopolim appulsæ derepentè saburram diuendant. Vtuntur & ad alias res aureo colore tingendas, ad quem vsum magna sunt eius in Ægypto commercia. *Dolor capitis.* Flores apud eosdem, autore Alpino, sunt in vsu frequentissimo dolenti capiti appositi, non tamen cum aceto, vt Diosc. atque alij meminerunt: quod si fecissent, manifestiùs, vt arbitror, ijs floribus iuuarentur, intus medicamenti vi, aceto penetrationem adiuuante, deducta. *Puluis Archenda.* Ex folijs puluerem confectum, quem *Archenda* vocant, ad ruffandos ornatus gratiâ capillos, nô succo Lanariæ vel Struthij, vt ait Diosc. sed simplici aqua miscentes, aquam auream faciunt. *Aqua aurea Emplastrum.* Ex hoc puluere cum aqua mulsa parato Emplastro vtuntur ad humidos pedes, fluxionibus obnoxios, ac multùm exsudantes fœtentesque pedibus ipsis apposito, ac per horam retento: maximè enim pedes, & quascunque alias partes corporis appositus puluis exsiccat ac adstringit: *Ad humidos & fœtentes pedes.* nihil enim habent Ægyptij, quod exsudantes pedes plus exsiccet, quam prædicta isthæc massa apposita & aliquandiu retenta. Puluere etiam hoc ad Vlcera oris, gingiuarumque & pudendorum maximè vtuntur. Vsus baccularum, vt refert Rauuolf. est, si contundantur extrema earum ad abstersionem dentium, si affricentur. Idem folijs puluerisatis & mixtis cum Citrij succo scribit tingi rubro colore vngues & crines puerorum, qui color videtur interdum apud nos in crinibus equorum Turcicorum.

MOLLE.

CAP. XVI.

Descriptio.

Folia.

Molle procera est arbor & patula. (vt à nobis visa in horto magnatis alicuius, Romæ, à Coruino industrio pharcopœo culto) folijs Lentisci longioribus multò, angustioribus, acuminatis, læuibus, obliquis venulis à neruo per longum decurrente exporrectis, coniugatim ad costã latiusculam compressam alligatis, per ambitum æqualibus, tãtillùm nonnunquam per extremum serratis. *Flores Baccæ.* Flores peculiari ramoso surculo hærent numerosissimi, perpusilli, stellati. Vitigineis pares, quos baccę excipiunt, Asparagi baccis ferè pares, ac similes, pingues, rugosum ossiculum nucleatum continentes, *Sapor.* sapore & odore baccarum Iuniperi, acri cum amarore aliquo.

Foliorum Varietas. Clusius suo *Molli* folia tribuit serrata, quæ ab arbusculis reuulsa, lacteo succo, coque lento & viscido & odorato manant, & ipsa folia trita Fœniculi odorem reddunt, gustataque adstringentis facultatis nonnihil habere videntur. Trunco erant arbusculæ, [adhuc tenellæ] ex viridi nigricante; multis consperso veluti maculis cinereis. Idem *Molle* suum, quemad. serrato folio describit, ita etiam pingit, vnde nos folia tria ex summitate auulsa mutuati sumus: reliquam figuram ex nostra sicca planta, folijs non serratis, aut saltem crenâ vnâ aut alterâ per extremum donatis, delineandam curauimus: fierique potest vt naturæ lusus sit, quemad. in Sorbo aucuparia adolescente & adulta obseruamus.

Lob. quoque nouellas plantas profundè crenatas ait.

Gummi Molle, vel potius resina. Porrò est nobis Resina Ill. E.C. Wirtemb. à D. Paludano missa, Gummi *Molle* arboris nomine, ceræ depuratæ instar, lenta, alicubi nonnihil friabilis, flauescens undique, odore pingui, resinoso & aromatico, vehementi, quę candelæ admota, in clarum incendium exardescit liquescitque, manducata non adhæ rescit, sed lentescens magis magisque colorem album contrahit, sapore satis grato, obscurè amaro. Et sanè magnam habet similitudinem cum eo, quòd in Offic. prostat nomine *Gummi Elemi*, nisi quòd paulò videtur candidior. *An Gummi Elemi.* Periciores rem omnem diligentiùs perpendant. Hanc resinam ex arbore iam dicta, Romæ visa, detractam habemus dono eiusdem Coruini.

Videtur & Petrus de Osma apud Monar. vt sentit Clus. *Molle* describere, quando in epist. quadam ait: Fructus arboris cuiusdam, Ilicis magnitudine, cortice Cerri Ægylopis simili, foliis Fraxini. Eiusdem descriptionem Petrus Cieca dat cap. 112. *Cortex.* primæ partis Chronici. Sed quando Lob. *Molle* Clusij vocat, & addit, eius semen & herbam à D. Brancion communicata, credere visus, esse her- *Lob. error.* bam quam tamen scire debuit, vel ex alijs, esse arborem. Sed deceptus forte fuit vocis homonymia: non enim *Mollis* arboris erat illud semen & *Molle herba.* herba, sed herbæ Mimosæ, quæ etiam dicitur *Molle* herba: de qua suo loco.

Apud eundem lib. de Balsamo, Carpobalsami species eximiæ odoris fragrantiæ, cuius fructus apprimè quadrare videtur cum Galenico & Antiquorum Carpobalsamo: eoque merito Carpo- *Carpobalsamum.* balsami species censendus. Eius iconem proponit, & annotat, *Mollis* arboris annosæ frondes extremas prominentes nullis incisuris diuisas aut serratas esse. Ibidem *Molle* seu *Molly* vocat, eius- *Molle. Molly.* demque trimestris & quadrimestris effigiē habet.

Io. Fragos. Medico & Chirurgo regio de rebus ex Indijs importatis Hispanico Idiomate conscripto libro, Arbor *Molli* seu *Muelle*, cuius folia *Molli Muelle.* referunt Fraxini folia præterquamquòd angustiora & minutiora, aliquantulùm crenata versus terminum: Gummi albissimum, Mannam referens: *Hæc ille.*

Huius Carpobalsami, id est *Mollis* fructus tusi & expressi liquor, eo modo paratus, qui dicetur, in aquam iniectus & agitatus, vt scribit Clus. celerrimè liquatur, diluitur & lactis modo albescit: *Balsami species.* quibus notis à Diosc. Syncerum Balsamum à vitiato

tiato coarguitur: Vnde colligere licet, *Mollem arborem* esse veri Balsami speciem. Sic Lob. sentit. Verùm quia ipsa arbor nulla ferè in re ad Balsami descriptionem accedit, cur ex ea sola nota & odoris suauitate ex fructu seminisque magmate expresso latice Balsami veri & genuini species censenda sit, nulla adhuc occurrit ratio. Sit quidem liquor Balsamodis & odoratus: an ipsam proinde arborem multùm à Balsami veri frutice diuersam eius speciem dicemus? Sed odoratum tamen laticem ... meliùs dixisset Balsami similem liquorem, quam *Mollem arborem* veri Balsami speciem.

Lob. ...

Mollis & Lentiscus Peruuianus Cast. Durantis, cuius figuram habuisse ait ab Odoardo Lopes medico quæ sanè multùm differt à Clusiana & à nostra.

Mollis.

Abundàter nascitur in conuallibus & locis planis Peruanæ regionis, vt referunt omnes, qui Occidentalium Indiarum descriptionem dederunt. Eius arboris pusillas duas plantas vidisse testatur Clus. in horto splendidissimo Ill. viri D. Ioan. de Brancion, sed quæ tertio anno periere hyemis iniuria. Annotat Lob. enatam ex semine in Anglia, vt Londini. Camerario sata sequenti vere exaruit, cùm tamen magno studio ab eo fuisset asseruata: liquorem vbi folia decerpebantur, emittebat lacteum, odoratum admodum.

Locus

Satio.

Romæ, vt dicebamus, proceram arborem obseruauimus in horto quodam à D. Coruino pharmacopeo Romano peritissimo culto: Maii initio nondum floruerat, vix ante finem eius floribus læta futura, ut indicabat nobiscum idem Coruinus quo tempore tamen aliàs citiùs florère referebat Vere calidiori. Ex eadem tamen arbore pulchros ramos, quales pictura ostendit ex parte, cũ floribus & baccis dono accepimus ab eodem: Misit ad nos baccas recentes, vt putabat, Doct. Casp. Bauh. quæ tamen frustranea spe satæ Montbelgardi.

Tempus.

Refert Clus. ex Petro Cieca, *Molle* cortice adeò commendato esse, vt eius decocto crurum dolores & inflationes summa cum vtilitate foueantur. Ex ramulis fiunt dentiscalpia vtilissima Ex fructu cum aqua decocto, pro cocturæ modo, fit aut vinum, siue potio admodum bona, aut acetum, aut mel: tantoque in pretio sunt apud Indos hæ arbores, vt quibusdam locis eas consecratas suis Idolis habeant: addunt nonnulli eius arboris foliorum decoctum, doloribus ex frigida caussa oртis auxilio esse. Gummi verò eius, quod Mannæ modo candidum esse tradit, lacte dissolutum, caliginem oculorum abstergere. Coruinus, qui nos eiusdem Gummi participes fecit, testabatur eius drach. vnam & semis, egregiè aluum ciere, seque experiẽtia vim eius catharticam cognouisse. M. Fumee in hist. Ind. gen. quoque testatur ex *Mollis* arboribus fructiferis fieri mel, & potionem. Notat Cardanus huius corticem adeò salutarem esse, vt si aquæ incoquatur, soluat lotio illa lassitudines ac tumores: ramuli, pergit idem, gingiuis ac dentibus vtiles sunt, cùm eis dentes fricantur, purganturque: Fructum, quem fert exiguum, si inficias aquæ, sola coquendi diuersitate, mel, vinum & acetum facit. manifestum est autem, priùs vinum fieri, quàm acetum: mel verò dulcedine vinum præcedit, crassitie subsequitur. Monardes quoque teste, magnis viribus pollet hæc arbor: nam corticis eius puluis vulneribus inspersus, ea mundat, deinde carnem generat, & perfectè curat. Dentes eodem puluere fricati, stabiliuntur, gingiuæ abscedentes sanantur. Foliorum decocto intincti panni, & calidi vulneribus, aut puluere corticis illius insperso impositi, curationem eorum accelerant, & humorum eò defluxum prohibent. Ex ea manat liquor odoratus, qui fructibus adiunctus, suffitibus idoneus est ad multos capitis morbos, & ad Emplastra. Eius quoque potio, quam ex fructu parant Indi salutifera admodum est. Ipsa arbor omni tempore odorata est. Scribit Io. Fragos. Corticem eius tantarum virium esse, vt crurum dolores, tumoresque ingentes, (si eius decocto aliquoties lauentur) breui tollat.

Vires & vsus. Crurum dolor Potio ... Acetum. Mel. Idolis sacræ. Dolores frigidi Gummi vis.

Purgans.

Vlcera. Dentium robur. Gingiuæ abscedentes.

Morbi Capitis.

Mollis arboris fructus, inquit Lob. Carpobalsamum verum virtute longè superat, tum expressus ex fructu liquor vero Balsamo viribus quàm proximè accedit, eiusque defectu conuenientissimum erit succedaneum. Huius fructus vnciæ octo tusæ drachmas septem præstantissimi & vtilissimi laticis, artificioso torcularis pressu, fului ex atro coloris, crassamenti ouorum olei ferè & diuinæ fragrantiæ, simillimi ipsius seminis odoris inter tundendum, & saporis Xyloaloes optimæ notæ, nobis dedêre. Hic liquor recens expressus albescit & spumat: in laneam vestem fusus, & simplici ablutione aquæ lotus, notam non relinquit. Ex magmate seminis iterum tuso, & pauca rosacea asperso, pressu forti, laticis vnguinosioris resinacei, instar grani Iuniperini drach. duas elicui, qui maculam non relinquit: quinetiam in aquam iniectus & agitatus, celerrimè liquatur, diluitur & lactis modo albescit. Quibus notis colligit idem *Mollem arborem* esse veri Balsami speciem, de qua re priùs.

Durum dolor & tumor.

Balsami succedan.

Expressus latex.

Balsami ...ta.

MOLLIS ARBORIS RESINÆ SIMILES, FOENICVLI ODORE.

CAP. XVIII.

DOnabat mihi honestus vir Petrus Garetus [inquit Clus. Exot. lib. 4. c. 8] succum octauum, quem acceperat ex nauigatione longinqua anni 1600. Erat densa resina, nec transparens, foris subrussa, inferiore parte alba, & digitis attrita satis friabilis, odorisque non iniucundi, sed fœniculi odorem quodammodo referentis, vt suspicionem mihi moueret Mollis Arboris resinam esse posse, sapor erat amariusculus & acriusculus: nec dẽtibus cedebat, nec ore retenta mollescebat, igni tamen admota liquescebat instar ceræ, atque splendida fiebat, flammam tamen non concipiebat.

Descriptio.

Odore fœniculi. Sapor.

Nonus verò, Resina erat ciněracei ex albo coloris, adeò autem strigosa & retorrida, vt gleba aut lapidis fragmentum potiùs videretur, quàm resina: licet quispiam suspicari posset eiusdem generis esse cum superiore, sed magis impuram, quia simili odore & sapore prædita erat cũ ea, nec dentibus cedebat, nec ore retenta mollis fiebat, igni tamen admota perinde atque illa liquescebat, & flammam non modò concipiebat, sed simul etiam ardebat.

Resina alia.

ELEMI RESINA.

CAP. XIX.

GUmmi Elemi inmassas Cylindraceas cogitur, quas pollice & medio digito complectaris, duarum palmarum circiter longitudine. Substantia verò est ferè vniformi, ceræ flauæ & colore

Descriptio.

gnitum esse nisi sit Samolus Plin. At in postr. hist. Plinij nomen omisit.

Samolus.

Pen. & Lob. in suis Adu. Matth. carpentes: Hanc inquiunt, cur commentator Ericam bacciferam indigitet, neque causam dicit neque ratio subest, neque quicquam illi Ericæ inest. Sed fallebantur illi, vt meritò confessus est postea Lob. in suis Obs. nam dudum annotatum aliam plantá esse Ericam bacciferam Matth. de qua postea.

Matth. carpentes.

Matth. excusat. contra Aduers.

Eidem Lob. *Palustria Vaccinia: oxycoccon* Cordj, *Poterium* Dalech. *Rhus* Plin. Dilsio: *Acinaria palustris* Gesn. Heluetis Moßbeer, id est, *Acini palustres*. Batauis Veen aut Meerbesir. Röslin. existimat myrti silu. genus, quodque meliùs pro vera substitui possit quàm Heidelbeer dicta. Acinariam rectè quoque Vitim palustrem, à vinoso acinorum sapore eadem ratione qua Vitim Idæam suffruticem vocari posse præterea annotat Gesn. in lib. de hortis: vbi addit Bernensibus *Rosmarinū vocari*. Idem in ep. ad Aretium ait, Rosmarinus palustris (vt vos vocatis,) rectè Vitis palustris appellabitur, à vinoso acinorū sapore eadem ratione, qua Vitim Idæam veteres vocarunt. Qua id ratione, nescimus.

Poterion. Rhus Plin. Acinaria. Acini palustres. Myrtus silu. Vitis palustris.

Rosmarinus.

Vitis Idæa palustribus locis nascens Clus. Sed fallitur Hist. Lugd. existimans suam Ericam 6. Bacciferam esse Ericam bacciferam Matth. quam ipsamet testatur depingi & describi à Dod. pro Vaccinio palustri. Multùm enim differunt. Eius igitur Compilator Ericarum naturam non benè nouit, hanc in eorum censum referens.

Hist. Lugd. error.

In eundem errorem impingit Schuuenckf. Lobelium si consuluissent ab ipsomet reuocatum errorem cognouissent. Sed crassiori etiamnum errore se implicat Schuuenkf. tam confidenter scribens esse *xonixozxor* Thalii, quum ipsemet Thalius Vaccinium palustre describat nomine Oxycocci Cordi. Verebatur nimirum ille ne sibi nomen Græcum deesset. At Oxycocci nomine contentum esse præstitisset quod Moselbeeren / Gichtkraut / Affenbeer / Winterbeeren, Rauschgrün Germ. dici notat Schuuenckf. quamuis vereamur ne & horum vnum aut alterum nomen paullò inconsideratiùs subrepserit, Iudicent Germani Rhizotomi.

Schuuenckfeld reprehen. Alter Schuuenckf. error.

Natales & hæc habet humida, vliginosa, opacaque loca, potissimùm montana & conualles. Camer. teste, loco vmbroso durat aliquantùm, licèt non admodum irriguo: sed vere ineunte apricum odit & tabescit. Non longè ab vrbe Norimberga propè piscinas magnas reperitur. Cordo notante, nascitur incultis, macris, humidis, putridis, vliginosis muscosisque locis, ac frequenter iuxta Sassiroram, plurimumque iuxta Wittembergam. In humidis & vliginosis sępenumero apud Holandos. Dod. Vdis muscosis siluis Ericetisque montium Suditorum passim luxuriat, & viticulis tenuibus muscum perreptat, Schuuenkf. Nobis copiosè obseruata in cacumine montis *Belon*, paludoso loco, fructu maturo Aug. principio.

Locus.

Maij fine etiam Tiguri obseruauimus apud stagnum dictum Katzensee cum baccis & floribus similibus Glycypicridi etiam in montibus propè fontes acidos Griesbachianos & à D. Petro cognominatos. Aliquoties transtulimus in hortum Montb. sed non durauit. Dod. Baccæ Iul. & Aug. mēsibus maturantur. Flosculi purpurei Schuuēkf. notante, Solani rubri, minores, apiculis flauescentibus Maio & Iunio hiscunt. Baccæ Autumno maturescunt, tota hyeme sub niue latitantes incorruptæ, quas Verno tempore pueri & pastores colligunt, ac pulpa molli turgentes sine detrimento comedunt.

Tempus.

Folia adstringunt: fructus acidum sapit & egregiè adstringit, cum leuicula abstergendi facultate. Frigida autem, inquit Dod. & sicca huiusmodi Vaccinia, vnà cum quadam partium ac substantiæ tenuitate, quæ tamen quandam adstrictionem coniunctam habeat, Ardentium febrium calorem atque in his sitim mulcent: bilis ardorem reprimunt: vomitum sistunt: ciborum appetentiam per biliosos corruptosque humores deiectā restaurant: pestilētibus morbis aduersantur. Coquitur verò & horum succus, donec crassior factus addito saccharo conseruari queat, qui ad omnia, ad quæ baccæ, etiam vtilior est Foliorum quoque, vbi adstrictione opus, commodus vsus esse potest.

Vires & vires. Cibus. Temperam.

Febres ardentes. Sitis. Vomitus. Appetitus prostratus. Pestis. Rob ex baccis.

ERICA BACCIFERA MATTH.

CAP. XII.

Est nobis pro Erica baccifera Matth. existimata planta ex montibus Rheticis, quæ similis videtur Anonymo 1. Clus. Quum verò nostra planta nec flores nec baccas habeat, pro certo Matth. Ericam bacciferam asserere nó ausimus. Est verò eiusmodi. Numerosos emittit ramulos lignosos, tenues tamen; cortice ruffo tectos, in alios minores nullo ordine variè diuaricatos. Totum suffruticem ab imo ad summa densus foliolorum stipatus obsidet, Thymi durioris foliolis, sapore nonnihil amaricante, cum leui quadam acrimonia: nec tamen adstrictionis vacua.

Anonymus Clus. 1.

Descriptio.

Matth. verò hæc de sua Erica baccifera tradit: Est planta in montibus nascens, qui Bohemiam à Silesia disterminant, & à quorum fontibus Albis fluuius originé ducit, humi procumbés, & latas occupans areas, folio pene vulgaris Ericæ, quæ baccas edit purpureas, in purpura nigricátes, Iuniperinis haud minores, sed molliore pulpa, lenta, & colore subuirescente, vt in Pruno. Ramis est lignosis, ex atro rufescētibus, flexibilibus, obsequiosisque: flores videre non licuit, sed ipsam tantùm bacciferam mense Augusto.

Erica baccifera Descriptio Matth.

Bacca.

Clus. in Pannon. Ericam coris folio primam vocat. In postr. hist. vndecimam, quam sic describit: Humi diffusa est, & latas occupat areas, multis ramis lignosis, flexilibus tamē, constans, ex atro rufescente cortice tectis qui interdum fibras agunt, vt latiùs serpere, & sufficiens alimentum meliùs attrahere queant: assurgentes ramulos numerosa ambiunt folia, sapore primùm linguam vellicante: pusilli ad foliorum exortus flosculi, tribus foliolis constantes, coloris ex herbaceo subalbicantis, purpurascentibus staminulis internè præditi, His succedunt rotundæ baccæ, iuniperinis haud minores, initiò virides, maturitate nigræ &

Tempus.

Flores.

purpu-

purpureo succo, vti Mora, plenæ, in quibus multa inæqualia & veluti triangula grana. Radix lignosa & dura est. Hanc florentem, & viridibus baccis onustam, multasque adhuc superioris anni maturas retinentem, inuenit idem in præcelsi montis, Vulgò **Dechse** appellati, scopulis, quinto supra Neapolim Austriæ vrbem miliari, mense Iunio: Postea etiam Augusto, immaturo & maturo fructu plenam in **Sneberg** & **Snealben** Celsissimarum Austriæ & Styriæ alpium iugis. Illius etiam arenosis Holandiæ tumulis erutæ ramum suis baccis mâturis & immaturis onustum misit ad eundem N.V. Io ab Hoghelande. Miramur verò in Clus. icone ramos pingi hirsutos, nec tamen fieri mentionem in descriptione: alioqui icon angustis foliis meliùs conuenit cum Erica à nobis descripta, quàm icon Camer. à nobis proposita:

Grana. Radix. *Locus.*

Iam antea monuimus Penam & Lob. & hos sequutum Schuuenkf. existimasse Vaccinia palustria esse Ericam bacciferam Matth. quem errorem dudũ deprehendimus. Sed quoniam idem Schuuěck. feld. Oxycoccon dicit esse Ericam bacciferam Matth. & πιθύκοκκον Thalii, cùm ex eo apertè cõtrarium pateat nempe πιθύκοκκον diuersum esse à Vacciniis: placet eius historiam totam subiicere, quæ sic habet. Erica baccifera Matth. Nam hanc de qua nunc agimus, eandem esse censemus. Angli verò in Aduersar. Vacciniorum palustrium nomine eam proponunt, quamuis hæc nostra in palustribus non nascatur. Fruticulus est humi procumbens, in oblonga, multifidaque brachia rubẽtia, lignosa, obsequiosa ac foliosa latè super terram se prorependo explicans: foliolis densè obuestitur breuibus, oblongiusculis, strictis, subfuluis, sæpè etiam nonnihil cœruleis, splendentibus, ex quorum alis in ramulorum extremitatibus æstate sub Syrii æstu micant tenuissima staminula, breuiaque, filamentorum sericorum ferè instar, quorũ summitatibus apicula insident, coloris ex rubro nigricantioris aut spadicescentis ferè: hæcque filamenta & apicula florum vicem explent, iisque decidentibus, emergunt baccæ splendentes, Iuniperinis minores, similes baccis Vitis Ideæ seu Vacciniorum nigrorum Dod. rotundæ, ex purpura nigricantes, dulci pulpâ constantes, cui infarcta continentur semina purpurascentia. Prouenit copiosè in summo Broccenbergi iugo & saxorum aridorum fissuris. Saxones qui montem illum accolunt, vocant hosce fructus **Apenbeer** / hoc est, Simiarum baccas. Vnde, si quis neque Ericæ, neque Vacciniorum speciem stirpem istam esse voluerit, is nomine confictò πιθύκοκκον appellare posset. Inde autem ei hoc nomenclaturæ inditum est, quòd esus ipsorum vberior capiti noxia inferat quædam symptomata, ad quæ deliræ subsequantur gesticulationes, ratione nonnihil interturbatâ, vt is, qui ipsis vsus fuerit copiosiùs, simiarum instar sese habere gestu risibundo videatur. Hinc plantulam hanc deleteriâ facultate minimè carere contendunt, & ab eius esu omninò abstinent, aliisque ipsorum vsum sanctè interdicunt. At amicus quidam noster Andreas Roselerus, pharmacopoeus Halberstadiensis, vir opt. & rei herbariæ non triuialiter gnarus, hanc stirpem Chamætaxum vocare solet, tum ratione qualitatis istius malæ, tum foliorum oblongiusculorum Taxi, sed breuiorum. Æmilius eam olim, cùm necdum illo tempore à quoquam esset hæc stirps descripta, Corios speciem faciebat, Corin Broccenbergensem nominans. Reperiuntur & vetulæ herbariæ in Saxonia, quæ hanc plantam **Gichtkraut** vocitant, commendantque eam mulierculis vt præsentaneum præsidium contra istiusmodi morbum, nempe Conuulsionem. Matth. fatetur se de suæ Ericæ bacciferæ qualitatibus nihil certi habere.

Pen. Lob. & Schuuenckf. error. *Semina.* *Locus.* *Simiarum baccæ.* *Pithycoccõ cur dictum.* *Noxa ex baccis.* *Deleterium esse.* *Chamætaxus.* *Corios species.* *Vsus.* *Conuulsio.*

ANONYMOS FRVTICOSA, FOLIIS ERICÆ BACCIFERÆ MATTH.

CAP. XIII.

Elegantissimi huius fruticelli tamq; pulchello nos donauit Cl. D. Agerius Med. Argent. & stirpium sagacissimus vestigator, qui surculosus, lignosus, variè diuisus, imâ parte ruffus aut fuscus, annotinorum ramulorum principium dilutè rubens, extrema flauescunt. Ex inæqualibus internodiis folia emittit magna ex parte bina, nec tam numeroso ac denso agmine, vt in præcedenti, altero verò latiora, crassiora, & in totum maiora, dilutè virentia, & Buxi recentis in morem flauescentia. Ramulorum summa surrectis & longiusculis petiolis rufis insidentia occupant vascula Ledi Narbonensis aut Nerii Montani quodammodo similia, foliaceo calyculo suscepta. Folia magis quam præcedentis amara, nec sine adstrictione.

Descriptio. *Folia.* *Vascula* *Semper.*

De hac Aduer. vt putamus sic scribunt: Chamærhododendros altera celsis & rigidissimis caulibus, floribus purpureis perquam exiguis, Ericæ foliolis, non deciduis, prouenit: humilis tota, à nobis tantùm sicca visa.

Flores.

Gesn. de hort: Rosæ alpinæ altera species, foliolis minimis, Acinariæ palustris nostræ foliolis persimilibus.

Rosa alpin. species.

Nascitur in Adula monte Rhætorum: inde autumno allata, in hortulo plantata, vbi nunc media hyeme egregiè viret nec perdit folia: duraturam tamen vix spero, altissimis, siccis, ventosis & apricis frigidisque locis assuetam. Species hæc Rosæ alpinæ rarissima est.

Locus.

Ex Clus. Pan. desumpta est nostra icon, sed minùs feliciter pictor imitatus est: titulus erat ἀνώνυμος folijs Thymi: de ea scribebat nondum sibi constare, quò esset referenda, eam ob causã ἀνώνυμον etiam relinquere: nisi fortè ea sit quam Pena & Lob. in Adu. Alpinam alteram vocant, & statim post Chamærhododendron odoratam collocant.

Anonymus folio Thymi

In postr. hist vocat Chamæcistum 7. Olim (inquit) non mihi constabat, quò istam plantulam referre deberem, quòd mediam naturam inter Chamæcistũ & Cneorum Matth. obtinere videretur: eam ob causam inter vtriusque capita locaueram. Sed diligentiùs postea obseruatam, inter Chamæcisti genera reponere placuit, impel-

Chamæcisti genus

lentibus me aliquot causis. Oblongis quandoque dodrantalibus tantùm serpit ramis humi diffusis, nigricantibus, in multos alios breues ramulos diuisis. folia frequentia & conferta sunt, bina semper inter se opposita, [non semper hoc obseruatum in planta] exigua, serpillo minora, Thymi durioris folijs haud maiora, crassa, superiore parte viridia, infernè candicantia, amaricantis saporis. *Flosculi.* Extremis ramulis innascuntur bini aut quaterni flosculi simul iuncti, perpusilli è quinque foliolis compositi, carnei quasi coloris. *Capitula.* His succedunt capitula, maturitate in quinas crenas sese aperientia, & semen exile admodum ostendentia. Radix dura, lignosa, aliquot fibris donata: quinque etiam rami subinde tenues fibras agunt. Exiccata planta non iniucundo spirat odore.

Locus. Nascitur tenui solo inter saxa, in summis *Sneberg*, *Spealben*, & alijs Austriacarum Styriacarũque Alpium supercilijs.

Tempus. Floret Iunio, interdum etiam paulò maturiùs, pro temporis, quo nix quæ iuga illa tegit maturè aut serò soluitur, ratione.

ERICA BACCIFERA LVSITANICA.

CAP. XIV.

Descriptio. Erica foliis Corios Clusio fruticosa est, cubitalibus assurgens ramulis, fragilibus, nigriore quam reliquę cortice, *Folia.* folia quoque iis similia, sed nigriora & crassiora, gustu cum adstrictione calidiusculo, trino ordine circa ramulos sunt disposita. *Fructus.* Fructum a reliquis Ericis differetem summis ramulis inhærentem gerit, vniones obscuriores tum forma tum colore referentẽ, succulentũ, sapore acido, tria granula dura plerumq; continentem, qui exiccatus per se decidit. *Non florere.* An floreat, nondum constat: incolæ negabant, & fructum paullatim intumescere amplioremque fieri donec maturesceret affirmabant.

Camarinhara. Et verò hæc longè diuersa à Matth. Erica baccifera. Lusitani vulgò *Camarinhara*: fructum verò *Camarinhas* dicunt. Erica baccifera Lob. Erica baccifera tenuifolia Tab. qui & Rausch vocat. An verò & hoc nomen Germanicum, quod pluribus plantis tribuebatur, & huic conueniat, considerandum.

Acacalis. Ἀκακαλὶς, Lat. Acacalis Amato in Com. ad Diosc. Est verò Acacalis eidem planta fructum ferens album, rotundum, paruis margaritis persimilem, quem Lusitani sua voce *Camarinham* appellitant: neque putat fructum istum in Europa vniuersa, præterquam apud Olyssiponem crescere. Planta media est inter Myricem & Ericen qua de causa Diosc. prudentissimè cùm de Myrice & Erice sermonem fecisset, de hac illicò caput se-quens constituit. Fructus est esui gratus: Verùm *Cacalia* herba longè alia est, quanquam Plin. illi quoque fructum margaritis simillimum inesse dicat. *Cacalia.* Quæ Acacali conueniunt, Cacaliæ Plinium tribuisse deprehendimus, dicentem: Cacalia siue Leontice vocatur semen margaritis minutis simile &c. De Acacali Paulus quoque ex Diosc.

Camarinhas. Bry fratres Hist. Ind. Oriental. notant quoque Lusitanis *Camarinhas* vocatas foliis esse equiseti, sed obscurioribus. Fructus esse baccas rotundas, perlacei candoris, sapore subacido.

Locus. In vna Lusitania hanc plantam obseruauit Clus. non procul Vlyssippone inter *Riosrio* & *Aldea Calega*, & etiam supra Vlyssiponem, solo admodum arenoso, copiosè suo fructu albo onustam: ait initiò Mannæ grana isti frutici inhærentia existimasse, adeò procul ipsi inspicienti imposuisse. Septembri & Octob. fructum fert, qui Nouembri exiccatur & per se decidit. *Vires & vsus. Febres. Sitis. Cibus.* Fructus Sept. & Octob. mensibus Vlyssippone inuenitur, febrientibus exhibent, ad sitim quâ premuntur, restinguendam: quidè etiam idem fructus à pueris & mulierculis expetitur, Si Acacalis est, aquam in qua maduerit eius fructus, ad Collyria quæ ad excitandam oculorum aciem conueniunt, addi, testis est Diosc. Amatus quoque testatur fructum esui esse gratum, eoque mulieres & effrenatos pueros in cibo frequenter vti.

LIGVSTRVM.

CAP. XV.

Descriptio. Ligustrũ frutex est arborescens, radicem hinc inde per obliquum spargẽs, tres aut quatuor cubitos altus & maior, crebris virgis lentis & in ramos diuisis constans, cortice cinereo obtectis, præsertim verò stipites & rami crassiores tali cortice vestiuntur: nam ramuli *virides* leguntur, materie albida, dura. *Folia.* Folia bina aduerso situ ex interuallis oriuntur, oblonga, angusta, figura ad Salicis folia quodammodo accedentia, sed breuiora, crassioraque, atrouirentia, læuia, nitentia, gustu acri & subamaro, non sine adstrictione. *Flores.* Flores in ramorum summis profert suauiter olentes, candidos, racematim congestos, quorum singuli quaternis, quinis, aut senis foliolis constant, apicibus ex luteo herbidis, qui decerpti statim flaccescunt: *Baccæ.* quos excipiunt Baccæ racematim quoque in Pyramidis figuram aggestæ, Hæderæ baccis minores, læviores ac nigriores, Iuniperinis æquales, initiò virentes, per maturitatem nigricantes, continentes *Grana.* bina grana, hinc gibba, inde compressa, cortice spadiceo, carne exalbida, vel digitorum leni pressu fragilia: sapore amaro ac iniucundo, quamuis quibusdam aliquid dulcedinis habere videantur.

Tragus

Varietas. Luteo flore. Tragus annotat huius generis nonnullos frutices subluteo comari flore, atque eos quidem inuentu rariores esse.

Ligustri meminit Virgil. celebrato illo carmine: vbi flores intellexisse videtur.

Alba Ligustra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.

Et Colum. in hortis: *Fer Calathis Violam. Et Nigro permista Ligustro Balsama* &c: ad fructum potissimùm respiciens: vt censet Tragus.

Marcell. not. Marcellus sibi persuadet, Ligustrum hoc vulgare idem esse cum Cypro Diosc. vt satis apertè insinuat, quando ait: Quos Maro cecinit pastoribus negligi & inutiliter perire Ligustri Flores, medicina & Vnguentariorum Officinæ libenter exceperunt. Nostra æstate nulla aut exigua eius ratio est, cùm alioqui vulgaris & ubique paratus frutex hic sit. Cæsalpina omnis adhuc Gallia sic vocat, Hetruria corrupta appellatione *Rauisticum*. De *Rauisticum.* Diosc. & Plin. Cypro cap. seq. Sunt tamen qui & Plin. Cyprum eam esse Arborem censeant, quæ etiamnum in Italia Ligustrum vocatur, vt dicetur in progressu.

Ipsiusmet Ligustri paucissimis meminit Plin. *Tessera ex Ligustro.* Ligustra inquiens non nisi in aquosis prouenire, tesseris vtilissima. Alex. ab Alex. tessaras hic lusorias interpretatur: Dal. verò rectiùs nostro iudicio lignea signa, vinum, frumentum, oleum aut aliud quippiam significantia, & promittentia, quibus in congiariis & publicis largitionibus Imperatorum vtebantur.

Porrò magna difficultas orta est inter Herbarios *An Ligustrum sit Cyprus Diosc. & Plin.* *Ligustrum esse Cyprum.*

Cyprum quidam, vt Plin. inquit, esse dicunt arborem, quæ in Italia Ligustrum vocatur.

Ligustrum. Cyprus. Et Ruell. Ligustrum apud nos eadem est arbor, quæ in Oriente & Græcia Cyprus, Gallis *Troenea*, *Troenea. Alcanna. Henné.* Suessionibus *Drayna*, officinis ad Barbaros desinentibus tum *Alcana* tum *Henne*.

Virgil. pro flore vsurpauit *Alba Ligustra*. Cypri, id est, Ligustri, florem putat corollis intorquendum.

Massarius not. Scio, infit Tragus, qui Phylirem Diosc. velint, (vt Fr. Massarias Venetus & illius Simiæ) mihi verò est φιλυρέα, Lat. *Ligustrum*, de quo Diosc. Quidam immeritò vocant Hartrigel. *Phylirea non est Cyprus.*

Cordus quoque scribit, Ligustrum sine dubio arbusculam esse quæ Græcis Cyprus vocatur: propterea Plinium idem scripsisse nunquam pœniteat.

Annotat Corn. Posterioribus plerisque omnibus esse Cyprum: nec tam multis annis confirmatam opinionem velut errorem damnari debere, quum magna adeò sit inter Cyprum & Ligustrum affinitas & similitudo. Eidem aut Cypros est Italiæ Ligustrum, aut Philerea: eos tamen addit qui Italiæ Ligustrum viderunt magis Phillyreæ simile id quàm Cypro depingere.

Eorundem sententiam tuetur Matth. & in errore versari tradit nouum quemdam Herbarium [Anguillaram] qui censeat *Cyprum & Ligustrum* *Anguillar. sanat.* diuersas esse stirpes, friuolis argumentis ex Plin. desumptis. Hallucinari qui non videant Ligustrum omnibus suis notis referre Cyprum. Sed *Matth. not.* Anguillaræ argumenta non videtur Matth. sufficienter refutare, & nimis audenter pronuntiare hallucinari eos, qui suæ opinioni non assentiuntur de Ligustro.

Ab eorundem partibus stant Io. Agric & Turner. Hic speciatim, eius notas omnes cum Cypro *Massar. reprob.* Diosc. conuenire scribit: ac quanquam Massar. Venetus lib. de Piscibus strenue neget Ligustrum esse Cyprum, rationes tamen quibus nititur, non eam habere vim, quin cõfutari possint. Ac optasse-mus sanè refutasset viuis rationibus, si potuisset, aut a reprehensione abstinuisset. *Turner. confut.*

Amatus ne ambigendũ quidem censet Cyprum Ligustrum esse, quum Plin. dicat arborem Ægypto familiarem, in Italia Ligustrum vocari. Ideò omninò falli Mass. Venetum, Cyprum aliam arborem à Ligustro esse contendentem. Ligustri verò radicibus hodie Mauros suos inficere capillos, velut equorum quoque crines, quod olim quoque fieri Diosc. tradidit. Verùm vel ex eo facilè conuincitur Amatus, Ligustrum nostrum neque esse *Amatus refut. Lacuna not.* Cyprum, neque id lignum quo Mauri capillos inficiunt, quia nihil tale præstat Ligustri nostri lignum, sed *Henne*, quod Cyprum existimamus.

Amati errorem vtrumque ruminatur Lacuna, (vir nostro iudicio parum in re Botanica versatus.) nempe & κύπρον esse & Ligustri radicibus à Turcis tingi caudas equorum: additque Poëtas huius arboris flores vocare Ligustra, & fructus *Ligustra Poet. Vaccinia Poet.* eius Vaccinia: sed dubium non est duas ab eo confundi plantas: non enim nostratis Ligustri, sed alterius exoticæ arboris radice, de qua postea, tinguntur pili equorum.

Ad vnius huius plantæ historiam idem Lacuna *Tertius Lacunæ error.* accumulat & tertium errorem.. Ponit Ligustri iconem ex Matth. & aliam habet eiusdem plantæ nomine Halimi, cum quo nullo modo conuenit. Cæcis ita inponendum est, non nobis & diligentibus studiosis.

Monachis etiam *Cyprus* Græcorum & *Ligustrũ* Latinorum vnum & idem sunt, quemad. & *Alcanna*, vt legentes [inquiunt] Serapionem, & Diosc. cũ Plinio conferentes non latet. Addunt in oleo Cyprino Actuarij legi florum Ligustri, Græcis Cyprus dicti.

Lonicero *Ligustrum* Diosc. Philyra est & Cypris, cuius duas species facit, magnam & paruã. *Lonic confut.* Esse Virg. alba Ligustra, & Colum. Nigra Ligustra. Ita vides non minori ignorantia quam oscitantia ab illo vni plantæ tribus tria diuersarum *Alter eiusdem error.* plantarum nomina. Præterea vnius plantæ duas icones, minorem & maiorem ponit, & propter eas potiùs, quàm ex re ipsa, aut quòd viderit, vel ab aliquo didicerit, duas tradit species, à nemine hactenus, quod equidem sciamus, obseruatas.

Eius priorem iconem Ryff. prædicto non magis in re Herbaria versatus, pro Ligustro ponit, *Ryff 1. error.* scribens: *Ligustrum* Plinij aliorumque Latinorum, cuius picturam damus omnes fere hactenus Diosc. Cyprum interpretati sunt, sed illos nuper redarguit Massarius, demonstrans Ligustrum esse φιλυρέαν non Cyprum. Ryff. igitur qui ineptè posuit pro Cypro iconem Ligustri vulgaris, vti dictũ, *Ryff error.* cap. sequenti iconem maiorem eiusdem plantæ cum eodem Lonic. ponit pro Philyrea Diosc.

Altiùs sapuisse sibi persuadent Pen. & Lob. in Adu. quando *Ligustrum* Diosc. nostras vocitant, subolfacientes fortè nostrum diuersum esse à Dioscoridæo, & nihilominus ad illud reduci posse aut debere existimantes, vt equidem candidè interpretaremur nisi sequentia eorum verba diuersum prodérent, quando aiunt: de florum fœtura *Cyprus unde.* Cyprus dictus Græcis videtur: κυπρίζω enim floreo est, quò allusisse visus est Maro, vbi *alba Ligustra cadunt*, canit. Auic. dicit baccas esu sanguineum lotium aut potiùs colore cruentum ciere, quod præstitisset Refractarijs experiri, quàm Ligustrum verum inficiari. Quæ tamen Alkannæ asserũtur assulæ, vel baccilli, luteo sunt intus ligno, coque si crinem (vt videtur Auic. ex Diosc. velle) ruffant, sunt sanè aut melioris notæ Ligustri, aut diuersæ

plantæ. Quibus postremis verbis & notis non temere, ceu recidiua quadam hæsitatione iactari nobis videntur, adeoque nihil certi statuisse. Non placet igitur eos prius *Ligustrum* & *Cyprum* idem dixisse: nec quæ huic nostræ ascribunt de vrina cruenta, quod decebat illos potiùs experiri priùs, quàm redarguere eos qui negant *Cyprum*, cùm ipsimet dubitent, vt apertè docent eorum verba de Alkana, de qua nos seq. cap.

Castor Dur. error. Denique ligustrum nostras etiam Cyprum Diosc. faciunt Cast. Durantes, [qui non benè duas figuras & descriptiones vnius plantæ ponit, quasi diuersæ sint plantæ.] Taber. & Cæsalp. Lonic. addit Cypron ab insula dici.

Ligustrum non esse Cyprum Diosc. His omnibus strenuè se opponunt, iam sæpè citatus Massarius, Fuchs. Dod. Anguil. Rob. Const. apud Amatū, Goropius, Porta, aliique quorum iudicio & rationibus sanè in hac re plus tribuimus, eisque hactenus subscribimus, donec prodeat aliquis, qui nobis diuersum persuadeat. Quanquam Diosc. Cypri descriptio propiùs ad nostrum Ligustrum accedere videatur quàm Plinii: quamuis nostram vix propriè & simpliciter arborem dicas, adhuc minùs peregrinam. In nostri quoque Ligustri foliis nihil tale quid apparet, quod capillos ruffet, quæ notæ nostrum Ligustrum à Diosc. Cypro potissimùm distinguere videntur, quamuis & aliæ fortè sint circa vires, nondum obseruatæ. Sed quid multâ opus velitatione, cùm alia planta, nec frutex, sed arbor Recentiorum industria inuenta sit, meliùs cum Diosc. Cypro conueniens.

Nec Cyprum Ægyptium Plin. Sed nec Cypro Ægyptiæ descriptioni Plinii quadrat nostrum Ligustrum. Plinii namque Cyprus semen habet Coriandri, peregrinaque est arbor. At Ligustrum nostrum grana non Coriandro similia habet, vt facilè ex descriptione nostra proposita conferenti notas cum Coriandro patebit. Nec sanè nostrum ligustrum, quod spontè in sepibus & senticetis passim occurrit nascitur in Ægypto. Rectè igitur Fuchs. Ligustrum quo nomine Græcis appellatum sit, nondum certo nobis constat, neque enim, vt ferè omnes hodiè putant, Cypros est.

Plin. not. Dod. quoque ipsum in hac re adeò Plin. reprehendere audens, cum scribit perperàm Ligustrum eandem arborem esse censere, quæ in Oriente Cyprus. Quam censuram mitigans Anguil. Cyprum, inquit, quidam volunt esse Ligustrum in Italia dictum: verùm credere non possum *Conastrello*. quam habemus in Italia esse Cyprum: notæ non respondent. Plin. etiam non affirmat Cyprum esse Ligustrum, quamuis alio loco id asserere videatur. Verùm fortè Plinio addita quædam aut deceptus Plinius sibi contrarius. *Conastrello* non potest esse Cyprus Plin. l. 12. c. 25. Ligustrum Latinorum non negarim. Quæ planta sit Cyprus ignoro. *Conastrello* est Philyrea vt patet ex descriptione. *Hac ille.* Qui existimando *Conastrello* esse Philyream, fallitur, de qua mox transigemus.

Conastrello. *Plin. excus.* *Ligustrum Latin.*

Eadem ferè & Rob. Const. confirmat his verbis. Quid sit Ligustrum siue Cypros, profectò ignotum est his nostris temporibus. In hoc solùm Diosc. & Plin. consentiunt, quòd vterque dicat esse arborem qua vel solâ notâ excluditur vulgaris illa planta ab huius consortio, quam nobis pro Ligustro & Cypro ostendunt Herbarij, quę forrasse est Ligustrum Virgil. non autem Cypros Diosc. aut Plin. Ligustrum, imò nec Columellę. Hic enim frutex in sepibus maximè communis, vix vnquam visus est arborescere: nos Galli vocamus *du Troesne*: sed Cyprus siue Ligustrum, id est, Arabum *Alcanna*, arbor rara est, & inter pretiosa simplicia semper adnumerata.

Ligustrum Virgil Non esse Ligustrum Columellæ.

His ac similibus rationibus motus doctiss. Goropius, Ligustrum alterum Veteribus dicere maluit, & apertè ait Virgilij Ligustrum non intelligendum esse de Cypri flore odorato. Sed cur Ligustrum alterum Veterum dicit, vbi duo genera Ligustri apud Veteres inuenit: sanè nisi id intelligat vel apud Plin. vel hoc nostrum Ligustrum ceu alteram Ligustri Veterum speciem agnoscat, quid aliud velit nondum olfacimus. Nam, vti dicebamus, præter Cyprum [cuius aliquoties meminit,] & Ligustrum sæpiùs citat, vt in sequentibus patebit, nec tamen hoc idem esse cum illo categoricè affirmat: immò lib. 12. c. 24., vt & l. 23. c. 4. videtur ambigere, vtrum ea Cypros sit, quæ in Italia Ligustrum vocabatur: dum id ita esse, non ex sua, sed ex aliorum potiùs sententia pronuntiat. Certissimum quoque diuersitatis nostri Ligustri & Cypri Antiquorum argumentum producit Porta, ab ipso experimento desumptum: nempe, inquit, Ligustri vulgaris folia non ruffum capillum reddunt: quare non est Cyprus Diosc. sic igitur primam difficultatem excussimus.

Nondum plane constat an Plin. Cyprus & Ligustrum vnum & idem putet. Quod igitur vtrum sit à Recentioribus quoque dubitatum.

Altera difficultas est *an Ligustrum nostras sit Alcanna & Henne Arabum.*

An Ligustrum nostra sit Alcanna & Henne Arabum. Asserunt Ruell. Tragus, Math. Lacu. Monachi, Lonic. Brunfels. Bouius, Comes à Neuenar, & Cast. Dur. ac in genere omnes ferè ij qui, nostrum Ligustrum cum Cypro Veterum idem faciunt, cùm Arabes pleraque sua de Alcanna ex Diosc. cap. de Cypro transcripserint. Sed hinc non sequitur nostrum Ligustrum esse Alcanam Arabum, sed verisimile tantùm sit hanc & Cyprum Diosc. esse idem. Idcirco fallitur, quisquis ille sit, qui apud Cordum annotauit Ligustrum Arabicè dici *Alcanna, Henne*: Nam vti dictum *Henne* quidem est Cyprus, sed non Ligustrum nostrum vulgare. Rectè igitur Bellon. Arabum interpretes Latinos *Henne* seu *Alcanna* falsò ligustrū vertere notat, cùm diuersa sit arbor. Quod verò idē *Henne* siue *Alcanna* differre tradit a Cypro aut Ligustro Gallicè dicto *Troesne*, quòd hieme Henne non deponat folia vt Ligustrum, nobis non probatur. Nam cùm Henne & Alcanna Serap. sit Cyprus Diosc. Ligustrum verò nostrum, vel ipso teste, non sit *Henne & Alcanna*, ne Cyprus quidem erit, aut rectè dicetur.

Cordo commentator. nec Arabum interpretum error. *Bellon. reprob.*

Cæterum cùm (vt ex Adu. dicebamus) quæ Alhannæ nomine importantur ligneæ assulæ sint luteæ, satis patet à nostro Ligustro differre, si modò veræ & genuinæ sint Alcannæ.

Agricola not. Leonicenum carpit Agricola, quòd Cypron similem Ligustro fecerit, nec se cum sequi, ait ipsemet tamen idem Ligustrum facit & Græcis Cypron dictam: ac in eo hallucinatus est, quòd similitudinem negauerit, & quòd ipse cum plerique idem putarit. Meliùs igitur fecisset, si meliùs sentientem secutus fuisset.

An Ligustrum sit Philyrea. *Dod. geminus error.* Tertia difficultas est, *An Ligustrum nostrum sit Philyrea*, vt voluit Massarius, Fuchs. Anguil. Gesn. Euchar. Roesslin, Dod. (qui malè non tantùm Philyream Ligustrum facit, sed & eam, quæ existimatur Philyrea, ponit pro Cypro.) Sed Gesn. ex aliorum potiùs, quàm sua sententia id dixisse videtur. Fuchs. quoque parum fortè suæ opinioni tribuens, iudicium penes prudentem lectorem esse voluit. *Apertè negant* Tragus, Dod. & nos, apertis rationibus moti, quas suo loco tradetmus.

Vaccinium Virg. non esse. Non est prisol. Baccas, sunt qui velint, dici Vaccinium, de quo Vitruu. Archit. l. 7. c. 14. verum certò affirmari non potest. Sunt qui & Ligustri baccas à Virg. Vaccinia vocari putent, sed malè, inquit Matth. Non defuerunt, qui existimarint Ligustrum esse Mauritanorum caprifolium, sed perperàm. Sunt qui Ligustrum

strum dictum velint, à ligando, quòd sepibus ligandis & muniendis conueniat: Alkanna & Henne omnibus ferè iis, qui Cyprum esse putant, vti dictum. Germ. Beinhöltzlin / quòd lignum ossis instar durum habeat: propter duritiem dicitur etiam, hartrigel, sed perperàm, vt notant Tragus. & Hier. Brunch. Hereckholtz Taber. Aliis dicitur Mundholtz/Geißholtz: Reinweiden/quòd salici similis sit, & Rheni ripa copiosè nascatur: Mundweiden/ quòd oris vlceribus medeatur, quamuis Fuchs. Ligustrum officinis inusitatum dicat, vt re-uera est, potest tamen commodè in vsum reuocari. Ait tamen Matth. sed malè Officinis *Alcanna* dici, alii *Alchanna* scribunt) & Mauritanis *kenne*, [alii *Chenne* scribunt] *Henne*, seu *Hanne*. Belg. Heelcruyt, Rynweylgen/ Shuuenckf. qui Ligustrum inter Silesiæ plantas hortenses refert, ait Germ. Schulweiden dici Gal. *Troesne*, *Frezillon*. It. Hetruscis *Guistrico*, quod inibi etiam aliqui Olivetta, nonnulli Oliuella, quidam Chambrossene vulgò vocant: alii Callostro. A mulieribus & pueris Romæ *Fior fiorello* Alphab. scribit & *Chryseluo* dici: *Conastrello* Patauinis. Hisp. *Albena*, *Alfena*: Castil. *Arbor de Parayso*, aut de *Albena*: Portug. *Alfenheyro*. Bohem. Ptacii Zob. Vngar. fagyalfa. Apud Bollenses in ducatu Wirtemb. Schwartze Hundtsbeeren vocant. Vt annotauit aliquando Solerius Delphinatibus dicitur *Sanguin blanc*, & Prouincialibus *Oliuier sauuage*.

Nascitur magna ex parte in locis asperis, potissimùm vepribus & sepibus, frequens admodum passim Germaniæ, Galliæ, Italiæ. Ad Rhenum abundat. Lob. ait nulli calidiorum regionum hodiè deesse, paullò licentiosiùs: non enim inuenitur in Ægypto Ligustrum Italicum, teste Alpino vt dictum: copiosè prouenit etiam in Diocesi Cantabrigiesi ad sepes, & propemodum in omnibus Londini viridariis. Quin & in frigidioribus regionibus in hortis colunt, quorum septis & areis cingendis accommodata quia tonsilis, & tam floribus quam racemulis tota æstate læta. Floret Aprili & Maio, citiùs aut tardiùs pro locorum ratione. Flores tota ferè æstate durant, aliis prætereuntibus, aliis emergentibus. Septembri racemuli maturescunt, & subinde per totam ferè hyemem restant, non sine singulari utique prouidentia Dei, præcipuum auicularum famis refugiũ per sæuissimas hyemes futuri. Folia ad hyemis initium durant, postea decidunt, & vere noua renascuntur.

Vitium. Ligustri meminit Galenus libro septimo simplicium medicamentorum, sic inquiens. Cypri seu Ligustri folia, summaque germina in vsum veniunt, & facultatis & temperamenti maximè misti: habent enim quiddam digerens cum aquea substantia modicè calida: habentque etiam adstrictorium quiddam ex terrenâ substantia frigidas, &c.

Folia, flores & acini Ligustri vt prodidit Tragus, astrictoriam vim habent: hodie apud nos extrinsecus ferè vsurpatur. Aqua è teneris Ligustri foliis Maio mense, aut è floribus Iunio destillata, gargarisatu exulcerationibus oris auxiliatur, neque non feruidis inflammationibus, carbũculisque & pudendorum vlceribus ambustisque igni prodest collutu. Hoc enim remedio ad prædictos morbos Chirurgi penè omnes vtuntur. Flosculi aceto macerati, frontique impositi, capitis dolorem sedant. Acinis Ligustri maturis quidam rubello Vino nigrum inducunt colorem, & vt crassius euadat efficiunt, quò magis sit vendibile. Solent etiam illi tam nigrum quàm Venetum colorem præstare, quo nomine ab his, qui chartulas lusorias, aliasue picturas coloribus variis illuminant, leguntur. Pueri bacculis inficiunt decoctis in aqua, & attramenti loco scriptitant, quod & se aliquando conficere solitum testatur idem: sed pictura in coeruleum quadantenus spectat.

Aqua stillatitia, è floribus Ligustri, tradente Matth. potu menses superfluos constringit, vtilis aduersus hæmoptoysim & diarrhoeam. Eadẽ per per se, aut cum Pompholyge in oculos instillata, rubores eorum & lippitudines tollit. Ex floribus cõficitur & oleum, qoud ad inflammationes vulnerum insigne est, si calidum illinatur: idem dolenti à calore capiti benefacit. Hieme baccis vescuntur aues, præsertim Merulæ ac Turdi. Ex virgis flexilibus, solida tamen materie, caueæ fiunt ad canoras seruandas aues, ac virgæ ad instruendos equos. Nullum reperiri posse, insit idem, medicum tam inexpertum crediderim, qui non nouerit Ligustrum iis omnibus præstare viribus, quibus pollere scriptum reliquerunt Diosc. & Gal. Atqui Herbario illi [Anguillaræ] venia danda, quòd in noscendis tantùm plantis, non autem earum facultatibus examinandis operam nauarit. *Hæc Matth.* vt iam nobis Sesquiaristæus quidam esse videatur, qui solus omnia inuenerit, vel inuenisse somniarit. Sed quæ hæc temeritas, de re sibi incognita statuere, & alios insuper reprehendere, cùm ipse potiùs redarguendus est quòd præcipuam illam notã Ligustri quod Cyprum existimat, non examinarit, an eius folia rufent Capillũ, vt docet Diosc. Et vehementer profectò miramur quî tam audacter ausit pronuntiare de viribus Ligustri, quod ex sua persuasione vult esse Cyprum quam nouit.

Acinos Ligustri contra Phthiriasim & Gallinarum pituitam prodesse, scribit Schuuenkf. qui ea desumit ex viribus attributis Cypro: Lectores, poterunt sine periculo experiri an nostrum Ligustrum hæc præstet. Iac. du Fouloux de venat. in cura morbi canum ad dolorem aurium commendat fruticem dictum *Troesne* qui nihil aliud est, quàm Ligustrum. Zefiriel in fulmine laudat ad Arthritidem intra mediam horam Oleum florum Ligustri, Veronẽsibus dictum *Conastrello* factum ad Solem, aut in Balneo Mariæ, calidè applicatum. Frutex, vti dicebamus, aptissimus est sepimentis, propter lenta & flexibilia vimina, ex quibus reticulato plexu Garyophyllei flores in vasis circumsepiuntur à nonnullis, non sine elegantia. Sic & ad topiarias scenas expetitur à nonnullis, quas non ineleganter conuestit. Foliorum succum quidam celebrant ad oris vlcera & inflammationes. Nec vires à Matth. traditas negamus, sed ab eo potiùs effictas rationabiliter, & aliunde mutuatas censemus, quàm experimento cognitas. Ex gustu facilè quiuis vel mediocriter versatus vnicuique plantæ vires probabiliter assignare possit. At pro veris & compertis prodere non item.

Tantò minùs reprehendendi
si qui id non faciunt, nec
facere volunt, nec
debent.

* * *

Synonyma Hungar.

Oliuella.

Locus.

Lob. Ref.

Vires & vsus.
Temperam.
Aqua stillat.
Oris vlcera.
Inflammatio. Vlcera pudendorum. Ambusta.

Cap. dolor. Vini sophistica.

Chartarũ tinctura.

Atramentũ.

Diarrhœa.
Lippitudo.
Oleum florum vulnerum infl. inf.
dolor cap.
Auium cibus.
Ad caueas auium virga ad domandos equos.

Anguil. not.

Phthiriasis & pituita Gallinarũ.
Dolor aurium canũ.
Arthritis.

Digitized by Google

LIGVSTRVM ÆGYPTIVM : CYPRVS GRÆCORVM : ELHANNE ARABVM,

Cap. XVI.



Descriptio. Ligustri Ægyptiaci, à se propositi racemos nobis dono dedit Alpinus: cuius baccę multò numerosissimę, nostratis Ligustri baccis ferè pares, magis sessiles, coloris cinerei ferè, [in sicca] quatuor decussatas impressiones ostentantes, *Bacca.* semine refertæ copiosissimo, *Semen.* minuto, Melochiæ, & figura angulosa, & magnitudine æquali, coloris rufi, saporis strenuè adstringentis, idque citra omnem morsum. Folia admista Ligustri nostratis satis similia, sed minùs lata & candidiora, sapore acidulo subadstringēte. *Folia.* Flores autore Alpino, coloris cinericei, non albi, sambuci floribus proximi, minores tamen: odor admodum acutus, & Ligustri odore suauior. *Flores.* Flores Rauuolfio ex luteo pallidi sunt, odoris suauis Moschi: concolores floribus baccilli: tota hyeme viret: semen ei pulchellum, spadiceum, piramidale, trigonum eleganter exprimens, basi ita æquali, vt turrectum latrunculi instar stet. *Perpetuò viret.*

Hanc veram Diosc. Cyprum censemus, quo tradente, κύπρος arbor est foliis circum virgulta Oleæ similibus, sed latioribus, mollioribus & viridioribus: floribus candidis, muscosis, odoratis: semine nigro, sambuci fructui simili. Optima nascitur in Ascalone & Canopo. Idem Philyream tradit esse arborem similem Cypro. Pro muscosis floribus βρυώδη habent vulgata exemplaria: Oribasius accommodatiùs videtur legisse βοτρυώδη, id est racemosos: sunt enim in racemi speciem digesti. Vetus vtraque voce caret, & simpliciter ἀνθηρὰ dicit καὶ εὐώδη. *Diosc. correct. & illust.*

Cyprus Ægyptia Plin. Cyprum Ægyptiam describit Plin. his verbis: Cyprus in Ægypto est arbor ziziphi folijs, semine Coriandri, flore candido odorato. Coquitur hic in Oleo, premiturque posteà, quod Cyprus [Cyprum Dal.] vocatur. Pretium ei in libras quinque. Optimum habetur è Canopica in ripis Nili nota. Secundum Ascalone Iudææ. Tertium Cypro insula odoris suauitate. [præcipuum Dal.] *Ligustrum.* Quidam hanc esse dicunt arborem, quæ in Italia Ligustrum vocatur. Item alibi. Ligustrum eadem arbor est, quæ in Oriente Cypros. Monet tamen Corn. in vetusto Plin. exemplari legi: Ligustrum si eadem arbor &c.

Huic ex Virgil. competere videtur: *Alba Ligustra cadunt* &c. Et Ouid. 13. Metam.

Candidior folijs niuei Galathea Ligustri.

Ligustrum. Vt quod flori Virg. folijs Ouidius tribuat, quæ candicant in hac non in præcedenti: quamuis Virgilium de præcedenti locutum esse, nihil vetat, vt qui in Italia vixerit vbi illa, non in Ægypto vbi hæc, nascitur.

Huic etiam competere censemus omnia illa nomina Arabica, à plerisque præcedenti attributa. Apud Serap. *Henne*, id est *Alcanna*, cuius flos similis est floribus Myrti, sed racematim digestus, albus, & nonnihil ad glaucedinem declinans, odoris acuti. Hæc ex Isaaci testimonio. Citat & Diosc. eiusque suprascripta verba. *Henne, vel Alcanna Serap.*

Cyprus Hebræis *Cypher*, Cantic. 1. vt Græcus interpres reddidit. Hanc etiam intellexisse videtur Hieron. in Cant. Cant. homil. 2. his verbis: Botrus Cyperi. [Cypri] fraternus meus mihi in vineis Engaddi. [βότρυς τῆς κύπρου] Quantum autem ad literæ explicationem, habet aliquid ambiguum: quia & vua florens Cyperus [Cyprus] appellatur, & species quædam extrinsecus virgulti est quæ Cyperus (Cyprus) dicitur, ferens etiam ipsa floridum quendam fructum, in modū florentis Vuæ prolatum. Sed videtur magis ad fructum Vitis respicere sermo, quandoquidem Vinearum Engaddi facta est memoria: &c. Hanc igitur cognitam habuisse quidem, sed non eam, verùm ipsam Vitum in Canticis intelligi voluisse Hieronymum satis apertum esse arbitramur. *Cypher Hebr.* *Botrus Cypri.* *Comparatur florenti Vuæ.*

P. Berchorius in reductorio, Cyprum seu Cyperum, vtrunque legi tradit: Cyprum esse arborem similem Oliuæ in folijs, quæ secundum Isidorum & Plin. suauissimi est odoris cuius semen si cum oleo coctum fuerit &c: Sed Berchorius videtur ignorasse discrimen inter Cyprū arborem & Cyperum herbam, cuius radix quoque suauissimi odoris: quapropter confundit has duas plantas. Cyperus etiam ab Hieron. scriptū videtur, vt notauimus. Idem ibidem rectè: Cyprus inquit, cum Nardo, Nardus & Crocus, fistula & Cinnamomum cum Vniuersis lignis Libani. Et Ioseph. historicus Lib. 4. περὶ ἁλώσεως φέρει δὲ ὑπολαμβάνω ὁ δὴ Ἰουδαῖοι τῶν χωρῶν, κύπρον τε καὶ μυροβάλανον & subdit esse σπουδαῖα καὶ κάλλιστα. Vt videas Cyprum apud Veteres in magno pretio fuisse. *Cyprus.* *Berchorius.*

Theophr. κύπρος dicitur vnguentum ipsum, quod & Cyprinum vocatur, κατὰ τὴν κύπρον à Cypro. Sed an ab hac, an alia quadam herba Cypro dictâ, vt magna securitate asserit Lonic. nondū ausimus statuere. *Cyprus in magno pretio apud Veteres.*

Placet iudicium Constantini, κύπρις, inquit, arbor Ægypti assimilis ei quam Ligustrum vocat Italia: quam quidam etiam cum Ligustro eandē esse contendêre Plin. temporibus: hic vt ferè interpretes omnes eandem Ligustrum reddant, cùm diuersæ sint, vt rectè censet Massarius.

Marcell. apud Diosc. legit cypron, Romani Ligustrum dicunt: cuius lectionis nullam nec ratiō nec autoritatē addit. Videtur Plin. lectione motus id fecisse. Quod si ita est, abutitur sanè eius autoritate, qui ne ipse quidē id ex sua sententia sed aliorum pronuntiare sit ausus, quamuis id alio loco id fecisse quibusdam videatur: aliis ex veteri lectione, aliter. Sed Dioscoridi addere ex Plinio, tanquam genuina, nobis non videtur integrum, neque consultum. Ecquis scit, quid illud sit, quod olim Romani Ligustrum appellarunt. Enimuerò sanè cùm Italica planta sit Ligustrum vulgare atque adeò Romæ cognita, cyprus nequaquam, illam Romanum Ligustrum esse verisimilius, quàm hæc. *Interpretes Diosc. errore variabant.* *Marcell. reprob.* *Romani Henne. Alcanna.*

Sed à Diosc. & Plin. sententia recedit Bellon. fruticem solummodò dicens, non arborem. Sic autem scribit de eâ, ac seipsum declarat. In Ægypto inuenimus paruum fruticem, nominatum *Henne* aut *Alcanna*, quem resecant & colunt diligenter.

Latini

Latini interpretes Arabes dixerunt Gallorum *Troesne* Latinè dictam Ligustrum, sed id falsum est, quia arbor *Troesne* differt ab ea. Henne prouenit ad altitudinem Mali Granati verùm fectus, profert tantum tenues virgas, vt Salix. Magnus eius est reditus in Ægypto [vt dicetur in viribus] propter tincturam. *Item alibi*: Arbor Henne, nascens in Ægypto alio nomine Alcanna, in hoc differt à Cypro aut Ligustro, quod Galli *Troesne* nominant: huic enim folia decidunt: Henne verò retinet. *Hec ille.* Ergo cùm Henne differat à Ligustro vulgari, vt testatur Bellon. patet quoque non esse cyprum, cùm Henne & Alcanna apud Serap. nihil aliud sit quàm cyprus Diosc. cuius verba recitat.

Quo differat Henne à Ligustro.

Alpinus sequens deprauatam Interpretum versionem, ait esse Diosc. Ligustrum: & addit esse Alcanna Auic. cyprum Plinio, Ægyptijs Elhanne ac Tamarhendi. Bellon. & Alpini sententiam approbat quoque Rauuolff. additque Græcis communi vocabulo *Schenna* dici: ex huius radice Arabes vrere spodium, vt etiam meminit Auic. c. 17. Meliùs conuenire cypro Diosc. de qua Salom. in cantico, quàm nostras Ligustrum. Figuræ suæ titulum fecit, Cyprus Græcis.

Alpini not. Alcanna. Auic. Cyprus Plin. Elhanne. Tamarende. Schenna.

Amatus & Lacuna hanc cum Ligustro confundunt. Denique falluntur omnes, qui vel Plin. non intellecta mente, vel vulgata eius lectione, vel sua decepti opinione κύπρον censent esse Ligustrum nostras, quos in superiori cap. sufficienter refutauimus.

Amat. & Lacun. not.

Annotat Dod. à Turcis vocari Henne: cur verò in eius historia pro cypro ponantur duæ icones Phillyreæ nescimus, nisi Cyprū Phillyreā putarit, quorundā Recentiorum errorem secutus, qui Ligustrum Italorū & nostras, ac ipsius etiam fortasse Plinij cum Diosc. Phillyrea vnum & idem esse existimarunt. Cyprus Græcorum Hist. Lugd. quæ præter sententiam Alpini atque figuram quam habet ex Rauuolffio in descriptione sua dicit flores duobus digitis lōgiores.

Henne. Dod. repreh. Non est Phillyrea.

Ligustrum siue Cypros Diosc. Portæ: quod è Turcia nobis adfertur, vulgò *Alchena* dictum, cuius folia contrita, crocea siue russa ruffum capillum reddunt, vt idem inquit, non autem vulgare Ligustrum Matth. Videat etiam Lector quæ cap. præced. notauimus de *Alkana* assulis.

Matth. not. Locus.

Iam ex Diosc. dictum est inam cyprum nasci in canope & Ascalone. Plinio Cypros in Ægypto nascitur. Bellonio *Alkanna* Ægypti incola est, vbi omnibus notissimam testatur Alpinus. Speciatim refert Rauuolff. Tripoli & potiss. in Cairo prouenire. Eam Turcas & Mauritanos propter gratum & suauem odorem Moscho similem, quē flores exhalant, diligenter in vasis custodire, & hieme, ne frigore pereat, in cubiculis & subterraneis locis seruare. Et quia tardè noua folia protrudat, nempe Augusto, quosdam irrigare aqua sapone infectā; alios radici calcem ad noaere, vt citiùs floreat. Ad nos multi baccilli adferuntur. Puluis viridis in instructioribus habetur officinis saccis plenis ex Ægypto & Africa delatis. Onustæ naues deuehuntur per Turciam, eodem teste. Eiusdem puluerem subtilissimum habemus munere Valerandi Dourez, cum inscriptione, H... Bellon. Est is ex fusco flauescens. Verùm cùm semine nobis misit D. Paludanus nomine *Elhenne*. Pulchello sracemulos inter κειμήλια nostra peregrina seruamus à Cl. Alpino nunc horti Patauini præfecto dignissimo accepta.

Tempus. Cultus.

Cypri folia, ex Diosc. astrictoriam vim habent: quare oris vlcera commanducata medentur, & illita tum feruidis alijs inflammationibus, tum etiam carbunculis prosunt. Eorumdem decoctum igni ambustis applicatur. Ruffant & capillos trita, & illita folia, siue in struthii succo maduerint. Flos ex aceto tritus & fronti inductus capitis dolores sedat. Cæterùm quod ex eo præparatur Cyprinum vnguentum, odoratum est, ac neruos excalfacit & mollit: siquidem feruenti natura præditorum medicamentorum misturam recipit. Plin. Cyprinum oleum vocat, quo autore, excalfacit, mollit neruos. Folia stomacho illinuntur: & vuluę concitatæ, [sanguinem emittenti vel procidenti] succus quoque eorum apponitur. Folia recentia commanducata, vlceribus in capite manantibus, item oris, medentur, & collectionibus, condylomatis: Decoctum foliorum ambustis & luxatis prodest. Ipsa rufant capillum tusa, adiecto Struthei mali succo. [Fallitur Plin. στρουθίου vocis homonymia: στρουθίου χυλῷ habet. Diosc. De Struthij herbæ seu Lanariæ succo, non Struthij Mali intelligendum.] Flos capitis dolores sedat cum aceto illitus. Idem combustus in cruda olla nomas sanat, & putrescentia vlcera per se & cum melle. Odor floris olet, qui somnum facit. Succus Ligustri, seu Cypri eodem teste neruis, articulis, algoribus: folia vbique [vtrique vet.] veteri vlceri cum salis mica, & oris exulcerationi prosunt. Acini contra Phthiriasin, item contra intertrigines, foliaúe. Sanant & gallinaceorum pituitas acinj. Cypri arboris folia, inquit Gal. summaque germina in vsum veniunt, & facultatis sunt ac qualitatis maximè mixtæ: habent enim quiddam digerens cum aquea substantia, modicè calida: habentque etiam astrictorium quiddam ex terrena substantia frigida. Itaque eorum decocto quidam ambusta fouent. Vtuntur verò etiam aduersus igneas phlegmonas & carbunculos. Nam absque molestia & morsu desiccant. Quinetiam spontè prouenientibus in ore vlceribus, aphthodesi, & ipsis puerorum aphthis commensa accommoda sunt. Paulus in viribus hoc ampliùs quam Diosc. Cypro tribuit, vt aptè remediis his misceatur, quæ ad lienem conficiuntur: quod demiretur aliquis, inquit Marcell. nisi quia mollit Ligustrinum vnguentum, durato Lieni ideò accommodatum sit. Nec mirabitur, qui, vt dicebamus ex Plin. aduertet, calida quoque medicamenta recipere, quæ vtique vim habent aperiendi & discutiendi, præter vim remollientem, quàm habet. Serap. præter ea quæ Diosc. & Gal habet, addit, in muliebribus affectibus idem præstare, quod sanguis draconis. Cypri florem Plutarchus putat corollis intorquendum, quòd placidum suauemque somnum potoribus accersat, quippe qui lenem auram & mitem expiret, quæ temulentorum salebrosas aspritudines sensim læuiget, ita vt conciliata tranquillitate hebes crapula retundatur, & caloris officio percoquatur. Folia madentia & iuncta discutiunt (vt ait Celsus) ea, quæ in aliqua corporis parte inhærent. Vnguentum è Ligustro Alexandro magno misit Abdelonymus Sicyonius, vt scribit Pollux. Auic. tradit, quod si quis hominem tinxerit Ligustro quod producit florem album, Alchannam vocat ipse, eum micturum vrinam nigram: Sed durum est credere, id euenire ex illitione externa, nec apud vllum alium id legimus. Certum quidem est, apud Turcas admodum consuetam esse illitionem ex eo. Attamen de ea re nihil hactenus accepimus: nec verisimile est. Magni porro Ægyptijs (vt scribit Bellon.) ex Cypro reditus: folia enim reficcata in puluerem redigunt ad tincturas flauas. Ex eo in Turcico imperio census 18000 ducatorum superat. Quin latè etiam patet Turcia, consuetum fœminis noc

Vires & Vsus. Oris Vlcera. Inflammationes. Ambusta. Capillorum tinctura. Cyprinum Vnguentum. Stomachus. Menses. Luxata. Plin error. Cap dolor. Nomæ. Vlcera putrida. Contra pediculos. Téperam. Ambusta. Inflammationes. Carbunculi. Oris vlcera. Aphtha. Lien. Noxa. Auic. not. Magni reditus ex Cypro.

Calculus. Vulnera. Caro putris. Tumores pudendorum.

cius verba explicamus, quibus ait conferre ad calculum renum. Radicis puluis vulneribus inspersus, carnis excrescentiam & putrilaginem cohibet & adimit, & efficaciter cicatricem promouet. Ad pudendorum tumores in emplastrum cum oleo rosc. concinnata folia eos tollunt absque noxa. Radix cum Aniso & Fœniculo pari dosi puluerisata, addito saccharo, & ieiuno quantùm cochlear capiat sumpta, certo remedio est flatibus & colicis doloribus, *inquit ille*: in quo sanè circumforaneo empirico similior videtur, quàm rationali Medico: Nam cur rem terrestrem, frigidam, & adstringentem, cum calidis, & discutientibus commisceti qua vi flatus carminare, & colicos cruciatus putas compescere id, quod temperamenti sui ratione nihil minùs præstare, fortè etiam citiùs causare possit? Abeat *ad Scholas, ad Scholas*, immò ipsam potiùs rei naturam, optimam & fidissimam medicorum scholam, & meliùs discat, rerum temperaturas in vsus dispensare, vulgóque credulo vanis suis pollicitationibus imponere.

Cærulea Tingendi modus.

Scribit Matth. Germanos Parmacopœos baccis passim vti Myrti baccarum vice, cùm iis destituantur: quinetiam æstate edi fragorum vice à Pastoribus & aliis, quòd gustui placeant. Peculiariter autem iis vtuntur Infectores ad Inficienda linteamina & chartam cœruleo colore, ac etiam à Pictoribus. Succus cum alumine & Galla coctus eleganti cœruleo tingit chartas. Linteamina eodem colore ita tinges. Ollæ huius succi plenæ affundes poculum aceti vini, aluminis puluerisati unc. j. squammæ æris itidem in puluerem redactæ drach. ij. bulliant vna: tum retenti decocto immerge lintea: siccetur in aëre, demum frigida aqua laua, & pereleganti cœruleo tinctum habebis. Si dilutius uelis, omitte squammam æris: si saturatius, etiam plus addes. *Sic docet Lonicerus.*

VITIS IDÆA SEMPER VIRENS, FRVCTV RVBRO.

CAP. VII.

Descriptio. *Folia.* *Flores.* *Bacca.*

Ramis hæc fruticat dodrantalibus, rotundis, non angulosis, quos vestiunt folia satis frequētia, crassiora quàm Vitis Ideæ angulosæ aut magnæ, oblonga, modò per extremum rotunda, modò leuiter acuminata, non serrata, in quibus nerui subtus potissimùm apparent, gustu astringēte & amaricante. Flores racematim cohærent in virgularum extremis Lilij conuallium floribus similes, albi, interdum blandè rubentes: quibus delapsis baccæ similiter racemosæ succrescunt, sex, plùs minùs, racemulo vno, Pisi minoris magnitudine, ex albo luteóue rubentes, sapore acido, valdè iucundo, carne simili Vacciniis palustribus, cui immersa grana paruula lutea. Radix obliqua ferè, tenuibus capillamentis fibrata. *Radix.*

Vitis Idæa rubra. Rhus minimus Plin.

De hac, ni fallimur, scribit Camer. Epit. Matth. his verbis: Vitis Idæa rubra, nonnullis Rhus minimus Plin. Germ. Rot Heidelbeer, Steinbeerlin/ Bronsbeer: Gal. *Aurelles rouges*. Suffrutex est exiguus, foliis Buxi, interdum leuissimè censerratis marginibus, flosculis Arbuti, candidis, confertis, ex quibus Baccæ rubentes in summitate, ceu corona quadam, denticulatæ nascuntur, sapore acidæ & astringentes. Radix tenuis serpit.

Vua Vrsi Gal. Arctostaphylos.

Anguil. Epist. 5. *Vua Vrsi* Galeno dicta l. 7. de comp. s. loc. c. 4. Arctostaphylos hodierna die in Appennino vocatur adhuc *Vigna del' orso*. Hanc idē à Theoph. appellatam Vitim Idæam censet. Inueniri ait in omnibus Italiæ montibus, vbi niues. Galeni verba cap. sequentibus trademus. Hanc autē potiùs suspicamur ab Anguil. dici *vuam vrsi*, quàm præcedentem, conferendo eam cum Gal. descriptione.

Vitis Idæa. Vaccinia rubra.

Gesn. scribit Vitis Idææ speciem esse, acinis rubris Coldenbergio, Vaccinia rubra: pingi à Dod. bis, altera icone meliore: acinos acidiores esse, sine vmbilico. At nos apud Dod. vnicam tantùm huius Vitis Ideæ iconem inuenimus, quæ placet: nobis etiam gratiores videntur baccæ: Prior apud Dod. quæ displicet est Vitis Ideæ angulosæ.

Clus. &c.

Vitis Idæa buxeis folijs nec deciduis, baccisque rubris Clus. quamuis minùs benè simpliciter Buxea dicat: id potiùs conuenit sequenti plantæ, quam Radicem Idæam suspicamur.

Aduers. &c.

Vaccinia rubra Herbarior. & offic. Myrtillos dicunt Aduers. vt & præcedentia: an Idæa Radix sit dubitant: ac tradunt fruticem lætiore & habitiore aspectu semperuirere: non perinde vt nigrā frequentem, nec tamen nigræ dissimilia folia, sed paulò maiora & ad Myrtum albam siue maiorem, & Rhus Plinianum accedentia, rotundiora: Bacculas nec dissimiles, sed rubras, astringentes magis, nec perinde succulentas ferre. Radicem æquè lignosam fibris serpere Ericæ ritu. Flores ex oblongis calyculis paruulis subpurpureis apiculos è medio exerere. Sed ista descriptio Aduers. Vacciniorum rubrorum non placet: folia namque nobis videntur valdè dissimilia, & ad Myrtum vel Rhus nullo modo accedere.

Gesn. reprch.

Iconem certè non spernendam proposuerat Dod. in Hist. Gal. quam etiam retinuit in postrema: vbi notat Gesnero Vitem Idæam rubris acinis dici, sed multò minùs quàm nigram cum Idæa vite hanc conuenire, ipsarum baccarum exortus ostēdit. Non enim ad latera Cauliculorum, veluti nigra, sed è ramulorum cacuminibus, Corymborum instar, dependent.

Rhus Plin. minor.

An Cam. *hort.* Vitis Idæa vulgaris. An Thal. Vitis Idæa seu Vaccinia rubra Dod. Idem Thalius refert, hanc stirpem olim Aemilium existimasse esse Rhum Plin. minorem. Vulgò Brausbeer dici: Noricis Rote preiſselbeer/ quorum Siluæ hoc frutice refertissimæ sunt. Belg. Roote Crakebesien, teste Dod. Red Bohortus or Whortle, Anglis.

Gerardus &c.

Vaccinia rubra Gerard. qui figuram habet ex Taber. quæ posita erat pro vite Idæa maiore, à qua Vitis Idæa fructu rubro multùm differt. Vbi autem Taber. ac etiam Tragus de hac scripserint, nescimus, nisi fortè sub Chamæbuxo, vti monuimus Cap. de Radice Idæa.

Schuenckfeld. &c.

Scuuenckfeld. in suo Catal. Siles. varia nomina diuersa imponit, hæc: Vaccinium rubrum, *χαμαὶ ῥῶγες*: Vitis Idæa rubra Matth. [sed vbi?]

Erica

Erica baccifera latifolia Taber. Vna vrsi Anguil. Rote heydelbeer/ Rote preusselbeer/ preusselbeer, Rausch Taber. sed an sine confusione, ipse viderit & Herbarum periti.

Locus. Gaudet & hæc locis siluosis, saxosis ac opacis: itemque alpibus: Monte fracto Heluetiæ: Item in similibus Brabantiæ locis. Copiosissima circa Wernigerodam in Broccenbergo & vicinis montibus. Item circa Walckenridam, Gerenrodam, alijsque locis quampluribus, teste Thalio. Vastis etiam siluis circa Bolesllauiam & saganum silesiæ plurimum: Schuenckf. Nobis verò obseruata in cacumine montis Rossberg propè Mesocomium tractus Alsatici Octobri pulchrè virens, cum angulosæ folia decidissent ferè omnia. Hanc semper virere existimamus. Item in monte Ballon Lotaringiæ vicino, cum Vite Idæa angulosa, & alia fruticosiore siue magna. Augusto iam racemulos gerebat, sed tum primum baccæ nonnihil incipiebant maturescere, cùm aliarum iam dictarum omninò essent maturæ: vnde patet serotinam magis esse. Communiter etiam sub Abietibus atque piceis crescere videas quod & Camer. annotauit.

Tempus. Floret Maio & Iunio. Septembri demum perfectè maturatur.

Vires & vsus. Temperam. Cùm baccæ sint acidæ magisque adstringentes cæteris, nec perinde succulentæ vt Myrtilli, facultatem vtique frigidam siccamque habebunt, quam & Dod. aliique ipsi tribuunt. Quapropter ad eos vsus, vbi adstrictione opus accommodari posset. Hinc vsus eorum in Dysenteria non contemnendus: item in diarrhœa, & superiùs dictis affectibus plerisque. Qua verò ratione puluis ex acinis aridis exhibeatur calculosis, vt scribit Camer. & repetit Schuuenkf. nec nouimus ipsi, nec facilè declarabunt isti. *Camer. & Schuenckfeld. not.* Possis & ex harum succo Rob conficere addito sacharo aut melle, ad viscerum calores & sitim in febribus calidis. *Folia.* Quidam ad ἐμβάμματα commendant, additis aromatibus. Foliorum vsus ob adstrictionem idem esse possit, qui præcedentium.

RADIX IDÆA PVTATA, ET VVA VRSI.

CAP. VIII.

Descriptio. Vitis Idææ rubræ affinis est quam Radicē Idæam Diosc. vocant, à qua tamen manifestè differt: siquidem folia habet densiora, ad Buxum accedentia, ex oblōgo rotundata, angustiore ad pediculum ceruice, vtrinque rugosa, nec neruos, vt illa, præter vnicum, qui secundum longitudinem decurrit, exhibentia, quamuis pictor perperàm quasdam propagines laterorsum appinxerit, gustu cum amarore adstringente, quemadmod. Vitis rubro fructu. Hærent autem ea ramis lignosis, pedalibus, cortice tenui & facilè cedenti tectis. *Flos.* Flores racemosi, concaui, rubri. Fructus vt in Vite sempervirente racemosus in extremitate ramulorum. Quæ de radice Idæa Diosc. & Plin. scripsēre, annotatata sunt postea, quibus bene consideratis fortè erit, quod monet Fab. Columm. *Bonifacia*, siue *Bislingua*, cum qua meliùs videntur conuenire, quæ Veteres de ea scripserunt: Ab aliis positam plantam dicit nullam cum ausco habere affinitatem.

Vaccinia rub. Myrtus montana. Valerandus Donrez, sagacissimus alioqui stirpium vestigator ac censor olim putabat Vaccinia rubra Dod. & Myrtum montanam Cordi esse hanc ipsam: sed vt tempore & hominum curâ omnia fiunt clariora, ita & in apricum datæ, in opacis alioqui delitescentium suffruticum distinctiones a nobis propositæ.

Quum verò Tragus Vitis Idææ rubræ non meminerit cap. de suis Myrtillis, licet coniectari eum de hac scribere, aut certè de Radice Idæa his verbis: In altissimis Wasgouiæ siluis non procul à Cæsareo Luthro humâ arenoso, exigua stirpis species *Chamæpyxos.* Ericâ haudquaquam maior reperitur. Hæc folia habet Buxo aut Myrtillis quàm simillima, humique magis procumbit, quàm in altum sese attollat. An verò ea Chamæpyxos fuerit, ait se affirmare non ausum.

An Vua Vrsi Galeni ex Clusio. Considerandum an eadem sit Vva Vrsi Galeni apud Clus. quam scribit fruticare pedalibus ferè ramulis flexilibus & lentis, humi diffusis, rubescente cortice tectis, vt teneriores Arbuti ramuli: folia illi frequentia, Arbuti folijs minora, carnosa, Chamæleæ Italicæ foliorum planè æmula, minimè tamen hirsuta, cum astrictione amaricantia. Extremis ramulis flores proferre ex candido purpurascentes, siue candidos, quibus leuiter purpurascens color admixtus sit, cauos, Arbuti floribus similes, & vuæ modo simul congestos: fructum non vidit: sed incolæ rubentem, rotundum, exigui cerasi instar acidum referebant. Radicem paruam sed lignosam. Perpetua fronde virere. Peritiores *Chamædaphne.* quidam Hispani, quibus eam ostendebat, Chamædaphnen esse existimabant, crassitudine foliorum procul dubio decepti.

Arctostaphylos. Clusio verò ad amussim quadrare videtur ἀρκτοστάφυλον quam Gal. lib. 7. c. 4. τῶν ἁπλῶν sic describit: *Descriptio Gal.* Vua Vrsi in Ponto nascitur, planta humilis & fruticosa, folio μεμαίκυλι, fructum ferens rubrum, rotundum, gustu austerum. Sed icon Vuæ Vrsi Clusij nobis scrupulum inijcit, an eadem sit cum Radice nostra Idæa, in qua non apparent nerui transuersi vt pinguntur in Clusij icone.

Lob. *cum Pena* obscurè admodum de his plantis scripserūt, vt apparet ex eorum Aduers. vbi aiūt: *Chamærhododendros.* Alpigena Chamærhodendros odora, frutex, flore purpureo, pinguis tota &c. Alpinis *Alprosen* Bacculas Asparagi vel Taxi pares & concolores, Septēbri edit. *Vua Vrsi.* Et in Obs. Genuina Vua Vrsi Galeni apud Clus. eadem videtur cum Alpigena Chamærhododendro exibita in Obs. p. 199. & Adu. p. 454. cuius flores Arbuto similes, sed ex candido purpurei aut candidi conspiciuntur. Hæc Lob. qui figuram eandem habet cum Clus. Is pagin. Obs. prædicta figuram habet aliam cum baccis lateralibus, & nō in extremitatibus, his titulis: Alpigena Chamærhododendros odora Aduers. p. 454. Balsamum Italicum vulgare, siue Rhododaphne parua rustica: Terionarcha Plin. putata Guilandino. Sed Lobelium diuersa nomina, plantas & icones confundere clarè patebit rem ipsam, eiusque, & Clusii verba consideranti. Nec scimus an extet aliqua Chamærhododendros odora baccifera. Si extet grati

Chamærhododendros Alpigena. Balsamum Italicum. Rhododaphne. Therionarcha. Lob. error.

etimus erga demonstrantem.

Hist. Lugd. reprehe. At Hist. Lugd. more suo duas vel tres confundit, dum vni huic diuersarum stirpium hæc nomina tribuit: Idæa radix, siue Idææ vitis species: Dod. *Radix Idæa Therionarcha.* Vacinia rubra: Clusio Vua vrsi Gal: Italis Rhododaphne parua rustica: quibusdam Balsamum Italicũ vulgare: Therionarcha Plin. Idæa radix Diosc. Plin. Gal. Tam egregiè Chaos istud stirpes digerere consueuit.

Ericæ baccifera latifolia. Tabern. proponit figuram Ericæ bacciferæ latifoliæ nomine, quam & *Rausch* Germ. vocat, sine descriptione, quæ exprimere videtur nostram Idæam radicem. De *Vua vrsi* quam idem ex Clus. *Tabern. me.* habet, iam diximus nostram sententiam. Chamærhododendron Alpinam latifoliam & is sanè confundit cum Ledo Alpino: Figuram etiam *Chamæpy.* proponit Lobelianam, cuius næuos iam deteximus. De Chamæpyxo eius idem dicimus, quod de Tragi Chamæpyxo, nobis videri eo nomine tradi Vitis Idææ speciem, cuius iconem si quis consideret, forte suspicabitur potiùs accedere ad vitim Idæam rubro fructu, quàm ad Radicem Idæam. Rem Lectoribus considerandam relinquimus. Quicquid sit, cum D. Casparo *C. Bauh. laus* Bauhino Botanico versatissimo existimamus non esse ex genere Buxi.

Vaccinia Vrsi. Gerard. quoque Chamærhododendros alpigena dicitur: Angl. **Dwarffe rose Bay**: Item Vaccinia Vrsi siue Vua vrsi Clus. **Beares Whortle berries.**

Locus Ceterùm *Vua Vrsi* Clusio non nisi vnico loco nascens visa arido solo & aprico, via regia in colle *Tempus* imminenti cuidam viculo, *Venta el babul* vocato, inter Guadix & Baca, regno Granatensi, iam florens Martio. Seriùs tamen plerumque florere, fructum æstate maturescere, & in planta ad hiemem vsque perdurare ipsi incolæ affirmabant. Nos in montibus circa Geneuam obseruauimus. Prouenit etiam Basileæ via qua tenditur ad S. Chrischonæ fanum iuxta vineas. Legimus etiam in Veganijs Narbonæ montibus.

Vsus. Ill. Princeps noster Frid. Dux Wirtemb. misit nobis plantam siccam monens copiosè reperiri circa Curiam Rhætorum, ferre baccas rubras: magni fieri hanc plantam à tinctoribus pro tinctura nigra, ac eis dici **Rausch**.

CHAMÆBVXVS SIVE CHAMÆPIXOS. QVIBVSDAM.

CAP. IX.

Descriptio.

QVamuis hæc planta non sit de tribu bacciferarum, iungendam tamen censuimus propter quandã similitudinem cum præcedenti, à quibusdam Chamæbuxus putata. Hunc fruticem itidem Chamæbuxũ dixere, multis virgultis tenuibus, lentis, spithamam circiter longis præditum, quæ vbi terram attigerint, fibris de- *Radix.* missis radicantur: alioqui & radicem habet, sæpè non multò ipsis virgulis breuiorẽ, lignosam, ex cuius capitibus (quæ plura possidet) ipsę emergunt. *Folia.* Folia per ramos incondita, Buxeis quodammodo similia, magis acuminata, carnosa, pediculis breuissimis hęrentia, [gustantibus primùm ingrata, deinde amara & acria Clus.] amaricãtia: ex quorum alis, in ramulorum extremis flores emicant *Flores.* Coluteę scorpioidis floribus similes, simul plures iuncti, qui, teste Clus. odoris expertes, nonnullis verò locis odoratissimi & Narcissinam quandam fragrantiam ęmulantes, tribus foliolis constant, quorum duo alba sunt, & alarum modo sursum expansa, galeolã exalbidã illorum exortũ integente, tertium folium in oblongum veluti tubulum conuolutum est, sursum per lanuginem apertum, per extremitatem braccę modo efformatum atque luteum, & vetustate interdum omnino purpurascens aut rubescens. Floribus succedũt *Siliqua.* latę & compressę siliquę, Thlaspi latifolii siliquis paulò minores, virides, quę bina plerumque [nõnunquam verò vnicum tantùm] continent grana, *Grana.* exigui Erui magnitudine, colore ex cinereo nigricante, hirsuta & veluti quoddam animalculũ ementita, Polygalę vulgaris maioris rubrę semini haud absimilia, sed minora, quę aperientibus *Varietas.* sese per latera loculis, spontè decidunt.

Interdum etiam pro loci natura floris colorem variare deprehenditur: nam bina illa folia alarũ instar, sursum expansa, galeolaque eorum exortum tegens, alba non sunt, sed pulcherrimè ex purpura rubent: tertium autem veluti in tubulum conuolutum flauescit, eiusque extrema pars aurea est.

Cordum existimamus in Obs. silua de hac plãta ita tradidisse: [licet Thalius aliò referat] Fruticulus exiguus, humi prostratus, iunceis viridibusque virgulis: foliis myrtinis, duris, acuminatis, perennibusque: floribus papilionaceis ferè, diuerso *Flores papilionacei.* colore, videlicet albo, flauo & rubente: extimum quidem albet, proximum flauet, intimum rubet. Nascitur in siluis montanis circa Egeram, in Ba- *Locus* uaria & Vindelicia.

Anonymos Coluteę flore, siue elegans Clus. qui à nemine adhuc descriptam putat. At nos à Cordo. Quidam à perpetuã viriditate **wintergrün** appellari dixerunt, quod nomen alioqui & Vincę peruincę conuenit.

Anonymos Peruicę folio: Camer. Gesn. iam olim [cùm ego Bauhinus ipsi conuiuerem] Chamębuxũ seu Chamępyxon vocauit. Argentinę vidimus in- *Chamæbuxus.* ter Plantas D. Agerii siccas nomine Myrtogenistę, quod nomen non displicet: nec sanè malè post *Myrtogenista.* Genistam ponit Clusius. Sed magis arrisit Chamæbuxi.

Locus. Frequens est prior teste Clus. non modò in montibus Calenberg, Medeling, & Badensibus thermis imminentibus, sed & in alijs ad Austriacas & Stiriacas Alpes excurrentibus, qui omni Resiniferarum arborum genere integuntur, inter saxa. Plurimis etiam Pannoniæ locis est obuia, veluti ad Posonium, Sopronium & Zolonock. Altera verò rarior inuentu.

Tempus. Floret vtraque Aprili & Maio. Semen prioris [nam alterius non obseruauit] Iunio perficitur. D. C. Bauh. attulit Patauio in horto lectam, his nominibus: Vitis Idæa Theophrasti cum baccis Myrti, Olea Æthiopica Diosc. Guilandino. Sed decepti fuere qui ita vocarunt, nisi nomina casu ad plantam fuerint adiecta. Tiguri etiam obseruauimus & collegimus. Locus particularis nunc non succurrit. Hactenus neglecta fuit hæc planta, nec in vsum Medicum vocata, quod sciamus.

Digitized by G

VITI IDÆÆ AFFINIS POLIIFOLIA MONTANA.

CAP. X.

Descriptio. ORtu & facie est Polii nostratis, virgultis crebris, dodrante longioribus, lignosis, ex nigro rubentibus, magna ramorum sobole fœcundis. Folia Polii nostratis, acutiora, neruosa, vncialia, angusta, superiùs viridantia, pronâ parte cinerea vel glauca, neruo elatiore per longum currẽte. Extremis ramulorum pe- Folia.

Calyculi. tiolis calyculi hærent perexigui, foliosi, rub nies, vnde angulosa pyramis exilit Conchyliata, baccæ alicuius rudimentum promittens. Pro radicibus passim ex ramis nascuntur capilli instar tenues fibræ terram morsu comprehendentes. Appingi curauimus latiusculum folium, iuxta angustum, cuiusmodi pauca plantæ à nobis collectæ adhæserunt.

Locus. Hanc plantam reperimus vliginosis, muscosis, & frigidis locis cum alijs Vitis Idææ speciebus, Maij principio in montibus Harciniæ siluæ inter vallem Griesbachianam vbi fontes acidi, & **Nisbelsauwen**, vbi etiam fons acidus. Vidimus quoque cum flore apud D. Platerum Basileæ, sed siccam, collectam in monte Pilati.

Myrtus tenuifolia. Hanc eandem videtur Thalius in Harcynia sua Myrti tenuifoliæ nomine sic descripsisse. Copiosè reperitur in vligine illa, vltra Andersbergum vrbem, Broccembergum montem versus, quam nominant **Den roten Bruch**, hoc est, Vliginem rubeam, quòd totus ille vliginosus tractus sub radicibus Broccenbergi, & & vicinorum montiũ rubro musco plenus sit, quà videlicet ex Andersbergo via patet Goslariam versus. Fruticulus est lignosus, palmaris, viticulis multis, incuruis: folijs oblongiusculis, vncialibus, Myrti folijs angustioribus, quorum extrema plerumque in tergũ contorquentur. In exiguis recuruis pediculis profert circa autumnum flosculos patuos, rubicundiusculos ex albo. Fructum nunquam adipisci potuit, cumque serò admodum floreat, eo autem loco, vbi nascitur, hiems citiùs, quàm alibi incipiat, citiùs etiam grandiores ibi niues cadant, opinatur rarò eius maturos fructus haberi posse. Cognatum fortè quid cum hoc habere putat fruticulum illum exiguum Cordi, folijs Myrtinis, quem nos diuersum censemus, ac Chamæbuxum præcedentem.

Tempus.

Vitis Idæa rubra Bavarica. An Camer. Vitis Idæa rubra Bauarica, baccis insipidis sine succo. Fruticulus est supinus, crassiore caudice quàm vulgaris (ea fortè, quæ rubro fructu) quæ apud nos passim cum nigra [fortè angulosa] in siluis crescit, & **Steinbeerlin** vocatur: folijs item oblongioiribus, acuminatioribus & angustioribus, per autumnum rubentibus. Crescit circa Monacum in campis asperis inter Ericas. In horto adhuc viuit & viget, nedum vt siluestres huiusmodi plantæ videntur interitura. *Hæc ille.* Quum verò nobis certò non constet, quò sit referenda hęc Vitis Idęa Bauarica, hic lubuit eius descriptionem referre; donec meliùs nobis innotescat. Locus.

OXYCOCCVS SIVE VACCINIA PALVSTRIS.

CAP.

PRælongis viticulis, lignosis, ex atro rubentibus, lẽtis & fructu contumacibus, inque adnatas propagines diductis serpit, quas folia vestiunt crebra, politu ferè pinnato, dura, serpylli folijs paria, superiùs viridantia, subtus ex cinereo rubentia. Baccæ figura, vt inquit Cordus, rotundę & cordis modo inferiùs iuxta annexum turbinatæ, colore foris primùm candicantes, mox puniceæ & purpureis contiguisque maculis & punctis conspersæ, intùs verò in candido modicè rubentes, & quatuor exiguis cauitatibus parua & veluti abortiua semina claudentes: eæ vnà cum cauliculis humi procumbunt, nonnunquam etiam in musco tanquam abscondite latent. Flores in extremis & capilli instar tenuibus surculis, Clycypicridos floribus similes, colore propemodum puniceo. Radicibus nititur breuibus, capilli modò tenuissimis & flauis, ex viticulis subinde demissis. Saporem coliculi & folia habent adstringentem: baccæ vero egregiè & simpliciter acetosum. Descriptio. Folia. Bacca. Semina. Flores. Radix. Sapor.

Dod. scribit se obseruasse radicem esse instar tenuis bacilli; obliquam, ex qua sursum complures coliculi & inferiùs fibræ, aliquot demittantur.

Thalius autem hæc annotat: oxycoccon copiosè in Broccenbergo & vicinis montibus humidioribus, folijs non ita subrotundiusculis, vt est eius icon apud Cordum, sed oblongioribus ac strictioribus, lenticulæ ferè, breuioribus tamen: quorum ambitus versus dorsum vtrinque leniter reflectitur. Longis lignosisque ac obliquis prorepit in vliginoso musco viticulis, radicibus constans tenuibus, multifidis, lignosis, quibus capillaceæ fibræ multæ adhærent. Flosculi exigui sunt, purpurei, veluti exigui Citinj.

Vaccinia palustria Dod. videntur fortè eiusdẽ stirpis fructus esse, vel congeneris. Tantus autem radicum truncus nostro oxycocco non est, quantum icon Dod. suorum vacciniorum exibet. Hic idem in hist. Gal. Vaccinia palustria ait Belgicè vocari **Veenbesien** & **Veencoren**: Gal: *Coussines des marets*: nullumque aliud nomen sibi co- Vaccinia palustria.

Digitized by Google

Grana. Radix. purpureo succo, vti Mora, plenæ, in quibus multa inæqualia & veluti triangula grana. Radix lignosa & dura est. Hanc florentem, & viridibus baccis onustam, multasque adhuc superioris anni maturas retinentem, inuenit idem in præcelsi mõtis, *Locus.* Vulgò **Dechse** appellati, scopulis, quinto supra Neapolim Austriæ vrbem miliari, mense Iunio: Postea etiam Augusto, immaturo & maturo fructu plenam in **Sneberg** & **Sncalben** Celsissimarum Austriæ & Styriæ alpium iugis. Illius etiam arenosis Holandiæ tumulis erutæ ramum suis baccis maturis & immaturis onustum misit ad eundem N.V. Io ab Hoghelande. Miramur verò in Clus. icone ramos pingi hirsutos, nec tamen fieri mentionem in descriptione: alioqui icon angustis foliis meliùs conuenit cum Erica à nobis descripta, quàm icon Camer. à nobis proposita:

Iam antea monuimus Penam & Lob. & hos sequutum Schuuenkf. existimasse Vaccinia palustria esse Ericam bacciferam Matth. quem errorem *Pen. Lob. & Schuuenckf. error.* dudù deprehendimus. Sed quoniam idem Schuueck. feld. Oxycoccon dicit esse Ericam bacciferam Matth. & πιθηκόκκον Thalii, cùm ex eo apertè cõtrarium pateat nempe πιθηκόκκον diuersum esse à Vacciniis: placet eius historiam totam subiicere, quæ sic habet. Erica baccifera Matth. Nam hanc de qua nunc agimus, eandem esse censemus. Angli verò in Aduersar. Vacciniorum palustrium nomine eam proponunt, quamuis hæc nostra in palustribus non nascatur. Fruticulus est humi procumbens, in oblonga, multifidaque brachia rubéria, lignosa, obsequiosa ac foliosa latè super terram se prorependo explicans: foliolis densè obuestitur breuibus, oblongiusculis, strictis, suffuluis, sæpè etiam nonnihil cœruleis, splendentibus, ex quorum alis in ramulorum extremitatibus æstate sub Syrii æstu micant tenuissima staminula, breuiaque, filamentorum sericorum ferè instar, quorũ summitatibus apicula insident, coloris ex rubro nigricantioris aut spadicescentis ferè: hæcque filamenta & apicula florum vicem explent, iisque decidentibus, emergunt baccæ splendentes, Iuniperinis minores, similes baccis Vitis Ideæ seu Vacciniorum nigrorum Dod. rotundæ, ex purpura nigricantes, dulci pulpâ constantes, cui infarcta continentur *Semina.* semina purpurascentia. Prouenit copiosè in summo Broccenbergi iugo & saxorum aridorum *Locus.* fissuris. Saxones qui montem illum ac*Simiarum bacca.*colunt, vocant hosce fructus **Apenbeer** / hoc est, Simiarum baccas. Vnde, si quis neque Ericæ, neque Vacciniorum speciem stirpem istam esse voluerit, is nomine conficto πιθηκόκκον appellare pos*Pithycocci cur dictum.*set. Inde autem ei hoc nomenclaturæ inditum est, *Noxa ex baccis.* quòd esus ipsorum vberior capiti noxia inferat quædam symptomata, ad quæ deliræ subsequantur gesticulationes, ratione nonnihil interturbatâ, vt is, qui ipsis vsus fuerit copiosiùs, simiarum instar sese habere gestu risibundo videatur. Hinc plan*Deleterium esse.*tulam hanc deleteriâ facultate minimè carere contendunt, & ab eius esu omninò abstinent, alijsque ipsorum vsum sanctè interdicunt. At amicus quidam noster Andreas Roselerus, pharmacopoeus Halberstadiensis, vir opt. & rei herbariæ non tri*Chamætaxus.*uialiter gnarus, hanc stirpem Chamætaxum vocare solet, tum ratione qualitatis istius malæ, tum foliorum oblongiusculorum Taxi, sed breuiorum. *Corios species.* Æmilius eam olim, cùm necdum illo tempore à quoquam esset hæc stirps descripta, Corios spe*Vsus. Conuulsio.*ciem faciebat, Corin Broccenbergensem nominans. Reperiuntur & vetulæ herbariæ in Saxonia, quæ hanc plantam **Gichtkraut** vocitant, commendantque eam mulierculis vt præsentaneum præsidium contra istiusmodi morbum, nempe Conuulsionem. Matth. fatetur se de suæ Ericæ bacciferæ qualitatibus nihil certi habere.

ANONYMOS FRVTICOSA, FOLIIS ERICÆ BACCIFERÆ MATTH.

CAP. XIII.

Descriptio. ELegantissimi huius fruticelli ramq pulchello nos donauit Cl. D. Agerius Med. *Folia.* Argent. & stirpium sagacissimus vestigator, qui surculosus, lignosus, variè diuisus, imâ parte ruffus aut fuscus, annotinorum ramulorum principium dilutè rubens, extrema flauescunt. Ex inæqualibus internodijs foliola emittit magna ex parte bina, nec tam numeroso ac denso agmine, vt in præcedenti, altero verò latiora, crassiora, & in totum maiora, dilutè virentia, & Buxi *Vascula* recentis in morem flauescentia. Ramulorum summa surrectis & longiusculis petiolis rufis insidentia occupant vascula Ledi Narbonensis aut Nerij *Sapor.* Montani quodammodo similia, foliaceo calyculo suscepta. Folia magis quam præcedentis amara, nec sine adstrictione.

Flores. De hac Aduer. vt putamus sic scribunt: Chamærhododendros altera celsis & rigidissimis caulibus, floribus purpureis perquam exiguis, Ericæ foliolis, non deciduis, prouenit: humilis tota, à nobis tantùm sicca visa.

Rosa alpinæ species. Gesn. de hort: Rosæ alpinæ altera species, foliolis minimis, Acinariæ palustris nostræ foliolis persimilibus.

Locus. Nascitur in Adula monte Rhætorum: inde autumno allata, in hortulo plantata, vbi nunc media hyeme egregiè viret nec perdit folia: duraturam tamen vix spero, altissimis, siccis, ventosis & apricis frigidisque locis assuetam. Species hæc Rosæ alpinæ rarissima est.

Anonymus foliis Thymi Ex Clus. Pan. desumpta est nostra icon, sed minùs feliciter pictor imitatus est: titulus erat ἀνώνυμος folijs Thymi: de ea scribebat nondum sibi constare, quò esset referenda, eam ob caussã ἀνώνυμον etiam relinquere: nisi fortè ea sit quam Pena & Lob. in Adu. Alpinam alteram vocant, & statim post Chamærhododendron odoram collocant.

In postr. hist. vocat Chamæcistum 7. Olim (inquit) non mihi constabat, quò istam plantulam referre deberem, quòd mediam naturam inter Chamæcistũ & Cneorum Matth. obtinere videretur: eam ob causam inter vtriusque capita locaueram. Sed diligentiùs postea obseruatam, in*Chamæcisti genus*ter Chamæcisti genera reponere placuit, impel-

lentibus me aliquot causis. Oblongis quandoque dodrantalibus tantùm serpit ramis humi diffusis, nigricantibus, in multos alios breues ramulos diuisis. folia frequentia & conferta sunt, bina semper inter se opposita, [non semper hoc obseruatum in planta] exigua, serpillo minora, Thymi durioris folijs haud maiora, crassa, superiore parte viridia, infernè candicantia, amaricantis saporis. *Flosculi.* Extremis ramulis innascuntur bini aut quaterni flosculi simul iuncti, perpusilli è quinque foliolis compositi, carnei quasi coloris. His succedunt *Capitula.* capitula, maturitate in quinas crenas sese aperientia, & semen exile admodum ostendentia. Radix dura, lignosa, aliquot fibris donata: quinque etiam rami subinde tenues fibras agunt. Exiccata planta non iniucundo spirat odore.

Locus. Nascitur tenui solo inter saxa, in summis *Sneberg*, *Snealben*, & alijs Austriacarum Styriacarúmque Alpium supercilijs.

Tempus. Floret Iunio, interdum etiam paulò maturiùs, pro temporis, quo nix quæ iuga illa tegit maturè aut serò soluitur, ratione.

ERICA BACCIFERA LVSITANICA.

CAP. XIV.

Descriptio. ERica foliis Corios Clusio fruticosa est, cubitalibus assurgens ramulis, fragilibus, nigriore quàm reliquę cortice, *Folia.* folia quoque iis similia, sed nigriora & crassiora, gustu cum adstrictione calidiusculo, trino ordine circa ramulos sunt disposita. *Fructus.* Fructum a reliquis Ericis differentem summis ramulis inhærentem gerit, vniones obscuriores tum forma tum colore referentē, succulentū, sapore acido, tria granula dura plerumq; continentem, qui exiccatus per se decidit. *Non florere.* An floreat, nondum constat: incolæ negabant, & fructum paullatim intumescere ampliorémque fieri donec maturesceret affirmabant.

Camarinbara. Et verò hæc longè diuersa à Matth. Erica baccifera. Lusitani vulgò *Camarinbara*: fructum verò *Camarinbas* dicunt. Erica baccifera Lob. Erica baccifera tenuifolia Tab. qui & Rausch vocat. An verò & hoc nomen Germanicum, quod pluribus plantis tribuebatur, & huic conueniat, considerandum.

Acacalis. [illegible], Lat. Acacalis Amato in Com. ad Diosc. Est verò Acacalis eidem planta fructum ferens album, rotundum, paruis margaritis persimilem, quem Lusitani sua voce *Camarinbam* appellitant: neque putat fructum istum in Europa vniuersa, præterquam apud Olyssiponem crescere. Planta media est inter Myricem & Ericen qua de causa Diosc. prudentissimè cùm de Myrice & Erice sermonem fecisset, de hac illicò caput sequens constituit. Fructus est esui gratus: Verùm *Cacalia.* *Cacalia* herba longè alia est, quanquam Plin. illi quoque fructum margaritis simillimum inesse dicat. Quæ Acacali conueniunt, Cacaliæ Plinium tribuisse deprehendimus, dicentem: Cacalia siue Leontice vocatur semen margaritis minutis simile &c. De Acacali Paulus quoque ex Diosc.

Camarinnas. Bry fratres Hist. Ind. Oriental. notant quoque Lusitanis *Camarinnas* vocatas foliis esse equiseti, sed obscurioribus. Fructus esse baccas rotundas, perlacei candoris, sapore subacido.

Locus. In vna Lusitania hanc plantam obseruauit Clus. non procul Vlyssippone inter *Riofrio* & *Aldea Calega*, & etiam supra Vlyssiponem, solo admodum arenoso, copiosè suo fructu albo onustam: ait initiò Mannæ grana isti frutici inhærentia existimasse, adeò procul ipsi inspicienti imposuisse. Septembri & Octob. fructum fert, qui Nouembri exiccatur & per se decidit. *Vires & vsus.* Fructus Sept. & Octob. mensibus Vlyssippone inuenitur, *Febres.* febrientibus exhibent, *Sitis.* ad sitim quâ premuntur, restinguendam: *Cibus.* quinetiam idem fructus à pueris & mulierculis expetitur, Si Acacalis est, aquam in qua maduerit eius fructus, ad Collyria quæ ad excitandam oculorum aciem conueniunt, addi, testis est Diosc. Amatus quoque testatur fructum esui esse gratum, eoque mulieres & effrenatos pueros in cibo frequenter vti.

LIGVSTRVM.

CAP. XV.

Descriptio. LIgustrū frutex est arborescens, radicem hinc inde per obliquum spargēs, tres aut quatuor cubitos altus & maior, crebris virgis lentis & in ramos diuisis constans, cortice cinereo obtectis, præsertim verò stipites & rami crassiores tali cortice vestiuntur: nam ramuli *virides* leguntur, materie albida, dura. *Folia.* Folia bina aduerso situ ex interuallis oriuntur, oblonga, angusta, figura ad Salicis folia quodammodo accedentia, sed breuiora, crassioraque, atrouirentia, læuia, nitentia, gustu acri & subamaro, non sine adstrictione. *Flores.* Flores in ramorum summis profert suauiter olentes, candidos, racematim congestos, quorum singuli quaternis, quinis, aut senis foliolis constant, apicibus ex luteo herbidis, qui decerpti statim flaccescunt: *Bacca.* quos excipiunt Baccæ racematim quoque in Pyramidis figuram aggestæ, Hederæ baccis minores, læuiores ac nigriores, Iuniperinis æquales, initiò virentes, per maturitatem nigricantes, continentes *Grana.* bina grana, hinc gibba, inde compressa, cortice spadiceo, carne exalbida, vel digitorum leni pressu fragilia: sapore amaro ac iniucundo, quamuis quibusdam aliquid dulcedinis habere videantur.

Tragus

Varietas. Luteo flore.

Tragus annotat huius generis nonnullos frutices sub luteo comari flore, atque eos quidem inuentu rariores esse.

Ligustri meminit Virgil. celebrato illo carmine: vbi flores intellexisse videtur.

Alba Ligustra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.

Et Colum. in hortis: *Fer Calathis Violam. Et Nigro permista Ligustro Balsama* &c: ad fructum potissimùm respiciens: vt censet Tragus.

Marcell. not. Marcellus sibi persuadet, Ligustrum hoc vulgare idem esse cum Cypro Diosc. vt satis apertè insinuat, quando ait: Quos Maro cecinit pastoribus negligi & inutiliter perire Ligustri Flores, medicina & Vnguentariorum Officinæ libenter exceperunt. Nostra æstate nulla aut exigua eius ratio est, cùm alioqui vulgaris & ubique paratus frutex hic sit. Cisalpina omnis adhuc Gallia sic vocat, Hetruria corrupta appellatione *Ranisticum* De Diosc. & Plin. Cypro cap. seq. Sunt tamen qui & Plin. Cyprum eam esse Arborem censeant, quæ etiamnum in Italia Ligustrum vocatur, vt dicetur in progressu. *Ranisticum.*

Ipsiusmet Ligustri paucissimis meminit Plin. Ligustra inquiens non nisi in aquosis prouenire, tesseris vtilissima. Alex. ab Alex. tessaras hic lusorias interpretatur: Dal. verò rectiùs nostro iudicio lignea signa, vinum, frumentum, oleum aut aliud quippiam significantia, & promittentia, quibus in congiariis & publicis largitionibus Imperatorum vtebantur. *Tessera ex Ligustro.*

Porrò magna difficultas orta est inter Herbarios *An Ligustrum sit Cyprus Diosc. & Plin.* *Ligustrum esse Cyprum*

Cyprum quidam, vt Plin. inquit, esse dicunt arborem, quæ in Italia Ligustrum vocatur. *Ligustrum. Cyprus.*

Et Ruell. Ligustrum apud nos eadem est arbor, quæ in Oriente & Græcia Cyprus, Gallis *Troenea*, Suessionibus *Drayna*, officinis ad Barbaros desinentibus tum *Alcana* tum *Henne*. *Troenea. Alcanna. Henne.*

Virgil. pro flore vsurpauit *Alba Ligustra*. Cypri, id est, Ligustri, florem putat corollis intorquendum.

Scio, infit Tragus, qui Phyliream Diosc. velint, (vt Fr. Massarias Venetus & illius Simiæ) mihi verò est κύπρος, Lat. *Ligustrum*, de quo Diosc. Quidam immeritò vocant Hartrigel. *Massarius not. Phylirea non est Cyprus.*

Cordus quoque scribit, Ligustrum sine dubio arbusculam esse quæ Græcis Cyprus vocatur: propterea Plinium idem scripsisse nunquam pœniteat.

Annotat Corn. Posterioribus plerisque omnibus esse Cyprum: nec tam multis annis confirmatam opinionem velut errorem damnari debere, quum magna adeò sit inter Cyprum & Ligustrum affinitas & similitudo. Eidem aut Cypros est Italiæ Ligustrum, aut Philerea: eos tamen addit qui Italiæ Ligustrum videtunt magis Phillyreæ simile id quàm Cypro depingere.

Eorundem sententiam tuetur Matth. & in errore versari tradit nouum quemdam Herbarium [Anguillaram] qui censeat *Cyprum & Ligustrum* diuersas esse stirpes, friuolis argumentis ex Plin. desumptis. Hallucinari qui non videant Ligustrum omnibus suis notis referre Cyprum. Sed Anguillaræ argumenta non videtur Matth. sufficienter refutare, & nimis audenter pronunciare hallucinari eos, qui suæ opinioni non assentiuntur de Ligustro. *Anguillar. taxat. Matth. not.*

Ab eorundam partibus stant Io. Agric & Turner. Hic speciatim, eius notas omnes cum Cypro Diosc. conuenire scribit: ac quanquam Massar. Venetus lib. de Piscibus strenue neget Ligustrum esse Cyprum, rationes tamen quibus nititur, non eam habere vim, quin cófutari possint. Ac optasset mus sanè refutasset viuis rationibus, si potuisset, aut à reprehensione abstinuisset. *Massar. reprob. Turner. castig.*

Amatus ne ambigendú quidem censet Cyprum Ligustrum esse, quum Plin. dicat arborem Ægypto familiarem, in Italia Ligustrum vocari. Ideò omninò falli Mass. Venetum, Cyprum aliam arborem à Ligustro esse contendentem. Ligustri verò radicibus hodie Mauros suos inficere capillos, velut equorum quoque crines, quod olim quoque fieri Diosc. tradidit. Verùm vel ex eo facilè conuincitur Amatus, Ligustrum nostrum neque esse Cyprum, neque id lignum quo Mauri capillos inficiunt, quia nihil tale præstat Ligustri nostri lignum, sed *Henne*, quod Cyprum existimamus. *Amatus refut. Lacuna not.*

Amati errorem vtrumque ruminatur Lacuna, (vir nostro iudicio parum in re Botanica versatus.) nempe & κύπρον esse & Ligustri radicibus à Turcis tingi caudas equorum; additque Poëtas huius arboris flores vocare Ligustra, & fructus eius Vaccinia: sed dubium non est duas ab eo confundi plantas: non enim nostratis Ligustri, sed alterius exoticæ arboris radice, de qua postea, tinguntur pili equorum. *Ligustra Poet. Vaccinia Poet.*

Ad vnius huius plantæ historiam idem Lacuna accumulat & tertium errorem. Ponit Ligustri iconem ex Matth. & aliam habet eiusdem plantæ nomine Halimi, cùm quo nullo modo conuenit. Cæcis ita inponendum est, non nobis & diligentibus studiosis. *Tertius Lacunæ error.*

Monachis etiam *Cyprus* Græcorum & *Ligustrũ* Latinorum vnum & idem sunt, quemad. & *Alcanna*, vt legentes [inquiunt] Serapionem, & Diosc. cũ Plinio conferentes non latet. Addunt in oleo Cyprino Actuarij legi florum Ligustri, Græcis Cyprus dicti.

Loniceго *Ligustrum* Diosc. Philyra est & Cypris, cuius duas species facit, magnam & paruã. Esse Virg. alba Ligustra, & Colum. Nigra Ligustra. Ita vides non minori ignorantia quàm oscitantia ab illo vni plantæ tribui tria diuersarum plantarum nomina. Præterea vnius plantæ duas icones, minorem & maiorem ponit, & propter eas potiùs, quàm ex re ipsa, aut quòd viderit, vel ab aliquo didicerit, duas tradit species, à nemine hactenus, quod equidem sciamus, obseruatas. *Lonic. castig. Alter eiusdem error.*

Eius priorem iconem Ryff. prædicto non magis in re Herbaria versatus, pro Ligustro ponit, scribens: *Ligustrum* Plinij aliorumque Latinorum, cuius picturam damus omnes fere hactenus Diosc. Cyprum interpretati sunt, sed illos nuper redarguit Massarius, demonstrans Ligustrum esse φιλυρέαν non Cyprum. Ryff. igitur qui ineptè posuit pro Cypro iconem Ligustri vulgaris, vti dictũ, cap. sequenti iconem maiorem eiusdem plantæ cum eodem Lonic. ponit pro Philyrea Diosc. *Ryff error. Ryff error.*

Altiùs sapuisse sibi persuadent Pen. & Lob. in Adu. quando *Ligustrum* Diosc. nostras vocitant, subolfacientes fortè nostrum diuersum esse à Dioscoridæo, & nihilominus ad illud reduci posse aut debere existimantes, vt equidem candidè interpretaremur nisi sequentia eorum verba diuersum proderent, quando aiunt: de florum fœtura Cyprus dictus Græcis videtur: κυπρίζειν enim floreo est, quo allusisse visus est Maro, vbi *alba Ligustra cadunt*, canit. Auic. dicit baccas eiu sanguineum lotium aut potiùs colore cruentum ciere, quod præstitisset Refractarijs experiri, quàm Ligustrum verum inficiari. Quæ tamen Alkannæ afferuntur assulæ, vel baccilli, luteo sunt intus ligno, eoque si crinem (vt videtur Auic. ex Diosc. velle) ruffant, sunt sanè aut melioris notæ Ligustri, aut diuersæ *Cyprus vnde.*

Digitized by

plantæ, Quibus postremis verbis & notis non temere ceu recidiua quadam hæsitatione iactari nobis videntur, adeoque nihil certi statuisse. Non placet igitur eos priùs *Ligustrum* & *Cyprum* idem dixisse: nec quæ huic nostræ ascribunt de vrina cruenta, quod decebat illos potiùs experiri priùs, quàm redarguere eos qui negant *Cyprum*, cùm ipsimet dubitent, vt apertè docent eorum verba de Alkana, de qua nos seq. cap.

Castor Dur. errat.

Denique ligustrum nostras etiam Cyprum Diosc. faciunt Cast. Durantes, [qui non benè duas figuras & descriptiones vnius plantæ ponit, quasi diuersæ sint plantæ.] Taber. & Cæsalp. Lonic. addit Cypron ab insula dici.

Ligustrum non esse Cyprum Diosc.

His omnibus strenuè se opponunt, iam sæpè citatus Massarius, Fuchs. Dod. Anguil. Rob. Const. apud Amatũ, Goropius, Porta, aliique quorum iudicio & rationibus sanè in hac re plus tribuimus, eisque hactenus subscribimus, donec prodeat aliquis, qui nobis diuersum persuadeat. Quanquam Diosc. Cypri descriptio propiùs ad nostrum Ligustrum accedere videatur quàm Plinii: quamuis nostram vix propriè & simpliciter arborem dicas, adhuc minùs peregrinam. In nostri quoque Ligustri foliis nihil tale quid apparet, quod capillos ruffet, quæ notæ nostrum Ligustrum à Diosc. Cypro potissimùm distinguere videntur, quamuis & aliæ fortè sint circa vires, nondum obseruatæ. Sed quid multâ opus velitatione, cùm alia planta, nec frutex, sed arbor Recentiorum industria inuenta sit, meliùs cum Diosc. Cypro conueniens.

Nec Cyprum Ægyptium Plin.

Sed nec Cypro Ægyptiæ descriptioni Plinii quadrat nostrum Ligustrum. Plinii namque Cyprus semen habet Coriandri, peregrinaque est arbor. At Ligustrum nostrum grana non Coriandro similia habet, vt facilè ex descriptione nostra proposita conferenti notas cum Coriandro patebit. Nec sanè nostrum ligustrum, quod spontè in sepibus & senticetis passim occurrit nascitur in Ægypto. Rectè igitur Fuchs. Ligustrum quo nomine Græcis appellatum sit, nondum certò nobis constat, neque enim, vt ferè omnes hodiè putant, Cypros est.

Plin. not.

Dod. quoque ipsum in hac re adeò Plin. reprehendere audens, eum scribit perperàm Ligustrum eandem arborem esse censere, quæ in Oriente Cyprus. Quam censuram mitigans Anguil. Cyprum, infit, quidam volunt esse Ligustrum in Italia dictum: verùm credere non possum *Conastrello*. quam habemus in Italia esse Cyprum: notæ non respondent. Plin. etiam non affirmat Cyprum esse Ligustrum, quamuis alio loco id asserere videatur. Verùm fortè Plinio addita quædam aut deceptus Plinius sibi contrarius. *Conastrello* non potest esse Cyprus Plin l. 12. c. 25. Lgustrum Latinorum non negarim. Quæ planta sit Cyprus ignoro. *Conastrello* est Philyrea vt patet ex descriptione. *Hac ille*. Qui existimando *Conastrello* esse Philyream, fallitur, de qua mox transigemus.

Conastrello.

Plin. excusat.

Ligustrum Latin.

Eadem ferè & Rob. Const. confirmat his verbis. Quid sit Ligustrum siue Cypros, profectò ignotum est his nostris temporibus. In hoc solùm Diosc. & Plin. consentiunt, quòd vterque dicat esse arborem qua vel solâ notâ excluditur vulgaris illa planta ab huius consortio, quam nobis pro Ligustro & Cypro ostendunt Herbarij, quę forrasse est Ligustrum Virgil. non autem Cypros Diosc. aut Plin. Ligustrum, imò nec Columellę. Hic enim frutex in sepibus maximè communis, vix vnquam visus est arborescere: nos Galli vocamus *du Troesne*: sed Cyprus siue Ligustrum, id est, Arabum *Alcanna*, arbor rara est, & inter pretiosa

Ligustrum Virgil. Non esse Ligustrum Columellæ.

simplicia semper adnumerata.

His ac similibus rationibus motus doctiss. Goropius, Ligustrum alterum Veteribus dicere maluit, & apertè ait Virgilij Ligustrum non intelligendum esse de Cypri flore odorato. Sed cur Ligustrum alterum Veterum dicit, vbi duo genera Ligustri apud Veteres inuenit: sanè nisi id intelligat vel apud Plin. vel hoc nostrum Ligustrum ceu alteram Ligustri Veterum speciem agnoscat, quid aliud velit nondum olfacimus. Nam, vti dicebamus, præter Cyprum [cuius aliquoties meminit,] & Ligustrum sæpiùs citat, vt in sequentibus patebit, nec tamen hoc idem esse cum illo categoricè affirmat: immò lib. 12. c. 24., vt & l. 23. c. 4. videtur ambigere, verum ea Cypros sit, quæ in Italia Ligustrum vocabatur: dum id ita esse, non ex sua, sed ex aliorum potiùs sententia pronuntiat. Certissimum quoque diuersitatis nostri Ligustri & Cypri Antiquorum argumentum producit Porta, ab ipso experimento desumptum: nempe, inquit, Ligustri vulgaris folia non ruffum capillum reddunt: quare non est Cyprus Diosc. sic igitur primam difficultatem excussimus.

Nondum planè constat an Plin. Cyprus & Ligustrum vnum & idem statuat. Quid igitur mirum si à Recentioribus quoque dubitatum.

Altera difficultas est *an Ligustrum nostras sit Alcanna & Henne Arabum.*

An Ligustrum nostras sit Alcanna & Henne Arabum.

Asserunt Ruell. Tragus, Matth. Lacu. Monachi, Lonic. Brunfels. Bouius, Comes à Neuenar, & Cast. Dur. ac in genere omnes ferè ij qui, nostrum Ligustrum cum Cypro Veterum idem faciunt, cùm Arabes pleraque sua de Alcanna ex Diosc. cap. de Cypro transcripserint: Sed hinc non sequitur nostrum Ligustrum esse Alcanam Arabum, sed verisimile tantùm sit hanc & Cyprum Diosc. esse idem. Idcirco fallitur, quisquis ille sit, qui apud Cordum annotauit Ligustrum Arabicè dici *Alkanna, Henne*: Nam vti dictum *Henne* quidem est Cyprus, sed non Ligustrum nostrum vulgare. Rectè igitur Bellon. Arabum interpretes Latinos *Henne* seu *Alcanna* falsò ligustrũ vertere notat, cùm diuersa sit arbor. Quod verò idẽ *Henne* siue *Alcanna* differre tradit à Cypro aut Ligustro Gallicè dicto *Troesne*, quòd hieme Henne non deponat folia vt Ligustrum, nobis non probatur. Nam cùm Henne & Alcanna Serap. sit Cyprus Diosc. Ligustrum verò nostrum, vel ipso teste, non sit *Henne* & *Alcanna*, ne Cyprus quidem erit, aut rectè dicetur.

Cordo commentator. nec Arabum interpretum error.

Bellon. non prob.

Cæterum cùm (vt ex Adu. dicebamus) quæ Alhannæ nomine importantur ligneæ assulæ sint luteæ, satis patet à nostro Ligustro differre, si modò veræ & genuinæ sint Alcannæ.

Leonicenum carpit Agricola, quòd Cypron similem Ligustro fecerit, nec se cum sequi, ait ipsemet tamen idem Ligustrum facit & Græcis Cypron dictam: ac in eo hallucinatus est, quòd similitudinem negauerit, & quòd ipse cum plerique idem putarit. Meliùs igitur fecisset, si meliùs sentientem secutus fuisset.

Agricola not.

Tertia difficultas est, *An Ligustrum nostrum sit Philyrea*, vt voluit Massarius, Fuchs. Anguil. Gesn. Euchar. Roesslin, Dod. (qui malè non tantùm Philyream Ligustrum facit, sed & eam, quæ existimatur Philyrea, ponit pro Cypro.) Sed Gesn. ex aliorum potiùs, quàm sua sententia id dixisse videtur. Fuchs. quoque parum fortè suæ opinioni tribuens, iudicium penes prudentem lectorem esse voluit. *Apertè negant* Tragus, Dod. & nos, apertis rationibus moti, quas suo loco tradentis.

An Ligustrum sit Philyrea. *Dod. geminus error.*

Baccas, sunt qui velint, dici Vaccinium, de quo Vitruu. Archit. l. 7. c. 14. verùm certò affirmari non potest. Sunt qui & Ligustri baccas à Virg. Vaccinia vocari putent, sed malè, inquit Matth. Non defuerunt, qui existimarint Ligustrum esse Mauritanorum caprifolium, sed perperàm. Sunt qui Ligu-

Vaccinium Virg. non esse. Non est. prisol.

strum

Synonymia. Singuar.

ſtrum dictum velint, à ligando, quòd ſepibus ligandis & muniendis conueniat: Alkanna & Henne omnibus ferè iis, qui Cyprum eſſe putant, vti dictum. Germ. **Beinhöltzlin**/ quòd lignum oſſis inſtar durum habeat: propter duritiem dicitur etiam, **hartrigel**, ſed perperàm, vt notant Tragus, & Hier. Brunch. **Bereckholtz** Taber. Aliis dicitur **Mundholtz/Geißholtz: Reinweiden**/quòd ſalici ſimilis ſit, & Rheni ripa copioſè naſcatur: **Mundtweiden**/ quòd oris vlceribus medeatur, quamuis Fuchſ. Liguſtrum officinis inuſitatum dicat, vt reuera eſt, poteſt tamen commodè in vſum reuocari. Ait tamen Matth. ſed malè Officinis *Alcanna* dici, alii *Alchanna* ſcribunt) & Mauritanis *kenne*, [alii *Chenne* ſcribunt] *Henne*, ſeu *Hanne*. Belg. **Heckcruyt**, **Rynweelgen**/ Shuuenckf. qui Liguſtrum inter Sileſiæ plantas hortenſes refert, ait Germ. **Schulweide** en dici Gal. *Troeſne, Frezillon*. It. Hetruſcis *Guiſtrico*, quod inibi etiam aliqui Olinetta, nõnulli Oliuella, quidam Chambroſſene vulgò vocant: alii Calloſtro. A mulieribus & pueris Romæ *Fior fiorello* Alphab. ſcribit & *Chryſetus* dici: *Conaſtrello* Patauinis. Hiſp. *Albena, Alfena*: Caſtil. *Arbor de Parayſo*, aut de *Albenna*: Portug. *Alfenbeyro*. Bohem. **Pracii Zob**. Vngar. **fagyalfa**. Apud Bollenſes in ducatu Wirtemb. **Schwartze Huntzbeeren** vocant. Vt annotauit aliquando Solerius Delphinatibus dicitur *Sanguin blanc*, & Prouincialibus *olinier ſauuage*.

Oliuella.

Locus.

Naſcitur magna ex parte in locis aſperis, potiſſimùm vepribus & ſepibus, frequens admodum paſſim Germaniæ, Galliæ, Italiæ. Ad Rhenum abundat. Lob. ait nulli calidiorum regionum hodiè deeſſe, paullò licentioſiùs: non enim inuenitur in Ægypto Liguſtrum Italicum, teſte Alpino vt dictum: copioſè prouenit etiam in Diœceſi Cantabrigiẽſi ad ſepes, & propemodum in omnibus Londini viridariis. Quin & in frigidioribus regionibus in hortis colunt, quorum ſeptis & areis cingendis accommodata quia tonſilis, & tam floribus quàm racemulis tota æſtate læta. Floret Aprili & Maio, citiùs aut tardiùs pro locorum ratione. Flores tota ferè æſtate durant, aliis prætereuntibus, aliis emergentibus. Septembri racemuli matureſcunt, & ſubinde per totam ferè hyemem reſtant, non ſine ſingulari utique prouidentia Dei, præcipuum auicularum famis refugiũ per ſæuiſſimas hyemes futuri. Folia ad hyemis initium durant, poſtea decidunt, & vere noua renaſcuntur.

Lob. not.

Vires & vſus. Temperam. Aqua ſtillat. Oris Vlcera. Inflammatio. Vlcera pudendorum. Ambuſta.

Virium Liguſtri meminit Galenus libro ſeptimo ſimplicium medicamentorum, ſic inquiens. Cypri ſeu Liguſtri folia, ſummaque germina in vſum veniunt, & facultatis & temperamenti maximè miſti: habent enim quiddam digerens cum aquea ſubſtantia modicè calida: habentque etiam adſtrictorium quiddam ex terrenâ ſubſtantia frigidas, &c.

Folia, flores & acini Liguſtri vt prodidit Tragus, aſtrictoriam vim habent: hodie apud nos extrinſecus ferè vſurpatur. Aqua è teneris Liguſtri foliis Maio menſe, aut è floribus Iunio deſtillata, gargariſatu exulcerationibus oris auxiliatur, neque non feruidis inflammationibus, carbũculiſque & pudendorum vlceribus ambuſtiſque igni prodeſt collutu. Hoc enim remedio ad prædictos morbos Chirurgi penè omnes vtuntur. Floſculi aceto macerati, frontique impoſiti, capitis dolorem ſedant. Acinis Liguſtri maturis quidam rubello Vino nigrum inducunt colorem, & vt craſſius euadat efficiunt, quò magis ſit vendibile. Solent etiam illi tam nigrum quàm Venetum colorem præſtare, quo nomine ab his, qui chartulas luſorias, aliaſue picturas coloribus variis illuminant, leguntur. Pueri bacculis inficiunt decoctis in aqua, & atramenti loco ſcriptitant, quod & ſe aliquando conficere ſolitum teſtatur idem: ſed pictura in cœruleum quadantenus ſpectat.

Cap. dolor. Vini ſophiſma.

Chartarũ tinctura.

Atramentũ.

Diarrhœa. Lippitudo. Oleum florum Vulnerum inflammatio. dolor cap. Autumni cibus. Ad caueas auium Virga ad domandos equos.

Aqua ſtillatitia, è floribus Liguſtri, tradente Matth. potu menſes ſuperfluos conſtringit, vtilis aduerſus hæmoptyſim & diarrhœam. Eadẽ per per ſe, aut cum Pompholyge in oculos inſtillata, tubores eorum & lippitudines tollit. Ex floribus cõficitur & oleum, qoud ad inflammationes vulnerum inſigne eſt, ſi calidum illinatur: idem dolenti à calore capiti benefacit. Hieme baccis veſcuntur aues, præſertim Merulæ ac Turdi. Ex virgis flexilibus, ſolida tamen materie, caueæ fiunt ad canoras ſeruandas aues, ac virgæ ad inſtruendos equos. Nullum reperiri poſſe, inſit idem, medicum tam inexpertum crediderim, qui non nouerit Liguſtrum iis omnibus præſtare viribus, quibus pollere ſcriptum reliquerunt Dioſc. & Gal. Atqui Herbario illi [Anguillaræ] venia danda, quòd in noſcendis tantùm plantis, non autem earum facultatibus examinandis operam nauarit. *Hæc Matth.* vt iam nobis Seſquiariſtæus quidam eſſe videatur, qui ſolus omnia inveneritt, vel inueniſſe ſomniarit. Sed quæ hæc temeritas, de re ſibi incognita ſtatuere, & alios inſuper reprehendere, cùm ipſe potiùs redarguendus eſt quòd præcipuam illam notã Liguſtri quod Cyprum exiſtimat, non examinarit, an eius folia rufent Capillũ, vt docet Dioſc. Et vehementer profectò miramur quî tam audacter auſit pronuntiare de viribus Liguſtri, quod ex ſua perſuaſione vult eſſe Cyprum quam nouit.

Anguil. not.

Phthiriaſis & pituita Gallinar. Dolor aurium canũ. Arthritis.

Acinos Liguſtri contra Phthiriaſim & Gallinarum pituitam prodeſſe, ſcribit Schuuẽkf. qui ea deſumit ex viribus attributis Cypro: Lectores, poterunt ſine periculo experiri an noſtrum Liguſtrum hæc præſtet. Iac. du Fouloux de venat. in cura morbi canum ad dolorem aurium commendat fruticem dictum *Troeſne* qui nihil aliud eſt, quàm Liguſtrum. Zefiriel in fulmine laudat ad Arthritidem intra mediam horam Oleum florum Liguſtri, Veronẽſibus dictum *Conaſtrello* factum ad Solem, aut in Balneo Mariæ, calidè applicatum. Frutex, vti dicebamus, aptiſſimus eſt ſepimentis, propter lenta & flexibilia vimina, ex quibus reticulato plexu Garyophyllei flores in vaſis circumſepiuntur à nonnullis, non ſine elegantia. Sic & ad topiarias ſcenas expetitur à nonnullis, quas non ineleganter conueſtit. Foliorum ſuccum quidam celebrant ad oris vlcera & inflammationes. Nec vires à Matth. traditas negamus, ſed ab eo potiùs efficłas rationabiliter, & aliunde mutuatas cenſemus, quàm experimento cognitas. Ex guſtu facilè quiuis vel mediocriter verſatus vnicuique plantę vires probabiliter aſſignare poſſit. At pro veris & compertis prodere non item.
Tantò minùs reprehendendi
ii qui id non faciunt, nec
facere volunt, nec
debent.

* * *
*

LIGVSTRVM ÆGYPTIVM: CYPRVS GRÆCORVM: ELHANNE ARABVM.

Cap. XVI.

Descriptio. Ligustri Ægyptiaci, à se propositi racemos nobis dono dedit Alpinus: cuius baccę multò numerosissime, nostratis Ligustri baccis ferè pares, magis sessiles, coloris cinerei ferè, [in sicca] quatuor decussatas impressiones ostentantes, semine refertæ copiosissimo, minuto, Melochiæ, & figura angulosa, & magnitudine æquali, coloris rufi, saporis strenuè adstringentis, idque citra omnem morsum. Folia admista Ligustri nostratis satis similia, sed minùs lata & candidiora, sapore acidulo subadstringẽte. Flores autore Alpino, coloris cinericei, non albi, sambuci floribus proximi, minores tamen: odor admodum acutus, & Ligustri odore suauior. Flores Rauuolfio ex luteo pallidi sunt, odoris suauis Moschi: concolores floribus baccilli: tota hyeme viret: semen ei pulchellum, spadiceum, piramidale, trigonum eleganter exprimens, basi ita æquali, vt surrectum latrunculi instar stet.

Bacca. *Semen.* *Folia.* *Flores.* *Perpetuò viret.*

Hanc veram Diosc. Cyprum censemus, quo tradente, κύπρος arbor est foliis circum virgulta Oleæ similibus, sed latioribus, mollioribus & viridioribus: floribus candidis, muscosis, odoratis: semine nigro, sambuci fructui simili. Optima nascitur in Ascalone & Canopo. Idem Philyream tradit esse arborem similem Cypro. Pro muscosis floribus βρυώδη habent vulgata exemplaria: Oribasius accommodatiùs videtur legisse βοτρυώδη, id est racemosos: sunt enim in racemi speciem digesti. Vetus vtraque voce caret, & simpliciter ἄνθη λευκά dicit χ[illegible].

Diosc. corr. & illust.

Cyprum Ægyptiam describit Plin. his verbis: Cyprus in Ægypto est arbor ziziphi folijs, semine Coriandri, flore candido odorato. Coquitur hic in Oleo, premiturque posteà, quod Cyprus [Cyprum Dal.] vocatur. Pretium ei in libras quinque. Optimum habetur è Canopica in ripis Nili nota. Secundum Ascalone Iudææ. Tertium Cypro insula odoris suauitate. [præcipuum Dal.] Quidam hanc esse dicunt arborem, quæ in Italia Ligustrum vocatur. Item alibi. Ligustrum eadem arbor est, quæ in Oriente Cypros. Monet tamen Corn. in vetusto Plin. exemplari legi: Ligustrum si eadem arbor &c.

Cyprus Ægyptia Plin. *Ligustrum.*

Huic ex Virgil. competere videtur: *Alba Ligustra cadunt* &c: Et Ouid. 13. Metam.

Candidior folio niuei Galathea Ligustri.

Ligustrum. Vt quod flori Virg. folijs Ouidius tribuat, quæ candicant in hac, non in præcedenti: quamuis Virgilium de præcedenti locutum esse, nihil vetat, vt qui in Italia vixerit vbi illa, non in Ægypto vbi hæc, nascitur.

Huic etiam competere censemus omnia illa nomina Arabica, à plerisque præcedenti attributa. Apud Serap. *Henne*, id est *Alcanna*, cuius flos similis est floribus Myrti, sed racematim digestus, albus, & nonnihil ad glaucedinem declinans, odoris acuti. Hæc ex Ifaaci testimonio. Citat & Diosc. eiusque suprascripta verba.

Henne & Alcanna Serap.

Cyprus Hebræis *Copher*, Cantic. 1. vt Græcus interpres reddidit. Hanc etiam intellexisse videtur Hieron. in Cant. Cant. homil. 2. his verbis: Botrus Cypri. [Cypri] fraternus meus mihi in vineis Engaddi. [βότρυς τῆς κύπρου] Quantùm autem ad literæ explicationem, habet aliquid ambiguum: quia & vua florens Cyperus [Cyprus] appellatur, & species quædam extrinsecus virgulti est quæ Cyperus (Cyprus) dicitur, ferens etiam ipsa floridum quendam fructum, in modũ florentis Vuæ prolatum. Sed videtur magis ad fructum Vitis respicere sermo, quandoquidem Vinearum Engaddi facta est memoria: &c: Hanc igitur cognitam habuisse quidem, sed non eam, verùm ipsam Vitim in Canticis intelligi voluisse Hieronymum satis apertum esse arbitramur.

Copher Hebr. *Botrus Cypri.* *Comparatur florenti Vuæ.*

P. Berchorius in reductorio, Cyprum seu Cyperum, vtrunque legi tradit: Cyprum esse arborem similem Oliuæ in folijs, quæ secundum Isidorum & Plin. suauissimi est odoris cuius semen si cum oleo coctum fuerit &c: Sed Berchorius videtur ignorasse discrimen inter Cyprũ arborem & Cyperum herbam, cuius radix quoque suauissimi odoris: quapropter confundit has duas plantas. Cyperus etiam ab Hieron. scriptũ videtur, vt notauimus. Idem ibidem rectè: Cyprus inquit, cum Nardo, Nardus & Crocus, fistula & Cinnamomum cum Vniuersis lignis Libani. Et Ioseph. historicus Lib. 4. [illegible] & subdit esse [illegible]. Vt videas Cyprum apud Veteres in magno pretio fuisse.

Cyprus. *Berchorius.* *Cyprus in magno pretio apud Veteres.*

Theophr. κύπρος dicitur vnguentum ipsum, quod & Cyprinum vocatur, [illegible] a Cypro. Sed an ab hac, an alia quadam herba Cypro dictà, vt magna securitate asserit Lonic. nondũ ausimus statuere.

Placet iudicium Constantini, κύπρος, inquit, arbor Ægypti assimilis ei quam Ligustrum vocat Italia: quam quidam etiam cum Ligustro eandẽ esse contendêre Plin. temporibus: sic vt ferè interpretes omnes eandem Ligustrum reddant, cùm diuersæ sint, vt rectè censet Massarius.

Marcell. apud Diosc. legit cypron, Romani Ligustrum dicunt: cuius lectionis nullam nec ratione nec autoritatẽ addit. Videtur Plin. lectione motus id fecisse. Quod si ita est, abutitur sanè eius autoritate, qui ne ipse quidẽ id ex sua sententia sed aliorum pronuntiare sit ausus, quamuis id alio loco id fecisse quibusdam videatur: aliis ex veteri lectione, aliter. Sed Dioscoridi addere ex Plinio, tanquam genuina, nobis non videtur integrum, neque consultum. Ecquis scit, quid illud sit, quod olim Romani Ligustrum appellarunt. Enimuerò sanè cùm Italica planta sit Ligustrum vulgare atque adeò Romæ cognita, cyprus nequaquam, illam Romanum Ligustrum esse verisimilius, quàm hæc.

Interpretatio Diosc. & Plin. [illegible]. *Marcell. reprob.*

Sed à Diosc. & Plin. sententia recedit Bellon. fruticem solummodò dicens, non arborem. Sic autem scribit de eá; ac seipsum declarat. In Ægypto inuenimus paruum fruticem, nominatum *Henne* aut *Alcanna*, quem rescecant & colunt diligenter. Latini

Henne Alcanna.

Latini interpretes Arabes dixerunt Gallorum *Troesne* Latinè dictum Ligustrum, sed id falsum est, quia arbor *Troesne* differt ab ea. Henne prouenit ad altitudinem Mali Granati verùm sectus, profert tantùm tenues virgas, vt Salix. Magnus eius est reditus in Ægypto [vt dicetur in viribus] propter tincturam. *Item alibi*: Arbor Henne, nascens in Ægypto alio nomine Alcanna, in hoc differt à Cypro aut Ligustro, quod Galli *Troesne* nominant: huic enim folia decidunt: Henne verò retinet. *Hæc ille.* Ergo cùm Henne differat à Ligustro vulgari, vt testatur Bellon. patet quoque non esse cyprum, cùm Henne & Alcanna apud Serap. nihil aliud sit quàm cyprus Diosc. cuius verba recitat.

Quo differat Henne à Ligustro.

Alpin. sequens deprauatam Interpretum versionem, ait esse Diosc. Ligustrum: & addit esse Alcanna Auic. cyprum Plinio, Ægyptijs Elhanne ac Tamarhendi. Bellon. & Alpini sententiam approbat quoque Rauuolff. additque Græcis communi vocabulo *Schenna* dici: ex huius radice Arabes vrere spodium, vt etiam meminit Auic. c.17. Meliùs conuenire cypro Diosc. de qua Salom. in cantico, quàm nostras Ligustrum. Figuræ suæ titulum fecit, Cyprus Græcis.

Alpin. not. Alcanna. Auic. Cyprus Plin. Elhanne. Tamarendi. Schenna.

Amatus & Lacuna hanc cum Ligustro confundunt. Denique falluntur omnes, qui vel Plin. non intellecta mente, vel vulgata eius lectione, vel sua decepti opinione κύπρον censent esse Ligustrum nostras, quos in superiori cap. sufficienter refutauimus.

Amat. & Lacun. not.

Annotat Dod. à Turcis vocari Henne: cur verò in eius historia pro cypro ponantur duæ icones Phillyreæ nescimus, nisi Cyprū Phillyreā putarit, quorundā Recentiorum errorem secutus, qui Ligustrum Italorū & nostras, ac ipsius etiam fortasse Plinij cum Diosc. Phillyrea vnum & idem esse existimarunt. Cyprus Græcorum Hist. Lugd. quæ præter sententiam Alpini atque figuram quam habet ex Rauuolfio in descriptione sua dicit flores duobus digitis lōgiores.

Henne. Dod. repreh. Non est Phillyrea.

Ligustrum siue Cypros Diosc. Portæ: quod è Turcia nobis adfertur, vulgò *Alchena* dictum, cuius folia contrita, crocea siue russa russum capillum reddunt, vt idem inquit, non autem vulgare Ligustrum Matth. Videat etiam Lector quæ cap. præced. notauimus de *Alkana* assulis.

Matth. not. Locus.

Iam ex Diosc. dictum optimum cyprum nasci in canope & Ascalone. Plinio Cypros in Ægypto nascitur. Bellonio *Alkanna* Ægypti incola est, vbi omnibus notissimam testatur Alpinus. Speciatim refert Rauuolff. Tripoli & potiss. in Cairo prouenire. Eam Turcas & Mauritanos propter gratum & suauem odorem Moscho similem, quē flores exhalant, diligenter in vasis custodire, & hieme, ne frigore pereat, in cubiculis & subterraneis locis seruare. Et quia tardè noua folia protrudat, nempe Augusto, quosdam irrigare aqua sapone infectā; alios radici calcem ad nouere, vt citiùs floreat. Ad nos multi baccilli adferuntur. Puluis viridis in instructioribus habetur officinis saccis plenis ex Ægypto & Africa delatis. Onustæ naues deuehuntur per Turciam, eodem teste. Eiusdem puluerem subtilissimum habemus munere Valerandi Dourez, cum inscriptione, Henne Bellon. Est is ex fusco flauescens. Verùm cùm semine nobis misit D. Paludanus nomine *Elhanne*. Pulchello sracemulos inter κειμήλια nostra peregrina seruamus à Cl. Alpino nunc horti Patauini præfecto dignissimo accepta.

Tempus. Cultus.

Cypri folia, ex Diosc. astrictoriam vim habent: quare oris vlcera commanducata medentur, & illita cum feruidis alijs inflammationibus, cum etiam carbunculis prosunt. Eorundem decoctum igni ambustis applicatur. Ruffant & capillos trita, & illita folia, siue in struthii succo maduerint. Flos ex aceto tritus & fronti inductus capitis dolores sedat. Cæterùm quod ex eo præparatur Cyprinum vnguentum, odoratum est, ac neruos excalfacit & mollit: siquidem feruenti naturā præditorum medicamentorum misturam recipit. Plin. Cyprinum oleum vocat, quo autore, excalfacit, mollit neruos. Folia stomacho illinūtur: & vuluę concitatæ, [sanguinem emittenti vel procidenti] succus quoque eorum apponitur. Folia recentia commanducata, vlceribus in capite manantibus, item oris, medentur, & collectionibus, condylomatis: Decoctum foliorum ambustis & luxatis prodest. Ipsa rufant capillum tusa, adiecto Struthei mali succo. [Fallitur Plin. στρουθίου vocis homonymia: στρουθίου χυλῷ habet. Diosc. De Struthij herbæ seu Lanariæ succo, non Struthij Mali intelligendum.] Flos capitis dolores sedat cum aceto illitus. Idem combustus in cruda olla nomas sanat, & putrescentia vlcera per se & cum melle. Odor floris olet, qui somnum facit. Succus Ligustri, seu Cypri, eodem teste neruis, articulis, algoribus: folia vbique[vtique vet.] veteri vlceri cum salis mica, & oris exulcerationi prosunt. Acini contra Phthiriasin, item contra intertrigines, foliáue. Sanant & gallinaceorum pituitas acinj. Cypri arboris folia, inquit Gal. summaque germina in vsum veniunt, & facultatis sunt ac qualitatis maximè mixtæ: habent enim quiddam digerens cum aquea substantia, modicè calida: habentque etiam astrictorium quiddam ex terrena substantia frigida. Itaque eorum decocto quidam ambusta fouent. Vtuntur verò etiam aduersus igneas phlegmonas & carbunculos. Nam absque molestia & morsu desiccant. Quinetiam spontè prouenientibus in ore vlceribus, aphthodesi, & ipsis puerorum aphthis commensa accommoda sunt. Paulus in viribus hoc ampliùs quam Diosc. Cypro tribuit, vt aptè remediis his misceatur, quæ ad lienem conficiuntur: quod demiretur aliquis, inquit Marcell. nisi quia mollit Ligustrinum vnguentum, durato Lieni ideò accommodatum sit. Nec mirabitur, qui, vt dicebamus ex Plin. aduertet, calida quoque medicamenta recipere, quæ vtique vim habent aperiendi & discutiendi, præter vim remollientem, quàm habet. Serap. præter ea quæ Diosc. & Gal habet, addit, in muliebribus affectibus idem præstare, quod sanguis draconis. Cypri florem Plutarchus putat corollis intorquendum, quòd placidum suauemque somnum potoribus accersat, quippe qui lenem auram & mitem expiret, quæ temulentorum salebrosas aspritudines sensim læuiget, ita vt conciliata tranquillitate hebes crapula retundatur, & caloris officio percoquatur. Folia madentia & inuncta discutiunt (vt ait Celsus) ea, quæ in aliqua corporis parte inhærent. Vnguentum è Ligustro Alexandro magno misit Abdelonymus Sicyonius, vt scribit Pollux. Auic. tradit, quod si quis hominem tinxerit Ligustro quod producit florem album, Alchannam vocat ipse, eum micturum vrinam nigram: Sed durum est credere, id euenire ex illitione externa, nec apud vllum alium id legimus. Certum quidem est, apud Turcas admodum consuetam esse illitionem ex eo. Attamen de ea re nihil hactenus accepimus: nec verisimile est. Magni porrò Ægyptijs (vt scribit Bellon.) ex Cypro reditus: folia enim reficcata in puluerem redigunt ad tincturas flauas. Ex eo in Turcico imperio census 18000 ducatorum superat. Quin tatè enim patet Turcia, consuetum fœminis noç

Oris Vlcera. Inflammationes. Ambusta. Capillorum tinctura. Cyprinum Vnguentum. Stomachus. Menses. Luxata. Plin. error. Cap. dolor. Nomæ. Vlcera putrida. Contra pediculos. Tēperam. Ambusta. Inflammationes. Carbunculi. Oris vlcera. Aphthæ. Lien. Noxa. Auic. not. Magni reditus ex Cypro. Vires & Vsus.

Calculus. Vulnera. Caro putris. Tumores pudendorum.

eius verba explicamus, quibus ait conferre ad calculum renum. Radicis puluis vulneribus inspersus, carnis excrescentiam & putrilaginem cohibet & adimit, & efficaciter cicatricem promouet. Ad pudendorum tumores in emplastrum cum oleo rof. concinnata folia eos tollunt absque noxa. Radix cum Aniso & Fœniculo pari dosi puluerisata, addito saccharo, & ieiuno quantùm cochlear capiat sumpta, certo remedio est flatibus & colicis doloribus, *inquit ille*: in quo sanè circumforaneo empirico similior videtur, quàm rationali Medico: Nam cur rem terrestrem, frigidam, & adstringentem, cum calidis, & discutientibus commiscet, qua vi flatus carminare, & colicos cruciatus putat compescere id, quod temperamenti sui ratione nihil minùs præstare, fortè etiam citiùs causare possit? Abeat *ad Scholas, ad Scholas*, immò ipsam potiùs rei naturam, optimam & fidissimam medicorum scholam, & meliùs discat, rerum temperaturas in vsus dispensare, vulgóque credulo vanis suis pollicitationibus imponere.

Scribit Matth. Germanos Pharmacopœos baccis passim vti Myrti baccarum vice, cùm iis destituantur: quinetiam æstate edi fragorum vice à Pastoribus & aliis, quòd gustui placeant. Peculiariter autem iis vtuntur Infectores ad Inficienda linteamina & chartam cœruleo colore, ac etiam à Pictoribus. *Cœruleo Tingendi modus.* Succus cum alumine & Galla coctus eleganti cœruleo tingit chartas. Linteamina eodem colore ita tinges. Ollæ huius succi plenæ affundes poculum aceti vini, aluminis puluerisati unc. j. squammæ æris itidem in puluerem redactæ drach. ij. bulliant vna: tum retenti decocto immerge lintea: siccetur in aëre, demum frigida aqua laua, & pereleganti cœruleo tinctum habebis. Si dilutius uelis, omitte squammam æris: si saturatius, etiam plus addes. *Sic docet Lonicerus.*

VITIS IDÆA SEMPER VIRENS, FRVCTV RVBRO.

CAP. VII.

Descriptio. Ramis hæc fruticat dodrantalibus, rotundis, non angulosis, quos vestiunt *Folia.* folia satis frequẽtia, crassiora quàm Vitis Ideæ angulosæ aut magnæ, oblonga, modò per extremum rotunda, modò leuiter acuminata, non serrata, in quibus nerui subtus potissimùm apparent, gustu astringẽte & amaricante. *Flores.* Flores racematim cohærent in virgularum extremis Lilij conuallium floribus similes, albi, interdum blandè rubentes: *Bacca.* quibus delapsis baccæ similiter racemosæ succrescunt, sex, plùs minùs, racemulo vno, Pisi minoris magnitudine, ex albo luteóue rubentes, sapore acido, valdè iucundo, carne simili Vaccinijs palustribus, cui immersa grana paruula lutea. *Radix.* Radix obliqua ferè, tenuibus capillamentis fibrata.

Vitis Idæa rubra, Rhus minimum Plin. De hac, ni fallimur, scribit Camer. Epit. Matth. his verbis: Vitis Idæa rubra, nonnullis Rhus minimus Plin. Germ. Rot Heidelbeer, Steinbeerlin/ Bronsbeer: Gal. *Aurelles rouges.* Suffrutex est exiguus, foliis Buxi, interdum leuissimè ceu serratis marginibus, flosculis Arbuti, candidis, confertis, ex quibus Baccæ rubentes in summitate, ceu corona quadam, denticulatæ nascuntur, sapore acido & astringentes. Radix tenuis serpit.

Vua Vrsi Gal. Arctostaphylos. Anguil. Epist. 5. *Vua Vrsi* Galeno dicta l. 7. de comp. s. loc. c. 4. Arctostaphylos hodierna die in Appennino vocatur adhuc *Vigna del' orso.* Hanc idē à Theoph. appellatam Vitim Idæam censet. Inueniri ait in omnibus Italiæ montibus, vbi niues. Galeni verba cap. sequentibus trademus. Hanc autē potiùs suspicamur ab Anguil. dici *vuam vrsi*, quàm præcedentem, conferendo eam cum Gal. descriptione.

Vitis Idæa, Vaccinia rubra. Gesn. scribit Vitis Idææ speciem esse, acinis rubris Coldenbergio, Vaccinia rubra: pingi à Dod. bis, altera icone meliore: acinos acidiores esse, sine vmbilico. At nos apud Dod. vnicam tantùm huius Vitis Idææ iconem inuenimus, quæ placet: nobis etiam gratiores videntur baccæ: Prior apud Dod. quæ displicet est Vitis Idææ angulosæ.

Clus. nom. Vitis Idæa buxeis folijs nec deciduis, baccisque rubris Clus. quamuis minùs benè simpliciter Buxea dicat: id potius conuenit sequenti plantæ, quam Radicem Idæam suspicamur.

Vaccinia rubra Herbarior. & offic. Myrtillos dicunt Aduers. vt & præcedentia: an Idæa Radix sit dubitant: ac tradunt fruticem lætiore & habitiore aspectu semperuirere: non perinde vt nigrā frequentem, nec tamen nigræ dissimilia folia, sed paulò maiora & ad Myrtum albam siue maiorem, & Rhus Plinianum accedentia, rotundiores Bacculas nec dissimiles, sed rubras, astringentes magis, nec perinde succulentas ferre. Radicem æquè lignosam fibris serpere Ericæ ritu. Flores ex oblongis calyculis paruulis subpurpureis apiculos *Aduers. nom.* è medio exerere. Sed ista descriptio Aduers. Vacciniorum rubrorum non placet: folia namque nobis videntur valdè dissimilia, & ad Myrtum vel Rhus nullo modo accedere.

Iconem certè non spernendam proposuerat Dod. in Hist. Gal. quam etiam retinuit in postrema: *Gesn. reprob.* vbi notat Gesnero Vitem Idæam rubris acinis dici, sed multò minùs quàm nigram cum Idæa vite hanc conuenire, ipsarum baccarum exortus ostēdit. Non enim ad latera Cauliculorum, veluti nigra, sed è ramulorum cacuminibus, Corymborum instar, dependent.

An *Cam. hort.* Vitis Idæa vulgaris. An Thal. Vitis Idæa seu Vaccinia rubra Dod. Idem Thalius refert, hanc stirpem olim Aemilium existimasse esse Rhum Plin. minorem. Vulgò Braus-*Rhus Plin. minor.* beer dici: Noricis Rote preißelbeer/ quorum Siluæ hoc frutice refertissimæ sunt. Belg. Roode Crakebesien, teste Dod. Red Whortes or Whortle, Anglis.

Gerardi nom. Vaccinia rubra Gerard. qui figuram habet ex Taber. quæ posita erat pro vite Idæa maiore, à qua Vitis Idæa fructu rubro multùm differt. Vbi autem Taber. ac etiam Tragus de hac scripserint, nescimus, nisi fortè sub Chamæbuxo, vti monuimus Cap. de Radice Idæa.

Schwenckfeld. nom. Scuuuenckfeld. in suo Catal. Siles. varia nomina diuersa imponit, hæc:, Vaccinium rubrum, χαμαίῤῥους: Vitis Idæa rubra Matth. [sed vbi?]

Erica

Erica baccifera latifolia Taber. Vua vrsi Anguil. Rote heydelbeer/ Rote preusselbeer/ preugelbeer, Rausch Taber. sed an sine confusione, ipse viderit & Herbarum periti.

Locus. Gaudet & hæc locis siluosis, saxosis ac opacis: itemque alpibus: Monte fracto Heluetiæ: Item in similibus Brabantiæ locis. Copiosissima circa Wernigerodam in Broccenbergo & vicinis montibus. Item circa Walckenridam, Gerenrodam, alijsque locis quampluribus, teste Thalio. Vastis etiam siluis circa Bolesslauiam & saganum silesiæ plurimum: Schuenckf. Nobis verò obseruata in cacumine montis Rossberg propè Mesocomium tractus Alsatici Octobri pulchrè virens, cum angulosæ folia decidissent ferè omnia. Hanc semper virere existimamus. Item in monte Ballon Lotaringiæ vicino, cum Vite Idæa angulosa, & alia fruticosiore siue magna.

Tempus. Augusto iam racemulos gerebat, sed tum primum baccæ nonnihil incipiebant maturescere, cùm aliarum iam dictarum omninò essent maturæ: vnde patet serotinam magis esse. Communiter etiam sub Abietibus atque piceis crescere videas quod & Camer. annotauit. Floret Maio & Iunio. Septembri demum perfectè maturatur.

Vires & vsus. **Temperam.** Cùm baccæ sint acidæ magisque adstringentes cæteris, nec perinde succulentæ vt Myrtilli, facultatem vtique frigidam siccamque habebunt, quam & Dod. aliique ipsi tribuunt. Quapropter ad eos vsus, vbi adstrictione opus accommodari posset. Hinc vsus eorum in Dysenteria non contemnendus: item in diarrhœa, & superiùs dictis affectibus plerisque. Qua verò ratione puluis ex acinis aridis exhibeatur calculosis, vt scribit Camer. & repetit Schuuenkf. nec nouimus ipsi, nec facilè declarabunt isti.

Camer. & Schuenckfeld. not. Possis & ex harum succo Rob conficere addito saccharo aut melle, ad viscerum calores & sitim in febribus

Febres. calidis. Quidam ad ἐμβάμματα commendant, additis aromatibus. Foliorum vsus ob adstrictionem idem esse possit, qui præcedentium.

RADIX IDÆA PVTATA, ET VVA VRSI.

CAP. VIII.

Descriptio. Vitis Idææ rubræ affinis est quam Radicé Idæam Diosc. vocant, à qua tamen manifestè differt: siquidem folia habet densiora, ad Buxum accedentia, ex oblógo rotundata, angustiore ad pediculum ceruice, vtrinque rugosa, nec neruos, vt illa, præter vnicum, qui secundum longitudinem decurrit, exhibentia, quamuis pictor perperàm quasdam propagines laterorsum appinxerit, gustu cum amarore adstringente, quemadmod. Vitis rubro fructu. Hærent autem ea ramis lignosis, pedalibus, cortice tenui & facilè cedenti tectis.

Flos. Flores racemosi, concaui, rubri. Fructus vt in Vite sempervirente racemosus in extremitate ramulorum. Quæ de radice Idæa Diosc. & Plin. scripsêre, annotatata sunt postea, quibus bene consideratis fortè erit, quod monet Fab. Columna: *Bonifacia*, siue *Bislingua*, cum qua meliùs videntur conuenire, quæ Veteres de ea scripserunt. Ab aliis positam plantam dicit nullam cum Rusco habere affinitatem.

Vaccinia rub. Myrtus montana. Valerandus Donret, sagacissimus alioqui stirpium vestigator ac censor olim putabat Vaccinia rubra Dod. & Myrtum montanam Cordi esse hanc ipsam: sed vt tempore & hominum curâ omnia fiunt clariora, ita & in apricum datæ, in opacis alioqui delitescentium suffruticum distinctiones a nobis propositæ.

Chamæpyxos. Quum verò Tragus Vitis Idææ rubræ non meminerit cap. de suis Myrtillis, licet coniectari eum de hac scribere, aut certè de Radice Idæa his verbis: In altissimis Wasgouiæ siluis non procul à Cæsareo Luthro humâ arenoso, exigua stirpis species Ericâ haudquaquam maior reperitur. Hæc folia habet Buxo aut Myrtillis quàm simillima, humique magis procumbit, quàm in altum sese attollat. An verò ea Chamæpyxos fuerit, ait se affirmare non ausum.

An Vua Vrsi Galeni cum Clusio. Considerandum an eadem sit Vua Vrsi Galeni apud Clus. quam scribit fruticare pedalibus ferè ramulis flexilibus & lentis, humi diffusis, rubescente cortice tectis, vt teneriores Arbuti ramuli: folia illi frequentia, Arbuti folijs minora, carnosa, Chamæleæ Italicæ foliorum planè æmula, minimè tamen hirsuta, cum astrictione amaricantia. Extremis ramulis flores proferre ex candido purpurascentes, siue candidos, quibus leuiter purpurascens color admixtus sit, cauos, Arbuti floribus similes, & vuæ modo simul congestos: fructum non vidit: sed incolæ rubentem, rotundum, exigui cerasi instar acidum referebant. Radicem paruam sed lignosam. Perpetua fronde virere.

Chamædaphne. Peritiores quidam Hispani, quibus eam ostendebat, Chamædaphnen esse existimabant, crassitudine foliorum procul dubio decepti.

Arctostaphylos. Clusio verò ad amussim quadrare videtur ἀρκτοστάφυλος quam Gal. lib. 7. c. 4. κατὰ τόπους sic describit:

Descriptio Gal. Vua Vrsi in Ponto nascitur, planta humilis & fruticosa, folio memæcyli, fructum ferens rubrum, rotundum, gustu austerum. Sed icon Vuæ Vrsi Clusij nobis scrupulum iniicit, an eadem sit cum Radice nostra Idæa, in qua non apparent nerui transuersi vt pinguntur in Clusij icone.

Chamærhododendros. Lob. *cum Pena* obscurè admodum de his plantis scripserût, vt apparet ex eorum Aduers. vbi aiût: Alpigena Chamærhodendros odora, frutex, flore purpureo, pinguis tota &c. Alpinis *Alprosen*: Bacculas Asparagi vel Taxi pares & concolores, Septébri edit.

Vua Vrsi. Et in Obs. Genuina Vua Vrsi Galeni apud Clus. eadem videtur cum Alpigena Chamærhodendro exibita in Obs. p. 199. & Adu. p. 154. cuius flores Arbuto similes, sed ex candido purpurei aut candidi conspiciuntur. Hæc Lob. qui figuram eandem habet cum Clus. Is pagin. Obs. prædicta figuram habet aliam cum baccis lateralibus, & nô in extremitatibus, his titulis:

Chamærhododendros Alpigena, Balsamum Italicum, Rhododaphne, Therionarcha. Lob. error. Alpigena Chamærhododendros odora Aduers. p. 154. Balsamum Italicum vulgare, siue Rhododaphne parua rustica: Terionarcha Plin. putata Guilandino. Sed Lobelium diuersa nomina, plantas & icones confundere clarè patebit rem ipsam, eiusque, & Clusii verba consideranti. Nec scimus an extet aliqua Chamærhodendros odora baccifera. Si extet grati

ctimus erga demonstrantem.

Hist. Lugd. reprehe. Ast *Hist. Lugd.* more suo duas vel tres confundit, dum vni huic diuersarum stirpium hæc nomina tribuit: Idæa radix, siue Idææ vitis species: Dod. *Radix Idæa Therionarcha.* Vacinia rubra: Clusio Vua vrsi Gal. Italis Rhododaphne parua rustica: quibusdam Balsamum Italicū vulgare: Therionarcha Plin. Idæa radix Diosc. Plin. Gal. Tam egregiè Chaos istud stirpes digerere consueuit.

Ericæ baccifera latifolia. Tabern. proponit figuram Ericæ bacciferæ latifoliæ nomine, quam & *Rausch* Germ. vocat, sine descriptione, quæ exprimere videtur nostram Idæam radicem. *Tabern. err.* De *Vua vrsi* quam idem ex Clus. habet, iam diximus nostram sententiam. *Chamæpyx.* Chamærhododendron Alpinam latifoliam & is sanè confundit cum Ledo Alpino: Figuram etiam proponit Lobelianam, cuius næuos iam deteximus. De Chamæpyxo eius idem dicimus, quod de Tragi Chamæpyxo, nobis videri eo nomine tradi Vitis Idææ speciem, cuius iconem si quis consideret, fortè suspicabitur potiùs accedere ad vitim Idæam rubro fructu, quàm ad Radicem Idæam. Rem Lectoribus considerandam relinquimus. Quicquid sit, cum D. Casparo Bauhino Botanico versatissimo existimamus non esse ex genere Buxi.

C. Bauh. Lens. Vaccinia Vrsi. Gerard. quoque Chamærhodendros alpigena dicitur: Angl. Dwarffe rose Baie: Item Vaccinia Vrsi siue Vua vrsi Clus. Beares Wefortle berries.

Locus. Cęterùm *Vua Vrsi* Clusio non nisi vnico loco nascens visa arido solo & aprico, via regia in colle imminenti cuidam viculo, *Venta el babul* vocato, inter Guadix & Baca, regno Granatensi, iam florens Martio. *Tempus.* Seriùs tamen plerumque florere, fructum æstate maturescere, & in planta ad hiemem vsque perdurare ipsi incolæ affirmabant. Nos in montibus circa Geneuam obseruauimus. Prouenit etiam Basileæ via qua tenditur ad S. Chrischonæ fanum iuxta vineas. Legimus etiam in Veganijs Narbonæ montibus.

Vsus. Ill. Princeps noster Frid. Dux Wirtemb. misit nobis plantam siccam monens copiosè reperiri circa Curiam Rhætorum, ferre baccas rubras: magni fieri hanc plantam à tinctoribus pro tinctura nigra, ac eis dici Rausch.

CHAMÆBVXVS SIVE CHAMÆPIXOS.
QVIBVSDAM.
CAP. IX.

Descriptio. QVamuis hæc planta non sit de tribu bacciferarum, iungendam tamen censuimus propter quandā similitudinem cum præcedenti, à quibusdam Chamæbuxus putata. Hunc suffruticem itidem Chamæbuxū dixère, multis virgultis tenuibus, lentis, spithamam circiter longis prędictum, quæ vbi terram attigerint, fibris de- *Radix.* nsis radicantur: alioqui & radicem habet, sæpè non multò ipsis virgulis breuiorē, lignosam, ex cuius capitibus (quæ plura possidet) ipsę emergunt. *Folia.* Folia per ramos incondita, Buxeis quodammodo similia, magis acuminata, carnosa, pediculis breuissimis hęrentia, [gustantibus primùm ingrata, deinde amara & acria Clus.] amaricātia: ex quo- *Flores.* rum alis, in ramulorum extremis flores emicant Coluteę scorpioidis floribus similes, simul plures iuncti, qui, teste Clus. odoris expertes, nonnullis verò locis odoratissimi & Narcissinam quandam fragrantiam ęmulantes, tribus foliolis constant, quorum duo alba sunt, & alarum modo sursum expansa, galeolā exalbidā illorum exortū integente, tertium folium in oblongum veluti tubulum conuolutum est; sursum per lanuginem apertum, per extremitatem braccę modo efformatum atque luteum, & vetustate interdum omnino purpurascens aut rubescens. *Siliqua.* Floribus succedūt latę & compressę siliquę, Thlaspi latifolii siliquis paulò minores, virides, quę bina plerumque [nōnunquam verò vnicum tantùm] continent grana, *Grana.* exigui Erui magnitudine, colore ex cinereo nigricante, hirsuta & veluti quoddam animalculū ementita, Polygalę vulgaris maioris rubrę semini haud absimilia, sed minora, quę aperientibus sese per latera loculis, spontè decidunt.

Varietas. Interdum etiam pro loci natura floris colorem variare deprehenditur: nam bina illa folia alarū instar, sursum expansa, galeolaque eorum exortum tegens, alba non sunt; sed pulcherrimè ex purpura rubent: tertium autem veluti in tubulum conuolutum flauescit, eiusque extrema pars aurea est.

Cordum existimamus in Obs. silua de hac plāta ita tradidisse: [licet Thalius aliò referat] Fruticulus exiguus, humi prostratus, iunceis viridibusque virgulis: foliis Myrtinis, duris, acuminatis, perennibusque: *Flores papilionacei.* floribus papilionaceis ferè, diuerso colore, videlicet albo, flauo & rubente: extimum quidem albet, proximum flauet, intimum rubet. *Locus.* Nascitur in siluis montanis circa Egeram, in Bauaria & Vindelicia.

Ἀνώνυμος Coluteę flore, siue elegans Clus. qui à nemine adhuc descriptam putat. At nos à Cordo. Quidam à perpetuā viriditate Wintergrūn appellari dixerunt, quod nomen alioqui & Vincę peruincę conuenit.

Chamæbuxus. Myrtogenista. Anonymos Peruicę folio: Camer. Gesn. iam olim [cùm ego Bauhinus ipsi conuiuerem] Chamębuxū seu Chamępyxon vocauit. Argentinę vidimus inter Plantas D. Agerii siccas nomine Myrtogenistę, quod nomen non displicet: nec sanè malè post Genistam ponit Clusius. Sed magis arrisit Chamæbuxi.

Locus. Frequens est prior teste Clus. non modò in montibus Calenberg, Medeling, & Badensibus thermis imminentibus, sed & in alijs ad Austriacas & Stiriacas Alpes excurrentibus, qui omni Resiniferarum arborum genere integuntur, inter saxa. Plurimis etiam Pannoniæ locis est obuia, veluti ad Posonium, Sopronium & Zolonock. Altera verò rarior inuentu.

Tempus. Floret vtraque Aprili & Maio. Semen prioris [nam alterius non obseruauit] Iunio perficitur. D. C. Bauh. attulit Patauio in horto lectam, his nominibus: Vitis Idæa Theophr. cum baccis Myrti, Olea Æthiopica Diosc. Guilandino. Sed decepti fuere qui ita vocarunt, nisi nomina casu ad plantam fuerint adiecta. Tiguri etiam obseruauimus & collegimus. Locus particularis nunc non succurrit. Hactenus neglecta fuit hæc planta, nec in vsum Medicum vocata, quod sciamus.

Digitized by Google

VITI IDÆÆ AFFINIS POLIIFOLIA MONTANA.

CAP. X.

Descriptio.

ORtu & facie est Polii nostratis, virgultis crebris, dodrante longioribus, lignosis, ex nigro rubentibus, magna ramorum sobole fœcundis. *Folia.* Folia Polii nostratis, acutiora, neruosa, vncialia, angusta, superiùs viridantia, pronâ parte cinerea vel glauca, neruo elatiore per longum currẽte. Extremis ramulorum *Calyculi.* petiolis calyculi hærent perexigui, foliosi, rub n es, vnde angulosa pyramis exilit Conchyliata, baccæ alicuius rudimentum promittens. Pro radicibus passim ex ramis nascuntur capilli instar tenues fibræ terram morsu comprehendentes. Appingi curauimus latiusculum folium, iuxta angustum; cuiusmodi pauca plantæ à nobis collectæ adhæserunt.

Locus. Hanc plantam reperimus vliginosis, muscosis, & frigidis locis cum alijs Vitis Idææ speciebus, Maij principio in montibus Harciniæ siluæ inter vallem Griesbachianam vbi fontes acidi, & Risbelsauwen, vbi etiam fons acidus. Vidimus quoque cum flore apud D. Platerum Basileæ, sed siccam, collectam in monte Pilati.

Myrtus tenuifolia. Hanc eandem videtur Thalius in Harcynia sua Myrti tenuifoliæ nomine sic descripsisse. Copiosè reperitur in vligine illa, vltra Andersbergum vrbem, Broccembergum montem versus, quam nominant Den roten Bruch, hoc est, Vliginem rubeam, quòd totus ille vliginosus tractus sub radicibus Broccenbergi, & & vicinorum montiũ rubro musco plenus sit, quà videlicet ex Andersbergo via patet Goslariam versus. Fruticulus est lignosus, palmaris, viticulis multis, incuruis: folijs oblongiusculis, vncialibus, Myrti folijs angustioribus, quorum extrema plerumque in tergũ contorquentur. *Tempus.* In exiguis recuruis pediculis profert circa autumnum flosculos paruos, rubicundiusculos ex albo. Fructum nunquam adipisci potuit, cumque, serò admodum floreat, eo autem loco, vbi nascitur, hiems citiùs, quàm alibi incipiat, citiùs etiam grandiores ibi niues cadant, opinatur rarò eius maturos fructus haberi posse. Cognatum fortè quid cum hoc habere putat fruticulum illum exiguum Cordi, folijs Myrtinis, quem nos diuersum censemus, ac Chamæbuxum præcedentem.

Vitis Idæa rubra Bauarica. An Camer. Vitis Idæa rubra Bauarica, baccis insipidis sine succo. Fruticulus est supinus, crassiore caudice quàm vulgaris (ea fortè, quæ rubro fructu) quæ apud nos passim cum nigra [fortè angulosa] in siluis crescit, & Steinbeerlin vocatur: folijs item oblongioribus, acuminatioribus & angustioribus, per autumnum rubentibus. *Locus.* Crescit circa Monacum in campis asperis inter Ericas. In horto adhuc viuit & viget, nedum vt siluestres huiusmodi plantæ videtur interitura. *Hac ille.* Quum verò nobis certò non constet, quò sit referenda hęc Vitis Idęa Bauarica, hic lubuit eius descriptionem referre; donec meliùs nobis innotescat.

OXYCOCCVS SIVE VACCINIA PALVSTRIS.

CAP.

Descriptio.

PRęlongis viticulis, lignosis, ex atro rubentibus, lẽtis & fractu contumacibus, inque adnatas propagines diductis serpit, *Folia.* quas folia vestiunt crebra, positu ferè pinnato, dura, serpylli folijs paria, superiùs viridantia, subtus ex cinereo rubentia. *Bacca.* Baccæ figura, vt inquit Cordus, rotundę & cordis modo inferiùs iuxta annexum turbinatæ, colore foris primùm candicantes, mox puniceæ & purpureis contiguisque maculis & punctis conspersæ, intus verò in candido modicè rubentes, & quatuor exiguis *Semina.* cauitatibus parua & veluti abortiua semina claudentes: ete vnà cum calyculis humi procumbunt, nonnunquam etiam in musco tanquam abscondi*Flores.* tæ latent. Flores in extremis & capilli instar tenuibus surculis, Clycypicridos floribus similes, co*Radix.* lore propemodum puniceo. Radicibus nititur breuibus, capilli modò tenuissimis & flauis, ex viticu*Sapor.* lis subindè demissis. Saporem coliculi & folia habent adstringentem: baccæ vero egregiè & simpliciter acetosum.

Dod. scribit se obseruasse radicem esse instar tenuis bacilli, obliquam, ex qua sursum compluresc coliculi & inferiùs fibræ, aliquot demittantur.

Thalius autem hæc annotat: oxycoccon copiosè in Broccenbergo & vicinis montibus humidioribus, folijs non ita subrotundiusculis, vt est eius icon apud Cordum, sed oblongioribus ac strictioribus, lenticulæ ferè, breuioribus tamen: quorum ambitus versus dorsum vtrinque leniter reflectitur. Longis lignosisque ac obliquis prorepit in vliginoso musco viticulis, radicibus constans tenuibus, multifidis, lignosis, quibus capillaceæ fibræ multæ adhærent. Flosculi exigui sunt, purpurei, veluti exigui Citinj.

Vaccinia palustria Dod. videntur fortè eiusdẽ stirpis fructus esse, vel congeneris. Tantus autem radicum truncus nostro oxycocco non est, quantum icon Dod. suorum vacciniorum exibet. Hic idem in hist. Gal. Vaccinia palustria ait Bel*Vaccinia palustria.* gicè vocari Veenbesien & Veencoren: Gal: Cos fines des marets: nullumque aliud nomen sibi co-

purpureo succo, vti Mora, plenæ, in quibus multa inæqualia & veluti triangula grana. *Grana. Radix.* Radix lignosa & dura est. Hanc florentem, & viridibus baccis onustam, multasque adhuc superioris anni maturas retinentem, inuenit idem in præcelsi montis, *Locus.* Vulgò **Dechse** appellati, scopulis, quinto supra Neapolim Austriæ vrbem miliari, mense Iunio: Postea etiam Augusto, immaturo & maturo fructu plenam in **Sneberg** & **Snealben** Celsissimarum Austriæ & Styriæ alpium iugis. Illius etiam arenosis Holandiæ tumulis erutæ ramum suis baccis maturis & immaturis onustum misit ad eundem N. V. Io ab Hoghelande. Miramur verò in Clus. icone ramos pingi hirsutos, nec tamen fieri mentionem in descriptione: alioqui icon angustis foliis meliùs conuenit cum Erica à nobis descripta, quàm icon Camer. à nobis proposita:

Pen. Lob. et Schuuenckf. error. Iam antea monuimus Penam & Lob. & hos sequutum Schuuenkf. existimasse Vaccinia palustria esse Ericam bacciferam Matth. quem errorem dudú deprehendimus. Sed quoniam idem Schuuéckfeld. Oxycoccon dicit esse Ericam bacciferam Matth. & πιθύκοκκον Thalii, cùm ex eo apertè cótrarium pateat nempe πιθύκοκκον diuersum esse à Vacciniis: placet eius historiam totam subiicere, quæ sic habet. Erica baccifera Matth. Nam hanc de qua nunc agimus, eandem esse censemus. Angli verò in Aduersar. Vacciniorum palustrium nomine eam proponunt, quamuis hæc nostra in palustribus non nascatur. Fruticulus est humi procumbens, in oblonga, multifidaque brachia rubéria, lignosa, obsequiosa ac foliosa latè super terram se prorependo explicans: foliolis densè obuestitur breuibus, oblongiusculis, strictis, suffuluis, sæpè etiam nonnihil cœruleis, splendentibus, ex quorum alis in ramulorum extremitatibus æstate sub Syrii æstu micant tenuissima staminula, breuiaque, filamentorum sericorum ferè instar, quorú summitatibus apicula insident, coloris ex rubro nigricantioris aut spadicescentis ferè: hæcque filamenta & apicula florum vicem explent, iisque decidentibus, emergunt baccæ splendentes, Iuniperinis minores, similes baccis Vitis Ideæ seu Vacciniorum nigrorum Dod. rotundæ, ex purpura nigricantes, dulci pulpâ constantes, cui infarcta continentur semina purpurascentia. *Semina.* Prouenit copiosè in summo Broccenbergi iugo & saxorum aridorum fissuris. *Locus. Simiarum bacca.* Saxones qui montem illum accolunt, vocant hosce fructus **Apenbeer** / hoc est, Simiarum baccas. Vnde, si quis neque Ericæ, neque Vacciniorum speciem stirpem istam esse voluerit, is nomine conficto πιθύκοκκον appellare possit. *Pithycoccũ cur dictum. Noxa ex baccis.* Inde autem ei hoc nomenclaturæ inditum est, quòd esus ipsorum vberior capiti noxia inferat quædam symptomata, ad quæ deliræ subsequantur gesticulationes, ratione nonnihil interturbatâ, vt is, qui ipsis vsus fuerit copiosiùs, simiarum instar sese habere gestu risibundo videatur. Hinc plantulam hanc deleteriâ facultate minimè carere contendunt, *Deleteriam esse.* & ab eius esu omninò abstinent, alijsque ipsorum vsum sanctè interdicunt. At amicus quidam noster Andreas Roselerus, pharmacopoeus Halberstadiensis, vir opt. & rei herbariæ non triuialiter gnarus, hanc stirpem Chamætaxum vocare solet, *Chamætaxus.* tum ratione qualitatis istius malæ, tum foliorum oblongiusculorum Taxi, sed breuiorum. Æmilius eam olim, cùm needum illo tempore à quoquam esset hæc stirps descripta, Corios speciem faciebat, *Corios species. Vsus. Conuulsio.* Corin Brocenbergensem nominans. Repeiiuntur & vetulæ herbariæ in Saxonia, quæ hanc plantam **Gichtkraut** vocitant, commendantque eam muliercululis vt præsentaneum præsidium contra istiusmodi morbum, nempe Conuulsionem. Matth. fatetur se de suæ Ericæ bacciferæ qualitatibus nihil certi habere.

ANONYMOS FRVTICOSA, FOLIIS ERICÆ BACCIFERÆ MATTH.

CAP. XIII.

Descriptio. Elegantissimi huius fruticelli ramų pulchello nos donauit Cl. D. Agerius Med. Argent. & stirpium sagacissimus vestigator, qui surculosus, lignosus, variè diuisus, imâ parte ruffus aut fuscus, annotinorum ramulorum principium dilutè rubens, extrema flauescunt. *Folia.* Ex inæqualibus internodijs foliola emittit magna ex parte bina, nec tam numeroso ac denso agmine, vt in præcedenti, altero verò latiora, crassiora, & in totum maiora, dilutè virentia, & Buxi recentis in morem flauescentia. *Vascula.* Ramulorum summa surrectis & longiusculis petiolis rufis insidentia occupant vascula Ledi Narbonensis aut Nerij Montani quodammodo similia, foliaceo calyculo suscepta. *Sapor.* Folia magis quam præcedentis amara, nec sine adstrictione.

Flores. De hac Aduer. vt putamus sic scribunt: Chamærhododendros altera celsis & rigidissimis cautibus, floribus purpureis perquam exiguis, Ericæ foliolis, non deciduis, prouenit: humilis tota, à nobis tantùm sicca visa.

Rosæ alpinæ species. Gesn. de hort: Rosæ alpinæ altera species, foliolis minimis, Acinariæ palustris nostræ foliolis persimilibus.

Locus. Nascitur in Adula monte Rhætorum: inde autumno allata, in hortulo plantata, vbi nunc media hyeme egregiè viret nec perdit folia: duraturam tamen vix spero, altissimis, siccis, ventosis & apricis frigidisque locis assuetam. Species hæc Rosæ alpinæ rarissima est.

Anonymus folijs Thymi. Ex Clus. Pan. desumpta est nostra icon, sed minùs feliciter pictor imitatus est: titulus erat ἀνώνυμος folijs Thymi: de ea scribebat nondum sibi constare, quò esset referenda, eam ob causã ἀνώνυμον etiam relinquere: nisi fortè ea sit quam Pena & Lob. in Adu. Alpinam alteram vocant, & statim post Chemathododendron odoram collocant.

In postr. hist vocat Chamæcistum 7. Olim (inquit) non mihi constabat, quò istam plantulam referre deberem, quòd mediam naturam inter Chamæcistũ & Cneorum Matth. obtinere videretur: eam ob causam inter vtriusque capita locaueram. Sed diligentiùs postea obseruatam, inter Chamæcisti genera reponere placuit, impel- *Chamæcisti genus*

lentibus me aliquot causis. Oblongis quandoque dodrantalibus tantùm serpit ramis humi diffusis, nigricantibus, in multos alios breues ramulos diuisis. folia frequentia & conferta sunt, bina semper inter se opposita,[non semper hoc obseruatum in planta] exigua, serpillo minora, Thymi durioris folijs haud maiora, crassa, superiore parte viridia, infernè candicantia, amaricantis saporis. Extremis ramulis innascuntur bini aut quaterni flosculi simul iuncti, perpusilli è quinque foliolis compositi, carnei quasi coloris. His succedunt capitula, maturitate in quinas crenas sese aperientia, & semen exile admodum ostendentia. Radix dura, lignosa, aliquot fibris donata: quinque etiam rami subinde tenues fibras agunt. Exiccata planta non iniucundo spirat odore.

Flosculi. *Capitula.*

Locus. Nascitur tenui solo inter saxa, in summis *Sneberg*, *Snealben*, & alijs Austriacarum Styriacarũque Alpium supercilijs.

Tempus. Floret Iunio, interdum etiam paulò maturiùs, pro temporis, quo nix quæ iuga illa tegit maturè aut serò soluitur, ratione.

ERICA BACCIFERA LVSITANICA.

CAP. XIV.

Descriptio. Erica foliis Corios Clusio fruticosa est, cubitalibus assurgens ramulis, fragilibus, nigriore quam reliquę cortice, folia quoque iis similia, sed nigriora & crassiora, gustu cum adstrictione calidiusculo, trino ordine circa ramulos sunt disposita. Fructum à reliquis Ericis differentem summis ramulis inhærentem gerit, vniones obscuriores tum forma tum colore referentẽ, succulentũ, sapore acido, tria granula dura plerumq; continentem, qui exiccatus per se decidit. An floreat, nondum constat: incolæ negabant, & fructum paullatim intumescere ampliore mque fieri donec maturesceret affirmabant.

Folia. *Fructus.* *Non florere.*

Camarinhara. Et verò hæc longè diuersa à Matth. Erica baccifera. Lusitani vulgò *Camarinhara:* fructum verò *Camarinhas* dicunt. Erica baccifera Lob. Erica baccifera tenuifolia Tab. qui & Rausch vocat. An verò & hoc nomen Germanicum, quod pluribus plantis tribuebatur, & huic conueniat, considerandum.

Acacalis. Ἀκακαλίς, Lat. Acacalis Amato in Com. ad Diosc. Est verò Acacalis eidem planta fructum ferens album, rotundum, paruis margaritis persimilem, quem Lusitani sua voce *Camarinham* appellitant: neque putat fructum istum in Europa vniuersa, præterquam apud Olyssiponem crescere. Planta media est inter Myricem & Ericen qua de causa Diosc. prudentissimè cùm de Myrice & Erice mentionem fecisset, de hac illicò caput fequens constituit. Fructus est esui gratus: Verùm *Cacalia* herba longè alia est, quanquam Plin. illi quoque fructum margaritis simillimum inesse dicat. Quæ Acacali conueniunt, Cacaliæ Plinium tribuisse deprehendimus, dicentem: Cacalia siue Leontice vocatur semen margaritis minutis simile &c. De Acacali Paulus quoque ex Diosc.

Cacalia.

Camarinnas. Bry fratres Hist. Ind. Oriental. notant quoque Lusitanis *Camarinnas* vocatas foliis esse equiseti, sed obscurioribus. Fructus esse baccas rotundas, perlacei candoris, sapore subacido.

Locus. In vna Lusitania hanc plantam obseruauit Clus. non procul Vlyssippone inter *Riofrio* & *Aldea Calega*, & etiam supra Vlyssiponem, solo admodum arenoso, copiosè suo fructu albo onustam: ait initiò Mannæ grana isti frutici inhærentia existimasse, adeò procul ipsi inspicienti imposuisse. Septembri & Octob. fructum fert, qui Nouembri exiccatur & per se decidit. Fructus Sept. & Octob. mensibus Vlyssippone inuenitur, febrientibus exhibent, ad sitim quà premuntur, restinguendam: quidè etiam idem fructus à pueris & mulierculis expetitur, Si Acacalis est, aquam in qua maduerit eius fructus, ad Collyria quæ ad excitandam oculorum aciem conueniunt, addi, testis est Diosc. Amatus quoque testatur fructum esui esse gratum, eoque mulieres & effrenatos pueros in cibo frequenter vti.

Vires & vsus. *Febres.* *Sitis.* *Cibus.*

LIGVSTRVM.

CAP. XV.

Descriptio. Ligustrũ frutex est arborescens, radicem hinc inde per obliquum spargẽs, tres aut quatuor cubitos altus & maior, crebris virgis lentis & in ramos diuisis constans, cortice cinereo obtectis, præsertim verò stipites & rami crassiores tali cortice vestiuntur: nam ramuli *virides* leguntur, materie albida, dura. Folia bina aduerso situ ex interuallis oriuntur, oblonga, angusta, figura ad Salicis folia quodammodo accedentia, sed breuiora, crassioraque, atrouirentia, læuia, nitentia, gustu acri & subamaro, non sine adstrictione. Flores in ramorum summis profert suauiter olentes, candidos, racematim congestos, quorum singuli quaternis, quinis, aut senis foliolis constant, apicibus ex luteo herbidis, qui decerpti statim flaccescunt: quos excipiunt Baccæ racematim quoque in Pyramidis figuram aggestæ, Hæderæ baccis minores, læviores ac nigriores, Iuniperinis æquales, initiò virentes, per maturitatem nigricantes, continentes bina grana, hinc gibba, inde compressa, cortice spadiceo, carne exalbida, vel digitorum leni pressu fragilia: sapore amaro ac iniucundo, quamuis quibusdam aliquid dulcedinis habere videantur.

Folia. *Flores.* *Bacca.* *Grana.*

Tragus

Tragus annotat huius generis nonnullos frutices subluteo comari flore, atque eos quidem inuentu rariores esse.

Ligustri meminit Virgil. celebrato illo carmine: vbi flores intellexisse videtur.

Alba Ligustra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.

Et Colum. in hortis: *Fer Calathis Violam. Et Nigra permista Ligustro Balsama* &c: ad fructum potissimùm respiciens: vt censet Tragus.

Marcellus sibi persuadet, Ligustrum hoc vulgare idem esse cum Cypro Diosc. vt satis apertè insinuat, quando ait: Quos Maro cecinit pastoribus negligi & inutiliter perire Ligustri Flores, medicina & Vnguentariorum Officinæ libenter exceperunt. Nostra æstate nulla aut exigua eius ratio est, cùm alioqui vulgaris & vbique paratus frutex hic sit. Cisalpina omnis adhuc Gallia sic vocat, Hetruria corrupta appellatione *Rauisticum* De Diosc. & Plin. Cypro cap. seq. Sunt tamen qui & Plin. Cyprum eam esse Arborem censeant, quæ etiamnum in Italia Ligustrum vocatur, vt dicetur in progressu.

Ipsiusmet Ligustri paucissimis meminit Plin. Ligustra inquiens non nisi in aquosis prouenire, tesseris vtilissima. Alex. ab Alex. tessaras hic lusorias interpretatur: Dal. verò rectiùs nostro iudicio lignea signa, vinum, frumentum, oleum aut aliud quippiam significantia, & promittentia, quibus in congiariis & publicis largitionibus Imperatorum vtebantur.

Porrò magna difficultas orta est inter Herbarios *An Ligustrum sit Cyprus Diosc. & Plin.*

Cyprum quidam, vt Plin. inquit, esse dicunt arborem, quæ in Italia Ligustrum vocatur.

Et Ruell. Ligustrum apud nos eadem est arbor, quæ in Oriente & Græcia Cyprus, Gallis *Troenea*, Suessionibus *Druyna*, officinis ad Barbaros desinentibus tum *Alcana* tum *Henne*.

Virgil. pro flore vsurpauit *Alba Ligustra*. Cypri, id est, Ligustri, florem putat corollis intorquendum.

Scio, inquit Tragus, qui Phyliream Diosc. velint, (vt Fr. Massarias Venetus & illius Simiæ) mihi verò est κύπρος, Lat. *Ligustrum*, de quo Diosc. Quidam immeritò vocant Hartrigel.

Cordus quoque scribit, Ligustrum sine dubio arbusculam esse quæ Græcis Cyprus vocatur: propterea Plinium idem scripsisse nunquam pœniteat.

Annotat Corn. Posterioribus plerisque omnibus esse Cyprum: nec tam multis annis confirmatam opinionem velut errorem damnari debere; quum magna adeò sit inter Cyprum & Ligustrum affinitas & similitudo. Eidem aut Cypros est Italiæ Ligustrum, aut Philerea: eos tamen addit qui Italiæ Ligustrum viderunt magis Phillyreæ simile id quàm Cypro depingere.

Eorundem sententiam tuetur Matth. & in errore versari tradit nouum quemdam Herbarium [Anguillaram] qui censeat *Cyprum & Ligustrum* diuersas esse stirpes, friuolis argumentis ex Plin. desumptis. Hallucinari qui non videant Ligustrum omnibus suis notis referre Cyprum. Sed Anguillaræ argumenta non videtur Matth. sufficienter refutare, & nimis audenter pronuntiare hallucinari eos, qui suæ opinioni non assentiuntur de Ligustro.

Ab eorundam partibus stant Io. Agric. & Turner. Hic speciatim, eius notas omnes cum Cypro Diosc. conuenire scribit: ac quanquam Massar. Venetus lib. de Piscibus strenuè neget Ligustrum esse Cyprum, rationes tamen quibus nititur, non eam habere vim, quin cōfutari possint. Ac optasset mus sanè refutasset viuis rationibus, si potuisset, aut à reprehensione abstinuisset.

Amatus ne ambigendú quidem censet Cyprum Ligustrum esse, quum Plin. dicat arborem Ægypto familiarem, in Italia Ligustrum vocari. Ideò omninò falli Mass. Venetum, Cyprum aliam arborem à Ligustro esse contendentem. Ligustri verò radicibus hodiè Mauros suos inficere capillos, velut equorum quoque crines, quod olim quoque fieri Diosc. tradidit. Verùm vel ex eo facilè conuincitur Amatus, Ligustrum nostrum neque esse Cyprum, neque id lignum quo Mauri capillos inficiunt, quia nihil tale præstat Ligustri nostri lignum, sed Henne, quod Cyprum existimamus.

Amati errorem vtrumque ruminatur Lacuna, (vir nostro iudicio parum in re Botanica versatus) nempe & κύπρον esse & Ligustri radicibus à Turcis tingi caudas equorum: additque Poëtas huius arboris flores vocare Ligustra, & fructus eius Vaccinia: sed dubium non est duas ab eo confundi plantas: non enim nostratis Ligustri, sed alterius exoticæ arboris radice, de qua postea, tinguntur pili equorum.

Ad vnius huius plantæ historiam idem Lacuna accumulat & tertium errorem.. Ponit Ligustri iconem ex Matth. & aliam habet eiusdem plantæ nomine Halimi, cùm quo nullo modo conuenit. Cæcis ita inponendum est, non nobis & diligentibus studiosis.

Monachis etiam *Cyprus* Græcorum & *Ligustrū* Latinorum vnum & idem sunt, quemad. & *Alcanna*, vt legentes [inquiunt] Serapionem, & Diosc. cū Plinio conferentes non latet. Addunt in oleo Cyprino Actuarij legi florum Ligustri, Græcis Cyprus dicti.

Lonicero *Ligustrum* Diosc. Philyra est & Cypris, cuius duas species facit, magnam & paruā. Esse Virg. alba Ligustra, & Colum. Nigra Ligustra. Ita vides non minori ignorantia quàm oscitantia ab illo vni plantæ tribui tria diuersarum plantarum nomina. Præterea vnius plantæ duas icones, minorem & maiorem ponit, & propter eas potiùs, quàm ex re ipsa, aut quòd viderit, vel ab aliquo didicerit, duas tradit species, à nemine hactenus, quod equidem sciamus, obseruatas.

Eius priorem iconem Ryff. prædicto non magis in re Herbaria versatus, pro Ligustro ponit, scribens: *Ligustrum* Plinij aliorumque Latinorum, cuius picturam damus omnes fere hactenus Diosc. Cyprum interpretati sunt, sed illos nuper redarguit Massarius, demonstrans Ligustrum esse φιλυρέαν non Cyprum. Ryff. igitur qui ineptè posuit pro Cypro iconem Ligustri vulgaris, vti dictū, cap. sequenti iconem maiorem eiusdem plantæ cum eodem Lonic. ponit pro Philyrea Diosc.

Altiùs sapuisse sibi persuadent Pen. & Lob. in Adu. quando *Ligustrum* Diosc. nostras vocitant, subolfacientes fortè nostrum diuersum esse à Dioscoridæo, & nihilominus ad illud reduci posse aut debere existimantes, vt equidem candidè interpretaremur nisi sequentia eorum verba diuersum proderent, quando aiunt: de florum fœtura Cyprus dictus Græcis videtur: κυπρίζειν enim floreo est, quò allusisse visus est Maro, vbi *alba Ligustra cadunt*, canit. Auic. dicit baccas esu sanguineum lotium aut potiùs colore cruentum ciere, quod præstitisset Refractarijs experiri, quàm Ligustrum verum inficiari. Quæ tamen Alkannæ afferuntur assulæ, vel baccilli, luteo sunt intus ligno, eoque si crinem (vt videtur Auic. ex Diosc. velle) ruffant, sunt sanè aut melioris notæ Ligustri, aut diuersæ

Varietas. Luteo flore. Marcell. not. Rauisticum. Tessera ex Ligustro. Ligustrum esse Cyprum Ligustrum. Cyprus. Troenea. Alcanna. Henne. Massarius not. Phylirea non est Cyprus. Anguillar. emend. Matth. not. Massar. reprob. Turner. cas. Amatus refut. Lacuna not. Ligustra Poet. Vaccinia Poet. Tertius Lacunæ error. Lonic. confus. Alter eiusdem error. Ryff 1. error. Ryff 2. error. Cyprus vnde.

plantæ, Quibus postremis verbis & notis non temere ceu recidiua quadam hæsitatione iactari nobis videntur, adeoque nihil certi statuisse. Non placet igitur eos priùs *Ligustrum* & *Cyprum* idem dixisse: nec quæ huic nostræ ascribunt de vrina cruenta, quod decebat illos potiùs experiri priùs, quàm redarguere eos qui negant *Cyprum*, cùm ipsimet dubitent, vt apertè docent eorum verba de Alkana, de qua nos seq. cap.

Castor Dur. errat.

Denique ligustrum nostras etiam Cyprum Diosc. faciunt Cast. Durantes, [qui non benè duas figuras & descriptiones vnius plantæ ponit, quasi diuersæ sint plantæ.] Taber. & Cæsalp. Lonic. addit Cypron ab insula dici.

Ligustrum non esse Cyprum Diosc.

His omnibus strenuè se opponunt, iam sæpè citatus Massarius, Fuchs. Dod. Anguil. Rob. Const. apud Amatû, Goropius, Porta, aliique quorum iudicio & rationibus sanè in hac re plus tribuimus, eisque hactenus subscribimus, donec prodeat aliquis, qui nobis diuersum persuadeat. Quanquam Diosc. Cypri descriptio propiùs ad nostrum Ligustrum accedere videatur quàm Plinii: quamuis nostram vix propriè & simpliciter arborem dicas, adhuc minùs peregrinam. In nostri quoque Ligustri foliis nihil tale quid apparet, quod capillos ruffet, quæ notæ nostrum Ligustrum à Diosc. Cypro potissimùm distinguere videntur, quamuis & aliæ fortè sint circa vires, nondum obseruatæ. Sed quid multâ opus velitatione, cùm alia planta, nec frutex, sed arbor Recentiorum industria inuenta sit, meliùs cum Diosc. Cypro conueniens.

Nec Cyprum Ægyptium Plin.

Sed nec Cypro Ægyptiæ descriptioni Plinii quadrat nostrum Ligustrum. Plinii namque Cyprus semen habet Coriandri, peregrinaque est arbor. At Ligustrum nostrum grana non Coriandro similia habet, vt facilè ex descriptione nostra proposita conferenti notas cum Coriandro patebit. Nec sanè nostrum ligustrum, quod spontè in sepibus & senticetis passim occurrit nascitur in Ægypto. Rectè igitur Fuchs. Ligustrum quo nomine Græcis appellatum sit, nondum certo nobis constat, neque enim, vt ferè omnes hodiè putant, Cypros est.

Plin. not.

Dod. quoque ipsum in hac re adeò Plin. reprehendere audens, eum scribit perperàm Ligustrum eandem arborem esse censere, quæ in Oriente Cyprus. Quam censuram mitigans Anguil. Cyprum, inquit, quidam volunt esse Ligustrum in Italia dictum: verùm credere non possum *Conastrello*. quam habemus in Italia esse Cyprum: notæ non respondent. Plin. etiam non affirmat Cyprum esse Ligustrum, quamuis alio loco id asserere videatur. Verùm fortè Plinio addita quædam aut deceptus Plinius sibi contrarius. *Conastrello* non potest esse Cyprus Plin l. 12. c. 25. Ligustrum Latinorum non negarim. Quæ planta sit Cyprus ignoro. *Conastrello* est Philyrea, vt patet ex descriptione. *Hac ille*. Qui existimando *Conastrello* esse Philyream, fallitur, de qua mox transigemus.

Conastrello.

Plin. excusat.

Ligustrum Latin.

Eadem ferè & Rob. Const. confirmat his verbis. Quid sit Ligustrum siue Cypros, profectò ignotum est his nostris temporibus. In hoc solùm Diosc. & Plin. consentiunt, quòd vterque dicat esse arborem qua vel solâ notâ excluditur vulgaris illa planta ab huius consortio, quam nobis pro Ligustro & Cypro ostendunt Herbarij, quæ fortasse est Ligustrum Virgil. non autem Cypros Diosc. aut Plin. Ligustrum, imò nec Columellæ. Hic enim frutex in sepibus maximè communis, vix vnquam visus est arborescere: nos Galli vocamus *du Troesne*: sed Cyprus siue Ligustrum, id est, Arabum *Alcanna*, arbor rara est, & inter pretiosa simplicia semper adnumerata.

Ligustrum Virgil Non esse Ligustrum Columellæ.

His ac similibus rationibus motus doctiss. Goropius, Ligustrum alterum Veteribus dicere maluit, & apertè ait Virgilij Ligustrum non intelligendum esse de Cypri flore odorato. Sed cur Ligustrum alterum Veterum dicit, vbi duo genera Ligustri apud Veteres inuenit: sanè nisi id intelligat vel apud Plin. vel hoc nostrum Ligustrum ceu alteram Ligustri Veterum speciem agnoscat, quid aliud velit nondum olfacimus. Nam, vti dicebamus, præter Cyprum [cuius aliquoties meminit,] & Ligustrum sæpiùs citat, vt in sequentibus patebit, nec tamen hoc idem esse cum illo categoricè affirmat: immò lib. 12. c. 24., vt & l. 23. c. 4. videtur ambigere, vtrum ea Cypros sit, quæ in Italia Ligustrum vocabatur: dum id ita esse, non ex sua, sed ex aliorum potiùs sententia pronuntiat. Certissimum quoque diuersitatis nostri Ligustri & Cypri Antiquorum argumentum producit Porta, ab ipso experimento desumptum: nempe, inquit, Ligustri vulgaris folia non ruffum capillum reddunt: quare non est Cyprus Diosc. sic igitur primam difficultatem excussimus.

Nondum plane constat an Plin. Cyprus & Ligustrum vnum & idem putet. Quid igitur mirum si à Recentioribus quoque dubitatum?

Altera difficultas est *an Ligustrum nostras sit Alcanna & Henne Arabum.*

An Ligustrum nostras sit Alcanna & Henne Arabum.

Asserunt Ruell. Tragus, Matth. Lacu. Monachi, Lonic. Brunfels. Bouius, Comes à Neuenar, & Cast. Dur. ac in genere omnes ferè ij qui, nostrum Ligustrum cum Cypro Veterum idem faciunt, cùm Arabes pleraque sua de Alcanna ex Diosc. cap. de Cypro transcripserint: Sed hinc non sequitur nostrum Ligustrum esse Alcanam Arabum, sed verisimile tantùm fit hanc & Cyprum Diosc. esse idem. Idcirco fallitur, quisquis ille sit, qui apud Cordum annotauit Ligustrum Arabicè dici *Alkanna, Henne*: Nam vti dictum *Henne* quidem est Cyprus, sed non Ligustrum nostrum vulgare. Rectè igitur Bellon. Arabum interpretes Latinos *Henne* seu *Alcanna* falsò ligustrû vertere notat, cùm diuersa sit arbor. Quod verò idê *Henne* siue *Alcanna* differre tradit à Cypro aut Ligustro Gallicè dicto *Troesne*, quòd hieme Henne non deponat folia vt Ligustrum, nobis non probatur. Nam cùm Henne & Alcanna Serap. sit Cyprus Diosc. Ligustrum verò nostrum, vel ipso teste, non sit *Henne* & *Alcanna*, ne Cyprus quidem erit, aut rectè dicetur.

Cordo commentator. nec Arabum interpretum error.

Bellon. reprob.

Cæterum cùm (vt ex Adu. dicebamus) quæ Alhannæ nomine importantur ligneæ assulæ sint luteæ, satis patet à nostro Ligustro differre, si modò veræ & genuinæ sint Alcannæ.

Leonicenum carpit Agricola, quòd Cypron similem Ligustro fecerit, nec se eum sequi, ait ipsemet tamen idem Ligustrum facit & Græcis Cypron dictum: ac in eo hallucinatus est, quòd similitudinem negauerit, & quòd ipse cum plerique idem putarit. Meliùs igitur fecisset, si meliùs sentientem secutus fuisset.

Agricola not.

Tertia difficultas est, *An Ligustrum nostrum sit Philyrea*, vt voluit Massarius. Fuchs. Anguil. Gesn. Euchar. Roesslin, Dod. (qui malè non tantùm Philyream Ligustrum facit, sed & eam, quæ existimatur Philyrea, ponit pro Cypro.) Sed Gesn. ex aliorum potiùs, quàm sua sententia id dixisse videtur. Fuchs. quoque parum fortè suæ opinioni tribuens, iudicium penes prudentem lectorem esse voluit. *Aperte negant* Tragus, Dod. & nos, apertis rationibus moti, quas suo loco tradémus.

An Ligustrum sit Philyrea.

Dod. geminus error.

Baccas, sunt qui velint, dici Vaccinium, de quo Vitruu. Archit. l. 7. c. 14. verum certò affirmari non potest. Sunt qui & Ligustri baccas à Virg. Vaccinia vocari putent, sed malè, inquit Matth. Non defuerunt, qui existimarint Ligustrum esse Mauritanorum caprifolium, sed perperàm. Sunt qui Ligu-

Vaccinium Virg. non esse. Non est prisol.

strum

Synonyma. strum dictum velint, à ligando, quòd sepibus ligandis & muniendis conueniat: Alkanna & Henne omnibus ferè iis, qui Cyprum esse putant, vti dictum. Germ. Beinhöltzlin/ quòd lignum ossis instar durum habeat: propter duritiem dicitur etiam, hartrigel, sed perperàm, vt notant Tragus. & Hier. Brunch. Gerckholtz Taber. Aliis dicitur Mundholtz/Geisholtz: Reinweiden/quòd salici similis sit, & Rheni ripa copiosè nascatur: Mundweiden/ quòd oris vlceribus medeatur, quamuis Fuchs. Ligustrum officinis inusitatum dicat, vt re-uera est, potest tamen commodè in vsum reuocari. Ait tamen Matth. sed malè Officinis *Alcanna* dici, alii *Alchanna* scribunt) & Mauritanis *keune*, [alii *Cheune* scribunt] *Henne*, seu *Hanne*. Belg. Heelcruyt, Rynweilgen/ Shuuenckf. qui Ligustrum inter Silesiæ plantas hortenses refert, ait Germ. Schulweiden dici Gal. *Troesne*, *Frezillon*. It. Hetruscis *Guistrico*, quod inibi etiam aliqui Oliuetta, nõnulli Oliuella, quidam Chambrossene vulgò vocant: alii Callostro. A mulieribus & pueris Romæ *Fior fiorello* Alphab. scribit & *Chryseluo* dici: *Conastrello* Patauinis. Hisp. *Albena*, *alfena*: Castil. *Arbor de Parayso*, aut de *Albenna*: Portug. *Alfenheyro*. Bohem. Ptacij Zob. Vngar. fagyalfa. Apud Bollenses in ducatu Wirtemb. Schuartze Huntzbeeren vocant. Vt annotauit aliquando Solerius Delphinatibus dicitur *Sanguin blanc*, & Prouincialibus *Olivier sauuage*.

Oliuella.

Locus. Nascitur magna ex parte in locis asperis, potissimùm vepribus & sepibus, frequens admodum passim Germaniæ, Galliæ, Italiæ. Ad Rhenum abundat. Lob. ait nulli calidiorum regionum hodiè deesse, paullò licentiosiùs: non enim inuenitur in Ægypto Ligustrum Italicum, teste Alpino vt dictum: copiosè prouenit etiam in Diocesi Cantabrigiësi ad sepes, & propemodum in omnibus Londini viridariis. Quin & in frigidioribus regionibus in hortis colunt, quorum septis & areis cingendis accommodata quia tonsilis, & tam floribus quam racemulis tota æstate læta. Floret Aprili & Maio, citiùs aut tardiùs pro locorum ratione. Flores tota ferè æstate durant, aliis prætereuntibus, aliis emergentibus. Septembri racemuli maturescunt, & subinde per totam ferè hyemem restant, non sine singulari utique prouidentia Dei, præcipuum auicularum famis refugiū per sæuissimas hyemes futuri. Folia ad hyemis initium durant, postea decidunt, & vere noua renascuntur.

Lob. Ap.

Vires & vsus. Temperam. Virium. Ligustri meminit Galenus libro septimo simplicium medicamentorum, sic inquiens. Cypri seu Ligustri folia, summaque germina in vsum veniunt, & facultatis & temperamenti maximè misti: habent enim quiddam digerens cum aquea substantia modicè calida: habentque etiam adstrictorium quiddam ex terrenâ substantia frigidas, &c.

Aqua stillat. Oris vlcera. Inflammatio. Vlcera pudendorum. Ambustis. Folia, flores & acini Ligustri vt prodidit Tragus, astrictoriam vim habent: hodie apud nos extrinsecus ferè vsurpatur. Aqua è teneris Ligustri foliis Maio mense, aut è floribus Iunio destillata, gargarisatu exulcerationibus oris auxiliatur, neque non feruidis inflammationibus, carbunculisque & pudendorum vlceribus ambustisque igni prodest collutu. Hoc enim remedio ad prædictos morbos Chirurgi penè omnes vtuntur.

Cap. dolor. Vasis sepiendis. Flosculi aceto macerati, frontique impositi, capitis dolorem sedant. Acinis Ligustri maturis quidam rubello Vino nigrum inducunt colorem, & vt crassius euadat efficiunt, quò magis sit vendibile. Solent etiam illi tam nigrum quàm Ye-

Chartarū tinctura.

Aqua florū ...

netum colorem præstare, quo nomine ab his, qui chartulas lusorias, aliasue picturas coloribus variis illuminant, leguntur. Pueri bacculis inficiunt decoctis in aqua, & atramenti loco scriptitant, quod & se aliquando conficere solitum testatur idem: sed pictura in coeruleum quadantenus spectat.

Diarrhœa, Lippitudo. Oleum florum Vulnerum inflam. dolor cap. Auium cibus. Ad caueas auium virga ad domandos equos. Aqua stillatitia, è floribus Ligustri, tradente Matth. potu menses superfluos constringit, vtilis aduersus hæmoptoysim & diarrhoeam. Eadē per per se, aut cum Pompholyge in oculos instillata, rubores eorum & lippitudines tollit. Ex floribus cōficitur & oleum, qoud ad inflammationes vulnerum insigne est, si calidum illinatur: idem dolenti a calore capiti benefacit. Hieme baccis vescuntur aues, præsertim Merulæ ac Turdi. Ex virgis flexilibus, solida tamen materie, caueæ fiunt ad canoras seruandas aues, ac virgæ ad instruendos equos. Nullum reperiri posse, inquit idem, medicum tam inexpertum crediderim, qui non nouerit Ligustrum iis omnibus præstare viribus, quibus pollere scriptum reliquerunt Diosc. & Gal. Atqui Herbario illi [Anguillaræ] venia danda, quòd in noscendis tantùm plantis, non autem earum facultatibus examinandis operam nauarit. *Hæc Matth.* vt iam nobis Sesquiatistæus quidam esse videatur, qui solus omnia inuenerit, vel inuenisse somniarit. Sed quæ hæc temeritas, de re sibi incognita statuere, & alios insuper reprehendere, cùm ipse potiùs redarguendus est quòd præcipuam illam notā Ligustri quod Cyprum existimat, non examinarit, an eius folia rufent Capillū, vt docet Diosc. Et vehementer profectò miramur quî tam audacter ausit pronuntiare de viribus Ligustri, quod ex sua persuasione vult esse Cyprum quam nouit.

Anguil. not.

Phthiriasis & pituita Gallinarū. Dolor aurium canū. Arthritis. Acinos Ligustri contra Phthiriasim & Gallinarum pituitam prodesse, scribit Schuuēkf. qui ea desumit ex viribus attributis Cypro: Lectores, poterunt sine periculo experiri an nostrum Ligustrum hæc præstet. Iac. du Fouloux de venat. in cura morbi canum ad dolorem aurium commendat fruticem dictum *Troesne* qui nihil aliud est, quàm Ligustrum. Zefiriel in fulmine laudat ad Arthritidem intra mediam horam Oleum florum Ligustri, Veronēsibus dictum *Conastrello* factum ad Solem, aut in Balneo Mariæ, calidè applicatum. Frutex, vti dicebamus, aptissimus est sepimentis, propter lenta & flexibilia vimina, ex quibus reticulato plexu Garyophyllei flores in vasis circumsepiuntur à nonnullis, non sine elegantia. Sic & ad topiarias scenas expetitur à nonnullis, quas non ineleganter conuestit. Foliorum succum quidam celebrant ad oris vlcera & inflammationes. Nec vires à Matth. traditas negamus, sed ab eo potiùs effictas rationabiliter, & aliunde mutuatas censemus, quàm experimento cognitas. Ex gustu facilè quiuis vel mediocriter versatus vnicuique plantę vires probabiliter assignare possit. At pro veris, & compertis prodere non item.

Tantò minùs reprehendendi
si qui id non faciunt, nec
facere volunt, nec
debent.

 Yy

Digitized by Google

Latini interpretes & Arabes dixerunt Gallorum *Troesne* Latinè dictam Ligustrum, sed id falsum est, quia arbor *Troesne* differt ab ea. Henne prouenit ad altitudinem Mali Granati verùm fectus, profert tantum tenues virgas, vt Salix. Magnus eius est reditus in Ægypto [vt dicitur in viribus] propter [illegible] *Item alibi*; Arbor Henne, nascens in Ægypto alio nomine Alcanna, in hoc differt à Cypro aut Ligustro, quod Galli *Troesne* nominant: huic enim folia decidunt: Henne verò retinet. *Hæc ille*. Ergo cùm Henne differat à Ligustro vulgari, vt testatur Bellon. patet quoque non esse cyprum, cùm Henne & Alcanna apud Serap. nihil aliud sit quàm cyprus Diosc. cuius verba recitat.

Quo differat Henne à Ligustro.

Alpin. sequens deprauatam Interpretum versionem, ait esse Diosc. Ligustrum: & addit esse Alcanna Auic. cyprum Plinio, Ægyptijs Elhanne ac Tamarhendi. Bellon. & Alpini sententiam approbat quoque Rauuolff. additque Græcis communi vocabulo *Schenna* dici: ex huius radice Arabes vrere spodium, vt etiam meminit Auic. c. 17. Meliùs conuenire cypro Diosc. de qua Salom. in cantico, quàm nostras Ligustrum. Figuræ suæ titulum fecit, Cyprus Græcis.

Alpini not. Alcanna. Auic Cyprus Plin. Elhanne. Tamarendi. Schenna.

Amatus & Lacuna hanc cum Ligustro confundunt. Denique falluntur omnes, qui vel Plin. non intellecta mente, vel vulgata eius lectione, vel sua decepti opinione κύπρον censent esse Ligustrum nostras, quos in superiori cap. sufficienter refutauimus.

Amat. & Lacun. not.

Annotat Dod. à Turcis vocari Henne: cur verò in eius historia pro cypro ponantur duæ icones Phillyreæ nescimus, nisi Cyprū Phillyreā putarit, quorundā Recentiorum errorem secutus, qui Ligustrum Italorū & nostras, ac ipsius etiam fortasse Plinij cum Diosc. Phillyrea vnum & idem esse existimarunt. Cyprus Græcorum Hist. Lugd. quæ præter sententiam Alpini atque figuram quam habet ex Rauuolfio in descriptione sua dicit flores duobus digitis lōgiores.

Henne. Dod. repreh. Non est Phillyrea.

Ligustrum siue Cypros Diosc. Portæ: quod è Turcia nobis adfertur, vulgò *Alchena* dictum, cuius folia contrita, crocea siue russa russum capillum reddunt, vt idem inquit, non autem vulgare Ligustrum Matth. Videat etiam Lector quæ cap. præced. notauimus de *Alkanæ* assulis.

Matth. not. Locus.

Iam ex Diosc. dictum optimam cyprum nasci in canope & Ascalone. Plinio Cypros in Ægypto nascitur. Bellonio *Alkanna* Ægypti incola est, vbi omnibus notissimam testatur Alpinus. Speciatim refert Rauuolff. Tripoli & potiss. in Cairo prouenire. Eam Turcas & Mauritanos propter gratum & suauem odorem Moscho similem, quē flores exhalant, diligenter in vasis custodire, & hieme, ne frigore pereat, in cubiculis & subterraneis locis seruare. Et quia tardè noua folia protrudat, nempe Augusto, quosdam irrigare aqua sapone infectâ; alios radici calcem ad nouere, vt citiùs floreat. Ad nos multi baccilli adferuntur. Puluis viridis in instructioribus habetur officinis saccis plenis ex Ægypto & Africa delatis. Onustæ naues deuehuntur per Turciam, eodem teste. Eiusdem puluerem subtilissimum habemus munere Valerandi Dourez, cum inscriptione, H[illegible] Bellon. Est is ex fusco flauescens. Verùm cùm semine nobis misit D. Paludanus nomine *Elhanne*. Pulchello sracemulos inter κειμήλια nostra peregrina seruamus à Cl. Alpino nunc horti Patauini præfecto dignissimo accepta.

Tempus. Cultus.

Cypri folia, ex Diosc. astrictoriam vim habent: quare oris vlcera commanducata medentur, & illita tum feruidis alijs inflammationibus, tum etiam carbunculis prosunt. Eorumdem decoctum igni ambustis applicatur. Ruffant & capillos trita, & illita folia, siue in struthii succo maduerint. Flos ex aceto tritus & fronti inductus capitis dolores sedat. Cæterùm quod ex eo præparatur Cyprinum vnguentum, odoratum est, ac neruos excalfacit & mollit: siquidem feruenti naturæ præditorum medicamentorum misturam recipit. Plin. Cyprinum oleum vocat, quo autore, excalfacit, mollit neruos, Folia stomacho illinūtur: & vuluę concitatæ, [sanguinem emittenti vel procidenti] succus quoque eorum apponitur. Folia recentia commanducata, vlceribus in capite manantibus, item oris, medentur, & collectionibus, condylomatis: Decoctum foliorum ambustis & luxatis prodest. Ipsa rufant capillum tusa, adiecto Struthei mali succo. [Fallitur Plin. στρουθίου vocis homonymia: στρουθίου χυλῷ habet. Diosc. De Struthij herbæ seu Lanariæ succo, non Struthij Mali intelligendum.] Flos capitis dolores sedat cum aceto illitus. Idem combustus in cruda olla nomas sanat, & putrescentia vlcera per se & cum melle. Odor floris olet, qui somnum facit. Succus Ligustri, seu Cypri eodem teste neruis, articulis, algoribus: folia vbique [vtrique vet.] veteri vlceri cum salis mica, & oris exulcerationi prosunt. Acini contra Phthiriasin, item contra intertrigines, foliaúe. Sanant & gallinaceorum pituitas acinj. Cypri arboris folia, inquit Gal. summaque germina in vsum veniunt, & facultatis sunt ac qualitatis maximè mixtæ: habent enim quiddam digerens cum aquea substantia, modicè calida: habentque etiam astrictorium quiddam ex terrena substantia frigida. Itaque eorum decocto quidam ambusta fouent. Vtuntur verò etiam aduersus igneas phlegmonas & carbunculos. Nam absque molestia & morsu desiccant. Quinetiam spontè prouenientibus in ore vlceribus, aphthodesi, & ipsis puerorum aphthis commensa accommoda sunt. Paulus in viribus hoc ampliùs quàm Diosc. Cypro tribuit, vt aptè remediis his misceatur, quæ ad lienem conficiuntur: quod demiretur aliquis, inquit Marcell. nisi quia mollit Ligustrinum vnguentum, durato Lieni ideò accommodatum sit. Nec mirabitur, qui, vt dicebamus ex Plin. aduerter, calida quoque medicamenta recipere, quæ vtique vim habent aperiendi & discutiendi, præter vim remollientem, quàm habet. Serap. præter ea quæ Diosc. & Gal habet, addit, in muliebribus affectibus idem præstare, quod sanguis draconis. Cypri florem Plutarchus putat cotollis intorquendum, quòd placidum suauemque somnum potoribus accersat, quippe qui lenem auram & mitem expiret, quæ temulentorum salebrosas aspritudines sensim læuiget, ita vt conciliatâ tranquillitate hebes crapula retundatur, & caloris officio percoquatur. Folia madentia & iunctа discutiunt (vt ait Celsus) ea, quæ in aliqua corporis parte inhærent. Vnguentum è Ligustro Alexandro magno misit Abdelonymus Sicyonius, vt scribit Pollux. Auic. tradit, quod si quis hominem tinxerit Ligustro quod producit florem album, Alchannam vocat ipse, eum micturum vrinam nigram: Sed durum est credere, id euenire ex illitione externa, nec apud vllum alium id legimus. Certum quidem est, apud Turcas admodum consuetam esse illitionem ex eo. Attamen de ea re nihil hactenus accepimus: nec verisimile est. Magni porrò Ægyptijs (vt scribit Bellon.) ex Cypro reditus: folia enim reficcata in puluerem redigunt ad tincturas flauas. Ex eo in Turcico imperio census 18000 ducatorum superat. Quin tatè enim patet Turcia, consuetum fœminis noç

Vires & Vsus. Oris Vlcera. Inflammationes. Ambusta. Capillorum tinctura. Cyprinum Vnguentum. Stomachus. Menses. Luxata. Plin error. Cap dolor. Noma. Vlcera putrida. Contra pediculos. Tēperam. Ambusta; Inflammationes Carbunculi. Oris Vlcera. Aphtha. Lien. Noxa. Auic. not. Magni reditus ex Cypro.

tiato coarguitur: Vnde colligere licet, *Mollem arborem* esse veri Balsami speciem. Sic Lob. sentit. Verùm quia ipsa arbor nulla ferè in re ad Balsami descriptionem accedit, cur ex ea sola nota & odoris suauitate ex fructu seminisque magmate expresso latice Balsami veri & genuini species censenda sit, nulla adhuc occurrit ratio. Sit quidem liquor Balsamodis & odoratus: an ipsam proinde arborem multùm à Balsami veri frutice diuersam eius speciem dicemus? Sed odoratum tamen laticem *καλαχηνεσθῶς* meliùs dixisset Balsami similem liquorem, quam *Mollem arborem* veri Balsami speciem.

Lob. dict.

Molle. *Mollis* & Lentiscus Peruuianus Cast. Durantis, cuius figuram habuisse ait ab Odoardo Lopes medico quæ sanè multùm differt à Clusiana & à nostra.

Locus. Abundãter nascitur in conuallibus & locis planis Peruanæ regionis, vt referunt omnes, qui Occidentalium Indiarum descriptionem dederunt. Eius arboris pusillas duas plantas vidisse testatur Clus. in horto splendidissimo Ill. viri D. Ioan. de Brancion, sed quæ tertio anno perierẽt hyemis iniuria. Annotat Lob. enatam ex semine in Anglia, vt Londini. Camerario sata sequenti vere exaruit, cùm tamen magno studio ab eo fuisset asseruata: liquorem vbi folia decerpebantur, emittebat lacteum, odoratum admodum.

Satio.

Tempus. Romæ, vt dicebamus, proceram arborem obseruauimus in horto quodam à D. Coruino pharmacopeo Romano peritissimo culto: Maii initio nondum floruerat, vix ante finem eius floribus læta futura, ut iudicabat nobiscum idem Coruinus quo tempore tamen aliàs citiùs florêre referebat Vere calidiori. Ex eadem tamen arbore pulchros ramos, quales pictura ostendit ex parte, cũ floribus & baccis dono accepimus ab eodem: Misit ad nos baccas recentes, vt putabat, Doct. Casp. Bauh. quæ tamen frustranea spe fetæ Montbelgardi.

Vires & vsus. Refert Clus. ex Petro Cieca, *Molle* cortice adeò commendato esse, vt eius decocto crurum dolores & inflationes summa cum vtilitate foueantur. Ex ramulis fiunt dentiscalpia vtilissima Ex fructu cum aqua decocto, pro cocturæ modo, fit aut vinum, siue potio admodum bona, aut acetum, aut mel: tantoque in pretio sunt apud Indos hæ arbores, vt quibusdam locis eas consecratas suis Idolis habeant: addunt nonnulli eius arboris foliorum decoctum, doloribus ex frigida caussa ortis auxilio esse. Gummi verò eius, quod Mannæ modo candidum esse tradit, lacte dissolutum, caliginem oculorum abstergere. Coruinus, qui nos eiusdem Gummi participes fecit, testabatur eius drach. vnam & semis, egregiè aluum ciere, seque experiẽtia vim eius catharticam cognouisse. M. Fumee in hist. Ind. gen. quoque testatur ex *Mollis* arboribus fructiferis fieri mel, & potionem. Notat Cardanus huius corticem adeò salutarem esse, vt si aquæ incoquatur, soluat lotio illa lassitudines ac tumores: ramuli, pergit idem, gingiuis ac dentibus vtiles sunt, cùm eis dentes fricantur, purganturque: Fructum, quem fert exiguum, si inijcias aquæ, sola coquendi diuersitate, mel, vinum & acetum facit. manifestum est autem, priùs vinum fieri, quàm acetum: mel verò dulcedine vinum præcedit, crassitie subsequitur. Monarde quoque teste, magnis viribus pollet hæc arbor: nam corticis eius puluis vulneribus inspersus, ea mundat, deinde carnem generat, & perfectè curat. Dentes eodem puluere fricati, stabiliuntur, gingiuæ abscedentes sanantur. Foliorum

Crurum dolor. *Potio. Vinum. Acetum. Mel.* *Idolis sacrata.* *Dolores frigidi.* *Gummi vis.* *Purgans.* *Vlcera. Dentium robur. Gingiua abscedentes.*

decocto intincti panni, & calidi vulneribus, aut puluere corticis illius inspersò impositi, curationem eorum accelerant, & humorum eò defluxum prohibent. Ex ea manat liquor odoratus, qui fructibus adiunctus, suffitibus idoneus est ad multos capitis morbos, & ad Emplastra. Eius quoque potio, quam ex fructu parant Indi salutifera admodum est. Ipsa arbor omni tempore odorata est. Scribit Io. Fragos. Corticem eius tantarum virium esse, vt crurum dolores, tumoresque ingentes, (si eius decocto aliquoties lauentur) breui tollat.

Morbi Capitis.

Durum dolor & tumor.

Mollis arboris fructus, inquit Lob. Carpobalsamum verum virtute longè superat, tum expressus ex fructu liquor vero Balsamo viribus quàm proximè accedit, eiusque defectu conuenientissimum erit succedaneum. Huius fructus vnciæ octo tusæ drachmas septem præstantissimi & vtilissimi laticis artificioso torcularis pressu, fului ex atro coloris, crassamenti ouorum olei ferè & diuinæ fragrantiæ, simillimi ipsius seminis odoris inter tundendum, & saporis Xyloaloes optimæ notæ, nobis dedêre. Hic liquor recens expressus albescit & spumat: in laneam vestem fusus, & simplici ablutione aquæ lotus, notam non relinquit. Ex magmate seminis iterum tuso, & pauca rosacea asperso, pressu forti, laticis vnguinosioris resinacei, instar grani Iuniperini drach. duas elicui, qui maculam non relinquit: quinetiam in aquam iniectus & agitatus, celerrimè liquatur, diluitur & lactis modo albescit. Quibus notis colligit idem *Mollem arborem* esse veri Balsami speciem, de qua re priùs.

Balsami succedan. *Expressus latex.* *Balsami nigra.*

MOLLIS ARBORIS RESINÆ SIMILES, FOENICVLI ODORE.

CAP. XVIII.

Donabat mihi honestus vir Petrus Garetus [inquit Clus. Exot. lib. 4. c. 8] succum octauum, quem acceperat ex nauigatione longinqua anni 1600. Erat densa resina, nec transparens, foris subrussa, inferiore parte alba, & digitis attrita satis friabilis, odorisque non iniucundi, sed fœniculi odorem quodammodo referentis, vt suspicionem mihi moueret Mollis Arboris resinam esse posse, sapor erat amariusculus & acriusculus: nec dẽtibus cedebat, nec ore retenta mollescebat, igni tamen admota liquescebat instar ceræ, atque splendida fiebat, flammam tamen non concipiebat.

Descriptio. *Odore fœniculi. Sapor.*

Nonus verò, Resina erat cineracei ex albo coloris, adeò autem strigosa & retorrida, vt gleba aut lapidis fragmentum potiùs videretur, quàm resina: licet quispiam suspicari posset eiusdem generis esse cum superiore, sed magis impuram, quia simili odore & sapore prædita erat cũ ea, nec dentibus cedebat, nec ore retenta mollis fiebat, igni tamen admota perinde atque illa liquescebat, & flammam non modò concipiebat, sed simul etiam ardebat.

Resina alia.

ELEMI RESINA.

CAP. XIX.

Gummi Elemi in massas Cylindraceas cogitur, quas pollice & medio digito complectaris, duarum palmarum circiter longitudine. Substantia vèrò est ferè vniformi, ceræ flauæ & coloris

Descriptio.

& consistentia simili, facilè flammam concipiens color aliàs intensior, substantia resinacea, sub dentibus facillimè lentescit dealbaturque, sapore non ingrato nonnihil acri & subamaro, odore ferè Fœniculi. Obvoluuntur autem glebæ, quę ad nos importantur, pulchro folio, à cuius neruo medio parallelæ obliquè in margines creberrimæ feruntur venæ, quod cannæ Indicæ videtur esse. *Folium quo inuoluitur.* Funiculis præterea Xylinis simul omnia cōstringuntur.

Illud autē quod à triginta annis *Gummi Elemi* nomine asseruamus, magis est friabile & exsuccum, colore ferè croceo, quorum vtrumque vetustati videtur adscribendum: alioqui folio eodem inuolutum est. *Vetustum quale.* Multa habet communia cum Resina *Gummi Mille arboris* nomine missa à D. Paludano, id quod Doctorum & Peritorum trutina dignum est: eamque ob causam hoc loco de eo agere placuit. *An gummi Mille arboris.*

Quidam Aethiopicæ Oleæ lachrymam esse censent, Gummi Elemi dictum, vt annotat Cordus, & ante illum Hermolaus, quasi Enhæmum: quod vt non negamus, inquit ille, ita etiam non affirmamus. *Olea Æthiopic lachrym a.* Apud eundem in margine annotatum. Gummi Elemi suspicantur aliqui esse lachrymam cedri.

Marcel. Ficinus in Antid. Epid. ait Elemi quibusdam Gummi cedri esse.

Fuchs. de comp. med. Oleæ, inquit, Aethiopicæ lachryma Officinis corruptè Gummi Elemi nominatur: videntur verà carêre. *An Lachryma Cedri.*

Nimiùm securè Ryffius in Diosc. scribit de lachryma Aethiopicæ Oleæ Gummi Elemi ab Elæa. vel corruptè Enhæmum.

Ita vides nostrâ etiamnū ætate obscuram admodū esse Elemi originem, quod & suo tempore annotauit Matthiol. qui negat Gummi Elemi Recentioribus Medicis & Officinis dictum, esse Aethiopicæ Oleæ lachrymam, quia gustu mordax non sit ea lachryma [etsi impropriè Gummi appelletur] non in Gummi quidem, sed veriùs in resinarum genere recipienda.

Matthiolo adstipulatur Hist. Lugd. traditque vehementer errare qui putant Oleæ Aethiopicæ lachrymam esse. *Resina est.* Gummi verò impropriè dici, cùm in Resinarū genere sit potiùs, vt ex eo intelligere licet, quòd igni exposita hęc lachryma statim colliquescit ac diffunditur, non aliter quàm Resina, quæ ex Pinu, Picea, reliquisque resiniferis stirpibus manat: nullū autem Gummi genus igni liquatur, nisi addito aceto, aut liquore alio, sed vritur.

Lacuna autor est, Gummi oleæ silu. siue Æthiopicæ hodiè non adferri, quamuis aliqui credant esse *Gummi Elemi* vocatum, quod potiùs resina sit sed ex qua arbore, ignorari.

Amatus tradit dici hodie Gummi Elemi corruptè quasi oleæ, quum Oleæ Æthiopicæ lachryma esse debeat. Quæ verò in offic. hodiè habetur, iucundi sanè si prunis inieceris odoris est, quæ an vera vel falsa sit dubitatur, quia Gummi Elemi offic. non habet affinitatem & similitudinem cum scammonio, & sit resina, vt iure censendum sit vero gummi Oleæ Æthiopicæ nos carere.

Autore Cæsalpino Scribit Diosc. Oleastrum in Æthiopia lachrymam fundere Scammonio similem, mordaci gustu, fuluam, stillis constantem exilibus.

In mari Rubro peculiarem describit Theoph. è cuius Lachryma Medici medicamentum componunt sistendo sanguini. *Lachryma Theoph. ad sist. sang.* Plin. Enhæmon appellari Oleæ lachrymam in Arabia singula i effectu, contrahendis vulnerum cicatricibus. Hoc fortè fuerit illud quod a recentioribus Chirurgis vocatur Gummi Ælemi. *Enhæmon lachryma. Gummi.*

Io. de Vigo l. 8. c. 19. Oleum Hypericonis tradit, quod recipit Gummi Elemi. Cronemburg. exponit esse lachrymam Oleæ Æthiopicæ apud Diosc. corruptum initiò in Eleæ, postea in Elemi & Elemnii doctam Medicorum scholam credere. *Gummi Ælemi.* Nostrum autem vulgare potiùs ab odore, resinam Piceę siue Pinus esse cēsendum esse, quàm verum Gummi: qui ambigit, inquit, supra ignem experiatur, nam continuò colliquescit ac diffunditur, resinarum instar, quod Gummi non faciunt, atque sic controuersiæ suæ ipse iudex sit. *Resina Piceæ vel Pini.*

Nescimus cur Alex. Bened. vulgare hoc gummi tertium genus Halimi censuerit, quum tamen Diosc. fruticem, alij plantam asserant, ac prorsus de lachryma nihil Apollo supra Balsamum artificiale: Gummi Heleni siue Elemi, quasi Enæmi, non vsu venit nisi addito aceto aut vino, odoratum valdè. *Gummi Heleni Enæmi.* Verùm ex quanam planta resudet, incompertum esse ait, nullam notam habere cū lachryma Æthiopica communem. Nos, inquit idē, quandoque suspicati sumus lachrymam esse Oleæ maritimæ Theoph. & Plinii Enæmum: Nos verò contrà non probamus Apollinem marinam plantam dicere maritimam, Theoph. l. 4 c. 8. scribit in mari prouenire, non autem iuxta mare: quæ occasio, vt nullo modo possit esse olea Æthiopica, nec etiam Gummi Elemi.

Cæsalpinus sanè scripsit in mari rubro prouenire Theoph. plantam: si ita est, vt sanè ex Theoph. apparet, non potest esse Gummi Ælemi, vt ille etiam suspicatur, nec olea Æthiopica.

Lonicerus *Elemi & Elenium* esse gummi tradit, simile Gummi oleæ Æthiopicæ, nimirum quasi vtrumque tam probè notum habuerit, atque adeò maiori etiam temeritate vires ei tribuit lachrymæ Æthiopicæ, non declarans interim quid sit. *An lachryma Oleæ maritimæ Theoph. & Plin Enæmum.*

De Loco natali eius nihil adhuc certi accepimus, Indagabit posteritas. *Lonic. summus error.*

Testantur plerique qui de eo scripserunt mirabiles eius vires esse in vulneribus capitis quo nomine tam apud medicos quàm Chirurgos celebratissimum habetur. *Vires. Vulnera & Fractura capitis.* Practici quoque in caluariæ fracturis ac vulneribus nunquam id in suis Emplastris ac vnguentis omittunt, mirabilem eius vsum continuo experimento edocti, qua de causa ex eo & vnguentum & ceratum à pharmacopolis diligentioribus concinnatum habetur. Eius loco nonnulli officinarum mangones (notante id Amato) Hederæ gummi non sine ægrotorum detrimento accipiunt. *Hederæ gummi pro adulterio.*

PHILLYREA ET MAHALEB.

Cap. XX.

De Phillyrea & Mahaleb meritò hoc libro agimus, vt bacciferæ plantæ. Cuius tractatio cùm maximè intricata sit & apud Autores controuersa, primùm more nostro in talibus cōsueto ex autoritate Veterum de ea trademus in genere, passim vbi opus videbitur Neotericorum nostraque placita inserentes. Distinguimus autem à Phillyrea arborem quæ propriè φιλύρα Græcis, Latinis *Tilia* dicitur de qua lib. 8. agemus.

φιλλυρέα Diosc. arbor est cypri magnitudinem æquans, folijs Oleæ similibus, sed latioribus & nigrioribus, fructu Lentisci, [χίνῳ] nigro, subdulci *Descriptio Diosc.*

dulci, & quasi racemato. Locis asperis nascitur.

Locus.

Cordus reprob. & Lonic.

Prorsus autem hallucinatur Cordus qui ad Diosc. hunc locum annotat: Quæ hoc cap. ab eo describitur Tilia omnino eandem esse cum Ligustro, quem oscitanter quoque Lonicerus secutus est, Eorum opinionem merito Matth. ante nos reiecit, qui errorem paullò pòst apertiùs detegemus.

Temerè quoque plerique interpretes Phillyreæ vocem in Tiliam transmutarunt, non agnoscentes manifestum discrimen inter hanc φιλλυρέαν & Latinorum Tiliam, quæ nostro sanè iudicio Theoph. est πτελέα, ab eodem in marem & fœminam distincta.

Theoph correct. & illustr.

Sunt tamen qui apud Theoph. non absque ratione legant & intelligant hanc, quando ait: Ex siluestribus perpetuò virent φιλύρα, (sed illi φιλλυρέα legunt, Gaza vertit Philyca, quamuis in eius versione Phylica scribatur? an ex veteri aliquo codice, vel suo cerebello, nos latet: nec scimus vbi locorum Theoph. vel eius interpres & imitator Plinius Philycam commemoret.) quæ in olympo monte prouenit. Hæc l. 1. c. 15. hist. Fortè & l. 1. c. 8. legendum φιλυρέα, quando scribit: Quædam cortice tenui vt Laurus, φιλύρα, [Gaza Tiliam reddit: quam tamen nemo nescit cortice esse crassissimo] seu vti nos, Phillyrea.

Plin. quoque Tiliam non distinguens à Phillyrea, Tiliæ dotes eas assignat, quæ a Diosc. Phillyreæ tribuuntur.

Plin. error.

Sic & Paulus Ægin. vtramque manifesto errore confundens, eadem & quidem totidem verbis suæ Philyræ ascribit, quæ Diosc. Phillyreæ.

Ruell. reprob.

Ruell. Gazæ versione deceptus priore loco apud Theoph. legit Philycam. Verùm enimuero quomodo Theoph. Tiliam folio deciduo diceret Philycam, vel vt nos potiùs legendum censemus, Phillyreamquæ perpetuò viret?

Audiamus Arabes, qui *Mahaleb* vocant.

Mahaleb.

Mahaleb Diosc. (inquit Serapio) est arbustum simile arbori Alcannæ: dixit Gal. in tractatu nouo quosdam putare esse Carpobalsamum. Scribit Albasarri, *Almahaleb* esse calidum & siccum, deferri ab Andargen & Nahand: Melius esse, quod simile Margaritis minoribus & boni odoris. Isaac eben Amram Almahaleb diuersas species tradit, album, nigrum, & viride: albo grana esse parua; maius esse magnitudinis Cicerculæ, adferri ex insula: Hispanicum autem minus esse. Melius esse albidius & nitidius, meliorisque odoris; deterius verò nigrius. Vsum esse medullæ sine cortice, qui niger est, & internè albus deferri ex monte Sebuen & Deibegen & de Nahand, cuius arbores grandes: colligi Septembri, vsum esse grani & corticis.

Almahaleb.

Differentiæ. Album. Delectus.

Tempus

Serap. interpretis error.

Verùm apud eundem Serap. in margine malè scribitur Mahaleb esse Tiliam Diosc. præstitisset retinere nomen Græcum Phillyreæ, de qua Serapionem scribere manifestum est ex verbis, quæ ex Diosc. citat.

Matth. not.

Matth. [vt etiam indicauimus l. 1. c. de Cerasò amara, Mahaleb putata] non sine errore concedit errasse Serapionem, existimando Phillyream & Mahaleb Arabum idem esse, quia facultates ex Arabibus sint diuersæ à Phillyreæ facultatibus. Nos sanè nihil adhuc videmus in Serap. ex quo sententia Matth. confirmari possit. In viribus notandum Diosc. scribere de folijs, Arabes de granis. Quinimò quod Diosc. ait vrinas ducere, respondet viribus ab Arabibus traditis. Serap. id interpretatur de granis. Non concedimus igitur Matthiolo Serapionem capite de Mahaleb errasse, hanc eandem facientem cum Phillyrea.

Serap. defenditur aduersus Matth. Mahaleb. Hermol. Marcell. reprob.

Auicenna *Mahaleb* vel *Mahalab* eligit album & purum. Bellunensi Mahaleb est granum fructus, simile ossi cerasorum, notum in Syria, & commendatum contra calculos renum.

Hermolaum, virum alioqui doctissimum, miramur φιλυρέαν apud Diosc. interpretatum Tiliam, ac eandem cum illa facientem, vt ampliùs docebitur in historia Tiliæ. Maior etiã nonnunquam admiratio habet, eundem secutum Marcellum, nullam alioqui occasionem omittere solitum, si quando Hermolaum carpere possit. Hos more suo sequitur Ruell. ac Hermolai verba pro suis venditat. Mirum tantum discrimen à doctissimis viris non obseruatum, inter Phillyream, inquam, & Tiliam seu Philyram. Sed quid non possit securitas ac confidentia tum sui, tum erga alios? Quanquam satis euidens sit eos parum in stirpium cognitione versatos.

Aegriùs excusabitur Tragus, vir pro ea ætate in perscrutandis stirpium historiis ac naturis sagacissimus. Nam nec is quidem distinguit.

Sed prædictos Diosc. interpretes aliosque nominis vicinitate deceptos putamus, nõ agnoscentes Tiliam Græcis φιλύραν, non autem φιλλυρέαν dici. Quid si eos Plinii quoque autoritas in eum errorem traxisset? qui tradit Tiliam arborem esse proceritate perquàm modica, cùm ipso sensu constet contrarium? Forte & huic nominis similitudo imposuit. Inde factum, vt dicebamus, vt Tileæ eas attribuerit vires, quas Diosc. suæ Phillyreæ, quem errorem etiam Ruell. incautè secutus est.

Plin. error.

Ruell. not.

Lonicerus asserit, nullâ allatâ ratione autoritatéue, Ligustrum & Phillyream vnam & eadem esse plantam, contenditque caput hoc Diosc. de Phillyrea spurium esse. Quid spurium? At codices Greci non solùm impressi, & ii quidem probatissimi, sed etiam Oribasii codex manu scriptus habent & caput illud, & Phyllyream nomine tenus, quemad. & Paulus, & Serapio, quem Arabico sermone Mahaleb appellasse diximus.

Lonic. reprob.

Imperitum in re herbaria Lonicerum decepisse videtur quòd Phyllyreæ descriptio à Ligustri, quod Græcis Cypros dicitur, non parum conueniat.

Macholebũ, Mahaleb. descriptio.

Porrò *Macholebum*, inquit Cordus, seu vt Arabes vocant *Mahaleb*, nuclei sunt, figurâ, quantitate & colore cerasiorum nucleis similes, gustu tamen teneriores, vehementiores & odorati, ideoque suaui odore oris halitum commendantes. Eligito recens, hoc est, plenum, in candido subrufsum, odoratum, & minimè vetustate rancidum. Affertur ex Africa & Ægypto in Italiam, Galliam & Hispaniam: in Germaniam verò rarissimè, quia apud Germanos nullus adhuc eius vsus inualuit. Arbor autem in qua nascitur, qualis sit, nobis nondum constat. Hæc Cordus. Cui Gesn. addit iconem Cerasi amaræ, de qua egimus suo loco, non tamen existimauerimus Cordum hanc plantam intellexisse.

Locus.

De eadem sic scribit Rauuolff. Halepi apud aromatarios vidi parua semina alba, Machaleb, quæ duro cortice cõtinentur, longiuscula, acuminata, obducta tenui tunica, Pistachiorũ modo. Ex istis regionibus multa transportantur in Syriam, quibus vtuntur ad odoratum saponem. Arbusculas in quibus proueniunt, non vidi: quantùm intellexi proueniunt in vicinia, potissimùm in montibus itineris Persiani. Ab incolis hodierno adhuc die cum Serap. nominatur *Nahandt* ille tractus.

Gesneri error. Mahaleb.

Nahandt Serap.

Phyllirea propriè quid Latinè significet, se nes-

cite fatentur Monachi apud Mes. Arabicè autem esse Mahaleb, de quo præter iam dictos Arabes etiam Rhasis & alij plures Arabicæ linguæ Scriptores pertractarint. Mahaleb autem arbusculam *Mahaleb Syriacum spinosum Monachis.* in Syria notissimam esse, & hodiè ibidem vulgò Mahaleb vocari. Eam (quod illi sciant) nō reperiri in Italia. Esse enim spinosam, folijs Oliuæ similibus, ferre grana quasi racematim in ramis, vt Lentiscus, paullò crassiora tamen: è quibus Syri oleum exprimant, valdè odoriferum, ex *Oleum.* quo conficiant sapones olfactu suaues, & alia plura. Seque habuisse ramos eius allatos à sui ordinis quodam fratre, qui ex ijs partibus redierit. Ergo [addunt] Mahaleb non sunt fructus Cerasi syluestris, vt ferè omnes iuniores hallucinantes interpretati sunt. Fortasse quia cùm immediatè post oleum de cerasis, Mesues posuerit oleum Almahaleb, & in eius descriptione dixerit, oleum de Almahaleb fortius esse in omni re, quàm oleū de cerasis, inde fortè putantes, Mahaleb esse cerasia siluestria: sed reuera satis differunt inter se. Ex quibus patet oleum de Almahaleb non esse oleum de cerasis siluestribus. Quod si vera scribunt Monachi, Mahaleb spinosum in Syria proueniens, planta erit diuersa à nostra Phillyrea, aut certè eo ipso varians, quòd sit spinosa: nam cætera conueniunt.

Math. reprehend. Alter eiusdem error. Matthiolo assentimur, Cerasum amaram de qua suo loco egimus, à multis dictam Mahaleb, non esse Phillyream Diosc. sed esse Mahaleb Arabum non concedimus. Nec etiam scimus an vnguentarij, quod ille scribit, illius plantæ nucleis vtantur, ad smegmata odorata paranda, an potiùs vt nos censemus, ijs qui ex Syria afferuntur, eò abunde illata, vti dictum. A nemine hactenus annotatum, quod equidem sciamus, ex ceraso amara colligi & reponi pro vnguentariis grana. Nihil tamen certi adhuc statuere possumus, cuius plantæ sint illa semina cùm eam, vti dictum, Monachi spinosam faciant, qualis sanè nostra Phillyrea non est.

Ligustri species Amat. not. Amatus Phillyream speciem Ligustri facit, & ait Hisp. *Otrasuerte* de Alhenam dici: forteque Germ. Bartrigel: Arab. *Mahaleb* &c: sed non docet quæ aut qualis sit illa Ligustri species, aut an cognitam habuerit. Nomen etiam Germanicum Phillireæ nostræ minimè cōuenit. Tam hic quàm Lacuna erroris accusant eos qui per Phillyream Diosc. Tiliam intelligunt: & meritò, sed interim ij nuda figura contenti, quam Lacuna ex Matth. proponit, non docent quid sit.

Lacuna not. Chamæcerasus. Gesn. in epist. ad Collinum in fine descriptionum Cordi notat à Dalech. chamæcerasum nominari arbusculam, quæ Arab. Mahaleb dicatur. Aduehi ex Syria, quamuis vbique per sepes circa Lugdunum nascatur, sed fructu minùs habito, vt ille ait, nucleo & semine tenuiore. Ast nos Chamęcerasum hanc non existimamus Mahaleb, quia Mahaleb & Phillyrea non differunt, Chamæ- *Gesn. repreh.* cerasus verò multùm differt à Phillyrea.

Adstipulantur quoque Pen. & Lob. frondosam illam patulam Theoph. *φιλυρίαν* Tiliam esse, non *Theoph. emend.* hanc, malle tamen se legere *φιλλυρέαν* siue Oleæ amasiam istam, quam Diosc. describit per congruam descriptionem, & Oleæ non modò similem, sed etiam sociam, vt ab Oleastris, quibuscum frequens reperitur, nihil ferè discrepet: cuius duo modi, de quibus postea.

Apud Theoph. *φιλύρα* scribitur, non vt illi habent, *φιλλυρία*. Taber. & eius cōsarcinnator Brauo de hac nihil tradunt, præter ea quæ acceperunt à Clusio, quasi sibi eo aperta, nisi quod Germ. Steinlinden vocent, quod nomen non placet. Quid Phillyreæ commune cum Tilia, quæ Linden Germanis? Steinlinden autem Tiliam saxatilem significat. Sed iam differentias à Neotericis & nobis obseruatas videamus.

PHILLYREA ANGVSTIFOLIA: EIVSQVE VARIETAS.

Hanc primò dicamus, tanquam notissimā hoc seculo, & ad Veterum Phillyream omniū optimè accedētem, vt adeò eadem esse videatur, quod tamen nōdum ita temerè pro certo & indubitato asseuerare ausimus. Ergo frutex, quem Monspelii nostro tempore Phillyreā vocant, nonnūquam arborescit, cortice cinereo obtectus, materie alba, ramis sibi inuicem oppositis, foliis Oleæ situ aduerso respondentibus, nigrioribus, nec vnà vt Oleæ candicantibus, modò angustis, & olearum foliis angustioribus, nunc mucronatis, aliàs subrotundis, interdum nonnihil in ambitu serratis, duris, acrimoniæ cuiusdam & amaritudinis nequaquam expertibus: ad quorum exortum flores multi vtrinque ramulos coronant ex herbaceo albi. Succedunt baccæ rotundæ, paruæ, cæruleæ, vel potiùs Violaceæ, breuissimis pedicellis racematim ramulis adhærescentes, dulces cum aliquo amarore: in quarum vnaquaque ossiculum paruum, in quo nucleus. *Descriptio.* *Folia.* *Flores.* *Baccæ.* *Ossiculum.*

Vt verum fateamur, cùm essemus Monspelii, minùs diligenter obseruauimus an sint species diuersæ quæ ibi proueniunt, an tantùm naturæ lusus.

Camer. ad hist. Germ. & in Epit. Matth. proponit iconem ex nostra sicca iam olim depicta per Gesnerum, quæ angusto admodum folio pingitur, eadem tamen nobis videtur cum Clusiana à nobis proposita. Is Phillyream 4. facit, traditque humanam altitudinem æquare, ramos tamen minores & frequentiores habere quàm Phillyrea folio Ilicis & Phillyrea latiori folio non crenato, nigriore cortice tectos: folia Oleastri, angustiora, viridiora, amaritudinis non expertia: flores etiam exiguos albicantes, Oleæ similes, simul congestos, & inter foliorum alas circa ramulos nascentes: quibus succedit fructus, maturitate niger, baccarum Myrti magnitudine, ossiculo duro præditus. Abūdè in Castella noua Hispaniæ, locis incultis, non procul à Tago flumine dissitis inuenitur, & frequenter agro Monspeliano in sepibus. Monspelianæ Academiæ studiosi olim, modò Oleastrum, interdum etiam Halimum appellabant. Hispani huic & sequentibus duabus indifferenter nomina dabant modò *Fradera*, modò *Ladierna*, nunc *Lentesco*, nonnulli etiam Tornisco, quod Thymeleæ *Phillyrea 4. Clus.* *Flores.* *Locus.*

lem proprium.

Phillyrea quinta eidem Clusio dicta, iam descriptæ, forma & magnitudine similis, in hoc differens, quòd eius rami tenuiores, rariores, minusque conferti; frequentiores etiam habet virgas à radice germinantes, fructu satis contumaces. Folia etiam ex aduerso disposita, paulò longiora & angustiora quàm prædicta, oleastrinorum modo firma, saturatiùs virescentia, subacris saporis. Hanc & fructu & flore carere incolæ affirmabant: sed vtrumque superiori similem proferre non dubitare se idem Clus. scribit. Nec alibi hanc vidisse, quàm in incultis Hispaniæ Castellæ veteris & Bæticæ.

Locus. Non dubitamus de Phillyrea quam hoc loco depictam damus, scripsisse Penam & Lob. in Adu. vbi duas icones exhibent quæ minùs placent: dubitamus tamen an per minorem suam intelligant Clusij quartam, & per maiorem, Clus. 3. de qua postea. Lubet lectori eorundem verba proponere, quæ sic habent. Phillyreæ duo modi arborescunt in Galloprouinciæ viarum marginibus & oliuetis Massiliæ vicinis: & quæ maior,

Maior. rarior persimilis pumilæ Oleæ, caudice ramisque nigrioribus, longioribus quàm oleæ agrestis, & folio magis ad Ligustrum accedentibus. Bacculæ multæ in ramis, etiam oliua agresti minores, non amaræ (vt oliuæ) sed subdulces, nucleo

Minor. intus Cerasi. Minor multò frequentior iisdem in naturalibus & Monspelij collibus glareosis: folio æquè longo, sed angustiore duplò: duploque minor tota planta: similes acini Lentiscinis & similiter racematim proximè hærentes admodũ curto pediculo, quæ item maturæ subdulces sunt, aliquantùm acres, sed neutiquam ingratæ, vt sunt Oliuæ satiuæ & agrestes.

Matth. not. Senensis (Matth.) infarcit plaustra verbosarũ autoritatum, nec tamen, quam dat describit.

Lob. in obs. Phillyrea Narbonensis florida.

Varietates plures. *Varietates*; Belgicis hortis Hispano semine angustioribus folijs gemina Phillyrea visitur. Item latifoliam cristatam & tenuifoliam munere Georgij Rye plerique habent in Viretis Belgicis. Phillyræ angustifoliæ flores. Apud eundem pro Phillyra Narbonensi posita est icon, de qua paullò post. Pro angustifolia ea quæ à nobis ex Clus. iam proposita duas figuras ponit Lob. in iconibus, omissis ijs quas habebat in Adu.

Ilatrum. Linternum. Scribit Cæsalp. *Ilatrum* vulgò appellari, alijs *Linternum*, fruticem in maritimis tractibus frequentissimum veluti oleam quandam paruã, multis ramis fruticantibus: foliis oleæ durioribus ac viridioribus, similiter perpetuis: florere à lateribus in alis foliorum, non oblongo racemulo, vt olea, sed aceruatis granulis fructum ferre nigrum, Ligustro similem: vnico intus ossiculo, tenui putamine, figura oliuari. Frequen-

Alaternus Plin. tior in hac sterilis, quasi in eo genere mascula, quam Plin. Alaternum vocat inter steriles quæ fructum nullum ferunt, ei folia, inquit, sunt inter Ilicem & oliuam. Vidimus tamen quandam angustiori folio quàm olea, quandam latiori breuiorique, ad Ilicem valdè accedente. Hanc (addit idem) videtur Theoph. Phillycam appellasse, perpetuò virentem, vnde illi honor in alen-

Materies. Tempus. do pecore, cùm semper fronde abundet. Obedientissima est materies, candorque ei Celastri modo. Germinat ineunte vere: Fructum reddit post occasum Vergiliarum. Montibus est propria. Diosc. Phillyream vocat. *Hactenus Cæsalp.*

Phillyrea minor Penæ & 4. Clus: Alaternus minor Dalech. Hist. Lugd. Dodonæus in hist. Lat. nomine Cypri proponit à nobis hic exhibitam, sine vlla descriptione. Cur id faciat, nescimus: cum Cypro sanè non conuenit. Cyprus Dodonæi

PHILLYREA LATIUSCULO FOLIO.

Descriptio. HAnc Clus. Phillyream tertiam minorem vt plurimùm tradit, ea, quæ folio est Ilicis, ac ea cui folium Alaterni: illius tamen arbusculam vidisse, ait, duorum hominum altitudinem æquantem, & ab illa ramulum suis floribus onustum auulsisse, è quo suam iconem delineari curauit.

Folia. Eius autem rami, inquit, exalbido cortice teguntur, vt in altera, [quæ foliis Alaterni] aliquantulùm rugoso: folia habet iam modò citatis angustiora, nullis crenis serrata, eiusdem vt in præcedente coloris, adstrin-

Flores. gentis gustus: Flores Oleæ similes, pusillos, ex herbaceo candicantes, confertim inter foliorum exortus nascentes: fructum deinde rotundum, superiori similem. Desertis Bæticæ locis nascitur.

Locus. Eius etiam vnica arbuscula in Narbonensi Gallia ab eodem conspecta, ad ingressum pagi *Peraul* vicini Volcarum stagno, secundo à Monspelio mi-

Alader. liari vbi, inquit, si benè memini *Alader* dicebatur. Hispanis iisdem nominibus, vt præcedens.

An Pen. & Lob. Phillyrea maior de qua antè. Lob. sanè in Obs. iconem Clusii ponit pro Phillyrea Narbonensi florida Adu. p. 420. Idem in icon. Plantini.

Matth. reprob. Matth. more sibi consueto iconem habet sub titulo, Phillyrea: descriptionem autem nullam. Vnde conijcere licet, nunquam ei visam. Ait quidem Phillyream arborem longè diuersam à Tiliâ, in Italia prouenire, asperis tantùm montibus, quibus maximè gaudeat, fructum Lentisco similem, racematim cohærentem, rubentem, granis, quæ vocant Paradisi, non absimilem. Oportebat demõstrare vbi talem fructum videat, alioqui vix ei credendum censemus. In epit. ait esse Mahaleb Arabum: nihilominus pag. seq. ponit aliam plantam pro Mahaleb Mauritanorum, nempe Cerasum amaram: docuisset saltem apertè quid intelligat per suam Phyllyream: quanquam icon ab eodem proposita non malè respondere videatur iconi hic ex Clus. appositæ.

Lob. & Penam scimus Matth. Phillyream ad sequentem referre. Nos verò cunctabundi hæremus, nec quicquam affirmamus, quia nescimus quantùm Lobeliana sequens differat ad hic.

Ilatrus. An Cæsalp. *Ilatrus* latiore breuioreque folio, ad Ilicem valdè accedente, de qua antè.

Gesn. in fine hist. Cordi, à Matth. pictam Serap. Mahaleb vocat. An eidem de hortis Phillyrea Bellon. in hortis Lutetiæ consita, quæ etiam Ve-

netis in horto Maphæi & locis saxosis & montanis Italiæ, vbi spontè nascitur translata.

Hist Lugd. Consarcinator l.2.c.14. Matth. Phillyreæ iconem proposuisse tantùm, non descripsisse tradit, quia descriptioni Diosc. haud parum conuenire videatur: non affirmare tamen legitimam esse, quòd eius baccæ subdulces non sint: quasi nulla alia nota requireretur, vt legitima sit Diosc. Phillyrea. Item alibi c.67. Phillyrea Penæ maior 3. Clus. Alaternus maior Dalech. Item: Philyca Dalech. Philyca (inquit) Græcis dicta, arbor Dalechampio esse videtur, Illyrici gentibus, Comorich. Galli oppido S. Spiritùs nuncupato, ad Rhodanum sito vicini, in quorum sepibus frequens hæc stirps gignitur *Alarders* vocant. Monspelienses seplasiæ Phillyream, vt & Pena, de qua Theoph. εὐθεώλαγον δὲ φιλύκη, καὶ ἡ λευκότης ὥσπερ τε κηλάστρου. Quæ sic Gaza vertit: Obedientissima Philyca est, candorque ei celastri modo: rectiùs firmissima: sed legisse videtur εὐπείθης siue ἰσχυρὸν, vel quid simile.

Gaza reprch. Philyca.

Eadem Hist. Lugd. sic describit: Philyca Ligustri est magnitudine, multùm fruticosa, comâ perpetuâ, caudicis cortice cinereo, rugoso: folijs Lentisco ferè similibus, amplioribus, longioribus, carnosis, obscurè virentibus, gustu adstringentibus: fructu racematim congesto, antequam maturescat anguloso, cùm maturuit rotundo, nigro. Is constat pulpâ tenerâ, succosa, gustu principiò dulci, mox amaro, cum acrimoniæ tantillo, ac dum manditur, suaue quiddam olente, quod cum baccarum Iuniperi odore comparari possit: Pulpæ subiectum est lignosum, sed valdè tenerum ac fragile putamen, nucleum continens rotundum, gustu amarum. In Gramontio luco haud procul à Monspelio, ac in eius tractus saxosis, larcorumque sepibus crescit.

Locus. Hist. Lugd. not.

Ita vides Compilatorem Hist. Lugd. duobus distinctis locis de vna hac tradere, totidemque figuras proponere, cuius etiam videri possit Phillyrea Matth. Sed & hoc ipso posteriori loco duas icones vnius plantæ habet: Priorem sub titulo Phillyreæ Penæ maioris, quæ florem exprimit: posteriorem sub Philyca 3. Dalech. quæ fructum. Sed & nihilominus Phillyream angustifoliam seu minorem Penæ habet, sine vlla descriptione.

Dod. error

De comoricha Illyricorum vid. cap. seq. de spina Burgi.

Varietates.

Dod. in hist. lat. Cyprus latiore folio. Cur verò iconem Clus. Phillyreæ ponat pro Cypro, nec eius tradat descriptionem, ne coniectari quidem licet, nec etiam Cypro conuenit. Sunt nobis rami optimè respondentes iconi Matth. sunt alij, qui iconi Clus. alij folijs rotundioribus & breuioribus. Nos portionem iuxta iconem Clusianam ex sicca appingendam curauimus: fructum & florem quoque particularem ex icone Gesneri quæ apud Camer.

Philyca Theoph.

C. Bauh. apud Matth. Phillyrea Diosc. [inquit] videtur à Theoph. Philyca dicta, quam Matth. proponit racemosam, ad imitationem textus Diosc. Nisi racemos haberet Phillyream arborem Galloprouinciæ Adu. Lob. & Lugd. herbarij diceremus. Camer. vnâ figurâ tres differentias ostēdit, alteram latis, alteram angustis folijs, & tertiam medio modo se habentibus, vt nihil obstet Diosc. descriptioni folia latiora Phillyreæ tribuentis. Has diuersas species & adhuc alias circa Monspelium obseruauimus, cuius nomine ad Matth. figuram adiecimus adhuc mediam, quæ Phillyrea Narbon. Lob. & 3. Clus. Phillyrea media apud Matth. Ilatrum Cæsalp.

Hist. Lugd. tax.

Idem C. Bauh. in Animadu. in hist. Lugd. sic infit: Sequitur Phillyream Mahaleb Serap. p. 154. Hist. Lugd. & p. 258 Phillyream Penæ maiorem, & p. 258 Philycam Dalech. idem esse, vniusque plantæ tres diuersas figuras, triaque diuersa nomina. Licet verò C. Bauh. Matth. Phillyream diuersam faciat à Phillyrea Lob. nos tamen non separabimus donec demonstrentur nobis longiusculi racemi, quales habet Matth. in aliquo Phillyreæ genere. Nihil noui est Matthiolo aliquid affingere suis iconibus, vt Diosc. descriptionibus magis accedant, vt pluries hoc opere declarabimus.

C. Bauh. not. Matth. not.

PHILLYREA ARBOR LOBELIO.

Descriptio.

Phillyrea (inquiunt Pē. & Lob. in Adu. quo loco & Phylerea & Philerea scribitur) arbor Galloprouinciæ, verior Macaleb Serapionis: expressam de eius arbore iconem prorsum refert prior maiorque dicta Phillyrea. Reperitur in Galloprouincia propè Tholonam. Æquat scapo & sparsis stolonibus Prunum aut Cerasum, folio planè Phyleræ, aliquantùm latiore: flos Ilicis muscosus, albidus & pusculis vnâ aceruatis baccis Terebinthi maioribus, nigricantibus, herbidis, dulciculis: nucleoli intus crassi, quales prorsus prostant herbidis, dulciculis: nucleoli intus crassi, quales prorsus prostant hodie in Officinis nomine Machaleb. Et certè si Ligustrum Serapionis sit Machaleb, erit hæc illius Ligustrum, non illa quam Matth. dat nec describit. *Hæc illi*: qui tres icones proponunt: priores duas pro antè dictis Phillyreis maiore & minore, quæ parum placent: tertiam autem pro Phillyrea arbore, quæ planè displicet, cui baccæ appinguntur bipartitæ, quasi intus duo latitarent officula. In margine iidem annotant, desiderari in icone multò plures congestas bacculas, à pictore omissas. Illa quoque eorum verba nobis videntur valdè ambigua, atque adeò ipsismet repugnantia, quando aiunt, prior maiorque dicta Phillyrea: ipsimet tamen antè aliam tradiderunt descriptionem & iconem pro ea quam maiorem vocarunt: nescimus igitur quantùm differat hæc à Phillyrea modò dicta, quæ latiusculo non serrato est folio. Stirpium studiosi hæc diligentiùs perpendant. Quid sibi per Ligustrum Serapionis velint haud percipimus. in nostro Serapione nihil de Ligustro. Eadem Adu. icon sub ijsdem titulis proponitur in iconibus Plant. & edit. Teut.

Folia. Flores. Baccæ.

Ligustrum Serap.

Matth. not.

Tabern. vel eius historiæ compilator Nic. Braū nihil docens, iconem ex Lobeliana, sed more suo mutatam, ponit pro Machalepo Serap. nulla addita descriptione.

Taber. & Braun tax.

Fortè de hac scripsit Cordus lib. 5. c. 23 hist. suæ

by Google

suæ, (si præcedentem non intellexit) his verbis: Philyra videlicet ea, quam Diosc. describit, non illa quæ Lat. vocatur Tilia, arbor est mediocris magnitudinis, caudice satis crasso, quem vbi ad iustam magnitudinem adoleuerit; vtraque manu nemo complectatur, cùm ambitu quatuor non rarò dodrantes impleat. Cortex illi læuis, nec ita scaber vt alijs plerisque arboribus, præsertim in ramis & surculis, colore cinericeus, & Ligustro similis, qui etiam materiam habet non dissimilem. Ramuli minores, & surculi cruciformi & alternante positu aduersi sibi in geniculis seu exortibus respondent. Folia sescunciam longa, vel paullò longiora, semunciam circiter lata, breuibus pediculis hærentia, vtroque capite in angustum fastigiata, Oleæ folijs similia, obtusiora tamen & proportione latiuscula, nec ita candida à tergo nec in lateribus retrorsum reflexa, sed æqualiter lata, glabra, nitentia, & egregiè viridia, multâ circa ramulos frequentiâ, & inuicem aduersa sibi in exortu, crassiuscula vt Buxi, hyeme non decidua, Vere autem subnascentibus alijs nouis decidunt. Quæ verò circa nouellos stolones sunt folia, alijs plerumque duplò longiora existunt, & leniter per ambitum serrata. Flores, quibus singulæ succedunt baccæ, similiter vt flores in racemos digestæ, rotundæ, paruis Iuniperi aut Lentisci baccis similes & æquales, principiò virides, in maturitate purpureæ, rotundo intus nucleo, gustu cum aliqua dulcedine adstringentes. Folia item gustu adstringunt, cum amaritudine & acrimonia aliqua, quemad. & immaturæ baccæ, eodem modo, quo Ligustrum, oleaster & olea. Materia arbori lenta, alba & satis solida. Radicibus nititur multifidis, non rectà descendentibus, sed per obliquum deorsum actis. Nascitur in montibus, asperis locis, iuxta fossas in aggeribus, ac fossis in Hetruria agro Florentino. Non vbique in arborē excrescit, sed Ligustri modo, parua manet & fruticosa.

Philyra Diosc. ferè. — *Folia.* — *Flores.* — *Bacca.* — *Sapor.* — *Locus.* — *Varietas.*

PHILLYREA FOLIO ALATERNI



CL.D. Agerii Medici Argentinēsis, & egregii Botanici munere est nobis paruus arboreus ramus, datus titulo *Alaterni* collecti in hort. Veneto. Differt à *Spina Bourgi.* Monsp. colore corticis cinerei ferè. folia etiam non ita virent, bino ordine per caulem procedunt, vnciam longa & lata, in ambitu pulchrè & ordinatè serrata, serraturæ denticellis veluti in aculeos desinentibus, ad folia à Clus. pro Alaterno 2. picta accedentia, differunt tamen latiori basi quâ ramis adhærent, eo modo, quo Clus. pingit in sua Phillyrea primo, quam nos Phillyream Ilicis folio cognominauimus. Dissidet à Phillyreis excepta 2. Clus. cuius iconi non malè accederet, nisi folia essent paullo longiora latioraque & pediculos haberet longiusculos; descriptio alioqui non repugnat.

Descriptio. — *Folia.*

Non ausimus tamen ex fragmento palmari tantùm, attamen senis foliorum oppositè coniugatorum versibus stipato, pro certo affirmare esse 2. Clus. Phillyream, quam ipse sic describit: Phillyream dictam folio Ilicis magnitudine superat, multis ramis candicante cortice obtectis prædita: foliis Alaterno priori penè similibus, firmioribus tamen, & minùs nigricantibus, saporis quidem aliquantùm acris, sed in quo amaritudo sentiatur. Neque illius florem conspexi: ipsum autem fructum racematim inter folia propendentem, magnitudine granorum Piperis, aut fructus Myrti, rotundum, nigrum, calidi gustus, ossenm & durum nucleum, candido & fragili nucleo obductum continentem. Decembris initio legebam.

Phillyrea 2. Clus. — *Fructus. Nucleus.* — *Tempus.*

Variis Lusitaniæ locis, in sepibus, sed nusquam copiosior, quàm circa *Tomar* insignem pagum, vnde plurimum fructum in Belgium detuli. Lusit. dicitur *Adorna.*

Locus.

Est item nobis ramus Phillyreæ Monspelio delatus, cuius folia benè respondent iconi Clus. quā hic exhibemus, verùm quædam folia non sunt serrata, alia medio tenus tantùm serrata, quædam per totum ferè ambitum: ramuli tenuiores quàm in præcedēti, foliorum color etiam magis virens. An diuersa sit à præcedenti, an eadem cum Clusiana hac, diligentibus inquirēdum relinquimus.

Varietas.

PHILLYREA FOLIO ILICIS.

EA verò quę folio est Ilicis, Clus. teste, altiùs assurgit quàm Ilex Coccigera, ramosq; habet pollicaris vel etiam amplioris crassitudinis, cortice viridi, sed candicantibus maculis asperso tectos: folia Ilicis coccigeræ, maiora, viridiora, crassiora, in ambitu nonnihil spinosa, adstringentis quidem gustus, sed non ingrati. Huius flos eidem non conspectus, sed fructus Lentiscino æqualis è foliorum alis dependens, maturitate niger, ossiculum continens.

Descriptio. — *Folia.* — *Fructus.*

Frequens est in Lusitaniæ incultis circa Eboram. Quibusdam vernaculo Hispanorum sermone *Aleb* dicitur, illius semen Oxyacanthæ nomine ad Belgas missum.

Locus.

Hist. Lugd. Phillyream Clus. priorem vocat. An Lob. obs. Phillyrea latifolia cristata. An Cordo Philyrina, quæ sub * [sic ille habet, Quid?] à Theoph. est descripta.

Oxyacantha Phillyrea latif. Philyrina.

Arbuscula est fruticosa, Phillyræ aspectu simillima: siquidem ligno, ramulis, corticis colore, & cruciformi ramulorum surculorumque positu,

& Anguil. Spina ceruina quorundam. Lob. præterea locis citatis iconem ex Clus. ponit, cui titulus, Secunda Alaternus humilior lato folio Clusii. At nos dissentimus à Pena & Lob. in descriptione *Spina Bourgi*, qui bacculas didymas dicunt. Nos non didymas obseruauimus, sed semina terna in singulis bacculis.

Alaternus 2. Spina Ceruina Alaternus 2.

An Alaternus Gesnero.

Alaterni Clusii si non sunt iidem cum nostra spina, sanè valdequàm sunt similes, & congeneres nostro iudicio, ne tamen fallantur fortè Studiosi, totam earum historiam subiicimus, quæ sic habet. Alaterni fruticis perpetuò virentis duo genera: vnum arborescens interdum, longis ramis, non admodum crassis, neque in multas alas diuisis, flexilibus deinde virgultis, quæ externo cortice candido virescente integuntur, latente sub eo membrana quadam flauescente, quæ lignum ambit. Ramos vestiunt incondito ordine disposita folia, media inter Oleæ atque Ilicis folia magnitudine, crassiuscula, leuiter per ambitum serrata, ex viridi nigricantia, gustu ingrata, & cum amaritudine paululùm mordicantia. Ad singulorum foliorum, qui in ramulis nascuntur, exortus, flores oleæ similes, coloris ex herbido pallescentis, racematim ex oblongis pedicellis dependent vere, interdum etiam media hieme. Nullum in hoc fructum vidi. Alterum multò humilius est, ramis breuioribus, cortice qui eos ambit, ex albo viridi, & purpurascente, coloribus simul permixtis infecto. Folia illi superiore minora, magis circinatæ rotunditatis, in ambitu etiam serrata. Ex foliorum alis flores è lōgiusculis pediculis dependent, vt in superiore, illis tamen maiores, & coloris magis herbacei: quibus succedit fructus racematim cohærens, Lentiscini magnitudine, initiò viridis, deinde nonnihil rubescens, qui tribus nucleis constare videtur. Pleniorem & nigri coloris maturitate fieri arbitror: nam immaturo fructu colligebam Aprili, & floribus onustum Febr. & Martii initio. Primum genus Vlysiponensi agro, locisque vicinis in Lusitania obseruabam. Alterum etiam iisdem locis. Præterea multis Bæticæ; tum Granatensi regno & Valentino.

Persici frutex. Alaternus 1. Cortex. Folia. Sapor. Flores. Alaternus 2. Cortex. Folia. Flores. Fructus. Tempus. Locus.

Plin l. 16. c. 26. Alaterni meminit, cui folia inter Ilicem & Oleam tribuit. Hæc adeò causa fuit cur huic frutici *Alaterni* nomen dederim, non *Celastri*, quem Theoph. etiam inter perpetuò virentes recenset, & tardè fructum maturare ait. Nec refert quod Plin. Alaternum neget fructum ferre: Etenim in Arbore non valde sibi nota hallucinari potuit, quemad. in cæteris, quas eodem loco commemorat. Fructum, inquit, arborum solæ nullum ferunt, hoc est, ne semē quidem, Tamarix scopis tantùm nascēs, Populus, Alnus, Vlmus Attinia, Alaternus, cui folia inter Ilicē & Oleā. Nemo enim rei herbariæ adeò ignarus est, qui Alnos ex semine, quod in globulis adultiores ferunt, nasci non sciat, cùm & ipsis rusticis id sit notum. Tamarix sanè ex semine non semel nata: Populos, Salices seminibus papposa lanugine inuolutis prouenire, Vlmos item Attinias ex samaris [ferunt enim semen sed minùs quam latifolia] plerumque visum.

Alaternus Plin. Celastrus Theoph. Plinio Alaternus sterilis. Plin. reprehen.

An Alaternus Gesnero frutex qui Tiguri nascitur, rarissimus alibi, iuxta fluuii Sili ripam, Persici arboris sapore foliorum ferè, fructu & semine nullo, quod is obseruauerit, quem fruticem Persicum appellare licebit, donec aliud nomen reperiatur, nam Alaternum esse nondum affirmauerit, quòd folia latiuscula videantur. Sed quomodo hunc fruticem Persicum appellet non video, quum Persica Malus fructum ferat, arborque sit.

Philyca Theoph.

Cæterùm Alaternum eandem cum Theoph. Philyca esse, Bellon. l. 1. obs. c. 42. censet. Nemo est in monte Atho, inquit, cui arbor Plinio Alaternus dicta, veteri legitimo nomine, quo ipse Theoph. illam donauit, Philycæ, ignota sit: Corcyrenses verò & Cretenses ἐλαιοπρῖνον appellant, quia eius folium inter Ilicem & Oleam medium est, teste Plinio.

Theoph. quidem varijs locis in sua plantarum historia τῆς φιλύκης καὶ τῆς κηλάστρου meminit, sed formam non describit: vtramque tantum maturè germinare, & serò fructum ferre, Philycæ honorem in alendo pecore, semper enim fronde abundare, maximè flexibilem esse, candoreque Celastri.

Porrò Lusitanis prior Alaternus, eodem Clus. tradente, *Cascà* appellatur, quibusdam *filiguero* & *sanguentio*: Gallis Bellonio teste, *Dalader*, & *sanguin blanc*: Lucensibus *Iletro*. Anguil. *Alaternum* vocari tradit vulgari appellatione *Alaterna* & *Linterna*.

Synonyma linguar. Dalader. Iletro. Alaterna. Linterna. Philyca glādifera Bellō. Clus. non.

Quoad nos, non possumus dicere Philycam Bellon. esse Clusij Alaternum, quia Bellon. l. 1. obs. c. 17. dicit Philycam arborem glandiferam magnam, quam cap. 55. scribit nos non habere. Nondum reperimus apud Bellonium vbi Alaternus dicatur Dalader & *Sanguin blanc*. Phylicæ suæ, siue Alaterno Bellonius nomen Gallicum attribuere nō potest, siue in Italia non prouenias, siue in vniuersum in istis Europæis tractibus careamus. Ista diligentiùs perquirenda. Quæ de Philyca Bellon. scripsit, recensebimus libro de Glandiferis.

Antè verò l. 4. scripsimus quosdam existimare Laurum Tinam Plinii eandem esse cum Philyca Theoph.

Alaternus sanguine infelix. Infelices arbores quæ.

Non omittendum Macrobio Alaternum *Sanguine infelicem* dici. Infelices autem arbores Plin. teste, existimantur, damnatæque religione, quæ neque feruntur vnquam neque fructum ferunt. Vocarunt & infelicem, ad quam capitis damnatus suspendio necaretur, obtecto, velatòque capite, quod constat ex illo prisco diro carmine.

Caput obnubito, arbori infelici suspendito.
Sed in viam redeamus: lubuit enim, antiquitatis studio illectum nonnihil diuagari.

Quæ Anguil. scribit de Alaterno, non male conuenire videntur nostræ Bourgi spinæ: scribit autem, In territorio di Lanzano ad S. Vitum hanc plantam *Alaternam* dictam, & in Apulia *Linternam*: in Sclauoniæ [Illyriæ] insula dicta Vergada, *Cemorschum*. Excrescere in arboris speciem, folio inter oleam & Ilicem medio, sed atrouirente. Bacculas quasdam ferre paruas Lentiscinis similes nullius vsus, quod sibi constet.

Cemorschum.

Hist. Lugd. l. 2. c. 64. non hanc arborem intelligit, sed præcedentem Phillyream. Dalech. hanc curauerat depingendam, & Apharcam vocabat. Hinc Hist. Lugd. l. 2. c. 15. de hac tradit: Herbarii quidam Apharcam Theoph. esse putant, alii Lycium, alii Phillyream Græcorum. Monspel. Pharmacopœi *Bourgespine*, id est, Spinam Burgundicam vocant. Frutex hic in arborem etiam crescit, magnitudine Mali Punicæ, radice crassa, caudice ex cinereo albicante, aspectu tristi, foliis vna parte angustis, supernâ latiusculis, Portulacæ modo, obtusis aliquando, interdum in acutum fastigium terminatis, per ambitum insectis, incisurarum eminentiis rigidiusculis, carnosis, Ilicis, aut Oleæ modo, venosis, clara costa per medium di-

Apharca Theoph. Lycium. Phylyrea Græcorum. Spina Burgundica.

incisuras habet. [χαρακώι, non σπιθαμώι vt Vulg. habet.] Totum verò circa vnum pediculum crassum ac neruosum, ceu ramulum pendent, foliorum alijs hinc, alijs inde geniculatim coniugatimque adhærentibus, atque spatio quodã à sese distantibus, vno ex pediculi fastigio exeunte. Obiter rufescunt folia, molliaque sunt atque carnosa. Defluit autem totum simul. Quapropter meritò quis totum illud vnum folium dixerit. Rami quoque nouelli quædam ad geniculorum speciem habent. Flos candidus, ex multis minutis candidis constans, specie faui pediculi diuisuris insidens. Validus huic odor, qualis Lirij, ac nonnihil grauis. Fructum non secus pediculo crasso racematim hærentem profert, qui maturescens nigrescit. Immaturus omphaceus est [ὀμφακώδης : colorem intellige, alioqui acerbum rectiùs dicas] magnitudine Erui, paullò maior. Sequentia, quia deprauata & penitùs obscura, omisit Gaza.

Locus Theoph. corr.

Miserrimum atque infelix lignum quibusdam dicta est *Sambucus*.

Infelix lignum.

Eandem metri causa *Sabucum* dixisse putamus Q. Serenum, cùm ait:

Conueniet teneræ radix decocta Sabuci. Et alibi:
Fugitur, & succis dederit quos parua Sabucus.

Quamuis & alia subsit plausibilior ratio, vt mox tradetur.

Apud Diosc. sambucus [ἀκτῆ] gemina describitur: prius genus [nempe hoc de quo nunc agimus] in arborem assurgit, [δενδρώδης] surculos spargens arundinaceos, teretes, quadantenus cauos, candicantes, prælongos: folia terna quaternáue ex interuallis circa virgas singulas exeunt, nucis Iuglandis foliorum similitudine, graueolentia, magisque incisa: in summis autem surculis ac ramis vmbellæ sunt circinatæ rotunditatis, in quibus flores candidi: tandemque fructus Terebintho similis, ex nigro purpurascens racemosus, succosus, vinosusque. Alterum genus Chamæacte, de quo postea.

Acte Diosc.

Ruell. ὑποκοίλους surculos cauos vertens vocis vim non expressit, non enim omninò caui sunt, sed fungosa medulla farcti. In vet. cod. ἄλλη βαρύοσμα τε καὶ πικρότερα, legitur βαρύοσμα δὲ καὶ πικρότερα, vt incisuris amaritudo substituatur. Ac vtraque ferri posse videtur. Quamuis vix credamus Sambuci folia Iuglandinis amariora esse. Experiantur Studiosi. Orib. legit μακρότερα, sed rectiùs Dal. μικρότερα. Sunt enim minora illis, non maiora, saltem magna ex parte.

Ruell. reprehe.

Diosc. corr. & illustr.

Apud Gal. Acte magna & arbosa ab interprete dicitur. Apud Paulum Ἀκτῆ μεγάλη. Dicitur & Ἀκτέος alicubi apud Theoph. & ἀκτῆ à Diosc. vt annotat Const. in Lex. quamuis neutrum hactenus apud eosdem legerimus. Anonymo in fine Moschionis κακοξυλία dicitur, quæ vox apud Nic. Myrepsi ligni scobem denotat. Possis nouè leuiligniam vocitare: quamuis neutra vox arrideat.

Acteus. Actis.

Cacoxylea. Leuiligna. Etymon.

Sambucus verò à *Sambuca* musico instrumento, quod alii pectida, vel magadin vocant, dicta. Vnde quidam Sabucum non Sambucum pronuntiare maluerunt, vt Serenus, vti dicebamus, nisi carminis ratione motus id fecerit. Alii ab Autore denominatam malunt, cui nomen *Sambix*. Vsam tamen eã primam omnium Sibyllam perhibent. Alii *Acten*, & ἀκτῆν, alii ἰακτὴν vocant. Videtur autem Actæa siue ἀκτῆ dicta, quasi littoralis, quòd littorum, crepidinumque sit amans. Barbarè sanè Serapio de hac tradit, cùm ait: Kameactis & Iaphacti duæ sunt species, quarum vna dicitur Græcè Actis, & Lat. Sabuca: (voluit aut debuit dicere Sambucus) Secunda vocatur Græcis Kameactis, id est, terrena vel infima Actis: Latinè Abolus [Ebulum intellige] estque arbor Ebuli. Cætera quæ apud Serap. sunt ex Diosc. & Galeno.

Iaphactis. Acte.

Hermol. & eius simia Ruell. annotant nonnullos dixisse Sabucum [sic enim Q. Sereni autoritate scribunt] medullà carere. Sed qui illi fuerint non addunt. Oportet sanè eos vel aliam ab hac nostra intellexisse, vel ne hanc quidem nouisse, vel denique quid medulla sit plantarum nesciuisse.

Sabucus.

De Plinii ossea Sambuco dictum antè.

Marcell. apud Diosc. ab aliis reiecta retinet nomina, cùm in sua versione scribit, Acten sunt qui *Vrsi arborem*, quidam satiuam Acten dicunt: Galli *Scobiem*: Daci *Seba*: Romani *Sambucum*.

Vrsi arbor.

Satiua Acte.

Idem annotat, primum & in templis religioneque maximum Sambuco & Ebuli honorem fecisse sanguineas vtriusque baccas: quibus ante inuentum minium & excogitatam coloris eius rationem superstitiosè deos colentes homines non antè ad aras & sacrificium accedebant, quàm rubente natiuo aliquo colore, qualis in Sambuco, Ebulo, Anchusa & Moris est, facies suas colorassent: quasi placere sibi sine coloris eius lenocinio numen non posset: aut fœminatum modo nollet deus nisi purpurisso fucatus videri. Fuisseque hūc Gentibus morem antiquitatis maximus auctor testis Verrius quondam fuit: cuius auctoritati credere necesse est dicentis, Iouis simulachri faciem diebus festis minio illinire solitos, & à Censoribus in primis miniandum Iouem locari institutum fuisse. Verùm non fuit hic Romanis vsus, nisi aucta vrbis maiestate, & cùm iam incœpisset minium in pretio & honore haberi. Rudi autem adhuc seculo, & in mundi nouitate natiuis herbarum & pomorum coloribus ad eãdem religionem vsi sunt. Idque in Buccolicis suis Maro rerum omnium & antiquitatis peritissimus indicauit, canēs ad lamentandos Galli amores venisse Pana Arcadiæ deum, quem viderat ipse sanguineis Ebuli baccis minioque rubentem. Quod ex quotidiano deorum imaginum in templis spectaculo fictum ab eo est. Cœperunt deinde post inuentum minium negligere homines, quod paratum vbique erat: translatæque ad ruris disciplinam & necessitates Sambucus & Ebulus sunt. In Sambuco excauata, aureum munus Apollini Delphico Brutus obtulit, quo munere Romani imperii gubernationem promeruit. Hæc ibi ter. Fructus racematim vnico pediculo dependens *Action* vocatur. Corticem quidam *Canopon* vocant. Alii eius florem ita cognominant, vt Paulus. Gallis dicitur nunc *Sus*, aliquibus *Suin*, quod Diosc. Sobin à nostris dicit vocari, notante Ruellio, qui ineptè suo nomine scribit & repetit quæ à Plin. malè vel dicta vel intellecta; de qua re antea.

Sambuci apud priscos honos, & Ebuli.

Action fructus.

Ruell. not.

Amat. apud Auic. l. 2. can. c. 619. Per Sambucum ait se non intelligere Sambucum communem, vel Ebulum, sed *Sambac*, hoc est, Iasminum, vel Violas quas Keiri, Arabes Violas vocant.

Sambac. Iasminus. Keiri. Viola.

Lonicero *Arbor vrsa*, *Stobien*, *Seba* sunt exotica. Guilielmo Saliceto Beza dicitur, teste Dod. Sambucus vmbellifera Anguil. Sambucus arborescens Ryff. Sambucus campestris siue vulgaris, Camer. Germ. Holder / & Holunder, quod excauari facilè queat, cùm habeat medullam fungosam: Alijs Albern. Ital. *Sambuco*. Gal. *Seu*, *Suseau*, *Seba*. Belg. Vlierboom / Vlier. Hisp. *Sabugo*, *Sabuco*. Castil. *Sauco*: Catal. *Sauch*. Portug. *Sambugeiro* & *Sabugueiro*: quibusdam & *Gamuiro* teste Had Iun. Gallobelgis Suyn & Seuin Angl. Eldertre, vel Bourtree. Bot.

Beza.

Zec3. Hung. bozza fa. In post. com. Ital. Matth. cum magnis figuris figura Sambuci trãsposita ponitur sub titulo sambuci montani; mirum idem fieri in com. Lat. cum magnis fig. & in hist. Germ. non sine erroris suspicione.

Lob. pro sambuco alba nouam & diuersam, attamen non necessariam habet, cùm facie tenus eadem sit cum nigra, & vtramque vnà commodè exprimat.

Differentia
Dicamus quædam de differentijs. *Nigram*, hoc
1. est, vulgatam, & *Albam* diximus. Vtramque ob-
Niger. 2. seruarunt nobiscum Dod. Pen. & Lob. item Tra-
albus. 3. gus. Camer. annotat quibusdam in locis viridi-
Viridis. *Rubens.* 4. bus baccis inueniri. Hieron. Argent. in sua A-
Agrestis. 5. podixi Sambuci tres species dicit: *Sambucum*, *Ebulum*, & *Sambucum rubeam*. Et addit quosdam scribere de sambuco agresti omnino incognito. Verùm sambucum esse altum fruticem: Ebulum verò herbam: vnde versus.

Sambucus stellatus, sed Ebulus est bene fatus.

1. Nos præter iam dictas, hoc est, nigram & albam
2. obseruauimus, *Sambucum herbaceam*, quam Ebu-
3. lum vulgò dicunt: *Sambucum racemosam acinis*
4. *rubris*: *Sambucum aquaticam*: & *sambucum ro-*
5. *seam*: quibus si addas *viridem* Camer. septem ha-
6. bobis differentias Sambuci titulo insignitas. Sed
7. *Vulgatissima* historiam persequamur.

Locus. Sambucum aquarum esse accolam iam suprà ex Theoph. dictum, qui eandem alibi minùs durare ait, quòd aquis propinqua nascatur. Nascitur tamen & alibi eodem autore. Non temerè tamen in montibus visæ sambuci, teste Plinio. In Germania sanè inter arbores omnes, vt & Tragus annotat, vix aliam quamcunque reperias vulgatiorem, & quæ adeò sine nullo negotio & plerumque humectis & tenebrosis locis, iuxta muros, sepes alijsque incultis nascatur, atque Sambucus. Creberrima Basileæ & in toto tractu Alsatico. In Italia & Gallia rarior, præsertim regionibus calidioribus, amat enim pinguia. Monspelij tamen etiam obseruauimus. Maturè germinat, cùm tamen frigora patiatur.

Tempus. Ordine naturæ siluestrium, inquit Plin. primæ florent Sambucus, cui medulla plurima, & cui nulla, Cornus mascula, Vrbanarum Malus pòst, vt simul videri possint Pirus, & Cerasus, & Prunus. At apud nos longè præcedit Cornus & Laureola flore deciduo, multò pòst Malus, Pirus, & Cerasus, & Prunus, potissimùm siluestris: Sambucus verò Maio floret, interdum adhuc Iunio, atque adeò paullò ante vites florere solet, ex frigidiore pluuia aut pruina facilè defluunt flores, non sequentibus baccis sinistro apud vulgus omine, ne idem vitibus eueniat. Gemmas & folia tempestiuè admodum protrudit, vt Martio & Aprilis initio. Geneuæ etiam Febr. principio folia exerentem obseruauimus. Appropinquante autumno, maturitate nigrescunt acinj.

Satio. *Cultus.* Ex semine sesamaceo frutices noui progigni queunt, si seratur, teste Trago.

In hortis si colatur, diu viuit, & in arborem satis crassam & proceram euadit: Eam quæ bacculas fert albas primùm vidimus Argentinæ cultam in horto instructissimo D. Frid. Meier, magistri armamentarij primarij, amici nostri singularis, ex qua semina legimus, & in Il. E.C. hortum Montb. seuimus. Multò tamen ante vnicam & eam quidem spõtaneam obseruauit Chelerus Geneuæ in vinearum sepibus Basileæ extra portam Cineream ad dextram flectendo.

Vires & vsus. Hippocratis æuo in medicina celebris fuit *Sambucus*, quo autore, acini poti, acetabuli mensurâ, vrinam mouent. Coxendicibus, mulierum vuluæ morbis, vel earum locellis, plurimùm medentur, etiam semen eius. Manducati verò ac poti, aquas per aluum educunt: folia idem præstant. Hinc idem in doloribus capitis oculorum & aurium à bile ortis folia comedenda, vel succum sorbendum, præcipue ad soluendam aluum deturbandamque bilem. Quidam ex oleo & sale comedunt. *Coxendi-[illegible]*

Dioscor. easdem tam sambuco quàm Ebulo vires assignat, nimirum, inquit, exiccant & aquas aluo detrahunt: at stomachum offendunt. Folia olerum modo cocta, pituitam bilemque purgant. Sed & caules teneri in patinis cocti, eadem præstant. Radix in vino decocta, & in cibis data, hydropicos adiuuat. Prodest & contra viperarum morsus eodem modo pota. Decocta verò ex aqua ad insessum, vuluam emollit, eiusque spiracula patefacit, ac ipsius denique vitia emendat. Acini in vino poti eandem præbent effectum. Denigrant & capillos inuncti. At folia recentia molliaque illita ex polenta, inflammationes mitigant: ambustis & canum morsibus illitu prosunt. Vlcera verò sinuosa glutinant, & iis qui podagra tentantur, cum seuo taurino aut hircino illita prosunt. *Hæc Diosc.* Apud quem dubia lectio in voce ξηραντικὴ, pro ψυκτικὰ quâ aliàs legitur, quam vocem & Marcellus legisse videtur. Sic vertit: siccant, adstringunt, refrigerantque. At Actuar. Sambucum & Ebulum, omissa siccandi vi, refrigerandi facultatem hebere tradit, quod & Plin. confirmat, vt mox dicetur: immò & ipse adeò Diosc. qui & inflammationibus & ambustis adhibet. Quanquam doctissimi Sarraceni iudicio neque Sambucus neque Ebulus per se refrigerare videantur, nisi fortè ex accidenti, dum bilem educunt: calefacere vero vtramque certum est, inquit, licet in primo gradu duntaxat: id quod satis innuit Gal. simpl. Nos quoque Sambucum existimamus minùs nocuam ventriculo, quàm Ebulum. Folia etiam non ita foetẽt, baccæque non tantam euacuandi vim habent, vt Ebuli. Indicio est inspissatus e baccis, quo Germani crebrò vtuntur ad mouendos sudores, & pueris etiã præbent cum pane, quo & quidam non feliciter vsi sunt in iis qui ad hydropem procliues fuere, Germani vocant Holdermus. Coquuntur baccæ ex aqua, & cribro transmittuntur, denuoque coquuntur ad sapæ consistentiam, apud Heluetios vsitatissimæ ad vsus prædictos. *Noxa.* *Vul[illegible] durities.* *Tẽperam.* *Diosc. [illegible] prob.* *Succus inspissatus.*

De sambuci viribus eadem Plinius quæ Diosc. habet: dixerat verò alibi: frigidissima, quæcunque aquatica: lentissima autem, & ideò scutis faciendis aptissima, quorum plaga contrahit se protinus, cluditque suum vulnus, & ob id contumaciùs transmittunt ferrum, in quo sunt genere Sambucus, Populus vtraque. Sed non assentimur hac in parte Plinio omnia aquatica, hoc est, secus aquas aut in ijs nascentia, frigidissima esse: nam nec Sambucum nec Populum, frigidas existimamus, tantò minùs frigidissimas, licet aquaticæ plantę existimẽtur. Nec sufficit ratio à loci natura desumpta, inspiciendus potiùs sapor, odor, & ipsi effectus: fortè Plin. intelligit tantùm de ligno, & non de cæteris partibus. Galenus sanè ad amaritudinem & modicam eius astrictionem respiciens, & huic & Ebulo siccantem vim tribuit, glutinantemque & moderatè discutientem. *Plin. [illegible]*

Galenum quoque sequuntur Fuchs. & Amatus, qui sic infit: Dioscoridi Sambucus & Ebulus refrigerant, ficuti & Actuario: nobis verò considerato sapore, odore, ac operationibus, inuenimus

potiùs

potiùs inclinare ad caliditatem quàm frigiditatem. Quanquam, vt verum fateamur, nusquam legamus apud Diosc. ab eo tradi simpliciter refrigerare, licet ex eo colligi possit, vti dictum antè.

Lonic. error.

Lonic. scribit Sambucum calidam & siccam, qui tamen paulò subdit folia & flores refrigerare, & aquam ex ijs destillatam; parum, hercle, sibi constans.

Aetius Sambucum vstum & Cerato liquidissimo exceptum [sic ille loquitur] illinendum præcipit: augere hoc pilos ait, densare cutem, & defluuium prohibere. Actæ radicem in vino coctam hydropicis exhibendam suadet, νηστεύοντι iubens: & hoc est, inquit Corn. quod Diosc. dixit, ἀποδιδόναι πρὸ τῶν διαιτῶν, id est, πρὸ τῆς διαίτης, manè videlicet, antequam quis cibum capiat. Actuar. inprimis sambucum ad recens ambustum commendat.

Hydrops.

Alberti superstitio.

Albertus tradit, Sambuci ab imo sursum corticem rasum ventrem supernè, contrà infernè euacuare. Adeò superstitionis plena pleraque sint eius hominis placita: Quasi non vtrumque contrario modo rasus cortex id præstare queat, si tales in se vires habeat: simile ferè illud ab Hermol. annotatum: E sabuco magis canoram buccinam iubamque credit pastor ibi cæsa, vbi gallorum cantum frutex ille non exaudiat. Baccæ quoque cum suis granis grato sunt cibo auiculis, potissimùm passerculis, turdis & sturnis.

Buccina.

Auium cibus.

Iudicio Tragi, tam flores quàm folia Sambuci recentia refrigerandi vi pollent: potissimùm verò earum facultatum ait esse aquam è floribus destillatam, quæ vtiliter vtrinque, tam intrinsecus, vsurpari possit. Sed nostram sententiam Galeno & rationi conformem antea diximus. Nec repudiamus reliquas à Trago traditas vires. Radix namque eius vino decocta & pota hydropem potenter exigit. Cortex medius efficacissimus est: quapropter prudentia & consilio opus est, si quando hisce vti velimus.

Corticis vsus.

Prodidit apud Gesnerum vir quidam probus & admodum senex, se huius corticis decoctum cum theriaca duntaxat exbibuisse, eoque plurimos, qui peste infecti erant, sanasse. Nullo præterea alio prophylactico se vsum vnquam, cum tamen sæuissimis non rarò pestilentijs interfuerit.

Turionum vsus.

Turiones siue folia tenera vere lecta, modo quo diximus vsurpata, non perinde sunt efficacia, & imbecillioribus magis conueniunt. Iidem in puluerem redacti, & ex iure pisorum poti, duram aluum emolliunt. Easdem facultates habet aqua è medio cortice destillata. Quædam mulierculæ caseos flore Sambuci quasi condiunt. Flosculorum conditurà Gallos pretiosius acetum facere testatur Ruellius. Sed & è racemorum Succo admodum laudatum & rubrum parare nouimus. & suum habet Lob. Possis & vina ex ijsdem racemis reddere coloratiora, haud sanè secus vt Ebuli baccis id facere consueuerunt in agro Lombardico, notante Scaligero. Et si credimus Camerario Prunus in Sambucum [vt se expertum testatur] insita fert fructus purgantes.

Acetum.

Insitio.

Aqua sambuci (inquit Tragus) illita calorem à Sole profectum restinguit, siue is caput, siue quamcunque aliam cutis partem tentarit. Eadem ardentes & subitos capitis dolores, & quascunq; inflammationes sedat, aduersus ictus serpentum & viperarum vtiliter applicatur, & vlcera in fistulam dehiscentia agglutinat. Succus ex acinis expressus cæruleo colore inficit vestes laneas. Succus è radicis cortice expressus, vomitum valentissimè commouet, & aquam inter cutem pellit, tic este Matth.

Dolores. Inflammationes. Ictus serpentum. Vlcera. Vomitorium.

Hydrops. Vnguentum ad ambusta.

Paratur è Sambuco vnguentum præstantissimum ad ignis ambustiones hoc pacto. Sumito viridis Sambuci corticis, qui statim sub primo delitescit libro, herbacei coloris, libram, olei pluries loti ex stillatitia florum Sambuci aqua, libras duas: ferueant simul aliquandiu, & deinde percolato, & exprimito, & addito ceræ nouæ odoratæ, succi surculorum Sambuci, cuiusque unc. quatuor: rursus vt ferueścant sinito, quousque succus euanescat: tollito tunc ab igne, & rudiculà agitato, omniaque misceto: ad finem addito vernicis liquidæ unc. duas: Thuris albi in tenuem pollinem contriti vnc. quatuor, quinetiam duorum ouorum album, diu priùs cochleari agitatum. Subinde misceto diligenter omnia, & mundo vase asseruato.

Foliorũ puluis.

Sanguinis flux. nar.

Iulepus sambuci.

Aurium dolor.

Ad podagricos dolores experim.

Exusta Sambuci folia, & in puluerem trita, emanantem è naribus sanguinem sistunt. Baccarum sambuci succus à recremento repurgatus, & cum melle optimo coctus ad Iulapij spissitudinem aurium dolores tollit, si calidis imponatur. Sambuci tenerrima folia, quæ primo statim germinatu prodeunt, vnà cum pari pondere radicum plantaginis suillæque axungiæ veteris contrita subactaque podagricos dolores præsentaneo auxilio mulcent. Hæc Matth.

Florum vmbellam domestici nostri polentæ immergunt, frigunt, gratumque inde parant edulium ac salubre. Possunt etiam cibo aliquo permisceri, vel cum ouis frigi, nam blandè deiectionem moliuntur, quod & Dod. obseruauit. Simile quid Platina parare docet illo suo libello de honesta voluptate *Fritellas ex Sambuco* vocat. Caseo trito tum veteri, tum recenti, farinæ parum, ouorum albamenta quædam, lactis aliquid, sacchari plusculum addes, & simul in eodem mortario conteres. Tritis è mortario & in catinum translatis, flores Sambuci integros superasperges & miscebis. Hanc condituram, aut manu aut cochleari, aut aliqua alia forma in patellam inditam, vbi optimum liquamen vel butyrum vel oleum ferueat coquito. Calidè edantur necesse est. Ex compositione quid prosit obsitúe, deprehendes. Resiccati verò flores, simul cum humiditate, purgandi potentiam amittunt: digerendi & attenuandi retinent.

Fritella ex Sambuco.

Aceti Sambuci vsus.

Acetum in quo & hi iam aridi macerati sunt, in cibis ventriculo gratum, appetentiam excitat, crassos crudosque humores incîdit ac attenuat.

Pro duodecim conuiuis in ieiunio, idem Platina tale florum sambuci condimentum parare docet. Ex sicco sambuci flore tres vncias in aqua frigida per horam sines: expressà inde aquâ, dimidiu cum libra ac semisse Amygdalarum mundatarum tundes, addesque excauatum ac molitum panem, selibram sacchari, parum gingiberis: si croceum voles, addes & parum Croci. Hæc omnia in cacabum per setaceum fundes: feruere vbi occeperint, reliquos flores integros indes. Coctum cum aromatibus conuiuis appones. Hoc si noster Labeo non gustu solùm, verùm etiam olfactu reiicit, pectori tamen, hepati, melancholia & hæmorrhoidibus laboranti prodest. Habes apud eundem Tortam Sambuceam.

Condimentum florum.

Pectus. Hepar. Melancholia.

Seminis facultas.

Purgans egregium.

Seminis Sambucini facultas, autores Dod. paullò quàm reliquarum eius partium mitior. ventrem quoque mouet, & humores aquosos detrahit in puluerem redactum, & drachmę pondere

exhibitum. Recens collectum in aceto id macerari expedit, ac deinde resiccari, commodè fæcis vini aridæ par pondus, & non nihil seminis Anisi; sic etenim citra omnem molestiam potentiam suam exercet, & hydropicis subuenit. Continuis autem aliquot diebus exhibendum, cum modico vini, quibus placet.

Reponendi modus. *Hydrops.*

Bouius mirabilem, inquit, comperio virtutem & efficaciam in semine Sambuci & Ebuli: soleo dare de his duas aut tres drach. optimè tritas, mixtas cum Zuccaro rosato, aut diantho, aut Diamarindo, aut simili aliquo medicamento ægro grato, delicatulis do drach. Ol. horum sem. extracti per express. cum vino odorato aut iusculo. Mira eius efficacia in phlegmaticis naturâ, aut per accidens, & in hydropicis: colliguntur baccæ maturæ priusquam flauescant; Aut siccentur. Detractis pediculis, imponuntur in aquam multam, confringuntur, postea inclinato vase, effunditur aqua, ac noua affunditur: & iterum effunditur, id toties fit donec semina munda remaneant, quæ deinde siccantur & reponuntur. Semen primi anni mouet vomitum, secundi minùs, tertii adhuc minùs, sed per inferiora purgant multam pituitam & serum. Gesnerus è baccis Sambuci & Ebuli liquorem aq. vitæ similem destillari posse credit.

Mirabilis seminis Sambuci. *Hydrops.* *Vomitus.* *Aq. vitæ.*

Nouellorum ramulorum medulla qualitatis expers est: hæc resiccata, atque nonnihil compressa aut contorta, ad fistularum angustiora ora dilatanda imposita, conducit.

Medullæ vsus.

Scribit Camer. succum acinorum admixtum iusculo gallinæ, in quo multùm radicis Petroselini decoxerit, & expressum, plurimùm conferre Hydropicis. Cortex medius scabie vexatis vtiliter administratur. Flores odorati, inquit Schuuenckf. caseis inseruntur. Sacchаro etiam ad hepatis affectus conseruantur. Rob ex succo baccarum per se vel cum saccharo parato plebecula vtitur in alui fluxibus biliosis & Dysenteria. Nuclei abstergunt ac per aluum & vomitum purgant vehementer. *Rusticorum medicina.* Ex granis, vt docet Quercetanus in Pharmac. Dogmat. Sambuci fit extracti genus, siue sapa quædam hydropisi congrua & salutaris, Chymici vocãt Extractũ granorum, actes, cuius præparatio sequentibuss verbis continetur. Collige magnam copiam granorum Sambuci optimè ad vmbram exsiccatorum cæterisque omnibus abiectis sola grana accipe, quibus ad mediam partem imple matracium magnum cum longo collo, superaffundendo fortissimum spiritum vini, acidulum redditum cum liquore acido vel vitrioli, vel, Sulphuris, vt materiam tres quatuórve digitos supernatet. Vase clauso vt nihil expiret, fiat digestio in B.M. per 5. aut 6. dies, donec spiritus vini in colorem rubini tinctus apparuerit, quem separabis per inclinationem, cauendo, ne quid ex fæcibus aut turbulenta materia simul transeat. De qua tinctura iam, non etiã separato priùs menstruo, hoc est, aqua vitæ, quæ sine corruptione aut alteratione ulla diutissimè adseruabitur, & cui, si voles addes parum sacchari gratioris gustus causa. Exhibemus semicochlear argenteum, aut cochlear plenum, mulieribus, quæ ex vteri præfocatione miseris modis excruciantur, & subitò effectus sequitur exoptatissimus. Ex improuiso enim & quasi miraculosè expergiscent, pristinæque valetudinis integritati restituentur, estque *Specificum hystericum.* Rursus si velis, separa inde aquam vitæ per Alembicum in balneo vaporoso, donec in fundo remaneat extractum rubicundissimum de quo exhibebis scrup. 1. pro dosi: idque dissolues in sua propria aqua destillata, aut in quibusdam aliis conuenientibus, aut vino albo quod inde rubescere incipiet. Hæc *usque Quercetanus*, cuius verba de verbo aduerbum recitare nobis visum est, vt habeant Chymiatri sub hoc exemplo veluti tractatum integrum parandi extracta, eadem enim ratio est reliquorum. Ebuli sc. baccarum Iuniperi &c. sicque elicere poteris ex hoc nostro Thesauro totam artem Chymicam, nec non pharmaceuticam, vbi dabitur occasio. Sunt qui & Oleum parent ex infusione florum, vel iis in oleo decoctis. Folia contusa scabiei & digitorum Paronychiis imposita breui sanare tradit Lonic. Folia & baccas ex aqua salsa decocta, tollere tumores pedum. Corticis vsum potissimùm seruibus vtilem esse ad absumendas humiditates superfluas. Odorem capiti molestum esse & ex facili sanguinis fluxum narium ciere, potissimùm ab homine calidi temperamenti odoratum. Constat & nobis Sambuci tam foliorum quàm florum odorem aliquibus molestum esse, & caput tentare. Superstitiosum verò illud eiusdem putamus, quando ait: si Sambuci surculus capiti equi imponatur, non nociturum etsi si bibat in æstu. Quæ enim huius rei ratio esse queat, & quis adeò confidat ei, vt contrarium euentum non metuat?

Hydrops. *Scabies.* *Diarrhœa. Dysenteria. Purgans. Extractum granorum maturorum Sambuci.* *Tinctura.* *Dosis. Vteri suffocatio.* *Extracti dosis.* *Oleum sambucinum.* *Scabies. Paronychia. Tumor pedum.* *Nares.*

Triplicis aquæ modum & vsum habes: ex cortice viridi: ex foliis, ex floribus. Primæ vsus ter iteratus in die ad vnciam vnam & semis, nẽpe manè, circa meridiem & vesperi, apprimè prodest hydropicis. Trium vnciarum dosi pota à ieiuno, potenter sed sine noxa aluum cit: & itidem hydropicos leuat. Extrinsecus admota calores euocat. Secunda æstuantibus tibiis ac pedibus & corruptis fracturis multa & iterata lotione spontaneaque exiccatione benefacit. Tertia manè & vesperi ad vnciam vnam & semis hausta, remollit pectus, & in eo infarctus, tumores hydropicos & oedematosos exhaurit, hepatis obstructiones reserat Lienis ac renum, tertianam abigit, fluxus Melancholicos emendat, & stomachum confortat. Trium vnciarum pondere sumpta egregiè & absque molestia purgat, & alleuiat corpus. Oculis infusa, ardores extinguit. Manus tremulas sæpiùs iterata lotione firmat. Vetera & frigida vlcera sanat, si linteo in ea madefacto sæpiùs foueantur. Placet Cæsalpino flosculos panibus inspergi cum oleo. Sambucum multas virgas ferre à radice dicebamus: ideò ad hortorum septa à nonnullis quæritur, quamuis non magnam firmitatem habeant. Ex virgis parantur commoda candelarum emunctoria & retinacula foliorum librorum apertorũ. Curtius pollicetur aquã macerationis [malimus decoctionis] cauliculorum aspersa, necari pulices: foliorum decocto abigi muscas. Inuenit & inter pastores gratiam calamus Sambucinus, ex eo canoras buccinas, tubasque conficientes, utilioresque in eo vsu existimantes, vt iam priùs obiter attigimus. Denique quouis anni tempore nihil aptius inuenias ex quo citiùs tubulos vel canaliculos conficias ad quosuis vsus, quàm ex virgis Sambucinis.

Triplex aqua, & earum vsus. *Æstus pedum.* *Fractura.* *Tumores.* *Hepatis obstruct. & Viscerum. Tertiana. Purgans. Manus tremula. Vlcera vetusta. Edulc.* *Aduersus pulices.*

SAM-

SAMBVCI FVNGVS.

Descriptio. ADnafcuntur vt annotat Tragus interdum Sambuci veteris præfertim radicibus fungi quidam incani, quos gummi quoddam vocat Dodon. & fruticum caudicibus quoque adnafci ait, molle, nigricans, tenue membranofumque, hominis auriculam quodammodo fubindè referens, quod ablatum reficcatumque contrahitur ac durefcit.

Excrementum corticofum. Locus Iuda aures. Huiufmodi & nos aliquando è ftipite nafcentem obferuauimus, fed fungi potiùs membranacei fpecie, quàm gummi, & colore nec albi nec nigri, & obfoleti, hoc eft, ex vtroque quodammodo mixti.

Pena, & Lobel. excrementum corticofum vocant coriaceumve, & annofis arboribus apud Boreales præfertim accrefcere tradunt, multis dotibus cognitu digniffimum, plebique Angl æ & Germanæ *Iuda aures* vocatum, propter effigiem auris, quam cartilagineo plexu multis plicis & mæandris æmulatur: fed colore pullo, prædurum, aquis in erfum mollefcens, fpongiæque ritu tumens, guftu penè infipido, cutis elixæ aut corii.

Vires & vfus. Fungus Sambuci, & Auricula Iudæ ad imam Sambuci caudicis fedem oriens. Germ. Holunder Schwemlin: Kraen holderschwam. *Dolor cap. Inflāmatio.* Acini rubri in aqua florum Sambuci aut rofacea priùs macerati, deinde impofiti maximè conducunt ad ardentes & fubitos capitis dolores & quafcunque inflammationes, tefte Trago. *Inflammatio oris & tonfillarum. Columella laxata.* Adftringendi ac reficcandi vim obtinet, vt vult Dodon. dilutum eius in quo paucis horis maceratum fuerit collutione ac gargarifatione oris tonfillarumque incipientes inflammationes fedat, & collumellam laxiorem reprimit: *Ad anginam caputim.* quin &, fi Pen. & Lobel. credimus, Anginis certiffimo experimento utiliffimum, & tumoribus intus forifque nunquam fatis laudatum. Lonic. *Aqua.* aquam ex eo deftillare fuadet, aut ipfos etiam in aq. rof. maceratos inflammationibus oculorum efficaci remedio infundere, & imponere. Annotat Camer. præcipuæ notæ medicum quendam eofdem pulucrifatos aduerfus hydropem propinaffe.

SAMBVCVS LACINIATA.

Descriptio. SAmbuci elegantiffimā fpeciem foliis admodum fiffis, & multùm laciniofis, vidimus in cultiffimo horto Robini Botanici Regii, Lutetiæ à quo & femina accepimus pro horto Illuft. Ex Wirtemb. Flores alioqui & baccæ iam defcriptæ vulgari, quæ baccis nigris eft, fimillima.

Eandem & Dod. & Lob. obferuarunt. Hic fpeciatim in hortis Belgii. Teber. Germ. Holder mitt außgeschnittenen blettern

EBVLVS SIVE SAMBVCVS HERBACEA.

Cap. XXIV.

Defcriptio. EA Ebulo magnitudo vt inter herbaceum genus & frutices ambigere quis dicat, veriùs tamen de tribu herbacea, adeò tamen Sambuci æmula, vt illius nomen pumilæ adiectione apud Græcos, fub voce χαμαιάκτη, promeruerit: fiquidem non vt illa in arborem grandefcat, rarò hominis proceritatem æquans, plurimùm infrà fubfiftens, & magna ex parte fefquicubito non altior: caule herbaceo, ftriato, Sambuci ritu medullofo, hibernis menfibus contabefcente: *Folia.* ad quam accedunt & folia, ordinatiùs difpofita, è tribus quatuorúe coniugationibus ad rachin annexis, impariique extremo folio compofita, odore grauiore: *Flores* quorum fingularia Sambucinis longiora, acutiora: pares tamen vmbellæ albæ flofculorum quinquepartitorum, odoratorum, & nefcio quid nucleorum Perficorum magnatis fpirantium, fed efu vix ferendorum, ferrugineis apicibus, quos ftamina fuftinent candida: *Acini.* quibus fathifcētibus acini fuccedunt per maturitatem nigri, & thorulis multis angulofi ante maturitatem, & penè trianguli, poft verò magis rotundantur, fucco fuo manus rutilâ quadam purpurâ inficientes, *Semina.* femina continentes terna, altera parte gibba, altera angulofa. *Radix.* Radix longa, digitalis craffitudinis, non lignofa, latè fparfa.

Hæc Diofc. ἀκτῆ ἄλλη ἤτοι χαμαιάκτη dicta, humilis eft ac longè Sambuco breuior, & ad genus herbaceum [ἑτεροειδέστερα] propiùs accedens, caule quadrangulo, crebris diftincto geniculis: foliis per interualla circa fingula genicula vtrinque expanfis, iifque Amygdalinis, at in ambitu ferratis, longioribufque & graui odore. In cacumine verò vmbella, flore ac fructu Sambuci. Radice nititur longa, craffitudine digitali.

Helion. Plinio Sambuci alterum genus, magis filueftre, quod Græci Chamæacte, alii Helion vocant, multò breuius. *Et alibi* Acte, quam quidam effe Ebulū putant. *Acte. Actæa.* *Rurfus alibi*: Actæa graui odore, caulibus afperis, [angulofis vet. quædam exēpl. legūt Anif.] tefte Hermol. geniculatis, femine nigro, vt Ederę, baccis mollib. Huius Virg. quoq; meminit in Gallo.

Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipfi
Sanguineis Ebuli baccis minioque rubentem.

Cuius rei originem & Veterum confuetudinem diximus antè. Baccas quoque florefve Ebuli aut Sambuci videtur intellexiffe Plaut. cùm dixit in Captiuis: Laridum atque Ebulum foueri foculis feruentibus: nifi quis herbulas in eo verfu lectitare malit: aut quod propius eft verò, epulas.

Hermol. hanc aut valdè fimilem putat effe quã n Plin. Actæam vocauit: nos eandem cēfemus

igitized by Google

quamuis Leonicenus diuersam opinionem tueri videatur. Idem Hermol. Sabucum pumilam vocat.

Sabucus pumila. Mecon Aphrodes. Apul. not.

Chamæacten, inquit Apuleius, alij *Chamæsycen*, alij *Mecon Aphroden*, alij *Agrian Acten*, alij *Eubuicen*, Galli *Durbie*, Daci *Olma*, Itali *Ebulum* vocant: ramis rotundis, (nobis striati & angulosi obseruati) digitalibus, terræ prostratis (surrecti sunt, quamuis humiles, & paruli) succo plenis, folijs lenticulatis, fructu siue semine rotundo, radice tenui. Vt videas Apuleium hoc loco manifestè duas diuersas plantas, & nomine & descriptione cõfusas miscuisse: vnde insignem rei herbariæ ignorantiam cernas Apulei, tam differentes, & vix quicquam commune habentes herbas, Ebulum inquam & Chamæsycen confundentis; hinc factum vt à viribus quas ille recenset, transcribendis nobis temperauerimus, ne fortè posteritati cum ipso imponeremus, qui ipsemet nesciuit, quid scriberet, vt taceamus vanitatis plenum illud remedium (si Dijs placet) quod ad colubri morsum ex Ebulo præscribit.

Serapio nihil habet de Ebulo præter ea quæ à Diosc. tradita, & nomina præced. cap. allegata.

Sambuci 2. genus silu. Thamiates. Sambucea. Hieblum.

Platina in opusculo suo de honesta voluptate, sambuci alterum genus magis siluestre dicit, additque alijs Thamiatem, alijs Ebulum vocari.

Ruell. Acteam quasi Sambuceam interpretatur, & Gallis *Hieblum* dici ait: *Meation*, Brunschueig.

Plin. not.

Iniquè fert Curtius Ebulum à Plin. & alijs quibusdam Sambuci 2. genus statui, seque scribit inter frutices, quòd herba sit, ne numeratum quidem. Age verò sit herba: at ideò non negabit, opinor, Curtius, & specie, & viribus sambuco simillimam, vt nihil in eo peccatum sit, si vel Sambucum 2. cum Plin. vel humilem cum Diosc. vel Sambucum herbaceam, nostro titulo vocitemus.

Plin. defend. contra Curtium.

Heliosacte silu. Euboicá. Sambucus. Chamæacte. Actæa. Kameactis. Heliosacte. Agria acte.

Heliosacte silu. aut Euboica Sambucus, Trago, qui & sambucum æstiualem dici posse tradit: Summer holder aut Heilender. Chamæacte (χαμαιάκτη) Galeno: & Paulo: Kameactis Arab. *Durone* & *Olma* Barbaris, teste Lonic. ἑλιοσάκτη, ἀγρία ἀκτῆ & εὐβοϊκή: *Ebulus* & *Ebulum* Lat. Dod. Pumila humilisue sambucus Diosc. Pen. & Lob. Germ. Attich: Burtzer feldtholder: Niderer holder. Belg. Wilde Vlier / haddick: Gal. Hieble: *petit Sambucus*, Valeriol. It *Ebulo*. Hisp. *Hiezguos*, vel vt Castil. *Yezgos*, *Sabuco pequenno*: Portug. *Engos*: Angl. Walwurt / & Blotwurt / & Dauwurt: Boh. Chebdi. Vngar. fodi bozza.

Locus.

Nascitur in opacis aquosisque locis, atque etiá asperis, si Plin. credimus. Læto gaudere solo Colum. testatur hoc carmine:

Atque habilis natura soli, quæ gramine læto
Parturit & rutilas creat Baccas.

Sic passim Germaniæ, Heluetiæ, Galliæ, ac Italiæ, potiss. Lombardicæ videas nasci vdis, incultis & palustribus locis, sæpissimè ad aruorum margines, florentem Iunio & Iulio, baccas Augusto & Sept. maturantem.

Vires & vsus.

Quas Diosc. Ebulo vires assignat, cap. præced. diximus, qui easdem ei cum sambuco tribuit. Plin. quoque vtriusque iunctim tradit, quando sic scribit: Sambucus habet alterum genus magis siluestre, quod Græci Chamæacten, alij Helion vocant, multò breuius. Vtriusque decoctum in vino veteri foliorum, vel seminis, vel radicis, ad cyathos binos potum, stomacho inutile est, aluo detrahens aquam. Refrigerat etiam inflammationem, maximè recentis ambusti: & canis morsum cum polenta mollissimis foliorum illitis. Succus cerebri collectiones, priuatimque membranæ, quæ circa cerebrum est, lenit infusus. Acini eius infirmiores, quàm reliqua, tingunt capillum. Poti acetabuli mensura, vrinam mouent. Foliorum mollissima ex oleo & sale eduntur, ad pituitam bilemque detrahendam. Ad omnia efficacior quæ minor. Radicis eius in vino decoctæ duo cyathi poti, hydropicos exinaniunt, & vuluas emollit, & folijs insidentium decocta. [al. & foliorum decocta insidentium] Caules teneri minoris Sambuci, in patinis cocti, aluum soluunt. Resistunt folia & serpentium ictibus in vino pota. Podagricis cum seuo hircino vehementer prosunt cauliculi illiti. Iidemque in aqua macerantur, vt eâ sparsa pulices necentur. Foliorum decocto si locus spargatur, muscæ necantur. Cortex interior tritus, ex vino albo potus, aluum soluit. Idem alibi: Ebuli quoque quem nemo ignorat, fumo fugantur serpentes. Ebulum tenerum cum folijs tritum, ex vino potum calculos pellit, impositum testes sanat. Inter ea quæ hydropicos sanant, habetur Ebuli recentis radix, excussâ tantùm, nec colluta, quantùm duo digiti comprehendant, ex vini veteris calidi hemina. Et mox: Actæ quam quidam esse Ebulum putant, radice contrita in vini cyathis tribus, si febris absit: vel semine ex vino nigro. Præcipuè tamen Chamæactes succus aptissimus creditur. Et rursus: Ebuli folia contrita, & è vetere vino imposita, etiam boam sanant, id est rubẽtes papulas. Datur & Actæa acetabulo pleno interioribus fœminarum morbis. Si verum est Ebulum refrigerare, vt vult Plinius, non consultum est applicare morsui canis, vt Diosc. facit, qui semper suspectus esse debet, non enim est tutum frigiditate occludere vulnus, & repellere ad interiora.

Stomacho nocet. Purgat. Ambusta. Capillorum tinctura. Vrinæ mouent. Purgat. Pituita & bilis detrah. Purgant. Serpentium ictus. Podagra. Purgans. Calculus. Testium tumor. Hydrops. Boa. papulæ.

Scribit Platina florem Ebuli in cibariis sumptum, hepaticis, spleneticis, cardiacis atque hydropicis prodesse. Nos nollemus cum Platina in cibariis dare flores ob ingratitudinem.

Morbi fœminarum.

Gal. huic, vt & Sambuco potentiam tùm desiccandi tùm conglutinandi, modicéque digerendi tribuit.

Tẽperam.

Ebuli semen vt prodidit Matth. per diutinas aquæ lotiones à nigro circumstante succo expurgatum, datur vtiliter drachmæ pondere ex Chamæpytios decocto, podagricis, ischiadicis, & Gallica Lue laborantibus: mulcet enim delectoria vi mirificè corũ dolores, cùm humores eò defluentes tum reuocet tum deiiciat. Sunt qui Ebulo albugines ictusque oculorum sanent hoc modo. Ebulum contundito, eiusque succum penna in oculum instillato, per triduum, & persanabitur. Sunt etiam qui ex Ebuli radicibus succum eliciant, insolentque subinde, & in pastillos redigant, seruentque ad vsus. Hic clistere infusus tam intestinorum, quàm coxendicum dolores tollit à frigiditate & flatu genitos. Supponitur conuenienter fœminarum locis ad euacuandos menses, presertim si lana exceptus intromittatur. Suffiuntur Ebuli decocto commodè ii, qui diuturna tussi vexati ad malum deuenerunt habitum, si tamen ventriculus & iecur interea roborẽtur odoratis adstringentibus, & ad id conferentibus medicamentis. Stillatitia cùm Ebuli tum Sambuci radicum aqua hydrope timpanite laborantes mirificè iuuat, si huius quaternas vncias, illius verò binas vtriusque simul mistis hauriant affecti, diebus triginta continuis. Illitus Ebuli radicum succus procidentem sedem reprimit, & anginã tollit, vbi circa gulam calidum cum linteolis illina-

Podagra. Ischias. Pastilli. Intestin. & coxendicũ dolor. Menses. Timpanites. Ani procidentia. Angina.

linatur.

Temperã. Cautio. Noxæ. Temperamentum, inquit Dodon. Ebulus habet calidum ac ſiccum, vtrumque ordine tertio, & facultatem non modò, quam ei Gal. tribuit, digerendi exiguam; ſed & purgandi per aluum eximiam & validam habet: efficaciſſimæ radices ſunt: folia digerendi ac diſcutiendi potentiâ præſtant. Educunt autem radices non modò pituitam, verùm & aquoſos potiſſimùm humores: vtiles iccirco ad hydropicorum purgationes, vti dictum, ſed tamen correctæ, & vbi vires ſuffecerint. Purgant enim cum moleſtia: Ventriculum ſubuertunt: interioraque viſcera omnia perturbant. Malè omnibus vſus earum ſuccedit, quibus hepar obduruit: vt quando ex regio morbo Aſcites ſucceſſit. Scimus cuidam nobili fœminæ, arthritidi obnoxiæ, & quæ non facilè medicamenta aſſumebat, ſæpiùs de ventriculo conquerenti, cùm in purgatione ſemen Ebuli additum fuiſſet, excitaſſe magnos dolores ventriculi & moleſtum vomitum. Quamobrem nec temerè, nec niſi valdè robuſtis ex Ebuli radicibus medicamentum aut potionem dandam cenſet Dod. Acinos verò ait, & ſemina multò clementiùs ac minori cum moleſtia purgare, præſertim priùs aceto infuſa, ac deinde ſemine Aniſi vel alijs aromatis vnà permixtis. Radix in vino decoquitur, ſi cauſa morbi frigida, & febris abeſt: aliàs pro affectus natura temperanda potio eſt. Folijs tumores oedematoſi diſcutiuntur, cataplaſmatis vel fomentis additis.

Obſeruatio.

Acinorum præparatio.

Oedem. Lacuna longè maiores vires tribuit Ebulo, quàm ſambuco, traditque magnam habere proprietatem ad mitigandos iuncturarum dolores, & reſoluendos membrorũ tumores, potiſſimùm à frigiditate obortos: eius radicis decoctum ad tres quatuorúe vncias, calidéque potum omnis generis obſtructiones reſerare, quamuis noceat ventriculo. Paululùm ſpicæ Nardi addendum ſuadet. Folia & radices coquit in forti lixiuio aut aceto, addito ſale; & cum eiuſmodi decoctione calida fouendum iubet ventrem hydropicorum totum & pedes ſpongijs: non eſſe præſtantius remedium in eo caſu. Imponit poſtea & folia.

Vnguentũ ad Arthritidem. Parat & vnguentum hoc modo. Vncias duas ſucci radicis, totidemque ſucci foliorum & cum ſex vncijs olei Chamæmelini decoquit ad ſuccorum conſumptionem, tandem & ceræ vnciam ſemis addit & aliquid aceti roſacei ad maiorem penetrationem. Vnguenti huius efficaciſſimam pollicetur vim ad reſoluendas omnes humorum ſuperfluitates in doloribus podagricis cuiuſcunque membri, ſiue à frigida ſiue à calida cauſa obortis.

Oleum. Oleum etiam paratur ex Ebulo, quod apprimè conueniens eſt in quouis articulorum dolore mulcendo, ſi eo articulorum regiones, iuncturæque illinantur. Oleum quidem præparat Bouius ex ſemine Ebuli per torcular, mirabilis, vt affirmat effectus: conſueuit dare ægris drach. cum medio cochleari juſculi. Vt verò paret oleum diligenter, terit ſemen, aſpergit pauco vino albo, dein torculari ſubjicit. Ex li. 1. ſeminis Ebuli, extrahitur Ol. vncia.

Vt porrò, quod equidem Fernelius teſtatur, Sambuci & Ebuli contuſa folia & appoſita ambuſtæ parti perſanant, ſic & Oleum, ſale tamen addito. Ebulus, inquit idem, meth. meden. calidus ac ſiccus ordine ſecundo, hydropicorum aquas facilè per aluum deducit, nonnunquam & vomitione reijcit. Eſt autem ventriculo aliquantum ingratus, ſucci vis efficacior purgat vnciæ vnius

Pyretis.

pondere. Elicitur autem vel è radice, vel è mediano cortice ſtipitis contuſo, affuſa aqua hordei vel vuarum paſſarum, cum Cinnamomi, vel nucis Moſchatæ momento & cum Sacchari. Coctura vis eius purgandi perit & exoluitur, neque, vt Dioſcorides ſcribit, eam perſiſtere vſu compertum eſt; Fructum nonnulli condiunt duplo ſacchari & Cinnamomi parte octaua, exhibentque vnciam vnam: acinorum verò drachmã vna tuſa, idem ex mulſa aut vino albo præſtat. Sambucus eodem temperamento iiſdemque pollet viribus, ſed Ebulo aliquantò infirmior. Inter ea quæ aquas ducunt ebulus imbecillis & prægnantibus, ſed ne temerè quidem decerni poteſt.

Succus. Doſis.

Conditura.

Lonic. quoque non eſſe aliud efficacius & præſentius remedium ſcribit ad hydropem, quàm Ebuli radix, ſi ex ea bibatur. Eandem & in tuſſi frigida celebrat. Folia ex aqua cocta, & ea pota tuſſim ſiccam ſanare promittit, & conferre anginæ. Item ad vuulam, addito in eius decocto Pyrethro. Succum Ebuli cum puluere Tithymalli radicis, addito ſaccharo, quotidianis febribus commodum medicamentum prædicat: Eius tamen vſum minùs tutum & non niſi magnâ cautelâ adminiſtrandum cenſemus. Folia podagricis doloribus impoſita, eos mitigare ait. Aqua deſtillationis foliorum ad vncias duas aut circiter, aluum mouet. Eodem modo manè & veſperi pota hydropicos tumores exhaurit, quotidianam febrem abigit, & laterum dolores mitigat. Prodeſt & extrinſecus linteaminibus in ea madefactis impoſita. Cento experimentorum Wirtembergicus inter alia habet, Ebuli radicis in vino contuſæ ſucco ſæpiùs abluto capite, criſpari capillos. Io. de Monte Experimentum eſt, ſi capra nutriatur Ebulo per diem & noctem, lacte eius ventriculum repurgatum iri. Camer. annotat, mures fugere Ebulum. In Vicentinis, & Taruiſinis refert Scal. olim vina ex Ebulo fieri conſueſſe coloratiora: alioqui plebeculæ minùs venalia.

Tuſsi frigida. Angina. Cautio. Feb. quotid. Criſpat ca pillos. Purgans lac. Aduerſus mures. Vina mo... rantium.

SAMBVCVS RACEMOSA, ACINIS RVBRIS.

Cap. XXV.

Quanquam cum vulgari Sambuco multa habeat communia, ſic vt floribus aut baccis vidua, in re Botanica non verſato facilè imponere poſſet, folijs tamẽ eſt paullò minùs fœtidis: at in floribus & baccis clariſſimũ diſcrimen. Flores enim nullam vmbellam faciunt, vt in vulgata, ſed in racemum oblongum digeſti, ſtellati, colore ex albido in luteolũ languente. Baccæ conſimili modo racematim frequentes ſuccreſcunt ex rubentibus pediculis,

Deſcriptio. Folia. Flores. Bacca.

[illegible] per maturitatem [illegible], [illegible] plantis [illegible], progignantur, [illegible] Trago. Matthiolo verò [illegible] succi plenæ. Lonicero [illegible], que [illegible] per Augustum [illegible].

Hanc eandem Cerriam intellexisse censemus, quam describit arborem generis fruticosi, fructum racematim producentem, colore per maturitatem rubeo, non, vt in nostra, nigro. Sambuci genus minus, floribus & baccis in racemo constitutis, Cordo Sambucus silu.& Ceruina, Trago. An Hieron. Brunschueig. in apodix. Germ. apud Brunf. Sambucus rubens, & silu. & agrestis doctorum quorundam? Sambuci 2. genus montanum & silu. Matth. apud quem in post. comm. Ital. cum magnis iconibus cap. 175. figura huius transposita ponitur titulo Sambuci, qui idem error quoq; cõmissus in Hist. Germ. vbi vocatur Sambucus montana. Tertia Sambuci species Alpina, cæterà Sambuco similis, baccis rubris, Turnero. Sambucus montana vel rubra, Gesn. Sambucus cum racemo Anguil. Sambucus montana racemosa Pen. & Lob. qui in edit. Teut. duas icones proponit. Sambucus 4. silu.& Sambucus Ceruina. Dod.

Sambuci genus minus. *Matthiol.*

Alp. vel Montana.

Lonic. eius iconem sub titulo Aceris ponit, Germ. Ahorn: & eandem rursus sub nomine Sambuci Ceruini, quod vtique eius ignorantiæ tribuendum cùm similes errores passim in suo Herbario committat, quippe qui in studio Botanico, tanquam Venator Heluetius in silua Bohemica versatus fuerit.

Plin. quoque montanum sambuci genus videtur cognouisse, cùm in montibus etiam nasci tradat. An Cæsal. Sambuci 2. genus in montibus, vmbellis paruis, baccis rubentibus? Sambucum silu. siue montanam Dalech. eam suspicatur, quam πυγὸς Theoph. significat l. 3. c. 14. quamuis Pygos in versione Gazæ omissa sit. Sambucus ὀρεινὴ aut [illegible] Thalio: qui annontat, in Harcynia Saxothuringica eius folia ignaris vetulas pro Ebuli folijs obtrudere, ac diuendere, atque adeò vulgo Attich vocari. ἀκτὴ ὀρεινὴ Germ. Od alaster: Berchholder / Wilder holder / Waldholder. Hirschholder / Bergholunder.

Pygos Theoph.

Varietas cum baccis albis.

Annotat Camer. in Palatinatu versus montes Bohemicos inueniri interdum cum baccis albis.

Locus.

Matth. teste in montosis & algentibus locis nascitur. Prouenit maximè in opacis vliginosisque siluis, ferarum lustris inuijs, in Harcynia Saxothuringica circa Stolbergam & Honstenium, Thal. in Cotarsiana prope Symphorianopolim agri Lugdunensis ditionis. In Lazonijs ab vrbe Norimberga ad mille passus sitis copiosè crescere testatur Camer. & in Italiæ monte Veronensi Baldo, Anguil. Passim in opacis Comitatus Montbel. & Burgund. siluis & montibus obseruauimus, potissimùm etiam in montibus Lotharingicis, in monte Rossbero circa Massmunster, vbi mēse octobri cum pulchris acinis coccineis, decidentibus folijs videas, quas & Augusto maturas legimus in Lotharingia, & Iunio circa Geneuam in monte *saleue*, & in Rhætiæ pluribus. Veronæ quidam in hortis colunt. Floret mense Aprili.

Satio.

Stipites aliquot ex vicinis locis, in hortum E. C. Montbelg. plantandos curauimus. Tradit & Curtius se in hortum suum (Lugdun.) in ordinem cęterarum decussatarum arborum redegisse, verùm diu non durasse, quòd loca amet opaca, & minus aspernetur.

Cultum aspernatur.

Vires & vsus.

Experimento didicit Tragus Ceruum Sambucũ siluestrem, licet & folium [illegible] magno delectatum inquirere. Solent enim sic stipites plerumque eodem situ occupare: folia vtriusque & tum baccas docent. Vnde intelligi potest, fructus huius frigidioris esse qualitatis ac feris, nedum alijs iumentis & hominibus minùs salutaros obseruauit idem. Ceruum solum folijs harum plantarum vesci, non autem Ceruam, nisi ea prægnans fuerit, & ceruum in vtero gestauerit. Ideo sambucum silu. frigidæ naturæ esse indicat, ita quidem, vt pro Mandragora, si illa desit, vsurpari queat. Sic & Lonic. Sambucus siluinquit, similem naturam habet cum vulgari Solano: frigida est, potiss. baccæ. Somnum conciliat. Multus vsus nocuus est. Matth. scribit vires vrbano sambuco imbecilliores habere: ipse sibi ipsi & prædictis autoribus contrarius: nam in hist. sua Germ. eiusdem naturæ cum vulgari Solano dixit. Camer. quoque testatur, frigidas esse baccas, soporosos reddere edentes, multumque earum esum esse nocuum: Lob. quoque subscribit, & vertiginem quoque inducere testatur, præsertim baccarum esum. Scribit tamen Schuenckfeld. à nonnullis succum baccarum cũ melle ad intinctus coqui. Nos sic paratas non parum mellis calore castigari censemus. Tutius tamen abstinere.

Temperies. *Obseruatio.* *Somnifera.* *Alter Matthiolus.* *Nocumenta.* *Intinctus.*

SAMBVCVS AQVATICA.

CAP. XXVI.

AQuarum amasia, hæc sambuci species indeque cognominata, arbuscula est quinq; aut sex cubitorum altitudine, caudice crassitudine suâ manum cõplente, ligno tenero, candido, fragili, fungosa intus medullâ, polito cortice cinereo obtecto, geniculatis ramis gemellis, ordine vtrinque vno brachiato: ex quorum geniculis folia exeunt lata, angulosa, rugosa, Aceris minoris foliorum æmula, vel Sorbi Torminalis. Flores nonnihil odorati, in vmbella candidi, tam lati aliquãdo, vt pollicis vnguem æquent, quinquepartiti [Trago verò quadripartiti:] sed circa vmbilicum continiti, maximè verò ij qui extimi in ambitu sunt, expanduntur, medijs intra vmbellam exiguis conclusis, seriusque se expandentibus, flauescentibus. Acini rubri seu sanguinei, magnitudine baccarum Spini albi, semen continent planum, latum, rubrum, cordis effigie. Cæsalpino nuclei duo, similes semini Atriplicis, compressi. Hæ baccæ, autore Trago, ingrati planè sunt saporis, ità vt degustanti nauseam & fastidia continua pariant: Matthiolo, vinoso & amaro succo refertæ: Cæsalpino siccatæ vuis passis similes, cum in se-

Descriptio. *Folia.* *Flores.* *Acini Semen.* *Sapor.*

dulcedine austeræ : Cordo baccarum succus Autumno amarus, modiceque dulcis & acetosus est, insequenti autem Vere, cùm hyeme passus factus fuerit, magis astringit. Cortex amari & astringentis saporis.

Opulus. Obierus. An Ruell. Opulus? Corno similis (inquit) arbor arbusto Gallico faciendo idonea : *Obierus* vel *Opierus* apud nos ruri dicitur : Vlmi proceritate adolescit, caudice recto, enodi, rarioribus ramis brachiato, frondibus ferè vitigineis, baccis racematim dependentibus, prima pubertate viridibus, à maturitate puniceis. Vitem Opulus alit: verùm quoniam frondem non habet idoneam, à plerisque repudiatur. Ieiunum solum horret &c. Si *Ruell. not.* Ruell. per Obierum intelligit Sambucum aquaticam vti nobis videtur, male sanè describit: non enim adolescit ad altitudinem Vlmi, nec caudice recto est: is aliquot plantas confundit.

Curtius cap. proprio eandem Opuli descriptionem habet, ex Ruell. vt existimamus, desumptam, citans Varronem & Columellam. Nondum legimus apud hos vel apud alios Opulum ferre baccas: ideò Ruell. & Curtium hanc cum Sambuco racemosa confudisse modò diximus. Nos de *Curtius lapsus.* Opulo alio loco trademus.

Θραύπαλος apud Theoph. l. 4. c. 1. hist. Sambucus aquatica siue Palustris, vulgò (Gallis) *Obier* putatur, vt annotat Rob. Const. cuius opinionis etiam Dalech. fuit, & multi alij vt notat Hist. Lugd. sed hæc coniectura incerta, quum nulla sit descriptio: paucula enim tantùm hæc verba habet Theoph. Taxus quoque & Thraupalus maximè gaudent vmbrosis. Quis inde certi quiddam statuat? Esto hæc igitur vna a nobis pro derelictis habita, sitq; primi occupantis, vt fit quum incerta est vacua possessio, ne omnia occupasse aut tenuisse videamur.

Lycostaphylos. Lycostaphylos fœmina Cordo, qui figuram Tragi habet, cum hac annotatione: nostri Sambucum aquaticam vocant : Saxones lupinam vuam, quod nomen Græcè exprimere voluit Cordus.

Vua lupina. An Anguil. epist. 4. Aceris species 3. dicta κλινότροχον. Patauij & in Patauino agro *Piedoca* & *Platano aquatico*.

Chamæplat. Dodonæi sententia est, de sambuco aquatica siue palustri nihil Veteres memoriæ prodidisse: neque enim Opulum esse, vt nonnullos temerè suspicari contigit : multò minùs Platani speciê. Sambucus palust. vel aquat. flore simplici Gesn. qui fruticem esse ait, & si cicuretur, arbusculā fieri. Nec probat eos qui Chamæplatanum vocant.

Chamæplatanus Acte aquat. siue rosea. Acte & sambucus aquat. siue rosea, Pen. & Lob. & Taber. ἀκτῆ ἔνυδρος. Germ. Waßerholder / Bachholder. Schwelcken / Schwelckenbaum : quibusdam Maßholder / Schneeballen / Tabern. Silesi. Kallinckenbaum, Kallinckenbeer : Belgis Gelders rosen. Gall. *Obier* vel *opier*. Sambucus palustris fœmina, Camer. Sambucus palustris folio Opuli, Cæsalp. Hist. quoque Lugd. negat opulum esse. Patauij cùm essemus D. Presburgius indicauit vocari *clynotrochon* Theoph. Lectirotariam, Sambucum aquat. & Platanum fœminam Guilandino.

Locus Nascitur in siluis & dumetis, & vmbrosarum amœnarumq; riparum quas blandè rigant aquæ accola communiter inter Alnos visitur in Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Italiæ, Pedemontiumque pratensibus, vdis, conuallium que marginibus. A loco & hanc *Acte* nomen sibi asciuisse *Acte.* Lob. memorat. In Heluetia, Burgundia & circumiacentibus locis non rara. Nascitur & in palustribus Pisanis : Basileæ in monte Murensi stirpium varietate Studiosis qui illuc quotannis confluunt clarissimo.

Nos eam in hortum Montb. translatam eleganter topiariò operi, præsertim contegendis *Cultus.* Adonidis domunculis hortorum aptandam curauimus, vbi non inelegans visitur tota hieme, absque corruptione, coccineas baccas ostentans. *Tempus* Vmbellæ cum floribus Maio lætæ conspiciuntur: Autumno baccæ perficiuntur:, nihilominus integra hieme durantes : quo tempore cum reliquæ tum potissimùm Bonosæ aues [haseldhuner] *Animalibus.* summopere eas expetunt, vt non rarò etiam illis inescatæ decipiantur ab aucupibus, notante Trago : cuius iudicio in Eclegmate exhiberi *Vires & vsus.* possent ad vomitiones ciendas. Flores cùm suauiter odorati sint, solent æstate voluptatis gratiâ legi & conclauibus inferri. Matthiolo baccæ de*Vomitoria.*uoratæ vomitionem cient, succo vis inest abstersoria, qui cum melle (inquit Schuuenckf.) ad syrupi coquitur consistentiam, aduersùs tussim, vulgi experimento. Tradit Rob. Constant. nescimus quo autore, Aquatici sambuci destillatos *Ad calculū.* flores ad frangendum calculum efficacissimum omnium esse remedium.

SAMBVCVS ROSEA.

NB Huius Sambuci Icon Errore typographico paulò ante sub titulo Sambuci Aquaticæ posita fuit: Sicut Sambuci Aquaticæ Icon sub hoc.

Descriptio. AMabili florum candidorū magnorum, quinquepartitorū, vnaque se expandentium, glomeratorū, pilæ niueæ (vnde nomē apud vulgus Germanicū inuenit) instar, spectaculo, hortos decorat frugiperda ista aquatica Sambucus: *Fructu caret. Flores albi.* floribus paruis destituitur: cætera præcedenti similis, nisi quòd flores propemodū odore destituti videantur.

Gesnerus annotat sibi relatum etiam purpurei coloris flore Basileæ in hortis reperiri. Verùm *Purpurei flores.* quanquam ibi multoties, & quâ est illic frequentia pluribus hortis viderimus, nuspiam tamen nobis purpureo flore obseruata. At Montbelgardi Anno 1600. in horto E. C. Wirtemb. vbi albam abundè habemus, semel ex improuiso visi sunt ex quadam aeris constitutione omnes flores purpurascentes: qualem colorem in ea antè non obseruaueramus.

Lycostaphylos mascula Cordo. Rosa Menapia, & Sambuci aquatici siue palustris species, Dodo. Sambucus palustris, hortensis flore multiplici albo, Gesn. qui aliquibus Schonballen / id est, Globos formosos nuncupant. Basilienses globos niueos, à figura & colore, Schneballen vo*Tabern. notatus.*cant. Sambucus rosea siue aquatica Penæ & Lob. Sambucus palustris mas, flore conglobato Camer. Sambucus aquat. polyanthos, Gefülte Schwelchen : Item Sambucus 6. rosea, flore purpureo multiplici Tabern. quem non necesse erat

duabus figuris opus suum stipare, vnius eiusdemque plantæ floris colore variantis: quem tamen num viderit dubitamus. Sanè nihil indicat ipse.

Locus.

Cæterùm, tota hortensis creditur hæc, inquit Dod. & culturæ mangonio talis facta, apud Germanos superiores & Belgas haud infrequens hortorum incola. Cordus refert nasci iisdem locis, quibus præcedens simplex, sed in Germania parciùs, ideoque in hortos propter florum elegantiam translatam, præsertim Augustæ Vindel. Ratisbonæ & Norimbergæ. C. Bauh. scribit in Gallijs & Italijs sibi nuspiam visam: nec nobis sanè quod recordemur, nisi in horto instructissimo Robini Botanici Regij, Lutetiæ, (Lugdunum enim & Geneuam à nobis primùm introducta:) Item Vesuntij in cuiusdam Canonici horto, qui perhibebat Gallis *Roses de Gueldres* vocari.

Vires & vsus. Sapor.

De huius vsu & viribus nihil hactenus innotuit nobis. Attamen corticum sapor subastringens est & detersorius cum modica quadam amaritudine: vnde rationabiliter coniicimus, ad eosdem cum præcedenti vsus aptari posse, præsertim cùm eius species & varietas esse videatur.

AZADARACHENI ARBOR. CAP. XXVII.

Descriptio.

IVstæ magnitudinis est arbor, cortice in nouellis læui, in adultioribus scabro & rimoso. Folia Fraxini ferè, serrata, cubito longiora, ex foliolis multis sibi mutuò respondentibus ad costam vnã ramosam adhærentibus constantia, saturè viridibus & nigricantibus, & sub hiemem cum suis pediculis decidentibus. (Clus. Barbæ caprinæ folia comparat.) Flores ex longo pediculo, dodrante maiore, in ramusculorum extremis ad exortum foliorum copiosi, racematim cohærentes, parui, odorati, sapore nullo, ex quinque foliolis expansis constantes: in quorum medio veluti calyx longiusculus, ex purpureo nigricans, in quo stamina. Floribus succedunt baccæ multæ, luteæ, magnæ, amaræ cum dulcedine quadam, initiò virides, maturitate candicantes, magnitudine Mespili Aroniæ, fœtidæ, ingrati saporis, in quibus nuclei duri, eleganter angulosi, nunc pentagoni, nunc hexagoni, medullam continent albam, valdè ingratam.

Folia. Flores. Baccæ. Nuclei.

An de hac Auicennas l. 2. tract. 2. c. 17. *Azedaroth*, id est, *Azedarach* arbor nota, cui fructus similis Nabach [id est Loti quibusdam.] In Rechi vocant Arborem Myrobalanorum &c.

Monachos aliosque qui eandem cum Sycomoro faciunt, reprehendunt meritò Gesnerus & Matthiolus: Bellonius Siliquam nominat, quod miteris, cùm baccas non siliquas ferat.

Monspelij meo tempore, inquit Clus. *Arbor sancta* dicebatur, Pelliceerio Episcopo *Lotus alba* existimabatur, alijs verò *Ziziphus alba*: quam opinionem adhuc retinere magni nominis viros miror, cùm nullas notas habeat, quæ albæ Zizipho conueniant: Italis Herbarijs ineptè & imperitè Sycomorum vocari audio. Bæticis vulgari sermone. *Arbo Parayso*, Castellanis *Ziziphus alba*, Italis *Perlaro* vocari audio. Tripoli, vt notat Rauuolff. *Zenselacht*. Rhazi & Auic. *Astirgar* aut *Astergir* & *Azadaracht*. Lob. & Pen. Adu. *Ziziphus candita Monspel.* quæ perperàm Venetorum Sycomorus.

Arbor sancta Clus. Lotus alba. Ziziphus alba. Monspeliensium & Italorum error.

Apud Hist. Lugd. *Ziziphus alba* Dalech. & Matth. siue *Pseudosycomorus*: Turcis *Thespit*. Eadam icones duas habet, quarum Dalechampii deterior: folia enim falsa.

Dalech. err.

Non parum errarunt, ait Dod. qui Lotum arborem affirmarunt. Tuber Cæsalpino.

Nic. Braun malè **brustberlin**: hac nimirum Germanica voce, quę thoracis bacculas significat, incautis periculum præparans, qui iuiubarum loco in thoracis affectionibus vti vellent. Apage verò istos Rhizotomos cum suis **weißbrustbeerlin**/ quod idem est, ac si albas Iuiubas dicas. Dolendum, hercle, vnicuique statim se Medicum aut Herbarium profitenti, statim fidem adhiberi, cùm in nullo mendacio periculum sit maius.

Porrò *Azadaracht*, teste Bellon. reperitur Venetijs, Patauij & in Syria. Gesnero è semine prodijt: sed dodrantalem spondyli erosa radice perdiderunt. Hieme reponi debet sub tectum. Bellonij curâ Lutetiæ aliquot huius arboris plantæ iamdudum spectari cœperunt. Plerumque visitur in Monachorum claustris & in templorum plateis, si Matth. credimus. Clus. nusquam sponte nascentem vidit in multis Bæticæ viridarijs, atque etiam secũdum vias regias alitur: sed nullibi maior eidem conspecta, quàm Hispali in Regio Palatio. Tota hieme perdurat, nullis degustantibus auibus, vnde facilè venenatam & malignam eius qualitatem intelligas. Tripoli in vrbis plateis ad vmbram excolunt: Rauuolff.

Locus Natiu. Aues non gustant.

Camerario prouenit ex semine.

Vidimus Nemausi elegantissimam arborem cultam, quæ hyemes rigidiusculas tulerat. Sed & Monspelij in horto quodam vidisse meminimus. Alebat & aliquando Platerus Basileæ in elegantissimo suo horto. Nobis etiam ex semine prouenit Montbelgardi in horto E.C. Wirt. Patauio misso, verùm non ritè reposita frigore interijt: Est enim durioris frigoris impatiens. Primùm omnium, quod equidem sciamus, visa nobis Monspelij in horto Celeberr. præceptoris nostri Guil. Rondeletij. Arelatæ in Prouincia maximam arborem ostendit nobis insignis Medicus Valleriola, qui Sycomorum nominabat: postea vidimus Patauij horto publico & alijs baccis onustam mense Ianuar. & Febr. Ferrariæ in horto Ducis (vbi Struthiocamelos tres conspeximus) multas arbores. Folia & flores simul erumpunt mense Iunio. Baccæ autumno maturescunt, totaque hieme in arbore durant, maximè in Italia. Stutgardiæ in horto Ill. E.C. vidimus Iunio & Iulio pulchrè florentem. Elegantem etiam videas Hiedelbergę in horto Electoris instructissimo, qui hieme tegitur. Narbonæ frequens est, teste Lob. Belgis colitur in hortis. Merebatur rara arboris elegantia, paullò specialiùs loca designari.

Batia. Cultus. Tempus.

Azedarach Rhazæ calida & sicca est, conuenit obstructionibus capitis, capillos prolongat. fructus ventriculo valdè nocuus, & interdum perni-

Vires & vsus. Tépetam.

Capitis obstruct. Capillos prolongat. Ventriculo nocum. Aduersus pediculos. Nocumenta. Colica. Febres pituitosa. Aduersus venena. Venenum. Subfrenat Ischiatica. Difficultas vrinæ. Menses retenti. Fœtus. Sanguis congelatus. Morsus venenati.

pernitiosus. *Azedaracth* flos, autore Auic. calidus in tertio, siccus in fine primi, cerebri obstructiones aperit. Aqua foliorum pediculos interficit, capillos longiores reddit, si cum vino caput abluatur. Fructus autem pectori noxius & valdè perniciosus, ventriculo quoque aduersatur, angustiam causans. Confert colicæ corticum eius cum Fumaria & Myrobalanis decoctio: Febribus conferre dicitur phlegmaticis: turionum succus cum melle omnibus venenis resistit: fortè fructus interficit. Pro eo ad augendos capillos ponuntur folia Canabis. *Idem alibi*: *Azeridaet* (Glossa: idem quod Azadaracht) confert Ischiadi, aqua foliorum cum rolo (sapa) difficultati vrinæ & menstruorum, extrahit fœtum, & sanguinem congelatum in vesica: vtilis morsui venenatorum animalium. *Rursus alibi*: (loca supra citauimus.) folia *Azadaracht* interficiunt animalia: idem facit interdum lignum. Remedia sunt vulgaria, qualia aduersus oleandrum præscribuntur. *Hæc Auic.*

Cautio. Sed quicquid ille tradat, nolimus, hèrcle, tam venenatâ plantâ internè vti, quandoquidem non desint infinitæ propemodum aliæ ad eiusmodi vitia vtiles. Placuit tamen hic quoque eius vires recitare ex eodem, donec aliquid certius addiscamus quonam sit referenda. Meritò suadet Matth. vt omnes caueant, qui hanc arborē suis in viridarijs alunt, ne fortè imprudenter se ipsos, aut liberos vel domesticos in perniciem agant. Nam & Rauuolff. testatur fructus admodum nocuos esse, eorumque esu mori canes. Eosdem ne aues quidem attingunt, vti dictum antè.

RHVS SIVE SVMACH.

CAP. XXVIII.



Descriptio. RHus arbuscula est altitudinē hominis superās, paruulis ramis, subhirsuto cortice, potissimùm circa fastigia vestitis, è quibus *Folia.* folia alternatim exeūt alata, Sorbi, quinque aut sex coniugationibus ex interuallo longiusculo dispositis constata, costæ tenui hirsutæ hærentia: singularia folia oblonga, acuminata, hirsuta, serrata. Ramulorum fastigia, *Flores.* inter folia, flores sustinent racematim congestos, Sambucinis similes, (Cæsalpino rubri & minuti.) *Grana.* quos & racemosa grana excipiunt orbiculata, lenticulæ modo compressa, rubentia, medulla exigua, cuticula acidi saporis obducta. Radix haud altè descendit, per summa cæspitum hærens. *Rhous Hipp.* ῥοῦς Hippocrati dicta à coccineo acinorum colore, quasi ῥοδ..., per apocopen, id est, russeus seu coccineus.

Gaza not. Rhus mas & fœmina. Apud Theophrastum Rhóis [ῥοῦς: Gaza, Fluidarum: vtinam tam feliciter quàm nouè:] alia mas, alia fœmina, quòd alia sterilis sit, alia frugifera. Virgas neque longas habet, neque rectas. Folium Vlmeo simile, sed paruum, oblongius, subhirsutum. [...: densum aliquantulùm Gaza: quidam doctus, crebrum aliquantulùm: pilosum, Plin.] Ramulorum nouellorum folia paribus interuallis bina coniugatim disposita ex lateribus ordine seruato prodeunt. Inficiunt (vel spissant) his Coriarii alba coria. Flos albus, racemosus, figura rotundus, cirris cincinnisque vuæ *Theoph. locus restit.* modo capillatus. (... ... ... (sic leg. pro ... corrupta voce) ... ..., quam totam clausulam Gaza transiliit, nesciens *Gaza not.* quid esset, & voce deprauata deceptus.) Quo delapso, fructus cum labrusca rubescit, coaceruatis veluti lentis, multis, ac tenuibus in modum racemi. In hoc fructu osseum medicamentum est, itidem Rhus vocatum, quod sæpè absistit percolādo. (... ...: pro ... quod itidem Gaza omi- *Theop. corr.* sit, atque adeò totum hunc locum iam per se satis corruptum magis obscurauit & mutilum reddidit) Radix per summa cæspitum hæret simplex, vt facilè integra euelli queat, Lignum medullam non habet, (deest in textu, ...) Cæsum non corrumpitur. Nascitur omnibus locis, sed argillosis potis- *Locus.* simùm luxuriat.

Rhus Syria Plinio. Plin. quoque non omnia transscripsit ex Theophrasto: Sed quædam veluti obscura transiliēs. Sic ait: Etiam Rhus Syriæ mascula fert, sterili fœminā, folio Vlmi paulo longiore & piloso, foliorum inter se semper contrariis pediculis, gracili breuique ramo. Pelles candidæ conficiuntur iis. Semen Lēti simile, cum vua rubescit, quod vocatur Rhus, medicamentis (medicamentum. *al.*) necessarium. *Rhus Myrti folio.* *Item alibi*: Nec Rhus Latinum nomen habet, cùm in vsum pluribus modis veniat. Nam & herba est siluestris, foliis Myrti, cauliculis breuibus, quæ venena & tincas [tænias. *al.*] pellit: & frutex coriarius appellatur, subrutilus, cubitalis, crassitudine digitali, cuius aridis foliis &c. [vid. inter vires.] Et mox: Rhus, quæ Erythros appellatur, frutex est: & *Plin. not.* huius fruticis semen vim habet &c. (huius fruticis semen est. Vim &c. Vet.) Ineptè, inquit Dal. Plinius *Plin. excus.* Rhun Erythron differre putat ac distinguit à Rhoë coriariorum. Sed per diuersam lectionem potest Plinius ab errore excusari.

Descriptio Diosc. Rhus obsoniorum. Rhus coriariorum. Diosc. Ῥοῦς ὁ ἐπὶ τὰ ὄψα, ὃν ἔνιοι ἐρυθρὸν καλοῦσι, καρπός ἐστι τοῦ ... ... &c. id est, Rhus qui obsoniis aspergitur, quémque nonnulli Erythron, hoc est, rubrum, appellant, fructus est Rhois Coriariæ, sic vocatæ, quòd eā Coriarii ad spissanda perficiendave coria vtantur. Est verò arbuscula in petris nascens, binûm ferè cubitorum altitudine, in qua folia sunt oblonga, subrubentia & in *Dioscor. corr.* ambitu serrata: (...: vulg. ..., id est, Ilicis: perperàm.) fructus racemulis similis, densus, Terebinthini magnitudine, quadantenus latus, *Cornar. not.* cuius corticosa tunica acinos ambiens perquàm vtilis est: εὔχρηστον. quanquam Corn. legat ἄχρηστον. verùm cur inutilis dicatur cortex non videmus, cùm in fructu potissima pars ad obsonia sit cortex cum sua acida pulpa.

Patet igitur clarè ex Dioscoride ῥοῦν ἐρυθρὸν siue ... ..., & ... ... neutiquam diuersos esse frutices, vt quidam voluēre, ac patebit in progressu: sed eiusdem arbusculæ partes diuersas, diuersis dicatas vsibus. Fructū quippe rubēre coqui olim pro sale obsoniis aspergebāt, vnde eis nomen ... ... inditū: foliis verò ac reliquis

arbusculæ partibus coriarii ad depsenda coria vtebantur, ob id ῥοῦς βυρσοδεψική Græcis dicta: quam Colum. *Rorem sutorium* semel dixit, alioqui & Sc. todepsicos dicatur, vt notat Hermol. qui tradit habere se, vnde hoc *Rhus Syriacum*, (nam in argillosis Syriæ potissimum nasci ait: aliàs vbique) siue vt Colum. & Pallad. appellant *Rhus Syriacus* parum distare videatur ab hoc nostrate, qui frutex excoriatius, & Rhus erythros à colore subrutilo vocatur Dioscor. & Plin. crassitudine digitali, altitudine bicubitali: quanquam Plin. nisi librariorum ea sit incuria, cubitali prodidit. Duo faciunt omnino Græci genera: *Magiricon*, quod additur in obsonia: idem est cum Syriaco, vt opinor: *alterum* quod βυρσοδεψικὸν, id est, excoriatium. (notabis vtrumque ex eadem planta esse, vt antè dictum, vsus tantùm differentes, in quo deceptus videtur Hermol.)

Rhus Syriacum. *Rhus Syriacus.* *Frutex excoriarius.* *Plin. emend.* *Hermol. not.*

Marc. Virgil. in Colum. lib. 9. capit. 13. malè Rorem sutorium legi tradit: Rhun enim non Rorem legi illic oportere. Considerandum igitur qualis sit eius Rhus in Ethruria folio Myrti, illaque quam pani nautico condimenti loco inspergi tradit. Vera Rhus Theophrast. & Diosc. non habet folia Myrti, sed potiùs Vlmi: nullam nouimus plantam folio Myrti, quæ ferat baccas vtiles pro pane nautico præter veram Rhoën, cui non sunt folia Myrti, sed Vlmi. Suspicamur Marcellum non intellexisse quæ scripsit. De Rhoë Myrtifolia Plinii putata, postea trademus. Actuar. in quibusdam compositionibus Sumachum tradit Rhon appellari, quod nomen omnes vsurparunt officinæ, à barbaris emendicatum quibus *Somach* dicitur, quæ vox etiam coriis communis aliquibus locis est: non aliunde, vt credimus, quàm quia ex foliis huius fruticis confecta fuerint.

Marcellus not. *Sumach. Actuar. Sumach.*

Ruell. Rhois descriptiones conuenientes ponit quidem: Verùm in fine addit: rura nostra *Viurnam* appellant, flexu ferè inuictam: vnde satis apparet eum Rhoën cum Lantana confundere de qua postea.

Viurna. *Ruell. error.*

Rhus Culinaria Cordo. oportet autem (inquit ille) enucleatum & pulpam eius accipere. Verùm minùs placet, quando ei Laurinos ramulos alternatim geniculatos tribuit, Per erotem Syriacum Celsi Crinitus intelligit Mannam sed perperàm, vnde nec immeritò à Manardo eo nomine reprehenditur. Manna enim intelligi non potest apud Celsum, nisi inscitiâ rei medicæ Celsus ipse notetur. Quæ enim vis Mannæ nostræ, vt mala vlcera oris, de quibus inibi scribit, per eam sanescant, Sed fortè deprauata lectio Celsi, vt vult Manardus.

Rhus culinaria. *Cordi lapsus.*

Celsii ab errore vindicare conatur Amatus, non solùm Crinito, sed & Manardo ipsi errorē imputans his verbis. Ros Syriacus siue Ciriacus siue Cyrenaicus aut Medicus dictus, Laserpitii succus est. Manardum non minùs ac Crinitum erracertum est: illum per Rorem Syriacum, mannam intelligentem, hunc verò Rhun Sumach dictum. *Hac ille*: temerè, & imperitè, vt patebit legenti ipsum Celsum l. 6. c. 11. à quo Ros, vel (vt rectè legit Plantin.) Rhus Syriacus, præscribitur pueris vel lactantibus infantibus, ἄφθαις aut vlceribus oris laborantibus. Quis verò præscribat Laserpitium. Quare Cornel. Celsum rectè à Manardo interpretatum omninò nobis persuademus.

Amatus reprch.

Cotereau in sua versione Gall. apud Colum. l. 9. c. 31. non benè vertit Benioin: Nos cum doctioribus Rhoën Syriacum legendum censemus. Idem Cotereau lib. 12. cap. 41. Colum. malè vertit *Rousse de Syrie*; vbi traditur conditura ex Cydoniis. In nostro sanè quoque exemplari non benè legitur Roris Syriaci pro Rhois Syriaci.

Cotereau geminus error. *Colum. emend.* *Monachorum error.*

Monachi tradunt Rhos Ponticum quale ipsis Patauij ostensum fuit, habere fructum in racemulis. Verùm suspicamur Monachis Patauij demonstratum Sumach siue Rhus obsoniorum, quamuis dicant: aduerte quod Rhus Ponticum differt à Sumach, quod est Rhus obsoniorum.

Eupatoricam & Ponticam Rhun Damocrates probat vt l. 7. comp. med. ostendit Gal. Eam autem à loco natali sic cognominatam existimamus, non quòd species sint distinctæ: nam & paulò post hunc locum Gal. inter parabilia astringentia recenset *Culinarium & Coriarium Rhoën*, & succum qui ex Syria adfertur. Habetur & apud Marcellum medicum *Rhus marinus*, siue *Rhus Orientalis*: vt etiam apud Colum. Rhoën marinum legi possit, pro *rorem marinum*. Num igitur tot species dicemus si tot diuersa sint nomina, & ea quidem patria?

Rhus ponticus *Rhus culinarius.* *Rhus marinus.* *Rhus Orientalis.*

Nec intellexit Lonicerus quid scriberet, quando Rhois duo genera dicit: Mageiricum, hoc est, Rhus obsoniorum: alterum Byrsodepsicum: & à Diosc. describi arborem: à Ruell. fruticem in Gallia prouenientem: ponitque duas icones, quarum posterior est Ryffij similis, pro posteriore Ruellii, quam ineptè Viburnum vocat, & tamen descriptionem ex Ruell. habet, quæ neutiquam Viburno Ruellij conuenit, sed Rhois est eiusdem.

Ryff & Rasselin not.

Tam Ryffiana quàm Euch. Rosslin. icones nullius momenti sunt.

Etsi autem Galenus, vt annotat Matth. plura Rhois nomina & genera explicasse videatur, vt qui id modò Syriacum appellet, modò Ponticum, modò obsoniorum, modò coriarium, modò rubeum: non tamen propterea censendum, Rhois arbores inter se genere vel specie differre. Rhus obsoniorum nihil aliud est, quàm semen: coriariorum verò nil aliud, quàm folia & fruticis ramusculi. Rhus rubens nihil aliud est, quàm eius semen immaturum, cui maior adstringendi facultas inest, quàm maturo, cuius acini quadantenus nigricant. Syriaca præterea atque Pontica Rhus nihil genere distat ab Italica & Iberica.

Nominum diuersitas non diuersas facit species. *Rhus rubens.*

Hallucinantur ergo Monachi, qui Rhoëm Ponticam alterius esse generis crediderunt ab ea cuius vsus extitit apud Antiquos in obsoniis, Plin. fortè lectione vulgata decepti.

Errat & Fuchsius, qui præter culinarium & coriarium, etiam tertium genus Syriacum inter se omnia differentia putarit.

Fuchs. error.

Fatetur Matth. id, quod Gaza *Fluidam* interpretatus sit, sibi errandi ansam præbuisse, vt putarit Fluidam Theoph. esse eam arbusculam, quæ vulgò Lantana vocatur, ideò postea eundem errorem reuocat.

Cæsalp. error. Synonyma linguar.

Miramur etiam doctiss. Cæsal. separasse Theoph. Rhun à Dioscoridis ῥοῦ & ῥῶς.

Lat. Rhus. Rhus terginus vel tergorarius Cæl. Aurel. l. 4. Chronicar: ita namque minore lectionis fraude cum Had. Iun. legimus, quàm, vt vulgati codices habent, *Vntherginario* incompta & barbara voce pro rhoë tergorario, quo tergora, id est, coria depsere mos est.

Cal. Aurel. locus correct.

Arab. *Sumach, Adurion, Rasbar, Sadikticos* seu *Rasaidicos*. It. *Rhu & Samacho*. Belgæ contracta Arabica voce *Smack* vocant: Itē *Ren, Rin*. Gal. *Roux* vulgò: quibusdam *Change*, alij *Rhon*. Hisp. Castil. & Catal. *Sumaque*: Port. *Sumagre* G. Gerberbaum. Seminis seu

seu acinorum color coccineus flammeusue nomen imposuisse videntur, vt ῥοῦς ἐρυθρὸς diceretur: Semen alioqui ἐπὶ ῥοῦ ἰδίως vocatur.

Locus. De hac arbuscula Italia, potissimùm Gallia Narbonensis, Gallo prouin. & Hispania gloriantur. Speciatim Monspelii vidimus circa castellum nouum locis glareosis & macilentis, Sorbo vulgari adeò similem, vt vix sit internoscere, nisi attentiùs perpendenti. Quo loco multò procerior, quam Diosc. memorat, nascitur, ac penè Sambuci maioris magnitudine, vt obseruauit Lob. Locis Galloprouinciæ aridioribus & ruderosis, desitis, incultis, pumila, & quanta qualisque apud Dioscor. descripta bicubitalis arbuscula visitur. Incolæ territorii Siderocapsæ dicti, copiosè colligunt folia, ad depsanda coria, teste Bellon. Notissimus quoque Rhus nomine Sumach ad Matranum Castellum Mariæ, Lanzanæ & per Vmbram: Anguil.

Clusius in Hispanica sua peregrinatione magnum eius prouentum Salmaticensi agro esse, isticque quæstus gratia diligenter coli obseruauit. Multi, inquit, agri eo consiti, nec minore ibi cura coluntur quàm vineta, alioqui nec tam latè assurgit, aut si cultura absit, degenerat & siluescit. Cultura. Imò non desunt qui vitibus interserant, culturæ compendium quærentes, vt eadem opera cum vitibus fodiantur. Cæduntur singulis annis enati surculi cubitales ad radicem vsque aut summam tellurem, deinde desiccantur, in pollinem rediguntur, & in vsum conuertuntur ad paranda coria, quo vsu in tota Hispania celebratissimus habetur.

Reseruatio. Camerario ex semine prouenit, quemad. & nobis aliquando in horto Montbelg. sata, & multis annis in fictilibus asseruata, hiemeque reposita tandem exaruit. Felix Platerus etiam non repositam hiemes aliquot annis in cultissimo suo horto aluit. Monspelii Augusto florentem vidimus.

Tempus. Tardè fructus suos perficit ad perfectam maturitatem: rubros tamen racemos circa autumni tempus vidimus & legimus ibidem, quos & apud Pharmacopolas diligentiores inuenias, quemad. & ex eo vel foliis expressum succum spissum rubentem, ex Hispaniis, vt putamus, illatum. Alioqui in Germania cæterisue Septentrionalibus prouinciis sponte non nascitur.

Vires & vsus. Iam ex Diosc. dictum, fructus corticosam tunicam perquàm vtilem esse, atque acinorum etiamnum hodiè ad condimenta multus in culinis vsus. Eodem tradente, folia vim habent stringendi, & Acaciæ effectus præbent. Decoctum eorum capillos denigrat: dysentericis infunditur, ab iisdem bibitur, & ad insessum vsurpatur: nec non & purulentis auribus instillatur. Capillorum tinctura. Dysenteria. Pterygia & Gangrænas cohibent folia, ex aceto aut melle illita. Gangræna. Succus elicitur Lycij in modum, aridis foliis ad mellis crassitudinem in aqua decoctis: & is quidem ad eadem ad quæ Lycium conuenit. Quin & fructus eosdem exhibet effectus, ac Cœliacorum Dysentericorumque obsoniis commodè inspergitur. Cœliaca. Contusa. Lingua asperitas. Menses albi. Contusa, desquammata, liuidaque ex aqua illitus ab inflammatione vindicat: linguæ asperitates cum melle abstergit, alba fœminarum profluuia sistit, & hæmorrhoidas sanat, cum querno carbone intrito impositus. Huius quoque dilutum si decoquatur, cogitur coitque ipso etiam fructu efficaciùs. Gummi quoque profert hæc arbuscula, quod Gummi. erosorum dentium cauis inditur ad dolores finiendos.

Cæterùm, Hipp. ad fluorem muliebrem & quemuis vteri morbum Rhoë diuersimodè vtitur. Qua de re si certior fieri cupis, eum consulito. Illud duntaxat examinandum, cur de nat. mul. ad vteros purgandos eius folia præscribat, & fructum ex vino bibendum det. Titulus fortè transpositus, & quædam confusè transcripta. Adhæc non intelligo Hippocratem, quomodo dicat medicamentum sanguinem ex vtero expellere. Fortassis error quidam librarius. Aridis foliis, inquit Plin. vt Malicorio, coria perficiuntur. Medici autem rhoicis, vtuntur ad contusa: item cœliacos & sedis vlcera. At quæ phagedænas vocant, folia trita cum melle, aut illita cum aceto sanant. Fit & Stomatice decoctis ramis ad eadem, quæ ex Moris, sed efficacior admisto alumine. Dolor dentium. Illinitur eadem hydropicorum tumoribus. Semen (Rhois Erythru) vim habet astringendi refrigerandique. Vlcera Phagedæna. Aspergitur pro sale [cum sale. vet. nec aliter sapit palato Cornar. quamuis & sine sale condimentis inspergi possit,] obsoniis. Stomatice. Hydrops. Aluos soluit [malimus, stringit.] omnesque carnes cum silphio suauiores facit. Hulceribus medetur manantibus cum melle: asperitati linguæ, percussis, liuidis, desquamatis eodem modo. Plinij error. Capitis vlcera [vulnera. CH.] ad cicatricem celerrimè perducit: & fœminarum abundantiam sistit cibo.

Tapetum. Rhus, inquit Galenus, fruticosa planta adstringit, desiccat. Nam & Coriarij tinctores ad desiccandum & adstringendum coria vtuntur: vnde βυρσοδεψικὴν Græcis dicta. Porrò medicis in vsu sunt inprimis fructus eius & succus multùm austeræ qualitatis. Consentaneus est vsus particularis ipsi gustus sensui. Fuerit igitur ex tertio ordine exiccantium, & secundo refrigerantium. Vtilem vero præsertim se experimento agnouisse tradit ad crustas, vuulæ inflammationes, aluum fluidam, fluxiones, & sanguinis eruptiones.

Dentes mobiles. Foliorum decoctum vtilissimum habetur ad confirmandos dentes. Colum. ad profluuia alui, apum præscribit vuas passas cum Rore Syriaco, [leg. Rhoë Syr.] pari mensura pinsitas & austero vino insuccatas. Vsus in cibis. Nonnulli Rorem marinum (Rhoën marinum legit Corn.) aqua mulsa decoctum, cum gelauerit, imbricibus infusum præbent libandum. Turcæ, inquit Bellon. habent officinas, in quibus arietum capita & pedes cocti prostant, quos calidos aceto & sale aspersos Embammate ex semine sumach, alliorum succo cum pinguedine optimè conditos ementibus offerre ex tempore norunt. In Heraclea etiam, vbi in vicinis montibus abundat, magnos saccos venales videas huius fructu plenos, quibus contusis cum sale & alliis suis cibis non insuauem gratiam conciliare norunt, asperso hoc condimento tam assis quàm elixis cibis.

Omphacij succed. Notat Syluius Rhois succum esse vice Omphacii in Gallia Narbonensi.

Rhois succed. Rhois vice obsoniis immisceri docet Diosc. immatura Mora sicca & tusa.

Ad vsus medicos verò varia eius habes succedanea apud Gal. lib. comp. med. κατὰ τόπους: quem consule.

LANTANA VVLGO, ALIIS VIBVRNVM. CAP. XXIX.

Hic frutex arborescens est grandis quandoque, licet in amplitudinem magis diffun-



datur quàm in altum assurgat, lignoque constat fungoso & medulloso. E radice summo cæspite uagante ramos digitali crassitudine emittit bicubitales, etiamque longiores, cortice russo, farinaceo, puluisculo consperso, materie paucâ ac viridi, medullâ amplissimâ & albâ. Folia ad Alnum vel potiùs Sorbum alpinam accedentia, opposita, lata, sublonga, crassiuscula, in ambitu crenata, hirsuta,& puluisculo albo, maximè infernâ parte, quæ ob id etiam magis candicat, conspersa, gustu astringente. Flores in vmbella odore florum Sambuci, candidi, caduci, quinque foliis extrorsum modicè reflexis constantes, singuli, in quorum medio stamina quina surriguntur longa, albicantia, apicibus luteis. Quos excipiunt superuenientes baccæ, primùm virides, dein rubræ, per maturitatem nigræ, compressæ, dulces & viscosæ, sapore tamen nostro palato minus gratæ, semen vnum continentes, latum, compressum, & striatum, osseo cortice intectum.

Folia. *Flores.* *Bacca.*

De hac Ruell. lib.1.cap.85. Halymus in sepibus apud nos[Gallos] frequens frutex, quem *Blanche putain* rura vocant. Et l. 1. c.125. *Rhus* Diosc. Theoph. Plinio: *Ros Syriacus* Colum. Actuario *Sumachum*: Offic. *Sumach*. Rura nostra *Viurnam* appellant, flexu ferè inuictam, & ob id fascibus ligandis vtuntur. Sed folia & frutex incano ferè colore nitent, ruborem tantùm procidentia præ se ferunt: Ita benè onustus Veterum ineptè corrasis nomenclaturis abit Ruellius, & ignaros decipit. Eccur non descripsit suam *Blanche putain*? quam præter rationem putat Halymum. Reliqua Rhois synonyma tam conueniunt huic plantæ, quàm verum est, ipsum vtramque cognitam habuisse. Enimvero sanè, si Sumach Offic. contulisset cum baccis Lantanæ, discrimen facilè animaduertisset, nec incorditam illam appellationum congeriem discendi cupidis studiosis obtrusisset. Idem lib.1.cap. 152. de Vite silu. eam *Viorne* & *Hardeau* à Gallica voce *Hard*, quæ vinculum & funem significat, nominari tradit. Vt necesse sit aut Ruell. hæc obliuiose confudisse, aut duas illas plantas, Halymum inquam, vel Rhoën suum, & Vitem silu. æquè vocari à Gallis *Viorne*: quo nomine appellari iure possunt aliæ quæuis lentæ, flexiles, vietæ, vt annotat Histor. Lugd. Parùm quoque decebat tantum stirpium Commentatorem Matth. dicere: Halimus, si Ruellio credimus: vel illi subscribere etiam non intellecto quid per Halimum & Rhoën intelligat.

Rhus. *Ruellij multiplex error.* *Alius Ruell. error.* *Matth. not.*

Lonic. quoque duobus locis eandem tradit plantam, nempe l.4. c.82. vbi & Rhoën & Viburnum Virg. ex Ruell. sententia dicit: & lib. 4. c.71. Vbi Klein Meelbaum vocat, additque quosdam velle esse Hanbüchen / [Fagum sepium] aut Erlino / [Alnum.] Sed quid quæso commune habet hæc nostra cum Fago sepium aut Alno?

Lonic. error.

Annotat Clus. nonnullis *σπειραίαν* Theoph. putari. An verò spiræa Viburnum sit Virg. an potiùs vitis silu. parùm refert, inquit Hist. Lugd. cum utraque planta, si cum Cupresso comparetur [vt facit Virg.] humilis sit, & altitudine longè inferior. Flexilis tamen lentor[addit eadem] Viti silu. magis conuenit, quàm spiræ. Præterea obseruandum monet, quod Ruell. non animaduertit, Rhoën & Vitem silu. coriarias esse plantas, sed à Vite silu. coria depsari, à Rhoë perfici. Dixerat autem eadē l.1.c.62. Ruel. cū de Rhoë scriberet, vt Rhoën quā non nouerat, in Lutetiæ suburbanis reperiret, fruticem depinxit, quem antea l.1. c.85. solo nomine Halimi indicauerat, & à Gallis *Blanche-putain* vocari dixerat. Verùm dum Hist. Lugd. notat Ruellium Rhoën non nouisse, simili reprehensione digna videtur dum *Blanche-putain* non describit: descriptio namque Ruellii vt diximus, est ipsius Rhois, non Spiræ, exceptis postremis verbis Ruellii de viurna, de qua eodem cap. scribit Histor. Lugdun. Fruticem hunc Spiræam esse Theoph. primus animaduertit Dalech. cuius sententiam approbauit Rob. Constant. in Lex. annotans *Σπειραίας* fruticem esse lentum & Vitilem, ita ut in Spiram torqueri possit; vnde & nomen *ἀπὸ τῆς σπείρας*, de qua Theophrast. & Plin. eam plantam Ruellium pro Halimo deceptum accepisse.

Hist. Lugd. not. *Spiræa Theoph.*

Videamus ergo quid Theoph. & Plin. de Spiræa tradant. Ille lib.1. cap. 2. hist. Arborum aliæ in cacuminibus fructum gerunt, aliæ à lateribus, aliæ utrinque. Verùm plura ex cæteris generibus fructum cacumine ferunt, quàm in arborum genere: ut frugum, quæ spicam pariunt: fruticum Erica, Spiræa, & Vitex. *Σπειραία* habet vetus codex: Basil. *σπειραία*: Vnde Gaza: Piræa. Sed magis placet Dal. & Const. *Σπειραία* legi: sanè verò & nobis. Pro vitice Gaza Amerinam substituit: In Græco enim est *ἄγνος*. Alius locus est lib.6.cap.1. Eorum quæ non aculeata sunt, diuisio nulla generalis dari potest: quòd foliorum in iis diuersitas, amplitudine, paruitate & figura, immensa propemodum sit atque incerta. Quapropter alia ratione diuisio eorum tentanda. Sunt verò eorum genera complura magnas differentias sortita, vt Hedera, Melothrum, Ereuthedanum [alii *ἐρυθρόδανον*] Spiræa, [corruptè habetur in Græco *Σπειραία* pro *Σπειραία*: nec alii rectè emendarunt *σπειραία*, Const.] Cneorum (Gaza, Casia ex Plin.) Origanum: pro quo Plin. videtur legisse *θύμον*. Sic enim is lib.21. cap. 9. Ergo in coronamenta folio venêre Melothron, Spireon, (quasi *σπεῖραν* legisset: Const. Spiræon legi vult.) Trigonon, (an Origanum?) Cneoron quod Casiam Hyginus vocat. *Hæc Veteres de Spiræa.*

Theoph. correct. *Gaza not.* *Theoph. correct.*

Verùm ex his tam paucis difficile est asserere nostram Lantanam esse Spiræam. Habemus tamen quod dicamus, hanc in cacumine fructum gerere, fruticem esse, & non aculeatum: Imò & lentum & vitilem, vt in spiras torqueri possit, vnde & nomen accepisse videtur *ἀπὸ τῆς σπείρας*. Sed ad hanc opinionem obest potiùs quàm prodest Plin. Nam quis credat Lantanæ folia vnquam in coronamenta venisse? Nisi fortè intelligamus folia (quæ tamen per se satis quoque speciosa) cum floribus seu baccis pulchrè sanè & venustè coccineis: tandem

Authoris sententia.

&tri-

& nigris, Clus. pro Spiræa aliam proponit, de qua paullo post.

Locus. Inculto maximè solo inter reliquas vepres & sentes in dumetis nascitur humo gaudens argillosa & forti. Interdum & inter sepes nasci videas. Quanquam verò non vbique locorum in Germania hic frutex gignatur, tamen in Alsatia & apud Mediomatrices, nec non in monte tonitruum magna in copia reperitur, Trago teste. Basileæ in monte Woutez stirpium varietate celebrato, item eundo contra Rhenum versus pagum Krentzach, & opposita eiusdem Rheni ripa passim, alibique. Frequens quoque circa Nurenbergam, Tiguri & passim in Heluetia, Burgundia, circa Montbelg. In Italia inter Veronam & Castelfranc Martio mense penè floridam obseruauimus.

Tempus. Lugduni Aprili: Genevæ Maio: In Heluetia & Alsatia Iunio: imò circa Basileam Octobri adhuc florentem vidimus, & propè *Leutach* in monte cum fructu maturo mense Augusto. Magna tamen ex parte acini rubescunt Iulio: Augusti fine demum & Sept. nigrescunt.

Vires & vsus. Viburni fructus, inquit Matth. vbi ad vltimam prouenit maturitatem, aluum exoluit. Folia adstringentis sunt facultatis, ideoque præstant ad vacillantes dentes confirmandos, & gingiuarum rheumatismos, si decoquantur in vino austero: atqui longè magis valebit, si cum Oliuæ foliis decoquatur in aqua & aceto, & ex hoc decocto sæpè foueantur dentes. *Purgant. Dentes vacillantes.* Gargarisatur idem ad columellæ procidentiam & ad faucium fluxiones. *Columella pendula Faucium fluxus.* Vuarum acini arefacti antequam maturescant, & in puluerem triti ac poti, alui fluxiones sistunt. Paratur è radicum corticibus sub terra maceratis, & subinde decoctis, & diu tusis, viscum ad aucupia haud inutile. *Viscum ad aucupia.* Folia in lixiuio decocta, capillum denigrant, & eosdem fluentes sistunt. *Capillorum defluuium & tinctura.* Sed peritis considerandum relinquimus quæ Matth. tradit fructum aluum soluere, & acinos eandem sistere. Res est experimenti, quod vix credimus hac in parte Matthiolo compertū. Veremur ne multa tribuerit Viburno quæ sunt Rhois, cùm easdem aliquando putarit, vti dictum. Eas tamen, quas diximus, vires, Viburno neutiquam denegamus: maximè cùm ipse etiā Dodon. proprio nomine similes eidem attribuat vires, qui scribit Lantanæ & folia & baccas refrigerantis, resiccantis, & astringentis esse facultatis. Quomodo igitur baccæ aluum mouebunt vt prodidit Matthiolus? *Temperam. Matth. not.* Ex surculis paratur optima aqua ad oculos. Camer. Rustici nostri, & alibi ferè passim vbi prouenit, virgis commodè vtuntur in ligandis sepibus & lignorum fasciculis. Multi etiam vescuntur baccis, quas, vt citiùs maturescant, supra paleas aut fœnum reponere alterno stratu solent.

SPIRÆA THEOPH. FORTE, CLVSIO.

Cap. XXX.

Nominis similitudo, vel potius identitas, vt sic loquamur, hanc non bacciferam, sub hanc classem coëgit: quippe quam Clus. Spiræam, [quam nos cum nonnullis doctis præcedentem potiùs credimus] Theoph. suspicatur, cuius hanc tradit historiam.

Brigâ Silesiæ mihi Viennam misit elegantem hunc fruticem D. Sebizius, ipso Vere Anno

1586. qui in meo hortulo repositus, egregiè prouenit (vmbroso enim loco collocarā vt faciliùs cōprehenderet) & sequente anno flores semen protulit. Duorum autem cubitorum altitudine assurgit, tenuibus ramis seu virgis puniceo cortice obductis, per quos sine vllo ordine sparsa sunt frequentia, longiuscula & angusta folia, Salignis proxima, per ambitum serrata, supernè dilutiore viriditate prædita, infernè veluti ærugine aspersa, exsiccantis cum quadam amaritudine coniuncti gustus. *Descriptio. Folia.* Extremi ramuli, digitalis ferè longitudinis, satis crassam spicam ferunt exiguorum florum, vuæ in modum congestorum, quinis foliis constantium, è quorum vmbilico multa staminula prodeunt, coloris cum suo flore ex albo rubescentis siue carnei, nullo peculiari odore præditorum, nisi qualis ferè in florente Olea est. *Spica florū.* Illis enascentibus succedunt pusilla pentagona capitula, quæ ad plenam maturitatem peruenientia tenuissimū & puluereum quodammodo semē flauescens effundunt. *Semen.* Mense Iulio floret. Sub Aug. finem semen maturescit. *Tempus.* Qui mittebat Sebizius, percontabatur an ad Syringam referri posset: propter pentagona capitula forsitan quæ Syringæ albo flore capitulis haud absimilia, minora tamen, pollinem potiùs, quàm semen effundentia. *Syringa.* Sed ego, inquit Clus. ad Σπιραίαν, cuius Theophrast. lib. 1. cap. 23. hist. inter frutices qui spicam pariunt meminit, commodè referri posse iudico: [verba Theophrast. præced. cap. citauimus] & fortasse commodiùs quàm Viburnum Matth. quod nonnulli σπιραίαν esse volunt. *Hæc ille.*

Sed nondum vidimus cur hæc planta commodiùs referri possit aut debeat ad Spiræam Theophrast. quàm Viburnum Matth. seu Lantana à nobis proposita; nisi fortè quia spicata est, & in eo magis accedit ad Ericam & viticem. *Autorum iudicium.* Verùm si hæc tantùm nos nota moueat, cur non potiùs Ligustrum dicemus Spiræam, quippe quod verè ἀκρόκομον & σταχυῶδες. *Ligustrum.* Si σπιραία Theoph. dicitur ἀπὸ τῆς σπείρας, vt dicebamus & verisimile videtur, considerandum an hæc à Clusio descripta planta quadret: Nihil enim docet an sit sequax & flexuosa. Alioqui nostro iudicio satis benè conuenit Lantana siue Viburnum dictum.

RHVS PLIN. PVTATA

Cap. XXXI.

Rhus Plinii quibusdam dictus frutex, & etiamnum hodiè Monspellii pro eodem

Descriptio. *Folia.* *Flores* *Fructus.* *Semina.*

bitus, ramulis quadrangulis bicubitalibus est donatus, per quos, ordine & serie quadam, folia oriuntur bina vt in Nūmularia, & Iuiubis, Iuiubarū quoque foliis similia, sed acutiora & maiora multò. Flores parui, virides siue chlori, racematim quasi congesti, cum apicibus multis, partim nigricantibus. Fructus Pisorum magnitudine: pentagoni, cuius seminula, vt notat Lob. intra angulosam tunicam inclusa sunt, cochleata.

Hist. Lugd. sic describit: Frutex ad hominis altitudinem adolescit. Caule est crassitudinis pollicaris, fragili, cauo, Sambuci modo, cortice cinereo, maculoso, membrana rufescente subiecta, paribus interuallis in nodos quosdam intumescente; à quibus surculi siue ramuli prodeunt, lenti, & & flexiles, in quibus folia sunt æqualibus spatiis bina, aduersum disposita, Myrto silu. & latifoliæ omnino similia, aliquantò ampliora, venosa, alterâ parte rubescentia. Flores purpurei in summis virgis hinc illinc enascuntur: fructus nigri è tenui pediculo pendent, aliquantùm compressi, veluti striis quibusdam canaliculati: fibris quaternis discreti, sapore acerbo: semen intus album, rugosum, vinaceis simile. Ergo florum & fructus congerie, eiusdem sapore, foliorum effigie cum Rhois natura & Pliniana descriptione satis conuenit, nisi fruticis proceritate caulis crassitudine, & ramulorū longitudine discrepare videtur. *Caulis.* *Folia.*

Hanc tamen Rhun siue Rhoën Plinii Myrtifoliam volunt & dicunt Pen. Lob. Tab. Camer. & alii plerique. Gesnerus, vt annotat Camer. potius Clymenum esse vult, cùm disertè Rhun in herbam & fruticem distinguat Plinius: planta verò hæc quam nunc dicimus, frutex sit, non herba. Myrti quidem folia etiam Coriario tribuit Marcell. verùm de Rhu herba nihil apud alios. Clymeno verò conueniunt 1. καυλὸς τετράγωνος 2. φύλλα πρὸς τὰ τῆς Ἀρνογλώσσου potiùs quàm Myrti. 3. θυλάκια ἐπὶ τῷ καυλῷ εἰς ἄλληλα νεύοντα πολύποδος πλεκτάναις, acetabulis enim Polyporum similis est fructus. 4. Vis astringendi & refrigerandi insignis. Nec dubium radicem quoque vtilem esse. Sed de hoc aliorum quoque sit iudicium.

Clusio frutex describitur foliis oxymyrtines, flore albo, in Hispania & Gallia Narbonensi frequens, qui a nonnullis Rhus Plin. nuncupatur. Verùm, inquit, cùm is nullius alterius Rhois meminit, præterquam illius, quam herbam cognominat & Coriarii fruticis: arbitrantur peritiores ad Dryphani Plinii historiam accedere. Miramur verò Clusium, alioqui diligentissimum herbarum obseruatorem, ei tribuere flores albos; sunt enim virides: Dryophonum Plin. non censemus, flores enim non sunt similes Sambuco, neq; candidi, nec est herba, sed frutex arborescens. Etsi verò prædicti quoque autores, qui Rhun Plinii esse volunt, fruticem istum à Pliniana Rhoë notis aliquot discrepare satis apertè, vt equidem putamus, viderint, maluerunt tamen eo nomine donare, quia multis aliis notis Rhois naturam & figuram referret. Certiora docebit posteritas. *Rhus Plinio* *Dryophonon Plinii.*

In sepibus agri Monspeliensis, pingui densoque solo, præsertim ad Lani amnis crepidines haud infoliès fruticat, & alibi quoque ac Narbonæ similibus locis. Nobis aliquoties Montbelgardi è semine sata prouenit, verùm oborto intempestiuo gelu minima arbuscula, quam vltitrò colebamus, periit Septembri. Gesnero quoque Tigurū Antuerpiā missus frutex feliciter adhæsit. Et Camer. quoque ex semine, sed hieme vult recondi. Videtur autem facilè nasci, sicuti reliquæ quoque herbæ astringentes, vt obseruauit Gesnerus. *Locus.* *Tempus.*

Vsus nullus eius hactenus innotuit, præterquā ad coria firmanda, quo nomine notissimum & vsitatissimum cunctæ Narbonæ dicit Lob. Possit tamen acerbitatis & adstrictionis nota quæ ei tribuitur facile ad similes cum Rhoë vsus reuocari ab industrio medico. *Vsus.*

ALNVS NIGRA BACCIFERA.

CAP. XXXII.

Descriptio. Rbuscula est, quæ complures à radicibus rectas edit virgas sex vel octo cubitos plùs minùs altas, pollicaris crassitudinis, in ramulos nónullos diuisas, cortice exteriore quidem fusco, sed glaucis maculis asperso, quo detracto, alius apparet, croceo tingens. Ligni materies candida & fragilis, mediotenus rufescente quadam medulla farcta. Folia ad Alnum accedentia, vel vt vult Matth. Corni & Virgæ sanguineæ, per ramos ex oblongo rotunda, in mucronem obtusum desinentia, atro virore nitida, neruosa: ex quorum alis flosculos coaceruatos profert, sed singulis singulos pedicülis nixos, paruos, pallescentes, baccis succedentibus primum virentibus, dein rubris, demum nigris, ingrati planè saporis: [Tragus malignum dicit] in quibus grana bina lentibus maiora, compressa, in quibus nucleus. Radix per summa cęspitum vagatur. *Cortex.* *Materia.* *Folia.* *Flores.* *Baccæ.*

Dum pusilla est, inquit Camer. in pingui solo collocata, folia fert oblonga & magna, similia Guaiacanæ dictæ, tam figura quàm magnitudine. *Radix.*

Si hæc arbor aut frutex spinis horridus, esset sanè nullum alium in locum illum conijcere possem, inquit Tragus, quàm ad Rhamnos: Germani quidam Zapfenholtz vocant, propterea quòd Veteres ex hoc ligno epistomia conficiunt; nostrates

Faulo

Faulbaum & *Stinckbaum* à fœtido tum colore tum sapore.

Alnus nigra. Alnus baccifera. Frangula. Auornus Cresc. Siler Plin. Arbor fœtida. Colyteam Theoph.

Alnus nigra plerisque, vt Dod. Pen. Lob. Hist. Lugd. Thalio & alijs plærisque. *Alnus baccifera* quibusdam. *Frangula*, Matth. & Camer. Dicta autem frangula quòd eius bacculi, recentes præsertim, facilè frangantur. *Auornus* Petro Crescentio: *Siler Plinij* secundum nonnullos: *Arbor fœtida* Lonic. & Schuuenckf. Pen. & Lob. suspicantur esse *Colyteam Theoph.* Quod verò Lob. dicit flores albos, nobis non obseruatum. Tragus ait ex pallido albicantes, Dod. inalbescentes.

Anagyris.

Anagyris, inquit Cornar mea sententia est arbor parua, quæ nostris Scheysserbaum/ id est, *gramorum cacationis arbor.* Si intelligit Alnum nigram, vt suspicamur, & quæ Germ. ita dicitur, excusari sanè non potest. Considerandum tamen an non intellexerit Cornum fœminam, aut cum ea confuderit. Vide cap. de Corno fœmina. In hanc suspicionem nos traxit quòd eodem ferè nomine Cornum fœminam vocat, quo Tragus hanc plantam de qua nunc agimus.

Ligustrum aquat. Gesnero. Vulgi opinio. Loti species. Rob. Const. error. Matth. not. Hist. Lugd. lapsus.

Ligustrum aquat. Gesn. Vocatur & Germ. Berenholtz/Belg. Sporckenhaut, & à pueris Pijlhout dicitur, quia pueri inde suas sagittas conficiunt, testibus Dod. & Hadr. Iun. Gal. *Aulne noir*: Hericuriæ oppido Ducis Wirtemb. ad comit. Montbelg. sito, vocant du *Piuerne* aut *pissesang*, quia vulgò sibi persuadent animalia eo ligno verberata sanguinem mingere. Rob. Const. inter Lotos referebat: quæ opinio non placet: Bohem. Krussena. Baccæ non sunt gemellæ, vt pingit Matth. ex planta sicca.

Histor. Lugd. more suo duobus distinctis locis, diuersis iconibus & nominibus de hac tradit. 1. sub Alno nigra. 2. sub Frangula Matth. Figura quæ sub Alno nigra posita melior est. Eandem Hist. Lugd. carpit C. Bauh. in suis animaduers. ex professo in eam editis, quòd in sua descriptione non meminerit in baccis quandam fissuram apparere, quasi ex duabus coaluissent: item sequenti libro nempe secundo, huius figuram aliam Frangulæ nomine exhibere, assumpta Figura Matth. nulla interim facta plantæ mentione, in posteriori figura in baccis fissuram eleganter ostendi. Scrupulosa profectò animaduersio, quæ si locum habeat eodem errore culpandi Trag. Dod. Pen. Lob. aliique qui elegantis istius fissuræ non meminère. *C. Bauh. not.* Nobis sanè non placet in icone Matth. vt iam diximus, tãtoperè apparêre quasi gemellæ essêt baccæ. Nam quod Matth. scribit fructum per medium diuisum, adeò vt duabus simul baccis constare videatur, quodam artificio simul coniunctis, existimamus ab eo non obseruatum nisi in sicca planta: tales enim apparent in sicca. At ipsemet C. Bauh. in expolito & recocto suo Matth. ponit iconem ex Taber. in qua nulla apparet fissura.

Fallitur quoque Matth. qui flores albos dicit. Nobis, vt iam plus satis inculcatum, in luteolum pallescentes obseruati.

Varietas. 1. 2. Alnus nigra pumila.

Videtur Thalius duas species, aut varietates obseruasse in sua Harcynia 1. Alnũ hanc nigram, quam Spöcker ait vocari. 2. Alnum nigram pumilam, in Broccenbergi vertice: nisi id loci naturæ tribuendum videatur. In saxosis namque prouenientes plantæ, vt plurimùm pumilæ esse solent. Considerent diligentiùs qui ea loca adibunt.

Locus.

Nascitur magna ex parte in siluosis, montosis, vdis; vt circa Basileam in monte Mutensi & Aquacidâ Vulgò Wasserfall dicta, in monte prope Brentzach, & in Leurach quoque. Prope Montbelg. in itinere versus pontem *Vaniacourt* in siluis: item inter *Arbozam* & *Adincourtium* pagos, inter sentes & fruteta Meridiem spectantia. Habetur & in horto E. C. Montb. nostra cura plantata. Geneuæ in monte *Salena* obseruauimus florentem Maio, in monte Muteto, fructu maturo Octobri. Gesn. ait Septembri quoque fructum habere. Nascitur etiam passim in Bohemiæ siluis & nemoribus. Matth. Scribit Lob. obuiam paucioribus locis, nisi ad Septentriones, vt Angliæ, Germaniæ, & Nortmanniæ siluosis & vdis. *Tempus*

Vires & vsus. Ad scabiem experimentum.

Flauus huius arboris & medius cortex tritus cum aceto, & scabiei illitus, intra paucos dies illam sanat & exsiccat Estque hoc experimentum singulare. Idem cortex in aceto decoctus putridis dentibus collutione prodest: nam & dolorem mitigat, & dentes ipsos purgat. Cortici vis inest non modica cùm exoluens, tùm etiam astringens. Ideoque Rhabarbari modo aluum deiicit, & viscera roborat. Idem bilem & pituitam expurgit: quinetiam hydropicorum aquas ducit. Decoquitur cortex cum Eupatorio communi, Pontico Absinthio, Agrimonia, Cuscuta, Lupulo, Cinnamomo, Fœniculi, Apij & vtriusque Intybi radicibus, ad hydropem, malum corporis habitum, & Icteritiam: daturque potandus ita affectis quinque vnciarum pondere, magno sanè auxilio. Atqui operæpretium est, vt priùs excrementii humores, qui in ventriculo, & primis Iecinoris venis decumbunt, expurgentur. Soluit enim aluum sine vllo incommodo, bellè iecur expurgans, ac roborans, adeò vt quidam, qui scyrrhoso Iecoris & Lienis affectu laborabant, hoc medicamento curati sint. Aperit enim omnium viscerum obstructiones, & vasa omnia à crassorum excrementorum infarctu expedit. Extimo cortici facultas est adstringens: intimo autem exsoluens. Vterque simul ab arbore delibrari debet, in ipso statim Veris principio, ac deinde in vmbra siccari. Siquidem viridis nullus debet esse vsus, quòd vomitiones moueat. Bohemis vsus eius vulgatis est. Decoctum quod hinc paratur, quiescat prius oportet antequam propinetur, duobus aut tribus diebus, quousque flauus color in nigrum vertatur, alias vomitiones mouere quandoque solet. Idem potum, vbi aluum non exsoluerit, appetentiam prouocat, ob eam quam possidet astringendi facultatem. *Ad febrem quotidianam.* Cortex interior Frangulæ, Absinth. Cichor. Lupul. rad. Fœnic. Apij, Asparagi, omnia simul coquantur, additoque Cinnamomo, Saccharo, Oxymelite, fiat potio. *Ad Tertianam*: Idem cortex coquitur cum Endiuia, Borrag. Cichor. Oxalid. rad. Fœnic. & bibitur decoctum. Præ cæteris autem facit hic cortex ad *Splenis affectus*, coctus cum Asplenio, Ruta muntat. corticib. cappar. & Fraxini, rad. Fœnic. & Petros. Atque hæc quidem potio, vt maximè non soluat aluum, appetentiam tamen excitat: id quod non facit, si purget. Notandum tamen ante huius vsum, Venam, si opus sit, esse priùs aperiendam, & corpus purgandum, vti dictum. Præstat cortex, Matth. iudicio radici quàm trunco detractus. Præcedentia de interiore cortice flauo intelligenda: exterior enim qui nullius efficaciæ cultello abradendus, retento flauo, exsiccato, & ad vsus reposito.

Hic, vt scribit Dodon. sicci temperamenti est: in vino maceratus aut cereuisia, deinde epotus, potenter vomitum mouet, pituitam & humores putridos contentos in ventriculo pellit. Interior hic cortex apud rusticos nonnullos in vsu est.

Rusticorum medicina. qui eius vtuntur diluto, quando corpus expurgare cupiunt. Expurgat enim, vti dictum, tum crassos & pituitosos humores, tum & biliosos: & non modo per inferiorem sedem, sed frequenter etiam vomitione, cum magna ventriculi perturbatione ac molestia. *Noxa.* Rusticorum idcirco magis est medicamentum, quàm vrbanorum: ac eorum qui crassa victus ratione vtuntur, quàm delicatè viuentium. Plerique tamen cum Matth. & Camer. asserunt, corticem aridum mitiorem esse, & minores molestias excitare: recenti siquidem ac nondum resiccato humiditatem quandam superfluam adesse, quæ torsiones afferat ac vomitiones excitet, ventriculumque perturbet. *Dosis.* Taber. ad duplum Rhabarbari dandum suadet. Sed malimus paullò inferiùs subsistere, si tam forte sit medicamen, vt ille ait.

Contra scabiem. In multis locis Saxoniæ hoc tempore vtuntur loco Rhabarbari, teste Camer. quod interdum propter immensum pretium non cuiuis præscribi potest: possunt corrigi & castigari adiectione anisi, cinnamomi, spicæ, aut similium. Vulgus Silesiorum corticem luteum flore lactis incoquit, contra scabiem præsentissimum remedium.

Cautio. Noui tamen, inquit Schwenckf. eius vsu Agricolas hydropicos factos & penè suffocatos fuisse, repentina malignæ materiæ repercussione. Eapropter ab eius vsu abstinendum suadeo, nisi priùs fuerit probè euacuatum corpus. *Apibus grati flores.* Flores apibus grati. Folia lætum feruntur bubus, ac præcipuè vaccis pabulum, quæ horum pastu lac reddunt copiosius. Ex ligno sagittas parant.

ALNVS NIGRA BACCIFERA, RVGOSIORE FOLIO, SEV MAIOR.

CAP. XXXIII.

Descriptio. Cortex. PEr omnia maior est hæc species, caudex, rami, reliqua: cortex exterior tenuis foris cinereus, intus virescés, cui alius subest crassus, in plures diuiduus, intimâ facie quâ lignum attingit, flauus, laminæ verò in quas deduci potest, vel croco saturatæ vel versicolores, ruffo, flauo, filamentisque albidis, sapore amaro. *Folia.* Folia, quàm in vulgari Alno nigriora, multò ampliora, palmo longiora, duas vncias & semissem lata, subrotunda, rugosa, atrouirentia, splendida, crenata. *Flosculi.* Flosculi bini simul aut singulares ex petiolo non longo adhærent, colore herbaceo, in quatuor lacinias mucronatas diuisi, totidem apicibus virescentibus interiectis, stylo in tria cornicula extrorsum reflexa dissecto.

An Lonic. Frentzbeer seu Rhamni Diosc. 2. species? Eius Icon huic nostræ quadraret, si baccæ numerosiores non essent simul iunctæ. Rhamnus esse non potest nostra Alnus quia non spinosa: is etiam suam spinosam negat, & tamen cum Rhamno in idem cogit caput, nescit fortè quid scribit, nec cuius plantæ iconem exhibeat non enim describit.

Locus. Propè S. Hippolytum, Burgundorum asperis locis, montosis, Soli meridiano expositis, prouenit. Obseruauimus etiam inter *Baulme* & *Lusse* eiusdem Burgundiæ montosis locis ad Dubim, & iuxta castellum *Mesche*: item inter *Clereual* oppidũ E. C. Wirt. Burgundicum, & *Baulme* itidem montosis & lapidosis. *Cauerna glacialis mediâ æstate.* Nec non propè *Cauernam illam admirabilem Passauantinam* in Eiusdem C. Wirtemb. ditione sitam, [in qua æstiuissimis æstatis têporibus glacies concrescit] quæ eidem Principi currum plenum reditu annuo debet Montbelgardum deferendâ, ad vinorum refrigeria æstiuis canicule diebus: hyeme verò liquescit glacies, & cauerna calet, cùm extrinsecus omnia rigent glacie ac niuibus.

Vires & vsus. Aiunt S. Hippolitani ligna colligi ad puluerẽ bombardicum parandum, eorumque carbones ad eam rem vehementer commendari prædicãt.

DAPHNOIDES ET LAVREOLA.

CAP. XXXIV.

ANtequam Laureolam vulgarem folio perpetuo proponamus, quæ accedit ad Daphnoidem Veterum, si non eadem: placet priùs generalia & Veterum placita de ea præmittere.

Daphnoid. Eupetalon. De ea igitur sic scribit Diosc. Daphnoides aliqui Eupetalon, alij Chamædaphnen, alij [illegible] vocant. *Descriptio Diosc.* Exiguus frutex est, [illegible] cubitalis, ramis multis a medio sursum versus lori modo flexilibus & obsequiosis, iisque foliosis. Ramulos vestiens cortex supra modum viscosus est: at folia sunt Lauri, verùm molliora, fractuque contumacia, quorum gustatu os faucesque mordentur & accenduntur. *Folia. Flores. Fructus.* Flores candidi: fructus cùm maturuit, niger: radix superuacua. Nascitur in montosis. Sed in Diosc. lectionis varietas occurrit. Basil. & c. vulg. codices folia huic Lauro ἰσχνότερα: Vet. cod. autore Lacuna ἰσχυρότερα habet, quod magis placet. *Diosc. loc. emend.* Nam & Plin. quoque Daphnoiden crassiore, molliore que quàm Laurum folio esse prodidit, vt mox patebit. Quin & Serap. ἰσχυρότερα potiùs, quàm ἰσχνότερα legisse dicas, si aduertas eius interpretem tenaciora conuertisse. Marcell. validiora vertit, mirum veterem lectionem secutus, quæ naturæ foliorum Laureolæ vulgò dictæ magis conuenire videtur.

Pelasgum. Eupetalon. Plin. l. 15. c. 30 de Lauri generibus tradens: Id quoque, inquit, quod Daphnoides vocatur genus, in nominum ambitu est. Alij enim Pelasgum, alij Eupetalon, alij Stephanon Alexandri vocant. Et hic frutex est ramosus, crassiore, [graciliore, Dal.] ac molliore quàm Laurinis folio, cuius gustatu acceditur os atq; guttur: baccis è nigro rufis. *Silu. Laurus.* Idẽ & alibi præter hæc nomina & siluestrem Laurum dici ait. Quidam legunt: baccis nigris & rufis: nigris vel rufis: Vet. Dal. At si vulgatam lectionem retinere lubeat, dicere queas Plin. de baccis nondum perfectè maturis intelligendum esse: alioqui nec rei nec Dioscoridi consentiret.

Theoph. emend. De Laureola nihil Theophrastus, nisi fortè hæc quæ habentur l. 9. c. 15. Nascitur apud Arcades Elleborus vterque, albus & niger: item [illegible] (Sic enim legimus & distinguimus apud Theoph.) id est Daucus, Daphnoides

crocea:

Digitized by Google

Croceam: Gaza τὸ δαφνοειδὲς non separat à δαυκῳ, sed Dauci siue Pastinacæ speciem facit. Cæsalp. quoque ad Daucum siue Carotam refert, vt dicetur suo loco de Pastinaca: Marcell. & Curtius, vt in sequentibus patebit, intelligunt Daphnoidem, diuersam omninò plantam a Dauco.

Hist. Lugd. scribit: Albam seu fœminam Laureolam nostram, Daphnoidem alteram esse ignoraremus, si Theoph. apertè non docuisset Daphnoidis esse genera duo, fructu præcipuè distincta, qui niger in altera est, in altera Croci colore, nempe staminum, quæ à flore Croci auulsa reconduntur, non autem Croci liquore diluti, vt meritò hæc Daphnoides, crocea nominari possit. *Hæc illa*: Nobis autem nondum occurrit adhuc locus, vbi Theoph. meminerit Daphnoidis nigræ.

Chamædaphne. Sed quam aut qualem Daphnoidem intelligit Galenus? quando l. 6. simpl. sic ait: Chamædaphnes germina tenera edi quoque assolent. Est 1. *Daphne Alexand.* autem persimilis Daphne Alexandrinæ sicut sanè 2. & quod Daphnoides nuncupant. Certè non existimamus eius germina posse edi, si eandem cum *Daphnoides.* 3. Dioscoridea intelligit. Dalech. sententia fuit Galenum similitudinem Daphnoidis cum Chamædaphne & Lauro Alexandrina ostendisse absque Diosc. testimonio, sic tamen vt ei fides constet, si vel δαφνοειδὲς, accipiamus non quidem vlcerantem & vrentem fruticem Laureolam nostram, *Clematis Gal.* 3. sed Clematiden Galeni secundam, quam paulò pòst δαφνοειδὲς etiam vocari testatur. Ambabus enim vis est astringens & siccans. Vel si parem vtriusque vim, Chamædaphnes, inquam, & Daphnoidis catharticæ, in prouocandis tantùm mensibus intelligas: menses enim & hæc & illa ciet. Proprio capite ostendemus clematiden secundam speciē dici à Diosc. Gal. & Plin. Daphnoidem.

Herba Victoriola. Apuleius more suo nominum fasciculum consarcinat, sic scribens c. 58. Herba Victoriola. Eupeplios Græcè, Daphnoides, Hypoglossion, Eupetalon, Diglossos, Nycephyllon, Pelleon, Idæa Daphne, Samothracia Daphne, Alexandrina Daphne, Mitrion, Danaë, Stephane Alexandru, Chamædaphne, Carpophyllon, Daphnitis, Latinè Peruinca, Victoriæ folium, Laurus Alexandrina, Macedonica, Laurago, Mustellago terrestris vocatur. Et addit: frutex est sæpiùs cubitalis, folijs vt Myrtus, [in omnibus exēpl. sine intellectu legebatur, muria: nos reddimus Myrtus. Humelb.] paulò maioribus, & non infractis, id est, non facilè fragilibus, sed lentis. Hum.] gustu remordentibus & incendiosis. Herbæ Victoriolæ folia pinsabis, & succum eius cyathis duobus dabis cum melle bibere ieiuno, mox phlegmata intercidet. (hoc est, dissijciet, dissipabit, deducet, purgabit. Hum.) Quod si prædictorum nominum rationes scire cupis, tradit eas idem Humelbergius in suis ad Apuleium notis.

Diglossos. [illegible]

Nobis sanè Apul. diuersas plantas confundere videtur: inter alias *Daphnoidem, Laurum Alexandrinam & Peruincam*, cùm in nominibus, tum in descriptione. Potissimùm tamen videtur nobis scribere voluisse de Daphnoide, quod apparet ex descriptione cùm ait, folia incendiosa: & ex viribus, si intercidit interpretandùm vt Humelbergiùs vult. Fuchs. tamen aliter sentit: Victoriolam Apulei existimat Laurum Alexandrinam, & hanc cum illa confundi ab Apulejo. Profectò *Non temerè fidendum Apuleio.* Apul. posset creare temerarijs magnum periculū vitæ. Si intelligit Laurum Alexandrinam, de eius succo dari posse concedimus: verùm non duos cyathos, vt ille vult. De daphnoide verò nequaquam. Quis enim plenos præbeat cyathos eius succi, cuius foliorum aut corticis masticatum absque magno incendio lingua & fauces ferre nequeant: Verissimè in Apuleium retorqueri *Censura Apulei.* potest, quod scribit in præfat. sui libri aduersus medicos: nimirum eius scripta de medicaminibus herbarum, earumque viribus, esse venditiones potiùs quàm curas: ipsumque inertiâ plurique & imperitiâ enixum, lucripetam verum; aut sine literata scientia, de qua se iactat, temerarium nuncupandum, quique adeò ipsis sæuior morbis existat. Ipse enim tantâ & tam supina quadam imperitia & temeritate, confundit plantas & earum vires salubres cum insalubribus, cum immenso vtentium periculo, vt ex hoc loco & alijs quamplurimis hoc opere detegendis patebit, vt satiùs fuisset, si obscæni sui Asini metamorphosin suæ sortis hominibus explicasset, quàm in re tam sacra, hominumque vsibus adeò necessaria temerarium & iactabundum suum iudicium & stylum adhibere. Apage verò pestilētes hos scopulos. Nos certiora meditamur tutioraque. Discant verò interim herbarum & medicinæ Studiosi, nullibi huic herbarum alieno Commentatori temerè fidendum esse, donec illud clariùs & ad oculum cunctis patefaciamus.

Ipse verò etiam Humelbergius nobis non videtur meliùs intellexisse historiam Daphnoides, *Humelberg. taxatur.* quàm Apuleius, dum asserit, Laureolam & Zyland esse, & talem quidem, qualem Apul. describit, eccur non declarat quam Laureolam intellexerit, folio perpetuo an deciduo? Quæ propriè Laureola dicitur, ignota est Cordo: quæ folio deciduo, eidem est Thymelæa, Fuchsio verò Daphnoides & Zeilant, quam suspicamur Humelburgium intelligere. Quicquid sit, neutra conuenit cum descriptione Apulei. Neutra enim folia habet Myrto vllatenus similia: per Myrtum autem apud Apuleium intelligimus siluestrem, id est, Ruscum: quę similitudo cum Rusco non tribuitur à Veteribus Daphnoidi, vel Laureolæ, sed Lauro Alexandrinæ: præterea in Laureola folio deciduo, folia non sunt lenta, sed facilè fragilia. Neutram Laureolam coronis adhibitam fuisse censemus, & Laurum Alexandrinam potiùs in eum vsum vocatam, quam malignæ istæ plantæ. Hypoglossum malè dici de *Neque carpophyllon.* Daphnoide, clarum nobis videtur. Si quis consideret Apulei caput 27. de Chamædaphne, hanc eum à Daphnoide distinguere vix animaduertet. Carpophyllon non potest dici de Daphnoide, quòd id nomen proprium sit Lauro Alexandrinæ & Rusco. Hæc fructum supra folium gerit; non illa. Peruincæ quoque vocabulum minimè Daphnoidi conuenit, vt apparet ex Plin. sed clematidi secundæ, quæ etiam Chamædaphne dicitur. Cur Apuleius Mustillaginem terrestrem vocauit suam Victoriolam, cùm tamen apertè scripserit c. 27. Chamædaphnen dici Italis Mustellaginem?

Gar. Sed quid multis stirpium ignorantissimo refutando inhæremus: Audiamus Serapionem. Laurus Daphnoides: Est & Gar species alia, quæ dicitur Daphnoides &c. ex Diosc. Ortus eius [alij & rectiùs. Virtus eius] est sicut Chamædaphnes, & ex Galeno.

Laurus silu. Hermol. de Daphnoide pauca habet hæc. Daphnoides & ipsa Laurus silu. Herbarij nostri Laureolam & hanc & Chamędaphnen Diosc. vocant. Folio huius crassiora Plinio quàm Laurus, graciliora Dioscoridi: cuius verba mihi nō videntur, quibus dicitur: Alypo similem hanc herbam

esse, floribus Nymphææ. Inueni & qui Alypoides hanc vocent. *Hactenus*. Verùm non docet quã plantam per Laureolam intelligat.

Alypoides.

Non Laurum, inquit Marcell. in Diosc. sed Lauri formam & speciem: neque eam toto corpore, verùm in folijs & fructu tantùm habentẽ herbam Græci *Daphnoides* dixerunt. Laureolam vocant. Explosimus quod à capitis principio apud Diosc. statim legebatur Alypo simile Daphnoides: & florem Nymphεæ habere: & quod sequitur: in medio floris esse Cono simile quiddam, in quo semen: quoniam non responderent Daphnoidis historiæ, & nullibi in antiquissimis Græcis & Latinis ea legerentur, & paulò pòst de flore eius, legitimo loco ageretur. Nasci multum Daphnoides hoc Theoph. in Arcadia testatus est, numeraturque ab eo inter ea quæ præcipuam purgandi vim habent. Cæterùm non videmus cur Marcellus Daphnoidem dicat herbam, cùm existimet Laureolam, quæ frutex bicubitalis & maior interdum, & ipse Diosc. dicat θαμνίσκον. Addendum & illud: Daphnoidem à Theoph. nõ solùm numerari inter purgantia, sed etiam inter alia non purgantia. Ruell.

Laureola. Reiecta in Diosc.

A Theoph. inter purgantia relata.

Marcell. not.

Ruell. Daphnoidis historiam non illustrat, sed cum Hermolao, cuius consueto sibi more verba transscribit, non citato eo, dicit Herbarios nostros appellare Laureolam, eiusque descriptionem subiungit, non ad ipsam plantam factam, sed ex Diosc. inutiliter repetitam.

Ruell. taxat.

Curtius notat Alexandri Stephanon à nonnullis vocari, quòd eo Alexander Magnus coronari solitus sit. Hic velimus Antiquitatum studiosos exercêri, nos certè ipsi, absque autore, non credimus. Sic & de eadem Daphnoide ex Veterum placitis historiam pangit, ac si sua essent, non dignatus eos citationis honore, quod plagiarium est. Sed quid ille curat, qui passim plagio ita attritus, vt iamdudum durissimum contraxerit callum. Nunc Laureolam nostram vulgatam describamus.

Stephanos Alexandri.

LAVREOLA SEMPERVIRENS, FLORE LVTEOLO.

Descriptio.

Laureola Recentioribus dicta ad cubitos duos & altiùs grandescit, stipite lento, aliquando simplici aliàs in ramos aliquot diuiso, quem subcinereus tegit cortex, & fractu contumax, & flexuosus: folijs ferè nudũ, quæ circa fastigium potissimũm gerit, eaq; satis frequentia, Laureorum æmula, nec per hiemis asperitates caduca, ex angustiore principio ceu ceruice sensim dilatata, tandemque in mucronem desinentia, crassa, glabra, nigricantia, splendentia, Laurinis ferè similia, sed minora, inter quæ longiusculos, graciles, cauos & multos stellatos profert flosculos luteos, [Dod. è virore subcandicantes: Lob. ex herbaceo albos vel luteolos] succedentibus baccis glomeratim proximè ad ramos cohærentibus, Iuniperinis paribus, nonnihil oblongis, primùm viridibus, per maturitatem nigris, nucleo intus duro, cannabis semine paulò longiore, medullà interiore candida. Radix subest in aliquot partes diuisa, longa, crassa, lenta, quæ difficulter euelli potest. Sapor toti frutici feruidus.

Folia.

Flores.

Bacca.

Nucleus.

Radix.

An Hermol. Herbariorum Laureola, cuius verba paullò antè citata.

Scribit Marcellus Daphnoiden Diosc. nostræ ætatis peritiores Herbarios priuatim Laureolam vocare, ac ostendere Laurinis folijs surgentem à terra surculosum fruticem confertis coacernatisque sub folijs seminibus, quæ Laurinarum baccarum figurâ sunt, nigris maturitate. Florem videre non licuisse, Quod si Marcell. intelligit Laureolam quam nos hîc, hæc repugnant. 1. Quod non sit herba, qualem ipse dixit Daphnoidem (vt antè dictum) præter tamen Diosc. 2. flores non candidi. 3. radix non inutilis, quibus notis designatur à Diosc. Daphnoides. An etiam huius nostræ folia molliora sint Laurinis, vt de sua Daphnoide Diosc. ait, dubitamus.

Marcell. reprch.

An Ruell. hanc pro Daphnoide & Laureola Herbariorum intellexerit, vix sciri potest, quia Laureolam imaginariè, nec sibi visam aut cognitam describit, vt dictum prius.

Candidè & apertè Cordus *[illegible]*. Recentiores Laureolam vocant, quæ in nostris offic. non habetur, nec ego quæ sit compertum habeo. Hic Germanus fuit sicut & Cornar. ipsi coæuus, qui tamen duobus distinctis locis apud Diosc. magna securitate tradit 1. Daphnoidẽ Officinis Laureolam vocari: Germ. Zitlant. 2. cap. seq. Officinis & herbarijs Chamædaphnen etiam Laureolam vocari. Et postea inferiùs alio cap. ait, esse hodie apud suos, qui cum Daphnoide Chamelæam confundant, itidem Zeilant appellantes: qui sanè non ritè nobis videtur distinguere has plantas: & vt verum fateamur, nescimus quam Laureolam intelligat pro Daphnoide.

Officinis ignota.

Monachi quoque Laureolam vulgò dictam Daphnoidem vocitant. Ac eos (inter quos Pandectarius) hallucinari scribunt, qui Laureolam volunt esse Mezereonis speciem.

Pandectarius.

Quin & Anguil. Daphnoiden ait hodiè vocari *Laureolam, Oliuellam, Orsolam*, & notissimam esse in Italia.

Oliuella. Orsola.

Chamædaphne, inquit Matth. quam Laureolam marem plerique vocant, folijs ac fructu à Daphnoide non longè differt: verùm hæc tantùm intercedit differẽtia, quòd Chamædaphne singulari rectoque caule constat, cui folia circunquaque prominent, adeò vt in cacumine in orbem vmbellæ instar diradientur, semine inde prodeunte Daphnoides modo. Hæc *Matth.* cuius icon habere videtur aliquid commune cum Laureola, folio semper virente. Sed quæ hic tradit non distinguunt à Daphnoide. In Epit. nullam ponit descriptionem præter Diosc. & iconem, scribens Italis dici *Laureola maschio*. In Com. cum magnis con. Lat. & Ital. aliam ponit iconem cum folijs acutioribus & tribus virgis additis floribus. In hist. Germ. omisit & iconem & descriptionem Diosc.

Laureola mas. Chamædaphne.

Matth. dubitandum [illegible] *Laureola.*

Camer. in sua Matth. epitome posuit iconem iam dictam cum tribus virgis, addens, sibi repertam similem aliquando plantam in montibus

Chamædaphne Camer.

Silesiæ altissimis versus Morauiam, sed folijs crassis, duris, & caule satis denso, baccis nigris. Quapropter verisimile esse, potiùs ad Daphnoidem referendam: nec immeritò de hac stirpe, tanquam incognita, nonnullos dubitare. Idem in hist. Germ. ait, prouenire cum baccis nigris, foliis latis, in quibusdam montanis locis propè Lacum Lemanum & ad Rhenum: videri speciem Chamædaphnes Matthioli.

Daphnoides.

C. Bauh. apud Matth. Chamædaphne, inquit, Matthioli: Daphnoides seu Laureola Lugd. de qua stirpe nonnulli dubitant tanquam de incognita: alij tamen ad Daphnoidem referunt: suspicantur Matth. Laureolam Offic. exprimere voluisse. *Hæc ille*: vbi incuriâ typographicâ pro Chamædaphne, posita icon Lysimachiæ siliquosæ specioso flore.

Vt liberè dicamus, quod sentimus, videtur nobis Matth. non nouisse discrimen inter Laureolam folio deciduo, & folio semper virente, atque adeò nesciuisse, quas plantas suis nudis iconibus proponeret. Si pro Chamædaphne intelligit Laureolam semper virentem, id fit cum summo periculo. Quis medecinæ peritus volet exibere ad ardores stomachi mulcendos, & sedanda tormina, menses & vrinas ciendas, & in pessis (ad quæ omnia Chamædaphne commendatur) tam feruidam & malignam stirpem, qualis Laureola; Ea præterea non respondet descriptioni: fructus non est ἐρυθρός, ruber: nec χροιὰν τοῖς φύλλοις ἐοικυῖαν habet.

Matth. not.

Cautio in Matth.

Lacun. iconem Matth. proponit nomine Chamædaphnes, dicens, vocari Laureolam marem, non demonstrans quæ sit, aut qualis. *Cacus cæcum sequitur.*

Lacuna not. & Lonic.

Eadem censurâ dignus Lonic. qui Chamædaphnes iconem Matth. proponit, nihil addens de suo: sed cautè euitauit hos scopulos: meliùs tamen suæ existimationi consuluisset, si Diosc. & Matth. citasset, ex quibus sua assumpsit & transcripsit nullo plagij metu. Videri nempe voluit probè nouisse sibi ignotam stirpem.

Dod. eandem facit cum Diosc. sic tradens: *Daphnoides* Latini posteriores Laureolam dixere. Vocatur & εὐπέταλον ac πέπλιον. Huius baccas Piper montanum ab Italis nuncupari, sunt qui affirmant: alij à Germanis etiam Zeilandt dictum volunt.

Daphnoides Dod. Laureola. Eupetalon. Peplion. Dod. not.

Idem putat Theoph. Cneorum nigrum esse posse, folio siquidem Myrtum satis referre: (quod ei nunquam concesserimus) & ramosam, [sæpè etiam vnicaulis est] lentam, obsequiosamque stirpem, albæ radicis, absque odore, fructu nigro, quæ potissimæ notæ sunt Cneori nigri Theoph. Nos pro eo etiam proponemus suo loco. Placet alioqui Dod. figura, quam hic proponimus, quanquam magna ex parte vnico caule à nobis sit conspecta.

Item.

Gesn. in horto ait Laureolam seu Daphnoidē sponte circa Lacum Lemanum nasci folijs ferè Lauri, angustioribus, solidis, gustu feruidis. Item in append. Daphnoides, inquit, è Sabaudia missum, vbi ad Lacum Lemanum sponte prouenit, autumno superiore plantatum viret adhuc, sed non satis lætum & tenuioribus folijs, quæ ad Daphnoides nostrum vulgare ferè accedunt. Quibus verbis sanè duas species insinuat, hanc vt putamus, quæ Sabaudica, & per vulgare eam quæ folio deciduo.

Locus

Cronemb. ad pilulas Mezereonis Pandectarium & Dinum reprehendit, qui Mezereon putarint Laureolam esse, vt copiosiùs postea dicemus in hist. Laureolæ folio deciduo. Nos verò per Laureolam cuius mentionem facit Cronemburg. existimamus intelligendam, quæ perpetuo folio.

Laureola non est Mezereon.

An eandem intelligit censor Apollo quando ita infit Rad. 1. Serap. & Mesues non implicant cū Mezereo Laureolam & Loriolam vulg., cuius historiam reddidit Diosc. l. 4. Daphnoidem dictam non admiscent: quanquam Matth. nescio quâ mente huic capiti insitam asseuerare audeat: eius enim reminiscitur Serap. cap. de Lauro: Mesue cōticet &c. Præterea in commento Daphnoidis, Matth. vt etiam Fuchs. aliud esse Mezereon à Chamęlęa scriptum reliquit: huius verò sententię immemor, cap. de Chamęlęa, idem esse Mauris Mezereon, quod Chamęlęa, Thymelea ac simul admixta Laureola, comminiscitur.

Loriola vulgi.

Matth. reprehe.

Fuchs. not.

Idem Apollo rad. 10. Daphnoides Offic. Laureola ex Diosc. Laureola fœmina medicamentariis. Verùm Apollo ita irradiat nobis, vt non possimus asserere, quę sit eius Laureola, nedum intelligere de qua planta loquitur.

Lob. & Pen. Daphnoidis siue Laureolę vt nomenclatio, sic natura prorsum Pusillam Laurum imitatur, vt plebecula vix conspectam dictitet Laurum. Vbiuis fermè Germanię, Gallię & Anglię, præsertim Mulomedicis & mulierculis clinicis nimis quàm nota, vt mirum sit Commentatorem Senensem tam ieiunè & manca descriptione hanc designasse, certo indicio ignorationis: quippe figura quam nullis floribus dat, fortè Mezerei Germanici surculum refert potiùs quàm Laureolam.

Apollo not.

Matth. not.

Trag. tutela contra Lob.

Lob. Obs. Daphnoides siue Laureola, Germanicè Zeilandt: Gall. *Laureole*, Ital. *Oliuella*: perperàm Thymelea Tragi. Sed fallitur Lob. non enim Tragus hanc posuit de qua hîc agimus pro Thymelæa, cuius nec icon nec descriptio hanc nostram ostendit. Clusius scribit Pyrolę fruticantis folia carnosa, supernè saturatiùs virentia & splendentia Chamædaphnes, quam vulgus Laureolam vocat, foliis, formâ & magnitudine propè similia.

Schuuenckfeldius Chamędaphnen Clusii quę perpetuifolia est cum alia confundit, vt postea dicetur.

Hist. Lugd. tradit Dale champ. cum Dodon. Laureolam Offic. siue Laureolam marē Diosc. Daphnoidem esse rectè censuisse, quæ Matth. sit Chamædaphne. Hisp. *Loreola*. Iconem quoque habet Chamædaphnes Matth. titulo Daphnoidis seu Laureolæ: habet & aliam titulo Daphnoidis seu Laureolæ cum flore: & cap. sequenti pro Laureola folio deciduo cur posuerit iconem Dodon. titulo Laureolę cum fructu, nec nos scimus, nec illa excusabit: erat enim ponenda pro semperuirente. Sed ita euenire solet de sibi incognitis commentantibus.

H. Lugd. error.

Tabern. Kellerhals Germanicè vocat.

An Cęsalp. Daphnoides Italis Laureola dicta?

Daphnoides Cæsalp.

Gignitur magna ex parte in siluis ac montibus vmbrosis incultis & frigidiusculis. Tamen in Italia circa Patauium obseruauimus inter montem Gemulam & di-venda, necnon in huius descensu versus Balneum Aponense, sed quæ & ipsa loca frigidiuscula sunt respectu reliqui tractus. Florebat mense Februario flosculis paruis luteolis stipata. Vidimus etiam Patauii, Veronæ, Ferrariæ, & Bononię in hortis cultam. Geneuæ circa Castellum *la Bastie* dictum iam Decembri florere incipientem, vbi & Feb. & Martio aliàs florere solet Basileæ prope Dornacum, & in horto D. Th. Zuing.

Locus.

Tempus

Zuingeri, ex quo & Montbelgardam in hortum *Satio.* transtulimus, vbi & floruit & baccas tulit. In Burgundicis etiam montibus aliquot obseruauimus, vnde etiam transplantauimus. Iam priùs dictum apud Lemanum lacum reperiri, & non paucis iuxta Rhenum ac Mosa locis. Flores, inquit Dod. præmaturè germinant, paulò post Autumni æquinoctium: hyeme aut primo vere perficiuntur: fructus Maio & Iunio Lob. autore: media æstate etiamnum virent, demum æstatis fine & aduentante Autumno maturitatem assequuntur, & nigræ fiunt. Tota hyeme viret, foliaque obdurant, vt in cæteris stirpibus perpetuò virentibus.

Vires & vsus. Etsi pro certo & indubitato asserere non possimus hanc esse ueram & genuinam Diosc. & Plin. Daphnoidem, reclamātibus suprascriptis aliquot notis: quia tamen vires ab iisdem traditæ apprimè huic conueniunt, lubet easdem hic recensere. Folia gustatu os faucesque vellicant & inflammant. Eadem seu arida, seu etiam recentia potu pituitosa per alvum deiiciunt: vomitus quoque ac menses cient: quin & commanducata pituitam à capite extrahunt, & sternutamenta mouent. *Purgant. Vomitorium. Menses. Capitis purgatio.* Ceterùm & quindenæ ipsius baccæ potæ, purgāt. Paulò aliter Plin. Daphnoides, inquit, [siue his nominibus quę diximus] silvestris Laurus prodest, alvum soluit, vel recenti folio vel arido, drachmis tribus cum sale in hydromelite manducata. Pituitas extrahit folium & vomitus, stomacho inutile. Sic & baccæ quinæ denæúe, purgationis causa sumuntur.

Sunt tamen qui Plinii lectionem ad Diosc. aptādum & emendandam censeant, vt Sarracenus. *Plinii lectio defenditur contra Sarac.* Nos sanè in Plin. nihil præter rationem dictum inuenimus. Nam & stomacho incommodam hanc plantam censemus, insignis suæ acrimoniæ & ardoris gratiâ, & quinas baccas malumus quam denas, has quàm quindenas, purgationis ergò exhibere: quòd vel paulò maior dosis in talibus nobis semper suspecta videatur, præsertim cùm Dei beneficio mitiora tutioraque habeamus.

Cautio. Laureolam certè Dod. in Hist. Gall. calidam & siccam ad tertium gradum, *Téperam.* accedentem ferè ad quartum tradit, subuertere admodum ventriculum, inflammare, lædere, & adurere partes internas. *Correctio.* Folia eius corrigi & ad sumēdum commodiora reddi eo modo quo Chamælæa. Idem in Hist. Lat. temperie & facultate similē facit Chamæleę Germanicæ ea vniuersa suâ substantiâ acrē & feruidam esse. Vt non temerè sanè hanc præscripserimus, propter insignē eius acrimoniam.

LAVREOLA FOLIO DECIDVO, SIVE MEZEREON GERMANICVM.

CAP. XXXV.

Descriptio. QVæ verò deciduo est folio Laureola, frutex est interdum ad trium cubitorum altitudinem excrescens, *Radix.* radice in aliquot partes diuisa, minimi digiti crassitudine, vel etiam crassiore, longâ, altéque se demittente, albâ; *Virga.* ex qua assurgunt plerumque virgulæ singulares, lentæ, teretes, *Cortices.* tenues, obsequiosæ, cortice duplici tectæ, exteriore cinereo, tenui, fragili, interiore exteriùs virente, interiùs albicante: valdè lentæ, & fractu cōtumaces, *Lanugo. Lignum. Flores.* lanuginem quandam bombycinam, dum diuelluntur ostentantes, cui subest lignum candidum, solidum, medullâ pauca præditum. Flores ad ramulorum latera sine pediculo, nunc singulares, nunc plures simul iuncti, ex nodulo

ante folia prodeunt pulchelli, ex rubello purpurascentes, colore ad flores Persicæ accedētes, oblongi, in quatuor foliola mucronata reflexa diuisi, odore suaui: in medio staminula aliquot crocea. *Folia.* Folia ex tuberculis plærúque plura simul, colore herbaceo, Laureolæ folio perpetuo accedentia, molliora, nec vt illa, splendicantia. *Baccæ. Nucleus.* Baccæ cum maturitate rubentes, quæ resiccatæ, nigricant, (inquit Dod.) quarum interior nucleus Cannabis semini similis, medulla candida. *Odor & sapor.* Tota planta vt odore graui est, exceptis floribus, ita sapore acerrimo & vrentissimo. De hac Ruellius sic scribit: *Chamælea. Cilibraca. Oleastella. Oleaga. Oliuella.* Chamæleam Romani *Cilibracam*, alij *Oleaginem* vel *Oleastellum* vocant. Olea Cilibraca vocatur autore Colum. sed Calabrica legendum puto. Recentiores *Oliuellam* appellāt: *Mezereon.* Offic. *Mezereon*, quasi læthalem & viduiferam. Oliuella surculosa fruticat ramis palmaribus, folijs Oleæ similibus, tenuibus, amaris, quæ gustata linguam acriter mordent, faucesque ac guttur vellicatū lacessunt. Lacte manat copioso, animalibus cunctis intacta. Baccas fert si bene memini virides, per maturitatem ex parte rubescentes. Ex hac granum Cocci plerique falsò nasci existimauere. Recentiores Chamæleam cū Thymelęa, & vtramque cum Daphnoide turpiter confundunt. *Ruell. reprehendens reprehenditur.* *Hæc ille:* qui dum alios reprehendit, seipsum accusare videtur: dubitamus an vllam harum plantarum nouerit. *Multiplex eius error.* Fortè intelligit nostram hanc Laureolam folio deciduo. Non conuenit tamen, quod ait lacte manare copioso: nec etiam Chamælęa est, multò minùs Olea Cilibraca Columellæ. Quando folijs Oleæ dicit, & postea baccarum rubrarum meminit, Chamæleam cum Laureola confundens, neutram sibi cognitam fuisse satis clarè prodit.

Brunfels. somnium. Brunfels. nescit quæ scribit Tom. 2. dum Laureolam Teut. *Bellerobalo* dici ait, Græcis Daphnoiden, flores illi candidos radicem inutilem: passim per siluam. Et cap. sequ. Thymelæam vel Coccum Cnidium quoque *Bellerobalo* vocat, *Brunfels. incuria.* floribusque esse candidis. Quis hanc incuriam ferat? Dioscoridis descriptiones sublegens cum *Bellerobalo* Germanorum confundit, nec docet quæ ea sit: nec existimamus reperiri Laureolam flore albo in Harcynia. Vbi quis fide dignus monuerit, aut miserit, credemus.

Cordi opinio erronea. Cordi opinio non opus habet longa refutatione: ipsa per se satis ruit, quando apud Diosc. *Thymelæa. Mezereon. Coccognidium.* tradit Thymelæam quoque Mezereon & Coccognidium, & grana quoque Mezereon vocari: nimirum nostram Laureolam vult esse Thymelæam, & seque cap. hanc fruticem esse dicit quem Germ. *Zebast* & *Bellerbhalo* appellant, ex quo Granum Gnidium colligatur, quod etiam Coccognidium vocitetur. Quasi verò.

An Cornar. Thymelæa ex qua granum Cnidiū,

omne.

Digitized by Google

offic. & notum & in vsu: sanè videtur esse: nam addit, Barbara voce Mezereon, Germ. Kellerßhals dici: fortè ab eo quòd collum, id est, fauces offendit & vrit. Sed cespitat. Differunt enim multùm Thymelæa & Mezereon, quo nomine à Serapione & Mesue vocatur.

Tragus horrenda nomina tribuit: Ex mesue dicitur, inquit, *Rapiens vitam: faciens viduas*: (sic & meliora sperantibus per accidens prodesse posset, si iocari liceat) Seidelbast aut leitzkraut Germ. Baccas Ari baccis confert: sed non probatur nobis quando folia, per omnia Ligustro aut Oleæ similia tradit: immò vix vllam similitudinem aduertimus, quæ dici mereatur. Neque etiam est Diosc. Chamelæa, vt is sibi persuadet. Cur verò apud eundem huius Laureolæ alia icō posita sit, sub titulo Thymelęę, Zeland & Kellers hals, nos latet: quam autem plantam suspicemur eum intelligere paullò pòst dicemus.

Neque concedimus Fuchsio huic, (quam Δαφνοειδῆ vocat, Daphnoiden, offic. & Herbariorū Laureolam) omnes Diosc. notas præter floris colorem conuenire, vt ille scribit: quia Diosc. suæ tribuit folia ἐκ γλίσχρα, fractu contumacia: talia non sunt folia huius nostræ: nec habet χαμαιμήλινα, fructum nigrum, sed rubrum, ac potiùs coccineum: folia quoque vix propriè Lauri folia dici posse putamus. In eodem censura dignum, quòd, quam priùs fruticem dixerat, postea in annot. herbam vocitet facientem viduas. Dubitamus quoque an hæc fuerit Offic. Laureola. Probamus quod taxat, mirum in modum errare Officinas, quòd folijs Daphnoidis pro Mezereo vtantur: & eius fructu pro Cocco Cnidio, qui Thymelææ fructus est Thymelæā verò non esse Laureolā hodiè appellatam herbā ex eo colligi potest, quòd Diosc. autore Linum nonnullis nominata sit.

Matthiolus, vt passim varius a seipso & fluctuanti simillimus, ita & in huius plantæ historia, sicut ex diuersis eius editionibus & historiis patet.

Videtur itaque Camer. nō accipere pro Daphnoide Matth. nostram Laureolam folio deciduo, sed fortè eam quæ est folio perpetuo, vel aliam aliquam. At C. Bauh. apud eundem ponit eam quæ est folio deciduo.

Quod ad nos attinet, satis colligimus ex ipsismet Matth. verbis, ei non bene cognitas has plātas, ac ab eo confundi, quamuis eius icones & descriptiones meliùs conueniant cum nostra Laureola folio deciduo. Reclamant tamen notæ quædam ne sit Daphnoides Diosc. quicquid dictitet Matthiolus, sicuti antè dictum aduersus Fuchsium. Cur verò folia in eius edit. Germ. dicantur viscosa, seu glutinosa, ne suspicari quidem licet: in neutra Laureola hoc obseruauimus. De Amati quoque sententia omninò falluntur, qui Daphnoidem Laureolam dictam Mezereon esse credunt. Esse enim, inquit, Laureolam herbam siue fruticem [differunt hæc duo] cui flores albi purpurascentes insint, & eam pharmacopolas omnes satis cognitam habere. Sed an ipse etiam Amatus probè cognitam habuerit vtramque Laureolam & Chamæleam est cur multùm dubitemus. Scribit enim l. 4. χαμαιλέα, Lat. Oleastellum, Arab. Mezerion, vulgò Mezereon, Gallicis *garou*: Non describit. Nomen Gallicum conuenit Laureolæ folio deciduo: figura quæ apposita, est alterius plantæ, de qua non videtur locutus Amatus, nempe Chamelææ tricoccæ, de qua postea.

Lacuna Matthioli similia diuersam ab eo habet figuram pro Daphnoide, quæ potiùs semperuirentem Laureolam exprimit, quàm hanc: interea tamen Matth. imitatus, vel potiùs, more suo, ex eo transcribens ait, Daphnoidem nonnullos, vocare Laureolam fœminā. Aliquos confundere cū Mezereo, quod non differat a Chamælea Diosc. Sed facilè patet non oculatiorem fuisse magistro suo in istarum stirpium dignotione ac historia.

Piper montanum, inquit Anguil. quod quidam existimant Chamelææ, sine dubio non est Chameleæ, potiùs dixerim Coccum Gnidium Theoph. Nos de Cocco seu Grano Cnidio Theoph. postea tradémus.

Dodo. vocat Chamæleā Germanicā, ac videtur ei esse Cneorum album Theoph. nihil tamen affirmare posse dicit propter breuitatē. At quū Cneoron album Theophrasto candido dicatur folio, figura quodammodo Oleagineo simile, vix concesserimus nostram hanc Laureolam esse Cneorum, licet id sibi persuadere videatur Dod. dicens non multùm dissimilem esse Oleæ. At nos multùm dissimilem dicimus. Etsi etiam similis esset, desiderantur & aliæ adhuc notæ. Et vt reliquas omittamus, quis, nisi luscus fortè aut parum oculatus, Laureolæ folium candidum dicat?

Negat Gesnerus in hortis, Piper montanum illis dictum, & Germ. Zyland rectè Laureolam vocari: cui sanè haud grauatim subscriberemus, nisi iamdudum apud omnes penè Herbarios istud nomen inoleuisset, & in quibusdam cum Laureola haberet similitudinē. Alioqui non semperuirens est, quā in re differt à Laureola æquè ac Lauro semperuirentibus. Quapropter & ipse quoque Gesn. alibi non vno loco, lata vulgi incedens via, modò Daphnoides nostrum vulgare, modò Laureolam vulgarem, modò Daphnoidem Fuchsii vocitat, Thymeleæ tamen speciem potiùs esse, iterato diuersis locis inculcat.

An Apollin. Rad. 10. Chamædaphne, Laureola etiam medicamentariis dicta, eaque mas & ... rum ita irradiat nobis more suo ambitiosis suis radijs, vt non ausimus asserere, nec alius fortè id facilè ex eius verbis queat, num hanc intelligat vel aliam: non sine suspicione ipsummet id nesciuisse.

An Altomari de medic. c. 91. Mezereon seplasiariorum communiter dicta, & propriè ea, quam Diosc. nuncupat Chamæleam, vt ille vult, qui ex ea parat pilulas, quas summè laudat ad eductionem aquarum. Si hanc nostram intelligit, fallitur quòd Diosc. Chamæleam putet.

Cronenb. l. 5. comp. ad Pillulas ex Mezereo Mesues: Mezereon, inquit, frutex omnibus officinis & quibusdam aliis Almezereon vocatus in magnam controuersiam agitur, dum quidam Chamælęę Diosc. alii Thymelææ eam vocem tribuendam contendant. Auic. 2 can. c. 467. & Serap. simpl. c. 303. quos, vt præceptores suos, sequitur Mesue, Chamæleam cum Thymelæa turpiter confuderunt. Tragus Pandectario & Leoniceno subscribit eleganter vulgarem Mezereonem pictura sua ob oculos ponens, dum ait in Ianuario plantam antè folia germinare, flores purpureos edere. In cap. praeced. Thymelæam, Germ. peculiariter Kellershals referens ex Diosc. sine dubio inciditur, & grana pingit, quæ nostri [Germani] Pharmacopolæ ex Mezereo vulgari colligunt: nam rotunda esse dicit, maiora canabinis, singulari virente Diosc. clariùs, fructum habere Myrti in modum, rotundum &c. Hæc si vera sunt, ... omninò iudicari debent, non iam Mezereon Chamelæa, sed Thymelæa: ex qua granum fuit Coccognidium colligi. Theoph. l. 9. cap. ... & Diosc. autor est. Constat hinc Tragum ...

Cornutis impetus. Rapiens vitam. Tragus reprehenditur. Officinarum error. Daphnoides Laureola. Plures de amatis errores. Dodonæus. Tragus.

rum attentam fuisse, dum floribus quidem Mezereonem visitatum, seminibus aut fructibus Thymelæam repræsentat.

Sylvius Mezereo Mesues Thymelæam rectissimè decernit.

Pandect. censura. Pandectarius Simonē Genuensẽ redarguens c.124. hanc malè Laureolam cõstituit; deinde c.170. eos improbat qui Coccognidiũ [quod alias semẽ Mezereonis dixerat] semẽ Laureolæ putant. Amplius c.481. disertè *Laureola.* Laureolam Laurum Alexandriæ & Daphnoidem interpretatur: vnde manifestum sit *Daphnoides D. Florent. error.* quantoperè sibi dissideat. Simili quoque errore D. Florentinus includitur c.1. in Mes. commentans: Vtrumque facilè hinc arguitur, quòd Diosc. diuersa capita omniũ earũ herbarũ instituat, quodq; *Arabum lapsus diuers.* Arabes omnes (Si Serap. excipiamus) Mezereonem cõpioso lacte manare scribant, quod tamen nec profert Laureolà, nec etiam Mezereon vulgare. Et quamuis Mesue Lactariarum maximam *Lactariarum maxima. Lacticinium magnũ Monachi increpantur.* dixerit, & Auic. Lacticinium magnum, id esse falsum oculari fide monstratur. Nihilque moror Monachos in Mes. vbi confidenter Lonicerum & Fuchs. cauillantes, ac Serapioni iniquo iure patrocinantes, idem contendunt.

Non dubium quin Diosc. Chamelæa sit Serapionis Mezereon, quam Arabes & eorum discipuli non tantum multiplici verborum imperitia confuderunt, sed insuper cum Chamæleone albo ac nigro lethali errore commiscuerunt. Atqui illud horrendum quod Mesue initio sermonis Mezereon *rapere vitam*, ac *viduas faciens* dixerit, *Vitam rapiens Viduas faciens Cautio.* vnde serio vsus eius ab agyrtis & circumforaneis formidari debet, qui integra grana (quia pauculum ore comminuta, fauces accendunt & linguam misere vellicant) transglutienda exhibent, extre- *Agyrtarum impostura.* mo hominis periculo. Noui (addit Cronemb.) impudentissimam obstetricem Nouiomagii (quæ primaria vrbs Geldriæ) Gretam nomine, quæ passim quibusuis: & quod intolerabili scelere fit, etiam grauidis ac pueris propinat: ô flagitiosam fœminam! Quare, prudenti etiam necessario consilio, Mesuæ aceto cotrigantur folia. *Hac ille.* Cæterum Cronemburgium per Mezereonem vulgarem intelligere Laureolam nostram folio deciduo satis clarum: Laureola autem eius fuerit fortè ea, quæ folio perpetuò virente. Quæ autem sit Thymelæa vera, & Mezereon Mesue imponendum in pilulis Mesuei, non indicat. Apud Theoph. vt citatur a Cronemb. nuspiam inuenimus in qua planta colligatur Coccon cnidium. Verùm de hac re postea.

Caeci ac periculosi errores Lonicer. deteguntur. Nunc cæci ac periculosi errores Lonicer. detegendi. Is lib.4.c.49. suæ historiæ sic scribit: **Bellersshals**, aut **Zyländ**, aut **Zebast**/Diosc. Thymelæa, fructus Granum Cnidium aut Cocco cnidium: alii Daphnoides Diosc. volunt, quamuis non respondeat descriptio huic **Bellersshals.** Quo loco Lonic. posuit falsam figuram Matthiol. Thymelææ, cui appictæ baccæ triccoccæ: quam plantam intelligat nescimus, nec ipsum sciuisse existimamus: nomina tamen Germanica conueniunt nostræ Laureolæ folio deciduo. Cap. seq: quod 50. sic tradit: **Seidelpast/Leüßkraut**/Diosc. Chamelæa, Barbaris Arabibus & Offic. Mezereon, *Rapiens vitam, Faciens viduas.* Quidam confundunt hunc fruticem cum **Bellersshals** cap. præced. descripto, propter similem figuram & vires. Ambas indiscriminatim vocant Mezereon. Hoc cap. Lonic. ponit figuram Chamelææ Matth. descriptio autem est Laureolæ foliò deciduò ex Trago, cui dicitur Chamelæa, vt ante annotatum. Sic ille, magis etiam cæteris, more suo omnia confundit. Lib.5.cap.108. iconem Laureolæ folio deciduo, ex Matth. ponit pro **Lorberkraut** Daphnoide: ascribit quosdam velle esse **Bellershals Zylandt.** Is præterea malè scribit Coccum Cnidium semen esse Thymelææ apud Myropolas in vsu.

Risfius quoque apud Diosc. notat Chamelæam G. dici **Zyland**/ Gallis *Bois gentil* & cap. sequenti Thymelæam esse Mezereon Mesue & officinarum, cuius granum Gnidium Diosc. Officinis sit Coccum gnidium Germ. **Bellershals.**

Sed eadem ignorantiæ nota inurendus est Ryffius, qui eandem plantam facit Chamęleam & Thymelęam, cùm tamen neutra sit.

Lectores perpendant in quanta pericula isti ignari Herbarii coniiciant non solùm miseram *Multi medici stirpium ignari.* plebem, verùm etiam Medicos stirpium ignaros, quorum maiorem numerum scimus, quàm vulgus crederet.

Pen & Lob. Aduers. Chamædaphne siue pusilla Laurus: an Germ. Mezereon granum vocitant Piper rusticum, & Gnidium granum Pharmacaria *Piper rusticum Matth. fugillatur Camer. & Lob. accus.* inscitia, quã ponit iamdiu Senensis, decipitque deceptus, sibi incognitas, *barsum prorsum*, confundit. At ipsi interim Aduersarii dubii hærent, an sit Chamædaphne. Corrigunt tamen versionem, & vires Diosc. exponunt, vt suæ opinioni accommodent, vt apparebit infrà inter vires. Nec ullam vidimus tãtam similitudinem, vt mereatur nomen pusillæ Lauri.

Camer. annotat Chamæleam Germanicam (sic enim vocat) flore quandoque reperiri albo. Sed vbi? &, si vidit, cur locum non indicat?

An Turner. Daphnoides, quibusdam dicta Laureola? Angl. **Laurel** vel lolbry quam in Germania se vidisse negat: in Anglia tamen ad sepes propè Cantabrigiam & **Barckway** frequentem. Videtur Turnerus intelligere Laureolam semper virentem: quamuis figura non respondeat, nec quadret ex Diosc. flos albus.

Chamelæa, inquit Cæsalp. quam vulgò in alpi- *Chamelaea duplex Caesalpino.* bus Oliuellam vocant, duplex est: vtraque paulò minor Daphnoide obsequiosa, &c.

Qualem autem suspicemur Cæsalpini priorem Chamæleam dicemus. Altera videtur nostra Laureola folio deciduo.

Histor. Lugd. pro Laureola fœmina proponit iconem Matth. præterea eodem cap. habet iconẽ sub titulo, Laureolæ cum fructu, quam Dod. exhibuerat pro Laureola siue Daphnoide quæ perpetuò viret, diuersa ab ea de qua Hist. Lugd. eo loco agit.

Schwenckf. in Cat. Siles. Laureola, *χαμαιδάφνη* Diosc. Chamædaphne Clus. At non videmus cur hæc planta simpliciter Laureola dicenda sit, nulla tanta similitudo. Chamædaphne Clus. non est, vt priùs dictum. De Diosc. Chamædaphne, postea.

C. Bauh. apud Matth. Daphnoides: Laureola folio teneriore & deciduo. Glycyrrhizam mon- *[illegible]* tanam nominare solemus, vt rei herbariæ ignaros fallamus.

Castor. Daphnoides & Laureola maior. Plæraque linguarum nomina iam suprà dicta sparsim. Hisp. & Ital. *Laureola.* Gal. *Laureolle.* Germ. *Schwenckf. reprehenditur Glycyrrhiza montana Daphnoides.* etiam **Scheißlorbeeren** quasi cacationis Lauri baccæ, quia sedem potenter mouent. Siles. **Zeitlang**/ **Zieglig.** Sequanis & Mompelgardensibus, *Bois gentil.* Rustici circa Basileam, vt ex Cl. D. Fel. Plateto accepimus, nominant **Samar.** Belg. quoque, vt Germ. **Bellerhals** dicitur, his etiam **Leüßkraut**: pediculorum herba, fortè quòd eos abigat. Boh. **Wlcy Lyko**/ **Weissy**/ teste Matth.

Eadem

Eadem ferè ... cum præcedenti amat, siluatica, montana. Plurima cùm in Germania & Heluetia, tum in Allobrogum & Ligurum Delphinatusque montibus & collibus siluosis, opacis, in vallis Anoniæ montibus Tridentini agri reperitur in monte Amano, teste Bellon. quam ille **Kellerkraut** Germ. dici ait, quanquam temerè herbam vocitet. Circa Basileam in Mouteto monte. Denique in plerisque pinguibus & opacis, asperis atque desertis Germaniæ locis. In Italiæ hortis quamplurimis cultam vidimus. Translata enim ad frugem peruenit ac diu durat, quales plures in hortum E. C. Montb. transferri curauimus, quæ adhuc vigent, vbi & Ian. & Feb. Martio atque Aprili florentem obseruauimus, pro natura & clementia hiemis. Communiter tamen Martio floret: Sed florum gemmas seu germina statim post autumnum promere solet, qui mox hieme, si clemens sit, alioqui ineunte vere, panduntur. Folia post flores demum exeunt. Tandem æstate & baccæ quæ Augusto magna ex parte rubræ factæ maturantur. Subinde folia amittit.

Prodidit Tragus se Chamelęa [intelligit autem hanc de qua hic agimus] quosdam agyrtas & impostores non paucos ad orcum mittere vidisse. Eiusdem iudicio Pilulæ quas è Chamelæa Mes. & Serapio conficiunt, ad hydropem maximi sunt momenti. Existimat decoctionem florum tutioris & minùs noxij vsus esse. Nemini tamen autorem aut magistrum hac in parte se velle esse, profitetur. Folijs cum melle tritis sordida vlcera & crustosa repurgari. Mulieres quæ formæ student, hoc medicamento vti posse: nam faciei maculas intra paucos dies illitu exterere & purgare. Nostrum consilium est, ne quis temerè vtatur Pilulis de Mezereo dictis, præsertim si imponatur Chamælæa Tragi, quia non paratæ sunt vt decet. Qui smegma Tragi volet vsurpare in magmatibus, caueat nec inflammet faciem, & pustulas excitet ipsis maculis deteriores. Nam erodentis & admodum inflammantis est facultatis. Folium vnū siue recens siue siccum comestum pituitam viscidam per deiectiones vacuare, vomitum mouere & menses Matth. tradit. Baccas quindecim potu assumptas efficaciter purgare. Folium in nares inditum sternutamentum excitare. Cum passulis folium vnum masticatum, à capite pituitam & saliuam ducere. Nimirum hæ ipsæ sunt vires quas suæ Daphnoidi tribuit Diosc. quas mutuatus Matth. suæ Laureolæ applicat. Vt iam apertè videant Studiosi, quantùm ei sit fidendum. Dosis baccarum periculosa, & quam ipse non sumpsisset, nec sine noxa aliis propinasset.

Dodonæo folia, cortex, radix, & fructus sunt calida & sicca ad tertium ferè gradum, eiusdémque ferè qualitatis cum Thymelæa. Folia, inquit, purgant potenter & violenter per inferiora pituitam & humores biliosos ac aquosos, his vti officinas loco foliorum Chamælææ. Easdem vires habere baccas, easq; commansas tantum calorem ac feruorem in faucibus relinquere, vt vix potùs copiâ restingui possit. Ideò hanc plantam sine dubio nocuam esse hominibus, cùm sit vsque adeò calida, vt vehementer violenterque operetur, ideoque lædat & noceat partibus internis. Huius folia præparari vt folia chamelęæ; eadémque ratione præparandos esse fructus & corticem, si sumendi exhibeantur in aliqua medicina. Idem in hist. lat. scribit, officinas Germaniæ & Belgij huius foliis (si quando opus sit) vti pro chamælæa, quod citra errorē fieri possit, quod & Cam. repetit. Menses quoque ducit, vt perhibet Schvvenckf.

Cortex verò aduersus Quartanam, Hydropisim & venena pro se cū Sacharo, vel liquore aliquo bibitur, corrigitur Lacte, vel Aceto. Experiatur qui volet? Nos non facilè periculum fecerimus, nisi deficientibus aliis medicamentis, aut in casu desperato eius vsum suaserimus idque cum magna consideratione.

Suspectum porrò nobis est & illud Ant. Roiet medicamentum, quod peste laborantibus exhiberi tradit. Foliorum, inquit, Laureolæ exsiccatorum pondus coronati, plus minúsve pro ratione virium ægroti, per biduum in aceto macerant, & bibendum præbent, quod sudorem mouet, vomitū & aluum: & hac ratione venenum expellit. Suspectum vt diximus, est nobis hoc medicamentum: si eo vtendum esset, velimus potiùs folia Laureolę macerata per biduum in aceto cum alio liquore propinare.

Nam vel Peñ. & Lob. testibus, ac ipso adeò sensu, fauces, œsophagumque [aliter quàm Euphorbium Gesner.] adurit, diu multumque vexante impressione. Non minùs hæc per aluum deijcit crassum viscidumque Phlegma, & intestinorum ramenta abradit quàm Laureola, cui non dispar, sed vehementior facultas inest, eademque in aceto maceratio ad corrigendum debetur. Sic enim vtuntur etiam Medicorum quorundam præcepta Pharmacopœa. Quare [inquiunt ijdem] facit hæc virium expensio, vt minùs quis putet Chamædaphnen legitimam. Quippe quam Diosc. κεφαλαλγιαι, id est, capitis doloribus & stomachi ardoribus mulcendis commendet, vt interpres vertit. At si vlla ratio iniri queat, quâ tam feruida planta pro Diosc. Chamædaphne agnosci queat, ea interpretatione commodiore & veriore videtur sita: namque κεφαλαλγίαις ἢ στομάχου ἐγκαύσεσι ἁρμόζει, id est, capitis doloribus & stomachi vstionibus accommodat, vertas, non incommodo sensu intelliges folia tusa admotáque capitis dolori, puta à frigore, vel flatu, mederi: Stomachique vstionibus faciendis admoueri, ad diuturnas fluxiones sistendas atque stomacho auertendas: vt Paulus ex Antiquis docet faciendum, lib. 6. de stomachi vstione, ferro vel caustico non vrente actu, cuiusmodi sunt fungi, aut nigri Agarici frustilla, aliaúe inibi scripta, quibus non secus atque folijs huius vsi sunt Antiqui. Sic Diosc. magnum præsidium putat *Arabicam* vocatam *vstionem* à Græcis, quæ fieri solita fuit spirillis caprinis, oleo feruenti immissis, & pollicis cauo inustis. *Sic ille.*

Nobis nondum verisimile videtur hanc esse Diosc. mentem, estque valdè longè petita hæc interpretatio, nec consueuit aut opus habuit Diosc. ab Arabibus discere, quos nec vidit nec agnouit. Quæ nostra sit aliorumque hac de re sententia, cap. de Chamædaphne declarabimus. Non enim concedimus, hanc de qua hic agimus, esse Chamædaphnen Diosc.. Nec tacendus tamē alius eius vsus quem Moibanus inuexit, in cuius Antidotum aliàs Saxonicam vocatam aduersus venena eius radix quoque in aceto macerata venit, quam antidotum alio commodiore loco referemus.

CHAMELÆÆ HIRSVTÆ NOMINE DATA.

CAP. XXXVI.

CHAMÆLÆÆ nomine, & Gallicè *Bois Gentil*, id est, Ligni nobilis nobis datam, non

Margin notes: Loc. — Tempus. — Vires & vsus. — Hydrops. Flores tutiores. Vlcera crustosa. — Caustic. — Purgans. — Matth. non fidendum multa fingenti. — Tēperam. — Diosc. interpret. — Arabica vstio qualis. — Vsus aduersus venena.

recordamur à quo] plantam in sicco nostro herbario inuenimus & etiamnum asseruamus. Fruticis parui speciem habet, vti præcedens: Caudex lignosus, rami palmares, nigricantes (in sicca.) Folia similia ferè cum præcedenti Laureola folio deciduo, breuiora tamen, & multò angustiora, in acumen desinentia, nonnihil hirsuta.

THYMELÆA MINOR CORDI.

CAP. XXXVII.

Descriptio.



THymelæa minor Cordo, paruulus est frutex, plures ab vna radice imittens virgas, longitudine pedales aut dodrantales, per terram stratas, lentas, flexiles, & distractu contumaces, foliis numerosis, vndique vestitis, figurâ oblongis, vtrinque acuminatis, crassiusculis, superiùs viridibus, inferiùs pallidioribus, Oleæ Myrtique foliis multò minoribus, ac potiùs fruticoso Polio similibus, paulò tamen maioribus, gustu glutinosis. Flores, Sole Taurum occupante, producit in summis virgis oblongos, inferiùs angustos, superiùs in quaterna folia parua se pandentes, è purpura in puniceum atque candicantem colorem vergētes, densos: & ab vno principio sese in Corimbos diffundentes, suauiter odoratos, & mellis aliquem odorem redolētes. Floribus singulę succedūt baccę. Radice nititur longa, candicāte, neruosa, lenta, flexili, infragili & perenni: gustu ad aliquot horas fauces & palatum Coccognidii modo excalfaciente & scarificante. Nascitur fruteto-sis & muscosis tam planis quàm editis locis: nonnunquam etiam sub Iuniperis. Copiosa autem circa Vindelicorum Augustam, & Ratisbonam.

Folia. *Sapor.* *Flores.* *Radix.* *Sapor.* *Locus.*

An de hac Gesn. de hort. Piper montanum in Italia multis vocatum, quod nostri Zyland, Dod. Chamelæam falsam? eiusdem species alpina minor superiore autumno hortulo meo commissa, viret etiamnum. Vis vtriusque caustica, omnibus partibus os & palatum non aliter quàm Euphorbium accendens. Aliqui non rectè Laureolam vocant. Facilè nascuntur: crassior enim radicis & tenax est cortex. Item de Collect. simpl. Laureolæ puto species in monte prope Curiam, parua, angustis folijs, paulò maioribus, quàm Rosmarini, flosculis purpureis odoratis, vt in Zyland, Cauliculus lignosus est, non vltra septem digitos altus. Floret Iunio. Considerent periti an Gesn. de duabus plantis scribat, an de vna tantùm. Item an intelligat Thymelæam Cordi vel Cneorum Matth. fruticosum, potissimùm per eam Laureolam, quæ prouenit Curiæ: Icon à Gesn. addita Thymeleę minori Cordi non quadrat cum Cneoro Matth. Stirpium studiosi obseruabunt circa Augustam Vindel. & Ratisbonam, Thymelæam minorem, & conferent cum Cneoro fruticosa Matth.

Chamelæa falsa. *Vis operum.* *Laureola species.* *Tempus.*

Tragus de sua Thymelæa sic scribit: Kellerhals & Zeilandt Germ. Latinis nonnullis *Linum silu.* *Oliuella* & *Leo terræ*: apud Diosc. [illegible] & χαμελαία: Plin. *Pyrosachne*, Cnestron & Cneorum vocari tradit. Syri *Apolinum* nuncupant: Hyginus *Casiam*. *Liparonis* cuiusdam Aetius mentionem facit, qui & Cnestron nominari tradit. Num verò ad hunc fruticem & pertineat appellatio, minimè constat. Fructus Thymeleæ *Granum Gnidium* vel *Coccum Gnidium*, vt loquuntur Offic. appellatur. Errant Recentiores, qui Coccognidium ex Chamælea nasci existimant. Multò maiori in errore versantur, qui Chamælęam cum Daphnoide seu Laureola confundunt, ac si ad vnam & eandem herbam vtraque appellatio referenda sit. Vid. Cristoph. de honestis & Iac. Manlium, super Confect. Mezereon. Frutex est, arbusculæ instar prosiliens, virgis multis, tenuissimis, tripedaneis, aut breuioribus, folijs exiguis & pinguibus, flore candido, fructu rotundo, seminibus Cannabis haud maiori, linguam si mandatur adurente, non aliter atque Chamelæa de qua proximo capite. Non vbique obuia est, sed incultis, altissimisque montosis & siluis prouenit. *Hæc Tragus* cui id euenit quod reprehendit in alijs. Laureolam folio deciduo bis pingit, pro Chamælæa & Thymelæa vti dictum, licet neutra possit esse: nec eius Thymeleæ descriptio respondeat iconi, quæ fortè ex Diosc. desumpta, ipsis plantis non probè ei cognitis, vel sanè superficiariè consideratis. Considerandum tamen an fortè intelligat Thymelęam minorem Cordi modò dictam.

Linum silu. *Oliuella.* *Cnestron.* *Cneorum.* *Apolinum.* *Liparonis* *Coccum Gnidium tribuitur.* *Thymelæa Tragi.* *Fol.* *Flo.* *Fructus.* *Locus.* *Tragi lapsus.*

An Apollo de hac Rad. 1. p. 96. Thymelæa ex qua Granum Gnidium, Chamelææ simillima? An item Anguill. in epist. Thymelæa ex qua fructus Coccum Gnidium dictum. Adeò superficiariè vel intricatè de his tradunt, vt quid statuendum nesciamus.

CNEORVM MATTH. SVFFRVTEX.

CAP. XXXVIII.

Descriptio.

PRo Cneoro, exhibet Math. plantam Thymeleæ Monspessulanæ aliquatenus similem, ex radice crassa, nigra, plura lignosa virgulta, dodrantem circiter alta, ramosa, cortice nonnihil rufescente tecta proferente: in quibus potiss. circa fastigiū folia conferta, viretia: Thymelæā multò breuiora, obtusiora, glabra, neruo vno secundum longitudinem donata. Flores ramulorum extremis insident multi, simul congesti, purpurascentes, ac interdum albi, quorum singuli Kelach Matthioli floribus, formâ non absimiles, ex oblongo tubulo in qua-

Radix. *Folia.* *Flores.*

tuor lacinias radiatim dispositas facessentes. Placet & diligētissimi & peritissimi Herbarii Clus. descriptioné subiicere. Elegans, inquit, suffrutex, cui multi sunt rami graciles, flexibiles, lenti, surculosi, ab ima protinus tellure emergentes & humi diffusi. Folia nullo ordine disposita ramulos ambiunt, viridia, cutanea, Thymelææ veræ proxima, ingrati primùm, deinde amari saporis, nullâ aut perexiguâ (quantùm quidem gustanti deprehendere licuit) acrimoniâ prædita. Flores in summis surculis, sex, septem, aut plures, conferti, quatuor foliolis constantes, ex rubro purpurascentes, Centaurij minoris florum penè æmuli, ingrati etiam & amari saporis, aspectus tamen pulcherrimi, atque odorati, caput(si diutiùs naribus admoueantur) tentantes: ijs succedit fructus exiguus, Thymelææ fructui haud dissimilis, non ruber quidem, sed candidus: oblongiusculus, semen continens cinereâ membranâ tectum, rotundum, Thymelææ grano par. Radix longa, minimi digiti vt plurimùm crassitudine, interdum nigricans, maiore verò ex parte flauescens, lenta, supernâ parte nonnunquam gracilior, vnde rami flexibiles & humi dispersi emergunt, & subinde secundum alarum caua, satis crassas fibras flauescentes agunt.

Folia. *Fructus.* *Radix.*

Icon Cneorum Matth. Locus.

Matth. in com. cum magnis icon. Lat. & Ital. iconem proponit huius plantæ nomine cneori Matth. ubi scribit: inuenisse se in Bohemiæ siluis plantam, quæ omnibus partib⁹ suis cneorum candidû referat: flores in surculorû cacuminibus purpureos, odorati Testiculi odore &c: In epit. sua iconem ponit diuersam à præcedenti, pro cneoro candido: de quo agemus suo loco, nempe capit. de Ocymoide vel saponaria minore. Hanc non describit, sed tantùm ait: cneori candidi, de quo meminit Theoph. hic imaginem damus, vt qui chamælæam faciunt, ad mentem redeant. Profectò in ipsomet mens requiritur, qui sibi parum constans quod affirmauit audacter in dubium reuocans, aliam plantam pro Cneoro, nempe herbam, à prædicta toto genere differentem exhibeat, parum memor eorum quæ priùs tradiderat. Certè camer. in Epitome Matthioli figuram omisit. C. Bauh. in auctis & illustratis Matth. commentarijs l. 1. c. 13. Cneorum priùs fruticosum posuit, addens: Cordum fortè nomine Thymelææ minoris exprimere voluisse: is nihilominus illustrans Matthiolum, l. 4. c. 167. cneori titulo herbæ iconem ponit adiectis adeò his Matth. verbis: Cneorum de quo meminit Theoph: nullis deficientibus notis misit ad me Romá vir quidam nobilitate clarus, cuius imaginem hic appingi curauimus, vt qui chamælæam & Thymelæam cneorum faciunt ad mentis sanitatem redeant. Est autem ea icon reuera Ocymoidis minoris. Verum iam verum erit cneorum Matthiolo? frutex ne hic descriptus, au dicta iam herba? Vt meritò de stirpium historiis meritissimus Clusius in hæc verba proruperit. Matth. hunc fruticem pro cneoro albo Theoph. proponit. Cùm vero quale sit difficulter indicari possit, cur huic stirpi cneori nomen accommodare voluerit, multi mirantur.

Matth. varians & inconstans. *C. Bauh.*

Postrema Com. editione l. 4. aliud nobis Theophrasti Cneoron adfert, nullis, vt ipsius verbis vtar, deficientibus notis. Sed cùm nudam tantùm imaginem, addito, cneori nomine oculis subiiciat, illiusque historiam planè subticeat, si parum fidei ipsius assertioni adhibuerimus, nemo, vt opinor vitio vertet. Cæterùm, addit Clus. nisi in hac planta, (cuius & ipse satis elegantem figuram exhibet) acrimonia, quæ quidem sensu percipi possit, abesset, ad Thymelææ genera aut ipsi congenerem suffruticem referendam esse censerem. Nonnulli rustici Steinroselin / hoc est, *Petræam Rosulam* vocant. Nos autem antè monuimus cap. de Thymelæa minore Cordi considerandû esse, an Gesnerus hanc fortè intellexerit nomine Laureolæ paruæ, cuius descriptionem ibi posuimus.

Clus. parum cum Matthiolo tribuit. *Petræa Rosula.*

Est verò id notatu dignum, quod obseruauit Myconus, medicus Barcinonensis, rei herbariæ studiosissimus à nullis animantibus, fruticem hunc attingi aut arrodi. Et cùm mille huiusmodi plantas foliis & floribus mutilatas viderit, nullam vnquam reperire potuisse asserit, in qua præcisum aut arrosum aliquid fuisset.

A nullis animalibus attingi.

Braun apud Tabern. ponit iconem hoc titulo: De Bellerßhals aut Zeiland. *Cassia* Matth. *Chamelaea* species: subiungit duas descriptiones, & postea duas icones Thymelææ, de quibus postea. Casiæ, quam vocat, Matthioli, descriptionem omittit, quam inuenisset apud Matth. sub Cneoro, sic parû oculatus vno capite diuersas plantas confunde ns se & alios fallit: qui leget caput eius quod 91. est l. 1. vix intelliget an in descriptione priori intelligat Cassiam, vti vocat, an Thymelæam.

Braun confundit.

Prouenit Cneorum Matth. vt tradit Clus. in multis montibus Viennæ vicinis tantâ abundantiâ, vt rusticæ mulieres, dum floribus abundat, multos eius manipulos in forum venales adferant, cum aliis varii generis floribus, exornandorum tricliniorum gratiâ. Nascitur etiam in Pannoniæ siluis editiore loco sitis vltra flumen Rabum siue Arabonem. Frequens etiam crescit quibusdam siccioribus pratis Francuforto ad Moenum vicinis, præsertim silua quadam quercubus consita, circiter miliare infra eam vrbem ad sinistram fluminis, inter Ericas, vbi illam candidis etiam floribus variantem conspexit Clus. cuius etiam manipulos rusticæ mulieres in foro venales proponunt.

Locus. *Pro coronarum venditur.* *Flore candido.*

Aprili plerumque florere solet, nonnunquam etiam Maio. Fructus maturus est Iunio. Adeò autem fœcundus est hic suffrutex, vt sæpenumero ter eodem anno floreat, nouis floribus semen semper consequentibus, quod probè maturum, bis eodem anno de vna eademque planta collegit idem Viennæ Austriæ.

Tempus.

Camer. testatur Cneorum Matth. sibi in horto è semine natum: sed non docet an herbaceum intelligat, an fruticosum. Duo enim Cneora habet Matth. eaque valdè differentia, si probè meministi, quæ antea scripsimus. C. Bauh. suffruticem intelligit.

Satio.

Toscanus Carolus pharmacopœus Burgundus in Campagniola, diligens stirpium indagator, flore albo & purpureo ad nos misit nomine Balsami

alpini, quas in hortum E.C. Montbelg. plantari curauimus.

CHAMÆDAPHNE, LAVRVS ALEXANDRINA HIPPOGLOSSVM, RADIX IDÆA, BISLINGVA, SIVE BONIFACIA.

Cap. XXXIX.

Instituti ratio. QVandoquidem multi ad Laureolam referunt Dioscoridis Chamædaphnen, vt ex præcedentibus liquet, quam ipse subnectit suæ Daphnoidi: nos eum secuti, hoc loco trademus eius historiam, addentes & subnectentes his *Laurum Alexandrinam*, *Hippoglossum*, *Radicem Idæam*, quæ à Diosc. pro quatuor distinctis plantis traduntur, ab alijs verò vna eademque stirps existimantur, ac putantur esse, vulgò dicta *Bislingua* siue *Bonifacia*. Quod si cui videatur hæc planta interrumpere nostrum ordinem, quo similes plantas, quantùm fieri pote, iungere studemus: is sciat, facilioris doctrinæ & vitandarum repetitionum ergò nos quasi coactos de ea hîc tradere. Habet tamen aliquid in quo conueniat cum præcedentibus: videlicet, nomina, baccas, & quòd sit fruticosa planta, constans virgis hieme non pereuntibus.

CHAMÆDAPHNE.

Descriptio. CHamædaphne, quam & Ἀλεξάνδρειαν aliqui vocauerunt, autore Diosc. virgas promit singulari ramulo constantes, [μονοκλώνους: deerat in vulg. exempl. Latinum Ruell. ex Plin. Græcam vocem Sarac. ex vet. cod. adiecit] cubitales, rectas, tenues ac læues. *Diosc. e. mend.* Et huic quoque folia sunt Lauri similitudine, sed multò læuiora (λειότερα addunt ex veteri codice Lacuna & Sarracenus) *Folia.* tenuioraque ac viridiora: fructus rotundus, rubens, foliis adnatus: [τοῖς φύλλοις ἐμπεφυκώς.] *Fructus.* Huius folia trita illitaque capitis doloribus & stomachi ardoribus [καὶ στομάχου ἐγκαύσεις vulg. codices habet. *Vires. Cap. dolor.* Sarac. legit ἐμπνευματώσεις & inflationes vertit, ex autoritate Serap. qui est ipse inflationes reddit.] quòd verisimile non sit, Chamædaphnen, cuius eadem est, Gal. teste, natura, quæ Daphnoidis & Lauri Alexandrinæ (quas vocat) ardoribus stomachi succurrere: qui eximio suo calore stomachi potiùs ardorem excitare debeat. *Stomachi vel ardor vel inflatio.* Fuerit autem vero similius illam vt tormina à flatibus concitata, ita & stomachi inflationes discutere. Vbinam legit Sarrac. Laurum Alexandrinam eximium calorem Daphnoidis habere? *Sarrac. reprehenditur.* Galen. non videtur, per Daphnoidem intelligere Dioscoridis Daphnoidem, sed clematidem 2. Præterea non omnes ardores sunt à causa calida, sed sæpissimè à frigida: facilior potuit esse lapsus Scriptoris, vel Correctoris apud Serapionem, qui scripserit inflationis, pro inflammationis. Plinius etiam Dioscoridis lectionem comprobat. Quæ hac de re sit Aduers. sententia seu opinio, superiùs dictum] succurrunt. Eadem pota cum vino tormina [στρόφους] sedant. Succus cum vino potus, menses vrinasque ciet: idem quoque subditus in pesso præstat. *Menses. Vrina suppressa.* Dixerat autem Diosc. cap. praeced. Daphnoiden quoque nonnullis chamædaphnen appellari, de qua Daphnoide purgante vt ab hac chamædaphne differenti, paullò antè egimus.

Porrò χαμαιδάφνης germina tenera, inquit Gal. edi quoque solent. Est autem persimilis viribus Daphnæ Alexandrinæ, sicut sanè & quod Daphnoides nuncupant. *Daphne Alex.* Quale igitur hoc fuerit Daphnoides Galeni? Certè Daphnoides Diosc. mordet fauces, nec existimamus eius germina à quoquam comedi posse. *Galen. Daph. Clemat. Daphnoides.* Quidam [Paulus & Serapio] intelligunt per Gal. Daphnoidem eam plantam, quæ dicitur clematis Daphnoides, & clematis secunda.

Chamædaphne Plin. Plinio Chamædaphne vnico ramulo est, cubitali ferè, folio tenui, Lauri similitudine. Semen rubens admixtum: [annexum: meliùs ex vet. cod. testibus Cont. & CH.] foliis illinitur capit. doloribus recens. Ardores refrigerat: Ad tormina cum vino bibitur. Menses succus eius, & vrinam ciet potu, partusque difficiles in lana appositus. Quæ sanè Plinij chamædaphnes descriptio ita cum Diosc. conuenit, vt ex eo descripta videatur.

Cæterùm idem Plin. vbi de Lauri generibus scribit: Est, inquit, & Chamædaphne siluestris frutex, est & Alexandrina [videl. Laurus.] quam aliqui Idæam, alii Hippoglottion, alii Daphnitin, *Parum distinctus.* allii carpophyllon &c. quæ postea dicentur sub Lauro Alexandrina.

Meritò autem Leonicenus Plinium carpit, qui l. 15. Chamædaphnen describit, & eandem l. 24. iterum: eidem plantæ differentes descriptiones afferens. Est enim prior descriptio in Daphne Alexandrina, non autem in Chamædaphne, l. 4. à Diosc. tradita. *Plin. carpitur à Leoniceno.* Esse verò Chamædaphnen à Daphne Alexandrina differentem non solum Diosc. sed Gal. pariter & Paul. ostendunt. Chamædaphne tamen, vt à Diosc. describitur non multùm ab Alexandrina Lauro differt: hodie, inquit Cornar. non cognoscitur, si alia & diuersa est ab Alexandrina Lauro.

Clematis Daphnoides siue Vinca Peruinca. Chamædaphnen Græcis, quam Vincam Peruincam vocant, Plin. tradit l. 21. c. 11. & c. 27. de qua nos cap. de clematide altera siue Daphnoide. Fortè hæc ipsa fuerit de qua Theoph. l. 3. hist. c. 18. vbi tradit: arborem Euonymum magnitudine esse Mali Punicæ, atque folio eiusdem, sed maiori, quàm Chamædaphnes. [ἡ χαμαιδάφνη: Gaza more suo audacter lasciuiens Vincam peruincam reddit, Relinquendum nomen suo autori, in re præsertim non probè cognita: sed hoc non nouum ipsi, interpretis fidem excedere.] *Gaza interpretis fidem excedit.*

Chamædaphne, inquit Apuleius, à Græcis quibusdam *Daphnites*, aliquibus verò *Daphne*, alijs *Hydragogo* seu *Caragogos* dicitur: Itali *Mustellaginem* dicunt, alij *Lactilaginem*: Galli *Laugulum*, *Vsiben*: *Daphnites. Daphne. Caragogos. Mustellago. Lactilago.* In puluerem redacta mollissimum, & in aqua calida potui data aluum concitat. Annotat apud eundem Humelb. Qualis sit herba chamædaphne nos docet Diosc. & Plin. ex quorum descriptione facilè intelligere est, non esse vulgò Laureolam Germ. Zyland, neque est herba quam nostri temporis Herbarij Vincam peruincam appellant. *Ety.* Hydragogos Apuleio dicitur, quasi aquæ & humidorum subductiua: in vetustis exemplaribus non Hydragogos sed caragogos scriptū est: sicque dici potuit, quòd caput, quod Græcè κάρα dicitur, à noxijs humoribus expurget. Mustellago nomen à Lauro sortita est, quam Pomp. Leneus, eo quòd Mustaceis subijceretur, Mustacem appellauit, vt autor est Plin. Lactilago dici potuit, quòd iucundo sapore, ceu Lac in cibi vsu aliquando fuerit, quod & Paul. Æg. testatur l. 6. & l. 1. Apuleius porrò temerè, nec ex literata scientia, inuitis adeò medicis, chamædaphnen dicit aluum concitare: si ex aliquo autore id habet, cur non monet; quanquam non putandus peritum hunc Herbarium pariter ac medicum *Apuleio tribuitur.*

[si credere fas est] quicquam ab vllo autore mutuasse, qui remedia, quæ ciuibus suis, inuitis etiam medicis profuisse iactat, promulgat. At saltem docuisset nos, aut didicisset ipse, si nesciuit egregius Herbarius, quâ in re differat à Victoriola sua, quam etiam Daphnitin, chamædaphnem & Mustellaginem silu. cognominat. Quid si confundat chamædaphnen cum Daphnoide? quod ei non nouum. Dubium igitur relinquitur nobis, quæ sit chamædaphne Apulei purgans, & an eadem cum Diosc. Plin. & Pauli vt censet Humelbergius.

Hermol. sugillatur. Hermol. dum nimiùm Plinianè scribere studet, obscuriorem reddit Chamædaphnes historiam ac suo nomine pronunciat, quæ Plin. prodidit: Chamædaphne Diosc. & Plin. quæ sit, non demonstrat Hermol. fugit hos scopulos, quemad. & Ruell. qui suo more ex Hermol. eo non citato sua decerpit & suffuratur.

Ruell. plagiarius.

Humilis Laurus. Terrestris Laurus. Chamædaphnen Marcellus humilem & terrestrem Laurũ interpretatur, aitque Latinis Vincam peruincam dici, ac eius meminisse quidem Theophrastum, sed tam breuiter, vt nihil possit ab eo intelligi, quàm ferre chamædaphnen fructum folijs adnatum [vbi autẽ id scribit Theoph? locum sanè nondum inuenimus apud eum, & vix credimus extare: neque enim adeò alieni aut peregrini sumus in lectione Theophrasti, vt si hæc diceret non alicubi id obseruassemus: indagandum tamen etiam in posterum.]

Apertè & ingenuè Anguil. fatetur, nondum sibi perspectum esse, quænam sit chamædaphne.

Amatdinus. Amatus in Diosc. dicit, Chamædaphnem Hisp. Laureolam dictam, affinem esse Daphnoidi, non esse Vnicamperuincam, vt multi falsò rentur, sed aliam herbam cubitalis altitudinis, vt Plin. describit: interim quæ sit illa non docet, vnde satis patet ei non cognitam fuisse, præsertim cùm nec doceat in quo differat à Daphnoide. Cornar. & Chamædaphnen, & Daphnoiden, vtramque, Plinii, Officinis & Herbariis Laureolam vocari tradit. Sed iam antea dictum nobis videri Laureolam Cornario ignotam fuisse. Præterea Chamædaphne videtur à Laureola non parum differre.

Laureola.

Cornar. reprehe.

Et, vt tandem & nostrum iudicium de Chamædaphne dicamus, placet nobis opinio Fab. Columnæ, qui vult Chamædaphnen Diosc. Plin. & Galeni esse *Bislinguam* siue *Vuulariam*, de qua paulò pòst.

LAVRVS ALEXANDRINA.

Hvius Theoph. meminit l.4.c.17. sic scribens: Illa quoque propria Idææ sunt, Laurus Alexandrina dicta, & Ficus quædam, Vitisque Lauri Alexandrinæ hoc proprium est, quòd in folio fructum gerat [ἐπιφυλλόκαρπον ἐστι] quemad. & Myrtus silu. seu Ruscus [ἡ κεντρομυρσίνη]. Vtrique enim fructus ex foliis ipsius dorso [ἐκ τῆς ῥάχεως τῶν φύλλων: ἐπὶ τοῖς &c.] enascitur. Hic obiter Theophrastum ridens Scal. Festiuum vocat [illegible]: Nam (addit) Quomodo Idæ fuerit propria Laurus ea, quæ Alexandrina nominatur? Pro Theoph. & pro se responsum habes apud Plin. l.15. c.30. quem consules. Idem Theoph. eadem paullò aliter circumscribit, cuius verba Græca lubet ascribere, non ad ostentationem, vt quibusdam id solemne visum, sed quia vel ipsis Latinis sint magis significantia, & nescio præ iis quam [illegible] habeant,

Theoph. partim contra Scal.

sic ait: ἔνια δὲ τῶν φύλλων [illegible] τὸν καρπὸν, ὥσπερ ἡ Ἀλεξανδρεία δάφνη [illegible]. Quorum verborum sensum minùs fideliter expleuit Gaza, sic inquiens: fructiferaque nonnulla fructum foliis interceptum vel pediculo tenus tantùm gerunt, quales sunt eæ, quæ ad foliorum insitionem seu exortus angulum, fructum exerunt. Pleniùs ita: Quædam fructifera eo modo, vt fructum veluti sinu foliorum suorum comprehendant. Lenocinium addas cum Scal. mollius culè sic: Quorundam inuolucro, aut sinu fructus obducitur adeò, vt ipsa (folia) fructifera dici mereantur, quemad. Alexandrina Laurus, in foliis vel super foliis fructum ferens.

Gaza reprehe.

Laurus Alexandrina Plinio. Laurus Idæa. Audiamus & Plin. Est inquit (& chamædaphne silu. frutex: est & Alexandrina, [Laurus] quam aliqui Idæam aliqui Hippoglottion, alii Daphnitin, alii Carpophyllon, alii Hypelaten vocant. Ramos spargit a radice dodrantales, topiarij ac coronarij operis, folio acutiore quàm Myrti, molliore & candidiore ac maiore, semine inter folia rubro. Plurima in Ida, & circa Heracleam Ponti, nec nisi montosis. Id quoque quod Daphnoides &c. Dixerat autem iam priùs: accedit in topiario opere Taxa [Laurus] excrescente in medio folio paruulo, veluti lamina folii. *Item alibi.* Laurus Alexandrina siue Idæa partus celeres facit, radice pota trium denariorum pondere in vini dulcis cyathis tribus: secundas etiam pellit, mensesque eodem modo pota.

Diosc. illustr. Laurus Taxa Plin.

Menses. Adeamus Dioscoridem: Laurum Alexandrinam, inquit, alij Ἰδαίαν, alii Δανάην, alii, Ὑπόγλωττον, alii ζαλείαν, alii denique στεφάνην vocant. Foliis est Myrti siluestris [ὀξυμυρσίνῃ] seu Rusci similibus, maioribus tamen, mollioribus & candidioribus: fructu in mediis foliis [ἐν μέσοις: Ruell. inter folia: maluit cum Plinio loqui, quàm fidem præstare autori] rubro, ciceris [ἐρεβίνθου] magnitudine. Ramos verò per terram [ἐπὶ γῆς] spargit (fortè rectiùs è terra emittit, aut supra terram profert) dodrantales, interdum etiam maiores: radicem similem Rusco [ὀξυμυρσίνῃ] maiorem tamen, odoratam & molliorem. Nascitur in montosis. Eius radix succurrit in difficili puerperio drachmarum sex [alii quinque] pondere in vino dulci pota. Succurrit & vrinæ stillicidio vexatis, & menses educit. Pro quibus postremis verbis habetur: ἄγει δὲ καὶ αἷμα Sanguinem extrahit: Sarac. per quem nihil aliud quàm menstruum cum Plin. & Cornar. intelligimus. Illud non omittendum: pro eo quod folijs quàm Rusci maioribus diximus, in Græco haberi μείζονα. Marcell. vertit minoribus quasi legisset μείονα: sed malè, adstipulante etiam Cordo, immò Plin. quoque & Serapione, hoc speciatim, qui Laurũ Alexandrinam & Gar Alexandrinam vocans nihil præter Diosc. & Gal. verba transcribit. Corrupti igitur codices putandi qui μείονα habent. Galen. Daphnen herbam vocat δάφνης τῆς πόας inquit, quam & Daphnen Alexandrinam appellitant, temperatura euidenter est calida, & gustantibus acris simul & subamara, potaque cum vrinas tum menses prolicit.

Danae. Hypoglottion Zalea.

Descriptio Diosc.

Difficilis partus. Vrinæ stillicidium. Menses.

Marcell. not.

Daphne herba Gal. Sapor & temperam. Apuleius taxat.

Apuleius cap. de Victoriola sua Laurum Alexandrinam cum Daphnoide confundit, ac etiam, vti suspicamur, Chamædaphnen, vt iam priùs latiùs ostensum.

Cæterùm Laurum Alexandrinam & Laurum Taxam eandem plures esse cum Hyppoglosso & Bonifacia seu Bislingua statuunt: de qua re postea speciàliùs tradimus. Cornar. verò negat Laurum Alexandrinam esse Hypoglossum, sed

Digitized by Google

diuersas esse vult, illamque hodiè ignotam.

LAVRVS ALEXANDRINA.



Litem dirimens de Lauri Alexandrinæ elegantissima planta ingenuè proferam [inquit Lob. Adu. part. 2.] quæ vidi operâ Ioannis Parkinsŏ Pharmacopœi Londinensis, qui ramulum eius non dissimilem Bislinguæ mihi communicauit, delatum ex horto Medico Pisano. Hæc ramuli pars non excedebat longitudinem vnciarum quinque, septenis foliis alterno situ, nō exaduerso, vt habet effigies Matthioli & Lugdunensis, prædita; neruosis vtrinque, rigidis vt Hyppoglossi: inferioribus ternis, aut quaternis, vncias duas longis, & plus vnâ latis, in mucronem Rusci modo, fastigiatis; medio auerso folii crassiore neruo, specimine flosculi pallidi gemmato, sine pediculo, & ligulato, bilinguiúe foliolo, [fructus enim mediis foliis amplectitur Theoph. autore) vbi semen Bonifaciæ, siue Hyppoglossi minus proferre dicitur, donatis; ternis verò superioribus vnciam latis, & sesquiunciam longis, mucronatis, vtrinque item neruosis sine flosculorum rudimentis.

HYPOGLOSSVM, SIVE HIPPOGLOSSVM.

Dioscoridi ὑπόγλωσσον θαμνίσκος ἐστὶ, exiguus frutex, foliis Myrto siluestri [μυρσίνῃ ἀγρίᾳ καὶ λεπτῇ λευκῇ albæ Dal.] & tenui similis. Comam [κόμην Φ. Adu. putant leg. ex Plin. κοίλη, id est, concaua] verò spinosam habet, & in summo ceu lingulas secundum folia. [καὶ ἐπ' ἄκρα ὥσπερ γλωσσίδια παρὰ τοῖς φύλλοις. Dal. monet sic habere quædam exemplaria: ἐπ' ἄκρα, καὶ ὥσπερ γλωττίδια παρὰ τοῖς φύλλοις: sicque legendum putat. Lacun. ex vet. cod. sic. καὶ ἐπ' ἄκρα ὥσπερ ἐπιγλωττίδας παραφύσεις μικρὰς ἐν τοῖς φύλλοις. in foliis. Quidam al. γλωσσίδια ἐκφύοντα μικρά: vet. addit μικροῖς. Coma caput dolentibus vtile amuletum creditur. Malagmatis radix expressusque succus admiscetur.

Diosc. varia lectio.

Cap. dolor.

Cæterùm diuersimodè scribitur ab Autoribus. Bas. cod. & Paris. ἱππόγλωσσον habent, & Marcell. Hippoglosson. Apud Gal. & Paul. ὑπόγλωσσον. quæ lectio nobis magis probaretur, maximè cùm ei consentiat etymon à Gal. l. simpl. 8. redditum, his verbis: ὑπόγλωσσον ὠνόμασται μὲν οὕτως, ὅτι παρὰ τοῖς ἐπ' ἄκροις τοῖς κορύμβοις ... γλωττίδια: Hypoglosson ex eo nomen traxit, quòd summis illius Corymbis proximæ velut ligulæ innascuntur.

Diosc. correct.

Plin. Hypoglossam vocat, quamuis quidam Hypoglosson in vet. cod. legi notent. Folia habet [inquit] siluestris Myrti, concaua, spinosa, & in his ceu linguas folio paruo exeunte de foliis. Hæc malè à Plinio dici Dalech. annotat, quòd id nusquam dicat Diosc. de Hypogloss. Lauro taxæ folium paruum exire de foliis, quod in alio nullo genere Lauri videatur. Quasi verò Plinio nihil aliud scribere permissum sit quam quæ Diosc. habet. At habet Hyppoglossum, saltem quod hodiè vulgò Herbariis ita dicitur, folium paruum ceu linguam è maioribus foliis exeuntem. Aut docere debuit Dalech. in suis annot. in quo differat Hypoglossa à Lauro Taxa Plinii, aut tacere. Næ facit interdum Dalech. intelligendo, vt nihil intelligere videatur. Qui si hunc accusat, quod linguam suæ Hypoglossæ tribuat, idem est, ac si negaret, nominis vim clarè id exprimere, quod miramur alioqui in tanto Græco & Herbario, qualem ipsum fuisse constat. *Pergit Plin.* Capitis dolorem ex his [foliis] imposita minuit. Item paulò post Ideæ herbæ folia sunt, quæ oxymyrsines &c. vbi sanè hanc eadem intelligere videtur. Iamdudum verò Alexandrinam Laurum ab aliquibus Hippoglottion vocari monuerat. Vide sub Lauro Alexandrina.

Dalech. redarg.

Plin. Gariol. illustr. & à redarg. Dalech. vindicat.

Marcell. in Diosc. sua versione retinet nomina quæ postea ab alijs reiecta fuere, nempe hæc. Sunt qui (Hippoglosson nēpe) Antirhinō, qui Anarrhinō qui & hanc Lychnidem agrestem vocent. Romani pariter Græcis Hippoglossum appellāt. *Idem addit:* Rusci, quæ siluestris Myrtus est, folia habere Hippoglossum omnes testantur. Ea non adeò grandia sunt, & præter id in cuspidem acuminata desinant. Eam ob causam, siue magnitudinem, siue equorum linguæ figuram in ea voce [Hippoglosso] intelligas, nulla in folijs ratio eius erit. Nec si etiam, vt in Plin. adhuc legitur, Græcam præpositionem, ὑπὸ coniunctam linguæ à Græcis fuisse credideris, Dioscoridis historiæ respondebit: ἐπ' ἄκρα enim, id est, in summo lingulas exire hic ait παρὰ τοῖς φύλλοις, id est, secus & secundum folia: quæ hic intelligit in caule suprema. At caulis desinens non folia profert, sed conferectæ lanuginis potiùs quàm foliosæ comæ in latitudinem se aperiens inuolucrum: non aliter quàm in spicatis aliquibus seminibus & floribus fit. Differt tamen à spica quòd rotundæ, quatuorúe plerumque angulis spicæ surgunt: in hac quod vltimum in caule exit, in latitudinem se explicat. Et quoniam humanam linguam imitatur, ideò Hippoglossum quasi grandis lingua dicta. Hæc Marcello origo nominis & causa est. Quæ licet Plinij historiæ aduersari videantur, (ait enim, & in ijs ceu linguas folio paruo exeunte de folijs) meminerint tamen omnes, inquit Marcell. sequi nos Græcos Scriptores, præcipueque Dioscoridem, & in vertendis eius verbis, quam debemus illi fidem præstare, qui ἐπ' ἄκρα παρὰ τοῖς φύλλοις, prodire linguas ex Hippoglosso dicit, quod est in summo & secundum folia: non ex folijs, sed ex summo caule, qua parte desinunt folia, exire ea dixit. Id enim ἐπ' ἄκρα apertè significat. Cæteræ appellationes, vt idem sentit Marcell. ex similitudine aliqua, verùm importunè, illi accreuerunt. Vult igitur Marcellus, Hippoglossum neque à foliorum quę Rusco similia habet magnitudine, neque ab Equinæ linguæ figura dici, neque Hypoglossum à Plin. rectè nominari, cum ἐπ' ἄκρα, id est, in summo caule proferat, quæ humanam linguam imitantur, vnde Hippoglossum, id est, grandis lingua, nuncupandum.

Antirrinō, Anarrhinū, Lychnis agrestis.

Origo nominis Hippoglossi Marcello.

Marcello, & post.

Cordo autore quædam Diosc. exemplaria Hippoglossum habent, sed malè. Nam nomen suum ab Hypoglottide inuenit: propterea Marcellus malè Hippoglosson legi censet, qui nequaquam

etiam

etiam verum Hippoglosson in suo commentario indicat. Nescio enim quam spicatam lanuginem introducere conatur, cùm tamen nullus vnquam autor alicuius lanuginis, vel spicæ, in hac herba mentionem faciat. Mihi profectò Hippoglosson, siue Hippoglossidion, siue Hippoglotton eadem esse videtur cum Lauro Alexandrina. *Hæc Cordus*, cui partim cōsentit, partim refragatur Hist. Lugd. scribens: Marcelli mentem non satis intellexisse videtur Cordus, quum scribit: Marcellum Hippoglossum malè legi censere: imò Hippoglossum legi vult. Multò veriùs dixit ille, Marcellum nequaquam verum Hyppoglossum indicare: præterea cum eodem Cordo sentio, cum præpositione Græca ὑπὸ scribendum esse. Ita ab eodem dissentio dicente, Hippoglossum eandem esse plantam cum Lauro Alexandrina, eam nimirum, quam pro Lauro Taxa exhibuimus[videlicet Bislinguam.]Hæc Hist. Lugdunensis.

Cord. notatur.

Nos comperimus apud Marcellum ei placere Hippoglossum dici, quasi grandem linguam, sed nescimus vbi velit Hypoglossum legi. Vnde autem Marcellus opinionem desumpserit, lanuginem requiri in Hippoglosso Dioscoridis, nondum intelligimus. Hist. Lugd. exhibenti Polygonati genus pro Hypoglosso assentire non possumus, vt copiosiùs dicemus, suo loco.

Hist. Lugd. reprehe.

Cornarius approbat Cordi lectionē, cùm scribit Vetus noster codex apertè Hypoglosson habet, & non Hippoglosson, velut ferè vulgata Diosc. exemplaria. Anguil. hic rursus apertè profitetur qualis planta sit Hippoglossum dicere se non posse: nullam plantā sibi visam quæ respondeat descriptioni, nulloque modo respondere Bonifaciam. Penæ & Lob. in Adu. Laurus Alexandrina Diosc. quæ Theoph. Ruscifolia ἐπιφυλλόκαρπος siue super folio baccifera, ab Hippoglosso differt, vt in promptu esse dicunt ex Theoph. & Diosc. noscere: quippe fructum siue baccam coccineam medijs in folijs hærere, nullius ligulæ facta mentione vterque asserit: foliaque molliora, maiora, & albidiora quàm Rusci inesse Diosc. subdit, viresque diuersas reddit, & radicem maiorem, odoratam. At Hippoglossi radix minor &c. Vide postea de Bislingua.

Ruscifolia epiphyllocarpos.

Fabius Columna in Hist. Lugd. inuehitur, quòd existimet Hypoglossum ab Hippoglosso differre, inque doctiores insurgat, malè illos Hypoglossi etymon intelligere asserens. Nullam quidem aliam inter illarum historias esse differentiam, nihilque ad plantæ cognitionem facere, vt ἵππο vel ὑπὸ dicatur, cùm sciamus Plin. Diosc. & Galenum eandem plantam designare voluisse. Quod verum quidem est: sed interest tamen Dioscoridi classico & probatissimo autori genuinam & veram, non adulterinam lectionem restitui. Si ἵππο & ὑπὸ nihil facit ad plantæ cognitionē: at facit etymi, ad quod & Gal. respexit, exactam cognitionem, atque adeò ad ipsam adeò plantæ formam. Nam quicquid ille dicat, aliud est si sciam ὑπὸ, id est, infra folium linguam esse: aliud, si sciam τὸ ἵππου γλῶσσαν, quasi equi linguam esse. Quid enim aliud denotet ἵππος, nostri magistri nos non docuerunt. Sed hæc ad pædotribas Grammaticos releganda.

Fab. Colum. in Hist. Lugd.

Vt tandem concludamus, hoc Hypoglossum multis idem videtur cum Bislingua, de qua paulò pòst specialiùs disseremus: alij negant.

Bislingua.

RADIX IDÆA VETERVM.

Idæa radix Diosc. Descriptio.

ET hanc quoque distinctam facit Diosc. à prædictis, distinctoque capite de ea tradit. Idææ radicis, inquit, folia Oxymyrsinen (Ruscum) referunt: iuxta ipsa verò exigui sunt veluti capreoli seu pampini [ἕλικες] ex quibus etiam flos emergit. Radix valdè astringens est, iis proinde conueniens quæ adstrictione indigent. Bibitur & aduersus alui profluuia, fluoremque muliebrem, & omnem sanguinis eruptionem sistit. Sunt autem ἕλικες, vt censet Fab. Columna, viticulæ paruæ seu petioli, ab Hist. Lugd. (cuius autorem κατ' ἐξοχὴν Autorem plantarum passim vocat, quasi nemo ante eum de plantis scripsisset) perperam γλωττίδες putati, verborum proprietatem suæ opinionis improprietate extorquente, vt planta ab ipsa depicta Hypoglosson videri potuisset.

Tēperam. Alui fluxus. Menses inpersus.

Plin. non Idæam radicem, vt Diosc. à parte potiore, sed herbam Idæam vocat, eademque dicit: nempe Idææ herbæ folia esse quæ Oxymyrsines: adhærere his veluti pampinos, in quibus flos. Ipsam autem aluum, mensesque, [ἐμμηνα pro ῥοῦ γυναικείου, hoc est, fluxu mulierum transscripsit] & omnem abundantiam sanguinis sistere. Spissandi cohibendique naturam habet.

Herba Idæa Plin.

Idæa radix, inquit Gal. gustu admodum acerba est: ac, si opere periculum facias, eandem vim præferet, nimirum sanguinis profluuia, alui fluxus, Dysenterias, profluuium mulierum, & quæcunque eius sunt generis, tum pota, tum foris imposita curans. Quibus sanè verbis, vt annotat Columna, Gal. Idæam radicem non cognouisse videtur, cùm taceat vim calefaciendi & frigefaciendi, quarum aliquā præditam esse hanc plantam necesse est: nec quo ordine, siue excessu, scribat, vt in alijs solet, calefaciat, refrigeret, & an moderata sit, vel contrarijs constet facultatibus.

Sapor

Dysenteria.

Conqueritur Clusius Idææ radicis descriptionem apud Diosc. valdè mutilam esse, vt difficile sit certi quippiam statuere. Quapropter non abs re alicubi maximorum ingeniorum æmulus Scaliger Dioscoridem aliquantùm negligentem fuisse prodidit.

Fab. Columna Bislinguam, de qua paulò pòst, vult esse Radicem Idæam. Sunt alij qui velint esse plantam Viti Idææ quibusdam dictam affinem, de qua antea egimus titulo Radicis Idææ, cui vires meliùs conuenire videntur: non item figura folij Rusci.

BONIFACIA SIVE BISLINGVA.

NEotericis *Bonifacia* siue *Bislingua* nuncupata sesquicubitalibus, lentis, hilari virore perfusis, striatis viminibus multis à radice adolescit, per quos alternata ferè folia, interdum plura veluti ex geniculo radiata visuntur, nunc latiora, nunc angustiora, pulchrè virentia, crassiuscula, neruosa, verùm

Descriptio

Folia.

Digitized b

Vires & vsus.

Quæ Veteres de Lauri Alex. Hypoglossi, & Chamædaphnes virib. tradidêre, licebit vidêre in præcedentibus. Libuit enim ibi particulatim cuique suas, vt illi fecerunt, tribuere, ne in re dubia & tam controuersa, vti patuit, temerè & præter mentem illorum Veterum scripta, quod plærque magna securitate facere solent, temerè dispensemus.

Sed quid Recentiores de *Bonifaciæ* viribus tradiderint, nunc videamus. Est ei, teste Marcello Virg. acrimonia & calefaciendi vis, ideóque Priscis ad siccandam linguæ nimiam humiditatem in pueris adhibebatur, vnde *Hypoglottō* dictam putat. Insubres aliquæ Gentes aliquæ eodem autore, in balbutientibus pueris vtuntur eâ: iubéntque sub lingua habere mares duplex eius folium & fœcūdum: simplex verò & sterile illud fœminas: quod superstitione carêre vix credimus. Germani, vt obseruat Tragus, in faucium Vlceribus & humectâ supra modum Columellâ & anginâ duntaxat hodiè vtuntur. Herba & radix in puluerem redacta, exsiccat manantia & fluentia vulnera ac vlcera, quemadmodū vulgaris Aristolochia. Corn. vsum eius ad Columellam prolapsam leuandam prædicat. Constat, inquit Cordus, certissimis vulgi experimentis Vuulariæ radicem etiam siccā bubones in peste maturare. Hinc est, quod malasticam vim Hippoglossi radici Autores tribuunt. Vuularia difficulter parientes epota adiuuat, mēses cit, & calculos pellit, quæ licet omnia vulgi experimenta sint, tamen easdem etiam facultates Lauro Alexandrinæ Autores ascribunt. Tradūt ex vino potam strangulatibus vteri succurrere: herniis ab prolapsu interaneorum extuberantibus mira celeritate mederi: siquidem dissilientia iungit protinus, sed infibulandus est æger, aut fasciandus primis diebus, ne rursus foras intestina prorumpant, suadente Ruellio. Ergo Recentiores, vt annotauit Matthiol, longè pluribus cōmendant viribus Hippoglossum, quàm fecerint antiqui Scriptores: nam vt illi tradunt, in vteri affectibus magno datur iuuamento. Quo fit vt strangulatu vuluæ laborantibus mulieribus radicis aut herbæ puluis cochlearis mensurâ ex vino vel iure haustus præsentaneo remedio operam ferat. Est & ad puerorum enterocelas, si eidem & Cæsalpino credimus, præstantissimum medicamentum, si diutiùs diluculo hauriatur puluis idē sesquidrachmæ pondere ex maioris Symphyti decocto. Verùm id sumentibus euenire scribit, quòd primis tantùm diebus adeò ramicem pulsare percipiant, vt intestina foras prolabi velle videantur: quare subcingulis, fasciis & fibulis reprimentibus, roborantibúsque primis diebus vtendum esse. Mira sanè eius vis, si his Autoribus habenda fides, ita protrudi intestina. Suspicamur bonos hos viros ex malè intellectis Ruell. verbis ita dixisse, cuius tamen nec is nec alius meminit, quod legerimus. Huius etiam tam raræ facultatis non meminit Dod. qui ex Baptista Sardo recitat vires huius stirpis ad suffocationes ex vtero, & intestinorum ramices vehementer commendatas. Pen. & Lob. vires eius ad calculum dysuriásque eximias celebrant.

Columella humecta. Angina. — Vulnera ac Vlcera manantia. — Bubo pestilent. — Radix malastica. — Partus difficilis. — Menses. — Calculus. — Vteri strāgulatio. — Hernia. — Vteri stranguli modus in Vtero suffoc. & Hernia. — Enterocele pueror. — Dysuria. — Radix appensa.

Nonnulli appendunt hanc herbam pueris, vt nimia illorum humiditas exsiccetur.

* *
***
*

RVSCVS.

CAP. XL.

Descriptio

RVscus duorum dodrantum, nonnunquam etiā duūm cubitorū altitudine densis viminibus, lentis fractúq; contumacibus, & striatis fruticat, vsque in multos ramulos deductis in quibus confertissima folia, Myrtinis paria, rigidola, neruosa, mucrone infesto porrigentia, nullo pediculo ramis hærentia, parte prona ad latus inflexa, vt non sursum & deorsum, sed dextrorsum sinistrorsúmque spectare videantur, dura & robusta: sapore amara, & adstrictoriā vi efficaciáque pollentia, ad quorum medium flos minimus, perbreui pediculo hærens, enascitur, qui vbi primùm oritur, aciculæ nodulum figura sua exprimit: expansus verò trina latiuscula foliola, inferiore quidem sui, auersáque parte, folium, cui quasi stragulo incumbant, respicientia, lintris in modum excauata, sinuatáque ostētat omnia, reliquis interim tribus, quæ trinorum instar radiorum sunt efformata, in angustum apicem desinentibus. Florem deinde fructus sequitur rotundus [non item folium.] Asparagorum baccis maior, rubescens, subdulcis, sub cuius pellicula bina latent semina magna, fulua, alterâ parte gibbosa, alterâ plana, insignis duritiei, ita vt si in pauimentū conijciantur, resiliant, & vt ait Lob. vix vlli frangenti ictui cedant. Succrescit quotannis noua Asparagorum simillima propago, aromatica aliquantulùm, amara, vt annotat Lob. Radices crassæ, obliquæ, implexæ, fibras demittunt crebras, Asparagorum fibris similes, albas, longas & amaras: Trago: Dod. verò gustu dulce quiddam resipientes.

Folia. — Fructus. Semina. — Asparagi. — Radix.

Hanc ipsam plantam Dioscorid. μυρσίνης ἀγρίας, Myrti syluestris nomine describit: Quidam & Oxymyrsinen dicunt: folium inquit, fert Myrti, sed latius, ad formam lanceæ mucronatum: fructum rotundum, medio folio inhærentem, qui per maturitatem rubet, nucleúmq; ossis instar durum complectitur. Ramuli ab vna eadémque radice numerosi exeunt, vitilium modo lenti, fractu contumaces, cubitales, foliosi. Radix Graminis similis, gustanti acerba, & subamara.

Myrtus sylu. — Oxymyrsine.

Ruell. in sua Dioscor. versione minùs appositè conuertit, baccæ à medio folio pendentes, cùm Græcè legatur καρπὸν δ' ἐν μέσῳ τῷ πετάλῳ στρογγύλον, id est, habet in medio folia rotunda: neque enim ex foliis pendent, sed ipsi adhærent, vt αὐτοψία te docebit. Aut quid si cum doctissimo Saraceno legamus στρογγύλῳ: alioqui ex his vocibus, στρογγύλον & πετάλῳ alterutram redundare necesse fuerit.

Ruell. reprob. Diosc. illustr. & emend.

Serapio verò, postquam fructum hunc itidem

rotundum esse scripsit, addit insuper, aliquantulum depressum & latum: quod tamen neque apud Dioscor. legitur, neque veritati est consentaneum. Sed longè fallitur idem Serapio, dum existimat Carpesium Galeni, quod vocant Cubebas, idem esse cum Myrto agresti Dioscor. quam etiam Cubebam vocat: quod facilè deprehendent, qui conferent verba Gal. de Carpesio cum Diosc. Myrto sylu. seu Rusco. Vt mirum sit Serapionem eò oscitantiæ lapsum, vt diceret: descriptionem Galeni Cubebarum esse eandem cum descriptione Myrti agrestis Diosc.

Cubebe Serap. Myrtus sylu.

In Vet. Diosc. titulo habetur: περὶ μυρσίνης ἀγρίας, ἢ περὶ μυρτακάνθης. Exordium verò capitis, tale vterque Vet. Sarac. codex habuit: μυῤῥίνη ἀγρία ἢ ὀξυμυρσίνη, ἧς ὁ κατάκλαδος θαμνώδης ... καρπὸν ἔχει περιφερῆ, ἐρυθρὸν ἐν τῷ πεπαίνεσθαι, τὰ ἐντὸς ἔχοντα ἰσχυρά. καρπὸς ὁ τοιοῦτος τῷ μεγέθει καὶ ἀπαλλακτικός ... κλωνία λυγοειδῆ &c.

Lectionis Diosc. varietas. Oxymyrsine.

Inter reiectanea Diosc. quæ tamen aliqui retinent, sunt hæc nomina: μυρτάκανθα: ἱερομύρτον: ὀξυμυρσίνη: μυάκανθα: ἄγωνος: σκίγκος: μίνθη: κατάγγελος: ἀνάγγελος: ἄκαρος: ὤκιμος: κίμη: λειχλώ: χαμαίπιτυς: χαμαιμυρσίνη: κυρηναία: γένος ἡρακλείας: ῥωμαῖοι ῥοῦσκουμ. Confusa sanè nominum, vt sono ita significatione, differentiarũ farrago, sine dubio ab ineruditorum barbarie & inconsiderantia inuecta, alioqui dissimilibus admodum plantis, si pauca quædam eximas, quæ huic quadrate queant, conuenientia. Proinde non malè, nostro quidem iudicio, quorundam doctorum calculo, [quamuis id alicubi, vt & hic fortè, citra delectum factum videatur] expuncta atq; reiecta.

Myrtacantha. Myrtus sacer. Oxymyrsine. Myacantha. Agonas. Scincos. Mintha. Catagelus. Anangelus. Acaros. Ocimos. Cime. Lubene. Chamæpitys. Chamæmyrsine. Cyrenia. Genus Heracleis. Ruscum.

Idem Diosc. e statim sequente Lauro Alexandrinæ tribuit folia Oxymyrsines, sed maiora, [quamuis quædam exempl. pro μείζονα habeant μαλακά.] molliora & albidiora. Radicem eidem quoque similem, maiorem tamen, & odoratam & molliorem. Item cap. de Phu: Adulteratur [inquit] Rusci [ὀξυμυρσίνης] radicibus admixtis. Sed facilis est cognitio. Duræ enim sunt hæ, & ægrè frangi possunt, citra omnem odoris gratam iucunditatem.

Idem denique Hypoglossum, Myrto syluestri [μυρσίνῃ ἀγρίᾳ] similem ait. Quin & Theoph. hanc apertè satis insinuasse videtur, κεντρομυῤῥίνης nomine, sic scribens: Lauri Alexandrinæ illud proprium, quòd in folio fructum habeat, sicut & Ruscus: [κεντρομυῤῥίνη] vtrique enim fructus ex folii ipsius dorso enascitur. Ideò ὑποφυλλόκαρπον dixit, quia fructus ex circumplectente folio velut conceptaculo emicat, ἢ κατὰ τὴν ἀφορμὴν τοῦ φύλλου ὑποφυόμενος ἐστίν. Gaza circumscriptione quæ nobis non placet: eam vocem expressit, fructum foliis interceptum gerentia. Nihilo felicius, vt dicebamus, Marcellus Virg. folia inter se fructum amplexa. Nam quid sibi vult illud: folia inter se? Nec vocis vim, nec rem graphicè designat.

Diosc. superflua nomina sæpè citra delectũ reiecta. Centromyrrhine Theophr.

Gaza & Marcell. castig.

Virgil. *horridam Ruscum*, & *aspera Rusci vimina* dixit: & *cuspidatam vertice Myrtum*. *Horridam* quoque *Ruscum* dixit Colum. in suo Poëmate Geoponico. Porrò Myrti syluestris acceptio ambiguâ, quâ nunc veram Myrtum spontè nascentem, nunc Ruscum denotat, in errorem non semel adduxit Plinium, vt non distingueret. Idem quoque parum scitè Ruscum Latinorum ab Oxymyrsine Græcorum diuersum esse putauit, vt abundè cognoscet qui ea considerauerit, quæ lib. 23. cap. 9. prodidit. Hic rursus Ruscum quæ & Oxymyrsine dicitur, manifestè cum syluest. Myrto, spontè passim nascente confundit.

Horrida & aspera Ruscus. Plinii errores.

Ruscum, inquit Verrius apud Festum, amplius paulò herba est, exilius virgulto, fructibus non dissimile Iunco. Huius colore mulieres vti solitas, meminit Cato.

Ruscum Verrii.

Scio, infit Hermol. fructum huius Cubebas *Maurice* vocatas credi: quod quàm verum sit, diligenter animaduerti cupio, præsertim ab iis dissentiens, qui id affirmant. Nondum inuenimus apud Serap. Oxymyrsinem esse arborem ferentem Cubebas, vt dixit Leonicenus. Minori, inquit Leonicenus, errore dubitauit Plinius, nunquid Oxymyrsine esset Ruscus, an alia arbuscula, tanquam syluestris à Myrto satiua differens, quam Serapio Arabs affirmauerit, Oxymyrsinen esse arborem ferentem fructum, qui apud Arabes Cubebe vocatur. Neque eo tantùm fallitur Serapio, quòd Oxymyrsines fructum, de qua scripsit Diosc. putet esse Cubebas, sed ob id etiam, quòd Carpesium, de quo Gal. non autem Diosc. facit mentionem, Cubebas esse opinatur: nam neque idem est Carpesium atque Oxymyrsine: & licèt Arabes, in quorum numero etiam est Auic. pro Carpesio Cubebas accipiant, aliud tamen significare Carpesium apud Græcos, quàm grana illa minuta, quæ Arabes Cubebas vocant, indicat Gal. in lib. suo de Theriaca ad Pisonem. De Carpesio plura alio loco scribemus.

Rusci fructum non esse Cubebas Hermolao. Plin. err. Serap. accus. Alter Serap. error. Auic. reprob. Cubeba Arabum.

Marcellus Ruscum propter vsum aduersus mures *Myacantham*, id est, Murinam spinam dictam fuisse censet: Theophr. cuspidatam Myrtum dici notat: sicque potiùs dicendum iudicat, quàm spinosam.

Murina spina. Cuspidata Myrtus.

Mirum Oxymyrsinen, à Gal. Paulo, & Aetio in simplicium censu præteritam, id quod & Cornar. obseruat.

Multi [inquiunt Monachi in Mes.] decipiuntur credentes Myrtum agrestem esse Cubebas, inter quos Simon Ianuensis, Pandectarius, & Luminare maius, dum volunt Myrtum albam, Myrtum agrestem siue Ruscum esse Cubebas, Burungi, Abrungi & alia plura. Myrtus alba non est Myrtus agrestis: Diosc. separat. Ex Serap. apparet Myrtum agrestem non esse Abrugi: duo enim habet capita. Cubeba autem apud Græcos Carpesium vocatur. Miramur fatuitatem quorundam Iuniorum, qui conantur probare Myrtum sylu. esse Carpesium, id est, Cubebas. Capiti Serapionis de Myrto agresti ab indocto & malo interprete inscriptus titulus de Cubebis: quæ in calce capitis Serapionis scribuntur, interpretis iudicantur verba: quia interpres, scilicet Simon Ianuens. in sua claui in litera Kubebe, eadem verba ad literam [falsò tamen cum authoritate Serap.] ponit. *Hæc Monachi*. Quod si verum est, vt ipsimet quoque fatentur & asserunt, Cubebas esse Græcorum Carpesium, certum est Serapionem Myrtum sylu. siue Ruscum vocasse Cubebe, quicquid satagant Monachi, non distinguentes Galeni Carpesium à Myrto sylu. Diosc. ac proinde temerè culpam in interpretem reiicientes.

Ianuensis Pandectarij & Lumin. error. Burungi. Abrungi. Serapio excusat. Monachi explodantur cum Serap. eiusque interpres defenditur.

Matth. quoque, Lacuna & Camer. consentiunt Arabes Cubebas vulgò dictas cum fructu Rusci confundere.

Ruscum Anguillara opinabatur esse Serap. Cubebas, & secundum eundem Galeni. Sed & hic ipse error ex Arabum confusione ortus, vt sentit Camer. Nullum enim dubium, apud Serap. vt dicebamus Ruscum & Carpesium Galeni vocari Cubebe, si communis versio vera, & quod plus est, inter se confundi.

Eucharius Bruscum spinosam arborem dicit, vt de re sibi ignota temerè pronuntiasse videatur, nisi fortè intelligat Agrifolium, quod Ruell. &

Ryffio

Ruscus arborescens seu Agrifoliũ. Ryss. saxat.

Ryssio dicitur Rusci 2. genus, & Ruscus arborescens, de quo suo loco.

Apud Ryssium est falsa icon: nec vnquam eum vidisse talem Ruscum certum est. Et tamen ausus est Lonicerus eandem iconem ponere sub titulo Rusci Officinarum, & ignorantiâ maiori addit idem, Ruscum quo Pharmacopœi apud nos vtuntur, differre à Rusco vero, non enim ferre fructus, vt ille ex foliis, sed ex particulari pediculo: quanquam vbi hunc pediculum viderit, incompertum habeamus. Profectò ridiculum quod ait, Ruscum horrendo suo aspectu Vespertiliones abigere seu arcere, qui non considerauit id accidere, ab infesto foliorum densè hærentium spiculo, quorum compunctu abiguntur.

Lonicerus castig.

Turn. conqueritur Matthiolum Ruscum nimis angustum, Myrtum nimis latum foliis pinxisse. Sed in ipsa quoque Turneri historia error commissus, in qua figura apposita nomine Sabinæ, videtur ad Myrtum referenda, quamuis parum bona.

Matth. reprch. Turnerum.

Fab. Columna apertè testatur, nullam aliam Myrtum sylu. apud Dioscor. atque Plin. esse præter μυρσίνην ἀγρίαν & ὀξυμυρσίνην, à Romanis Ruscum dictam, vt idem Dioscor. ait, & Plin. etiam testatur, sic à Castore dictam, atque nominis tantùm varietatem esse, etsi plantarũ historiæ Lugd. compilator aliter somniet.

Turner. not.

Lugd. ... angulat.

Pro Rusco apud Dorsth. malè ponitur icon Vitis Ideæ angulosæ, malè etiam Ruscum Germ. Heydelbeer vocat.

Synonyma Linguar. *Bruscum offic. Scopa regia. Myrtus sylu. Myrtus spinosa.*

Porrò Ruscum, quem ineptè officinę *Bruscum* vocant, à nonnullis *Scopam regiam* vocari scribit Marcell. empiricus vetus autor: Scribonius Largus quoque sic vocat. & *Myrtum syluestrem.* Germ. Meußdorn / à murina spina nomine mutuato: Item Ruschken / Brusch & Bruscken / Myrtendorn / quasi Myrtum spinosam dicas.

Cornar. arguitur.

Had. Iun. Keerbesten Belg. id est, Scopas vocat. Cordus apud Germanos nomine carêre tradit, vt mirum sit Cornar. iisdem Wilde Myrten dici, asserere audere. Vbinam audiuit? Belg. Steeckende Palm / Autore Had. Iun. quod nomen, nostro iudicio rectiùs Agrifoliæ competeret & aliàs iisdem Meußdorn. Gallis *Brusc*, inquit Matthiol. fortè quia ita à quodam nouitio Pharmacopœo nomine à Latino deflexo audiuerat. Alioqui hic sonus Gallorum non est, qui potiùs *du Bruscus* aut *Brusc* dicerent, sed Italorum, qui *Rusco* vocant. Sunt tamen qui iisdem Gallis *Brusc* dici notent. Item *Meurte sauuage*: *Frellon.* Quibusdam *Bouys piquant*: id est, Buxus pungens. Hetruscis *Pungitopi*, eo quòd circumligatus à carnibus mures arceat. Hisp. *Brusco*, teste Had. Iun. Sed Lacuna notat Castil. *Iusbarba*, Portug. *Gilbarbeyra* dici. Amatus scribit Lusit. dici *Sfilendro*. Angl. Kneholme vel Knehull: aliis Bucher browme / vel Bochers Browme: quibusdam Petigre. Bohem. Geblicerylacka. Burgundi *du Fricon* vocant.

Buxus pungens.

Locus.

Dioscor. prodidit, nasci in asperis & præruptis locis. Cordus notat in Germania nascentem à se non visam, nec ab aliis ibidem nasci audiuisse: propterea nullum eius Germanicum nomen expiscari potuisse. At in Italia facilè & spontè sua gignitur multis in locis, secus itinera aspera & sepes præcipuè propè Bononiam.

Satio.

In Germania nostra seri se quidem patitur, & à satu prosilit. Semen eius & obseruauit Tragus per triennium sæpe intra terram delitescens, tandẽ erumpit, & in mediocrem euadit fruticem, sed fructum non profert, quod rigidiori apud nos hyemi ascribi debet.

Cultura.

Norimbergæ hiemem nisi clementiorem non ferre; inquit Camer. sed locis subterraneis asseruatam & ineunte vere loco vmbroso collocatam baccas rubras in hortis suis producere. Ruscum plantauit Tiguri Gesnerus: qui cùm fructum non ferret, & multi ab vna radice coliculi prodirent, distraxit in quinque plantas, & partim loco vmbrosiore, partim magis aprico posuit. Crescunt autem [inquit] omnes, & nullum videntur solum aspernari. Ideoque suffruticem viuacissimum dicit alibi, additque: Plantam vnam ante 18. annos è Sabaudiæ horto secum attulisse, nescire cuius tũ ætatis. Ab eo tempore in hortulo suo pulchrè viruisse per totum annum, [quamuis bis aut ter in hortos translata diuersos fuisset] Vere germinasse, & veteribus arescentibus coliculos nouos prompsisse: floruisse etiam aliquando, & florum rudimenta vel hyeme in mediis foliis ostendisse. Fructum quidem toto illo tempore nullum ne inchoasse quidem. Radicem videri talem esse, qualis ferè Hypoglossi & Polygonati: ideóque tam diuturnam pedis altitudinem non excessisse: nec minutam nec multiplicatam, nisi vt dictum. Refractos à radice coliculos seorsim germinaturos arbitratur.

Ætas.

Copiosè etiam prouenit in Angliæ Essexia, Cantio & Barcia, teste Turnero. Nos Monspelii passim crescentem obseruauimus, etiam ad altitudinem duorum cubitorum, maximè propè castellum nouum. Inter Lugdunum & Viennam Allobrogum spontanea frequens, & toto etiam tractui Narbonensi. Vidimus & plantas è semine natas Tiguri in horto D. Io. Funckii. In Burgundiæ quibusdam montibus asperis & saxosis nihil frequentius, potissimùm circa Clareuallum, oppidum elegans E.C. Wirtemb. vnde in hortum Montb. plures transtulimus, quæ à multis annis iam durant: sed rariùs florent fructum nunquam protulere: Et quasi in eodem semper statu permanent. In Italiæ sepibus & saxosis passim obseruauimus, in Euganiis montibus cum baccis Februario vidimus. In Belgio non nisi hortis colunt, vt & Basileæ D. Platerus. Floret hyeme, & fructus seruat (vbi ferre solet) vsque ab alterum prouentum.

Tempus.

Primo vere virentes & teneros admodum turiones promit, qui edi aliorum Asparagorum modo possunt, vt dicetur mox. Autumno semen perficitur. Radix & tota adeò planta Patauii & Venetiis copiosè vendi solet.

Vires & Vsus. *Vrinas ciet. Menses. Calculus. Ilterus. Vrinæ stillicid. Cap. dolor. Cibus. Stranguria.*

Folia & baccæ in vino potæ vrinas cient, menses pellunt, & calculos vesicæ frangunt. Morbo quoque regio, vrinæ stillicidio, & capitis dolori medentur. Sed & radicis decoctum in vino potum, eosdem illos præbet effectus. Porrò & cauliculi pullulare incipientes Asparagorum vice ac olerum modo in cibo sumuntur: sunt autem amari, vrinásque cient. Dioscor. Rusci radix decocta (inquit Plin.) bibitur alternis diebus in calculorum valetudine, & tortuosiore vrina vel cruenta. [Sic στραγγουρίαν reddit. *Tortuosiorem* igitur cum Dal. intelligimus molestam, torquentem, quæ velut tortuosa exit ac procursu veluti diuiso, ob crassum humorem impactum vrinario meatui, vel ob hypersarcosin in vrinæ via extumescentem, lotiiq; meatum impedientem.] Radicem pridiè erui oportet, postero manè decoqui: ex ea sextarium vini Cyathis duobus misceri. Sunt qui & crudam radicem tritam ex aqua bibant, & in totum ad vitia, [virilium morbos præsertim vrinæ difficul-

Collectio. Dosis & sumendi modus.

tates & calculos.D.] cauliculis eius in vino & aceto tritis: nihil vtilius putant. Radix eius in honore est, decocta vino ad renum dolores pota, & difficili vrinæ, præcipuéque crassæ, & graue olenti: morbo regio, & vuluarum purgationi trita cũ vino. Cauliculi quoque incipientes, Asparagorum modo in cibo sumpti, & in cinere cocti: semen cum vino potum, aut oleo aut aceto calculos frangit. Item in aceto & rosaceo tritum, capitis dolores sedat. & potum morbum regium.

Nephritis. Vrina fœtens.

Plin. error.

Cęterùm vehementer errat idem Plin. quando Chamæmyrsines siue Oxymyrsines eandem naturam tradit, cum Oleo Myrteo, nempe adstringentem, nimirum nominum similitudine deceptus, in quem errorem bis & diuersis locis impegit, nempe lib.15.cap.7. & lib.23.cap.4. Cùm prorsus diuersa sit ac potiùs contraria naturâ Oxymyrsines seu Rusci, quæ aperiens & Diuretica: & Myrti, quæ cohibens & adstringens. Præterea ex Oxymyrsine oleum fieri à nullo alio Authore proditum, non leui argumento ignoranter Plinium hæc inter se confudisse, de qua re & suprà plura dicta sunt. Idem Plin. Herbis spontè nascẽtibus inquit, vtuntur in cibis: In Italia nouimus, Fraga, Tamum, Ruscum &c. veriùs oblectamenta quàm cibos. Potuit, [inquit Marcellus Virg.] in vsu medicinæ aliquo & sanitatis quondam, vt Dioscor. ait, fuisse. Nunc in nullo honore est. Aliquibus locis tamen scopæ ad purganda pauimenta ex ea fiunt. Pueri etiam rubentes baccas ex foliis eius decerpentes ceu Ceratiis per ludum se illis ornant.

Scopæ.

Ad aversos mures.

Marcellus non audiendus.

Rustica postremò plebs in carnario suspendit: tuetúrque eo à murium iniuria pernas & caseis suis fiscellas: neque enim acuminata in cuspidem foliorum eius cacumina penetrare animalia illa audent. Sed dicat quicquid velit Marcellus, qui cùm Medicus non fuerit, non mirum sensum nobilissimæ, huius stirpis vel nescíuerit, vel hodie nullum esse crediderit. An igitur si ab eo aut Italis in vsum non vocetur [de quo tamen vehementer dubitamus, qui scimus Italos ad seligenda vtilissima quæque medicamenta solertissimos esse: eccur enim hanc negligerent, quâ tam præstanti tantoperè abundant?] ideò in nullo vsu ac in nullo honore esse dicemus. Amatus sanè Lusitanus radicum vsum quotidianum prædicat ad infarctus & obstructiones tollendas, in quo casu & ipsi non parum conferre multoties experti sumus. Harum quoque præcipuum vsum celebrat Dod. Temperatè calidæ sunt, ac essentiæ tenuitate mediocriter quoque resiccantis. Vt non in Ictericis modò, secundum Veteres, sed ipsis adeò hydropicis obstructionibus, magna vtilitate præscribi posse & solère sit certum.

Obstructiones.

Tempera.

Dignum profectò notatu Bartholom. Cabrol non ignobilis Chirurgi Monspeliensis experimentum. Is Rusci radice copiosè infusâ in aqua, potáque manè & serò per se, & in pastu vino permixta, aliisque cibis, vt iusculis, ipsíque adeò pani, vnius mensis aut quinque septimanarum spatio ásciten curauit Ioannam Ianinam filiam Mõspeliensem. Nam sub finem prædicti temporis adapertâ & hiante vuluâ magno impetu profluxerunt aquæ circiter libræ [vt ille scribit] octoginta, sine vlla intermissione. Eodem morbo & remedio curata Catharina Turle, & simili planè euacuationis modo. Ac ita perfectè sanata, vt viginti etiam annos sospes & incolumis superuixerit. Sic ille notauit. Nos ex vacuationis modo ac impetu potiùs hydropem matricis diceremus, cùm vix credibile nobis videatur tantam aquæ vim ex abdominis capacitate impetuoso & continuato fluxu, sine immensa virium ac fortè etiam vitæ iactura euacuari posse. Iudicio tamen & fidei senis ac ferè octogenarii Chirurgi nihil detractum volumus. Ipsam interim rationem Medicinæque τέκμαρσιν obiter inspici par fuit. A nobis verò eiusdem radicis & Iridis atque fœniculi decocti ex aqua continuato vsu, [exhibitis interim etiam eradicatiuè purgantibus aliquoties, administratísque cæteris ad rem pertinentibus, potissimùm omni præter iam dicto, interdicto potu] Textorem Seluncurtianum [pagus est Comitatus Montbelg.] sexagenarium, cui pedes & abdomen totum in immensum propemodum tumebant, ipsúmque adeò scrotum capitis pueri amplitudinem æquaret, vnius tantùm mensis spatio D.G. tanta felicitate persanasse, vt ipsemet, sub mensis finem pedes ad nos, & sæpiùs postea gratiam habiturus & relaturus profectus sit. Sed per vrinas pariter ac sedem ordinatis propemodum interuallis exhausta fuit aquæ moles, & viscerum infarctus reseratus. Aliquot tamen annis pòst, satis salubriter transactis, cùm ad genium rediret [erat enim homo apprimè deditus vino] eodem morbo correptus, sed tam graui, vt iam ingrauescente senio, & calore natiuo propemodum suffocato, nec his, nec aliis esset remediis locus: quod in iuniorum gratiam hic annotare placuit.

Experimentum in Ascite, vel potius hydrope Vteri.

Aliud.

Ascitis curationis experimentũ Autorum.

Turionum quoque propago, viscerum & ductuum farctui vsitatissima, nec secus ac in Officinis Asparagi vsurpari solita. Semen etiam miscetur eodem scopo Benedictæ laxatiuæ & Lithontribis, monente Lob. Verùm quia Asparagi non obscurum amaroris gustum relinquunt, in medicamentis potiùs quàm in cibis expetuntur: sunt enim ciendæ vrinæ aperiendísque obstructionibus perquàm idonei, teste Matth. In Italiis passim ipsum fruticem in scopas concinnari vidimus: deinde fronde eius de industria carnibus, caseis, & cæteris eiusmodi circumligatâ glires, mures ac vespertiliones arceri, qui vsus & Pungi topi, vt dicebamus, apud Hetruscos ei nomen dedit. Eiusdem lentis ramulis ad colligandas vites vtebantur Antiqui, vt discimus ex Virgilio. Serapio ex autoritate Pauli dicit bonum gutturi esse, & adstringere ventrem: vbi autem Paulus id dixerit de Rusco siue Cubebis, vt vocat Serapio, nondum obseruauimus: fortè confundit ex Paulo plantam aliquam cum eodem Rusco, vti confundit, quod antè dictum, Carpesium Galeni.

Virgilio. Serap. explodend.

CHAMÆLÆA.

CAP. XLI.

TAm obscura, támque intricata est Chamelææ historia, ab Autoribus tradita, vt coacti simus, euitandæ fallaciæ & obscuritatis gratiâ antequam ad plantas nobis cognitas deueniamus, primùm ex Veterum placitis, & in genere, de ea tradere, & quidem hoc ipso loco, ob nominum affinitatem & confusionem in præcedenti cap. plus satis expositam: quanquam aliàs Laureolis quoque haud insubidè subiuncta fuisset.

Institutĩ ratio.

Dioscoridi χαμελαία [inter reiect. aliis χαμελαία μέλαινα: aliis πυρὸς ἄχνη, aut ἄκνηστις: aliis ἀκόκκαλιδ@: aliis ἠράκλειον: aliis ἔλαιαγνα: Romanis Citocacium: aliis Elago: aliis Oleastellus.] frutex est è cremiorum genere, ramis dodrantalibus, foliis Oleæ similibus, sed tenuioribus, densis & amaris, gustu

Pyros achne Acnestos Coccon. Coridon. Heracleõ. Citocaciũ. Elago Oleastellus.

gustatu linguam mordentibus & arteriam lancinantibus. Idem ait Thymelæam aliquibus Chamelæam dici: ex Thymelæa esse granum Cnidiū, fallique eos, qui id Chamelææ fructum censeant: foliorum similitudine decepti.

Plin. incōstan. Plin. quoque Chamæleam similitudinem foliorum Oleæ habere tradit: esse autem amara, odorata (quidam Codices legunt nigra, odorata: alii amara & odorata Herm.) in petrosis, palmum altitudine non excedere: hæc lib. 24. capite 15. At *alibi*, nempe lib. 15. cap. 7. dixerat: Oleum fieri ex Oleastro, tenue id, multóque amarius, quàm Oleæ, tantùm ad medicamentum vtile: cui simillimum fit ex Chamelæa frutice saxoso (sarmentoso Cornar.) non altiore palmo, foliis Oleastri, baccisque. Hic Dalechamp. scribit: Oleæ similitudine, quæ Baccifera est, Plinium decipi: baccas non gignere Chamelęam. Verùm Dalechāpii censuram nobis nullius ponderis videri, indicabitur capite de Chamelæa tricocco. Plinius lib. 13. cap. 2. de Thymelæa agens, eam alias Chamelæam dici scribit. *Thymelæa.* Vnde manifestum videtur, eum lib. 25. cap. 7. per Chamelæam herbam intelligere Thymelæam, de qua pòst. Multùm, inquit, infra hunc succum [Euphorbii] est qui in Gallia fit ex herba Chamelæa granum Cocci ferente. Fractus Hammoniaco similis est, etiā leui gustu os accensum diu detinens, & magis ex interuallo donec fauces quoque siccet.

Placet & Dalechamp. iudicium: ex Chamelææ foliis tusis succus exprimi potest: verùm quod legerimus, præter Plin. alius nullus autor id prodidit. Eum existimat idem noluisse id vertere quod Dioscor. scribit: Thymelæam farinam vuæ acerbæ succo excipi & in pastillos digeri.

Hermolai figmenta. Oleastellū Olea Cilibraca. Ex his Plinii placitis suum illud figmentum prodidit Hermol. quando ait Chamelæam fruticem esse petrosum, simillimum ei Oleum inesse vt Oleastro, ob id à quibusdam Oleastellum & Oleam Cilibracam vocari, auctore Columellâ, Sirapam (Oliuarum conditurae antiquum genus) inde cōdi solitam scribente. Addens paulò pòst, nostri & hanc, & Thymelæam præcipuè Casiam videntur appellasse Theophrast. Cneoron, Higino id apud nos Casiam interpretante, cuius duo genera feruntur &c. *Hæc Hermol.* *Casia. Cneoron. Hermol. se-ve castig.* Vt videat & aduertat lector in quanta pericula se aliosque coniiciant, qui tantâ securitate aliorum scripta pro suis venditāt, nec illa tamen probè intellecta, aut suis intersuta, quod passim Hermol. facit. Quis ferat eum simillimum Chamelææ oleum facientem cum Oleastri Oleo, quanquam quid oleastrum vocitarit, eum nesciuisse facilè deprehendimus. *Eius error periculosior error refut.* Sed longè periculosior eiusdem error, quando putat Chamelæā esse Oleam Cilibracā Colum. lib. 12. cap. 49. quamuis in nostro Basil. codice legatur Calabricam: quam scriptor ille propter similitudinem Oleastellum quibusdam vocari ait: quem Hermolai errorem, doctè sanè & solidè refutat Marcellus.

Heracliam, (inquit idem Marcellus) id est, Herculeam vocari etiam Chamelæam ex Dioscoride dictum, credimusque nos factum id nomen ex antiqua fabula fuisse, quam ex Pindaro in Oleastro suo loco retulimus, quòd scil. Hercules ex Scythia Coronatus Oleastro in Græciam redierit: & quoniam similis Chamelææ Oleaster sit, & Oleastro Chamelæa: ideò similitudine decepti aliqui non Oleastrum, sed Chamelæam Herculeam vocauerint fruticem & Coronam. *Chamelaa Herculea.*

Adiecimus quod alii omittunt, & hoc nomen, χαμελαία μέλαινα: chamelæa nigra: error tamen is eorum est, qui Græcarum vocum similitudine decepti, chamelæonem cum chamelæa miscuerunt. *Chamelaa nigra. Quorundā error refut. Chamaleō.* Neque enim nigredo chamelææ competit: qui colore nigro à candido discernitur, chameleon est. Et quoniam nihil in chamelæa id causæ haberet, inutiles eas voces & Marcell. & plerique interpres expunxerunt.

Græcorum, & Arabū error refut. Errasse autem in duabus his plantis non Græci tantùm, sed & Arabes, & hi quidem inter medicos probatissimi Serap. & Auic. videntur: qui Mezereon, quæ Chamelæa hæc Barbaris est, describentes, multa quæ Chameleoni debentur illi attribuerunt: & è diuerso: Poterúntque volentes id certiùs in Chamæleonis & Mezerei historiis videre.

Nomina reiectitia. Sunt chamelææ huius appellationes aliæ quoque adductæ, sed impropriæ, & ex aliis plantis importunè ad hanc relatæ, vt specialiùs quoque in Thymelææ historia patebit.

Ruell error. Item Hermol. & Tagaultij. Ruellii erorē, chamelęam cum Laureola folio deciduo confundentis, in huius historia deteximus, quem, licet grauissimum, more suo ex Hermol. suxerat: & ex Ruellio Tagaultius, doctus alioqui medicus. Tam lubrica solet esse securitas sui, & oscitans confidentia in alios, vt quà primùm data porta est, tectis oculorum & rationis facibus, præcipites agamur in hiatum erroris.

Mesue error. Sic autem hic ait: Mezereon Serap. indubiè chamelæa est Dioscor. Mesue verò, vt pleraque omnia chamelæam cum Thymelęa & vtramque cum chamęleone nigro pudendo errore commiscuit: in quo etiam grauiter peccauit eius præceptor Auic. Itaque nihil certi de Mezereo ex eorum scriptis statui potest. Theophrast. verò chamelæam Cneorum & Cnestrum vocauit: ita à Cneoro, vt puto, deriuata est vox Mezereon, quam vocem factionis Arabicę Scriptores & Barbarę eorū officinæ quasi lethalem & viduificam interpretātur. *Cneorum Cneorum Cnestrum.* Veneno enim proximum esse Mezereō scribit Mesue, quod tamen de chamelæa vel Thymelęa nusquam, quod sciam, legitur. Sed de chamęleonte nigra scribit Gal. quod radix eius habet quid venenosi. Falluntur qui Granum Cnidium vocatum ex hoc surculoso frutice, chamelæa inquam, nasci autumant, foliorum similitudine decepti. *Granum Cnidium.* Thymelææ namque fructus est, quæ folia habet chamelęę, angustiora tamen. Quo fit vt Mes. turpiter lapsus, si per Mezereon, vt quibusdam videtur, chamelęām intellexerit. *Mesua error.* Scribit enim folia eius similia esse foliis Oliuæ, sed maiora. *Hæc Tagaultius.* *Tagaulti repreh.* Qui dum Mesuem erroris insimulat, ipse quoque parum oculatus reprehensionem meretur. Confundit quippe plantarum diuersarum nomina & descriptiones, quas ex aliis vt ex Ruell. transcribit, speciatim Chamelæę, quam dicit cum illo lacte manare: vbi autem talem lactifluam chamelæam viderint non demonstrant; Ruellii Chamelæę descriptionem posuimus antè cap. de Laureola decidua. Aut potiùs ex ipsomet Mesue hunc errorem vterque hausisse videtur, qui Mezereon Lactariarū maximam dixit, quod hi ad chamelæam, cui neutiquam id competit, ex Veterum historia retulerunt.

Monachor. lapsus. Monachi etiam Chamelææ & Thymelææ tribuunt lac, vt suo loco dicetur. Mesuem longè aliter interpretatur Cæsalp. vt annotatum cap. de Mezereo. Syluio Mezereon Serap. est chamelæa Dioscor. Mezereon autem Mes. est Thymelæa Dioscor. *Mezereon. Chamelaa.* cùm verò differentias eius describit Mesues, Mezerei nomine vtrámque & prętereà chamęleontem vtramque comprehendere videtur cum Auic. Cordus quoque testis est chamelęam

ab Arabibus & Pharmacopolis Mezereon appellari.

Cornar. explod. Clamitat Cornar. esse hodie qui cum Daphnoide Chamelęam confundant itidem Zeilandt appellantes: vulgi in eo morem secutus, quod publica delicta carpens ipsum tamen remedia adferre nescit. Nam nec ipsum eas plantas probè distinguere potuisse, sub Laureola decidua dictum.

Brunfels. derisus. Iactat se Brunfels. in Exegesi sua simplicium, Diosc. Chamelęam, id est, Mezereon herbam vidisse se in Officina aucuparia, ne per latum quidem vnguem discedentem à Diosc. descriptione. Nihil ei restabat, quàm vt clamitaret, *εὕρηκα, εὕρηκα*. Sed sibi vidit, nec cuiquam alteri, dum qualem & quantam viderit, propria descriptione non declarauit, quod optassemus sanè: alioqui suspecta nobis ab eo pro legitima Diosc. Chamelęa habita, qualis certè, quæ ad amussim eius descriptioni in omnibus satisfaceret, nondum nobis hactenus innotuit.

Quæ sit germana Chamelaa Diosc. adhuc dubitatur. *Pyros Ochne.* *Bdelyra.* *Cittacatiū.* Lonicero Chamelęa etiam *Pyros Ochne* dicitur, si [inquit] *πυρὸς ἄχνη* lucriberetur, esset Tritici palea. *Bdelyra* quoque dicitur, id est, *execrabilis*. *Cittacatium* ab effectu laxandi. Hebraicè dici posset *Saith schaphal*, id est, humilis Olea.

Hamilis oliua. Aequiuoc. Cæterùm Chamelææ vocem multis plantis attributam manifestum est. Alicubi enim pro Oleę generica specie loco tantùm differentiâ distincta, posita: vt Olea Calabrica Oleum. vti dictum. Item de Olea Aethiopica & Ligno Rhodio, vt notatum lib. 9. Hæ autem plantæ nihil habent commune cum Chamelæa de qua hoc capite. Sunt verò & aliæ, quæ in quibusdam accedunt, vt Laureola folio deciduo, quæ quibusdam Chamelæa dicitur, vt ostendimus. Chamelęæ hirsutæ nomine fruticem proposuimus à vera Chamelęa tamen diuersum. Daphnoidem confundi cum Chamelęa per Arabes, existimant aliqui, vt antè declaratum. Chamelęam dici de Thymelęa, clarum fiet ex capite proprio. Est prætereà Chamelęa Monspeliaca tricoccos, de qua paulò pòst. Sequetur Chamelęa subtus incana. Sesamoides minus Dalech. aliqui Chamelęam faciunt, de quo proximo capite. Nerium alpinum ab aliquibus Chamelęęfolia dicitur.

Substitutio ipsiss absurdus error. Fuchsius absurdissimo errore Chamelęæ substituit Polypodium, secutus authoritatem suppositi libri Galeni de succedaneis, quem errorem ante nos & Syluius reprobauit. Camerar. & ante eum Dod. substituunt Laureolam folio deciduo, vti dictum iam suo loco.

Vires & vsus. *Noxa.* *Purgantes pilula.* Vires Chamelęę ex Veterum pręscripto hæ sunt. Folia gustu linguam mordicant, & arteriam abradunt. Eadem per inferna pituitam bilémque detrahunt, maximéque si in catapotio assumantur. Vni siquidem Chamelęæ parti duplum Absinthii adiicitur, ex hisque aqua aut melle excepti catapotia finguntur: & ea quidem in ventre non liquescunt conficiunturve: sed prout deuorata fuerint, ita per aluum egeruntur. Eadem folia trita melléque excepta sordida & crustosa vlcera repurgant. *Hæc Dioscor.* apud quem & vinum chamelaites fit, si, vbi floret, chamelęę fruticem cum foliis contusum cribratúmque duodecim drach. pondere in musti congium mittas, & post duos menses vinum transfundas. Hydropicis, hepaticis, delassatis auxiliatur: itémque fœminis, quæ à partu ægrè purgantur. Alius & ab isto discrepans chamelææ vsus est apud Plin. quando ait: aluum purgat, detrahit pituitam bilémque, foliis in duabus Absinthii partibus decoctis, succóque eo cum melle poto. Foliis impositis & vlcera purgantur. Aiunt, si quis ante Solis ortum eam capiat, dicátque ad albugines oculorum se capere, adalligatâ discuti id vitium. Quoquo modo collectam iumentorum pecorúmque oculis salutarem esse. Sed superstitiosum & vanitatis plenum est remedium Plinii ad albuginem, vt mirum sit, tam grauissimum virum eiusmodi nugis fidem adhibuisse. Gal. chamelęæ amaram qualitatem prædominantem tribuit. Quare & sordida valdè vlcera, & quæ maximas crustas habent, cum melle repurgare posse. Paulus drachm. quatuor chamelęę in aqua mulsa cotylis duabus coctas, donec quarta pars supersit, dat: & catapotia ex duabus Absinthii partibus & vna chamelęę dicit purgare, vt Elleborum.

Mira pilularum ratio. *Vlcera sordida.* *Vinū Chamelaites.* *Eius vsus.* *Purg.* *Albugo. Ocularis pecorum.* *Plinij vanitas.* *Vlcera crustosa.* *Dosis.*

CHAMELÆA TRICOCCOS.

Descriptio. Frutex est Chamelæa tricoccos cubitalis ac bicubitalis, minor quàm Thymelęa Monspeliaca, magis sarmentosus, rugosus, lignosus, intortus, in ramulos plures diuisus: foliis retusioribus, latioribus, viridioribus, & tenuifoliam Phyliream referentibus: inter quæ flores parui, luteoli, foliolis tribus constantes: quibus succedunt semina tricocca, primùm viridia, maturitate verò ruborem induentia, in frutice suo perennia, vt sunt Lathiridis, Tithymali, siue Heliotropii verrucosi, dura, dentibus fractu contumacia, medullam albam continentia. Dentibus frangenti apparet manifesta amaritudo. *Folia.* *Flores.* *Semina.*

Sapor. Lob. rubentes bacculas tricoccas dicit, officulis præduris, lignosis, gustanti medullam feruidam & præsiccam exhibentibus. Radix lignosa.

Clus. sic depingit: Surculosus est frutex, ramis palmaribus, interdum minoribus, præsertim calidis regionibus: foliis perpetuò virentibus, Oleæ similibus, minoribus tamen, nec incanis, sed viridibus, gustus initiò amari, deinde linguam vellicantis: flores habet exiguos, pallidulos aut flauos, tribus foliolis constantes, ex foliorum alis prodeuntes: fructum tricoccum Tithymali modo, pellicula primùm viridi, deinde per maturitatem rubrâ, amari & feruidi gustus, obductum, durum, & vbi exiccatus fuerit, fuscum.

An Chamelaa Monachorum Mezereon? Oliuelia. Oleastellū. Monachi in Mes. fortè hanc Chamelæam tradunt his verbis. Chamelęa quæ etiam Mezereon est, & vulgò Oliuella & Oleastellum dicitur, & non remota ab vrbe [fortè Româ] versus mare plurimùm prouenit. Folia Oliuis simillima, minora tamen & quasi decurtata habet. Rami eius multi, tenues, duri, non recti, sed per terram circumquaque vt plurimùm deiecti, foliis plenis sunt, omni tempore. Videntur è longinquo monticuli foliorum speciosi, quasi arte parati: hodie quamplurimis cognita est. *Hæc illi.* Mirum est eos nihil

nihil de fructu & floribus tradere, ac ne saporem quidem foliorum dicere. Nostra etiam non ita humi deiecta procumbit, vt de sua tradunt. Quæ difficultates cauent, quominus confidenter audeamus asserere eandem esse cum hac nostra.

Matth. error.

Matth. in suis com. in Dioscor. Chamelææ huius fructus tricoccos appinxit Thymelææ, euidēti fuco, sed sibi non insolenti. In postr. com. & hist. Germ. reiecit totam figuram, vel nullam ponit, fortè quia pœniteret figmenti.

Camer. error.

Camer. in epit. Matth. & historiam eius Germ. ponit iconem Chamelææ tricoccæ ex Gesnerianis figuris depictam ad meam plantam missam Gesnero ante 40. annos, quod non placet, vbinam de ea aliquid prodidit Matth.? Idem in horto Chamelæam veram aliis tricoccon & Mezereon dici ait. At apertè in hist. chamelææ lac denegat, quod tamen Arabes in suo Mezereo expetunt.

C. Bauh. error.

Nec probatur nobis Casp. Bauhin. in Matth. Comment. nouissimè sub incudem reuocatis pro Matth. icone Chamelææ supposuisse iconem Tabern. in qua fructus tricoccos: (quæ fictitia nobis videtur, vt postea dicetur) maximè cùm idem nihilominus retineat Thymelææ iconem absurdā cum fructu tricocco. Item addit hæc verba: Inter Chamelæam & Thymelæam Dioscor. differentiam fecit: at Serapio vtramque Chamelææ, sic Mes. Thymelææ, & Arabes Mezerei nomine expressēre. Chamelæa latifolia alba Serapionis. Thymelæa foliis magnis & tenuibus Mesuæ: Chamelæa Matth. Lac. Cordo in Dioscor. Dod. Gal. & in fol. Lugdun. qui duas habet figuras: Chamelæa 2. Cæsalpin. *Hactille* à quo in pluribus dissentimus, apud Serap. enim cap. 353. de Mezereone ex Dioscor. & Gal. referuntur quæ illi de Chamelæa tradiderunt, neutiquam verò quę de Thymelæa. Mesues quidem de Mezereone scribit, quam vocem Sylvius Thymelæam interpretatus est quod multi docti improbant: non enim de sola Thymelæa eo cap. scribit. Cordus Chamelææ tricoccæ nullam fecit mentionem apud Diosc. cap. de Chamelæa. Lacuna quoque hanc non habet, sed tantùm iconem fictitiam ex Matthiol. & præterea malè eiusdem iconem Thymelæę cum fructibus tricoccis. Vtrumque errorem & Lonic. commisit. Sic vnus error plures parit errores. Præterea Hist. Lugd. non habet duas icones Chamelæę tricoccæ: vna est Dod. altera autem Matthiol. quæ non vera icon tricoccos. Quare non admittenda Casp. Bauh. reprehensio in eius Animadu. quà autumat duas figuras & totidem descriptiones vnius plantæ ab eadem positas. Matth. scribit, suam chamelęam fructum ferre Myrti baccis similem, longiorem quadantenus & Oliuæ formam referre. Quod vel ex Plin. verbis fortè extorsit, de Matth. verò Chamelęa pòst.

Chamelaa latif. vel alba Serap. C. Bauh. — *Sylvius reprch.* — *Lacuna taxat. & Lonic.* — *Hist. Lugd. excusat.* — *C. Bauh.*

Apud Amatum quidem in Dioscor. satis apta huius Chamelęæ tricocci figura quamuis hanc nō intelligat Amatus cum apertè Mezereon vocet, & quæ huic competunt tribuat illi.

Pen. & Lob. reprch.

Meritò quidem Aduersa. increpant Matthiolū, quòd hæc planta illi non fuerit cognita: ipsi interim carpendi qui flores quinis foliis fingunt & pingunt, cùm sint tantùm ternis.

Cneorum Theoph. Chamelaa Fuchs.

Inquirendum an sit Chamelęa Bellon. quam in Cretæ monte Ida vulgò Psiloriti dicto cum Thymelæa vidit, cuius meminit Obs. lib. 1. cap. 16. Item an de hac Maranth. Meth. lib. 2. cap. 5. scribat. Idem lib. 1. cap. 8. vult Cneorum Theophrast. esse. Nec pro certo asserere ausimus Fuchsium l. 1. c. 4. de comp. med. de hac scripsisse, cùm ait: Chamelæa Seplasiis Mezereon nominatur. Paucis autem hodiè vera chamelęa cognoscitur: Seminata quidem nobis est aliquoties, verùm nunquam prodiit.

Plin. defend. contra Dalechamp.

Dalechamp. apud Plin. annotat eum decipi, neque enim chamelæam baccas ferre, vt ille ait, sed fructum triangulum: Bellam verò, mehercle, & oppidè festinam subtilitatem: quasi verò non & tricoccos queat esse bacca. Sed esto non esse baccam: quî scit hanc Plinium intellexisse? aut quo autore nos docebit chamelæam Plinii quę & Dioscor. est, baccas non gignere, sed fructum triangulum. Sed videtur nobis nimiā quadam confidentiā præsupponere hanc nostram esse Veterum chamelæam, de qua tamen est, quod dubitemus, quamuis Dod. omnia Veterum nomina, etiāmque reiectitia superiùs ex Dioscor. posita huic tribuat.

Idem ait in hist. Gal. folia valdè similia Oleæ, sed minora. In hist. lat. scribit oleę similia, minora & nigriora: fructus decerptos nigrescere, oleosāmque pinguetudinem contrahere Oliuarum instar, fauces exurere veluti & folia ac cortex.

Arabum error.

Auic. & Serap. Chamelæam Mezereon vocant, sub quo tamen nomine Chamelæonem vtrumque complexi quoque sunt: ita Chamelæam cum Chamæleonibus, atque vnà etiam Thymelæam confundentes.

Tabern. & Lob. accusantur.

Mezereon Mesuæ Dod. Chamelæam, Sylvius Thymelæam reddit, vt antehac annotatum. Ita vides & huius historiam satis confusam apud autores. Tabern. sensibus nostris imponit, quando Chamelæam Arabum tricoccon vocat, quamuis huius rei etiam Lobelium autorem citet, addens Mezereon quoque esse Arabum in Aduers. Sed vbi locorum Arabes Chamelææ tricoccæ meminere? Aut vbinam locorum vidit Tabern. Chamelæam qualem pingit, compositam ex frutice olim à Matthiol. picto pro Chamelęa, [nunc autem reiecto] & nescio quibus figmentis, granis tricoccis, floribus quinque partitis? Aut quà fronte suæ quoque Thumelææ eadémet grana tricocca, qualis Thymelæa nunquam in rerum natura extitit, appingere est ausus. χαμέλαια, siue vt alii scribunt, χαμαίλαια τρίκοκκος Græcè non malè dicitur. Quidam Hispani *Oliuellam* vocant: Prouincia Narbonensis *Garonpe*, teste Clus. Germ. Seidel pass, si Tabern. credimus: sed addendum Frembd vel Welsch / id est peregrina.

Tabern. icon fictitia explosa.

Locus.

Chamelæa tricoccos feruidi squalidique soli, maritimíque amasia, vbicunque suæ sponte est, saxosa amat. Proinde in collibus Narbonæ arentibus, saxosis, Monspeli & Frontignanæ vberè fruticat: in cultis etiam Oliuetis, potissimùm ad margines, aut si ipse ager paulò saxosior fuerit, inter alias stirpes. In Galloprouincia, vbi tamen nascitur, haud multò prodire prouentu, Lob. obseruauit. Nascitur etiam [inquit Clus.] Hispaniæ Valentino & Arragonum regno, totáque Catalonia: verùm multò breuior & candidior, quàm in Gallia Narbonensi. Certè Monspeliano agro circa *Mirauaux*, & vicinum illi collem, atque ad Frontignanum oppidum, Setio monti, quod vulgò *cap de Sete* dicitur, in ipso mari sito, proximam, frequens est, vbi multò vegetior & viridior quàm in Hispaniis. Nunc etiam à rei herbariæ studiosis in Germania & Belgio colitur. Sed in locis frigidioribus difficulter seruatur, ideò subterraneis per hyemem habenda.

Cultus. Satio.

Geneuę à nobis semine sata altero primùm anno prouenit, ac non recondita asperam hiemem pertulit. Basileę in hortis D.D. Plateri & Zuingeri

plures & pulchras plantas obseruauimus, sed hyeme reponunt. Ad fruges in perueniunt tempus & Basileæ & Pfortzemii, & vtrobique semina probè matura decerpsimus mense Nouembri. Propagatur etiam surculis teste Camer. Floret Aprili, Cluf. æstate, æstúque summo, Lob. Nos vtroque tempore florentem, ac certè etiam Augusto partim florentem, partim fructus ferentem vidimus. Augusto fructus perfici solet, subinde per totam hyemem plantæ suæ adhærens: nam & Aprili mense semina præcedentis anni collegimus. In Italia reperitur culta in hortis instructioribus.

Propagatio. Tempus.

Calida est, iudice Dod. & sicca tertio gradu, accedens ad quartum. Folia purgant per inferiora magna vi & violentia pituitam & humores biliosos, maximè serosos: Vtilia sunt hydropicis, si cum iudicio & ratione exhibeantur. Huius enim qualitas accedit ad vim veneni, nocua & praua hominibus multis modis: lædit ventriculum, hepar, partes omnes nobiles, eas calefaciendo, erodendo, & vlcera inducendo intestinis, tandem vacuat alui ad sanguinem vsque. Hæc Dod. quæ vitia huic cum Thymelæa facit communia: postea tradit Chamelææ correctionem cùm ait: Folia viridia Chamelææ maceranda per 24. horas in aceto generoso, deinde exiccanda & in vsum reponenda. Acetum autem melius esset ad hanc præparationem, si antè in eo macerata essent Cotonea mala, aut Berberis semina. Folia autem præparata exhibenda sunt in puluere cum semine Anisi & Malbæ, aut decoquenda in sero lactis potissimum caprini, aut in iusculo caponis, deinde propinandum serum aut ius. Mesues ex Mezereon, [id est, Chamelææ, vt vult Dod. Syluius verò, vt diximus Thymelææ reddit] foliis catapotiorum descriptionem habet, ex corticibus Myrobal. luteorum & Cepulatum, & Terenabin, id est, melle aëreo [Manna] & Palmulis acidis, quas Tamarindos vocant, in stillatitio liquore dissolutis conformat: ipsaque folia prius in aceto acerrimo temperata resiccari præcipit. Commendantur catapotia hæc ad hydropicorum purgationes: aquosos enim humores educunt. Sed violentiam naturæ inferunt, idcircò ab iis quantùm licet abstinendum. Bacculæ tricoccæ medullam habent feruidam & prælsiccam, inquit Lob. Radix lignosa inutilis. Magnus tamen succi totius plantæ vsus, etiam hodie, præsertim Monspelii, vbi Pharmacopæi pressum siccatúmque habent, monente primùm Rondel. cuius imitatione & nos sæpiùs densati succi recentis dr.ß. & dr.ii. dedimus per se, & sæpiùs aliis Catharticis hydragogis mixtas, perbono sanè euentu. Sed non admodum multùm excernit, nec vllo effreni motu, vt solent Laureola, Mezereon Germanica, Gratiola, & alia. Quin perparùm aut nihil interdum mouet Chamelææ succus concretus, nisi remixtis quibusdam lenientibus, aut similibus catharticis. Cuidam arthritico habitiori, toroso, procero homini, tres drachmæ nullum excrementum mouerunt. Pueris etiam datus, nec tormina nec vomitiones facit, sed aquas educit & serum. Admotus pubi & abdomini hydropico, non vllum præstantius ad vrinas proliciendas, quo modo lubentiùs vtebatur Rondel.

Vires & [illegible]. Purgat Hydropicis. Cautio de noxa eius. Chamelææ correctio. Exhibendi modus. Catapotia Mesuæ. Hydropicis. Hydropicis Externè impositus.

CHAMELÆA INCANA ET LANVGINOSA.

Cap. XLII.

ANno 1594. Cl. D. D. Casp. Bauh. frater ramum pulchelli huius fruticis ex Italia acceptum nomine chamelææ speciei, Neapoli Mezereon dictæ, ad nos misit. Folia sunt aliquatenus similia Laureolæ folio semper virenti, multò tamen minora, vncias duas ferè longa, alia multò minora, ad Vitis Idææ semper virentis dictæ folia accedentia: latitudo maiorum vnciæ vel digiti, in acumen non desinunt: crassa sunt, vt in Laureola dicta, supernè viridia, infernè lanugine candicant.

Chamelææ speciei Mezereon Neapol. Folia.

Eandem quoque in horto D. Cortusi vidisse suspicamur, ante 40. annos, nam hæc inter nostra annotata scripta inuenimus. Chamelæa à Cortuso vocatur frutex cuius folia viridia, vt in Laureola semperuirenti, oblonga, multò minora, quæ summè acria dicit, ac baccas ferre. Differt à Chamelæa Monspessulana tricocco.

Chamelæa Cortusi.



Eandem Clus. diligenter descripsit, his verbis: Aliud Chamelææ genus nobis ex Italia defertur, à prædicta planè diuersum. Id recto stolone fruticat, ramósque habet admodum flexibiles, tenaci cortice, & qui difficile disrumpi potest, obductos: folia admodum conferta, carnosa, Daphnoidis foliorum formam imitantia, multò tamen minora, & incana lanugine, infernè præsertim, pubescentia: flores simul congestos, quatuor foliolis constantes, dilutissimè purpurascentes, ex lanuginosis, colorisque argentei, calyculis prodeuntes. Fructum non tricoccum, vt superior, sed vnicum, oblongiusculum, tenui miniata membrana tectum, succulenta carne, & sessum nucleum in se continente præditum. Eum fruticem duntaxat apud nos videbam, in Belgio in hortis cultum, bisque interdum eodem anno florentem. Viennæ Austriæ aliquoties illius semen terræ credidi, & natas plantulas diligenter summáque curà conseruare volui, sed subsequens hyems semper corrupit. Pena & Lob. in Aduers. huius iconem exhibent titulo chamelææ Alpinæ incanæ, ex qua & nostra facta. Cæterùm ignoramus adhuc quónam sit referenda Chamelæa incana Bononiensium Lob. quam proponit in Obs. in eorum agris maritimis prouenienns, facie & vultu Dorycnii Monspel. cubitalibus virgultis, quam reperit eruditiss. D. Hermes le Clerc. M. Neruiensis, qui eidem plantam aridam impertiuit.

Descriptio Clus. Flores. Fructus. Locus & tempus. Satio. Chamelæa Alpina incana. Locus. Chamelæa incana Bononiens. Lob.

Considerandum etiam an Cæsalpin. chamelæa vulgò in Alpibus Oliuella prior, flore purpureo ex Sicilia, non sit eadem cum hac nostra incana. Cæsalp. descriptio posita est cap. de Laureola folio deciduo, quam Lectores considerent, & quæ ibi annotata. Fortè de hac intelligit Matthiol. in Com. in Diosc. in hunc modum scribens: Chamelæam pariter & Thymelæam Arabes confusè satis ac perplexè Mezereon appellant, cuius etsi faciant duo genera, vnum album, alterum nigrum: tamen iis etiam Daphnoidem admiscent, & hæc omnia confundunt & implicant. Illarum plantarum vis furiosa, quare non temerè eas Maurita-

Chamelæa Sicula. Chamelæa Matth. Arabum errores. Cautio.

ni

Digitized by Google

Leones terrae. *Locus.* *Thymelaea Matth.* *Piper montanum.* *Cnidium granum Theoph.* *In piperis montani vsu periculum.* *Catapotia de Mezereo.*

ni *terra Leones*, & *plantas viduificas* cognominarunt. Proueniunt hæ plantæ numerosæ in vallis Ananiæ montibus, Tridentino agro: & vtræque, licet hoc in Chamelæa prætererit Diosc. fructum ferunt Myrti baccis similem, quamuis Chamelææ quadantenus longior sit & Oliuæ formam repræsentet: vtrique fructus initio sui exortus virescit, mox per maturitatem rubescit, denique exiccatus niger conspicitur. Cæterùm baccam, quæ ex Thymelęa decerpitur, quoniam siccata Piperis faciem præ se ferat, acrimoniámque non obscuram gustantibus relinquat, rura Ananiensia vnà etiam cum Laureolæ semine *Piper montanum* indifferẽter nominant: Theoph. *Cnidium granum.* Frequenter vtuntur incolæ in suis purgationibus aduersus omnes ferè morbos, ita medicos & pharmacopolas fallere credentes: sed sæpè euenit vt sibi mortem consciscant. Et certè hoc testari possum, quod ex montani illius Piperis assumptione plures perijssent, nisi antidotis nostris succurisse. Habentur tamen passim in Pharmacopolijs Catapotia, quæ de Mezereo appellant, quibus aliquando medici vtuntur ad aquam inter cutem extrahendam. Verùm ea non audent exhibere [quanquam medicamenta simul receperint, quibus eorum malitia reprimitur] nisi robustis ac fortioribus hominibus. Chamelęa Germ. dicitur Zylandt: Gallis *Bois gentil. Hæc Matth.*

Matth. cõfusus & inconstans.

Sed nec chamelæa, nec Thymelęa eius adhuc nobis perspecta est: cõfundere eum cum Laureola folio deciduo, quam Daphnoidem fecit, ostendunt nomen Germ. & Gallicum. Icon chamelææ Matthiol. accéderet nonnihil ad nostram plantam, nisi paulò acutiora viderentur esse folia. Eandem habet in epit. sine descriptione. In com. cum magnis icon. Lat. & Ital. iconem habet, quæ paulò meliùs placet, quæque planè demonstrat plantam à Laureola folio deciduo diuersam, licet ibidem adhuc retineat nomina prædicta. In hist. Germ. eandem hanc iconem habet nomine Germ. Seidelbast / nec tamen monet an & vbi viderit in Germania.

Chamelæa Sicula.

Non placet Camer. in epit. Matthiol. & hist. Germ. planè diuersam ponere figuram, népe chamelææ tricocci [de qua præced. cap.] ibi tamen scribit chamelææ inueniri aliud à Tricocco genus, multò mollioribus folijs & cinereis, flore purpureo, semine simplici abundare in Sicilia & propterea vocari Siculam chamelæam: se quoque inuenisse propè Neapolim, non esse ita commodã vsui vt Tricoccos. Perquirant studiosi an Camer. eandem quam nos intelligat.

C. Bauh.

Nec probatur nobis Casp. Bauhin. opinio existimantis Chamelęam Matthiol. eandem esse cum Tricocco, nec quod in suo adaucto Matthiolo exhibet iconem falsam Taber. vt specialiùs dictum cap. de chamelæa tricocco.

Lonic. inepsia. *Lacunæ error.* *Leo terra.*

Hist. Lugd. hanc nostram proponit titulo chamelææ Alpinę incanæ Penæ: habet etiam eodem cap. iconem priorem Chamelææ Matthiol. quam & Lonic. posuit pro sua chamelæa, adiuncta descriptione Laureolæ fol. deciduo, quam & ineptè confundit cum Thymelæa, vt suo loco copiosiùs demonstratur. Eodem errore implicatus cæspitat Lacuna, quamuis vbique notissimam dicat, sibi tamen incognitam fuisse satis patet, cùm non doceat, quam intelligat plantam. Nam quod Piper montanum dici ait, ex alijs habuit.

Chamelæa cum Lagenulis argenteis.

Denique & Portam Neapol. hanc nostram intellexisse putamus, cùm ait: Albiflorę plantæ ad pituitam valent, Chamelæa & Thymelæa cognatæ naturæ & figuræ: nam & Chamelęę alterius speciei pallent flores è lagenulis argenteis: phlegmatis vim deijciendi retinent.

MEZEREON ARABVM.

ALiquoties Mezerei Arabum mentio incidit, sed obiter tantùm & per accidens: Nunc qui hi aliique Autores ex professo de eo tradant videndum.

Lacticinium magnum.

Auicen. Mezereon est *Lacticinium magnum*, idque duûm generum. Vnum, magna folia habet & subtilia: [aut angusta, aut tenuia.] Alterum folijs exiguis, sed spissis, quod posterius deterius est priore: nigrum est & pernitiosum. Melius Mezereon est, in quo plurima folia exigua. Pessimæ notæ in quo crispa. Sed quando malitia Abnezerion frangitur cum resolutione. Calidum est & siccum, ordine quarto. Mundificat, excoriat, & potenter adurit &c: in viribus. Nigrum Mezereon lethale est.

Temperamentum. *Mezereõ nigrum.* *Vitam rapiens.* *Viduas faciens.* *Lactariarũ maxima.* *Vires.* *Nigricans.* *Delectus.*

Mezereon autore Mesue, Persis *Vitam rapiens* dicitur, alijs *Faciens viduas*, multis *Leo terra*, planta est Lactariarum maxima, caule cubitali, folijs Oliuę, sed maioribus, fructu nigro: Myrtarum magnitudine: eáque multiplex. Vna folijs magnis, tenuibus: Altera, folijs quidem paruis Oliuę modo, sed multò spissioribus: Alia folijs crispis, asperis. Ex his item quędam folijs virentibus, alia nigricantibus, colorem pauonis referentibus. Præstantior quę folijs est magnis, tenuibus, virẽtibus, in loco libero nata, prope alias, speciei eiusdem. Quę verò sola (fortè spontanea.) in magno agri ambitu oritur, perniciosa est: vti etiã quæ prope thermas, & quæ folijs est paruis & spissis: item quæ nigricantibus. Calida est ac sicca ordine quarto potiùs quàm tertio, vt filius Zezar censuit. Vis enim inest valenter acris, ignea, vlcerans, mordens, inflammans.

Qualitas. *Venenum.*

Apud Serap. ita legimus: Mezereon, id est, chamelęa Dioscor. & Gal. Bedigoras ait proprietatẽ eius esse, purgare melancholiam & aquam citrinam, quemadmodum faciunt species Lacticiniorum, (Tithymallorum.) Liber venenorum habet, pondus drach. minùs occidere desiccando humiditatem hepatis. Paulo verò Mezereum nigrum purgat aquam & album similiter, & educit ascarides: melius est nigro &c: Dixit Cuzenu siccum esse in quarto gradu, & facere hydropysin. Aben Mesuai quoque duas species dicit: vnam folio grandi: aliam folio paruo sed crasso rugoso, quam eidem deteriorem ait: eam verò cuius folia sunt grandia, meliorem, nec intelligi vult vtrumque foliorum genus ex vna eademque arbore colligi, sed ex diuersis speciebus. Reliqua in viribus. *Hæc ille.*

Ita habes sanè obscuritatem magnam, non sine barbarie, quam vt potuimus, re inuiolata, nonnihil abstersimus. Dicat nobis nunc egregius quidam & festiuus Botanicus, quęnam sint hæ species Mezerei?

Chamelæa Diosc. *Mesue reprob.* *Alter Mes. error.*

Manardus in annotat. in Mes. Mezereon, inquit, est absque dubio chamelæa Dioscor. A Mesuæ autẽ describitur Thymelęa: quum Mesue scribit, folia eius sunt similia folijs Oliuę sed maiora, est error manifestus. De Thymelæa siquidem scribit Dioscor. angustiora: licet Mes. voluisse visus sit describere Thymelæam, tamen per verba, species sunt plures, putare videtur Mezereõ esse genus ad Thymelæam & Chamelæam: & quod magis absurdium, ad album & nigrum Chamęleon,

Digitized by Google

Auic. notat.

ta: quem errorem & Auic. commisit in 4. & aliquatenus in 2. maximè vbi vires enumerat.

Chamelaa Thymelaa. Laureola vulgo Daphnoides Mesues cõfusio. Pandectar.

Monachi in Mes. Arabibus [aiunt] Mezereon modò videtur Chamelæa, modò Thymelæa, modò Laureola vulgò dicta, id est, Daphnoides, & aliud diuersum ab istis. Serap. per Mezereonem non intelligit Laureolam: quippe ea non lactescit, vt Arabum Mezereon. Et licet Mesue confusè Mezereonis plures describat species, nulla tamen ipsarum potest esse Laureola, vt Pandectarius & alii volunt: ea lacte caret. Arabes prædicti omnes cum cæteris Mezereon in numero Lacticiniorum ponunt, quod quidem à Diosc. de Chamelæa & Thymelæa minimè scribitur: licet Fuchs. Leonicenum secutus dixerit Serap. non scripsisse Mezereon lacte fluere. Dixit enim id ex autoritate Bedigoras, & cap. de Tithymalis, & 2. breuiarii cap. 16. & c. 24. Iidem folia maiora eius quàm Mes. cæteris præfert, longiora interpretantur: & addunt: plures collegimus Chamelæam & Thymelæam, & obseruauimus non carêre lacte, quamuis paucum habeant. Thymelæa tamen lacte magis abundat, potissimùm in ramulis: aliquando in foliis non videtur.

Fuchs. & Leonic. labes.

Chamelæa & Thymelæam habent lac. Arabes notantur.

Lacuna tradit Medicos Arabes Chamelæam & Thymelæam vocare Mezereon, hócque confusè diuidere in album & nigrum: hanc enim diuisionem neutiquam competere Chamelææ & Thymelææ, sed sol. Chameleonti.

Gorraus arguitur.

Gorræus in Definit. Medicis *χαμελαία* Offic. Mezereon appellare scribit, verùm non demonstrat, quam plantam intelligat: si vulgarem intelligit, nempe Laureolam folio deciduo, dupliciter errat: quippe hæc nec Chamelæa est, neque Mezereon. Sed quid Cæsalp.? Arabes [inquit] Mezereon vocant omnes has plantas, scilicet Chamelæam, Thymelæam, & ampliùs ipsam Daphnoidem, & fortè Cneorum.

Mezereon multas plantas denotare. Cneorum.

Mezereon Luminare maiori. Brunfelf. error. Circa instans arguit.

Iac. Manlius in Luminari maiori supra Hieram Hermetis scribit: Mezereon i. semen ipsius, [apud Brunfelf. T. 2. pag. 285. malè legitur i. Semen Allii.] quod appellatur Coccus Gnidius. Diosc. Chamelęa, non est semen Laureolæ, vt dicit circa instans, cap. de Laureola. Alexander cap. de Hydrope Chamelęam dicit, ex qua colligitur Coccum Gnidium, esse lacticinium folio Oliuæ, vt est: & propterea multis dicitur Oliuella. Item supra Confect. de Mezereon ex sua inuentione, scribit: Confectio apud nos in vsu est: Mesaliam habet similem: Almezereon vel Mezereon est Chamelęa vel Coccus Gnidius: Auic. c. 4. fen. 6. videtur distinguere: Mesue est planta vocata apud Persas, Rapiens vitam &c. Christoph. de Honestis errauit, dicens, confectionem de Almezereon esse de Laureola. Idem supra Oleum de Mezereo: Mezereon, inquit, est Chamelæa Diosc. Quid multis? miram hanc & discordem barbariem inuexit profectò bene fundatę medicinę, & potissimùm stirpium omnisque materiæ medicæ ignorantissima schola Arabica, quæ vtinam non & hoc nostro sæculo adhuc duraret, cum magno vitæ hominum periculo. Nimirum hic Manlius existimans arti Pharmaceuticę lucem se restituisse magnam, [nam ideò opus suum Luminare maius vocauit] eam ita perplexam & confusam suis ineptis coniecturis & scriptis reddidit, vt potiùs Barbaræ tenebræ, quàm Luminare magnum sit vocanda. Mezereonis folia & Oleum in sua confectione imponit per os exhibenda, cui vel dictu extimescenda fastidiendaque ex Mesue nomina attribuit, ac Lacticiniam plantam esse concedit, interim cęco & periculoso errore nihilominus vult esse Chamelęam Dioscor. quum apud hunc nulla lactis fiat mentio. Et quoniam alios carpit, qui volebant esse Laureolam, ipsum demonstrare par erat, quam intelligeret plantam per Mezereon, quo vtebatur.

Coccus Gnidius vel Chamelaa arguit. Christoph. de Honestis error. Arabum ignorantia & barbaries multas confusiones & obscuritates peperit. Manlius Luminaris autor explosus.

Apollo incrrpatur.

Ex Fr. Alexand. quoque radiato Apolline non possumus intelligere quam plantam existimet pro Mezereone imponendam in Hiera Hermetis & Pilulis, licet de Mezereone multa scripserit, vt in præcedentibus dictum: nimirum maluit tum prudentis quàm scientis aut docentis munus subire, quando tam sollicitè, tam cautè & oppidò circumspectè, ceu Apollinis edicto, promulgat: ei qui omnis inscitiæ & calumniæ occasionem refugit, ac ægri salutem oportunè fuerit cogitat, maturo vtendum esse iudicio. Dictum puta. Id nos antea latebat.

Salutare Apollinis consilium.

Pilula de Mezereo Altomari.

Altomar. de Medend. morbis cap. 91. mirabiliter extollit ac prædicat suas Pilulas de Mezereo, quę, vt ait, serosos purgant humores citra aliquod nocumentum notatu dignum, seque iis intercute laborantes perfectè curasse: confici autem ex foliis plantæ, quam communiter Seplasiarii Mezereon appellant, & propriè eius quam Diosc. chamelæam nuncupat, &c. Verùm insignis Medicus Altomarus nobis valdè imprudenter hic de Mezereo scribere videtur. Mezereon communis vsus Seplasiarus, quantùm obseruare possumus ex plurimis Autoribus, & Herbariis doctissimis, est Laureola folio deciduo, hanc si per Mezereonem intelligit, grauiter errat, dum Chamelęam putatsin intelligit aliam, decuisset sanè tantum virum in tam generoso medicamento graphicè designare quam plantam per Chamelęam intelligat, quod nomen non minùs dubium est, & vagum apud Autores quàm Mezerei: variæ enim plantæ eo donantur. Qui Neapoli degunt Medici & Pharmacopœi rem gratam & nobis & posteris facient, si doceant, qualis herbę Mezerei loco apud eos sit vsus. Sic & ab Antidot. sine Dispensario Italico à Clus. Latinitati donato non doctiores redimus, dum tantùm dicit: Mezereon aut Diosc. Thymelęa, quo nomine aliqui etiam chamelęam complectuntur, vtraque nota: cætera quę addit, sunt ex Diosc.

Altomarus hallucinat.

Mezereon Neapolitanus quod Antidot. Ital. not.

Schwenck. opinio reiicitur.

Nec probamus Schvvenckf. in suo Thesaur. Pharmacentico scribentem, Mezereonem esse Chamelęam Diosc. & Oleastellum: nec indicare possumus, quam plantam intelligat, atque adeò nec ipsum quidem sciuisse facilè patet ex eo, quod priùs de Laureola folio perpetuo dicit: Laureolam, *δαφνοειδὲς* Dioscor. Chamelęa Germ. Pharmacopœorum. Quam igitur plantam assumet imponendam Pilulis de Mezereo ex Mesue? cuius descriptionem ipse Schvvenckfeldius ponit lib. 1. cap. 10.

Alter eiusdem lapsus.

Trincauel. & Foesius accusantur.

Trincauel. lib. 1. c. 19. de Comp. meminit Pilularum Mesuæ ex Chamelæa, quam Mezereon ipse vocat, in suo Grabadin: verùm nec is docet, quam plantam intelligat. Nec Foesius in sua Pharmacop. quicquam docet scribens: Rec. foliorum Mezerei, aut Thymelææ: quasi verò hæc duo sint vnum, aut earumdem prorsùs virium.

Brassauol. in Exam. catapotiorum pro Mezereo censet sumendam Thymelęam, minimè verò Laureolam: in Exam. herbarum scripserat: Nonnullos Mezereon & Laureolam cõfundere, Laureolam lacte carere, Mezereon eo abundare, vt Arabes imponunt: eosdem vno cap. confundere Chamelęam & Thymelæam: iubet suum senem Pharmacopœum ex monte [fortè vrbi Ferrariensi proximo,] colligere Chamelęę folia: Thymelææ

læx autem folia & semina condere: interea non docet quas plantas intelligat: quinimò nec quam Laureolam putet, declarat, quam ante scripserat malè à D. Florentino in Mes. commentanti esse Mezereon.

Cordus, diligentissimus alioqui Scriptor quæ planta Mezerei nomine intelligenda imponendáue sit, non monet.

Fuchs. de comp. med. Pilulas dictas vocat catapotia ex Thymelæa Io. Damasceni. Annotans, Arabes Mezereonis appellatione Thymelæam & Chamelæam confundere. Thymelæam à paucis agnosci: eius semen esse Coccum Gnidium, pro eo tamen officinas fructu seu semine Daphnoidis vti, quod Seplasiariis Laureola nuncupetur: [eam quę fol. deciduo est intelligit] ac eius etiā foliis Germ. officinas vti. Audimus hæc quidem. At his non docemur quid iniiciendum in pilulis pro Mezereone: nec etiam, vt priùs monuimus, Daphnoidem censemus quam ille putat.

Coccum Gnidium.

Et, siquidem Adolph. Occonis institutum, vt ipse ait, fuit, docere, quomodo tutò parari debeant compositiones medicamentorum, eccur non declarauit suis Augustanis quam plantam pro Mezereone sumere debeant?

Fuchs. arguit. Occo sugill.

Apud Cronemburg. de comp. med. multa dicitur de Mezereone, vt ostensum cap. de Laureola fol. deciduo: inter alia dicit, eleganter depingi à Trago vulgarem Mezereonem, [quam alii Chamelæam, alii Thymelæam volunt] sed an ea ipsa, vel qualis imponenda sit, ne verbulo quidem insinuat. Weckerus pro Mezereone scribit Thymelęa: quod nomen cum æquè ambiguum sit apud Autores ac illud, quam velit nemo intelligat.

Cronemb. reprehē.

Ex dictis apparet incertus, temerarius, & periculosus vsus Pilularum de Mezereo. Monemus igitur iuniores, & seniores Medicos, [quibus hominum vita in manu est,] eos præsertim quibus exacta stirpium, & potissimùm eiusmodi periculosarum cognitio non est, [vt sanè paucis est,] vt abstineant ab his Pilulis & similibus medicamentis compositionibusque, quæ recipiunt simplicia pharmaca, ipsis incognita, donec perspecta & probè cognita habeát ea, quæ Pharmacopœi iniiciunt, ne horum vel sua etiam graui ignorantia miseris ægris venena exhibeant pro medicina: & dum sperant ἄκος, iis adferant ἄχος: quod [eheu] nimis crebrò euenit, vti nos multoties sumus experti oueniſſe medicis, alioqui non indoctis, sed imperitis botanicis, vt suâ negligentiâ & imprudentiâ, in præscribendis iis, quæ ne minimo quidem cognita habeant, cùm ingenti infamia decepti, deceperint, ac etiam in funesta pericula coniecerint alios.

Periculosus vsus Pilularum de Mezereo.

Speciatim, vt ingenuè fatemur, Pilulæ de Mezereo non placent, ob adstringentia admixta, qui mos est Arabum pro correctione actium, violentium & malignorum purgantium: idque nostro iudicio contra rationem, atque adeò cæco & periculoso errore. Quod si cui tamen libeat his vti, suaserimus potiùs lubricantibus quàm adstringētibus emendanda esse, probè gnari, quò citiùs è corpore exeant, eò minùs nocitura, quò diutiùs hæreant [nam moram sanè adstringentia faciunt] eò periculosiorem futuram vacuationem simul ac læsionem. Aut si quis etiam Altomari experientiæ tantum tribuens iis vti velit: saltem priùs certior fiat quo Mezerẹo vel Chamelęa is sit vsus, sed eo modo curet præparandam, quo ille præparauit: vel vtatur Chamelæa tricocco Monspeliensi, consideratis iis quæ superiori cap. ex Lob. annotauimus, qualis eius succi inspissati vsus sit apud Monspelienses. Caueant interim à Mesue *Vitam rapiente, viduas faciente, & Leone terræ*, quod nūc semel monuisse sit satis.

Autores planè improbant Pilulas de Mezereo. Arabum cæcus & periculosus error. Correctio Mezerei & malignorum medicam. secundum autores.

Cæterùm Mezereonis nomine, vti dictum, plures plantæ obtruduntur: inprimis Laureola semperuirens & folio deciduo, de quibus paulò antè. Chamelæa tricoccos, ac etiam aliæ plantæ pro Thymelæa vel Chamelęa. Quinetiam Lathyris posset dici Mezereon, quum dicitur Lacticiniorū maximum. Talis enim illa est. Chameleon niger & albus, vt dicebamus, confunduntur cum Thymelæa & chamelæa. Bene igitur nostro iudicio Camer. apud Matthiol. in hist. Germ. ait: non facilè licet colligere, quid Mezereon sit apud Mes. iuxta Græcos medicos, quia dicit habere lac, quod non reperitur nec in chamelęa, nec in Thymelęa, nec in Daphnoide nostrate.

Aequiuocā Laureola folio perpetuo & deciduo.

Quid Mezereon sit adhuc nescitur.

THYMELÆA.

Cap. XLIII.

VEterum placita de Thymelęa & Cocco Cnydio, & quædam in genere præmittamus, antequam de Thymelęa Monspeliaca specialiùs tradamus.

Thymelęam, autore Dioscor. alii Chamelæam, alii πυρὸς ἄχνην, alii κνέωρον [sic cod. Bas. habet: Hermol. fretus autor. Hipp. & Gal. & cod. vet. legit κνέστρον.] aut Cneoron vocant. Ex hoc granum Cnidium, quod semen ipsius est, colligitur. Hoc Euboenses Ætolium [αἰτώλιον cod. Bas. Corn. Apolinon vertit.] vocant, alii Linum, eò quòd satiuo Lino [σπαρτῷ λίνῳ] frutex natura similis sit. Virgas edit speciosas, numerosas, [Vet. addit λεπτάς, tenues.] bicubitales: foliis chamelęę, sed angustioribus & pinguioribus quæ inter mandendū quadantenus viscosa & glutinosa percipiuntur: floribus candidis: ac inter ipsos fructu, ceu Myrti paruo, rotundo, inter initia quidem viridi, tandem verò rubente: cuius inuolucrum durum ac nigrum est, medulla autem alba.

Chamelæa Diosc. correct. Pyrosachne Cnestron. Cneoron.

Folia.

Flores. Fructus, seu granū Cnidium.

Et mox sub finem cap. addit: Nascitur in montosis & asperis. Falluntur qui Granum Cnidium fructum esse putent, per foliorum similitudinem decepti.

Gal. in gloss. κνέωρον exponit τὸ κνέστρον. Plin. quoque Cnestron legit: sic enim habet: in principio cap. 21. lib. 13. Et in quo nascitur granum Gnidium, quod aliqui Linum vocant. Fruticem verò Thymelęam, alii chamelęam, alii Pyros achnen, alii Cnestron, alii Cneoron. Est similis Oleastro, foliis angustioribus, gummosis si mordeantur, Myrti magnitudine, semine, colore, & specie farris, (foris. Vet.) ad medicinæ tantùm vsum.

Cnestrum & Cneorum Galeno. Thymelæa Plin.

Hermol. quoque Cnestron legi vult. & foris pro farris. Liparonis hęrbe meminit Aetius, ex Alexandria sic vocante, quam aliqui Cnestron, inquit, nominant, ad vlcera capitis manantia vehementer vtilis. Nec indicat is autor, qualis ea sit, vtrumúe à Thymelęa siue Cneoro diuersam an eandem putarit.

Plin. emēd. & Hermol.

Liparonis Herba. Aetii.

Recentiores vt pleraque omnia, chamelæam cum Thymelęa, & vtramque cum Daphnoide turpiter confundunt. Theophrast. [inquit Marcell.] Cneoron Thymelæam vocauit, surculosi generis herbam & carnosi folii: quæ in Dioscor. conniciendа magis quàm manifestè intelligenda, siquidem virgas in ea dixit, & Lino comparauit, & folia pinguia gummosáque descripsit: Quod totum

Recentiorum error. Cneoron Marcel. Thymelæa.

Plin. ex Theoph. acceptum eodem loco retulit, similem Oleastro Thymelæam faciens. Theoph. l. 9. Cnidium granum vocauit, Et hæc nominum diuersitas in Theoph. Thymelæa est. Quibus addiderunt alii alia, vocaruntque Pyrosachne ab vrendi vi, quam habet: nec aliud Pyrosachne compositum ex igne & tenui stipula nomen indicat, quàm quod egregiè vrit. Chamelæa eadem dicta fuit, quoniam vt Plin. ait, Oleastro similis sit. Cnestron postremò eandem hanc Thymelæam vocarunt Hip. Gal. & plerique alii. Nobis tamen ignota eius vocis origo & causa. Sed quando Dioscor. Thymelæam λίνῳ σπόρῳ comparat, quærendum Linóne satiuo simpliciter, an surculoso frutici, quem Sparton omnes vocant. Nobis in hanc partem inclinat animus, etsi aliorum Interpretum modo & nos satiuum Linum verterimus: Genistæ enim similior, quàm Lino, ex historia descriptionéque eius videri potest. Vniuersæ plantæ nomen factum videtur ab Olea cui similis est, & à Thymo herba, cuius habet flores.

Cnidium granum Theoph. *Pyrosachne Vnde.* *Dios. illust.* *Thymelæa Vnde.*

Idem Marcell. addit: Præter ea quæ in Dioscor. leguntur, Paulus radicem eius contra sanguinis profluuium commendauit, sapore acerbo: eique malo prodesse potam & foris impositam. Sed vbinam Paulus hoc ait? quod si fecit, confundit sanè cum Thymelæa aliam plantam aliquam: quis rationis compos credat plantam Dioscoridi vrentem, purgantem, stomacho incommodam, vel noxiam, vt vertit Marcell. vtilem contra sanguinis profluuia. Imò ipsemet Paul. lib. 7. Cocco Cnidio fructui Thymelææ tribuit facultatem vrentem & purgantem: & eodem libro paulò post de Thymelæa tradens, ei non tribuit talis modi vim, imò dicit similem grano Cnidio, vt apparet ex verbis à nobis citatis de Grano Cnidio. Neque audiendus Plin. qui Cocco Cnidio aluum sistendi vim tribuit, nisi fortè mendum subsit, legendúmque sit ex Vet. Cod. quod facit Dalech. aluum ciendi.

Pauli inepta opinio, vel potius Marcelli. *Plinius correct.*

Herbarii, inquit Ruell. Thymelæam nunc Oliuellam, vt Chamelæam, nunc Leonem terræ, aut Linum siluestre; granum vocant Cnidium, vel Coccon. Sed docere debuit Ruell. quam plantam per Oliuellam intelligat. Ruellium sequitur Tragaulitius. Syluio Mezereon Mes. Thymelæa est, vt antè dictum c. de Chamelæa. Sed Mes. nomine Mezerei cum Auic. comprehendere videtur & alias plantas.

Oliuella. *Leo terræ.* *Lignum sil.* *Mezereon Mes.*

Thymelææ semen, Authore Dioscoride, bilem, pituitam, aquásque detrahit, si viginti granorum pars hæc interna bibatur: verùm fauces adurit: atque ideò cum farina polentáve, aut in vuæ acino dari debet, aut cocto melle obducta deuorari. Quibus autem ægrè sudores eliciuntur, eadem trita cum nitro & aceto inungitur. At folia, quæ peculiariter Cneoron appellantur, per messes colligi debent, & siccata in vmbra recondi. Sed si cui exhibere placet, priùs ea tundere, ac ipsorum quoque fibras eximere conuenit. Vino diluto inspersa, acetabuli modo aquosa detrahunt: sed moderatiùs purgant, admista lenti coctæ, & contritis oleribus. Eadem trita vuæ acerbæ succo excipiuntur, & in pastillos coacta reponuntur. Herba stomacho infesta: partus subdita necat.

Vires & vsus. *Purgat.* *Sudorifica.* *Cneoron Diosc.* *Præparatio.* *Pastilli.* *Noxa.*

COCCOS SEV GRANVM CNIDIVM.

KNίδι⊙ κόκκ⊙, quod est granum Cnidium Theoph. rotundum est, colore rubrum, maius Pipere, sed multò validiore caliditate. Quare in potu dantes, [exhibent verò ad alui solutionem, πρὸς κοιλίας λύσιν: Gaza Plinii vulgati codicis periculosum potiùs errorem secutus, quàm Theophr. lectionem, nisi fortè ea corrupta fuerit, conuertit: dari enim contra alui solutionem solet.] in pane aut farina subacta obductum exhibent: nam alioqui fauces adurit. Ex quo & Plin. transcripsit: Cocco Gnidio color cocci, magnitudo grano Piperis maior, vis ardens. Itaque in pane deuoratur, ne adurat cùm gulam transit. Huic vis præsentanea contra Cicutam. Sistit [ciet. Vet.] aluum. Dalech. scribit Plinium fœdè lapsum, quod de ipso Plinio dicere non possumus, quandoquidem in Vet. Cod. Plinii legitur ciet, vt ipsemet Dalech annotat: id scribendum erat aduersus Gazam. Qui fieri potest, inquit Cæsalpin. vt quod vehementer soluit, aluum sistat?

Vulgati codicis Plinij, & Gazæ periculosus error. *Plin. excusat' contra Dalech.*

Galeno quoque κόκκ⊙ κνίδι⊙ purgat, facultatisque est acris & causticæ. Et Paulo, Thymelæa ex qua granum cnidium est, similem ipsi [grano] vim habet. Et postea: coccus cnidius, fructus est Thymelææ, non chamelææ, velut quidam putarunt: estque acris ac vrentis facultatis. Potum autem aquam deorsum purgat.

Temperā.

Euchar. Rosslin more suo variarum plantarum nomina confundens, hæc habet: Fellerø halß: zeidelpast: zeiland: *Coccognidium*: *Coccum Gnidium*: *Thymelæa*: *Daphnoides*, *Grana Gnidia*: *Mezereon*: *Laureola*. Pingit tamen Laureolam flore deciduo, sub titulo Fellerßhals.

Euchar. Rosslin confusio.

Gesn. in suo libello de herbis Lunariis: Miror, inquit, quæ granum Gnidium gignit, ignorasse Plinium. An ignorarit Plin. vel non cognouerit Plin. Thymelæam, iudicium suspensum tenemus. Illud scimus, satis manifestè apud eum legi, fruticem, ex quo Granum Gnidium gignitur, appellari Thymelæam, quam etiam sub chamelæa tradit. Rob Const. apud Amatum: cocci nomine, inquit, apud Græcos, res duæ admodum diuersæ significantur. Nam vt Author Galen. in Hipp. κόκκον sine adiectione vocant Granum Gnidium, siue Cnidium, & Granum infectorium. Tamen & separatis distinctisque nominibus efferuntur. Siquidem Gal. apud ipsum Hip. κόκκαλος ex Diosc. [apud quem tamen hanc vocem nondum legimus] exponit Coccum Gnidium: Et per κόκκαλα apud hunc ipsum Scriptorem, idem Gal. intelligit commune granum, hoc est, tinctorium. Idem in Lex. κόκκ⊙ apud Hip. Granum Cnidium, κόκκ⊙ κνίδι⊙ Diosc. & κόκκαλ⊙, fructus Thymelææ: Coccus Gnidius Plin. Item κόκκον apud Hipp. Granum Gnidium.

Plin. not. *Cocci ambiguitas.* *Coccos simpliciter.* *Granum infectoriū.* *Coccalos.* *Coccus.*

Cæterùm Cocci Cnidii nomine, variarum stirpium fructus exhibentur, vt ab Antiquis fiebat, qui fructum Chamelææ malè pro Thymelæa perhibebant, quod hoc & præced. cap. ex Diosc. annotatum. Thymelææ autem fructum ita dici, patet etiam ex hoc & præced. capite: & cap. de chamelæa tricocco, & de Thymelea subtus incana. Quosdam etiam existimare coccon Gnidium colligendum esse ex frutice Laureola folio deciduo, videre est antè cap. proprio. Trago & Dod. κόκκος Theophr. est Tithymalus paralius, de quo alibi. Anguillaræ verò est *Peplis*. Apuleio coccos cnidios est *Lathyris*, aliis *Chamelæa*. Humelb. in Annot. ad Apul. Lathyris, inquit, videtur esse, quæ nunc Cataputia minor. Coccos Gnidios ex Thymelæa propriè est: huc accreuit ista appellatio, quæ causa fuit, vt Chamelæa diceretur. Trag. & Dod. tribuit quoque chamelæoni nigro nomenclaturam cnidii cocci, de quo suo loco.

Acquiuoca Chamelæa. *Laureola folio deciduo.* *Tithymalus.* *Peplis.* *Lathyris.* *Chamelæa niger.*

Digitized by Google

THYMELÆA MONSPELIACA.

Descriptio

Thymelęa Monſpelienſibus dicta, frutex eſt plærumque procerior, quàm chamelęa tricoccos vnum aut duos circiter cubitos altus, odore grauis. Folia per ramos, molliora & acutiora quàm Chamelææ. Flores in virgularum extremis duntaxat aceruatim fert paruos, cādidos, ſuccedentibus eodē ordine baccis: in quibus non obſeruauimus τὸ ἀμεκχὸρ... σκληρὸν ἢ μέλαν, quale Dioſcor. Thymelææ fructui tribuit.

Folia. Flores. Bacca.

Diligentiùs paulò Cluſius ſic deſcribit: Frutex pollicaris interdum craſſitudinis, cubitalis verò altitudinis aut amplior, & in multas virgas diuiſus cubitales pulchras, tenues, rectas: quas ſepiunt perpetuò virentia folia, Lini ferè, ſed maiora, latiora, non obtuſa cuſpide vt Chamelææ, neque adeò fragilia, ſed mucronata, lenta, & gūmoſum quiddam, ſi dentibus atterantur, præbentia: flores fert in extremis virgis copioſos, quatuor foliolis conſtantes, Oleæ ferè ſimiles, candidos, racematim fermè propendentes: deinde fructum baccarum Myrti interdum magnitudine, paulò longiorem, initiò viridem, poſtea Coralli modo rubrum, carne ſucci plenâ Ceraſorum inſtar, ſub qua latet vnicum ſemen, nigra fragilique pellicula, albam & feruidi ſaporis medullam obuoluens. Radix lignoſa eſt & dura, in tenellis plantis Raphani modo efformata, craſſo cortice tecta, ſed quemadmodum tota planta, lento, & admodum tenaci.

Exactior deſcriptio. Folia. Flores. Fructus. Semen.

De hac ipſa ni fallimur, Monachi in Meſ. ſic ſcribunt: Serapioni, Auicennæ, Meſue, Mezereon ſiue Mezerion, magis commendatum eſt Thymelæa, cuius ſemen eſt granum Cnidium ſiue Gnidium, id eſt, Coccognidium, teſtimonio Dioſcor. Gal. & aliorum &c. Non longè ab vrbe, [Roma fortè] vbi maxima copia: incolæ *Tribiſcum* vulgò nominãt, ac in virgis ſiue ramulis viſum lac aſſerunt iidem, vti cap. de Mezereo monuimus.

Mezereon. Coccognidium. Tribiſcus.

Videtur quoque eſſe Thymelæa Bellon. quam ait prouenire cum Chamelęa in Cretæ monte Ida, vulgò dicto Ptiloriti.

Thymelæa Bel.

Quæ Matthiol. in ſuis com. in Dioſcor. de Thymelæa prodidit, retulimus ſub Chamelæa incana: vbi ait vocari Piper montanum, nec interim deſcribit plantam: iconem quidem proponit, quæ repræſentare videtur, vt dicebamus, Thymelæam Monſpeſſulanam, exceptis fructibus tricoccis, ſecundum ramos ſparſis, qui ſunt Chamelææ Monſpeſſulanæ: flores etiam per ramos ſparſi non conueniunt cū Thymelæa Monſp. quæ eos in ſummitate gerit: vt meritò nobis ea icon à Matth. efficta videatur ex duabus illis dictis plantis, & neſciuiſſe quid ſcriberet, vt manifeſtè apparet, quòd in com. Lat. & Ital. cum magnis fig. eam reiecerit ſubſtitutâ aliâ nouâ, multùm à priore differente, [quam tamen & in epit. ſua retinuerat] in qua fructus ſingulares per ramos ſparſi, quam figurā itidem fictitiam cenſebimus, donec aliquis ſimilem nobis plantam oſtenderit.

Piper montanum. Matth. fictitia icon. Matth. inconſtantia & figmentum aliud.

In hiſt. Germ. eandem habet iconem ſub titulo Bellerſhalß / Zeiland / *Thymelæa, Granum Cnidium, Coccum Cnidium*: nomina autem Germanica ſunt Laureolæ fol. deciduo: florem ait album aut carneum, qui colos conuenit quoque eidem Laureolæ.

Camer. reiectis Matth. [quem alioqui ſequi magna ex parte conſueuit] iconibus in epit. eius, & in hiſt. Germ. reponit iconem genuinam Thymelææ Monſp. ac dicit: fructum ſiue baccas dici propriè Coccum Gnidium, licet ita denominetur vulgare Bellerßhals, qua occaſione & Matth. denominarit hanc plantam Bellerßhals.

Caſp. Bauhin. apud Matthiol. poſuit iconem falſam ex Tabern. in qua pro baccis tricoccis per ramos ſparſim appicti fructus ſimplices.

C. Bauhin. not. Tabern. figmentum.

Pictura n quam antè diximus Matthioli non eſſe veram, apparebit etiam ex ſeq. Maranthę verbis, lib. 1. cap. 8. Meth. ſuę ſic ſcribentis: Cneorum Theophraſt. per quod Thymelæam & Chamelæā intelligit. Et lib. 2. cap. 15. In Thymelææ hiſtoria ſummi Viri prolapſi ſunt, cum fructus inuolucrum cum Dioſcor. dicat foris eſſe nigrum, intus album: illi nigras baccas per maturitatem in Thymelæa quæſiuere: non animaduertentes ibidem Dioſc. Thymelæam fructu Myrti depingere, qui inter initia viret, & tandem rubeſcit: vnde plantam quandam nigro fructu pro Thymelæa oſtendunt, quæ tamen ipſa non eſt, licet ei congenerem eſſe negari non poſſit, tum ob foliorum & ramorum ſimilitudinem, tum etiam ob eaſdem facultates. Sed veram Thymelæam vidimus nos vberrimè prouenire in campis inter Caietam & Fundanum oppidum, in maturitate rubicundos fructus ferentem: vidimus etiam in Apulia prope Barum: & in Sicilia nuſquam non. fructus autem, & flores in ſummis virgis racematim proueniunt, non, vt pictura Senenſis oſtendit, per virgas ab infima earum parte ad ſummum. Verùm quod in hoc erratum præclaros hoſce viros induxit, inter alia eſt minùs proba Græcæ dictionis verſio: nam vbi habet Dioſcor. τὸ δὲ ἀγγεῖον ... σκληρὸν ἢ μέλαν, τὸ δ᾽ ἔνδον λευκόν: ita verti debet: fructus inuolucrum durum & nigrum, pars autem interior alba: non, vt omnes ferè interpretantur, inuolucrum fructus durum, foris nigrum, intus album: quia illa dictio, foris, non eſt in Græco: neque per pericarpium intelligere poſſumus carnem fructus exteriorem: quia illa rubicunda eſt, & tenera: hoc autem Dioſcor. vult eſſe durum & nigrum, ſed intelligemus nucleum carne nudatum, &c.

Cneorum Theophr. Vera Thymelæa. Matth. carpitur. Dioſc. ...

Amatus notat Hiſp. dici *Thorniſco*: Ital. *Pepe montano*: Gall. *Lin ſauuage*: Germ. Bellerßhals, ſed nec nomen Italicum, nec Gal. nec Germ. placet. Placet verò ibidem ex Dalechamp. figuris apponi Thymelææ Monſpeſſulanæ iconem.

Erroris occaſio. Amatus reprch.

Lacuna, qui falſam figuram Matth. habet ait Caſtil. *Torniſco*: Portug. *Trouiſco*: Ital. *Treuiſco* dici: Piperis verò montani nomen omittit.

Lonic. quoque fictitiam Matthiol. figuram habet, cui tribuit nomina Bellerßhals aut Zyland / aut Zebaſt: addens Thymelææ Dioſcor. deſcriptionem in omnibus conuenire cum Germano-

ram Kellerßhals, se aliis suam opinionem de Daphnoide relinquere, cum eo non conuenire. Sed facilè imperitiam suam in re herbaria prodit, quando iconem Matthiol. quæ nihil habet cum Kellerßhals siue Laureola folio deciduo commune, etiam pari ineptiâ ponit sub nomine Seidelbast, assumpta Chamelææ Matthiol. icone.

Tanicere geminus error.

Gesn. vt suprà dicebamus, miratur Thymelæam suffruticem, qui granum Gnidium gignit, quámque in Gallia vidisse ait, & in Italia nasci, ignorasse Plinium.

Dodon. Thymelçæ fructum similem dicit spino albo, vbi maturuerit, rubro, & in eo granum album obductum pellicula nigra, feruidum & vrens linguam: hanc stirpem non amittere folia, sed semperuirentem remanere: grana eius κόκκος κνίδιος Offic. incognita esse. Hæc in Hist. Gallic. In Dutch. & Theophr. κνέωρον à Thymelæa differre, nisi nigrum Cneoron Thymelæa sit.

Thymelæa Dod. est semper virens.

Cneoron.

Pena & Lob. cognatæ figuræ & naturæ dicunt Chamelæam & Thymelæam, quam dictam æstimant quasi Tithymelæam, id est, Tithymali & Oleæ mixta facie: Corticoso describunt amictu, tenaci, cinereo, à summo ad imum deglubenti sequaci, instar Laureolæ corticis: grana Antiquis Gnidia vocata, nouena aut dena, primùm viridia, deinde ex flauo rubentia, tenella cuticula, succo aqueo turgida, vnum gygartum amiciente.

Thymelæa Gnid.

Perperàm edoctus [addit idem] cum Pharmacopœorum plebe Commentator [Matth.] qui hanc non nouerat. Mezerei Germanici granum feruidius multò & planè crustas inurens, tum foris, tum intus nobis, quâ solet fiduciâ, sigillatâ tum Dioscor. tum Recentiorum omnium Doctorum sententiâ temerè obtrusit. Nam non coccum ipsum rubrum dat, aut purgare asserit, cui vnà [album] nuncupat, vim deiiciendi attribuit, & abundè explicat, vt ex eius verbis liquet. Vnde nec ipsas plantas, nisi superba animi inductione à Senensi insertas, & codicis Dioscoridei, nulla nisi triuiali lectione, cuius tamen admodum accuratum vindicem se fore voluit videri initio, assertas, magno multorum detrimento, qui illius freti commentis ad Hydropem sunt vsi, rati esse Dioscor. veras Thymeleas, Chameleas, Daphnoides, & Chamædaphnes, quarum nullam nec legendo quidem, nedum facie, vel viribus cognitam habuisse tantùm luatorem Senensem, cuilibet vel Pharmacopœo iam liquet.

Matth. reprih.

Matth de sibe inco. gnitis scribit.

Clus. huic omnia prisca nomina, quæ apud Veteres leguntur attribuit, eandem sine dubio cum Veterum Thymelæa faciens, quod vt temerè negare nolimus, ita etiam pro indubitato habere nondum ausimus. Casp. Bauh. existimat chamelæam Anguillaræ eandem esse cum ea de qua hoc loco agimus: quod nec ipsum adhuc pro certo asserere velimus: ait enim folia infernâ parte alba, quod non obseruatur in Thymelæa Monspessulana: fortè meliùs respondet illius Thymelæa.

Chamelæa Anguil.

Irradiemur parumper Apollineis Fr. Alexandri radiis. Is inter alia hæc habet.

Quandoquidem Chamelæa Apulis Græcísque cognita, suffruticem æmulatur, ramos tenaci viscidóque libro conuestiens, Oleaginis foliis exiguis, tenuibus, duriusculis, floribus candidis, in surculorum cacumine aggestis, è quibus nigræ bacculæ exteriùs, carne videlicet nudata semina Berberorum instar, Myrtorum figurâ, & rubentia continentes, radice inutili, foliis, floribus & fructu amaris, acritérque fauces vellicantibus. Thymelæa, è qua granum Gnidium, Chameleę simillima, hoc tantùm differt quòd virgis bicubitalibus, rectis, ab vna radice multis, non surculosis: nec fructu ab imo ad summum, vt Matth. fallitur. Foliis angustioribus constat, pinguioribus, viscosisque, radice cubitali & crassa, Raphani magni instar, cortice crasso vestita, & venenata. Granum verò Gnidium Theoph. lib. 9. cap. 22. Piper montanum appellari potest. *Huc vsque radiat Apoll.* Verùm nihilò clariùs videmus quid velit per Chameleę duplicem plantam, quæ baccis est Thymelææ creditæ, [id est, nostro iudicio, Laureolæ folio deciduo] quæ montanum Piper vulgò dicitur: præterea non intelligimus, quantùm ea Apollinis planta differat ab illa Thymelæa credita. Præterea si ipse veram Chamelæam tradidit, cur alterius meminit, nempe Apulorum & Græcorum, quam descripsit ex Anguill. sicuti etiam Thymelæam Raphani radice, quæ fortè, vt antè dictum, eadem cum nostra Monspeliaca. Rogamus peramanter peritos Botanicos Italos, vt nos ex his Labyrinthis extricent, quòd erit illis facile.

Thymelæa forte species.

Thymelæa.

Matth. not.

Piper montanum.

Apollo Sacrie reprehensus.

Cæsalpin. Thymelææ folia mediâ quadam magnitudine dicit inter Oleam & Linum, dura & fauces exurentia. Baccas oblongas, tenuiores Myrto, flauescentes ex rubro, semine intus nigro, sed medulla candida & oleosa: radicem crassam. Dioscoridis & Plinii Thymelæam dicit, dubitátque an etiam sit Chamelæa granum Cocci ferens. Idem Coccum Cnidium vocat colore Croci. Hist. Lugd. Thymelæam [inquit] hic appinximus. Mezereon quidem ille [Matth.] Germanicum potiùs, eiúsque semen Piper rusticum seu montanum appellatum, quàm Thymelæam veram eiúsque granum Cnidium nobis proposuit. Geminam Thymelæam descripsit Dod. & Clus. *Hac illa*, quæ tres figuras habet: poterat sufficere vna.

Thymelæa Cæsalp.

Chamelæa.

Matth. not.

Camer. Thymelæam foliis Lini vocat.

Cæterùm præter Thymeleam Monspeliensem, de qua longa & satis tædiosa hac narrationis serie agimus, aliç sunt etiam plantæ, quæ id nomen obtinuêre: vt *Sanamunda glabra* existimatur Thymelææ species, quæ sequetur. Quæ sit Thymelæa minor Cordi nondum nobis constat. Quapropter antea cap. peculiari de ea egimus, eidem capiti obscuram historiam Tragi de Thymelæa subiungentes, *Chamelaam Anguillara* quidam Thymeleam existimant, quod asserere non audemus, vt antè dictum. *Cneoron suffrutex* Matth. à quibusdam Thymelææ species existimata ob foliorum quandam similitudinem: destituitur tamen acrimoniâ. De eâ priùs, *Tartonraire* siue *Sanamunda prima Clus.* Thymelææ congener existimatur. Item, *Sanamunda eiusdem secunda*, de quibus paulò pòst. Item *Sesamoides minus Dalecham.* siue *Sanamunda tertia Clus.* Multi Laureolam folio deciduo malè existimant Thymelæam. Sunt qui Laureolam folio perpetuò virente eandem cum Thymelæa Tragi existimant, quod nobis non videtur.

Aequiuoc.

Sanamunda glabra. Thymelæa minor Cordi.

Cneoron suffrutex.

Tartonraire. Sanamunda. Sesamoides Dalech. Laureola vtraque.

Scribit Adolphus Occo supra Hieram Logad. non multùm peccaturum, qui Lathyridis grana pro Thymelæa acceperit. Idem præterea dicit: pro semine Thymelææ se Laureolæ Germanicæ, quam Zeiland vocant, accepturum: Thymelæâ enim & Chamelæâ Germanos carère.

Substituta.

Thymelæa non modò in Galloprouincia & toto Narbonensi littoreo tractu, sed etiam Italicis montibus longiusculè à mari Tyrrheno dissitis, vt sunt mons D. Iuliani, & Pisani Lucenséque col-

Locus.

colles, vbi nusquam Chamelæam vidimus. Quin etiam in Occiduo Oceano Galliæ Xantonicæ ad Rupellam insulam, *des Ratz* vocatam, id est, murium. Lob. Clus. per totam Hispaniam locis asperis nasci tradit. Floret Iulio, & toto nonnunquam Autumno, seménque subinde profert. Camer. circa Neapolim ad vlnæ vnius & semis crescentem obseruauit. Talem & nos copiosè circa Monspelium.

Tempus.

Vires & Vsus. *Modus eliciendi succum.*

Thymelææ succus, inquiunt Aduers. difficiliùs premitur & elicitur quàm Chameleæ, propter glutinosum virus: nec nisi tepente affuso vino, aut consimili quopiam liquore, vt factitant dum succū Brassicæ marinæ educunt, quo quilibet vti poterit, eo modo quo & de Chameleæ succo dictum est. Tunduntur tenella folia, flores, & diu, & vehementer, sæpiúsque tantillum tepentis vini affunditur inter tūdendum: tunc prælo ligneo vehementiùs vrgentur, dum trans colum expiret: tunc igne lento aliquandiu bullit, dum Loch crassitiem assequatur. Demúmque Soli feruido obiectum durescit, addito Sacharo, ne mucescat, sicque coctum reconditur. Cortices Thymelææ seruiunt pro ligandis scopis & fasciculis. Fructu maturo rubro Perdices & aniculæ auidissimè vescuntur. Rustici Hispaniarum singulis annis propè infinitas auiculas hoc semine curuatis virgis & quibusdam lineis dispositis venantur, testibus Amato & Clusio. Cauet Camer. ne quis radice vtatur, quia paucis horis perimat. Thymelææ vires ex Veteribus antea diximus.

Animalium.

Radix venenata.

SANANVNDA GLABRA.

CAP. XLIV.

Descriptio



FRutex quē in tractu maritimo Narbonensi, prope Agdes oppidū collectum hoc nomine donare placuit, Lentis & obsequiosis est ramis, cortice tectis flauescente, in fila Mezerei Germanici in morem ductili: per quos agminatim conscendunt folia crebra, Myrteis similia, vnciali plùs minùs lōgitudine, vix semunciam lata, in acumen desinentia, glabra: è quorum sinu, per integrum ferè ramum flores oblongi, parui, ex luteo herbacei, quatuor foliolis decussatis constantes. Succedit granum rotundum singulare.

Folia.

Flores.

Granum.

Eadem nostro iudicio videtur planta, quam inter siccas nostras inuenimus à Valerādo Donrez: radice dodrantali, digitalis crassitudinis, foris fusca, intus candida, lenta, & Xyli instar quodammodo in fila ductili, quemadmodum cortex Mezerei Germanici, siue Laureolæ folio decidui: infima parte in fibras crassas finditur. Superiùs itidem in capita multa diuiditur, è quorum vnoquoque ramus exit palmaris circiter & breuior [tenellus, vt apparet, & primulùm se renouans] foliis ornatus positu & formâ foliorum Sanamundę, qualia appinguntur Alypo Matthioli, vel etiam Apio primùm prouenienti, vt à Dod. pingitur.

De hac planta, ni multùm fallimur scribit Hist. Lugd. hoc modo: Fruticem & iconem ex Hispania misit Myconus, quem Thymelææ speciem esse suspicatur: folia Myrti: flos luteus: radix crassa: cortice à nigro ruffescente, crassitudine pollicari, flexili gustu valdè ingrato, cum acrimonia, amaro, & fauces abradente. Totius fruticis odor grauis & sapor insuauis. In Hispaniæ Monteserrato & locis vicinis frequens, & Catalonis Arragoniæ finitimis. Hispani agricolę vocant *Herbam de Monteserrato*: Catalani *Brisalagiam & Ctegegato.*

Thymelææ species.

Sapor. Locus.

Casp. Bauhin. in Animadu. in Hist. Lugd. Thymelææ speciem dicit, & describi Myconi verbis: sed proponi aliam ex Clus. Sanamundę primæ nomine. Nobis verò Thymelææ hæc species diuersa est à Sanamunda Clusii, ideò prudenter Hist. Lugd. vtrámque posuit descriptionem & dixit, videtur: nihil temerè afferens.

Sanamundam igitur hirsutam planè aliam plātam ab hac glabra censemus, de glabra & Matth. scripsisse suspicamur in hæc verba: Tithymalo Paralio similis planta, quæ in Hetruria vulgò appellatur *Herba mora*: cuius radicibus priùs contusis, ac deinde fluminibus demersis pisces protinus enecantur. Sed caret hæc lacteo succo: quapropter eam inter Tithymalorum genera iam non esse annumerandam cognoscimus, etsi aliàs aliter sensimus, quòd aliis notis neglectis, Lini folia viderentur & caules subrubentes. Si hæc defuerit, Platyphylli radices sumunt, quo vniuersa regio scatet.

C. Bauhin.

Herba mora.

Substitut.

Mycono autore, vis purgatoria ei vehemens, & quàm in Chamelæa valentior: nam drach. dimidiæ pondus potentissimè aluum soluit: & aquas potentissimè vacuat, non sine terminibus & magno cruciatu. Datur in iure aut vino. Hoc remedio Hispani agricolæ vtuntur.

Purgandi vis violenta. *Dosis.*

TARTONRAIRE MASSIL. SANAMVNda I. Clus.

CAP. XLV.



VOCANT Massilienses, apud quos vber eius prouentus, Tartonraire suffruticem quēdam cubitalem, valdè ramosum, radice nitentē albā actā, crassā quem cortex tegit, mirè obsequiosus & lętus: in minima stamina non sine floccis quos lanam dicas carptam, ductilis, quali etiam cortice vestiūtur rami, sed superstrato denso tomento albido, & quasi argen-

Descriptio

Radix.

Folia. teo. Folia numeroſiſſima, Myrti Tarentinæ magnitudine, niſi quòd per extremum ſunt paulò latiora, in acumen tamen obtuſiùs deſinentia, vndique lanuginoſa, & tactu mollia, albida vel argentea, lucida: inter quæ *Flores.* flores exeunt, Oleæ ſimiles, ait Cluſ. oblongi, in quatuor foliola per extremum diuiſi colore luteo. *Fructus. Sapor.* Fructus [quem ex relatu accepit] Thymelęę ferè, ſed nigricante colore.

Idem Cluſ. folia carnoſa dicit, aliquantulùm hirſuta, gummoſa, ſi mordeantur amara initiò, deinde acria & adurentia. Ramos cortice exteriore nigreſcente obduci, alio interiori lento.

Tartonraire Lob. Quoniam verò Lob. Tartonraire ſeparat à Sanamunda Cluſ. lubet eius deſcriptionem hic ſubnectere, quæ eiuſmodi eſt. Noua noſtræ ætati iuxta ac elegans aſpectu fruticat: virgas edit rectas, craſſiores, vicenas, tricenas, aut plures, cubito longiores, incana lanugine obſitas: foliis candidis, nitentibus: floſculos in ſummò puſillos, & [ni labat memoria] pallidulos ex albo, *Semen. Radix. Sapor.* ſemine pullo, rotundo, Arthemiſiæ aut Ambroſiæ. Radix prolixa pedem, ſimplex, cortice albicante foris, intus candida, lineo aſpectu & fibris dura, lignoſa, guſtu non admodum calida, nec amara, nec ingrata, nonnihil tamen caloris impreſſi poſtremo relinquente, & quadantenus Turbith Alexandrinum ſiue vulgare referente, inodora, tota lactis expers.

Seſamoides maius quorundam Hiſt. Lugd. Locus. Deſcriptio. Permulti, inquit, Hiſt. Lugd. opinantur Seſamoides maius eſſe eam herbam, quæ in tota ora Maſſiliæ & Liguriæ, Corſica ac Sardinia gignitur, illicque vernacula lingua *Tartonraire* appellatur. Eadem ſic depingit: Fruticoſa eſt, pede non altior, radiculis ſubflauis, gracilibus, tenuibus, ſi totam ſpectes plantam, ſuperuacuis: ramis multis, rotundis, denſa lanugine villoſis, ſurculoſis: foliis Rutæ ſimillimis, numeroſis, hirſutis: candidis: flore in ſummis ramis copioſo, exiguo, candido, denſiùs congeſto, intra lanuginem delite- *Semen. Sapor acerrimus.* ſcente: ſemine paruo, nigro, guſtu tam feruido, vt ſi quis herbam mandat, diutiùs ardere fauces videantur, tam pertinaci vredine, vt nulla oris collutione deleri poſſit. Minor ſanè eſt in Chamelæa, Thymelæa, Laureolæque generibus acrimonia, ac vrendi vis, quàm in hac planta.

Porrò quod pede non altiorem dicit, puſillas tantùm aut vidiſſe aut habuiſſe Hiſt. Lugd. Autorem oportet, nam & cubitales habemus, & eas quidem non integras. Sunt nobis & pede bre- *Hiſt. Lugd. fallitur.* uiores, ſed non tenuibus radiculis. Idem fallitur dum putat Sanamundæ tertium genus Cluſ. de *Alter eiuſdem error. C. Bauh.* quo paulò pòſt: noſtro autem iudicio eſt Cluſii Sanamunda prima differens à Thymelęę ſpecie Myconi, in quo à D.C. Bauh. diſſentimus vtramque plantam vnam eandémque putante.

Tartonraire vnde. Pena & Lob. tradunt *Tarton-raire* dici Galloprouinciæ & Maſſilienſibus, ab exuperanti purgandi vi, ob eandémque cauſam *Mierdacruz* Hiſpan. dici Cluſ. Autor eſt. *Mierdacruz.*

Seſamoides maius Scalig. Lob. not. Seſamoides maius Scaligeri, vt vult Lob. de quo tamen apud Scalig. aliquid legiſſe non meminimus.

Nec placet icon Lob. qui non agnouit *Tartonraire* idem eſſe cum Sanamunda Cluſ. qui probam iconem habet, qualem & nos proponimus.

Chamelæa Solerio. De hac planta aliquando ſcripſit Solerius hæc verba: Chamelęa, Maſſilitanis & Beterrenſibus [qui *Berro* & *Barſegne* locum vocant, vbi prouenit] dicitur *Tarton-artayro*, id eſt, *tardè aluum lubricans*: Arelatenſibus *Retumbet*: Aquaſextianis, *Herba-luarino*, Montanis *Buclli*, haud procul a Ni- *Tarton-artayo. Retumbet.*

cea *Reniro Patous*. Semina quoque ab inſigni Medico Belgiæ D. Iac. Vtenhouio, cùm eſſet in Gallia Narb. *Retumbet* nomine nobis miſſa. Neapoli *Sporchina Gallina* dicitur. Iac. Rainaudetus Pharmacop. nobis miſit hunc fruticem in littore maris Maſſiliæ natum, ſcribens *Tart en rayre* ibidem vocari, quòd aluum mirificè ſoluat. *Sporchina Gallina. Etymon illud.*

Locus. Circa Maſſiliam locis ad mare deuexis, præſertimque collem vulgò *Mont-round* vocatum, ſqualidum, aridum, glareoſum, plurima fruticat, vt ante nos Lobelius annotauit. Nihil iucundius aſpectu quàm colliculi aut areolæ argenteo huius herbæ nitore veſtitæ. Neapoli quoque nobis miſſa. Frequens quoque, inquit Cluſ. regnis Granatenſi & Valentino, in apricis & Sole illuſtratis locis. Verno tempore floret, hoc eſt, Martio & Aprili. Aeſtate fructum perficit. *Tempus.*

Vires & vſus. Folia ſunt adurentia, vti dictum: ob purgandi facultatem ruſticis Hiſpanis magno in vſu. Sed effrenis & exuperans eius purgandi vis, inquit Lobel. non rarò Dyſenterias fluxúſque immoderatos accerſit. Præſertim ſi quis minùs peritus, huius folia in puluiſculum reducta, vel quopiam liquore diluta, propinarit: vt factitabat ille necator Tonio, qui nobis primùm eam, eiúſque vires, vt dicebat arcanas detexit. Hodie impoſtores, *Impoſtoris fraus detegitur.* ac quidam ignari, notante Dalechamp. quanta ſit huius plantæ vis, & corporibus noſtris noxia, ex vino albo, vel Cicerum decocto, vel elixæ carnis iuſculo bibendam propinant drach. i. vel ii. in validiſſimis naturis, tanta purgandi poteſtate, vt ſæpè ob hypercatharſim ſanguis erumpat. Educit autem ſic ſumpta bilioſa, pituitoſa, aquoſa, id quod & Dioſc. teſtatur de ſuo Seſamoide: vt mirum non ſit, eodem teſte, in Anticyra dictum olim fuiſſe Elleborum, admiſceríque ſolitum potionibus ex Veratro albo paratis, vt faciliùs & citiùs Veratrum, quod vomitiones magis ciet quàm deiectiones, aluum commodiùs detraheret. Hoc *Elleborum Veterum. Elleborum Theophr.* idem Dalechamp. Elleborum ſuſpicatur, quod fructum Seſamo ſimilem edere Theophr. ſcripſit, quo in Anticyra purgationes fiebant. Quanquam non ſolùm fructu, ſed etiam radice vtile eſſe ſcribit: quod negat Dioſc. qui radicem ἄπρακτον, id eſt, imbecillem & inefficacem, ſeu ignauam, ſuo Seſamoidi maiori tribuit, ſeminíque purgandi vim, quam etiam foliis & ramulis ineſſe experientia docuit.

SANAMVNDA II. CLVS.
CAP. XLVI.

Deſcriptio. TArtonraire affinem fruticem Sanamundam fecit Cluſ. quem & circa Calpen, vulgò *Burhalaga.* Burhalaga appellari ait, altitudine cubitalem, ramis lentis, flexilibus, carnoſo & denſo cortice intectis, qui [ſublatâ exteriore cute] per totam plantam, præſertim circa radicem, Lini aut Cannabis modo in fila diduci poteſt: ſuperiore ramuſculi denſi-

rati

rum, confertorum, lanuginosorum, & veluti tomento quodam obsitorum foliorum comam pariunt, superiore minorum, & mucronatorum, falsi nonnihil gustus, sed deinde acris & calidi. Exornatur hæc coma flauescentium flosculorum Oleæ similium numerosa sobole. Radix crassa & lignosa superiori similis est. Eius fructum obseruare non potuit: quandoquidem Febr. florentem inueniebat petroso & salebroso loco, maritimis Bœticę inter Calpen & Estepona, montibúsque Granatę proximis.

Folia. Sapor. Flores. Radix. Tempus & Locus.

Granatensibus Mauritanis Samundam vocari ait, apud quos purgandorum corporum gratiâ frequenter vsurpetur. Drachmæ enim pondere cum decocto Cicerum sumptam, mirificè purgare per inferiora. Circa Calpen verò nullius esse vsus, præterquam ad excalefaciendas fornaces.

Sanamunda. Vsus. Purgat.

SESAMOIDES PARVVM DALECH. Sanamunda III. Clus.

CAP. XLVII.

Descriptio

Concinna est planta, ramis crebris, lignosis, inconditis, inque fili tenuitatem tandem abeuntibus donata, quos farctim densa, candida, cineracea lanugo obuoluit, quæ in maioribus virgis parcior. Folia confertissima ramulis sine pediculis hærent, Thymi aut Vacciniæ palustris, acuminata, infernâ parte rugosa, virentia & in sicca nigrescantia, glabra, superna verò [qua parte contrahuntur & velut alueolum efficiunt] tomento albido penitùs obducta.

Lanugo. Folia.

Clus. sic describit: Sanamunda 3. duas priores magnitudine excedit, candidioribus & multò lentioribus virgis, quarum cortex supra modum lentus est, & frangi contumax. Extremi ramuli frequentes, & ferè omninò tomentosi, procumbētem comam habent, & frequentibus foliolis obsiti sunt, carnosis, paruis, Semperuiuo minori Dioscor. quod nonnulli *Illecebram* vocant, valdè similibus, vrentis etiam facultatis. Flores superioribus similes, interdum herbacei sunt, aliquando pallentes. Sed neque istius fructum obseruare licuit. Floret autem cum superioribus. Quo porrò nomine vulgari appelletur, ignorare se ait. Similem autem fruticem siccum ad se aliquando misisse C. V. Alfonsum Pantium, Med. & Prof. Ferrar. & Cortusum Patauinum, hic quidem Ericæ Alexandrinæ nomine, ille verò Cneori. Verùm Cneori, an alio nomine Veteribus descriptæ sint hæ stirpes, aliis iudicandum relinquit. Certum tamen esse dicit Thymelææ congeneres esse, & iisdem facultatibus pollere. Nos Sesamoides minus Dalechamp. idem existimamus cū Sanamunda 3. Clus. de quo sic tradit Hist. Lugd. Sesamoides minus quidam nominant, non ad Dioscor. quidem historiam referentes, sed ad Sesamoides maius multorum Dalechamp. [siue *Tartonraire* & Sanamundam 1. Clus.] cum quo cognationem habet originis, saporis, facultatis catharticæ. Quidem Phacoides volunt esse Oribasii, ob foliorum cum Lente similitudinem. In maritimis, vt & alterum prouenit, sed Corsicæ magis quàm Galliæ, Liguriæue: caule pedali, in ramulos plurimos & graciles diuiso, lanugine molli vestitos superioris modo: foliis numerosissimis, minimis, lætiùs virentibus, Lenticulæ similibus, circa ramos densissimè coaceruatis, vt ramorum conspectum adimant, Aizoi acris specie: flore copioso, tenui, candido, per totos ramos foliis interspersо, suauissimi odoris, nec moscho dissimilis, & quasuis acres plantas superantis. Purgat, & eosdem humores educit, quos Sesamoides maius: sed laboriosius, præsentioréque nimiæ vacuationis discrimine. Eius tusæ ac cribratæ drachmam ptisanæ immixtam sorbendam dedit Dalechamp. cuidam neruorum distentionibus laboranti Lugduni in valetudinario, cui non segniùs aluus deturbata est, quàm si Colocinthidem sumpsisset, restitutáque sanitas. Suspicamur eandem Hist. Lugd. huius aliā habere descriptionem & iconem nomine Cneori nigri Myconi, de qua scribit: Plantam, *Pala marina* vulgò dictam à Barcinonensibus, ad nos misit pro Cneoro nigro depictam & descriptam, his ferè verbis: Frutex est duorum cubitorum altitudine cùm multùm adoleuit, caule rotundo, flexili, aliquantùm aspero, & ferè nodoso, qualis in Aizoo foliis detractis cernitur ramulis multis similiter nodosis brachiato, in quibus folia minuta, perpetuò virentia, quæ quò fruticis summitati propiora, eò minora cōspiciuntur, vt quæ in summitate sunt, Cupressi foliis similia sint, paulò tamen latiora: omnia nonnihil crassa sunt, carnosa, incana, caulem complectentia. Flores in viridi lutei: radices crassæ, digitales, lignosæ, albo cortice vestitæ satis in terram descendentes. Totus frutex, & maximè cortex manu tritus, grauis est odoris: sed vigente canicula folia si confricentur, Zibeti odorem quadantenus spirant. Barcinone nascitur locis arenosis, & maritimis, aut non multùm à mari distantibus. Floret Autumno, & floris prouentum ad Maium vsque producit, foliis aliis decidentibus, aliis renascentibus. Foliorum sapor cum fervore subastringit. Fotu huius herbæ hæmorrhoidum inflammationem sedari asserunt: quod & suffitu præstatur. Hanc plantam Cneori descriptioni à Theophrast. traditæ optimè quadrare putat Myconius. Ea esse videtur, quam lib. de Catharticis nomine Sesamoidis minoris depinximus. Clus. Sanamundam 2. fecit. *Hæc Hist. Lugd.* At nos non secundam, sed tertiam Clus. Sanamundam censemus.

Sanamunda 3 Clus. Cortex. Flores. Erica Alexandrina. Cneorum. Thymelaæ congener. Sesamoides minus Dal. Phacoides Oribas. Locus. Vsus. Purgat. Dosis. Neruorum distentio. Cneoron nigrum. Pala marina. Radix. Zibeti odor. Locus. Tempus. Sapor. Sanamunda 2 Clus.

Cæsalpin. quoque de hac eadem, ni fallimur scribit: Cneorum Hispani milites *Mictam* vocant, quia eius rami siccati ignem conseruant, ideò ex his funiculos parant ad tormenta bellica igne exoneranda: appellant autem hos funiculos *Miccias*. Frutex est in maritimis circa Plumbinum, multos spargens ramos, valdè obsequiosos: foliolis breuissimis totos surculos conuestientibus; modo Cupressi, crassis, supernè candicantibus; infernè viridibus. Floret in autumno, & per totam hyemem: flosculi sunt Thymelææ, inter folia, exiliores, & in medio lutei: fructus quoque similis, tenuior, nigro semine. Radix ramosa & obsequiosa, sed gustum non mordet. Eadem in insulis,

Cneorum Cæsalpino. Miccia. Funiculi bellici seu sclopetarij. Flores. Fructus. Radix.

odorata & candidior. Theoph. Cneorum appellat: eius duo genera, candidum & nigrum &c. Plin. Casiam à Latinis appellari testatur. *Hac Cesal.* Quamuis autem ex Clus. Myconio, Dalecham.& Cæsalp. descriptæ plantæ vnam eandémque stirpem denotare videantur, nondum tamen illud pro certo asserimus, cùm hanc plantam integram & in suo natali non viderimus. Malumus igitur de non probè cognitis iudicium suspendere, quàm temerè aliquid, quod quidam faciunt in suis Animaduersi. pronuntiare.

Varietas. Cneoron Theoph.

Sanè si diligentèr consideremus descriptiones allatas, quædam dissona deprehendemus, & maximè in Myconii & Dalech. & potissimùm quoad vires & icones. Multi & peritissimi Botanici circa similitudinem decepti sunt, præstat ergo occasionem præbere diligentiùs inquirendi, quàm posteritatem decipere non sine graui periculo.

Autores de non visis aut non probè cognitis non temere pronuntient.

Ericam Alexandrinam vocant Itali, teste Lob. nimirum, vt ille ait, hoc specioso nomine mittunt & obtrudunt Itali quidam peritiores peregrinitatis & nouitatis titulo, cùm tamen in Galloprouincia & Hispania eius sit facilis prouentus. At is inter varietates Vermiculati fruticis a- cris recensuit in Obs. & Aduers. vt ipsemet testatur. Verùm non possumus nobis persuadere Lobelio bene notam fuisse Sanamundam tertiam Clus. Si quis consideret eius icones, quanta diuersitas?

Erica Alexandr. Lob.

Locus.

Vermiculatus frutex.

Nos existimamus plantas depictas in Aduers. pag.163. & Obs.p.207. diuersas à Sanamunda tertia Clus. de qua hic agimus, quamuis pauca, quæ scribit in Obs. pag.203. nomine Vermiculatæ videantur posse Sanamundæ conuenire: scribit enim folia alba densissimè conferta denticulis Vermiculatis acris, maioribus. Quas autem plantas censeamus exhiberi per prædictas icones, dicemus sub huius operis finem, vbi tractemus de Vermicularibus marinis.

Cæterùm, inuenitur etiam hæc planta, inquit Clus. in toto illo tractu maritimo Meridiei obiecto, qui ab Herculeo freto, ad Pyrenæos vsque excurrit. Nos pulchrum ramum cubitalem habemus in Herbario nostro sicco, à Valerando Dourez, insigni Pharmacopœo, ad. nostro, cuius manu adscriptum est: *Sesamoides fortè minus ex Syria*: & ibidem manu Dalech. nobis hæc planta picta aduecta è Corsica D.Casp.Bauh. attulit ramulum nomine Cneori albi Guiland. collectum in horto S.Pontificis Romæ. Nos & in horto Serenissimi Magni Ducis Hetruriæ legimus Florentiæ, ex satis alto & eleganti frutice, cum hac annotatione à non indocto hortulano accepta: *Aproxis Plin.* aut *Focalea*. Miscent cùm puluerem bombaceum parant.

Locus.

Sesamoides minus.

Cneorum album Guiland.

Aproxis Plin. Focalea.

Scribit autem Plin. à Pythagora Aproxin appellari herbam, cuius radix è longinquo concipiat ignes, vt Naphtha. Idem tradit: si qui morbi humano corpori acciderint florente Aproxi [Brassica. c.11.] quamuis sanatos, admonitionem eorum sentire, quoties florere eam contigerit [florem eum tetigerint. M.] Sed mittamus Pythagoricas has nugas, quarum Author, vel ipso Plinio teste, Magorum studiosissimus fuit. Sed quantò portentosiora tradit Plin. eo loco: nempe lib.24.c.17. Annotat Dalech. ἀπρόξιν dici, quòd messor & pastore accedere propiùs non audent: ... accessere est.

Ad pulueré pyrium.

Plin. illust.

Aproxis vnde.

CNEORVM.

CAP. XLVIII.

Qvum certum sit tam Chamelæam quàm Thymelæam à Veteribus Cneorum fuisse appellatam, non insubidè hoc loco, opinamur, de eo tractemus. Verùm quum non solùm de modò dictis plantis dicatur hoc nomen, sed & pluribus aliis plantis à Neotericis attribuatur, [vt iam in præcedentibus ex parte dictum] statuimus hoc loco præferre quæcunque Veteres de eo prodiderunt, subinde demonstrare quales plantæ eo nomine à diuersis donentur.

Instituti ratio.

Theoph. inter surculosa quę carnoso folio constant refert Cneoron, & inter herbacea, Sedum, quod ἀείζωον nuncupat. Cneori verò duo genera statuit: album & nigrum. Albi, inquit, folium cutaceum est [δερματῶδες] oblongum, figura quodammodo Oleagineo simile. Nigri verò quale Tamarisci, carnosum. Album supra terram minùs se attollit, [μᾶλλον ὀλιγο... ἐστι.] & exiguum quid olet: Nigrum autem valdè odoratum est. [ἄοσμον habent vulg. Cod. Gaza, Cornar. & Guil. legunt εὔοσμον. Rob. Const. εὔοσμον, omnes Plinium secuti.] Vtrique radix alta, magna. Rami multi, crassi, lignosi, ferè statim è terra diuisi: [Græcum addit ξυλώδεις καὶ γλίσχρα: meliùs tamen legisse videtur Gaza cùm omisit hanc vocem, & γλίσχρα tantùm legit.] lenti admodum. Quamobrem hisce vtuntur ad colligandum & comprehendendum modo salicis & Vitilium. [ὥσπερ τοῖς οἰσύοις, salix Amerina & Vitilis: Galli sua lingua adhuc vocant *Osier*. Gaza, Iunci modo vertit.] Germinant florentque post æquinoctium Autumni, & diu florent. *Idem* quoque priùs alibi Cneorum inter ea recenset, quæ aculeis carent. Gaza vtrobique more suo interpretis fidem excedens, κνέωρον Casiam vertit, Plinium secutus quidem: sed eidem malà fide. Nam & hic Cneoron dixit, quamuis addat Casiam *Hygino* vocari. Reliqua paucissimis expedit, his: Cneori duo genera, nigri atque candidi. Hoc & odoratum. Ramosa ambo. Florent post æquinoctium Autumnum. Dixerat autem priùs: Fruticem Thymelæam, aliis Chamelæam, aliis Cneoron dici: similem esse Oleastro &c.

Cneori duo genera.

Verosque comparatio.

Theoph. varie eliciter.

Textura.

Gaza interpretis fidem excedit.

Thymelæa. Chamelæa. Cneorum.

Et Galen. lib.9.cap.3. de Compon. Med. Loc. Ex Archigene, κνεώρου [inquit] ... Et Hermol. Nostri (ait) Chamelæam & Thymelæam præcipuè Casiam videntur appellasse. Porrò quod Cneoro Theoph. carnosum folium veluti Myricæ attribuit, hoc, inquit Cornar. ad Cneoron Diosc. quod nomine peculiari Thymelæa appellatur, non pertinet, sicut neque ea, quæ de duobus Cneori generibus scribit: sed referenda sunt ad aliud Cneorum; quod foliis in coronamenta venire & Casiam ab Hygino vocari Plin. ait.

Casia.

Vidimus doctos viros hac parte rerum confusionem fecisse. Tagaultii in lib. de Purg. opinio est, folia Thymelææ vsque ad Theophr. tempora Cneorum vocata fuisse: ipsum verò Theophrast. plantam Cneoron & Cnestron vocasse: ita à Cneoro putat deriuatam vocem Mezerei, Hyginique. Casiam à Latinis Oliuellam dici. Sed longè petita Mezerei deriuatio, quam vix emunctior Grammaticus admittat. Interim non docet, quam plantam intelligat, aut exhibeat.

Tagault.

Cornar.

Marantha in sua Meth. tradit Theophrast. per Cneo-

Cneoron, Thymelæam & Chamelæam intelligere, quæ nomina Dioscoridi vsitatiora dicit, vt prius illud Theophrasto.

Casia Virgil. Matthiol. in Dioscor. Casiam Virgilii putat eandem cum Cneoro Plin. & Theophrast. Sed quænā plantæ oriantur in Italia vel aliunde eò afferātur, *Matth. & Guiland. concertatio de Cneoro.* quæ Cneoron referant, quid referat, se non habere ait. Guiland. in Theone. Cneorum vtrúmque Chamelæam & Thymelæam esse ex Aretæi, Dioscor. Plin. Gal. & Aetii traditione ignorare demiratur. *Contra Guiland.* Matthiol. respondet in Epist. ad Cratonem: Cneorum, quòd videat Guilandinus inter adulterinas Thymelææ nomenclaturas habere Diosc. quódq; habeat Gal. & Plin. id quod me adnotasse ignorabat, non sine ingenti latratu barbatus ille Canis me adoritur. Verùm Theophrasti Cneoron à Dioscor. & Gal. Cneoro pluribus differt notis.: Thymelæa Chamelęáque ambæ graueolentes sunt: grandi altaque radice haudquaquam nituntur, nec florent, nisi Vere inchoante, nec humi procumbunt. Adde quòd Cneoro nigro folia Tamaricis reddidit Theophrast. Sed eiusmodi folia nec Chamelææ nec Thymelææ insunt. De albi Cneori genere meminit Plin. inter odoratas plantas: de altero verò Cneoro, de quo Diosc. & Gal. meminit is loco superiùs citato. Scribit de Gnidio grano Theophrast. statum simul ac de Pipere egit non autem vbi tàm diligenter Cneori historiam describit, vtpote, qui Gnidium granū non ignorabat Cneori non esse fructum. Idem in epist. ad Marantham similibus argumentis conatur refutare Maranthæ opinionem: addens, nullum esse inter Thymelæam & Chymelæam coloris discrimen, quo nigra altera appellari debeat, altera verò alba. *Guilandini defensio.* Pro Guilandino rursus respondet Paul. Hessus aduers. Matth. Probl. 8. in hunc modum: Multa sunt quæ sententiam Matthiol. de Cneoro infringunt, quod nullius rationibus euidentiùs probari posse puto, quàm ipsiusmet Dioscor. & Theophr. autoritate, cui ille inniti quàm maximè videtur. Neque enim Cneorum inter adulterinas solùm apud Dioscor. nomenclaturas legitur, quemadmodum Matthiol. commentari fuit ausus, neque etiam verba Theophrast. de vtroque Cneoro & Dioscor. de Chamelæa & Thymelæa adeò longè inter se dissident, quin ambos de iisdem locutos esse plantis docere queant. Pluribus rem prosequitur Hessus, quem consulere poterit Lector, cùm fusam huius controuersiæ tractationem, ex illius scriptis integram huc trāsferre non permittat breuitatis studium. *Matth. fugill.* Nos sanè neutiquam legimus apud Veteres Thymelæam & Chamelæam grandi altáque radice haudquaquam esse, & non florere nisi Vere inchoaante, vt Matthiol. ait. Hoc quidem conuenit Laureolæ folio deciduo, quæ non floret nisi vere, quam Matth. videtur confundere cum aliis plantis, vt ante hac demonstratum.

Matth. inconstans & sui immemor. Mirum etiam Matth. ita inconstantem suíque immemorem, vt exhibeat pro Cneoris plantas cui folia nullo modo similia Tamarici, quale eius Cneoron frutex, de quo nos antè: & Cneorum herba, de qua etiam suo loco, titulo Ocymoides vel Saponariæ minoris.

Doctissimorum quorumcunq; iudicio, inquit Clus. Cneorum Theophrast. à Thymelæa & Chamelæa Dioscor. non differt. Quin & Cæsalp. *Cneorum album Theoph. Casia Latinorum.* Plinius [inquit] Chamelæam petrosis nasci tradit, non vltra palmi altitudinem, foliis Oleæ amaris, odoratis: videtur autem intelligere Cneorum cādidum Theophrast. quæ inter Coronarias Casia à Latinis vocatur. Idem Cæsalp. eo cap. quo hæc tradit nempe 7. lib. 4. duas plantas describit, quas ambas descriptiones posuimus cap. de Laureola decidua, vt qui dubii simus, quas plantas intelligat: quarum vna fortè Chamelæa folio subtus incano, altera Laureola folio deciduo. Idem tamen cap. 9. tradit, Cneorum Hisp. Mirciam vocatum: (de quo priùs actum, cap. de Sesamoide minore Dalechamp. siue Sanamunda 3. Clus.) ibidem Theophrastum dicit Cneorum appellare.

Rob. Const. in Lex. *κνίωρον* vel *κνέωρος*, Casia herba, differens à Casia frutice aromatico, de qua Virg. De hac intelligit Plin. lib. 2. cap. 12. & lib. 12. c. 19. Vbi Cneorum quod Casiam Hyginus vocat Cneorum Hipp. etiam *κνίωρον* vocat, vt pluribus dictum in superioribus. *Cneorum. Cneorus.*

Cæterùm Cneori nomine has inuenimus plantas exhiberi: *Chamelæam tricoccon: Chamelæam folio subtus albo: Thymelæam Monspeliensem: Laureolam folio deciduo*, ac etiam *folio perpetuo: Cneorum Matthiol. frutex: Tartonraire* siue *Sanamunda* 1 Clus. *Sesamoides minus* Dalechamp. siue *Sanamunda* 3. Clus. *Casia Monspel.* de quibus omnibus abundè actum distinctis locis & capitibus. *Aequiuoca*

Dalechamp. *Cneorum album* facit plantam dictā *Argenteam*, de qua mox. Item *Nerium alpinum quorundam* de quo l. 13. *Rosmarinus coronarius* lib. eodem. *Lauendula* siue Pseudonardus lib. 28. *Camphorata Monspel.* lib. 29. Eodem etiam *Ocymoides minus* siue Saponaria. Dod. inter Synonyma Dypsaci ponit Cneorum.

Ita vides in quantam confusionem Cneori historia ab Herbariis fuerit coniecta, singulis ferè nouam quandam, ne nihil dixisse viderentur, pro Cneoro obtrudentibus. Nos vt speramus, aditū patefecimus posteritati hæc omnia diligentiùs examinandi ac diiudicandi.

CNEORVM ALBVM DALECHAMP.

alias Dorycnium.

Descriptio. Cneori albi Dalechamp. plantam in hortis Adonidis aliquando alimus, cuius rami tomentosi, albidi: *Folia.* folia quàm vel Chamelææ vel Thymelææ maiora nonnihil, ad magnitudinem foliorum Mezerei Germanici siue Laureolæ folio deciduo propiùs accedentia, argenteā lanugine vtrinque nitentia, mollitie holosericea, per extremum obtusa.

Flos. Dalechamp. autore, in summo ramorum vertice velut in Corymbos aceruatus emicat: *Semen.* Semen nigrum, crassum, in folliculo tanquam glumā reconditum. *Radix.* Radix grandis, in profundùm subiens.

Imperatus scribit, folio esse simili Oleæ, & flore integro,

Dorycnium imperati.



instar Campanulæ, quem pulchrè depictum exhibet, sicut & Clusius in Appendice Operis sui Botanici, qui plantam hanc ad duorum aut trium pedum altitudinem assurgere, & multos ramos lignosos spargere tradit, non valdè dissimiles tenellis ramis Ziziphæ albæ, & flores Conuoluuli aut Strammoniæ, satis fugaces, quia vno marcescente, alter sese expandere incipit: fruticem esse semperuirentem, & hyeme folia non abijcientem.

Semperuirens.

Cæsalpino quoque herba fruticosa est, multis ab eadem radice caulibus simplicibus, altitudine dimidij cubiti, numerosis foliis circumdatis Oleæ figura, paulò angustioribus molli lanugine, colore argenteo, in summis virgis coma prædensa, in qua flores candidi Calathi effigie, & fructus Conuoluuli minores.

Fructus.

Hist. Lugd. scribit esse Cneorum album Dalechamp. & quorundam Herbariorum sententiâ optimè congruere cum descriptione Theophrast.

Dorycniū. Argentina, Argentina siue purpurea

Cæsalp. & Dorychnium vocat. & ex Sicilia haberi scribit, vulgòque Argentinam vocari. Sed quæ sit altera eius Argentina nescimus: quam tradit oriri in asperis collibus & maritimis, breuioribus ramulis humi sparsis, rarioribus, foliis pinguioribus breuioribusque: floribus purpurascentibus in plures ramos distributis. Dioscor. Dorycnium tradit Oleæ nuper nascenti similem &c. foliis Oleæ angustioribus, vbi ... legendum esse idem vult Cæsalpinus. Imperatus quoque Dorycnium Diosc. putat, & Jacobus Plateau, vt annotat Clus.

Locus.

Nascitur in locis lapidosis & saxosis maritimis teste Hist. Lugd. Nos pulchrum ramum inter siccas nostras habemus. D. Casp. Bauhino quoque missi fuit titulo Dorycnii Diosc. Sata nobis ex semine aliquando prouenerit in horto E. C. Morth. De viribus eius nihil adhuc cognitum nobis: si sit Dorycnium quod non negauerimus, sed iudicio Lectorum relinquimus, eius vires reperient Lectores in nost. Hist. lib. n. cap. de Dorycnio Veteribus dicto, vbi etiam comperient æquiuocationes.

Ordinis ratio.

Cæterùm de Cneoro non baccifero frutice vel suffrutice hoc loco egimus, propter historiam eius communem cum Chamelæa & Thymelæa, quæ & Cneorum plerisque Doctis putantur, & bacciferæ sunt. Non malè quoque facturi videbimur, si sequentem fruticem, foliis non vsque adeò diuersum à prædictis, licet non bacciferum, sed facultate ad eosdem plurimùm accedentem, ideoque terribilem herbam dictum, cùm sit frutex, hoc quoque loco tradamus.

ALYPVM MONSPELIANVM, SIVE FRVTEX TERRIBILIS. CAP. XLIX.

Descriptio.

Alypum Monspeliensibus putatum; frutex est cubitum aut sesquicubitum altus, in multos diuisus ramos lignosos, satis tenues, rubentes, vel ex fusco purpurascente cortice tectos; per quos folia concoloria ferè nascuntur, Myrto vulgari accedentia, magnitudine sua non itè penitùs forma. Ex angustissimo enim principio ad extremum vsque propemodum dilatantur, vbi interdum & vnâ aut altera crenâ incisa, obtusum mucronem efficiunt, crassa, solida, amara. Flosculi extremis ramulorum plurimùm, aliàs ad medios ramulos glomeratim congesti hærent, purpurei, ex tenuibus staminulis contexti. Radix crassa, dura, nigra, lignosa. Cuncta planta, inquit Lob. amara & insuaui Thymelææ aut Chamelææ gustu, aut vehementiore etiamnum à sexto anno.

Cortex. Folia. Flores. Radix. Sapor.

Quoniam verò Clus. in Hispania natam describit, & quædam habet in sua descriptione, à nobis non annotata, lubet & illam subiungere. Suffrutex hic potiùs, quàm herba, cubitali aut ampliore altitudine assurgit, multis ramis lignosis, duris, fragilibus tamen & nigricantibus præditus, circa quos ex tuberculis interdum multa confertim & simul iuncta folia nascuntur, in tenerioribus verò ramulis, qui plerumque rubescunt, rariora, Myrti ferè, longiuscula, ex cœruleo nigricantia, carnosa, nigricante pediculo, acuto mucrone, extremæ amaritudinis. Summis ramulis singulares inhærent calyces squammatim compacti interioris orbis florum Scabiosæ aut Morsus Diaboli magnitudine, qui florem continent villosum & lanuginosum, ex cœruleo candicantem in medio illo, at in ambitu omninò cœruleum. Semen se ignorare ait, & florentem tantùm conspexisse.

Flos.

Alypum Montis Ceti Narbonensium, Herba terribilis vulgò: sic inquiunt Aduers. vti nonnullis eruditis persuasum fuit, Arabes vocitarunt Turbith quodlibet Phlegmagogum, paulò vehementiùs pituitam educens, meritò & istum fruticem possis quis Turbith vocare, nec enim minùs malè ominato nomine, quàm Turbatorium Turbith vocat istam herbam Terribilem vulgò Narbonensium, vbi Impostores valetudinis caeponatores impij atque tribades mulierculæ terribiles; vt vocant, illic moliuntur purgationes istius terribilis fruticuli foliis, floribus & semine.

Herba terribilis. Turbith.

Eam si Senensis prorsus siluisset, nec pingendo deprauasset, melius suo honori Lectorique consuluisset. Hanc enim cap. de Tripolio, sibi etiã ignoto, vbi multum ineptit, & Alypum plantam tenui-

Matth. accusat.

tenuibus Ferulæ folijs esse dicit, non istam: Dioscoridi imponit, Brassauolæ & alijs doctissimis conuiciatur & obtrectat, argumentis ab illorum monumentis mutuò sumptis, etiamque vestigatore ingenuo indigna prorsum & vecordiæ plena verba illa inseruit: Non referre, cuius sit plantæ radix Turbith Alexandrinum, cùm eius facultates à Medicis optimè sint perspectæ. Sic scamnidicum vel aratorem, non commentatorem loqui decet. Nullam hodiè nostra ætas nouit plantam, vt eadem Aduers. tradunt, cui Diosc. Alypum assimilari queat, neque vllam plantam habemus, quæ æque benè, imò vllo modo (præter Ferulas) Alypo congruat, siue lineamentis, siue efficacià purgandi, atque hic frutex Maritimus.

Matth. socordia.

Sanè hanc quominus asseramus genuinum Alypum, vna notula non tam obstrepit, quàm deest, foliorum nimirum: quæ non fuerent expressa à Diosc. aut fortassis fuerunt labecula codicis peruersa: mutata nempe voce μαραθώδης in ὑπέρυθρος, vt sit non subruber, sed fœniculaceus frutex. Hincque Mesue suum Turbith ferulaceum fecerit, vel Tapsiam cum nonnullis.

Diosc. lectio mut.

Eadem Aduers. tradunt non esse Ptarmicam. Lob. in Obs. dicit esse Ptarmicam, & Conyzam tertiam quorundam. Quærit etiam an sit Calcifraga Diosc. At si corrigeretur Diosc. lectio, & pro voce ὑπέρυθρος reponeretur, vel ὑπομαραθώδης, vel μαραθώδης, ita enim esset corrigendum, multò minùs herbæ terribili responderet Diosc. descriptio. Nam quæ obsecro similitudo eius cum Fœniculo? nulla omninò. Nec etiam potest dici λευκόφυλλον radix Betæ: nec plena succo. Immò nec nobis propriè videtur dicenda πόα, siue herba, cum reuera sit frutex lignosus, cuius & radix & virhulta lignosa.

Penæ, & Lob. opinio & lectio improbatur.

Vix putamus Matth. hanc plantam voluisse exprimere, id tamen poterit suo loco diligentiùs considerari.

Bætici, teste Clus. *Coronilla de frayles*, hoc est, coronulam Fratrum siue Monachorum vocant, quasi eorum orbicularem tonsuram flore referentem, & *siempre enxuta*, quia semper arida & exsucca videtur. Murciani verò & Valentini vulgari voce *Segulleda*. Nonnulli Valentinæ Academiæ Professores *Hypoglossum* esse censebant: sed nihil cum Hypoglosso à Diosc. descripto commune habet, nisi quis fortè ob foliorum eius cũ Rusci folijs affinitatem ei hoc nomen donandum putet, quæ tamen in hoc frutice circa pediculum oblongiora & angustiora sunt: præterea dissimiles vtriusque facultates.

Coronula Fratrum.

Professorum Valentinæ acad. opinio reijcitur.

Hist. Lugd. *Empetrum phacoides* dicitur, & *Herba terribilis* Narbonensium. Scribit tamen: Diuinare potiùs quàm certò statuere licet, quæ planta legitimum Veterum Empetrum asseri possit. Si tamen coniecturæ locus sit, Dalech. Empetrum esse opinatur plantam, quæ à vulgo Narbonensium Herba terribilis vocatur, cuius cap. de Alypo mentionem faciemus, ob violentam in corpore purgando facultatem. Ea nunc in ipso maris littore prouenit, salsum humorem bibente eius radice ac tum salso gustu est, vt cæteræ plantæ, quarum radix marinam aquam sugit: nunc in montibus mari vicinis, vt in monte Cestio, vulgò *Cap de Ceste*, propè Agatham, nullo maris succo imbuta, sed tantùm obiecta eius afflatui, ac tum salsuginis expers, gustanti perquàm amara sentitur.

Empetrum Dalech.

Locus.

Eadem Hist. Lugd. sic depingit: Cubiti esse magnitudine, & eo maiorem, cortice purpurascente ramosam, folio Lentis, sed Lentis modo per æquales versus non disposito, per ramos & surculos nullo ordine prodeunte, supernè viridi, infernè candicante, capitulis in ramorum vertice purpureis & rotundis, Aphyllanthi non dissimilibus. Ast nobis sanè valdequàm affectatè, ne dicamus fictè Lentis folio dici videtur, propter vocem φακώδης, attributam Empetro apud Diosc. cùm alij φακοειδὲς vocari tradant, vt postea ostendetur. Profectò parum nobis videtur in folijs Herbæ terribilis esse similitudinis cum Lentis folijs. At non ideò prorsus reijcimus esse posse Empetrum Veterum. Considerentur quæ mox tradentur de Empetro.

Hist. Lugd. sugillat. eiusdemque multiplex error.

Miramur quoque cur Hist. Lugd. capiti de Empetro non subiunxerit caput de Alypo, sed interposuerit vtrisque caput de Cucumere silu. & cap. de Colocynthide. His demum subdit iconẽ Alypi Matth. quam ex Penæ autoritate corrupit & deprauauit: nihilominus tamen denuò proponit suam Empetri iconem titulo Alypi Penæ & Herbæ terribilis Narbonensis. Præstitisset nostro iudicio, vno capite fuisse scripta & tradita, non quòd existimemus Alypum Matth. idem cũ Herba terribili, licèt hanc opinionem non reprobet C. Bauh. in sua Animadu. in Hist. Lugd.

Tabern. not.

Tabern. quoque duas ponit figuras huius plantæ pro diuersis, & sub diuersis titulis, Alypi, & Hypoglossi Valent. Clus. Camerarii: Alypum autem apud Matth. vix putamus idem cum Herba terribili seu Alypo Lob.

Locus.

Tempus.

Cæterùm Alypum potissimùm in monte Cestio Frontignano oppido versus Austrum opposito, & in mare sito frequentem obseruauimus & legimus. Quamuis & in aliis Narbonæ & Galloprouinciæ locis ad mare & Austrum deuexis, & præruptis maximè, vt annotat Lob. natales suos delegerit. Flores in prædicto monte vidimus mense Aprili. Febr. mense floribus onustum inuenit Clus. in Bæticę solitudinibus circa Antequeram. Martio autem inter Velez, & Rubio, & Lorca, quæ Eliocrota Veteribus dicitur, Murciani regni vrbes, totoque Valentino regno.

Cultus.

Ptarmica.

Vires & vsus. Purgatio.

In Italiæ quibusdam instructioribus hortis cultam, & proceritate foliorumque amplitudine speciosiorem paullò obseruauimus. D. Calzolarius Veronæ nobis ostendit pro Ptarmica: quo nomine & doctiss. Medico Rantzio in horto Florentino lectam nobis attulit, & ex Prouincia misit Iac. Rainaudetus industrius Pharmacopœus. Vim catharticam violentam huius stirpis antè diximus. Circumforanei Bæticæ Medici, notante Clus. eius decoctum propinare dicuntur iis qui Gallica scabie siue Venerea Lu laborant, non sine magno, vt aiunt, successu. Hist. Lugd. quoque purgandi vim Sesamoide vtroque [intelligimus Sanamundam 1. & 3. Clus.] non imbecilliorẽ habere testatur. Purgare autem bilem, pituitam, & aquas, non aliter quàm Tithymalus. Quapropter eâ non temerè vtendum censemus.

Cautio.

Vsus.

EMPETRVM PVRGANS.

Cap. L.

PAulò antè dictum, quibusdam videri Alypum esse Empetrum. Videamus ergo quid Veteres de eo tradiderint, potissimùm de purgante.

Empetron, inquit Diosc. aliqui Phacoides vocant. Nascitur in maritimis & montanis, salso gustu. Quod verò propius terræ fuerit, amarius sentitur. Trahit pituitam, bilem & aquam, da-

tum in iure aliquo, aut in hydromelite. Obiter verò notandum caput hoc empetri in quibusdam exemplaribus deesse. Empetron verò Gal. Paul. & Aetius non φακοειδὴς sed πρασοειδὴς, alio nomine vocari tradunt, ita vt non temerè quidam suspicentur ita apud Diosc. legendum esse. Porrò ea verba quod propiùs terræ, amarius sentitur, aliter reddidit Plin. sic scribens: Empetrum (Empetros. CH.) quam nostri Calcifragam vocant, nascitur in montibus maritimis, ferè in saxo. Quò propius mari fuerit minùs salsa est potàque bilem trahit ac pituitas: quò longiùs magisue terrena, amarior sentitur. [Sed quidam, vt Plinium cum Diosc. concordent, sic legendum censent: quò propiùs mari fuerit, magis salsa est &c. Vetustate vires perdit. [In iis verò quæ proximè sequuntur] Recens vrinas ciet decoctum in aqua vel tritum, calculosque frangit. Qui fidem huic promisso quærunt affirmant lapillos qui subferuefiant, vnà rumpi. In his, inquam, videtur Plin. Empetrum marinum cum Saxifraga confudisse deque hac illa inaudienda accipiendaque esse, ut ante nos & Matth. & Dal. obseruarunt.

Calcifraga.
Plin. correct.
Empetra duo Herm.
Epipetron.

Empetron ad solas purgationes commodum iudicat Gal. bilemque ac pituitam educere. Gustu salsum esse: proinde ad alia quoque vtaris licet, ad quæ pollere docuit substantiam salsam.

Etyma.

Paulus quoque Diosc. secutus, mentiones duas Empetri habet, quasi duorum generũ. Gal. vnicũ. Aetius etiam Epipetron vocari solitum affirmat.

Porrò Empetron dictum videtur quòd nascatur in petris, eademque origine *Epipetron* ab Antiquioribus. Nec solùm quia lentis figuram & speciem refert, Phacoides, sed quia Marrubio simile Prasoides est, inquit Marcell. Plinius Saxifragam à Latinis vocari ait, miscetque eodem notante cum ea quæ priuatim & seorsim à Diosc. Sarxifaga descripta est. Ex quo suspicatur, quod in Saxifragia dictum, non esse illud in Diosc. eo nomine recipiendum; aut si sit, quod tamen verisimile non sit, variantibus historia & medicina: bis de eadem actum fuisse, antè sub titulo Saxifragiæ, & iterum sub Empetri. Paulum quidem Empetri manifestè, Saxifragiæ autem nusquam meminisse. An verò Empetron idem sit cum Sarxiphago, vel diuersum, non facilè quis indicabit, inquit Cordus. Vtcumque fuerit, nulla iam hoc nomine extat herba.

Saxifragia Marc.
Phacoides Corn.

Cornario Phacoides in Diosc. suspecta est: & caput quod de Altero Empetro Diosc. habebat, de Saxifrago inscriptum, à se inter supposititia relatũ testatur, ac quòd Græcam inscriptionem non præferret, illegitimũ iudicatum. Habere tamen & Paulum Saxiphages, idque vrinam ciere & calculos atterere. Quare à Plinio confusa duo Empetra diligenter esse distinguenda. Quin & Herbarii nostri multas saxifragæ species ostendunt, quas omnes Steinbrech appellant, vt in ipsis diligenti distinctione sit opus.

Saxiphages

Arist. l. 4. de part. anim. Epipetri ab aliquibus vocari meminit, quod ad præsens Empetron pertinere autumat Cornar. & nos Cuscutam censemus, de qua suo loco.

Epipetron. Arist.

Non desunt, inquit Matth. qui Oedipum se faciant, & Diosc. obscura quasi ænigmata de Empetro audeant soluere. Plinius fortasse similitudine deceptus, quòd Empetrum Saxifragiam existimauerit. Vires quas vtrique tribuit Diosc. pui vni impetro attribuit. *Hæc ille.* Sed si Matth. suæ opinionis autores citasset, non in eum hæc scripsisset Rob. Const. in suo Lex. Plinius Empetron non confundit cum Saxifrago, vt criminatur Matth. sed disertis verbis distinxit lib. 22. c. 21. inquiens Saxifragum Adianthi genus esse.

EMPETRVM SARXIPHAGVM.

MEminit & alterius Empetri Diosc. his verbis: Σαρξίφαγον alii Σαξίφραγγον, aliis ἔμπετρον, Romanis Σαξιφράγγα: Frutex est surculosus, (θάμνος φρυγανώδης) in petrosis & asperis locis nascens, similis ἐπιθύμῳ. Marcell.

Descriptio & nomina.

Vim habet in vino coctus & potus, vt febricitantibus [vt febricitantibus omittitur in vetustiss. cod. Marcel.] opituletur: vrinæ item stillicidio & singultui, & vt in vesica calculos atterat, & vrinas ducat. Hermol. hoc caput retinet, sed vocem Epithymi non habet, nec etiam cod. Basil. nec Paris. Ruellius & Cornar. addunt quidem, Epithymo, sed ipsum caput, vt subreptitium & adulterinum reijciunt.

Vires.

Saxifragum, inquit Hermol. & Saxifraga Lat. dicitur. Item Calcifraga; si modò hæc est, quam & Plin. & Diosc. alio loco Empetron appellant. Corrosi & ambusti sunt hac parte Græci Diosc. codices, nec quale sit huius herbæ folium, animaduerti vllo modo potest, & in ipso verborum textu spatiolum inane vacat. Porrò veterem in Diosc. picturam huius herbæ vidisse se testatur Herm. non plùs folijs, quàm cirris minutis &c: Recentioribus de hac herba parum conuenire, alios Tritici foliorum figuram, alios marinæ Bati similem dixisse, alios Tormentillæ vulgò dictæ.

Saxifragum Saxifraga.

Marcellus peregrinam Græcis & alienam vocẽ esse rectè annotauit. Idem ait: si negaremus Diosc. esse hoc caput, contra Græcos Latinósque codices omnes & Posteriorum decreta id erit: inclinat tamen animus non esse Dios. legitimum illud caput, aut non Saxifragam Latinâ appellatione à Græco homine dicendam fuisse: sed quo in plerisque adhuc indicatur, Sarxiphagon, à minuendis & erodendis carnibus: etsi appellationis huius nulla sit nobis causa aut ratio. Paulus, vt idem notat, qui totum in sextum suæ Medicinæ Dioscoridem multa breuitate exscripsisse videtur, Empetri manifestè meminit: Saxifragiæ autem nusquam: quod non relinquendum ab eo fuerat, si tunc in Diosc. Saxifraga legeretur, aut ipse pro diuersa eam recepisset. Crederemus nos etiam eandem Saxifragam & Empetron esse, nisi diuersa penitus vtriusque historia & medicina esset. Ruellius dicit Saxifragon à Paulo Sarxiphages nominari, sed id caput non esse legitimum Diosc. facilè eo persuaderi posse, quòd Latina appellatio contra Scriptoris morem Græcæ præferatur. Verùm nullius id argumentum valoris esse, infit Cordus: & addit, hoc Sarxiphagon esse, quod Gal. Cestron etiam dici testatur, quodque Paulus Pulegio simile esse dicit, sed minus. In Cestri, id est, Betonicæ capite cum Epithymo comparare: [non inuenimus in Diosc. capite de Betonica, sed in hoc cap. de Sarxiphago.] Ille verò suspicatur non legendum esse Epithymum, quoniam nulla sit inter Palegium & Epithymum similitudo. Quare Thymum pro Epithymo legendum esse, non sine ratione conijcit.

Marcellus.
Paulus Dioscoridem breuiss. transcripsit.
Cestron.

Longè coniectura est nominum ratione eundem esse fruticem & hunc, & qui deinceps alio loco à Diosc. describitur, nisi diuersæ vtriusque essent medicinæ. Rectè tamen esse diuersas.

Matth. in Diosc. retinet caput Sarxiphagia, loco Empetri dicti. At Const. apud Amat. apertè scribit,

bit, supposititium & spurium esse illud caput de Saxifragia, non enim in antiquis Diosc. exemplaribus legi. Quin hæc, que a Falsario quodam interposita sunt de saxiphragia, ita deprauatè & corruptè Græcè tradi, vt qui hæc interiecta & non legitima non possit agnoscere, nesciat planè quid distent æra Lupinis. Plinium vocare Adiantum Saxifragum, quòd calculos comminuat.

Adiantum. Saxifragum Æquiuoca. Empetrum. Alypum Monsp.

Cæterùm plurimæ plantæ pro Veterum Empetro habitæ sunt, vt frutex ille, quem suprà Alypi Monspel. nomine descripsimus. Anguil. epist. 14. meminit Empetri in Græcia, dicti *Prosfai*, voce corruptâ à Prassoide folijs Alchali purgantis, alibi post Cali. Ant ea considerandum proposuimus an Sesamoides minus Dalech. siue Sanamunda 3. Clus. possit conuenire cum Empetro Diosc. Amatus ignauiam suam satis prodit, quando non ausus sit describere suum Empetrũ, de quo in suo in Diosc. com. scribit, confundens diuersarum plantarum nomina, quando sic tradit: Empetron, Calcifraga, Gal. *Percepierre*: Germ. Steinkraut: mox addens: Empetri historiam tam succinctè narrasse Diosc. vt quæ illa sit herba, difficile sit addiuinare. Olim verò apud Antuerpienses agebat, apud quos magnâ diligentia simplicia medicamenta inuestigasse ait, Cornelium Medicum Antuerpiensem sibi herbam cæspitosam, sapore salsam, prope mare nascentem, obtulisse, quam Empetrum esse contenderit: Nam & pastorem, qui illam ad eum attulerat, iureiurando affirmasse, Oues quum malè haberent, ad illam tanquam ad certum salutis asylum confugere: eiusque vsu munitas, morbum propulsasse & immunes mansisse.

Considerent periti, an Crithmum 3. Matth. in com. cum magnis fig. siue Chrysanthemon marinum esse possit, de quo agemus suo loco. De ea autem scribit Matth. Non deesse qui Empetron faciant, sed se ijs haud subscribere ausum. Sylu. in Mes. annotat Sennam quosdam Empetron Diosc. putare. Crithmum siue Fœniculum marinum aliqui esse Empetrum: Verum esse nequit, cùm non purget: de eo agemus in libro vmbelliferarum. Ruell. Empetrum seu Calcifragam Lat. multis esse Cristam marinam: & retinet vitiosam Plin. lectionem de Empetro.

Senna. Crithmum siue Fœniculum.

Matth. pro Sarxiphago, alijs Empetro, exhibet herbam Fœniculi vel Anethi folio, de qua lib. Vmbelliferarum saxifragæ non tinc, quæ non frutex est, sed herba. Is etiam in postr. suis com. alias etiam nobis obtrudit plantas pro Empetro, & postil. c. de saxifragijs.

Crista marina. Math. reprob. Saxifraga tenuif.

Hallucinantur, inquit Ryff. apud Diosc. qui eam herbam, quam Offic. Saxifragam albam Weiß & Hohensteinbrech appellant, Empetrum esse contendunt. Sed Ryffius, vt suo loco copiosiùs dicetur, dum alios reprehendit, nec malè ipse tamen quoque hallucinatur, pro saxifraga alba, Icone exhibens Polemonium petræum, a quo non distinguit.

Ryffius not. Polemonium Petræum.

Ineptè quoque Thurnisius in suo Pisone Saxifragam albam vocat Empetrum Diosc. & Lonic. Empetrum Galenicum nihilo aptiùs Saxifragam & weiße Stinbrech Tragi dicit. At ipsemet fassus est Empetrum esse fruticem: non igitur saxifraga alba fuerit, quæ herba est. Cur Galenicum dicat nescimus. Præterea non purgat: quod tamen in Empetro requiritur. Multò ineptiùs idem alibi ad Empetrum refert Germ. Harnkraut/ widertod/ Jungfrauhar / addens ex Gal. ad solas purgationes commodare. Quanta quæso confusio diuersarum? Aut quid purgantis facultatis vel is vel alius in his plantis obseruauit. Quis item minutissimas herbulas frutices dicet?

Tragus Polytrichum suum alterum ac etiam tertium ad Empetrum refert, Item Polytrichum suum primum, siue Rosellam Cordi. Ruell. Parisiensibus saluiam Vitæ dictam, nobis Rutam murariam Empetron suspicatur. Euchar. Rosslin Herniariam. Et Gesn. ait, Herniaria Empetron Trago, nescio quàm rectè. Nos planè reijcimus ob antè dictas causas. Casp. Bauh. in Phytop. Polygonum 6. minus seu Millegranam maiorẽ Tragi Empetrum dicit. Empetrum album Paracelsi, cuius Thurnisius meminit l. 6. c. 14. in Pisone, titulo de Saxifragia alba, fortè Milium Solis.

Ros Solis. Ruta muraria. Herniaria.

Multi hallucinari mihi videntur, infit Ruell. quòd quidam huius herbæ [videl. Calcifragæ siue Empetri] fidunt picturę, notis omnibus reclamantibus nempe citris minutis &c. de quo suo loco, sub saxifraga. Hæc autem sunt contra Hermol.

Cornarius Empetrum idem putat cum Epipetro Arist. quod nos, vt dicebamus, Cuscutam censemus.

Milium Cuscuta.

FINIS LIBRI QVINTI.

Digitized by Google

HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER SEXTVS

BACCIFERAS SPINOSAS EXHIBENS, TAM ARBORES, QVAM FRVTICES.

BACCIFERARVM nondum est finis. Nam & talium haud parva restat classis, sed quas natura spinis armavit, sive ut occursus importunos arceant, sive ut in eas abeat alimenti terrestrior portio, sive aliud quippiam in eam rem humana temeritas, vel potiùs fragilitas comminisci audeat, non contenta scivisse, quòd sat sit: sed cur ita fecerit Deus parénsque rerum natura, sciscitari ausa, ut tandem intelligat se nihil scire. Dignitatis ordinisque prærogativa tribuatur omni ævo, omnibus autoribus decantatissima Olea: quæ, ut sativa & culta, etsi spinosa non sit, natura tamen talis esse videtur, cùm sterilescens in Oleastrum abeat, qui spinosa est arbor.

DE OLEA. CAP. I.

OLEA SATIVA.

Consilij ratio. De Oleâ pro dignitate & argumenti fertilitate tradituris iusto opus esset volumine, vel Galeni exemplo, qui de Oleo, quod ex Oleæ fructu exprimitur, integrum librum satísque amplum conscripsit, & illi plus quàm alijs omnibus simplicibus inhæsit. Quare & nos utilissimæ huius arboris naturam paulò diligentiùs tradere constituimus: sed ea lege ac omine, ut historiæ amplitudinem, & multijugam varietatem, ordine atque compendio temperemus, incipientes ab Oleæ sativæ, tanquam vulgatissimæ, descriptione.

Descriptio. Olea mediocris, nec magna est arbor, haud valdè patula, perennis virens, trunco femur humanum plùs minùs crasso, magna ex parte nodoso, *Materies.* materie æqualiter spissa satis solida, alicubi & crispa & intorta, gustu amaricante, colore inter flavum & spadiceum ferè medio, nonnunquam etiam maculis utriusque coloris invicem convolutis conspersa, præsertim cùm ad iustam ætatis consistentiam pervenerit, teste Cordo: *Cortex.* Cortex tam trunco quàm ramis obducitur coloris cinerei, lævis, glaber. [Cordo in his flavus.] *Folia.* Folia oblonga & angusta, salignis ferè similia, acuminata, incisuris ac manifestis venis (excepto unico nervo insigni à pediculo ad acumen opposito excurrente) carentia, crassa, rigida, supernè ut nobis quidem videbatur, coloris atrovirentis, aut certè saturatiùs virentis, (attamen Cordo, [Virg. fortè imitatus, fronde qui flaua dixit,] in viridi flavescentia, supernè quàm infernè pallidiora contra aliarum arborum naturam) inferiùs canescunt: nullis tamen pilis obsita, tam brevibus pediculis hærentia, ut surculis quasi inserta videantur: ex *Flores.* quorum alis proferuntur pediculi, quibus Flores racematim cohærentes sustinentur, albicantes, Sambucinis similes, è quatuor foliolis fructus rudimentum complectentibus contexti: Cordus aspectu muscosos dicit, & propemodùm racemosos: qui non omnes ad frugem perveniunt in Europa. In iis verò locis quibus propria est hec arbor, proveniunt, ideóque congestæ eius baccæ cófertas uvas æmulantur. Flosculis succedunt *Fructus.* Fructus, figuræ ovalis aut glandium ferè, magnitudinis variæ: nam in Hispanijs nascuntur, quosq; Olivas Hispanicas vocant, mediocre Prunũ æquant. Italicæ pleræque & Narbonenses vix mediocrem *Baccarum Varietas.* glandem superant, quamvis ea sint habitiores rotundioresque, primùm virides, postea flavicantes, per maturitatem purpurascentes, tandem & nigricantes, quedam etiam ex luteo rubicantes, sed rariùs, sunt & quæ in Hispania albæ fiunt,

ut annotat Cluſ.) ſapore valdè acri & amaro & neſcio quid acerbitatis ac nauſeoſi mixtum habente, etiã in maturis & iam mollibus, carne primùm dura, maturitate molli ac pingui, oſſiculum lignoſum, oblongum utrinque acuminatum, & in hoc proportionatum nucleum unicum habẽte. Qui v. in iis continetur ſuccus pinguis, Oleum fit dulce, aquoſus qui amarus, Amurca. Foliorum quoque ſapor amarus eſt, non ſine acrimonia tamen. Radicibus nititur, inquit Cordus, partim rectis, partim obliquis in ſummo cæſpite obhærentibus, materia trunci modò ſolidã.

Oleum. *Amurca.* *Radix.*

Theoph. de Olea. Theoph. variis in locis de Olea hæc habet: Viret ex urbanis perpetuò: radicem habet: quæ ex medio, tendit parvam, cæteras grandiores & cancrorum modo velut flexuoſas, inæquales, nodoſas ac fimbriatas, obliquas. quod, non tantùm loci ratione evenit, ſed naturæ quoque ipſius proprium eſt: parvam incertámque habet medullam: quamobrẽ quidam Oleã, ut Buxum, medulla omnino carere exiſtimant: materies ſpiſſa, ſed obliquitate atq; duritia fragilis: folia anguſta, pediculum habent breuem: vertuntur æſtiuis ſolſtitiis: nam peculiare illud ſanè quod Oleę Tiliæ, Vlmo, Populo, evenire videtur: Vertunt enim partes ſupinas mox poſt ſolſtitium æſtiuum: eóque argumento ruſtici ſolſtitium tranſactum intelligunt.

Medulla. *Obſervatio.*

Olea foliorum peculiaris natura. Omnia folia parte prona, ſupinàque inter ſe diſtant, ac cæterorum pars ſupina pinguior [...]. Gaza viridiorem vertit, atque lævior eſt. Prona enim parte, ſeu ima, qua terram verſus ſpectant, habent nervos, ac venas ſicuti manus. Oleaginorũ verò pars ea ipſa cãdidior minúſq; lævis. Eius fructũ natura ligno operuit, ſeu lignoſo putamine, & hoc rurſus mole quadã carnoſa obduxit: Et tunica prætenui inueſtiuit: Florẽ verò circa fructum ipſum producit integro principio, & in ambitu diviſo, ita ut proſtrati floſculi perforati ſpectentur, quo argumento intelligitur arborem propè defloruiſſe: nam ſi exaruerint, aut madefacti fuerint, unà cum fructibus defluent, atque ita nullatenus perforabuntur. Maior enim ferè pars fructum in medio floris continet.

Obſervatio.

Oleam Dioſc. non deſcribit, ſed vires tantùm eius recitat. Aſt Plin. ſi quiſquam alius, amplus & copioſus in eius hiſtoria eſt; quippe, qui ex variis priſcorum monumentis & obſervationibus ſua concinnavit, quæ ſuis quibúſque locis referemus. Speciatim Oliuę [ait] conſtant nucleo, oleo, carne, amurca. Sanies hæc eſt earum amara: fit ex aquis, ideo ſiccitatibus minima, riguis copioſa. Suus quidem Oliuæ ſuccus Oleum eſt, ídque præcipuè ex immaturis intelligimus, ſicut de Omphacio docuimus. Augetur Oleum ab Arcturi exortu XVI. Calendas Octobris: poſtea nuclei increſcunt, & caro. Huic arbori folia non decidunt, quæ ſupernè candidiora, & minùs lævia, anguſta, pediculo brevi. Cariem vetuſtatémque non ſentit eius materies: rimam fiſſuramque non capit ſponte. Nec alia maior in Bætica arbor. Cæterùm in ſummo honore habita olim Olea, ita ut eam in ſacris accendi fas non fuerit: Vnde Plinius. In profanis uſibus pollui Laurum & Oleam fas non eſt, ut ne propitiandis quidem numinibus accendi ex his altaria aræve debeant. Olea Minervæ ſacra dicatáque cuius rei multæ rationes aut coniecturæ ab autoribus adferantur; Quòd Olea veniæ paciſque index ſit, & quòd illius inventrix fuerit Minerva: Vnde Virgil.

Ex quibus conſtent Oliva. *Olea a Bætica maxima.* *Olea dignitas.* *Olea non accendebatur in ſacris.* *Olea inventores.* *Cur Minervæ dicata.*

——Oleaque Minerva.
Inventrix.——

Volunt enim Oliuam manu virginea ſitam & excultam, uberiores fructus præbere. Habebatur autem Minerva puritatis amantiſſima, labiſque neſcia, proinde Oleam ei dedicatam voluere. Creditque antiquitas non niſi à caſtis rectè & feliciter ſeri. Ferunt etiam in Anazarbo Ciliciæ pueros caſtos Oleam colere, & propterea Oleam apud ipſos fertiliſſimam & fructuoſiſſimam eſſe. Cicero verò de natura Deorum, Ariſtæum Apollinis filium Oleæ inventorem ſcribit. At Diodorus Mercurium eius autorem facit, non Minervam, ut Græci: quanquam alibi huic & Oleæ & Olei educendi exprimendique inventionem attribuat. Atque ante Minervam, eam cum cæteris ſylueſtribus ignotam viléque habitam fuiſſe, ſcribat. Martianus quoque Capella, Minervę ſacram dicit, quòd artes & diſciplinæ, quarum illa Dea eſt, Oleo, ac lucernarum lucubrationibus perdiſcantur. Sic enim ait:

Alia ratio.

Hic nam verniceme frondent tibi munera Olivæ
Ars & cura vigil per te quòd diſcat:

Phurnutus præterea ſcribit Oleum Minervæ munus eſſe, idque ab ea mortalibus elargitum. Cæterùm Olea veniæ & pacis ſupplicantium ac contriſtantium index fuit olim atque ſymbolum: ut qui veniam poſcerent, Oleam manibus geſtarent: Athenienſes enim contra Timocratem ſordidati, & Olivam geſtantes, ſupplicare ſoliti fuerant, autore Demoſthene. Artaxerxe Ocho, ut in vita Philippi autor Siculus, Sidonem obſidente, quingenti ciuitatis primores, Oleę ramos ferẽtes. Artaxerxi obuiarunt, pacem poſtulantes. Xerxe in Athenienſes expeditionem ducente, Timon & Androbolus, cùm primùm oraculum conſuluiſſent, & infauſtum reſponſum ab eo accepiſſent, ramos Oleagineos ferentes, pacem & ſalutem petunt. Deuictis item Carthaginenſibus, conſulente Annibale, ad Scipionem ad deprecandam pacem & miſericordiam, decem è ciuitatis principibus illi ſeligunt, quos nauis Oleæ ramis velata, deferebat. Sic & Romanis cum Perſa Macedoniæ Rege bellum gerentibus, Alexandrini Legati ſordidati, barba & capillo promiſſis, & Oleæ ramos ferentes, in Curiam Romanam progreſſi ad miſerationem procubuerunt, ut ſcribit Livius: quo item autore, eodem etiam rege deuicto, Rhodiorum Oratores, habita priùs oratione, veniam deprecantes & ramos Oleæ geſtantes, univerſi prociderunt. Apud Apuleium mulieres propter homicidium viduæ, ſui à iudicibus cõmiſereri, cupientes, ramos Oleagineos ferunt.

Oleã pacis Symbolum fuiſſe exemplis illuſtratur.

Quare autem pacis & miſericordiæ ſignum ſit Olea, apud neminem hactenus legimus. Curtius lepidè ſatis & ingenioſè hanc excogitavit cauſam, nempe quòd hæc arbos Minervæ Deę, mulieri & virgini dicata ſit, à quibus faciliùs venia impetratur. Sed iam ad Poëtas divertamus, ut ipſis fides (quam frequentes alioquin detrahunt fictiones) propter ea quæ modò, ex hiſtoriarum ſchola, retulimus, maior habeatur. Vt autem à principe Latinorũ, videlicet ipſo Virgilio incipiamus, utpote qui longiorib. hanc rem patefecerit: Sic ille de Ænea tempeſtati obluctante, eiuſque ... lenienda ſatagente.

Quare miſericordiæ ſignum ſit Olea.

——Et tempeſtatibus agnam
Cadere deinde iubet: ſolvique ex ordine funem.
Ipſe caput tonſæ foliis evinctus Olivæ;
Stans procul in prora pateram tenet: extáque ſalſos
Proiicit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Proſequitur ſurgens à puppi ventus euntes,
Certatim ſocij feriunt mare, & æquora verrunt.

Et idem Æneas apud eundem.

Centum

Aeneid 7. *Centum Oratores augusta ad mœnia regis*
Ire iubet ramis velatos Palladis omnes:
Donaque ferre viro, pacémque exposcere Teucris.
Et idem Pallanti occursanti Aeneas:
Aeneid 8. *Paciferaque manu ramum prætendit Olivæ.*
Aeneid 11. *Rursus alibi: Iámque Oratores aderant ex urbe Latina*
Velati ramis Oleæ, veniámque rogantes.

Vbi Seruius, non coronatos incessisse ait, quod lugentes non decebat, sed in manibus tantùm ramos detulisse, quod miserantium erat. Statius in 12. Thebaidos.

Mite nemus circa, cultúque insigne verendo.
Vittata Laurus, & supplicis arbor Olivæ.

Reliquum, vt hanc rem insigni Dauidis Regis testimonio finiamus. Ait enim Psaltes ille regius. Ego autem sum sicut Oliva fructifera in domo Dei: Speraui in misericordia Dei, in æternum, & in seculum seculi. Aliud nobile elogium superest, ad modo dicta apprimè faciens. Columba enim, post cõmune omnium animantium naufragium, à Noa ex arcæ ergastulo tertiò emissa, rostro Olivæ ramũ retulit: Generi videlicet humano à Deo Opt. Max. pacem redditam significare volens. *Etiam in sacra scriptura Olea pacis symbolum.* Est & græcum adagium Aristoph. ἔλαιον ἐκ ἔνεστιν ἐν τῇ ληκύθῳ. *Adag.* Non est Oleum in lecytho: id est, ἐκ ἐλεῶν, ὁ ... ubi precibus iam non est locus. Hæc & sequentia à nobis relata, à Curtio magna ex parte collecta sunt. Sed & victoriæ signum Oleam esse scribit Dionys. Halicar. in præceptis orationis panegyricę. *Olea victoriæ signum, & honoris.* Epimenides sanè Phestius, ab Atheniensibus accersitus, Solonis ad legum condendarum rationẽ adiutor fuit, in quibus nonnulla, prout illi tanquã summo & sapientissimo viro minimè visa idonea, commutauit, multáque ad Deorum cultum, & religionem, statúmque Reipub. instituit. Discedens verò ab Atheniensibus honores & opes largientibus, nihil aliud, quàm ex sacra Olea ramum poposcit. M. Antonius, accepto, de Ventidij in Parthos victoria nuntio, & Labieni ab eo interfecti, Athenis, Græcis epulum dedit, & ludos in urbe fecit quibus & ipse [depositis insignibus] cum iuvenibus præfuit, atque saltauit. Ab his verò contra Anthiochum Comagenem proficiscens, sertum ex Olea sacra excerpsit. Tanti omnis Græcia hanc arborem fecit, idque propter primariæ urbis. Athenarum inquam, nominis impositionem, cuius historia vel potiùs fabula, referente Cęs. Constantino, ita habet. *Minervæ & Neptuni certamen super Athenarum nominis impositione.* Oleam fabulantur, Athenis terra a quis adhuc obruta, primùm emersisse. Cúmque de loci principatu, déque ciuitatis dicendo nomine certarent Neptunus atque Minerva, loci illius amœnitate illecti: Iupiter controversiam dirimens, pronunciavit eum potiturum dominio, qui de ciuitate meliùs mereretur, eámque pluribus ditaret opibus Mox singuli certatim sua dona conferentes, Neptunus hanc portu & naualibus ornat. Minerva autem in Acropoli, cùm lætam virentem, tùm fructiferam Olivam edit, qua se coronans, omnium calculo victrix salutata est, ideóque civitatem suo nomine nuncupavit. Quippe, Minerva Ἀθήνη dicitur. *Victores Oleastro coronati.* Hinc spectatores Oleastro, eos qui certaminibus vicissent, coronabant. Multi Areopagorum iudicio id sancitum arbitrantur.

Oleę honorem [ut scribit Plin.] Romana maiestas magnum prębuit, turmas equitum Idibus Iulijs ex ea coronãdo... item minoribus triumphis ovantes. Athenæ quoque victores Olea Coronant. Græci vero Oleastro Olympię. Hęc Plin. Theocriti interpres ... Aristophanis Aristoteles in Pantheo Callistephani, Oleæ ramis, nõ Oleastri, coronatos fuisse tradunt. Atheniensium duces ad bellum profectu-ros fronde ex Olea sacra sumpta coronari solitos, scribit Alex. ab Alex. & Fab. Rutilianus, Equites Romanos equis insidentes & Olea coronatos, Idib. Quintilib. ab æde honoris in Capitolium transire, & transvehi statuit, ordinis eius recognoscendi & probandi gratia. Porrò, quod de Minervæ & Neptuni certamine suprà diximus, aliter ab Hygino refertur, aliter autem à Servio. Scribit enim ille, decertatum inter eosdem Deos fuisse, qui primus eorum in terra Attica oppidum conderet, secundúmque Minervam à Iove, quòd in ea terra Oleam sevisset, iudicatum. Hic autem, hoc modo: Post illorum longam contentionem Diis placuit, ut eius nomine civitas appellaretur, qui munus mortalibus melius protulisset. Tunc littus percussit Neptunus, & tellus equum animal bellis aptum produxit: Minerva autem iacta hasta, Olivam procreavit, quæ res melior comprobata, quòd pacis insigne foret. At nonnulli Neptunum tridente arcem percussisse, & inde salsi haustus aquarum scatebrâ: [vnde postea fons qui in arce fuit, fons Neptuni dictus] profluisse: Minervam verò in eadem cuspidis, hastæ ictu, Oleam evocasse, quæ, quia utilior omnibus visa est, ut ei Athenæ cederent, arbitratum.

Alij aliter, nempe post longam altercationem, in id, à litem dirimentibus conuentum fuisse, ut ambo simul Athenis præsiderent. M. autem Varro, hanc fabellam ad rem veram, hoc modo, traducit. Ædificatis Athenis, & ibi imperante indigena Cecrope, in arce spontè enata Olea, & ibidem alio loco, aquarum scaturigo. His verò prodigijs perterritus Rex, atq; timens, ne hęc portenta futurarum calamitatum forent prænuntia, certos Apollinem Delphicum sciscitatum misit. Quibus tandem respondit, uti bono essent animo, neque ostentum illud mortalium malo aliquo evenisse, verùm binorum Deorum de nominis super urbe impositione decertantium contentione. Per Oleam enim, Minervam, per undam verò Neptunum significari: liberúmq; nunc esse Atheniẽsibus, ex alterutrius Dei appellatione ciuitatẽ suam denominare. *Olea Minervam notat.* His autem à Legatis Cecropis renuntiatis, mares & fœminas, ad conferenda suffragia convocat. Per id enim tempus, mulieres ad publicas consultationes advocabantur. Mares autem pro Neptuno, mulieres pro Minerva sententiam tulêre: & quia numero plures, ut ferè ubique est in sexu fœmineo, pro Minerva vicerunt. Quare Neptunus indignatus, marinis fluctibus Atheniensium omnem terram inundavit, ut visa sit mari persimilis quædam facies. Quem, ut triplici mulierum supplicio placarent, censuerunt Athenienses. Primùm, ne quis mulieres Ἀθηναίας vocaret. 2. Ne nascentium ullus materno cen️seretur nomine. 3. Ne posthac mulieres suffragia ferrent.

Horum verò nonnulla, D. August. dum Dei magnam pluribus doctrinarum variarum cæmentis struit ciuitatem.

Fabulæ autem locum, ex re ipsa Themistoclem dedisse, Plutarchus est autor in vita eius. Etenim summo labore effecit is, uti ciues omissa navigatione, ac maris studio, arbores consererent, & regionem illis adimplerent, fertilioremque redderent, maximè verò Oleis, quarum ager Atticus apprimè ferax esset, & ex illarum fructu non minimum quæstum facerent. Vnde lex postea apud eos lata, cuius Demosthenes contra Macartatum meminit. *Lex ... ...* Ne quis Athenis Oleam effoderet, nisi ad templorum Atheniensium structuram, vel ad municipalia munera, aut cùm ad funus eundũ esset. Ad suos verò usus, quotannis binas Oleas tol-

feret: annexa etiam pœna. Quod si contra quisquam fecerit, pro singulis Oleis, drachmas centum ærario publico penduto: cuius mulctæ decima pars Minervæ sunto.

Terra Attica Olea feracissima. Ab hac autem, de nomine Athenis imponendo controuersia, sive etiam propter Oleæ arboris in illa regione feracitatem & utilitatem, postea semper Athenis in maximo honore fuit: atque in dies inolevit, & victoriam redoluit: unde factum, vt eum meliorem significare velimus, cui Olivæ ramum porrexerimus. Quod expressit Virgilianus Æneas, cùm ait:

Optime Graiugenûm, cui me fortuna precari
Et vittâ, comptos voluit prætendere ramos.

Ab eo item certamine, ferunt, postea Oleam illam à Minerva excitatam, per longissima tempora in arce perdurasse. Quæ summa religione, ac veneratione, si qua apud gentes omnes unquam alia, ab Atheniensibus & cæteris Græcis habita.

Olea sacra. Sophocles in Oedipo Coloneo sacras Oleas Athenis fuisse scribit, quarum Iupiter cognomento *Olea Moria* Morios custos erat, cuius sacellum propè Academiam erat, quòd ibi primùm, sicut & ficus inuenta sit.

Dicitur Halirrhotius Neptuni filius, Oleas in odium Palladis excidere voluisse, atque cùm id tentans aberrasset, sibimet securim impegisse, indéque occubuisse: A quo casu ille Oleæ nomen desumpserit, hæc verò (sive ob prædictum Iovis cognomentum: sive à portione [quæ Græcis μέρος, μοῖρα, μέρισμα, μοιρὶς & μόριον] quámque Panathenæis persoluebat quisquis Oleas possidebat) Morias dicta.

Herodotus autem in arce Athenarum templum Erechtheios terrigenæ fuisse scribit: & in eo Oleam Minervæ, & mare, in Neptuni & illius testimonium dissensionis. *Olea Minervæ.* Hæc autem arsit, cùm Athenæ Medorum incendio conflagrassent: sed eodem die ad duorum cubitorum altitudinem repullulasse autor Pausanias. Persæ iterum cùm Xerxes Græciam invasisset, illam exusserunt. Ad quam quum Athenienses, altera ab incensione die, ad rem divinam missi templũ ascédissent, fructificasse invenerunt, edito à stipite, virgulti instar. In foro *Oleæ ara.* quoque Oleæ ara fuit, ut in Atticis Pausanias meminit, quam præ cæteris aliis Græcis Athenienses magis colebant, quoniam humanæ vitæ & rerum difficultati potissimùm conducat.

Olea Milesia. Fuerunt & alię apud Gręcos Oleę sacrę: ut illa apud Milesios, quę post divitum ac popularium intestina & perniciosa bella, sponte exaruit. Apud *Oleum ex Olea fluens.* Sicyonios ante Minervæ templum ab Epepeo extructum, effluxisse Oleum, à multis observatum.

Inter autores eodem referente Curtio, non benè convenit, sub qua arbore Latona Apollinem pepererit. Euripides enim in Hecuba, Palmam primùm in Delo insula natam prodidit, Latonámque eam amplexatam Apollinem edidisse.

Tacitus autem, lib. 3. de Ephesiorum legationibus ad Senatum missis, Latonam partu gravidam, apud Cenchrium amnem prope Ortygiam Oleæ adnixam, Dianam & Apollinem enixam scribit: Ephesiósque, Tiberio imperante, Romam venisse, memorantes, non [vt vulgus crederet] Dianam atque Apollinem in Delo genitos, esse apud se Cenchrium amnem, lucum Ortygiam: atque ibi Latonam partu gravidam, & Oleæ, quæ tum etiam maneret, adnisam, edidisse numina ea, deorumque monitu sacratum nemus.

Sed arborum harum duarum dissidium Ælianus diremit: nam in Delo esse & Oleam & Palmam tradit, quibus à Latona tactis, ipsa subitò pepererit, quod anteà facere non potuerit.]

De Dianæ atque Apollinis natalitiis alij aliter: Sed iam, ne quid πάρεργον, omissis Græculorum commentis ad naturalem Oleæ historiam redeamus, atque Olearum differentias tradamus.

Differentia Olearum. Olivarum, inquit, Theophrastus, lib. 6. caus. c. 12. multa sunt genera, ut in historiis dictum: & paulò antè Olearum genus, quod Ægyptium vocamus, vbertate ac magnitudine fructus excellit. Alterum verò Oleiferum, [θάτερον δὲ ἐλαιῶδες.] Sed sibi non admodum constare videtur, multa dicens genera, & duas tantùm notas tradens: nisi, ut Scaligero placet, duo constituat Olearum fastigia summa, αἰγύπτιον καὶ ἐλαιῶδες: sub quorum altero, scilicet Oleifero, multas esse species agnoscat, quanquam, ut ingenuè fateamur, locum nondum observaverimus, ubi tot specierum meminerit.

Olea Callistephanos Arist. Arist. meminit Oleę in Pantheo καλλιστέφανος dictæ, de qua postea seorsim trademus.

Videntur autem Olearum differentiæ desumptæ, vel à forma, vel à colore, vel à succo, à loci varietate, à magnitudine fructus, eiusdémq; saporis ac bonitatis diversitate. Neque verò ad Olearum censum pertinet Olea lapidis specie, quæ Theoph. *Olea lapidis specie.* autore, cernitur in sinu Heroo ad quem descendunt Ægyptij, parte à mari eminente: non viridis, similis tamen viridibus, tam foliis, quàm germinibus. Columella Olearũ sicut Vitium plura genera esse arbitratur. Sed in eius notitiam decem tan- *Differentia Colum.* tùm pervenerunt, quarum hæc nomina: Pausia, Algiana, Liciniana [Cniana, Curt.] Sergia, Nevia, Culminia, Orchis, Regia, Circites, Murtea [Myrtea Curt.] Ex quibus bacca iucundissima est Pausiæ: *Pausia, Regia.* speciosissima Regiæ, quæ potiùs escę, quàm Oleo est idonea. Pausiæ tamen Oleum saporis egregij dum viride est, vetustate corrumpitur. Orchis *Orchis Radius.* quoque & Radius meliùs ad escam, quàm in liquorem stringitur. Optimum Oleum Licinia dat, *Licinia.* plurimum Sergia: omnisque Olea. Et maior ferè *Sergia.* ad escam: minor Oleo est aptior. Idem tamen & Calabricam Oleam citat alibi, quam quidem propter similitudinem Oleastellum vocant.

Differentia Virgil. Genera Olearum tria dixit Virgil. Orchites & Radios, & Pausias:

Nec pingues unam in faciem nascuntur Olivæ,
Orchita, Radiique & amara Pausia bacca:

Nec desiderare rastros, aut falcem, ullámve curam.

Differentia Plin. Audiamus & Plinium: sic ille, libri decimiquinti, capite tertio. Omnino in vita error est publicus, tumore Olivæ crescere Oleum existimantium: præsertim, cùm magnitudine copiam Olei non constare, indicio sint quæ Regiæ vo- *Regia. Maiorina.* cantur, ab aliis Majorinæ, ab aliis Phauliæ [tales afferuntur ex Hispania & Africa] grandissimæ, alioquin minimo succo. Et in Ægypto car- *Aegyptia.* nosissimis Olei exiguum. Decapoli verò Syriæ perquàm parvæ, nec Cappari maiores, carne tamen cõmendantur. Quã ob causam Italicis transmarinę preferuntur in cibis, cùm Oleo vincantur. Et in ipsa Italia cæteris Picenæ & Sidicinæ. Sale illę *Syriaca. Sidicina.* primùm [privatim. M. Vet. & CH.] condiuntur, & vt reliquæ, amurca [Muria Vet.] sapáve. Nec non aliquę Oleo suo, sine accersita commendatione purę innatant, Colymbades. Franguntur eædem, *Colymbades.* herbarúmque viridium [præcipuè fœniculi, in Narbonensi Gallia. Dal.] sapore condiuntur. Fiunt & præcoces ferventi aqua perfusæ, quamlibet im- *Præcoces.* maturæ [hæ Postremæ factitiæ sunt: de quarum condiendi modo infra dicetur.] Mirúmque, dulcem

cem succum Olivas [immaturitate acerbas. Dil.] bibere, & alieno sapore infici. Purpureæ sunt & in iis, ut uvis in nigrum colorem transeuntibus, *Pausia. Superba. Prædulces.* Pausiæ. Sunt & Superbæ præter iam dicta genera, Sunt & prædulces, per se tantum [nulla conditura] siccatæ, uvisque passis dulciores, admodum raræ in Africa, & circa Emeritam Lusitaniæ. In Africa *Miliariæ.* verò (fides penes autores erit) Miliarias vocari multas narrant à pondere Olei, quod ferant annuo proventu. Ideo lxxv. pedes Mago intervallo dedit undique: etiam in macro solo ac duro, atque ventoso, cùm minimum xlv. Laudatur & *Africana. Aquilia. Alexandrina.* Africana, Aquilia, & Alexandrina, vt annotavit Curtius.

Orchites unde. Archemora. Dicamus & Etyma. Grandis, inquit Varro, Olea vocatur Orchitis, à similitudine ut credo testium: antiquitus Archemora. Probus à magnitudine sic dictã vult, quòd testib. ferè par sit, Archemoram verò *Radius unde. Radius maior. Posia.* itidẽ, quia grandis est. Radius à longitudine dicitur, ut ait Servius, unde Varro Radium maiorem dixit. Pausia à Catone Posia, ex literarum cognatione, & à Probo Possia appellata. A paviendo, id est, tundendo dictam Servius autumavit, aliter enim Oleum non reddituram. Alij tamen à sapore dictam volunt, quòd fiat, ut ait Curtius πικρόν. Sunt etenim baccæ eius succi amarioris, ideo *Sergiana.* incomestibiles. Sergiam Columellæ, Sergianam vocat idem, & Colmineam quam ille Culminiam, cui Plin. præcipuam gloriam tribuit, & quæ Licinianum Oleum in Venafrano Italiæ agro ferret. M. *Cassinata. Georg. 2.* tamen Varro eam, quæ in agro Cassinate, præfert, etiam autore Virgilio.

> *Neu segnes iaceant terræ: iuvat Ismara Baccho*
> *Conserere, atque Olea magnum vestire Taburnum.*

Sabina. Bætica. In Sabinis etiam laudatissimæ. Bætica item Hispaniæ regio Olivis fertilis. Silius:

> *Palladio Bætis ornatus cornua ramo.* Et alibi.
> *Nulla Palladia sese magis arbore tollit.*

Arbor Palladia. Licinia. Liciniæ unguenta palmam dedere, accommodato ipsis odore: dedit & palatum, delicatiore sententia. De cætero etiam Liciniæ baccas nulla avis appetet.

Præter antè memorata Plin. & Albigerem & Salentinam posuit, inquit Curtius, quarum neutram adhuc legerimus. Idem Radium ab aliis Ma- *Maiorina.* iorinam dici putat à magnitudine. Græcis etiam, *Phaulia. Trambelli.* autore Polluce φαυλία, quam hic Colnidam & Trabellum vocat. Apud eundem, Pherecrates Trambellos in Oleastro insitas Oleas vocabat. Est *Echinus. Ischades. Gergerimæ. Drypetes. Nitrides. Cotinides. Arabica.* & Echinus genus Oleę, & Ischades & Gergerimæ. Apud Polluc. etiam reperiuntur Drypetes, & Nitrides, quas Pherecrates Cotinidas vocavit. Erit ergo ex Polluce eadem cum Phaulia. Hęc Curtius. In Mari rubro, inquit, Hermol. vivit Olea, quę vocatur Arabica, baccis ferè nostratibus, fungos cùm largi ceciderunt imbres, educans, qui tacti sole in pumicem durantur, ex qua manat lachryma inhibendo vulnerum sanguini expetita medicis, de qua specialiùs postea. Celebratur & cognomi- *Strepta Herculis clava.* nata στρεπτή, ab intorta specie: sed ea loci nomen est circa Epidaurum, adiecta fabula, evenisse ita et circumactu manus, Hercule illac meante: Nam reverso ex Hyperboreis, volunt ex Oleastro, Græciæ prius ignoto, fuisse clavam, quæ mox *Pausaniæ superstitio.* apud Troezenios, aut certè ad Alpheum amnem refloruit: si Pausaniæ credendum est, homini quidem satis docto, sed superstitioso, qui divi Adriani & Antonini temporibus floruit.

Ilex & Olea. In Arcadia spectari solitam affirmat ille arborem, è cuius radice unà Ilex & Olea nasceretur in quodam fano.

Syracusis, ut Diodorus autor est, in frondibus *Syracusis mos.* Olearum, scriptis optimatum nominibus, discessione facta, irrogabatur quinquennale civibus exilium: de quo argumento genus id mulctæ πεταλισμὸς appellabatur, ut Athenis Ostracismus. *Mulctæ genus.*

Nunc ad ea genera, quæ ex hominum artificio sunt, prout à Curtio, & à nobis ex diversis autoribus collecta fuerunt. Colymbades (perperam nonnulli autores Columbares) conditæ erant, *Conditurarum differentia. Colymbades.* ideo sic dictæ, quòd oleo suo, puræ, non exquisita commendatione innatent & quasi urinabũdę fluitent: κολυμβᾶν enim urinare est, seu natare. De quibus & Diosc. ut dicetur in viribus. Hæ & ἁλμάδες vocantur ab Athen. quæ & νηκτρίδες à *Halmades. Netrides. Netrides.* Polluce, ἀπὸ τοῦ νήχεσθαι quod innatent Oleo, ut annotat Const. Sunt & Netrides appellatæ, quia natent, apud Pollucem. Idem autor Cotinidas nominat, quas & Phaulias & Trambelos dici ait.

Halmades sic nuncupatæ videntur, quod sale *Athen. emend.* condiantur, cùm ἅλμη muria sit: easque malè cum Colymbadibus confundi tradunt Hermol. & Curtius: siquidem, ut inquit Paulus, Colymbades oleo suo puræ, hoc est, sine accersita commendatione quasi urinabundæ innatent: Halmades verò cum fœniculo condiantur, ut scribit Hermippus.

Pityridæ sive Pyrenæ sunt genus Olivæ fractæ: Herm. nucleos & fresas, & furfuraceas interpretatur: Epityra falsò diserunt quidam, cùm sit Epityrum, ut Varro inquit, Siculum edulium, de quo *Pityrida. Pyrenæ. Thlasta.* alibi plenissimè dictum. Oleas autem contusas Comici τρίτας vocarunt: de quibus in Nisis Aristoph. Nunc Thlastas vocant. Sunt & Stemphylides dictæ. Græci enim quæ pressis Olivis supereſt, *Stemphylides.* στέμφυλα vocant: Latini fraces. Stemphylides Athen. l. 2. etiam Olivæ nigræ.

Posteritas hac cura & satagentia perquirendarum Olivarum, vel etiam colendarum non tenetur. Cæterùm tam Diosc. quàm Gal. etiam que recentioribus Herbariis Oleæ alia domestica, de cuius differentiis nunc agitur: alia sylvestris, de qua postea specialiùs tradetur.

Nobis verò, vt & aliis Olearum differentiæ αὐτοπτικῶς observatæ, sunt. 1. Olea cõmunis, pas- *Communis.* sim in Italia, & Gallia obvia: in qua varietas quędam, ut in descriptione observatum. 2. Quæ fru- *Alba.* ctus fert albos. Sed à fructus magnitudine & loco hodie tam Olearum, quàm Olivarum potissima differentia. Lusitanicæ Oleæ, teste Clus. minores *Lusitana.* Olivas producunt, sed multum Olei eiusque præstantissimi præbentes. Sic etiam nonnullę, quæ in Narbonensi Gallia & Bætica nascuntur Oleę, mi- *Narbonenses.* norem fructũ ferũt, ex quo plus Olei exprimitur, etiam illi quod è maioribus Olivis elicitur, longè præferendi. Circa Hispalim, & crassior Oliva at- *Hispalenses.* que etiam minor, nonnunquam & alba: quam & circa Vlyssiponem nasci, Cl. eques Damianus de Goes, idémque vir doctissimus, in quodam suo prædio asserebat. Olivis Comensibus, ad Lacum, *Comenses.* inquam, Comensem propè Mediolanum natis, atque conditis nihil sapidius & suavius. quamvis & macræ sint, & propemodum, respectu maximarum, quas Hispanicas vocant, exuccæ videantur. *Hispanæ.* Eóque nomine & à delicatioribus Italis celebratæ. At magnæ illæ, etsi succulentæ amaritudinem insignem habent, dulcoris minus: acerbitatis amaræ, hoc est, amurcæ, magis. Diversæ magnitudinis Venetiis, & Genuæ vidimus & gustavimus, magnas, mediocres, parvas, quæ semper nobis sapore istis præferebantur, quippe minùs amaræ.

Hetruria, teste Matth. plura non novit Olea-

Digitized by Google

Tria genera Ital. rum genera, quàm tria, præsertim Senensis ager. Primum genus earum est, quæ licet à minoribus
1. Olearum plantis proferantur, sunt tamen spectata forma & magnitudine, Bononiensibus quidem non inferiores. His tantùm muria asservatis utuntur in cibis, quandoquidem Oleo minùs aptæ sunt, quòd multò plus amurcæ quàm Olei fundant.
2. Proximæ tum colore, tum magnitudine præstantes, quamvis prædictis longè minores sint, sunt tamen omnium aptissimæ ad Olei conficiendi usum, quippe quòd Oleum ex eis expressum sit non modò flavum, dulce, pellucidum, ac cæteris præstans, sed etiam copiosum. *Olea procera admodum. Olivastrū Hetruria.* Gignuntur hæ à procerissimis Oleis, prægrandibus, Iuglandium Nucum instar, ramos in altum latúmque amplissimè fundentibus. Eas rura Olivastrie vulgò vocant.
3. Tertij generis eæ sunt, quę passim in Italia nascũtur, & omnium vulgatissimæ habentur. Laudatissimæ Olivæ Bononiensibus & Hetruscis crassiores, muria asservatæ Romam, Venetias & ad alias complures Italiæ clarissimas urbes, ubi opiparæ & magnificæ parantur mensæ, ex Hispania importantur.

Differentia Cæsalp. Olearum differentiæ, inquit, CÆSALP. ex fructu magis, quàm arbore spectantur, scilicet pro magnitudine, pinguedine & probitate. Idem veterum & Plinij differentias quasdam illustrat, suis applicat, & legendi tempus addit. *Pausia.* Pausias primò purpureas, deinde in nigrum transeuntes, plurimum carnis habentes, Autumno colligendas dicit, sicut & Orchites. *Orchites. Radij.* Radios tenerrimas, unde citissimè eas occupat æstas, & amurca cogit decidere. *Licinia.* Liciniam in agro Venafrano callosam in Martium mensem durare, probatissimum Oleum fundere: eius baccas aves non tangere. *Cominia.* Cominiam similiter callosam. *Regia.* Regiam, quæ & Phaulia, & Maiorana grandissima, non nigrescere ante Februarium, eodémque tempore & Sergiam. *Sergia.* Hodiè grandissimas ex Hispania Nucis magnitudine adferri solitas, meritò Superbarum titulo decorandas. *Superba.* Italicas, quæ minores rotundiorésque plurimum Olei habentes, Olivolas vocari: *Olivola.* quæ majusculæ & oblongæ dulcissimum Oleum reddentes, sed parcius, *Raggiana. Regia.* Raggiarias à radiis nomine deflexo: Et Regias quæ majores adhuc pulposioresque ad condituras tantùm quæsitæ.

Sunt & quædam, quarum caro abscedit ab osse cùm franguntur virides, quæ conditæ gratissimæ fiunt, quas Colymbades putat idem. *Colymbades.*

Drupa. Olivas omnes, cùm nigrescere incipiunt, δρυπεπεῖς Græci, Drupas Latini vocant: quæ optima ætas ad decerpendum: nam maturiores pinguiori quidem succo constant, sed minùs grato, immaturiores Oleum reddunt præstantissimum, quod Omphacinum vocant, sed exiguum.

Oliva aquatica. Meminit Serapio Olivarũ aquaticarum, sed quales illæ sint, incertum adhuc. *Oliva nova Smaragdino colore.* Item Olivarum novarum, colore Smaragdino: hæ recentes videntur, & immaturæ, & virides: dicit enim Smaragdinas, & subdit mox. *Nigra matura.* Et Olivæ nigræ maturæ sunt paratæ corruptioni: & c. in viribus. Ita ut hîc non species, si aquaticam eximas, sed maturitatis gradus & perfectio intelligenda sit. Scribit enim Bellon. in Græciæ monte Athos Monachos vesci Olivis nigris conditis, quas vocant Demarties: *Nigra condita.* sed eas non peculiarẽ quandam speciem, & à suprascriptis distinctam censemus, cùm iam olim in usu fuerint, & eas condiendi modus tradatur à Columella: aitque ex Pauseis vel Orchitis, nonnullis etiam Næviis dictis, parari solitas. *Pausea. Orchita. Nævia.* Ad nos rariùs importantur, aut certè vix, nisi fortè magnatibus. Sed & in Italia insolentiores esse putamus. *Minima.*

In Galliam, notante BRVYERO comportantur Capparum amplitudinem vix excedentes: in cibis autoritatis non obscuræ. Hispanicas illas grandissimas præ cæteris ideo expeti censet, quia ex longinquis terris quæsitæ. Mediæ magnitudinis esse Narbonenses. Italis tamen transmarinas præferri in cibis, Oleo ab iisdem vinci.

Illæ Olearum differentiæ à forma & sapore potissimum desumptæ sunt: reliquas præterimus: nam, quę à locis & inventoribus petuntur explicare, infiniti esset laboris.

Nominis originẽ quod attinet: Olea ἐλαία Græcis dicta, & Oleum ἔλαιον, ab ἔλεος, ut quidam volunt id est, misericordia. *Nomina & Synonima Linguar.* Nam supplicantium symbolum esse Oleam, supra dictum. ἐλαία ἥμερος Diosc. & Gal. Olea sativa, sive domestica. Dicitur & καλλιελαία, quam nos sativam, ut ab Oleastro differat, quem vocant ἀγριελαίαν. Oliva Virg. Palladia arbor: ἐλαία Platoni de Repub. fructus Oleæ est: ἐλαία verò arbor, ἐλαίη ἡμέρη Herod. ἐλαΐς Aristoph. Latini etiam quandoque Termitem, quanquam etiam Termes vocentur vermiculi qui carnibus & lignis ingenerantur. *Termites. Thalea.* Vt Cradæ Fico, ita Thaleæ tribuuntur huic arbori, utique apud nos [Italos] inquit Hermol. At Græci, ut scribit Pollux, Thalos non Oleagineos solùm, sed vitigineos quoque ramos nominant interdum.

Eresionem porrò Athenis sive Iresionem vocabant plantam Oleagineam, velleribus & corollis involutam: *Eresio Iresio.* unde & nomen, contra pestilentiam foribus imponi solitum, ut est apud Aristoph. quam etiam Corythalion dicebant, & qua (ritu teste Hermol.) Romanis non incognito) in Lustrationibus utebantur.

Græci etiam Oleam, ut dicebamus, in Academia satam, Moriam vocabant. Alij notante Curtio, sic distinguunt, ut Oleas publicas, Morias vocitent. *Moria.* Cæteri Moriæ stipitem σηκὸν dici volunt.

Caper Grammaticus Olivam arborem esse dicit, Oleam verò fructum, Oleum liquorem. *Oliva. Olea Oleum.* Sed ea differentia parum obseruationis in duobus primis apud classicos autores habet: quod Virg. testimonio demonstrare facilè est. Ait enim, Georg. 2.

Sed truncis Oleæ meliùs propagine vites
Respondent. ——

Vt & Varronis, apud quem Oleam conditaneam pro conditiva Oliva legas: frequentior autem & usitatissimus modus est, ut Oleam pro arbore, Olivam pro fructu ponamus. *Epitheta.*

Ἀειθαλής, dicta quod perpetuò niteat. Hinc Ouid. — Ramis semper frondentis Olivę. Poëtæ Paciferam, Pacalem, Pacatam, Insontem, Pacificam, Liciniam, Pisæam, Picenam, Atticam dicunt, & quamplurimis aliis Epithetis ornant. Arab. *Zaitun*, vel *Caiton*, vel *Zaitron* est Oliva, & *Cair*, vel *Cair*, Oleũ, ut à quibusdã scriptũ invenitur. *Zaitun Arab.* Germ. Oelbaum / Oliuenbaum / Olberbaum / Belg. Olijuenboom / Gal. *Olivier*, It. *Olivo domestico*. Hispan. *Azeytuno*, Castil. *Oliva*: Catal. *Olivera*, Port. *Oleyvera*, Angl. Olive tree. Bohem. Oliwa / Hungar. Olaysa. Nucleum vocant veteres Sansã, vel Samsa, ut videre est ap. Colum. *Sansa.* Quidam Naucum, unde proverbium nauci facere. Nodos Oleę rustici Itali *Ova Olearum* vocant, de quib. in morbis.

Oleæ, ut scribit Theoph. apprimè competit solum Campestre, ita ut meridiem præcipuè spectet, argilaceum, atque etiam magis candidum, in quo fertiliores evadunt: *Locus & natura.* id enim multum vaporis, flatúsque continet, quod natura Olearum desiderat. Nulla ex iis generibus, quæ ex Colum. diximus, ut ipsemet prodidit, aut perservidum, aut gelidum statum Cœli patitur. Itaque æstuosis locis, Septen-

Septentrionali colle: frigidis, Meridiano gaudet. Sed neque depressa loca, neque ardua: magisque modicos clivos amat, quales in Italia Sabinorum, vel tota provincia Bætica videmus.

Hanc arborem plerique existimant ultra milliarium sexagesimum [quadragesimum. Plin.] à mari, aut non vivere; aut non esse feracem. Sed in quibusdam locis rectè valet, ut abundè videre est in toto tractu maritimo Narbonensi, Liguriæ, & reliquis Italiæ.

Optimè [addit Colum.] vapores sustinet Pausia, frigus Sergia.

Aptissimum genus terræ est Oleis, cui glarea subest, si superposita creta sabulo admista est. Non minus probabile est solum, ubi pinguis sabulo est. Sed & densior terra, si uuida est & læta, commodè recipit hanc arborem.

Quæ terra improbetur. Creta ex toto repudianda est: magis etiam scaturiginosa, & in qua semper uligo consistit. Inimicus est etiam ager sabulo macer, & nuda glarea. Nam etsi non emoritur in ejusmodi solo, nunquam tamen convalescit. Potest tamen in agro frumentario seri, vel ubi Arbutus aut Ilex steterant.

Quercus inimica Oleæ. Nam Quercus etiam excisa radices noxias Oliveto relinquit, quarum virus enecat Oleam. Hanc ita Quercum aversari Costæus quoque scribit, ut in scrobe posita, in qua Quercus crevit, non vivat. Et Plin. Olea ubi Quercus effossa sit, malè ponitur: quoniam vermes qui Raucæ [leg. Erucę ex Theoph.] vocantur, in radice Quercus nascuntur & transeunt. *Plin. Corvill.* Et si Olea consitum in confinio Quercetum habuerit, non solùm non feret, sed etiam fugiet, introrsúmque se in fundum abiiciet, si Hermol. credimus. Et rursus alibi Plin. Quercus & Olea tam pertinaci odio dissident, ut altera in alterius scrobe depactæ moriantur.

Glareosum Oleis solum aptissimum in Venafrano, pinguissimum in Bætica. Nec omittenda quę Florentinus Græcus scriptor Geoponicus de Oleæ loco natali prodidit. Aër inquit calidus & siccus Oleæ commodus est, quod ipsum in Libya & Cilicia videre est, & provenientibus in ipsis Oleis. Auxiliantur autem ad aëris commoditatem, etiam terræ figuræ acclives & altæ. In talibus enim propterea quòd superexcellens solis ardor à ventis perfrigeratur, optimum Oleum provenit, & ejusmodi quale Omphacinum & Omotribes appellatum præparatur. Quæ verò in Campestribus sunt Oleæ, & minus à ventis mouentur, & vehementius à sole incumbente aduruntur, atque propterea crassum Oleum remittunt.

In universum autem observandum, quod venti non plantas modò, sed omnia vivificant, quemad. vehementes & impetuosi venti omnibus sunt contrarij. In totum verò plantis quidem maximè *Ventos illi amant.* omnibus, præcipuè verò Oleæ conferunt. Virides igitur potissimum illas Olearum plantas reperies, ad quas venti flatus ingreditur, latis spatiis in medio plantarum relictis, per quæ ventus liberè inspirare potest. Ob id enim & ardua & acclivia loca Oleæ valdè commoda esse diximus, quòd videlicet semper ventum tepidum suscipiunt, ut nihil præterspirare possit, sed æqualiter per singulas arbores penetrare, ipsiúsque plantæ augmetum excitare ac eà connutrire. Humidior sanè terra floridiores & pinguiores Oleas producit, ob quam causam, hæc terra prẹferenda est. Secundum locum habet argilla alba. Tertium argilla dura. At verò profundam terram non laudamus, neque item rubram. Calida enim existens plantas comburit. Multò verò magis fugienda est defossa. Fructum enim macrum fert, & germen aquosum. Aptissima autem est Oleis terra tenuis, cui testimonium Attica præbet. In Cyrenensi agro, autore Theoph. Olea optimè prodit, Oleúmque plurimum fit: Circa agrum Thebanum quoque Olea gignitur, non aquis fluuijs irrigua: (distat enim plus quàm trecentis stadiis) sed manantibus spontè aquis: multi enim fontes in eo sunt tractu. Ipsum verò Oleum nihilo deterius nostrate, nisi quòd deteriùs olet, quoniam naturâ sale rarò utuntur.

Oleam porò Theophrastus [ut refert Plin.] è celeberrimis Græcorum autoribus urbis Romæ anno circiter CCCCXL. negavit nisi intra XL. [LX. Colum. & M.] passuum à mari nasci: Fenestella verò omnino non fuisse in Italia, Hispania atque Africa, Tarquinio Prisco regnante ab annis populi Rom. CLXXXIII. Quæ nunc pervenit trans Alpes quoque & in Gallias Hispaniásque medias. Vrbis quidem anno DV. Appio Claudio Cæci nepote, L. Iunio Coss. Olei libræ duodenæ [duodenis Vet.] assib. veniêre. Et mox DCLXXX. M. Seius [aliis Servius] L.F. Ædilis curulis Olei denas libras singulis assib. prȩstitit populo Rom. per totum annum. *Olei pretium olim Romanum.* Minùs ea miretur, qui sciat post annos XX. Cn. Pompei IIII. Consulatu Oleum provinciis Italiam misisse. Hesiodus quoque in primis cultum agrorum docendam arbitratus vitam, negavit Oleæ satorem fructum ex ea percepisse quenquam. Tam tarda tunc res erat. At nunc etiam in plantariis serunt, translatarúmque altero anno decerpuntur baccæ.

Fabianus negat provenire in frigidissimis Oleam, neque in calidissimis. Habetur tamen etiam in solo & cœlo Septentrionali, sed fronde flaccidiore, latiore & ferè saligna, ubi nihilosecius perennis viroris est, sicut Londini in Cæcil j vireto operis & stirpium novitate visendo, ut annotarunt Adu. Stutgardię in horto, si quis alius in Germania, regio, plures & pulchras videas arbores, nec exiguas etiam Basil. in horto D.D. Plateri. Sed & nos aliquando aluimus Montbel. Verùm hyeme reponendæ in omnibus his dictis locis frigidioribus.

Alioqui eius lucos perennes densissimos & amœnissimos alunt apricæ tepidiores convalles Hispaniæ, Gallo provinciæ & Narbonæ. In Italia nihil ea frequentius. Bellonius in Lemno paucas Oleas reperiri scribit, in hortis verò Cretæ coli, atque in Syria lætas provenire, vt & in agro Hyerosolymitano.

Mons ille altus, inclytus & sanctus vocatus, è regione Hierusalem ad Orientem situs, in cujus *Mons Oliveti.* vertice Rex David à facie filij sui Absalon fugiens, flens & nudis pedibus Deum adoravit. In quo filius ejus Salomon omnis pietatis oblitus, Astaroth idolo Sidoniorum (è regione Hierosolymitani Templi ex quo omnis quæ ibi peragebatur idololatria prospici poterat) Fanum erexit: Et quem Christus orationis & quietis gratia sæpe frequentavit, atque è cujus summitate in cœlum ascendit: palmis quidem, myrtis alijsque fructiferis arboribus abundabat: sed tamen ab ubertate frequentium in eo crescentium Olivarum, *Mons Oliveti & mons Olivarum*, Latinis: Græcis verò ὄρος τῶν ἐλαιῶν dictus est.

Plurimæ circa Benacum nascuntur: multæ etiam circa Roboretum apud confœderatos Helvetiorum Rhætos: propè sed ultra alpes, Insubriam versus.

Olea florentibus iam Punicis germinat. Concipit Vergiliarum exortu. Hoc sidus illarum est. *Tempus.* Floret autem paulò seriùs quàm Vitis, quæ Sol-

Digitized by Google

stitio floret. Deflorescunt omnia septenis diebus, non celeriùs: quædam tardiùs, sed nulla pluribus bis septenis. Omnia intra VIII. Idus Iulij, Etesiarum præcursu. Nec statim fructus sequitur in aliquibus. Hæc Plin.

Tempus. Iunio mense magna ex parte omnes Oleæ florent: sed in Germania & locis Septentrionalibus tardiùs, ubi quàvis diligētissimè colatur Olea, nihil præter florem producit, idque in calidiori ejus parte. Baccæ decerpuntur Novembri ac Decembri. In Granatensi regno, teste Clus. primùm Februario colligitur Oliva, plerisque verò Hispaniæ locis Decembri, ut & in Gallia Narbonensi. Hi quidem perticis decutiunt, illi autem rarissimè, sed potiùs admotis scalis manu legunt, ne sequentis anni spem decussis germinibus præripiant: Vehementer enim laborant Oleæ percussæ, & detrimentum capiunt.

Legendi modus. Sequamur igitur M. Varronis consilium sic præcipientis: De Oliveto, Oleam quam manu tangere possis è terra aut scalis legere oportet potiùs, quàm quatere, quòd ea, quæ vapulavit inarescit, nec dat tantum Olei quæ manu stricta. Melior ea, quę digitis nudis legatur q̄ illa quæ cum digitalib. durities.n. eorum non solùm stringit baccam, sed etiam ramos glubit, ac relinquit ad gelicidium detectos. Quę manu tangi non poterūt, ita quati debent, ut arundine potiùs quàm pertica feriantur: gravior enim plaga medicum quærit. Qui quatiet, ne adversam cędat, sæpe enim ita percussa Olea secum defert de ramulo partem, quo facto, fructum amittunt posteri anni, ut hæc non minima causa, quòd Oliveta dicantur alternis annis non ferre fructus, aut non æquè magnos. Hæc ille. Hinc Plin. Qui perticis, inquit, decutiunt Olivas, cum injuria arborum, sequentisque anni damno id faciunt. Quippe Olivantibus lex antiquissima

Lex Olivātium vetus. fuit: Oleam ne stringito, néve verberato. Qui cautissimè agunt, arundine levi ictu, nec adversos percutiunt ramos. Sic quoque alternare fructus cogitur decussis germinibus. Nec minùs, si expectetur ut cadat.

Hærendo enim ultra suum tempus, absumunt venientibus alimentum, & detinent locum. Argumentum est, quòd nisi ante Favonium collectę, novas vires resumunt, & difficiliùs cadunt. Prima

Colligendi tempus, ejusque diversitas. ergo ab autumno colligitur, vitio operæ, non naturæ, Pausia, cui plurimum carnis: mox Orchites, cui Olei: pòst Radius. Has enim ocyssimè occupatas, quia sunt tenerrimæ, amurca cogit decidere. Differuntur verò etiam in Martium mensem Callosæ, contra humorem pugnaces, ob idq; minimę, Licinia, Cominia, Cōtia, Sergia, quā Sabini Regiam vocant, non ante Favonij afflatum nigrescentes, hoc est, ad VI. Idus Febr. Tunc arbitrantur eas maturescere. Et quoniam probatissimum ex iis fiat Oleum, accedere etiam ratio pravitati [pravè iudicantium hominum opinioni D.] videtur. Ferúntque frigore (exactę hiemis, qua memorata Olivarum genera non colliguntur D.) sterilitatem [sua-

Hoc emēd. vitatem D. quæ lectio meliùs placet.] fieri, sicut copiam maturitate) cùm sit illa bonitas non temporis, sed generis tardè [tarditate D.] putrescentium in amurcam.

Optima autem ætas ad decerpendum inter copiam bonitatémque, incipiente bacca nigrescere. Sed quando & quomodo vindemiare, atque Oleas legere oporteat, omnium familiarissimè no-

Quomodo & quando vindemiare atque Oleas legere oporteat. bis videtur tradidisse apud Cæs. Constant. Paxamus Geoponicus Græcus, sic tradens. Tempus ad Olei communis confectionem accommodatum est, quando maior pars dimidij fructus apparuerit nigrescens. Accelerare autem collectionem convenit, antequam glacies cor geletur: faciliùs enim, & copiosiores fœtus exhibebunt. Collectio ipsa fructus facienda est sereno tempore, & minimè pluvioso. Nam humectum germen imbecillius fit & facilè frangitur. Ob quam causam neque minutis imbrium guttis delabentibus, ramos movere oportet, neque fructum auferre, priusquam omnis humiditas ab arboribus sit discussa. Si verò lutosum sit solum, stramenta aut storias, aut tale quiddam substernito. Si verò nihil ejusmodi adsit, Olivas aqua calida lavare convenit: post purificationem enim, fructum ampliorem reperiemus. Quapropter, etiamsi non inquinentur luto, si fieri id potest, lavandæ sunt ex calida aqua. Quidam rectè faciunt, qui solùm manibus ramos quatiunt, ut fructus excutiatur. Virgam autem Oleę non admouent, quoniam in posterum minùs fructuosa inde evadit. Sed & ipse fructus violenter delapsus sauciatur, lapides, aut duras glebas offendens: & terræ qualitas contracta ipsum Oleum terreum faciet. Triangularia igitur scabella preparare oportet, & latam tabulam supernè imponere, ut in ipsa stantes Olivas decerpant. Sed ad arboris historiam redeamus.

Oleam Theoph. diuturnam dicit vitámque ei ducentos annos longissimam esse tradidit. Quare *Ætas Oleæ.* Virg. Georg. 2.

Difficiles primùm terræ collésque maligni
Tenuis ubi argilla: & dumosis calculus arvis.
Palladia gaudent silva vivacis Olivæ.

Et alibi: prolem tardè crescentis Olivæ, dixit. Nam lentè admodum crescit. Ideo difficilem auctu dixit Theoph. & Plin. firmissimas ad vivendum Oleas dixit, ut quas durare annis CC. inter autores conveniat. *Tardè crescere.*

Hanc in crescendo cinere è calcariis fornacibus maximè advivari Costæus ait esse observatum.

Olea omnibus provenit modis, inquit Theoph. præterquam surculo. Defixa enim nequit germen edere. Olivę nucleū aliquoties sevimus, sed irrita spe. Tradit tamen Theoph. sylvestrem Oleam ex sativæ nucleo nasci. At quæ custodienda in Olearum cultura Cato judicaverit, ipsius verbis, secuti Plinium, optimè precipiemus. Taleas Oleagineas, quas in scrobe saturus eris, tripedaneas decidito, diligēterq; tractato, ne liber laboret, cùm dolabis aut secabis. Quas in seminario saturus eris, pedales facito, cásque sic inserito. Locus bipalio subactus sit, benéque terra tenera glutus. Cùm taleam demittis, pede tantùm opprimito: Si parum descendat, malleolo aut mateola adigito, cavetóq. ne librum scindas. Cùm adigis, palo priùs locum feceris, quo taleam demittas: & ita si severis, utiliùs fiet talea, meliúsque vivet. Et ubi trimę sunt, tum denique curę sint ubi liber se vertet. Si in scrobibus aut in sulcis feras, ternas taleas ponito, cásque divaricato supra terram, ne plus quatuor digitos transversos emineant, vel oculos serito. Seminarium ad hunc modum facito. Locum quamoptimum & apertissimum & stercoratissimum poteris, & quamsimillimum terræ ubi semina positurus eris: & uti ne lōgiùs semina ex seminario ferātur: eum locū bipalio vortito, delapidatóq; & circumscribito; & in ordine serito, in sesquipedem quoquovorsum taleam demittito, opprimitóque pede. Et si parum deprimere poteris, malleo aut mateola adigito, digitum supra terram facito, semita emineant, fimóque bubulo summam taleam oblinito, signúmque apud taleam apponito, crebróque sarrito. Diligenter

[addit

[addit Plin.] eximere Oleam oportet, & radices quamplurimas cum terra ferre. Vbi radices benè operueris, calcare benè, ne quid noceat. Si quis quærat, quod tempus Oleæ serendę sit? Agro sicco per Sementem, agro læto per Ver. Cato in Calido & pingui solo Radium majorem, Salentinam, Orchitem: Pausiam, Sergianam, Cominianam, Albiceram seri jubet. In frigido autem & macro Licinĭam. Pingui enim aut ferventi vitiari ejus Oleum, arborémque ipsa fertilitate consumi. Musco præterea rubro infestari. Spectare Oliveta in Favonium loco exposito Solibus censet. Mago, ut tradit Plin. in colle & siccis, & argilla, inter autumnum & brumam seri iussit. In crasso, aut humido, aut subriguo, à messe ad brumam. Quod præcepisse eum Africæ intelligitur. Italia quidem nunc Vere maximè serit. Sed si & autumno libeat, post æquinoctium XL. diebus ad Virgiliarum occasum. XIIII. soli dies sunt, quibus seri noceat. Græci Oleas plantandas præcipiunt à Sucularum occasu usque ad solstitium hybernum, hoc est, à 15. Novembris, usque ad 8. Decembris. Plantandas tamen & in Vere suadent, quòd se mutuò imitentur hæc tempora, humidum habentia & calidum. Autumnus enim calidam adhuc terram habet à sole, humiditatem à pluviis prægressis: assumit autem caliditatem à solari accessione.

Tempus sationis.

Oportet autem Olearum plantas à commodis locis, & arboribus novellis, quæ singulis annis fructum ferunt, desumptas esse, crassitudinem habentes rami, aut crassiores, leuésque ac rectas esse.

Quales oporteat esse Olearum plantas, quas plantaturi sumus.

Multis porrò modis Olea plantatur. Quidam à scytalis plantant: acceptis enim ramis crassioribus, & his in magnitudinem cubitalem consectis, ita plantant. Quidam à taleis plantant hoc modo. Ramos crassiores in magnitudinẽ cubitorum duorum consecant, & in fundum scrobis lapidem latiorem immittunt, deinde plantam super ipso rectam statuunt, ac terra adobruunt. Alij generosissimas propagines unà cum trunco plantant. Alij plantas, quas accepturi sunt in ipso adhuc trunco existẽtes falce circumpurgant, & circa Arcturi ortum in scrobes imponunt. Alij Tropea appellata plantant hoc modo. Rubrica notant situm ad Orientem & Meridiem, & de trunco resecant ad longitudinem cubitorum quatuor, sive quinque, & in scrobes immittunt, aliam omnem diligentiam adhibentes. Hic modus plantationis citiùs vivificat, & citiùs fructum producit. Quidam à truncis plantant sic. Concidunt truncos ipsos in stipites majusculos, eósque scrobi imponunt, corticem sursum versus habentes, & aggesta terra stercore mixto ad palmi altitudinem finunt. Quidam ex partibus trunci in terra, segmẽta quatuor palmorum magnitudine, unà cum cortice exscindunt & lapidem in fundum scrobis permittunt, & circũ hunc tria aut quatuor segmenta ponunt, & ad palmi altitudinem obruunt. Quocunque autem plantationis modo ipsa plantatio fiat, cùm ferra quæ plantanda sunt, secentur, observandum est diligenter & cavendum, ne cortex dilanietur. Acuta etiã falce cæsura leviter facta, cortice illæso & incolumi conservato, stercore quoque bubulo admixto, cinere infernam rami partem illinemus. Et inprimis vitandũ est, ne secundùm verticem inversus ramus pangatur. Torquebimus enim plantam, si secundũ verticem plantaverimus.

Varij plantandi modi.

Oportet autem & stercus in scrobes injicere. Omne autem stercus Oleæ aptum est, præter humanum. Convenit autem non ad radices injicere ipsum stercus, sed paulò longiùs à trunco. Stercoratio autem Oleæ quarto aut quinto quoque anno fiat.

Qua stercora Oleæ commoda.

Nunc de insitione. Africæ scribit Plinius peculiare esse Oleastro inserere: senescentémque adoptivas virgas, quoties opus sit, proximè emittere: quibus iterum juvenescat: ut ævis eadem Oliveta constent: sic enim intelligendus obscurus ille Plinij locus, quem Dal. ipse non satis perspicuum reddidisse videtur. Pallad. de insitionibus libello, non tantùm Oleastro, sed & Robori, inseri (quod mirum) docet hoc carmine.

Insitio.

Plinius & Dal. emend.

Robora Palladij decorant sylvestria rami,
Nobilitat partus, bacca superba feros.
Fœcundat sterilis pingues Oleaster Olivas,
Et quæ lata novit munera ferre docet.

Per Robora sylvestria stipitem Oleastri hic intelligi licentia poëtica censemus, quasi stipitem & fustem ejus. Vix enim verisimile nobis fit, unquam Robur sive Quercum societatem inituram aut, ut veriùs dicamus, colituram cum Olea, præsertim cùm Quercus tam inimica sit Oleæ, ut antè demonstratum. Adde quòd hujus coniugij nullus alius meminit, ac ne Palladius quidem ipse alio loco.

Inseritur autem calamo & inoculatione. Idem modum præscribit hunc. Mense Aprili locis temperatis, inseratur Oliva inter corticem more Pomorum. Sed ut Oleastro inseras, contra illud, quod ex Oliveto insito, & casu incenso renascitur Oleaster infelix, sic providendum est. Positis priùs Oleastri brachiis in scrobe, in qua disponemus inserere, scrobes ita replebimus, ut mediæ vacuæ sint. Cùm comprehenderit Oleaster, inseremus in infimo, vel insitum ponemus, & insitionem probè infra terram nutriemus. Deinde sicut adolescit, terram subinde colligimus. Ita commissura in profundo latente quisquis urit aut cædit, Olivæ locum non aufert pullulandi, quæ & apertam redeundi felicitatem de Olea, & occultam valendi feracitatem de Oleastri connexione retinebit.

Inferendi modus & tempus.

Ne insitione nascatur Oleaster.

Aliqui Oleas in radicibus inserunt, & ubi comprehenderit, cum aliqua parte radicis avellunt, & transferunt more plantarum.

Alius modus.

Græci Oleas ab VIII. Cal. Aprilium, usque ad III. Non. Iulij, inseri debere præcipiunt, ita ut locis frigidis seriùs, calidis maturiùs inserantur.

Verùm ex qua arbore inserere voles, & surculos ad insitionẽ sumpturus es, videto ut sit tenera, & ferax, nodisq; crebris. Et cùm primùm germina tumebunt de ramulis anniculis, qui solis ortum spectabunt, & integri erunt, eos legito, crassitudine digiti minimi. Surculi sint bifurci, vel trifurci. Arborem, quam inserere voles, serra diligenter exsecato ea parte, qua maximè nitida, & sine cicatrice est, dabisque operam ne librum lædas. Cùm deinde truncum recideris, acuto ferramento plagam levato, deinde cuneum tenuem ferreum, vel osseum inter corticem & materiam, ne minùs digitos tres, sed considerate demittito, ne lædas, aut rumpas corticem. Postea surculos quos inserere voles, falce acuta ex vna parte deradito tantum, quantum cuneus demissus spatij dabit, atque ita ne medullas, néve corticem aliámve partem lædas. Vbi surculos paratos habueris, cuneum vellito, statimque surculos in ea foramina, quæ cuneo adacto inter corticem & materiam feceris, demittito. Ea autem fine, qua adraseris, surculos sic inserito, ut semi pede, nec ampliùs de arbore extent. Supra deinde muscum imponito, & ita ligato, ne pluvia dilabatur. Quosdam tamen magis delectat in trunco arboris locum seminibus

Surculorũ delectus

Inserendi modus alius, qui & omnib. reliquis arboribus aptari potest.

terra facere, infectásque partes tenui scalpello levare, atque ita surculos aptare: si pusillam arborẽ inserere voles, imam abscindito, atq; ita sesquipede è terra extet, & cùm præscideris, plagã diligẽter levato, & mediũ truncũ acuto scalpello permodicè findito, ita ut fissura digitorum trium sit in ea: deinde cuneum, quo diducatur, inserito, & surculos ex utraq; parte derasos demittito, sic, ut librum seminis libro arboris æqualem facias. Cùm surculos diligenter aptaveris, cuneum eximito, & arborem, ut mox dictum, alligato. Deinde terram circa arborem adaggerato usque ad ipsum insitum, ea res à vento & calore maximè tuebitur.

Hoc ultimum genus insitionis, cùm sit subtilissimum, non omni generi arborum idoneum est, sed ferè recipiunt talem insitionem, quæ humidum, succosumque, & validum corticem habent. Hæc Columella. Florentinus verò: Ex Oleis, aliæ quidem tenui cortice præditæ sunt, aliæ verò crassâ. Quæ igitur crassum librum & humidum habent, juxta corticem inserantur: quæ verò tenuem & aridum, in ipsum lignum. Tempus autem insitionis hujusmodi, à x. Cal. Iun. hoc est XXII. die mensis Maij, ait esse, usque ad Iunias Calendas. Oleæ verò insitæ multoties aqua rigandæ sunt, quippe, quæ aridæ existentes rigari desiderant.

Olea collata cum Vinea, quoad cultum & impensam. Cæterùm exiguam admodum impensam ad sui cultum longéque minorem, quàm Vinea, desiderat Olea, quæ prima arborum est, ut prodidit Columel. Nam quamvis [eiusdem verba sunt omnia hæc de cultu] nõ continuis annis, sed ferè altero quoque anno fructum afferat, eximia tamen eius ratio est, quòd levi cultu sustinetur, & cùm se non induit, vix ullam impensam poscit. Sed &, si quam recipit, subinde fructus multiplicat, neglecta compluribus annis, non ut vinea deficit, sed eo ipso tempore aliquid interim patrifamilias præstat, & cùm adhibita cultura est, uno anno emendatur.

Cultura. Ergo facto & instituto Olearum seminario biennio à putatione abstineri: tertio anno singulis seminibus binos ramulos relinqui, & frequenter sarriri seminarium, conveniet. Quarto anno ex duobus ramis infirmior amputandus est, sic excultæ quinquennio arbusculæ habiles translationi sunt.

Quando transferenda. Plantæ autem in Oliveto disponuntur optimè siccis, miniméque uliginosis agris per autumnum, lætis & humidis verno tempore, paulò antè quàm germinent. Atque ipsis scrobes quaternum pedum præparantur anno antè: vel si tempus non largitur, priùs quàm deponantur arbores, stramentis incendantur scrobes, ut eos ignis putres faciat, quos sol & pruina facere debuerat. Spatium inter ordines minimum esse debet pingui & frumentario solo sexagenum pedum in alteram partem, atque in alteram quadragenum: macro, nec idoneo segetibus, vicenum pedum. Sed in Favonium dirigi ordines convenit, ut æstivo proflatu refrigerentur.

Ipsæ autem arbusculæ hoc modo possunt trãsferri. Antequam explantes arbusculam, rubrica notato partem ejus quæ meridiem spectat, ut, eodem modo quo in seminario erat deponatur. *Mod. trãsferendi.* Deinde, ut arbusculæ spatium pedale in circuitu relinquatur, atque ita cum suo cæspite planta eruatur. Qui cæspes in eximendo ne resolvatur, modicos surculos virgarum inter se connexos facere oportet, eósque pulæ, quæ eximitur applicare, & viminibus ita innectere, ut constricta terra velut inclusa teneatur.

Tum subruta parte ima leviter pilam commovere, & suppositis virgis alligare, atque plantam transferre. Quæ antequam deponatur, oportebit solum scrobis imum fodere bidentibus, deinde terram aratro subactam (si tamen pinguior erit, summa humus) immittere, & ita hordei semina substernere, & si constet in scrobibus aqua, ea omnis haurienda est, antequam demittantur arbores, deinde ingerendi minuti lapides, vel glarea mista pingui solo, depositisque seminibus latera scrobis circumcidenda, & aliquid stercoris interponendum. *Hordei semina sub-sternenda.*

Quod si cum ea terra planta non convenit, tùm optimum est omni fronde privare truncum, atque levatis plagis, fimòque & cinere oblitis, in scrobem vel sulcum deponere.

Truncus autem aptior translationi est, qui brachij crassitudinem habet. Poterit enim longè majoris incrementi & robustioris trãsferri: quem ita convenit poni, ut, si periculum non à pecore habeat, exiguus admodum supra scrobem emineat: lætiùs enim frondet. Si tamen incursus pecoris aliter vitari non poterit, celsior truncus constituetur, ut sit innoxius ab injuria pecorum. *Truncus translationi aptior.*

Atque etiam rigandæ sunt plantæ, cùm siccitates incesserunt, nec nisi post biennium ferro tangendæ, ac primò surculari debent, ita ut simplex stylus altitudinem maximi scrobis excedat, deinde arando ne coxam bos, aliámve partem corporis offendat.

Optimum est etiam constitutas plantas circumvenire caueis, deinde constitutum iam & maturum Olivetum in duas partes dividere, quæ alternis annis fructu induantur. Neque enim Olea continuo biennio uberat.

Cùm subjectus ager consitus non est, arbor coliculum agit. Cùm seminibus repletur, fructum affert. Ita sic divisum Olivetum omnibus annis æqualem reditum adfert. Sed id minimè bis anno arari debet, & bibentibus altè circumfodiri.

Post Solstitium cùm terra æstibus hiat, curandum est ne per rimas sol ad radices arborum penetret. Post Æquinoctium autumnale ita sunt arbores ablaqueandæ, ut à superiore parte, si Olea in clivo sit, incilia excitentur: quæ limosam aquam ad codicem deducant.

Omnis deinde soboles, quæ ex una stirpe nata est, quotannis extirpanda est, ac tertio quoque, fimo pabulandæ sunt Oleæ.

Stercus autumno debet injici, ut permistum hyemi radices Oleæ calefaciat. *Quando stercoranda.*

Amurca valentibus infundenda est: nam per hyemem, si vermes, atque alia suberunt animalia, hoc medicamento necantur. *Adversus vermes, & reptilia Amurca.*

Plerúmque etiam locis siccis, & humidis arbores musco infestantur, quem nisi ferramento rescueris, nec fructum, nec frondem lætam Olea inducet. *Muscus.*

Quin etiam compluribus annis interpositis Olivetum putandum est: nam veteris proverbij meminisse convenit: Eum qui aret Olivetum, rogare fructum, qui stercoret exorare, qui cædat cogere. Quod tamen satis erit octavo anno fecisse, ne fructuarij rami subinde amputentur. *Vetus proverb.*

Solent etiam quamvis lætæ arbores interdùm fructum non afferre. Eas terebrari convenit, atque in foramen viridem taleam Oleastri demitti: sic velut initiata arbor, fœcundo semine fertilior extat. Paulò aliter & specialiùs Africanus, Oleam fertilem facere docet. Truncum inquit, terebra per totum terebrato, & acceptis ab altera fructuosa *Quomodo Olea fertilis fiat terebranda.*

fructuosa Olea duobus ramulis, principia ramulorum ex vtraque parte immitte, ac transfige, & apprehensos utrosque ramulos fortiter attrahe.

Quum autem optimè fuerint adacti, & quasi incuneati, redundantia, ex utraque parte reseca, & luto paleato cavernas utrinque obline, & fiet Olea multùm fructuosa, & quæ optimam producet Olivam, Oleúmque præcellens.

Sed & sine ablaqueatione adjuvanda est, inquit Colum. Amurca insulsa cum suilla, vel nostra urina vetere, cuius utriusque modus seruatur. Nam maximæ etiam arbori, ni tantundem aquæ misceatur, vrina abundè erit.

Vt Olea fructus non defluat.

Solent etiam vitio soli fructum Oleę necare: cui rei sic medebimur. Altis gyris ablaqueamus eas, deinde calce pro magnitudine arboris plus minúsve circundabimus: sed minima arbor modicum postulat. Hoc remedio si nihil fuerit effectum, ad pręsidium insitionis cõfugiendũ erit, Non defluet Olea, ut pollicetur Democritus, si fabam, quæ pedumculum habet acceperis cauernámque cera occluseris, deinde accepta à radice gleba fabam in eam indideris, & sic eam operueris.

Faba.

Ne tota arbor contristetur.

Nonnunquam etiam in Olea unus ramus cæteris aliquantò est lætior, quem nisi recideris, tota arbor contristabitur.

Solent & fructus amittere Oleæ, si florentibus ingruat imber. Verùm contra vim mortis non est medicament.

Putandi modus & tempus.

Oleas putandi modum Cato hunc docet. Olivetum, inquit diebus xv. ante æquinoctium vernum incipito putare. Ex eo dies xlv. rectè putabis. Id hoc modo putato. Quà locus rectè ferax erit, quæ arida erunt. Et si quid ventus interfregerit, ea omnia eximito. Qui locus ferax non erit, eum plus concidito [diligentiùs fodito, subigito, aratro proscindito.] aratróque benè enodato, stirpésque leves facito. Circum Oleas autumno ablaqueato. [Hæc Plin. addit] & stercus addito. Qui Olivetum sapientissimè & altissimè miscebit, is tenuissimas radices exarabit. Radices si sursum abibunt crassiores fient, & eò in radices vires Oleæ abibunt. Varro sanè Oleam post ablatum fructum putare suadet, neque putandum esse ait, ablatis manifestis & conspicuæ magnitudinis ramis pauciorem fieri fructum. Multò enim copiosiorem fructum ex recentium ramulorum ubertate proditurum.

Vnde Palladius unoquoque anno sicca & fructuosa, & cum aliqua debilitate nascentia rescindi debere statuit.

Luxuriantis cura.

Porrò Oleas in materiæ multæ effusionem eluxuriantes & velut insanientes, hoc est, folia quidem ferentes multa, fructum verò modicum, sic curabis. Paxillum Oleæ sylv. aut Pinus, aut Quercus in radices adiges, aut etiam lapidem impones.

Eis verò quæ multum fructum ferunt, non autem maturum faciunt, & florem malè perdunt, sic medeberis.

Vt probè maturent fructum.

Alga.

Circunfodito truncum, & majoris Algę corbes duos, minoris, minùs circuniice: deinde amurcæ aqua potabili permixtæ quatuor congios singulis truncis affunde: quod si Alga haberi nequeat, sola amurca utere.

Contra bestias.

At verò curam contra infestantes bestias, & læsiones ex ambiente accedentes, in tractatu de Viribus universaliter docebimus.

Vermiculi in fundo.

Quod si tamen arescentes radices & ægrotantes animadverteris, vermiculos in fundo generatos causam iudicabis, quos multis quidem modis disperdere poteris, ut eo loco tradetur.

Clavus Oleæ.

Morbus & ille Oleæ peculiaris, ἧλος dictus, hoc est clavus quem alij Fungum & Patellam vocant: Vnde lib. xvii. cap. 24. Plinius. Olea præter vermiculationem, quam æquè ac ficus, sentit, Clavum etiam patitur, sive Fungum placet dici, vel Patellam: hæc est solis quædam exustio, quamvis propter nimios imbr[illegible] contrahi dicat Hermol. Videtur autem ho[illegible]m esse, quod supra diximus ab Italis rusti[illegible]a vocari: sunt enim nodi.

Vredo.

Nulla post ficum arbor uredini magis obnoxia est.

Impetigo.

Est & impetigo peculiaris ei morbus, ut scabies Fico, & Vitibus fluor. Remedium esse potest, cùm nimia nutrimenti ubertas detrahitur.

Solet & mox post sationem Oleæ officere frigus hyemis, corticem enim detrahit: quapropter diligenter munienda.

Olivarum Vermiculi.

Sed & ipse fructus Vermiculos sentit. Illi vel sub cute nascuntur, vel in ipso fructu augentur, nam caro non tangitur: cujus rei causas, & alia, vel his subtiliora excutiemus in opere de insectis.

Opus de insectis.

Arachnium.

Oleæ Arachnium quoq; innascitur, hoc est, Aranea, fructus absumẽs vermis, tela surculos, obvolvens: gignitur humiditate quadam aëris proximi.

Amittitur, & fructus, si germinetur ramis anniculis ingruẽtibus imbribus. Quoniam enim pabulum, eò fluit, antè quàm fructus uires conceperit, humore aggerato, mox germen prosilit, & fructuum proventus impeditur.

Vergiliarũ exortus.

Atque in genere circa Vergilias (quæ octavo vel nono Maij oriri solent) quidem pluere, inimicissimum & Viti & Oleæ, teste Plin. quoniam, tunc coitus est earum. Hoc est illud quatriduum Oleis decretorium, hic articulus nubili spurci, quod diximus.

Saliva sterilem facit.

Olivam lambendo quoque sterilem fieri, autor est Varro: eaque de causa Minervæ non immolabantur, nec in arcem Athenis agebantur capræ præterquam semel ad necessarium sacrificium: ne Oleam ibi primùm editam, (de qua antea) violarent.

Eruca.

Erucæ quoque aliæ frondem, aliæ florem Olivarum (ut in Mileto) erodunt: ac depastam arborem turpi facie relinquunt.

Fructificat Olea amissis folijs.

Olea tamen, folijs amissis fructificavit, inquit Theoph. sed inter rara & ostẽta refert. Nonnũquá [addit idem] ratione hyemis, aut alias ob caussas quædam accidunt, quæ ordini naturæ, incongrua iudicantur, cùm tamẽ non ita sit: Vt Olea penitus aliquandò adusta, regerminaverat tota. In Bœotia verò germinibus omnibus à locustis derosis, iterum germinavit.

Locusta.

Sed hæc haudquaquam pro absurdis haberi forsitan debent, quippe, quorum manifestæ causæ reddi possint.

Novellæ quoque Oleæ pereunt ex fertilitate quod priùs, quàm perficiantur, alimentum incrementi sui ad fructificandum consumant.

Evenit etiam, ut cùm Oleæ benè germinant, malè fructificent: cúmque benè fructificant malè germinent: tanquam natura utrique satisfacere non valeat: sed necesse habeat absumere alterum, ut alterum faciat.

Gongri.

Olea quoque Gongros à quibusdam vocatos habet, vel aliquid Gongris simile, proprijssimum enim huic illud nomen, quòd, hoc morbo magis quàm cæterę arbores laborare videatur. Premnon etiam quidam vocant id vitium alij Crotonam, alij alio nomine. Id vitium rectis, & vnica radice nitentibus, ab imo stolones non mittentibus, aut nullo pacto, aut minùs, accidere solet.

Πρέμνον. Κρότων.

Olea verò & Oleaster has caudicum concavitates peculiariter habere videntur. Hæc Theoph.

Vnde colligimus κάχρυ, seu τρῆμα, seu τρυπανας, apud eundem dici hiantes in arborum truncis & caudicibus, maximè Olearum fissuras, quam rem jejunè admodum nostri grammatici intellexisse videntur. Has igitur plagas contegendas præcipit alibi, ne s... imber intrò penetret: Nam, inquit, si id ...cit, morbi contrahendi periculum immin... Circumlinunt alij luto tantùm: alij scilla subdita lutum superimponunt, & testam adjiciunt. Scilla enim plantam viridem servat: lutum scillam: testa lutum tuetur.

Scilla.

Congri cura.

Idem denique diuersis in locis inculcat: Oleas præcisas meliores reddi: easdem præcipuè exigere ablaqueationem: & amare putationem, purgationémque.

Sed hactenus de satu, cultu, & vitiis Oleæ. Plura qui volet consulat Geoponicos. Putamus tamen pleraque eorum in compendium redacta.

Mutatio Oleæ in Oleastrum & contrà.

Illa affectio non omittenda qua Oleaster in Oleam, & hæc rursus in illum migrat. Vnde Theoph. Spontaneas quoque mutationes interdum fieri aiunt fructuum, & nonnunquam arborum integrarum: quas quidem Haruspices [τέρατα] Ostenta [σημεῖα] esse existimant, ut [quod deterius] fieri ex Olea Oleastrum: & invicem [quòd rarò evenit] ex Oleastro Oleam. Omnino autem neglectam Oleam in Oleastrum migrare observavit posteritas, ut specialiùs dicetur in Oleastro.

Olivæ flos.

Olivæ flores ab apibus non attingi scribit Plinius, lib. 21. cap. 12. Oleamque à favis procul esse vult: alibi verò id vanum statuit, atque aliquas Oleas quàm proximè seri convenire dicit, quæ evolantium examina invitent, nec longiùs abire patiantur: ex quo constat, quàm sibi parum constet. Olivarum autem proventu plurima examina gigni certum est. Verùm, utra sententia verior sit, iudicabunt, qui Oliveta adhabitant.

Plinius sibi contradicit.

Συμπάθεια.

Maximam esse inter Oleam & Quercum ἀντιπάθειαν diximus supra: at Oleam & Myrtum adeò amicas inter se tradit Theoph. ut eas mutuo complexu radicum gaudere, virgasque Myrti per brachia Oleæ, prorepere atque dispergi ex Andronio referat: nec aliud iuxta Oleam seri velit.

Olei faciendi ratio.

Nunc quomodo Oleum fieri debeat ex præstantissimum Geoponicorum doctrina tradendum. Tam magnam artem Oleum, quàm musta temperandi esse dicit Plinius. Ex eadem quippe Oliva differunt succi. Primum omnium, è cruda atque nondum inchoatæ maturitatis, Omphacinum vocant. Viride Cato.

Omphaciū.

Hoc præstantissimum. Quin & ex eo prima vnda præli laudatissima, ac deinde per diminutiones. Quantò maturior bacca, tantò pinguior succus, minúsque gratus. Optima autem ætas ad decerpendum, inter copiam bonitatémque, incipiente bacca nigrescere. Amurcæ color est, qui Olivam cogit nigrescere. Ideoque, incipiente nigritia minimum amurcæ, ante eam nihil. Et [inquit Plin.] Error hominū falsus. 1. Existimantium maturitatis initium, quod est vitij proximum.

Quadruplex error.

1. 2. Quòd Oleum crescere Olivę carne arbitrantur, cùm succus omnis in corpus abeat, lignumque intus grandescat, ergo tum maximè rigantur. Quod, ubi cura multa sive imbribus accidit, Oleum absumitur: nisi consecuta serenitate, quæ corpus extenuet. Omnino enim [ut Theophrasto placet] est Olei causa calor, quare & in torcularibus, & in cellis multo igne quæritur.

3 Tertia culpa est in parsimonia, quoniam propter impendium decerpendi, expectatur ut decidat.

4. Similis, error, collectam servandi in tabulatis: nec priùs quàm sudet premendi, cùm omni mora Oleum decrescat, amurca augeatur. Itaque vulgò non amplius senas libras singulis modiis exprimi dicunt. Amurcæ mensuram nemo agit, quanto copiosior reperiatur in eodem genere, diebus adjectis.

Cæterùm & Cato tradit, Oleum quàm acerbissima Oliua optimum fieri. Hoc Omphacinum Græci vocant. Verùm, quamprimum è terra colligendam: si inquinata sit lavandam, à foliis & stercore purgandam. Postridie aut post diem tertium, quàm lecta sit, premendam. Si gelent frigora, die quarta. Hanc, si volet quis, & sale aspergi posse. Oleum in tabulato minui, deteriúsque fieri. Idem & in amurca & fracibus. Hæ sunt carnes, & inde fæces. Quare sæpiùs die decapulandum: præterea in conchas & plumbeas cortinas: ære vitiari. Ferventibus omnia ea fieri clausisque torcularibus, & quàm minimè ventilatis.

Omphacinum seu Oleum viride ut fiat.

Imprimis præcipit, quàm calidissimam etiam habere cellam. Qua de causa è nucleis ipsarum ignem aptissimum. Et è cortinis in labra fundendum, ut fraces & amurca liquentur. Vasa crebriùs mundanda, fiscinas spongia tergendas, ut quàm maximè pura sinceritas constet. Postea inventum, ut lavarentur, utique ferventi aqua: protinus prælo subijcerentur solidæ (ita enim amurca exprimitur) mox trapetis fractæ præmerentur. Premi plus quàm centenos modios non probant. Factus vocatur.] Factum enim appellabant Geoponici, quantum Olei vnà torculi expressione, exprimi poterat.] Quod verò post molam primum, est Flos. Factus tergeminos ferè à quaternis hominibus nocte ac die premi institum est.

Sic Cato & ex eo Plin. Quæ paulò familiariùs exposuerunt Varro & Columella, & ex omnibus his Ruellius & Curtius, qui huic ævo adaptarunt. Res eò redit. Quamminimùm Olivas manibus ex arbore districtas & diligenter repurgatas in terra & tabulato relinquendas. Celeriter enim concalescunt, prævia quadam ad putredinem alteratione. At Factores [Factores dicti, qui Oleum faciebant & torculum movebant, ut ipsa expressio fieret] desiderant, ut multùm sint in tabulato, & fracidæ fiant, ut faciliùs liquescant. Quod sanè si ita fiat, & minùs fiet Olei, & deterius. Omni quippe hora Oleum decrescit, augetur amurca, quæ Oleo maximè contraria. Quæ si in bacca remanserit, Olei saporem utique corrumpet

Agricolarum autem plerique si diu baccæ stent in tabulato sub tecto, Oleum crescere sibi persuaserunt: quod tàm falsum, quàm in arca crescere frumenta. Quod mendacium Cato refellit, tradens, in tabulato corrugari Olivam, & minorem fieri. Ideo cum Facti unius mensuram rusticus sub tecto reposuerit, & post multos dies eam premere desideraverit, oblitus prioris mensuræ, quam intulerat, ex alio acervo similiter seposito, quantum cuique mensuræ defuit, supplet. Eóque facto, videtur plus Olei quieta quàm recens bacca reddere: cùm longè plures modios acceperit. Attamen, si id maximè verum esset, nihilominus ex pretio viridis Olei plus mali, quàm ex multitudine contraheretur, quod & Cato dicit. Et si quidem, quid ponderis, aut mensuræ Oleo accedit, si portionem velis in Factum adiectæ baccæ computare, non proventum, sed detrimentum senties. Quapropter dubitare non debemus, Olivam lectam, primo quoque tempore premendam

dam. Ergo, ut primùm districta fuerit Oliva, substratis tegetibus, aut pannis, expandi aut cribrari debet, quò aquositas ex ipsis reficcetur, & à folijs ac virgultis repurgetur. Hæc enim commista, Olei diuturnitati obsunt. Tum diligenter mundata protinus in torcular deferri, & integra in fiscinis novis includi, prælisque subiici, ut quantùm possit paulisper exprimatur. Postea resolutis corticulis emoliri debebunt, adiectis binis sextariis integri salis in singulos modios. Quod defluxerit in labrum, protinus decapulator depleat, & in fictilia labra, huic usui præparata, defundat. Hoc enim suauissimum est, & tenuissimum. Nam æreis & plumbeis vitiatur Oleum. Longè melioris saporis est Oleum, quod minore vi præli quasi lixiuium defluxerit. nàmque si nuclei confringantur, olei saporem vitiant. Cùm verò paululum constiterit, subinde decapulandum est, quamvis Cato bis tantùm in die præceperit. Nam quò sæpiùs translatione illa ventilatur, tantò magis eliquescit & amurcâ liberatur, cui quò diutiùs hæret, eò deterius fit. Solet etiam cum amurca frigoribus congelari: tum inspersus sal coctus resoluit Oleum, & separat ab omni vitio. Si ne sic quidem resoluatur, præsertim cùm maiora frigora incesserint, nitrum torretur, & contritum inspergitur. Ea res eliquat amurcam, quæ inimicissima est Oleo, & si remanserit in eo, saporem eius corrumpit. Neque verendum est ne salsum fiat: nam quantumcunque salis adieceris, nunquam saporem eius recipiet Oleum. Debet itaque Oleum Cibarium fieri protinus illata de oliveto bacca. Minùs probatur oleum ex oliva quæ decidit, vel tempestatibus aut pluviis in lutum defluxit: nam immunditiarum saporem trahit. Quare ad præsidium aquæ calidæ decurritur, qua immundæ baccæ priùs eluantur, quàm melæ aut torculari credantur. Habes igitur veluti tres gradus Olei. Primum & nobilissimum, quod sponte vel minore pressuræ vi, quasi lixivium defluxerit. Hoc seorsim adservator. Secundum, quod ex reliquis fracibus premitur, sed paulò graviori pondere & mole fortiore quassantur. Hoc tortiuum non malè dixeris Oleum, quod, velut secundæ pressuræ, privatim in alia vasa transmittitor. Hac iteratione invalidius, sed tertiatione multò deterius oleum exit. sed utrobique decapulandum, & oleaginea rude movendum, & ab amurca, seu aquosa sanie, repurgandum. Vbi oleum in labris paululum constiterit, denuò in alia uel uitrea uel uitreata transferendum, ut à sanie illa, aqua, quæ subsidet, penitùs repurgetur. Imò sæpiùs iteranda, ut dictum, hæc translatio, donec mundum admodum & sincerum evadat. Sed plurimum refert non miscere iterationem cum prima pressura, quæ longè melioris saporis est: tantòque minùs tertiationem. Vitreata vasa omnium optima sunt ad hanc rem, vitrum enim Oleum maximè conservat, quippe, cùm frigore lætetur Olei natura. De olearia cella, torculari, & reliquo apparatu ad hanc rem necessario instituendo, consule suprascriptos Geoponicos, maximè Columellam lib. 12. c. 50. & alibi passim.

Sal. *Cautio.* *Olei cum amurca congelati resoluendi ratio.* *Sal non miscetur Oleo.* *Quomodo ex corrupta bacca oleum probatum reddatur.* *Tres gradus olei.* 1. 2. *Tortiuum oleum.* 3.

Cæterùm, multa incommoda oleo uel nuper facto, vel dum fit, vel deinceps ætate solent accidere. Quod gelatur, plerumque fracescet. Cui præscriptis præsidiis, sale & nitro commodè obsistemus. Sordenti quoque frictos & adhuc calentes sales Tarentinus iniici suadet, & diligenter operiri: ita mundum, reddi breui tempore promittit. Oleum quoque sordidum purgat Pinea nux, quæ igni candens, oleo restinguatur. Emun-

Olei incommoda ut tollenda. *Fracidum oleum ut emendandum.* *Sordens ut corrigēd.* *Nux Pinea.*

dat & citri radix in Oleum demersa. Oleum quod suis fracibus torridis fuerit inustum, limpidius eliquescet. Oleum rancidum idem pollicetur corrigi, si cera alba mundo & optimo Oleo resoluta, & adhuc coctura liquens, in oleum mittatur, & mox sales fricti calentes addantur: sic fieri, ut Oleum purgetur, sapore & odore mutato, sunt qui & sole uel igni, aut etiam aqua fervente simul in vasculo mixta restitui posse asserant.

Citri radix. *Rancidum ut restituatur.*

Item. Non rancescere Oleum in quo priùs anisum maduerit. Si graue oleat, præcipit idem virides Oleas sine ossibus tundi, & in vasa per solis calorem mitti: si baccæ defuerint, caules tenerrimos Oleæ similiter esse tundendos. Nonnulli utraque permiscent, adiecto etiam sale, sed omnia inter linteum clausa suspendunt, atque ita in vas Olei demittunt, postea tribus diebus exactis auferunt, & agitantes, vbi conquievit in alia vasa transferunt. Alij immittunt vetustum laterem torrefactum. Quidam panes hordeaceos breuiter friatos, & raro linteolo inuolutos, immergunt, & nouos deindè permutant: Vbi hoc bis aut ter fecerunt, salis callos aut micas iniiciunt, & in alia vasa translatum paucos dies subsidere permittunt. Quod si mus, aut aliud fortè animal deciderit, & Oleum putri nidore vitiaverit, iubet Democritus Coriandri manipulum in Oleum suspendere in aliquot dies. Si nihil remiserit nidor, denuò nouo Coriandro iterandum, donec expellatur nidor. Quidam in umbra priùs exsiccatum iniiciunt. Alij Fœnumgræcum itidem in sole siccatum in vasa mittunt. Præstat autem carbones ignitos ligni Oleaginei in Oleo exstinguere. Alij uvas passas demptis vinaceis tusas immittunt, & post decem dies rursus exemptas exprimunt & Oleum in aliud vas transfundunt.

Anisum. *Fætor olei ut tollendus.* *Si infectum sit animali aliquo quod inciderit.* *Coriandrū.* *Fœnugræcum.*

Si acerbus odor fuerit, uvæ recrementa [γίγαρτα] præcipiunt Græci tusa, & in massam redacta mersari. Si Oleum turbulentia vexet, Tarentinus vult in fidelia oris ampli coniectum Oleum infervescere, tenuissimúmque salem frictum inspergi, & ubi substiterit, spurcum oleum elutriari. Oleum Istrico aut Liburnico simile fieri promittunt Græci, si in viridi Oleo, quod omphacinum vocant, aut aliàs optimo, Enulam siccam & Lauri folia, & Cyperum aridum omnia videlicet & tusa, & subtiliter creta permisceas cum salibus torrefactis ac tritis, & diu Oleo iniecta perturbes: dein tribus aut pluribus decursis diebus, cùm quieverit, utaris. Hoc est oleum Liburnicum appellatum, & ipsum adeò Istrianum. Damegeron Oleum Hispano simile faciebat, hoc modo. Oleo sincero & omni amurcæ spurcitia repurgato, ubi efferbuisset, triplum aquæ quàm fervidissimæ, & salis modicum probè tritum commiscebat multa agitatione, dum concorporari & in unum coire perciperet: tum spatio quodam conquiescere patiebatur, donec iniecta aqua amurcæ in morem subsideret. Deinde existens oleum concha deplebat, rursum, cum aqua tepente movebat, denuóque subsidentem aquam ab oleo sincero emergente separabat. Deindè succum foliorum Oleæ tenerorum contusorum admiscebat, quò acrimoniam quandam & amaritudinem inde contraheret Oleum, quod post triduum, ubi constitisset, ad usus depromebat. Alij post diem utebantur. Alij etiam Omphacinum Oleum, aut alias bonum, in mortarium mittebant, ac in eodem succo terendo prælū, ubi opus esset, ad usum vocabant.

Contra acerbum odorem. *Si turbetur.* *Olei mangonia deuersa.* *Oleum Liburnicum, Istricum.* *Oleum Hispano simile.* *Oleum odoratum.*

Diophanes autem odorati Olei faciundi rationem ita docuit. Musti sextarios octo cum duobus Olei, & bonam Iridis tusæ portionem, linteo convolutam misceant in vase, & exactis

Digitized by Google

decem diebus excolatum recondant, hoc autem mulieribus potu gratissimum. Plures Oleorum factitios modos postea dicemus. Nunc baccas seu Oliuas condiendi & conseruandi rationes trademus.

Olivas condiendi modi varij. Olivas condiendi soliciti fuerunt veteres, quanquam revera nihil aliud sint quàm palatus blandimenta. Tam ingeniosus fuit venter, ut & amara, nec ab ipsa natura percocta, suæ quoque voluptati placere coëgerit. Quid quæso gustu horridius Oliva, sive matura, sive immatura? At suavitatem invexit ars, quam non potuit natura. Cato, Columel. & Pallad. in harum conditura præcipuā operam locarunt. Ex quib. eas seligemus, cōdituras, quæ unicuiq; generi communes esse possunt. Peculiares parum necessarias arbitrati, quòd Olearum hodie genera, neque omnia, neque fortè multa, omnibus sint nota, ita ut & nomina esse desierint. Baccæ igitur etiamnum hodie, sicut olim, conviviorum epulis præparantur: quarum conditura diversa: nam alia cædivis, alia lectis, alia albis, alia nigris debetur, ut condiendi modus peculiare etiam tribuat nomen. Iam suprà dictum *Colymbades.* Colymbades dici, quæ oleo suo puræ, & sine accersita commendatione innatant. *Halmades.* Halmades verò, quæ muria propriè condiuntur, etiamsi Græci harum sæpè nomina confundant. Plura nomina dicta superiùs. Caducis, quia spontè cadunt, nulla nec collectionis, nec temporis observatio debetur. Has iam rugosas [exsiccata nempe iam in ijs excrementitia illa sanie seu amurca) *Oliua caduca ut condienda.* colliges, & sale trito aspersas, donec inarescant sole expandes. Tum strato cratibus Lauro, baccas dein ordinabis, & pluries invertes, ut probè siccentur. Demum aquam tribus aut duabus undis, cum defruto, & satureiæ manipulo fervefactam, & rursus tepefactam, iniecto pauxillo salis cum origano superinfundes, & ad usum recondes.

Lectæ diverso tempore condiuntur. Priùs enim albescunt Olivæ quàm nigrescant. Hoc autem summæ maturitatis, illud uirescentis, sed iam ad maturitatem mox inclinaturæ Olivæ signum, quod circa vindemiam esse solet, autore Catone. *Oliva alba conditura.* Hic lectam albam contundi priùs præcipit (quod fieri censemus, ut amurca & austerus ille liquor evocetur) tum in aquam inijci [secundùm quosdā calidam] Crebrò autem aqua mutari debet, & ubi satis macerata est, exprimi, atque in acetum immergi, oleúmque addi, & salis selibra. In modium Olearum Fœniculum & Lentiscum seorsim condes in acetum. Si unà admiscere voles, citò utitor. In orculam calcato manibus siccis. Cùm uti voles, sumito. Oleam albam secundùm vindemiam, qua uti voles, sic condito. Musti tantundem addito, quantum aceti. Cætera item ita condito, ut suprà dictum. Res eò redit, ut probè maceratas in fideliam, cum Fœniculi & Lentisci ramusculis & cocto modicè sale permistas recondas, & mustum quàm recentissimum infundas cum media parte aceti, ita ut ius superemineat. Quibus sic conditis tertia die uti poteris. Oleas albas, inquit Varro, quas condire vis, novas, celeriter condito, ut promas: nisi condiens, propter amaritudinem, illas respuit palatum. Item, nigras nisi priùs sale macetaris, non libenter in os recipientur.

Maioris seu Regiæ conditura. Regias quoque seu Maiorinas illas, quàm candidissimas eligunt, deinde substrato arido Fœniculo, in amphoram conijciunt, atque Fœniculi & Lentisci ramusculos intermiscent. Cùm autem ad fauces usque amphora repleta fuerit, duram muriam adijciunt: ac spissamento de arundinum foliis facto, uti infrà ius mergatur, premunt: & iterum muriam duram, dum ad summum amphoræ labrum devenerit infundunt. *Alius modus.* Alij aqua marina ad dies sex macerant: deinde in vas mittunt, & recens mustum superfundunt, ita, ne omnino vas repleatur, ne videlicet in illius fervore effundatur. Quod ubi efferbuerit, oblinunt.

Nonnulli non contundunt, sed acuta arundine [quod quidem operosius] insecant: nam, à *Alius.* ferro cavendum, ne sapor inde perversus contrahatur.

Quidam verò sive contuderint, sive insecuerint, modico sale cocto, & prædictis seminibus *Alius.* immissis, sapam deinde, vel passum infundunt.

Olivam autem Pausiam cùm iam decoloratur, & antequam mitescit, cum petiolo legunt, & in oleo quàm optimo servant. Hac enim ratione viridem, etiam post annum, Olivæ saporem repræsentare promittunt. *Alius.* Plures etiam cùm de oleo trito exemerunt, aspersam sale pro nova apposuerunt.

Alius. Familiaris est hic modus Florentini. Olivas magnas & intactas, manu decerptas, acuta arundine circum circa incide, & in vas novum immissis, salem tenuissimum insperge: quo colliquato, in alio vase mel vel sapam in promptu habe cùm foliis citri, & in hanc conditurani mitte, ita ut liquor ipsis innatet. *Citri folia.*

Quidam etiam Fœniculi semen & Apij admiscent, & conditurani faciunt pergratam, admirabilem, vulgóque ignotam.

Familiarissimus iste Didymi. Vinacea recentia priusquam exprimantur unà cum olivis vicissim interpositis in vas condes, deinde oblines. *Alius.*

Nunc de nigrarum conditura, quæ ubi iam nigruerint, nec tamen adhuc permaturuerint, legendæ sunt, & cribrandæ, exemptis impuris & maculosis. *Nigrarum conditura.* Tum in singulos Olivarum modios salis integri heminas ternas adijcies, atque in vimineos qualos consundes, copiosè superaddito sale, ut baccas contegat, atque sic 30. dies consudascere permittes, ut omnem amurcam extillent. Postea in alveum diffundes. Tandem in vas recondes, & illud sapa ac defruto replebis, aridi fœniculi spissamento superposito, quod Olivas deprimat.

Alius modus. Alij lectas, uti dictum & compositas, muria diluunt, atque in ollam deijciunt, & mellis partes duas, defruti dimidiam, vini unam. Quæ ubi semel omnia deferbuerint, abijciunt, & acetum admiscent, ac permovent: & ubi refrixerint, origani surculos insternunt, sed, ita ut liquor superemineat. *Origani.*

Alius. Alij cum pediculis & agnatis ramulis diligenter lectis, aquam triduo aspergunt, & per duodecim dies in muriam demittunt, & exemptas, in vas cum aceti & musti æquis partibus deijciunt, & repletum vas ita operiunt, ne aliquod spiraculum supersit. *Alius.*

Alius. Alij easdem lotas & sale maceratas aceto mulso, modo prædicto, condiunt, affuso etiam Oleo, & asperso sale trito. Fœniculique ramulis iniectis in vas probè obturatum recondunt.

Oliva contusa & fracta. Didymus Olivas antequam nigrescant lectas, & confractas in aquam calidam mittit, deinde in sportam transfert, & exprimit additque salem non tritum, cum cumino & Fœniculi ramulis. Deinde in mustum immergit & diligenter operit. Olivas contusas & fractas vocat.

Colymbades qualiter fiant. Idem Olivas Colymbades sic parare præcipit: has plenas & perfectas, quum in vigore fuerint, & prope maturitatem extiterint, unà cum exortu ex quo pendent accipito, & ne frangantur ac confundantur

tundantur in magnum vas coniectæ quum deferuntur, diligenter prospicito: deinde frigida aqua lotas, paulatim in umbra per diem unam in calathis ac cratibus vimineis assiccato, &, quo æqualiter siccentur, leniter convertito. Deinde præimmisso in fundum vasis salis triti pugno, & postea muriæ congiis quatuor cum aceti heminis tribus infusis, Olivarum chœnices viginti immittito, & ubi expletum est vas, commoveto. Liquor autem supereminеat, & obturatione per Fœniculi fasciculum facta, vas obturetur. Cæterùm muria ea gratia præinfundi debet, ut Olivæ, dum immittuntur, non contundantur.

Alius modus omnium simplicissi.

Alij cum tenerrimis ramulis decerptas Olivas in vas marinam aquam habens immittunt, & ad dies quinque vel sex relictas eximunt, & in vasa conjectas, unà cum muria reponunt & oblinunt, qui modus est omnium simplicissimus.

Alius Colum.

Columella sic fieri docet. Maturam Olivam, in statura factam Colymbadem, de muria tollito, spongia tergito & deinde canna viridi scindito duobus vel tribus locis, & triduo in aceto habeto. Quartò die spongia extergito, in urceum aut cacabum novum mittito, substrato Apio & modica Ruta. Concisis deinde pleno vase Olivis, immitte defrutum usque ad os. Lauri surcones in hoc usu mittito, ut Olivas deprimant: post dies viginti utere.

Oliva Colymbades quid Columel.

Ex hoc Colum. loco facilè iudicabis quid propriè sint Olivæ Colymbades, nempe, quæ iam semel conditæ fuerint, sed proprio Oleo. Ideo dicit: Olivam in statura [id est repositam & suomet Oleo innatantem] factam Colymbadem: quam tamen, uti vides denuo condiendam docet, modo iam præscripto.

Modus Pallady.

Palladius sic docet: Olivas muria per 30. dies macerabis, post universam fundes, & duas defruti partes, aceti unam. cum Mentha minutè incisa, vasculo adiicies, & ita replebis, ut iusta infusione liquor supernatet.

Epityrum unde.

Ἐπίτυρα quidem fraces & Oliuarum magmata vocat Hesych. At M. Cato. Ἐπίτυρον Olivarum conditura est, de qua sic tradit.

Epityrum album, nigrum, variúmque sic facito. Ex Oleis albis, nigris, variisque nucleos eiicito. Sic condito. Concidito ipsas, addito Oleum, acetum, coriandrum, Cyminum, Fœniculum, Rutam, Mentham, in Orculam condito: Oleum supra siet: ita utitor. Alium modum habet Colum. li. 12. c. 47. Cuius usum maximè dicit esse in civitatibus Græciæ. Alij eius usum olim frequentiorem in Sicilia quàm Italia fuisse tradunt. Falli verò videtur Varro, dum l. 5. de ling. Lat. ἐπίτυρον, ab ἐπὶ τυρῷ, id est caseus, compositam putat: nisi fortè eadem vox & aliud edulij genus ex caseo paratum olim significarit: sicut ἐπιτυρὶς erat edulii genus: quod, ut lib. 14. scribit Athen. fiebat melle iniecto lacti dum coagulatur: alioqui reclamat & modo citatorum Catonis & Colum. autoritas, & ipsa componendi ratio præscripta quin potius Epityrum à confracta Oliva, quæ Græcis πιτύρα est, dictum. De quo Plaut. Milit. 5.

Pityra.

——Ego me illi mancupio dabo,
Si [alij legunt nisi] unum Epityrum edam apud illum esuriens insane.

Tot itaque modis vides anxios fuisse veteres Olivas ita concinnandi, ut diversimodè placerent palato. Sunt verò & longè plures apud citatos autores, quos studio omittimus, quemadmodum & Sampsam, Syrapam, & alia id genus, quorum parandi rationem abundè docet Colum. Quæ omnia eodem modo hoc ævo parari vix pu-

tamus. Nam & simplicissimo tantùm modo conditæ Olivæ ex muria, vel [quod rariùs] aceto & Oleo, interjectis interdum Olivæ aut Lauri foliis ad nos importantur ex Italia & Gallia Narbonensi, itinere terrestri, sed pleræque minores. Nam majores ex Hispania per mare afferuntur, si institoribus credimus, itidem muria conditæ, & ut plurimùm arboris suæ frondibus aut Thymi foliolis interstratæ.

Delectus.

Deligantur firmiores ac solidæ, non flaccidæ, non maculis affectæ, compressæ, aut ulla putredinis labe inquinatæ, succulentæ ac minimè rugosæ, sed superficie probè tensa, pediculis adhuc hærentibus, in quocunque genere.

Olivarum usus.

Et si delitiarum potiùs causa Olivæ condiri videantur, tamen & usum habent in medicina, & venditori non exiguo compendio sunt ad rem augendam.

Arenæ. Dentes. Ulcera.

Nigras Olivas stomacho inutiliores putat Plin. ventri minùs: præclarumque habere antequã condiantur, usum, recentes per se cibi modo devoratas. Mederi arenosę urinę, item dentibus, aut attritis, aut convulsis. Albam Oliuam faciliorem stomacho, sed ventri magis alienam.

Temperam.

Fructus Oleæ inquit Gal. si quidem ad vnguem maturuit, moderatè calidus est, sin immaturus est, magis tùm astringit, tùm refrigerat.

Menses & secundina. Ambusta.

Olivas albas priusquàm mittit Oleum, Hip. siccari & tundi iubet, ac cribrari, & cum vino propinari. Hoc autem & menses & secundas elicit.

Pustulæ.

Olivæ Colymbades tritæ, autore Diosc. & ambustis illitæ, pustulas gigni prohibent, ac sordida etiam ulcera purgant. Succus autem ipsarum ex muria, collutione gingivas contrahit, emotósque dentes stabilit. Est porrò Oliva subfulva ac recens alvo incommoda, sed stomacho utilis. Nigra verò & matura corruptioni oportuna stomachóque adversa est, ac tum oculis minimè convenit, tum capitis etiam dolores inducit. Torrefacta ac illita nomas sistit & carbunculos emarginat.

Nomæ. Carbunculi.

Olivæ, quæ maturæ sunt, ex sententia Sim. Sethi, temperatè calidę sunt, non maturæ verò, astringentes, & frigidæ & siccæ sunt, ventrem roborant, alvúmque sistunt: at pulmoni noxiæ. Nigræ verò & maturæ facilè corrumpuntur, ventriculóque ac oculis noxiæ & vesicæ. Calidæ temperaturæ sunt, & ad siccum magis inclinant. Colymbades verò quæ dicuntur, frigidæ sunt & siccæ quæ si cum garo ante cibum sumantur, alvum proritant. Immaturæ autem adstringunt & refrigerant, siccæque sunt.

Temperam. Purgant. Alvi fluxus. Pulmoni nocuæ.

Diogenes cùm vidisset iuvenem in diversorio Olivas esitantem: si sic prandisses (inquit) non ita cœnares. Idem etiam cum Platonem in lautissimo convivio degustantem Oleas intuitus fuisset, illum percunctatus est, quamobrem in Siciliam hujusmodi mensarum gratia profectus, appositis modò Olivis non frueretur: Cui ille. At Hercules, ô Diogenes, illic & Olivis & reliquis hujuscemodi vescebar. Cur igitur, ait ille, Syracusas adnavigare te oportuit? An Attica tunc Oleam non ferebat? Quibus verbis Platonis navigationem subarguere videbatur.

Demost. in Oratione pro Ctesiphonte contra Æschinem. Solebas aliorum [inquit Adagialiter] Olivas & uvas colligere.

Olivæ etiamnum hodie non solùm in Italia & Hispania, sed nostra etiam Germania ditiorum & magnatum mensas opulentant, gulosorum invento, ad aviditatem excitandam. Quanquam

Tragus Germanis consulit ut Gallis & Italis hunc cibum relinquant, quòd iis minùs salubrem existimet.

Nigræ conditæ omnium levissimè aluntꝫ eas cum pane edendas præcipit Gal. Paulus tamen alienas stomacho, crassique succi esse testatur. At Colymbades astringẽte succo præditæ sunt, proinde ventriculum roborant aviditatémque ciborum stimulant: prima mensa ex garo, sine pane, ad aluum dejiciendam commenducatæ mirè utiles sunt. Ætius eas quę aceto condiuntur, ad invitandum appetitum nobilissimas omnium affirmat, & minori negotio à ventriculo perfici ea, quæ iucundiora suavioráque sunt. Paulus Oxymelle conditas laudat. In Gallia Narbonensi, ab incolis nullis non prandiis cœnisque apponuntur, quemad. & capparis fructus. Sunt inter Arabes, qui inter prandendum iubeant mandi aviditatis gratia & concoctionis. Alij astringentiores secundis mensis adhiberi volunt, ut roborato ore ventriculi cætera deorsum pellantur cibaria. Vulgus eruditum pariter atque ineruditum primo, & medio, & postremo cibo, carnibus, piscibus atque ovis intermiscens, mandit eas, ubi frequentes sunt, ut iam dicto loco, & in Italia. Nostri magna ex parte cum carnibus assatis apponunt.

Olivarum Collatio ad cibum.

Sunt qui tradant baccarum decocto pulices interire, si eo domicilium conspergatur: hocque magis, si Cymini agrestis triti nonnihil commistum fuerit. Oleæ verò ipsius folia Dioscor. iisdem prædita sunt viribus cum Sylvestri, sed aliquantò minore efficacia: quare oculorum medicamentis, ob suam vim mitiorem, convenientiora sunt. Qui verò humor ex accenso virente ligno emanat, furfures, scabiem & lichenas illitu sanat. Quin & fructus earum, furfuribus ac nomis seu depascentibus ulceribus medetur. Quod autem intra nucleum est, cum adipe & farina scabros ungues excutit: Quod experientia ipsa probatum esse Cornar. Scribit. Sed Hip. eius nuclei usum etiam ad ocularia medicamenta adhibuit: unde l. 2. de morb. popul. sectione quinta sic tradit: ὀφθαλμικὸν, σποδίου δωδέκατον, κρόκου πέμπτον, πυρῆνος ἕν, ψιμυθίου ἕν, σμύρνης ἕν. Hoc est Oculorum [sub intell. medicament.] spodij partem duodecimam, croci quintam, nuclei [Olivę] unam, cerussæ unam, myrrhæ unam. (De Olivæ enim nucleo, nec de ullo alio, hic locus intelligendus, ut benè annotat Cornar.) Sed aquam frigidam quoque capiti infundendam præcipit, & allia cum maza præbenda. I nunc, & hodie nostros delicatulos tali modo curato.

Adversus pulices. Vius & vires Oleæ. Oculi. Ligni liquor. Furfures. Scabies. Lichenes. Ad scabros ungues.

Plin. de Oleæ viribus eadem ferè habet, attamen illi multò plures tribuere videtur, quàm hic Oleastro. Sic enim scribit: Olearum [post uvas] proxima autoritas intelligitur.

Folia earum vehementissimè astringunt, purgant, sistunt. Itaque commanducata imposita ulceribus medentur, & capitis doloribus illita cum Oleo. Decoctum eorum cum melle his quæ medici usserint, gingivarum inflammationibus, paronychiis, sordidisque ulceribus excrescentibus. Cum melle profluvium sanguinis è nervosis partibus cohibet. Succus eorum carbunculantibus circa oculos ulcerib. & pustulis, procidẽtiq. pupillæ efficax: quapropter in Collyria additur. Nam & veteres lachrymationes sanat, & genarum erosiones. Exprimitur autem succus tusis, affuso vino, & aqua cœlesti, siccatúsque in pastillos digeritur. Sistit menses in lana admotus vulvæ. Vitiis & sanie manantibus. Item Condylomatis, ignibus sacris, ulceribus serpentibus, atque Epinyctidi.

Foliorum Temperam & vires. Vlcera. Cap. dolor. Ambusta. Gingiva. inflam. Paronychia. Hemorrag. Pustula. Procidens pupilla. Lachryma. Gena erosa. Pastilli. Menses. Condylomata. Ignis sacer. Serpentia ulcera.

Eosdem & Flos earum habet effectus. Vruntur & cauliculi Florescentes, ut spodij vicem cinis præstet: vinoque infuso iterum uritur. Suppurationes & panos illinunt cinere eo, vel foliis tusis cum melle, oculos verò cum polenta. Succus fruticis recentis accensi destillans sanat lichenas, furfures, manantia ulcera. Nam & lacrhyma, quæ ex arbore ipsa distillat, Æthiopicæ maximè Oleę, mirari satis non est, repertos, qui dentium dolores illinendos censerent, venenum tamen esse prædicantes, atque etiam in Oleastro quærendam. E radice Oleæ quàm tenerrimæ cortex derasus, in melle crebro gustatu medetur sanguinem reiicientibus, & suppurata extussientibus. Ipsius Oleæ cinis cum axungia tumores sanat: extrahitque fistulis vitia, & ipsas sanat.

Spodij succed. Lichena. Furfures. Vlcera manantia. Lachryma eius. Dentium dolor. Sanguinis & puru sputum. Oleæ Cinis. Fistula & tumores.

Oleæ germina, [Olivæ rami] inquit, Gal. lib. 6. simpl. medicam. quantum habent astrictionis, tantæ & frigiditatis participes sunt. Fructus verò, si quidem ad unguem maturuit, moderatè calidus est: sin immaturus est, magis tum adstringit, tum refrigerat.

Pascitur Oleæ & Oleastri baccis turdus, ac inde pinguior, & præpingui pallidior, id est, magis cereus evadit. Hinc Martialis:

Si mihi Picena turdus palleret Olivâ.

D. Ambrosius in Hexamero prodit ægrotantem cervum sanum fieri, mansis Oleæ ramusculis: & locustas ab ægritudine liberari, arrosis Oleæ foliis.

Cervorum & locustarum remedium.

Aquam etiam, in qua Olivæ salitæ fuerint, dentes vivare præditum est. Plurima Trallianus, & Curtius superstitiosè de Oleæ viribus. Scribitque hic inter alia, radicis corticem drachmæ pondere cum vino aut aqua deglutitum, pituitam evacuare, quod nobis nondum compertum.

Purgans.

Oleæ quoque materies præcipuè commendationis est apud operarios & statuarios, à quibus ad præstantes operas desideratur cum Ebeno, propter densam & tractabilem ejus substantiam, & colorem subrufum ac varium, quem ductus & nervi intorti referunt, præsertim, si obliquè [ö-berhirn dicunt artifices] in frusta vel assulas secetur.

Materies.

Memorabile quod Theoph. ait: Oleæ statuam sudare posse: Nam ex Olea olim statuas fieri solitas ait, quod minùs sit eius materies obnoxia corruptioni: quod & in cupresso & cedro fieri ait. Causam refert ad internam earum pinguedinem, & tenuem liquorem, qui, quoties ablanditur eis Austrina tempestas, tepore suo, suáque humiditate, erumpat & exsudet: quod alij prodigium & ostentum esse putent.

Statua oleæ sudare posse.

Sanè & marmorea templorum signa, & ænea vidimus appendentibus guttis, sudantium præbere speciem: cùm ea ligna vetustate succum penè omnem amisissent eum qui intus fuerat. Equidem cum Scaligero censemus, aërem tepidum illis adhærescentem, nactum superficiei frigus aliquod, cogi quasi in lachrymas & sudores. Nam illorum oculis tale quiddam stillans, pro lachrymis, se puero, quondam receptum, atque inter ostenta vulgò relatum fuisse, idem Scal. scriptum reliquit. Nemo sanè est, uti putamus, qui non, frigidiore mutato aëre in Austrinum, statuam aliquam in templis sudantem non deprehenderit.

Ratio cur sudent statua.

DE OLEO

DE OLEO SPECIALIUS, EIUSQUE differentiis & usu.

OLivarum liquor Oleum est, cui honorem Veterum majestas magnum præbuit, ob insignem ejus utilitatem. Hujus inventorem Plinius dicit Aristeum Atheniensem.

Olei simplicis tres differentiæ.

Olei simplicis & ex Oliva expressi tres differentias diximus.
1. Primum omnium laudatissimum, πρώτειον Græcis, prima preli unda, & quasi spontanea, lixivium Oleum, non tortivum: Olei Flos, Gleucinum, hoc est, mustum expressum, [mustum enim γλεῦκος Græcis] antequàm Olivæ calcentur, vulgò *Huile-vierge*.
2. Secundum Iterativum, quod est secundæ pressuræ.
3. Tertium, Tertiatium, quod est tertiæ. Hoc pessimum: Illud medio modo se habet. Ostum vel Hostum vocant Cato & Varro, quod ex utroque facto Olei reficitur.

Ostum. Omotribes.

Fit autem & Oleum ex acerbissima & nondum matura bacca, quod Græcis ὠμοτριβὲς, dicitur, Lat. acerbum, æstivum & viride, cujus meminit Theoph. l. de Odoribus, idque fieri tradit ex Olivis Phaulis: non ἐξ ἐλαιῶν φαύλων, ut habetur apud Athen. ita enim restituendus ille locus Athen. ex Theophrast. Græco codice, quem ipsemet citat.

Omphacinum.

Ὀμφάκιον, vel Ὀμφάκινον, quòd ex immaturis baccis fit dicebatur Græcis [apud quos ὄμφαξ uvam acerbam, nec dum maturam, atque etiam omnes omnium plantarum, acerbos, crudos & immaturos fructus ἀπὸ τοῦ ὠμοῦ φαγεῖν significabat.] Illud autem valde commendant autores, tam Græci quàm Latini.

Acerbum autem Oleum facere, nisi baccæ tempestatibus in terram deciderint, & necesse sit eas sublegere, patris familias rationibus non convenit, inquit, Columell. quia exiguum fluit.

Cibarium. Samicum.

Cibarium utique Oleum faciendum modo præscripto. Samici Olei meminit Antiphanes apud Athen. quod reliquorum esset candidissimum.

Oleum. Caricum. Oleum Thurium.

Caricum, ex Caria advectum, laudarunt alij.

Alij, id quod Thurijs [nobile est magnæ Græciæ oppidum] fit, ut excellens commendant.

Candidum ut fiat.

Lubet hic Olei candidi parandi rationem ex Diosc. adferre. Candidatur hunc in modum. Sumito album colore, nec anniculo vetustius, & in fictile novum lati oris infundito centum heminarum mesura. Mox in sole expositum quotidie circa meridiem concha refundito, ex altò deturbans, ut frequenti volutatione ac verberatu agitatum alteretur & tumescat. Octava deinde die fœnumgræcum purgatum drach. 50. pondere, aquaque calida maceratum, atque adeo remollitum, aqua interim neutiquam expressa, in supradictum Oleum conjicito: tendam quoque Pineam prepinguem & in tenues assulas concisam pari pondere insuper addito: atq; ita dies octo alios elabi sinito. His transactis concha Oleum denuò confundito. Postremò si finem assecutum fuerit, in vas novum prius vetere vino elutum, substratis antea Meliloti flosculis ad drach. undecim, cum Indis pari pondere: decapitulato, atque recondito. Sin autem candorem nondum contraxerit, Oleum rursus insolandum, & opus ipsum repetendum, dum candidum illud evaserit.

Lavandi & candefaciendi Olei longe simpliciorem modum docet, Galen. lib. 2. simpl. capit. 15.

Reperitur, inquit Cordus, natura etiam candidū Oleum, sed Diosc. de eo tractat quod arte & industria humana candorem contraxerit. Dealbatur etiam pura tantùm, crebròque, affusa & refusa aqua, idque duas ob causas. Primùm ut acrimoniam, amurcę reliquias, & pinguedinis rancorem, si quis sit, in aquam deponat. Deinde etiam ut aspectu candoreque magis placeat, ne fusco aut profundiore colore candida unguenta inficiat. Lavatur præterea & alijs modis, habito diversarum affectionum respectu, aquis odoratis, Rosarum, Lavendulæ, aut similibus.

Sabinum Oleum.

Est & Sicyonium Oleum à loco ita nūcupatum: Item Oleum quod paratur ex Oleæ surculis, de quib. pòst seorsim. Sabinum Oleum sic à Sabinis populis dictum, apud quos conficiebatur, cujus pluribus locis meminit Gal. & quod plurimum laudat, quòd inter alia tenuium suppetium, quòque utebatur adversus ea, quæ discutienda erant, propter redundantiam.

Differentiæ ab ætate.

Vt autem cum Galeno rem paucis complectamur, illud quod propriè Oleum dicitur, de quo hoc loco agimus, differentias habet vel ab ætate, quòd aut recens sit & velut mustum, aut ætate vigente, aut vetus.

A preparandi modo.

A præparandi modo, ut simplex, solum, & impermistum, aut cum sale preparatum.

A diversitate fructus.

A diversitate fructus, cùm is aut maturus aut immaturus extiterit.

Iam quot compositorum Oleorum formulas tradiderint autores, hoc loco recensere non permittit instituti nostri ratio.

Oleum cum aqua mistum ὑδρέλαιον vocant.

Oleum verò quo luctatores perungebantur, χύτλον, & κήρωμα, & πηλὸς dicebatur: verùm hoc ultimum propter cœnum, pulverem aut certum terræ genus, quod densandi atque roborandi corporis gratia luctaturis post Olei illitionem affricabatur. ὠμὸν ἔλαιον, Oleum insulsum vocatur apud Galen. [illegible], lib. [illegible].

Synon. Linguar.

Oleum, olivum vocat Horat. [illegible] Græci. Germ. Baumöl. Belg. Boomolie: Olie van d'Olive/Gal. *Huile d'Olive*. It. *Oglio d'Oliva*. Hisp. *Azeyte de Azeytunas*.

Olei vires & usus.

Olei vires nemo facilè, quamvis disertus, quod satis sit explicabit. Plinius sanè paucissimis verbis Olei & vini usum prædicavit, quando ait: Duo sunt liquores corporibus humanis gratissimi, intus vini, foris olei, arborum è genere ambo præcipui. Sed olei necessarius.

Pollionis Romuli responsum.

Videtur autem alludere ad Pollionis Romuli festivum responsum, cujus alibi meminit: eum centesimum annum excedentem, cùm D. Augustus hospes interrogaret, quanam maximè ratione vigorem illum animi corporisque custodisset: respondisse: intus mulso, foris oleo.

Democriti responsum.

Eadem propemodum sententia, Democritus interrogatus, qua ratione homines inoffensa valetudine degerent, ac vigorem illum animi custodirent, respondisse fertur: Si corporis externa oleo, interna melle linientur.

Oleum laborum subsidium.

Plato in Menexeno Oleum πόνων ἀρωγὴν, id est, laborum subsidium & adjumentum hominibus esse datum ait. Oleo enim natura tepefacere corpus, & contra algores munire: eidemque fervores capitis refrigerare.

Græci vitiorum genitores. Insaniæ pharmacum.

Vsum ejus, inquit Plin. ad luxuriē vertere Græci vitiorum omnium genitores, in gymnasiis publicando. Ideo & Anacharsis insaniæ pharmacum dixit, quòd eo uncti Athletæ invicem Mercenariis

& ardentius atque furiosius insultarent.

Insania pharmacorum. Oleum & salem emere oportere Aristoteles autumavit, utique quòd utrumque ad prorogandam vitam quàm maximè conduceret:

Oleum in Aegypto nullum. Invenimus Ægyptum penè universam Oleo carere: esse verò quosdam hortos circa Alexandriam, in quibus Oleæ sint; verùm Oleum non reddere.

Solum Oleum humidum Homerus. Fons ille ingeniorum Homerus, inter tot liquores, qui ex fructibus quos terra parens nobis producit, solum Oleum *ὑγρὸν*, id est, humidum, [Metaphoricè etiam molle, laxum remissum, lubricum] dixit. Quare sic Plutarchus optimus huius rei & grauis interpres in Sympos. rationem reddit, Quod uidelicet in Oleo nihil asperum sit, ut ne ad motum quidem percussum, quemadmodum ceteri liquores, strepat, ut, quod cum igne minimè luctetur, verùm illum tacitè pascat. Nec alius etiam liquor, qui tam latè diffundatur, si corpori inungatur, aut qui feriùs siccescat.

Imagines speculorum more reddit.

Tardè siccatur. Speculi vicem præbet. Tranquillum. Vrinatorum usus. Tranquillitatis etiam nomine, eius natura in infinitum propemodum commendata est, ut mare etiam, omnium rerum sævissimam tranquillet. Atque ob id Vrinatores ore Oleum spargere aiũt, quòd mitiget Elementi naturam, lucémque deportet. A qua quidem natura tractum adagium, Oleo tranquillior. Plautus in Pœnulo: ita hanc ego canem faciam tibi Oleo tranquilliorem. *Adagium.* Oleum in auricula ferre dicit Martialis:

Narratur quidam belle dixisse Maralle,
Qui referre Oleum dixit in auricula.

Quod in assentatores quidam tes... runt.

Humidis non permiscetur. Humidis autem permisceri nullis Oleum patitur quia lentum suique pertinax est.

Spirituosum. In partes quoque dividuas secari se non sinit, reliquisque commisceri liquidis. Multum spiritus habet, pingue enim est, ut propterea neque terrenæ, neque aqueæ substantiæ, sed aëreæ perhibeatur: Ex quo fit ut per summa aquæ fluitet, & levitatis indicium præbeat, quamvis revera per se non sit leve, sed copiosam etiam admistam habeat densam & terrestrem portionem.

Sed calor & spirituosa eius substantia prohibet, quominus congelescat. Crassescit tamen frigore, ut hyeme, tum flavum tum citrinum conspicitur. Æstate, liquidum & subviride.

Ferrum remollit. Qui autem ferrum remollire cupiunt, Oleo ungunt.

Cæterùm omnes Olei utilitates hîc persequi, nec volumus, nec possumus, maximè, cùm sciamus, Galenum in eo genere plurimum præstitisse, nec tamen potuisse omnia.

Quod si quis tamen eius utilitatem altiùs pensare velit, vix ullam aliam rem maiorem, post aquam & panis usum, inveniri deprehendet, sive ad rem familiarem spectet, sive ad rei medicæ necessitatem, sive ad luxum & ornatum.

Odores conseruat. Nam ipsum, cùm per se propemodum inodorum sit, omnium tamen rerum vim, odorem, & facultatem recipit, illas verò nulla ratione inficit, quod Lucretius insinuasse videtur, cum ait:

At posu reperire inolentis Olivi
Naturam, nullam quæ mittat naribus aur. &c

Hinc Vnguentarij odores in Oleo reponunt. *Vsus medicus.* Nam odorem leniare omnium maximè potest. Sed iam reddenda est medicinæ eius ratio.

Oleum ad usum per sanitatem optimum, inquit Diosc., quod, quia ex crudis seu acerbis & immaturis Olivis exprimitur, crudum, seu omphacinum dicitur. Excellit in hoc genere recens, minimè mordens atque odoratum. Tale ad unguentorum compositionem utile. Quinetiam propter astringendi vim stomacho accommodatum. *Stomachi. Dentes.* Ore si contineatur, gingivas contrahit, dentésque firmat: sudores denique cohibet. Quod uetustius ac pinguius est, ad medicamentorum usum est accommodatum.

Temperat. In universum autem Oleum omne calefaciendi vim habet, carnem emollit, corpus contra algores munit, ipsumque ad actiones obeundas expeditius reddit. *Laxat.* Bonam etiam aluum facit, éstque molliendi ui præditum. Exulcerantium medicamentorum uires, permistum, hebetat. *Aliis ueneni. Purgat. Tormina.* Exhibetur quoque contra uenena, sic ut subinde bibatur ac revomatur. Purgat hemina mensura, cum pari ptisanæ succo, aut aqua, epotum. Torminosis utiliter datur in potu cum ruta decoctum sex Cyathorum mensura, lumbricósque pellit. *Lumbricos. Ileosis.* Infunditur & idipsum ad Ileosos maximè affectus. At uetus tum magis excalfacit, tum etiam vehementius discutit, & ad exacuendam oculorum aciem sublinitum prodest. *Oculorum aciei.* Sin desit uetus, hac præparatione opus est. De eo cuius est copia, quod præstantius erit in uas defundito, & ad mellis crassitudinem decoquito, atque ita utitor. Eandem enim cum prædicto uim asserit.

Plin. quoque testatur in Oleo odores maximè conseruari. Et Oleum, liquor recreans membra, eidem dicitur. Et alibi: Omni oleo mollitur corpus, vigorem & robur accipit. *Explicatur. Diosc.* Stomacho contrarium, ubi omphacinum non comprehendisse uidetur, quod stomacho gratum esse Dioscor. dixit. Sed quando Oleo, ut uino, palati gratiam nullam dicit, sola contemplatione detraxit Oleo, quod alioqui recens & dulce est, & oleosa lenitate gratum. Alioqui, uini modo, insigni quodam sapore palatum nec invitat nec titillat. At Oleum recens & dulce, panis segmentis tostis, cum sale infusum, præcipuam suavitatis gratiam nobis habere uidetur. Vtilissimum eodem teste, est Omphacinum proximè uiride. Præterea quàm maximè recens, nisi cùm uetustissimum quæritur, tenue odoratum, quódque non mordeat, è diverso quàm in cibos eligitur. Omphacinum si contineatur in ore, colorem dentium custodit magis quàm aliud, sudorésque cohibet.

Olei usus. Omne autem oleum auget ulcerum incrementa: Fauces exasperat, & uenena omnia hebetat, præcipuè Psimmythij [Cerussæ], & Gypsi, in aqua mulsa, aut Ficorum siccarum decocto potum, *Contra uenena uaria.* contra Meconium ex aqua: contra Cantharides Buprestin, Salamandras, Pytiocampas per se potum, reddit ùmque vomitionibus, contra omnia supra dicta laudatissimum. *Lassitudinem.* Et lassitudinum perfrictione refectio est. Vulnerariis emplastris utile. *Nitorem addit.* Faciem purgat, & rebus omnibus nitorem & lucem addit: Vnde tractum adagium: Oleo nitidius

Duritias. Lethargos. Oculis. Vetus porrò magis excalfacit corpora, magísque discutit sudores. Duritias magis diffundit. Lethargicis magis auxiliare, & inclinato morbo. Oculorum claritati confert olei quid, cum pari portione mellis acapni. Capitis doloribus remedium est, Item ardoribus in febri cum aqua. Et si uetusti non sit occasio, decoquitur, ut uetustatem repræsentet.

Contra Vespas. Oleum uvas à uespis tuetur: picem è panneis extrahit, eo apes & reliqua insecta exanimantur.

Olei mesta. ... Oleum solum calci miscetur, quando utrumque aquas odit.

Eodem extinguuntur quædam, quæ aqua accenduntur, vt Thracius lapis, & Gagates. Hæc Plin.

Bouzes

Pedum dolor boum.

Boues, inquit Arist. pedum dolores non sentiunt, si eorum cornua vel pice vel Oleo illinantur.

Contra hausiam hirudinem.

Item vbi bos aqua hirudinem hauserit, & ea faucibus inhærens, manibus detrahi non possit, fistulam vel arundinem aut tubulum inserito, & ita calidum Oleum infundito. Nam eo contactu animal confestim decidit: quod remedium & homini in simili casu accommodare possis. Bubus etiam insufum per nares, donec ructent, inflationem sedat. Oleo poto etiam Elephantes tela, quæ eorum corpori inhæserint, eiiciunt.

Tela eiicit.

Vt temperamentum olei dignoscas.

Olei temperamentum eleganter declarat Simeon Sethi, his verbis: Oleum mediocriter calidum est, magis humefaciens. Immaturum verò, quò magis astringit, eò magis frigefacit: quod autem elutum est, minus mordicat. Vetustum quoque quò vetustius est, tantò calidius est, & magis discutit, eóque maximè, si à principio tenuium partium fuerit; quod cognoscitur, si purum est & perspicuum, & si eius modica pars maximam corporis partem perungat, & facilè ab eo imbibatur. Dignoscetur verò caliditatis & frigiditatis Olei gradus, gustu: quod enim dulce est, mediocrem caliditatem habet: quod autem astringit, frigidum est. Tale autem stomacho bonum est. Quod autem calidum est celerrimè inflammatur.

Olei suprema regio melior.

Olei suprema [ex Plutarch. sympos.] regio melior est: nam imum ab amurca turbatur. Summum verò optimum, quod remotissimum à noxia parte, nec sua spissitate ab aëre læditur.

Cur rancidum fiat.

Nouum præstantius, illi enim lenium inutile: Transpiratu carens ob lentitiam inueterascit, & tandem rancescit, quod ad vomitum ciendum, ob tetrum tum saporem, tum odorem ab aliquibus præfertur. Attamen illud nobis suspectum, quod vitiosa qualitate stomachum nimis vellicet, & molestet. Recens laxando, lubricando, atque adeò leui suo motu & fluctuatione abundè id præstare posse censemus, maximè si præbeatur cum aqua tepida.

Cur oleum vomitum bilis moueat.

Quærit Alex. Aphrod. cur epotum Oleum vomitum, potissimùm flauæ bilis moueat? Quod suapte natura semper ad superiorem locum tendat. Quotiens enim cuiquam humori permisceatur, ad superiorem sese recipit sedem, innatátque, & cibos ad stomachum inuitat, efficítque: quibus aggrauatus & oppressus vim excernendi ad euomendum incitat: præsertim verò flauam bilem, quæ cùm leuis, atque tenuis sit, idcircò facilius superiora petit.

Olei, præter rem etiam ipsam medicam, plurimus vsus, quod omnes ipso vsu experiuntur, qui tantus, támque in rebus multis, vt eius commoditates, multiplicésque vtilitates enumerare perdifficile sit.

Et quoniam suprà dictum Oleo corpora muniri contra algores, lassitudinésve; addendum nunc, & illud tueri corpus perfrictionibus, lubricum illud reddendo, & ad motus habilius. Nam vbi corpus arefactum fuerit, vel à sole, vel à frigore, vel à re quadam erodente vel acri, vel extra vel intra corpus, aut si cutem prurigo infestet, Olei dulcis inunctione nihil præstantius, præsertim si in balneo, vel post, id fiat, quod apud veteres Romanos tam consuetum fuit, vt exemplis illustrare pigeat, cùm pleni sint, tam medicorum quàm historicorum libri. Inde & excogitata medicamenta Latinis Acopa [vt & etiam Græcis Ἄκοπα] dicta ad tollendas lassitudines, & robur agilitatémque corpori inducendam. Hinc luctatori quoque eo perungebantur, vt eius vnguinis lubricitate difficilior foret inuicem brachiorum connexio. Hinc luctæ succurrere Oleum dixit Philostratus, apud cuius icones, pictor appositè ramum Oleagineum in Palæstra Mercurij filiæ & luctæ inuentricis nudo sinu locauit. Ludorum verò Olympicorum, ut vnctionis ad eosdem, Herculem autorem faciunt, cuius consilio factum aiunt, ut luctatores Oleo oblinerentur. Quod & Lucanus testatur lib. 4.

Acopa Seriorum.

Lucta succurrit oleum. Emblema Philostrati. Lucta inuentrix. Ludorum Olympicorum autor.

Ille Cleonæi proiecit terga leonis,
Antæus Libyci perfudit membra liquore.
Hospes Olympiacæ seruato more Palæstræ.

Hæc in Antæi & Herculis pugna.

Insaniæ pharmacum.

Propterea Anacharsis Scytha, vt dicebamus, Oleum insaniæ pharmacum esse dicebat, quoniam eo peruncti athletæ feruentius inuicem insanirent.

Essæorum mos.

E contrà Essæos è Iudæorum genere, ungi oleo non pati ait Porphyr. in libris quos de abstinendo a carnibus scripsit, vt est apud Eusebium de præparatione Euangelica. Quod si verò quis Oleo tactus fuisset, diligenter tanquam à magna corporis macula, corpus abstergebatur, quòd eos corpore aridos, non molles fore oporteret. Possidonius Stoicus, in suis historiis tradit vt refert Athen. Gallos quoque olim non fuisse vsos Oleo, propter raritatem: quin & quod insuaue sentirent, vsui eius non assueti. Hodie tamen in Gallia Narbonensi & Prouincia Olei maximus est vsus: quibusdam enim in locis non quadragesimali duntaxat tempore, sed per totum annum cibos omnes cum oleo coquunt: Vere tostus panis cum Oleo & Mentha gratus est cibus, nisi quis laboret Antipathia, sicut fuerunt mihi aliquando duo commensales, quorum vnus abhorrebat à cibis coctis cum Oleo, alter à coctis cum Butyro.

Olei vsus maximus hodie apud Gallos.

Galli olim abstinebant ab oleo. Epaminondæ responsum.

Epaminondas quum impensarum rationem cum collegis reddere iussisset, & olei multitudinem molestè tulisset, admirantibus illis ait: Non impendij magnitudo me mouet, sed quòd tantum Olei intra corpus receperint.

Velabrum olei emporium. Olearij.

Velabrum, autore M. Varrone, Romæ locus fuit, in quo Olearij Oleum distrahebant. Mos autem huic hominum generi fuit, vt inter se de pretio conspirarent, quo pluris venundarent: vnde tractum adagium: Vt in velabro Olearij. De his dictum, qui conspirant, remque ex composito gerunt. Plaut. in Captiuis.

Adagium.

Pergo ad alios, uenio ad alios, deinde ad alios, una res,
Omnes cum pacto rem agunt, quasi in Velabro Olearij.

Lebasion poculum.

Non prætereundum etiam, quod vsus Olei erga Deos ac illorum sacrificia non infrequens fuit: Vnde Lebasion poculum, quo in sacris Oleum libaretur, ex Curtio.

Fuit etiam Romæ olim Saturni simulachrum Oleo plenum, teste Plin. fortè quod ex Ebore confectum erat: nam priùs dixerat existimari ebori à carie vindicando vtile esse: & quasi pro ratione subdit: certè simulachrum Saturni Romæ intus Oleo repletum est, in quam rem inquirant Antiquarij.

E taberna etiam meritoria trans Tyberim, Augusti temporibus, Oleum è terra erupisse, ac tota die nulla intermissione fluxisse proditum est. Quo significatam volunt grauissimi autores IESV CHRISTI erga gentes gratiam & natiuitatem.

OLEVM SICYONIVM.

Sicyonium.

Sicyonium Oleum dictum, in Sicyone Achaiæ vrbe præparabatur, vnde nomen accepit. Illud

B

ex candidato Oleo, de quo suprà egimus inter differentias, docente Diosc. hoc modo parare licet. In lebete moris ampli stanno inductum recentis Olei candidique congium unum, aquæ vero dimidium infundito: cum igne levi coquito, leniter agitando. At cum primum bis efferbuerit, ignem subtrahito, & ubi refrixerit, Oleum decapulato. Tandem alia adjecta aqua simul iterum fervefacito: ac reliquis, veluti præmonstratum est, peractis, reponito. Vim habet leviter calfactoriam, in febribus, ac nervorum affectibus accommodatum. Vtuntur & eo mulieres ad inducendum cuti nitorem. Cæterum, priscis maxima cura erat, Oleum parare albissimum, quia illo quotidie, ut notat Amatus, universa corpora inungebant, ut agilia, prompta & expeditissima ea haberent.

Vsus & vires. Febres. Nervorum affectus. Fucus.

Cæterùm ne lector vocum ambiguitate aut similitudine fallatur, notandum duplex esse Oleũ Sicyonium, unica tantùm litera mutata: Σικυώνιον & Σικύινον. De priori hic agitur. Posterius à vocabulo σικυός, vel σίκυς Cucumis, nomen invenit cuius hic Dioscor. nullam facit mentionem. Prius illud nostrum intelligit Paulus, l.3.c.9. de Lethargi cura: & eodem lib. c.20. in cura Tetani. Ad hos enim affectus commendat. Posterioris meminit, l.3.c.77. in cur Coxendicis. Porrò tum hic, l.7.c.20. Tum Ætius Tetrab.1. Serm.1. cum Myrepsus sect.16. cap.24. & Actuarius meth. med. l.6. tam simplices quàm compositos modos recipiunt inter se discrepantes parandi Olei Sicyonij habent: sed omnes σικύου ἀγρίου, hoc est, Cucumeris sylv. succum aut certè radices in se recipiunt, unde & illi Sicyonij nomen, uti dictum, indepti. Apud Græcos verò per ο μικρὸν scribitur, quemadmodum hoc Diosc. per ω μέγα.

Lethargus. Tetanus.

OLEVM EX OLEÆ surculis.

Delectus. Vires & vsus. Oculorum caligo. Lepra. Nervorum dolor.

PAratur & ex Oleæ surculorum [θαλλῶν] pinguedine Oleum, teste Diosc. qui optimum in hoc genere esse dicit vetus, crassum, pingue, non turbidum. Calfacere autem privatimque super illitum facere ad ea quæ pupillis caliginem offundunt: quin & ad lepras nervorumque dolores illitum conferre. θαλλὸς enim [θαλλός, & ἡ θαλλία, vel θάλεια] quidem communiter cuiusvis arboris virentem ramum ac teneriorem surculum denotat. Atticè vero hoc loco & κατ' ἐξοχὴν pro Oleagineo accipitur.

Similis Olei mentionem facit, Gal. l.6. simpl. licet non videatur è germinibus solis id Oleum fieri voluisse, sed tantùm in Oleo illo conficiendo addi solita Olearum germina. Ait enim: Quinetiam quicunque in præparando Oleo ramos oleagineos iniiciunt, ij & ipsi Omphacinum simile Oleum faciunt. Et Meth. 11. Sit tibi Oleum astringens, quale est Hispanum dictum, & quæcunque alia è germinibus oleagineis parant. Suprà sanè ubi Olei Hispani parandi rationem è Damogeronte proposuimus, dictum, fuit, addi etiam debere succum foliorum Oleæ tenellorum contusorum, quo ab iis amarorem & acrimoniam quandam adsciscat.

Differt igitur in eo à Diosc. quod ille χυλὸν τῶν φύλλων adiiciat cum Galeno: hic verò simpliciter ἐκ τῶν [illegible] θαλλῶν, Oleum fieri dicat. Quinquam solus Marcellus [illegible] legat, id est, ex cortice.

Lectionis Diosc. varietas.

AMVRCA.

AMurca expressæ Olivæ fæx est & crassamentum, Oleo inimica, cuius color Olivam cogit nigrescere & sapor amaram reddit. Ideoque incipiente nigritia Olivæ, minimum Amurcæ, ante eam nihil. Error hominum est, ut antea dicebamus ex Plin. existimantium maturitatis initium, quod est vitio proximum. Saniem Olivæ amaram, Plin. dicit. ἀμόργη Diosc. [aliis ἀμόργη] & Gal. τρύξ etiam teste Polluce, aliis τρυγίας, ut notat Curtius.

Nonnulli Tragœdiam primùm denominatam dicunt, inter quos Donatus, quòd Scenici ad personarum usum, ora sua ea perluerent: quod primùm reperisse Æschylum aiunt. Preclara, mehercle, inventio. Hoc tamen in arte innuit Horatius.

Ignotum Tragicæ genus invenisse Camænæ,
Dicitur, & plaustris vexisse poemata Thespis:
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Dicitur & ἐλαιότρυγον. Hesych. apud quem corruptè legitur ἐλαιότρυγον. Servio autore, Amurca est ex Olei sordibus: sed iis quæ præcedunt: nam sordes quæ Oleum sequuntur fæces vocantur. Colum. Amurcam Palladiam dixit, satis honorificè:

Hesych. correct.

Palladia sine frugi salis conspergere amurca.

In qua, teste Catone quo diutiùs fuerit Oleum, eò deterius fuerit. Germ. Oelrusen/Olhapff. Bel. Droesem oft Droesen van d'Olie. Gal. *Lie d'huile*, It. *Fece d'Oglio*, Hispan. *Alpechin*, *Borras de Azeyte*.

M. sanè Varro & fructus titulo dignatus est, sic scribens: Ex Olea fructus duplex: Oleum, quod omnibus notum, & Amurca, cuius utilitatem ignorant plerique.

Vsus. Imbuendis cadis. Adversus noxias bestias.

Super omnia autem celebravit Amurcam laudibus Cato [inquit Plin.] scripsitque *Dolia Olearia*, cadósque illa imbui, ne bibant Oleum: Amurca subigi areas terendis messibus, ut formicæ rimæque absint, & ne Curculio noceat, néve mures lædant. Quin & lutum parietum ac tectoria & pavimenta horreorum frumẽti, vestiarium etiam contra Teredines ac noxia animalia. Amurca aspergi semina frugum perfundi: morbis quadrupedum quoq; illam ad medendum efficacem, ut & ad ulcera interiora humani oris. Lora etiam ac coria omnia, & calceamina, axésque decocta ungi, atque æramenta contra æruginem, colorisq; gratia elegantioris: & totam supellectilem, ligneam, ac vasa fictilia, in queîs Ficum aridam libeat asservare. Aut si Olivas baccásve Myrti, aliudúe id genus simile. Postremò ligna macerata Amurca, acapna fieri, hoc est, nullius fumi tædio ardere. Vtilis & Amurca Apothecarum & officinarum fabricis, ubi lanei vel sericæi panni reconduntur. Nam si calci admisceatur, & ex ea inde parietes incrustentur, oblinanturque, item laquearia & pavimenta: non modò parietes contractos vel advenientios humores nunquam collachrymant, & situm minimè contrahunt: sed nec blattæ, nec araneæ, nec cuiusvis generis vermiculi ibidem gigni possunt.

Vlcera oris. Coria ungantur.

Licet videre, inquit M. Varro, è torulis, [nonnulli torculis] Olearis fluere in agros, ac non solùm denigrare terram, sed multitudine facere sterilem, cùm tamen is humor modicus, cùm ad multas res, tum ad agriculturam pertineat vehementer. Nam circum arborum radices infundi solet, maximè ad Oleam, & ubicunque in agro herba nocet,

Denigrat terram. Herbas necat.

nocet. Rectè igitur Amurcam periti agricolæ tam in ollis condunt, quàm Oleum aut vinum.

Modus parandi & reponendi. Expressa Oliva, ejus quod effluxerit de ea, decoquuntur duæ partes, ac reliquum refrigeratum conditur in vasa. Quidam expresso Oleo, per xv. dies amurcam custodiunt, tum, quod est levissimum ac summum, deplent & decapulant, ut trajiciant in alia vasa, & hoc iisdem intervallis duodecies. In sex mensibus proximis id faciunt. Cùm id novissimè faciunt, potissimùm traiiciunt cùm senescit Luna: tunc decoquunt in ahenis levi igne, & ad duas partes regerunt. Tum demum ad usum rectè conditur.

Vis & vires medicæ. Nunc medicæ quoque virtutes dicendæ. Ea, in aheno cupreo ad crassitudinem mellis decocta, astringit, eosdémque quos Lycium præbet effectus, insuperque etiam facit ad dentium dolores & vulnera, cum aceto, vino aut mulso illita. *Dentium dolor. Vulnera.* Additur & in oculorum medicamenta, eáque quę spiracula cutis obstruendi vim habent. *Oculi.* Inveterata melior evadit. Sedis, genitalium & vulvæ exulcerationi utiliter infunditur. *Vlcera secreta.* Dentes quoque corruptos extrahit, cum Omphacio ad mellis crassitudinem cocta & oblita. *Dētes corrupti.* Scabiem iumentorum cum Lupinorum & Chamæleonis decocto illita sanat. *Scabies iumentorum.* Cruda verò & recens, podagricos & arthriticos calente fotu iuvat. *Podagra.* Velleri inducta & hydropicis imposita tumoris molem reprimit.

Eadem ferè & Plin. habet, & præterea hæc: Gingivis & oris ulceribus, dentiumq. stabilitati efficacissimè subvenit. *Dentes firmat.* Item ignibus sacris infusa, & his quæ serpunt. *Ignis sacer.* Pernionibus nigræ Olivæ amurca utilior: *Perniones.* Item infantibus fovendis. Albæ verò, mulierum vulvæ in lana admovetur. Multò autem omnis amurca decocta efficacior: usus ejus quoque in curatione aurium, ulcerum manantium, rhagadum. *Vlcera aurium.* Vulneribus in linteolis imponitur: *Vulnera.* luxatis in lana. *Luxata.* Ingens hic usus, utique inveterato medicamento. Tale enim fistulas sanat. *Fistula.* Illinitur podagris incipientibus. Contra limaces & culices, cæterásque eius generis noxias bestiolas vim habere maximam passim apud Geoponicos legimus.

Colum. quoque tradit, ovium scabiei illitu valdè prodesse, præsertim decoctam. *Ovium scabies.*

Temperā. Amurca, Galeno, terrestris est substātiæ, & calide, non tamē tantum possidet caliditatis, ut palàm mordicet. Cocta multò terrestrior fit, crassarum partium & sicca: & fuerit sanè ex secundo ordine excalfacientium & siccantium, intenso quodammodo magis. Sic & ulcera corporum siccorum curat: *Vlcera.* quæ verò in aliis omnibus sunt, exasperat. Siquidem contrahit, perinde ut resina, & pix sicca, & bitumen.

Camer. Camer. quoque Amurcam ad multos morbos utilem prædicat, & non sine commodo sæpè usurpari ait, siquidem facilè comparari possit, faciliúsq. quàm Lycium vel Acacia, quæ ambo plærunq; adulterata ad nos importantur. Imprimis verò aliquibus locis utuntur cum Lithargyro, Cerussa & pulvere ex foliis Vlmi, ad ulcera antiqua. *Ad ulcera antiqua medicamen.*

OLEÆ VISCVM

VIx emersi ex Olivetis, nihilominus Visco adhuc adhæremus. Hoc non procul Hispali, in Oleis copiosè nascens observavit CLVS. mense Ianuario, olivetorum dominos, magno damno afficiens. *Noxa eius.* Integros enim olearum ramos, crebrò etiam maximam earum partem cædere coguntur, ne latiùs vitium serpat, alioqui totas arbores occupaturum & steriles redditurum. Habet verò id viscum baccas non albas, quales in aliis arboribus natum, sed ex rubro purpurascentes, cuiusmodi nusquam alibi vidisse se idem testatur. *Bacca.*

Has cùm in Belgium rediens columbis & aliis avibus devorandas daret, ut experiretur, an nasci vellent, arboribus imposito. avium illarum fimo, operam lusit. BELLON. quoque Obs. l. 2. simile Viscum in Oleis, Hierosolymitano agro crescere scribit, sed eas Oleas differre putat à cæteris Oleis, quòd Viscum ferant, baccis rubris abundè refertum, magno incolarum damno, quippe, quod Oleas steriles reddat.

OLEASTER, SIVE OLEA SYLVESTRIS.

CAP. II.

AT verò quæ culturam nō sensit, suæ sponte Olea sylv. sive tantùm Oleaster, utut Sativæ magnitudine non cedat caudicis & ramorum, horum tamen frequentia superatur: adde quòd & spinas per ramos possidet. *Descriptio. Spinosa.* Folia minora, non dissimili interim figura. *Folia.* Ita quoque & flores racematim compacti fructum præcedunt, *Flores.* Olivæ similem, sed minorem, strigosiorem, succo purpureo mordaci præditum. *Fructus.*

Quoniam verò Clus. Lusitanicam Oleam sylvestrem describens, spinarum non meminit, nec picturâ suâ exprimit, eius quoque descriptionem adscripsimus.

Oleaster inquit, instar Oleæ adolescit, illique per omnia ferè similis est, cortice tamen læviore, rarioribus ramis, minus frequentibus, & brevioribus angustioribúsque foliis, licet eorum modo circa ramos dispositis. *In quo differat ab Olea sativa.* Flos, ut in Olea sativa racematim cohærens, fructus exiguis olivis similis, pauca tamen carne præditus, mucrone recurvo, è longis petiolis racematim dependens, primùm viridis, deinde purpureus, postremò ubi maturuit niger, signo prægnans purpureo, qui gustatus nonnihil linguam vellicat. Tota arbor insigniter amara est. *Sapor.* Præter nos sanè etiam Matth. spinosam observavit & annotavit, & Dod. Horridam aspectu dicunt Adu. & fruticosam. Hist. quoque Lugd. habet iconem Oleastri valdè spinosi, ex Matthiolo.

Oleastro Theoph. [κότινον uocat] longiorem vitam tribuit quàm Oleæ: & Oleastrum Olympiæ æquè à famæ & fabularum autoribus celebratum dicit, ac Oleam Athenis: Vitæ autem diuturnitatem ex communi ratione sylvestrium deducit, quòd robustiores sint, spissiores, fructúque infœcundiores. Caudex quibusdam peculiaribus cavernulis dehiscit, quod & in Olea quoque deprehenditur. Eandem, cum Olea, neque teredinem

sentire, neque tineam ait, propter amaritudinem. Materies ei perpetua, spissa, crispa in totum Oleaginea nodosior. Ex sativæ nucleo nascitur.

Oleastro Olympionices coronat. Supra diximus, vix adduci Theoph. posse, ut credat Oleastrum mitem fieri, quamvis Oleam neglectam in Oleastrum abire neutiquam neget. Plin. verò Oleastrum Buxi genus facit. Ex quo suprà dictum, Oleastri corona Olympiorum victores coronari solitos apud Græcos: Idem tradit Oleastrum Olympiæ, ex quo primus Hercules coronatus est, ad sua usque tempora durasse custoditum religiosè, quemadmodum & Oleam Athenis, quæ traditur edita in certamine à Minerva, de qua re suprà plus satis. Quanquam Theocriti & Aristoph. interpres, Callistephani Oleę ramis, non Oleastri, coronatos fuisse Græcos tradat, cum Aristot. ut dicebamus, & dicetur ampliùs posteà.

Fabula Appuli in Oleastrum commutati. Lepida est fabula Appuli pastoris Nymphas saltantes conspicientis, & suo etiam agresti saltu irridentis, obscænaque convicia rustica addentis, ac proinde in Oleastrum commutati:

Metam. 4.
Arbor enim est [inquit Ouid.] succóque licet cognoscere mores.
Quippe notam linguæ baccis Oleaster amaris
Exhibet: asperitas verborum cessit in illas.

Oleastrum olim Græcis in maiore honore fuisse quàm Oleam. Marcellus tamen etiamnum instat, fuisse universæ Græciæ quondam in maiore honore Oleastrum quàm Oleam, etsi hanc Pallas maior & sapientior dea: illum Hercules heros tantùm & fortis in eam intulerint gentem: alterámque Athenæ doctrinarum omnium quondam emporium, alterum Olympia, ludis Circensibus aptus campus ostenderit: ille decerptis post certamina ad coronas ramis paulatim periret, hæc verò ad pacem, eresionémque, nunquam pereuntes ramos [ut aiunt] suis continuè civibus porrigeret, nihilo deteriore fortuna & honore, quàm, qui ad inferos descendentibus aureus in silva quærebatur ramus, quo avulso non deficiebat alter. Vt iisdem semper ramis fronderet in Atheniensium arce arbos: quæ æternum pacis tranquillitatisque symbolum inter homines habuit: tantò acriores ambitionis quàm pacis stimulos aut natura dedit, aut ipsi sibi fecerunt.

Vno hoc gloriæ studio incensa quondam omnis Græcia, Oleastrum magis quam Oleam amavit, plúsque ex agresti quàm ex sativa Olea commodi & honoris sibi speravit, non in sanitate nec in curandis tot vitæ nostræ malis, sed ut esset corruptibilis corona illa, longioris & melioris post mortem vitæ sine sensu, speciosum victoribus in Olympia monumentum. Quod æterno carmine Pindarus Lyricorum omnium maximus illustravit. Agrigentino Theroni iterum scribens: laudánsque, capiti circumposuisse ex Glauca *Glauca Olea.* Olea ornamentum, quam ab umbrosis Histri fontibus in Græciam Amphitrioniades Hercules importaverat honestissimum in Olympia certaminum ornamentum & præmium. Et hæ quidem Oleastri laudes in antiquis Græcorum poëtis sunt.

Oleaster sacer. Eum quidem infelicem vocavit Virgilius noster, Georg. 2.

Infœlix superat foliis Oleaster amaris

Sed tamen sacrum dixit Æneid. 12.

Forte sacer, Fauni foliis Oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim venerabile lignum,
Graecorum superstitio. *Servati ex undis ubi figere dona solebant*
Laurenti diuo, & votas suspendere vestes.

Quem locum enarrans Turnebus. Ex ritu, inquit, priscæ superstitionis scripsit id Virgil. & præcipuè Græcorum, qui ante fana in oleastris suspendere dona solebant & alligere. Illius enim *Oleastri vivacitas, Adag.* arboris vivacitas tanta est, ut, si multis configatur clavis, nihil tamen lædatur. Hinc Adagium Aristoph. Pluto: ὥσπερ κοτίνῳ σε προσπατταλεύσω τουτωί: Id est, sin oleastro adfigam isti, & Verrina 5. *Synon. lenuar.*
Cic. Suspendi hominem in oleastro iussit Verres.

Græcis κότινος dicitur, ut & ἀγριέλαιος, vel ἀγριελαία: quibusdam etiam ἔλαια αἰθιοπική, ut scribit *Callistephanos.* Diosc. Lat. oleaster, Olea agrestis, vel sylu. καλλιστέφανος in Olympia, ut scribit Stephanus. Æthio- *Aethiop. Olea Phaulia.* pica Olea quibusdam. Photion teste Hermol. oleastrum quandoque Phauliam dici existimat: Certè, Phaulia Olivæ genus est Colum. Plinio, Græcis omnibus. Deputato autem Oleastro, quod *Phaunos. Streptos.* inde nascitur Phaunos appellatur. Streptos dictus oleaster, cui implicitæ, involutæque fuerunt Hippolyti habenæ, currúsque eius inversus. Hyrnithion autem locus non procul ab Epidauro oleastris consitus, notante Curtio. Hebr. dici potest *Saith bataar*, teste Lonic. Germ. Wilder Oelbaum: Ital. Olivastro, oliva selvatica: Gal. *Olivier sauvage*: Hisp. *Azebuche*, sed frequentiùs *Azuche*: Item *Azambuyero.*

Est & oleastrum Buxi genus apud Plin. nisi mendosus sit codex, aut apud Græcum aliquem autorem ipse vel libertus eius legerit, ἀγριελαίαις pro ἀγρίαις ἐλαίαις, quod & Dal. suspicatur, ut suo loco indicatum.

Cæterùm Oleastrum æquè argillas & calculos *Locus.*
amare ac Oleam ex his Virg. versibus intelligitur: *Georg. 2.*

Difficiles primùm terræ, collésque maligni,
Tenuis ubi argilla, & dumosis calculus arvis,
Palladia gaudent sylva vivacis Olivæ.
Indicio est tractu surgens Oleaster eodem
Plurimus, & strati baccis sylvestribus agri.

Nascitur sanè talibus in locis uberi proventu in agro Narbonensi, Hetruriæ locis quamplurimis cæterisq; tam Italiæ, quàm Hispaniæ. Item in Dalmatiæ tractu, & in plerisq; Adriaticis insulis, teste Matth. In quibusdam etiam collibus iuxta Tagum, notante Clus. & multis Lusitaniæ desertis, confragosisque locis inter ingentia saxa, præsertim non procul à Cerba, ubi magnæ eius sylvę, in quibus Ian. mense fructum colligebat, quem cum *Tempus.*
Olea maturari dicit, sed magna ex parte ab incolis negligi, & in Sturnorum aliarúmque avium escam cedere.

In convallibus montis Athos altę arbores Olearum sylv. reprimunt sua umbra ingentem solis ardorem teste Bell.

Nascitur, uti dictum, ex sativę nucleo. Eadem & *Satio.*
optimè sativam recipit insitione.

Mansuescere eam tractatu, atq; in oleam abire *Cultura.*
decisis circa taleis, aut omninò tráslatione, ferút.

Ex Oliveto etiam iam insito, & casu quodam *Ex mitis fieri.* incenso, infelicem renasci Oleastrum, supra dictum. Sed & Adv. notant, alteram in alteram, transmotione aut inoculatione, aut neglectu abire. Rigidiuscula enim fit Oliva, impexo atque horridiore aspectu: interdum senticosa, quando in saxosis desitis ejus radix pastinatione non diffiatur aut nocitura pullulatio, & senticosa ad caudicem soboles non interlucatur.

Valdè laborat frigore Oleaster ut Theoph. annotavit.

Huic eadem vis quę Oleæ, verùm aliquantò *Vires & usus.*
efficacior hæc quanquam Plin. Vires quas Diosc. Oleastro attribuit, Oleæ assignaverit.

Sic autem Diosc. de Oleastri viribus. Folia astringendi vi prædita sunt, quæ trita & imposita, Erysipelata, Herpetas, Epinyctidas, carbunculos, nomas, reduviásque cohibent. Cru- *Erysipelas. Herpes.*
stas eadem emarginant cum melle illita. Quin- etiam

etiam ulcera sordida repurgant, panos & inflammationes cum melle imposita discutiunt, & cutem à capite avulsam conglutinant. Oris etiam ulceribus & aphthis commanducata medentur.

Oris ulcera.

Sed & eorum succus ac ipsum etiam decoctum eosdem habent effectus. Admotus enim succus sanguinis eruptionem, fluxum muliebrem, oculorum staphylomata, pustulásque inhibet: insuperque ulcera veterésque defluxiones sistit. Quapropter etiam in collyria additur, ad palpebrarum erosiones perquàm utilis. Ad exprimendum verò succum folia tundere oportet, & affuso vino aut aqua exprimere, illúmque sole siccatum in pastillos digerere. Est porrò qui cum vino exprimitur tum valentior, tum ad recondendum aptior, eo qui cum aqua expressus fuerit. Facit & ad aures purulentas atque exulceratas: Folia cum hordeacea farina illita Cœliacis conveniunt. Vruntur, autem, cum Floribus folia, ut spodij vicem præstent, in olla cruda, cujus os luto sit oblitum, usque dum figlinum percoquatur: deinde vino restinguuntur, iterúmque vino subacta, eodem modo cremantur: postremò cerussæ modo lavantur, & coguntur in pastillos. Ceterùm creduntur ustionis ejusmodi ratione in medicamentis oculorum spodio minimè cedere. Quare & iisdem viribus pollere censendum est. Hæc Diosc.

Sang. fluxus. Menses supprimit. Oculor. pustule & ulcera. Succus ut siccat. Aurium ulcera. Cœliaca. Spodij succedaneum.

Hinc patet apertè falli Amatum, & immemorem verborum Diosc. fuisse, quando ait, Flores & folia Oleastri combusta, pro spodio usurpari, Arabum invento.

Amatus notat.

Elephas Chamæleonte concolori frondi devorato, occurrit Oleastro, huic veneno suo, inquit, Plinius, qui reliquas quoque Oleastri vires his complectitur. Foliorum eadem natura, [scil. cum Oleæ foliis.] Spodium è cauliculis vehementiùs inhibet rheumatismos. Sedat & inflammationes oculorum, purgat ulcera, alienata explet, excrescentia leniter erodit, siccat, & ad cicatricem perducit. Cetera ut in Oleis. Peculiare autem, quòd folia decoquuntur ex melle, dantúrque cochlearibus contra sanguinis excreationes. oleum tamen acrius atque efficacius: Et os quoque colluitur illo ad dentium infirmitatem. Imponuntur folia & Paronychiis, & carbunculis, & contra omnem collectionem cum vino: ijs verò quæ purganda sunt, cum melle. Miscentur oculorum medicamentis, & decoctum foliorum & succus oleastri. Vtiliter etiam auribus instillatur cum melle, vel si pus effluat. Flore Oleastri condylomata illinuntur & epinyctides. Item cum farina hordeacea venter in rheumatismo cum Oleo, & ad capitis dolores. Cutem in capite ab ossibus recedentem cauliculi decocti, & cum melle impositi, comprimunt. Ex Oleastro maturi [fructus] in cibo sumpti sistunt aluum. Tosti autem & cum melle triti, nomas repurgant, carbunculos rumpunt. Hactenus Plin.

Spodium è cauliculis. Sanguinis sputum. Cap. dolor. Alui fluxus.

Hipp. l. 1. morb. mul. ad fluxum rubrum inter reliqua medicamenta ψώρην ἀγριελαίας, id est, oleæ agrestis scabiem habet. Sic enim Plin. l. 17. cap. 24. ψώραν, interpretatur, quam dicit morbum omnium arborum communem. Eandem, l. 23. c. 7. Lichena appellans. Quid si impetigo intelligenda, quam supra ex Theoph. diximus oleæ peculiarem, ut scabies in Fico?

Scabies Oleastri.

Gratam etiam oleastri frondem Capris esse Lucretius testatur, qua homini nihil amarius:

Lingua vulnera.

Barbigeras Oleaster eò iuvat usque capellas
Effluat [Ambrosia] quasi vero nectare tinctas.
At nihil est homini fronde hac, quod amarius exstet.

Oleastri materiæ perpetuam naturam tribuit Theoph. & propter amaritudinem, à nulla neque teredine, neque tinea erodi.

Minora etiam simulachra, tam ex huius quàm Oleæ radicibus sculpi solita, quòd rimas non admittant, & materiæ æqualitate quodammodo constare videantur. Ex Oleastro etiam breviores marculi & terebris vaginæ fiunt, quod in totum Oleaginea nodosior sit crissa, & scissa. Ac etiamnum hodie ex Oleastro delicatiora fieri opera in Germania, Cordus testatur.

Cæterùm, quod ex fructu Oleastri exprimitur oleum, potentiùs astringit, inquit, Diosc. quàm vel omphacinum, & ad usum sanorum secundum, sibi locum vendicat. Capiti dolentibus, rosacei vice, convenit. Sudores sistit, & defluos capillos inhibet. Quinetiam furfures & capitis ulcera manantia, Scabiem & lepras extergit: moratúrque canos, si quotidiè illinatur. Idem & ad gingivas uligine putri laborantes colluitur, dentésque labantes confirmat. Eiusdem calfacti & excolati fotus gingivis fluxione tentatis est accommodatus. Lanam specillo circundatam in Oleum demergere oportet, ac gingivis tantisper adhibere, dum albæ conspiciantur.

Olei Oleastri vires. Capitis dolor. Sudor. Capil. defluvium. Furfures. Vlcera capi. Scabies lepra. Gingiva purulenta.

Plin. Oleastri Oleum tenue dicit, multóque amarius quàm oleæ, tantúmque ad medicamentum utile. Gal. & eum secutus Paulus, non simplicem ei temperaturam tribuunt, quippe, quòd astringat simul & extergat, sed admodum squalidum dicunt. Curtius calidissimum dicit, ex omni Oleorum genere. Hoc in cibos non venit. Si quis tamen eo quotidie barbam vel capitis capillos inunxerit, canitiem remorabitur, teste Amato.

Temperam.

ELÆOMELI.

IN Palmyreno Syriæ tractu, ut scribit Diosc. quod Elæomeli vocant, ex quodam caudice manat, Oleum crassius melle, sapore dulci. Id cyathis duobus bibitum cum una aquæ hemina, crudum biliosúmque humorem alvo detrahit. Sed qui assumpsere torpescunt, viribúsque destituuntur. Attamen eò minimè terreri oportet. Quin excitandi sunt, neque permittendum ut somno graviore consopiantur. Ejusdem meminit & Plin. his verbis: sponte nascitur in Syriæ maritimis [in syriæ Palmyris vet. & Diosc.] quod Elæomeli vocant. Manat ex arboribus pingue, crassius melle, resina tenuius, sapore dulci, & hoc medicis. Item alibi: Elæomeli, quod in Syria ex ipsis Oleis manare diximus, sapore melleo, non sine nausea, alvum emollit. [solvit vet. & cod.] Bilem præcipuè detrahit: duobus cyathis in hemina aquæ datis: qui bibêre, torpescunt, excitantúrque crebro. Potores [pugnatores, alij] certaturi præsumunt ex eo cyathum unum.

Locus. Substantia. Sapor. Vsus. Purgat. Plin. corrects.

Aurelian. Oleum Syriacum vocat, laudatque in Paralysi, ut mordicans, accendens emolliens.

Oleum Syriacum. Temperam.

Hermol. reprehendit Plin. quòd in maritimis Syriæ nasci scribat, cùm tamen Palmyra longè à mari absit: ideò, non maritimis sed Palmyris, legendum coniectat: nisi quis, locum unde id excerpsit. non Palmyris, sed Almyris, legisse Plinium existimet: quod in tanto se viro dubitare nullo modo posse ait.

Plin. Castig.

Cæterùm Diosc. arborem ex qua manat Elæo-

meli ignorare videtur, non enim nominat, sed indefinitè tantùm ex quodam caudice dicit: At Plin. apertè Oleas eius regionis esse testatur. Sed ad hoc cap. Diosc. Marcellus peculiarem opinionem habet: Nam [ait] Dioscoridem dicere, & sponte sua fluere, & opere humano ex summa arboris parte confici eundem docere. Imò sibi ipsi non convenire putat, quòd primùm dicat ex quodam trunco fluere: mox humano opere etiam confici ἐκ θαλλῶν: quasi Olearum surculos indicaret, quæ apud Athenienses τὰ θαλλὰ significatio est. Atque adeò difficile putat diversam Diosc. & Plin. historiam in hac re concordem facere. Quapropter θαλλῶν voce corticem surculorum eiusdem arboris intelligit, quæcunque tandem ea sit: sed pro λίπος, legendum putat λέπος, i. cortice, idq; hac ratione: nam, inquit, ubi ex trunco arboris humor per se fluit, expressis eiusdem corticibus fluere etiam poterit: persuasitque id præcipuè, quòd, conficere verbum, eam hominis operam indicat, quæ, quod nondum est efficiat. Vnguen autem per se propiùs ad olei naturam & habitum accedit. Nec ratione caret, ut, quod in una arboris parte per se fluit, in summo lateat, nec nisi vi & humana opera extrahi & colligi possit: præsertimque ex corticibus, qui copiosiore, quàm interiores partes in pluribus humore abundant. Hæc Marcellus, qui se tamen non adeò hoc decernere fatetur, ut illud penitùs damnet. Ingeniosè sanè atque modestè, Nam & imperitis rerum ita rationabiliter uideri posset, & rectè ab eo factum ut non pro indubitato decerneret. Certè nec etiam potuit. Posterior enim illa pars capitis apud Diosc. de Elæomeli, vel potiùs huius capitis appendix, quæ docet, ex surculis Olearum & Oleum fieri, non commiscenda neque confundenda est cum prioribus. Nam, ut dicebamus, in genere de Olea intelligendum, quod de oleo surculorum scripsit Diosc. non de peculiari illa arbore, sive Olea ea sit, ut equidem censemus, & specialiùs mox explicabitur, sive de alia quadam hactenus incognita.

Marcelli opinio peculiaris. *Marcellum not.* *Diosc. explic. & illustr.*

Plin. iuxta Elæomeli non meminit eiusmodi Olei.

Manna.

Hæc Manna [inquit Ruell. Elæomeli: de quo loquitur, intelligens] pertinaciter iis, quibus se inserit, hæret: sic, ut non nisi cum fragminibus decerpatur. Optauerimus sanè declarasset, ubi uiderit, unde profluxerit, quid denique de eius parente sentiat, siquidem specialem hanc adhæsionis notam emulgare ausus sit.

Oleomeli Cordi. *Oleomeli duplex.* *Cordus reprob.*

Cordus Oleomel [ita vocat] quòd in Syria, orbe alieno nascatur, nec authoribus constet è quanam emanet arbore, atq; difficile sibi esse fatetur rē peregrinam indicare. Novisse tamen oportere duplex esse Oleomeli, alterum quod sponte sua ex caudice defluat, & alterum, quod ex eiusdem arboris surculis humana arte eliciatur. Oleomeli similem esse liquorem, qui apud nos veris tempore è Betullæ & Quercuum caudicibus sponte sua distillat humor liquido melle crassior: & alium ab hoc esse, qui sauciatis Betullæ & Ostryæ arborum caudicibus aquæ modo liquidus. Verùm, quod antè diximus, id repetimus, non videri nobis duo Elæomeli tradi à Diosc. statuimúsque secundum Elæomeli Cordi non dicendum Elæomeli, sed Oleum.

Cornar. apertè fatetur Elæomeli hodiè penitus ignotum esse, quod & Lonic. & Ryffius aiunt, magno errore implicari eos asserentes, qui Mannam existimant.

Lonic. non necessariam dicit quod Marcell. apud Dioscor. λίπος, id est pinguedinem in λέπος,

Marcel. notatur.

mutet. Cur enim [inquit] ex frondibus vel ramis arboris, cuius truncus Oleo fluat, non etiam Oleum expresserit humana opera? Quanquam, cùm Oleomelle careamus, quid refert, sive ex cortice vel germinibus seu ramulis Oleum exprimatur?

Quanquam verò quotidie plura, variaque mercimoniorum genera nobis ex Syria convehantur, Elæomeli tamen, inquit Matth. quod sciat, non modo non convehi, sed ne ullum quidem audivisse, qui ipsum viderit vel noverit. Idem ait & Diosc. & Plinium communi consentientia, quibuscum longam contraxerant consuetudinem, scribere, Elæomeli Oleum esse: & Diosc. addere non modo Elæomeli per se ex arbore manare, sed & factitium haberi tusis surculis. Quibus sanè verbis bis impingit Matth. Non enim scribit Plin. quod hactenus quidem legerimus, Elæomeli esse oleum: Nec etiam Diosc. dixit ex surculis fieri Elæomeli. Apud Diosc. suspicamur ἔλαιον vocem superfluam, quandoquidem à Plinio omissa.

Matth. & Plinius error. *Diosc. emend.*

Amatus quoque Elæomeli Europæ incognitum dicit, & quærit in India ex Nuce uel Palma Indica.

Sed huic historiæ maximam lucem attulerunt Pena & Lob. cùm scribunt. Oleæ Monspelij in vinetis duplicem perquàm nobilem fundunt laticem: nimirum Oleum baccæ callo: & mel sive Elæomeli, quod mirum dictu, sed verissimum, caudice vulnerato. Atque ex Olea arbore vulgari perquàm amara tota & ingrata, cortice, caudice, fructu nondum sale condito, emanare verè melleum, non solùm colore, sapore, sed etiam duratione incorruptum experti sumus. Habemus námque, partim iam duodecim abhinc annis collectum à Rondeletio præceptore, partim à nobis quinque ab hinc annis, cùm eò nos duxisset Stephanus Barralius, Monspeliensis Dioscorides, vocatus, atque in tenellis ramis & stipitibus Olearum arborum, tàm insolitas diuitias affatim nos latere monuisset. Tunc enim rimosis è corticibus, partim scalpello sauciatis, satis excepimus, non modò ad explorandum, sed etiam ad amicis impartiendum. Verùm, non nisi propemodum penè matura Oliva ac nigricante vel purpurascente, quam Novembri & ingruente hyemis sævitia decerpunt, quisquam reperiet mel istud, ut nos plebecula monebat, quæ interdum tantam copiam ramis aggestam se vidisse una aut altera die ante vel post D. Catherinę festum aiebat, ut, aviditati explendę, pueri & mendici eò certatim confluerent. In proximis vinetis pone fanum fune cinctorum Franciscanorum, via ad Latreusem portam, etiam nonnihil emanabat, & plurimum ferebatur Lunellę extillare, pręsertim sectis maioribus truncis, è quibus initio melle liquidior latex glutinosus effluebat, postea inibi residens aliquandiu, frigore densior euadebat, atque, non tam mel quàm Mannam veram prę se ferebat, specie, gustu, sapore, concretione, omnium commilitonum iudicio qui degustarant, inter quos Iac. Vtenhouius Gandauensis, generosus, & multarū literarum medicus doctissimus. Quin iam, dum hæc proderemus, cùm multi alij degustarunt & mirati sunt, tum Medici singularis eruditionis, vniuersæque materiæ medicæ consultissimi D. Parisiensis Drouetus, & D. Penius Anglus. Hæc illi.

Elæomeli ex Olea, & quomodo. *Manna Melleum.* *Monspeliensis Dioscorides.* *Tempus colligendi.* *Locus.* *Descriptio.*

Cæterùm, quidam, [ut Hermol.] suspicati sunt Aeromeli sive Mannam, esse Diosc. & Plin. Elæomeli sive Oleomeli: sed multi eam opinionem reijciunt, nec sine ratione, ut ostendemus l. 8. c.

de

de Manna. Eorum verò opinio, qui existimant Elæomeli esse ex Palma Indica nucifera, reiecta est l.3. ubi de illius Palmæ liquore traditur.

OLEA ÆTHIOPICA EIUSQUE Lachryma CAP. III.

STRABO Geograph. l.16. scribit esse insulas in Arabia tres desertas, Oleis obsitas, non nostratibus, sed indigenis, quas Æthiopicas vocat, earúmque lachrymam medicam vim habere: quę, autore Dioscor. [qui δάκρυον τῆς Αἰθιοπικῆς ἐλαίας: Aethiopicæ Oleæ lachrymam vocat] scammonio quodammodo similis est, fulua, stillis constans exilibus, atque mordax. Quæ verò gummi & ammoniaci similitudinem refert, colore nigricans, nec gustu mordens, inutilis censetur. Nostrates Oleæ Oleastrique talem lachrymam fundunt. Facit porrò illa ad visus hebetudines, & oculorum cicatrices albuginésque illita emendat, urinas mensésq; ciet. Erosorum dentium cavis indita, ad eorum dolores efficaci est auxilio. In medicamenta quoque exitiali vi prædita refertur, partúsque etiam pellit: & impetiginibus ac lepræ medetur. Appellatur autem Æthiopica Olea etiam Olea sylvestris. Hæc Diosc.

Lachrymæ descriptio. Varietas. Vires & usus. Albugo. Vrina, menses. Erosi dentes, eorúmque dolor. Venenum est. Partum pellit. Impetigo. Lepra. Olea sylvestris.

Verùm Paulus, l.7. rei Med. Oleæ Aethiopicæ lachrymam non Scammonio, sed Ammoniaco tenui, hoc est, guttæ Ammoniacæ, quam vocant, assimilavit. ut ἀντὶ τοῦ Σκαμμωνίου [vel τῆς Σκαμμωνίας] apud Diosc. non intempestivè Satracenus, ἀμμωνιακῷ λεπτῷ legendum suspicetur. Nec obstare putat, quod paulò pòst subdit Dioscorid. lachrymam Ammoniaco similem inutilem & inefficacem esse. Nam de ea lachryma, quæ Ammoniacum vulgare, nimirum crassius, sordidius impuriúsve referat, hoc accipiendum existimat.

Hermol. annotat Oleæ Aethiopicæ lachrymam in pretio esse. Et tamen nescit quid sit. Subdit enim: Sit hæc Arabica quæ & ipsa dotatur lachryma, nondum constat mihi, quanquam puto eandem esse, quoniam in Arabici sinus desertis tribus insulis, ut inquit Strabo, nascitur: utcunque in Arabia stillat eam olea, qua medicamentum conficitur ἔναιμον appellatum, singulari effectu contrahendis vulnerum cicatricibus.

Arabica lachryma.

Ἔναιμον medicamentum ad vulnera.

Sunt qui hoc esse putent gummi genus illud, quod Neoterici Elemi quasi Enhæmi appellant: ad ossa etiam fracta calvæ conglutinanda cantatissimum. Oleas autem has in Arabia nasci ait idem, in maritimis & fluctibus, æstúque operiri Rubro mari: nec baccæ noceri, cùm constet & in foliis salem relinqui.

Gummi Elemi.

Ex Aethiopia usque [ut ex Comico ait Marcel.] Aethiopicæ oleæ lachryma quondam Græciæ importabatur.

Non, ideo, parum certam eius in Græcis & Latinis demirabitur aliquis historiam, quam ab extremo orbe & incoctis calore Solis gentib. didicisse oportebat. Neque à nobis desiderabit quispiam, quæ in tàm longinquo & inaccesso orbe nascentia cognosci ætate nostra non possunt. Nescimus enim nos an ad mare hęc lachryma Oleæ sit in Arabia nascentis quæ in rubri maris, littoribus vivens, fluctibus & æstu aliquando operitur, salémque in foliis ostendit.

Hermol. fugillat.

Plin. inter Aethiopiæ arbores eius non meminit: distantque tam longo intervallo inter se Aethiopia & Arabia, ut non verisimile sit, quod in Arabia nascitur, Aethiopiæ à Diosc. tributum fuisse. Nec mirum ignorari hoc tempore rem, cùm Paulus ex aliorum fama potiùs, quàm ex plantarum historia dicat, dicere quosdam Oleastrum esse Aethiopicam oleam, quod utique ex Diosc. hausit. Ruell. tamen oleam Aethiopicam omninò separat à sylvestri olea.

Oleastri in Aethiopia lachrymam hodie incognitam Cordus quoque fatetur: quosdam tamen esse dicit, qui existiment esse Gummi dictum Elemi, séque id neque negare, neque asserere.

Nos verò de Gummi Elemi egimus, l. 5. post arborem Molle, cujus lachrymam esse putamus.

Quod verò ipsam arborem oleæ Aethiopicæ attinet, idem Cordus ait, considerantibus eam, eiúsque materiem, nullam inventam esse, quæ æquè eius habitum referret, ut lignum quod Rhodij aut Rhodisij cognomine circunfertur. Sæpissimè autem ignaris pro Agallocho, hoc est, Xyloaloe substituitur, de quibus suo loco.

Lignum Rhodium.

Ex eadem aut simili coniectura Cæsalp. Ad simulachra, inquit, perpetua hodie oleastrum Rhodium maximè expetitur, maculosa facie, prædensum, ut quodam modo Agallochum Indicum æmuletur, impostoribus adulterandi ansam præbentibus. Et addit: oleaster, id est, sylv. olea in Aethiopia lachrymam fundit. In mari rubro peculiarem describit Theoph. è cuius lachryma medici medicamentum componunt sistendo sanguini. Plin. Enhæmon appellari scribit oleæ lachrymam in Arabia. Fortè fuerit gummi Elemi. Hæc ille.

Oleaster Rhodius.

Verùm has conjecturas alibi explosimus, præsertim de Elemi resina, sicut & Apollinis. Quod de mari rubro peculiari addit ex Theoph. sciat, aliud esse marinum, sive in mari: aliud iuxta mare, sive maritimum, quod in littore vel tractu mari vicino nascitur. De olea, autem marina Theoph. trademus ultimo hujus operis libro D. V. inter marinas plantas.

Cæsalp. & Apollo not.

OLEA ΚΑΛΛΙΣΤΕΦΑΝΟΣ ARISTOTELIS. CAP. IV.

IN Pàntheo inquit Arist. Olea est, quam Callistephanum vocant, omnia folia reliquis Oleis contraria forma producens: Quippe, quæ supinam non pronam partem habeant viridiorem: ramos mittit quemadmodum Myrtus, unde & sumpta plantula Hercules in Olympiis Oleam plantavit, athletis coronas suppeditantem. Distat ab Ilisso fluvio stadiis LX. muro circumjecto munita. Ac ne quis tangat, grandi pœna cavetur. Hinc & oleæ decerptum surculum, in Olympio campo plantarunt, ut victores inde coronis donarentur. Apud Pausaniam quoque legitur Oleastro Callistephano victores Olympios coronari solitos, sicq; solam eam Oleam quæ in Olympia nascebatur vocatam, quemadmodum in Academia satam, Moriam Græci dixerunt, ut Aristoph. & Pollux prodidere. At Theocriti interpres cum Aristoph. & Arist. Callistephani Oleæ, non Oleastri, ramis coronatos fuisse unanimi consensu scribunt. Mirum verò à solo Aristotele annotatum oleam hanc à cæteris diversam, & à nullo alio, præter iam citatos autores, qui tamen differentiam hanc non tradunt, il-

Descriptio.

Herculis Olea.

Ariana appellatur, cuius spina lachrymarum pretiosa, Myrrhæ similis, accessu propter aculeos anxio. Ex sole nimirum accessum anxium fecit, & pro Illyria, ut in vulgatis nostris habetur, Myrrham apponit, nisi quis hanc ipsam Illyricam lachrymam dicendam velit. Strabo l.15. Gedrosiam ferre Myrrham & Nardum scribit. Est autem Gedrosia Arianæ contermina.

NIMBO FOLIO ET FRUCTU OLEÆ.

CAP. VIII

Descriptio AB omnibus Indiæ incolis Nymbo vocatur, inquit, Garcias, arbor quædam Fraxini magnitudine, *Folia* folio Oleæ, acutiore tamen, per ambitum serrato, utraque parte viridi, non cinereo aut villoso. Multus luxuriat foliis. *Flos. Fructus.* Flos cādidus est, & Fructus exiguis Olivis similis. Eodem ferè modo & Costa describit, & ait procul aspicienti Fraxino persimi- *Sapor.* lem hanc arborem videri, folia esse mucronota, gustu amaricante: ramos multis foliis luxuriare, *Odor.* floribus abundare exiguis, albis, quinque foliolis constantibus, flavis in medio staminulis, Lotque sylv. sive Trifolij odorati odorem referentibus: fructus parvis Olivis similes esse, subluteos, cortice admodum tenui præditos, & nasci ex ramulorum alis. Miramur porrò à Costa hanc arborem Fraxino persimilem dici, cùm tamen id ex icone non appareat, Sed nec Oleæ foliorum similitudo hic conspicitur, quam Garcias, tribuit, quod Costa tacet. Castor Durantes ab omnibus Indis Nymbo vocari ait. Malabaris verò Bepolo etiam, teste Costa.

Vires & usus. Utilis est hæc arbor, iisdem autoribus, in usu medico. Nam folia trita & vulneribus, cùm hominum, tum iumentorum cum succo Limonum *Vulnera.* imposita, miraculosè ea sanant. Foliorum succum vtilem esse ferunt lumbricis necandis, cùm Balaguate incolę, tùm Malavarenses, quod rationi consonum est, cùm nonnihil amaritudinis possideant. Exprimitur in Bisnager & Malavar O- *Oleum ex fructu.* leum ex eius arboris fructu, quod huc mercimonij gratia deportatur. Vtilissimum, id est, adversus nervorum dolores, si eo calido inungantur. Rara admodum est hæc arbor & in medico usu admodum commendata tam à Christianis, quàm à Gentilibus, reliquisque Indiæ provinciarum incolis. Folia cum predito succo imposita, *Vulnera sordida.* non modò simplicibus vulneribus, sed & sordidis, cuniculosis callosisque mirificè conferunt: digerunt, mundificant, emendant, sarcotica sunt, & ad cicatri- *Qualitas eius.* cem perducunt. Foliorum item siccus ad necan- *Modus utendi.* dos & expellendos omnis generis lumbricos, vel per os solus sumitur, aut ex vino, aut aqua, aut gallinæ iusculo, sive umbilico impositus solus, aut cum fellis bubuli momento, aut aceto, aut aloe. Quamobrem familiare admodum & perquàm salubre medicamentum est omnibus illius regionis incolis, præsertim Malabar provinciæ, quoniam lumbricis valdè sunt obnoxij. Magnus est etiam eorum usus, tum florum & fructus in articulorum *Arthritis.* doloribus, tumoribus, membrorum debilitate, & *Tumores.* apostematibus. Oleo quoque Malabarenses & *Apostemata.* vulnera, & nervorum puncturas atque dolores & contractiones curant.

ZIZIPHUS CAPPADOCICA: quibusdam Olea Bohemica.

CAP. IX.

MULTORUM *Descriptio* co[...]dus Ziziphum album hic dixit arborem iustæ magnitudinis, cuius patulos ramos cortex levis, cineraceus vel candicans obtegit. Fo- *Folia.* [...] illa longiùs à Ziziphi foliis recesserunt, salignis propiora, aliàs alternatim, aliàs ordine nullo per ramos nascentia, sescunciam circiter longa, unciam ferè lata & angustiora, tota albicātia, potissimùm parte inferiore, brevique & molli lanugine prædita, modicè obtusa, brevi pediculo herentia. Ex quorum alis flosculi emicant argenteo pallore re- *Flosculi.* nitentes, odorati, vel ut Clus. ait, gravem, non *Odor.* tamen iniucundum odorem spargentes, & caput ferientes. Baccæ sublongæ, exiguis Olivis aut Zi- *Baccæ.* ziphis similes, albæ, fungosæ & dulci carne sive pulpâ, saporis aciduli osseo intus nucleo canaliculato. Rami interdum spinosi sunt. Materies *Materies.* flavicat, non admodum firma.

Colum. hanc alba Ziziphi nomine intellexisse videtur, *l.9.c.4.* ubi & rutilæ meminit. Plin. Coronarum [inquit] quæ varietate sola placent, duo genera, quando aliæ Flore constant, aliæ folio: Florem esse dixerim Genistas, item Rhodendron: item Zizipha, quæ & Cappadocia vocantur: *Ziziphæ Cappadociæ.* his odoratus similis Olearum floribus. Idem alibi Cyprum Ziziphi folia habere dicit. At Diosc. Cyprum dicit habere folia Oleæ. Scribit Bellon. In Insula Lemno duas species Iuiubarum provenire, quarū una satis cognita sit in Gallia, quæ falsò multis in locis, tum Parisiis, tū alibi dicatur O- *Oleaster.* livaster. Sed Iuiubas albas dicendas, quas Colum. non ignorarit. Idem alibi scribit apud Heracleam agrorum sepes ex arbore Zizipho alba [*Iuiubier blanc.*] Columellę dicta, factas, cui fructus similis sit Zizipho rubræ, excepto colore, quem Græci in urbibus venalem proponant, & vulgari nomine corrupto Ziziphia vocitent. Idem libello de *Ziziphia.* ratione cicurandi arbores sylvestres, à Plinio Zizipham Cappadociam appellari censet. Hanc etiam intelligit Amatus, cùm ait: Salix Amerina *Salix Amerina.* dicta, quam Hispani arborem Paradisi vocant longè differt ab Agno Casto seu Vitice. Gesn. &

Ziziphum albam & Oleastri speciem quibusdam dictam notat.

Matth. tradit arborem quandam nasci & vocari in Bohemia Oelbaum; sed non esse veram Oleam: se existimare esse Elæagnum Theoph. ac omnibus eius notis adstipulari. Esse enim fruticosam, folio Viticis simili, molli ac lanuginoso: flore albo gradatim virgis propè foliorum exortum prodeunte, odore non insuavi, è quo nullus proveniat fructus. Huic aliam per omnia similem haberi Viennæ Austriæ in viridario Serenissi. Cæs. Ferdin. quæ baccas proferat Oleæ figura, sed longè minores, apice in summitate aculeo simili. Ac addit hanc quoque sibi Elæagnum videri appellari posse, quòd folio ac virgis Agnum, fructu verò Oleam referre videatur: etsi sciat Theoph. Elæagnum non esse, quòd hæc sterilis sit, non fructum ferens, nisi fortasse deceptus sit Theoph. vel eius codex depravatus.

Olea Bohemica. Elæagnus Theoph.

Alia.

Non esse Elæagnum Theoph.

In Histor. Germanic. eandem Bohemis Oleam dictam ait ramos habere similes salici cum aliquibus spinis: Florem album esse; ferre fructus vel baccas ubique similes veris Olivis, nisi essent minores, & superiùs acutæ. Oleam & Olivam Bohemicam vocat, Germ. Behemischer Oelbaum. In Epitome, Matth. icon proponitur sine descriptione pro Elæagno Theoph. quasi oraculum quoddam Apollinis. Sed neutiquam convenit descriptioni Theoph. Flos enim ei non est Populi albæ. Et distinctio illa quam putat, parvi est momenti: In Hist. Germ. non distinguit, & ait Oleam Bohem. cam fructum ferre, quod priùs negaverat. Adeò constans sibi est, uti passim.

Matth. error multiplex.

Solerius quoque volebat Elæagnum esse, & in Diosc. pro τῷ τῆς ἄγνου legendum esse τῷ τῆς ἐλαιάγνου vel τῷ τῆς ἀγναίου.

Seisefum Aethiopibus, ut tradit Rauvolf. in suo itiner. Arbuscula est, vel potiùs frutex spinosus, cuius folia Sasfaf. [de quo suo loco] dicti foliis utcunque similia. Locis gaudet udis, viarum item marginibus & arbustivis sepibus. Ex unica radice plures erigit stipites, lęvi rufóque cortice textos, in varios brachiatos ramos, oblongos, firmos, spinis hincinde munitos, quibus adhærent flosculi foris candidi, intus luteoli, tergemini, [drey vndt drey.] è foliorum geniculis emicantes. Fructus sibi non visus. Non sine coniecturâ tamen putat Oleę Bohemicæ fructum, affabrè à Matth. depictum, æmulari. Cæterùm tàm suavem primo Vere spirare odorem, ut prætereuntibus, licet ignota, facillimè innotescat, eósque ad se alliciat. Ideo à Turcis & Aethiopibus in serta concinnari atque corollas, ut suis conclavibus parilem odoris suavitatem concilient. Seisefum dictum videtur atque detorto à Zizipha nomine.

Seisefum Aethiop.

Locus.

Non desunt, inquit, Clus. qui Ziziphum albam Iovis barbam, Plin. l. 16. c. 18. esse existiment. [Anguil. tamen duas alias proponit] Nonnulli etiam Elęagnũ Theoph. (quam tamen describit:) volũt, nihil aliud, quàm Salicis genus esse, & aliquando existimavi salicem latifoliam. Sed perlecto Rauvolfhj Hodoeporico, animadverti ipsum aliam arborem observasse, Sasfaf appellatam, quę ad Elæagnũ magis accedere videtur. Vulgus plerisque in locis Oleastrum appellat, & legitimum esse putat. Castellani & Granatenses *Arbol Paraiso*, hoc est, arborem Paradysi. Galli, *Iunbier blanc, & Olivastre Olea silv. Septentrional.* & Elæagnos Theophrast. foliis viticis, Lob. Italis *Zeingole.* *Ziziphus Cappadocia* Dod. & Camer. qui & Ziziphum albam esse Colunt. consentit. At Schwenckf. aliorum nixus indicio fecit τὸ ἐλαίαγνον, Theoph. pronunciat, eique flores affinxit luteos.

Ziziphus alba. Iovis barba.

Oleaster legitimus vulgi.

Olea sylv. Septentr.

Schwenckf. error.

Cæterùm lubet huius plantę historiam quondam à Doctiss. DALECHAM. concinnatam, qualem ab eo accepimus, huic nostrę intertexere, quòd multa in ea tradantur ab aliis non observata, & ut is suo labore ac honore non defraudetur: Ista autem sic habet.

Dalech. observata huius plantæ.

Ziziphus Cappadocia Plin. in hortis quibusdam Lugduni visitur, ex Rhodo, [quod narrant] ab Equitum Rhodiorum procuratore & questore ærarij, olim advecta, priusquàm Solimanus Turcarum imperator, in potestatem suã eam insulam redegisset. Arborem Paradisæam vocant, ob suavissimum floris odorem. Quanquam & hoc nomen alijs etiam tribuatur, ut, Thuię odoratæ. Quidam Salicem peregrinam, ob foliorum cum Salice similitudinem.

Quomodo ex Rhodo Lugdunum invecta. Arbor Paradisæa. Salix peregrina. Descriptio alia.

Crescit ad magnitudinem Salicis, radicibus multis, crassis, huc illuc diffusis, & loci plurimum occupantibus per summam terram vagis, stolones multos mittentibus, qui nisi tollantur matrem emaciant, & absumunt: avulsi verò & depacti vivunt & arborescunt: cortex albicat, in stipite valdè rugosus & crassus, in ramis tenuior, & molli quadam lanugine pubescens. In multos porrò & longos ramos arbor finditur. Folia candida densa, oblonga, Oleæ sativæ similia, multa uni surculo adnexa, qui in longam validámque spinam desinit. Flos hians, aureus, in sex cuspides dissectus, priusquàm se pandat, in alabastrum fastigiatus, ex viridi candicans, parvus, Rhamni 1. nostratis aut Mali Citriæ figura, velut flosculis confertis, pendulus, ternis ferè simul ad imam foliorum partem emicantibus, odoris iucundissimi, meâ quidem sententia suavitatem floris Mali Citriæ, quæ summa inter nos habetur, superantis. Pro fructu parva bacca est, Oleæ sylv. similis, sed minor, brevi pediculo alligata, viridis, & qua parte magis solem excipit, rubescens, lanuginoso quodam pulvisculo obsita, gustu subacido, sed carne valdè sicca & exucca, qualis est caro Oxyacanthos, cùm maturuit. Taleæ huius arboris excisæ, & in terram defixæ, Salicis modo facilè comprehendunt & radicantur. Bellunensis Avic. interpres Chalef arborem describit, quam quidam hanc ipsam esse volunt. Ego equidem discrepare puto, quamvis in utriúsque flore par sit odoris gratia, quòd editis iam foliis Ziziphus hæc floreat, Chalef verò antequàm folium exoriatur, Item, quòd baccis Ziziphus hæc gravari solet. Chalef autem nullum fructum præbeat. Non tamen dubito quin ex huius Ziziphi floribus in opercullata concha præstantissimi odoris aqua stillare possit, Oleúmque ex iis cum Amygdalis tritis præparari, modo à Bellunensi recitato, odoris fragrantia excellens & pretiosum. Hæc ille.

Radix. Cortex.

Folia.

Flos.

Bacca.

Sapor.

Satio.

Chalef.

Vinum. Oleum.

Pro apum pastu probatissimos flores dicit Columella albæ ac rutilæ Ziziphi.

Apum flos.

Hist. Lugd. aliam habet titulo Ziziphi Cappadocicæ, in qua plures spinæ. Eadem & aliam iconem proponit nomine Olivæ Bohemicæ sive Elæagn. Matth. quæ eadem ab ipsomet autore historiæ existimatur cum Zizipho Cappadocica. Clus. quoque aliam habet.

Placet ramus apud Camerar. Matth. epitom. depictus, & in Histor. German. licet desint spinæ.

Censor hist. Lugd. in suis Animad. scribit: duas in ea esse figuras unius plantæ illam novam, hanc Matthioli,

Matthioli, hancque sufficere potuisse, siquidem non ostendat differre. At sufficere non potuit nec placuit Dalechampio, quòd flores in ea non pingantur eo ordine ac numero, quo solent provenire. Dalech. equidem maluit spinosam pingere, quod ab eo factum antequam Matth. Olivæ Bohemicæ meminisset. Cur igitur non exhibuisset utramque, siquidem fuerint ad manus.

Hoc est nodum in scirpo quærere, ut ne quid gravius excidat. Imò in renovata quoque Matth. editione nova apposita icon cum spinis à priore diversa. Cortusus aliquando Patavio ad nos misit pro Cypro quorundam.

Cyprus. Locus. Lutetiæ & in aliis urbibus vicinis magna copia est non ferentium fructum, aut si ferant, non perfectè maturescit. In Syria quoque nascitur. Apud Heracleam sepes ex ea fiunt, teste Bellon. Provenit etiam in Æthiopia, & in monte Libani, notante Rauvolf. Lugduni, in horto Cœnobij D. Eirenæo sacri, lætissimè & nitidissimæ arbores hoc genus aliquot luxuriant. Spontè provenit in Bohemiæ sylvis & hortis circa domos, Matth. Londini, Antuerpiæ & alibi in Belgio passim hortensis est, sed fructus in Belgio non maturescit. Lausannæ & Genevæ alibique in Sabaudia in hortis colunt, ut & Norinbergæ. Crescit spontè in sepibus cum Rhamno & Vitice iuxta urbem Guadix in regno Granatensi: & in omnibus ferè viridariis alitur non modò per Hispanias, sed etiam per Galliam & Germaniam.

Tempus. Floret æstatis initio fructus autumno maturescit: sed rarò admodum frigidis regionibus frugifera est. Clus. Apud D. Baronem à Schuendy baccas plures Septembri maturas legimus in Alsatia.

Satio. Plures surculos in horto E. C. Monib. pangi curavimus, ab Hugone Bauhino celebri Chirurgo Patruo nostro ex Mariæfodinis missos, qui penè omnes feliciter provenêre, & quidam etiam iam in arbores adolevêre, annuatim florentes, quamvis rariùs fructum perficiant. Hyemem ferunt, licet extrema interdum frigore adurantur, subinde tamen rei ullulat, vel caudex, vel radix.

ZACCON HIERICUNTEA, FOLIIS OLEÆ.

CAP. X.

Descriptio. Folia. Flores. Fructus. Locus. Virtutes. CAST. DURANT. memoriæ prodidit, quod Zaccon de Hierico arbor sit magna, ut Aurantia Malus, spinosa, cum paucissimis foliis, Oleæ similibus, angustioribus, acutioribus, virentibus, ut Aurantia. Cui Flores albi: fructus verò magnitudinis Prunorum, rotundi primò virides, luteoli maturi: ossiculum, in quibus, ut in Pruno. Provenit in planitie Hiericuntea. Oleum ex fructu utile affectibus frigidis.

DE RHAMNO.

CAP. XI.

MULTÆ hodie Rhamni species innotuêre, quas omnes ad priscorum scripta referre difficile est. Quapropter ut confusio evitetur, libet primùm veterum tradita de Rhamnis, aliaque nonnulla generalia in medium proferre.

Rhamnus duplex Theoph. Theophrasto Rhamnus duûm generum: niger & candidus: diversùsque eorum fructus. Uterque tamen spinosus. Hæc in historiis. At in 1. de caulis Rhamnum in genere sempervirentium, collocat cum Hedera, in quo genere rara esse dicit quæ germine ac fructu præveniant, hoc est, tempestivè germinent, fructùmque proferant, ut modò dictæ. Quoniam verò Theoph. Rhamnis subiungit Paliurum, quem Diosc. tertium Rhamnum facit, dicenda quoque sunt quæ veteres de illo Paliuro scripsêre: posteà verò cap. de Rhamno folio Iuiubino demonstrabitur, an differant, nec ne.

Paliurus Theophrasti. Sic igitur scribit Theoph. de Paliuro isto: Paliurus fructum habet in siliqua quadam veluti folio, vel foliaceam [sic enim legimus apud Theoph. [illegible]: non ut in vulg. legitur [illegible], ut fit [illegible], ut dixit Diosc. de tertia Rhamni specie, quæ nihil aliud est, ut dicebamus, quàm Paliurus hæc Theoph.] in qua terna aut quaterna gignuntur semina, quibus contusis medici utuntur ad tussim, quippe quæ lentorem quendam habeant cum pinguedine coniunctum, velut semen Lini. *Ad tussim.* Nascitur locis humidis pariter atque siccis, sicuti Rubus: nec minùs etiam iuxta aquas provenit. *Locus.* folia est deciduis, non perpetuis sicuti Rhamnus. Germinant ineunte Vere, & reddunt semen circa Vergiliarum occasum Paliurus, & Oxyacanthus.

Rhamnus Plinij. Inter genera Ruborum, inquit, Plin. Rhamnus appellatur à Græcis candidior & fruticosior. Is floret [has duas voces omittit Corn.] ramos spargens rectis aculeis, non, ut cæteri, aduncis, foliis maioribus. Alterum genus [eius, Corn.] sylvestre, nigrius & quadantenus rubens. Fert veluti folliculos. Huius radice decocta in qua fit medicamentum, quod vocatur Lycium. *Lycium.* [Hoc falsum & à nemine proditum, Dal.] Semen secundas trahit. *Secundas trahit.* Alter ille candidior attringit magis, refrigerat, collectionibúsque & vulneribus accomodatior. Folia utriusque & cruda & decocta illinuntur cum Oleo.

Nicander in Theriacis [illegible] vocat: [illegible] [inquit] [illegible]. Tradit autem ieiunis datam interitum à venenatis repellere. Interpr. [illegible]: Alexiara dicta est, *Alexiara Nicand.* non modò quòd bona contra serpentum ac reptilium ictus, sed etiam quòd defendit adversus spectra: nempe, quia nocturnos Incubos, Lemures, Striges avertit efficaci amuleto: quo argumento in parentationibus antè fores suspendebatur. *Amuletu adversus spectra.*

Alexicacos Rhamnus. Spina Ianalis. Meminit & Lycophron & Euphorion his verbis: [illegible]. Spinam Ianalem hunc esse volunt celebratam ab Ovid. in Fastis. Ubi de Iano & Carna.

Nympha iubet quæri de more remotius antrum,
Utque comes sequitur, destituitque ducem:
Stulta [videt] Ianus quæ post sua terga gerantur]
Nil agis & latebras respicit ille tuas.
Nil agis en! dixit: nam te sub rupe latentem
Occupat amplexu, téque potitus ait:
Ius pro concubitu nostro tibi Cardinis esto:
Hoc pretium positæ virginitatis habe.
Sic fatus spinam, &c. Vid. pag. seq.

Eadem hæc causa fecit, ut à Proserpina, inferno Numine, spina hæc Persephonios dicta ab aliquibus fuerit. Persephonem enim Græci Proserpinam dicunt. *Persephonios.*

Leucacantha & Spina. A colore Leucacantha, id est, alba Spina, & Cer-

Digitized by Google

Cervina. Diosc. diversè lectio. & Rhamni tria genera.

valis sive Cervina dicta est, notante Marcello: quæ voces ex suppositititiis sunt Dioscoridis, apud quem ῥάμνος frutex est, circa sepes nascens, [vet. [illegible]:] Sic Paul. quoque frutex acutus [illegible] virgas gerens erectas, spinásque Oxyacanthę modo aculeatas.

1. Folia fert parva, [μικρά. Marcel. legit μακρά.] ob-
2. longa, subpinguia ac mollia. Præter hanc altera
3. est, candidior: itémque tertia nigrioribus latioribúsque foliis, & quadantenus rubentibus, virgultis quinos ferè cubitos longis: spinosioribus quidem, at minùs firmos, rigidósve, minúsque acutos aculeos habẽtibus. Fructus est latus, candidus, tenuis, folliculi propè figura [[illegible]] verticillo similis [[illegible], ut Ruell. & Cornar. placet, vel ut alii (ipsiq; interdũ Corn.) [illegible].]

Candidior. Nigrior latiori fol.

Diosc. diversa lectio. Vt videre est apud Ovid. de quo post[e]a.

Omnium folia Erysipelatis & herpetibus efficaciter illinuntur. Feruntur & huius rami ianuis fenestrisve appositi veneficorum maleficia depellere. Cæterùm pro iis verbis: Præter hanc altera est candidior, in Græco legitur: [illegible]: quæ verba, teste Goupilo, non inveniuntur in altero Codice, quem habuit, manuscripto: [illegible] quoque vulg. ex. non habent. Inter reiectanea quorundam, quæ tamen retinent Hermol. Marcell & Ruell. in hist. sunt: aliis [illegible]: Romanis Spina alba: aliis spina Cervalis [[illegible]: Aphris Atadum.

Paliurus Diosc.

De Paliuro verò, sic idem Diosc. Paliurus notus est frutex, aculeatus, solidus, cuius semen pingue, & Lini seminis æmulum reperitur, quod potum tussi opitulatur: Vesicæ calculos comminuit, & serpentium morsibus adversatur. Folia & radix astrictoriam vim habens: quorum decoctum potum, alvum sistit, urinas trahit, & contra venena, venenatorúmque morsus auxiliatur: Radix verò trita & imposita recentia quævis tubercula & Oedemata discutit.

Vires & usus. Calculus. Serpentum morsus. Alvi fluxus. Vrina.

Sit sanè Rhamnus Phantasmatum veneficiorúmque amuletum, quantum velint citati autores, at in S. Scriptura exiguo honore habetur. Nam ut D. Hieron. scribit in Aggæum, cap. 3. l. Iudicum, c. 9. Infructuosa ligna veniunt ad dignum sterilitatis suæ regem, id est, ad Rhamnum [ut Hieron. interpretatur] spinosum fruticem, & arbusculam sentibus uncinisque contextam, quæ teneat quicquid attigerit, & retentum vulneret. Referimus autem, inquit idem, Rhamnum ad Diabolum. Item in Sophoniam, c. 1. Rhamnus plena sentibus, & Ericio similis, qui habitat in Babylone, & semper versatur in foveis, Esai. 14. Apud Theocritum pastor comitem suum monet, ne nudis pedibus per sylvam, in qua [illegible]. Ex quibus utique verbis fruticem humilem esse colligitur, alioqui pedibus minimè offendiculo esse posset.

Rhamnus Diabolum significat in S. Scriptura.

Athen. Loto Libyce folia tribuit Rhamni, paulò tamen crassiora & latiora, ubi per Rhamnum quis intelligere possit Rhamnum folio Iuiubino nobis dictum, de quo posteà. Photion, ut annotat Hermol. Rhamnum à quibusdam Agnon à virtutis similitudine vocatam scribit, quod venerem coerceat, ut Vitex.

Hermol. de Rhamno. Agnos. Veneris frenum.

Igniaria.

Rhamnum quoque igniariis utilem ferunt, presertim conceptaculo & craticulæ: Idem Hermol.

Vires ex Gal. Tẽperam.

Galenus unius tantùm Rhamni meminit, l. 8. simpl. Rhamnus, inquit, desiccat & digerit, gradu secundo: refrigerat in primo completo, aut secundo incipiente: proinde Herpetes sanat, & Erysipelata non magnopere calida. Cæterùm, ad hæc teneris utendum est foliis. Plinium carpit Marcellus, quòd amuletum contra Veneficia Rhamno huic à Græcis assignatum, Aquifoliæ, spinosæ pariter arbori, assignarit: nisi fortè eadem vis Aquifoliæ quondam inesse etiam credita fuerit.

Plin. not.

Antiquiores enim Græci, [inquit] Rhamnum: posteriores alterius spinę nomine, ob candoris similitudinem, Leucacantham.

Romani modò hac, modò illa appellatione indicarunt: quæ alterius erant alteri etiam tribuentes.

Naso certè in Fastis suis Græcam fidem secutus: Spinam albam Rhamnum dixit: ex re ipsa & altera in Græcis Rubi huius appellatione rem ostendens. Locus non longè à principio, l. 6. est.

Rubus

Sic fatus, spinam, qua tristes pellere posset
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit,

Et paulò pòst.

Protinus arbutea postes ter in ordine tangit
Fronde, ter arbutea limina fronde notat.

Item.

Virgáque Ianalis de spina sumitur alba.
Qua lumen thalamis parva fenestra dabat.

Rhamnus, inquit, Lonic. Hebræis Atad Iudicum 9. & multitudinis numero facit Atadim: unde proculdubio defluxit nomen in Diosc. Matth. Ruellium aberrasse putat, quòd Theophrasti testimonio, ea de Rhamni fructu tradiderit, quæ statim Theoph. absoluta Rhamni historia de Paliuro disseruit. Sed in eo neutiquam nobis errasse videtur Ruell. Nam uti dictum, Paliurus Theoph. est Rhamni 3. species Dioscorid. & Paliurus eiusdem.

Atad.

Ruell. defensatur contra Matth.

Amatus erroris insimulat Diosc. interpretes, qui in eo addunt Rhamnum appellari Leucacantham, vel Spinam cervalem. Sed paulò liberiùs pronuntiat Amatus: interpretes enim non addidere, sed ita in Græcis codicibus scriptum invenerunt.

Amatus not.

Idem Ruellium accusat eiusdem erroris, cuius modò diximus Matthiolum eum accusare: Sed error non est: & in sequentibus manifestè patebit, non sine occasione id Ruellium fecisse.

Anguillara tertium Rhamnum apud Diosc. alcitium esse putat. Et sanè inquit Clus. cum Diosc. easdem facultates suo Paliuro tribuat, quas Theoph. suo Paliuro, verisimile est tertij Rhamni descriptionem, quæ apud Diosc. extat, ad Paliuri eius historiam revocandam, pleráque enim notas habet cum Theoph. Paliuro communes. At Dod. Verba, inquit, Diosc. de Rhamno 3. à nonnullis doctis & quidẽ haud temerè, non ad Rhamni, sed ad Paliuri descriptionẽ facere, iudicantur quæ mutila & imperfecta apud Diosc. est. Nam Theoph. & ipsus Plinius, non videntur inter secundum & tertium, hoc est, inter album & nigrum, aliud, quàm coloris discrimen agnovisse. Quod si ita est, Paliurus tertia Rhamni species esse non poterit, qui pro Rhamno 3. à multis habitus fuit.

Annotat Hist. Lugd. Plinium inconsideratè suo Rhamnorum genera Ruborum generi ascripsisse.

Gal. uti dictum, & eum secuti Paulus atque Aetius, velut de uno solùm genere, aut certè de una omnium facultate, loquuti sunt.

Oribas. & Serapio Dioscoridem secuti, tria quoque genera memorant. Paliuri mentio à neutro facta, ac si Rhamnorum historia involvatur, aut eorum genere contineatur.

Ita

Ita sat rationum addmisse videbimur, cur veterum de Rhamnis & Paliuro placita, specialiori historiæ præmittere voluerimus.

Æquivoca. Rhamnus albus Monsp. Fructu rubro & nigro. Alia species. Oleaster Germ. Rhamnus 3. Clus. Rhamnus 3. Diosc. Pyracantha. Rhamnus Catharticus, &c. Spina infectoria. Vva crispa

Cæterùm *Rhamni* nomen variæ plantæ à variis autoribus obtinuere. In primis est ille, quem vocamus *Rhamnum cortice albo Monspeliensem*, de quo mox. Cuius duæ fortè species Bellonio, fructu rubro, & nigro. Traditur etiam iam dicti *Rhamni alia species*. Sequitur *Rhamnus sive Oleaster Germanicus*. Tum *Rhamnus 3. Clus.* cortice nigro, flore herbacei coloris. *Rhamnus 3. Diosc.* sive *Paliurus folio Iniubinæ*. Rhamnus etiam 3. Dioscor. existimatur *frutex dictus Pyracantha*. *Rhamnus Catharticus*. *Rhamnus Bavaricus*. *Rhamnus Clusianus* sive *spina infectoria Pannonica*. *Vva crispa* sive *Grossularia* à quibusdam putatus Rhamnus. *Rubum cæruleo fructu* quidam fecerunt Rhamnum: de quibus omnibus suis locis tradetur. Nunc autem eas trademus differentias, quæ proximè ad veterum descriptiones accedunt, aut similitudinem aliquam cum iis habent.

RHAMNVS CORTICE ALBO Monspel.

Descriptio. *Aculei.*

RHamnus primus, frutex est magnus totus spinis armatus, in caudice quidem magnis, ut Oxyacantha Matth. in ramulis minoribus, cortice albicante: &, quod observatione dignum, grandiores illi aculei, palmum circiter longi, rigidi acuti, ex ramis enati, alios pariunt aculeos parvos, non minus rigidos pungentésque, eodémq; loco folia magnitudine vari . Rami unà cum spinis cortice teguntur cinereo, folia sustinentes Salicis, terna vel quaterna, indidem orta, fragilia, candicantia, succulenta, nullo insigni sapore prædita. (Vere natorum ramorum rationem folia magna, spinę parvæ) Flores pauci, Laureolæ folio deciduo similes, parui, subcœrulei. Fructum non obseruavimus, nec etiam Clus. qui ait rudimentum, ut in Iasmino, relinqui: crassaque & multiplici radice firmari. Cæsal. dicit baccas ferre parvas, Oleæ figura.

Folia. Flores. Radix. Bacca.

An autem Theoph. & Plinij hic sit Rhamnus candidior considerandum. Item an Dioscor. primus? Plurimi sanè ita statuunt, ut mox apparebit. Nos quoque non negamus. Videtur autem nobis Marcel. hunc intelligere, cùm scribit: si quis diligentiùs quæsiverit, facillimè deprehensum ostendere volentibus poterit. Videtur autem insinuare voluisse, inventu facilem esse Florentiæ ubi ille sua commentaria scripsit. Si Dioscor. in describendis suis Rhamni speciebus duabus, meminisset foliorum, faciliùs eius Rhamnis nostros conferre aut accommodare possemus: in quo sanè fatendum, eum fuisse negligentiorem. Opinionem communem esse scribit Anguil. epist. 3. Primam Diosc. Rhamni speciem esse eam spinæ speciem, quæ Romæ vocatur Spino santo, & in Abruzzo Spino di Christo. Intelligit autem hanc nostram. Eadem à Marcello lib. de re medicinali vocatur Salutaris & spina alba, ita scribente. Salutaris herbę fasciculum id est, spinæ albæ qua Christus coronatus fuit. Secunda in omnibus huic primæ similis est, nisi quòd albidior, & folia longiora & angustiora. Hæc multis in locis Sclavoniæ reperitur, ac ibi sepes ex ea fiunt. Potest etiam Patavij in porta Zaria videri propè veteres muros.

Diosc. paulo negligentior. Spina sancta. Spina Christi. 1. Spina salutaris, & alba. 2.

Locus. Vius. Rhamnus Bellon.

In insula Lemno, inquit, Bellon. facilè provenit frutex Rhamnus, ex eo constant eorum sepes: retinet nomen antiquum, ac dicitur Rhamnos. Item alibi. In Macedonia agri, potissimùm colles, fruticibus Rhamni & Paliuri occupantur, ita ut arva etiam culta rependo invadant. Agri quoque in Ægypto separantur sepibus ex Rhamno. In itinere Caïri ad montem Sinaï, circa Sues in planicie Arabiæ, duæ Rhamni species ab eodem observatæ. Et inter Caïrum & Hierosolymam vidit planicies, steriles alioqui, sed abundantes Rhamni specie, quæ baccas rubras fert, differente à Græco, cui semen nigrum. In palestina quoque sepes ex Rhamno factæ separant agros. Et rursus alibi: Circa Hierosolymam [inquit] perquisivimus spinosas plantas, ut investigaremus qua spina coronatus fuerit salvator noster: quum autem nullam frequentiorem inveniremus Rhamno, existimamus ex eiusmodi arbore factam coronam: nullos ibi vidimus Rubos, aut alias spinosas plantas, præter Cappares. Considerantes etiam Italos Rhamnon vulgo vocare spinam sanctam, potiss. circa Maceracam & Pesauri, ubi sepes non structæ ex aliis arboribus, ut & Hierosolymis, moti sumus, ut crederemus, hanc, illam esse spinam ex qua Christo salvatori Iudæi coronam imposuerunt. Arabes quoque antiqui, arborem ex qua facta fuit ea corona Alhangesi vocant. Interpretes Latinè dixerunt, Coronam spineam.

Sem. rubro & nigro. Hoc Rhamno Christū coronatum fuisse. Spina sancta. Alhangesi Arab. Corona spinea.

Matth. carpit Ruellium, quòd non declaret Leucacantham, & lubrico lapsu, sumpsios oblitus, in Capitis Spinæ albæ calce, aculeatæ illius arbusculæ radicibus, quam ille candidum Rhamnum Diosc. putat, omnes tribuat facultates, quibus legitima Spina alba à Dioscor. commendatur. Verùm Matth. non benè intellexit Ruellium, qui per Leucacantham, non intelligit Rhamnum candidum Matthioli, sed eius Oxyacantham. Præterea. Matth. non describit suum Rhamnum 1. sed descriptionem Diosc. repetit: duasq; icones unius plantæ obtrudit, quæ ludit tantùm ramis pro temporis diversitate, qui diversimodè ab eo fuerunt picti, dum varietatem ignoraret.

Matth. notat Ruellium. Leucacantha. Matth. error multiplex. Matth. inconstantia.

Illud notatu dignum, Diosc. dicere folia Rhamni *μαλακά*: Hermol. [Marcell. & Cornar. vertetunt mollia: Ruell. autem tenera] quam versionem retinuit Matth. licet describens Hetruriæ suæ Rhamnum dicat habere folia mollia, quod non competit Rhamno ab eo exhibito. In Ital. edit. dixit lævia. In Germ. omnia mutavit, folia dicens Salicis, quod competit Rhamno sive Oleastro Germanico: Flores autem albi odorati respondent Spino albo, sive Oxyacāthæ multis dictæ, neutiquam verò Rhamno 1. Quæcunq; etiam tradit in eadē Hist. Germ. de Rhamno 2. cōveniūt utrisque modò dictis plantis & non Rhamno 1. Et, quod magis notabile, in Com. in Diosc. scribit, Rhamni secundum genus candidius à Luca Ghino missum: in hist. verò Germ. tantùm in Germa-

nia visum. Nos verò Rhamnum Germanicum longè diversum censemus à Lucæ Ghini misso Rhamno, cuius effigiem exhibet Matth. Descriptio quam idem in Epit. sua habet, fictitia est, néc facta ad plantam à Ghino missam, cuius tamen iconem adhuc retinet. Cur non ex ipso ramo descripsit, quem missum accepit? Sic & Rhamno suo secundo adpingit vel affingit baccas fortè nunquam à se visas, quemadmodum & Gallica nomina quæ sunt Rhamni cathartici.

Diligenter etiam perpēdenti Matth. scripta, facilè apparebit, ne eas quidem plantas de quib. scribit, ei probè fuisse cognitas, & aliquot etiam inter se confudisse. Brassavolam taxat, quòd supra syrupum de Eupat. dixerit Leucacantham arbusculam esse sepibus conficiendis idoneam. Camer. apud Matth. in hist. Germ. ait diversas esse opiniones de Matth. Rhamnis: eius secundum, idem videri cum Oleastro Germanico Cordi: ex icone tamen non posse facilè colligi, propter spinas nimis aduncas. Hæc Camer. qui iconem habet cum aduncis spinis, quales non sunt in Matth. iconibus. Nos igitur dicimus iconem Rhamni 2. Matth. esse ex ramo Rhamni 1. eiusdem Matth. factam. C. Bauh. apud Matth. ait Rhamnum 2. Matth. multum similitudinis habere cum Rhamno Germ. nisi sit idem. Nos contrarium sentimus. Nec placet icon ab eo addita cum aduncis spinis. Eiusdem sententia est, Rhamnum 1. Diosc. Rhamnum nigrum Theoph. & Rhamni 2. genus, sylvestre nigrius Plin. esse. At Rhamnum 2. Diosc. candidum Theoph. & candidiorem Plinio. An huc noster Rhamnus albus Amati, quando apud Diosc. ait, Rhamnum tam album quàm nigrum, & in Hispania, & Italia prosperè crescere animadverto, qui sepium ornamentum sunt, præsertim albus, cuius spinæ Oxyacanthæ sunt similes, folia verò crassa, pinguia, oblonga, Olivæ magnitudine. Quanquam, si Amato Rhamnus albus tam benè notus fuit, cur non plures quàm unam, descriptioni suæ inservit notas, repetens tantùm Diosc. verba: cur etiam non differentiam inter utrunque docet? in titulo etiam diversarum plantarum nomina confundens.

Imperitus stirpium Lacuna pro Rhamno 1. 2. & 3. proponit icones ex Matth. & valde notas ait, licet ipsi Matth. fuerint incognitæ, ut antè demonstratum. Gesn. Rhamnum 1. facit. Pena & Lob. in adv. Rhamnum 2. Monspelien. cum icone, in qua falsi Flores, addunt: Secunda species Mattholi minùs exquisitè respondere Diosc. notus videbitur illis, qui Rhamni 2. speciem Monspelij, sepibus muniendis aptissimam, viderunt: nam tota planta alba & minoribus floribus, foliis Oleæ, sed candidioribus Iesamini pubet, at herbacei coloris: cortice ex viridi pallescete. Monspelienses Ramnum 2. vocant. In obs. an notat Lob. Rhamnum 2. Monspel. dictum, esse Rhamnum 1. Diosc. Clusio. Verùm non animadvertit Lob. Matthioli Rhamnum 1. eundem esse cum Monspeliensi, & Matth. 2. esse ramos primi, quales planè observavimus & siccos habemus. Ergo non magis convenit Rhamnus 2. Matth. quàm Monspeliensis, cum Diosc. 2. quem à primo ipsemet Diosc. solo colore distinguit.

Hist. Lugd. ponit quatuor icones, quantum iudicamus, unius huius plantæ sub his titulis: 1° Rhamnus 1. Matth. 2° Rhamnus 2. Matth. 3° Rhamnus 3. Mósp. 4° Rhamnus 1. Clus. Rhamnum verò sive Oleastrum Germ. confundit cum Rhamno 1. Matth. Nec placet opinio C. Bauh. existimantis in suis animadv. in eundem Historiam, iconem Rhamni 2. Dod. & Rhamni 2. Matth. duas icones esse unius plantæ: nos verò censemus, ut antè dictum & post dicetur, Rhamnum 2. Matth. eundem esse cum primo Dodonæi.

Brassaval. taxat. *C. Bauh.* *Amatus accusatur.* *Lacuna stirpium imperitus.* *Lob. taxat.* *Hist. Lugd. aliquot errores.*

CÆSAL. Rhamnum quem putat candidum Theoph. & Diosc. 2. & Plin. 2. describit, Fruticem virgas ferentem albas, foliis Oleæ pulposis. Floribus specie Gelsemini ex purpura candicantibus, baccis parvis Oleę figura: videturque nihil aliud, quàm hanc ipsam descripsisse.

Scribit RAVVOLF. in itin. circa Tripolim provenire satis copiosè Spinam cuius fit mentio lib. Iudicum, c. 9. & Psalm. Davidis 58. incolis dictam Hauseit: Arab. Hausegi: Lat. Rhamnum. Alii Nausig, sive Nausegi Maurit. dici tradunt. Ital. Rhamno & Marraca: Rhamno 1. *ha le fronde Olivari, diste & grassette*, &c. Hisp. Castil. Cambron, Portug. *Cambrons*, Germ. Wegdorn 1. Bohem. *Pudlak*.

Syno. Linguar.

Natales plures diximus in historiæ decursu. Nascitur etiam, ut Clus. refert, multis Hispaniæ, Lusitaniæ & Galliæ Narbonensis locis. Monspelij abundè observavimus circa urbem, nec non in Aquis mortuis & circa Florentiam. Monspelio allatus & in horto E. C. Montb. consitus, egregiè radices egit, & iam aliquot annis duravit: sed hieme reponendus. Autumno nova succrescunt folia, interdum decidua. Floret Martio, pariter atque Autumno.

Locus. *Satio.* *Tempus.*

Huius Rhamni prioris folia Salmanticæ & alijs quibusdā Castellę locis, autore Clusio, cum turionibus ex oleo & aceto edunt primis mensis: nonnullam enim acrimoniam cum aciditate coniunctam habent, quæ saporis gratiam conciliat. Vires quas Rhamno veteres tribuunt antea proposuimus.

Vires & usus. Cibus.

RHAMNI PRIMI SPECIES ALtera Clus.

RHAMNI prioris alteram speciem observavit Clus. similem ferè primo, sed humiliorem & frequentioribus ramis fruticantem, minoribus foliis, & magis carnosis, salsóque gustu, superiore cādidiorem. Floribus, eiusdem cum illo formæ, sed purpureo planè colore.

Descriptio.

An de hac Bellon. l. 2. obs. c. 59. Arbusculam invenimus Rhamno alteri similem, secundùm littus maris Rubri foliis admodum densis, salsis, albicantibus, ramis spinosis, sed spinis obtusis, ut in Rhamno Europæo.

Locus.

Vno tantùm loco invenisse tradit idem Clus. iuxta Horivelam urbem, Orcelim veteribus dictam ad flumen Serabim, Segura vet. regni Valentini extremis limitibus.

RHAM.

RHAMNVS VEL OLEASTER Germanicus.

CAP. XII.

Descriptio. RHAMNVS quem Germani Oleastrum suum fecerũt frutex est tricubitali altitudine, quibusdam locis arborescens, at ramis rigidis ac frãgi contumacibus, oleæ folijs, sed angustioribus, supernè viridibus, ima sui parte qua terrã spectant, albicantibus *Folia.* baccis seu acinis rotunditate ac magnitudine Myrti, in se numerosa congerie racematim compactis, ac ramis arctè implicatis, affixísque perexiguo petioli appendice, colore flavescente ac luteo, maturitate crocato, sapore acido ac peracerbo, unico intus nucleo aut vinaceo, non lapidoso, ut Corni aut Oxyacanthæ, sed qui dentibus facilè atteratur. Sic LEMNIVS describit. *Bacca. Sapor. Nucleus.*

Descriptio Cordi. Eundem arboreum fruticem Oleastri Germanici nomine Cordus, ita describit: Arbor est non non adeò procera, cùm ad iustam magnitudinem pervenit, quatuor, quinque aut sex cubitorum altitudine, nonnunquam etiam procerior. Caudice aliquantulum intorto, ramis, surculis, corticis colore, aculeis, & toto propemodum habitu Sylvestri Pruno, hoc est, Spino pruna ferenti similis. Siquidem cortice vestitur, foris colore, spadiceo: aculeisq; armatur longis, sescuncialibus aut sextantalibus, colore ut plurimùm cinericeis. *Aculei.* Folia totis ramulis surculisq; adnascũtur, oblonga, Oleæ similia, minora tamen tenuioráque atque brevissima, tenuissimáque lanugine subtus canescentia, superiùs autem in viridi ciner acea, longitudine sesquiunciam, latitudine verò tertiam digiti partem æquantia, sapore modicè astringente, odore nullo. Flores totis ramulis adnascuntur .... quibus singulæ succedunt baccæ Myrti baccis similes, paulò tamen maiores, oblongiores, multò tamen molliores, tenui, glabra fragilique cute & succo constantes. *Folia. Baccæ.* Succus autem triplicem misturam sortitus est: videlicet Oleum, aquam, & carnis parum, qui è baccis expressus in tria medicamenta, ceu Oleæ succus, seipsum dividit. Caro enim fundum vasculi petens, in fraces transit gustu astringentes & acescentes. Aqua medium locum occupat, supra fraces, & infra Oleum constituta, atq; in amurcam convertitur, consistentia tenuem, sapore valdè acidam, ac ipsum acetum æmulantem. Quod autem pingue in hoc succo est, propter levitatem in summo amurcæ suæ supernatat, pinguedine nihil à vero Oleo distans: tenuius tamen, gustu pingue, subacidum & modicè astringens, odore Olei aceto commixti. Tota autem bacca digitis contrita, naribúsque admota propter acidam amurcam, magis quàm Oleum acetum redolet. Quæ verò tota hyeme in arbore remanserint baccæ, si terantur, succum remittunt aspectu & colore pus imitantem, odore aceti veteri rancido Oleo commixti: corrumpitur enim, putrescitque gelicidijs in baccis Oleum, ut odore tantùm inesse cognoscatur. Semina baccis sunt singula, parva, oblonga, utrinque acuminata, pallenti tunicæ involuta: aspectu foris fusca, intus verò candicantia. Radice arbor nititur multifida & diffusa. Materia eius à Spina, Pruna agrestia ferenti, sola mollitia differt. *Succus triplex. Caro, seu fraces. Aqua, seu amurca. Oleum. Semina. Radix. Materia.*

Idem Cordus in com. ad Diosc. Oleum ex eius baccis expressum acetosum & acerbum dicit; quòd recens gustatum ori sit gratum: at vetustatem ferre non posse. Existimat autem hanc Oleam esse quam Columell. Cilibricam appellat. Idẽ in Obs. sylva annorat, fruticem tenuib. multis aculeis acutis spinosum, virgis & surculis tenuissimis, folijs parvis, oblongis, candidis, hirsutis, pro Paliuro sibi missum ex Gallia: sed videri potiùs Rhamnum esse. Quid verò sit Cordo Rhamnus hic dubitamus. Considerent lectores an fortè intelligat Oleastrum hunc German. Verùm quod folia dicit hirsuta, dubium nobis non parvum movet. Nec opinio eius de Olea Cilibrica nobis placet. Mirum industrium Botanicum id ausum scribere! Qui leget verba Colum. quę suprà citavimus inter Oleæ differentias, facilè ignoscet huius fruticis parvas baccas nihil habere commune cum cæteris generosis Olivis, inter quas enumerantur Cilibricæ seu Calabricæ: Videtur porrò ANGVIL. epist. 3. hanc secundam Rhamni speciem facere, de qua sic tradit. Secunda Rhamni species omninò primę similis est, nisi quòd candidior sit, foliáque habeat aliquantum longiora, tenuioráque. Passim abundat in Illyria, & in hac regione sepes ex ea faciunt. Patavij etiam conspicitur extra portas versus rudera & muros antiquos. *Olea Cilibrica. Folia hirsuta Paliurum. Cordi opinio reijcitur. Rhamnus 2. Anguil.*

Meminit huius fruticis Dauid, qui multis locis appositissimas similitudines ad persuasionem profert in religionis negotio, ex naturæ rebus concinnè petitas. Antequàm spinæ vestræ inquit, Psalm. 57. adoleverint, atq; obdurescant in Rhamnum, conteret ac convellet vos dominus, & liquescere faciet, ut limacem, ac partum abortivum. Quo designat improborum factiones, tyrannidem, minas, potentiam, conatus, molimina irrita fore atque invalida: à Rhamno desumpta similitudine, frutici ubi adolevit, aculeis infesto: nam ineunte vere tener est, mollis, tractabilis, ac minimè noxius.

An Bell. Rhamnus Europę de quo, l. 2. obs. c. 59. *Rhamnus Europæ.*

Dod. in Hist. Gal. Rhamnum secundum facit: nec describit, cùm tamen peculiarem habeat iconem. At in hist. lat. Florem eius ait herbaceum, baccas colore flavescentes, succo interiùs luteo, folijs perpetuò virentibus, baccis etiam hyeme frutici adhærentibus. *Flos herbaceus.*

Cordo dici Oleastrum Germ. Lob. & Pena Rhamnum Diosc. dicunt, quod à nullo alio fit, excepta Hist. Lugd. quæ duas plantas confundit, ut mox apparebit. D. Cortusus nobis aliquando pro Dioscor. Rhamno 2. misit eiusdem ramum, non pro primo. Io. Pena tamen in descriptione Baldi, Oleastrum Germ. Cordi, multis Rhamnum 1. Diosc. videri notat.

Rhamnus 2. folijs perpetuis, Clus. qui addit totum fruticem videri ac si pulvere respersus esset.

Quoniam verò Hist. Lugd. putat Rhamn. hunc eundem cum Matth. Rhamnum 1. Lubet illius descriptionem ascribere: Spinosus [inquit] Matthioli frutex, sive Rhamnus 1. ad Rhodani ripas & glareosa vada frequentissimus visitur, sæpè

humilis, nonnunquam ad hominis proceritatem assurgens, cortice cinereo, ramis firmis, ex quibus surculi hinc illinc oriuntur, per intervalla prosilientes, & semper in rigidam spinam desinentes, qua nota à cæteris discrepat. Fructus est circum ramos copiosus, rotundus, cùm maturuit phœniceus, folliculo aut vesiculæ similis, succo lento plenus, acidi gustus, nec ingrati, cuius, omphacij vice, ad ciborum condimenta usus esse possit. Hæc sanè descriptio satis apertè declarat hunc nostrum, quem tamen Historia malè eundem putat cum Rhamno 1. Matth.

Hist. Lugd. error.

Eadem verò huius & aliam ponit descriptionem ex Pena, & iconem, titulo Rhamni 2. Dod. & primi Penæ.

Caspari Bauhino in suis animadver. Rhamnus 2. Matthioli. & Rhamnus 2. Dodonæi videntur duæ figuræ unius plantæ, posterior tamen melior: nos contra existimamus, Rhamnum 2. Matth. diversum à Dod. secundo, ut ante dictum. Rhamnus Germanicus eidem C. Bauh. qui annotat semen esse ex rotunditate oblongatum, splendens, tunica foris fusca, intus candida, involutum includi. In aquosis ad Rhenum infra Hunningen Basiliensium ludere: unam, latioribus esse foliis & longioribus baccis singulis vel binis stipiti annexis: aliam, foliis angustioribus & brevioribus, baccis multis velut conglobatis, quę & hieme frutici adhærent: quæ satis conspicua varietas est.

Bauh.

Semen.

Varietas. Latifolia. Angustifolia.

Camer. Rhamnum 2. Matth. videri quidem Oleastrum Germ. Cordi scribit, verùm non posse ex figura Matth. cognosci, atque eò quòd spinę nimis curvæ sunt, dubitat an Matth. hanc intellexerit. Ideo meliorem figuram apponendam curavit. An Cæsalp. Rhamni 2. genus sine flore? quod dicit esse Theoph. Rhamnum nigrum, & Plinij 2. genus sylv. nigrius, & Rhamni 1. genus Diosc. sicque describit: Rhamni 2. genus arborescit ramis rectis, salicis modo, cortice minùs candido, foliis angustioribus longioribúsque [quàm Rhamnus Monsp.] non pulposis, veluti pulvisculo ferrugineo, infernè oblitis: Iuxta folia folliculos quosdam tenues sine flore fert, Hordei figura & magnitudine, pulvisculo scintillante oblitos, colore ferrugineo: ij in maturitate parvæ Olivæ speciem gerunt, rubentes: succo intus croceo, tenui tunica incluso: maturantur hyeme: semen unicum continetur nigrum, aculeos rariores habet acutioresque, sed infirmiores. Peregrina hæc in Hetruria. Multa conveniunt cum nostra, quædam etiam cunctationem iniiciunt, quominus temerè affirmare audeamus. Indagabunt diligentiores.

Rhamni 2. genus sine flore Cæsalp.

Folliculi flore carentes.

Hactenus quoque nos latet, quònam sit referendum Rhamni genus illud, cuius meminit Ruell. l. 1. cap. 3. Esse ita que huc referre, donec meliùs innotescat. Hæc eius sunt verba: Aliud Rhamni genus in afflatu maris nascens, quod putaverim Rhamni fastigiis annumerandum, frutice nonnunquam arborescente, prælongis ramulis, qui rigidis armantur spinis, aculeis mucrone sævientibus, folijs, tam æmula facie Ligustrum exprimentibus, ut pro illis fallant, bacca, folliculari specie, verticillata, primùm candida, post maturitatem rubescente, foris flaccida, intus uliginosa, quam pastores pecorum pabulo decutiunt. Ausus est tamen Ryffius Ruellij hunc Rhamnum suo nomine proponere, cùm ait, Rhamni fastigijs genus 2. annumerandum in afflatu maris &c. quod morosior quis plagiarium diceret. Cæterùm, de quo hic agimus, Rhamnus Germ. *Sandthorn/ weydendorn*: quasi spinam arenariam, aut salicem spinosam dicas: Batavis *Sceitbesien/* id est, acini purgatrices, teste Lobelio, Galli Gratianopolitani vocant, *des argousses.*

Rhamni species 2. Ruel.

Folia Ligustri.

Bacca verticillat.

Ryffius plagiarius.

Nascitur circa fluvios & amnes, solo lapidoso, arenosóque, copiosissima autem in Germania ad Lycum Vindeliciæ amnem, & ad Danubium ab eiusdem Lyci ostio, usque ad Petreas fauces, per quas Danubius fluit, tribus millibus passuum supra Kelheymium oppidum sitas: Cord. In Hollandiæ ac potissimùm Flandriæ maritimis littoribus. Reperitur verò & alibi in convallibus, ac iuxta profluentes amnes. Dod. & Clus. Lob. ait Italiæ, Galliæ & Hollandiæ maritimis plurimis locis provenire: Zelandiæ, Lemnius. Circa Rhenum multis tractibus copiosè, potissimùm circa Basileam, Curiam: Genevæ ad Arar & Rhodanum loco valdè glareoso frequentissima. Provenit etiam in monte Baldo. In Alpibus Rhæticis, in valle Tellina propè Meyenfeld, & Drusiana propè Fedkirch, Campus D. Petri dicta, & pluribus alijs Helvetiæ locis, tàm montosis quàm convallibus. Scribit Io. Fabri. in cōvalle circa Curiam Rhętorum fuisse Rhamnum miræ magnitudinis: spinis arborescentem & magnitudine truncos adæquâtem. In Cl. D. Plateri horto in arborē excrevit & fructus tulit, qui tamen à nobis satus non provenit. Iamdudum etiam in horto Montb. cultus egregiè repit, nondum tamen fructum protulit. Allatus fuit Lugduno, ubi, in prato Aine dicto, ad Rhodanum abundat. Hyemem fert. Floret Iunio: Post autumnum demum baccæ maturantur & subinde tota hærent hyeme.

Locus.

Tempus.

Adornantur in Belgio huius virgultis Coenacula ac triclinia ineunte autumno, quo baccæ luteo colore suffundi incipiunt, atque in multam hyemem spectaculo sunt, oculósque reficiunt, atque acido sapore nauseanti ac fastidioso palato gratificantur. Affatim salivam eliciunt, ac febricitantibus sitim compescunt, teste Lemnio, qui hanc Rhamni speciem Zelandis *Duin besyen*, dici ait.

Vires & usus.

Salivam moventes.

Cordus tradit frondes eius in cubiculum proiectas, mures allicere, præsertim siccatas. Notat Hist. Lugd. succi usum omphacij vice ad ciborum condimenta esse posse: aliud tamen nomen Belgicum suprascriptum Lobelij insinuare videtur. Scribit sanè Camer. in epit. Matth. acinos purgatricem habere facultatem à quibusdam affirmari. Addit tamen parari ex iis Rob, quod vehementer acidum sit, & attenuans & incidens, ut Berberis fere, commendarique ad Dysenteriam. Hunc nodum solvant experti: si tamen purgant, ut scribit ille, Tamarindorum ferè in modum id præstare quis coniectare possit.

Purgant. Rob.

Dysenteriæ.

RHAMNVS III. CLVS.

CAP. XIII.

Descriptio. *Cortex.* *Folia.*



RHAMNVS tertius dictus Clusio fruticosus est frequentibus ramis, Spini magnitudine, cortice nigro tectis, & spinis longis armatis. Folia ex quibusdam tuberculis, ut in priore, multa simul enascuntur, oblonga & angusta, carnosa, colore viridi, gustu adstringente, & Rhabarbari saporem satis referente, semper virentia. Flos veris initio parvus, iuxta folia plurimus, & confertim nascens, colore herbaceo. *Flores.*

Æstate nigrum fructum fert, Pruno sylv. similem, rotundum, acerbum. Hisp. *Spino negro* dicitur. Hic fortè est, inquit Clus. quem Bellon. in Creta inveniri ait, fructu nigro. Ad nos eius fructus ex Hispaniis postea missus est Lycij nomine, & in fruticem excrevit. Forsitan ad Rhamnum nigrum Theoph. referri posset. Hæc Clus. Bellon. verò, l. 2. obs. c. 76. dicit in itinere inter Cairum & Hierosolymam Rhamni speciem se observasse semine rubro, differentē à Græco, cui niger. Ingenuè fatemur, nos nec Clusiū, nec Bell. hac in parte intelligere. Lycium Hisp. inquit Lob. Spinę Burgundicæ aut Phillyreæ angustifoliæ non ita absimilem perelegantem fruticellum, foliis tamen multò angustioribus & ramulis exilioribus studiosè alunt in Belgio, &c. Extrema infesta spiculis virgulta: folia Thymeleæ Monspelliens. exiliora, atrovirentia, gustanti adstringentia. Apud Belgas nullum fructum edit. Et mox supra figuram ex Clus. appositam. Rhamnus primæ speciei tertius, & fortè Rhamnus niger Theoph. apud Clus. Hisp. Spino negro. Non diversum opinor à Lycio Hispanico Belgij nuper inquilino facto. In append. aliam figuram habet eiusdem Lycij Hisp. nomine. In iconibus Plant. Lobelianis duæ ponuntur figuræ: uni titulus Lycium Hisp. alteri Rhamnus primæ speciei tertius. Fortè Lob. duas descriptiones & figuras unius plantæ, licet diversæ videantur figuræ, ponit. Clus. sanè unius tantùm plantæ ex suis Lycij nomine donatis, in Belgio provenire tradit, non duas. Rhamnus 3. Dod. Hist. Lugd. scribit pinxisse Lob. Lycium Hispanicum, quod Clus. descripsit his ferè verbis: frutex est spinosus, folia Myrti Tarentinæ vel Buxi. Figura quam Lugd. ponit priore loco est Clusij: altera ex appendice Lob. pro Lycio Hisp. quæ non habet folia Myrti, sed longa. Quin ipse quoque Lobel. folia Thymeleæ habere scribit.

Fructus. *An Rhamnus niger Theoph.* *Lycium Hispanicum.* *Rhamn. 3.* *Hist. Lugd. not.*

Frequentem Granatensi & Murciano regnis, locis incultis inter alios frutices invenit Clus. cui in Belgio sata provenit. *Locus.*

Fructus decocto, eodem teste, membra relaxata & dissoluta, atque etiam podagræ dolores utiliter foveri incolæ referebant. *Vsus.*

RHAMNVS SIVE PALIVRVS folio Iujubino.

CAP. XIV.



NON semper humilis est, verùm interdum adeò excrescit, ut arboris tueri nomen possit, materie perquàm dura, virgas emittit rectas, & ab his ramos patulos, deorsum inflectos, subrubentes, quos tenues, rigidæ & mordaces armant spinæ. *Descriptio.*

Folia Iuiubinis tàm similia ut nihil suprà, quibus tamen nonnihil videntur minora, nec ita profundè per oras crenata, sed minimùm, ac interdum ferè nihil: cæterùm qui Iuiubini folij nervos tres secundum longitudinem decurrentes possident. Iuxta quæ flores emicant parvi, stellati: orbiculati: Succrescunt Fructus, lati, per margines membranei, compressi, prominente utrinque umbone lignoso, cuius medio pediculus inseritur, qui diffracti, in geminis vel ternis loculis totidem ostendunt semina, lubrico lævore & colore seminum Lini, sed rotundiora, torosiora, pulpa dulci, coloris ferè porracei. Fructus, [ut describit Cæsalp.] depressus ex tenui pediculo pendet, pulpa quadam fungosa circumducta, ossiculo intus duro, intra quem tria seminis cōceptacula singulis seminibus donata, quæ in suis alveolis tintinabuli modo sonant. Facilè autem nobis persuademus Theophrasti Paliurum esse hanc plantam de qua, l. 3. hist. cap. 17. & Paliurum nostratem Græcum ab eodem vocari, l. 4. histor. c. 4. Denique eandem hanc à Diosc. uno capite dici Rhamnum 3. alio verò Paliurum, quorum omnium verba posuimus antè, in genere de Rhamno tradentes. Dioscoridem [inquit Cuiland.] de iisdem plantis in diversis locis pertractasse sub diversis nominibus, apertissimum: ignorantémne, an abundè diligentem nescio, exemplo sit Rhamnus 3. Idem & Virgil. dictus Eclog. 5.

Folia. *Flores.* *Fructus.* *Semina.* *Paliurus Theoph.* *Paliurus Græcus.* *Rhamnus 3. Diosc.* *Paliurus Diosc. & Gal.* *Diosc. not.* *Servij lapsus.* *Thes. ling. Lat. error.*

Carduus, & spinis, surgit Paliurus acutis.

Supra quem locum apparet Servij lapsus, qui Paliurum ait herbam esse asperrimam & spinosam, ut rectè quidem notat Thes. ling. Lat. ipse tamen, in alium similem incurrit, cùm ait, Paliurum herbæ nomen esse Galeno, l. 8. c. 33. simpl. quod falsum. Nam nec herbam ibi dicit, nec fruticem, etsi, revera, frutex sit arborescens. Eundem Paliurum intelligit Columel. l. 11. c. 3. ubi docet rationem parandæ vivæ sepis, ubi inter vastas spinas recenset cum Rubo & Cynosbato. Et Paliurum acutis spinis vocat, l. 10. & ab hortis cultis exterminat.

Nec manibus mitis Ferulas, nec cruribus æqua
Terga Rubi, spinisque ferat Paliuron acutis.

In S. Scriptura non magnus honor fit huic frutici,

quandoquidem cum impiis conferatur, ut suprà ex regio Psalt. retulimus, atque etiam, ut notat D. Hier. in Micheam, c. 7. Qui optimus in eis est, quasi Paliur⁹ & qui rectus quasi spina in sepe, &c. quasi Paliurus pungens & retinens: vulnerans, appropinquantē sibi adunco dente cōprehendens, &c.

Cordus Paliurum ait vulgò non cognosci, nec quicquam pro eo exhibet. Rhamni autem duas species agnoscit, candidum & nigrum, utranque Theophrasti, ut ille ait, à se aliquoties visum: qui tamen non in Germania nati sint, sed ex Italia & Gallia allati. Et addit: fructus candidæ candidus: nigræ niger: quemadmodum & folium, quod oblongum parvúmque est: Fructus orbiculata est figura, isque in medio turget, in margine verò tenuior est & veluti foliaceus, in summo verò, verticillo, quo, ceu pondere fusis infixo, utuntur mulieres, similis est, non tamen perforatus. Dioscor. & tertium Rhamnum recenset, cuius semen in quibusdam Diosc. exempl. spondylo, in in quibusdam etiam Asphodelo comparatur diversis naturâ plantis nos sphondylo, hoc est, verticillo, similem esse iam ostendimus: quare non Asphodelo, sed spondylo legendum censemus. Idem in sylva obs. Rhamni, inquit, nigri fructus niger est, verticilli figura, orbiculatus, in medio elatus: Rhamni candidi fructus prædicto similis est figura, sed colore candidus. Hæc Cordus. Vt autem verum fateamur, nondum bene eum percipimus: videtur enim Rhamnum 3. Diosc. non distinguere à primo & secundo eiusdem. Fructus alioqui ab eo descriptus optimè quadrat huic nostro. Nam quę de folio dicit, parvi momenti sunt, nec quicquam certi inde colligas quod intelligat. Huius nostri sanè folium nec candidum nec nigrum rectè dixeris.

Diosc. emend.

Peculiarem opinionem habet Anguil. nimirum suspicatur, alteram Rhamni speciem adiectam Dioscoridi, ut aliæ multæ plantæ spuriæ. Occasio suspicionis est, quòd sibi contradicat Diosc. in descriptione huius fructus, cùm dicit: fructum edit latum, candidum, tenuem veluti folliculum, hastulæ regiæ similem. Quippe fructus Rhamni 3. qui ostenditur, etsi latus sit, hoc est compressus, non ideo similis est fructui hastulæ regiæ, [Asphodelo] qui rotundus est vel orbicularis, non compressus. Præterea spinæ eius non sunt debiles, ut vult Dioscor. Deinde Theoph. de duobus tantùm Rhamnis loquitur folijs non deciduis: qualis Paliurus non est. Adde, duas primas Rhamni Diosc. species semper virere: tertiam verò non item, quæ, ut ex Theoph. verbis colligo, nihil est aliud quàm eiusdem Paliurus, admodum vulgaris Italiæ, sicut & Græciæ: Nascitur etiam hæc planta omnis generis locis, tàm siccis quàm aquaticis, frutex valdè spinosus, cuius folia similia Iuiubis nostris sylvestribus, nisi quòd latiora & rotundiora, & circa petiolum colore magis fusco. Plures emittit ramos altitudine quatuor aut quinque cubitorum, in multa brachia divisos: suntque cùm ipsi rami, tùm spinæ coloris Castaneæ. Spinæ semper geminæ, una recta, altera aduaca, rectâ ut plurimùm supra incurvam locatâ, ad figuram harpagonis. Fructus rotundi, compressi, in medio nonnihil extuberantes, qui spondylo figura similes, conferti ramulis adhærent, colore primò inter viridem & & album medio: fuliginoso verò si reficcati fuerint: Horum quilibet tria aut quatuor semina continet, substantia pingui ut Lini. Ita ut appareat hunc fruticem nihil aliud esse quàm Paliurum Theoph. ac Diosc. Nostro tempore vocatur ad-

Anguil. opinio.

Descriptio anguil.

Spina gemina.

huc in multis Græciæ locis nomine aliquantulum corrupto Paliru. Paliurus Græcis, inquit, Bellonius vulgò nunc Apaliura dicitur, quem multi existimant Rhamnum 3. Iam inaudiendus Matth.

Apaliura

Rhamni genus, quod nigrum est (ut etiam Diosc. inquit) quinûm fermè cubitorum altitudine attollitur, infirmioribus aculeis: fructu tenui, folliculari specie, rotundo, verticillo non absimili. In epit. addit, in eius medio ossiculum concludi, in quo parvus nucle⁹: ut & aculeos aliquos longos rectósque, nõnullos verò, ut Rubi, incurvos: falli verò eos qui putāt Rhamnū 3. esse Diosc. Paliurū, sed adhuc magis cæcutire, qui eundē esse Diosc. adulterinū cōtendunt. Præterea dicitur eidem Rhamnus 3. Ital. *Maruca vera*. In postr. com. Flores & tribuit muscosos, subcroceos, fructum candidum, in eius medio nucleum durum ac rotundum, ciceris ferè magnitudine, & in eo semen lentis instar compressum, rubro cortice, alba intus medulla: asserit præterea legendum esse apud Diosc. iuxta antiquum Codicem & Oribas. σφονδύλῳ, additque Paliurum Theoph. semen proferre ἐν λοβῷ, id est. in siliqua pręlonga, Fabę instar, ut ille reddit. Græcis λοβὸν longam vel oblongam siliquam in plantis designare Suida & Phavorinus testibus: imò ipsum quoque Theoph. manifestum testem esse ait eius significationis, qui l. 3. c. 11. de Acere scribens inter alia dicat: Paliuri fructum sive folliculum oblongum esse, &c. Obstare præterea, ne tertium Rhamni genus, Paliurus esse possit, ipsum quoque semen, quòd non ἐν λοβῷ, sed in duro ac rotundo concludatur ossiculo, in ipsius verticis centro latescente, fungosa quadam siliqua exteriùs obducto, triplici intus cavitate diviso, ubi semen ipsum se contineat ac latitet, Lentis instar compressum, rufa, ac lęvi cuticula contectum, alba dulcique intus medulla, non autem fuliginosum ac pingue, ut de Paliuri semine scribit Diosc.

Rhamn. 3. Maruca vera.

Verùm hæ rationes Matthioli non sufficiunt ad demonstrandum Rhamnum 3. non esse idem cum Paliuro. Inaniter etiam se torquet, dùm λοβὸν contendit non aliud significare, quàm oblongam siliquam. λοβὸν enim & pro Hepatis extrema parte, & pro auris ima & carnosa parte, quam Gaza Fibram vocat, & pro phaselo à Galeno de facultatibus aliment. l. 1. c. 28. Et pro vasculo, in quo semina vel fructus reponunt agricolæ & pro summis rebus omnibus ab Hesych. & Suida sumitur: quamvis frequentissimè de siliqua vel folliculo, quo semen veluti vagina clauditur, dicatur, ut sæpe apud Theophrastum. Quod autem adducit Theophrastum, id non bona fide facit: non enim simpliciter dicit Theoph. ἐν λοβῷ sed λοβῷ τινι quasi insinuare velit peculiarem esse vasculi modum, nec quicquam addit quod longitudinē ostendat. Deinde, quomodo terna aut quaterna semina parva facient siliquam prælongā Fabæ instar? Locus etiam quem citat ex Theoph. de Acere, ita habet. Τὸν δὲ καρπὸν ἐ λίαν μὲν σφραγίζ legēdū videtur σφ[illegible] [illegible] δὲ τῷ παλιούρῳ, τὸν δὲ [illegible]: qui planè nihil pro eo facit. Nam si Aceris fructus nō sit admod. longus & tamen oblongior quàm Paliuri, sequitur sanè non esse prælongam siliquam Paliuri, ut vult Matth. Sic ex, cur semen, alba dulcique medulla, λιπαρὸν esse neget, nullam rationem videmus: Sanè & eiusmodi seminibus etiam Oleum elici solet. Eccur etiam non dicatur λιγνυῶδες, fuliginosum? ut vertunt viri extra controversiam doctissimi, Hermol. Marcel. Ruel. & Cornar. intelligentes, uti putamus, de colore, à quo non adeò dissidet rufus, qualem Rhamni semen habere

Matth. opiniones reijciuntur. λοβὸς.

Dioscor. illustr.

habere ait Matth. nisi sit ea vox declaratio vocis ..., ut suspicatur Marcellus. Sin verò cum Pena Lob. Dod. & Saras. pro ... legamus ... aut ..., Lini facie, non videmus quid amplius impediat, quin Rhamnus 3. Diosc. & Paliurus eiusdem, sint etiam Paliurus Theoph. ait enim: ...

Rhamnus niger. Videtur eundem hunc rhamnū nigrum vocasse Amatus quem ait in Hispan. & Ital. prosperè crescere, fructu simili verticillo, in cui' medio nescio quid nigri conspiciatur, vt à se Pisauri prope mare annotatum scribit. Is verò solus hanc notam habet, qua Rhamnum nigrum ab albo distinguit: egregiam sanè verò! Qui, quum Ruellij Rhamnum reprobet, cur suum non declarat notis manifestiorib. quàm fecit? Diosc. Rhamnum 3. faciunt Turner. Dod. [qui & Paliurum dicit] Gesn. Pena, Lob. Cus. Cæsalp. Camer. qui & Spinam Iudaicam dici notat. Dod. vult esse Zura Plinij, quod nondum asser.mus, de ea sub Paliuro, Rauvolfi. Paliuro, inquit, nostro, qui existimatur Rhamni 3. genus, ita similis Iuiuba alba, ut primo aspectu existimarem eandem cum eo. Et quoniam Diosc. easdem facultates suo Paliuro tribuit quas Paliuro 1. Theoph. non præter rationem Clus. Anguillar. secutus, Rhamni 3. descriptionem, quæ apud Dioscor. extat, ad Paliuri eius historiam revocandam censet. Cuius sententiæ & Cęsalp. est.

Spina Iudaica. Zura Plin.

Porrò cùm sint tàm laxæ descriptiones utriúsve, h. e. tàm Paliuri quā Rhamn. 3. & ex facultatibus valdè imbecilles coniecturæ, nullum putant Aduers. posse statuere, quænam cui sit præferenda. Quæ [inquiunt] huic Diosc. descriptioni valde quàm accedit, est Rhamnus 3. nam frutex quantus est, prædurus est stipes, aculeatus, semine pinguis lineóque non suliginoso, sed satis duro, ut Lini:, vires huic congruunt: nam lapillos exerit potentissimè: diureticus est, ac proinde, haud abs re doctus Anguil. ambigebat essétne Rhamnus Paliurus alio nomine (ut sæpè fit) nota Africanis transmarinísque regionibus, vel Diosc. fuerit vitiatus Codex. Quod ad semen attinet huic sunt terna ossicula, ut Theoph. vult, estque Lini æmulum, non suliginosum, uti corruptè legitur, læue, non lentum tangenti: & in siliqua lata folliculari specie, terna, quaternàve: unde meritò hæc ipsissima videtur. De voce, suliginosa, dictum à nobis priùs ad colorem posse referri. Lacuna proponit solùm iconem Matth. pro Rhamno. Turner. vitiosam figuram habet, cuius titulus, Rhus, incuria typographi, pro Rhamnus. Elegantem figuram habet Camer. apud Matth. nomine Paliuri 1. & 3. Stechdorn.

Locus. Ex Theoph. colligimus in Græcia nasci, quia nostratem dicit. Gaudet alioqui locis maritimis, campestribus & incultis. Copiosus provenit in Gallia Narbonensi, potissimùm qua Monspellio Lunellam itur, spontè crescit inter sepes & in agris. Item circa Vraniam: in agro Veronensi, in Apennino prope Bononiā in planitie versus Baldum. In Belgij hortis colitur, Dod. Norimbergæ, inquit, Camer. hyemem etiam nisi sit admodum ... ferre potest: alioqui diligenter ... à frigore muniendus. Basileæ in horto D. Plateri ... arborem excreuit, ... sæpè crevit ex semine, ac ... Floret autem Maio & Iunio: fructus autumno maturescit, & tota hyeme arbori adhæret. Lob. annotat ex vetusto admodum semine crescere, quod verisimile, cùm semen in vasculo egregiè munitum fuerit.

Satio. Tempus.

Vires & vsus. Quomodo viua sepes paranda sit ex Paliuro & aliis vastissimis spinis, quas vocat, adversus hominum pecudúmque incursum, habes apud Cosum. l. 11. c. 3. Adstringunt, ventrem fluentem cohibent digerunt, & Phymata curant Paliuri folia & radix. Galen. Fructus verò tantam obtinent incidendi vim, ut & calculos vesicæ comminuant, & pectoris pulmonísque excretionibus auxilientur. Semina contusa ad tussim commendari iam dictum, iis etiam ad arenulas & calculum utuntur Monspelienses Medici ad quos affectus in frequenti etiam usu habet Cl. D. Platerus.

Tempera. Alui fluxus. Calculus. Arenula.

PALIVRVS AFRICANA.

Cap. XV.

Alius hic Paliurus est ab eo qui hactenus dictus, seu à Græco, quem Diosc. cum Rhamno suo tertio confudit. Nunc quid & de hoc tradant autores, videndum.

Descriptio. In Libya, seu Africa, autore Theoph. maxima copia est: Quippe apud Hesperides eo ad urendum utuntur, quemadmodum & Loto. Sed fruticosior hic est, quàm Lotus, folio huic nostrati [... Græco] similis, sed fructu diverso, non enim latum fert sed rotundum & rubrum, magnitudine qua Cedri, aut paulò maiorem, cuius nucleus non simul editur, quemadmodum acini Punici. Fructus verò ipse suavis est, cui si quis vinum affundat, & ipsum suaviorem fieri tradunt, & vinum ipsum quoque suavius efficere. Dixerat autem priùs Paliurum differentias quasdam habere, omnes autem fructiferas esse. De ea verò quæ semen ... fert, quamque hic adducta descriptione nostratem vocat, inter Rhamnos actum, quòd eam, uti dictum, Dioscorid. cum Rhamno inconsideratè commiscuerit. Et paulò ante dixit Paliurum etiam in Nasamoniaco agro, & apud Ammoniam aliisq; partibus nasci. Quid v. sibi velit idē Theoph. quādo l. 1. c. 16. ait: Quædam & mucrone & lateribus pungunt, ut sunt Ilicis, Roboris, Smilacis, Rubi & Paliuri folia. Verba sunt: ... [ineptè Gaza, sinuata concidūt, ut antè nos notavit Matth.] ... Agit autem hic de foliis. Considerandū igitur, quisnam sit ille Paliurus, cui talia folia. Eorum verborum peculiarem interpretationem Cæsal. invenit, quam cap. de Iuiubis referemus. Alioqui & hic Roboris seu ... loco malumus legere Phellodryos. In Roboris enim foliis nullæ spinæ: at sunt in hac.

Fructus. Locus. Gaza reprehe.

Cyrenaïca regio [inquit, Plin. l. 13. c. 19. ex hoc Theoph. loco] Lotōn suæ postponit Paliuro. Fruticosior hæc, fructúque magis rubens, cuius nucleus non simul manditur, iucundus per se, atque suavior è vino: quin & vina succo suo commendans. Interior Africa, ad Garamantas usque & deserta Palmarum magnitudine & suavitate constat [præstat Dal.] nobilibus maximè circa delubrum Hammonis. Et lib. 16. cap. 25. Vere cœpturo germinant, Aquifolium, Terebinthus, Paliurus, &c. sed per hunc Paliurum intelligimus Græcum. Rursus idem l. 24. c. 13. Paliurus quoque spinæ genus. Semen eius Afri Zuram [Zuron ...] vocant, contra Scorpiones efficacissimum: item calculosis & tussi. Folia astrictoriam vim habent. Radix discutit Panos, collectiones, uomicas, urinas trahit potu. Decoctum eius potum in vino alvum sistit: serpentibus adversatur. Radix præcipuè datur in vino. Aliqui folia contusa addito sale, articulorum morbis imponunt. Prosunt Baccæ purgationi fœminarum, cœliacis, Dysentericis ac chole-

Theoph. emend. Varietas. Zura. Vsus & Vires. Collectiones & tumores. Alvi fluxus. Arthritis.

ricis. In vino potæ alvum sistunt. Radix decocta & illita, extrahit infixa corpori. Vtilissima est & luxatis, tumoribúsque.

Videra Al-... Infixa corpori. Luxata. Plin. illustr.

Videtur autem Plin. duas plantas confundere. Nam vires quas primo loco ponit pro Paliuro, respondent viribus à Diosc. etiam Paliuro adscriptis. Verùm si Paliurus Diosc. & Theoph. (quod existimamus) idem sunt, baccæ non conveniunt Paliuro primo: à Theoph. enim eæ attribuuntur Paliuro Libyco, ut ex præcedentibus apparet.

Dod. intelligit per Zuram Plin. Rhamnum vel Paliurum folio Iuiubino, de quo ante. De Connaro & Paliuro Athen. vid. lib. 14. c. 20. ubi diversæ autorum de iis sententiæ. De Connaris, inquit, priùs apud Alexandrinos vocatis verba faciam, ac de Paliuris. Meminit de iis Agathocles Cyzicenus, his verbis, libro historiarum patriæ tertio: Cùm in sepulchrum fulmen irruisset, arbuscula [alij legunt arbor] ex tumulo pullulavit quam illi Connarum nominant. Est autem planta Vlmi Piceæque magnitudine, nihilque minor (nonnulli legunt, magnitudine quidem parva illa est pino aut ulmo magnitudine par: unde, nec immeritò sic super hunc locum exclamat Dalechamp. Quid hoc est dicere? Pinus sanè & Vlmus proceræ sunt arbores, ita veteres interdum ludunt nostram diligentiam. Et Clutius, se hunc locum non intelligere dixit) Truncos habet frequentes & oblongos, spinasque paulùm prominentes: folium est tenerum ac viride Phyçque simillimum. Fructum bis quotannis producit, Vere scilicet & Autumno, qui dulcis est omnino, & olivæ oleastrique fructui similis, carnem, osque illi simile habet, & differt succi voluptate, cuius fructus etiam viridis comeditur. Vbi verò siccatus fuerit, farinas conficiunt ex eo, quas calcant, ac non pinsunt: neque aqua irrigant. Paliuri ramum dixit Euripides in Cyclope. Theopompus lib. Philippic. 21. mentionem facit de iis, & Diphilus Siphnius medicus in libro de iis, quæ ab ægrotantibus & sanis sunt comedenda. Considerent igitur periti an de Iuiubis hoc loco scribat Athen. Lubet & ex eodem propter magnam similitudinem proponere quę de Loto Polybij tradit: Quæ [inquit] de Loto scripsit Herod. eadem refert Polybius Megalopolytanus, oculatus testis l. 12. hist. his verbis: Est autem Lotus arbor minimè procera, aspera, aculeata, folio Rhamni [Ilicis, Theoph.] paulò latiore & crassiore: fructus per initia colore & magnitudine simili perfectis baccis Myrti, dum augescit, coloris phœnicei, Oleæ [Fabæ, Theoph. de Loto à Dioscor. hæc inaudienda sunt. Secundæ Loti Theoph. quæ καρπὸν μετὰ πυρῆνος ἔχει, id est, fructum habet inclusum nuci putamine, Herod. l. 4. fructum verissime & appositissimè tradit esse lentisco similem, Dal.] magnitudine, rotundo, nucleo admodum pusillo. Maturus is colligitur, & cum alica contusus ad servorum famulorumq. cibum in vasa conculcatur, ac stipatur: ingenuorum autem edulijs, detracto nucleo eodem modo reponitur, ac pro cibo est, gustu caricis & Palmulis non dissimilis odore tamen suaviori. Fit & ex eo vinum, in aqua macerato, & trito, saporis grati, & iucundi, qualis est optimi mulsi. Merum id, & sine aqua, bibunt, sed ultra decimum diem non perdurat. Quamobrem paulatim ad usum tam brevis temporis conficiunt. Fit & acetum ex eo. Hactenus Athen.

Connarus Athen. Arbuscula. Paliurus. Iuiuba. Lotus Libyca Polybij. Folium. Vinum. Acetum.

Ruell. & Matth. volunt Connarum Athen. esse Paliurum: id negat Solerius, & vult apud eundem pro Phylyca legendum Philyræ: Paliurum Libycam Theoph. eandem esse censet cum Loto Libyca Polybij. Paliuri species incognitas, omnia eiusdem genera semen in siliquis ferre falsò Matth. asserere ex Theoph.

Plutarchus autor est, in Cocoygio monte Paliurum arborem haberi, cui si vel bestia vel avis, aut aliud animal volucre sidat, velut inviscatum cohærebit, præter Cuculum. Huic enim soli parcit: & ne scripto derogetur fides Ctesiphont i citat in testem, libro arboribus dicato.

Observatio.

Ichthyophagi, ut annotat Hermol. piscium carnes semine Paliuri conditas inveterant.

Troglodytę succo Paliuri pro vino utuntur vulgò. Nam proceres florem quendam exprimunt, cuius liquor nostrati musto similis aspicitur.

De Paliuro apud varias nationes, inquit Ruell. discrepant historiæ, quæ facie multùm dissimili, ut apud se nascitur, ostēdant. Inter omnes tamen convenit, eam vivis hortorum sepibus dicatam, quod suis minacibus aculeis noxium pecus abigat. At nos vix concedendum hoc putamus Ruellio. Præterea, quem putat Paliurum, non est Paliurus, ut dicetur in Spino alba. Sic & Matth. Adeò inter se, inquit, in quibusdam historiis discrepant scriptores, ut persepè eorum mentes maximè perturbent, qui rerum veritatem indagare student. Id autem discriminis nimirum evenit de Paliuro. Nam quæ huiusce stirpis à Diosc. traditur historia, omnino differt ab ea, quam diversis generibus protulit Theoph. Hæc autem non convenit cum ea, quam memoriæ prodidit Agathocles: neque huic illa correspondet, cuius Plutarch. est autor, & hæc à prædictis omnibus dissentire videtur. Paucis eius historiam perstrinxit Diosc. Quod nobis est impedimento, quominus verum Paliurum de qua ipse intellexit, cognoscere valeamus. Theoph. quoque plura Paliuri sunt genera. Quare cùm de Paliuro tot ac diversæ ferantur sententiæ & habeantur historię, facilè, inquit, Matth. crediderim, Paliurum esse nomen ad nationum placita variis ac diversis aculeatis stirpibus impositum: etsi Iosephus Salandius medicus apprimè doctus, & in stirpium historia non imperitus, dum Veneta classe in Græciam traiecisset, Diosc. Paliurum se vidisse pro certo affirmaverit, semine fuliginoso ac pingui: atque inibi proprium adhuc nomen retinere. Hæc ille.

Succus Paliuri pro vino. Matth. de Paliuro. Paliurus Diosc.

Bellonius scribit Paliurum Agathoclis descriptum à Theoph. provenire circa Sues in planitię Arabiæ desertæ. Quæ verò sit hæc Paliurus nondum nobis constat: existimassemus Nabcam, de qua mox, nisi ipse Bellon. separasset. Cordus apud Diosc. scribit variam esse apud autores Paliuri historiam, & in tanta varietate quicquam indicare temerarium fore: autores duplicem tradere, alteram arborescentem, alteram humiliorem. Quidam nihilominus temerarius apud Cordum annotat esse *Klein Stachel Vuicken*, foliis Vitic similibus. Nos intelligimus Tribulum terrestrem, exiguam herbulam, humi repentem. I nunc & Paliurum dicito. Nos verò ex prædictis satis patere arbitramur, plantam quam antea vocavimus Rhamnum sive Paliurum Iuiubinum, non malè ad Paliurum veterum reduci posse. Paliurum alios existimare Iuiubam sativam & sylvestrem postea demonstrabitur. Putatur etiam alia Nabca dicta folio Rhamni sicl Iuiubæ, esse Paliurus Athenæi, de qua paulò pòst. Quidam existimarunt Paliurum Theoph. fructu Cedri esse Grossulariam spinosam, ut vocant, de qua sub Vva crispa. Lycium Gallicum quidam vocant Paliurum.

Paliurus Agathoclis. Paliurus duplex Arborescens. Humilior. Iudicium autorum. Æquivoca Iuiuba sat. & sylv. Nabca. Grossularia Spinosa. Lycium Gallicum.

Agrifolium. Oxyacantha Matth. Mespilus Aronia. Oleaster Germ. Acacia. Iomarinus. sutum peregrinum 2. de quo postea. Agrifolium malè aliquibus pro Paliuro habitum fuit. Spinus albus sive Oxyacantha Matth. non est Paliurus, ut quidam volunt. Mespilus Aronia dicitur Ruellio Paliurus Africana, de qua egimus, l. 1. Paliuri etiam nomen videtur attributum Rhamno sive Oleastro Germanico, de quo antè. Acaciam putat Ruell. Paliuri Theoph. quoddam genus. Iomarinus an sit Paliurus dubitat Ruell. de quo inter Genistellas sub Nepa.

NABCA FOLIO RHAMNI vel Iujubæ.

CAP. XVI.



Descriptio. E Creta ab insigni medico & Botanico Honor. Bello missi rami, nomine *Oenopliæ*, quibus Cortex albus, folia qualia Iuiubis vel Rhamno 3. qui aliis Paliurus dicitur, trinerviis tantillû crenatis cum brevibus pediculis, & iuxta singulos Spinæ tenues, albæ. Flosculi racemosi similes jubinis. *Oenoplia. Folia. Spinæ. Flores.*

Fructus. Fructum verò Napecæ & Nabcę nomine ex Italia retulit I. Henr. Cherlerus. Is Prunum Cereum autumnale æquat, cortice ruso intectus, cui & caro subest concolor, saporis grati, aciduli: huic verò & ossiculum immergitur nucleatum. *Ossiculum.*

Arbor. Biferam arborem esse adnotat Alpinus, Loti magnitudine, Acaciæ instar Spinosam, foliis Iujubæ proximis, latioribus; floribus quoque qui Iuiubæ floribus planè sint similes, albis, parvis. Bello. ait, Oenopliæ seu Napecæ arbores ad Pyri nostræ magnitudinem exsurgere: fructu, Pomo sylvestri adeò consimili, ut pro altero alterum quis sumpserit, dulci, cum acore grato & suavi, nucleo intus, qualis est Olivæ. *Oenoplia. Sapor.*

Lubet & eiusdem Hon. Belli descriptionem ex citatione Clus. adscribere. Arbor est, inquit, Pyri mediocris altitudine, cuius caudicem & ramos tegit cortex exalbidus, ad cineraceum tendens: eius folia Paliuri Theoph. seu Ziziphi rutilæ foliorum sunt æmula, binas uncias longa, unam lata, tribus nervis à petiolo secundum longitudinem excurrentibus prædita, supernâ parte satura viriditate nitentia, infernâ ad cineraceum aliquantulum tendentia, quæ ramos alternis inordinata ambiunt: ad quorum exortum multi nascuntur flosculi albi, flosculorum Oleæ instar peculiaribus longis petiolis singuli nitentes. Fructus succedit, parvo Malo valdè similis, magnitudine ut plurimùm Cerasi, interdum tamen, Nucem Iuglandem etiam æquante, suavis gustus, ossiculum in se continens Olivæ instar. Bifera autem est: nam & novo Vere & Autumno singulis annis fructum profert. Vernalis tamen plerunque ad frugem non pervenit, ob imbrium copiam, & à vermibus corrumpitur. *Paliurus Theoph. sive Zizyphus rutila. Tempus.*

Differentiæ. Spinosa. Spinis carens. Duo eius genera, eodem teste: Spinosum unum, alterum Spinis carens. Spinosum ab Alpino describitur, qui Connarum Athen. (& rectè) esse censet, licet icon ipsius, arborem non rectè exprimat. Spinis carens, in Aegypto, Syriáque provenit: Nascitur & in Creta, in urbe Rhetimo, è Syria allatum, quod non noverat Alpinus, quemadmodum neque Hon. Bellus Spinosum. Quare diu fuit in ea sententia, ut non Connarus Athen. esset hæc arbor, sed potiùs Polybij Lotus Lybica, ab ipso Athen. eod. lib. paulò pòst descripta, cuius verba antea citavimus, præsertim cùm videret arborem Spinis carere, hancque suam sententiam Alpino significavit, à quo Oenopliæ ramum spinosum acceperat, quem, demptis spinis, eundem fuisse cum Napecâ à se descripta idem Bellus testatur. Ramos nos pulchros vidimus apud CLL. D.C. Bauh. & Iac. Zuingerum inter alias plures exoticas. D. Rauvolff quoque aliquando ad nos misit fructus hoc titulo Iujubarum alia species in Palestina frequens: sed hic fructus rotundus est, non longus, ut Iuiubæ vulgares. Alpinus quoque testatur bis in anno florere ac fructum ferre, sed Vere non perfectè maturum, at computrescere priùs quàm maturescat. At Autumno perfectissimum ac optimum evadere. Provenit Oenoplia seu Nabca, inquit, Bellon. frequens in Aegypto, Syria & Armenia, qua Græcia totaque Europa caret. Secundum eundem, omni tempore viret, quod tamen Hon. Bellus tantùm in Aegypto & Syria nascente, verum esse ait: in Cretam verò translata, falsum, teste experientia. Porrò utriúsque prædictarum arborum, tàm spinosæ quàm non spinosæ, historia est apud Serap. sub nomine Sadar, eodem censente, nec repugnante Alpino, sed more suo cum Loto Diosc. (à qua valdè differt) confundit. Is Sadar duas facit species, una est Afri, & alia est Ad hal: sed Afri non habet spinas acutas, utriúsque autem speciei folia sunt lata & rotunda: sed Nabach & Ad hal fructus sût parvi, præferûtur a huius provinciæ cæteris, & in regum mensas veniunt, quia dulcedine omnibus aliis præstant, sicut & odore, nam & aromaticam suavitatem in ore relinquunt, eandémque indumentis conciliant iuxta ea positis, sicut alia aromata. Reliqua quæ de Nabach [hoc est Loto] habet ex diversis autoribus, cap. de Loto recitata sunt. *Connarus Athen. Locus. Iuiubarum species. Sadar Serap. Serap. reprehe. Sadar duæ species.*

An Paliurus Veterum. An Connarum Agathoc. An Lybica Paliurus Theoph. Item an Paliurus & Afrorum Zura Plin. Item an Athen. Connarum Agathocli, qui & idem etiam Paliurum appellare videtur? Verba eorum, quòd adhuc dubij simus, antè adduximus, cùm de Paliuro ex Veterum placitis traderemus. Interim certiora perquirent posteri.

Oenoplia Græcorum. An Lotus Polybij. Bellon. vult esse Oenopliam Græcorum, à qua Paliurum Agathoclis apertè distinguit, lib. 2. obs. cap. 54. Considerandum an historia Loti Polybij apud Athen. quam antea sub Paliuro Connaro subiecimus huc referri possit.

Nabcam, dicit Alpinus, olim Aegyptiis idem fuisse cum Paliuro & Connaro Athenæi: tamen Connari fructum non videri omninò similem Nabcæ fructui ac ossi: séque etiam nusquam in Aegypto ex siccatis illis fructibus farinam fieri animadvertisse.

P. Martyr de rebus Oceani & noui orbis: Poma inquit illa, ut Præcocia Pruna, quæ ossata parva etiam & rubella, arbitror ego eius generis, qualia ipse comedi Aprili mense in Aegypti Alexandria: quorum arborem Iudæi indigenæ periti legis Mosææ, Cedrum Libani asseverant, ea sunt esui apta: dulcedinem leni quadam acrimonia mixtam habent, uti in Sorbis videmus. Loco Persicorum & Cerasorum, atque huiusmodi aliarum arborum incolæ in hortis arborem hanc plantant, & diligenti cura nutriunt, cùm peregrina sit. Ea est Ziziphæ arbori & altitudine & trunco etiam simillima. Et Rauvolff. Iuiubam albam vocat, Weissenbrustberlinbaum / quàm se vidisse ait inter Rama & Ioppe: primúmque existimasse, esse Paliurum nostrum, tertium genus Rhamni, ac tandem agnovisse errorem, similem, tamen esse Paliuro 2. cuius Theoph. meminit, l. 4. cap. 4. In Syria teste Bello, Nep seu Nap vocatur: ac in Creta proprio nomine caret.

Cedrus Libani. *Iuiuba alba.* *Nep Nap Syris.*

Vires & usus. Tempera.

Horum fructuum temperies, si Serapioni credimus id de Sadar suo ex diversis scribenti, est frigida & sicca in primo gradu: perfectè maturi aliquam habent humiditatem: sunt omnes astringentes, ante maturationem, quorum usus frequens est ad stomachi aluique relaxationem firmandam: ad quæ mala succum etiam ex ipsis immaturis expressum familiariter tum per os sumptum, tum clysteribus iniectum usurpant Aegyptij, teste Alpino. Ex iisdem quoque fructibus siccis in aqua maceratis fit infusio utilis ad intestinorum relaxationem & ulcera. Sed maturorum siccatorum decoctum aut infusio familiarissima est ad omnes pestiferas febres. Aiunt enim hos fructus miram aduersus venenosas qualitates & putredinem, efficaciam habere, córque strenuè roborare. Succus item perfectè maturorum optimus est ad purgandam bilem è ventriculo, & primis venarum ductibus. In omnibus etiam putridis febribus, infusione ex ipsis parata, libenter ad sedandum calorem utuntur. Esui summè iucundi existunt hi fructus, præcipuéque maturi: tamen parum nutriunt, faciléque, ut Cerasa, in stomacho corrumpuntur, si immoderatè ipsorum esui indulgeatur, stomachúsque offenditur. Apud primates tamen Aegyptios ac Turcas in deliciis sunt, & magno in pretio habentur.

Stomachi & alui relaxatio. *Vlcera intestinorum.* *Febres pestifera.* *Cardiaci. Purgat bilem. Febres putrida.* *Cibus. Noxa.*

ZIZIPHA SATIVA ET SYLVEST.

CAP. XVII.

Descriptio

QVÆ in officinis notas Iujubas fert, arbor est domestica, sed in fruticem spinosum facilè degenerans, teste Cæsalp. alioqui satis magna, stipite recto, in ramos plures brachiato, quibus in tenuibus surculis quasi pediculis adnascuntur alternatim folia, unciam aut sescunciam longa, semunciam aut unciam ferè lata, in obtusum mucronem desinentia, splendido vitore nitida, tribus secundum longitudinem decurrentibus nervis, per ambitum serrata: ad quorum ortum rami spinis horrent, aliis aduncis brevioribus, aliis rectis longioribus: (sed cùm senescit aculeis caret, inquit, Cæsalp.) eodémque loci flores, plures ferè simul emicant, pediculis brevissimis, ut ferè sessiles videantur, Ribes floribus persimiles, colore herbaceo, apiculis concolori-

Folia. *Spina.* *Flores.*



bus. Hosce fructus excipiunt forma & magnitudine Olivari, Corno crassiores, per maturitatem rubentes, vel, ut ait Cæsalp. ex pallido nigrescentes, quasi fumo infecti, pellicula crassiuscula pulpam subalbidam, mollem, fungosam melleę dulcedinis contegente, cui immergitur ossiculum oblongum, utrinque acutum, rugosum, in quo nucleus compressus, Lentis maioris instar, rufa pellicula tectus, sapore amaro.

Fructus. *Ossiculum.*

Cordus quoque singulari diligentia, hos fructus sic describit: Iujubæ quæ Græcis Zizipha nominatę ab Oriente in Europam invectæ, arboris Poma seu baccæ sunt: Corni baccis sanguineo & splendente foris colore, oblonga figura & singulari intus ligneóque semine similes, aliquantulum tamen maiores, & ad mediocris Pruni, aut Olivæ magnitudinem, accedentes, levi, molli, glutinosa gustúque dulci pulpa seu carne constantes: in medio singulare, ut dictum est, semen continétes, utrinq; acuminatum, foris duro ligno intus oblongo aliquantulum cópresso & rufo nucleo constans. Afferuntur ex Italia ad nos siccatæ, ideóque rugosæ. Iuiubæ minores, Plinio Tuberes appellatæ, colore, nitore, carne, molli lentore, sapore & nucleo maiores imitantur, iis tamen minores, nec oblongæ, sed rotundæ, atque similiter flaccidæ. Eligantur maiores ponderosiores, minùs flaccidæ, & pleniorem carnem habentes. Afferuntur hæ quoque ex Italia.

Iuiuba maiores. *Nucleus.* *Iuiuba minores. Tuberes Plin.* *Delectus.*

Iujuba sylvestris, teste Anguil. similis est Paliuro primo, quem folio Iujubino diximus, non solùm foliis, sed ramis & spinis. Frutex est altitudinis quatuor aut quinque cubitorum: cuius rami se terram versus contorquent ad formam semicirculi, spinis abundantes crassioribus, & similiter acutis, binis simul dispositis, modo prædicto.

Iuiuba sylvestris.

Folia disposita sunt ut in Sorbo. Fructus similes Iuiubis domesticis, nisi quòd multò minores, & similiores Cedro ferenti fructus minores, aut Lauri fructibus, qui, ubi maturuerint, rubent, & esui apti: non autem nuclei, qui ossei, ideóque reiiciuntur. Quibusdam in locis fructus hi in vinum immittuntur ut suavius reddatur. Reperiuntur in agris Veronensibus.

Folia. Fructus. *Vinum suavius reddit.*

Columella rutilam & albam Ziziphum inter probatas arbores, & apum pabulationibus commodas refert: postea tamen Ziziphi flores ait mel mediocris gustus reddere.

Ziziphus rutila & alba.

Plin. Zizipha & Tuberes retulit ad mala, quorum plura genera dicit, & mox subdit: Aequè peregrina sunt Ziziphū & Tuberes, quæ & ipsa non pridem venêre in Italiam, hæc ex Africa, illa ex Syria. Sext. Papinius, quem Consulem vidimus, primus utraque attulit, D. Augusti novissimis temporibus, in castrorum aggeribus sata, baccis similiora, [de Ziziphis id audiendum, non de Tuberibus Dal.] quàm Malis, sed aggeribus præcipuè decora, quoniam & in tecta iam sylvæ scandunt. Quibus utique postremis verbis insinuare vult,

Zizipha & Tuberes, Plin. Quo tempore Varr. rit Plin.

re vult, easdem iam suo tempore in privatorum hominum hortis abundè satas. Dixit porrò Plin. etiam zizipha alba & Cappadocia, de quibus sub Olea Germanica. Nondum liquidò patet, an de his Græci antiquiores prodiderint: sed mox specialiùs inquiremus.

An Serica Gal. Gal. verò Zizipharum meminit, ut dicetur in viribus. An Serica eidem? Ambegerunt sanè doctissimi viri. Et videtur eruditissimus Had. Iun. satis confidenter σηρικὰ Gal. & ζίζυφα Simeonis Sethi unum & idem pronunciare, quamvis alij plures, ante eum id fecerint, ut mox dicetur. Plin. sinè diversa statuisse videtur. Et quas Gal. Sericis attribuit vires, ziziphis optimè conveniunt. *An Connarus Athen. aut Lotus Polybij.* Apud Avic. legimus: De Iuiubis, id est, Sericis. Sed in hanc rem amplius perquirendum. Si verò quis consideret Connari, & Loti Polybij utrasque descriptiones, antea à nobis ex Athen. adductas, multa in iis deprehendet, quæ cum Iuiubis conveniunt. Ex posterioribus Græcis Actuar. & Simeon Sethi Ziziphorum meminére: Ille quidem Iulapij ex Ziziphis facti: hic verò vires habet: & ex iis præfert maiora, qualia Edissena dicit. *Edissena.* At scriptores Arabes hæc potissimùm in usu medico claros fecisse videntur. Ruell. conjectura se non posse assequi tradit, quemadmodum Græci Tuberes ipsa, appellent, nisi eas quis Serica vocari putet, parvi succi poma, ut tradit Galen. Idem ex Plinij & Colum. zizipho, & ex Sericis *Serica.* Galeni vnam histor. facit. Eadem quoque dicunt & faciunt Avic. Rhases & Averrhoes. Plinius item Valer. Paulus, Aetius quos omnes citat Cronemb.

Item Curtius, Gesn. Monach. Lonic. Vesalius, Amatus, Cæsalp. Lob. Costa, & alij. Dubitant verò Matth. Tragus, Camer. Dod. & nos, non tamen ut illud negemus. Meliùs inquirent posteri. Matth. Plinij Codicem, l.17.cap.14. ubi separat Tuberes à Ziziphis, depravatum putat, quòd nuspiam apud Colum. Tuberum mentionem fieri legerit. Suspicionem eius auxit, quòd inter Arabes Avic. & inter Græcos recentiores Simeon Sethi, duas ziziphi species scriptis mandaverint, & quòd tamen in Plinio una tantùm legatur ziziphus. Omnium verò maximum argumentum putat, in Plin. subesse mendum, & illi de ziziphis id ascribendum esse, quod de Tuberibus fortasse malè legatur. Verùm ex Palladio distinguente Zizipham à Tuberibus, satis apparet argumenta & suspicionem Matthioli contrarium sententis, parvi ac nullius esse *Matth. reprob.* momenti.

Sed Anguill. placita non contemnenda hoc loco nobis perpendenda. Antiqui, inquit ille, epist. *Paliurus. Connarus.* 3. varias habuere Paliuri species. Athen. meminit unius, dictę Connarus, multùm differentis ab omnibus reliquis, quam attribuit Agathocli, cuius descriptio aliter interpretanda quàm vulgò fit: Versionem correctiorem ex Græco, & Anguillaræ etiam consentientem supra dedimus. Ait tamen idem, Paliurum nunc sibi incognitum, nisi *Iuiuba.* dicamus esse Iujubas, modò vox στρογγύλον vertatur longus cum rotunditate, id est, ovali figura, quemadmodum ad genuinum sensum is vertendum cēset, Theoph. quoque duorum Paliurorum meminit, quorum unus familiaris erat suæ regioni, alter peregrinus de quibus suprà. Vtrumque genus sibi notum dicit Anguillar. Ac priorem quidem esse Rhamnum 3. Dioscor. de qua re suprà plus satis: Alterum verò sive Africanum esse *Iuiuba sylv. Pyrena quid Theophrast.* Iujubam sylv. Ex Plin. quidem oriri dubium de hac sententia: sed censendum esse Plinium errasse. Theoph. per vocabulum πυρῆνα semper intelligere nucleos, qui intra se contineant semen duros ut ossa, ut sint nuclei sive ossa Cerasorum, Olivarum, Persicorum, Prunorum. Quam vocem Plinius, qui refert omnia quæ dixerat Theophrast. nucleum interpretatus est, & rectè. Idem Anguil. credit textum Theoph. corruptum *Theophr. correct. & alluctr.* esse, cùm ait, os Paliuri simile esse Malorum Punicorum ossi, cùm Mala Punica nullum os habeant, sed solùm grana illa quæ à Theoph. dicuntur κόκκος: ac sic conveniret cum Plin. dicente: Non comeditur cum nucleo, omittens Malum Punicum, ut verba suo tempore nondum inserta in Theoph. textum. Verùm in iis quæ sequuntur apparet eum malè intellexisse Theophrastum, ut videre poterunt legentes. Fortè meliùs legeretur, si apud Theoph. pro Malo Punico reponeretur alius fructus nucleum habens. Concludens denique Anguil. Si [inquit] in Italia ostendi potest Paliurus Africanus, nescio quid meliùs ei conveniat quàm Iuiubæ sylvestres. Eiusdem opinionis, & Guilandinum ipsum fuisse intelleximus.

Idem Anguil. seq. epist. Existimo, inquit, nullum errorem commissurum eum qui, dicet, Lotum ab Athen. descriptam, esse eam quam dicit Theoph. in Pharide provenire, quandoquidem paucæ eæ notæ, quas Theoph. suæ tribuit, ascriptæ sunt ab Athen. suę, quam describit ex sententia Polybij. Verba Athenæi ostendunt, Lotum *Lotus Polybij. Lotus Pharidis.* Pharidis non esse differentem ab hac Loto, quoniam Lotus ossea Plinij nihil aliud est, quàm Pireus Pharidis Theophr. Sed Lotus Athen. est Lotus ossea Plinij. Hoc esse verum ostendit Plin. dicens: Ex Loto ossea vinum exquiri simile mulso, quod ultra denos dies negat durare, ut etiam ait Athen. Videatur Athen. ipse. Lotum Osseam esse Pireum Theoph. negari non potest, cum eadem sint verba quæ Plinij, sed advertendum Athenæum sibi contradicere in foliorum descriptione, ut pote qui sic habet, ἔχει δὲ φύλλα χλωρὰ παραπλήσια τῷ ῥάμνῳ μικρὸν βαθύτερα καὶ πλατύτερα: quæ verba sic transfert Anguil. Lotus folia habet viridia similia Rhamno, parva, longiora & latiora. Sed folia parva, & lata, & longa, videntur res contrariæ. Sic ille, qui nobis quidem nodum in scirpo quærere videtur. Quasi verò non aliquid possit esse parvum simpliciter & in se consideratum, & tamen longius & latius, collatum cum alio minori. Dura tamen, ut ingenuè fateamur locutio Athenæi, [quamvis non aperta contradictio, ut Anguil. censet] eam autem tolli posse existimat, si dicamus: Folia Loti parva, viridia, similia Rhamno, sed longiora & latiora: quæ versio cum Dalech. ferè incidit. Ac ita fortè intellexit Athenæus. Denique addit Anguil. suo iudicio non erraturum eum, qui hanc plantam dicet esse Iuiubas [*Giuggiole*] domesticas. Hæc ille. Quoad nos maiori *Iuiuba domestica.* ex parte Anguillaræ sententiæ subscribimus. Inclinat enim multùm animus Theoph. sub Loto, *Autorum sidetium opinione Anguil.* & Plinium sub ossea Loto, de Loto Athenæi locutos, ac Lotum Athen. esse Iuiubas. Verùm non videtur nobis eo loco distinguendum, quo distinguit Anguil.

Quæ autem Theophrastus scripsit de Loto arbore, à nobis transcripta sunt lib.2. sub titulo Loti *Loti Theophrast.* arboris fructu Cerasi, quæ si quis consideret, iuxta interpretationem Anguillaræ, tria ibi videntur tradi Loti genera, & præterea Paliuri duo. Primam diximus dicto libro, Lotum fructu Cerasi: Secunda est Lotus Pharidis, quam Angvillara *Lotus Pharidis.* eandem cum Loto Polybij putat sive Iuiubis. Tertia erit, quam Theoph. post Paliurum de-

scribit dicens: Referunt quidam Lotū, &c. ea sanè cum Iuiubis videtur convenire. Paliurum autem Theoph. secundum fructu Cedri, Anguillara existimat esse Iuiubas sylv. Si liceat fateri verum, obscuriora & breviora videntur, quæ Theophrast. Plin. & Athenæus scripsere de his plantis. Dalech. Lotum Polybij apud Athenæum aliter quàm Anguillara eâdem existimat cum Dioscoride, lectionem tamen non parum mutat, ut suam tueatur sententiam. Ex Anguillara per μείζονα intelligit μακρότερον, longius. Nos diximus fortè interpretandum esse paulò amplius, aut maius. Quid præterea præcedentibus verbis intelligat Anguil. per Pireum Pharidis Theophrasti, considerandum. Pirei vocabulum non invenimus apud Theophrastum. Voluit fortasse scribere Pyrinus, sed non recordatus se pro πυρινῷ, restituere πρῶτον, & convertere Ital. *Il Primo*. Hęc & alia faciunt, ut nihil adhuc asserere audeamus, ne quid temerè pronuntiare videamur, iam dictis non bene intellectis. Vocabulum præterea Rhamni æquivocum videtur, nescimus an Athenæus de Rhamno Theoph. & Diosc. nigro & albo intelligat: si intelligit, Iuiubæ non convenit: Si Paliurum intelligit, quem Theoph. comparat Loto: cur non potiùs Theophrast. voce usus, quàm voce Rhamni, quæ apud Dioscor. suppositititia existimatur? Pro Rhamno tertio Dalech. censet legendum πρῖνον, Ilicis.

Rhamni vox æquivoca.

Ab Anguillaræ sententia non alienus fuit Gesn. ubi ait: non desunt qui veteribus etiā Græcis hanc arborem [nempe Ziziphum] cognitam fuisse putent & ad Lotum quam Theoph. in Pharide insula Lotophagorum nasci tradit, referendam. Optimè sanè convenire videtur arbori quam Athen. Loti Polybij nomine describit ex eiusdem histor. l. 12. Quin & Guiland. Paliurum, inquit, Africanum Theoph. Iuiubam esse non dubito.

Lotus Pharidis Theophrast.

Paliurus Africanus.

Iuiubam parciùs autorum præconiis inclaruisse mirum, quum Homero antiquissimo Poëtæ ante annos ter mille Loti nomine sit celebrata. Sic & Alpinus mirum non esse ait aliquos etiam viros doctissimos Iuiubam Paliurum esse voluisse. Et Dod. in Hist. Gal. Si quis, inquit, expendat quæ Theoph. de Paliuro tradit l. 4. c. 4. comperiet alteram esse Iuiubam sylvestrem.

Cæsalp. quoque non parum negotij nobis facessit in hac historia. Is quippe de suo Tubere scribens (quem nos Azadaracheni vocamus) ait habere fructum Sericorum ferè amplitudine, Iuiubas intelligens. Postea, inquit: Plinius Tuberes candidos vocat cum Sericis affines & cum ziziphis: omnia peregrina in Italia, baccis similiora quàm Malis. Colum. Zizipha videtur appellasse, quos Plin. Tuberes, cùm similiter scribat eorum duo genera, rutilum & album. Nos verò, contra opinionem Cæsalpini, diversos putamus fructus, ut annotatum l. 2. c. de Persicis, ad quorum genus referimus Tuberes. Præterea, non concedimus Cæsalpino, Plinium dicere, Tuberes esse baccas: peregrina quidem dicit Zizipha & Tuberes, verùm de Ziziphis tantùm dicit, baccas esse. Scribit præterea Cæsalp. Serapionem Iuiubas putare esse apud Gal. Serica: Plinium distinguere Zizipha à Sericis, quæ difficile sit nostris Iuiubis aptare. Quid si [addit idem] Paliurum apud eundē Plin. & apud Diosc. asseramus esse nostram Iuiubam: Quid si & Theoph. eandem intellexisse dicamus cùm de Paliuro scribit, ἐν λοβῷ τινὶ τὸν καρπὸν ἔχει, καθάπερ τὸ φύλλον? quem locum Gaza convertens, abstulit illam vocem, sicut folium. At verbum

Tuberes.

Cæsalp. opinio refellitur.

λοβὸς significat etiam extremitates quascunque, ut extremas auriculas & pulmonum fibras. Fert igitur Paliurus in extremis ramis tenues quasdam virgulas in quibus fructum & folia: immò unicum folium videtur communi pediculo tres aut quatuor fructus continens, ut inquit, Theophrast. quibus medici ad tussim contusis utuntur. Quod autem de foliis scribit in extremo & lateribus sinuata considere, ut in Rubo & plerisque aliis, accipiendum est de integris virgulis, tanquam foliorum pediculis, quarum gratia alibi testatur Paliuri folia reddi spinosa ut Rubi: eius fructum oblongum esse idem testatus est in Acere.

Alium porrò describit Paliurum in Africa nascentem, Loto magis fruticosum, folio similem nostrati [τῷ ἐν πόντῳ] Paliuro: cuius etiam meminit Plin. in Cyrenaica regione Loto antecellere, &c. Ex quibus colligitur Paliurum fructum ferre nucleum continentem, nostratem autem ab Africano differre figura & colore: non enim in acutum turbinatur, sed æqualem amplitudinem servat per totam longitudinem fructus. Gaza tamen vocem στρογγύλον, non turbinatum vertit, sed rotundum. Quamvis habeamus Iuiubam sylv. fructu non rotundo, sed in latitudinem depresso.

Hactenus Cæsalp. qui per Iuiubam sylvestrem intelligit Rhamnum, quem diximus folio Iuiubino, qui sanè bene respondere videtur Paliuro primo Theophrasti, non autem Iuiubæ, quomodocunque Cæsalpinus Theoph. verba interpretetur.

Ziziphа, Græcis ζίζυφα ζίζυφα, ζίζυφα, tot enim modis scriptum invenimus: & ζίζυφα in nostro Simeone Sethi, nisi sit mendum. *Iuiubæ* usu. Galeno, ut quidam volunt Σηρικά, *Serica*. *Iuiubæ rubra* Bellon, *rutila* Colum. *Ziziphus punicea* Hist. Lugd. *Ziziphus rubra* Camer. *Ziziphus rutilus* Clus. Lob. teste ζίζυφα, Græcorum: *Iuiubæ Arabum*, *Paliurus Africana* Theoph. *Lotus* 2. *Polyb.* *Cratægus* fortè Theoph. Arabicè, ut in Serap. *Hunen* & *Zufaizef*, quasi Zizipha. Invenimus pro Arabica nomenclatura vanè notari *zufalzez*, *zufalzes Hanen*, *Hanab*, *Hunen. Anep.* Germ. Brustbeerlin. Vocantur & Rote Brustbeerlin. Gal. *Iuiubes*. Narb. seu ling. Gottica. *Gindulier*, & *Gvindoles*. Belg. *Iuiuben*. Ital. *Giuggiole*. Hisp. *Azufeifa*, *Azofeifa* vel ut alij scribunt *Azofeifo*. Lusit. *Maçaas da Nafega* iidem Arabica lingua *pomum ab Alnasegua* vocant, teste Amato.

Synonyma ling.

An Cratægus Theophrast.

Camer. pro sativa & sylv. duas apposuit pulchras figuras. Tantò ineptior Tragi. Nec mirum: quippe qui fateatur se arborem non vidisse; sed LONICERI figura penitus inepta & falsa. Pro Iuiubis Dorsth. quoque malam iconem habet, fructuum Rosarum sylvestrium. Nascitur in Lemno insula, in Syriæ planitie inter Damascum & Libani montem. Bellon. Qui alio loco dicit, ad Iordanem fluvium allatas venales Iuiubas, tàm albas quàm rubras, cum Ficubus, Vvis &c. Gaudet solo, & cœlo calidiori, aut certè temperato: in Hispaniæ, Italiæ & Galliæ Narbon. hortis colitur. Clus. scribit nunquam spontè nascentem à se visam. Colunt & Lugduni & Genevæ, ac Lugduni quoque fructus fert. A multis iam annis tibiæ crassitudinis arborem & alias parvas colimus in horto E. C. Montbelgardico, ex Gallia Narbonensi & Lugduno allatas: sed hyeme magna cura reponuntur: quotannis ferè florent, sed admodum tardè & vix ante Augustum: unde subsequentes pluviæ frigidæ cum floribus fructuum etiam primordia decutiunt. Sylvestres etiam frequentes Monspelij occurrunt

Icon.

Lonicerus reprehend. Dorsthen. etiam.

Locus.

occurrunt, valdè spinosa, & in nonnullis campis Italiæ. Monspelij florent Maio & Iunio. In illis ramuli quorum folia hyeme sæpè decidunt, in nostris verò, id ferè quotannis: sed subinde noua recrescunt. Ita in eodem ferè statu permanent iam à pluribus annis.

Tempus.

Fructus leguntur autumno, vel pòst, unà cum surculis, & in manipulos colligati post aliquot dierum insolationem laquearibus suspenduntur. Postremò decerpta in capsulas reponuntur ad medicos usus. Sunt etiam qui decerpta Zizipha, & cratibus tegetibúsque instrata, tàm diu insolant, quousque rugosa ibidem fiant. Zizypha, inquit Palladius collecta matura in longo vase fictili seruantur oblito, & loco ficciore composito, vel recenter lecta poma, si guttis vini veteris perfundas, efficitur, ne ea rugarum deformet attractio. Seruantur etiam decisa cum ramis suis, aut fronde sua inuoluta, atque suspensa. Diutiùs conseruantur, promittentibus Græcis, si in vinum mulsum coniiciantur, interstratis vicissim arundinum folijs.

Repositio. *Ne fiant rugosa.* *Vt diutius conseruentur.*

Locis calidis Aprili mense, præcipiente eodem Pallad. Ziziphum conseremus; frigidis verò Maio, vel Iunio. Amat loca calida, aprica. Seritur ossibus, & stipite & planta. Crescit tardissimè. Sed si plantam ponis, Martio magis in terra molli: si ossibus feras, in scrobe palmari, ita ut terna grana per scrobem cacuminibus ponantur inversis. Quibus in imo & in summo affundatur lætamen, & cinis, & herbis adnascentibus manu planta liberetur erumpens. Cùm pollicis soliditati similis fuerit, transferatur in locum pastinatum, vel in scrobem. Terram diligit non nimis lætam, sed proximam tenui atque ieiunæ. Per hyemem prodest illi, ut circa codicem lapidum cumulus aggeratur, qui æstate debet auferri.

Locus. *Cultus.*

Si arbor hæc tristis est, ferrea strigili subrasa hilarior fiet, vel, si fimum bubulum radicibus modicè & frequenter affundas. Plantatur etiam è ramis è media arbore acceptis, sicut Didymus in Georgicis suis tradit.

Vt hilarior fiat.

Serica [quæ plerique, uti dictum, Iuiubas putant] non ausim affirmare, inquit Gal. quicquam ad sanitatis tutelam, aut morborum profligationem pertinere. Mulierum enim atque infantium effrænatorum est edulium, quod exigui est alimenti, & concoctu difficilis: & præterquam quod stomachum non iuuat, paucum etiam alimentum corpori exhibet. Etsi verò Iuiubæ Galeni tempore, in usu medico fortè non fuerint [si modò ex per Serica intelligendæ] à posterioribus tamen Græcis, maximè Actuario, Aetio, Simeone Sethi, & alijs in usum medicum vocatæ sunt, nec erat cur hîc Fuchsius inveheretur in Arabes, maximè, cùm ipsemet Sericum Galeni pro Iuiubis habeat, dicens omnia quæ de Ziziphorum viribus literis mandarunt Arabes, falsa esse: nec videns interim, se non modò Arabes scriptores, sed Græcos recentiores, & posteriores medicos omnes, immò etiam seipsum damnare, ut facilè patebit ex ijs quæ mox dicentur. ACTVAR. quippe tradit Oxysacchar, vel ut alij vertunt Iulepum è Ziziphis conferre ad ardentem febrem, purgare sanguinem, & tussi, ac ex calore destillationi, succurrere. Zizipha, inquit Sim. Sethi, communem sum quendam [συμμετρίαν quandam] habent humiditatis & caliditatis. Proprietatem verò sedandi sanguinis acredinem. Bonum etenim succum gignunt, & evacuant quod serosum est in sanguine. Facit ad tusses eorum decoctum, & ad spirandi difficultates, pectúsque & renes ac vesicam. Meliora sunt quidem Zizypha quæ maiora, qualia sunt Edissena. Sedant etenim hæ acrium humorum vomitum: verùm difficilis sunt concoctionis & Lieni officiunt. Quamobrem satiùs est eorum uti decocto. Arabes etiam [annotat Tragus] in Zizyphi facultatibus commemorandis nequaquam consentiunt. Serapio siquidem unà cùm Rhase Iuiubas calidas & humidas esse dicit. Contra Averrhoes frigidas & humidas pronunciat. Cæterùm potest is fructus pectoris vitijs adhiberi. Ad asperitatem arteriæ & asperam tussim Iuiubæ prosunt. Ex his officinæ potiones, Electuaria & alias confectiones parant. Serapio ex autoritate Aben Meluæi acuitatem cholerici sanguinis extinguere tradit. Pueris exhibentur in exanthematibus, & aliàs ad Erysipelas: in pleuritide, ardore urinæ, ulceribus renum & vesicæ usurpantur.

Vires & usus. *Fuchs. falsò criminatur Arabes.* *Febris ardens.* *Tussis.* *Catarrhus calidus.* *Sanguinē attēperant.* *Notā.* *Asperitas arteriæ.* *Exanthemata.* *Pleuritis.*

Sed antequam Auicennam, quem Fusch. nominetenus carpit, audiamus, ipsiusmet Fuchsii verba de viribus recensenda. Iuiubæ, inquit, fructus, Myxarijs affinis facultate: nam calidus humidus primo gradu, atq; etiã pulmonarius. Ad fluxiones calidas, acres, tenues in pectus saluber. Vt alimentum verò à Galeno damnantur. Quem locum Auicen. & Sauonarola citant in suis Iuiubis. Cæterùm eandem sententiam ex ipso Galeno sumptam reddidit Avicenn. cui tantùm illud addidit, quòd ea ad pectoris & pulmonis vitia conferant, & quòd quidam (ut aiunt) cùm maximè renum, tùm etiam vesicæ affectibus prodesse censeant. Verùm ex ea occasione, quòd Gal. ait nullam se invenisse in Sericis facultatem ad corporum affectus curandos, Fuchsius in Avicennam quiritatur, & cæteros Arabes. Sed an id iuvandi, an contradicendi studio, lectorum iudicium esto.

Nicol. sanè Alexandrinus Zizipha passim suis medicamentis pectoralibus admiscet, præsertim vbi ex calidorum humorum influxu morbus emerserit: item inter ea quæ bilem deijciunt. Ideóque nihil mirum, ut inquit Matth. si ad hæc omnia præstare Zizipha tradiderit Avicenn. Suo enim lentore, ac sua, qua ægrè permeant, crassitie, sanguinem condensant, qui flavæ bilis redundantia tenuior, quàm par sit, redditur. Vt non malè tàm à citatis Græcis, quàm ab Arabibus in pulmonicis affectibus commendentur, & etiamnum hodie magno multorum cum solatio usurpentur Syrupi specie, in quem concinnata, Iuiubino nomen & famam dederunt.

Cæterùm hallucinari eos censet Matth. qui Ziziphis sanguinem expurgari ac abstergi contendunt, quique ea ijs commiscent medicamentis, quæ pectoris affectibus à frigiditate obortis parari solent, ut recentiorum nonnulli, qui Ziziphis, nulla habita eorum ratione, ad quodvis pectoris vitium indifferenter utuntur, & plerumque cum magno ægrotantium discrimine.

Matth. ipse hallucinatur.

Nos verò non possumus Matthiolo assentiri, statuenti ex usu Iuiubarum magnum creari ægrotis detrimentum in affectibus pectoris à frigiditate obortis: sunt enim dulces, nec ullam habent manifestam frigiditatem: quinimò tribuitur eis caliditas in primo gradu: quapropter in eiusmodi affectibus à causa frigida Syrupus Iuiubinus omninò videtur concedendus; &, si fortè denegandus, non propter Iuiubas, sed ob alia frigida admixta.

In Syr. Iuiubino Mesuæ, pro Iuiubarum lib. x. legendum numero LX. & non mutandum aquæ pondus, uti fecit Manardus, notantibus Monachis. Restat ut de Ziziphorum facultate Palladæ

Error in Syr. Iuiub.

Græci Poëtæ iudicium inaudiamus. Fatetur is se vim egregiam in iis invenisse: quippe qui, cùm Quartana laboraret, & Zizipha inspexisset, subitò se convaluisse asserat, & Croto factum: cuius rei testimonium perpetuum hoc epigrammate extare voluit:

Experimentum in Quartana

ἐκ ἀλόγου ἐν ζιζύφοις δύναμιν τινα θεῖαν
ἴδ' ἰσχυρόν. χθὲς γὰρ ζίζυφον ἐν χερσὶ
[illegible]
καὶ γέγονα ταχέως ἐκ κρατερῶς ὑγιής.

Miram sanè verò ac verè Diuinam Ziziphorum vim, si his & hoc modo iis Quartanæ cura adscribenda. Non tacendum tamen, notante Curtio, in quibusdam exempl. legi *ἐλύμους*, cuius vocis explicationem, ne ex tripode quidem petas.

BER INDICA FRVCTV IVIVBINO.

CAP. XVIII.

Descriptio



BER Indis dicta, autore Acosta magna est arbor, multis foliis & floribus prædita & copioso fructu, folia minùs rotunda sunt Mali foliis, tametsi ea æmulentur, supernè saturatè virent, internè candicant & pubescunt uti Salviæ folia gustu adstringente, Flores exigui, candidi, quinque foliolis constantes, inodori: Fructus Iuiubis seu Ziziphis similes, alij aliis maiores & suaviores, nunquam verò tam probè maturescentes, ut conservari queant, & in alias regiones transferri, uti Zizipha, & perpetuò nonnihil astrictionis retinentes: unde colligitur minimè pectori utiles esse, quemadm. Zizipha. Præferuntur fructus in Malaca nati Malabaricis: sed iis adhuc præstantiores quos Balaguate profert. Conspicitur hæc arbor æstate alatis formicis perpetuò onusta, quæ in ramis eius Laccam elaborant. Garcias præter ista ait eum fructum, qui in Anafegua provenit, commodè exsiccari posse. Arborem verò nonnihil spinosam esse. Allatumq; sibi ramulum ab arbore Berifera revulsum, cui multa inhæserit Lacca.

Folia. *Flores.* *Fructus.* *Delectus.* *Lacca.*

Vocatur hic fructus in Canara *Bor*, in Decan *Ber*, in Malayo *Vidaras*.

Arbor Berifera. *Nomina.*

Hist. Lugd. *Mala Indica* Acostę vocat, Lusitani *Mançanas de la India* est, *Mala Indica*. Cùm aliis esui aptis Malis careant in prædictis insulis ac provinciis, commendantur hi fructus apud eos.

Vires.

LACCA.

CAP. XIX.

CVM Lacca in arbore prædicta, tanquam loco natali gignatur, vel sanè tanquam in horreo



à formicis congeratur, meritò ea hic dicenda.

Lacca gummi, ut in officinis habetur, concretione bacillis pertinaciter circumnata adhærescit, superficie inæquali, rugosa & velutì granulata, pellucida, colore rufo, flavo, aut ex rubro nigricante, intus cavernosa, nescio quid nigri friabilis substantię in antris continens, sapore nullo evidente, sputū colore rubro tingit, qui longè apparet floridior, si cum aqua misceatur. Prunis imposita bullat primùm, levem odorem resinosum spirans, tandemque flammescit. Videtur ea bacillis, corticem ferè secum rapit & canaliculata qua adhæsit, apparet. Bacilli duarum triumve unciarum aut longiores cortice teguntur satis crasso, melino ferè: materies ut coryli, sed medulla copiosiore farcta.

Descriptio Laccæ Offic. *Tinctura.* *Bacilli quales.*

Reliqua historia tota incerta quodammodo est, vel ipso Garcia teste, qui de ea in hunc modum scribit. Quidnam sit Lacca, quomodo pararetur, & ubinam gigneretur diu dubitavi. Nam affirmabant nonnulli in Pegu flumina exundare atque alveum suum superare solere: aqua deinde defluente, in lutum quod remaneret baculos ab incolis infigi, in quibus prægrandes formicæ nascerentur alatæ, quæ multam Laccam accumularent.

De Laccæ generatione diversa narrationes. *Formicæ alatæ.*

Verùm hi non oculati testes ex fama vulgari narrarunt. Apprimè curiosus diligensque vir, qui istic fuerat, ubi Lacca colligitur eidem retulit vastam arborem inveniri in Pegu & Martaban, foliis quodammodo Pruni, in cuius surculis & minutioribus ramis magnæ formicæ in terræ visceribus aliisque locis enatæ, hanc Laccam elaborarent (ut apes mel conficiunt) materiam ex ipsa arbore exsugentes. Hos deinde ramulos ab arbore revelli atque umbra siccari, donec deciderent ramuli, Lacca autem ipsa velut in tubulos concreta maneret: interdum tamen ligni fragmenta inhærere: at meliorem censeri, quæ sincera esset, ligniique fragmentorum expers: eam verò, cui inhærerent fragmenta, deteriorē. Inveniri etiam sordidam & minimè sinceram, quam postea colliquarent, & in pollinem reducerent, eamque viliorem censeri, quoniam multam terram admixtam haberet. Deinde negotium dedit idem Garcias quibusdam qui in Pegu profecturi erant, ut, an ita se res haberet, diligenter perquirerent: sed ij retulerunt verissima eum dixisse. Idem postea verum esse didicit in Balaguate profectus. Allatus quoque eidem ramulus ab arbore Berifera revulsus, cui multa inhærebat Lacca. Sed quoniam exigua admodum quantitate provenit, ibi negligi ait. Ibi tamen se vidisse in arboribus, affirmasse testatur. Formicas autem hanc Laccam elaborare inde manifestum putat Garcias, quòd plerumque alæ formicarum Laccæ permistæ conspiciantur. Præmansam autem

Vasta arbor Pruni foliis. *Delectus.* *Arbor Berifera.*

Digitized by Google

rem hanc Laccam pulcherrimo rubro colore inficere quę sit deligendi ratio. Non esse autem eam arborem, in qua Lacca elaboratur, Myrto similem aut facie aut magnitudine, ut aliqui volunt, sed interdum in Nucis Iuglandis magnitudinem excrescere, interdum minorem esse.

Myrto non similis.

Porrò, quod ex Formicarum alis coniecturam desumit Garcias, eas esse Laccæ opifices, id nobis nondum manifestum, nisi diversorum relationi quantum par est tribueremus. Facilè enim Laccæ primò ex arbore Berifera exsudanti adhærere possunt formicæ multis arboribus infestæ. Cum succino sanè varia animalcula reperiuntur, ut muscæ, culices, &c. in cuius substantia aliquot eiusmodi bestiolas non semel vidimus, ut miraculo insertas dixisses. Quid si modò exsudantis succi, & fortè aliquid dulcoris habentis (ut ex fructu eius Iujubino coniectamur) amasiæ formicæ, eique inhiantes accurrant, & ita adhæreant? Nec bacillis aggerere liquorem fluidum & resinosum posse formicas, atque ob id ad hanc rem ineptiores esse, fortè morosior aliquis investigator dixerit, ita ut citiùs credat, ex ipsamet arbore, vel eius ramis & surculis statis temporibus exsudare illum liquorem, & demum Solis vi in eam formam, quam videmus, concrescere. Non tamen quicquam derogatum volumus, relationi suprascriptorum: consideranda tamen hæc proponere voluimus, donec peritus & αὐτόπτης aliquis testis totam rei historiam declaret.

Autorum iudicium de Laccæ generatione.

Sed quid Arabes dicant audiamus. Ita enim Bellunensis apud Avic. habet. De Lacca, id est, Cancamo, Laccam quidam dixerunt, inter quos est Paulus, esse gummi herbæ, simile Myrrhæ, boni odoris: sed cum cautione administrandum. Alij verò errantes dixerunt esse Karabe, quanquam in plærisque proprietatibus cum ea conveniat. Serapio itidem ex sententia Diosc. & Athabaric (quem quidam Paulum putant) scribit esse gummi arboris in Arabia nascentis, Myrrham quadantenus referens. Deinde ex sententia Rhasis, in ramos Sorbi, quam ipse Guberam vocat, è cœlo delabi tradit. Postremò, Lacca, inquit Isaac apud eundem, res quædam est rubea quæ tenuib. lignorum surculis inhæret. Coquitur hæc, & ex ea panni rubeo colore inficiūtur, quam infecturam Chermes appellant. Cæterùm Lacca ex Armenia defertur. Hactenus Serap. Ita ludūt Arabes nostrā diligentiā, & rarò doctiores sæpissimè a. magis cōfusi ac hæsitabūdi, ab iis redimus. Verùm, quoniā Diosc. Cancamum Laccam esse putavit Serapio, ex ipso satis prodit, sibi Laccam incognitam fuisse.

Cancamū. *Karabe.* *Serapio.* *Sorbus.* *Chermes.*

Garcias, cui Lacca à Cancamo diversa est: nec Avicenn. nec Serapioni, imò nec ulli Græcorum cognitam fuisse asserit. Laccam autem in Arabia non nasci palàm esse dicit, quoniam in Arabiam ex India deportetur. Similiter nec in Sorbi ramos delabi, neque etiam Mespili, ut nonnulli perperam verterunt, cùm nulli sint per universam Indiam Sorbi aut Mespili. Sed nec in Armenia nascitur, nec etiam est Chermes Arabum, cùm id nihil aliud sit, quàm Coccum infectorium Græcorum. Sed neque Myrrhæ similis est Lacca, ut volunt Arabes, quoniam hæc in extimis ramis elaborata hæret: Myrrha verò ex ipso arboris trunco exstillat, neque item odorata veluti Myrrha est.

Lacca Arabibus & Græcis incognita. *Chermes nō est.*

Quidam, inquit MATTH. pro Cancamo gummi quoddam rufum ac pellucens ostendunt, quod surculos incognitæ arboris undique circumvestit, Myrrhæ quadamtenus simile. Veruntamen quòd nulla (ut Diosc. inquit) in eo manso saporis virositas deprehendatur, alij id potiùs mentiri, quàm esse legitimum Cancamum volunt. Quantum etiam hallucinentur Monachi, qui in Mesuen scripserunt, sanguinem draconis vulgò vocatum Cancami loco substituentes, suo dicetur loco.

Cancamū. *Monachorum error.*

AMATVS scribit in errore versari eos, qui Cancamum Laccam esse putant: Laccam enim non esse gummi aut plantæ alicuius guttam, ut huc vsque omnes ferè crediderint, sed potiùs formicarum alatarum stercus, fabagóve, velut cera apum. Quod si ita sit, cur non simile aut ἀνάλογόν quid observatur in nostris? nam multas arbores vastant, etiam glutinosi succi, ex quibus pastæ tale quiddam excernere possent. Ita in rebus nobis nec cognitis, propè nec visis, velitamur potiùs, quàm veritatis vadum teneamus. Cæterùm, quam officinæ Laccam vocant, eam, teste Garcia, Arabes, Persæ & Turcæ *Loc Sumutri*, quasi dicas Laccam è Samatra, nuncupant: non quòd Samatra sit provinciæ Pegu, vbi plurima Lacca nascitur, finitima: sed quòd Arabes & alij iam memorati in Samatra gigni putarent. Idem nomen etiam invaluit apud provinciarum Balaguate, Bengala, & Malanar incolas, quoniam à Mauritanis sic edocti fuerunt. Legitimum tamen earum provinciarum nomen est *Lac*: in Pegu verò & Mattaban, ubi præstantissima est, *Trec*, atque istuc è *Iamay* adferri tradunt. Non vocatur *Aec*, aut *Ancusfal*, ut Pandectar, c.13. corrupto nomine appellavit: neque *Sac*, ut apud Serap. lib. simpl. c.181. corruptè legitur. Cæterùm cùm ab ipsis incolis, apud quos plurima nascitur, *Trec* vocetur, mirabitur aliquis, cur nomen *Loc*, *Lac*, aut *Luc* invenerit. Sed hanc fuisse causam conijcit Garcias, quòd hoc medicamentum in *Loc* sive Mellis crassitiem dissolveretur, cùm ad inficiendum, tùm ut eius usus esset in medicina. Quod autem Bellunensis *Luc* verterit, fieri potest eum ita in veteri exemplari invenisse. Attamen nunc omnibus Arabibus *Loc-Sumatri* dicitur.

Amatil Lacca non est gummi Formicarū stercus. *Nomina.* *Loc Sumatri.* *Lac.* *Trec.* *Aec.* *Sac.* *Serap. & mend.* *Loc.*

Vulgari sermone quidam in Italia appellant *Lacca*: quidam diminutivè *Lacherta*. In Germ. non nullis officinis institorum *Leguns* vocari audivimus. Eius duo genera facit Matth. [quæ tantùm bonitate differre opinatur] præstantius, vulgò *Lacca Sumetri*: deterius eidem *Lacca comberti* dictū.

Generā duo. *Loc Sumatri.*

Acosta imitatus Garciam sic de ea scribit. Lacca, Arabicè, Persicè, Turcicè, *Loc Sumatri*, quasi dicerent Lacca ex Sumatra, non quòd in Samatra inveniatur. Quidam enim existimant eam fieri in fluvijs Pegu: verùm res ita se habet: Quædam formicæ alatæ eam præparant supra magnas arbores. Veniunt in Hispaniam multi rami pleni Lacca, ex qua fit Cera. Adulteratur Lacca cum Resina & Cera. Nomina, quæ posuit Pandectarius *Aec* & *Ancusal* sunt corrupta. Avicennæ non videtur cognita Lacca, quandoquidem similem facit Myrrhæ, similémque facultate Carabe. Carabe siquidem glutinat & adstringit: Lacca verò aperit. Error eorum, qui vocant *Loc Sumatri*, provenit à Chinensibus. Serapio vocat Sac, quod est Lacca: ac Diosc. allegans, dicit Gummi Arabiæ arboris similis Myrrhæ, citat Rhasim dicentem cadere de cœlo supra Guberam: in omnibus errat. Diosc. non scripsit de Lacca, nec Serapio ritè cognovit, putavit esse Cancamum Diosc. Rami cum Lacca, non sunt arboris, quæ proferat Laccam, uti penè omnes hodie credidêre. Est secunda Lacca artificialis, quam confundit Serapio cum prima, de qua Amatus. Quum præterea dicit Serapio similem Myrrhæ, clarum fit, non cognitam nec Serapioni, nec Paulo. Falsum est, quod dicit Rhases cadere supra Guberam, id est, Sorbum. Dicunt Monachi in Mesuem neminē vidisse veram Lac-

Lacca quō modo fiat. *Cera ex Lacca.* *Aec, Ancusal. corruptè leguntur.* *Avic. reprob.* *Serapionis errores.* *Non esse Cancamū Diosc.* *Serapionis confusio.* *Rhasis error de Sorbo.* *Monachorum error.*

Google

cam in Europâ, multos credere esse Cancamum, convenire quidem cum descriptione Pauli & Dioscor. Verum cancamum incognitum existimari. Erraverunt quandoquidem reperitur, & ea utuntur Arabes, Persæ, Turcæ. Clarum verum esse Laccam, qua in offic. utimur, & quæ adfertur ex India Orientali: talem existimât omnes Asiæ, Africæque regiones, & maior pars Europæ, ita etiam nominant ipsi Indiani, quamvis Monachi in Mesuem & alij existiment non inveniri. Vocatur Lacca, Lac aut Loc, vel Luc.

Dubitant etiamnum Pena & Lob. Arabum Lacca an sit Diosc. Cancamum, Et in Adversf. Nullis, inquiunt, rationibus severiores veri exactores Laccam Arabum Diosc. Cancamum esse inficiantur. Et mox, an verò sit Chermes, cuiusvis est sciscitari, at non nisi eruditi statuere. Dixerant autem priùs Laccam arborem & nomenclaturam Arabicam esse, quadantenus arbuto & pruno similem à multis referri, cuius sint frustula & surculi, qui vulgari Lacca obducti in offic. habentur. Notandum verò in Plant. iconib. Lobelianis malè positum esse titulum Laccæ cum bacillis: est enim figura ad Bdellium pertinens.

Arbor Arbuto & Pruno similis.

Plantini error.

Anonymos ad Cosmogr. notat, veram Laccam esse Gummi arboris in Arabia suaviter olentis, & Myrrhæ non usque adeò absimilis. A Malayvis Lacca dicitur *Catulacca*, testibus Bry fratribus. Cæterùm, Scalig. libet de Lacca differentem audire. An est, inquit, Cancamum ea, qua utimur, Lacca? Est. *Arabes enim* sic sunt Cancamum interpretati. Est enim Lacca nomen Arabicum: nempe Lach ipsi etiamnum vocant. Corruptus enim est Serapionis codex. Quin communis Indiæ quoque vox. Nam quæ in Martabane Indiæ oritur, cognomen habet à loco appositum nomini, *Laccomartabani*. Ibi enim optima. Eius arbor, simillima est Iuglandi nostræ. Est igitur Cancamum verum Lacca. Nam, qui negant odorem ullum ei inesse ignibus impositæ, videntur suam sententiam aut non ab experimento sumpsisse, aut in adulterinam incidisse quæ fit ex Gummi & Brasilio liquore.

Arbor suaviter olens. Catulacca

Cancamû est Lacca Scaligero. Lach.

Laccomartabani. Arbor Iuglandi simillima.

Sed quid hoc est dicere, Cancamum est Lacca quia Arabes ita sunt interpretati? Non alioqui hic mos est huic viro tam securè credendi. At priùs odoratum Cancamum dixerat, atque etiam suffitionibus expetitum, qualis sanè nostra Lacca nequaquam est, nec talem esse ab ullo Indicarum rerum Historiographo, quem quidem legerimus, annotatum: nisi ab Anonymo supradicto, Lob. & Pen. qui ex Scaligero suum illud iudicium ac censuram, quàm paulo ante adduximus, desumpsisse videntur. Adhuc itaque stat sententia Cancamum & Laccam differre, donec aliquis prodeat qui vivis rationibus, vel ex re ipsa, nos doceat rem eandem esse.

Scalig. opinio reiicitur.

Nascitur Lacca plurima in Pegu: nonnulla in Balaguate. In Arabia non nasci palàm est, inquit Garcias. In regno Pegu dicto, ut refert Amatus apud Indos, quum terra vel pluvia, vel arte plus iusto irrigatur, formicæ ligna quædam subtilia ab incolis disposita in altum ascendunt in quib. Laccam generant, quam hodie Lusitani nostri ex India afferunt rubram, translucidam, inodoram & sine sapore, tincturis præcipuè deservientem, ex qua Officinæ Dialaccam appellatam conficiunt.

Locus.

Amati iudicio ut generetur.

Nunc, quod reliquum est de veræ Laccæ succedaneis, artificialique Lacca. Veræ Laccæ nomen, de qua iam egimus, Artificiali etiam, ex fæce Brasilij & Cocci factæ, à nonnullis attribuitur. Inter alios enim Serapio, ineptè hanc cum prima & genuina confudit Lacca, unde, autore Amato in Diosc. multi Serapionis errore seducti, eam in compos. Dialaccæ miscent. Hanc porrò Laccam alteram seu factitiam Venetiis ex granis tinctorum & Brasilij fæce fieri, testatur quoque Fuchs. lib. 1. comp. med. cap. 11. Scaliger ex gummi aliquo & Brasilio liquore.

Aequivoca. Lacca vera Serapio notatur. Lacca artificialis.

Resina verò & Cera Laccam veram interdum adulterari annotavit Acosta. Et nos ante in Icon. Plantini p. 150. pro Lacca cum suis bacillis Bdellium cum suo trunco & surculo spinoso poni diximus. Cæcutiunt, inquit, Amatus, Monachi, qui Antidotarium Mesues exposuerunt, quum in comp. Dialaccæ dicunt: Si defierit Lacca eius loco initiatur lachryma Sanguinis Draconis. Eundem insignem sanè errorem ante Monachos commisit Avicenna, non considerans Laccam aperire & provocare menstrua, Sanguinem verò Draconis constringere. In Dialacca maiore Mesuæ & aliis compositionibus, si vera Laccà requiratur, inquit Andernac. Myrrha utimur, sed minori pondere, ut pro Drach. I. ponantur Scrup. II. Laccà deficiente ponit Styracem Colleg. Flor. in Antiball. Nec est quod credamus, ut præcipit Acosta Ital. lib. 1. cap. 16. Laccam esse, quod Chermes, vel Charmes Arabibus dicitur, Chermes enim est Coccus tinctorius.

Adulteriũ. Sub. stitut. Bacilli trũcus pro Lacca. Monachi notantur. Sanguis Draconis. Avicen. error.

Myrrha. Styrax. Coccus Tinctorius

Lacca, inquit Avic. vehementem vim habet attenuantem: confert tremori cordis, & iecur roborat, & prodest contra icterum & hydropem ac hepatis dolores. Cæterùm errat Avicen. quòd similes illi cum Carabe facultates tribuat. Nam glutinatoria non est & astrictionis particeps ut Garcias scribit, dum Avic. eiusdê erroris accusat, quamvis idem vim aperiendi obstructiones Laccæ tribuat, Caraben verò multas partes calidas ac tenues habere censemus adstringêtes nullas.

Dialacca Vires & usus. Tremor cordis. Icterus. Hydrops. Avic. una lapsus. Garcia error.

Cæterùm erroris ansam Avicennæ præbuisse putat idem, quòd Laccam Cancamum Diosc. esse æstimarit, cùm tamen planè diversum sit à Lacca. Præterea ex eo manifestum eius errorem esse, quòd duo diversa capita descripserit, in altero ibidem Cancami descriptionem enarrans, in altero de Cheichem agens, quasi diversa essent simplicia. Serapio ex diversis autoribus Laccæ tribuit vires Cancami, quas duas res earùmque facultates planè inter se confundit. Ad oppilationes tamen tàm hepatis quàm splenis, ut & in hydrope & Ictero, ad quæ vitia inter alia ille commendat, à plerisque medicis unanimi consensu præscribuntur Trochisci Dialaccæ dicti. Pulcherrimo quoque rubore inficit præmansa Lacca, non tamen ea tinctura karmes est, ut putavit idem Serapio. Ex ea etiam bacilli parantur ad obsignandas epistolas, ut notat Garcias. Ceram Hispanicam vocant. Iisdem & fabros lignarios lineas ducere ait. Lacca etiam implere cùm aurifabros tùm argentifabros vasa maiora aurea & argentea. Quod an ita se habeat his iudicandum relinquimus qui ea tractant. Nobis enim nihil adhuc de ea re innotuit: miramur tamê, cùm Lacca toto genere differat a metallis, & quòd facilè utatur. Scimus quidem cum Lacca in Ceram Hispanicam redacta, & Conchyliorum splendicantium minutissimis fragmentis & aliis ad splendorem & varietatem commendatis incrustari ligna, tabulas, arculas, sclopeta, cultellorum manubria, & similia elegantissimo aspectu, & Iaspidis etiam Elegantiam non æmulante modò sed etiam superante. Aliquot eiusmodi tabellas inter rariora nostra adservamus. Clusius ex quorundam

Cheichem. Non karmes ut putat Serapio.

Cera Hispanica.

Incrustatio elegans.

rundam sententia tradit, Alutas & Coria verveci-na Lacca contusa, & urina veteri macerata, rubro colore infici ex altera parte.

Cæterùm modus abluendi & præparandi Laccam, qui passim à scriptoribus traditur, admodum absurdus est, inquit Cordus: & qui eum primus invenit aut tradidit, Laccæ naturam penitus ignoravit. Nam quicquid parum sincerum & efficax est in Lacca, illud aquæ miscetur, quam illi dicunt abiiciendam esse, & quod remanet in trochiscos formandum, hoc est, calculos, ligna & sordes. Ille verò hunc modum tradit. Aristolochię longæ, Schœnanthi singul. uncias duas. Decoquantur in aquæ lib. 4. aut quantum satis sit, donec remaneant, lib. 3. Colaturæ insperge Laccæ integræ, lib. 1. unc. 4. Decoqu. Lacca deinde lento igne, donec aqua fiat coloris sanguinei & quicquid in Lacca boni fuerit, dissolvatur: tum per filtrum aut laneum pannum cola, & remanentes sordes abiice. Excolatam verò & sanguinei coloris aquam lentis prunis in duplici vase usque ad mellis spissitudinem coquito, & tepidam massam in Trochiscos fingito.

Trochisci.

VVA CRISPA SIVE GROSSVLARIA.

CAP. XX.

Descriptio.

VT spinis armavit rerum parens natura arbores superiùs exhibitas, Oleam sc. Rhamnum, Iuiubas, sic etiam quæ sequuntur, ut sunt Oxyacantha, Berberis & uva Crispa (quam recentiores ita dixerũt) & de qua iam. Frutex est bicubitalis & tricubitalis, ac etiam maior numerosa stolonum segete luxurians, variéque in ramulos subdivisus cortice purpurante, materiè ferè buxeo colore pallescente. Spinis longiusculis, acutis & rigidis ad foliorum exortum passim armatus, singularibus, binis aut ternis: folia unguem lata, nonnunquam ampliora, nonnihil rotunda, modicè divisa, superiùs saturo virore splendentia, inferiùs dilutiora, utrinque hirsuta, sapore acido, ex brevibus pediculis: flosculi pulchelli parvi, suavi sed nonnihil gravi odore, simul multi ex eodem tuberculo, quo folia prodeunt, ex pediculo brevissimo punicante hirsuto nutantes, quibus subsunt globuli hirsuti futurarum baccarum rudiméta, ex foliolis quinis utrinque rubentibus, extrorsum reflexis, ut radiatam stellam exprimant, quæ totidem adnatas quasi lingulas albicantes, intus hirsutas (erigentia, florem reliquum concavum efficiunt: inter singulas autem lingulas singula stamina rectà se tollunt à rubris illis florum foliis similiter orta: ex globulo autem stilus virescens, alba lanugine circa infimam partem, aspergilli modo obsitus. Baccæ succedunt, rotundæ, hyrsutæ, striatæ, ante maturitatem acidæ, maturæ dulces: in quibus grana multa exigua.

Spinæ. Flores. Bacca.

Vnum genus sylvestre, alterum cultum in hortis minùs spinosum, baccas multò maiores producens.

Sylvestris. Hortensis.

Sed iam miram autorum varietatem circa hunc fruticem intelliges.

Ruel. Grossulariam veterib. silentio præteritam ait: alibi tamen ait nõn deesse qui Paliurum esse arbitrentur, quorum opinioni se non ausum accedere, cùm etsi nonullæ cõsentire delineationi putentur, plurima tamen reclamare etiam constet. Hallucinari verò eos qui Rhamnum 1. esse arbitrãtur: folia non respondere, quæ circinatæ rotunditatis conspiciantur. Apij modo dissecta.

Grossularia. Paliurus. Rhamnus 1.

Ryffius eadem profert, Ruellio tamen non citato, gaudens magis alienis ornari plumis, quàm creditori suo honorem ferre debiti.

Ryffius alienis se ornat plumis.

Amatus Rhamni nomine uvam crispam ponit, & more suo in titulo diversarum plantarum nomina confundit. Sic enim habet *Rhamnus: Vva crispa Scambrones*, Hisp. & Lus. It. *Marucha*: Germ. *Strechdorn, Grasselbeerbaum*: Gallicè, *Burgespine*, aliis *Groiselier*. Alibi *uvam crispinam*; aliis *uvam marinam*, aliis *uvam-spinam* dici. quæ nomina & Matth. habet, ac uterque antiquis præteritam ac incognitam putat.

Vva crispina. Vva marina. Vva spina.

Cornar. perperam Paliurum 2. Theoph. & Plin. censet, nempe eum cuius fructus sit magnitudine baccarum Cedri, *Closterbere* German. qui culinis quàm medicinæ notior, ad Rhenum & Menum frequens, non rubicundus, sed rotundus, viridis & striis velut distinctus.

Paliurus 2. Theoph. & Plin.

Spinam ferentem Crispinam uvam, inquit Cordus, Rhamnis quidam annumerant, sed cùm foliis & fructu plurimùm discrepent, sui generis spinum esse credimus. Quidam *Bergotsbeer* esse putant, sed folia dissimilia sunt: nos autem per eam vocem uvam crispinam intelligimus, alioqui Dei baccas sonat.

Rhamnum non esse Spinus sui generis. Bacca Dei.

Trago *Grossularia* verè Rhamnus est veterum, videlicet genus 5. Diosc. Et addit: aliis dici *Burgam spinam*, aliis *Neprum, Persephonium, Leucacantham, Albam spinam, Cervalem spinam, Aguon, Atadim, Philetecim* aut *Socialem*: Serapioni dici *Hansig*, aliis *Ausici*. Sed pleraque hæc nomina ad Rhamnum Catharticum pertinent. Præterea uva crispa non convenit cum Rhamno Diosc.

Rhamnus 5. Diosc.

Fatetur Fuchs. nescire se fueritne cognita uva crispa veteribus tàm Græcis quàm Latinis, eamq; Latinius putat uvam intortam nuncupari posse. Non esse Rhamni speciem primam, ut nonnulli arbitrantur, posse tamen citra aliquod vitæ discrimen Rhamni generibus annumerari, quòd scilicet viribus admodum similis sit. At Cornar. Rhamnum 1. Diosc. facilè se credere ait. Vt iam videas Cornarium duobus locis de uva crispa scribere, quasi diversas traderet plantas: nempe Embl. 98. ubi hæc ait: & Embl. 100. ubi Paliurum Theoph. putat, uti dictum.

Vva intorta. Rhamni 1. species.

Hermol. & Lacuna veteribus præteritam putant. Lonic. & Apollo Rhamni Diosc. speciem faciunt. Negat Cordus. Hist. Lugd. Ilos, vel ut alij legunt Oelos Theoph. putat: nulla alia coniectura, ut equidem censemus, quàm quòd inter alios frutices spinosos numerat. At habet ibi & non spinosos. Certè difficile est iudicare in tanta brevitate & obscuritate.

Ilos vel Oelos Theoph.

Gesnerus Ceanothum vocat. Hæc autem eius sunt verba: Ceanothus spina Theoph. memorata, hoc est, uva crispa valgò dicta, (ut mihi quidem videtur) passim apud nos obvia est, sepibus hor-

Ceanothus Theoph.

Digitized by Google

torum inprimis commoda. Facillimè enim nascitur, densè fruticat & propagat seipsam, & spinis suis transitum prohibet: & acinis iucundi saporis placet. Ceanothum asperum nostrum Cardanus de varietate rerum l. 6. Rocellam (malim Roncellam, seu diminutivum à *Ronce* Gallico nomine Rubum significante) vocat. Rocella, inquit, humile arbustum est, folio angusto (angustum sanè non videtur) ac tenui, quasi vitis, spinosum, baccam ferens, quæ cùm maturescit, viridis & subflava est, rotunda admodum, magnitudine Lupini: gustu ex dulci adstringente. Quidam volunt esse vitem pretiam Plinij, in qua sententia fuerunt Guilandinus, Pena & Lob. sed perperàm nostro & Dalech iudicio: neque enim verisimile est Plinium sentem & fruticem spinosissimum inter mites & cultissimas vites retulisse.

Roncella. *Vitis Pretia Plin.* *Reiicitur ea sententia.*

Synonyma lingua. Dicta ut *crispa*, *Grossula*, *Grossularia*, *Grossularia*: *[illegible]*, *uva spina*, *uva crespina*, vel *crispina*, ab iis tortis ferèque in circulum versis foliis & acinis quos producit. *Grossula* verò à dura illa membrana seu cuticula, qua obducuntur acini isti: siquidem manducati crepant, instar membranæ quæ dirumpitur. Germ. *Kreuselbeer*, *Krausbeer*, *Grosselbeer*, *Klosterbeer*, *Creutzbeer*, *Wegdorn*, *Stechdorn*. Belg. *Stekelbesyen*, *Steekelbeer*, *Stekelbesyen*, [illegible] Brabantis *Truysbesyen*, quibusdam *Croeselen*. Gal. *Groselier*, *Groiselier*, *Groiselles*, *Groselles*, *Groiselets*. Angl. *Goesberrye*. Italicè *uva spina* & *crespina*. Hispan. *uva crespa* sive *espina*. Boh. [illegible].

Locus. In Helvetiis [sepibus] provenit & sepibus multis Germaniæ locis, nō tamen passim. Vix alibi copiosiùs luxuriantem videas, quàm circa Basileam, ubi circa omnes ferè sepes sese diffundit. In toto Ducatu VVirtembergico ferè obvia, maximè circa Tubingam. In Gallia calidiori non adeò frequens, sed minus in Italia cæterisque calidioribus locis. Amat enim frigidos tractus, nec ullum frigus reformidat. Venetiis tamen etiam observavimus in Murar, in Ca Cornero, Patavij in hortis quibusdam. In vivarum sepium structuram venit passim ubi abundat, etiam in Scotia. Illud autem genus quod baccas maiores profert in hortis nonnullis infirmo sarmento ridicis sustentato observavit D. Cargillus. Cuius nos pulchras arbusculas à pluribus annis in horto E. C. Montbelg. colimus.

Tempus. Veris statim initio pubet, ac virescit Martio, sæpe etiam antè. Floret Aprili. Fructum fert Maio. Iunij fine ac Iulio perficit, quo tempore dulcescit in cibum, qui tamen lautioribus mensis repudietur maturus: immaturus verò & acidus adhuc coquitur cum carnibus ac piscibus: nam succo suo subacido cibos commendat. Concinnatur & in placentis Crustulorum & scitamentorum vice. Vulgò *Tartas* vocant. Ipse verò maturus fructus [esus], pauperibus & gravidis mulieribus satis expetitus. Immaturæ haud quoque iusculis incoctæ febrientibus non sine utilitate exhibentur. Frigidæ namque sunt & astringentis qualitatis. Quapropter diversimodè administrari possunt cholericis, calidis, & bile refertis corporibus tàm sanis quàm ægris: in [iusculamenta], vel embammata. Potest & exprimi Omphacium. Valent contra gravidarum picam: appetentiam cibi excitant. Omne ventris profluvium, potissimum verò Diarrhoeam & Dysenteriam, & Cœliacam passionem compescunt immaturæ, ut tradit Matth. nam frigidæ sunt & siccæ astringentes, sitim sedant, & cruenta exspuentibus prosunt. Haud dubiè, inquit Fuchs. idem quod Rhamnus temperamentum obtinet. Vt enim hic adstringit & refrigerat, sic etiam illa. Refrigerat autem in primo complexu, aut secundo incipiente: desiccat verò secundo. Ex Diosc. verbis de Rhamno (addit idem) satis liquet, Vuam intortam non hoctantùm nomine sepibus apponi, ut easdem muniat, atque adeò alienorum ingressum prohibeat, verùm etiam ut veneficia ab hortis propulset, ut hinc quoque colligere liceat eiusdem cum Rhamno esse facultatis. Quæ verba utinam non excidissent Fuchsio. Miseros verò nos Philosophos Christianos, si à paganis modum discere debeamus talem arcendi fascinationem. Doctis & potissimum Theologis iudicandum relinquimus de hac re, & an plantis possint impediri hac ratione veneficiorum maleficia. Omnium optimum modum veneficia, hoc est animalia noxam hortis inferentia, ab iis arcendi, censemus, si Tragi consilio, ordine multos Grossulariæ frutices ponas: ita enim sepem efficies perpetuam & præstantissimam, quam nulla poterunt animalia, ac ne mures quidem commodè, penetrare, & sic horti ab illis tuti reddentur. Meliùs Dod. de viribus eius, quando tradit. Fructus antequàm maturescat, frigidus & siccus est, ad secundum gradum ac astringens: eiusdem ferè naturæ cuius uva immatura. Sistit fluxum ventris, & omnem fluxum sanguinis, & maximè succus expressus & exiccatus. Utiliter applicatur inflammationibus calidis, Erysipelatibus & igni sacro. Idem præstant folia, sed imbecilliùs. Eadem novella crudaque comesta, urinam cient ac prosunt laborantibus arenulis & calculo. Fructus etiam sacchato condiuntur contra calores internos, potissimum febriles. Frequens eorum esus prodest Gonorrhæa & fluore albo laborantibus, teste Camer. Aviculæ quoque baccis gaudent. Ideò circa ramosas & frondosas arbusculas, Diepæ Galliæ civitate non ignobili, observavit Gesn. circunductum rete, atque ita aviculas in iis pulchro spectaculo nutritas.

Febres. *Ventris profluvia.* *Sitis. Sputum sang.* *Temperat.* *Fuchsius repreh.* *Succus exsiccatus.* *Inflammat.* *Erysipelas. Ignis sacer.* *Arenulæ calculus.* *Conditi fructus.* *Gonorrhæa.* *Avium captura.*

GROSSVLARIA SPINOSA, FRVctu obscurè purpurascente.

Cap. XXI.

Descriptio. CORALLARII loco huc etiam transferemus ea quæ Clus. in poster. histor. tradit. Certè, inquit ille, anno 1594. Leydæ conspiciebam Grossulariæ genus amplioribus nigrioribúsque foliis, spinas ad singulos foliorum exortus binas vel unicam habens (interdum etiam nullas) breves & vulgari multò infirmiores, præter alias inertes & longè breviores, sparsim ramis cortice ex fusco purpurascente tectis innascentes: fructum, dum immaturus est, vulgaris instar virentem, qui maturus purpurascit, plenâ autem maturitate ex purpura atrum colorem contrahit, perinde ac nonnulla pruna.

Folia. *Spinæ.* *Fructus.*

DE OXYACANTHA, PYXACANtha & Pyracantha, tàm veterum quàm neotericorum placita in genere.

Cap. XXII.

INTRICATA & perplexa harum historia suadet cuique autoris de iis placita seorsim relinqui, idque ideò, ne veterum placita, multorum intempestiva imitatione, aut dubio conatu, quadrata misceamus rotundis: subinde eas plantas propo-

stituri, quæ his nominibus apud posteros Herbarios innotuêre.

Theoph. coronamentum.

Theoph. non uno loco ὀξυάκανθον ad perpetuò virentes, & sylvestres refert: quamvis rectiùs fortè, inquit Dalech. quis legerit πυξάκανθα vel πυξάκανθον. Ὀξυάκανθα, inquit idem, vere germinat, acpost vergiliarum occasum fructum reddit, quo ad coronas usi veteres: illius autem spinis Mali medici spinæ non absimiles. Ex quibus paucis, [vix enim plura reperias apud Theoph.] quid esse possit multis quidem suspicari licuit, uti dicetur in progressu, paucis verò fortè, quid verè sit, asserere.

Coronaria.

Nihilò plura, sed clariora tamen, habet Plin. lib. 24. cap. 13. & 14. Spina est, inquit Plin. appendix appellata, quoniam baccæ puniceo colore in ea appendices vocantur. Hæ crudæ per se & aridæ in vino decoctæ, alvũ citant [sistunt] ac tormina compescunt. Pyxacanthi baccæ contra serpentum ictus bibuntur. Lycium præstantius è spina fieri tradunt, quam & Pyxacanthon Chironiam vocant, quales in Indicis arboribus diximus, quoniam longè præstantissimum existimatur Indicum. Hæc ille. Cuius sanè verba de spina appendice optimè conveniunt cum Berberi vulgò dicta, de qua pòst. Per tormina autem apud Plinium non Colicos, sed Dysentericos dolores intelligimus.

Spina appendix. Plin. Vires. Pyxacanthus. Lycium.

His paulò diligentior Diosc. sic habet. Ὀξυάκανθα, Acuta spina, quam Pyrinam aut Pytianthem aliqui vocant, arbor est pyrastro similis: spinosa valdè & minor: baccas profert myrti, plenas, rubras, fragiles, & intus nucleum: radicem multifidam, altè descendentem. Huius baccæ potu aut cibo, alvi profluvium & abundantiam fœminarum sistunt. Radix illita aculeos & spicula extrahit: abortum fieri tradunt, si ter radice ventre, aut sensim feriatur, aut perungatur. Idem Diosc. alibi, Mespilum à quibusdam Aroniam dictam, foliis similem tradit πυξάκανθη, ut habet Cod. Bas. Lacuna legit ὀξυακάνθη. (Pyracanthæ sive Oxiacanthæ folio, legunt alij.) unde Marantha. Pyracanthæ usquam apud Dioscoridem sermo est, neque quid sit scimus, nisi idem sit quod Oxyacantha, &c. Et alibi, Lycium aliis Pyxacantham vocari ait. Et Cynosbaton quoque que aliis ὀξυάκανθαν dici. Galeno quoque ὀξυάκανθος, ut arbor est pyro sylvestri [ἀχράδι.] similis, ita & viribus non dissimilis. Quin & ipse fructus, pyri quidem sylvestris, prorsùm & absolutè acerbus est [ἀκριβῶς στυφός: alij amarum vertunt, non benè nostro iudicio.] Cæterùm Oxyacanthes [ὀξυακάνθης] & tenuium est partium, & paululum quiddam incisivum obtinet. Porrò arboris huius fructus, pyri sylvestris fructui similis non est, verùm Myrti, scilicet rubens & rarus. [ἀραιὸς videtur leg. ἀδρὸς ex Diosc. Dalech.] Habet verò & nucleos.

Oxyacantha Diosc. Pyrina. Pytyanthe. Vires.

Nota.

Pyxacantha idem cum oxyacantha.

Oxyacanthus Gal.

Oxyacanthes 2.

Vires.

Porrò non esus tantùm, sed & bibitus affectus omnes fluxionum, quos ῥεύματα Græci vocant, cohibet. Ita vides apud Gal. aliud esse Oxyacanthum, aliud Oxyacantham. Serapio, de verbo ad verbum, de Amirberi sive Berberi refert, quæ Diosc. & Gal. de Oxyacantho & Oxyacantha vel Oxyacanthe habent. Fatetur Hermol. quæ sit Oxyacanthos in Plinio, sibi non compertum. Medicinas certè quas Diosc. ei tribuit, Paliuro Plin. dicavit. Maximam difficultatem iniicit, quòd Theoph. perpetuò virentem dicit Oxyacantham: qualis certè apud nos neutra est earum, quæ ab Herbariis pro ea proponuntur. Variæ autem plantæ proponuntur pro Oxyacantha & Pyxacantha, de quibus ordine suis locis trademus, ordientes à spino acuta, quæ ad Diosc. descriptionem Oxyacanthæ quàm proximè accedere multis videtur.

Amirberis Serap. Berberis.

OXYACANTHA VVLGARIS, SEV SPINVS ALBVS.

Firma est, si quæ alia, materies Oxyacanthæ vulgaris: caudex mediocriter crassus, & ramis lentis, firmisq; operi topiario maximè idoneis brachiatus, spinis horret rigidis & acutis, multo etiam ligno durioribus: Cortex rubet. Folia Apij seu Mespili Aroniæ, gustu viscido. Flores odoratissimi confertim nascuntur ex sesquiuncialibus ferè pediculis, albi, quinque foliis constantes, apicibus, ut in pyro rubentibus. Baccæ per maturitatem rubræ, velut ex umbella pendent, Myrti baccis maiores, umbilico nigro, pulpa glutinosa, pauca, molli, ac subdulci, singulæ ossiculum continentes unum vel duo. Unum si fuerit, rotundum: at si duo, per medium divisa globulum efficiunt, & interna parte qua committuntur, cavcolam ostendunt incurvam. Durissima sunt, & propemodum ossea. Rariùs tria in una bacca inveniuntur. Variant & figura, sed communissima orbicularis. Circa huius quoque stirpis vestigationem tam variè se torserunt autores, tótque opinionibus discrepant, ut mirum videatur. Colum. & Pallad. spinam albam vocant. Marcellus hanc Oxyacantham Theoph. putat, cuius pluribus locis meminerit, facilem cognitu & inventu esse ab agresti Pyro diminuta appellatione, atque adeò à spinarum acuminatis cuspidibus Oxyacantham Græcos dixisse: Plinium verò sub hoc nomine eius non meminisse.

Descriptio. Materies. Spina. Cortex. Folia. Flores. Bacca. Ossicula.

Oxyacantha Theoph. Etymon.

Simili veri coniectura, inquit Ruellius colligi posset, Paliurum Diosc. id esse, quod hortos viva sepe cingit Aubepinum, hoc est, Album spinum: quod vulgus Senellas vocat. At Matthiolus. Sunt à recentioribus qui putent Paliurum Dioscoridis eam esse arborem, quam nos Oxyacantham: Sed palam fit non esse Paliurum &c. Et Matthiolo sanè assentimur, non benè Ruellium Theophrasti nomine dixisse de Rhamno nigro, quæ Theophrastus dixit de Paliuro: Existimantes etiam Dioscor. & Theophr. Paliurum diversam à nostra Spino alba.

Paliurus. Albus Spinus. Senellæ.

Tragus Hagendorn, & fructũ Hagöpfel vocat, rectè quidem: sed falsò putat hunc esse verum canis sentim seu Rubum, Germanis Hundsdorn, & Græcis κυνόσβατον dictum, nempe eum quem Diosc. quosdam Oxyacantham appellare scribit, hócque nomen pertinere putat idem Tragus ad aliam plantam. Cynosbaton, addens, Plinium Cynospaston & Neurospaston appellâre. Esseque qui eundem hunc fruticem Arbutum esse con

Digitized by

tendant. In margine notatum: Theodori Cani rubus. Falsò inquam, & alio errore eiusdem fructui nescio quam lanuginem asperam & candidam affingit, quæ in hac planta nullatenus reperitur: quare ne Cynosbatos quidem fuerit, siquidem hæc nota non adsit.

Non est Cynosbatos.

Pyrin. Pyracantha.

Cordus vocem πύριν perperàm apud Dioscor. inter Oxyacanthæ Synonyma exeratam suspicatur, & Pyracantham, cuius idem Diosc. meminit in Mespili capite, eandem esse censet quam cap. de Oxyacantha corrupto nomine πυρίακανθαν vocat. Idem ait à Dioscor. Oxyacanthæ nomine descriptam esse Pyracantham, hoc est Spinam veteribus Latinis & Plinio simpliciter dictam, quæ Gallis *Aube-espine.* Germ. Hagedorn / Weißdorn. Ea nque quosdam falsò putasse Cornum esse: & libere pronunciat Oxyacantham Dioscor. esse Pyracantham: *Spinum album* Italis: & alibi Sorbam aculeatam & Pyracantham dicit: cuius baccæ gustu aliquantum glutinoso statim satietatem vescentibus adferant, & omninò succo careant.

Cornus. Rubus caninus.

Cornar. refut.

Cornar. Rubum caninum & κυνόσβατον Diosc. putat ex eo, quòd apertè Diosc. adscripserit Oxyacantham quoque dici, sed fallitur: non enim folia habet Myrthi, & nihil lanuginosi in fructu quod fauces lædere possit, quippe quem sæpè comedemus sine ullo nocumento: eiusmodi autem lanugo est in calycibus Rosæ sylvestris.

Spina acuta.

Quorundam opinio est, inquit Anguil: Spinam acutā esse illam Spinam, quæ vulgò vocatur *Spin bianco*, quæ opinio in totum mihi non displicet. Verùm duæ causæ efficiunt, ut id non liberè dicam. Primò enim Theoph. vult Spinam acutam semper habere frondes: Secundò, dicit Spinas Mali medicę similes esse Spinæ acutæ, at duæ illæ notæ in Spino alba non reperiuntur. Præterea Spina acuta ἀλλὰ ἐτι ἐκλήθη ἀχράδα (ut quidam volunt, at fructus Spini albæ sunt dulces ventrémque lubricant, non adstringunt: minúsque adhuc mulierum fluxus compescunt. Vnde quid sit Oxyacantha pro certo affirmare non possum. *Matthiolus* verò in Diosc. Si dicendum est, inquit, Oxyacantham nasci in Italia, eam equidem aculeatam arborem esse crediderim, stipite, cortice, ramis, floribus, proceritate, ac ligni materie planè pyrastrum referentem, quam in Hetruria rura nostra Senensia *Bagaia* vulgò nominant: Ananienses & cæteri Tridentinarum vallium incolæ, quidam *Amperlo*, quidam verò *Pandorso* vernaculis nominibus vocant, & Goritienses *Barazzo bianco* vulgari sermone appellant. Quippe quæ omnibus notis ac lineis acutam Spinam referat. Et paulò pòst refutans Anguillaræ argumēta, ita fit, ut concludamus oportet. Si Mespilus Aronia folio Oxyacanthæ provenit, eóque scisso (ut Theoph. prodidit,) Apij instar: hanc spinosam arborem Bagaia dictam, esse procul dubio acutam spinam, quandoquidem eius folia in modum Apij dissecta sunt, Mespili Aroniæ modo, *&c.* Quibus etiam accedit quòd secundum eundem Theophr. ἀχράδες εἰσι ὀξυάκανθος: Denique, datur utiliter Cœliacis cibum reijcientibus & dysentericis, prohibet mēsium profluvia, *&c.* Hanc controversiam quod attinet, uti nolimus cum Anguil. pronūciare fructus Spini albæ provocare menses, ità quoque miramur Matthiolum scribere eos adstringere.

Bagaia.

Anguillar. refutatur.

Loniceri verò ignorantia explodenda, qui duobus locis de hac planta tanquā de diversis scribit.

Rubus Moysis.

De Oxyacanthis sic Amatus. Oxyacantha Dioscor. cuius fructus à pueris avidissimè comeditur, & in nonnullis regionibus perpetuus arbori tenaciter hæret, ut in Lusitania plerùmque observavi, & Hebræi huius rationem reddunt quia hæc ipsa arbor ab illis Rubus creditur ille, quem viderat Moyses in flammam conversum, & sine noxa obumbrantem, ex quo Deus ei locutus, & Calopodia ut exueret, iussit quia in terra sancta erat. Dicunt igitur illi, ob illam dignitatem perpetuum arbori huic fructum esse. In universa Hispania sua voce *Pilteriterium*, Hetrusci verò *Begaiam* vocant.

Pilteriterium. Begaia.

Si ex alijs scriptoribus colligere liceret, *ait Marantha*, Oxyacantham fruticem potiùs quàm arborem esse minùs propriè eam arborem, appellasse Dioscoridem existimandum esset, ac cum Matthiolo sentiendum, ut, qui fruticem pro Oxyacantha, non arborem statuunt: licet & hic frutex loci ratione quandoque in arborem assurgat. Verùm si nominis significationem verè accenserit, aliter sentiendum est.

Oxyacantha Matthioli refutatur.

Gesnerus *Spinam albam Spinam appendicem. &* Oxyacantham unum & idem putat: sed fallitur: nam Plinij spina appendix baccas acidas habet, qualis in hac nostra non sunt: idem alibi Appendicis spinæ Græcam vocem se non invenire ait, nisi quis Diospyron coniiciat, id est, Iovis flammam, Matthiol. At Paliurum so. Frisius ait, censeri eum fruticem qui Meelbeer dicitur.

Gesneri error.

Diospiros.

Dod. in hist. Gal. Oxyacantham Diosc. putat esse κυνόσβατον Theoph. quam tamen opinionem rectè & prudenter postea omisit in sua Hist. Latina: ubi quibusdam *Spinam vallarem* & *Spinam sepulcralem* dicit: *Amyrberin* Serap.

Spina vallaris. Spina sepulcralis. Amyrberis Serapi.

Non placet Pen. & Lob. subausteras dixere baccas: rectiùs nostro iudicio Cordus aliquantum glutinosas, & Dod. & Anguil. dulces dicere: nam utérque sapor non obscurè in iis percipitur, modò sint maturæ.

Pen. & Lob. taxat.

Non est Berberis.

Firmiter Matthiolum probasse ait Turnerus hāc nō esse Berberim ut multi opinati sūt, sed Oxyacāthā Diosc. nec se dissētire, nisi quòd Theoph. inter eas recenseat, quibus folia Hyeme non decidunt: ideo sibi videri Spinam albam Colum.

Prunum album. Azarolus sylv. Mespili 3. genus Plin. Anthedonoides Theophr. Prunus alba. Azarolus sylv.

Oxyacantham aliqui, teste Cæsalp. Prunum album vulgò vocant: *Azarolus* sylv. vocari posset. Plin. videtur Mespili 3. genus appellasse, cùm inquit Tertium degenerat, tametsi Anthedoni similius est, quod Gallicum vocant. Theoph. Græcè Anthedonoidem vocare, ait idem, quasi specie Anthedonis. Hanc eandem & Oxyacanthā Diosc. esse, sed aliam esse Oxyacantham apud Theoph.

Camer. quoque apud Matth. annotat vocari in Italia à quibusdā Prunum album & Azarolū sylv.

Schuuenckfeld. repreh. Oxyacantha vulg. Oxyacanthe.

C. Bauhin. non Spinum album censet Oxyacantham Diosc. sed aliam de qua sub Pyracantha.

Schuuenckfeldius, non ex autopsia, ait fructum intus exiguis nucleis & ossibus aspera candidáque lanugine involutis refertum esse. Hoc in Rosæ sylv. fructu deprehenditur, sicut dictum, non in baccis Oxyacanthæ multis dictæ. Clus. Oxyacantham vulgarem dicit: neque enim legitimam censet. At Pena & Lob. receptam usu & nomine veram Oxyacantham dicunt. Ruell. ait *Spinum album* Italis, Gallis *album Spinum* dici. *Spinam acutam* Lemnius dicit & Oxyacanthen. Brassavola *Leucacantham fruticem* quam benè norunt qui Leucacanthæ historiam legerunt. Dicitur & Arab. *Amyrbaris*, Hisp. *Espino-masenelas*: *Pyrltero*, & *Pilirsteros*. Belg. *Hagedoren*: It. *Pan-d'orso*, *Amperlo*, *Bagazzo*, & *Bagaia* Hetruscis, uti dictum. Angl. *May*: *Handhornetree*: Boh. *Hloh.* Spontè nascitur passim Germaniæ & Galliæ sylvis, agrorum marginibus, hortorum sepibus, & locis tàm montanis

Spina acuta.

Leucacantha frutex.

Deus.

Digitized by

montanis, quàm campestribus, siccis pariter, atque udis. In Burgundia ad Dubium amnem magnas & altas arbores videas. Vidimus etiam Monspelij & in pluribus Italiæ locis. In Bronsweissenburg pulcherrimas patulas & expansas vidimus, & aliam perelegantem in Schombach Ducatus Wirtembergici.

Tempus.

Mense Maio florum amœnitate, odorisque fragrantia spectabilis. Fructus maturescunt Septembri, quo mense, eius semina reperi in ventriculis tam merulæ nigræ, quam montanæ & Octobri, & ad multam hyemem in sepibus ac hortis grato spectaculo videtur.

Vsus.

Solet enim hæc, ad tonsiles sepes, quæ passim decussatim implexa extimas hortorum pomerorúmque oras ambit, præ alijs ferè omnibus expeti etiam in hortis principum.

Vires & usus. Fulmine non ict.

Dos eius præcipua videtur in odoris suavitate florum, tametsi non defuerint, uti testatur Ruel. qui tradiderint hanc stirpem instar Lauri fulmine non ici, nec unquam de cœlo tangi. Aiunt quoque pisces marinos: floris odore perculsos, confestim corruptionis sentire contagia, quod gravi fragrantiæ acceptum quis referat.

Piscibus inimicus flos.

Huius rei piscatores gnari florem devitant. Mirum est, si fulminis ictum tuta respuat. Sed relatu se hoc habere Ruell. ait, non certo scriptore:

Calculus.

Additque vulgus deturbandis calculis uti acino, singulari (ut se vidisse testatur) remedio ex vino, quod peculiari vocabulo Senellam nominat. Tragus falsò Cynosbaton existimans, tam fructui quàm folijs & floribus astringentē & constipatoriā vim tribuit.

Pleuritis. Tormina.

Scribitq; flores vino maceratos per triduū, deinde in vitro destillatos, remedio esse præstantissimo pleuriticis, & iis quos tormina exercent.

Aqua ex floribus. Alvi fluxus. Aculeos extrahere.

Aquam etiam ex folijs floribus extractam arte destillatoria alvi fluxus sistere, si aliquoties per diem bibatur. Eandem aquam non tantùm refrigerandi vim habere, sed etiam aculeos carni inhærentes refigere, si linteola in illa madefacta imponantur, adeò attrahendi facultate pollere:

Experimentum. Flagella.

Esséque hoc singulare experimentum. Lignum Cynosbati flagellis idoneum est, quo remedio desidia & insolentia servulorum, & malè morigeræ familiæ, quàm efficacissimè emendari potest.

Calculus. Experiment.

Dod. ei attribuit vires à veteribus Oxyacanthæ tributas, ac præterea dicit: fructum ex opinione quorundam Neotericorum conferre adversus arenulas & calculum. Et Cornar. audivisse quendam ait, qui siccati pulverem calculosis commodum asseveret cum vino potum, cum suo illustri experimento. Et Camer. Saxonibus notissimum & usitatissimum è bacc's Oxyacanthæ destillatum liquorem esse tradit ad calculos renum.

Aqua baccarum contra calculum.

Anguillara scribit, fructum ventrem lubricare, non astringere, & mulierum fluxus potiùs provocare quàm compescere.

Laxat. Tragus & Matth. reprehensi.

Nos verò non possumus nobis persuadere, fructus dulces Spini albę astringere & constipare ut Tragus & Matt. opinantur, nec etiam aquam ut vult Tragus, Anguillaræ etiam non assentimur fluxus provocare. Si enim astringeret, nihil faceremus ad Nephritim & calculos. Qui autem credunt esse Oxyacantham genuinam veterum, legant eius vires antea traditas.

Schwenckf. refutat.

Ex posterioribus scriptoribus Schwenckfeldius est, qui alios secutus Oxyacantham veram veterum censet: nec parum miramur illum, nullo citato authore, nulloque experimento fecisse fructum eius astringere, roborare, prohibere alvi, & fœminarum profluvia: nucleos calculos comminuere: radicem illitam aculeos & spinas extrahere, aquam ex floribus pleuriticis utilem esse. Imò rationem ipsam respiciat, contraria planè in his viribus deprehendet: Astringere ac prohibere certè contrariantur extractioni spinarum, ubi præstaret dilatare quàm astringere & repellere, quod fit astrictione & frigiditate. In pleuritide, ubi expectorandum, si ea aqua frigida sit, ut vult Tragus, & astrictoria, quomodo utilis esse queat periti norunt medici. Ita nobis ipsis interdum somnia fingimus, ut aliquid novi & inauditi dicentes, & nobis placeamus & aliis. Atque utinam materia medica, vel potiùs eius immensa facultatum varietas, non magnam incrementi sui partem, non in vanis eiusmodi opinionibus nulla interdum ratione, nullo sensu fundatis cœpissent. Sed mundus vult decipi, decipiatur ergo. Hoc tamen de aqua florum & fructuum non ita dictum volumus, ut eam prorsus reiiciamus in pleuritide & calculo, quia nobis nondum constat nec existimamus astringentem & refrigerantem esse. Quare ampliùs indagandum.

Sepes vivæ.

Rustici ex hac arbuscula vivas sepes passim factitant & exstruunt, quòd pecus hortis invisum minacibus aculeis valenter arceat. Materie eius nihil magis expetitum ad tornum, propter duram & firmam atque tenacem eius æquabilitatem, qua ad Buxum quodammodo accedit, ut in dies in torni exercitio experimur. Ad manubria & alia id genus præcipua post Buxum.

PYRACANTHA QVIBVSDAM.

CAP. XXII.

Descriptio. Aculei. Folia.

PYRACANTHA frutex est spinosus, cortice nigricante vestitus, cuius per ramos aculei, alij unciā longi, alij breviores, sursum ferè spectantes, rigidi: folia iuxta aculeos Arbuti folijs quodammodo similia, alia sescunciā longiora, alia unciam longa aut breviora, semunciam aut unciam lata, leviter acuminata, quædam rotunda, pulchrè per ambitum serrata, glabra, potissimùm inferiora, siquidem superiora interdum nonnihil lanuginosa sunt, nitore illo, quem superna facie ostentant inferiora, destituta ferè.

Vva ursi. Flores. Fructus. Grana.

Eandem exhibet manus Dalech. Vuam ursi, cui flores attribuit acervatim congestos, ex luteo rubentes: fructum ex aureo colore ad coccineum vergentem, densiùs coacervatum, rotundum, acidi gustus. Addit C.Bauh. in iis grana aliquot contineri: & flosculos ex quatuor aut quinque foliolis cōpositos, ex luteo subrubentes, in quorum medio aliquot brevia stamina.

Pyracantha folio Pyrastri. Cibus. Diosc. Rhamnus 3.

Pyracantha folio Pyrastri inquiunt Lobel. & Pena in Advers. aspectu squalida, eius baccæ rubræ esitantur à pueris: semina oblonga habent, quasi Pyri aut Berberidis, in umbella flores racematim candidi, & fructus Oxyacanthæ pares. Rami valdè spinosi. Rhamnus 3. Diosc. Icon. Plant.

Adv. Teuton. Item Paliurus 2. peregrinus iisdem. Sed in dictis Iconibus videtur duplex error Typographicus, quia locis quæ ibi ex Advers. citantur, non posita Icon sub iis nominibus, sed tantum pag. pro Pyracantha.

Pyracantha. Lycium. Cortex. Lycium [inquit Cæsalp.] in Italia arbuscula est, aculeis acutissimis armata, cortice lævi, subfulvo, sed interius pallido: foliis Buxo longioribus, in ambitu serratis, perpetuis: flores in cacuminibus racematim insunt candicantes. Baccas autem fert Myrto minores, in maturitate croceas, saturato colore, gustu insuaves, nucleis intus duobus aut tribus. Perdurant autem hæ in multam hyemem, ut Oxyacantha. Oritur locis humectis & incultis. *Oxyacanthus Theoph.* Diosc. quoque Pyxacanthum appellari testatur, apud quem pro πυξάκανθα legendum πυράκανθα. Plin. ferè ex Diosc. transcribit. Apud Theoph. Pyracanthæ seu Lycii nomen non reperitur: videtur autem hanc intellexisse sub nomine Oxyacanthi, id est, acutæ spinæ. Hæc Cæsalp. in qua Lycij descriptione multa nobis videntur, cum Pyracantha, de qua hic agimus convenire, nisi sit eadem, ut consideranti & examinanti patebit. Hist. Lugd. *Uva ursi.* ἄρκτου σταφυλὴ videtur esse Galeni, id est uva ursi.

Spina acuta 2. Dodo Oxyacanthæ sive acutæ Spinæ alteram hanc annumerat Spinam acutam scribit, cuius flores sint candidi & odorati priori similes. Humiliorem hanc esse. *Pyrena. Uva ursi.* Sibi Diosc. nomen Pyrenæ proprium videri.

Non desunt, inquit Clusius, qui uvam ursi faciant spinam illam perpetuò virentem, Oxyacanthæ vulgari floribus & fructu persimilem, *Pyracantha.* quæ in Belgicis hortis Pyracantha nominari solebat. Eam Anguillara, & rectè quidem, meo iudicio, Oxyacantham legitimam esse censet. *Oxyacantha legitima Theoph.* Nam Theoph. perpetuam comam Oxyacanthæ tribuit. Diosc. Pyrastri folio esse ait: cumque insuper baccas habeat Myrti, plenas, rubras, fragiles, &c. aptissimè Oxyacantham referre mihi videtur. Sic Clusius. *Clusius reprehenditur.* At sit hæc eius opinio qualis qualis velit, illud certum Anguillaram non meminisse huius Oxyacanthæ: immò apertè eo loco, ubi conatus est ostendere, nostram Spinam albam non esse Oxyacantham, fatetur, asserere se non posse quid sit Oxyacantha.

C.Bauh. apud Matth. Oxyacantham Diosc. ait esse qui pro *Rhamnus.* Rhamno, alios qui pro Pyracantha ostendant. Acutæ spinæ nomine à Castore Durante exhiberi se Oxyacantham Diosc. censere, & *Oxyacantha Diosc.* ad differentiam vulgatæ, Oxyacantham Pyrastri folio vocat. *Locus.* In Galloprovinciæ & Italiæ sepibus visitur, sed non ita frequens, teste Lob. Nascitur &, inquit Dale. in Alpinarum gentium Bramovicum & Ebroducensium saxosis convallibus, maximè quà torrentes præcipiti cursu vicinas terras glarea & arenis obruunt. Provenit & in agro Senensi Hetruriæ propè Alcenum montem. Spontè etiam in sepibus circa Bononiam provenire C.Bauh. notavit. Dod. raram ait, in paucorum tantummodo hortis apud Belgas reperiri. *Tempus.* Florere Maio. Visus hic frutex nobis in instructissimis hortis D.Frid. Meyeri & D.Sprengeri, Argentinæ & Heidelbergæ, in cistis cultus magna cura: ille *Pyracantha.* Pyracantham vocabat: hic fruticem Hispanicum ex Italia missum. Ramus cum baccis missus. C. Bauhino nomine Oxyacanthæ. Nos Patavio ramum ex horto D. Cortusi attulimus, qui *Lycium.* Lycium vocabat. Baccæ autumno maturescunt. Nostram iconem, quæ satis feliciter picta fuerat ignavus corrupit sculptor, nam nec flores expressit, nec fructuum umbilicos. Hist. Lugd. etiam baccas habet sine umbilicis, nihilò melius: nec foliorum serraturas rectè exprimit, ut nec icon Lob. quæ tamen baccarum umbilicos ostendit.

BERBERIS VULGO, QUÆ ET OXYACANTHA PUTATA.

CAP. XXIV.

Descriptio. INTER arbores & frutices ambigit Berberis vulgò dicta, modò humilior densè fruticans, modò procerior, caudice satis crasso donata: tota autem superquàm minacibus *Spinæ.* spinis est armata; una, duabus, tribúsve ut plurimùm ex eodem puncto emicantibus: quò loci & folia prodeunt, *Folia.* ad Pruni sylv. quodammodo accedentia, sed ex angusto principio latescentia, spinulis in toto ambitu mollioribus donata, sapore acido, sed quæ prima germinatione sinuosa videas, & pungentibus spinis horrida. *Flores.* Flores in ligula racemosi, tenuis foliolis luteis constant, quibus totidem concoloria stamina respondent, pistillo viridanti, odore gravi: *Baccæ.* quibus baccæ succedunt Cylindraceæ, tenues, per maturitatem pulchrè rubentes, *Sapor.* sapore acido & astringente. Extimo cortici rimoso, & subcinereo aut albicanti, subest liber ex viridi flavescens, & huic materies albida, satis fragilis, cui *Cortex.* medulla ampla. Radix multifida non crassa, nec altè descendens, in terræ summo se continet, egregiè flava sub primo cortice. *Spina Appendix Pl.* Hæc sanè, si quæ alia, nobis Spinam appendicem Plinij egregiè referre videtur: ita quippe baccæ puniceæ in ea pendent, ut meritò priscis Appendices, & ab iis ipse frutex Appendix sit nuncupatus. Sed & crudæ per se, & aridæ in vino decoctæ alvum citam ac tormina, hoc est, dysentericos cruciatus & fluxus indubiè compescunt. *Amiberberis Avic.* Et Berberim Avic. esse volunt, quæ ei Amiberberis dicitur, & ut vult Luminare maius, etiam Oxyacanthæ Diosc. *Lycium.* Ex fructu modernis Lycium fieri: & arborem eius vocari *Darsisahan. Crispinus. Berberis.* Darsisahan, ab aliis Crispinum. Quosdam negare esse Darsisahan, sed errare. Berberim vocat Petrus de Crescentiis quam rura modò Crispinum vocant, & ea dicitur Oxyacantha, inquit Hermol. sed Oxyacanthos quæ sit, in Plinio se non comperisse. *Acris spinus.* Crispinum verò vocari, quasi Acrem Spinum, ut multis placet: atque ex acinis oblongis & racematim congestis vinum fieri, eodem ferè usu quo vinum ex Malo Punico.

Eiusdem cum Hermolao opinionis sunt etiam Ruell. Tragus, Monachi, Fuchsius, Cornar. Sylvius & Luminare maius. His verò contrarius est Cordus, inquiens, *Oxyacantha Oxyacanthos.* Oxyacantha, quæ Theoph. etiam ὀξυάκανθος & ὀξυάκανθα nominatur, ab omnibus esse creditur spina quam Arabes eorúmque interpretes & recentiores cùm Medici tum Pharmacopolæ omnes uno ore Amiberberim & Berberim appellant. Cui sententiæ nos minimè refraga-

fragamur, sed potius conquerimur, confundi apud autores hoc nomine duos frutices natura diversos.

Quæ enim apud Diosc. extat Oxyacanthæ descriptio, nihil minùs designat quàm Berberim. Alia enim est Oxyacantha, cui Gal. adstringendi & pariter incidendi vires tribuit ab ea Spina, quæ à Dioscor. sub Oxyacanthæ nomine describitur, quod iam ostendemus, ab ipsa fruticis descriptione exorsi. Principiò Oxyacantham suam Diosc. Achradi, hoc est Sylvestri Pyro, similem dicit, minorem tamen & spinosiorem. Similitudo autem semper ad formam & figuram rei refertur. At diversissima est Berberi à Pyrastro figura, ut iam declarabimus. Pyraster enim plerumque singulari caudice assurgit, non ita recto, in divaricatos & intortos ramos diviso. Berberis pluribus virgis fruticis modo se attollit, iisque minimè intortis, sed rectis. Pyrastro, antequàm omninò senescat, cortex est lenis, glaber, in flavo spadiceus, in cæsio candicantibus maculis variegatus. Berberi verò longè diversus colore, & in ipsa adolescentia rimosus & rugis contractus. Quapropter, nemo facilè, modò semel tantùm utrumque viderit, Berberim Pyrastro similem dixerit. Iam in fructu tanta discrepantia, ut ne similitudini quidem illæ ullus relictus videatur locus. Berberi quidem rubeus est fructus, sed Myrteæ baccæ dissimilis. Hæc enim rotunda & globosa existit, ille verò oblongus & utrinque acuminatus. Oxyacanthæ deinde fructus ψαθυρός, hoc est, friabilis describitur. Sed Berberis bacca quoniam lenta cute succulentam carnem continet, minimè friabilis esse potest. Friabile etiam non de re quapiam lenta, humida & succosa dicitur, sed de fragili, arida, quæ digitis facilè veluti in pulverem atteri queat. Talis autem fructus Berberi non est. Quare nemo ipsum friabilem dixerit. Censemus itaque aliam esse spinam quæ à Diosc. describitur, ab ea quam Gal. & Arabes Oxyacanthæ & Berberis nomine describunt. Itaque pronunciamus Oxyacantham à Diosc. descriptam esse Pyracantham: Veram autem Oxyacantham de qua Gal. scribit, Berberim esse. Nihil enim obstat quòd quædam ex Dioscor. Galenus in suæ Oxyacanthæ descriptionem transtulerit. Omninò eiusdem quoque sententiæ est Matth. aciisdem penè nixus rationibus: nempe Crispinum vulgò dictum, qui nihil aliud quàm Berberis est, prorsus ab Oxyacantha seu Acuta spina Dioscor. differre. Immò Berberis virgæ pollicarem (addit) crassitudinem rarissimè excedunt, nisi ætate longa incrementum susceperint, quin & rara inveniuntur eius virgulta quæ hominis longitudinem æquent.

Alia Oxyacantha Diosc. alia Galeni.

Oxyacantha Diosc. non est Berberis.

Collatio fructus Berberis cum fructu Oxyacanthæ.

Oxyacantha Galeni.

Ad hęc Pyraster cortice constat aspero, squamoso, inæquali, crasso, colore in nigro rufescente. Berberis verò cortice vestitur albo, lęvi & admodum tenui: quo fit ut non adeò leviter ferro vel lapide tangi possit, quin statim cortex frangatur, & crocea ligni materies detegatur. Prætere Pyraster Prunorum modo aculeata conspicitur, aculeis singulis ex eodem loco erumpentibus, licet rami frequétissimis horreant spinis, iisque nigris, validis, candidi Rhamni modo mucronatis. At Crespinus [Berberis] ternis per intervalla armatur aculeis, simul ex uno eodémque puncto prodeuntibus, adeò ut trifurcato ordine prodeant, duobus scilicet utrinque se pandentibus: tertiò verò medium occupante, albis, planis, non quidem rotundis, fragilibus, & admodum pungentibus. Illud insuper discriminis addit: acutam Spinam fructum ferre Myrti magnitudine: Crespinum [Berberim] verò racematim in uvæ modum, cuius oblongi acini tritici paulò maiores, viridi ac rubentes eleganterque racemis adnexi, puniceos acinos quadantenus repræsentant: quanquam minores, oblongiores, acidiores, & colore etiam multò vivaciores habeantur.

Crespini [Berberis] deinde folia minimè Pyrastri referunt, sed potiùs punicam malum, quamvis latiora, nec adeò in mucronem desinentia, per ambitum spinis tenuissimis frequentissimisque horrida. Radices etiam quæ profectò æquè flavæ sunt, ac si croco essent infectæ, etsi plures sint, atque exiles, nihilominus altè non descendunt, veluti acutæ spinæ, sed in latus summo cęspite vagantur. Flos denique Pyrastro admodum refragatur: namque melinus ex racemo Vvæ simili erumpit, sui fruticis interno colore à quo dum explicatur atque dehiscit, perquàm suavem spirat odorem. Quibus evidentissimè colligi potest, & Oxyacantham Græcis & Berberim Arabibus, non esse hanc nostram Berberim, seu Crespinum vulgò dictum, cuius communis usus est apud Medicos & Seplasiarios.

Sed præter hæc illud etiam certò credendum, quòd si Diosc. per acutam spinam hanc nostram intellexisset, nunquam silentio dissimulasset folia mirabili opere per ambitum aculeata: neque fructum, quem ramis pendulum gerit, acinis inter se racematim cohærentibus, Myrti baccis assimilasset, nec scriptum reliquisset, radices in profundum agi: nec denique flavum earum colorem quo insigniter natura infectæ sunt, unquam reticuisset. Non prætermisisset etiam spinarum historiam, utpote quæ ternæ suis virgis innascantur, à pede ad verticem: non corticis candorem, non tenuitatem: non item, quòd sæpius sine candice variis veluti stolonibus fruticet: non denique ipsam Pyrastro prorsus similem reddidisset, à qua profectò non minùs dissidet, quàm Quercus ab Olea, ut pudeat huic rei vel refutandæ, vel confirmandæ veritati manifestæ diutiùs incumbere.

Alia est Oxyacantha Græcorum & Berberis Arabum, ab hac.

Non dissimulandum tamen eiusdem huius sententiæ præter Cordum & Matth. esse etiam Amatum, Dod. Dalech. Tabern. Hist. Lugd. Camer. Bacchanel. Turner. & plerósq; doctiores, qui ipsam rem non diligentiùs perpenderunt. Quid? Quòd ipse Galenus quoque quamvis hanc spinam ὀξυάκανθον vocet, ab ὀξυακάνθῳ tamen distinxerit, in lib. de simpl. sed & manifestiùs in lib. de fac. alim. ut probè annotat Dod. Etenim, inquit, Diosc. huius Spinæ [Berberis] non meminit: nam quam ipse Oxyacantham fœm. gen. vocat, Galeni est masculini generis Oxyacanthus. Avic. utrumque fruticem sub Amyrberis nomine complexus videtur. Quin & Scrapio Berberim descripturus, Diosc. nomen verbáque producit, quam tamen nunquam ei innotuisse clarum est. Cùm vulgarem Italorum Crispinum, legitimam esse Mauritanorum Berberim totus Oriens clamitet, teste P. Hesso, ubi in præsentem usq; diem Amyrbaris nomen conservat, ut in Arabia: quo nihil est Damasci & Tripoli notius.

Differentia Oxyacanthus & Oxyacantha.

Amyrberis.

Amyrbaris.

Est igitur Berberis Oxyacanthus Galeni. Sicque volunt & statuunt etiam Dod. Gesner. & Camer. ac ita statuent, quicunque rem diligentiùs examinabunt, quamvis Tabern. inter recentiores etiamnum Oxyacantham Galeni dicat.

Oxyacanthæ tamen vocem cum Oxyacantho plerique Herbarij confudere, inter quos & do-

ctissimus Cordus, vulgi opinionem secutus, & diligentissimus Sylvius, & alij plerique, sed parvi momenti est nominum confusio, si de re ipsa constet.

Vua ursi Dalech. volebat aliquando Berberim esse Vvam ursi Galeni l. 7. comp. med. s. loc. de qua re suo loco. *Tragus* Frustra quoque Tragus huic nomina à Diosc. suæ Oxyacanthæ tributa ascribit. Apud Serap. legas Amyrberim etiam Arsam dici, & fructum Zaitach. Hispanicum etiam & Italicum nomen quod Berberi tribuit Amatus, neutiquam ei convenit, sed Oxyacanthæ Matth. sive *Spinæ-albæ*. *Synonyma Linguar. Spina acida. Spina sancta. Bugia officin.* Falluntur quicunque Oxyacanthæ Dioscor. loco Berberim sumunt. Sic Carolus Stephanus Stirpium parum peritus confundit in Horto *Spinum-album* & Berberim. Berberis, *Berberus*, *Crespinus*, *Ὀξυάκανθα*, *Spina acida*, & *Spina sancta*, quorundã, ex qua Bugia officinarum, Germ. Erbsal/Erbsolen / Versing. Sauwerach / Passelbeer/Saurlorn. Io. Bokelius in lib. suo de peste satis barbarè vocat *Barbersi*. Belg. Sauselboom/ Suerboom/ Gal. *Espine-vinette*, atque inde Latino nomine, *Spinivineta*, *Spini vineta.* quòd ex eius acinis vinum exprimatur: *ou de Berberis*. Ital. *Crespino*, Hisp. *Espino de Maiuelas*. Vngar. *Irom Borbala*, hoc est, Vinum-Barbarum, *Fay-sosça*. Boh. *Drac*, sive *Drišťal*. Angl. *Berberi tree*, aliàs, *Pirigde tree*, & *Berberis*. Burgundi vocant, *Bois de sainct Martin*. Et Montbelgardenses Baccas, *Ioumarin*.

Locus. Sponte nascitur multis in locis incultis, sylvosis, frutetis campestribus, montanis, siccis & aquosis: & riuulorum ripis ac collibus etiam potissimùm gaudet. Amat loca frigida, paulò calidiora tamen non respuit. Nam & circa Bononiam observavimus, & in Italiæ hortis plurimis, sed cultam. In Delphinatu iuxta Valentiam, spontaneam. In agro Basiliensi, Alsatico & Burgundico passim ferè occurrit, ut & Montbel. Stuckardiæ in horto illo Ducis regio totas sepes ea contextas vidimus. In Brabantia reperitur in marginibus agrorum & sepibus? In uniuersa Hispania fructum non emittere ait Fuchsius: fortè ob regionis eximium calorem: secùs verò in Germania, Gallia & vniversa Italia.

Tempus. Germinat ineunte Vere: Floret Aprili & Maio. Per Septembrem & Octobrem rutilo suo decore sepes exornant Baccæ, quibus mensibus maturæ carpuntur ad usus. Rubent verò etiam Augusto. Monspelij non vidimus.

Vires & usus. Têperam. Folia & fructus temperamenti sunt frigidi & sicci in secundo gradu, partésque etiam quasdam nonnihil subtiles habent. Vires Spinæ Appendicis ex Plin. ante dictæ. *Vinum. Alvi fluxus.* Quidam ex Baccis vinum exprimunt eodem ferè usu, quo vinum ex Malo Punico, quod per totum annum asservari potest. Estque hic liquor alvi quibusdam fluxionibus, quæ à calore originem trahunt, cuiusmodi ferè æstivis & canicularibus diebus aut sub Autumnum quoque incidere solent, perutilis: non enim solùm sitim immodicam restinguit *Sitis.* sed & continuos ac diuturnos alvi fluxus cohibet. Idem abundantiam mulierum sistit, stomachum & hepar roborat, & appetitum conciliat. *Menses fluxi.* Condiuntur Baccæ pro delicatioribus melle vel saccharo ad eosdem usus, & ad depellendam *Febres.* febricitantium malaciam, quorum morosum nimis palatum cibum ferre quemcunque respuit, atque ita elanguescens eorum appetentia grato harum acore recreatur. Scimus Baccarum succum quemad. & corticis decoctũ, item & foliorũ contusorũ succũ cum aceto plurimũ profuisse in calidis *Dentes.* dolorib. dentiũ à fluxione biliosa vel serosa obortis: arcent enim sua frigiditate & astrictione humorum subtiliũ influxum, & gingivas confirmãt. In doloribus capitis à causa calida fronti applicita multùm possunt. Possunt & maturi acini cũ ramis decerpi, & vel per se in umbra siccari, vel in cella vinaria reponi, ut nostri solent, tùm quando opus, aquæ tepidæ vel gelidæ immergi, (nam quasi reviviscunt,) & ad præscriptos usus accommodari. In omnibus penè calidis morbis in vomitionibus continuis, præsertim biliosis, Berberis Baccæ salutares sunt. *Vomitiones.* Folia tenera Maio mense: acini Autumno mensibus quàm accõmodatissimi sunt. Tradunt nonnulli, acinos maturos tusos, ac cataplasmatis instar illitos, non solùm abscessus calidos lenire, dolore mitigato: sed & illos rumpere, & ad sanationem promovere. Id annotat Tragus. Verùm huic remedio non multùm tribuimus, nec eo etiam uti vellemus. Ad maturandum enim astringentibus non opus. Obsunt repercutientia. Quid igitur prodesse queat Berberis?

Aqua. Aqua ex foliis & floribus Maio mense destillata est, & ad prædictos morbos plerósque præstat.

Succus quod ex Berberis acinis exprimitur, nostro & Matth. iudicio, longè maior inest acerbitas, aciditasque, quàm mali Punici succo quamvis nonnulli aliter sentire videantur. Illud enim, ut egregiè monet Matth. si in acutis perniciosisque febribus, uti Causus, & quæ pestilens, *Causus. Feb. pestilens.* Iulapio Violaceo ac aqua commistum, ægrotantibus exhibeatur, non modò sitim restinguit, sed biliosas pestilentésque exhalationes supprimit. *Cœliaca. Lienteria. Dysenteria. Cholera.* Datur utiliter Cœliacis, cibum reiicientibus & Dysentericis, & ubi bilis à Iecinore in Ventriculum regurgitans cholericos excitaverit affectus: Non tam sumptum quàm inditum mensium profluvia inhibet. *Tinea.* Tineas ventris enecat, præsertim si bibatur ex aqua Graminis, vel Portulacæ, vel Abrotoni, addito sacchari tantillo. *Sputum sang.* Prodest cruentis excreationibus: firmat commotos dentes si eo sæpiùs foveantur, *Dentes mobiles.* quinetiam gingivas roborat, & gargarisatu faucium uvæque inflammationes discutit, *Faucium inflammatio.* atque destillationes eò confluentes reprimit. *Vulnera.* Vulnera recentia in carnis superficie glutinat, & ulcera vetera desiccat. Nocet his, qui ex flatu, ac frigiditate laborant ventriculi doloribus, atque etiam ægrè spirantibus. *Noxa.*

Notatur Matth. Ophthalmia. Huius verò succum mordacem nolimus oculis instillare, in Ophthalmia, etsi, ut suadet idem Matth. pompholyx addatur cum aqua rosarum. Acria enim non possunt non vellicando exquisitissimi sensus oculis dolorem causare, & ita fluxiones potiùs concitare quàm prohibere. Quare hoc remedio uti volentibus suademus, ut extrinsecùs palpebris circumcirca applicent, adhibita cura, ne intra oculos pertingat. *Cautio.* Ex foliis eius viridibus teste Dod. fiunt intinctus, haud secùs atque ex oxalide, ad appetentiam excitandam, ad refrigerandum, atque etiam utilissimi febricitantibus & temperamento calidis. *Embamma.*

Flavus eius cortex, inquit, Camer. pulveratus, auxilio est aphthis, similibúsque faucium ulceribus. *Aphtha. Faucium ulcera.* In lixivio maceratus flavo colore tingit. *Tinctura.* Hunc corticem quædam Officinæ Bugiam nominant. *Bugia.* Assamenta & supellectilem ligneam observavimus hac ratione vernice incrustari, illustrarique. Aquâ, quæ maceratâ collâ mucaginosa sit reddita, illinuntur ligna explendis fibrarum & pectinum interstitiis: siccata infuso, corticum Berberis croceo colore tingunt, tandem nitorem indita vernice liquida vulgata conciliant. *Vernicis pulchra tinctura.*

RHAM-

RHAMNUS CATHARTICUS.

Cap. XXV.

Descriptio.

CELEBRAVIT Rhamnum catharticũ usus in purgando multus & felix, arbusculam sepibus alicubi familiarem, cortice externo nigro vestitam cui duo alij subsunt, alter viridis, alter luteus, materie pallida dura, ramis satis crebris, iisque ferè ex adverso sitis brachiatam, duris, rigidisque & longis spinis foliosis autem, aculeis præterea aliis minoribus horrentem. Folia ad Pruni folia accedunt, acuminata, atrovirentia, crenata, nervosa, adstringenti sapore: flores herbacei coloris parvos profert, quatuor apicibus constantes, multos simul iunctos. Succedunt baccæ frequentes ad radicem spinarum ex longiusculis pediculis, frangulæ pares, per maturitatem nigræ, succo virente plenæ, in quibus grana terna, vel quaterna Pyrorum granis penè similia, figurâ ferè triangulari, cortice nigricante, medulla alba non ingrati saporis, quæ facilè ungue, prementе franguntur, sapor baccarum amarus & subastringens, & qui facilè gustanti nauseam moveat. Habet & succus earum nescio quem sibi peculiarem odorem.

Cortices. Spinæ. Folia. Flores. Baccæ. Grana. Sapor. Rhamnum. Spinam cervinum. Color pro pictoribus.

Rhamnum [inquit, Hermol.] Dioscorid. à nostris Spinam cervalem dicit appellari. Quo argumento videri potest haud dissimile huic genus esse quod & hodiè vulgò Spinum cervinum vocamus, fructu Myrti, foris nigro, intus viridi, ob id, vel ad colorem pingentibus idoneo. Cortex arbori subniger & nitidus, quasi Ceraso, interior virens, postea luteus, lignum extrà candidum, interior medulla rubet. Hermolai hanc opinionem sugillans Marcel. Fuerunt, inquit, qui Spinum Cervinum appellatum Rhamnum crediderint, non animadvertentes fruticem à Diosc. non arborem vocari, virgásque non ramos illi tribuere, & Rubis, Hederæ, Paliuróque, ac similibus plerisque aliis coniungere eam Theophrastum, quorum nullum arborescit. Spinum verò Cervinum arborescere, & humani femoris crassitudine truncum aliquando habere, & omnem rubrum esse, quum Rhamnum nigram & candidam Theoph. tradiderit. Nec posse Rhamnum arborem intelligi Theocritus ostendit, Nam si arbor fuisset, pedibus nocere non potuisset. Hermolai opinioni adstipulantur, Ruell. Gesnerus, & Fuchsius quondam etiam Spinam cervalem cervinamve vocavit. Ac Ruellius quidem & Ryff ambo more suo Hermolai verba ipsa adducunt, eo tamen non citato. Quasi maluerint se falsa induere opinione, ut aliquid dixisse videantur, quàm autori suo citationis honorem referre. Quin & à Trago hæc planta pingitur & describitur sub hoc nomine: Rhamni 2. species: quo verò apud veteres habitus fuerit, sibi non satis constare fatetur. Et nisi folia eius hyeme decuterentur, facilè se dicturum esse speciem Rhamni alteram apud Theoph. Quanquam id obstare neutiquam posse censeat, quò minùs Rhamnis accenseatur. Siquidem nec Diosc. nec Plin. perpetuò virentium Rhamni foliorum ullam fecerint mẽtionem. Quapropter præsentem fruticem Rhamni speciem esse statuit, quoad alij certiorem eius nomenclaturam docuerint. Et in Hist. German. idem tradit, & nec à Nicandro quidem scribi perpetuo esse folio. Ac parvi id momenti esse etsi hyeme excidant folia, quominùs Rhamnus 2. Theoph. esse possit, se itaque in ea mansurum opinione, donec alius meliora tradat. Nobis sanè verò maximi momenti esse videtur, plantam esse vel sempervirentem, vel folio deciduo, & hanc notam nusquam facilè deleri contemnive deberi aut posse statuimus. Præterea non videmus quid in hac stirpe appareat, cuius merito Rhamnus candidus, qui alter est Theoph. dici possit. Mirum etiam, Tragum, alioqui sedulum herbarum vestigatorem, facultatis purgatricis huis fruticis non meminisse. Cordus quoque Cervi spinam vocat: Et Cæsalp. Spinam cervalem vulgi, quasi & ipse dubitaret esse veram & legitimam Diosco. Dubitasse videtur & Apollo, nequicquam statuens. Sed revera Rhamnus non est, ac tantò minùs Spina cervina Dioscor. ut rectè nostro iudicio statuit Marcellus contra Hermol. cuius opinioni etiam refragatur Matthiol. quamvis non nisi ex Marcello id hausisse videatur.

Non esse Rhamnum. Ruell. & Ryff. transcribunt, & suo nomine vendicant. Rhamni 2. species. Rhamnus 2. Theoph. Tragi opinio reiicitur.

Hallucinantur proculdubio, inquit Amatus, qui Spinam cervalem vulgò dictam, Gallis *Burgam* vel *Neprum*, Rhamnum esse putant, quum revera nulli Rhamni generi respondeat. Et Dod. Rhamnum solutivum vocans, negat tamen esse verum Rhamnum vel Theoph. vel Diosc. Nec placent qui Rhamnum simpliciter & absolutè dicunt, ut fecerunt Theoph. Golius in Onom. Euchar. Rosslin, & Helsricus, qui & ῥάμνον, & Spinam albam vocat, nihilò rectiùs & alia quædam nomina tribuit, neutiquam huic arbori competentia. Nihil tamen impedit, quominùs cum adiectione Rhamnus Catharticus vel solitivus dici queat, quòd Rhamnis quodammodo, spinis, baccis, & aliis quibusdam accedat, ut à plerisque recentioribus herbariis fuit nuncupatus.

Rhamnus solutivus.

Spina infectoria Matth. Clus. Penæ, Lob. & aliis. *Spina merula* quorundam. *Spinam cervalem*, inquit Amatus, Hispani *Alvarem*: Itali verò *Merlam* vel *Cervinam*, Galli *Burgam* vel *Neprum* appellant. German. *VVegdorn, VVegdornbeer, Creutzbeer, VVeersenbeer, VVahenbeere, Ferbkorner, Ferbbeer* Darvon man das Saffrgrun macht. Belg. *Rhijnbesien doren Besienboom*, Baccarum arbor: & fructus *Rhijnbesien*, id est, *Rhenana* baccæ, quòd magna copia iuxta Rhenum reperiatur. Italis *Spino merlo*, Longobardis Venetisque *Spin Cervino*: Foroiuliensibus *Spin-guerzo*, cæteris *spino da tingere*. Bacchan. tradit Hetruscis *Maracho* dici: num rectè, ipse viderit. Gal. *Neprun. Bourgespine*. Gallobelgiæ *Nertpruyn*. Hung. *Eb tovisk*, i. e. canina spina.

Spina infectoria. Spina merula. Spina Alvaris. Merla. Burga Neprum. Baccarum arbor. Rhenana bacca.

Pulchram iconem habet Matth. ut & Camer. quæ meliùs placent nostrâ. Euchar. duas figuras habet diversis locis, & diversis nominibus, quasi de distinctis plantis tradidisset, cùm tamen utrobique posita illa nomina [nempe primo loco Kreutzbeer/Ferbkörner: alio Wegdorn/

Figura. Euchar. error.

Weerfenbeer] omnia uni huic frutici conveniant.

Locus. Nascitur multis Germaniæ locis senticosis, & sepibus, agrorum limitibus, ac iuxta vias, in dumetis iuxta itinera & vias sitis, ut vix alibi copiosiorem observes: unde & Germ. Wegdorn, quasi *Viarum baccæ*, vel *baccifera* dicta. Amat inculta loca, & rivulos ac scrobes aquam habentes. Basileæ, Tiguri, inter Montbelgardum & Beffordiam circa Barmont copiosè nascitur. In horto E.C.Montb. copiosè alitur inter sepes. Multis Pannoniæ locis vulgatissima est, ubi interdum arboream amplitudinem adipiscitur, teste Clus. quales & aliquot videas in horto prædicto. Floret Maio. Autumno baccæ maturescunt.

Tempus.

Vires & usus. Folia frigidæ & siccæ sunt naturæ: ideò igni sacro & serpentibus ulceribus efficaciter illinuntur. Quædam mulierculæ vel folia vel interiorem corticem cum modico aluminis vino decoquunt, adversus oris ulcera & putredines, quibus hoc medicamento gargarisatu singulari experientia succurrunt. Baccæ huius fruticis messis tempore lectæ arefactæ & tusæ in aqua & alumine maceratæ, luteum seu croceum potiùs reddunt colorem, quo librarii olim libros pingere consueverunt. At hodie cùm auripigmentum usu recipi cœpit, repudiati sunt acini isti, quanquam locum adhuc habeant apud eos qui chartas depictas & lusorias, nec non coria colore flauo inficere solent. Autumno cùm baccæ istæ maturitatem suam assecutæ nigræ evaserint, leguntur, & tusæ in vase æreo asservantur, & pulchrè viridem exhibent colorem. Vnde nonnulli eum viridè colorē ex his parant, quem Ger. Saffgrün vocamus. Gal. verò, *verd de Vessie*. Belg. Sapgruen: qui pictoribus accommodatissimus est, & in magno usu. Hi acini cùm circa festum D. Martini in arboribus adhuc hærent, legi solent, & ad Puniceum colorem conficiendum ab iis qui coria inficiunt, & depictas chartas coloribus illustrant. Ex his facilè liquet has baccas utilissimas esse, ut quæ tria colorum genera præbeant, croceum, viridem & puniceum, ut in scripta retulit Tragus. Baccæ autem, ut gustu amaritudinem cum adstrictione quadam referunt, ità & calidæ siccæque existimantur ordine secundo. Purgatrices verò sunt, atque crassam pituitam & biliosos quoque humores per alvum educunt. Nos peculiarem earum vim in sero & aquosis humoribus efficaciter educendis experti sumus, quapropter non rarò earum syrupus ad uncias tres hydropicis præscriptus notabili cum successu datur: atque etiam exhibetur aridarum pulvis a ʒj: ad ʒiß. autore Dodon. Nonnulli baccas numerant, qui à XV. ad XX. exhibent, vel etiam plures duris hominibus. Præstat autem ipsas confractas in iusculo pinguis carnis absque sale incoquere, atque iusculum ebibere: sic etenim minori cum molestia, ac paucioribus ventris doloribus ac torsionibus evacuant. Incoquuntur autem baccæ à XL. ad LX. pro robustissimis etiam plures. Idem Dod. tradit baccas potenter purgare per inferiora, evacuare pituitam viscidam ac humores biliosos magna vi & excessu, ita ut multum corpus perturbent eorum qui sumunt, ac sæpè vomitum movere. Itaque non convenire nisi iuvenibus robustis & rusticis, qui magis parcunt pecuniis, quàm vitæ suæ, Sed mollibus & debilibus has baccas valdè nocere, immēsa sua vi: atque eò magis si non correctæ & castigatæ exhibeantur. Et sanè cùm facilè parari possit ex iis syrupus, aut ipsæ quoque prædicto modo administrari, ipsas baccas temerè, nisi robusto devorandas dare nolumus. In Syrupo verò quo quotidie & frequenter utimur, etiam in delicatissimis naturis, nullam molestiam effatu dignam, unquam deprehendimus: & solvendo corpori accommodatissimum à multis iam annis cognovimus, etiam in nobisipsis. Paratur Matth. hoc modo. Baccæ probè maturæ, ut Octobris principio, leguntur ad lib. ij. mundatæ, conquassantur parum, & in ollam vitreatam inditæ per tres quatuórve dies benè tectæ, stare sinuntur loco tepido. Postmodum exemptæ in sacculum coniiciuntur & prælo subiectæ exprimuntur. Succus expressus cum lib. j.ſ. Sacchari lento igne coquitur ad Syrupi consistentiam. Postea colatur, adduntúrque Cinnamomi & Zinzigeberis benè pulverisati ana drach. 4. Garyophill. drach. ij. & in usum reponitur. Huius uncia j. ad drach. x. placidè purgat pituitam omnésque crassos & viscosos humores. Quare podagricis optimum est medicamentum. Nos ita fieri iubemus. Succi baccarum maturarum extracti & ritè depurati lib. V. coquantur cum Mellis opt. & Sacch. ana lib. j.ſ. ad Syrupi consistentiam. Adde pro unaquaq; libra Syrupi, Cinam. & semin. Anisi conquassator. ana ʒ. ij. in petia ligata, immergātur. de hoc tutò dabis ab ℥j. ad ℥ij: nec prædictas molestias metues, nisi fortè in exquisitissimè delicatis homuncionibus aut impuris planè corporibus in quibus omnes ferè purgationes molestiores fieri scimus, quòd plærique tales stomachici sint quorū Camerinam absq; singulari cautione mouēre periculósum, fit & ex baccis his Electuarium, nonnullis in locis usitatum, ut & Syrupus: quæ ambo parum amica stomacho Camer. censet, ideóque eò diligentiùs corrigenda. Medici Lutetiani, inquiunt, Pen. & Lob. certiores virium, quàm Matth. ut qui non ad pituitam crassam & viscidam, sed potiùs tenuem educendam, prudentiùs utuntur. Sanè & nos præcipuam earum vim in extrahendis aquis deprehendimus ut dictum.

Igni sacer. Serpentia ulcera. Oris ulcera. Color luteus. Viridis color. Puniceus color. Temperam. Purgant. Hydrops. Dosis. Vomitiùs purgant. Molestè purgant. Syrupus. Alius modus. Observatio. Electuarium. Matth. not.

RHAMNVS SOLVTIVVS PVMILVS PANNON. I. Clus.

Descriptio. EX ea plantæ portione, quam penes nos in sicco nostro herbario habemus, apparet fruticem esse ad Rhamnum Catharticum vulgarem accedentem, cortice tectum nigricanti. Folia ex eodem tuberculo plura oriuntur, brevibus pediculis hærentia, acuminata, unciam plus minùs longa, semunciam lata, circumcirca crenata, lævia. Baccæ siccæ Terebinthi fructum referunt, tùm magnitudine, tùm forma turbinata, in acumen desinente pediculis semuncialibus appensæ: nec demonstrant commissuras quales Clus. habet in Rhamni sive spinæ infectoriæ Pannon. 2. sua figura, cui tamen folia satis respondere videntur.

Folia. Baccæ.

Considerandum an possit esse prima eiusdem, cuius nullam dat figuram, quamque sic describit: Spina infectoria prior bicubitalibus assurgit ramis, in multas alas divisis, cortice lævi, spinæque infectoriæ vulgari tum colore tum substantia simili, tectis, qui membrana superiori dempta: ex viridi pallescit, & sapore est amariusculo: ramuli paucis spinis horrent, sed ipsi in spinas plærúmque desinere solent. Folia vulgari ferè similia, sed minora & angustiora, ad Pruni sylv. folia plurimùm accedentia, gustu linguam exiccante. Flos congestus, ut in vulgari,

Spina infectoria. Cortex. Flos.

garneum, eiusdemque coloris & formæ, hoc est, ex pallido herbaceus, & quatuor foliolis constans, minor tamen. Radix ut in aliis fruticibus lignosa. Hanc si quis Lycij generibus annumerandam censeat, non refragabor.

Lycij genus.

Frequens cum vulgari Rhamno exit in Leytenberg. Floret Maio.

Locus & tempus.

RHAMNUS SOLUT. PANNON. II.

Descriptio

Spina infectoria Pannonica 2. Clusio, cubitales habet ramos, minimi interdum digiti crassitudine, plerúmque minores, nigro rugosóque cortice obductos, superiore parte in ramulos divisos, qui tenuiore & læviori cortice tecti plerumque in acutam spinam desinunt. Folia Myrti aut sylv. potiùs, breviora tamen & minora, viridia, per ambitum nonnihil serrata, gustu, primùm adstringente, deinde nonnihil amaricante: Flores inter folia herbacei, quatuor foliis constantes, ut in priore: Fructus deinde spinæ infectoriæ vulgari haud absimilis: binis, nonnunquam etiam ternis veluti commissuris distinctus, initio viridis deinde per maturitatem niger. Radix crassa, lignosa, dura, raras fibras in latera spargens. Et hanc quoque Lycij generibus accenseri æquo fere animo. Tabern. Germ. Ungerisch Wegedornbeer & Creutzbeer vocat. Botanici qui viderunt, considerent quantùm differat hic Rhamnus à Lycio Gallico.

Cortex. Folia. Sapor. Flores. Bacca. Radix. Lycium.

Nascitur copiosè in monte Bodensi thermis imminente & vicinis iugis, loco petroso & salebroso.

Locus.

RHAMNUS BAVARICUS
DALECH.

Descriptio

Pro Rhamni etiam genere spinosam plantam Germanus quidam rei herbariæ studiosus ex Ingolstadio Dalechampio attulit, quam Rhamnum Bavaricum vocabat, quod aliud aptius nomen non inveniret. Hæc planta, ut ille narrabat, hominis altitudinem superat, cortice est purpurascéte, spinoso, foliis densis, pallidis, omnibus serratis, sed aliis longioribus & angustioribus, prima scilicet ramorum parte, nec Ilici dissimilibus, aliis brevioribus & rotundioribus, circa ramorum extrema Rhois folia utcunque æmulantibus, spinis multis, tenuibus, sed acutissimis, foliosis, ut in primo Rhamno Matthiol. Histor. Lugd.

Cortex. Folia. Spinæ.

LYCIUM VETERUM.

CAP. XXVI.

Λύκιον, quod aliqui πυξάκανθαν vocant, autore Diosc. arbor est spinosa, virgis trium cubitorum, aut etiam longioribus, circa quas folia sunt Buxo similia [Plin. Radix Buxei coloris] densa. [πυκνά: quidam frequentia vertunt] Fructum fert Piperis instar nigrum, [μέλανα Cæsalp. non probat, sed melinum substituit, id est, luteum] amarum, densum, [πυκνόν, sive succi plenum, aliter quàm Matth. & Corn.] lævem: corticem verò pallidum, Lycio diluto similem. & radices multas, obliquas, [pro πλαγίας ut Oribas. habet à Plin. legi potuit παχείας, Serap. quoque legit πλαγίας] lignosas. Nascitur plurimùm in Cappadocia, Lycia, pluribúsque aliis locis. Aspera loca amat.

Descriptio Diosc. Pyxacantha. Folia Buxi.

Succus dicitur radicibus cum frutice ipso tusis [Ruell. hîc more suo maluit Plinij sensum exprimere, quàm autori fidem præstare, cùm ait: Rami cum radiculis tusi, &c.] & per dies multos maceratis, deinque coctis: ac tùm ligna quidem abiiciuntur, liquor verò iterum coquitur, donec mellis crassitudo fiat. Adulteratur amurca inter coquendum admixta, aut Absynthij succo, aut felle bubulo. Quod verò spumosum innatat inter coquendum, eximito, & ad oculorum medicamenta reponito: reliquo ad alia utitor. Simili modo & è fructu expresso & insolato succus elicitur. Optimum est Lycium, quod igni accenditur, quodque dum restinguitur, rubentem spumam (Oribas. καπνόν, id est, fumum legit) edit, extrinsecus nigrum, intus verò cùm dissecueris fulvum, minimè virosum, cum amaritudine astringens, colore croceo: quale est Indicum, reliquo prestantius & efficacius. Vim habet astrictoriam, & quæ pupillis caliginem offundunt exterit: palpebrarum scabiem, pruritus veterésque fluxiones sanat. Facit & illitum, ad aures purulentas, tonsillas, gingivas exulceratas, labiorum fissuras, sedis rimas & attritus. Cœliacis & Dysentericis, tum potum, tum etiam infusum convenit: Datur & sanguinem excreantibus atque tussientibus ex aqua: itémque à rabioso cane demorsis, catapotij instar devoratum, aut ex aqua bibitum. Flavos facit capillos: Reduviis, herpetibus, putrescentibúsque ulceribus medetur: fluxum muliebrem appositum sistit, & à rabiosis animalibus demorsis, seu in lacte bibitum, seu catapotij vice assumptum, auxiliatur. Fertur & Lycium Indicum [hæc sequentia superflua apud Dioscor. putat Cornar.] fieri ex frutice Lonchitide vocato. Est is è spinarum genere, virgas habens rectas tricubitales aut etiamnum maiores à fundo numerosas & Rubo crassiores. Ruptus cortex rufescit: folia verò Oleæ similia visuntur. Cuius herba in aceto decocta propinatáque proditur Lienis inflammationibus, Regióque morbo mederi, & fœminarum purgationes ciere. Cruda quoque trita in potu eadem præstare traditur. Semenis mystra

Locus. Lycij succi parandi ratio. Adulteriū. Succus è fructu. Delectus. Indicum. Vires. Caligo oculorum. Scabies palpebrarū. Aurium ulcera. Gingivarū ulcera. Rima labiorum. & ani. Cœliaca Dysent. Sanguis sputum. Canis rabidi morsus. Capillos tingit. Vlcera putrida. Menses suppressi. Lycium Indicum. Lonchitidis descriptio Vires. Lienis inflammatio. Icterus. Menses cit.

Purgant. Venena. duo epota aquosa expurgant, suntque adversus lethalia medicamenta remedio.

Pyxacanthum Chironium. Plin. Plin. verò spinam eam ex qua Lycium fit in Græcia, Pyxacanthum Chironium vocari dicit, quam vocem superfluam putat Dalech. Sed Plin. verba, ut à Diosc. nonnihil variantia lubet adscribere Fert & Spina Piperis similitudinem, præcipua amaritudine, foliis parvis densisque, Cypri modo, ramis trium cubitorum, cortice pallido, radice lata lignosaque, buxei coloris. Hæc in aqua cum semine excepta in æreo vase medicamentum fit, quod vocatur Lycion. *Lycium.* *Adulteriū.* Ea spina & in Pelio monte nascitur adulteratque medicamentum. Item Asphodeli radix, aut fel bubulum, aut Absynthium, vel thus [Rhus. CH.] vel amurca. Lycion aptissimum medicinæ, quod est spinosum. Indi in utribus Camelorum aut Rhinocerotum ad mittunt. Ita vides Diosc. folia Buxo similia dixisse: Plinium verò radicem buxei coloris, eandémque latam, quum in Dioscor. legatur obliqua, ut non vana suspicio sit Cornar. Plinium πλατεῖαν pro πλαγίαν legisse. *Plin. error.* Sed fallitur Plinius & in eo, quòd Indiam eam ferre dicit, ut annotat Dalech. Hæc enim Lycij descriptio in Cappadocia, Lycia, Et ut ait, in Pelio nascentis. Indica spina Lycij, quam Lonchitin vocat Diosc, aliter ab eo describitur, ut paulo antè citatum. Idem Plinius & alibi tradit ex Rhamni sylvestris radice fieri medicamentum, quod vocetur Lycium. At hoc falsum esse & à nemine proditum, iam suo loco ostensum. Idem mox subdit: Lycium præstantius è spina fieri tradunt, quam & Pyxacanthon Chironiam vocant, *Pyxacanthus Chironia.* quales in Indicis arboribus diximus, quoniam longè præstantissimum existimatur Indicum. Coquuntur in aqua tusi rami, radicésque summæ amaritudinis, æreo vase ferè per triduum, iterúmque exempto ligno, donec mellis crassitudo fiat. Adulteratur amaris succis, etiam amurca & felle bubulo. *Vires.* Spuma eius ac flos quidam oculorum medicamentis additur. *Faciem purgat.* Reliquo succo faciem purgat, & *Ψώρα.* psoras sanat, erosos angulos oculorum, veterésque fluxiones, aures purulentas, tonsillas, gingivas, *Tussis.* tussim, sanguinis excreationes, fabæ magnitudine devoratum. Aut si ex ulceribus fluat, *Rhagades. Genitaliū ulcera. Attritus. Clavi.* illitum, rhagadas, genitalium ulcera, attritus, ulcera recentia ac serpentia ac putrescentia [in naribus Dalecham.] vt & clavos, & suppurationes. Bibitur & à mulieribus in lacte contra profluvia. Indici optimi [Diosc. non Indici] differentia, *Delectus. Temperā* glebis extrinsecus nigris, intus rufis, cùm fregeris, citò nigrescentibus. Astringit vehementer cum amaritudine. Ad eadem omnia utile est, sed præcipuè ad genitalia. Hæc Plin.

Lycium Galeno. Sed & Galenus audiendus: Lycion sive Pyxacanthon arbor spinosa, ex qua Lycium, quod vocant conficitur, *Sugillata.* id videlicet medicamentum liquidum, quo ad sugillata utuntur, & sedis orisque phlegmonas ulcerationésque tum herpetas, *Herpetes. Vlcera contumacia.* putredines, & ulcera contumacia, & aures pure fluentes, & intertrigines ac paronychias. *Intertrigo. Paronychia. Temperā.* Est autem facultatis exiccatoriæ, compositum ex diversi generis substantiis, quas ἐπεξηγησεις Græci vocant: altera quidem tenuium partium digerente atque calida: altera terrestri & frigida, ex qua adstrictionem obunèt. *Caruehe.* Porrò, hæc qualitas pusilla medicamento inest: digerit verò & desiccat, non parum, nempe in secundo ordine: in calore autem mediis & symmetris proximum est. Proinde ad varia hoc utuntur medicamine: ut abstergente quidem ad ea quæ pupillas obtenebrant, [ad putredines & Cacoëthe ulcera] ut contrahente *Vlcera* verò, Cœliacis, Dysentericis ac muliebri profluvio adhibentes. Lycium hoc in Lycia & Cappadocia plurimùm provenit: alterum verò Indicum, ad omnia valentius est. Hæc Gal. qui idem l.4.c.4. τῶν κατὰ τόπους de Lycio loquens: *Locus.* Non obscurum esse puto, inquit, Indicum Lycium à medici, non hoc quod apud nostros populos provenit.

Cornar. verò ut monebimus, quæ in Diosc. de Indico Lycio habentur, fieri ex frutice Lonchitide, penitus suppostititium esse iudicat, & de Lonchitide herba illuc translatum, de qua idem Diosc. l. 3. agit. Officinæ hodie nonnullæ Lycium habent, *Lycium Offic.* sed unde collectum, aut allatum, ignotum est ferè, inquit Cornar. etiam his qui materias medicas important, ut qui vix appellationum aliquam cognitionem habeant. Nasci autem & in Italia in Ligurum montibus Pyxacantham, unde Lycium rectè fiat, quidam tradunt, de quo mox. Qui de aromatibus Indicis scripsit, narrat Lycium ab Indis vocari Cate: *Cate.* fieri è ramis arboris Hacchic, minutim concisis, elixis, contusis, cum farina Nachani succo mixto, & in pastillos tabellasque formato. Arborem verò Indici Lycij postea describemus ex Garcia. Lycium Indi vocant *Lycij parandi ratio apud Indos.* Græci quoniam Indicum nomen non satis noverant, pro Cate principiò quidem Acanthon nominarunt: Et quia in Lycia & Cappadocia ea arbuscula Buxi folio est, Pyxacanthum appellarunt, *Pyxacanthus unde.* teste Dale. arboris Indicæ figuram ignorantes, quæ Tamarisci folia habet, alias spinosissima, ut posteà specialiùs patebit. Nunc Lycij differētias, quæ eo nomine hoc seculo innotuere tradamus, incipientes à Gallico.

LYCIVM GALLICVM.

Descriptio. LYCIVM Gallicum spinis rigidissimis horret Oxyacanthæ Matth. similibus, circa quas flores parvi, *Flores.* multi simul, ex brevibus pediculis, quibus succedunt baccæ, quæ *Baccæ.* maturæ sub pellicula continent semina oblonga, polita, striata, exiccatæ bicoccæ & tricoccæ apparent; *Sapor.* baccis Spinæ Burgundicæ sic satis similes, amaræ valdè. Lugdunum adferuntur nomine Grani tinctory, *Grana tinctoria.* Graine à teindre. *Folia.* Folia ad Prunum sylv. nonnihil accedentiā, tenuia, minora, in ambitu aliquantulū serrata, nervosa, decidua. In siccis nullum deprehendimus manifestū saporē. Nascitur in asperis & saxosis circa Avenionem, & Carpantoractem, In Hist. Lugd. *Lycium Dalech.* Lycium Dalecham. describitur Spina tres cubitos alta, cortice in cinereum pallescente, *Cortex. Radix.* radicibus multis lignosis, aculeis foliosis, *Fructus Garciæ.* fructu Piperis magnitudine, nigro, adnexo brevi pediculo, nunc triangulo, nunc quadrangulo, nunc

cordis

cordis figura, pro nucleorum numero: è cuius fastigio pilus duplex subtilissimus eminet, gustu adstringente & valdè amaro. Baccis ad tingendum sericum aureo colore infectores utuntur, easque vocant Tinctorium granum, *Graine à teindre*, aut Flavum granum, *Graine iaune*, aut Avenionense granum, *Graine d'Avignon*. Ex eo quod de Lycio Diosc. prodidit nimirum ξανθίζειν τὰς τρίχας, flavos reddere pilos, movit Dalechampium ut crederet, quod & multi asserunt, verum Lycium, quamvis hæc planta non sit, cuius succo in Offic. utimur, eosdem effectus tamen præstaturam, quos veteres suo Lycio tribuerunt. Eiusdem Dalech. figura ad plantam siccam facta, in qua contrahuntur folia. Baccæ etiam proculdubio erant siccæ, quæ ita angulosæ appictæ. Solitum fuerat advehi Lycium ex Lycia, verùm quid sit hodiè norunt perpauci, inquiunt Adver. Est in Provinciæ Narbonæ plerisque locis arbuscula [Lycium siue Pyracantham Narbonensium vocant] Oleæ sylv. similis, Arbuti magnitudine, foliis Oleæ, sed brevioribus, rigidioribus, rotundioribus, minoribus, caudicis foliorúmque viridi, obscuro, saturiore, colore subfusco, spinis crassis atq; rigidis, prędurís. Baccæ sunt ut Phylireę maioris, sed rotūdiores quàm Oleæ, succo subrubro, Oleaginoso, uti Phylireæ: qui amarus, ingratissimus, accensus cum strepitu quodam flagrat, extinctus rubet. Hanc, tametsi præ se undique referat Lycium, tamen non auderemus asserere eandem esse. Id tamen audemus dicere, vix maiori posse usurpari commodo Lycium, quàm istud nostrum: & posse longè propiùs, aptiúsque subdi illi quàm Amurcam: habet námque vires digerendi quadam cum astrictione. Quod si non sit Lycium, fuerit sanè species Oleæ sylvest. cuius Amurca omnium præstantissima vice Lycij est. Valdè putamus Matthiolum hic iconibus abuti, sed & Anguillaræ etiam & aliis doctioribus vera monentibus conviciari. Considerent itaque periti an hæc conveniat cum Lycio à nobis descripto & depicto: an verò illa quam eadem Adverf. Paliuri alterius peregrinę nomine describunt his verbis: Quædam spinis horrida, foliis Oleæ minoribus, baccis nigris, tricoccis, Smilacis, gravidis, succo fulvo, tincturæ apto, prægrandibus, Berberidis modo, granis ternis, sed minoribus, oblongis, gustu subacri, cuius hic picturam damus, non procul Monspelio, qua itur ad scaturiginem Lani amnis, secus ripam & propè viam multa. In qua sanè descriptione multa sunt, quæ cum nostra conveniunt, excepta comparatione illa foliorum cum Olea. Figura sanè quam ponunt Adv. pro Paliuro 2. peregrino satis quadrat cum nostro Lycio, quamvis foliorum serratura non adsit, granaque angulosa non appareant. Vix enim putamus virentia ita angulosa esse, ut sicca, nisi fallat memoria. In icon. Lob. p. 279. errore ut existimamus Typographi pro icone prædicta alia posita, nempe Pyracanthæ, quæ etiam posita p. 182. sub titulo Rhamni 3. Dioscor. Nec scimus cur ibi etiam ita vocetur, quum in Adverf. Pyracantha dicatur, nisi & is sit error Typographicus.

Tinctorium granum. Flavum granum. Avenionense granum. Verum Lycium.

Lycium Narbonense.

Succus Lycij.

Proprietas Oleæ sylv.

Matth. Lycium.

Paliurus 2. peregr.

Locus.

LYCIVM ITALICVM.

Descriptio. Bacca.

ANTE plures annos accepimus à D. Cortuso baccas similes baccis Lycij Gallici, cum inscriptione Lycij ex monte Baldo: colore tamen

differunt, sunt enim purpurascētes & ferè nigræ: semina in baccis ad Berberim accedunt, breviora tamen lucida, polita, colore subfusco, aut ex spadiceo in nigrū vergente, penè triangula, inter ea quædam sulcata: saporem amarum non deprehendimus, sed aliàs ingratum? Quædam etiam baccæ apparent angulosæ: an verò virentes tales, sint nescimus: Postrema Matth. figura id non demonstrat. Fortè succo & carne humidiore exsiccata, à granorum intus positorum situ & figura tales apparent, ut hinc dicat Anguil. ad Tithymali fructus accedere. Nihil tamen asserimus. Qui viderint plantam virentem, explicent. C. Bauh. apud Matth. putat esse Lycium 1. Cæsalp. & Brassavolæ, cuius icon ex Matthiol. proposita falsa est, nec meretur nomen Lycij primi, tantùm abest ut Brassavolæ sit dicendum: ac multò etiam minùs Cæsalpini, cuius Lycium suspicamur esse Pyracantham Lob. de quo diximus alibi. Idem C. Bauh. & Lycium 2. apponit sub alia figura quod & Italicum vocat.

Semina.

C. Bauh. Lycium.

Lycium 2.

Cæterùm ut Galli suum, sic Itali suum quoque Lycium celebrant, atque adeò melius censent. Sic enim tradit Matth. Lycium medicamentum Officinarum adulteriis non vacat: hoc ævo ex Lycia ad nos non importatur: veruntamen & in Italia Lycij arbor nascitur: quandoquidem (ut Brassavolus testatur) in Liguriæ Alpibus frequens illa visitur. Eadem & in Dalmatia provenit, unde nuper eius ramuli baccis onusti mihi allati fuerunt: quippe (ut mihi retulerunt) via, qua ex Zara itur Nonam, ubique virescit. In com. cum magnis fig. Lat. & Ital. ait Licij plantam, cuius iconem dat, sibi missam à Baptista Balisto Dalmatô Myropola: Sed revera plantam ipsam vivam à se nusquam visam. Cæterùm quamvis censeat vitiligator quidam, eam fictitiam potiùs, quàm veram esse Licij plantam, se tamen, cùm Lycij historiam omnib. ferè notis illam representare videat, eam ex commētariis eruendam consultum non duxisse, quoúsque alius compareat, qui ex Lycia, vel Cappadocia veriorē Lycij plantā ad nos afferat. Haberi quoque aliam quandam plantam, quæ non parum Lycium æmuletur. Hanc primùm Verona ad se missam à Fran. Calzolario, cuius & imaginem exhibet, ut de ea quoque aliorum sit iudicium. Lycium Arab. *Hadhadh, Hadad, Kilulem* sive *Felzakarag* vocari. At pace Matthioli dixerimus, icon, quam fictitiam apponit [ut is non negat, merebatur quæ ex commentariis suis erueretur cum aliis quamplurimis fictitiis: res docendæ, & vivis imaginibus repræsentandæ, quantum in nobis est, non figmenta, non excogitatæ larvæ, ut ipse non parum sæpè factitat. Lycium Italicum verum sit an non, nihil refert, modò talis exhibeatur, qualis est, & pro Italica. Qui Itali

Lycij arbor. Locus.

Alia Lycij similis.

Arab. Matth. fictitiae multae icones.

Digitized by Google

cam dicit, non Lyciam vel Cappadocicam dicit. Cautiùs sanè Camer. immò & fideliùs in sua epitome Matthioli illam omisit, Lyciique Italici titulo alteram genuinam apposuit cum hoc lemmate: Planta est aculeata, Pruni sylv. faciem referens, minoribus tamen foliis: flores mittit candidos, è quibus baccæ gignuntur, Ligustri ferè similes, sapore acerbo atque astringenti, è quibus succus exprimitur.

Flores.

Sed Anguillaram Matthiolum castigantem audiamus. Verum, inquit, Lycium hodie non cognoscitur: planta quæ pro eo demonstratur non convenit. Effigies quæ missa Matthiolo Lycij provenientis in Nona non est vera: folia ei non sunt Buxi, quamvis parva, sunt enim tenuia, & potiùs similia Pruno sylv. Fructus non similes Piperi sed potiùs Tithymalo, non multi simul, sed rari, non amari: cortex non pallidus sed potiùs niger: spinosus quidem est. Eam plantam non convenire cum figura Matth. clarum erit iis qui iter suscipient versus Zaram & in Italiam per sylvam dictam Legnano propè Marano & Rivoli Veronensium & alia loca. Nullam etiam spinam invenio quæ conveniat cum Lycio secundo eiusdem. Hæc ille. Et sanè dubium non est, fictitiam esse, ut dicebamus. Miramur tamen Matthiolum fateri à se nusquam visam plantam, & missam imaginem à Baptista. Cur igitur ei eum honorem denegavit repertæ raræ plantæ? cur scripsit sibi allatos ramulos baccis onustos, si verum non erat? Mendacem oportet esse memorem. Aut cur illos non conferebat cũ sua icone? Aut cur hîc saltem morem sibi consuetum neglexit, accommodandi iconem ad descriptionem Diosc. Denique cur loco citato ex sola icone visa invehitur in sui similes, dicens: maximam tùm seplasiariorum tùm etiam Medicorum incuriam ac negligentiam esse in iis exquirendis, quæ ad artem medicam spectant? Est sanè. Ast longè maior ac perniciosior est temeritas eorum, qui, quo dolo, quáve arte id possint, satagunt fingere nova, applicare veteribus, ut ista soli invenisse, hæc non nescisse videantur, qui mos Matthiolo propemodum solemnis fuit, quod equidem dolemus. Sed veritas non tacenda, ut tandem studiosi, quos stipites ille putavit, & fore fortè prævidit, falli desinant, habeántque eius imitatores quem spectent, ac in hoc etiam si velint, admirentur: maximè quando advertent, eundem suum magistrum, tàm vafrè scivisse lectoribus suis fucum facere in postr. Com. Lat. & Ital. cum magnis figur. mutata priore illa sua icone fictitia, cuius folia planè Buxea ad Diosc. verba effinxerat, ut Buxum potiùs, quàm Lycium dixisses, si absconditæ fuissent spinæ. Et quoniam in Diosc. etiam legitur fructus πυκνὸς, is ut egregius plantarum plastes, densè aggestas simul plurimas baccas affinxerat & appinxerat. At nunc aliorum monitu vel proprio pudore cautior, si non melior, factus, aliam excogitandam figuram censuit, non ut antè, ex Diosc. sed ex sui castigatoris Anguillaræ verbis & monitu, folia pingi curavit minùs πυκνὰ, rariora, tenuiora, atque uno verbo, minùs Buxea: & fructus præterea triqueteros: addens insuper ceu opus quoddam supererogationis, ac superpondij loco figuram secundam. Bellam sanè verò Palinodiam. Hic optassemus aliquis eius glossator aut patronus, si potuisset, defendisset, aut quod debuisset, hunc fucum ei exprobrasset, ne studiosi rei herbariæ bis vel toties deciperentur. Nos ex eodem Matth. proponimus iconem secundam, ut satis congruam, & ramulum primæ falsissimæ. Itémque addi curavimus baccam Lycij montis Baldi.

Verum Lycium hodie ignotum.

Matth. castig.

Matth. mos & consuetudo graphicè depingitur.

Sed nec Dod. absque virgula censoria abeat: Is quippe, ut olim, ita in postremis suis fictitiam Matth. iconem proponit, affictis etiam trunco & radice sibi nunquam visis. Lycium vocat simpliciter & πυξάκανθαν, dicitque Ὀνύγυνη Theoph. id est, Buxum Asininum. At quis Oedipus hoc ei arcanum detexerit, ut tàm liberè pronuntiaret, equidem nescimus. Possit tamen fortè esse, sola coniectura est, ex nominis affinitate & spinis. Spinosam enim Ὀνύγυνη facit Theoph. quanquam huius & alio loco meminerimus. Idem Dod. in postr. sua hist. Lat. ad Anguillaræ aliorúmque sententiam accedit, qui volunt Pyxacantham Matth. non esse legitimam.

Figura Dod. improb.

Onygyne Theoph.

Tab. modò Buchodorn simpliciter, sicut & Lycium, ut in icon. dicit: modò Lycium Italicum, Welschen Buchodorn. Is duas postremas figuras Matth. habet. Lycium Alpinum exprimit prior Matth. icon apud Hist. Lugd. & Lycium Italicum posterior eiusdem. Ita habes duas pro una.

Camer. Buchodorn vocat: is unica figura contentus addit tamen quosdam velle esse Lycium a.

Nascitur quoque eodem teste, copiosum in agro Tridentino: circa arcem de Gresta saxosis locis. Provenit & in aliis quibusdam Italiæ similibus locis. D. Cortusus nobis semina vel baccas misit cum foliis quibusdam, nomine Lycij montis Baldi: quæ fatæ Montbelg. non provenêre.

Locus.

Vbi legitimum Lycium non sit ad manus, nihil prohibet, inquit Matth. quin hoc eius vice succedere valeat. Adstringit, cohibet, roborat, siccat, & reprimit. Et succus è baccis à me extractus hæc omnia bellè præstat.

Vires & usus.

LYCIVM CRETENSE, SIVE BERBERIS CRETICA.

Descriptio.

Lycii Cretensis baccæ differunt à Lycij Gallici baccis: non enim siccæ monstrant angulos, nec etiam sunt amaræ. Differunt etiam à baccis quas à Cortuso ex Italia accepimus: sunt enim tales, quæ passulas Corinthiacas dictas referant pellicula sua corrugata, argumento recentes succo refertas fuisse. Madefactæ chartam purpureo ac violaceo eleganti tingunt. In iis grana sunt minora, nec ita lucida, ut in Lycio Cortusiano. Folia quoque differunt à Lycio Gallico, sunt enim angustiora, oblonga, & circumscriptione ovata, nec in longiusculum pediculum, ut illa, desinentia. De hoc ad nos scribit Cl. & peritiss. Cydoniæ Cretæ medicus, Honorius Bellus: Mitto semina Lycij πυξάκανθα vocati, cuius descriptionem aliàs Cl. Zuingero & Clus. dedi, sub his verbis: frutex est ad quatuor aut quinque cubitos assurgens, totus spinis horridus, spinásque tres simul (ut in Berberi vulgari cernuntur) referens: folia habet

Tinctura.

Lycij Cretensis.

Lycium Rauuolfij Descript. Hon. Bellij

Folia.

Flores. habet parva, ad buxi foliorum formam accedentia, leniter serrata, flores copiosos, luteos, instar Paliuri, sed minores; quibus succedunt Fructus. fructus aliquantulum longi, ut berberis fructus, coloris autem nigri, saporis inter acidum & dulcem medij, in quibus vel unum vel duo granula continentur. Cortex ligni non lævis ut Berberi, sed asper & pallidus est: materies ligni lutea, atque radix ipsius elegantissimo luteo inficit: oritur in altissimorum montium convallibus: differt autem à Berberi, cuius folia maiora sunt, & fructus racematim nascuntur. Legitimum verò Lycium non est, quia fructus neque rotundus, ut piper; neque amarus est. Propterea potiùs vocanda erit Berberis alpina aut montana, quàm Lycium, quemadmodum Sylvetus Todeschini censet, qui hunc fruticem frequentissimum in Libano monte etiam invenit.

Cortex ligni.

Materies.

Berberis alpina.

Locus.

Lycij duo alia genera.

Cæterùm duo alia Lycij genera hic reperiuntur, quorum unum maximè historiæ convenit, id etiam in Libano monte ortum, cuius cùm ad manus neque semina, neque rami sint: ideò de ipso in præsentia verba non facio. Alterius verò ramos siccos simul cum eius fructu nondum maturo mitto: vocatur Pettæa Amygdala, licet cùm amygdalis nihil commune habeat: frutex est ad duorum aut trium cubitorum altitudinem assurgens, densus, folia parva firmaque ferens, spinis totus plenus est, & fructum rotundum fermè parvum ut piper habet, cùm ad maturitatem pervenit, nigricantem: radix lignosa est maxima, eaque firmissima. Hebræi ex huius fructu elegantem luteum colorem parant.

Lyciū Rauvolf. Zaroa. Locus. Lyciū Davidis Prophetæ.

An Rauvolf. lib. 2. c. 12. itin. de plantis Libani, Lycium incolis Zaroa. Item l. 3. 22. Lycium peregrinus frutex inter Ramam & Ioppe, cuius succus interdum reperitur in nostris Officinis: & cuius meminit Propheta David Psal. 58. sub nomine Hadhadh. Et sub finem lib. 4. figuram proponit sub titulo Lycij Dioscorid. & Hadhadh Arabum, quam figuram & nos proponimus, non auderemus tamen pro certo asserere Rauvolff. Lycium esse Creticum. Non enim describit suum Rauvolf. nec Cretici partes omnes vidimus: appiximus tantùm Cretici folium & granum.

Lyciū Dioscor.

LYCIUM QUORUNDAM, FOLIO Myrti Tarentinæ aut Buxi.

Descriptio

Rami.

Frutex est spinosus, multas ab radice virgas proferens, cubitales, sæpenumero ampliores, rectas, pulchras, tenues, rubentes, multis ramulis præditas, qui in acutam spinam plerúmque desinunt, tametsi alios hinc inde sparsos aculeos habeant, breves interdum & infirmos: nonnunquam verò oblongos, firmos, & multis foliis obsitos, ut in Rhamno primo. Folia nullo ordine digesta, Spini, sed multò breviora, Myrti Tarentinæ aut Buxi quodammodo æmula, gustu lenta & cum aliqua aciditate mordicantia. Eius nec florem nec fructum videre contigit: nam Novemb. & primo duntaxat Vere, aliqua ex parte foliis viduatum hunc fruticem invenit inquit Clus. qui dubitat quonam hic frutex referendus sit, atque tradit esse tamen nonnullos qui ad Lyciū referri debere; itē, Castellanis *Tamujos* sive *Tamuxos* vocari. Hist. Lugd. tradit pinxisse Lob. Lycium Hispanicum quod Clus. describit. At nos figuram Lycij Hisp. Lob. non referimus ad hanc plantam, sed ad Rhamnum 1. Clus.

Folia.

Tempus.

Hist. Lugd. nu.

Locus.

Apud Complutum, aliisque Castellæ veteris locis, & Bæticæ parte, quam vulgò Extremadurium vocant: circa fluenta & declivibus locis, quæ hyeme abundant nascentem observavit Clusius.

Idem ait Castellanis scoparum usum præbere: componi etiam in fasciculos pistorum fornacibus calfaciendis idoneos. Vsus.

LYCIUM GARCIÆ, SIVE CATE.

Descriptio Folium. Fructus. Spinæ. Materies. Succi extrahendi ratio.

Arbor ex qua succus Cate extrahitur, auctore Garcia, magnitudine est Fraxini, folio minuto Ericæ vel Tamarici simillimo, perpetuò virente: Florere aiunt, sed fructum ferre negant: multis spinis horret: materies ligni robusta, dura, densa, ponderosa quæ ut aiunt putredini obnoxia, sive solibus exponatur, sive aquis immergatur. Porrò succi extrahendi hæc est ratio. Ramos huius arboris minutim concisos elixant, deinde contundunt, postmodum cum farina Nachani (semen est nigra & minuta sapore, secalibus conficiendis panib. apta) & eiusdem nigri ligni quod istic nascitur, scobe, interdum etiam sine eo, pastilli & tabellæ formantur, quas in umbra siccant, ne Solis ardore earum facultas evaporet.

Cate. Lignum sempervivum Lycium antiquorum. Indicum Lycium.

Cate in omnibus ferè locis Indiæ, in Malaca Cato. Quòd verò hoc nomen Cate aut paululum immutatum apud Arabes, Persas, reliquasque Asiæ nationes obtinuerit: in causa esse puto, quòd maxima pars illius in Malacæ regno absumitur, ubi idem nomen obtinet. Incolæ eius arborē *Hacchic & Lignum Sempervivum* nuncupāt. Existimat autē idem Garcias hoc Cate nihil aliud esse quam Græcorum & Latinorū Lycium. Propter vires.n. & extrahēdi modum, Indicum Lycium præfertur à Diosc. Plin. & Gal. quorum verba antea protulimus. Vocatū a. est Lycium à Græcis, ut dicebamus, quoniam in Lycia primùm inter Græcos eius usus repertus sit, optimúmque istic nasci eo tempore censerent. Præfertur etiam Indicum ab Avic. & Serap. quod *Hadhadh* appellant, ut dictum. Sed meritò Garciæ opinioni se opponit Clus. quòd Diosc. Lyciū folia Buxi habeat, & pusilla sit arbor. Itaq; longè alia censenda est, quàm ea quæ à Garcia describitur. Tametsi non satis sibi constare videatur Diosc. in Lycij descriptione, si modo postrema capitis de Lycio pars Dioscoridis sit.

Non esse Lycium Diosc.

Garciæ reprehēs.

Locus.

Cæterùm de quo his agitur Lycium plurimum nascitur in Cambaya, teste Garcia, præsertim Baçaim Manora & Daman, urbibus Lusitaniæ Regi parentibus. Provenit etiam in continenti Goæ, aliisque plurimis locis, sed non tam abundanter ut suprà enumeratis, è quibus mercimonij gratia exportatur magna quantitate in Chinarum regionem. In Arabiam verò, Persiam, & Corasone, medicamenti causa, & pauca quantitate. Magna autē copia in Chinarum regionem & Malacam deportatur, quoniā in masticatoriis plurimus eius cum Betre est usus. Indi quippe ad gingivarum mollificationem & relaxationem medicamento ex Betre, Areca & Cate composito plurimùm utuntur. Neque tantùm optimum est medicamentum ad confirmandas gingivas & desiccandum & constringendum; verū etiam ad alvi profluvia curanda, oculorumque dolores tollendos, in quibus plerumque optimo cum successu usum se esse testatur idem. Ex ligno eius, propter duritiem & pondus, pistilla parantur deglumandæ Orizæ, idonea in mortariis ligneis, sex palmos in ambitu continentibus.

Vires & usus. Dentium. Alvi profluvia. Oculorum dolor. Ligni usus.

Recentiores quidam, è Periclymeni succo succedaneum eius parant. Sed si Lusitani pharmacopolæ ac institores in conquirendis legitimis medicamentis diligētiores essent & huius & alia- Succedaneum.

Digitized by Google

eum desideratarum copia classe regia in Lusitaniam, & unde in alias nationes deferri posset.

LYCIUM INDICUM ALPINO PUTATUM.



HACTENUS post tot nationum, tot auctorum, etiamque nostram satagentiam, nondum constat, quodnam verum & legitimum veterum sit Lycium, singulis suum, quod ad illorum Lycij vires quodammodo accederet, pro eo obtrudentibus, tandem prodiit Alpinus, qui, ut ille quondam Philosophus, cum suo εὕρηκα, εὕρηκα, à se legitimum Lycium inventum ratus, in hæc prorumpit verba: Verum Lycium Indum tibi prodam: quem fruticem longè ab Alexandria civitate supra ripas rami Nili Calig vocati, decem millia passuum inveni: quem incolæ Vzeg appellant. Est is frutex multis ramis rectissimis, ab radicibus multis, duris, lignosis, obliquè descendentibus, longitudine trium cubitorum & plus observatis, sursum assurgens ramis: spinæ acutissimæ & longæ multæque insunt, quarum quædam foliolis vestitæ spectantur. Folia verò huiusce fruticis sunt Olivæ similia, iis tamen candidiora & angustiora vel minùs lata. Flores Agihalid planè similes habet, quippe parvos albos, Hyacinthi orientalis forma & magnitudine æmulos, à quibus fructus nigri parvi producuntur, Ebuli fructibus prorsus similes, læves, gustu amari & astringentes.

Lycium Indum. Locus. Vzeg. Descriptio. Spina. Folia. Flores. Fructus. Sapor.

Quanquam verò in Ægypto multa Lycij copia circumferatur, tamen nescire se fatetur, an ex hoc illud frutice conficiant, quando neque hanc plantam copiosè ibi provenire noverit, neque sciat illam esse notam. Siquidem Lycium ab illis usitatum falsum ac adulteratum esse arbitratur. Hûc autem succum, qui ex Arabiæ locis asportatur, durum esse, exteriùs nigrum, & Acaciæ succo valdè similem. Fractum intus colorem Aloës præ se ferre, odore obscuro, non ingrato, sapore subdulci, astringente, nullius amaritudinis participe: viscosum esse, digitisque contrectatum adhærere; unde colligit, haud esse verum Lycium, præsertim cùm neque amaritudinem habeat, neque igne succensum rubescentem edat spumam, ut de vero Lycio traditur. Quapropter quod ante Categoricè affirmarat, nunc dubitat, an sit Lycium Indicum Dioscoridis, quod tamen & in titulo sererat. Sed nec experiri se potuisse tradit succum, qui pro Lycio circumfertur. Ægyptum inter calidum & frigidum medium constituere, sed suprà primum gradum siccum, stipticum: proindè, inquit, in omnibus ulceribus

Lycium Aegypt. adulteratum quale. Non esse Lycium verum. Vires & usus.

lote utuntur, præsertimque ad oris, aurium, narium, ani, intestinorúmque ulcera. Usus maximus est in Collyriis ad Ophthalmias accendas: mulieres enim paratum linimentum ex Lycio & antimonio habent, quo quotidie oculos liniunt, ut oculos defendant ab humorum fluxionibus. Eo etiam illi ad ventris fluxum utuntur, non minúsque ad Dysenteriam. Ad sputum sanguinis eo maxima spe utuntur, & ad uteri profluvium cohibendum, eo pessi modo intromisso, ad ulcera pudendorum præsertim adnaries, ad gingivas corrosas & ulceratas, nec non ad dentium commotionem. In Lienteriis, dysenteriis atque fluxu hepatico & Clysteribus iniiciunt & in liquore aliquo convenienti solutum hauriunt. Nec dubium illius illitu quamcumque partem ab influxu humorum efficaciter defendi, unde & podagricos dolores retardare compertum est.

Ulcera in veterum membrorum. Ophthalmias. ... ophthalmias Aegyptias mulieres ... Ventris fluxum. Sputum sanguinis. Uteri profluvium. Ulcera. Lienteria. Dysenteria. Defensio a catarrho.

AGIAHALID ÆGYPTIUM FOLIO BUXI, AN LYCIUM?

ET huius historiã Alpino accepta ferenda. Arbor est, quæ in medio cuiusdam Eunuchi Turcæ viridario, quod parum ab æde Veneti Consulis distat, ex Æthiopia asportata, magnitudine Pyri fyly. ramis raris non multis, in rectum æqualiter elatis, ordinatim acutissimis multis spinis oblita, folia ferens Buxi proxima, latiora tamen, pauca, rara, ungula, bina æqualibus interstitiis adnata. Flores habet paucos albos, Hyacinthi Orientalis floribus similes, sed minores, a quibus prodeunt fructus nigri Ebuli similes, gustu subamari & astringentes. Folia gustum acido sapore feriunt, cum aliqua astrictione. Huius arboris foliorum usum ad pueros vermibus vexatos, in Æthiopia audivit esse familiarissimum. Dubitat verò an hæc possit esse Lycium Diosc. Sed hæc obstare videntur, quòd Lycium Diosc. frutex potius sit quàm arbor: præterea foliis densis describitur, non raris: nisi τὸ πυκνὸν ad unius folij densitatem referre voles, quod possis. Nihilominus tamen adhuc dubitabitur. Nec intelligat quis facilè illa Alpini verba, quando folia dicit singula, bina æqualibus interstitiis adnata: nisi fortè error sit typographi, & legendum: bina singulis æqualibus interstitiis adnata, ut figura ostendit. Ita dubius abit nobiscum lector, nesciens adhuc, quodnam sit verum & legitimum Lycium veterum. Nos viam patefecimus inquirendi, conferendi, decernendi.

Certiora aliquando docebit posteritas.

Descriptio. Spinæ. Folia. Flores. Fructus. Sapor. Usus ad Vermes. Veterum Lycium hactenus ignoratur.

HISTOR.

FINIS LIBRI VI.

HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER SEPTIMVS

DE GLANDIFERIS ET HIS QVODAMMODO ACCEDENTIBVS.

PROXIMVM à bacciferis locum dabimus glandiferis, quæ & ipsa quondam in honore fuère, cùm adhuc necessitati parere non voluptati decerent mortalium victum, nutrices inopis ac feræ sortis. Nunc quando Cereris dona, largáque frugum messis omnem ferè opplevit terram, & tam pomiferæ, quàm bacciferæ arbores necessario alimento delicias immiscere docuerunt, aut mitioribus etiam succis per se voluptatem cibis afferre cœperunt, quosdam illorum homines esse desiére, ut in suum cederent saginam, quanquam & alios haud dissimiles ultrò & succedanea adoptione nulla necessitate asciverint, ne esset in ullo genere quidquam, cuius non aliquam partem & sibi mancipares venter. Glandes quoque inter poma numerari non possunt, teste Plin. Quare in sua natura dicantur.

DE QVERCV ET ROBORE IN GENERE.

CAPVT I.

Δρῦς vox ambigua, ut & Glās.

FRVSTRA de aliqua re traditur cuius cuius nomini variantes autores ambiguitatis labem impresserunt. Δρῦς in genere quidem Quercus putatur: at Prisci Græci quodvis genus arboris Δρυὸς appellatione intellexerunt: ut & Latini Glandis nomine omnem fructum complexi sunt. Sed omissis cæteris significationibus, δρυὸς acceptio in angustius, hodiè contracta, arborem omnem glandiferam tantùm significat, & potissimùm Quercum. Glandem quoque, inquit Plin. quæ propriè intelligitur, ferunt Robur, Quercus, Esculus, Cerrus, Ilex, Suber. Sed glandiferas arbores una voce comprehendi posse negat Latino sermone, quemadmodum Græco potest τῆς δρυὸς, & antiqua voce Saronos, à quo Saronicus sinus, olim Querno robore redimitus, unde nomen, ita Græcia antiqua appellante Quercum. Σαρωνίδας quoque Callimachus in hymno ad Iovem Quercum vocat: ubi apertè ab interprete δρῦς exponitur, [illegible]. Σαρωνίδες enim teste Etymologico, arbores cavas aliàs significat. At Gaza apud Theoph. quo cum in huius historia non parum nobis erit negotij, novas nobis iniicit turbas. Is passim in huius versione δρῦν sive τῆς δρυὸς vocem Robur convertit, quà utique appellatione omnia Quercuum genera comprehendi posse putabat, non sine errore, ut putat Dalech. cui Robur una tantùm species videtur ex multis, quæ δρυὸς generi subiectæ sunt. Non itaque dubium esse videtur δρυὸς nomine universè quidem omnes arbores propriè glandiferas, tam à Theoph. quàm à Diosc. comprehendi: Sed quæ vox Latina ei sit substituenda, ambigitur, Quercus ne an Robur? Esto Robur inter δρυὸς differentias recenseri, ut ait Dalech. Id autem fit à Plinio. At idem & Quercum cum Robore inter eiusdem species numerat: ut utraque pariter & generis & speciei locum tenère videatur: Roburque loco generis usurpet. Quercum vulgus imitati plærique, sed quo autore?

Δρῦς propriè Quercus. Glans propriè.

Saronis.

Saronides.

Robur.

Nos itaque quia multa de Quercu dicturi sumus ex Theoph. ubique δρυὸς vocem retinebimus, ne fortè fraudi simus autori. In cæteris verò, modò Quercum, modò Robur, prout videbitur vel nobis, vel aliis, loco generis ponemus, sed vulgus & ipsi imitati, (ne quid novi sapere velle videamur) Quercum magna ex parte loco genericæ vocis usurpabimus.

Ergo δρυὸς genera summa, ex quorundam sententia duo facit Theoph. ἥμερον & ἄγριον. urbanum & agreste: non ex fructus quidem dulcedine ita distinguens (nam dulcissimus phagi) quam agrestem faciunt) sed quoniam in cultis magis urbana proveniat, lignúmque lævius habeat: Phagus autem scabris montanisque locis nascatur. Genera ergo alij quaterna, alij quina faciunt: nam discrepant quædam nominibus suis [[illegible]:] ut illud genus quod glandes fert dulces alij ἡμερίδα Hemerida, alij τὸ [illegible] [for-

Δρυός. Genera summa.

Urbanum. Agreste.

Differentia.

Etymodrys. Aegilops. Platyphyllos. Phagus. Haliphloeus.

tὸ legendum ut infra, Etymodryn.] vocant. Quod idem & in cæteris faciunt. At Idæi in has species dividunt: Hemerida, Ægilopa, Platyphyllon, Phagum, Haliphloeon, quam alij Euthyphloeon vocant. Græcè: ... Omnia quidem fructifera sunt; sed dulcissima glans Phagi, uti dictum; proxima Hemeridis: deinde Platyphylli: quartò Haliphloei. Ægilopis glans omnium amarissima. Distant etiam magnitudine, figura & colore glandium. Quin & folio, caudice, materie, totaque adeò specie. Hemeris namque non erecta est, nec lævis, nec excelsa; quippe quæ corpore in orbem comoso, contorto, ac nodoso, sinuosóque assurgat: cuius materies robusta quidem, sed infirmior quàm Phagi. Hæc enim robustissima, & minimè putredini obnoxia. Sed nec ipsa erecta quanquam minùs torta Hemeride [... Aldin. & Bas. Cod. Gaza legisse videtur ..., quem & nos secuti sumus.] Caudice verò crassissimo constat, ut tota quoque ipsa curta maneat. Nam eius etiam planta in orbem comosa minimèque erecta assurgit. At Aegilops rectissima, celsissima & lævissima, materie per longitudinem robustissima, nunquam in cultis, aut certè perraro nascens. Ab hac proxima Platyphyllo proceritas; sed materie ad ædificia, dempta Haliphloeo. Ad cremandum etiam & carbonem faciendum inutilis sicut & Haliphloei: ac post illam teredinibus cariéique maximè obnoxia. Haliphloeus verò crassissimo est & cortice & caudice, sed fungoso & cavo magna ex parte, ubi magnus evaserit. [Totus hic locus corruptus est in vulg. exemplarib. Sic legimus ex Plinio & reipsa: ... &c.] Quapropter ædificiis hæc minus apta habetur. Brevi quoque putrescit, quæ arboris eius natura est, vel à natura hoc ei accidit. [... Quidam legunt ...: Etenim arrectis foliis arbor horrida est.] Ideò cava fit. Dicunt quidam hanc sorde solam carere, & fulmine solam tangi, quamvis altitudine non excellat. Ideò Aeolum quidam, huius lignis minimè utuntur ad sacrificia. Ergo secundum ligna & totas formas hæ in eis differentiæ sunt. Gallas verò omnia genera ferunt Sed solius Hemeridis [Quercus, Gaza.] utilis ad Coria. Aegilopis verò & Platyphylli aspectu quidem similes sunt Hemeridis Gallis, sed læviores, & inutiles. Fert verò & aliam nigram, qua lanæ inficiuntur. Quod autem Sphagnum [... legunt doctissimi, pro ...: Gaza penem reddit. Plin. panos arentes, muscoso villo canos] quidam vocant, branchiis [..., ... alij, ... alij ex Plin. id est, musco] simile: sola Aegilops profert, canum muscosúmque cubitali longitudine pendens, ceu longum aliquod linteum. Nascitur id è cortice, non ex surculi capite, unde glans, nec è gemma, sed è lateribus supernorum nodorum. At Haliphloeus id nigricans & breve gignit. Sic itaque Idæi ... genera distinxère.

Hemeris. Phagus. Theoph. emend. Aegilops. Platyphyllos. Haliphloeus. Theoph. correct. A Gallis differentia. Galla nigra. Theoph. emend.

At Macedones has differentias faciunt: Etymodryn [Veriquercum Gaza, nimis licentiosè] quæ dulces fert glandes: Platyphyllon, quæ amaras: Phegum quæ rotundas [...] Asprin [Gaza Cerrum interpretatur: At Plin. hoc de Haliphloeo] quam alij sterilem dicunt, alij verò fructum ferre adeò insuavem, ut eo nullum animal vescatur, exceptis suibus; ac ne has quidem, nisi alterius pabuli inopia, ac harum esu plerasque capitis dolore vexari. Materia quoque Platyphylli [hæc enim vox subaudienda videtur ex præcedentibus: nec repugnant Scal. Const. & Dalech.] improba, & dolabrata quidem prorsus inutilis; rumpitur enim & labat. Non dolata verò melior, ob id rudi tantùm utuntur. Improba etiam ad cremandum & ad carbonem faciendum: quippe cuius carbo omninò inutilis, exilit enim & scintillat ærariorum tantùm officinis compendio. Nam cùm cessante flatu protinus extinguatur, parum absumitur. Has igitur ... differentias constituunt tum Idæi, cùm Macedones apud Theoph.

A Macedonũ divisio. Etymodrys. Platyphyllos. Phagus. Asprus. Platyphyllos.

Plinius etiam specialiùs differentias ex hoc loco declarat, & explicatiùs etiam rem absolvit. Genera inquit, Glandium multa. Distant fructu, situ, sexu, sapore. Namque alia Fageæ glandi figura, alia Quernæ, & alia Ilignæ: atque inter se quoque generum singulorum differentiæ. Præterea sunt aliquæ sylvestres, aliæ placidiores, quæ culta obtinent. Iam etiam in montosis planisque distant: sicut & sexu mares & fœminæ; Item sapore. Dulcissima omnium Fagi. Genera distinguere non datur nominibus, quæ sunt alia alibi. Quippe cùm Robur Quercúmque vulgò nasci videamus, Esculum non ubique. Quartam verò generis eiusdem, quæ Cerrus vocatur, ne Italiæ quidem maiore ex parte notam esse. Distinguemus ergo proprietate naturáque, & ubi res coget, etiam Græcis nominibus.

Differentia Glandium ex Plin. Fagus.

Glandem quæ propriè intelligitur, ferunt Robur, Quercus, Esculus, Cerrus, Ilex, Suber. [omittit hic Haliphleon, quam postea memorat.] Continentur hispido Calyce, per genera plus minùs cutem complectente. Folia præter Ilicem gravia, carnosa, procera, sinuosa lateribus, nec dum cadunt flavescentia, ut Fagi, pro differentia generum breviora vel longiora. Glans optima in Quercu atque grandissima, mox Esculo: nam Roboris parva: Cerro tristis, horrida, echinato calice, ceu castaneæ. [Theoph. dulcissimam in Phago atque grandissimam, mox Hemeridi: Platyphyllo parvam, Cerro amarissimam dixerat.] Sed in Querna alia dulcior molliórque fœminæ: maris spissior. Maximè autem probantur Latifoliæ [Phagi Theoph.] ex argumento dictæ. Distant autem inter se magnitudine, & cutis tenuitate. Item quòd aliis subest tunica rubigine scabra, aliis protinus candidum corpus. Probatur & ea, cuius in balano utrinque ex longitudine extrema [longitudinis extremo. Th.] lapidescit duritia. [Id attedere glandi maris Phagi & Haliphloei tradit Theoph. nunc in cute, nunc in carne: sed glandem non commendare.] Melior, cui in cortice, quàm cui in corpore, utrumque non nisi mari. Præterea aliis ovata, aliis rotunda, aliis acutior figura. Sicut & color nigrior, candidiórve, qui præfertur. Amaritudo in extremitatibus, mediæ dulces. Quin & pediculi brevitas proceritásque differentiam habet. In ipsis verò arboribus, quæ maximam fert, Hemeris vocatur, brevior, & in orbem comosa, alísque ramorum crebris cavata. Fortius lignum Quercus habet & incorruptius: ramosa & ipsa, procerior tamen & crassior caudice. Excelsissima autem Ægilops, incultis amica. Ab hac proxima Latifoliæ proceritas, sed minùs utilis ædificiis: atque carbone dotata [ædificiis atque carboni: dolata &c. ex Theoph. quamvis hic de Cerro & Aspri Macedonum id tradat.] vitiis obnoxia est. Quamobrem solida utuntur carboni, ærariorum tantùm officinis compendio: quoniam desinente flatu, protinus emoriens, sæpiùs recoquitur: cæterò plurimis scintillis. Idem è novellis

Robur. Quercus. Esculus. Cerrus. Qua propriè glandes ferant. Haliphloeus. Folia in genere qualia. Glandium differentiæ. Figura diversa. Colore varie. Differentia a pediculis. Hemeris. Differentia ligni. Carbo.

novellis melior. Acervi confertis taleis recentibus luto caminantur, accensaque strue contis pungitur durescens Calyx, [Corium seu tegumentum lutosa crusta, Dalec. Hoc fieri Theoph. vult, ut excitata flamma omnia corripiat.] atque ita sudorem emittit. Pessima & Carboni & materiæ Haliphleos dicta, cui crassissimus cortex atque caudex, & plerumque cavus fungosúsque. Nec alia putrescit ex hoc genere, etiam cùm vivit. Quin &, quamvis altitudine non excellat: fulmine sæpissimè icitur, hinc Virgil. Eclog. 1. cecinit:

Carbones faciendi ... Haliphleos. Fulmen.

De cœlo tactas memini prædicere Quercus.

Ideóq; ligno eius nec ad sacrificia uti fas. Eidē rarò glans, & cùm tulit, amara, quam præter sues [de Cerri glande hoc Theoph.] nullum attingat animal, ac ne eæ quidem, si aliud pabulum habeant. Hoc quoque inter reliqua neglectæ religionis est, quòd emortuo carbone sacrificatur. Glans Fagea suem hilarem facit, carnem coctibilem ac levem & utilem stomacho. Iligna suem angustam, [compacta & minimè laxa carne] nitidam, strigosam, ponderosam: Querna diffusam & gravissimam, & ipsa glandium æquè dulcissima [& ipsarum glandium quæ est dulcissima Dalec. nempe Fagi Græcorum.] Proximam huic Cerream tradit Nigidius, [contra iudicium hoc Theophrasti.] nec ex alia sordidiorem carnem, sed duram. Iligna tentari sues, nisi paulatim detur. Hanc novissimam cadere. Fungosam carnem fieri Esculo, Robore, Subere. Quæ glandem ferunt, omnes & Gallam, alternisque annis glandem. Hæc Plinius ferè de Quercuum vel potiùs Glandiferarum arborum differentiis, qui ἀλίφλοιον Suber dixisse videtur, ubi Suber glandem ferre dixit.

Fagea glās Glandium compara. ... ibi.

Suber.

Idem quoque & antè eum M. Varro, in Thurino agro, ubi Sybaris fuit, Quercum memorat, quæ ex ipsa urbe perspiciebatur, nunquam folia dimittens, nec ante mediam ætatem germinans.

Quercus semper virens.

Idque mirum esse, addit Plin. Græcis autoribus proditum, apud nos postea sileri. Nos id apud nullum Græcum autorem præterquam apud Theoph. hactenus legimus. Sed & hodie observatæ sunt quas postea dicemus. Meretur & illud relationem, quod de Quercubus miræ magnitudinis idem refert Plin. his verbis. Aliud è sylvis miraculum: totam reliquam [præter eam quæ proximè Oceano adiacet, Germaniam replent, addúntq; frigori umbras altissimæ tamen haud procul Cauchis, circa duos præcipuè lacus. Littora ipsa obtinent Quercus, maxima aviditate nascendi: suffossæque fluctibus, aut propulsæ flatibus, vastas complexu radicum insulas secum auferunt: atque ita libratæ stantes navigant ingentium ramorum armamentis, sæpè territis classibus nostris, cùm velut industria fluctibus agerentur in proras stantium noctu, inopésque remedii illæ, prælīū navale adversus arbores inirēt.

Quercuum mira magnitudo.

Ridicula historia.

Quædam etiam Quercuum genera negavit Theophr. fructum ferre: nos sanè, addit Scal. aliquot pumila Roborilla sterilia novimus, si glans exigatur. At Gallam ex iis legimus grandem oppidò.

Quercus steriles.

Roborilla sterilia. Gallæ grādes.

Sediam reliqua quæ naturam δρυὸς in genere declarent ex citatis autoribus colligamus. Theophrast. ergo, quæ folio constant deciduo, communi nomine δρῦν [quod sive Quercum sive Robur vertas, per nos licet] vocat, cuius modò genera diximus. Reliquarum autem glandiferarum, quæ perpetuò virent, numerantur ab eodem Theoph. species quinque: scilicet Ilex, Smilax, Phellodrys apud Arcades vocata: Suber, Aquifolia, de quibus infrà, suis locis tradetur.

Drys Theophrast. Glandiferæ perpetuifolia.

Porrò δρῦς robustissima est, ac difficulter moritur: materies quoque eius spissa, dura, ideóque flexum nullum recipit, tàm navibus quàm domibus commoda, nec non & in terra obruta durat. Cortex δρυὸς Crassus, Scaber & rimosus, ex humore carne & nervis constans in senecta quoque rugosior: Medulla quoque eius [μήτρα] spissa, quam Melandrion vocant [atrum reddit Gaza] Quidam δρῦν florere existimant: alij minimè, sed βρύον δρυῖνον, Iulum Quercinum. [muscum Roboris. Gaza. Meliùs fortè dixeris Bryon Quercinum reservato nomine Græco, cùm genus floris proprium sit τῆς δρυὸς autore ipso Theophrast. l. 1. histor. cap. 3.] Proprium δρυὸς Galla: ac omnium copiosissimè præter fructum, & alia gignit: ut gallam parvulam, & aliam resinosam, & nigram: ferunt & quid Moris speciē simile [συκαμινῶδες], sed durum & fractu contumax. Hoc verò rarum est. Quiddam etiam initio colis aut pudendi virilis effigie, cùm perficitur durum parte protuberante & perforatum. Fert & aliquid Tauri caput imitans, quod effractum, nucleum intus ostendit Olivari similem. Nascitur in iis & quod πῖλον, vocant, hoc est, pillulas lanatas, vel coactos lanæ flocculos, molles, sed nucleo duriore, quibus in lucernarum luminibus utuntur. Etenim probè flagrant, sicut galla nigra. Item &, aliæ quædam pilulæ cum capillo, sed inutiles, verno tamen tempore melleo succo inficientes tàm tactum quàm gustum. Aliæ præterea interiùs ad alarum pronos recessus enascuntur Pilulæ sine pediculo, intus cavæ, versicolores, eminentibus umbilicis candicantibus, aliquando maculosis, interdum nigris, quibus media cocci colore splendicant: quibusque apertis nigra & putris inanitas conspicitur. Gignunt & Quercus, quanquam rarò, lapidosum quid, sed magna ex parte pumicem referens. Et his adhuc rariùs è foliis convolutas compactásq; Pilulas oblongas. Præterea in foliorum tergo Pilulas albicantes, pellucidas, aquosas dum molles sunt, in quibus & muscæ [μυῖαι] nascuntur: quæ adultiores factæ in parvam ac lævem veluti gallam indurescunt. Sed & fungi è radicibus & iuxta radices erumpunt, quos tamen communes habent cum cæteris arboribus quemadmodum & Viscum, quod in aliis quoque provenit. Ita vides multiferam esse hanc arborem. Quod si etiam, ut prodidit Hesiodus, mella apésque ferat, etiam magis illud confirmabitur. Nascitur verò hic melleus liquor ex aëre descendens, [ἐκ τοῦ ἀέρος: possis & dicere de cœlo cum Plinio & Gaza.] & huic maximè incumbit. Quin & ex cremata Quercu nitrum fieri aiunt: Hæc igitur τῆς δρυὸς propria sunt: Dixerat autem iam paulò ante ἰξὸν quoque in quercu nasci, sicut & in aliis arboribus.

Materies. Cortex. Melandriō. Flos. Quænam ferat. δρῦς, seu Quercus in genere. Moris simile quid. Colis. Nucleus. Tauri caput imitās. Pilulæ lanatæ. Pilulæ Pilosæ. Pilulæ cavæ. Pumicosum quid. Pilulæ foliaceæ. Pilulæ cādidæ. Culices. Fungi. Viscum. Mel & apes. Nitrum.

Cæterùm eadem ferè & Plin. sed paulò aliter addens quoque alia: Robur præter fructum, plurima & alia gignit. Namque fert & gallæ utrumque genus [album & nigrum Theophr.] & quædam veluti Mora, ni distarent arida duritie, plerumque tauri caput imitantia, quibus fructus inest nucleis Olivæ similis. Nascuntur in eo & Pilulæ, Nucibus non absimiles, intus habentes floccos molles, lucernarum luminibus aptos. Nam & sine Oleo flagrant, [Nam sanè in Oleo, &c. Dal.] sicuti galla nigra. Fert & aliam inutilem pilulam cum capillo, verno tamen tempore melligeni succi. Gignunt & alæ ramorum e-

Cachrys Plinio Robur. Mora. Pilulæ floccos habentes.

Digitized by Google

ius pilulas, corpore, non pediculo adhærentes, candicantes umbilicis. Cætera nigra varietate dispersa. Media cocci colorem habent. Apertis amara inanitas est. Aliquando & pumices gignit: nec non è foliis convolutas pilulas: & in folio rubente aquosos nucleos candicantes & translucidos, quandiu molles sint in quibus & culices nascuntur: maturescunt in modum gallæ. Ferunt Robora & Cachryn: ita vocatur pilula in medicina urendi vim habens. Gignitur & in Abiete, Larice, Picea, Tilia, Nuce, Platano, postquàm folia cecidere, hyeme durans [Cachrys foliorum conceptu, è medio germinis globo prominens, tanquam parturiente folium natura, qui in folia post explicatur: Convoluta è foliis pilula Iulus, in Iuglande & in Avellana racematim compactus callus floris vicarius: Cyttarus in Coniferis gradatum, squamosúmq; nucamentum, rudimentū fructus, Bryô in quercu, racemosi villi qui loco floris sunt. Hæc diligenter distinguēda Κάχρυν pro Libanotidis semine quidam scribunt. Roboris verò & arborum citatarū Cachryn ineptè cōfundit Plin. cum Rosmarini pilula acri & urente, quæ etiam Cachrys dicitur, ut & medulla seminis Crethmi hæc. Dalech.] Continet nucleum Pineis similem. Is crescit hyeme, aperitur vere pilula tota. Cadit, cum folia cœperint crescere. [Hic rursus dormitasse videtur Plin. Nam de Iulis Avellanarum hoc Theoph. esse nuci Pineæ similes, crescere hyeme, aperiri verè totos, &c.] Tam multifera sunt, & tot res præter glandem pariunt Robora. Sed & Boletos Suillósque, gulæ novissima irritamenta, quæ circa radices gignuntur: Quercus probatissimos: Robur autem & Cupressus & Pinus noxios. Robora ferunt & Viscum, & mella, ut autor est Hesiodus. Constatque rores melleos è cœlo cadentes, non aliis magis insidere frondibus. Cremati quoque Roboris cinerem nitrosum esse certum est. Omnes tamen has eius dotes, Ilex, solo provocat Cocco. Glandiferæ maximè arbores Agaricum ferunt. [Immò potius in Laricibus nascitur, sub quibus de eo trademus in libro Resiniferarum & Coniferarum.] E glandiferis sola quæ vocatur Aegylops, fert Panos arentes, muscoso villo canos, nostrin cortice modò, verùm & è ramis dependentes, [è cortice nascentes, non è surculorum cacumine, unde glans: nec è gemma, sed è latere superiorum nodorum. Theoph.] cubitali magnitudine, odoratos, ut diximus inter unguenta. Suberi minima arbor [non minima. Dal.] glans pessima, rara, cortex tantùm in fructu præcrassus ac renascens, atque etiam in denos pedes undique explanatus est.

Pilula cum capillo. Pumices. Pilulis & foliis. Nuclei aquosi. Kachrys roborum quid. Iulus. Cyttarus. Bryon. Plin. error. Cachrys vox ambigua tria significans. Alter Plin. error. Boleti Suilli. Noxii Boleti. Viscum. Res melleus. Roborum cinis nitrosus. Agaricus. Pani Aegylopis. Suber.

Hactenus Plin. de iis quæ Quercui seu Robori innascuntur. Addamus & reliqua quæ ad eorum doctrinam generalem pertinere videbuntur. Omnes arbores, ut creditur, inquit Theoph. cortice detracto intereunt, sed aliquæ plus temporis perdurant ut δρῦς. Idem δρυὸς radices non tàm profundè descendere volunt, ac Abietis, sed multò plures habere, & latiùs diffundi. Quercus, autore Plin. & Olea tàm pertinaci odio dissident, ut altera in alterius scrobe depactæ moriantur. Quercus verò & iuxta nucem Iuglandem. Robori radices copiosæ, carnosæ, quas in profundum agit. Si Virgilio credimus, Aesculus, quantum corpore eminet, tantum radice descendit. Maxima spatio atque plenitudine & Citri [Cedri vet.] est. Ab ea Platani, Roboris & Glandiferarum. Falsum arbitror quod aliqui prodidêre, radices arborum vetustate minui, visa etenim est annosa Quercus eversa vi tempestatis, & iugerum soli amplexa. Robori materies ossea, cariem vetustatémque tardissimè sentit. Diuturnior materies Roboris defossi, & in aquis Quercus obrutæ. Eadem supra terram rimosa facit opera, torquendo sese. Robur marina aqua corrumpitur. Fagus & Cerrus defossæ celeriter marcescunt. Esculus quoque humoris impatiens. Incurvatur & Robur, ceditque ponderi. Idem insociabile glutino & secum & cum aliis. Securibus pertinaciùs resistit tàm aridum quàm viride, serrarúmque dentes replet, sicut & Buxus, æqualitate inerti: qua de causa alterna inclinatione egerunt scobem. Ex reliquis siccissima Lotos, quæ Romæ ita appellatur, deinde Robur exalburnatū & huic nigricans color, [Roboris exalburnati nigram medullam antea diximus ex Theoph. μελάνδρυον vocat.] magisque etiam Cytiso. De cætero plærisque eorum, sed utique Robori tanta duritia est, ut terebrari nisi madefactum non queat, & ne sic quidem adactus avelli clavus. Suberis materies mollis, in aqua non fluitat si dematur cortex.

Radix. Quercus cum Olea & Iuglāde antipathia. Plinius. Materies. Melandryum. Robur quomodo terebrandum. Suber.

Sed, quod maximè honorificum sit Quercui, Plinius ipsam etiam Italiam, Provinciarum totius Mundi sine æmula nobilissimam & pulcherrimam, & ut ille ait, omnium terrarum alumnam, eandem & parentem, numine Deûm electam, quæ cœlum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritúsque molliret, & tot populorum discordes ferásque linguas, sermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret; brevitérque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret &c. hanc inquam folio maximè Querno assimilare voluit, multò proceritate ampliorē, quàm latitudine. Sed idē & stillicidia Quercus ponderosissima dicit. An quia pondus ab ipsa Quercu acquirunt? & an à foliis, vel à ligno? Ab hoc possint aliquid: ab istis, vix putamus. Sed ita putamus: cùm Quercus folia sint sinuosa, & interdum veluti carinata, ideò plus aquæ sustinere: inde guttas, maiores, ideóque graviores. Quod si cui lubeat aliam excogitare rationem, possit.

Italia laus. Assimilatur folio Quernó. Cur stillicidia Quercus ponderosissima.

Sed nunc paucis quid & Diosc. de Quercu, περὶ δρυὸς, in genere habeat, videamus. Is unica δρυὸς voce Diosc. (ne quis fortè eum existimet prædictas species non novisse, ad vires potiùs quàm historias respiciens.) & nostro & aliorum doctissimorum iudicio, comprehendisse in universum omnes glandiferas arbores, non solùm quòd sciret, una voce omnia illa genera contineri posse, sed etiam, ut brevitati consuleret. Ideò dixit: Δρῦς πᾶν τὸ στυπτικὸν ἔχει μόριον, &c. Similitérque unica quæ circum glandem est calyci subiecta. Sed Iligneas glandes, Quernis. [περὶ δρυΐνων dicit, non τῆς δρυὸς: diversarum specierum intelligens.] Attamen gallam idem non περὶ δρυΐνων, sed δρυὸς fructum dicit, nihilominus sub hac voce diversas species comprehendens. Mirum verò ab eo potiùs fructum dici Quercus, quod tamen de glandibus adeò expressè non dixerat. Nempe si non verè fructus est Galla, habet tamen fructus speciem, quamvis revera excrementum sit, ut & reliqua suprascripta, quæ nullus flos procedit, sicut fructum præcedere solet, in iis quæ florent. Sed notandum quòd idem Dioscorides ait Chamædryn folia habere parva forma & divisura similia Dryi: quòd & Plin. dixit: Item Betonicam inquit Diosc. folia ferre longa, similia Dryi, in circuitu dissecta: denique Syderitidis primæ folia esse longiuscula ad formam δρυός. Sed longè diligentiori observatione dignum, quando idem cap. de Cocco ait,

Diosc. ad vires potius quàm historias plantarum respexit.

Diosc. locus illustr. ait, ἐν τῷ ἄρῳ, in quercubus provenire Coccum, quamvis ibi Anguil. ἐν τῷ πρίνῳ legi velit ex Theoph. hoc est, in Ilice. De qua re plura in Ilice, ubi de Cocco tradetur. Illud obiter notabis, & veluti superpondij loco: etiam veterem Dioscor. lectionem ferri posse, sed ea lege ac omine, ut, sicut dicebamus, δρυὸς nomine glandiferæ arbores omnes comprehendantur, inter quas & Ilicem referri nemo negaverit. Interpretes tamen Quercus nomen retinuerunt.

Balanos Hippoc. Hipp. lib. de affect. βαλάνου voce, αὐτὶ δρυὸς usus est, ubi ad inflammata βαλάνου φύλλα id est, quercus folia imponere iubet. quercum Plutarchus inter arbores sylvestres fructu bellissimam & fertilissimam ait. Eo enim & feræ & alites pascuntur. Nempe etiam M. Cato inter ea, quæ ad bonum optumúmque agrum spectant, sylvam glandariam annumeravit. *Glandaria sylva Catoni.* Inter mitigatas validissima. Omnium verò prima nata dicitur. Vnde Arcadum cum hac, cognatio quædam, quòd omnium primi ex terra homines iuisse perhibeantur. Socrates autem in Deorum contumeliam, qui sua tempestate colerentur, per quercum, ut ait Tertullianus, deierabat, hac ratione, ut ipse arbitratur, *Socrates per Quercũ deierabat.* quòd Deum unum, qui Mundum cœlúmque regeret, esse existimaret, qui antè foret, quàm quercus crearetur & nasceretur. At qui Athenis & in Græcia colerentur, longè post quercum, & ferè à sua memoria natos, nec dignos ut pro Deo colerentur, quare ob violatas illorum ceremonias ultimo supplicio à suis condemnatus. *Socratis supplicium.*

Hesiodus autem Deos dicebat, iustis hoc concedere, ut in illorum quercuum ramis altioribus glandes nascerentur, in medio verò apes habitarent. Idem Plutarchus in vita Martij Coriolani ait coronam quernam servati civis esse præmium, quòd Iovi, in cuius tutela sunt civitates, sacra sit quercus. *Corona Querna. Quercus Iovi sacra. Iovis signum Querceum.* Quamvis alij, ut Plin. Esculum Iovi sacram dixerint. Iovis autem signum altissima quercus erat. Hinc quercum sacram ferunt, quòd vitæ causa, in hac primùm arbore, mortalibus fuerit, qui primùm glandibus vescerentur. Ovidius.

Et quæ deciderant patula Iovis arbore glandes.

Huius enim fructu suos populos primùm aluisse dicitur. quare Iovis arbor dicta. *Iovis arbor.* Vnde adagium: πολλῶν πανηγύρεων Διὸς βάλανον ἔφαγεν. Id est, multorum festorum Iovis glandes comedit. quamvis per Διὸς βάλανον & Castaneam intelligant. Dicitur autem de sene multarum rerum usu docto & experto.

Civica Quercus. Civica autem dicitur quercus, quoniam antiquitus querna corona donabatur ei, qui ciuem servasset, de qua neminem melius disserentem audias quam ipsum Plinium: Glandiferi maximè generis honos apud Romanos perpetuus. Hinc civicæ coronæ, militum virtutis insigne clarissimum iampridem verò & clementiæ Imperatorum, postquàm civilium bellorum profano [profanatio M. profanatione. Vet.] meritum cœpit videri civem non occidere. *Civica corona militaris virtutis insigne.* Cedunt his Murales Vallarésque aureæ, [ita enim legimus ex Gellio.] quanquam pretio antecedentes. Cedunt & Rostratæ, quamvis in duobus maximè ad hoc ævi celebres: M. Varrone è piraticis bellis, dante Magno Pompeio: itémque M. Agrippa, tribuente Cæsare è Siculis, quæ & ipsa piratica fuère. Civica Iligna primò fuit, postea magis placuit ex Esculo, Iovi sacra. *Iligna corona. Esculea. Querna.* Variatúmque & cum querna est, ac data ubique, quæ fuerat, custodito tantùm honore glandis. Additæ leges arctæ, & ideò [coronæ] superbæ, quasque conferre libeat cum illa Græcorum summa [ex Oleastro in Olympicis, ut suo dictum loco.] quæ sub ipso Iove datur, cuique muros patria gaudens rumpit: Civem servare, hostem occidere: Vtque eum locum, in quo sit actum, hostis obtineat eo die: útque servatus fateatur: aliàs testes nil prosunt: ut civis fuerit. Auxilia, quamvis rege servato, decus id non dant: Nec crescit honos idem Imperatore conservato, quoniam conditores in quocunque cive [civem M. & CH] summum esse voluêre. Accepta licet uti perpetuò. *Summum maximaq; privilegia Quernæ coronæ redimitorum. Qui eam acceperint.* Ludos ineunti semper assurgi etiam ab Senatu, in more est. Sedendi ius in proximo Senatui. Vacatio munerum omnium ipsi patrique & auo paterno. quatuordecim eas accepit Sicinius Dentatus: [qui propter fortitudinem Achilles Romanus dictus.] sex Capitolinus. Is quidem & de duce Servilio. Africanus de patre accipere voluit apud Trebiam. O mores æternos qui tanta opera honore solo donaverint, & cum reliquas coronas commendarent, salutem civis in pretio esse noluerint: [clarè professi, ne servari quidem hominem fas esse lucri causa] servari quidem hominem, nefas esse lucri causa. Hæc Plin.

At Plutarchus ex quercu dari solitam Civicam narrat, quòd in expeditionibus glandiferi generis hanc adinvenire facilè sit, vel, quòd Iovi & Iunoni sacra, qui urbibus præsidere dicuntur. Corona querna, & draconum voluminibus olim Triviæ Dianæ τῆς ἐνοδίας, sive τριοδίτιδος, quam eandem esse cum Hecate putabant imaginem, coronare mos fuit. Sophocles in Rhizotomis apud interpretem Apollonij.

> ἥλιε δέσποτα, καὶ πῦρ ἱερὸν
> Τῆς εἰνοδίας Ἑκάτης ἔγχος,
> τὸ δι' Οὐλύμπου πολλῶν φέρει
> καὶ γῆς ναίει ἱερὰς τριόδους
> στεφανωσαμένη δρυῒ καὶ πλεκταῖς
> ὠμῶν σπείραισι δρακόντων.

Hanc Coronam ut inferis diis, sic etiam Parcis imponebant. Catullus,

His corpus tremulum complectens undique Quercus
Candida purpureis ramis induxerat ora.

Purpureis, τοῖς ἀγλαοῖς. Scalig. P. Decius Mus, tribunus militum in bello Samnitico ea donatus, testibus Corn. Nepote ac Plin. secundo de viris illustrib. M. Antonino Philosopho, & L. Aurelio Vero quoque fratribus oblata. Aurelianus Princeps bis ea donatus. Probus in bello Sarmatico semel, & Valerianus. Cæsar, autore Suetonio, à T. Thermo, in expugnatione Mitylenarum illa donatus. Coriolanus, ut narrat Plutarch. à Dictatore Civica donatus, propter civem in prælio, quod Latini post exactum Tarquinium cum Romanis fecêre, servatum. Scipio Africanus, consulem patrem apud Ticinum amnem, adversis auspiciis cum Hannibale præliantem saucium, intercessu suo, servavit. Quamobrem duabus coronis donatus, scilicet ut duplici corona conspicuus foret, quòd & patrem & consulem servasset. Lege Val. Max. Rufus Helvius, miles gregarius, ob servatum civem in bello, quod Tafarmias in Africa, contra Romanos gessit, à Cæsare Civica donatus. Ciceroni, propter servatam contra L. Catilinæ, & cæterorum coniurationem vrbem, L. Gellius, vir præclarissimus à Repub. dandam Civicam coronam arbitratus, ut ille de seipso testatur. Habes exempla eorum: qui Querna, hoc est Civica corona redimiti fuêre, ob servatum civem. Sed quid vetustis exemplis inhæremus? Hoc nostro seculo cùm dirus ille Mars, & fatalis Orci filia feritas, in totam Galliam ac civem Genevensem grassata, Ios.

Ioſ. Quercet. Medicus ſummus Civica corona donatur.

Quercetani Medici excellētis & Regij, ac optime de patria & concivibus ſuis meriti, ob editum à ſe Sclopetarium, hoc eſt, librum de curandis vulneribus, quæ Sclopetorum & ſimilium tormentorum ictibus acciderunt: FR. HOTOMANUS, æternæ famæ Iuriſc. Gallicus ille Cato, & Acad. Baſil. lumen præclarum, eidem Quercetano nomine, feliciomine, Coronam Quernam, OB CIVEIS SERVATOS, publico illo opere extare dicareque voluit, hoc adiuncto argumento:

Ob conſervatos inſigni hoc munere civeis
Quercetane tibi Querna corona datur.

Conſuetudo vetus Athenienſium.

Fuit & conſuetudo vetus ſcitu digniſſima. Mos erat Athenienſibus, ut puer quiſpiam in nuptiis induceretur undique ſpineis frondibus, & quercus glandibus opertus coronatúſque Cunas panibus impletas geſtaret.

Quercus civilis.

Virg. quoq; Quercum civilem dixit: Aeneid. 7.

At qui umbrata gerunt civili tempora Quercu.

Lælium Querna corona redimitum celebrat Lucanus.

Lalius emeriti gerens inſignia doni,
Servati civis referentem premia Quercum.

Audi Valerium Max. Cæterùm ad Quercum pronæ manus porriguntur, ubi ob cives ſervatos corona danda eſt. Argumenti ſanè proportio hanc eximio Medico indies ſuos cives arte ſua ſervanti, & ab orco revocanti competere, atque adeò verè tali conferri debere, iubet. Nec abſonum fuerit dixiſſe, inter civicam & obſidionalem coronas hoc intereſſe, quòd hæc ſingularis ſalutis ſit, illa diverſorum civium ſervatorum publicum quoddam præmium. Sed de hac re ſatis.

Obſidionalis differt à civica.

Prienenſis Quercus.

Iuxta Prienem Ioniæ urbem Quercus fuit, apud quam Samij & Prienenſes bellum gerentes, mutuis ſe damnis afflixere, magnóque prælio inter eos commiſſo, Samios mille Prienenſes occiderunt. At ſeptimo poſt anno ibi cum Mileſiis congreſſi, optimos quoſque urbis cives ac primores uno prælio amiſerunt, ut poſt eam calamitatem mos Prienenſibus mulieribus fuerit, ut cùm de maximis rebus ageretur, cum miſerabili precatione iureiurando teſtarentur: Apud Quercum funebrem: quòd eo in loco & patres & viros ac filios, amiſiſſent. Hæc Plutarch. in Probl. Abſalon Davidi patri rebellis & inſidians (ut ſacræ nos docent paginæ, cùm mulo inſidens aufugeret, & ſub Quercu denſa pertranſiret, obvolutis ramis illius crinibus, pependit, & à Ioabo tribus lanceis transfixus. Extat & Adagium, τὸ ὑπὸ δρυῒ σκότος, id eſt, per tenebras quæ apud Quercum: De ingenti & fatali calamitate dicitur. Sed ſatis digreſſum.

Quercus funebris.

Abſalon in Quercu pendens transfixus.

Adag.

Reſtaret ut ipſas Quercuum differentias proponeremus, ni diverſorum autorum recentiorum diverſæ ſententiæ nos remorarentur, in aſſignandis ſuis, & reducendis explicandiſque priſcorum τῆς δρυὸς differentiis, quos conſuluiſſe & audiviſſe intereſt rei herbariæ ſtudioſis antequam ſingulas nobis obſervatas promamus. In ea vero re multū ſe torſerunt.

Recentiorum ſententia de Quercus differētiis.

Roboris genera Hermol.

Hermol. Roboris genera quaterna tantùm fecit, Quercum, Robur, Eſculum, Cerrum, quæ eiuſdem iudicio Græcis illis reſpondent, Hemeridi, Aegilopi, Haliphloeo, Platyphyllo. Vt ſit quercus, Hemeris: Platyphyllos, Eſculus: Aegilops, Cerrus. Sed nunquid Haliphloeos Robur ſignificet, ſibi incompertum ait Theophraſt. certè [addit idem] Agriam δρῦν appellat, quam noſtri Robur interpretantur. quidam at Dioſc. quatuor ſupradictis duas addidère ſpecies, Fagum & Ilicem. Sed totò genere diſtant, ut cognatæ potiùs quàm congeneres habendæ ſint. Verùm non ideò malè locutus Dioſc. ad vires, potiùs reſpiciens, quas eaſdem cum cæteris habent. Hemeris ſanè Homero non quercum ſed vitem ſignificat, ut Photion teſtatum eſſe voluit.

Fagus & Ilex non ſunt de genere Quercuum.

Hemeris.

Quercus. Mylion.

Sunt, inquit Ruell. qui Hemerin eſſe Quercum exiſtiment, quam Mylion interpretantur: quibus facilè accedo fretus Theoph. teſtimonio, qui ſcriptum reliquit, eam quæ glandem ferat dulciſſimam, quibuſdam Quercum, aliis Hemerida, id eſt, placidam vocari. Cæterùm utrique eadem aſcribitur natura, præterquam à Plinio, qui parum diligenter glandiferarum arborum diſcrimina obſervaſſe à nonnullis accuſatur. Hanc inter Quercum & Hemerida invenit differentiam, ut in his arboribus, quæ maximam ferat glandem Hemeris vocetur brevior & in orbem comoſa, aliſque ramorum crebrò cavata: fortius lignum Quercus habeat & incorruptius, ramoſa & ipſa: procerior tamen & craſſior caudice. Theoph. certè ἀγρίαν δρῦν appellat, quam noſtri Robur interpretantur. Robur tamen, quæ Theophr. ἀγρία δρῦς dicitur, licet pro communi glandiferarum genere uſurpent, ea tamen illa eſſe videtur quercus, quæ Gallicum nunc vulgus *Cheſnam* vocat, ea paſſim in ſylvis ſpectatur, folio latebrarum anfractibus ſinuoſiſſimo, glande exigua, materie duriſſima. Nam & hæc ſola præter fructum Gallam utriuſque generis & fungos, & plurima alia gignit. [Gallas ſingula ferre genera dixit Theoph.] Cæterùm ſunt qui Haliphloei nomine Robur putent comprehendi, quod compertum non habeo, nec parva fuit difficultas prodere, quibus Græcis latina congruerent. Hæc Ruell.

Plin. not.

Hemeris.

Robur, agria drys.

Cheſne.

Haliphloeus.

Drys Amato. Etymodrys. Quercus communis.

Drys, iudicio Amati, Quercus eſt, ſuaves & dulces glandes ferens, quam nonnulli Etymodryn appellant. Nam communis Quercus inſulſas & ſuibus gratas glandes producit, cuius Dioſc. tanquam ſpecies, Fagum & Ilicem numerat, quod intelligendum de viribus: ſecus autem figura, quum multùm inter ſe differant. Nam Fagus arbor eſt, quæ licet fructum glandi figura & forma ſimilem non habeat, glandiferis tamen arboribus annumeratur.

Fagus glandifera.

Anguil. glandiferæ 1. In Italia omnes ſpecies Theoph. notæ eſſe.

In Italia, ſi Anguil. credimus, omnes ſpecies arborum glandiferarum, quas recenſet Theoph. ſunt benè notæ. Nam, ut ille tradit, Prima ſpecies, quæ montanis dicitur Hemeris, Macedonib. Etymodrys, quam Gaza nunc Placidam nunc *Veriquercum* vocat: Itali vocant *Querciam*: In Abruzzo *Ghianda Caſtagnola*. Profert hæc glandem magnam, craſſam & longam, ac hæ glandes in quibuſdam locis Hiſpaniæ comeduntur coctæ in igne inſtar caſtanearum. Secunda à Montanis dicitur *Aegilops*: Macedones vocant *Aſprin*, Gaza vertit *Cerrum*, Itali adhuc vocant *Cero*, cupula autem in qua continetur glans vocatur *Vallania*. Tertia ſpecies quæ vocatur à Montanis πλατύφυλλος, eodem nomine à Macedonibus vocatur. Gaza vertit, nunc Eſculum, nunc Latifoliam. Itali vocant *Fargno*, *Fargni* & *Iſchie*. Quarta eodem nomine à Montanis & Macedonibus dicitur φηγός. Gaza vocat Fagum. Itali, Faggi. Quinta ſpecies incognita erat Macedonibus: non autem Montanis, qui Haliphloeon vocârunt: Gaza vertit Salſicorticem nec non Recticorticem. Itali *Rovere*. Aliæ ſunt quoque ſpecies figura inter ſe ſimiles, ſola magnitudine differentes. Prima Græcis dicitur πρῖνος. Gazæ Ilex: Italis *Lecine* & Elici. Secunda φελλός, Gazæ Suber. Tertia ἀρία,

Quercia. Eius glandes eduntur.

2. Aegilops, Aſprin, Cerrus, Vallania.

3. Platyphyllos. Eſculus. Latifolium.

4. Fagus.

5. Haliphloeos. Salſicortex Rectcortex.

Genera cognata.

1. Prinos-Ilex.

2.

Gazæ

Phellos, Suber. Agria, Aquifolium.

Gazæ Aquifolium. Hæ sunt species arborum glandes ferentes, in Italia cognitæ. Hæc Anguil. Qui cum Matth. & Amato existimat ὀξύη Theoph. & Diosc. eandem esse cum Fago Plin. quod sanè consideratione dignum. Fagus enim Theoph. Diosc. & Gal. eadem videtur, & diversa à Plinij Fago, quæ Oxya Theoph. Quæ verò Diosc. tradidit φηγὸς, infra referemus, cap. de Ilice, inter vires, sicut & quædam Plinij, de Fago habes cap. de Oxya sive Fago vulgari & Latinorum.

3 Auctorum sententiā de Fago: an idē Theoph. Diosc. Gal. & Plinij. Oxya Theoph. Fagus Plin.

Quercus folio sinuato species tres.

Cæsalp. aliter tradit Glandiferarum differentias, quàm Anguilara, dum scribit: Species quas novimus, folio sinuato, & deciduo tres notæ sunt, quarũ una Quercus vocatur, frequens in collibus, caudis intorto, ramis in multam latitudinem sparsis, folio non valdè sinuato, glande mediocri, licèt quædam maiorem, quædam minorem ferat glandem, optimam ad saginandos sues, folium similiter hæc latum: illa angustum fert. Altera erecto caudice ingentem altitudinem folio maximè sinuato, glande in Echynato calyce insuavi, quæ Cerrus appellatur. Tertia erecto similiter caudice non adeò excelsa: folio latiore, modicè sinuato, glande maximâ rotundiori: appellant in Etruria Farniam, triremibus fabricandis expetitam, materia enim flexilis & enodis: eadem in maritimis reperitur, sed operibus inutilis. Quæ autem folio constant non sinuato, dissimilia secundùm ætatem folia ferunt, nam initio obrotunda sunt, modicè sinuata in angulos acutos, adultâ autem arbore, oblonga redduntur & angustiora, quasi Oleæ similitudine, sed ampliora infernè candicantia, glandem ferunt tenuẽ, in acutum desinentem, inutilem, perpetuóq; virent: Huius generis quinque novimus species, scilicet Suberem, Suberellam, Ilicem duplicem & Granum tinctorum.

Cerrus. *Farnia.* *Folio non sinuato.*

At Theophrastus, quæ folio constat deciduo, communi nomine Δρῦς id est, Robur, sive Quercum vocat, cuius modò quatuor, modò quinque facit species, quarum prima Hemeris, sive Placida vocatur, quæ nostra Quercus, tenuiori glande & folio. Secunda Cerrus. Tertia Latifolia, cuius notæ in nostra Quercu latifolia reperiuntur. Quarto loco Fagum ponit, non quam nos ex Plinio Fagum vocamus: cuius verba conveniunt Farniæ in montibus altissimis ad naves quæsitæ. Quinto loco Haliphlios, seu Saleicortex additur, quæ etiam Resticortex cognominata est: hanc putaverim apud nos illud genus Farniæ esse, quod in maritimis provenit. Theophrasto teste, Macedones Roboris quaterna genera faciunt, aliis nominibus, scilicet Etymodrym, seu Veriquercum, quæ glandem dulcem producit, hæc cum Placida eadem videtur esse. Secundo loco Esculum quæ glandem amaram fert, Latifoliam videntur intelligere. Tertiò Fagum, quæ rotundam fert glandem, quæ Farnia est. Quartò Cerrum.

1 2 3 4 5

Macedonū quatuor genera Roboris, quæ hæ, secundum Cæsalp.

Apud Plinium Robur, Quercus, Hemeris, aut eandem arborem significant, aut parum differentes: Ægilops & Cerrus similiter conveniunt, sic Latifolia, & Esculus, Haliphleos autem apud eundem cum Cerro Arcadum eadem putatur.

Lugdunenses Coloni, hoc pacto inter se contendunt, ut du Choul narrat. Quæ plano in loco aut convallibus Quercus creverit, illis rusticis Chesna vocatur. Si verò in altis montibus radices egit, quicunque habitant agricolæ, *Roule* aut *Rouvre*, quasi Robur nominant. *Roule* folio Quercus est minore, & duriore materia. In Gallia Quercus, quam plebs *Charme* vocitat, sine glande arbos vivit, lignumq; maximè expetitur, propterea quòd cæteris præfertur.

Roble.

Fallitur nostro iudicio du Choul reponens arborem, *Charme* Gallis dictam, in numero quercus, omnino enim ab ea differt: de ea autem trademus sub Fago sepium dicta. Ait præterea, Ornum & Roboris speciem, quæ sterilis sit, aliqui crediderunt: Et postea: Glandiferarum arborum pene incertus numerus, efficit ut omnes enumerari non possint. Hullos arbor est glandifera. Balaustium quercum, Babalaustum querceam glandem Avicenna dixit.

Ornus. *Hulleis. Balaustium.*

Pausanias in Arcadum sylvis diversas esse quercus tradidit, quarum alias πλατυφύλλους vel Latifolias: alias φηγοὺς, Fagos appellat. Tertium autem genus rarum esse, & usq; adeò levem corticem præbere ait, ut in mari anchoris signa ex eo faciant. Huius quercus corticem Hermesianax Poëta, φελλὸν nominavit, & Suberem.

Pausaniæ differentiæ. 1 2 3 Latifoliæ. Fagi. Cortice levi. Phellos. Suber.

Vitruvius l. 7. de Farno meminit, quod inter quercus genera ponitur, & nunc quoque Itali Fornum quercus genus vocant, teste Curtio. Est præterea Enzina quercus in Hispania, genus minus, & non adeò rectum, cuius glandes ob suavitatem eduntur. Hodiè vulgus *Vellotas* appellat. Repertæ in Olympo hac nostra ætate, admodum humiles Quercus, folio tenui, glande exigua: quæ veteribus fuisse incognitas ferunt.

Farnus. Enzina. *Vellotas.* *Quercus humiles Olympi.*

Nos ad Rhodani ripas [inquit du Choul] saxis hærentes quercus offendimus, contorto caudice, fruticis magnitudine, & natura steriles. Non desunt qui penitùs contendant in quercubus marem & fœminam esse: discrimen sic faciunt, ut mas ad ultimam usque senectutem opacis locis folio non spolietur, fœminæ hyemis initio decidat. Galli Andegavenses quercus inferunt perpetua coma virentes, quod equidem sibi persuadere priusquam vidisset potuisse negat idem.

Quercus steriles & fruticosæ. *Mas.* *Fœmina. Quercus perpetua folia.*

In Apennino & Andium agro [vulgò *Angiers*] Quercus perpetuò virens ex genere Latifoliæ notante Rob. Constantino. Antea diximus ex Theoph. Varrone & Plinio Sybariticam agri Thurini itidem semper virentem.

In Græcia hodiè hæc Quercuum genera fiunt, autore du Choul, Melanos Ymeri, Thessalia Drys Lesquymeri. Reperta hac ætate, inquit idẽ, in nemore Trosac propè Bituriges tantæ proceritate atq; crassitudine quercus, ut referre quãta sit nemo in animum inducat. Iussu enim mandatóve Francisci Regis invictissimi ac doctissimi, aggere veluti facto, pedamentis quibusdam circumnita est, ut cùm venaretur tantus Gallorum princeps propter admirationem & inauditam pulchritudinem sæpè sub hac posset oblectari.

Græciæ hodie Quercuum genera. 1 2 Melanos Ymeri Drys Lesquymeri. Quercus vastissima Galliæ.

Hac fortè non minor, sed ob naturam in ea obsequentem admirabilior, quæ etiamnum hodiè, in spectatissimo illo Basiliensium viridario ac sylva à D. Petro cognominata visitur, à Cardano & aliis celebrata. Vulgatæ Quercus, quam paulò pòst describemus species est, crassitudine, quantam vix tres homines comprehendant, trunco homine breviore, sed vastissimis ramis, senis aut septenis, quorum quilibet Quercus quales vulgò videntur facilè crassitudine æquet, ita in orbem repandis brachiata, & triplici pedamentorum ordine in immensum propemodum ambitum suffulta, ut iam ante multos annos centum passus circumeunti non sufficerent. Sed crebrioribus ramis divaricata prædicta brachia, & sensim elata patula opacitate sua, & conniventibus circa media brachiis pateram perelleganter referat, qua de causa ob raram & insolentem huius pulchritudinem, & quòd præterea fons perennis

Quercus Basiliensis amplissima.

ad ipsum ferè truncum perennes per tubos excutiens Lymphas, D. Maximil. Cæsari sub ea cum Cæsarea sua aula discumbere ac cœnitare libuerit. Floret eadem & fructus fert, cæterarum more, quotannis ferè. Diceres in unica illa quercu, omnes propemodum pulcherrimæ arboris dotes Faunos atque Sylvanos certatim contulisse. Vt iam nihil sit quod de Lycio Platano glorietur Licinius Mutianus, eius provinciæ Legatus, cœnasse sæpiùs sub ea cum octodecim sociis, cum hæc quercus Basil. multò plures supra trunci ambitum brachiorúmque, divisuram capiat, quàm Platanus ista adumbrarit. Sed, ut hæc altitudine præcellebat, erat enim 77. pedes alta, ita illa nostra amplitudine expansa.

Plin. notatur. Plin. sanè multa Robori tribuit, quæ quercui adscribenda videntur, etiam iudicio du Choul. Calyci Cerri tribuit idem, quæ calyci Haliphloei competunt, ut vult Const.

Hæc in genere de differentiis quercuum nunc enim reliqua generalia de Tempore, Loco, Satu & cultu dicenda, pleraque ex Theoph. Plin. Varrone, & Trago.

Nomina Roboris in genere. In genere verò & omnibus Roboris speciebus competunt hæc nomina Hageich/ vel Steineich/ vel Eyssich/ & Eyssholtz: Belg: Hageecke: Gall. *Robre* ou *Roure*: Ital. *Rovere*, Durissimæ quercûs genus, *Agriadrys* Theoph. putata: δρῦς ἀγρία: ἁλίφλοιος eiusdem, ut Had. Iun. & alij quidam putant, *Robur* dicitur & *Rober*. *Agriadrys.* Maturè & verè cœpturo germinat δρῦς & glandes, fructû seriùs reddunt, ut circa Vergiliarum occasum. Et reliquæ quidem arbores, ut primùm cœpere, continuant germinationem. *Haliphloeus. Robur. Tempus in genere.* Robur & Abies & Larix intermittunt tripartito, ac terna germina edunt: ideò & inter cortices squamas spargunt. Folia quercus cujuscunque in principio tenerrima sunt, ideò facillimè superveniente pruina marcescunt, & ipsam fructuum spem amittunt, quod alienando in istis regionibus evenire solet. Eadem folia mox comitantur oblongæ & luteæ Cachryes. *Cachryes.* Hæc verò circa diem D. Georgio sacrum, quercus ostendit, Porrò folia Quercina quæ primùm lutei sunt coloris [licet nonnulla etiam rubicunda appareant, maximè ea quæ è novellis Quercubus erumpunt] subinde viridiora ac solidiora evadunt. Post Cachryas, quas diximus, perexigui prorumpunt & rubri flosculi, qui in glandes tandem abeunt, *Glandes. Flosculi.* quarum non rarò tres aut quatuor unico eòque tenuissimo insident pediculo. An verò glandes iæ ad frugem sint perventuræ, circa diem D. Iacobo sacrum, observari solet, tum enim è calyculis prorepere consueverunt.

Montes & valles diligit Robur: quercus & in plana descendunt. Omnibus supràscriptis differentiis veterum, si Matth. credimus, universa abundat Hetruria: quippe in maritimis Senensibus & Faliscorum agro, ac etiam Romano tractu, omnia illa glandiferarum genera adeo numerosa in vastissimis sylvis provenire tradit, ut glandibus innumerabiles porcorum greges incolæ ibi quotannis saginent. *Locus in genere.* Frigorum & calorum iniuriam passæ quercus veluti Robora, tardiùs moriuntur. Quercus cæsa anno tertio resurgit: & in aquis obruta durat, Fitque Ebeno similis & decorticationem facilè tolerat. *Ebeno similis.*

Circa Oleum & Iuglandem seri vetant Geoponici quòd naturali quadam ἀντιπάθεια ab iis dissideat, & fundi oram sterilem faciat. De δρυὸς satu controvertitur. Quidam enim ex semine ac glande tantùm eam progigni statuunt: alij ex radice quoque sed lentè. Nonnulli etiam ipso caudice detruncato: avulsione aut radice, nullam earum quæ ab imis sobolem non mittat [[illegible]] exoriri posse arbitrantur. *Satio. Antipathia Olea Iugland. cum Quercu.* Iuxta urbem Iliensium Quercus in Ili tumulo tunc satæ dicuntur, cum cœpit Ilium vocari. In Ponto circa Heracleam aræ sunt Iovis Stratij cognomine, ibique quercus duæ ab Hercule satæ. De insitione nihil effatu dignum traditum: hosce tamen etiam fructus quercus protulerunt, si verum dicant Poëtæ: Virgil. Eclog. 8. *Insitio.*

Aurea duræ
Mala ferant Quercus: Narcisso floreat Alnus:
Pinguia corticibus sudent Electra myrica:
Certent & cygnis ululæ:

Aurea mala.

Horat. Epist. 1.

Quid si rubicunda benignè
Corna vepres & Pruna ferant? & Quercus & Ilex
Multa fruge pecus, multa Dominum iuvet umbra?

Corna. Pruna.

Sed hæc vota poëtica nobis potiùs esse videntur, quàm veræ narrationes. Ruellius tamen memorat, per insitionem quercum bona Pyra ferre visam esse: Fides sit penès autorem. *Pyra.* Nunc specialiorem historiam aggrediamur, incipientes à vulgatissima quercu nostrate.

Glandium flos.



QVERCVS VVLGARIS BREVIBVS AC LONGIS pediculis.

Vix ulli genti Europeæ incognitam putamus Quercum vulgarem recto, crassissimo, vasto & valido caudice, nec minùs firma materie, crasso, ruso, rimoso, scabróq; cortice: brachiis longè latéq; luxuriantibus, foliis longis sinuosis. *Descriptio. Cortex. Folia.* In hac nucamenta aut Iuli observantur, in quadratalibus tenuibus pediculis ex certis intervallis, muscosi, ex apiculis sessilibus herbibis eodem puncto pluribus exortis, compositi, sic, ut interdum verticillatum ligulam cui adhærent coronent, quos infra pictos damus cum piluli s quercus

cus observantur quoq; & glandium rudimenta, tanquam globuli minimi purpurantes & hirsuti (qui mihi flosculi) privatis pediculis insidentia. Glandes in Calycibus suis seu cupulis sessiles, vel surculo proximè adhærent: & longis tenuibusque pediculis appenduntur. Atque etsi magnitudine varient, unciam tamen communiter longæ sunt, corticosa membrana tectæ punicea, nucleo calloso, acerbo & austero, quemadmodum & cupula exteriùs asperiuscula, interiùs lævis prædicto corticè multò densior, vix tertiam glandis partem capiens.

Quercus vulgaris tres varietates à fructu potissimùm posteà trademus: hîc id notandum nobis videtur, sæpiùs visas Quercus maximas totas cavas corrupto ligno ac etiam interdum adusto penè toto ab opilionibus, ut homines in eis occultari potuerint, & nihilominùs pluribus annis virentes & fructiferas durare. Vox Δρῦς inquiunt Lob. & Pena, à δρύω, erumpo, pullulo; qua designarunt potiùs glandiferum genus & præsertim Quercum, cuius frequentiss. occursus, ipsaque celsior & ramosior arboris species frondis grandioribus anfractibus sinuata quavis notatione notiorem faciunt, tum frigidis, tum calidis plagis. Eam meritò quis putet apud Theophrast. dictam Salsicorticem ἁλίφλοιον quam hodie *Robur* vel *Roure* vulgus nostrás vocitat, ut quæ sit perquàm solido trunco, multùm cineris urendo relinquente. Qualem etiam è vulgari trunco nos parandum curavimus, aiunt Lob. & Pena, qui addunt: Quæ gallas dat quercus, duplex videtur. Earum vulgatissima nemorum & saltuum Pedemōtium, Delphinatus, aliarúmque regionum temperatiorum est alumna; minore stipite, brachiis & fronde. Huius quædam varietas aut differentia videtur Fagus, Theophrasto dicta, vocis argumento Latinis Esculus, cuius esculenta glans, & post quernam dulcissima celebrabatur, famémque explebat primis mortalibus: hodiè *Fargni* & *Fargno* Italicè. *Hargni* Gallicè: Lignum illius firmius proditur, quàm urbanæ quercus. Item in obs. quercus perpetua fronde virens, Gallis *Chesnes verds*. Huius quercetas in Gallofrancia oriri audio. Glandes nostratibus similes sunt, quales serendas misit eruditiss. D. N. Rache apud Lutetianos Medicus. Nos verò quòd concernit, cur totam quercus Lob. historiam hîc proponamus, factum id à nobis, quod non in omnibus æquè perspecta sit. quercus etiam à nobis descripta, *Quercus Virgilij* est, Et fortè reliquorum quoque Poëtarum, *Iovi sacra, Chaonia, Fatidica, Donania, Dodonea, Civica, Mathonia, Alticoma, Patula, Rigida, Dura, Grandifera, Grata* suibus, *&c.*

Quercus Mamre est apud Hebræos: nos in vulgata interpretatione Vallem Mamre habemus: & Genes. c. 12. ubi Græca vulgata editio Δρῦν habet, Latinus interpres Vallem vertit. D. Hieronymus inter quercum & Terebinthum nullum discrimen agnovisse videtur, lib. Gen. 1. cap. 17. Latinus habet Terebinthum Græcus δρυός. Item l. 3. & Gen. 35. Est Serap. Codex emendandus ubi Cullot Latinis litteris scribitur: eum errorem in sua commentaria transtulit. Elon citra controversiam quercus fuerit, Et quercus Oseæ cap. 4. Quercus etiam à Iosue filio Nun, Ela dicta. Sunt tamen qui hæc vocabula generales arborum omnium apud Hebræos appellationes esse contendant, quæ sanè rerum magna esset confusio in unica voce. Extat & Ciceronis poëma de Arpinatum quercu. quercus de qua Pompeius.

Hæc eadem à nobis descripta putatur, esse Platyphyllos Idæorum & Macedonum, & Latifolia Plin. Periti quidam Herbarij hanc marem esse aiunt, fœminam verò genus alterum in saxosis, glande pusilla. Robur quoque quæ Theophrast. Agria Drys dicitur, ea Plinio esse videtur quam Gallicum vulgùs, *Chesne*, vocat, inquit Ruell. non sine errore, si hæc *Chesne* quercus sit.

Dalechampio, quercus genus 2. est Hemeris Idæorum, Macedonum *Etymodrys*, Latinorum *Robur*; Italorum *Rovere*. *Placidam* interpretatur Gaza, au lactiùs more suo. Plin. Græco nomine utitur. Idem Dalech. multa habet curiosiùs observata in sua quercus historia, quam Hist. Lugd. retulit his verbis: quercus in specie arbor est omnium maximè procera, si Aegilopem excipias, recto caudice, cortice inferna parte rimoso scabróque, superiore lævi, cui subest Alburnum, quod cum animalis pingui comparari potest, plurimis in orbem brachiata ramis, magnam innoxiamque umbram loco inducentibus: folio grandi, Cerri & Haliphlœi folio latiore, carnoso, laterum anfractibus sinuosissimo in arbore vetusta, minùs in ea quę cæsa novam frondem mittit, sed tum maximè lato & spisso, summa parte obtuso, cùm cadit nigrescente potiùs quàm flavescente: glande mediocri, suibus grata, ob eamque causam iis saginandis apta, cùm à Phagi & Hemeridis glande discesseris, dulci, non omninò quidem, sed si cum Haliphlœi & Aegilopis glande conferas. Minùs enim acerba & amara gustui est, Calyce nullis aculeis horrido, sed pustulata tantùm scabritia asperato. In summo ramorum cacumine ferè Glans nascitur, brevior, extrema parte veluti depressa ac retusa, aculeo, qui in summo fastigio glandis eminet, breviore & minùs pungente: sæpè ternæ glandes simul cohærent, aut binæ, rarò unica prodit: pediculus eas sustinens crassus & brevis, inde nascitur ubi ramo folium adhæret. In unius surculi capite plerumque videas hinc tres coniunctas glandes, illinc duas, ac in proximo unam solùm, prout succus, earum alimentum, huc illuc sese magis spargit: radice longè latéque evagante. Hanc uti dictum, Platyphyllon quidam marem esse aiunt: fœminam verò genus alterum, in saxosis & asperis locis ferè nascens: mare humiliore, cortice in tenellis surculis rubescente, non ut in illo albescente: folio minore: breviore, angustiore, antrorsum magis acuminato, tàm densis laciniis sinuoso lateribus, ut eminus crispum videatur, lætiùs & nitidiùs virente, glande pusilla & strigosa. Talem profectò gignunt aprici lapidosique colles Allobrogum, aspectu nonnihil variam, ob loci squalidi ariditatem.

Cæterùm & in aliis Quercetis fœmina quoque provenit, folio quàm maris breviore, antrorsum latiore, & magis obtuso, infernè pallido, cortice ramorum nigriore: glandibus minimis, in ramorum & surculorum vertice prodeuntibus; interdum senis aut quinis, sæpè ternis aut quaternis, rarò binis, rarissimè singularibus, quasi digito retusis, aculeo minimo, parum è calyce prodeuntibus, sed ei firmiter adnexis. Platyphyllorum quoque generi adscribenda, quam supra memoravimus in Thurino agro, in Apennino &

Andium Galliæ gentis agro nascentes, ut, quod Plinio mirum fuit, iam nos mirari desinamus.

Id verò admiratione longè dignius, quod scribit Plin. lib. xvi. cap. vi. probari Latifoliæ glandem, cuius in balano utrinque ex longitudine extrema lapidescit duritia: meliorem cui in cortice quàm cui in corpore, utrumque non nisi mari. Nam cùm locum Theophrasti exprimere voluisse videatur, ab eius sensu alienissimus est. Neque enim id melioris glandis signum esse vult Theoph. neque id de Platyphyllo scribit, sed de Phago & Haliphloeo. Hemeris arbor est non lævi, sed aspero rimosoque cortice: humilis, non excelsa: non recta, sed contorta: alisque ramorum crebrò cavata: materia firma duraque, sed minùs quàm Phagi, glande post Phagum dulcissima, sed longiore maioreque, imò omnium maxima, è suo calyce breviore ac depressiore facilè decidua, tenui longóque pediculo affixa, modò unica, modò gemina dependente, quod illi ex omnibus Quercus generibus peculiare est.

Lapidescit duritia. *Plin. redarguitur. Theoph. explicat. Hemeridis descriptio. Materies. Glans.*

Hæ sunt igitur huius Quercus, quam hic proponimus differentiæ vel varietates, quas cæteri Herbarij præter Dalech. non distinxêre.

Cæsalpinus quoque, qui tamen multùm circa Quercum sudasse videtur, non manifestum discrimen posuit harum Quercuum. Periti viderint an Theoph. Hemeris sive Placida, (ut ille cum Gaza vertit) & Macedonum Etymodrys seu Veriquercus, ipsi cum Gaza dicta, Plinij item Robur, Quercus, Hemeris eidem dicta, sit nostra Quercus pediculo brevi. Iidem viderint an eidem Cæsalp. Drys, Robur vel Quercus, Theoph. Latifolia Plinij & Italica, Macedonum Esculus, possit esse nostra Quercus cum longis pediculis.

Cæsalp. locus. *Quercus brevi pediculo. Quercus longo pediculo.*

Alias & Cordus Quercûs facit differentias: est enim δρῦς illi vulgaris illa ramosa in latitudinem diffusa glandifera arbor, caudice neque adeò procero, neque recto, crasso tamen, quam Latini propriè *Quercum* vocant, Germani Eyche, Theodorus nunc *Placidam* nunc Quercum vertit. Δρῦς specialiter vocata Robur est (siquidem Theodoro credendum) nisi enim ita Robur Græci appellarent, non temerè aliud nomen esset reperire, quo ea gens eam arborem indicaret. Caudice assurgit Robur recto, procero, paucisque ramis brachiato. Italis adhuc *Rouer* vocatur, Germanis Steineiche, à soliditate quasi lapideam Quercum dicas. Frequentissima est hæc in Hessia arbor. Ægilops Cerrus est, Roboris figuram referens, sed hæc etiam eò tum rectior, tum procerior existit, ramosque non nisi in summitate habens, Germanis Tanneiche vocatur, quoniam Abietis modo recto proceróque constat caudice. Platyphyllos, est quam Esculum Latini, & Haseleiche German. appellant, Saxoniæ sylvis in plano familiaris, huic latissima folia, unde & apud Græcos nomen. Hæ sunt Glandiferæ arbores quæ hoc capite δρῦς μὲν à Diosc. nominantur, & propriè vocatas glandes ferunt. A Fago Latinorum dissimillima φηγὸς [Phegus Græcorum] qui ei tribuunt glandem non aliarum modo oblongam, sed rotundam. Fagus verò Latinis dicta, glandem propriè non fert, sed in echinatis pericarpiis castanearum more pingues & oleosas nuces, easque triquetras & acuminatas: quæ figura è diametro cum rotunda pugnat. Qui verò Phegum novisse voluerit, montanas lustret sylvas, in quibus provenit hæc arbor. Figura illi non dissimilis Quercui, sed strigosior & tristior. Glandes fert omnibus agrestibus notas, figurâ rotundas: qua nota tanquam præcipua ab aliis glandiferis distinguitur. Porrò non licuit hactenus rescire quo nomine nostri agrestes hanc Phegum appellent. glandes verò, adiecto rotundarum cognomento, à reliquis distinguunt. Hæc Cordus.

Hemeris Quercus vulgaris est. Drys. Robur. Cerrus Ægilops. Esculus Platyphyllos. Phegus. Fagus Lat.

Miramur diligentiss. Botanicum non observasse differentias, quæ à pediculis sunt, & fructibus, licèt abundent in Germania: atq; ut verú fateamur, eius differentiæ nobis minùs perspectæ sunt: Hemeridem Cordi existimamus nostram Quercum cum longis pediculis. Robur etiam eius fortè est Quercus, cui glandes parvæ cum breviss. pediculis. Ægilops eius, quæ sit hactenus, quid si ea, quam altissimam observavimus, de qua paulò pòst, quam non separamus, ab ea, quæ pediculis longis caret: nolumus tamen veram & genuinam antiquorum Aegilopem dicere: nec scimus an vera Aegilops in Germania proveniat. Platyphyllos Cordi, quæ sit, ignoramus, vellemus eius glandes descriptas. Quercus sanè vulgaris mirè ludit foliis. Phegon, Cordus cur dicat, figurâ rotundâ, notâ tanquam præcipuâ, ab aliis distinguens, nos latet: quandoquidem Theophr. Phego tribuit fructum dulcissimum, inter alias, glandem, qualem vix puto reperiri in Germania. Considerandum igitur an intelligat Cordus, nostram Quercum longos non habentem pediculos, glande maiori.

Cordus notat. Hemeris Cordi. Robur. Aegilops & Platyphyllos.

Anguil. Hemerida Theoph. & Etymodryn Macedonum apud eundem *veram Quercum* dicit, quam *Querciam* in Abruzzo vocant: *Chianda Castagnola* in quibusdam Hisp. locis, ubi eius glandes coctas comedunt castanearum instar. Videat lector an eam intelligat quæ est cum longis pediculis: Item an *Fargni* & *Fargni* & *Ischio* eiusdem, quam Platyphyllon Theoph. dicit, & à Gaza nunc Esculum, nunc Latifoliam verti, sit nostra cum brevibus pediculis: an verò hanc intelligat Lob. cùm scribit uti dictum? Quercus quæ Gallas dat, differentia quædam videtur, Fagus Theoph. Latinè *Esculus*, *Fargni* & *Fargno* Italicè. *Hargni* Gallicè.

Hemeris & Etymodrys Anguil. Fagus Theoph. Esculus.

Tragus genus durum Quercus Latinè Robur, Germ. Hageichen & Eyssholtz dici ait, ubi Quercum cum longo pediculo pingit, etsi nihil distinguat.

Ad eundem modum Lonicerus distinguere conatur Quercum Eichbaum/ab eius specie Hageneichen / Robore; haliphleos Græcis dicta. Qui tamen, quamvis ponat duas icones, non demonstrat differentiam inter Quercum & Robur: utræque enim icones repræsentant Quercum, cui glandes cum longis pediculis.

Lonic. not.

Ryffio quoque in Diosc. Quercus δρῦς appellatur & Hemeris, id est, Placida nostra vulgaris quercus cum longis pediculis, quantum demonstrat eius icon.

Dodon. in hist. Gall. propriam habet iconem quæ eandem videtur demonstrare, quam simpliciter Δρῦν & quercum vocat: in hist. autem Latina fortè vocat quercum sylvest. ἀγρίαν & Robur. Non observavit discrimen in nostratibus quercubus à glandibus & pediculis petitum, pro eo exhibet iconem sine glandibus à Lob. & nobis positam, pro quercus excremento fungoso: tradit hemeride, quercum, Robore, sive Agresti quercu sæpè humiliorem, glande maxima & dulci: quercum passim per Europæ provinciam obviam esse, præsertim Robur: Hemerim non ita vulgarem. An verò ipse noverit discrimen, dubitamus.

Dod. not.

At Clus. in Hisp. quòd peculiari nomine Robur appel-

appellari debeat, difficile [inquit] est iudicare, cùm nonnullæ notæ Robori, nonnullæ ἡμέρῳ attributæ, Quercui, per vniuersam Europam notissimæ, conueniant. Roble in Aquitania dicunt etiam de nostrate Quercu, in cuius foliis Pilulæ nascuntur. Idem præterea dicit in postrema histor. Hispanos nomen Roble vulgari Quercui etiam tribuere, quæ in Hispaniis frequens est, & montibus Calpi, fretóque Herculeo vicinis semper viret. Quercum etiam propriè Quexigo Hispanis dici & Enzina de Bellotas gruessas à quibusdam vocari, sibi relatum esse. Clusium diligentissimum Botanicum non tradere in vulgari Quercu differentiam à pediculis miramur, ita vt nesciamus, quam intelligat vulgarem: meminit tantùm latifoliæ exoticæ, de qua paulò pòst.

Roble. Pilula. *Quercus semper virens.* *Clus. not.*

Du Choul Quercum in montibus agricolis *Roule* & *Rouure* dici ait, quasi Robur: alibi simpliciter Quercum dixit, & à rusticis Lugdun. Chesna dici. Et rursus Hemerida & Placidam dicit Quercum putari, quam Mydion interpretantur. Videtur autem Quercum cum longis pediculis intelligere, cuius glandis iconem simpliciter glandis Quercus & aliâ Hemeridis glandis nomine expressit.

Quercus. Chesna. *Mydion.*

Sunt, inquit Turn. qui duas Quercus statuant species, vnam quæ glandes vt Poma Querna ferat; alteram longè minorem vulgari, quâ ad ædificia vulgò vtimur. Nullas sibi in foliis Quercus obseruatas in Anglia Gallas, quas tamen in Italia non tantùm, sed & in Frisia Orientali in syluula non procul Auriaco viderit. De qua verò Quercu intelligat, non addit. Pingit eam quæ breui pediculo:

Duæ species. *Galla.*

In Silesia, inquit Schvv. Quercus vulgaris, sativa, vrbana, ἥμερος Dioscor. in syluis, collibus, & montibus gignitur. Est etiam Quercus petræa, Δρῦς ἀγρία, Quercus sylu. Robur. Lat. Steineyche in collibus & petris frequens, fortius lignum habet & incorruptius cæteris: folia quamuis arescãt, per hyemem non cadunt. Et has differentias assignat Schvv. An verò in Silesia nulla alia Quercuum differentia offeratur, considerent istius loci Botanici. Gasp. Bauhinus apud Matthiol. ponit iconem nostræ Quercus, cum breuibus, aut nullis pediculis pro Theophrasti Quercu latifolia, seu Platyphyllo, quam ait distingui in marem & fœminã. Quercus autem longissimo pediculo ei est Hemeris Idæorum, Etymodrys Macedonum, Placida Gazæ. Huius florem ait in suo Phytopinace à nemine propositum: Camerarius tamen eleganter pinxerat in Hist. Matthiol. Germ. atque Epitome. Vel certè iconem habuerat à Gesnero: iam flores an sint, vel potiùs Bryon repræsentans iulos, qui in Corylo & Nuce iuglãde proueniant, considerent alii. Nos eius iconem ponemus paulò inferiùs, titulo Pilulæ foliorum Quercûs.

Quercus vulgar. & satiua Schvv. *Quercus petræa.* *Schvv. not.* *Quercus latifolia.* *Etymodrys. Flores.* *C. Bauh. not.*

Ex suprà dictis igitur patet paucos distinxisse Quercum cum longis pediculis, ab ea, quæ glandem cum breuibus fert pediculis, atque adeò nullis, ipsis calycibus earum ramis immediatè adhærentibus, quæ in quibusdam syluis Comitatus Montbelg. prouenit, vt non longè à pago Charmont, & in monte iuxta Blamontium & S. Hippolitum, & inter Blaumontium & Montbelgardum, vbi & aliæ cum longis pediculis, quæ ab incolis vocantur *Glans filans*, quę passim ferè obuię sunt, atque adeò vulgatissimæ, videntur; longiores, singulares, binæ, ternæ, ac etiam quinæ. Earum verò, quarum glandes proximè adhærent ramis, gemina conspicitur varietas: vna cum maioribus glandibus binis aut ternis: altera maioribus ternis vel quaternis, quæ & pluribus, fortè fœmina, & minores glandes fert: Incolæ vocant *Gros Gringeot*, & *Petit Gringeot*. Istarum Quercuum differentiam vix ponere possumus, nisi quis earum quæ breui aut nullo pediculo sunt folia inspicere velit splendidiora, & paulò firmiora.

Locus. *Quæ breui pediculo duûm generum.* *Differentia in foliis.*

Cæterùm passim in syluis aliisque locis, prædictæ nascuntur Quercus, locis præsertim & prouinciis Septentrionalibus, sed in Germania & Burgundia, quæ longo est pediculo, reliquis multò frequentior, & fortè etiam melior ac vtilior, ob glandis magnitudinem, quâ cæteris præstat. Nullibi locorum quercus pulchriores, altiores, rectiores ac sine ramis vidimus, quàm in monte Cherimont ditionis Montbelg. altitudine æquant Abietes: dixerit quis ramos industriâ ablatos vsque ad cacumina.

Cherimontana speciosa, & altissima.

In syluis Germ. teste Gesn. duo tantùm genera crescunt: Eich, Quercus: & Hageich vel Steineich Robur. Basiliensem patulam, antiquitate & amplitudine celebrem, antea descripsimus, Est ex eo genere, quæ longos fert pediculos. Vtraque alioqui quercus ibi vulgaris in syluis, sed eam quę longis pediculis quidam Vercichen vocant, fortè quòd suibus sit aptior & gratior. Verùm enimuis sues minores dicuntur. Quercus quoque obseruauimus Lugduni, Monspelii, & multis Italiæ & Galliæ locis.

Quercus Basil. patula.

Quercus locis arenosis, macilentis ac siccis confita dilatatur.

Pelagos olim locus fuit Quercub* consitus post Neptuni templum quod ad Aliæum est montem.

Pelagos.

Mirum, si non est fabula, quod proditum inuenimus Nucem Iuglandem tenio in Quercum mutari.

Nux Iuglans in Quercum mutata.

Circa Thebas quoque est Quercus, teste Plinio. Diutissimè viuit, vt mirum sit ab Aristotele (aut quisquis eius libri sit autor) de plantis dictum esse proceras rectasque arbores minùs diu viuere. Quercus rectissimas, grandissimas, uetustissimas, quarum sationem ne adultorum quidem aui ac proaui norint.

Aristot. notatur Aetas.

Quercus vere quidem germinat, sed tardiùs multis aliis arboribus. Noua folia producit Maio: Glandes maturæ sunt Augusto Iulos cum flosculis ac glandium rudimentis aliàs Aprilis fine, aliàs Maio obseruauimus. Gallæ proueniunt æstate: mense Septéb. decidere incipiunt, sicut & glandes.

Tempus.

Robur verno tempore cæsum teredinem sentit, brumâ autem non pandatur, aliàs obnoxium fit vt torqueat se findatque: infinitum refert & Lunarem rationem obseruari. Videtur autem de Quercu vulgata id intelligendũ, quæ ad ædificia potissimùm ac præ aliis omnibus cędi solet. Luna deficiente tutissimum Quercum cædere omnes existimant. Quercus quæ Solis beneficio in vniuersum priuata fuerit, quod ad lignum ipsum & fructum attinet, durior est, deterior, & minùs tractabilis: ita quidem vt lignum Quercus à Sole auersæ difficile sit findere, quod Germ. rustici Winterschlegt holtz, quasi dicas lignum rigidum, hiemisque vitio induratum ac intractabile, instrumentisque renitens, interpretantur. Reliqua habes in superioribus. Δρῦς nomine tradunt multi Grecos omne arboris & ligni genus complexos esse, vnde & Vitem δεξιόδρυν ἀρχιτέκτονα quidam poëta appellauit. Δρῦς autem in specie Ξαρωνὶς δένδρον Hippocrati, ἥμερις verò Theophrasto, vt plærique volunt, Latinis Quercus, Iouis

Cædendi tempus. *Synonyma Linguar.*

arbor quibusdam Robur. Quercus, inquit Gorop. Latinorum nomen est, sed non minùs quàm Robur à Cimmeriis siue lanigeris Romanorum antiquissimis maioribus relictum: à Weer/ id est, defendo: Wercou, id est, defendo à frigore. Dicta itaque Quercus à Wercout/ vel Wer hout. Germ. Eichbaum: Gall. *Chesne*: Ital. *Quercia*: Hisp. *Robre*. Bohem. Dub. Belg. Eikenboom/ Eecke. Angl. Oketree/ vel vt Boreales Eiktree/ Allobroges Rhodano vicini *Chermibo* appellant: Sabaudi, *Drylie*.

Quercus vnde.

Glans, βάλανος δρυοβάλανος Straboni, ἄκυλος Arist. [tametsi Ilignam propriè glandem notare velint] vnde manasse videtur origo Germ. vocis Eichel: *fruges Roburneæ* Colum. Hebræis vt Elias Leuita in nomenclatura sua testatur, *Allonim*: *Cullot* Serap. vt in vulgatis legitur. Belg. Eeckel: Holl. Aeckre/ Gal. *Gland*, *Agland*. Ital. *Ghiande*. Hisp. *Bellota*. Hung. Mak. Thebaidis fructus, inquit Plin. populari etiam nomine à nobis appellantur *Balani*. Pilulas illas inutiles, quas foliis & ramis Quercus adnasci diximus. Germ. Eichöpfel vocant. Græc. ὀνίσκιδας, id est, pilulas asininas. German. Eselöpfel. Quercus quoque δρῦς dicitur Festo, tùm quòd genus arboris graue ac durum sit, tùm etiam quòd in ingentem euadat altitudinem. Et Quercetam febrem quidam grauem & magnam putant dici, ac cum tremore frigidam. Lucilius:

Glandis nomina. Dryobalanos. Acylos Arist. Fruges Roburneæ. Pilulæ asininæ. Quercus vnde. Querceta febris.

Iactatur vt febris Querceta,

Et alibi:

Querquetra consequitur febris, capitísque dolores.

Et Plautus:

Is mihi erat bilis Querqueratus.

A. Gellius: An tu fortè morbum appellari hîc putas, ægrotationem grauem, cum febri rapida & quercera.

Quercum Poëtæ duram decantant, rigidam, vmbrosam, aëriam, sublimem, glandiferam, frugiferam, patulam, sacram Ioui, annosam, ... Dodonida, amicam Ioui, fatidicam, frondosam, arduam, alticomam, validam, altam, Dodonæam, ramosam, nodosam, frondentem, ... gratam suibus. Vires autem & vsus Quercus vulgaris postea tradentur.

Vires.

QVERCVS LATIFOLIA EXOTICA CLVS. VEL RARA.

Descriptio & locus.

IN Viennensi saltu, inquit Clus. Latifoliæ amplissimas arbores inueni anno 1577. cuius omnes glandes è longis pediculis dependentes maxima ex parte non modò oblitæ, sed quasi inclusæ erant viridi quadam excrescentia, multis inæqualibus angulis prædita & scabra, quæ resiccata, gallarum modo dura & firma erat, quarum etiam vicem explere potuisset. An id vitium illi peculiare sit, & singulis annis recurrat, me latet, vt qui semel duntaxat per eam saltus partem iter fecerim. Qui illas partes inhabitant de hac re erudire possunt.

PHEGVS VEL ESCVLVS.

Descriptio

DE Phego & Esculo in superioribus multa diximus ex Veterum placitis. Nunc eam prout hodie obseruatur Dalechamp. descripsit. Phagus siue Esculus breuis est arbor, in orbem comosa, Hemeridis modo, non erecta, minùs tamen quàm Hemeris contorta, caudice crassissimo: folio quàm Hemeris angustiore & breuiore,

Folium.

obscuriùs virente, infernè candicante, glande dulcissimâ, terete, longâ, quàm Etymodryos breuiore, è breui crassoque pediculo subrectâ, calyci multùm eius complectenti tenaciùs hærente, in ramorum surculis, ad exortum singulorum

Glans.

propemodùm foliorum vnica, rarò gemina, gracilioreque quàm in latifolia & magis acuminata, aculeo suo magis pungente. Reperitur & in hoc genere arbor, quæ glandem fert superiori omninò figurâ similem, sed crassiorem, altiorem, pleniorem, ob molis suæ pondus, è calyce facilè deciduam. Pigratores huius speciei marem esse volunt, alterum fœminam. Esculus si Virgilio credimus, quantum corpore eminet, tantum radice descendit. Georg. 2.

Varietas. Mas & fœmina.

Pars autem posito surgunt de semine, vt altæ
Castaneæ, nemorumque Ioui quæ maxima frondet
Aesculus [Esculus] atque habitæ Graiis oracula Quercus.
Altiùs ac penitus terræ defigitur arbos:
Aesculus [Esculus] in primisque quantum vertice ad auras
Aethereas, tantùm radice ad tartara tendit:
Ergo non hiemes illam, non flabra, neque imbres
Conuellunt, immota manet, multósque per annos
Multa virûm voluens durando secula vincit.
Tum fortes latè ramos, & brachia tendens
Huc illuc media ipsa ingentem sustinet vmbram.

Cæterùm, φηγὸν Dalech. interpretatur Quercus, quarum glans vesca est.

Multi verò Esculum, Græcorum esse Platyphyllon existimant, cuius opinionis sunt Bellon. Curtius & alii. In Traconitide, inquit Bellon. prouenit Esculus, qui à Græcis antiquis vocabatur Platyphyllos, nunc *Velaguida*. Fert glandem magnitudine oui Columbini, quâ possent victitare homines tempore famis: ad gustum cum Castaneæ accedit. Tertium Quercus genus φηγὸς Theoph. vt docti sentiunt. Longè alia à nostrate Fago & Plinii quoque quanquam plærique cùm ipso Plinio, nominum affinitate decepti Phagum cum Fago confuderint. Plinius quoque Esculi & Platyphylli tanquam diuersarum arborum eodem loco meminit. Præterea Esculus, vt inquit ipse quoque Plin. rigida nec excelsa est arbor. Platyphyllos, dempta Ægilope, rectissima est, & excelsissima, atque ad ficus minùs vtilis. His accedit glandis discrimen, quam in Esculo dulcissimam esse etymologia indicat, cùm ab esu nominetur: Platyphylli glandem non nisi tertium bonitatis gradum obtinere liquet ex Theoph. Non est igitur Esculus Platyphyllos, vt putarunt Bellon. & Curtius. Arrisit Plinio φηγὸς Fagus, ἀπὸ τοῦ φαγεῖν: Cur non & Esculus ab esca dicatur, & ab esu, vt voluit Seruius?

Platyphyllos. Sapor. Plinii aliorumque error. Aliud Fagus noster & Plinij. Non est Platyphyllos, vt putarunt Bellon. & Curtius. Esculus vnde.

Ad hanc ipsam Dalech iudicio posset referri *Quercus peregrina* seu Mauritanica Scalig grandem ferens

Quercus Mauritanica.

ferens glandem, oblongam, sapore longè dulciore atque delicatiore, quàm Castanea: Nam & Hispani, qui arborem *Enzinam* vocant, glandes verò *Vellotas*, has ob suauitatem sub cineribus tostas secundis mensis apponunt. Curtius putat à Plinio Latifoliam dictam. Horatius *rigidam Esculum* dixit. Gallis *Esuil*: It. *Ischio*: Romanis rusticis *Esculo*. Germanis & Septentrionalibus, vt putamus, incognita. Scribitur à nonnullis Aesculus. An de hac Cardan. Brasibi arbor non magna Enzinæ similis, folium Quercinum: est autem Enzina, Quercus in Hispania genus minus, & non adeò rectum, cuius glandes ob suauitatem eduntur.

Hist. Lugd duas figuras habet, nos marem tantùm assumpsimus: fœminam omisimus, quia nulla notabilis differentia quæ figura exprimi possit. Dalechampius sanè suam Phagum siue Esculum, vt ex iam dictis ex Hist. Lugd. apparet, eandem existimat, cum Esculo Bellonii: verùm nondum id asserere possumus, cùm nobis non constet, quæ sit Phagus Dalechampio, & Esculus Bellonio, qui præter iam citata, scribit Esculum & Cerrum dictam Volagnidam, semper virere. Alibi autem in Insula Lemno circa pagum Rapanidi est sylua Esculi, quæ non exscinditur ad ignem, quia in ea colligitur Velonia Græcis & Italis dicta: Calycibus & Glande Esculi vtuntur pro adornandis coriis: Veloniam non transportant ex insula, reseruant pro suo esu. Item in Græcia & Anatolia præparant coria cum glandibus Esculi, in Gallia autem cum corticibus Quercûs: inter Hierosolimam & Damascum abundant montes virentibus Esculis. Et, in regione Trachonitide prouenit arbor Cocci & Esculus atriquis dicta Platyphyllos, nunc Velagnida, ibi perit ea glans quia non alunt sues. Tandem, in monte inter Antiochiam, & Amanum montem prouenit Esculus & Ilex.

Volagnida Bellonii. *Velonia.* *Locus.* *Platyphyllos Velagnida de Esculo.*

Botanicis diligentibus committimus indagationem Volagnidæ, Esculi Bellonii, Phagi Dalechampii: nec non opinionis Casp. Bauh. apud Matthiolum scribentis, Phagum seu Esculum esse Roboris primum genus Clusii, de quo mox. Hist. Lugd. annotat præterea, Phagum Dalechampii non vbique in Italia prodenire, sic nec in Gallia. Frequentem tamen in Apulia esse declarare Horatium. In eo Allobrogum tractu quem Rhodanus allnit, ad pagum Ambleneu nominatum, & lapidicinarum antra gignitur, parua ab incolis appellata.

Parua Allobrogum.

Obseruatione quoque digna sunt, quæ Goropius de Phego scripsit: Miror, inquit, in Galeno quòd Phagi glandem acerbam etiam faciat: cùm & eâ olim homines vixisse narretur, & hac etiamnum tempestate plurimis commendatur. Mirabilis etiam est tum Gazæ, tum aliorum in hac arbore error, qui credunt Fagum Latinorum, eandem esse cum Phago græcorum. Verùm Plinius eos monere debebat, qui demonstrauit, quàm distet Latinorum Fagus à græcorum Phago. Deinde mirum Gazam non animaduertisse, Plinium in Roborum generibus enumerandis Fagi nomen nusquam posuisse, cùm tamen in iis Phagus Græcorũ esset. Quòd autem pro phago Græcorũ nomẽ Latinor. posuerit, hoc vno solum indicio constare potest, quòd Fagi glandem omnium dulcissimam fecerit, quam laudem Phago Theophrast. ascripserat.

Galeni reprch. *Gazæ & aliorum error.*

Fabulę, inquit Theophrast. celebrant φηγὸν in Ilio, supra tumulum Ilii. φηγὸς in aqua permanere potest incorrupta, madefactaque melior reddi videtur. Fructum reddit Autumno. Esculus similiter prouenit, (inquit Plin. quod de Quercu Colum.) sicuti Nux, cæsura triennio serior (Cæditur autem nux eodem autore, intra septimum annum) nimis (minus M.) morosa nascitur In quacunque terra seritur, nascitur è balano, sed non nisi Esculi, scrobe dodrantali, interuallis duorum pedum, sarritur leuiter, quater anno. Hoc pedamentum minimè putrescit; cæsùmque maximè fruticat, vel vt m.s. habet, fructificat: hoc est, vt Dal. explicat, quantò sępius cæditur, tantò fruticosior planta in Querceto resurgit. De hac sanè potissimùm intelligendus Plinius videtur, cùm ait: Glandes opes esse nunc quoque multarum gentium, etiam pace gaudentium, constat: nec modò inopiâ frugum arefactis molitur farina, spissatùrque in panis vsum. Quin & hodie per Hispanias secundis mensis glans inseritur. Dulcior eadem in cinere tosta. Esculi tamen glande, vel sub prunis cocta, vel in aqua elixa, cùm vescuntur rustici, grauitate capitis tentantur, & velut inebriantur, non aliter quàm qui Lolium pani commixtum ederint, teste Dalech. Præterea Phagus materiâ est robustissima, putredini minimè obnoxia, id quod de Quercu dixit Plin. Fortius lignum Quercus habet, & incorruptius, cùm id τῆς φηγοῦ peculiariter scripserit Theophrastus.

Phagus Ilii. *Tempus.* *Satio.* *Cultus.* *Vsus.* *Panis.* *Cibus.* *Inebriant.* *Materies.*

ROBVR. I. CLVS.

NVnc Roboris differentias, vt à Clus. obseruatæ & in historias relatæ, dicemus. Roborum primus Quercui nostrati admodùm simile est, & robusta materie, sed humilius, & caudice magis contorto, frequentibùsque ramorum alis cauo: folia eiusdem iudicio, magis sinuosa & incisa, quæ non ita virent, vt in nostra Quercu, sed (auersa præsertim parte) molli canaque lanugine pubescunt. Hoc Robur Clusij censet Casp. Bauh. vti dictum est, esse Phagum siue Esculum. Antiqui scriptores, vt prodidit Fest. Pompeius Robosenum pro Robore dicebant. Dicitur ita eodem autore, quòd plures rufi coloris venas habeat, nam ruber color quasi rufus est, cuius coloris est bos. Totam osseam Roboris materiem dixit Plin. & Robur quoque à duritie vocatam hanc Quercus speciem volunt. Melandryon medullam Roboris esse volunt. Ea vox apud Plin. herbam denotat in segete ac pratis nascentem: aliqui sequentes eius, pro quodam Roboris vel Quercus genere sumunt. Idem est, ac si nigram Quercum dicas. Frequens est primum hoc genus in celsis Castellæ veteris montibus atque etiam in Aquitania supra Burdegalam, vbi etiam *Roble* dicitur: tametsi idem etiam nomen nostrati Quercui (quæ in Hispaniis frequens est, & montibus Calpi herculeo vicinis semper viret,) Hispani tribuant.

Descript. *Folia.* *Robosenum.* *Melandryon.*

ROBVR. II.

CLus. in Pannon. Robur primum siue latifolium, & in hist. postr. secundum, Quercus ferè magnitudine in Austria, Styria & Pannonia crescens, strigosius est Quercu, ligno duriore, folio minùs amplo, altera parte nonnihil incano, exiguam glandem fert: incolæ à duritie Steineichel appellant, Hung. Keméuischer fa, nonnulli Musral. Considerandum verò relinquimus, quantùm hoc robur differat à nostra quercu vulgari cum glandibus sine longis pediculis minoribus.

Locus. *Descriptio.*

ROBVR III. CLVS.

Descript.

RObur tertium Clusio siue Quercus tertia in Hispan. humilior est, & interdum humanam altitudinem non excedens, alioqui priori omnino similis, tùm facie tùm foliorum forma eiusque, vt videatur illius pumilum genus esse. Fert hæc prægrãdem Gallam, exigui Mali magnitudine, adeò copiolam, vt aliquando ramulum vix palmum superantem nouem aut pluribus Gallis onustum collegerit Clus. inhærebant eæ gallæ ipsi ramo contiguæ ferè, sed sine vllo ordine, rotunda quidem & veluti Sphærica figura conspicuæ, sed aliquot tuberculis resperfæ: rubent eæ cùm sunt recentes, præsertim ea parte quâ Solem spectant. Inueniuntur & in huius foliis interdum pillulæ his similes, quæ in nostratium Quercuum foliis nascuntur. Eius Gallam, maiorem vocant Lob. & Dodon.

Galla eius.

Pillula.

De præcedentis Roboris fortè Galla annotat Clus. apud Garciam sequentia. Garcias scribit: Imbos fructum Indicum similem esse magnis gallis recentibus, quæ Lusitanis *Pomade Cuque* nuncupantur, cùm in odore, tùm in colore: an vero noster Garcias gallas illas maiores, quæ in Roboris passim per Hispaniam & Lusitaniam nascuntur intelligat per *Bugalhas grandes*, quid sibi velit, ignorare me fateor. Cæterùm eas ex quà pilæ palmaria maiores nunquam vidi, colore pulcherrimo rubicantes dum recentes sunt, & odoratas. Vel fortè prægrandes illas iuglandes vult, quæ vulgaribus duplo maiores sunt: quas quidem vulgares suo operimento nudatas *Bugallis* appellare videatur, cap. 20. de Maci lib. 1.

Locus. Multis Castellæ veteris montibus frequens est, & plerumque numerosis ab eadem radice stolonibus fruticat. Harum ramis contortis, deinde fissis & exsiccatis tædarum loco rustici vtuntur nonnullis veteris Castellæ locis, præsertim circa S. Martinum del Castañnal.

Vsus ad tadas.

ROBVR IIII. CLVS.

Descriptio

Folia. Galla.

IN arborem excrescit pusillam Robur quartum Clusii, eius item folia minora sunt, duriora, angustioraque, nec adeò profundè incisa & sinuata, sed veluti aculeatis denticulis tantùm serrata, infernè quidem candicantia, sed nulla molli lanugine resperfa. Frequentem etiam ista alit Gallam superiori similem, & tuberculis acutis

ornatam, pallidiore tamen colore. Galla maior altera Lob. Tabern. Bage eichen tertiam vocat.

ROBVR V. CLVS.

Descriptio PRiori ferè simile est, sed stolonibus breuioribus, eisque magis contortis, rugosioreque cortice: gallæ item extremis ramulis nascuntur, aliis minores, læues & sine tuberculis, colore ex ruso nigricante, iis quæ in Offic. venales reperiuntur perquàm similes.

Galla eius.

Locus. Nascitur vtrùmque hoc genus in Lusitaniæ solitudinibus itinere Vlyssiponensi, non procul Ebora, & ab incolis *Caruallo* nuncupatur.

ROBVR VI. CLVS.

Descriptio SExtum humile genus est, nec humanam altitudinem excedit, fruticis potiùs, quàm arboris nomine donandum: tenuibus & lentis ramis, foliis secundo ferè similibus, sed minoribus, nec adeò sinuosis, minorum gallarum quæ plærumque binæ, ternæ, aut plures simul nascuntur, admodum ferax.

Locus. Nascitur in Austria & Pannonia: nullum tamen eius nomen vulgare intellexi: sed rustici cum secundo confundunt.

ROBVR VII. CLVS.

Descrip. Locus. INuenitur & septimum quoddam Roboris genus (nisi quis ad Quercum referre malit) inter Rio frio & Aldea Galega solo arenoso non procul Vlyssipone frequentissimum, adeò humile vt rarò pedem magnitudine superet: ramuli tenues & flexi-

Digitized by Google

Folia. *Glans.* *Sapor.*

flexibiles vulgaris quercus virgultis simillimi: folia ad proximè descriptas accedunt, sed aliquantùm maiora & molliora. Hoc fert glandem quernæ vulgari haud minorem, interdum etiam crassiorem, Calyce planiore, admodum amaram. In reliquis generibus nullas glandes obseruauit Clusius, præterquam in secundo. Dodon. in Hist. Lat. quercus humilis nomine ponit iconem Roboris septimi Clusii, quercus humilis fruticis specie, fronde Ilicis molliore Lob. Gadbeidten 5. Tabern. His omnibus Roboris differentiis Clus. vires eas quas Dioscor. ad δρῦν in genere, refert, quas postea dicemus.

CERRI GLANS, AEGILOPS ASPRIS THEOPHR. PVTATA.

Descriptio.



AD manum nobis cùm sint illi ipsi Cerri rami ex quibus Dalech. iconem suam [quàm minùs artificiosè pictor expressit] curauit delineandam, nouam damus figuram & descriptionem, quàm possumus ex ipsis ramis maximè fidelem. *Folia.* Folia habet vulgaris quercus, sed vt longiora, ita in tenuiores altioré sque lacinias diuisa, licet sit, vbi & foliis ludat, si rectè iudicamus ex ramis, quos munere Dalech. habemus, quibus subinde folia propiùs ad quernea vulgaria accedunt, superiùs lucida, subtus autem cineracea. *Glandes.* Cæterùm proximè ligno adhærent, calycibus hispidis & senticosis insidentes, vnciam latis, glande tamen nondum matura, similibus planè calycibus quercus Burgundicæ echynato Calyce. An verò sit eadem cùm Cerro magno Calyce à Lobelio picta, ambigimus.

Calyx maximus. Equidem à Valerando Dourez Calycem glandis maximæ habemus, cuius magnitudinem non capiebat tabella nostra, quem maximam glandem è sinu suo protulisse ipsa cauitas indicat, vt quæ sescunciam in diametro habeat, paulò minùs altum, quem vndique crassa rigidaque crebérrima spicula obuallát, præruptæ rupis fragmenti æmulum, non minùs ternis vnciis in diametro habentem, internè hirsutum: *Glans minor.* habemus & minorem occlusam eo modo quo pingitur à du Choul & Lob. eiusdem magnitudinis quà eorum figura. *Glandes magna.* Sunt nobis etiam glandes nostris vulgaribus duplo aut triplo maiores. *Cerrus Plinio.* Cerrus, Gallis ignota arbor, cui eam ob causam nullum ab eis nomen positum est ac ne Italiæ quidem magna ex parte nota, vt ait Plin. *Locus.* In summam altitudinem crescit in Græciæ & Hetruriæ syluis, incultis amica, rectissima, leuissima, & materià per longitudinem robustissima, ad sustinenda suspédendaque ædificia firmissima. *Arboris descriptio.* Folio est crasso, amplis incisuris laciniato. Sterilis non est, vt quidam putauerunt, sed est *Glans Cerri.* glande tristi, horrida, rotunda, ac velut obtusa, amarissima adeóque insuaui, vt eam præter sues, nullum animal attingat, ac ne eæ quidem, si aliud pabulum habeant, vt & Theophrast. prodidit, qui addit caput mandentium dolore afficere, quod tamen de Haliphlœi glande perperàm scripsit Plin. Calyx glandis eam ferè totam complexus, rigidis, latis, in cinereo candicantibus aculeis echinatus vallatúsque est, *Plin error.* non, vt Plin. ait, ceu Castaneæ, sunt enim hi crassiores & rigidiores multò. *Alter Plin. error.* Glandes cerreas Calycibus suis contectas ex Cypro, Chio, aliisque Cerrorum ferulibus locis negociatores interdum conuehunt, *Gallones.* *Gallones* alii vocant, alii *Vallania.* *Vallonia.* totaa sicca supra corticem super est, toto.

Aegilops. Cerris. Plin Locus. Quercus Αἰγίλωψ inquit Lob. in Aduers. siue præcellæ, dictæ Cerris Plinii, tristi prægrandi echinata glande: quà itur Pesaro Romam publica via vifuntur celsissimæ, alibi minùs peruiæ, nec valdè notæ hodie: cuius glandes prægrandes capulum habent echinatum, ambitu squamis prædutis sibi mutuò incumbentibus, horridum, magnitudine ferè Echini marini, valdè crassum: Folia maiora multò, eadem alioquin Quercus. Et in obseru. Valerandus Dourez, Insulinopoli Venetias rediens ramulos quercus duorum generū asportauit, quibus me donauit. Vterque, inquit, quercui nostrati admodum assimilatur, folio & ligno, sed glandes ipsi ramo inhærent: Vni qui minor Calyx hispidus & molliter echinatus, Ilicis subpar, alteri verò glandes prægrandes calycem habent Echinatum, ambitu squamis prædu ris sibi mutuò incumbentibus horridum; valdè crassus est. Folia maiora, eadem alioqui quercus. Huius speciei obseruasse memini publica via qua itur Pesaro Romam &c: alibi minùs obuias nec valdè notas: è cuius tamen prægrandi & duro Calyce glandes non excrebat, sed claudebat, fortè quia immaturæ erant. Huiusmodi folia & glandes liberalissimè communicauit Dalech. qui Cerrim Plinii me docuit.

Hæc Lob. quem non satis intelligimus. In Aduers. posuerat descriptionem Cerris visæ in itinere Pesaro Romam: postea in Obs. repetit eandem nomine Valerandi, apud quem viderit, ac eius quam vidit Romano itinere speciem facit: figuram apponit in Obseru. sub hoc titulo, Cerris Plin. maiore glande Adu. 431. Hæc figura quæ diuersa à Dalech. Cerri figura: vix videtur differre ab altera, cui Lobel. titulum fecit *Cerris Plin.* Cerris Plin. minore glande, & Calyce molliùs echinato, nisi sit lusus naturæ, de quo nostra suspicio in descriptione: Cerris glans immatura, quam & Hist. Lugd. & ante hanc Lobel. etiam proposuit. *Aegilops.* Theophrast. montanis αἰγίλωψ: Macedonibus ἄσπρις: *Aspris.* Gazæ Cerrus & nobis adhuc Cero & Calix Vallania, inquit Anguil. Hist. Lugd. cum

Aegilops Idaeorum. Dalechamp. Quercus 4. genus facit, item Aegilopa Idaeorum, Asprin Macedonum, Cerrum Latinorum. *Cerrus* Plin. maiore glande Lob. qui & aliam immaturam habet, vti dictum. Cerris Plin. 1. Frembd Eichbaum, Taber.

Vsus & Vires. Vsus Calycum ad inficiendos atro colore pannos, Gallarum vice. Sed ex illis tinctura dilutior, fugacior, vilior que est. Cerri folia & cortex, & glans, authore Plin. siccant *Collectiones & abscessus.* collectiones, suppurationésque: fluxiones sistunt. Torpentes membrorum partes corroborat [post vsum calefacientium & siccantium] decoctum, eius fotu: cui & *Partium debilitas.* insidere expedit, siccandis adstringendisque partibus. Radix Cerri aduersatur scorpionibus. *Contra scorpiones.*

GLANDIS MAGNVS CALYX.



Descript. INter fructus missos à Iacobo Gareto, [inquit Clus. Exot. lib. 2. cap. 16.] magnus erat glandis ille calyx, qui ab Anglis ex Windecaow relatus, Londino ad me mittebatur, etenim sescunciæ latitudinem, & vnciæ profunditatem habebat, durus admodum, & multis squamis hispidis firmísq; obsitus, ex cineraceo fuscis, internâ parte ad glandis vsque sedem breui, mollique & veluti sericeâ lanugine cineracei coloris fultus, cuius glans [quæ mihi non conspecta] ingens fuisse debuit. Schedæ quâ hic calyx inuolutus, adscriptum erat, Hic calyx glandis ex Wingandecaoun allatus fuit: propterea eum esse suspicabar, quem Virginensis Historiæ scriptor Mangummenauck appellari tradit, cuiúsque glandes ab incolis desiccari, vt faciliùs conseruari possint, deinde aquâ macerari & decoqui, vt in cibum cedant cum piscibus vel carnibus, tam ministris quàm ipsis patribus familiâs, vel variandi cibi gratiâ, vel ob panis penuriam. Hæc Clusius: Nos nescimus in quibus hic calyx differat à nostro Valerandi, quem Icone expressum exhibemus, vel etiam ab eo, quem Lobelius exhibuit Obs. & Icon. Plant. cum inscriptione: Cerris glans immatura. Illius etiam glandis & calycis iconem, proposuerat Io. du Choul in suo libello de Quercu: Lectores historiam Cerris diligentiùs perpendant, quum arbores videbunt.

QVERCVS BVRGVNDICA, CALYCE HISPIDO.

An Haliphlœos putata, & Cerrus fœmina Dalechamp.

Descriptio glandis. EX Burgundia glandes accepimus, non multò, vulgaribus maiores, aut certè pares, quamuis Calyx paulò maior, interim, echinatis spiculis

non rigidis tamen, satísque longis horret, eo modo, quo Cerri nobis descriptæ, atque ternas & quaternas proximè iunctas, non tantùm singulares, extremitati ramulorum adhærentes: folia verò parùm nobis à vulgaribus differre apparet, nisi quòd accedere videantur ad colorem foliorum Quercus *Folia.* pediculo breui vel sine pediculis: nec malè hæc nobis conuenire videntur cum Haliphlœo Cerro fœmina Dalech. & Clusii Cerro. Ne tamen fortè Lectores fallantur, addimus & Dalech. descriptionem.

Cerrus fœmina, inquit, caudice assurgit procero & recto, cortice subcœruleo, ramosa quidem, *Cerrus fœmina.* sed ramis latiùs non porrectis, nec extentis, vt *Descriptio arboris.* Quercus, imò breuibus, nec ita in multos surculos diuisis, vt tota arbor aspectu tonsæ & putatæ similis sit. Folia habet Cerro similia, longiora, *Folia.* angustiora, & multò nigriora, per latera incisuris minùs latis sinuosa, interuallo quod iacet inter margines laciniarum minùs patente, infernè superneque subaspera, tactu duriora, hyeme decidua. Glandes profert aliis glandiferis minores, *Glandes.* excepta Ilice, non longas ac teretes, sed orbiculatas, & aliquantùm compressas, Cerri maris modo, ex Calycibus suis parum exertas, qui spinis longis, flauis, gracilibus, densis, hispidi sunt, Castanearum instar, nec tamen ita rigidis, erectísque, sed nec crassioribus spinarum mucronibus armati, vt in Cerro. Calyculi hi quibus continentur glandes bini plerumque ad singulos exortus, breuissimo pediculo ramis & surculis adhærent. Radicibus nititur validis, non rectà deorsum actis, sed vndique per transuersum terram in obliquum comprehendentibus. Cortex ligno pro- *Radix.* pior cùm in ramis, tùm in caudice & radice vehe- *Cortex. Sapor & qualitas.* menter adstringit: folia remissiùs: Glandium calyces facultate cortici respondent. Glandes vehementiùs adstringunt & amaræ sunt: quare etiam à porcis negliguntur, nisi aliud desit pabulum. Materia arbori robusta & dura. *Materia.*

Aegilops & Cerrus Clusii. Considerandum nũc An non eadem Clusii Aegilops Cerrúsve sit: quæ occasio vt hic iungamus historiam integram ex Clusio: quercus, inquit, *Locus.* genus, non modò in Viẽnensi saltu, sed etiam in plærisque Pannoniæ syluis frequens est, eadem altitudine quâ vulgaris quercus, atque etiam celsiore assurgens, caudice erectiore, corticéque *Folia.* crassiore, & magis scabro: folia frequentioribus incisuris, sed minùs altis diuisa habet quàm quercus, longioribus tenuioribúsque pediculis inhærentia, ramulos breuiores, frequentibúsque nodis obsitos, gemmas minores, & aliquot gracilibus foliolis ceu staminibus aut villis *Calyx.* septas: Calyces breui, crassóque pediculo annotinis ramulis adnatos, non in foliorum alis, omninò hispidos, & molliter echinatos, in *Glans.* quibus glans est Querna, paulò breuiori & obtusiori

tusiori mucrone prædita, quæ autumno maturitatem consequitur. Adhærent interdum inter folia, multis veluti squamis constantia capita. Rustici & materiæ cæsores optimè eam à Quercu vulgari distinguere norunt: illius materiem candidiorem laxioremque & ad opera minùs aptam censentes. Huius Cerri crassiorum atque etiam tenuiorum ramorum, ac libralia interdum fragmenta in lapides commutata, atque adeò matrice in nigrum silicem conuersa [superficie tamen candida & friabili remanente] atque naturales ipsius ligni venas, orbes reliquámque formam etiamnum retinentia, non modò eruta conspexit Clus. & Ill. Herois Dom. Balth. de Bathyan munere habuit, sed seipsum etiam legisse meminit in mõtis Eysenberg vulgò nũcupati & Pinkæ fluuio Pannoniæ imminentis accliui, quà ad vallem Pinckathal ab eiusdem fluuii eam perluentis nomine nuncupatam, descensus est atque ad Austrum λυβόνωτον spectat. Obsitus olim is mons fuit [quemadmodum adhuc vicini] Quercus & Cerri arborum syluis, nunc verò vinetis generosissimi vini feracibus.

Materies.

Lignum lapidefactũ.

Locus vbi tale crescat.

Synonyma

Cerris Plin. minore glande & Calyce molliùs echinato Lob. & Quercus Iustinopoli allata à Valer. Doutes, calyce minore hispido eidem. Clus. iudicio αἰγίλωψ Theophr. est, Cerrus Plin. Quercus genus cum calyce hispido. Quercus Pannonica latifolia & rectiùs Cerrus. Camer. Quercus 5. genus Dalech. apud Hist. Lugd. Haliphlœos Idæorum & Macedonum, Cerrus fœm. quorundam, Italorum *Farnia*, Gallis *incognita*, Latino nomine caret: quare Plin. Græcum semper vsurpauit: Gaza ineptè *Salsicorticis* nomen finxit. An Cæsalp. Quercus 3. in Hetruria Farnia: Dryos 4. genus Theoph. Fagus, Farnia in montibus, Maced. Fagus? Cerris Plin. altera Taber. Dod. iconem habet Lobelii, nomine Aegilopis, minore glande, verùm nihil vltrà. Caspar Bauh. præter Cerrum magno calyce echinato, duas alias tradit his verbis: Quercus calyce echinato altera, Haliphlœos Idæorum & Macedonum, Cerris Plinii minore glande Lobelio, cuius lignum sæpè lapidescit: Huius etiam species in Burgundia reperitur minor, calyce valde hispido, quàm apud fratrem Io. Bauhinum vidimus. Copiosè nascitur in Apẽnino, & in Burgundia quà itur Vesuntio Dolam, vnde nobis Nobiliss. D. Frid. Cappler gubernator Insulæ oppidi, dicti *L'isle* attulit glandes & ramos, quos tamen iam priùs in pileo cuiusdam videramus. Glandes in hortum E. C. VVirt. Montb. seri curauimus, spe bona nascituras. Prodierunt quidem aliquot, ast vna solummodò remansit quæ pluribus annis à nobis culta tandem glandes protulit: sed non quales sperabamus. Fuerunt enim cum longo pediculo, & calyce non echinato. Nec propterea imaginamur nobis metamorphosim aliquam veteribus & recentioribus consuetam, sed suspicamur cum illis glandibus alias fuisse admixtas.

Aegilops Theoph. Cerrus Plin.

Haliphlœos Theoph.

Gaza sugill.

Dryos 4. genus Theoph.

Locus.

Sed nunc vires Quercuũ in genere recitemus. Quercus omnis (possis & dicere, omnibus suis partibus) autore Dioscor. astrictoriam vim habet: Δρῦς πᾶσα συσαλτικὴν ἔχει δύναμιν maximè verò astringit membranacea tunica, quæ corticem & caudicem ipsum interiacet: similiter & ea quæ circum glandem est sub putamine. Harum autem decoctum datur Cœliacis, dysentericis & sanguinem excreantibus. Eædem tritæ fluxione laborantibus fœminis in πεσσοῖς subduntur. Sed & glandes eosdem effectus habent: vrinam quoque cient, & si comedantur, capitis dolorem inducunt & flatus efficiunt: esitatę verò virus eiaculantium ictibus resistunt. Earum quoque & corticis decoctum contra toxica prodest, ex lacte vaccino potum. Crudæ autem ac intritæ in flammationes illitu leniunt: cum axungia verò suilla salsa, ad malignas duritias & malefica vlcera conueniunt. Hipp. ad suffocationem matricis in suffitu vtitur foliis Quercus.

Vires & Vsus.

Quercuum in genere Cœliaca. Dysenteria & sanguinis sputum. Menses. Vrinam cient glandes. Noxa.

Toxica. Inflammationes.

Eadem penè & Gal. confirmat, qui sic habet: paucis immutatis & additis aliis nouis. Quercus (δρυὸς) partes omnes, astringentis qualitatis participes sunt. Sed plus tamen habet quæ in truncis cortice membrana subest, tùm quæ sub glandis ipsius calyculo, ea videlicet quæ fructus carnem conuestit. Quamobrem ad profluuium muliebre, & sanguinis exputitiones tùm Dysenterias & diuturnos ventris fluxus commodã esse credũt. Maximè verò vtuntur eã decoctã. Valentiùs tamen astringunt Phagus & Ilex (φηγὸς καὶ πρῖνος) seu quis eas species δρυὸς velit, seu toto genere diuersas. Quin & folia harum plantarum tenella illita strenuè desiccare valent, minùs autem quæ sunt alterius δρυὸς, nimirum quantò minùs f. rtita sunt astrictionis. Siquidem ego quan loque plutinasse me vulnus memini, secum inflictum, cùm nullum adesset ad manum medicamen præter ipsius Quercus folia: Terebam ea in lævi petra, & vulnus omnémque vicinum locum contexi. Eandem cum foliis vim habet & fructus δρυὸς, eóque medici nonnulli ad incipientes & crescentes vtũtur phlegmonas. Nam quæ iam vehementes sunt, astringentia respuunt. Desiccat igitur & astringit Quercus: excalfaciendi autem paulò infrà media, in genere scilicet eorum, quæ [vt sic dicam] tepida sunt. Medius cortex quercus inquit Matthiol. & tunica interior glandis, in aceto & aqua decoctus, & supra ignem sacrum impositus, calorem tollit. Mulieres quæ vrinam difficulter reddunt, carbones Quercinos candentes aspergunt vino, & per infundibulum vaporem in vterum recipiunt. Ad ardorem ventriculi sume folium quercinum, supra linguam ponas, humiditatem quæ exprimitur ex eo, deglutias, iuuabit. Folia Quercus imposita feruidis pustulis, calorem compescunt & sanant. Mulieres quibus menstrua redundant, folia Querna decoquunt in aqua, ac inferiores partes fomentant. Eodem modo & glandes administratæ iuuant.

Suffocatio matricis. lib. 6. simpl. med.

Vulnus.

Experimentum Gal.

Phlegmonã cura.

Temperã.

Ignis sacer. Vrina difficultas.

Ardor ventriculi.

Feruida pustula.

Menstrua superflua.

Folia & cortex ac calyces glandium sicci, sunt ad tertium vsque gradum adstringentes, vt vult Dod. eiusdem etiam temperamenti sunt glandes, nisi quòd calidiores & minùs astringentes. Cortex quercus in puluerem tritus, vtilis est puerulis aduersus vermes. Valet etiam ad gonorrhæam. Io. de Monte experimento glandes contusæ & potæ vrinam promouent: mirum quà id vi, quãuis idem & Dioscor. dicat. Aqua è tenera ac recẽs prorumpente Quercus fronde, aut immaturis glandibus destillata, iisdem donata facultatibus, quibus decoctum, pueris maximè in commemoratis affectibus exhibenda. Iocinoris defluxiones sistit, renum calculos comminuit, si Matthiol. credimus & mulierum alba profluuia cohibet.

Vermes.

Vrinam cit Aqua destillata &c.

Hepatis defluxio. Menstrua alba.

Decoctum ligni quercus inquit Lonic. mixtum cum vino & potum, vtile est sanguinem spuentibus: Aqua medio Maio ex iuuenis Quercũs foliis destillata, & singulis vicibus ad drach. iij. pota medetur profluuio albo laborantibus, púsque excreantibus &c. Non probamus quod scribit propellere sanguinem concretum, nec etiam in punctionibus lateralibus, nec in calculosis.

Dysenteria pestilent. Hauque contritus Genn.

Horstius ad Dysenteriam pestilentem præscribit aquam foliorum Quercus & decoctionem cupularum glandium cum Amygdalis. His qui à venenatis animantibus aut serpentibus morsi, vel icti fuerint, quive venenum hauserunt, vel cantharidas biberunt, ita vt sanguinem mingant, glandes in puluerem redactas bibant, ac sentient opem, Tragi experimento.

Sang. mictus. Calculus.

Quidam glandes aridas aduersus calculum exhibent, quo successu, nescimus. Quidam & cereuisiam ex foliis Quercus parant, eáque vtuntur in Dysenteria pro singulari experimento, vt scriptum reliquit Placotomus de natura Cereuisiarum. Neque id ratione caret. Adstringendi enim facultate cùm polleat, & aluum sistere, & omnis generis fluxiones supprimere potest, & prædictis plærisque affectionibus accommodari. Eodem teste, corroborat ventriculum, iuuat retentionem, prouocat vrinam, & quibusdam Dysuria laborantibus præsentem fert opem.

Cereuisia ex foliis Quercus. Dysenteria.

Dysuria.

Sputum sanguinis.

Quidam aduersus sputum sanguinis decoquunt folia Quercus in aqua plantaginis, & bibunt, teste VVittichio. Folia Quercus tenera & rubicunda vino decocta, collutu ac gargarisatu, dentium dolorem sedant à fluxionibus obortum, sed sæpè hoc decocto calido os colluendum, quo experimento nos sæpè fœlicissimè vsos fuisse, etiam in inueteratis dentium doloribus, testamur. Cupularum & corticum arboris decoctum, idem præstat.

Dentium dolor.

Experimentum.

Ex vicinis locis Montbelgardo & Beffordia solent adferre cortices, ex iunioribus potissimùm Quercubus vulgaribus detractos, & in scobem ferè tritos, quos plærique Canellam ironicè vocant Coriariorum: iis enim sua coria præparant: Pronutenses, prout nobis indicatum, sua coria parant cum corticibus Abietis, verùm ea coria aiunt non ita firma, sed molliora.

Canella coriariorum. Ad coria.

Querna folia exhibet Bobus in pabulum Columella. Quæ Cato non perarida animalibus dari iubet. Democritus verò apud Apsyrtum, serpentes emori, iniecta fronde Querna dicebat. Radix etiam minutatim contrita, contra Hydri morsum prodest, cuius decoctum, cum vaccino lacte potum, contra toxica valet, & serpentis plagæ illinitur. Carbunculum autem, querneus tritus carbo cum melle sanat. Adeò in rebus quoque damnatis, vt eleganter Plin. ac iam nullis, vt in hoc carbone, aliqua sunt remedia. Ligni Quercuum eiúsque differentiarum vsus diximus suprà in differentiis Veterum.

Boum pabulum. Serpentes necat. Hydri morsus.

Carbunculus.

Addantur & ista. Cyprii, inquit Theophr. carinam triremibus Quernam subiiciunt, vt cùm in terram attrahitur resistere possit. Nauibus onerariis Piceam atque Quernam [δρυΐνην] subiungunt, cùm extrahendas ædificant. Nec Piceę nec Abieti Quercus conglutinari valet: altera enim spissa, altera rara, altera materie æquabili, [ὁμαλή, similis Gaza ad verbum,] altera nequaquam. Roboris materiem pro ridicis commendat Cato. Carbones optimos, ex δρυὸς, tanquam materie spissißima fieri, author Theophr. solidissimos etiam esse ait, & efficaciores cæteris.

Ad triremes.

Carbones.

Cur à Matthiolo laudentur Carbones Quercini ligni pro mulieribus vrinam difficulter reddentibus, nescio, sunt carbones aliarum arborum, qui præferendi videntur: nos præterea contra toxica assumpta, non velimus exhibere decoctum corticis Quercus, licet præscribat Diosc. potissimùm in principio, si tamen vomitus, vel fluxus alui multùm vexent, reiecto toxico per vomitũ, vel aluum prodesse tunc posse existimamus.

Matth. improbatur.

Scandula.

Scandulæ, tradente Plinio, è Robore aptissimæ, mox è glandiferis aliis, Fagóque.

Goropij laus. Crux Christi ex Quercu. Lignum vitæ. Faces Quercinæ.

Goropius vir multæ lectionis, & admirabilis antiquitatum vestigator tradit Crucem Christi fuisse ex Quercu, non ex variis lignis, vt quidam prodidêre. Ideò & alibi, Quercus lignum, vitæ appellat. Xerandiliæ, eodem teste, in pede montis Vaccæ faces parant ex bacculis Quercinis excorticatis & contusis.

Alexandri inuentum seruandæ niuis. Emendatio Amygd.

Nec prætereundum Alexand. Macedonis inuentum seruandæ niuis in scrobes, vbi ea sit, coniectis è Quercu ramis. Roboris cunei vsum ad emendandam Amygdalæ arborem vitiosam vide cap. de Amygdalo.

Sanè Quercini ligni vsum nemo facilè declararit. Vix enim aliud habeas in hoc nostro orbe perennius, quódque ad plures vsus necessarios accommodari possit ac soleat, vt ad ædificia, naues, & instrumenta tam ea quæ in terra quàm aquis vsui esse possunt. Fiunt & ex ea dolia vinaria cæteris omnibus præstantiora, immò vel sola ferè bona. Vetustate nigrescit. Si Querno cinere murium aditus obturentur, eos scabie confici ac deinde perire proditum est.

Contra mures.

Glandium vsus.

Sed glandium vsus quoque præcipuus, quarum appellatione Vlpianus & Caius I.C.ti censent omnes fructus contineri, vt Iuglandes, Diuglandes, & Iugli, quoniam iis homines quondam viuebant. Qui frugibus repertis vescuntur, glande obrutuisse, prouerbio antiquo iactatur. Primum tamen homini cibum inde fuisse, inter omnes penè conuenit: Virgil. in Culice:

Diuglandes. Iugli. Adag.

Quercus ante datæ Cereris quàm semina vitæ
Illas Triptolemi mutauit sulcus aristas.

Et alibi:

Heu magnum alterius frustra spectabis aceruum
Concussáque famem syluis solabere Quercu.

Lucretius:

Glandiferas inter curabant corpora Quercus
Et sedare sitim, fluuij, fontésque vocabant.

Boetius.

Namque qui longa negantibus
Sulcis semina credidit
Elusus Cereris fide
Quernas pergat ad arbores.

Theocr. Schol.

Et terram calcans propriam ne desere Quercus.

Glandium cibus tàm frequens olim Arcadibus fuit, referente Pausania, vt quo tempore monuit Apollo Lacedæmonios, ne Arcades bello lacesserent, huncillis victum è glandibus attribuerit.

Glande satur multâ obsistet tibi plurimum Arcas,
Nostra tuis non sunt contraria numina cœptis.

Pelasgus cùm regnare cœpisset, primùm quidem rudes homines docuit tuguria facere, ad frigoris imbriúmque & æstus incommoda arcenda. Ille idem tunicas conficere è pullis coriis instituit. Ad hæc cùm vulgò virente adhuc fronde herbísque ac radicibus, non modò non cibariis sed plerumque perniciosis vescerentur, salubriores multò glandes esse, neque omnes, sed quæ sola Phago legerentur persuasit. Hac ciues in oppido Chio obsessos vixisse tradit Cornelius Alexander, inquit Plinius. Quoniam verò glandium cibus tam vulgatus fuit Arcadibus, eos Plutarchus non ineptè Glandiphagos, βαλανηφάγους, vocauit: apud eos voracitas in summa gloria fuit. Alii verò glandium collectores mercede conductos balanistas appellabant.

Fagi glans.

Arcades glandiphagi. Balanistæ.

Legimus apud Strabonem, in Lusitania montanas gentes glandibus victitasse. Quin & apud Plin. vt dicebamus, quosdam inopia frugum arefactis

ficstatiis moliri farinam, spissárique in panis vsum. Quin & per Hispanias secundis mensis apponi solitas. Quod & hodie in ea regione obseruari compertum: verùm amplitudine & suauitate nostras vincunt, quippe quæ Phagi seu Esculi sint: Quis enim delicatioris atque eruditioris palati nostras attigisse velit? Quidam tradiderunt Athenis duo cœnarum genera solita vsurpari: alterum in Academia, alterum in Lycio. Cæterùm oliuis, caseo, bulbis, oleribus vsos proditur. Quin & bellaria iis fuisse, Ciceres, Fabas, Myrti baccas, glandes igne paululùm torrefactas atque etiam ficus, à quibus modicè bibebant. Marcus autem Varro, referente A. Gellio in Satyra, quæ περὶ ἐδεσμάτων inscribitur, inter exquisitos multarum regionum fructus glandem Ibericam posuit. Ergo glans primus hominum cibus, vt suprà dictum, nunc in animalium potissimùm escam cedit, præsertim suum: homo enim, vt ait Ouid.

Mutauit glandes vtiliore cibo.

Cùm tamen, inquit Gal. fames regionem nostram aliquando inuasisset, essétque magnus glandium ac Mespilorum prouentus, rustici in fossis ipsas condentes, hyeme tota & vere primo pro frumentaceis edulis vsi. Priùs autem glandes huiusce-modi suibus erant pabulum: Tunc verò, cùm eos hyeme nutrire, vt antè consueuerant, non possent, initio quidem mactantes, ipsis in cibo sunt vsi: pòst autem apertis fossis, glandibus vesci cœperunt, variè ipsas ad esum comparantes. Interdum enim in aqua elixabant, velin calidis cineribus celantes, mediocriter assabant; nonnunquam comminuentes pultarium ex ipsis faciebãt: aliàs aqua sola conspergentes, sed condimentum aliquod immittentes: aliàs mel affundentes, aut lacti incoquentes. Ab his autem copiosum est nutrimentum, neque quicquam corrupti, quæ in l. 2. de alim. fac. ad cap. 38. usque exposuit eis in nutriendo simile esse ait Gal. quandoquidem, inquit, glandes æquè nutriunt, ac frumentaceorum eduliorum plerque. Ac olim quidem (vt aiunt) homines ex iis duntaxat viuebant: Arcades verò cum Græci fructibus Cerealibus vterentur, eas diu in cibo retinuerunt.

Varii modis præparantur ad cibum.

Alimentum autem quod ex glandibus corpori accedit, tardi est transitus, ac crassi succi, vnde sequitur, ipsas quoque concoctu esse difficiles. μεμαίκυλον tamen glande Querna ad omnia est deterior, quemadmodum hæc glande Castanearum, quas vocant. Omnium enim glandium hæ sunt præstantissimæ. Sunt qui hos fructus λοπίμους appellent. Hi namque inter fructus agrestes soli alimentum corpori dant memorabile. Ilignaverò exiguum habet alimentum. Sed parui succi sunt omnes. Porrò vitare oportet has non solùm in dolore capitis, per consensum stomachi oborto, sed omnibus etiam aliis circa caput obortis affectionibus. Glandes Simeon Sethi quoque difficilis coctionis esse testatur, sed valdè nutrire, tardiùs descendere, crudos humores gignere, propterea illarum vsum deuitandum suadet. Nos etiã porcis saginandis relinquimus. Hoc enim pecus diffusum ac grandissimum facit, vt Varro scribit, & testatur experientia. Nam iis multi in Gallia & Germania alibique magni ac innumeri porcorum greges per syluas glandarias saginantur. Perhibetur tamen, si grauidæ glandem copiosiùs ederint, abortum facere. M. item Cato post sementem legi conuenire præcipit, & in aquam conijci, vt inde semodius & in vere modius, bobus singulis detur. Glandes etiam exhibet Colum. bobus in pabulum. Meminit tandem Schvvenck. vt gentes fame pauperes ex glandibus quercûs vulgaris, loco panis victitasse.

Nota. — Memecyla. Castanea. — Caria. — Suum sagina. — Boum sagina.

DE QVERCVVM EXCREMENTIS: AC PRIMVM DE GALLA.

QVàm multa ferat δρῦς, supra ex Theophrast. & Plinio dictum. Nobis & posteritati cuã plura obseruata, quorum quædam suprascriptis respondent, alia minimè: de singulis ordine trademus, incipientes à Gallis, quas geminas dixit, sed sanè καταχρηστικῶς & abusiuè: quicquid dicat Scaliger neminem nisi amentem negare Gallam esse fructum: nam nihil habet in se quod speciem prorogare possit. Sere, nihil nascitur inde: neque id est, quòd quercus florem sequitur, quo igitur iure quercus fructum dicemus? Ex eius tamen vtili excremento nasci non negamus, atque adeò fructus esse quasi quoddam ἀνάλογον. Dioscor. duo quoque genera describit: vna Omphacitis dicitur, parua quidem, sed tuberosa, grauis, & nullo foramine peruia: altera verò plana, leuis & perforata. Eligi debet omphaticis, quippe quæ sit efficacior. Easdem duas species agnouit Gal. Omphacitidem, nempe minorem, & grandiorem alteram, flauam atque fungosam: quam à rusticis non ὀνοκηκίδα, vt quidam voluerunt, & in vulg. translationibus græcè scriptum legitur, sed ὀνοκηκίδα, quasi asininam gallam vocitari, prodidit. Easdem & Paul. & Aetius. Plinius non pauciora genera fecit, solidam dicens, & perforatam: item albam, nigram: maiorem, minorem. Vis omnium similis.

Scalig. reprob. — Omphacitis 1. — Plana. 2. — Gal. correct. — Asinina gall. — Solida. — Perforata.

In Italia, inquit Matthiol. præter glandes, duo gallarum genera ferunt minores, quæ rugosa sunt cute, fullonibus & coriariis expetitæ, & quæ Græcis Omphacitides dicuntur; maiores quæ leuiores sunt. Sed hic difficultatem iniicit Corn. in com. ad Dioscor. vbi Gallam omphacitidem Dioscor. & Gal. nihil aliud esse contendit, quàm calycem illum, cui glandes inhærent, quod vulgò capula vel cuppula glandium dicitur, vnico ad id credendum Pauli loco inductus, quo sic ait ὀμφακῖτις κηκιδωθεῖς. Τὸ δὲ τὸ κοιλῶδες ἐν ᾧ ἐγκεῖνται αἱ τῆς δρυὸς βάλανοι, ᾧ περ οἱ βυρσεῖς χρῶνται: sensus est: omphacidis vsus. Est autem cauum illud, ex quo quercina glans enascitur, quo Coriarii vtuntur: quo loco non ὀμφακὶς sed ὀμφακίνδος putat legendum, à qua opinione, alio in loco se nunquam discessurum scribit, nisi quis corruptum hunc Pauli locum docuerit, aut ὀμφακὶς substantiuè ab eodem pro calyce glandis dici ostendat.

Corn. opinio.

Sed Cornarium reprehendit Matth. & iure quidem, etiam de Doctiss. Dalecham. sententia. Nam si Paulus non putasset ὀμφακῖτις vocabulum, quod rarum esset, permultis fore obscurum,

Cornar. refut.

quemadmodum & Cornario fuisse videtur, ei certè opus non fuisset descriptione illud explicare. Quod præterea Paulus pro Omphacitide Galla, glandium calycem non acceperit, hinc intelligere licet, quòd alio in loco de gallis, non de glandibus disserens, duo Gallarum genera constituit, alteram omphacitidem, alteram flauam, magnam, viribus inferiorem, Diosc. & Gal. authores secutus, qui non aliter diuisere, nec vsquam omphacitidem Gallam pro glandis calyce vsurpauêre, vtpote qui glandes & earum calyces à gallis planè diuersas esse scirent. Præterea Diosc. Gal. Paul. nusquam nomine ὀμφακίτις pro Galla vsi sunt, nisi vt adiectiuo iuncto cum substantiuo suo κηκὶς. Quare in Paulo legendum ὀμφακίτιδ@, non ὀμφακίτιδ@, vt contendit Corn. glandiúmque calicem ὀμφακίδα à Græcis appellari, etsi Cornar. atque Andernacus, qui ὀμφακίδα vuam acerbam interpretatur, Græcæ linguæ peritissimi, non ita senserint. Verùm, inquit Corn. Omphacitis immatura intelligi non potest, quum vtraque suo tempore immatura sit. At cum Diosc. & Gal. Omphacitidem Gallam dicunt, hac voce immaturam non intelligunt: etsi multi apud eosdem ita sint interpretati, sed quod στρυφνὴ ἱκανῶς ἐστι φάρμακον, inquit Gal. id est, quòd admodum acerbum sit medicamentum, cùm altera Galla minùs acerbæ qualitatis sit particeps, quam ὀμφακίδα à rusticis suis appellari scripsit: Qui verò ὀμφακίδα legendum censent vinogallam, & vinosam dicunt, quoniam minùs adstringens ad austeri vini lenitatem potiùs accedat.

Cornar. & Andernac.

Vinogalla.

Galla, authore Theophr. lib. 3. Hist. plant. tàm nigra quàm candida nascitur magna ex parte noctu confertim, & subitò, [ἀθρόως,] vnáque die aucta, excepta resinacea, si ab æstu occupetur marcescit, augerique ampliùs nequit: aliàs enim amplitudine maiore grandesceret: qua de causa earum aliquæ non maiores fabis cuadunt. Nigra verò pluribus diebus viret, & quædam etiam magnitudinem Mali assequuntur. Nos æstate media gallas sæpè obseruauimus: Autumno, v. magna ex parte cadere. Quæ glandem ferunt, inquit Plinius omnes & gallam: alternísque annis glandem. Sed gallam Hemeris optimam, & coriis perficiendis aptissimam. Similem huic latifolia, sed leuiorem, multòque minùs probatam. Fert & nigram. Duo enim genera sunt. Hæc tingendis vtilior. Nascitur autem galla Sole de Geminis exeunte, erumpens noctu semper vniuersa. Crescit vno die candidior: & si æstu excepta est arescit protinus; neque ad iustum incrementum peruenit: hoc est, vt nucleum fabæ magnitudine habeat.

Nigra.

Tempus.

Galla Hemeris.

Delectus

Nigra diutiùs viret, crescitque vt interdum mali compleat magnitudinem. Optima Comagena: deterrima ex Robore. Signum eius quòd cauernæ transluçent.

Comagena.

Illud obseruatione dignum, quod de gallis multi produnt, & in hanc vsque diem à vulgò inter præsagia non spernenda habetur, quod quidam de maioribus tandem gallis perhibent: Nempe aiunt, quotannis aut annonæ fertilitatem, aut sterilitatem, aut pestilentem auram præsagîre, Si ex fracta, quæ priùs integra fuerit non perforata euolet musca, futuri belli: si prorepat vermiculus, annonæ penuriæ: si currat araneus, pestilentium morborum præsagium esse. Neque cuiquam mirum videatur, in omnibus gallis ista nasci animalcula. Etenim, inquit Matth. huius rei sæpe periculum feci, nullámque vnquam sum consecutus, priùs non perforatam, quæ ex tribus dictis animalculis vnum intra se non contineret: nam foramine aperto, facilè iudicari potest, iam animal exiisse. Et paucas inuenias Gallas absque foramine, nisi in ipsa arbore adhuc recentes. Dicamus igitur licet, Quercum & fructum & animal gignere. Cuius rei haud ignari Veteres illi patres, non sine causa quercum dixerunt Ioui summo esse dicatam. Quercus gallam, si per tempus in arbore permanserit, putrescere Albertus Magnus ait, atque in ea vermem procreari: qui, si in gallæ medio situs sit, futuram hyemem asperiorem pronuntiat: leuem verò si circa margines. Eiusdem rei in eadem arbore aliud præsagium desumunt, vt si in altioribus ramis Erucæ telas contexerint, leuiorem: si in inferioribus, rigidiorem.

Prognostica ex gallis.

Præsagium Alberti ex Galla.

Aliud ab erucis.

Appositè autem carpitur à Matthiolo Cornarius, quòd suis in Galenum Commentariis, tam primo, quàm sexto libro de compositione medicamentorum secundum locos, acriter contendat nihil aliud Omphacitidem Gallam esse Dioscoridi & Galeno quàm Calycem illum quo glandes in arboribus continentur, quem Recentiores Cupulam vocant. Statuatque nunquam à sua opinione recedere nisi quis Pauli locum cap. de dysenteria, vbi Omphacidem dicit esse cauum illud ex quo glans quercina enascitur, planè corruptum esse docuerit: aut ὀμφακίδα ab eo substantivè pro eo quod Calycem Plinius dixit, & vulgò Cupula glandis vocatur, dictum ostendat.

Galla, κηκὶς Græcis: Arab. *Hafs* & *Hafsis*: Germ. Gallöpffel / Eychöpffel: Belg. Galnote / Eyckensapfel / Gal. *Noix de galle*: Ital. *Galla*. Hisp. *Galha, agalla, abgalla*. Hung. Bugba.

Synonyma

Tabern. vndecim gallarum genera & varietates figura expressit, ac nobis fortè non pauciora obseruata, vt regione, duritie, colore, ita figura quàm maximè differentia. Gallæ Officinarum vulgatissimæ, rotundæ, leues, foraminulis pertusæ, læues, paucis interdum tuberculis asperatæ, interdum multis & angulosæ, magnitudine variæ, vnciam ample, quamuis magna ex parte infra subsistant, sunt etiam maiores, rotundæ, interdum turbinatæ ac pyriformes, colore fusco, leui mallei ictu fragiles, intus vngue friabiles, cauernosæ, fungosæ, gustu adstringenti & acerbo. Hæ nulla icone indigêre videbantur, quòd passim essent obuiæ, & Robori Clusii appictæ.

Gallarum differentiæ. 1

Galla Officin.

2. GALLÆ MAXIMÆ EXOTICÆ. 2

Descriptio

VBi vbi tandem hæ, aut ex qua Glandifera enatæ, in littore maris mediterranei, etiámque Tyrrheni & Adriatici nobis obseruatæ & repertæ, amplitudine sunt oui Gallinacei, colore fulcæ, & & fortè ascititio tali, leues ac læues secundum longitudinem, aliquot sulcis donatæ à Corona ad pediculum vsque seu crassum & amplu vestigium quo adhæsit, superna parte veluti corona redimitæ notabili à cæteris atque vulgatis differentia, eaque tamen non integrum circulum efficiente, nullis tuberculis asperatæ, nullis foraminulis pertusæ, substantia alioquin & sapore iam dictis similes, intus nigræ.

3. GALLÆ PROVINCIALES ET ILLYRICÆ. 3

QVercus ramum [cuius nescimus:] habemus à Valer. Dou(«ez cum gallis magnis amplitu-

Descriptio

plitudine vnciali, ramo ceu mediante pediculo quidem, sed perbreui aut potiùs nullo adhærentes, læues, nullis tuberculis asperatæ, penitùs fu-

gosę: videntur quiddam medium habere inter gallas & pillulas Quercus quoad substantiam: aut certè ramus decerptus cùm nondum essent maturæ. Ramus videtur esse Roboris 3. Clus. quod suprà descriptum. Galla maior 2. Lob. Gallæ prouinciales Dalech. Quæ hic adpictæ sunt ab Hist. Lugd. proponuntur Gallarum prouincialium nomine. Nos similes planè habemus, geminas, nomine Gallarum ex Illyria: ponderosiores sunt cæ- *Galla ex Illyria.*
4 teris omnibus, vt osseas dicas: sunt solidæ & durissimæ, tuberculatæ, pediculo crasso, colore fulcę ac subnigræ. Habemus & singulares. Carent omnes foraminibus. An Omphacitis Diosc.

GALLÆ ORIENTALES, ET ALIÆ DIVERSÆ.

Descriptio diuersarum.
5
6
Gallarũ hîc varias figuras vides rotundas, tuberculatas multangulas, angulosas, sessiles, echinatas, radiatas, cornutas, vt octo vel nouem differentias in hac vnica tabella obseruare liceat.
7 Quæ echinatæ sunt & radiatæ, sicut & cornutæ & angulosę, vulgatis non parum sunt duriores: sed inferiores etiam candidiores, & ad ligni alicuius fungosi naturam acce-
8
9



dentes. Vnica illa quæ in ima tabellæ parte media conspicitur, tàm pulchrè caput Tauri à Theoph. memoratum exprimit, vt nihil suprà, durior quoque est cæteris: sed an nucleus Oliuari similis sit in hac, vt de suo ait Theoph. asserere non ausimus. *An caput Tauri Theoph?*
10
11
12
Nam quia vnicum & perelegans integrum adhuc asseruamus. In cęteris tamen quæ ei adiunctæ & cornua repræsentant eiusdem naturæ videntur, nullus intus nucleus. Histor. Lugd. verò sequentes pingit, titulo excrementi capiti Tauri similis, quas & nos habemus, & interdum inter cæteras Gallas vulgates apud institores reperiuntur, quinque inferioribus propositæ tabellæ substantiâ & naturâ similes, nisi quòd minùs candidâ conspiciantur, & ad viriditatem inclinent: *An caput Tauri Theoph?* 13

Figuram tabella satis benè exprimit: sed nostra prædictâ meliùs ad caput Tauri accedit. Gallis multò duriora sunt. Suprema quæ à dextris posita in præcedenti tabella pingitur ab Hist. Lugd. nomine Gallę ex oriente. Camer. Gallam pingit apertam in qua veluti nucleum ostendit. Plerasque suprapositæ tabellę & Tabern. pictas dedit.

LAPIDES QVERCVVM.

Binæ illæ punctatæ, oblongæ & vtrinque sessiles figuræ, quas in prædictæ tabellæ mediò inter reliquas vides, Lapides Quercuum exprimunt, pumicosos planè, crustosos, intùs canos, sapore austero, & os contrahente, non sine amaritudine: colore aliàs pullo: saltem vt in siccis nostris iam dudum repositis apparet. His videtur simile, si non idem λιθάρια κισσηρώδη Theophrast. hoc est, pumicei lapilli quos rarò inueniri ait: Sanè nihil impedit, quominus eosdem dicamus. Nostri reperiuntur in Gallis. *Descriptio* *Pumicei Lapides, Theophr.*

GALLÆ ISTRIACÆ.

Pediculo has vel extremitati ramusculi adhæsisse apparet, eóque satis crasso, & aliqua ex parte gallam complectente, quasi & ipsæ fructuum in morem nascerẽtur. Hist. Lugd. Gallæ ex Istria nomine pingit. Datæ nobis quoque pro gallis Istriacis Lugduni, ramulorum extremitatibus hærentes, eo modo quo Clus. gallas quasdam appingit suo Robori. Rugosæ erant, ac ex nostris olim factæ, quæ in Hist. Lugd. extant: quas denuò pictas hic exhibemus. An Galla Roboris 5. Clus. Galla minor Lob. *Descriptio* 14.

GALLA FVNGVM QVODAMMODO EXPRIMENS.



Et has interdum inuenias inter cæteras Gallas, quibus vt substantia & natura consimiles, ita figurâ plurimùm differentes, Fungi speciem quandam repræsentant: huius generis plures habemus diuersarum figurarum: aliquas supernè vmbilicatas, circa media laciniatas, vt hîc appictæ: alias vtrinque ventricosas: alias semiglobulũ exprimentes: alias ambitu pentagono, alias radiato ac stellato, atque adeò tot varietates, quas omnes describere curiositatis potiùs esset quàm vtilitatis. Carent plæreque foraminibus, argumento soliditatis maioris, quàm in gallæ vulgares: súntque duriores & quodammodo ad ligneam naturam accedentes. Pingit Hist. Lugd. suprà scripto nomine. Pingit & Camer. vt videtur, sub ramo florente quercus. Tabern. earundem diuersas formas pingit sub Nº 12. 13. 14. fortè & primus sub Nº 9. & 10. *Descriptio* 15. *Varietas*

Habemus & minimas, piso vix maiores plures, duriusculas non foraminatas, læues, nullis tuberculis inæquales. Viderentur ad Illiricas accedere naturâ, si pondus responderet. Fortè naturæ est lusus, aut ob alimenti penuriam remanserunt nanæ. *Galla minima, seu nana.* 16.

Digitized by Google

GALLÆ INDICÆ.

Descript. 17



INter Exotica Ill. C. VVirt. reperi anno 1608. Stutgardiæ, ramulum hunc ligneum eâ magnitudine, qua in hac tabella sub numero 1. pingitur, in aliquot partes diuisum, in quorũ extremitatibus globuli ex cinereo nigricantes, inæquales, substãtiâ gallarum, sicuti & forma, sapor nullus. Illa verò quę numero 2. exprimitur, pulchra sanè erat, sacerdotalem aliquomodo pileum exprimens, in qua quatuor veluti cornua sursum tendentia, vt in Tribulo marino, internâ parte ferè cinerea, in medio eminet pars quatuor etiam angulis donata, aliter sitis quàm cornua: ea pars superat etiam quatuor angulos, ei in medio veluti vmbilicus. Tota ex luteo lucet, ab inferiore etiam parte tota lucent cornua, inter quæ apparet pars ligni, cui

18

19 adhæsit, intus caua. Tertia ex albo flauescens, magnitudine, qua pingitur, inæqualibus lateribus, tuberculis quamplurimis, Fragorum seminibus ferè similibus, multò crebrioribus, quam icon

20 exprimat. Vltima etiam flauescens, duta lignosi, tota foraminulenta. Has quatuor Ill. Principissa reseruauit.

GALLA VMBILICATA: ITEM QVERCVS EXCREMENTVM VILlosum, vel potiùs Muscosum.

Descript.



DIcas Balaustium quoddam breue ac inueteratum absque flore, vel potiùs nouellũ & nuper ex flore emersum Mespilum, cui foliato vmbilico, figura, soliditate, perbreui & crasso pediculo, quo Quercus ramo adhæret, tam bellè respondet, vt nihil suprà: ea elegantiùs exprimitur in figura Hist. Lugd. No. 1. Excrementi vmbilicati nomine: nostram enim corrupit oscitantia vel malitia sculptoris, vt & plures alias; tam veteratoriè hodie res aguntur. Colore sunt pullo ac nigro, carent foraminulis. Vmbilici corona vel crista rigidissima. Pinxit & Camer. & fortè etiam Tabern. numero 10. Excrementum muscosum, quia eadem hac tabella parte supernâ continebatur, sic describi par est. Bedeguar, quale in Rosis conspici solet facie quodammodo refert, sed villis paulò rigidioribus, fuscis ac subnigris in sicco, surculum immediatè complectens, circa media durum: habitu hispido ac muscoso: musci fibris multifidis. Folia Quercus cuius ramo adhæret, similia sunt Quercui vulgari, infernè ad basin glandis rudimentum & copula, cùm breuissimo & crasso pediculo ramo adhæreat, quod malè expressit sculptor, & peritissimi pictoris diligentiam corrupit. Lob. vocat Bedeguaris effigie excrementum spongiosum & muscosum, siue Bedeguar è Quercu: quod pictum exhibet à se in Romano agro collectum. Nostrum est ex plantis Valer. Dourez, Pillulæ capillatæ nomine pictum ab Hist. Lugd. quamuis à Lobelij icone nonnihil differat: idem tamen putamus. An hæ sint σφαιρία μαλλώδη Theophrast. Rotundum, quiddam cum villis inutile: verno tamen tempore mellei succi? Audiamus Gallarum vires.

Excrementum muscosum.
Bedeguar è Quercu.
Locus.
An Villosa pillula mellei succi Theophr.

Dioscorides. Vtraque Galla, [nempe Omphacitis, quæ melior & efficacior: & leuis ac perforata,] vehementer adstringit. Tritæ excrescentia in carne, gingiuarum & Columellæ fluxiones, insuperque oris vlcuscula cohibent. Quod verò in earum medio est, dentium cauernis inditum, dolores sedat. Crematæ carbonibus, donec igne candeant, & vino, aceto, aut etiam aceto salso extinctæ, sanguinis sistendi vim asciscunt. Decoctum earum ad insessus efficax est, contra vuluarum prolapsus & fluxiones. Capillos denigrant aceto aut aqua maceratæ. Cœliacis & Dysentericis in aqua aut vino tritæ seu illitæ, seu bibitæ conueniunt: nec non & obsoniis additæ, aut totæ in aqua priùs coctæ, in qua nonnihil excoquendum sit eorum, quæ iis affectibus conferant. In summa, vbi quid adstringere, sistere, aut siccare opus est, vsurpandæ sunt.

Gallarum vires & vsus. *Excrescentia carnis. Fluxiones faucium. Vlcuscula oris. Dentium dolor. Sanguinis fluxus. Vuluæ procidentia. Vuluæ fluxiones. Capillos denigrant. Cœliaca. Dysenteria.*

Ruell. ea verba Diosc. τὸ ἐν μέσῳ αὐτῶν, vertit nucleum. Sanè nimis licentiosè. Intelligit autem Diosc. internam partem, vel potiùs centrum & concauum seu meditullium, quod reliqua galla adstringentius est: ideóque reprimendis fluxionibus à cauis dentium aptius & efficacius. Nec fuit cur hîc Dalech. vel Hist. Lugd. Ruellio patrocinetur dicens, cum Plinium authorem habuisse, qui nucleum ferri pro Chalybe dixit. Egregiam sanè verò collationem. Quis vel semestris Grammaticus nescit illud à Plinio μεταφορικῶς dictum? In Galla propriè nucleus non est: Idem tamen Plinius, vt dicebamus, ait, in iis quæ caput Tauri imitantur, inesse nucleum Oliuis similem: quod dixerat etiam Theoph. & in viribus, Gallarum nucleum dicit: Idem impropriè videtur dicere Robur gignere nucleos aquosos.

Ruell. not. de nucleo Gallarum. Diosc. illust.
Hist. Lugd. repreh.

Sic autem ille ait de gallarum viribus: Vis omnium similis. Optima Comagena. Excrescentia in corpore tollit. Prosunt gingiuis, Vuæ, oris exulcerationi. Crematæ & in vino extinctæ, cœliacis, Dysentericis illinuntur. Paronychiis ex melle, & vnguibus scabris, pterygiis, vlceribus manantibus, condylomatis, vlceribus quæ Phagedænica vocantur. In vino autem decoctæ auribus instillantur, oculis illinuntur: aduersus eruptiones & panos cum aceto. Nucleus commanducatus dentium dolorem sedat: item intertrigines & ambusta. Immaturæ ex his ex aceto potæ, Lienem consumunt. Eædem crematæ, & aceto salso extinctæ, menses sistunt, vuluásque procidentes

Gingiuæ. Vuula. Oris vlcera. Cœliaca. Dysent. Paronychia. Vnguium scabrities. Pterygia. Vlcera manantia. Oculi. Aures. Dentium dolor. Intertrigo. Ambusta. Lienis tumor. Menses.

ed by Google

dentes fotu. Omnes Capillos denigrant.

Menses. Fluxus. Gallarum vires memoriæ prodidit Galenus l. 7. simpl. med. sic inquiens. Galla omphacitis admodum acerbum est medicamen, plæraque sui parte essentiæ terrenæ & frigidæ, perquàm desiccat, & fluxiones repellit: ad hæc constringit, contrahitque partes laxas, & languidas, omniúmque fluxionum affectibus strenuè resistit. *Temperamentum.* Esto igitur tertij in desiccando; secundi autem in refrigerando ordinis. Altera autem galla, flaua illa, & magna laxaque, & ipsa desiccat quidem, sed tantò minus, quantò minus acerbæ qualitatis est particeps. Cocta itaque per se ac deinde trita, cataplasma est non infrenuum *Sedis phlegmone & procidentia* sedis phlegmonarum ac procidentiarum. Porrò coquenda est, si modica opus sit astrictione, in aqua: sin vehementiore in vino. Ac si augere insuper adstrictionem sit opus, vino vtare austeriore. *Galla usta* Denique Gallæ combustæ sanguinem reprimendi facultatem acquirunt, ac nimirum etiam calorem & acrimoniam ex vstione assumunt, suntque iis quæ ignem expertæ non fuerint, tum subtiliorum partium, tum maiore desiccandi potestate.

Galla Auicennæ est frigida in primo gradu, sicca in secundo: Dodonæo frigida & sicca ad tertium vsque gradum.

Lucilij dictum. Lucilius vt Fest. Pompeius attestatur, cùm gallam fore bibendam pronuntiabat, parsimonia vtendum esse, ventremque coarctandum, nec gulæ indulgendum esse, insinuabat.

Atramentum scriptorium. Ex omphacitide galla calcantho, gummi & vino Matthiolus atramentum scriptorium parare docet hoc modo. Sumito gallarum crassiusculè contritarum vnc. v. chalcanthi Romani vnc. iij. Gummi Arab. vnc. ij. Salis drach. j. conijciantur hæc omnia in fictili vitreo circumlito superfundito vini albi potentis feruentis lib. v. & vnc. iij. occluso vasis ore, quinque aut dies insolato, vel post vaporarium fornacem breui reposito, miscetoque quotidie rudicula.

Temperamentum. Restat tandem vt ea quæ de viribus & vsu gallarum Lonicerus annotauit, subiungamus: Gallæ ait, adstringunt, glutinant, tingunt. Vis & facultas eis qualis quercui. Flos gallarum, aquæ fa. gutturariæ immixtus, & naribus instillatus, sistit *Hæmorrhag.* hæmorrhagiam. Medium in gallis contentum *Dolor dentium.* excauato denti applicatum, dolorem eius lenit. Gallæ in puluerem redactæ, sordidisque vlceribus inspersæ, putredinem arcent, vulneraque mundificant. *Vulnera. Aluus soluta.* Gallas si cum ouorum albuminibus commisceas ac emplastrum conficias, inferiorique ventri superponas, aluum sistit. Vehementer etiam puluis cum aqua pluuiali bibitus fluxilem constipat ventrem. Cui vomitus frequentem molestiam parit, is in aceto & pluuiali aqua gallas coquet, eòque decocto linteum aut pannum imbibere permittet, vtiliter autem imbibitum ventriculo linteum admouebit. *Menses nimis.* quæ mulier nimios menses patitur, in aqua pluuiali gallas coquat, cui succum plantaginis addat, & cum bombace suppositorium formet, vuluæque indat, sistit enim hæc menses, & mirè prodest. *Hæmorrhagia.* Hæmorrhagia laboranti gallæ miscentur cum succo plantaginis aut Bursæ Pastoris, imbuuntur in hisce succis pili leporini, stupa interdum, linteolum, naribusque imponuntur. Emplastrum etiam ex gallis cum albumine oui temporibus applicatum, *Fluxus sanguinis.* inhibet fluxum narium. Puluis gallarum vulneribus inditus, manantem adhuc sanguinem ita comprimit, vt non sit opus illa suere. Tu qui nigros efficies capillos, gallas recipito crassas, nigras, non perforatas, quas in oleo coquito: facta coctione oleum colatura separato, gallasque Soli exponito, donec siccatæ sint, quo facto hunc puluerem cum aqua pluuiali iterum coquito, crinesque decoctione lauato. *Vt capillos denigra.*

GALLAE SIMILE EXCREMENTVM QVINQVANGVLVM BRASILIANVM.

Mittebant (inquit Clus. Exot. lib. 2. cap. 25.) pro fructu decimo, qui debitus è Brasilia dicebatur: sed arboris excrementum aliquod instar gallæ veriùs nuncupandum censebam, quàm fructum: similem enim materia constare videbatur: & gallis similis penè formæ vidisse memini. Vnciâ autem minor erat, quinque angulis velut alis constans, supernâ parte aliquantulum protuberans, & à centro ductas habebat quinque lineas ad externos vsque angulos: inferna longior erat, sensim gracilescens vsque ad sedem, quâ ramo inhæsisse videbatur. *Descript.*

PILVLAE FOLIORVM QVERCVS.



Quercus hic pilulas damus, parte tabellæ inferiore; superior enim Quercus iulos ostendit, ad capitis huius initiū referendos. *Descriptio* Hæ autem pilulæ magna ex parte auersis foliis, hoc est, parti terram spectanti adnascuntur, plures interdum vnico hærentes folio proximè & immediatè, læues, fungosæ, pallidæ, sapore subacido & astringente. Gallæ non duritiam acquirunt sed molles & fungosæ manent: exquisitè rotundæ sunt magna ex parte, & exiguā gallam rarò æquantes, vetustateque corrugantur. Et in his, si autumnus calidior fuerit, vermiculi nascuntur qui postmodum in culicellos transfigurantur. Nascuntur autem & ipsæ pillulæ magnâ ex parte autumno aduentante, ac post primos autumni imbres. Aridæ & inueteratæ digitis faciliè in puluerem atteruntur, quibus non facilè à gallis distinguuntur, ne quis easdem cum iis putet. Videntur autem ex ipsæ esse, quas Theophrastus in foliorum tergo candicantes, translucidas [dicit:] aquosas,] quales & hæ nostræ in principio sunt,] quandiu molles sunt, in quibus & culices nascuntur. Sed, quod ait maturescentes in modū paruæ sclæuis gallæ, indurari, id in nostris non obseruauimus, fortè quia in his regionibus, vt alibi, non perfectè maturantur. *An pilula aquosa Theophr.* An pilulæ Onocicidæ Galeni? Ita sanè Tragus iudicat. Gallis similes Pilulæ Cordo & Hist. Lugd. Galla in folio quercus nascens. quidam & Gallöpfel, vt Mat- *Pilula Onocicida Gal.*

Digitized by Google

thiol. & Taber. & Gallas vocant: differunt tamen multum à propriè dictis gallis: neque hæ vt illæ in mediis foliis nascuntur.

Ryffius non sine nota ignorantiæ pro gallis pingit pilulas in foliis Quercûs, cui glandes sine pediculis. Dodon. ait in Belgio satis frequentes. Lonicerus pingit & vocat gallas asininas.

Tempus & Locus. Mense Octobri corrugari incipiunt: Septembri integræ adhuc sunt, quales sæpè & prope Montbelg. August. in Ducatu VVirtembergico & in Burgundia obseruauimus, Turnerus vidit non tantum in Italia, sed & copiosè in Frisia Orientali in sylutula non procul Auriaco. Is sibi à viro perdocto relatum testatur, Anno 1557. magnam eiusmodi pilularum copiam super foliis Quercinis inuentam in Boreali Angliæ plaga, præsertim verò circa Hallifaxiam. Idem expertum se attritè inseruire atramento faciendo. Ex adstrictionis argumento quoque, iisdem viribus quibus Gallæ præditæ sunt esse, non malè quis dixerit: quanquam eas nullius momenti esse dicat Tragus.

Vsus & vires. Plinius sanè scribit Roboris pilulas ex adipe ursino Alopecias capillo replete. Dodon. ait, ad facultatem gallarum accedere, sed ipsis multò infirmiores ac minùs efficaces. Schvvenckfeldio ad tincturæ vsum à tinctoribus colliguntur.

COCCVS QVERCVVM.

Descripti. NAscitur quoque in Ciliciæ Quercubus Coccum Cochlearum exiguum similitudine, quod illius regionis mulieres ore legunt, inquit Diosc. lib. 4. Quem tamen locum Marcellus corruptum esse putat, & pro τῷ στόματι legendum τοῖς στόμασι, quod illius regionis mulieres distortum Cu[l]l, distorquentes legunt. Nos aliam coniecturam in eum locum proposuimus in præcedentibus. Sunt qui volunt apud Diosc. pro ὀξυΐας legendum [illegible]. Matthiolus tamen asserit se vidisse vt postea diximus, qui intelligant excrementa rubella à Lobel. obseruata.

EXCREMENTVM QVERCVVM FVNGOSVM.

QVercuum vulgarium frondibus Verno tempore etiam sine pediculo adnascuntur excrementa fungosa, rara, laxa, succulenta, acida, insigniter adstringentia. Magnitudo nucis Iuglandis aut circiter, superficie inæquali, tuberosa, pulcherrimo rubore plurimùm ornata, reliqua parte albida, aut pomorum instar luteola. In quibus temporis progressu vermiculi gignuntur, qui in iis multas cellulas callosas sibi pro domiciliis effingunt. Inueniuntur Maio in Quercubus glandes cum longis pediculis ferentibus. Easdem & Tragus notauit his verbis: Quædam Quercus vere rotundas & fungosas boletisque similes ferunt pilulas, acerba humiditate plenas, in quibus vermes creantur, quæ in culices tandem abeunt. Lobel. depingit hoc titulo: Quercus vulgaris cum suis excrementis fungosis. Dodon. ponit nomine Quercus. An fortè hæ sint Onocicidæ Gal. An

Onocicidæ. An pilula versicolores Theoph.? σφαιρίον ἄμισχον καὶ ἁπαλὸν, καὶ ποικίλον Theophrast. de quibus suprà. An verò ea Galla Theoph. quæ mali compleat magnitudinem, cui & colore similis? An Plin. Pilulę natæ in alis ramorum, corpore non pediculo adhærentes, candicantes vmbilicis, &c. vide suprà.

NVCVLÆ FACIE ALBVM QVERCVS EXCREMENTVM.

Descript. NOn parum venustum Quercus excrementum nucis faciem ostentans offendimus (locus non succurrit) summitati surculi foliis carentis insidentem, figura ex rotundo compressum, sed infernè sessilem, supernè vmbilicatum, cuticula albida, ac læuissima, etiámque splendicante obductum, sub qua spadiceum visitur, reliqua substantia ad nucis myristicæ callum accedit, nisi quòd albicet magis: extima superficies multis scrobiculis & tuberculis inæqualis est. Sapor adstringens.

EXCREMENTVM LANATVM QVERCVVM.

Descript. ADnascuntur & Quercuum ramis interdum pilæ aut pilulæ lanatæ, & meris lanæ floccis candidis aggestæ & coactæ, in quarum medio fungosa quædam durities, in quibus & vermiculos generari verisimile, nam aridæ excauatæ deprehenduntur, & in iis quæ digitis facilè atteruntur, materia puluerulenta. An flocci molles Theoph.

An flocci Theoph. ad lucernas? Lucernarum luminibus apti: quos tamen ille in pillulis duro putamine contectis nasci ait. Fortè hæ ἀνάλογοι & simile quid sunt. Dicitur τίλος Theophr. τοῦτο δὲ ἐστι στιλάκιον ἰσχυρὸς μαλακόν.

QVERCVVM CAPITVLA SQVAMMATA.

Descriptio. SCabiosæ aut Iaceæ capitulis maioribus similia adnascuntur Quercuum ramis tàm extremis quam ad latera, denso squammularum membranearum & sublutarum aggestu compactis, colore aliàs subcinereo, aliàs fuluo aut ruso, breuissimo pediculo adhærentia, amplitudine vnciali. Præter squammatum hunc glomerem nihil in se aliud continent. Nec quicquam aliud ex his oritur: sed ita in arbore computrescunt. Perraro inueniuntur. Bis tantùm inuenimus & obseruauimus, in vno ramo singulare, in altero gemina. Omnia è foliorum alis enascuntur. Talia describit & depingit Clus. in suo Certo: Nos paulò pòst Iconem proponemus, cum gemmis foraminulatis.

An Cachrys Theoph. An κάχρυς Theophr. quam lib. 3. Hist. cap. 7. & in aliis arboribus & in Quercu [ἴχθυς καὶ δρῦς] nasci ait. Id inquit ἀεὶ ante germinationem Verni temporis initio gignitur: Est globosus foliorum conceptus, inter præcedentem exortum sine articulum, & nouellam germinationem medius.

Gaza not. Gaza Amentum vertit, nouè & impropriè: retinuit Plin. Cachryn seruato Græco. Significat & Cachrys Libanotidis frugiferæ semen acre, quod in mandendo linguam exurit, de quo Dioscorid.

Pli. lapsus. Qua homonymia deceptus Plin. Cachryn Quercuum & Cachryn Libanotidis, res valdè diuersas pro vna eadémque re vsurpat lib. 16. cap. 8. Nihil enim acris, nihil τῆς γεύσεως δηκτικὸν in hac nostra Cachry.

QVERCVVM SQVAMÆ CANDIDÆ CADVCÆ.

Descript. PRæterea non rarò contigit, vt testis est Tragus, vt Quernа folia Autumno appropinquante

quante finiſtro in latere rotundas & candidas oſtendant ſquamulas eáſque caducas. Cúmque hi floſculi (ſic enim à ruſticis eæ ſquamulæ nominantur) apparent ſpem omnes concipiunt, copioſi ſequenti anno glandium prouentus. *Præſagiũ.*

EXCREMENTVM QVERCVS TVBEROSVM.

Deſcript. Lignea penè duritie & veluti ex plurimis baccis & vuarum ſpecie aggeſtum excrementum bis tantùm in quercu offendimus, vtrumque cauum & cauernoſum, ſed minus: maius minutiſſimis & rigidis ſpinulis hiſpidum, colore ex ruffo in pullum ac fuſcum tendente, pluſculis foraminulis à vermiculis vtrumque pertuſum. Sapor aſtringens. Nonnulli ad Theophraſti συκαμῶδες, hoc eſt quiddam Mori ſeu Sycamini ſpeciem gerens referunt. *Maius & Minus.*

GEMMÆ FORAMINVLATÆ FOLII QVERCVS.

Deſcriptio

Non curioſitas eſt has à nobis deſcribi. Nihil aſpectu pulchrius: minutiſſimæ ac innumeræ propemodum foliorum dorſo adhærent [ſtudio agglutinatas dicas,] veluti minutiſſimę ſphærulæ corollares compreſſæ, in medio pertuſæ ſed non ex toto, colore ex Byſſino in fuluum nitente, eleganter ſplendicante, ac ſi holoſerico ſubtiliſſimo obductæ eſſent. Supra centum triginta in vno folio numerauimus. Autumno obſeruatæ in vulgaribus quercubus prope Beſſordiam & alibi, ac etiã in eodem ramo capitula ſquammata antè dicta.

NODI SEV VERRVCÆ QVERCVVM.

Intra quercuum corticem interdum inuenias, velut glandularum in homine ἀνάλογον, lignoſos nodos atque verrucas materie prorſus querna, criſpa & eleganti, proprio cortice, præter quercinum, eoque ruffo atque fungoſo obductas, magnitudine & figura varias. Vidimus pugni magnitudine, item auellanæ, ac inter has medias. Aliquando etiam foras prominent, haud ſecus ac verrucæ in manibus, alimenti argumento luxuriantis.

QVERCVS ALBVMEN.

Scaliger in lib. de plant. falsò Ariſtoteli attributis, (vbi autor ille variè diſſerit de analogia plantarum cum animalibus, illarúmque partes cũ horum comparat) ait: omiſit albumen in quercu quod cũ animalis pingui potuit comparare. quale autem illud ſit, fatemur nondum nobis innotuiſſe.

VVA QVERCINA.

Radicum Quercus fibris ſub terra adnaſcitur & circumnaſcitur Iuglandis magnitudine, ex pluribus veluti acinis racematim cohærentibus [vnde ei vuæ nomen] compacta, ſubſtantiâ durâ, intus rubentis ſeu ferruginei coloris, meditullio nonnihil albo, ſapore inſigniter acerbo & aſtringente. Meminit Encelius per Ver, quo tempore vegeta eſt, colore foris eſſe purpureo, intus candido & quaſi lactifero. Scribitque tempore veris colligi debere, & ſiccari in vmbra, & deinde puluerizari: in æſtate perire, & fieri quaſi ligneam: ita à ſe obſeruatum teſtatur. Cl. D. Schenckius Medicus apud Friburgenſes celebert. ad nos miſit his verbis: Vuæ Quercinæ vobis mitto radiculas: amanuenſis meus ante triennium caſu, dum aliis herbis eruendis intentus eſſet, ſub Quercu ex eiuſdem radicibus in monte proximo, Orientem ſpectante, & vrbi vicino, nobis vulgo Burhalden dicto, effoſſas. Vuæ Quercinæ puluere nihil [expertus loquor, inquit Encelius,] præſentius in Dyſenteria: & in omni fluxu ſanguinis. Deſperatos Dyſentericos aliquot curaui illa vua quercina: meritò ergo digna eſt omni laude. Habet & alias virtutes, de quibus Medicis eſt cogitandum. Solenander teſtatur, ſuccum vuæ quercinæ magno ſolatio illiniri Podagricis.

Deſcriptio. *Etymon.* *Locus & Tempus.* *Vires & Vſus.* *Dyſenteria Fluxus ſanguinis.* *Podagra.*

FVNGVS VEL AGARICVS QVERCVS.

Deſcriptio. Naſcitur etiam in Quercuum caudicibus Agaricus, quem aliquando vidiſſe meminimus colore in fuſco ſubcinereum, [ſi probè meminimus] annoſo Quercui adnatum. Hunc inquit Camer. recentem ſale condiunt nonnulli indéq; loco calido reponunt: ſuccum emanantem Podagricis illinunt. Sed ad id efficacior putatur Vua quercina, vt teſtatur Solenander. De Agarico quercuum copioſius agemus lib. 9. capit. de Larice. *Vſus.*

Tradit du Choul quercus fungos producere, ſed eſſe, qui parum probent.

De Polypodio in Quercu proueneinte, quod aliis præfertur, alio in loco agemus, vbi eorum ſententiam reprobabimus, qui pluris faciunt,

quàm murale. Ibidem scribemus de Dryopteride à Quercu dicta.

EXCREMENTVM QVERCVS PVRGANS.

ANtiqui, inquit Lobel. cuiusdam è Quercu, instar Ledi pullulantis, meminerunt excrementi, quod purgat & adstringit summopere.

MVSCVS QVERCVVM, ET ALIARVM ARBORVM.

Descript.



FErt & Muscũ Quercus, ne vel in minimo suo officio defuisse videatur. Hoc nomine significantur cani cius, cæterarúmque arborum villi, exteriùs arboribus adhærentes, aut ex iis pendentes, ex iis tamen enati, aut adnati sine radice, sine flore, sine semine. Nos exhibemus iconem, qualem Lobel. exhibuit hoc titulo: Quercus vulgaris cum glande & musco suo. Differunt capillitii densitate, exilitate, figura & diuisura: Item odore. Græci σφάγνον σφάκον, σπλάγχνον, βρύον, φάσκον vocant. Soranus βρύον ἀρωματικὸν, Sphagnos, siue Spacos, siue Bryon & in Gallia nascitur, inquit Plin. Sunt qui Splachnon & Hypnon appellant: Arabes *Vsneam*, quanquam Phauorinus φάσκον τὸ ἐπὶ τῶν δενδρῶν χνοῶδες exponit. Diosc. βρύον à quibusdam σπλάγχνον vocari tradit. Idem & Gal. & Paulus. Sed Plin. alibi, Sphagnon aliis Bryon dici ait: esséque hoc nomine Canos arborum villos, quales in Quercu maximè videmus. Muscum alioqui Officinæ, Arabes secutæ, Vsneam vocant. *Axnech* etiam Arab. Bohemicè Mech: teste Matth. Germ. Baummüß. De reliquis Musci differentiis, vt de terrestri diuersarum specierum, & de Marino tradetur in fine operis.

Sphagnos. Bryon. Phascum.

Locus. Muscus inuenitur in arboribus Cedro, Populo alba, aut Quercu.

Delectus. Præstat verò Cedrinus: proximus huic populneus: quo in genere probatur, qui odoratior est & candidus: nigricans autem deterior censetur: Diosc. Sphagnos in Cyrenaica prouincia teste Plin. maximè probatur: secundum locum obtinet Cyprius, tertium Phœnicius. Fertur & in Ægypto nasci, quin & in Gallia, nec dubitauerim. In Quercu maximè videmus odore præstantes. Hæc Plin. Alii tamen Cedrinum, Lariceum & Piceum primæ nobilitatis dicunt, quod odoratissimi sint, Quernum omnium vilissimum pronunciant, præter eum qui saxis & vdis terræ glebis adnascitur, quum à natali atque parente suo muscus naturam mutuetur. Du Choul in lib. de Quercu scribit: In Quercu maximè annosa muscum gigni, in Gallia nullo suaui odore esse.

Diosc. Muscus adstringendi vim habet in caliditate ac frigiditate medius, facitque decoctus insessu ad vuluæ affectus. Miscetur & vnguentis balaninis ac oleis suauibus, propter eam, quâ præditus est, spissandi vim. Est & ad suffitum & acoporum medicamentorum præparationes vtile & accommodatum. Serapio epotum vinum retulit, in quo diebus aliquot Vsnea maduerit, altum somnum inducere, ventriculum roborare vomitiones compescere, & aluum sistere. Adhæc Muscus, vt inquit Auic. vtiliter inter cordis medicamenta inseritur, quòd odoris fragrantia animi defectus iuuet. Ad Dysenteriam, inquit Matth. & profluuium ventris coquatur muscus arboreus in aqua aut vino rubro & detur in potu. Puluis musci Querni exsiccatus assumptus cum ouo impedit abortu. In vino acerbo coctus, gargarisatus facit ad dolorem dentium, & relaxatam vuulam. Muscum cohibere sanguinem obseruatum est in iis, qui cumprimùm vulnerati fuerint, sanguinem reprimunt musco. Quidam muscum Quercinum eligunt, macerant in vino per noctem, & bibunt contra Icterum: alii & in calculo probant. Vires. Somnifica. Vomitus. Aluifluxus. Cordiale. Dysenteria. Abortus. Sanguinis fluxus. Icterus. Calculus.

Monspelienses ex Musco Quercino aut Ilicis alteriúsve arboris resinam non ferentis, parant cantatissimum & præstantissimum illum puluerem Cyprium appellatum: quem etsi pro magno secreto meritò habeant, à Clariss. tamen Illustriss. istius Acad. Professore & Medico quodam nobis communicatum, perlubenter ita communicabimus, vt facilè à quouis industrio Pharmacopœo ad illorum imitationem parari possit. Ergo Muscum æstatis initio lectum & probè mundatum sacculo linteo tenuique inditum limpido riuulo vel torrenti immergunt per triduum, sæpè pedibus conterunt, vt albescat: tum aqua fontana elotum & in vmbra resiccatum aqua ros. & florum Citranguli per sex continuos dies irrorant, vel alternis vicibus, vel de singula triduo, incipientes ab aqua ros. bis singulis diebus mouendo, ac rursus, vt priùs siccari permittunt: Sed arcam habent seu capsam studio ad id factam, cratibus vel asseribus pertusis interstinctam: his muscum imponunt, & in imo supposito styrace & BeniOino persumant ter in die probè clausa arca ne quid euaporet: sed singulis vicibus mouent & mutant, donec fiat siccissimus, quod biduo aut triduo fieri aiunt. Tum in amplo mortario tundunt & setaceo cribrant, addendo ad quatuor huius pulueris libras, libram semis pollinis Santali muscatellini: quidam & albissimi sacchari vnc. ii. adiiciunt, vt albidior euadat. Hæc massa & veluti prima materia est pulueris Cyprii, odorata quidem sed longè præstantior futura si singulis libris addatur Cibeti & Moschi ana. drach. 1. semi ambræ griseæ scrup. 1. ac probè in mortario agitentur & misceantur. Alii aliter parant, & præstantiorem additis ad singulas vnc. iiii. prioris materiæ, Cibeti drach. 1. Ambræ & Moschi an. drach. ſ. Hunc magnatibus vendunt magno pretio. Prioris, aureo nummo singulas vncias. Nos adhuc optimum habemus à pluribus annis. Scimus & alios parandi modos Italorum & Hispanorum. Sed quilibet sua industria facilè addere ac minuere potest. Res est experimenti vt cæterarum ferè omnium mixtionum. Ad hæmorrhagiam narium Muscum, qui craniis hominum aëri expositis adnascitur, in subtilissimum pollinem redactum multò præstantiorem esse non rarò expertum scribit Hildanus. Ast ego non video cur præferat querno, cùm verisimile sit quernum magis adstrin-

Puluis Cyprius. Eius parandi modus pro secreto habitus.

stringere, considerata præsertim natura Quercus & potissimum corticis.

MELLEVS LIQVOR QVERCVS.

Celebratur Quercus ob melleum rorem [apud Theophrast. & Plinium ex autoritate Hermolai, vt ante indicatum] qui in eam cadit: verùm pluris facienda Quercus ob prodeuntem & erumpentem liquorem, de quo Cordus c. de Oleomelle in Dioscor. lib. 1. cap. 37. dum inquit: Apud nos veris tempore è Betulæ & quercuum caudicibus sponte sua distillare humorem liquido melle crassiorem, ad quem apes & id genus insecta conuolent, est enim gustu dulcis: sed nauseam gustantibus affert. Alliciuntur eius dulcedine agrestes pueri nonnunquam, sed postquam tantillũ degustauerint, nausea & capitis dolore corripiũtur, qui superueniente vomitu paulò post soluitur. Porrò hunc liquorem Oleomel esse nequaquam affirmamus, sed similem aliquem in nostro orbe genitum. De hoc liquore fortè poterit non malè dici ex Virg. Eclog. 4.

Oleomel nõ est.

Et duræ Quercus sudabunt roscida mella.

DE VISCO QVERCVS ET CÆTERARVM ARBORVM.

Descript. Catillonem dicas Viscum, nutrimenti alieni præreptorem, vt quod non nisi arboribus innascitur, neque iis omnibus promiscuè: quoniam verò optimum in quercubus, omnium Medicorum testimonio prouenit, libuit post quercum eius historiam proponere. Multis autem stolonibus fruticat, cortice tectis coloris herbacei ac interdum flauescentis, minimi digiti ferè crassitudine, nonnunquam crassior, quos intercipiunt genicula, è quibus rami frequentes propagantur nodosi & ipsi, similémque sibi sobolem procreantes ramulorum bina opposita, Portulacæ foliorum forma, oblonga, per extremum rotunda ferè, coloris herbidi, crassa, neruis rectis, Plantaginis pentaneuræ modo secundum longitudinem donata, saporis subdulcis & subacris. Flores, tum ad genicula, tum extremis ramis hærent, parui, lutei, quadripartiti, qui in baccas abeunt confertim coaceruatas, vuæ crispæ suppares, eodémque modo striatas, albicantes, pellucido lento ac tenaci liquore plenas, odore quodam grato, vinoso, sapore iucundo: quibus immersa sunt grana nigra, singulis singula, lata, compressa, cordis effigie. Ἰξὸς Viscum dicitur Aristoteli, vnde Latinis Viscum manasse putant. ἰξία Theophrast. quod nomen ait esse commune, ὑφέαρ verò Arcadibus, στελὶς Euboicis dici. ἀσύνδες Hesych. Aliud est ἡ ἰξίας siue ἡ ἰξία venenum: quod si Matthiol. considerasset non in eundem cum Plinio errorem impegisset, ἰξίαν venenum, viscum Chamæleonis albi exponens quando ait in com. in Dioscor. Ixia vt superiùs l. 5. retulimus, lenta & visci modo tenax est lachryma, quæ in chamæleonis albi radicibus agglutinata reperitur. Sed de hac re fusiùs suo loco. Arab. *Debach. & Dabach. & Hele*, Lat. *Viscus & Viscum: Viscum Quercinum* Offic. Germ. Mistel / Eichenmistel Affelter: Belg. Marentacken: Gal. *Guy*: It. *Vischio, Pania*: Hisp. *Liga mordago: Muerdago de roble*: Boh. *Mely*. Vng. *Fay gyongy*. Dicitur & *omnia sanans*: & Germ. Heil allen schaden teste Trago. Angl. Misseltree. à Chaldæis, vt legitur apud Alb. Magnum, dicitur Luperax, à Græcis Elisena. *Bird lyme* quod ex acinis eius fit. Hoc est Viscum vt ait Plin. pennis auium tactu ligandis, Iuglandis oleo [Glandis oleo. C.H.] subactum, cùm libeat insidias moliri: de quo postea. Inde Adagialiter Plautus in Bacchidibus: Viscus merus vestra est blanditia: nempe ad me capiendum illecebra, & tendicula. Idem eadem comedia: Tactus sum vehementer visco: cor stimulo foditur. Sunt qui aureum illum ramum, quem Æneas apud Virgil. ex Sybillæ præcepto ex ilice decerpsit Viscum fuisse existiment: coniectura hecle non mala: nam & auri colore flauescit viscum, & Ilici non rarò innasci solet. Audiamus ipsa Virgil. verba: Aen. 6.

Cortex. *Folia.* *Sapor.* *Bacca.* *Odor et sapor.* *Grana.* *Ixos.* *Ixia. Hyphear. Stelis, Asylin.* *Matthiol. reprob. & Plin.* *Nomina Linguarũ*

Accipe quæ peragenda priùs: Latet arbore opaca
Aureus & foliis, & lento vimine ramus,
Iunoni infernæ dictus sacer: hunc tegit omnis
Lucus, & obscuris claudunt conuallibus vmbra.
Sed non antè datur telluris operta subire,
Auricomos quàm quis decerpserit arbore fœtus.

Aureus ramus Aeneæ

Et mox.

Discolor vnde auri per ramos aura refulsit,
Quale solet syluis brumali frigore Viscum
Fronde virere noua, quod non sua seminat arbos
Et croceo fœtu teretes circundare truncos
Talis erat species auri frondentis opaca
------Ilice.

Non est omittenda in hoc frutice & Galliarum veteris illius æui admiratio, tradente Plinio lib. 16. capit. 44. Nihil, inquit, habent Druidæ (ita suos appellabant Magos) Visco, & arbore in qua gignatur [si modò sit Robur] sacratius. Iam per se Roborum eligunt lucos: nec vlla sacra sine ea fronde conficiunt, vt inde appellati quoque interpretatione Græca possint Druidæ videri. Enimuero quicquid adnascatur illis, è cœlo missum putant: signum esse electæ ab ipso Deo arboris. Est autem id rarum admodum inuentu, & repertum magna religione petitur: & ante omnia sexta Luna, quæ principia mensium annorúmque his facit, & seculi post tricesimum annũ, quia iam virium abundè habeat, nec sit sui dimidia: (etiam si non sit dimidia Dal.) Omnia sanantem appellantes suo vocabulo. sacrificiis epulisque ritè sub arbore præparatis, duos admouent candidi coloris Tauros, quorum cornua tunc primùm vinciantur. Sacerdos candida veste cultus arborem scandit. Falce aurea demetit. Candido id excipitur sago. Tum deinde victimas immolant, precantes vt suum donum Deus prosperum faciat his quibus dederit. Fœcunditatem eo poto dari cuicunque animali sterili arbitrantur, contráque venena omnia esse remediũ. Tanta Gentiũ in rebus friuolis plerunque religio est. Hæc Plin.

Viscum olim Gallis sacratissimum, Neque Robur. Druidarũ mos. Quercus à Deo electa putata. *Omnia sanans.* *Viscum magna Veneratione habebant Druides. Fœcunditatis medicina. Contra Venena.*

Theophrast. verò in Visci natura indaganda non parum se torsit. Duæ potissimùm circa id occurrunt difficultates: de differentiis, & de crescẽdi modo. Fatetur Theophrast. Viscum non solùm in Quercu prouenire, sed in aliis quoque arboribus: quin & alibi ait: Ilex præter glandem fert & puniceum quoddam granum & Viscum atque Hyphear. Itaque contingit ipsam quatuor simul fructus ferre, duos proprios, totidémque alienos, Visci nimirum & Hypheatis. Ac Viscum quidem fert à Septentrione: à meridie Hyphear.

Duo controuersa. *Viscum. Hyphear.* *Theophr. illustr.*

Hic vides eum Viscum & Hyphear apertis verbis inter se distinguere. At lib. 2. Caus. cap. 23. Longè aliter cantat: Viscum siue ἰξίας nomen est

se commune: Hyphear ab Arcadibus: Stelidem ab Euboicis appellari. Vnam esse naturam: diuersas habitudines, quatenus oritur in diuersis. Sed hoc ex aliorum sententia narrat: & addit δοκεῖν, videri, non esse. Subdit tamen, quasi suo nomine, Hyphear & Stelidem, in Abiete ac Pinu: Ixiam etiam in Quercu, Terebintho aliísque plurimis. Alij tamen [inquit] differre ista inter se volunt, non leui ratione: siquidem [si vera dicunt] non solùm in congeneribus vnumquodque prædictorum nascitur, exempli gratia, in Abiete ac Pino: verùm etiam in eadem arbore plura diuersis partibus innasci, hinc Stelidem vel Viscum, inde Hyphear. Præterea non solùm formâ differre, sed & fructus dissimiles proferre. Atque id quidem passim obseruari posse, etiam in agris ac regionibus, quæ plurimùm inter se distant. Item aliud Viscum folio esse perpetuo, aliud nequaquam, haud esse absurdum aut insolens: siquidem aliud semperuirentibus, aliud frondem amittentibus innascatur. Ita euenire, vt in his careat alimento, in illis habeat, quantum sit satis. Hancenim causam esse perpetuæ aut deciduæ frondis. Sed hæc vero se modo habeant, nihil facere ad eam quæstionem, qua quæritur, Cur Viscum ex semine in terram consito nasci nequeat?

Plinius omissa hac velitatione securè tradit, Visci tria esse genera: Námque [inquit] in Abiete ac Larice [Pinu Theophr.] Stelin dicit Eubœa nasci, Hyphear Arcadia: Viscum autem in Quercu, Robore, Ilice, Pruno sylu. Terebintho, nec alijs arboribus adnasci, plerique. Copiosissimum in Quercu, quod Dryos Hyphear vocant. In omni arbore excepta Ilice & Quercu, differentiam facit odor vtriúsque, & folium non iucundi odoris in vtroque Visco amarum & lentum. Hyphear ad saginanda pecora [πρὸς τὸ χοιραίνειν] vtilius. Adiiciunt discrimen, Visco in his quæ folia amittant, & ipsi decidere: contra inhærere nato in æterna fronde. Altitudo eius non excedit cubitalem, semper fruticosi ac viridis. Mas fertilis, fœmina sterilis. Aliquando non fert. [Dalech. leg. aliquando verò fert.]

Perpetuifolium. Folio deciduo.

Mas et Fœmina.

Quod si igitur ita est, vt Plin. tradit, & sentire videtur Theophrastus. Iam non tria tantùm erunt Visci genera, sed tot, in quot arborum generibus illud innascitur. At multis, immò longè pluribus arborum speciebus innasci quàm vel à Theophr. vel Plinio proditum sit, infrà patebit. Neque enim idem Viscum specie, quod è Quercu, & Ilice, & Pyro, & Malo, & alijs prodit: sed tamen vt omnes Visci differentiæ ad duo summa genera reuocari possint, arborum suarum, quibus innascuntur naturam imitantia: dicemus aliud esse perpetuifolium, aliud folio deciduo. Atque id, cui ab arboribus alimentum suppeditetur, perpetuam frondem agere: Adnatum verò arboribus quæ amittant folia: in iis quoque sentire dispendium. Quanquam hoc posterius non sit perpetuæ veritatis. Nam in nostris Malis & Pyris (id quod & Scal. notauit) hyemis sæuitia spoliatis, videmus ne vnum quidem amittere folium. Ratio est tenacitas ipsius succi, qui suo lentore sibiipsi sufficit. Vt fortassè illa distinctio contingens tantùm sit, non perpetua. Quam verò Plin. adfert Maris & fœminæ distinctionem, idque à fructus ferendi aut non ferendi argumento, de eo nondum planè constat, nec quicquam de hac re Theoph. Ipsa quoque Plin. verba dubia sunt, quando habet. Mas fertilis, fœmina sterilis: Aliquando non fert. Quid enim hoc est dicere; sterilis est, & aliquando non fert? quod aliquando non fert, de eo præsupponitur & aliquando ferre: contingentia enim hic intelligitur. Quare non sterilis. Ergo nec illa quidem differentia pro vera ac perpetua stabit. Ac ne quidem si cum Dalecham. legamus: aliquando verò fert. Nam quod aliquando fert, is nemo facilè sterile dicet. Nisi quis fortè imaginari velit sterilem nasci in sterilibus arboribus (si modo exstet vlla in rerum natura) fructiferam verò in fructiferis. At quid arboris fructus toto genere dissidens, ad fructum Visci? Contrarium potiùs rationabilius videtur, vt sterilis Viscus in fructifera arbore: & fructifer in sterili nascatur, ex ratione alimenti huc aut illuc abrepti. Sed horum neutrum apparet.

Plin. not.

Quapropter restat eam tantùm solam veram distinctionem Visci esse, quæ desumitur ab arboribus specie differentibus, quibus innascitur. Nam & differentes fructus ferre proditum est.

Scaliger sanè in Vasconia baccas eius aut virides, aut pallidas obseruatas sibi tradit. In Syria rubræ esse perhibentur, vbi etiam Oleas, in quibus nascitur, interficere creditur, vt dictum in Oleæ historia. Et fortè ad hoc respexêre, qui apud Theophr. Viscum non solùm formâ sed & fructu differre tradunt.

Baccarum differentia.

Viscus Oleæ.

Sed quid Hyphear, quid Stelis? nunquid res distinctæ à Visco, an huius species & differentiæ, vt Plin. voluisse videtur, ac ipse etiam Theophrastus, Nam quod de eorum differentia affert, ex aliorum potiùs sententia narrat, quàm ex sua. Aut si res distinctæ sint, cur à tot seculis, à tot post Theophr. Authoribus non ab aliquo declaratæ? Neotericorum sanè herbariorum, immò ne Grammaticorum vllus hactenus nobis visus, qui non Hyphear & Stelidem sub Visco tanquam genere complexi sint. Quin & Theoph. in tota illa sua disputatione de generatione Visci, hunc saltem nominat, huic suas aptat rationes, non friuolà coniecturà ipsum hunc pro genere cæterarum intellexisse. Imò apertè eandem omnibus naturam tribuisse videtur: quando de omnibus tribus dicitur: validum & nutrimento aptum, seu, vt ille ait, ἰσχυρὸν τὸ καὶ τρόφιμον καὶ ποιμενικὸν καὶ ... τὰ ζῷα. Nam his & boues, & iumenta hoc pabulo post messem ali atque pinguescere. Aut si diuersa sunt, cur non de aliorum semine forma ac satu egit, sicut de Visci; Cur non alius aliquis post tot secula prodiit, qui illud ostenderit? Quare tantisper credamus, genere conuenire Viscum, Hyphear & Stelidem, aut specie, aut suæ arboris ratione differre, donec doctus & expertus aliquis doceat, vel nos vel posteritatem, quid sit Hyphear, quid item Stelis, & in qua re differant à Visco: maximè cùm sciamus doctissimos etiam viros ad hanc nostram sententiam accessisse.

Plinius, nescimus an oscitantia memoriæve lapsu, an ignorantia, libro cap. 10. Buxo adscribit, quæ de Ilice scripserat Theophr. quando ait Buxum à Septentrione Viscum, à Meridie Hyphear ferre.

Plin. lapsus.

Diosc. de Visco tradens, neque Hyphearis meminit, neque Stelidis: sed simpliciter fruticem ait in Quercu [ἐν δρυΐ] nascentem, folia habentem Buxo similia. Additque gigni etiam in Malo, Pyro & plerisque aliis arboribus: atque etiam apud fruticum quorundam radices inueniri, & se vidisse testatur Brassauolus frequenter, sed detectas esse, & vice trunci fungi.

Viscum in radice.

Scribit Bellon. inter montem Athos & vrbem Ceres & Tricala nullam esse Quercum, in qua non proueniat Viscum, omninò diuersum ab eo, quod

Viscu Quercus diuersu a cæteris.

quod nascitur in Pomis, Pyris & & aliis arboribus, nec vllum esse tam rusticum, qui non norit nominare Oxos: ex semine enim eos tenacissimum parare gluten. Optassemus sanè, Bellonius indicasset tantùm differentiam Visci quercini illius à Visco Pomorum nostratium. Qui .n. in nostris regionibus nascitur, facie non videtur differre à Pomorum aut Pirorum Visco. Præcipua differentia virium esse putatur, quæ præstantissimæ creduntur in Quercino.

In Pinu. In Abiete. Matthiol. id quod in Pinu & Abiete nascitur, quodque vt Plin. ait, Stelidem [Stelin] Euboea dicit, Hyphear Arcadia, frequentissimum in Tridentino agro nasci testatur: sed hoc ad aucupia prorsus esse inutile. Quæ sanè notabilis est differentiæ ratio. Idem tradit id quod in Pinu, Abiete, Amygdalo, Malo, Piròque prouenit, perpetua fronde virere. Id verò contrà, quod Quercui, Robori & Castaneæ innascitur, vt pote cui appetente hyeme omnia folia decidant. *Perpetuò virens in quibus arboribus. Fronde decidua in quibus. Theophr. reprob.* Huius rei causam reddere conatum Theophrast. cuius tamen sententia non omni ex parte probanda videatur: Nam & Amygdali, & Pomi, & Pyri, [quæ arbores frondem hyeme amittunt] in Italia perpetua fronde virere testatur.

Tarabella Serap. Apud Serap. legimus in monte Nasca ex arbore magna ibidem nascente, & ab eis Tarabella dicta, fieri Viscum. Eius ramos decorticatos macerari in aqua per duos menses, deinde ex fortiter contusis elici Viscum bonum. Hanc verò præparationẽ magis sibi placere ait Tragus quàm eam, quæ à Plinio traditur. *Tragus im.* Sed miramur quomodo probare & conferre potuerit rem sibi incognitam: nec Serapionis verba nobis conuenire videntur cum nostro Visco. Cur non docet Tragus quæ sit ea arbor, quæ à Serap. vocatur Tarabella? Viscum quoque non dicitur Ωreus, *Alter Tragi error.* vt existimat Tragus malè Ruellium intelligens. Præterea lectores considerent, an Viscum fiat ex ligno, & non potiùs ac meliùs ex baccis: quanquam non prorsus negauerimus ex Visci surculis quoque ea ratione, quæ ab Serap. præscribitur, Viscũ confieri posse, sed minus aculius.

Posteris, vt Camer. Casp. Bauh. & nobis quoque Visci differentia obseruata: simplex, hoc est singularibus aut binis vel paucis baccis, & Viscum Polycoccõ. *Viscum simplex. Viscum Polycoccum.* Vtrũque pingit Camer. Nos vnica nostra Fuchsiani cõtenti essem⁹, rati baccarũ multitudinem, quam potiùs varietatem censemus, non nouam mereri figuram. Equidem in eadem arbore, aliquando binis vel ternis, aliquando plurimis baccis racematim coaggestis Viscum obseruauimus.

Disputatio de Visci satu. Sed noua, nec sanè vulgaris velitatio ineunda de Visci crescendi modo. Theophrast. enim eumque secutus Plin. ac omnis adeò antiquitas sine controuersia putauit Viscum nasci ex ipsius baccarum semine, per aluos turdorum, palumbarum, cæterarúmque id genus auium, postquam acinorum pulpam intra suos ventriculos concoxere: In qua sententia & Plautum fuisse certum est, quando ait:

Ipsa sibi auis mortem creat:
Turdus exitium sibi cacat. Et

Nempe propter glutinum, quod ex eo fit: quo aues postea capiuntur. Inde etiam veteri prouerbio in eos dictum, qui sibi ipsi extremi exitii sui causam præbent, & perditæ suę fortunę infœlices sũt fabri. *Adagium.* Hos omnis ferè posteritas secuta, vt fit, securè crediderunt rem ita se habere. Ast huic opinioni vir summus & acutissimus Scaliger se opposuit, multis nixus rationibus.

Sed lubet prius Theophrast. rationes audire, ne indicta causa condemnatus videatur: idque summatim tantùm.

Mirandum, inquit, & absurdum atque παράλογον videtur, quasdam plantas in aliis oriri plantis, in terra non posse, vt Viscum, Stelis atque Hyphear. Namque arbor ex qua Viscum oritur terrę vicem gerit. Tantò igitur magis ferre debuit, vera mater, ipsa scilicet terra, præsertim cùm tam multum ac validum fructum pariat. At omne Viscum in arbore nascitur: nullum in terra. Admirationis etiam causam auget Quercus durities: nempe rigiditas ligni, & succi vel copia vel lentitudo & fœcunditas insignis sui Roboris dat significationẽ, non etiã in terra prodire posse: supponit autem Viscum ex semine velle prodire: non, sicut animalcula quæ ex putredine gignuntur in aliis arboribus, sed sibi propriam habere materiam, & quidem propriam actu secum afferente formam: tale namque semen est, vt ipse met Scal. explicat. Multa præterea adducit exempla eorum quæ in aliis nascuntur quæ tamen & ipsa in terrà apta sint nasci, si semen ferant. Secus tamen si non ferant, vt Cornua & similia. Voracem & validam esse plantam Visci, iccirco multùm sibi deposcere cibi. Quapropter si qua in arboore oriatur, quę minus commeatus habeat suppeditare: debile esse. Cur ergo, inquit, non oritur è terra? Valida enim queunt cogere terram in suas leges, vt sua eam diiungere. Cogere igitur debuit Viscum terram, vt pareret sibi. Ideoque & in ea nasci, sicut Lupini semẽ: Quod si quis frigidum diat semen, id non tollet generationem sed differet ideóq; fieri vt quædam anno sequenti demũ enascantur, sicut Beta. Nec metũ esse à putrefactione, à quo periculo æquè longè absit ac ipsa Beta.

Sic itaque vltrò citróque multis iactatis argumentis, quæ quilibet videre & legere potest lib. 2. caus. cap. 23. tandem ostendit iis non esse acquiescendum. Tantùm enim abesse vt soluant quæstionem, vt etiamnum magis implicent. Sequitur capite vbi quæstionem soluere conatur, inde initium capiendum esse nos monet, vnde nos ducit natura, id est, ex rei ipsius conditione. Has verò plantas esse eiusmodi, vt in aliis tantùm sint, è quibus & solis & solæ enascuntur, sicut & animalia quædam non nisi in animalibus possint creari: quorum tamen origo lateat: harum verò plantarum generatio pateat. Cuius initium fiat à pastu auium, velut accidente ad generationem. Id etiam in aliis euenire. Picam nempe & alias aues quasdam, glandes reponere, obruere terra. Ita hic quoque, visci grano detracto confectóque in aluis, quòd frigidissimum sit, casu quodam excerni ac deponi ab auibus supra arborem, in qua parum immutata stercoris vi & naturâ, illud pullulet & emergat. Mox pabuli copia & naturæ fortè vi propria vires capere & incrementa. In Abiete autem & Pinu validissimum nasci. Naturam concludit ita comparasse multarum rerum societatem & mutua beneficia, tùm generationis, tùm conseruationis. Non tamen dicendum esse, hâc generationem non nisi auium opere confici potuisse.

Hæc ferè Theophrast. de generatione Visci. quod postremum tamen hic obiter refutandum. *Theophr. repreh.* Nam cur aues non sint concausæ necessariæ semen vorantes, coquentes succum, emittentes semen cum stercore? Aut quis illuc stercus illud transferat calidum nisi auis? Aut quomodo semen ab arbore suscipiatur, quod non suscipiebat, nisi vi stercoris alterata? Illud enim frigidis.

fuum dixit: quasi sua natura ineptum ad hanc generationem, nisi præparatio & alteratio ventriculi auis tanquam Coquus & portitor interueniat.

Sed Plinium audiamus, qui paucissimis rem expedit. Quædam, inquit, in terra gigni non possunt, & in arboribus nascuntur. Namque cùm suam sedem non habeant, in aliena viuunt, sicut Viscum. Omnino autem satum vllo [nullo M.& CH.] modo nascitur, nec nisi per aluum auium redditum, maximè palumbis ac turdi. Hæc est natura, vt nisi maturatum in ventre auium non proueniat. Hæc Plin.

Theoph. & Priscorum opinio de Visci generatione reijcitur.

Nunc Scalig. audiendus, qui ex professo hanc Theophr. & Plin. opinionem magna subtilitate conuellit, in hunc modum. Veteres omnes sine controuersia sunt arbitrati, Visci acinis à Turdo comesis, quod ad pulpam pertinet, concoqui: quod seminis est, incoctum ab aluo deiici, exire, sistique in arboribus iis, in quibus isti quiescere consueuerunt. Pro nobis facit, quod ait Theophr. semen esse propter generationem. Mihi tamen aliter videtur. Neque vlla in terra satum prouenit: neque in quauis arbore. Dices, arbores certas pro solo ei à Natura destinatas. Sic sanè fugies. Sed tum contrà, mirabor: quomodo in durissima ligna subeat ita, vt sibi findat corticem, ac sine radice vnum cum illis fiat. Nam quamobrem non super Iuglande, Olea, Lauro, Cupresso, Laricea: quando super horum congeneribus, iisque æquè duris, atque etiam durioribus nascitur: Pyro, Malo, Sorbo, Pruno, Cerro, Quercu, Terebintho, Abiete, Pinu, Ilice. Etiam super Castaneam vidimus. At in illis nihilosecius auiculæ stabulantur. At in Turdorum ventriculis, atque intestinis, quos Visci baccis hac de causa nutritos secuimus, nullum vnquam granum inuentum est. Similis est hæc fabula, Qui à me rogati: quo seminio in parietibus herbæ nascerentur: vento aiebant, in parietes seminibus delatis. At non ita est. Sed quasi cornua ex ossibus animalium: sic ex arboribus educi Viscum.

Quibus arboribus non innascatur Viscum.

Quibus innascatur.

Viscum quasi cornua animalium.

Quamobrem Ion poëta Chius in fabula Ceneo, Viscum dixit esse sudorem Quercus.

Visci Synum lignum cū Quercu.

Quam ob causam vnicum est lignum vtriusque, non autem insertum, tanquam in terram. Qua ratione etiam è Thymo prodit Epithymum, non è semine: haud sine Recentiorum nugis. Nullo modo fieri potuit, vt in Terebinthi corticem latissimum, durissimúmque, vitam membráque sua infigere atque insinuare queat Viscum. Sed à calore potiùs interno informata Visci principia in succo sibi connaturali: ab externo adiuta, atque euocata concreuisse, atque in plantam hanc adoleuisse, quasi cornua quædam, sicuti dicebamus. Vbi & illud tibi à Theophr. animaduertendum fuit, qui lib. 2. de caus. scribit: perpetuari frondes Visci generibus iis, quæ in arboribus æternifoliis oriuntur. In perdifoliis quod proueniat, ipsum quoque amittere folia. Non enim verum est. In Malis nostrorum prædiorum, non solùm vt seriò dicam *διτίζει*, sed etiam, vt iocemur, *τεττίζει*. Quibus foliis ipsæ virent, suis spoliatæ. Non tamen illorum insectamur opinionem, tanquam vulgi vel sobolem, vel alumnam. Subest etiam ratio non inepta, neque imbecilla, quâ id illis potuit persuaderi. Quando in diuersis arboribus eandem viderent plantam: vnum, idémque principium, è diuersis originibus promanare posse minimè videbatur. Sed quemadmodum Quercus & Pini folia diuersa, sic diuersa esse quoque decuit vtriusque Visci folia: si ab illorum natura profecta essent. Pulchram sanè pro illis excogitauimus defensionem. Quam tamen diluere licet hac inscita obiectione. Non enim necesse est, diuersorum excrementa diuersa esse facie: sed ratione sola differre satis est, vt lachrymas. Itaque pro nobis faciet potiùs. Quia longè aliis viribus Quercinum est Viscum, quàm Ilignum & alia. Exempla quoque valida sunt. Alia Fagus à Quercu: ab vtraque Ilex: Galla tamen omnibus. An suo peculiari satu, seminióque Galla orta est? Sic Ceruorum & Damarum cornua sunt vtraque, non ab externo compluta, aut inserta semine, sed ab internis primordiis excitata. Maximum verò ad sententiæ nostræ confirmationem argumentum, quod è ramis quibusdam exit Viscum, quo in loco nullis modis vel stercus consistere, vel semen vnquam potuerit hærere. Nam quod ait Cardanus: semen ex auicularum aluo deiectum, quominus ab imbribus deuolutum pereat, foliorum operimento in ramis custodiri, id in perpetuæ frondis arboribus fortasse verum fuerit: at in Sorbo qui potest? Visci namque fructus neque maturus neque edendo est, nisi arbore exfoliata. Quare intempestiuas hybernæ sæuitiæ iniurias ipsum perpeti ac perferre posse, non fit verisimile. Nihilò enim commodiùs consistere, quàm in re procliui globum. Quippe in summis surculis etiam hodie ipsum conspicati sumus. Qua in sede & ancipitis firmamenti, & quietis, ne tranquillo quidem cœlo stare quicquam valeat.

Visca viribus differunt.

Ratio Theoph. diluitur.

Ad Theoph. argumentum, quod aiebat: Omne semen esse propter generationem, neque respondere scio, neque animus suadet vt ei assentiar. Denique omninò si respondere nesciam, magis nesciam, quo modo semen, vti dicebamus, valeat durissimos cortices ita penetrare, vt coalescat. Nostrum sanè commentum parabiliore videtur firmum ratione. Theoph. accipit pro probatione, quod ipsum eget probatione. Ait enim è semine nasci. At negamus nos. Si enim è semine nasci posset, è terra quoque de semine nasceretur. Plin. ait, non nisi auium ventriculis domitum semen, esse genitale. Atqui ex earum aluo plus in terram deiicitur, quàm in ramos: neque tamen proficit. Quasi verò in palumbis & turdi ventriculo nequeat granum concoqui: cùm tamen Labruscarum gigarta longè duriora & grandiora conficiantur. Hoc experti sumus nos. Primùm Labruscæ vuam dedimus Turdo: in deiectionibus nihil præter ipsa excrementa. Deinde etiam Visci baccas dedimus: idem. Nec faciat Æolus edictis suis, vt hyemales tempestates abstineant à iure suo deiiciendi ex ramis, compluris, agitatis, semen illud quod necesse habet seruari sub ipsum vsque Ver vt conformetur. Nam per hyemem qui possit? Interea sedeat in ramo summo, læui, tereti, securus de dilapsione déque gelu: tum sibi findat corticem valentissimum, quod vix acutissima subula facere queat. Arguatur & aliquis ita licet: si Viscum oritur tantùm ex stercore auis comedentis Viscum, quomodo igitur primum ortum Viscum, ex quo aues nondum comederant?

Plin. sententia reiicitur.

His & multis aliis similibus rationibus, quas hic breuitatis causa omittimus, confutatur opinio Veterum de generatione Visci. Plures rationes habet Scalig. ex ipso etiam Aristotele accersitas, quas inde petet, qui volet. Huius etiam sententiæ inter Veteres sine dubio fuit Virgil. cùm ait:

Quod non sua seminat arbor.

Monachorū opinio ridicula.

Ridicula est sententia Monachorum existimantium Viscum nasci ex stercore auium, non quatenus fit Viscum, sed quatenus fit auium stercus.

Porrò

An in omni arbore nasci queat Viscum. Porrò Brassauolus viscum in omni arbore posse nasci Viscum, ac etiam in Visco se vidisse testatur. Cui sententiæ se opponunt Monachi, id negantes, quòd à se non in omnibus conspectum sit. Quorum sanè negatio non minùs reiicienda videtur, quàm affirmatio Brassauoli, qui eam intempestiuo fundamento firmauit: nempe quòd super omnem arborem stercus emittere queat Turdus aut alia aliqua auis. Sed hæc quæstio ex eorum numero est, quæ ab homine definiri nequeunt: adde quòd de potentia agat, non de actu. Temerario iudicio incedunt, quicunque negant possibilitatem cum aliqua ratione coniunctam.

Nimium fidi tribuunt qui omnibus arboribus Viscum innasci asseuerant, quia non omnes viderunt. Sed hoc parum refert. Dicamus potiùs *Quibus arboribus innascatur?* quibus arboribus innascitur, hoc est quibus arboribus innatum viderimus vel nos, vel alii. Vidimus in quercu, & habemus magnum & integrũ fruticem Quercus ligno adhærentem. Habemus & frusta pollicaris ferè crassitudinis, cortice nigro tecta, vetusta, pro Quercinis data. Latifolia Quercus per multas Pannoniæ syluas visci feracissima est, teste Clus. Nec alibi sibi veri *Quercin.* Visci querni conspectam copiam scribit Turner. quàm apud Huganem Morganum Londini: acceperat autem ex Angliæ Essexia, quæ huius præ reliqua Anglia feracissima. Apud nos rariùs inuenitur in *Pomi. Pyri. Spinæ albæ. Coryli. Sorbi torminalis. Tiliæ. Pruni. Pruni sylu. Salicis. Mespili. Sorbi alpinæ. Abietis. Amygdali. Ilicis. Aceris. Populi Lybicæ. Vitis. &c.* Quercu. At in Pomis & Pyris tam domesticis quàm syluestribus satis frequenter:& multis locis in Spino alba seu Oxyacantha Matthiol. Vidimus etiam natum in Corylo, sed rarò. Semel tantùm in Sorbo torminali. In Tilia aliquoties, & quilebet videre potest, satis frequens Basileę in viridario D. Petri supra Tilias nasci. In Pruno sylu. non rarò: in Salice altissima bis. In Mespilo semel. In Sorbo alpina semel. In Abiete ter. In Amygdalo & Acere semel. Obseruauimus etiam aliquando Monpelii in Ilice. In Populo Lybica semel. Cordus scribit reperiri, sed rarò in Vite: in qua & Brassauolus vidit. Quod Abiete innascitur, Hyphear est secundum quosdam. Hoc antea disputatum. Nascitur & in Betula, Populo nigra, Terebintho, Robore, Tilia syluestri, Cerro, Castanea, Cotonea, Olea. Thalius vidit in Iuglande. *Tempus.* Autumni initio cum suis acinis decerpitur, tota hyeme restant baccæ.

Visci noxa. In quacunque verò nascatur arbore, noxam ei affert, vt etiam intermere possit, teste Theophrast. Hederà inquit Plin. necari arbores certum est. Simile quiddam & in Visco, tametsi tardiorem eius noxam arbitrantur. Suprà verò dictum Oleas Palestinæ ob Viscum cum illis innascens sterilescere. Nos à nostrati Olea scimus, etiam vitem exhauriri, inquit Scal. *Plin. corrig.* Alex. Cornelius, tradente Plin. arborem Aconiã, [id est, æternam: vulg.ex. Eonem habent] appellauit, ex qua facta esset Argo, similem Robori Viscum ferenti, quæ nec aqua nec igni posset corrumpi, sicuti nec Viscum, [ferentem: quæ nec aqua posset corrumpi, sicuti nec Viscum, nec igni Dal.] nulli alii cognitum, quod equidem sciam.

Visci parandi modo. Porrò glutinis, quod Viscum nuncupatur, parandi ratio multiplex. *1.* Dioscor. ex baccis Visci *2.* quercini contusis ac lotis, tandémque in aqua *Delectus.* decoctis fieri tradit. Eséque qui acinos commanducantes ipsum conficiant. Optimum dicit recens, colore intus porraceo, extrà verò subflauo, quodque nihil habeat asperi aut furfuracei. Optimum etiam traditur quercinum: inualidum verò quod ex Mali & Pyri Visco paratur. In Hetruria, teste Matthiol. non modò in Quercu laudatissimum prouenit, sed etiam in Cerro, Ilice, & Castanea, præsertim in maritimis Senensibus, vbi vastissimæ assurgunt syluæ, quæ non paruo pretio iis locantur, qui Viscum efficiunt. Scandunt autem illi arbores immensas, non sine magno vitæ suæ periculo, sæpiúsque funibus adalligati, id *3. Vt hodie fit.* muneris in aëre pendentes obeunt. Grana quę legerunt, in aqua decoquunt, donec disrumpãtur, posteà cõtundunt, & tamdiu lauãt in aqua quousque furfuracea excremẽta eximãt. Paratur optimũ ex Castaneę visco. Nam quod ex Pyri, ac Pomi Visco paratur, inutile est. Quod in Pinu & Abiete nascitur, ad aucupia prorsùs inutile est: decoctum enim, & deinde elotum omnem amittit lentorem. Non dubitauerimus ex Tiliæ Visco optimum parari posse, cùm arboris eius succus sua natura lentus & glutinosus videatur. Viscum autore Plinio, conficit ex acinis qui colliguntur *quando legenda bacca. 4.* messium tempore immutati: nam si accessere imbres amplitudine quidem augentur, Visco verò marcescunt. Siccantur deinde, & aridi tunduntur, ac conditi in aqua putrescunt duodenis ferè diebus. Vnúmque hoc rerum putrescendo gratiam inuenit. Inde in profluente rursus malleo tusi, amissis corticibus interiore carne lentescunt. Hoc est illud Viscum pennis auium tactu ligandis, iuglandis oleo subactum, cùm libeat insidias moliri. Fit etiam à nonnullis artificio Vis- *Artificiale Viscum. Viscum Sebesten.* cum, ex variis rebus, vt ex Sebesten in Damasco, & ex radicibus Maluauisci, & ex fructu Aquifolii, & similibus ad capiendas aues, etiámque *Viscum Maluauisci.* aquaticas: quod tamen medicinæ minùs est idoneum, testibus Monachis. Viscum enim Damas- *Viscum Aquifolii.* cenum, [vt Herm. Aloisius] ad nos adferri solitum, non fit ex acinis Visci dicti, sed ex Myxis *Viscum Myxarum.* potius vel aliis rebus. Quod autem hoc verum sit, apparet ex eo, quoniam vulgare hoc Viscum non acrimoniam, nec amaritudinem vllam habere videtur, quas Gal. & Dioscor. suo inesse Visco scribunt, sed dulcedinem potiùs: ideóq; humores ex intimis corporis partibus attrahendi & digerendi vires non habebit. Apud recentiores hæc nomina leguntur: *Viscum Quercinum, Viscum aquæ aptum, Viscum Romanum, & Viscum absolutè.* *Viscum Romanum.* Viscum Romanum non est Mastiche, vt quidam putant, nec in vllo probato autore legitur, tantò peiùs faciunt, qui ita legunt apud Mes. in compositione Catapotiorum de Colocynthide: nam in alio & antiquissimo cod. legitur Absinthium Romanum, sicque legendum esse & Monachi & Brassauolus meritò censent. Viscum aquæ aptum, *Viscum aquæ aptum.* arte paratum est: aucupes eo vtuntur. Melle aliqui parant: alii oleo nucum, alii oliuarum: ita nuncupatur, quoniam etsi pluerit, nihilominus aues eo irretiuntur, & quòd eius vsus etiam sub aqua esse possit ad capiendos pisces. Fit hoc Viscum ex Sebesten in Syria, deinde Alexandriam, inde Venetias transuehitur, sed rarò bonum inuenitur. De quo suo loco. Fit tamen & Viscum commune pro aqua & aquatilibus auibus. Vis- *Viscum soli aptum.* cum verò soli aptum, quod & alii Damascenum dicunt, fit ex Visco, de quo hoc loco tradimus, *Viscum simpliciter.* quod & simpliciter Viscum dicitur. Veteres autẽ Querno & Colurno.

Visco eximias vires, maiorémque quàm reliquis efficaciam adscripsere, inquit Turner. Nos non *Vires. Vsus.* videmus quas vires veteres Colurno tribuerint, quamuis eum non repudiemus, sed laudemus. *Tumores & abscessus.* Dioscor. Vim habet discutiendi, molliendi, attrahendi, concoquendi, panos seu tubercula (φύγεθλα) parotidas & abscessus, resinæ, paríque ceræ admi-

Epinyctides. *Vlcera.* *Lienis tumor.* *Vngues.*

xtum: epinyctidas quoque iu splenio sanat. Vetera autem vlcera, malignósq; abscessus cum thure mollit: lienémque absumit cum calce aut Gagate Asióve lapide coctum & impositum. Vngues quoque extrahit cum Arsenico aut Sandaracha illitum. Cæterùm cum calce vinique fæce mixtum, suam vim intendit. Viscum inquit Plin. è Robore præcipuum diximus haberi, & quo conficeretur modo. Quidam contusum in aqua, decoquunt, donec innatet. Quidam commanducantes acinos, expuunt cortices. Optimum est, quod sine cortice est, quódque leuissimum (læuissimū) extrà fuluum, intùs porraceum, quo nihil est glutinosius. Emollit, discutit tumores, siccat strumas. Cum resina & cera panos mitigat omnis generis. Quidam & Galbanum adiiciunt, pari pondere singulorum: eóque modo & ad vulnera vtuntur. Vnguium scabritias expolit, si septenis diebus soluantur, nitróque colluantur. Quidam id religione efficacius fieri putant, prima Luna collectum è Robore sine ferro. Si terram non attigit Comitialibus mederi. Conceptum fœminarum adiuuare, si omninò secum habeant. Vlcera commanducato impositóque efficacissimè sanari. Hyphear ad saginanda pecora vtilius censet Plin. At Theophrast. & Viscum, & Hyphear, & Stelidem multùm nutrire tradit. Nam & boues & iumenta hoc pabulo post messem ali, atque pinguescere. Vitia modò purgat primò, addit Plin. dein pinguefacit, quæ suffecere [superfuere Dal.] purgationi. Quibus sit aliqua tabes intus, negant durare. Ea medendi ratio æstatis quadragenis diebus. Galen. Viscum ex plurima aërea & aquea calida, paucissima terrena substantia constat: nam acrimonia in eo amaritudinem excellit. Itaque etiam effectus substantiæ respondent. Siquidem valenter ex alto humores extrahit, nec eos tantùm tenues, sed & crassiores, eósque diffundit ac digerit. Est autem ex eorum genere, quæ non protinus post primam appositione n excalefaciunt sed quæ tempus requirunt, velut Thapsia. Apud Plin. quoque legitur florem Visci ad Lichenas cum calce subactum conferre.

Dolorem. *Vulnera.* *Vnguium scabritia.* *Epilepsia.* *Ad conceptum.* *Vlcera.* *Iumentorū cibus.* *Temperamentum.* *Lichenas.*

Porrò non apud Priscos tantùm, sed etiamnum hodie, apud Christianos superstitiones locum habent circa Viscum. Inuenias enim qui credant, Viscum Quercinum amuletum aduersus veneficia & ludibria Satanæ efficax esse, ideóque è collo puerorum & infantuum suspendunt, quo à veneficiis tuti esse queant. Quidam Empirici existimant Viscum quod Quercui, Corylo aut Pyro adnascitur, si terram non tetigerit, in puluerem redactum ac è vino potum comitialibus mederi. Itaque ex eo orbiculos conficiunt, quos ad eundem morbum facere credunt. Alii argento includunt, & inter alia è collo puerorum & infantium suspendunt. Omnia Visci genera dum viridia adhuc & recentia sunt, tusa, succo extracto auribúsque indito, discutiunt collectiones earum, & emolliunt eas intra paucos dies, dolorémque finiunt: ex Trago.

Superstitiones circa Viscum. *Orbiculi ad Epilepsi.*

Visci, tradente Matth. Hetruscis maxima vtilitas est: nam præter eius vsum in aucupiis, quibus mirum in modum delectantur, ob ingentem turdorum copiam, qui autumni tempore in syluis quibusdam ex Iuniperis arte constructis, eo capiuntur: id etiam inprimis vtile est Vitibus muniendis, ne prima germinatione ab Erucis, quibus omnia scatent, gemmæ deuorentur. Siquidem agricolæ Visco vites omnes circundant, quo postea erodentes vermiculi, qui tàm præstantissimo latici insidiantur, è terra sursum petentes meritò implicantur. Quod cùm perspexisset natura omnium rerum parens, Visci multùm Hetruriæ largita est, ne hanc ob pestem vino destitueretur. Sunt qui Querni Visci lignum in tenuissimum puluerem redigant, & comitialibus hauriendum præbeant, quo tantùm medicamento multos fuisse sanatos pro certo affirmant. Sed noui ego, inquit Matth. complures, morbi & medicamenti prorsus ignaros, qui ligni loco Viscum ipsum in catapotiis deuorandum dederunt.

Turdorum aucupium. *Contra Vermium Erucas.* *Quorundā stoliditas.*

Adnotandum tamen, Ligni Visci vsum in medendo præclarum à doctissimis quibúsque haberi, & à plerisque Medicis præscribi contra Epilepsiam & Apoplexiam, & Paralysim, multúmq; in his casibus præstare tùm intus epotum, tùm verò in collo appensum. Viscum Pyri sylu. contractione morborum laborantibus maximo auxilio esse sibi compertum ait Matth. Contunditur id vnà cum foliis & ramis, & cum pinguedine capi recenti. Rami, nouitii præsertim, commendantur in fluxu muliebri, & Nephritide. Quidam Viscum Quercinum, quod terram non tetigerit [hoc nobis superstitiosum videtur] in aqua Rutæ decoquunt, & 40. dierum spatio potandam præbent, prorsúsque eo modo, quo vulgò Diæta dicta instituitur, sudare iubent, efficaci & probato, vt aiunt, remedio aduersus Epilepsiam, cui experimento etiam non parum tribuere videtur Camer. argumento, quòd in magna æstimatione fuerit apud Veteres, vt etiam omnia sanantem vocitarint. Gentilis & Iac. de partibus lignum S. Crucis vocant: de quo & suprà quædam dicta. Scimus quosdam non inutiliter eo in vino macerato vsos contra vertiginem. Quidam nostro suasu contusum in aquis conuenientibus macerant, vt de eo pocillent pueri contra vermes egregio effectu. Cento Medicus VVitemb. ad Epilepsiam commendat.

Epilepsia. Apoplexia. Paralysis. *Fluxus muliebr. Nephritis.* *Experimē ad Epilep.* *Lignum S. Crucis.* *Vertigo. Lumbrici.*

Viscus Querci, inquit Alb. Magn. cum quadam alia herba, quæ dicitur Marlegon, id est, Sylutum, vt scribitur lingua Theuthonica, omnes seras aperit: & si prædictum compositum in ore alicuius ponatur, & cogitetur de aliquo, si debet accidere, corde infigitur, si autem non, corde resilit. Sed si prædictum ad arborem suspendatur cum ala hirundinis, ibi congregabuntur aues bene per quinque milliaria, & hoc vltimum tempore meo est expertum. Hæc ille, quæ homini Christiano tanquam superstitiosa, aut saltem fabulosa non tentanda.

Sera se aperienda. *Aues se cōgregentur.*

Viscum Coryli mense Iunio collectum ante exortum Solis: concisum minutim exsicca, quod in puluerem redigi possit. Cuius pulueris accipe quanta est auellanæ magnitudo, superfunde aquæ florum aut herbæ Verbasci, cochleare vnum aut alterum, tertiúmve, vel q. suff. pulueri humectando, vt eo vti possis. Hoc omni septimana ter repetes: noctu horæ quadrantem antequam cubitum eas. Nihil autem superbibendum aut comedendum. Quod si æger iam paroxysmo correptus sit, prodesset puluerem cum aqua exhibere, aut cùm paroxysmum imminere præsentiscit.

Viscum Coryli ad Epilepſ.

Nicol. Metri in lib. Medico. ab Hen. Martio edito, mirabiliter commendat Viscum Auellanarum siue Coryli. Platear. in Conuulsione Visci Querni penuria Viscum Coryli sumi suadet. Eo Visci ligno quod in Aronia nascitur, arquatos prospectiùs curatos sibi compertum tradit Curtius. Paratur & emplastrum efficax ad suppurationes, & extrahendum pus, quod Scribonius Largus describit, Emplastrum de Visco vocant. E quo petet,

Viscum Aronia ad Icterum. *Emplastrū de Visco.*

tet, qui volet. Cæterùm baccas cuiuscunque sint generis Visci non intra corpus sumendas putat Camer. esse enim nocuas: quod facilè concesserimus ob insignem suum lentorem. Item tradit Visci Quercini vsum esse in quibusdam locis ad pleuritidem, epota drach. j. puluerisati ex aqua hordei vel alia conuenienti, non sine solatio ægri.

Bacca nocua. *Pleuritis.*

VISCVM INDICVM.

CAP. II.

Descriptio

EX Indicis plagis, accepimus hanc, nusquam nisi in ramis & truncis arborum enasci solitam, ritu Visci, quod quia multùm adumbrat, Indicum Viscum vocauimus. Sessili, sed transuersim excurrente est radicis cæspite, gramineis geniculis & Polypodii quadantenus, sed albicantibus: Culmis item ex pallido virentibus à medio summotenus crassioribus, fungosis, striatis, sesquipedem longis: in quibus folia semper virentia Visci effigie, sed duplo maiora, fungosiora, & secundum neruum, medium folium intercurrentem, circulis vtrinque senis, non parum admirationis mouentibus, veluti scalpro impressa. Lob. & Pena Adu.

Radix. *Culmi.*

VISCVM INDICVM ALIVD.

Descript. *Folia.*

EIdem cœlo & natalibus ramorum arborum Indicarum debemus hanc, vnde auulserunt qui Morgano miserunt, cæspite latiore, sessilis caudicibus incumbit, fibrillis cepaceis radicata, vnde proximè surgunt folia inuicem conuoluta, tunicea, inferiùs ferme palmum lata, numerosa, quadantenus Aloes aut Scyllæ & supernè in ligulas prætenues, mucronatas desinentia: purpureum, striatum, concauum alis donatum, Scapum, Hastulæ Regiæ aut Aloes, duorum & trium cubitorum, ambientia, quæ multis glumosis siliquulis spicantur, Auenæ situ: magnitudine verò & sericeo tomento candido, Apocinum & Asclepiadem repræsentant, & semine, sed Conizæ exili, gustu salso, ingrato, nitroso fortè quia in aura maritima adoleuit, vt Aloës illic in sabuletis. Adu. Penæ & Lob.

Semen. *Sapor.*

ILEX ARBOREA.

CAP. III.

Descriptio *Folia.*

NIhil vulgatius, nihil notius oris nostris Quercu ex cuius familia cũ & Ilex sit, calidis regionibus, ceu Hispaniæ & Galliæ Narbonensi frequens, ad eam ex instituto accedimus. Arboreæ igitur Ilicis brachia ramulique incana lanugine obducti sunt, sicuti & prona parte folia, nam supinâ virent, nisi admodum tenella fuerint. Sunt ea verò, quàm Cocciferæ Ilici maiora, iam muricata, idque raris aut crebris, iam leuiter sinuata, aliàs ne crenæ quidem vllæ marginum æquabilitatem interrumpunt: tam variè ludit foliis. Longa fert & racemosa amenta, ceu nucamenta lutea. Glandem autem longam, læuem, turbinatam, mediocris magnitudinis, è calyce incano, & veluti imbricato emicantem. In huius & foliis & ramis excrementum obseruatur per uernum tempus, nigrum, rotundum, quale circa Monspelium obseruauimus.

Nucamenta. Glans. Excrementum.

Quandoquidem Clus. Ilicem à se in Hispania obseruatam describit, eius historiam subiicimus. Quæ mihi cognita, inquit, arbor est Mali aut Pyri magnitudine, multò frequentioribus breuioribusque ramis prædita quàm Suber, quos latè spargit: folia perpetua, supernè viridia, infernè candicantia, gustu adstringente, foliis Suberis minora: & magis orbiculata, in adultis arboribus plerumque sine aculeis, præter nouella, & nunc primùm enata, quæ aliquantulùm incisa, aculeata sunt: certè in tenellis arboribus antè quàm glandem ferre incipiant, omnia folia aculeata obseruabam. Multos in extremis ramulis fert oblongos iulos, qui in flauos & muscosos flosculos polline & tenui puluere perfusos explicantur. Glandes è floribus non oriuntur, (nam sunt inutiles) verùm in aliis quibusdam separatis pediculis: eæ autem quernis glandibus sunt similes, nunc maiores longioresque, modò minores & breuiores, quæ nonnunquam ante maturitatem nigrescunt, & gummi quoddam reddunt gustu calidum, saporis tamen non ingrati. Maturarum cortex siue putamen nigricat, nucleus candidus, firmus & dulcis est, præsertim maiorum: vtræque tamen à nonnullis maximè expetuntur, illisque non minùs auidè vescuntur ac nos castaneis ac auellanis. Hanc ob causam in foro Salmaticensi, aliisque Hispaniæ locis, venales mensibus Octob. & Nouemb. proponuntur: vt non immeritò dixerit Plin. per Hispanias glandem secundis mensis inferi.

Foliorum varietas. Flosculi Iulorum. Flores inutiles. Glandes. Gummi. Nucleus. Plinio glãdes edules in Hisp.

Hæc vidi minorem Londini anno M. D. LXXXI. in suburbano quodam horto, ad dextram Tame-

Ilex Londinensis præter

sis ripam, supra pontem, qui vtramque vrbem coniungit, multis & frequentibus ramis præditam ad nodum fragilibus, in quibus confuso ordine & sparsim nascuntur folia Hispanicæ foliis similia. Florebat sub finem Maii paullò seriùs quàm in Hispaniis, & glandes primùm emergentes habebat, quæ an maturitatem consequantur, me fugit: nam sequente Iulio Britanniâ excessi.

Ilex Londinensis altera. Altera porrò etiam vastæ magnitudinis in arcis regiæ ad VVestmonasterium horto alebatur, sed magnitudine cum superiore non conferenda, licet adeò crasso esset caudice, vt nemo amplecti posset. Hæc à superiore nonnihil differre visa est: nam minora & magis orbiculata habebat folia, buxeis interdum non ampliora, nullis aculeis horrentia, alioqui subtus incana & supernè virentia, vt prioris folia. Nullos in ista flores obseruaui, & an glandem ferret, nemo indicare potuit.

An Ilex mas Plin. An verò Ilex mas sit, quam, Plin. teste, glandem ferre negant, nihil statuere possum.

Ilex Matt. Quam Matthiol. exhibet, mihi [inquit idem Clus.] videre non contigit. Ad id fortè genus referenda est, quod Plin. in Italia nasci tradit, folio non multùm Oleæ dissimili: nam oblongum

An Ilex sterilis folio Oleæ Plin. & angustum est: & Matthiol. Hetruriam ea scatere asserit. De Ilice Matthiol. mox copiosiùs. Viscum aut Hyphear in nulla Ilice obseruasse memini, sed aliquando granum ex puniceo nigricans in iis arboribus quæ frequentes nascebantur syluulis ponè cœnobium Grammót vulgò dictum, in

Granum. Monspeliano agro. & interdum, in Bœtica praesertim, tenuem & capillaceum muscum, cinereis coloris è ramis dependentem, qualis

Muscus. in ima tabellæ parte adpictus est. Ramus verò cum flore non habet, ex priore Londinensi expressus est. Nam quos ex Hispania Clusius attulerat ramos, florem omninò corruptum & attritum habebant. Ceterùm Narbonensis & Prouincialis Ilicis glans minor est, quàm Hispanicæ. Theophrastus in Ilicis historia satis apertè agit, vt ex diuersis eius locis colligimus hoc sensu. Ilex [πρῖνος] ex syluestribus perpetua folia habet,

Theoph. illustr. Quercus similia, [δρυώδη] verùm minora aculeataque, [ἐπακανθίζοντα, fortasse ἐπακανθίζον] cortice læuiori quàm Quercus [δρυός.] Ipsa verò arbos magna assurgit, sicut Quercus, si locum solúmque nacta fuerit commodum. Materies spissa,

Materies. Radix. robustaque. Radix alta ac profunda satis [ἐπιεικῶς] Gaza admodum, alii mediocriter, vt Histor. Lugd. Atqui idem sanè Theoph. lib. 2. cap. 7. hist. omnium syluestrium profundissimam habere scripsit Lacinaleptex. Fructus glandis speciei: [βαλανώδης] sed glans inst pusilla est. Annotinum nouus occupat: nam serò maturescit: eamque ob causam bifera à nonnullis existimata. Fert præterea glandem granum quoddam puniceum. Sed &

Viscum. Hyphear. Viscum atque Hyphear. Quapropter contingit eam simul quaternos habere fructus: duos proprios, totidémque alienos, Viscum nimirum & Hyphear. Ac Viscum quidem fert à Septentrione: Hyphear à meridie. Robustissima est arbor, & vel hyeme decorticationem diutiùs ferre potis,

Medulla. sicut & Quercus. Constat & Ilicem quoque medullam habere, quam carere putauerit, sicut & Buxum & Lotum. Etenim ex his valuarum sumptuosarum cardines facere solent artifices: nimirum præcipientibus Architectis vt eos ex medulla conficiant: quod item vel omnis medulla extrahi potest, etiam durissimarum materierum, quas nonnulli corda appellant, rationis loco sumi possit. Ilici similem arborem Smilacem vocant Arcades &c. de qua & Phellodry vide quæ postea tradentur. Idem Theoph. Loto tribuit folium πρινῶδες vbi Corn. & Rob. Const. volunt legendum πρινῶδες vel ...ώδης, licet Plin. legerit Ilicis, quam lectionem & Gaza secutus, de quo suo loco. *Theoph. correct.*

De Visco & Hypheare copiosè scripsimus in historia Visci post Quercum. Anguill. opinionem existimantis Hypheat esse liquorē rubrū substantia mellis refiā dicemus in historia Ilicis coccíferę.

Ilicis historiam sparsim tradidit Plinius, his ferè: Syluestrium generis folia non decidunt Ilici, Aquifolio, Suberi &c. Folia aculeata Aquifolio, & Ilicum generi: folia pediculo breui Ilici: nullo flore exhilaratur: Fert glandem, quæ propriè intelligitur, hispido calyce contentam: cæteris glandiferis folia, præter Ilicem, grauia, [grandia Dalec.] carnosa &c. Stillicidia Ilicis ponderosissima. Hæc annifera habetur, nouúsque fructus in hac cum annotino pendet. Reliqua suis quæque locis dicentur, in ordinem coacta, quo vtendum nobis, si Methodo non liceat, in tanta auctorum ac rerum varietate. Breui, lectoris compendio, ac facilitati studendum. Non tacendum *Plin. not.* tamen & hoc loco Plinium non sine errore quæ Theoph. de Visco & Hypheare dixit, Buxo tribuere. Apud Diosc. πρῖνος seu Ilex species est δρυός. Gal. verò hæsitare videtur, cum lib. 6. simpl. ait: Phagus & Ilex [πρῖνος] siue quis Quercus [δρυός] species ipsas nominare, siue toto genere differre velit, &c. Et de cibis boni, & mali succi: τὰς πρίνων ... [inquit ...] ... Hipp. quoque in lib. de Vlceribus radicum Ilicis meminit: & lib. 2. de Diæta inquit: ... Homerus quoque Ilicis *Acylos Hippoc. & Gal. & Homer.* glandem Acylon dixit, eóque nomine à glande distinxit. Porrò iam priùs dictum in generali glandiferarum historia, Ciuicam coronam primò fuisse Iligneam, postea magis placuisse Esculneam: variatúmque & cum Quercu esse. Luctuosa tamen etiam arbor fuit Ilex, quod multorum testimoniis comprobatur. Virgil. Sileno, Ecloga 6. *Ciuica corona Ilignea. Luctuosa arbor.*

Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas. *Ilex nigra.*

Horat. Carm. lib. 4. Ode 4.

Duris vt Ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido.

Seneca in Thieste.

Nulláque lætos solet
Præbere ramos arbor, aut ferro coli,
Sed Taxus, & Cupressus, & nigra Ilice
Obscura nutat silua.

Fortè & Luctuosa dici queat, quòd fulmine frequentiùs ici credatur: quod Persius Satyra secunda innuit hoc carmine. *Fulmine ictum.*

—At sese non clamet Iuppiter ipse
Ignorasse? vitrat, quia, cùm tonat, ocyùs Ilex
Sulphure discutitur sacro.

In eos enim hæc protulit, qui cùm turpiter viuerent, sib ipsis ignotum putant, cùm Iupiter in Ilicem, non in eos fulmen iaculatus fuerit. Dicta est & à poëtis atra ac tristis, eodem sensu. Nodosa arbor Lucano: *Ilex nodosa.*

— Nodosaque impellitur Ilex.

Ilex effea, du Choul, qui & Plinii illud affirmat, nempe nullo flore exhilarari Flos enim gaudium est arborum, imber esca. Idem eandem Roboris magnitudine & folio dicit, sed minore & aculeato. Martialis:

Puncta notis Ilex & acuta cuspide clausa, *Aculeata.*
Sæpe redemptoris prodere furta solet.

Idem du Choul postea *Pilatina* Ilicis glandis meminit. Sed an eandem cum nostra Ilice intelligat, alle-

asserere non audemus. Sanè icon quam pro Pilana Ilice proponit, accedit ad Phellodryn 2. latifoliam Dalech. Cauam dixit Virgilius:

Sæpe sinistra caua prædixit ab Ilice cornix.

Dicta & *frondosa, opaca, Littoralis, virens, viridis, curuata, vmbrosa, hirsuta, plena fauis, alta, patula* &c. Nec malè quoque quis *Spinosam* dicat, à foliorum aculeis. Apud Suidam in prouerbio, quod ἀχύλῳ τῷ χείλει, ὦ ξένε βόσκε iubet, non legendum ἀχίλῳ sed ἀκύλῳ, Acylo, vbi intelligendus ὁ βελανίτης ἢ χυλός Galeno dictus Ilicis fructus, quem Acylon eidem & Hip. & Homero dici paulò antè monuimus. Nempe ipsemet Suidas, salubrem & fortem rerum vsum, quem ibi insinuat, id admonere nos dicit vt optimè annotauit doctissimus Cornar.

Hermol. Ilicem arborem de amplissimis dicit, vt Robur, materie spissâ & robusta, sed quæ frangatur ac dissiliat sponte sua. Ob id Pericles Bœotios Ilicibus dixit esse similes, vt est apud Aristotelem, quum ipsi se conficerent intestinis discordiis. Ast fallitur vtique Hermolaus si Ilicem Aquifoliam putet à Gaza dictam, quamque Theophrast. Ariam siue Agriam siue Natticam syluestrem, vt ille ait, dicit, cui folia nunquam decidunt. Longè enim diuersa est Aquifolia seu Agrifolia. Ilex Matthiolo arbor est in Italia notissima, spectatæque proceritatis, cortice in rufum nigricante. Materies densa admodum ac robusta, in atrum rubescens. Folia Laurina, perpetuò virentia, sed externè candicantia & scabra: internè virescentia, læuiaque: toto ambitu serrata, ita vt spinarum speciem præ se ferant. Glandes quernis minores, quæ & in reliquis minùs præstant. Præter glandes pilulas quasdam rubentes gignit. Idē in Com. Cum magnis fig. Lat. & Ital. notat, non rectè sentire eos qui Plinii tantùm & Theophrast. testimonio freti Ilicem haud spinosam legitimam esse negant. Sed de differentiis mox. Amatus Ilicem dicit arborem similem arbori Grana, id est, Coccum ferenti, quæ procerè crescat: nonnullos tamen Ilicem maius Suber esse credidisse, sed falsò. Hanc verò admodum glandiferam esse.

Lob. & Pena proceram arborem & querna elegantia scribunt, oblongo Arbuti folio, tantillum denticulis per ambitum asperato, perpetuo, atrouirente, oblongiore, graciliore supernè: quercina glande propendente, nucamento muscoso, luteolo, non diuerso. Clusius Ilicem legitimam & maiorem dicit: itemque florem ferre Maio racemosum, tametsi Plin. florere neget: & hæc in Hist. Hisp. Sed hanc censuram omisit in postremis comment. ad id fortè respiciens quòd Iuli, vt postremò vocat, diuersi sint à floribus, vt in Quercu & Corylo. Nam certè Theophrast. ambas florescere dicit, tàm fructiferam quàm sterilem.

Πρῖνος Græcis, quia serra propter duritiem fuit secanda, vt volunt Aduers. ἁλιπρῖνος à corticis salsugine, Curtio: quàm rectè, ipse viderit. *Barbes* Serap. & Arabum: *Carmas* iisdem. Ital. *Lecino, Leccio: Elice*: & *Elce* Petrachæ. Hisp. *Azina* & *Azinheira* & *Coscoia*: Gall. *Ieuse* & *Euse* Bellon. *Chesne verd*. Germani quidam, quamuis apud eos non nascatur, StechEychen vocant. Fructum ἄκυλον vocat Theophrast. Hispani *Bellota* aut *Ablota*.

Circa Ilicis differentias etiam peritiores quidam hallucinati sunt, vel eas non agnoscentes, vel sanè inter se confundentes. Theophr. tamen apertè aliam κάρπιμον, aliam ἄκαρπον dixit: ambas tamen florescere: Et alibi: Phellodryn Ilicem fœminam quibusdam dictam. Ilicis, inquit Plin. duo genera. Ex iis in Italia folio non multùm ab Oleis (rectius fortassis Suberis aut σμίλακος erit reponendum. Dod.) distant, Smilaces à quibusdam Græcis dictæ, Masculas Ilices negant ferre. Ad quem Plinii locum annotat Dalech. Theophrast. lib. 3. cap. 16. hist. quo loco tractat de Ilice, Smilace, Phellodry, nusquam id scribere, vt suspicatus videatur nullam Ilicem infructiferam esse. Atqui æquè sterilem ac fœcundam modò diximus ex Theophrast. lib. 3. cap. 5. suspicamur tamen Theophrastum non cognouisse discrimen inter Ilicem arborem magnam, & eam quæ coccifera est: aut certè aliam cocciferam à nostra intellexisse. De Ilice fœmina Plinii vide postea in Phellodry.

Columella spinosam & non spinosam agnouit, vt clarè ex his eius verbis colligi potest: Autumno boues satientur fronde: vltimæ sunt Iliguea & Quernea, Ilignea tamen vel melior est Quernea, sed eius generis, quod spinas non habet: nam id quoque, vt Iuniperus respuitur à pecore propter aculeos. Idem & inter minorem & maiorem differentiam videtur fecisse, quando ait: minor Ilex apibus quæsita, nam prolixior ab omnibus improbatur: nisi fortè per minorem quod fortè alicui verisimile videbitur, iuniorem intelligat. Tamen obseruatum, vt paulò inferiùs dicetur, humiles & tenellas per margines spinis horrere, adultas aculeis carere. Quapropter studiosis indagãdum relinquimus, quid Colum. per minorem Ilicē, quid item per prolixiorem intelligat.

Curtius minùs rectè videtur Theophrast. intellexisse quando Ilicis duo genera facit: alterum Arcadibus, Theophrast. autore, Milacem vocari tradit. Duum est generum Ilex, inquit Matthiol. alterum folio spinoso: sine aculeis alterum: hoc vbique ferè scatet Hetruria: illo verò Hispania. Meminit vtriusque Colum. Non rectè sentiunt, qui Plinii tantùm & Theophrast. testimonio freti, Ilicem haud spinosam, legitimam esse negant. Et paulò pòst: Sunt qui censeant Ilicem non spinosam Smilacem esse: sed cùm Smilaci materies sit soluta mollisque in opere (vt Theophrast. scribit) cur eorum sententiam comprobem, non habeo. Interim & nos haud videmus cur Matth. spinosam Ilicem in postr. suis Com. releget in Hispaniam, cùm in prioribus scripserit Italiæ notissimam. Nec mutat tamen suam iconem foliis lõgiusculis & ordine serratis, cui sanè non respondent folia Ilicis ex Clus. exhibitæ pro Ilice folio maiore Hispanica. Ita hæremus dubii, an duæ species sint, vel fortè lusus foliorum, & icon Matthiol. vitiosa. Sunt enim nobis à Lobelio (si benè recordamur) dati rami Ilicis nomine, cui multùm Iliginis nostris Monspeliensibus affinia sunt folia: siquidem vt superiùs virent, inferiùs canescũt, ac per ambitum muricata sunt: hoc tamē nobis differre videntur, quòd tantillo longiora, magis etiã sint τεθρίδια. Ad Quercus propiùs, quàm Ilicis superiùs descriptæ folia, accedunt: videntur sanè Castaneæ foliis sua serratura quodammodo comparari posse.

Sed hæc diligentiùs Lectoribus peritis examinanda relinquimus: & an apud Theophrast. lib. 4. cap. 4. mutanda sit lectio, vt volunt Cornar. & Rob. Const. Profectò si icon Ilicis Matthioli vera, potest lectio antiqua & Plinii relinqui. Sed ita lasciuientem in figurarum fabrica & variatione passim deprehendimus, vt malimus fidem penès autorem, & varietatem posteris examinandam relinquere, quàm rem nondum planè apertam pro certo asserere. Certè Camer. in hist. Germ. Matthiol. & in icon. particularem habet figuram,

Digitized by Google

omissa Matthioli, sub hac titulo Steineychen 1. Ilex 1. quæ figura melius conuenit nostræ Ilici modo descriptæ, quàm Matthioli, quanquam nomen Germanicum, quod Quercum saxatilem seu petræam sonat, licentiosiùs ab eo effictum videatur. Idem Camer. in epit. scribit: Ilicem differre non solùm folio spinoso & non spinoso, sed etiam latitudine & angustia foliorum. Habet enim primo loco Ilicem simpliciter dictam: secundo Ilicem latifoliam, quæ, vt ille ait, Græcis πρῖνος πλατύφυλλος dicta: conuenit cum priore magnitudine, altitudine, materia ligni firma ac solida. Folio differt latiore, ambitu sinuato & aculeato. Glans interdum maior, interdum minor quàm sit Quercus, locorum ratione varians, spinoso innititur calyculo, per maturitatem alicubi nigricans, nucleum habens intus album, grati saporis. Flosculi pusilli, flauescentes, racemulum conficiunt oblongum, qui Maio mense inuenitur. Obseruantur nonnunquam in eadem Ilice diuersa folia, vt humilis ac tenellæ per margines spinosa horreant, adultæ verò aculeis careant. Illud verò notandum, in icone Camerarii non obseruari, quod ait, calyculum spinosum. Hæc autem nobis eadem cum Smilace Dalech. de qua pòst.

Ilex angustifolia.

Ilex latifolia Camerario.

C. Bauh. in suo mactato Matthiolo duas ponit icones ex Taberno. Prior est ad Matth. imitationem facta: secunda ad Clusianam, quam idem C. Bauh. Ilicem latifoliam spinosam vocat: nam & ille spinosam & non spinosam agnoscit. Synonyma hæc annotans: *Ilex Italica folio Oleæ* C. Bauh. *Ilex 1. folio Oleæ* Plin. *Ilex Lac. Cas. Lugd.* cui & Phellodrys folio serrato angust. folia. *Ilex angustifolia* Tabet. *Ilex 1. Matth.* & Smilax Arcadum Theophr. Clus. Hisp. Suberi ramulum huius adpinxit Lobelius. Item *Ilex Hispanica spinoso folio. Ilex maior* Clus. Hisp. & Pan. *Ilex maior glandifera.* Dod. *Ilex arbor Lob. Ilex latif. I. Camer. in Matth. Ilex.* Taber. Lugd. cui & Phellodrys nigra. *Ilicis 2. genus Cæsalp.* Hæc altitudine & ligni materia cum præcedenti conuenit, & foliis differt, quæ in hac latiora sunt, ambitu sinuato & aculeato: licet in eadem diuersa etiam obseruentur, vt paulò antè dictum.

Ilex latifolia spinosa.

Diuersorum nomina...

Sic & Hist. Lugd. Duûm, inquit Ilex est generum: alterum folio spinoso: sine aculeis alterum. Ilicis à Matthiol. pictæ folium oblongius & angustius, ad id fortasse genus referendum, quod Plin. in Italia nasci tradit, folio non multùm ab Oleâ distante. Quæ in Gallia Narbonensi & Prouincia notissima est, etiam mulierculis & pueris, folia habet Suberis primi foliis minora & magis orbiculata, in adultis arboribus plærumque sine aculeis, præter nouella & nunc primùm enata, quæ aliquantulùm incisa & aculeata sunt, teste etiam Clusio.

Nobis videtur ad Ilicem Monspeliacam referendum, quod Hist. Lugd. cap. 11. vocat, alterum Smilacis glandiferæ genus humile: eius verba paulò pòst sub Smilace ponemus. Eadem Hist. Lugd. cap. 7. Iconem habet, cui titulus, Phellodrys alba folio serrato: ea icon accedit ad Ilicis Matth. iconem. Icon verò Smilacis humilis angustifoliæ, folio non serrato respondet Monspeliacæ. Nondum videmus quantùm Phellodrys alba latifol. differat ab Ilice Monsp. Verùm de his paulò pòst. Considerandum interim studiosis relinquimus, an in Hist. Lugd. vnius plantæ rami non pingantur pro diuersis plantis. Mirè, vti iam dictum, ludit Ilex Monspeliaca. Perpendendum præterea quantùm ab hac à nobis proposita Ilice differat Suber angustifolium à Camer. exhibitum tabulæ parte superiori in Histor. German. Matthiol. & epitom. pag. centesima decima sexta.

Smilacis glandiferæ genus.

Lacuna annotat, reperiri Ilicis speciem valdè humilem in Castilia Carcasco dictam. Plinii Cusculium esse quoque Ilicis speciem, ex qua Coccus colligatur. Et Anguil. scribit Ilicem in Prouincia & Sclauonia coccum ferre. At nos suspicamur hunc non benè perspectum discrimen inter Ilicem hanc, de qua hoc capite agitur, & cocciferam, de qua postea: sicut etiam de Anguillaræ Agria siue Aquifolia glandifera post Phellodryn agemus.

Carcasco.

Anguill. not.

Dod. Ilicem maiorem vocans, iconem Clus. habet. Eam putat non esse πρῖνον Theoph. sed σμίλακα, ac etiam Plinii Ilicem & Smilacem lib. 16. cap. 6. vbi, vt dicebamus, pro Oleis, rectiùs putat legi posse, Suberis aut ἐλάτης. Nam Oleæ folio neque esse, neque a quoquam Veterum hanc Ilicis speciem siue Smilacis esse traditam. Suber autem folio referre, quòd Græcis φελλός: quæ si vera, vt probabilia sunt, valeat iam Matth. cum sua Ilice, Oleæ folio.

Smilax Theoph.

Plin. lectio corrig.

Cæsalpino Ilex minor est Subere, cortice nigro, aspero: folia eadem: nascitur in asperis collibus. Facit & alterum genus fruticosum, rotundiori folio, modicè sinuato. In Hispania quoddam genus oriri tradit, cuius glans dulcis comeditur, vt apud nos Castaneæ. Εὐσμίλας vocari patrio nomine. Smilax Theophr. eidem qui apud se [in Italiâ] Ilicem vocari ait. Per Aquifoliam quam Agrian vocat, eundem Theoph. Ilicem fruticosam intelligere suspicatur.

Glans edulis Smilacis.

Agria Theoph.

Penæ & Lobelio quoque Ilex variat, à superiùs descripta, stipite humiliore, albidiore foris, & Oleæ similiore, itémque glande altera tantò minore. Lob. speciatim in diuersis suis operibus pro Ilice arbore proponit iconem Clusii, ex qua etiam nostra desumpta. Verùm hoc notandum, Lobelium cum Pena in Aduers. pag. 432. ramulum pingere planè similem Ilici Matth. cui hunc titulum fecit: Phellodrys Arcadum: Ilex fœm. Theoph. Quasi è confusis [inquit] Ilicis & Quercus in hanc principiis, nomenclaturam Theophr. φελλόδρυν, siue Suberiquercum conflauit. Etenim de facie & foliis Ilicem quampiam dicas: ipsum autem lignum mollius & laxius Ilice, sed folii incisura serrata Castaneæ, non Quercus: reliqua effigies Ilicis, minor tamen Quercus: maior Ilignis, non glandes, sed ἄκυλα exiliora & oblongiora. Miramur verò cur locum vbi viderint hanc Phellodryn non declarent: gratum fecissent & nobis, & aliis diligentioribus Botanicis. Nos, vti iam monuimus, nullum genus Ilicis, foliis, adeò serratis, vt illorum & Matth. pictura demonstrant, vidimus, Botanici curiosi hæc diligentiùs perpendant.

Ilex Matth.

Phellodrys.

Suberi quercus.

Clus. vult aut saltem putat Ilicem Plinii non multùm folio ab Oleis distante, esse Smilacem Arcadum Theoph. l. 3. c. 16. Hist. descriptam, quam Ilici similem facit, folio non aculeato, sed molliore, profundioréque. De quo ampliùs cogitandum.

Smilax Arcadum.

Theoph. Ilicem inter eas recenset, quæ montibus propriæ sunt, quæque in planis non nascuntur. Nostra sanè in campestribus maritimis ac syluosis Narbonensibus ac Prouincialibus abundè prouenit, vt dicetur. Quare cautiùs Plinius: Subeunt & in montosa Vlmus, Ilex &c. Item montes amat Ilex: & mox: montes & valles diligit Ilex: quæ omnia vno eodémque cap. 18. lib. 16. Quin & Colum. in agris nasci Ilicem abundè declarasse videtur his verbis: Olea potest in agro frumentario seri, vel vbi Arbutus aut Ilex steterant.

Locus.

rant. Quicquid sit in re manifesta, non opus testimoniis.

Ilex Vaticana vetusta. Plin. vetustissimam quandam Ilicem vrbe in vaticano celebrat, in qua titulis æreis literis Hetruscis, religione arborem iam tum dignam fuisse significat. Tiburtes quoque originem multò ante vrbem Romam habent. Apud eos extant, eodem teste, Ilices tres, etiam Tiburno conditore eorum vetustiores, apud quas inauguratus traditur. Non nascitur circa Elim & Lacedæmonem propterea incolæ in carpentariis fabricis eius loco vtuntur Subere. In monte Cretæ olim dicto Ida, nunc Psiloriti copiosè proueniunt Ilices: sed altissimæ in monte Athos. Item in montibus circa Hierosolymam, & circa Amanum montem, teste Bellonio. Copiosè quoque nascitur per vniuersam Hispaniam locis præsertim campestribus & collibus, rarò in montibus: Lusitaniæ non admodum familiaris, vbi Suber frequentissimum, autore Clus. Est & in Italia nota, vt annotat Anguil. Nos rarè in montibus Euganeis, propè Patauium inter balneum Aponense & Arqua obseruauimus. Non tamen recordamur an ab hac differant. Patauii etiam vidimus in horto Treuisano. Romæ in aliquot magnatum hortis. Sed omnium copiosissimè & spontaneum circa Monspelium, tum alibi, tum in sylua Aigremont vulgò dicta, vbi nullæ ferè arbores sunt præter Ilices. In Galloprouincia quoque haud infrequens. Vt mirum sit, Ruell. Gallum natione, Glandiferam Ilicem Galliis rariorem quàm vt sæpè conspiciatur, tradere: nam, vti ostensum, in modò dictis Galliæ prouinciis frequens est Ilex glandifera, nisi ille vel aliam intelligat quàm nos, vel istas prouincias sub Galliæ voce non sit complexus, quod non putamus.

Satio. Ait tamen apud se satam in hortis glande creuisse, cingente robustam frondem spinarum vallo. Camer. spinosam in Hispania frequentissimam dicit: quę verò spinis caret in quàmplurimis Hetruriæ syluis haberi. Latifoliam verò in quibusdam nemoribus, collibus, campestribus aut conuallibus, nec infrequentem in Hispania, Narbonensi Gallia, ac Prouincia quoque reperiri, nec non in Italia. Ilicem Monspeliensem Dalech. Smilacem folio non serrato angustifoliam vocabat.

Smilax folio non serrato angustif. *Tempus.* Earum arborum, inquit Theophrast. quæ serius fructificant, quas nonnulli annuo spacio fructum perficere volunt, (ἐπιαυτοφορεῖν) vt Iuniperi, Ilicis, germinationes in Vere proueniunt. Omnium autem tardissimè (ὀψιαίτατα legit Gaza: quamuis vulg. exempl. Basil. & Aldin. πλεῖστα habeant, id est, plurimùm vel copiosissimè. Nobis prior lectio magis arridet.) Iuniperus, Celastrus & Ilex fructus suos perficiunt Ilicem namque fructum suum anno perficere [ἐπιαυτῶ τελεῖν] Arcades aiunt. Simul enim fructum antecedentem maturat, & nouum ostendit. Quapropter in his euenit, ut assiduè fructum habeant. Post occasum Vergiliarum fructum maturum reddit.

Theophr. emend.

Assiduè fructum habet.

DE PHELLODRY SIVE ARIA ET ILICE FOEMINA.

Institutum. Antequàm Ilicis vires tradamus, libet eius cõgeneres aut certè affines arbores Phellodryn seu Ariam & Smilacem, ex veterum & neotericorum placitis in historias referre. Subinde hodie eo nomine designatas arbores subiicere. Postquam igitur Theophrast. Smilacis historiam proposuisset, subdit: Quod verò Phellodryn Arcades nuncupant, natura est inter Ilicem & Quercum media, atque adeò Ilicem fœminam quidam esse putauerunt. Ideóque vbi Ilex non prouenit, hac ad plaustra, similiaque vtuntur opera, vt Lacedęmonii & Elii. Dores arborem Ariam (ἀρίαν habet Ald. & Basil. ἀγρίαν, ex quo Gaza agrestem vertit, non benè) vocant quæ mollior laxiórque Ilice, durior ac spissior quercu, colore ligni decorticati, candidior Ilice, fuscior [ὑποπόσινος] quercu, folio albis similis, verùm maiora quàm Ilex, minora quàm Quercus, & fructum pro magnitudine minorem quàm Ilex habet, maiorem quàm Quercus: quem vt & Ilicis quidam ἄκυλον vocant. Quercus autem ... Medullam quoque manifestiorem ... Ilex. Mox ait: Suber (ὁ φελλὸς) fructum semper fert glandosum (βαλανώδη) similem Ariæ (τῇ ἀγρίᾳ: sic vulg. Cod. habent: nos potius legendum censemus τῇ ἀρίᾳ, quæ lectio & Doctiss. Rob. Const. placuit: quamuis Gaza Aquifoliam verterit, qui alibi Agrestem reddiderat.) Porrò Phellodryn idem Theophrast. inter syluestres numerat, quæ folio perpetuo sunt. Et Ariam post autũnum & Arcturum cædi tradit, hancque cum quercu omnium difficillimam in opere. Ariam Macedoniæ incolas non florere, existimare: (nam A'ρίαν & hic legimus, pro A'γρίαν.) Tardissimè germinare: fructum reddere hiemis initio: Carbones optimos reddere ob materiæ spissitudinem & soliditatem: ideò & diuturniores efficaciorésque ex ea confici carbones ob eiusdem materiæ duritiem: hanc etiam antequàm terebrent, priùs madefacere artifices, quò scilicet molliorem reddant. Eiusdem Carbones potissimùm requiri ad decoctionem metallorum argẽteorum. His itaque citatis Theophrast. locis siue legatur ἀρία siue ἀγρία, censemus intelligendam Phellodryn. De Agria autem seu Aquifolia Plinii postea sub Agrifol. De Ilice verò dicta Agria Anguillaræ, quæ Glandifera, paullò pòst. Plinius contrà quàm Theophrast. Phellodryn videtur eandem existimasse cum Subere, quod & Phellos dicitur: vt & doctiss. Hermol. annotauit. Cui subscribit & Cortius. Et sanè Plin. omnia tribuere videtur Suberi, quæ Theophrast. Phellodry. φελλὸς enim Suberem denotat, & fructus φελλόδρυος dicitur. Quæ si etymi significatione interpretari velimus, Phellodryn arborem, vt dicebamus, inter Suberem & Quercum veluti mediam agnoscemus. Magna quippe harum arborum affinitas, maximè Ilicis foliorum cum Subere, & harum fructus cum quercu aut Robore.

Ilex fœmina. *Aria.* *Theophr. Correct.* *Perpetuifolia.* *Alius Theoph. locus emend.* *Theoph. explic.* *Agria siue Aquifolia.* *Agria Anguil.* *Etymon.*

ARIA SIVE ACILACA BELLONII.

De Aria à se in diuersis locis obseruata sic prodidit Bellonius sparsim. Aria in monte Athos retinet suum nomen: incolæ tamen Montis Idæ in Creta nominant Acilacam. In eodem mõte semper virent Aria, Phylica & Ilices (chesnes verds) altissimæ. Itinere Siderocapsa Bucephalam in rupibus inter cęteras arbores maximæ erant Aria & Phylica, quibus cùm destituantur Galli, ne nomen quidem habent Gallicum. Circa Hierosolymam quoque obseruantur Ariæ & Ilices: quemad. inter Hierosolymam & Damascum & modò dictæ, & paruæ arbores Coccum ferentes. Acylaca & Philica in Creta Arbores sunt insignis magnitudinis glandes ferentes. In monte Cretæ Psiloriti abundant Ilices & aliæ arbores Acilacæ

Semper virens. *Locus.* *Arbor maxima.*

Inter Halepum & Antiochiam & Ariæ & Esculi & Elæprini. Hæc Bellon.

Cæterùm quod dicit Ariam vocari in Creta Acilacam, confirmat nostram opinionem in locis antea ex Theophrast. citatis legendum esse, Aria, non Agria: & Ariam esse Phellodryn. Theophr. enim, vt dicebamus, ait Phellodryos fructum vocari ἄκυλον, quæ vox sanè quamproximè ad Acilacam Bellonii accedit. Posterorum est Ariam Theoph. cum Acilaca Bellonii diligenter conferre, & ista omnia diligentiùs explicare. Sufficiat nos tot rebus implicitos ansam cogitandi vlteriorem, & fortè etiam cognoscendi præbuisse. Non enim omnia possumus omnes, vt ait ille.

Theoph. lectio comprob.

AGRIA SIVE AQVIFOLIA GLANDIFERA ANGVILLARÆ.

Descriptio

OPportunè hîc de Anguillaræ Agria glandifera dicemus: quam Ilicis aliquod genus putamus, nec idem esse cum Aria Bellonii. Sic. n. suam Agriam describit Anguill. Agria, quam Plinius Aquifolium vocat, folia fert similia Ilici, nonnihil spinosa: glandem minimam. Lignum eius durum est. Prouenit in montibus saxosis Sclauoniæ & Patauinis. Hæc ille.

Folia. Glans.

Quale autem sit hoc eius Aquifolium ingenuè fatemur nos ignorare. Interim is quoque vt alibi monuimus, non benè Sorbum Alpinam vocaut ἀρίαν, plantam, hercle, admodum diuersam ab Aria Theoph. & ab Agria sua modò descripta.

Anguill. error.

PHELLODRYS MATTHIOLI.

Descript.

PHellodrys Matthiolo arbor est glandifera, quam [quòd folia ferat Suberis, corticem verò & ligni materiem Cerro non absimilem] Hetruria vulgò appellat *Cerro sugaro*, quasi *Cerrisuberem* dicas: id quod etiam fecisse videtur Antiquitas. Quandoquidem Theoph. lib. 3. c. 16. ea Phellodrys dicitur.

Cerrisuber.

Locus.

Copiosè hæc in agro Senensi, in omnibus, Archidossi, & Comitatus S. Floræ. Sed illuc vsque non peruenit Anguill. cùm de hac arbore nihil tradiderit inter glandiferas, quæ in Italia prouenniunt. Hæc ille in post. com. Lat. & Ital. cum magnis figuris. Idem in Icon. scribit Phellodryn Hetruscis Cerrosugaro dictam, caudicem habere Suberi non absimilem, & folia & glandes Quercui siue Cerro similia. Nasci in agro Senensi in montanis syluis. Ἡ ὁ πρῖνος Theophr. vt notat Camer. in Epit. Matth. vbi huius iconem retinet, sicut & Tabern. qui Phellodryn & Borcheych vocat.

Ilex fœmina Theoph.

Verumtamen quæ sit hæc Phellodrys Matth. qualisve planta, asserere non audemus. Hetruriæ Herbarii aut Medici diligenter inquirendo id docebunt. Interim obseruandum non sibi constare Matth. dum modò huius folia esse Suberis, modò Quercus siue Cerri similia, quæ sanè à se inuicem insigniter differunt. Quod si nesciuit ille, saltem in eo peccauit, quòd imaginariam collationem instituerit, in planta rara, & vt ille carpit, Anguillaræ non cognita. Quod si liceat suspicari ex icone, ea accedit ad Smilacem Dalech. paulò ante dictam, quam & du Choul videtur Phellodryn nuncupare. Hist. Lugd. Phellodryn Matthioli pictam sed non descriptam dicit. Vide plura infrà de Phellodry nigra. Paulò securiùs C. Bauh. in Hist. Lugd. animaduertisse videtur, cùm scribit: Phellodrys alba angustifolia, & Phellodrys Matth. Cùm vtraque figura vnam plantam exprimat, alterutra omitti poterat. Modestè in Hist. Lugd. scriptum, Phellodryn albam angustifoliam, videri esse Phellodryn Matth. Idem C. Bauh. apud Matth. Phellodryn hanc Ilicem fœminam Arcadum Theoph. putat, & Phellodryn Cast. Lugd. & Tabern.

Matth. cauatur.

An Smilax Dalech.

C. Bauh.

Ilex fœm. Arcadum.

Clus. solertissimus, si quis alius, huius æui Botanicus, Matthioli Cerrosugaro sibi nunquam conspectum fatetur. Certè nec nobis, etsi Italiæ diuitias Botanicas lustrauerimus. Sit fides penes authorem, donec aliquis certiora doceat. Dod. quidem fide implicità, vti videtur, meminit Phellodryos Theoph. & Cerrosugaro Matthioli, verùm nihil definit aut docet.

Clusii laus.

PHELLODRYS NIGRA ET ALIÆ DALECHAMP.



Descriptio. Etymon. Folia.

PHellodrys nigra vocitata, id nominis à ramis nigricante cortice vestitis & glabris adepta est. Folia ab Ilignis differunt, quòd rotundiora multò & latiora: à Smilacis foliis, quòd longè breuiora pro latitudine, minúsque candida inferiùs: à Suberis nobis traditi, quòd duriora, spinis mordacioribus, magis horrida. Ita describimus ex ramis generis Ilicis, quos habemus, quósque Dalechamp. Phell. dryn nigram latissimis foliis & valdè spinosis, calyce glandis læui vocitabat.

Dedit nobis diligentissimus stirpium vestigator D. Agerius folia duo Ilicis frutescentis ex monte Euganeo, vncias duas lata, tres longa, prædictorum ramorum foliis admodum similia.

Hist. Lugd. quæ Phellodryn hanc Dalech. proponit, ad eam sic annotat. Quum de Ilice & Smilace dixisset Theoph. subiungit. Quod verò Phellodryn Arcades nuncupant, natura est inter Ilicem & Quernam media. Hæc ille. Si tamen nomen ex Subere & Quercu factum spectes Phellodryn, id est, Suberiquercum, naturæ Suberis & Quercus participem potiùs dixeris. Sed Suberi Ilici adeò simile est, vt nihil intersit, an ex Ilicis, an ex Suberis & Quercus confusis principiis hanc dicas fuisse à Theophrast. nominatam. Quinque Phellodryos genera obseruauimus: duo candicantibus foliis, tria obscurè virentibus. Vna igitur [describente Dalech.] est foliis altera parte albicantibus, angustis, longiusculis, crebris admodum & non profundis incisuris crenatis, leniter asperis potiùs, quàm spinosis: cortice cinereo: Glande, cùm matura est, ex fusco flauescente. Hæc videtur esse Matth. Phellodrys picta, sed non descripta. Altera, folia altera parte candicantia, latiora sunt, raris laciniis, sinuosa, molliter aculeata: cortice, maturáque Glande, ex atro rufescente.

Nominis ratio.

Theoph. illust.

Quinque Phellodryos genera. Phellodrys 1.

Phellodrys 2.

fescente.

Phellodrys. 3. fescente. Alia Phellodrys est, cui folia sunt mediocris amplitudinis, nigricantia, siue obscuræ viriditatis; non adeò multis, neque profundis laciniis sinuata, mitiùs pungentia: Calyce Glandis læui: Glande ipsa ex fusco flauescentè: cortice cinereo. *Phellodrys. 4.* Alia est foliis latissimis, similiter nigricantibus, crassis, frequentibus incisuris, valdè spinosis, glandis calyce læui, cui maturæ, & cortici idem qui & superiori color est. Harum omnium Glans strigosa est, & tenuis: calyx non spinosus, sed vt in Quercu tuberculis verrucosus. *Aeglos Theophr. Acylaca.* Hanc & Ilicis Glandem olim ἀκυλον vocabat, autore Theophrast: cuius vocis uestigia hodie quoque Græci retinent, vniuersum hoc glandium genus Acylacas nominantes. *Phellodrys 5.* Postremum Phellodryos genus folia superiore minora habet, pallida, multùm laciniata, valdè muricata, aquifolii modo: Calycem glandis echinatum: Glandem cæteris similem, corticem cinereum. Hæc genera in collibus Rhodano vicinis, aut non procul ab eo dissitus proueniunt. Hæc Dal.

Locus Vt verum fateamur, icon Phellodryos albæ angustifoliæ folio serrato, quā ille habet, videtur nobis *Autorum censura de praedictis differentiis* accedere ad ramos quos habemus, qui ferè similes Ilici Matthiol. Smilacis humilis angustifol. e, folio non serrato icon, similis est ramis Ilicis nostræ Monsp. carentibus serraturis. Phellodrys alba latifolia fuerit fortè variatio Ilicis Monspel. Plurimùm certè ea Ilex ludit ramis etiā in eadem planta, vt suprà monuimus. Hæc candidè meminimus subinde memores illius summi Philosophi edicti: species non esse temerè multiplicandas. *Species non temerè multiplicanda.* Qui incolant regiones vbi Ilices proueniunt, ista diligenter inuestigent, & considerent, an Phellodrys nigra Dalech, sit Ilex nigra Virgilio, Horatio & *An Ilex nigra poetarum?* Senecæ, vel an Poeticè tantùm nigra sit dicta, vt Curtius videtur sentire: de qua re & suprà dictum.

Suberella glandifera An Cæsalp. lib. 2. cap. 2. de hac: Suberella glandifera, arbor in cæteris Suberi similis, cortice tenui, folio latiore, modicè sinuato: in maritimis tractibus oritur. Hæc videtur Phellodrys Theophrast. Suber à Plinio accipi videtur eadem cum Phellodry Theophrast. cùm Suberi ea tribuit, quę Phellodry Theophrast. Studiosi obseruent Casp. Bauh. cuius verba & Synonyma sub Ilice posuimus, Phellodryn magnam eandem facere cum Ilice maiore Clus. & Suberellam Cæsalp. eandem cum Subere latifol. Clus.

SMILAX GLANDIFERA VETERVM.

Descript. SMilacem Arcades, vt scribit Theophrast. vocant arborem Ilici similem, folio tamen non aculeato, sed mollitri profundiorique [βαθύτερα: sic & Gaza legit. Dal. vult legendum ἀπλοῦ, id est, rectiora: quoniam, inquit, neque sinuosa, neque in ambitu incisa,] differentias plures habens: nec materie, vt Ilex, solida spissáque, sed molli in opere. Perpetua folia habet.

Smilax Plin. Plin. postquam Ilicis duo genera dixisset, ex iis in Italia [inquit] folio non multùm ab Oleis distant Smilaces (quidam Milaces legunt) à quibusdam Græcis dictæ, in prouinciis Aquifoliæ. *Milax. Aquifolia.* sed hinc confusio nascitur, inquit Hermol. quòd Smilacē vocari legimus, quæ dicatur Ilex in Italia & in prouinciis Aquifolia: cùm Smilacem Sestius *Hermol. error. Smilax fine Taxus.* eandem esse cum Taxo prodiderit. Verùm Hermol. vt dicetur in Taxo, Smilacem Theophrast. cum Smilace Dioscor. confundit, non animaduertens apud Theophrast. aliud Milon aliud Smilacem esse.

Cornar. reprob. Cornar. in com. in Gal. lib. 6. capit. 3. de comp. med. s. l. vbi inter Columellæ remedia habet virgulta Ilicis & Smilacis, non bene interpretatur Taxum vt dicetur suo loco. Meritò igitur reprehenditur à Matthiol. qui tamen non demonstrat quodnam Ilicis genus sit Smilax Theoph. quam *Smilax Gal. non est Taxus.* Gal. præscripsit ad Columellæ affectus & non Taxum.

Æquiuoca Smilacis, glandiferæ arboris Veterum, Dalechampius, vt mox dicetur, duo facit genera. Ilicem arboream Dodonæus eandem existimat cum Smilace Theophrasti & Plinii, vt iam ostensum. Phellodrys, teste Hermolao, confunditur ab aliquibus cum Smilace. Taxus qui vocatur Smilax, tradetur Hist. n. lib. 9. De Smilace etiam aspera agemus lib. 15. Smilax hortensis, siue phasiolifera pertractabitur lib. 17. Smilax tandem læuis discutietur lib. 15. Hist. n. sub Conuolulo maiore albo.

SMILAX DALECH.



Descriptio INter glandiferarum arborum specimina vidia, ramos quasdam obtermatus villosos, cinereos siue candicantes, pullulos illos quidem, & quibus folia Ilicis *Folia* arboreæ foliis similia sunt, nisi quòd multò existunt maiora, tres vncias longa, duas ferè lata, subtus cana, suprà viridantia, *Varietas.* quæ magnā parte in ambitu æqualia sunt: in aliis verò paruas muricatas spinas est conspicere, sed eas minùs exertas: ac licet similia videantur Suberi à nobis descriptæ, tamen plantas ipsas conferenti diuersitas facilè apparebit: nucamenta habent Iligna. *Nucamenta. Glandes.* Glandes binę aut ternæ, ex pediculis crassis hirsutis, calyce squammato, incano, minori quàm Suberis dicti. Quantùm ab Ilice Monspeliaca differat, considerent, qui integras arbores viderunt. Certè simus Dalechampium hanc distinxisse ab ea, & Smilacis glandiferæ genus fecisse. Camer. in Epit. hanc vocauit. Ilicem latifoliam, Græcè πλατύφυλλον πρῖνον, cuius descriptio-*Ilex latifolia.* nem antè posuimus sub titulo Smilacis glandiferæ arboreæ Dalech. Smilacum duo obseruauit esse genera. *Dalechampii Smilaces duæ.* Vnum Smilacem Arcadum Theophr. dictum: arbor mediocriter procera [vt ille describit,] cortice cinereo, in summis ramis cano & la-*Smilax Arcadum. Cortex.* nuginoso: folio Lauri, nec serrato, nec, Iligni modo, in ambitu spinoso, superiore parte viridi, *Folia.* inferiore candicante, lanugineque obducto, quæ mollis tangentibus sentitur: flore Oleę Roborive simili, luteo, in longis paniculis denso, quo *Flos.* Ilex caret, glande admodum parua. Græci vocant *Milaci Arilaci.* Milaci & Arilaci vocibus corruptis. Materia non *Materia.* est vt Ilex solida densáque, sed molli, vt tradit

Theoph. qua ratione Matth. eorum improbat sententiam, qui Smilacem Arcadum, Ilicem non spinosam esse autumant.

Smilax humilis. Folia. Alterum Smilacis glandiferæ genus humile est, fruticosum, in arborem sese non attollens: folio Oleę, candido, neque infecto neque spinoso: fructu floréque superiori simili, à quo folio tantùm angustiore discrepat. *Theoph. explic.* Rectè ergo Theophr. scribit Smilacis glandiferæ folium non esse aculeatum, cùm Smilacis asperæ reptatricis folium pungat. Item rectiùs esse quàm Ilicis [ἰθόπτερον enim, non vt Gaza εὐθύπτερον legi vult Dalech. vt antè monuimus] quoniam neque sinuosum, neque in ambitu incisum: molle, quia vna parte lanuginosum: differentiisque pluribus varium.

Locus. Smilacis primum genus, eodem teste, frequens in agro Monspel. prouenit, vbi non rectè ab herbariis *Robur.* Robur appellatur. Alterum in collibus Rhodanum respicientibus, totoque eo tractu, qui à Vienna Allobrogum ad Arelatem vsque porrigitur. Hæc Dalech.

Smilax. An du Choul in hist. Quercus hanc intelligit? cùm ait: Smilacem Arcades vocant arborem Ilici similem, folio tamen non aculeato: iidem Arcades *Phellodrys.* Phellodryn nuncupant, quasi Suberiquercum dixeris. *Cerrosugaro.* Cerrosugaro Hetruria, si quibusdam creditur, nominat. In Prouinciis Yeose, si docti Medici velint consentire. Hæc ille: qui figuram à nostris ramis descriptis non differentem habet, titulo Glandis Smilacis Pilatinæ.

Hermol. annotat esse quosdam ex Recentioribus, qui Smilacem cum Phellodry eandem faciant, errorem autem hunc non esse ferendum, *Error Neotericorum.* quæ censura cadit, & quidem iustè in du Choul, qui non bene considerauit verba Theophrasti. De Cerrosugaro Hetruriæ sub titulo Phellodryos Matth. quæ fortè ab hac non differt, nec à Smilace Dalech. Id tamen meretur diligentiorem inquisitionem. Nec enim asserimus Dalech. Smilacem Veterum veram. Clusio Ilicis primum genus Plinii aliud nihil esse videtur, quàm Smilax Arcadum Theophrast. quam Ilici similem facit: quare considerandum quam arborem intelligat Clusius.

PHELLODRYS FOLIIS MVRICATIS, CALYCE GLANDIS ECHINATO, Dalech.

Titulo hoc proponit hanc Hist. Lugd. descriptionem antea posuimus sub Phellodry nigra Dalech. vbi pro quinta specie posita.

Est & nobis ramus similis huic iconi ex Hist. Lugd. desumptæ, sed sine glandibus. Vnde acceperimus, non occurrit. *Locus.* Misit & Doct. Caspar. Bauh. ramum hoc titulo: Ilex alia in syluula Perou, iuxta Monspelium, hæreo an eadem cum muricata Dalechamp. Magnam quoque similitudinem habet cum illis, ramus datus à D. Rentzio Medico, collectus in Patauinis montibus, vt ille narrabat: sed nec hic glandes habet.

Ilex media coccifera. De hac fortè scribunt Pena & Lob. in Aduers. Ilex media coccifera, Ilici planè suppar, folio Aquifolii: Cocco adeò similis est, vt non sit discernere illicò facilè: huius tamen glandosus echinatus fructus oblongior est, Dactylum æquans, nusquam coccum ferens, etiam vbi inter cocciferas Ilices frutescit, proceriore maioréque trunco, ramis & frondibus perennibus. *Arboris & fructus descriptio.*

PHILYCA SIVE ALATERNVS GLANDIFERA BELLON.

A Peritissimo Botanico Clusio dissentientes, qui Philycam & Alaternum Bellonii tradit & reponit inter bacciferas, vt monuimus lib. 5. sub Spina Burgi, nos eam huc referimus, quia ipsemet Bellon. Glandiferam ait: eamque separamus ab Alaterno Clusii baccifera. Nec tamen eam dicimus Philycam Theoph. & Alaternum Plinii, quorum verba & Macrobii loco citato à nobis proposita. Quæ verò Bellonius de sua Philyca & Alaterno scripsit, placet huc in vnum locum coacta referre. *Philyca. Alaternus. Clusio non.*

In vallibus montis Athos arbores Ariæ, Philycę siue Alaterni & Ilicum semper virent. Inter rupes maiores, in itinere Siderocapsa Bucephalam, arbores erant Aria & Philyca, quibus cùm destituamur, nomen Gallicum non habent. In Creta sua nomina retinuerunt Acylaca & Philyca insigni magnitudine arbores, glandem ferentes. *Glandifera.* In monte Athos nullus est incola, qui arborem dictam Plinio Alaternum non norit denominare vero suo & antiquo nomine, quo vsus est Theophr. nempe Philyca. Verùm in Corphu & Cretæ dicitur Elæprinos, quia ei folium inter Ilicem & Oleam, vt scripsit Plinius. *Philica Theoph. Elæprinos. Alaternus.* Inter Hierosolymam & Damascum reperimus arbores Elæprini siue Alaternæ. In monte Cretæ Psiloriti proueniunt Elæprini, id est, Philycæ, Lat. Alaterni. Inter Halepum & Antiochiam inuenimus arbores Ariæ, Ilicis, & Elæprini. Lat. dicti Alaterni, Itali qui habitant in Terni & Narni Aliaterno vocant.

Plinius, vt annotat Scal. in Theoph. omisit Philycam Olympo monti peculiarem: vbi commemoret, non memini. Nam qui putarunt esse Tiliam, falsi sunt. Neque enim Olympo peculiaris Tilia: & Philyram cum Philyca miscuere, quorum errorem sine iudicio Ruell. quoque est secutus. Nam eodem loco apud Theoph. & Philicam legimus & Philyram. *Tilia. Ruellius reprehenditur.*

Sunt qui Philycam Theophrast. eandem faciunt cum Philyrea de qua lib. 5. Gazam non bene conuertisse Philycam in Aquifolium, postea dicetur. *Philyrea. Gaza error.*

Ergo expositis Ilicis differentiis, & his confinibus Phellodryos & Smilacis speciebus, quarum omnium eadem cum Ilice natura videtur, eandem & vires subiiciamus. *Ilicis vires & vsus.*

Ilicem Diosc. Quercus speciem facit, similémque efficaciam tribuit. At radicis Ilicis cortex coctus cum aqua, donec flaccidus fiat, & per totam noctem impositus, capillos denigrat prius cimolia terra confricatos. *Capillos denigrat.* Folia tusa & trita tumoribus prosunt, & imbecillas membrorum partes corroborant.

Hippocr. lib. de vlceribus, radices Ilicis in vino dulci albo coquere iubet, & de vino duas partes sumere, & amurcæ olei siccissimæ vnam partem addere, atque ita agitando coquere, vt ne torrefiant, ad lentum ignem, donec ad bonam crassitudinem deueniant. *Tumores. Vlcera.* Idem Hipp. lib. de Diæta: ἄκυλοι, inquit, καὶ βάλανοι, καὶ ὠμαὶ καὶ ὀπταὶ καὶ ἑφθαὶ, ἱστᾶσι γαστέρα, &c. *Tempera.* Et Gal. de cibis boni & mali succi, de iisdem tradens Acylis: εἰσὶ δὲ inquit, στρυφναὶ καὶ σκληραὶ, καὶ διὰ τοῦτ' ἀηδεῖς, κἂν ἑψήσας τις προσφέρηται: δυσπέπτους καὶ παχυχύμους οὔσας, φυλάττεσθαι χρή. Austeræ, inquit, ac duræ sunt, ideóque insuaues & vitandæ vt concoctioni aduersantes, ac crassi succi etiamsi quis elixas sumat. & in 6. simpl. Ilicem ipsa etiam Quercu vehementiùs adstringere ait: eiúsque folia imposita non ingenerosè siccare,

sed

sed reliquarum Quercuum folia minùs, quantò minùs etiam adstringunt. Ægineta quoque similem quidem Ilici cum Quercu vim tribuit, sed multò fortiorem quàm ipsam dicit. Gal. sanè in 2. de alim. Ἄκυλον Quernâ glande ad omnia deteriorem esse ait, sicut hanc Castaneis, quæ omnium glandium optimæ sunt.

Rubentes pilulæ, quas præter glandes fert Ilex, tritæ cum aceto vulneribus recentibus & cruentis oculis vtiliter imponuntur inquit Matthiol.

Oedema. Folia eius refrigerant & reprimunt, vt reliquarum glandiferarum: quapropter & œdematosis tumoribus, & imbecillibus partibus roborandis vtiliter adhibentur. Radix Ilicis tusa, & *Dryini ictus.* ictui Dryini imposita, plurimùm prodest. Leo calcatis Ilicis foliis obstupescit, notante Curtio.

Ligni vsus. Ilicis honos ad axes & currus vnica tantùm rota ac simplici iugo tractiles (μονοτρόχους ἁμάξας) & iuga lyrarum psalteriorúmque autore Theophrast.

Lamina. Secatur & Ilex tradente Plinio, in laminas prætenues, colore quoque non ingrata: sed maximè *Axes rotarum.* fida iis, quæ terantur, vt rotarum axibus, ad quos duritia sua vtilis. Proditum terebris vaginas ex Ilice vtilissimas fieri: ex eadem malleos maiores quoque. Hyginus manubria rusticis Iligna commendat.

Liber qui dicitur Oribasii ex Heliodoro de *Machinamenta Chirurgica.* Machinamentis, organa ex Iligna materia tanquam robustiori conficienda docet.

In carpentariis pro Ilice vtuntur Subere, vt videre est apud Plin. cap. de Subere. Theophrast. & Terebrum ad igniaria ex Ilice facere iubet. Quibusdam Castellæ veteris locis Ilicis rami cæduntur *Carbones.* cubitali longitudine, in strues & aceruos congeruntur, & luto operiuntur, deinde subiecto igne in carbones vstulantur, qui Salmanticam & alia loca deportantur. Arborum trunci, ad molarum fabricas & alia opera seruantur, ob materiæ firmitudinem atque durabilitatem, teste Clusio. quantùm verò præstet Carbo Iligneus ad metalla & alios vsus, vbi denso & frugi carbone opus, in superioribus declaratum. Matth. sanè Iligneum Carbonem Hetruscis in pretio esse tradit, non modò, quòd ignem diu foueat, sed etiam, quòd [vt aiunt] vapore caput minimè tentet. Ilignæ glandis vsum in cibis antea diximus. Attamen *Cibus.* ea suem angustam, nitidam, strigosam & ponderosam facit, si credendum Plinio. Horat.

Vmber & Iligna nutritus glande rotundas
Curuet aper lances carnem vitantis inertem.

Boum pabulum. Columella bobus exhibet Ilignea frondes in pabulum, quas & Querneis præfert, modò non sit spinosa: hanc enim propter aculeos respuunt, vti dicebamus. Virg. Georg. 2.

Apum aluus. *------ Nec non apes examina condunt*
Corticibúsque cauis: vitiosæque Ilicis aluo.

SVBER LATIFOLIVM.

Descriptio Suberis latifolii ramos, quos habemus ad Matthiol. Suber proximè accedentes, ab Ilice Mon*Folia.* spessulana distinguūt folia rotundiora, minúsque polita, adhæc rarioribus nullis aut mitioribus spinis muricata, quæ tamen tomentum prona parte obtegit, vnciam aut sescunciam plus minùs longa, vnciam lata: Oriuntur hęc è ramis Ilice tenuio-

tribus. Glandes *Glandes.* breui sed crassiusculo pediculo appenduntur, simul plures, Calyce hispidiore. Pharmacopœus Patauinus ad Aquilam dedit nobis Cerri nomine, Ilicis speciem, prædictis ramis valdè similem ni folia essent maiora multò, quatuor ferè vncias longa, & duabus lata, calyces eadem hispidi. Fortè varietas est à loco aut ætate. Verùm præstat hîc historiam Clusii subiungere, cuius iconem etiam proponimus, ab inepto sculptore minùs feliciter paratam.

Suber Aquitanicum folio deciduo. Suberis duo genera Matthiolo obseruanti, ego, inquit Clus. vnicum tantùm, nisi fortè quod in extrema Aquitania Pyrenæis proxima nascitur, ab eo quod per Hispanias frequens est, diuersum sit. Nam Aquitanicum (quod quidem conspexi) folia non retinet, sed hyeme abiicit vt mense Aprili obseruaui, quo foliis prorsus viduatæ erant quatuor Suberis arbores circa Bayonam. Quare *Theophr. illustr.* Theophrast. non immeritò tribuit Suberi deciduum folium, cùm dicat arborem esse Pyrrenæ *Suber Hispanicum perpetuo fol.* familiarem. Quod verò in Hispaniis nascitur, perpetuò viret vt Ilex, cui adeò simile est, vt primo aspectu plerumque fallat, nisi cortex crassus, & dirumpi solitus, errorem detegeret. Maius est Ilice plerumque, & caudice, vbi adoleuit, longè crassiore, cortice item denso, carnoso, scabro, *Cortex* & rimoso, qui nisi suo tempore detrahatur, dehiscit, aliòque subnascente expellitur: eo detracto, qui subest nouellus ita rubet, vt procul aspicientibus arbores, rubrica aut minio pictæ videantur. Suberis rami Ilignis firmiores sunt, folia maiora, longiora, molliora, & supernè magis virentia, interdum nonnihil dentata, aliquando minimè, vt in Ilice. Glans magna, vbi ma*Glādis exactior descriptio.* turuit nigricans, Iligna longior, & obtusiore cuspide, calyce etiam maiore, magis hispido, & per oras molliter echinato. Glans admodum adstringentis & exsiccantis gustus, Iligna multò in*Sapor.* gratior. Magna ex parte coniunctim nascitur, vt Pontica nux, sed crasso breuique petiolo & firmiore quàm Iligna. Ramulis nonnunquam ad*Lignosa tubercula.* nascuntur dura & lignosa quædam cinerei coloris tubercula, adeò firmiter inhærentia, vt nisi fracto ramo eximi non possint. Matthioli Suber alterū oblongis angustisque foliis, quod Pisano agro nasci tradit sibi nunquam visum fatetur idem Clusius.

Descriptio Quinquerani. Quinqueranus libello quem de laudibus Prouinciæ inscripsit, triplicem Suberi corticem tribuit. Sed præstat ipsum audire: nam quædam in *Cortices terni, eorumque vsus. 1.* eius historia tradit ab aliis minimè obseruata. Suberis, inquit, arbor vberimè in Olbiensi ora prouenit, Ilicis specie, glande maiore & deteriore, trunco ingenti. Hunc vestiunt cortices terni: primus præcrassus, qui in cadorum & omnium penè vasorum obturamenta adsciscitur, piscatorúmque retia, contrà premente plumbo eleuat: ex

2 eo fiunt etiam aluearia. Secundus crepidas munit, & hybernum calceatum. Ex tertio subtili
3 atque admodum delicato, fiunt pateræ, è quibus quidquid hecticis propinatur; magna vtilitate hauritur. Eò melior hæc arbor, quò vetustior. Detrahēdis corticib⁹ hæc est ratio. Qua stipes telluri cōmittitur, circūscinditur ad lignosam usq; materiē, pariterq; in summis humeris, antequā in brachia diuidat sese: mox à summo ad imum finditur, detrahiturque triplex cortex. Non explanantur aqua, sed igni, nec demuntur nisi tertio moxanno. Quod si paucis diebus à tonsura largi imbres interuenerint, arbor interit, quod rarò accidit, nimirum regione calida & sicca, & temporum obseruatione rarò fallente. Hæc ille.

Pateræ ad Hecticam.
Vt Cortices detrahantur.

Verùm, addit Clus. in Hispaniis primum illum præcrassum corticem duntaxat detrahere solent: quo non modò ad cadorum obturamenta, aluearia; & nonnulla etiam vasa rustici vtuntur, sed etiam ad tuguriorum, parietum & murorum prætexta, præsertim in ea Bœticę parte, quam Estremaduram vocant: vbi interdum totis pagis ædes magnis Suberis fragmentis imbricum loco tectas conspicere licet. Idem cortex exteriore illa scabritie derasa muniendis crepidis & hyberno calceatui idoneus. Itaque videtur Quinqueran⁹ præter veterum autorum sententiam ex præcrasso illo externóque cortice binos fecisse: nam scabritia illa exterior ad nullam rem vtilis.

Crassioris corticis, vsus.
Duos esse tantum cortices.

Est porrò nobis ex Suberis cortice illo extimo, quo calceamenta suffulciuntur, scutella profunda, spithamæq; diametro, quasi tornatili opere facta. Theophrasto lib. 3. cap. 4. inter ἀείφυλλα & perpetuò virentia syluestria recensentur, φελλὸς, δρῦς κάλαστρ☉, ἀγρίας, & πρῖν☉. Quo loco tamen, pro φελλὸς, suspicamur legendum, φιλύκη vno vocabulo: eam enim lib. 1. cap. 15. etiam recensuit inter perpetuifolia. Contrà lib. 3. capit. 16. dicit φελλὸν οὐκ ἀείφυλλον, ἀλλὰ φυλλοβόλον. Item inter ἀείβλαστα & quæ tardissimo omnium sunt germine numerat lib. 3. cap. 6. vbi φελλ☉ vocatur. Gaza & Const. in Lex. Suber conuertunt. Palma, eodem tradente, leuis est & tractu facilis ac mollis, sicut Suber (φελλὸς) sed melior Subere, quia obsequiosa. Suber enim fragile. Quapropter simulachra ex Palmis faciebant olim, spreta Suberis materie, vt incommoda. Est verò Suber eidem Theophrast. arbor mediocriter procera, [εὐμεγέθες ἱκανῶς: Gaza & eum secuti plerique vertunt, admodum procera.] caudicosa, parúmque ramigera, & augescens: [ἀναξὴς habent vulg. Hist. Lugd. legit ἀναυξὴς, quæ lectio & nobis probatur] materie robusta, cortice præcrasso, qui disrumpi, vt in Picea, soleat, verùm fragmentis prægrandioribus: folio Fraxini [ὅμοιον τοῖς μελίαις: quidam volunt legendum πρίνου, Oleæ: Quercus legamus τοῖς φελλαῖς?] crasso, oblongo, non perpetuo, sed deciduo: [Plin. contrà: quem & Hermol. secutus: vulgata habent, οὐ φυλλοβόλον, ἀλλὰ φυλλοβολεῖ. Quidam docti contrà: οὐ φυλλοβόλον ἀλλ' ἀείφυλλον legendum censent.] Fructum perpetuò fert glandiformem, similem Ariæ: [Nam ἀρίᾳ legendum pensemus, pro ἀγρίᾳ, vt in vulg. habetur: quamuis Gaza Aquifoliam verterit, Aria autem est Phellodrys.] Detrahunt corticem, vniuersúmque diuidendum censent: alioqui arborem deteriorem fieri. Rursum verò intra triennium repletur.

Scutella ex Subere.
Theophr. emend.
Descriptio Theophr.
Theoph. Gazæ corr. & illustr.

Suberi, inquit Plin. minima arbor, [non minima D.] glās pessima, rara: cortex tantùm [tantùm non D.] in fructu præcrassus ac renascens, atque etiam in denos pedes vndique explanatus. Vsus tùm ad alia infrà dicenda, tùm in hyberno fœminarum calceatu. Quamobrem non infacetè Græci corticis arborem appellant. Sunt & qui fœminam Ilicem vocent: [Hæc malè Plinius, De Phellodry id Theoph. non de Subere D.] atque vbi non nascitur Ilex, pro ea Subere vtantur, in carpentariis præcipuè fabricis, vt circa Elim & Lacedæmonem.

Plin. emend.
Corticis arbor.
Plin. lapsus.

Quod Plin. ait corticis arborem Græcis dici, hi φλοιόφλοιον dicunt, quasi arborem corticosam.

Ex eodem Plinio, Suber tardissimè germinat: est ex propriè glandem ferentibus: materie est molli: in aquis non fluitat, si dematur cortex: vetustatem cariémque tardissimè sentit: ei è syluestrium genere non decidunt folia: omnes arbores cortice in orbem detracto necantur, excepto Subere, quod sic etiam iuuatur, crassescens enim perstringit & strangulat.

Meminit & Colum. Suberis: nam, inquit, est præcipua cuneis fissa Olea, Quercus & Suber. Et Persius Satyr.

Vt ramale vetus vegrandi Subere coctum.

Quod verò Plin. ait, in aquis non fluitare, si dematur cortex, id vtique materiei densitatem & pondus arguit. Corticis verò leuitas lignum non solùm non mergi sinit aquis, sed aliis quoque rebus alligatus facit ne mergantur.

Qui arborem per Hispanias vidêrunt, hac sibi facie repræsentasse tradit Ruellius. humilem parúmque ramigeram esse, folio Ilicis aculeato, tristi glande, cortice præcrasso & multis inanitatibus fistuloso, quem ad vsus detrahunt. Sed forsitan Pyrenaicis insignior auctu, proceriórque fauente cœli statu consurgit.

Descriptio Ruell Suberis Hispan. Pyrenaici.

Matth. sic depingit. Suber arbor est Ilicis folio perpetuâ similiter comâ virens, quanquam id neget Theoph. sed crassissimo cortice vestitur, atque Ilici magnitudine cedit, vt ii quidem attestari possunt, qui Bracano Romam profecti sunt. Eo enim in itinere innumeræ Suberum plantæ visuntur. Is pingit Angustifolium. Postea in postr. comment. cum magnis icon. mutata sententia, duo Suberis facit genera: alterum folio prolixiore acuminatioréque: alterum breuiore, rotundioréque, & per ambitum serrato, acuminatisque quibusdam in locis incisuris. hoc in Romano, illud in Pisano agro prouenniens. Matth. vt ex prædictis patet, relegat Suber suum angustifolium ex Romano itinere Pisas. An vtrobique viderit, norunt incolæ. In epitome eius transpositæ sunt icones.

Suber perpetuifol. Matth.
Duo genera Matth.

Accepimus folia quædam Ilicis nomine à D. Rentzio Medico Vvittembergico, collecta propè S. Petrum in montibus Euganeis, quæ sanè similia sunt picturæ Suberis angustifoliæ Matthiol. Non tamen dixerimus temerè, eandem, nec etiam diuersam plantam ab Ilice, Lectoribus id totum committentes diligentiùs inquirendum.

Nonnulli Ilicem, Suber maius esse crediderunt, sed falsò, inquit Amatus, quum maius Suber magnæ proceritatis sit, & ex eo cortices virides & sicci ad varios vsus detrahantur, illa verò glandifera admodum sit: verùm errat & ipse dum medium corticem viridem appellat, quem tamen ipsemet colore rubrum fatetur.

Suber magna proceritatis.

Lacuna, cui propria icon, diuersa admodum ab icone Matth. angustifolii olim exhibiti, speciem Quercus [*Roble*] dicens, fructu & foliis simile facit Ilici, sed ipsam arborem minùs ramosam & proportione breuiorem crassiorémque.

Lob. tum in Aduers. tum in icon. propriam iconem

Suberifera latifolia. nam habet Suberiferæ latifoliæ, quam & Ilicem glande echinata vocat, & ad alterum latus ramulum angustifoliæ Suberiferæ, quæ omninò similis Matthioli Suberi angustifolio sine vllis tamen crenis & denticulis, quas tamen habere ait in descriptione: nec cupulo aculei pungentes appicti, licet in eadem id dicat. Sic enim designat vtramque: *Suberifera Ilex.* Suberiferam latifoliam, seu Suberiferam Ilicem, si corticem exemeris, omninò eandem cum arborea Ilice dixeris: ei tamen folia & glandes *Vt differat ab Ilice.* rotundiora, breuiora, item dentata: cortex geminus stipitem amicit: alter interior, qui perpetuò hæret: alter crassior duos pollices, rugosus, *Cortex geminus.* perquàm leuis, qui deglubitur, & quolibet gentium *Locus.* defertur. Multa Galloprouinciæ maritimis Tholonæ, Olbiæ & aliis abiectis, & in Thuscaniæ Lucæ *Suberifera angustifolia Ilex.* prætura. Sed ad Apennini radices, & Anconensis agri collibus multò frequentissima quæ angusti ore, longiore, minúsque crenato folio est, ad arboream Ilicem accedente: glandoso semine, cupulo foris pungenti, asperdine scabro.

Mirum verò quod Bellon. scribit, Adrachnes fructum pulchri esse coloris, vt ad vescendum *Suberis fructus qualis Bellonio.* incitet. Pendere ex pediculis incuruis, crassitudinis & coloris esse fructus Rubi Idæi, & molles vt fructus Arbuti & Suberis, (*Liege*) sapidisque fructus nascentis in Suberis arbore. Sanè hanc Bellonii comparationem non intelligimus. Quid enim molli & veluti minutis granulis compacto ac vinoso Rubi Idæi fructui, aut etiam Adrachnes, cuius fructum Arbuti similem faciunt, commune cum glande Suberis? Vt meritò Clus. quoque eam comparationem, quâ Bellon. dicit Suber fructum ferre edulem, Arbuto seu Memecylo similem minimè digerere potuerit. Certè nec Clusio, nec nobis, nec fortè vlli Herbariorum alium fructum in Subere videre contigit, præter glandem: nisi fortè Bellonius *Liege* vocabulo diuersam à Subere arborem intelligat, præter omnium Gallorum receptam opinionem.

Dod. pro Phello seu Subere ponit iconem ex Aduers. paulò priùs dictam.

Camer. in hist. Germ. & epit. Matthiol. posuit portionem figuræ quam habet Matth. additque ramum alium Ilicis foliis angustis, non asperatis: quem à Gesnero ex nostris Monspeliensibus siccis desumptum putamus, vt qui fortassis existimaret Suber illud Matthiol. non differre ab Ilice & quodque fortè minùs benè pictum putaret apud Matthiol. Titulus tabellæ est: Suber angustifo- *Suber angustifolium.* lium: φελλὸς στενόφυλλος: Iconem alteram Matthioli omisit, ac pro ea supposuit iconem Lacunæ nõ nihil mutatam: In hist. Germ. Matthiol. dicitur Suber 1. latifolium. Hist. Lugd. Suberis vtramque iconem Matthioli proponit.

Tabern. quoque geminas icones habet.

Suber duplex. Sic & Casp. Bauh. Suber duplex alterum rotundo folio: Suber Lac. Lonic. Cord. & Cæsalp. & Suberella. Suber latifol. Clus. Cast. Tab. Lob. Suber *Synonyma* folio breuiore & latiori Lugd. Phellos siue Suber Dod. Alterum Suber oblongo folio: Suber angu- *2.* stif. Cast. Tab. Suber Aquitanicum & Suber deciduo folio Theophrast. Clus. cuius ramum Suberi Latifoliæ suæ adpinxit Lob. vti dictum.

Nomina Linguarũ φελλὸς Græcis plærisque, non φελλόδρυς vt Had. Iun. in suo nomenclatore scribit: φλοιὸς etiam *Ipsos Sude.* Theophrast. à cortice, quia semper altipetus & immersabilis vndis manet, vt notant Adu. ἀναρύης *Anaryea.* Theocr. Schol. vt vult Had. Iun. *Suber* Lat. & Herbariis. Poetæ *cauum*, *multiforum* & *multicauum* dicunt, ob corticem: Item *siluestre* & *agreste*, quia spontaneum. Germ. Pantoffelnholtz & Gorlenholtz quasi *trepidarum lignum* dicas: arbor Krachbaum & Korgbaum iisdem, teste Cordo, à crepitu quem cortex eius sub pedibus edit, calceis insitus. Gal. arbor & cortex *Liege*: seu vt Ruell. *Liegium*, à leuitate, vt putat, quòd extet aquis, nec obruatur. It. *Subro, Sonero, Sugaro, Sughiero.* Hisp. arbor *Alcornoque*: cortex verò *corcha* de *Alcornoque*: Glans, *Bellota*. Belg. Corckboom, Slots- *Curtius reprob.* hout. Fructum Curtius φελλόδρυον dici notat: sed non alia quàm sua autoritate. Nam nec ita est, & vis vocis repugnat.

Adag. A Suberis corticis leuitate tractum Adagium: Subere leuior: de homine inconstante. Sed contrario sensu: Tanquam Suber: & apud Pindarum, ὡς φελλὸς de his qui dissimulare aut mergi aduersis fortunæ procellis nesciunt. Nam, vt dicebamus, Suberis cortex non solùm ipse non mergitur, sed & alius alligatus, ea sidere non sinit. Subereum dixit Colum. & Serenus.

Locus. Theophrast. Suberem peculiariter τυῤῥηνίᾳ nasci scribit, in qua voce doctiss. Victorius aliique *Theophr. cor.* quidam docti mendum subesse suspicantur, legique debere τυῤῥηνίᾳ. Copiosa namque hæc arbor est in maritima regione Hetruriæ, quam olim incoluêre Tyrrheni, vt syluæ etiam ingentes Suberis sint prope Populoniam, & oppidum quoque inde appellatum Sughereto. Corrupta enim Latina voce Suber, patrio sermone Sughiero vocatur. Quod folio est rotũdiore, in Romano, quod prolixiore in Pisano agro provenit, teste Dal. Spectatur & Suberes in ora maritima Liguriæ, vt Plinio fides non sit adhibenda, qui nec in Italia tota nasci, nec in Gallia omninò tradit. Nam hodiè satis abundè in vtraque prouincia nascitur & iam Plin. seculo extitisse dubium non est. Immò Hetruriæ tractui Thyrreno hodie penè propriam non malè quis dixerit, ad Theophrast. imitationem, si Italiam quis tantùm respiciat. Nusquam enim quàm illic copiosiùs, licet & alibi nascatur. Quid si Plinium candidè interpretati dixerimus, Nec in Italia tota nasci, hoc æst, non in omni, non vbique. Sed obest nostro candori posterior clausula. Nascitur, inquit Clus. plerisque Castellæ nouæ, Bæticæq; locis, præsertim circa el Puerto de Mirabel, vbi ingentes eius sunt syluæ, & totâ adeò Lusitaniâ. Pyrenæis montibus admodum familiaris. Cortex non modò per Vniuersam Germaniam sed totam adeò Europam uectus, vbique ferè gẽtium venalis prostat.

Vires & Vsus. Suberis cortex tritus, ex aqua calida pòtus san- *Sang. fluxus* guinem fluentem ex vtralibet parte sistit. Eiusdem cinis ex vino calido, sanguinem exscreanti- *Sang. sputum.* bus magnoperè laudatur, autore Plin. quod & Serenus testatur hoc carmine.

Sed quacunque fluit, vis immoderata cruoris,
Subereus cortex, calidis potatur in vndis,
Antè minutatim studio vincente terendus.

Dysenteria Phellos seu Suber, & maximè id quod est è vinariis vasis, vstum, siccantissimum cinerem efficit, qui in Dysẽteriacas maximè compositiones miscetur. *Menses superflui.* In nimiis purgationibus vteri, sanguine erumpente, præbibatur Suberis fictili vase vsti cinis. Mirificè etiam auxiliatur pudendis appositus. Ex Paulo. Estque hæc arbor cortice quàm reliquo habitu nobilior, quem geminum obtinuisse diximus: quandoquidem prouida natura haud ignara sępissimè cortice spoliatam iri hanc arborem, ad vsus humanos, caudicem gemino cortice muniuit. Vsus externi & crassioris, anchoralibus maximè nauium, piscantiúmque tragulis, & cadorum obturamentis: præterea in hyberno fœminarum calceatu, inquit Plin. atque vtinam

verè, nec in luxuriam magis & fastum, proceritate ementitâ, vt in Venetis mulierculis, [& vbi non?] alibique locorū tam in ijs quàm in viris videre est. Non enim valetudinis tantùm gratia, aut aduersus hyemis sæuitiam, calceis interfuitur, sed aliâs vnciali aut sextantali [quæ frigoris munimento sufficere posset] aliâs trientali, immò & dodrantali aut altiori eleuatione multis geminatis corticibus, vt grandiores videantur, & cæteris ceu deæ quædam supereminant, id quod in principum maximè aulis nuspiam non cernitur. Quem abusum vel apud Priscos inualuisse, Clemens Alexandrinus 3. Pædagogi ex Alexi Comico testatur & uidet: [Greek illegible]. Ex Xenoph. lib. de tuenda re famil. de re Isomachi: [Greek illegible]. Tam libenter sumus grandes. Sed abundè dicta est ratio, quâ se virorum iuxtà fœminarúmque forma ac statura credit proceram fieri. Atque hoc norunt sutores ac veterinarii, qui subereum corticem in promiscuos vsus apposite crepidis innectere norunt. Sed nec piscatoribus ignotus hic cortex, qui verticulorum alis, ne sidant, aut in profundum trahantur, appendere solent. Cæteras vtilitates ad aluearia, ad tegendas domos & similes, suprà diximus. Amatus medium illum corticem, quem viridem vocat, colore tamen rubrum [de quo suprà] à Coriariis Hispaniæ pro præparandis bubulis coriis vsurpari scribit.

Vsus ad piscatorum verricula. Interioris corticis vsus ad depsanda coria.

ILEX COCCIGERA.

Descript.
Folia.
Iuli
Glans.
Excrementa tria.
Grana.
Sapor.
Vermiculi.
Excrementum nigrū.
Vermiculi alij.
Coccus infectorius.
Vermiculi Cocci.

Coccigera Ilex à nobis obseruata, multùm magnitudine cedit aliis Ilicibus, vt quæ non temerè stolones duobus cubitis altiores proferat, eósque non admodum crassos: folia, Aquifoliæ proxima, minora, muricata, vtrinque glabra, verùm non ita hilari virore nitida. Flores vel potiùs iulos copiosè fert, muscosos: glandem verò maximam, quod in pumila arbuscula mireris, etiam Iligna altera maiorem, calyce asperiore. At præter hæc omnia triplicia excrementa in ea obseruantur. 1 Vnum Maio & Aprili apparet, quod nihil est aliud quàm grana in foliis rubra, partim rotunda, partim oblonga, ex ipsa foliorum substantia nata, Pisis paruis æqualia, substantia intus alba, non ita absimilis substantiæ fructuum Oxyacanthæ Matth. gustu nonnihil acido, grato, in quibus tandem vermiculus nascitur. 2 Alterum excrementi genus, huic cum Ilice maiore commune, Maio mense apparens, ramis adhæresit, sed satis leuiter, copiosum, rotundum, nigrum, læui nitidáque superficie, satis durum, intus liquore albido plenum, cui vermiculi innatant, tandémque inarescit: circa quod feruent sæpè formicarum operæ. 3 Tertium denique, eodem cum iam dicto tempore conspicitur in foliis, reliquis notius & celebratius, Coccum puta infectorium? grana sunt rubra, saltem pulusculo albo, quo resperguntur, absterso, liquore sanguineo plena, cum concoloribus vermiculis. huic solæ pumilæ Ilici propria, quatenus nobis obseruare licuit in Gallia Narbonensi, nec ita vbertim.

Quoniam verò non omnia nobis in miranda hac arbuscula obseruare licuit, lubet hic Lobelii historiam quoque inserere, quòd in ea multa obseruentur notatu digna. Coccus, inquit, infectoria, seu Ilex coccifera, an Aquifolia Plin.? Infectorium granum cruore miniato & muricato pannos imbuens, nomen Arbusculæ fuit. Si, quam sæpè meritò & profusè laudat suam Italiam Senensis Commentator tam diligenter lustrasset, nequaquam dubitasset, an huius arbuscula, vt vocat, reperiatur in Italia, aut multò minus Bizantio Cocciferam Ilicem hanc accersiuisset. Siquidem frequentissima hæc humillima Ilex, cùm plerisque Italiæ locis, tùm præsertim in Hetrusco Romano & Senensi finitimo agro, locis montosis, glareosis, sterilibus, inter varias Ilices, Smilaces asperas, Terebinthos, Lentiscos, vbi etiam, tametsi paucæ & parum, nec quotannis, tamen nonnullæ Coccum ferunt. Sed quia minus Coccinum, & putreum, citóque euanescens, partim ignoratur, partim negligitur. At in Gallo-prouinciæ Arelatensi planitie patentissima, solibus æstiuis retorrida, squalida, glareosa, lapillis, silicibúsque constrata, & Frontignanæ, Narbonæque maritimis, hanc legunt mense Maio, annis adeò æstuosis, vt totum semestre nihil penitùs pluat. Plebecula tunc turmatim & vicatim confluit illuc Coccum lectum, quem Vermilionem voce vernacula vocitat, atque venundat in mercatu singulam libram 12. & interdum vicenis assibus Gallicis.

An Aquifolia Plin.
Matth. carpitur.
Locus. Italiæ frequentissima.
In Italia minus Coccinum.
Legendi tempus.
Vermilion.
Pretium.

Perelegans naturæ opus & visendum, non tamen fructus aut semen, sed excrementum nobile tantillæ Ilicis, quæ à cæteris Ilicibus exilitate tantùm differt, horridiore aspectu, & rigidis spinulis, densis, crispisque foliis ac sinuosis, minoribus, semper virentibus, sed Agrifolium præ se fert. Coccum autem ferunt copiosum, & amplexantur solummodo introrsum spinæ, atque surculi præduri copiosiorem, nitidum, Agrifolii aut Asparagi hortensis planè similem, concolorem. Fusciore tamen & obscuriore foris, intus verò sanguineo cruore lucido glescit, quem pressu excipiunt recentem ad medicatas cordique amicas, Alkermes præsertim, confectiones, Pharmacopœi Monspelienses, Aquisextienses, Massilienses, & Arelatenses, crudo, candido vel fuluo serico, illic etiam à Sericis vermibus neto & glomerato. Verùm Infectores, qui magnam vim Cocci emunt, non premunt, sed aceto aut albo vino irrorant, ne in vermiculos, aut vinifugas exiles muscas abeat cruor, penè vacuis relictis tunicis. Sicque in puluerem rubellum miniatum redactum seruant, vnde Scolecium antiquis dictum, seu vermiculosum istud esse, satis liquet: & compertissimum non esse fructum, sed excrementum Ilicis: cui in surculis sunt glandes longiores, nitidiores, nigriores Quernis, sed echinato acetabulo, non bullato ima parte, inclusæ. Flores verò Mattio illic promit muscosos, subluteos aut herbaceos Olæ Ilicis aut Quercus. Cuius etiam mediis foliis & trunco non rarò animaduertimus excrementa rotunda, rubella, & interdum flaua, maioráque istis, in variis locis Galliæ, Italiæ, Germaniæ propè Basileam in Heluetia plurima. Quæ non alia videtur ab ea, quam mulierculæ, Dioscor. dicente, legebant ore, & vocabant Coccum, fortassis quadam, vt verisimile sit, similitudine. Sed cùm nostrati Narbonensi & Hispano nullus hodie notior aut potior habeatur, viresque eidem omnes congruant, quas meminerunt Scriptores, frustra istum improbat, & alium expetit, qui neutrum probè nouit Senensis Commentator. Hæc Lob. in Aduers. qui in suis Obs. assumpsit iconem Clusii, qui Hispanicam descripsit, cuius descriptio nonnihil variat à nostra.

Vt differat à cæteris Ilicibus.
Cocci alia descriptio.
Duplex modus parandi & colligendi.
Scolecium.
Glandes eiusdem arboris descriptio.
Item flores.
Excrementa rotunda.
Matth. suggillat.

Ilex

Descriptio elegantissima.

Ilex Coccigera, inquit, nunquam altè assurgit, sed multis ab eadem radice prodeuntibus ramis fruticat, duorum aut trium [quando plurimum] digitorum crassitudine, sæpenumero vnius tantùm, aut etiam virgulis tenuioribus, ramosis: folia illi superiore Ilice minora, aliquantulùm sinuosa, magis virentia, nec auersa parte adeò incana, rigentibus aculeis armata, quæ vetustate interdum rubescunt. Pusillam & valdè amaram fert glandem, calyce spinoso & echinato.

Glans Hispanica.

Obseruabunt studiosi Clusium tribuere suæ Hispanicæ Ilici pusillam glandem: at nos in Gallia Narbon. maiorem quam Ilicis obseruauimus. Item quod ait, nec auersa parte adeò incana; quibus verbis satis clarè innuere videtur esse leuiter incana, quod tamen in Narbonensi non obseruauimus.

Cocci historia ex Quiquerano.

Coccum quomodo gignatur, & eius colligendi rationem Quiqueranus libello suo de laudibus Prouinciæ sic declarat. Ilicis duo genera: alterum arborescens: alterum frutex exiguus sesquipedali proceritate lætissimè viret, foliis Ilicem æmulantibus, spinarum vallo ambitis numeroso, atque assurgit in modum Rosarii: à nostris Fagi

Fagus.

appellationem sortitur, quamuis nullam Fagi imaginem repræsentet. Prouenit locis planis quidem, sed in altitudine, ac nudis, excelsis & sitientibus collibus, sed infecundis.

Quomodo ex eo nascatur.

Vere medio, toto tumore earum frutices Coccum hoc modo ordiuntur. Vbi imus stirpis se in duo brachia partitur, in horum medio primum omnium increscit rotundum quiddam, magnitudine & colore Pisi,

Mater.

hoc Matrem vocat, quòd ex eo cætera grana producuntur. Matres porrò habet vt plurimùm quinque quælibet cæspitum familia, quæ ineunte æstate, æstuque mirum nouissimorum vermiculorum cateruam profundunt, sic leuantque in summitate.

Vermiculorum historia.

In animalia prorepit noua soboles, colore candida, pro se quisque in sublime. At vbicunque vermiculi vel geminantis surculi axellis occurrerint, desident, & incrementis aucti, mili magnitudine fiunt. Inde liberiùs adolescentibus, albus color in cinereum transit, tanquam non animal, sed Pisum rursus apparent. Tuncque ea grana maturitatem adepta colliguntur, iam coloratis vermiculis fœta; dumque asportantur mercatoribus, ambiens pellicula præ teneritate rumpitur.

Pretium vermiculorum.

Vermiculorum quidem, qui citra vaginulam habentur pretium in libram quamlibet, aureus solatus, in granorum verò, quæ adhuc eorum partem retinent, huius quadrans.

Modus colligendi.

Torpent interim vermiculi, ac immobiles iacent: cæterùm cùm primùm tempestiuitas adest, in lintea præcipitati, soli exponuntur. Tum libato calore statim prorepunt, atque effugere nituntur: sed à custode, qui continuus assidet, concussu lintei in medium eò vsque reiiciuntur, donec emoriantur. Tanta quidem dum hæc fiunt, totóque mox triduo, odoris suauitate atque gratia, vt non Cibetæ, non

Odoris suauitas.

Moscho, non Ambræ, sed ne Citriorum quidem floribus facilè concesserit. Si quæ verò grana legentis effugerint sedulitatem, ea mox alatorum animalium numerosum exercitum in auras effundunt.

Pretium.

Obseruatum est vno anno ex campo lapideo, Arelatensi agro, prouentum vndecim aureorum milibus æstimatum. Hactenus Quiqueranus.

Cocci parandi ratio Hispanica.

Similem Cocci parandi rationem, inquit Clus. in Gallia Narbon. atque in Hispania obseruasse memini. Areas enim sub dio habebant ad eam rem destinatas, eminente aliquantulùm margine, quibus linteo panno instratis Coccum effundebant, custodibus summo feruore Solis perpetuò assidentibus, & extrema lintei bacillo concutientibus, vt vermiculos effugere properantes, in interiorem lintei partem repellerent:

De odore dubitatur.

istam tamen summam odoris suauitatem non sensi, licet satis acres & sagaces habeam nares. Verum Bellon. Cocci Cretici historiam tradens, aliam præparandi rationem tradit: cuius quoque verba referre lubet. Cocci baphici census ingens est in Creta: sed eius collectioni cùm potentiores operam impendere nolint, pastoribus & pueris istam prouinciam relinquunt. Inuenitur mense Iunio in exi-

Cocci legendi & parandi alia ratio.

guo quodam frutice, ex Ilicis genere glandem ferentis, sine pediculo inhærens istius fruticis stipiti, colore ex cinereo albicante. Sed quia istius fruticis folia spinis horrent, vti Aquifoliæ, pastores surculum sinistra gestant, qua ramulos deprimunt & inclinant, dextra autem putatoriam falcem qua illos demetunt, & rotundas vesiculas

Vermiculi.

exigui Pisi magnitudine auferunt, qua parte ligno adhærescunt apertas & hiantes, pusillis rubris animalculis lende minoribus plenas, quæ per hiatum illum effugiunt, & inanem vesiculam relinquunt. Puerilium collectum Coccum ad Quæstorem deferunt, qui ex dimenso ab illis redimit. Is animalcula à vesiculis cribro segregat, deinde summis digitis leniter ea prehendendo, in pilas efformat gallinacei oui magnitudine: nam si nimium comprimeret, tota in succum resoluerentur, & color periret.

Duo infectionis genera.

Itaque duo infectionis genera: vnum pulpæ, alterum vesicularum. Quoniam autem pulpa ad inficiendum commodior est, eius pretium quadruplo maius, quàm vesicularum.

Aliud genus Cocci Baphici.

Inuenitur etiam aliud genus Cocci Baphici supra Myrtos, quod indictum veteribus & recentioribus.

Ancipitatis Theophr.

Cæterùm Theophrast. videtur nobis obscurus in tradenda πρίνῳ siue Ilicis historia: ei tribuit granum quoddam puniceum: & paulò pòst describens Phellodryn siue Aciam, ostendit Ilicis glandem maiorem glande Quercus: quæ duo, vt alia multa, quadrare Ilici Cocciferæ possunt. Verùm quædam alia, vt arboris magnitudo, & glans pusilla non conueniunt cum nostra Ilice Coccifera: quæ occasio, vt hæreamus dubii an discrimen Theophrasto fuerit notum inter Ilicem arboream & Cocciferam: vel an quædam Ilex arborea etiam Coccum ferat, quæ diuersa sit à nostra Ilice coccifera. Theophrast. verba antea recensuimus sub Ilice arborea: vbi ait: ἡ δὲ πρῖνος ... κόκκον &c: Dioscor. κόκκος βαφική frutex est paruus, surculosus, [πρινώδης Dalech. putat legendum πρινώδης, Ilicis similis. Non malè. Non enim est è Cremiorum genere, vt Sarac. conuertit.] cui grana seu lentes adhærent, quæ exempta decerptáve reponuntur.

Hermol. Barbarus, inquit Marcellus, Græcos codices secutus, quos nos etiam vidimus, in quibus non leguntur πρινώδης, eam reliquit partem. Nos ex aliis Græcis & Plinii historia admoniti eã seruauimus vocem.

Dioscor. illustr.

Quod verò Dioscor. ait hærere Coccum ὡς φακοί, idem Marcell. non ad formam grani, sed hærendi modum referendum esse censet. Nos, hercle, ad neutrum ritè referri posse putamus. Lentes enim siliquis immersæ hærent. Ita solet Dioscor. vt interdum minùs exquisitas ac proprias comparationes adferat.

Cilicium Coccum.

Idem Dioscor. mox subdit Cilicium Coccum etiam in quercubus innasci, ἐν ταῖς δρυσί, quo in loco sanè nobis placeret doctiss. Anguil. suspicio, legendum esse ἐν ταῖς πρίνοις, nisi aliud obesset, quod pluribus dicetur in loco. Sed quid Plinius

Omnes, ainfit, Quercus dotes Ilex solo prouocat Cocco. Granum hoc, primóque ceu scapus fruticis [ceu scapo fruticis Dal. qui ait malè emendare Turn. ceu scabies. At sanè hæc correctio vt ingeniosa & rei accommodata nobis placet: est enim excrementum veluti scabies.] paruæ Aquifoliæ Ilicis: Cusculium vocant, pensionem alteram tribuit pauperibus Hispaniæ donat. Et alibi: Coccum Ilicis &c. Est autem genus ex eo in Attica ferè & Asia nascens, celerrimè in vermiculum se mutans, quod ideò Scolecion [σκωλήκιον] vocant, improbántque. Principalia eius genera diximus. Vide post de loco. Dalech. pro Cusculium quisquilium legendum putat: nam quisquiliæ Festo quicquid surculorum foliorúmque cadit ex minutis arboribus.

Plin. emend. Dal. not.

Aquifolia Ilex. Cusculiū.

Scolecion.

Cocci etiam meminit Pausanias in Phocaicis. Perpetui inter vites eius fruticis ordines, quem Iones & reliqui Græci Coccum: Galatæ qui super Phrygiam sunt, patria voce Hys nominant. Crescit eadem magnitudine qua Rhamnus, folio nigriore & molliore quàm Lentiscus, in reliquis Lentisco similis: eius fructus Solani fructui similis, Erui magnitudine. Gignitur in Cocci fructu pusillum animal: id si maturo fructu in aërem exilierit, statim volucre fit, culici simillimum. Verùm priusquàm concipiatur animalculum, Cocci fructum legunt. Est etiam animalculi sanguis tingendis lanis vtilis. Hæc ille. Veteres autem codices, inquit Clus. vt à nobiliss. Iac. Susio Græcè & Latinè peritissimo admonitus sum, non habent σχῖνος nec σχίνῳ, sed πρῖνος & πρίνῳ, hoc est, Ilex, seu Ilice, pro Lentiscus & Lentisco: quæ sanè lectio legitima est: nam quæ similitudo Cocci infectoriæ cum Lentisco? facilis autem est lapsus à πρῖνος in σχῖνος. Hermol. tamen dubius hæret de qua iam plantæ hoc loco loquatur Pausanias. Sic enim scribit: Coccus Baphica: Pausanias qui fruticem hunc in Locride copiosum ad Ambrysom Rhamni amplitudine, præterea Lentisco similem &c. describit, fructu Solani quidem specie, sed Erui magnitudine. Sit autem Granum tinctorium, aut Phœnicobalanos atque Palmula, quod Hip. Phœnicion Coccon quasi Granum puniceum vocauit, æstimaturis relinquo. Sed huic dubio iam citata emendatione satisfactum. Idem refert, Coccina quædam legi apud Græcos texta, quæ nostri ceu Coccina legentes in Strabone rubra conuerterunt. Cæterùm Coicina dicitur, Coice frutice.

Plin. lectio mutat. Coccus Pausaniæ. Hys.

Pausaniæ emend.

Granum tinctorium, Phœnicobalanus. Phœnicion coccū Hipp. Coccina texta.

Tàm Coccus quàm vermiculus Sanguisorbæ Punica lingua *Carmes* appellatur. Hieronymus in sacris literis vermiculum & vermiculatas vestes nominat, Granum [vt idem Hermol. opinatur] Aquifoliæ significans, quod authore Plin. quibusdam locis vermiculi similitudine conspicitur. Hinc deriuatum putat, vt Coccinea vestis Scolecidata, hoc est, vermiculata vulgò diceretur, siue quasi Quisquiliata, [Etenim granum Cocci etiam Quisquilium vocatur Plinio, vt paulò antè dictum] à quisquiliis. Nec dubium Hieronymum ad Coccum Scolecium respexisse, cùm κόκκινον reddidit vermiculum. Rob. Const. Scolecium Plinii est Coccum Ilicis. De Vermiculo purpureo Democritus quoque meminit tincturis vtili, sed è purpuris ac murice, vt idem Herm. coniicit. Nam & de Vermiculo Galatiæ, hoc est, Iligno, idem Democ. meminit.

Carmes. Vermiculus sacrarum lit.

Scolecidata Vestis.

Quisquiliū.

Coccum Scolecium.

Vermiculus Ilignus.

An hanc Ilicem intellexit Colum. pro minore? Is enim geminam dixit: minorem, apibus quæsitam, & prolixiorem omnibus improbatam maleficio.

Ilex duplex. An Ilex minor Colum.

Ilicis, inquit Ruell. in Gallia duo genera innotescunt: Cocciferum, in duplici discrimine, minus quod nunc Gallia vocat Scarlatum, in Narbonensi prouincia frequens, vbi rusticis *vermilionum* dicitur, frutice paruo, exilibus ramis, & aculeato folio: grano quo diuites lanæ pretioso illuminentur succo, aspectu coloris gratissimo, in rosis micante. Colos iam Barbaro notior, quàm Latino aut Græco nomine, quum Mauritanis Quermes nominetur: inde Quermesinus, nobis Carmesinus, qui quisquilio rutilet Colos, vocetur. Sed Scarlati nomen à Latino immutatis literis videtur oriundum. Quod verò secundum & maius Ilicis genus vocat Ruell. de eo agemus postea sub Aquifolio.

Scarlatum. Vermilion.

Quermes.

Scarlatum vnde.

Subtilitatem nobis nouam important Monachi. Fatentur quidem Chermes idem esse, vt & ab omnibus exponitur, cum Grano tinctorio, cuius duo principaliora genera faciunt: vnum Coccum, seu Coccum Baphicum, quòd Serap. Charmen dicitur: Alterum granum Chermes, vel simpliciter Chermes, &c. Iam, inquiunt, in Elect. de Gemmis, apud Mes. nonnulli ignorantes Chermes alterum, Coccum intelligunt, ob id, quia in exordio descriptionis eius Elect. legitur esse Grana tinctorum. Sed hi decipiuntur, quoniam Chermes est aliud à Cocco &c. His sese opponens Matthiol. Patres [Monachos intelligens] inquit, hallucinari ex eo equidem euidentissimum fieri arbitror, quòd hactenus neminem Arabicæ sectæ inuenerim, qui eorum adstipuletur sententiæ. Siquidem Serapio per Chermes nil aliud intelligit, quàm Coccum tinctorium à Græcis appellatum: cùm de Chermes agens ea sanè omnia in eius historia referat, quæ Diosc. suo Cocco tribuit. Scirem libentissimè quâ authoritate in hanc vanam deuenerint opinionem. Non negarim ob id, nostrum Chermesinum à Cocco minimè differre, sed negarim Mauritanorum Chermes nostri vsus Chermesinum esse, quòd nil aliud Chermes esse putem, quàm Coccum Diosc.

Chermes.

Charmen.

Monachorum opinio reiicitur.

Matthiolo subscribunt Lacuna, Amatus, Anguil. Lonic. Clus. Dod. Apollo. Hist. Lugd. & alii plærique. Ac peritissimi quique Coccum & Chermes pro rebus diuersis agnoscunt quidem, id tamen non concludere censent, Chermes non esse Coccum infectorium Serapionis & Arabum cæterorum. Brassauolus quoque in exam. Syrup. diuersa quidem esse fatetur, at Chermes ait sub Cocco comprehendi.

Interim Matth. haud exiguam suæ existimationi inussit notam cùm tantus Herbarius, vti vulgò iactatur, nescire se ait, an Cocci arbuscula in Italia proueniat. Fortè Plinius ipsum absterruit, vt ne vel suspicari quidem sit ausus. At si diligenter Italiæ diuitias Botanicas lustrasset, non Bizantio accersitam sua pictura, vt ipsemet fatetur expressisset. Sed maiori etiam oscitantia de ipso grano seu Cocco iudicat. Lubet eius verba referre. Coccum, inquit, tinctorium communis vsus constat rotunda inanique bacca, quæ nullam profectò Lentis faciem refert, vt Diosc. asserit. Vt hinc planè coniicere liceat, Coccum hoc diuersorum esse generum, nostrúmque facilè illud esse, quod Plin. in Attica & Africa prouenire tradit, Scolecium ideò vocatum, quoniam ex eius medulla tenues exoriantur vermiculi: argumento quòd hoc inane intus deprehendatur. Ita ille ad pauca respexit in re tanti momenti & tàm multiplicis vsus.

Matth. causa fug.

At Marcellus qui ante eum scripsit, & ipse Hetruscus, cum docuisset quomodo Diosc. intelligendus sit: saltem ansam suppeditasset meliora, certio-

certioraque perquirendi: nec tàm planè, vt is ait, coniiciendi, Cocci diuersa esse genera: in qua quidem re Aduersaria, quorum censuram & verba anteà produximus, haud immeritò titubantem hunc commentatorem rident.

Camer. not. Camer. in epit. Matthiol. nouam iconem proponit, nomine Cocci infectorii: & tamen aliam alio titulo, nẽpe Cocciferæ Ilicis appictis glandibus, excrementis atque Iulis, addita adscriptione & obseruationibus iisdem planè, quas (ego Bauh.) iam olim iuuenis cum plantis meis & obseruationibus D. Gesnero tanquam fido Præceptori candidus discipulus transmiseram, quem vt industrium & diligentem philosophum scio multùm adiutum, magnam lucem inde studiò Botanico attulisse, & attulisse maiorem, si vir ille, communi bono natus, diutiùs vixisset. Epistolæ eius ante paucos annos à Cl. D. Casp. Bauh. editæ, fidem abundè faciunt eorum quæ hîc testamur. Interim thesauro eius naturali aliò distracto, minùs candidè nobiscum actum fatemur, quando nostros labores & conceptus suppositițio partu parentem mutasse, nullo honoris vel nostri, vel Gesneri, nulla gratitudinis compensatione, non sine indignatione contemplamur. Non ita fecisset Gesnerus, vir modestia, gratitudine, & æquanimitate, præter singularem eruditionem, toti Mundo notissimus. Sic vos non nobis &c: Fruatur iis tantisper bonum publicum, dum interim maturiora meditamur.

Item. Extant & herbarum imagines, nullo autore nominato, vbi Cocci baphicę nomine fictitia icon habetur. Non enim ex pediculis pendet Coccum, vt ibi pingitur. Nec putamus Gesnerum in Catal. cum ait. Aquifolia vel Aquifolium, ἡ ἀγρία aut ἀρία, Coccum fert, istud Coccum de quo hic agimus, & quod tàm à Gręcis quàm Latinis, priscis ac neotoricis Herbariis κόκκος & Coccum κατ' ἐξοχὴν dicitur, intellexisse. Monendi tamen incauti, ne fortè decipiantur. Quia multùm differt bacca Aquifolii, à Cocco baphica nostra.

Tab. reprob. C. Bauh. Tabern. geminas quoque icones huius vnius plantæ habet: vnam titulo Ilicis cocciferę: aliam vitiosam, &, vti videtur, ad libitum factam, nomine Cocci tinctorię seu infectoriæ: quam sanè noluimus in renouato Matthiolo adiectam.

Hist. Lugd. reprob. Hist. Lugd. quoque frustra duas posuit icones. Scire debuit aut monere eius consarcinator, cùm calyx complectitur glandem, immaturam esse, & principium eius. Priorem tradit his Synonymis: *Ilex aquifolia* Plin. siue *Ilex parua aquifolia: Phellodrys Coccifera* quibusdam Theophrast. lib. 3. hist. cap. 16. communi nomine πρῖνος: κόκκος βαφικὴ Dioscor. *Chermes* Serap. Huic, inquit, Glans, rotunda, Calyce aculeis rigente, totamque ferè, vt Cerro, complectente. Nimirum immaturam glandem & imperfectam ac inchoatam tantùm, nesciuit à completa distinguere. Posteriorem simpliciter cocci infectorii arbusculam nominat. Vt sub quo cœlo versatus fuerit, ipsemet nescisse videatur.

Amati opinio reprob. Nec placet Amati iudicium inquientis. Grani tinctorii Plinio duas esse partes: exteriorem corticosam, quam *Casculhas* Lusitanos & Plinium *Quisquilium* vocare. Non enim Plinium intellexisse uidetur, qui non grani exteriorem partem corticosam Quisquilium dicit ac intelligit, sed totum granum ipsum indifferenter, quod etiam coccum Ilicis alibi vocat idem Plinius.

Ilex Aquifol. coccifera. Ilex Aquifolia coccifera du Choul in hist. Quercus.

Cornar. not. Cornar. post tot Authores qui ante eum scripserunt, incertum se fatetur de cocci tinctorii ortu: & qui integrum eius Emblema ad Diosc. legerit, comperiet eum non nouisse discrimen inter coccum Ilicis, & coccum radicum, quem ait vocari Zschirbitz in Podolia.

Lacuna scribit Diosc. confundere coccum [*la grana*] cum planta quę eam profert, nempe Ilicis specie parua. [*Enzinella*] Quasi verò hoc nouum sit, fructus nomen pro planta sumi, & vice versa. Maioris momenti, quod ait, corticem tantùm plantæ adhærere: nos etiam in foliis obseruauimus. Notatu dignum, si verum quod idem ait, vermiculos cocci ipsissimi puri sanguinis colore esse & in extremo gradu aromaticos: qui aliquantùm aucti prodeant ex semine in terram deciduo, & innumera multitudine vicinos arrepere parietes. Idem & odoratos dicit: quod incolis examinandum relinquimus, potissimùm an adeò sint aromatici hi vermiculi, vt hîc ait, quod à nemine alio hactenus proditum nouimus. Idem vult, coccum si simpliciter ponatur aut legatur apud authores, intelligendum esse istud, quod & nos statuimus. Vermiculi aromatici.

Singularis & planè ἀδόξος nobis videtur Anguill. quando de cocco & plantis cocciferis scribens ait: Italis *la Grana* dicta, vel coccos baphica nascitur in duabus plantis distinctis Ilice, & in planta propria. Coccus Ilicis adhuc hodie reperitur in Prouincia & Sclauonia, vbi *Cernach* vocatur, quòd tincturam significet. Prouenit etiam in Macedonia, vbi similiter *Chernach* vocitatur, sed cum aspiratione in prima syllaba. Hæc ipsa planta profert eum liquorem, quem Theophr. ὑφέαρ vocat, colore rubrum, substantia mellis: quo mulierculæ illius loci fuci vice vtuntur, nam rubello decore cutim commendat. Prouinciales *Chermes* nuncupant. Ast planta propria quæ coccum fert, prouenit in agro Valentino Hispaniæ: vbi radice propagatur, stolones emittens lignosos cubitales, foliis vestitos Agrifolii, sed paruis admodum, in ambitu spinosis: & intra foliorum pediculos grana progignit multò pulchriora melioraque Ilignis. Hæc eadem nascitur in Creta, vbi χαζοπρῖνος vocatur: ibique grana colliguntur circa Festum S. Crucis, quòd aliis temporibus colligi nequeant, sicuti grana Pimpinellę. Chermes & coccus Arabum & Græcorum eadem res est, vt patebit conferenti vtrorumque scripta. Hæc Anguill. Quem vt sagacissimum alioqui Botanicum miramur non aduertisse coccum in Prouincia in propria arbore Ilicis specie, vt à nobis descripta est, & ab Ilice, tamen diuersa, nasci, non minùs quàm in Hispania: quam &, eodem modo propagant. Mirari item subit, eundem inter glandiferas arbores non reposuisse. Sanę videtur ei Ilex coccifera non benè cognita fuisse, quicquid tandem dè ea tradat. Clusius profectò, qui diligenter Hispanicas plantas perquisiuit, vnicam tantùm obseruauit cocciferam Ilicem. In Ilice maiore seu arborea, de qua anteà egimus, in Hispania nullos coccos obseruauit, sed tantùm granum nigricans sicut & nos in Gallia Narbonensi. Planta igitur quam Anguill. propriè cocciferam appellitat ac describit eadem nobis est cum Ilice coccifera Prouinciæ & Hispaniæ. Cernach. Chernach. Hyphear Theoph. quid Anguill. Gaz.aprinos Creta. Anguil. opinio refut. Ilex. coccifera propria Anguill.

Anguil. affictum Hyphear explosum. Nec minor admiratio nos habet, vbi Anguill. apud Theoph. ὑφέαρ scripserit succum esse. Nec nos, nec vllus alius, quicquam tale apud Theoph. legimus, aut ab aliis proditum legimus. Aut si maximè etiam succum talem obseruauit, qualem de-

scribit, nihilominus reprehensione non carebit, quòd ei nomen ὑσγίνου, rem longè diuersam, vt sub Visco ostendimus, ausus sit astringere.

Dodon. iudicio vnius tantummodò πρίνου meminit Theoph. Duo tamen genera posteritati obseruata, nempe glandiferum tantùm, quod vocat, [nobis Ilex arborea] & alterum Coccum ferens, à Diosc. sententia aliena esse. Illum siquidem lib. 1. inter δρῦς refert: alterum verò lib. 4. sub titulo κόκκου βαφικῆς describit. Sed hoc peculiare idem Dod. annotat: Coccum ferentem Ilicem quandoque vnico caudice arborescentem attolli: sæpè tamen fruticantem esse: Glandem [si quando proferat] pusillam gignere [nos magnam satis obseruauimus, vti dictum.] Hallucinari eos, qui Chermes ab infectorio Cocco differens esse opinantur, & circa radices alicuius herbæ veluti Pimpinellæ reperiri ac colligi. Hæc Dodon. qui suam iconem ex Clus. habet, suamque descriptionem, partim ex eo, partim ex Theoph. cudisse videtur. Nondum etiam ei concedimus simpliciter. Theoph. vtramque Ilicem non agnouisse: rationes suprà diximus. Rarum etiam esse videtur id, quod Coccum baphicam, vnico tantùm caudice arborescentem vidisse tradit. Nic. Reusnerus, vir Clarissimus & nobilis Poëta Germanus, vtramque Ilicem ex Theoph. eandem putasse videtur, etiam in suis Emblem. eleganti Tetrasticho sic celebrans:

Fœtius umbrosa nihil, aut fœcundius vsquam
Ilice, quæ Visum nobile fronde parit.
Et præter glandem, fert Coccum lata rubentem
Et folijs semper frondet amœna suis.

Ilex coccifera, κόκκος βαφική Græcis: ὕσγη Pausaniæ: Lat. *Coccus Baphica*, sed *Grani tinctorij* aut *insectorij* vel *Kermes* nomine potissimùm Seplasiis cognita: πρῖνος Theoph. vt vult Rob. Const. Hip. κοκκεία: Plin. *Coccum* vocat. Arab. *Chermes* vel *Kermes*, vel *Charmes* vel *Chermus*, *Quermes*, & *Alkermes*: Tot enim modis scriptum inuenimus. Nec dubium, esse Chermes Serap. quoniam vniuersum caput Diosc. exscripsit. Myrepsus *scercum ex Grano Ilicis* dixit. Grana Theoph. κόκκον φοινικοῦν videtur nuncupasse. Cætera priùs dicta. German. Scharlachbeere, & Scharlachgrän. Gal. *Graine d'Escarlate*, *Vermillon*: Item simpliciter, *Graine*. Ital. *Grana de tintori*. Hisp. *Grana para tennir*: & *Grano en Grano*. Castel. *Coscoia*, *arbor* & grana: quæ vox à Cusculio Plinii detorta videtur. *Grana de tintoreros*. Catal. *Coscol* & *Quasque*. Portug. *Gran de Carrasco*. Tinctura *Scarlatum* dicitur: quibusdam *Chermesinum*. Non tamen est genuinum illud de quo mox trademus sub Pimpinella. Coccum verò hoc Græcorum, vel Chermes Arabum à Chermesino vulgò dicto diuersum est, vel tinctorum iudicio, qui Granam vocant, *Graine*: Chermesinum verò quod ex herbæ radicibus colligitur, *Cramoisi*.

Optimum Coccum Diosc. gigni tradit in Galatia, & Armenia, deinde in Asia & Cilicia: locum postremum obtinere quod in Hispania prouenit. Sed ea vox Asia [ἀσία] mendi suspicione minimè vacare, visa est doctis: quoniam & Galatiam & Armeniam Asiæ regiones esse constat. Ideò quidam eam vocem planè expungendam censent. Alii Asiam pro Lydiæ ciuitate, Asiæ, vnius ex mundi quatuor partibus accipiendam censent. Sed interim sciendum, an ibi etiam Coccum proueniat. Nos nihil decernimus de regionibus nobis incognitis, hoc est, non lustratis. Probabilior tamen nobis videtur doctiss. Sarraceni coniectura, qui Λυκίᾳ vel Πισιδίᾳ reponendum censet: quam sanè ex Plin. hausit; qui ait: Gigni & in Galatia, Africa, Pisidia, Cilicia. Pessimum in Sardinia. Et alibi etiam Lusitaniæ grana celebrat. Dixerat autem priùs: Coccum Galatiæ rubens granum, aut circa Emeritam Lusitaniæ, vt dicemus in terrestribus in maxima laude est. Verùm vt simul peragantur nobilia pigmenta, anniculo grano languidus succus: idem à quadrimo euanidus. Ita nec recenti vires nec senescenti. Item alibi: Est genus Cocci Ilicis, in Attica ferè & Asia nascens, celerrimè in vermiculum se mutans, quod ideò Scolecion vocant, improbántque. Principalia eius genera diximus. Cæterùm quod Diosc. vilissimum omnium Hispaniæ Coccum dicit, neutiquam ei subscribit Lacuna hispanus, qui longè excellentissimum in multis hispaniæ partibus colligi testatur, ac tale quidem, quòd facilè cum Galatiacô & Armeniaco possit comparari. Magni etiam fieri quod in Sezimbra, parte Lusitaniæ crescat: immò illud reliquis omnibus præferri. Quod verò ex Africæ Barbaria aduehitur multò minoris esse virtutis ac valoris. Cui sanè fidem neutiquam derogamus, maximè cùm ipsemet etiam Plinius Lusitanicum (quæ Prouincia Hispaniæ conterminа est) in maxima laude posuerit, quippe imperatoriis dicatum paludamentis. Crescit, inquit Clus. multis hispaniæ locis, in Narbonensi etiam Gallia & Prouincia. (vbi & ipsi multoties vidimus & legimus) Nec dubium quin & plurimis aliis, sed non vbique Coccum gerit. Nam iis solùm regionibus, quæ Mediterraneo mari vicinæ sunt, & magno Solis ardore torrentur, nasci animaduertebam. Sed neque istic perpetuò fert. Cùm enim frutex adeò adoleuit, vt glandem alere incipiat, Coccum non gignit: ideóque solent incolæ quadriennes aut adultiores frutices vrere, vt proximo anno nouelli resurgant, qui deinde singulis annis aliquot subsequentibus Coccum ramulis inhærentem, instar exiguorum Pisorum coloris cinerei gignunt. Hunc pueri & mulierculæ colligere solent, & mercatoribus vendunt, qui magna eius copia coacta, deinde præparata, in Emporia mittunt. Nascuntur etiam inter Hierosolymam & Damascum Ilices cocciferæ, ex quibus incolæ, teste Bellon. colligunt Coccum [*Graines d'Escarlate*] & mercatoribus Venetis vendunt, qui emunt in omnibus Mundi partibus. Arbusculæ Ilicis cocciferæ circa Monspelium cultæ & in hortos Stuckardianum & Montbelgardensem E. C. H. transplantatæ, hyeméque repositæ plures annos durarunt. Sed nec flores, nec Glandes, nec Coccos protulerunt.

Colligendi modos suprà ex diuersorum obseruationibus ostendimus. Illud addendum in Gallia Narbon. ac fortè etiam alibi, non legi Coccum annuatim, sed cùm anni temperies tulerit. Nam si Ver pluuium fuerit, omninò deperit. Ad hanc verò messem, ingens hominum turba vndique tàm ex locis vicinis quàm remotioribus concurrit. Ordinatim omnes procedunt, vt nemini ordinem aut præuertere, aut anteuertere liceat, magistratibus etiam prohibentibus, ad quam item leguli, si Bened. Curtio credendum, in campo decubant, à quibus tunc mercatores Coccum ipsum emunt.

Ast vnus aut alter scrupulus restat eximendus in Diosc. Is tradit nasci Cilicium Coccum in Quercubus, exilis cochleæ similitudine, quòd illius regionis mulieres ore legant & coccum vocitent. Vt de posteriori priùs dicamus, fatemur cum Marcello, non intelligere nos in quem vsum ab incolis mulieribus ore auelli aut excipi opus fuerit, & pro ... aliter quondam legi potuisse. Anno-

Margin notes (left): Coccifera Ilex arborescens Lod. — Monachi ... — Synonyma ling. — Prinos ... Hip. — Coccus Phœniceus. — Scarlatum Carmesinum differt à Cocco. — Locus & delectus. — Diosc. illustr. & correct. — Plinius de cocco.

Margin notes (right): Delectus ab ætate. — Non vbique coccum fert nec omnis planta. — Qua non ferat. Cultus. — Satio. — Non quotannis legi Coccum. — Ordo politicus in legendo Cocco. — Duæ difficultates ex Diosc. expositæ.

Annotat Sarac. in Vet. legi, ἢ σιδήρῳ τινί: sed Scholion esse, al. σπάσματι. Sed neutra lectio placet. Nam ad quid ferro opus ad tantulas bacculas legendas? Et σπάσμα seu luxatio, quid hic doceat? Marcellus putat aliquid substituendum quod tempus designet, quo legendus sit Coccus. Ideò Cornar. pro τῷ σπάσματι, substituit ἐν τῷ θέρει: æstate. Quæ lectio fieri quidem potest, si cum Diosc. mente consentiat. Sed quis id nouit? Plin. de hac re nihil: nihil Theophr. Aut quid si relicta vulgata lectione dicamus mulieres ex ramis auulsis ore decerptum dentibus contriuisse, & in Pilulas redegisse, ne inde nascerentur vermiculi? Aut quid si cocci genus aliquod magnum illud fuerit, quod & ore & manibus decerpi mereretur? Sed meræ hæ sunt coniecturæ. Retineamus tantisper Cornarii lectionem, donec certiora aliquando inuestiget posteritas.

Altera dif-ficultas, de Cocco Cilicio seu Quercus.

Sed quid? in Quercubus [ἐν ταῖς δρυσὶν] etiam nasci Coccum? Infelicem verò Germaniam aliasque nobilissimas Prouincias, quæ tot alant Quercus quas nec vnica vnico, quod quidem obseruatum sit, bearit Cocco. Quapropter meritò diligentissimus Anguill. hanc lectionem Diosc. digerere nequiuit, sed ἐν ταῖς πρίνοις seu ἐν τοῖς πρίνοις reponi voluit. Hic suspicio nobis oritur, ne fortè Dioscor. Ilicem generica voce δρυὸς, qua omnes glandiferas arbores intelligi in principio huius l. diximus, complexus sit, aut fortè Ilicem arboreã. (si modò ea sit alicubi Coccifera, quod ex Theophrast. aliquis suspicari posset, hactenus verò nescitur) sed prior opinio magis arrideret, nisi prius δρυῶν προκατάλογον distulisset. Et quid opus fuit denuò obtrudere δρυὸς vocem? Et si ἐν τοῖς πρίνοις legendum sit, Cur de Cilicio potiùs id dicat Diosc. quàm de Galatiatico & Armeniaco? Quæ rationes nos monent, vt nondum certam & indubitatam Anguillaræ lectionem agnoscamus. Atque ex hac quidem velitatione nos retraheret in assensionis portum Matthiolus, si ei viro, fingere consueto, fidem auderemus adhibere. Ait enim: Coccum inuenisse se in quibusdam Quercubus Boh. Et rursus in post. com. quod in Quercubus insit, nascitur Coccum (vt Dioscor. in Cilicia nasci scribit) copiosum quoque in Bohemia prouenit. Primum quod à me visum est, truncum ferè totum occupabat non infimæ Quercus, non longè Poggibroi in leporario, quod Parcum ferarum vocãt Cæsaris Ferdinãd. deinde aliis etiam in locis: sed cũ ab incolis non cognoscatur, quotãnis perditur. Atqui in Polonia vbi etiã copiosè prouenit, nõ desunt, qui illud diligenter legant. Hęc ille.

Etiam in Bohemia nasci.

Infœlices verò nos denuò & omnes cæteros Medicos aut Herbarios, qui tot Querceta per tot nobilissimas prouincias minùs sanè septentrionales quàm Bohemia ac Polonia, rarissimarum tamen harum diuitiarum participes nunquam facti, in hanc usque diem, pace sanè Matthioli, dubii hæreamus, an vspiam locorum vnquam in Quercu natum sit Coccum tinctorium: de hoc enim agitur, & intelligit Matthiol. Optassemus sanè tãtum naturæ Scrutatorem graphicè docuisse formam, magnitudinem, cohæsionis modum, colorem, saporem, tempus, cæteraque quæ ad illorum naturam intelligendam facerent. Item an planè conueniant, atque adeò nihil aliud sint, quàm veluti Cocci Ilicis. Quod quia non fecit, nec testem, vel vnum, vel plures produxit, qui cum ipso Coccum in Quercu viderint: quia item Medici & Herbarii illorum locorum nihil hactenus, quod equidem nobis constet, istarum raritatum [fortè sibi solis seruantes] communicarunt, aut aperuerunt, tantisper bona Matth. venia dubitabimus, num verum Coccum tinctorium viderit in Quercu, donec Medici aut Seplasiarii istorũ Regnorum nos doceant certiora. Interim, tàm iis, quàm cæteris rei herbariæ studiosis considerandum relinquimus, an non fortè viderit Matth. illud excrementum rubellum quod Lob. & nos quoque non semel obseruauimus tàm ex trunco quàm è mediis foliis enatum, sed Cocco tinctorio maius: similia ferè & passim videas in foliis Fagi. Si sic? Cum Cocco Cilicio Dioscoridis conferre non debuit, minùs verò idem dicere. Mirum etiam nobis videtur, ad quid Poloni istud tam diligenter legant?

De Cocco in Quercu Matthioli dubitatur.

Vires & Vsus. Vulnera. Neruus læsi. Epiphora. Oculi suffusi.

Cæterùm Coccus Baphica, teste Dioscor. vim habet adstringentem: cuius ratione vulneribus neruisque sauciatis trita ex aceto conuenienter imponitur. Et Plin. Coccum Ilicis, inquit, Vulneribus ex aceto recentibus imponitur: Epiphoris ex aqua & oculis suffusis sanguine instillatur. Galeno Granum tinctorium adstringentem simúlque amaram qualitatem possidet. Vtraque sine morsu desiccat. Proinde ad ingentia vulnera congruit & ad neruorum vulnerationes. Sed tunc ipsum quidam cum aceto terunt: alii cum oxymelite. Eximiè conferre hoc granum mulieribus abortientibus cum pari thuris pondere in potu sumptum: id quod & Fuchs. & Matthiol. testantur, qui ait, mulieres Italicas puluerem Cocci infectorii non infeliciter sumere ex ouo sorbili, pauco addito thure vel mastiche ad prohibendum abortum. Idem affirmant mulieres Lugdunenses & Gallæ pleræque: atque adeò Amatus se cum mulieribus ab abortum pronis magno iuvamento exhibere solitum testatur. Nostro tempore mulierculas Monspelienses & Nemausenses in difficili partu & collapsis viribus eius pulueris scobem ex vino, aut ipsam etiam Confectionem Alkermes non sine fructu hausisse scimus, quod & Clus. obseruauit. quædam etiam eâ vel ante partum, tanquam sacra anchora se muniunt, ad quam necessitatis tempore confugiant. Roborat enim partes, siue prædictis qualitatibus manifestis, siue etiam [vt quibusdam placet] totius substantiæ familiaritate, quam dicunt habere cum corde præcipuam. Medicis certè Monspeliensibus nihil præsentius in quouis casu præcipiti, & morbis acutissimis, Apoplexia, Paralysi, & similibus esse scimus. Mesues eam ad cordis palpitationem, syncopem, mentis alienationem seu desipientiam, & mœrorem sine causa manifesta celebrat: facultates enim nostrum corpus dispensantes mirificè roborare testatur. Efficacissima, inquit Syluius, multorum etiam Regum in Gallia testimonio est probata, maximè in quibus vel longo morbo fessis, vel iam moribundis, vel ab eo reualescentibus, natura languet: etiamsi quibusdam maximè improbari audiam, dicentibus Coccum baphicam solùm astringere, & suo colore rubro sanguinem & spiritum similitudinis ratione magis ad se distrahere & dissipare, quàm cogendo firmare. Præterea lapidem Cyaneum [qui eam quoque ingreditur] vomitu & deiectione purgatorium, naturam turbarè tantùm, & humores melancholicos exagitare, ob quantitatem tam exiguam non vacuare. Ac prior obiectio non maioris momenti nobis videtur, quàm si quis de vino rubro & astringente idem diceret, quod tamen vel magis illud præstare posset. De lapide Cyaneo: etsi Syluius illam probabili satis ratione diluere conatus sit, altiùs considerandum putamus. Nam ad quid vomitoria atque purgan-

Præparatio. Abortus. Difficilis partus. Confect. alkermes. Vires confect. Alkermes. Sylvii opinio refutatur.

miscebimus cardiacis & ad robur viscerum destinatis, vt in eadam compositione, quod ille prętendit, denuò ea castigemus? Omitte, & rectè castigaueris. Non ideò minoris momenti, nostro sanè iudicio, fuerit confectio Alkermes: immò vel multò nobilior, quippe quæ pacatiùs generosiùs, & nullo impedimento turbata, munere suo cardiaco strenuè sit functura. Et nouimus viros præclarissimos, etiámque Medicos quosdam apud Monspelienses celeberrimos, aliquando eiusdem fuisse sententiæ.

Quæstio de compos. confect. Alkermes. In eius verò compositionis fabrica potissimùm dubitatur, vtrum sit melius, Grani tinctorij succum, qui sericum nondum infecerit vsurpare: an ex serico eo tincto resumere ac mutuari. *Iouberti sententia.* Sagacissimus Medicus Ioubertus sericum à Mesuco non frustra requiri existimat, cui succi copia esse potuit: sed vtriusque copiam & qualitatem expeti, quem etiam crudum sericum & in substantia [vt vocant] ipse Mesues permultis aliis immisceat cardiacis. Eiusmodi autem Serico, vt verum fateamur, paulò magis quàm nihil virium. Illique sanè vires cardiacas tribuere videtur tota ferè Medicorum schola, fide potiùs implicita, quàm ratione bona & aperta. Malimus igitur ipsummet succum accipi, si haberi possit: [potest autem ab iis qui incolunt eas regiones vbi nascitur,] aut ex succo granorum recenti & saccharo Syrupus parari potest, vt & cum aliis succis fit, cui succus pomorum & aqua rosarum addi potest [absque serico crudo] ex quo deinde & cæteris addi solitis confectio præstantissima, quando lubet concinnari queat. Aurum quid in ea possit aut præstet, norunt Sapientes. Hæc res non est huius instituti.

Manardus reprob. Non tamen probatur nobis Manardus in censura Mes. scribens ad eam confectionem se nunquam prostituturum suas pecunias, quod neque in serico vocato, neque in cocco, vel Baphica vel chermes, agnoscat vim nisi constringentem: lædere cor potiùs, quàm iuuare, &c. ei dubio, inquit Apollo, mentem adhibuit Syluius, ac difficultate perterritus, insolutum reliquit, nos soluere tentabimus, *Apollo explosus.* Sed Deus bone, quàm elumbi conatu: ad adstrictionem recurrit, ad rosarum succum aut liquorem stillatitium [de quo non quæritur,] ad colorem succi, qui sanguineam dirigat massam atque defæcet coloris familiaritate. Miserabilis ratio, ac Medico Philosopho indigna, quæcunque à colore sumitur ratio. Sufficiat scisse adstrictionem quam Dioscor. & Gal. nos docuerunt, & sensus ipse, vt de substantiæ familiaritate nihil tradamus. Sufficiat item scisse, Ambram, Lignum Aloës, Cinnamomum optimum, Moschum & cætera quæ hanc confectionem ingrediuntur, partim & ipsa cardiaca atque adeò etiam cephalica esse, partim succo Cocci baphicæ, quæ basis est eius compositionis, pro vehiculo esse ad partes principes, quas roboret, muniat, atque sua adstrictione à vaporum & humorum ingluuie tueatur, aut ipsos etiam spiritus dissolutos cohibeat, & retineat in officio. Tota autem confectio odoris iucunditate non modò oblectat, sed & corroborat, & corporis spiritus vehementer reficit, animúmque exhilarat. Sed de his disputent otiosè alii, dum nos hic dissertationes fugientes, recensendis & enarrandis viribus immoramur.

Vulnera cap. Fallop. Expos. in lib. Hipp. de Vuln. c. Solemus inquit, in vulneribus capitis linamentis vti ex serico grano infecto, ne sit autem chermesinum, *Linamentū ex Cocco.* quod tingitur vermiculis illis: at si è cocco aut Grano fiat, præstantissimum est, non ex Vermiculo nato in cocco, sed ex cocco ipso, quoniam linamentum illud vim habet adstringendi. *Vermes Indiæ.* At quia ex nauigationibus Indicis adueniunt vermes, quibus purpuram illam mentiuntur, ideò semper obseruaui fugere, cùm non possim scire, an ex vero cocco, vel ex vermiculis sit tinctura illa.

Iam verò nihil pretiosius, & in maiore fortuna honestius hodie habetur quàm coccum, & eo inctus pannus Scarlatinus dictus, quo Reges quondam à priuatis, nunc nobilitas à plebe vix discernitur. In pretio & honore meritò habendum, nisi corrupta morum disciplina, calcatisque sumptuariis legibus, ceu aranearum telis, promiscuum plebi eum colorem nostra tempora fecissent. Vestes scimus eo infici admirabili fuco. Atque vt sileamus, Galatiæ, Africæ, Lusitaniæ granum cocci imperatoriis, vt Plin. ait, dicatum paludamentis. *Coccina & Coccea indumenta.* Coccina autem, vt habet Martialis, aut vt Lampridius, indumenta coccea, quæ scil. cocci colorem imbiberunt, olim plurimi fecit Antiquitas, vel hoc vnico argumento, quòd coccum Imperatoriis paludamentis dicatum prodiderit Plin. *Color qualis.* Huius pulusculo & hodie lanas inficiunt viuido illo colore, qui in rosis micat, quo aspectu nihil gratius, & in purpuras Tyrias, Dibaphásque aut Laconicas. Etenim Tyrio primùm tinctas, mox ex cocco tingere mos erat, aut contrà, notante Dalecham. Nam & tertio, quarto & quinto saturabantur, vnde nomina illa vestium, Monocoros, Tricoros, Tetracoros, Pentacoros in vitis Principum.

Lacha pigmentariorum. Nunc etiam, vt tradit Const. ex cocci & Bersilii fæce pigmentariorum Lacha paratur ad rubrum saturum. Non autem illam Lacham intelligimus Arabum, quod cancamum est Græcorum, hodie ignoratum, vt putatur: sed illam pictorum. De qua etiam doctiss. Fuchs. lib. de comp. med. qui aliam Lacham tradit ex Arabum secta, gummi scil. *Gummi kermes.* Kermes, siue Alkermes, ex quo carmesinus color paratur.

COCCVS RADICVM.

Dictum vulgò Chermesinvm, quod ex herbæ radicibus colligitur, *Cramoisique* dicitur, iamiam tractandum venit. *Sanguisorba.* Ex sanguisorbæ igitur [attestante Hermol. in Diosc.] radice, quibusdam locis, vt ferunt, *Vermiculus.* vermiculus eruitur, qui curatus, sericis præcipuè tingendis purpuram facit incomparabilem. *Purpura. Quomodo inuentus.* Inuentus casu, excrementis gallinaceorum ita coloratis, nam & vsus purpuræ, vt est apud Iulium Pollucem ab Hercule videtur institutus, conspecto canis rostro, qui purpuram deuorasset, infecto. *Purpurissum. Carbasinum vnde.* Igitur Purpurissum ex hoc vermiculo Carbasinum à præstanti amphitheatralium velorum [vt arbitratur idem] colore dicitur. *Carmasinum.* Quidam carmasinum appellant colorem: quoniam vermiculus hic Punicâ linguâ carmes appelletur, quemadmodum & coccus. *Carmes Coccus.* Potest & ab vrbe charmi, quæ Sardibus est, nomen accepisse coloris, quòd lanas inficere Sardibus cœptum sit, vt inquit Plinius. De hoc vermiculo nihil apud Veteres inuenias. Hermolao subscribunt cardanus, Amat. Corn. Lacun. Monach. Matth. & Apollo, quamuis & ex alia quoque nasci credant. Sericum [inquit Card.] tingebatur apophyse quadam Bibinellæ, sed nunc maior copia grani, quod è Ficu Indica prodit. *Bibinellæ. Karbisinū. Non est Kermes Arabum.* Karbisinum porrò, quo floribus ille ruber color efficitur, à Kermes Arabum longè alia res est. Hoc siquidem ex Ilice colligitur, illud autem [vt Amatus quoque testatur

Ad Saxifragiam. Locus. testatur] ad radices Saxifragiæ nascitur, Pimpinellæ similis, non solùm in Italia, sed Polonia, & aliis variis regionibus: nec tantùm ad radices prędictæ, sed etiam ad Farraginis, Parietariæ, & aliarum herbarum, Lentis magnitudine, vt Coccum Ilicis, quod ocyssimè quoque in vermiculum vertitur, ni vt decet tractetur, vnde quidam *Scolecion.* Coccum Scolecion dici apud Plinium arbitrati sunt. Sed hîc scire licet, quod ab hinc sex tantùm *Locus.* annis, ex insulis nouiter repertis in Hispaniam aduectum fuit & inde in Italiam, tanti magisterii & coloris supremi, vt illius vncia vna superauerit *Error quorundam.* opus confectum libræ vnius vulgati Carbisinii: quà de causâ, Venetiis sericum carbisino infectum, vilissimo pretio habetur: imò nigrum carbisino cariùs venditur. Ait autem hoc in loco Constantinus eos verba Plinii negligenter legere, qui credant, rubēs granum illud, cuius infectu vsus est parando carmesino colori, Scolecion esse *Scolecion Plinii non est.* Plinii: cùm hoc coccum sit Ilicis, illud verò tuberculum quoddam rubrum & excrementum, nō fructus, in quibusdam plantis concretum.

Meminit Cornarius cocci ad radicem herbæ similis Plantagini, Arnoglossum appellatæ, in Sarmatiæ ad Russiam spectante Podolia nascentis, *Ischirbiz.* vulgò Jschirbitz dicti, voce ex Kermes, vt putat, corruptâ, ex quo panni inficiantur, qui color Scharlach & Chermesin à Germanis vocetur. Quódque vbi colligatur hoc granum, quinta parte talenti, quod centenarium dicitur, vel quinque, aut sex aureis Rhenanis veneat. Verùm inter exsiccandum ac præparandum, dum in puluillum redigatur, tantum ipsi decedere, vt ad *Pretium.* nos allatum libræ vnius pondus triginta, aut quadraginta plus minùs aureis valeat. Et addit, grana singula singulis radicibus adnascentia Lentis magnitudinem non excedere. Et hæc vera esse, ac ideò Veteres longè suâ opinione falsos esse. Verùm fallitur ipse Cornarius, qui inter Carmesi-*Corn. notatur.* num adhærens radicibus Pimpinellæ, aut herbę similis Plantagini, Arnoglossæ dictæ, & Charmes siue coccum Ilicis nullum discrimen nouit, ac ideò non distinxit. Quare etsi grana infectiora nunc etiam ad radices herbæ cuiusdam inueniantur, non *Excusantur veteres contra Corn.* propterea Veterum Coccorum suorum natales, & originem, nascendique modum, vt falsò Corn. assumpsit, nesciuerint. Ad tincturam autem Carmesini panni, grana, quæ in aliquibus locis ad radicem vulgaris Pimpinellæ colliguntur, inseruire, testatur Lacuna, qui ex Peru quandam gra-*Locus. Cochinella.* norum speciem adferri scribit, quæ in illis partibus Cochinella vocatur.

Granorum principaliora duo genera. Granum simpliciter. Granum Chermes. Monachi in Mes. dist. 1. cens. 4. supra confectionem Alkermes, duo principaliora granorum tinctoriorum constituunt genera. Vnum, quod simpliciter, absolutè, & quasi autonomasticè, granum tinctorum & Coccus baphica, dicitur: & Alterum, quod non absolutè granum, sed granū Chermes, vel simpliciter Chermes [vt propriè vulgus vocat, nuncupatur. Et hoc granum est, de quo Mesues intelligit in præsenti, & aliis pluribus locis. quo videlicet grano vtuntur tinctores solummodò ad tingendum setam, quæ postea à Chermes, vel Karmes, vel Charmes, vel Charmas, Chermesina, aut Charmesina cognominatur. Et reperitur hoc granum ad radices quarundam herbarum, sed abundantiùs ad Pimpinellæ, & propriè ad illas, quæ sunt annosæ & crassæ: quasi in superficie terræ. Rustici quidem in pluribus Italię locis colligunt, & præcipuè montanis & asperis. Vtrumque enim tam coccum, quàm Chermes apud tinctores notissimum est. Nonnulli tamen ignorantes Chermes, coccum intelligunt, ob id, quia in exordio, præsentis descriptionis legitur declaratum, quòd sint grana tinctorum. Sed *Chermes à cocco differt.* hi decipiuntur quoniam Chermes est aliud à Cocco: & hoc multis est clarum. Vnde aliqua res tincta in Cocco, coccinea dicitur: quæ autem in Chermes, Chermesina vocatur. Quando autem Aromatarii volunt huiusmodi confectiones parare, in quibus ingreditur ipsa seta tincta, ab ipsis tinctoribus possunt eam emere. Et aduertendum quòd ipsa seta debet esse recenter tincta, quod author notauit, cùm dixit: Et propriè: super cuius *Pro seta tincta in Chermes quid accipiendum.* tinctura non præteriit spatium extensum. Hoc autem diximus quia scimus quòd plurimi, cùm inueniunt in receptis setam tinctam in Chermes: accipiunt scissuras, seu quisquilias pannorum sericorum charmesinorum, quas proiiciunt sartores, tanquam non ampliùs aptas ad vestimentorum vsus, super quarum tinctura transierunt plures anni, non aduertentes quod dicit author: Fac modicum bullire, donec aqua rubeat. Ex præfatis autem scissuris, seu frustulis, siue per modicam, siue per multam decoctionem, nunquam aqua redibit: & per consequens, nullam possunt tribuere Medicinæ virtutem. Igitur necesse est, vt sit recenter tincta. Non tamen recentissimè, sicut extrahitur ab infectionis vase, vt adhuc permadescat: sed post primam, vel secundam suę exsiccationis diem: & inde inter spacium octo vel decem dierum fiat operatio submersionis eius in succo pomorum dulcium & aqua rosata. Præte-*Chermes ex Lacca.* rea non ignorandum, quod hoc nomine Chermes, vocatur etiam tinctura rubri coloris, cuiusdam generis Laccæ, siue [vt mauis] Lacchę, vt legitur apud Serapionem. Item animaduertendum, *Chesmes pro Chermes, falsò legitur.* quòd in pluribus locis per mendosas impressiones pro Chermes est positum Chesmes: vnde inibi legitur mendosè: Seta tincta in Chesmes. Et quandoque per contrarium in aliquibus locis, in quibus legendum est Chesmes; legitur Chermes.

Brassauoli error. Hęc Monachi, qui alio loco reprehendunt Brassauolum, quòd confuderit Chermes, cum Chemes, qui volent plura, eos consulant.

Aliud Coccum, aliud Chermesinum. Contendunt ergo Monachi, aliud esse Coccum, aliud verò Chermesinum. Etenim asserunt ii legitimum Chermesinum è quibusdam fieri granulis, quæ vt plurimùm vulgaris Pimpinellæ radicibus adhærentia reperiantur, vocarique hæc propriè Mauritanis Chermes: & hinc isti deinde colligunt, ait Matthiolus, minimè credendum esse, quòd Græcorum Coccum, vulgò grana tinctorum nuncupatum, sit Mauritanorum Chermes: quandoquidem magna omninò inter colorem coccineum, & chermesinum intercedat differentia. Sed hos hallucinari ex eo equidem *Monachi notantur.* euidentissimum fieri arbitratur, quòd hactenus neminem Arabicæ sectæ inuenerit, qui eorum adstipuletur sententiæ. Siquidem Serapio per Chermes nil aliud intelligit, quàm Coccum tinctorium appellatū à Gręcis, cùm de chermes agens ea sanè omnia in eius historia referat, quæ Dioscorides sub Cocco tribuit. Quapropter scire quilibet meritò desiderat, qua ratione, quáve authoritate nixi Monachi in hanc vanam & erroneam deuenerint opinionem. Verùm non ob id quisquam negauerit, Chermesinum nostrum à Cocco minimè differre, quòd certò sit, aliud esse Coccū, aliud Chermesinum, vnde & infectores, differentiæ causâ, Granam nuncupant: Chermesinum verò, quòd è Pimpinellæ radicibus decerpitur. Sed negauerit Mauritanorum Chermes nostri vsus

vocari. Non tamen simile veri, esse Ilicem Aquifoliam cùm à nullo ei reddatur folium aculeatum. Theophrasto neque esse arborem magnam &c. Mox subdit: Theod. Gaza Aquifoliam intellexit, quam Theophrast. Agriam siue Ariam appellat, sempiternæ frondis arborem, inter Robur & Ilicem mediam. Sunt qui Smilacem Aquifoliam interpretetur, haud ferendo errore. Nam Arcades arborem faciunt Ilici similem, folio tamen non aculeato, molli, profundo, materie soluta & in opere tenera.

Non est Smilax

Iouis Barbam nonnulli contendunt esse quam Theophrast. Diosporon, id est, Iouis sementem: [Sic enim apud Athen. legimus] alii Diospyron, id est, vt nonnulli vertunt, Iouis flammam: alii Iouis triticum malunt interpretari. Arbor extat Parisiis in peristylio sacrarum ædium D. Genoueuę: An Diospyros fuerit, inquit Ruell. asserere non ausim. Nimirum ad pauca respexit coniectatione sua. Nobis relatum Parisiensem illam esse Agrifolii arborem folio non spinoso, qualem supra diximus esse, & fieri annolam. Si ea est, non placet pro Diospyro, nec etiam separanda à Gallorũ Houx seu Aquifolio, quod Ruell. & eum sequuti aliqui facere velle videntur. Falluntur & ii, qui Pyxacantham esse putant Germ. Hols, Gall. *Hou*, Lat. *Aquifolium*, & meritò à Cordo reprehenduntur. Tragus fatetur se latere quo in loco hęc arbor (frutexue) apud Veteres descripta sit, ac videri sibi ne doctos quidem quicquam de illa cognouisse, nisi quòd Ruell. Aquifoliam appellet. Neque tamen Aquifoliam hic intelligi velle de qua Theophrast. lib. 3. cap. 15. scribit, syluestri Mespilo accensẽs: (Cratęgus ibi nominatur, non Aquifolia.) neque etiam ad Ilicem Theophrast. hanc arborem referri posse. Se existimare syluestrem Lauri speciem esse, Latinè Laurum spineã, seu aculeigeram appellandam. Quod nomen ex Germanico mutuatus videtur, Germani enim Stechpalmen, quasi Palmam pungentem vocãt, quamuis Lauro longè similior sit, quàm Palmæ, quod facilè animaduertere potuit Tragus. Nec tamen stirpiũ planè imperitus Lonicerus fidẽ hac in parte tribuit insigni & modesto Herbario Trago: sed ineptè non glandiferam arborem vult Ilicis Aquifolæ Plinii genus, quod ex Ruellio, sed intempestiuè hausisse videtur. Ryffius quoque in Dioscor. com. Ilicem Aquifoliam magnam vocitat, fructu inutili: & figuram falsam apponit. Non enim fert baccas ex longis pediculis, vti pingit: sed & Monachi Ilicis genus putant de quo Theophrast. l. 3. hist. c. 15.

Iouis Barba Diospyros. Theophr. distincte. Ruell. non. Pyxacantha non est. Trag. error. Sylu. Lauri species. Lonic. error. Ryffii error.

Hallucinantur ferè omnes Iuniores asserentes Loton esse Agrifolium, vt iidem notant, rectè statuentes non esse Loton. Id autem putabat Ruell. ob id à Matthiol. reprehensus. Aliquando inquit Matthiol. mihi persuasi, eum haud longè aberrare, qui dixerit Paliurum Africanum esse Agrifolium, quòd foliis sit vndique aculeatis, Loto maioribus, fructu Cedri, rotundo, rubro, nucleum intus habente, iucundo & gustui non ingrato: non tamen quòd pro certo hoc asserere velim, quòd hæc propria sit Africæ planta: Sed quòd aliquando his notis persuasus, putarim Paliurum hanc aut Agrifolium esse, aut omnino arborem ei similem. Plin. ex Theophrast. hanc ipsam literis mandauit l. 13. cap. 27. Sed cùm de viribus eius dissereret lib. 24. eam recensuit, quam & Dioscor. Nullam ego arborem hactenus reperi, quæ Paliuro Africanæ similitudine respondeat, præter Agrifolium, vt dixi: Non dico Aquifolium: ea est in Italia arbor, quam Theophrast. Crateogona vocat, omnibus ferè notis Mespilo similis. Illa verò quam Agrifolium appellamus, fructu est rotundo, lucido, rubro, Ruscum & Cedrum baccis æmulante. (in postr. Com. addit: nucleo etiam Rusco simili, albo crassoque: [quod falsum].) Huius radicum cortice incolæ Viscum parant, quo etiam modo ex Viburno conficiunt. Hanc non desunt, qui velint eam esse stirpem, quam Theophrast. Agriam siue Ariam appellat, sempiternæ frondis arborem, inter Robur & Ilicem mediam. At in postr. scribit idem Matthiol. Hallucinantur, qui Theophrast. Agriam siue Ariam faciunt: atque in eodem errore versantur, qui eandem existimãt eiusdem esse Crateogonon.

Lotus non est Ruell. error. Paliurus Afric. Agrifolium. Aquifolium Matthiol. Vult ab Agrifolio differre. Matth. est prob. Viscum. Agria.

Ita solet Matthiol. Palinodias suas canere, vt in alios fabam cudisse videatur. Sed falsum quod de fructu ait, iucundum esse & gustu non ingratum: & quæ de nucleo tradit, comminiscitur. Quid vocat Aquifolium in Italia? Erronea sanè opinio est existimare Agrifolium esse Paliurum Africanam. Plausibilior erat opinio Guiland. de zizipho, licet scribat impudentissimum Guilandinum somniasse, si somniauit, is vtique impudentissimè delirauit. Oppidò festiuum se putabat. Verùm distinctione illa Aquifolii & Agrifolii, quę nullius est momenti, quæ nulla innititur ratione, nullo sensu nullaque autoritate. Ita seu Dauus quidam Botanicus, perturbans omnia, rarò impunè istud nobis ferat. Quidni? de veritate agitur, de hominum salute, ac Studiosorum vtilitate.

Matth. Cõfig.

Nec ferendus crassus ille error Amati, quando παλίουρον putat esse Agrifolium Hisp. *Azebo*, Lusit. *Azininho*, Germ. Welbeer: sed nomen Germ. neutri conuenit. Verùm præstat eius verba audire, ne indicta causa damnatus videatur. Diosc. (inquit ille) vt de re passim obuia, Paliuri exactã prætermisit historiam: vt tamen coniecturis assequi possumus, hic idem Paliurus Dioscor. cum eo à Plinio descriptus est, quem Theophrast. lib. 4. hist. cap. 4. prius descripsit, & eum Afrum Paliurum vocant. Trahunt autem, inquit, in hanc me sententiam Plin. verba lib. 24. cap. 13. vbi Paliuri vires prosequitur: quæ ferè cum Diosc. ita habent: Paliurus quoque spinæ genus est, semen eius Afri Zuram vocant &c: quæ omnia cum iis, quę Dioscor. suo tribuit Paliuro conueniunt. Vocant hodiè fruticem istum rei rusticæ Scriptores Agrifolium, non verò Aquifolium &c: Hæc Amatus. Quem reprehendens Matthiol. non minùs crasso se implicat errore. Audiamus eum. In Paliuro, [inquit] Amatus confundens historiam, pede prolabitur. Siquidem putat Dioscor. Paliurum, & eam de qua Theophrast. lib. 3. c. 17. hist. tradidit, & Gal. lib. 8. simpl. illam esse arborem, quam Agrifolium uulgò vocamus. At tam Diosc. quàm Theophrast. Paliurus frutex est non arbor, & semen in siliquis profert, fuliginosum, mansu lentorem relinquens, seminis lini modo. Id quod in Agrifolio nusquam spectari potest, cùm Baccifera sit arbor. Nec propterea negauerim Agrifolium aliud esse Paliuri genus, quod [vt ipse quoque Theophrast. inquit lib. & cap. 4.] in Africa nascitur, quum notis omnibus illam referat. Verùm non ob id affirmauerim, Agrifolium alterum illud esse genus, quod siliquas profert. Sed cùm Amatus fortasse audierit Agrifolium inter Paliuri genera haberi, nec vnquam legerit Paliuri differentias apud Theophr. nulla adhibita distinctione pro omni Paliuro Agrifolium adducit. Quin & in hoc decipitur, quod certò crediderit Paliurum à Plin. descriptam lib. 13. cap. 19. & à Theophrast. lib. & cap. 4. esse Dioscor. Paliurum. Error

Amati error. Paliurus. Zura. Agrifolium. Paliurus Amati. Aliud Paliuri genus Matth.

Chermesinum esse, quòd nil aliud chermes sit, quàm coccus, cuius hîc meminit Dioscorides. Chermesinum nouum iampridem conuehitur in Italiam.

Apollo obscurus. Bipinella. Strella. Diligentem porrò considerationem ea requirunt, quæ Apollo tradit. Nascitur in Hetruria, Vmbria etiam super herba ex Bipinellæ genere, vulgò Strella, quòd vel semen sit, vel subterranei vermiculi ouum quibusdam dubio fuit, quòd citissimè in vermiculum, cimicis æmulum, atque in papilionem alatum permutetur. Nos dubitamus an perspectum fuerit discrimen Apollini cocci Ilicis & cocci radicum.

C. Bauh. apud Matth. & in Phyt. Ad Pimpinellæ Saxifragæ maioris radices in quibusdam locis grana notantur, quorum medulla in colorem rubeum mutatur, cuius vsus ad tincturam carmesini Lacuna monente, in quibus & vermiculi, Costæo authore, nascuntur, quare coccus radicum dici poterit. *Coccus radicum. C. Bauh.*

Animaduertes hoc in loco Lacunam non scripsisse grana hæc provenire ad radicis Pimpinellæ Saxifragiæ.

Ego quoque coccum radicum primus nominaui, licèt frater id subticeat.

Polygonũ. Camer. ad Matth. Germ. cocciferum Polonicum, Polygonum, cui adnascuntur baccæ, ex quibus pulcher color ruber chermesinus, quæ etiam *In Herniaria.* Iunio mense reperiuntur in Herniaria.

AQVIFOLIVM SIVE AGRIFOLIVM VVLGO.

Cap. III.

Institutum. PRæter institutum nostrum glandiferis hîc iungimus bacciferam: verùm à bacciferis in cæteris dissimillimam, & Ilicibus magis accedentem, atque adeò à multis cum illis confusam.

Descriptio. Agrifolium igitur vulgò dictum, alicubi in iustam arboris magnitudinem excrescit: sæpiùs pumilum vt ad frutices referri possit, perpetua fronde viret: *Cortex.* caudex & rami lenti, flexiles, læues, cortice duplici muniti, exteriore viridi, [in trunco vtplurimùm cinereo] interiore pallido, odore cùm auelluntur, tùm etiam sapore ingrato, fœtente: *Materies.* materie chlora, albáve, dura ac solida ac circa interna nigricante, quæ in aqua præ pondere sidit, Buxi aut Guaiaci instar. *Folia.* Folia satis magna, densa, sinuata, longis & rigidis in ambitu spinis horrentia: *Varietas foliorum.* [interdum, licèt rariùs, superiora folia Laurinis sunt similia, sine aculeis, quod in vetulis arboribus copiosiùs obseruatur] colore ex viridi splendente, vt in Malis aureis ac Medicis, *Sapor. Flores.* ex pediculo breui, sapore non ita ingrato vt cortex; flores pulchri, parui, chlori si rectè recordamur, quaternis foliolis, totidémque apicibus constantes, [in quorum medio baccæ rudimentum] conferti vt in Lauro, breuibus pediculis appensi, *Bacca. Sapor.* quibus succedunt baccæ paruæ, rotundæ, rubræ, vmbilicatæ, gustu subdulces: cum tetro quodam sapore: intus continentur semina quaterna, oblonga, triquetra, striata. Vesuntii in aula amplissimi & verè Regii illius Palatii, à Granuella S. Imp. & Cæs. Carol. V. quondam Cancell. exstructi, vidimus magnam satis arborem, *Agrifol. folio non spinoso.* fronde magna ex parte non spinosa, ob id, obiter aspicienti, Laurum repræsentantem.

Dod. ait: senescente arbore, pauciores vel nullos aculeos habere. Idem & Cæsalpinus obseruauit.

Agria Theoph. Theophr. Aquifoliam [ἀγρίαν] inter syluestres perpetuò virentes recenset, idque non vno loco vt lib. 1. c. 15. ponit inter vrbanas perpetuò virentes Laurum, & inter syluestres Ἀγρίαν, vbi Gaza vertit Aquifoliam, imitatus Plinium, & rectè, *Theoph. varie corr. & illustr.* postea subiungit, & ex iis crescere circa Olympum Τίξανδον, Ἀγρίαν, Δάφνην, Gaza conuertit, Laurum syluestrem: Clus. Laurum Tinum putat: nos Agrifoliam intelligimus. Item lib. 3. c. 4. Montibus propria, quæ nasci in planis nequeunt. Macedoniæ Abies, [Ἐλάτη] Pinastrum, [πεύκη] Picea, [πίτυς] Aquifolia, [ἀγρία,] nec vertendum Picea syluestris, vt fecit Matth. *Matth. lapsus.* Item postea sub finem cap. Inter syluestria perpetuò virent, quæ primo volumine retulimus, Abies, Pinastrum, Picea, Aquifolia [πίτυς, ἀγρία. Sic enim in nostro Aldino legitur, interposita distinctione: *Gaza & Matth. not.* Gaza Piceam agrestem, & Matth. syluestrem vertit: neuter bene.] Terebinthus, Philyca, [φιλύκη: malè Gaza Aquifoliam reponit: *Gaza temeritas.* nam Philycæ materies est alba, & in alendo pecore honor: Agriæ seu Aquifolii materies non est albida, neque frondes pecori vtiles fert.] Apharca, Laurus, Suber, Quercus. [φελλὸς δρῦς: nos existimamus legendum, φελλόδρυς.] Apud Theoph. lib. 3. c. 16. vbi agit de Subere, Ἀγρίαν Gaza vertit Aquifoliam: nos, vt antea monuimus, censemus legendum Ἀρίαν, id est, Phellodryn & non vertendum Aquifoliam.

Aquifoliũ Plin. Apud Plinium baccæ sunt Aquifolio, & spinæ sine succo: folia aculeata pungentia: cui è genere syluestrium ea non decidunt: germinat Vere cœpturo. Notandum Plinium vocare coccum baphicam Ilicem Aquifoliam paruam, fortè quia Aquifolio propriè dicto similis.

Crategon Theoph. Aquifol. Ital. Plinij lapsum. Theoph. arboris genus intelligi voluit crateogonon siue Cratægona, quàm Itali Aquifolium vocant.

Qui leget quæ scripsit Theophrast. lib. 3. c. 15. de cratægo, facilè insignem Plin. lapsum animaduertet: verba posuimus lib. 1. sub Sorbo torminali.

Agrifolium arbor Macrob. Ilicis genus Agreol. In Macrobii commentariis scriptum est, Agrifolii arboris nomen. Qua voce Ilicis genus etiam nunc Vascones vocant, inquit Scal. licet corrupta, Agreol.

Ruell. reprob. Ruell. scribit: Est Aria siue Agria, quam pro Ilice Aquifolia Dores vsurpant. Quibus verbis liquidò patet ipsum nullum discrimen facere inter Ariam & Agriam, quod tamen nostro iudicio non est parum, vt suo ostensum loco. Idem ait: *Ilex veterũ Ruell.* Aquifolium sibi videri, Veteribus nihil aliud fuisse, quàm Ilicem. Ilicis verò duo esse genera, minus & prolixius. Plinium tamen negare succi quicquam habere Aquifoliæ baccas: sed de ea forsan intellexisse, *Smilax eidem. Ilicis Aquifolia genus Ruell.* quam Græci Smilacem appellant. Et alibi: alterius Ilicis genus [Aquifoliam intelligens] maius perpetua fronde virens in iustam arborem prosilire, cùm sibi commodam nactum sit humum, caudice læui, folio pungente aculeo per ambitum armato, bacca punicea. Hac plerasque Galliarum syluas scatere: sed in multis locis tam pumilem arborem, tàmque crescendi pigram, vt ad frutices potiùs sit referenda. Vulgus Gallicum *Hous* aut *Housson* vocare, rusticis non ignotum, qui sæpè spinarum iniuriam experiantur. Quod si non sit generis Aquifoliæ Ilicis, parum tamen aut nihil differre videri. Subscribere iudicio suo permultos studio & doctrina insignes. *Glandiferam Ilex.* Glandiferam Ilicem Galliis esse rariorem, quàm vt sæpè conspiciatur. Satam tamen apud se in hortis creuisse, cingente robustam frondem spinarum vallo. Nec se clam esse, cratægum vel *Cratægon.* crategona Aquifolium in Italia, authore Plinio voca-

vocari. Non tamen simile veri, esse Ilicem Aquifoliam cū nā nullo ei reddatur folium aculeatum. Theophrasto neque esse arborem magnam &c. Mox subd. i: Theod. Gaza Aquifoliam intellexit, quam Theophrast. Agriam siue Ariam appellat, sempiternæ frondis arborem, inter Robur & Ilicem mediam. Sunt qui Smilacem Aquifoliam interpretētur, haud ferendo errore. Nam Arcades arborem faciunt Ilici similem, folio tamen non aculeato, molli, profundo, materie soluta & in opere tenera.

Non est Smilax

Iouis Barbam nonnulli contendunt esse quam Theophrast. Diospyron, id est Iouis sementem: [Sic enim apud Athen. legimus] alii Diospyron, id est, vt nonnulli vertunt, Iouis flammam: alii Iouis triticum malunt interpretari. Arbor extat Parisiis in peristylo sacrarum ædium D. Genouefæ: An Diospyros fuerit, inquit Ruell. asserere non ausim. Nimirum ad pauca respexit coniectatione sua. Nobis relatum Parisiensem illam esse Agrifolii arborem folio non spinoso, qualem supra diximus esse & fieri annosam. Si ea est, non placet pro Diospyro, nec etiam separanda à Gallorū Houx seu Aquifolio, quod Ruell. & eum sequuti aliqui facere velle videntur. Falluntur & ii, qui Pyxacantham esse putant Germ. Holz, Gall. *Hux*, Lat. *Aquifolium*, & meritò à Cordo reprehenduntur. Tragus fatetur se latere quo in loco hęc arbor (frutexue) apud Veteres descripta sit, ac videri sibi ne doctos quidem quicquam de illa cognouisse, nisi quòd Ruell. Aquifoliam appellet. Neque tamen Aquifoliam hic intelligi velle de qua Theophrast. lib. 3. cap. 15. scribit, syluestri Mespilo accensēs: (Cratęgus ibi nominatur, non Aquifolia.) neque etiam ad Ilicem Theophrast. hanc arborem referri posse. Se existimare syluestrem Lauri speciem esse, Latinè Laurum spineā, seu aculeigeram appellandam. Quod nomen ex Germanico mutuatus videtur, Germani enim Stechpalmen, quasi Palmam pungentem vocāt, quamuis Lauro longè similior sit, quàm Palmæ, quod facilè animaduertere potuit Tragus. Nec tamen stirpiū planè imperitus Lonicerus fidē hac in parte tribuit insigni & modesto Herbario Trago: sed ineptè non glandiferam arborem vult Ilicis Aquifoliæ Plinii genus, quod ex Ruellio, sed intempestiuè hausisse videtur. Ryffius quoque in Dioscor. com. Ilicem Aquifoliam magnam vocitat, fructu inutili: & figuram falsam apponit. Non enim fert baccas ex longis pediculis, vti pingit: sed & Monachi Ilicis genus putant de quo Theophrast. l. 1. hist. c. 15.

Iouis Barba. Diospyros. Theophr. illustr. Ruell. not. Pyxacantha non est. Trag. Syl. Lauri species. Lonic. carpitur. Ryffii error.

Hallucinantur ferè omnes Iuniores asserentes Loton esse Agrifolium, vt iidem notant, rectè statuentes non esse Loton. Id autem putabat Ruell. ob id à Matthiol. reprehensus. Aliquando inquit Matthiol. mihi persuasi, eum haud longè aberrare, qui dixerit Paliurum Africanum esse Agrifolium, quòd foliis sit vndique aculeatis, Loto maioribus, fructu Cedri, rotundo, rubro, nucleum intus habente, iucundo & gustui non ingrato: non tamen quòd pro certo hoc asserere velim, quòd hæc propria sit Africæ planta: Sed quòd aliquando his notis persuasus, putarim Paliurum hanc aut Agrifolium esse, aut omnino arborem ei similem. Plin. ex Theophrast. hanc ipsam literis mandauit l. 13. cap. 27. Sed cùm de viribus eius dissereret lib. 24. eam recensuit, quam & Dioscor. Nullam ego arborem hactenus reperi, quæ Paliuro Africanæ similitudine respondeat, præter Agrifolium, vt dixi: Non dico Aquifolium: ea est in Italia arbor, quam Theophrast. Crateogona vocat, omnibus ferè notis Mespilo similis. Illa verò quam Agrifolium appellamus, fructu est rotundo, lucido, rubro, Ruscum & Cedrum baccis æmulante. (in postr. Com. addit: nucleo etiam Rusco simili, albo crassoque: [quod falsum].) Huius radicum cortice incolæ Viscum parant, quo etiam modo ex Viburno conficiunt. Hanc non desunt, qui velint eam esse stirpem, quam Theophrast. Agriam siue Ariam appellat, sempiternæ frondis arborem, inter Robur & Ilicem mediam. At in postr. scribit idem Matthiol. Hallucinantur, qui Theophrast. Agriam siue Ariam faciunt: atque in eodem errore versantur, qui eandem existimāt eiusdem esse Crateogonon.

Lotus non est. Ruell. error. Paliurus Afric. Agrifolium. Aquifolii Matthiol. Vnde ab Agrifolio differre. Matth. reprob. Viscum. Agria.

Ita solet Matthiol. Palinodias suas canere, vt in alios fabam cudisse videatur. Sed falsum quod de fructu ait, iucundum esse & gustui non ingratum: & quæ de nucleo tradit, comminiscitur. Quid vocat Aquifolium in Italia? Erronea sanè opinio est existimare Agrifolium esse Paliurum Africanam. Plausibilior erat opinio Guiland. de zizipho, licet scribat impudentissimum Guilandinum somniasse, si somniauit, is vtique impudentissimè delirauit. Oppidò festiuum se putabat. Verùm distinctione illa Aquifolii & Agrifolii, quę nullius est momenti, quæ nulla innititur ratione, nullo sensu nullaque autoritate. Ita seu Dauus quidam Botanicus, perturbans omnia, rarò impunè istud nobis ferat. Quidni? de veritate agitur, de hominum salute, ac Studiosorum vtilitate.

Matth. Capt...

Nec ferendus crassus ille error Amati, quando *παλίουρον* putat esse Agrifolium Hisp. *Azebo*, Lusit. *Azinheiro*, Germ. Welbeer: sed nomen Germ. neutri conuenit. Verùm præstat eius verba audire, ne indicta causa damnatus videatur. Diosc. (infit ille) vt de re passim obuia, Paliuri exactā prætermisit historiam: vt tamen coniecturis assequi possumus, hic idem Paliurus Dioscor. cum eo à Plinio descriptus est, quem Theophrast. lib. 4. hist. cap. 4. priùs descripsit, & eum Afrum Paliurum vocant. Trahunt autem, inquit, in hanc me sententiam Plin. verba lib. 24. cap. 13. vbi Paliuri vires prosequitur: quæ ferè cum Diosc. ita habent: Paliurus quoque spinæ genus est, semen eius Afri Zuram vocant &c: quæ omnia cum iis, quę Dioscor. suo tribuit Paliuro conueniunt. Vocant hodiè fruticem istum rei rusticæ Scriptores Agrifolium, non verò Aquifolium &c: Hæc Amatus. Quem reprehendens Matthiol. non minùs crasso se implicat errore. Audiamus eum. In Paliuro, [inquit] Amatus confundens historiam, pede prolabitur. Siquidem putat Dioscor. Paliurum, & eam de qua Theophrast. lib. 3. c. 17. hist. tradidit, & Gal. lib. 8. simpl. illam esse arborem, quam Agrifolium uulgò vocamus. At tam Diosc. quàm Theophrast. Paliurus frutex est non arbor, & semen in siliquis profert, fuliginosum, mansu lentorem relinquens, seminis lini modo. Id quod in Agrifolio nusquam spectari potest, cùm Baccifera sit arbor. Nec propterea negauerim Agrifolium aliud esse Paliuri genus, quod [vt ipse quoque Theophrast. inquit lib. & cap. 4.] in Africa nascitur, quum notis omnibus illam referat. Verùm non ob id affirmauerim, Agrifolium alterum illud esse genus, quod siliquas profert. Sed cùm Amatus fortasse audierit Agrifolium inter Paliuri genera haberi, nec vnquam legerit Paliuri differentias apud Theophr. nulla adhibita distinctione pro omni Paliuro Agrifolium adducit. Quin & in hoc decipitur, quòd certò crediderit Paliurum à Plin. descriptam lib. 13. cap. 19. & à Theophrast. lib. & cap. 4. esse Dioscor. Paliurum. Error

Amati error. Paliurus. Zura. Agrifolium. Paliurus Amati. Aliud Paliuri genus Matth.

sanè per se patet, quòd Diosc. Paliurus semen in filiquis ferat: Theophrast. verò & Plin. citatis locis fructum ferat rubrum filiquis nullis insertum. Nam tametsi filiquarum non meminerit Diosc. sed tantùm seminis, quum tamen rara in arboribus sint semina, quæ filiquis vel vasculis quibuslibet non asseruentur, non temerè censeri potest Diosc. filiquas prætermisisse. Nam si de Africana Paliuro scripsisset is, fructus meminisset, non seminis. Adhæc, quum Theophr. Paliuro filiquas ferenti easdem tribuerit tum vires, tum qualitates, quas suæ reddidit Diosc. ambigendum sanè non est, quin Diosc. Paliurus semen in filiquis ferat. Hæc Matth. Qui frustra luctitans, & ipse in media lucta pede prolabitur. Nam nec Amati, nec Matthioli Paliurus est Agrifolium, ac vtraque opinio erronea. Quid autem Paliurum Theoph. & Diosc. existimemus, superioribus libris ostensum, & speciatim in historia Rhamni, nec opus hîc repetere: ad eum locum lectorem relegamus.

Amat. & Matth. opiniones falsa.

Sic & doctiss. Guilandinus. Matth. inquit, Paliurum Africanam falsò Agrifolium vulgò dici statuit, siquidem Agrifolium à Theoph. cratægus appellari videtur, quod non affirmo. Tanta fuit eruditissimi illius hominis modestia, vbi quid asserendum fuit de Veterum placitis. Sanè Paliurus Africana esse nequit, neque cratægon, cùm sit eius bacca iucundi saporis: Aquifolii verò neutiquam.

Cratægus Theoph.

Guiland. not.

Verùm & Lacuna nobis suas obtrudit ineptias, Agrifolium non solùm legitimam Paliurum statuere ausus, sed & fructum ipsum per se iucundum, atque si quis vinum infundat, tum ipsum suauiorem, tum vinum suauius reddi. Qui si vel baccas has degustasset [si modò vnquam vidit] vel merum iis imbutum hausisset, hanc vtique cantilenam non cecinisset.

Lacunæ ineptia explosa.

Paliurus, inquit Gesn. nobis incognitus est: nec senserim cum Amato, qui Ilicem Aquifoliam nostram [ipse Agrifolium nominat, & ab Aquifolio non rectè distinguit] Paliurum facit. Idem Gesn. Diospyron arborem, à Gaza Iouis flammam conuersam putat, cui hac in parte assentiri haud possumus.

Gesn. error.

Fuchs. quoque Aquifoliam Ilicem aliquando vocitabat. Ita & Goropius vocat, in Vertumno. Sed cur Ilicem vocent, non videmus, cùm ne species quidem eius sit. Non enim est glandifera, & natales Ilicum feraces, adeòque æstuosos odit, ut benè obseruauit Lob. Qui ideò Dioscoridi indictam putat, nec fortè valdè nota Græcis. Idem & Ruscum sylu. vocat. cratægon etiam esse negat Dod. qui nec Paliurum esse rectè scribit.

Non benè dicitur Ilex.

Solerius quoque apertè scribit nullam esse Paliuri speciem, vt Matthiol. opinatur, nisi quis ad coccygiam Plutar. Paliurum ablegare velit. Esse Aquifolium Plinij, Ariam siue Agriam Theophr. diuersam à Lauri & Paliuri generibus, quicquid dicant Tragus, Lonic. & Amatus. Ipse verò etiam Solerius non bene, nostro iudicio, confundit Arian & Agrian Theoph. distinctas plantas, vti dicebamus, quod & Curtius facit.

Coccygia Trag. Lonic. & Amat. not.

Solerij error.

Curtius taxat.

Harchius in Ench. Aquifoliam Rusco non absimilem scribit. Sed parua similitudine. Reuera enim Bos similior est Asino.

Harchius not.

Had. Iun. Agrifolium Italis Oxymyrsinen, hoc est, Ruscum sylucst. dici tradit. Quod an verum, & quàm rectè ipsi viderint. Idem ait, Ὀξυάκανθον, Theoph. voce non malè dici, aut à feritate aculeata foliorum ἀγρία, & ὀξυμυρσίνη ἀγρία. Sed non placet studio aliarum plantarum nomina huic affingi, quæ studiosis & incautis confusionem parere queant.

Oxymyrsine. Ruscus silu. Oxyacanthus.

Had. Iun. repreh.

Rob. Steph. cratægum putat. Verùm priùs dictum non esse. Et esse negant nobiscum Dodon. Pena & Lob. Herbarii non ignobiles.

Matthiolus [inquit Apollo] in Ruellium inuehitur, quòd Lotum eam plantam existimauerit, quæ Ital. Agrifolio dicitur. Ruell. autem aliorum sententiam refert, Matth. cauillatur.

Matth. cauillator.

Lotus.

An Agrifolium Anguillaræ? An hoc intelligit Varignana in secretis, vbi ait: Nabach est Agrifolium. Et alibi: Agrifolium & Gummi eius. Suspicamur tamen Varignanam diuersas plantas confundere. De Nabach alibi dictum.

Nabach.

Agrifolium Barbara vox est, vt notat Had. Iun. *Acrifolium*, Monachi habent. At *Aquifolium* & *Aquifoliam* legimus apud Plin. pro eodem. *Aquilentam* vocat Varro, à lentore insigni. Ita & *Toxites* vocat in suo Onomastico & Had. Iun. *Agriolum* Allobroges. Fortè *Aquifolium* dictum, quasi *Acutifolium*. Nam quid ipsi cum aqua? Græcis ἀγρία: non item ἀγία. vt quidam putarunt. Germ. Stechpalmen / Stechbaum / Stachender Palmenbaum / Stechapffel / Walddistel. Belg. Hulst / Steeckpalm. Gall. *Hous*, *Houss**n*. Allobroges speciatim *Arigle* vocant: Prouinciales, *Aubrepin*, vti nobis relatum. Solerius tamen notat iisdem *Greu* dici: Delphinatibus *Gren**n* & *Eygrenen*: Montbelgardensibus atque Burgundis, *du Pin*, *fol.* Vasconibus, *Agreol*, Hisp. *Azebo*, Lusit. *Azeuinho*, vti dictum antè. Angl. Holy.

Synonyma linguar.

Acrifolium.

Aquilenta Varronis.

Etymon.

Sed sunt qui geminas species facere voluerunt: vt Gesnerus: qui in lib. de hortis, postquam eam, quæ folio est spinoso dixit, addit: Est & alia species læui folio. Basileæ in suburbio D. Ioannis. Et Solerius apertè dicit: Agrifolii duo genera: vnum folia habet aculeis armata: aliud non aculeata. Hos sequutus C. Bauh. in aucto suo Matth. etiam nouam adiecit iconem, cui titulum fecit: Aquifolii varietas, cui ait, folium non fimbriatum, extremitatem leuem. Sed reuera neque distinctæ species esse videntur, neque propriè dicta varietas. Non distinctæ species, quia vti dicebamus, vetulæ arbori accedit tantùm, vt talis fiat. Non varietas speciei: quia hanc varietatem obseruauimus, non in tota arbore, sed in ramis quibusdam. Sæpè occurrent eiusmodi folia non spinosa, etiam in spinosissima Aquifolia, qui obseruare volet. Audiamus quid Cæsalpinus dixerit. Agrifolium, inquit, frutex est, folio aculeato, per ætatem arborescens Hederæ similis redditur, folio nequaquam fimbriato, nec pungente: flosculos candicantes gignit: baccas carne modica, subflaua & subdulci: officula intus tria aut quatuor, oblonga, striata & depressa. Hæc fortè Rigens erit Hedera apud Plin. Quæ descriptio Cæsalpini & nostram suprapositam confirmat, & demonstrat, quantùm fidendum Matth. descriptionibus, ostenditque falsitatem eius & Lacunæ in describendo Agrifolio, vt antea monuimus.

An eius sint differentia.

Spinosa.

Non spinosa.

Non esse distinctas species.

Descriptio Cæsalp.

Flosculi candicantes.

Officula.

Matth. arguit.

Videtur Plin. quidem lib. 27. c. 8. & aliam arborem pro Aquifolia accepisse, nempe cratægonon. Sed hic error iam suprà plus satis explosus. Cæterùm Aquifolii & Agrifoliæ nomine donantur diuersæ plantæ: inprimis verò & communi omnium consensu ea, de qua hîc agimus. Aquifolia Ilex dicitur de coccifera, vt dictum cap. præced. Aquifolii nomen tribuitur etiam Ilici arbori & Phellodry, vt cap. de Ilice ostensum. Pro Aquifolio Plin. & Agria, Anguillara Ilicis genus tradit, de quo nos cap. de Phellodry & Aria. Aquifolium & Cratægonem Theoph. quidem idem pu-

Aequiuoca.

Agrifolium.

Ilex coccifera.

Ilex arborea & Phellodrys.

Agria Anguill.

Phylica. putant, de quo sub Sorbo torminali. Phylicam Theophr. ut antè dictum, malè Gaza interpretatus est Aquifolium. *Laurus Tern.* Syluestrem Laurum Tragus Ruell. teste, Tinum dici notat, & nonnullis *Lotus arbor.* Aquifoliam. Ex historia Loti arboris satis apparet Agrifolii nomen ei attribui. Harchius in suo Enchiridio scripsit, Bruscum siue ruscum quibusdam dici Agrifolium. *Bryoniæ.* Apuleius ineptè Bryoniæ tribuit nomen Agrifolii. Agriofilon siue Pastinaca erratica *Pastinaca erratica.* Toxiti dicitur de Pastinaca sylu. Græcorum siue Staphylino sylu.

Locus. Gaudet hæc arbor locis incultis, vmbrosis, ac syluosis, desertis: quapropter eâ plæraque syluæ tam Galliæ quàm Germaniæ scatent. Hercynia. Saltus propè Saltzburgum: montes Burgundici, vbi sæpè obseruauimus pulcherrimas, quarum folia suprema erant Laurinis simillima, sine spinis. Iuxta fontes acidos: in montibus Sabaudicis: in montibus agri Basiliensis & totius Heluetiæ. Sed vix uspiam abundantiùs, quàm in fruticosa illa sylua propè thermas plumarias, vulgò Plumbares dictas, Lotharingiæ, quà ab iis Vrsulũ tenditur & vicinis locis: vbi plurimæ arborescentes conspiciuntur, & foliorum varietate prædicta. Monspelii: Patauii: Bononiæ: Tubingæ. In Anglia frequentissima. In calidioribus regionibus minùs altè fruticat, nisi colatur: sic etiam ægrè. *Cultus.* Schvvenck. notat Aquifolium Plinii in Silesia, sed tantùm in viridario D. Scholtzii Med. Vratisl. se vidisse. Antuerpienses monachi ordinis Franciscani, hortum suum, quem habent excultissimum sepiunt, teste Amato. Et nos quoque passim culturæ topiariæ in horto E.C. Montb. aptari curauimus, quam non inuenustè subit, hortumque perenni virore suo ornat. Sed non fœliciter adolescit, & virore magis placet, quàm multiplicatâ *Maxima arbor.* ramorum fronde. Eadem, vti refert Tragus in quibusdam syluis, nimirum, quam Den Ydar vocant, propè arcem Veldentiam, è regione Mosellæ fluuii, ita arborescit, vt reliquas arbores magnitudine & proceritate æquet. Vbi & in hoc genere videas, quæ humili statu contentæ, frutices potiùs, quàm arbores apparent. Hoc genus Aquifoliæ in saltu Haganouensi inter cæteras sentes & frutices luxuriat. Habentur & pulchræ arbores in horto Stuckardiano, & topiariæ. *Tempus.* Vere cœptuo germinat: floret Iunio, fructum maturat autumno, & subinde per hyemem arbori adhæret. Nam & Februario onustam baccis vidimus. *Eueniat lusus.* Euenit huic arbori quod Ilici: nam mirè ludit in foliis natura. Videas, quæ nullas omnino spinas, alia quæ vix vnam aut alteram, alia quæ plures: magna tamen ex parte quæ tota in ambitu rigidissimis spinis obuallata, à quibus & auiculas arceri credimus, vt baccæ diutiùs arbori adhæreant. Ita Curtius ait: in senectute folia eius vno tantùm vel duobus tribúsue aculeis per ambitum armari.

Insitio. Carol. Stephanus Arantiorum surculos Agrifolio commodè inseri monet. Si in teneras arbusculas inserantur Rosæ, producunt subuirides flores, vt peritissimos hortulanos expertos ait Camer.

Vires & Vsus. Aquifolii baccæ, si Dod. creditur, temperamento Calidæ sunt ac siccæ: tenuiorum item partium: *Colica.* & flatus discutiunt. Ad colicos dolores vtiles sunt, *Purgant.* crassos siquidè pituitosos humores per aluũ educunt x. aut xii. numero assũptæ, vt ab his accepisse se ait, qui earum experimentũ quandoq; fecerunt. De vsu huius arboris, inquit Tragus, nihil compertum habeo. Aniculæ eius folia vino aut potu iniecta, aduersus laterum dolorem morbúmque pleuriticum pollere tradunt. Experiatur qui volet. *Pleuritis.*

Sagminibus etiam frondes Aquifoliæ adiiciũtur. Vulgus diuturna superstitione seductum ac fascinatum, consecratas eius frondes supra fores, *Fulminis amuletum.* tàm ędium quàm stabulorum suspensas à fulminibus ea loca tuta seruare credit. *Contra Venefi. ia.* Sata etiam in domo, villàve. veneficia arcere creditur. *Superstitiosa.* Item baculum ex ea factum, in quoduis animal emissum, etiam si citrà, defectu emittentis, crediderit ipsum per sese recubitu propiùs adlabi, tàm præcipuam inesse arbori, vt Plin. ait, naturam. Flore eius aquam glaciari Pythagoras tradit. At nos præcipuam iis inesse superstitionem censemus qui istas nugas credunt.

Durities articulorũ à Luxatione. Radicum decocto, teste Matthiol. fouentur vtiliter articuli, qui priùs luxati duritiem contraxerunt, nam emollit & resoluit, tumores discutit, & ossa fracta ferruminat. *Fractura.* Id quod valentiùs præstat radicum ipsarum cortex excoctus & illitus. *Tussis.* Sunt qui folia valdè laudent contra pleuritidem *Ad arcendos mures.* tussim, in puluerem redacta & pota, nobis tamen non placent. Folia suspenduntur circa funes, è quibus salsæ carnes sub tecto pendent: prohibent enim suis aculeis ne mures accedant. *Scopæ.* Sunt, qui etiam scopas ad verrendas domos è foliosis virgis parant. Baccæ auiculis in alimentum cedunt. Ramis, quòd perpetuò virescat hæc arbor, hyeme ornãtur templorum fores & aræ, quos deinde in suas ędes deportant rustici, putantes hisce ramis fulgura inhibere, & fascino aduersari, gentilitatem superstitionem sectantes, à Plinio edoctæ. *Tubercula.* Radicis decocti fotu emolliuntur & relaxantur egregiè dura vniuersi corporis tubercula. *Teda. Garbion. Panos. Lophia. Elanæ.* Lignum ex Aquifolia confractum ac discissum, Tedæ modo vritur, autore Hermol. & à Græcis in hoc vsu Garbion vocari solet. Hoc & è Quercu fit, & alio nomine Panos & Phanos appellatur vulgo quoque, quemad. è Vitigeneo libro factæ lampades, Lophiæ dicuntur, & ex Arundinibus, Elanæ.

Visci parandi ratio. Fit & Viscum ex Aquifolia, potissimùm apud Gallos notante Ruell. hoc modo. Cortices detrahunt, & facta humi scrobe vliginosis maximè obruunt, frondibus arborum inuoluentes, & inibi putrescere patiuntur, quòd ferè duodenis diebus fieri solet. Tum marcidos eruunt, & tantisper pila tundunt, dum in Viscum lentescant. Demum in profluente, vt obhærentes corticum reliquiæ sordésque fluitent, proluũt, & adiecto olei nucum momẽto fictilibus recondũt ad aucupia. *Ad aucupia.* Nam ligã dis auium pennis præstat. Matth. ex radicis cortice fieri ait. Amatus ex radice simpliciter. *Eius noxa.* Sed hoc viscum, inquit Dod. non minùs nociuum est, quàm ex arboreo Visco præparatum: tenacissimum siquidem est: interanea omnia conglutinat: excrementum exitus contrahit ac claudit, atque hoc modo perniciem homini adfert, non qualitate aliqua, sed glutinosa sua substantia.

FAGVS LATINORVM: OXYA GRÆCORVM.

CAP. IV.

Descriptio. Materies. FAgus Latinorum arbor magna est, patula, ramis diffusa, caudice crasso & procero: mate-

rie firma, alba, maculata, cortice læui, subcinereo, mediocriter crasso. Senio confecta Trago cauatur, sicut & Quercus nonnullæ, ita vt si aliud domicilium non suppetat, commodè in eiusmodi cauernis habitare queas. Memoriç quoque proditum est, Æsculapium in caua Fago (si hæc intelligenda) Draconem nutriisse.

Draco Æsculapij. Folia.

Ante omnia sanè notatu digni in Fago oculi, seu longæ & squammatæ illæ gemmæ, quibus facilè vel media hyeme, omni nudata fronde, facilè à cæteris arboribus omnibus distingui potest. Ex vnciam circiter plùs minùs longæ, angustæ, exacutæ, & pungentes, vt & dentiscalpiorum vicem viatoribus haud inconcinnè præbere possint, inuolutæ tunicis rufis ac lucidis, continentes foliorum primordia, quibus emergentibus intumescunt gemmæ, & tunicæ illæ fatiscentes decidunt. Fortè ab his oculis Oxya dicta Theophr. quasi acuta: nisi quis malit à fructu echinato, qui acidus, vt sit quasi acetosa. Folia ad Populnea, vt plerique volunt potiùs ad Vlmea, quodammodo accedunt, minùsque rotunda illis, his figura penè similia, firmiora, læuia, & nonnihil lucida, integra. (exceptis quibusdam foliis in quibus aliquæ serraturæ, seu eminentiæ longæ ab inuicē distantes apparēt) & lanugine interdum, præsertim in ambitu obsita: sapore acido, præsertim nouella: quæ colore ab ortu ex luteo viridia sunt, notante Trago: mox saturatæ viriditatis, quorum auersæ partes, si pluuia, Solis æstu continuò adurente (Germani den Miltaw vocant: pernitiosum sanè pluuiæ genus, quippe quòd omnia, quæ attigerit, corrumpat,) infestatæ fuerint, è guttulis illius pluuiæ rubicantes ac concauæ Pilulæ subnascuntur, in quibus vermiculi procreantur. Ea excrementa sunt, quæ singulis penè annis obseruare liceat in foliis verrucarum modo extuberantia, & in acumen desinentia, caua, quæ in icone nostra sic satis benè exprimuntur, quorum & Plin. in descriptione Fagi meminit. Quo tempore folia erumpunt, apparent Iuli ex longis pediculis pendentes, rotundi, ex multis apicibus luteis constantes, qui facilè excedunt: nec tamen ii flores sunt propriè, quamuis ita nominent diligentes Botanici Tragus & Schuuēckf. flores enim manifestè distinguūtur ab istis Iulis: sunt enim villi vel capreoli aut fila quædam multa simul, cum apiculis quibusdam pallidis ac flauicantibus, inter quæ rudimenta echinata futuri fructus apparent. Sequuntur calyces echinati, angulosi, hispidi, sed non rigidis spinis, interna parte lanuginosi, carnosi satis & succulenti, gustu acidi, qui adaperti quatuor æquis portionibus diuiduntur: in quibus nuclei triangulares, læui & spadiceo cortice, qualis ferè in Castaneis, intra quem præter tenuem cuticulam, medulla alba, subdulcis, pinguis cum exigua quadam adstrictione, esui tamen grata. Hic fructus vbi maturuerit ex calyce echinato sua sponte decidit: qui si porcorum & murium gulam effugerit, vere appetente germinans è terra erumpit, binis per exortum latis & pinguibus foliis, quæ subinde plura alia consequuntur, donec in arborem tandem adolescat: id quod & Tragus obseruauit, & facilè omnes, qui volunt, obseruare possunt. Radices nec multas nec altas agit, pro arboris proportione, sed summæ terræ obhærentes.

Dentiscalpia.
Oxya vnde.
Pluuia pernitiosa Miltauuē.
Pilulæ. Vermiculi.
Iuli.
Tragus not. & Schuuenckf.
Flores.
Calyces echinati. Sapor.
Nuclei.
Primus exortus foliorum.
Radix.

Hæc Ὀξύη est apud Theophr. Scissimam vertit Gaza passim: quam vocem, vbi inuenerit ne Oedipus quidem dicat. Oxya, inquit Theoph. non habet differentias, sed simplex genere est, [mox tamen differentias agnoscit, vti patebit] erecta, læuis, enodis: tam crassitudine, quàm proceritate Abieti ferè æqualis, ac in cæteris quoque similis. Lignum verò coloratum, robustum ac neruosum: cortex læuis: folium crassum, integrum & indiuisum [ἀσχιδὲς enim legimus cum Const. pro δυσχιδὲς, vt in vulg. habetur: quamuis Gaza bifidum, & Dod. dissectum vertat, Cæsalp. difficile ad findendum.] longius quàm Pyro, minimè aculeatum, ἐξακανθίζον. Hic ἐξ in compositione vim habet τοῦ ἔξω, negátque & absentiam rei indicat, vt in ἐξονυχίζειν, & aliis multis, vt doctiss. Const. obseruauit: quamuis Gaza & eum plerique secuti extremo aculeatum conuerterint.] Radices nec multas habet nec profundas. Fructus læuis, glandosus, in echino, [καρπὸν βαλανώδη ἐν ἐχίνῳ,] non tamen spinoso, sed læui, ac miti, nec vti Castanea spinis armato, similis tamen illi dulcedine atque succo. Nascitur etiam in montibus, materie candida, & ad multa vtili. Etenim ad carpenta, lectos, mensarum, sellarúmque artificium, & ad nauigia. Campestris nigra, & ad prædicta minùs vtilis. Fructum tamen similem ferunt. Idem mox: Ostryn, Oxyæ, tam situ, seu vti Gaza vertit, corpore, [τῇ φύσει] quàm cortice similem facit. Dixerat autem priùs: Macedoniæ incolæ non florere existimant Ὀξύην, ἀγρίαν: Gaza vertit, Scissimam agrestem. Fortè legendum ὀξύην ἀσίαν Nam alibi ea vox Ὀξύη, quod equidem sciamus, non occurrit. Cæterùm non hîc proferimus loca Phegi seu Phagi ex Theoph. quia scimus diuersam esse à Fago Latinorum & Plinii. licèt Ruell. & alii ineptè confuderint.

Oxya Theophr. scissima. Gaza not.
Theoph. corr. & lust.
1 Differentia Montana.
Campestris. 2
Aliud Phagus Græcorum.
Aliud Phagus Latin. Ruell. error.

Plin. autem de Fago sic scribit: Glandes distant fructu, situ, sexu, sapore. Namque alia Fageæ glandi figura, alia Quernæ, & alia Ilignæ: atque inter se quoque generum singulorum differentiæ. Præterea sunt aliquæ syluestres, aliæ placidiores, quas culta obtinent. Iam etiam in montosis planísque distant: sicut & sexu mares & fœminæ. Item sapore. Dulcissima omnium Fagi, vt qua obsessos etiam homines durasse in oppido Chio, tradat Cornelius Alexander [si modò nostra Lat. intellig.] Genera distinguere non datur nominibus, quæ sunt alia alibi. Fagi glans nucleis [Castaneæ, Theoph. quem ὀξύην vocari diximus] similis, triangula cute includitur. Folium tenue [crassum Theoph.] ac leuissimum, Populo simile, celerrimè flauescens: & media parte plerumque gignens supernè paruulam baccam viridem, cacumine aculeatam. Glandem quæ propriè intelligitur non tribuit Fago Plinius. Nam & alibi postquam glandiferas alias genericas voces dixisset, Fagum veluti distinctam nominat. Poëtæ tamen, quibus omnia permissa, glandiferam dicunt. Imò ipse Plinius Fageam glandem, & Fagi glandem dixit. Ex Plinii itaque verbis adductis, & suis locis adducendis, satis clarum, eius Fagum eandem cum ea, quam hic descripsimus. Miramur sanè

Glandium distinctio.
Cibus obsessorum.

nè eum discrimen non statuisse inter Fagum Latinorum & Phagum Græcorum, nec demonstrasse Fagum eandem esse cum Oxya Theophr. præsertim cùm ex eius descriptione quædam excerpsisse videatur. Nec scimus quo nomine donet φηγὸν Theophrasti, nisi ei sit Esculus.

Fagi honos. Iupiter fagutalis. Fagus olim Troiæ magno in honore habita fuit. Et Latini Fagum suam perinde atque Græci suam Ioui consecrarunt, authore Goropio. Vnde Iupiter Fagutalis à luco Fageo dictus. Virgil. eam passim celebrat: Eclog. 2.

Fagina pocula.

——Duo tibi pocula ponam

Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis.

Eidem *patula* dicitur, *alta, frondosa, ardua, vorans, rudis, teres*. &c. Per tegmen autem patulæ Fagi nihil aliud intelligit, quàm Augusti patrocinium. Lusit idem Virgil. Grammaticos, dum, Fagineus axis dixit: quòd illud Homeri φήγινος ἄξων interpretari voluisse videretur, eo quòd sciret ex Oxya etiam axes fieri. Celebratæ & olim hastæ egregiæ ex ea fieri solitæ. Ideò fortè Theophrast. dixit æqualem fermè Abieti & ad similem quoque vsum comparari. *Fagi significatio Allegorica.* ἐγχεσίπαλον dici ab Homero prodit Porphyrius. Locum quærant otiosi.

Xanthus Lydus & Menecrates Elaita auctores sunt Fagum arborem apud Lydos Myson dici, & Olympum montem Fagorum syluis abundare: *Mysos.* Vnde Mysi populi, vt Strabo inquit & Eustachius.

Hallucinantur qui Oxyam Græcorum, ornum existimant, vti Pandectarius. *Pandectarij error.* Vetus interpres, vt notat Goropius, pro Oxya reddidit Fagoscissimam: nescimus vnde mutuatus sit scissimæ adiectionem, nec ille se scire fatetur. Tantò magis miramur Hermolaum, Ruellium & alios, alioqui doctissimos viros, etiamque bonos Latinos tàm implicita fide falsos, nostris, [id est, Latinis] scissimam appellari: Immò & Scaligerum emunctissimæ naris Philologum, ea voce vsum, quà nullus vnquam probatus autor, quod quidem sciamus, vsus sit. Non consuetam suam diligentiam adhibuit Tragus in Fago, cùm ait: Latinè Fagus, Græcè Phegos: aliud genus vocatur Scissima, Oxya, quod non prouenit apud nos: docti vocant etiam Myson. Hic triplex error. Fagus Latinorum non est Phegos Græcorum vt ille putat, sed Oxya: quod non aliud distinctum genus à Phago. Et nascitur apud nos Oxya. *Tragi triplex error.*

Constant. error. Nec placet à Const. in suo Lexico φηγὸν Theophrast. misceri cum Fago Plinii, quam tamen ipsemet alibi distinctam agnoscit. Fallitur igitur cùm ait: βάλανον φηγίνην, Fagea glans Plinio, ὁ τῆς φηγοῦ καρπὸς Theophrast. lib. 3. cap. 9. Haud enim Fagea Glans est ὁ τῆς φηγοῦ καρπὸς Theophr. vt ille citat. Immò ne φηγὸς quidem simpliciter. Quem eundem errorem committunt Ruell. Castor. Dur. Lacun. Curtius: Cornar. Ruff. Dod. Matthiol. Anguil: du Choul. Had. Iun. & postremus ille historiæ Germanicæ, Tabernamontani titulo editæ, Compilator. *Plurimorum Herbariorum error.* Adde his omnibus Lonicerum, qui nec ipse Phagum Græcorum & Latinorum distinguere nouit, ita námque scribit: Theophrasti duo genera, marem & fœminam, alii diuidunt in albam & nigram. Fagus nigra prouenit in agris, nec ita frequens: cortex eius crassius & hirsutus. (Bucheche) In medio folii solet prouenire bacca viridis acuta: fructus dulcis est, & triágularis: Oblectantur agrorum planicie. Fagum nigram, vocant aliqui scissimam, quia lignum eius facilè in assulas funditur, Græci vocant Oxyam. Hæc Lonic. qui non animaduertit Phegon Græcorum diuersam à Latinorum Fago, in qua nobis nondum cognita differentia à nigredine & albedine, ignota etiã nobis corticis hirsuties: nec nota Fagus, quæ oblectetur planitie agrorum. Ita vides paucos in re herbaria, qui scriberent, aut posteritatem docerent, securos suæ famæ, animaduertisse. Mirandum, hercle, in re tàm clara, tàm manifesta, addamus etiam tàm facili, quam vel sola collatio descriptionum Theophrast. & Plinii adductarum luce meridiana clariorem faciat: quam etiam claram fecerunt, Cordus; Pena, Lob. (qui tamen alibi eundem errorem committit, vt dicetur postea) Goropius, Girardus Anglus, Cæsalp. & Dalechamp.

Videtur tamen doctissimus Hermolaus aliquid subolfecisse, cùm ita scribit: Fagus ea, vt quidam scripserunt, quæ in tenuissimas secatur laminas, glandifera non est: Ideòque duo genera siue nomina Fagi sunt: glandem ferentis, materie scabra, quam Græci φηγὸν appellant, vt fructum quoque Hippocrates: & alterius, quam Græci Oxyam. *Glandiferam non esse.* Sed fallitur in eo quòd Fagum, vt dictum, ab hac Oxya distinguit. φηγὸς verò, vt dicebamus nobis videtur Esculus. *Phegos Hipp.* Et Ruell. ait: Fagus Græcis Phegos, glandiferis arboribus annumeratur: tametsi fructus nihil simile glandi habet. *Ruell. reprehen.* Cætera transcribit ex Hermol. eo non citato, & satis indistinctè. At Phegi fructus similis est glandi: immò ipsemet glans est: quanquam interim etiam nolimus dicere, Fagi fructum planè nihil simile habere cum Glande: nec glandiferis arboribus simpliciter annumerari: nam à Plinio veluti excludi iam antè dictum. Ne quisquam igitur posthac arbitretur φηγὸν Græcorum & Fagum Latinorum eandem esse arborem.

Dod. quoque in postr. suis scriptis aliquid subolfecit, quando inquit: Ad Fagi genus à nonnullis refertur quæ ὀξύη Theophrast. dicitur. *Dod. lapsus.* Sed fallitur tamen idem Dod. quando addit: Plinium & huius arboris meminisse, sed sub ostryæ nomine: si modò non per ostrya legendum sit Oxya l. 13. cap. 21. Nec sub Ostryæ, sed Fagi nomine apertissimè descripsit Plin. Et si Dod. sedulò caput Theophrast. vbi Oxyan describit perlegisset ac considerasset; deprehendisset, hanc & Ostryn siue Ostryam etiam Plinio dictam, ab eodem, ipsomet capite, satis clarè describi: [interposita tantùm historia Taxi.] nec suspicio eum incessisset, Plinii Ostryn mutandam in Oxyam, quum arbores reuera sint distinctæ. Tantò magis hallucinatur Girardus Anglus, qui Oxyam Theophrast. putauit esse Ostryam Plinii, quem suam opinionem sorpsisse ex Dodon. suspicamur. *Gerardi error.* Itaque nullius momenti illa correctio Dodonæi apud Plinium, qua in Ostryæ descriptione, pro semine hordeo simili, putat legendum, semine Castaneæ simili. *Dod. temeritas.* Nos Ostryn Plin. eandem cum Ostry Theophr. censemus, de qua lib. seq. sub Fago sepium, diuersa ab Oxya Theophrast. *Ostry: Plinij Theophrast. eadem.*

Nescit quid velit Io. Ferus, dum in Genesin cap. 1. Fagum nullum fructum ferre ait, sed semen. *Io. Ferus, castig.* quæ hæc subtilitas? Siue Fagum hanc nostram intelligat, siue Fagum sepium, siue etiam multorum imitatione φηγὸν Græcorum, & fructum ferre & semen, si rectè nouerit, intelliget. Quid discriminis facit inter fructum & semen nescimus: nisi fortè maiores fructus, fructus: minores, semina cum vulgo dicere velit. At ne nesciat ille, & semẽ fructus est, quamuis non totus vel totum fructus, semen sit. Hæc ad Physicam pertinent, cuius nos non partem tantùm, sed totam profitemur. Su-

Digitized by Google

spicamur ei fortè visam aut cognitam Fagum sepium, quæ parua fert semina, loco fructus, ideóque in ea suam subtilitatem exercere voluisse.

Lob. taxat. Quamuis autem Lob. in Adu. Fagum agnouerit esse ὀξύας Theophrast. tamen in suis obseruationibus hallucinatur, cùm scribit, Fagum Dioscor. quercus generi assignare, & consimile munus obire: nam in omnibus operibus ferè à Quercu differt Fagus Latinorum: igitur per φηγὸν Dioscor. hanc non intelligit, vt Lob. sui immemor tradidit.

Fagus species Quercus Pausaniæ. Du Choul annotat Pausaniam in Arcadum syluis, diuersas esse Quercus prodidisse, quarum alias πλατυφύλλους alias Fagos appellat. Non est nobis ad manus Pausaniæ Codex, hæc commentantibus: fortè φηγὸς habet. Idem du Choul Fagum, glandiferam arborem agnoscit, sed glande intus triangula Et tamen paulò pòst, parum sui memor, subdit: De oxya, quam Sciffi nam dicunt, non possum confirmare an glandiferarum in numero rectè possit collocari: fructus in calyce molli, castaneæ similis dulcedine atque succo. Sed hanc eius hæsitationem variationémque peperit error ille communis, quòd nesciuerit Fagum Latinorum esse Oxyam siue Sciffimam, differentem à Phego Græcorum: quod toties inculcare pigeret, ni errorum varietas id fieri postularet.

Du Choul reprob.

Matth. & Hist. Lugd. lapsus. Matth. in prioribus com. vitiosam figuram habet, potiùs Fagum sepium exprimentem. In postremis meliorem, vbi tamen nullam Oxyæ mentionem facit. Hist. Lugd. more suo duas icones ponit: priorem cum serrato folio, quę falsa ad falsam Matth. iconem facta: alteram ex Dodon. bonam.

Synonyma ling. Dicitur itaque ὀξύη & ὀξύα Græcis, etiámque ὀξύνη. Theophrast. nisi mendosus sit codex, & ὀξέα Hesychio. Goropius passim *Oxeam* vocat, qui sciuit tamen *Oxyam* Theoph. dici, quem toties citat. Et quid prodest Græcum ampliùs retinuisse nomen in schola Latina, si Latinum suppetat. Idem *Battarum* à Bassaro Baccho nuncupatam fuisse credit. Quid vocis sit *Battarum* nescimus. Eidem in Hieroglyph. Boek arbor, Grecis Oxea, Latin. Fagus. Fructus ὁ τῆς ὀξύης [non φηγοῦ, vt Const.] καρπὸς Theoph. Possis & dicere κάρυον ὀξύινον. Nuces Fagi. Lydi Myson vocant arborem. Bellon. annotat etiamnum hodie in monte Athos vocari, Oxya, & in Macedonia, Oxyas. Arab. *Chinaos*, aut *Chiaeas*, Germ. Buchbaum/Buche. Fructum Buchnüßlin/ Bucheychel/ & Buchäckerle. Gal. *Fau, Fauteau, Fayant, Hestre*: fructum, *Fayne*. Montbelgardi vocant arborem, *des Ate, & des Fo*. Belg. Bueckenboom/Boeckboom: Fr. Buecken noots kens. Angl. The Beech/& Beech tree. Ital. *Fagio*, & *Fagia*, & *Faggi*. Matth. in postr. com. Ital. ait, fructum in Hetruria dici *Faggiuola*. Hisp. Castil. *Haya*; Catal. *Fax*: Portug. *Faia*. Hung. bikfa. Frustrà Curtius duo eius genera nobis conatur obtrudere, non animaduertens ὀξύας quam malè ὀξύας vocat, eandem esse cum Fago eius priore seu Latinorum, à Phego distinctam.

Battarus. Boek.

Myson. Oxya. Oxyas. Chinaos. Chiaeas.

Curtij error.

Locus. Oxyam Theophr. tàm planis quàm Montibus prouenire ait, quanquam differentiam quandam inter vtramque faciat, vti dictum. In Esquiliis olim, vt prodidit Varro l. b. 4. de ling. Lat. fuit lucus Fagutalis, & Virarum Querquetulanum sacellum: & lucus Mefitis. Viras Festus dictas vult Nymphas, quæ præsident Querceto virescenti, χλωρὶδ᾽ ἐπ᾽ ἀλσώδεας, notante Dal. Ex eo loco Plin. Syluarum distinguebantur [Scandulæ] insignibus, Fagutali Ioui [Fagutalis Ionis Dal.] etiam nunc, vbi lucus Fageus fuit, porta Querquetulana. vet.] colle in quem vimina petebantur, totque lucis, quibusdam & geminis. Dixerat autem & paulò antè Scandulas è Fago aptissimas. Hæc obiter. Iul. Cæsar lib. 5. de Bell. Gall. tradit in Britannia materiam cuiuscunque generis esse, vt in Gallia, præter Fagum & Abietem. An idem hodie verum, viderint incolę. Per totam Germaniam familiaris est: amat & montosa sed humentia, & plana. Nam & Plin. teste, descendit in plana. In monte Athos abundat, & in Macedonię montibus: Bellon. In Carinthiæ Stirię & Carniolę syluis Matth. Nostra cura passim sepibus topiarus inserta in horto Montb. Vbi & in horto D. Viroti vexilliferi E.C. perelegans & amplum vmbraculum olim mandatò Illustr. D. Georgii Patris Illust. Principis Frid. Ducis VVirt. &c. plantatum, quod nec Solis radios circa meridiem, nec pluuias, ac vix guttulas aliquas imbrium admittebat.

Lucus Fagutalis.

Plin. illustr. Lucus Fageus.

Scandula à Fago.

Cultura.

Tempus. Floret & frondem protrudit communiter Martio. Fructus Septembri cum castanea maturatur. Arborum fertilitas omnium ferè alternat, inquit Plin. sed maximè Fagi. Excrementa verrucosa in foliis obseruauimus Iunio: Maio & Iulio proueniunt illi. Porci fructu saginantur Nouembri.

Seniorum error de Metamorphosi Fagi in Betulam. Constanter, inquit Goropius, Sonii saltus incolę affirmant, Fago cęsa, subnasci ex eodem trunco Betulam, se tamen vt credat, vix adduci posse. Et meritò non credendum. Sed potiùs, si quando Fago Betula succrescit existimandum Betulæ semen ob tenuitatem à ventis facilè transferri. Ergo nactum solum & terram commodam facilè apprehendit. Talis solet esse, vbi Fagi proueniunt, quarum trunci & radices, excisa arbore, facilè putrescunt, ac terrã leuem efficiunt, quam facile subeat Betulę semen, & germinet. Betula namque terra pingui & crassa aut saxosa semine non bene prouenit: at leui facillimè.

Vires & vsus. Faginea glans, tradente Trago, nonnihil calidę obtinet qualitatis, porcis muribus & turdis hyberno cibo gratissima. Rarus in medicina vsus est. Fagi folia, authore Plin. manducantur in gingiuarum labiorúmque vitiis. Calculis [Oculis M. Gallis. Guill.] glandis Fagineę cinis illinitur: item cum melle Alopeciis. Folia recentia tusa & imposita, calidis tumoribus prosunt, eósque discutiunt. Aqua quę in cauis Fagis & annosis Quercubus quandoque reperitur, singulari remedio ad omnis generis scabiem & impetigines Lichenásque facit, quod seipsum in pecoribus & hominibus expertum scribit idem Tragus. Vipera, teste Ruell. Faginei ramuli iactu vel oblatu cohibetur. Hæc verò ante Ruellium à Plutarcho quoque prodita. Sed vehementer dubitamus an hæc insit nostræ Fago. Cohiberi posset vel alterius alicuius arboris ramulo, ne videlicet vlteriùs procreperet. Verùm non ita intelligit Plutarchus. Experiri id possunt Pharmacopœi Patauini, qui Verno tempore ad montes Euganeos proficiscuntur, viperas venatum pro theriaca. Quidam dicunt, inquit Tragus, Faginas glandes vstas & mixtas cum axungia porcina applicatas calidè lumbis, conferre calculosis, quod & Matthiol. confirmat. Glires Fagina glande maximè delectantur ac pinguescunt. Quamobrem cùm eius aduenit maturitas, teste Matth. innumeri capiuntur Glires in Carniolæ, Stiriæ & Carinthiæ syluis: quippe iis in locis incolas manè videas, qui saccos Gliribus plenos ferant, vna tantùm nocte captos. Delectantur Fagi fructu etiam mures: siquidem è longinquis regionibus natura ducti gregatim syluas ingrediuntur. Item & Sciuris gratissimus est cibus.

Tumores calidi.

Aqua Fagi ad Scabiem. Impetigo. Lichen.

Contra Viperam.

Glires saginat.

Murium cibus. Sciuris etiam.

bus, ac etiam turdis, merulis, aliisque compluribus volatilibus. Glans Fagea suem hilarem facit, carnem coquibilem, ac leuem & vtilem stomacho. Et sanè in Germaniæ multis locis, præsertim in Saxonia sues iis saginari nobis relatum. Fagi folia esitata, labiorum gingiuarúmque vitiis mirificè opitulari: tusa item torpentia membra corroborare Matth. asserit. Dod. eadem folia refrigerant, vtiliterq; applicantur pustulis & vlceribus. Nucleus nonnihil humidus & calidus, cuius licet non multus vsus sit in hominibus, dulcis tamen est & esui gratus, vtilis ferè ad omnia, ad quæ Pinei nuclei: vt idem vult. At nobis sanè obseruatum, Fagineam glandem, potissimùm virentem & nondum exiccatam, si paulò copiosiùs comedatur, Lolii instar, caput turbare, ac ipsos etiam sues afferunt, eius esu turbulentos reddi, & tandem obdormiscere: id quod etiam Schvvenckf. testatur: qui ait, caput tentare, & inebriare eos, qui nimiùm comederint. Fertur pinguedo suum eiusmodi Fagineis glandibus saginatorum mollior, quæque dum coquitur, magis liquescat. Nolumus itaque has nobilissimis ac innocuis Pineis nucleis ferè pares dicere cum Dod. qui & ipse in postr. suis scriptis meritò omisit illa verba: sed addit: Feruntur renum ex calculo dolores, si edantur, mitigare, & ad Calculorum ac arenularum faciliorem exitum prodesse. Delectantur iisdem Columbæ. Est & esca vesis quæsita, inquit Lob. & pauperculæ plebi, regionibus calidis & frigidis: sed quas Calidas intelligat, notare debuit. Oleo ex ea expresso paupercula plebs tempore quadragesimali loco butyri vtitur, teste Schvvěk. Sed præcipua nobilitas, vtilitasque meritò quoque habeatur illa quā Poetarum maximus Virgil. celebrat: Eclog. 5.

------In viridi nuper quæ Cortice Fagi
Carmina descripsi: & modulans alterna notaui.

Et Plinius lib. 16 cap 9. Scribit in recenti cortice ad duces explorator, incidens literas à succo. [incisas literas tegēte succo Dal.] [Literis ob succi madorem non conspicuis, & cùm siccatus fuerit cortex apparentibus.] Nec non in quodam vsu sacrorum religiosus est Fagi cortex. Sed non durat arbor ipsa. [subaudi, cortice spoliata.] P. Crescentius scribit Cinerem Fagi posse assumi ad conficienda vitra.

Theophrast. humidissimam oxyam dicit: lectulósque ex ea cedentes & obsequiosos confici: eadem in minoribus nauibus commodam: atque in totum ex hac testudinem (χέλυσμα: lignum carinis affigi solitum, ne dum subducuntur, lacerentur vel offendantur) condi solitam. Præstare item ad plaustrorum vehiculorúmque vilem fabricam. Denique hanc in aqua permanere incorruptam posse, madefactamque reddi meliorem. Cortex Fagi, inquit Plin. Tiliæ, Abieti, piceæ, in magno vsu agrestium. Vasa corbésque ac patentiora quædam messibus conuehendis vindemiisq; faciunt, atque pretexta tuguriorum.

Facilis & in opere Fagus, quanquam fragilis & tenera. Eadem & sectilibus laminis in tenuia flexilis, capsisque ac scriniis sola vtilis. Fagis pectines transuersi in pulpa. Apud antiquos & inde vasis honos. Pocula Fagina Alcimedontis, cælato opere facta supra dicta ex Virg. Miramur sanè oxyan Theophrast. & Fagum Plinii olim in tàm nobiles vsus vocatam, maximè eius materiem, quam scimus facilè putrescere, nisi sit perpetuò tecta aut in aqua sēper mersa, quod sæpè nobis obseruatum in lignis ad vrendum sectis. Si enim sub dio maneant non tecta & madescant, facilè corrumpuntur, & ad ignem inutilia redduntur: alioqui inter nobis nota ligna ad focum & carbones vtilissima & præ aliis expetita. Iam si ad formam spectemus, quæ quæso in hoc ligno elegantia, inter tot alia, & tàm nobilissima ligna, vt ad cælata opera sit adhibitum? Non facilè dixerimus aliam oxyam Theophrastum, aliam Fagum Plinium à nostra Fago intellexisse: hoc enim vetat vtriusque descriptio tam eximiè & apertè huic nostræ quadrans. Sed multùm potuit Veterum superstitio in rem aliquam, alioqui per se nec valdè pulchram.

Scandulis Faginis quas Plin. post Roboreas aptissimas dicit, hodiè longè præferuntur Quercinæ. Immò inutiles habentur Faginæ, ob modò dictam causam. Nos concedimus Plinio capsis ac scriniis solam Fagum vtilem. Multa alia hodiè præferuntur. Et ipsemet Plin. fragilem & teneram fatetur. Quanquam ad crassiora firmioráque opera nobis satis firma videatur, vt ad plaustra, & similia. Multa quoque vtensilia ex ligno Fagi cōfici solent, & plæraque instrumenta agriculturæ. Annotat Tragus, Fagum in aquis durare incorruptam, madefactámque firmiorem reddi, ædificiis aquaticis accommodatissimam. Theophrast. idem dixerat priùs.

Sed non postremus vsus eius, quòd in tenuissimas laminas flexiles dissecta, ensium vaginis firmandis interseritur, ad id cultrariis hodie sola vsitata.

Iucundum saltem auditu est, quod Io. Colerus tradit, quomodo scilicet in Festo omnium Sanctorum experiri liceat qualis hyems ventura sit: Illo ipso die, inquit, in syluam abito] vt rescissas num hyems calida aut frigida futura sit) ad Fagum, ex ipsa assulam recidito; & siquidem fuerit sicca: hyemem expectabis calidam affuturam. Sin verò fuerit humida, hyemem sperabis frigidam aduenturam.

Suum sagina. Esus. Ind. reprob. Calculus & arenulis, & ab iis dolor. Columbarum cibus. Oleum. Cortici Fagi carmen inscriptum. Cinis ad vitra. Ligni vsus. Plaustra. Vasa. Plin. not. Ad vaginas. Prognostic tempestatum.

CASTANEA.

CAP. V.



Dictum de Quercu, Ilice, Agrifolia, Fago Latinorum. Venit nunc recensenda Castanea inter glandiferas, licet ipsa glandem non ferat, sed Castaneam. Verùm vt Glans includitur cupula seu calyce, sic & Castanea si addas echinatum. Primùm omnium exerit virgas Phœniceas Castanea, quæ temporis progressu in magnam altam & crassam arborem excrescunt, Quercuúmque annosarum crassitudinem adipiscitur. Cortice vestitur lęui, maculoso, subnigro. Est vbi & in cinereum vergat, sed potissimùm in ramorum extremis & iunioribus arbusculis. Materies robusta, non sentiens putre-

Descriptio. Cortex. Materies.

Carbones. dinem, in igne multùm crepitat: cuius carbones statim extinguuntur, proinde fabris ferrariis expetiti. *Folia.* Folia gerit ampla & magna, vncias duas plùs minùs lata, quatuor aut quinque longa, tenuia, serræ instar incisa, nonnihil rugosa, transuersis multis venis in dorso eminentibus à media insigni costa extensa, fructum præcedunt nucamenta dependentia, insignis longitudinis, luteolis apicibus cõstantia. *Nucamenta. Calyx echinatus. Nux.* Fert calyces echinatos, pungentes, erinaceis similes, qui intus, villosi serici instar, tactu molles sunt. In quo continentur binæ aut ternæ nuces, aliàs vnica, ex lata basi in acumen desinentes, compressæ, altitudine vnciali, plus minùs, interdum & vna parte in ventrem extuberantes, cordis formam quodammodò, vt vulgò pingi solet, æmulantes: *Cortices.* cortice exteriùs obductæ, non crasso sed veluti coriaceo, duro ac lento, exteriùs spadiceo ac læui, excepta basi scabriore & subcinerea, (qua parte adhæsit) internè incana lanugine molli pubescente, cui subiacet alius tenuior cortex siue membrana rufa, crispa & fissuris glandis sese insinuans, fragilis, amaricans & adstringens, *Nucleus.* nucleum siue glandem continẽs albam, callosam, solidam ac duram satis, qualis glandium ferè Quercus, sed dulcem & gratam palatui, potissimùm si cocta fuerit.

Cur echino à natura munitę videantur Lacunæ, dicetur in viribus.

Differentia & varietates. Castaneæ plures obseruatæ species, Vulgata quæ modò descripta: humilis seu racemosa: Equina dicta: & deinde quædam aliæ exoticæ infrà describendę. *Vulgata varietates.* Sed ipsa quoque vulgata suas differentias ac varietates habet, potissimùm in fructu, vt à vulgo discernuntur: *Magna.* Magni, mediocres & parui. Magnæ castaneæ reuera à mediocribus non differunt, sed post vindemias quæstus causa, aut gratia muneris, maiores à minoribus seliguntur: *Marrones.* Maiores, vulgus Gallorum *Marrons*, *Marones* Ruell. *Marrones* Curtius vocat: cuius nominis ratio adhuc incomperta nobis est, amplitudine & saporis suauitate commendatissimę. Hæ lautiores diuitum mensas claudunt. *Communes.* Reliquæ communiter castaneæ dicuntur, & pauperum saturant ieiunia, quamuis & promiscuè ad vulgi mensas admittantur. Illas cineribus obrutas priùs torrent igni: has & torrent quoque & frequentiùs in aqua excoquunt ad satiandam plebeiam auiditatem: *Populares.* vnde Populares Plinio dictæ videntur. Tales Lugduni & passim apud Allobroges videas venales adhuc ab elixatione calidas haberi, & à mulierculis per plateas & compita circumferri, clamando patrio idiomate, *Chattagny chodi, tutti chodi*. Adhuc calere, vociferantur. *Minores & feræ.* Sed habentur & minimæ ac veluti feræ, vix vngues digitorum, ac rarò pollicis æquant aut superant, quarum vix decem aut duodecim vnam magnam pendeant. Videntur & callo esse solutiore, gustuq; prędictis longè inferiores. An id cultus faciat, vel locus, vel speciei quædam sit varietas, considerandum. Ruell. sanè duo agnouit genera: maiora, & minora, veluti sunt feræ. Nullo autem nominis alio discrimine hodiè separantur, tametsi figura, magnitudine, dotéque haud parum inter se differant. At Cordus tria facit genera: *Syluestre.* vnum syluestre: & duo satiuarum: minores & maiores. Sed in his ita se res habet vti dictum. Matth. satiuas & syluestres tantùm in Hetruria agnoscit, & duo genera dicit.

Differentia veterum. Tarentina ... Salariana. Olim plura habebantur genera, vt legitur apud Plin. Tarentinæ faciles, nec operoso sunt cibo, planæ figura. Rotundior, quæ Balanitis vocatur, purgabilis maximè & spontè prosiliens. Pura & plana est ex eis & Salariana: Tarentina minùs tractabilis. Laudatior Corelliana, & ex ea facta, quo docemus in insitis modo. *Corelliana.* Meterana, quam rubens cortex præfert triangulis, [rubenti cortice, quam vulgus præfert.] & popularibus nigris, quæ coctiuæ vocantur. *Meterana. Triangula. Populares nigræ seu Coctiuæ.* Patria laudatissimus Tarentum, & in Campania Neapolis. *Differentia à loco.* Cæteræ suum pabulo gignuntur, scrupulosa corticis, intra nucleos quoque ruminatione. Vel, vt Dal. legit, & clariùs: scrupulosi corticis interioris circa nucleos quoque ferruminatione. Nimirum, tanto adhæsu, & tàm arcto, vt interior cortex glutinatus cum nucleo, solidatus ferruminatusq; videatur, ideóq; ab eo separari & diuelli nequeat, quod vitium est. Has postremas Lonic. Plinii differentias adducens, ac si sibi vel hodie cognitæ essent, lapideas porcorum ineptè appellauit. *Lonic. not. Lapidea porcorum.* Videtur autem Plin. octo genera fecisse. Nec dubium, inquit Bruer. quin hodie multò plura inueniantur ingenio hominis nihil intentatum relinquente.

Varia porrò est authorum de castanea historia, videntúrque sibi in ipsa nominum varietate placuisse, vnde historia dubia magis ac anceps non ritè aduertentibus appareat.

Primùm non conuenit, an Nuces dicendæ, an Glandes, Pomorúmque generi accensendæ. *Caria seu Nuces latæ Hipp. Cornar. reprob.* Hipp. sanè lib. 2. de Diæta κάρυα πλατέα dicit, hoc est, Nuces latas: quo loco Cornar. vt dicetur in viribus, πέπονα conuertit maturas, cùm potiùs nostro iudicio coctas vertere debuisset: quales Virg. molles dixit Eclog. 1. *Castanea molles.*

—Sunt nobis mitia Poma,
Castaneæ molles & pressi copia lactis.

Seruius reprob. Quanquam Seruius exponat quoque castaneas molles, maturas, castaneas nullas nouimus, aut ab authoribus descriptas legimus, quæ maturitate molles euadant, rapidiores quidem redduntur, gelu molles euadunt, sed tunc esu inutiles. Coctione verò in aqua, aut sub prunis tales redduntur. Ex Turner. tamen sententia non ab re fuerit, *Virgilius def.* earum certum genus intelligere, quum interpres Nicandri castanearum quoddam genus μαλακὸν, id est, molle appellet. Sic enim scribit. τῶν δὲ καστάνων τὸ μὲν σάρδιον, τὸ δὲ λόπιμον, τὸ δὲ μαλακὸν, τὸ δὲ πυμολικόν. Nec ideò ab errore vindicabitur Seruius & Frisius & quicunque eos secuti sunt, qui non speciem aliquam peculiarem, sed in genere benè maturam intellexerunt. *Differenti. interp. Nic.* Idem Virg. Ecl. 2. Nuces dixit:

Castaneásque nuces, mea quas Amaryllis amabat.

Nuces inquit Plin. vocamus & castaneas, quanquam accommodatiores glandium generi. Castanea, nostro iudicio, Theophrast. est Διὸς βάλανος, *Dios Balanos seu Iouis Glans Theophr.* quod facilè probauerimus vel ex illo loco, qui habetur lib. 3. c. 10. vbi ait, Oxyæ fructum [quam Fagum esse Plin. & Latinorum, antea declaratum.] *Theoph. illustr.* læuem esse & glandosum in echino, sed non spinoso, verùm miti, nec vt Διὸς βάλανος seu castanea [ita & Gaza vertit] spinoso. Quomodo clariùs potuisset insinuare castaneæ fructum, quàm Oxyę cum illo conferendo fateri quidem habere echinum, sed non, vt Διὸς βάλανος, ἀκανθώδη: Similem tamen illi esse dulcedine atque succo? Sic & cap. 6. eiusdem lib. castaneam intelligimus, vbi ait: Quidam Quercum, Nucem Auellanam & Διὸς βάλανον florere existimant: alii non. Vbi iterum Gaza castaneam conuertit, & rectè. Vbi pro Nuce auellana, ἡρακλεώτις καρύα legitur. Sed quando idem Gaza eodem cap. pro καρύα simpliciter, reponit Nux Iuglans, fallitur: nos Auellanam intelligimus: quæ [quod ille ait] sicut & Διὸς βάλανος, i. castanea, [etiam Gazæ] maturè germinat. Et rursus: fructum reddit καρύα [Nux Iuglans, Gaza, nobis

bis Auellana) autumno: διὸς βάλανος seu Castanea, serius: nam circa Vergiliarum occasum. Et cap.7. κάχρυ (Amentum Gaza: nos seruata voce Græca malimus Cachryn reponere.) habet καρύα (Nux Iuglans Gaza:) καὶ διὸς βάλανος (Castanea. Idem ait: Syluestris καρύα (Nux glans Gaza) atque διὸς βάλανος (Castanea Gaza) frigoris cupidæ montanæque sunt. Ast nobis Iuglans minimè videtur frigoris cupida: gelu enim facilè perditur. Considerandum an non intelligat καρύαν ἡρακλεωτικήν, quæ etiam lib.3. cap.15. simpliciter dicitur καρύα, folio Betulæ, vt fusiùs explicatum sub Auellana. De Castanea facilè id concedimus, experientia nō reclamante, & ipso etiam Theophrast. lib.3. cap.4. dicente, διὸς βάλανον montium esse propriam, quod an simpliciter verum, in loco patebit. Hæc itaque Theophrast. de Castanea, quam διὸς βάλανον vocat, habet.

Sardiana Balanus. Diosc.

Dioscor. Σαρδιαναὶ βάλανοι, quas aliqui Λόπιμα, aut Λοπίμα, aut Μότα, aut Διὸς βαλάνους appellant. Quidam pro μότα, legendum putant ἄμωτα, vt apud Athen.

Eleganter, vt omnia, Plinius: Armatum iis echinato calyce vallum, quod inchoatum glandibus. Mirúmque, vilissima esse, quæ tanta occultauerit cura natura. Trini quibusdam partus ex vno calyce, cortéxque lentus. Proxima verò corpori membrana, & in his & in nucibus saporem, ni detrahatur, infestat. Sardibus eæ prouenere primùm. Ideò apud Græcos Sardianos (Sardinianos Turn.) balanos appellant. Nam D. Tiberius postea Balanum nomen imposuit, (Nam διὸς βάλανον postea nomen imposuere,) excellentioribus satu factis. Item alibi: quorundam extrà gemina geminantur vitia, vt in Castaneis. Putamine clauduntur nuces, corio Castaneæ.

Sardiani Balani Plin. & Diosc. Dios Balanos.

Cæterùm Dalech. apud Theophrast. lib. 4. cap. 6. Euboicas nuces, quarum multæ in Eubœa habentur vult esse Castaneas, quas (inquit) posterior ætas glandes Euboicas & Sardianas vocauit, vt est apud Athen. lib.2. Sed si Euboicæ Theophrast. sunt Castaneæ, vt vult Dalechamp. ex Athen. Diosbalanos eiusdem Theophrast. non potest esse, quia manifestè separat Euboicas nuces à Diosbalano, qui paulò ante dixerat διὸς βάλανον [Castaneam, Gaza.] plurimam nasci in Tmolo & Olympo. Athen. sanè Diosbalanon eandem nobis videtur facere cum Iuglande: ita etiam interpretatus est ipse Dalech. Verùm Diosbalanum Theoph. dicere non possumus esse Iuglandem: quandoquidem ait: Caryan & Diosbalanon frigoris cupidas montanásque, quod planè repugnat naturæ Iuglandis: qua occasione improbauimus Gazę versionem καρύαν Nucem Iuglandem interpretantis: nos verò, uti dicebamus, eo loco per καρύαν intelligimus eā, quę dicitur ἡρακλεωτικὴ id est, Auellanam. Quæ apud Theophrast. traduntur de Diosbalano à nobis paulò antè citata, respondent castaneæ. Adde quod etiam Diosc. vti dictū κάστανα vocat διὸς βαλάνους. Hermol. Ruell. Cæsalp. & alii idem faciunt.

Euboica Theophr. Glans Euboica. Glans Sardiana. Dalech. opinio refut.

Theoph. illustr.

Athen. Castanea illustr.

Atheneum verò per Diosbalanon intelligere Iuglandem, videtur manifestum ex sequentibus eius verbis, ipso sic vertente Dalecampio. Heracleon Ephesius, inquit Athen. Nuces (κάρυα) nominarunt & Amygdalas quas nunc Castaneas. (καστάνεια) Arbor κάρυα est apud Sophocl, καρύαι μελίαι τε: Carya, Fraxinique. Ebulus: Phegos, Nuces, [κάρυα] Carystia. Nucum Ponticarum quas λόπιμα quidam nomināt, Nicander meminit. Hermonax verò & Timachidas in glossis tradunt vocari διὸς βάλανον (Id est, Iuglandem: Dal. qui addit: absurdum hoc videri, Castanearum potiùs illam nomenclaturam esse, quas & λόπιμα κάρυα, & σαρδιανὰς βαλάνους appellant, & Castana siue Castania, & Euboycas nuces. Item mox: Heracleoticæ nuces (Auellanę: hic fallitur Athenæus, Dal.) quæ etiam διὸς βάλανοι [Iuglandes Dal.] dicuntur, non tantum alunt, quantum Amygdalæ, & aliquid habent, quod innatet, & quod stertorem ac raucedinem vocis (κεγχρώδης. Dal. annotat: magis conuenire putaui βηχώδης & κεγχρώδης.) efficiat: largiùs sumptæ caput grauant, & minùs offendunt recentes quàm siccæ. Persicæ nuces [Regiæ siue Iuglandes, Dal.] capiti non minùs graues sunt quàm αἱ διὸς βάλανοι, Heracleoticæ, Dal. (quâ licentia? quo autore?) magis nutriunt, os & fauces exasperant: assæ minùs lædunt, & ex omnibus nucibus, si edantur cum melle, egeruntur promptissimè. Latæ nuces, [πλατέα Castaneæ, Dalech.] magis inflant: minùs noxiæ sunt elixæ, quàm vel crudæ vel frixæ, & frixæ minùs, quàm crudæ. Philotimus libris de alim. scribit: Nucem latam & Sardianam vocari: τὸ πλατὺ [sub. κάρυον.] καὶ τὸ καλούμενον Σαρδιανόν. Et mox: Mnesitheus Atheniensis l. de eduliis, Nucum Euboicarum siue Castanearum, Εὐβοϊκῶν φησὶ καρύων ἢ καστάνων: (ἀμφοτέρως γὰρ καλεῖται.) [duobus enim his nominibus appellant] coctionem tradit esse laboriosam ventriculo, & cum multo flatu perfici: si quis tamen superarit, habitiorem fieri: Amygdalas autem, Nucésque Persicas & Heracleoticas [Iuglandes & Auellanas, Dal.] & alias omnes, illis [τούτων: Castaneis Dal.] esse deteriores. Ex his tamen cunctis generibus in vniuersum edendum nihil esse quod non sit igne coctum, præter virides Amygdalas, sed elixari quædam ex his oportere: [vt Castaneas, Dal.] quædam frigi [vt Amygdalas, Iuglandes, Auellanas.] Quoniam horum alia sunt naturâ pinguia, vt exiccatæ Amygdalæ & Διὸς βάλανοι: [Iuglandes Dal.] alia sicca & acerba, veluti φηγοί (Fagi, Dal.) & quicquid est eius generis. Earum [Nucum, Dal.] quæ vnguinosæ sunt, ignis absumit pinguedinem. Quæ verò duræ & acerbæ sunt, igni maturescunt, lento ac exiguo. Diphilus Castaneas (κάστανα) vocat Sardianas glandes: λόπιμα κάστανα τε Euboica: at βάλανον, id est, glandem: alii, vt Nicander Colophonius scribit in Georgicis. Agelochus Amotas appellat Castaneas (ἄμωτα καλεῖ τὰ κάστανα.) Vbi Sinopicæ nuces nascuntur, has arbores Amotas dixerunt. Sic dictas annotat Dal. quòd sit prouentus illius fructus messis, gentibus nonnullis, quę Castaneis tantùm victitant: ἀμᾶν enim metere est: ἄμητος, messis. Hactenus Athenæi placita ex Athen. satis confusè, vt apparet, de Castanea tradēta: cui tamen multum lucis afferas, si, vti iudicamus, apud eum per διὸς βάλανον, intelligas Iuglandem, quemad. apud Theophrast. Castaneam.

Castana. Castania.

Dalech. nota.

Latæ nuces.

Nux Sardiana.

Sardiana glans. Balanus. Amota. Sinopica nuces.

Amota vnde.

Τὰ κάστανα inquit Gal. quidam etiam λόπιμα nominăt. Idem earum hispidum Corticem in vsum assumpsit lib. 1. de comp. med. part. vocátque πώγωνα λοπίμου, id est, Barbam Castaneæ: id quod Plin. echinatum calycem dixit: quem Aëtius καστανέων ἐχινῶδη φλοιὸν appellat, qui & ipse scribit Castaneas etiam Lopima appellari. Virg. Castaneas hirsutas dixit: nimirum adhuc intra suos echinos locatas, vt notat etiam Seruius. Ecl.7.

Lopima.

Barba Castanea. Echinatus Calix. Castanea hirsuta.

Stant & Iuniperi & Castaneæ hirsutæ
Strata iacent passim, sua quæque sub arbore poma.

Castanea inquit Hermol. Græcè διὸς βάλανος, hoc est, Iouis glans: Nuces vocamus & Castaneas, quanquā propiores Glandium generi. Ideò

Iouis glans.

Balani Sardianæ. Euboicæ. apud Græcos appellantur Balani Sardianæ, Euboicas quoque Græcis dici lego. Sed & castaneas primò dictas, scribit Photion, quod ab oppido Magnesiæ, quòd Castanon dicatur, aduectæ sint: vt forte Diodorus Nuces castanicas inde nominârit. *Castanea vnde. Nuces Castanica. Pogonia, lanata.* Quid si à castitate, cùm Plinius ieiuniis dicatas eas innuat. Ex iis Græci Pogonias appellant, nisi quis Lanatas earum intelligat, sunt enim aliquæ pilis hirsutæ. Stephanus docet Castanon oppidum esse in Apulia, non procul à Taranto.

Castaneam Iouis glandem dixerunt Prisci, etsi Posteriores, vt notat Marcell. Regiis Nucibus eum honorem tribuerint. Eandem legimus in Veterum Græcorum Lexicis Lopimam & Euboicam dictam fuisse: hanc à regione, illam à cortice: quem λέπος Græci dicunt: & λεπεῖν decorticare. *Euboica vnde. Lopima vnde?*

Laudauit contra venena quædam præcipuè Nicander castaneam: Nucémque, vt postea Maro fecit, appellauit: versiculus eius est:

Κασταν καρύν πολυχυλοιο κάλυμμα.

Et paulò pòst:

Δυσλεπτὸν κάρυον τὸ καστανὶς ἔτρεφεν αἶα.

Quod non parum miretur aliquis, cùm manifestè inter Glandes potiùs [teste etiam Marcello] quàm inter Nuces castanea numeranda sit. Magnis authoribus vtrumque defendi potest, vt suprà ostensum: nec nos aliud in huiusmodi re monemus, quàm fuisse quondam in ea Glandis & Nucis nomen, latiùs Glandis quàm Nucis claruisse. Quod Iurisconsulti etiam decreuerunt, titulo de Glande legenda, omnes arborum fructus ea voce complexi. *Glans Iurisconsultis, omnes fructus.* At vt Iouis glandes appellentur, Plin. non castaneis, sed Nucibus Regiis adscribit: quum, vt inquit, sint qui honoris nomen interpretentur. Vnde sanè & Iuglandium appellatio contracta est.

Cestiana Aetio. Aetius correct. Cordus consentit nobis esse Cestianam Glandem Aëtio: sed sibi compertum ait, in aliquibus codicibus apertè τοῦ καστάνου haberi, & non κεσταν, velut Bohemum Hassensteniuin exemplar, vnde se primùm Aëtii editionem transtulisse scribit. Habuisse nimirum, βαλάνου φλοιὸς ἢ μάλιστα τοῦ καστάνου: hoc est, cortex glandis, maximè castaneæ.

Nux Heracleotica. Oppii & Macrobij. Nux etiam Heracleotica dicitur, vt ex Oppio viro doctissimo, in lib. quem fecit de syluest. arboribus docuit Macrobius, his verbis: Heracleotica hęc nux, quam quidam castaneam vocant. Euboica etiam à regione. Nonnulli insuper ex Philostrato in iconibus, Iouis Glandem dici arbitrantur: quod etiam aliquos facere ait Diosc. At nobis ἡρακλεώτης κάρυα rectiùs videtur competere Auellanis siue Corylo arbori, quàm castaneæ, iuxta sententiam Theophr. apud quem & Gaza vertit Nucem auellanam.

Rob. Const. in Lex. vult κάρυον Εὐβοϊκὸν esse nuces castaneas. Theoph. lib. 1. c. 18. τὰ μὲν δερματικοῖς. [leg. δερματικοῖς] ὥσπερ ἡ βάλανος ἢ τὸ Εὐβοϊκὸν [scribendum Εὐβοϊκόν.] Plin. crusta teguntur Glandes, corio castaneæ. Hesych. etiam Εὐβοια pro καστάνεα, sed scrib. εὐβοϊα vel Εὐβοϊκά, supple κάρυα. Nicander quidem Λόπιμον κάρυον τε Εὐβοίδος: βάλανον δ' ἐπὶ τοῖσι χαλάνεσιν, cecinit. *Theoph. emend.* Deprehenditur, inquit idem Const. nondum retectus error Plinii, quem sequitur Gaza. *Plin. & Gaza error. si Constantino credendū.* Siquidem Theoph. lib. 5. c. 5. quia κάρυας Εὐβοϊκὴν recenset inter ἄκαρπα: Plin. l. 6. c. 40. Iuglandem: Et lib. 5. c. 7. τῆς Εὐβοϊκῆς καρύας. Plin. lib. 16. c. 42. Iuglans. At nos Plinio potiùs assentiri quàm Athenæo & Constantino, nempe per Nucem Euboicam intelligendam Iuglandem, docuimus supra lib. 3. cap. de Iuglande sub titulo Cariæ seu Nucis Euboicæ: vbi Lector comperiet quæ Theoph. passim de ea scripsit. Licet ipse quoque Cæsalp. tradat διὸς βάλανον alibi à Theophr. Nucem Euboicam dici. *Cæsalp. not.* Apud Xenoph. παῖδας σιτευομένους καρύοις ἑφθοῖς, de castaneis intelligendum. In collect. ad agricolationem spectantium l. 2. adnotatum, Castaneas dici διὸς βαλάνους: quod & lib. 10. repetitum aduertas. Galeno etiam λευκηναῖαι dicuntur castaneæ nuces, sic dictæ à loco Idæ montis, quem λευκὰς plurali numero appellat idem Gal. lib. de Euchimia. *Leucana Gal.*

Castal. Arab. Apud Serap. castanea dicitur Castal: & *Sadianalach* ait quibusdam castaneam dici, & esse *Stebulot.*

Armon. Hebr. Armon Hebræis, Trago, qui vult Iacobum Patriarcham Genes. 30. vsum virgultis è castaneis: ita & Latina pleraque habent & Gallica & Germanica, quanquam vetus & ex eo Tubingensium impressio habeat Platanum loco castaneæ. Nimirum virgis castaneę Iacob soceri sui spé, quam de multiplici ac copioso fœtu conceperat, ingenioso dolo elusit. *Castanea Bibliorum.* Sic autem verba sonant, vertente Castalione: Iacobus ex Populeis & Colurnis, & Castaninis virgis virentibus partem corticis detrahebat, *Iacobi astutia.* & earum album nudabat, deinde eas ponebat in canalibus aquariorum è regione pecorum, vt cùm eò potum venissent, in aspectu virgarum inirentur, quod cùm fiebat, varios & maculosos, & versicolores fœtus edebant. In Græco exemplari nulla prædictarum arborum exprimitur, sed simpliciter legitur: ἔλαβε δὲ αὐτῷ Ἰακὼβ ῥάβδον στυρακίνην χλωρὰν, καὶ καρυΐνην καὶ πλατάνου &c. forte quòd interpretibus non probè cognitæ fuissent eæ arbores.

Galen. & *Castaneas*, & *Castanea* neutro genere dici ait fructus. Dodon. Græcè etiam καστάνειον κάρυον & καστάνεα vocat: sed quo authore? Germ. Kastanien/ Kestenbaum: fructus Kesten. Belg. Kastanienboom/ Castanie. Gal. *Chastaigner, Chastagne.* Ital. *Castagno, Castagna, magne, Maroni.* Hisp. *Castanno*: fructus Castil. & Cat. *Castannas*: Portug. *Castanhas, Marones.* Angl. Chesnut tree: Fr. Chesnut. Vngar. Gortynye. *Nomina linguar.*

Antea dictum ex Theophr. Thmolum Olympúmque Mysium Castaneas ferre plurimas. *Locus.* In Macedoniæ montibus obseruauit Bellon. Lætantur opaco & Septentrionali cliuo, regionum tamen non frigidiorum, nam cœlum Aquilonium non ferunt. Quapropter rarior in plerisque Germaniæ locis, immò in quibusdam vix nisi culta. Luxuriat tamen, inquit, Tragus circa VVeisenburgum Imperiale oppidum non procul à pago Dörrenbach vulgò vocato, nec non in Alsatia superiori, vbi magna nemora scatent, vnde & in Thuringiam & inferiorem Germaniam conuehi solent. In tota Italia vulgò notissimæ: vbi tamen montibus & opacis gaudent magis, quàm campestribus & apricis: sunt etiam in Palatinatu, in Heluetia. Plenæ sunt præterea Allobrogum, Delphinatus & Aluernorum syluæ, quæ in totam regionem, ob præstantiam disperguntur. Apud Petragoras tamen maior prouentus: vt ingentes ibi eius arboris, si alterius cuiusque cernantur: apud quos quadrupedum omnis generis & auium pabulum, teste Curtio. Delphinates tamen minimè sua frustrantur laude, quæ à negotiatoribus magna copia Lugdunum deuehuntur, & deinde in alios tractus comportantur: quanquam & ager Lugdunensis montanus, qui Chaussanius dicitur, aliique contermini ferant, magnitudine gustatúque minimè inferiores, sed non tanta copia. Sed Petragoriis & Cenomanorum potissimum montium populis instar messium sunt, vbi pancæ familiæ [nobilitate excepta] quæ pane vescun- *Petragorijs & Cenomanis cibus quotidianus.*

vescuntur, nisi septimo quoque die aut solenni festo, tradente Bruyerino, qui se illac transeuntem ita ab incolis accepisse testatur.

Italicis laudatissimis patria Tarentum, vt dicebamus, & in Campania Neapolis, de quibus Martial. Epigr. l. 5. ad Toranium.

Et quas docta Neapolis creauit
Lento Castaneæ vapore tosta.

Delectus

Vidimus in montibus Euganeis, Rheticis, ad lacum Verbanum Italiæ, & Lemanum Sabaudiæ. Integratum probatio est, vt in frigidam mittantur: siquidem bonæ & incorruptæ merguntur, vitiosæ supernatant. In genere recentes & bonæ à putredinis labe infectis, vel non decorticatę secernuntur duritie ac pondere.

Tempus.

Ineunte Vere germinant nec multò pòst florent, seriúsque Vergiliarum occasu fruticant, némpe circa finem Septembris, ac per totam ferè hyemem durant. Maturo fructu echinati calyces rumpuntur ac hiant. Tum maturæ decidunt Castaneæ. Quidam more impatientes prælongis virgis sicut nuces Iuglandes arboribus decutiunt. Alternis ferè annis agricolam vberi messe exhilarant.

Cultus.

Gaudent in Genere montibus & accliuibus: Campestribus interdum degenerant, aquas oderunt.

Cultus & serendi ratio ex Colum.

Castanea, inquit Colum. roboribus proxima est, & ideo stabiliendis vineis habilis: Nux eius in repastinato posita celeriter emicat, & post quinquennium cæsa, more salicti recreatur, atque in palum formata ferè vsque in alteram cæsionem perennat.

Quam terram diligat.

Puram [Basil. Cod. Pullam] terram & resolutam desiderat. Sabulonem humidum vel refractum tofum non respuit, opaco & Septentrionali cliuo lætatur: spissum solum & rubricosum reformidat.

Satio.

Seritur à Nouembri mense per totam hyemem sicca terra, & repastinata in altitudinem dupondii & semissis, nuces in ordinem semipedalibus, ordines autem quinûm pedum spatiis dirimuntur, in altitudinem dodrantis Castanea depressis sulcis cõmittitur, qui vbi nucibus consiti, priusquam complanentur, breues arundines ab latere Castanearum panguntur, vt per hos sationis indices cautiùs fodi & runcari possint. Bimam iam seminaria transferri queunt: sed vacuitas binum pedum relinquatur, ne densitas plantulas emaciet. Spissius autem semen propter varios casus deponitur: nam interdum priùs quàm enascatur, aut siccitatibus nux inarescit, aut aquarum abundantia putrescit: interdum subterraneis animalibus, sicuti muribus & talpis infestatur, propter quæ nouella Castaneta caluescunt. Atque vbi frequentanda sunt, meliùs ex vicino, si competit (mergi more) pertica declinata propagatur, quàm exempta reseritur. Hæc enim velut immota sua sede vehementer germinat. At quæ radicibus exempta & deposita est, biennio reformidat: propter quod cõpertum est, commodiùs Nucibus, quàm viuiradicibus eiusmodi syluas institui. Cultus eiusdem est fossionis positionisque, qui vineæ. Supputari debet bima, quin etiam trima nam bis ferro repetenda est veris principio, vt incitetur eius proceritas.

Putatio.

Idem Colum. alibi ante Calendas Martias, vel etiam inter Non. & Idus Martii Castaneas serere præcipit.

Satus & cultus ex Pallad.

Digna obseruatu quæ Palladius in hanc rem prodidit. Castanea seritur & plantis quæ spontè nascuntur & semine. Sed quæ plantis seritur, ita ægra est, vt biennio de eius vita sæpè dubitetur.

Tempus sationis.

Serenda ergo ipsis Castaneis, hoc est, seminibus suis, mense Nouembri & Decembri: item Februario.

Delectus ad satum

Eligendæ sunt Castaneæ ad ponendum recentes, grandes, maturæ: quas si Nouembri mense seramus, facilem se præsentia fructus ipsius præstat, si verò Febr. ponamus, vt ad id tempus durent, ita faciendum.

Vt Castanea asseruanda ad satum.

In vmbra Castaneæ siccentur expansæ, tunc in angustum & siccum locum translatæ Cumulum faciant, & eas omnes fluuialis arena diligenter operiat. Post dies 30. eas remotâ arenâ in aquam frigidam mittis. Quę sanæ sunt, merguntur, supernatat quæcunque vexata est. Item quas probasti, similiter obrues, & post 30. dies æquè probas. Hoc cum tertio feceris vsque ad Veris initium, serere debebis, quę mãserint illibatę. Aliqui in vasculis seruant, arena pariter missa. Amant solum molle & solutum, non tamen arenosum. In sabulone proueniunt, sed humecto.

Terra delectus

Nigra terra illis apta est, & Carbunculus, & tofus diligenter infractus. In spisso agro & rubrica vix prouenit. In argilla & glarea non potést nasci. Diligit cœli statum frigidum sed & tepidum non recusat, si humor assenserit. Delectatur cliuis & opacis regionibus, ac maximè in Septentrionem versis, vti dictum.

Terra præparatio.

Pastinari ergo locus debebit, qui huic destinatur arbusto, altitudine pedis vnius & semis, vel duorũ: vel totus aut sulcis in ordinem destinatis, aut certè aratris resolui hinc inde findentibus. Qui si no fatiatus ac redactus in puluerem, Castanearum semen accipiat, non ampliùs pedis dodrante demersum.

Serendi modus

Vnicuique semini propter notam, surculus debet affigi. Ipsa semina singulis locis simul terna vel quina ponantur, inter se quatuor pedum spatio separentur.

Quando transferenda

Quibus transferre placuerit, bimas Plantas transferre debebunt.

Cultus post sationem.

Locus tamen deductoria liquoris accipiat, ne humor insidens limo, germen extinguat.

Quomodo propaganda

Cui placet, potest Castaneæ in propaginem ducere ima virgulta, quæ in radice nascuntur. Nouum Castanetum circumfodi debet assiduè.

Quando putanda

Mense Martio & Septembri incrementum maius aquirit si putationibus adiuuetur.

Satio & cultus ex Plin.

Breuiùs paulò aliter Plinius: Castanea pedamentis omnibus præfertur facilitate tractatus, perdurandi peruicacia, regerminatione cędua vel Salice lętior. Quęrit solum facile, nec non arenosum, maximéque sabulum humidum aut carbunculum, vel tophi etiam farinam, quamlibet opaco Septentrionalique & prefrigido situ vel etiam decliui. Recusat eadem Gallicam [glaream D. Calcem, Vet.] rubricam, cretam, omnémque terrę fœcunditatem. Seri nuce diximus, sed nisi ex maximis non prouenit, nec nisi quinis aceruatim satis. Perfringi solum debet suprà (supremũ Vet.) ex Nouembri mense in Februarium: quo solutæ, spontè cadunt ex arbore, atque subnascuntur. Interualla sunt pedalia (semipedalia, Col. sesquipedalia Dal.) vndique sulco dodrantali. Ex hoc seminario transferuntur in aliud, bipedali interuallo, plus biennio. Sunt & propagines, nulli quidem faciliores. Nudata enim radice, tota in sulco prosternitur. Tunc ex cacumine super terram relicto renascitur, & alia ab radice.

Non trãsfertur Plinio.

Sed translata nescit hospitari, pauetque nouitatem. Biennio ferè posteà prosilit. Ideò nucibus potiùs quàm viuiradicibus plantaria cædua implentur.

Ipsa se colit

Cultura non alia quàm suprà dictis fodiendis supputandisque biennium sequens: de cætero ipsa se colit, vmbra stolones superuacuos enecante. Cæditur intra septimum annum. Sufficiunt pedamenta iugeri vnius vicenis vinearum iugeribus, quando etiam ea bifida stirpe fiunt, durantque vltra alteram syluæ suæ cæsuram. Damege-

conti Castanea plantatur & ex viuiradicibus, & ex semine. Securior est, eodem tradente, modus ex plantis: post duos enim annos fructum producit. Plantatur ab æquinoctio non solùm à soytalis & ramis, sed etiam auulsionibus ac viuiradicibus, quemadmodum Olea. Seminantur porrò Castaneæ non similiter vt Amygdalæ & Nuces, sed acuminata parte sursum spectante. Mense Martio vel Aprili castanea inseritur sub cortice, teste Palladio, qui vtroque genere sibi probatum ait. Potest etiam inoculari. Inseritur in se & in salice, sed ex salice tardiùs maturat, & fit asperior in sapore.

Serendi ratio. Insertio.

Salici.

Fulmineam Salicem fœcundant ardua membra
Castaneæ, & multo pasta liquore vigent.

Fago.

Idem inquit Virg 2. Georg.

Et steriles Platani malos gessere valentes,
Castaneæ Fagos &c.

Virgil. exponuntur.

Dicit quid in quam arborem debeamus inserere, Fago castaneam, non enim in castanea fertili longè ignobiliore fructu Fagum facilè inseruerit, Vnde aut Hypallage est, vt castaneę Fagos sit, pro Fagi castaneas gessere, aut mutanda distinctio, vt sit:

Platano.

Et steriles Platani malos gessere valentes
Castanea, Fagos.

Iuglandi. Robori.

Hoc est: Infœcundæ arbores Platani fortes ramos castaneæ portauerunt. Seruius.

Castanea, teste Ruellio, Iuglandi, Fago, & Robori infixa comprehendit.

Annotat Bruyerius: Inseri quidem castaneas: verùm non ita feliciter: nam longè plures deperire, quàm quę incolumes euadant: operosissimamque esse insitionem.

Repositio.

Castaneæ seruantur vel in cratibus dispositæ, vel intra sabulonem, ne inuicem tangantur, vel in vasculis fictilibus nouis conditæ, & loco siccione defossæ, vel inclusæ virgeis ex Fago receptaculis, & lutatæ, vt spiracula non relinquas, vel hordei paleis minutissimis obrutæ, vel palustri vlua densioribus sportis reclusæ. Pallad.

Vires. & vsus.

Castaneæ glandes, quum & ipsæ adstringant, similes etiam præbent effectus cum cæteris glandibus: maximè verò membranæ quæ sunt inter carnem atque putamen. At caro iis qui Ephemerum biberint conueniens est. Diosc. Castaneæ vehementer sistunt stomachi & ventris fluxiones, sanguinem excreantibus prosunt, carnes alunt. Torrere has in cibis gratius. Moluntur etiam & præstant ieiunio fœminarum quandam imaginem panis. Simeon Sethi & Fuchs. calidas & siccas dicunt, ordine primo. De calore adhuc dubitamus, Coctę in carbonibus, vel in fictili vase sicco assatę, & cum melle ieiunis datę, tussientibus prosunt. Aqua in qua cum suo cortice decoquuntur, cœliacis, dysentericis, sanguinémque excreantibus bibenda haud inutiliter propinatur. Interior membrana, quę corticem fructumque discernit, ad tertiam partem decocta in aqua, & potui oblata, mirè aluum fluentem refrenat, adeò vt Dioscor. putet, etiam cathartico dato per hanc potionem iri obuiam posse, si pluls, quàm necesse sit purget. Plin. Valer. Ex farina castanearum cum melle fit Electuarium vtile aduersus tussim & sanguinis sputum. Dod. Monet tamen Lacuna virides damnosas esse pulmonibus, ac ob hanc causam putat pręter tunicam propriam etiam echinato illo cortice armatas esse, ne ab vllo animalium attingantur, antequam sint maturæ, in quam rem ampliùs inquirendum. Castaneę tritę cum sale melléque subactæ rabidorum canum morsibus vtiliter imponuntur, eodem & Matth. teste, & cum hordeacea polenta, & aceto illitę mammarum duritias discutere hic ait cum Fuchsio: nos fientem impedire potiùs, quàm factam discutere censemus, ob adstringentem illarum vim & aceti repercutientem. Idem ventrem excitare, eò quòd flatum gignant, vult. Nos, quia stomacho graues, per se ad eam rem inutiles putamus. Interior membrana rubens, qua albicans pulpa circumuestitur ex vino austero pota, duarum drach. pondere, sistit valenter immodicos omnes alui fluores, & sanguinis reiectiones: quinetiam cum pari pondere ramentorum Eboris, alba fœminarum profluuia cohibet ex aqua albæ Nymphææ hausta, inquit idem. Possunt & cum farina subactæ pessi forma subdi, ad supprimendos menses, monente Fuchsio: sed priùs in aceto macerare suadet. Emulsio castanearum cum decocto Glycyrrhizæ extracta, addito pauxillo seminum Papaueris, confert iis qui ardore vrinæ laborant, quod remedium sibi communicasse Cratonem Med. Cæs. testatur Camer. Castanini olei meminit Sipontinus. Indi quoque, vt Plinius ait, è castaneis vinum conficiunt. Porrò de castaneis, quantùm ad cibum & nutrimentum, variant inter se authores. Gal. inter crassi succi cibos castaneas cibo suaues recenset, atque adeò inter reliquas glandes, quanquam has suibus magis quàm hominibus accommodatas dicat. Et alibi castaneas, siue elixentur, siue assentur, siue denique frigantur, semper prauas dicit, & multò magis, si crudæ mandantur.

Contra Ephemerum. Fluxiones stomachi. Sanguinis sputum. Tempera. Tussis. Cœliaca. Dysenteria. Alui fluxus. Ad Hypercatarsim. Elect. contra tussim Sputum sang. Cur echino armata castanea. Canis rab. morsus. Mammarum duritia. An ventrē exciteni. Alui fluxus. Sang. sputum. Menstrua alba. Menses superflui. Ad ardorem vrinæ emulsio. Oleum castaneum. Vinum e castaneis. Dissentiunt authores de castan. nutrimento. Prauas esse.

At Aëtius ex omni glandium genere optimas dicit castaneas, & solas ex syluestrium fructuum genere memorabile alimentum sufficere. Esse tamen etiam ipsas capiti graues, vtpote dolorem eius inducentes: sed multò magis his Quercinas. Philotimus in lib. de nutrim. vbi citat Athen. tradit difficillimè omnes crudas digeri, atque perægrè solui, cùm à Phlegmate in ventre retentæ fuerint, propter substantiæ firmitudinem. At Diphilus apud eundem castaneas bonum dicit habere succum, & multùm nutrire: at duræ esse digestionis, multúmque in stomacho commorari: tostas minùs quidem nutrire, sed facilè digeri: elixatas minùs his esse ventosas, & magis nutrire. Sic & Simeon Sethi copiosum corpori alimentum præbere affirmat, sed difficulter concoqui, tardè transire, crassum humorem & capitis dolorem facere, flatuosas esse & ventrem sistere: sed si torrefiant: vel desiccentur, multùm nocumenti deponere.

Bene nutrire. Noxa. Nutrimenti varietas. Vnde.

Cœna Bapt. Fieræ.

Quæ tibi grata licet posito mollescat echino,
Sicca est, & nimio Castanea igne calet.
In caput & ventres inflata asperrima sæuit,
Ni spolia apportet mellis arundinei.

Nimirum ad noxas eius vitandas cum Saccharo comedendas suadet. Non infestiuè tamen easdem ab hac iniuria vnico hoc disticho vindicauit Antonius Campanus quondam Episcopus Iteraniensis perdoctus. Castanea loquitur.

Ventosam qui me censent, ventrique timendam,
Falluntur: ventos pello ego, non facio.

Non esse ventosam.

Lob. Hessus:

Si quem sacra tui victus Dodona iuuabunt
Setigeri. Stomachum vellet habere suis.
Castaneas molles patula sub tegmine Fagi
Ipse ego pro duris Glandibus esse velim.

Sunt & ad panificium aptissimæ castaneæ, qualis sanè fit ab incolis illorum tractuum, vbi abundant, præsertim in montibus, vbi quotannis aliarum

Præparatio ad panificiū, & diu durent.

rum frugum annona deficit. Primùm vt ætatem longissimè prorogent [alternant enim Castaneæ, vti dictum.] castrantur lento illo suo cortice, qui sub echinato calyce primò subest: deinde proxima corpori tunica, quæ infestat saporem, detrahitur: mox ut siccentur exactè, curant sedulò. Nam cratibus sic delibratas imponunt, quas postea in caminis suspendunt: siccatas in vsus seruát: molúntque in farinam, ac tandem cogunt in panem, quo per hyemem victitant. Integras etiam plerunque cum sulla coquunt in capaci cacabo: vicéque pulmentarii & panis iucundissimè vescũtur. Suprà dictum ex Plinio, molituram præstare ieiunio fœminarum quandam imaginem panis. Coquunt & solas ex aqua, atque ita bellariorum cæterorúmque fructuum loco comedunt.

Annonæ refugium. Fuere sanè refugium non semel Castaneæ miseræ plebeculæ in maxima ãnonæ caritate, vt Romæ compertum anno M.D.L. teste Lacuna.

Nostri homines torreri eas non modò gratiàs, sed & in deliciis habent, præsertim amplissimas illas Marrones dictas, quas cum cæteris promiscuè diurnis ac nocturnis commessationibus apponunt: Galli & Itali etiam ex liquore rosaceo saccharato. Alii cum pipere & sale comestas, innocentiores putant, suntque reuera sic paratæ, illicia Bacchi ac Veneris: & de noxa sua plurimùm remittunt. *Bacchi ac Veneris illicia cum pipere & sale.*

Torrendi modi. Alia præparatio. Torrentur duobus modis, vel in perforata patella ad ignis flammas, vel sub prunis & cineribus candentibus. Priùs tamen quàm igni aut cineribus credantur, cultello obiter vulnerari debent, vt plagæ hiatu, flatus igne citatus euadat: alioqui vbi flagrantes incaluerint concepto intus spiritu, magno cum crepitu prosilient, non sine adstantium periculo. Consumitur etiam meliùs flatuosa illa humiditas, quæ iis inesse putatur, & æqualiter torrentur. Præfertur posterior torrendi modus: nam in sartagine tostæ vel patella ferrea, vt in cauponis fieri consueuit, partim comburuntur, aut certè aliquid fuliginosi Empyreumatis contrahunt.

Diuitum culinæ porcellos, anserculos, gallinas & artocreata iis infarciunt, sicque assant. Et quid non ingenioso excogitatum ventri. Portentosa gula hyeme ad focum luculentum tostas castaneas ex vino dulci, hoc est, musteo & nouissimè expresso mandi suasit. Ita vides qua ratione à summa necessitate, in qua iis victitabant homines, ad extremam voluptatem sit deuentum. Sed sibi solis ista habeant ventres. Nam in totum quomodocunque paratæ, operosæ sunt in cibo, & paulò tantùm Glandibus præstant.

Noxa. Viscerum infarctibus oportunæ: Colico dolori obnoxiis inimicæ, & iis qui ad Calculum procliues noxię, si modus absit in edendo. Citra igitur satietatem edendas suademus.

Ligni vsus. Materies arboris ædificiis atque aliis domesticis vtensilibus admodum apta est: siquidem non modò ex ea fiunt trabes, tigna, asseres & pedaméta, sed & cadorum costæ, & eorum cinctus, verùm ignariis inepta, testibus Matthiol. & Lacuna. Fabris tamen ferrariis carbones expetitos, quòd citò extinguantur, vt antè dictum, suppeditat. *Carbones.*

CASTANEA HVMILIS RACEMOSA.

CAP. VI.



Descriptio & Locus. HVmilem Castaneam Io. du Choul nemini adhuc notam vt arbitratur, non longè à Pilatino monte contemplatam, depinxit. Matura nucis Auellanæ est magnitudine, echinato calyculo, corio, membranáq; tegitur. Sola nunquam suo calyculo includitur. Multæ simul racematim cohærent. Gustu est insuaui. *Sapor.* Sequentes ad hanc non referendæ, nec huius sunt fructus: ob mox dicendam rationem quamuis fortè aliquam similitudinem habeant.

CASTANELLA PEREGRINA: AN GOR ARBOR, CASTANEÆ FRVctu amaro.

CAP. VII.



Descriptio. APud Cl. C. Bauh. hunc fructum primò vidimus & deinde à D. Robino Botanico Regio dono missum accepimus. Figura & facie Castaneam non malè repræsentat, nisi ꝙ ea parte quâ sessilis est Castanea, hæc in gibbum elata sit & concolor, consimili corio vniuersam contegẽte. Magnitudinem ostendit icon: cortice integitur spadiceo, quali Castanea, nisi quòd paullò saturatiore, & plusculis striis inæquali. A cuius summo ad imum mucronem hylli facie linea latiuscula, cinerea, striarum itidem eminentiis asperata protenditur, vt in altera iconum videre est. Superna partè, (siue infernam dicere lubeat) linea coronali cingitur, intra quam pars clausa nigrior, nullisque striis donata. Impressio arguit alteri cuidam adhæsisse. Sapor pulpæ ex albo in fuscum inclinantis (fortè ob vetustatem) ac firmę, amaricans ac ingratus: Cæterùm oleaginosa, vt impressa aciculæ acies

prodidit: iuxta enim oleaginosum quid exsudabat, haud secus ac Nuci muscatæ, adactâ puncturâ. Icon gemina vtramque faciem ostendit. An Scalig. de hac scribit ex. 181. parte 20. cùm ait: Ad fluuium Nigir arbor, cuius fructus Castaneæ similis, sed amarus: Gor vocant incolæ. Hi sunt Æthiopes sub Libyæ solitudinibus. Io. Leo lib. 1. descript. Africæ tradit has arbores mirandæ esse proceritatis, satis procul à mari in continente. Cæterùm si nostra Castanella sit Gor, non potest esse fructus Castaneæ humilis. Repugnat enim immensa illa proceritas, & locus vbi prouenit.

Gor arbor.

Locus.

CASTANEA EQVINA FOLIO MVLTIFIDO.

CAP. VIII.

Descriptio



CAstanea equina, quã Florentiæ vidimus in horto Magni Ducis Hetruriæ, & ex qua fructũ cũ echyno decerptũ habemus, magna satis est arbor, quanta Morus, & valdè patula: folia palmata sunt, ex segmentis plurimùm septem composita, quorũ singula pinnæ marinæ quodammodo æmula, ex angusto admodum principio sensim dilatantur, tandem in obtusum mucronem desinentia, per ambitum serrata, quamuis serraturas plerasque veteratoriè sculptor omiserit, longitudine dodrantali: qua parte latissima sunt, palmum circiter lata, à costa media obliquis ordine neruis in ambitum directis, coloris supernè atrouirentis, infernè hilarioris, sapore amaricante. Porrò coeunt hæc omnia in vnum longum pediculum, éstque pediculorum situs oppositus. Fructus ipse non ita in conum desinit, vt vulgatæ nostræ castaneæ, globosior, altera parte spadiceus: quà verò echino adhæret, impressionem cineraceam ostentat, cui cortici, nulla intercedente lanugine pulpa nostratibus castaneis similis subiacet. Echinus ipse multò crassior ac firmior, quàm dictæ, externùs rufus, prout siccus ostendit, internè albus, durus, sed rarioribus, breuioribúsque spinis obsitus, firmis tamen & infestis, coloréq; flauicantibus, qui per maturitatem in tres partes dehiscens, Nucem ostendit, ipsius lateri infima parte inhærentem, non à pediculo, vt reliquæ. Hanc scribit Clus. Autumno cùm folia amisit, protinus amentaceum quiddam extremis ramulis gignere, & turgidum, quasi parturiret, pingui ac lento humore conspersum, in quo culices & huiusmodi insecta hæreant, totáque hyeme ita perdurare, donec ineunte Vere, & præmaturè admodum gemmæ in folia sese explicent. Corticem ramis tribuit, nouellis quidem virentem, adultis autem cinereum, sub quo lateat alius succulentus, viridis, lignum ambiens, vt in Sambuco, vel Acere latifolia.

Folia. *Fructus.* *Echinus.* *Amentum.* *Culices.* *Cortex.*

Matth. Castanearum aliud genus, in Orientalibus regionibus, de quo tam apud Antiquos, quàm Recétiores neminem meminisse putat. Arbor est, inquit, spectatæ proceritatis, folio Pentaphylli: Echinos fert in cacumine, magnitudine nostratibus æquales, subrufo colore, verùm duriore & crassiore putamine, aculeis raris, sed robustis ac firmis, & colore flauescentibus. Singuli singulam continent castaneam, nostratibus ferè similem, crassiorem tamen, cortice subnigricante, præterquam anteriori parte: ea enim albicat, maculâ cordis effigiem pre se ferente. Totus idem robustus est, simplex tamen, nullam intra se aliam tuniculam habens, quæ carnem ambiat, illi similem, qua nostrates castaneæ conteguntur. Sapor pulpæ vulgaribus ferè similis habetur, sed dulcior paulò, nec adeò mandentibus gratus, si tamen ex sicco fructu id quidem rectè percipi potest. Clusius quoque Veteribus ignotam censet. Lob. mixtæ quasi naturæ ex Fago & Castanea dicit, frondibus digitalis Ellebori, Castaneæ alioquin fimbriis donatam, in qua Echinus octennium aut decennium, eiúsque nucleum claudit & tuetur saporis perboni, seque nonnullas incorruptas prædulces gustasse in Musæo Rondeletii.

Castanea Orientalis. *Sapor.* *Diu arbori hæret.*

Cæsalpinus nouam opinionem habet: putat Castaneam equinam esse, quam Plinius Myrobalanum appellat folio Heliotropii herbæ simili: fructu Nucis Auellanæ, quæ Glans appellatur, &c. At quæ obsecro folii Heliotropii similitudo cum foliis castaneæ equinæ? Nos Myrobalanum illud Plinii relinquimus sub Nuce Myreptica.

Myrobalanus. *Cæsalp. opinio reiicitur.*

Equinam castaneam appellant Constantinopolitani, testibus Matth. Cæsalp. & Clus. qui ait Turcis patrio nomine *At cestanesi*, vel *Ad castanesi*, eadem significatione ob mox dicendam causam. German. Roß Kesten: Gal. *Chastaigne de cheual*: It. *Castagna di cauallo, o Castagne cauallin*e: Hispan. *Castanna de cauallo.* Anglic. Horse Chestnut tree.

Nomina ling.

Concedimus quidem Penæ & Lob. Matthiolum affabrè expressisse in sua figura, ad quam & nostra facta [excepto fructu] si modò florem, quem primus pingit, descripsisset. Vt dubii simus an verus sit flos, vel fictus. Clusius sanè etiam in sua icone, quam habet in postr. hist. omisit florem.

Matth. not.

Nascitur Constantinopoli, & in Creta, vnde folia accepimus à Cl. Medico Hon. Bello. Ramus etiam cum fructibus incipientibus à Clariss. Zuingero communicatus, qui ait sibi obseruatam inter Patauium & Veronam. Nobis arbor visa Florentiæ in horto Ducis. Tam Matth. quàm Clus. scribit sibi ramum missum Constantinopoli per Qualcebenum medicum. Hic speciatim sibi etiam egregiè adoleuisse testatur, Viennæ, & intra duodecimum annum, in humanæ coxæ crassitudinem, duarúmque Orgyiarum aut ampliùs altitudinem adoleuisse, latámque comam sparsisse. Frigoris patientissimam esse, vmbráque & aqua, vt Platanum, delectari.

Locus. *Satio.* *Cultus.*

Adstringunt fructus, & flatus deuorati pariunt, si Matthiolo credendum: qui tamen paulò ante saporem tantùm dulcem dixerat, nullius adstrictionis mentionem faciens. Idem & tussientibus & anhelosis equis plurimùm auxilii afferre deuoratis affirmat: dareque etiam sanguinem reiicientibus. Id de equis & Clus. affirmat, indéque nomen apud Turcas traxisse.

Vsus & vires. *Tussis equorum & Asthma.* *Sanguinis sputum.*

CASTA-

CASTANEA PERVVIANA.

Cap. IX.

Locus. Descriptio. Scribit Clus. in Hist. post. Castaneæ hoc genus sibi ab Abrahamo Ortelio Cosmographo Cl. donatum, quod is ex Peruana prouincia delatum à Celeb. viro D. Aria Montano acceperat. Sphæricæ inquit, penè est figuræ hæc Castanea, nisi latera haberet paullò depressiora: præsertim vbi pediculo inhæsit, cortice satis crasso, fragili tamen, & veluti fungoso obducta, coloris ex fusco aliquantulum flauescentis. (Cortex exterior.) Huic subsunt innumeræ, tenues quidem sed firmæ spinæ, (Spina.) putamini, quod nucleum includit, tenaciter inhærentes: ipsum putamen (Putamen interius.) fuscum est, non densum, sed lentum & fractu contumax, interiore parte læue & splẽdidum, quo continetur nucleus Amygdalæ [putamine suo liberæ] magnitudine & colore, forma autem leporino reni similis, intus albus, sapore dulcis ferè vt Amygdala aut Castanea vulgaris. (Nucleus. Sapor.)



CASTANEÆ PVRGATRICES.

Cap. X.

Descriptio. Fructus est arboris cuiusdam vastę, Castaneis similis, sed calyce læui, non, vt illarum, echinato: eo calyce fructus continetur, Castaneis non admodum absimilis, sed sine cortice, & ferè quadratus, in duas partes diuisus, medium intercursante, & totum deinde ambiente pellicula. Ex maritimis Nicaragua & Nata (quæ sunt in noui Orbis Cõtinenti) inuehitur in hispaniam. (Locus.) Editur hic fructus viridis, aut contusus vino exceptus: si siccus, eius puluis ex vino aut Gallinæ iusculo sumitur: datur etiam tostus, vt minùs purget. (Vires & Vsus.) Quocunque tandem modo sumptus, sine molestia purgat, obseruatis iis quæ à purgatione obseruari solent, & præparatis priùs, vt decet, humoribus. (Purgans.) Illud verò minimè silentio prætereundum, pelliculam illam exteriorem & internam abiiciẽdam esse, alioqui grauia Symptomata excitaturam veluti ingentes vomitus, animi deliquia, & periculosa alui profluuia. (Cautio. Noxa pelliculæ.) Calidus est in primo gradu. Ex Costa: qui fructum Cholagogũ vocat: It. *Castagne purgatiue. Castanea purgantes* Castor. Dur. Possis Germ. Purgierende Castanien. Gal. *Chastaignes qui purgent*, appellare. (Fructus Cholagogus.)

CASTANEAE SPECIE FRVCTVS PEREGRINVS.

Cap. XI.

Descript. Mediocrem Castaneam non tantùm magnitudine, sed & tota forma refert, vt pro ea primo obtutu possit fallere: Color tamen paulò dilutior ad flauũ inclinat: nitor & læuitas eximia, excepta basis portiuncula oblonga, quâ videtur aut arbori aut echino adhæsisse. Cortex extimus admodum tenuis fragilisque, cui fungosa substantia adnata subest. (Cortex.) ipsa verò cauitas vacua est: quo fit vt insignis totius fructus leuitas. Hunc Ill. nostro Principi misit D. Paludanus nomine Fructus peregrini Indici.



LEVCOMA FRVCTV CASTANEAE.

Cap. XII.

Descript. fructus. Fructus quem ex India accepi, inquit Monar. Leucoma eis dictum, similis est nostrati Castaneæ, cùm colore, tùm magnitudine, tùm etiam sessili illa & albicante parte, quam Castanea obtinet, quæ prægnans vid. tur. Arboris est vastæ magnitudinis, materieq; firmę & robustæ, cui folia Arbuti. (Arbor. Folia.) Fructum edulem gratique saporis esse aiunt, & alui profluuia sistere, quoniam adstringit. Temperatum asserunt. (Vires & vsus. Alui fluxus.)

GLANS INDIAE DV CHOVL.

Cap. XIII.

Dv Choul in fine libelli sui de Quercu scribit: superesse Indię Glandes, Latinis suo iudicio & Gręcis incognitas, de quibus se non posse aliquid viris optimis tradere, neque describere, quoniam arborem non viderit. Egregiam sanè verò excusationem: quasi verò interim non ipsam Glandem sine arbore describere potuisset. Ex icone [ipsi quando viderint] occasionem sument studiosi, inquirendi, an non aliquid commune habeat cum Castaneis purgantibus antea descriptis. Nobis sanè videtur, quoad figuram accedere ad Ahouai, de quo inter Nuces exoticas lib. 3.

GLANS INDICA.

CAP. XIV.

Descriptio

VIsendæ raritatis ac pulchritudinis hic fructus datus nobis ab Illustr. Ducissa VVirtemberg. Cuius Glans Quercinę figura & magnitudine similis, intus candida, substantia dura, ac propemodum ossea, nullius saporis manifesti: exteriùs nigra, lineis ac venulis squammatis, corticatisque, rufis, reticulatim per superficiem sparsis. *Capula.* Capula crassa dura ac lignosa ferè, exteriùs plurimorum denticulorum mutuo incubitu imbricatóque asperata, colore cinereo, pediculo semunciam ferè longo crasso atque lignoso. Glandem à capula separatam accepimus, licèt pictor coniunxerit. Data verò pro eiusdem cupulæ glande, ac tàm aptè respondet immersa, vt vix dubitari queat. Monere tamen voluimus. Nostrum quippe non est quicquam in hoc opere, quantùm in nobis quidem fuerit mentiri.

GLANS INDICA MAGNA SVBROTVNDA.

CAP. XV.

Descriptio THomas Platerus, elegans Medicus, & rerum naturalium industrius vestigator, inter alia rara, quæ amicè nobiscum communicauit, perelegantem etiam hunc fructum dono dedit, à Domino Robino, Regio Botanico acceptum nomine Fructus Balsami, vt aiebat. *Balsami fructus.* Iuglandem magnitudine æquat, cortice constans flauescente, vti Glandis Quercus exiccatæ, læui, crassiusculo, qui tamen à fortiori digitorum compressione facilè frangatur ac dissiliat. Per longitudinem area insignis, inæqualis & scabra subcinerea excurrit, hyli imaginem præ se ferens, quaque parte cortex reliqua firmior est, crassior, duriorque eam adhæsisse vel alteri cortici externo, vel arbori, suspicio est. Interna facies cortice contecta est rufo, tenui atque fungoso, intercurrentibus veluti venulis, vt in interiore cortice castaneæ, immediatè callum complectente. In quo ceu puluino immersus iacet, omnem ferè cauitatem adimplens, nucleus figura rotundus, facie glandis aut castaneæ nucleo persimilis, geminus vt in glandibus, extima facie scaber, rufa cuticula intectus, quà verò committitur læuis, substantia dura & colore Glandis nuclei, sapore dulci, grato. *Sapor.* Non putamus hunc fructum quicquam pertinere ad Balsami genera.



ARBOR FINIVM REGVNDORVM FRVCTV CASTANEÆ ECHINATO.

CAP. XVI.

Descript. NOminis oblitus Io. Balada [inquit Scal.] familiaris meus, qui multos annos Indias peragrauit, faciem modò narrabat arboris. Paruam esse frequentibus virgulis, veluti Punicam. *Folium.* Folium Pruni. *Fructus.* Fructus qualis castaneæ cum Erinaceo. *Coccus ad tincturam.* Intus Coccus ruber: quo vtuntur ad tincturas & picturas. Non enim literas habent Mexicii, *Locus.* apud quos nascitur: sicuti neque olim Aegyptui, ante Theuth. Sed in tabellis pictis seruant agrorum facies, finésque prædiorum. *Ratio nominis.* Quæ fuit causa, vt ego eam appellarem, finium regundorum Arborem, donec alius me felicior nomen ipsum apponat verum.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER OCTAVVS

DE ARBORIBVS SYLVESTRIBVS.

IAM Sylvanis Faunisque litandum, sed cum ratione & Genio bono. Sylvas intelligimus nunc celebrandas, quas iniuriâ, frustraque infelices dixére prisci, speciatim rigidus ille Cato, damnat asque religione, quippe neque seri neque fructum ferre solitas. At nos contrà, istud non modò æquo animo non feremus, sed eo ipso feliciores iudicabimus, quòd earum peculiaris parens videri possit natura, quippe quæ magna ex parte sponte sua nascentes, nulla arte, nullo ingenio humano egére videantur, quanquam & in tecta iam sylvæ scandant, patula ramorum opacitate lasciva pleraque, ut non improbè etiam earum quasdam urbanas dixeris. Nec ipsas tamen fructu suo carere docebimus: & si non fructu, at alia aliqua dote non spernenda, umbrarúmque officio homines iuvare, ut nullum prorsus sterile ac inutile huius naturæ opus extare constet.

TILIA VVLGARIS PLATYPHYLLOS.

CAPVT I.

Descriptio

GRATA latè patentium, inq; attegias fornicatorum brachiorum umbrâ placet Tilia, caudice mirũ in modum grandescente, cuius cortici nigricanti ac in vetulis crasso & rimoso, in iunioribus nec crasso multùm nec scabro; sed lævi ac subcinereo, subest tenuis lentus ac dulcis liber, totius arboris nomen indeptus, si non potiùs illa ab hoc: Philyram dicunt. *Materies.* Materies alba, mollis, facilè cœlo cedit. Extremi ramuli fragiles sunt. *Folia.* Folia lata, ex rotundo in acumen desinentia, in ambitu serrata, inferna parte magis hirsuta quàm superna, quæ ferè glabra. *Ligula.* Ex horum alis oriuntur ligulæ longæ, albicantes, foliaceæ, ex quarum costa media pediculus emicat, qui in tres, quatuor, quinquéve petiolos abit, quorum singuli florem sustinent suaveolentem, *Flores.* quinque foliis ex luteolo albicantibus constantem, apicibus compluribus luteis, stylo albicante: totum florem obvallant calycis dehiscentis quinque segmenta albida pinguia. *Fructus.* Fructus Piso maiori æqualis, rotundus, aliquantum in oblongum vergens, angulosus, hirsutus, non durus, intus claudens semen [vel nucleum] subfuscum, dulce. *Viscum.* Fert & Viscum copiosè & abundè, & quotannis Basileæ.

Primus Tiliæ exortus. Huius arboris exortus mirabilis, & præ cæteris observatu dignus, qui ex semine deciduo spontaneus, primis statim diebus coliculum exerit unciam unam aut alteram altum, bina folia ostentantem quorum unumquodq; in quinque communiter divisuras, *Prima folia.* veluti digitos dissectum, extremis & media cæteras longitudine superantibus, iucunda, hercle, dispositione: uti Basileæ in celeberrimo illo Tiliceto prope D. Petrum, quotannis videre est Maio & Iunio mensibus. Horum foliorum iconem exhibemus in sequenti tabella iuxta Tiliam minore folio.

Vva Tiliæ. Thalius excrementum seu vitium Vvis quercinis simile observavit in Tiliarum antiquarum radicibus.

Phillyra Diosc. Apud Diosc. Tilia φιλλύρα est, in Proem. ubi per duplex λ scribitur. Eius verba citabimus in viribus. *Philyra Theoph. Mas & fœmina.* Apud Theoph. verò φιλύρα, cui alia mas, alia fœmina. Differunt inter se tota figura [μορφῇ] etiamque ipsius ligni: & quod altera fructifera est, altera sterilis: Nam lignum maris durum, flavum, nodosius ac spissius, πυκνότερον, [Gaza non benè spinosius convertit.] *Vt inter se differant.* Fœminæ verò candidius, flexibiliúsque. Cortex maris crassior, & detractus propter duritiam flecti

M

suspicamur ei fortè visam aut cognitam Fagum sepium, quæ parua fert semina, loco fructus, ideóque in ea suam subtilitatem exercere voluisse.

Lob. taxat. Quamuis autem Lob. in Adu. Fagum agnouerit esse ὀξύαν Theophrast. tamen in suis obseruationibus hallucinatur, cùm scribit, Fagum Dioscor. quercus generi assignare, & consimile munus obire: nam in omnibus operibus ferè à Quercu differt Fagus Latinorum: igitur per φηγὸν Dioscor. hanc non intelligit, vt Lob. sui immemor tradidit.

Fagus species Quercus Pausaniæ. Du Choul annotat: Pausaniam in Arcadum syluis, diuersas esse Quercus prodidisse, quarum alias φηγοὺς alias Fagos appellat. Non est nobis ad manus Pausaniç Codex, hæc commentantibus: fortè φηγοὺς habet. Idem du Choul Fagum, glandiferam arborem agnoscit, sed glande intus triágula Et tamen paulò pòst, parum sui memor, subdit: De oxya, quam Scissi nam dicunt, non possum confirmare an glandiferarum in numero rectè possit collocari: fructus in calyce molli, castaneæ similis dulcedine atque succo. Sed hanc eius hæsitationem variationémque peperit error ille communis, quòd nesciuerit Fagum Latinorum esse Oxyam siue Sciffimam, differentem à Phego Græcorum: quod toties inculcare pigeret, ni errorum varietas id fieri postularet.

Du Choul reprob.

Matth. & Hist. Lugd. taxatur. Matth. in prioribus com. vitiosam figuram habet, potiùs Fagum sepium exprimentem. In postremis meliorem, vbi tamen nullam Oxyæ mentionem facit. Hist. Lugd. more suo duas icones ponit: priorem cum serrato folio, quę falsa ad falsam Matth. iconem facta: alteram ex Dodon. bonam.

Synonyma ling. Dicitur itaque ὀξύη & ὀξύα Græcis, etiámque ὀξύη Theophrast. nisi mendosus sit codex, & ὀξέα Hesychio. Goropius passim *Oxeam* vocat, qui sciuit tamen *Oxyam* Theoph. dici, quem toties citat. Et quid prodest Græcum amplius retinuisse nomen in schola Latina, si Latinum suppetat. Idem *Battarum* à Bassaro Baccho nuncupatam fuisse credit. Quid vocis sit *Battarum* nescimus. Eidem in Hieroglyph. Boek arbor, Gręcis Oxea, Latin. Fagus. Fructus ὁ τῆς ὀξύης [non φηγοῦ, vt Const.] καρπὸς Theoph. Possis & dicere κάρυον ὀξυινόν. Nuces Fagi. Lydi Myson vocant arborem. Bellon. annotat etiamnum hodie in monte Athos vocari, Oxya, & in Macedonia, Oxyas. Arab. *Chinaos,* aut *Chiacas*, Germ. Buechbaum/Bucke. Fructum Buchnüßlin/ Bucheychel/ & Buchäckerle. Gal. *Fau, Fouteau, Fayant, Hestre*: fructum, *Fayne*. Montbelgardi vocant arborem, *des Ate, & des Fo.* Belg. Bueckenboom/Boeckboom: Fr. Buecken nootkens. Angl. The Beech/& Beech tree. Ital. *Fagio,* & *Fagia, & Faggi.* Matth. in postr. com. Ital. ait, fructum in Hetruria dici *Faggiuola.* Hisp. Castil. *Haya;* Catal. *Fax*: Portug. *Faia*. Hung. bikfa. Frustrà Curtius duo eius genera nobis conatur obtrudere, non animaduertens ὀξύαν quam malè ὄξυαν vocat, eandem esse cum Fago eius priore seu Latinorum, à Fhego distinctam.

Battarus. Bock.

Myson. Oxya. Oxyas. Chinaos. Chiacas.

Curtius err.

Locus. Oxyam Theophr. tàm planis quàm Montibus prouenire ait, quanquam differentiam quandam inter vtramque faciat, vti dictum. In Esquiliis olim, vt prodidit Varro lib. 4. de ling. Lat. fuit lucus Fagutalis, & Virarum Querquetulanum sacellum: & lucus Mefitis. Viras Festus dictas vult Nymphas, quæ præsident Querceto virescenti, χλωρὰ δρυμὰ ἑ ἀμαδρυάδας, notante Dal. Ex eo loco Plin. Syluarum distinguebantur [Scandulæ] insignibus, Fagutali Ioui [Fagutalis Iouis Dal.] etiam nunc, vbi lucus Fageus fuit, porta Querquetulana. vet.] colle in quem vimina petebantur, totque lucis, quibusdam & geminis. Dixerat autem & paulò antè Scandulas è Fago aptissimas. Hæc obiter. Iul. Cæsar lib. 5. de Bell. Gall. tradit in Britannia materiam cuiuscunque generis esse, vt in Gallia, pręter Fagum & Abietem. An idem hodie verum, viderint incolę. Per totam Germaniam familiaris est: amat & montosa sed humentia, & plana. Nam & Plin. teste, descendit in plana. In monte Athos abundat, & in Macedonię montibus: Bellon. In Carinthiæ Stirię & Carniolę syluis Matth. Nostra cura passim sepibus topiariis inserta in horto Montb. Vbi & in horto D. Viroti vexilliferi E.C. perelegans & amplum vmbraculum olim mandatò Illustr. D. Georgii Patris Illust. Principis Frid. Ducis VVirt. &c. plantatum, quod nec Solis radios circa meridiem, nec pluuias, ac vix guttulas aliquas imbrium admittebat.

Lucus Fagutalis.

Plin. illustr. Lucus Fageus.

Scandula à Fago.

Cultura.

Tempus. Floret & frondem protrudit communiter Martio. Fructus Septembri cum castanea maturatur. Arborum fertilitas omnium ferè alternat, inquit Plin. sed maximè Fagi. Excrementa verrucosa in foliis obseruauimus Iunio: Maio & Iulio prouenìunt illi. Porci fructu saginantur Nouembri.

Seniorum error de Metamorphosi Fagi in Betulam. Constanter, inquit Goropius, Sonii saltus incolę affirmant, Fago cęsa, subnasci ex eodem trunco Betulam, se tamen vt credat, vix adduci posse. Et meritò non credendum. Sed potiùs, si quando Fago Betula succrescit existimandum Betulæ semen ob tenuitatem à ventis facilè transferri. Ergo nactum solum & terram commodam facilè apprehendit. Talis solet esse, vbi Fagi proueniunt, quarum trunci & radices, excisa arbore, facilè putrescunt, ac terrá leuem efficiunt, quam facile subeat Betulę semen, & germinet. Betula namque terra pingui & crassa aut saxosa semine non bene prouenit: at leui facillimè.

Vires & vsus. Faginea glans, tradente Trago, nonnihil calidę obtinet qualitatis, porcis muribus & turdis hyberno cibo gratissima. Rarus in medicina vsus est. Fagi folia, authore Plin. manducantur in gingiuarum labiorúmque vitiis. Calculis [Oculis M. Gallis. Guill.] glandis Fagineę cinis illinitur: item cum melle Alopeciis. Folia recentia tusa & imposita, calidis tumoribus prosunt, eósque discutiunt. Aqua quę in cauis Fagis & annosis Quercubus quandoque reperitur, singulari remedio ad omnis generis scabiem & impetigines Lichenásque facit, quod seipsum in pecoribus & hominibus expertum scribit idem Tragus. Vipera, teste Ruell. Faginei ramuli iactu vel oblatu cohibetur. Hæc verò ante Ruellium à Plutarcho quoque prodita. Sed vehementer dubitamus an hæc insit nostræ Fago. Cohiberi posset vel alterius alicuius arboris ramulo, ne videlicet vlteriùs prorepèret. Verùm non ita intelligit Plutarchus. Experiri id possunt Pharmacopœi Patauini, qui Verno tempore ad montes Euganeos proficiscuntur, viperas venatum pro theriaca. Quidam dicunt, inquit Tragus, Faginas glandes vstas & mixtas cum axungia porcina applicatas calidè lumbis, conferre calculosis, quod & Matthiol. confirmat. Glires Fagina glande maximè delectantur ac pinguescunt. Quamobrem cùm eius aduenit maturitas, teste Matth. innumeri capiuntur Glires in Carniolæ, Stiriæ & Carinthiæ syluis: quippe iis in locis incolas manè videas, qui saccos Gliribus plenos ferant, vna tantùm nocte captos. Delectantur Fagi fructu etiam mures: siquidem è longinquis regionibus natura ducti gregatim syluas ingrediuntur. Item & Sciuris gratissimus est cibus,

Tumores calidi.

Aqua Fagi ad Scabiem. Impetigo. Lichen.

Contra Viperam.

Glires Fagina.

Murium cibus. Sciuro gratus.

bus, ac etiam turdis, merulis, aliisque compluribus volatilibus. Glans Fagea suem hilarem facit, carnem coquibilem, ac leuem & vtilem stomacho. Et sanè in Germaniæ multis locis, præsertim in Saxonia sues iis saginari nobis relatum. Fagi folia esitata, labiorum gingiuarúmque vitiis mirificè opitulari: tusa item torpentia membra corroborare Matth. asserit. Dod. eadem folia refrigerant, vtiliterq; applicantur pustulis & vlceribus. Nucleus nonnihil humidus & calidus, cuius licet non multus vsus sit in hominibus, dulcis tamen est & esui gratus, vtilis ferè ad omnia, ad quæ Pinei nuclei: vt idem vult. At nobis sanè obseruatum, Fagineam glandem, potissimùm virentem & nondum exiccatam, si paulò copiosiùs comedatur, Lolii instar, caput turbare, ac ipsos etiam sues asserunt, eius esu turbulentos reddi, & tandem obdormiscere: id quod etiam Schvvenckf. testatur: qui ait, caput tentare, & inebriare eos, qui nimium comederint. Fertur pinguedo suum eiusmodi Fagineis glandibus saginatorum mollior, quæque dum coquitur, magis liquescat. Nolimus itaque has nobilissimis ac innocuis Pineis nucleis ferè pares dicere cum Dod. qui & ipse in postr. suis scriptis meritò omisit illa verba: sed addit: Feruntur renum ex calculo dolores, si edantur, mitigare, & ad Calculorum ac arenularum faciliorem exitum prodesse. Delectantur iisdem Columbæ. Est & esca vrsis quæsita, inquit Lob. & pauperculæ plebi, regionibus calidis & frigidis: sed quas Calidas intelligat, notare debuit. Oleo ex ea expresso paupercula plebs tempore quadragesimali loco butyri vtitur, teste Schvvěk. Sed præcipua nobilitas, vtilitasque meritò quoque habeatur illa quâ Poetarum maximus Virgil. celebrat: Eclog. 5.

------In viridi nuper quæ Cortice Fagi
Carmina descripsi: & modulans alterna notaui.

Et Plinius lib. 16 cap 9. Scribit in recenti cortice ad duces explorator, incidens literas à succo. [incisas literas tegēte succo D. il.] [Literis ob succi madorem non conspicuis, & cùm siccatus fuerit cortex apparentibus.] Nec non in quodam vsu sacrorum religiosus est Fagi cortex. Sed non durat arbor ipsa. [subaudi, cortice spoliata.] P. Crescentius scribit Cinerem Fagi posse assumi ad conficienda vitra.

Theophrast. humidissimam oxyam dicit: lectulósque ex ea cedentes & obsequiosos conficie: eádem minoribus nauibus commodam: atque in totum ex hac testudinem (χέλυσμα: lignum carinis affigi solitum, ne dum subducuntur, lacerentur vel offendantur) condi solitam. Præstare item ad plaustrorum vehiculorúmque vilem fabricam. Denique hanc in aqua permanere incorruptam posse, madefactamque reddi meliorem. Cortex Fagi, inquit Plin. Tiliæ, Abieti, piceæ, in magno vsu agrestium. Vasa corbésque ac patentiora quædam messibus conuehendis vindemiisq; faciunt, atque prætexta tuguriorum.

Facilis & in opere Fagus, quanquam fragilis & tenera. Eadem & sectilibus laminis in tenuia flexilis, capsisque ac scriniis sola vtilis. Fagis pectines transuersi in pulpa. Apud antiquos & inde vasis honos. Pocula Fagina Alcimedontis, cælato opere facta supra dicta ex Virg. Miramur sanè oxyan Theophrast. & Fagum Plinii olim in tàm nobiles vsus vocatam, maximè eius materiem, quam scimus facilè putrescere, nisi sit perpetuò tecta aut in aqua sēper mersa, quod sæpè nobis obseruatum in lignis ad vrendum sectis. Si enim sub dio maneant non tecta & madescant, facilè corrumpuntur, & ad ignem inutilia redduntur: alioqui inter nobis nota ligna ad focum & carbones vtilissima & præ aliis expetita. Iam si ad formam spectemus, quæ quæso in hoc ligno elegantia, inter tot alia, & tàm nobilissima ligna, vt ad cælata opera sit adhibitum? Non facilè dixerimus aliam oxyam Theophrastum, aliam Fagum Plinium à nostra Fago intellexisse: hoc enim vetat vtriusque descriptio tam eximiè & apertè huic nostræ quadrans. Sed multùm potuit Veterum superstitio in rem aliquam, alioqui per se nec valdè pulchram.

Scandulis Faginis quas Plin. post Roboreas aptissimas dicit, hodiè longè præferuntur Quercinæ. Immò inutiles habentur Faginæ, ob modò dictam causam. Nos concedimus Plinio capsis ac scriniis solam Fagum vtilem. Multa alia hodiè præferuntur. Et ipsemet Plin. fragilem & teneram fatetur. Quanquam ad crassiora firmioráque opera nobis satis firma videatur, vt ad plaustra, & similia. Multa quoque vtensilia ex ligno Fagi cōfici solent, & plæraque instrumenta agriculturæ. Annotat Tragus, Fagum in aquis durare incorruptam, madefactámque firmiorem reddi, ædificiis aquaticis accommodatissimam. Theophrast. idem dixerat priùs.

Sed non postremus vsus eius, quòd in tenuissimas laminas flexiles dissecta, ensium vaginis firmandis interseritur, ad id cultrariis hodie sola vsitata.

Iucundum saltem auditu est, quod Io. Colerus tradit, quomodo scilicet in Festo omnium Sanctorum experiri liceat qualis hyems ventura sit: Illo ipso die, inquit, in syluam abito] vt rescíscas num hyems calida aut frigida futura sit) ad Fagum, ex ipsa assulam recidito, & siquidem fuerit sicca: hyemem expectabis calidam affuturam. Sin verò fuerit humida, hyemem sperabis frigidam aduenturam.

CASTANEA.

CAP. V.



Dictum de Quercu, Ilice, Agrifolia, Fago Latinorum. Venit nunc recēsenda Castanea inter glandiferas, licet ipsa glandem non ferat, sed Castaneam. Verùm vt Glans includitur cupula seu calyce, sic & Castanea si addas echinatum. Primùm omnium exerit virgas Phœniceas Castanea, quæ temporis progressu in magnam altam & crassam arborem excrescunt, Quercuúmque annosarum crassitudinem adipiscitur. Cortice vestitur leui, maculoso, subnigro. Est vbi & in cinereum vergat, sed potissimùm in ramorum extremis & iunioribus arbusculis. Materies robusta, non sentiens putre-

Carbones. dinem, in igne multùm crepitat: cuius carbones statim extinguuntur, proinde fabris ferrariis expetiti. *Folia.* Folia gerit ampla & magna, vncias duas plùs minùs lata, quatuor aut quinque longa, tenuia, serræ instar incisa, nonnihil rugosa, transuersis multis venis in dorso eminentibus à media insigni costa extensa, fructum præcedunt nucamenta dependentia, insignis longitudinis, *Nucamenta.* luteolis apicibus cõstantia. Fert calyces echinatos, *Calyx echinatus.* pungentes, erinaceis similes, qui intus, villosi serici instar, tactu molles sunt. *Nux.* In quo continentur binæ aut ternæ nuces, aliàs vnica, ex lata basi in acumen desinentes, compressæ, altitudine vnciali, plus minùs, interdum & vna parte in ventrem extuberantes, cordis formam quodammodò, vt vulgò pingi solet, æmulantes: *Cortices.* cortice exteriùs obductæ, non crasso sed veluti coriaceo, duro ac lento, exteriùs spadiceo ac læui, excepta basi scabriore & subcinerea, (qua parte adhæsit) internè incana lanugine molli pubescente, cui subiacet alius tenuior cortex siue membrana russa, crispa & rituris glandis sese insinuans, fragilis, amaricans & adstringens, *Nucleus.* nucleum siue glandem continẽs albam, callosam, solidam ac duram satis, qualis glandium ferè Quercus, sed dulcem & gratam palato, potissimùm si cocta fuerit.

Cur echino à natura muniti videantur Lacunæ, dicetur in viribus.

Differentia & varietates. Castaneæ plures obseruatæ species, Vulgata quæ modò descripta: humilis seu racemosa: Equina dicta: & deinde quædam aliæ exoticæ infrà describendæ. *Vulgata varietates.* Sed ipsa quoque vulgata suas differentias ac varietates habet, potissimùm in fructu, vt à vulgo discernuntur: *Magna.* Magni, mediocres & parui. Magnæ castaneæ reuera à mediocribus non differunt, sed post vindemias quæstus causa, aut gratia muneris, maiores à minoribus seliguntur: *Marrones.* Maiores, vulgus Gallorum *Marrons*, *Marrones* Ruell. *Marranes* Curtius vocat: cuius nominis ratio adhuc incomperta nobis est, amplitudine & saporis suauitate commendatissimæ. Hæ lautiores diuitum mensas claudunt. *Communes.* Reliquæ communiter castaneæ dicuntur, & pauperum saturant ieiunia, quamuis & promiscuè ad vulgi mensas admittantur. Illis cineribus obrutas priùs torrent igni: has, & torrent quoque & frequentiùs in aqua excoquunt ad satiandam plebeiam auiditatem: *Populares.* vnde Populares Plinio dictæ videntur. Tales Lugduni & passim apud Allobroges videas venales adhuc ab elixatione calidas haberi, & à mulierculis per plateas & compita circumferri, clamando patrio idiomate, *Chattagny chodi, tutti chodi*. Adhuc calere, vociferantur. *Minores & feræ.* Sed habentur & minimæ ac veluti feræ, vix vngues digitorum, ac rarò pollicis æquant aut superant, quarum vix decem aut duodecim vnam magnam pendeant. Videntur & callo esse solutiores, gustuq; prædictis longè inferiores. An id cultus faciat, vel locus, vel speciei quædam sit varietas, considerandum. Ruell. sanè duo agnouit genera: maiora, & minora, veluti sunt feræ. Nullo autem nominis alio discrimine hodiè separantur, tametsi figura, magnitudine, dotéque haud parum inter se differant. At Cordus tria facit genera: *Syluestre.* vnum syluestre: & duo satiuarum: minores & maiores. Sed in his ita se res habet vti dictum. Matth. satiuas & syluestres tantùm in Hetruria agnoscit, & duo genera dicit.

Differentia ... Tarentina ... Salariana. Olim plura habebantur genera, vt legitur apud Plin. Tarentinæ faciles, nec operoso sunt cibo, planæ figura. Rotundior, quæ Balanitis vocatur, purgabilis maximè & spontè prosiliens. Pura & plana est ex eis & Salariana: Tarentina minùs tractabilis. *Corelliana.* Laudatior Corelliana, & ex ea facta, quo docemus in insitis modo. *Meterana. Triangula.* Meterana, quam rubens cortex præfert triangulis, [rubenti cortice, quam vulgus præfert.] & popularibus nigris, *Populares nigra seu Coctiua.* quæ coctiuæ vocantur. *Differentia à loco.* Patria laudatissimus Tarentum, & in Campania Neapolis. Cæteræ suum pabulo gignuntur, scrupulosa corticis, intra nucleos quoque ruminatione. Vel, vt Dal. legit, & clariùs: scrupulosi corticis interioris circa nucleos quoque ferruminatione. Nimirum, tanto adhæsu, & tàm arcto, vt interior cortex glutinatus cum nucleo, solidatus ferruminatusq; videatur, ideóq; ab eo separari & diuelli nequeat: quod vitium est. *Lonic. not. Lapidea porcorum.* Has postremas Lonic. Plinii differentias adducens, ac si sibi vel hodie cognitæ essent, lapideas porcorum ineptè appellauit. Videtur autem Plin. octo genera fecisse. Nec dubium, inquit Bruer. quin hodie multò plura inueniantur: ingenio hominis nihil intentatum relinquente.

Varia porrò est authorum de castanea historia, videntúrque sibi in ipsa nominum varietate placuisse, vnde historia dubia magis ac anceps non ritè aduertentibus appareat.

Caria seu Nuces latæ Hipp. Cornar. reprob. Primùm non conuenit, an Nuces dicendæ, an Glandes, Pomorúmque generi accensendæ. Hipp. sanè lib. 2. de Diæta κάρυα πλατέα dicit, hoc est, Nuces latas: quo loco Cornar. vt dicetur in viribus, πέπονα conuertit maturas, cùm potiùs nostro iudicio coctas vertere debuisset: qualis Virg. *Castanea molles.* molles dixit Eclog. 1.

----Sunt nobis mitia Poma,

Castanea molles & pressi copia lactis.

Seruij lapsus. Quanquam Seruius exponat quoque castaneas molles, maturas, castaneas nullas nouimus, aut ab authoribus descriptas legimus, quæ maturitate molles euadant, lapidiores quidem redduntur, gelu molles euadunt, sed tunc esu inutiles. Coctione verò in aqua, aut sub prunis tales redduntur. *Virgil. ex pos.* Ex Turner. tamen sententia non ab re fuerit, earum certum genus intelligere, quum interpres Nicandri castanearum quoddam genus μαλακὸν, id est, molle appellet. Sic enim scribit. τῶν δὲ κασάνων τὸ μὲν σάρδιανον, τὸ δὲ λόπιμον, τὸ δὲ μαλακὸν, τὸ δὲ γυμνόλοπον. *Differentia interp. Nic.* Nec ideò ab errore vindicabitur Seruius & Frisius & quicunque eos secuti sunt, qui non speciem aliquam peculiarem, sed in genere benè maturam intellexerunt. Idem Virg. Ecl. 2. Nuces dixit:

Castaneásque nuces, mea quas Amaryllis amabat.

Dios Balanus seu Iouis Glans Theophr. Nuces inquit Plin. vocamus & castaneas, quanquam accommodatiores glandium generi. Castanea, nostro iudicio, Theophrast. est Διὸς βάλανος, quod facilè probauerimus vel ex illo loco, qui habetur lib. 3. c. 10. vbi ait, *Theoph. illustr.* Oxyæ fructum [quam Fagum esse Plin. & Latinorum, antea declaratum.] læuem esse & glandosum in echino, sed non spinoso, verùm miti, nec vt Διὸς βάλανος seu castanea [ita & Gaza vertit] spinoso. Quomodo clariùs potuisset insinuare castaneæ fructum, quàm Oxyę cum illo conferendo fateri quidem habere echinum, sed non, vt Διὸς βάλανος ἀκανθώδη: Similem tamen illi esse dulcedine atque succo? Sic & cap. 6. eiusdem lib. castaneam intelligimus, vbi ait: Quidam Quercum, Nucem Auellanam & Διὸς βάλανον florere existimant: alii non. Vbi iterum Gaza castaneam conuertit, & rectè. Vbi pro Nuce auellana, ἡρακλεωτικὴ καρύα legitur. Sed quando idem Gaza eodem cap. pro καρύα simpliciter, reponit Nux Iuglans, fallitur: nos Auellanam intelligimus: quæ [quod ille ait] sicut & Διὸς βάλανος, i. castanea, [etiam Gazæ] maturè germinat. Et rursus: fructum reddit καρύα [Nux Iuglans, Gaza, nobis

bis Auellana) autumno: διὸς βάλανος seu Castanea, seriùs: nam circa Vergiliarum occasum. Et cap. 7. κάχρυ (Amentum Gaza: nos seruata voce Græca malimus Cachryn reponere.) habet καρύα (Nux Iuglans Gaza:) καὶ διὸς βάλανος (Castanea. Idem ait: Syluestris καρύα (Nux glans Gaza) atque διὸς βάλανος (Castanea Gaza) frigoris cupidæ montanæque sunt. Ast nobis Iuglans minimè videtur frigoris cupida: gelu enim facilè perditur. Considerandum an non intelligat καρύαν ἡρακλεωτικὴν, quæ etiam lib. 3. cap. 15. simpliciter dicitur καρύα, folio Betulæ, vt fusiùs explicatum sub Auellana. De Castanea facilè id concedimus, experientia nô reclamante, & ipso etiam Theophrast. lib. 3 cap. 4. dicente, διὸς βάλανον montium esse propriam, quod an simpliciter verum, in loco patebit. Hæc itaque Theophrast. de Castanea, quam διὸς βάλανον vocat, habet.

Sardiana Balanus. Diosc.

Dioscor. Σαρδιαναὶ βάλανοι, quas aliqui Κάστανα, aut Λοπίμα, aut Μότα, aut Διὸς βάλανος appellant. Quidam pro μότα, legendum putant ἄμωτα, vt apud Athen.

Eleganter, vt omnia, Plinius: Armatum iis echinato calyce vallum, quod inchoatum glandibus. Mirúmque, vilissima esse, quæ tanta occultauerit cura natura. Trini quibusdam partus ex vno calyce, cortéxque lentus. Proxima verò corpori membrana, & in his & in nucibus saporem, ni detrahatur, infestat. Sardibus eæ prouenere primùm. Ideò apud Græcos Sardianos (Sardinianos Turn.) balanos appellant. Nam D. Tiberius posteà Balanum nomen imposuit, (Nam διὸς βαλανὸν postea nomen imposuere,) excellentioribus satu factis. Item alibi: quorundam extrà gemina geminantur vitia, vt in Castaneis. Putamine claudûtur nuces, corio Castaneæ.

Sardiani Balani Plin. & Suide. Dios Balanus.

Euboica Theophr. Glans Euboica. Glans Sardiana. Dalech. opinio refut.

Cæterùm Dalech. apud Theophrast. lib. 4. cap. 6. Euboicas nuces, quarum multæ in Eubœa habentur vult esse Castaneas, quas (inquit) posterior ætas glandes Euboicas & Sardianas vocauit, vt est apud Athen. lib. 2. Sed si Euboicæ Theophrast. sunt Castaneæ, vt vult Dalechamp. ex Athen. Diosbalanos eiusdem Theophrast. non potest esse, quia manifestè superat Euboicas nuces à Diosbalano, qui paulò ante dixerat διὸς βάλανον [Castaneam, Gaza.] plurimam nasci in Tmolo & Olympo. Athen. sanè Diosbalanon eandem nobis videtur facere cum Ioglande: ita etiam interpretatus est ipse Dalech. Verùm Diosbalanum Theoph. dicere non possumus esse Iuglandem: quandoquidem ait: Caryan & Diosbalanon frigoris cupidas montanásque, quod planè repugnat naturæ Iuglandis: qua occasione improbauimus Gazę versionem καρύας Nucem Iuglandem interpretantis: nos verò, uti dicebamus, eo loco per καρύας intelligimus eã, quę dicitur ἡρακλεωτική id est, Auellanam. Quæ apud Theophrast. traduntur de Diosbalano à nobis paulò antè citata, respondent castaneæ. Adde quod etiam Diosc. vti dictũ κάστανα vocat διὸς βαλάνους. Hermol. Ruell. Cæsalp. & alii idem faciunt.

Theoph. illustr.

Athen. Castanea illustr.

Atheneum verò per Diosbalanon intelligere Iuglandem, videtur manifestum ex sequentibus eius verbis, ipso sic vertente Dalecampio. Heracleon Ephesius, inquit Athen. Nuces (κάρυα) nominarunt & Amygdalas quas nunc Castaneas. (καστάνεια) Arbor κάρυα est apud Sophocl, κάρυαι μελίαι τε: Carya, Fraxinique. Ebulus: Phegos, Nuces, [κάρυα] Carystia. Nucum Ponticarum quas λόπιμα quidam nominât, Nicander meminit. Hermonax verò & Timachidas in glossis tradunt vocari διὸς βάλανον (Id est, Iuglandem: Dal.

Castanea.

Nuces Pontica. Lopima.

qui addit: absurdum hoc videri, Castanearum potiùs illam nomenclaturam esse, quas & λόπιμα κάρυα, & σαρδιανὰς βαλάνους appellant, & Castana siue Castania, & Euboycas nuces. Item mox: Heracleoticæ nuces (Auellanę: hic fallitur Athenæus, Dal.) quæ etiam διὸς βάλανοι [Iuglandes Dal.] dicuntur, non tantum alunt, quantum Amygdalæ, & aliquid habent, quod innatet, & quod stertorem ac raucedinem vocis (κεγχρώδη. Dal. annotat: magis conuenire putaui ῥεγχώδη & κεγχρώδη.) efficiat: largiùs sumptæ caput grauant, & minùs offendunt recentes quàm siccæ. Persicæ nuces [Regiæ siue Iuglandes, Dal.] capiti non minùs graues sunt quàm τῇ διὸς βαλάνῳ, Heracleoticæ, Dal. (quâ licentia? quo autore?) magis nutriunt, os & fauces exasperant: assæ minùs lædunt, & ex omnibus nucibus, si edantur cum melle, egeruntur promptissimè. Latæ nuces, [πλατέα Castaneæ, Dalech.] magis inflant: minùs noxiæ sunt elixæ, quàm vel crudæ vel frixæ, & frixæ minùs, quàm crudæ. Philotimus libris de alim. scribit: Nucem latam & Sardianam vocari: τὸ πλατὺ [sub. κάρυον.] καὶ τὸ καλούμενον Σαρδιανόν. Et mox: Mnesitheus Atheniensis l. de edulis, Nucum Euboicarum siue Castanearum, Εὐβοϊκῶν φησὶ καρύων ἢ καστάνων: (ἀμφοτέρως γὰρ καλεῖται.) [duobus enim his nominibus appellant] coctionem tradit esse laboriosam ventriculo, & cum multo flatu perfici: si quis tamen superarit, habitiorem fieri: Amygdalas autem, Nucésque Persicas & Heracleoticas [Iuglandes & Auellanas, Dal.] & alias omnes, illis [τούτων: Castaneis Dal.] esse deteriores. Ex his tamen cunctis generibus in vniuersum edendum nihil esse quod non sit igne coctum, præter virides Amygdalas, sed elixari quædam ex his oportere: [vt Castaneas, Dal.] quædam frigi [vt Amygdalas, Iuglandes, Auellanas.] Quoniam horum alia sunt naturâ pinguia, vt exiccatæ Amygdalæ & Διὸς βάλανοι: [Iuglandes Dal.] alia sicca & acerba, ueluti φηγοὶ (Fagi, Dal.) & quicquid est eius generis. Earum [Nucum, Dal.] quæ vnguinosæ sunt, ignis absumit pinguedinem. Quæ verò ducæ & acerbæ sunt, igni maturescunt, lento ac exiguo. Diphilus Castaneas (κάστανα) vocat Sardianas glandes: λόπιμον κάρυον τι Euboicis at βάλανος, id est, glandem: alii, vt Nicander Colophonius scribit in Georgicis. Agelochus Amotas appellat Castaneas (Ἄμωτα καλεῖ τὰ καστάνεια.) Vbi Sinopicæ nuces nascuntur, has arbores Amotas dixerunt. Sic dictas annotat Dal. quòd sit prouentus illius fructus messis, gentibus nonnullis, quę Castaneis tantùm victitant: ἀμᾶν enim metere est: ἄμητος, messis. Hactenus Athenæi placita ex Athen. satis confusè, vt apparet, de Castanea tradete: cui tamen multum lucis afferat, si, vti iudicamus, apud eum per διὸς βάλανον, intelligas Iuglandem, quemad. apud Theophrast. Castaneam.

Castana. Castania.

Dalech. nota.

Latæ nuces.

Nux Sardiana.

Sardiana glans. Balanus. Amota. Sinopicæ nuces.

Amota vnde.

Τὰ κάστανα inquit Gal. quidam etiam λόπιμα nominât. Idem earum hispidum Corticem in vsum assumpsit lib. 1. de comp. med. part. vocátque πώγωνα λοπίμων, id est, Barbam Castaneæ: id quod Plin. echinatum calycem dixit: quem Aëtius Castanea ακτινωτὸν φλοιὸν appellat, qui & ipse scribit Castaneas etiam Lopima appellari. Virg. Castaneas hirsutas dixit: nimirum adhuc intra suos echinos locatas, vt notat etiam Seruius. Ecl. 7.

Lopima.

Barba Castanea. Echinatus Calix. Castanea hirsuta.

Stant & Iuniperi & Castanea hirsuta
Strata iacent passim, sua quaque sub arbore poma.

Castanea inquit Hermol. Græcè διὸς βάλανος, hoc est, Iouis glans: Nuces vocamus & Castaneas, quanquã propiores Glandium generi. Ideò

Iouis glans.

Tom. L 2

Balani Sardianæ. Euboica. apud Græcos appellantur Balani Sardianæ, Euboicas quoque Græcis dici lego. Sed & castaneas primò dictas, scribit Photion, quod ab oppido Magnesiæ, quòd Castanon dicatur, aduectæ sint: vt fortè Diodorus Nuces castanicas inde nominârit. *Castanea vnde. Nuces Castaneæ. Pogonia, Lanata.* Quid si à castitate, cùm Plinius ieiuniis dicatas eas innuat. Ex iis Græci Pogonias appellant, nisi quis Lanatas earum intelligat, sunt enim aliquæ pilis hirsutæ. Stephanus docet Castanon oppidum esse in Apulia, non procul à Taranto.

Castaneam Iouis glandem dixerunt Prisci, etsi Posteriores, vt notat Marcell. Regiis Nucibus eum honorem tribuerint. Eandem legimus in Veterum Græcorum Lexicis Lopimam & Euboicam dictam fuisse: hanc à regione, illam à cortice: *Euboica vnde. Lopima vnde?* quem λέπος Græci dicunt: & λοπᾶν decorticare.

Laudauit contra venena quædam præcipuè Nicander castaneam: Nucemque, vt postea Maro fecit, appellauit: versiculus eius est:

Κασταν κάρυον πολυφλοίοιο κάλυμμα.

Et paulò pòst:

Δυσλεπές ἢ κάρυον τὸ καστανὶς ἔτρεφεν αἶα.

Quod non parum miretur aliquis, cùm manifestè inter Glandes potiùs [teste etiam Marcello] quàm inter Nuces castanea numeranda sit. Magnis authoribus vtrumque defendi potest, vt suprà ostensum: nec nos aliud in huiusmodi re monemus, quàm fuisse quondam in ea Glandis & Nucis nomen, latiùs Glandis quàm Nucis claruisse. *Glans Iurisconsultis, omnis fructus.* Quod Iurisconsulti etiam decreuerunt, titulo de Glande legenda, omnes arborum fructus ea voce complexi. At vt Iouis glandes appellentur, Plin. non castaneis, sed Nucibus Regiis adscribit: quum, vt inquit, sint qui honoris nomen interpretentur. Vnde sanè & Iuglandium appellatio contracta est.

Cestiana Aetio. Aetius correct. Cordus consentit nobis esse Cestianam Glandem Aëtio: sed sibi compertum ait, in aliquibus codicibus apertè τοῦ κασταν habeti, & non κεστιανοῦ, velut Bohemum Hassenstenium exemplar, vnde se primùm Aëtii editionem transtulisse scribit. Habuisse nimirum, βαλάνου φλοιὸς ἢ μάλιστα τοῦ κασταν: hoc est, cortex glandis, maximè castaneæ.

Nux Heracleotica. Oppio & Macrobij. Nux etiam Heracleotica dicitur, vt ex Oppio viro doctissimo, in lib. quem fecit de syluest. arboribus docuit Macrobius, his verbis: Heracleotica hæc nux, quam quidam castaneam vocant. Euboica etiam à regione. Nonnulli insuper ex Philostrato in iconibus, Iouis Glandem dici arbitrantur: quod etiam aliquos facere ait Diosc. At nobis ἡρακλεωτικὸν κάρυον rectiùs videtur competere Auellanis siue Corylo arbori, quàm castaneæ, iuxta sententiam Theophr. apud quem & Gaza vertit Nucem auellanam.

Theoph. emend. Rob. Const. in Lex. vult κάρυον ἀβοικὸν esse nuces castaneas. Theoph. lib. 1. c. 18. τὰ μὲν ἐν σαρκώμασι. [leg. δερματικοῖς] ὥσπερ ἡ βάλανος ἢ τὸ ἀβοικὸν [scribendum ἀβοικὸν.] Plin. crusta teguntur Glandes, corio castaneæ. Hesych. etiam λόπιμα pro καστάνεα, sed scrib. εὐβοϊκά vel ἀβοϊκά, supple κάρυα. Nicander quidem λόπιμον κάρυον τ' Εὐβοΐδος: βάλανον δ' ... χαλάσειε, cecinit. *Plin. ex Gaza error si Constantino credendū.* Deprehenditur, inquit idem Const. nondum retectus error Plinii, quem sequitur Gaza. Siquidem Theoph. lib. 5. c. 5. quia κάρυα ἀβοικὰ recenset inter ... : Plin. l. 6. c. 40. Iuglandem: Et lib. 5. c. 7. τῆς ἀβοϊκῆς καρύας. Plin. lib. 16. c. 42. Iuglans. At nos Plinio potiùs assentiri quàm Athenæo & Constantino, nempe per Nucem Euboicam intelligendam Iuglandem, docuimus supra lib. 3. cap. de Iuglande sub titulo Cariæ seu Nucis Euboicæ: vbi Lector comperiet quæ Theoph. sparsim de ea scripsit. Licet ipse quoque Cæsalp. tradat Διὸς βάλανον alibi à Theophr. Nucem Euboicam dici. *Cæsalp. not.* Apud Xenoph. παῖδας σιτευομένους καρύοις ἐφθοῖς, de castaneis intelligendum. In collect. ad agricolationem spectantium l. 2. adnotatum, Castaneas dici Διὸς βαλάνους: quod & lib. 10. repetitum aduertas. Galeno etiam λευκηναὶ dicuntur castaneæ nuces, sic dictæ à loco Idæ montis, quem λευκὰς plurali numero appellat idem Gal. lib. de Euchimia. *Leucanæ Gal.*

Castal. Arab. Apud Serap. castanea dicitur Castal: & *Sadianalach* ait quibusdam castaneam dici, & esse *Stebulot.*

Armon. Hebr. Armon Hebræis, Trago, qui vult Iacobum Patriarcham Genes. 30. vsum virgultis è castaneis: ita & Latina pleraque habent & Gallica & Germanica, quanquam vetus & ex eo Tubingensium impressio habeat Platanum loco castaneæ. *Castanea Bibliorum.* Nimirum virgis castaneę Iacob soceri sui spé, quam de multiplici ac copioso fœtu conceperat, ingenioso dolo elusit. *Iacobi astutia.* Sic autem verba sonant, vertente Castalione: Iacobus ex Populeis & Colurnis, & Castaniis virgis virentibus partem corticis detrahebat, & earum album nudabat, deinde eas ponebat in canalibus aquariorum è regione pecorum, vt cùm eò potum venissent, in aspectu virgarum inirentur, quod cùm fiebat, varios & maculosos, & versicolores fœtus edebant. In Græco exemplari nulla prædictarum arborum exprimitur, sed simpliciter legitur: ἔλαβε δὲ αὐτῷ Ἰακὼβ ῥάβδον στυρακίνην χλωρὰν, καὶ καρυΐνην καὶ πλατάνου &c. fortè quòd interpretibus non probè cognitæ fuissent eæ arbores.

Galen. & *Castaneas*, & *Castanea* neutro genere dici ait fructus. Dodon. Græcè etiam καστάνειον κάρυον & καστάνεια vocat: sed quo authore? Germ. **Kastanien/ Kestenbaum**: fructus **Kesten**. Belg. **Kastanienboom/ Castanie**. Gal. *Chastaigner*, *Chastagne*. Ital. *Castagno*, *Castagna*; *magne*, *Maroni*. Hisp. *Castanno*: fructus Castil. & Cat. *Castannas*: Portug. *Castanhas, Marones*. Angl. **Chesnut tree**: Fr. **Chesnut**. Vngar. **Górtynye**. *Nomina linguar.*

Locus. Antea dictum ex Theophr. Tmolum Olympumque Mysium Castaneas ferre plurimas. In Macedoniæ montibus obseruauit Bellon. Lætantur opaco & Septentrionali cliuo, regionum tamen non frigidiorum, nam cœlum Aquilonium non ferunt. Quapropter rarior in plerisque Germaniæ locis, immò in quibusdam vix nisi culta. Luxuriat tamen, inquit, Tragus circa VVeisenburgum Imperiale oppidum non procul à pago **Dörrenbach** vulgò vocato, nec non in Alsatia superiori, vbi magna nemora scatent, vnde & in Thuringiam & inferiorem Germaniam conuehi solent. In tota Italia vulgò notissimæ: vbi tamen montibus & opacis gaudent magis, quàm campestribus & apricis: sunt etiam in Palatinatu, in Heluetia. Plenæ sunt præterea Allobrogum, Delphinatus & Aluernorum syluæ, quæ in totam regionem, ob præstantiam disperguntur. Apud Petragoras tamen maior prouentus: vt ingentes ibi eius arboris, si alterius cuiusque cernantur: apud quos quadrupedum omnis generis & auium pabulum, teste Curtio. Delphinates tamen minimè sua frustrantur laude, quæ à negotiatoribus magna copia Lugdunum deuehuntur, & deinde in alios tractus comportantur: quanquam & ager Lugdunensis montanus, qui Chaussanius dicitur, aliique contermini ferant, magnitudine gustatúque minimè inferiores, sed non tanta copia. *Petragoriis & Cenomanis cibus quotidianus.* Sed Petragoriis & Cenomanorum potissimùm montium populis instar messium sunt, vbi pancæ familiæ [nobilitate excepta] quæ pane vescun-

vescuntur, nisi septimo quoque die aut solenni festo, tradente Bruyerino, qui se illac transeuntem ita ab incolis accepisse testatur.

Italicis laudatissimis patria Tarentum, vt dicebamus, & in Campania Neapolis, de quibus Martial. Epigr. l.5. ad Toranium.

Et quas docta Neapolis creauit
Lento Castanea vapore tosta.

Delectus. Vidimus in montibus Eugineis, Rheticis, ad lacum Verbanum Italiæ, & Lemanum Sabaudiæ. Integrarum probatio est, vt in frigidam mittantur: siquidem bonæ & incorruptæ merguntur, vitiosæ supernatant. In genere recentes & bonæ à putredinis labe infectis, vel non decorticatę secernuntur duritie ac pondere.

Tempus. Ineunte Vere germinant nec multò pòst florent, seriùsque Vergiliarum occasu fruticant, nempe circa finem Septembris, ac per totam ferè hyemem durant. Maturo fructu echinati calyces rumpuntur ac hiant. Tum maturæ decidunt Castaneæ. Quidam more impatientes prælongis virgis sicut nuces Iuglandes arboribus decutiunt. Alternis ferè annis agricolam vbertate exhilarant. *Cultus.* Gaudent in Genere montibus & accliuibus: Campestribus interdum degenerant, aquas oderunt.

Cultus & serendi ratio ex Colum. Castanea, inquit Colum. roboribus proxima est, & ideo stabiliendis vineis habilis: Nux eius in repastinato posita celeriter emicat, & post quinquennium cæsa, more salicti recreatur, atque in palum formata ferè vsque in alteram cæsionem perennat. *Quam terram diligat.* Puram [Basil. Cod. Pullam] terram & resolutam desiderat. Sabulonem humidum vel refractum tofum non respuit, opaco & Septentrionali cliuo lætatur: spissum solum & rubricosum reformidat.

Satio. Seritur à Nouembri mense per totam hyemem sicca terra, & repastinata in altitudinem dupondii & semissis, nuces in ordinem semipedalibus, ordines autem quinû pedum spatiis dirimuntur, in altitudinem dodrantis Castaneæ depressis sulcis cō mittitur. qui vbi nucibus consiti, priusquam complanentur, breues arundines ab latere Castanearum panguntur, vt per hos sationis indices cautiùs fodi & runcari possit. Bima iam semina transferri queunt: sed vacuitas binum pedum relinquatur, ne densitas plantulas emaciet. Spissius autem semen propter varios casus deponitur: nam interdum priùs quàm enascatur, aut siccitatibus nux inarescit, aut aquarum abundantia putrescit: interdum subterraneis animalibus, sicuti muribus & talpis infestatur, propter quæ nouella Castaneta caluescunt. Atque vbi frequentanda sunt, meliùs ex vicino, si competit (mergi more) pertica declinata propagatur, quàm exempta reseritur. Hæc enim velut immota sua sede vehementer germinat. At quæ radicibus exempta & deposita est, biennio reformidat: propter quod cōpertum est, commodiùs Nucibus, quàm viuiradicibus eiusmodi syluas institui. Cultus eiusdem est fossionis positionisque, qui vineæ. Supputari debet bima, quinetiam trima nam bis ferro repetenda est veris principio, vt incitetur eius proceritas. *Putatio.* Idem Colum. alibi ante Calendas Martias, vel etiam inter Non. & Idus Martii Castaneas serere præcipit.

Serendi & cultus ex Pallad. Digna obseruatu quæ Palladius in hanc rem prodidit. Castanea seritur & plantis quæ spontè nascuntur & semine. Sed quæ plantis seritur, ita ægra est, vt biennio de eius vita sæpè dubitetur. *Tempus sationis.* Serenda ergo ipsis Castaneis, hoc est, seminibus suis, mense Nouembri & Decembri: item Februario. *Delectus ad satum.* Eligendæ sunt Castaneæ ad ponendum recentes, grandes, maturæ: quas si Nouembri mense seramus, facilem se præsentia fructus ipsius præstat, si verò Febr. ponamus, vt ad id tempus durent, ita faciendum. *Vt Castanea asseruanda ad satum.* In vmbra Castaneæ siccentur expansæ, tunc in angustum & siccum locum translatæ Cumulum faciant, & eas omnes fluuialis arena diligenter operiat. Post dies 30. eas remotâ arenâ in aquam frigidam mittis. Quę sanæ sunt, merguntur, supernatat quæcunque vexata est. Item quas probasti, similiter obrues, & post 30. dies æquè probas. Hoc cum tertio feceris vsque ad Veris initium, serere debebis, quę manserint illibatę. Aliqui in vasculis seruant, arena pariter missa. Amant solum molle & solutum, non tamen arenosum. In sabulone proueniunt, sed humecto. *Terra delectus.* Nigra terra illis apta est, & Carbunculus, & tofus diligenter infractus. In spisso agro & rubrica vix prouenit. In argilla & glarea non potest nasci. Diligit cœli statum frigidum sed & tepidum non recusat, si humor assenserit. Delectatur cliuis & opacis regionibus, ac maximè in Septentrionem versis, vti dictum. *Terræ præparatio.* Pastinari ergo locus debebit, qui huic destinatur arbusto, altitudine pedis vnius & semis, vel duorū: vel totus aut sulcis in ordinem destinatis, aut certè aratris resolutis hinc inde findentibus. *Serendi modus.* Qui si non satiatus ac redactus in puluerem, Castanearum semen accipiat, non ampliùs pedis dodrante demersum. Vnicuique semini propter notam, surculus debet affigi. Ipsa semina singulis locis simul terna vel quina ponantur, inter se quatuor pedum spatio separentur. *Quandò transferēda.* Quibus transferre placuerit, bimas Plantas transferre debebunt. Locus tamen deductoria liquoris accipiat, ne humor insidens huic, germen extinguat. *Cultus post sationem.* *Quomodo propaganda.* Cui placet, potest Castaneæ in propaginem ducere ima virgulta, quæ in radice nascuntur. Nouum Castanetum circumfodi debet assiduè. *Quando putandā.* Mense Martio & Septembri incrementum maius acquirit si putationibus adiuuetur.

Breuiùs paulò aliter Plinius: Castanea pedamentis omnibus præfertur facilitate tractatus, perdurandi peruicacia, regerminatione cędua vel Salice lętior. Quærit solum facile, nec non arenosum, maximéque sabulum humidum aut carbunculum, vel tophi etiam farinam, quamlibet opaco Septentrionalíque & pręfrigido sito vel etiam decliui. *Satio & cultus ex Plin.* Recusat eadem Gallicam [glaream D. Calcem, Vet.] rubricam, cretam, omnémque terrę fœcunditatem. Seri nuce diximus, sed nisi ex maximis non prouenit, nec nisi quinis aceruatim satis. Perfringi solum debet suprà (supremū Vet.) ex Nouembri mense in Februarium: quo solutæ, spontè cadunt ex arbore, atque subnascuntur. Interualla sunt pedalia (semipedalia, Col. sesquipedalia Dal.) vndique sulco dodrantali. Ex hoc seminario transferuntur in aliud, bipedali interuallo, plus biennio. Sunt & propagines, nulli quidem faciliores. Nudata enim radice, tota in sulco prosternitur. Tunc ex cacumine super terram relicto renascitur, & alia ab radice. Sed translata nescit hospitari, pauetque nouitatem. *Non trāsfertur Plinio.* Biennio ferè posteà prosilit. Ideò nucibus potiùs: quàm viuiradicibus plantaria cædua implentur.

Ipsa se colit. Cultura non alia quàm suprà dictis fodiendis supputandisque biennium sequens: de cætero ipsa se colit, vmbra stolones superuacuos enecante. Cæditur intra septimum annum. Sufficiunt pedamenta iugeri vnius vicenis vinearum iugeribus, quando etiam ea bifida stirpe fiunt, durantque vltra alteram syluæ suæ cæsuram. Damege-

ronti Castanea plantatur & ex viuiradicibus, & ex semine. Securior est, eodem tradente, modus ex plantis: post duos enim annos fructum producit. Plantatur ab æquinoctio non solùm à scrofalis & ramis, sed etiam auulsionibus ac viuiradicibus, quemadmodum Olea. Seminantur porrò Castaneæ non similiter vt Amygdalæ & Nuces, sed acuminata parte sursum spectante.

Serendi ratio. Insertio.

Mense Martio vel Aprili castanea inseritur sub cortice, teste Palladio, qui vtroque genere sibi probatum ait. Potest etiam inoculari. Inseritur in se & in salice, sed ex salice tardiùs maturat, & fit asperior in sapore.

Salici.

Fulmineam Salicem fœcundant ardua membra
Castaneæ, & multo pasta liquore vigent.

Fago.

Idem inquit Virg. 2. Georg.

Et steriles Platani malos gessere valentes,
Castaneæ Fagos &c.

Virgil. exponitur.

Dicit quid in quam arborem debeamus inserere, Fago castaneam, non enim in castanea fertili longè ignobiliore fructu Fagum facilè inseruerit. Vnde aut Hypallage est, vt castaneę Fagos sit, pro Fagi castaneas gessere, aut mutanda distinctio, vt sit:

Platano.

Et steriles Platani malos gessere valentes
Castaneæ, Fagos.

Hoc est: Infœcundæ arbores Platani fortes ramos castaneæ portauerunt. Seruius.

Iuglandi. Robori.

Castanea, teste Ruellio, Iuglandi, Fago, & Robori infixa comprehendit.

Annotat Bruyerius: Inseri quidem castaneas: verùm non ita feliciter: nam longè plures deperire, quàm quę incolumes euadant: operosissimamque esse insitionem.

Repositio.

Castaneæ seruantur vel in cratibus dispositæ, vel intra sabulonem, ne inuicem tangantur, vel in vasculis fictilibus nouis conditæ, & loco sicciore defossæ, vel inclusæ virgeis ex Fago receptaculis, & lutatæ, vt spiracula non relinquas, vel hordei paleis minutissimis obrutæ, vel palustri vlua densioribus sportis reclusæ. Pallad.

Vires. & vsus.

Castaneæ glandes, quum & ipsæ adstringant, similes etiam præbent effectus cum cæteris glandibus: maximè verò membranæ quæ sunt inter carnem atque putamen. At caro iis qui Ephemerum biberint conueniens est. Diosc. Castaneæ vehementer sistunt stomachi & ventris fluxiones, sanguinem excreantibus prosunt, carnes alunt. Torrere has in cibis gratius. Moluntur etiam & præstant ieiunio fœminarum quandam imaginem panis. Simeon Sethi & Fuchs. calidas & siccas dicunt, ordine primo. De calore adhuc dubitamus. Coctę in carbonibus, vel in fictili vase sicco assatę, & cum melle ieiunis datę, tussientibus prosunt. Aqua in qua cum suo cortice decoquuntur, cœliacis, dysentericis, sanguinémque excreantibus bibenda haud inutiliter propinatur. Interior membrana, quę corticem fructumque discernit, ad tertiam partem decocta in aqua, & potui oblata, mirè aluum fluentem refrenat, adeò vt Dioscor. putet, etiam cathartico dato per hanc potionem iri obuiam posse, si plus, quàm necesse sit, purget. Plin. Valer. Ex farina castanearum cum melle fit Electuarium vtile aduersus tussim & sanguinis sputum. Dod. Monet tamen Lacuna virides damnosas esse pulmonibus, ac ob hanc causam putat prҿter tunicam propriam etiam echinato illo cortice armatas esse, ne ab vllo animalium attingantur, antequam sint maturæ, in quam rem ampliùs inquirendum. Castaneę tritę cum sale melléque subactæ rabidorum canum morsibus vtiliter imponuntur, eodem & Matth. teste, & cum hordeacea polenta, & aceto illitę mammarum duritias discutere hic ait cum Fuchsio: nos fientem impedire potiùs, quàm factam discutere censemus, ob adstringentem illarum vim & aceti repercutientem. Idem ventrem excitare, eò quòd flatum gignant, vult. Nos, quia stomacho graues, per se ad eam rem inutiles putamus. Interior membrana rubens, qua albicans pulpa circumuestitur ex vino austero pota, duarum drach. pondere, sistit valenter immodicos omnes alui fluores, & sanguinis reiectiones: quinetiam cum pari pondere ramentorum Eboris, alba fœminarum profluuia cohibet ex aqua albæ Nymphææ hausta, inquit idem. Possunt & cum farina subactæ pessi forma subdi, ad supprimendos menses, monente Fuchsio: sed priùs in aceto macerare suadet. Emulsio castanearum cum decocto Glycyrrhizæ extracta, addito pauxillo seminum Papaueris, confert iis qui ardore vrinæ laborant, quod remedium sibi communicasse Cratonem Med. Cæs. testatur Camer. Castanini olei meminit Sipontinus. Indi quoque, vt Plinius ait, è castaneis vinum conficiunt. Porrò de castaneis, quantùm ad cibum & nutrimentum, variant inter se authores. Gal. inter crassi succi cibos castaneas cibo suaues recenset, atque adeò inter reliquas glandes, quanquam has suibus magis quàm hominibus accommodatas dicat. Et alibi castaneas, siue elixentur, siue assentur, siue denique frigantur, semper prauas dicit, & multò magis, si crudæ mandantur.

Contra Ephemerum. Fluxiones stomachi. Sanguinis sputum. Tempera. Tussis. Coliaca. Dysenteria. Alui fluxum. Ad Hypercatarsim. Elect. contra tussim. Sputum sang. Cur echino armata castanea. Canis rab. morsus. Mammarum duritias fieri impedire, h. An ventrē excitent. Alui fluores. Sang. fluxus. Menstrua alba. Menses superflua. Ad ardorem vrinæ emulsio. Oleum castaneum. Vinum e castaneis. Dissentiunt authores de castan. nutrimento. Prauas esse.

At Aëtius ex omni glandium genere optimas dicit castaneas, & solas ex sylu. fructuum genere memorabile alimentum sufficere. Esse tamen etiam ipsas capiti graues, vtpote dolorem eius inducentes: sed multò magis his Quercinas. Philotimus in lib. de nutrim. vbi citat Athen. tradit difficillimè omnes crudas digeri, atque peræ grè solui, cùm à Phlegmate in ventre retentæ fuerint, propter substantiæ firmitudinem. At Diphilus apud eundem castaneas bonum dicit habere succum, & multùm nutrire: at duræ esse digestionis, multúmque in stomacho commorari: tostas minùs quidem nutrire, sed facilè digeri: elixatas minùs his esse ventosas, & magis nutrire. Sic & Simeon Sethi copiosum corpori alimentum præbere affirmat, sed difficulter concoqui, tardè transire, crassum humorem & capitis dolorem facere, flatuosas esse & ventrem sistere: sed si torrefiant: vel deficcentur, multùm nocumenti deponere.

Bene nutrire. Noxa. Nutrimenti varietas vnde.

Cœna Bapt. Fieræ.

Quæ tibi grata licet posito mollescat echino,
Sicca est, & nimio Castanea igne calet.
In caput & ventres inflata asperrima sæuit,
Ni spolia apportet mellis arundineî.

Nimium ad noxas eius vitandas cum Sacharo comedendas suadet. Non infestiuè tamen easdem ab hac iniuria vnico hoc disticho vindicauit Antonius Campanus quondam Episcopus Iteraniensis perdoctus. Castanea loquitur.

Ventosam qui me censent, ventrique timendam,
Falluntur: ventos pello ego, non facio.

Non esse ventosam.

Lob. Hessus:

Si quem sacra tui victus Dodona iuuabunt
Setigeri. Stomachum vellet habere sui.
Castaneas molles patula sub tegmine Fagi
Ipse ego pro duris Glandibus esse velim.

Sunt & ad panificium aptissimæ castaneæ, qualis sanè fit ab incolis illorum tractuum, vbi abundant, præsertim in montibus, vbi quotannis aliarum

Præparatio ad panificium, & vnde durent.

rum frugum annona deficit. Primùm vt ætatem longissimè prorogent [alternant enim Castaneæ, vti dictum.] castrantur lento illo suo cortice, qui sub echinato calyce primò subest: deinde proxima corpori tunica, quæ infestat saporem, detrahitur: mox ut siccentur exactè, curant sedulò. Nam cratibus sic delibratas imponunt, quas postea in caminis suspendunt: siccatas in vsus seruāt: molúntque in farinam, ac tandem cogunt in panem, quo per hyemem victitant. Integras etiam plerunque cum sua illa coquunt in capaci cacabo: vicéque pulmentarii & panis iucundissimè vescūtur. Suprà dictum ex Plinio, molituram præstare iciunio fœminarum quandam imaginem panis. Coquunt & solas ex aqua, atque ita bellariorum cęterorúmque fructuum loco comedunt.

Annonæ refugium. Fuere sanè refugium non semel Castaneæ miseræ plebeculæ in maxima ānonæ caritate, vt Romæ compertum anno M.D.L. teste Lacuna.

Nostri homines torrent eas non modò gratiis, sed & in deliciis habent, præsertim amplissimas illas Marrones dictas, quas cum cæteris promiscuè diurnis ac nocturnis commessationibus apponunt: Galli & Itali etiam ex liquore rosaceo saccharato. Alii cum pipere & sale comestas, innocentiores putant, súntque reuera sic paratæ, illicia Bacchi ac Veneris: & de noxa sua plurimùm remittunt. *Bacchi ac Veneris illicia cum pipere & sale.*

Torrendi modi Torrentur duobus modis, vel in perforata patella ad ignis flammas, vel sub prunis & cineribus candentibus. Priùs tamen quàm igni aut cineribus credantur, cultello obiter vulnerari debent, vt plagæ hiatu, flatus igne citatus euadat: alioqui vbi flagrantes incaluerint concepto intus spiritu, magno cum crepitu prosilient, non sine adstantium periculo. Consumitur etiam meliùs flatecosa illa humiditas, quæ iis inesse putatur, & æqualiter torrentur. Præfertur posterior torrendi modus: nam in sartagine tostæ vel patella ferrea, vt in cauponis fieri consueuit, partim comburuntur, aut certè aliquid fuliginosi Empyreumatis contrahunt.

Alia præparationes. Diuitum culinæ porcellos, anserculos, gallinas & artocreata iis infarciunt, sicque assant. Et quid non ingenioso excogitatum ventri. Portentosa gula hyeme ad focum luculentum tostas castaneas ex vino dulci, hoc est, musteo & nouissimè expresso mandi suasit. Ita vides qua ratione à summa necessitate, in qua iis victitabant homines, ad extremam voluptatem sit deuentum. Sed sibi solis ista habeant ventres. Nam in totum quomodocunque paratæ, operosæ sunt in cibo, & paulò tantùm Glandibus pręstant.

Noxa. Viscerum infarctibus oportunæ: Colico dolori obnoxiis inimicæ, & iis qui ad Calculum procliues noxię, si modus absit in edendo. Citra igitur satietatem edendas suademus.

Ligni vsus. Materies arboris ædificiis atque aliis domesticis vtensilibus admodum apta est: siquidem non modò ex ea fiunt trabes, tigna, asseres & pedamēta, sed & cadorum costæ, & eorum cinctus, verùm ignariis inepta, testibus Matthiol. & Lacuna. Fabris tamen ferrariis carbones expetitos, quòd citò extinguantur, vt antè dictum, suppeditat. *Carbones.*

CASTANEA HVMILIS RACEMOSA.

CAP. VI.



HVmilem Castaneam Io. duChoul nemini adhuc notam vt arbitratur, non longè à Pilatino monte contemplatam, depinxit. *Descriptio & Locus* Matura nucis Auellanæ est magnitudine, echinato calyculo, corio, membranáq; tegitur. Sola nunquam suo calyculo includitur. Multæ simul racematim cohærent. Gustu est insuaui. *Sapor.* Sequentes ad hanc non referendæ, nec huius sunt fructus: ob mox dicendam rationem quamuis fortè aliquam similitudinem habeant.

CASTANELLA PEREGRINA: ANGOR ARBOR, CASTANEÆ FRVctu amaro.

CAP. VII.



APud Cl. C. Bauh. hunc fructum primò vidimus & deinde à D. Robino Botanico Regio dono missum accepimus. *Descriptio* Figura & facie Castaneam non malè repræsentat, nisi quòd ea parte quā sessilis est Castanea, hæc in gibbum elata sit & concolor, consimili corio vniuersam contegēte. Magnitudinem ostendit icon: cortice integitur spadiceo, quali Castanea, nisi quòd paullò satturatiore, & plusculis striis inæquali. A cuius summo ad imum mucronem hyli facie linea latiuscula, cinerea, striarum itidem eminentiis asperata protenditur, vt in altera iconum videre est. Superna partè, (siue infernam dicere lubeat) linea coronali cingitur, intra quam pars clausa nigrior, nullisque striis donata. Impressio arguit alteri cuidam adhæsisse. Sapor pulpæ ex albo in fuscum inclinantis (fortè ob vetustatem) ac firmę, amaricans ac ingratus: Cæterùm oleaginosa, vt impressa aciculæ acies

prodidit: iuxta enim oleaginosum quid exsudabat, haud secus ac Nuci muscatæ, adactâ puncturâ. Icon gemina vtramque faciem ostendit. An Scalig. de hac scribit ex. 181. parte 20. cùm ait: Ad fluuium Nigir arbor, cuius fructus Castaneæ similis, sed amarus: Gor vocant incolæ. Hi sunt Æthiopes sub Libyæ solitudinibus. Io. Leo lib. 1. descript. Africæ tradit has arbores mirandæ esse proceritatis, satis procul à mari in continente. Cæterùm si nostra Castanella sit Gor, non potest esse fructus Castaneæ humilis. Repugnat enim immensa illa proceritas, & locus vbi prouenit.

Gor arbor. *Locus.*

CASTANEA EQVINA FOLIO MVLTIFIDO.

Cap. VIII.

Descriptio. Castanea equina, quã Florentiæ vidimus in horto Magni Ducis Hetruriæ, & ex qua fructũ cũ echyno decerptũ habemus, magna satis est arbor, quanta Morus, & valdè patula: *Folia.* folia palmata sunt, ex segmentis plurimùm septem composita, quorũ singula pinnæ marinæ quodammodo æmula, ex angusto admodum principio sensim dilatantur, tandem in obtusum mucronem desinentia, per ambitum serrata, quamuis serraturas plerasque veteratoriè sculptor omiserit, longitudine dodrantali: qua parte latissima sunt, palmum circiter lata, à costa media obliquis ordine neruis in ambitum directis, coloris supernè atrouirentis, infernè hilarioris, sapore amaricante. Porrò coeunt hæc omnia in vnum longum pediculum, éstque pediculorum situs oppositus. *Fructus.* Fructus ipse non ita in conum desinit, vt vulgaris nostræ castaneæ, globosior, altera parte spadiceus: quà verò echino adhæret, impressionem cineraceam ostentat, cui cortici, nulla intercedente lanugine pulpa nostratibus castaneis similis subiacet. *Echinus.* Echinus ipse multò crassior ac firmior, quàm dictæ, exteriùs rufus, prout siccus ostendit, internè albus, durus, sed rarioribus, breuioribúsque spinis oblitus, firmis tamen & infestis, coloréq; flauicantibus, qui per maturitatem in tres partes dehiscens, Nucem ostendit, ipsius lateri infima parte inhærentem, non à pediculo, vt rel. quæ. *Amentum.* Hanc scribit Clus. Autumno cùm folia amisit, protinus amentaceum quiddam extremis ramulis gignere, & turgidum, quasi parturiret, pingui ac lento humore conspersum, *Culices.* in quo culices & huiusmodi insecta hæreant, totáque hyeme ita perdurare, donec ineunte Vere, & præmaturè admodum gemmæ in folia sese explicent. *Cortex.* Corticem ramis tribuit, nouellis quidem virentem, adultis autem cinereum, sub quo lateat alius succulentus, viridis, lignum ambiens, vt in Sambuco, vel Acere latifolia.

Castanea Orientalis. Matth. Castanearum aliud genus, in Orientalibus regionibus, de quo tam apud Antiquos, quàm Recẽtiores neminem meminisse putat. Arbor est, inquit, spectatæ proceritatis, folio Pentaphylli: Echinos fert in cacumine, magnitudine nostratibus æquales, subrufo colore, verùm duriore & crassiore putamine, aculeis raris, sed robustis ac firmis, & colore flauescentibus. Singuli singulam continent castaneam, nostratibus ferè similem, crassiorem tamen, cortice subnigricante, præterquam anteriori parte: ea enim albicat, maculâ cordis effigiem præ se ferente. Totus idem robustus est, simplex tamen, nullam intra se aliam tuniculam habens, quæ carnem ambiat, illi similem, qua nostrates castaneæ conteguntur. *Sapor.* Sapor pulpæ vulgaribus ferè similis habetur, sed dulcior paulò, nec adeò mandentibus gratus, si tamen ex sicco fructu id quidem rectè percipi potest. Clusius quoque Veteribus ignotam censet. Lob. mixtæ quasi naturæ ex Fago & Castanea dicit, frondibus digitalis Ellebori, Castaneæ alioquin fimbriis donatam, *Diu arbori haret.* in qua Echinus octennium aut decennium, eiúsque nucleum claudit & tuetur saporis perboni, séque nonnullas incorruptas prædulces gustasse in Musæo Rondeletii.

Myrobalanus. Cæsalpinus nouam opinionem habet: putat Castaneam equinam esse, quam Plinius Myrobalanum appellat folio Heliotropii herbæ simili: fructu Nucis Auellanæ, quæ Glans appellatur, &c. *Cæsalp. opinio reiicitur.* At quæ obsecro folii Heliotropii similitudo cum foliis castaneæ equinæ? Nos Myrobalanum illud Plinii relinquimus sub Nuce Myreptica.

Nomina ling. *Equinam castaneam* appellant Constantinopolitani, testibus Matth. Cæsalp. & Clus. qui ait Turcis patrio nomine *At cestanesi*, vel *Ad castanesi*, eadem significatione ob mox dicendam causam. German. Roßkesten: Gal. *Chestaigne de cheual*: It. *Castagna di cauallo*, *o Castagne caualline*: Hispan. *Castanna de cauallo*. Anglic. Horse Chestnut tree.

Matth. not. Concedimus quidem Penæ & Lob. Matthiolum affabrè expressisse in sua figura, ad quam & nostra facta [excepto fructu] si modò florem, quem primus pingit, descripsisset. Vt dubitimus an verus sit flos, vel fictus. Clusius sanè etiam in sua icone, quam habet in postr. hist. omisit florem.

Locus. Nascitur Constantinopoli, & in Creta, vnde folia accepimus à Cl. Medico Hon. Bello. Ramus etiam cum fructibus incipientibus à Clariss. Zuingero communicatus, qui ait sibi obseruatam inter Patauium & Veronam. *Satio.* Nobis arbor visa Florentiæ in horto Ducis. Tam Matth. quàm Clus. scribit sibi ramum missum Constantinopoli per Qualcebenum medicum. Hic speciatim sibi etiam egregiè adoleuisse testatur, Viennæ, & intra duodecimum annum, in humanæ coxæ crassitudinem, duarúmque Orgyiarum aut ampliùs altitudinem adoleuisse, latámque comam sparsisse. *Cultus.* Frigoris patientissimam esse, vmbráque & aqua, vt Platanum, delectari.

Vsus & vires. Adstringunt fructus, & flatus deuorati pariunt, si Matthiolo credendum: qui tamen paulò ante saporem tantùm dulcem dixerat, nullius adstrictionis mentionem faciens. *Tussis equorum & Asthma.* Idem & tussientibus & anhelosis equis plurimùm auxilii afferre deuoratos affirmat: darique etiam sanguinem reiicientibus. *Sanguinis sputum.* Id de equis & Clus. affirmat, indéque nomen apud Turcas traxisse.

CASTA-

CASTANEA PERVVIANA.

Cap. IX.

Locus. Descriptio. SCribit Clus. in Hist. post. Castaneæ hoc genus sibi ab Abrahamo Ortelio, Cosmographo Cl. donatum, quod is ex Peruana prouincia delatum à Celeb. viro D. Aria Montano acceperat. Sphæricæ inquit, penè est figuræ hæc Castanea, nisi latera haberet paullò depressiora: præsertim vbi pediculo inhæsit, cortice satis crasso, fragili tamen, & veluti fungoso obducta, coloris ex fusco aliquantulum flauescentis. Huic subsunt innumeræ, tenues quidem sed firmæ spinæ, putamini, quod nucleum includit, tenaciter inhærentes: ipsum putamen fuscum est, non densum, sed lentum & fractu contumax, interiore parte læue & splēdidum, quo continetur nucleus Amygdalæ [putamine suo liberæ] magnitudine & colore, forma autem leporino reni similis, intus albus, sapore dulcis ferè vt Amygdala aut Castanea vulgaris.

Cortex exterior. Spina. Putamen interius. Nucleus. Sapor.



CASTANEÆ PVRGATRICES.

Cap. X.

Descriptio. FRuctus est arboris cuiusdam vastę, Castaneis similis, sed calyce læui, non, vt illarum, echinato: eo calyce fructus continetur, Castaneis non admodum absimilis, sed sine cortice, & ferè quadratus, in duas partes diuisus, medium intercursante, & totum deinde ambiente pellicula. Ex maritimis Nicaragua & Nata (quæ sunt in noui Orbis Cōtinenti) inuehitur in hispaniam. Editur hic fructus viridis, aut contusus vino exceptus: si siccus, eius puluis ex vino aut Gallinæ iusculo sumitur: datur etiam tostus, vt minùs purget. Quocunque tandem modo sumptus, sine molestia purgat, obseruatis iis quæ à purgatione obseruari solent, & præparatis priùs, vt decet, humoribus. Illud verò minimè silentio prætereundum, pelliculam illam exteriorem & internam abiiciēdam esse, alioqui grauia Symptomata excitaturam veluti ingentes vomitus, animi deliquia, & periculosa alui profluuia. Calidus est in primo gradu. Ex Costa: qui fructum Cholagogum vocat: It. *Castagne purgatiue. Castanea purgantes* Castor. Dur. Possis Germ. Purgierende Castanien. Gal. *Chastaignes qui purgent*, appellare.

Locus. Vires & Vsus. Purgans. Cautio. Noxa pelliculæ. Fructus Cholagogus.

CASTANEAE SPECIE FRVCTVS PEREGRINVS.

Cap. XI.

Descript. MEdiocrem Castaneam non tantùm magnitudine, sed & tota forma refert, vt pro ea primo obtutu possit fallere: Color tamen paulò dilutior ad flauū inclinat: nitor & læuitas eximia, excepta basis portiuncula oblonga, quâ videtur aut arbori aut echino adhæsisse. Cortex externus admodum tenuis fragilisque, cui fungosa substantia adnata subest, ipsa verò cauitas vacua est: quo fit vt insignis totius fructus leuitas. Hunc Ill. nostro Principi misit D. Paludanus nomine Fructus peregrini Indici.

Cortex.



LEVCOMA FRVCTV CASTANEAE.

Cap. XII.

Descript. fructus. FRuctus quem ex India accepi, inquit Monar. Leucoma eis dictum, similis est nostrati Castaneæ, cùm colore, tùm magnitudine, tùm etiam sessili illa & albicante parte, quam Castanea obtinet, quæ prægnans videtur. Arboris est vastæ magnitudinis, materieq; firmę & robustæ, cui folia Arbuti. Fructum edulem gratique saporis esse aiunt, & alui profluuia sistere, quoniam adstringit. Temperatum asserunt.

Arbor. Folia. Vires & vsus. Alui fluxus.

GLANS INDIAE DV CHOVL.

Cap. XIII.

DV Choul in fine libelli sui de Quercu scribit: superesse Indię Glandes, Latinis suo iudicio & Gręcis incognitas, de quibus se non posse aliquid viris optimis tradere, neque describere, quoniam arborem non viderit. Egregiam sanè verò excusationem: quasi verò interim non ipsam Glandem sine arbore describere potuisset. Ex icone [si quando viderint] occasionem sument studiosi, inquirendi, an non aliquid commune habeat cum Castaneis purgantibus antea descriptis. Nobis sanè videtur, quoad figuram accedere ad Ahouai, de quo inter Nuces exoticas lib. 3.

Digitized by Google

HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER OCTAVVS

DE ARBORIBVS SYLVESTRIBVS.

IAM Sylvanis Faunisque litandum, sed cum ratione & Genio bono. Sylvas intelligimus nunc celebrandas, quas iniuriâ, frustraque infelices dixére prisci, speciatim rigidus ille Cato, damnatásque religione, quippe neque seri neque fructum ferre solitas. At nos contrà, istud non modò æquo animo non feremus, sed eo ipso feliciores iudicabimus, quòd earum peculiaris parens videri possit natura, quippe quæ magna ex parte sponte sua nascentes, nulla arte, nullo ingenio humano egére videantur, quanquam & in tecta iam sylvæ scandant, patula ramorum opacitate lascivæ pleraque, ut non improbè etiam earum quasdam urbanas dixeris. Nec ipsas tamen fructu suo carere docebimus: & si non fructu, at alia aliqua dote non spernenda, umbrarúmque officio homines iuvare, ut nullum prorsus sterile ac inutile huius naturæ opus extare constet.

TILIA VVLGARIS PLATYPHYLLOS.

CAPVT I.



Descriptio. GRATA latè patentium, inq; attegias fornicatorum brachiorum umbrâ placet Tilia, caudice mirû in modum grandescente, cuius cortici nigricanti ac in vetulis crasso & rimoso, in iunioribus nec crasso multùm nec scabro, sed lævi ac subcinereo, subest tenuis lentus ac dulcis liber, totius arboris nomen indeptus, si non potiùs illa ab hoc: Philyram dicunt. *Materies.* Materies alba, mollis, facilè cœlo cedit. Extremi ramuli fragiles sunt. *Folia.* Folia lata, ex rotundo in acumen desinentia, in ambitu serrata, inferna parte magis hirsuta quàm superna, quæ ferè glabra. *Ligula.* Ex horum alis oriuntur ligulæ longæ, albicantes, foliaceæ, ex quarum costa media pediculus emicat, qui in tres, quatuor, quinquéve petiolos abit, quorum singuli florem sustinent suaveolentem, *Flores.* quinque foliis ex luteolo albicantibus constantem, apicibus complusibus luteis, stylo albicante: totum florem obvallant calycis dehiscentis quinque segmenta albida pinguia. Fructus Piso maiori æqualis, rotundus, aliquantum in oblongum vergens, angulosus, hirsutus, non durus, intus claudens semen [vel nucleum] subfuscum, dulce. *Fructus.* Fert & Viscum copiosè & abundè, & quotannis Basileæ. *Viscum.*

Huius arboris exortus mirabilis, & præ cæteris observatu dignus, qui ex semine deciduo spontaneus, primis statim diebus coliculum exerit unciam unam aut alteram altum, bina folia ostentantem quorum unumquodq; in quinque communiter divisuras, veluti digitos dissectum, extremis & media cæteras longitudine superantibus, iucunda, hercle, dispositione: uti Basileæ in celeberrimo illo Tiliceto prope D. Petrum, quotannis videre est Maio & Iunio mensibus. Horum foliorum iconem exhibemus in sequenti tabella iuxta Tiliam minore folio. *Primus Tiliæ exortus.* *Prima folia.*

Thalius excrementum seu vitium Vvis quercinis simile observavit in Tiliarum antiquarum radicibus. *Vva Tiliæ.*

Apud Diosc. Tilia φιλύρα est, in Proem. ubi per duplex λ scribitur. Eius verba citabimus in viribus. Apud Theoph. verò φιλύρα, cui alia mas, alia fœmina. Differunt inter se tota figurâ [μορφῇ] etiamque ipsius ligni: & quod altera fructifera est, altera sterilis. Nam lignum mari durum, flavum, nodosius ac spissius, πυκνότερον, [Gaza non benè spinosius convertit.] Fœminæ verò candidius, flexibiliúsque. Cortex maris crassior, & detractus propter duritiam flecti *Philyra Diosc.* *Philyra Theoph. Mas & fœmina.* *Vt inter se differant.*

Vetera gemmæ.

Digitized by Google

nequit. Fœminæ candidior & flexibilis, ex quo cistas [κίστας: Gaza, cunas & alij, Canistros.] faciunt. Item odoratior. [Plin. mari tribuit odorem] Præterea mas sterilis est, & sine flore: fœmina & florem & fructum gignit. Flos calyci similis [καλυκώδης: Gazæ Calyculo intectus: nec ad verbum, nec ad rem.] iuxta folij pediculum, & anni sequentis Cachryn, suo petiolo innixus emergit, viridis, dum in calyculo est: detectus verò subflavus. Floret cum domesticis arboribus. Fructus rotundus, oblongus, Fabæ magnitudine, Hederæ acino similis, maiusculus quidem quinis constans angulis, veluti fibris eminentibus, & in acutum se contrahentibus: Minor verò minùs divisus. grandior exsculptus, minuta quædam tenuiaque emittit semina, quanta Atriplicis. Folium & cortex suavia, dulciáque. Folium figura Hederæ simile, verùm in ambitu sensim magis rotundatur, & iuxta pediculum id, quod velut in gibbum prominet, a folij medio, longiore tractu in acutum magis cogitur: súntque folia per ambitum crispa atque serrata. Lignum paucam medullam habet, ac eam quidem haud multò molliorem materie, quæ & ipsa mollis est.

Gazæ geminus error.

Medulla.

Tilia historia ex Pli.

Hæc Theoph. ex quo Plin. pleraque sua de eadem transscripsit in hunc modum. In Tilia mas & fœmina differunt omni modo. Námque & materies maris dura, rufiórque ac nodosa, & odoratior. [de fœmina id Theoph.] Cortex quoque crassior, ac detractus inflexibilis. Nec semen fert aut florem, ut fœmina, quæ crassior arbore, materie candida, præcellénsque est. Mirum in hac arbore fructum à nullo animalium attingi: foliorum corticísque succum esse dulcem. Inter corticem & lignum tenues tunicæ multiplici membrana, è quibus vincula Tiliæ vocantur: tenuissimæ earum [tenuissimum corium. Vet.] Philyræ, coronarum lemniscis celebres, antiquorúmque honore. Materies teredinem non sentit, proceritate perquàm modica [hoc ad Phillyream pertinet] verùm utilis. Mollissima Tilia, eadem videtur & calidissima: argumentum afferunt, quòd citissimè ascias retundat. Et mox: Frigidissima quæcunque aquatica: lentissima autem & ideò scutis faciendis aptissima, quorum plaga contrahit se protinus, cluditque suum vulnus, & ob id contumaciùs transmittit ferrum: in quo sunt genere Fici, Salix, Tilia Betula &c. [Hic Plin. sibi contradicere videtur, magna oblivione, qui paulò ante Tiliam calidissimam ex Theoph. dixerat, nunc frigidissimam dicit. Nec verum, frigidissima quæcunque aquatica: Salix amara neutiquam talis nobis videtur.] Sol ad Aquilonem scandens, vertit Tiliæ folia ad mille usus petenda. Quod postremum ante ipsum dixerat Theoph. cap. 26. l. 2. caus. ubi, postquam de foliorum circumactu à Sole locutus fuisset, addit: hoc latiùs in Tilia [φιλύρας] patere, quòd hæc ampliora candidioráque folia gerat. Tilias molles dixit Ovid. Dicitur & apud Poëtas *sequax, levis, pinguis, elumbis.*

Vincula Tiliæ.

Philyra.

Plin. sibi contradicere videtur.

Tiliæ molles. Epitheta.

Mirum Hermol. in re tàm manifesta hallucinatum, ut Tiliam Græcis Phelyream [sic enim ille habet.] nostris quoque Phelyram & Philyram dici tradiderit. Certè tantùm differt Philyrea à Philyra seu Tilia, quantùm Myrtus à Quercu. Non igitur rectè φιλυρέαν Tiliam vertit, eandémque cum φιλυρέᾳ Diosc. confundit, & præterea cum Philyca. Sic enim quoque à Theoph. vocari ait. Eandem censuram meretur Ruell. dum Tiliam Græcis Philuram dici scribit: & Diosc. esse arborem magnitudine quâ Cyprus.

Hermol. lapsus.

Ruell. taxat. Philura.

Marcellus more suo Hermolaum carpens in versione Theophrast. quod βαφὴν tincturam ferri convertat, quam, quid sit, scire Græcarum literarum imperiti non sit. Ipse tamen & geminum incurrit errorē: Primò quòd Phillyream Diosc. convertat Tiliam: Deinde quòd demonstret aleam plantam esse Phylyram sive Phyllyram eiusdem Dioscor. quam nos Tiliam diximus. Sed quod putat βαφὴν meliùs in temperaturam converti, per nos licet: Optassemus tamen declarasset, quam vim aut qualitatem agentem per illam temperaturam intellexerit. Vult autem Tiliam marem, esse sutoriam Tiliam, in omni opere tractabilem, quæ pectinum suorum sequaci facilitate nomen aliis omnibus arborum pectinibus dederit: Passim enim Tiliam nunc in arboribus Italos dicere lineas, ductus, intersectionésque & circunductiones illas, quibus conferta omnis earum materia & in seipsam stipata convolutáve videtur: quod naturæ tàm diversum opus græci κτένας dicerent. Plin. eos imitatus *pectines* dixit: & in quibus variarent pectinum illorum lineæ & intervalla, semper adiecit aliquid, quo varietas illa indicaretur, obliquos, crispos, nodosósve dicens. Etsi verò idem Marcellus sibi ab Hermol. ostendi optet, sitne nostrati Tiliæ antiqua illa eadem: (dicit autem nostratem, quæ in Hetruria nunc ab omnibus Tilia nominatur, ex qua secandis coriis sutores paratam ubique tabulam habent, in nullam partem rectis pectinibus, sed quacunque ferramentum agatur sequacem & cedentem,) ipse tamen quoque nihil certi adstruit, neque sanè adstruere potuit, quippe qui apud Diosc. Phillyream, Tiliam converterat, & Ligustro magnitudine æqualem hanc arborem fecerat: atq; qui ligni pectinibus adhærens, (quos græcis κτένας vocari diximus) seu per longitudinem rectis pectinum modo lineis, nullam earum esse in ea sutorum tabula & arbore caussatur, sed in omnes partes sequacem pariter & facilem sectionem: antiquiores tradit græcos ex agresti pro sutoria illa tabula usos: expertos namque in duriore materia acui ferrum, in molli verò in secando ductum retundi, atque aciem amittere. At si Marcellus Theoph. εἰκόνας, ex quo eius marem & fœminam agnoscit, cum Phillyrea Diosc. contulisset, & rursus hanc cum Tilia sua Italica, facilè agnovisset, hanc ad Philyram tàm propè accedere, quàm à Phillyrea, & arboris magnitudine, & tota adeò forma distat, nec ex nudæ tabulæ sutoriæ (quam tamen Tiliaceam fuisse agnoscimus) pectinum carentia, & accersita illa etymi ratione, dubitasset, an Tilia nostras sit Philyra Theophr. & Phillyra Dioscorid. diversissima à Phillyrea eiusdem.

Marcell. geminus error.

Sutoria Tilia.

Tilia Italis quid.

Nihilò doctiorem se Botanicum præbet Cordus, quando ad caput Diosc. de Phillyrea scribit, ab eo describi Tiliam omnino eandem cum Ligustro, si invicem utriusque descriptionem conferat. Galeni & Aeginetæ ætate talem Tiliæ historiam in Diosc. lectam. Atque sive Tilia à Diosc. ita descripta sit, sive ab alio hæc descriptio adiecta, falsam esse pronunciat, ob id quòd nullus, neque ex priscis neque ex recentioribus hisce notis eam depinxerit. Omnes [addit ille] manifestè describunt Tiliæ appellatione eam arborem quæ German. ob ligni lenitatem & mollitiem ein Linde vocatur. Ac miratur hoc nullum ante se animadvertisse: quòd omnes qui post Dioscor. de rebus scripserunt, aut alios interpretati sunt, usque ad nostram ætatem, eam controversiam de Tilia intèr Diosc. & Theophr. silentio prætérierint. Et tandem supervacuam concludit esse historiam

Tilia German. unde dicta Linde.

quæ apud Diosc. de Phillyrea habetur, seu ut ipse vertit, de Tilia, quamvis idem agnoscat Philyram Græcorum potiùs esse Tiliam. Sed frustra quiritatur ubi non opus. Nec opus fuerat ea satagentia, quam sola Phillyrea à se in Tiliam perperam conversa invexit. Non enim eo capite apud Diosc. quæstio est de Tilia, quare nec de ea disputandi locus. Sique is etiam Tiliam rectè cum Ligustro contulisset, & utramque probè agnovisset, non dixisset illam omnino cum hac eandem esse.

Cordus not.

Sed nec Tragus videtur discrimen animadvertisse inter Philyram, quæ Tilia, & Phillyream, quando ita scribit: Quã Germani Lindenbaũ vocant, eam cum Gaza & Virgilio Tiliã nuncupare placet. Sive ergo φίλυρα, sive φιλυρέα Theophrasto dicatur, nihil nos offendet, cùm & ipse Aegineta Philyrada non Philyram vocare voluerit, quæ Diosc. Philyrea dicitur. Nam quas Philyreæ suæ vires Diosc. eas Philyradi Aegyneta quoque assignat.

Tragus reprob.

Castor Durantes quoque Tiliam pingit pro Phillyrea, licet eius descriptio non conveniat.

Hi itaque Phillyream cum Philyra seu Tilia confudêre, ad nominum potiùs vicinitatem, quàm ad rem ipsam respicientes. At Fuchs. primus inter eos fuisse videtur, qui observavit aliam à Tilia seu Philyra esse Phillyream Dioscor. redarguens simul etiam viros nonnullos doctissimos, qui utrasque confudêre. Hanc Fuchsij sententiam meritò secuti sunt. Cornar. Matth. Dod. Monachi, Curtius, Lonic. Lacun. Rythius, Fr. Massarius, Dalec. Hist. Lugd & alij. Nec tamen ferendi qui sibi persuadent, Dioscoridi Tiliam incognitam fuisse, vel eidem à vulgari Tilia, aliam esse longè diversam, utpote quæ omnibus notis Tiliæ refragetur. Nam & ipsum quoque Tiliam seorsum à Phillyrea cognovisse, ut benè monet Matth. vel saltem in iis plantis discrimen posuisse, satis perspicuum ex eius præfationis fine, ubi sic habet: Flores & omnia quæ iucundum spirant odorem, ἐν κιβωτίοις φιλυρίνοις recondenda. Quæ voces non modò rectè ab interpretibus conversæ, in articulis Tiliaceis: sed & posterior non à φιλλυρέα, sed à φιλύρα, quæ Lat. Tilia est, deducta, satis declarant ab ipso Diosc. Phillyream & Philyram pro diversis plantis agnitas.

Phillyrea non est Phillyra seu Tilia.

Nec audiendus Plinius, cùm ait: Tiliam arborem esse proceritate perquàm modica, nam cùm contrarium in reipsa appareat, certum est, ipsum quoque Plin. vocum propinquitate deceptum, eas inter se confudisse. Id quod vel clariùs patet ex eo, quòd idem nostræ Tiliæ eas tribuit vires, quas Diosc. suæ Phillyreæ, ut suo quoque dictum loco.

Plin. error.

Nihilò tolerabilior lapsus Cornarij, quando infit: Non putandum esse Philyram Theoph. esse Tiliam, seu Linde Neotericorum, sed esse Platanum. Tiliam verò & Philyram, nisi penitus fallatur, [ut certè fallitur] esse eam arborem, quæ nostris Germanis Ahorn appellatur, sed lubet in totum eius verba recitare. Quidam, inquit, asserunt Tiliam esse quam nostri Ein Lind dicunt: nimirum quòd sutores tabulis ad secanda coria ex ipsa factis utuntur: hoc tùm demùm admittemus, ubi ostenderint de Philyra ac Tilia hunc usum à veteribus tradi, & non Platanum esse & appellari, ex qua eiusmodi tabulæ parantur. Nam quod Plin. ex Theoph. dixit, mollissima Tilia, eadem videtur & calidissima: argumentum afferunt, quòd citissimè ascias retundat: hoc omnino reprobat illum eius usum, quum ferramentum retundatur magis, quàm acuatur in ipsius usu, id quod non contingit in tabulis ex Platano hodiernis, quæ & molles sunt, & ferro cedunt, & ferrum nulla iniuria offendunt. Quanquam ego Tiliam non dum coria in ipsa secantur, sed dum eius materia cæditur, & in usum efformatur, ferrum lædere, & tincturam eius relaxare, cum apud Theoph. tùm apud Plin. intelligendum esse putem. Iuxta eandem rationem etiam dum Gal. 2. Comm. εἰς τὸ περὶ ἀγμῶν, & 3. εἰς τὸ κατ' ἰητρεῖον, canales validos, eosdémque albos & molles fieri posse docet ex Philyra, quæ Tilia est: cuius dogma hodie Chirurgi sequentes, ex Platano canales tales parant: tamen de huius arboris ligno Gal. non sensisse ex eo apparet, quòd validi, id est, ut ipse dixit, εὔτονοι, canales ex hoc ligno fieri non possint, sed ex eo quod Ahorn nostris vocatur, & à nobis Philyra esse creditur, & validi & molles, simúlque albi, ex fœmineo præsertim eius genere, optimè fieri possunt, velut ex Theoph. ac Plinii locis supra adductis evidentissimè patet. Cæterùm quum Plin. alicubi de Philyra dicat, eius materiem teredinem non sentire, proceritate perquàm modica, verùm utilem: etiam his verbis declarat, [inquit Corn.] Tiliam non esse, quam nos Linde dicimus: quum hæc & teredinem non sentiat, [contrarium asserunt fabri periti: Sed ita sibi persuadet Corn. quia Platanum existimat.] & ingenti tùm proceritate tùm amplitudine se expandat, ut Platanum esse adhuc non dubitemus, quam citò putrescere ex Theoph. liquet. Tiliam verò Ahorn nostris dictam esse, etiam ex his notis coniectamus. Neque enim opinionem hanc nostram aliter approbatam esse volumus. Hactenus ille. Nec certè aliter aut meliùs potuit: ac ne sic quidem benè. Nam erronea admodum utraque Cornarij opinio, volentis Linden, Philyram, seu Tiliam esse Platanum: sicut & illa, qua vult, Tiliam esse Ahorn, de quo fusiùs cap. de Acere. Interim advertat lector quàm ieiunè Cornar. ad ligni tantùm examen respiciens, suas fundarit opiniones, cùm, uti dicebamus, nihil sit clarius Philyræ Theoph. descriptione collata cum Tilia Plin. atque adeò nostra.

Cornar. Linde non est Tilia, sed Platanus.

Cornar. reprob.

Cornarij opinio reiicitur.

Rectè Turnerus negat Tiliam non esse Platanum, ut multos velle ait.

Nescimus ubi Pona & Iob. Phillyreæ illam suam descriptionem apud Theoph. legerint, quando tradunt: Frondosam illam ramis patulam Theoph. φιλλυρέαν [ita enim scribunt] ex qua Phyluræ, sive assulæ finduntur; Tiliam esse certum est. Nam ut à nobis quidem observatum, φιλύρα legitur apud Theoph. in diversis exempl. pro Tilia. Nostro iudicio Abies finditur in tenues assulas: non item Tilia. Falluntur iidem, nec uno errore, cùm de Tilia sic scribunt: alia est hæc à Diosc. Phylerea, & per y scribenda, quod in tenues assulas & Phyluras discerpatur: pulcherrima Basileæ Helvetiorum in D. Petri area, patulis ramis, sparsis, inque vastæ magnitudinis ambitum fornicatum propagata, folio latiore Populneo aut Betulæ, serrato ambitu Loti ramis: item frondosis & Amentis per initia Coryli aut Iuglandis. Verum quidem in D. Petri area dicta pulchras & magnas admodum esse Tilias, etiam cum visco: sed nulla quæ in fornicatum ambitum sit extensa. Est quidem ibi patula eiusdem Quercus celebratissima, & à nobis suo loco descripta. Nullibi etiam in Tilia observavimus Amenta Coryli aut Iuglandis. Quercus cum longis pediculis, qualis modò dicta, solet ferre aliquid respondens Coryli

Pon. & Iob. multiplex error.

Tilia cum visco.

by Google

aut Iuglandis nucamentis. Vt suspicio sit, eos Quercum, quæ nondum protruserat omninò sua folia, & iam ista nucamenta ostentabat, sumpsisse oscitanter satis pro Tilia.

Tilia Cordi Iulifera, quæ? Cordus quidem in sua obs. sylva scribit sibi visam Tiliam grandem Veris medio aut paulò antè Iulos ferentem longos, colore flavos, propè Nurtingam oppidum in pago. Sed quam is Tiliam intelligat, dolemus nos non recordatos sciscitari, quando ipsi adfuimus apud Illustr. Palatinam viduam Illustr. Ducis Lud. VVittenbergici. Nemo præter ipsum, quod equidem sciamus, Iulorum istorum in Tilia meminit, nec facilè fortè animadvertentur in vulgatis Tiliis, quas sanè plus satis diversis anni temporibus contemplati sumus. Theoph. tamen, vti dictum etiam Cachryn Tiliæ tribuit.

Consideratione digna descriptio Cæsalp. Tilia [inquit] arbor in Alpibus tantùm provenit, Alno similis, fructus minor quàm Alni, striatus, semina inter squamas continens depressa, materia alba aut flavescens. Etsi autem hîc videatur Cæsalp. hanc nostram Tiliam intelligere: tamen nec in Alpibus tantùm provenire, dicimus, nec Alno valdè similem, quamcunque tandem intelligat. In materie quoque nullam flavedinem hactenus observavimus.

Tilia fœmina. Cæterùm Tiliam hanc, de qua hîc agimus plerique fœminam statuunt, ut Fuchs. Dod. Pen. Lob. Cæsalp. Hist. Lugd. & Schuvenckf. quibus non gravatè suscribimus. *Schuvenckf. taxat.* Non placet verò eam à Schuvenckfeldio Tiliam sativam sive fœcundam dici, cùm incerta sint ea epitheta: quia altera folio minore, de qua postea, multis in locis est sativa, & passim fœcunda quoque. Præterea fœmina hæc nostra, etiam spontè in montibus provenit, & viscum fert. *Tragus not.* Proinde nec à Trago quidem rectè simpliciter sativa dicta. Quid nobis videatur de Tilia mare Dod. Penæ & Lob. dicetur postea cap. de Fago sepium sive Ostrya. Quanquam Cæsalpinus difficilè putet coniectari posse, quænam sit Mas, cùm folia non describantur: suspicetúrque intelligi posse Lignum putidum vulgò dictum, de quo nos l. 5. de Spina Burgi, *Cæsalp. opinio reprob.* ubi hanc Cæsalp. opinionem reiecimus. Idem paullò ante scripserat, suspicionem esse, ne Plin. cum Vlmi genere comprehendat carpinum utramque, aut Alnum, Tiliamque quasi *πτελέαν* *Ptelea.* dictam.

Apud Amatum Lugduni excusum, icon Tiliæ, incuria typographica malè posita pro Cisto mare.

Car. Steph. error. Fallitur Car. Stephan. dicendo Philuram interdum Philycam appellari. Differt enim Phylica à Phylira quicquid dicat Stephanus.

Nomina Linguar. Tilia, *φιλύρα*: Hebr. ut placet Eliæ in nomencl. Ascherach: Germ. **Linden / & Lindenbaum** / à ligni mollitie, uti volunt. At Gorop. in Indoscyth. Tiliam gemina ratione **Linde** dici *Etymon.* scribit: & quia pulchra sit, & quia fasciæ & funiculi ex ea fiant. Belg. **Linde / Lindenboom.** Gall. *Tillet, Teil, Tilleu, Tilier*: It. *Tiglia, Tilia*: Hisp. *Teia.* Angl. *Lind tree.* Boh. *Lipa.* Hung. *hacfa.*

Philyra cortex. Cortex eius quoque Philyra dicitur & Tilia. Sed & aliarum arborum cortices interiores eo nomi- *Philyra homonymia.* ne donantur. Sic Plin. l. 24. de Vlmo: Corticis utique inquit, interior Tilia lepras sedat. Et paullò pòst: Idem præstant & Tiliæ corticis &c: Et hoc ipsum etiam lib. 16. his verbis idem Plin. declarat: inter corticem & lignum tenues tunicas multiplici membrana, è quibus vincula Tiliæ vocantur, tenuissimæ earum Philyræ Coronarum lemniscis celebres, antiquiorúmque honore.

Locus. Philyram Theoph. ibidem nasci scribit, ubi Cerasus. In locis fervidis difficillimè prodit. Et Plinio autore, montes & valles diligit Tilia: item aquosis gaudet montibus. Pingue lætúmque solum desiderat, in stercorato optimè proficit: in arido ac saxoso ægrè adolescit. Tiliam Asia, inquit Theoph. difficulter recipit: & in hac alenda cultores hortorum vehementer laborant. In toto Germaniæ tractu, in vrbium & mœnium areis in delitiis habent, ob opacitatem quam vel per se, in vel attegias disposita, deambulantibus recubantibusque tempore æstivo præbet. Et sanè vix videas aliam arborem in Germania, aut fortè in tota etiam Europa, quæ cum Tilia opere topiario, & ampla ac patula illa vastitate certet.

Basilea Tiliectis suis triumphat. In primis nobilis Basilea inter alia nobilissima naturæ dona, quæ habet, & huius stipatu ac ornatu triumphat, ubi plureis areas ac sylvas hac unica arbore consitas videas, præcipuum illius amœnissimæ urbis decus, quod totus ferè Iunius cum Maij parte media ingeminat suavissimo florum per totam urbem afflatû, non sine incolarum ac transeuntium salubritatis iuvamento. Sed præ cæteris rara & topiaria amœnitate conspicua, quæ iuxta summum templum in regio illo viridiario ad Rheni alluentis ripam, vasto illo propugnaculo ceu humeris Colosseis elato, ex quo Rheni tractus utramque urbem alluentis & circumiacentis provinciæ præclarus & cuivis promiscuus patet prospectus: vulgò die **Phaltz** vocant, quasi Palatinam dicas. Item extra urbem passim præcipuè etiam in amœnissimo illo sclopetariorum campo.

Tigurum quoque. Tiguri quoque Helvetiorum, ut ipsi vidimus, & in scripta retulit Gesnerus, magnæ proceræque collem Palatinum, quem vulgò Aulam (**den Hof**) nominant, quàm plurimæ decorant, pulcherrimo Tiliceto: & extra urbem passim in fossis circa mœnia, egregiæ spectantur, ut passim sub eis sedilia in umbra non desint senibus & aliis animi gratia obambulantibus. Harum maxima truncum habet inferiùs ea crassitie, ut si viri duo mediocres amplectantur, dodrantes quinque adhuc supersint. Sed præcipuè spectabiles sunt duæ illæ huius generis arbores, quæ infra urbem statim ad Limagum visuntur, media inter eas domo, cui plancæ utrinque iunguntur, in qua conveniunt, qui sclopetis exercentur, ita digestæ, ut mensis aliquot in utraque collocatis, maximus convivarum numerus, tanquam in cœnaculis & tricliniis capiatur, infrà, suprà & circumquaque brachiis, & frondibus Tiliarum ambientibus, &c. Similes aut etiam elegantiores Scaphusiæ Heluet. ad Rhenum visuntur. Insignis quoque visitur Moguntij in S. Albani cœnobio 20. crassis columnis lapideis suffulta, quæ nihilominus quotannis exscinditur, teste Lonicero. Est & in Silesiæ cœmeteriis, artis hortis & sylvis notissima, ut notat Schuvenckf. quanquam Dod. scribat rarò in sylvis nasci. Calceolarius annotat Tiliam provenire in Baldo. Considerandum an sit ea amplissimo folio, quam postea describemus. Copiosè etiam provenit in Essexia Angliæ, in nemore, duobus miliaribus Clocestriâ, teste Turnero. In Italia provenit asperis tantùm montibus, inquit Matth. quibus maximè gaudet.

Cultus. Omnes quidem sic formandæ arbores, ne trunco cubitos quatuor excedant, ut quicquid ab ea altitudine superest, totum in tabulata sive her-

ve brachia & ramos effundatur, sicut & de quercu Basiliensi supra dictum est, impietatis illo genere, à quo & Impiam herbam denominavit antiquitas, quòd filij inscendant patrem, minores ramuli brachiis, è quibus oriuntur, superemineant. Tilia utraque, quod in hortis Lutetiæ nunc spectatur, industria Bellonij fecit.

Tempus. Paulò antè æquinoctium germinat Tilia: floret Maio & Iunio: fructum maturat Augusto, qui mox septembri adapertus satiscit ac sua sponte decidit. Aestivis solstitiis folia sua vertit, ut prodidit Theoph. *Ætas.* In multam ætatem vivit hæc arbor creditúrque supra centesimum vivere, quales multæ videntur Basileæ, quarum satum ne avi quidem nostri viderunt.

Cædendi tempus. Theophr. Tiliam post vindemiam & Arcturum cædendam suadet.

TILIA FOLIO MINORE.

Descriptio. Tilia folio minore nobis dicta, non minùs patula est arbor quàm prædicta. *Folia.* Folia tamen multò sunt minora, ad Betulæ accedentia, colore ferè Populi Libycæ non hirsuta ut Tiliæ præcedentis, folio maiore dictæ, sed firmiora rigidioráque. *Flores.* Flores tamen similes, nisi minores essent, coloris eiusdem, pallidi odorati, formâ accedẽtes ad Berberim, umbellam ferè efficientes, sex septem, octo, novem, aut etiam undecim, ex luteo foliolo seu antento prodeuntes, ut in alia Tilia, *Sapor. Fructus.* sapore acido cum lentore: quibus succedunt fructus parvi, hirsuti, angulosi, ut in alia. Materies similiter alba, lenis, sed cortice magis scabro obducta. Hanc facilè crediderimus prædictâ firmiorem & duriorem: tota enim arbor torosior. Fert & hæc viscum.

Tilia sylvestr. De hac sic Tragus: Tilia sylvestris sativæ per omnia respondet, nisi quòd folia & flores gerit magis exiguos: præterea & frondem nigriorem. Florem edit tardiùs sativa Tilia, qui nullo post se relicto fructu aut semine decedit.

Theoph. in hunc ferè modum suam quoque Tiliam delineavit.

Tilia fulmine tacta. Visa nobis in VVirtenbergico monte, ubi nobilis & antiqua illa arx Tecksiana Ill. Ducum VVirtemb. Tilia (de qua & in Bollensium fonte Admirabili, fontiumque historia salubrium Universali) quæ fulmine tacta fuit noctu, mense Septembri, & sub ea novem vaccæ exanimatæ ex peculio E. C. sub ea stabulantes. *Tilia Gesneri alia.* Ista Tilia non erat eius speciei quam antea descripsimus folio maiore, sed ad hanc accedebat, quam vocamus folio minore: nihilominus tamen ei folia erant maiora, quamvis glabra, nec hirsuta: ipsa quoque arbor maxima, neque in hac specie glabrá ista maiorem observavimus. Dubij hæremus, an sit species quædam particularis, vel varietas tantùm foliorum: quæ tamen si constans & perpetua, & ipsa speciem efficeret, quod nobis facilè persuaserimus.

Etsi verò, ut dicebamus, Tragus hic depictam atque descriptam, sylvestrem vocitet, & fructum non ferre dicat, quemadmodum & Gesn. qui & Tiliam sylvestrem & sterilem dicit, nobis tamen & Basileæ & Montbelgardi & alibi locorum fructifera observata.

Cur Schuvenckf. dicatur φιλύρα ὀρέχης, nescimus, *Schuvenckf. nec.* id est Tilia montana minore folio: Steinlinde / Waldlinde *Tilia montana.* Tilia mas & saxatilis Matth. At nobis Tilia mas sive saxatilis Matth. videtur Ulmus, nobisque consentit C. Bauh. ut dicetur sub Ulmo. *Tilia mas.* Marem Theoph. dicere vix quisquam rectè ausit, cùm eius folia non speciatim describat. In tabella ad latus prima exortus folia picta habes.

Gaudet hæc iisdem cùm præcedenti locis: Speciatim Basileæ inter cæteras visitur, sed rariùs, quia ob foliorum parvitatem paulò minùs patula. Extitit & pulchra Montbelgardi in fori angulo, supra quam quondam tugurium pulchrum & amplum, cum mensis erat exædificatum, comessantium refugium haud insolens. Nascitur & in tenebrosis ac latissimis VVasgoviæ sylvis: Item Silesiæ tàm sylvis quàm montibus: atque in pluribus Ducatus VVirtemb. pagis.

Florentem observavimus in fine Iunij, *Tempus.* quum aliud genus iam defloruisset. Tardiùs etiam fructum perficit.

TILIA MAXIMO FOLIO.



Locus. Vix horæ spatio distat ab urbe Basilea mons à pago vicino Mutetus vocitatus: proli Apollineæ quotannis aliquoties à Celebratissimo Medico ac Botanico D. D. Casp. Bauhino, fratre & adf. nostro eò stirpium varietatis causa, tanquam ab altero quodam Apolline, produci solitæ, notissimus. *Mons Mutetus circa Basileam stirpium frequentia clarus.* In eo, inter cætera haud passim obvia, provenit arbor quædam ad Tiliam folio maiore accedens, cui folium speciosum, amplissimum, dodrante interdum latius, hirsutum, in appendicem angustum fastigiatum: quodq; hirsutius etiam apparet in dorso quod nervorum eminentia decorat. Sed præstat ipsius descriptionem adiicere.

Tilia mas nova. Tilia mas nova arbor, crasso caudice, ramosa, *Materies.* materia uti Tiliarum robusta, [cæterarum alioqui materies mollis, etiam priscis & neotericis Herbariis testibus] *Cortex.* cortice lanuginoso, subrufo: *Folia.* foliis magnis, quæ vix rotundantur, ut in fœmina fit, monente Theoph. l. 3. hist. c. 10. sed in acutum angulum desinunt, Mori sativæ foliis quoad formam simillima, eo excepto, quòd profundè sint serrata, ex virore nigricantia, prona verò parte

splendentia, Tiliæ fœminæ vulgaris, foliis triplo & quadruplo maiora: in qua hactenus nec florem nec fructum videre licuit. Quam tamen ab annis septendecim nunc observavi, cùm in monte nostro Muteto (quo studiosos singulis annis deducere solemus) ob plantarum copiam, verè Apollineo, plures sint arbores. Tilia fœmina non est, nec etiam Tilia sylv. Tragi, cui folia multò minora. Fortè Tilia mas Theoph. 3. hist. cap. 11. *An Tilia mas Theoph.* quam sterilem & nullo flore esse scribit.

Æquivoca Tiliæ. Cæterùm Tiliæ æquivocationes non paucæ. Dictæ sunt species tres, & fortè etiam adiungenda quarta illa Techsiana. Est & Tilia Iulifera Cordi itidem dicta. *Sorbus torminalis.* Du Choul autor, Sorbum torminalem dici à nonnullis Tiliam fœminam, de qua suo loco. *Fagus sepium.* Dicitur & Tilia de Fago sepium. *Vlmus.* Quidam & Vlmum pro Tilia exhibent, cuius & interiores tunicæ dicuntur Tiliæ. *Acer maior.* Item Aceris genus maius (de quo postea) à Corn. Tilia putatur, minùs benè. *Phillyrea.* Phillyrea Diosc. à multis confunditur cum Philyra Theoph. De illa lib. 5. Cæsalp. *Lignum putidum.* Lignum putidum existimat esse Philyram marem, quam opinionem refutavimus l. 5. c. de spina Burgi. *Spina Burgi.* *Ligustrum.* Quidam sibi persuadent Ligustrum esse Tiliam & Phillyream Diosc. non distinguentes Philyram à Phillyrea: de qua re suprà plus satis. De Ligustro actum lib. 5. *Philyca.* Quidam Philicam Theoph. confundunt cum Tilia, Philyra & Phillyrea. Et Hermol. redarguit meritò Vallam, quod Iteam, *Salix. Valla error.* quæ salix est, interpretatus sit Tiliam.

Tiliæ vires & usus. Tiliam calidissimam esse suprà ex Theoph. dictum: addita ratione cur ita sentiat, nempe quòd tincturam ferri secantis emolliat. Ast nobis sanè atque expertis aliter videtur. Nam & Cerdones qui tabulas ex ea expetunt oppositum experiuntur, in coriis incidendis: nam ob mollitiem suam cedit ferro, ideò non retundit, quia non secatur. Nec ea qualitas cultri aciem corrumpens hactenus à nostris observata. Sed apertioribus rationibus, nescimus an item experimentis, stipatus incedit Fuchs. Cùm sic infit: Calidam esse Tiliam, vel ex eo liquet, quòd frigidis cerebri malis, *Epilepsia.* Epilepsiæ, & id genus aliis mirificè conferat. Amaritudo etiam cum glutinositate quadam in ea reliquis qualitatibus prævalere videtur, si hanc degustes. Quare abstergendi planè facultatem, cum modica adstrictoria, perinde atque Vlmus (cuius facultates illi Plin. tribuit) habere evidentissimum est. Si quispiam vires quæ à recentioribus Tiliæ tribuuntur, probè expendat, nihil ab iis quæ ex Plin. & Gal. sententia de Vlmo dicuntur differre comperiet. *Macula faciei.* Nam maculas faciei abstergere scribunt Tiliam, si illa eius succo lavetur. *Comitialis morbus.* Mederi etiam morbo Comitiali bibitum eius liquorem stillatitium, *Visus.* oculis claritatem inducere, *Calculus.* calculum sanare, *Tumores.* tumores discutere. Quid multa? omnes facultates Vlmi obtinet Tilia, *Vulnera.* ideóque vulneribus etiam recentibus succurrit, & alia quæ à Diosc. & Galeno in Vlmi historia commemorantur, potest. Hæc Fuchs. Nobis consideratione & inquisitione dignum videtur, annon scribat Tiliam amaram ex imaginatione. *Fuchs. Matth. Dodon. & Curtij error.* Is alioqui, eúmque sequuti Matth. Dod. & Curtius Vlmi vires tribuunt Tiliæ, decepti verbis Plin. qui, uti dicebamus, interiorem corticem Tilias vocat. Fuchs. præterea & Dod. non observarunt Plinium tribuere Tiliæ, quod attribuitur Phillyreæ, longè diversæ plantæ, ut rectè etiam monuêre Cornar. & Matth. *Loniceri lapsus.* Lonicerus verò, licet agnoverit Phillyream diversam à Philyra: nihilominus tamen vires Phillyreæ obliviosè tribuit Tiliæ. Quas vires Plin. Tiliæ tribuit, omittimus, ob dictam modo causam. *Plin. error.* Competunt enim Phillyreæ, non Tiliæ, quæ Philyræ.

Cortex & folia Tiliæ, inquit Dod. calore temperata sunt, nonnihil siccantia & adstringentia, temperamento penè similia Vlmo. Tiliæ cortex commansus, ac inde illitus, vulneribus *Vulnera.* recentibus agglutinandis efficax est. Folia verò trita & aqua conspersa, pedum tumores discutiunt. *Tumor pedum.* Humor è medulla castratæ arboris defluens, capiti illitus, capillos reddit, defluentésque continet, teste Matth.

Baccæ seu fructus Tiliæ tempore oportuno *Dysenteria.* collectæ, & in pulverem redactæ, in Dysenteria, *Alvi profluvia.* aliisq; alvi profluviis summoperè laudantur, nam & ea ratione in expeditione quadam multos milites conservatos Camer. prodidit. Eædem cum aceto tritæ, in nares datæ potenter Hæmorrhagiam sistunt. *Hæmorrhagia narium.* Baccæ aliquot (imparem numerum superstitiosè præcipiunt, quod nec Camer. magni facit, nec ab ullo docto & sapiente probatur) deglutitæ, validè sanguinis è naribus profluvium compescunt, ut in primaria quadam persona experientia comprobatum. *Experimentum.* Ex recentibus Tiliæ foliis expressus succus, cum vino mistus & calidus artubus infrictus, spasmo flatulento benè facit. Quidam eadem trita & aqua conspersa, atque emplastri modo imposita, singulare contra eundem spasmum in *Spasmus.* gravidis remedium iactant.

Tiliarum è floribus (quorum perquàm suavis *Aqua florum.* odor, & cum vitium floris odore similis suavitas) aqua destillatur in frequenti usu tàm apud Germanas quàm Gallas mulierculas. Existimatur autem à doctis modicè calida, sicca & emplastica. Pota utilis ad Epilepsiam, cordis *Epilepsia. Cordis tremor.* tremorem, uteri dolores, *Vteri dolor.* calculum renum & *Calculus renum.* sanguinem in corpore, ob casum aut ictum aliquem, concretum, *Sanguis concretus.* ad quod remedium aliqui etiam tritos Tiliæ carbones admiscent. Dosis est unica uncia aut sesqui. Oculorum dolores *Oculorum dolor.* mitigat, & locos igne aut quavis materia fervente adustos sanat, *Ambusta.* idque efficaciùs, si interior cortex albus Tiliæ in hac aqua maceratur, aut eius loco Cydonij grana, aut Psyllium, & nata inde mucilagine loci illinantur. Aliqui liquore vi ignis extracto ex sanguine Melis seu Taxi adversus pestem utuntur, *Pestis.* tradente Evonymo. Quidam inquit Tragus, aquam Tiliæ florum destillatam, adversus ventris tormina *Tormina.* exhibent, & non sine ratione: nam intestinis à Dysenteria erosis illa convenit. Alij adversus morbum Comitialem usurpant. Tilia usta, aceto carbonibus restinctis, cum oculis cancrorum tritis sumpta, contretos sanguinis grumos exigit, *Sanguinis grumi à casu.* his qui ex alto delapsi fuere, ita ut sanguinem exscreent. Tunicæ seu libri medij, qui cortici & ligno intercedit, aqua macerati, lentus viscosúsque humor ambustis singulari remedio prodest, quod experientia multos docuit. Scimus etiam aqua florum Tiliarum plerasque mulierculas uti ad faciei fucum. *Fucus faciei.* Ex carbonibus Tiliæ, qui pulveri bombardarum parando adhibentur, *Pulvis pyrius.* præsentissima mors multis creatur, ita ut Tilia & salubria præbere & necem afferre possit. Súntque qui existiment Tiliæ carbones pulverem pyrium veneni suspicione liberare, argumento, quòd iidem lapsis ex alto, ex liquore aliquo utiliter propinari soleant. Cæterùm mirari subit, cur Theophrast. Tiliæ seu Philyræ fructum à nullo, mandi posse scribat, [ὁ τῆς φιλύρας καρπὸς [illegible]

Digitized by Google

ἐδεστὸν βρωτὸν, inquit:] cùm alibi tradat folia Tiliæ dulcia esse, & à multis animalibus comedi: Vltimum enim hoc verum. Nam & Basileæ pauperculam plebem folia pro vaccis & capris adventante hyeme recondere solêre scimus. Fructum quidem negligunt, & ipsa quoque respuunt animalia: & eundem Tragus ab omnibus animalibus tutum esse scribit. Gustavimus tamen non semel, & dulcem comperimus, atque innoxium. Quare illud, ἐδεστὸν βρωτὸν, non ita intelligimus, ac si omninò mandi nequeat, sed quòd nulli animalium cibo ac nutrimento idoneus sit. Folia etiam non solùm sua natura dulcia, (qui tamen dulcor exiguus & viscidus) ac propemodum insipida nobis visa sed & per accidens, ex roris cœlestis incubitu, à quo multa ita oblinuntur, & glutinosa evadunt ac si melle madefacta fuissent: ut iam olim pueri didicimus.

Theoph. illustr.

Porrò num Tiliæ flores apibus competant, nondum apertum videtur. Columella sanè Tiliæ & Taxi, ex omnibus, flores apibus nocere dicit, repudiandosque esse. Ego, quod ad me attinet, infit etiam Tragus, crediderim flores Tiliæ apibus, licet maximé ab illis expetátur, minimè conducere. Sed quare non conducant, aut conducere possint, nullam adfert rationem: & horum neuter ostendit, in qua re noceant. Virgilius sanè commendare videtur pro apibus Georg. 4.

An Tiliæ flores conducant apibus.

Ergo apibus fœtis idem: atque examine multo
Primus abundare, & spumantia cogere pressis
Mella favis: illi Tiliæ, atque uberrima Pinus: &c.

Pinus sanè apud autores pro apibus commendatissima. De Tilia diligentiùs inquirendum.

Nobilissimus & corticis usus, in quo olim scriptitatum, sed recenti opus, in quo ad duces scribat explorator, monente Plinio. Modus expositus in Vlmo. Et Gal. 6. Epid. scribit, quosdam valdè antiqua Hippocratis exemplaria, ante trecentos annos exarata, habuisse, alia ἐν φιλύραις, alia, qualia apud se [sua ætate] in Pergamo. Langius quoque in epist. librorum meminit in delicatioribus ex Tilia corticibus conscriptorum. Sed hic usus iam dudum inolevit, suppetente pergamento & charta factitia ad eam rem longè aptissima. Crassiores Tiliæ cortices vidimus Nurtingæ pedali latitudine, longitudine competente in circulum plexos, quos tinis imponebant, in quibus lintea lixivio perfundebantur, ut eo corticoso circulo supereminente cineres cum lixivio supereminentes continerentur. Plin. lib. 16. c. 9: ex Tiliæ cortice vasa, corbésque, ac patentiora quædam, messibus, vindemiisque convehendis, atque prætexta tuguriorum fieri scribit.

Corticis usus. *Ad scripturam.* *Libri ex Cortice Tiliæ.*

Sed materiei utilitas non postrema. Theoph. in opere facillimam dicit, [τὸ ἔλαον εὐεργὸν] ob suam mollitiem. Foris navium longarum & arcarum, mensurarúmque fabricæ expetendam. Habere & corticem ad cistas (seu cunas ut Gaza vertit) faciendas idoneum. Ex iis namque fabricari solere. Verba sunt: ἔχει δὲ καὶ τὸν φλοιὸν χρήσιμον, πρός τε τὰς κίστας. ποιοῦσι γὰρ ἐξ αὐτοῦ. [non ἐξ αὐτῶν ut exemplaria habent. Nam antea, ἐξ ἧς τὰς κίστας ποιοῦσι dixerat. Sed hîc etiam alterum membrum deesse, non malè suspicatur Corn. ante πρός τε τὰς κίστας. Gaza vertit: Habet etiam corticem funibus cunisque percommodum: ubi, funibus de suo addit, quod in eius sit situm fide, nisi ita in quodam exemplari vetusto legerit. Materiei Tiliæ usum non satis laudare hodiè possunt sculptores simulachrorum, ex ea quippe omnia penè simulachra parantur. Levis est, ac lævis fit magis arte, tenax, facilè secatur. Diu durat. Ab iis aliquando sciscitantibus nobis, dum ex Tiliæ ligno imaginem Christi salvatoris exsculperent, cur non uterentur Acere, responderunt, cariei obnoxium esse, Tiliæ nequaquam. Atque in primis etiam ex Tilia Lapidarij sculptores suas Ideas (Visierung vocant) parant. Ex eodem ligno optimi fiunt carbones pro delineationibus pictoribus expetiti.

Ligni usus. *Theoph. Correct. & illustr.* *Carbones pictorum.*

Et ut nihil, quantum in nobis erit, utilitatis Tiliæ omittatur, & illud memoratu dignum: Cinesiam Poëtam Græcum flagitiosissimum, tàm gracilem fuisse, uti perhibetur, ut Tiliaceis asseribus corpori circumdatis imbecillitatem suam fulciret, uti Philetas alter poëta, plumbeis orbiculis circum pedes adalligatis, ne vento subverti posset. Cinesiam verò Aristoph. ob illam causam Philyreum vocitabat. Vsus etiam his Antoninus pius, ut testatur Capitolinus. Quum (inquit) & longus esset, incurvareturque, tiliaceis tabulis in pectore fasciabatur.

Cinesia Poëta fulcra Tiliacea. *Cinesias Philyreus.* *Antoninus pius.*

Solent & Germani, ramos Tiliæ ordine quodam in amplitudinem distribuere, ac palis suffulcire, ut sub umbra eius, quæ omnium arborum maximè innoxia putatur, æstatis tempore, patulaq; ramorum opacitate recubantes, sese recreare comessationésque instituere queant. Hinc fortè tritus ille versus.

Recubantibus patula tuguriola.

Filia sub Tilia ducit subtilia fila.

Viscum Tiliaceum quidam caduco morbo obnoxiis salutarem prædicant.

Visci usus. Morbus Caducus.

V L M V S.

CAP. II.

PLVRIMIS ramis brachiata Vlmus arbor procera, interdum infra iustam altitudinem subsistens, cortice cinereo, nunc lævi, nunc profundissimis sulcis, eminentissimisq; porcis secundùm rami longitudinem exarato, interiori albo flexibili: materie item alba, firma. Ante omnia flores promit, ex ramulorum extremorum tuberculis, in muscarium congestos, ex staminulis plurimis atropurpureis, quorum terna aut quaterna includuntur receptaculo oblongiusculo in viridi purpurante. Floribus succedunt foliacei utriculi compressi, seminibus Atriplicis similes, multi, ex oblongo rotundati, magni tenues, & in extremo parum fissi: in quorum medio semen parvum, tenerum, planum, candidum, sapore dulci: masticatum glutinosum reddit succum, ut & cortex. Tandem post semina, ex ramulorum, qui semina sustinent, fastigiis folia se proferunt, lætiùs primum virentia, pòst obscuriùs, oblonga, crispa, in ambitu serrata, aspera, quinque aut sex, & interdum septem digitorum longitudine, latitudine duorum, trium, aut quatuor, utrinque ex rotundo fastigiata per

Descriptio. *Cortex.* *Materies.* *Flores.* *Vtriculi foliacei.* *Semen.* *Folia.*

mediam longitudinem rectus & à tergo magis conspicuus transit nervus, à quo alij minores ceu costæ, recti & veluti paralleli exeunt, in uno tamen latere plures, quo fit ut altera foliorum pars alteram longitudine vincat, ut ingeniosè observavit Cordus, & quodammodo in nostra icone apparet, minùs tamen apertè quàm optaremus. *Folliculi.* Foliis quotannis ferè adnascuntur folliculi cavi, tuberosi, subrotundi ac diversarum figurarum, in quibus primùm glutinosus quidam liquor, ex quo vermiculi exigui gignuntur, qui in minutos culicellos transfigurantur. *Foliorum varietas.* D. Casp. Bauhinus Basileâ ad nos misit ramum Vlmi, cui folia ampla, palmum longa, & uncias quatuor vel quinque lata, aspera, in quibus præter serraturas sunt etiam laciniæ quædam: *Laciniata.* cui icon Lobeliana Vlmi latifoliæ respondet.

Minima. In Alsatia propè Polvillam arcem in sepibus observavimus Vlmi speciem cui folia valdè crebra, parva, nec multò maiora articulo postremo pollicis, plurima etiam minora, minùs rugosa, supernâ parte nonnihil lucidâ, non aspera, nervi-fabrè, eleganti ac exquisito ordine disposita. *Alia varietas.* Talis ferè ramus etiam Monspelij à nobis collectus, nisi folia essent maiora, minùs lucida, & nervi non ita argutè dispositi: in quibus etiam mense Septembri erant folliculi prædicti. In omnibus his Vlmi varietatibus apparet nota prædicta, a Cordo observata.

Germaniæ Vlmi genera duo. Tragus diligens Botanicus Germaniæ duo Vlmi genera sic describit. In Germania, maximè ea quæ Rheno contermina, Vlmi duo genera reperiuntur: quorum alterum latiùs se diffundit, alterum procerius evadit, utrumque agro VVormatiensi perfamiliare: nam iis in locis nullæ ferè aliæ arbores plantantur, quàm Vlmus, Populus alba, & Salices. *1. Vlmus procera.* Ex his Vlmis una perquàm procera evadit, nullo fructu prægnans, in humectis ut plurimùm pratis, ad ripas fluminum, & in circuitu pagorum proveniens, ædificiis construendis expetita. *2. Vlmus lata.* Alterius verò generis Vlmus & ipsa in altum attollitur, sed plurimis ramis in latitudinem magis diffunditur. Gaudet agris edito loco sitis. Florem suum hæc arbos profert, qui & fructus eius est, antequam folia producat. *Folia in folliculos abeunt.* Hic Atriplicis maioris seu hortensis foliatum refert semen: nam singuli flosculi per se spectati oboli latitudinem obtinent, & à maturitate in auras avolant.

Theoph. l. de hist. plant. 3. c. 8. Vlmum uvas & folliculos quosdam ferre scribit. Id genus Vlmi, inquit Tragus, mihi ignotum est. Folia utriusque Vlmi iam à nobis descripti complicata quodammodo apparent, crispaque, ac Orni foliis longiora, quæ cùm Aprili & Maio mense pluviis, subitóque calore solis insequente infestata fuerint, corrugantur protinus, ac tum ex illo humore in corrugatis foliis *Vermiculi.* vermiculi exigui culicum formam gerentes nascuntur, qui progressu temporis evolant. Pari ratione & Chamæcissi tenella folia vitiantur.

Nec absre fuerit & Italicas Vlmos à doctiss. ac insigni Philosopho & Botanico Cæsalp. descriptas produci. *Vlmi Italica. 1.* Vlmus, inquit, arbor ingens, in latitudinem magis, quàm in altitudinem funditur, provenit in collibus & planis: quæritur ad vites sustinendas: cortice valdè aspero, rimoso & crasso, adeò ut ramuli novelli striati appareant extremis surculis tenuissimis, folio Carpini, breviori, magis rugoso, minùs serrato. Floret primo Vere ante foliorum exortum racematim circa ramulos: *Flos Persic.* flos Persico similis, rubens, ex staminibus tantùm constans, transit in foliaceum quiddam, unguis magnitudine subrotundum, medio quodam dorso, *Semen.* in quo semen parvum continetur, depressum & oblongum, quod mense Martio perficitur, antequam folia omninò exeant. Vesicas præterea fert in æstate, in quibus humor continetur, qui cõcrescit in gummi: in iisdemq; animalia culicibus similia reperiuntur. *Gummi. 2.* Alterum genus habetur cortice lævi, rufo, vel cinereo & maculoso, quod in altitudinem ingentem adolescit. In utroque genere quædam steriles omninò reperiuntur. *Steriles omninò.*

Ptelea Theoph. duplex. Montana. Campestris. Theoph. Vlmum πτελέαν vocat, cuius genera duo tradit: prior ὀρειπτελέα hoc est, montana dicta: [Montivlmum vertit Gaza: novè:] altera Ptelea seu Vlmus simpliciter [quam Plinius campestrem vertit] Differunt quòd Vlmus fruticosa magis sit: Montana maior & amplior. Folium gerit minimè fissum [ἀσχιδὲς] leviter in ambitu serratum, oblongius quàm Pyri, scabrum non læve. Ipsa arbor magna est, & altitudine & magnitudine. Non abundat circa Idam, sed rara est. Amat rigua. *Materia.* Materia flava, dura, nervosa, deformis: quippe tota cor est, qua utuntur ad fores lautiores. Cùm viret cæsu facilis: ubi exaruit, difficilis. Putatur autem sterilis esse. Fert & gummi in folliculis vel loculis, [ἐν κωρύκοις: in vulg. ex. habetur κυρύκοις: *Gaza & Plin. err.* Gaza malè transtulit, petiolis: nec feliciùs Plin. ad Corycum montem] & animalcula quædam Culicibus similia: [θηρία τινὰ κωνωπώδη.] *Cachrys.* Cachryn etiam edit peculiarem autumno, multam, minutam, nigram. Cæteris verò temporibus [ὥραις: Ald. habet χώραις] quid ferat, non animadversum. Dixerat tamen idem Theophr. priùs, in Vlmi folliculis genus quoddam bestiolarum innasci, quod Cnipes vocitetur [θηρίδια ἄττα κνῖπες. Quid verò differant inter se κώνωψ & κνίψ, dicetur [à me Chertlero] in opere de Insectis. Idem Vlmo, humorem in lachrymæ modum densari scripsit, sicut Abieti, Piceæ, & Terebintho: per quem humorem, qui δακρυώδης ab eo dicitur, nisi illud glutinosum in folliculo intelligit, ulteriùs inquirendum quid velit: præsertim cùm resiniferis annumeret, sicut & Gummi ferentibus, Amygdalo, Pruno, *Vuam ferens.* Ceraso, Iunipero, &c. Expressè autem etiam alio loco ait: quibusdam à natura datum esse, ut plura producant: Vlmum enim & uvam gignere & folliculos: βότρυν καὶ τὸ θυλακῶδες. Quæ autem sit ea, quæ uvas fert, nobis nondum innotuit.

Plin. error. Vlmo & Plin. gummi tribuit ad nihil utile: ex quo & Culices nascantur. Sed quando addit: in Coryco monte Ciliciæ, deceptus fuit Græcæ vocis apud Theoph. similitudine. Κώρυκος enim folliculus ille dicitur, quem supra descripsimus. Plin. non benè in montem convertit. *Alius error.* Ostendemus etiam in viribus, haud prorsus inutile esse illud Gummi, ut ille putabat. Idem & alibi lentitiam Vlmo tribuit, sicut & Fraxino, Moro, Ceraso, sed sicciorem ponderosiorémque quàm Platano & Alno. Qui in nostratis Vlmi folliculis gummosus conspicitur liquor, magna ex parte madidus est, non siccus. Considerandum an fortè & is cum Theophrast. alium intelligat, aut an talis sit in regionibus calidioribus. Neque verum quod idem scribit, Vlmum Atiniam fructum nullum ferre, hoc est, ut ille ait, ne semen quidem, *Tertius Plin. error.* nisi ea planè diversa ac distincta sit à nostra Vlmo: sed lubet eundem de Vlmi differen-

tiis

tiis tradentem audire. Sic autem ait.

Vlmi differentiæ. Plin. Inter has atque frugiferas, materie Vitiumq; amicitia, accipitur Vlmus. Græci duo eius genera novere: *Montosa. Campestris.* Montosam, quæ sit amplior: Campestrem, quæ fruticosa. [ramis plurimis opaca, sed exiguis & brevibus.] Italia Atinias vocat excelsissimas, & in iis Siccanas præfert, quæ non sint riguæ. *Atinia. Siccana. Gallica. Italica. Sylvestris.* Alterum genus Gallicas. Tertium nostrates, densiore folio, & ab eodem pediculo [surculo Vet.] numerosiore. Quartum silvestre. Atiniæ non ferunt Samaram: [Colum. ferunt quidem, sed rariorem.] ita vocatur Vlmi semen: omnésque radicum plantis [radicibus plantarum. D.] proveniunt, reliquæ semine. *Marita.* Idem & alibi Maritæ Vlmi meminit: & Vlmo in genere ramulosa folia tribuit. Marita autem Vlmus est, cum qua Vitis maritatur, ut specialiùs dicetur in satu & cultu.

Albinea. Cæsalp. prædictas differentias ex Plinio citans, quatuor in Italia ab eo numerari scribit: sed pro Atinias, legit Albineas. Et ut ne quis putet esse typographicum errorem, sciat, eius vocis nullam extare correctionem inter errata in fine posita, cùm tamen minoris momenti eiusdem paginæ exaggeret, unius tantùm literæ mutatæ, Samoræ, pro Samaræ. Quæ autem Amentum ferat, & Vvas, nondum vidimus, [addit Cæsalp.] ut suspicari liceat, ne Plin. cum Vlmi genere comprehendat Carpinum Vtramque, aut Alnum, Tiliámque appellatam, quasi pteleam. Plin. tamen etiam alibi Atiniæ meminit, eámque propter nimiam frondem, Vitibus ineptam dicit.

Plin. taxat. Plinium taxat Solerius, quòd Vlmum malè dividat in quatuor species, aliter atque Theoph. atq; Colum. Gallicam Vlmum & Atiniam esse Montanam Theoph. Vernaculam, Italicam, Nostratem, & Campestrem, & Theoph. Pteleam seu Vlmum simpliciter esse unum & idem. *Theoph. & Plin. explic.* Cui sanè non gravatè suscribimus, præsertim Columellæ, diligentissimi Geoponici verba considerantes, qui ita habet. *Vlmi duo genera Columellæ. Gallicum seu Atinia. Vernaculum.* Vlmi duo genera, Gallicum & Vernaculum. Illud Atinia, hoc nostras dicitur. Atiniam Vlmum Tremellius Scrofę non ferre sameram (quod est semen eius arboris) falsò est opinatus: nam rariorem sine dubio creat, & icciro plerisque & sterilis videtur, seminibus inter frondem, quam prima germinatione edit, latentibus. *Tremelly & Plin. error. Samera.* Itaque nemo iam serit ex samera, sed ex sobolibus. Est autem Vlmus longè lætior & procerior, quàm nostras, frondémque iucundiorem bubus præbet. Virgil.

Præterea genus haud unum, nec fortibus Vlmis.

Cordus scribit: quid discriminis sit inter Vlmum montanam, & Ptelean seu Vlmum simpliciter, fabris lignariis notum esse, & à se quoque ex historia arborum differentias indicatas. Sed memoriâ lapsus hoc dicit. *Cord. not.* Nam l. 3. c. 1. suarum hist. describit Vlmum unicam, nullam differentiam demonstrans. In Com. in Diosc. Vlmum folia Tiliæ & Corylo non dissimilia habere scribit: quod de maxima & latifolia superiùs descripta intelligendum putamus: Nam vulgata parum similitudinis cum iis habere videtur.

Tragus Vlmum proceram nullo fructu prægnantem dicit: Campestrem fructum ferre, quod in eius fide situm sit. Plin. Atiniam, semen nullum proferre prodidit: attamen Columellam contrarium scribentem produximus.

Matth. reprob. Matthiol. falsò sit Theophrastum dicere, Vlmum sterilem esse, quamvis multa in eam rem ex Plin. quiritetur. Idem in Comm. cum magnis fig. Lat. & Ital. proponit Vlmi iconem, sine ulla descriptione, titulo Tiliæ maris: Et in Hist. *Tilia mas. Tilia saxat. Carpinus nigra.* Germ. Steinlinden / Tiliæ saxatilis: ait ferre folia Vlmi [sanè verò: nam ipsamet Vlmus est.] aut Carpini: quosdam vocare nigram Carpinum. Profectò quivis vel vulgariter in stirpibus versatus agnoscat ibi pictam Vlmum, *Matth. non agnovit Vlmum.* quod nescivit tantus commentator, ut apertè cōstat ex eius descriptione, quam in sua Epitome dat, his verbis: Tilia mas: Græcis φιλύρα ἄῤῥην: It. Tilia *maschio & Carpino*: Arbor est magna, patentibus ramis, materie robusta spissaque, ac etiam sterilis: folia fert lata, oblonga tamen, in quibus ferè omnibus numerosæ extuberant bullæ, in quibus muscæ gignuntur, quæ tamen arescentibus receptaculis, inde gregatim evolant. Quis hic non videat Vlmum à Matth. descriptam? Rectè igitur à C. Bauh. nobiscum sentiente annotatum. *Error. Lob. Lugd. & Tab.* Tilia mas quæ proponitur à Matth. Lob. Lugd. & Tab. Carpinus nigra dicitur Castori, & nobis Vlmus, aut certè eius aliqua species esse videtur.

Lepidè Pena & Lob. Vlmum pro Tilia mare proponentes, à fœmina non perinde totam atque folio differre scribunt, tametsi exiguum sit discrimen: folia tamen Vlmi scabra rugosáque esse: flosculos, [suam Tiliam marem] non baccas uti fœmina, proferre, sed semen & flores in folliculis Carpini modo. Mox subiiciunt: Vlmus multò vulgatissima, notatúque facillima est: folio non adeò illi dissimili, [certè non, quia idem] aut Alni. Folliculis vermiū volucellorum & fuliginis refertis, Habent & Vlmū alteram latifoliam. Sed mirum industrios alioqui Herbarios in Tilia sua mare non eosdem folliculos obervasse, in Vlmo, quæ eadem cum illa observasse: inter se non distinxisse, ex una planta duas fecisse, *Pen & Lob. multiplici lapsus.* denique neque Tiliam suam marem neque Vlmum rectè inspexisse probéque cognovisse. Præterea quæ obsecro descriptio Tiliæ maris: partium delineatio ac designatio quomodo quadrat? Neque nobis exiguum, ut illi putant, discrimen esse videtur, inter folia Tiliæ & Vlmi. Figura à Lob. posita pro Tilia mare in obs. Teut. & icon. satis demonstrat, eum ex Vlmo facere Tiliam: id satis indicant etiam cortex sulcatus & rugosus, ac folliculi in foliis: similitudo item non parva cum Vlmi icone Dodonæi. *Camer. suj. still.* Camer. ad hist. Matth. præter Vlmi iconem, quam cap. 38. habet, posuit & aliam cap. 46. nempe Matthioli, sub titulo Tiliæ saxatilis, annotans, Matthiolum in Lat. exemplari facere Tiliam marem, quamvis Dod. Vlmo similiorem dicat. Ipse verò in re tam aperta, quod sentiat, non docet: fortè nec scivit.

Matth. in prioribus Com. iconem Vlmi satis bonam habebat, nisi quòd folliculis nimium artificium ad rotunditatem affictum videbàtur, quos in postr. edit. Ital. mutavit. Pro Tilia mare, uti dictum, figuram Vlmi proposuit, itidem cum folliculis. Hist. Lugd. secuta Matth. more suo easdem duas icones proponit.

Dod. not. Dod. præter Vlmum, quam Theoph. simpliciter πτελέαν, Atiniam Colum. & Gallicam Vlmum vocat, & aliam tradit, de qua agemus postea sub titulo Fagi sepium sive Ostryæ.

Ryffius tax. Etsi verò Ryffius in Corn. in Diosc. scribat,

Digitized

Vlmum esse folio individuo: nihilominus tamen iconem habet arboris cum folio in partes & lacinias diviso, quæ fortè ad Aceris aliquod genus facta.

Lonic. vitiosè. Lonic. duas tradit Vlmos, totidémque figuras: prior ei dicitur Rüstholtz: posterior Ulmenbaum, cuius icon eadem cum modo dicta Rysfij: quam ait in magnam altitudinem excrescere instar Rustbaum: ei autem esse folia fissa sive angulosa. Non dubitamus bonum hunc Herbarium, si Diis placet, suam descriptionem ad iconem, non ad ipsam plantam, effinxisse.

Tabern. arguit. Tabernamontani farrago, tres, immò quatuor habet Vlmi figuras. Prima quæ folliculos habet, titulo Rustbaum / Vlmus 1. Altera, Effenbaum / Vlmus 2. Tertia Yffenbaum / Vlmus 3. Et alio loco Vlmum pingit cum folliculo pro Tilia mare & Stein linden / id est, Tilia saxatili: Sed nulla istarum figurarum exprimit semina: neque docet in quo differant tres eius Vlmi, quasi cum pueris ipsi res fuisset, qui picturis & figmentis delectantur. *Icon.* Icon Tragi & flores & Samaram ostendit, sed in vna arbore iuncta. Nostra meliùs & flores & foliaceos utriculos cum semine: & folliculos in foliis, sed ramis distinctis. Palmam dactyliferam pro Vlmo nobis ostentat Petr. Crescentius.

Synonyma linguar. Porrò & apud Diosc. Vlmus πτελέα est, qui & folliculorum, & humoris in iis exiccatione in θηριακοῖς, hoc est, animalcula culicibus similia, abeuntis meminit, & corticem fluxilem dicit internum, externum crassum. πτελέας & cæteri Græci meminere, pro eadem arbore. *Thidahar Hebr.* Hebræis *Thidehar*, Esaiæ 41. Sed apud Arabes variis nominibus insignitur, secundùm *Arbor Cimicum. Didar.* autores. Apud Serap. dicitur *Arbor Cimicum*, sicut & apud Avic. Can. 2. l. 2. c. 73. Vbi interpres Vlmum exponit. Item c. 216. *Didar*, id est, *Arbor Cimicum*, ex qua egrediuntur capita inflata, in quibus humiditas, ex qua fiunt *Cimices*. [Culices alij.] Vt mirum nobis vi- *Avic sæpe recantat.* deatur cur Avic. duobus distinctis locis scribat de eadem arbore. Sed hoc ei non insolens. *Albahud. Aldidar. Alderdar. Alderar. Dirdar seu Luzach.* Apud Bellon. legimus, *Albahud* est *Aldidar*, quæ *Arbor Cimicum*. Item: *Duaden Alderdar*, id est fructus seu flos: *Alderar*, quod est *Arbor Cimicum* ut patet 2. Can. Sed Scal. apud Serap. *Arborem Culicum* legi vult, *non Cimicum*, sic itaque & apud cæteros Arabes legendum fuerit. Matth. notat Arab. *Didar*, *Dirdar* seu *Luzach* dici. Germ. Ylmen / Rüstbaum / Rüstholtz / Lindbast / Yffenholtz / Ulmerbaum / Rösfern / Rustern / Effenbaum / pro diversis provinciis. Sed speciatim Montanam Wildrüsterbaum / & Bergrüstern / hoc est. *Sylvestrem & montanam Vlmum* vocitant. Belg. Olmen / Olmenboom / Peperboom. Gal. *Orme.* It. *Olmo.* Hisp. Castil. *Olmo.* Catal. *Olms* Portug. *Vlmo.* Angl. Elmtree. Boh. Gilm. Hung. *Follicul. Cyperes. Tylacium* Szilfa. Theoph. Vlmi folliculos κύκεις vocat. & alibi κώρυκον [κύρυκοι]. Gal. θυλάκιον Lat. verò folliculum, utriculum, capsulam, Vlmi nuncupant.

Semen Vlmi Samara, quibusdam Sameta, ac etiam Amara, vt ex fito Columel. habet Hermol. vocatur.

Epitheta. Cæterùm tàm Virgil. quàm reliqui poetæ Vlmum variis epithetis celebrârunt: *Aerea, frondosa, alta, procera, speciosa, fortis, opaca, densa, patula, ramulosa, umbrosa, virens, mollis, dura, frondens, montosa, exesa, amicta vitibus, hospita vitibus, pampinea, vitiumta, textilis, salerna.* Cur autem à vitibus tantopere commendata, dicetur in cultura.

Nec potuit quin & Vlmo suam superstitionem proderet antiquitas. Sic enim legitur apud Plin. Est in exemplis, & sine tempestate, ullâve causa alia, quàm prodigij, cecidisse multas, ac sua sponte surrexisse. Factum hoc populi Rom. Quiritibus ostentum Cimbricis bellis Nuceriæ in luco Iunonis, Vlmo postquam etiam cacumen amputatum [amputamentatum cu.] erat, quoniam in ipsum aram procumbebat, restituta sponte ita, ut protinus floreret: a quo deinde tempore maiestas populi Rom. surrexit, quæ ante vastata cladibus fuerat. *Prodigiosa Vlmus. Casa sponte restituta.* Sed hoc parum, nisi & Vlmum aliquando loquutam atque apud Gymnosophistas cum hominibus fabulari credidisset eadem. *Vlmus loquens.*

In Cherroneso atque in loco editissimo Protesilai tumulus fuit: [Græcorum sunt hæc figmenta] in cuius gratiam Nymphæ Vlmos plantarunt, ea quidem lege, ut si aliqui tumulum spectarent & contemplarentur, illarum unius partis rami protinus florerent, & statim foliorum profluvium paterentur, altera parte virescente, ut Protesilai immaturum casum indicarent. *De tumulo Protesilai Vlmis adsita miraculosis.* Cùm enim Græcorum primus in Troianum littus desiluisset, à viro Dardanio interfectus est, ut in 2. Iliad. describit Homerus. Habes Vlmeas virgas apud Plaut. in Asin. & Epid. 13. Quem Apelles Zeuxisque duo pingent pigmentis Vlmeis: virga utique nemini ingratior, quàm Vlmitribæ, hoc est, ei, qui virgis Vlmeis cæditur. *Vlmeæ virgæ.*

Theoph. autor, Vlmum lucos, aquásque desiderare. In sylvis Germaniæ haud infrequens, etiam inter Querceta, aut ad marginem: Vnde fortè illud Virgilij, *Locus.*

——Glandémque sues fregêre sub Vlmis.

Tàm montanam quàm campestrem Anguil. in Italia notam dicit. Provenit, inquit Matth. in sylvis & montibus, saxosis locis. Nascitur & pinguibus lutosisque campis. Ptelion vrbs Thessaliæ nomen habuit ab Vlmorum frequentia. Plana, Campestris: montosa, Montana dicta amat: Facilis apud aquas incrementi. Circa Basileam, non paucis locis obvia, præsertim in sylvis, earúmque marginibus. Colimus & in horto E.C. Vbi quotannis floret Martio & samaram fert. Observare licet & aliis multis Burgundiæ & Galliæ locis. Genevæ propè aream *la Treille* dictam etiam Maio florentem conspeximus, Germinat inter primas: mox Sole in Arietem transeunte florere consueuit: semen Maio maturescit: Quo mense & folliculi erumpunt. Auctu facilis est. Folia mox post solstitium æstivum convertit: quo argumento rustici solstitium transactum sciunt. *Tempus. Foliorum conversio.*

Docet Columella quomodo Vlmariæ sint faciendæ. Nam & ad vites sustinendas desiderantur Vlmi, & ad pecudum cibaria: nam capræ & oves libentissimè hanc frondem appetunt: itémque boves: sed magis Attiniæ. *Vt Vlmariæ faciendæ. Pecudum cibus.* Itaque agrum genere uno Attiniæ Vlmi conserendum probat: sin minùs fieri poterit, dabitur opera, ut in ordinibus disponendis pari numero vernaculæ & Attiniæ alternentur. Ita semper mistis frondibus erit utendum, ut quasi hoc condimento illectæ pecudes fortiùs iusta cibariorum conficiant. Vlmus quidem longè lævior est & procerior, quàm nostras, frondémque iucundiorem bubus præbet, qua tamen cùm assiduè pecus alueris, & postea generis alterius frondem dare intituens, fastidium

Digitized by Google

stidium bobus afferet. Sic itaque seminarium Vlmi facies. *Serendi ratio.* Sameram, quæ iam rubicundi coloris sit, & compluribus insolata diebus iacuerit, ut aliquem tamen succum & lentorem habeat, iniicies areis pinguibus, & modicè humido bipalio pastinatis, occatis, ac resolutis veris initio, & eas totas seminibus spissè conteges: mox cribrò putrem terram duos altè digitos incernes, & modicè rigabis, stramentisque areas cooperies, ne prodeuntia cacumina seminum ab avibus prærodantur. Vbi deinde prorepserint plantæ, stramenta colliges, & manibus herbas carpes: idque leniter & curiosè faciendum, ne adhuc teneræ brevésque radiculæ Vlmorum convellantur, atque ipsas quidem areas ita angustè compositas habebis, ut qui runcaturi sunt, medias partes earum facilè manu contingant: nam si lætiores fuerint ipsis seminibus, quæ proculcata erunt, noxam capient. *Cultus.* Æstate deinde priùs quàm sol oriatur, aut ad vesperam, seminaria conspergi potiùs, quàm rigari debent, & cum ternûm pedum plantæ fuerint, in aliud seminarium transferri.

Transplantatio. Ac ne radices altiùs agant, (quæ res postmodum in eximendo magnum laborem affert, cùm plantas in aliud seminarium transferre volumus) oportebit non maximos scrobiculos sesquipede inter se distantes fodere. Deinde radices, in nodum, si breves vel in orbem coronæ similem, si longiores erunt, inflecti, & oblitas fimo bubulo scrobiculis deponi, ac diligenter circunculcari. Possunt etiam collectæ cum stirpibus plantæ eadem ratione disponi: *Atinia Vlmus ut serenda.* Quod in Attinia Vlmo fieri necesse est, quæ non seritur è samera. Sed hæc Vlmus autumni tempore meliùs, quàm vere disponitur, paulatímque ramuli eius manu detorquentur, quoniam primo biennio, ferri reformidat ictum. Tertio demùm anno acuta falce abraditur. Atque ubi translationi iam idonea est, ex eo tempore autumni, quo terra imbribus permaduerit, usque in vernum tempus, antè, quàm radix Vlmi in eximendo delibretur, rectè seritur. Igitur in resoluta terra ternûm pedum quoquoversus faciendi scrobes: at in densa, sulci eiusdem altitudinis, qui arbores recipiant, præparandi.

Sed deinde in solo roscido & nebuloso conserendæ sunt Vlmi, *Locus sationi opportunus.* ut earum rami ad Orientem, & in Occidentem dirigantur, quò plùs solis mediæ arbores, quibus vitis applicata & religata innititur, accipiant. Quod si etiam frumentis consulemus, uberi solo intra quadraginta pedes, exili ubi nihil seritur intra viginti, arbores disponantur. *Putatio.*

Cùm deinde adolescere incipient, falce formandæ, & tabulata instituenda sunt: Hoc enim nom ine usurpant agricolæ ramos truncósque prominentes, eósque vel propiùs ferro compescunt, vel longiùs promittunt, ut vites laxiùs diffundantur. Hoc in solo pingui, meliùs illud in gracili. Tabulata inter se ne minùs ternis pedibus absint, atque ita formentur, ne superior ramus in eadem linea sit, qua inferior: nam demissum ex eo palmitem germinantem inferior atteret, & fructum decutiet. Sed quancunque arborem serueris, eam biennio proximo putare non oportet.

Post deinde si Vlmus exiguum incrementum *Decacuminatio.* recipit, verno tempore antè quàm librum demittat, decacuminanda est iuxta ramulum, qui videbitur esse nitidissimus, ita tamen uti supra eum trunco stirpem dodrantalem relinquas, ad quam ductus & applicatus ramus alligetur, & correptus cacumen arbori præbeat. Deinde stirpem post annum præcidi, & allevari oportet. Quod si nullum ramulum arbor idoneum habuerit, sat erit novem pedes à terra relinqui, & superiorem partem detruncari, ut novæ virgæ, quas emiserit, ab iniuria pecoris tutæ sint. Sed si fieri poterit, uno ictu arborem præcidi; sin minùs, serra desecari, & plagam falce allevari oportebit, eámque plagam luto paleato contegi, ne sole, aut pluviis infestetur. Post annum, aut biennium, cùm enati ramuli rectè convalverint, supervacuos deputari, & idoneos in ordinem submitti conveniet. Quæ Vlmus à positione benè provenerit, eius summæ virgæ falce debent enodari. At si robusti ramuli erunt, ita ferro amputentur, ut exiguam stirpem prominentem trunco relinquas. Cùm deinde arbor convalverit, quicquid falce contingi poterit, exputandum est, illevandúmque eatenus, ne plaga corpori matris applicetur. Vlmum autem novellam sic formare conveniet: loco pingui octo pedes à terra sine ramo relinquendi, vel in arvo gracili septem pedes: supra quod spatium deinde per circuitum in tres partes arbor dividenda est, ac tribus lateribus singuli ramuli submittendi, primo tabulato assignetur. Mox de ternis pedibus superpositis, alij rami submittendi sunt, ita ne iisdem lineis, quibus in superiore positi sint, in eadémque ratione usque in cacumen ordinanda erit arbor: atque in frondatione cavendum, ne aut prolixiores pollices fiant, qui ex amputatis virgis relinquuntur, aut rursus ita alleventur, ne ipse truncus lædatur, aut delibretur. Nam parum gaudet Vlmus, quæ in corpus nudatur, vitandúmque ne de duabus plagis una fiat, cùm talem cicatricem non facilè cortex comprehendat.

Arboris autem perpetua cultura est, non solùm antè diligenter eam disponere, sed etiam *Vt ad Vitis sustentationem aptanda Vlmus.* truncum circumfodere, & quicquid frondis enatum fuerit, alternis annis aut ferro amputare, aut adstringere, ne æmula umbra Viti noceat. Cùm deinde arbor vetustatem fuerit adepta, propter ramum vulnerabitur ita, ut excavetur usque in medullam, quà sit exitus humori, quem ex superiore parte conceperit. Vitem quoque antequam ex toto arbor prævalescat, conserere convenit. *Quando Vitis adserenda.* At si teneram Vlmum maritaveris, novam sufferet: si vetustam vitem applicueris, coniugem necabit. Ita sibi pares esse ætate, & viribus arbores vitésque convenit. Sed arboris maritandæ causa scrobs viviradici *Quomodo adserenda.* fieri debet, latus pedum duorum, altus levi terra totidem pedum, gravi, dupondio & dodrante longus pedum sex, aut minimū quinque. Absit autem hic ab arbore ne minùs sesquipedali spatio. Nam si radicibus Vlmi iunxeris, malè vitis comprehendet, & cùm tenuerit, incremento arboris opprimetur. Hunc scrobem, si res permittit, autumno facito, ut pluviis & gelicidiis maceretur. Circa vernum deinde æquinoctium binæ Vites, quò celeriùs Vlmum vestiant, pedem inter se distantes deponendæ, cavendúmque ne aut Septentrionalibus ventis, aut rorulentæ, sed siccæ serantur. Hanc observationem non solùm in Vitium positione, sed & in Vlmorum, cæterarúmque arborum præcipit Columella. Et uti cùm de seminario eximuntur, rubrica notetur una pars, quæ admoneat, ne aliter arbores constituamus, quàm quemad. in seminario steterint. Plurimùm enim refert, ut eam partem cæli spectent, cui ab te-

nero consueverunt. Meliùs autem locis apricis, ubi cœli status neque prægelidus, neque nimium pluvius est. Autumni tempore arbores: At Vites pòst æquinoctium deponuntur: sed ex ita conserendæ sunt, ut summam terram, quæ aratro subacta sit, semipedem altè substernamus, radicésque omnes explicemus, & depositas stercoremus: ut existimat Colum: qui Vlmariæ faciendæ rationem hanc satis curiosè conscripsit. Neque tamen omnia hactenus ex eo prolata: nam reliqua ad Vitium cultum reservanda. Vt videas Vlmi operosam hanc agriculturam non propter se, sed propter Vites, quas sustineant & hospitentur, institutam. Nam ad pecudum pabulum non opus ista Geoponica satagentia. Sat fuerit, si sat ramosa atque frondosa nascatur, uberi frondis messe magis profutura. Potest etiam Vlmus sic disponi, ut adhuc tenera decacuminetur, ne altitudinem quindecim pedum excedat: sic Vitium hospitio aptissima futura.

Quis locus deligendus, quod tempus: quique tenendus modus.

Vlmus propter Vitem colitur.

Ex semine sata germinat quidem facilè, ut Theophr. monet, & nos experientia scimus. Nam, vel à ventis in hortum traiecta semina ociùs emersisse scimus ingenti stipatu. Ast celerrimè pulcherriméque in arborem adolescit, si avulsione plantetur ipso etiam Theophr. autore. Eadem etiam iam grandis translata perdurare optimè potest. Solet & è radicibus procul à trunco interdum stolones exerere.

Serendi duo modi.

Satio & cultus ex Plin.

Plin. corr. recit. & illustr.

Plin. rem paucissimis expedit in hunc modum. Vlmorum priusquam foliis vestiantur, Samara colligenda est circa Martias Calend. cùm flavescere incipit. Deinde biduo in umbra siccata serenda, densa in refracto [in areis factis Colum.] terra super minutatim cribrata, crassitudine, quæ in Cupressis. Pluviæ si non adiuvent, rigandum. Differendæ ex arearum venis [ita vocat excavatas fossas] post annum in Vlmaria, intervallo pedali in unamquamque partem. Maritas Vlmos autumno serere utiliùs, quia carent semine. [Atinias si intelligit, eas semen ferre super ex Colum. dictum.] Nam ex è plantis feruntur. In arbustum quinquennes sub urbe transferunt, aut (ut quibusdam placet) quæ vicenûm pedum esse cœperunt. Sulco qui novenarius [id est, pedes novem a vicino distans: aut in quo pedes novem à se invicem dissitæ arbores ponuntur] dicitur, altitudine pedum trium, pari latitudine, & eò ampliùs circa positas pedes terni undique è solido adaggerantur. Arulas id vocant in Campania. Intervalla ex loci natura sumuntur. Aridiores [Rariores c. u.] serendas in campestribus convenit.

Arula.

Vlmis detrahitur succus inutilis, supra terram foratis vsque ad medullam in senecta, aut cùm alimento nimio abundare sentiuntur.

Vires & usus.

Porrò Vlmi folia, rami, & cortex adstringendi vim habent, inquit Diosc. Folia trita ex aceto ad lepram efficaciter illinuntur, & vulnera glutinant: multò verò magis cortex, si fasciæ loco circumvolvatur: est enim lori in modum flexilis. Crassior autem cortex in vino aut aqua frigida vnciæ pondere potus, pituitam educit. Quin & decoctum foliorum aut corticis radicumve ossibus fractis, si fotus gratia perfundatur, ea celeriùs obducto callo solidat. Humor autem qui in folliculis prima germinis eruptione reperitur, faciei illitus, cuti nitorem inducit. Recentia folia ad obsonia olerum more usurpantur.

Lepra.

Purgans

Ossiū fractura.

Entis.

Avic. arborem Cimicum frigidam & siccam facit primo gradu. At Theoph. Vlmum humidæ naturæ dicit, argumento, quòd post casuram eis recta materies multùm humoris emittit.

Quod verò Diosc. de radicum corticis decocto ait, id simpliciter de radicum decocto Gal. Paul. Aet. & Oribasius videntur intellexisse: ut non desint, qui pro ἢ τῷ φλοιῷ τῶν ῥιζῶν, legendum suspicentur, ἢ τῶν ῥιζῶν. Nam & Gal. & ex eo Paul. & Aet. eadem penè, de Vlmi eiusque partium viribus prodidere, omnes autem astringendi ac extergendi vim illi tribuunt, per quas illa efficit. In vetusto etiam Diosc. codice Bibliothecæ Palatinæ sic legitur: τὸ δὲ ἀφέψημα τῷ φλοιῷ τῶν ῥιζῶν, ἢ τῶν φλοιῶν, ubi legendum, τῶν φλοιῶν, notante Sarrac.

Diosc. corr. rect. & illustr.

Sic autem de Vlmi viribus tradit Galenus. Vlmi foliis quandoque recens vulnus glutinavimus, confidentes adstringentem & abstergentem illis inesse facultatē. Cortex ampliùs etiam subamarus est & adstrictorius. Itaq; cum aceto & lepram sanat. Radices eandē cum corticibus viribus vim habent vulnera glutinandi: nam & decocto earum quidam perfundunt fracturas, quæ callo inducto opus habent. Humor autem folliculorum in Emplastrum quoddam melinum, quod adscribitur, recipitur apud eundem Gal.

Experim. in vulnerib.

Emplast.

Vlmi, inquit Plin. & folia, cortex, & rami, vim habent spissandi, & vulnera contrahendi. Corticis utique interior tilia lepras sedat, & folia ex aceto illita. Corticis denarij pondus potum in hemina aquæ frigidæ alvum purgat, pituitásque & aquas privatim trahit. Imponitur & collectionibus lachryma [quæ præcisis ramis fluit è medulla, dum ardor castratur. D.] & vulneribus, & ambustis, quæ decocto fovere prodest. Humor in folliculis arboris huius nascens, cuti nitorem inducit, faciémque gratiorem præstat. Cauliculi foliorum primi vino decocti, tumores sanant, éxtrahúntque per fistulas. Idem præstant & Tiliæ cortices. Multi corticem commanducatum vulneribus utilissimū putant: folia verò trita adaspersa pedum tumori. Humor quoque è medulla, uti diximus, castratæ arboris effluens, capillos reddit capiti illitus, defluentésque continet. Cæterùm, quoniam turpiter Plinij verbis falsi sunt Fuchs. Matth. Dodon. ac Curtius, de Vlmo dicentes: Corticis utique interior tilia lepras sedat, *&c.* placuit paucis repetere, corúmque errorem detegere. Hi itaque non animadverterunt, quod Cornario optimè constitit, tenuem tunicam inter corticem & lignum tileam vocari, ac ideò pro tilea [tenui illa tunica] Tiliæ legerunt, ac per consequens Tiliæ falsò tribuerunt, quæ Vlmo Plinius assignavit, cōfundentes utriusque facultates.

Dosis corticis ad purgationem.

Vulnera. Ambusta.

Tumores.

Ad defluvium capill.

Ignorantia grauis Fuchs. Matth. Dodon. Curtij.

Folia Vlmi, quæ ad Orientem spectant, impari numero decerpta, & cum piperis granis contrita, & ex vino Cretico pota ieiunis, purulentas tusses mirificè juvant, si Marcello Empirico credimus. Sed imparitas illa numeri superstitione non caret.

Tussis purulenta.

Matth. experimentum est, humorem folliculorum mederi puerorum Enterocelis, si splenia in eo madefacta inguini superponantur atque subfemorali subligentur.

Experim. in Hernia.

Cæsalp. tam vesicas quàm humorem contentum utilem scribit in eodem affectu: glutinandi enim & adstringendi vim habere.

Corticis radicis decoctum articulorum duritias remollit, & nervorum convulsiones resoluit, si in fotus modum adhibeatur. Item tumores discutit, quos ingi attritus in collis boum excitavit. Vlmi radices, si diu coquantur, & decocto

Articulorū durities. Nervorum convulsio. Tumor boum.

decocto supernatans pinguedo colligatur, eaque illinatur sæpè locus, à quo pili defluxerint, ij brevi renascentur. *Pilorum defluvium.* Eiusdem cortex contusus & muria usq; adeò subactus, ut malagmati similis sit, illitus podagricos dolores mulcet, inquit Matt. *Podagra.*

Fallopius scribit se liquore folliculorum Vlmi, (quem & colore & substantia melleum videri ait) nihil reperisse opportuniùs in agglutinatione, & vidisse mirabilia in villicis de hoc liquore. Sed vidisse etiam maiora. Quendam ex erronibus perforasse mammillam, femora, brachia &c: pugione, & solùm huiusmodi liquore mixto melle spatio 24. hor. sanasse. *Experim. à Fallop. observatum.* Posse servari. Et à se quoque colligi solere, ut eo utatur in podagricis affectibus cùm fluxiones fiunt. Mense Maio colligebat, quoniam tardiùs nascantur vermiculi conferentes: explebat phialam vitream, & cera & linteo obturabat: *Liquoris præparatio.* postea faciebat foveam in terra pedis altitudine, & in fundo foveæ ponebat salem communem, supra quem ampullam collocabat: deinde foveam explebat terra, ita ut ampulla operta esset terra, & relinquebat per 20. vel 25. dies, tandem dividebat fæces à substantia clara. Hæc ex eius placitis transcripta. *Alia.* 2. Eiusdem liquoris colligendi præparandique rationem aliam tradit Camer. nempe hanc. Vesiculæ collectæ, antequam generent vermiculos, imponuntur vitro alicui angustioris oris, quod inversum aptatur alteri vitro paulò minori, & sic liquor ille commodè exstillat. Ex hoc, quoniam non diu durat, Oleum paratur, teste Sylvio præstantissimum in vulneribus. *Oleum.* Nobis verò hactenus observatum olea quibuscunque in vulnere simplici minùs profuisse: nam & eis ferè sordescit vulnus, & glutinatio, quæ inprimis desideratur, impeditur. *Observatio autorum.*

Nec omittendum illud Timot. Ross. secretum: qui liquorem folliculorum Vlmi duobus phialis sibi mutuò impositis, ad solis radios destillatum optimum & mirabilem prædicat ad curandos affectus tibiarum & vulnera. *Affectus tibiarum Vulnera.*

Cæterùm apes, ubi se post hibernam famem Samera impleverint, profluvio alvi, nisi succurratur, intereunt. *Apibus nocua.* Nam propriè hoc Vlmus habet, ut apum ventrem solvat: Eaque causa est, cur in regionibus Italiæ, quæ sunt eius generis arboribus consitæ, raro frequentes durent apes, uti Colum prodidit.

Ligni usus. Vlmi materiem, reliquas post Cornum, firmitate facilè vincere, Theoph. autor: qua de causa cardines ulmeos foribus addi, quòd rigorem servet. Nam si ipsi firmi permanent, valvæ quoque stare rigidè atque incorrtè possunt. Vtilis Vlmus quoque ad fores, præla & torcularia. [στρὸς χαλάςρας, fidiculas, quibus torqueri solent nocentes] Quin & ad carpentorum opus, sed ad id mediocriter bona. Plin. quoque Vlmum, quòd rigorem fortissimè servet, cardinibus assamentisque portarum utilissimam prædicat, quoniam minimè torqueatur: permutanda tantùm esse, ut cacumen ab inferiore sit cardine, radix superior. Observavimus etiam exscindi arbores ex horto E. C. VVirtemb. ad rhedas magnarum bombardarum, idque ob ligni firmitatem, uti narrabant artifices.

LIGNORVM CARIES.

Qvandoquidem caries lignorum, maximè eorum, quæ adstringendi, & extergendi vim habent, qualis est & Vlmus; humentia vlcere purgat & replet, ideò mox post Vlmi tractationem, de arborum carie, quæ ex veteribus lignis & caudicibus colligitur, hæc ex Diosc. subiungimus. Caries lignorum, quæ est velut farina, imposita repurgat & ad cicatricem perducit ulcera. *Vlcera.* Quæ verò serpunt, cohibet, cum pari Aniso & vino subacta, linteolis inducta & imposita. Germani hanc Wormmel / Vermium farinam vocant.

VLMI EXCREMENTO ACCEDENS FRVCTVS Peregrinus

Cap. III.



Anonymon quemdam fructum in naturalium nostro thesauro adservamus, Castaneæ magnitudine, vel ferè duplo maiorem, qui utriculos seu excrementa Vlmi refert quodammodo, modóque compressus, modò inqualiter tuberosus turgescit, rugosus, striatus, coloris fulvi, basi sessili latiori, cui pediculus annexus fuisse videtur. *Descriptio.* Inter huius geminos cortices concreta melligo, quemad. in Anacardio & Caious, splendens, nigricans coërcetur, cuius in effœtis nostris fructibus odor & sapor omnis exolevit. *Melligo.* Cavitas totius fructus inanis est. Datus iam olim dono anno 1563, à Clariss. & celeberr. naturalium vestigatore D. Gesnero, qui inter Nuces moschatas repererat. Idem postea & nobis repertus Lugduni cum Pipere.

Clus. de pereg. stirp. hunc pingit in quadam tabella sub No 7. de quo ait: Forma plana est, rugosa, & nonnullis Caious fructibus: per medium sectus, nulla grana, sed splendentem quendam nigrúmque succum iam concretum & induratum duntaxat continere deprehenditur. *Clusii sententia.* Itaque inter fructus potiùs vitia, quàm inter fructus numerandum censet. Repertum sibi ait inter Acaciæ veræ siliquas & semina.

Clus. in Exot. ipse non ampliùs inter vitia fructus numerat, omisit enim ea verba: verùm addit: interdum nucleum observasse rugosum, quem ambiebat inter binos cortices succus concretus; splendens, ut nux Caious immatura censeri indubiè possit. Nos propter similitudinem aliquam cum Vlmi excremento hunc fructum hic post ulmum reposuimus, posset tamen transferri in lib. sextum hist. nostræ & Caioo subiungi.

Hist. Lugd. & Tab. proponunt nomine fructus peregrini 7. Clusii Vlmi arboris similem Indicam, cuius cortex ad rheumata commendatur, ut ex Monarde tradidimus l. 4. post Seiteragi. *Vlmi similis ad rheumatismos.*

FAGVS SEPIVM VVLGO Ostrys Theoph.

Cap. IV.

Descriptio. PROCERIOR magna ex parte, quàm ut ad vulgatarum sepium humilitatem cogi possit, atque adeò in insignem altitudinem sæpè excrescit, caudice crasso, cortice subalbido, materie durissima & solidissima, albicante. (*Cortex. Materies.*) Folia per ramos Vlmea, serrata, sed longiora, minùs crispa. (*Folia.*) Ex ramis primo Vere nucaméta quædam ac Iuli dependent foliati, oblongi, foliorum agminibus densè stipati acervorum, membranaceorum, rufforum, aut ex viridi fuscorum. (*Nucamenta.*) Fructus uerò in longo pediculo spicæ instar, foliorum angustorum ligulis alatis obvallatus, pyramidali corculi effigie, striatus, compressus, lignosus. (*Fructus.*) Qui proveniens duo foliola Pomorum foliolis ferè similia producit. Collectus nobis Maio mense in horto Patavino ramus, (Carpinum vocitabat Cortusus) (*Carpinus.*) cui similem alium dedit D. Agerius ibidem decerptum nomine Lupuli arborescentis: (*Lupulus arborescens.*) cuius sanè Iuli ampli ex foliolis compacti, Lupuli illis foliaceis ac squammatis nucamentis non ita multùm dispares, sed membranacea foliola articulum postremum pollicis facilè æquant: eiusmodi in nostra Fago sepium nondum observavimus. Simile nucamentum ac veluti Iulum, si ita liceat appellare, in sua icone exhibuit Camer. quale & à nobis in adiecta tabella exhibetur ad latus.

Carpinus gemina. Cæsalp. Tàm hanc quàm præcedentem tradidisse videtur Cæsalp. his ferè verbis: Sunt in montibus Hetruriæ duæ arbores Fago similes, sed materie candida, folio rugoso, & circum minutissimè serrato, longiore quàm in Fago, & frequentioribus nervis, qui ex medio, costarum modo, recti producuntur: fructus utrique valdè exiguus. 1. Nam altera in cacuminibus racemulum densum fert flavescentem, ex folliculis quibusdam membranaceis oblongis constantem: in singulis autem folliculis, tanquam utriculis singula semina parva, cartilagineo & candido cortice obducta continentur. Altera autem non in folliculis, sed in umbilicis 2. foliaceis, singula, aut bina semina fert maiuscula, & striata: utrámque vulgò Carpinum vocant. Videtur Theoph. Ostryn seu Ostryam appellasse (*Carpinus Plinij alia ab hac.*) marem, & fœminam similem Fraxino fecisse. Plin. etiam similem Fraxino facit, cortice & ramis: Cætera autem Theoph. Sed Carpinus apud Plin. alia ab his est. Dicit autem paulò pòst idem Cæsalp. Quæ autem Aneotum ferat Vlmus & Vvas, nondum vidimus, ut suspicari liceat ne Plin. cum Vlmi genere comprehendat Carpinum utranque. (*Vlmus.*) Sanè ingeniosè, vt rem propiùs inspicienti non temerè ita esse videatur. Rectè & in eo sensit, quòd Ostryn Theophr. statuit, de qua hic sic tradit: (*Ostrys Theoph. Ostryam.*) Ostrys, quam quidam Ostryam vocant, unica est species, Oxyæ cùm satu, tùm cortice similis; foliis Pyri similibus, nec multò longioribus, in acutum cótractis & maioribus fibris multis & crassis à medio dorsi, tenui per ambitum scissurâ, reliquis fibris à media, costarum in modum, iuxta magnam porrectis: materie dura, decolori, exalbida: fructu parvo, oblongo Hordeo [κριθῇ] simili, flavo. Radices sublimes habet.

Ostrys Plin. Hunc Theoph. locum angustius contractum & nonnihil mutatum sic habet Plin. In Syria & in Aegypto copiosa hæc Tamarix est, cuius infelicia ligna appellamus, quæ tamen infeliciora sunt Græciæ. Gignit enim arborem Ostryn, quam & Ostryam uocant, solitariam circa saxa aquosa, similem Fraxino cortice, & ramis: folio Pyri, paulò tamen longioribus, crassioribúsque ac rugosis incisuris, quæ per totum discurrunt: semine hordeo simili. Materies est dura atque firma: quâ in domum illata, difficiles partus fieri produnt, mortésque miseras. Hæc ille. Quod verò de arborum infœlicitate ait, id ex Catone & Tarquinio aliisve similibus hausisse potuit: (*Arbores quæ infelices.*) Illi quippe felix arbor, quæ fructum fert: infelix, quæ nullum: huic apud Macrobium infelices, quæ fructum nigrum ferunt: quanquam & alias rationes eiusdem rei diximus alibi, & ne hîc quidem citatas sufficere ad constituendas infelices diximus in prologio huius libri.

Dictum quoque lib. præced. cap. de Fago sive Oxya, non probari nobis Dodonæi sententiam, quâ Ostryam Plinij eandem facit cum Oxya Theoph. nec, quod ille putat, pro Ostrya, legendum esse Oxya, denique, nec pro Hordeo, ut idem autumat, Castaneam substituendam. (*Dod. triplex error.*)

Tanta est porrò tàmque confusa autorum, & modernorum potissimùm Herbariorum in huius arboris designatione confusio errabunda, ut ex eorum historiis studiosi involvantur potiùs, quàm definitam & certam cognitionem adsciscant. Quorum opiniones serie quâdam proponemus, & unicuique more nostro sententiam & censuram nostram adiicemus.

Ac primùm quidem Ruellius insigniter fallitur, dum arborem hanc Orneoglossum dicit, & Vlmi speciem, Linguam avis Offic. dictam. (*Ruell. lapsus geminus. Orneoglossum. Vlmi species.*) Hæc enim Fraxinus est. Considerandum tamen an nostram hanc Fagum sepium intellexerit, cùm ait: Gallis extrita priore litera, aut in aspirationem conversa Herrum & Hedrum pro Cerro appellitari. (*Herrus. Hedrus. Cerrus.*) Nam Herrus, vel Hedrus glandifera cernitur. Abdicatur quoque apud nos ædificiorum fabricis, ut quæ flexa & fructu infœlix habeatur, infernis tamen & lævioribus non improbatur. Si prætereà Gallis quibusdam credimus, Fagus nostra sepium *Hestre* dicitur. (*Hestre. Cerrus. Ruell. & Car. Steph. notantur.*) Verùm si Ruellius & Car. Steph. eam intelligunt, maximè errant, non glandifera est. Vnde liquidò constat ambos ignorasse quid scriberent: *Hestre* enim describunt cum verbis ab antiquis attributis Cerro: quæ fortè in Gallia non provenit, aut si proveniat locus fuit ignotus illis ac ipsamet planta. (*Aceris genus Carpinus.*) De Fago quoque sepium, videntur & sequentia dici à Car. Stephano: Tertium Aceris genus Græci Zygiam vocant, quam nonnulli Carpinum esse autumant. (*Zygia.*) Et pòst: Carpinus, vulgò *Charme*, inter Aceris genera numeratur, atque id est genus, quod Græci ζυγίαν, quasi jugalem vocarunt, (*Charme. Car. Steph. not.*)

runt, quòd ex eius materie τὰ ζυγὰ fierent. Perpendant ergo lectores an Car. Steph. per *Charme* eandem, quam nos, intelligat arborem, ut suspicamur, ei tamen ignotam, ea enim non est ex genere Aceris.

Quercus. Du Choul. reprehen.

Du Choul in opusculo suo de Quercu nihilò rectiùs. In Gallia inquit, Quercus, quam *Charme* vocitat plebs, sine glande arbor vivit: Lignum maximè expetitur, quòd cæteris præferatur. Malè autem Quercum hanc nostram Fagũ, de qua eum loqui censemus vocat, à qua plurimùm differt.

Ornus. *Lingua avis.* *Ornoglossum.* *Lise Hasafir.* *Laschen Hazzaper Tragi triplex.*

Tragus Ornum Latinis dictam putat, quamvis id oppugnent aliqui, inquit, qui Fraxini speciem sylvestrem volunt: In his (addit idem) arboribus provenit Lingua avis, Vogels Zungen offic. dicta, *Ornoglossum*: in Serap. *Lise Hasafir.* In hist. Lat. addit, Hanenbuchen dici: In Serap. emendandum & scribendum esse *Lischen Hazzaphir*: Hebræos efferre, *Laschen Hazziper*, hoc est, *Lingua avis*. Sed Ornus non est: nec Lingua avis offic. huius est arboris, sed Fraxini: nec etiam Serapionis est *Lischen Hazzaphir*

Ornum. *Fraxini sylv. genus.* *Lingua avis.* *Lonicери plures errores.*

Lonicerus Hanbuchen aut Büchäschern vocans, sic dici ait, quia forma aliquatenus similis sit Fago, & media inter Fraxinum & Fagum. Lat. dici Ornum, & non immeritò genus sylu. Fraxini. Folia similia esse Fraxino nisi essent profundiùs serrata: eius fructum solum esse in usu medico: Arab. dici *Lisenhazafir*: Lat. *Linguam avis.* Ruellio tamen *Linguam avis* esse fructum particularis arboris, quam vocet *Orneoglossum.* Certè vix induci possumus, ut credamus Lonic. intellexisse quæ scriberet. Nam quę quæso similitudo Fagi sepium, quam ille pingit, cum Fraxino? Aut quis huius, de qua hic agitur, fructu utitur pro Lingua avis? Nec Ornus est, nec Lingua avis Arabum. Ineptè igitur huius arboris fructui tribuit vires, quæ Linguæ avis solent tribui. Fidant plebei eiusmodi ignaris rei herbariæ scriptoribus.

Lonic. ignarus rei herbaria.

Turner. *Colytea.* *Tilia mas. Vlmus 3. Dod.*

Turner. *Fraxinum montanam* vocat, quamvis nulla ei similitudo cum Fraxino. Hanc opinionem Dodon. ingeminat, & novis erroribus stipat. Nam in Hist. sua Gallica Vlmi tertiam speciem facit, κολυτέαν Theoph. scribitque Colyteam videri Vlmum sylv. Plin. Gallicè posse dici *Orme sauvage*: Germ. vocari Hanbuchen & Bucheschern: Belg. Herseleer / & quibusdam locis Herenteer: & seq. cap. *Tiliam marem*, *Tillieu masle*, Gallis quibusdam *Hestre*, Belg. Ypesleyne dici. At in Historia latina Vlmo, inquit, non multùm dissimilis alia quædam præalta arbor nascitur, cuius materies lignosa multò durior est, & ad opera idcirco usurpatur, quæ pondus & vim sustinent, ut sunt Cochleæ & molendinorum rotæ: folia huius rugosa similiter & ambitu serrata existunt, veluti prioris, sed longiora & aversa parte læviora, dilutiùs virentia: quæ ubi resiccata fuerint, gratum olent. Ab his verò nulli exeunt folliculi, & bubus eadem minùs grata sunt. Semen priori satis simile. In diversis sylvis, locis montosis ac ardvis hoc genus provenit, velut in Arduenna sylva ac Sonia in Brabantia dicta, olim Ardvennæ parte, in quibus hæc arbor frequens reperitur. Altera hæc Vlmus ὀρειπτελέα Theoph. est, quam Gaza *Montiulmum* interpretatur. Colum. verò *Vernacula & nostras* dicitur, id est, Italica: Belgis Herseleer / & quibusdam locis Heremeer. Plin. Vlmus 3. nostras sibi ac Colum. dicta. Item cap. seq. inquit Dod. Tilia mas non minor, aut minùs in amplitudine diffusa est, quàm fœmina: cortices lenti & obsequiosi similiter [fœminæ] sunt: & ad funes conficiendos idonei, sed tamen paulò duriores ac fragiliores: lignum durius, nodosius, & ex luteo coloratius, Vlmi satis simile: folia lata, haud quaquam lævia, sed asperiora, propemodum veluti Vlmi, in quibus tamen folliculi nulli gignuntur. Fructum adeò rarò profert, ut sterilis, nec ullum facere existimetur. Est autem hic planus, rotundus, & uti maioris Thlaspios infarctus, cohærentque plures è longiusculis pediculis racematim. Marem hanc Belgarum nonnulli patria voce Ypeline appellant. Falluntur non parum [videlicet Matt. & Lob. in obs.] qui Vlmum, aut huic cum folliculis in foliis similem pro Tilia mare icone exprimunt ac exhibent. Item cap. 19 scribit idem Dod. Carpinus Caudice assurgit procero, cortice inalbescente, nonnihil aspero ac tenaci. Rami in latitudinem effunduntur, circumvestiti, lati, foliis haud angulosis sed ad Vlmi folia accedentibus, nisi teneriora essent. Inter hæc triangularia quædam racematim dependent, iuxta quæ Capitula Cicerum magnitudine, in quibus fructus sive semen. Radix firma, crassaque, sylvis & montibus gaudet, Aceris hæc 3. species Carpinus est. Nomen Itali & Allobroges retinent. Zygian hanc Græcis vocari, testis est Plin. quasi coniugalem; quòd ad ζυγὰ, id est, iuga quibus boves iugantur, conveniat, quæ & nunc ex hac confici testatur Curtius.

Oreiptelea. Vlmus Vernacula. *Carpinus 3.* *Aceris 3. species. Zygia.*

Cæterùm in his quæ ex Dod. proposuimus, quàm plurima consideranda veniunt. Inprimis verò non constat nobis, quo in loco Fagi nostræ sepium meminerit in sua hist. Gallica, nisi id fecerit Vlmi 3. nomine. Nomina enim Germanica conveniunt, & similitudo cum Vlmo, usúsque quales suæ Orno tribuit Tragus. Nec repugnare videntur quæ scribit in hist. Lat. nisi quòd omittit descriptionem Vlmi 2. quam habebat in hist. Gallica: & quam ponebat pro tertia, ponit nunc pro secunda. Præterea nomina quæ assignabat secundæ, nunc huic tribuit: nomina autem Germanica, quæ tertiæ dicaverat, omittit, & jungit Belgica. In hist. Gallica Tiliæ maris descriptio cum nostra Fago sepium convenit, sicut & nomen Gallicum, & comparatio cum Vlmo, & quædam alia. Sed in hist. Lat. reiecit nomen Gallicum. Rursus in hist. Gallica Carpinus ei erat Aceris species maior: nunc autem relicta illa opinione in hist. Lat. posuit pro Carpino iconem nostræ Fagi sepium, quam in descriptione Vlmi folio dicit: Cætera non in omnibus satisfaciunt. Nec scimus cur nomina Germanica & Gallica omiserit. Igitur vident studiosi ab eo tres tradi plantas Vlmi folio, quarum lemmata ex libris suo nomine consarcinasse videtur, non ad ipsas plantas sibi ob oculos positas. Si tamen quis tres eas plantas diversas noverit ac nobis ostenderit, herbam porrigemus, suspicionémque hanc abiiciemus. Illa verò eiusdem Dod. de Colytea opinio, sua sponte cadit, cùm ilsemet eam in hist. Lat. omiserit. Tiliam marem quoque non censemus, si, uti videtur, Fagum nostram sepium intellexit. Ea etiam nihil commune habet cum Aceris specie sive Carpino. Et iamdudum ea opinio doctis displicuit Botanicis, sicut & nobis qui Ostryn Theoph. uti dictum, censemus.

Dod non sibi constat. Eiusq; multiplex labes. *Non est Colytea* *Non est Tilia mas.*

Ostrya adhuc Vernacula.

In monte Athos, inquit Bellon. frequens est arbor, quàm antiqui vocarunt Ostryam: nomen ibi adhuc retinet: Ea est, quàm vocamus *Haistre.*

Miratur idem quosdam viros doctos in eum errorem incidisse, ut exustimarint Gallorum vulgi *Haistre* esse Latinorum *Cerrum*: quoniam *Haistre* glandem non ferat, & Ostrya benè descripta sit à Theoph. sunt tamen, uti notat Clus. qui fruticem coronarium Syringa dictum ὀξύην Theophr. esse censeant: sed cùm illius ὀξύη adeò luculenter sit ab ipso descripta, non videmus, quibus rationibus suam opinionem stabilire possint. Ea τῇ ὀξύῃ sive Fago, non Fraxino, ut vult Plin. similis. Herbarijs quibusdam Fagulus dicitur, nescio quo autore, nisi fortè à Fagi similitudine nominis occasionem sumpserint.

Carpinus Italorum. Cæsalp. ut & alibi dictum, suspicatur ne Plin. cum Vlmi genere comprehendat Carpinum: sic autem vocat Italorum Fagum hanc nostram sepium. Sic & Matth. nominat, Gesn. Tab. & alij. *Carpinus albus.* Carpinum album Castor Durantes. *Matth. reprehe.* Sed Matth. *Carpinum & Carpinum Theoph. veram Theoph.* in hist. sua Germ. tradit & *Iugalem* quam Carpinum in Com. Lat. & Ital. cum magnis figuris facit. Nescit idem in Commentar. à se pictam arborem esse Theoph. & Plin. Carpinum, cùm tamen in historijs veram Carpinum dicat. Figura etiam, quam olim posuerat pro Fago, quoad folia, huic plantæ conveniebat.

Gesn. Fagum sepium vocitat, Vlmóque magis quàm Fago cognatam putat Italorum Carpinum eandem dictam: Nam Plinij Carpinus species est Aceris.

Ostrya. Camer. fatetur Ostryan satis repræsentare, quam pro Carpino Matth. ponit.

Vlmus Atinia. Vlmum Atiniam sive montosam, inquit Hist. Lugdun. Orni nomine depinxit Tragus: Galli *Charme* vocant, & *Charpene*. Quamobrem nominum similitudine quidam falsi Carpinum esse putarunt, cùm *Aceris genus.* Aceris genus Carpinus sit, non autem Vlmi. *Hist. Lugd. not.* Sed videtur Hist. Lugd. putare *Haistre* & *Ostryam* Bellon. à *Charme* differre, quia eius tantùm obiter ex Bellon. meminit l. 1. c. 10. nulla facta eius mentione sub Vlmo sua Atinia.

Pen. & Lob. taxat. Pena & Lobel. hanc nostram Fagum Tiliam marem faciunt. Et mox interposita Vlmi historia, scribunt: velle recentiores hanc esse Carpinum Theophr. Foliis quoque iisdem, sed folliculosâ sobole seminis cuiusmodi favagines in caudatis floribus Lupuli, tametsi Vlmo congener sit. Idem Lob. Carpinum dicit in Obs. *Carme* Gallobelgis: Ital. *Carpino*. *Betulus.* At in Teuton. hist. ex ea Betulum facit. Sed & Dodonæum nobis videntur imitari in eo, quòd bis eandem arborem describant: primò Tiliæ maris nomine: (nam descriptio, quam ponunt, egregiè huic nostræ convenit) secundò sub Carpino: cùm tamen idem Lob. Obs. p. 606. Vlmi iconem ponat pro Tilia mare: cui similem pro Vlmo posuit Dod. Ecquid verò huic etiam cum Betulla? Ita vides quàm miserè fluctuent Herbarij in vulgatissimæ huius arboris Historia.

Tabern. carpit. Sed nondum est finis. Taber. vel sanè eius compilator, Carpinum Spindelbaum vocat Germ. & Græcè ζυγίαν: sed neutrum nomen competit. Nullam etiam habet descriptionem.

Schwenckfeldij varij errores. Oreomelea. Agria melea. Fraxinus sterilis. Schuvenckfeldius in suis manipulis Silesiacis securè pronunciat esse Fraxinum latifoliam Cordi, nec differentem hanc putat à nostra Fago sepium. Vocat & Ornum Tragi, & ὀρειμελίαν & ἀγρίαν μελίαν quæ nomina non placent. Falsò quoque Fraxinum sterilem vocat. Neque animadvertit Cordum apud Diosc. de Fraxino nihil habere quod respondeat cum Orno Tragi. Fraxinus Cordi Latifolia est nostra vulgaris Fraxinus: quam Silesiaci rustici eandem esse cum nostra Fago sepium nunquam concedent. *Fraxinus Fago similis.*

An Thalio in sua Hercynia, Fraxinus Fago similis, quam & Buchaschen vocat. Planè diceremus Thalium intelligere Fagum, propter nomen German. nisi postea peculiariter distinctam traderet Ostryam Cordi, Ornum Tragi, Hainbuchen vocitans. *Fraxinus similis.*

C. Bauh. C. Bauh. scribit Fagum sepium Ostryn seu Ostryam Theophr. aliquantum repræsentare, Fraxino similem dici à Plinio: alios ad Vlmum: alios ad Fagum referre, atque & esse, qui Carpinum Plinij velint, quæ Aceris species. Sed si Fraxino similis Plinij est Fagus sepium, cur dicit Ostryam Theophr. aliquantum repræsentare? Immò tàm repræsentat, ut sit planè eadem. Non peculiaris plantæ Synonymum faciendum, illud, Fraxino similis. Plin. apertè Ostryn posuit. Scripsit quidem Cæsalp. Plinium similem Fraxino fecisse Ostryan cortice & ramis: cætera autem ut Theoph. Verba illa, Fraxino similis, ex Cæsalp. textu excerpta. Apertiùs agemus si ex ipso Plin. l. 13. c. 21. ipsam vocem Ostryn sumamus, & advertamus eum pro voce ὀξύης apud Theoph. l. 3. cap. 10. posuisse, Fraxini, quasi legisset μελίας. *Plin. lapsus.* In Fago sepium profectò non videmus tantam similitudinem, ut mereatur dici Fraxino similis, ut vel utramque rectè inspicienti patebit, vel utriusque à nobis positam descriptionem consideranti.

Montbelgardenses Fagum sepium *Charme* vocant. Atrebates ad Græcam vocem alludentes, *Hestre* vocant Germ. Hagenbüch. Reliqua nomina sparsim dicta.

Locus. Amat aquosa loca & prærupta Ostrys: Theophrast. Nascitur in monte Athos frequens, & Macedoniæ montibus, teste Bellon. Passim in sylvis & sepibus Germaniæ occurrit. Item Galliæ, Pannoniæ, & multarum aliarum provinciarum. Vidimus & Monspelij & Lugduni. Imperitos fallit, ut pro Vlmo sumant, cum qua magnam similitudinem habet. In Alsatia, Helvetia, & Burgundia nihil ferè frequentius: ubi & in magnas arbores excrescit.

Tempus. Nucamenta primo Vere profert: semina in amento foliato, æstate.

Vsus. Vix durius invenias lignum, candidum est, cum multa soliditate ac firmitudine, nec facilè se findi patitur: Vnde ad rotas molares cochleásque ac trochleas aliáque instrumenta, quæ magnum pondus sustinere requiruntur, maximè expetitur. Ex crassioribus etiam virgis eius Crates texuntur.

Noxam superstitiosi tribuunt. Non magni facimus, quod Theoph. & ex eo Plin. tradit Ostryn domos illatam infaustam putari: Acerbas enim inferre mortes, & partus ubicunque fuerit difficiles reddere, quod de materia Plin. ait.

BETVLA.

CAP. V.

Descriptio. BETVLA arbor satis procera, sæpè etiam fruticans, ramos spargit tenues, flexiles, magna ex parte deorsum pendentes (quamvis pictoris incuriâ icon nostra id non exprimat. Multiplici libro vestitur: in tenera ætate rufum aut fuscum ostendit corticem: qui, cùm illa *Cortex.* adoleve-

Digitized by Google



adoleverit, subinde candidior apparet, in tenues phlyras ductilis, satis crassus: in adulta arbore candid⁹, rimosius: qui huic subest interior, tenuis admodû, lævis, ac instar membranæ pellucidus. Crassiorum ramulorum cortices etiam inalbicant, sed minimorum puniceus aut spadiceus est, qui à siccatis & aridis tenuis pelliculæ specie avelli & ungue separari potest, quemad. & incanus ille in ramis maioribus, lævore inoffenso. Folia quæ primo exortu plicata ac crispa prorumpunt, viridi pulchréque herbaceo tinguntur colore, singula singulis, iisque tenuibus dependentia pediculis, ubi excreverunt, Populi nigræ ferè, sed minora, minùs lævia, per ambitum serrata, saturatiùs virentia, paullò angustiora, subpinguia, odorata, sapore amaro.

Folia.

Ruell. foliis Faginis dicit, paullò angustiora: quæ collatio minus placet.

Cæsalp. infernè subhirsuta ait, punctis albis distincta, quod posteriùs diligentiùs observandum. Goropius verò scribit, quasdam Betulas crispari.

Foliorum varietas.

Fert Iulos seu nûcamenta longa, Piperi longo vel Alni Iulis similia, quæ, si credendum Trago, Betulæ sunt loco seminis, ex quib⁹ novæ progignantur Betulæ. Sanè ii siccati, in seminium quoddam parvum, compressum ac leve fatiscunt.

Iuli. *Semen.*

Matth. negat ferre ullum fructum: at nobis constat, semen ferre, & ex eo sato prognasci arbores, quod utique fructus eius fuerit, nisi ille aliter fructum acceperit.

Matth. reprob.

Locis quibusdam ad septentrionem, ubi hæc arbor copiosa crescit, vulnerato cortice succus effluit, qui à rusticis appensis vasculis exceptus cum ipso musto dulcore certat.

Succus

Maioribus radicibus minora quædam fila crassitudinis culmi triticei adnascuntur, quæ sub arenis ad quadraginta & ampliùs pedes prorepunt, ut notavit Goropius in suo Niloscopio: in quibus laus vimineæ textilisque materiæ.

Radices vimineæ longiss.

Apud Theoph. Σημύδα [sic enim vocat] id est, Betula, folium fert Caryæ simile, sed paullò angustius. Cortice vestitur versicolore, sub quo materia lævis, nec nisi ad baculos utilis. Curtius Græcis Semys dici ait: Sed ubi? Matth. fatetur se non compertum habere quid hic Theoph. per Caryam intelligat. Miramur etiam acutissimum Scaligerum non exposuisse quid hîc sit καρύα, nec insignem Botanicum Cæsalpinum. Nos Nucis Avellanæ folium intelligimus, quamvis fortè minùs propria videatur similitudo. Rober. Constant. negat Betulam folium Nucis avellanæ habere, aut Iuglandis [alterutram enim per καρύαν intelligendam esse & ipse subolfecit] sed accedere ad folium Tiliæ. Observent studiosi, utri similius sit, Avellanæ seu Coryli, an Tiliæ folio. Apud Diosc. nihil invenimus hactenus de Betula.

Semyda Theoph. *Semys.* *Theoph. explic.*

Plinius etsi paucis, satis tamen apertè nostram Betulam expressit, quando inquit: Betulla Gallica arbor, mirabili candore atque tenuitate, terribilis magistratuum virgis. Eadem circulis flexilis: item Corbium sportis. Materies eius contumaciùs transmittit ferrum.

Betula Plin.

Tragus fatetur multos quidem doctorum existimare Betulam Græcè Semyda Theoph. esse: sed verò nihil istorum sententiæ detrahens, quod ad se attinet, Papyri illam speciem mavult dicere. Vt verò sic sentiat, & formam arboris universam & facultates id admonere ait.

Papyrus.

Neque tamen intelligere Papyrum illam, cuius Theoph. meminit l. 3. hist. c. 9. quæ longitudine super dena cubita non venit. Apud Germanos aliis quoque arboribus, ut Quercubus &c: non unam esse faciem: hanc enim proceram & in magnam simul amplitudinem diffusam, illam breviusculam, ac in fruticem potiùs, quàm arborem evadere, etiam centum annos natam. Quod in Quercu fieri videmus, quid obstaret, inquit, quo minùs idem in reliquis contingat? Sed ut hæc ita sint, quod non inficiamur, neutiquam tamen Trago assentiri possumus Betulam esse Papyrum, ut facilè apparebit legentibus historiam de Papyro.

Betula parva. *Tragus reprch.*

Nolimus equidem à Svvenckf. tàm securè pronunciari; Σημύς, πάπυρος, Theoph. de Betula. Nam Σημύδα (sic enim legitur apud Theoph. in casu recto non Σημύς) & πάπυρος distinctæ sunt plantæ apud ipsum etiam Theoph. & cur ille Betulam Papyrum pronunciaret, rationem non habuit meliorem, quàm autoritatem Tragi & Euch. Röslin. At ipse etiam vidisset, si rectè inspexisset, etiam à Trago negari esse Papyrum illam Theoph. de qua modò diximus, quamvis Papyrum idem Tragus nihilominus putarit. Nec ideo dicere potuit esse Papyrum Theoph. quòd apud quosdam fortè legerit, olim in huius cortice scriptitatum, & in hanc usq; diem quosdam eius extare libros. Nam & aliis corticibus ac Philyris olim inscriptum fuit, quos tamen nemo prudens ideo Papyrum simpliciter aut Papyrum Theoph. dixerit.

Schvvenck. falsum temere pronunciat.

Decuisset etiam Euch. Rösslinum docere, cur Betulam vocaret Vibicem. Sed in promptu suspicio: effectus Virgarum Betulæ id eum docuit, quòd iis cæsa tergora sæpiculè vibicibus picturata vidisset.

Euch Rösslin. not.

Betulam plerisque Herbariis dictam legas à nonnullis, inquit Dod. & ex eo Taber. σημύς; ab aliis σμύς. Sed à quibus? Doctissimi quique pro Semyda Theoph. agnoscunt. Germ. Bircken / Birckenbaum: Cimbr. Berrich: Sclavon. Bresina: Belg. Berckenboom: Gal. Bouleau Boule, & Bes. Galli, inquit Ruell. Betulam extrita t litera nominant: rura Bouletum. It. Biela, Betula, Bedola: Bedollo Tridentinis. Angl. Birche tree. Bohem. Brisa. Vngar. Nyirfa.

Synonima Linguar. *Bouletum.*

Betulam à batuendo dictam vult Constant. quòd eius viminibus cædantur pueri: non à Bitumine, (licet Plin. autore ex ea bitumen excoquatur.) quasi Batulam. Nomine Betulæ venit & Pyrola de qua suo loco, ut videre est in indice; Invenimus etiam Fagum sepium sive Ostyam à quibusdam dici Betulam; de qua antè.

Etymon. *Betula. Aequivoca. Pyrola. Betulam.*

Gaudet frigidis maximè Betula & aquosis, te-

Digitized by Google

te Plin. Eiusmodi & arenosis maximè hodie Germaniæ non infrequens. Tragus ait in umbrosis & altis montibus reperiri, & felicius adolescere. In Germaniæ ac Bohemiæ montibus ac sylvis, teste Dod. gignitur, tum & alibi: & quandoque in arenosis & aridissimis, veluti in Brabantiæ Campania quibusdam locis adeò sterilibus, vt ne herbam quidem producant, in quibus tamen viget ac crescit. Calceol. notat in monte Baldo provenire. Observavimus etiam in multis Galliæ sylvosis, potissimùm in agro Aureliaco non longè à Gergeot oppido, si benè recordamur: ut & Helvetię & circa Basileą potissimű in Sundcovia arbores magnas vidimus, non frutices quales suas tradit Tragus. Thalius tamen in Hercynia, Saxothuringia, atq; in Brocenburgo, Betulã pumilẽ nasci scribit: aliã v. in Hercynia passim.

Batio. Montbelgardi in horto E. C. à me [Bauh.] olim plantata, in maximam iam excrevit altitudinem. Optimè crevit in illo vivario circa Montbelgardum, ubi densum Betuletum videas Ill. nostri principis manu ex seminio consitum. Sonij saltus accolæ Fago cæsa subnasci ex eodem trunco Betulam constanter affirmant. *Betula ex Fago.* Quid verò de hac re nobis videatur, in Fago dictum. Goropius scribit visas sibi duas aut tres Fagos ita connexas cum Betula, ut ex eodem trunco viderentur pullulasse. Meminimus & alias diversas arbores eadem ratione coalitas, non uno loco observatas.

Tempus. Iuli ineunte verè prodeunt: Folia deinde Aprili aut paulò tardiùs, pro natura loci. Tragus Iulos non decidere ait antè autumnum. Notat tamen Schuenckfeldius semen paleaceum in Iulis Iulio à vento dispergi.

Vires & usus. Plinius frigidissima dicit, quæcunque aquatica: lentissima autem, & ideò scutis faciendis aptissima, quorum plaga contrahit se protinus, cluditque suum vulnus, & ob id contumaciùs transmittunt ferrum: in quo genere & Betulam collocat. *Bitumen. Lucerna.* Idem & Galliam ex ea Bitumen excoquere tradit. Qui mos hodiè, uti putamus inolevit. Cortex quidem ignem facillimè concipit: ideò ruta lucernarum vice succendunt: reddit flagrans pingue quiddam & oleosum, ut & Ruell. observavit.

Fasces. Columel. ad vinculorum usum eam quoque inter cæteras commendat. Fasces, quorum inventio Vetuloniæ Sillius adscribit, capiebantur ex Betula, teste Goropio.

Papyrus. Betula, inquit Tragus, priscis temporibus magno in honore habita fuit, propterea quòd veteres, antequam Papyri usus esset inventus, libro Betulæ, hoc est, cortici candido opera sua inscribere soliti fuerint: [illegible] se vidisse Curiæ, oppido Rhætiæ superioris nonnulla carmina in cortice Betulæ exarata. Lonic. quoque albis corticibus usos antiquos loco chartæ testatur, & ex ijs adhuc nostro seculo reperiri libros scriptos. *C. Bauh.* C. Bauh. in interiori candido veteres antè repertam chartam, scribere solitos annotat, eumque tenuem dicit, & chartæ instar candidum: conferant qui libros inscriptos viderunt, & considerent an talis interior cortex reperiatur.

Inter omnes verò arbores vix aliam quamcunque reperias, quæ Vere tàm citò, tantàque copia humorem & succum è terra hauriat atq; Betula. *Succus dulcis.* Nam in initijs Veris, anteq̃ folia prodiere, iam dulcem suum succũ eũmq; adeò largum recipit, ut si arbor vulneretur, limpidissimus liquor copiosus effluat, quem siti pressi pastores, in sylvis sæpenumero potare solent: quemad. & nos (inquit Tragus) non semel eo liquore recreati fuimus, cùm herbarum gratia vastas peragraremus sylvas. Vidimus & terebello perforato inferiùs caudice velut per tubulum profiliisse. *Calculus. Ictericus.* Hic succus, autore Trago, in Vere collectus, adversus calculum & morbum regium potu auxilari dicitur. *Oris ulcera.* Succus hic dulcis, præsertim si destillatus (ut vulgò dicunt) fuerit, exulcerationes oris papulasque sanat, & maculas exterit, collutu. *Maculæ.* Eadem efficit & aqua, è viridibus folijs destillata.

Matza ex succo. Ex eodem illo succo è caudicis vulnere exstillãte, Ios. Simlerus refert in sua Valesię descriptione, solere ibi plerumque Matzam confici.

Succi praeparatio. Quin & Camer. Succus Betulæ, ait, colligitur principio Maij, Soli exponitur, effervescit instar musti: atque ita repositus per totum ferè annum bonus conservatur.

Hydrops. Quidam destillant. Creber eius potus cum aqua sambuci & similibus laudatur, in hydrope: Aqua præcipuè commendatur ad abstersionem & curationem vulnerum. *Vulnera, Scabies.* Quidam plebei ex folijs eius corticis in aqua parant sibi balnea ad scabiem.

Aqua foliorum. Cortex Betulæ in cineres redactus, si ex ijs lixivium paretur, ad oris ulcera & maculas abstergendas efficaciùs facere perhibet Tragus. Hic quia bituminosus est, inquit Matth. excalfacit & emollit, humectat & resoluit. *Temperam.* Folia excalfaciunt & siccant, resolvunt, attenuant, abstergunt, amara sunt. Hæc easdem habent vires, quas Populi nigræ. *Color luteus.* Iisdem cum alumine ex aqua decoctis quidam luteum colorem parari tradunt pro pictoribus. *Oculorum ruber.* Succo pingui, quem virentes Betulæ ramuli, vel etiam è scopis betulaceis aridi super pelvim accensi remittunt, instillato cãthis, oculorum rubores discutiuntur. *Lumbrici. Albugo. Cicatrix oculorum.* Eodem linteolum imbutum, umbilico impositum, ad lumbricos facit enecandos. Schuvenckfeldius quoque cremati ligni emanantẽ liquorem oculorum albugines & cicatrices delere scribit, vel potiùs ex Lobelio, eo non curato, transcribit. *Cautio.* At nos iis, qui hoc remedio uti volent, suasores sumus, ut cum liquorem degustent priùs, & caveant ne eius usu ex parvo morbo magnum faciant. *Caseum conservat.* Curtius ex corticis cinere factum lixivium, Caseos à vermibus innoxios magis servare scribit, q̃ aquam stillatitiã recentium foliorum. Idem, qui Gallus erat, Bitumen ex Betula Galliam excoquere tradit, cuius in medicina nullus, quod legerit, apud antiquos sit usus, nisi quòd recentiores quidam, eo pastores aridas fauces inungere dicant. *Aridas fauces. Curtius taxat.* Quæ valdè veremur à Curtio aut efficta, aut certè ab aliis, malè intellecta prodidisse. Quis enim bituminoso liquore & utique ἐμπυρευμα redolente ac sapiente, ideóque calidissimo, aridas inungat fauces? aut quis inde resultare queat fructus? quod solatium? quæ humectatio, remollitio aut quod refrigerium, quod in eo casu vel maximè desiderari solet, & ex artis præscripto, debet? Suspicamur itaque Curtium id de liquore, qui è caudice vulnerato exstillat intellexisse, oscitanter & obliviosè, aut veriùs imaginariè, quippe præter rationem, ad bituminosum ustione paratum liquamen transtulisse.

Experimentum pro cõservatione Caseorum. Ventriculi pecorum, quibus coagulum lactis nostri parant succo Betulæ conditi, seu macerati, caseos omnes, inquit Tragus, qui eo coagulo coeunt, à vermibus asserunt, certò id attestante experimento.

Dod. nota. Miramur verò Dodonæum in sua histor. Lat. Anno 1583. conscripta, de medico usu Betulæ partiumque eius nihil vel apud veteres vel recentiores

centiores extare, tàm securè scribere ausum: quandoquidem Tragus & Matt. quos citavimus, & qui multò ante dictum tempus scripserant, plures tradidêre eius vires medicas. Fortè id fecit, quia more suo scopas fasturis, apud Ruell. legerat, Betulæ in medicina nullum usum esse, quod ipse quidem legerit, sed baculis tantùm & scopis nasci. Certum quidem, nihil ea frequentiùs esse apud nos ad usum scoparum. Ab equitibus etiam expetuntur eius virgæ pro domandis equis. Eadem ut olim magistratuum virgis terribilis fuit, ita & hodie, & à longo iam tempore ad scholas triviales relegata pædagogis virgas præbet ad coërcendos & castigandos pueros: ut qui amore virtutis sapere ac discere nolunt; sapere discant formidine pœnæ: iuxta illud, μαθήματα παθήματα.

Scopæ. *Virga pro equis.* *Virga pro pueris.*

Ipsa porrò materies tàm obsequiosa est, ut ob id in quibusdam locis ad quasillos plectendos expetatur; maximè in Anglia, teste Turnero. Laniones ex Betula & verucula conficiunt; gravior quippe est, quàm Populus. Aucupes visco illitis Betulæ virgis ad aucupia utuntur: idem usus ad muscas. Piscatores Nortumbri corticem delibratum fisso bacillo interpositum accensúmque usurpant ad piscationes nocturnas, tridentéque adnatantes pisces confodiunt: qui piscandi modus & Burgundis & Montbelgardensibus haud insolens. Ex Betula in Alsatia, & Basileæ ad maxima illa dolia constringenda circuli probatissimi habentur. Item in Avernia, Allobrogibus, Sebusianis, agro Tridentino alibique locorum. Rustici etiam tempore messis virgis teneris Betulæ segetes colligare consueverunt, sicut & alia quoque, ad quem usum hæ virgæ commodissimè adhibentur. Cortices Betulæ Balistariis, duri verò & crassiores caudices Carpentariis (ex his enim illi axes & absides conficiunt) relinquuntur, teste Trago. Parantur & ephippia equis imponenda ex Betula. Ananij teste Matth. è suis Betulis non modò optimos conficiunt carbones ad coquenda liquandaque metalla: (diu enim vivacem ignem retinent, caputq; non tentant: quo nomine & à Metallicis expetuntur cùm fundunt metalla) sed è delibrato contortóque cortice faces ad nocturna lumina parant, quibus in tedæ vicem utuntur, quod bituminosa & oleosa pinguitudine, uti dictum, redundent. Schwenckfeld. semen siccantis naturæ esse scribit. Idem observavit, ex trunci medij substantia aliquando nasci Fungos flavos, Rhabarbaro similes: eosq; astrictoria vi pollere, & ad sanguinis fluxus cõpescendos utiles esse.

Quasilli. *Verucula.* *Ad aucupia.* *Ad muscas.* *Ad piscationes nocturnam.* *Circuli ad dolia.* *Fascia ad colligandas fruges.* *Absides. Axes. Ephippia. Carbones.* *Faces.* *Seminis temperam. Fungi flavi.*

Ioan. Coler. verò hæc refert. Mense Martio ex Betula multa fluit aqua si truncus vulneretur: crescente luna coaservanda est, pellit calculum ex vesica & renibus: si quid depravati est in visceribus, pulmone, hepate, aut splene tollit: si abluatur facies, adimit omnes maculas, & faciem pulchram & gratiosam reddit. Fertur Tartaros circiter mensem Martium, hanc tantùm aquam potare, nec eo potu unquã ægrotare. Per totum annum potest ad multa usurpari.

Aqua. Calculum. *Faciem formosam reddit.* *Tartaris pro potu.*

ALNVS VVLGARIS.

CAP. VI.

Descriptio. Cortex.

Alnvs vulgaris arbor iustæ magnitudinis, ramosa, cortice scabro, fusco: ligno molli, rufescente. Rami valdè fragiles sunt, ut vel digitales levi inflexu frangas, ob id Frangula hæc arbor dici posset, cortice ex fusco subcinereo, maculato, internè luteolo, amaro cum adstrictione & ingrato: ligno intus albo & medulloso: foliis vestiuntur latis Avellanæ vulgaris, rotundioribus, nervosis, crenatis, viridibus, splendentib⁹, lento & viscido humore oblitis. Oculi triangulares, ex cinereo rufi interdum & virides, aut in purpuram quodammodo vergentes. In ramulorum fastigiis nucamenta seu Iuli dependent, simul multi, virentes vel rubentes, unciam circiter longi & fragiles, antequam commissuræ conferruminatarum particularum dehiscant: quæ ubi se explicuerint, duas etiam uncias longitudine superant, sapore adstringente, cum aliqua amaritudine. Cæterùm portiúculas dictas ad mediam tanquam costam alligatas ambiunt staminula multa, ut in Corylis. Mense Septembri apparent etiam minimorum rudimenta. Eodem mense veteres conos videas privatis ramulis pendentes, binos ternos, quaternos, plus minùs, pulchrè hiantes & apertos. Item paulò antè, aut eodem tempore novos, magnitudine parvæ avellanæ, primò virentes, ubi maturescunt rubentes, & mox hiantes, ex imbricata squammarum compage coaggestos: è quibus & ante seminis maturitatem stamina purpurea prominula quædam observata, quæ fortasse florum loco haberi possunt. Horum Conorum gustus valdè astringentes cum aliqua amaritudine. In quibus semina, ubi matura fuerint (quod prædicto item mense observari solet) parva admodum, compressa, inæqualia, rubentia: atq; in iis medulla alba pauca, sapore manifesto destituta. Observatur & in Conis, ubi maturescunt pulvis arenosus. Nic. Perot. in cornucopiæ notat in Alno, arbore nota, reperiri Tuber.



Frangula unde. *Folia.* *Oculi.* *Iuli.* *Sapor.* *Coni veteres.* *Coni novelli.* *Sapor.* *Semen. Tuber.*

Theoph. l. 3. hist. cap. 14. κλήθρας [sic enim vocat Alnum] ἄκαρπον, id est sterilem dicit: ita enim habet Cod. Bas. sic & Plin. legit, & Dal. & Gaza more suo Plinium secutus. At Aldin. noster codex ἰσόκαρπον habet: Rob. Constant. legi vult ἰσόκαρπον δ' ἐγὼ μονογενές, pro eo, quod in utrisq; dictis codd. habetur post ἰσόκαρπον & ἄκαρπον, δὲ μονογενὲς. Nec displicet ea lectio. Immò & ipse quoque Theoph. eiusdem lib. c. 6. κλήθρας manifestè circa autumnum fructum ferre dixit.

Clethra Theoph. *Theoph corr. & illustr.*

Ergo Theophrasto Alnus fœcunda est & unius generis. Arbor natura recta, ligno molli, medulla tenera, ita ut virgæ graciliores totæ excaventur: folio Pyri [ἀπίῳ: at paullò pòst Coryli folio meliùs simile dicit.] sed ampliore nervosioréque: cortice scabro, intus rubente, quo coria unguntur: Radice per summa cæspitum sparsa, nec maiore quàm Laurus, sed tenui.

Descriptio Theoph. *Radix.*

Digitized by Google

Plinij error.

Fallitur itaque Plin. quando Alnum inter eas arbores recenset, quæ solæ nullum ferant fructum, hoc est, ut ille explicat, ne semen quidem. Videtur autem & is apud Theophrast. legisse ἄκαρπον. Idem eidem folia crassissima tribuit, umbram pinguem: sed pascere satam.

Ruellij lapsus.

Fallitur & Ruell. qui ex Theoph. meminit fructiferæ & sterilis, prava deceptus Theophrastei codicis lectione.

A Diosc. quod equidem sciamus non descripta. Nec à Galeno cæterisque Græcis: aut certè nomen eorum nondum innotuit, quod & Tragus fatetur: Sed difficultatem iniicit, quòd Aristoteles inter naturæ miracula (ut citant Ruell. & Tragus: locum enim ipsi nondum invenimus) refert, Alnos in sola Creta non esse steriles. Existimat autem Tragus, cum fusca & rotunda illa capitula, in quæ flos Alni desinit, intellexisse. Ergo ex hoc loco quis non malè concludat, Alnum alicubi & extra Cretam sterilem esse. Sed non magni hoc loco facimus eum locum, quem scimus non esse Aristotelis, quemad. nec libellus ille de Mirab. auscult. quod vel ex eo patet, quòd Venetiarum in eo meminerit, quas certum est ex historiis fide dignis Aristotelis seculo nondum extitisse. Putamus autem autorem eius opusculi apud Theoph. legisse ἄκαρπον, & apud Plin. fructum non ferre: Cùm verò ipse fortè Alnum novisset & in Creta fructum illam ferentem conspexisset, tantis autoribus derogare fidē noluisse, sed pro raro & admirabili in scripta referre. Sed in hanc rem diligentiùs inquirendum.

Liber de mirab. auscult. non est Aristotelis.

Scribit Car. Steph. Alnum apud vulgus Gallicum, latinum ferè nomen retineri *Aulne*, indéque pumilas *Aulne-aulx* vocari. Materiem eius ad aquatilia commendari, hocque probari Virgilii testimonio, Georg. 1.

Tunc Alnos primùm fluvij sensêre cavatas.

Brunfels. reprch. Gesn. & Trag. not.

Brunfelsius Alnum, de qua scribit, non novit, quandò ait nec semen, nec ullum fructum ferre.

Gesn. quoque cum Trago minimè separat Iulos à Conis. Nam hic per florem Iulos intelligit, quos putat in nigra & rotunda illa capitula, uti vocat, nobis Conos dicta, desinere ut paulò antè dictum. Ille verò ait: Alnus suis Iulis, qui ei non decidunt, floret in Vere: sed autumno semen maturat. Et alibi Alno Iuli sunt loco seminis. Perperàm uterque: Nam nec Iuli in fructus dictos migrant: nec Iuli semen sunt aut loco seminis. Sed Iuli à capitulis illis, seu Conis seu fructu semen continente, res distincta, exortu distincto, uno eodemque tempore in hac arbore observari solita.

C. Bauh.

Alnus rotundi folia glutinosa.

Sed nec C. Bauhinus, sagacissimus alioqui Botanicus discrimen aliud inter Iulos & fructum agnovit, quàm temporis, quòd illi hunc præcedant, & in hos transformentur & abeant. Sic enim scribit apud Matth. Alnus quàm rotundifoliam glutinosam appellamus, Iulos lōgos pro flore emittit, qui non decidunt, sed coguntur in formam olivarem: (hic fructus Alni est) in quibus semen, licet Plin. neque fructum neque semen ferre, & Theoph. sterilem dixerit: fortè Aristot. moti sententia, de qua, ut & de illorum, antè. Quis verò obsecro credat Iulos Alni ætate provectiores duas uncias æquantes, contrahi rursus ac cogi in formam olivæ & capitulum vix semunciā longiùs? Præterea quæ latitudinis, quæ substantiæ, quæ situs differentia? Omninò diversa sunt, ut advertentibus apparebit.

An Iuli sint flores.

Neque etiam concedimus Iulos esse flores: quamvis ita plurimi, alter post alterum, uti fit, secura credulitate sentiant, ut Tragus, Gesn. Dod. & alij. Nec quicquam ad rem facit quòd ad suam sententiam defendendam ex Cæsalp. adducit idem C.Bauh. Theoph. aliquando steriles vocare eas plantas, quæ fructum non conspicuum aut inutilem ferunt: nam & Alnum hanc nostram fructum conspicuum ferre scimus, neq; illum inutilem: scimus & Theoph. non temerè sterilem dicere plantam, quam fructum ferre manifestum constet, saltem sibi: & eundem Theophr. Alnum alio loco ex professo fructiferam, statuisse, & quo tempore fructum ferat, indicasse.

C. Bauh.

Sed nequicquam huc facit Cæsalpini illa subtilitas, qua Ruellium imitatus apud Theophr. Alnum quandam statuit sterilem, quandam fructiferam: adducta modò dicta explicatione, qua ratione Theoph. aliquando steriles arbores vocitet, quàm tamen nullam esse ostendimus. Sed miramur perdoctum & solertem alioqui Botanicum Cæsalpinum, postquam Alnum aliam sterilem, aliam fructiferam, ex Theoph. ut (ille sibi persuasit) dixerat, addere ausum: unigenam esse naturam: Hoc enim vel ex Theoph. vel certè ex sua mente eum dixisse certum est. Atqui ad Theoph. mentem non potuit: non enim hic illud ita habet: sed de Alno simpliciter, loco eo, quō diversimodè in diversis exemplarib. ἄκαρπον & ἔγκαρπον, seu ut ipsi cum Const. legendum censuimus, ἴσκαρπον habere diximus. Posteriori autem modò legendum esse ostendimus: quod qui impugnaverit, aut Theoph. sibi ipsi crasso errore contradicere, fateri cogetur, vel duas Alnos tradidisse, quam tamen natura unigenam dicit: atque etiam hoc modò sibi contraria protulisse. Quis enim fructiferum & sterile natura unigenum dicat. Vel denique doceat nos quæ sint illæ duæ Alni species apud Theophrast. quarum alteram ἔγκαρπον & fœcundam, alteram ἄκαρπον ac sterilem dixerit.

Cæsalp. aliquot errores.

Theoph. lectio stabilitur.

Sed nec debuit ad Theoph. mentem dicere Cæsalpinus, Alnum utramque (hoc est, tàm sterilem, quàm frugiferam: quas tamen nos non concedimus, donec nobis quis vtramque ostendat) unius esse naturæ: quem, ut summum (pòst Arist. præceptorem eius acroamaticum) Philosophum, nemo temerè credat sterilem & fœcundam arborem homogeneam dixisse. Sed tota hæc difficultas, ex prava Theoph. codicis lectione orta, facilè tollitur, si ad veriorem & antiquiorem codicem, ut ostendimus, legatur ἔγκαρπον, vel ἴσκαρπον, ut ipse sibi Theoph. concilietur, & res natura, quæ quidem nobis cognita, talis ad veritatem & celebratissimi illius scriptoris mentem declaretur, qualis revera est, & esse à quovis deprehendi potest.

Alius Cæsalp. error.

Observabis interim ne Cæsalpinum quidem videri nobis agnovisse, Alnum Iulos, & Conos, uti res distinctas, ferre.

Lonic. ineptit.

Ineptit Lonic. cùm ait Alnum fructum non ferre, quamvis floreat! ex Trago enim suo quem alias sequi solet discere poterat fructum ferre præsertim verò, si arborem ipsam, cuius sanè ineptam exhibet figuram considerasset.

Tabern. not.

Tabern. in sua icone & Iulos & Conos exprimit quidem, sed descriptione non distinguit, cùm tamen inter postremos sit, qui stirpium historiam compilarit.

Claudij Poetæ & Fontenaij lapsus.

Errat & Claudius Poëta, eumque secutus Guido de Fontenayo, dum in suis Epith. Alnum Electriferam

Item Rau. Vis. Textorest. Ariferam vocitat: quem errorem & Rauis. Textor commisit. Id enim Epitheton ad Populum pertinet, quod vel ex Aristotele didicissent: de qua postea.

Sed nec Hort. Tusculano credendum, dum in suo dictionario Latino-Græco-Gallico Alnum *αἴγειρον* Græcorum pronuciant.

Etymon. Dictam Alnum putat Curtius, quòd ab amne alatur. Quid si dicamus, quòd ipsa potiùs alat. Pascit sata, inquit Plin. Et sub Alni tegmine herbas succulentiores nasci observatum.

Clethra. Clethram quidam & Latinè scribunt & vocant.

Onicium. Alnus Cardane, infit Scal. si nescis, Onicium est vestrum. Germ. Erlen / Erlenbaum / Erlernbaum / Ellerbaum / Orlinbaum / In Austria Schwartzerln / hoc est *Alnus nigra*. Belg. Elst / Elsenboom: Gall. *Aulne*. It. *Alno, Alano, Aunia, Onici, Onano, Onio, & Onato* Hetruscis. In Taurinis *Verna*: Vascones, haud multò longius, *Ber*, autore Scal. Angl. Alder tree: Vngar. Egor fa. Bohem Wolse. Polon. Olsa. Sclavon. Wolschowe. *Folia* eius *Castissima* dicit Raviss. Textor. Poetæ multa de Alno fabulantur, fingentes tres sorores Phaëtontis, Phaëtusam scilicet, Phoeben & Lampetiam, cùm per quatuor menses fratrem in Eridanum præcipitatum, quòd currum Solis malè duxisset, deflevissent, in Alnos tandem conversas. Vid. Ovid. Metam 2. Fab. 2. Eiusdem fabulæ Virgil. quoque meminit Eclog. 6.

Nomina Linguar.

Alnus nigra.

Folia castissima.

Poetarum de Alno Fabula.

Tum Phaetontiadas musco circundat amara

Corticis, atque solo proceras erigit Alnos.

Alnus Phaethontis.

Epitheta. Sic variis Epithetis à poetis ornata *Procera, opaca, frondens, alta, aërea, viridens, longa, potura, procellosa, viridens, virens, viridis, teres, fragilis, phaëthontea, fluvialis* &c:

Locus. Gaudet enim plurimùm aquis, ut haud ferè alibi quàm humectis & uliginosis nascatur locis, potissimùm verò frigidis & opacis vallibus, ad fluminum ripas, unde fluminea, fluctibus apta, & amica fretis, ab iisdem dicta. Theoph. sanè in aquosis tantùm suam Clethram, alibi verò nusquam nasci dicere ausus est, eumque secutus Plin. vt Virg. Georg. 1.

Tunc Alnos primùm fluvij sensere cavatas.

Et Georg. 2.

Fluminibus Salices crassisque paludibus Alni

Nascuntur.——

Passim occurrit in Germania & circumiacentibus provinciis: Item Gallia, sed rarior: adhuc rarior in Italia, ubi tamen reperitur, autore Matth. In Helvetia, Burgundiaque nihil frequentiùs. Basileæ extra Portam lapideam ad Birsecum amnem abundè crescit: ubi cum fructu virente Maio vidimus:

Tempus. Augusto & cum fructu, seu conis, & cum nucamentis. Ac de tempore vix certi quippiam statuas. In Suntcovia observavimus mense Martio cum conis veteribus, novorum rudimentis, & Iulis, iisque omnibus simul. In Ducatu quoque VVirtemb. Augusti fine itidem cum conis tàm veteribus quàm novis & Iulis simul vidimus: ut parum absit quin credamus omni penè tempore æstatis aliquid parere. Communiter tamen fructus maturescit Septembri. Gemmas protrudere incipit ac novella folia mense Aprili. Theoph. Alnum pòst Favonium demum germinare scribit. Virgil. Ecl. 10.

Virgil. correct.

Quantum vere novo viridis se subiicit Alnus.

Legendum, surrigit, pro subiicit.

Non itaque audiendus Tragus, quàmvis secura credulitate eum plurimi sequuti sint, cùm ita scribit: Alnus præsertim adultior fusco vere emicat flore, Betulæ consimili. Quanquam Alno Iuli seu flores non decidunt, sed durantur, coguntur que, ita quidem ut forma Olivas imitentur. Atque hic est Alni fructus, qui Autumno appetente maturatur. Hæc ille: qui Iulos accipit pro flore, eosque imaginariè nulla observatione putat è longo corpore in glomerem cogi, quod falsum & contra experientiam, ut in superioribus abundè refutatum. Sed in florem, quem apiculis quibusdam è fructu emicare putamus, uti dicebamus, diligentiùs inquirendum. Vidimus sæpissimè Iulos, cone* novos & veteres simul, ut dictum. *Tragi opinio refut.*

Seritur ex semine Alnus: atque ipsa adeò se serit, hiante sub autumnum cono, excidentéque sua sponte seminio. Serenda in sepibus pratorum, quia gramen meliùs provenit sub eius umbra, & folia decidua impinguant solum. Arcenda verò ab arvis & frumentorum agris propter frigidam & nocivam umbram, sub qua nec frumentacea, nec legumina, nec linum; aut Milium, aliave similia rectè & feliciter proveniunt, ut observavit Aug. Gallus diligentissimus apud Italos Geoponicus. Tonsa densior fit & ramosior, & ruta ab invasione torrentis irrumpentis quodammodo munit. *Satio.* *Cautio.* *Cultus.*

Folia Alni viridia imposita, ut scribit Tragus, tumores discutiunt, & inflammationes restinguunt. Hæc tabellarii aliique si quando in æstu defatigati fuerint, ut commodè pedibus incedere non queant, calceis imponant: hac enim ratione dolor mitigabitur, & calor & lassitudo extrahetur. Folia Alni viridia, roréque manè madentia, conclavibus inspersa, ac post horæ spatium rursus amota, purgato conclavi, pulices fugant: nam hisce foliis hærentes exigi possunt. E cortice Alni color ater conficitur. Infectores namque & pileari Cortices Alni & ferrum vetus aqua per aliquot dies macerant. Hinc color efficitur niger, atramenti similis. Theoph. sanè Alni corticem & coria tingere scribit. Prædicta ratione cum ferro maceratum huic usui applicant sutores. Alnus inquit Matth. exsiccat manifestè, sed in frigiditate & caliditate parum à mediis abest. Præstat cortex, quòd magis adstringat, Gallæ vice, tingendis atro colore. Sunt etiam qui cortice & Alni fructu viridi utantur, gallarum vice, ad scriptorium atramentum conficiendum, addito gummi & calcantho. Alni cortex, autore Dod. refrigerantem & adstringentem cum siccitate facultatem obtinuit. Incipientibus inflammationibus utiliter imponi potest. Conducit quoque ad oris & tonsillarum inflammationes, ac tumores veluti Nucum Iuglandium cortices. Alberto autore, Alni folia ex ferventi aqua tumori sunt remedio, suppurationesq; discutiunt. Ea quoque nupér inventum esse scribit Curtius, sive viridia, sive arida sint, vetustis vulneribus sæpiùs imposita, hæc ad sanitatem perducere. Fertur & corticis succus ad ambusta facere. Interior Alni cortex, rubeus nonnihil, inquit Cam. cum momento aluminis in vino coctus gingivas corroborat, dentiumq; dolores arcet. Idem calidis oris & gutturis tumoribus prodest. In obs. Lobelii errore typographico Alno tribuuntur vires ad Betulam pertinentes. Materies eius difficulter ardet. Commendatur à multis ad navalia. Inservit &

Vires & usus. *Tumores inflammatio.* *Anodynum plantarum pedum tabellariorum.* *Contra pulices.* *Tinctura.* *Temperam.* *Atram. scriptorium* *Corticis temperam.* *Inflammat. incipientes.* *Oris & tonsill. inflam.* *Tumor.* *Vlcera.* *Vulnera Vetera.* *Ambusta.* *Dentes mobiles.* *Dentium dolor.* *Tumor gutturis.* *Ad navalia.*

Vasa Culinaria. vasis culinariis, sutorúmque formis, nec non cotum, quibus messores utuntur, receptaculis conficiendis utile est.

Falluntur igitur ii, qui, uti Ruell. scribit, Alnum duntaxat scopis nascentem, nullum ferre fructum prodiderunt. Nam & hoc falsum esse suprà docuimus. Et ad scopas inutiles esse ipsa docet fragilitas: nam ne minimum quidem flecti potest. Hinc illud solemne apud Germanos de Alno proverbium.

Proverb. de Alno.

Rot haar / Vnndt Erlen bogen:
Thustu gutt / man soll dich loben.

Hoc est rufi, & qui capillitio sunt ruso, & arcus ex Alni ligno confectus si probè se gesserint, laudem sanè meritutos: quòd experientia doceat contrarium. *Ad pratorum sepes.* Alni quoque apud Plin. sepes muniunt, contràque erumpentium amnium impetus, riparum muro, in tutela ruris excubant in aqua satæ, cæsæque densiùs innumero hærede prosunt.

Ad ædificiorũ fundamenta. Sed non postrema Alni utilitas ac dignitas est ad ædificiorum fundamenta: Nam ut scribit Vitruvius, Alnus, quia non nimis habet in corpore humoris, in palustribus locis infra fundamenta ædificiorum palatiõnibus crebrè fixa, recipiens in se quod minùs habet in corpore liquoris, permanet immortalis ad æternitatem, & sustinet immania pondera structuræ: sic enim in vulgatis Vitruvij codicibus mendosa legi debere non malè doctiss. censuit Budæus. *Vitruvij locus restitut.* Vitruvium secutus Ruell. eadem citat, additque, & sine vitiis conservari, quòd aëre sit & igni plurimo temperata, non multùm terreno, humore pauco. Itaque non posse extra terram paulum tempus edurare, sed in humore obrutam, permanere ad diuturnitatem. Multaque ædificia sub fundamentis eius generis habere palos. Sed cur Alnus sub aquis duret nec putrescat, aliam à Vitruvii & à Ruellii profert rationem acutissimus Scal. *Cur Alnus sub aquis non putrescat.* nempe quòd humidum habeat communis naturæ, cum humore adventitio: non enim aquam sub aqua putrefi. r., quòd nihil invehatur peregrini: quæ subtilitas planè contraria est rationi Vitruvii, qui ad humoris inopiam, uti dictum, causam retulit: Ruell. verò & ad hanc, & ad aëris & ignis plurimi, terrenæque substantiæ paucæ temperationem.

Sed enimvero magis arridet Scaligeri ratio: quem optassemus certè eodem tenore lapidescentis Alni causam exaggerasse. Sed circa hos scopulos nobis alio loco, alioq; tempore velitandum. Illud tantùm dicamus si non multùm terreni habet Alnus, cur tàm facilè lapidescit. Lapide sanè verò, nihil ferè magis terrenum. Aut si ignis cùm aëre temperatus in causa sit, citiùs hercle patietur ab aqua, ob qualitates contrarias: A contrariis quippe omnis passio & alteratio. Sed nec Vitruvio temerè concesserimus humoris in Alno inopiam; quam non frustra potuTam & fluvialem dixerunt poëtæ, & quam non nisi aquarum alumnam scimus. Immò in humidi exuperantiam & sicci seu terrestris substantiæ defectum eius fragilitatem referimus. *Cur fragilis.* Sed de his aliàs. Hic enim potissimùm τὸ ὅτι spectandum: alibi τὸ διότι. Illud certum & indubitatum, palos eiusmodi sub aquis infixos, temporis progressu lapidescere, ut multi nobiscum testantur, vidit Tragus. & nos Alni frusta lapidea plurimis locis: apud incomparabilem illum naturæ scrutatorem Vlyssem Aldroandum Bononiæ magna vidimus frusta: apud Calceolarium Veronæ, & Venetiis multis in locis, in qua nobilissima & verè regia civitate nobis pro certo à fide dignis relatum magnis etiam sumptibus accersiri solitam Alnum ad facienda palationum & ædificiorum sub aquis fundamenta, non modò quòd crebrò fixa ad æternitatem maneat immortalis, uti Vitruvius dixit, sed quòd ingentes admodum ferat etiam moles, ut annotavit Matth. Et ut ille ait, in Musæo Calceolarii:

— —Videas lapidescere Sarni
Cærulea sub fonte Alnum, Filicisque maniplos,
Et paleæ intortos lento cum vimine culmos.

Nec contenta ingeniosa hominum solertia istud scisse, nisi & ipsa ad imitationem naturæ, artificio quodam, sed & naturæ obstetricantis beneficio, ex Alno lapidem generare, vel illam in hunc transmutare posset. *Alnus qua arte mutetur in lapidem.*

Imponitur lignum, quantæ velis magnitudinis, in labra illa ampla ænea, in quibus Lupulus coquitur ad faciendam Cerevisiam: cúmque percoctus abundè Lupulus est, eximitur idem lignum, & arena vel glarea in ipsis cellariis obruitur per triennium: inde cùm exemptum fuerit, duratum in lapidem apparet, è quo potissimùm Cotes fiunt, quibus ad ferramenta acuenda mensarii utuntur. Recitat Gesnerus ex D. Kentmanno.

ALNVS INCANA ET HIRSVTA.



Descriptio. ALNI incanæ & hirsutæ nobis dictæ *Folia.* folia vulgari similia, minùs tamen rotũda: desinunt enim in acumen, magis serrata & penè laciniata, subtus hirsuta & incana, non virentia, nec etiã viscosa. Color quoque ramulorum diversus, non ita virens, sed candidior. *Iuli. Nuculæ.* Iulos & Nuculas, ut vulgaris, fert.

Cæterùm neque hic assentimur C. Bauhino, dicenti. *C. Bauh.* Iulos hanc obtinere, quàm vulgaris Alni breviores, qui conglobati fructum non ita rotundum, sed oblongum constituant. Nam & in hac dicimus Iulos à fructu distinctos, ut antea traditum.

Alnus 2. in Austria & Styria weißerlen, id est, alba Alnus, Clus. Alnus hirsuta. C. Bauh.

Locus. Iam olim hæc nobis observata Genevę & circa Montbelgardum variis in locis, sed humidis potissimùm, uti præcedens, ut ad Dubis ripas in pago Adincurtio propè domum D. Docurtii Consil. Ill. E. C. VVirtemb. ubi licet utramque Alnum videre & pulchrè à se invicem discernere. Item in Burgundia ultra pontem rigidum, vulgò dictum, *Pont de roide*, versus *Villars*, cum Iulis & *Tempus.* Nuculis mense Septembri. Inter Grandivillam oppidum, & pagum Fesche ad Comitatum Montbelg. pertinentem. Observavimus etiam trans

trans Rhenum inter Brisacum & Burckenheimium. Inter Montbel. & Porentruum iisdem Septembri cum Iulis & nuculis distinctis. Nascitur & locis aquosis circa Basileam inter Mutetum & Munchensteinium, & infra pagum Hünnigen ad Rhenum. Alunt & Austriæ & Styriæ montana circa flumina & udis locis: etiam in Danubij insulis circa Viennam frequens est, priori commixta, teste Clusio: cui huius Alni cortex magis refrigerantem cum siccitate facultatem obtinere videtur, quàm vulgaris. *Vires.*

ALNO SIMILIS ARBOR.

Cap. VII.

ANnotant Pena & Lob. in Adversariis suis, post historiam Visci Indici, conjecisse Naucleros in eadem spontulas, surculos esfractos arboris, Alno quidem similis, fronde & ligno: sed tamen diversos, racemoso & muscoso flore, glomerulos constante. Fortè [addunt iidem] duntaxat cœlo & agro variat. At nobis floris hanc diversitatem vix cœlum aut agrum variare in eadem specie videtur. Posteri indagabunt. *Descriptio*

DE POPULIS IN GENERE, ET IN SPECIE.

Cap. VIII.

POPULUS NIGRA SIVE ΑΙΓΕΙΡΟΣ.

POPULUS nigra in altum se attollens, cortice lævi exalbido ac incano obducta: sed ramuli potissimùm albicant: materiè dura, pallescente, ac minùs alta minúsque fissili, quàm Populi albæ: quidam volunt aridam & lævissimam. Radices profundiores quàm in alba. Antequam folia erumpant, oculos protrudit mucronatos, odorato, luteo & pingui atque tenaci succo prægnantes. Hinc folia Hederaceis similia, ex rotundo mucronata, serrata, Hederaceis minùs crassa, atro virore splendentia, longis pediculis appensa. Producit & quasi Iulos in longo racemo concervatos, lanugine, ubi dehiscunt, alba plenos. *Descriptio. Cortex. Materies. Radi. Folia. Iuli.*

Quædam, notante C. Bauh. ante exortum foliorum floret: at fructum non fert. Flos instar amenti colore rubente aut candicante. Quædam fructum fert, seu Iulos, racematim compactos, multis rotundis & viridibus granis constantes: (uva Populi aliquibus) in quibus lanugo candida in pappos avolans, cui pauca semina valdè minuta adpensa sunt. *Varietas duplex. Flos. Uva populi. Semina.*

Hæc αἴγειρος est apud Diosc. cuius nihil aliud quàm vires tradit, & quòd ex ea δάκρυον seu lachryma exstillans concrescat in Electrum seu succinum: de qua re postea. Idem & Populum albam agnoscit, quæ ei λεύκη dicta. *Αἴγειρος.*

Apud Theoph. verò satis ampla Populi utriusque, hoc est, tàm nigræ, quam & ipse αἴγειρον vocat: quàm albæ, quæ & ipsi λεύκη dicitur: itemque Libycæ descriptio: Aegiron autem in Creta nuncupari dicit, de nigra intelligens. Populus alba nigraque, inquit [λεύκη καὶ ἡ αἴγειρος] unius sunt formæ:] ambæ rectæ: sed excelsior læviórque nigra: figura foliorum similis, & lignum cùm cæditur albedine simile est: utramque ne florem quidem habere putant. κερκὶς [hæc Populus est Libyca, de qua postea.] Populo albæ similis est. Quidam Populum nigram solam sterilem esse putant, ut Arcades: cæteras autem omnes, quæ in montibus proveniunt, fructum parere. At verò in Creta Populi nigræ multæ sunt fructuosæ. Ac paulò antè dixit: Fructum reliqua quidem omnia ferunt: de Salice vero, & Populo nigra [αἰγείρῳ] & Vlmo, uti dictum, varia sententia est. De Populo, annotat Scaliger, non est dubitandum: in Aquitania enim fert fructum. Sanè circa Basileam alibique locorum sæpissimè fructus prædictos ferentem vidimus, ut de hac re hodiè ampliùs non sit dubium. *Nigra & alba Theophrast. Item Libyca. Cercis. Theoph. illustr.*

Sed & alia difficultas oritur in foliis diversarum Populi specierum, quas nos dissimiles describimus, uti reuera sunt: cùm tamen Theoph. ut ex modò citato loco patet, utriusq; Populi foliorum similem figuram dixerit. Respondendum ex ipsomet Theoph. lii. hist. c.16. Aliarum quidem arborum folia ipsa sibipsis similia esse: Populi verò albæ [τῆς λεύκης] & Hederæ, & Ricini dissimilia. Recentia enim seu novella, rotunda esse: [τὰ μὲν γὰρ νέα, περιφερῆ. Hist. L. vertit: Recentia enim Populi utriusque & Ricini folia rotunda esse: de quibus intelligere ait, cùm dicit Theoph. utraque foliorum figuram similem habere.] Vetustiora verò angulosa fieri. τὰ δὲ παλαιότερα γωνιοειδῆ: quæ non benè expressit Gaza, cùm ait in angulum exire, sed nimirum Plin. potiùs quàm suum autorem sequi voluit: qui tamen meliùs, quàm Gaza dixit, Nigræ Populo, ut Crotoni, folia in iuventa circinatæ rotunditatis esse: vetustiora in angulos, exire. In angulos, inquit, non in angulum. Sed fallitur uterque, & neuter vocis vim apud Theoph. exprimit. Fallitur & Plin. in eo quòd quæ Theophr. de alba dixit περὶ τῆς λεύκης, ille ad nigram transfert: cùm tamen hunc locum ex Theoph. transcripsisse videatur. *Dubium de foliis. Solutio. Gaza reprehe. Plin. & Gaza taxantur.*

Sed Gaza etiam fallit, dum ex eo Plinii loco, ne non Plinianus videatur, ad versionem Theophrast. de Populo albæ accommodat, verba quæ Plinius dixerat de Nigra. Vt, vel hinc pateat, quàm fidus Theophr. interpres fuerit Gaza, qui multos in erroris Barathrum cum sua versione præcipitavit. Hist. Ludg. uti dictum, ad utramque, retulit. Vox est γωνιοειδῆ. Sive igitur in angulos exire dicas, sive angulosa, utrumque rectè Populo albæ conveniet: non item Nigræ, quæ folia non habet angulosa. Errantque qui Populi albæ folia in suis Herbariis non angulosa pingūt. Res eò redit, ut Theophrasto sua mens, sua sententia relinquatur. Alio- *Gaza haud fidus Theophrast. interpres.*

qui haud vanè quis dicat, curiosam & haud magni momenti esse hancce satagentiam.

Idem ferè repetit Theoph. l. 2. Caus. c. 22. nisi quòd Crotonis tantùm ibi mentionem faciat: non item Populi.

An alba mutetur in nigram. Porrò quod idem Theoph. tradit, & pluribus in locis inculcat, spontanea Metamorphosi Populum albam mutari in Nigram: id nemo mortalium nobis persuaserit. Quis enim credat arbores specie & forma diuersas, *Theoph. reprehen.* distinctas foliis, fructu, odore &c: in se inuicem transmutari: si modò easdem Theoph. per albam & Nigram intelligat, quas & nos intelligimus, uti sanè non dubitamus. Nam etsi in 5. de caus. idem scribat eiusmodi mutationes ideo euenire intelligendum esse, ut quæ trãsmutantur aliquid similitudinis habeãt. Fatetur tamen idem, πολὺ πλατυφυλλότερον τε τ' αἰγείρου, καὶ λειοφλοιότερον, καὶ τὸ ὅλον εὐθαλέστερον εἶναι: hoc est, foliis esse latioribus albam Populum, quàm Nigram, cortice læuiori, & in totum succo lætiore. Sed eandem in senecta ob alimenti inopiam, frondem angustiorem corticémque scabriorem acquirere, haud præter rationem putat. Sanè & nos idem putamus.

Ast Albam in Nigram transfigurari, sua sponte, sine arte, hoc est insitione, aut alia cura, id verò nobis non modò præter rationem, sed & præter naturam esse videtur, quippe qui longè maiores pluresque differentias inter eas agnoscamus, quàm à Theoph. positæ sunt, atq; adeò tot & tales, ut pro distinctis speciebus agno- *Scal. not.* scamus, & nobiscum agnoscat Scaliger: quem proinde ut acutissimum, & nasutissimum atq; adeò etiam interdum rigidum ac seuerum Theoph. interpretem atque censorem miramur hos scopulos non adnauigasse, ut aliquid subtilitatis inde ferret, sed secura credulitate prænauigasse: & nihilominus hanc mutationem passim in suis commentariis inculcasse. Consideret bene utrámque qui novit arborem, & à nobis utriusque positas descriptiones, & nostræ sententiæ facilè plausum dabit. Theoph. verò eo loco, ubi de plantarum transmutatione tradit, more suo (Aristot. præceptorem imitatus, & ut securitati suæ consuleret, néque obnoxius fieret reprehensioni) non ex sua sententia eam metamorphosim tradit, sed aliorum: Quædam, inquit, totius arboris plantæve mutationes sua sponte [αὐτομάτως] fieri videntur: quemad. Populum albam in Nigram quodammodo facessere aiunt, tùm foliis, tùm tota facie. Ἐξαγριοῦσθαι φασι, καὶ φύλλοις, καὶ τῷ ὅλῳ σχήματι. Nota: ἐξαγριοῦσθαι, mirabilem vocem, & de qua nihil Grammatici nostri. Nota & τὸ φασι aiunt. Et ait: σχήματι, aspectu: non τῇ ὅλῃ μορφῇ. Non feliciter itaque Gaza τὸ σχῆμα in totam speciem conuertit. Putamus autem eiusmodi popularem persuasionem Theoph. fuisse relatam, quâ viro Philosopho, *Popularis persuasio noxia.* & in uniuersum generi humano nihil est pestilentius: quippe quæ & constantes animos interdum labefactet, & curiosos ac discendi cupidos inhibeat, simpliciores verò irretitos occupet secura & vana spe credulitatis, qua nunquam ad genuinam & solidam rerum cognitionem pertingere queant. Eiusmodi multa sunt etiamnum hodiè in nobilissima nostra arte Medica, licet una, falsa & præter rationem etiam à doctis nihilominus pro veris agnita ac etiam usurpata: quorum tamen non minimam *Errores populares Ioubertus.* partem explosit Doctissimus Ioubertus in erroribus popularibus, & nos non minorem fortè in hoc nostro opere.

Sed ad institutum reuertamur: nimis enim digressum.

Plin. cum Theoph. tria agnoscit Populi genera: albam, nigram, & quam peculiari novóque nomine Libycam vocat, quæ κερκὶς est Theoph. ut dictum. Nigræ Populo materiem tribuit crispam, quod notandum. Idem Plin. *Materies crispa.* Populis in genere tremula tribuit folia, & iisdem foliis inter se crepitantia dicit esse, quod de Libyca potissimùm intelligendum. Item Populo nullam esse umbram, ludentibus foliis, quod itidem de Libyca inaudimus. Quando verò Populum Herculi dicatam scribit, id de alba *Populus Herculi dicata.* intelligendum esse, postea docebimus. Nec audiendus Plinius, quando & Populum inter *Plinij aliquot errores.* eas arbores recenset, quas solas nullos fructus parere falsò credidit.

Diosc. sanè apertè Populo nigræ tribuit, cùm ait: ἡ δὲ αἴγειρος &c:

Quin ipse quoque Plin. l. 24. c. 8. De Nigræ *Plin. sibi contradicit.* Populi viribus tradens, eius semen ex aceto comitialibus utile prædicat. Falsum autem est quod idem lib. 16. c. 23. Plin. ait: Populorum foliis grandissimam esse lanuginem. Nam nec Nigræ nec Libycæ ulla est. Et populo albæ non grandissima, sed candidissima, (uti forte legendum) superficie tenus auersa parte aspersa quasi farina quadam essent obducta folia. Et tamen non benè Plinium reprehendit Matth. *Matth. reprehendens reprehenditur.* quasi, ut ille ait, Candidam efflorescentem lanuginem in nigra Populo videri scripsisset l. 16. c. 23. Nam & hoc expresse non dicit, eo saltem loco, sed Albæ, folium bicolor, tribuit peculiariter. Nigræ nequaquam, cuius tamen folia mox subdit ex Theoph. ut Crotoni, in iuuenta circinatæ rotunditatis esse: vetustiora in angulos exire, quod de alba dicere Theoph. supra monuimus.

In sacris literis quoque Populi fit mentio ut Genes. 30. Sed quia ibi Populum albam intelligendam putamus, id postea sub eius historia dicemus. Hermol. annotat Populum nigram Aristoteli vocari Acheroin. Est & Populus ni- *Acheroin Aristot.* gra memorabilis Homeri celebratione, & loco, quòd inter arbores hortorum Alcinoi commemoretur.

Auicenna Populum Nigram vocat Haurum *Auic. error. Haurum Romanum. Nux Romana.* Romanum cap. 344. Et 510. Nucem Romanam: Et cap. 311. sub nomine Hauri, confundit ea quæ de alba & nigra Populo à Diosc. & Gal. diuersis capitibus scribuntur.

Ruell. de Populo nigra scribens nugatur: *Ruell. nugatur. Eius plures errores.* nam quæ dicit de ea, nec albæ nec nigræ Populo competunt, quamvis ea ex historia aliqua albæ malè intellecta, ignoranter transtulisse videatur. Sic enim habet: Populus nigra, αἴγειρος Græcis, fronde angustiore: folia vetustiora in angulos exeunt, infernè herbacea, supernè candicant. [quæ contrario modo apparent in alba] Et mox: Nigra, folio bicolor. Fallitur: nam talis alba, non nigra. Idem ad caput Populi nigræ refert quæ de Electro ex Hermolao transcripsit. Planè à nobis persuademur, Populi genus neutrum Ruellio cognitum fuisse. Rectiùs Curtius ex hac Populo Populneum unguentum fieri scribit, quàm Ruell. ex alba, de qua re postea.

Falsò legitur apud Plin. l. 14. c. 1. Rumboti- *Plin. correct.* num vocari & alio nomine Populum arborem Italiæ Padum transgressis. Nam eo loco, non Populus

Populus, sed Opulus legendum. Fallitúrque Thes. ling. Lat. quando ad eam scribit, αἴγειρος. Vitiosa Plin. lectio eum decepit.

Error. Thes. ling. Lat.

Farfarum.

Veteres Latini, uti notat Cordus, utramque Populum, Farfarum appellarunt. Est etiam herba Farfarus & Farfarella dicta, à similitudine, quam cum Populi foliis habet.

Farfarum herba.

Cur verò Tragus nobis & aliis nigram Populum, dixerit albam, nescimus: Nam ea quam proponit, nigra est. Eius opinionem imitatus est Solerius.

Trag. Soler. Lonic. & Harchius not.

Lonic. quoque ponit iconem Populi nigræ, pro alba, confundens cum alba & Libyca ut postea dicetur. Sed & Harchius inscitè Nigram, λευκὴν dicit.

Populus simpliciter.

Petro de Crescentiis, Populus nigra simpliciter dicitur Populus: Similiter & Gesnerus Populum nigram vocat. Anguil. Populi secundam speciem facit. Schvuenckfeldius & Camerarius annotant Populum nigram Albarum dici P. de crescentiis: sive verò hoc ita sit, sive nō sit, (Nam Crescentii codex nobis nūc non est ad manus) non rectè ita dicitur id nomen de nigra. Nam λευκὴν seu albam à colore in Italia Albaram vocari Scal. testis est, cui hac in parte plus tribuimus, maximè cùm & vocis vis id præclarè insinuet. Populum verò simpliciter & is vocat hanc nostram. Tragus & nigram Albaram Ital. dici ait.

Albarus.

Synonyma Ling. Lisnach. Hebr.

Hebræis *Lifnach*, Gen. 30. si modò hæc Populus intelligenda, ut idem putat Tragus. Germ. **Pappelbaum / Sarbaum / Bollen / poppeln / poppelweiden / schwartze poppeln / Aspen / Alterbaum / schwartz pappelweiden / Sarbauchsbaum**: idque, ut fit, pro diversitate Provinciarum. Belg. **Popelier / Popelaer / Populatre.** Angl. **Poplier / Asp or Esp tree.** Non tamen quælibet hoc nomine Anglis appellata est Populus nigra. Montana enim & Libyca eodem illis appellatur nomine, teste Turnero. Quapropter distinctiùs dicetur, **Black Poplier tree/** vel **Black aspe/** vel **Watre aspe.** Gall. *Peuplier*, & *Tremble*, uti notant Had. Iun. & Matth. At nobis posterior appellatio meliùs competere videtur Libycæ. Soler. annotat Delphinatibus dici *Pinon*, & Provincialibus *Piboulo*. Vasconibus *Pibol*, teste Scal. Ital. *Propa*, eidem: aliis *Popolo negro*. Hisp. *Alamo negrillo*. Bohem. **Topel.** Sclavon. **Lopel / Topel.** Maurit. *Haur rami*. Vngar. **fekete igonie / fibol leronar.** Primum illud erumpens germen, cuius in medicina usus, Officinæ *Oculos Populi* vocant: alii *Gemmam Populi*: Græcorum quidam στίμμα vocant: vnde erroris occasionem acceperunt, qui non prima illa germina resinosa, sed racematim cohærentia granula, in compositione unguenti ex Populo assumenda temerè existimant, in quibus nihil resinosum. Græci certè non aliud quàm quod resinosum est, accipi volunt, licet fortassis hoc ipsum haud proprio nomine exprimant, uti Dod. putat. πολλὴ γὰρ ἡ στίμμα ὑπὲρ ρητίνην: id est, multa circa semen resina existit, inquit Paul. Ægin. l. 7. Sed de hac re plura in viribus. Schvvenckf. tamen eadem gemma πύαλον Græcè dicitur: ubi hanc vocem sublegerit, nescimus. Germ. **Sarbollen** vocant: & **Pappelsknospen**. Quæ de Populo simpliciter Epitheta habent Poetæ, potiss. ad albam pertinent.

Oculi Populi.

Error. quorundam not.

Schvvenckf.

Quid verò sit Populi nigræ succinum diligentiùs inquiremus lib. seq. inter Resiniferas, post Vernicem sive Sandaracam Arabum, Mithridatis ducti autoritate, qui Succinum ex Cedri genere defluere dixit.

Succinum è Cedri genere esse.

Locus.

Populum nigram in variis locis observavimus, sed potissimùm aquaticis: circa Basileam extra Portam lapideam & alibi passim ad elices aquarum, quibus prata & pomaria irrigantur, ordine plantatæ copiosè visuntur. Nullibi tamen observavimus cum suis Vvis seu racematis seminibus, quàm circa Basileam, potiss. propè Binningam pagum. Montbelgardi, quòd in eo tractu rara sit, in hortum plantandam curavimus. Observavimus etiam Monspelii, Patavii, Genevæ, Lugduni, in Alsatia, potiss. ad tractum Rheni & propè Lautterburg, in ducatu VVirtemb. Anguil. in Italia vulgarem dicit. Provenit etiam in monte Baldo, teste Calceolario. Turner. in Anglia minùs frequentem scribit, quàm vel in Italia vel Germania superiore. Ad Padi seu Eridani Ferrariam perlabentis ripas Populos nigras nasci Lacunæ testimonio diximus. Annotat & Ravis. Textor frequentem esse hanc arborem iuxta Sperchium & Padum fluvios, qui propterea vocentur Populiferi à Poëtis. Matth. quoque utrámque Populum inibi nasci testatur.

Theoph. auctu facilem dixit, quòd ad aquas nascatur: quod verum esse cum Trago observavimus: nam brevi in altum se attollit, maximè si secundum amnes in pratis & uliginosis campis consita fuerit.

Tempus.

Aprili mense, aut etiam priùs, odoratæ gemmæ prorumpunt: Maio racemuli seu Vvæ quæ Iunio decidunt, aut certè paullò pòst, ut circa Basileam observatum.

Satio.

Si propagare velis, ex præscripto Theoph. & Tragi, rami deputandi sunt, ac Verno tempore uliginosæ ac humidæ terræ mandandi. Avulsione, salicum modo, facilè provenire observavimus. An benè ex semine proveniat, nondum compertum nobis. Quomodo verò Fungi nascantur è Populo nigra docet Tarentinus in Geoponicis: ut si caudici Populi nigræ conciso, & per terram strato, fermentum aqua resolutum infundatur, fore ut illico prosiliant Ægiritæ fungi, quod Diosc. etiam de alba tradit. Theoph. scribit Ægerion seu Populum nigram ex Creta translatam sterilescere, quod vix credimus: ut tamen hoc verum sit, non tamen verum, extra Cretam esse sterilem. Fertur quoque Populum nigram efficacissimam in eadem insula nasci.

Vires & usus. Podagra. Epilepsia.

Scribit Diosc. Populi nigræ folia ex aceto imposita, podagricis doloribus auxiliari. [quod de incipientibus potissimùm intelligimus] Resinam verò quæ ex ea profluit, malagmatis admisceri. Semen seu fructum ex aceto potum, comitialibus utile esse. Quæ verò de Populorum lachrymæ viribus tradit, & paullò ante dicta sunt, & ad succinum propriè pertinent.

Temperam. populi nigra disceptatio.

De Populi nigræ temperie varii varia sentiunt. Aliis calida est in tertio: aliis in primo tantùm gradu. Galeno Ægiri flores calidi facultate quidem sunt, in primo recessu à temperatis: at in differentia quæ habetur in siccando & humectando, paulùm quiddam ad siccius deflexerunt, sed & subtiliorum potiùs, quàm crassiorum sunt partium. Et folia quoque ipsius quodammodo floribus similia sunt, nisi quòd ad omnia imbecilliora, minúsque efficacia. Sed & resina eius floribus similem facultatem obtinet, atque etiam calidiorem. Porrò semen tùm resina, tum floribus & subtiliorum est partium, & exiccantius, non tamen admodum calfacit. Solerius apud Gal. pro πυάλιον, vult legi αἰγείρου, existimans

Populum albam quàm perperàm nigram vocat, uti dictum, calidam esse in tertio gradu: sicque lectum fuisse aliquando ait. Manardus quoque, Oribasius atque Avic. variis in locis calefacere etiam scribunt in tertio ordine: Sed hic nulla in re tam varius támq; parum sibi constans fuisse videtur.

Avic. inconstantia.

Serap. multos Arabes citat, quorum unus temperatæ caliditatis cum pauca frigiditate dicit: alii frigidam, sicut & Haliabas. Verùm cùm de succino loqui videantur, quod ipsi Crabe vel Carabe vocant, & quod falsò Gummi Populi rentur, fabuloso errore parum dignos se monstrant, quibus credatur.

In Populi temperam. exactè inquiritur.

Consulendus itaque naturæ Codex, hoc est, Populus ipsa, qui ostendit ad tantum caliditatis gradum hanc arborem non extolli, ut inter medicinas tertii ordinis debeat collocari. Nam quis quæso sapor, quis odor, quæ demum qualitas tàm præcellentes monstrat calores? Neq; n. multùm odorata, neque eximio aliquo sapore prædita: sed dum gustatur, primò quidem modicè adstringit: posteà amaritudinem quandam subobscuram invehit: Olfacienti non insuave quid, sed exiguum id omninò repræsentat. Si quis verò via regia, quam Gal. monstravit, incedens, experiri eam in corporibus temperatis ægrisque voluerit, calefacientem non valdè inveniet. [Non tamen frigidam ideò dicimus cum Amato, quem mox refutabimus.] Paulus prætere a calefacere eam scribit in primo ordine: cui Constant. quoque Monachus consentit.

Aetius, interprete Cornar. taxat ad tertium caloris gradum, sicut & Gal. in quibusdam exemplaribus. Optimi tamen Codices tàm Græci quàm Latini, calidam faciunt duntaxat in primo. Oculos tamen ut odoratos, cum resina reliquis Populi partibus calidiores statuimus, uti pleniùs mox declarabitur.

Amati opinio refut. qui vult frigidam esse.

Cùm igitur omnes calidam faciant, alii in hoc, alii in illo gradu, si quid valet veterum auctoritas, satis confutabitur Amatus, qui Populum nigram frigidam statuit. Verba eius sunt: Tenellos cauliculos, pro conficiendo Myracopo, id est, Vnguento Populeo colligunt: quo medici pro extinguendo capitis & renum ardore frequentissimè, illitis fronte & temporibus, renibúsque ipsis, ardentissimis in febribus utuntur: An verò benè, in dubium vocamus, quum vetus Galeni translatio, *aliquem* calidam in 3°. gradu esse constituat: Cui opinioni Serap. & Avic. favent, eam in 3. caloris gradu collocantes, à quibus nec Oribas. dissentit. Quæ si vera sunt, procul dubio unguẽtum Populeum potiùs calidum quàm frigidum censendum est. At revera res ipsa, inquit, non ita se habet, quum unguentum Populeum prope 3. gradum frigiditatis à doctissimis iudicetur, & quotidiana experientia ita esse attestetur. Proinde Populum frigidam esse, vel saltem non calidam necessarium est.

An ung. Populeum cal. vel frig. sit.

At mehercle bonus Dialecticus, si Diis placet, Amatus, ab unguenti Populnei temperamento, de ipsius Populi qualitate concludit, præter omnem rationem, non considerans, illud unguentum & Mandragoram, & Hyosciamum, & Lactucam, &c: res frigidissimas ingredi. Nec ullius ponderis est argumentum ab autoritate sine ratione. Siquidem exigua rei calidæ portio in frigidam compositionem potest recipi, ad frigida medicamenta ad locos affectos deducenda, aut vehementiam insalubrium frigidorum simplicium infringendam: ut in dicto Vnguento fit: non tamen necesse est, ut ob id calidum medicamentum propter eius commistionem existat. Quod si ita fuisset ratiocinatus: Doctissimi Populũ prope tertium frigiditatis gradum esse iudicant. Errant itaque qui calidam censent, rectè fuisset argumentatus. At sic antecedens negatur, productis Galeno, Aetio, Paulo, Orib. Serap. & Avic. Fallit enim à parte ad totum argumentatio. Non enim si Vnguenti pars aliqua calida est, totum Vnguentum ideò calidum esse necesse est. Alioqui & sic concludere liceret: si calida esset Populus, esset quoque Populeum unguentum calidum: atqui frigidum est: ergo Populus frigida est, sed hæc ad Scholas. Cùm in unguentum Populeum ingrediantur duntaxat unciæ XVIII. oculorum Populi, frigidissimorum recipiuntur unciæ XXXIII. debilem oculorum Populi vim superantium: atq; ita frigidum semper remanet, præsertim cùm Populus in primo tantùm gradu sit calida, frigiditas verò reliquorum ferè omnium 2. aut 3. gradum attingat, nónulla etiàm ad quartum ferè sint frigida. Erroris autem cardo in eo versatur, quòd non animadverteret autores in acopa indere nonnulla calida, non ad totam compositionem calidam reddendam, sed frigidorum vim deducendam, aut certè tandem retundendam. Id quod Gal. l. 9. *κατὰ τόπους* docet, his verbis: Ex Opii & Hyoscyami &c:

Amati argumenta expiduntur. Ad 1.

Cur calida frigidis addi misceantur.

Alterum Amati argumentum ita procedit: Gal. Paul & Constant. scribunt Populum calidam esse tantùm in primo: Ergo frigida est, aut saltem non calida. Indoctum sanè argumentum, & quod confutatione parum egeat. Debebat ergo concludere. Ergo Populus calida est, nullo modo frigida. Calidam namque esse in primo, est uno gradu à temperatis aut frigidis recessisse.

Refutatio 2. rationis Amati.

Tertiò argumentatur: Nullum habet Populus insignem odorem saporémve, quo calida posset iudicari. Ergo nullo modo est calida. Negatur antecedens, & ad eos omnes qui teneros oculos Populi nigræ degustarunt, olfecerúntve provocamus. Etsi verò tantæ vehementiæ non sit vel sapor vel odor, ut in tertio ordine constituere velimus, talis tamen est, qui ius suum ordinis primi facilè tueatur, ut fortè etiam accedat ad secundum, in quo sanè ordine doctissimus Turnerus, qui ingeniosissimè eadem Amati argumenta in Herbario suo Anglico refutat, collocare non dubitavit cum resina sua. Cornar. cùm videret Populum nigram adeò esse calidam, inquit idem Turn. consultissimum putavit accipere Populi albæ oculos. Vtrum autem rectè, an secus consulat, iudicabunt qui Nic. Alexandrinum consulent, móxque speciatim dicetur.

Ad 3.

Calidam ord.

Nobis sanè hac in parte neutiquam reiiciẽdum videtur iudicium Tragi, qui utramque Populum albam [nam sic & nigram nostram vocat, uti dictũ] medium putat obtinere temperamẽtum humidæ & terreæ substantiæ, ad refrigerandi potiùs, quàm excalfaciendi accedens: nisi quòd oculi odoratissimo illo gummi prægnantes, aliquantum calfactoriæ facultatis habent. Ergo dicendum distinctiùs, oculos Populi in prædicto ordine calidos, ipsámque etiam resinam. Reliquas verò partes inclinare ad frigiditatem.

Iudicium Tragi de Populi tempor.

Schuvenckfeldũ edicto, folia & flores digerunt, resolvunt, attenuant: Oculi calfaciunt, humectant, siccant cum partium tenuitate: molliũt, digerunt, resolvunt. Oppidò hercle festivus qualitatum dispensator. Quo experimento, qua ratione, quo sensu foliis resolvendi attenuandique vim

Schuvenckfeldũ temeritas.

vim

vim tribuit? Et quis ipsi credat oculos simul humectare & exiccare.

Alius Amati error. Sed & illud addendum, falli etiam in eo Amatum, dum ait, tenellos cauliculos pro unguento Populeo sumi, quod non verùm: aut si alicubi fit: non benè fit: sed oculi accipiendi.

Plin. quidem dum Populum & uvas & semen ferre fatetur, illas unguentis, hoc verò comitialibus præfert: sed optimè monet Matth. ne ob id Myropolæ communis usus unguentum Populneum vocatum, ex Populi uvis conficiant, ut Ruell. credidit à Plin. deceptus. *Plin. & Ruel. lapsus.* Quandoquidem Nic. Myreps. qui illud unguentum describit, non Vvas, sed germina seu gemmas admiscet. Odorata enim sunt & ceraginosa: Cùm tamen nullus prorsus sit uvis odor, nulla insignis qualitas. An igitur antiquitas Populi Vvas inodoras admiscuerit dubitandum sanè est.

Plinio Populi uva quid. Sed Plin. & in eo hallucinatus est, dum Muscum in Populo nascentem, nihil ab eiusdem uvis differre existimavit. Eius verba sunt. Eodem & Bryon pertinet, Vva Populi albæ Optima circa Gnidium aut Cariam, in sitientibus aut siccis asperisque: secunda in Lyciæ Cedro. *Plin. alij errores. Muscus Populi.* Hæc Plin. At Cedrus nullas fert Vvas, sed Muscum odoratum. Apud Diosc. legimus, post Cedrinum, optimum esse Muscum Populneum: sed hæc ad Populum albam pertinent.

Plin. quoque secuti sunt Hermol. & Ruell. qui aiunt Vnguentum ex uva Populi fieri, quæ Bryon sit. Verùm falluntur, nec hodiè ex Vva fit: neque sanè ea etiam oculis præferenda.

Lacuna scribit flores Populi albæ vulgò assumi in unguentum Populeon, quum videantur accipiendi flores nigræ Populi secundùm sententiam Gal. & Pauli. Verùm considerandum esse autores per flores intelligere gemmas quas oculos vocant, quandoquidem neutra florem ferat, ut benè ab Hermol. annotatum ait. *Lacuna taxat.* Ast nescimus ubi Lacuna observarit Vnguentum fieri è floribus Populi, id nec in Italia, nec in Gallia, nec in Germania vidimus. Oculos pro floribus accipi non displicet, quanquam non destituantur suis floribus vel Iulis, ab uvis distinctis ambæ Populi, ut is cum suo Hermol. autumat.

Neque ijs accedendum, qui Nigræ Populi oculos neutiquam assumendos putant, sed albæ, quòd huius oculos frigidiores putent iis, quos tamen nos cum Manardo calidos potiùs, quàm frigidos censemus. Legimus etiam apud Gal. Aet. & Paulum, acopon δια̃ αἰγείρου, hoc est, è Populo nigra: nullibi διὰ λεύκης, hoc est, ex alba, legisse meminimus.

Cordus in suo Dispensario oculos Populi simpliciter sumendos tradit, non addens, cuius. At Matth. nigræ accipere iubet. Et Cronemburgius eorum improbat opinionem, qui volunt parari hoc unguentum ex oculis Populi albæ. *Vnguenti usus.* Valet istud unguentum in omnibus calidis affectibus illitum: naribus inditum, & temporibus ac pulsantibus arteriis illitum somnum conciliat. Eius quoque usus ad calidos dolentésque tumores. Quidam & feliciter podagris calidis illinunt. Sed ne inveterescat cautio est: alioqui vires eas perdit.

Oleum Ægirinum. Aetius & Paulus Ægineta ex oculis populi nigræ Oleum Aegirinum dictum conficiunt. Verno tempore id confici debet, cùm plurimùm gravis est, prægnansque resinâ, potissimùm in gemmis. Falsò legitur in Histor. Lugd. cùm nulla est circa illam Resina, Nam & Paulus Vere fieri præcipit, licet Aetius æstate parari iubeat, at uterque, quum multa circa sperma [sic baccas vocat] est Resina. Sumunt eius grana modicéque confringunt, & ad pondere expensum inde trientem, Olei dulcis sextarium immittunt, & ad dies 40. insolant, atque ita excolatum reponunt. Est hoc Oleum calfactorium, tenuium partium, attenuat, remollit, & est odoris iucundi. Cutis densitatem sanat autore Paulo. Ad cap. dolorem valet, & illitum membris dolentibus, podagris, arthriticis & nephriticis. Alii Olei uncias 76. recipiunt: vini verò lib. 4. oculorum Populi nigræ resinosorum Vere lib. 3. quos diutissimè terunt: pòst in oleo ac vino infundunt. Septem verò sequentibus diebus quotidiè eos agitare oportet. Octavo levibus prunis subiiciunt, incoquúntque ad vini consumptionem. Pòst fortiter exprimunt & in vase ad usus reponunt. Sic Curtius describit. Atque hoc propter coctionem admixtionémque vini calidius existimaverimus, & frigidioribus affectibus quoque adhiberi posse. *Eius vires.* Mirum verò hoc Oleum hodiè in Officinis nec parari nec haberi, quum tamen commodissimè parari posset, & in multos usus aptari.

Capillis facus. Oculis Populi nigræ odoratis & viscosis fœminæ pulchros capillos hoc modo cómparant tradente Matth. Oculos cum butyro contusos ollæ indunt, quàm probè operculatam postquam per septem dies stare permiserint, igni tantisper admovent, quoad butyrum liquescat: butyrum hoc per linteum excolatum mundo vase reponunt, eoque capillos lotos & exiccatos illinunt: unde non tantùm pulchriores sed & prolixiores redduntur,

Ad verrucas. Humor qui è Populi nigræ cavis effluit, verrucas & papulas corporisque attrita tollit, teste Plin.

Superstitiosum contra Vermes vulnerum. Nugæ sunt quod scribit Curtius ex quorundam relatione vermes hominis animalisvè vulnerum decidere, si horum vel pili, vel lana in apertum corticem Populi nigræ ante Solis ortum recondantur. Hoc autem Betulæ quidam ascribunt.

Intertrigo. Simile illud Plinii: virgam Populi in manu tenentibus intertrigo non metuatur.

Apes. Populi ferunt in foliis guttam, ex qua apes propolin faciant. *Pecudum cibus.* Rami ab agricolis Octobri decerpti exiccantur cum foliis; ad pabulum hyemale capris & ovibus.

Vitibus apta. Theoph. & Populum nigram deligit ad sustentandas vites nobilium vinorum, quòd minùs densa patulaque sit foliò.

Populi vitibus placent, inquit Plin. nulla illarum umbra, ludentibus foliis.

Huic materia lenta, ideòque scutis faciendis apta eodem autore.

Lign. usus. Varia utensilia. Est sanè apud nos Populi lignum pulcrè crispante undarum discursu peramœnum: ideóque artifices Germani ex eo varia utensilia, mensas, abacos, lectorum spondas, capsellas, ostia, etiamq; cochlearia & alia plurima parant. Attentiores ad rem eam in tenues asseres secant, & alia ligna iis investiunt. Alba est, sed vernice croceato tincta undulatam crispitudinem longè elegantiùs ostendit. *Impostura.* Stupidos verò esse eos oportet, qui incoctas atramento Populneas assulas ad speculorū capsulas ab impostoribus emunt, quale ab iis divendi scribit Scaliger. Nam Ebeni lignum nec undatim Crispum est sicut hoc: aut si Populneum adolescentius fortè tale non sit, at reliqua facie, & pondere præsertim, & lævore etiam politum, Ebeno longè cedit.

POPVLVS ALBA: ΛΕΥΚΗ.



Descriptio. PLVRIMÙM differunt Populi albæ folia à Nigræ foliis, totóque vultu aliam arborem docent. Sunt ea enim omniū maxima, Aceris majoris potiùs, in acuminatas circumrotas lacinias divisa, supernè cum atro virore fortuita lanugine donata: at inferiore parte denso tomento incano ceu Tussilaginis folia, sed magis niveo pubescunt, quo etiam obsiti sunt cum pediculis longis rami. *Folia.* *Tomentum.* Folia observavimus manus expansæ amplitudinem facilè æquantia. Quales ferat flores vel fructus nondum observavimus. Icon nostra est Gesneriana vel Cameriana: posterior Lobeliana. Hic scribit Catulos ferre ante foliorum exortum, & latifolii salicis modo edere. *Catuli.* Taber. scribit, villosos esse, & ex purpureo fuscos. Ligno est albo, quod facilè finditur, cortice albo lævi. *Lignum.* *Cortex.* Et hæc ut prior, gemmas in primo foliorum germinatu fert. *Gemmæ.* Illa verò quæ minore est folio, non aliter ferè à prædicta differt. *Popul. folio minore.* Hæc λεύκη est Diosc. & Theoph. ἡ δὲ λεύκη [inquit hic] καὶ ὁ κιττὸς, καὶ ὁ καλούμενος κρότων φύλλα ἀνόμοια, καὶ ἑτεροσχήμονα: τὰ μὲν γὰρ νέα περιφερῆ, τὰ δὲ παλαιότερα γωνοειδῆ. *Leuce Veterum.* Variare ait folia, ut ex rotundis adolescentioribus, si veterascant, fiant angulosa: id quod Plin. nigræ quoque accidere vult, quod in nostris non reperiri ait Cæsalpinus. Eandem idem Theoph. fronde latiore, cortice læviori, atque omnino succulentiorem [ὀπωδεστέρα] dicit, quàm nigram: [ἢ αἴγειρον] sed eandem in senecta ob alimenti defectum, in frondem angustiorem corticémque scabriorem abire, haud absonum putat, id quod ei facilè concesserimus, quòd idem fieri videamus in cæteris quoque arboribus, ut vetulæ strigosiores evadant. At si eam in nigram hac ratione transformari putet, ut ex aliorum relatione citat, & aliquas rationes, quare id fiat, producere conetur, ei sanè neutiquam assentiemur, ut clariùs exposuimus in historia Nigræ.

POPVLVS ALBA FOLIO MINORE.



Cęterùm videtur Theoph. sibi ipsi contrarius: *Theoph. sibi contradicit.* nam modò citato loco, qui est l. 5. caus. c. 8. τὴν λεύκην λειοφλοιοτέραν καὶ τὸ ὅλον ἀποτεφρωτέραν τῆς αἰγείρου hoc est, Populum albam cortice læviori, & in totum lætiorem dicit quàm Nigram; qui tamen l. 3. c. 14. hist. τὴν αἴγειρον seu nigram μακροτέραν καὶ λειοτέραν dicit: foliorum verò figuram similem, simile & lignum candore esse cùm cæditur. Videri autem utrámque flore carere. Hîc Populum nigram λειοτέραν dicit: ibi albam: quod miramur nasutissimum non observasse Scaligerum. Nec est, quod nobis quis obtrudat, in causis eum de cortice loqui [ut sanè facit] in historiis verò folia conferre. Nam simpliciter læviorem dicit, nullam foliorum faciens mentionem. Imò hæc non intellexisse apertè patet ex statim sequentibus {τὸ δὲ σχῆμα τῶν φύλλων &c: priùs ipsas arbores contulerat: nunc demum de foliis transigit. Et videtur nobis τὸ ἀποτεφρωτέραν non longè aliud esse, quàm μακροτέραν, saltem in harum arborum collatione. At illud epitheton in causis albæ, hoc in historiis, nigræ tribuit. Vtrobique verò ambas inter se confert: ut qua ratione excusemus Theophrastum, nunc non habeamus. Cogitabimus autem in posterum.

Gaza λεύκην non rectè vertit simpliciter Populum, apud Theop. l. 1. Hist. cap. 16. *Gaza not.* Magna sanè differentia in foliis est, non tantùm, quòd folium albæ subtus candidum sit, sed etiam quòd laciniatum. Si quis autem obiiciat, Theoph. l. 3. hist. cap. 14. dicere, τὸ δὲ σχῆμα τῶν φύλλων παρόμοιον. Resp. similitudinem esse foliorum primùm erumpentium, non autem adultorum: alioqui & hic sibi ipsi contrarius foret Theoph. Sed hanc obiectionem & ipse Theoph. sustulit, paullò pòst descriptionem ex eo à nobis adductis verbis. Nugantur qui in suis Herbariis Populum albam folio non anguloso pingunt, vel potiùs pro alba, nigram ostendunt, quæ folia non habet laciniata.

Plin. non benè inspexit Populum albam, *Plin. error.* quam rectè quidem folio bicolorem dicit, sed supernè candicante, inferiore parte viridi. Nam contrarium apparet: supernè viret, infernè albet. Minùs excusandus Lonic. qui eundem errorem commisit: *Lonicerus stirpium ignarus.* qui quàm ignarus fuerit stirpium, ex eo patet, quòd in hac tàm vulgari planta tàm turpiter cæspitat. Pro ea iconem exhibet Populi nigræ: cui in descriptione, quam ponit, nihil respondet: confunditque inter se utrámque Populum, ac etiam Libycam. Nam folia albæ tremere dicit: ideoque Gallis *Trambulam*, quasi Tremulam vocari: quod veriùs Libycæ competit: folia primò rotunda, postremò angulosa dicit, cùm tamen nigram pingat, atque id tantùm albæ competat: addens eius folia esse supernè alba, subtus viridia, cùm contrario modo se res habeat: ut tandem nesciamus, an credendum ei sit, & de qua intelligat, cùm ait: ferre Iulos cinereos, qui sine fructu decidant. *Iuli cinerei.*

De hac intelligendum quod Plinius simpliciter de Populo tradit, cùm ait: Populorum foliis grandissima lanugo. Evolat candidæ (tradita folio numerosiore candida) ut Iulus. Quanquam equidem quæ sit illa grandissima lanugo, nondum videamus. Nam foliis parte inferna quod aspersum est incanum tomentum, tàm *Plin. correct. & illustr.*

grande

grande non est, ut grandissimum dici mereatur. Vnde suspicio nobis non vana, fortè legendum esse, candidissimum. Cætera quoque non satis clara videntur, & parum abest, quin totum illum locum corruptum dicamus. Quid enim sibi iis vult verbis: Evolat candidæ ut Iulus. Si Iulum intelligit: sit ita. At & reliquæ Populi Iulos habent. Non ergo de candida sola id dicendum. In M.S. ita legitur: grandissima lanugo evolat. Candidæ &c: est ut Iulus. Alii sic legunt. Euolat &c: candida, & ut villi. Dalech. sic. Evolant candidæ & ut villi. Idem & alibi huic folia circumagi post solstitium ait: eoque argumento certius intelligi sidus confectum.

Cæterùm quicquid antiquitas de Populo prodidit, ad hanc potissimùm pertinere videtur. Genes. 30. Populi fit mentio: ubi scribitur Iacobum virgas eius cum aliis ineuntibus proposuisse pecudibus, ut ostendimus in historia Castaneæ. Nec tamen pro certo asserimus hanc intelligi oportere, vel aliam. Vetus interpres & posteriores, ut Castalio, ita verterunt. In Græcis scriptum ... &c: Quid si legas ..., & intelligas Populum albam. Lonicerus annotat Populum dici Hebr. eo loco Libne: Tigurini interpretantur Weyden / id est Salicem: an benè iudicent alii.

Populi virga Iacob pecudibus proposuit.

Libne Hebr.

Hermol. uvas tribuit Populo albæ, Plinium secutus: an benè nescimus. Inquiratur. Eadem Populus & Herculi dicata consecratàque fuit, teste Plinio: Vnde Virgil.

à Vva.

Populus Alcidæ gratissima:

de qua etiam intelligit, dum dixit:

------Herculeáque arbos umbrosa Corona.

Herculi dicata.

Idem in ludis iuventutem fronde Populea velatam fingit: quòd ..., id est, Hebe, sive iuventus, Herculis uxor sit, cui Populus dicata est. Hoc autem Physici, ut Probus ait, ad naturalem causam ... referentes, Herculem tempus significare volunt, ac ei Populum devovent, propter colorem album, quo dies accipitur, & nigrum, quo nox. Vnde Salii Herculi ad aram maximam in foro Boario sacra facientes, Populi fronde coronabantur: Vnde etiam Virgil. Æneid. 8.

Dixerat Herculea bicolor cùm Populus umbra
Velavitque comas, foliisque innexa pependit.

Et non longè post:

Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum
Populeis adsunt, evincti tempora ramis.

Docent autem alii, Coronam Lauream his præfici. Cæteri verò ad fabulas referunt, & ad albam tantùm Populum. Vnde Pausanias, albam Populum Acheroidem vocat: contrà Aristoteles nigram. Quòd primus, iuxta Acherontem Thesprotidos amnem genitam ad Græcos transtulerit. Ἀχερωΐς Homero quoque dicta, quòd redux ab inferis Hercules, Populi in Acherontis ripa nascentis ramo coronatus, emerserit, Harpocratio teste. Lepida est fabula. Nam quum ad inferos Hercules descenderet, & labore defatigaretur, corona ex hac arbore complexa, caput, propter sudorem velasse dicitur: Vnde foliorum partem alteram, quæ temporibus adhærebat, exalbuisse aiunt: partem verò exteriorem, propter inferiorum calorem nigram permansisse: eósque colores sic in ea permansisse, ut bicolor postea fuerit. Alii autem eum ab inferis redeuntem, primum arborem istam contemplatum se inde coronasse, conveniente plantæ colore albo huic eventui, quum è tenebris in lucem commeatet. Eandem causam & Pausanias refert: proindéque [addit] non alio ligno cremari victimas in Elide Iovi Olympio. Alii denique dictam ita tradunt, quòd Hercules devicto Cerbero, Populum arborem ex Acheronte detulit frondibus eiusdem coronatus.

Acheroïs Pausaniæ, & Homero.

Figmenta Poëtarum quando Populus bicolor evaserit.

Aristoteles omne solú sylvosum arborosúmque, Acherusion dici prodidit: ad quod fortè alludens Poëta festivissimus, Vlmorum Acherontem dixerit in Amphitruone. Horat.

Acherusion quid Arist.

Tempora Populea fertur vinxisse Corona.

Theocr. ... : quo loco interpres scribit Populum sacram esse Herculi.

Pausanias in Eliacis scribit Populum etiam ... ab Homero appellatam.

... Homer.

Lambinus suspicatur bicolorem dictam Populum, quòd & alba & nigra in hoc genere sit, quæ Populus dicitur. Sed potior est illa ratio, quòd frons Populi etiam albæ revera bicolor est. Apud Horat. Carmin. 2. od. 3. legimus.

Bicolor unde.

Quà Pinus ingens, albáque Populus
Vmbram hospitalem consociare amant
Ramis, quà obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo:

Item Epod. lib. od. 2.

Ergò aut adulta vitium propagine
Altas maritat Populos ...

Contra Od. 5. l. 4. Populum, Vlmum & similes arbores viduas appellat, quæ vitibus carent. Quid si legendum cum Lambino dicamus, albas maritat: nisi & superiùs quoque legendum sit: altaque Populus. Vtraque lectio ferri potest.

Populus marita. Populus vidua.

Texebant (ait Parrhasius in Claud.) sibi Bacchæ coronas ex alba Populo, &c, ut ait Harpocration, iuxta ripas Acherontis enata.

Baccharum corona.

Populum albam Plautus Farfarum appellat, à foliorum multitudine, ut quidam volunt. Quid si dicamus à foliorum similitudine cum herba Farfara, cuius folia itidem inferna parte albicant: Prosternebam eos [inquit in Pœn.] ut folia Farfari; quæ levi impulsu venti alicuius Autumno universa aliquando cadunt.

Farfarus Plauti.

Porrò ut ad historiam redeamus: pleraque quæ Ruell. de Populo alba tradit, Libycæ potiùs competunt, quàm nos Cercida Theoph. censemus, multùm ab hac diversam, atque adeò tota specie. Huic illæ voces, *Tremula*, *Trambula*, non albæ competunt, & etiam à vulgo tribuuntur. Idem cum Hermolao Plinium titubantem potiùs, quàm naturæ codicem inspexit, ut diceret, Populum albam foliis esse infernè herbaceis: nec ex nostra alba hodie paratur unguentum, ut ille ait, nec ex sua Tremula: nec scopis tantùm natæ Populi: nec infelices damnatæque religione, quòd neque semen ullum, neque fructum ferant, ut oscitanter cum Plinio asserit. Denique nec Bryon est sua Populi: ut quid veri in ea historia, habeat præ erroribus vix appareat.

Ruell. taxantur multi errores.

Hermol. not.

Eosdem plerosque errores & Curtius habet.

Curtius fallit.

Alciatus in suis Emblem. Populum nigram pingit, & albam vocat.

Alciati not.

Tragus Populi albæ alteram speciem hanc facit: nam priorem albam dixit, quæ nobis nigra est.

Ryffius iconem proponit Populi nigræ: nec tamen declarat aut scribit, quam intelligat.

Ryff. not.

Albarus, Pet. de Crescentiis.

Albarus.

Αἰγεῖρος, speciem Populi inquit Scal. à colore quoque in Italia Albara. Nihil igitur fuerit

Albara.

impedimento quominus apud Theoph. Albaram Latinè vocaret Gaza, qui & alibi alia fingit, & multis locis, ubi est utrumque λεύκη & αἴγειρος alterum omittit, ut l.3.c.6. ubi λεύκην simpliciter populum vertit, & αἴγειρον omittit, pro ea reponens Alnum, cùm tamen paulò antè κλήθραν Alnum reddidisset. Tanta est huius interpretis fides se & alios fallentis. Nec tamen verum quod Theoph. ἀκάρπα seu steriles dicit λεύκην, & αἴγειρον, hoc est, tàm albam quàm nigram Populum. Ex quo loco Plinius easdem infelices damnatásque religione dicere ausus fuit, easdémque arbores citat, quas hîc ἀκάρπας Theoph. dicit. Sed de hac re iam priùs dictum.

Gaza ferè alios fallit. *Theoph. & Plin. error.*

Epitheta. Dicitur & Virgilio *Candida Populus: Populus Alcidæ gratissima: Populus in fluviis pulcherrima*, & alicubi, *Populus* solùm. Huic & aliis Poëtis, *bicolor, nutrita, nuda, alba, alta, phaëthontias, glauca, frondens, ardua, &c. Populus Heraclea, cana, umbrosa, frondosa, Guidoni de Fontenays.* Mirum quo consilio Solerius hanc *Populum nigram* dicere ausus sit. Minùs placet eandem Castori Dur. & Populum nigram, Germ. Aspen & Gall. *Tremble* dici: nam nec nigra est: & uox Aspen sicuti *Tremble*, Libycæ competit. Lob. priorem, *Populum albam latifoliam*: posteriorem *minoribus foliis*, pingens utramque dicit. *Arbor admirans* vulgò, inquit Scuuenckfeldius, ob folium bicolor, supernè candicans, inferiore parte viride. Hæc ille.

Pop. Heraclea. *Pop. nigra Solerio, malè.* *Cast. Dur. reprch.* *Latifolia. Arbor admirans. Schwenckf. castig.*

Locus. Eóque res nunc rediit, ut & arbores iudicio præditæ mirari audeant, quid miremur in illis. Miretur sanè Populus, cur se non propiùs inspexerit bonus ille vir, sed ex aliorum ore suæ frondis colores invertere sit ausus. Contrarium si dixisset, non *Arbor admirans*, sed *Admiranda nobis*: seu *Admirabilis*, ut ille dicere voluit aut debuit, restituisset. Sed hæc ad scholas. *Leuce* etiam Lat. dicitur. Arab. *Haur*. Hebr. *Libne* teste Lonicero, *Lisnach*, Trago. Germani autem luxuriant in huius arboris nomenclatura, idque pro regionum varietate.

Nomina linguar. Iis enim dicitur, weiß Alberbaum / weiß Poppel / weiß Papelbaum / weiß Papelweiden: Papelbaum & Papelweiden etiam simpliciter, Sarbaum / Abelen / Bollen / Poppelbaum / Abbelbaum / Papierbaum: quæ duo postrema nomina Schuuenckfeldius adiecit, quorum alterum Papyri arborem denotat: alterum admirationis arborem. Belg. Abeelboom / Popelenboom. Angl. Whyt aspe ou Poplier tree. Gall. *Obeau, Aubel*, vel *Obel*: Provincialibus *Aulbero*: Vascon. *Viole*. Ital. *Popolo bianco, la pioba, Albaro*. Hisp. Castil. *Alamo blanco*: Catal. *Alber*. Portug. *Amieyro & Alamo branco*. Bohem. Topol. Sclavon. Topel, Topel, teste Hort. Lusatiæ. Vngar. Jegnye fa.

Locus. Plinio autore, Populus montes amat: at considerandum an hanc intelligat, an potiùs Libycam. Nam paulò pòst ait: Populos in aquosis provenire: quod & Theoph. dixerat. Nam in partibus ad Rhenum sitis, locis humectis, & uliginosis tractibus pratísque nasci gaudet. Frequentissima nascitur utraque Populus in agro Mantuano ac Ferrariensi, non modò in Padi littoribus, sed & per agros & prata in fossarum aggeribus, ut testatur Matth. Provenit & in monte Baldo teste Calceol. Scribit Turner. non meminisse se in Anglia vidisse, sed in Italia iuxta Padum frequentem observasse: ut Lucianus conspicilio eguisse videatur, quando ad Padum nullas Populos se vidisse scribit. Neque verisimile est post eius ætatem demum ibi consitas, cùm longè ante eius tempora ibi natæ Populi celebratæ fuerint à scriptoribus, adeò ut & Populifer, uti dicebamus, à Poëtis nuncupatus fuerit. Pulchra atque procera videtur propè Basileam versus arcem Binningen. Nostra cura Argentuariis, vulgò Horburg, in arce E. C. VVirtemb. è vicinis locis accersita & in horto Montb. plantata. In Lotharingiæ sylvis etiam observavimus. Illa verò quæ minore est folio, frequentissima est in Brabantia, teste Lob. Nascitur etiam circa Basileam, qua itur ad novam domum.

Lucianus not. *Padus Populifer.*

Satio. Leuce aquarum prævida, non modò avulsione, sed & summis ramulis facilè pullulat, autore Theophr. Auctu facilis est. Sed celerrimè pulcherriméque germinat ex avulsione, uti salices. Eam etiam si quis prægrandem, & cum arbore se exæquantem transtulerit, optimè perdurare posse idem tradit. Defixam seri nunquam recusare: Proinde non solùm semine, radicéque germinationem, sed & hanc assignari posse. In agrorum circuitu potiùs plantanda, quia umbra eius nocua, & radices magnas & copiosas fundit. Quanquam & hoc commodi habeat Populus, quòd loco vitioso & sterili benè proveniat, ut observavit Aug. Gallus. Superstitiosum utique quod Theoph. inter alia arborum quarundam ostenta prodidit, Populum albam Stagyris in Museo prociduam sua sponte resurrexisse. Credat qui volet. Vitium causa, hoc est, perticarum vites sustinentium. Populus alba seritur bipedaneo pastinatu, talea sesquipedali, biduo siccata, palmipedali intervallo, terra superiniecta, duorum cubitorum crassitudine, ut docet Plin. Sed qua ratione Vlmeta instituas, & ad eius imitationem & Populeta [nam & hanc desiderat Vitis] ad vitium sustentationem, seu, ut prisci loquuntur, ad maritantas vites, ampliter traditum in Vitis historia.

Vbi serenda. *Ostentum de Populo.* *Vt pro Vitibus serenda.*

Vires & usus. Populus vitibus placet, inquit Plin. Idem Populum inter frigidissimas recenset, quòd sit aquatica: lentissimásque dicit & scutis faciendis aptissimas, quarum plaga contrahit se protinus, clauditque suum vulnus, & ob id contumaciùs transmittit ferrum. Sed eum ad materiem potissimùm respexisse certum est, quæ ad eosdem usus cum nigra accommodari potest & solet. Ignibus dicatum Populi lignum multùm eructat fumum: inquit Ruell. Diosc. Populo albæ vires has tribuit: eius cortex unciæ unius [alij, denarij, & rectiùs inquit Dod. in Græco habetur ὅσον οὐγγίας μιᾶς ἀριθμὸς: nec prior dosis superflua nobis videtur corticis nulla vehementi qualitate præditi.] pondere potus Ischiadicis & Stranguriæ seu urinæ stillicidio prodest. Traditur & conceptum prohibere seu adimere [ἄτοκος ἐστὶ] si cum mulsione bibatur. Sed & folia post purgationes cum vino pota idem præstare dicuntur. Tepidus quoque foliorum succus aurium doloribus utiliter instillatur. Pilulæ verò quæ primo foliorum germinatu erumpunt, [σφαιρία vocat: intelligere videtur gemmas] tritæ & cum melle illitæ oculorum hebetudini [ἀμβλυωπίας: Al. αἰγίλωπας] medentur. Nec desunt qui memoriæ prodiderint, tùm albæ tùm etiam nigræ Populi corticem in tenuia frusta concisum, ac stercoratis areolis sparsum & quasi satum, quavis anni tempestate fungos edules proferre. Plin. Populi albæ foliorum succum calidum aurium dolori conferre ait: & simpliciter dicit, corticem potum Ischiadicis & stranguriæ prodesse. Hoc & Serenus testatur.

Ischias. Stranguria. Contra conceptum. *Oculorum hebetudo.* *Fungi ex Populo. Aurium dolor.*

Sæpiùs occultis victa coxendice morbus
Perfurit, & gressus diro languore moratur,

Populus

Populus alba dabit medicas de cortice potus.

Gal. abstersoriæ facultatis Populum albam dicit, & temperaturæ mistæ, ex aquea tepida & terrena extenuata essentia. Hinc fortè Schuuenckfeldius occasionem sumpsit Populum albam habere vim humectandi & siccandi. At aliud est ex contrariis qualitatibus mistum esse: aliud contraria præstare, hoc est, simul humectare & siccare posse. Eadem ratione quis dicat vinum calefaciendi & refrigerandi vi pollere. Sed hîc non disputandi locus. Ipse viderit, quo experimento hoc dixerit.

Schuuenckf. repreh.

Cautiùs Dod. in hist Gal. Folia, inquit, & cortex Populi temperata sunt in calore & frigiditate, nonnihil tamen sicca & abstergentia. Porta albam quàm nigram humidiorem dicit: Lacuna tàm albam quàm nigram calidas dicit in primo gradu, & paulò sicciores, quàm temperatas: & habere partes tenues. Præterea efficaciores esse flores ramis. Resinam eodem temperamento esse, nisi quòd nonnihil calidior sit quàm flores. Folia decocta potu torminibus mederi Schuuenchfeld. tradit: & ambusta sanare imposita.

Tormina. Ambusta.

Nic. Goddinus in Chirurgia militari Populi lanuginem commendat ad fluxum sanguinis, quod & Holler. facit in instit. Chirurgicis: sed molliter evellenda vel abradenda.

Nolumus hîc cum Alberto impiè docere modum causandæ sterilitatis aut abortum cum Populo. Fortè & nimis iam dictum ex Diosc. Talia suis autoribus relinquenda, nec in vulgus speciaiiùs spargenda & explicanda, ut quidam neotericorum, speciatim eques quidam, cui tamen votum erat castitatis. Sat sit peritos ista scisse, ut obviam eant. Sanè aranei ex herbis venena: solæ apes mella colligunt. Lacuna, ut antè monuimus, ex huius oculis fieri unguentum Populeum scribit: sed ubi, non docet: ideò non credimus.

Quæ noxa generi humano, non in vulgus spargenda.

POPULUS LIBYCA. ΚΕΡΚΙΣ THEOPH.

Descriptio

POPULUS Libyca facilè & brevi tempore in magnam excrescit altitudinem, radicibúsque reptantibus latè se propagat: Cortex partim nigricat, partim albicat. Folio est continuò tremente, breviore, rotundiore quàm nigræ, per ambitum crenato, superna parte virente, inferna ex cinereo candicante, ac propemodum glauco, [Matth. punctis quibusdam albis conspersum esse notat] longissimis pediculis donato. Folia in extremo ramo interdum magis angulosa, & subtus incana, ad populi albæ quadantenus accedentia; qualia iuniora. Fert & nucamenta uncias quinque circiter longa, lanuginosa, cinericei & fusci coloris, arundinaceæ iubæ portiunculis similia: quibus subsunt verticillatum quodammodo apices pusilli, albidi. Oculi acuti, nitidi, spadicei. E semine suo, inquit Tragus, quod Salicis quarti generis simile cernitur, reviviscit. Contrà Matth. fructum nullum, nec flores ferre scribere ausus est, cùm tamen ipsemet paulò pòst sibi manifestè contradicens scribat: Semen legi antequam rumpatur, & siccari in umbra. Mendacem oportet esse memorem.

Radix. Cortex. Folia. Foliorum varietas. Nucamenta. Oculi. Semen. Matth. sibi ipsi contradicit.

Κερκὶς hæc apud Theophr. cuius nominis rationem nullam adhuc videmus. Fieri potest, ut κέρκις irrepserit, pro κέρκη aut κέρκος, vel κρέκεις, à κρέκειν, crepitu & tremulo concussorum foliorum motu, id quod Plin. sæpenumero Populo in genere tribuit, & nos potissimùm in hac observamus. Theophr. κερκίδα Gaza Populum Alpinam vertit. Est quidem hæc magis alpina quàm cæteræ Populi species: at non ideò decuit Gazam interpretis fidem excedere, & novum Theophr. affingere nomen, præsertim tale, quod nihil minùs quàm κερκίδα exprimat. Si fingere voluit, cur non Tremulam dixit.

Cercis Theoph. Populus alpina. Gaza not.

Ruell. Græcum nomen, quasi Græcè nescisset, omisit. Alpinam ex versione Gazæ, Libycam ex Plinio appellavit. Hermol. Alpinæ nomen non posuit: non posuit Cercidos, & dixit, Nostros facere tria genera: quasi verò non & Theoph. totidem faciat. Nemo enim est, inquit Scal. qui Cercida Populi speciebus non annumeret, si earum communes differentias contempletur. Ruell. hoc amplius erravit addit idem, qui Alpinam cum Libyca coniunxit: utramque confundens. Quippe si Alpina est, Libyca non erit. Nam & cœli segmenta alia, & natura loci longè diversissima. Scaliger putat non convenire Plinianam Libycam cum Cercide Theoph. quòd Plinius folio minimam ac nigerrimam dicit. At Theophra. φύλλον χρώματι σχεδὸν ὅμοιον, τὸ ὕπτιον, καὶ τὸ πρανές. Hic nihil nigroris intelligas, tantò minùs illius maximè nigri. Sic. Scal.

Ruell. sanat. Hermol. fugill. Alas Ruell. error.

At nobis Libyca Plinij & Cercis Theophr. eadem videtur. Nam quod Plin. Libycam suam folio minimam dixit, ac nigerrimam, sine dubio, id cum respectu ad albam dixit: quanquam & sic nigerrimam licentiosiùs dixit. Nigrior est, quàm alba. Illud verum huic folia esse minima inter cæteras Populos. Quod verò eandem idem, fungis enascentibus laudatissimam dixit, id de alba Diosc. Profectò non displicet lectio codicis m. s. quæ, ut annotat Dalechamp. ita habet: Quæ Libyca appellatur, minima folio, ac nigerrima evanescentibus fungis. Laudatissima alba, &c. Quæ lectio si bona & genuina, iam nihil ampliùs habet Scal. quod quiritetur. Est enim vera. Nam autumni fine cessantibus fungis, hoc est, non ampliùs erumpentibus, arbores totas penè nigra fronde vestitas videas, antequam folia decidant.

Scalig. opinio refutatur.

Sed & Theophr. descriptionem producamus. Cercis, inquit, Populo albæ similis est, cum magnitudine, tùm quòd ramos albicantes quoque habeat: [ὑπόλευκον: & verum hoc, ut diximus in descriptione: præsertim in iunioribus.] folia fert Hederæ, sed partim angulosa, partim oblonga & in acutum fastigiata: colore parte supina pronaque ferè simili, pediculo longo & gracili pendentia, ideóque non recto sed reflexo & nutante. Cortice vestitur asperiore, quàm Populus alba, scabrioréque, Pyri sylvestris in modum. Hæc Theophr. de Cercide sua, quam utrique Populo subiicit. Quæ sanè appositè in Libycam nostram quadrant: nec alia hactenus inventa, quæ Cercidi meliùs respondeat. Nobiscum quoque sentiunt Anguil. Solerius, Matth. Hist. Lugd.

Descriptio Theoph.

ed by Goo

& alii. Vitruvius qui reliquarum meminit, huius oblitus est.

Tragi opinio refut. Non assentimur Trago, hanc inodoram facienti. Eiusdem albam odoratam, nigram esse, antea demonstratum.

Falluntur quoque, ut benè notat Cordus, qui Populum albam esse existimant arborem, quæ *Non est Pop. alba.* à Germ. Ein aspen nominatur. Hæc est 3. Populi species à Plin. Libyca sive Alpina dicta. Sed longè turpiùs fallitur Lonic. qui hanc non modò Aspen vocat, sed Aeginum seu Populum nigram quoque dicit, quando ait folia eius perpetuò *Lonic. multiplex error.* tremere. Is etiam lib. 4. cap. 28. huius nomina confundit cum Populo alba & veriore nigra: nunc [c. 29.] pro nigra exhibet: licet non habeat oculos odoratos, qui simile quid cum succino seu Electro fundant, quod ille ineptè vocet das Gummi des Aspenbaums.

Pena & Lob in Advers. suspicati sunt *κερκίδα* Theoph. esse arborem Iudæ: sed Lob. in suis Obs. eam sententiam mutavit, & Populum Libycam dixit. Est quidem *κερκὶς* quædam siliquata apud Theoph. lib. 1. hist. cap. 19. sic enim ait: *Theoph. illustr.* Quædam arbores semen in siliquis inclusum habent, ut Ceraunia, quàm Ægyptiam Ficum vocant, Cercis, & Colutea Liparæ. At in nostro Aldino Codice non *κερκίς*, sed *κοκκίς* legitur: *Cercis alia Theoph.* sicque legendum vult Solerius. At quid Galla seu *κηκὶς* ad siliquas? Scaliger vult legendum *κερωνίς*: Ita & Dal. & Hist. Lugd. Ergo duæ fuerunt Cercides apud Theoph. siliquata, & non *Soler.not.* siliquata de qua hîc agitur: Nam in huius descriptione quæ satis ampla, & paullò ante à nobis adducta, siliquarum non meminit.

Non est Cratægus. Non placet eorum opinio, qui Cratægum Theoph. eandem cum Populo Libyca faciunt. *Tremula unde. Trambula.* Huic propriè competunt illa nomina *Tremula*; *Trambula*, quoniam longis & gracilibus petiolis pendentia folia levissimo auræ afflatu tremunt, tremulúmque excitant murmurillum. Ob eandem causam Gallis *Tremble* & à Belgis Ratelere dicitur. Delphinatibus *Tremon*, & *Tremblen*. Germ. *Nomina Linguar.* Libyscher Pappelbaum Zitterpappel. Sed plerisque Aspen. dicitur nonnullis Heidenoder *Idolorum lignum.* Götzenholtz: id est, idolorum lignum: fortè quòd Idola ex eo sculpantur. Dicitur & Flandris Respenboom: quibusdam Gallobelgis Viesspe. Ital. *Popolo montano*. Angl. Asp / vel popler of the montayne & Asp simpliciter. Scotis vulgò Quacking asp / id est, tremula Populus. Vng. Nyar fa.

Locus. Etsi verò Plin. Populum simpliciter dicat amare montes, tamen id de hac potiss. intelligendum, quanquam & in ulignosis sylvis nasci gaudeat, inter Betulas. Toti Germaniæ & Bohemiæ familiarissima. In Suntcovia propè Basileam, ubi plurima crescit, passim ferè cum plurimo visco observavimus, & Iulos antè folia proferentes, Martii fine. Abundat etiam circa *Tempus.* Montbelg.

Vires & usus. Libycæ Populo easdem facultates cum cæteris tribuit Matth. sed imbecilliores. Tragus suam Populum nigram [ita vocat Libycam] tradit ex quorundam sententia calidæ ac nonnihil siccæ qualitatis esse. Hodiè magni in medicina est usus. Scribit tamen Schvvenckf. Nucamenta Aprili collecta aceto macerata, contra Hemorrhagiam convenienti medicamento imbuta naribus indi.

Ligni usus. Ligni materies quæ candidiss. ac leviss. à tornionibus (inquit Schvvenckf.) expetitur. Ex eadem, propter levitatem Calopodia parantur, & in imagines exsculpitur. Passavantii, Abbatis Murbacensis oppido, Burgundiæ contermino, vidimus detrahi corticem iuniorum arborum ad altitudinem hominis, pro facibus, *Brandons* vocant: quem aiunt ardere facilè, nec minùs *Faces.* lucere quàm faces quæ ex Abietino ligno, aut etiam quæ ex cera & resina, quales cum Ellychnio parari solent. Dal. manu annotatum invenimus, Normannis *du Saule blanc*, dici & nasci in fluentium aquarum ripis, cuius lignum carbonem *Carbonem ad tormentorum pulverem.* præbeat ad conficiendum bellicorum tormentorum sulfuratum pulvisculum optimum. Putamus eum hanc arborem intelligere, aut certè unam ex prædictis Populi speciebus: Fortè albam.

POPVLVS NOVI ORBIS.

CAP. IX.

Descriptio. E Novo orbe, non ita dudum, nec minùs elegantes, nec parum similis arboris ramos prægrandes Angli mercatores, uti referunt Pen. & Lob. in Adu. illinc reversi attulerunt, quorum Morgani dono iconem exhibemus. Virgulta sunt aliquantum flexuosa, & per semipalmum palmúmque crebra, geniculata, veluti insertione commissuráq; partium nodosa, unde exeunt è singulo pediculo singula folia, ora exquisitè rotunda, nec uspiam, nisi qua pediculis hæret, incisa, crassa, rigida, latiora. Arbor *Folia.* Iudæ: cui Populi alternatim exeunt prælongi loculi, stipati acinulis multis exiguis, planè Populi ritu. Quare & hanc Populum Peruvianam *Acini.* vocare visum fuit.

Gustu est perquam astringente, aliquantum calfaciente, subsalso. Eandem Hist. Lugd. exhibet Populi Americæ nomine. *Sapor & vis.*

Est & Populo similis *Tocot-guebit*, ligno summè candorís, resinæ Thuri similis: de qua lib. *Tocot guebit.* seq. inter resiniferas.

In Populi autem genere videntur esse arbores, quæ Camphoram ferunt, Cæsalpini iudicio: Sed *Populi Camphoram ferentes.* de ea lib. seq. In eoque Populi modo magna arbor Tacamahaca Monardis, etiam traditur. *Tacamahaca.* Item Succini seu Electri historia, quam multi Populi lachrymam existimarunt. *Succinum.*

DE ACERE EX VETERIBVS, ET IN GENERE.

CAP. X.

DIsputatur inter Grammaticos cuius generis sit Acer, quidam enim docti uolunt, fœminini

Digitized by Google

minini generis iuxta regulam grammaticalem. Hinc scriptum invenimus in Lexicis: Acer neutri generis contra Priscianum, qui fœminini esse putavit: contra verò Prisciani opinionem testimonia hæc citantur: Ovid. lib. 1. Amor. Eleg. 11.

Subscribam. Veneri fidas tibi Naso tabellas
Dedicat: at nuper vile fuistis Acer.

Idem

Acerque coloribus impar.

Etymon. Acer autem vel Aceris, ut Solinus in suis memorabilibus dicit, sic quibusdam dicta, (nominis ratione longè satis petita, quòd artificum acria ingenia, propter eius materiei præstantiam ac elegantiam exerceat: Vnde Plin. eam ab operum quoque subtilitate commendavit.

Sphendamnum Theoph. triplex Acer. Σφένδαμνος Theoph. Cuius, inquit, alij duo, alij tria faciunt genera. Primum quod communi nomine σφένδαμνον [Scal. σφένδαμον scribit: fortè error typogr. Gaza Acere vertit] vocant id est Acer: alterum, quod ζυγίαν, id est Carpinum: [Gaza utrobique Caprinum vertit, ut aliquid peculiare haberet.] Tertium quod κλινότροχον, id est, lectirotam, ut Stagiritæ vocant. Differunt autem inter se Acer & Carpinus, quòd illi materia sit alba & nervosa: huic flava crispáque. Arbor utraque notabili magnitudine, [τὸ δὲ ξύλον ἀμέγεθες: ampla ambabus materia] Platano utriusque materies in findendo similis, [ἀμφοῖν τῇ σχίσει ὁμοιον τῷ τῆς πλατάνου] rigida, [πεταλόν: possis & lævem & lentam dicere.] sed gracilior, macrior, mollior & longior. Tamen tàm Aceris quàm Platani partes omnes dum finduntur, semper desinunt in mucronem: at non ita mediotenus fissa, [μεσοσχιδῆ] nec ita multùm in summo [ἀλλ' ἀκροσχιδῆ ἐστὶ πολύ. Fortè & dici possit, in ambitu fissa haud ita multùm in mucronem abire.] sed provt eius fuerit magnitudo. [ἵνα δὲ ὡς κατὰ μέγεθος. Aliter Gaza legit: at enim, Multinervia sunt minùs, quàm pro sua magnitudine.]

Cortex. Corticem habet paulò scabriorem, quàm Tilia, livescentem, crassum, habentem naturam fervidiorem quàm Piceæ, [πυκνότερον ἢ τῆς πίτυος: Gaza legit πυκνότερον, spissiori: forte rectiùs.] & qui facillimè flectatur. [ἀκαμπῆ: Gaza legit δυσκαμπῆ, inflecti contumaci: & sanè non est flexilis, inquit Scal.] Radices paucas, sublimes, crispásque magna ex parte tàm flava quàm candida habet.

Locus. Nascitur potissimùm in aquosis, ut Idæi perhibent, inventúque rara est.

Flores. De flore nihil sciunt. [Gaza aliter legit: De flore nasci aiunt fructum.]

Fructus. Fructum fert, non valdè oblongum, Paliuro tamen similem, sed oblongiorem. At verò Olympi incolæ Carpinum [ζυγίαν] montanam magis esse volunt. Acerem verò [σφένδαμνον] etiam in campis nasci. Esse verò nascentem in montibus flavam, & bellè coloratam, crispam ac solidam, quâ ad opera lautiora utuntur. Campestrem verò albam, minùs solidam, minúsque crispam: quam

Gleinos. quidam Gleinon, [γλεῖνον, Bas. Aldin. noster Cod. γλῖνον habet. Gaza Gallicam vertit, quasi γαλάτην legisset] non Acerem [ἢ σφένδαμνον] vocant. Marisque materiem crispiorem esse atque contortam, & in planis maximè nasci, mitiúsque germinare.

Vides quantâ satagentiâ in gratiam studiosorum ex corruptissimo & desolatissimo hoc Theophrasti codicis loco spicilegium istud instituerimus. Cæteri Herbarij, qui ad pompam interdum potiùs, quàm legentis utilitatem Theoph. Græca verba citare consueverunt, has spicas inter tot spinas sublegere non sunt ausi. Et ipsi tamè etiamnum suspensi hæremus, an veras, & ad autoris mentem genuinas tulerimus. Certè ad rem ipsam quàm fieri potuit commodissimè, observatis autoris verbis accommodare studuimus. Attamen vnicus restat scrupulus, qui nos malè habet. Nam illa verba, τὸ δὲ ξύλον ἀμέγεθες aliter Scaliger, aliter Gaza, sed longè aliter Constantinus accipit. Scalig. ad arboris magnitudinem: Gaza ad materiei amplitudinem retulit, sensu quidem seu ratione diversa, reipsa tamen in idem recidente. Et utramque versionem ferri posse putamus. Nam quibus arbores sunt amplissimæ, iisdem & materies ampla. Gaza magis ad rem, (atque utinam sic semper) Scaliger magis ad puritatem respexit. Vterque igitur sequentia, ad materiei naturam, conditionem, ac diuersitatem, ex vulgata lectione, satis quidem depravata, aptavit, sed dispari hercle felicitate. Nam minùs ex Gazæ versione intelligas, quid velit, aut doceat, quàm ex ipso adeò corruptissimo Theophr. textu. Nam quid illud est: venis in longum fluctuat? insolens profectò verbum, atque extra materiam. Græcum est, πεταλόν. Sed quis Oedipus illa intelligat? Omnia eius fissa in acutum compressa abscinduntur. Nec ita semifossa, sed summum potiùs præfissa multinervia minùs sunt, quàm pro sua magnitudine esse debeant. Quæ verborum hîc monstra tàm inepto cohæsu, dubio ac difficili sensu nobis obtrudit? Hoc non est convertere, sed pervertere. Verba ita habent: τὰ δὲ σχήματα ἅπαντα εἰς ὀξὺ συνάγεται: οὐχ ἡ μεσοσχιδῆ. ἀλλ' ἀκροσχιδῆ ἐστι πολύ, ἵνα δὲ ὡς κατὰ μέγεθος, &c. Feliciùs Scaliger, & ad rem explicatiùs, quamvis verborum tenorem non prorsus ad amussim sequutus videatur. Comparat, inquit, Acerem Platano secundùm materiam & fissionem. Et cùm dixit, Acerem findi productiore tractu: tamen inquit, tàm Platani, quàm Aceris partes omnes dum finduntur, semper desinunt in mucronem. Postea addit: οὐχ ἡ μεσοσχιδῆ. ἀλλ' ἀκροσχιδῆ ἐστι πολύ. Gaza: Nec ita semifissa, sed summum potiùs præfissa. At semifissa neque in ea arbore, neque in aliis angulum efficere queunt. Omnia tamen εἰς ὀξὺ συνάγεται. Et præfissum est, antefissum. Igitur quid est? non enim dicas, ut præfixum cuspide robur. Itaque sic interpretare. Nunc arboris partes partibus comparari: imam, summam, mediam. Imam in mucronem abire: ubi finditur. Mediam partem non ita. Summum autem esse σχιστόν. Tamen haud ita multùm: neque id evenire merito nervorum. Ibi quoque obtinere nervos pro ratione crassitudinis. At in longè alium sensum ista omnia trahit Constant. nempe ad folium refert. & ἀπὸ τοῦ ξύλου. periculosa, ut ille ait, verbi depravatione, necessariò reponendum esse φύλλου. Sic verò & infra Theoph. πέταλον φύλλον dixisse de Mespilo: id est, folium non laciniosum, non rugosum, sed tentum sive explicatum & expansum, vel extentum & exporrectum. Et σχήματα, ut infra, corruptè pro σχίσματα μεσοσχιδῆ. Intelligere in foliis Aceris fissa non ita profunda esse, atque sunt in foliis Platani. Pro ἀκροσχιδῆ ἐστι πολύ. ἵνα δὲ &c. sic emendat: ἀκροσχιδῆ ἐστι πολύνευρα δὲ, &c. Intelligere eum, nervorum numerum folij non respondere magnitudini. Oppidò sanè ingeniosa ac docta correctio & explicatio, quámque Scalig. ne subolfecit quidem. Et res sanè ipsa non repugnat. Quamvis autem tolerabilis utraque nobis videatur, ac nihil præter rationem tradere: Posteriorem tamen faciliorem planiorémque censemus.

Theoph. Gaza, Constant. illustr. Vt differant. Lectirota. Carpinus.

Gaza obscurum Theophrasti locum obscuriorem reddit.

Theoph. Gaza correct.

Sed iam nobis observatas Aceris differentias specialiùs tradamus.

ACER VVLGARE MINORI FOLIO.

Descriptio. Acer minor sylvis & sepibus nota arbor, caudice ramisq; est plurimùm sulcatis rugosisque, *Materies.* materie alba, satis fragili, & fissili medulla in medio farcta: ramuli minores adverso plerumque situ, coniugatim oriuntur. Ramorum tenuiorum *Cortex.* cortex tenuis, fuscus, qui unguibus facilè abraditur, subest alter etiam tenuis, flavescens. *Folia.* Folia Hederæ foliis quodammodo similia, quintuplici divisurâ primariâ incisa, in principio tenera molliáque, quo tempore lactei quiddam fundunt: temporis progressu rigidiuscula, pediculis longis virentibus aut rubescentibus hærentia. *Flores.* Flosculi simul multi ex pediculis lanuginosis interdum ramosis, muscosi, in novem, decem aut undecim segmenta hirsuta coloris herbacei divisi, stamina virescentia aut rubentia apicibus luteis unà cum stylo bicorni obvallantia. *Semen cum fructu, seu conceptaculo.* Semen conceptaculo gemino alis papilionum aquaticorum expansis figurâ simili hirsuto recluditur, in extremis membraneo, quà coitus est alarum, turgidulo & nonnihil elevato, intus duro ac penè osseo, cavo, in qua cavitate semen medullosum & virens *Sapor.* vel pallescens latitat, saporis subastringentis, non ingrati tamen. Astringentior est sapor corticis & foliorum, nec sine amarore.

Sic habet Varro l. 1. c. 8. ubi docet, qualis arbor cuique Vitium generi sit maritanda: Quartum [vitium genus] arbusta, ubi traduces possint fieri vitium, ut Mediolanenses faciunt in arboribus, quas Opulos vocant.

Columella verò: Est & alterum genus arbu*Rumpotinum.*sti Gallici, quod vocatur Rumpotinum. Id desiderat arborem humilem nec frondosam, cui rei maximè videtur idonea Opulus. Ea est arbor *Opulus.* Corno similis. Pleniorem Opuli descriptionem non invenimus. Sed cur Corno comparat, arbori fronde dissimillimæ? Turner. autem *Colum. illustr.* dicit eum non foliorum similitudinem, sed arboris magnitudinem & materiem respexisse.

Plin. locus emend. Vitiosè apud Plin. ut dicebamus, legitur Populus, pro Opulus, lib. 14. capit. 1. dum ita scribit: Rumbotinus vocatur & alio nomine Populus [lege Opulus] arbor Italiæ Padum transgressis, cuius tabulata in orbem patula replent, puróque producto dracone in palmam eius, inde in subrectos ramorum digitos flagella dispergunt.

Thesaur. err. Thes. ling. Lat. Rompotinus legit: sed fallitur, dum αἴγειρον, hoc est Populum nigram, putat, mendoso Plin. codice deceptus.

Ex hoc Plin. loco Cordus Opulum Rumbotinum dixisse videtur, si modò & is Opulum *Rumbotinus arbor.* legit. Idem tamen Plin. l. 24. cap. 19. ait: Rombotinum arborem demonstravimus inter arbusta. Iuxta hanc viduam vite nascitur herba &c: *Rumpotinum quid.* Est autem Rumpotinum arbustum Gallicum arboribus humilioribus & minimè frondosis consitum, eáque re ab arbusto Italico differens, ut annotat Dal. qui addit l. 14. cap. 1. Rumpotinum in arbusto Opulum dici. Vulgò Gallis *des Hautins.*

Sed mirari subit cur Colum. Opulum arborem humilem nec frondosam dicat, cùm ex priore Plinii loco, quem Opulum intelligere non dubitamus, patulam esse non obscurè constet. Respondendum, arborem, si excreverit, patulam non malè dici. At si Rumpotinum cultu fiat, ad maritandas vites, humilem esse nec frondosam. Talem Colum. dixit.

Quod verò Aceris genus intelligat Turner. nescimus, dum sic annotat: Quæ mihi à viris doctis in Italia ostendebatur pro Opulo, folium habet Aceris laciniatum, sed obtusiore mucrone quàm Aceris. Referebat mihi Conr. Gesnerus Gallis *un Opier* nominari. At nos scimus *Opulus Turnero.* Gesnerum pro Opulo demonstrasse Acerem minorem passim obviam, de qua hic agimus. An aliam intelligat Turn. inquirendum.

Ruell. taxat. Ruell. suo more, veterum historias cum suis miscet, ac pro suis obtrudit toto suo capite de Acere, ut difficile sit intelligere quam plantam tradat: nomen tamen Gallicum *Erable*, quod apponit, convenit nostro Aceri, an item descriptio, lectoribus iudicandum relinquimus. Nullum nobis Aceris genus forma & magnitudine Tiliæ notum, cortice paullò scabriori quàm illa, sublividóque, crasso & flecti contumaci, quale ille describit, aut potiùs fingens malè transscribit.

Car. Steph. ignorantia. Ruellium imitatur Carol. Steph. qui parum in cognitione Aceris se versatum demonstrat, nesciens Platanum Gallicam esse ex genere Aceris, ac præterea *Charme* Gallorum Zygiam dicens & Aceris genus.

Curtius. Est inquit, apud nos nos, [Gallos] *Arablum.* siquidem hæc sit, quàm nos Arablum vocamus, folio Platani, verùm longè minori, quæ & in amplitudinem minimè nascitur, ex cuius tantùm materie arcus fabricantur.

Acer Trago varium. Adhuc exactiùs Tragus: Acer folia habet elegantissima, saturatæ viriditatis, dissecta, Saniculæ similia: cortice vestitur duro & incano, modò humilis, modò magnitudine insigni: Lignum annosum crispatur: fructum fert Orneoglósso similem. [id est, Fago sepium.]

Quidam inter doctiores Acerem Germ. Ahorn interpretantur, propterea quòd Acer non in omnibus locis Maßholder, sed Ahorn vocatur: cùm tamen Ahorn alia sit arbor [videl. Acer maior] Alii vocem Maßholder, quam Tragus Aceri adiungit ad Sambucum aquaticam referunt. Idemque Tragus huic nostro Aceri in hist. Germ. hæc nomina tribuit: Schreiberholtz & Schreiberlaub.

Lonic. confusus. Lonicero γλεῖνος Acer, Ahorn, prima species campestris, Acer Gallicum, alterum alpinum, Carpinus 3. & Zygia. Et Ahornbaum non multùm dissimilem dicit à Linden seu Tilia. Quosdam tamen, addit, velle Ahorn esse Platanum & Maßholder esse Acer. Pro Ahorn & Acere ponit figuram Sambuci racemosæ, quam & alio lo*Sambuci*co ha-

Zygia, Carpinus, Aceris species minor, Opulus, Rumpotinus.

eo habet: deinde acerē maiorem minoremq; confundit, ac seq. cap. etiam Platanum: ubi figura, quam ponit, potiùs competere videtur Aceri minori, quàm vocat Maßholder: rursúsque Platanum & Chamæplatanum variè miscet.

Gesn. scribit Aceris species tres apud se [Tiguri in Helvet.] inveniri in sylvis ac montibus: inter eas etiam Zygiam à Theoph. nominatam: nescire se quàm rectè Gaza Carpinum vertat. Aceris speciem minorem Opulum & Rumpotinum appellat. Et alibi: Opulum Aceris speciem minimam, alio nomine Rumpoti num dici ait.

Hic tamen notandum Colum. distinguere Carpinum ab Opulo, licet Rob. Const. ut antè dictum pro iisdem ponat.

Acer tenuifolia. Acer 2. genus. Sycomorum.

An Anguil. Aceris 2. species ζυγία, quam in Lombardia *Oppio* dici scribit, addens lignum eius luteum, folia minora esse [quàm in dicta Asari sive Acere maiore nobis] fructum etiam minorem. Ambas tamen figura similes? Acer tenuifolia Thalio. Acer communis, Theophr. Sphendamnos Pen. & Lobel. Σφένδαμνος πεδινή, id est, Acer Campestris Dod. Aceris 2. genus minore folio, firmiore materia, crassiore cortice Clus. quod ab imperitis in Gallia *Sycomorum* nuncupari tradit

Plane. Opulus montanus, Mas Fœmina.

Hist. Lugd. tria Aceris genera Gallis nota proponit: Acerem montanam: cuius duo genera facit, unum Candidum, quod Alpini, Averníque *Plane* appellant: alterum flavum seu crispum, quod Opulum montanum dicit. *Erable madrè* & *Erable iaulne.* Traditque hodiè quoque lignatores Sequanos Acerem montanam marē fœminaque distinguere, colore magis flavo in mare, pallidiore in fœmina, *&c.* Verùm non placet ab eadem H. Lugd. Acer seu *Erable* Gallorum

Hist. Lugd. repreh.

Italicè *Pied'occa & Platano aquatico* dici: immò hæc nomina Italica nulli Aceri nec maiori neque minori convenire putamus. Figuræ etiam in eadem transpositæ. Supra eam quæ habet titulum Acer Campestre ponendus titulus Aceris montani, & vice versa.

Acer campestre.

De hoc nostro intelligenda eadem cùm inquit: secundum Aceris genus est Acer campestre, sive in planis nascens: veteribus Opulus campestris: hodiè Insubres *Opulo* vocant, & ea ad maritandas vites utuntur, quas coniugatas *Hautains* vocant: nos *Erable m.l* & *Erable madrè.* Sed figura quæ pro Acere montano apud eandem posita est, uti dictum, ad hæc nomina pertinet.

Nom. Linguar. Gesn.

Taber. Acerem minorem non distinguit à maiori, & miscet nomina cum Platano. Germ. Teutsch Ahorn vocat: Schuvenckf. Leinbaum: Milchbaum & κληνότρεχα antiquorum. Vulgo maßholder baum / & Ahorn/ uti dictum: Belg. macshouteuboom / macshout: Gal. *Erable, Opier* Ital. *Acero, Arefe.* Hisp. *El-Azre, Elafre.* Angl. *Ople tree* vocari posse ait Turn. licet in Anglia non viderit, Vngar. Iharsa teste Clus.

Locus.

Cordus notat, nasci iisdem locis, quibus Vlmus. Et sanè apud nos passim sepes tàm hac quàm Vlmo stipatas videas: gaudet præruptis & sylvosis. Humili statu contenta, vix supra homi-

Humilis.

nis altitudinem attollitur caudex: reliquum non nisi virgæ & exigui rami, aut certè brachia haud magna, nec alta, nec multùm sparsa: nō tamē frutex est potiùs, quàm arbor, ut Tragus putat, fruticis nomine abutens. Aliquibus tamen locis etiam in proceram arborem grandescit, ut in quibus-

Arbor magna.

dam tenebrosis VVasgoæ sylvis ac in comitatu Bidiscensi tantæ magnitudinis repetitur, ut ædificiis vel maximè inservire queat, teste Trago. In Helvetiæ & Silesiæ etiamq; Lotharingiæ ac Burgundiæ editis collibus ac montosis locis passim occurrit: in planis verò ut plurimùm inter sepes & fruteta. Circa Verbanum lacum & aliis Lombardiæ quibusdam locis, ut & in Sabaudia, potiss. circa Genevam maritatur vitibus, in locis campestribus, arvis, pratis: Eiusmodi vites vocant *Vtin* Vnde *Vina-d'Vtin*, quæ ibi celebrantur. *Vtin.*

Floret Aprili & Maio: fructum fert messis tempore: at maturum Septemb. *Tempus.*

In Burgundia & circa Montbelgardum Viscum ferens non semel vidimus. *Viscum.*

Satio.

Oculi meliùs cacuminibus, in arbusto protinus deponūtur. Colum. Nam ferè [inquit idem] ita constitutum Rumpotinetum animadverti, ut ad octo pedes locis siccis & clivosis, ad duodecim, locis planis & uliginosis, tabulata disponantur. Plerumque autem ea arbor in tres ramos dividitur, quibus singulis ab utraque parte complura brachia submittuntur: tum omnes penè virgæ, ne umbrent eo tempore, quo vitis putatur, abraduntur. Arboribus rumpotinis si frumentum non inseritur, in utramque partem viginti pedum spacia interveniunt. Cui rei maximè videtur idonea Opulus. Verùm quia raram, neque idoneam frondem pecori præbet, à plærisque repudiata est. Quod mirum. Nam ut idem Colum. scribit, ad arbustum Gallicum, quod vocatur Rumpotinum, desideratur humilis, nec frondosa, qualem Opulum esse idem testatur. Ceterùm quâ ratione arbusta ad sustentationem Vitium seri ac coli debeant, ad longum descriptum habes in Vlmo.

Rumpotinetum. Cultus ad Vitiū sustentationem.

Aceris radix. Plinio prodente contusa [è vino c. H.] iocinoris doloribus utilissimè imponitur. Serenus idem testatur hoc carmine, nisi quòd hic in potu det: *Vires & usus. Iecoris dolor.*

Si latus immeritum morbo tentatur acuto
Accensum tinges lapidem, stridentibus undis.
Hinc bibe: aut Aceris radicem tundis & unà
Cùm vino capis, hoc præsens medicamen habetur.

Tragus, Dod. Curtius huic Aceri easdem has vires ascribunt, quos & nos secuti sumus. Habent semina & Cortex Vlmo similes qualitates, si Cordo credimus.

Ligni usus.

Gesn. lignum perennis durationis dicit: quòd cùm maximè annosum fuerit, undatim crispatur. Plærumque apud nos lautioribus dicatur supellectilibus, utpote orbibus, mensisque, ut annotat Tragus, qui præterea addit. Qui venationi student, ij accipitres, quos ad prædam instituerunt, ad baculum seu vectem ex Acere assuefacere solent, ut illi insideant. Quâ verò hoc faciant ratione, ipsi norunt proculdubiò. *Vtensilia. Ad Venatum accipitrum.*

ACER MONSPESSVLANVM.

Descriptio Cortex.

ACER Monspeliense, arbor est mediocriter procera, ramis latis explicatis, cortice quodammodo purpurascente, folio Aceri vulgari simili, in tres tantùm cuspides sive angulos diviso, crasso, venoso, ex longo pediculo pendente, paribus intervallis utrinque sito: fructu gemino, membranulis duabus cohærentibus, alis muscarum similibus. Aceris 3. genus, inquit Hist. Lugd. nominavimus, quòd in sylva Monspeliensi, urbi vicina, Valena nuncupata provenit, Aceris vulgaris penè figura. Hoc Aceris genus quidam esse aiunt, quod Plin. in Istria, Rhætiáque præcipuum esse tradidit, crispo macu-

Folia. Fructus. Aceris 3. genus. Locus. Istriacum & Rhæticum.



Pavonaceum. larum discursu; quod à similitudine caudæ pavonum nomen accepit, de quo antè: horum opinioni, nec assentimur, nec repugnamus, addit Hist. Lugd.

De hac eadem fortè Pen. & Lobel. Aceris [videl. maiori] congener, infrequentior Septentrioni: quæ fortè apud Theoph. zygia sit, tametsi & frigidis proficiat: folio & fructu minùs lacinioso minore: flavente intus ligno.

ACER MAIVS: MVLTIS FALSÒ PLATANVS: IDque duplex.

Descriptio *Cortex.* *Materies.* *Folia.* *Sapor.* ACER maius arbor speciosa & procera, rubenti cortice intectis ramis affatim brachiata: materie alba, nec multùm renitenti: foliorum verò ampla latitudo, quæ vitigineam, aut Aceris vulgatissimi forma, licet acutiorib. laciniis quinque prædita suprà atrovirentia, infrà penè incana, utrinque glabra, sapore adstringente cum amaritudine, cum Septentrionalibus populis per æstivos soles præcipuam init gratiam: *Flores.* Flores muscosi, ex herbido albidi, caliculo continentur lanuginoso. At alati fructus ex vulgari cognitu sunt faciles, per omnia maiores, ex longo pediculo *Fructus.* pendentes plures, sed singuli bini foliacei, bipennem expensam & inversam, ut pulchrè Adv. comparant, aut papilionis aquatici alas imitati, *Nuclei.* nucleos in medio quà alæ coeunt itidem gemino utriculo duro satis continent, magnitudinis seminum Arantiorum albicantes, gustui non gratos.

Alia Varietas. Est & alia varietas, prædicto foliorum amplitudine minimè cedens, nec tam altis sinuum divisuris, nullis item serraturis, sed extremorum acutie exquisitissima, ut cum quavis etiam acicula certet, pari nervorum divisura, sed minùs frequenti inferna parte: non incana sunt, ut prædicti, folia, sed dilutè viridia, splendicantia: superna, saturatiùs viridia, non tamen adeò, ut priora. Tota cæterùm folii facies mollior, delicatiorque, longioribus etiam hærent pediculis; quale Basileæ circa Dornacum, & in Ducat. VVirtemb. circa fontem admirabilem propè Boll observatur. An in flore & fructu quoque sit aliqua diversitas, nondum observavimus. Eius folium in medio tabellæ seorsim pictum. Eleganter eius ramum cum fructu quoque pingit Camer. in epit. Matth.

Falluntur, quicunque Ahorn dictam Germ. arborem Platanum esse contendnut: ea enim Acer est, ut & nobiscum testantur Cordus, Turner. Gesn. & doctissimi quique. *Non est Platanus* Eo tamen errore decepti fuerūt plures, ut *Cardan*: dum in lib. de var. rer. ita scribit: Id magis mirum, solà curà Platanum, quæ vix in Italia ob negligentiam videatur, in Anglia & Scotia esse frequentissimam. Numeravimus in viridario Monachorum D. Augustini, quod in suburbiis Edimburgi est, suprà viginti Platanos, quarum quædam 30. pedes superabant, & tamen ea regio est frigidissima. Id ergo contingit partim diligentia, partim (ut ille putat) maris propinquitate, adeò ut hyemes ea regio mitiores habeat. Delectari, autumat eos hac arbore, quòd folia Vitib. tàm similia habeat, ut cùm vidisset surculos plantatos, existimarit Scotos vites colere: Itaque veluti amatores, quod verè possidere nequeunt, imaginibus imitantur. Habet autem cùm Vite affinitatem non solùm in foliis, sed etiam in pediculis sarmentisque, quòd cum vitibus adolescant, iisque gaudeant: vel potiùs hæ illis. Rectè igitur Scoti fecisse videntur, ut cùm paucas arbores istud solum ferat, eam delegerint colendam, quæ omnium sit pulcherrima. Eodem studio fermè Angli, suis sylvis eas inserunt, ut cùm fructiferis fermè carendum sit, non fructiferarum formosissimam delegerint. Hæc omnia inquam de Acere nostro maiore intelligenda sunt, neutiquam de Platano, quàm cùm non novisset Cardanus, Acer putavit *Cardanus reprehen.* & asserere ausus est: parum profectò in eò subtilitatem suam demonstrans.

Ast & Tragum, industrium alioqui Herbarium, hunc eundem errorem sibi imponere passum valdè miramur. Ita enim cap. ult. quod est de Platano, suæ hist. infit. Platanus inter Fraxinos humectis & altissimis montibus provenit, ideò fit ut à rusticis incolis VVasgoiæ & Mediomatricibus Fraxinis accenseatur, sed perperàm. Siqui- *Fraxinus.* dem folia gerit Vitis Viniferæ aut Ricini similia, pediculis suffulta rotundis, longis, tenuibus & rubentibus. Quædam in hoc genere arbores 1. Maio mense florent: aliæ non florent, nullúmque ferunt fructum: German. dicitur Ahorn & 2. Waldescheren/ & Buchescheren. sylvestre eius genus nonnullis Leinbaum. Hæc ille. Quæ om- *Tragus not.* nia ad Acer nostrum pertinent, atque fortè etiam ad geminum, à nobis descriptum: ut etiam Tragum Platanum cum Acere confudisse certum sit.

Immò ipsi adeò incolæ quidam Penæ & Lobelio prope Oxoniam asserverunt etiámque ostenderant hanc, rati esse Platanum, ut ipsimet in scripta retulerunt. Vt iam nemini mirum esse debeat, & à Crusio & à Frischlino in studio her- *Crusio & Frischlini error.* bario non versatis in suo nomenclatore Platanum Ahorn eodem errore converti. Sanè & Du Choul in descript. montis Pilati, cùm folia eius *Du Choul. lapsus.* similitudinem quandam habere videret, cum foliis Platani, huius speciem dicere ausus est. Sed perperàm.

Sic & nomen vulgare Gallicum, *Plasne*, multos in eam opinionem duxit, esse Platanum, cùm sit species Aceris, inquit Bellon. Hoc nomine communi, *Plasne*, (addens) totam Galliam deceptam fuisse

Digitized by Google

fuisse, & doctos viros. Idem paulò pòst: Speciem Aceris [d'Erable] plurimi communi consensu dixerunt Sycomoron, quum tamen Sycomorus sit admodum rara.

Ostenditur apud nos, inquit Ruellius arbor Sycomori (ut aiunt) nomine, frondosa, Moro non dissimilis, conspectu, folio, magnitudine: sed neque germinibus, neque ramis quicquam provenire deprehendimus: nisi quippiam ineunte vere, cùm parturit, veluti nucamentum prælongum. Fructum foliacea siliqua, inflexu ferè falcato, gerit. Sed scalptu vulnerata, nihil remittit lactis, cùm vera Sycomorus æstate multa lactea scateat saliva.

Car. Steph. verò in suo seminario sic ait: Visa est nobis Sycomorus Parisiis in horto Gotofredi cuiusdam Pharmacopolæ diligentissimi herbarum & arborum, quæ apud nos rariores sunt, indagatoris & cultoris. Item in arbust. Platanus apud Græcos & Latinos nomen retinet à foliorum & umbræ latitudine: propria appellatione apud nos caret, quanquam etiam in Gallia conspiciatur, omnibus incisam arboris speciem denarrantibus, & nomen eius ac naturam ignorantibus. *Sicomorus Parisiis.*

Vidimus & ipsi Lutetiæ, quæ non alia est, quàm Aceris genus maius. Hæc est fortè apud Gesn. Zygia montana, quæ Bellonio Lutetiæ crevit, & Acer maius. Gesner. quoque tradit Ruellium Acer montanum pro Sycomoro descripsisse: illudq; Allobrogibus *Plane* dici: Helvetiis vulgò Lynbaum: cuius truncum femoris ferè crassitudine, quatuor pedes & ampliùs lõgũ, superna parte abscissum, proximo vere plantavit prato mediocriter humido, quem mox æstate pulchrè germinasse scribit: ita ut perfacilè eam crescere & durare appareat. In epist. ad Io. Caium Britannum notat, folium quod hic ei misit pro Platano, omnino Aceris esse, vulgò Gallis *Plaine* dicti, nomine ad Platanum alludente, eâque voce quosdam deceptos Platanum credidisse. Olim Gesn. eam vocabat γλῖνον Theoph. *Zygia montana.* *Suisa.* *Glinnos.*

Tertius error est Cornarij, qui dum sibi persuadet Tiliam esse Platanum, vult Acer maius esse Tiliam, quàm sibi persuadet citò putrescere: sed præstat eius proferre verba, ne indicta causa, condemnatus videatur. Tilia & Philyra inquit, nisi penitus fallor, est ea arbor, quæ nostris Ahorn appellatur, permutatis omninò nominibus, contrà quàm hodiè fieri solet. Theoph. ad fabricandas naves deterrimam esse dicit Platanum, eò quòd citò putrescit. Quibus verbis confirmatur id, quod dixi, Platanum esse quam Germani Linde vocant. Nam lib. 5. Philyram ad tabulata longarum navium probat. Platanum autem alibi ad eadem improbat. In summa itaque, quicquid Theophr. de Philyra, quicquid Plin. de Tilia dixit, id omne ad arborem Ahorn nostris dictam, pertinere mihi videtur. Quicquid verò de Platano uterque dixit, id ad eam, quæ nostris Linde vocatur. Plin. tamen non satis sibi constat, sed Philyram Theophr. cum Phillyrea Diosc. confundit. Hæc Cornar. Qui ut non malè in principio ominatur, penitùs fallitur, estque penitùs erronea hæc eius opinio. Sciscitati sumus à peritis sculptoribus, quo ligno uterentur ad simulachra: responderunt, Tilia, & non Acere teredini obnoxio. Sanè Mesocomi Alsatiæ in splendido & claro fœminarum cœnobio Anno 1604. quo hæc commentamur, totam passionem Salvatoris nostri industriè sculpserunt ex Tiliæ ligno, non ex Acere, quod tamen ibi abundat. *Error Cornarij.* *Acer teredini obnoxium.*

Reliqua quæ Corn. adducit, verba sunt, non rationes.

An Anguil. σφένδαμνος propriè, id est, Acer, vulgò *Asari*, ex quo parantur orbes & vasa & similia ob ligni candorem. Rob. Const. ab hac *Asari* separat *Plane* Gallicè dictum & suam *Plane* idem facit cum *Pied'oca* Anguill. uti iam diximus, quæ nobis videtur *Sambucus aquatica*. *Sphendamnos.* *Rob. Const. not.*

Pena & Lob. hanc Aceris speciem illam dicunt, quam κλινότροχον antiqui vocarunt. At Lob. in Obs. κλινότροχον Anguil. dici ait, quasi pœniteurit eum in Adv. κλινότροχον cum Pena fecisse. Addit Ital. *Pied'oca*, & *Platano aquatico* dici: duasq; habet figuras unius huius plantæ. Non. a. putamus Anguil. hanc intellexisse arborem, sed Sambucum aquaticam. *Clinotrochos.* *Lob. not.*

Lonicerus Ahorn & Acer hoc maius cum minore confundit.

Dodo. in hist. Gal putat esse ζυγίαν & Lat. Carpinum. Aceris 1. speciem, & maiorem vocat. Et in Lat. propriè σφένδαμνον dictam censet: ita & Cæsalp. & Camer. qui hanc vulgatissimam dicit. *Zygia. Carpinus.*
Acer latifolium ab imperitis Platani nomine donatum Clusio. An Acer maius Camer. in hort. cuius turiones etiam lacte scatere ait. Is in epit. Matth. de secundo à nobis tradito, quod non distinguit à priore, scribit: Acer maius, nonnullis Platanus Germanica, aliis Carpinus Plinij, Græcis, σφένδαμνος, Gallis, *Plasne*, Teutsch Ahorn & Waldeschern Germanis: Alijs verò Ahorn simpliciter. *Acer latifolium.*

Tabern. manifestè Acer hoc cum Platano confundit: præterea non distinguit Acer maius à minori: nec ponit descriptionem nec figuram maioris. Bohem. Kref. Vulgar. Jauorsa. Sclavon. Kleb. Reliqua linguar. nomina & huic convenire possunt, si ad differentiam addas, maius. *Tabern. lapsus.*

Tres Aceris species nobiscum agnoscunt Gesn. Hist. Lugd. & Camer. qui in maiorem, mediam & minimam distinguit: ac maiorem hanc vulgatissimam dicit. Sed quæ eius media? *Differentia.*

Schuuenckf. ita distinguit: Acer maius Σφένδαμνος Theoph. Dod. Acer montanum, Ahorn, Ein Vele / Urlenbaum Sil. Arbor alta montibus propria, Opulus Gesnero. 2. Acer crispa, Acer Bruscum, intortius crispum: ζυγία Theoph. Bellonio: Urlener Flader syl. in montibus celsis nascitur: non adeò frequens. 3. Acer simpliciter: Acer mollius cum simplicius sparsum Plin. Schlechter Flader. At non docet Schuuenckf. an tres distinctæ species & in quo differant, vel an tantùm varietas in ligno. Tragus sanè Acer crispum facit varietatem tantùm ligni Aceris vulgaris: nos verò vidimus Aceris maioris lignum valdè crispum & fissum crispitudine asperum. *1 Acer maius.* *2 Crispa.* *3 Acer mollius cum Schuuenckf. not.*

Humectis & altissimis montibus gaudet, interque Fraxinos provenit, solo pingui & spisso, in Burgundia, & iuxta Blamontium Ill. Ducis VVirtemb. arcem, ubi abundat & aliis montibus vicinis. Basileæ propè Campum Sclopetariorum: sed in monte prope Leurach & in Wasserfall Aquæcida monte copiosè: prope Riehen pagum ditionis Basil. Genevæ in monte *Saleve*: in ditionis VVirtembergicæ multis montibus: in saltu Viennensi & aliis vicinis sylvis: Lutetiæ & in Anglia atque Scotia alibique locorum, umbræ causa, quam facit magnam, ad æstivos Soles excludendos, in hortis & viridariis colitur. In horto Montb. etiam nostra cura plantata. Dodon. in alpibus & Brabantiæ quibusdam locis nasci scribit. *Locus.*

non eadem omnia in eodem agro rectè possunt. Ast Bellon. postquam de Cortina Cretæ locutus fuisset, addit: in Valle ad fontem nascentes Platanos omnes esse deciduis foliis. Sententiam ferent, qui ista loca inhabitant.

Non esse perpetuo folio.

Neque sterilis est Platanus, ut Virgilius ait Georg. 2.

Et steriles Platani Malos gessere valentes.

Virgil. explic.

Platanus autem sterilem dici à Virg. quia fructum non ferat, qui homini sit edendo. Nam (ne quis fortè putet, antiquos aliam intellexisse Platanum) Theoph. Platanum manifestum semen habere scribit, & ex eo nasci. Hæc ob solam umbram, potatoribus præsertim, olim erat in deliciis, unde Virg.

Platanum non esse sterilem.

Iamque ministrantem Platanum potantibus umbram.

Platani umbra olim potatoribus expetita.

Et Horat. Od. 11. l. 2.

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu iacentes, &c.
Potamus uncti?

Tantus autem huic arbori olim habebatur honos, ut mero infuso enutriretur.

Olim honoratissima arbor.

Considet sub Platano disputaturus Socrates cum Phædro apud Platonem: & apud Cic. 1. de orat. Crassus cum Scævola, Antonio, Cotta, Sulpitio. Vmbriferam dixit idem ex Homero. Et Genialem, quòd sub ea convivari veteribus mos esset. Vnde Genium Deum eius foliis coronatum tradunt.

Sub ea disputabat Socrates. Vmbrifera. Genialis.

In Lydia Xerxem Herodotus scribit Platanum comperisse, quam ob pulchritudinem monili aureo donaverit, & custodiendam mandaverit uni ex immortalibus. Idem & Ælianus. Diē integram sub ea consumpsisse tradunt nulla postulante necessitate, castráque sua circa Platanum in solitudine posuisse: tuendamque viro delegasse immortali. Immortalis autem, uti notat Cæl. Rhodig. non hic intelligitur, quia planè nunquam moreretur, sed unus ex iis, decem millibus ex Persis in militia delectis. Hi dicebantur immortales: quoniam si quis eorum aut nece aut morbo numerum minvisset, confestim substituebatur alius, nec unquam plures erant paucioréſve decem millibus. Erant item præcipuo inter omnes cultu decori, & eodem omnium præstantissimi.

Monili aureo donata.

Immortalis qui Persis.

Sed & proditum invenimus eundem Xerxem auream sibi Platanum fundi iussisse, quæ antimimos foret, id est, amatam effingeret, lenirétque æstvationem mentis ex illius absentia.

Aurea Platanus Xerxis.

Memorabilis etiam fuit aurea illa Platanus. Dario donata: ut scribit Herodotus, quam Cyrus devicta Asia, ut refert Plin. invenit. Hæc *περίγυος*.

Darii aurea Platanus.

Θερειλέχεα πλάτανον Nicander vocat, quòd æstate, *τοῖς αναπαυομένοις* lectum ac cubile umbra frondis suæ præbeat. Verba in Theriacis hæc sunt. *Σφαίρη τε θερειλεχέ@ πλατάνοιο*: id est, Sphæra quoque thorum præbentis æstate Platani. Interpres locum eum enarrans, illud *Θερειλεχέ@* pro umbrosa posse accipi, tradit: quoniam latissima sint eius arboris folia, ut opacissimè contegant æstivo tempore: vel (inquit) quia thorus ex numerosis foliis confici abundè possit eodem tempore.

Sed quis [inquit Plin.] non iure miretur, arborem umbræ gratia tantùm ex alieno petitam Orbe? Platanus hæc est, per Mare Ionium in Diomedis insulam eiusdem tumuli gratia primùm invecta: inde in Siciliam transgressa, atque inter primas donata Italiæ: & iam ad Morinos usque pervecta, ad tribunatium etiam pertinens solum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant. Dionysius prior, Siciliæ tyrannus, Rhegyum in urbem transtulit eas, domus suæ miraculum, ubi postea factum Gymnasium: [idem & Theoph.] nec potuisse in amplitudinem adolescere, & alias fuisse in Italia, ac nominatim Hispania, apud autores invenitur. Hoc actum circa captæ (Capuæ M.) urbis ætatem: tantùmque postea honoris increvit, ut mero infuso nutriantur: Compertum id maximè prodesse radicibus: docuimúsque etiam arbores vina potare. Celebratæ sunt primùm in ambulatione Academiæ Athenis cubitorum XXXVI. unius radice ramos antecedente. Nunc est clara in Lycia gelidi fontis socia amœnitate, itineri apposita, domicilii modo cava LXXX atque unius pedum specu, nemoroso vertice, & se vastis protegens ramis, arborum instar, agros longis obtinens umbris. Ac ne quid desit speluncæ imagini, Saxea intus crepidinis corona muscosos complexa pumices: tàm digna miraculo, ut Lucinius Mutianus ter Cos. & nuper provinciæ eius legatus, prodendum etiam posteris putarit, epulatum intra eam se cum duodecivesimo comite, largè ipsa toros præbente fronde, ab omni afflatu securum, optantem imbrium per folia crepitus, lætiorem, quàm marmorum nitore, picturæ varietate, laquearium auro, cubuisse in eadem. Aliud exemplum Caii principis, in Veliterno rure mirati unius tabulati laxísque ramorum trabibus scamna patula, & in ea epulati, cum ipse pars esset umbræ, (circumspatsa ipsius umbra) XV convivarum ac ministerii capace triclinio, quam cœnam appellavit ille nidum.

Vmbra vectigal.

Olim mero nutrita.

Mutianus epulatus sub Platano cum 18 comitibus.

Aliud exemplum.

Est Cortinæ [addit idem Plin.] in insula Creta iuxta fontem Platanus una, insignis utriusque linguæ monumentis, nunquam folia dimittens: statimque ei Græciæ fabulositas superfuit, Iovem sub ea cum Europa concubuisse: Ceu verò non alia eius generis esset in Cypro: sed ex ea primùm in ipsa Creta (ut est natura hominum novitatis auida) Platani satæ regeneravere vitium: quandoquidem commendatio arboris eius non alia maior est, quàm Solem æstate arcere, hyeme admittere. Inde in Italiam quoque ac suburbana sua, Claudio Principe Marcelli Eserni libertus, sed qui se potentiæ causa Cæsaris libertis adoptasset, spado Thessalicus, prædives, & meritò dici posset is quoque Dionysius, [fortassis ob vineta multa & ampla, quæ possidebat. D.] transtulit id genus. Nanque & Chamæplatani vocantur coactæ brevitatis: quo arborum etiam abortus invenimus. Hoc quoque ergo in genere pumilionum infelicitas dicta erit. Fit autem & serendi genere & recidendi. Hactenus Plin. de Platano, qui ei latissima folia cum Fico & Vite tribuit, & Platani quoque specialim angulosa dicit: eiúsque umbram iucundam, quanquam crassam & Paulinus: Nam Platanus ramos expandit in umbras. Est & illud Elogium eius apud Ovid. Metam. 13.

Chamæplatanus.

Vmbra crassa.

Nobilior pomis, Platano conspectior alta.

Horat. in Odis:

Cur non sub alta, vel Platano?

Iuxta Amymonæ fontem, & propè Lernam paludem, Platanus enata, Græcorum fabulis etiam memorabilis, qui sub ea Hydram serpentem educatum ferunt, autore Pausania. Quo etiam scribente apud Messenios, à fluvio Biante longiùs stadiis viginti *Platanistonis* fons, sic dictus, quòd ex patula Platano intrinsecus cava, aqua

Platanistonis fons.

fluat quæ potui fit.

Idem de Platanorum vastitate lib. 7. histor. veteris Græciæ scribit his verbis. Præterfluit Pharensium agrum fluvius Pierus, in cuius ripis Platanorum lucus est, tanta arborum magnitudine, ex ipsa vetustate, ut intra cavernas [multæ enim concavæ sunt] qui velint, & epulari, & recumbere possint. Fori area magna, & latè patenti ambitu est, quo scilicet spatio esse consueverunt prisca fora.

Priscorum fora sub Platanis.

At quæ in Italiam invectæ fuerunt, climatis inclementia, inquit Matth. in magnam proceritatem non adolescunt.

Platanistos Homeri. Meminit & Homer. Iliad. 2. Platani his verbis: καλῇ ὑπὸ πλατανίστῳ. Intelligit autem Platanum, uti annotant Cæl. Rhod. & Curious. Aliàs Platanistos loca spaciosa amplaque denotat, à foliorum Platani similitudine. Et Aristoph. ὑπὸ πλάτανῳ ψιθυρίζῃ. Apoll. 2. ἀμφιλαφεῖς πλατάνιστοι. Arist. de Mundo: πλάτανοι χ.....

Themistocles de Platano. Themistoclem Athenarum principem, cuius operam ingeniúmque ac prudentiam summam non parvis in rebus, nec rarò, experta Græcia est, produnt autores gravissimi, ut citat Cæl. Rhod. postea quam amplissimè de patria esset promeritus, solitum tamen sæpiùs convitio à civibus incessi. Vnde illius præclara circumfertur sententia: τί κοπιᾶτε ὑπὸ τῶν αὐτῶν ἀνθρώπων εὖ πάσχοντες: Quid eis negotium facessitis, qui vobis fuere benefici? Se quoque subinde Platano consimilem prædicabat, ad quam decurrerent, quos infestaret imber: mox verò serenitate reddita vellerctur ab eisdem, interimque convitiis proscinderetur. Hinc tractum adagium: Platano adsimilis: in eos, qui cùm alicuius necessaria opera usi fuerint, eum postea derisui & vilipendio habent.

Eius præclara sententia. *Themistocles se Platano similem dixit.* *Adagium.*

Socrates per Platanum iuravit. Socrates autem non ob aliam causam à Mileto reprehensus, autore Maximo Tyrio, quàm quòd per Platanum iuraret, quasi nefas sit per tam nobilem arborem iurare.

Plato à Platano cognominatus. Volunt & Platonem divinum Philosophum, à Platano ita cognominatum, quòd is prælatis humeris præditus esset. Platanistos enim Græcis, ut dicebamus, amplus & spatiosus locus est.

Sed ut ad Platani historiam naturalem redeamus, errant tàm in Germania quàm Anglia multi, ut in præcedentibus fusiùs ostensum, qui Aceris speciem maiorem Platanum putant, quam Germ. Ahorn vocant: fatentur in summis montibus, nonnihil humidis, inter Fraxinos nasci. At Theophrasto Platanus in palustribus inter Salices, & ad fontes rivulósque provenit, idemque non uno loco de eius natalibus scribit. Adde quòd tùm Theoph. tùm Plin. scribunt, Platanum spontè in Italia non provenire, Plin. etiam ex peregrino Orbe umbræ duntaxat causa translatam. Sanè, si Acer ille maior fuisset Platanus, ac Itali tàm vicina regione, qualis est Germania, nasci cognovissent, (ut certè nosse potuisse verisimile est) nunquam ex peregrino Orbe accersivissent. Denique qui Acerem Ahorn describunt, non tàm umbrosos ei ramos tribuunt, ac Plin. & Theoph. Platano: ut de reliquis notis valdè dissimilibus, ex utriusque descriptione satis patentibus, nihil dicamus.

Multorum error.

Alius error. Sed minùs adhuc ferendus eorum error qui Tiliam seu Linden Platanum esse putarunt: nam, vel ex Diosc. didicissent Platani folia esse Ricini similia, nisi quòd huius sint maiora, leviora, nigriora: quam similitudinem nunquam sustinebunt folia Tiliæ. Plin. quoque ait, Ficum, Platanum & Vitem omnium amplissima habere folia. Tilia autem harum aliarúmque multarum respectu parva habet. Ergo Tilia non est Platanus: ut & hîc cæteras notas longè discrepantes, ex descriptionibus petendas omittamus.

Tabern. Tabern. quoque confundit Acerem cum Platano, dicens: Ahorn/ Græcis σφένδαμνος, Lat. Platanus &c: Scilicet qui postremus de Plantis scribens, quod alios docere debuit, nondum didicit ipse.

Icon verò Platani, quam Camer. exhibet, iam olim ex nostra planta depicta fuit.

Synon. Linguar. Platanus Arab. *Dulb.* Germ. incognita, aliquibus tamen frömbd Ahorn / id est, Acer exoticum dicta: It. *Platano*: Hisp. Itidem. Gal. *Plane* Angl. Playnetree.

Etymon. Dicta Platanos, à πλάτος, à latitudine foliorum: vel ἀπὸ τοῦ πλατέος, quoniam est patulis diffusa ramis. Vnde ἀμφιλαφὴς à Græcis. Dicitur & Platanistus, quod sit πλατύφυλλος. Platanistum tamen sunt qui à Platano per diminutionem proferri putent: quum paronymon sive denominativum sit verius, nihil primitivo amplius, minúsve significans. Si enim diminutivum foret, exire debuerat in ιον, ut annotat Cæl. Rhod.

Platanon. Est & Platanon, locus Platanis consitus. Vnde Plin. iunior epist. 3. l. 1. Quid agit Comũ tuum meæ deliciæ? Quid πλατανών opacissimus?

Æquivoca. Æquivoca circa Platanum hæc invenimus. Cardanus & alii malè putarunt Acerem maioribus foliis esse Platanum, uti dictum. Lonicerus, ut priùs monitum, confundit Acerem minorem cum Platano. Cornar. Tiliam ineptè censuit Platanum, quem & in Tilia & paulò antè explosimus. Sambucus aquatica quibusdam dicitur Platanus aquatica, de quo suo loco. Platani nomen quoque in hist. Indicis obtinuit Musa. Sparganion quoque dicitur Platanaria à fructus similitudine: de quo inter Gramina palustria. Platanus ab Horatio cælebs dicitur, quòd non quemad. Vlmus ad sustentandas Vites adhiberetur.

Acer maior. *Acer minor.* *Tilia.* *Sambucus aquat.* *Musa.* *Platanus cælebs.*

Locus. De natalibus multa scribunt, cùm prisci, tùm neoterici. Conveniunt in eo, quòd gaudeat riguis & palustribus, aquarumque ripis. Platanum, inquit Theophr. in Adria esse negant, præterquam circa Diomedis delubrum: inque Vniversa Italia raram esse affirmant, quanquam multi magnique fluvii utrobique eam perluant. [Vides eum distinguere Adriam ab Italia, id quod tunc, inquit Scal. fieri decuit, ut intelligat Adriam, Galliam cis Alpes.] Dionysius Tyrannus maior ambitiosiùs contendens in Rhegio in hortis consevit eas, quæ nunc in Gymnasio stant, nec ullam insignem magnitudinem capere possunt. At in aliis locis plurima nascitur. In Nilo Platanus provenit, non tamen multa. Hæc Theoph. Hodiè Platanum multam in in Hetruria sponte nasci Victorius scribit. Videndum annon & is Acerem maiorem pro Platano acceperit. Nam istud à nullo alio proditum invenimus. Videtur quidem speciosa & annosa Florentiæ propè pomœria, & in suburbio quodam non procul mœnibus urbis, ut observarunt Pen. & Lob. qui ex iis ramos & surculos defractos Augusto cum penè echini maturvissent depingi curarunt. Coluntur & Romæ in viridariis quibusdam, sed minùs proceræ sunt, nec foliis ita crebris, ut radios Solis impediant, videnturque perire, inquit Lacuna, non irrigantur

Theoph. illustr.

gantur vino, ut olim Romæ fiebat. Alioqui si commodum nacta fuerit cœlum & solum ad 80 pedes excrescit. Anguil. sanè testatur Platanum non nasci spontè in Italia: sed in Creta locis vicinis fluviis abundare. At in Italia in agro Veronensi, in *S. Maria in Stella*, in domo Dominorum *Giusti* conspici pulcherrimas: in agro Bononiensi *alla Crouara* vulgò dicta in prædio Faenzæ maximam, sicut & Patavij in horto *Torquati Bembi*. Visa & in agro Veneto *Bassiano* dicto, in viculo cui *Fogia* nomen. Neapoli visa Matthiolo. In Creta ad montem Ida iuxta torrentis fontem in valle abundant Platani, foliis omnibus deciduis, teste Bellon. Provenit etiam in Lemno insula. Item in monte Athos, ubi altitudine comparari possunt Cedris montis Libani. In monte Castagna in Macedonia. Antiochiæ habentur altissimæ. Sed altiores in monte Tauro, ciúsque naturæ sunt, ut cortices exuant hyeme, hac in re Andrachnis contrariæ, quæ id æstate agunt. In Sicilia frequentissima, etiámque spontè nascitur ad Ætnæ montis radices. Apud Hispanos, Siculos & Constantinopolitanos, inquit Cordus, in divitum hortis excoli scimus. Clus. scribit Constantinopoli allata, ad aliquot Orgyas sibi Viennæ Austriæ crevisse. Turnerus duas etiam plantas teneras in Anglia vidit, sed aliunde advectas. Foliatum ramum cum Pilulis nobis dono dedit Patavinus Pharmacopoeus ad Aquilam.

Cortices hyeme exuunt.

Satio. Scal. notatur.

Theophr. tradit ex semine nasci, argumento, quòd aliquando in Tripode Aeneo nata. At [addit Scal.] multa αὐτόματα. Verùm non probatur nobis eius opinio, qui vix ullam plantam αὐτομάτως nasci censemus. Parva semina [qualia & Platani] leviáque facilè de loco in locum transferuntur, à ventis, avibus &c. ex quibus nascantur. Quanquam ex semine quod ex Italia accepimus, à nobis sato, nihil unquam prodierit. Celerrimè, inquit Theoph. pulcherriméque germinat ex avulsione. Quæ etiam si quis iam proceram & arbori æqualem transtulerit, perdurare optimè potest. Idem prodidit & Delphicam Platanum Agamemnonis manu satam, & alteram in Caphyis Arcadiæ luco. In regione Aulocrene, per quam ab Apamia in Phrygiam itur, Platanus ostenditur, ex qua pependit Marsyas victus ab Apolline, quæ iam tum magnitudine electa est, autore Plin.

Sed maximè mirum, quod Theoph. refert, & miratur etiam Plin. Antandri Platanum etiam circundolatis lateribus restibilem spontè factam, vitæque redditam longitudine decem (quindecim Plin.) cubitorum, crassitudine, ut quatuor viri non facilè amplecterentur. Plin. ait, crassitudine quatuor vlnarum. Immò & securim tam stantes quàm prociduas ita ferre tradit Theoph. ut & resurgant, viuant, germinéntque. Nam cum Antandri Platanus procidisset, ramis amputatis, truncóque securi luxato, resurrexit noctu levata onere, atque reuixit, & cortex rursus circumcrevit. Quæ incredibilia non temerè quis iudicarit, nisi idem Theoph. & alio loco idem traderet, & modum. quo id factum, adderet. Nempe causam hance esse putat, quòd arbos prostrata parte altera plurimùm terræ evulserit: mox flatus noctu ingens adversúsque secutus eam propulerit, ramísque occurrens, ac impressionem faciens, erexerit. Fides sit penes autorem.

Quomodo Platanus procidua sponte resurrexit.

Tempus. Inter primas germinat Platanus, teste Plin. Echini autumno maturescunt.

Insitio. De insitione nihil specialius proditum. Apud Plutarch. Sympos. 2. quæst. 6. legimus: fuisse Platanos Malorum surculos ferentes. Et Palladius libello de insitione, ubi de Pomi insitione tradit, inter alia sic canit:

> *Robora thyrsigero Platani concordia Baccho.*
> *Fœtibus instituit plena rubore novis.*

Vires & usus. Platanus autore Theophr. lentore non caret, éstque natura humida sicut & Vlmus: indicium, quòd pòst cæsuram erecta materies multùm humoris emittit. Tenerrima Platani folia, ut scribit Diosc. in vino decocta, mox illita, oculorum fluxiones sistunt, ac tùm œdemata tùm phlegmonas levant. Cortex in aceto coctus ad dentium dolores colluitur. Pilulæ verò virides, in vino potæ serpentum morsibus auxiliantur: exceptæ autem adipe, igni ambusta sanant. Foliorum pilularúmque lanugo (in aures & oculos) illapsa, auditum visúmque labefactat. Addit Galen. lib. 8. Simpl. eiusmodi Platani lanugine, spiritu attracta, inspiratáve, arteriam quoque offendi, quippe cùm ea vehementiùs exiccet & exasperet: quo fit ut uox non obscurè vitietur. Ideóque vitandam suadet.

Oculorum fluxiones. Oedema. Phlegmone. Dentium dolor. Serpentum morsus. Ambusta. Noxa.

Tempera. Platanus eodem tradente, humidioris frigidiorisque essentiæ est, non tamen multò plus quàm Symmetra. Proinde folia uiridia trita & illita, non obscurè Phlegmonas nascentes adiuvant. Cortex autem & Pilulæ magis desiccantem vim obtinent, ut ille quidem in aceto coctus ad dentium adhibeatur dolores: Pilulæ verò cum adipe ad ulcera ambusta. Sunt autem qui cortice combusto medicamen desiccatorium & abstersorium efficiunt, ut cum aqua lepras sanet: per sese autem album ob humorem nimium ulcera vetera & sordida. Platani, inquit Plin. adversantur vespertilionibus. Pilulæ earum in vino potæ x. quatuor pondere omnibus serpentum & scorpionum veneris medentur. Tusæ autem cum aceto acri, magísque scyllite, sanguinem omnem sistunt. Et lentiginem & Carcinomata, melantias quoque [melandriásque] ueteres, addito melle emendant. Folia & cortex illinuntur collectionibus & suppurationibus, & decoctum eorum. Corticis autem in aceto dentium remedium est. Folia eorum tenerrima in vino albo decocta, oculorum. Lanugo foliorum & auribus & oculis mutilis. Cinis pilularum sanat ambusta igni vel frigore. Cortex è vino scorpionum ictus restinguit. Inopia cogit aliquando luminum causa è Platani baccis [miramur Platani baccas Plin. dicere] fieri oleum, aqua & sale maceratis. Folia mansa ieiunis impetigini auxilio esse & Curtius testatur, illúdque Serenum expressisse hoc carmine

Lepra. Contra vespertiliones, serpentes & scorp. Sang. fluxus. Lentigo. Carcinoma. Collectiones. Ambusta a frigore. Ad lumen.

> *Seu folio Platani, quod mans. in manè vorabis.*

Vespertiliones, scribente Æliano, Ciconiarum ovis ingenita natura adeò infestæ sunt, ut ea solo tactu sterilia reddant. Verùm ad illarum maleficium, naturalis etiam ingenita scientia remedium edocuit. Platani enim folia suis nidis ingerunt, ut advolantes vespertiliones, perniciem adferre nequeant. Quę de noctuis autē tradit Cæl. Rhod. fabulosa putat. Scribunt & alij hoc genus animalis à stabulis abigi, si in eis folia appendantur. Videtur autem Avic. foliis Platani venenatis resistendi aliquam qualitatem tribuisse: Nam Can. 4. fen. 6. tract. 3. legitur, Fumus Adulb, id est, Platani & propriè foliorum eius, [uti vertit quoque cum Bellunensi Santes Ardoinus in suo opere de Venenis] serpentibus resistit.

Ciconiarū astutia contra vespertilionū noxam.

Contra serpentes. Cymba. In monte Athos, ut observavit Bellon. Cymbas parant ex magnis truncis Platani, & sine magno labore & sumptu: unamquamque Cymbam ex

Digitized by Google

solo trunco patent. Deiiciunt arborem iuxta radicem, deinde truncum cavant, & formant instar Cymbarum, quibus tranatur Sequana.

Noxa ex Pilulis. Considerandum autem an tutò dari possint Pilulæ Platani in Potu, ut præscribunt Plin. & Dioscor. Quandoquidem lanugo arteriam offendit, autore Galeno, qui vitandam suadet: ex Cordo etiam periculum [suffocationis] ex Pilularum paposa lanugine annotavimus.

FRAXINVS VVLGATIOR.

CAP. XII.



Descriptio. SPECIOSÆ proceritatis arbor, crasso, simplici, erecto, celsóque caudice adolescit, cortice ex cinereo viridante, materie alba, crispo pectinum discursu undulata, validis ramis brachiata: *Folia.* folia Sorbi modo pinnata, quadruplici quintuplicive coniugatione ad costam annexa, atrovirentia, læta, crenata: *Sapor.* sicco sapore subamaro, acrique mordaci prædita: quem etiam saporem linguæ imprimunt quoque *Fructus.* fructus, qui peculiari surculo numerosi dependent, quòd inversam avis linguam referat, inde in seplasiis nomen indepti. Ex his singuli sescunciam circiter longi, parum culmo latiores, infima parte membranei, à medio ad pediculum medulla farcti sunt alba, gustu acri & amara.

Muscus globosus. Scribit Dalechamp. in Hist. Lugd. se globosos muscos, quales tradit Theophr. in Fraxino observasse & collegisse hyeme iam desinente: esse tuberosos, velut ex resiccato impensiùs glutinoso musco concretos, gustu nonnihil adstringentes, lignoso intus nodo muscosum corpus sustinente. An verò in Lauro tale quippiam gignatur nondum observasse.

Scimus quidem Theoph. lib.3.cap.8. cùm recenset arbores quæ præter fructum peculiarem alia nonnulla ferunt, tradere, in Vlmo gigni Vvam & folliculos: in Fico Grossos & Ficus: in Avellana Nucem & Iulum: In Ilice, Glandem & Coccum: in Lauro fructifera, non omni quidem, sed aliqua eius specie, Baccam, *Theoph. illustr. ius Dalech.* & Vvam, τὸ βότρυον, nisi legendum sit τὸ βρύον) quæ tamen uva, inquit Dalech, in Lauro non fructifera, quam marem vocant, magis gignitur. In Lauro, addit idem Muscum aut Vvam me vidisse, equidem non memini. Hæc ille.

At nec nos quicquam tale hactenus in Fraxino observavimus. In icone nostra, quæ ex Camer. epitome Matth. mutuata βοτρυῶδες quiddam seu racemosum appositum, uti etiam in descriptione non Matthioli, sed Theoph. quam priore loco ponit Camer. addens: præter fructum alia quædam ferre, ut muscos in globum coactos, specie Pilularum. An verò idem intellexerit cum Dalech. ignoramus. Sanè Dalech. icon nobis suspecta est, nec respondere videtur suæ descriptioni. *Icon Dalech.*

Scribit Camer. in horto, Fraxinum marem florere, sed non ferre fructum. Eius corticem interiorem (ut Cæsalp. refert) aquam in qua maduerit cœruleam reddere. *Cortex tingit.* Idem ad Hist. Matth. Germ. Ramis Fraxini curavimus appingendum rugosum tuber seu exerementum, in quod degenerat nonnunquam fructus, ex multis quasi pilulis constans, cuius meminit Theophrastus, ut mox tradetur. Idem Cam. & apud Thalium annotat Fraxinum sterilem solam flosculorum racemos nigros ferre, qui absque fructu, ut Iuglandium Iuli decidant. *Flores. Cornu Cervinum, aut Viscum.*

Scribit & Pierius in Hieroglyph. l. 7. summis ramis Fraxini adnasci ceu cornu cervinum, amputato ramo, statimque corticem lachrymam plorare, quæ Visci instar crescat, variéque se contorqueat & crispet in latum: atque illud quicquid sit, penitus lignosum esse. *Manna ei.* Nascitur & Manna in Fraxino, ut dicetur in progressu. Fraxinus [μελία] Dioscoridi arbor ignota est: ideò non describit, sed tantùm vires eius quasdam recenset. *Melia Dioscor.*

At Theophr. l.3. c.11. Fraxini [μελίας] duo facit genera: unum excelsum ac procerum, ligno candido, benè fibrato seu nervoso, [ἴνωδες: Gaza ineptè & novè crassivenium convertit] molliore, crispiore, & magis enodi. *Genera duo. Excelsum. Lignum, Gaza not. Humilius.* Alterum humilius, minúsque augescens, scabrius, durius, & flavius. Folia [utriusque Dalech.] Laurinis, nempe Lauri latifoliæ similia: sed in acutius coacta, & in ambitu nonnihil serrata, nec tamen margine pungentia. [legimus enim, ἐπακανθίζοντα, pro ἐπακανθίζοντα, ut in vulgatis habetur: quam tamen vocem Gaza omisit [inquit Scaliger] & pro ea reposuit, ac subsidentia. Nec sanè dum mihi compertum est, an usquam extet Fraxinus aculeata: quapropter meritò Scaliger mendum esse iudicavit. Totum tamen folium unicum [ἄθρουν rectiùs cum Gaza & Scalig. quàm ut in vulgatis ἄλλο.] putaveris, quoniam ab vno pediculo folia simul iuncta exoriuntur, quæ coniugatim velut per genicula in singulis ordine dependent, frequentibus ac crebris coniugationibus, perinde atque in Sorbo. At humilis Fraxini internodia brevia sunt [βραχέα τὰ γονάτια non παχέα: quoniam mox τὰς συζυγίας μακράς.] foliorúmque coniugationes minùs crebræ. *Alba sive Montana.* Albæ autem sive montanæ longæ, pluresque, quia latiùs distinctæ, latiora quoque habent intervalla, coloris porracei. [πρασοειδῆ. Ita & Colum. At Heinsius legit ποώδη, herbacei.] *Cortex. Radix.* cortice integitur [illegible], tenui, subrubro. Radicibus crebris, crassis ac profundis nititur. Idæi hanc nullum fructum ferre putant: sed & flore carere. Fert tamen in siliqua [ἐν λοβῷ] fructum parvum, nucis modo, Amygdalæ similem, gustu subamarum. Fert & alia quædam, veluti Muscos, [βρύα] sicut Picea [in Ald. legitur καθάπερ ἡ δάφνη, sicut Laurus] verùm magis compactos, [συστρεμματώδη non συστρέμματα.] singulósque per se globosos, ut sunt Platani Pilulæ. Ac eos quidem partim fructui propinquos, partim à fructu multùm distitos, hácque ratione plures. [πλείω, ut & Dalech. vult. Alioqui legitur καὶ τὰ πλεκτάνια: quasi diceret: eodem modo & implicamina quædam nasci, sicut & Gaza vertit.] *Gaza not. Locus.* Lævis Fraxinus locis gaudet umbrosis valdè: (ἐν βαθέσι: Gaza legit ἐν βαθυκοίλα: nam concavis reddit, & de suo addit, madidis.) at quæ aspera (τραχεῖα), siccis atque saxosis. *Melia.* Quidam alteram Fraxinum (μελίαν) alteram,

Bumelia. tam ὑψηλοτέραν, id est, maiorem Fraxinum [Bubulam Fraxinum Gaza : latinus Væfraxinum dixisset, Scalig.] vocant, uti Macedones. Bumelia maior est & excelsior (μακροτέρα : Gaza & Dalech. habent, rarior corpore) ob id minùs crispa. Hæc .n. Fraxini natura ut Bumelia campestris sit lęvis: montana verò scabra, quæ in genere campestrium & montanarum natura est. *Comparatio utriusque.* Quæ in montibus nascitur, benè colorata est, lævis, spissa lentáque: at quæ in planitis, malè colorata, rara & scabra. (καὶ τραχεῖα. Hic sibi contradicit Theophrast.nam priùs contrarium dixit.) Sic itaque vtramque Fraxinum describit Theophrastus: qui & alibi tradit, Fraxino radicem esse numerosam, densam, altamque. *Theophr. error.*

Plinius, more suo, pleraque ex Theoph.transscribens, ita habet brevissimè. Materiæ causa reliquas arbores natura genuit, copiosissimámque Fraxinum, Procera hæc ac teres, pennata & ipsa folio: multúmque Homeri præconio & Achillis hasta nobilitata. Materies est ad plurima utilis. *Citro similis.* Ea quidem, quæ fit in Ida Troadis, intantùm Citro similis, ut ementes fallat cortice ablato. [De Taxo hoc Theoph.l.3.hist.c.10.Erroris causa, quòd Plin. Fraxinum, Milum esse putavit, ideóque etiam pinnatum dixit. Nimirum apud Theophr. ἀντὶ πτελέας, legit πτερωτὰ. Illius non huius folia, inquit Theoph. Abietis in morem πτερυγώδη ἔχει.] Pergit Plin. Græci duo genera eius fecêre : longam, enodem : alteram brevem, duriorem fusciorémque [flaviorémque, Theophr.] Laureis foliis. Bumeliam vocant in Macedonia, amplissimam, lentissimámque [latissimámque Dalecham.] Alij situ divisêre. Campestrem enim esse crispam: montanam, spissam. *Theophr. & Plin. illust.* Hæc Plinius qui dum folia, Theophrasteæ lectionis imitatione, Laurinis comparat, de particulari id intelligendum, non de tota & alata illa foliorum congerie, quam totam folium dicunt Herbarij.

Colum. Fraxini non semel meminit, ubi de Vlmariis faciendis tradit. Speciatim post Opulum atque Vlmum, Vitem maximè alere Fraxinum scribit : sed neque Opulum neque Vlmum tàm idoneas esse, quàm Ornos. *Ornus.* Eas sylvestres Fraxinos esse, pauló latioribus tamen foliis, quàm cæteras Fraxinos, nec deteriorem frondem, quàm Vlmi præstare. Tàm Ornus quàm Fraxinus Virgilio quoque carmine celebrata Ecl.6.

Ornus montana. *Cantando rigidas deducere montibus Ornos.*

& Ecl.7. *Fraxinus in sylvis pulcerrima Pinus in hortis.*
Populus in fluviis : abies in montibus altis:
Sæpius at si me Lycida formose revisas.
Fraxinus in sylvis cedat tibi.&c.

Et aliis multis locis. Et Iuven.Satyr.1.
Quantas iaculetur Monychus Ornos.

Cùm itaque dicat Colum. Ornum esse Fraxinum sylvaticam seu montanam, ac Theoph.referat rupium Fraxinum colore esse luteo , & Germanorum Wald escher montana sit colore luteo , ut experientia sibi compertum esse scribit Turnerus, rectè nobis videntur statuere , qui Fraxinum montanam & sylv.Germanorum, esse Ornum Latinorum, & Fraxinum sylvest.Theophr. statuunt. *Ornus non est Sorbus aucuparia.* Nam Sorbus aucuparia in præcelsis montibus non oritur, sed in depressis & aquosis. Quò fit ut Ornus esse non possit, aut Fraxini 2.genus apud Theoph. In Plinio verò miramur, quòd Ornum post prædictos scriptores non Fraxini speciem faciat. Imò eius non tantùm in loco, quod quidem legerimus, mentionem faciens, interponat inter Ornum & Fraxinum Acerem valdè dissimilem arborem idque l.16.c.18.

Hermol.in Diosc. Fraxinum *Mileam* & *Meliam* quoque Græci vocant , *Trinodémque* cognominant, hoc est, Triozon , quia ramos habeat prægrandes, ordinatos , paréſque numero : quod genus arborum Græci Ἀξιολογώτατα, hoc est, vt quidam interpretantur, egregias appellant. *Milea & Melia. Trinodis. Triozon. Ἀξιολογώτατα.* Duo genera. Excelsum & alterum humilius. *Duo genera.* Sed folio Lauri latifoliæ acutiore , lævitérque per ambitionem serrato : & ut Theodor. inquit , subsidenti, quia legisset, ὑπολιζον. Nos ὑποκαρδίζον, hoc est, non sine quodam marginis, vel cacuminis aculeo. *Lauri folio. Lectio Theophr. diversa.* Fructum fert minutum in siliquis, qualem Amygdalæ, gustu subsalsum. *Fructus Amygd.* Fert & Lauri modo Fraxinus muscum : & alia quædam adstrictoria gustu, circinatáque ut Pilulæ Platani : *Muscus. Pilulæ Platani.* Hæc partim cum fructu emergunt : partim multò pòst nascuntur ei & quæ plecta, hoc est, plicamenta sive involucra dicuntur, &c. *Plecta.* Id & Cæsalp. observavit: dicens, Plinium non subiungere loco citato Ornum Fraxino : quasi multùm differant & non sint eiusdem generis. Eius opinionis videntur fuisse, qui diversam multùm à Fraxino plantam, Ornum putarunt eam quæ sorbus aucuparia dicitur, contra mentem Columellæ. Quæ autem ex Fraxini genere certò sit Ornus, nondum asserere ausimus. Scribit quidem Anguil. Inveniri Fraxini duas species , unam altissimam, ex quibus hastæ: alteram Latinis dictam Ornum, cuius semen dicatur Orneoglossum & Offic. Lingua avis, ac utramque speciem notam esse in Italia. At alij, linguam avis Fraxini dicunt : alij utriusque, diligentiùs autem hæc perpendant Itali.

Cordus utramque sic describit. Fraxinus simpliciter ita dicta, & μελία Græcis, minoribus est & angustioribus foliis , & semine seu fructu gracilior. Altera verò latioribus maioribúsque tum foliis tum fructibus conspicitur. Eius frondes ad Boum pabula quidam adhuc non minùs quàm olim reponunt. *Bubula unde.* Vnde Bubulæ cognomentum apud Græcos invenit , quamvis à magnitudine ita nominari potuerit. Eiusdem iudicio Fraxinus sylv.seu Ornus nihil aliud est, quàm magna illa latifolia Fraxinus montibus familiaris. *Ornus quid.* Idem Fraxini aliam speciem eandem censet, quæ Orni nomen circa Romam servat adhuc hodiè, in Germania non proveniens. Fructum vulgò Linguam avis vocant. *Lingua avis.* At Tragus Linguam avis ad Fagum sepium manifesto errore refert, cùm huc potiùs sit reducenda. *Tragi lapsus.*

Avic. Linguam avis reponit inter medullas: & alio loco plantam censet. *Lingua avis.* Nam foliorum eius & corticis medicinas scribit.

Serapio arborem esse dicit similem arbori Didar, id est, Vlmo. Verùm in Fraxino, non in Vlmo invenitur res quæ Lingua avis nunc dicitur, de qua & mentio non semel apud antiquos, cùm & ad Venerem facere proditum sit.

Gal. in confect. Hepaticis ab Asclepiade conscriptis cuiusdam meminit , quæ semen Fraxini recipit. Ætius verò l.10. idem medicamentum ex Philagrio citat , & Oribasium Fraxini semen non admittere scribit : additque , Fraxini semen, seu fructum esse arboris , ex qua Fraxinea ligna quocunque in opere apta ac obedientia, cæduntur, hoc est, ἐξ ἧς τὰ εὐπειθῆ ξύλα κόπτεται. *Fraxini semen Actii.* Gal. alioqui in lib.simplicium Fraxini nō meminit, ut neque Aetius. Paulus Diosc. verba transcripsit , nihil ampliùs addens. Patet itaque Manardum perperàm dixisse de semine Fraxini ab antiquis nullam fieri mentionem. *Manardus err. Orneoglossum.* Fraxini, inquit Matth. species sunt, Ornus, itemq; Orneoglossum dictum, quòd ferat semen illud, quod Linguam

P 4

avis appellant, quod & Fraxinus quoque fert.

1. Thalius in Harcynia Fraxinum sterilem facit & fructiferam. Addit Camer. hanc Linguã avis gignere. Illam flosculos solos nigros racematim proferre, uti suprà dictum. Idem Fraxinum Fago similem habet, quam & Buchasche Germ. vocat. Est & tertia aut quarta apud eundem hoc nomine: Fraxinus dura seu λιθώδης (ut dixerit quispiam) Steinasche. Verùm non intelligimus quid velit Thalius per Fraxinum Fago similem. Nomen Germ. tribuitur longè diversæ plantæ à Fraxino, quæ dicitur Fagus sepium, de qua suprà.

Sterilis & fructifera. 2. 3. 4.

Thalius.

Schuvenckfeldius, Fraxinum ita distinguit: 1. Fraxinus frugifera: Fraxinus angustioribus foliis Cordo: Orneoglossum: Lingua avis Offic. semen Fraxini: Eschsamen / Eschenmispel vulgò [id est, Fraxineum Viscum] sed falsò.

Fraxinus sterilis. Ornus Tragi, Fraxinus latifolia Cordi: Hagenbuche. 3. Fraxinus dura, λιθώδης Thalio, Fraxinus Petræa: Stein asche: Petrosis & præruptis Locis saltem nota. 4. Fraxinus crispa Maderasche: Eius materies undulata, ab arcularis ad mensas, tabulas & alia colligitur. Hactenus ille. Quibus haud parvos errores committit, dum Ornum Tragi, Fraxinum sterilem facit, quæ nec Fraxinus est, nec sterilis arbor: nec Fraxinus latifolia Cordi. Malè etiam ponit secundo loco. Illud quoque considerandum, an Fraxinus crispa sit species particularis, vel varietas tantùm Fraxini durioris.

Schvvenckfeldij errores.

Euchar. Rösslin, Lonic. & Ryffius malè Sorbi aucupariæ iconem ponunt pro Fraxino.

Errores multorum.

Græci μελία & μελίη, & μιλία: Τρίοζος etiam cognominarunt, id est, trinodem: quòd ramos prægrandes, ordinatos & numero pares habeat, uti indicatum ex Hermolao cuius verba de Triozo transcripserunt (eo tamen non nominato) Ruellius, Brunsfelsius in Onomastico, Gorræus in definit. med. Carol. Steph. in Sylv. Curtius, Rob. Constant. scribunt tantùm in Lex. Τρίοζος, trenis constans nodis, & Trinodis arboris nomen etiam habet Theoph. lib. 1. hist. cap. 1. ibi apud Theophrast. legitur etiam τρίοζος de diversis arboribus, non de particulari. Turner. etiam μυλίαν scribit, pro eadem. Βουμελία plerique cum Theoph. quam vocem etiam Latinè retinuit Plin. pro maiore et proceriore, uti dictum, quemadmodum Ornum pro minore cum Columella. Tragus Fraxinum et *Bumeliam* & *Polymeliam* uocat. Fraxinum Grammatici dictam volunt à fragosis locis, in quibus nascitur. Forsterus in Lexico Hebraico, *Berosch* in sacris literis putat esse Fraxinum Latinis, mutuato ab Hebræis nomine: pluraliter *Berochim*: Chaldaicè *Berrosim*, & Gentibus dictam *Brom*. Plural. *Berothin*, Fraxini, pro *Berothim*, Cant. 1. quanquam aliqui velint esse Cupressum. Verùm lib. seq. c. de Abiete plura scribemus de *Berosch*, quæ plerisque putatur Abies. Nec animadvertimus adhuc, cur potiùs Fraxinus existimetur, quàm Abies. Nachumi secundo alii Fraxineas, alii Abiegnas lanceas intelligi volunt: cùm tamen eo loco nulla fiat lancearum mentio. Germ. Asch & Esch / Espen / Eschern / & Aschbaum. Apud Cordum, alia dicitur Eichasch quasi Quercina Fraxinus: alia Steinasch / quasi Petræa. Fallitur Lob. dum Fraxinum Walbaum Germani dici scribit. Sed & Hiericus in nomenclatura nomina confundit, Ornum, Hagenbuch *Bumeliam* & *Fresne* pro eadem ponens planta, Hagenbuch enim Fago sepium convenit, & Columellæ iudicio Ornus non erit *Bumelia*, quæ, uti dictum ex Theoph. & Plin. maior & procerior est Fraxinus. Belg. Eschen & Eschenboom. Gal. *Fresne*. Provincial. *Fraisse*. It. *Frassino*. Hisp. Castil. *Fresno*. Catal. *Fraxino*. Portug. *Freixo*. Angl. Asche tree. Sclavon. Hassrenowe syrowo. Bohem. Gessen. Polon. Jesion. Vngar. Kőris fa.

Nomina Linguar.

τρίοζος.

Polymelia. Bumelia.

Berochim. Berosim. Brom.

Lob. error.

Fructus seu semen aliquibus ὀρνιθόγλωσσον: alii ἰσχιόγλωσσον: & rectiùs autore C. Bauh. Lat. *Lingua avis*: *Lingua passerina* Dod. Angl. Asshe keyes, quòd clavibus colligatis similia sint eius semina, quæ in utraque specie nascuntur.

Fructus nomina.

Fraxinum Poetæ *sylvestrem*, *umbrosam*, *altam*, *stridulam*, *odiosam Colubris*, & *utilem hastis* dixere. Et μελίη quoque apud Poëtas hastam significat: unde μελίινον ἔγχος, apud eosdem. Ornum verò, *rigidam*, *sterilem*, *Peliacam*, *excelsam*, *aëream*, *proceram*, *annosam*, *viridem*, *duram*, *solidam*, *frondosam*, *montanam*, *comantem*, &c.

Epitheta.

Dicebamus Mannam in Fraxino nasci, quod mirum est veteres non observasse, qui de Fraxino scripsère. Illud verò testantur Costæus, Altomarus, Quiqueranus & alii. Æquè etiam in Orno. Sic enim Altomarus c. de Manna. Manna colligitur ex Fraxino & Orno, altera Fraxini specie. Et Pamphilus Herilacus de aquarum natura: Manna, inquit, colligitur Romam circum, ex arboris cortice, quam incolæ nominant *Ornofrassino*. Calabri tùm ex orno Mannam decerpunt, tùm ex Fraxino. Mannam ex frondibus vocant eam, quæ ex Fraxino est: alteram Mannam ex corpore &c. Sed de Manna eiúsque differentiis posteà ex professo trademus.

Manna in Fraxino & Orno.

Ornofraxinus.

Nascitur Fraxinus æquè montosis, (sed humidis,) ac planis. Nam & in Nilo Fraxinus, & quæ Bumelia cognominatur, plurima est, teste Theoph. Descendunt etiam in plana: & Olympi incolæ sunt, eidem. Eadem & Plin. ait. In altis, tenebrosis & humectis proveniũt sylvis: nonnunquam & in lapidosis quibusdam agrorum limitibus. Est & ubi ripas frequens vestiat. Observavimus Monspelii, Genevæ, in Burgundia, Alsatia, Basileæ extra portam S. Albani iuxta Birsam & alibi: In sylva & monte Horn, propè admirabile Balneum ducatus VVittemb. elatæ & multæ Fraxini, de quibus Ill. ducem Christophorum f. m. ad parandas sarissas multas accersendas curasse nobis relatum. In Kirchen eiusdem ducatus oppido, una est ante portam. Cœmiterium Abredonensium in Scotia annosis Fraxinis, proceris, crassis, frequentibus consitum est, teste Iac. Cargillo D. Medico. Nec raræ occurrunt in Helvetiæ montibus concavis potissimùm & madidis. Circa Tigurum frequentes sunt: in sylvis & montibus frequentiores. Non omnes nec ubique fructificant. In montibus circa VValtestadium plurimæ sunt fructiferæ: Item passim in Silesiæ montibus. Vt pateat, tàm frigidis quàm calidioribus gaudere locis.

Locus.

Auctu facilis est, & festinantiùs germinat: messibus semen reddit. Theoph. inter eas recenset, quæ perfectè pariunt atque excoquunt. Plin. ligna eius post vindemiam & Arcturum cædenda præcipit.

Tempus.

Transplantata facilè provenit, quales iam proceræ, nostra cura satæ, visuntur in horto Montbelg. Ergo quia festinantiùs germinat, disponi quoque maturiùs convenit, hoc est, ab Idib. Feb. plantas & ipsas nascentes. Altiùs demittenda, quia summa tellure gaudet, [ἐπιπολαιόῤῥιζα Theoph.

Satio & Cultura.

Theoph. vocat] ad quaternos pedes, monente Plinio; qui ante tricesimum-sextum mensem attingi falce vetat: & alterna servari brachia, alternis putari annis, suadet. Sexto anno maritantur cum vitibus, quas maximè alere Colum. prodidit: ac in eum finem locis asperis vel montosis rectè seri monet, quòd iis minùs lætantur. Nimirum ne plus iusto excrescant. Quomodo autem disponenda Fraxinus habes apud Colum. lib. de Arboribus, cap. 16. Sed hanc rem abundè docuimus in historia Vlmi.

Insitio. De insitione Fraxini nihil adhuc legimus: nisi quis fortè suspicari volet Pyrum inserendam Orno ex illo Virgiliano Carmine Georg. 2.

--------Ornusque incanuit albo

Flos Pyri. *Flore Pyri.*

FRAXINVS TENVIORI ET MINORI FOLIO.

Descriptio. *Folia.* Est & fraxini varietas alia: cuius folia pinnata segmentis dividuntur tenuioribus, strictioribus, acutioribus, serratis tamen perinde ut Fraxini vulgaris. Rami, pluribus & crebrioribus tuberculis foliorum pediculis sedem daturis, inæquales. Iconem nostram benè pictam, minùs affabrè expressit sculptor, ex ea q; expressa in hist. Lugd. quam ex nostro ramo iam olim pingi curavimus. Ramum ex Lugduno vicinis montibus collectum adhuc hoc anno 1605 quo hæc commentamur, adservamus.

An hæc sit Ornus Columellæ? Cuius folia singula dicit oblongiora, angustiora, obscuriùs virentia &c: Vix videtur. Non enim sunt oblongiora.

Fraxinus Petræa. An hanc intelligit Turner. cùm in Herbario suo Anglico ita scribit. Theophrasti Fraxinus altera, seu Petræa, montes amat: eadem cum Fraxino sylvatica seu Petræa Germanorum, hoc est, Waldescher: & Orno Latinorum, de cuius *Ornus Latin.* natalibus Virg. 2. Georg.

Nascuntur steriles saxosis montibus Orni.

& Aeneid. 6.

-------Ingentes advolvunt montibus Ornos.

Non ausimus tamen hac de re quid certi astruere.

FRAXINVS ROTVNDIORE FOLIO.

Descriptio. *Folia.* Sed & tertia Fraxini à nobis observata varietas, cui coniugatim quoque disposita folia, sed quæ Pistaciorum folia referunt, subrotunda, minora quàm Fraxini vulgaris, in ambitu serrata, in quibus medietas interior ad nervi imum, brevior quàm exterior sæpè conspicitur, id quod

in Terebintho & Pistaciis usu venire subinde observamus. Hoc Fraxini genus attulit nobis D. Caspar. Bauhinus ex Italia cum hac inscriptione: Ornus 3. Galli Brixiani de re rustica. *Ornus Brixiani.*

Æquivoca. Præter Fraxini genera à nobis enumerata aliæ plantæ quoque id nomen aut simile acquisivère, quæ vitandæ æquivocationis ergo hic consignandæ. Inprimis Sorbus aucuparia, quæ ab aliquibus dicitur Fraxinea arbor: aliis Fraxini sylvestris species, & Fraxinus bubula, & Ornus, de quibus paullò ante. Cæsalp. scribit: Ex Fraxini genere fortè fuerit lignum in nova Hispania repertum, cuius ramenta cœruleum elegantissimum reddunt. De hoc ligno in superioribus libris egimus. Oxyan Plinius Fraxinum interpretatur, ut Scal. quoque annotavit. De Oxya seu Fago vide lib. præcedentem ubi apparebit, quibusdam etiam Ornum dici. Considerandum an Thalio & Horto Lusitiæ Fraxinus, Fago similis, Buchesche sit noster Fagus sepium, quam malè Tragus quoque Orneoglossum putavit. Non placet Lobelium in Obs. scribere de Lantana, Kleiner Mälbaum Tragi 1. Fraxinus minor. Dictamnum album quorundam, nonnullis dicitur Fraxinus pumila & Fraxinella. Polygonatum quoque dicitur Fraxinella sive Frassinella. Apud Gesnerum videre est Lilium Convallium dici Frassinellam, ut alibi ostenditur. Tractatus Quid pro quo, deficiente Fraxino substituit Sabinam, quod non probamus.

Sorbus aucuparia. *Lignum cæruleum tingens.* *Fagus.* *Fagus sepium.* *Lantana.* *Fraxinella.* *Polygonatum.* *Lilium convallium.* *Substit. Sabina.*

Vires & usus. Fraxini semina, autore Hippoc. numero decem trita, & cum vino pota, urinam ducunt, & vulvarum doloribus auxilio sunt. Foliorum succus, teste Diosc. & ea ipsa quoque, cùm in vino pota, tum etiam imposita, viperarum morsibus opitulantur: [Quidam addunt, ὡς οὐ φλιδὲς τῶν σπληνικῶν: sicut & cortex Spleneticis.] Cortex ustus & cum aqua illitus, lepras removet. Ligni ramenta [πριόνισμα] pota lethalia perhibentur. Hæc ille. Nos suspicamur Dioscoridem apud veterem quendam malè legisse, μελίνης pro μηλέας, ut fecit Plin. qui eius coævus putatur. Nam apud Gal. de med. facilè parab. cap. 40. legimus, Fraxinei ligni ramentorum Cyathus triduum potui datus, sanitatem restituit: quod utique non scripsisset, si lethalia agnovisset. Et in lib. de Dynamid: eidem Galeno adscripto: Ad Splenem: Cortices Fraxini excoque in Vino, & bibat quotidie donec sanetur. Si vis probare da porcello per triduum ut bibat, & in quarto occide ipsum, & non invenies splenem. Nos vix verisimile putamus. Res est experimenti. Idem lib. ad Hæmorrhoidas: Oleum Fraxini iniectum mirè prodest.

Urinam ducit. *Uteri dolor.* *Viperarum morsus.* *Splenem tumor.* *Lepra.* *Venenum Diosc.* *Ad splenem.* *Experimentum.* *Hæmorrhoides.*

Armentorum ac iumentorum cibus. Columella Fraxinum & capris & ovibus gratissimam dicit, nec inutilem bubus. Et alibi: Orni frondes, inquit, Capræ & oves libentiùs ap-

petũt, quàm Fraxini aut Vlmi. At longè secus Plinius: Folia Fraxinorum, infit, iumentis mortifera, cæteris ruminantium innocua, Græci prodidêre. In Italia nec iumentis nocent. Contra serpentes verò succo expresso ad potum, & imposita ulceribus, opifera, ac nihil æquè, reperiuntur. Tantaque est vis, ut ne matutinas quidem occidentésve umbras, quàm sunt longissimæ, serpens arboris eius attingat, adeò ipsam procul fugit. Experti prodimus, si fronde ea gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potiùs, quàm in Fraxinum fugere serpentem. Mira naturæ benignitas, priùs quàm hæ prodeant, florere Fraxinum, nec ante conditas folia dimittere. Idem alibi: Fraxinus quam vim adversus serpentes haberet, indicavimus. Semen foliis eius inest [rectiùs legas siliquis aut folliculis: non enim in foliis semen, sed ἐν λοβοῖς ut Theoph. ait, & docet experientia] quo medentur iocinoris & lateris doloribus in vino. Aquam quæ subit cutem, extrahunt. Corpus obesum levant onere, sensim ad maciem reducentes, iisdem foliis cum vino tritis ad virium proportionem, ita ut puero quinque folia tribus Cyathis diluantur, robustioribus, septem folia quinque Cyathis vini. Non omittendum, ramenta eius & scobem quibusdam cavenda prædici. Hæc Plin.

Folia aliis mortifera. Contra serpente. Ulcera. Fraxinus cum serpētibus antipathia. Plin. correct. Hepatis & lateris dolor. Hydrops. Obesitas.

Camer. quoque scribit, se expertum serpentes Germanicos non fugere Fraxinum. At longè aliter Ambr. Paræus in sua Chirurgia: Expertus inquit refero, si fronde Fraxinea gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potiùs, quàm in Fraxinum fugere serpentem. Vtri nunc credendum? Experiundum. Scribit tamen Colum. lib. 6. cap. 16. Vbi bos à vipera ictus fuerit, præsens remedium esse, si conteras Fraxini tenera cacumina quinque librarum, & totidem vini, & duobus sextariis Olei, expressúmque succum faucibus infundas. Itémque cacumina eiusdem arboris cum sale trita læsæ parti superponas.

Experimenta contraria. Ictus serpentum.

Gal. l. 8. κατὰ τόπους, ex Asclepiade sub finem libri, hepaticum medicamentum describit hoc titulo. ἄλλη ἡπατικὴ ... In cuius compositionem quoque ingreditur Fraxini semen.

Hepaticum med.

Idem semen & tussim inferre, & fauces exasperare, Curtius prodidit, integrum devoratum prodesse, & dentibus commissum, ut ait Serenus: quo etiam autore, hydropicis potum confert. Aurium etiam doloribus infusus succus, cùm torretur, prodest, ut idem testatur hoc carmine:

Noxa. Hydrops. Aurium dolor.

Quum sævus teneris dolor altè sauciat aures,
Fraxinea in flammis fundit quem talea succum
Instilles.

Aqua è corticibus Fraxini destillata, unicè & singulari remedio ad calculum & morbum regium facit, inquit Tragus: Folia vino decocta & pota hepaticis & spleneticis conducunt. Eadem præstat oleum è ligno Fraxini confectum, ac potum, tradente Manardo super Mesuem. Succus hydropicis, meo iudicio: non inutile fuerit remedium. Pocula quidam ex ligno Fraxini parant, pollicentes, si quis ex eiusmodi poculis assiduè bibat, eum lienem extenuare hoc pacto posse. Idem & Hollerius commendat, & alii quidam.

Aqua corticum. Calculus. Icterus. Oleum ligni. Pocula ad lienem.

Si oleum Fraxini fuerit paratum per descensum, ut loquuntur: nullo modo suademus per os exhibendum: sin alia ratione, magna cum prudentia exhibendum. Duobus námque modis oleum è Fraxino paratur. 1. E viridi Fraxini ligno tessellatim conciso per descensum, uti loquuntur Chymici, tàm aqua quàm oleum elici potest, sicut ex ligno Iuniperi vulgus elicit. 2. Iisdem tessellis, sed minutiùs concisis, in aqua propria, addito alterò tanto spiritus vini, aut media parte, maceratis, & postmodùm destillatis: exibit aqua cum oleo, quod ab ea postea separatur. Theophr. Fraxinum humidissimam dicit, ex eo quòd lecti cedentes & obsequiosi ex ea fiant.

Cautio sumendi olei. Duo modi parandi.

Folia, cortéxque Fraxini modicè calida sunt, auctore Dod. & tenuium partium. Semen calefacit & exiccat tertio excessu. Foliorum & corticis decoctum ex vino potum hepar splenémque ab obstructionibus expedit, roboratque, & lateris doloribus medetur. Idem folia præstant in oleo fervefacta, & lateri imposita. Folia, cortex, turionésque eodem modo sumpti valent ad hydropem, quia vacuant aquas. Ad idem facit semen in vino decoctum, Sereno teste:

Temperā. Obstructiones visceru. Pleuritis.

Fraxineum semen cum Bacchi rore bibendum est.

Lingua avis, tradente Matth. in recentiorum Medicorum usu est ad stimulandam Venerem, qua in re primùm celebrata ab Arabibus. Clara experientia, in Italia, infit idem, folia non lethalia iumentis, ut voluit Plinius [imponit Plinio Matth. nam contrarium dicit Plin. nempe in Italia non lethalia esse] & malè eum tuetur Rob. Const. quin imò si ea exhibeantur, ubi assumpserunt Taxum, liberantur à morte.

Ad Venerem. Folia non lethalia.

Videamus autem quid Rob. Const, quem Matth. notat, de ea re scribat. Carpitur, inquit, Plinius à Matthiolo (cuius etiam assecla in hac parte Amatus Lusit. & in multis imitator atque reprehensor) quòd lib. 13. c. 16. dixerit Fraxinea folia iumentis mortifera, cæteris ruminantibus innocua, ex Græcorum authoritate: quum hoc ipsum Theophr. Taxo adscripserit. Sed profectò ab hac calumnia exonerandus est Plinius noster: Primùm quòd hoc pro vero non astruat: imò liquidò testetur, id non verum in Italia deprehendi. Secundo loco, quòd absurdum non sit, eandem facultatem differentibus plantis genere, à diversis autoribus attributam, & tantùm à Plinio recitatam. Neutérque mihi probat, Plinium, qui omnium optimè luculenter Græcè sciret, tàm facilè vicinitate nominum aberrasse, ut ipsi causantur, aut potiùs criminantur. Adhæc, quæso, quæ nominum affinitas in his vocibus Græcis σμῖλαξ & μελία, id est, Taxus & Fraxinus: de quibus, vicinis capitibus egit ipse Plin. nominatimque perscripsit lib. 16. c. 10. Taxum ipsam à Sestio Smylacem appellatam esse. Sed ambo dum ambitiosè Græcari student, & videri volunt in his doctrinæ literis tantum profecisse, ut utriusque linguæ peritissimum Plinium, inscitiæ coarguant, profectò vel in Grammaticis, suam produnt imperitiam, quod utriusque causa doleo. Siquidem μίλαξ per iota, & σμίλαξ Græcè dicitur. Sed pro Hederæ specie & frutice, quem describit Diosc. l. 2. σμῖλαξ verò per ypsilon est Taxus, de qua Diosc. l. 4. & l. 6. & Plin. l. 16. c. 10. non autem μίλαξ, ut legit Amatus Lusit. apud Theoph. μίλαξ enim ea scriptura idem est quod μυλίας, sive μυλίας λίθος, Lapis molaris. Atque ita semper distinctum invenies in emendatis codicibus. Verùm isti scripturæ confusione sese implicant & alios credulos pertrahunt in errorem.

Amatus Matthioli imitator & reprehensor. Matth. reprch. & Plin. defend.

Sic itaque Rob. Const. quiritatur contra Matthiolum & Amatum pro Plinio. Cui Matth. respondet in postr. com. in Diosc. Ac utique hallucinari scribit Constantinum dum contra suam sententiam Plinium defendere nititur. Rei fidem

Matth. responsum ad Constant.

dem esse Plinium lapsum fuisse, clatam in Italia experientiam; siquidem Taxi foliis, non Fraxini, iumenta non ruminantia necentur. Quinimò hanc salutare præstare remedium lethalibus serpentium venenis: quibus adeò inimica sit Fraxinus, ut ne matutinas quidem occidentésve umbras, quamlibet spatiosas, serpentes arboris huius attingant. Miráque naturæ benignitate, priusquàm illæ prodeant florere Fraxinum. Quo argumento fretus, errorem Constantini facilè à quovis materiæ medicæ studioso, detectum iri concludit. Aut si (inquit) suam ipsius ignorantiam & Plinij errorem cognoscere cupit, alat suum equum aut asinum Fraxineis frondibus: id si fecerit, sui erroris atque Plinij palinodiam recantabit. Quod si plura à nobis doceri non dedignabitur, sciat devoratis à quadrupedibus Fraxini foliis ea certò sanari, quæ Taxum fuerint depasta. Hæc Matth. ad Rob. Constantinum. Et sanè qui diligenter Plinij verba perpenderit, & cum Theoph. verbis, quę de Taxo edidit, contulerit, facilè indicabit Plinium, quod ei non usque adeò est insolens, vocum μιλίας, & σμίλαξ seu σμίλαχ⊙ similitudine deceptum, ut de Matth. experimentis aliorúmque nihil ampliùs dicamus. Probandum fuit Constantino, μιλίαν non esse Fraxinum. Et, si non agnoscit affinitatem inter has voces σμίλαξ & μιλία: at agnoscat, inter μιλία, & μίλ⊙, cuius vocis ne meminit quidem. Accedat quòd Hermol. Ruell. aliíque doctissimi viri, Plinij lapsum agnoverint. Parum itaque attentè Plinium de Fraxino scribentem perpendisse videtur Rob. Const. dum eius errorem non agnoscens, novo errore pro defensione cumulavit. Sed de his plus satis.

Matth. experim.

Contra Taxi venenum. Autorum assertum de praedicta controversia.

Pergit Matth. in viribus. Humor qui resudat urendo Fraxini lignum, mixtus cum pari pondere succi Cyclaminis Scyllæ & Rutæ, ac nonnihil simul decoctus; valet ad surditatem, si eundo cubitum ponatur in aurem sanam, ita ut æger dormiat supra sanam. Si sit in utraque aure surditas, ponatur in aure minùs affecta. Aqua extracta ex lignis per descensum, ablato oleo, mixta cum aqua Violarum, tollit ruborem & pustulas faciei. Decoctio corticis ramorum sumpta per aliquot dies, imminuit humidum splenem. Lingua avis vtilis est in potu pleuriticis & ad provocandam urinam. Esa cum Pistaciis, nucleis Pineis & sacchari iuvat coitum. Si colligatur principio Novembris, exsiccetur in furno, & eius pulvis detur cum vino, plurimùm confert adversus renum calculos. Singulare experimentum contra calculum. In minutas taleolas concisæ Fraxini sumuntur M. ij. quibus affunduntur vini albi lib. iij. ad tertias coquuntur: per linteum colati iuris Cyathus in quo tenuissimæ serraturæ Fraxini drachma infusa fuerit, bibitur manè calidus octo diebus continuis: Præservat à calculo diù: quod in multis experientia verum comprobavit. Cinis Fraxini cum aqua mistus, scabiem illitu profligat. Recens cortex vulneri recenti superligatus, ita constringit, ut sutura non sit opus. Coquitur eius cortex in aceto, quod ex spongia calidum ventriculo adhibitum, vomitus compescit. Idem in vino rubro coquitur, quo utiliter foventur dysentericorum ventres.

Surditas.

Rubor & pustula faciei. Pleuritis.

Venus.

Renum calculi. Experim. contra calculum.

Calculi præservativum. Scabies. Vulnus.

Vomitus.

Dysenteria. Diosc. not.

Quamvis autem Diosc. ligni scobem potu lethalem credi tradat, esse tamen scribit Cæsalp. qui eius decocto utantur vice ligni Guaiaci, fœlici successu. Eius cortex internus aquam, in qua maduerit, cœruleam reddit, quam apponunt Gallinis, cùm morbis vexantur, eodem teste.

Ligni Guaiaci substitutum. Aqua cærulea.

Loquelà deficiente corticem Fraxini linguæ supponi iubet medicamentarius liber VVirtembergicus, & restitutam iri promittit. Magnum sanè remedium, si verum & probatum. Fraxino Spleneticos, Nephriticos, & Lue Venerea affectos scio curatos, inquit Lob. Quî igitur sint ramenta venenum? siquidem ipsa adversatur venenis. An quia corpori non venenato imprimit illam qualitatem, quam in venenum exertura fuit. Siquidem Cantharidibus hæc perquàm grata est: ut porè inquà nascuntur, victitant & moriuntur. Id verò, uti de Iunipero dicitur, ramorum asperitate posse interimere quosdam, qui noxam non sentiunt ex decocto. Corticis radicis cinis nodulo exceptus cauterij potentialis supplet vicem madefactus & impositus: indéque foraminulum contractum reseratum, immisso Hederæ folio, fovetur. Corticis, seminis & foliorum decoctum surditati suffitu medetur, occulta proprietate. Sal Fraxini sudores movet urticis mixtus: medicamentis autem purgantibus, serosa evacuat, stimulósque agit. In immani illa peste Lugdunensi, ubi ego Bauh. medicus ordinarius urbis stipendio detinebar, observavi quosdam usos Fraxini cortice ad potiones sudorificas pro peste correptis. Ad reddendos capillos pulchros Cento medicamentorum VVirtembergicus iubet accipere mense Aprili Fraxini gemmas & folia, eadémque siccata & pulverisata, quantitate medij ovi, linteo involuta macerare in lixivio, quo pili abluantur. Vsum Fraxini ad stipandas vites diximus in cultu ex Colum. Virgil. & sudes commendavit:

Loquela deficiens.

Splenetici. Nephritici. Lues Venerea.

Cantharides.

Cauterium.

Surditas.

Sal Fraxini ad sudores. Purgans.

Pestis. Capillorum ornatus.

Sudes pro Vitibus.

Fraxineas aptare sudes furcásque bicornes:

Nempe Vitibus. Nec minùs hodiè in usus venit serenda inter vites, quamvis facilè à gelu lædatur, & minùs duret Acere. Verùm quia faciliùs provenit Acere, & quia serpentes eius umbram refugiunt, ut etiam Aug. Gallus non ignobilis Geoponicus Italus testatur, & in Italiæ locis quibusdam Vitibus adseritur, vel potiùs Vites adseruntur huic, ut ea sustineantur, quod & Cæsalp. testatur.

Sed & folia ac frondes hodiè in quibusdam locis in usu sunt ad sustentandas oves & capras: speciatim propè Acidulas Vlmensium, Fraxini passim coluntur in eundem usum. Priusquàm decidant folia, frondem decerpunt & prælecant, fasciculósque conficientes in hyemem siccatos reponunt. Quo tempore iis rodendos & devorandos suspendunt, id potissimùm tertio quoque anno facientes, sicut & de Coryli ramis, uti nos observavimus.

Porrò tantus est materiei usus, ut Fraxinum præ aliis copiosissimæ materiæ causa naturam generasse, scribere non dubitarit Plinius.: quippe quæ obedientissima sit in quocunque opere, tandémque pro hastis Corylo melior, Corno levior, Sorbo lentior. Est sanè Fraxini lignum tenacissimum ac durissimum, ob quas dotes & ad hastas expetitur, huicque longitudine rectitudine non aliud lignum præferri, nedum conferri potest. Ad ephippia & satissas conficiendas passim expetitur, maximè in Anglia, Hybernia & Scotia. Abacis, mensis, cochlearibus, poculis conficiendis commodissimum. Denique quicquid ex ligno fieri debet, ita ut subtile, fabrè factum etiamque forte esse debeat, ut magnam vim sustinere queat, non meliùs ex alio, quàm ex isto parabitur. Vtuntur & ad Rhedas & similia instrumenta. Ex radice pugionum manubria fiunt, præsertim sylvestris, quæ materiæ

Vsus ligni.

elegantia prædictæ longè præfertur, atque adeò undulata striarum varietate, nec Aceri quidem cedit: qualem in Poloniæ sylvis crescere audimus: immò vix pulchrius lignum in tota adeò Europa crescere tradunt. Nobile vocant. Germ. Edelescbern: quale apud nos non crescere artifices testantur.

Quæcunque vires primæ seu vulgari Fraxino tribuuntur, iisdem prædita est & alia, sed efficacioribus, vel Turneri iudicio, nisi ubi maior humiditas requiritur. Tum verò accommodatior est vulgaris.

Sed nec illud prætereundum quod Oribas. ex Heliodoro monet: Bases, crura, latera, transversaria, Cubitos, testudines, adiunctaque crura, cæteraque quæ in organis Chirurgicis ampliora expetuntur ex Iligna vel fraxinea materie, quæ secundas obtineat, conficienda.

Organa Chirurgica.

DE MELLE AEREO, MANNA, TERENIABIN ET SACCHARO Alhuzar in genere.

Cap. XI.

Infirmitas ratio.

DIu multumque cogitavimus, quonam loco esset collocanda Manna: quam nostram dubitationem iniecerunt potissimum ii, qui Mel aëreum existimant. Sed Experientiæ tandem Clarissimorum Medicorum cedentes, atque potissimum insignis illius Altomari, statuentis ac docentis Mannam esse liquorem seu Lachrymam Fraxini & Orni, libuit hoc loco de ea in genere & specie tradere.

Arist. de melle aëreo.

Incipiemus à verbis summi Philosophi Aristotelis sic scribentis de apibus: Construunt favos è floribus, ceram ex lachryma arborum fingunt: Mella ex rore aëris, syderum ortu potissimùm, & arcus cœlestis incubitu contrahunt. Omninò ante Vergiliarum exortum mel non fit. Favos itaque, ut dictum est, ex floribus faciunt. Mel ipsas non facere apes, sed rorem candentem deferre, argumento est, quòd uno aut altero die cellas cera repletas inveniunt Apiarii.

Theoph.

Adhuc clariùs Theoph. lib. 3. hist. cap. 9. de melle aëreo scribit, his verbis. Quercus ferax arbor est plurimarum rerum. Sin autem, autore Hesiodo, Mella quoque apésque ferat, magis illud quoque confirmatur. Ergo nascitur & melleus hic liquor ex aere, nec aliis magis insidet frondibus.

Plin.

Ex quibus & Plin. sua mutuatus, tamen fusiùs eadem declarat. lib. 16. cap. 8. Robora ferunt & Viscum & mella, ut autor est Hesiodus: constatque rores melleos è cœlo cadentes non aliis magis insidere frondibus. Et lib. 11. cap. 11. & 12. Nihil horum [apes] stato tempore, sed rapiunt diebus serenis munia: & melle uno, alteróve ad summum, die cellas replent.

Ex aëre venit.

Venit hoc ex aëre, & maximè siderum exortu, præcipuèque ipso Sirio exsplendescente fit: nec omnino prius Vergiliarum exortu sublucanis temporibus. Itaque tum prima aurora folia arborum melle roscida inveniuntur: ac, si matutino sub dio fuere, unctas liquore vestes, capillúmque concretum sentiunt: sive ille est Cœli sudor, sive quædam siderum saliva, sive purgantis se aëris succus: utinámque esset & purus ac liquidus & suæ naturæ, qualis defluit primò. Nunc verò è tanta cadens altitudine, multúmque

Cœli sudor. Siderum saliva. Aëris succus.

dum venit, sordescens, & obvio terræ halitu infectus: præterea è fronde & pabulis potus, & in utriculos congestus apum (ore enim vomunt) ad hæc succo florum corruptus, & alveis maceratus, totiésque mutatus, magnam tamen cœlestis naturæ voluptatem affert.

Altomarus iungit ex Plinio, ea, quæ scripsit cap. 14. eiusdem libri, de altero genere mellis, quod vocatur Horæum: Verùm quum ea, quæ ibi dicuntur, nobis videantur intelligenda de Melle propriè & simpliciter dicto, hic omittimus. Videtur & Virgil. de Melle propriè dicto scribere: Georg. 4.

Aërium mel Cœlestia dona.

Protinus aërei Mellis cœlestia dona
Exequar. -----

Melleus ros.

An verò Ecl. 4. intellexerit Melleũ rorem de cœlo cadentem ut quidam existimant, aliis considerandum relinquimus. Eius hæc sunt verba:

Et duræ Quercus sudabunt roscida Mella.

Quercinum mel.

In Quercuũ sanè foliis non semel observavimus Rorem melleum, quemadmod. & in foliis Tiliæ, quem nostro iudicio, nec Quercus neque Tilia sudabat: censemus Virgilium potiùs Poëticè loqui, quàm verè. Curtius tanquam miraculum extollit, quod ex Quercubus mel destillet, & de hoc Hesiodum ac Virgilium loco posteriùs citato loqui censet. Cordus præter iam dictum Melleum liquorem roscidum vel aëreum, etiam alium agnovit humorem melleum, dulcem spontè destillantem ex truncis Quercuum, Quem Oleomeliti ipse comparat, de quo nos lib. 6. & lib. 7.

Mellis distinctio Galeni.

Galenus lib. 3. alim. cap. 39. sic distinguit: Mel à plantis & ab animalibus est secretum. Oritur enim in plantarum foliis. Est autem neque succus earum, neque fructus, neque pars, sed eiusdem est cum rore generis: non tamen assiduè, nec copiosè, ut ille provenit. Memini, aliquando, cùm æstate super arborum ac fruticum herbarúmque folia mel quàm plurimum fuisset repertum, agricolas velut ludentes cecinisse, Iupiter melle pluit. Præcesserat autem nox, ut per æstatem, benè frigida (nam tum tempus anni æstivum erat) pridiéque calida & sicca fuerat aëris temperies. Peritus quidem naturæ interpretibus videbatur halitus è terra & aquis à solis calore sublatos, ac deinde exactè tenuatos ac coctos, à frigore secutæ noctis concretos coalvisse. Apud nos verò rarò id accidit. In monte autem Libano quotannis persæpe. Itaque coria super terram extendentes, & arbores excutientes, quod ab eis defluit, excipiunt, & ollas ac fictilia melle implent: vocantq; id mel roscidum & aëreum. Proinde constat materiam, ex qua mel generatur, rori esse congenerem. Videtur autem & ex plantis, in quarum foliis colligitur, boni malive quid ipsi accedere. Hactenus Galenus.

Mel pluit. Manna concretum. Mel Libani. Manna ex lecto. Mel roscidum & aëreum.

Quæ verò nostra sit opinio de Melle aëreo Galeni, postea apparebit sub titulo Mellis Cedrini.

Mel aëreum Athenæi.

Amynthas lib. 1. de Asiæ mansionibus, cùm tractat de Aëreo melle, referente Athenæo, ita scribit: Simul cum foliis id decerpentes componunt & fingunt ad instar Syriacæ massæ. [Caricarum pinguium, quæ à Syria convehuntur] Quidam glebas ex eo faciunt: & ubi sumere collibitum est, diffractas ex eis micas in ligneis poculis, quæ Tabetas nominant, dilutas anteà & collutas bibunt, gustu simili, ac si quis mel dilutum bibat, sed multò iucundiore. Hæc Athenæi verba optimè respondent nostræ Mannæ Briansonnæ, sive Laricea, de qua postea. Quid si Cedrinam intelligat?

Arabes sub rore aëreo comprehendunt Tereniabin

Arabum planta de Manna obscura. *Arabum Manna ab Europaeis differt.* nabin, Mannam & Saccharum Alhusar: quorum varias species tradunt, tanta obscuritate, ut nihil supra. Quam tamen differant à nostris Europaeis Mannis, nec inter ipsos benè constet, lubet omnia huc referre, quae de ipsis scripserunt incipientes à Serapione.

Tereniabin. *Mel roris.* *Abbir serniosa.* Tereniabin, infit ille, est Mel roris. Isaac: Tereniabin est ros cadens de coelo, similis melli granuloso concreto. Vocatur Mel roris. Plurimū cadit super arbores in Orientis regione, Corasceni dicta, quibus folia similia spinis viridib'; & flores rubri: & quae fructum non ferūt. In Castel- *Palma. Vires.* la cadit supra summitates Palmarum. Vis ei emolliendi alvum & humectandi pectus. Confert natura calidis, potissimùm si dissolvatur in aqua Iuiubarum & Prunorum. Aben Mesuai: Emollit ventrem & pectus. *Delectus. Dosis.* Praestat quae alba & recens. Dosis à 10 ad 20 aureos. Ita tradunt Mesua, Albusari, Aben Guefid, Attabari & Rhasis. Verùm Abix scribit: Tereniabin praestare Zucharo, sedare inflammationes febrium calidarum, auferre sitim, & ventrem mediocriter emollire. Esse Mannam quae cadat ex aëre, sicut Manna, *Manna.* lenire pectus: plerumque cadere supra spinas praedictas. Haec Serapio cap. 11.

Mel Serap. At cap. 45. Men inquit, est Manna. Mescha scribit, Mannam esse calidam, abstergere & emundare: virtutem eius intentiorem aut remissiorem esse pro diversitate arborum supra quas cadat. Mesarugie tradit Calidum primo gradu, temperatum in humiditate & siccitate, conferre pectori & pulmoni: Eam quae cadit supra Tamariscum bonam esse tussi & asperitati pectoris. *Tamariscus. Malvaviscus.*

In Collect. Rhasis Manna traditur, cadere supra arborem Malvaviscum, veluti Mel: moram trahentem in ea albescere: at citò collectam viridem esse.

Temperā. Delectus. Habico autore, calida est in fine secundi gradus, sicca ferè eodem gradu. Melior cui color clarus, accedens ad albedinem, & nonnihil rufescens, & è ligno purè collecta. Roborat ventriculum, adstringit ventrem, confert aquae citrinae pota ventrique imposita. Venit & in me- *Vires.* dicinas apostematum. Exiccat catharrum usus drach. 1. in caput-purgio: mundat cerebrum, crassos vapores dissipat & corroborat. Mixta in potionibus & caput-purgiis, tollit tumores pituitosos. Miscetur & confectionibus magnis, quòd maximè sit salutaris.

Tereniabin Rhaz. Manna. Rhaze authore, l. 3. ca. 20. Tereniabin calidum est, ventrémque solvit, atque guttur lenit. Et l. 9. c. 14. Mannam, quam antiquis Mel aëreum dici ait, ad raucedinem commendat. Et c. 15. & 54. In evacuantibus medicamentis addit.

Manna quid Avic. Tereniabin Siracost. Mel ex Casseram. Avic. iudicio, Manna est omnis ros cadens super lapidem aut arborem, dulcis: coagulatus sicut mel: exiccatur sicut gummi, quemadmodum Tereniabin & Siracost, [Est Manna, quae apud Italos in usu: Bellun.] & mel quod adfertur ex Casseram, in Reb: [Altom. Antiquus codex habet hasce Eracost, & Mel asportatum de terra Cusarau sylvestri.] de singulis suo quoque capite diximus. Assumit praeter suam levitatem & dulcedinem aliquid de natura & virtute eius rei, supra quam cadit. Haec Avic. l. 2. tract. 2. c. 489. In margine annotatum Men esse commune nomen ad omnes species Mannae. Idem cap. 496. Mel *Mel.* [Hassel] est liquor cadens super flores & reliqua, quod apes colligunt: éstque vapor qui elevatur & maturatur in aëre, convertitur & incrassatur noctu: & mel factus decidit. Et quandoque cadit mel sicut est in monte Chaseram. Variat *Avic. di-stinctio.* secundum ea, super quae cadit. Quod manifestum est, colligunt homines: quod verò occultum, apes. Et cap. 704. Tereniabin [Bellu. Trungibin, *Tereniabin Trungibin.* species Mannae, quae in Oriente valdè in usu] est ros plurimùm cadens in Corasceni [idem Serap.] in locis, quae sunt ultra fluvium: & in nostra regione [Bochara, in Persia: Bellun.] ut plurimùm cadit super Ahaagi. [Spinas, Serap.] Melius est re- *Delectus. Vires.* cens, album. Est in caliditate temperatum, leniens, abstergens, confert tussi, & lenit pectus: sedat sitim & Choleram. Facilè evacuat particulari proprietate. Dosis à 10 aureis ad 20. Et c. 758. Zuccarum Alhusar [Sachar Alhasser.] est *Saccharum Alhusar.* Manna cadens super Alhusar veluti frusta salis. Habet cum abstersione paucam acerbitatem & amaritudinem. Vnum est iamerum album: aliud *Iamerum album.* est Alhagiez ad nigredinem declinans. Est abstersivum cum acerbitate. Zuccarum Alhazar acuit visum: confert pulmoni & hydropisi cum *Vires.* lacte Camelae noviter foetae: [Rhas. cum lacte Camelino & Serap. cum lacte Mandragorae] non facit sitim sicut reliquae species Zuccari: quoniam eius dulcedo est parva: bonum est ventriculo & Hepati confert, renibus & vesicae.

Zucharum Haoscer. Serap. de dicto Zucharo: Abusar haec scribit c. 50. Et Zucharum Haoscer Andacani confert stomacho propter suam stipticitatem & acerbitatem: confert in doloribus renum & Vesicae, abstergit visum Collyrio: exiccat & resoluit pannum oculi [suffusionem fortè] Hausum non sitim creat, quia pauca abstersione praeditum, propter quam & hydropicis confert, potum cum lacte Mandragorae, id est, Lasaha. [Camelae. Avic.] Recens calidum est & humidum: Vetus calidum & siccum: Confert ventositatibus ventris, cumque lenit. Haustum cum Oleo Amygd. dulcium confert Colicae: Vetus ex eodem phlegma stomachi abstergit, sed sitim inducit, & sanguinem crassum generat. At quod affertur ab Aliemen, quod Mastici simile est vocatúrque Zucharum haoscer, prodest stomacho & he- *Zucharum haoscer Mastici simile.* pati propter paucam amaritudinem, qua praeditum est: & à proprietate quadam confert in doloribus vesicae ac renum, hasque partes mundificat.

Isaac Bensulaimen. Zucharum ex regionibus Heigen, quod est nominatum Zucharum haoscer minùs dulce est quàm reliquae species, sed magis exiccat. Quare non aufert sitim sicut aliae species Zuchari: sed laudatas operationes praestat in doloribus renum: & quando bibitur cum *Lac haoscer.* lacte Mandragorae idem praestat, sed efficaciùs & manifestiùs operatur, & suspectum, atq; periculosum in naturis calidis.

Hahoscer quid. Aabrianifa: Hahoscer habet lata folia, & nascitur uno tempore anni: & habet Zucharum quod egreditur ex oculis ramorum eius, & ab exortu foliorum eius, & homines colligunt de eo rem convenientem, in cuius zuccaro est amaritudo: & egrediuntur ab eo Mala [intelligimus nasci in ea arbore Mala] similia testiculis Ca- *Mala similia testiculis camelorum.* melorum: & egreditur ab illis pomis res quaedam adurens, quà non est aliud praestantius cauterium. Eadem & culcitrae & pulvinaria implentur. Arbor eius vocatur Cherchiar: cuius folia incisa *Causticum. Arbor Cherchiar.* emittunt lac, quod Maio collectum coria depilat in eo macerata. Lignum eius leve est, gros- *Lignum quale.* sum, rectum, pulchrum, ita ut etiam Musici illud in ludicris suis cantilenis brachiis & cruribus foeminarum compararint. Aliud Hahoscer est *Haoscer Tithymali species.* species Tithymali.

[illegible] de supra scriptis Arabum placitis.

Hactenus Serapio & cæteri Arabes de Melle aëreo sive roris, & de Manna, satis quidem barbarè: quorum obiter, atque absque sensus immutatione [vti speramus] placita proposuimus à nobis dedolata: quæ tamen ita obscura nobis videntur, vt pauca certa ex iis colligi & concludi in hac rerum obscuritate possint. Qui certa eruet, erit nobis magnus Apollo.

Manna Averrou. Terregebin

Nec prætermittendus Averroes qui lib. 5. collect. de Manna scribēs granulosam intelligere videtur, aut certè liquidam. Ait enim: Terregebin, id est, Manna, est ex speciebus antiquæ Mannæ, quæ provenit à partibus superioribus Syriæ vel Indiæ: estque similis Saccharo in suis virtutibus, calida & humida in primo gradu: & eius proprietas est purgare suaviter choleram, quamvis debilior sit aliis purgantibus: ideò datur in passionibus calidis, etiam antequam appareant signa digestionis.

Audiamus quid Neoterici de iis tradant.

Neotericorum placita.

Hermolai quidem & Marcelli opiniones de Melle aëreo, Manna & Elæomelite postea tradémus sub titulo Man siue Manna sacrarum literarum. Nam Hermolaus propemodum in ea est opinione, vt credat idem esse Elæomeli & Aëromeli, quod tanquam à veritate alienum improbat Cordus. Matth. autem scribit Hermolaum vicinitate Elæomelitis & Aeromelitis deceptum, dubitasse utrum Elæomeli sit Manna.

Hermol. opinio refut.

Mannam Elæomeli esse negant Lacuna, Ruell. Ryffius, Brassavolus, rationes autem cur non sit, infrà dicentur.

Manna mel aëreum.

Ruellius Mannam roridum vel aëreum mel esse ex eius dulcedine sufficienter vult constare: mellifluumque hunc sudorem veteribus, præsertim verò Galeno, Plinio & Dioscoridi, non incognitum fuisse scribit: eosque magno implicari errore qui Mannam putant Elæomeli veteribus fuisse.

Veteribus non incognitum. Error.

Crinitus lib. de honesta voluptate improbos & ignaros vocat, qui Mannam, cuius nunc communis usus, ante Galeni tempora ignotam Italiæ affirmant, addens, Tiberio imperante, Mannæ usum à Medicis probatum, licet alio nomine appellarint: Celsum suæ sententiæ adstipulari & Rorem Syriacum apud eum oportere intelligi, quem Hebræorum monumenta & recentiores Medici Mannam vocant. Dioscoridem nominare Mannam μάνναν: & Orpheum inter thymiamata referre. Ea autem ipsa verba Manardus citans, in Epistolis, Criniti sententiæ adstipulari non posse ait. Ac Rorē Syriacum Cels. esse vulgi Sumach: scribendum fuisse, Rhos, voce Græca. Dioscoridi Mannam λιβάνου, eiusdem Manardi iudicio, esse ἀπόσεισμα λιβανώτου Galeno apud Orpheum: atque excribrationem & pulvisculum quendam Thuris ad suffimenta idonei. Neque igitur Celsum, neque Diosc. neque Orpheum, quorum testimonio nititur Crinitus, id probare, quod contendit: Tiberio scilicet Cæsare imperante, Mannam hanc, quam nunc passim ad alvum nobilium (pretiosa enim res est) leniendam exhibemus, in agnitione & usu fuisse Medicorum. Nisi tandem fortiores rationes producat, non se ab Averroë recessurum, (ait Manardus) sed Mannam hanc inter ea repositurum, quæ post Galenum in usum venerunt Medicorum. Nisi fortè quispiam antiquitati favens, Mel sylvestre, ut Svidas, vel Mel roris aut aeris, ut Galenus, vocatum ab antiquis contendat: cui nec nos magnoperè repugnabimus.

Ros Syriacus. Manna lybani. Crinitus reprob. à Manardo Ros Syriacus.

1 2 3

Mel silvestre.

Zuccharum

Idem Manardus scribit: Zuccharum Alhusar est Manna cadens supra plantam Alhusar, cui easdem vires Avic. tribuit, quas Græci suo saccharo. Ergo idem est cum Zuccharo Alhusar Græcorum saccharum. Ex quibus adhuc colligit Saccharum melleum esse rorem. Quem sic ratiocinantem reprehendens Cordus, vehementer se mirari ait, ipsum suffragia ab Avic. petere, quem usque adeò detestatur, & cuius nullam facit autoritatem, vt pote qui se non admissurum protestetur, nisi id in gratiam amici faciat. Nos verò, inquit Cordus, haud temerè Avicennam hoc dicentem reiicimus, etiamsi contra nostram sententiam scribere videri possit. Ideo autem hoc Manardi argumentum reiicimus, quoniam per Hahoscer, quod idem est cum Alhusar Avic. non eandem omnes plantam intelligunt, aliis rectam & proceram quandam plantam, aliis certam Tithymali speciem sic vocantibus. Præterea non conveniunt inter se in definiendo Zuccharo Alhusar autores. Avic. enim dicit id Mannam esse, quæ cadat supra plantam Alhusar. Serapio contra autoritatem Abrionisæ, scribit Zuccharum Hahoscer egredi ex oculis ramorum suæ plantæ, & à locis foliorum eius; hoc est, quà folia à planta sua & oculis enascuntur. Quare cùm ille Mannam esse dicat, hic verò lachrymam ex Hahoscer emanantem, nondum composita controversia nullum suggerit Manardo argumentum. Nos tamen credimus Hahoscer plantam esse, Cannæ Sacchari non dissimilem: quæ perinde ut Sacchari canna Saccharum ab oculis emittat: sed sui generis & minùs dulce, quàm verum Saccharum, atque adstrictione & amaritudine etiam ab eo differens. Si autem contingit etiam Mannam supra Hahoscer cadere, poterit hæc Manna Alhusar vocari, ut etiam Avicennæ salva maneat fides & autoritas. Quod verò eadem sit materia Mellis apum, Mannæ & Sacchari antiquorum, haudquaquam concedendum putamus. Diversà enim à Manna esse Saccharum antiquorum materià, suo loco ostendetur. Neque verò Mellis ac Sacchari materiam rorem veteres esse crediderunt, alioqui nequaquam Δροσόμελι, id est, Mel roscidum vocassent. Nam dum Mannam vocant roscidum Mel, ad differētiam Mellis apum, præsumunt apum Mel rore non constare ut Mannam. Quod autem diversa sit Mellis apum materia à rore, multæ mellis & apum proprietates palàm ostendunt. Mel enim semper quocunque veris & æstatis tempore in floribus reperitur: Mellei autē rores non semper, sed rarissimè apud nos decidunt. Mel tàm noctu, quàm interdiu in floribus reperitur. Melleus ros tempore tantùm matutino. Mellis circa Meridiem plurimum in floribus deprehenditur: Melleus ros incalescente Sole statim perit. Mel dum in floribus continetur, semper est liquidum: Ros Melleus concretus est. Mel apum in floribus continetur: Ros melleus supra folia plantarum decidit. Mel vetustatem non tantùm per se ferre longam potēst, verùm etiam omnia alia, quæ hoc excipiuntur in multos annos conservare, quod Theriaca, Mithridatium & aliæ huiusmodi confectiones clarè ostendunt: Ros verò Melleus, hoc est Manna, non solùs quidem incorruptus unum atque alterum annum durare potest, nedum alias res à corruptione tueri. Itaque in favis etiam, aut favis expressum mel, brevi corrumperetur, si melleus ros apum mellis materiam præberet. Præterea in Septentrionalibus regionibus maxima mellis est copia, ut in Lithuania, Livonia & vicinis regionibus, in quibus tamen rarissimi mellei rores conspiciuntur.

Alhusar. Manardus repreh. à Cordo. Hahoscer. Arabes inter se dissentiunt. Serapio cum plur. & Avic. Saccharum Hahoscer. Manna Alhusar. Rorem nec sacchari materiam nec Mellis esse.

spiciuntur. Porrò si ros est mellis materia, quærimus, quî fiat quòd hic in flores tantùm decidat. Cœlo enim delatus in ea potiùs se demitteret, quæ lata & expansa sunt, veluti folia plantarum, & minimè in tantillos flores? Quoniam verò mel non in foliis plantarum, sed floribus reperitur, atque iis non totis, sed absconditis eorum anfractibus, & posteriori tantùm parte atque recessu, haud verisimile est, mellis materiam rore constare. Quomodo enim his præteritis latissimis etiam foliis, in florum ultima penetralia tanquam furtim irrepens atque ex industria in latebris se absconsum recipere potest? Postremò constat omnibus, qui usque ad extremam senectutem apum naturam scrutati sunt, rusticis, apes ipsas mellificaturas, tantùm è floribus collectum liquorem in favis reponere. Rores verò melleos cùm decidunt, haudquaquam ad favos convehunt: quod ipsi quoque verum esse deprehendimus. Præterea mellito rore delapso ad hunc frequentes quidem convolant apes, minimè ut eum in alvearia revehant, sed tanquam ad cibum & pastum: quo adeò se replent, ut prorsus inertes & ignavæ reddantur, multæq; emoriantur. Itaque rustici dicere solent, mellitos rores bonum quidem pastum apibus præbere, sed ad mellificationem minimè conducere. Interim enim dum roris suavitate allectæ cibi avidæ detinentur, nihil ad alvearia convehunt. Quapropter, nemo nobis persuadebit rorem mellis apum materiam esse. Hactenus Cordus: cuius quidem rationes non minùs manifestas quàm veras cuiquam videri facilè censemus, ut plura super iis addere haud videatur necesse.

Mel aerium noxet apibus.

Manna Orientalis Monachis.

Non dubium est, inquiunt Monachi, quod quantò recentior est Manna, tantò melior. Ob id Manna Orientalis parui fit in Italia, quia non potest haberi ita recens ut Calabrica. Ea autem duplex est, scilicet aërea, quæ cadit veluti ros super universas arbores & plantas & lapides, quam quidem vocamus Mannam cœlestem sive aëream, & propriè est Mel roris. Alia Manna est, quæ peculiariter ex Fraxino & Orno colligitur. Colligunt etiam Calabri quandoque Mel aëreum, id est, Mannam cœlestem super varias plantas & super lapides, sicut & aliæ gentes: sed hoc fit rarò, nec ita densatur. Manna autem aërea secundum Arabes habet plures differentias, teste etiam Mesue. Censent communiter Doctores, apud Arabes Tereniabin & Siracost esse species Mannæ. Siracost autem sive Xiracost, sive Alsiracost, ut iidem Monachi tradunt, idem est: verùm de his copiosè scribemus capite proprio de Siracost.

Calabrica. Aerea.

Manna cælestis. Mel roris.

Manna Fraxini. Mel aereū.

Tereniabin Siracost.

Brassavolus in suo examine scribit: Mannam rorem condensatum nemo dubitare audeat. Superioribus annis Ferrariæ in horto Excel. medici Sigism. Nigrisoli cecidit: is copiam collegit, atque probavit. Est statutus locus in Oenotria, in quem singulis æstatibus descendit, & ab omnibus passim colligitur. Neapolitani reges occlusere locum, ne quis sine vectigali colligeret. Dum locus occlusus fuit, non descendit, eo recluso & vectigali remoto, iterum descendere cœpit. Sed & iterum clauso loco & tertio recluso & clauso cessavit: ut necessarium fuerit, reges quibúsque permittere, ut colligere possint. Hoc mihi retulit Illustriss. Federici regis Neapol. dignissima uxor.

Ros condensatus Brassavola.

Locus.

Mirabilis observatio.

Sunt autem tria Mannæ genera in Calabro solo collecta. [& dictũ antè quomodo Hebræorum Manna vera sit de generibus Calabrinæ, de quibus mox.

Manna tria genera.

Hermol. Mannam sub Elæomeli comprehendit, cui consentire non possumus. Manna è cœlo descendit: Elæomeli ex arboribus sponte manat, &c.

Hermol. mor.

Bellon. libello de arbor. conif. Mellis Cedrini duas præcipuas differentias facit: liquidum scilicet & durum. Frequentissimam Gallis aridam Mannam dicit quæ ex vicinis & variis montibus petitur, adeò ut huius discrimen publicè à negotiatoribus sit cognitum. Siquidem Mannam istam seu Rorem Cedrinum, quem in officinis asservant, suis nominibus distinguunt: & aliá Calabrinam, aliam Granatam, aliam Brianſonam, aliam Ambrunensem dicunt: quæ inter se dissimiles sunt. Dicit præterea variũ esse durationis tempus: aliam enim statim post annum exolescere, situmque redolere: aliam tardiùs corrumpi, ut ad quinquennium adservari possit. Omnes tamen sicciori loco gaudere. Sed liquidam Mannam, nobis alioqui infrequentem, temperato loco non humido nimis, nec adeò calente reponi debere. Omnium ortum in media aëris constitutione ex rore in Vere circa principium æstatis esse consuevisse. Mannam in Libani Cedris potiùs quàm aliis arboribus adhærescere: sic etiam in Europa Laricibus malle copulari. Indigenas ad Larices summo mane festinare. Nam quum sol illuxerit liquidam evadere. Hinc duas eius species constituit: Liquidam, quam proprio nomine Arabico Tereniabin dici ait: hàncque esse de qua Hip. & Gal. meminerint: quàmque diversis capitibus Serap. & Avic. à Manna sicca distinxerint. Mannam itaque liquidam sive Mel Cedrinum, cùm nobis nunc nullo in pretio habeatur, ampliùs servari desiisse. Mannam etiam, quia mox friatur, magno vænire solere.

Manna liquida & dura Bellonio.

Mannā varia.

Ambrunensis. Durationis variętas.

Manna liquida.

Ortus.

Manna Libani. Manna Laricis duplex.

Mel cedrinum.

Mannam, eodem tradente, Veneti aliter quàm Galli negotiatores distinguunt, & variis nominibus appellant. Siquidem quum merces undecunque ad nos deferantur, varia Mannarum genera agnoscunt: præcipuam tamen granulatam, quam vulgò Mastichinam nominant. Alteram Bombycinam.

Manna distinctio Venetorum.

Fuchsij iudicio, Mel aëreum & Ros Libani Gal. appellatum non est nisi Manna Arabibus, nomine ab Hebræis mutuato: quibusdam Ros Syriacus dicitur. Duũm est genus: alterum liquidũ, quod Arabibus Tereniabin; & Hipp. Mel cedrinum dicitur: atque servari desiit. Alterum aridum, quod hodiè asservatur in arculis ligneis aut vitreis, & suprascriptis distinguitur nominibus.

Mel aereū & Ros Libani. Ros Syriacus. Tereniabin.

Matth. Mannam quendam liquorem sive rorem suavem vocat ex aëre venientem, sublucanis temporibus, arborum ramis & frondibus, herbis, lapidibus & solo interdum hærentem, qui brevi temporis curriculo coalescens, grumosus in Gummi morem efficiatur. Huius duo tantùm genera se in Italia vidisse fatetur: quorum alterum ab orientali plaga, alterum à Calabris deferatur. Orientalis duplicem esse speciem: præstantissimam Mastichinam: vilem & adulteratam, Bombycinam.

Manna descriptio Matth.

Orientalis. Calabrica. Mastichina. Bombycina.

Duo quidem genera à Mauritanis diversis capitibus prodita agnoscit: Mannam nempe, & Tereniabin: sed non aliam inter ea specierum differentiam facit, quàm quòd alia liquescens, melli similis, alia in grumos concreta videatur, quam afferit esse illam quæ ad nos advehitur. Quam antea ex Brassavolæ testimonio à quodam coëmptam Melli similem diximus, Matth. censet ex eo genere fuisse, quod Mauritani Tereniabin nominant:

etsi contrarium ipse Brassavolus senserit, qui vult Mauritanorum Tereniabin esse eam Mannam, qua communiter vtimur.

Manna Veteribus non incognitam.

Credidit Aver. & post eum alii plures, Mannam veteribus, præsertim Galeno incognitam fuisse. Quibus illud reclamat quod ipse Gal. l. 4. de Alim. fac. scripsit. Huius etiam meminere Arist. Theophr. Plin. & alii, ut in præcedentibus liquet. Censetque Matth. & alii multi, illum hanc ipsam intellexisse, qua hodiè utimur, sed loco differentem. Idem testatur se Mannam utriusque consistentiæ è cœlo demissam vidisse in Comitatu Goritiensi, universoque Ferrariensi agro, ac circumvicinis locis, Anno à Christo nato 1546. Maio & Iunio mensibus, fuisseque ipsi ambarum colligendarum amplissimam facultatem. Siquidem ea, quæ Fici, Fraxini & Ornoglossi frondibus adhæserat, gummi modo concrevisset, colore candida. At quæ super Amygdali, Persici ac Quercus folia deciderat, mellis modo liquescens, ab arbore defluxisset flavo colore. Quo factum esse ut facilè crediderit, non sui ipsius facultate gummi modo Mannam concrescere, sed foliorum, in quibus delapsa recumbit. Quare ab Arabibus diligentissimè perspectam, utriusque Mannæ historiam diversis per se capitibus suis monumentis prodidisse. Cecidit quoque, eodem notante, è cœlo Manna admodum copiosa, Mastiches grumis similis, agro Tridentino, in Anamensibus montibus, & præsertim super Larices arbores: quo fit, inquit, ut hinc & ex cæteris manifestè deprehendatur, non parum Altomarum aberrare, qui contendat, Mannam quæ in Apulia & Calabria legitur, è cœlo haudquaquam cadere, sed ex planta exsudasse. Cæterùm ex his, qui Thuris Mannam crediderunt esse Cœlestem, unum Crinitum Florentinum notat, in cuius censuram Manardus epistolam conscripsit, de quâ re suprà. Veruntamen veniam illi dandam putat Matth. cùm & Serapio Thuris Mannam cum cœlesti ineptè confunderit.

Manna aërea duplex in Italia à Matth. observata. — Fraxinea. — Manna liquida flava. — Manna concreta unde. — Lacunæ. — Altomarus reprehensus. — Criniti error. — Serap. taxat.

Manna Lacunæ.

Lacunæ in com. in Dioscor. Manna est vapor valdè crassus & suavis, qui interdum elevatur vi Solis, & noctu concrescens, condensatus descendit supra herbas, supra folia & ramos multarum arborum, & tandem suprà petras: Congelaturq; instar gummi. Præfertur quæ in folia arborum cadit, quæ tota est granulosa, alba, dulcis, gustui grata, similis minimis granis Mastiches: hinc dicta Manna Mastichina, licet dicatur etiam Manna foliorum. Secunda est, quæ desidet in ramis. Deterior quæ cadit supra petras: grana sunt valdè crassa, coloris obscuri, nec saporis ita grati.

Delectus. Granulosa. Manna Mastichina. Manna foliorum. Mãna ramorum. Manna saxorum.

Locus.

Optima Manna defertur communiter Venetias ex Oriente. Advehitur etiam ex Calabria Romam, tantæ bonitatis, ut possit conferri cum Orientali. Tereniabin Arabum eiusdem Lacunæ iudicio est species Mannæ liquidæ, qualis in monte Libano. Melior in foliis Fraxini & Populi, quàm in aliis arboribus. In Persicis & Amygdalis non cogitur in grana.

Orientalis. — Delectus.

Sive liquida sit sive arida, eligendam suadet Fuchs. albam, recentem, dulcem, puram & excrementorum expertem, ex stirpibus odoratis & salubribus collectam. Est quæ statim post annum exolescit & situm redoleat. Alia tardiùs corrumpitur, ut ad quinquennium adservari possit. Omnes sicciori loco gaudent. Mala cineritia: pessima fusca, cœnosa, antiqua. Hæc tempore mollescit, dolúmque prodit. Amato quoque Manna est ros melleus condensatus: qui tria genera facit: Calabricam, de qua postea: Orientalem, quam aliquando granulosam esse dicit, & absolutè Arabibus Mannam dictam: aliquando liquidam, iisdem Tereniabin. Manna, inquit idem, multis in locis hodiè super arboribus cadit, ut apud Rhagusium: ubi quoque colligitur, & Venetias & Anconam adsertur.

Manna Amato. Calabrica. Orientalis duplex. — Locus.

Mel sylv. Suida, & Pompon.

Suidas sylvestre Mel è cœlo cadens appellat, de quo & Pomponius videtur scripsisse in sua Cosmogr. præcipuè in Indiæ descriptione, quum ait: India tàm pinguis alicubi, & tàm feracis soli, ut in ea Mella frondibus destuant.

Manna Portugal. — Præsagium.

Manuel Cirnius nobilis Belga & Lusit. Regi à negotiis, eodem referente narravit, Portugallenses rusticos invenire solitos super arborum foliis rorem melleum, qui mox in speciem sacchari condensaretur: qui quidem ros, quoties [non enim quotannis defluebat] è coelo descenderet felicitatem illius anni insignem præsagiebat.

Manna Acosta tria genera Indica.

Manna, inquit Acosta, de qua tot docti viri scripsêre, inuenitur in Vzbeche maiore trium generum: vnde ferunt Ormuz & in totam Indiam. Sunt & aliæ duæ species præter Calabrinam. Manna autem non est medicamentum novum aut incognitum antiquis, quamvis minori in usu, quàm apud Arabes. Serapio eam confundit cum Manna Græcorum. Fuchsius verò eius vsus tollere vult, sed pauca cum ratione: cùm sanè in usu medico multi sit facienda.

Serapio not. Fuch. reprehensus.

Altomarus de manna generatione.

Sed placet & Altomari diligentis scriptoris placita de Manna nôtabiliora producere. Nam peculiarem opinionem habet de eius generatione. Rationi consentaneum, infit ille, ut quibusdam etiam particularibus aëris constitutionibus, serenis tamen semper, ac tranquillis existentibus, liquor quidam suavis, melleæ consistentiæ, torisque similis, nec non æes quædam sacchari, seu gummi similitudinem præ se ferens, pruinæ instar, generetur, crassiusculis quibusdam, interim etiam & lentis è terra vaporibus, atque aqua diurno tempore à solis calore sublatis, exactéque tenuatis ac coctis: Et deinde supervenientis noctis frigore concretis seu congelatis, ac deorsum decidentibus. Qua ratione liquidam interim Mannam generari rori similem, quam roscidum seu roridum mel, aut saltem eidem simile, appellare licebit: interdum concretam atque congelatam, saccharo, seu gummi similem, pruinæ instar, quam roridum saccharum iure appellare poterimus: seu mauis pruinosum, cùm pruinæ magis quàm rori similis sit, eidémque in eius generatione respondeat.

Mel roridũ. Roridum saccharum. Pruinosum saccharum.

Hanc suam opinionem non modò ponit ita Altomarus, sed insuper quæstiones quasdam, eam illustrantes proponit ac soluit. Cùm ros, inquit, in temperie, ac temperatis locis magis generetur, pruina verò in frigidioribus: & liquida manna seu mel roscidum, rori: concreta verò, & quæ coagulata est, pruinæ correspondeat, haud temerè quis quæret, num eodem anni tempore, eodémque loco ambo generari valeant? Respondet, Ita: quòd, quamuis vterque halitus seu vapor, ex quo tam liquida, quàm concreta manna generatur, à Solis & diurno calore, vti dictum, sublevetur, atque à supervenientis noctis frigore prope terram infrigidatus ac concretus tandem descendat, quemadmodum de rore & pruina dictum est: Dissident tamen inter se maioris minorisve ratione. Nam, sicut, cùm exiguum fuerit noctis supervenientis frigus, quemad. ros magis generatur, perinde etiam & liquidum, ros[...]dum, aëreumque mel, potissimùm gignitur

An utraque Mãna eodem tempore & loco generetur.

gignitur: si verò maius fuerit superuenientis noctis frigus, congelatus idem vapor à maiori frigore, priusquam in liquidam & melleam substantiam convertatur, concreta Manna, pruinæ seu etiam nivi similis procreatur. Etenim maioris frigiditatis est congelascere, teste Aristotele. Quapropter in temperatis etiam natura locis, ac etiam calidis & æstate nihil impedit, quominus quandoque pruina generari possit, particulari cœli statu (superveniente nocte) frigidiori existente, & ob eandem etiam causam coagulata Manna seu congelata similiter eodem in loco, eodémque anni tempore, diversis tamen noctibus, sicut & liquida generari poterit: quamvis ros in temperie atque temperatis locis: pruina verò hyeme & hyemalibus locis magis fieri videatur. Nam idem operari poterit particularis aeris constitutio frigida, quod regio seu anni tempus frigidum.

Congelata seu coagulata Manna.

Obiectio.

At si dixeris, ex Solis calore, æstate præsertim, extenuatos & coctos adeò fuisse pridiè, ob calidam & siccam aeris intemperiem, sublatos vapores, ut concrescere ampliùs, seu congelascere pruinæ instar, à sequentis noctis frigiditate, etiam valida existente, haud quaquam valeant adeò ut concreta manna fieri possit: Respondet ille, non modò non impedire, sed conferre admodum ad promptiorem, celeriorem, maiorémque coagulationem seu præcalefactos vapores seu halitus. Etenim citiùs ob eorum tenuitatem ac impensiùs à sequentis noctis frigore infrigidantur, & propterea congelantur: Quemadmodum si qui voluerint, citiùs aquam refrigerare, Soli primò exponunt, & qui circa Pontum habitant, cùm in glacie habitacula faciunt ad piscium venationes, (venantur enim intercidentes glaciem) aquam calamis calidam circumfundunt, propterea quòd citiùs coagulatur: ita ex præcalefactis à Solis & diurno calore vaporibus, & deinde à seq. noctis frigore congelatis, nihil impedit, quominus concreta Manna æstatis tempore generari possit, quémadmodum ex ipsis concretis à pauco frigore mel roridum fit eadem in regione, eodémque anni tempore, modò frigidior superveniat cœli status in seq. nocte. Quinimò & æstate magis, ubi eandem, quam diximus, servauerit constitutionem. Ex dictis colligit, quod, veluti materia ex qua roscidum seu aereum mel generatur, eiusdem est cum rore generis, [ex Gal. lib. 3. de alim.] ita etiam ea, ex qua Manna concreta, quam roridam vocant, eiusdem est cum pruina generis, [etiam ex Arist. autoritate: qui lib. de Mundo ait, pruinam nihil aliud esse quàm rorem concretum:] Et licet Mannæ congelatio à lapidibus seu plantis, in quibus reperitur quodammodo possit iuvari: eius tamen præcipuam coalescentiam ab aëris ambientis frigiditate causari: esse enim eius generationem nivi seu pruinæ similem, uti dictum, quamvis non tantam exigat frigiditatem, quòd eius materia lenta sit, quippe quæ à Solis calore pridiè sublata extenuata ac demùm cocta sit: proinde citiùs coagulationem admittere à subsequentis noctis frigore minùs immodico. Mox addit: Cũ è cœlo ambo hi liquores proveniãt, tàm liquid' videlicet, quàm concretus; necessariò sequitur, quòd non inquibusdam eiusdem generis plantis, sed indifferẽter in omnibus, tùm arboribus, tùm fruticibus ac reliquis plantis, simúlque lapidibus ac terra eiusdem loci decidat, quamvis boni malive quiddam ex plantis, in quibus colligitur, ipsi accidere possit, & in quibusdam magis, in quibusdam verò minùs servari valeat. Ast si obiiciat aliquis: si à frigore utraque

Solutio.

Observatio de aqua cõgelatione.

Mannam cadere supra res multas promiscuè.

Accipere aliquid mãnam ab eo in quod cadit.

prædicta manna generetur, quî fieri possit ut dulcis sit, temperatéque calida, ac alvum solvat, ut omnes Medici uno ore fatentur? Respond. quòd, quamvis à frigore concrescant sublati halitus seu vapores, ex quibus utraque Manna generatur: à Solis tamen calore priùs fuêre attenuati & concocti, aliàs elevari haudquaquàm potuissent: ideò etsi concretio à frigore eis accidat, earum tamen materia calida est & humida, cuius etiam temperaturæ manet utraque Manna ex eis genita. Similem etenim habet generationem ac pinguedo, quæ & ipsa dulcis ac moderatè calida est, quamvis à frigore concrescat, uti Gal. voluit. Quòd verò in calidis regionibus, temporéque anni calidiore aër frigidior esse possit in nocte, quàm terra in sua superficie, & terrena omnia corpora, particulari potissimùm constitutione frigida existente, hac ratione confirmat. Quemadmodum ex præcedentis diei calore impensiùs ob eius tenuitatem ac citiùs fuit calefactus aër, pari ratione à sequentis noctis frigore impensiùs ac citiùs refrigerabitur, quod tamen terræ ac terrenis corporibus non contingit. Sed & radiorum Solis reflexio die facta efficaciùs imprimitur terræ, tanquam corpori solido, quàm aeri: ita ut diutiùs illi quàm huic inhæreat, adeò etiam ut vix tota etiam nocte evanescat. Ad quod respexisse videtur Plin. quando ait Mannam liquidam ac roscidam sublucanis maximè temporibus primáque aurora decidere, quo tempore præcipuè frigus intenditur: quod nos etiam de concreto & rorido intelligimus. Est enim eo tempore aër frigidior, cùm ob Solis diuturniorem absentiam, tùm quòd eodem iterum appropinquante è terra sublati frigidi vapores uniantur ac densentur magis. Quamobrem Mannam, quam vocant aeream, concretam & coagulatam è cœlo delapsam proculdubio in aere, & nõ in locis in quibus reperitur, concrescere ac coagulari concludit. Conferre tamen locos in quibus colligitur aliquid saltem ad eius conservationem, ita ut in quibusdam plantis, terris, seu lapidibus meliùs quàm in aliis quibusdam conservetur, licet, uti dictum, & ex Mesvę ostensum, indifferenter in universis tùm arboribus, tùm lapidibus in ea regione decidat, in qua generatur, & non in quibusdam speciebus duntaxat, aut certis eiusdem speciei arboribus, ut quidam falsò imaginantur.

Solutio.

Mannam in aere concrescere.

Quorundam error.

Cæterùm eiusdem Altomari iudicio de coagulata Manna inter Græcos, quos ille legerit, nemo est qui meminerit, quicquid alij sentiant: nisi quispiam velit Actuarium de hac Manna intelligere voluisse, cùm ait: perquàm moderatè purgant Cassia nigra & Manna: Cassia quidem tribus aut quatuor drachmis sumpta, vix moueret aluum: Manna verò etiam maiore modo quàm Cassia sumenda est, & flavam bilem simplici ratione pellit.

Manna coagulata Altomarus censet Veteres non meminisse.

Videntur autem Arist. Theoph. & eum secutus Plin. in suprà citatis verbis liquidam Mannam seu roscidum mel intellexisse, vel eiusdem Altomari sententia. De coagulato verò solos Arabes scripsisse censet. Ex Galeni verò verbis ex 3. de alim. citatis, quilibet, vt idem annotat, vel parum in eius doctrina exercitatus percipere poterit, de liquido ac aëreo melle, rori simili eundem verba facere, & non de ea liquida Manna quam Tereniabin Serapio & Avic. appellant: neque de coagulato melle, quod Manna appellatur, & saccharo seu granulis simile est.

Theophr. & Plin. Manna.

Arabum Manna.

Terniabin.

In regno Neapolitano, inquit Altomarus, pluribus in locis sæpe liquidam & melleæ consisten-

tiæ Mannam instar roris decidere supra folia ac ramos nonnullarum arborum: nec non super herbas & lapides, à quamplurimis rusticis nec paucis nobilibus intelleximus: verùm adeò noxiam esse retulerunt plantis super quas decidit, vt protinus earum folia marcescant. Hanc vno ore fatentur oẽs super universas indifferenter arbores, plantas seu herbas ac lapides cadere, iis in regionibus, in quibus decidit: quam tanquam nullius vsus, paruifacientes, minimè colligunt.

Manna liquida plantis noxia.

Tereniabin antiquorum nos nõ habere.

Tereniabin antiquorum quod de cœlo cadat minimè habere videmur. Altomarus sanè neutrum Tereniabin, hoc est, nec coagulatum nec liquidum in Regno Neapol. cadere putat, aut valdè exiguum, idque rarissimè, & non quotannis, potissimùm concretum & coagulatum. Liquidum verò aut non omninò reperiri, aut, si quod reperitur, quod non concrescat, vti dictum, id non esse eiusdem speciei ac facultatis, cuius Arabes Tereniabin esse fatentur, neque eiusdem notas habere. Traditque præterea, eos qui coagulatam Mannam colligunt, tanquam inutilem eam derelinquere, eámque segetes, in quotquot inciderit, protinus tabe quadam, veluti rubigine perimere, quod sanè nequaquam de Tereniabin Arabes scripsêre.

Manna granulosa. Manna Mastichina.

Rob. Const. in Lexico duo Mannæ genera agnoscit: *Granulosam*, vt vocant, vel potiùs granosam cum Plinio, cui purgatrix vis inest, vt Cassiæ: quamq; quòd Mastichæ similis, in offic. Mannam Mastichinam dixêre. Alteram *Liquidam*, nunc etiam voce tamen prisca Tereniabin in Arabia nuncupatam. Vtramque ex arboribus legi ait, sed concretam tantùm afferri: Et liquidam præcipuè illud esse κέδρινον μέλι Hippoc. quod Quercubus insidêre ex autoritate Hesiodi Theophrastus dixit, & quod δροσόμελι & ἀερόμελι & χυλὸν ἐκ τοῦ ἀέρος vocatur. Apoll. rad. 1. supra tripheram Persicam: Ad nos, inquit, tria Mannæ genera asportantur. Vna ex Orientalibus locis: altera ex Calabro solo: tertia ex Brigantio. Orientalis duplex visitur: altera Mastichina: altera Bambacina. Calabrica triplex: de quibus postea. Eiusdem iudicio absolutè nullo pacto dici potest, aut Manna, aut Tereniabin, hoc liquidum vt mel concretum, illud grumosum, aut è contra, vt Brasauolus Fusch. & Matth. diversimodè sentiunt.

Cedrinum Mel Hippoc.

Orientalis

Calabrica. Brigantina. Orientalis duplex. Calabrica triplex.

Quinque genera.

Garcias quinque videtur statuere Mannæ genere. 1. ex Vsbeque provincia. 2. Quæ in Carduis. 3. Calabrinæ similem. 4. Calabrinam. 5. Melli similem. Ex quibus colligitur, eum Mannam Calabrinam à Calabrinæ simili diversam agnoscere: Simile namque non est idem, & in omni similitudine aliqua diversitas.

Manna genera apud Indos. 1.

Cæsalpinus apud Indos plura Mannæ genera esse tradit, quæ nequaquam ferantur ad nos. Quandam tradunt ex arboribus destillantem roris modo, vtribus collectam, sapore faui Mellis, quam *Siracost* vocant. Alteram granulis Coriandri similibus addensatam, colore ruffo, quam ex capitibus Cardui cuiusdam decutiunt: & *Tereniabin* vocant. Tertiam grandioribus glebis, vtplurimùm foliis admixtam, similem Calabriensi, *quam magni faciunt*. Quartam Mellis albi purgati similitudine, quæ citò corrumpitur, nisi vasis vitreis condatur, quibus ea gens caret.

Siracost. 2. Cardnina seu Tereniabin, 3. Foliis admixta. Mellis facie.

Manna Apennini duplex.

Colligitur, eodem notante, & apud Italos in Apennino diebus canicularibus & serenis promiscuè in pluribus arboribus, sed præcipuè in Quercu, & Salice: nunc concreta, similis Calabriensi: nunc liquidior melli similis, quod Græcis Aeromeli vocatur, Mel aereum, Mel roscidum: de quo Gal. Theoph. Plin. Verùm, vt Gal. Elæomelitis non meminit, sic Diosc. Æromelitis, quamvis vtrique tribuatur vis purgandi bilem & cruditates. Sed de Elæomelite alio loco à nobis traditum. Idem Cæsalp. statuit Mesuem & Avic. nomine Mannæ quodcunque genus intelligere, quòd Mannæ eadem tribuant, quæ Serapio Tereniabin: apud quem hæ voces differre videntur, cùm diversis locis agat de Manna & Tereniabin: Mannamque eam dicat, quæ in grumos concreta: Tereniabin verò illam, quæ similis Melli. Sed hæc parvi sunt momenti. Illud potiùs disquirendum, an Manna quâ vtimur sit inter genera Mellis aërei, an proprius succus Fraxini & Orni? Id contendere nituntur quidam ex recentioribus. 1. Quoniam Ros promiscuè super omnes plantas, lapides & terram decidit. At Manna Calabriensis solùm in Ornis & Fraxinis reperitur, idque nõ in omnibus, sed in quibusdam. Præterea, quia Manna ea ex vulnere arboris emanat: Ros autem exteriùs ex Aëre adhæret: Sicut & experimento liquet: linteo enim arbori superextenso, quod rorem cadentem excipiat; reperitur nihilominus Manna ex arbore emanans, nulla autem in linteo. Tandem quoniam multùm differt à Manna prædicta, roris concretio in mellis substantiam: ros enim frigore noctis concrescit: ac Sole aut alia caliditate aduentante, solvitur, ut putant: Manna autem nostra, ut succus, concrescit à calido & sicco: meridie enim colligunt magis densatam.

Aeromeli.

An Manna qua vtimur sit inter genera Mellis aërei.

Experimentum.

Hæc & alia huiusmodi sunt, quibus Manna nostra à genere Mellis aërei, & Manna Arabum explodunt, ac Fraxini & Orni propriam quandam lachrymam censent. Sed de Manna nostra & aliis differentiis postea specialiùs. Nunc enim generalia tantùm persequimur. Pamphilus Herilacus de aquarum natura. l. 1. c. 7. Ros inquit, in aliqua regione condensatur in Mannam, vel in mel roris. Item cap. 15. Circa procreationem Mannæ & Mellis roris diversæ sunt opiniones Philosophorum: Hanc veritatem puto, vnà cum vaporibus commisceri terrestre siccum, pro materiali eorum causa, non vno modo: vnde diversa composita producuntur: in melle verò crassioris, commistio hæc, non est congelatio, sed coagulatio. Non ignorare autem decet Mannam, quæ Italis in vsu est, vtplurimùm non esse rorẽ de cœlo cadentem: sed factitiam, vel gummi quod colligitur in Orno & Fraxino circa Romam & in Calabria.

Generatio Mannæ & Mellis roris.

Manna Italica factitia. Gummi Fraxini.

Cæterùm Adversaria de Mannæ origine sic statuunt. Eximium sanè naturæ opus, ac mirabilitatis plenum: nec valdè vt iidem tradunt, antiquis notum. Indicio est quòd paucis & vacillantibus verbis illius meminerint, nec quantùm esset ad purgandam salubritatis monuerint. Theophrast. siquidem ex Hesiodo & Aristotele succum mellitum ex æthere Quercubus sive Robori illapsum putat: qualem Galenus provento portentoso è Libani arboribus excussis memorat, & Celsus Syriacum Mel vocat: qui omnes (præterquam experientissimus senex Hippocr. qui non aëreum sed Cedrinum mel vocat) persuasi fuisse videntur aliud esse Manna illud, quàm roridum ex humo in æthera subvectum interdiu, vi & calore siderum, vapidum spiritum, qui reduce nocte occursans frigori liquor restitus & quasi stillatitius factus, arbores, tellurémque rursum, horis antelucanis præsertim irroret.

Mannam minùs probè cognitam fuisse priscis.

Succus Melleus Hesiod. Arist. & Theoph.

Syriacum mel Celsi.

Cedrinum Mel Hipp.

Manna generatio secundùm veteres.

Quam

Adverſ. de ponte de Manna generatione.

Quam opinionem, ut improbare nolumus: ita etiam ſequi, neſcio quo modo, renuit animus. Quiſnam enim tenuitatis tantæ, partim aëreæ, (cuiuſmodi ros eſſe videtur) deſtillatitius liquor illicò vel imbecillis Auroræ radiis diſſlari in auras ſolitus, poſſit in grumos maſticheos, gummoſos, farinaceos, emplaſticos, ſolidos & denſos abire? Quin Manna etiam calidiuſcula eſt, gravis ac pinguis, & ſolutu non adeò facilis. *Manna ſubſtantia qualis.* Imò ſoluta, liquori calido, non uti mel, aut ſaccharum, mixta, perſtat, ſed plurima, quaſi aqueum reſpuens liquorem, reſinæ gummi & Caphuræ factitiæ modo rurſum coit, & collecta vaſis lateribus adhæret. At imbrium cœleſtium proles nix, grando, pruina, gelu, ros, omnia frigida, nequiquam pinguia, ſed facillimè vel calore, vel humore ſolvuntur, nec quicquam pinguis veſtigij relinquunt. *Manna nõ eſſe aëreum rorem.* Quare ſuſpicio magna eſt, Manna non aëreum eſſe rorem, quem refrigerando temperandóque diurnum æſtum natura comparet: ſed ſuccum, vaporémque vivificum cohibet tùm arbori tùm herbæ inſitum iam per ſoles tempeſtivos & genitabiles maturitatem aſſequutum: *Alia Mannæ generatio paradoxa.* qui extillans, expiránſque interdiu trans latentes corticis ſuperficieique meatus, in auras à ſole fervido diſſipatur, noctu verò cùm rore conſueto illabente permiſcetur, qui partim obſtat ne diſſipetur, partim ſeipſum unà fermentat, ita, vt in amicam naturam unà coëant, ac demùm quippiam conſlent mediæ inter mel & Saccharum naturæ: quod quiſpiam *MELISACCHARUM* vocare poſſit. *Meliſaccharum.* Iſtud paradoxum confirmat eorum diligentia Pharmacopoeorum, qui in ramis magnis præciſis Laricis & Fraxini, inque vinariam cellam, quo æſtatis tempore Manna colligi ſolitum eſt, aſportatis, *Obſervatio.* Manna poſtero die, tametſi non perinde nitidum, conſpectum ſibi affirmarunt. Quod etiam minùs mirum videatur illis, qui ſciunt Rori communi deciduo purgatoriam vim ineſſe, non à ſe, ſed à foliis herbarum, quæ abluuntur & abſterguntur ab illo. *Ros communis purgans.* Sicut Braſſicæ foliis & Roſarum rorem exceptum, detergente, nitroſo & laxante ſucco, magis lubricare certum. Eapropterque conſultò huic infundunt Roſas nonnulli ad Syrupum Roſarum ex infuſionibus. Quare cùm quilibet obſervare poſſit poſt ramos & truncos avulſóſve ſurculos, vel etiam radices Laricis, Pineæ, Iuniperi, & aliarum gummoſarum aut tediferarum arborum, gummi, lacrymas & micas etiamnum in ſuperficie congeri atque concreſcere, *Alia obſervatio.* quas ideò propter ſimilitudinem *Manna Thuris* Græci: Ruſtici autem Narbonenſes Metaphoricè in Iunipero & Teda *glaciem*, Galli *Vernißem* vocant, poterit ſecum perpendere idem Larici, Ornogloſſo, Amygdalæ, Prunis ac aliis quàm plurimis, uſu venire poſſe. *Locus. Glaties Iuniperi. Vernix Iuniperi.* Ab eo etiam [habent præterea Adverſ.] quod de œleomelite Narbonenſi dictum in Olea Æthiopica magis fulcitur hæc perſvaſio: *Elæomeli.* alioqui & rara obſervatio eſt, neque à quoquam recentiorum literis prodita: quin potiùs à nonnullis quaſi fabula foret excepta, nec ipſimet aſſentiri recenſioni auſi eſſemus, niſi oculis manibúſque id compertiſſemus in Provincia Narbonenſi maritima, non procul Monſpelio, urbe tam lauta quàm nobili. Et paulò poſt ſubdunt. Iſtud noſtrate porrò nos quaſi utriuſq; naturæ Cinnum & particeps plurima arborum genitabili ſaliva ſvavi, atq; ex madore qui cuilibet ineſt pro ſua natura plantæ varius, conſlatum putamus. Cui dum occurrit noctis periodus antelucana frigidiuſcula, quemadmodum tunc coacto in Æthere, vel aere, vapore aqueum facit Rorem vocatum: *Ros.* ſic in arboris ſuperficie cogendo & addenſando expirantem per latentes poros mellitam exhalationem, ſiſtit inibi Manna. *Manna quomodo fiat.* Quæ eadem cauſa efficit, ut Ficus ſuos fructus noctu maturare verè dicatur, non autem lunæ calor πεπτικὸν, vt quaſdam ſtatuiſſe ſcribit Plutarchus, ſiquidem illi noctu ſilente æquè benè maturitatem aſſequuntur fructus, ut in Ficus hiſtoria abundè declaratum. Ac hanc quidem ſententiã, inſiunt eadem Adverſ. de generatione Mannæ, cæteris probabiliorem ob rationes adductas putabimus, dum prodeat aliquis qui his certiora vel manifeſtiora declarare poſſit.

Nunc reliquas Mannæ & aerei Mellis vires ex veteribus perſequamur. Ac ex cæteris quidem Arabibus pleræque traditæ ſuprà, ob naturæ & hiſtoriæ diverſitatem ad differentias & deſcriptiones facientes: nunc verò & Meſvem audiamus: & poſt Actuarium, & Neotericos quoſdam.

Meſues de Manna.

Mel [inquit, cap de Manna] eſt Ros frigore noctis æſtivæ concretus, ex halitibus à terra & aquis Solis calore ſublatis æſtate, id eſt, die calido ſicco, ac deinde exactè tenuatis & coctis. Manna eidem eſt ros ex vapore elato, & cocto in aere temperato, fœcundo, lætis aſpectibus cadens ſuper quaſdam plantas & lapides, à quibus duæ ipſius differentiæ ſtatuuntur. *Differentiæ duæ.* Quæ enim lapidibus incidit, guttarum aut ſeminis modo coagulatur: quæ ſi recens, dulcis, alba aut ſaltem ſubcitrina, eſt melior. Mala verò antiqua, fuſca, cœnoſa. *Delectus.* Quæ plantis, harum tum facultatem aliquam aſſumit, tum foliis & floribus eſt permiſta, neq; id nimis: quæ ſi præterea recens eſt, & ſubalbida, eſt melior. Temperata eſt, aut paulò calidior: *Temperam.* [calida humida primo gradu Averroi] guttur, thoracem, ventriculum lenit, terget: bilem clementer purgat, ſitim ſedat. *Vires. Adulteratum.* Adulteratur ſaccharo, & folliculis ſennæ: ſed hæc tempore maturari eget: dumque molleſcit & liqueſcit, dolum prodit. Quoniam uerò imbecillitèr vacuat, præſertim cruda (cocta enim citiùs agit) *Cocta efficacior.* thymo & hyſſopo, vel alio, vis eius, ut Caſſiæ intenditur. Valentibus autem medicamentis miſta, eorum actionem reddit meliorem, cùm ſuo dulci ſapore illa naturæ magis familiaria reddat. Ob id eam Galenus Scammonio miſcuit, [Mel, rem Mannæ congenerem miſcuit Gal. Vbi autem manna, non legimus, niſi in libris falsò illi adſcriptis: Sylv.] quod à poſterioribus eſt laudatum: alii Turbith, alii aliis. Datur à drach. ſex ad drach. quindecim. Annum ſervatur. *Doſis. Duratio.*

Perquàm moderatè purgant Caſſia nigra & Manna, prodente Actuario, præbemus utrámque quibus potentiùs medicamen aliud dari non poteſt: *Quibus danda.* nimirum pueris & fœminis utero gerentibus commoditate quadam & neceſſitate urgente repreſentamus, & iis: in quibus exuperans febris reliquorum medicaminum uſus reſpuit.

Datur, monente fuchſio, iiſdem quibus Caſſia nigra, ſed maiori pondere quàm Caſſia. Datur enim ab uncia una ad uncias tres, quamvis Meſue infra ſeſcunciam conſiſtat. Idem porrò Fuchſius levem aut ferè nullam ſolvendi aluúmque ſubducendi vim tribuit: quod iis compertum eſſe ait, qui iuxta Libanum fuerunt. Referre namque indigenas eius montis, quum abundè ea tientur, nihil tamen lædi, aut alvum ſibi quoquo pacto ſubduci ſentire, ſed ea tanquam obſonio nutriri. *Cibus.* Quapropter cùm melli

quodammodo similem facultatem habere conficet facilè ea nos carituros censet, modò peregrinorum admiratione non ita duceremur, neque stulti contemptis nostratibus è longinquis allatis vti potiùs, quàm iis quæ nostris in hortis proveniunt, mallemus. Atque stultitiæ nostræ, temerè sumptus immodicos facientes, condignas nos dare pœnas concludit. Patet itaque Fuchsium Mannæ vsum prorsus è medio tollere. Sed rationes quas affert, non sunt eius momenti, quibus persuaderi debeamus: quapropter cum Matth. cogimur in hoc eius sententiæ refragari. Nam quòd Manna alvum subducat, & eam quidem innocuè, non solùm conuenit inter autores, qui hactenus de ea scripserunt, sed ita etiam quotidiana experientia docet. Siquidem duarum & semis vnciarum pondere data alvum perbellè deiicit, & privatim bilem educit. Quod verò de indigenis Libani montis scribit, quis tam facilè illi credet, cùm nos quotidiè contrarium experiamur? Aut, si maximè etiam verum sit, quod narrat, (nolimus enim cuiusquam fidei temerè derogare) illud consuetudini tribuendum censemus. Ab assuetis enim non fit passio, vt tradunt philosophi. Et Medicis haud insolens est, medicamenta benigniora longa consuetudine alimentorum vices subire. Deinde non est de medicamenti benigni natura, lædere, sed juvare: quod Manna utique præstat blandè alvum subducendo. Quid si suspicemur Mannam Libani esse peculiarem quandam speciem: quæ si non purget, non ideò sequitur, alia Mannæ genera (quæ diuersa esse ex superioribus liquet) non purgare. Quapropter securiùs & generaliùs, quàm par erat, de omni Manna id pronunciauit Fuchsius: quod Arabum odio, more suo, eum fecisse, non temerè fortè quis suspicetur.

Fusch. reprob.

Sylvius putat nos ideò transscendere Mannæ dosim à Mesue præscriptam, quòd nostra Manna fortè imbecillior sit, aut etiam adulterata. Quod quamvis de imbecillitate concedi potest: de adulterio tamen non debet. Nam qua tandem re adulterari queat ut mitior evadat, & faciem non mutet? Adulterium virium acuendarum potiùs causa accedit, vt de Calabrica tradit, eam scammonii diluto commisceri. Putamus tamen Sylvium intelligere Mannam Larignam, in Gallia vulgarem, quæ proculdubio diversa à Mesuei Manna.

Cautio.

Lud. Duretus in notis ad Holler. de morb. inter. ubi Holerius Mannam in Colica biliosa præscribit, annotat: Mannam tutò exhiberi non posse, quòd eiusmodi Colici ferè sint πλείζωμαι. Ac sanè idem sentire videtur Altomarus. At nobis: alind videtur exhibere medicamentum purgans dulce, alind cibos dulces. Si Manna educit bilem Colicam excitantem, non generabit. Ergo etiam non nocebit etiamsi sint πλείζωμαι qui assumunt. Verùm hic opus est diligentiori consideratione.

Duretus & Altomar. taxat.

MAN SIVE MANNA SACRARVM LITERARVM, SIVE ISRAELITARVM.

HACTENVS de Manna, Melle aëreo & Tereniabin in genere: nunc de differentiis specialiùs tradamus, exorsi à Manna sacris literis celebrata. Exodi 16. legimus, Ab Elimo profectam omnem Israëlitarum multitudinem in Sinem solitudinem, positam inter Elimum & Sinam, pervenisse quintodecimo die secundi mensis, à quo Ægypto excesserant. Ibi vulgò Israëlitas in Mosem & Aharonem fremuisse: optare sese, si fieri posset, vt in Ægypto à Iehova essent occisi, cùm ollis carnium assiderent, cùm panem ad satietatem comessent: nunc in eam esse solitudinem ab illis adductos, ubi tota illa multitudo fame conficeretur. At Iehovam Mosi denunciasse, sese illis panem pluturum esse de cœlo, cuius singulis diebus certum modum egressi colligerent, ut eorum periculum faceret, utrum ex sua lege victuri essent, nec ne. Sexto autem die curarent, ut quod ad se importarent, id duplo amplius esset, quàm quantum reliquis diebus consuessent. Et Mosen atque Aharonem ad omnes Israëlitas verba fecisse, eos & vespere se à Iehova ex Ægypto eductos esse cognituros, & manè etiam eius claritatem spectaturos, postquam illorum in se fremitus audivisset. Nam se quidem tales non esse, ut de se expostulare debeant. Ad Iehovam hanc querimoniam, non ad se spectare. Tum verò Mosem mandasse Aharoni, ut universam Israhelitarum multitudinem iuberet in Iehovæ conspectum accedere, qui eorum querimonias audiverit. Atque Aharone ad universam multitudinem verba faciente, eam ipsam, Iehovæ splendorem in nube conspexisse, cum Mose colloquentis in hunc modum. Audivi fremitus Israëlitarum: renunciato eis, sub vesperam comesuros carnem, & manè satiandos esse pane, cognituròsque quantus eorum Deus Iehova sit. Igitur vespere exortas cothurnices, ut castra obtegerent. Manè autem circum castra, solum constratum fuisse rore: qui ubi ros evanuit, conspectum fuisse quiddam in superficie ipsius deserti minutum, rotundum, tenue, perinde ac si pruinâ esset conspersa humus. Eo viso, Israëlitas sic inter sese dixisse. Manhu? quid hoc? neque enim sciuisse quid esset. His Mosen respondisse: Hic panis est, quem vobis Iehova dat ad victum, de quo ita præcepit, ut colligatis ex eo, quantum cuique opus erit ad victum, videlicet gomerem in singula capita, inita ratione numeri eorum, qui sunt in cuiusque contubernio. Id quod illi fecerunt, collegerúntque partim largiùs, partim parciùs. Sed cùm gomere metirentur, neque ei, qui pluš collegerat, supererat, neque ei qui minùs, deerat; tantúmque quisque collegerat, quantum ei ad victum opus erat. Interdixerat autem Moses, ne quis ex eo reliquum faceret in crastinum. Cuius præcepto neglecto, nonnulli reservarunt. Sed id enatis vermibus fœtebat. His cùm Moses succensuisset, colligebant deinceps singulis matutinis, quod cuiusque victui satis esset: postea calescente sole liquefiebat. At sexto die duplicem victum collegerunt, videlicet duos gomeres in singulos. Id cùm omnes ciuitatis magistratus ad Mosem retulissent: respondit illud ipsum denunciatum esse à Iehova. Postridiè enim Sabbati ferias Iehovæ sacras fore: coquerent & elixarent quod opus esset, reliquum omne sibi in posterum diem reponerent, ac reservarent. Idque cùm ab illis esset administratum ad præscriptum Mosis, postridiè quod repositum fuerat, id neque fœtebat, neque in eo vermes erant. Eo Moses iussit vt illo die vescerentur, quod Sabbatum Iehovæ esset, ruri non inventuri. Sex diebus enim colligi debêre: septimo autem die, quod Sabbatum esset, non fore. Quidam tamen de populo etiam septimo die exierunt ad colligendum, sed nihil inve-

Manna historia sacra.

Iehova Mannam promittit. Panis de Cœlo.

Cothurnices.

Descriptio Mannæ ex S. Scriptura.

Man-hu. Panis Israelitarum.

inveneruut. Hique à Mose jussu Iehovæ castigati sunt, quòd tam diu illius præcepta & leges servare nollent: perspicuum esse, Iehovam, quia ipsis Sabbatum tradidisset, propterea sexto die victum præbere bidui: manerent in suis sedibus, nec quis se loco moveret die septimo. Itaque eo die feriati sunt. Nominarunt autem illud Israelitæ *Manna*, quod similitudinem habebat *seminis Coriandri*, album, gustu placentarum ex Melle. Idque sibi Moses dixit à Iehova in mandatis datum, vt ex eo, quantum gomer caperet, seponeret, conservandum ad posteros, vt viderent quo eos victu ille tolerasset in desertis, eductos ex Ægypto. Mandavitque Aharoni, vt gomeris mensuram Mannæ in phialam immitteret, idque apud Iehovam ad posteros custodiendum reponeret. Quod ille fecit, quemad. Iehova Mosi præceperat, idque apud Oraculum asservandum reposuit. Hac Manna Israëlitæ per 40. annos vsi sunt, quibus ad extremam Chananæam, quæ terra habitabatur, pervenerunt. Est autem gomer, decima pars ephi. Hactenus Moses. Ex quibus patet, Israëlitas Manna per 40. annos pro cibo vsos. Ad quod fortè respiciens Fuchsius, Manna nostrum & Libani non distinguens à Manna Israelitarum, cibum potiùs, quàm medicinam credidit, de qua re paullò antè. Patet item Mannæ nominis originem apertè derivatam ab Hebraica illa Quæstione *Manhu*: quod & supra monitum.

Gomer.

Num. 11. eadem plebs carnes petens contra Iehovam murmurat, ac se animis contabescere clamitat, quòd nihil aliud oculis illius obversaretur quàm Manna ista: vbi Coriandri grano similem fuisse denuò traditur, & specie Bdellij: hancque gentem illam passim collegisse, molaque contusam, aut in mortario distritam coxisse in ollis, & hinc panes depsititios fecisse, sapore libi oleo confecti, hancq; Mannam cum rore in Castra noctu delatam, vt clariùs legere potes cum reliquis circumstantiis loco citato.

Modus parandi cibū ex Manna apud Israelitas.
Panes ex Manna.

Deuter. 8. Exprobratur Israelitis, quâ ratione Iehova Deus illorum, quadraginta annis per solitudinem ductarit, vt eos affligeret, vt tentaret vt adverteret quid in animo haberent, an eius præcepta servaturi essent, nec ne. Igitur eos afflixisse, & fame affectos Manna pavisse, tum ipsis tum maioribus suis ignotam: vt eis ostenderet non solùm pane vivere hominem, sed etiam eo omni, quod ex ore Iehovæ proficiscitur. Hinc discant nostri Medici, si velint, Mannam Israëlitarum rem diuino miraculo productam fuisse in illorum necessarium victum. Cibus fuit, non medicamentum ante illorum tempora ignotus.

Aliis Israelitis Manna fuit ignotum.

Iosuæ 5. proditur quo tempore cessarit Manna, nempe postridiè paschæ: neque eam deinceps habuisse Israëlitas, sed comedisse sine fermento panes, & tostas fruges.

Quo tempore Manna cessarit apud Israelitas.

Psalm. 78. Diuinus rex Iehovam celebrat, quòd patribus suis Mannam ad vescendum depluerit, & cœleste dederit frumentum. Ita enim vocat: quòd Deus magna copia de cœlo depluerit, in illorum victum necessarium. Ita passim legas in S. Scriptura, aliàs verè Manna, quæ de cœlo descendit, tradi, aliàs mysticè. Verè: vt dedit tibi cibum Manna: cibauit te Manna: & Manna tuum non prohibui: dedi vobis Manna in escam: pluit illis Manna ad manducandum: manducauerunt Manna in deserto. Mysticè: facite, Manna & offerte: vincenti dabo Manna absconditum, &c.

Cœleste frumentum.
Duplex Manna acceptio in S. Scriptura.

Sed quod salutis nostræ dator ille Iesus Christus, sermonem faciens de pane vivifico, (vt legimus. Ioan. 6.) seipsum cum Manna comparat, id verò præcipua obseruatione dignum. Nam petente turba ab eo signum in specimen, quo viso in eum credant: Maiores nostri, inquiunt, Manna in solitudine comederunt, quemad. scriptum est: Panem de cœlo dedit eis comedendum. Quibus Iesus: Hoc vobis, inquit, etiam atque etiam confirmo, non Mosem vobis panem dedisse de cœlo: sed meus pater verum vobis de cœlo panem dat. Nam diuinus panis est, qui de cœlo descendit, vitamque dat mundo. Tum illi: Domine da nobis perpetuò panem istum. Et Iesus: Ego sum panis vitalis. Qui ad me venit, nunquam esuriet: & qui mihi fidem habet, nunquam sitiet, &c. At Iudæi de eo fremuêre, quòd se dixerat esse panem, qui de cœlo descendisset, quiritantes, quî, cum Iosephi filius sit, cuius illi patrem & matrem nouerint, se de cœlo descendisse dicat? At Iesus sic eis contra respondit: Ne mussate inter vos. Nemo potest ad me venire, nisi pater, qui me misit, eum trahat, à me vltimo die suscitandum, &c. Et mox: Ego sum panis vitalis. Maiores vestri, qui Mannâ vixerunt in desertis, tamen mortui sunt [loquitur enim ad captum auditorum, qui non vlteriùs respiciebant, quàm ad nutritionem corporis] Hic est panis, qui de cœlo descendit, quo qui vescatur, non fit moriturus. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendit, quo pane qui vescetur, vivet in perpetuum. Panis autem quem ego dabo, Caro mea est, quam ego pro Mundi vita dabo, &c. Et mox: Hic est panis qui de cœlo descendit, non quale Manna, quo cùm vixerint maiores vestri, tamen mortui sunt. Hoc pane qui vescetur, vivet in sempiternum, &c.

Christus se Manna confert.
Diuinus panis.
Panis vitalis.
Panis vivus.

Cæterùm verba illa quæ c. 16. Sapientiæ Salomonis leguntur: Nix quoque & glacies ignem sustinens, non tamen liquescebat, vt illi agnoscerent ignem ardentem in nive, & in pluuiis coruscantem, fructus hostium consumpsisse: eundem rursum, ut alerentur justi, etiam propriæ facultatis oblitum esse: Hæc, inquam, verba docti quidam haud insubidè (si de rebus summis ac Mysticis tenue nostrum quoque iudicium interponere fas sit) ad Mannam referunt, quòd ea nix quædam & glacies fuerit, quæ tamen igne coquebatur: neque liquescebat, cùm eadem sole solveretur. Nam (ut mox additur) quod igne non corrumpebatur, idem planè exiguo Solis radio calefactum liquescebat, ut notum esset, Solem agendis Deo gratiis præveniendum, & eundem sub ortum lucis interpellandum esse. Et illud, inquam, quod igne non corruptum fuerat vel non consumebatur &c: de Manna intelligunt, de qua re Theologos decernere malumus, quàm aliquid temerè pronunciare.

Sed quid autores sentiant de Manna hac Biblica paucis videamus.

Autorum variorum iudicia varia de Manna Israelitarum.

Elæomeli, inquit Hermol. sit hoc idem quod & Aetomeli dicitur, quasi Mel æthereum ac cœleste, quod sacræ literæ Manna vocent, ut non planè contendo, ita certè promptissimus sum ut credam: sed ita tamen ut intelligatur aliquod discrimen, inter id quod mandi potuerit, & id quod Medicinæ tantùm nascitur. Eum verò tacitè reprehendens Marcellus: Non probamus inquit, quod aliqui suspicari se dixerunt esse Oleomeli Diosc. quod antiquiores Græci *ἀερόμελι*, id est, aereum Mel vocaverunt: id scilicet quod ab Hebræorum sacris literis acceptum veteres Man: nunc verò passim Manna medici & officinæ ap-

Elaomeli. Manna.
Manna alimentosum, Medicinale.
Non esse elaomeli Man.

Digitized by Google

pellitur. Aeigurrenim mel non ex trunco manat, vt Oleomeli sed in arborum foliis invenitur.

Lonic. non solùm stultum, sed impium quoque dicit, miraculum cœleste, quo Deus Manna pluebat Israelitis in deserto, in naturæ operationem vertere.

Munsterus in Exod. habet quædam notatu digna, sic scribens: Habuit autem Manna illud rorem suprà & infrà, ut Hebræi dicunt &c. Onkelos sic vertit hunc locum: Et cùm auferretur descensus roris, ecce super faciẽ deserti tenuitas quædam denudata in modum Calcis, quæ quasi gelu iacebat in superficie terræ. Id cum vidissent Israelitæ, dicebant: Man-hu, id est, hoc Man.

Man-hu.

Interpretantur autem Hebræi Man, ut sit idem quod donum seu pars. Aben Ezra de Manna loquens, dicit Man esse nomen Arabicum, asseritque se vidisse speciem rei conformem Mannæ, sed quæ solùm in mensibus Nisam & Itar descendat, & expositam soli non defluere, nec per noctem reservatam putrescere, nec esse tàm duram ut conteratur in mortario, sed super linguam positam liquescere, ut usus eius magis sit pro medicina, quàm pro cibo. Assimilatur Man Coriandro, *Gar*, non colore sed figura. Videtur autem his verbis planè Manna nostrum Gallicum insinuare voluisse, cui sanè eæ notæ haud malè competunt, de quo particularius postea. Sunt etiam, addit idem, qui *Gar* exponunt Sinapi. Aben Ezra verò fatetur se ignorare quid sit, aut quid significet.

Man. *Gar.*

Forsterus summè hallucinatur in Diction. suo Hebraico confundens semen herbæ gramineæ, Germanis dictæ Schwaben cum *Man Hebræorum*, Arabum & officinarum, cum quibus nihil commune habet, præter solum nomen. De ea Manna herbacea agemus inter frumentacea & graminea. Idem *Man destinatum* vertit: sic enim (ait) rorem illum cœlestem, tanquam singulare donum à Deo ipsis destinatum Israëlitas vocitasse. Chaldæus vertit Mana: quem Hieronymus secutus Manna transtulit Exod. 16. Ios. 5. Psalm. 78. Nehem. 9.

Forsteri error. *Manna herbacea.* *Man destinatum.* *Mana.*

Rob. Const. in Lex. μάννα Chaldæis, vel μὰν Hebræis; μελλίζωρτος ἄρτος Nonno poetæ, id est, Manna, cibus ille quo Deus XL. annis Israëlitas pavit in deserto, quiq; nocte roris instar cœlo demittebatur, & post solis exortũ liquescebat.

Brassavolæ iudicio Hebræorum vera Manna in granula concreta ut Calabra videtur, sed miraculum in quantitate fuit, & in eo quòd singulis diebus pluebat, & ob mandatum pluebat, & ob mandatum putrescebat. Mannæ nomine vulgò, ut vult Cordus, quod nunc aëreum seu roscidum Mel, Manhu ab Israëlitis olim appellatum, ostenditur: Idem lib. 2. cap. 104. apud Diosc. apertis verbis scribit, Mannam sacrarum literarum, idem esse cum melleo rore: an rectè ipse viderit & docti.

Melleus ros.

Sanè & Monachis apud Mesuen Manna sive Manhu est mel roris, sive pinguedo aëris, sive Melaëreum.

Pinguedo aëris.

Claudamus sacram Mannæ historiam pulchra Adversariorum obseruatione. Hebræum Germanicum notum, inquiunt, & Rabinum admodum callentem Philosophiæ habuimus, qui Manna istud purum & Mastichinum vocatum, affirmabat esse idem cum suo Israelitico, Bdellii specie, Coriandri granis simile, melleo sapore, quale etiamnum est in Palæstina, Syria & Arabia. Porrò, nobis obiectantibus illius supercœlestes vires, portenta, & putredinem: Respondebat Iehovam cunctipotentem, pro eo ac ferebat sua voluntas: usum & fruitionem Mannæ illis largitum fuisse, qualem, quantum & quamdiu illi visum fuit: rèque ab se condita uti solitum ad suam ostendendam sive gloriam sive munificentiam, præter, & super naturæ leges ratas. Sic quoque *Marath* perquàm amarum & salsum edulcuit iniecto ligno: & Arabicus sinus quasi medius sectus, vadum fecit proli Iehovæ, hostes verò obruit: Solis orbita cursum inhibuit, & æquor montibus supernatavit.

Manna mastichinum.

MEL CEDRINVM.

Hippoc. lib. de Vlceribus ait: Medicamentum aliud ad ulcera vinum accipit, Mellis Cedrinì paululùm: ex aridis, florem æris.

Ad ulcera.

Mel illud scripsit Galenus mercatores sui temporis è Monte Libano petitum venale porrexisse: idque roris modo destillare: atque in eo copiosissimè ex foliis arborum colligi: propterea que quòd Cedrus inibi frequentissima sit, ex hac potissimùm accipi verisimile esse scripsit, lib. 3. de alim: *Rorem montis Libani* nominans quod Hippocrates Mel Cedrinum appellavit.

Locus. *Ros Libani Gal.*

Itaque cùm mel istud vulgò Mannæ nomine cognoscatur, & durioris sit compaginis, quàm ab autoribus descriptum sit, meritò dubitabit quispiam an eadem res sit ac ea, quæ ab antiquis sub eo nomine intellecta est. Siquidem neque Hip. neque etiam Gal. unquam durum intellexerunt, sed liquidum, adeò ut Gal. scripserit suæ regionis indigenas referre solitos, Iovem aliquando melle pluere.

Manna vulgi.

Ego verò, inquit Bellon. de arb. conif. aliquando dubitavi an olim Cedrinum mellis genus hoc edi ab hominibus loco medicamenti soleret, quo alvus solveretur. Sed ex antiquissimis Hebræorum monumentis habeo Cedrinum hoc mellis genus edule fuisse, neque ita tamen liquidum, ut manibus facilè teneri posset: duasque eius præcipuas differentias fuisse, liquidi scilicet & duri, mihi ex negociatoribus apud Memphim planè innotuit: alterum liquidum in fictilibus, alterum aridum in arculis ligneis asservari. Vim verò nullam, aut saltem exiguam inesse ei alvum solvendi affirmare ausim. Nam si quispiam periculum fecerit, & utrumque paulò liberaliùs ederit, nunquam alvum subduci sentiet, etiamsi libram mediam absorpserit. Verùm quidem mihi hoc fatendum est, vim quandam ei inesse abstergendi, quemadmodum & in melle: sed solvendi, ut mihi videtur, nullam aut paucam habere, quod indigenis montis Libani & Sinay, [vbi Cedri] nostratibus etiam, qui Senesium & Iuniperorum (Gallicè *Senys* & *Geneure*) [vbi Laricis] montes incolunt, satis planum est: qui, cùm abundè eo satientur, nihil tamen ab eo læduntur, aut alvum sibi quoquo pacto subduci sentiunt, sed eo tanquam obsonio nutriuntur. Sed mirum quòd ea certam sibi statuerit sedem, ut in altiori montis fastigio, neque paulò infra versus radicem montis ullam eiusmodi videas. Nam in Libano Cedris potiùs, quàm aliis arboribus adhærescit. In Europa Laricibus mavult copulari, neque etiam alibi, quàm extremis arborum ramis insidet. At si fortè Salices adsint (ut sæpè fit) rarò tamen earum foliis adhærere consuevit. Manna verò liquida sive mel Cedrinum, cum nobis nullo nunc in pretio habeatur, ampliùs servari desiit.

An Cedrinum mel purget. *Differentia.* *Liquidum. Aridum.* *Non purgare.* *Mel Cedrinum nullo in pretio.*

Monachi

Monachi sive Caloieres montis Sinai (ut idem Bellon. annotat in suis Obs.) habebant Mannam liquidam collectam in suis montibus, quam vocant *Tereniabin*, ad differentiam duræ Mannæ. Quod enim Arabes vocarunt Tereniabin conservatur in ollis terreis mellis modo: venaleq; ferunt Cairum. Hoc Hip. vocauit Mel Cedrinum: alij Græci Rorem Libani. Differt à Manna alba sicca. Gallica quæ ex Brianson defertur, sicca est. Cairi venalis in Officinis promitur Manna duplex. Vna quæ dura vocatur Manna: altera quæ liquida Tereniabin. Hæc Bellon. Cæterùm, considerandum an Manna Cedri non sit potiùs liquor exudans ex Cedris, & concrescens, quàm Ros. Nam si Ros esset, cur potiùs Cedris Libani, quàm aliis arboribus adhæreslcit, cùm eis sint tenuia admodum folia, cæteris plærisque lata, & excipiendo rori commodiora: uti videmus apud nos Europæos Rorem foliis Quercus potissimùm adhærere.

Tereniabin — *Ros Libani* — *Manna dura. Tereniabin liquida* — *Autorum consectura de melle Cedri.*

Scribit Bellon. Mannam Lariceam, si Sol illuxerit, liquidam evadere, & esse Tereniabin. Inquirendum autem annon idem eveniat Cedrinæ Mannæ. Si ita sit, censemus liquidam Cedrinam Mannam diversam à Rore aëreo. Fortè Galenus Manneum liquorem in Libano proprium Cedris non distinguit à Rore aëreo in diversas arbores cadente. De Melle Cedrino Hippoc. pauca quædam antè quoque dicta sunt. De viribus etiam Mannæ Libani considerentur quæ antè tradita sunt ex Bellonij, Fuchsij, ac Matth. opinionibus diversis. Et Lectores considerent quæ postea traduntur de Manna Orientali masticina: multa enim ad hoc caput referri possunt.

Laricea Sole liquescit. — *Vires.*

MANNA LARICEA SIVE BRIANSONA.

MANNÆ quæ passim in Officinis lautioribus habentur suis distinguuntur nominibus à loco petitis. Aliã enim *Briansonam*, aliam *Ambrunensem*, aliam *Calabrinam*, aliam *Granatam* vocãt. Quæ cùm inter se sint dissimiles non tantùm facie, sed & efficaciâ, aliam aliis præponunt, Nam [ut pulcrè etiam annotavit Bellon.] alia compactili grano pingui, dulci, flauóque, aut albicante prædita est, ut Briansona. Alia grano constat grandiori, floccos lanæ referens, intus concavo, candidiori, cuiusmodi est Calabrina. Alia pellucida est exiguo grano, cuiusmodi Masticina. Nunc de Briansona speciatim dicemus. Grumi itaque Mannæ Briansonæ seu Lariceæ, alij Coriandro pares, rotundi, alij oblongi maioréſque, colore albicante, & cùm inveterascit, flavescente, consistentia cerea, sed in ore liquescente, dulcedine saccharina, valdè grata. Admista multa foliola Larigna sunt. Carbonibus imposita, tota ferè consumitur bulliendo.

Manna officinar. differentia. — *Rorem.* — *Briansona.* — *Calabrina Masticina.* — *Briansona descriptio.*

Scribit Bellon. se aliquando certum montis latus Laricibus consitum eo modo albere comperisse, quo cùm pruinæ in hyeme arbores convestierint. Nam, ut paulò antè dictum, hæc in Libano monte Cedris, in Europa verò Laricibus mavult copulari, ac eius tantùm extremis ramis. Cuius rei causam subtilitatum professoribus indagandam relinquimus. Vide quæ paulò antè etiam dicta de liquefactione Mannæ Lariceæ ex Bellonio, nempe quomodo à Sole liquescat.

Est autem legenda, eodem autore, antequam Sol arboribus suis igniculis vim intulerit: nam roris illius materia noctu supersidet, non autem interdiu. Quocirca indigenæ ad Larices summo manè festinant, ut Mannam legant, priusquàm Sol illuxerit: nam, uti dictum, quum Sol ei illuxit, deterior esse solet, & liquida evadit. Hinc duæ species. Sicca Serap. & Avic. Manna, quæ in mediterraneis magni venire solet. In urbibus autem quę ad radices montium sitæ sunt, adeò vilis est pretij, ut non pluris in vere libra, quàm quatuor assibus divendatur. Ros enim, qui arboribus insidet, tantus est, ut operarij quantum volunt reperiant: sed in legendo operariis tanto tædio esse solet, ut ab uno viro vix tres libræ uno die colligantur.

Colligendi tempus. — *A sole liquescit, & deterior fit. Duæ species.*

Rustici porrò ad Larices manè appulsi, brevi Solis radios imminere sentientes, fasces arborum securibus in terram decutiunt, multos ramorum acervos sub arboribus in umbra asservantes, ut quicquid roris illius cœlestis cacuminibus adhæserat, per otium in umbra sub arbore legant. Illi verò quum multam exceperint, & ad vicinas urbes detulerint, hanc negotiatores quidem emunt, sed quòd ea intra annum unum aut alterum deterior evadat & corrumpatur, necesse habent, ut ex multis libris paucas divendant, illas quidem cariùs distrahere, quibus reliquarum iacturam, si quam adesse contingat, resarciantur. Hinc fit, quòd magno væneat. Hæc est illa Manna per totam Galliam celebris, quæ Briansona: testatúrque Bellon. non aliunde, quam ex Laricibus in summitatibus altissimorum montium colligi: duram esse: atque differre à Manna montis Sinai quæ liquida sit.

Legendi modus. — *Manna annis deterior evadit.* — *Cur magno vaneat.*

Fuchsius Mannam Briansonam flavam dicit, utique vetustiorem inspiciens: Nam vetustate flavescit. Quapropter etiam Bellon. flavam dixit. Designanda tamen res unaquæque ut est in prima propriáque sua natura.

Cecidit è cœlo Manna, tradente Matth. admodùm copiosa, Masticheſque granis similis, agro Tridentino, in Ananiensibus montibus, & præsertim supra Larices arbores, testibus Cl. med. Iulio Alexandrino, & Petro Spezzalencio pharmacopoeo Ananiensi: quippe qui huius Mannæ, quam ipsemet legerat, selibram ferè ipsi miserit. Nunquam autem se concessurum ait Matth. Mannam, quam è Lariceis foliis legerunt Ananienses, è Larice ipsa exsudasse, cùm nihil prorsus resinosi resipuerit. Quinetiam quòd non solùm in arborum foliis spectetur, sed etiam in pratis, adeò vt fœnisecæ præ Manna à Sole dissoluta, falces ab herbis nequiverint explicare. Asseritque hanc cœlestem fuisse Mannam, perinde ac illa, quam se propriis manibus in agro Goritiensi legisse testatur. Sed par fuisset Matthiolum rationes quoque reddere, cur supra Larices potiùs concrescat, quàm supra alias plantas. Quid si non lecta supra folia, sed supra ramulos? Matth. non erat præsens cùm colligeretur. Lariceam Mannam non resipere resinam, non sufficit ad ostendendum non exsudare, ut videre est de eo Elæomelite Lobelij. Fieri potest, ut præter exsudantem Mannam in Larice, ros melleus interdum cadat aut coadservetur supra omnes plantas eius loci, ubi Larices Manniferæ copiosæ sunt, qui nihilominus diversus sit à Manna Laricea. Sed de hac re posteà specialiùs sub Manna Calabrina.

Matth. opinio non è Larice exsudare Mannam. — *Matth. opinio improbatur.* — *Autorum consectura.*

An Apollini Manna Brigantina? à Brigantio Cœnomanorum oppido, nundinis illustri, vel candida, quæ quidem selecta nec vitiata, dulcis &

Manna Brigantina candida.

gustu iucundissima, minuta, melleam dulcedinem repræsentans: vel livescens, tenuior, Pineis festucis, surculis herbulisque & foliolis etiam advoluta, subductione aliis ignavior: ad alios usus, ut etiam ad lenitionis opera, vix subduplo efficacissima: quum præsertim Orientalis Calabrensisque interdum rancidæ amarescant, & imposturis imbutæ minus valeant. Si autem Apollo eandem intelligit Mannam, quam nos, miramur non observasse foliola Laricis esse admixta. *Livida.*

Observatio. Lob. & Pena tradunt, ut antè monitum, Laricis ramos in vinariam cellam asportatos, Mannam postera die demonstrare. Iidem etiam conantur demonstrare, Mannam potiùs succum plantæ quàm aëreum rorem esse. Addúntque non spernendam Briansonensem ad Galloprovinciæ & Allobrogum Alpes provenire solitam, qua universa ferè utatur Gallia, modò delectus purioris, candidioris & recentioris grani habeatur, qualem illic effractis è Larice surculis copiosam se habuisse scribunt: quæ nec dosi, nec gustu, nec purgandi effectu quicquam cedere illi videretur exoticæ. Eàmque multò minoris emi, minorique [quàm Mastichina, vel Granata] mangonij suspicione. Blandè autem educit biliosa è primis venis & iecore, éque pulmonibus pituitosa veluti Lariceus liquor, Terebinthina Veneta vocata. *Delectus. Vis purgatrix. Vires.*

Dosis. Hac si Syriacæ puræ copia desit, aut Calabriensis, utendum ab uncia semis ad unc. tres. Sylvius verò, ut anteà monuimus, huius dosin tradere videtur ab unc. j. ad unc. iij.

Cæterùm miramur Altomarum, qui tàm curiosè de Manna scripsit, nihil tradere de Manna Laricea, qua tamen, uti dictum, in multis Galliæ & Germaniæ partibus utuntur, cui semper admixta folia Laricis.

Manna Trunchibil. Rauvolff. Mannæ nostræ Laricæ forma & sapore similem dicit Mannam *Trunchibil.*

MANNA CALABRINA FRAXINI ET ORNI.

Descriptio. PRo Calabrina nobis demonstrata Manna purior est, quàm Briansona. Grumi multò maiores, figura varij, colore flavescentes, sapore dulci, sed minùs grato, quàm prædictæ, cum quadam acrimonia. Nec ita facilè liquescit. Vita etiam minùs consumitur. Loco humido posita, minùs videtur liquescere quàm Briansona. Conservanda, ut illa, loco sicco. Hæc hodiernis temporibus notissima est, ut in Italia, autoribus Monachis, pluribus colligitur locis: sed copiosior in Calabria, quæ & Calabrensis ubique vocatur: & particulariter in Fraxino & Orno colligitur, quam certè specialiter ipsæ arbores ex se producunt, sicut Gummi cæteræ arbores: ac huiusmodi est Calabrensis. Ratio est, quia in caudicibus & truncis sive ramis arborum copiosior, quàm in foliis reperitur. Nam quæ de aëre, sicut ros, descendit, abundantiùs recipitur in foliis, quàm in trunco. Hoc ratio, hoc experientia docuit plurimos. Nam quis audeat dicere pluviam aut rorem, dum cadit, priùs insidere truncis, quàm madefaciat folia? Et quemadmodum aqua æqualiter pluit super arbores & plantas, ita & Manna descendit rorando universaliter & arbores & plantas, & petras, & ipsum adeò purum putum solum. *Calabrensis. Nasci ex arboribus.*

Iam quare in una potiùs arbore, quàm in alia non multùm distante reperitur? Nonne quia illa arbor ex se producit, & illa non? Item si sicut ros descendit semper, quare in extremitatibus & foliis superioribus, quæ cœlum spectant, ipsa rarò arborum non invenitur, sed in ramis & foliis inferioribus? Sed revera, nos (inquiunt idem Monachi) curiosè at studiosè hoc observare iussimus: & ita invenerunt, nempe ex se illas arbores producere illam rem, quam Mannam vocamus: quæ liquida fluit ex trunco, & ramis superioribus in folia inferiora, postea congelatur. Et ad maiorem certitudinem plures observatores propriis oculis pluries viderunt fluentem Mannam scaturire ex quibusdam tuberculis ipsius arboris: quia non undiq; per totam arborem fluit, sed in quibusdam specialibus locis generatur: ex quibus cùm profluit est dulcissima. Si autem quis locum illum (unde videt exire Mannam, inciderit, exit abundantiùs, sed fit amara propter percussionem & corticis incisionem, ut ipsi observatores experti sunt. Etiam præcisus ramus, & domum virens portatus, produxit Mannam. *Vi generatur. Observatores.*

Quare concludendum est, arbores, ut Fraxinus & Ornus, hisque similes, ex se generare, Mannam, sive mavis, Gummi dulcissimum, quod Manna dicitur. Nam & Gal. etiam quandóque utitur succo Fraxini: pro quo forsitan intelligenda ista Manna, quæ scaturit è Fraxino & similibus arboribus. Eædem arbores & Mannam cœlestem suscipiunt (cùm cadit) sicut & aliæ plantæ. Et quid mirum arbores gummi illud dulcissimum producere, quod Mannam arboream vocamus? Nonne & arbores & plantæ generant, stacten, Myrrham, storacem, Balsamum, Mastichen, Picem, Resinam, & similia plura? Nonne & apes similiter ex floribus quarundam arborum & herbarum mel & ceram colligunt. Ergo &c. Colligunt etiam & ipsi Calabri quandoque mel aëreum, id est, Mannam cœlestem super varias plantas & super lapides, sicut & aliæ gentes. Sed hoc fit rarò, & non ita densatur. *Gummi dulce. Succus Fraxini. Manna arborea. Mel aëreum in Calabria.*

Arboream Mannam autem singulis annis, circa caniculares dies ante sextiles pluvias colligunt. Cùm autem pluit, cessat fluere. Sed & genus hoc Mannæ arboreæ dupliciter colligitur: scilicet una in caudicibus & ramis, quam vocant Mannam grossam, & Mannam de corpore: alia verò super folia, quam Mannam finam, seu Mannam subtilem, & Mannam foliorum nominant. Medici autem nostri temporis, laudant potiùs eam, quæ colligitur super folia. Sed revera viribus non differunt, & unum eundémque ortum habent. Nam quæ colligitur in foliis, non ibi generatur, sed è truncis & ramis fluens, cadit super folia illa, quæ ex directò habentur subter. Non enim in cunctis (uti diximus) foliis ipsius arboribus reperitur, sed in illis duntaxat, quæ ex trunco vel ramis susceperunt. *Hactenus Monachi.* *Tempus colligendi. Modus colligendi duplex. Manna grossa. Manna subtilis. Manna foliorum.*

Eiusdem sententiæ est & Altomarus, qui concretam & granulosam Mannam, semini aut Gummi similem, (ut ille inquit) cuius frequens est usus, quotannis colligi solitam scribit tam à Calabris quàm à Samnitibus & Vestinis, qui Garganum incolunt montem, & plerasque Apuliæ partes, ut Castellanetam: aliisque etiam in locis ipsam colligi solere. Eam tamen non nisi ex Fraxino & Orno colligi, uno ore fateri omnes. Hancq; eam ipsam esse Mannam, qua communiter ad molliendam alvum Medici omnes utantur, ac usi sint quotquot per Centum annos & ultrà, medici antè se fuerint. *Locus.*

Inqui-

Inquisitamus autem an sit velut ros quidam è cœlo cadens, sicut ea, de qua Arabes meminerunt, vel dictarum arborum succus humor seu lachryma, sic radiogenatus. Quæcunque ex aëre decidunt, in quacunque regione ac quovis loco, non speciatim super unam rem determinatam illius regionis seu loci, sed indifferenter supra omnes ibi existentes rationabiliter cadere debet. Sed Manna hæc non nisi in Fraxino & Orno reperitur, in cæteris verò arboribus, herbis & lapidibus eiusdem loci nequaquam, ut collectores testantur. Igitur non generatur in aere, neque è cœlo cadit. Et per consequens non est eiusdem speciei cum ea, quæ è cœlo decidit.
2. Deinde: Eadem Manna, quotannis ex iisdem colligitur particularibus arboribus iam supra 40 annos, vt colligentes eã fatentur, ita ut non desint, qui easdem arbores emant, tanquam singulis annis hoc producentes vectigal. Súntque eodem in loco & eiusdem etiam speciei arbores nonnullæ, super quas Manna hæc non reperitur. Igitur è cœlo non cadit, nam, quæ maior ratio reddi posset de una quàm de altera, præsertim eiusdem speciei arbore, eodem in loco existente, ac per plures continuos annos eam producente, si è cœlo caderet? nulla sanè: quamvis in uno plantarum genere magis quàm reliquo quædam afferri possit apparens ratio. Præterea si Manna
3. cœlestis seu aërea pro sua generatione, peculiarem quandam, uti dictum, cœli constitutionem requirit: ita ut calida & sicca præcedat diurna aëris temperies, nox verò sequatur per æstatem benè frigida, (etenim æstivo tempore potissimùm generatur) rationi consonum est, non qualibet die, singulisve noctibus etiam æstivo tempore generari posse, sed rarò admodum, quemadmodum & liquida, præsertim in Calabria. Ad
4. hæc, Manna quâ utimur, quæ quidem in Fraxino & Orno colligitur singulis diebus, Canis præsertim tempore, aut paullò antè, in iisdem reperitur, modò pluviæ, præsertim magnæ, aut ventorũ vehementia non adsit. Igitur aërea non est.
5. Ampliùs, si aërea Manna de genere est mellis roscidi seu aërei, à frigore, uti dictum, concreti: cùm mel solvatur à calore, ac coaguletur à frigore: sequitur quòd eadem Manna, à frigido, tanquam contrario causis liquefactionis coagulari debeat, solvi verò à calido. Cùm verò in ea, quæ in Orno & Fraxino reperitur, contrarium eveniat, nam à calido durior fit atque coagulatur, ab aqua verò solvitur: necessariò sequitur eandem de natura aëreæ & mellis roscidi non esse.

Quod si quis dicat: non modò à Solis calore Mannam in his arboribus repertam concrescere & duriorem reddi, verùm etiam à frigore, ut eam colligentes diù observarunt: aiunt etenim non solùm à Sole, verùm etiam à frigore, Aquilone videlicet modicè flante in nocte, eam condensari sicciorémque reddi: Dicimus nos, & hac etiam ratione probari, eam non esse rorem è cœlo cadentem. Nam hic cùm sit aqueæ naturæ, à frigido duntaxat coagulatur. Quæcunque enim sunt aquæ (inquit Arist. lib. 4. Meteo.) non coagulantur ab igne: solvuntur enim ab igne. Quæ verò communia sunt terræ & aquæ, & ab igne coagulantur, & à frigido, ut ipse ait: quoniam ab utrisque incrassantur, recedente videlicet & evaporante humido, diversa tamen ratione. Cùm itaque coaguletur, & à Solis calore, & ab aquilonis frigore, hæc quæ in Fraxino & Orno reperitur Manna, necessariò sequitur, eam nec vaporem nec rorem esse, aut ex eisdem genitam: proinde neque etiam aquæ solius, sed aquæ & terræ esse. Item si à Solis calore, & ab Aquilonis frigore hæc, quæ in Fraxino & Orno reperitur Manna non solvitur, nec liquefit, sed potiùs concrescit, duriórque efficitur: sic ut eam colligentes asserunt, meridie Soléque magis ardente, aridiorem, candidiorem, magisque concretam & coagulatam esse: & collectam iam, ubi humidior fuerit, ac liquefieri cœperit, Soli expositam, albidiorem durioremque reddi: quis vnquam asserere audeat eam à cœlo fuisse delapsam, atque ex concreto rore genitam? Cùm præsertim quæcunque à frigore concrescunt seu coagulantur, à frigore liquescant, ut idem tradit Arist. Quinimò Manna hæc ab aqua solvitur atque liquescit, ut in dies observamus, & eam colligentes testantur: pluvia enim superveniente, confestim solvitur & evanescit, ut primis Augusti imbribus ingruentibus observatum est: sequitur itaque à calido & sicco, hoc est, ab igne aut igni simili fuisse coagulatam. Ergo non erit aërea. Nam quæcunque sunt aquæ, inquit Arist. non coagulantur ab igne: solvuntur enim ab igne. At vapor aquæ signum est, eodem teste: eo enim consistente, est aqua, ut in ollarũ operculis videmus. Cùm itaque non ab igne, neque à Sole, sed ab aqua solvatur atque liquescat Manna hæc in Fraxino & Orno duntaxat reperta, coaguletúrque ac durior reddatur à calido, demonstrativè concluditur, eam non esse de genere roris, nec ex concretis à frigore vaporibus genitam, neque è cœlo cadivam si saltem prædictis Arist. rationibus ac fundamentis fides adhibenda. Adde quòd, vt huius Mannæ copia maior generetur, contraria requiratur particularis aëris constitutio ab aërea: nam si eo tempore, quo emanare consuevit, dies pluviosa præcesserit, & frigida quodammodo, sequatúrque admodum calida & sicca altera aut tertia, maior, ut aiunt, iisdem arboribus quantitas colligitur. Quâ itidem ratione aërea seu roscida esse non poterit.

Quod si quis rationibus destitutus, ad cœcas & occultas causas confugerit, inquiens, causam ob quam Manna hæc in Fraxinis & Ornis duntaxat reperitur, esse earundem arborum proprietatem quandam, ob quam ad seipsas magis alliciant, trahántque hunc suavem liquorem è cœlo cadentem, quàm cæteræ arbores, quemadmodum magnes ferrum, & succinum paleam: Dicemus: cur hæc proprietas non cuilibet particulari eiusdem speciei arbori conveniat? Nam ut cuilibet magneti ac succino datum est, ferrum & paleam trahere, ita sanè & cuivis Fraxino & Orno hæc facultas tribui debet. Atqui per multos annos, eósque continuos observatum est, in una regione eodémque loco quotannis determinatas quasdam Fraxinos & Ornos talem in se continuisse dulcem liquorem: quasdam verò aliàs eodem in loco existentes, eiusdem magnitudinis, eiusdémque ætatis nequaquam. Observatũ prætereà diversæ magnitudinis ac ætatis quasdã particulares arbores iam dictarum, eodémque in loco consistentes, non tantùm quotannis eiusmodi dulcem in se continere liquorem, sed etiam certis temporibus: ut puta sub cane, vel paulò antè: quasdam verò nunquam. Quibus de causis nequaquam concedere aut fateri possumus, peculiari quadam illud fieri Fraxini & Orni proprietate: quoniam singulis hæc inesset proprietas, etiamsi non æqualiter in omnibus. Non itaque à tota substantia seu specifica forma Fraxini & Orni talem sibi liquorem alliciunt è cœlo vel aere

Obiectio diluitur.

eadem etiam omnibus talis esset trahēdi facultas, quia omnibus vna eademque forma & species. Nunc verò in paucis id observatur.

Vera Manna generatio in Fraxino.

Sanè iam Maio & Iunio mensibus Caniculam antegressis liquor ille dulcis intra cortices earum continetur, quo paulatim cocto, adventante ardentis Sirij calore, cortex arescit, eoque scisso aut fisso, liquor foras trahitur, atque ab eodem calore iterum concrescit & condensatur in grumos, aut gummi specie granula. Imò etiam non incisis corticibus, ante caniculam hæc Manna sæpè emanare visa est, præsertim in Ornis: sive iam dicas tanquam superfluum quiddam nec alimento commodum à natura arboris foras protrudi, sive à Solis vi & calore foras elici, sive utraque causâ concurrente, quod nobis verisimilius videtur. Neque tamen sufficiebat expulsio illa arboris & attractio Solis, ni huius quoque calor cōcoctor & cōdensator accederet. Ex quib. perspicuè intelligi potest Mannæ generatio in Fraxino & Orno, vel à mediocriter in naturæ contemplatione versatis.

Obiectio diluitur.

At si dixerit fortè aliquis, roridam hanc Mannam non esse velut superfluum quiddam arboris, aut alienum, sed simile & familiare, ac velut alimentum quoddam, & propterea ab eis attrahi: tum quæremus ex eo, quæ causa sit, quòd tam continuè & diu támque copiosè ab iisdem excernatur & non potius detineatur? Item quæ possit esse eius diversitatis causa, Solem opitulari, ut eadem Manna imbibatur priùs, siccetur & arefiat cortex, rarefiat & scindatur idem: deinde Canis fervidus calor eundem humorem rursus evocet, condenset ac coagulet, quo tempore corticem multò etiam magis exsiccare deberet, quàm præteritis mensibus, Maio & Iunio, potissimùm cùm absque incisione aliqua sæpiùs spontè ex iisdem arboribus prodeat Canis tempore, & antè, ut de Ornis dictum. Aut quid impedivit, quominus eadem Manna prædictis mensibus non fuerit à Solis calore concreta & coagulata instar gummi circa cortices dictarum arborum, potiùs quàm in iisdem imbibita & intro attracta? præsertim cùm ab eodem calore Canis tempore iterum condensata, & gummi instar granulosa reddatur.

Quidam decepti.

Hoc loco notandum doctissimos quosdam viros à villicis & pastoribus Calabris deceptos, falsò asserentibus, Mannam hanc, quæ in Fraxinis & Ornis reperitur, manè antequam Solis calor invalescat, colligi, cùm communiter contrarium & hodiè observetur, sempérque observatum sit.

Circa Meridiem non tempore antelucano colligi.

Non enim manè, priusquam Sol valdè perurat, ut ipsi falsò retulerunt, sed meridie, Soleque fervidissimo eam colligunt: neque tamen à Solis calore rarescit, solvitur aut evanescit, sed potiùs concrescit, & durior ac candidior redditur. Quapropter eam, quæ Ornis innascitur, tertia vel quarta à Solis ortu hora colligunt, quòd vel à remissiore calore condensetur, cùm terrestrioris naturæ sit eius succus, quàm Fraxini.

Quando ante Solis ortum colligatur.

Immò eandem quandoque, ut aiunt, etiam antè Solis ortum colligunt, sed non nisi ubi pridie inclinante iam Sole profluxerit, & ab eodem concreta fuerit, aut certè noctu flante Aquilone fuerit coagulata. Idque ob eandē causam, ne Sole superveniente siccior aridiórque reddatur, præsertim ubi non spontè, sed vi, adhibitis cæsuris, prosilierit.

Manna arborea nō cælestis.

Ex dictis liquet, Mannam hanc arboream, non aëream aut cœlestem dicendam, quòd iisdem semper colligatur arboribus, atque adeò earum sit propria. Recensendæque hæ arbores inter eas quæ copiosum succum & humorem habent, quòd, & spontè, & incisurâ, uti dictum, non tantùm è caudice & brachiis, sed surculis etiam, iuxtaque foliorum pediculos, immò ex ipsis etiam foliis, eum liquorem exspuunt.

E quibus arboris partibus profluat. Quo tempore &c.

Id tamen non quolibet tempore, sed sub cane & antè etiam: quo tempore hæ arbores à germinatione & fructificatione cessarunt. Quare cùm eo tempore succus earum validissimus fit, ob dictam causam, maximè etiam suam ostendit naturam.

Cur non in omnibus Fraxinis aut Ornis Manna generatur.

Sed alia non levis dubitatio discutienda. Dictum enim non omnibus eiusdem generis Fraxinis & Ornis talem produci liquorem, ex quo fiat Manna; hinc quis inferat, non esse earum proprium humorem seu succum proprium. Huic responsum volumus. Proprium utique earum succum esse hinc certò cognosci, quòd ex quibusdam earum etiam spontè profluat (nam cæsuris illatis modo & tempore convenienti, plures emittunt, uti dictum.) Quòd verò non omnes, sed aliquæ tantùm hanc Mannam procreent, censendum id fieri ob aliquod impedimentum, ut puta ob defectum aut vitium aliquod, vel ob soli aut regionis diversitatem: quemadmodum & Amygdalarum, Prunorum, Cerasorum, Iuniperorum, & reliquarum quarundam arborum generi contingit, licèt eandem habeant naturam.

Est igitur proprius dictarum arborum succus seu humor Manna, quæ quotannis, sub Cane potissimùm, in Fraxinis & Ornis duntaxat, pluribus continuis diebus colligitur, (qua & se longo tempore Neapoli usum testatur Altomarus, & quotquot ante se per plures annos medici fuerint, ad alvum solvendam usos esse) non ros, Mel aëreum, aut Manna, quod sequentibus etiam observationibus confirmatur ab eodem.

Experimentis confirmatur Manna Fraxini.

Nam, inquit, superiniecto linteo, per plures noctes ac dies, supra easdem arbores, ita ut ros iis incumbere non potuerit, inventa nihilominùs in eis, iisdémque diebus, ac collecta Manna fuit, arboribus etiam non incisis: id quod fieri haudquaquam potuisset, si spontè ex iisdem arboribus non emanasset, maximè cùm supra idem linteum, ne vestigium quidem eiusdem generis roris, vel liquidæ vel coagulatæ Mannæ fuerit repertum.

Eandem confirmant variæ observationes.

Sed quid opus diu hac in re sermonem protelare, cùm plures fide digni, quibus hanc rem penitus investigare decreveram, uno ore confessi sint, mihique retulerint, se propriis cōspexisse oculis, post collectam in dictis arboribus Mannā, ex eisdemmet locis reliquam resudasse, emanasse, ac sensim effluxisse, & deinde Solis calore superveniente coagulatam fuisse: ídque non semel duntaxat, sed sæpiùs ac sæpiùs vidisse testati sint.

Tubercula cum vesicula in Fraxinis & Ornis, Mannam exsudātes.

Aiunt insuper in Fraxini Orníque caudicibus, iuxta corticem sæpiùs adnatas veluti vesiculas quasdam se invenisse seu tubercula, quas disrumpentes, primùm liquorem quendam album, dulcem, concretum & crassum in optimam Mannam conversum: deinde minùs album, tenuiorem, liquidiorémque, sed dulcem quoque manifestissimè emanantem sæpiùs conspexisse: qui etiam à superveniente Solis calore coagulatus, concoctus, albidiórque redditus, effectus est Mannæ primæ assimilis: & ubi diu permansisset superfluè à Solis calore exsiccatus, inutilis redditus est. Ergo si incisis arboribus, in eisdem incisuris talem reperiunt concretum, & coagulatum succum, eiusdem ferè coloris, saporis & consistentiæ cum ea, quam ex non incisis colligunt, Mannā, quis unquam hæsitare audeat eam esse earundē arborum succū propriū, spontè ad eosdē ramos, caudicē ac surculos detrusū, potiùs quàm rorē quendā è cęlo aut aëre delapsū? Nemo sanè nisi pertinax valdè.

Ad-

Experimentum à cicadis & aliis. Addunt & illud: nempe cicadas & alia quędam animalcula se inspexisse, quę ex dictis arboribus, Ornis præsertim, cortice perforato, hanc lachrymam exugebant: quibus deinde fugatis, ex iisdem foraminulis seu fissuris, liquorem hunc dulcem profluxisse, húncq; se postmodũ à Solis calore cõcretũ legisse, tanquã in optimã Mannã cõversum.

Aliud. Obseruatum prętérea relatúmq; à fide dignis, se plures secuisse Ornos, vt ex eis pro vini doliis circulos pararent: quos cùm fidissent, soliq; exposuissent, non parvã in eis huius Mannę copiã invenerũt: eámque non in cortice, sed ex lignosa ac veluti eiusdem Orni medullosa substantia interiori emanantem.

Aliud. Testatus item quidam Faber ferrarius, vir probus, cuius nomen Cæsar de Ruodi, se, cùm in quadam sylva structo igne carbones pararet, vidisse ex orno vicina Mannam resudasse, & ab eodem igne paullò pòst coagulatam fuisse.

Alia difficultas explicatur. Cæterùm & difficultas hic excutienda. Nam cùm dictarum arborum cortex & folia amaro sint sapore, non abs re quæret quispiam, qui fieri possit vt tàm dulcis liquor ex iisdem arboribus, si earum succus sit proprius, exsudare possit? Dicendum, hunc humorem non ex cortice, sed ipsa ligni interioris substantia, quæ sapore dulcis ferè est, aut saltem non amara, oriri, & per corticis fissuras promanare.

Alia. Sed, cur corticis amaror contactũ continuo eandem non inficit suo amarore? nimirũ eiusdem corticis humor, exiguus cùm sit, à Solis calore cõcoctus, tandem & ipse dulcis redditur. Et quia maior succi ligni quàm succi corticis copia, illius sapor, non huius prævalet. Adde quod cùm per tenues ac angustos corticis meatus idem excernatur ac transsudet humor, quod eius crassum est, in substantiam corticis impingitur, ita vt per eos expelli nequeat, nisi quod dulce & tenue existit. Id quod contingit etiam in separatione aquæ dulcis à salsa & amara per vas cereum ac tenue, per quod tenues dulcesque aquæ partes resudant: reliquæ, transsudare ineptæ, obhærent.

Ab aqua separatione.

Certum aũt eiusmodi Mannam quam in Fraxino admodũ copiosam provenire diximus, in Orni foliis nunquam vel colligi vel reperiri: imò nec in ramis aut surculis, nisi perquàm rarissimè: & fortè quæ neutiquam in iis sit genita: Sed quæ ex caudice aut ramis ipsi proximis defluxerit. Eam verò in caudicibus seu truncis, aut crassioribus ramis duntaxat colligunt. Causa autẽ esse potest, quòd cùm in saxis magis montosisq; ac siccis locis proveniat Ornus, siccioris etiam naturæ, h.e. minùs humidæ sit quàm Fraxinus, quæ, vti dictum, locis humidioribus, concavisq; magis gaudet, vel Theoph. & Plin. auctoribus. Quapropter Ornus tantam in se non continet humiditatem superfluam, nec adeò dilutam ac tenuem vt ad folia vsque exiguósque ramulos perueniat. Est item scabrosa arbos, ita vt facilè priusquàm ad folia vsque aut surculos promanet, in caudicis crassiorúmque ramorum corticem absumatur. Quod vel ex eo probatur: quòd qui eam colligunt, aiunt huius arboris Mannam perfectiorem esse, si manè & vesperi legatur, quàm meridie sub ardente Sole. Quia ex immodico Solis calore aridior sicciórque redditur, & propterea imperfectior. Contrà quàm in Fraxini foliis fiat: in quibus non manè nec vesperi, sed meridie, ac calidissimis diei horis, vti dictum; colligitur Manna. Manè enim humidior cùm sit, colligi nequit.

Cur Ornus è caudice & ramis, non item è foliis & surculis Mannam reddat.

Minima è foliis. Satis autem exigua est ea, quam in foliis reperiunt, & veluti milium parva eius grana: ita vt facilè conijci possit ex eiusdem arboris ramis super folia decidisse potiùs, quàm in eisdem genitam esse: aut saltem propterea, quòd magna ex parte vt collectores referunt, in Fraxinis Manna emanat ex ramis, ea potissimùm parte, quã foliorum pediculi eisdem annectuntur, atque in eisdemmet pediculis & ramis coalescentem inueniunt. Poterit ob id, quæ in foliis reperitur per eosdem pediculos ad folia effluxisse, cùm tam minuta sit, vt vix semunciam vna alteráve die ex foliis colligãt.

Cur in Fraxini foliis potius quã Orni concrescat. Nec alienum à ratione cuipiam videri debet, quòd in Fraxini foliis & iuxta pediculos eorum reperiatur, cùm id eveniat propter Fraxini humiditatẽ superfluam, quæ non tantũ per caudicẽ & ramos diffundi, spargi atque trãsmitti queat, sed & ad foliorum exortũ atq; ipsa adeò folia, per quorum poros trãssudet, & à Solis calore concrescat. Aiunt etiã minuta illa grana, quæ manè supra folia reperiunt, eodẽ etiam die Sole superveniente, augeri maioráque reddi, quæ postea vesperi colligunt. Quod fieri haudquaquam posset, si ex aëre fuisset delapsa: nã à Solis calore potiùs liquefacta ac absumpta fuisset quàm concreta & adaucta.

Quapropter valeant, qui Mannã in Fraxinis & Ornis foliis repertã, aëream seu roridam, ac è cœlo delapsam esse contendunt. Dictum autem non abs re, solis: Nam contingere potest, vt eædẽ arbores in quibusdam locis, in quibus aërea Manna decidit, reperiantur: & ita supra easdem etiam decidere poterit. At nõ supra eas solas, & quotidiè p multos dies, sed supra cęteras quoque oẽs, vt & herbas, & frutices, & lapides eiusdẽ loci. At quę in Fraxinis & Ornis solùm generatur & reperitur, non tantùm spontè certis temporibus ex iis profluit, sed & incisione facta copiosiùs.

Incisionis modi. Verùm non vnus est duntaxat earũ incisionis modus: nã quidã factis nonnullis incisuris in toto caudice, sequenti demũ die eã colligunt. 1. Quidã verò aliquot dieb. ante easdẽ arbores incidũt inferiorib. tantùm partibus, & deinde eadem collecta, 2. quæ primò effluit, demũ & aliam effluere sinunt, ac denuò colligũt. Alij verò, prætermissa omnino 3. ea, quæ per primas effluit incisuras, post paucos dies aliis in locis superiorib. easdem arbores incidentes colligunt: quæ quidẽ prę cæteris dulcior, ac non parũ suauior existit, purgata, vt aiunt, per primas incisiones arbore, h.e. excreto eo humore, qui impurior, & propterea amarior & crudior erat.

Fraxini plus emittunt Mannæ quam Orni: & cur? Id verò in Ornis potiùs quàm Fraxinis nõ abs re machinati sunt: nã Fraxini humidiores cùm sint, vti dictũ, spontè magis, nõ tantùm è caudicibus & ramis, verùm etiã è foliis eorúmque pediculis, & qui iuxta eos sunt oculis, talem emittunt lachrymam. At Orni, vt quæ sicciores natura sint, h.e. minùs quàm Fraxini humidę, corticéq; duriores & scabriores, locisq; saxosis, montosis ac siccis degant, tãtam in se humiditatis copiã non continẽt: nec adeò dilutus & tenuis est eorũ humor, vt ad ramos & folia eũ spontè emittere valeant: sed in caudicem solùm, & rarissimè in ramos. Quapropter vt copiosiùs effluat ex eis humor, eisdẽ vulnera iniiciũt: ita.n. & promptiùs effluit, & à Solis etiã calore, nõ parũ arbores incisæ ad expulsionẽ iuuantur, eundem scil. humorem ad corticem trahente.

Validissimis itaq; rationib. atq; experientia probatũ est, eã Mannã qua hoc tẽpore in Italia vtũtur, quáque etiã prędecessores eorũ vsi fuêre p plures annos, ad alvũ molliendã, nõ esse eam, quæ eiusdẽ generis cũ rore existit, & de qua Arabes scripsêre, sed Fraxini ac Orni succũ propriũ atque cõcretum, quẽ ex eisdẽ duntaxat in regno Neapol. plerisque in locis, præsertim Calabriæ colligunt, & per plures annos se collegisse fatentur, hunc colligendi modum à maioribus habentes.

Hæc de Mannæ arboreæ generatione, generationísque modo, quantâ potuimus diligentiâ ex Altomari doctissimis scriptis collecta approbat etiam doctrina insignis Medicus & Philosophus Goropius: qui in suo Niloscopio ita scribit: In regno Neapolitano, in collib. plurimis & clivis mõtium Ornus multa luxuriat, quæ vulnerata, Mannam nostram, quam Calabram vocamus, exsudat, quâ Mellis aërei & Mannæ verę loco vti ferè solemus, eo quòd huius incerta, illius certa copia, & arbores quotannis, aër non quotannis idem reddat. Huic tamen Altomari Goropii & nostro sanè iudicio probabili ac verisimili sese obiciunt Matth. Cæsalp. & alij quidam.

Contraria opinio Matth. & Cæsalp.

Sic enim Matth. infit. Mannæ alterum genus à Calabris defertur, plurimi penditur quæ stirpium frondibus incidens colligitur: proinde foliorum Manna cognominata, minutis granulis constans, translucida, gravis, Mastiches granulis similis, candida, gustu dulcis atque suavis. Secundas partes sibi adsciscit, quæ ramis insidet. Tertias vera, quæ lapidibus in solo inhæret. Hæc granulis constat crassioribus, & calore longè minùs sincero. Ex ea, quæ nocte peracta è cœlo deciderat Cossentuæ, quæ est Calabriæ civitas, mihi facta fuit copia super Fraxineis frondibus, quæ iulapii perfectè cocti guttas prorsus referebat. Accepi ibi ab incolis, quòd hæc manè legitur, priusquam Sol exortus admodum excalfaciat. Námque postea Sole liquefacta absorbtáque facilè evanescit. [Hoc planè negat Altomarus & ait, Fraxineam & Orneam Mannam solam à calore concrescere & indurari.] Quapropter plerique (ut à nonnullis audivi) ubi in magna deciderit copia, summo mãne arborum ramos præscindunt, & in opacis collocant, ubi concretam maiori commodo legunt. Non parum aberrat Altomarus, cùm contendit Mannam quæ in Apulia & Calabria è Fraxineis legitur foliis, è cœlo haudquaquam decidere sed ex ipsa planta exsudare. Explodenda autem omnino videtur sententia Monachorum, cùm pro certo asserant, Sirio ardente Mannam non solùm roris modo super arborum & herbarum folia reperiri aëris & cœli clementia, sed etiam arboribus, Fraxino scil. & Orno absque aliquo cœli rore, gummium modo, inciso earum cortice, in lachrymas concrescere. Siquidem ea Manna, quæ inciso harum arborum cortice collachrymare cœpit, nullus quidem plantæ liquor est, sed ipsa eadem Manna, quæ diebus superioribus easdem in arbores ab aëre deciderat. Nam cùm illis regionib. usu veniat, q̃ præ cæteris prædictæ arbores eo mellifluo flore affatim abundéque madescant, sitq; cortex Solis ardore nimio sitiens ac rimosus, magnam liquoris quantitatem intra se absorbet. Quo fit, ut postmodùm exurente canicula, inciso eodem cortice idem liquor exiliat, & in grumos concrescat: qui tamen cùm leves fungosique sunt ob arboris succi mistionem, infeliciter operantur, nec alterius Mannæ viribus correspondent. Quòd autem id tantùm Fraxino Orneoglossóque eveniat, cùm melleus ille ros in universum omnes occupet plantas, in causa est harum arborum nobis occulta potestas, ut magnetis ad ferrum, & succini ad paleas. Quippe omnibus clarum est, apud Calabros & Apulos solam Fraxinum & congenerem Orneoglossum Mannam in se contrahere, retinere, densare ac cohibere: ex aliis verò arboribus eandem statim defluere, & in subiectas herbas, petras, solúmque diffundi. Quare ab his duntaxat arboribus inciso cortice, non sanè primò, secundum naturam, sed ex accidenti defluit Manna. Verùm optimi illi patres [Monachi] contenti (ni fallor) cortice, internas illarum arborũ partes penetrare neglexerunt. At incolæ qui ex maiore huius liquoris proventu plus auri referunt, rei naturam diligentiùs investigarunt. Monachorum sententiæ adstipulatur Altomarus, cùm ipse sibi persuadeat, communis usus Mannam, nihil roscidi cœlestisve liquoris continere, sed tantùm [ex arbore esse:] quod etsi multis conatur ipse comprobare, cùm tamen plura sint quæ non consentiunt, id ego examinandum sapientioribus relinquo. Hæc Matth. contra Monachos & Altomarum.

Foliorum Manna. 2. 3.

Altomarus not.

Monachi reprob.

Fraxinum & Ornum nullam Mannam exsudare.

Ex arbore.

Cui adstipulari videtur Cæsalp. sic scribens: Disquirendum utrum Manna, qua utimur sit inter genera mellis aërei, an prorsus succus Fraxini & Orni, ut contendere nituntur quidam ex recentioribus, & Mannam nostram, à genere Mellis & Manna Arabum explodunt. At eo modo [quo illi de Fraxino & Orno] cavillari etiam de Quercu licebit, cuius foliis maximè insidet mel aereum. Si enim ros non magis super unam plantam quàm aliam decidit, cur maxime hoc genus reperitur in Quercu? Quod si id tribuatur naturæ Quercus, ut liquorem illum cœlestem conservet, aliæ autem plantæ magis & minùs absumant, cur eadem non liceat & Fraxinis & Ornis assignare? Quum enim intimè hauriant hunc rorem, totum autem non absumant in nutrimentum, aut ob multitudinem, aut ob aliam causam, necesse est, ut reliquum tanquam excrementum expuant, alteratum tamen & magis addensatum, quàm in Quercu, ob aliquam eius concoctionem, ob id non in foliis solùm reperitur, ut in multis aliis arboribus, sed undique ex intimis corporis exit. In foliis autem Quercus maximè reperiri melleum liquorem dicemus, quia ea arbor minimè omnium bibat eius homorem: idcircò defluit mellea substantia ex iis, non multùm addensata, & Sole adventante facilè evanescit, ut contingit substantiæ aëreæ facilè in spiritum resolubili. In quibus autem paucissima, aut nulla reperitur huiusmodi concretio, cùm tamen locus eo humore scateat, ut quibusdam Fraxinis & Ornis contingere aiunt, absumitur avidiùs eiusmodi humor in earum nutrimentum, ideo nec ros liquidus permanet in foliis, nec expuitur addensatus. Neque illud omninò verum à frigore noctis addensari rorem in melleam substantiam, ut modò concrescat ad similitudinem pruinæ ob vehementiorem frigiditatem, modò in liquidiorem substantiam ad roris similitudinem à minori frigiditate. Non enim hæc corpora aquea tantùm sunt, ut ros & pruina, sed terram habent aëri mixtam, ut tradit Arist. 4. Meteo. c. 7. de melle. Nam & mel quod apes cõdunt in suis alveolis, ex huiusmodi rore cõstat: quodque super diversas plantas colligitur, non succus earum, neque fructus, neque pars, sed eiusdem est cum rore generis, ut testatur Gal. 3. de Alim. fac. c. 39. non tamen omninò ros, simplex scilicet aqua, sed ob æstivam caliditatem terræ in halitum digestæ commixta, & incrassata magis & minùs in melleam substantiam. Eget tamen halitus aqueus frigiditate noctis, ut constet, simplex quidem in rorem & pruinam, commixtus autem in melleam sustantiam, quæ non ampliùs à solo calido liquatur, sed ab humido, ut sales. Aliqua tamen ex parte à calido sicco liquari huiusmodi corpora, quatenus à frigore condensata sunt, non est absurdum, ut contingit Nitro, Alumini, Calcantho, Saccharo: In igne enim prius liquo-

Digitized by Google

liquescunt, deinde siccantur: humido autem frigido, id est, aqueo, omnia hæc corpora solvũtur, non calido, quale est Oleum. Hactenus Cæsalp.

Casalp. & Matth. opinio refellitur. Sed quæ tùm ipse, tùm Matth. protulit adversus sententiam Monachorum & Altomari, minimè nobis videntur evertere eius rationes, & experimenta, quanquam iisdem etiam Amatus subscribat.

Hæc, inquit Apollo [de sacchari scribens adversus Matth.] naturæ sunt arcana, Philosophis ipsis incomperta: nec versimile est tantam mellei roris copiam intrudi posse, quanta per tot dies exhauritur, &c. *Apollo reprehend.* Sed ipse etiam Apollo, in re sibi incognita, uti patet, fluctuans, Monachos temerè carpit: mox ad naturæ arcana, ignorantium asylum confugit, Philosophis dicens incompertã, cuius tamen postea causam & modum hariolari veriùs quàm studiosa inquisitione vestigare videtur.

Observatio. Pena & Lob. tradunt, ramos magnos Laricis & Fraxini præcisos, atque in vinariam cellam quo æstatis tempore Manna colligi solitum est asportatos, Mannam postero die, quanquam non perinde nitidam ostẽtare: quæ omnia, ut ipsorum reliqua: nec non etiam ea quæ Pamphilus Herilacus de Manna ex Ornifraxino tradit, cum Altomari sententia optimè consentiunt. Considerentur etiam alia quæ antea ex iisdem tradita de generatione Mannæ, & de Elæomelite: quæ itidem omnia facere videntur pro Altomari.

Mirum autem Galeni temporibus neminem istud, ac ne ipsum quidem Galenum tale quiddam observasse, vitam quoque Romæ agentem. *Non est Sacchar. Gal.* Nemo enim asserere audebit Mannam hanc id esse, quod à Gal. 7. simpl. sacchar nominatur. Nam id quoque ut de Melle saccharo dicebat Diosc. ex India & fœlici Arabia convehitur, ut Gal. inquit, & in calamis, ut aiunt, concrescit, non in Fraxinis & Ornis, ut à prædictis autoribus constanter asseritur. Ideóque idem esse cum Altomari putamus Mel saccharum Diosc. & sacchar Gal. de quo pleniùs suo loco.

Nec quicquam etiam referre ait idem Altomarus, si Theoph. cæterique veteres autores, qui de plantis scripserunt, inter eas arbores, è quibus humor emanat, coagulatur atque consistit, non connumerarint: *Elæomeli indictum Veteribus.* nam neque Oleam tàm domesticam quàm silvestrem, inquit, quæ spontè, & vi etiam similem procreat lachrymam, ut diu à quibusdam observatum est meminerunt.

Cæterùm ex his, qui Thuris Mannam cœlestem hanc [sic vocat Matth. hanc Fraxini & Orni Mannam, cuius hæc sunt verba] esse crediderunt, *Criniti error.* Crinitus Florentinus quoque fuit: in cuius censuram Manardus Ferrariensis lib. 1. suarum epist. peculiarem epistolam conscripsit. Veruntamen venia illi danda est, cùm & Serapio, *Serap. lapsus.* qui Mauritanis omnibus in simpl. medic. historia præstitit, Thuris Mannam cum cœlesti ineptè confundat.

Brassavolus, Apollo & alii quidem prædictorũ autorum *Mannam Calabriensem triplicem* faciunt: *Manna Calabriensis triplex. 1. Manna de folio seu frondacea.* primam & præstantissimam, vulgò *Mannam de folio* dictam. Quippe rustici folia aptant, & veluti tegete extendunt: plantátque latiorum foliorum arbores, ut aptiùs colligatur, & parùm supra aliam fem cadat. Eadem & *frondacea* dicitur, quòd stirpium frondibus insidens colligatur: atque oblongis constat granulis. transluccns, gravis, mastiches in morem lenta primùm, mox facilè liquescens, alba & suavis. Secundas sibi vendicat, quæ trunco, ligno & arborum ramis effluit ac inhæret. *Ligni vel trunci Manna. 2.* Ideo & *ligni* vel *trunci Mannam*, alii *Mannam è corpore* vocãt. Tertia cæteris deterior, in terram defluens aut petras, arenulis permixta, colore livente, minùs sincera. *3. Manna terra.* Hæc *Manna terra* dicitur. Eadem igitur res supra diversa cadens, aut è diversis promanans, varia nomina, diversasque species (si modò verè differentia specierum dici possit) vel varietates sortitur.

Amati opinio de differentiis Calabrica. Verùm aliter Amatus de Calabricæ differentiis statuit, dum putat eam ex aëre defluam esse. Sic enim ait: Manna est ros qui præcipuè cadit in Calabria, unum supra folia, quod perfectissimum est, vulgò dictum *Manna de folio*. Aliud supra ramos & caudices arborum, primò deterius, sed crassius & corpulentius. Tertium verò supra terram, cæteris deterius. Quæ verò super lapides cadit, mea sententia, inquit, cæteris generibus nobilior censenda est: dicitur verò *Calabrensis Manna* hæc *Mastichina*, quæ tanquam præcipua celebratur & in pretio hodiè habetur. *Mastichina.*

Amarior Orni. Altomarus amariorem dicit eam quæ incisis arboribus prosilierit, Calabris Ideo *Manna forzata* dictam. Hæc ex Orno est.

Ita vides quanta sit autorum varietas in Mannæ historia & generatione. Nunc Calabrensem Amatus Mastichinam vocat, qualem plerique alii *Orientalem* dicunt: & nobiliorem æstimat quæ supra petras cadit, quàm alii deterrimam putant.

Pamph. Heril. *Mannam ex frondibus* facillimè liquari ait à Sole, idq; *Mãne ex corpore* non cõtigere.

Casalp. opinio de iisdem. Adhuc aliter distinguit Cæsalp. sic tradens Fraxinum & Ornũ solas Mannam ferre testatur [Sylvaticus] in Calabria, circa canis ortum cuius est usus in tota Italia ad alvum leniendam dissolutę iure, aut sero, pondere duarum unciarum aut trium: *Dosis modusque exhibendi.* mitissimum n. est medicamentum, solùm tenues humores educens. Sunt aũt micæ quędã candidæ, aut flavescentes, pingues, sapore mellis. Eius differentiæ sunt: Nam quædam minutioribus micis constat, quã *Mannam foliorum* vocãt, quia ex foliis colligatur, quæ magis probatur: altera crassioribus, quam *Mannam corporis* appellant, quia ex ramis, tanquã ex corpore arboris habeant: & hæc aut spontè, aut vulnerato cortice: [hæc sanè contrariantur opinioni Cæsalpini, qui negat Mannam ex arbore promanare, de qua re antè] *Casalp. not.* Nã ex vulnere primò exit liquor turbidus, nauseosus cum quadam amaritudine: *Turbida. Purior.* postea emanat purior, quamvis glebis grandioribus.

Delectus. Probatur pinguis, & quadantenus translucida. Mastiches quàm simillima. Improbatur arida, & cinerei coloris. Item sapor optimæ suavis cum dulcedine modicè linguam mordens, quæ n. morsu caret, euanida est, & quæ nauseosa, est impura, aut adulterata, aut fenæ infusione, aut addito Scammonio.

Adulterium. Si desit Syriaca Manna aut Calabriensis, vtendum monet Lob. Briansonensi ab vnc. j. & f. ad vnc. iij. Et asserit quosdã institores, qui illinc veniebant, hodie illic perpaucam aut nullam inueniri, planéque conquestos desiisse: quod an verum de Calabrina, viderint incolæ.

Duratio. Matth. ait Mannã Italicam, præsertim Calabricã pluribus annis incorruptam perdurare. Id negat Altomarus: & bonitatem eius perfectã non supra annum extendit. Herilacus cauet ne in compositionibus Arabum vtamur *Manna* dicta *ex corpore*: & addit eiusmodi gũmis nos falsò vti pro Mãna.

Lacuna Mannam ex Calabria tantæ bonitatis dicit, vt conferri possit cum Orientali.

Similis Persica. Garcias Mannam Calabrinam confert cum ea quæ ex Persiæ Becora vrbe aduehitur, magnis glebis, admistis plerumque foliis.

Et Acosta ei similem dicit adulterinam quandam in Ormuz, & tertiam Indicam, de qua & aliis Indicis mox. Idem etiam testatur vulgatiorem Mannam in Hispania esse Calabrinam, verum meliorem quæ ex Oriente Venetias adfertur.

Manna Halepi. Rauvolff. quoque Mannam quandam *Halepi* haberi scribit, similem Calabrinæ. De Manna tradentes consule etiam Costæum & Quinqueranũ, quorum neuter nunc nobis hæc commentantibus est ad manus.

An omni Manna Medicis liceat vti? Tandẽ vt ad vires transeamus, placet iucundã & vtilem Medicis hoc loco quæstionẽ præmittere. Nam cùm constet, saltẽ ex probatissimorũ autorũ placitis duplicẽ esse Mannæ originẽ: alterã ex aëre seu rore: alterã ex Fraxino & Orno: harumq. varias esse differentias, quæritur an Medicis indifferẽter atque innoxiè eisdẽ mannæ speciebus, alteráque pro alterã vti liceat: & num vna eiusdem speciei sit alterã perfectior: & quæ imperfectior quodammodo earum est, nunquid omnino vitanda & explodenda?

Altomari diligentissimi de Manna scriptoris iudicio, *Aerea Manna*, ex rore genita, ab Arabibúsq: descripta, potissimùm concreta, & quam Mesues cõmendat, ad eos vsus quos ipse ac Serap. & Avic. probarunt, est vtilissima. Eius vires antè posuimus post generalem Mannæ historiã. At eius defectu, num *arborea* seu *Fraxinea* & *Calabrina* dicta liceat vti? Cùm, vt ostensum, ex Fraxino, & Orno quæ Fraxinus sylvestris est, profluat, vtiq. earũ vires quodammodo imitabitur. Nã si mel roscidũ aëreáq; Manna cadens suscipit aliquid de virtute plantarum supra quas cadit, vt Gal. & Mes. volunt, quantò magis proprius earundem plantarum succus, easdem continebit facultates, quæ ipsis arboribus propriæ sunt?

Vires & temperam. Mannæ Calabr. Cùm itaque *Mãna Calabrica* Fraxinea, seu lachryma Fraxini, quam Mannã vocant, dulcis sit cũ obscuro quodam amarore, nec multo crasso lẽtóque humore plena, consequens est moderatè calidam esse, gratam & naturæ nostræ amicam. Et ob dictas facultates, vt diximus ex 4. simpl. vim habebit cõcoquendi, laxandi & rarefaciendi, quemad. reliqua dulcia: nec non fundendi, lævigandi ac molliẽdi, ex 4. & 5. de simpl. Gal. Et vt summatim dicamus, cunctas etiam præstabit vtilitates, quas Arabes *aereæ Mannæ* tribuerunt, quatenus dulcis est, quãvis non tantæ humiditatis sit particeps, neque adeò temperatè calida existat. Amaritudo .n. vix sensu perceptibilis, talis non est, quæ dulcedinis vim obfuscare aut impedire possit. Eius tamen

Obstructiones Menses. Pectoris infarctus. ratione etiam magis abstergendi vim habebit, extenuabit, humores crassos incidet, ac infarctus liberabit. Quapropter & menses movebit, pituitam & pus è pectore exterminabit, tantò efficaciùs quantò magis à dulcedine ad amarorem inclinabit. Quapropter non solùm probandus Fraxineæ, & Orni Mannæ vsus, sed propter hunc vel maximè præ aliis deligenda. Sed quid opus multis rationibus, vbi sensus & experientia in aperto sunt? *Nam rationes quærere earum rerum, quæ patent sensui, infirmitas quædam intellectus est*, vt me-

Arist. dictũ contra Zenonem. ritò Arist. dixit in 8. phys. contra Zenonem omnia quiescere dicentem.

Neque .n. ipse solus, inquit idem Altomarus, sed oẽs ante me & iuxta me in hac regione medici hac Manna bono ac felici successu, citra vllam no-

Blandè purgat. xam eorum, qui sumpserunt, vsi sunt, præsertim ad alvum molliendam. Nam nec inquietudines & fastidia, neque tormina, colliquationem, superpurgationem aut eiusmodi malum symptoma assumpta excitat, aut excitavit vlla, sive ex foliis, ramis aut caudice fuerit collecta. Omnino enim se prædictos vsus omnes felicissimè expertum esse Deum immortalem tẽstem advocat idem Altomarus, omnésque medicos posteros ad eius vsum inuitat & hortatur. Ab ea

Caveat. verò quæ incisione prolicitur, cauet abstinendum in ardentibus febribus, alvi fluoribus, dysenteriis, aliisque calidioribus morbis, similibusque naturæ corporibus, ac etiam æstate, regionibus, annique constitutionibus valdè calidis: non tamen adeò, vt cætera pharmaca alvum solventia, quæ calidiora sunt, dictis temporibus, locis atque personis prohibendam censet. *Eius tamen* vsum, *quæ ex foliis earumque pediculis ac oculis* profluit, quolibet anni tempore, quauis corporis constitutione ac morbo exhiberi tutiùs posse. Denique vbi *Arabum Manna* haberi nequeat, eã vtendum suadet, quæ spontè ex dictis arboribus emanat: nam eosdem ferè præstare vsus, quos Arabes suæ Mannæ tribuerunt, & longè plures, præsertim eam, quæ ex foliis & pediculis eorum colligitur: quòd sincerior, dilutior ac tenuior sit cæteris, quippe magis concocta, ideóque dulcior: ac de foliorum viribus non nihil particeps, quorum succus, vti suo loco dictum, serpentum

Serpentum ictus. ictibus valdè opitulatur, Diosc. & Plin. autoribus. Hancque non solùm serpentum ictibus, sed & eadem ratione malignis pestilentibúsque

Febres malignæ. febribus auxiliari. Huic proximam esse, quæ ex ramis & caudice spontè profluit. Tertiam in

Bonitatis earum gradus. bonitate esse eam, quæ non ex primis illatis cæsuris colligitur, videl. quæ ex eisdem primò profluit, sed ex aliis vulneribus post aliquot dies factis. Nam quod primò effluit, impurum, inconfectum, ac excrementosum valdè esse: & proinde puriorem, perfectiorem, dulcioremque ex secundis cæsuris. Neque tamen penitus & illam respuendam scribit quæ primò primis illis incisuris profluit. Nam & hanc quoque, licet amaritudinis cuiusdam sit particeps, dulcedinem tamen magis præ se ferre, quæ perpetuò in ea prævaleat: nec aliter differre à prioribus, nisi quòd calidior sit, quapropter etiam valentiùs operetur, sibique ita longa experientia confirmatum esse. Ac si noxa quædam ex eius vsu, vt tormina, calores, &c. superuenerint, id medici culpa, minùs rectè ac intempestivè ea vtentis, aut morbis vel corporibus, quibus non competebat, exhibentis, factum esse: aut quòd plus æquo dederit, vel Mannam aëream putarit: aut certè quòd pro hac ipsa aliam vitiosam aut adulteratam præbuerit, constanter asseverat.

Suadet tamen semper recentissimam, quantùm *Delectus.* fieri possit, deligendam, humidioremque: vetustam & aridam omninò vitandam.

Quæ si ita se habeant, quis Mannæ Calabrinæ, quæ ex Fraxino & Orno est, vsum deinceps ausit repudiare. Sed iam & cæteras Mannæ differentias persequamur.

MANNA ORIENTALIS MASTICHINA.

MANNA etiam ex partibus Orientalibus ad nos defertur, & præsertim ex monte Li- *Granulosum.* bano. Venetiis magna copia habetur. Brassavolus scribit ex Orientalibus & Meridionalibus

Digitized by Google

bus partibus & alterum genus Mannæ importari, sicut mel liquidum, præter illud albicans granulosum, hoc est, ut ille ait, Manna Arabum. Et addit: Nicol. Nicolucium à Mauro quodam huius liquidæ Mannæ pyxidem emisse, & ea miros effectus fecisse.

Amatus quoque tradit *Mannam Orientalem* ex monte Libano & aliis locis Venetias illatam aliquando *granulosam*, aliquando *liquidam*, mel referentem. Primamque Arabes *Mannam* absolutè, secundam *Tereniabin* vocare.

Bellon. priorem *Mastichinam* vocat, pellucidamque esse ait, exiguo grano: atque hanc præcipuam agnoscere Venetos, *granulatam* dictam: Gallis *Granatam*: vulgò *Mastichinam* dici, quod Mastiche sit adsimilis.

Orientalem Mannam parvi fieri in Italia Monachi aiunt, quòd non possit haberi ita recens, ut *Calabriensis*.

Matth. sanè scribit, eam quæ ex Alexandria Ægypti adfertur, *Mastichinam* dictam, uno duntaxat anno in suis viribus persistere. Alioqui eam præstantissimam dicit: alteram verò infirmam ac vilem, *Bombycinam* nuncupatam. Lacuna quoq; Orientalem perfectissimam dictitat. Hanc eandem Lob. *Mastichinam, Granatam & Syriacã* vocat, pro qua substituit, ut antè dictum, *Briansonensem*.

Apollo quoque Orientalem primam & præstantissimam fatetur eam quæ *Masti bina* dicta, in quosdam quasi grandinis callos niveósque globulos densatam.

Fertur (inquit Cæsalp.) aliquando & ex Syria longè candidior Italica, Mastichina vocatur, quæ translucida Mastiche similis, parvis granulis, efficacior *Italica*. *Bombycina* autem minimè translucida, crassioribus micis Gossipii. Putant hanc Saccharo adulteratam esse. Sed dentibus deprehenderetur: Saccharum enim sub dentibus crepitat. Manna autem mollis est.

Veneti, notante Bellonio, aliter quàm Galli negotiatores distinguunt, in *Mastichinam* seu *granulatam*, & *Bombycinam*. Hæc ideo sic vocitat, quòd floccorum bombycis referat effigiem, quæ quidem vilioris est pretii quàm illa, neque tantæ dulcedinis particeps: cuius etiamsi libram edas, alvum tamen nunquam subducet, ideoq; Mãnam istam ex rore aëreo venire, mellis modo, nemo dubitet.

Altomarus Bombycinam adulteratam putat. Sed hanc rem Venetorum doctissimos Medicos posteritatem docere par est.

Mastichina. Granulata. Granata. Mastichina unde. Bombycina. Syriaca dicta. Adulteriũ ut deprehendatur. Bombycina unde. Bombycina non purgat.

SIRACOST ET MANNA XIRQVEST INDICA EX ARBORE QVEST.

Pro interpretatione vocabuli *Siracost* hîc referemus & contrahemus quæ Monachi copiosè scripsere in Mes. supra compos. *Diasiracost*.

Siracost sive *Xiracost* sive *Assiracost* &c: idem est: secundùm Simonem Ianuensem, & nonnullos aliquos ex iunioribus, est quædam species Mannæ. Et in testimonium citant Avic. cap. de manna. Bellun. in interpret. ait Siracost esse Mannam, quæ apud Italos in usu est. Pandectario Alsiracost, & Xiracost Arabicè, est Manna. At Siracost eidem est Manna vel succus fructuum. Avic. autem licet capit. de Manna dicat, Mannam coagulari & exiccari sicut gummi & sicut Tereniabin & Alsiracost, & mel de terra Cusuram &c: non tamen per hoc declarat nobis Siracost esse speciem Mannæ. Nam ad instituendam aliquam similitudinem [quod ille facit inter Mannam, gummi, Tereniabin, Alsiracost & mel &c:] non semper est necesse adducere species eiusdem generis illius rei, de qua quæritur similitudo ipsa. Non omnia verò illic posita, esse species Mannæ probatur: quia sicut gummi & mel non sunt species Mannæ, ita fieri potest, ut nec Siracost sit eiusdem speciei. *Sira* enim sive *Xira* Arabicè succum significat. Quoniam igitur, ut dicebamus, Pandectarius ait Siracost non tantùm significare Mannam sed etiam succum fructuum, ideò fieri potest, ut sit succus alicuius fructus coagulatus ad Mannæ similitudinem, & non species Mannæ. Et quamvis Avic. de unoquoque præfatorum loquutus sit in proprio cap. tamen proprium cap. de Siracost, neque sub hoc, neque sub alio quovis vocabulo reperitur in eius 2. can: qui est de simplicibus. At est apud eundem Caput de Tereniabin. Potest tamen esse, ut communis opinio est, Syriacost esse veræ speciem Mannæ: quia in sequentem Tripheram Persicam, quæ in multis cum ista confectione concordat, ingrediuntur Manna, & Tamarindi & Cassiæ pulpa, & saccharum Violatum, & alia multa sicut & in istam. Christoph. de Honestis autem in suis notatis, post Hieræ infusiones ponit absolutè, Siracost esse Mannæ speciem: additque eiusmodi Mannam non ampliùs in nostras partes importari. Igitur si Siracost est species Mannæ, potest hæc compositio vocari Confectio Mannæ. Sed quia infrà alia descriptio, cui titulus, Confectio de Manna: ad differentiam illius fortè vocarunt præsentem Diasiracost, quasi declarantes particularem ipsius Mannæ speciem: ut est etiam alio loco Syrupus Altereniabin, quod itidem significat quandam Mannæ speciem. Igitur quando de Siracost non potest haberi melior certitudo, loco eius si ponitur Manna aërea sive arborea, nostro iudicio rectè fiet. Idque eò maximè, quia in exordio eius descriptionis ait Mes. esse medicinam benedictam in febribus acutis &c: Et Manna similiter ab ipso autore inter medicinas benedictas connumeratur. Ergo si (ut diximus) ponitur Manna in ipsa compositione, non agitur contra autoris intentionem. Ipsa autem Manna debet esse recens & perfecta: quia legitur ibi: Alsiracost boni & recentis &c:

Scribit Garcias: In India Mannæ primum genus utribus conservatum, sapore favi mellis, *Xirquest* aut *Xircast* vocari, id est, *Lac ex arbore Quest* nuncupata: nam *Xir* lingua Persica lac sonare: inde nobis corrupto nomine *Siracost* nuncupari. Esse autem rorem quendam in eas arbores delabentem, aut gummi ex eis destillans.

Idem etiam confirmat Acosta, nisi quòd pro *Xircast*, *Xiracost* habeat: & gummi eiusdem arboris dicit, Lectorémque ad Avic. relegat.

Sira. An Siracost sit Manna. Confectio Manna. Altereniabin Syrupus. De Siracost nihil certi cognosci posse. Manna utribus conservata varia. Xirquest. Xircast. Arbor Quest.

MANNA INDICA TIRIAMIABIN AUT TRUNGIBIM.

Mannæ in India alterum genus dictum *Tiriamiabin* aut *Trungibim*, ut vertit Bellunensis, in Carduis nasci ferunt, granis quàm Coriandrum maioribus: colore inter rufum & rubentem medio, quæ ex tribulis decutiuntur. Vulgus plantæ fructum esse putavit, sed gummi aut resinam esse cognitum est.

Huius usus præfertur à Persis ei quâ utimur: quoniam quæ in usu est, pueris exhibere non audent, nisi 14. annum excesserint. Ego tamen ab eo tempore quo in India sum, illa uti non destiti, & sine molestia purgare semper depre-

Manna Carduorum. Descriptio.

bendi. Hæc Garcias. Eademq; ferè & Acosta habet.

Halepum, tradente Rauvolffio, copiosè adferunt Persæ in utribus Mannam sub nomine *Trunschibil* quæ colligitur supra fruticem spinosum *Agul & Alhagi*. Hæc Manna constat granis paullò maioribus Coriandri seminibus, formâ & sapore admodum similis nostræ Mannæ Lariceæ. Posset existimari Israëlitarum Manna, de qua Moses scribit fuisse similem semini Coriandri & colore Bdellii. Eam Mannam cadere in frutices spinosos testantur Serap. & Avic. cùm de Manna scribunt, quam vocant *Tereniabin* & *Trungibin*, & Clusius in epit. Indicarum plantarum.

Trunschibil. Frutex spinosus Agul et Alhagi.

Ait autem Avic. eam mannam cadere in regione Corasceni. At Rauvolff. potiss. in Persia supra Agul. Nos Agul sive Alhagi plantæ historiam & iconem posuimus lib. 10. cap. post Genistam spinosam, & alias ei similes.

MANNA INDICA CALABRINÆ PERSIMILIS.

Descriptio. Mannæ in Indiam 3. genus, inquit Garcias, magnis glebis advehitur, admistis plerunque foliis. Calabrinæ persimilis est, plurisque æstimatur. *Locus.* Defertur ex Bacora urbe Persica admodum celebri. Eadem & Acosta. Et Ravuolff. Halepi præter Mannam Trunschibil & aliam Calabrinæ similem haberi notat.

MANNA INDICA MELLI CANDIDO SIMILIS.

Advehitur interdum Goam in utribus aliud genus Mannæ ex Ormuz emporio melli candido depurato persimile. Sed facilè corrumpitur in ea regione: propterea quòd vitreis lagenis non asservatur. Garcias. Idem Acosta, qui liquidam esse ait.

MANNÆ ADVLTERINÆ.

Descriptio. Bombycina. Mannæ ex Oriente altera species infirma & vilis, quæ *Bombycina* nuncupatur quippe quæ nil aliud est, quàm aut evanida & senio exhausta *Mastichina*, aut saccharo aliisque imposturis adulterata, notante Matth. Hanc solam ex Orientalibus vidisse se ingenuè fatetur Altomarus, Venetiis transmissam, licet in cæteris investigandis maximam adhibuerit diligentiam. *Observatio.* Hanc verò ferro ac lateri ignito unà cum Calabrinæ granis quibusdam iniecisse, tàm eius quæ ex foliis, quàm quæ ex ramis & caudice, colligitur: illam autem protinus solutam & liquefactam: hanc verò aridiorem durioremque redditam. *Bombycina à Calabrica differentia notabilis.* Soli quoque expositam *Bombycinam* non quidem ita repentè sed sensim liquefactam. *Calabrinam* verò duriorem redditam & albidiorem. Neque secus censendum putat de Mastichina, & de qualibet alia Manna è cœlo cadente, quocunque in loco, ac quovis tempore, modò adulterata non sit. *Mastichina recentior quàm Bombacina.* Nam cùm humidior & recentior sit quàm bombacina, consentaneum esse ut citiùs ad Solem & ad ignem liquescat.

Alia differentia. Cæsalp. hanc inter utramque differentiam notat, quòd *Mastichina* sit translucida similis Mastiches parvis granulis: *Bombycina* verò minimè, sed similis crassioribus micis Gossipij. Quod si ita est, *Bombycina* sanè non erit vetus *Mastichina*. Vetustas enim quantitatem non auget. Illius parva granula: huius micæ crassiores. De qua re certiora docebunt Veneti ac Neapolitani medici ac institores. *Bombacina.*

Ait tamen Apollo mannam alteram Orientalem *Bombacinam* vocitatam aut *Mastichinam* evanidam & senio exhaustam, multo saccharo, farina miliacea aut hordeacea, aliisque miscellis vitiatam, vilem, detestabilem, nulliusque momenti, floccorum lanæ & Gossipii effigiem candore præ se ferentem. *Adulterium.* Quod si Saccharo adulterata sit, dentibus deprehendetur, inquit Cæsalp. Saccharum enim sub dentibus crepitat. Manna autem mollis est.

Manna adulterata publicè in igne cremata. Testatur Altomarus iure ac prudenter à iustissimo suo præside Neapolitano atque consulibus de *quadam manna* sancitum esse, ut igne cremaretur. Neque in eo suam sententiam sequutus, sed pharmacopolarum & quorundam medicorum testificationem id decrevisse, qui eam mannam aiebant esse rem pessimam, & humano generi omnino adversissimam: quæ tamen verane an falsa sint eorum conscientiis se relinquere scribit: in eo ipso suam prodens oscitantiam, cùm prius dixerit iure ac prudenter crematam. Mannæ genus valenter purgans & magis solutivum reliquis Mannæ generibus medicus quidam Brachmanes in civitate Cochin in pretio & familiari usu habuit, ut refert à Costa, ex doctiss. ab Orta: Factitium tamen erat & sic parabatur. *Eius Manna compositio.* Amylum candidum & purissimum, Mannam cuiuscunque generis, sed præsertim quæ Calabrinam æmulatur, Scammoneam & seminis genus *Visa* dictum, quod ex Bengala advehitur, quodque Lathyridis grano simile est (iniecto interdum polline radicis cuiusdam candidæ lacticinæ, cui nomen Dante) cum Saccharo, pauxillaque aliqua odorata aqua permiscebat, solique exponebat. *Visa semẽ. Dante radix.*

Mannam autem adulterari nihil mirum, quandoquidem & lapides Bezahares tanto artificio in Ormuz & in urbe Cochin provinciæ Malabar, ubi rex degit, adulterantur: ut legitimi appareant, fallantque etiam maximè expertos in iis dignoscendis prima superficie, qui nisi frangantur, vix à legitimis discerni queant. *Lapidis Bezoar adulterium.*

Ita non inutiliter monet Cordus adulteratam & minimè probam esse mannam, quæ grumis suis foliorum senæ partes aliquas complectitur, cùm nulla ad nos ex Arabia & Ægypto Manna adferatur, quemadmodum Sena. *Alia commixtura.*

Et Pamphilus Herilacus tradit Mannam nostram Italis consuetam, ut plurimum non esse rorem de cœlo cadentem, sed vel concretam ex senæ infusione vel aliis, & Saccharo, vel gummi hinc inde collecto. *Alia.*

MANNARVM ÆQVIVOCA.

Manna graminea longè diversa est à *Manna roris, arborea*, ac etiam *Thuris*, ut specialius tradetur inter frumenta. *Manna graminea.* Est & *Manna Thuris* vocata extra harum Mannarum genus: de qua alibi. *Manna Thuris.* Manardo saccharum antiquorum sub rosido, seu (quod idem est) aëreo melle, tanquam genere continetur. *Saccharũ.* In hoc tamen differt Manna à Saccharo, quòd Manna super alias plantas & petras: saccharum verò super harundines in India & felici Arabiâ proveniat. Sed Manardus Alexandri Aphrodisæi opinione deceptus est, confundentis Saccharum cum Manna, ut notat Cordus. *Manardi error.* Nos autem Manardi opinionem particulatiùs refutabimus in historia Sacchari.

Nunc reliquas arbores sylvestres persequamur.

DE

DE EVONYMO VETERVM.

Cap. XIV.

Locus. Theoph. emend. Tempus. Flos. Fructus. Lethalis arbor.

EVONYMVS dicta arbor, autore Theoph. nascitur cùm alibi, tum in Lesbo insula, in Ordymno monte. [ἐν τῷ ὄρει τῷ ὀρδύμνῳ: non ut vulg. habent: ἐν τῷ ὄρει τῷ ὀρχιμένῳ καλουμένῳ. Nam & Dal. ita legit, & Const vocem ὀρχιμένῳ è margine irrepsisse suspicatur.] Est autem magnitudine Punicæ, & folio eiusdem sed maiore quàm Chamædaphnes. Circa Septembrem germinare incipit. Floret verè: floris color, qualis in Leucoio; odore gravi, odorem trucidati animantis, aut in tabum putrescentis [ὥσπερ φόνου.] referente. Fructu cum suo putamine aut conceptaculo Sesami siliquis non absimili, intus solido, sed in quatuor versus distincto. Esu lethalis est arbor, tàm fructu quàm foliis pecori & ovium gregibus, sed maximè capris, nisi fortè purgentur. Purgantur autem alvi profluvio. [ἄνοχῳ: Dal. legit ἀνοχῇ, inedia cibique abstinentia. Quid sit ἄνοχον, haud facilè invenias, quanquam aliqui vomitionem & per supernam purgationem vertant, ἀπὸ τοῦ ἄνω. Hæc Plin. bona ex parte ita transscripsit. Nec auspicacior in Lesbo insula arbor, quæ vocatur Evonymus, non absimilis Punicæ arbori, inter eam & Laurum folij magnitudine, figura verò & mollitia Punicæ, flore candidiore, statim pestem denuntians [sic ineptè φόνον transfert.] Fert siliquas Sesami similes, intus granum quadrangula figura, lethale animantibus, nec non & in folio eadem vis. Succurrit aliquando præceps alvi exinanitio.

Evonymus. Plin. Plin. error.

Dod. de nostra Evonymo dicit, eius foliorum esu capras interire, nisi supernè & infernè purgentur. An hoc observatione habeat: an ex voce ἄνοχῳ, & Plinij lectione extorserit, ipse viderit.

EVONYMVS MVLTIS: ALIIS TETRAGONIA:

Descriptio. Stolones. Materies. Cortex. Folia.

RAMOSA est arbuscula, Evonymus multis putata, aut certè frutex arboreus, altitudinis quatuor aut quinque cubitorum, cuius stolones læto virore perfusi, & nuper nati ramuli, propter corticem in quatuor angulos excurrentem, quadrangulares apparent, non secus ac si dolabrâ ars perpolivisset, ipso alioqui ligno interno tereti, albo aut flavescente. Cortex viret

Rami crebro intervallo, in oppositos ramulos dividuntur. Folia oblonga acuta, crenata, è Periclymeni genere Chamæcerasi dictæ foliis similia & æqualia, paulò pòst veris initiū flores profert pallidos aut herbaceo quodammodo colore cōstantes, ex quatuor foliolis congestos, quibus totidem alternatim posita calyculi foliola subiiciuntur, pari numero apicibus luteis umbilicum curvosum viridātem cum stilo concolore occupātibus. Singulis flosculis singuli succedūt fructus, seu singulæ siliquæ quadrangulæ rubentes, aut puniceę, [aliquando albę, notante C.Bauh.] totidem distinctis loculis semina parva solida continent, cuticula crocea intecta, medulla alba, figura semini cannabino similia, hoc est, ex rotundo oblonga, sed maiora, sapore amaro, cum obscura quadam dulcedine nauseabundo. Ipsa etiam arbuscula tota gravem & iucundum habet odore m Materies eius sic satis solida, fissilis tamen & æqualis est: ea, cùm adhuc succo turget, cæsa, diluto croceo pallore etiam Buxum provocat.

Fructus. Semina. Sapor. Odor. Materies.

Evonymus Theoph.

Hanc expressè εὐώνυμον Theophr. faciunt Dod. Rob. Const. Pena, Lob. Matth. Anguil. Thalius. Cæsalp. nihil certi statuit: suspicatur tamen hanc ipsam esse Evonymum Theophrast. Ruell. dubitat. Curtius Evonymum Plinij vocat: At Evonymus Plin. & Theoph. eadem est planta.

Evonymos, i. boni nominis, per ἀντίφρασιν: unde quędam exemplaria Plin. habent Anonymos, ut notat C.Bauh. At Cæsalp. suspicatur Plinium ex Theoph. depravatè Anonymon legere. Evonymō & Anonymon vocat Cordus. Evonymum sanè Theophr. esse ideò volunt plerique, quòd multæ notæ eius historiæ respondent.

Non esse Evonymum Theoph. Tetragonia Theoph. Etymon.

Hist. verò Lugd. quam Dalech. primò incepisse constat, Evonymum falsò creditam ait ab omnib: ferè Herbariis. Idem alibi: Herbarij, inquit, quam Matth. Evonymum esse putat, Evonymum esse negant, sed Tetragoniam Theoph. esse volunt. Gaza Quadratoriam interpretatur. Sic dictam hāc censet Dal. quòd rami ob linearum quattuor russarum serratarum, dorsi modo extantium, rectà per viridem corticem porrectarum, discursum, quadranguli appareant, quod huic arbori peculiare est: & quòd in fructu quadrangula siliqua sit.

Evonymus Latinorum.

Εὐώνυμος Græcorum inquit Clus. Evonymus Latinorum censetur potiori doctorum virorum parti, tametsi quidam aliter sentiant, & τετραγωνίαν. cuius solum nomen apud Theophr. inter serò germinantes reperitur, esse velint.

Nos sanè hanc Evonymum pro certo nondum asserere audemus: tantisper tamē ita appellare lubet, dum aptius nomen reperiatur.

Quod si verò vulgaris hæc nostra *Evonymus* est *Tetragonia* Theoph. ut volebat Dalech. (quod ut non negamus, ita non temerè in tanta eius brevitate asserere ausimus) & Evonymus etiam eiusdē sit eadem, ut ex diversorum Herbariorum sententia colligi potest, inconsideratè sanè Theophrastus eandem plantam diversis nominibus tradidisset.

Ζυγία Theoph. seu Carpinus Tragus, Lonic. & Frischl. tenentur.

Tragus *ζυγίαν* & *Carpinum*, alii *Iugalem* dicunt. Sed fallitur Tragus, quod facilè animadvertet, qui descriptionem diligenter perpenderit: quanquam eundem eius errorem, more suo Lonic. & Frischlinus in suo nomencl. sequantur. Eiusdem etiam Tragi opinionem meritò reiiciunt Dodon. Matth. Hist. Lugd. & doctiores plerique.

Fusanus. Fusaria. Fusanum. Fusago. Silio Ital.

Petro Crescentio, *Fusanus* nostro & aliorum iudicio dicitur. *Fusaria* vel *Fusanum* ruribus, teste Ruel. *Fusaria* & *Fusago* Herbar. Curtius quibusdā regionibus *Fusariam* dici notat. Si quis cum *Silio Italico* conferat, facilè coniiciet esse, inquit Matth. At in post. com. categoricè asserit Hetruscis *Silio* dici, aliis *Fusari*.

Nomina linguar.

Germ. Spindelbaum / id est, *Fusaria*: & Hanseködlin / id est, *Galli testiculus*: Spilbaum Cordo: Silesiis Tzwerckholtz / & Pfaffenrößlin: In Thal Alsatiæ nobis Weschelholtz appellatam inter

notata invenimus. Apud Lonic. per Leodegritzianum annotatum Helveticè dici Schbinpffensschlegelin & ex ea fieri fliegenwadel & wiemdel, id est, *Flabella*. Alii Eyerbretschelen. Schimpfenschlegelin holtz etiam Gesn. vocat, Gallic. *Du Fusaire, Fusin, Bonnet de prestre, Bois à faire des lardoires.* Montbelg. *Fusillon & du Fusin.* Belg. Papenhout. Ital. *Fusano, Fusaro, Silio.* Angl. Spindeltree Vngar. Kecseragosa, id est, à capris rosa arbor dicitur. Quæ verò Lonicerus nomina gallica, græca, & latina Evonymo adscribit tam conveniunt, quàm gnarus harum linguarum ille fuit. Ea autem sunt, *Carpier, Carme, Zygia, Iugalis, Carpinus, tertia species Aceris.* Siliquæ vulgò *Scrota sacerdotum*: Ruell. Malimus *Pileos sacerdotum* vocare. *Scrota sacerdotum.*

Species quatuor. Gesnerus duas eius species notat: 1. Evonymum quæ passim in sepibus circa Tigurum. Et aliam propè Genevam nasci, ad Dioscorid. descriptionem accedentem. Bellonium sibi retulisse ait. An fortè ea sit varietas, quæ fructum exalbidum fert? Sed & latifolia observata, & alia flore phœniceo, de quibus mox. *(Fortè leg. Theoph.)*

Locus. Porrò hæc, si Lob. credimus, nulli regioni calidæ aut frigidæ iuxta sepes & margines deest. In Galliæ montibus & vivis interdum sepibus nascitur, Ruell. Inter spinosas stirpes iuxta vias plerunq; reperitur, Trag. In Italiç sepibus, dumetis & sylvis, Matth. In sylvis tàm planis quàm editis, Cord. Nascitur & in Anglia, maximè inter Evare & Parckenaye. In Alsatiæ, Helvetiæ, Ducatus VVirtemb. & Burgundiæ sepibus, etiamque in Allobrogibus, & in Italia Longobardica passim observavimus. Colitur etiam in horto Montb. transplantata nostra cura.

Tempus. Monspelij Aprili ut & Patavij florentem vidimus. In frigidioribus locis ut Germania, Maio floret. Autumno appetente, siliquæ quadrangulæ purpureo tinguntur colore, donec penitus rubescant: postea sua sponte decussatim quadripartitæ rumpuntur, ac hiantes ita pendent, in hyemem usque croceas bacculas vel semina ostentantes non iniucundo aspectu.

Vires & usus. Cæterùm inter recentiores non convenit, an hæc nostra Evonymus, quod de sua Theophrast. prædicat, pecori sit noxia. Id asserit Matth. & se hoc scire ait. Et Ruell. Hanc, inquit, neque pecus neque capra novellorum etiam germinum avida prorsus attingit. At Clus. Vulgarem hanc Evonymum scribit à capris maximè appeti, easque eius foliis avidè sine noxa vesci, quod se in Pannonia observasse testatur: ac ob id Vngaris Kecherahosa, id est, à capris rosam dici, licet id Theoph. opinioni repugnet. *Contra Matth.*

Et sanè nos Clusio potiùs credimus, quamvis Schuvenckf. audacter pronuntiet, fructus oves enecare. Veritatem prima quaque occasione discemus. Fertur fructus homini exhibitos per inferna ac per superna purgationem moliri, si terni aut quaterni dentur vorandi. Emolliunt etiam & resolvunt exteriùs appositi. Iidem fructus in lixivio cocti capillos flavo colore tingere, furfures abstergere, lendes & pediculos necare traduntur. Italicæ mulieres ex eodem unguentum parant, quo ad pulchros & flavos reddendos capillos utuntur. *Purgans & Vomitorium.* *Furfures. Pediculi.* *Capillorum fucus.*

Fusi. Tornarij ex ligno varia vasa & instrumenta detornant. Ex eadem & fusos muliebri netu celebres apud Germanos conficiuntur, æquè ac apud Gallos. In Helvetia pulchra ex bacculis minutim ac tæniatim concisis parantur muscaria vel lardaria [sic vocat Had. Iunius.] quibus culinæ transfigendis lardo carnibus pro acubus commodè ac frequenter utuntur.

Triplicem proditum est parari ex huius fructu colorem. Flavum, viridem, & fulvum. *Flavum* conficiunt ita. Fructum legunt post festum D. Io. Baptistæ cùm adhuc viridis est, eúmque cum tantillo Aluminis parum bullire sinunt.

EVONYMVS LATIFOLIA.

Evonymvs latifolia virgas habet cubitales, virides, fractu contumaces, rotundas, quas magna ambiunt folia, bina semper ex adverso nascentia, leviter per oras serrata, Evonymi vulgaris foliis forma haud absimilia, sed longè ampliora, Citriç Mali foliis magnitudine non cedentia, minùs tamen longa, viridia, gustu ingrato & amaro. Radix digitalis crassitudinis summa tellure in bicubitalem longitudinem excurrit, multisque flavescentibus fibris donata est, summo capite, interdum etiam è media sui parte virgas singulis annis proferens, quas hyeme corrumpi & interire existimabamus, cùm non nisi novellas virgas Maio mense deprehendissemus: postea tamen comperi eas virgas hyeme non interire, sed exiguum admodum incrementum capessere, folia sub finem autumni cum reliquis eius generis abiicientes, & oblongam gemmam extrema cuspide (spem proximæ novo Vere germinationis) proferentes. Inter infima folia oblongos tenuésque pediculos profert, è quibus aliquot dependent flosculi, quatuor albicantibus & ad carneum quodammodò colorem tendentibus foliolis præditi, forma vulgaris Evonymi floribus persimiles. Clus. *Descriptio.* *Folia.* *Radix.* *Flores.*

Idem in postr. hist. addit: Floribus succedit fructus, ut in vulgari quadrangulus, interdum etiam quinque angulis constans, maior tamen & quasi alatus, maturitate dehiscens, & alba grana aurea pulpa inclusa nonnunquam Augusto, sed potissimùm Septembri mense continens. *Fructus.*

Evonymus Pannonicus prior seu *latifolius* eidem *Evonymus latifolius*, Breit Spindelbaum. *Synonyma.*

Maio mense 1579. novellas virgas deprehendimus in sylva illa, quâ ex Greben Ill. D. Balthasaris de Batthyan arce, descensus est versus VVarasdinum in ea Pannoniæ parte, quæ olim Interamnis appellabatur, nunc autem Slavoniæ nomen obtinet, Germani Windischland vocant, ultra Dravum flumen, quo solùm loco observavimus. Duas postea indidem mecum attuli, quas adhuc alit in cultissimo suo horto C. V. D. Ioh. Aicholzius Viennensis Medicus, notante eodem Clusio. Camer. in suo horto Norinbergæ coluit. Item Hortus Lusatiæ. Chariss. frater C. Bauh. ramum attulit nobis collectum in horto D. Trevisani cum floribus viridibus, *Evonymi latifolii Cortusi* nomi- *Locus & Tempus.*

Digitized by Google

nomine. Gener etiam Cherlerus collegit in horto Patavino, nobisque communicavit.

EVONYMUS FLORE PHOENICEO.

Descriptio

ARBUSCULA est aut frutex homine altior, cuius caudex & rami tuberculis asperi, ac veluti punctis notati: rami sunt pulverulenti. *Folia.* Folia serrata, Pruno sylv. similia: *Flores.* flosculi aliquot simul ex longis petiolis, quadrifolij, similes Evonymo vulgari vel Epimedio quorundam, phœnicei coloris. Clus. fusiùs sic describit: Assurgit bicubitalibus aut maioribus ramis, digitali vel etiam pollicari crassitie, lentis & obsequiosis, denso cortice obductis, viridi primùm, deinde multis nigricantibus tuberculis aspero, qui in summo dividuntur in plures ramulos ordine & serie quadam inter se oppositos, Myrti latifoliæ paribus, sed tenerioribus, leviterque in ambitu crenatis *Sapor.* gustu primùm exsiccante, deinde amariusculo & calido: ex quorum sinu in oblongis gracilibúsque pedunculis flosculus unus, bini, aut ad summum terni dependent splendentes, & purpurascentes, quatuor foliolis constantes, umbilico quadrato, & staminulis luteis quatuor angulos occupantibus? Cotini vulgò crediti flori haud *Fructus.* multùm forma absimiles, licet maiores. Fructus succedit in siliquis quadrangulis, alterius Evonymi similibus, spongiosus, aurei coloris, iis dehiscentibus tenui filo propendens, in quo grana *Grana.* non crebra, uti in alio, sed nigra, Fraxinellæ granorum æmula & splendentia, bina interdum & terna, eodem loculo & pulpa comprehensa.

Synonyma. *Evonymus alter* ejusdem Clus. *Evonymus Pannonicus*, Vngerisch Spindelbaum Taber.

Locus & tempus. Hanc nobis insignis vir D.D. Schuvartzius Medicus Illust. C. V Vittemb. & præfectus horti Medici Illustriss. Celsit. Stutgardiani nobis ostendit Anno 1595. Maij 25. priùs non visam, quæ in pulchellam arbusculam excreverat: ex iconis imaginatione, quam apud Clus. videramus, statim deprehendimus esse Euonymi hanc speciem raram. Còpiosè nascitur, teste Clus. in sylvosis utriusque Pannoniæ montibus: sed qui Alpes attingunt, eandem alere desinunt. Invenitur & in Moravia: nusquam verò abundantiùs, quàm in sylva arci Greytzenstein, Illustriss. Comitis Nicolai de Salmis vicina, secundo à Vienna milliari, ad Lævam Danubij ripam. Floret Maio: Fructus Augusto plerumque maturescit, maturiùs quàm vulgaris & latifolia. Camer. se etiam in suo horto Norinbergæ coluisse scribit. Porrò Dalech. *Æquivoca. Nerium alpinum.* suam particularem Evonymum exhibuit, de qua nos sub Nerio Alpino sive Chamænerio. Tradunt Advers. Quosdam apprimè doctos Chamæmespilum sibi persuasisse, alios Euonymum Alpinam fecisse arbusculam alpinam, folio Mali, &c. Nos existimamus eos intelligere Cotoneastrum, de quo alibi. *Cotoneaster.*

SYRINGA FLORE ALBO.

CAP. XV.

Descriptio.

QVUM Syringa alba vulgò dicta sit fructu inutili, visum est eam hoc loco ponere. Ea infirmis ramis adolescit fruticosa admodum, fungosa medulla refertis. *Folia.* Folia per coniugia exeunt tanquam è geniculis, Staphylodendri, levius in ambitu crenata, hirsutie modica prædita, *Sapor.* sapore subdulci & acri. *Flores.* Flores in extremis surculorum multi simul iuncti, odorati, candidi, dulces, Arantiorum, quaternis foliis constantes, apicibus in medio luteis.

Philadelphus flos. Hanc Guilandinus Philadelphum florem Apollodori apud Athenæum dipnosoph. l. 15. cap. 11. dicebat, uti nobis retulit D. Casp. Bauh. Quæ sanè opinio nobis non displicet.

Verba Athenæi hæc sunt: Apoll. l. 4. Rerum Parthicarum scribit florem Philadelphum vocatum nasci in Parthia regione de quo hæc tradit. Myrti varia genera, Milax, [Similax] vocatisque Philadelphus, qui flos naturæ aptum nomen accepit, quia rami illi per intervalla esse accidit sua sponte, complexionem ubi nascuntur animatorum, veluti ex una eadémque radice operantur: reliquum verò discurrunt, ac vivas plantas gignunt, [cùm ex intercapedine sponte rami coiverint, animato complexu cohærescunt] & in vnitatem iunguntur, deinde procurrentes vivos surculos pariunt]. Hinc effectum ut domesticos Philadelphos in custodiam converterint: nam teneriores subtilioresque ramos adimentes, ac in retis more componentes in circulum plantare solent circa hortos: qui ita coniuncti securitatem parant, difficilémque aditum operantur ubi fuerint positi. *Nominis ratio.* *Vsus ad sepes.*

Ostrys Hetruscorum. At Rob. Const. iudicio Ostrys, Hetruscorum est Syringa arbor appellata, quam ait videri in horto Ducis Florentiæ cum iis notis, quas assignat Theophrast. nec deesse illam fructus insignem notam, quæ Hordei grano similis. Florem (quod ipse tacuit) candidum & suaviter olentem. De eadem & Plin. l. 13. cap. 21. Inter infelices arbores, quam & Ostryam vocari tradit. Hinc Hist. Lugd. Quæ vulgò Syringa, multi, inquit, Ostryn Theophr. esse volunt. At hæc opinio Camerario non placet: certè neque nobis. Nescimus verò quo errore in eadem Hist. Lugd. post Syringæ rubræ descriptionem indistinctè iterum *Ostrya. Ostrys non est. contra Rob. Const. Hist. Lugd. geminus error.*

gustu iucundissima, minuta, melleam dulcedinem repræsentans: vel livescens, tenuior, Pineis festucis: surculis herbulisque & foliolis etiam advoluta, subductione aliis ignavior: ad alios usus, ut etiam ad lenitionis opera, vix subduplo efficacissima: quum præsertim Orientalis Calabrensisque interdum rancidæ amarescant, & imposturis imbutæ minùs valeant. Si autem Apollo eandem intelligit Mannam, quam nos, miramur non observasse foliola Laricis esse admixta. *[Livida.]*

Observatio Lob. & Pena tradunt, ut antè monitum, Laricis ramos in vinariam cellam asportatos, Mannam postera die demonstrare. Iidem etiam conantur demonstrare, & Mannam potiùs succum plantæ quàm aëreum rorem esse. Addúntque non spernet eam Brianſonensem ad Galloprovinciæ & Allobrogum Alpes provenire solitam, qua universa ferè utatur Gallia, modò delectus purioris, candidioris & recentioris grani habeatur, qualem illic effractis è Larice surculis copiosam se habuisse scribunt: quæ nec dosi, nec gustu, nec purgandi effectu quicquam cedere illi videretur exoticæ. Eámque multò minoris emi, minorique [quàm Masticbina, vel Granata] mangonij suspicione. Blandè autem educit biliosa è primis venis & iecore, éque pulmonibus pituitosa veluti Lariceus liquor, Terebinthina Veneta vocata. *[Delectus.]* *[Vis purgatrix.]* *[Vires.]*

Dosis. Hac si Syriacæ puræ copia desit, aut Calabriensis, utendum ab uncia semis ad unc. tres. Sylvius verò, ut anteà monuimus, huius dosin tradere videtur ab unc. ij. ad unc. iij.

Cæterùm miramur Altomarum, qui tàm curiosè de Manna scripsit, nihil tradere de Manna Laricea, qua tamen, uti dictum, in multis Galliæ & Germaniæ partibus utuntur, cui semper admixta folia Laricis.

Manna Trunchibil Rauvolff. Mannæ nostræ Laricea, forma & sapore similem dicit Mannam *Trunchibil.*

MANNA CALABRINA FRAXINI ET ORNI.

Descriptio. PRo Calabrina nobis demonstrata Manna purior est, quàm Brianſona. Grumi multò maiores, figura varij, colore flavescentes, sapore dulci, sed minùs grato, quàm prædictæ, cum quadam acrimonia. Nec ita facilè liquescit. Vita etiam minùs consumitur. Loco humido posita, minùs videtur liquescere quàm Brianſona. Conservanda, ut illa, loco sicco. Hæc hodiernis temporibus notissima est, ut in Italia, autoribus Monachis, pluribus colligitur locis: sed copiosior in Calabria, quæ & Calabrensis ubique vocatur: & particulatiter in Fraxino & Orno colligitur, quam certè specialiter ipsæ arbores ex se producunt, sicut Gummi cæteræ arbores: ac huiusmodi est Calabrensis. Ratio est, quia in caudicibus & truncis sive ramis arborum copiosior, quàm in foliis reperitur. Nam quæ de aëre, sicut ros, descendit, abundantiùs reperitur in foliis, quàm in trunco. Hoc ratio, hoc experientia docuit plurimos. Nam quis audeat dicere pluviam aut rorem, dum cadit, priùs insidere truncis, quàm madefaciat folia? Et quemadmodum aqua æqualiter pluit super arbores & plantas, ita & Manna descendit rorando universaliter & arbores & plantas, & petras, & ipsum adeò putum putum folium. *[Calabrenses.]* *[Nascit ex arboribus.]*

Iam quare in una potiùs arbore, quàm in alia non multùm distante reperitur? Nonne quia illa arbor ex se producit, & illa non? Item si sicut ros descendit semper, quare in extremitatibus & foliis superioribus, quæ cœlum spectant, ipsarum arborum non invenitur, sed in ramis & foliis inferioribus? Sed revera, nos (inquiunt idem Monachi) curiosè at studiosè hoc observare iussimus: & ita invenerunt, nempe ex se illas arbores producere illam rem, quam Mannam vocamus: quæ liquida fluit ex trunco, & ramis superioribus in folia inferiora, postea congelatur. Et ad maiorem certitudinem plures observatores propriis oculis pluries viderunt fluentem Mannam scaturire ex quibusdam tuberculis ipsius arboris: quia non undiq; per totam arborem fluit, sed in quibusdam specialibus locis generatur: ex quibus cùm profluit est dulcissima. Si autem quis locum illum (unde videt exire Mannam) inciderit, exit abundantiùs, sed fit amara propter percussionem & corticis incisionem, ut ipsi observatores experti sunt. Etiam præcisus ramus, & domum virens portatus, produxit Mannam. *[Vt generatur.]* *[Observatores.]*

Quare concludendum est, arbores, ut Fraxinus & Ornus, hisque similes, ex se generare, Mannam, sive mavis, Gummi dulcissimum, quod Manna dicitur. Nam & Gal. etiam quandóque utitur succo Fraxini: pro quo forsitan intelligenda ista Manna, quæ scaturit è Fraxino & similibus arboribus. Eædem arbores & Mannam cœlestem suscipiunt (cùm cadit) sicut & aliæ plantæ. Et quid mirum arbores gummi illud dulcissimum producere, quod Mannam arboream vocamus? Nonne & arbores & plantæ generant, stacten, Myrrham, storacem, Balsamum, mastichen, Picem, Resinam, & similia plura? Nonne & apes similiter ex floribus quarundam arborum & herbarum mel & ceram colligunt. Ergo &c. Colligunt etiam & ipsi Calabri quandoque mel aëreum, id est, Mannam cœlestem super varias plantas & super lapides, sicut & aliæ gentes. Sed hoc fit rarò, & non ita densatur. *[Gummi dulce.]* *[Succus Fraxini.]* *[Manna arborea.]* *[Mel aëreum etiam in Calabria.]*

Arboream Mannam autem singulis annis, circa caniculares dies ante sextiles pluvias colligunt. Cùm autem pluit, cessat fluere. Sed & genus hoc Mannæ arboreæ dupliciter colligitur: scilicet una in candicibus & ramis, quam vocant Mannam grossam, & Mannam de corpore: alia verò super folia, quam Mannam finam, seu Mannam subtilem, & Mannam foliorum nominant. Medici autem nostri temporis, laudant potiùs eam, quæ colligitur super folia. Sed revera viribus non differunt, & unum eundémque ortum habent. Nam quæ colligitur in foliis, non ibi generatur, sed è truncis & ramis fluens, cadit super folia illa, quæ ex directò habentur subter. Non enim in cunctis (uti diximus) foliis ipsius arboribus reperitur, sed in illis duntaxat, quæ ex trunco vel ramis susceperunt. *Hactenus Monachi.* *[Tempus colligendi.]* *[Modus colligendi duplex.]* *[Manna grossa.]* *[Manna subtilis.]* *[Manna foliorum.]*

Eiusdem sententiæ est & Altomarus, qui concretam & granulosam Mannam, semini aut Gummi similem, (vt ille inquit) cuius frequens est vsus, quotannis colligi solitam scribit tàm à Calabris quàm à Samnitibus & Vestinis, qui Garganum incolunt montem, & plerasque Apuliæ partes, vt Castellanetam: aliisque etiam in locis ipsam colligi solere. Eam tamen non nisi ex Fraxino & Orno colligi, uno ore fateri omnes. Hancq; eam ipsam esse Mannam, qua communiter ad molliendam alvum Medici omnes utantur, ac usi sint quotquot per Centum annos & ultrà, medici antè se fuerint. *[Locus.]*

Inqui-

Inquisiturus autem an sit velut ros quidam è cœlo cadens, sicut ea, de qua Arabes meminerunt, vel dictarum arborum succus humor seu lachryma, sic ratiocinatur. Quæcunque ex aëre decidunt, in quacunque regione ac quovis loco, non speciatim supra unam rem determinatam illius regionis seu loci, sed indifferenter supra omnes ibi existentes rationabiliter cadere debet. Sed Manna hæc non nisi in Fraxino & Orno reperitur, in cæteris verò arboribus, herbis & lapidibus eiusdem loci nequaquam, ut collectores testantur. Igitur non generatur in aere, neque è cœlo cadit. Et per consequens non est eiusdem speciei cum ea, quæ è cœlo decidit.

Non esse rorem ex aere.

Ratio 2. Deinde: Eadem Manna, quotannis ex iisdem colligitur particularibus arboribus iam supra 40 annos, vt colligentes eá fatentur, ita ut non desint, qui easdem arbores emant, tanquam singulis annis hoc producentes vectigal. Súntque eodem in loco & eiusdem etiam speciei arbores nonnullæ, super quas Manna hæc non reperitur. Igitur è cœlo non cadit, nam, quæ maior ratio reddi posset de una quàm de altera, præsertim eiusdem speciei arbore, eodem in loco existente, ac per plures continuos annos eam producente, si è cœlo caderet? nulla sanè: quamvis in uno plantarum genere magis quàm reliquo quædam afferri possit apparens ratio.

3. Præterea si Manna cœlestis seu aërea pro sua generatione, peculiarem quandam, uti dictum, cœli constitutionem requirit: ita ut calida & sicca præcedat diurna aëris temperies, nox verò sequatur per æstatem benè frigida, (etenim æstivo tempore potissimùm generatur) rationi consonum est, non qualibet die, singulisve noctibus etiam æstivo tempore generari posse, sed rarò admodum, quemadmodum & liquida, præsertim in Calabria.

4. Ad hæc, Manna quà utimur, quæ quidem in Fraxino & Orno colligitur singulis diebus, Canis præsertim tempore, aut paullò antè, in iisdem reperitur, modò pluviæ, præsertim magnæ, aut ventorũ vehementia non adsit. Igitur aërea non est.

5. Ampliùs, si aërea Manna de genere est mellis roscidi seu aërei, à frigore, uti dictum, concreti: cùm mel solvatur à calore, ac coaguletur à frigore: sequitur quòd eadem Manna, à frigido, tanquam contrario causis liquefactionis coagulari debeat, solvi verò à calido. Cùm verò in ea, quæ in Orno & Fraxino reperitur, contrarium eveniat, nam à calido durior fit atque coagulatur, ab aqua verò solvitur: necessariò sequitur eandem de natura aëreæ & mellis roscidi non esse.

Quod si quis dicat: non modò à Solis calore Mannam in his arboribus repertam concrescere & duriorem reddi, verùm etiam à frigore, ut eam colligentes diu observarunt: aiunt etenim non solùm à Sole, verùm etiam à frigore, Aquilone videlicet modicè flante in nocte, eam condensari sicciorémque reddi:

6. Dicimus nos, & hac etiam ratione probari, eam non esse rorem è cœlo cadentem. Nam hic cùm sit aqueæ naturæ, à frigido duntaxat coagulatur. Quæcunque enim sunt aquæ (inquit Arist. lib. 4. Meteo.) non coagulantur ab igne: solvuntur enim ab igne: Quæ verò communia sunt terræ & aquæ, & ab igne coagulantur, & à frigido, ut ipse ait: quoniam ab utrisque incrassantur, recedente videlicet & evaporante humido, diversa tamen ratione. Cùm itaque coaguletur, & à Solis calore, & ab aquilonis frigore, hæc quæ in Fraxino & Orno reperitur Manna, necessariò sequitur, eam nec vaporem nec rorem esse, aut ex eisdem genitam: proinde neque etiam aquæ solius, sed aquæ & terræ esse.

7. Item si à Solis calore, & ab Aquilonis frigore hæc, quæ in Fraxino & Orno reperitur Manna non solvitur, nec liquefit, sed potiùs concrescit, duriórque efficitur: sic ut eam colligentes asserunt, meridie Soléque magis ardente, aridiorem, candidiorem, magísque concretam & coagulatam esse: & collectam iam, ubi humidior fuerit, ac liquefieri cœperit, Soli expositam, albidiorem duriorémque reddi: quis vnquam asserere audeat eam à cœlo fuisse delapsam, atque ex concreto rore genitam? Cùm præsertim quæcunque à frigore concrescunt seu coagulantur, à frigore liquescant, ut idem tradit Arist. Quinimò Manna hæc ab aqua solvitur atque liquescit, ut in dies observamus, & eam colligentes testantur: pluvia enim superveniente, confestim solvitur & evanescit, ut primis Augusti imbribus ingruentibus observatum est: sequitur itaque à calido & sicco, hoc est, ab igne aut igni simili fuisse coagulatam. Ergo non erit aërea. Nam quæcunque sunt aquæ, inquit Arist. non coagulantur ab igne: solvuntur enim ab igne. At vapor aquæ signum est, eodem teste: eo enim consistente, est aqua, ut in ollarũ operculis videmus. Cùm itaque non ab igne, neque à Sole, sed ab aqua solvatur atque liquescat Manna hæc in Fraxino & Orno duntaxat reperta, coaguletúrque ac durior reddatur à calido, demonstrativè concluditur, eam non esse de genere roris, nec ex concretis à frigore vaporibus genitam, neque è cœlo cadivam si saltem prædictis Arist. rationibus ac fundamentis fides adhibenda. Adde quòd, vt huius Mannæ copia maior generetur, contraria requiratur particularis aëris constitutio ab aërea: nam si eo tempore, quo emanare consuevit, dies pluviosa præcesserit, & frigida quodammodo, sequatúrque admodum calida & sicca altera aut tertia, maior, ut aiunt, iisdem arboribus quantitas colligitur. Quà itidem ratione aërea seu roscida esse non poterit.

Quod si quis rationibus destitutus, ad cæcas & occultas causas confugerit, inquiens, causam ob quam Manna hæc in Fraxinis & Ornis duntaxat reperitur, esse earundem arborum proprietatem quandam, ob quam ad seipsas magis alliciant, trahántque hunc suavem liquorem è cœlo cadentem, quàm cæteræ arbores, quemadmodum magnes ferrum, & succinum paleam: Dicemus: cur hæc proprietas non cuilibet particulari eiusdem speciei arbori conveniat? Nam ut cuilibet magneti ac succino datum est, ferrum & paleam trahere, ita sanè & cuivis Fraxino & Orno hæc facultas tribui debet. Atqui per multos annos, eósque continuos observatum est, in una regione eodémque loco quotannis determinatas quasdam Fraxinos & Ornos talem in se continuisse dulcem liquorem: quasdam verò aliàs eodem in loco existentes, eiusdem magnitudinis, eiusdémque ætatis nequaquam. Observatũ præterea diversæ magnitudinis ac ætatis quasdã particulares arbores iam dictarum, eodémque in loco consistentes, non tantùm quotannis eiusmodi dulcem in se continere liquorem, sed etiam certis temporibus: ut puta sub cane, vel paullò antè: quasdam verò nunquam. Quibus de causis nequaquam concederent aut fateri possumus, peculiari quadam illud fieri Fraxini & Orni proprietate: quoniam singulis hæc inesset proprietas, etiamsi non æqualiter in omnibus. Non itaque à tota substantia seu specifica forma Fraxini & Orni talem sibi liquorem alliciunt è cœlo vel aere

Obiectio diluitur.

cadem etiam omnibus talis esset trahēdi facultas, quia omnibus vna eademque forma & species. Nunc verò in paucis id observatur.

Vera Manna generatio in Fraxino.

Sanè iam Maio & Iunio mensibus Caniculam antegressis liquor ille dulcis intra cortices earum continetur, quo paulatim cocto, adventante ardentis Sirij calore, cortex arescit, eoque scisso aut fisso, liquor foras trahitur, atque ab eodem calore iterum concrescit, & condensatur in grumos, aut gummi specie granula. Imò etiam non incisis corticibus, ante caniculam hæc Manna sæpè emanare visa est, præsertim in Ornis: sive iam dicas tanquam superfluum quiddam (nec alimento commodum) à natura arboris foras protrudi, sive à Solis vi & calore foras elici, sive utraque causâ concurrente, quod nobis verisimilius videtur. Neque tamen sufficiebat expulsio illa arboris & attractio Solis, ni huius quoque calor cōcoctor & cōdensator accederet. Ex quib. perspicuè intelligi potest Mannæ generatio in Fraxino & Orno, vel à mediocriter in naturæ contemplatione versatis.

Obiectio diluitur.

At si dixerit fortè aliquis, roridam hanc Mannam non esse velut superfluum quiddam arboris, aut alienum, sed simile & familiare, ac velut alimentum quoddam, & propterea ab eis attrahi: tum quærere ius ex eo, quæ causa sit, quòd tàm continuè & diu támque copiosè ab iisdem excernatur & non potiùs detineatur? Item quæ possit esse eius diversitatis causa, Solem opitulari, ut eadem Manna imbibatur priùs, siccetur & arefiat cortex, rarefiat & scindatur idem: deinde Canis fervidus calor eundem humorem rursus evocet, condenset ac coagulet, quo tempore corticem multò etiam magis exsiccare deberet, quàm præteritis mensibus, Maio & Iunio, potissimùm cùm absque incisione aliqua sæpiùs spontè ex iisdem arboribus prodeat Canis tempore, & antè, ut de Ornis dictum. Aut quid impedivit, quominus eadem Manna prædictis mensibus non fuerit à Solis calore concreta & coagulata instar gummi circa cortices dictarum arborum, potiùs quàm in iisdem imbibita & intro attracta? præsertim cùm ab eodem calore Canis tempore iterum condensata, & gummi instar granulosa reddatur.

Quidam decepti.

Hoc loco notandum doctissimos quosdam viros à villicis & pastoribus Calabris deceptos, falsò asserentibus, Mannam hanc, quæ in Fraxinis & Ornis reperitur, manè antequam Solis calor invalescat, colligi, cùm communiter contrarium & hodiè observetur, sempérque observatum sit.

Circa Meridiem non tempore antelucano colligi.

Non enim manè, priusquam Sol valdè perurat, ut ipsi falsò retulerunt, sed meridie, Sóleque fervidissimo eam colligunt: neque tamen à Solis calore rarescit, solvitur aut evanescit, sed potiùs concrescit, & durior ac candidior redditur. Quapropter eam, quæ Ornis innascitur, tertia vel quarta à Solis ortu hora colligunt, quòd vel à remissiore calore condensetur, cùm terrestrioris naturæ sit eius succus, quàm Fraxini.

Quando ante Solis ortum colligatur.

Immò eandem quandóque, ut aiunt, etiam antè Solis ortum colligunt, sed non nisi ubi pridie inclinante iam Solē profluxerit, & ab eodem concreta fuerit, aut certè noctu flante Aquilone fuerit coagulata. Idque ob eandē causam, ne Sole superveniente siccior aridiórque reddatur, præsertim ubi non spontè, sed vi, adhibitis cæsuris, prosilierit.

Manna arborea nō cælestis.

Ex dictis liquet, Mannam hanc arboream, non aëream aut cœlestem dicendam, quòd iisdem semper colligatur arboribus, atque adeò earum sit propria. Recensendæque hæ arbores inter eas quæ copiosum succum & humorem habent, quòd, & spontè, & incisurâ, uti dictum, non tantùm è candice & brachiis, sed surculis etiam, iuxtáque foliorum pediculos, immò ex ipsis etiam foliis, cum liquorem exspuunt.

E quibus arboris partibus profluat. Quo tempore & cur.

Id tamen non quolibet tempore, sed sub cane & antè etiam: quo tempore hæ arbores à germinatione & fructificatione cessatunt. Quare cùm eo tempore succus earum validissimus sit, ob dictam causam, maximè etiam suam ostendit naturam.

Cur non in omnibus Fraxinis aut Ornis Manna generatur.

Sed alia non levis dubitatio discutienda. Dictum enim non omnibus eiusdem generis Fraxinis & Ornis talem produci liquorem, ex quo fiat Manna; hinc quis inferat, non esse earum proprium humorem seu succum proprium. Huic ita responsum volumus. Proprium utique earum succum esse hinc certò cognosci, quòd ex quibusdam earum etiam spontè profluat (nam cæsuris illatis modo & tempore convenienti, plures emittunt, uti dictum.) Quòd verò non omnes, sed aliquæ tantùm hanc Mannam procreent, censendum id fieri ob aliquod impedimentum, ut puta ob defectum aut vitium aliquod, vel ob soli aut regionis diversitatem: quemadm. & Amygdalarum, Prunorum, Cerasorum, Iuniperorum, & reliquarum quarundam arborum generi contingit, licèt eandem habeant naturam.

Est igitur proprius dictarum arborum succus seu humor Manna, quæ quotannis, sub Cane potissimùm, in Fraxinis & Ornis duntaxat, pluribus continuis diebus colligitur, (qua & se longo tempore Neapoli usum testatur Altomarus, & quotquot ante se per plures annos medici fuerint, ad alvum solvendam usos esse) non ros, Mel aëreum, aut Manna, quod sequentibus etiam observationibus confirmatur ab eodem.

Experimentis confirmatur Manna Fraxini.

Nam, inquit, superiniecto linteo, per plures noctes ac dies, supra easdem arbores, ita ut ros iis incumbere non potuerit, inventa nihilominùs in eis, iisdémque diebus, ac collecta Manna fuit, arboribus etiam non incisis: id quod fieri haudquaquam potuisset, si spontè ex iisdem arboribus non emanasset, maximè cùm supra idem linteum, ne vestigium quidem eiusdem generis roris, vel liquidæ vel coagulatæ Mannæ fuerit repertum.

Eandem confirmant fide digna observationes.

Sed quid opus diu hac in re sermonem protelare, cùm plures fide digni, quibus hanc rem penitus investigare decreveram, uno ore confessi sint, mihique retulerint, se propriis cōspexisse oculis, post collectam in dictis arboribus Mannā, ex eisdemmet locis reliquam resudasse, emanāsse, ac sensim effluxisse, & deinde Solis calore superveniente coagulatam fuisse: idque non semel duntaxat, sed sæpiùs ac sæpiùs vidisse testati sint.

Alia Tubercula seu Vesicula in Fraxinis & Ornis, Mannam exsudātes.

Aiunt insuper in Fraxini Ornique caudicibus, iuxta corticem sæpiùs adnatas veluti vesiculas quasdam se invenisse seu tubercula, quas disrumpentes, primùm liquorem quendam album, dulcem, concretum & crassum in optimam Mannam conversum: deinde minùs album, tenuiorem, liquidiorémque, sed dulcem quoque manifestissimè emanantem sæpiùs conspexisse: qui etiam à superveniente Solis calore coagulatus, concoctus, albidiórque redditus, effectus est Mannæ primæ assimilis: & ubi diu permansisset superfluè à Solis calore exsiccatus, inutilis redditus est. Ergo si incisis arboribus, in eisdem incisuris talem reperiunt concretum, & coagulatum succum, eiusdem ferè coloris, saporis & consistentiæ, cum ea, quam ex non incisis colligunt, Mannā, quis unquam hæsitare audeat eam esse earundē arborum succū propriū, spontè ad eosdē ramos, caudicē ac surculos detrusū, potiùs quàm rorē quendā è cęlo aut aëre delapsū? Nemo sanè nisi pertinax valdè.

Ad-

Digitized by Google

Experimentum à cicadis & aliis. Addunt & illud: nempe cicadas & alia quędam animalcula se inspexisse, quę ex dictis arboribus, Ornis præsertim, cortice perforato, hanc lachrymam exugebant: quibus deinde fugatis, ex iisdem foraminulis seu fissuris, liquorem hunc dulcem profluxisse, hincq; se postmodũ à Solis calore cõcretũ legisse, tanquã in optimã Mannã cõversum.

Aliud. Obseruatum prȩterea relatúmq; à fide dignis, se plures secuisse Ornos, vt ex eis pro vini doliis circulos pararent: quos cùm fidissent, soliq; exposuissent, non parvã in eis huius Mannę copiã invenerũt: eámque non in cortice, sed ex lignosa ac veluti eiusdem Orni medullosa substantia interiori emanantem.

Aliud. Testatus item quidam Faber ferrarius, vir probus, cuius nomen Cæsar de Ruodi, se, cùm in quadam sylva structo igne carbones pararet, vidisse ex orno vicinà Mannam resudasse, & ab eodem igne paullò pòst coagulatam fuisse.

Alia difficultas explicatur. Cæterùm & difficultas hic excutienda. Nam cùm dictarum arborum cortex & folia amaro sint sapore, non abs re quæret quispiam, qui fieri possit vt tàm dulcis liquor ex iisdem arboribus, si earum succus sit proprius, exsudare possit? Dicendum, hunc humorem non ex cortice, sed ipsa ligni interioris substantia, quæ sapore dulcis ferè est, aut saltem non amara, oriri, & per corticis fissuras promanare.

Alia. Sed, cur corticis amaror contactũ continuo eandem non inficit suo amarore? nimirũ eiusdem corticis humor, exiguus cùm sit, à Solis calore cõcoctus, tandem & ipse dulcis redditur. Et quia maior succi ligni quàm succi corticis copia, illius sapor, non huius prævalet. Adde quod cùm per tenues ac angustos corticis meatus idem excernatur ac transsudet humor, quod eius crassum est, in substantiam corticis impingitur, ita vt per eos expelli nequeat, nisi quod dulce & tenue existit. *Ab aqua separat. e me.* Id quod contingit etiam in separatione aquæ dulcis à salsa & amara per vas cereum ac tenue, per quod tenues dulcesque aquæ partes resudant: reliquæ, transsudare ineptæ, obhærent.

Certum aũt eiusmodi Mannam quam in Fraxino admodũ copiosam provenire diximus, in Orni foliis nunquam vel colligi vel reperiri: imò nec in ramis aut surculis, nisi perquàm rarissimè: & fortè quæ neutiquam in iis sit genita: Sed quæ ex caudice aut ramis ipsi proximis defluxerit. Eam verò in caudicibus seu truncis, aut crassioribus ramis duntaxat colligunt. *Cur Ornus è caudice & ramis, non item è foliis & surculis Mannam reddat.* Causa autẽ esse potest, quòd cùm in saxis magis montosisq; ac siccis locis proveniat Ornus, siccioris etiam naturæ, h.e. minùs humidæ sit quàm Fraxinus, quæ, vti dictum, locis humidioribus, concavisq; magis gaudet, vel Theoph. & Plin. auctoribus. Quapropter Ornus tantam in se non continet humiditatem superfluam, nec adeò dilutam ac tenuem vt ad folia vsque exiguósque ramulos perueniat. Est item scabrosa arbos, ita vt facilè priusquàm ad folia vsque aut surculos promanet, in caudicis crassiorúmque ramorum corticem absumatur. Quod vel ex eo probatur: quòd qui eam colligunt, aiunt huius arboris Mannam perfectiorem esse, si manè & vesperi legatur, quàm meridie sub ardente Sole. Quia ex immodico Solis calore aridior sicciórque redditur, & propterea imperfectior. Contrà quàm in Fraxini foliis fiat: in quibus non manè nec vesperi, sed meridie, ac calidissimis diei horis, vti dictum; colligitur Manna. Manè enim humidior cùm sit, colligi nequit.

Minima è foliis. Satis autem exigua est ea, quam in foliis reperiunt, & veluti milium parva eius grana: ita vt facilè coniici possit ex eiusdem arboris ramis super folia decidisse potiùs, quàm in eisdem genitam esse: aut saltem propterea, quòd magna ex parte vt collectores referunt, in Fraxinis Manna emanat ex ramis, ea potissimùm parte, quã foliorum pediculi eisdem annectuntur, atque in eisdemmet pediculis & ramis coalescentem inueniunt. Poterit ob id, quæ in foliis reperitur per eosdem pediculos ad folia effluxisse, cùm tam minuta sit, vt vix semunciam vna alterave die ex foliis colligãt.

Nec alienum à ratione cuipiam videri debet, quòd in Fraxini foliis & iuxta pediculos eorum reperiatur, cùm id eveniat propter Fraxini humiditatẽ superfluam, quæ non tantũ per caudicẽ & ramos diffundi, spargi atque trãsmitti queat, sed & ad foliorum exortũ atq; ipsa adeò folia, per quorum poros trãssudet, & à Solis calore concrescat. *Cur in Fraxini foliis potius quã Orni concrescat.* Aiunt etiã minuta illa grana, quæ manè supra folia reperiunt, eodẽ etiam die Sole superveniente, augeri maioráque reddi, quæ postea vesperi colligunt. Quod fieri haudquaquam posset, si ex aëre fuisset delapsa: nã à Solis calore potiùs liquefacta ac absumpta fuisset quàm concreta & adaucta.

Quapropter valeant, qui Mannã in Fraxinis & Ornis solis repertã, aëream seu roridam, ac è cœlo delapsam esse contendunt. Dictum autem non abs re, solis: Nam contingere potest, vt eædẽ arbores in quibusdam locis, in quibus aërea Manna decidit, reperiantur: & ita supra easdem etiam decidere poterit. At nõ supra eas solas, & quotidiè p multos dies, sed supra cęteras quoque oẽs, vt & herbas, & frutices, & lapides eiusdẽ loci. At quę in Fraxinis & Ornis solùm generatur & reperitur, non tantùm spontè certis temporibus ex iis profluit, sed & incisione facta copiosiùs.

Incisionis modi. Verùm non vnus est duntaxat earũ incisionis modus: nã quidã factis nonnullis incisuris in toto caudice, sequenti demũ die eã colligunt. 1. Quidã verò aliquot dieb. ante easdẽ arbores incidũt inferiorib. tantùm partibus, & deinde eadem collecta, quæ primò effluit, demũ & aliam effluere sinunt, ac denuò colligũt. 2. Alij verò, prætermissa omnino ea, quæ per primas effluit incisuras, post paucos dies aliis in locis superiorib. easdem arbores incidentes colligunt: quæ quidẽ prę cæteris dulcior, ac non parũ suauior existit, purgata, vt aiunt, per primas incisiones arbore, h.e. excreto eo humore, qui impurior, & propterea amarior & crudior erat. 3. Id verò in Ornis potiùs quàm Fraxinis nõ abs re machinati sunt: nã Fraxini humidiores cùm sint, vti dictũ, spontè magis, nõ tantùm è caudicibus & ramis, verùm etiã è foliis eorũque pediculis, & qui iuxta eos sunt oculis, talem emittunt lachrymam. *Fraxini plus emittunt Mannæ quam Orni: & cur?* At Orni, vt quæ ficciores natura sint, h.e. minùs quàm Fraxini humidę, corticeq; duriores & scabriores, locisq; saxosis, montosis ac siccis degant, tãtam in se humiditatis copiã non continẽt: nec adeò dilutus & tenuis est eorũ humor, vt ad ramos & folia eũ spontè emittere valeant: sed in caudicem solùm, & rarissimè in ramos. Quapropter vt copiosiùs effluat ex eis humor, eisdẽ vulnera iniiciũt: ita.n. & promptiùs effluit, & à Solis etiã calore, nõ parũ arbores incisæ ad expulsionẽ iuuantur, eundem scil. humorem ad corticem trahente.

Validissimis itaq; rationib. atq; experientia probatũ est, eã Mannã qua hoc tẽpore in Italia vtũtur, quãque etiã prędecessores eorũ vsi fuêre p plures annos, ad alvũ molliendã, nõ esse eam, quæ eiusdẽ generis cũ rore existit, & de qua Arabes scripsêre, sed Fraxini ac Orni succũ propriũ atque cõcretum, quẽ ex eisdẽ duntaxat in regno Neapol. plærisque in locis, præsertim Calabriæ colligunt, & per plures annos se collegisse fatentur, hunc colligendi modum à maioribus habentes.

Hæc de Mannæ arboreæ generatione, generationisque modo, quantâ potuimus diligentiâ ex Altomari doctissimis scriptis collecta approbat etiam doctrina insignis Medicus & Philosophus Goropius: qui in suo Niloscopio ita scribit: In regno Neapolitano, in collib. plurimis & clivis mōtium Ornus multa luxuriat, quæ vulnerata, Mannam nostram, quam Calabram vocamus, exsudat, quâ Mellis aërei & Mannæ veræ loco uti ferè solemus, eo quòd huius incerta, illius certa copia, & arbores quotannis, aër non quotannis idem reddat. Huic tamen Altomari Goropii & nostro sanè iudicio probabili ac verisimili sese obiiciunt Matth. Cæsalp. & alij quidam.

Contraria opinio Matth. & Cæsalp.

Sic enim Matth. infit. Mannæ alterum genus à Calabris defertur, plurimi penditur quæ stirpium frondibus incidens colligitur: proinde foliorum Manna cognominata, minutis granulis constans, transflucida, gravis, Mastiches granulis similis, candida, gustu dulcis atque suavis. Secundas partes sibi adsciscit, quæ ramis insidet. Tertias vera, quæ lapidibus in solo inhæret. Hæc granulis constat crassioribus, & calore longè minùs sincero. Ex ea, quæ nocte peracta è cœlo deciderat Cossentiæ, quæ est Calabriæ civitas, mihi facta fuit copia super Fraxineis frondibus, quæ iulapii perfectè cocti guttas prorsus referebat. Accepi ibi ab incolis, quòd hæc manè legitur, priusquam Sol exortus admodum excalfaciat. Námque postea Sole liquefacta absorbtáque facilè evanescit. [Hoc planè negat Altomarus & ait, Fraxineam & Orneam Mannam solam à calore concrescere & indurari.] Quapropter plerique (ut à nonnullis audivi) ubi in magna deciderit copia, summo mane arborum ramos præscindunt, & in opacis collocant, ubi concretam maiori commodo legunt. Non parum aberrat Altomarus, cùm contendit Mannam quæ in Apulia & Calabria è Fraxineis legitur foliis, è cœlo haudquaquam decidere sed ex ipsa planta exsudare. Explodenda autem omnino videtur sententia Monachorum, cùm pro certo asserant, Sirio ardente Mannam non solùm roris modo super arborum & herbarum folia reperiri aëris & cœli clementia, sed etiam arboribus, Fraxino scil. & Orno absque aliquo cœli rore, gummium modo, inciso earum cortice, in lachrymas concrescere. Siquidem ea Manna, quæ inciso harum arborum cortice collachrymare cœpit, nullus quidem plantæ liquor est, sed ipsa eadem Manna, quæ diebus superioribus easdem in arbores ab aëre deciderat. Nam cùm illis regionib. usu veniat, ꝙ præ cæteris prædictæ arbores eo mellifluo flore affatim abundéque madescant, sitq; cortex Solis ardore nimio sitiens ac rimosus, magnam liquoris quantitatem intra se absorbet. Quo fit, ut postmodùm exurente canicula, inciso eodem cortice idem liquor exiliat, & in grumos concrescat: qui tamen cùm leves fungosíque sunt ob arboris succi mistionem, infeliciter operantur, nec alterius Mannæ viribus correspondent. Quòd autem id tantùm Fraxino Orneoglossóque eveniat, cùm melleus ille ros in universum omnes occupet plantas, in causa est harum arborum nobis occulta potestas, ut magnetis ad ferrum, & succini ad paleas. Quippe omnibus clarum est, apud Calabros & Apulos solam Fraxinum & congenerem Orneoglossum Mannam in se contrahere, retinere, densare ac cohibere: ex aliis verò arboribus eandem statim defluere, & in subiectas herbas, petras, solúmque diffundi. Quare ab his duntaxat arboribus inciso cortice, non sanè primò, secundum naturam, sed ex accidenti defluit Manna. Verùm optimi illi patres [Monachi] contenti (ni fallor) cortice, internas illarum arborū partes penetrare neglexerunt. At incolæ qui ex maiore huius liquoris proventu plus auri referunt, rei naturam diligentiùs investigarunt. Monachorum sententiæ adstipulatur Altomarus, cùm ipse sibi persuadeat, communis usus Mannam, nihil roscidi cœlestisve liquoris continere, sed tantùm [ex arbore esse:] quod etsi multis conatur ipse comprobare, cùm tamen plura sint quæ non consentiunt, id ego examinandum sapientioribus relinquo. Hæc Matth. contra Monachos & Altomarum.

Foliorum Manna.

Altomarus not.

Monachi repreh.

Fraxinum & Ornum nullam Mannam exsudare.

Ex arbore.

Cui adstipulari videtur Cæsalp. sic scribens: Disquirendum utrum Manna, qua utimur sit inter genera mellis aërei, an prorsus succus Fraxini & Orni, ut contendere nituntur quidam ex recentioribus, & Mannam nostram, à genere Mellis & Manna Arabum explodunt. At eo modo [quo illi de Fraxino & Orno] cavillari etiam de Quercu licebit, cuius foliis maximè insidet mel aereum. Si enim ros non magis super unam plantam quàm aliam decidit, cur maxime hoc genus reperitur in Quercu? Quod si id tribuatur naturæ Quercus, ut liquorem illum cœlestem conservet, aliæ autem plantæ magis & minùs absumant, cur eadem non liceat & Fraxinis & Ornis assignare? Quum enim intimè hauriant hunc rorem, totum autem non absumant in nutrimentum, aut ob multitudinem, aut ob aliam causam, necesse est, ut reliquum tanquam excrementum expuant, alteratum tamen & magis addensatum, quàm in Quercu, ob aliquam eius concoctionem, ob id non in foliis solùm reperitur, ut in multis aliis arboribus, sed undique ex intimis corporis exit. In foliis autem Quercus maximè reperiri melleum liquorem dicemus, quia ea arbor minimè omnium bibat eius humorem: ideircò defluit mellea substantia ex iis, non multùm addensata, & Sole adventante facilè evanescit, ut contingit substantiæ aëreæ facilè in spiritum resolubili. In quibus autem paucissima, aut nulla reperitur hujusmodi concretio, cùm tamen locus eo humore scateat, ut quibusdam Fraxinis & Ornis contingere aiunt, absumitur avidiùs eiusmodi humor in earum nutrimentum, ideo nec ros liquidus permanet in foliis, nec expuitur addensatus. Neque illud omninò verum à frigore noctis addensari rorem in melleam substantiam, ut modò concrescat ad similitudinem pruinæ ob vehementiorem frigiditatem, modò in liquidiorem substantiam ad roris similitudinem à minori frigiditate. Non enim hæc corpora aquea tantùm sunt, ut ros & pruina, sed terram habent aëri mixtam, ut tradit Arist. 4. Meteo. c. 7. de melle. Nam & mel quod apes cōdunt in suis alveolis, ex huiusmodi rore cōstat: quodque super diversas plantas colligitur, non succus earum, neque fructus, neque pars, sed eiusdem est cum rore generis, ut testatur Gal. 3. de Alim. fac. c. 39. non tamen omninò ros, simplex scilicet aqua, sed ob æstivam caliditatem terræ in halitum digestæ commixta, & incrassata magis & minùs in melleam substantiam. Eget tamen halitus aqueus frigiditate noctis, ut constet, simplex quidem in rorem & pruinam, commixtus autem in melleam sustantiam, quæ non ampliùs à solo calido liquatur, sed ab humido, ut sales. Aliqua tamen ex parte à calido sicco liquari huiusmodi corpora, quatenus à frigore condensata sunt, non est absurdum, ut contingit Nitro, Alumini, Calcantho, Sacchara: In igne enim prius

liquu-

liquescunt, deinde siccantur: humido autem frigido, id est, aqueo, omnia hæc corpora solvũtur, non calido, quale est Oleum. Hactenus Cæsalp.

Cæsalp. & Matth. opinio reiicitur.

Sed quæ tùm ipse, tùm Matth. protulit adversus sententiam Monachorum & Altomari, minimè nobis videntur evertere eius rationes, & experimenta quanquam iisdem etiam Amatus subscribat.

Hæc, inquit Apollo [de facchato scribens adversus Matth.] naturæ sunt arcana, Philosophis ipsis incomperta: nec versimile est tantam mellei roris copiam intrudi posse, quanta per tot dies exhauritur, &c. Sed ipse etiam Apollo, in re sibi incognita, uti patet, fluctuans, Monachos temerè carpit: mox ad naturæ arcana, ignorantium asylum confugit, Philosophis dicens incompertã, cuius tamen postea causam & modum bariolari veriùs quàm studiosa inquisitione vestigare videtur.

Apollo reprehend.

Observatio.

Pena & Lob. tradunt, ramos magnos Laricis & Fraxini præcisos, atque in vinariam cellam quo æstatis tempore Manna colligi solitum est asportatos, Mannam postero die, quanquam non perinde nitidam ostẽtare: quæ omnia, ut ipsorum reliqua: nec non etiam ea quæ Pamphilus Herilacus de Manna ex Ornifraxino tradit, cum Altomari sententia optimè consentiunt. Considerentur etiam alia quæ antea ex iisdem tradita de generatione Mannæ, & de Elæomelite: quæ itidem omnia facere videntur pro Altomari.

Mirum autem Galeni temporibus neminem istud, ac ne ipsum quidem Galenum tale quiddam observasse, vitam quoque Romæ agentem. Nemo enim asserere audebit Mannam hanc id esse, quod à Gal. 7. simpl. sacchar nominatur. Nam id quoque ut de Melle sacchаro dicebat Diosc. ex India & fœlici Arabia convehitur, ut Gal. inquit, & in calamis, ut aiunt, concrescit, non in Fraxinis & Ornis, ut à prædictis autoribus constanter asseritur. Ideòque idem esse cum Altomari putamus Mel saccharum Diosc. & sacchar Gal. de quo pleniùs suo loco.

Non est Sacchar. Gal.

Nec quicquam etiam referre ait idem Altomarus, si Theoph. cæterique veteres autores, qui de plantis scripserunt, inter eas arbores, è quibus humor emanat, coagulatur atque consistit, non connumerarint: nam neque Oleam tàm domesticam quàm silvestrem, inquit, quæ spontè, & vi etiam similem procreat lachrymam, ut diu à quibusdam observatum est meminerunt.

Elæomeli incognitum veteribus.

Cæterùm ex his, qui Thuris Mannam cœlestem hanc [sic vocat Matth. hanc Fraxini & Orni Mannam, cuius hæc sunt verba] esse crediderunt, Crinitus Florentinus quoque fuit: in cuius censuram Manardus Ferrariensis lib. 1. suarum epist. peculiarem epistolam conscripsit. Veruntamen venia illi danda est, cùm & Serapiõ, qui Mauritanis omnibus in simpl. medic. historia præstitit, Thuris Mannam cum cœlesti ineptè confundat.

Criniti error.

Serap. lapsus.

Brassavolus, Apollo & alii quidem prædictorũ autorum *Mannam Calabriensem triplicem* faciunt: primam & præstantissimam, vulgò *Mannam de folio* dictam. Quippe rustici folia aptant, & veluti tegete extendunt: plantãtque latiorum foliorum arbores, ut aptiùs colligatur, & parum supra aliam rem cadat. Eadem & *frondacea* dicitur, quòd stirpium frondibus insidens colligatur: atque oblongis constat granulis. transluecns, gravis, masticis in morem lenta primùm, mox facilè liquescens, alba & suavis. Secundas sibi vendicat, quæ trunco, ligno & arborum ramis effluit ac inhæret. Ideo & *ligni* vel *trunci Mannam*, alii *Mannam è corpore* vocãt. Tertia cæteris deterior, in terram defluens aut petras, arenulis permixta, colore livente, minùs sincera. Hæc *Manna terræ* dicitur. Eadem igitur tres supra diversa cadens, aut è diversis promanans, varia nomina, diversásque species (si modò verè differentia specierum dici possit) vel varietates sortitur.

Manna Calabriensis triplex. 1. Manna de folio seu frondacea.

Ligni vel trunci Manna. 2

3. Mãna terra.

Verùm aliter Amatus de Calabricæ differentiis statuit, dum putat eam ex aëre defluam esse. Sic enim ait: Manna est ros qui præcipuè cadit in Calabria, unum supra folia, quod perfectissimum est, vulgò dictum *Manna de folio*. Aliud supra ramos & caudices arborum, primò deterius, sed crassius & corpulentius. Tertium verò supra terram, cæteris deterius. Quæ verò super lapides cadit, mea sententia, inquit, cæteris generibus nobilior censenda est: dicitur verò *Calabrensis Manna* hæc *Mastichina*, quæ tanquam præcipua celebratur & in pretio hodiè habetur.

Amati opinio de differentiis Calabricæ.

Mastichina.

Altomarus amariorem dicit eam quæ incisis arboribus prosilient, Calabris Ideo *Manna forzata* dictam. Hæc ex Orno est.

Amarior Orni.

Ita vides quanta sit autorum varietas in Mannæ historia & generatione. Nunc Calabrensem Amatus Mastichinam vocat, qualem plerique alii *Orientalem* dicunt: & nobiliorem æstimat quæ supra petras cadit, quàm alii deterrimam putant.

Pamph. Heril. *Mannam ex frondibus* facillimè liquari ait à Sole, idq; *Mãna ex corpore* non cõtigere.

Adhuc aliter distinguit Cæsalp. sic tradens Fraxinum & Ornũ solas Mannam ferre testatur [Sylvaticus] in Calabria, circa canis ortum cuius est vsus in tota Italia ad alvum leniendam dissolute iure, aut sero, pondere duarum vnciarum aut trium: mitissimum. n. est medicamentum, solùm tenues humores educens. Sunt aũt micæ quadã candidæ, aut flavescentes, pingues, sapore mellis. Eius differentiæ sunt: Nam quædam minutioribus micis constat, quã *Mannam foliorum* vocãt, quia ex foliis colligatur, quæ magis probatur: altera crassioribus, quam *Mannam corporis* appellant, quia ex ramis, tanquã ex corpore arboris habeant: & hæc aut spontè, aut vulnerato cortice: [hæc sanè contrariantur opinioni Cæsalpini, qui negat Mannam ex arbore promanare, de qua re antè] Nã ex vulnere primò exit liquor turbidus, nauseosus cum quadam amaritudine: postea emanat purior, quamuis glebis grandioribus.

Cæsalp. opinio de iisdem.

Dosis mediusque exhibendi.

Cæsalp. ...

Turbida. Purior.

Probatur pinguis, & quadantenus translucida. Mastiches quàm simillima. Improbatur arida, & cinerei coloris. Item sapor optimæ suauis cum dulcedine modicè linguam mordens, quæ. n. morsu caret, euanida est, & quæ nauseosa, est impura, aut adulterata, aut senæ infusione, aut addito Scammonio.

Delectus.

Si desit Syriaca Manna aut Calabriensis, vtẽdum monet Lob. Brianfonensi ab vnc. j. & f. ad vnc. iij. Et asserit quosdã institores, qui illinc veniebant, hodie illic perpaucam aut nullam inueniri, planéque conquestos desiisse: quod an verum de Calabrina, viderint incolæ.

Adulterium.

Matth. ait Mannã Italicam, præsertim Calabricã pluribus annis incorruptam perdurare. Id negat Altomarus: & bonitatem eius perfectã non supra annum extendit. Herilacus cauet ne in compositionibus Arabum vtamur *Manna dicta ex corpore*: & addit eiusmodi gũmis nos falsò vti pro Mãna.

Duratio.

Lacuna Mannam ex Calabria tantæ bonitatis dicit, vt conferri possit cum Orientali.

Garcias Mannam Calabrinam confert cum ea quæ ex Persiæ Becora vrbe aduehitur, magnis glebis, admistis plerumque foliis.

Similis Persica.

Et Acosta ei similem dicit adulterinam quandam in Ormuz, & tertiam Indicam, de qua & aliis Indicis mox. Idem etiam testatur vulgatiorem Mannam in Hispania esse Calabrinam, verùm meliorem quæ ex Oriente Venetias adfertur.

Manna Halepi. Rauvolff. quoque Mannam quandam *Halepi* haberi scribit similem Calabrinæ. De Manna tradentes consule etiam Costæum & quinqueranũ, quorum neuter nunc nobis hæc commentantibus est ad manus.

An omni Manna Medicis liceat vti? Tandẽ vt ad vires transeamus, placet iucundã & vtilem Medicis hoc loco quæstionẽ præmittere. Nam cùm constet, saltẽ ex probatissimorũ autorũ placitis duplicẽ esse Mannæ originẽ: alterã ex aëre seu rore: alterã ex Fraxino & Orno: harumq; varias esse differentias: quæritur an Medicis indifferẽter atque innoxiè eisdẽ mannæ speciebus, alteráque pro alterã vti liceat: & num vna eiusdem speciei sit alterã perfectior: & quæ imperfectior quodammodo earum est, nunquid omnino vitanda & explodenda?

Altomari diligentissimi de Manna scriptoris iudicio, *Aerea Manna*, ex rore genita, ab Arabibúsq; descripta, potissimùm concreta, & quam Mesues cõmendat, ad eos vsus quos ipse ac Serap. & Avic. probarunt, est vtilissima. Eius vires antè posuimus post generalem Mannæ historiã. At eius defectu, num *arborea* seu *Fraxinea* & *Calabrina* dicta liceat vti? Cùm, vt ostensum, ex Fraxino, & Orno quæ Fraxinus sylvestris est profluat, vtiq; earũ vires quodammodo imitabitur. Nã si mel roscidũ aëreaq; Manna cadens suscipit aliquid de virtute plantarum supra quas cadit, vt Gal. & Mes. volunt, quantò magis proprius earundem plantarum succus, easdem continebit facultates, quæ ipsis arboribus propriæ sunt?

Vires & temperam. Mannæ Calabr. Cùm itaque *Mãna Calabrica* Fraxinea, seu lachryma Fraxini, quam Mannã vocant, dulcis sit cũ obscuro quodam amarore, nec multo crasso lẽtóque humore plena, consequens est moderatè calidam esse, gratam & naturæ nostræ amicam. Et ob dictas facultates, vt discimus ex 4. simpl. vim habebit cõcoquendi, laxandi & rarefaciendi, quemad. reliqua dulcia: nec non fundendi, lævigandi ac molliẽdi, ex 4. & 5. de simpl. Gal. Et vt summatim dicamus, cunctas etiam præstabit vtilitates, quas Arabes *aëreæ Mannæ* tribuerunt, quatenus dulcis est, quãvis non tantæ humiditatis sit particeps, neque adeò temperatè calida existat. Amaritudo .n. vix sensu perceptibilis, talis non est, quæ dulcedinis vim obfuscare aut impedire possit. Eius tamen

Obstructiones. Menses. Pectoris infarctus. ratione etiam magis abstergendi vim habebit, extenuabit, humores crassos incidet, ac infarctus liberabit. Quapropter & menses movebit, pituitam & pus è pectore exterminabit, tantò efficaciùs quantò magis à dulcedine ad amarorem inclinabit. Quapropter non solùm probandus Fraxineæ, & Orni Mannæ vsus, sed propter hanc vel maximè præ aliis deligenda. Sed quid opus multis rationibus, vbi sensus & experientia in aperto sunt? *Nam rationes quærere earum rerum, quæ patent sensui, infirmitas quædam intellectus est*, vt me-

Arist. dictũ contra Zenonem. ritò Arist. dixit in 8. phys. contra Zenonem omnia quiescere dicentem.

Neque .n. ipse solus, inquit idem Altomarus, sed oẽs ante me & iuxta me in hac regione medici hac Manna bono ac felici successu, citra vllam no-

Blandè purgat. xam eorum, qui sumpserunt, vsi sunt, præsertim ad alvum molliendam. Nam nec inquietudines & fastidia, neque tormina, colliquationem, superpurgationem aut eiusmodi malum symptoma assumpta excitat, aut excitavit vllis, sive ex foliis, ramis aut caudice fuerit collecta. Omnino enim se prædictos vsus omnes felicissimè expertum esse Deum immortalem testem advocat idem Altomarus, omnésque medicos posteros ad eius vsum inuitat & hortatur. Ab ea verò quæ incisione prolicitur, cavet abstinendum in ardentibus febribus, alvi fluoribus, dysenteriis, aliisque calidioribus morbis, similibusque naturæ corporibus: ac etiam æstate, regionibus, annique constitutionibus valdè calidis: non tamen adeò, vt cætera pharmaca alvum solventia, quæ calidiora sunt, dictis temporibus, locis atque personis prohibendam censet. Eius tamen vsum, *quæ ex foliis eorumque pediculis ac oculis* profluit, quolibet anni tempore, quavis corporis constitutione ac morbo exhiberi tutiùs posse. Denique vbi *Arabum Manna* haberi nequeat, eã vtendum suadet, quæ sponte ex dictis arboribus emanat: nam eosdem ferè præstare vsus, quos Arabes suæ Mannæ tribuerunt, & longè plures, præsertim eam, quæ ex foliis & pediculis eorum colligitur: quòd sincerior, dilutior ac tenuior sit cæteris, quippe magis concocta, ideóque dulcior: ac de foliorum viribus nonnihil participet, quorum succus, vti suo loco dictum, serpentum ictibus valdè opitulatur, Diosc. & Plin. autori- *Serpentum ictus.* bus. Hancque non solùm serpentum ictibus, sed & eadem ratione malignis pestilentibúsque *Febres malignæ.* febribus auxiliari. Huic proximam esse, quæ ex ramis & caudice spontè profluit. Tertiam in *Bonitatis earum gradus.* bonitate esse eam, quæ non ex primis illatis cæsuris colligitur, videl. quæ ex eisdem primò profluit, sed ex aliis vulneribus post aliquot dies factis. Nam quod primò effluit, impurum, inconfectum, ac excrementosum valdè esse: & proinde impuriorem, perfectiorem, dulcioremque ex secundis cæsuris. Neque tamen penitus & illam respuendam scribit quæ primò primis illis incisuris profluit. Nam & hanc quoque, licet amaritudinis cuiusdam sit particeps, dulcedinem tamen magis præ se ferre, quæ perpetuò in ea prævaleat: nec aliter differre à prioribus, nisi quòd calidior sit, quapropter etiam valentiùs operetur, sibique ita longa experientia confirmatum esse. Ac si noxa quædam ex eius vsu, vt tormina, calores, & c. supervenerint, id medici culpa, minùs rectè ac intempestivè ea vtentis, aut morbis vel corporibus, quibus non competebat, exhibentis, factum esse: aut quòd plus æquo dederit, vel Mannam aëream putarit: aut certè quòd pro hac ipsa aliam vitiosam aut adulteratam præbuerit, constanter asseverat.

Suadet tamen semper recentissimam, quantum *Delectus.* fieri possit, deligendam, humidiorémque: vetustam & aridam omninò vitandam.

Quæ si ita se habeant, quis Mannæ Calabrinæ, quæ ex Fraxino & Orno est, vsum deinceps ausit repudiare. Sed iam & cæteras Mannæ differentias persequamur.

MANNA ORIENTALIS MASTICHINA.

Granulosum. MANNA etiam ex partibus Orientalibus ad nos defertur, & præsertim ex monte Libano. Venetiis magna copia habetur. Brassavolus scribit ex Orientalibus & Meridionalibus

bus partibus & alterum genus Mannæ importari, ficut mel liquidum, præter illud albicans granulosum, hoc est, ut ille ait, Manna Arabum. Et addit; Nicol. Nicolucium à Mauro quodam huius liquidæ Mannæ pyxidem emisse, & ea miros effectus fecisse.

Amatus quoque tradit *Mannam Orientalem* ex monte Libano & aliis locis Venetias illatam aliquando *granulosam*, aliquando *liquidam*, mel referentem. Primamque Arabes *Mannam* absolutè, secundam *Tereniabin* vocare.

Masfichina. *Granata.* *Masfichina unde.* Bellon. priorem *Masfichinam* vocat, pellucidamque esse ait, exiguo grano atque hanc præcipuam agnoscere Venetos, *granulatam* dictam: Gallis *Granatam*: vulgò *Masfichinam* dici, quod Mastiche sit adsimilis.

Orientalem Mannam parvi fieri in Italia Monachi aradunt, quòd non possit haberi ita recens, ut *Calabriensis*.

Bombycina. Matth. scribit, eam quæ ex Alexandria Ægypti adfertur, *Masfichinam* dictam, uno duntaxat anno in suis viribus persistere. Alioqui eam præstantissimam dicit: alteram verò infimam ac vilem, *Bombycinam* nuncupatam. Lacuna quoq; Orientalem perfectissimam dictitat. Hanc eandem Lob. *Masfichinam*, *Granatam* & *Syriacā* vocat, pro qua substituit, ut antè dictum, *Briansonensem*.

Apollo quoque Orientalem primam & præstantissimam fatetur eam quæ *Masfichina* dicta, in quosdam quasi grandinis callos niveósque globulos densatam.

Syriaca di. Sinifiam. Fertur (inquit Cæsalp.) aliquando & ex Syria longè candidior Italica, Masfichina vocatur, quæ translucida: Mastiche similis, parvis granulis, efficacior *Italica*. *Bombycina* autem minimè translucida, crassioribus micis Gossipii. Putant hanc *Adulterina ut deprehendatur.* Sacchato adulteratam esse. Sed dentibus deprehenderetur: Saccharum enim sub dentibus crepitat. Manna autem mollis est.

Bombycina unde. Veneti, notante Bellonio, aliter quàm Galli negotiatores distinguunt, in *Masfichinam* seu *granulatam*, & *Bombycinam*. Hāc ideo sic vocitāt, quòd floccorum bombycis referat effigiem, quæ quidem vilioris est pretii quàm illa, neque tantæ *Bombycina non purgat.* dulcedinis particeps: cuius etiamsi libram edas, alvum tamen nunquam subducet, ideoq; Mānam istam ex rore aëreo venire, mellis modo, nemo dubitet.

Altomarus Bombycinam adulteratam putat. Sed hanc rem Venetorum doctissimos Medicos posteritatem docere par est.

SIRACOST ET MANNA XIRQVEST INDICA EX ARBORE QVEST.

PRo interpretatione vocabuli *Siracost* hîc referemus & contrahemus quæ Monachi copiosè scripsere in Mes. supra compos. *Diasiracost*.

Siracost sive *Xiracost* sive *Asiracost* &c: idem est: secundùm Simonem Ianuensem, & nonnullos aliquos ex iunioribus, est quædam species Mannæ. Et in testimonium citant Avic. cap. de de manna. Bellun. in interpret. ait Siracost esse Mannam, quæ apud Italos in usu est. Pandectario Alsiracost, & Xiracost Arabicè, est Manna. At Siracost eidem est Manna vel succus fructuum. Avic. autem licet capit. de Manna dicat, Mannam coagulari & exiccari sicut gummi & sicut Tereniabin & Alsiracost, & mel de terra Cassitam &c: non tamen per hoc declarat nobis Siracost esse speciem Mannæ. Nam ad instituendam aliquam similitudinem [quod ille facit inter Mannam, gummi, Tereniabin, Alsiracost & mel &c:] non semper est necesse adducere species eiusdem generis illius rei, de qua quæritur similitudo ipsa. Non omnia verò illic posita, esse species Mannæ probatur: quia sicut gummi & mel non sunt species Mannæ, ita fieri potest, ut nec Siracost sit eiusdem species. *Sira* enim sive *Xira* Arabicè succum significat. Quoniam igitur, ut dicebamus, Pandectarius ait Siracost non tantùm significare Mannam sed etiam succum fructuum, ideò fieri potest, ut sit succus alicuius fructus coagulatus ad Mannæ similitudinem, & non species Mannæ. Et quamvis Avic. de unoquoque præfatorum loquutus sit in proprio cap. tamen proprium cap. de Siracost, neque sub hoc, neque sub alio quovis vocabulo reperitur in eius 2. can: qui est de simplicibus. At est apud eundem Caput de Tereniabin. Potest tamen esse, ut communis opinio est, Syriacost esse veræ speciem Mannæ: quia in sequentem Tripheram Persicam, quæ in multis cum ista confectione concordat, ingrediuntur Manna, & Tamarindi & Cassiæ pulpa, & saccharum Violatum, & alia multa sicut & in istam. Christoph. de Honestis autem in suis potatis, post Hieræ infusiones ponit absolutè Siracost esse Mannæ speciem: additque eiusmodi Mannam non ampliùs in nostras partes importari. Igitur si Siracost est species Mannæ, potest hæc compositio vocari Confectio Mannæ. Sed quia infrà alia descriptio, cui titulus, Confectio de Manna: ad differentiam illius fortè vocarunt præsentem Diasiracost, quasi declarantes particularem ipsius Mannæ speciem: ut est etiam alio loco Syrupus Altereniabin, quod itidem significat quandam Mannæ speciem. Igitur quando de Siracost non potest haberi melior certitudo, loco eius si ponitur Manna aërea sive arborea, nostro iudicio rectè fiet. Idque eò maximè, quia in exordio eius descriptionis ait Mes. esse medicinam benedictam in febribus acutis &c: Et Manna similiter ab ipso autore inter medicinas benedictas connumeratur. Ergo si (ut diximus) ponitur Manna in ipsa compositione, non agitur contra autoris intentionem. Ipsa autem Manna debet esse recens & perfecta: quia legitur ibi: Alsiracost boni & recentis &c:

Sira.

An Siracost sit Manna.

Confectio Manna.

Altereniabin Syrupus.

De Siracost nihil certi cognoscipoffe.

Scribit Garcias: In India Mannæ primum genus utribus conservatum, sapore favi mellis, *Xirquest* aut *Xircast* vocari, id est, *Lac ex arbore Quest* nuncupata: nam *Xir* lingua Persica lac sonare: inde nobis corrupto nomine *Siracost* nuncupari. Esse autem rorem quendam in eas arbores delabentem, aut gummi ex eis destillans.

Manna utribus conservata varia. *Xirquest.* *Xircast.* *Arbor Quest.*

Idem etiam confirmat Acosta, nisi quòd pro *Xircast*, *Xiracost* habeat: & gummi eiusdem arboris dicit, Lectorémque ad Avic. relegat.

MANNA INDICA TIRIAMIABIN AUT TRUNGIBIM.

MAnnæ in India alterum genus dictum *Tiriamiabin* aut *Trungibim*, ut vertit Bellunensis, in Carduis nasci ferunt, granis quàm Coriandrum maioribus: colore inter rufum & rubentem medio, quæ ex tribulis decutiuntur. Vulgus plantæ fructum esse putavit, sed gummi aut resinam esse compertum est.

Manna Carduorum. *Descriptio.*

Huius usus præfertur à Persis ei quâ utimur: quoniam quæ in usu est, pueris exhibere non audent, nisi 14. annum excesserint. Ego tamen ab eo tempore quo in India sum, illa uti non destiti, & sine molestia purgare semper depre-

hendi. Hæc Garcias. Eademq; ferè & Acosta habet.

Halepum, tradente Rauwolffio, copiosè adferunt Persæ in utribus mannam sub nomine *Trunschibil* quæ colligitur supra fruticem spinosum *Agul & Alhagi*. Hæc Manna constat granis paullò maioribus Coriandri seminibus, formâ & sapore admodum similis nostræ Mannæ Laricex. Posset existimari Israëlitarum Manna, de qua Moses scribit fuisse similem semini Coriandri & colore Bdellii. Eam Mannam cadere in frutices spinosos testantur Serap. & Avic. cùm de Manna scribunt, quam vocant *Tereniabin* & *Trungiôin*, & Clusius in epit. Indicarum plantarum.

Trunschibil. Frutex spinosus Agul et Alhagi.

Ait autem Avic. eam mannam cadere in regione Corasceni. At Rauvolff. potiss. in Persia supra Agul. Nos Agul sive Alhagi plantæ historiam & iconem posuimus lib. 10. cap. post Genistam spinosam, & alias ei similes.

MANNA INDICA CALABRINÆ PERSIMILIS.

Descriptio. Mannæ in Indiam 3. genus, inquit Garcias, magnis glebis advehitur, admistis plerunque foliis. Calabrinæ persimilis est, plurisque æstimatur. *Locus.* Defertur ex Bacora urbe Persica admodum celebri. Eadem & Acosta. Et Ravuolff. Halepi præter mannam Trunschibil & aliam Calabrinæ similem haberi notat.

MANNA INDICA MELLI CANDIDO SIMILIS.

Advehitur interdum Goam in utribus aliud genus Mannæ ex Ormuz emporio melli candido depurato persimile. Sed facilè corrumpitur in ea regione: propterea quòd vitreis lagenis non asservatur. Garcias. Idem Acosta, qui liquidam esse ait.

MANNÆ ADVLTERINÆ.

Descriptio. Mannæ ex Oriente altera species infima & vilis, quæ *Bombycina* nuncupatur quippe quæ nil aliud est, quàm aut evanida & senio exhausta *Mastichina*, aut saccharo aliisque imposturis adulterata, notante Matth. Hanc solam ex Orientalibus vidisse se ingenuè fatetur Altomarus, Venetiis transmissam, licet in cæteris investigandis maximam adhibuerit diligentiam. *Bombycina.* Hanc verò ferro ac lateri ignito unà cum Calabrinæ granis quibusdam iniecisse, tàm eius quæ ex foliis, quàm quæ ex ramis & caudice, colligitur: illam autem protinus solutam & liquefactam: hanc verò aridiorem duriorémque redditam. *Observatio.* Soli quoque expositam *Bombycinam* non quidem ita repentè sed sensim liquefactam. *Calabrinam* verò duriorem redditam & albidiorem. Neque secus censendum putat de Mastichina, & de qualibet alia Manna è cœlo cadente, quocunque in loco, ac quovis tempore, modò adulterata non sit. Nam cùm humidior & recentior sit quàm bombacina, consentaneum esse ut citiùs ad Solem & ad ignem liquescat.

Bombycina à Calabrina differentia notabilis.

Mastichina recentior quam Bombacina.

Cæsalp. hanc inter utrámque differentiam notat, quòd *Mastichina* sit translucida similis Mastiches parvis granulis: *Bombycina* verò minimè, sed similis crassioribus micis Gossipij. Quod si ita est, *Bombycina* sanè non erit vetus *Mastichina*. Vetustas enim quantitatem non auget. Illius parva granula: huius micæ crassiores. De qua re certiora docebunt Veneti ac Neapolitani medici ac institores.

Alia differentia.

Bombacina.

Ait tamen Apollo mannam alteram Orientalem *Bombacinam* vocitatam aut *Mastichinam* evanidam & senio exhaustam, multo saccharo, farina miliacea aut hordeacea, aliisque miscellis vitiatam, vilem, detestabilem, nulliusque momenti, floccorum lanæ & Gossipii effigiem candore præ se ferentem. Quod si Saccharo adulterata sit, dentibus deprehendetur, inquit Cæsalp. Saccharum enim sub dentibus crepitat. Manna autem mollis est.

Adulterium.

Testatur Altomarus iure ac prudenter à iustissimo suo præside Neapolitano atque consulibus de *quadam manna* sancitum esse, ut igne cremaretur. Neque in eo suam sententiam secutos, sed pharmacopolarum & quorundam medicorum testificationem id decrevisse, qui eam mannam aiebant esse rem pessimam, & humano generi omnino adversissimam: quæ tamen verane an falsa sint eorum conscientiis se relinquere scribit: in eo ipso suam prodens oscitantiam, cùm prius dixerit iure ac prudenter crematam. Mannæ genus valenter purgans & magis solutivum reliquis Mannæ generibus medicus quidam Brachmanes in civitate Cochin in pretio & familiari usu habuit, ut refert a Costa, ex doctiss. ab Orta: Factitium tamen erat & sic parabant. Amylum candidum & purissimum, Mannam cuiuscunque generis, sed præsertim quæ Calabrinam æmulatur, Scammoneam & seminis genus *Visa* dictum, quod ex Bengala advehitur, quodque Lathyridis grano simile est (iniecto interdum polline radicis cuiusdam candidæ lacticinæ, cui nomen Dante) cum Saccharo, pauxillaque aliqua odorata aqua permiscebat, solique exponebat.

Manna adulterata publicè in igne cremata.

Kius Manna composita.

Visa semē.

Dante radix.

Mannam autem adulterari nihil mirum, quandoquidem & lapides Bezahares tanto artificio in Ormuz & in urbe Cochin provinciæ Malabar, ubi rex degit, adulterantur: ut legitimi appareant, fallántque etiam maximè expertos in iis dignoscendis prima superficie, qui nisi frangantur, vix à legitimis discerni queant.

Lapidis Bezoar adulterium.

Ita non inutiliter monet Cordus adulteratam & minimè probam esse Mannam, quæ grumis suis foliorum senæ partes aliquas complectitur, cùm nulla ad nos ex Arabia & Ægypto Manna adferatur, quemadmodum Sena.

Alia compositio.

Et Pamphilus Herilacus tradit Mannam nostram Italis consuetam, ut plurimùm non esse rorem de cœlo cadentem, sed vel concretam ex senæ infusione vel aliis, & Saccharo, vel gummi hinc inde collecto.

Alia.

MANNARVM ÆQVIVOCA.

Manna graminea. Manna graminea longè diversa est à Manna roris, arborea, ac etiam Thuris, ut specialius tradetur inter frumenta. Est & Manna Thuris vocata extra harum Mannarum genus: de qua alibi. *Manna Thuris.* Manardo saccharum antiquorum sub roscido, seu (quod idem est) aëreo melle, tanquam genere continetur. *Saccharū.* In hoc tamen differt Manna à Saccharo, quòd Manna super alias plantas & petras: saccharum verò super harundines in India & felici Arabiâ proveniat. Sed Manardus Alexandri Aphrodisæi opinione deceptus est, confundentis Saccharum cum Manna, ut notat Cordus. *Manardi error.* Nos autem Manardi opinionem particularius refutabimus in historia Sacchari.

Nunc reliquas arbores sylvestres persequamur.

DE

DE EVONYMO VETERVM.

CAP. XIV.

Locus. EVONYMVS dicta arbor, autore Theoph. nascitur cùm alibi, tum in Lesbo insula, in Ordymno monte. [ἐν τῷ ὄρει τῷ ὀρδύμνῳ: non ut vulg. habent: ἐν τῷ ὄρει τῷ ὀρχομένῳ καλουμένῳ. *Theoph. emend.* Nam & Dal. ita legit, & Const vocem ὀρχομένῳ è margine irrepsisse suspicatur.] Est autem magnitudine Punicæ, & folio eiusdem sed maiore quàm Chamædaphnes. *Tempus.* Circa Septembrem germinare incipit. Floret verè: *Flos.* floris color, qualis in Leucoio, odore gravi, odorem trucidati animantis, aut in tabum putrescentis [ὥσπερ φόνου.] referente. *Fructus.* Fructu cum suo putamine aut conceptaculo Sesami siliquis non absimili, intus solido, sed in quatuor versus distincto. *Lethalis arbor.* Esu lethalis est arbor, tàm fructu quàm foliis pecori & ovium gregibus, sed maximè capris, nisi fortè purgentur. Purgantur autem alvi profluvio. [ἄνοχῳ: Dal. legit ἀνοχῇ, inedia cibique abstinentia. Quid sit ἄνοχος, haud facilè invenias, quanquam aliqui vomitionem & per supernam purgationem vertant, ἀπὸ τοῦ ἄνω. Hæc Plin. bona ex parte ita transscripsit. Nec auspicacior in Lesbo insula arbor, quæ vocatur *Evonymus Plin.* Evonymus, non absimilis Punicæ arbori, inter eam & Laurum folij magnitudine, figura verò *Plin. error.* & mollitia Punicæ, flore candidiore, statim pestem denuntians [sic ineptè φόνον transfert.] Fert siliquas Sesami similes, intus granum quadrangula figura, lethale animantibus, nec non & in folio eadem vis. Succurrit aliquando præceps alvi exinanitio.

Dod. de nostra Evonymo dicit, eius foliorum esu capras interire, nisi supernè & infernè purgentur. An hoc observatione habeat: an ex voce ἄνοχος, & Plinij lectione extorserit, ipse viderit.

EVONYMVS MVLTIS: ALIIS TETRAGONIA:

Descriptio RAMOSA est arbuscula, Evonymus multis putata, aut certè frutex arboreus, altitudinis quatuor aut quinque cubitorum, cuius *Stolones.* stolones læto virore perfusi, & nuper nati ramuli, propter corticem in quatuor angulos excur- *Materies.* rentem, quadrangulares apparent, non secus ac si dolabrâ ars perpolivisset, ipso alioqui ligno interno tereti, albo aut flavescente. *Cortex.* Cortex viret

Rami crebro intervallo, in oppositos ramulos dividuntur. *Folia.* Folia oblonga acuta, crenata, è Periclymeni genere Chamæcerasi dictæ foliis similia & æqualia, paulò pòst veris initiũ flores profert pallidos aut herbaceo quodammodo colore cõstantes, ex quatuor foliolis congestos, quibus totidem alternatim posita calyculi foliola subiiciuntur; pari numero apicibus luteis umbilicum curvosum viridàtem cum stilo concolore occupãtibus. *Fructus.* Singulis flosculis singuli succedũt fructus, seu singulæ siliquæ quadrangulæ rubentes, aut puniceę, [aliquando albę, notante C.Bauh.] totidem distinctis loculis semina parva solida con- *Semina.* tinent, cuticula crocea intecta, medulla alba, figura semini cannabino similia, hoc est, ex rotundo oblonga, sed maiora, *Sapor.* sapore amaro, cum obscura quadam dulcedine nauseabundo. Ipsa etiam arbuscula tota gravem & iucundum habet odore in *Odor.* *Materies.* Materies eius sic satis solida, fissilis tamen & æqualis est: ea, cùm adhuc succo turget, cæsa, diluto croceo pallore etiam Buxum provocat.

Evonymus Theoph. Hanc expressè εὐώνυμον Theophr. faciunt Dod. Rob. Const. Pena, Lob. Matth. Anguil. Thalius. Cæsalp. nihil certi statuit: suspicatur tamen hanc ipsam esse Evonymum Theophrast. Ruell. dubitat. Curtius Evonymum Plinij vocat: At Evonymus Plin. & Theoph. eadem est planta.

Evonymos, i. boni nominis, per ἀντίφρασιν: unde quędam exemplaria Plin. habent Anonymos, uti notat C.Bauh. At Cæsalp. suspicatur Plinium ex Theoph. depravatè Anonymon legere. Evonymõ & Anonymon vocat Cordus. Evonymum sanè Theophr. esse ideò volunt plerique, quòd multæ notæ eius historiæ respondent.

Hist. verò Lugd. quam Dalech. primò incepisse constat, Evonymum falsò creditam ait ab omnib: ferè Herbariis. Idem alibi: Herbarij, inquit, quam Matth. Evonymum esse putat, Evonymum esse *Non esse Evonymum Theoph.* negant, sed Tetragoniam Theoph. esse volunt: *Tetragonia Theoph.* Gaza Quadratoriam interpretatur. Sic dictam hãc censet Dal. quòd rami ob linearum quatuor russarum serratarum, dorsi modo extantium, rectà per *Etymon.* viridem corticem porrectarum, discursum, quadranguli appareant, quod huic arbori peculiare est: & quòd in fructu quadrangula siliqua sit.

Evonymus Latinorum. Εὐώνυμος Græcorum inquit Clus. Evonymus Latinorum censetur potiori doctorum virorum parti, tametsi quidam aliter sentiant, & τετραγωνίαν, cuius solum nomen apud Theophr. inter serò germinantes reperitur, esse velint.

Nos sanè hanc Evonymum pro certo nondum asserere audemus: tantisper tamẽ ita appellare lubet, dum aptiùs nomen reperiatur.

Quod si verò vulgaris hæc nostra *Evonymus* est *Tetragonia* Theoph. ut volebat Dalech. (quod ut non negamus, ita non temerè in tanta eius brevitate asserere ausimus) & Evonymus etiam eiusdẽ sit eadem, ut ex diversorum Herbariorum sententia colligi potest, inconsideratè sanè Theophrastus eandem plantam diversis nominibus tradidisset.

ζυγία Theoph. seu Carpinus Tragus, Tragus ζυγίαν & *Carpinum*, alii *Iugalem* dicunt. Sed fallitur Tragus, quod facilè animadvertet, qui descriptionem diligenter perpenderit: quanquam eundem eius errorem, more suo Lonic. & *Lonic. & Frischl. taxantur.* Frischlinus in suo nomencl. sequantur. Eiusdem etiam Tragi opinionem meritò reiiciunt Dodon. Matth. Hist. Lugd. & doctiores plerique.

Fusanus. Petro Crescentio, *Fusanus* nostro & aliorum iudicio dicitur. *Fusaria* vel *Fusanum* ruribus, teste *Fusaria. Fusanum.* Ruel. *Fusaria* & *Fusago* Herbar. Curtius quibusdã *Fusago. Silio Ital.* regionibus *Fusariam* dici notat. Si quis cum *Silio Italico* conferat, facilè conciciet esse, inquit Matth. At in post. com. categoricè asserit Hetruscis *Silio* dici, aliis *Fusari*.

Nomina linguar. Germ. Spindelbaum/ id est, *Fusaria*: & Hanfsödlin / id est, *Galli testiculus*: Spilbaum Cordo: Silesiis Tzwerckholtz / & Pfaffenrößlin: In Thalo Alsatiæ nobis Weschelholtz appellatam inter

nomine. Gener etiam Cherlerus collegit in horto Patavino, nobisque communicavit.

EVONYMVS FLORE PHOENICEO.

Descriptio

ARBVSCVLA est aut frutex homine altior, cuius caudex & rami tuberculis asperi, ac veluti punctis notati: rami sunt pulverulenti. *Folia.* Folia serrata, Pruno sylv. similia: *Flores.* flosculi aliquot simul ex longis petiolis, quadrifolij, similes Evonymo vulgari vel Epimedio quorundam, phœnicei coloris. Clus. fusiùs sic describit: Assurgit bicubitalibus aut maioribus ramis, digitali vel etiam pollicari crassitie, lentis & obsequiosis, denso cortice obductis, viridi primùm, deinde multis nigricantibus tuberculis aspero, qui in summo dividuntur in plures ramulos ordine & fere quadam inter se oppositos, Myrti latifoliæ paribus, sed tenerioribus, levitérque in ambitu crenatis, *Sapor.* gustu primùm exsiccante, deinde amariusculo & calido: ex quorum sinu in oblongis gracilibúsque pedunculis flosculus unus, bini, aut ad summum terni dependent splendentes, & purpurascentes, quatuor foliolis constantes, umbilico quadrato, & staminulis luteis quatuor angulos occupantibus? Cotini vulgò crediti flori haud multùm forma absimiles, licet maiores. *Fructus.* Fructus succedit in siliquis quadrangulis, alterius Evonymi similibus, spongiosus, aurei coloris, iis dehiscentibus tenui filo propendens, in quo grana *Grana.* non crebra, uti in alio, sed nigra, Fraxinellæ granorum æmula & splendentia, bina interdum & terna, eodem loculo & pulpa comprehensa.

Synonyma. *Evonymus alter* ejusdem Clus. *Evonymus Pannonicus*, Vngerisch Spindelbaum Taber.

Locus & tempus. Hanc nobis insignis vir D.D. Schuvartzius Medicus Illust. C. V Virtemb. & præfectus horti Medici Illustriss. Celsit. Stutgardiani nobis ostendit Anno 1595. Maij 25. priùs non visam, quæ in pulchellam arbusculam excreverat: ex iconis imaginatione, quam apud Clus. videramus, statim deprehendimus esse Euonymi hanc speciem raram. Copiosè nascitur, teste Clus. in sylvosis utriusque Pannoniæ montibus: sed qui Alpes attingunt, eandem alere desinunt. Invenitur & in Moravia: nusquam verò abundantiùs, quàm in sylva arci Greytzenstein, Illustriss. Comitis Nicolai de Salmis vicina, secundo à Vienna milliari, ad lævam Danubij ripam. Floret Maio: Fructus Augusto plerumque maturescit, maturiùs quàm vulgaris & latifolia. Camer. se etiam in suo horto Norinbergæ coluisse scribit. *Æquivoca. Nerium alpinum.* Porrò Dalech. suam particularem Evonymum exhibuit, de qua nos sub Nerio Alpino sive Chamænerio. Tradunt Advers. Quosdam apprimè doctos Chamæmespilum sibi persuasisse, alios Euonymum Alpinam fecisse arbusculam alpinam, folio Mali, &c. Nos existimamus eos intelligere Cotoneastrum, de quo alibi. *Cotoneaster.*

SYRINGA FLORE ALBO.

Cap. XV.

Descriptio. QVVM Syringa alba vulgò dicta sit fructu inutili, visum est eam hoc loco ponere. Ea infirmis ramis adolescit fruticosa admodum, fungosa medulla referta. *Folia.* Folia per coniugia exeunt tanquam è geniculis, Staphylodendri, levius in ambitu crenata, hirsutie modica prædita, *Sapor. Flores.* sapore subdulci & acri. Flores in extremis furculorum multi simul iuncti, odorati, candidi, dulces, Arantiorum, quaternis foliis constantes, apicibus in medio luteis.

Philadelphus flos. Hanc Gulandinus Philadelphum florem Apollodori apud Athenæum dipnosoph. l. 15. cap. 12. dicebat, uti nobis retulit D. Casp. Baub. Quæ sanè opinio nobis non displicet.

Verba Athenæi hæc sunt: Apoll. l. 4. Rerum Parthicarum scribit florem Philadelphum vocatum nasci in Parthia regione de quo hæc tradit. Myrti varia genera, Milax [Smilax] vocatúsque Philadelphus, qui flos naturæ aptum nomen accepit, *Nominis ratio.* quia ramos illi per intervalla esse accidit sua sponte, complexionem ubi nascuntur animatorum, veluti ex una eadémque radice operantur: reliquum verò discurrunt, ac vivas plantas gignunt, [cùm ex intercapedine sponte rami coiverint, animato complexu cohærescunt] & in vnitatem iunguntur, deinde procurrentes vivos *Vsus ad sepes.* surculos pariunt]. Hinc effectum ut domesticos Philadelphos in custodiam converterint: nam teneriores subtilioresque ramos adimentes, ac in retis more componentes in circulum plantare solent circa hortos: qui ita coniuncti securitatem parant, difficilémque aditum operantur ubi fuerint positi.

Ostrys Hetruscorum. At Rob. Consti. iudicio Ostrys, Hetruscorum est Syringa arbor appellata, quam ait videri in horto Ducis Florentiæ cum iis notis, quas assignat Theophrast. nec deesse illam fructus insignem notam, quæ Hordei grano similis. Florem (quod ipse tacuit) candidum & suaviter olentem. De eadem & Plin. l. 13. cap. 21. Inter infelices arbores, quam & Ostryam vocari tradit. *Ostrya. Ostrys non est.* Hinc Hist. Lugd. Quæ vulgò Syringa, multi, inquit, Ostryn Theophr. esse volunt. *Contra Rob. Const.* At hæc opinio Camerario non placet: certè neque nobis. *Hist. Lugd. geminus error.* Nescimus verò quo errore in eadem Hist. Lugd. post Syringæ rubræ descriptionem indistinctè iterum

albæ descriptio posita sit nulla eius nominis facta mentione.

Synonyma *Syringa vulgaris, Syringa flore albo Clus. Syringa Italica Lob. Syringa alba* Siringbaum, Tab. *Syringa vulgò,* Cæsalp. & Hist. Lug. Burgundi ut aiunt,
Locus. *Iaspe* vocant, præsertim Vesuntij, ubi aliquot in hortis egregiè cultam vidimus, undéque accersitam in hortum Montbelg. transplantavimus. Habetur etiam in horto Stutgardiano. Et in Italiæ hortis multis Patavij, Bononiæ, Ferrariæ, aliisque
Tempus. observavimus. Floret Aprili & Maio.
Satio. Facilè surculis propagatur. Hactenus nihil
Vsus. nobis de eius usu innotuit. Posset tamen ex floribus aqua odorata destillari. Folia quia subdulcia & acria sunt, eas habebunt vires, quas Galen. istis qualitatibus assignat, quem consulas licet.

SYRINGA, ALBÆ SIMILIS CAPITVLO, OCTO STRIIS NOTATA.

CAP. XVI.

Descriptio ARboris-ne, an fruticis (inquit Clus. Exot. l.2.c.25.) ramulus, quémve florem tulisset, ex siccato difficile erat iudicare: aliquam tamen affinitatem habere videbatur cum illis ramulis, qui in coronario frutice, sive Syringa à vulgo Herbariorum appellata, odoratos albos flores, racemi instar compositos, quinos aut septenos ferente, nam eiusmodi ferè capitula habebat, octo exilibus striis notata, quæ in binas partes rostelli aviculæ in modum dividebantur, contrà quàm in coronario frutice, cuius capitula in plures partes divisa: nullum autem semen continebant, sed inania erant.

SYRINGA FLORE COERVLEO SIVE LILAC.

CAP. XVII.

Descriptio COMMVNE nomen & fructus inutilis faciunt ut Syringam cæruleam hîc collocemus. Arboris magnitudinem acquirit, plerumque tamen & fruticosa:
Radix. radice multùm reptante & pullulante, séque plurimùm multiplicante, stolonibus robustis: cor-
Cortex duplex. tice exteriore in cinereo virescente detracto librum ostentans viridem, sub quo
Lignum. lignum solidum, firmum. In extremitate ramulorum sunt crassæ &
Gemma. turgentes gemmæ. Folia bina adversa, contrariáq; ortu serie quadã cruciformi disposita, Asclepiadis foliis quodammodo similia, sed latiora, vel Apocyni rotundioris aut Populi nigræ, subrotunda, in acumen tamen desinentia, mollia primùm cùm floret, postea duriora & firmiora, utraque parte glabra, pediculis uncialibus aut amplioribus ap-
Sapor. pensa, subamara & nonnihil acria. Flores ex
Flores. privato surculo imbricato foliorum stipatu obvallato suaveolentes oriuntur in Iubæ formam dispositi, numerosi, sine foliis: quorum singuli ad flores Laureolæ folio deciduo accidere videntur, oblongi, rubentes, aut ex rubore cærulei, quinque partiti, quatuor apicibus croceis altè reconditis farcti. Subsequuntur veluti siliquæ gi-
Fructus. bentes compressæ, vix unguem longæ, ex brevibus pediculis, quæ maturæ in duas partes separantur & pulchrè hiant, in quarum interstitiis secundum longitudinem porrectis latitant semina longa, angusta, foliacea, compressa, tenuia.

Ex Constantinopoli. Hanc plantam, inquit Matth. Constantinopoli secum attulit Cl. vir Augerius de Busbeke, qui continuis septem annis Cæsaris Ferdinandi primi apud Solimanum Turcarum Imperatorem Ora-
Lilac. torem egit, sub hoc nomine *Lilac.* Eam quum inspexissem, & fructus eius agnoscerem Pistaciorum faciem perquàm bellè referre, illicò in suspi-
Glans unguentaria. cionem veni, an hæc fortasse *Glans unguentaria* dici posset. Quapropter, ut aliorum quoque sit iudicium, eam hîc excudi voluimus. Vivam plantam videre non licuit, sed affabrè & diligentissi-
Matth. reprehe. mè pictam. Hæc Matthiol. qui nimis audacter ex pictura suæ plantæ pronuntiat. Necesse est sanè fructus non benè fuisse pictos, quippe qui nulla ratione Pistacia referant: quod si ille ob-
Glans unguentaria non est. servasset, nullam profectò occasionem reliquam habuisset suspicandi esse Glandem unguentariam. Meliùs depinxêre Lob. & Dod.

Glandem unguentariam esse non posse statuunt & Clus. & Pena & Lob. & Hist. Lugd. & ob id Matthiolum taxarunt: Et Tab. monet, neuti-
Non est Ben. quam Ben esse existimandam.

Idem Matth. scribit Patavio huius plantæ recentissimum ramusculum, floribus copiosissimis refertum, & alterum deinde cum fructibus ad se misisse Cortusum, literisque sibi significasse, hanc se credere esse plantam, quæ Theoph. l.3.c.10. hist.
Ostryx Theoph. Ostryx appellatur. Hanc ex Aphrica, ubi fre-
Locus. quentissima proveniat, sibi missam fuisse, ubi ver-
Seringa. naculo idiomate Seringa nuncupetur. Quinetiam se plures in suo horto huiusce arboris alere plantas, ob florum suaveolentiam. Hæc ex scripto Cortusi.

Addit idem Matth. Vnguentarij ac Seplasiarij Mauritanorum nomina secuti eam *Ben* appellant. Forma hæc Pistacia maximè refert, albo cortice triquetro, fractu facili, nucleo intus conferto, &
Matth. alter error. admodum pingui, &c. Sed nescit quid musset Matth. Nam si huius ramum cum fructibus à Cortuso accepit, mirum quâ fiduciâ etiamnum Glandem Vnguentariam credere sit ausus, nisi fortè ipsam Glandem unguentariam cognitam non habuerit. Apud Theoph. Ostryx nulla: sed Ostrys sive Ostrya, quam neutiquam esse censemus. Consule caput præcedens. Sed cùm Ostryn dicat Theophr. habere fructum pusillum, oblongum, Hordeo similem, colore flavum, &c.
Cortusi hallucinatio. mirum rursus, quâ oscitantia Matth. præterierit hanc Cortusi ineptam suspicionem, & diversita-
Tertius Matth. error. tem non ostenderit. Tanta nimirum eius naturæ herbariæ vestigatoris fuit diligentia. Ac hos quidem errores in ultima Matth. editione ostendi par fuisset. Falsum ubique detegi, veritas nuspiam celari, aut neglecta præteriri debet, etiam in rebus naturalibus.

Ligustrum orientale. Cæsalp. *Ligustrum Orientale*: fortè *Iesseminum*
Iesseminum cæruleum. *cæruleum Arabum* eidem, l.3.c.43. Idem l.4.c.10.
Sambach. Arabes, inquit, *Sambach* vocant, eorum interpretes

Digitized by Google

tes *Ieseminum.* Flores tradunt esse in Aphrica trium generum, candidos, luteos & cœruleos. Et mox cœruleum in hoc genere nondum vidimus, sed interstitutices ostendimus, vulgò Ligustrum Orientale vocant.

Syringa flore cærul.

Syringa flore cœruleo Clus. An Arbor quæ suo idiomate *Cauda vulpina, Queüe de Renard* Gall. & Germ. Fuchsschwantz sonat? Nam postquam dixit Turcas nullis parcere sumptibus, & summam adhibere diligentiam, in conquirendis exoticis arboribus, quæ elegantibus floribus sint præditæ, addit: Alunt fruticem Hederæ foliis, perpetuò virentem, violaceis floribus, oblongum pediculum ambientibus, & vulpinæ caudæ crassitudinem equantibus: qua de causa ipsi sua lingua Vulpinam caudam appellant. Verùm nostra *Syringa cærulea* perpetuam non habet comam, sed decidua est folio, ut superior, ut benè monet Clus. Nisi fortè apud illos folia perennet: apud nos nequaquam. Quidam malè Portulacam arborem Theoph. putarunt.

Turca florum & plantarum studiosi.

Portulaca Theoph.

Syringa cærulea Lusitanica Pen. & Lob. *Syringa Lusit.* Tab. Spannischer Siringebaum. *Syringa cærulea* eidem: & *Syringa Belgis cæruleo flore* Hist. Lugd. & Camer. Bononiæ nobis *Syringa Azura* vocata fuit.

Locus & Tempus.

Hunc fruticem, teste Clus. alunt horti Belgici atque plerique Germaniæ, & aliarum Provinciarum. Floret cum superiore, interdum maturiùs.

Satio.

Nostrâ curâ in hortum Montb. Dolâ translata fuit, & surculis, ù stolonibus ab radice, atque absque radice ferè depacta feliciter germinavit. In Italiæ, Galliæ & Burgundiæ hortis curiosè cultam vidimus. Gemmas prædictas Decembri & Ianuario ostentat. Pulchras etiam videas arbores huius in horto E. C. Stutgardiano, & Argentinensi Frid. Meieri instructissimo.

Instituti ratio.

AGNVS SIVE VITEX. Cap. XVIII.

Agnus folio non serrato.



Agnus folio serrato.

Descriptio.

ANTEQVAM ad Salicum genera transeamus, placet Agnum sive Viticem, non tam ob faciei quandam, quàm quorundam nominum affinitatem præmittere. Arbuscula est frequentibus ramis brachiata, quos cortex cinerei coloris tegit. Folia adverso ortu uncialibus & sextantalibus pediculis hærent, digitata, Lupini modo, in quinque ferè lacinias ceu folia particularia subdivisa, coloris subtus cinerei, superiùs fusci propemodum, per margines undique sibi similia. Spicas fert Lavendulæ, non singulares quidem ut illa, sed ex singulis nodis coniugatim, florum purpurascentium, quibus grana succedunt numerosa, Coriandrinis & rotunditate & magnitudine ferè paria, nec crispa tamen nec striata: saporis acris.

Folia.

Spica florũ.

Grana

Huius varietatem folio breviori & molliore, sed & latiore ac serrato Lob. observavit, quam & nos non semel vidimus. Verùm expendant herbarum diligentes cultores, an non sit fortè naturæ lusus, tempori, ætati, loco aut culturæ adscribendus. Gesner. Viticem alium arborescentem dicit, alium minorem.

An ἴσος Theoph.

Plantæ huius si Theoph. meminit, sub ἴσου vel οἴσου titulo tradidisse videri potest, cuius sanè opinionis fuit Gesnerus stirpium ex veteribus sagacissimus vestigator. Sic enim in sua appendice scribit, Ison vel Oeson, ἴσον vel οἴσον, posterius tantùm probo, ab Agno nihil differt, ut Plinij & Eustathij autoritate confirmari potest. Nam quæ de Iso Theophr. eadem Plin. de Vitice, id est Agno. Et Eustathius Homeri interpres οἴσον interpretatur Agnon. Agnum Latini quoque Salicem Amerinam nominant. Gaza interprete ex Theoph. Qui etiam Ison Æquum & alibi Oeson, Iuncum interpretatur.

Aequũ.

Sic autem Theophr. de ἴσου, seu ut alij malunt, οἴσου Oeson aliud candidum, aliud nigrum: & flos fructúsque utrique pro ratione discriminis, alius candidus, alius niger: quibusdam verò inter hos medius quodammodo in purpuram inclinans. Ac neque fulvus [οἰνωπὸς] neque candicans est, uti quorundam. Folia quoque tenuiora leviorá-que, sicut & virgas, habet id quod album est. Videtur itaque pro coloris varietate, quadruplex discrimen agnoscere: nam præter album & nigrum & subpurpureum, etiam fulvum dicit, sic enim οἰνωπὸν vertit Gaza: nisi malis albi vini modo nigrescens dicere, ut sub nigro comprehendatur.

Theoph. illustr.

Sed mirum si hæc nostra Oeson Theophr. sit, cui huius historiam spinosis interposuerit. Inter Rhamni namque atque Paliuri historias collocavit intermedium. An quia ita solet Theophr. confusas suas narrationes dare, & alienis plerásque locis collocatas? Sed eiusmodi quærelæ nihil certi docent. Difficiliores hi scopuli, quàm ut de iis vel verbulum in suis annotat. Scalig. & Rob. Const. Hic tamen in suo Lexico ait ἴσον à Theophr. in loco adducto poni inter aculeatas: quod ita intelligendum, non ut aculeatam hanc faciat Theoph. Sed, ut dicebamus, quia aculeatæ, nempe Rhamni, historiam immediatè præmisit, & alterius aculeatæ immediatè subiecit: Quæ fortè coniectura aliquos movit esse uvam crispam & Gallorum *Groeselier*, ut idem Const. suspicatur cum multis.

Uva crispa

zed by Google

Ision. Aetij alia planta & Isium Plin.

Est & ἴσιον planta cuius meminit Aetius. Est & Isium Plinio.

Idem sanè Theoph. l. 6. hist. cap. 2. τῷ εἴσῳ Cneoron comparat, vitilem plantam. Sed si ἴσ@- vel εἶσ@- apud Theoph. sit Agnus, cur eidem li. hist. cap. 5. ἄγν@- potiùs dicatur, non ibi: aut hic ἴσ@- vel εἶσ@- potiùs, non illic. Nam ἄγνον apud Theophr. I. cit. hanc ipsam esse de qua hic agimus, non obscurè quis colligat ex eo quòd & Diosc. & cæteris Græcis ita dicatur, & quòd eam dicat arborem interdum effici, sicut & Paliurum, & Hederam, etiamsi fruticosæ sint. Quod sanè de Agno rectè dicitur, non minùs quàm de aliis. Gaza ibi Amerinam convertit, parum memor à se apud Arist. lib. 9. de natur. An. Viticem conversam: ubi eidem & λύγ@- dicitur. Rursus Rob. Const. in Lex. ἄγνον dicit plantam de genere vitilium, speciémque Salicis, cui in ligando comparat Cneoron, id est, Cassiam herbam Theoph. loco supra citato, quæ proprietas & huic nostro Agno inest. Advertant, discernant, decernant, iudicéntque peritiores.

Κνέωρ@- Theoph. Amerina. Ἄγν@- Arist. Λύγ@- Arist. Ossis species est Salicis.

Cæterùm, sunt qui censent ἐλαίαγνον apud Theophrast. esse Agnum ceu Viticem: cuius sententię sunt Marcel. Pena, & Lob.

Ἄγν@- inde; Agnus Hispan. An Elæagnus Theophr. Theoph. emend. Oleagnus. Gaza & Rob. Const. notē.

Vbi perperàm in Cod. Bas. nostro iudicio distinctim, ἐλαία ἄγν@- legitur pro ἐλαίαγν@-; ut in Aldino habetur, & à doctis ita legitur, ut à Scal. Dalech. & aliis. Gaza Oleagnum vertit: de qua Theoph. sic scribit lib. 4. cap. 6. In Lacu Orchomenio arbores, materiéque humiles illæ proveniunt, Salix, Elæagnos. (hic Gaza de suo cerebro interponit: quæ Oleæ Amerinæque speciem præfert: quæ sanè verba nec in Aldino, nec Bas. nostro Codice leguntur, quamvis eadem Rob. Const. in suo Lexico ex Gazæ potiùs versione, quam ex ipso textu Græco fide implicita citet.) Et mox: de Elæagno quæ fortè & alibi locorum nascitur, aliísque appellata nominibus, nunc dicamus. Est Elæagnos [Gazæ Oleagnos] fruticosa planta, Agno similis, [παρόμοιον τοῖς ἄγνοις: Sic Gaza & Cod. Bas. quos & plerique sequuntur: At in Cod. Aldino habetur τοῖς ἄλλοις: si prior lectio vera, ut veram suspicamur, ἐλαίαγν@- non erit noster Agnus] folio figura eidem simili, molli ut Mali Cidoniæ ὥσπερ αἱ μηλέαι [Ruellius non meminit poni] & lanuginoso, flore Populi albæ, minore. Fructum verò nullum profert. Nascitur potissimùm in insulis fluitantibus, quales sunt in lacu Orthomenio: & in Ægypto circa paludes, in Thesprotide, & in aliis stagnis. Hæc ille.

Elæagni descriptio Theoph.

Noster Agnus non omnino fructus expers est, sed grana fert, uti dictum. Adde quod si Agno sit similis Elæagnos, Agnus esse non possit.

Non esse Elæagnum.

Rauvolff. pro Elæagno proponit Sasaf Syrorum, de quo postea.

Apud Diosc. Agnus sive Lygos [Ἄγν@- ἡ λύγ@-] frutex est in arborem assurgens, qui in fluminum ripis campisque palustribus nascitur, nec non & in locis asperis & salebrosis. Virgultagerit longa, tractúque contumacia: folia verò Olivæ, sed teneriora atque maiora. Florem alterum eius genus fert album cum purpura quadam tinctum: alterum purpureum solùm. Semen autem, quale Piper.

Agnus & Lygos Diosc. Flore albo & purpureo. Semen Piperis.

Dictus est hic frutex ἄγν@- Græcis, quasi Castus, quòd in Thesmophoriis matronæ castitatem custodientes eo ad strata uterentur. Lygos verò, quasi vimen, propter virgarum eius firmitatem. Hæc omnia Agno ceu Vitici nostro egregiè conveniunt, quemadmodum & vires ab eodem traditæ: quanquam seminis collatio cum Piperis paulò crassior videri possit.

Nominis ratio.

Arbusculam hanc ut tradit idem Dioscor. inter reiectanea, alij Agonon, alij Amiktomenon, alij Tridactylon: Magi Semnon, alij Hamaideos; Ægyptij Sum, Romani Salicem marinam, alij Piper agreste, alij Lecristicum nominant.

Agnon. Amiktomenon. Tridactylos. Semnon. Hamaideos. Sum. Salix marina. Piper agreste. Lecristicum.

Plinius postquam de Salice tradidisset, ita subdit: non multùm à Salice vitilium usu distat Vitex, foliorum quoque aspectu, nisi odore gratior esset, Græci Lygon vocant: alij Agonon, quoniam matronæ Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes, his foliis cubitus sibi sternunt. Duo eius genera. Maior in arborem Salicis modo assurgit: minos ramosa, foliis candidioribus, lanuginosis. Prima album florem mittit cum purpureo [purpurascente Diosc.] quæ & candida vocatur: Nigra quæ tantùm purpureum. Nascuntur in palustribus campis. Hęc Plin. quem plæraque ex Theophr. loco adducto transcripsisse patet.

Vitex Plin. Agonon. Genera duo. Candida. Nigra.

Apud Serap. Famancheft, est Agnus Castus: ubi & arbor Abraha dicitur & Piperella, & Piper Eunuchorum. Alij & Famanchet, Samanchet & Bongiethest Arab. dici tradunt. Idem ex Dioscor. citat dici & Kiston eò quòd religiosi sternant hanc plantam sub lectis, ad refrenandam libidinem. Et nominari etiam Logiæ, propter duritiem virgarum eius. Esse plantam arboris altitudine: nasci prope aquas, & locis agrestibus, maximè aquosis: virgas habere duras ad frangendum, folia Olivæ similia, nisi quia sint maiora, longiora & molliora, (intelligit autem partes foliorum, quas supra folia particularia diximus) &c.

Famancheft Serap. Arbor Abraha. Piperella. Piper Eunuchorum. Kiston. Logiæ.

Porrò dubitat Hermol. an Salix Amerina idem sit quod Agnus seu Vitex; etiamsi Diosc. hoc affirmet. Ipse tamen ita censet: Viticem non multùm à salice vulgari distare, usu vinculorum, foliorum quoque aspectu, nisi odore gratior [legimus, gravior ex Plin. & reipsa] esset. Quam verum autem sit, Viticem & Salicem Amerinam, eandem esse plantam in Plinii & Columellæ lectione diligentiores facilè cognoscent. Ille namque postquam Amerinæ vires tradidisset, demum ad Viticis historiam ac vires transit, hunc utique ab illa diversum faciens, cùm ait: non multùm à Salice vitilium usu distare &c. Hic verò manifestè Amerinam Salicem dicit, & Salicis speciem facit, quod de vitice nemo tam commodè ac propriè dixerit. Ve non immeritò Marcellus negarit, Grecorum Agnon, Salicem Amerinam esse. Suspicatúsque, adiectam ab imperitis latinarum rerum Græcorum medicis eam Discoridi appellationem accrevisse. Tàm enim Viticis quàm Amerinæ Salicis vocem novisse quondam Diosc. verisimile esse. Neque credendum, in ea appellatione deceptum diligentissimum alioquin, & ex professo hæc agentem. His ita ritè consideratis, mirum Gesnerum non uno loco aliósque Salice Amerinam dicere ausos. Gazā quidem ἄγνον apud Theoph. uti dictum, Amerinam interpretatus est, sed qua fide? Nam Amerina Salicis epitheton esse videtur, quamvis satis obscura origine, ut fuerint etiam, qui non Amerinam, sed marinam Salicem dictam putent, notante Cornaro. Linacer quoque Grammaticus Anglus, Gazam secutus, [aut hic fortè illum] Agnon & Lygon Amerinam nulla autoritate nulloq; fundamento convertit. Falluntur igitur Matth. & Had. Iun. & omnes alii qui Viticem Salicem Amerinam credunt & dicunt.

An Salix Amerina sit Vitex. Hermol. locus correct. Diosc. error. Gesn. mal. Gaza tax. Linacri lapsus. Matth. & Had. Iun. error.

Lygon Lygeanque Græcis dici, monet idem Hermol.

Hermol. & arborem, & quoddam herbæ genus: quod, ut inquit Athen. in nidos suos parituri Cygni ferant. Nec tamen satis se habere compertum, hanc quam Cygni petant herbam, aliud genus oportere intelligi, quàm Viticem. Invenire se & scopas Amerinas Spartis similes describi, folio tamen minore, sed lentitia virgularum maiore, quas Genistellam Amerinam vocitent hodiè.

Corolla è Lygo usos esse veteres Anacreonti Poëtæ credimus: cuius originem Samii Caresque dederint, diversis causis. Nam & Lacedæmones arundine certis sacris, ut autor est Sosibius, coronabantur. Idem Hermol. monet Lygon & Aegylin quandoque dici ac legi. Item Mosyn, & Oesyan, & Oeson, & Oesocarpon, ut Polluci & Photioni videtur. Unde Gerra Oësyma, hoc est, quadrata quædam tuguriola ex huius Salicis viminibus, quæ Ligella quoque nominatur à Plauto in Aulularia: fortè à Lygo, id est, Vitice, aut à ligando.

Adiucendum & illud, quod à Diosc. scriptum est à quibusdam Lecristicum vocari, putare Hermolaum in eo verbo mendum esse: nec Lecristicum, sed à similitudine saporis & acrimoniæ Ligusticum legendum. Nam & Piper agreste dici Viticem, idem autor affirmat. Et in eadem, quæ apud eundem legitur voce, Amictomiæum, si non sunt integra omnia, antiquæ tamen integritatis, ut annotat Marcel. & significationis aliqua adhuc supersunt vestigia. Ex quibus facilis cõiectura est fuisse eius vocis compositionem, quæ ad Venerem misceri matrem cum fœmina perhiberet.

Habet & λύγος à viminum & vinciendi usu manifestam rationem. Id enim Græcè λυγίζειν est: idque omnes apertè testantur: præsertimque Homerus nono Odyss. ἐϋστρεφέεσσι λύγοισι dicens: flexiles scilicet & sequaci lentitia ad vinciendum aptos Vitices. Et Arrianus in hist. suū exercitum describens per nivem ingredientem; & ne in nive hæreret, pro calceis circulis ex Lygis factis utentem: ut eo auxilio maius nivis spatium premens, firmiore vestigio iter faceret. Estque Lygos Græcis communis vox omnibus quibus in rustico opere ad vincula utimur; quales Salices omnes sunt, ut & multæ plantæ aliæ, in quarum genere Vitex quoque numeratur: ideóque communi illa appellatione etiam indicatur.

A rubore virgarum Sanguis manifestè Vitex dictus est. Avis verò Ibis adiectio ad superstitionem & Magicas vanitates, nostra ætate penitus incognitas, pertinet.

Magi eundem Semnon, id est, Venerandum (ea enim est vocis illius significatio) ob eandem illam castitatis causam dixerunt.

Quod verò & Agonos inter Diosc. Synonyma dicitur, non aliunde est, quàm quòd ipsemet cum plurisque aliis auctoribus & ante eum Hippoc. non uno loco humanum semen γόνον & γονὴν vocât: à cuius privatione ἄγονος vitex dictus.

Statio Papinio arbor casta quoque dicitur. Sic enim apud eundem lib. 2. Thebaidos, Tydeus templum Palladi vovens ait.

Centum ibi virgineis vota Calidonides aris:
Altaas tibi ritè faces. — Et post: *Et arbore casta*
Nectent purpureas niveo discrimine vittas.

Vel hinc pateat cur & λύγος dictus sit, nempe propter flexilitatem, quam habent in vinciendo eius rami, Unde Diana λυγόδεσμα dicta, quòd inter hæc virgulta inventa fuerit, uti Poëtæ nugâtur.

Hermol. lo-cum corrit. Lygea. Cygnorum herba Athen. Scopa Amerina. Genistella Amerina. Corolla è Lygo. Aegilis. Mosys, Oesea. Oeson. Oesocarpos. Gerra Oësyma. Ligella Plauti. Diosc. Ligusticum. Amicto-miæum unde. Lygus unde. Flexiles vimine seu λύγοι Homerus. Calcei ex Lygis. Lygos Græcis quid. Sanguis Ibis unde. Semnos cur. Agonos cur. Arbor casta. Lygos cur. Diana Lygodesma.

Herbarium antiquum Io. Cubæ Agni casti nomine, vel arboris Abrahæ, Arab. Amarikest, monstrosam figuram exhibet, nullam plantam demonstrantem. Sic & Petr. Cresc. ingens arboris monstrum pro Agno proponit.

Mirum verò rudes etiamnum non modò Pharmacopoeos, sed & Medicos hunc fruticem passim in suis practicis libris, atque receptis, quas vocant, Agnum castum vocitare, ignorantes Castum expositionem esse, Agni. Agnos enim castus est apud Latinos: & Castus ἁγνὸς apud Græcos. Et Agnus quoque, ut Festus ait, animal dicitur quod ad hostiam purum sit, & immolationi aptum. Sic ipse salvator noster, ipsamet castitas & puritas, & pro nobis hostia, Agnus Dei à præcursore eius Io. Baptista dictus & indice ostensus.

Averrhoes *Pentasiles* & *Granum sterilitatis* vocavit. Alii *Castam arborem*. Germ. Schaffmüle/ Abrahams Baum/ Keuschbaum / non Kunschbaū ut Had. Iun. habet in suo nomencl. Keusch lamb/ Gensch amp. Itali. *Vitice, Agno Casto.* Hisp. *Gattiglio Casto, Gatillo Casto, Pimiendo, sauzgatillo.* Angl. dici posset Chast-tree, ex Græco, vel Hauptree, à cannabinus foliis & seminibus. Bohem. Dumecf.

Semen eius in offic. Agni Casti semen ineptè vocant.

Passim in Italiæ & Galliæ hortis celebrioribus colitur. Imò & in Germaniæ hortis. An verò copiosè ad Oenum fluvium, non longè ab Oeniponte oppido, Insbruck Germ. dicto, aliisque vicinis locis proveniat, ut Cordus tradit, accolæ viderint. Considerent etiam Herbarii, an is qui ibi nascitur, sit idem cum eo qui Italiæ satis familiaris.

Monspelii arbores satis magnas vidimus florentes Iunio, semine maturo Septembri: Item Lugduni, Bernæ Helvetiorum in horto Doctiss. viri Bened. Aretii. Palustribus gaudere suprà dictum. Colitur & in horto Montb. egregia arbuscula una aut altera, nostra cura, à multis iam annis, Stutgardiâ importata ex horto Ducis. Hyeme repositâ conservatur, ac floret Augusto & Septembri. Fructum orditur quidem, sed non perficit.

Viticis genus folio serrato coluit Cl. Platerus Basileæ, qui affirmabat, ramos depactos facilè radicare. Fert & hyemem non reposita, in eius horto, sed à ventorum iniuriâ satis munito. Semen aliquoties sevimus diversis locis, ex Italia accceptum, sed frustra.

Viticem quondam Athenæ, uno servandæ castitatis nomine, celebrarunt, eiusque gloriam non parum auxerunt. Multum illi etiam ex Academia & à Platone, ob eandem causam, laudis accrevit: gravi civitatis & hominis testimonio, non esse ab impuris tractanda, quæ pura mente concipienda, & religionis egregia sanctitate exercenda ab homine sunt. Cui consulens natura, quemadmodum generationis, & Veneris multos animantium generi stimulos dederat, ut quotidianam vitæ iacturam nova continuè sobole instauraret: sic [ut eleganter tradit Marcel.] pro castitate aliqua etiam hominibus ostendit, quibus vtentes, à Veneris & Cupidinis insultibus tuti essent atque immunes. Ex quorum numero sanè & Vitex est, satis hac in parte cùm ab aliis, tùm à Diosc. celebrata: cùm testatus est, Agnon vocari, quoniam in Thesmophoriis Cereris sacro, quod Athenis à mulieribus fiebat, castitatem custodientes mulieres, foliis eius cubitus sibi sternerent: expertæ aut à peritioribus

Pigmentum. Arbor Abrahæ. Amarikest. Medicorum & Pharmacopœorum quorundam ruditas. Agnus Christus. Pentasiles. Granum sterilitatis. Synõ. Linguar. Locus. Tempus. Sata. Vitex. Viticis laus. Castitatis conservatio.

doctæ, calore suo inflationes solvere Viticem: (nisi quis antipathia quadam aut proprietate naturali id præstare sentire malit) ideóque Veneris impetus omnes facilè retundere ac inhibere. Qua potestate in abundantia seminis & contra nocturnas Veneris per somnum imaginationes, & seminis incontinentiam, sanitati hominis non parum contulit.

Contra seminis incontinentiam.

Temperã.

Huic porrò excalfactoriam adstringentémque vim Diosc. tribuit: quo autore fructus eius epotus demorsis à serpente, sed & lienosis ac hydropicis opitulatur. Lactis abundantiam facit, mensésque ciet drachmæ pondere in vino potus: genituram quoque exsolvit. Caput verò tentat, soporémque infert. Herbæ ac seminis decoctum ad insessus, vulvæ affectibus & inflammationibus opitulatur. Semen cum Pulegio potum, suffitu etiam & appositu, purgationes movet: dolorem quoque capitis dissolvit illitum. Cum aceto & oleo Lethargicorum Phreneticorúmque capitibus instillatur. Quin & folia tùm suffitu, tùm etiã substratu venenata fugant: ac contra venenatorum morsus adhibita auxiliantur. Testium duritias cum butyro vitiúmque foliis emolliunt. Rimas sedis semen cum aqua illitum mitigat: cum foliis verò, luxatis vulneribúsque medetur. Creditur & viticis virga intertrigines arcere, si eam viator dum iter facit, manu teneat. Hæc Diosc.

Morsus serpentis. Hydrops. Lac auget. Vulvæ inflam. Menses. Dolor capitis. Lethargus. Phrenitis. Contra venenata. Testium duritia. Luxatio. Vulnera, Intertrigo.

Tempera.

Gal. Viticis naturam atque temperamentum paulò diligentiùs inquirit, his verbis: Agnos aut Lygos, hoc est Vitex, planta illa fruticosa, calidus quidem est & siccus tertio ordine, verùm multùm tenuis substantiæ, tùm gustu acris simul & adstringens. Ipsas tamen virgas [λύγους] ad medicinam habet inutiles. Cæterùm folia seménque calida siccáque facultate sunt, substantia verò tenui. Nam & utentibus ita apparet, & gustantibus acre simul & subadstringens percipitur, tùm folium, tùm flos, tùm semen. Edendo tamen etiam semen [ἐδώδιμον] est: verùm tàm perspicuè calfacit, ut capiti hoc nomine dolorem pariat. At si frigatur, (nam & sic editur cum tragematis) minùs caput tentat. Porrò flatus ventris discutit, & cùm non frictus, & multò magis cùm frictus fuerit. Cohibet etiam impetus in Venerem, tum frictionis expers, tum etiam ipsam expertus (fructus.) Folia item florésque ipsius fruticis id ipsum præstare possunt. Itaque non tantùm esa potáque ad castitatem conferre creduntur, verùm etiam substrata. Hinc est quòd Athenis in Thesmophoriis, hoc est, Sacris Cereris, mulieres totum sibi fruticem substernunt. Hinc illi quoque nomen inditum Ἄγνου, id est, casti, uti dictum. Ex quibus omnibus manifestum est, Agnum calfacere, simúlque exiccare, tùm omnium maximè flatus discutere. Porrò quod exactè tenuium sit partium, facultas eius ταμιεύων est atque indicio. Nam, quod caput tentat, non magis à multitudine vaporum ab eo prognatorum, quàm à caliditate eius ac subtilitate partium fieri rationi consonum est. Si enim flatuosum spiritum procreare posset, sanè & ventrem inflaret, & Venerem stimularet, perinde ut Eruca. Verùm, cùm non tantùm non excitare, imò etiam reprimere queat, fuerit sanè secundum Rutæ maximè facultatem, tùm in excalfaciendo, (Quod l.1. alim. item 2. comp. med. part. refrigerare dicatur, id errore factum hinc disces) tùm in resiccando, non tamen illi par est. Nam utróque paulò est inferior: siquidem Ruta tùm magis est excalfactoria, tùm magis desiccatoria. Differt etiam qualitatis simul ac facultatis mistione. Nam Agni semen ac germina modicam ferunt adstrictionem: At Ruta ubi aruerit, exactè amara est & acris: ubi verò humida, subamara. Non tamen austeritas aut acerbitas illi inest: aut si cui videatur inesse, ea utique omninò obscura uidebitur, nec par ei quæ est in Agno. Quocirca & ad iecur & lienem indurata & obstructa Agni semen potiùs quàm Rutæ competit. Sed hæc ad curandi iam Methodum pertinent. In præsens id solùm novisse sufficit, quòd Agnus calidus est & siccus facultate, idque non mediocriter, sed tertio excessu, tùm admodum tenuium partium. Hæc qui norit, ac postea methodum curandi didicerit, ipsemet inveniet, quo pacto menses hic cieat, partes induratas digerat, lassitudines solvat, & ex eo acopum excalfactoriúmque unguentum præparetur.

Sapor.

Noxa, eiúsque correctio. Carminatiuum.

Vsus ad castitatem.

Cur caput tentet.

Cur cùm calidus sit, non Venerem stimulet.

Confertur cum Ruta viribus.

Iecoris lienisque durities & obstructio.

Menses cit. Durities. Lassitudo. Vnguentũ acopon.

Idem Gal. l. 1. alim. fac. Cannabim cum Vitice comparat, eiúsque semen huius seminis viribus quodammodo simile dicit, sed multùm ab ipso distare, ut, quòd ęgrè côncoquatur, stomacho incommodum sit, capitis dolorem inducat, & pravum succum habeat. Edi tamen frixum cum aliis bellariis, quæ post cœnam voluptatis ad bibendum gratia comeduntur. Sed & Viticis semen frixum edi, & impetus venereos cohibere, modicum verò dare alimentum, & hoc siccans ac refrigerans. Ex quo loco apertè liquet vel Galenum sibiipsi contrarium esse, vel hoc loco mendum irrepsisse, legendúmque calfaciens, ut paulò antè monitum: quanquam idem simili errore repetatur l.2. alim. c.35. ubi etiam refrigerare scribit, & frixum mansum iis accommodum esse, qui à Venere puros se servare volunt: nec ita caput ferire, ut Cannabis. At ibid. c.39. Viticis turiones siccos & Terebinthi in muriam acetúmve iniectos per totum annum asservari tradit, ut vim quandam provocandæ appetentiæ acquirant, si quis ipsis moderatè utatur.

Confertur cum semine Cannabis.

Cibus.

Gal. sibiipsi contrarius.

Viticis turiones conditi.

Porrò eandem modò dictam in Galen. contrarietatem Ætius 1. Tetrab. ser. 1. velut emendans, legit pro ψύχουσαν voce, ξηραίνουσαν, ut alimentum siccans ac calfaciens corpori dari accipiamus. Nisi quis fortè cum Saraceno Viticis semen eatenus refrigerare dicere velit, quatenus Veneris impetus, qui à calore sunt, inhibere potest.

Gal. locus correct.

Quomodo Gal. excusari possit.

At quod l.2. κατὰ τόπους, c.1. Viticẽ moderatè, refrigerare, atq; adeò, ex Archigene, nonnullis aliis permistum dolori capitis à causa calida oborto convenire innuit: idem rectiùs de virentibus Viticis foliis accipi censet: quippe cùm prædominantis humiditatis ratione non usq; adeò calefaciant: maximè verò si cum Lauri foliis, natura calidissimis conferantur. Adde quòd, quoniam longè tenuissimarum sunt partium, æquè ac alia, quotquot sunt λεπτομερῆ, facilè eorum, quibuscum permiscentur, sive calfaciant, sive refrigerent, vim exacuunt & adaugent.

Notabis & aliam contrarietatem in citatis Gal. locis. Nam in 6. simpl ἄγνος καὶ τῆς κεφαλῆς ἅπτεσθαι asserit: Ad quod respicit & illud Dioscoridis, ἅπτεται δὲ καὶ κεφαλῆς καὶ ὕπνου. At contra idem Gal. alim. 2. κεφαλῆς δ' οὐχ ἅπτεται, (inquit) καθάπερ ἡ κάνναβις. Sed pugnantia hæc loca facilè fuerit conciliare, si fateamur tentare quidem caput Viticis semen, uti reipsa facit, testante eodem quoque Sarac. non tamen quantùm Cannabis. Illic enim simpliciter agitur de Viticis semine: hîc verò cum Cannabis semine comparatione facta.

Alia Gal. contrarietas.

Vt conciliando.

Cæterùm quòd Vitex contra Venerem insistere iam aliquoties dicta sit, & mulieribus in Thes-

Difficultas explicatur.

mo-

mophoriis substerni solita: in maribus id Paulus Ægin. l. 1. decrevit, quo capite de nimia seminis abundantia agit. Præcipit enim unà cum refrigerantibus herbis Viticis ramulos substernendos his, qui vel in somno vel in vigilia copiosiore seminis fluxu abundent. Plin. hunc veluti scopulum fugiens, impetus Veneris inhibere Viticem dixit communiore illa voce incertum legentibus iudicium suum relinquens. Siquidem utrique sexui commune generationis studium & ad Venerem impetus est: nisi Athenienses matronas primùm, mox Dioscoridem de his sic cogitasse aliquis credat cum Marcello, in communione coniugalis thori iacentibus simul viro & uxore, satis ad castitatem fore stimulos Veneris hoc remedio in viris extinxisse: extinctisque his castitatem ea ratione fœminis acquirere: quam (ut sunt in coniugalis thori officio viris suis faciles & morigeræ omnes) servaturæ aliter non erant.

Vires Plin. Sed placet & Plinium de Viticis viribus differentem producere, maximè cùm peculiaria quædam præter prædicta habeat. Semen, inquit, potum vini quendam saporem habet, & dicitur febres solvere: & cùm unguntur oleo admisto sudorem facere: sic & lassitudines dissolvere. *Sudorificũ. Vrina & menses.* Vrinam (Vitices) cient & menses. *Alvum sistit.* Caput tentant vini modo: nam & odor similis est. Inflationes pellunt in inferiora. Alvum sistunt, hydropicis & lienibus perquàm utiles. *Lac.* Lactis ubertatem faciunt. *Venena serpentum frigida.* Adversantur venenis serpentum, maximè quæ frigus inferunt. Minor efficacior ad serpentes, bibitur seminis drachma in vino vel posca, aut duæ foliorum tenerrimorum. Et illinuntur utraque adversus araneorum morsus: vel perunctis tantùm, suffitu quoque aut substratu fugant venenata. Ad Venerem impetus inhibent: eóque maximè phalangiis adversantur, quorum morsus genitale excitat. *Phalang. morsus. Cap. dolor ex ebrietate.* Capitis dolorem ex ebrietate sedant cum rosaceo flos tenerique cauliculi. Seminis decoctum vehementiorem capitis dolorem dissolvit fotu: *Vulva colluvies. Alvus.* & vuluam etiam suffitu vel apposito purgat: alvum cum pulegio & melle potum. *Vomica, pani.* Vomicas, panosque difficilè concoquentes, [facilè concoquit tusum cum M.] cum farina hordacea mollit. *Lichena. Lentigines.* Lichenas & Lentigines cum aphronitro & aceto semen sedat, & oris hulcera & eruptiones cum melle. *Testium duritia.* Testium [duritias] cum butyro & foliis vitium: *Rhagades sedis.* Rhagadas sedis cum aqua illitum: *Luxatio.* luxata cum sale & nitro & cera. Et semen & folium additur in malagmata nervorum & ad podagras. *Lethargia. Phrenesis.* Semen instillatur in oleo [& aceto Diosc.] decoctum capiti in Lethargia & phrenesi. Virgam qui in manu habeant aut cinctu, negantur intertriginem sentire. Hæc Plin.

Quæ Serapio habet, ex Diosc. & Gal. transcripsit.

Febres. Hydrops. Icterus. Pregnantibus inimicum. Viticis semen, ut Nicandri Schol. Græcus tradit, haustum liberat à febribus, & sudores movet. Hydropicis & splenicis auxilio est, in vesicam expurgatis humoribus. Veluti Polium confert Ictericis. Inimicum mulieribus prægnantibus: pellit embrya. Comestum & haustum steriles servat: aiunt enim extinguere flammam libidinum.

Gonorrhæa. Matth. Viticis semen ad Gonorrhæam cum aqua florum Nymphææ aut Portulacæ commendat, Et addit, scribere doctum quendam (cuius nomini parcit) in Herbario suo tùm Latino tùm Germanico, cap. de Vitice, Dioscoridem testari, quòd si quis Viticis ramulum iter faciens manu teneat, *Securitas à lupis.* securus sit futurus à Lupis. Sed bonus ille doctus, quisquis tandem fuerit, fallitur: nuspiam enim Diosc. in cap. de Vitice saltem Lupi meminit, *Cuiusdam ignorantia.* sed intertriginis, quæ Germanis à Lupo & ano deducto nomine Arßwolffen nominatur; quod vehementi equitatione potissimùm in ano & natibus acquiri soleat. Ad fugandos serpentes iubet Nicander in Theriac. Viticem multifloram substernere.

Gorrh.

Aut tibi casta Salix, pullo quæ flore renidet:
Præbeat instratá securum fronde grabatum.

SILER VETERIBVS.

CAP. XIX.

Locus. Vires. Sileris cuiusdam meminit Plinius, sed omissâ eius descriptione, eius natale solum & vires, paucis tradidit. Non nisi in aquosis (inquit lib. 16. cap. 18.) provenit.

Sileris folia illita fronti, capitis dolores sedant.

Eiusdem semen tritum, in oleo phthiriases coërcet.

Serpentes & hunc fruticem refugiunt, baculúmque rustici, autore nostro lib. 24. cap. 10. teste, ob id ex eo gerunt.

Aequivocã Evonymus Theophra. & Salix latifol. *Siler* Plinio, authore Cæsalpino, est *Evonymus* Theoph. de qua antè. Siler, ut notat apud Plinium Dalech. Aloisius esse putat *Salicem latifoliam*, *candido folio*, à cuius cinere, sulphure & Aphronitro fiat pulvis excutiendis machinis bellicis utilis.

SALICES.

CAP. XX.

SI superiùs explicatæ titulum sylvestrium arborum merentur, potiori ratione aut saltem eadem & Salices quæ sequuntur, sylvestres vocandæ. Veterum autem de Salicibus placita cum nostratum Salicum historiis indifferenter confundere, non statuimus. Quare eorum generalia de iis placita nostratium historiis præmittemus.

Salices Veterum. Salix notantibus Theophr. & Plinio, ocyssimè amittit semen, antequam omnino maturitatem sentiat: ob id Homero Odysseæ K. vel 10. dicta ὠλεσίκαρπος, id est, *frugiperda*. *Frugiperda Hom.* Eam autem dictionem scelere suo interpretatam esse secutam ætatem tradit Plinius: cùm sc. Salicis semen mulieri sterilitatis medicamentum esse animadvertit: Sed in hoc quoque, addit idem, providens natura, facilè nascenti & depacto surculo, incuriosiùs semen dedit. *Fructum ferens Cretica.* Vna tamen proditur ad maturitatem perferre solita, in Creta insula, ipso descensu Iovis speluncæ, toruum ligneúmque magnitudine Ciceris. Fiunt verò quædam & loci vitio infructuosa, sicut in Paro sylva Cædua, quæ nihil fert.

Differẽtiã Theoph. Nigra. Candida. Theoph. porrò omninò Salices inter præmadidas atque palustres arbores referens varia genera agnoscit: *Nigram*, quæ cortice nigro aut puniceo: *Candidam*, quæ candido tegitur: Quarum *illa* virgas pulchriores & ad texendum commodiores profert: *hæc* spissiores. [παχυτέρας lege pro μακροτέρας.] Tribuit autem in genere Salici folia longa, qualia & nostris sunt.

Differentia Plin. Plinius aliter distinguit in hunc modum: Salicis plura genera. Namque Aliæ in in proceritatem magnam emittunt iugis Vinearum perti-

cas ; *Alia* virgas ſequacis ad vincturas lentitiæ. *Alia* prętenues viminibus texendis ſpectabili ſubtilitate. Rurſus *alia* firmiores corbibus, ac plurimæ agricolarum ſupellectili : candidiores abrepto cortice, læves tractatu, vilioribus [melioribus, aut mollioribus Ruel. & Ch.] vaſisatq;etiam ſupinis in delicias cathedris [in quibus ignauæ ſedent totos dies mulierculæ, & cum iis molles & effœminati viri : vnde Cathedralitij Martiali] aptiſſimæ. Cæduæ Salici fertilitas denſior tonſura: nullius quippe tutior eſt reditus, minoriſve impendij, aut tempeſtatum ſecurior. Tertium locum ei in æſtimatione ruris Cato attribuit prioremque quàm Olivetis, quámque frumento aut pratis.

Salicum æſtimatio apud veteres. Planta ad vincula.

Nec tamen quia deſint alia vincula : ſiquidem & Geniſtæ, & Populi, & Vlmi, & Sanguinei frutices, & Betulæ, & arundo fiſſa, & arundinum folia, ut in Liguria, & Vitis ipſa, reciſiſque aculeis Rubi alligant, & intorta Corylus. Mirúmque contuſo ligno alicui maiores ad vincula eſſe vires. Salici tamen præcipua dos. Finditur Græca rubens, candidiórque Amerina, ſed paulò fragilior : ideò ſolido ligat nexu. In Aſia tria genera obſervant. *Nigram* utiliorem viminibus : *Candidam* agricolarum uſibus: *tertiam*, quę breviſſima eſt, quãq; *Helicem* vocant. (Hanc diſtinctionem ex Theoph. transſcripſit Plin.) Apud nos quoque multi totidem generibus nomina imponunt : *Vimineam* vocant, eandémque purpuream. Alteram *Nitelinam* (Vitellinam Ruel.) à calore, quæ ſit tenuior. Tertiam *Gallicam*, quæ tenuiſſima. Columellæ *Viminea Salicis* tria genera : *Græca*, flavi coloris : *Gallica*, obſoleti, purpurei & tenuiſſimi viminis : *Sabina*, quam plurimi *Amerinam* vocant, gracili & rutila virga.

Græca rubens. Amerina. Nigra. Candida. Viminea. Vitellina. Gallica. Differentia Colum. Græca. Gallica. Sabina.

Accommodantur prædicta inter ſe & ad noſtras.

Quæ ſanè ſingula pulchrè cum iis, quæ Theophraſt. tradit, convenire videntur. Nam primam Salicis ſpeciem, quam Theoph. *nigram* aut *puniceam* vocat, Plin. viminalem, Colum. verò Sabinam & Amerinam: Germani **Rott Weiden**, rubras Salices, Lugdunenſes etiamnum hodiè *Amerines & Ambres*, Pariſienſes *Oſier* vocant, teſte Dalech. Quod verò Plinius ait : Finditur Græca rubens, de Amerina quoque intelligendum, eiuſdem Dalech. iudicio, quòd ea ſola findatur. Nam Amerinarum Quædam rubet, quam Græcam vocant, Plin. etiam nigram, l.24.c.9. Quædam candida eſt : ideò ait Plin. Finditur Græca rubens, candidiórque Amerina, ita ut vox, Amerina, æquè ad rubentem & candidiorem referenda ſit. Secundam ſpeciem, quam Theoph. *Candidam*, Plin. *Vitellinam*, Colum. autem *Græcam* vocant : Germani **Geel Weiden**, *Salices flavas* nuncupare videntur, Tertiam quæ Theophr. *Helix* dicitur, Plin. & Colum. *Gallicam* appellant : Germani verò à tenuitate & exiguitate **Klein Weiden**, *Salices parvas* ſeu *humiles* nuncupant.

Plin. variè illuſtr.

Dalech. illa Plin. verba : *alia virgas ſequacis ad vincturas lentitia*: de Amerina, ruffa, & vitellina intelligit. Et illa. *Alia prætenues viminibus texendis ſpectabili ſubtilitate*, de nigris & purpureis. Fortè rectiùs de Gallica ceu Helice, quam & tenuiſſimam idem Plin. dixit.

Helix unde

Videtur autem *Helix* dicta à ſimilitudine Hederæ ſic vocatæ, quæ ad iuſtum Hederę modum non excreſcit : vel ἑλίκη, ut apud Theophr. legitur, dictam putat Dalech. quòd maximè flexilis ſit ac plicatilis : nimirum propter tenuitatem.

Dub. ex Plin.

Illud conſiderandum an non ſubſit aliquis in Plinio error, dum Amerinam l.16.cap.37. rubentem (ut expoſuimus) & expreſsè candidam facit : eandémque libr. 24. cap. 8. nigram. Niſi legatur, uti corrigit Curtius : Columella autem rutilam. Quæ ſi quis non admittat, videat annon Plin. & Columel. in diviſione Salicum diſcordent.

Dioſc. de Salice tradit ac ſi una tantùm ſpecies eſſet. Nam arborem dicit vulgò notam. Fructum tamen ferre non ignoravit.

Salix Viminalis. Salix Perticalis.

Cordus Salices ſic diſtinguit : *Salix Viminalis* in Francia noſtra copioſè propter Vites ſeritur *Perticalis* in Saxonia, ad Lupuli pedamenta. Perticalis eſt, quæ longiori talea ſive pertica pangitur, ea non ſingulis annis putatur, ut Viminalis, ſed quarto demùm anno. Longiorem enim ætatem Perticæ quàm Vimina requirunt. Atque hæc generum ſunt nomina. Specierum verò quę certò demonſtrari vetuſtis nominibus poſſunt, *Vitellina* & *Gallica*. *Vitellina* eſt, quæ German. **Gelbe Weiden**/ flava, & **Totter Weiden** vocatur. Frequens in Francia noſtra, cùm Perticalis tùm viminea. *Gallica* verò eſt, quæ in obſoleto purpurea profert, & omnium tenuiſſima vimina : Germ. **Harweyde**, hoc eſt, *capillares Salices* à gracilitate vocant. Porrò, (addit idem Cordus) qui Salicum figuras ignoraverint, conſulant Herbarium Fuchſij, qui plurium ſpecierum imagines delineari curavit. Pingit autem Fuchſ. duas Salices hirſutas, & unam ſine pilis, ſed abſque deſcriptionibus additis, quod non placet. Ipſe quoque Cordus minùs diligenter Salices inveſtigaſſe videtur, qui tam paucas differentias agnovit.

Vitellina noſtras. Gallica noſtras. Fuſch. & Cord. nr.

Geſnerus quoque poſtquam dixiſſet in Helvetia multa Salicum genera naſci, ſativa & ſylveſtria, addit ſylveſtrium minimam Siler appellari: & aliam quæ læto eſt folio **Salweiden**.

Sativæ. Sylveſtres.

Matth. *Salicis quatuor ſunt genera.* Nam *quædam* in tantam proceritatem aſſurgunt, ut ex eis in Liguria fiant perticæ & pali maximi uſus ad vitium pedamenta. *Aliæ* non tàm proceræ, colore ruſeſcentes, ſequacis lentitiæ, quæ ligandis cadorum vinariorum circulis commodè finduntur: Has Salices Græcas vocat Cato. *Aliæ* firmiores, corbibus, & ruſticæ ſupellectili admodum expetitæ. *Aliæ* minores ac mira tenuitate texendis caniſtris, ciſtellis, & calathis aptiſſimæ. Vt videas Matthiolum veterum differentiis contentum, differentiis noſtratium inquirendis parum inſudaſſe, ac uſum tantùm noſtratium illis accommodaſſe.

Differentia Neotericor.

Tragus *quatuor quoque Salicis genera* conſtituit Fuchſius *tria*. Dodon. *duo tantùm*. *Vnam* quæ cæterarum arborum modo in proceritatem magnam aſſurgit : *alteram* quæ ſemper humilis eſt, & vimina profert, cuiúſque cortex interdum rubeſcit, aliquando candicat, nonnunquam verò flaveſcit. Turnerus Anglus *tres tantùm agnoſcit ſpecies* : *Græcam*, colore flavo, plurimam in Friſia Orientali circa Anricum : *Gallicam*, vimine rubro, in multis locis Angliæ & Germaniæ: *Sabinam*, quæ & Amerina, quámque in Italia tantùm & Friſia Orientali inveniri ſcribit. Totidem habet figuras.

Græca. Gallica. Sabina ceu Amerina.

Anguil. in Epiſt. ſcribit : Salicis ſpecies [veterum intelligit] omnes notas. Helicam, de qua ſcribit Theophraſt. Bononienſibus nunc Viticem vocari, ex cuius virgis fiant pulcherrimæ ciſtellæ.

Helica. Vitex.

Scimus (inquit Aloiſius in exam. Muſæ Braſſavolæ) Hermolaum dicere ſe non planè compertum habere, an Salix Amerina idem quod Agnos ſive Vitex ſit : Verùm, quia nullis quod ſuſpicatur, conjecturis aut rationibus probat, propterea cum Dioſc. tecúmque ſentimus.

Amerina.

Sic Ruell. cũ aliis multis bonis ac doctis viris

farragine noméclaturarum, quæ spuriæ in Diosc. irrepserunt, deceptus, tradit Viticem autore Diosc. Salicem Amerinam à Latinis appellari, cùm inter has duas stirpes multùm intersit, doctissimorum Herbariorum quoque calculo, ut in historia Viticis ostensum. Enimuerò sanè si Salix sit frugiperda, uti Hom. cecinit: Amerina, si Vitex sit, non omnis Salix erit frugiperda.

Amerinam non esse, Viticem

Scaliger sanè ad lib. Arist. de plantis annotavit, eum [si modò is liber eius est, quod Scal. negat, plausibilibus sanè argumentis.] contradicere sibi de sterilitate Salicis. Suprà namque [inquit] Salicis brevioribus ramis flores attribuebat: nunc amovet à toto genere fructum. At Amerina, si ex multorum sententia sit in Salicum censu: suis baccis sive granis infirmet hanc sententiam. Quibus Scal. verbis facilè intelligi potest, eum per Amerinam, Viticem, quæ grana fert, intelligere.

Arist. contradicit sibi de sterilitate Salicis.

Amerina an sit in Salicum censu.

Nos & alias Salices fructiferas, mox dicendas, observavimus ita ut saltem in iis edictum Homeri corruat: nec omnes sint frugiperdæ.

Homeri & Arist. error.

Eodem errore & Arist. quoque lapsus est, qui lib. 1. cap. 18. de gen. animal. scribit nec Salicem, nec Populum semen aut fructum proferre. Verùm in utrisque semina observamus, quanquam non in omnibus Salicis speciebus. Et ex semine Salices natas infrà dicetur.

Arist. not.

Remittit Tragus lectorem ad Arist. lib. de iuventute & senectute c.3. de Salice tradentem, quo tamen loco ne verbulo eius meminit. Alio quidē loco monet florem Salicis apibus gratum esse.

Tragus reprch.

Scalig. annotat, se Salicem sine ullo medullæ momento vidisse.

Salix sine medulla.

Cronemburg. lib. 3. de comp. med. scribit Plinium lib. 16. cap. 38. octo Salicis genera proponere: Quæ tamen omnia ex Plin. verbis, nostra diligentia extorquere nondum potuit. Herbam porrigemus ei, qui id præstiterit.

Cronemb. carpitur.

Cæterùm in constituendis Salicum differentiis, respicias licet, *vel ad locum*, in quo nascuntur: vel *ad usum*: vel *ad corticis colorem*, ex quibus fontibus suas potissimùm desumpsit differentias Dalech. in Hist. Lugd. Nam, inquit, Salices *alia* sunt ὑδροφιλεῖς id est, aquaticæ: *alia* sicca loca non dedignantur, ut Amerina, quæ in vinetis, quantumvis aridis & siccaneis passim prosilit. *Aquaticarum alia* pigris & stagnantibus aquis gaudent, & ad rivorum fluviorúmque margines, leni lapsu fluentium, vel pingue crassúmque solum rigantium proveniunt. *Alia* glareosis, lapidosis, arenosisque torrentium & rapidorum amnium ripis. Ex corticis colore, candido, nigro, phœniceo, luteo, *differentia alia* sumuntur. Quæ ut ingeniosè quidem à perdocto viro tradita sint, tamen non omnes Salicum differentias exactè designare possunt. Sunt enim & *alia* à magnitudine seu proceritate, à panniculi seu floris specie, à figura foliorum, à fragilitate & lentitia virgarum &c: Immò & ab ipso quoque fructu: Vt nihil dicamus de exoticis Salicum speciebus infrà tradendis.

Unde differentia Salicum constituantur.

Quas C. Bauh. diligentia consignavit, ita habent. Salix alia *perticalis*, alia *Viminalis*. *Perticalis*, quæ vulgaris & prima, vel est *sterilis*, flores ferēs amentaceos ante folia, vel est *fructifera* ferens racemulos, Populi instar oblongis granulis. *Viminalis* variat *colore, corticis magnitudine & fructu*. Colore est cortex albo seu pallido, *Gallica* dicta: nigro, *Phœnicea* Theoph. *Purpurea* Plin. Luteo, *Græca* dicta, *Vitellina* Plinio: Cinereo quæ *latifolia* seu *aquatica*. *Magnitudine alia viminalis magna, alia parva*. *Magna*, quæ secunda est Salix, purpurea nigra Viminalis, cui peculiare, quòd ad cuiusque folii petiolum gemina semper sint foliola, μελανόφλοιος Theoph. Tertia: Salix, phoenicophloios, sive phœnicea. Quarta: Salix lutea. Quinta Salix Latifolia, quam aliqui Elæagnon Theoph. censent, quæ duplex, alia folio oblongo, quæ *Salix Caprea* latifolia Tab. alia folio rotundo, *Salix* 4. Trago. 6. Salix angustifolia. 7. Salix longissimis foliis, Elæagnos Hist. Lugd. *Parva* variat foliis latis & angustis: Latis, Salix humilis repens, quæ duplex apud Clus. in Hist. Pan. hæc octava est & nona. 10. Rotundifolia infrà describenda. Angustifolia duplex Clus. undecima & duodecima. 13. Salix Helice Hist. Lugd. quæ baccas fert rubentes & caput squammis compactum. 14. Salix marina, quæ testis ostrearum & saxis in mari adnascitur. Fructu variat quòd alia sterilis, alia fructifera, ut suprà dictum. Quas omnes differētias mox ita proponemus, ut vel ex titulis quovis obiter industrio Herbariæ studioso dignosci à se invicem queant, ubi priùs nomenclaturas generales dixerimus, & alia quædam generalia.

Differentia C. Bauh. Perticalis. Viminalis. Sterilis. Fructifera. Gallica. Phœnicea Theoph. Purpurea Plin. Græca, Vitellina. Latifolia. Magna. Melanophloios Theoph. Phœnicophloios. Lutea. Elæagnos Theoph. 6. Salix Caprea. Angustifolia. Parva. Humilis repens duplex. Rotundifolia duplex. Helice. Salix marina.

Græci ἰτέαν vocant. Lat. *Salicem*, quòd ea celeritate crescat, ut *Salire* videatur, uti Festus & Maurus Servius volunt. Arab. *Baless, Bhulle. Saffaf*, aut *Chaliſ* dicitur, & ut alii volunt, *Safas* quoque apud Avic: Iudaicè *Araf*. Germ. Weiden/ Weidenbaum/ Felbinger/ Felber. Belg. Wilghe/ Wilghenboom. Gal. *Saulx* & *Saule* & *Sarlge*. It. *Salice, Salzico*. Hisp. *Sauze, Salgueiro*. Angl. Widoerstree aut Salloerstree: Borealibus, Saughestree. Bohem. Wrba Lugduni Salices viminales dicuntur *Ambres*, quum Burgundis & Montbelgardensibus fructus Rubi Idæi, ita dicantur. Ramus Salignus Græcis ῥὶψ, aut vimen flexile à ῥίπτω, quòd ob lentitudinem flectatur. Trunci summum rustici *Caput* vocant.

Nomina & Synonyma linguar.

Salicem Poëtæ variis epithetis ornarunt: unde Virgil. Ecl. 1.

Epitheta.

----Salices carpetis amaras

Animalibus tamen, maximè Capris dulcis est: Valdè enim appetunt eas. Lenta Salix eidem. Vnde etiam Ovid. Metam 4.

Lentior & Salicis virgis.

Et Idem Virg. Georg. 2.

Et glauca canentia fronde Salicta.

Item eodem lib.

Incultique exercet cura Salicti.

Amnicola & *curua* Ovid. Fœcunda *viminibus* Virg. *Tenera* Lucret. Dicta & *cana, viminalis, perticalis, silvatica, fluminea, amnicola, umbrosa, erratica, resonans, opaca &c*: Malè verò frugiperdam dictam Homero dicas, si omnem intelligat: benè, si aliquas tantùm. Nam aliquas semen ferre mox patebit, & ex semine quoque nasci à Trago & nobis observatum.

Salix munda apud Iurisconsultos, ea dicitur quæ omni spurcitia & frondibus liberata & purgata est, aptaque & ad viendum & alligandum: ut quum ex arundine iuga fiunt, aut pedamenta adminiculáque vitium. Verba Iuris Consulti sunt: Et Salicis mundæ annua librarum viginti millia. Turneb.

Salix munda I C.

Qui *Salicis spumam albicantem* adnotatam reliquerit, inquit Matth. inveni neminem: quæ delapsis statim floribus, è ramusculis uvæ modo dependet, donec ventis arrepta huc & illuc, plumæ modo, impellitur. Sed parum attentè Matth. legisse videtur Plinium de Salicibus tradentem, qui apertis verbis scribit. Salicis Fructum antè

Salicis spuma.

maturitatem in araneam abire: quà aranea nihil aliud, quàm id, quod Matth. spumam vocat, intellexisse videtur.

Salicis succum triplex. Diosc. succi Salicis vnius tantùm meminit: At Plin. Salicis succum trium generum esse prodidit. *Vnum*, quem arbor ipsa exudat gummi modo. *Alterum*, qui manat è plaga cùm floret, e: ciso cortice trium digitorum magnitudine. *Tertium*, qui detruncatione ramorum à falce [Salice Dal.] destillat, quorum vires infrà dicentur. Nunc nobis observatas differentias proponamus.

SALIX MAXIMA, FRAGILIS, ALBA, HIRSVTA.

Descriptio

SALICVM maxima in magnam excrescens arborem, *Folia.* foliis est alternatis, rarioribus, semunciam plusminùs latis, sescunciam aut duas uncias cum dimidia longis, utrinque hirsutis & incanis, (prioribus tamen nonnunquam glabris) potissimùm verò parte inferiore, ac in extremitatibus virgarum supremarum. Est & ubi superior facies pilis propemodum destituitur. Sed & in eo variant, quòd interdum serrata sunt, interdum crenæ, vixdum apparent. Virgis, ut post describendæ, adnascuntur multæ florum Spicæ, molles & incanæ, quæ maturitate in pappum abeunt. Cortex cineraceus aut rubescens, vimen fragile. *Florum spica. Cortex.*

Salix alba Theoph. Hæc Theophr. nostro iudicio ἰτέα λευκή, Salix alba est, cui album tribuit corticem, ad differentiam nigræ, & virgas spissiores [πυκνοτέρας: quanquam alij εὐθραυστοτέρας, id est, fragiliores legere malint.] *Amerina Plin.* Eadem Salix Amerina & Candida Plin. Perticalis Colum. qua ad vinearum perticas etiamnum hodiè locis quibusdam utuntur. *Fuchsii error.* Scimus Fuchsium aliam pro alba Theophrast. intelligere, nempe flavam: verùm ea non habet spissiores virgas nigrâ, sed graciliores. Præterea omnia meliùs quadrant cum ea quam exhibemus.

An de hac Virgil?

Glauca canentia fronde salicta.

Glaucedo sanè optimè quadrat. Fortè Perticalis Cordo, quamvis ad luteam referat. Salix candido vestita cortice, fragilis: **Die Andere Weyden / weisse mürbe / Bruchweiden** Trago. An eidem Salicis 3. genus: **Bruchweiden / & Weißweiden**, sicut & Taber. vocat? An hanc Clus. intelligit in Pan. cùm ait: In Insula Danubij, quæ è regione Posonij est, altissimas & crassissimas Salices vidisse memini: Maxima prægrandium Visci fruticum copia onusta. *Viscum Salicum.* Et nos quoque iuxta Fontem frigidum, *Froidefontaine* Burgundis dictum oppidum, hanc ipsam Salicem, de qua hic agimus, ni multùm fallimur, Visco refertam vidimus: ut hanc Clusium intelligere vix dubium sit. An Salix alba perticalis Hist. Lugd. cui potissimùm convenit quod scribit Plin. l. 16. cap. 37. Cæduæ Salici densiorem esse tonsura fertilitatem, & brevi ligno [non pugno, ut mendosi Cod.] veriùs quàm ramo, &c. Primum genus Dalec. sententia, inquit Hist. Lugd. dicimus esse vulgarem Salicem, in magnam arborem crescentem, cortice candido, quæ Theophrast. & Plin. est Salix alba, prior, arborescens, & perticalis. *Salix vulgaris. Salix alba.* Nec Fuchsij placet opinio, qui Salicem Theoph. albam Plinij Vitellinam, id est, flavam, esse putat: quoniam in flava Salice virgas πυκνοτέρας, spissiores, quàm in nigra non videmus, vel ut quosdam legere diximus, εὐθραυστοτέρας, fragiliores: quas tamen habet alba Theophr. autore: sed tenuiores Plin. sententia, vel ut legendum censemus, firmiores.

Cæterùm folia habet Salix hæc arborescens oblonga, angusta, Oleæ similia, supernè virentia, infernè candicantia.

Non displicet in H. Lugd. poni pro Salice hac nostra figuram ex Matth. sub hoc titulo Salix alba Perticalis vulgaris.

Locus. Crescit in locis madidis, circum prata rigua maximè. Ex hac Lugdunum perticas longas advehunt pro hortis, *Maiere* vocant. Observantur etiam circa Genevam, Basileam, Montbelgardum, & aliis multis locis.

SALIX PVMILA ANGVSTIFOLIA, INFERNE' LANVGINOSA: eiúsque varietas.

Descriptio INVENITVR porrò authore Clusio in Pannoniæ & Austriç quibusdam depressis cæduis sylvis & vliginosis pratis, Salicis genus quoddam gracilibus & cubitalibus interdum virgis assurgens, lentis, quę à medio ad summum ramulorum, multas ferunt exiguas florum spicas, molles & incanas, maturitate in pappum & lanuginem abeuntes: *Florū spica* folia quàm pumilæ augustifoliæ prona parte cinereæ & postea describendæ breviora, angustiora supernè viridia, infernè cana lanugine pubescunt & splendent *Folia.* Radix digitum crassa est, & tenuibus fibris prædita. *Radix.* Sed & virgulta secundum summum radicis caput, quà telluri cohærent, subinde tenues & capillatas fibras agunt. Nec huic dissimilis, paulò tamen latioribus foliis prædita, quæ passim in sabulosis Hollandiæ aggeribus Oceano adiectis inter gramina & spartum, *Alia similis* Salm illis nuncupatum nascitur.

SALIX ANGVSTIS ET LONGISSIMIS FOLIIS CRISPIS, subtus albicantibus.

Descriptio Cortex. VIRGAS cortex virescens obvestit, aut cineraceus, súntque ex longissimæ & simplices, nullis adnatis virgultis donatæ, obsequiosæ admodum: *Folia.* Folia quoque longa admodum, angusta, & crebro agmine ramos stipantia, superiùs virescunt, inferiùs cum nitore ad obiectum luminis vario canescunt, a nervo medio

medio obliquis in margines nervulis exporrectis, in ambitu crispa magna ex parte, quod pictor noster exprimere neglexerit.

Excrementum. In hoc genere excrementum Gallæ simile foliis adnatum observavimus. *Elæagnus Dal.* An Hist. Lugd. Salicis 6. genus: quod Dalech. Elæagnum arbitratur, in sabulosis nascentis propè rapidos amnes duntaxat, ut ad Rhodani ripas? An Clus. Pan. Vulgaris Salix, quæ foliis alioqui angustis, prona parte incanis? An verò Amerina ex qua corbes fiunt. *Locus.* Et hæc riguis gaudet locis & pratis, cuiusmodi in locis circa Montbelg. & in Ducatu VVirtemb. inter Bol, vbi admirabile balneum, & Wysenstrig observavimus, aliisque non paucis. *Usus.* Ex hac potissimùm, quòd vimina proferat longissima, sine adnatis, & lenta, plectuntur quasilli, sportulæ, vanni, cathedræ & anaclinteria.

SALIX TENVIOR, FOLIO MINORE, VTRINQVE GLABRO, fragilis.

Descriptio. Folia. VTRAQVE parte glabra sunt huius folia, aliàs uncia non longiora, aliàs tres uncias longa per ambitum ut plurimùm crenata, ex adverso ferè posita. *Nucamenta.* Nucamenta producit hoc genus longa, racemosa, è plurimis vasculis ceu acinulis, qui in duas carnulas dehiscentes, *Lanugo.* lanuginem ostentans, *Flosculi.* præcedunt tamen muscosi flosculi, quibus iam iam defluere incipientibus ad nucamenti fastigium adnascitur *Bombycinu excrementum.* excrementum quoddam bombycinum, unciâ longius, candidum, lanâ tum substantiâ fungosâ, tum etiam colore per omnia referens, teres, atque oblongum, quod si quis aperit, in eius meditullio *Insectum.* insecti quoddâ genus minimum reperit albicans, pediculum capitis æquans, in eo tamen differens, quòd teres sit, atque oblongiusculum, depes, nullámque progrediendi vim in se habens.

SALICIS RACEMI SEV NVCAMENTA, ROSÆ ET CAPITULA squammata.

Cæteroqui notandum, quòd in exteriori parte excrementi huius flosculorum lutei apices toto se proferant ambitu, exteriúsque suis finibus conspiciantur, suis tamen longioribus petiolis excrementitiæ substantiæ toti involvantur, obtegantúrque. Observavimus quoque excrementum producere in ramulorum fastigio, *Excrementum rosæ æmulum.* Rosæ æmulum, foliis confertim stipatis compactile, partim hirsutis, partim glabris. Icon prior quam iam sculptam emimus minùs placet. De hac sic Hist. Lugd. Dalech. Salicis quintum genus omnium brevissima, Helice fructifera, à nigra certè & alba diversa, quamvis pumilam in eo utroque genere, ut diximus, Theoph. esse tradat: virgas tenuissimas, maximéque exiles profert, cortice subluteo vestitas. Huic folia paribus semper intervallis gemina, cùm in aliis generibus temerè, nullóque ordine disposita sint, candicantia sed non lanuginosa, brevissima, conferta, in ambitu minimè crenata, protuberante semper ad foliorum radicem velut novo aliorum conceptu, quod huic proprium est.

Vesicæ. Porrò sæpè foliis insident Vesicæ, quales in Vlmi foliis reperiuntur, subrubentes. Ramorum autem vertici foliosa capitula, delapsis iam foliis in arbore manentia. *Rosa Salicea.* Quare hanc Salicem, ut autor est Theoph. fœcundam esse Arcades existimarunt. *Salix Helice Theoph.* Est enim hæc Salix Helice Theoph. eiusdem Dal. iudicio.

An Fuchs. Salicis genus 3. Klein Weiden: Helix Theoph. Gallica Plin. & Colum. Gesnero Salix minima Siler dicta. Baartweiden, in margine ad Cordum, dubitamus tamen an Cordus hanc nostram intellexerit.

Vitice. An Anguil. Salix Helica Theoph. *Vitice* Bononiensium, ex qua fiunt pulcherrimæ sportulæ.

An Matth. Salices minusculæ ac spectabili tenuitate, texendis canistris, cistellis ac calathis aptissimæ. *Salix angustifol. Pan. Clus.* An Clus. in Pan. Salix angustifolia Pannoniæ genus peculiare, iuxta torrentes & udis locis nascens, crasso caudice, & ramis in multos tenuiores frequentioresque ramulos divisis præditum, quàm vulgaris ea Salix, quæ foliis alioqui angustis, prona parte incanis est. *Folia.* Eius, inquit ille, præterea folia, licet subtus canentia, supernè cum virore alba quadam lanugine pubescunt, angustiora sunt, in longiorem mucronem desinunt, frequentioráque in ramulis nascuntur. *Flores. Semenque.* Flores item aliis generibus similes, pallidi; Semenque minutissimum, nigrum, candida mollique lanugine exceptum, levis auræ arbitrio huc illuc fertur. *Tubercula.* Solet etiam hæc Salix aliâ quâdam notâ à cæteris distingui, quòd plerumque tuberculis quibusdam subrubentibus baphico cocco ferè similibus folia onerata habere conspiciatur. Vienna torrens, qui sub Vienna urbe in Danubium influit ea maximè abundat.

Salix rosea. An Gerardo in hist. Angl. Salix 5. Rosea Anglica: The English Rose Willow.

Locus. Passim in pratis & riguis fossis circa Basileam, in Ducatu VVirtemb. Alsatia, Brisaci ad Rhenum, Genevæ ad Rhodanum, Montbelgardi, ubi & in horto Principis tùm hæc tùm aliæ plures Salicis species Labyrintheum hortum efficiunt fossâ aqua plenâ undique cinctum.

SALIX PVMILA ANGVSTIFOLIA, PRONA PARTE CINEREA.

Descriptio. HUic generi, notante Clus. graciliores sunt virgæ, ut plurimùm pedales, nonnunquam



dodrantales duntaxat, rectæ, lentæ, subflavo cortice tectæ. *Folia.* Uncialia folia, sativi Lini foliorum modo angusta, supina parte viridia, prona vero cinerea, & cùm novella adhuc sũt, omninò cana. *Flos.* Flos ut in vulgari flavescens, exigua, brevi, mollique spica ante folia nascitur, at in candidam deinde lanuginem resolvitur. *Radix.* Radix digitalis crassitudinis, obliqua, nigra, & tenuibus fibris donata est.

Locus. Crescit in udis cæduis sylvis infra Francofurtum ad Mœnum.

SALIX HUMILIS REPENS ANGUSTI FOLIA LOB.

Descriptio & locus. ERICETIS Antuerpiani agri palmaribus & sesquipalmaribus cauliculis repit, *Folia. Flores.* foliis Rhamni 1. & floribus muscosis. Salicis gustu amaro, Lob. Salicis huius figuram sine descriptione ponit Dod. Lobelij verò descriptio proposita brevis admodum. *Icon.* Icon sanè ab utrisque proposita nos movit ut ab aliis separaverimus. Antuerpianos herbariæ studiosos hortamur, ut exactiùs describant & moneant, an alicui à nobis descriptis conveniat.

SALIX LUTEA, TENUIOR, SATIVA, VIMINEA.

Descriptio 1. IN pulchras arbores adolescit hoc Salicis genus, quorum vimine, nullum nobis notum ligandis vitibus similibúsque aptius, tanta est tamque lenta rupturæ secura flexilitas, ut meritò viminea κατ' ἐξοχὴν dici mereatur. *Cortex. Folia.* Cortice integitur vitellini coloris; amaro. Folia rara, acuta, palmum circiter longa, semunciam lata, *Sapor.* supernè cum virore splendentia, glabra, incana, infernè nonnihil pilosa, potissimùm superiora, exiguis per ambitum denticulis crenata, nullo manifesto amarore prædita, adstrictionem quandam præ se ferentia. *Varietas.* 2. Ab hac differre volunt Sa-



licem illi per omnia similem, cuius tantùm cortex pallidior, & quę non minoris usus, etsi minoris commendationis. Ex Fuchsio figura nostra crenas parum feliciter exprimit, quæ obscuriores paulò, solēt esse quàm in Salice rubra. At in hac icone pinguntur veluti pili rigidi.

An Matthioli Salices non tàm proceras, colore rufescentes, sequacis lentitiæ, quæ ligandis cadorum vinariorum circulis commodè finduntur? Talis sanè nostra hæc est. Salicis 2. genus, Gerle weiden & Bachweiden/hoc est, Lutea & aquatica, eidem. Clus. in Pan. scribit: Salicem vulgarem luteam sive pallidam Ungaris Saar fiz vocari. Salix 4. Vitellina. Salix Græca Taber. qui & aquaticam cum Matth. vocat, cùm tamen minùs quàm aliæ sit aquatica, etiamque nonnihil siccis locis proveniat. *Fuch. proh.* Hanc Fuch. Salicis 2. genus, Candidam Theophr. & Plinij Vitellinam, Columel. Græcam facit. At nos Candidam Theoph. non eandem censemus cum Plinij Vitellina, uti iam dictum sub Salice alba, foliis utrinque hirsutis. *Salix Vitellina Plin.* Statuimus tamen & nos Salicem hanc Vitellinam Plinij. Cordus etiam Dotterweiden vocat, & duûm generum facere videtur, quando frequentem in Francia dicit, cùm Perticalem, tum Viminalem. Tertij generis Salices luteæ Trago.

Locus. Hæc si quæ alia passim colitur ad vites & hortorum septa nectenda. Ex hac potissimùm Labyrinthus in horto E.C. Montbelgardensi nostra cura factus. In Alsatia potissimùm circa Ruffacum etiamque circa Basileam proceras arbores quales alibi non vidimus, observavimus. *Cultus.* Ramos crassiores præsectos contorquent & connectunt, ut deinceps veluti scalas ostentent, pluresque eiusmodi, annuatim sibi invicem incumbentibus, mirabili figura.

SALIX SPONTANEA FRAGILIS AMYGDALINO FOLIO, AURICULATA & non auriculata.

Descriptio. Cortex. Sapor. Folia. SPONTANEA hæc Salix cortice obtegitur atrorubente rariùs albo, vehementi adstrictione cum levi amarore prædito. Folia longa, mediocriter lata, mucronata, lenticulata, tàm suprà quàm infrà, virentia & glabra, *Auricula.* quorum pediculo brevi auriculæ binæ crenatæ appositæ: *Sapor.* sapor his potenter adstringens minùs amarus quàm luteæ. Virgulæ tenuiores flexum vix ferunt nisi torqueantur, maiores rumpuntur. Mirè ludit, folia modò auriculata, modò auriculis carent: cortice vestitur modò albo, modò purpurascente. Pictor vel potiùs sculptor paucorum foliorum crenas ritè expressit, reliquis ignoranter pilos affinxit.

An

Siler.

An Anguil. epist. 4. Siler arbor species Salicis, foliis latioribus reliquis Salicibus: Patavinis *Salice aquarola*, ramis valdè lętis. Quod postremum sanè huic nostræ non convenit.

Melanochlaros. Salicis 2. genus Dalech. purpurea cortice obscurè, purpurascente, quam *μελανόφλοιον*, id est, cortice nigro amictam Theophrast. & Asiani vocant, Plin. Purpuream: foliis venosis, obscurè virentibus, in ambitu serratis, ad folii cuiusque, petiolum geminis semper foliolis subrotundis, quod peculiare nacta est. *Purpurea Plin.*

In Hist. Lugd. supra figuram, Salix purpurea nigra viminalis. Quanquam minùs viminea sit cæteris plerisque, uti dictum.

Taber. duas proponit icones sine descriptione; Utramque serrato folio: hoc titulo: Salix silv. latifolia, Breit seilweiden. & Salix sylv. angustifolia Schmal seilweiden. Prior huic nostræ respondet: posterior cui respondeat nescimus. *Taberna. & Gerardi [illegible].*

Sic & Gerardus utramque Tab. iconem, his nominibus: 1. Salix, The common Willow. 2. Salix aquatica, The Ozier or Water Willow. Nec benè destinguit eas.

Locus. Provenit hæc in fluminum sabulosis ripis, quæ præcipiti cursu verticosa ruunt, ut Rhodani teste Dal. Observavimus etiam in valle fontium acidorum Griesbach cortice albo. Basileæ in dumetis non uno loco. Montb. passim ac etiā in horto. *Cortice albo.*

Usus. Hæc si Plinii purpurea sit, ut vult Dal. nec refragamur, viminib' texendis ita [illegible] virgas tenues præbuit, quibus corbes, sportas, qualos, canistra, fiscinas & id genus alia utensilia vasaque conficiebant spectabili subtilitate.

SALIX RUBRA MINIME FRAGILIS, FOLIO LONGO ANGUSTO.



Descriptio. 1. Magni usus est hæc Salix apud hortulanos, si quid ligandum: cuius *Cortex* cortex intensè rubet: folia oblonga, acuta utrinque, glabra, sed subtus nonnihil candicantia, argutis denticulis undique crenata. *Vimen.* Vimen lentum, & ut liber, obsequiosum. Huc pertinet & illa varietas, quæ vulgatior, cortice minùs rubente, *Varietas 2.* forte & foliis latioribus.

Nostra figura, quæ Fuchsiana, minùs benè crenas exprimit, cùm pilos potiùs ostentet. Hæc Throph. *Salix nigra: & Salix Græca rubens, & nigra Asia, eadémque viminea purpurea* Plin. *Salix nigra Throph. Græca Viminea Plin.*

An Cordo Salix Gallica, Sal Weiden? Scimus tamen Gesnerum hanc ad aliam speciem referre.

Salix rubra Viminalis, Rote Bandweiden / Trago.

Salicis 1. genus, Rotweiden / Sabina & Amerina Colum. & Fuchsio. Quanquam difficile sit iudicare an sit Sabina & Amerina, quum Colum. dicat rutilam esse: Plin. autem uno loco candidam faciat, altero nigram. Fortè ut nos, ita & Plinius varietates observavit. *Sabina, Amerina Colum.*

Salices rubræ Matthiol. Salicis 4. genus: Salix Phœnicophlœos sive phœnicea Hist. Lugd. quòd eius cortex palmularum colorem referat: unde & nomen: folio purpureæ similis, minùs serrato, ad cuius exortum nullæ foliorum appendices emergunt, qua nota ab illa facilè distinguitur, viminum & virgarum pari gracilitate. *Phœnicophlœos.*

Salix punicea Sabina, & Salix Viminalis, Rote Baumweiden Tabern.

An Clus. in Pan. Salix rubra, Ungaris dicta Fiz fa.

Et hæc passim in pratorum & hortorum marginibus colitur. Est & spontanea, infrequens. Montbelgardi & Basileæ abundat. *Locus.*

SALIX LATIFOLIA INFERNE HIRSUTA.

Descriptio. Latifolia Salix ex foliorum argumento nobis dicta, cuius folia interdum palmum aut sesquipalmū longa, latitudine quadrantali aut etiam palmari, nervosa, sunt & minora, prona parte incana & hirsuta, supinâ verò viridantia, *Folia.* sapore adstringente sine morsu aut amarore, pediculo semunciali *Sapor.* cui sæpè auriculæ caulē amplectentes adnatæ. *Auriculæ.*

Catulos profert staminulis crocantibus plenos, quos seorsim fabrè appinximus: quibus succedit in receptaculis racematim cohærentibus lanitium quoddam candidum. Vimina crassiuscula, incano hirsuto cortice amaricante tecta, tuberculis aliquādo ex dulcedine leviter adstringentibus nodosa, fragilia. Interdum cortex veluti fuligine obductus videtur. *Catuli. Racemuli. Lanitium. Cortex. Sapor.*

Hanc ex pictura potiùs quàm descriptione apud Tragum agnoscas, quam postremum seu 4. Salicum genus facit, & Seilweiden vocat, quasi verò & ipsa viminis officium tam egregiè præstet, ut vox illa Seil, quæ funem denotat, insinuat. Rectiùs Gesnero *Salix sylv. latifolia* & Salweiden dicta. *Salix aquatica*. Lob. *Salix caprea.* *Tragus not.* *Salix caprea.*

prea rotundifera, Rund Seilweiden: & Salix caprea latifolia Breit groß Seilweiden Tabern. nam duas icones habet sine ulla descriptione, nec docet quâ in re differant, instituto tenuis & iconic. Salix sanè illa multùm variat: nolumus tamen ideo species temerè multiplicare, quod Arist. edicto cautum. Eundem sequitur Gerardus Anglus, & priorem The Goate round Leafed Willow: Posteriorem The Goate broad Leafed Sallow vocat. An Anguil. epist. p. 64. de hac: Elæagnus Theophr. apud quem pro ... , id est, Fraxino; legitur ... , id est, Pomus. Manifestè apparet similiorem Fraxino quàm Pomo: verùm nonnihil pilosa. Flos similis Populo albæ, sed minor. Fructum non fert. Invenitur in Vmbria in ... , & in Abruzzo, ad fluvium Sanguine. Patavinis Zevigole dicitur.

Taberna. prob. ... Gerard.

Elæagnum Anguill. Theoph. ...

An de hac Clusin. Hisp. Elæagnus Theoph. nihil aliud videtur, quàm Salicis genus, quod Arrabarenses Salegyre nominant. An eidem in Pan. l. 1. c. 27. Salix latifolia aquatica Ke fortyefa Vngaris dicta. An eidem ibid. c. 28. Salicis genus quod Elæagnum Theophr. censent. Item: An idem de hac in Hist. in fol. 1. c. 21. ... Theoph. videtur Salicis genus esse: & aliquando illud esse existimavi; quod secundum aquas nascens, ampliora, candidioraque habet folia quàm cæteræ Salices, ad Mali folium nonnihil accedentia, sed longiora: florem seu iulum mollem, villosum, candicantem antè quàm sese expandat, Populi albæ iulo similem: Lignum reliquis salicibus lentius, & ad multos usus utile. Omnia sanè pulchrè huic nostræ Salici competerent, nisi diceret lignum lentius: quod facit ut dubitemus, quam intelligat, nisi ipse fortè in ligni iudicio deceptus sit. Nec ausimus asserere de qua Salice scribat Goropius in Adriaticis lib. 7. Salicis riparia genus illud, quod folijs est, quàm cæteræ albioribus Wermenheut nominatur &c. Hunc fruticem Theophr. Elæagni nomine descripsit, & flos ei Populi sed minor. Florem hoc loco Theoph. pro ... posuit &c. ... Nostri dubij occasio quòd in præsentia Goropij codex nobis non sit ad manus: quódque hæc nostra Salix cæteris non albidior videatur.

XV. Salix latifolia Clus.

Salix riparia.

An Matth. hist. German. Seilweiden aut Seilen.

Hist. Lugd. Dalech. Salicis 2. genus: Salix Platyphyllos, sive Leucophlœos, id est latifolia & candido cortice, quam quidam pro Elæagno depinxêre. In convallibus altissimorum montium & frigidissimorum Segusiani tractus, ad fontium scaturigines, & stagnantes in pratis rivulorum aquas huius generis arbuscula nascitur, velut abortiva, folijs tàm exiguis, ut teruncio ampliora non sint, rotundis: confertim stipatis, supernè ac infernè candicantibus & lanuginosis, toto frutice non altiore palmo, quem ob brevitatem, & ita compressam ramusculorum ac frondis congeriem pro Salice vix agnoscas.

Salix Platyphyllos Leucophlœos.

Abortiva huius generis Salix humilis.

Folia parva.

Porrò in Hist. Lugd. duæ ponuntur figuræ eiusdem arboris: una titulus: Salyx Platyphyllos Leucophlœos: altera platyphyllos Leucophlœos Dalech. quæ melius placet, quanquam neutra valdè bona sit.

Hist. Lugd. taxat.

Locus.

Gignitur in solo macro arenoso, lapidoso quoque, eodem teste, sed udo, ad torrentium margines, & in sylvis umbrosis: præsertim quà collectis in lacunas aquis terra humescit, aut quà fontium scaturigines prosiliunt. Basileæ propè Leuzach, etiamque in montibus vicinis: Genevæ in colle Abbatiæ: in valle Griesbachiana propè fontes acidos: Monthelgardi passim & in horto Labyrinthea Principis. In Alsatiæ multis locis, aliisque Iuli Iulio comperimur.

Salix Platyphyllos, notante Dalechampio, ... cortice est rubro, quod huic generi proprium est, exteriore ad ligandum apto, ut ex ligno contuso, ac intorto. Quamobrem eo rustici Allobroges lignorum fasciculos, quos venales in oppida comportant, vinciunt. Igne fragiliore quàm Salicis primo loco à nobis descriptæ. Huius carbo citissimè ignem concipit. Quapropter ad pulverem excutiendis bellicis tormentis necessarium utitur. Præstat etiam delineandis iis, quæ pictores ante accuratam operam imitanda sibi proponunt.

Tempus. Vius.

Vimina.

Carbonis ad pulverem tyrium.

Carbo pictorum.

SALIX LATIFOLIA NON HIRSVTA, CVM GALLIS.

Est & aliud Salicis latifoliæ genus, cuius folia non ad maximam prioris latifoliæ latitudinem accedunt, mediocribus tamen eius generis paria & serrata, verùm nec suprà nec subtus hirsuta, neque etiam candicantia, sed lævi glabritie viridantia, cortice vimen obtegente nigro: quæ ob id, nisi folia essent lata, ad nigram Theophr. referri posset. Lugduni collegimus cum Pilulis in folijs.

Descriptio.

Folia.

Cortex.

Locus. Pilula.

SALIX PVMILA LATIFOLIA PRIOR ET SECVNDA CLVS.

Montium herbosa & aperta iuga pumilas Salices alunt. Prior virgas habet minimi digiti crassitudine, humi fusas, pedales, interdum etiam maiores, frequentibus præditas ramulis, qui sursum attolluntur, & inter gramina emergunt uncialibus ferè folijs oblini, supernè viridibus & splendentibus, infernè subcinereis, & quodammodo canescentibus, non multùm absimilibus Vitis Idææ 2. folijs. Fert ea in tenellis ramulis flosculum

Capitula. rum molles spicas: quibus succedunt capitula ut in maiore & latifolia Salice, quæ matura aperiuntur *Tempus.* Augusto, mollémque lanuginem fundunt, *Granum.* in qua pusilla nigra grana latent. *Radix.* Radix admodum crassa est, pro plantæ tenuitate, crassisque & obliquè sparsis fibris firmata.

Posterior similes fundit virgas, humi etiam iacentes, nonnunquam paulò longiores, magis scabro cortice tectas, & in frequentiores ramulos divisas, quas similia cum superiore *Folia.* folia ambiunt, magis mucronata, supernè viridia, infernè splendentia, licet tenui lanugine pubescant. *Flores, sive iulus.* Huius florum spica sive iulus crassiusculus est, illi penè similis, qui in latifolia Salice nascitur. *Radix.* Radix cum superiore convenit, imò crassior quodammodo videtur, non minùs quàm illa disperfa, virgis etiam secundum radicis caput interdum fibras agentibus. *Synonyma.* Describit Clus. sub Salicis pumilæ latifoliæ prioris, & alterius pumilæ latifoliæ titulis. *Salix pumila,* Klein Weiden Tab. *Salix 6. humilis,* The lowe Willow Gerardo. An *Saliunca repens.* Camer. apud Matth. hist. Germ. Erdweiden? *Saliuncula repens,* quæ copiosè reperitur in Sabaudia & *Locus.* Lugduni Gallorum.

SALIX PVMILA, FOLIO VTRINQVE GLABRO.

Descriptio. Virgulas hæc habet palmares aut sesquipalmares, cortice rubente vestitas, à quibus prodeunt nonnunquam fibræ tenues quibus denuò radicatur. *Folia.* Folia per ramos semunciam aut unciam longa, parum supra unciæ trientem lata, leviter in mucronem desinentia, utrinque glabra. *Capitula.* Capitula pro plantulæ proportione magna, racematim cohærentia, in duas retortas veluti corniculatas carnas dehiscentia, *Lanugo.* lanuginem candidam exhibent. Advers.

Synonyma. *Salix humilis repens* Pen. & Lob. Adv. & obs. *Chamaitea,* Grundweiden Taber. ut videtur: ponit enim tantùm iconem, non describit, quemadmodum & *eum simia* Gerardus Anglus.

Locus. Crescit in monte Pilati Helvetiorum: montibus Sabaudiæ, Lugdunensibus & Veganiis haud infrequens.

SALIX PVMILA FOLIO ROTVNDO.

Descriptio. Vix humo se attollit palmaris ista Salix, ramulis prædita rubentibus, iisq; magnam partè nudis, quorum tamen fastigia plusculа coronant *Folia.* folia, valdè concinna, ad cotoneastri folia quodammodo accedentia, circinatæ ferè undique rotunditatis; nonnihil tamen in oblongum porre-



cta, crassiuscula, rigidula, rugosa, venis sinuatis crebris à nervo medio exporrectis, glabra utrinque, sed inferiore parte canescentia, superiore atrovirentia, pediculis satis longis: ad quorum imũ animadvertere est fortuita *Capitula. Lanugo.* capitula lanugine Saligna plena. Subinde verò & privato insidentem surculo brevem similis *Iulus.* tomenti iulum.

Locus. Hæc aliquando à nobis in Rhæticis montibus collecta.

DE SALICIBVS IN GENERE.

In genere autem quanquam Salix lucos, aquásque desideret, ut scribit Theoph. idem tamen *Locus Salicum in genere.* fatetur alibi in terra & aqua provenire Salicem. At Plin. non nisi aquosis provenire scribit, vimineas utique tantùm intelligens & maiores illas species. Nam pumilas in montibus potissimùm nasci diximus. Reliquas ferè in pratis & aquosis.

Inter primas arbores germinat Salix. Iulos & *Salicum tempus in genere.* flores æstatis initio aut etiam antè ostentat. Semina paullò pòst. Capitula & excrementa adventante autumno.

Citò nascuntur citòque occidunt Salices, *Duratio.* minúsque durant. Causam reddit Theoph. quòd ad aquas proveniant, quales arbores minùs durare tradit, quàm quæ in siccis. Eas tamen scribit dolationem ita tolerare, tàm stantes quàm à statu prostratas, ut resurgant, vivant, regerminéntque. At illam quam Philippis surrexisse superstitiosè prodit, tamis quidem detruncatam fuisse ait, sed non circũdolatam; Aruspicem q; tunc persuasisse, *Superstitio.* ut sacrificarent, custodiréntque arborem, ut quæ ostentum faustum portenderet. *Nugæ.* Quasi verò causa non fuerit aut esse potuerit, quòd arbor prostrata parte alterà plurimum terræ evulserit: mox verò ingentes vel ramis occurrentes eam erexerint, ut ipse Theophrast. coniectatur, *Ratio physica.* vel sanè opposita parte terram radici accummulando restibilem ita fecerint. Quanquam si unica tantùm radix eiusmodi arborem promptè germinantium ac nascentium in terra restet, sufficere queat quæ totam arborem conservet & in integrum restituat. Sic habes superstitionis illius causam physicam, nusquam in talibus prætereundam; ubi eam consequi licet.

Est sanè Salix ex earum genere quæ commo- *Satio.* dissimè omni sationis modo seruntur. Nam & semine nasci à Trago observatum & proditum. Quod non penitùs ignorasse videtur Theophr. qui scribit: Eas quas steriles quidam putant, generare quosdam dicere, ut Salicem &c. *Salix frugifera.*

Idem optimè notavit, Salicem avulsione satam celerrimè ac pulcherrimè germinare: aut etiam si quis prægrandem & iam arborem tran-

Translatio. stulerit, optimè perdurare posse. Habétque Salix hanc naturæ prærogativam, præter illam quam à semine, surculo, talea & radice habet.

Est verò Salix eiusmodi, ut non propter se feratur, sed propter alia fit, ac vineas maximè. *Serendi modus.* Earum satio fit loco madido: tamen præcipiente Plinio, duos pedes & semipedem, talea sesquipedali, vel pertica, [Talea in viminali: pertica in arborescente] quæ utilior, quò plenior. Intervallo esse debent pedes seni. Truncæ pedibus binis à terra putatione coërcentur, ut sic se in latitudinem fundant, ac sine scalis tondeantur.

Salix enim fœcundior est, quò terræ propior.

Has quoque omnibus annis confodi [circumfodi Dal. sed quid iuvat circumfodi apud nos sua sponte vberè nascentes? Vide quæ mox dicentur, confodi habet M.S.] Hæc est viminalium cultura *Plin. emēd.* [quibus verbis cognoscis priorem lectionem veriorem.] Perticalis & virga & talea seritur fossura eadem. Perticas ex ea cædi iustum est, quarto ferè anno.

Et eæ [Viminales potiùs quàm Perticales] senescentium propagine resarciunt locum, pertica immersa, ac post annum recisa [à parente ubi radicem egerit.] Salicis viminalis iugera singula sufficiunt XXV Vineæ iugeribus. Hæc Plin. qui & alibi, Salicem circa Martias Calendas in humidis virga seri iubet.

Serendi tempus. Colum. eodem tempore circa vineam seri suadet, quòd palmitibus idonea præbeat vincula. Eandem, eodem autore, riguus ager, vel uliginosus optimè, nec incommodè tamen alit planus & *Cultus.* pinguis: atque is debet converti bipalio. Omnes vel cacuminibus vel taleis deponuntur, perticæ cacuminum modicæ plenitudinis, quæ tamen dipondiarij orbiculi crassitudinem non excedant. Optimè panguntur eò usque dum ad solidum demittantur. Taleæ sesquipedales terreno immersæ paululùm obruuntur. Riguus locus spatia la- *Sationis intervalla.* xiora desiderat eáque senum pedum per quincuncem rectè faciunt: siccaneus spissiora, sic, ut sit facilis accessus colentibus eos. Quinum pedum interordinia esse abundè est, ut tamen in ipsa linea consitionis alterna vacuis intermissis bipedaneis spatiis consistant semina. Satio ea- *Quales virgas esse conveniat.* rum est priùs quàm germinent, dum silent virgæ, quas arboribus detrahi siccas conveniet. Nam roscidas si recideris, parùm prosperè pro- *Qui dies eligenda sationi.* veniunt. Ideò pluvij dies in exputanda Salice vitantur. Fodienda sunt primo triennio salicta crebris; ut novella vineta: cùm deinde coaluerint, tribus fossuris contenta sunt: aliter culta celeriter deficiunt. Hæc Colum. Sed nostri nec hanc quidem curam adhibent, tùm quòd Germaniæ loca feracissima sint, tùm verò quòd depactæ virgæ perbellè germinent loco commodo, etiam nulla adhibita cultura. Nam quamvis ad- *Salix culturam exvisam respuit.* hibeatur cura, testante eodem Columel. plurimæ Salices intereunt, quarum in loco ex propinquo mergis propagari debent, curvatis & defossis cacuminibus, quibus restituatur, quicquid interci- *Propagatio.* dit. Anniculus deinde mergus decidatur à stirpe, ut suis radicibus, tanquam vitis, ali possit. Constant etiam Februario plantat, clava & taleis loco cœnoso & aquoso. Accedamus ad Salicum vires.

Salicis vires & usus. Diosc. Salicis fructus, folia, cortex & succus adstringendi vim habent. Trita folia cum exiguo *Ileus.* pipere & vino pota, Ileosis subveniunt. Sumpta verò per se cum aqua, conceptum impediunt. *Sang. sputum.* Fructus epotus sanguinem expuentibus prodest: quin & cortex eadem præstat. Vstus verò & aceto subactus, callos clavósque illitu tollit. Ex fo- *Callis. clavi.* liis & cortice succus cum rosaceo in Calyce Punici calefactus, aurium doloribus auxiliatur. Sed *Aurium dolor.* & eorum decocto foveri podagras utilissimum. *Podagra.* Id furfures quoque detergit. Excipitur & ex ipsa *Furfures.* succus, inciso dum floret cortice: intus enim *Succus Salicis.* concretus continetur: qui ad purganda ea quæ *Caligo ocul.* obstant oculis suam vim præfert.

Eiusmodi succi Salicis, è plaga manantis exciso cortice, mentionem quoque, ut dicebamus, facit Plin. sed duorum aliorum succi generum præ- *Succus triplex.* terea meminit, nempe eius quem arbor ipsa exudat gummi modo, & eius qui detruncatione ramorum à Salice destillat. De quorum viribus & Salicis ipsius sic tradit. Corticis è ramis primis cinis, clavum & callum aqua [aceto Diosc.] mista sanat. Vitia cutis in facie emendat, ma- *Vitia cutis faciei.* gis admisto succo suo: qui trium generum &c. ut suprà. Qui è plaga manat cùm floret, ad expurganda valet quæ obstent oculis: item ad spissanda, quę opus sunt, ciendámque urinam, & *Vrinam provocant.* ad omnes collectiones intus extrahendas. Om- *Apostemata.* nes verò vel unus prædictorum liquorum in calyce Punici calefactus, auribus infunditur, vel folia cocta, vel cum cera trita imponuntur: item *Podagra.* podagricis. Cortice & foliis in vino decoctis *Nervi.* foveri nervos utilissimum. Flos tritus cum fo- *Furfures faciei.* liis furfures purgat in facie. Folia contrita & pota intemperantiam libidinis coërcent, atque in *Contra Venerem.* totum auferunt usum sæpiùs sumpta. Amerinæ nigræ semen cum spuma argenti pari pondere, à *Psilothrum.* balneo illitum, psilothrum est.

Salicis foliis, autore Galeno, ad cruentorum *Vulnera cruenta.* vulnerum glutinationem uti possis: Verùm floribus eius maximè propè omnes utuntur medici ad exiccantis emplastri præparationem. Est enim *Emplastrū siccans.* vis eorum ita desiccatoria, ut morsu abstineat. *Temperā.* Habet verò etiam quandam adstrictionem. Sunt etiam qui succum ex ea expressum, medicamen servent, mordacitatis expers, & exiccatorium, ad multas res utile. Haud enim invenias quid, ad *Succus.* plures res utilius, medicamento citra mordacitatem exiccante, quòd paulùm etiam adstringat. Porrò arboris cortex similem facultatem obtinet, tùm floribus, tùm foliis, nisi quòd temperaturæ sit siccioris, sicut omnes profectò cortices. Sed hunc quidam comburunt, eiúsque cinere utuntur, ad ea omnia quæ valenter desiccare oportet: quo clavos, callos, Grecis τύλους, myrmecias *Myrmecia.* tollunt aceto ipsum macerantes. Nonnulli autem dum floret Salix corticem eius incidunt, & succum quendam colligunt, utuntúrque ad ea quæ pupillas offuscant, extergente videlicet simúlque tenuium partium medicamine. Vti uerò ad alia multa quis possit, siquidem talis fuerit.

Salicis Amerinæ folia, ut scribit Hip. cum ni- *Vulvæ fluxus.* gro vino pota, ad vulvæ purgamenta faciunt. Eadem, tradente Ægineta, probè trita, & in aceto cocta, non solùm incipientes ægylopas, sed *Aegylopa.* etiam in vomicam mutatas persanant: rumpúntq; & usque ad os penetrant. Quo usu non solùm Ægylopas, sed etiam Anchilopas curabis. Folia ex *Anchilops.* aqua decocta, donec colorem immutaverint, Trallianus in anginis ad gargarizandum dabat: *Angina.* Nam crassa avellunt, iuvántque.

Serapio ex diversorum autoritate atque placitis tradit: Salicem à proprietate quadam extra- *Sanguisuga.* here sanguisugas adhærentes gutturi: glutinare *Vulnera.* vulnera recentia: conferre fluxui sanguinis, fructum & folia esse stiptica sine vellicatione, vique quadam occulta siccare: decoctum ex aqua clystere

Dysenteria. Auriũ sanies. Ulcera magna.

stere iniectum, sanguinis excretionem cohibere: auribus infusum, tergere saniem: glutinare ulcera magna, atque potentiùs si bibatur cum vino styptico nigro: & quando ex folio eius recenti fit emplastrum, conferre fluxui sanguinis undecunque exeat.

Dolor cap.

Cinis Salicis, eradicat verrucas illitus cum aceto, autore Avic. Eiusdem, summitates cum aqua propria sedant dolorem capitis: [Sodam] eiúsque succo nihil præstantius in sanie aurium. Percussis oculis Iuli ex aqua decocti benè faciũt. Eiusdem aqua confert obstructioni hepatis atque Ictero.

Oculorum percussio. Obstructio hepatis. Icterus.

Serenus Salicis usum non reticuit, præsertim ad furfures faciei hoc carmine.

Furfures faciei. Aeris refrigeratio.

Frons Salicis cum flore suo contrita medetur.

Eiusdem folia cum ramis in cubiculis strata, aërem infrigidant, & infirmantium ardores mitigant. In quem usum haud infeliciter etiamnum in Italiæ & Galliæ quibusdam locis adhiberi observavimus. Cortex radicis Salicis barbam conservat, & nigram facit cum oleo dissolutus. Scissuræ capillorum curantur cum mucilagine Psyllii, Altheę, & foliorum Salicis, tradente Bayro. Salicis folia cum aliis refrigerantibus aquæ incocta ad lotiones pedum febricitantibus conducunt. Ex eiusdem ligno & bacculi rasorii parantur ad abradendam & emundandam linguam Causo & febribus ardentibus laborantium, notante Camer. Vulgus Barbitonsorum indiscriminatim Breune vocat, & in ea linguæ abrasione præcipuam curam ineptè collocat, magno profectò ægrotantiũ periculo, si interioribus non prospiciant. Breur enamque Germ. dicta seu nigredo & scabrities linguæ, Symptoma tantùm est febrium ardentium, maximè Causi & febris Hungaricæ.

Barba conservatio & tinctura. Scissura capill. Febres. Barbitonsorum error. Pecorum sagina. Scuta.

Salicis Iuli ac fructus, pabulo pecudum admixti, ipsa pinguefaciunt, autore Democrito.

Porrò tàm Theoph. quàm Plin. frigidissima dicunt quæcunque aquatica, lentissimáque [potissimùm Salicem, & ideò scutis faciendis aptissimam] quorum plaga contrahit se protinus, cluditque suum vulnus, & ob id contumaciùs transmittit ferrum: &, quòd levissimum sit Salignum, utilitatem eandem ingeminat. Habet etiam candorem rigorémque, & in sculpturis facilitatem. Nihilominus tamen lentitia sua cõmodissimè inservit ad cistas, corbes, cunas & eiusmodi reliqua, quæ flexili crate constant: hácque nullam aquaticam utiliorem dixit Plin. Cæterùm usus tùm quotidianos, tùm villicos nihil attinet hìc recensère, cùm multi sint qui texendis è cortice etiámque virgis corbibus & piscatorum nassis victum suum quærittent: quæ omnia abundè cantilena illa Germanica de concertatione Buxi & Salicis confecta, uti notat Tragus, docère potest.

Vimsilia Varia. Cantilena de concertatione Buxi & Salicis. Castoris refugium.

Castor animal amphibion, dum in aquis degit, Salicibus gaudet: in his enim, vel potiùs sub harum radicibus habitationem sibi ædificat in fluminum ripis.

Salicis succus nihil cõfert ad metallorum Metamorphosin.

Theoph. Paracels. notat nonnullos foliorum Salicum succum cum Mercurio in cineribus tenuisse, [ad exoptatam illam metamorphosin metallorum in aurum] sed nullo fructu.

Cur frugiperda dicta Salix plenius explicatur.

Restat & id explicandum, cur ὠλεσίκαρπος Homero dicatur Salix: An quia fructum proprium, perdit ante maturitatem, ut Theoph. Plin. Democritus, Porphyrius, referente Stobæo, & Const. statuunt? An verò quia Veneri resistit, ac sterilitatem inferunt folia, conceptúmque impediunt, ut Diosc. tradit? Quod & Plin. ait, his verbis: Folia contrita & pota intemperantiam libidinis coercent: atque in totum auferunt ipsam sæpiùs sumpta. At alio loco idipsum semini tribuit, cùm ait: Salicis semen mulieri sterilitatis medicamentum esse. Quarè, fieri potest ut ὠλεσίκαρπος & frugiperda dicta sit Homero, non tantùm quòd ocyssimè semen amittat, antequam omnino maturitatem sentiat, uti voluit Theophrast. (quod tamen non in omnibus verum, uti dictum) sed &, quòd viri semen ita infœcundum reddat, ut à fœmina non concipiatur. Nam & ἀκαρπον semen humanum καρπὸς dici potest, haud secus ac mulierem gravidam ἔγκαρπον, & Venerem fœcundam ἐύκαρπον dixére, notante Saraceno. Gal. sanè quoque eúmque sequuti Paul. & Aëtius hoc Salicis semen καρπὸς Theophrast. & Diosc. dictum, florem solùm appellare videntur, quasi seminis nomen minime mereatur, quanquam revera pleræque semina quoque ferant, quod boni illi viri cum plerisque priscis ignorasse videntur.

Plinius Varius. Aut orum indictum.

SAFSAF SYRORUM, SALICIS SPECIES, ET Elæagnus.

Descriptio Salicis speciei.

Salicis peculiaris quædam species Halepi proveniens, Safsaf incolis dicta autore Rauvolfio, magnitudine variat. Betulæ similis trunco, ramis, frondibúsque. Virgæ longæ, graciles, molles & ex pallido flavescentes. Surculis mollicellis folia hærent Viticis. E' ramis germina spithamea hinc inde prodeunt, haud secus ferè, ac in ficu Cypriotica: E' quibus primo vere flosculi mollicelli ac lanuginosi pendent, pallidi, Populneorum æmuli, naturâ ficciores iucundi odoris. Hos legunt incolæ, eò quòd nullum ferant fructum, & ex iis aquam Cardiacam pretiosissimam eliciunt.

Virgæ. Flores. Folia. Aqua Cardiaca. Elæagnos Theoph.

Rauvolfi. Elæagnon Theoph. non modò Safsaf Syrorum similem dicit, sed eam etiam censeri posse. At lib. 4. apertè Elæagnon Theophrast. facit. Et Clus. ἐλαίαγνον Theophrast. inquit, aliquandò existimavi Salicem latifoliam: sed Rauvolfii Safsaf ad Elæagni historiam magis accedere videtur. Elæagni autem descriptionem ex Theophrasto posuimus cap de Agno sive Vitice.

Arnabo. Zarnab. Zarnabum. Zurumbeth. Serap.

Idem Rauvolff. ait esse *Arnabo* Æginetæ. Eiusdem iudicio Safsaf est *Zarneb* & *Zarnabum* Arabum, ut Rhasi cap. 353. & Avic. cap. 749. Serapioni verò cap. 26. communi nomine *Zurumbeth*: cui & nos subscribimus. In nostro Cod. Serap. de simpl. cap. 261. sic legitur: *Zurumbeth*:

Galenus in translatione Arabica, *Zarich Adhueba* est *Zurumbeth*, è numero specierum odoratarum: ideóque admiscetur confectionibus aromaticis: estque calidum & siccum prope tertium

Substitutũ Cinam. gradum, virtute sua similis Cassiæ ligneæ & Cubebis. Cassidonius pro *Cinnamomo* substituit *Zurumbeth*. Isaaco tradente, arbor est magna, nascens in montibus Lubnen, id est, in Oriente, *Descriptio apud Serap.* nullum ferens fructum: foliis longis, colore inter viridem & citrinum, Salicis similibus, eiusdémque coloris sunt rami: odore Citri: estque calida & sicca, styptica, resolvit & stringit ventrem *Temperã.* [quid hoc est dicere? nisi fortè vt Rhabarbarum, diversarum sit partium: solvat, hoc est, abstergat: & adstringat: nam ut mox sequitur] Mesuah ei stypticitatem tribuit & simul cum ea etiam subtilitatem & caliditatem, & vim adstringendi ventrem. Mesarugea eius virtutem similem dicit Nucis moschatæ, sed esse subtiliorem eâ. *Vires.* Sternutatorium ex ea & oleo violaceo, conferre *Dolor cap.* dolori capitis frigido & humido. Prodesse eandem *Stomacho. Hepar.* stomacho & hepati propter vim suam aromaticam.

Zurumbet Avic. At apud Avic. *Zurumbet* est lignum simile Cypero, sed maius, & minùs odoratum: calidum & siccum ordine tertio: resolvit flatus, *Flatus. Impinguãs.* impinguat, aufert odorem vini, alliorum & ceparum: *Halitum commendat.* Cor exhilarat & confortat: compescit vomitum: *Cardiacũ. Vomitum cohibet.* adstringit muliebria, & matricis ventositates carminat: resistit morsibus vermium venenatorum, *Menses. Vermes venenati.* qua vi accedit ad Zedoariam.

Zarnab. Rhasi. In Rhasi nostro, non prædicto loco, sed c.34. de re Medica, Zarnab calidum esse & siccum legimus, stomacho & hepati frigidis conferre, ventrémque adstringere.

Quæ Serapio primo loco dicit ex Galeno cõveniunt, cũ Arnabone Pauli Aeg.l.7.c.3. ubi ait: Arnabo ex aromaticis est, unde maximè in unguenta *Arnabo Pauli.* miscetur, ut qui calidæ ac siccæ sit facultatis in tertio ordine, Cassiæ ac Carpesio similis. Vnde etiam Posidonius Cinamomo non præsente, hoc usum se esse dicit.

Elæagni æquivoca.

PRÆTER *Safsaf* & aliæ plantæ putantur esse *Elæagnos*: ut *Salix latifolia*, de quaantè cap. de Salice. Marcellus scribit: Viticem notam omnibus & ubique plantam esse Elæagnon Theoph. *Salix latifolia.* Verùm qui verba Theophr. diligenter consideraverit, comperiet multa non convenire cum Agno seu Vitice. Lob. & Penæ vitex est Elæagnus *Vitex. Gale.* Theoph. Quidam *Gale* fruticem Septentrionalium Elæagnon faciunt, de quo pòst. Nos verò *Zizipha alba.* capite de Zizipha alba docuimus eam non esse Elæagnon, ut quidam putant.

Sassafras. Cæterùm notent incauti, *Sassafras* non eandem esse arborem cum *Safsaf*.

DE ZARNABO SPECIALIVS. ET ARNABO.

QVANDOQVIDEM variæ plantæ exhibentur pro Zarnabo, lubet earum hoc loco mentionem facere.

Gesn. in Epist. ad Guil. Matthiolus, inquit, in *Matth. notatur.* Serapione duo capita de diversis *Zurumbet* confundit: posterius sanè videtur Carpesium & Zar*Carpesium.*nabo ab Avic. dicitur. Ac sic è contrà.

Matth. in epist. ad Fallop. Si Pauli Arnabonem *Matth. refutat Gesnerum.* & Avic. Zarnabum rectè expendamus, nil aliud veriùs repræsentabunt quàm postremum Serapionis Zurumbetum. Quamobrem manifestè hallucinatur Gesnerus, dum falsò in Zurumbeto me accusat: quippe qui existimat posterius Serapionis Zurumbetum esse Carpesium, &c.

Idem etiam Matthiolus comm. in Diosc. de Arnabone sic tradit. Non desunt, inquit, qui crediderunt, [inter alios Cordus] quòd Arnabo, de quo scribit Paulus, & Mauritanorum Zedoaria, vnũ & *Cordus not.* idem referant medicamentum: Verùm Serapionis testimonio cap. 271. Arnabo apud Græcos nihil aliud designat quàm Zurumbet apud Arabes: quippe quòd hoc loco de zurumbet eadem scribat Serapio, quę de Arnabone ante ipsũ adnotavit Paulus. Hallucinatur autem Brunfelsius in *Brunfelsius reprehe.* suo Onomastico scribens *Arnabonem* esse unguentum odoratum: verùm eius lapsus causam fuisse arbitror, quòd oscitanter Paulum legerit: nam Paulus apertissimè asserit, Arnabonem vnguentis expeti: quòd suaviter oleat, non autem unguentum esse, ut Brunfelsius somniasse videtur.

Guiland. in Theone: Zurumbet &c. Gesnerus *Gesn. lapsus.* *Carpesium* malè. Avicennæ *Zarnabum* dicitur. Actuario *Carnabum* seu *Carnabadium*, vel *Zarnabum*, & *Zarnabadium*: ut obiter *Rhizomastigas* istos rideam, Carnabadium apud Cassianum Bassum, & Myrepsum, Cuminum Æthiopicum esse nescien*Cuminum Æthiop.*tes. Rhasi *Zarnab*.

Cronemb. l.1. comp. med. super El. de Gem. Venus, inquit, Actuarius, [ex Græcis] quod equidem memini, Doronicum, id est, Carnabadium & Zarnabi habet. Gesn. in catal. plant. Zarnabum, sive Parnabadium: vide Doronicum, ζαρναβάδιον. Quidam existimant Doronicum Roma*Doronicum.*num apothecariorum: mihi non placet: De Dorinico verò suo proprio loco, & capite. Rauvolff. *Safsaf.* parte 4. Itiner. ad figuram N°. 112. Peregrina Salicis species, incolis Safsaf: Arab. Zarneb, Zarnabum, Zarumbeth. Theoph. Oleagnus: Æginetæ *Oleagnus.* Arnabo. Certiora inquirant posteri. Nunc aditum patefecisse satis esto: Pauli verba de Arnabone ante posita sunt. Scribit Iul. Scalig. in Exerc. Arnabonem Pauli, Zedoariam nonnullos, alios Zurumbet Arabum esse arbitrari, parvi verò utrũ sit, referre. Neutrum tamen esse patêre ex Avic. qui tria facit capita separata. De Zedoaria pluribus Arnabo putata egimus lib. 19. Pandectario Arnabum est arbor magna fruticans, quæ est Vlmus, ut Hortus satis testatur, ubi pro icone figmentum nullo modo referens Vlmum, habet.

CALAF, SEV BAN ALPINI. CAP. XXI.

Descriptio ARBVSCVLA fruticosa est Alpino *Calaf* seu *Ban*, quæ quidem, inquit, mea sententia Salicis ge*Salicis genus. Folia.*nus existit, foliis aliquatenus Salici similis, sed multò maioribus, quippe longioribus ac la*Flores.*tioribus. Flores eius sunt quidam globuli oblongi, albi, lanuginosi, caudici penès foliorum radices adnascentes: quot-

quotque in arbore folia existunt, tot flores emittit. Crescit ad Viticis magnitudinem ramis multis, sive stolonibus, rectis. In Ægypto reperitur locisque humidis nascitur. Hæc ille.

Chalef. Scribit Bellun. in interpret. Arabicorum nominum, *Chalef* esse speciem Salicis in humidis nascentem: folia ei esse Cerasis similia, sed fructus non ferre. Flores ineunte vere valdè esse odoriferos, ante folia prodire, ex quibus eliciatur aqua suaviter olens, cuius frequens sit usus in affectibus cardiacis calidis. Atque ex iisdem infusis, admistis amygdalis, fieri Oleum *Chalef*, sicut Violaceum. *Aqua cardiaca. Oleum Chalef.*

Aqua Macahalef Vires & usus. Contra putredinem. Febres pestil. Cap. dolor. Alpinus quoque tradit ex floribus destillari aquam *Macahalef* vocatam, cuius insignes vires deprædicat ad arcendam putredinem & ad siccandum, ad Venena, & ad cor recreandum. Eamq. in febrib. pestilentibus secreti loco haberi ad capitis dolores, ac ad virium recreationem, quin & ipsam putredini ac venenis obsistere: Esséque eorum florum decoctum, ac ex aqua dilutum in quibusvis febribus maximo apud ipsos in usu.

GARB MAURORUM, SALICIS GENUS.

Descriptio. Arbor *Garb* Mauris dicta, autore Rauvolffio, patula est, haud tamen multùm assurgens: Cuius surculi extremi teneriores fragilioresque quàm ut Salicum nostratium instar Vimineo operi inservire queant. Cortex ex pallido flavescit, sicut & folia, quæ oblonga Palmũ circiter, duos digitos lata, per ambitum velut Atriplicis folia sinuata, modicè siccante & adstringente facultate. Fructum & florem se vidisse negat. Salicis genus idem facit, & incolis iuxta antiquum nomen *Garb* dici tradit: Persianis *Fer.* Aethiopibus verò quoque hiderno seculo sub antiquo Arabico vocabulo *Garb* dici de quo Psal. 137. *Cortex. Folia. Temperã. Garb. Fer. Salix Psal.*

Ein frömbd Weiden geschlecht Germ. eidem. Interpretes verò convertunt *Salicem*.

Garab Avic. Apud Avic. scribitur *Garab*, id est, *Salix*. Annotat autem in marg. Bellũ. Garab esse arborem magnam nascentem iuxta Euphratem fluvium. In explicatione tamen vocum Arabicarum nihil habet de ea voce.

Aphronitrum ad ignarium pulverem. At Rauvolff. scribit, ex ea Aphronitrum, Salem Petræ vocant, optimum fieri igniario pulveri parando quo in bellicis tormentis, pilis excutiendis utuntur. Surculos scilicet extremos cum foliis in cinerem comburi, affusáque aqua macerari, separari & multa ebullitione coagulari. Sed pulverem illum nostrati haud æquivalêre. Simile quiddam Plin. l. 31. cap. 10. de Quercubus [has fortè arbores intelligens, quippe Quercubus quodammodo similes, eodem coniectante] tradit, ex quibus nitrum parari solitum: cum tempore autem exolevisse scribit. Cæterùm Avic. suo *Garab* easdem penè vires tribuit quas *Salici*. Corticem eius quoque in usum venire scribit & gũmi quod incisione effluit. Florem & folia, ac utriusque succum exiccare sine mordicatione, habere tamen adstrictionem quandam. Eiusdémque naturæ esse corticem, sed sicciori. Cinerem ligni cum aceto verrucas & clavos omnis generis tollere. Cortice radicis tingi capillos. Eundem cum foliis contusum commodè imponi vulneribus recentib. ac ulceribus, fotuq; mitigare podagram. Succum foliorum cum oleo rosaceo in cortice Granati ebullitum & auri instillatum conferre dolori eius: corticis decocto abstergi surfures. Gummi & florem obscuritatem visus tollere. Aque etiam succum eiusdem extrahere sanguisugas: Quæ omnia & Salici competere ex ante dictis patet. *Vires Usus. Gummi. Temperã. Verruchæ. Capill. tin. Fotura. Vulnera. Ulcera. Podagra.*

SPODIUM ARABUM, ET TABAXIR.

Cap. XXII.

Institutum. Tabaxir videtur aliquid commune habere cum Salicibus: unde fit ut hoc loco collocandum censeamus, priùs tamen dicturi de Spodio Arabum.

Spodium Vires. Febribus. Rhazis lib. 3. cap. 56. Spodium [Tabaxir Garc.] frigidum est & siccum. Febribus acutis, siti, ac nimio ventris fluxui & vomitui confert: pustulis quoque quæ in ore & lingua nascuntur, atque tremori cordis auxiliatur.

Alvi fluxum. Vomitum. Pustulæ oris. Tremor Cordis. Avic. lib. 2. tr. c. 617. Spodium [Tabasir Bellun.] Radices Alcannæ [vide paulò pòst [adustæ. Dicuntur aduri fricatione extremitatum, cùm eis perflat ventus. Frigidum est in 2. & siccum in 3 gradu. Adstringit, parum resolvit, sed plurimùm refrigerat. Resolvit autem ob amarorem exiguum, quem habet. Quæ resolutio cum astrictione efficiunt, ut valdè siccet: estq; mixtæ virtutis, sicut Rosa. Confert Alcola & Melancholiæ provenienti ex sollicitudine: Item apostematibus oculorum calidis: roborat cor, & benè facit ei in tremore à causa calida, & syncopi factæ ab effusione bilis in stomachum, tàm haustum quàm illitum: timori præteritorum & terrori futurorum obviam it: compescit sitim & inflammationem stomachi, debilemque erigit: prohibet effusionẽ bilis in eum, turbatum sedat. Effusiones cholericas refrænat, febresque acutas. Est autem Alcanna, [ut explicat Bellun. interp. Arab nominum apud Avic.] seu Alcona arbor gracilis, longa, habens internodia sicut Canna: sed differt ab ea, quòd Alcanna non sit cava: eáque utuntur Arabes loco lancearum. Reperiuntur & arbores crassæ, ex quibus conficiuntur vasa magna utilia. Fit igitur Spodium maximè ex radicibus arborum prædictarum gracilium combustis. *Melancholia. Apostema ocul. Tremor cordis. Syncope. Timor. Sitis. Inflam. stomachi. Febres. Alcanna. Alcona. Spodium unde fiat.*

Sataiscir Serap. Serap. c. 332. Sataiscir [Tabaxir Garc. leg. putat,] vel Resćius, id est, Spodium. Confert caliditati choleræ. In Spodio est resolutio & prohibitio, & repercussio, & infrigidatio: sed infrigidatio eius præstat: estque in sapore eius amaritudo & stypticitas, ideóque desiccat. Non tamen tantum adstringit sicut Rosa. Diosc. Spodium confert apostematibus calidis oculorum. Secundum Mesehah, frigidum est in 3. & siccum in 2. gradu &c. Ubi autem Gal. de Spodio *Autorum indicium.*

Serap. error. scripserit, ea quæ citantur a Serap. nos latet. Præterea Spodium Dioscor. confundit cum Spodio Arabum: nec facilè ex Arabum scriptis affirmari posse videtur quid sit *Tabaxir*: nam ex prædictis patet, quàm variè de eo scribant.

Spodium Græcorum non est idem cum Spodio Arabum. Notandum verò Spodium Græcorum non esse idem cum Spodio Arabum. Græcorum enim ut tradunt Monachi, per os non sumitur. Solus Actuarius & quidem Græcorum fere novissimus in medicinis ex Arabum scriptis desumptis Spodium præscribit. At Spodium Arabum utplurimùm exhibetur per os in Confect. & Elect. cordialibus.

Spodium Averrhoi. Averr. tradit Spodium esse carbonem nodorum arundinum Indiæ adustarum, &c. Atque etiam hodie multi *Spodium de Canna* vocant.

Alcanna seu *Alcana* Bellunensi est arbor ex qua Spodium, diversa ab Avic. & Serap. Alcanna quæ Cyprus, autoribus iisdem Monachis, qui coniectantur Avic. sumpsisse ex Serap. quæ de Spodio scripsit. In compositionibus autem Arabum, & præcipuè in iis, quæ per os sumuntur, per Spodium non est intelligendum Spodium Græcorum, ut nonnulli ex iunioribus declararunt. *Cyprus. Iuniorum error.*

Manardus existimat Spodium factum ex radicibus Cannarum adustis esse unum ex Antispodiis Dioscorid. Unde nec immeritò inferunt prædicti Monachi. Ergo si est Antispodium, quare præcipit, ut non admittatur in compositionibus? *Spodium Cannarũ. Manardo not.*

TABAXIR SIVE MAMBU ARBOR. TABAXIR FOLIO OLEÆ.



Descriptio ARBOR in qua gignitur Tabaxir, autore Garciâ, interdum magna est & instar Populi procera interdum minor, ramos utplurimùm erectos (nisi quòd pulcherrimos quosque interdum incurvant ad pergulas & deambulacra, apud Indos frequentia, conficienda) frequentibus nodis distinctos, palmi tamen longitudine ab invicem dissitos habens. Folium Oleæ longius. Inter singula internodia liquor quidam dulcis generatur crassus, veluti Amylum congestum & simili candore, interdum multus, nonnunquam verò perpaucus. Sed non omnes arundines sive rami eum humorem continent: atque duntaxat quos *Bisnager*, *Battiala*, & pars provinciæ *Malavar* profert. Hic autem liquor concretus interdum nigricans & cinereus invenitur, sed non ideò improbatur, quoniam aut ob nimiam humiditatem, aut quòd diutiùs ligno inclusus permanserit, hunc sibi colorem conciliat: non autem ob arborum incendium hanc nigredinem acquirit, veluti nonnulli putarunt. Nam etiam in multis ramis, quos non contigit ignis, niger invenitur. Gerardus Cremonensis in Rhasin ad Alm. lib. 3. cap. 36. Tabaxir Arabum interpretatus est Spodium. Eius errorem omnes Arabum interpretes Latini sequuti sunt, Tabaxir Spodium vertentes, ut idem notat Garcias. *Folia. Liquor candidus. Liquor niger & c. Unde nigredo. Quorundã error. Tabaxir non esse Spodium.*

Tabaxir quid. Cæterùm eodem teste *Tabaxir* vocabulum est Persicum, ab Avic. lib. 2. c. 617. & aliis Arabibus è lingua Persica desumptum, nihilque aliud sonat, quàm lacteus humor, aut succus liquórque alicubi concretus; quo nomine etiam Arabibus & Turcis hoc medicamentum cognitum est. Vocatur ab indigenis *Sacar Mambu*, quasi dicas *Saccharum de Mambu*, quoniam Indi arundines sive ramos arboris illud proferentes *Mambu* vocant. Attamen nunc etiam *Tabaxir* vocare cœperunt, quoniam eo nomine petitur ab Arabibus, Persis & Turcis, qui id mercimonij causa ex India in suas regiones exportant. *Sacar Mambu.*

Pretium. Magnò emitur hoc medicamentum pro proventus eius ratione. Eius tamen commune pretium in Arabia est, ut pari argenti pondere ematur. Meminit eius Rhases: sed omissa generatione, solas vires recenset. *Serap.* Serapionis exemplar temporis vitio corruptum esse verisimile est, cum *Seraisir* pro *Tabaxir* legat.

Avic. lapsus. Ex dictis patet Avic. opinionem falsam esse existimantis ex arundinum radicibus crematis fieri. Acosta verò Avicennam excusat, culpâque interpretibus imputat. Incognitum est Græcis Tabaxir, quibus aliud est *σποδὸς*, nempe Tutia Arabum. Rectè autem corrigit Garcias Gerardum Cremonensem, siquidem Clus. sit audiendus, qui Tabaxir putavit esse *σποδὸν* Græcorum. Sed tamen in eodem errore versabatur doctiss. Bellunensis, qui ad Tabaxir notam apposuit Spodium. Itaque videndum num ille sit Bellunensis error, non Gerardi. Nam Gerardus reliquit nomen Persicum. Sed sive Bellunensis culpa illa est, sive Gerardi, quid alteruter, aut ambo peccarunt, si Spodium esse putarunt, quum Avicenna ipse dicat esse cinerem cannarum, vi venti inter se confricatarum, & ignem ex eo concipientium, & proinde ex illo igne exustarum? Nam Thucydides & Lucretius scribunt, ventis flantibus ramos arborum ex collisu mutuo ignem concipere, & ex eo sanè magnas sylvas conflagrare. Certè quod Avicenna habebat in animo & scripto expressit, id nihil aliud est quàm *σποδὸς* aut *ἀντισπόδιον*. Ideò iniquè Garcias Davum Comicum vocavit Gerardum, quem ait omnia turbare, quum potiùs in autorem erroris culpa Avicennam derivanda esset, quàm in Gerardum optimum interpretem. Arbores sive Arundines Mambu, in quibus nascitur Tabaxir Acostæ, Extat huius arboris figura apud Bey. icones part. 4. *Tabaxir non est Spodium Græcorum. Spodium Avicennæ. Gerard. excusatur. Avicen. notat.*

Bambus arundinis species. part. 4. Indiæ Orient. sub his nominibus. *Bambus arundinis* species. Item *Bambus cum pipere circumvolvente*. Prior icon ex figuris æneis desumpta est, ad quam Bapt. à Doert hæc annotat. *Icones Arundo Indica. Bambu.* Arundo Indica, *Indiaens Riet*. Arundines fert regio Charandel fœmoris crassitudine, quas Lusitani *Bambu* vocant. Est interior Arundinum materia alba: *Tabaxir* vocant. Formantur autem Arundines & incurvantur ad usum Pallanquinorum, nam ex iis conficiuntur veluti stipites. Naves quoque Indi conficiunt, quibus in flumine Cranganor utuntur. Posterior figura est Acostæ, non parum à priore differens, qui & Iulos oblongos adpingit. Cùm nesciamus utra sit melior, utramque proponimus.

Vires & usus. Ardores. Febres biliosa. Dysenteria. Trochisci. Cymba. Ex Medicorum tùm Indorum, tùm Arabum, Persarum & Turcorū testimonio, referente Garcia, *Tabaxir* internis & externis convenit ardoribus, coque etiam in biliosis febribus & dysenteriis, præsertim autem in biliosis fluxionibus utuntur. Nostri verò trochiscos ex eo conficiunt addito semine oxalidis. E truncis Cymbas faciunt Indi, quæ binos viros capere possint: non quidem illos excavantes, sed relictis solùm duobus utrinque internodiis per medium secantes. Conscendere verò solent similes Cymbas bini Indi, iiq; nudi (nam nudos incedere illis in regionibus moris est) sedereque singuli in eius extremitatibus, iunctis cruribus, tenentesque singulis manibus remos trium aut quatuor palmorum longitudinis, quibus eas Cymbas impellunt tanta dexteritate, ut etiam adverso rapidóque flumine summâ celeritate nauigare possint, quemadmodū suis oculis conspexisse testatur Acosta in flumine Cranganor, in quo plurimus est usus Cymbarum ex hac arundine confectarum: quoniam qui eis vehuntur, securiores sese existimant *Contra Crocodilos.* à Crocodilis, quos illi *Caimanés* vocant, magno numero in hoc flumine versari solitis. Nam cùm ferocissimi sint, sæpenumero in naves maiusculas & minusculas impetum facere solent, ut eos, qui illis vehuntur, apprehendant: & homines & quævis animalia quæ comprehendere possunt, illicò devorant. Indigenæ autem affirmant, nunquam compertum esse, ut eos qui Cymbis ex *Mambu* confectis vehuntur, appetant, sed sæpenumero conspectos esse natantes prope illas, & tamen præterire sine noxa.

Summa eius æstimatio. Tabaxir materia alba teste Bapt. à Doert, ad usus medicinæ aptissima ab Arabibus & Persis summo studio quæsita, auro & argento ponderatur. *Vulnera pudendorum.* Indi ad vulnera testiculorum & virgæ utuntur. *Cholera. Dysenteria.* Valet etiam contra choleticas passiones & Dysenteriam.

DE ANTISPODIIS.

Goan. De Goan arbore Persiæ ex qua Tutiam parari scribit Garcias, quamque pro antispodio tradit, egimus lib. 3. inter nucleatos fructus.

Tucia. Si autem eam arborem Avic. intelligit lib. 2 Tr. 2. cap. 705. per Tuciam: & Serap. cap. 412. per Tutiam: turpiter ambo eam confundunt cùm Pompholige & Spodio Græcorum, ut Diosc. quæ mineralia sunt. Scribit autem Avic. Originem Tuciæ esse fumum qui elevatur, ubi purificatur æs &c: Inda quidem est, quod abluendo Tuciam *Tucia Inda Avic.* remanet in fundo, & illud est Deschudiun. *Deschudiun. Succudum.* Differentia autem inter Succudum & Tuciam est quòd Tucia sublimatur, illud verò minimè, sed remanet inferiùs in canalibus, per quos currit æs. *Tucia Indica Serap.* Serap. dicit Tutiam quandam inveniri in mineris, aliam fieri in fornacibus &c: Et mineras Tutiæ Indiæ esse in littoribus maris, propè regionem Indiæ, & meliorem omnium esse albam, quæ suprà veluti salem habeat: secundum locum obtinere *Differentia & delectus.* citrinam: viridem esse asperam & perforatam, hàncque ex maritimis Syriæ differri. Apud Diosc. duæ sunt species &c: inquit Serapio. At Garzias conceptis verbis testatur, nullam per Vniversam Indiam, sibi saltem cognitam: Tutiam inveniri præter eam quæ conflatur è cineribus modò dictæ arboris. *Nullā Tutiam in India esse quā è cineribus dictæ arboris.*

2. Gulielm. Qualcebonus Curtacens. Physicus Hæc Constantinopoli scribit Matthiolo: Bellonium in suis Com. Cassaboufferire vulgò illic Pharmacopolarum Calamum aromaticum esse opinari sed suo quidem iudicio absurdissimè. *Cassabousferire. Calamus. Spodium.* Magisq; placere Avic. potiùs Spodium esse, quòd arundines vi ventorum & partium ad se invicem confricatione adustas esse, videatur indicare: ac tale quidpiam huic arundini accidisse, quemuis non ineptè dicere posse. Qualcebono verò sic respondet Matth. Errare toto cœlo Bellonium nunc procul dubio animadverto, quòd tàm facilè crediderit lapideos calamos illos Aromaticum *Bellon. reprch. Calami lapides.* esse calamum. Nec ob id tecum sentire possum, ut ii Spodium sint Avic. quia nova lectio Bellunensis, quæ hactenus probatur ab omnibus, loco Cannarum habet Alcanna, quæ nobis Ligustrum designat. *Alcana est Ligustrum Matth.* Præterea si diligentiùs hos cannarum trunculos expendamus, quis non potiùs illos lapideos effectos iudicabit, quàm fricatione vel igne aliquo combustos? Mihi facilè persuadeo hoc calami genus in littore alicuius lacus scatentis petrifico succo provenire, atque subinde vel ventorum impulsu, vel alio quovis casu in lacum demersum, in lapidem verti. Hæc Matth.

Nos sanè Bellonii sententiæ adhærentes existimaremus *Cassabousferire* Bellon. esse Calamum Arom. verum, si Matth. non diceret esse lapideos Calamos. *Bellon. excusatur.* Qui viderunt Constantinopoli *Cassabousferire*, doceant nos & posteros, quis meliùs de eo scripserit. Non possumus nobis persuadere Bellonium sagac. ssimum & doctissimum naturæ scrutatorem existimasse lapideos calamos esse calamum aromaticum.

Ex radicibus Hennæ, inquit Rauvolff. quæ Cyprus, Arabes urunt suum Spodium, ut meminit Avic. *Cyprus siue Henna.* At hic & radicum Cannarum cinerem Spodium esse dicit. Salvo verò meliori iudicio, quia Spodium Cannarum Indiæ non habetur, minus malum Monachi putant, si pro eo utamur radicibus Canarum nostratium artificiosè adustis. *Spodii Cānarum succedan.* Id autem improbat Acosta. 4. At Fuchs. Spodium Arabum quod Cannarum seu Arundinum radicum exustarum cinerem, & Spodium de cána vocati, cum, eo quod Græci *ἀντισπόδιον* nuncupant, nonnihil convenire tradit. *Fuchs. reiicit internū usum spodii Cannarū.* Idem etiam neque Spodium neq; Antispodium Græcorum intra corpus assumendum suadet. Sed neque Arabum Spodium Cannæ per os ingerendum putat, utcunque Avic. & alii Arabes eius usum commendent. Nam & Galenum testari radicem arundinum per se non levem abstergendi facultatem obtinere: Vstam verò & calidiorem & magis tenuium partium adeóque acrem effici. Hinc fieri ut lib. 1. de com. loc. c. 1. inter medicamenta quæ Alopecias sanare possunt, recenseat. Ob acrem igitur qualitatem suam radicem arundinis ustam intra corpus tutò exhiberi non posse putat Fuchs. *Fuchs. sibi ipsi contrarius.* Qui tamen sui oblitus in troch. de Eupatorio scribit pro Spodio, Arabum Spodium accipiendum. Idem etiam in Mideta Nicolai ait, Spodium Ara-

bum Cannarum, in iis quæ per os ingeruntur, non usurpandum, atque in vnguento Santalino Mesuæ dicit accipiendum Spodium Arabum, siquidem Græcorum calidum admodum sit: cùm tamen ipsemet damnaverit Spodium Arabum ob acrimoniam.

Ebur. Canis ossa. Marmor. Ebur ustũ. Ossa boum.

Apollo non probat Brassavoli opinionem sibi persuadentis Antispodium parandum ex nostris arundinibus. Luminare maius Spodij loco sumit os Elephantis combustum, quod adulteratur radice Cannæ, ossibus canis, Marmore combusto. Placotomus pro Spodio sumit ebur ustum. Collegium Colon. officinarum Spodium reiicit, ut ex boum similiúmque ossibus factum. Apollo reiicit prædicta ossa, & Ebur assumendum suadet, si habeatur. Sylvius scribit se nescire cur Barbari Spodium vocent. Cornarij opinio est, quod hodiè Spodium Offic. vocant, & in usu habent, etiam Antispodium esse, vulgóque credi, Ebur ustum esse. Nescimus, inquiunt Monachi, quà authoritate Platearius dixerit Spodium optimum fieri ex ossibus Elephantis combustis, addens eius ossa solida, qualia dentium: quod falsum cùm dentes careant medulla. Hodie Aromatarij cum sequuntur, ubique utentes pro Spodio, tam Græcorum quàm Arabum, ossibus combustis. Deus scit, an sint Elephantis: & si sint Elephantis quæ pro Spodio venduntur, an possint vel debeant admitti in cordialibus: non approbamus nec reprobamus. Id tamen aliquo modo ferendum censet Fuchs. quum Ebur ustum adstringendi polleat facultate, si non ex bovis & canum maximè ossibus suum conficerent Spodium. Idem in Micletâ Nic. Myrepsi scribit id non esse intelligendum de Spodio Græcorum veterum neque Arabum, quod illi Spodium Cannarum vocant, locutum: sed accipiendum per Spodium in ea compositione quod Offic. hodiè ita de sententia Plateari appellant, quod non aliud sit nisi Ebur ustum, & adstringendi facultate pollere. Non solùm verò Nicolaum, sed & Actuarium aliósque recentiores Græcos per Spodium intelligere id quod hodiè usitatum est. Hæc illi.

Spodium & Antispodium Offic. idẽ. Platearius. Officinar. abusus. Spodium Offic. Spodium recentiorũ Græcorum.

Fuchs. fugill.

Ac posset quidem etiam hic aliquo modo ferri sententia Fuchsij, si certum esset Spodium Offic. esse Ebur ustum. Nunc quando doctissimorum iudicio ex quibusvis aliis ossibus combustis fit, quæ ille reiicit, quomodo eius opinio stabit? Quanquam nondum planè cognitum habeamus quid nobiliorum virium nobis præstare queat Ebur ustum, quàm os equi aut bovis ustum, aut cornu Cervi ustum.

Ebur ustum reprobatur.

Audiamus Garciam. Spodij penuriâ Antispodium fieri censent ex ossibus Elephantis: sed quàm id falsum sit, ego, infit ille, iudicare possum, quippe qui Elephantorum ossa nullius esse usus, sed ea ab incolis abiici, sciam.

Antispodiũ. Græcor. spodium non esse Officinar. nihil grisaeum. Cordus taxat Autorum iudicium de substit. Spodij. Cornu Cervinum.

Acosta quoque reprobat Spodium factum ex Ebore usto: præterea annotat non fieri ex ossibus Elephantum ustis. Quod benè, inquit Cornar. Spodium Officinæ vocant & in usu habent, etiam ipsum Antispodium est, vulgóque Ebur ustum esse creditur, qui verò Græcorum Spodio uti volent, Officinarum Spodium non assument, sed rectè nihil griseum Officinis appellatum usurpabunt. Quapropter non placet Cordum passim tàm securè scribere, Spodij, id est, Eboris usti: meliùs sanè, si aliqua vis Cardiaca in Ebore: existimamus potiùs pro Spodio Arabum substituendam rasuram Eboris supra cotem tenuissimè tritam, aspergendo aquam rosaceam: vel cornu Cervini, quod indubiè præferimus. Fuchsius statuens Spodium recentiorum Græcorum esse Ebur verum, nihil certi demonstrat: non improbamus tamen in Micleta Ebur ustum ac lotum poni: præferimus tamen Cornu Cervi ustum & rosacea lotum, vel etiam non ustum. Quapropter & Apollo nobis probatur, qui Spodio substituit Cornu Cervinum. Diosc. Spodio suo Metallico substituit folia Myrti, ut quæ æqualem vim habeant, cum floribus & baccis immaturis. Eiusdem etiam succedanea Spodij sunt, Oleæ sylv. virgulta, modo iam dicto præparata. Item sativæ cum floribus: Mala Cydonia [κυδώνια] concisa & officulis exemptis [ἀξισωμένα] [hîc autem miramur tribui ossa cotoneis] Gallæ: Panniculi linei: Mora immatura alba in Sole priùs siccata: Lentiscus: Terebinthus: Oenanthe: Rubi folia tenera: Pseudocyperus cum flore. Quidam etiam, eodem authore, Fici frondes in Sole priùs siccatas similiter [ut Myrti folia] præparant pro succedaneo. Alij Glutinum taurinum: Alii lanas succidas asperas, pice aut melle imbutas similiter præparant loco Spodij. Nuclei Palmarum usti Spodij vice in medicamenta palpebris ornandis parata commodi sunt. Acosta Spodium ex Corallo factum reiicit. Pompholix, authore Diosc. specie differt à Spodio, genere non evariat, Spodos enim subnigra est, Pompholix autem alba Fiunt ex æris coctura, ac etiam ex Cadmia, testibus Cornario & passim doctis viris. Vera Pompholix est Nil album: sicut griseum aut nigrum dictum, verum Spodium metallicum à Dioscor. Plin. & Gal. descriptum: & ab Arabibus ut Serap. & Avicenn. sub Tucia aut Tutia tradita, nullo modo confundenda aut substituenda pro Tabaxir Arabum, quòd malè interpretes converterunt Spodium.

Folia Myrti. Succedanea Spodij apud Dios. Olea sylv. Olea sativa. Cydonia. Galla. Panniculi linei. Mora immatura &c. Fici frondes. Glutinum taurinum. Lana succida. Nuclei Palmar. Corallum. Spodium & Pompholix Græcorum. Nil album & griseũ. Spodium metallicũ.

Prænominati authores non præscribunt Spodium in internis affectibus, sed tantùm in externis. Nec temerè mirantur Monachi, Manardum, Brassavolum & alios præcipere indifferenter sumendam Pompholigem vel Antispodia Græcorum, ubicunque Spodium desideratur, non excipientes compositiones Arabum quæ ore sumuntur. Vnde rectè etiã Garcias ait, Spodium Græcorum sive Pompholigem esse Tutiam Arabum, Internè neutiquam sumendam.

Manardi, Brassavoli, aliorúmque error.

Acosta in compositionibus Græcorum pro Spodio, metallum sumendum iubet. Sylvius verò pro Spodio Græcorum cinerem, qui super fornacem aurariam invenitur. Item pro Spodio Pompholigem, Olaus Sudenus in versione pharmacopoeæ Br. Bauderon. in Confect. Triasantali pessimè & periculoso sanitatis errore pro Spodio ponit.

Substitutio Spodij Græcorum. Olai Sudeni error.

GALE FRUTEX ODORATUS SEPTENTRIONALIUM, ELÆAGNUS CORDO: Chamæleagnus Dod.

CAP. XXIII.

Descriptio. Cortex. Folia. Capitula.

LIGNOSUS est frutex, sarmentosus, Dod. cubiti altitudinem rarò attingens, in ramos multipliciter devaricatus, cortice ruso ad spadiceum vergente, lævique: folia quodammodo accedunt ad Vitim Idæam fruticosam, vel ad parvam Salicem, glabra, sed quodammodo incana: atque in quibusdam illorum serraturæ apparent. Ramorum extremis insident capitula veluti Iuli, multò minores quàm in Betula squammati perelegantes, quippe qui diluto spadiceo



diceo splendicent, ad octavam figuram aliquatenus accedentes,
Sapor corticis.
Cortex amaricat, non sine adstrictione.
Lignum.
Materies candida. Lob.
Flosculi.
Flosculi sunt ex luteo pallidi, quibus succedunt
Semina.
seminum crebri racemuli, conferti & conflati quasi spicis, in quibus semen pingue, odore Stœchadis citrinæ, sed vehementiore, & Trifolii quodammodo.
Radix.
Radix teste Dod. subest lenta & dura: folia latiuscula oblonga, Myrti foliis haud multùm dissimilia, sed duriora, & subinde longiora: è quorum sinu prodeunt flores spicati exigui luteoli: quib. semina succedunt
Semina aspera & pungentia.
Succus Oleosus.
aspera cacumine pungẽtia, in racemi exigui & oblõgi formã cohærẽtia, oleoso succo per maturitatẽ redũdantia, Totúmq; fruticẽ cum gravitate quadam odoratum esse, eiusque pinguedinem ac oleosam substantiam. Ramulos, quales describit Lob. accepit gener Cherlerus anno 1605. à Machlinẽsi Pharmacopœo, quos nos anno 1606 degustavimus & comperimus amaros acres & ingratos quasi Oleam aut unguentum aliquod resipiscentes, odor tamen non ita ingratus.

Gale autem fruticem tradere videtur Ruell. dum dicit: Botrys Parisiensibus matronis, meliùs quàm officinis aut Herbariis noscitur. Hanc odoris gratia vestimentis, pannis, & linteis curiosè nimirum interponunt ut odoris suavitatem contrahant. Defertur Augusto & Septembri mense
Pimen.
venalis per urbem: *Pymen* magno clamore denuntiant portentantes corbibus rustici, unde nomen
Descriptio
hoc *Pymen* manavit in vulgus: nam hac facie conspicitur, fruticosa herba, luteis ramulis, ex inter-
Folia.
Semen.
vallo brachiatis, foliis cichorii, odoratis, erumpẽte passim semine in racemulos collecto, quod per maturitatem gummoso lentore pellucet, coeun-
Annuls.
Pigmen.
tibus fulgore auri simul annuis, unde nomen Græcis dictum. *Pymen* vel potiùs Pigmen vulgò putaverim nominari, quòd ex se Pigmentarii institoris vice faceret unguentum: nam si prægnans suo lignore premeretur, in gummi lente-
Ambrosia Ruell.
sceret, hoc cappadoces Ambrosiam vocant. In vino medetur Orthopnoicis. Hæc ille. Sed indicent Lectores an Belgarum Gagel, quod Ruell. tradit pro Botryde sit foliis Cichorii, ut ait: eam plantam oportebat describere & demonstrare discrimen inter hunc fruticem & herbam vulgò Botrym dictam, de quà nos lib. 28.

Rhus.
Histor. Lugd. Rhus sylv. Dod. & Plin. Rhus altera: Rhotomagensibus *Piment Royal*,
Melissophill. regium.
quasi Melissophyllum regium.

Elæagnus Cordi.
Huius fruticis icon exhibita fuit per Gesnerum in fin. hist. Cordi, titulo Elæagni Cordi, sine descriptione, nos in nostra tabella portionem posuimus. Dodon. hist. gall. iconem nostræ ferè si-
Buxifolia.
Gagel.
Myrtus.
milem habet, ei tribuens folia magni Buxi, longiora tamen, ait Brabantis dici *Gagel* & quibusdam Pharmacopœis Myrtum, & semina Myr-
Myrtill.
tillos, quamvis non sit Myrtus, hinc a Neotericis dici Pseudomyrsinem, Myrtum Brabanti-
Rhus Plinii.
cam: videri Rhus Plinii. Iconi titulus est: Rhus sylv. Plinii, *Sumac Sauvage de Pline.* Icon apud Dod. hist. lat. diversa admodum est, quæ non placet, caret enim foliis: ea est sub titulo Chamæleagni, ait autem, Cordus Elæagnum appellat:
Chamæleagnus.
nobis Chamæleagni, vox placuit. Elæagnus siquidem Theophrast. describitur folio molli, ac lanuginoso flore Populi: qualis haud est à nobis
Authorum iudicium.
descripta: Nomen apud veteres, quod sciamus, non convenit, nisi sit Rhus silv. Plinii, de quo lib. 24. cap. 11.

Nos Theophrast. descriptionem antè cap. de Agno, sive Vitice tradidimus. De Elæagni autem æquivocationibus & diversis opinionibus nos egimus paulò antè. Rhois verò Plinii descriptio reperietur cap. de Rhoe ubi etiam sunt æquivocationes.

Lob. & Pen. Adverf. propriã habent iconem cum
Gold.
hac inscriptione Gagel Germanorum: vel Gold Anglorum, *Myrtus Brabantia* quibusdam. Sub eodem nomine in Obs. & Icon. Plant. Eleagni Cordi proponitur etiam ea, quam habet Dodon. de quà antè.

Porrò iam ante 30. annos insignis medicus Pet.
Pertinax fruticis odor & sapor.
Turnerus nos donavit Herbario sicco plantarum Anglicanarum, & inter alias & hæc appicta erat, adscripto nomine *Gale.* Folium hoc ipso anno 1605. quo hæc commentamur, degustatum adhuc & aromaticum. Eandem Plantam quoque haud ita pridem dono accepimus à fratre Casp. Bauhino. Cæterùm, fruticis huius ramulos Amomi nomine Constantinopoli missos Clusius in Exot. apud Garœlib. 1. cap. 31. Viennæ Austriæ
Amomum.
accipiebat, quum Amomum, quo isthic utuntur, inde expetiisset, licet nullam similitudinem haberet cum Dioscoridis, vel Plinii Amomo, quemadmodum nec ea planta quam R. P. Quatra-
Amomum Quatrami.
Piment.
mius in examine Theriacæ scribit sibi donatam pro Amomo in pratis uliginosis agro Parisiensi erutam, quam Galli *Piment* appellant, & inter vestes recondunt ad eas à tineis præservandum,
Gagel.
Brabantis verò & Flandris *Gagel* dicitur, & in coquenda Cervisia utuntur ad robur & acrimoniam conciliandam.

Locus & Tempus
In ericetis umbrosis, teste Lob. nemorosisq; saltibus fruticat. Iunio & Anglæ mulierculæ vænum adferunt ramos florentes. Dod. autore, gaudet locis incultis & Ericastris, aliquãtulum aquosis & palustribus. In Britannia plerisque locis & apud Brabantos ac Flandros non rarò occurrit. Maio ac Iunio flores apparent; Iulio & Augusto semen perficitur. Tunc collectus fruticulus ad forum vnà cum fructu infertur. In Rhotomagensium agro quoque plurimus hic frutex nascitur per saltus herbidos & uligine madentes. Est & in Scotia vdis locis frequens nomine *Gale*: vbi conclavia per æstatem ornat, teste Iac. Cargillo medico Scoto perdocto.

Vires & usus.
Lob. quoque scribit: Anglas mulierculas uænum adferre ramos florentes ad concinnanda ædium conclavia, & triclinia suavi odore, quem halant flores, imbuenda. Addi etiam flores
Odor.
Inebriãt.
potionibus consuetis Septentrionalium penuriam Lupulorum interdum resarcturos. Interdum ad hilaritatem benè potis, conciliandam. Ferire namque caput lætiore temulentia. Ad everruncanda animalcula, quæ eius odore fugantur, suf-
Contra animalcula.
Vestes conservat.
fiuntur quædam loca, & suffulciuntur summitatibus vestes. Sapor egregiè amarus insignem habere vim siccandi & discutiendi monstrat, sed

Lumbrici. præsertim valere tam sumptum quàm admotum ad lumbricos necandos & pellendos Dal. prodidit. *Temperā.* Dodon. semina impensè calida ac sicca sunt, ac ad tertium utriusq; gradum accedunt. Folia quoque calida & facultate sicca sunt, sed multò minus. Fructus cerebro molestus, Cerevisiæ *Noxa.* inter coquendum additus (quod à plerisque fit) admodum caput tentantem & citò ebrietatem adferentem eam reddit. Totus frutex cum fru- *Contra tineas.* ctu aridus, vestimentis interpositus, à tineis & vermibus ea tuetur.

HALIMON SEV HALIMOS.

Cap. XXIV.

Halimus Theoph. HVIVS Theoph. non aliter meminit, quàm sicut Lupi Æsopus in Fabulis, ut proverbio dicitur. Nimirum ut nocentem aliis herbam citat potiùs quàm describit: Ait enim ἄλιμον [Gaza Auro vertit] vicinas plantas enecare, valentiùs quàm Hedera aut Cytisus: nam & Cytisum ipsum interimere, eóque perniciosiùs, quò plùs habeat salsuginis. Nam in 5. Caus. ingenita salsuginé, nimióque pabuli desiderio id facere tradit. Quo loco ἄλιμον *Aurionem* vertit. Hic autem duo notanda. 1. Si Halimus ut salsus, id facit, cur non & aliæ plantæ idem faciunt? Deinde, si plus habet salsuginis: ergo & *Hederam* subsalsam intelligit. Sed *Halimus Diosc.* quia πολύτροφ@- est præ aliis, præ iis etiam hoc magis præstat. Diosc. clariùs de eo tradit: describit enim sic: Halimus frutex est, circa sepimenta nascens, seu sepiarius [φραγμίτης] similis Rhamno, subalbidus [ὑπόλευκος: vulg. exempl. *Diosc. emend. & varie illustr.* non habent] spinas non habens, sed folia Oleæ similia, latiora tamen [Plin. molliora, ut fortasse ἁπαλώτερα vel μαλακώτερα legerit, non πλατύτερα: Corn. illam lect. meliorem putat: utramque servat Sarac. etsi priorem vulg. exemplaria non habeant.] Nascitur in maritimis locis præruptis *Vsus ac vires.* ac sepibus. Eius folia ciborum gratia olerum modo decoquuntur. Radix verò drachmæ pondere in aqua mulsa pota, convulsa, rupta, torminúque mitigat, & lactis ubertatem præstat [καὶ γάλα κατασπᾷ: quæ verba quædam exempl. non habent.]

Nomina supposititia. Idem inter supposititia habet: Ἄλιμ@-, Alimos, aliis Damassonium, alii Erymos, aliis Rabdion, quasi virgula dicitur. Sunt qui Basilion, quasi Regium vocent: alii, Mercurij basin, similiter Sapsin: alij Osiridis diadema: alij Heliostephanon, quasi Solis coronam: alij Sacrum caulem: Pythagoras Anthenoron, Ægyptii Asontiri: alii Asphe, alii Asealuri: alii Asariphen: Latini Albucum aut Ampeluciam.

Ex amen prædictorū. Aliud Halimus, aliud Alimus. Quisquis autem ille fuit, qui Diosc. magna diligentia varias illas appellationes adiecit, deceptus est Halimi & Alimi similitudine. Halimus.n. simplex, est ab Hale derivatus, fruticem significans, sapore subsalso, quem se in Hetruria plurimum vidisse notat Goropius. Non igitur tantùm quia in maritimis nascitur hic frutex, ut voluêre quidam, nempe ἀπὸ τῆς ἁλός, ἅλιμ@- seu ἅλι- *Halimus unde.* μον aspiratè dicitur, sed etiam quia testibus Gal. & Paulo gustu sit ἁλυκός, hoc est, sapore salso, unde *Halmyris.* & ab Ætio ἁλμυρὶς vocatur. Plin. utrumque etymon eleganter complexus est, cùm ait: Halimon alii olus maritimum esse dixêre salsum, & inde nomen, &c. Ipse tamen Plin: non distinxit inter *Plin. lapsus* Halimum & Alimum. Non benè factum est, inquit Gorop. lib. 8. Amazonum, ut apud Diosc. è Spartanica fieret Halimus cùm Alimus prisca in- *Spartanica.* terpretatione diceretur: quod igitur adiectum est in nominum apud Dioscor. diversitate, Halimum à quibusdam Britannicam dici, id prorsus corruptum est. Bis itaque impingunt Diosc. exemplaria: semel Halimum cum Alimo confundendo: atque iterum pro Spartanica Britannicam suppo- *Britannicā.* nendo. Quare manifestè falluntur, qui Alimon citra aspirationem scribendum putant, atque *Alimon unde?* hunc fruticem dictum credunt, quòd famem depellat, aut gustantes esurire non patiatur. Cuius tamen sententiæ fuit Solinus, qui cap. 16. in Polyhistore herbam in Creta esse commemorat ἄλιμον dictam, quæ admorsa diurnam famem prohibeat. Diceres nomen tractum à Latinorum alimonia. *Alimon Solini.* Suspicatur tamen Sarac. num Solini ἄλιμ@- à Dioscor. Halimo diversa fuerit planta. Non tamen videtur. Nam & Gal. Alimon dixit: & Corn. Halimon Diosc. Solinum intellexisse putat. Immò doctiss. Hermol. illum Solini locum citans, non Alimon dicit: sed sic. Solinus Alimon in Creta nasci tradit mirabili si credamus effectu, quòd admorso eo fames diu nulla sentiatur: ut nomen ei inde impositum sit, *qui famem arceat*: propterea- que neque aspirationem prima litera recipiat. Nisi dicere velis & ipsum Alimon cum Halimo confudisse. Dixerat tamen paulò antè Herm. sibi placêre aspirationem, quoniam maritimum olus credatur, ideóque & ἁλμυρίς dictum ab Ætio. Alioqui Alimus est Asphodelus: Halimus verò *Aliud Alimus, aliud Halimus.* hic frutex maritimus, ut annotatur apud Cordum in Com. ad Diosc. At cùm idem Hermol. *Hermol. geminus error.* ait: Halimon nostri, ut Plin. ait, Aureonem vocant: Convolvit se ut Hedera: locis salsis nascitur, salsilaginémque præfert: bis peccat. Nam ubinam Plin. scripsit de Aureone? Quis dixit Ha- *Aureo.* limum convolvi? Fortè hic error ei natus ex malè considerato, aut intellecto Theoph. l. 5. caus. supra citato. Ait quidem Plin. lib. 17. cap. 24. Nec Viscum prodest, nec Cytisus, nec Auro, quod A- *Auro Plin.* limon vocant Græci. Vt videas etiam Plin. Alimon cum Halimo confundere. Aureonem legit Hermol. apud Gazam, qui tamen ut monuimus, priore Theophr. loco Aurum ex Plin. posteriore Aurionem ex suo capite vertit, ut mirum sit cur & Marcellus Aureonem à Plinio dici asserere audeat. Quam vocem Dalech. diligentissimus variarum Plin. lectionum perquisitor ne subolfecit quidem.

Genus 3. Cratevæ. Crateuas tertium quoque genus tradidit longioribus foliis & hirsutioribus, odore Cupressi. *Opisthotonos.* Nasci sub Hedera maximè. Prodesse Opisthotonicis, contractionibus nervorum, tribus obolis in *Contractura.* sextario aquæ. Annotat Dal. ad Plin. Sativam Ha- *Plin. illustr.* limū Tholosæ in quibusdam hortis haberi, eamq; vocari, *l'herbe du Mathlon*, id est Herbam Colicam, *Herba Colica.* quòd doloribus Colicis valdè prosit. Sylvestris haud procul Tholosa in quibusdam sepibus nascitur.

Albucus Diosc. Cæterùm quod inter Dioscor. supposititia di- *Cur Asphodelus putatur.* ctum, Halimon quibusdam Albucum dici: inde fortè natus ille error, ut Asphodelon (qui Latinis Albucus seu Albucum dicitur) ab Hesiodo quidam Alimon dici putarint, quod non temerè falsum dicit Plin. Eius verò erroris aliam causam suspicatur Marcellus. Quod deinde inter supposititia Diosc. legitur, Ampeluciam etiam dictam *Ampelucia unde.* Halimon: ab alba Vite, quam Græci in sepibus nascentem ita vocant, factum fuisse, ingeniosè sanè suspicatur Marcellus. Sed hæ coniecturæ sunt, non decreta.

Alimum apud Galen. (nam & ille ἄλιμον habet) frutex

frutex est, plurimo in Cicilia, præcipuè proventu, ubi & germina eius recentia esitant, & reponunt quoque in posterum futura usui. *Vires ex Gal.* Semen pariter & hac planta ipsa generat, estque gustus salsi & subdastringentis. Ex quibus omnibus palàm est, ipsam esse dissimilarem. Maior autem pars substantiæ eius calida est temperatè, cum humiditate inconfecta, & leviter flatuosa.

Locus. Nascitur in sepibus, maritimis & petrosis locis.

An Molochia Arabum. An verò hæc sit Molochia Arabum, quam interpres apud Serap. Atriplex marinum vocat, dubitari potest. De qua hic ait: Olitores in Babylonia in manuales fasciculos congestam vicatim circumferre, clamando: Vendo Molochia, Molochia.

Bellun. in interpret. nominum Arab. Molochia & Malochia est species Malvæ. Apud etiam Avic. Muluchia est Malva.

Frustra verò Cordus Diosc. & Serap. conciliare laborat, quòd ille Rhamno simile Halimum dicat, sed spinas non habere: hic autem ut Cordus ait, plures illi quàm Rhamno tribuat spinas. *Cordus error.* Nam Serapio videtur tantùm dicere velle, Ausegi (cui suam Molochiam confert) multas habere spinas.

Tradit quidem Cornar. Halimum veterem hodiè nobis penitùs ignotum, sed eam sententiam mitigat Cordus, qui rectè dixit Halimũ non quidẽ temerè in littore Germanico, hoc est Septentrional, inveniendum, ut pote qui calidioribus & Soli adversis littoribus nascatur. Nam repertus esse videtur hodiè, ut & cognitus Halimus, si sequentibus autoribus sit credendum.

HALIMVS Clus. — HALIMVS Dal. — HALIMVS Valerandi D.

Satio. NObis quidem Halimi Lusitanici latifolii nomine semen terræ commissum, celeri auctu, æstate etiam siccissima in cistula ad cubitalem magnitudinem adolevit, maiora facturum incrementa, si uberiore humidi soli alimento fotum fuisset.

Descriptio. *Folia.* Folia similia Atriplicis marinæ foliis, magnitudine varia, non tamen, ut illa, serrata sinuatáve, licet quædam tantillum sinuata sint, ordine nullo per ramos disposita, pediculis satis longis hærentia, etiam hyeme virentia, crassa, succulenta, candicantia & spissitudine ad Portulacæ marinæ folia accedentia, sapore subacido prædita. *Sapor.* *Caulis & rami.* Caulis adolescenti albus, & ut Atriplicibus fungosus: qui ex foliorum alis ramos profert foliis vestitos, qualia exhibet Halimi Clusii figura. *Radix.* Radix lignosa longa. Adultior in arbusculam excrevit aliquot cubitorum, *Flores.* flores tulit parvos muscosos, subpurpureos, racemosos. *Semen.* Semen tamen ex quo prodiit parvum erat, compressum, fuscum, in lappulis, non absimilibus nostræ Atriplicis lappaceæ Monspessulanæ, minoribus tamen & candidis.

Halimus Valerandi. At verò inter plantas quas à Valerando Donrez habemus, Halimi quorundam nomine, invenimus ramum lignosum, quem facilè quis cõiiciat esse magni fruticis, cortice obductum tenui, modicè subinde cinereo, *Folia.* foliis vestitũ ex adverso sitis, ad Zizyphi albæ folia accedentibus, brevioribus, nec ita splendentibus. Ramuli unius fastigio rudimenta quædam apparent, parva, conformia.

Clus. tria Halimi genera proponit: Primum sub nomine Halimi Diosc. quem & maiorem & latifolium appellat. *Halimus 1. Clus. seu maior.* Frutex est, inquit, omnino candidus, Rhamno similis, ipso etiam candidior, eadémque altitudine assurgens, multis ramis ex una radice prodeuntibus, crassis, lignosis, & fragilibus nullis rigens spinis: *Folia.* folia Oleæ, seu potiùs Rhamni, breviora tamen & latiora, interdum rhomboide figurâ, alba, carnosa, quodammodo splendentia, saporis accidi, circa ramos, nullo servato ordine temerè nascuntur. *Flos.* Flos Oleæ penè, muscosus, purpurascens, racematim in summis ramis cohæret: *Semen.* deinde semen latum Atriplicis, aut portulacæ, quam marinam vulgo appellant, copiosum: *Radix.* Radix dura est, lignosa, & in multos ramos sparsa. *Tempus.* Floret æstate, semen Autumno maturescit. Invenio etiam Decembri florentem; & maturo semine onustum. Sic igitur hunc legitimum Dioscoridis ἄλιμον esse censet Clus. & mitius genus Plin. Lusitani *Salguedeinas* à salsugine: Hispalenses *Marisma*, quod maritimis crescat appellant.

Penæ & Lob. in Advers. descriptio convenit cum planta quam à Valeranda habemus, & tertio loco depictam damus. Figura autem quam Lob. postea posuit in suis Obs. Halimi titulo, eadem est cum Clusii figura.

Dod. Portulaca marina ramulus improbatur. Habet quidem Dodon. Iconem cum hoc titulo *Portulaca Marina Ramulus*. Sed nec titulum probamus: nec etiam illius Iconis Ramulum Portulacæ marinæ (de qua sequenti capite agemus) ramulum censemus.

Halimum Halimum verum Dalec. Tholosatibus *l'herbe du Masclou*, id est, Herba Colicis doloribus utilis, in Hist. Lugd. sic describitur. Halimus frutex *Radix.* parvus, radicem habet altam, inflexam, longiùs *Caules.* evagantem, crassam, duram: caules multos, latiùs in orbem terram opacantes, cubito altiores, angulosos, ramosos: folia multa in surculis, per caules, cauliúmque ramulos, imparibus intervallis dispositis, acervatim cumulata, crassa, candida, Oleæ similia, breviora, quamvis Rhamno longitudine paria interdum sint, qualia in secundo genere Halimi sui describit Clus. [latiora Diosc. molliora Plinio, utrumque enim verum est,] etiam *Sapor.* hyeme virentia, saporis primùm quidem salsi ac *Semen.* subadstringentis, qualis in permultis maritimis plantis percipitur, deinde subdulcis. Semen producit latum, candicans in summis ramis copiosum. Hanc eandem Aureonem Plinio dici ait: & *Bellon. dubius in Halimi historia.* Tholosæ in hortis coli, & spontè nasci. Bellonius multis in locis Halimi meminit, sed ita, ut ex eius verbis, quænã planta sit Halimus intelligere non *Sic & Amatus.* liceat. Amatus Lusit. etiam de Halimo satis multa, sed ita, ut ex iis Halimum vix internoscas. Nec magis in hac historia sibi constare videtur Anguill.

Ruell & Rob. Const. notat. Ruell. & Rob. Consh. inter nomina ponunt *Blanche putain*, quod nomen Halimo non convenit.

C. Bauh. Halimon primo loco à nobis propositum C. Bauh. Halimon Diosc. & Plinij facit & Theophr. quoque. Vtrumque genus Plinij, sylvestre & mitius seu sativum Tholosæ nasci ait: hoc quidé in hortis haberi, & ab iis Herbam Colicam vocari: illam quoq; non lõgè Tholosa nasci. Ac priorem, quem latifolium erectum, sed & Diosc. & mitiorem Plin. Clus. & Lob. dicit, à nobis se accepisse fatetur in suo Phytopinace. De secundo, quem Halimum angustifolium procumbentem vocat, Clus. 2. dubitat an sit Halimus verus Dalechampij.

Herba colica. Nos autem quidem asserere nolimus Herbam Colicam vel Colicis utilem, Halimum esse, nisi priùs nobis sit visa & probè cognita: nec etiam revocare in dubium, quò referendus Halimus Dalech. qui in Hist. Lugd. dicitur vocari Tholosatibus *l'herbe du Masclou* vel *Maclou*, ut & Dal. notat apud Plin. In Hist. Lugd. Halimus Dalech. diversus traditur à Clus. 2. Clusij verò Halimus 2. idem videtur cum Portulaca marina mox describenda: ut iam non ampliùs ambigendum videatur an sit Halimus verus Dal. cum quo nulla ratione convenit.

Cæterùm nomina ex veteribus hîc non ponimus, quia nondum certi quæ nostratum plantarum descriptarum illorum descriptionibus verè conveniat. Præmisimus tamen quæcunque veteres de Halimo prodidère. Posteri certiora inquirant.

Pen. & Lob. coniectura nona de Halimo Diosc. Quod si negationem eximas apud Diosc. & dicas eum dixisse Halimum spinas habere, ut Pena & Lob. coniiciunt in Adu. frustra iam sint, quicunque unum prædictorum, Halimum uerum veterum & Diosc. statuere audent. Nam, ut quid, inquiunt illi, inter spinosas & vallatorias & finitimas, maritima cùm sit, recenseret. Nam quæ vesca sunt & holeracea, secundo libro disseruntur. Credant igitur qui volent, unam ex nobis propositis esse Halimum Diosc. & veterum, ut certè esse videtur, donec aliter erudiantur.

Porrò Halimi Lusit. latifol. Clus. nomine semen accepimus Stutgardia à Cl. D. D. Schuvartz Medico, quod in horto E. C. Montbelgardiensi satum pulchrè in fruticem adolevit, & aliquot annis duravit hyeme repositus. Tandem verò hyeme asperiore, negligentiùs custoditus, periit. Rursus idem semen à D. Robino Hortulano Regio Lutetiâ acceptum, & in eundem hortum consitum primo anno in ramosum fruticem ad 2. cubitos altum exiliit: Aliàs etiamnum ab aliquot annis durant aliquot arbusculæ hyeme repositæ, & flores ferunt, in quibus etiam misimus Stutgardiam in hortum illum Regium E.C. & Basileam Cl. D. D. Platero splendidum & instructissimum hortum colenti. Halimus primus Clusio plurimus spontè provenit Vlyssipone vicinisque locis ad Tagum, aut eius ostia & æstuaria mari proxima, in sepibus mixtim cum Rhamno aut solus: Hispali item in sepibus. Natus etiam eidem semine, quod Vlyssipone attulerat, quem etiamnum apud quosdam rei herbariæ studiosos ali existimat. Verùm minùs album fuisse ait, quàm natali loco, & amplioria nactum folia, Atriplicis ferè magnitudine & forma, carnosa tamen, & salseditnis nonnihil habentia. *Locus & Tempus.*

Halimus verus Dalech. sive Herba *du Masclou*, teste Hist. Lugd. Tholosæ in hortis colitur: spontè verò nascitur in sepibus, præsertim ad vicum tribus milliaribus ab urbe distantem, quem *Sainct Hourens* vocant, loco macro, squalido, alto.

Dicitque Dalech. in annot. ad Plinium Tholosæ sativum & sylvestrem Halimum dici *L'herbe du Masclou*. Suspicamur verò nos Halimum Dioscoridis verum æstimatum Dalechampio idem esse cum Halimo 1. Clusij, quamvis icon Dalechampio displiceat, potissimùm quòd flores & semina attinet: nec etiam folia in icone videntur respondere descriptioni. Tholosates Medici & Pharmacopœi poterunt nos ac posteros docere, an ea icon sit vera. Dubia etiam est Dalechampii fides Clusio, quòd fructum Ribes vulgari similem vero Dioscoridis Halimo, quem Tholosæ in hortis coli ait, appingat. *H. Lugd. Halimus Dalech. suspecta à C. des.*

Dioscoridis, Galeni, & Plinij vires Halimo tributæ antè dictæ sunt. Lusitani tenellas prioris Halimi cimas in cibos recipiunt, sicut & Rhamni. Cl. Eques Damianus de Goës, Halimi maioris folia cum surfuribus decocta, & podagris, quæ à causa calida proveniunt, malagmatis modo calida imposita, dolores lenire affirmabat, teste Clus. Halimi Dal. foliorum manipulum terunt Tholosates, & ex vino albo propinant, maximo doloris colici, torminúmque levamento. Quamobrem *l'herbe du Masclou* vulgò vocant. Quod lac attrahat, ipsúmque ac semen augeat, rationi valdè consentaneum est. Salsa etenim nitrosáque substãtia, crassiorem sanguinem extenuat, ut in mammas fluat, & penetret faciliùs, subadstringente, partes glandulosas roborat, ad lactis materiam meliùs concoquendam, dulci, sanguinem copiosiorem gignit: quoniam dulcia in sanguinem facilè commutantur. Rustici verò pabulo sale condito, in pecudibus etiam lac magis affluere credunt. *Vires & usus. Cibus. Podagra. Colica. Lac & semen auget.*

PORTVLACA MARINA FRVTICOSA: QVÆ HALIMVS 2. CLVS.

PORTVLACÆ marinæ flagella ex radice producuntur multa, pedalia plurimùm (quanquam & sesquipedalia observaverimus) ramosa, rariùs *Descriptio.*

ramùs erecta, albicantia; tenuia, lenta: in quibus folia quodammodo ad Oleæ aut Rhamni 2. Matth. folia accedunt, nisi breviora essent; pinguia ferè & Portulacæ Sativæ, exalbida sive cinerea, lævia, interdum ferè quadrangularia, saporis salsi, quem culturâ in hortos translato frutice exuunt. In ramulorum extremis semen copiosum racematim congestum fert, minutum, præcedentibus floribus, qui ex viridante in purpurissum quoddam vergunt, Bliti aut Atriplicis ferè similes. Illi radix lignosa, vivax, velut & ipsa stirps, quæ decidentibus paucis foliis hyemem sustinet.

Folia. *Sapor.* *Flos.* *Radix.*

Putat Adamus Lonicerus, Halimũ eam esse plantam vuas ferentem quam vulgò Ribem vocant: Sed cùm huius folia non correspondeant oleagineis, sed potiùs vitigineis, eum planè hallucinatũ esse constat. Halimi meminit etiam Galenus lib. 6. simpl. med. vbi dicit: Illius plurimum in Cilicia præcipuè esse prouentũ, ibique recentia eius germina esitari, ac in posterum futura vsui etiam reponi, &c.

Halimus, quæ a Diosc. describitur, etsi alicubi fortassis proveniat in Italia: tamen qui illam Matthiolo ostenderet, adhuc reperit neminem. Halimus Mauritanis *Molochia* & Atriplex marinus appellatur. Cuius historiam referens Serapio narrat quòd eam venalẽ circũferentes in manuales fasciculos cõponunt, & per Babiloniã clamitant Molochia, Molochia: quod manifestè indicat Halimũ apud Mauritanos herbã potiùs esse, quàm fruticẽ vel arborem, eamque fortasse, quam Plinius marinam ac salsam prodidit.

quo fit, vt salsam quandam herbam (incolæ Bidone vulgò appellent) quæ frequentissima in littoribus Venetis provenit, hanc esse putaverit: quippe quòd ea instar oleris in ciborum usum recipiatur. Folia fert Olivæ similia, crassiora tamen, ac perinde ferè pinguia ut Portulacæ, subalbida, lævia, sapore salso. Caules emittit albicantes, tenues & lentos, in quorum summitate profert semen minutum, racematim cohærens. Nascitur frequens prope Tergesti mœnia circa salinas, ubi etiam separatim, nec minùs copiosa visitur Atriplex marina, quæ sylvestrem maximè æmulatur. Quanquam apud Mauritanos Atriplex marina idem esse videtur cum Halimo. Sed inter se differunt: ἅλιμος Græc. Lat. halimus, Arab. Molochia. Hæc Matth. cuius icon bènè repræsentat hanc nostram Portulacam marinam. Halimi alia species conspicitur diversa à præcedenti [halimo latifolio Clusii] locis maritimis proveniens, planta valdè similis ei, quam Diosc. tradit pro halimo, quã comedunt in Creta, & vocant *Sandalida*, ex qua, provt intellexit Anguillara, in Sicilia fiunt sepes. Portulaca marina videtur. Dodon. Gallico Græcorum ἅλιμος, & nominatim halimi secundi species descripta à Plinio. Hanc vocat Gallicè *Pourpier marin, Pourpier sauvage, & Pourcelaine de mer.* Eam porrò describit Latin. in folio. Portulaca marina dicta exiguus est frutex, cuius ramuli duri ac lignosi: folia pinguia, carnosa, formâ Portulacæ æmula, sed albiora & duriora: flosculi cauliculos parte superiore ambiunt, quales Blito aut Atriplici, nec dissimile semen, latum ac planum, radix lignosa, veluti ipsa stirps, quæ defluentibus paucis foliis hyemem sustinet. Huius verò & aliæ reperiuntur species foliis candidioribus longioribus & Olivæ ferè simillbus, non rarò quoque altiores, aut ramulis teneriores, quales in Lusitania & Valentino Hispaniæ regno se vidisse Clus. scribit. ἅλιμος autem cum aspiratione, differt ab ἄλιμος sine aspiratione. Dodonæus in fol. eandem proponit iconem, quam olim habebat, ac præterea aliã addit, cui titulus Portulacæ marinæ ramulus: quæ icon est in Ic. Plant. pag. 393.

Clusius sic describit. Halimi genus aliud supra cubitalẽ aut sesquicubitalẽ non assurgit altitudinẽ, flagellis potiùs quàm ramis, adeò infirmis, ut plerumque procumbant, & humi fundantur, candidis quidem illis, sed minùs superioris ramis: huius folia oblonga, angusta, pinguia & carnosa, cinerei & albicantis coloris: flos summis flagellis racematim cohærens innascitur herbacei ferè purpurascentis coloris: deinde semen superiori penè simile, paulò tamen minus. Floret quo superior [halimus latifolius] tempore. In maritimis regni Valentini nascitur: vidisse & legisse etiam memini, ait Clusius, in aggeribus illius insulæ, quam duo Rhodani cornua faciunt inter Fanum D. Ægidii & Arelatum, cùm Monspelio Arelatum, & inde Massiliam proficiscerer. Alitur etiam à nostratibus in hortis. Alebat etiam Viennæ I. Aicholtzius insignis Medicus, adeò prolifico semine, ut plurimæ illi plantulæ singulis annis spontè nascerentur. Ad halimi etiam genera referri potest alia planta, non modò in maritimis editis rancì maris, sed etiam ad Oceanum situs, ut in aggeribus Flandriæ, Zelandiæ, & Hollandiæ nascens. Flos etiam extremos ramulos ambit racematim, ex herbaceo purpurascens: deinde semen secundo simile. Cuius turiones & folia Flandros, Oceani accolas, sale condire solere tradit, & in usum servare, non secus ac Tyrrheni maris maritimis vicinos, fœniculum marinum. Alter halimus, sylvestre genus Plinii videtur, cui tenuiora folia tribuit: illius vulgare nomen mihi ignotum, tertius vulgò Portulaca marina dicitur. Omnes autem perpetuâ sunt fronde, & aliquid affine cum Atriplice sylvestri habere videntur, & fortè etiam facultates non dissimiles.

Matthiolum sequitur Lacuna, & Alimum Solini putat, quasi hæc tantopere famem arceat: & tamen ipse halimum scribit, cùm Solinus Alimum scripserit. Sed profectò non tam in hoc, quàm in eo decipitur Lacuna, quòd utique intelligens Portulacam hanc marinam, is interim suâ icone nobis obtrudat Ligustrum, errore nimis crasso. Hist. Lugd. tradit tertium halimi genus Clus. Crithmum esse Diosc. Ital. *Bidone.*

Lacuna error.

De ea Pena & Lob. in Adversf. hæc inter alia habent. Marina planta Portulacæ foliis & facie, quam Crithmum Diosc. putarunt: nam nihil videtur obesse aut deesse, quò minùs Portulaca sit.

C. Bauh. in Phyt. Halimum 3. seu Portulacam marinam, Halimum vulg. Matth. Halimum sylvest. Plin. unam eandémque hanc censet, licet aliqui halimum esse negent.

Digitized by

Locus. Nascitur Portulaca nostra marina copiosè in agro Narbonensi inter Lacum salsum & mare. In maritimis Zelandiæ, Flandriæ, Hollandiæ aggeribus & tumulis arenosis Portulacam marinam etiam gigni scribit Dodonæus, & alibi similibus locis, ac Iulio mense cum flore potissimùm vigêre.

Vires & temper. Cæterùm, cùm Dodonæus ita validam dicat: non temerè dixerim, sapor id non demonstrat, cùm is sit tantùm salsus, & cultus salsuginem deponat. Ipsemet præterea Dodon. quasi sententiam mutans in postr. hist. in folio ex Galeno dicit tantùm maiorem eius partem calidam esse temperatè, cum humiditate non concocta, & flatuosa. Enascuntur apud nos [Zelandos] inquit Lemnius, passim aliquot herbæ salsuginoso succo imbutæ, ex quibus sal, si aliàs denegatum sit, facilè elici potest, atque in domesticum usum depromi: qualis est Portulaca marina Halimo affinis, ut etiam adnotavit Matthiolus in eruendis herbis acer & industrius. Hanc nostrates æstate desinente condiunt, ac muria asservatam, aut rudi sale obrutam in hibernos usus reponunt, ut Hispani Olivas, Cappares, Crithmon, Empetron. Excitat enim appetentiam ac fastidia nauseámque discutit, si quando ventriculus pituitosis humoribus oppressus, vel etiam biliosis, cibum respuit. Tota autem herba, usque ad seminis quod minutum est ac racematim dependet, maturitatem, portulacam prægrandem hortensem ac sativam refert: quam Patricii etiam sale rudi ac scabroso obruunt ad excitandam cibi aviditatem: An autem hæc *Portulaca marina* Halimi nomine sit designanda nondum statui, quum illa famem excitet, iste verò arceat.

Sal ex herba.

FINIS LIBRI VIII.

HISTORIÆ

HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM,

LIBER NONVS.

DE ARBORIBVS CONIFERIS ET RESINIFERIS.

NATVRA *sylvestrium arborum, magna ex parte sponte sua provenientium, dicta est. Nihilominus sylvarum & ipsa restant incola Conifera & Resinifera, nullibi latiùs nascentes, ut & sola per se, vix caterarum admittentes consortium, ingentes occupent sylvas; nec latiores ex alia sola arbore inventæ sint: quippe quæ rarò cum aliis, sive domesticis, sive sylvestribus coëant, societatémve ineant. Adeò etiam in his sui generis consortium indissolubili naturæ vinculo diligitur. Nec inter illarum genera quæ sat multa, maior refertur affinitas. Nam usque adeò arctæ, ut aliud genus ab altero vix facie dissimile cernatur: tàm simillimo caudice, fronde, flore ac fructu: nec nisi ab his, qui eas magno studio & frequenti conversatione coluerint.*

Hæ sunt illæ arbores, odorato succo præ aliis ita manantes, ut κατ' ἐξοχὴν & per excellentiam, Resiniferæ dictæ. Alias tamen Oriens habet, alias Europa. Quæ interest Asia, utrinque quasdam habet. Ità & in odoribus sua pretia habent sylvæ: erántque per se mira singula: iuvit tamen prodigam & petulantem luxuriem ea omnia miscère, & è cunctis unum odorem facere. Ita reperta sunt Vnguenta. Atque hæc est luxûs è cunctis supervacui materia: quam sane natura saluti tantùm ac utilitati hominum pepererat. Nunc ista patrocinia quæsita luxui, ut per hoc ius sumatur ad vitia. Margaritæ gemmæque ad heredem quidem transeunt: vestes prorogant tempus: aurea & ex argento fabricata pocula scyphique familiam quomodocunque ornant, nec pereunt: At unguenta illicò exspirant, ac suis moriuntur horis: Vnde rem mortuam dixère Iurisconsulti. Sed nihil leges, nihil edicta illorum hic potuère. Summa commendatio eorum, ut transeunte fœmina (atque utinam non & viro, quanquam solo fœmineo) odor invitet etiam aliud agentes, ut qualiter sentiatur, tanquam ab aliqua sui parte corporis, canum more, non lateat etiam mares. Ista fiunt: nec absque immani sumptu. Tanti emitur voluptas aliena. Etenim odorem qui gerit, ipse non sentit. His vestes, chirothecas, velamina, crines, ipsaque etiam tergora inficiunt. Ac, mehercule iam quidam etiam in potus addunt, tantique amaritudo est, ut odore prodigo fruantur ex utraque parte corporis.

Nos saluti potiùs consulentes hominum ac utilitati, salutares hâs Pronoeæ opes tanquam in officina Aesculapij exponemus, arboribus suas & cognatas resinas inserentes.

ABIES FOEMINA SIVE ΕΛΑΤΗ ΘΗΛΕΙΑ.

CAPVT I.





PRÆCELSA est arbor, atque speciosa plurimùm, ramis decussatim in alios minores divisis, in orbem brachiata, ità, ut velut alæ expansæ videantur. Sursum versus magis magisque gracilescunt frondes, donec pyramidis ferè formam attingat. Ligno est albo, resinoso, odorato, fibris rectis ita intertexto, ut assulatim facilè per longitudinem scindi possit, cortice obtecto, exteriori lævi, & candidiore quàm Picea. Inter utrumque tumores ceu folliculi oriuntur parvi, qui, ut resina exstillet, aperiendi: quæ clara est & alba. Ramis porrò utrinque pectinatim disposita, numeroso agmine folia hærent rigidula, supernè viridia, glabra: infernè candicantia, aut

Descriptio. Rami. Frondes. Lignum. Cortex. Resina. Folia.

cinerea, lineâ viridi distincta: Sed quàm Piceæ latiora, molliora, læviora, minúsque acuta: quædam etiam bifido mucrone donata: Quas differentias non agnoscentes plærique cum Picea confundunt. Omnis eius frons tali foliorum positu stipatur, ut compressam dicas. Adultiores verò factæ arbores, inquit Clus. talem foliorum ordinem non servant, folia quoque rigidiora, obtusioráque redduntur, è quorum alis nucamenta quædam prodeunt parva, atque ex illis Iuli singulares breves, qui non multò pòst in flosculos expanduntur. Fit etiam aliquando, ut in annum sequentem ista nucamenta perdurent. Conos fert oblongos, ovatos ferè, sursum vergentes, Piceæ vulgaris conis breviores & crassiores: Squammæ verò latiores multò brevioresque & veluti hirsutæ, vel levi exsiccatione caducæ, ut in Pino Cembro. Neque enim hærent, ut in Picea, Pino, atque Pinastro. Inter squammas singulas veluti lingua quædam eminet, à squammæ radice exorta: ad cuius latera semina hærent alata, maiora quàm in Picea, odorata, mollia, oleosa. Ex conis resina quoque liquida exstillat.

Abies à Picea differt. Adultiores arbores, Folia. Nucamenta Iuli, Flosculi. Coni. Squamma. Semina.

Ex coniferis & resiniferis ergo perpetuâ fronde virens Abies est [Ελάτη] cui autore Theoph. rami sunt ordinati, utrinque miro ordine respondentes, Sed priusquam ulteriùs pergamus in contextu Theophrasti, nota Gazam τ̃ ἐλάτης legere Roboris, non Abietis. Malè sanè, cùm & Philosophus Abietis ramos ordinatè dispositos scribat: & Plin. Abieti ordinatos, Robori inconditos attribuat. Sic igitur legit Scalig. & emendatiùs, τὰ μὲν ὄζοι ἴπυχε, τ̃ δρυὸς· τ̃ δὲ ἐλάτης οἰκλῖναι. Namque si sunt κατακλῖνες, non sunt ὡς ἴπυχε. Notandùm etiam ὄζω & à Plinio & Theod. nonnunquam ramum, interdum quoque nodum interpretari: ut & Theophrast. variè utitur. Quod porrò Theophrast. alia cultum nullum pati tradit, ut Abietem, & ad summam, quæ loca frigida, nivosáque adamant, adhuc hodiè experiri licet.

Abies Theophrast. Rami. Gaza error. Theoph. lectio restituitur. Ὄζω. Cultum non patitur.

Sed redeamus unde digressi sumus. Abies procera est, & longo caudice, sicca & fissilis. Nec huiusmodi differentiæ naturæ denegandæ sunt, nam fissilis Abies rectà meatuum magnitudine, quamvis nodosa ut Pinus [πίτυς.] Sed nodiosiores fœminis mares, ubi sexus uterque haberi potest, ut Cupressus, quarum nonnullæ binis, quædam ternis, aliæ quinis & pluribus nodis, rectis, quemadmodum infixis, cæteris autem minimè: quam ob rem Abies validissima est. Lignosa porrò huic medulla præcipuè quòd plurimum tedæ ingerat. Radix ei una tantùm data est, prægrandis, ut in ima descenderet, parvæ autem complures ab illa exirent & nervosæ, quæ nullam penitus proferre sobolem possunt. Ad longitudinem apta potissimum ingeri. Locis denique suis meliùs augescit, & enodior, amplior, pulchriórque extat. Sic Macedonica præstantior, quàm Parnasia cæteræque, spectatur. In totum omnis sylvestris materies pulchrior & commodior & copiosior parte montis Aquilonia, quàm Meridiana, enascitur. Folia habet multifida & quasi serrata, in extremis spinosa [In extremitate pungentia] alarum modò, semper in minores pennas desinentia, ut tota species sit Filicis fœminæ, adeò densa, ut neque nivem, neque imbrem transmittant. Quod enim spinas omninò pro foliis habeat, nullam inter arbores est. Succum fert pinguem, oleosum, & resinosum: Amentum sive florem Croci colore, paulò antè Solstitium: Fructum post Vergiliarum Occasum demittit. De flore Abietis, quod Ald. cod. & Scaliger tradit, χλωρὸν hunc esse, sibi minùs constat. Scribit enim alibi eundem κρόκινον, atque ita res est, quæ in Abiete diligenter consideretur. Provenit tantùm semine: radix enim nullam penitùs proferre sobolem potest. Deciso cacumine inarescit radicitùs eodem anno.

Candice longo. Fissilis. Nodosa. Abietis sexus. Cur validissima. Medulla lignosa. Radix. Locus. Macedonica. Parnasia. Folia. Spinosa folia. Succus, Flos. Fructus. Ald. codex & Scaliger notantur. Semine provenit.

Evenit peculiare quiddam Abieti, cùm enim præcisa, vel aliquo pacto diminuta afflatu fuerit, circa lævem partem sui caudicis (habet enim quadantenus lævem, enodem, similem ac etiam æquiparandam naviculæ) mox circumnascitur paulò excelsitate inferius, quod quidam *circumauctionem*, alii *circumagnationem* appellant, colore nigrum, duritiâ ultra modum, ex quo crateres Arcades conficiunt.

Præciso cacumine non regerminat. Circumnatio.

Illud quoque peculiare hâc eâdem in re Abieti accidit: cùm enim ramis omnibus ablatis, cacumen decideris, mox moritur: cùm verò inferiores, proxima lævi illi parti præcideris, quod restat vivit, & *agnatio*, quam modò dixi circum [illegible] fieri assolet: scilicet quia vegetius ac viridius est.

Crescit primùm in excelsum quoad liberè Solem accipiat. Neque ramus ullus, neque germinatio lateris, neque crassitudo interim factitatur: pòst in profundum, latúmque incrementa capessit, atque ita ramorum exortus, & laterales germinationes sequuntur.

Germinationem intermittit, térque turget, terque germina edit. Ideò & ter squammosa dicitur: omnis enim arbor cùm germinat, squammas corticum spargit.

Germinatio. Ter squammosa.

Ab ulcere ampliori altiorique nihil offenditur, nec ulla ex quibus resina colligi potest, cùm teda discinditur.

Vlcus.

Arcades autem eam medullâ totâ exemptâ interire dicunt.

Materies eius primo turgore coloratior redditur.

Vere cùm germinat, cæditur.

Cædendi tempus. Locus.

Montibus propria, quæ nasci in planis nequit, sed in umbrosis pulcherrima, & apricis haud similis sibi assurgit. Itaque in Arcadiâ circa Cranam vocatam loco quodam concavo & silente à ventis, quem nunquam Solem attingere aiunt, plurimùm tum longitudine, tum crassitudine cæteris præstat, non tamen pariter frequens, neque pulchra cernitur. Nascitur quidem in montium cacuminibus, locisque algentibus, sed non in excelsum, sicut etiam circa Cyllenum promontorium evenit. In Asia Abietem parte superiore Syria, itinere à mari quinque dierum, enasci negant: sed in India visam in monte, cui Mero nomen, affirmant, quo Liberum patrem ortum fabulæ aiunt. Harpalus verò in Media tantùm eam locare contendit. In Ponto verò deest, & omninò quæ tedam in se gerunt.

Cæterùm, Abietis [τ̃ ἐλάτης] quædam mascula [ἐλάτη ἄρρη seu Picea Latinorum] & quædam fœmina [ἐλάτη θήλεια,] est. Distant inter se foliis. Mari enim acutiora, magisque pungentia, flexáque magis: Quamobrem aspectu crispior tota arbor videtur. Quin & materiâ differunt: Nam fœminæ candidior, mollior, operibúsque facilior, atque totus caudex procerior: mari autem variatior, latior, durior, medullâ refertior, atque in totum aspectu deterior. Nuci maris pauci nuclei parte priore insunt: Fœminæ nullæ omninò, ut Macedones referunt. Folium pinnatum atque in angustias tendens, ut tota species concameratum sanè imitetur: simileq; potissimùm

Abietis fœmina, & differentia.

potissimùm cyathus Bœtorum appareat : densum adeò est.ut nec nivem,nec imbrem transmittat.

Discrimen Abietis & Pini Altitudine. Ligno. Nodis.

Distant verò inter se multifariam Pinus & Abies. Hæc enim magnitudine excelsâ, longéque Pino procerior. Differunt etiam ligno non paulùm. Nam Abieti nervosum, molle, levéque. Pino autem tedaceum, ponderosum, atque carnosius. Nodi [idem alibi dicitur de ramis] plures Pino, sed duriores Abieti. Quin & reliquis ferè omnibus duriores, quanquam mollius lignum est. Habet, ut Pinus *Aegidem*, ita Abies *Album*, dictum Lusson, velut ægidi respondens, nisi quòd id album. Ægis verò gratiùs colorata est, quoniam tedam gerit. Spissum hoc & candidum, pulchrúmque ex arboribus iam vetustioribus gignitur. Arcades ambo ægidem vocitant, tam Abietis quàm Pini, & copiosiorem esse Abietis volunt, sed meliorem Pini: Abietis enim totam condensam nodam [candidam] levem, spissamque: Pini verò exiguam, & crispiorem & leviorem, in totúmque meliorem. Abies verò etiam *circumauctione*, sive *agnatione*, quam superiùs diximus, à Pino distinguitur. Præterea tunicâ multiplici Abies constat, modo Cepæ: assiduè namque tunicæ conspectæ subditam aliam gerit, atque ex his tota constat. Pinus adhæc plùs quàm Abies corroditur à teredine: hæc enim amara est, Pinus verò dulcedinis nonnihil habet, eòque magis quò fuerit tedâ refertior. Omnes enim [arbores] teredinem sentire affirmant, præterquam Oleastrum & Oleam, quas amaritudinis causa, neque teredo, neque tinea rodit. Quod autem hic in Theophrast. Gaza ξηρὰν non legit, sed πικρὰν, dubitat Scaliger, an veram lectionem retinuerit, cùm Abies amara non sit, sed siccior, quàm Pinus. Is autem ξηρὰν legit. Tradunt etiam Abietis, cùm germinat, decorticatam materiam aquis inoffensam, durare posse. Patuitque id apud Pheneum Arcadiæ, cùm obtrusis faucibus campus in lacum redundavit: tum enim ductis pontibus ex Abiete, cùm ampliùs extumesceret aqua, aliis super aliis fabricatis, postea extrusis obturamentis, unda erupit, discessitque, ac universa materies, incorrupta comperta fuit. Rarissima est medulla, pergit Theophrastus, Abietis, quæ pondus substinet validè, ut Pinus, quamvis utramque reniti affirmant. Medullam (ut fabri aiunt) omnis habet materies, sed conspecta potissimùm in Abiete. Nunc humor ipse quibusdam in lachrymæ modum gignitur, ut Abieti, in quâ, ut & Picea, cum lignis degustatis vulnus intulerint, fit Resina, de quâ postea sub Peuce. Sed hæc fortè prolixiùs ex Theoph. dicta sufficiat.

Agnatione. Tunicis. Teredine. Gaza sugillatur. Incorrupta in aquis. Lachryma. Resina.

Audiamus Plinium. Peregrina, inquit, videbatur, quoniam non erat suburbana, Abies. Abieti expetitæ navigiis rami, ut Piceæ, penè statim ab radice modici, velut brachia, lateribus inhærent. Situs in excelso montium, ceu maria fugerit: nec forma alia [quàm Piceæ.] Materies verò præcipua trabibus, & plurimis vitæ operibus. Abies, ut omnia alia genera quæ resinam ferunt, accensa, fuligine immodicâ, carbonem repentè expuit, cum eruptionis crepitu, eiaculatúrque longè. Abies perpetuò viret, nec facilè discernitur in fronde, etiam à peritis: tanta quippe natalium mistura est. Abies è cunctis amplissima est, & fœmina eius prolixior, materie mollior, utiliórque, arbor rotundior, folio pinnato densa, ut imbres non transmittat, atque hilarior [intuitu] in totum. E ramis generum horum paniculatum modo nucamenta squammatim compacta dependent [fallitur Plinius: Sui enim sunt & Larici coni, veluti Pino, sed minores, & Cupressinis similes] Laricis. Hæc Abietis masculæ, primori parte nucleos habent, non item fœminæ. Gignitur & in Abiete Cachrys, postquà folia cecidere, hieme durans. Montes & valles diliget Abies, cui folia non decidunt: sunt hæc insecta pectinũ modo & Piceæ & Abieti. Abies tripartitò intermittit ac terna germina edit, adeò & inter squammas corticem spargit: quod omnibus arboribus in germinatione evenit, quoniam prægnantium rumpitur cortex. Est autem primum eorum [germinum] incipiente Vere, circiter quindecim diebus. Iterum germinat transeunte Geminos Sole. Sic fit, ut [prima M. summa CH.] quima cacumina impelli secutis appareat, geniculato incremento. Tertium est eiusdem ad solstitium brevissimum, nec diutiùs septenis diebus. Claréque & tunc cernitur excrescentium cacuminum articulatio. Abies floret croceo [croceo] colore circa Solstitium, semen verò reddit post Vergiliarum occasum [alius legit circa diem nonum Decembris.] Est ordo ramorum Abieti, Piceæ: Et Abieti quidem subrecta divisura, ramíque in cœlum tendentes, non in latera proni. Mirum, cacuminibus eorum decisis moritur: totis verò detruncatis, durat. Et si infrà [intra M. & CH.] quàm rami fuêre, præcidatur, quod superest, vivit: si verò cacumen tantùm auferatur tota moritur. Abieti succisæ humor diu effluit. Hæc inter arbores altissimas rectissima. Navalium malis antennisq; propter levitatem præfertur Abies. Abies admirationis præcipuæ visa est in navi, quæ ex Ægypto Caii principis iussu, Obeliscum in Vaticano circo statutum, quatuorque truncos lapidis eiusdem ad sustinendum eum adduxit: quâ nave nihil admirabilius visum in mari certum est, c x x. vel ut alius, c x x x. modiûm Lentis pro saburrâ ei fuêre. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus latere lævo. Ibi namque demersa est à Claudio principe, cum tribus molibus, turrium altitudine in ea exædificatis obiter Puteolano pulvere, advectísque. Arboris eius crassitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat. Vulgóque auditur octogintà nummorum & pluris malos venundari ad eos usus, rates verò connecti quadraginta sestertiis plerasque. Pondus sustinet valdè Abies etiam in transversum posita. Firmissima ad tectum Abies. Eadem valvarum repagulis, & ad quæcunque libeat intestina opera aptissima, sive Græco, sive campano, sive Siculo fabricæ artis genere spectabilis, ramentorum crinibus, pampinato semper orbe sese volvens ad incitatos runcinarum raptus. Eadem & curribus maximè sociabilis glutino, in tantùm, ut findatur antè, quà solida est. Non fastidienda hæc quoque scientia, atque non in ultimis ponenda, quando quibusque satis umbra, aut nutrix, aut noverca est. Abietis quidem quemcunque attigerit, non dubiè venenum est. Et hæc sunt, quæ passim Plinius in suis libris memoriæ mandavit.

Abiet. Ramus. Locus. Forma. Materies. Perpetuò viret. Arbor amplissima. Fœmina. Plinij error. Abies mascula. Cachrys. Folia. Germen triplex. 1. 2. 3. Flos. Semen. Ramorum dispositio. Mirum de Abiete, lib. 16. c. 30. Inter altissimas rectissima. Abies prodigiosa magnitudinis. Abies ponderi sustinendo idonea. Ad opera intestina. Abietis umbra venenata.

Discorides arboris huius expressè non meminit, licèt nihilominùs eius resinæ vocem annotarit, de quâ infrà agemus.

Meminit Homerus malum in navi ex Abiete fuisse, quâ Telemachus Pylum navigavit.

Malus.

ἱστὸν δ' εἰλάτινον κοίλης ἔντοσθε μεσόδμης
Στῆσαν ἀείραντες.

Apollon. Rhod. ἀργοναυτικῶν celebrat Filium Iovis [Herculem] in silva oberrantem

Remus.

Vt remum sibi ipsi pararet ad manum aptum.

Invenit dein Abietem hinc inde digressus, neque

plurimis gravatum ramis, neque multùm virentem.

Ennius eam navem quâ Iason cum Græciæ Heroibus in Colchidem vectus est, ex Abiete structam fuisse memorat.

Abiegna trabs.

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabs:
Néve inde navis inchoandæ exordium
Cepisset, quæ nunc nominatur nomine
Argo.

Virg. Georg. 2.

---Et casus Abies visura marinos.

Claud.

Apta fretis Abies, bellis accommoda Cornus.

Sed & hastas ad præliandum ex Abiete fabricatas esse, notat Virg.

---cuius apertum
Adversi longa transverberat Abiete pectus.

Elate. Sapinus. Avetum. Mas & fœmina. Ignem facilè concipit. Pars inferior Sapinea dicitur. Superior Fusterna.

Abietem materiam vulgo notam dicit Hermol. at ideo eius historiam omisit.

Quæ Græcis ἐλάτη arbor est, ait Ruell. Gallis & Sapinus & Avetum dicitur, Latinis Abies. Hæc Pino non dissimilis. Eius alia mas est, alia fœmina. Procreat & alit termitem, ab eóque vitiatur. Ignem facilè concipit, vehementémque flammam eiaculatur, quod raritati aëris, qui ei insidet, refertur acceptum. Pars arboris inferior enodis, eiecto torulo ad intestina opera comparatur: & Sapinea, si Vitruvio credimus, vocatur. Superior nodosa duriorque Fusterna dicitur. Plinius videtur Abietem cum Palma confudisse, quæ Medicinæ confert germina, folia & corticem. Nec Diosc. nec Galen. usquam in arborum censu Abietis meminerunt. Quam Græci vocant Elaten, non est quam Plinius asserit Abietem. Sed idem potiùs est Elate, quod Spathe. Abies resinam fundit celebratam, quam Gallicum vulgus Avetam vocat. Et hæc de Ruellii opinione, qui nec Abietem Latinorum [ἐλάτην θήλειαν Theophrast.] nec eorundem Piceam [ἐλάτην ἄρρενα] ritè describit. Præterea non distinguit nisi quatenus in genere quædam ex veteribus, & potissimùm ex Plinio (quem tamen non nominat) recenset: cur ad hoc caput non refert Piceam Latinorum, quæ Elate mas Theophrasti. Cum Pino etiam non video tantam similitudinem, ut Pino non dissimilis sit: unde si Piceæ Latinorum non dissimilem dixisset, meliùs authoritati suæ consuluisset: nulla enim arbor ei similior, habet tamen manifesta discrimina. Præterea nimis generaliter scribit, quam Græci Elaten vocant, non est quam Plinius asserit Abietem: hoc enim falsum, quia quamvis aliis quidem quibusdam Græcis Elate non sit Abies, sed Palmæ pars, ut Diosc. Galeno, Paulo & Hesychio, quos citat Ruellius: Attamen Elate Theophrasti est Abies & Picea Plinio: Et Dioscorides ipse ῥητίνην resinam, ἐλατίνην Abietinam nuncupavit.

Plin. notatur.

Elate, quæ Spathe. Resina Aveta Gallorum. Abies Latinorum.

Picea Latinorum.

Ruel. taxatur.

Plin. vindicatur.

Sapinus. Avetum.

Car. Steph. Græcis Elate dicta, Gall. *Sapinus* & *Avetum*, ea est arbor, quâ in Galliâ Lugdunensi & superiori Germaniâ, non solùm in ædificiis, sed etiam in domestica supellectile ligneâ utuntur. Abietis trunco ad radicem, vel interdum altiùs, ubi arbor & lignum carie tentatur, fungus, vel adnatum, simile fungo grandiori, nascitur, cui nomen *de l'Agaric*. Id autem in Delphinatu frequenter reperitur. At Car. Steph. imitatus Ruellium, non novit discrimen inter Abietem & Piceam Latinorum: Agaricus in Delphinatu non est fungus Abietis, sed Laricis longè diversæ arboris: & Fungus in Abiete non potest, nec debet sumi pro Agarico. Porta in vill. capite

Fungus. Agaricum. Carol. Stephan lapsus Fungus Abietis non est Agaricus.

Porta ignotus.

de Abiete, Piceâ, & Sapino, satis demonstrat se non nosse discrimen inter Abietem & Piceam Latinorum. Tradit autem inibi ἐλάτην dictam ab ἐλαύνω, i. e. impello & prolongo: quòd in præcelsam proceritatem assurgat: atque etiam hac ratione Abietem dictam esse quòd in cœlum abeat. Quod autem idem ait Macrobium Abietem inter felices arbores annumerare, nondum in eo invenimus.

Elate unde dicta. Abies unde. Felix arbor.

Petr. Berch. quoque non videtur distinguere Abietem, (cui folia tribuit acuta, parva sicut Pini) à Picea, cui folia acuta.

Pet. Berch. notatur.

Nec etiam quæ & qualis sit Abies satis declarat Cord. in Diosc. Abies, inquit, quæ Græcis ἐλάτη, ea est sine dubio, quæ à Germ. **Ein Tanne**, appellatur, similes Piceæ silvestri conos ferens, sed torosiores. **Weiß Thannen**, ut tradit Io. Stumpf. lignum asperius, durius & durabilius est, minúsque resinæ fert, quàm **Rott Thannen**, sed pulchriorem & ad usum medicum meliorem, quibusdam dicitur **Traubach**, ab aliis **Bülbach**. Ego autem tale lignum non Abietis esse dixerim, sed potiùs Piceæ tribuerim: Considerent diligentiores.

Cord. notatur. Conus Piceæ sylv.

Duo Abietis genera, nigrum seu rubrum, & candidum Tragus agnoscit, ac utriusque folia latiora, sed breviora, pineis foliis esse dicit, Rosmarini penè similia: atq; ramulis crucis formam obtinere. Utrumque, etiam Resinam puram ac odoratissimam, Thuris ferè instar, quod ad odorem & formam attinet, sudare: Candidam insuper Abietem, rubræ per omnia similem existere, nisi quòd folia habeat ex una parte cineracei prorsus coloris, & corticem candidiorem & teneriorem. Hoc Abietis genus in Valesiæ Helvetiorum montibus gigni: Hancque Abietem simpliciter nuncupari, & Germ. **Weiß Thannen** dici. Sed Tragus resinam abiegnam & piceam non distinguit, quod minus convenit. Quod autem ad me attinet, resinam Abietis observavi liquidam. Eius verò icon non in omnibus placet.

Abietis duo genera. Rosmarini folia. Ramuli. Resina odore Thuris. Abies candida.

Locus. Abies simpliciter. Trag. notatur.

Placet Bellonio, Abietem Gallorum *Sapinum*, Græcorum ἐλάτην, Marem vocare. Ac demiratur ille Plinium decorticatam Abietem Sapinum vocare: Nec non duriusculum ipsi videtur, quod Plinius Abieti folia pungentia esse dicit: ut pote, quod in Abiete nunquam deprehenderit: Ac etiam quod Theophrastus multis in locis croceum ei colorem tribuit: tradens se in Abieti nullum unquam florem vidisse: Ego autem Bellonium non demiror solùm, sed turpis ignorantiæ eum arguo, utique qui non observavit, Plinium ex Theophrast. Abieti mari tribuere folia pungentia, licet ipsemet verba Theophrasti recitarit. Si quis etiam ingeniosè consideret, quæ Theoph. scribit, nostram vulgarem Abietem potiùs fœminam dicet, quàm marem, quamvis aliter censeat Bellon. cuius figura, uti & Matthioli parùm commendanda videtur.

Sapinus.

Plinius taxatur.

Theoph. sugill.

Rectè Solerius affirmat Sapinum partem Abietis, ab Abiete non distinctam arborem.

Rectè etiam Du Choul. in descr. montis Pilati, Abietum, quas Sapinos vocant, folia pungentia dici non posse, sed apice modicè incisa, dicit. Rob. Constant. in Lex. ἄβιν Abietem aut Piceam reddit. Idem & ἄβιες, ut apud Latinos inveniri autor est. Quâ verò autoritate, nobis nondum constat. Et licet Abietem Theoph. cultu deteriorem reddi scribat, sicut & Pinastrum, attamen plantatas crescere Gesn. obiicit. Qua obiectione sententiam Theophrasti evertere velle nobis

Abin. Abies. Rob. Const. notatur.

Gesner. taxatur. nobis videtur. Sed velle videtur. Aliud siquidem est crescere & aliud à naturali statu deflectere, aut in deteriùs vergi. Cultu enim nunquam deterior redderetur, si plantata non cresceret.

Inter se similes arbores esse, placet Matthiolo, Piceã & Abietem, ita ut sæpè etiam lignarios fabros fallant: Piceæ folia esse coloris Abiegnis longè nigriore, quin & paululùm latiora, molliora, læviora, minúsque pungentia: In Tridentinis montibus Abietem omnem infructiferam esse, etsi Plinius Abietem fructiferam fecerit: Sapinum, teste Plinio, sicut etiam Vitruvio, partem tantùm esse in Abiete. Annotatque idem Abietem in centro saxei montis in lapidem esse conversam. Sed quis non miretur Matthiolum, tribuere Piceæ foliis, quæ Abietis sunt, quasi neutram norit. Immeritò etiam videtur Plinium notare. Fructifera enim sanè Abies est, uti sæpiùs observavimus.

Abies infructifera. Plin. fugillatur. Sapinus. Abies in lapidem conversa. Matth. taxatur. Plin. excusatur.

Lacuna Abietis picturam ex Bellonio habet, dicens: tantam similitudinem esse cum Picea, ut quidã decipiantur, unam pro alterà assumentes. Att Lacuna ipsemet deceptus est, qui non novit plantas dictas Piceas: siquidem has non distinxit, vulgari Abieti tribuens, quę sunt Picęę. Mihi etiam apud illum contrarietas videtur, cùm uno loco dicit: *...* *de G...o se usurpava la Resina del Abet*: & altero loco, cùm de resina Piceæ locutus est, ait: *Il abeto, fr. duze aquel excellente liquor incognito a los antiguos.*

Lacuna notatur.

Bened. Curt. de hortis, ait Plinium cuiusdam arboris meminisse, quæ Elate, aliis Palma dicatur, ubi Abietem, vel Maranthâ teste, cum Palma confudisse videtur. Plures unam & eandem arborem Sapinum & Abietem existimavêre. Plinius verò aliter, qui Sapinum nihil aliud esse, quàm Piceam, feritate paulùm mitigatam, cuius imas partes tedas vocat. Servius autem Honoratus Sapinum Abietis speciem dicit. Vitruvius Sapinum ab Abiete seiunxit. Alii inferiorem Abietis enodem partem Sapineam vocavêre.

Elate, Palma. Plin. notatur. Sapinum Abies. Sapinum differe ab Abiete.

Abies & Picea arbor, multùm inter se similes: adeò ut nisi quis multùm in eis exercitus fuerit, Amato subscribente, discrimen ponere nesciat. Vtraque enim longitudine, crassitie, figura & frondibus idem habent, nam rami tanquã brachia à duobus lateribus in trunco oriuntur, ut in crucem nasci meritò quis dixerit: ita quoque & folia in ramusculis ad illum modum enascuntur oblonga & dura. Sed in hoc inter se differunt, quòd folia Piceæ obscuriora multò sunt, quàm Abietis: item cortex Piceæ ad nigredinem quoq; vergit, qui tanquam corrigia facilè complicatur, ac illicò disrumpitur: iis addamus, quòd rami Piceæ terram versus curvantur, id quod Abietis ramis non accidit, imò & quòd lignum Picęę pulchrius est, & utilius, venas directiores habens, & nodos pauciores. Sola præterea fœmina Picea fructum parit: verùm utriúsque sexus Abietem fructum producere tradit Plinius. Et è contrà, in multis regionibus sterilem utramque Amatus conspexit.

Abies & Picea arbor similes. Abies & Picea differunt. Picea fœmina.

Castor Durant. figuram habet, quæ non placet. Apollo verò ex duabus plantis tres facit, nec novit discrimen inter Piceam, quæ Elate mas: & Abietem, quæ Elate fœmina: Matthiolumque imitatus tribuit Piceæ, quæ sunt Abietis. Picea, inquit, frondibus est abiegnis multò atrioribus, ut quæ latiusculæ, molliores, læviores, atque minùs pungunt.

Cast. Dur. Apollinus Sarius. error.

Cedrum pro Abiete pingit Petr. Cresc. aut certè Cedrum meliùs exprimentem.

Petr. Crescent. notatur.

Frustra Dodonæus Abietem distinguit à Sapino, cùm una & eadem sit arbor, quam meliùs meo iudicio describit in Hist. gall. quàm latina, non tamen probanda figura, quam posuit Histor. gallic. ex Bellonio, nomine Abietis & in lat. Abietis alterius. Cæsalp. Abietem nostram hanc tradit, cuius descriptio arridet, quamvis nec ipse, nec authores Hist. Lugdunensis demonstrent, Abietem fœminam esse, multóque minùs doceant marem esse Piceam, de quà paulò pòst, & quam nullo modo æstimarim à Theoph. dictam *πεύκην*, aut *πίτυν*, qualem facit eàm Cæsalpinus.

Lussi nominis vestigia etiam hodie supersunt. Nam Iuræ montis lignatores Abietum, Picearúmque candidissimos truncos, non nodis intercæptos, sed recto venarum procursu fluviatos, & ad opera intestina faciles, nunc *Orchon* ut in Hist. Lugd. perhibetur, nunc *Lonchon* vocant. Quid autem Lussum sit, constat antè ex Theophrasto.

Lussum.

Taberna. non ritè secernit Abietem fœminam à mare, *Picea Latinorum*: præterea figura eius falsa.

Taber. reprch.

Clus. Abies Plinii, *Ἐλάτη θήλεια*, Abies fœmina Theophrasti. Lob. & Penæ Adv. Abies, Sapin Gallorum, Phthoroptos Theophrasti, multùm tedæ dans.

Abies fœmina. Phthoroptos.

Abies, quam plerique vocant, arbor Prophetis sæpiùs in concionibus ad populum audiendũ adhibebatur. Ezech. 27. Abiegna è Senite ædificabãt tibi omnia tabulata, Cedrũ accipiebant ad parandũ malũ navis in te. Oseæ 14. Dirigã eum ut Abietẽ virentem. Zach. 11. Eiula Abies, quia cecidit Cedrus. Samuel l. 2. c. 6. David & omnis Israël, ludebant coram DOMINO in omnibus lignis fabrefactis Abiegnis & Citharis, & Lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis.

Abies in sacris.

Nunc nomina prosequamur. Abies, græcè *Ἐλάτη*, Hebraicè ut apud Trag. in margine scriptum legitur *Berosch* dicitur, secundum alios *Acres*. Germ. Thennen / Thannenbaum. Belg. Dannenboom, Gall. *Avet*. Ital. *Abiet*, *Abete* & *Abeto*, *Avezzo*, *Avedia*, *Crovat* Hisp. *Abeto*. Seorsim autem hæc nostra Abies, *Abies fœmina*, *ἐλάτη θήλεια*, Germ. Weisse Thannen, quasi candidam diceres, Belg. Witte Dannen, Gall. *Sapin*, *Sap*. Ital. *Abete*, Hisp. *Abeto*, Angl. Maestro & Deole. Hung. Luch fenyo fa / Melynck a levelep egy felól áll. Boh. Gedle.

Synonyma Linguarũ.

Epitheta hæc Abieti conveniunt. *Longa*, *recta*, *enodis*, *audax*, *apta fretis*, *redolens*, *umbrosa*, *crispa*, *procera*, *crinita*, *excelsa*: *electa* ut in sacris habetur. Adhæc *perpetuò virens*, *resinosa*, *annosa*. Considerandum autem an *mucilaginosa* sit dicenda, ut vult Querc. def. herm. dicens. Abietes resinosæ, sunt & mucilaginosæ, ac idcircò fixioris & constantioris vitæ arbores, adversus temporum iniuriam munitæ.

Epitheta. Querc. notatur.

Abietis, nomine aliæ etiam denominantur plantæ, ut poussimùm arbor vulgò dicta *Picea*, quæ Elate sive Abies mas Theophrasti, de quà mox. Suspicamur Petrum de Cresc. Abietis & Piceæ nomine intelligere Pinum sylvestrem. Tragus quoque quandam Tällan, sive *tedam* Abietis quartum genus facit, de quo paulò pòst. Abietem dici de *Cedro* videre est ex D. Hieron. cap. de Cedro. Trago *Larix* est Abies tertia. Abietem usurpari pro *Iunipero*, & vice versâ, licebit ex D. Hier. cap. de Iunipero videre. Gulandinus scribit Abietes in Arabia thure manare, & Cardanus *thu-*

Æquivoca. Picea. Pinus sylvestris.

Thurifera arbor. riferam arborem, Abietem pusillam vocat: ut dicetur cap. de Thure, quæ opinio non placet Scaligero. Non placet etiam Abietem *unam unguentariam* dici Hermolao. *Palma.* Immeritò quoque scripsit Ruellius, Plinium videri Abietem cum *Palma* confudisse, ut demonstratum. *Abies marina.* Inter marinas plantas sunt etiam *Abietes* dictæ *marinæ*, de quibus agetur lib. 39. *Populus alba.* Libro tandem 8. cap. de *Populo alba* demonstratum est, eam à quibusdam ignaris dici Abietem. Non omittendum hîc velle quosdam *Sapinum* *Sapinus.* nihil aliud esse, quàm caudicis Abiegni partem inferiorem ac enodem, & non ut aliqui falsò opinantur, arborem peculiarem, & ab aliis specie divisam. Non igitur est, ut Poeta in villa docet, Piceæ species, aut Picea domestica. *Picea domestica.* Quid enim est quæso Picea domestica? Piceam Latinorum sive Abietem marem esse credimus.

Locus. In Valesia frequentes Abietes esse perhibet Simlerus, Sabaudia fert proceras Abietes & Piceas, navali materiæ aptas: In nostris Alpibus Abietes nonnunquam inveniuntur 130. pedum longitudine. Firmitate materiæ præstant Abietibus Hercyniæ sylvæ, nec alioqui proceræ. Rheticas & Helveticas in mare Adriaticum deportare curant. *Trag. notatur.* Miratur Tragum Abietem non observasse in Germania, ut in Hercynia sylva, & passim provenientem. Scatent passim plerique omnes Helvetiorum montes & sylvæ Abiete. Abundat in insula Fermentaria. *Benchillon.* In monte Ida provenit. Anglia, autore Iulio Cæsare, præter Fagum & Abietem profert cuiuscunque generis materiam. *Fungi Maronles.* Altissimas, ait Thom. Hariot insula Virginea alit. In Viennensi saltu, ut & in vicinis aliis aliquot montibus, Abietis esse maximam copiam testatur Clusius. In montibus Burgundiæ prope *Meche* antiquum castellum dirutum luxuriant Abietes ubi colligunt eius resinam, quam vocant *du Benchill.n.* Inibi etiam mense Iunio sub Abiete fungi proveniunt, pineis nucibus, vel favis similes, nigri, quos *Maronles* vocant. Genevæ Allobrogum habent Abietem in proximis montibus: ut & Basileæ; similiter circa Maßmünster, inter Richenwir in Alsatia, Ill. Ducis VVirt. urbem & S. Mariam, ubi fodinæ. Inter Montbelgardum & Porentrutum non raræ apparent Abietes, unde transtuli in hortum Ill. F. C. quæ minus feliciter proveniunt, nisi sint admodum tenellæ. Curavit Ill. F. C. seminādas in suo feratum horto, quarum quædam excreverunt. Nec destituuntur Abiete montes Reverend. Episcopi Basiliensis, circa S. Vrsinum, circa fontem novum. Apud Zoringam, [legitur annotatum per Leodeg. apud Lonicerum,] Helvetiæ oppidum, in ditione Bernensi, sylua est Thannwald dicta, ubi arbores, potissimùm Abietes, tam elegantes & proceræ evadunt, ut vix similes in tota Europa reperire liceat. Nam quædam assequuntur longitudinem 130. pedum, ita ut usui adaptentur longitudine 110 pedum. Hinc à Gennensibus emptæ adminiculo Arolæ deducuntur in Rhenum, & inde in mare Anglicum ac Hispanum; tandemque in mare Mediterraneum Genuam usque, ex quibus malos navium facere consueverunt. Inveniuntur quidem tam proceræ Abietes & in nigra sylva, sed pinguiores, atque ob id non tam durabiles. Dictæ longitudinis Abietem Kilchburgi ante hospitium (interiacet autem Bernam & Basileam) Solo implantatam offendes, quo peregrinus è lōginquo diversoriū dignoscere valeas.

Tempus. Coni, teste Clusio, virent Autumni initio, & multam résinam fundunt: sub Autumni verò finem, & Hyemis initium maturitatem consequi ferunt. *Viscum. Stelis Plinio.* In hac arbore viscum, quod *stelin* Plin. ex Theophr. appellat, observavi anno Redemptionis humanæ 1583. sed longè maiore deinde copiā 1585. in vivario Illustr. D. Hyneck à Y Valdstein Promarchionis Moraviæ, non procul à Piernitz ipsius urbe (cuius arcem incolebat Albis) perinde atque vulgare Viscum baccis præditum.

Viscus Abietis anno 1587. cùm essem in Richenvvier allatus mihi ex proximo monte Vallon: reperi etiam anno 1591. ipsemet ibidem in summis ramis deiectæ arboris. *Tragus notatur.*

In desperata fame posse & solêre homines ex integris conis seu fructibus Abietis farinam suam adaugere, quò largiùs cibentur, autor est Stumpfius. *Benchillon. Fungi Maronles.* Cortex & resina Abietis arida, qualitatibus ac viribus cortici, & aridæ Pini resinæ valdè sunt similes, nisi quòd paulò acriores magis detergent. *Vinum Abiegnum.* Vini Abiegni vires, eiúsque præparandi modum, vide cap. de Cedro. Abies, ut ex hactenus dictis constat, navibus aptissima est: triremes enim & longa navigia ex eâ levitatis gratiâ fiunt. *Vsus Fames. Vires. Apta navibus. Aedificia.* Ædificiis optima quæ vetustissima, modò cariosa non sit. Quin & ad tabulas pictorias, authore Theophr. & ad quamplurima alia utilis est. Pondus sustinent validè Abies & Pinus: renituntur enim nec temerè rumpuntur, ac prius carie, quàm viribus deficiunt. *Vini venalis indicium.* Antiquis Hedera vini venalis indicium erat, ast nunc quibusdam in locis Abies. Viennenses Austriaci dum venale vinum habent, Abietis ramos ante ædes suspensos proponunt, quibus si ex stramine cirrus unus apponitur vinum præcedentis anni denotant. *Pali Vinearum.* Sin duo cirri vinum trium annorum indicant. Si nullus, eiusdem anni vinum esse significant. Vinetorum pedamenta & pali Viennensi agro ex Abiete fiunt. *Abies odiosa Tigurinis.* Fertur vulgus Tigurinum offendi, si quis gestet in pileo ramum Abietis transiens per urbem. *Situlæ. Tubuli.* Situlæ novæ & tubuli fontium novi ex Abiete & similibus lignis dum sunt recentes, *Digiti vulnerati.* odiosum saporem aquæ imprimunt: idem faciunt pyxides abiegnæ, cùm condita, tabella, trochisci & similia imponuntur, præsertim si calor accedat, ita fastidiosum, & ingratum odorem, non tamen ullius perniciabilis malignitatis participem, contrahunt, ut ab eo contenta vindicari non possint, ut aliquando monuit egregius Medicus & Botanicus Iac. Gargillus Scotus in thesibus, quòd equidem observandum Pharmacopœis. Digitis vulneratis fotum lixivii facti ex cineribus Abietis, additâ radicis Altheæ parvâ quantitate, Felix VVirtz. conferre scribit. *Malorum asservatio.* Ait Columella, quòd quidam abiegna scobe mala custodiant. *Loxia Abietis semine delectatur.* Seminibus Abietis valdè oblectari ait Gesn. aves montanas, quas Latinè Loxias, Germ. Kreutz Vogel ob rostrum longum decussatum vocant tradit.

ABIETINA RESINA LIQVIDA ET ARIDA.

Abietina resina liquida. NON solùm ex caudice, ut vult Amatus, sed ramis etiam & vesicis affectis, intra quas resinam ipsam sive oleum abiegnum contentum esse dicit, extrahitur. *Descriptio.* Est autem ut eam describit Apollo, liquor ille limpidus, clarus, transparens, valdè fragrans, atque amarus, globulis quibusdam inter corticem & corticem præturmidis, humorem eò loci subesse indicantibus, rarus sanè, videlicet impermixtus. Ex Abiete tam mare, quàm fœmina, eximius hic liquor perfluit, vulgo nostro

nostrò *Abiezzo*; aliis *Lagrimo*, sive *Olio d'Avezzo*, Augustensibus Pedemontio confinibus, unde legitimus ad nos transit, *Bigion* dictus. *Lagrimo* quidem appellant, quasi Abietis lachrymam, de quo veteres nihil (quod equidem Matth. sciat) posteritatis memoriæ prodidère. Nisi quispiam dixerit Galenum de comp. med. per genera, intellexisse Piceam illam resinam, quam pro terebinthina vendebant. Cuius rei illud indicium esse videtur, quòd scribat ipse, hanc & gustu & odore terebinthinæ esse persimilem, quod in abiegna lachryma maximè notatur: & quòd insuper sit quadantenus terebinthina acrior: nàmque huiusmodi qualitates in liquida Piceæ resina minimè reperiuntur. Suspicandum putaverit Matthiol. in Galeni verbis, Librariorum fortè culpa subesse mendum. Auxitque illi suspicionem hanc ipse Galenus: quippe qui scripserit in Euphorbii medicamento inter resinas cæteris odoratiores haben terebinthinam & abiegnam, hàncque illa calidiorem esse. Falluntur autem, qui putant abiegnam lachrymam clarissimam esse larignam: quandoquidem illa inter Abietis cortices vomicæ modo coacervatur, & secto corio elicitur: hæc verò manat è Laricis caudice ad medullam usque perforato, ut is experientiâ doctus facilè attestari potest.

Locus. — *An resina Picea Galeno?* — *Terebinthina gustu & odore.* — *In Gal. mendum.* — *Error quorundam.* — *Abiegna lachryma non est larigna.*

Synonyma. — *Aveta.* — *Bigion.* — *Oleum Abietis.* — *Abiegna resina.* — *Terebinthina abiet.* — *Gummi Abietis malè.* — *Abietis lachryma.* — *Oleum Abietinum.* — *Æquivoca.* — *Abietina Indica.* — *Resina Abietina Americana.*

Abies, inquit Ruellius resinam fundit comprimis quoque celebratam, quoniam odorata sit, quam gallicum vulgus *Avetam* vocat. Lachrymam ex Abiete à Liguribus & Taurinis dici *Bigion*, quasi abiegnum, autor est Scaliger: Vocatur à Cast. Dur. *Oleum Abietis*. Calce l. *Abiegna resina*. Arræo de cur. vulner. *Terebinthina abietina*. Toxite in Onom. *Resina Abietis*, & *Gummi Abietis*, quod posterius non placet, cùm gummi consistentiam non habeat. Catal. Francofurt. *Abietis lachryma*, *Oleum abiegnum*, Germ. Flissendbartz/ Dün Thannenbartz.

Nec omittendum, quòd Abietinæ resinæ vel terebinthinæ nomen obtinuit resina quædam Indica, cuius arbores feræ, nec sunt Pini secundum Manard. nec Cupressi, de quâ postea. Obtinuit & altera, Resina Americana, seu Resina Carthaginis novi Orbis, de quâ infrà.

Vires & usus. — *Vulnera.* — *Calculus.* — *Arthritis.* — *Temperã.*

Maximo usui generi humano hanc Abietis lachrymam esse testatur Matthiolus. Hæc, inquit, vulneribus recentibus maximum adfert præsidium, quòd non solùm conglutinet, sed & mundet, & sarcotica habeatur. Pota renum calculos eiicit, arthriticos dolores mulcet, coxendicúmque cruciatus lenit: capitis vulnera mirificè sanat, adeò ut hac solâ nonnulli utantur. Additur in antidotis balsami vice. Huius autem facultates ita prosequitur Hist. Lugdunensis. Abietis liquida resina, calida siccáque ordine tertio, acrimoniâ quadam suâ tergendi vim obtinet, & ad veræ Terebinthinæ qualitates proximè accedit: sumpta semuncia pondere, per alvum biliosos humores vacuat, renes abstergit, ulceratos sanat, urinam cit. Nucis magnitudine devorata cum Nuce moschata & saccharo, stranguriam sanat, pudendorúmque ulcerationi maximè succurrit. Hæc paulò aliter ita refert Dodonæus. Huius resinæ facultas est quasi Piceæ, mitior nempe, quàm Strobilina, acrior autem & calidior quàm Terebinthina ac Laricea. Lachryma verò Abietis, uti Terebinthina ac Laricea amarior est, ita quoque his calidior ac siccior: abstergit, aperit, vulnera recentia conglutinat, sordidiora emundat, capitis vulneribus præcipuè conducit. Dimidiæ unc. pondere assumpta, alvum clementer movet, & in intestinis contenta expurgat: tum & calculos & arenulas in viis urinariis hærentes expellit: mediocriter verò & urinam cit. Adversus autem sordidorum ex pene humorum profluvium [Gonorrhæam veneream] confert, si aliquot diebus continuis matutino tempore sumatur: præstat verò elotam esse cum stillatitio liquore Plantaginis, Lactucæ aut alio consimili refrigerante, qui acrimoniam & calorem eius remittat. Non desunt, ut Apollo ex Matthiolo innominato refert, qui larignam resinam abietinæ malitiosè admisceant, ut hac imposturà magis lucrentur, eò quòd omnes abiegnam pluris faciunt, quàm larignam. Sunt etiam qui percolatam larignam & ad ultimam claritatem redactam pro abiegna vendítent. Sed fraus cognosci potest, quòd Abietis lachryma substantiâ minùs consistat, odore præstantissimo fragret, & gustui larigna sit amarior, ad annúmque asservata quadantenus flavescat, cogatúrque. Hanc nos Dioscoridi & Plinio ignotam facilè coniicimus (quòd liquidæ abiegnæ non recordentur), licèt Bellonius contrarium asserat, cuius integram historiam huc usque reservatam, hisce referemus. Resinarum appellatio multò latiùs patet, quàm à vulgo facilè intelligatur. Quæ cùm ex multis & variis arboribus, ut Abiete, Picea, Pinu, Larice, & id genus aliis, defluant, de his seorsim iure tractatur merito. Resinarum autem duo summa fastigia tantùm ab authoribus traduntur, liquidarum scilicet, & aridarum. Magnam hodiè imposturam à multis in resinis liquidis committi video, inquit Bellonius, siquidem eam, quam Dioscorides, Oleosam vocat (quæ Abietis resina est) ab omnibus nostri temporis Medicis & Iatraliptis pro Terebinthina usurpari palàm est: cùm tamen vera Terebinthina non sit liquida, nec adeò retorrida, sed mediam quandam habeat inter utramque consistentiam. Hæc, ut & resinæ omnes aliæ vetustate successit, quemadmodum & Thus, Mastiche & alia. Dioscorides Oleosam liquidam resinam, ἐλαιώδη vocatam, quid sit, non exprimit. Illa nisi manu premeretur nunquam spontè ab Abiete proflueret. Italicum vulgus suam retinet appellationem ad græcæ dictionis nomenclaturam, quam *Olio D'avezo* vocat, quasi abiegnũ oleum diceret. Gallia falsò Terebinthinam Venetianam vocat, ad alterius Lariceæ resinæ differentiam, quam suo cognomento Terebinthinam communem vocat. Oleosa itaque resina, sive abiegna revera ab Abiete exprimitur, hac ratione. Qui pecora pascunt, interdiu ne desidia torpescant vaccinum cornu vacuum dextra manu tenentes ad Abietis sylvas accedunt. Illi autem cùm in novellas adhuc Abietes inciderint, siquidem in earum cortice nullam rimam apparere viderint, oleum subesse statim coniiciunt: nam glabro cortice vestitam Abietem tuberculis scatentem comperiunt, quum tamen annosorum cortex in rugas contractus nullos tuberculos ostendat. Ideò novellarum arborum prædicta tubercula, sic labio cornu premunt, ut liquorem inde oleosum intrò detrudant. Neque tamen hoc modo quàm diligentissimâ etiam adhibitâ operâ, ultra uncias quatuor in dies legere possunt. Siquidem singulare quodcunque tuberculum non ultra quàm guttam unam aut alteram continet. Illi verò cùm per totum diem multa tubercula suppuraverint, tamen secum perbellè actum putant, si cornu unum quod quatuor unciarum capax, oleo plenum abstulerint. Ex quo quidem fit, ut resina hæc cæteris rarior sit, maiorisque vendatur. Hæc

Terebynthina vera qualitates. — *Dosis.* — *Bilis.* — *Urina.* — *Stranguria.* — *Pudenda.* — *Facultas.* — *Vulnera capitis.* — *Dosis.*

Purgat. — *Arenulas.* — *Gonorrhæa.* — *Lota præstat.* — *Adulterin.* — *Fraus detegitur.* — *Diosc. & Plin. ignota.* — *Resina appellatio latè patet.* — *Resinifera arbores.* — *Resinarum duo summa fastigia.* — *Oleosa resina.* — *Terebinthina substituitur.* — *Diosc. notatur.* — *Olio d'aveto.* — *Error quorundam.* — *Resina abiegna oleosa.* — *Colligendi modus.* — *Ex Abietibus novellis.* — *Unciæ quatuor tudies leguntur.* — *Quodlibet tuberculum unam aut alteram tantũ guttam fundit.* — *Bellonii lapsus.*

... vox italica *olio d'Avetto* movit, ut crediderint resinam oleosam [ἐλαιώδη] Dioscoridis, esse Oleum abiegnum: Cùm tamen Diosc. cap. de resinis, eo loco non ampliùs resinarum genera, id quòd priùs fecit, sed resinarum coloris differentias explicet. Ipsæ quoque (Resinæ) inter se colore differunt, ait Discorides: siquidem candida quædam est, alia Oleosa (ἐλαιώδης) alia denique mellis similitudinem habet, uti Larigna. Sat ergo Dioscoridi liquidam Abietis resinam, quam officinæ Terebinthinam Venetam vocant, Galli *Terebenthine de Venise*, non fuisse cognitam. De sicca autem hæc tradit. Ex siccis resinis alia est *strobilina*, alia *abiegna*, alia *quam fundit Picea*, alia denique *Pinea*. Eligito omnium maximè odoratam, perlucidam non valdè aridam neque humentem, sed ceræ similem, atque friabilem. In eo genere præstant pinea & Abiegna (ἐλατίνη πιτυΐνη) odoratæ enim sunt, atque thus odore imitantur. Præstantiores ex Pityusa insula, quæ secundum Hispaniam sita est, deferuntur. Quæ verò ex Picea, strobilo & Cupresso manarunt, inferiores sunt, neque tantis atque illæ viribus pollent. Veruntamen eorundem gratia, quorum & illæ, usurpari solent. Cæterùm, resinam Abietis aridam qualitatibus ac viribus aridæ Pini resinæ valdè similem esse, sed paulò acriorem, magisq; detergentem, iam antè diximus. Hanc præterea in offic. vendere pro Thure, & *Garipot*, uti etiam resinam siccam Pini, quandoque solent.

Terebinth. Veneta. Resina abiegna arida. Thuris odore. Locus. Substituta. Temperamentum. Thus Garipot.

PICEA LATINORVM SIVE ἐλάτη ἄῤῥην, Abies mas Theoph.

CAP. II.

Descriptio. Rami. Folia.

PROCERA est arbor Picea, ramis decussatim positis, ac plerumque in terram reflexis, crebro foliorum brevium agnine stipatis, quæ abiegnis angustiora, curviora, quadrata, pungentia, tenuitate subinde variantia, ut diuersam ferè quis existimet, in siccis ramis caduca, ut frustra sæpè in herbariis meis tomis conatus sim cũ foliis reservare ramos, quorum extrema ineunte Æstate iulos protrudunt singulares, pallescente quadam farina refertos: quibus etiam postea adnascuntur coni, cylindracei ferè, squammis imbricatim compacti, levibus, tenuibus, in principio purpurascentibus, quæ etsi dehiscant, non tamen excidunt, sed ramis etiamnum adhærescunt: quorumq; unicuique duo sunt adiuncta semina, parva, alata, rufa, adstringentia, medullâ intùs alba, minimè tamen dura, ut an dicendi sint nuclei, cum Cordo aliorum relinquam iudicio: Horum longitudo interdum ad septem aut octo uncias extenditur: materies ligno quidem facilis fabris, sed de opere deterior, ut quæ pro aëris cõstitutione intumescit, detumescitve, subinde in ædificiis crepitans, oneribúsque cedens. Hinc excoquitur pix. Resinam fundit, tum è conis, tum è trunco, gummi concretione.

Iuli. Coni. Semen. An nuclei. Lignum materies. Pix. Resina. Gummi.

Theophrasti historia de Picea Latinorum, sive eius Abiete mare [τῆς ἐλάτης ἄῤῥενος] cùm tam partim cap. præcedente de Abiete fœmina [τῆς ἐλάτης θηλείας] perscripta sit, partim etiam ab aliis hoc præsenti cap. recitetur, nos de eâ pluribus agere superfluum ducimus. Quare hâc neglectâ directè ad Plinium festinamus.

Picea Theoph. Plinius de Picea.

Picea, ait is, montes amat atque frigora: feralis arbor, & funebri indicio ad fores posita, ac rogis virens: iam tamen & in domos recepta, consili facilitate. Hæc plurimam resinam fundit, interveniente [intermicante Dalech.] candidâ gemmâ, tam simili Thuri, ut mista visu discerni non queat: unde fraus seplasiæ. Omnibus his generibus [omninò huic generi Dalech.] folia brevi seta & crassiore, duráque, ceu Cupressis. Piceæ rami penè statim ab radice modici, velut brachia, lateribus inhærent. Fructus Piceæ unus: materies ad fissiles scandulas, cupásque, & pauca alia secamenta. Vstis radicibus Picea repullulat, ut in Lesbo accidit, incenso nemore Pyrrhæo. Nucamenta Piceæ totis paniculis, minoribus, gratioribúsque, minimos ac nigros nucleos habent. Propter quod Græci Phthiropheron eam appellãt. In eadem nucamenta compressiora manibus sunt, ac minùs resinâ roscida. Nec ullo flore Picea exhilaratur. Provenit germinatione 15. ferè diebus. Semen verò (Vere C H.) post Vergilias & ipsa reddit: folia ei sunt insecta pectinum modo, pungentia. Non fastidienda hæc quoque scientia, atque non in ultimis ponenda, quando quibusque satis umbra aut nutrix aut noverca est. Picearum quidem non dubiè venenum est. Et hæc de Picea, præter vires quæ suo loco tradentur, Plinius sparsim annotat, de quibus, quod nostrum sit iudicium, infrà dicemus. Notandum tamen hîc obiter venit, 1º. Plinium πίτυν ex Theoph. Piceam vertisse, quod non placet: meliùs verò Theoph. πίτυν tedam & Pinastrum reddi. Sed nec Clus. corrigit, quod mirum. Deinde Piceam nullo flore exhilarascere dixit idem Plinius; cuius contrarium Matth. asserit: ibidem Ruellium & & alios erroris accusans, quòd Piceæ tribuant quæ sunt Laricis, ac propterea Plinii lectionem corrigit. Ac tertiò, quod Plinius scribsit ramos à radice fundi, id, si Scaligero credẽdum, aliorũ errorem secutum fecisse: quandoquidem coniferas, suâ naturâ ab initio puras post radicem scribit: atque ubi creverint, inde fundi.

Feralis arbor. Thuris gemma. Rami. Fructus. Materies. Nucamenta. Phthiropheros. Non floret. Tempus. Semen. Folia. Vmbra noxia. Plin. notatur. Ruellius taxatur. Hermol. notatur. Pitys. Blerre Peuce.

Hermol. Europæ resinam ferentem Piceam tradit, quam non benè πίτυν dicit, & Poëtæ Cnéôrus, ut quidam rentur. Hanc Cord. in Diosc. Piceam silvestrem vocat, eámque conum Piceæ similem ferre, & in eo minutum, & alatum nucleum, quem in minimo, duróque cortice contineri scribit. Cordi autem Piceam Pinum *Cembro* putamus. Trago Abies rubra dicitur. Eius autem figura nec Piceam, nec Abietem benè exprimit, quare non placet, quod ei latiora folia tribuat, quàm Pino: verba eius antè cap. de Abiete recitavimus. Lonic. Peucen & Piceam dicit. Sed nec eius figura commendanda. Vereor præterea ne cum hac arbore confundat Piceam Cordi, vel Pinum *Cembro* Matthioli. Ad hæc Picea latinis, non est Peuce. Rectè autem in Diosc. ait πίτυν non esse Piceam, Marcellumq; non rectè πίτυν Piceam vocasse, quamvis idem etiam à Plinio interdum

Picea silv. Cordi Picea Pinus Cembro. Abies rubra Trag. notatur. Lonic. reprehen. Picea non est Peuce. Picea nõ est Pitys. Marcelli error.

dum factum sit.

Si Gallico nomine, inquit Bellon. de arb. conif. *Sapinum* appellare volueris, non dices *du Sapin*: cùm id nomen Abieti (fœminæ) debeatur. Gallicè autem dicendum *Suiffe* Ne autem eandem arborem si Abietem lectã, (fœminam) & Sapinum [Piceam Latinorum, sive Abietem marem) esse cedamus, facit, quòd utrámque dictionem à Latinis usurpatam fuisse videmus. Sic enim Plinius lib. 16. cap. 39. scribit. Cato, ait, hominum summus in omni usu de materiis hæc adiicit, Prelum è Sapino, altã potissimùm, facito. Quia autem, recto ut plurimùm assurgit caudice ut Abies, atq; eàdem ferè altitudine, parùm refert, si Sapinum, fœminam Abietem esse pronunciaverimus, ut legitur in lib. Obs. 1. cap. 44. Hæc ille, cuius figuram, quam Sapini nomine exhibet & describit, tanquam malam non recipimus, quamvis interim descriptio Piceæ sit & placeat, non tamen cum Bellonio, fœminam facimus, sed marem Abietem, de quâ Theoph. lib. 3. cap. 10. Plinio fortè etiam Abies mascula hæc si fuerit, ut existimamus, non erit duriusculum, quod Plinius dixit de Abiete, pungentia ei esse folia. Piceam quoque Plinii esse, ut vult Matthiolus, & alii, negare non audemus: suspicamur enim Plinium sub nomine Piceæ multa dixisse, quæ de hac arbore dici possent, ac de ea, quam πίτυν Theoph. vocat. Nec putamus hanc πεύκην Theophrasto & Dioscoridi dici. Sed Plinio evenit fortè in hac voce Piceæ, quod in Larice, ut modò ei sit ea arbor, quæ πίτυς, modò propriè Picea, sive Abies mas. Quam porrò Piceæ arboris titulo proponit figuram, Pini silvestris est.

Bellonius à Matth. quoque reprehenditur qui eum communem Græcorum sententiam sequutum esse dicit, ac id totum Piceæ arbori reddidisse contra Theodori sententiam quod Theophrast. περὶ πίτυος Græcè scriptum reliquerit: Non dubium etiam esse, quin veteres Græci πίτυν pro Picea usurparint: Illudque Bellonii falsum esse, quòd ex teda Piceæ fiat pix, ut is asserat, perperàm Theophrastum interpretatus: siquidem raraadmodum sit Picea, quæ tedam habeat: Præterea Piceam, cuius folia abiegnis paululùm latiora, molliora, læviora, & minùs pungentia, magno errore Bellonium *Sapinum* appellare: At arborem, quæ Græcè πίτυν dicitur, Latinè Piceam nominari, Gall. *un arbre du genre du Pin*.

Idemque Matthiolus in post. comm. eadem tradit, omittens reprehensionem Bellonii de teda Piceæ, & de pice, ac fatetur ex Pino silvestri, fieri picem nigram. Immeritò verò accusat falsitatis Bellonium, cui Pinus silvestris erat Picea. Mirúmque eum tribuere folia latiora & molliora Piceæ, cùm contrarium autopsia doceat: ac præterea inter nomenclaturas cur Piceam vocet πίτυν, cùm nomen Gallicum non conveniat. In historia autem eius Germanica tribuuntur Piceæ, quæ sunt Abieti adscribenda: Camer. verò aliam apposuit figuram.

Anguill. Pezzo (Picea) vulgaris de quâ Plinius scripserit, dicitur: cui verè contra Matth. folia tenuiora tribuit, quàm Abieti.

Diximus antè πίτυν non esse Piceam, licèt Dod. Gall. id affirmet, Pitynque & Piceam eandem esse arborem Scribonium Largum satis declarare putet sic scribentem: Resinæ pituinæ, id est, ex Picea arbore. Dodonæi etiam figura non benè Piceam arborem exprimit, nec quadrant, quæ de foliis dicit, non circumdare ramos, sed sibi opposita esse instar parvarum pennarum: qui ordo potiùs in Abiete: mecum autem sentit Bellon. ac alii non pauci; qui dicunt ramusculum nullo ordine circumdari. Is porrò in Hist. lat. in fol. non ampliùs πίτυν aut Piceam inscribit sed abietem, ἐλάτην, Germ. **Weiß Thannen**. Malè autem Dodon. **Weiß Thannen** [Abietem fœminam] diversam tradit à Sapino, quam n. describit & depingit pro Abiete non est **Weiß Thannen** Germanorum: sed potiùs ea, quam Germ. vocat **Schwartz Thannenbaum** & **Roht Thannenbaum**/Lat. Piceam, Græcè verò πίτυν, sed malè; cuius etiam pessimam exhibet figuram: ea enim quam posuit pro Abiete melior est. Is igitur duas ponit figuras, & duas descriptiones vnius arboris, & præterea cum Picea Plinii, sive **Roht Thannen** confundere videtur Bellonii Piceam arborem longè diversam, atque id etiam in Hist. gall. fecisse, ni fallimur: Vnde nobis planè persuademus Abietem & Piceam non benè notas fuisse arbores Dodonæo.

Qui considerabit descriptionem Tabern. etiam apud Virsung. vocantis Abietem nigram, **Roht Thannē**, Peucen & Piceam, comperiet mixtám & confusam esse cum Picea Abietem.

Turneri iudicio Theophr. appellat πίτυν, quæ Latinis est Picea: nec πεύκη Theophrasti, est Pinus Plinii: Peuce Theophr. in multis convenit, cum Picea Latinorum, quam Germ. superiores vocant **Roht Thannenbaum** [Abietem rubram.] Hæc non provenit in Anglia, nec Anglicum habet nomen, quod sciat, posset tamen appellari Piche tre, quia pix ex eius resina fit, vel ex germanico interpretandum **Rond** feur tree. Et Gaza πεύκην malè vertit Pinastrum, alios etiam Pinum, quasi nihil interesset inter Pinum & Pinastrum. Existimat igitur Turn. πεύκην esse Piceam apud Galenum, Diosc. Ætium, & alios, qui post Galenum scripserunt: Germ. **Roht Thannenbaum**/sed fallitur ut in pluribus aliis.

Lacuna in Diosc. turpem habet figuram, vocans Sapinum, ac ut videtur, etiam Piceam, cùm comparat Piceam Abieti Matthiolum imitatus, antè tamen exhibuerat pro Picea arborem Bellonii, ita ut has duas plantas confundere videatur.

A Gesner. quoque, Ryffio, Amato, Apolline, Helfrico, aliisque in hac planta dissentimus, quod reliquum est ut declaremus.

Varia in primis est Gesn. sententia. Is enim de hortis ait. Picea si est, est quam Tigurenses Abietem rubram appellant, à corticis colore. Piceam in altis montium sylvis nascentem pro Piceastro accipiunt. Idem olim in cat. pl. Picea arbor, πίτυς ut Gaza è Theoph. reddidit, **Roht Thannen**, ut quibusdam videtur, *un arbre du genre du Pin*. Et, eodem libro. Piceaster arbor πίτυς ἀγρία, sylvestris species, **Roht Thannen**, *une sorte de Pin sauvage*. Item, Pitys, Picea arbor, **Roht Thannen** putatur aliquibus. Hæc ille, qui nihil determinat, & lectorem maximè dubium relinquit, nec è bivio educit, sed in devium abducit. Nos igitur aberranti succurrentes, hæsitanti verum indicantes, dicimus **Roht Thannen** non esse, neque πίτυν, neque Piceam, ut vertit Gaza, nec etiam de genere Pini, nec agnoscimus Piceam aliquam sylvestrem, quæ sit **Roht Thannen**.

Ryff. in Diosc. videtur ex Gesn. eo non citato tradere, Piceam vocari Græcè πίτυν, Germ. **Roht Thannen**, ut quibusdam videatur, aliis **ein feucht Thannen**, Gall. *vn arbre du genre du Pin*. Indagandum verò an Hub. Berland. in Diosc. Piceam eam intelligat, de quâ hic scribimus.

Amat. reprae. Πεύκη græcè, non est *Picea* latinè, ut vult Amatus in Diosc. qui alibi malam Bellonij figuram Sapini, quam Abietem fœminam, existimant, recepit.

Apollo taxatur. Apollo non distinguit Piceam descriptam à Matthiolo, à Picea Bellonii, licèt magnum sit discrimen: quamobrem non existimo eum scitè sentire πεύκην simpliciter idem esse cum Pino: Quæ etiam scribit de Picea non conveniunt, ut nec Piceæ Matthioli, nec Piceæ Bellonii. Perperàm etiam putat Sapinum Bellonii, non alludere ad Piceam Matthioli: Perpendant doctiores, quam plantam intelligat nomine Piceæ urbanæ Allobrogum, quam Matthiolum ignoraſſe scribit. Plinio ex Metrod. Scepsii sententiâ placuit ab arbore Picea, quæ *Pades* Gallis diceretur, Patavii nomen derivari: eò quòd circa fontem eius plurima nascerentur. *Picea Pades.*

Padus. De quo sic Gorop. Venet. & Hyperb. libro. Quid sit Padus apud Theoph. nec ego scio, nec ab alio me rectè doctum iri spero, propterea quòd unâ solâ, umbrosorum locorum, quibus nasci gaudeat, notâ, describatur, nisi hoc aliquid iuvet, ut è genere Picearum credatur, quòd Taxo solus Piceas imitanti annumeretur. Quandò verò Pades Gallis olim Piceam significârit, æquè atque priùs ignoro. Verùm, quò Methrodorum iuvem, confiteor Padum à Picea dici, sed nego Pades Piceam Gallis notare. *Padus è genere Picearum.*

Alciatus notatur. Helsic. taxatur. Alciati figura in emblematibus nil commendanda. Diversarum plantarum nomina nostro iudicio confundit Helsricus, qui Piceam Latinorum magno errore græcè dicit πίτυν.

Söyffe delphinatium non esse veterum Piceam, contra Matth. asserit Solerius.

Picea Plinii Clusio. Quæ Plinio Picea dicitur, quæque etiam id nomen apud huius ætatis rei herbariæ scriptores retinet, Clusii opinione nihil aliud est quàm Theophrast. ἐλάτη ἄρρην [Abies mascula] arbor procera, & in metæ modum crescens, foliis brevibus & pungentibus, undiquaque ramos singulatim cingentibus, qui cruciformiter & decussatim in arbore nascuntur, quam ob causam Hungari Berózatós fenyö [cruciatam Abietem] nuncupant. Fenyö autem vocabulum, quod propriè Iuniperi lignum significat, adaptant Hungari omnibus ferè arboribus perpetuâ fronde virentibus, quæ folia spinæ æmula habent. Quæ verò Theophr. πεύκη sit ex Gazæ versione & vulgatis græcis codicibus, difficulter admodum indicari posse idem existimat, quandoquidem eius materiam operibus ineptam esse, & magnitudine Pino minorem, minùsque erectam surgere, scribit. At ut ex melioris notæ codice colligere licet, omnium doctiorum iudicio, ea est arbor, quam Plinius Piceam appellat, & apud recentiores rei herbariæ scriptores eodem nomine donatur. Fert verò ea Maio mense in extremis ramis singulares iulos pallescente farinâ plenos, deinde strobilos sive conos mollibus squamis imbricatim compositis constantes, purpurascentes dum novelli sunt & primùm nati, deinde paulatim in longitudinem excrescentes, quæ in maturis septem aut octo interdum unciarum est, sub quibus exiguum alatum semen, Pinastro simile fovetur. Sed & multas habet notas ex quibus conicere liceat, Theophrasti loco iam memorato ἐλάτην ἄρρενα esse, hoc est Abietem marem. Ac meminit etiam Plinius lib. 15. cap. 10. Piceæ sativæ, quæ Sapineam nucem ferat. *Abies mascula. Abies cruciata. Folia. πεύκη Græcorum. Iuli. Coni.*

Golius notatur. Minùs convenienter Theophilus Golius in Onomastico Piceam Latinorum, sive Piceam vulgò dictam Germ. Bech Thannen vocat.

Cæsalp. redarguitur. Cæsalpini porrò perplexam, intricatam & obscuram de Picea doctrinam consultò negligimus. Non tamẽ illi penitùs cõcedimus πεύκην Theophrasti esse eam, quam pro Picea descripsit: nec ei conveniunt, quæ ex Theophrasto huic attribuit, atque is etiam non animadvertit, Piceam ut vocat, à Theoph. traditam pro Elate mare.

Nomina linguarũ. Convenit Piceam Latinorum Græcè appellare ἐλάτην ἄρρενα, *Abietem marem*. Germ. Roht oder schwartz Thannenbaum & Fiechten. Belg. Peckboom, Gall. *Pesse, Garipolt, Pin sauvage*, Burg. *Feve*, Ital. *Pezzo*, Hisp. *Pino negro*, Anglic. Piche tree. Bohem. Smrk / Hungar. Berózatós fenyö / Arab. Arz.

Epitheta. Piceam pinguem cognominat Mantuanus, Virg. Idæam, & nigrantem: Non quidem ob colorem, sed ob fumum, ut mihi videtur, quem accensa emittit, sic enim canit alibi.

Nam sæpè incautis pastoribus excidit ignis,
Qui furtim pingui primùm sub cortice tectus
Robora comprendit, frondésque elapsus in altas
Ingentem cælo sonitum dedit: inde secutus
Per ramos victor, pérque alta cacumina regnat
Et totum involvit flammis nemus, & ruit atram
Ad cælum Piceâ crassus caligine nubem.

Picea fumus. Idem

Diripuére focos Piceum fert fumida lumen
Teda, & commistam Vulcanus ad astra favillam. *Piceum lumen.*

Æquivocaidest nas. Piceæ sanè nomen multis plantis attribuitur: sed potissimùm à nobis arbori iam descriptæ, Elate scilicet Theophrasti mari, sive Piceæ Latinorum, seu Abieti rubræ Germanorum. Clus. etiam pumilam descripsit, de quâ mox. Πεύκην Theophrasti Cæsalp. non benè interpretatur Piceam. Pinus sylv. à pluribus dicitur Picea, ut videre est in sequentibus, & Piceaster. Pinus sylvestris tedâ varians parum à præcedenti, Picea etiam dici videtur. Pinus sylv. Mugo dicitur etiam à quibusdam Picea, & fortè Picea Corcyrensis nigra. Pinus sylv. sive Pinaster tertius Clusii, fortè Piceæ genus alterum Bellonio, Pinus sylv. Olympi. Pinus sylv. Idæ Troadis, sive Picea Bellonio. Maritimam Pinum sylv. primam Matthioli suspicamur. Piceam in planis Bellonii, Pinum maritimam conis firmiter ramis adhærentibus. Cembro existimatur Picea Diosc. per Cordum. Cæsalp. vocat sylvanam Pinum, & fructum sapineum Plinij. Pinus à quibusdam malè dicitur Picea. Taxus verò vocatur Picea funesta. *Picea pumila. Pinus. Pinus sylv. Piceaster. Pinus sylv. Teda. Pinus sylv. Mugo. Pinus sylv. Olympi. Pin. Idæ Troadis. Pin. maritima conis firmiter ramis adhærentibus. Pinus Cembro. Pinus. Taxus.*

Locus. Piceas cultum respuere conicio, quòd sæpiùs in horto E.C. frustra curavi plantandas. Attulit autem ex montibus *Franche montagne* in Burgundia, ubi abundant. Maxima copia Crescere, cùm in Viennensi saltu, tùm aliis montibus, Alpibúsque vicinis, testatur Clusius.

Tempus. Piceâ scatere sylvas Tigurinas & montes, autor est Gesn. qui translatas arbusculas brevi adolescere prodidit. Qualitatem verò terræ congruam nobis innuit Poëtarum princeps secundo Georgicorum suorum.

- - at sceleratum exquirere frigus
Difficile est, Piceæ tantùm, Taxique nocentes
Interdum, aut Hederæ pandunt vestigia nigræ.

Picea morbus. Inter resiniferas Pinus & Picea (mirum dictu) Erucis venenatissimis sunt obnoxiæ, magis quàm quævis aliæ sui generis. Nam etsi sæpiùs contingat, ut Abietes, Larices, Pinastri, in eodem quo Piceæ sunt, tractu nascantur: illæ tamen ab Erucis immunes esse solent. Picea verò tàm multis erucis obnoxia est, tàm in montibus, quàm in planis, ho-

Digitized by Google

no ; ut magna arboris pars albedine ceu telis aranearum obtegatur: Erucæ siquidem telas prætenues texunt aranearum telis similes, in quibus noctu quidem delitescunt. Interdiu autem cùm à frigore, imbre, vel Boreâ vento lacessuntur intrò sese recipiunt. Vbi verò dies eluxerit, ita per ramos sparsæ vagantur, ut tanquam apum examen, altera alteram insequens appareat. Interdum quoque accidit, ut Piceas suis foliis denudent, *Venenum.* eásque ita erodant, ut totius arboris folia absumant, nihilque nisi ramum relinquant. Perniciosissimum veneni genus Erucam esse compertum habet Bellonius, quod neque veteres latuit, qui *Pityocampa* eas quæ in Pinu & Picea nascuntur πιτυοκάμπας vocarunt, nostri Pinorum Erucas. Dioscoridi id abundè decantatum est, cæterisque qui eum sunt secuti, qui tamen exitialem veneni vim eas habere scripserunt, ut his qui illas hausissent alvum ac stomachum inflammatione torqueri, pruriginem concitari, atque corpus totum exæstuare facerēt, multáque alia symptomata excitarent. Quarum *Experimentum Bellonii.* rerum dum rationem aliquam investigare studet Bellonius, comperit tandem suo maximo malo, multa ab his hominibus incommoda provenire. Siquidem, cùm per Piceas istis insectis onustas trāsiret, aliquotq; ramos fortè fortuna ipsis Erucarum examinibus refertos avulsisset, secúmque linteis involutos detulisset, tandemque Erucas, quæ multùm firmiter linteo pedibus inhærebant, & telis, quas continuò nent, sese firmabant, for*Villi.*tiori digitorum compressione prehendens, villósque sive lanuginem earum atterens, villi in cu*Symptomata.*te atque etiam in carne digitos eius subingressi effecerunt, ut tres integros dies tantam pruritus caloris & doloris acerbitatem sentiret, ut ne manu quidem interim tangere, neque in lecto noctu se continēre, nec propter cruciatum dormire potuerit: brachium verò collo appensum esse per totum id tempus oportuerit.

Vires & usus. Piceæ, si eandem nobiscum intelligit Plinius, ut Laricis folia trita & in aceto decocta, dentium *Dentes.* dolori prosunt. Cinis corticum intertrigini & am*Alvus.*bustis. Potus alvum sistit, urinam movet. Suffitu vuluas corrigit. Piceæ folia privatim iocinori utilia sunt, drachmæ pondere in aqua mulsa pota. *Iecur.* Sylvas, eas duntaxat, quæ picis, resinæque gra*Silva Picearum, phthisis.*tia raduntur, utilissimas esse phthisicis, aut qui longâ ægritudine non recolligunt vires, satis constat: & illum cœli aëra plus ita, quàm navigationem Ægyptiam, proficere, ac plusquam lactis herbidos [ex herbis virentibus & vegetis genitu, Dalech.] per montium æstiva potus. Sapinus Bellonio ad trabes & asseres faciendos idonea cen*Tubis asseres.*setur. Tubis ad aquarum ductus conficiendis non æquè ac Larix, aut Abies idonea est. Atqui quoniam eius materies rara & laxa est, ob omni intestino opere abdicatur: quocirca eam ei rustici omnib. aliis lignis propter suā mollitiem postpo*Caudex. Repagula.*nunt. Sed cùm caudex est integer, satis firmus quidem est, ut ex eo asseres fiant, ac valvarum repagula: alioquin accēdendo igni tantùm est aptus.

Picea Resina.

Descriptio. Gignit Picea plerumque Resinam suam obduram, densam inter corticem & truncum concretam, attestante Amato, quanquam aliquando, sed rarò liquidam quoque emittat, & illam quidem Larici *Pityne.* similem. Piceæ, inquit Bellon. Resinam exudant odoratā, subalbā, amaram, & πιτύϊνη Græcè dictam.

PICEA PVMILA.

Descriptio. NVNQVAM valdè assurgit, sed pumilum manet, vulgaris Piceæ genus hoc Clusii,

Tom. I.

A nucamenta. fertque quædam nucamenta nucis Ponticæ magnitudine è squamulis imbricatim compositis, sed in pungens foliolum desinentibus cōpacta, quæ maturitate dehiscētia, cōcavas inanitates & veluti cellulas ostendut: à summis. v. & extremis nucamentis ramuli nonnunquam enascuntur, frequentibus brevibus & pungē*Folia.*tib. foliolis obsiti: sed tota arbuscula brevioribus & pallidioribus foliis quàm superior prædicta est. In hac neque florem, neque fructū observavit Clusius, & haud scit an ferat. Videtur verò hanc Dalech. non ignorasse, sed *Pinum Tubulum*, sive *Tubulum* vocare. Plinio tamen Tibulus Pinaster est *Pinus Tubulus.* gracilis succinctior, enodis, liburnicarum ad usus, penè sine Resina.



TAXVS.

CAPVT III.

Descriptio. TAXVS perpetuæ frondis arbor, procero stipite, Abieti & Piceæ similis, quam certis notis ab utraque distinctam illustramus, iisque in foliis primùm occurrentibus: ea siquidem Abietis foliis *Folia.* ortu & numero similia, dimidium culmum lata non teretia ut Piceæ: ab abiegnis in hoc dispescuntur, quòd infirmiora minúsque rigida, neutiquam explicata foliorum servent agmina,

quin eodem vergentia ferè coincidant: iam verò *Folia.* si singularia spectes Taxi folia, sunt ea abiegnis acutiore mucrone donata, supernè atro virore splendentia, infernè nitore destituta, vnicoloria tamen & viridantia, nervo secundum longitudinem decurrente, cùm abiegna elatiorem aversâ parte habeant costam, coloréque glauco sint prædita, *Gustus.* gustu amaricante: porrò autem in extremis ramulis circumquaque inter folia oriuntur, perpusilla sed copiosa capitella, sublonga squammata ex quibus veluti *Flosculi.* flosculi emicant Iuniperinis ferè similes, & virore pallescentes, qui deinde in meros & muscosos apices fatiscunt: circa mensem Augustum, uti observavimus, fert baccas *Bacca.* ex calyce ita emergentes, ut simile quid habere videantur cum glande: postquam verò maturuêre, quod fit mense Novembri, nihil planè simile habent cum glande, sed figurâ quodammodo referunt florem Vitis Ideæ, quippe parvo, virente, atque squammato calyculo, brevi pediculo adnato *Fructus.* fructus inhæret, grano Iuniperino maior, supernè apertus atque hians, velut ex carnosâ cute constans, colore pulcherrimo & splendente coccineo conspicuus, intus cavus, succo præditus viscido, ac dulci, in quo granum latitat, pipere minus, nec exactè rotundum, sed leviter compressum, colore inter pullum & spadiceum *Medulla.* medio, cortice duriusculo, medullam continens saporis non ingrati. Hoc granum fructus capacitatem non adimplet, sed vndique ferè intactum à fructus pellicula in medio situm est, baccæ imo adhærens, haud secus ac ipsa ex pediculo enatum. Suspicor a baccas tum cùm longiusculæ sunt, & glandis formam, aliquo modo demonstrant, nondum maturas esse. Iam verò maturiores aperiri, & propter hiatum figuram *Materies.* acquirere rotundiorem. Materies bicolor partim rubet, partim ex albo flavescit.

Milos. Theophrastus Taxum Græcè μίλον [quidam μίλακον apud eundem corruptè legunt] vocat, montibus *Locus.* propriam quæ in planis nasci nequeat, vehementérque umbrosis gaudeat. Hanc porrò genere *Genere simplex.* simplicem esse scribit, proceram, auctu insignem, *Abieti similis.* similémque Abieti, non pariter excelsam, magísque aliis sinuatam: folio quoque Abieti similem, sed pinguiorem, molliorémque ligno: eam quidem quam in Arcadia nasci tradit, nigro aut *Cedrus.* puniceo, quam autem in Ida, flavo & Cedro simili, ut pro ea vendant, nam totum cor esse videtur detracto cortice, quem scabritiâ, & colore Cedro similem habet: fructum fert Fabâ paulò minorem, rufum & mollem, qui ab aliquibus hominibus innoxiè manditur, suavísque: folia aiunt iumentis lethalia, ruminantibus nequaquam: perpetuò viret, germinat tardissimè: floret, & fructum reddit cum Abiete.

Abieti similis. Plinius Taxum facit Abieti similem, minùs virentem, gracilem & tristem, ac diram [an duram] *Sola baccifera.* nullo succo, ex omnibus solam bacciferam. Mas *Mas.* inquit, noxio fructu, Lethale quippe baccis, in Hi*Venenum.*spania præcipuè, venenũ inest: vasa etiam viatoria vinis facta in Gallia mortifera fuisse compertum est. Hanc Sestius Smilacem à Græcis vocari dixit, & in Arcadia tam pestilentis veneni esse, ut qui obdormiât sub ea, cibúmve assumant, moriantur: *Toxica.* Sunt qui toxica venena, quondam taxica ab hac arbore appellata scribant, quibus sagittæ tinguntur. Repertum verò innoxiam fieri si in ipsam arborem clavus æreus adigatur. Fumus mures necat.

Dioscorides Smilacem vocat Abieti similem in Italia & Narbonensi Gallia Hispaniæ contermi*Smilax Diosc.*na: baccis noxiam, in Italia, umbrâ in Narbonensi. Hanc aliqui τιθύμαλον, Romani verò Naxion aut Taxon vocant.

Tithymalus Naxion. Taxon. Nicand. in Alexipharm. Taxum inter venenatas stirpes quoque retulit, adscripto simul reme*Taxus Nicand.*dio: & quidem his verbis. Non quidem Taxum [σμῖλον] tu malam Abietinam [ἐλατηΐδα] decerpas Oetæam: Mortis multùm lachrymabilis da*Elatenis Remedium.*tricem. Quia hominis Isthmia, & laryngis angustam obstruit viam, quam implens meracissima potio vini curat, &c. Quæ Nicandri verba Gorræus ita refert.

Parce venenata Taxo, quæ surgit in Oetâ
Abietibus similis, lethóque absumit acerbo,
Ni præter morem pleno cratere meraca
Fundere vina pares, cùm primum sentiet æger
Arctari obstructas fauces, animæque canalem.

Virgilius quoque inter alia hoc versu Taxi meminit.

Sic tua Cyrnæas fugiant examina Taxos.

Dicitur autem Cyrnæa Taxus, quòd in Insulâ *Cyrnæa Taxus.* Cyrne Græcis dicta abundet.

Iam excutiamus Neotericorum opiniones de Taxo, & inprimis Hermolai, qui miscet Smila*Hermolai error.*cem arborem glandiferam è genere Quercus cum Taxo non animadvertens aliud esse Smilacem apud Theophrastum, & aliud apud Dioscoridem, unde non sine magno errore dixit: Smilax sive *Smilax. Milos.* Taxus est, ubi à Theoph. & Diosc. Μῖλος appellata sit folio æternò, extremitatibus & lateribus sinuato, ut Quercus, & Paliuri, & omninò Ilicis, molliore tantùm profundioréque. Folium quoque ut scribit Plin. Abietis: Nec Taxus vulgo, sed literæ prioris immutatione Naxus & Naxius *Naxus. Naxius.* quoque dicitur: quod nomen & Dioscoridi fuisse cognitum video, qui ubi venena lib. 6. numerat, eodem loco non Taxum, sed Toxum à Romanis *Taxus.* dici credidit.

In eodem errore versatur Cornarius, & ipse *Cornarii error.* non cognoscens Smilacem Theophrasto differre ab arbore Milos, quæ Smilax Dioscoridis est, sive Taxus. Dicit enim is, eum citante Matth. cap. de Smilace. Habet Gal. lib. 6. cap. 3. secundum loc. Virgultorum Ilicis, Arbuti, Smilacis ac Phagi decoctum. Quo loco ego non de alia Smilace in Com. med. accipiendum censui, & adhuc sentio, quàm de ea, quæ Taxus appellatur. Apud Plinium pro Arcadia legendum puto Narbonia: Galeni exemplaria ἢ νάκτος habent falsò pro ἢ τάξος: corruptè legitur σμῖλαξ ἣν ἔνιοι τιθύμαλον, ῥωμαῖοι δὲ νάξιον ἢ τάξον καλοῦσι. Non enim Smilax vocatur Tithymalus: nec Romani Naxium vocant. Recta itaque lectio est. σμῖλαξ ἣν ἔνιοι θύμαλον, ῥωμαῖοι νάξιον ἢ δὲ τάξον καλοῦσι. Vocari autem Smilacem etiam Thymalon, Diosc. de mat. med. habet, & Thymion quoque dici inter supposititia legitur: quanquam Paulus non θύμαλον, ut Diosc. sed *Corn. error alius.* θύμιον habeat. Sed perversè Corn. Smilacem a*Plin. corrigitur.*pud Galenum de comp. med. Taxum interpreta*Galen. restituitur.*tur, nec absque periculo valetudinis humanæ *Diosc. emendatur.* venenatam Taxum pro non venenata arbore Smilace glandifera è genere Quercûs accipiendam censet. Quid enim obsecro commune ha*Tithymalus non est.*bet Taxus cum Ilice? Vbi deinde Plinius Taxum dixerit Ilici, Arbuto ac Phago similem non *θύμαλον. θύμιον.* occurrit: Abieti verò quidem & Piceæ similem *Ruell. taxatur.* facit. Ac cur in Plinio legendum sit Narbonia non vide-

videmus, quandoquidem Theoph. scribit in Arcadia provenire.

Ruellius notatur. Isus. If. Plinii lapsus. Ruellius sequens errorem Hermolai, inquit, Taxus folio æterno extremitatibus & lateribus sinuato, à Gallia nostra Isum, vel If nominatur.

Nominum autem vicinitas Plinium videtur fefellisse, ut Fraxinum redderet, ubi Taxum interpretari debebat. Fraxini siquidem folia iumentis mortifera, cæteris ruminantibus innocua esse tradit, quod de Taxo [Μίλ⁊] non de Fraxino (Μελία) Theoph. prodidit.

Abietis. Ilicis, aut Abietis genus. Nunc quid Curtius sibi velit verbis sequentibus, acutiorib. discutiendum proponimus, Taxus, ait, arbor Abieti persimilis. Quare Nicander ἐλατίδα vocat. Eam etiam Galen. approbare videtur, quæ sit ex Abietis genere, aut Ilicis, deinde quæ in Oetâ Æthiopiæ monte nascitur. Lachrymosæ mortis datricem (θανάτου πολυδακρύτου δότειραν) dicunt, unde Latini Taxica, quasi toxica, dicunt. Statius in Theb.

Metuendáque succo Taxus. Et Virg.
----Taxique nocentes.

Poëtarum fabula. Quare Poëtæ eam apud inferorum opaca nasci finxerunt. Seneca in Hercule furente.

Horrent opaca fronde nigrantis comæ
Taxo imminente.

Fingunt etiam infernales Furias, ex hoc ligno faces gerere, ut autor Placidus, unde Statius

Nec dum illum, aut trunca lustraverat obvia Taxo
Eumenis.

In Corsica plurima nascitur, Diodoro autore ut ex hac mel collectum amarum fit, Virg. etiam prodente unde

Sic tua Cyrneas fugiant examina Taxos.

Curtius notatur. Quis autem quæso non videt Curtium dicendo Galenum approbare, quæ sit ex Abietis genere, aut Ilicis, ostendere se non agnovisse æquivocationem in nomine Smilacis.

Ebenus non est. Meritò eos notat Cordus, qui Ebenum putant eam esse arborem, quæ Germanis Ein Eyben (Taxus) vocatur.

Cornarius repreh. Matth. notatur. Iustè etiam à Matthiolo [qui Taxo baccas attribuit rubentes, Agrifolii modo, dulces, vinosásque!) reprehenditur Cornarius, quòd apud Galenum iam suprà citatum, Smilacem Taxum reddat.

Is tamen etiam ipsemet errat, cùm appingit suæ figuræ baccam circinatæ rotunditatis, malè enim, quia non exactè rotundam, sed leviter compressam diligentiores observarunt. Eamque figuram imitatus Lobelius in eundem errorem incidit. Sed cum animadvertens Camer. figuram baccarum mutavit in Hist. Matth. Germ. & Epitome.

Notatur Roeßlin. & plerique. Apud Euch. Rößlin. icon apposita non convenit, accedit enim ad Betulam in eo præterea peccat ipsa sicuti & Trag. Cord. Matth. Dodon. Lacun. Anguill. Gesn. & plerique, quòd non ostendant Smilacem Dioscoridis differre à Theophr. Smilace. Taxum Cæsalp. vulgò *Nassum* vocari

Nassum. tradit, flosculosque ferre amentaceos inter folia sine fructu: quæ autem fructum ferat, eum rotundum gerere & rubentem Agrifolii baccis similem.

Lubuit C. Bauhino apud Matth. alteram figuram Taxi addere, cuius Nobiliss. Iac. Ant. Cortusus ramum glandibus, ut vocat, onustum transmisit, qui scribit se Octobri & Novembri mensibus in montibus circa Vicenniam, qui Tridentinum spectant, legisse: quod sanè dignum observatu, cùm nec ab antiquis, nec à recentioribus, quod qui dem frater legerit, quidquam de Taxo glandifera memoriæ sit proditum. *Taxus glandifera. C. Bauh.* Ego sanè anno 1586. Lutetiæ Augusto observavi baccas Taxi aliquid simile cum glandibus habuisse; non tamen velim propterea glandiferam vocare, & speciem multiplicare. Alia porrò à me in Ducatu VVirt. visa in Novembri, nihil habuit, quod glandem exprimeret, licèt non differre videbatur à prædictis, nec etiam ab ea, quæ à fratre picturâ exhibetur, causam diversitatis in descriptione dixi. *Icones.* In ea etiam capitula multum foliosa, monstrosa, quæ icone nostra proponuntur, sicuti & flores adhæc priori loco dicta: verùm cùm bonam iconem corruperit sculptor, novâ proponimus in qua per numerum 1. demonstratur ramulus, cum bacciis cavis, ac semine sine nucleo, quales postremò observavimus & monstrosis foliolis, 2. loco subnectimus glandes & flores à fratre propositos. 3. baccas rotundas ex Matthiolo. 4. baccas ex Camerario, quæ aliquid glandiferi demonstrant. 5. ramulum cum florib. ex Lobelio qui non placet, & quorum iconem ex Lobelio proposuit frater apud Matthiolum.

Synonyma linguarum. Taxus, Græcis etiam μίλ⁊, quam lectionem malim apud Gal. pro σμίλ⁊ retinere, μίλ⁊ Theophrast. Σμίλαξ Dioscoridi & θύμαλον, θύμα Aetio, Germ. Eiben / Eibenbaum / Belg. Ibenboom / Pennenhout, Gall. If, It. Tasso seu Nasso, Hisp. Texo, Angl. Ewe tre. Boh. Tis/Hūg. Tiza fa.

Epitheta. Neque hanc quondam tacebant Poëtæ, sed suo Taxum penicillo dederunt, *lacrymosæ mortis, militiæ lachrymabilis datricem, infandos belli poturam cruores, vulnificam, toxicam, venenatam, succo metuendam, Averninam, Piceam funestam*: nec *Picea funesta.* quicquam alieni coloris, ut mox patebit.

Æquivoca. In præcedentibus iam dictum plures Smilacem Theophrast. glandiferam arborem confundere cum Smilace Dioscoridis, quæ est Taxus. *Smilax glandifera.* Valdequàm laxus Smilacis significatus, ait Lobelius, ut qui quasdam cognatas, vel similes alias, tamen admodum discrepantes, & viribus penè contrariis pollentes designat, ut *Taxum virosam, Smilacem asperam venenifugam* & *Fraxinum ambiguam.* *Taxus Girosa. Smilax aspera. Fraxinus.* Sed Smilacis æquivoca posita sunt lib. 7. verùm non absque gravi errore huius corticem pro Tamaricis cortice officinæ indoctæ medicamentis *Tamariscus.* quondam admiscuerunt. Et est quoque *Lauri species*, quæ *Taxa* dicitur, de quâ suo loco. At- *Laurus taxa. Verbascum.* que *Verbascum herbam*, sunt qui vocant *Taxum barbatum*, ut dicetur lib. 30.

Locus. Nascitur Taxus in saxosis & præruptis locis in Italia, in Ananiæ vallis montibus, in Arduenna Belgii silva, in Burgundia in monte prope Clareval Oppidum E.C. item prope arcem Meche in montibus dictis *Franche montagne*, & in montibus circa Porentrutum præterea in Suntgovia. In pago Grün prope Wörmeiller est arbor magna in Cœmiterio, Augusto rudimenta florum protrudens, florens autem Aprili. Ad Rhenum supra lacum Constantiensem [Acronium] est pagus dictus Zu Baurn ubi columna Taxi, ut aiunt sub dio, ad quam malefici alligantur. Audio abundare in Comitatu Hohen Embs, in campo D. Petri prope Veldkirch civitatem Rhethorum in rupibus. In Gallia satis frequens ut vult Ruellius. Vidi Patavii ut & Genevæ in monte *Saleve.* Germaniam hac destitui scribit Tragus, cōtrarium asserente Dodonæo. *Tragi lapsus.* In montibus Helveticis Taxum crescere testatur Gesnerus, eamque facilè provenire si arbuscula parva transplantetur: Duratq; ultra seculum: Arbores duas Tiguri eadem proceritate vigere, quâ se puero erant, iam

Digitized by Google

ferè per quadraginta annos: fructificare rarò. *Gesn. notatur.* Ego verò contrà Taxum aliquoties plantavi Montbelg. in horto Ill. C. VV. sed frustra. Thalius Hercyniæ incolam facit. Olim ego & primò observavi circa Tigurum in sylvis. *Tempus.* Reperitur ut semel dicam, in Italia, Gallia, Hispania, & Germania. Vmbrosis gaudet. Tardissimè germinat, fructum verò maturat Semptembri.

Vires & usus. Quæ Theophr. & Plin. de Taxi natura & viribus memoriæ prodiderunt, iam suprà à nobis tradita sunt. Taxi, inquit Diosc. quæ in Italia nascitur, *Aves nigrescunt.* fructum edentes aviculæ nigrescunt, [μελαίνεται vet. codex, Lacun. legit πίνεται] Homines *Alvi profluvium.* autem, qui ederunt baccas, in alvi profluvium incidunt. Quæ verò in Narbonia nascitur, tantam vim habet, *Vmbra lethalis.* ut etiam ex umbra eius, hi qui sub eâ sederunt, aut dormierunt, lædantur, sæpéq; etiam moriantur. Hæc de ipsa referuntur ea gratiâ, ut periculum evitemus. Idem de lethalib. Pota frigiditatem totius corporis inducit, suffocationémque ac celerem mortem. *Mortem inducit. Remedia.* Auxiliantur his omnia, in Cicuta relata. Plutarchus eo tantùm tempore Taxum noxiam esse tradit, *Quando noxia.* quo florère incipit, quòd tùm succo sit maximè prægnans. *Apibus noxia.* Virgilius Taxum, ut apibus noxiam, ab apiario removet.

Ne propiùs tectis Taxum sere.

Castos pro Taxo falsò. Cativulcus Taxo sese enimavit. Galenus hæc pauca de Taxo. Smilax sive Taxus arbor est, venenosæ facultatis, ubi exemplaria falsò habent ἡ κάστος pro ἡ σμῖλαξ. Cat. Eburnorum Rex Taxo [Taxi succo epoto & fortè per nares fumo attracto] cuius magna in Gallia Germaniaque copia est, se exanimavit. Cornarius arbitratur Galenum in columellæ remediis Taxi arboris ramulos probare, ut quorum decoctum vehementi adstrictoriâ vi præditum evadat: *Non ubique lethalis.* Non esse verò eam ubique lethalem & venenosam ex eo patère, quod Diosc. præcipuè de Italica & in Norbonia Hispaniæ tradat nascente. *Corn. notatur.* Nos verò nullum fide dignum autorem legimus, qui scripserit Taxum vim adstrictoriam vehementem habère. Cavebimus etiam à venenata Taxo, & per Smilacem apud Galenum, ut antè dictum, interpretabimur arborem glandiferam. *Arbor glandifera.* Esse Ruellius perhibet, qui tradant Taxi baccis alvum resolvi, & altiles, *Altiles. Gallinæ.* & cohortales gallinas saginari. Marcellus credit Maronem monuisse fugiendâ esse Taxum apibus, *Apes.* ne citâ alvo, cui malo obnoxiæ sunt, perirent. Curtius dicit Claudium Cæsarem, Tranquillo scribente, edicto proposuisse, *Viperæ. Taxus noxia.* nihil æquè ad viperæ morsum facere, quàm Taxi succum. Testatur Matthiolus in Tridentinis montibus, non veterina solùm, sed ruminantia etiam animalia devoratâ Taxo interire, *Ruminantibus quoque lethalis.* ipsiúsque baccas iisdem in locis perniciosas esse, séque curasse affirmat, pastores ac lignatores, qui saporis dulcedine allecti, cùm has edissent, in febres ardentes inciderunt; & alvi profluvia, non sine magno vitæ discrimine. *Taxus innoxia.* Contra Pena, eius baccas innoxiè puerulos esitare in Anglia affirmat, séque gustasse sub Hyemem non ingrato sapore, sed fatuo, vel subamaro, ibique porcos passim eas tanquam glandes comesse. Nulli sanè Angliæ angulo deesse hanc, ubi semper virente, umbrosâ, densâque ramorum fronde & latissimâ, similiter Abieti, pènatis & longis quasi pectinum radiis, ex atro-virentibus comosa, ac in sepulcretis & areis pro templorum foribus pangi, ad arcendos Solis æstus à concione, plebe sub tegmine Taxi conventus agere solitâ, nullo percepto inde vel tantillo incommodo.

Quæstio de Temperamento. Sed hîc existit quæstio, inquit Matthiolus, an frigidi, an verò calidi sit Taxus tēperamēti. Dioscorides eiúsq; sectatores frigidi esse tēperamenti, existimarunt, quòd iisdem remediis Taxi veneno quibus & Cicutæ occurrendum esse ille scripserit. At his opponit Matth. amarorem, qui cortici ac frondibus inest, comam perpetuò virentem, Pinorum, Abietum, Picearúmque modo, quibus fronde similis est, baccarum tum dulcedinem, tum acrimoniam quandam, & quòd aviculæ eas depastæ nigrescant: quæ omnia insignem temperamenti caliditatem arguunt. Quare & febribus, & alvi profluvio tentantur, qui eas baccas ederint, inflammatis scilicet spiritibus, & sanguine. *Obiectio.* Quod si quis dixerit accendi febres, fierique alvi fluxiones ex humorum putredine, quemadmodum æstate ex frigidorum fructuum esu, nigrum verò colorem in aviculis contrahi posse tam à frigido, quàm à calido, *Responsio.* quid tandem ad frondium corticisque amarorem, baccarum dulcedinem & acrimoniam, perpetuóque virentem comam respondebit? Nam hæc à calore fieri nemo negaverit. Febres verò & alvi profluxia ex calore immodico potiùs, ut devoratis anacardiis accidit, quàm ex humorum putredine oriuntur, & nigredo illa pennarum à calido potiùs, quàm à frigido aviculárum pabulo. *Frigus quando nigredinem inducat.* Frigus enim nigredinem non inducit, nisi sit immodicum, & tantum ut interimat. *Temperā.* Quare nigredo exustis humoribus gignitur, ut in Æthiopibus. Matthiolo de temperamento Taxi adstipulatur Lacuna, dicens eius folia muribus esse valdè lethalia: *Acini.* temperamentúmque potiùs calidum, quàm frigidum. Sed & Camer. Taxum innoxiam esse tradit: acinos eius rubros avidè expeti ab avibus, sed inde attonitas reddi, *Scobs. Autorum iudicium.* quæ facilè postea capiantur: scobem autem, ut quidam affirment, illius esse venenatam. Ego verò testari possum à fide dignis hominibus mihi affirmatum in montibus Burgundiæ, foliorum ut etiam corticum esu mortuos boves & uaccas: *Boves mortui.* cùm enim persuasum fuisset, cuidam rustico cortices Taxi valère ad excitandas vaccas ad venerem & quærendum taurum, eo dato cortice, una mortua, altera gravissimè ægrotavit. Io. Lutzius insignis pharmacopœus, in suis ædibus Kirchenheimiæ ducatus VVirt. asseruit mihi turturem album cum torque nigra baccarum esu periisse, *Turtures mortui. Asinus.* & in pago Oberentzingen Asinum degustata Taxo subitò mortuum.

Hæc paulò copiosiùs prosequi par erat propter eos, qui tradunt in Europa Taxum innocuam, quique eam per os exhibent, aut eius ligno utuntur, inter quos annumerantur Pena & Lob. Camer. ac VVierus.

Impostura. Qui morbos simulant pulvere Taxi adeò cutim ulcerant, ut miserabiles ac ferè deplorati homines appareant.

Ligni materies. Incorrupta. Ligni materies quòd rufescat quamplurimis intercursantibus venis, incorruptáque sit, lignariis fabris maximè expetitur, & plurimi fit, præsertim concinnandis mensis & hastis, telisque conficiendis. *Mensa. Hasta. Tela. Asseres.* Quamobrem Germani huius arboris asseres ad sua construenda hypocausta non exiguâ sibi comparant pecuniâ. In Episcopatus Saltzburgensis urbe quadam torno parare solent pulchros scyphos, cucurbitulas, epistomia, aliáque subtilia, elegantia & egregia utensilia, *Scyphi. Cucurbitulæ. Epistomia. Vtensilia.* quæ per totam Germaniam distribuuntur, & Viennam usque deferuntur, ac etiam Montbelgardū perveniunt. *Vtendi modus.* Scyphorum autem, cucurbitularum & epistomiorum tutum usum dicere nō velim, tutiorē tamen existimarim præmissâ maceratione, in vino uel aceto calido aliquoties repetita.

PEVCE

Digitized by Google

PEVCE VETERVM.

Cap. IV.

Pinus, πεύκη. Πεύκην veterum Græcos pro Pinu usurpasse nobis dubium non est. Quæ autem Theophrastus περὶ τῆς πεύκης prolixius tradidit in summam contrahentes, ex iis colligimus. *Nodosa.* Arborem esse proceram, longo caudice, nodosam, non nisi in apricis provenientem atque unam tantùm, prægrandem, & in ima descentem radicem agentem, à quâ quidem parvæ complures aliæ *Soboles nulla e parvis radicibus.* exeunt, sed quæ nullam penitus sobolem ferre possint: Præterea vetustate Tedam ingerere, [in se gerere Scaliger] per morbum autem totam *Rami.* effici Tedam: Ramos ex æquo conditos geniculis in versus rectos porrectis habere: *Germinatio triplex.* Germinationem ternam ac per intervalla intermissam *Decacuminata perit.* paucis diebus edere: deciso cacumine radicitus eodem anno inarescere: *Semine provenit.* Semine tantùm provenire: *Folia.* Folia capillata τριχόφυλλα, pinguia, multa, excavata, profunda, inclinata, & extremitate pungentia habere: ac præter fructum, amentum quoddam quod aliqui florem putent ferre. *Aliam* *Differentia Vrbana. Sylvestris.* verò esse *Vrbanam*, cuius quædam species perpetuò vireat, quædam verò solus sit deciduis: *Aliã Sylvestrem*, & hanc rursus vel *Fœminam*, quæ rectior, procerior, materie crassior, ramis ditior, foliis pinguior, mollior, proclivior, nuce oblongiori, viridi & dehiscente prædita, picem dans copiosiorem, atque, propterea quòd in monte Idâ plurima proveniat, Idæa vocatur: Vel *Marem*, [Maritimam dictam] quæ brevior, folio *Sterilis.* durior, & ligno circumiecto: Vel tandem *Sterilem.* Atq; in his πεύκης Sylvestris speciebus *Differentia Marium. Fœminarũ.* observari etiam omnium ferè, Marium atque fœminarum, publicam differentiam, quâ omnem Marem securi breviorem, contortiorem, operi difficiliorem & colore nigriorem esse asseverant. *Teda.* Præterea, id quod pinis subnascitur colore Tedâ rubidius, odoris gravissimi, nec Tedam redolens, nec flagrans, sed ab igne dissiliens, maribus potiùs inesse: *Aegis.* fœminam verò id quod Aegidem & cor eius appellant gignere, eò, quòd minus resinola (non Pinosa ut malè vertit Gaza) [minúsque tedam ingerens & lævior, cursuque venarum *Gaza notatur.* probior est. Tandem verò Arcadiæ incolas nec Sterilem nec Vrbanam Pinum appellare: sed Pinum cum Picea confundere, constatque eos *Pinus à Picea differt.* perperàm id facere.

1. 1º. Quia Pino materies crassior lævior & excelsior est.
2. 2º. Quoniam eidem folia pauciora, squalidiora, horrentiora & conifera.
3. 3º. Quia hæc picem [sic enim legendum, non autem Piceam, ut vult Gaza] pauciorem atque amariorem reddit.
4. 4º. Quia Pinus pinguior, folio tenuior, magnitudine minor, erectaque minùs assurgit.
5. 5º. Quia conum minorem horridioremq; ac nucleum resinâ roscidiorem fert.
6. 6º. Quòd Pinus adustis radicibus non regerminat, quod tamen in Picea observatur, ut in Lesbo, accenso monte Pyrrhæo qui Pinis scatebat accidisse affirmatur.
7. Septimò tandem, quòd Pinos morbus ipsis peculiaris infestare soleat: cùm non solùm cor sed etiam pars extrema Caudicis in Tedam transiens, quodammodo strangulatur, quod sponte & ubertate arboris accidit.

Gazæ multiplex lapsus. Notandus autem ad iam citatum Theophrasti locum præter prædictos: adhuc triplex Gazæ error. Primò enim ad literalem tantùm significationem habito respectu σπανόφυλλα hic vertit Folia rara cùm tamen neque Pino, neque eiusmodi generibus rara sint folia: quinimò nullis frequentiora. Deinde lignum quod Plinius circumtortum benè reddit, ille perperàm eversale vertit. Tertiò denique perperàm etiam Piceam πίτυν perpetuò dicit. Nos antè Pini & Abietis [πεύκης καὶ ἐλάτης] discrimen cap. I. de Abiete posuimus.

Quibusdam non floret. Pinum, autem [πεύκην] quidam florere existimant, alii non: paulò germinatione prævenit *Tempus.* diebus scilicet circiter quindecim, post Vergilias: *Ter squammosa.* intermittit, térque turget, ternaque germina edit. ideò & ter squammosa dicitur: omnis enim arbor cùm germinat, corticum squamas spargit. Fit *Germinatio 1.* germinatio prima statim mense Februario ineunte, quanquam in Idâ monte, die maximè decimo-quinto mensis eiusdem. *2.* Tum circiter triginta intermissis diebus, aut paulò pluribus, iterum germinare incipit, ab extremo surculi, usque proximum germinis antecedentis. Et quædam sursum, quædam in latera, circumquaque emittit, veluti geniculo facto, surculo primi germinis: quomodo scilicet & prima germinatio fieri solet idque igitur circa Martium desinentem. *Galla.* Huius germinationis tempore galla quoque omnis gignitur, tam nigra, quàm candida: nascitur magna ex parte noctu universa, inque diem aucta, exceptâ resinaceâ, si ab æstu occupetur, inarescit, augerique ampliùs nequit: aliàs enim magnitudine ampliore grandesceret, quâ de causa, earum aliquæ non maiores fabis evadunt: nigra verò pluribus diebus viret, & magnitudinem mali nonnullæ capessunt. *Germin 3.* Postea diebus circiter quindecim intermissis, rursum germina tertiò mittit mense Aprili, diebus longè paucioribus, quam priùs, fortéque id sex, aut septem diebus summum absolvitur. *Crescendi modus.* Quò cùm ventum sit, non ampliùs in longitudinem, sed in crassitudinem incrementa vertuntur.

Omnium itaque arborum germinationes conspicuæ, sed Abietis, Pinique maximè, quoniam genicula in versus rectos porriguntur, ramique conditi ex æquo spectantur.

Cædendi tempus. Ad materiam quoque cædendam tempus nunc potissimùm intelligitur, propter amplitudinem corticis. Cæteris enim temporibus, cortex facilè detrahi nequit, detractóque nigrescit materies, aspectúque deformior redditur: nam ad usum quidem non refert; quinimò robustior est, si post fructuum maturitatem cædatur.

Vlcus. Ab ulcere ampliori altiorique cùm teda discinditur, nihil offenditur, sed detractâ comâ, decisóque cacumine, ac quod Arcades dicunt, *Interitus causa.* medullâ totâ ex universâ arbore exceptâ, tota interit, nec quicquam germinat, sicut nec si adusta, aut tota, aut parte aliquâ fuerit. *Natura.* Naturâ perpetua Pinus, plusquam Abies, uti cap. de Abiete dictum, à teredine corroditur.

Pini nodus. Renititur. Pini verò, ceu Abietis nodus difficillimus, unde fieri potest, quòd eandem reniti affirment. Replentur autem cava plagarum in tantum, ut *Pix.* pix extrahi possit. Frugalis Pini [πεύκης] anno proximo, mediocris: secundo, vitiosa: tertio, repletio non coitu ligni, sed incremento picis con*Coit lignum.*ficitur: lignum enim in hac arbore coire, iterúmque unum refici nequit; sed confectio quidem picis reddi post tantum temporis solet: necesse autem ligni quoque agnationem fieri quandam. Siquidem detractâ, deustâque tedâ effluvium evenire picis solitum est.

Non simul & fructificat & tedificat Pinus, sed

Quando fructificet & tedifiet. protinus novella fructificat, multò autem pòst, facta vetustior tedificat.

Adiàm difficilis. Pinus aretu difficilis: quanquam meatuum rectitudinem habeat, verùm aut densitas, aut utrumque impedimento est: facit enim & siccitas, ne satis augescere possit. Adhæc imbecillitas in causa est: nam quæ debilia sunt, difficilè augentur, nutricantúrque. *Pinus picosa.* Prosiliunt Pini picosæ semina, & ad summam omnium conifetarum. Conis enim adhuc pendentibus hæc exiliunt, vasaque ipsa inania relinquunt. Quod idem cupressis evenire nullum dubium est: sed illis semen nuceum, his membraneum & exile. *Semen nuceum. Pinus benigna.* Pinus *benigna* omnibus proptereà putatur, quòd radice simplici, altâque sit: seritur enim sub eam & Myrtus, & Laurus, & alia pleraque: nec quicquam prohibet radix, quo minùs hæc liberè augescere valeant.

Corruptio naturalis. Arborum genus forsitan est, cui corruptio secundum naturam spontè, nec ullo pacto afflictato, sed benè vigenti eveniat, ut Pino [πίτυι] cùm radices imitatæ in tedam fuerint. Ex nimietate enim nutritionis, cùmque per tedam transmittere pabulum arbores nequeunt, fit ut moriantur. Quod proximum illi videtur, quod animalibus evenit, quæ extra modum crassantur, atque pinguescunt. Cùm enim auram attrahere nequeant, nec ullo pacto spiritu uti possint, propter obesitatem, condensationémque, & illa *Strangulatur.* strangulantur, & Pinus. Quamobrem non ineptè rustici vocabulum istud de Pino usurpant: dicentes Pinum strangulari obesitate atque pinguedine.

Tedâ detractâ servatur. Novella Pinus caret tedâ. Pinus [πίτυς] tedâ detractâ servari potest: Eam verò non semper *tedificare* constat, sed cùm viget, ætatéque maior est. Caret enim tedâ novella [Pinus] quia humorem non excoquit, neque aggregat: sed totum ad germina, incrementáque altitudinis absumit. Statim autem ac dilatari inceperit, vis illa & habitudo tedæ videtur consequi.

Cur medullâ detractâ Pinus intereat. Medulla tota detracta si sit, moriendum omninò est, ut Arcades aiunt. Nec Pinus & Abies servari ampliùs potest. Causámque haud temerè illam putaveris, quòd medulla pars humidissima & vitalis præcipuè abest: cuius rei etiam argumentum, quòd materies, quæ medullâ viduata est, pervertitur, recurvatúrque, usque dum penitùs resiccetur.

Decacuminata perit. Decacuminatione Abies [ἐλάτη] Pinus [πίτυς] & Larix [πεύκη] pereunt; huius verò causæ scribuntur cap. de Abiete.

Plin. notatur. Larix. Error multorum. Scire nunc etiam oportet, Hermol. monente, Plinium Larici tribuere, quod Theoph. de Pinu [ἀεὶ περὶ πίτυος] prodidit. Eiusdem autem generis cum Larice [πεύκη Dioscor. quam multi Pinum interpretantur malè] est quæ Pinus [πίτυς Diosc. quam malè Piceam reddunt] dicitur, sed specie differunt, autore Dioscoride. Ruellius apud Cordum πεύκην interdum Pinum, πίτυν verò Piceam transfert: Gaza etiam præterquam quòd πεύκην Pinum rectè, sicut etiam πίτυν Laricem vertit: ipsam quoque πίτυν cum Piceam interpretatus est, malè. *Gazæ error. Marcelli error. Cordi lapsus.* Nec meliùs πεύκην [Pinum] Tedam interpretatur Marcellus, Absurdiúsque ipse Cordus πίτυν Pinum, πεύκην verò Piceam interpretandam censet. Olim verò in ipsa Græcia & Macedonia sua nomina permutabant πεύκη, πίτυν, Larix & pinus.

Πεύκη malè teda interpretatur. Non benè autem Marcellum Diosc. interpretem, πεύκην tedam interpretari vel inde constat, quòd teda [δᾳδίς] vitium est, ut testatur Rob. Const. in Lexico, resiniferatum arborum, Pini præcipuè & piceæ. ἡ πίτυς, ait Arist. animal. δᾳδωθεῖσα ἀπόλλυται, pinus tedâ detractâ servari potest. Et Hermol. πεύκινον pineum legit, & hinc πευκίνην ῥητίνην, pineam resinam vertit. Valeat ergo Ruell. qui πευκίνην ῥητίνην resinam ex picea explicat: abeat Marcell. qui resinam ex Teda legit: exuletque Eurip. qui πεύκινα ξύλα, abiegna ligna vocat. *Ruell. Marc. & Eurip. notantur. Quorundam error.*

Sed & ii damnandi sunt, corúmque hæresis penitùs extirpanda, qui falsò putant πίτυν pinum esse, πεύκην autem piceam, vel solùm ob nominum vicinitatem, quam pinum & πίτυν, piceam & πεύκην magis habere sibi imaginantur. Cyperum enim hac ratione Cyprum, & Cysson Cistum, rapam napum, rubum rubiam, adde si vis annum, anum, & coccum coquum, sed non sine maximâ tui confusione dixeris.

Locus. Cæterùm locis admodùm depressis, autore Theoph. atq; opacis nullo quidem pacto Pinus [πίτυς] exire potest; Môtuosa.n. pinû ferût. Frigus potiùs adamat: hancq; locis fervidis provenire non posse, nullum dubium est. Pinum etiam nequaquam Syria fert. Ac quamvis in Latino agro, Pini & Abietes tum magnitudine, tum pulchritudine, inter omnes Italicas præstent, tamen ad earum rationem, quas Corsica gignit, pro nullo certè habentur. Romanos enim aliquando condendi causa oppidi in eam insulam navibus quinque & viginti profectos, tam vastis arboribus dicitur locus excepisse, ut omninò insula tota consertissima, & quasi efferata immani arborum turba spectaretur. Quamobrem Romanos a condendo oppido destitisse aiunt. Sed nonnullos ingressos, brevi ex loco tam largam excidisse materiam, ut ratem ponderent quinquaginta velis ducendam, quam in pelago periisse addunt. Corsica igitur seu ratione laxationis, seu etiam telluris, cœlique virtute, locis plurimùm cæteris antecellit. Latinus autem ager aquis totus abundat.

PINI ÆQVIVOCA.

Æquivoca. PINI nomen pluribus competit plantis, & pino aliquo modo similibus. Pinus quidem vel est *urbana*, vel *montana*, vel *maritima*. *Urbanam* voco sive *sativam*, pinum officulo duro, folio longo, & alteram officulo fragili putamine, sive *Cembro*, quæ tamen & ipsæ cùm spontè proveniunt, sylvestres dicuntur. Ex *Pino sylvestri*, sive *Pinastro*, qui cultum quasi respuit, est vulgaris Genevensis, Teda cognominata. Pinus sylv. sive pinaster Hispanicus maior. pini sylv. species, Bellonio picea sylvestris Ida Troadis, cuius coni facilè decidunt. Pinus sylv. Mugho, sive Crein. Maritima conis firmiter annis hærentibus. Pinus maritima Theophrasti Lobelio. Pinus maritima altera Matthioli. Pinus Indica ex qua Bre. pino aliquo modo similis Larix, quam pini, aut pinastri nomine comprehendi asserit Apollo. pro pinea verò nuce quidam malè pingunt conum Cedri, Atque ubi cæteri in psalmo 104. habent Abietem, Beza in suis carminibus interpretatur pinum. Dicitur & pinus trivia Romanis de Astragalo inter adscriptitia Dioscoridis. Habetúrque pinei coni facie fructus exoticus, ut pineæ nuci similis *Iacca*, lib. 1. Habentúrque præterea Pinei nuclei Molucani purgantes lib. 3. pinei coni facie Nana libr. 16. pineo cono similis Hoyeri lib. iam citato. pineis nucleis similis fructus. pineæ nucis nucleo similis *Ricinus minimus* & fructus, lib. 34. *Pinus officulo duro. Pinus Cembro. Pinus sylv. Teda. Pinus sylv. Hisp. maior. Picea Ida Troadis. Pinus Mugho. Pin. marit. conis &c. Pin. Indica. Larix. Conus Cedri. Abies. Astragalus. Iacca. Pinei nuclei Molucani. Nana. Hoyeri. Ricinus minimus.*

PITYS

PITYS VETERIBUS.

NVNC quoque quid πίτυς veteribus sit, quantum quidem, tum propter eorundem, tum etiam juniorum diversas opiniones fieri licebit investigare conemur. Antequam autem ad eius historiam tradendam nos accingamus, scire proficuum erit, Gazam πίτυος nomen apud Theophrastum, modò secundum Plinium, modò ab eo diversum, nunc Laricem interpretatum esse, nunc Pinum, nunc Piceam; atque etiam aliquando Abietem. Hinc illa autorum confusio, hinc de Pity grave chaos: quod præsertim in ipsâ Theophrasti historia ex Gazæ quidem versione, habetur.

Pitys variè usurpatur à Gaza. Larix. Pinus. Picea. Abies.

Græci autem non illepidè de Pity ita fabulantur. Pityn puellam fuisse olim perquam illustré, vnicè à Pane adamatam, quam Boreas quoque rivalis deperibat, utrique addictâ. Pani potiùs puella adhæsit, propterea zelotypia stimulatus Boreas Pityn in saxa propulsans neci dedit. Dolens vicem puellæ Tellus eam in arborem sibi cognominem mutavit, quæ immortali perpetuóque virore frondesceret. Panre cognitâ Pity, virenti eius ramo coronari se sæpe voluit. Ac luget adhuc arbor collachrimans, quòd Boreas immeritam spiritu protervo depulerit.

Fabula de Pity.

Cæterùm, quæ πίτυς (quam Gaza Piceam vertit) apud Theophrast. sit, difficulter iudicari posse existimat Clusius, quandoquidem eius materiam operibus ineptam esse, & magnitudine Pino minorem, minùsque erectam assurgere, scribat. Nos autem πίτυν Gazæ, Piceam dictam, aliquam ex Bellonii Piceis [Pinastris] existimamus, de quibus suo loco.

Pitys Gazæ Picea dicta, quæ?

Πίτυς Ruellium Piceam vertere scribit Cordus in Dioscoridem: ac præterea Gazam & Laricem interpretari: hocque ipsi maximè videtur absurdum, eò quòd multùm inter se differant πίτυς & larix: Additque se Ruellium sequi & πίτυν Pinum interpretandam censere. At Cordus sanè sibi non constitit, cùm hæc scripsit: si enim Ruellium sequitur, cur non πίτυν Piceam vertendam censet?

Pitys Cordo. Cord. taxatur.

Pinum [πίτυν] notam arborē esse scribit Diosc. Eiusdem verò generis esse, quæ Picea [πεύκη] dicatur, specie autem differre. Pityides hinc appellat, Pinorum [πιτύων] & Picearum [τῶν πευκῶν] fructus, qui in conis reperiuntur.

Pitys Diosc. Pityides.

Credit Hermol. Piceam veterum esse, quam Græci πίτυν vocant. Huiusque speciem Theophr. & Plinium φθειροποιὸν pediferam, tineosamque appellare, quia non prima tantùm in parte, ut Abietes, totis paniculis nucleos & minores, & minores, & nigros habeat: sed ipsas quoque paniculas minores, gracilioresque. Sunt autem *paniculæ* nucamenta quædam, quæ è ramis arborum, resinam fundentium, callo squammatim compactili dependent, præterquam Larici.

Pitys Hermol. Phthoropœus. Paniculæ quid sint.

De diversis igitur, quod ex hactenus dictis satis constare arbitramur, Pitys & Pityides dicuntur plantis. Piceam quidem vulgarem, sive Abietem marem [τὴν ἐλάτην ἄρρενα Theophrast.] quidam vocant πίτυν malè, ut Cæsalpinus. πίτυς de Pinastro, sive Pino silvestri, quod verisimilius videtur, à nonnullis quoque dicitur. Nec desunt qui πίτυν Laricem dicant, licèt hæc, ut illa, folia pungentia non habeat, nec in pluribus conveniat. Absque consideratione Gaza πίτυν Abietem quoque reddit. Sunt tandem qui ἀγρίαν Theophrasti [Agrifolium] cum πίτυι turpiter confundant.

Pitys de diversis Plantis. Picea. Pinaster. Larix. Abies. Agrifolium.

Ambarum cortex [ὁ φλοιὸς πίτυος Pini, καὶ πεύκης, Piceæ, teste Diosc.] adstringendi vim habet, conveniens ad intertrigines tritus inspersus (κατάπλαστος & non καταπλαττόμενος aut καταπλασσόμενος, Corn.) & ad ulcera in summa cute, & ambusta, cum spumâ argenti & mannâ. Idem cerato myrteo exceptus, ulcera in teneris corporibus ad cicatricem perducit: & prosserpentia cohibet cum atramento sutorio tritus. Tritus item & secundas [ὑστέρα, lege ἔμβρυα, vel ὕστερα Dal.] ejicit suffitus. Et potus sistit alvum & urinas movet.

Vires & vsus. Diosc. corrigitur. Vlcera ambusta. Fœtus. Diosc. lectio restituitur.

Sed & folia ipsarum trita imposita, inflammationes mitigant, & vulnera ab inflammatione conservant. Trita verò & in aceto cocta, dentium dolores leniunt, si calida colluantur. Has omnes facultates & Vires Fuchsius de Larice refert. Sed pergit Diosc. Commodat etiam hepaticis foliorum drach. una cum aqua, aut mulsa pota. Eadem faciunt etiam Strobili cortex & folia pota [de Strobilo arbore hæc accipit Corn. quam eandem cum Pinastro esse dicit] Modus faciendi vinum pineum [πιτυΐνου] cuiusque vires traditur cap. de Cedro. Sed & tęda ex ipsis, in minutas partes concisa, & cum aceto cocta dentium dolores mitigat, si decoctum ad affectum dentem contineatur. Ex ipsis etiam Spatha fit, ad acoporum & pessorum præparationes idonea. Quin ex iis, dum cremantur, fuligo excipitur, ad scriptorii atramenti confectionem: itemque ad medicamenta honestandis palpebris dicata: Erosis quoque oculorum angulis, glabris callosisque genis & lachrymantibus oculis opitulatur. Pityides autem vim habent adstrictoriam, & aliquatenus calefacientem: subveniunt tussi, & affectionibus circa thoracem, si tum per se, tum cum melle sumantur. Strobili porrò si puri [repurgati] edantur, aut cum passo & Cucumeris semine bibantur, vrinas cient, & humorum acrimoniam hebetant, qui vesicam & renes infestant: sedant & rosiones stomachi sumptæ cum Portulacę succo: nec non corporis infirmitatem roborant, corruptorúmque humorum labem obtundunt. Toti autem Strobili ab arboribus decerpti, & recentes, contusi & in passo decocti, ad vetustam tussim & tabitudinem conducunt, si ex eo liquore terni quotidie cyathi assumantur. Fit & vinum strobilites [στροβιλίτης] maceratis in musto Strobilis recentibus & contusis, præbetque resinati effectus. Quod si quis Strobilos simul præmaceratos decoxerit, abundè potum iis conducet, qui tabitudine conficiuntur. Vsus plurimos, ut Theophrast. literis consignavit, maximosque Pinus & Abies præstant, harúmque materies aptissima, atque pulcherrima constat. Pinus autem omnium ferè maximè viribus valet, & ad usum ædificatorum spectabilis eadem potissimùm est, laxitatis, rectitudinisque meatuum causâ. Hanc enim ne findi quidem nullo pacto posse affirmant, si glutine muniatur. Navigia rotunda faciunt ex Pino, quoniam non putrescunt. Nonnulli etiam triremes, quòd Abiete careant. Nec Pino atque Abieti Quercus conglutinari valet: altera enim spissa, altera minùs. Affectus autem similis ea esse oportet, quæ sociari, conflariq; debeant, non contrarii. Carbones quidam excusores pineos potiùs quærunt, quàm quernos, quanquam infirmiores sint: ad flatum enim respondent commodiùs, quoniā minùs marcescāt, extinguanturque. Est autem flamma eorum ce-

Folia. Dentium dolor. Vinum pineum. Teda. Spatha. Fuligo. Oculi. Pityides. Tussis. Strobili. Vrina. Stomachus. Phthisis. Pinū strobilites. Vires. Tabes. Ædificia. Navigia. Carbones.

lerior & aquatior tàm lignorum , quàm carbonum.

PINVS OSSICVLIS DVRIS, FOLIIS LONGIS.

Descriptio

PINO caudice recto surgenti, ex tuberculis passim in rugoso cortice ramorum extantibus, folia enascuntur, bina ferè circa imum connata, mox ab invicem abscedentia, quà se mutuò spectant caniculata. Iunci marini æmula & æqualia, duorum triúmve palmorum altitudine, mucrone acuto & rigido: Coni magni, crassi, turbinati, arctissimo squammarum contextu compactiles, quarum crassa, lignosa, lucida, capita extantia, tuberculorum agmine inæquales reddunt conos: singulares squammæ unciam latæ, duplo longiores, à capite resinam albam odoratam subinde fundentes, lineisque ex umbilico devexis donatæ, paulatim hilum versus attenuantur, crassæ, sinu suo complexæ unam aut alteram Pityidem oblongam, ferè uncialem, torosam, pulvisculo atro-purpureo resperlam, osse crasso duro, nucleo candido, pingui, dulci, pelliculâ rutilâ obvoluto.

Folia. Coni. Squammæ. Resina. Pityides. Os. Nucleus.

Descr. Cæsalp. Cortex. Materia. Rami. Folia. Amentum. Nuces. Squamæ. Nuclei. Seminis medulla. Radix. Mas & femina.

Pinus, ut eam describit Cæsalpinus, ingens est arbor in montibus apricis: cortice scabro & subrubenti: materie robustà, subflavâ, odoratâ, pingui: Rami ordine prodeunt ternis per intervalla germinibus, ut eius summa in amplam latitudinem ad rotæ similitudinem spargantur: foliis in modum setæ productis, acutis, perpetuis, numeroso ordine totos ramos vestientibus: Amentaceum quid fert pulverulentum: Nuces in rotunditate modicè longas, turbinatâ figurà, implentes utramque manum, ex lignosis squamis compactas: sub singulis squamis bini, ut plurimùm continentur nuclei, oblongi, ossei, subnigro quodam pulvisculo obsiti: seminis medulla intus pinguis, gustu dulcis & odorata, non bipartita, ut in cæteris plurimis, sed veluti in alvo novellam pinum tanquam fœtum continens, cuius radix inferiùs spectat, quo modo nascitur unicâ tantùm radice in altum divisâ. In hoc genere fœminam vocant longiorem nucem ferentem, marem autem rotundiorem.

Barth. Anglici errores duo. Picea. Electrum. Tinum pro Pinu corruptè. Pitys. Peuce. Differentia duplex Cordo.

Et hæc est illa pinus, quam Barth. Anglicus esse arborem Piceam scribit, sed quàm benè iudicent Botanici periti. Is etiam perperàm succum quem fundit, Electrum statuit.

Meliùs illam Petrus de Cresc. Pinum vocat.

Hermol. qui pinum vocat piceam nucem ferentem, à Græcis πίτυν appellatam, testatur in Palladio corruptè legi Tinum pro pinu.

Cordo pinus existimatur πίτυς, quam, cùm spontè provenit, pinastrum vocat. Vnde colligitur pinum etiam in hortis fieri. Idem πεύκην piceam vocat, quam & ipsam duas habere differentias ait: unam longis setis, &c.

Cordus caecutit. & sibi non constat.

Verùm tota eius historia mihi obscurior videtur, nec ego penitùs intelligo quam arborem ille per pinum sylvestrem sive pinastrum Germanicum intelligat: Meo quidem iudicio pitys eius pinus est: picea autem pinus Cembro est: Et sylvestris Picea, Picea Latinorum. Licèt verò, eidē Pini & Piceæ nuces πιτυίδες vocētur, attamen Strobilos privatim dicit in pineo cono inventas nuces. Et rursùs (ad imitationem Dioscoridis) hunc totum unà cum fructibus strobilum vocare non erubescit. pityides autem nuces Avellanarum propè magnitudine & figura sunt, oblongiores tantùm in conis.

Pityides fructus & coni.

Locus.

De pinu nobilissima illa arbore hæc scribit Tragus. pineas nuces toto orbe in medicina decantatissimas, in nucamentis turbinatâ effigie compactilibus profert, in altissimis superioris Germaniæ Alpibus prope Valesiam, iis maximè quæ Italiam spectant, gignitur, caudice assurgens procero, recto, ramis folio capillamenti modo prætenui, longóque, copioso, cineraceóque vestitis. Quam Germ. Viechthannenbaum, aut Hartzbaum, aut Forenbaum vocant, quæ oblongas & dulces nuces pineas profert, meo iudicio vera est pinus, quæ Hebr. *Oren*, Græc. πίτυς, Serap. *Senobar* & *Arz* (quæ vox ab *Eres*, mutatis duntaxat punctis vocalibus distat, quam Cedrum uterque interpretantur) appellatur. Kymhi, ut in margine scriptum habetur, ait quosdam *Oren* Hebræorum per Alzinobar (quæ vox non multùm à Sonobar abludit) Arabum interpretari. Esse verò plures alias voces, tàm Hebræas, quàm Chaldaicas, quas pro pinu reddant, sed non vacare illas adscribere. Nucamenta porrò quibus pineæ nuces insunt, Græcis *conos*, *Nucleos*, *Strobilos*, Offic. *Pineas*, Hippocrati *Coccalo* appellari, scribit Tragus. In eius autem descriptione non placet, quod ait folium capillamenti prætenuis modo esse. Displicet etiam icon posita sub titulo pinus Hartz/ oder Kifferbaum, nec conveniunt nomina Germanica. An autem in altissimus superioris Germaniæ Alpibus propè Valesiam proveniat, aut fortè Pinus Cembro sit, quod suspicor, inquirendum. Eidem Græcè πίτυς dicitur, ut & Bellonio, qui eam non in hortis tantùm conseri, & sativam esse, sed & in sylv. locis spontè nasci tradit. Ipsius autem Bellonii iconem etiam reiiciendam censemus, quamvis Lacuna eam receperit.

Oren, Pitys, Senobar, Arz.

Alzinobar.

Coni. Nuclei. Strobili. Pineæ. Coccalo. Trag. notatur.

Pitys.

Autores à Theoph. in resinif. dissentiunt.

Animadverti, inquit Matth. Plinium, recentioresque nonnullos eum secutos in plantarum historia, quæ resinas fundunt, longè ab eo dissentire, quod in Tridentinis montibus nostris oculis perspectum, apud alios etiam testatum relinquere possumus. Invenio Theophrastum duas Pini species adnotasse &c. Verùm non desunt, qui contendant Theophrasti hæc de Picea scripsisse, non autem de Pinu: eâ ratione freti, quòd πεύκη, de quâ hic disserit Theophrast. Græcis Piceam, non Pinum significet. Bellonius communem Græcorum sententiam sequitur, & totum id Piceæ arbori reddidit contra Theodori interpretationem, quod Theophrast. περὶ τῆς πεύκης scriptum reliquit. Sed equidem Bellonium (pace viri boni dixerim) hallucinatum arbitror, non, quòd propterea cum Græci sermonis imperitum iudicem, sed, quòd mihi videatur non diu versatus in Theoph. & Galeni lectione, aut de iis plantis scripsisse, quarum non certam habuit notitiam. Mihi non dubium quin veteres Græci πεύκην pro

Pini duæ species Matthiolo.

Bellon. hallucinatus.

pinu

Pinu usurparint. Neque verisimile Theodorum Theoph. interpretem natione Græcum ignorasse, quid per illa usitata vocabula intelligerent Græci scriptores. Deinde Theophrastus τὰ πεύκης nucem, στρόβιλον vocat, quod non aliud designat, quàm nucem pineam, ut apertè declarat Gal. de alim. fac. his verbis. Nucem pineam, appellant nunc Græci non κῶνον, sed στρόβιλον. Idem lib. de cibis boni & mali succi scribit. Nucleus pineus, qui κῶνος vocatur, στρόβιλον veteres etiam appellant. Item lib. 7. simpl. sic habet. Coni fructus quem & Coccalon, & Strobilon nominant. Adhæc com. 4. de vict. rat. in morb. acut. κόκκαλος ab Hipp. dictus, non ita, sed κῶνος magis ab antiquis Græcis appellatur, velut à recentioribus Medicis propemodum omnibus Strobilos vocatur. Galeno adstipulatur Sim. Sethi, qui nucleos pineos κωνάρια τῶν στροβίλων etiam nominat. Ex his itaque constare puto contra Bellonii opinionem, Theophrastum sub πεύκης vocabulo Pinum descripsisse, non Piceam. Nam si Theophrasto Peuce strobilum profert, quem Gal. inter cibos cõnumerat, non video, quomodo is Piceæ fructus esse possit, cuius nuclei non sunt edendo, Bellonii etiam testimonio. Quod insuper per πεύκην Pinum intelligat Theophrastus, illud maximo esse potest argumento, quòd nusquam Picea visa sit urbana, nisi fortè è silvestrium semine ad spectaculum in hortis sata. Cuius tamen contrarium deprehenditur in Pinu, quæ domestica atque urbana frequentissima conspicitur. Hinc porrò factum est, ut Bellonius suâ ductus opinione, ex hoc in alium quoque errorem inciderit. Quippe illud falsum est, quod ex tedâ Piceæ fit pix, ut Bellon. asserit, perperàm Theophrastum interpretatus. Siquidem rara admodum est Picea, quæ tædam habeat, atque pix omnis, cuius est usus ex Pinea tantùm teda conspicitur in Italia, quemadmodum & in Bohemia. Cæterùm non potui non admirari dixisse Plinium, scandulas è Pino ad contegendas domos, ex omnibus, quæ resinam fundunt arboribus aptissimas esse, cùm Laricem non ignoret materiei præstantiâ duritia & firmitate, nulli æquiparandam esse. Scribit Theophrastus (nosque quotidie id videmus) quod Pini interitus est, ut teda fiat. Cæterùm, quòd tedâ opus sit ad picem conficiendam, & artificio fiat, docetur suo loco. Quamobrem putarim hac in re non parùm cæcutisse Plinium, quippe qui tedam propriam & per se arborem censet. Marcellus errat, qui Pinum tedam interpretatur. In hoc etiam errore versatur Lonicerus Ruellium secutus, qui fictam potiùs quàm veram arborem pro tedâ pinxisse videtur. Hactenus Matthiolus, qui sibi (quod non mirum) contradicit. Is enim huc usque Pinum πεύκην, rectè vocari tradit, mox πίτυν cum plerisque Græcis appellat. Adhæc in post. com. & Hist. Germ. fatetur picem non solùm ex Pinu, sed etiam Pinu sylvestri fieri, quæ est Picea Bellonio. Et quod plus est, in Hist. Germ. dicit tantùm silvestrem Pinum in Bohemia & Germania haberi, cùm ex Pino solâ in Bohemia picem fieri antè dixisset, meritò igitur eam Bellonii reprehensionem in post. com. Ital. omisit: In suis epistolis contradicit Plinio dicenti, Pinum nullo flore exhilarescere, id quod Theoph. nec negarit nec affirmarit: Florere autem Pinum testari Bohemiæ silvas, ubi floridæ quotannis inspiciantur Pinus odore, haud ingrato. O labilem viri memoriam! nonne recordatur ex Historia Germanica ni Bohemia silvestrem duntaxat Pinum haberi? nonne contradictionem animadvertit? non esse arborem in Bohemiæ silvis, & ibi florêre.

Nux Peuces Strobilus vocatur, quod nucem pineam significat. *Conaria Sethi.* *Bellonius errat.* *Picea urbana nulla.* *Pinus urbana.* *Bellonij error alius.* *Plinii lapsus.* *Plinii error alius.* *Teda non est arbor.* *Marcelli lapsus.* *Lonic. error.* *Matth. taxatur.*

Amatus in Matth. invehitur, quòd aliter, quàm Theophrast. de speciebus Pini locutus sit. Nihil tamen adfart, quod alicuius sit momenti. Præterea si Pitys est Pinus, ut ipse his nomenclaturis [*πίτυς Pinus, Pinus hortensis, Pinus urbana, Pinus domestica*] se velle demonstrat, cur Pini diversas constituit species, quandoquidem Theophrast. non ita distinguit πίτυν, sed πεύκην. Matthiolum sanè imitatur reprehendendo Plinium.

Amat. redarguitur.

Apollo assurgens adversus Matthiolum sibi persuadet πίτυν esse Pinum, nec secus veterum & recentiorum Græcorum autoritate comprobari posse. Verùm nugatur Apollo, ineptias obtrudit, argumentaque nullius ponderis adfert: πεύκην enim Theophrasti non dubitarit is asserere esse Pinum, qui Plin. cum Theoph. locis contulerit, facilèque nostram opinionem animadvertet veriorem.

Apollo notatur. *Pinus est πεύκη.*

Had. Iunio cum Ryffio Pinus est πεύκη. Verùm an ritè ei assignent appellationes Germanicas [Forhen/ Arben/ Hartzbaum & Kynholtz] dubito, quandoquidem in Germania provenire non soleat.

Had. Iunius cum Ryffio taxatur.

Dod. gall. cui Pinus sativa [πεύκη ἥμερος] dicitur non laudabilem habet figuram. Verùm laudabilem tenet sententiam. Asserit enim Pinum Græcè non πίτυν, ut multi recentiorum existimát, sed πεύκην reddendam: Idem in Hist. lat. Pinum [πεύκην] ex Theoph. duplicem statuit, unam cultivam, sive mansuetam [ἡμέραν,] & silvestrem [ἀγρίαν.] His ait Macedones tertiam addere, sterilem (ἄκαρπον, sine fructu) nobis incognitam. Mansuetam aut potiùs urbanam Macedones atque reliquos Græcos πεύκην ἥμερον, sed Arcades πίτυν appellare: Ex hac autem nominis permutatione accidere, ut fructus Pini in conis reperti, à Diosc. Gal. & Paulo, alijsque Pityides nominentur: esse verò & aliam πίτυν, Piceam à Pinu multùm differentem: Fructus porrò κῶνος Græcis ci, & Latinis similiter Conos & Nuces pineas, & à Mnesitheo ὀστρακίδες, à Diocle verò Carystio πιτυΐνα κάρυα, quæ tamen fructus esse arboris à Theophrast. πεύκης appellatæ Athenæus testetur. videri & eundem fructum totum, στρόβιλον & κόκκαλον Galeno appellari.

Pinus sativa. *Pinus urbana πεύκη Arcadib. πίτυς.* *Cur fructus Pityides dicti.* *Ostracides.*

Quantum Turn. videt, Theohrast. πεύκην appellat, quam Latini Pinum. Plinius autem πίτυν Græcorũ pro pinũ accipit, ut idem ex Plinii verbis colligit, qui Pityocampas Pinorum erucas vertit, non Piceæ, ut Theod. & alii multi. Errant interpretes Galeni, qui Pityn interpretantur Piceam, cùm ei sit Pinus: ait enim Pityn maximos ferre conos. Verisimile est Galeni tempore Græcos, & qui eum secuti sunt, semper πίτυν pro Pino usurpasse: Gaza πεύκην & πίτυν vertit Pinum, Piceam, Pinastrum, & Laricem, confusè. Censet igitur Turn. Pityn esse Pinum apud Gal. Diosc. Aetium & alios qui post Galenum scripserunt.

Peuce Theophrast. *Pitys Plinio.* *Pityocampa.* *Interpretum Galeni error.* *Gaza confusus.*

Haud facilè est cognitu, quid sibi velit Diosc. dũ ait cortices strobili & folia: Interpretum enim alii peculiarem arborem intelligunt, ut Cornarius, alii verò, ut Ruell. reddunt conum Pini. Apud nullum veterum lego Strobilum, peculiare arboris nomen, semper verò pro nuce, aut pomo, interdum nucleo fructûs: nisi fortè, ubi meus Plinius ab Erasmo castigatus post Hermolaum Barbarum, Nicolaum Beroaldum, Guil. Budæum, & Io. Cæsareum, habet Tibulus, legendum sit Strobilus, non autem Tibulus, non magis firmâ

Cornarii lapsus.

fuerit ratio, *Plinius strobilum facit per se arboris speciem, ergo est arbor*, quàm hæc, Plinius Tedam particularem facit arborē, ergo teda per se est arbor. Magis autem movent, quæ scribit Dioscorides, inquit enim, ποιεῖ δὲ τὰ αὐτὰ καὶ ὁ τῆς στροβίλου φλοιὸς καὶ τὰ φύλλα πινόμενα hoc est, præstant verò eadem & strobili cortex & folia pota. Iam verò nux pinea eiusdē generis est cum pino. Sed hoc repugnare videtur, quod ab initio capitis habetur, cùm de quibus esset acturus indicans, meminit pini duntaxat & piceæ, non autem strobili. Sed utrum hic strobilus nucem pineam significet, folia verò eiusdē intrinsi, cuius paulò ante meminit Diosc. parum refert, quoniam omnes illic simul memoratæ arbores iisdem viribus sunt preditæ. Rob. Constant. in Lex. πιτυΐδες propriè Pinūs, impropriéque Piceæ arboris nuces in conis (quas Poma Cybeles dixit Martialis, Nuces verò pineas, πιτυΐνα κάρυα καὶ στρόβιλοι καὶ κῶνοι Dioscor. & Theoph.) contentæ. Græci etiam κάρυον καὶ πυρῆνα nomine appellant, ut nucis & nuclei voce Plinius.

Pityides. Poma Cybeles.

Lonic. reprehen. Lonicero Pinus dicitur Pitys. Isque conum tantùm pingit, temerè adiungens conum Cedrinum, non agnoscens differentiam inter utrumque. Eum autem Pinum non agnovisse, indicio sunt, vel nomina Germanica **Fichtenbaum/ Hartzbaum/ Kynholtz/ Kühfferholtz/ Feuren/** quæ diversarum sunt plantarum.

Petr. Cresc. figmentum. Pro Pino absurdum figmentum habet Petrus Crescentius, Sedum arborescens referens quodammodo.

Lobel. notatur. Dicitur hæc Lob. *Pinus vulgatißima*, quod mirum videtur, nec enim adeò vulgaris est. Tabern. *Pinus domestick.* *C. Bauh.* C. Bauh. phyt. de Pino obscurior est, Pinúmque sylv. fortè intelligit cùm dicit: Peucedanon à πεύκη, quæ Latinis Pinus vocatur, quòd folia eius cum Pini foliis similitudinem quandam habeant; unde & *Pinastellum* quidam dicunt.

Ferus not. Præter verò quotidianam experientiam communis authorum consensus, Feri in Genesim falsam opinionem meritò ridet. Pinus, inquit, nullum fructum fert, sed solùm semen. Goropium consulere debuisset dicentem: Plinius glandes è pomorum numero exclusit, nescio qua de causa: cùm mihi æquè atque Nuces pineæ, de quibus non dubitatur, hanc nomenclaturam videantur mereri. *Poma.*

Synonyma linguar. Pinus, græcè plurimis πεύκη, aliis πίτυς malè, germ. **Zirbelbaum/ Fichtenbaum/**, Belg. **Pinappelbaum**, Gall. *Pin.* Ital. & Hisp. *Pino*, Angl. **Pine tree**, Bohem. **Borowice**, polon *Sosznki.* Pinus quidem ut Matthiolo placet à pinnato foliorum acumine. Castel. & Catal. *Pino negro*, portug. *Pinheiro negro*. Fructus eius græcè στρόβιλοι, Lat. *Strobili*, Nuces pineæ, germ. **Zirbelnüßlin**. Gall. *Pignons.*

Epitheta Pini. Pino à poëtis apud Ravisium hæc epitheta attribuuntur. *Nautica, pontica, amans littora, virens, florida, procera, alta, ardua, conifera, picea, odora, pinguis, cornigera, acuta, multifida, capillata, nutans, sylvestris, hirsuta, cava, garrula, Berecynthia, Cibeleia*, cui sacram fecerunt, quanquam & Pani sacram legerimus. His adde ex Theoph. *nodosa, per squammosa, resinosa, ingens, rectè surgens*, ex Guidone *flammifera, pronuba, tumida*, ex Virg. Pinus in hortis *pulcherrima*. *Cybele sacra.*

Locus. Frequens est, ut Ravisius prodit, in Atlante, Idâ, Lycæo, Simoënte, Mœnalo, & Othry. In Germania, quod equidem sciam, sponté non provenit. Genevæ non vidi, quamvis Gesnerus se [illegible] scribat, Pinum mihi in loco quodam publico spectari. Lutetiæ quidem in horto Reginæ vidi. Pam in Belgio, Angliâ, & Italiâ coli testatur Lobelius. Scribit Bellonius Pinum [illegible] cis permultos sylvescere etiam in planis, ut in Gallia Narbonensi (ubi ad aquas maritimas sponte nasci eam perhibet quoque Lob.) & circa Massiliam, ac in multis Italiæ tractibus, ut circa Ravennam, quo loco sylvas ex se faciat amplissimas: ac sylvestria semina si in cultum demandentur solum, easdem proferre arbores, eosdémque fructus. *Gesn. notatur.*

Satio. Seremus autem Pinum, authore Palladio, nucleis suis (semine enim teste Theophrast. tantùm provenit) calidis & siccis regionibus, mense Octobri, vel Novembri: frigidis & humectis Februario, vel Martio. *Tempus.* Amat locum graciles, sæpè maritimum, inter montes, & saxa vastior & procerior invenitur: ventosis & humidis arborum fiunt incrementa latiora. Sed sive montes velis conserere, seu spatia quæcunque, hæc huic generi deputabis, quæ alteri utilia esse non possunt. *Culturæ.* Exarabis ergo ea loca diligenter, atque purgabis, & frumenti more semen asperges, levi surculo curabis operire, nec enim plus quàm palmo debet abscondi. Defendenda est tenera arbor à pecore, ne calcetur invalida. Proficiet, si nucleos aquâ ante triduum maceraberis. Aliqui dicunt fructum pineum translatione mitescere: sed plantas hoc modo procurent, ut priùs multa semina in caliculis terrâ & fimo repletis obruant, quæ ubi processerint, relicto eo, quod solidius est, auferunt alia: ubi iustum ceperit incrementum, trimam plantam cum ipsis caliculis transferunt, quibus fractis in scrobe indulgent radicibus largitatem. Terræ tamen eque stercus admiscent, facientes straturam alterno ordine subinde crescentem. Servandum est tamen, ut eius, quæ radix una & directa est, usque ad summitatem suam possit integra & illæsa transferri. Putatio novellas Pini arbores tantùm promovet (quod autor se expertum ait) ut quæ spe-tavetas incrementa, duplicentur.

Maturatio. Nuces pineæ usque in Novembrem esse possunt, & maturiores legentur.

Asservatio. Nuclei verò ipsi purgati durare non possunt: tamen aliqui in vasis fictilibus novis, & terrâ repletis cum testis suis missos asserunt custodiri. Ex nucleis Pini missis Lugduno per honestum virum Sebast. Hiebetlin & alios, Pinus in horto E.G. sæpiùs mihi provenit, sed facilè perit. Eadem causa fortè fuerit, quam Camer. in horto assignat. Pinus, inquit, Italica ex semine enata prodit, sed Hyemis frigore intensiore facilè, nisi in fictilibus condatur, perire solet. Dum recens è terra emergit, nuclei putamen non incommodè adimitur, sed nucleus protrusus si auferatur priusquam sua sponte decidat, plerumque germen enascens, cui tanquam munimentum à natura datum est, & foliis coniunctis oblongioribus adhæret, perire solet.

Observationes pulchra. Proverbium. Proprium autem est huic arbori ut salso solo latissimè fruticet, quemadmodum apparet ex amœnissimo pineto prope Ravennam. Dignum etiam est observatione, excisam nullam remittere ex virgis radicum sobolem, sed prorsus emori. Propterea Crœsus (ut est apud Herod.) minabatur se extirpaturum Lampsacenos *Pini in morem.* *Pini in morem.* Dignum quoque & illud notatu, quod D. Basil. memoriæ prodidit, Pinus incensas ac exustas flammis in querceta mutari.

Pini Vires & usus. Pini vires secundum antiquos videre est ante scriptas

Temperamentum. Phthisis. scriptas sub Peuce titulo. Firmissima est adversus cariem & tineas. Nuces huius usitatissimæ sunt, naturâ suâ, ut dicit Averrhoës, calidæ & siccæ, phthisicis & languescentibus commodissimæ. At fructûs interior nucleus, ut Dodonæo placet, vim habet concoctoriam & moderatè excalfacientem, in medio quasi frigoris ac calidi consistentem: exasperata lenit: *Tussis.* tussi veteri, & pectoris diuturnis vitiis auxiliatur, per se, aut cum melle, aliòve eclegmate sumptus, phthisicis ac tabescentibus vtilis est: vires reparat: *Alit.* corpus alit ac reficit: crassi ac boni est succi, multùmque nutrit, non tamen omninò facilè concoquitur, idcircò bellariis tritus admiscetur, ac Sacchato incoquitur. *Nephriticis.* Prodest verò & idem Nephriticis ac adversus vesicæ rosiones, urinæque ardores: acrimoniam enim mitigat, dolores sedat, urinam clementer provocat, auget item & lac, & semen genitale: *Lac & semen auget.* venerem idcircò etiam excitat. Totus conus cum Marrubio recenti decoctus, inquit Galenus, si postea addito melle modico iterum coquatur, donec ipsum decoctum mellis accipiat crassitudinem, medicamentum est ad thoracis pulmonisque excreationes conveniens. Simile & Diosc. habet: integri, ait, ac recenter ab arboribus decerpti, confracti, & in passo decocti, veteri tussi & *Tabes.* tabitudini conferunt, si quotidie ex eo liquore terni cyathi bibantur. *Aqua. Faciei rugæ. Mammæ.* Aqua Strobilorum Pini delet faciei rugas, impedit mammarum incrementum, si madefacti in eâ rami sæpè apponantur. *Matrix.* Vtilis cum ea lotio in excidente matrice, collum enim eius constringit. Nuclei si comedantur per se, vel cum Sacchato naturam calefaciunt. *Oleum.* Oleũ eorum, si Auerrhoi credimus, excellens est, in *Hemiplexia. Paralysis.* Hemiplexia, si eo inungantur partes resolutæ. Holer. de morb. intern. Paralyticis præscribit usum granorum Pini conditorum, quod Duretus in controuersiam vertit: ait enim, Pineis granis abstinendum esse, quòd oleosa sint & pinguia, ob idq; ... Viridis Pinûs aciculas contritas, ac vino potui datas, cordis dolorem abolere, *Correspicit.* quòd fructus eius cor referant, Porta concludit. *Pineolatum.* Pineolatum grarissimum, polytrophon, macilentis, pulmonum affectibus pro bellariis conveniens, componitur ex æquis partibus Pineorum & Sacchari soluti. Ex quibus fiunt morselli, addito Moscho ad gratiam, si volueris. *Penis. Decoctum.* In distortione penis ex nimia Venere, & ad præcavendam infectionem Veneream utitur Iul. Cæsar ex Arantio decocto nucum Pini, quod multùm laudat.

PINUS CUI OSSICULA FRAGILI PUTAMINE, SIVE Cembro.

Diosc. Folia. PIni foliis breviora sunt Cembri folia, palmaria, itidem bina è tuberculo uno prognata, canulatáque, videntur acutiora tamen. *Conus.* Conus minor quàm Pini, hoc commune habet cum cono Abietis, quòd squammæ facilè à pediculo divellantur, in cæteris differt. *Squama.* Squamis compactus est minùs multò extantibus & compressis, rugosis non lucidis, ut Pini præcedentis: nec firmiter compactis, extremam singularum marginem (non meditullium) occupante umbilico: *Pityides. Os.* pityides binæ [aut una] singulis squamis occultantur dimidio minores quàm Pini domesticæ, osse triquetro, turbinato, rubente, tenui, & fragili, adeò ut digitorum pressu haud ita violento dissiliat, *Nucleus.* nucleo crassiore, breviore, sapore &

substantiâ cum pityidibus domesticis eâdem.

Pinaster. An Hermol. *Pinaster* seu Pinus silv. mira altitudine, à medio ramosa, sicut Pinus in vertice, copiosiorè dans resinam? *An Picea Larici similis.* An verò Ruellius per Piceam Larici simillimâ, hanc, intelligat, affirmare difficilè, quia se non exponit, sed tantùm verba Hermolai transcribit pro suis, more sibi consueto.

Pinus silv. Et hæc est, quam Stumpff. Hist. Helv. de plant. Alp. Germ. Arben, lat. *Pinum*, & *Pinum silvestrem* vocat, fructu esui grato, sapore Avellanarum, cuius frustus in Valesia Arbenzpffen vocentur:

Munst. in Cosm. Pinus silv. Plinii, cuius fructus die Etschlender, si non fallitur Bimpernüßlin cognominant.

Trag. notatur. Tragum suspicor hanc arborem confundisse, cum Pino iam recitata, hanque existimo ab eo tradi provenire in altissimis superioris Germaniæ Alpibus prodè Valesiam, iis maximè, quæ Italiam spectant.

Peuce Cordo. Πεύκη apud Cord. in Diosc. quam malè Piceam reddit & Germ. Cyrbelnus vocat, Pinus *Cembro* est, cuius verba superiùs recitavimus.

Pinastrum. Alevo. Elvo Theoph. incognita. Pinus Tarentina Plinio. Hanc Bellon. de Conif. *Pinastrum* appellat, eámque vulgus Galliæ Celticæ *Alve*, vel *Elvo* vocare tradit, præterea Theophrastum eam nunquam agnovisse: in Græciæ enim aut Asiæ montibus non nasci: sed Pini genus esse Tarentinũ Plinio. De hac idem de neglect. cult. hæc narrat. *Alevas* Pini sunt genus, minùs duro sapidioréque nucleo, quàm vulgaris. Rustici in Rhetia eo vescuntur, & quatuor duntaxat assibus gallicis quadrantal vendunt: nos dum istâc iter faceremus, unico coronato tantam illius quantitatem emimus, ut ei ferendæ vix equus sufficeret. Sed rem admodum vilem esse oportet, quæ suâ vecturâ digna non censetur. Posset etiam viciniore loco inveniri: nam quinque aut sex dispositorum equorum è Lugduno stationibus nullus est rusticus, præsertim apud S. Andream, qui eo non vescatur, atque in ædibus adservet, Memoriâ autem repetens suavitatem gustûs huius seminis, quo etiam multi pauperes rustici saturari possent, si nostræ Galliæ opulentiores id scirent, multoties optaui. Idem de conif. Si per Allobroges ex Gallia Mediolanum tendas, sive per montem Iuniperorum, aut per montem Senesium (quem Galli vocant *Geneure & mont Senys*) nullus pagus in convallibus reperitur, qui Pinastrum *Elvum.* sub *Elvi* nomine non agnoscat. Est etiam Pinaster in horto regio Fontanæblæo ex semine enata, altera arbor vitæ dicta. *Altera arbor vitæ. Impostura.* Audio quendam ex navigatione novi Orbis ligni huius, quod lignum vitæ appellabat, multas arcas plenas exportasse, cùm tamen pinastri esset, eúmque Regi Francisco hoc nomine impostum facere non

erubuisse, lignúmque hoc fungosum, leve, suo adhuc cortice obductum, quod non modò nulli unquam prodesse potuit, sed etiam valdè obfuit. Cuius incommoda cùm multi magno suo malo sensissent, illud à suo usu abdicandum omnium calculo censuerunt.

Ios. Simlerus & Gesn. confusi. A Iosia Simlero & Gesner. confunditur Pinus propriè dicta, cum ea, quam Cembro dicunt. Vt id fit manifestum ex lib. hort. ipsiusmet Gesneri, dicentis: Pinus in Germania ferè nulla, &c. Pinaster, Pinus sylvestris in altis montibus Rhætorum & Vallesiorum, nec ulla arborum (opinor inquit) altiùs nascitur: Ein wilder Zierenbaum. Nuclei quidem eius ut minores, ita etiam gratiores sunt, quàm Pini.

Pinus Zimbron. Pinus Cembro, Cembri & Cirmoli. Anguill. Pinus montana apud Grisones proveniens Zimbron vocata.

Matth. Pinus sylvest. *Cembro, Cembri & Cirmoli* vulgò vocata, nucibus domesticæ similibus, fractu facilibus. Facilè adducor, inquit is, ut credam hoc nucum pinearum esse illud genus, quod Plin. lib. 15. cap. 10. *Tarentinum* vocat. *Bellon. notatur.* Bellon. loco iam citato hoc Pini genus Pinastrum esse censet, sed non rectè. In post. autem com. It. eadem dicit, ac addit errare Anguillaram, qui velit Pinum Tarentinam, vulgò dictam Cembro, esse Pinum montanam sylv. Theophrasti. *Pinus Tarentina. Anguill. error.*

Bellon. excusatur. Apollo rad. 9. non sine ratione videtur Bellonium excusare à censura Matthioli, ut qui non asseruerit hanc arborem esse Pinastrum Plinii, quamvis Pinastrum nominet, & in fine Plinii verba adducat: putátque Apollo hanc arborem esse Bellonio illegitimum Plinianum Pinastrum: & ex Bellonio vocat Pinum Tarentinam.

Suiffe Bellonii nō est. Dodonæo assentiri non possum, existimanti in Hist. Gall. *Zembro* esse Bellonii *Suiffe*, quod non repetit in Hist. Lat. ubi Pinum sylv. alteram facit, & à Macedonum fœmina sylvestri nihil differre ait, nam tractabilem & ad multa opera materiam habêre idoneam.

Pinus sylv. montana. Theoph. Lob. Adv. Pinus à quibusdam *Cembro* vocata. Ic. Plant. Pinaster, Germ. Wild Fiechtenbaum. Gall. *Pin sauvage: Pinus sylv. montana* Theophrasti: Alpigena in Pini arboris præcelsæ æmulationem, caudice recto & lævi accrescens: foliis Pini oblongis gemino ordine sitis: cono, strobilo & nucleo Pini minore, putamine minimè duro, sed cortice molliore.

Audivit Cæsalp. in Tridentinis montibus differentiam quandam esse in genere sylvest. Pini, aspectu Piceæ, foliis Pini, nucleis fragilibus, ut *Cembrum.* facilè dentibus comminui possint, *Cembrum* vocatam. Fuerit autem huius fructus quem Tarentinum Plinius dixit, digitis fragili putamine, aviúmque expositum furto in arbore.

Non est teda. Dalech. apud Plin. notat malè legi, Sextum genus [cognatarum arborum, cognitatum vet.] tedam esse propriè dictam. Etenim tedæ nomen πολύσημον esse, ac nunc Pini resinosum & pingue lignum [τὴν δᾳδα] significare, quòd lucernæ candelæve loco uratur: nunc arborem sui generis, Theophrasto ignotam, quam *Cembro* vocent Tridentini, Allobroges *Auvia.*

Tabern. Pinus sylv. Cembro.

Locus. Pini Cembro folia & Conum habeo ab Illust. Principe, allatum Oenoponto, cuius nuclei plantati in horto Excell. Comitis provenêre visu grato, verùm citò periêre. Pinastrum maiorem (sic enim is vocat) crescere scribit Clus. in montibus Pyrenæis, & plerisque aliis Hispaniæ locis.

PINVS SYLVESTRIS, SIVE PINASTER.

CAP. V.

PINASTRVM in bina Theophrastus partitur genera. Alia enim Idæa est, alia Maritima, & tertia Sterilis, de quibus plura cap. de Peuce vet. *Pinastri genera ex Theoph.*

Meminerunt Pinastri plurimi, sed titulo tenus duntaxat, non demonstrantes quam arborem intelligant. Alii quidem Pinum sylvestrem rectè statuunt: sed hanc non distinguunt. Hist. Lugd. de Pinastro meliora docet. *Pinus sylv.* Sylvestrem enim Pinum sive Pinastrum (Pinaster enim ut scribit Plin. nihil aliud est quàm Pinus sylv.) in fructiferam partitur & sterilem, Fructiferam in Idæam sive montanam & maritimam. *Pinus sylv. fructifera & sterilis. Fructifera duplex.* Montanámque sativæ similem dicit, ac nuces edere similes, solidas, ex simili squammarum congerie compactas, resinosas, odoratas. Huiusmodi verò montanas Pinus in multis Hispaniæ & Lusitaniæ montibus crescere, adeò fructuosas, ut inde maxima nucum pinearum copia per totam Galliam distrahatur. *Sterilem* autem vocat, non quòd nullum edat fructum (conos enim fert) sed quia nuclei edules non sint, nec cibis utiles. *Sterilis cur dicatur.* Sterilibus [addit præterea] Pinastris Arvennorum, Vellaunorum & Allobrogum montes abundant, ex quibus resinam colligunt, & picem optimam conficiunt, vocántq; *Pins sauvages & Pinnateaux.*

Plinii error. Pinastrum scribit Plinius mira esse altitudine quod minimè verum esse videtur. Nam in hoc arborum genere Abies, Piceáque nostrates altitudine mediocri, tametsi Bellonius prodiderit & Dictæos Pinastros in vastitatem diffusos, ad insignem altitudinem assurgere, & eos qui in Olympi Phrygii montis aut aliorum gelidissimorum montium summis, culminibúsque proveniunt, Abietis esse rectitudine. Sed is Pinum Cembro pro Pinastro describit, depingítque absurdè. *Pinus Cembro est Pinaster Bellonio malè.* Iustior est Matthioli reprehensio, quam fugere non potest Bellonius, dum Pinastri vocem ex versione Latina frequenter se legisse scribit apud Theophrastum, eum tamen Theophr. fuisse incognitum, quod in Græciæ Asiæque montibus non nascatur. *Bellon. repreh.* Itaque nullum esse ex Græcis authoribus, qui Pinûs sylvestris, Pinastrive meminerit. Quid? nónne Theoph. πεύκην aliam cultam, incultam aliam prodidit? Nos equidem nihil aliud esse πεύκην, quàm Pinum probavimus, & πεύκην ἀγρίαν Theophr. Pinum sylv. sive Pinastrum esse statuimus.

Pinastrum appellat Clus. Pinum sylvestrem sequutus Plinium, qui quæ Theophr. τὰς πεύκας ἀγρίας dixit, ad Pinum sylv. transtulit. Eius autem in suis peregrinat. varia observavit genera: terna in Hispanicis, quaterna in Austriacis Pannonicisque montibus, & sylvis. *Pinastri varia genera.*

Æquivoca. Pinastri ergo nomen seu Pini sylvestris pluribus attribuitur plantis. Pinastrum Plinii & πεύκην ἀγρίαν, quidam eam Pinum existimant, *quæ culta non est*, alioqui similis sativæ, formâ non differens ab ea, ut cæteræ, quæ proponuntur. Pinastri vocabulum assumpsit quoque *Pinus Cembro* dicta. Pinaster dicitur de *Pinu sylv. vulgari Genevensi.* Item de *Pinu sylv. Hispanica maiore Clusii*, De *Pinastro maiore Austriaco albo & nigro*, De *Pinastro Austriaco tenuifolio*, De *Pinu sylv.* sive ut vult Bellonius de *Picea sylvestri Ida Troadis*, cuius coni facilè decidunt, De *Pinu sylvestri Mugho*, *Pinus Cembro. Pin. syl. Hispanica maior Austr. alba & nigra. Austr. tenuifolia. Pin. silv. Ida Troadis.*

sive

Pinus maritima triplex. sive Crein. *Pini silv. maritima conis firmiter adhærentibus* dicitur etiam Pinaster, ut & illa *Pinus maritima Theophrast.* Lobelio, cum *Pinu altera maritima Matthioli.* *Pinaster 3. Hisp.* Habet & tertium Pinastrum Hispanicum Clusius. His ita absolutis dicetur etiam de *Pinu Indica Theveti*, ex quâ *Bre* conficiunt, De Pineæ nucis specie *Melenken*, De Pinei coni facie *fructu exotico*, De Pini forma *Cibage*, & similibus.

PINVS SILV. VVLGARIS GENEVENSIS ET Tæda.

Pini silv. differentiæ plures. PINI silv. historia mihi admodùm obscura videtur: eius enim observantur variæ differentiæ parùm differentes, quarum unam voco Genevensem, quæ nobis variare videtur à sequentibus, posteri tamen rem diligentiùs examinabunt.

Descriptio. Nostra igitur Genevensis parùm variare videtur à Pino silvestri Tæda, quam subiungemus. *Icon.* Pulchrè convenit cum icone à Matthiolo in penult. comm. exhibita pro Pino silv. ex qua nostra icon desùpta est. *Coni.* Coni n. ut Matth. de sua priùs dixerat, parvi & breves & non turbinati, ut in Tæda, aut Mugho sive Crein, sed rotundiores, in cæteris similes Mugho, fragili & brevi pediculo adhærentes ramis. Pinus, quam silvestrem voco ac Tedam cognomino, *Taier.* *Taier* in Burgundia dicitur, ubi provenit circa montem *du Pre* loco *Malfatyre* nuncupato, uno milliari à *Mebe* Castello, *Pinus Crein dicta Burgundis.* iisdem in locis, in quibus aliud genus Pini silv. quam *Crein* vocant, & quæ *Mugho*, de qua postea. Arbor tamen *Taier*, ut aiunt, maior & crassior & vulgatior: folia eadem bina, sed latiora, albidiora, uti & tota arbor albidior: rami non ita abûdant foliis, sed disposita sunt per fasciculos, ut pinguntur rami Pinûs maritimæ Matthioli: atque etiam in tres partes solent rami dividi. Abundabat mense Septembri conis dependentibus ex pediculo satis tenui & fragili, deorsum nutantibus, similibus conis silv. *Mugho* sive *Crein*, longis, turbinatis, non ita nigris, sed viridibus. Squamæ differunt, habent enim in earum medio elevationem. *Pix. Usus ad tedam.* Ex hac arbore fit pix, & hac potissimum utuntur, tædę instar, loco candelarum, pinguior autem & fragilis admodum est. *Pinus silv. Basileensis.* Audio in Saxonia & Misnia vocari **Küfichte**. Huic Pino silv. Tedæ, similis est quæ provenit circa Basileã, & in agris, conorum squamæ nonnihil differunt, *Tempus.* alioqui abundat multa resina sicca: Mense Maio & Iulio scatet nucamentis plurimis, parvis, sive iuliis, supra quos in summitatum extremitate oriuntur minimi coni purpurei, qui florum locum tenent: nihilominus semper habet conos in sua magnitudine: summitates sunt acidæ, nec ingratæ essent, nisi sapor resinosus adiunctus esset: cùm *Piceaster Locus.* Tiguri essē Gesn. præceptor meus *Piceastrum* vocabat. Burmii Rhetorum Chirurgus quidam dicebat Piceastrum vocari Menpf: provenit hæc Pinus silv. in quibusdam silvis propè *Florimontium*, item circa *Beffordiam* versus *Raupach*, ut non longè à *Porentruo* ex qua tubulos parant. Sæpiùs frustra plantavi in horto Ill. E. C. tandem una planta crevit in Theriotrophio ex semine ex Harcinia transmisso. Hæc eadem ni fallor est, quæ provenit copiosè in silvis prope *Nidenfels* Castellum, ex quibus vetustate corruptis, arcis Dominus insignis vir Beuterichus curabat picem excoqui, uti aliquando ipsemet vidi, eò comitatus Ill. nostrum Principem D. Ducem Frid. VVirt. Hanc autem, aut valdè similem videtur describere Clus. pro Pinastro Austriaco maiore.

Pitys Cordo. Cordo in Diosc. πίτυς Pinus spontè proveniens, Pinaster vocata, seu, quod idem est, Pinus silv. copiosa in Alpibus, patriâ linguâ **Cyrbelbaum** appellata. Hæc autem nisi ea sit, quam in præsenti vulgarem Pinum silvestrem voco, ignoro quam Pinum silv. Cordus intelligat: atque si alicubi in Germania vera Pinus, pineas nuculas duras ferens spontè proveniret, de illa πίτυν Cordi intelligerem. Quam porrò Pinum silvestrem vulgarem voco, ad Pinum silv. tediferam refero, de quâ Cordus eodem c. scribit in hunc modum. *Tæda arbor.* Δᾲς est propriè Tæda arbor, quam **Ein Kinbaum**, aut **Kifferbaum**, & **Feuren** vocant. Ex quâ sumpta pinguissima materia, Tæda Græcis, **Kin** Germanis, similiter ut arbor ipsa nominatur, unde etiam faces Δᾳ̃δες à Græcis dicuntur.

Cæterùm, quoniam in Tædæ mentionem incidimus, stat sententia de eâ fusiùs pertractare. Transeunt in Tędam quandoque Picea & Larix, sed raro admodum: Pini enim silvestris proprius ac peculiaris morbus est. *Teda morbus est, non arbor.* In Tedam autem arbor conversa dicitur, cùm non modò cor eius, ut sub Peuce veterum dictum est, sed & reliqua eius substantia in pinguedinem mutata est. *Plinii error.* Hinc Plinius non absque errore Tedam sui generis arborem esse existimavit, ac sextum Coniferarum genus statuit. *Hermol. error.* Eundemque errorem Hermol. cõmittit, Plinium dubio procul secutus, dicens: Teda propriè dicta, & à Græcis δᾲς & δᾳδίον vocata, sui generis arbor est redundantior humore quàm reliquæ, parcior liquidiórque quàm Picea, flãmis & lumini sacrorum quoque grata. Impropriè verò Tedæ appellantur, tũ alia quoque ligna quæ flamma olei vel picis illitu concepta, faculæ modo lucent: Nunc (pergit Plin.) celeberrimis arborum dictis quædam in universum de cunctis indicanda sunt. Montes amant Cedrus, Larix, Teda, & cæteræ è quibus Resina gignitur. Verùm si quis Plinii defensor diceret, per Tedam ipsum hoc in loco non aliud intelligere, quàm Pinum, itaque eum tueri vellet: hanc tutelam illud (ut cum Matth. puto) vanam esse ostendit, quòd, cùm eo capite Plinius resiniferas arbores omnes per genera describat, & primum omnium genus Pinum faciat, nullo pacto Pinum pro Teda accepisse videtur, cùm sexto resinarum generi Tedam postea adscripserit. Adhæc ipse Plinius Laricis morbum esse ait, ut Teda fiat.

Teda varie significat. Est autem Teda variæ significationis: Per Tedam enim videtur Munsterus intellexisse Pinum Cembro: aliis Pinum sylvestrem significat: aliis vini vitium denotat: Tedamque in Alpibus vocari Piceam scribit Cæsalpinus. Ac præsertim Coniferarum arborum materia ob vitium pinguis fa-

cta (si modò fiat) Tedæ nomine vocari posset. Verùm ex eo quòd Dioscorides τῆς πίτυος ἢ πεύκης Tædam particulatim sectam, si in aceto coquatur, & decocto dens colluatur dolores levare scribit: Atque cap. de Ol. Candido ubi tædam fusiùs describit: tedæ præpinguis pinus assulatim concisæ cum aliis pondus aliquod præscribit. Ex eoque quod Plinius Laricis morbum esse scribit si teda fiat &c. Nec non etiã Theophrasti autoritate fretus, concludit Bellonius planè perspicuum esse, Tedam non esse arborem sui generis, ac nullam esse arborem quæ peculiari nomine Tæda vocetur.

Teda Diosc. & Plin.

Nulla arbor est, quæ Teda vocetur.

Pinaster. Pinaster, ut vult Tragus, in Germania vulgaris est notitiæ, & facilè provenit, quocunque loco plantetur. VVasgoviæ admodum familiaris est, præsertim oppido Cæsareo Luthræ: folia gerit multò quàm Pinus crassiora, duriora, & nocentioribus aculeis armata: conos quoque acquirit breviores & duriores, exiguis prægnantes nuculis: multam hæc arbor resinam destillat vulnerata, Germani Ein wilden Kinbaum / Kyfferbaum, & in superiori Germ. Forenbaum / aut Holtz nominant. Hæc ille. Si verò eandem quam nos, intelligit arborem, non in omnibus placet descriptio, potissimùm quòd ait folia crassiora, quàm Pini. Seminibus etiam in vulgari nostra sylv. Pinu, nucularum nomen haud convenit: Sed Pino Cembro potiùs congruit. Considerandum præterea Tragum scribere cap. sequenti quasi de arbore à modò dictâ diversâ, quæ sequuntur. Pinguis illa arbor, quæ hybernas in quibusdam locis faces præbet, ad Abietem quoque tanquam species eius refertur. Quartum hoc Abietis genus Germani Tälen nominant. Teda quibusdam appellatur, à quibus in præsentia non discedo. Difficile autem assertu quid Tragus velit, quia non demonstrat quâ in re differat sua Teda à suo Pinastro, quem describit præcedenti capite. Is ut tegeret suam ignorantiam se otiosis diligentiorem & exactiorem nominum inquisitionem relinquere ait: quos monet ut in hanc rem Vallesiæ Alpes, maximéque eas, in quibus S. Bernhardus habitet, perlustrent. At non fuisset sanè otiosi hominis, sed boni Botanici arborem describere. De qua si, vel liquidam sententiam suam protulisset, vel planè tacuisset: nullam nobis occasionem vellicandi ipsius ignorantiam præbuisset.

Tragus notatur.

Abietis genus.

Gollius ignarus. Theoph. Gollius in Onom. Pinastrum Wilden Fiechtbaum/ à Teda Kienbaum/ vt à diversa arbore separat, demonstrãs se nescivisse quid scriberet.

Piella. An Petro de Cresc. Abies & Piella?

Picea. *Picea montium.* Bellon. conif. πεύκη, Picea, vulgi Græcorum ἐλάτη, & circa Lugdunum Pinus aggrestis, Pin sauvage, sed falsò: figura etiam quam habet non placet. Eidem de negl. cult. Picea montium, ut Tataræ, omnium qui Lutetiâ Lugdunum proficiscuntur, oculis subiecta. An verò eidem Obs. & conif. Picea Dictæi montis, ex qua Teda in Creta, & de qua sub titulo, Pini sylvestres.

An Picea Dictæi montis?

Pin. sylv. Matth. in Diosc. Pinus sylv. numerosa virens in Ananiis, reliquisque Tridentinis montibus, fructu parvo, brevi, quampiimùm arescente, affatim dehiscente, & ex arbore decidente. Is figuram habet, eámque in prioribus comm. & Hist. Germ. Pinum sylvestrem inscribit, atque ex ea in Bohemia & Germania picem fieri ait. In post. verò comm. Pinum montanam vocat.

Error. Cast. Dur. Casta Durant. non describit suam Pinum sylvestrem, eiúsque figuram secundò proponit sub hac inscriptione Pignoli pergoti, pietrose aliquo.

Pinus, ut apud Stumff. Hist. Helv. legitur, multis dicitur de Forchenbaum/ aut Fiechten, licèt sit particulare genus: quod a Plinio Pinaster vocatur.

Lonicerus. Lonic. sub titulo Festenbaum malam Pinastri figuram ex Trago depinxit. Vocat autem cap. sequenti Feuren/ oder Tälen / auch Etlicher Kinbaum & Kyffern, Lat. Tædam, Græcè δᾷδα.

Anguill. Picea, πιτυΐνη, Plinio dicta. Phicophorum & Picea sativa, & Teda. Habet is figuram Matthioli postremam, quæ convenit nostræ Pino sylv. Taier sive Teda dictæ: conveniunt & ea quæ dicit.

An Lob. & Penæ Adv. Pinus altera nuce minore, ferè Laricina?

An Dodon. Germ. πεύκη ἀγρία, Pini sylv. seu Pinastri prima species, & Pinus Tarentina Plinii. Gall. Aleve & Eleve Bellonii? Fallitur Dod. existimans esse Pinum Tarentinam, Aleve & Eleve Bellonii, est enim Eleve Cembro Matthioli; descriptio etiam confusa videtur: ac præterea confundit etiam Theophras. ἀγρίαν, arborem peculiarem, cum πεύκῃ.

Dodon. notatur.

Ryffius confusus. Ryff. in Diosc. cùm dicit, Piceam aliis dici Ein Fiecht Danne intelligit Pinum sylvestrem. Confundit autem, ut & Lacuna, Piceam Bellonij cum Picea Matthioli.

An Cæsalp. Pinaster in cæteris [cum Pinu] similis, sed graciliori caudice: nuce pyramidali: nucleísque ob parcitatem inutilibus, præterquam ad columbarum cibum?

Apollo redarguitur. Apollo contra Matthioli sententiam existimat Bellonii Piceam non alludere ad Pinastri aliquod genus à Matthiolo depictum. Ego verò potiùs huic quàm illi assentior, quanquam sit cuius Matthiolum redarguam, quòd videlicet Theophrastum πεύκη, ἀγρίαν scribentem malè intelligat: nam has duas voces coniungit non coniungendas, ac Pinum sylvestrem interpretatur, quum ἀγρία sit Aquifolium, non autem adiectivum, ut ipse putat, πεύκη.

Matth. redarguitur. Theoph. locus restituitur.

Piceaster. Piceastrum, inquit Gesnerus de hortis, in altissimis montium nostrorum sylvis nasci aiunt, materiâ longè puriore & politiore quod nondum satis consideravi. Piceastrum esse puto, cui maxima (ni fallor) rigidissimáque in coniferarum genere folia sunt. In Catalogo verò dicit Tedam vel Tædam Pinei generis arborem esse, cuius assulis pro candelis uti possimus, πευκίον Græcis: Germanis verò Krenholtz dictam. An autem Piceaster eius altissimorum montium huc referri debeat, dubito.

Pin. sylv. Teda. Pinaster. Camer. ad hist. Matth. Germ. & Epit. Pinus sylvestris. Tabern. Teda. Thal. Pinaster. Horto. Lusit. Pinaster 1. sylvestris: Pinaster pumilio ex montibus Bohemicis.

Nomina diversarum linguarum. Pinus sylv. vulgaris, Teda cognominata multis, πεύκη ἀγρία Græcè, & δᾷς Cordo, Belg. Wilde Pineboom, Gall. Pin sauvage, Ital. Pino salvatico. Hisp. Pino sylvestre, Vng. Vad fenyo / Koz fenyo.

Locus. Hæc arbor abundat locis vicinis in Burgundia circa Porentruum, in Sundgovia variis locis, ut circa Beffordiam ac Basileam in itinere Montbelgardum versus, unde aliquot vicibus translatarum, ac in horto Montbelgardensi plantatarum, vnica superstes mansit arbuscula à pluribus annis lentè crescés. Verùm ex seminibus ex Hercinia sylva per E.C. missis egregiæ arbores adoleverunt in eius Theriotrophio.

Vsus. Tubuli. Ad tubulos pro fontibus expetitur. Cùm essem in Palatinatu cum E.C. observavi celebrem virum D. Beutetichium in sylvis iuxta arcem suam Vlidenfels curasse picem excoqui ex Pinis sylvest. vulg.

Vires. vulg. vetustate corruptis. Folia, cortex, resina, nuces, eadem, autore Matthiolo, præstare possunt, quæ in domestica diximus, ac etiam valentiùs, sed nuces edendo non sunt. *Succus. Pulvo. Mamma. Aqua.* Nucum recentium succus, vulvam angustiorem reddit infusus, & mammas, nimis in virginibus extuberantes cohibet. Idem præstat stillatitia earum aqua; sed non adeò valenter. Cortex, inquit Schvv. calidior est domesticâ, ut & resina siccior. Coni recentes decocti in insessu, vesicæ & uteri ulcera sanant. *Faces. Fuligo. Dentium dolor.* Ex teda faces fiunt & fuligo ad atramenti librarij cõfectionem. Teda in aceto decocta collutu dentium dolores sopit. Emplastris addita, anthracibus pestilentialibus percommoda. Lignum verò Pinastri pulchritudine præstat Fabris lignariis, & pulchriùs politur, & elegantius apparet præsertim vernice obductum.

PINASTER, SIVE PINVS SILVESTRIS HISPAN. maior.

Descriptio. Folia. IN Pini altitudinem excrescit, interdum etiam superat, à medio ramosus, folia habens Pini oblonga, bina semper simul iuncta, in viriditate nigricantia, acuminata & pungentia: strobilo paulò minore, quàm Pini, alato inter squammas quibus compactus est, *Nucleus. Caudex. Cortex.* nucleo molli & nullo putamine incluso, sed tenui cortice duntaxat tecto. Caudex rectus. Cortex lævior & minùs scaber quàm Pini. Plurimam resinam fundit. *Locus.* Crescit id genus in Aquitania, in Pyrenæis frequentissimè, & plerisque aliis Hispaniæ locis. *Pinus silv. montana Theoph.* Pinus silv. montana Theophrasti nonnullis esse putatur, inquit Clusius.

PINASTER AVSTRIACVS MAIOR ALBVS EX niger.

Duorum generum. PInaster primus Austriacus maior Clusii duorum est generum, adeò inter se similium, ut pauci nisi materiæ cæsores, discernere queant. *Descr. Pinastri albi.* Alterum tamen genus lætiore & erectiore est caudice, læviore cortice, maiore cono, Austriacis Weisse Fereur dictum: *Nigri.* Alterum verò crassiore plerũque est caudice: scabriore cortice, fossis paulò crassioribus ac minore cono, schwartze Fereut appellatũ. *Folia.* Tenuia porrò & oblonga habet utrumque genus folia, pungentia, bina semper coniunctim, ex eodem tubulo prodeuntia, & circa ramos in orbem quasi nascentia. *Pyx. Iuli.* Maio mense in extremis ramis quasi botros, sive uvas quasdam, fert tenuibus squamis obsitos, qui sponte aperientibus se squamis iulos ostendunt virescentes aut pallescentes, plenos tenui polline luteo, sive farinâ, quæ levis auræ afflatu dispergitur. Ex mediis deinde botris nova germina eodem mense prodeunt suis novellis foliis tenui quadam veluti membrana inclusis onusta, quæ extrema parte antequam folia excrescant & explicentur, fructûs rudimenta dant, *Fructus.* grandiora iam hemisphæríque ad germinum basim inhærente superioris Autumni immaturo fructu, viridi, ramorum alas spectante & reflexo. Nigri genus interdum invenitur trisilore arbore, contorto caudice, & in latum sparsis ramis, minore adhuc quàm precedens cono. Vtrumque verò hoc genus Vngari Dad fenyo & Bors fenyo nominant.

An Pin. silv. vulg. Genevensis. Perpendendum autem an Pinastri Austriaci multùm differant, à nostra Pinu silvestri, & Tedâ ante descripta, vel an eædem.

Vsus. Asseres. Cæterùm ex utroque hoc genere passim in montanis Austriacis & Pannonicis conficiuntur asseres, rotæ ab aqua versatæ operâ secti: ex albo etiam, quod parum ab Hispanico maiore, & solis fortè natalibus differre videtur, *Scandala. Pali.* scandulæ & vinearum pali.

PINASTER AVSTRIACVS TENVIFOLIVS.

Locus. CRescit ad nonnullorum Austriæ montium radices in scopulis, & supra Badenses thermas quatuor supra Viennam milliaribus, *Descr.* In montium crepidine tenui gramine obsitâ, aliud quoddam genus, contorto admodum caudice, divaricatis ramis, *Caudex, Rami.* quorum surculi multò graciliores, lentioréque sunt quàm in superioribus duobus generibus: *Folia.* folia item habet illis longè tenuiora, & breviora, tametsi bina semper coniunctim ex eodem tubulo in virgarum ambitu nascentia: *Iuli.* extremis virgis botrus, sive uva exiguorum iulorum veluti nucamento tenuiorum squammarum inclusa adnascitur, qui non virescunt, aut flavent, ut in antè dictis, sed purpurascunt, deinde in tenuissimum pulverem abeunt, succrescente ex eorum medio novo germine, suis novellis foliis membranâ vel vesiculâ inclusis, onusto: huius conus etiam minor est, & obtuso plerumque mucrone.

An Pinus silv. Genevensis. Investigandum annon Pinaster Austriacus tenuifolius, sive tertius Clusii, accedat ad Pinum silvestrem à nobis Genevæ observatum.

PINVS SILVESTRIS, SIVE VT BELLONIVS, PICEA SILVESTRIS IDÆ Troadis, cuius coni facilè decidunt.

Picea, seu Pinus Idæ Troadis. PIceam, quæ in Ida Troadis nascitur, plurimùm ab aliis discrepare, comperit Bellon.

Tempus. arb. conif. Siquidem in Ida Martio mense breves julos, vt Corylus promit: quo tempore coni à Piceis montis Olympi decidunt, quod aliarum regionum Piceis non accidit. *Pediculus.* Pediculus, quo coni ramo adhærent, gracillimus est, quare cùm maturuerint leui ventorum flatu deturbantur, decutiuntúrque ab arbore, cæterorum fructuum modo, cùm tamen in aliis ferè omnibus anniculi cum nuper nascentibus in arbore permanere comperiantur. Quod in Ida Cretæ, Lyssa Illyriæ & in Schiro Cycladum insula animaduertit & diligenter obseruauit.

PINI SILVESTRES, VEL VT BELLON. VOCAT, PICEÆ SILVESTRES, VT Piceá planiciei, Corcyrensis, Dictæi montis, Gallo-Græciæ, & Olympi.

Tis. an. *Locus.* MVLTA sanè notatu digna scribit Bellon. lib. conif. verba autem eius sic habent. Πεύκη [Pinus, Picea Bellon. malè] in planiciem descendit in triviali illo itinere, quo Lugduno Lutetiam itur, duobus ab vrbe diebus itineris, in transitu colliculi, quem vulgus *Tarare* nuncupat, in quo Piceas [Pinus] vbique enatas & circum montem silvescere videbis, quas solà satione evariare comperi. *Picea Gallicæ.* Vbi igitur in arborem excrevit, siquidem in plano extra silvas sita sit, *Picea planiciei.* *Caudex.* caudicem contortum habet, rubro cortice vestitum, rimis hiulcum, atque vbi consenuit fungosum. *Rami.* Mox vbi in ramos diffunditur, eos sinuosos, liventes, & perpetua fronde virentes producit. Sed ea nunquam procera euadit, mediocris arboris altitudine contenta. Comam in latum expatiantem explicat, *Materies.* materiem mollem, leviter rubentem habet, cariei obnoxiam. Ramos fragiles profert, qui cum crepitu rumpuntur. Enascens mox ab radice brachiatur, *Resina.* cuius si caudex paulò profundiùs vulneretur, largam fundit resinam, per initia liquidam, transparentem vt Laricis. Postremò albescit & dura redditur, quæ si gustetur subamara cum iucunda quadam saporis gratia & aromatica sentitur. *Non flores, sed jul.* Nullos flores ferre creditur, sed autor julos, quos Hieme profert, florum loco esse censet. *Coni.* Coni rudimentum paulatim capessens incrementum compactilis congeriei nucamentorum turbinatur, tùncque pediculum, quo arbori insistit, rectum habet. Is autè postea augescens reflectitur. *An Pinus silv. maritima conis firmiter hærentibus?* An verò hæc Picea planiciei, sit Pinus silv. maritima conis firmiter hærentibus, judicent alii.

Picea Corcyrensis. Piceæ [Pinus] in Corcyra nigræ vastiores Ficubus non attolluntur. Radicem, vt omnes Piceæ, [Pinus] tanquam palum, humi rectà defixam, lignosam, foris nigram, gustu acerbam habent. *An Pinus Mugho?* An verò hæc Pinus Mugho sit, certò asserere non audemus.

Picea Dictæi montis. Piceæ, quæ in verticibus montis, vulgò Spachiæ dicti, consurgunt, in vastitatem diffunduntur, atque altitudinem consequuntur: nam cùm iam Picea adulta est, tunc Pini instar, in vertice binos, hinc inde ramos diffundens comam facit latissimam: folia atque ut in reliquis perpetuò gemina habet, veluti ab uno tubulo ad ima annexa gracilia, & oblonga, acuta. *Rami.* Ramos mox ab uno caule emittit. *Truncus.* Ea anniculà trunco glabro est prædita, senescens verò caudicem consequitur scabrum, teneriores tamen ramuli glabri sunt. *Coni.* Hæc nota à Picea, quæ in plano dissilit, differt, quòd conos impares quidem atque turbinatos habet, sed non ut in ramulis, quæ in plano nascuntur retrogressi hærent: nec ita pediculo crasso firmantur, sed caudici infirmo pediculo annectuntur, quorum rudimenta circa Martium mensem sese produnt, neque tamen illi primo statim anno maturescunt. *Teda. Pix Cedria.* Ex huiusmodi Picea [πεύκη Pinu] magna tedæ pars eius, quæ in Creta nascitur, excipitur, ex qua Cretenses Tedam piceam & cedriam conficere solent. *Pinus sylv. vulg. Genevensis.* An, ut nobis videtur, Picea, hæc Bellonii, est Pinus sylvestris vulgaris Genevensis, cognominata Teda?

Picea Gallo-Græciæ. Picea, quæ in Gallo-Græcia circa Abonimensia urbem & Conticum, quæ Turcico nomine *Cute* dicitur, & ea quæ in montis Olympi Phrygiæ iugo nascitur, ad cuius radices Bursa vrbs, de qua sæpè meminit Galenus, celebris nobili emporio, & balneis, & infinitis Græcorum & Romanorum monumentis, sita est, plurimum à se invicem dissident. Ea porrò, quæ ad summum montis Olympi cacumen, aut aliorum gelidissimorum montium proveniunt, Abietis rectitudine constant, *Cortex.* cortice (si ad alias comparantur) glabro & subalbido, *Rami.* ramos ferte quadam in caudicis ambitu, Abietis in modum, cruciformes mittunt, haud secus ac Rubiæ folia, quæ quemadmodum circa caulem stellatim decussantur, sic huius rami ex eodem geniculo stellatim prodeunt, non autem confuso ordine, ut in aliis Piceis & multis arboribus, tum Platano, tum Fago, tum cæteris aliis accidit. Paucioribus constat hæc folus gemmis, aliis quidem Piceis similibus, sed minoribus: *Coni exiles.* conos verò adeò exiles habet, ut etiá maiores Iuglandis nucis magnitudinem non excedant, qui etiam facillimè ab arbore decidunt. *Cortices sus.* Propontidis piscatores ut & Euxini Subere carentes, Picearum corticibus utuntur, quos Vallachi ad eos transmittunt, quibus non secus atque Subere sustinendis sagenis in piscationibus vtuntur, quemadmodum & circa Athon montem cucurbitis. Ex montibus Olympi descendens Bellonius, *Picea cono minimo.* peculiare quoddam Piceæ genus obseruauit, cono articularis digiti extremitatem crassitudine vix superante. Piceas autem Gallo-Græciæ & Olympi si quis *Pinaster 3. Hispanicus.* Pinastrũ tertium Hispanicum pumilem asserere velit, per nos equidem licebit. Eas incolæ nobis iudicibus, Pinus agrestes *Pins sauuages* rectè vocare consueverunt, *Bellon. nota.* quamvis non concedit Bellon. πεύκη Piceam malè transferens.

PINVS SILV. MVGHO SIVE le CREIN.

Le Crein. *Locus.* ARBOR quã *le Crein* vocant in Burgundia, crescit in montibus, quos *Franche montagne* uocant, in monte particulariter dicto *du Preloco* qui nominatur *Malsaigne* vno milliari ab æde dicta *Mouthe*: *Pinus silv.* est è genere Pini silv. *Descriptio.* Matthioli, loca inferiora montis occupans, parua & pumila arbor, respectu aliarum resiniferarum arborum & P.

Rami. Folia. & Pini silv. Taier dicti, ramis bipartitis: folia prodeunt ex tubulo bina, tres digitos longa, vnâ parte rotunda & carinata, alterâ plana, similia pino silv. Tedæ, sed colore magis viridi, pũgentia. *Coni.* Coni deorsum nutantes, paulò longiores quàm Tedæ aut pini silv. Genevensis, vt & nigriores. *Squamæ.* Squamæ crassæ & extuberãtes vt in Teda: sed manifestè differentes, quia eminentiæ pulchrè sursum vergunt, cum dorso euidenti, immediatéque hærent ramis, à quibus facilè diuelli possunt: vbi folia decidunt, sunt tubercula crebra, quæ exprimerentur à Matthiolo, ni squamas nimium referrent. *Cortex.* Arboris cortex nigrior, odoratior etiam videtur arbor. Ramuli rectiores pluribus foliis ornati, eâ formâ, quâ depinguntur à Matth. Resina alba, sicca. *Teda.* Hac arbore (vt aiunt) pro teda ad faces vtuntur, quamuis rariùs, quia minùs pinguis.

Pinaster pumilio Austriacus. Rami. Considerandum an hæc Pinus silv. sit depicta & descripta à Clusio pro Pinastro pumilione, qui humanam non superat altitudinem, sed statim à radice in lentos & obsequentes, tametsi crassos, rugosóque & denso cortice tectos ramos diuiditur, utque in latitudinem diffunditur: hos per *Folia.* singulas squamas bina semper ex eodem tubulo simul prodeuntia, & iuncta folia ambiunt, quemadmodum in Pinu & vulgari Pinastro, magis tamen carnosa sunt, crassiora breviora, & obtusiore mucrone prædita, coloréque saturatiùs virente: *Strobili.* Strobili unciales squammatim compacti, Lariceis conis haud maiores, sed magis turbinati, rectique, pediculo retrorsum non inflexo, ut in prædictis generibus, *Nucleus.* nucleus alatus ut reliquorum, & inter compactiles squammas latens: *Radix.* radix crassa, lignosa, in diversa tendens.

Synonyma. Pinus Mughi. Matthiol. in Dioscoridem dicitur Pini sylv. species in Tridentino agro, Ananiisque, & vallis Flemmarum montibus visa, vulgò *Mughi* ab incolis vocata, quæ sine stipite medio, ramis, circumquaque à radice fusis, humi spatio cubitorum decem, quindecímque repentibus: quales etiam apud Ananios in Rovena monte & in aliis plerisque harum vallium lo- *Fructus.* cis apertè conspici possunt, Proferunt hæ, inquit, fructus paulò maiores cæteris sylvestribus, sed qui magis resinam fundant. *Ramorum vsus.* Harúmque ramis utuntur incolæ ad vasa vinaria cingenda: sunt enim tenaces admodum & flexiles. Eadem etiam tradit in post. com. It. ubi *Anguill. repreh.* præterea reprehendit Anguillaram, quòd hanc speciem Piceæ faciat. In Histor. verò Germ. sub *Pinus Mughus.* hoc titulo *Pinus Mughus*; figuram sicut in post. com. meliorem exhibet, quàm olim, quamque etiam præfero figuræ Lobel. & Plantini. Nota- *Mughi sīt tubuli.* vit autem aliquando Dalech. *Mughi* esse, quos Plinius appellarit tubulos, quòd aut ex illis fiant tubuli, aut quòd tubulorum modo, rami sint illorum teretes, aut quòd veluti defossi tubuli in terra prostrati iaceant, nec unquam attollantur.

Mugho Cæsalp. Tradit Cæsalp. (ex Matthiol.) in Tridentinis montibus differentiam quandam in sylvestri genere Pini esse, ramis humi procumbentibus, utilibus ad cingenda vasa vinaria.

Picea Anguill. Pinus humilis. Anguillaræ *Picea altera sylvestris in Alpibus*, dicta Mugho. Dodon. Gall. *Secunda sylv. Pini species, Mugho*, χαμαιπίτυη. *humilis aut terrestris Pinus* Lobel. & Tab. *Pinus sylv. Mugho.*

Pinus Mugho. Pinaster Alp. repens. Πίτυς ἀσίμχ. Schvven. *Pinaster alp. repens*: *Pinus humilis alpina*: *Pinaster pumilio*: πίτυς ἀσίμχ, Alpen Kyfer/ caudice nullo, sed humo tenus ramis à radice fusis.

An Picea Corcyr. Bellon. An Bellon. Obs. Picea nigra Corcyrensis, de qua antè titulo: Pini sylv. vel ut Bellon. vocat Piceæ sylvestres, &c.

An Pinaster pumilio montis Arba Camer. hort. An Camer. hort. *Pinaster pumilio* ex monte Arba Bavariæ, vbi Lackholtz nominatur, non absimilis pannonico Clusij. A descriptione nihil dissidet, nisi fortè conis, quos tamen nondum conspexit. Idem Epit. Matth. Pinus silv. altera Mugho dicta. Et Hist. germ. Pinus Mughus.

Vires, & vsus. Hanc a.iisdem viribus pollere, quibus & cætera Pinorum genera, author est Matth. Locus ex hactenus dictis patet.

PINVS SILV. MARITIMA CONIS FIRMITER RAMIS ADHÆRENTIBVS.



Descriptio. Coni. Coni ex aduerso bini, deorsum nutantes, crasso, lignoso pediculo firmiter hærent (quo nomine ab aliis differt Pini & pinastri speciebus) trium digitorum transuersorum longitudine, in acutū mediocriter mucronem desinentes, quatuor in ambitu vncias ad basim colligẽtes, *Squamæ.* squâmis nō multum extantibus compactiles, ad pini domesticæ conos accedentes, nisi multò essent minores: ligno materies alba, cui resina vehementis odoris, sublutea. Coni à nobis descripti fuerunt ex Valerandi Dourez peculio.

An Pinaster 2. Hisp. Clusii. Noscimus an hæc eadem sit Pinus cum maritima, quam Monspelij comburunt. Icon Pinastri 2. Hispanici Clusij, benè exprimit conos nostros, an v. sint eiusdem plantæ dubij hæremus, nobis enim non sunt folia, vt certi quid pronunciare possimus. *Descr.* Clus. Pinastrum 2. Hispanicum minorem facit primo, ac ait. Duorum hominum altitudinem rarò superat, inflexo & contracto *Caudex. Folia.* caudice, vtplurimùm ab imo ramoso: folia, majori illi[primo] similia, sed breviora & dilutiùs vi- *Coni.* rentia: coni etiam minores, oblongi tamen, turbinati, & candicantes, multâ plerumque resinâ infarcti, non admodum iis dissimiles qui Austria- *Nuclei. Locus.* co, albo cognominato, innascuntur: nuclei, quales in maiore, nigrâ membranâ contecti. Murciano & Valentino regno frequens.

An Picea montis Athos Bellon. An Bellon. Obs. Picea montis Athos: An eidem de conif. Picea in planis: de quibus antè, titulo Pini silvestres, vel vt Bellon. &c. Icon nostra est ex Matthiolinis, quam exhibuit pro pino maritima prima, de qua ait. In maritimis pisorum oris, silvestres proueniunt pini, quæ breves edunt nuces, Cupressi modo, non tamen rotundas, sed acuminatas.

An Pinus marina & Chiapini. An Anguill. Pinus marina, Pescaræ abundans, *Pinus silv. & Chiapini* vocata.

Lob. & penæ Adv. videntur pini silvestris esse

Quandò fructificet & tedifi-cet. protinus novella fructificat, multò autem pòst, facta vetustior tedificat.

Auctu difficilius. Pinus auctu difficilis: quanquam meatuum rectitudinem habeat, verùm aut densitas, aut utrumque impedimento est: facit enim & siccitas, ne satis augescere possit. Adhæc imbecillitas in causa est: nam quæ debilia sunt, difficilè augentur, nutricantúrque. *Pinus picosa.* Prosiliunt Pini picosæ semina, & ad summam omnium coniferarum. Conis enim adhuc pendentibus hæc exiliunt, vasàque ipsa inania relinquunt. Quod idem cupressis evenire nullum dubium est: sed illis *Semen nuceum.* semen nuceum, his membraneum & exile. Pinus *Pinus benigna.* *benigna* omnibus propterea putatur, quòd radice simplici, altaque sit: seritur enim sub eam & Myrtus, & Laurus, & alia pleraque.; nec quicquam prohibet radix, quo minùs hæc liberè augescere valeant.

Corruptio naturalis. Arborum genus forsitan est, cui corruptio secundum naturam spontè, nec ullo pacto afflictato, sed benè vigenti eveniat, ut Pino [πίτυι] cùm radices mutatæ in tedam fuerint. Ex nimietate enim nutritionis, cúmque per tedam transmittere pabulum arbores nequeunt, fit ut moriantur. Quod proximum illi videtur, quod animalibus evenit, quæ extra modum crassantur, atque pinguescunt. Cùm enim auram attrahere nequeant, nec ullo pacto spiritu uti possint, propter obesitatem, condensationémque, & illa *Strangulatur.* strangulantur, & Pinus. Quamobrem non ineptè rustici vocabulum istud de Pino usurpant: dicentes Pinum strangulari obesitate atque pinguedine.

Tedâ detractâ servatur. Pinus [πίτυς] tedâ detractâ servari potest: Eam verò non semper *tedificare* constat, sed cùm viget, ætatéque maior est. Caret enim te-*Novella Pinus caret tedâ.* dâ novella [Pinus] quia humorem non excoquit, neque aggregat: sed totum ad germina, incrementaque altitudinis absumit. Statim autem ac dilatari inceperit, vis illa & habitudo tedæ videtur consequi.

Cur medullâ detractâ Pinus intereat. Medulla tota detracta si fit, moriendum omninò est, ut Arcades aiunt. Nec Pinus & Abies servari ampliùs potest. Causámque haud temerè illam putaveris, quòd medulla pars humidissima & vitalis præcipuè abest: cuius rei etiam argumentum, quòd materies, quæ medullâ viduata est, pervertitur, recurvatúrque, usque dum penitùs resiccetur.

Decacuminata perit. Decacuminatione Abies [ἐλάτη] Pinus [πίτυς] & Larix [πεύκη] pereunt; huius verò causæ scribuntur cap. de Abiete.

Plin. notatur. Scire nunc etiam oportet, Hermol. monente, *Larix.* Plinium Larici tribuere, quod Theoph. de Pinu *Error multorum.* [περὶ τῆς πίτυος] prodidit. Eiusdem autem generis cum Larice [πεύκη Dioscor. quam multi Pinum interpretantur malè] est quæ Pinus [πίτυς Diosc. quam malè Piceam reddunt] dicitur, sed specie differunt, autore Dioscoride. Ruellius apud Cordum πίτυν interdum Pinum, πεύκην verò Piceam transfert: Gaza etiam præterquam quòd πίτυν Pinum rectè, sicut etiam πεύκην Laricem vertit: ipsam quoque πεύκην cum Piceam inter-*Gaza error.* pretatus est, malè. Nec meliùs πίτυν [Pinum] *Marcelli error.* Tedam interpretatur Marcellus, Absurdiúsque *Cordi lapsus.* ipse Cordus πεύκην Pinum, πίτυν verò Piceam interpretandam censet. Olim verò in ipsa Græcia & Macedonia sua nomina permutabant πίτυς, πεύκη, Larix & Pinus.

Πεύκη malè teda interpretatur. Non benè autem Marcellum Diosc. interpretem, πεύκην tedam interpretari vel inde constat, quòd teda [ἡ δᾳδὶς] vitium est, ut testatur Rob. Const. in Lexico, resiniferarum arborum, Pini præcipuè & piceæ. Ἡ πίτυς, ait Arist. animal. δᾳδωθεῖσα ... pinus tedâ detractâ servari potest. Et Hermol. πευκίνην pineum legit, & hinc πευκίνην ῥητίνην pineam resinam vertit. Valeat ergo Ruell. qui πευκίνην ῥητίνην resinam ex picea explicat: abeat Marcell. qui resinam ex Teda legit: exuletque Eurip. qui πευκίνα ξύλα, abiegna ligna vocat. *Ruell. Marc. & Eurip. notantur.*

Quorundã error. Sed & ii damnandi sunt, eorúmque hæresis penitùs extirpanda, qui falsò putant πεύκην pinum esse, πίτυν autem piceam, vel solùm ob nominum vicinitatem, quam pinum & πεύκην, piceam & πίτυν magis habere sibi imaginantur. Cyperum enim hac ratione Cyprum, & Cytisum Cistum, rapam napum, rubum rubiam, adde si vis annum, anum, & coccum coquum, sed non sine maxima tui confusione dixeris.

Cæterùm, locis admodũ depressis, autore Theoph. atq; opacis nullo quidem pacto Pinus [πίτυς] *Locus.* exire potest; Mõtuosa.n. pinũ ferũt. Frigus potiùs adamat, hancq; locis fervidis provenire non posse, nullum dubium est. Pinum etiam nequaquam Syria fert. Ac quamvis in Latino agro, Pini & Abietes tum magnitudine, tum pulchritudine, inter omnes Italicas præstent, tamen ad earum rationem, quas Corsica gignit, pro nullo certè habentur. Romanos enim aliquando condendi causa oppidi in eam insulam navibus quinque & viginti profectos, tam vastis arboribus dicitur locus excepisse, ut omninò insula tota confertissima, & quasi efferata immani arborum turba spectaretur. Quamobrem Romanos à condendo oppido destitisse aiunt. Sed nonnullos ingressos, brevi ex loco tam largam cæcidisse materiam, ut ratem perconderent quinquaginta velis ducendam, quam in pelago periisse addunt. Corsica igitur seu ratione laxationis, seu etiam telluris, cœlique virtute, locis plurimùm cæteris antecellit. Latinus autem ager aquis totus abundat.

PINI ÆQVIVOCA.

Æquivoca. PINI nomen pluribus competit plantis, & pino aliquo modo similibus. Pinus quidem vel est *urbana*, vel *montana*, vel *maritima*. *Urbanam* voco sive *sativam*, pinum officulo duro, *Pinus officulo duro.* folio longo, & alteram officulo fragili putamine, *Pinus Cembro.* sive *Cembro*, quæ tamen & ipsæ cùm spontè proveniunt, sylvestres dicuntur. Ex *Pino sylvestri*, *Pinus sylv. Teda.* sive *Pinastro*, qui cultum quasi respuit, est vulgaris Genevensis, Teda cognominata. Pinus sylv. *Pinus sylv. Hisp. maior.* sive Pinaster Hispanicus maior. Pini sylv. species, *Picea Ida Troadis.* Bellonio picea sylvestris Ida Troadis, cuius coni facilè decidunt. Pinus sylv. Mugho, sive Crein. *Pinus Mugho.* Maritima conis firmiter ramis hærentibus. Pinus *Pin. marit. conis &c.* maritima Theophrasti Lobelio. Pinus maritima altera Matthioli. Pinus Indica ex qua *Bre.* Pino *Pin. Indica.* aliquo modo similis Larix, quam Pini, aut Pina-*Larix.* stri nomine comprehendi asserit Apollo. Pro *Conus Cedri.* pinea verò nuce quidam malè pingunt conum Cedri. Atque ubi cæteri in psalmo 104. habent A-*Abies.* bietem, Beza in suis carminibus interpretatur pinum. Dicitur & pinus trivia Romanis de A-*Astragalus lacca, Pini nuclei Molucani. Nana.* stragalo inter adscriptitia Dioscoridis. Habetúrque pinei coni facie fructus exoticus, ut pineæ nuci similis *fructus*, lib. 1. Habentúrque præterea *Pinei nuclei Molucani* purgantes lib. 2. Pinei coni facie Nana lib. 16. Pineo cono similis Hoyel lib. iam citato. Pineis nucleis similis fructus. *Hoyel.* Pineæ nucis núcleo similis *Ricinus minimus* & fru-*Ricinus minimus.* ctus, lib. 34.

PITYS

PITYS VETERIBUS.

NVnc quoque quid πίτυς veteribus sit, quantum quidem, tum propter eorundem, tum etiam iuniorum diversas opiniones fieri licebit investigare conemur. Antequam autem ad eius historiam tradendam nos accingamus, scire proficuum erit, Gazam πίτυος nomen apud Theophrastum, modò secundum Plinium, modò ab eo diversum, nunc Laricem interpretatum esse, nunc Pinum, nunc Piceam; atque etiam aliquando Abietem. Hinc illa autorum confusio, hinc de Pity grave chaos: quod præsertim in ipsa Theophrasti historia ex Gazæ quidem versione, habetur.

Pitys variè usurpatur à Gaza. Larix. Pinus. Picea. Abies.

Græci autem non illepidè de Pity ita fabulantur. Pityn puellam fuisse olim perquam illustrē, vnicè à Pane adamatam, quam Boreas quoque rivalis deperibat, utrique addictā. Pani potius puellæ adhæsit, propterea zelotypia stimulatus Boreas Pityn in saxa præcipitans neci dedit. Dolens vicem puellæ Tellus eam in arborem sibi cognominem mutavit, quæ immortali perpetuoque virore frondesceret. Pan re cognitā Pity, virenti eius ramo coronari semper voluit. Ac luget adhuc arbor collachrimans, quod Boreas immeritam spiritu protervo depulerit.

Fabula de Pity.

Cæterùm, quæ πίτυς (quam Gaza Piceam vertit) apud Theophrast. sit, difficulter iudicari posse existimat Clusius, quandoquidem eius materiam operibus ineptam esse, & magnitudine Pino minorem, minúsque erectam assurgere, scribat. Nos autem πίτυν Gazæ, Piceam dictam, aliquam ex Bellonii Piceis [Pinastris] existimamus, de quibus suo loco.

Pitys Gazæ Picea dicta, quæ.

Πίτυν Ruellium Piceam vertere scribit Cordus in Dioscoridem: ac præterea Gazam & Laricem interpretari: hocque ipsi maximè videtur absurdum, eò quòd multùm inter se differant πίτυς & larix: Additque se Ruellium sequi & πίτυν Pinum interpretandam censere. At Cordus sanè sibi non constitit, cùm hæc scriptit: si enim Ruellium sequitur, cur non πίτυν Piceam vertendam censet?

Pitys Cordo. Card. taxatur.

Pinum [πίτυς] notam arborē esse scribit Diosc. Eiusdem verò generis esse, quæ Piceā [πεύκη] dicatur, specie autem differre. Pityides hinc appellat, Pinorum [πιτύων] & Picearum [τῶν πευκῶν] fructus, qui in conis reperiuntur.

Pitys Diosc. Pityides.

Credit Hermol. Piceam veterum esse, quam Græci πίτυν vocant. Huiusque speciem Theophr. & Plinium φθειροποιὸν pediferam, tineosámque appellare, quia non pruna tantùm in parte, ut Abietes, totis paniculis nucleos & minores, & minores, & nigros habeat: sed ipsas quoque paniculas minores, graciliorésque. Sunt autem *paniculæ* nucamenta quædam, quæ è ramis arborum, resinam fundentium, callo squammatim compactili dependent, præterquam Larici.

Pitys Hermol. Phthiropoeos. Paniculæ quid sint.

De diversis igitur, quod ex hactenus dictis satis constare arbitramur, Pitys & Pityides dicuntur plantis. Piceam quidem vulgarem, sive Abietem marem [τῶν ἐλάτην ἄῤῥενα Theophrast.] quidam vocant πίτυν malè, ut Cæsalpinus. πίτυς de Pinastro, sive Pino silvestri, quod verisimilius videtur, à nonnullis quoque dicitur. Nec desunt qui πίτυν Laricem dicant, licèt hæc, ut illa, folia pungentia non habeat, nec in pluribus conveniat. Absque consideratione Gaza πίτυν Abietem quoque reddit. Sunt tandem qui ἀγρίαν Theophrasti [Agrifolium] cum πίτυι turpiter confundant.

Pitys de diversis Plantis. Picea. Pinaster. Larix. Abies. Agrif.

Ambarum cortex [ὁ φλοιὸς Pini, καὶ πιτύινος Piceæ, teste Diosc.] adstringendi vim habet, conveniens ad intertrigines tritus inspersus (παρατρίμματα & non κατασπαστικὰ aut κατακεχυμένα, Corn.) & ad ulcera in summa cute, & ambusta, cum spumā argenti & mannā. Idem cerato myrteo exceptus, ulcera in teneris corporibus ad cicatricem perducit: & proserpentia cohibet cum atramento sutorio tritus. Potus item & secundas [ὕστερα, lege ὕστερα, vel ὄρχεις Dal.] eiicit suffitus. Et potus sistit alvum & urinas movet.

Vires & vsus. Diosc. corrigitur. Vlcera ambusta. Fœtus. Diosc. sublatus. Inflammationes.

Sed & folia ipsarum trita imposita, inflammationes mitigant, & vulnera ab inflammatione conservant. Trita verò & in aceto cocta, dentium dolores leniunt, si calida colluantur. Has omnes facultates & Vires Fuchsius de Larice refert. Sed pergit Diosc. Commodat etiam hepaticis foliorum drach. unā cum aqua, aut mulsa pota. Eadem faciunt etiam Strobili cortex & folia pota [de Strobilo arbore hæc accipit Corn. quam eandem cum Pinastro esse dicit] Modus faciendi vinum pitteum [πιτυΐνου] cuiusque vires traduntur cap. de Cedro. Sed & tæda ex ipsis, in minutas partes concisa, & cum aceto cocta dentium dolores mitigat, si decoctum ad affectum dentem contineatur. Ex ipsis etiam Spatha fit, ad acoporum & pessorum præparationes idonea. Quin ex iis, dum cremantur, fuligo excipitur, ad scriptorii atramenti confectionem: itémque ad medicamenta honestandis palpebris dicata: Erosis quoque oculorum angulis, glabris callosisque genis & lachrymantibus oculis opitulatur. Pityides autem vim habent adstrictoriam, & aliquatenus calefacientem: subveniunt tussi, & affectionibus circa thoracem, si tum per se, tum cum melle sumantur. Strobili porrò si puri [expurgati] edantur, aut cum passo & Cucumeris semine bibantur, vrinas cient, & humorum acrimoniam hebetant, qui vesicam & renes infestant: sedant & rosiones stomachi sumptæ cum Portulacæ succo: nec non corporis infirmitatem roborant, corruptorúmque humorum labem obtundunt. Toti autem Strobili ab arboribus decerpti, & recentes, contusi & in passo decocti, ad vetustam tussim & tabitudinem conducunt, si ex eo liquore terni quotidie cyathi assumantur. Fit & vinum strobilites [στροβιλίτης] maceratis in musto Strobilis recentibus & contusis, præbetque resinati effectus. Quod si quis Strobilos insulsè præparatos decoxerit, abundè potum iis conducet, qui tabitudine conficiuntur. Vsus plurimos, ut Theophrast. literis consignavit, maximósque Pinus & Abies præstant, harúmque materies aptissima, atque pulcherrima consistit. Pinus autem omnium ferè maximè viribus valet, & ad usum ædificatorum spectabilis eadem potissimùm est laxitatis, rectitudinisque meatuum causā. Hanc enim ne findi quidem nullo pacto posse affirmant, si glutine muniatur. Navigia rotunda faciunt ex Pino, quoniam non putrescunt. Nonnulli etiam triremes, quòd Abiete careant. Nec Pino atque Abieti Quercus conglutinari valet: altera enim spissa, altera minùs. Affectus autem similis ea esse oportet, quæ sociati, consistantque debeant, non contraria. Carbones quidam excusores pineos potiùs quærunt, quàm quernos, quanquam infirmiores sint: ad flatum enim respondent commodiùs, quoniā minùs marcescat, extinguunturque. Est autem flamma eorum ce-

Dentium dolor. Vinum piteum. Tæda. Spatha. Fuligo. Oculi. Pityides. Tussis. Strobili. Vrina. Stomachus. Vires. Tabes. Vinum strobilites. Tabes. Aedificia. Navigia. Carbones.

lectior & aptatior tàm lignorum, quàm carbonum.

PINVS OSSICVLIS DVRIS, FOLIIS LONGIS.

Descriptio PINO caudice recto surgenti, ex tuberculis passim in rugoso cortice ramorum extantibus, *Folia* folia enascuntur, bina ferè circa imum connata, mox ab invicem abscedentia, quà se mutuò spectant caniculata. Iunci marini æmula & æqualia, duorum triúmve palmorum altitudine, *Coni.* mucrone acuto & rigido: Coni magni, crassi, turbinati, arctis- *Squamma.* simo squammarum contextu compactiles, quarum crassa, lignosa, lucida, capita extantia, tuberculorum agmine inæquales reddunt conos: singulares squammæ unciam latæ, duplo longiores, *Resina.* à capite resinam albam odoratam subinde fundentes, lineisque ex umbilico devexis donatæ, paulatim hastam versus attenuantur, crassæ, sinu *Pityides.* suo complexæ unam aut alteram Pityidem oblongam, ferè uncialem, torosam, pulvisculo a- *Os.* tro-purpureo resperfam, osse crasso duro, *Nucleus.* nucleo candido, pingui, dulci, pelliculâ rutilâ obvoluto.

Descr. Cæsalp. Pinus, ut eam describit Cæsalpinus, ingens est *Cortex.* arbor in montibus apricis: cortice scabro & sub- *Materia.* rubenti: materie robustâ, subflavâ, odoratâ, pin- *Rami* gui: Rami ordine prodeunt ternis per intervalla germinibus, ut eius summa in amplam latitudinem ad rotæ similitudinem spargantur: foliis in *Folia.* modum setæ productis, acutis, perpetuis, numeroso ordine totos ramos vestientibus: Amen- *Amentum.* taceum quid fert pulverulentum: Nuces in ro- *Nuces.* tunditate modicè longas, turbinatâ figurâ, implentes utramque manum, ex lignosis squamis *Squama.* compactas: sub singulis squamis bini, ut pluri- *Nuclei.* mùm continentur nuclei, oblongi, ossei, subnigro quodam pulvisculo obsiti: seminis medulla *Seminis medulla.* intus pinguis, gustu dulcis & odorata, non bipartita, ut in cæteris plurimis, sed veluti in alvo novellam pinum tanquam fœtum continens, cu- *Radix.* ius radix inferius spectat, quo modo nascitur *Mas & fœmina.* unicâ tantùm radice in altum dimissâ. In hoc genere fœminam vocant longiorem nucem ferentem, marem autem rotundiorem.

Barth. Anglici errores duo. Et hæc est illa pinus, quam Barth. Anglicus esse arborem Piceam scribit, sed quàm benè iudi- *Picea.* cent Botanici periti. Is etiam perperàm succum *Electrum.* quem fundit, Electrum statuit.

Tinum pro Pinu corrupté. Melius illam Petrus de Cresc. Pinum vocat.

Pitys. Hermol. qui pinum vocat piceam nucem fe- *Peuce.* rentem, à Græcis πεύκη appellatam, testatur in Palladio corruptè legi Tinum pro pinu.

Differentia duplex Cordo. Cordo pinus existimatur πίτυς, quam, cùm sponte provenit, pinastrum vocat. Vnde colligitur pinum etiam in hortis fieri. Idem πεύκην piceam vocat, quam & ipsam duas habere differentias ait: unam longis setis, &c.

Verùm tota eius historia mihi obscurior videtur, nec ego penitùs intelligo quam arborem ille *Cordus tamen et sibi non constat.* per pinum sylvestrem sive pinastrum Germanicum intelligat: Meo quidem iudicio pitys eius pinus est: picea autem pinus Cembro est: Et sylvestris Picea, Picea Latinorum. Licèt verò, eidē Pini & Piceæ nuces πιτυΐδες vocētur, attamen Strobilos privatim dicit in pineo cono inventas nuces. Et rursus (ad imitationem Dioscoridis.) hunc totum unà cum fructibus strobilum vocare non erubescit. pityides autem nu- *Pityides fructus et conis.* ces Avellanarum propè magnitudine & figura sunt, oblongiores tantùm in conis.

De pinu nobilissima illa arbore hæc scribit Tragus. pineas nuces toto orbe in medicina decantatissimas, in nucamentis turbinatâ effigie compa- *Locus.* ctilibus profert, in altissimis superioris Germaniæ Alpibus prope Valesiam, iis maximè quæ Italiam spectant, gignitur, caudice assurgens procero, recto, ramis folio capillamenti modo prætenui, longóque, copioso, cineraceóque vestitis. Quam Germ. Dicchthannenbaum, aut Hartzbaum, aut Forenbaum vocant, quæ oblongas & dulces nuces pineas profert, meo iudicio vera est pinus, quæ Hebr. *Oren*, Græc. πίτυς, Serap. *Sonobar* & *Oren Pitys Senobar. Arz.* *Arz* (quæ vox ab *Eres*, mutatis duntaxat punctis vocalibus distat, quam Cedrum uterque interpretantur) appellatur. Kymhi, ut in margine scriptum habetur, ait quosdam *Oren* Hebræorum per Alzinobar (quæ vox non multùm à Sonobar *Alzinobar.* abludit) Arabum interpretari. Esse verò plures alias voces, tàm Hebræas, quàm Chaldaicas, quas pro pinu reddant, sed non vacare illas adscribere. Nucamenta porrò quibus pineæ nuces insunt, Græcis *conos. Nucleos, Strobilos*, Offic. *Pineas*, *Coni. Nuclei. Strobili. Pinea. Coccali. Trag. notatur.* Hippocrati *Coccali* appellari, scribit Tragus. In eius autem descriptione non placet, quod ait foliumcapillamenti prætenuis modo esse. Displicet etiam icon posita sub titulo pinus Hartz oder Kifferbaum, nec conveniunt nomina Germanica. An autem in altissimis superioris Germaniæ Alpibus propè Valesiam proveniat, aut fortè Pinus Cembro sit, quod suspicor, inquirendum. Eidem Græcè πίτυς dicitur, ut & Bellonio, *Pitys.* qui eam non in hortis tantùm conseri, & sativam esse, sed & in sylv. locis sponte nasci tradit. Ipsius autem Bellonii iconem etiam reiiciendam censemus, quamvis Lacuna eam receperit.

Animadverti, inquit Matth. Plinium, recentioresque nonnullos eum secutos in plantarum *Autores à Theoph. in resinif. dissentiunt.* historia, quæ resinas fundunt, longè ab eo dissentire, quod in Tridentinis montibus nostris oculis perspectum, apud alios etiam testatum relinquere possumus. Invenio Theophrastum duas Pini species adnotasse &c. Verùm non desunt, *Pini duæ species Matthioli.* qui contendant Theophrast. hæc de Picea scripsisse, non autem de Pinu: eâ ratione freti, quòd πεύκη, de quâ hîc differit Theophrast. Græcis Piceam, non Pinum significet. Bellonius commu- *Bellon. lapsus.* nem Græcorum sententiam sequitur, & totum id Piceæ arbori reddidit contra Theodori interpretationem, quod Theophrast. περὶ τῆς πεύκης scriptum reliquit. Sed equidem Bellonium (pace viri boni dixerim) hallucinatum arbitror, non, quòd propterea eum Græci sermonis imperitum iudicem, sed, quòd mihi videatur non diu versatus in Theoph. & Galeni lectione, aut de iis plantis scripsisse, quarum non certam habuit notitiam. Mihi non dubium quin veteres Græci πεύκην pro pinu

Pinu usurparint. Neque verisimile Theodorum Theoph. interpretem natione Græcum ignorasse, quid per illa usitata vocabula intelligerent Græci scriptores. Deinde Theophrastus τ πεύκης nucem, στρόβιλον vocat, quod non aliud designat, quàm nucem pineam, ut apertè declarat Gal. de alim. fac. his verbis. Nucem pineam, appellant nunc Græci non κῶνον, sed στρόβιλον. Idem lib. de cibis boni & mali succi scribit. Nucleus pineus, qui κῶνος vocatur, στρόβιλον veteres etiam appellant. Item lib. 7. simpl. sic habet. Coni fructus quem & Coccalon, & Strobilon nominant. Adhæc com. 4. de vict. rat. in morb. acut. κόκκαλος ab Hipp. dictus, non ita, sed κῶνος magis ab antiquis Græcis appellatur, velut à recentioribus Medicis propemodum omnibus Strobilos vocatur. Galeno adstipulatur Sim. Sethi, qui nucleos pineos κουκούνια τῶν στροβίλων etiam nominat. Ex his itaque constare puto contra Bellonii opinionem, Theophrastum sub πεύκης vocabulo Pinum descripsisse, non Piceam. Nam si Theophrasto Peuce strobilum profert, quem Gal. inter cibos cònumerat, non video, quomodo is Piceæ fructus esse possit, cuius nuclei non sunt edendo, Bellonii etiam testimonio. Quod insuper per πεύκην Pinum intelligat Theophrastus, illud maximo esse potest argumento, quòd nusquam Picea visa sit urbana, nisi fortè è silvestrium semine ad spectaculum in hortis sata. Cuius tamen contrarium deprehenditur in Pinu, quæ domestica atque urbana frequentissima conspicitur. Hinc porrò factum est, ut Bellonius suâ ductus opinione, ex hoc in alium quoque errorem inciderit. Quippe illud falsum est, quod ex tedâ Piceæ fit pix, ut Bellon. asserit, perperàm Theophrastum interpretatus. Siquidem rara admodum est Picea, quæ tædam habeat, atque pix omnis, cuius est usus ex Pinea tantùm teda conspicitur in Italia, quemadmodum & in Bohemia. Cæterùm non potui non admirari dixisse Plinium, scandulas è Pino ad contegendas domos, ex omnibus, quæ resinam fundunt arboribus aptissimas esse, cùm Laricem non ignoret materiei præstantiâ duritia & firmitate, nulli æquiparandam esse. Scribit Theophrastus (nosque quotidie id videmus) quod Pini interitus est, ut teda fiat. Cæterùm, quòd tedâ opus sit ad picem conficiendam, & artificio fiat, docetur suo loco. Quamobrem putarim hac in re non parùm cæcutisse Plinium, quippe qui tedam propriam & per se arborem censet. Marcellus errat, qui Pinum tedam interpretatur. In hoc etiam errore versatur Lonicerus Ruellium secutus, qui fictam potiùs quàm veram arborem pro tedâ pinxisse videtur. Hactenus Matthiolus, qui sibi (quod non mirum) contradicit. Is enim huc usque Pinum πεύκην, rectè vocari tradit, mox πίτυν cum plerisque Græcis appellat. Adhæc in post. com. & Hist. Germ. fatetur picem non solùm ex Pinu, sed etiam Pinu sylvestri fieri, quæ est Picea Bellonio. Et quod plus est, in Hist. Germ, dicit tantùm silvestrem Pinum in Bohemia & Germania haberi, cùm ex Pino solâ in Bohemia picem fieri antè dixisset, meritò igitur eam Bellonii reprehensionem in post. com. Ital. omisit: In suis epistolis contradicit Plinio dicenti, Pinum nullo flore exhilarescere, id quod Theoph. nec negarit nec affirmarit: Florere autem Pinum testari Bohemiæ silvas, ubi floridæ quotannis inspiciantur Pinus odore, haud ingrato. O labilem viri memoriam! nonne recordatur ex Historia Germanica in Bohemia silvestrem duntaxat Pinum haberi? nònne contradictionem animad vertit? non esse arborem in Bohemiæ silvis, & ibi florêre.

Nux Peuces Strobilus vocatur, quod nucem pineam significat.

Conaria Sethi.

Bellonius errat.

Picea urbana nulla.

Pinus urbana.

Bellonij error alius.

Plinii lapsus.

Plinii error alius.

Teda non est arbor.

Marcelli lapsus.

Lonic. error.

Matth. taxatur.

Amatus in Matth. invehitur, quòd aliter, quàm Theophrast. de speciebus Pini locutus sit. Nihil tamen adfert, quod alicuius sit momenti. Præterea si Pitys est Pinus, ut ipse his nomenclaturis [πίτυς *Pinus*, *Pinus hortensis*, *Pinus urbana*, *Pinus domestica*] se velle demonstrat, cur Pini diversas constituit species, quandoquidem Theophrast. non ita distinguit πίτυν, sed πεύκην. Matthiolum sanè imitatur reprehendendo Plinium.

Amat. redarguitur.

Apollo assurgens adversus Matthiolum sibi persuadet πίτυν esse Pinum, nec secus veterum & recentiorum Græcorum autoritate comprobari posse. Verùm nugatur Apollo, ineptias obtrudit, argumentaque nullius ponderis adfert: πεύκης enim Theophrasti non dubitarit is asserere esse Pinum, qui Plin. cum Theoph. locis contulerit, facilèque nostram opinionem animadvertet veriorem.

Apollo notatur.

Pinus est πεύκη.

Had. Iunio cum Ryffio Pinus est πεύκη. Verùm an ritè ei assignent appellationes Germanicas [Forhen / Arben / Hartzbaum & Kynholtz] dubito, quandoquidem in Germania provenire non soleat.

Had. Iunius cum Ryffio taxatur.

Dod. gall. cui Pinus sativa [πεύκη ἥμερος] dicitur non laudabilem habet figuram. Verùm laudabilem tenet sententiam. Asserit enim Pinum Græcè non πίτυν, ut multi recentiorum existimát, sed πεύκην reddendam: Idem in Hist. lat. Pinum [πεύκην] ex Theoph. duplicem statuit, unam cultivam, sive mansuetam [ἥμερον,] & silvestrem [ἀγρίαν.] His ait Macedones tertiam addere, sterilem (ἄκαρπον, sine fructu) nobis incognitam. Mansuetam aut potiùs urbanam Macedones atque reliquos Græcos πεύκην ἥμερον, sed Arcades πίτυν appellare: Ex hac autem nominis permutatione accidere, ut fructus Pini in conis reperti, à Diosc. Gal. & Paulo, alijsque Pityides nominentur: esse verò & aliam πίτυν, Piceam à Pinu multùm differentem: Fructus porrò κῶνος Græcis dici, & Latinis similiter Conos & Nuces pineas, & à Mnesitheo ὀστρακίδες, à Diocle verò Carystio πιτυίνα κάρυα, quæ tamen fructus esse arboris à Theophrast. πεύκης appellatæ Athenæus testetur. videri & eundem fructum totum, στρόβιλον & κόκκαλον Galeno appellari.

Pinus sativa.

Pinus urbana πεύκη Arcadib. πίτυς.

Cur fructus Pityides dicti.

Ostracides.

Quantum Turn. videt, Theohrast. πεύκην appellat, quam Latini Pinum. Plinius autem πίτυν Græcorũ pro pinũ accipit, ut idem ex Plinii verbis colligit, qui Pityocampas Pinorum erucas vertit, non Piceæ, ut Theod. & alii multi. Errant interpretes Galeni, qui Pityn interpretantur Piceam, cùm ei sit Pinus: ait enim Pityn maximos ferre conos. Verisimile est Galeni tempore Græcos, & qui eum secuti sunt, semper πίτυν pro Pino usurpasse: Gaza πεύκην & πίτυν vertit Pinum, Piceam, Pinastrum, & Laricem, confusè. Censet igitur Turn. Pityn esse Pinum apud Gal. Diosc. Aetium & alios qui post Galenum scripserunt.

Peuce Theophrast. Pitys Plinio.

Pityocampe.

Interpretum Galeni error.

Gaza confusus.

Haud facilè est cognitu, quid sibi velit Diosc. dũ ait cortices strobili & folia: Interpretùm enim alii peculiarem arborem intelligunt, ut Cornarius, alii verò, ut Ruell. reddunt conum Pini. Apud nullum veterum lego Strobilum, peculiare arboris nomen, semper verò pro nuce, aut pomo, interdum nucleo fructûs: nisi fortè, ubi meus Plinius ab Erasmo castigatus post Hermolaum Barbarum, Nicolaum Beroaldum, Guil. Budæum, & Io. Cæsareum, habet Tibulus, legendum sit Strobilus, non autem Tibulus, non magis firmâ

Cornarii lapsus.

fuerit ratio, *Plinius strobilum facit per se arboris speciem, ergo est arbor*, quàm hæc, plinius Tedam particularem facit arborē, ergo teda per se est arbor. Magis autem movent, quæ scribit Dioscorides, inquit enim, ποιεῖ δὲ τὰ αὐτὰ καὶ ὁ τῆς στροβίλων φλοιὸς καὶ τὰ φύλλα πινόμενα hoc est, præstant verò eadem & strobili cortex & folia pota. Iam verò nux pinea eiusdē generis est cum pino. Sed hoc repugnare videtur, quod ab initio capitis habetur, cùm de quibus esset acturus indicans, meminit pini duntaxat & piceæ, non autem strobili. Sed utrum hic strobilus nucem pineam significet, folia verò eiusdē sint pini, cuius paulò ante meminit Diosc. parum refert, quoniam omnes illic simul memoratæ arbores iisdem viribus sunt preditæ. Rob. Constant. in Lex. πιτυΐδες propriè Pinûs, impropriéque Piceæ arboris nuces in conis (quas Poma Cybeles dixit Martialis, Nuces verò pineas, πιτυΐνα κάρυα καὶ στροβίλους καὶ κώνους Dioscor. & Theoph.) contentæ. Græci etiam στρόβιλον καὶ πυρῆνα nomine appellant, ut nucis & nuclei voce Plinius.

Lonicero Pinus dicitur Pitys. Isque conum tantùm pingit, temerè adiungens conum Cedrinum, non agnoscens differentiam inter utrumque. Eum autem Pinum non agnovisse, indicio sunt, vel nomina Germanica *Fichtenbaum / Hartzbaum / Kynholtz / Kihfferholtz / Feüren /* quæ diversarum sunt plantarum.

Pro Pino absurdum figmentum habet Petrus Crescentius, Sedum arborescens referens quodammodo.

Dicitur hæc Lob. *Pinus vulgatissima*, quod mirum videtur, nec enim adeò vulgaris est. Tabern. *Pinus domestica*. C. Bauh. phyt. de Pino obscurior est, Pinúmque sylv. fortè intelligit cùm dicit: Peucedanon à πεύκη, quæ Latinis Pinus vocatur, quòd folia eius cum Pini foliis similitudinem quandam habeant, unde & *Pinastellum* quidam dicunt.

Præter verò quotidianam experientiam communis authorum consensus, Ferì in Genesim falsam opinionem meritò ridet. Pinus, inquit, nullum fructum fert, sed solùm semen. Goropium consulere debuisset dicentem: Plinius glandes è pomorum numero exclusit, nescio qua de causa: cùm mihi æquè atque Nuces pineæ, de quibus non dubitatur, hanc nomenclaturam videantur mereri.

Pinus, græcè plurimis πεύκη, aliis πίτυς malè, germ. *Zirbelbaum / Fichtenbaum /*, Belg. *Pinappelbaum*, Gall. *Pin*. Ital. & Hisp. *Pino*, Angl. *Pine tree*, Bohem. *Boromics*, polon *Sosz*. Pinus quidem ut Matthiolo placet à pinnato foliorum acumine. Castel. & Catal. *Pino negro*, portug. *Pinheiro negro*. Fructus eius græcè στρόβιλοι, Lat. *Strobili*, Nuces pineæ, germ. *Zirbelnüßlin*. gall. *Pignons*.

Pino à poëtis apud Ravisium hæc epitheta attribuuntur. *Nautica, pontica, amans littora, virens, florida, procera, alta, ardua, conifera, picea, odora, pinguis, cornigera, acuta, multifida, capillata, nutans, sylvestris, hirsuta, cava, garrula, Berecynthia, Cybeleia*, cui sacram fecerunt, quanquam & pani sacram legerimus. His adde ex Theoph. *nodosa, per squammosa, resinosa, ingens, rectà surgens*, ex Guidone *flammifera, pronuba, tumida*, ex Virg. pinus in hortis *pulcherrima*.

Frequens est, ut Ravisius prodit, in Atlante, Idâ, Lycæo, Simoënte, Mœnalo, & Othry. In Germania, quod equidem sciam, spontè non provenit. Genevæ non vidi, quamvis Gesnerus se vidisse scribat, Pinum mihi in loco quodam publico spectari. Lutetiæ quidem in horto Reginæ vidi. Eam in Belgio, Angliâ, & Italiâ coli testatur Lobelius. Scribit Bellonius Pinum locis permultis sylvescere etiam in planis, ut in Gallia Narbonensi (ubi ad aquas maritimas spontaneam perhibet quoque Lob.) & circa Massiliam, ac in multis Italiæ tractibus, ut circa Ravennam, quo loco sylvas ex se faciat amplissimas: ac sylvestria semina si in cultum demandentur solum, easdem proferre arbores, eosdémque fructus.

Seremus autem Pinum, authore Palladio, nucleis suis (semine enim teste Theophrast. tantùm provenit) calidis & siccis regionibus, mense Octobri, vel Novembri: frigidis & humectis, Februario, vel Martio. Amat locum gracilem, sæpè maritimum, inter montes, & saxa vastior, & procerior invenitur: ventosis & humidis arborum fiunt incrementa latiora. Sed sive montes velis conserere, seu spatia quæcunque, hæc huic generi deputabis, quæ alteri utilia esse non possunt. Exarabis ergo ea loca diligenter, atque purgabis, & frumenti more semen aspergens, ac levi surculo curabis operire, nec enim plus quam palmo debet abscondi. Defendenda est tenera arbor à pecore, ne calcetur invalida. Proficiet, si nucleos aquâ ante triduum macerabis. Aliqui dicunt fructum pineum translatione mitescere: sed plantas hoc modo procurant, ut prius multa semina in caliculis terrâ & fimo repletis obruant, quæ ubi processerint, relicto eo, quod solidius est, auferunt alia: ubi iustum cœperit incrementum, trimam plantam cum ipsis caliculis transferunt, quibus fractis in scrobe indulgent radicibus largitatem. Terræ tamen æquè stercus admiscent, facientes straturam alterno ordine subinde crescentem. Servandum est tamen, ut eius, quæ radix una & directa est, usque ad summitatem suam possit integra & illæsa transferri. Putatio novellas Pini arbores tantùm promovet (quod autor se expertum ait) ut quæ speraveras incrementa, duplicentur.

Nuces pineæ usque in Novembrem esse possunt, & maturiores legentur.

Nuclei verò ipsi purgati durare non possunt: tamen aliqui in vasis fictilibus novis, & terrâ repletis cum testis suis missos asserunt custodiri. Ex nucleis Pini missis Lugduno per honestum virum Sebast. Hiebelin & alios, Pinus in horto D.G. sæpiùs mihi provenit, sed facilè perit. Eadem causa fortè fuerit, quam Camer. in horto assignat. Pinus, inquit, Italica ex semine enata prodit, sed Hyemis frigore intensiore facilè, nisi in fictilibus condatur, perire solet. Dum recens è terra emergit, nuclei putamen non incommodè adimitur, sed nucleus protrusus si auferatur priusquam sua sponte decidat, plerúmque germen enascens, cui tanquam munimentum à natura datum est, & foliis coniunctis oblongioribus adhæret, perire solet.

Proprium autem est huic arbori ut falso solo latissimè fructificet, quemadmodum apparet ex amœnissimo pineto prope Ravennam. Dignum etiam est observatione, excisam nullam remittere ex virgis radicum sobolem, sed prorsus emori. Propterea Crœsus (ut est apud Herod.) minabatur se exstirpaturum Lampsacenos *Pini in morem*. Dignum quoque, & illud notatu, quod D. Basil. memoriæ prodidit, Pinus incensas ac exustas flammis in querceta mutari.

Pini vires secundum antiquos videre est ante scriptas.

Margin notes (left): Pityides. — Poma Cybeles. — Lonic. reprehend. — Petr. Cresc. figmentum. — Lobel notatur. — C. Bauh. — Ferus notatur. — Poma. — Synonyma linguar. — Epitheta Pini. — Cybele sacra. — Locus. — Gesn. notatur.

Margin notes (right): Satio. — Tempus. — Cultura. — Maturatio. — Asservatio. — Observationes pulchra. Proverbium. — Pinus in morem. — Pini Vires & usus.

scriptas sub Peuce titulo. Firmissima est adversus cariem & tineas. *Temperamentum.* *Phthisis.* Nuces huius usitatissimæ sunt, naturâ suâ, ut dicit Averrhoës, calidæ & siccæ, phthisicis & languescentibus commodissimæ. At fructûs interior nucleus, ut Dodonæo placet, vim habet concoctoriam & moderatè excalfacientem, in medio quasi frigoris ac calidi consistentem: exasperata lenit: *Tussis.* tussi veteri, & pectoris diutarnis vitiis auxiliatur, per se, aut cum melle, aliòve eclegmate sumptus, phthisicis ac tabescentibus utilis est: *Alit.* vires reparat: corpus alit ac reficit: crassi ac boni est succi, multùmque nutrit, non tamen omninò facilè concoquitur, idcircò bellariis tritus admiscetur, ac Sacchato incoquitur. *Nephriticis.* Prodest verò & idem Nephriticis ac adversus vesicæ rosiones, urinæque ardores: acrimoniam enim mitigat, dolores sedat, urinam clementer provocat, auget item & lac, & semen genitale: *Lac & semen auget.* venerem idcircò etiam excitat. Totus conus cum Marrubio recenti decoctus, inquit Galenus, si postea addito melle modico iterum coquatur, donec ipsum decoctum mellis accipiat crassitudinem, medicamentum est ad thoracis pulmonisque excreationes conveniens. Simile & Diosc. habet: integri, ait, ac recenter ab arboribus decerpti, confracti, & in passo decocti, veteri tussi & tabitudini conferunt, *Tabes.* si quotidie ex eo liquore terni cyathi bibantur. *Aqua.* *Faciei ruga.* *Mamma.* Aqua Strobilorum Pini delet faciei rugas, impedit mammarum incrementum, si madefacti in ea rami sæpè apponantur. *Matrix.* Utilis cum ea lotio in excidente matrice, collum enim eius constringit. Nuclei si comedantur per se, vel cum Sacchato naturam calefaciunt. *Oleum.* Oleũ eorum, si Averrhoi credimus, excellens est, in Hemiplexia, *Hemiplexia.* *Paralysis.* si eo inungantur partes resolutæ. Holer. de morb. intern. Paralyticis præscribit usum granorum Pini conditorum, quod Duretus in controversiam vertit: ait enim, Pineis granis abstinendum esse, quòd oleosa sint & pinguia, ob idq; ἐμφρακτικά. Viridis Pinûs aciculas contritas, ac vino potui datas, *Correspicit.* cordis dolorem abolere, quòd fructus eius cor referant, Porta concludit. *Pineolatum.* Pineolatum gratissimum, polytrophon, macilentis, pulmonum affectibus pro bellariis conveniens, componitur ex æquis partibus Pineorum & Sacchari soluti. Ex quibus fiunt morselli, addito Moscho ad gratiam, si volueris. *Penis.* *Decoctum.* In distortione penis ex nimia Venere, & ad præcavendam infectionem Veneream utitur Iul. Cæsar ex Arantio decocto nucum Pini, quod multùm laudat.

PINUS CUI OSSICULA FRAGILI PUTAMINE, SIVE Cembro.

Diosc. Folia. Pini foliis breviora sunt Cembri folia, palmaria, itidem bina è tuberculo uno prognata, canulataque, videntur acutiora tamen. *Conus.* Conus minor quàm Pini, hoc commune habet cum cono Abietis, quòd squammæ facilè à pediculo divellantur, in cæteris differt. *Squama.* Squamis compactus est minùs multò extantibus & compressis, rugosis non lucidis, ut Pini præcedentis: nec firmiter compactis, extremam singularum marginem (non meditullium) occupante umbilico: *Pityides.* pityides binæ [aut una] singulis squamis occultantur dimidio minores quàm Pini domesticæ, *Os.* osse triquetro, turbinato, rubente, tenui, & fragili, adeò ut digitorum pressu haud ita violento dissiliat, *Nucleus.* nucleo crassiore, breviore, sapore &



substantiâ cum pityidibus domesticis eâdem.

An Hermol. *Pinaster.* *Pinaster* seu Pinus silv. mira altitudine, à medio ramosa, sicut Pinus in vertice, copiosiorē dans resinam? *An Picea Larici similis.* An verò Ruellius per Piceam Larici simillimâ, hanc, intelligat, affirmare difficilè, quia se non exponit, sed tantùm verba Hermolai transcribit pro suis, more sibi consueto.

Pinus silv. Et hæc est, quam Stumpff. Hist. Helv. de plant. Alp. Germ. Arben, lat. *Pinum*, & *Pinum silvestrem* vocat, fructu esvi grato, sapore Avellanarum, cuius frustus in Valesia Arbenpffen vocentur:

Munst. in Cosm. Pinus silv. Plinii, cuius fructus die Zirschlender, si non fallitur Bimpernüßlin cognominant.

Trag. notatur. Tragum suspicor hanc arborem confundisse, cum Pino iam recitata, hancque existimo ab eo tradi provenire in altissimis superioris Germaniæ Alpibus prodè Valesiam, iis maximè, quæ Italiam spectant.

Peuce Cordo. Πεύκη apud Cord. in Diosc. quam malè Piceam reddit & Germ. Cyrbelnus vocat, Pinus *Cembro* est, cuius verba superiùs recitavimus.

Pinastrum. *Alevo. Elvo.* *Theoph. incognita.* *Pinus Tarentina Plinio.* Hanc Bellon. de Conif. *Pinastrum* appellat, eámque vulgus Galliæ Celticæ *Alve*, vel *Elvo* vocare tradit, præterea Theophrastum eam nunquam agnovisse: in Græciæ enim aut Asiæ montibus non nasci: sed Pini genus esse Tarentinũ Plinio. De hac idem de neglect. cult. hæc narrat. *Aleves* Pini sunt genus, minùs duro sapidioréque nucleo, quàm vulgaris. Rustici in Rhetia eo vescuntur, & quatuor duntaxat assibus gallicis quadrantal vendunt: nos dum istàc iter facêremus, unico coronato tantam illius quantitatem emimus, ut ei ferendæ vix equus sufficeret. Sed rem admodum vilem esse oportet, quæ sit vecturâ digna non censetur. Posset etiam viciniore loco inveniri: nam quinque aut sex dispositorum equorum è Lugduno stationibus nullus est rusticus, præsertim apud S. Andream, qui eo non vescatur, atque in ædibus adservet, Memoriâ autem repetens suavitatem gustûs huius seminis, quo etiam multi pauperes rustici saturari possent, si nostræ Galliæ opulentiores id scirent, multoties optavi. Idem de conif. Si per Allobroges ex Gallia Mediolanum tendas, sive per montem Iuniperorum, aut per montem Senesium (quem Galli vocant *Geneure & mont Senys*) nullus pagus in convallibus reperitur, qui Pinastrum sub *Elvi* nomine non agnoscat. *Elvum.* Est etiam Pinaster in horto regio Fontanæblæo ex semine enata, altera arbor vitæ dicta. *Altera arbor Vitæ. Impostura.* Audio quendam ex navigatione novi Orbis ligni huius, quod lignum vitæ appellabat, multas arcas plenas exportasse, cùm tamen pinastri esset, eúmque Regi Francisco hoc nomine impostutam facere non

erubuisse, lignúmque hoc fungosum, leve, suo adhuc cortice obductum, quod non modò nulli unquam prodesse potuit, sed etiam valdè obfuit. Cuius incommoda cùm multi magno suo malo sensissent, illud à suo usu abdicandum omnium calculo censuerunt.

Ios. Simlerus & Gesn. confusi. A Iosia Simlero & Gesner. confunditur Pinus propriè dicta, cum ea, quam Cembro dicunt. Vt id fit manifestum ex lib. hort. ipsiusmet Gesneri, dicentis: Pinus in Germania ferè nulla, &c. Pinaster, Pinus sylvestris in altis montibus Rhætorum & Vallesiorum, nec ulla arborum (opinor inquit) altiùs nascitur Ein wilder Zirenbaum. Nuclei quidem eius ut minores, ita etiam gratiores sunt, quàm Pini.

Pinus Zimbron. Anguill. Pinus montana apud Grisones proveniens *Zimbron* vocata.

Pinus Cembro, Cembri & Cirmoli. Matth. Pinus sylvest. *Cembro, Cembri & Cirmoli* vulgò vocata, nucibus domesticæ similibus, fractu facilibus. Facilè adducor, inquit is, ut credam hoc nucum pinearum esse illud genus, quod Plin. lib. 15. cap. 10. *Tarentinum* vocat. *Bellon. notatur.* Bellon. loco iam citato hoc Pini genus Pinastrum esse censet, sed non rectè. In post. autem com. It. eadem dicit, ac addit errare Anguillaram, qui velit Pinum Tarentinam, vulgò dictam Cembro, esse Pinum montanam sylv. Theophrasti. *Pinus Tarentina. Anguill. error.*

Bellon. excusatur. Apollo rad. 9. non sine ratione videtur Bellonium excusare à censura Matthioli, ut qui non asseruerit hanc arborem esse Pinastrum Plinii, quamvis Pinastrum nominet, & in fine Plinii verba adducat: putátque Apollo hanc arborem esse Bellonio illegitimum Plinianum Pinastrum: & ex Bellonio vocat Pinum Tarentinam.

Suisse Bellonii nō est. Dodonæo assentiri non possum, existimanti in Hist. Gall. *Zembro esse Bellonii Suisse*, quod non repetit in Hist. Lat. ubi Pinum sylv. alteram facit, & à Macedonum fœmina sylvestri nihil differre ait, nam tractabilem & ad multa opera materiam habêre idoneam.

Pinus sylv. montana. Theoph. Lob. Adv. Pinus à quibusdam *Cembro* vocata. Ic. Plant. Pinaster, Germ. Wild Fiechtenbaum. Gall. *Pin sauvage: Pinus sylv. montana* Theophrasti: Alpigena in Pini arboris præcelsæ æmulationem, caudice recto & lævi accrescens: foliis Pini oblongis gemino ordine sitis: cono, strobilo & nucleo Pini minore, putamine minimè duro, sed cortice molliore.

Audivit Cæsalp. in Tridentinis montibus differentiam quandam esse in genere sylvest. Pini, aspectu Piceæ, foliis Pini, nucleis fragilibus, ut facilè dentibus comminui possint, *Cembrum* vocatam. *Cembrum.* Fuerit autem huius fructus quem Tarentinum Plinius dixit, digitis fragili putamine, aviúmque expositum furto in arbore.

Non est teda. Dalech. apud Plin. notat malè legi, Sextum genus [cognatarum arborum, cognitarum vet.] tedam esse propriè dictam. Etenim tedæ nomen πολύσημον esse, ac nunc Pini resinosum & pingue lignum [τὴν δᾶδα] significare, quòd lucernæ candelævé loco uratur: nunc arborem sui generis, Theophrasto ignotam, quam *Cambro* vocent Tridentini, Allobroges *Auvia*.

Tabern. Pinus sylv. Cembro.

Locus. Pini Cembro folia & Conum habeo ab Illust. Principe, allatum Oenoponto, cuius nuclei plantati in horto Excell. Comitis provenêre visu grato, verùm citò periêre. Pinastrum maiorem (sic enim is vocat) crescere scribit Clus. in montibus Pyrenæis, & plerisque aliis Hispaniæ locis.

PINVS SYLVESTRIS, SIVE PINASTER.

CAP. V.

Pinastri genera ex Theoph. PINASTRVM in bina Theophrastus partitur genera. Alia enim Idæa est, alia Maritima, & tertia Sterilis, de quibus plura cap. de Peuce vet.

Meminerunt Pinastri plurimi, sed titulo tenus duntaxat, non demonstrantes quam arborem intelligant. Alii quidem Pinum sylvestrem rectè statuunt: sed hanc non distinguunt. Hist. Lugd. de Pinastro meliora docet. *Pinus sylv.* Sylvestrem enim Pinum sive Pinastrum (Pinaster enim ut scribit Plin. nihil aliud est quàm Pinus sylv.) in fructiferam partitur & sterilem. *Pinus sylv. fructifera & sterilis. Fructifera duplex.* Fructiferam in Idæam sive montanam & maritimam. Montanámque sativæ similem dicit, ac nuces edere similes, solidas, ex simili squamarum congerie compactas, resinosas, odoratas. Huiusmodi verò montanas Pinus in multis Hispaniæ & Lusitaniæ montibus crescere, adeò fructuosas, ut inde maxima nucum pinearum copia per totam Galliam distrahatur. *Sterilis cur dicatur.* *Sterilem* autem vocat, non quòd nullum edat fructum (conos enim fert) sed quia nuclei edules non sint, nec cibis utiles. Sterilibus [addit præterea] Pinastris Arvennorum, Vellaunorum & Allobrogum montes abundant, ex quibus resinam colligunt, & picem optimam conficiunt, vocántque *Pins sauvages & Pinnateaux*.

Plinii error. Pinastrum scribit Plinius mira esse altitudine quod minimè verum esse videtur. Nam in hoc arborum genere Abies, Piceáque nostrates altitudine mediocri, tametsi Bellonius prodiderit & Dictæos Pinastros in vastitatem diffusos, ad insignem altitudinem assurgere, & eos qui in Olympi Phrygii montis aut aliorum gelidissimorum montium summis, culminibúsque proveniunt, Abietis esse rectitudine. *Pinus Cembro est Pinaster Bellonio male.* Sed is Pinum Cembro pro Pinastro describit, depingítque absurdè. Iustior est Matthioli reprehensio, quam fugere non potest Bellonius, dum Pinastri vocem ex versione Latina frequenter se legisse scribit apud Theophrastum, *Bellon. reproh.* cum tamen Theophr. fuisse incognitum, quod in Græciæ Asiæque montibus non nascatur. Itaque nullum esse ex Græcis authoribus, qui Pinûs sylvestris, Pinastrive meminerit. Quid? nónne Theoph. πεύκην aliam cultam, incultam aliam prodidit? Nos equidem nihil aliud esse πεύκην, quàm Pinum probavimus, & πεύκην ἀγρίαν Theophr. Pinum sylv. sive Pinastrum esse statuimus.

Pinastrum appellat Clus. Pinum sylvestrem sequutus Plinium, qui quæ Theophr. περὶ τῆς πεύκης ἀγρίας dixit, ad Pinum sylv. transtulit. *Pinastri varia genera.* Eius autem in suis peregrinat. varia observavit genera: terna in Hispanicis, quaterna in Austriacis Pannonicisque montibus, & sylvis.

Æquivoca. Pinastri ergo nomen seu Pini sylvestris pluribus attribuitur plantis. *Pinus Cembro. Pin. syl. Hispanica maior Austr. alba & nigra. Austr. tenuifolia. Pin. sylv. Idæ Troadis.* Pinastrum Plinii & πεύκην ἀγρίαν, quidam eam Pinum existimant, *quæ culta non est*, alioqui similis sativæ, formâ non differens ab ea, ut cæteræ, quæ proponuntur. Pinastri vocabulum assumpsit quoque *Pinus Cembro* dicta. Pinaster dicitur de *Pinu sylv. vulgari Genevensi*. Item de *Pinu sylv. Hispanica maiore Clusii*, De *Pinastro maiore Austriaco albo & nigro*, De *Pinastro Austriaco tenuifolio*; De *Pinu sylv.* sive ut vult Bellonius de *Picea sylvestri Ida Troadis*, cuius coni facilè decidunt, De *Pinu sylvestri Mugho*, sive

Pinus maritima triplex. sive Crein. *Pini silv. maritima conis firmiter adhærentibus* dicitur etiam Pinaster, ut & illa *Pinus maritima Theophrast.* Lobelio, cum *Pinu altera maritima Matthioli.* Habet & tertium Pinastrum Hispanicum Clusius. *Pinaster 3. Hisp.* His ita absolutis dicetur etiam de *Pinu Indica Theveti*, ex quâ *Bre* conficiunt, De Pineæ nucis specie *Melenken*, De Pinei coni facie *fructu exotico*, De Pini forma *Cibage*, & similibus.

PINVS SILV. VVLGARIS GENEVENSIS ET Tæda.

Pini silv. differentiæ plures.



PINI silv. historia mihi admodùm obscura videtur: eius enim observantur variæ differentiæ parùm differentes, quarum unam voco Genevensem, quæ nobis variare videtur à sequentibus, postea tamen rem diligentiùs examinabunt.

Descriptio. Nostra igitur Genevensis parùm variare videtur à Pino silvestri Tæda, quam subiungemus. Pulchrè convenit cum icone à Matthiolo in penult. comm. exhibita pro Pino silv. ex qua nostra icon desupta est. *Icon.* Coni n. ut Matth. de sua priùs dixerat, parvi & breves & non turbinati, ut in *Coni.* Tæda, aut Mugho sive Crein, sed rotundiores, in cæteris similes Mugho, fragili & brevi pediculo adhærentes ramis. Pinus, quam silvestrem voco ac Tedam cognomino, *Taier* in Burgundia dicitur, *Taier.* ubi provenit circa montem *du Pré* loco *Malfatgne* nuncupato, uno milliari à *Mechε* Castello, iisdem in locis, in quibus aliud genus Pini silv. quam *Crein* vocant, & quæ *Mugho*, de qua *Pinus Crein dicta Burgundis.* postea. Arbor tamen *Taier*, ut aiunt, maior & crassior & vulgatior: folia eadem bina, sed latiora, albidiora, uti & tota arbor albidior: rami non ita abũdant foliis, sed disposita sunt per fasciculos, ut pinguntur rami Pinûs maritimæ Matthioli: atque etiam in tres partes solent rami dividi. Abundabat mense Septembri conis dependentibus ex pediculo satis tenui & fragili, deorsum nutantibus, similibus conis silv. *Mugho* sive *Crein*, longis, turbinatis, non ita nigris, sed viridibus. Squamæ differunt, habent enim in earum medio ele- *Pix. Usus ad tedam.* vationem. Ex hac arbore fit pix, & hac potissimum utuntur, tædę instar, loco candelarum, pin- *Pinus silv. Basileensis.* guior autem & fragilis admodum est. Audio in Saxonia & Misnia vocari Küfichte. Huic Pino silv. Tedæ, similis est quæ provenit circa Basileã, & in agris, conorum squamæ nonnihil differunt, *Tempus.* alioqui abundat multa resina sicca: Mense Maio & Iulio scatet nucamentis plurimis, parvis, sive Iulis, supra quos in summitatum extremitate oriuntur minimi coni purpurei, qui florum locum tenent: nihilominus semper habet conos in sua magnitudine: summitates sunt acidæ, nec ingratæ

essent, nisi sapor resinosus adiunctus esset: cùm *Piceaster Locus.* Tiguri essẽ Gesn. præceptor meus *Piceastrum* vocabat. Burmii Rhetorum Chirurgus quidam dicebat Piceastrum vocari Menpf: provenit hæc Pinus silv. in quibusdam silvis propè *Florimontium*, item circa *Befferdiam* versus *Raupach*, ut non longè à *Porentruo* ex qua tubulos parant. Sæpiùs frustra plantavi in horto Ill. E. C. tandem una planta crevit in Theriotrophio ex semine ex Harcinia transmisso. Hæc eadem ni fallor est, quæ provenit copiosè in silvis prope *Nidenfels* Castellum, ex quibus vetustate corruptis, arcis Dominus insignis vir Beuterichus curabat picem excoqui, uti aliquando ipsemet vidi, eò comitatus Ill. nostrum Principem D. Ducem Frid. VVirt. Hanc autem, aut valdè similem videtur describere Clus. pro Pinastro Austriaco maiore.

Cordo in Diosc. *πίτυς* Pinus spontè proveni- *Pitys Cordo.* ens, Pinaster vocata, seu, quod idem est, Pinus silv. copiosa in Alpibus, patriâ linguâ Cyrbelbaum appellata. Hæc autem nisi ea sit, quam in præsenti vulgarem Pinum silvestrem voco, ignoro quam Pinum silv. Cordus intelligat: atque si alicubi in Germania vera Pinus, pineas nuculas duras ferens spontè proveniret, de illa *πίτυν* Cordi intelligerem. Quam porrò Pinum silvestrem vulgarem voco, ad Pinum silv. tædiferam refero, de quâ Cordus eodem c. scribit in hunc mo- *Teda arbor.* dum. Δᾴς est propriè Tæda arbor, quam Kin Kinbaum, aut Kifferbaum, & Feuren vocant. Ex quâ sumpta pinguissima materia, Tæda Græcis, Kin Germanis, similiter ut arbor ipsa nominatur, unde etiam faces δᾷδες à Græcis dicuntur.

Cæterùm, quoniam in Tædæ mentionem incidimus, stat sententia de eâ fusiùs pertractare. Transeunt in Tedam quandoque Picea & Larix, sed rarò admodum: Pini enim silvestris proprius ac peculiaris morbus est. In Tedam autem *Teda morbus est, non arbor.* arbor conversa dicitur, cùm non modò cor eius, ut sub Peuce veterum dictum est, sed & reliqua eius substantia in pinguedinem mutata est. Hinc *Plinii error.* Plinius non absque errore Tedam sui generis arborem esse existimavit, ac sextum Coniferarum genus statuit. Eundemque errorem Hermol. *Hermol. error.* cõmittit, Plinium dubio procul secutus, dicens: Teda propriè dicta, & à Græcis δᾴς & δᾳδίον vocata, sui generis arbor est redundantior humore quàm reliquæ, parcior liquidiórque quàm Picea, flãmis & lumini sacrorum quoque grata. Impropriè verò Tedæ appellantur, tũ alia quoque ligna quæ flamma olei vel picis illitu concepta, faculæ modo lucent: Nunc (pergit Plin.) celeberrimis arborum dictis quædam in universum de cunctis indicanda sunt. Montes amant Cedrus, Larix, Teda, & cæteræ è quibus Resina gignitur. Verùm si quis Plinii defensor diceret, per Tedam ipsum hoc in loco non aliud intelligere, quàm Pinum, itaque eum tueri vellet: hanc tutelam illud (ut cum Matth. puto) vanam esse ostendit, quòd, cùm eo capite Plinius resiniferas arbores omnes per genera describat, & primum omnium genus Pinum faciat, nullo pacto Pinum pro Teda accepisse videtur, cùm sexto resinarum generi Tedam postea adscripserit. Adhæc ipse Plinius Laricis morbum esse ait, ut Teda fiat.

Est autem *Teda* variæ significationis: Per Te- *Teda variæ significat.* dam enim videtur Munsterus intellexisse Pinum Cembro: aliis Pinum sylvestrem significat: aliis vini vitium denotat: Tedamque in Alpibus vocari Piceam scribit Cæsalpinus. Ac præsertim Coniferarum arborum materia ob vitium pinguis fa-

cta (si modò fiat) Tedæ nomine vocari posset. Verùm ex eo quòd Dioscorides πίτυς πεύκης ἢ πίτυος Tædam particulatim sectam, si in aceto coquatur, & decocto dens colluatur dolores levare scribit: Atque cap. de Ol. Candido ubi tædam fusiùs describit: tedæ præpinguis pinus assulatim concisæ cum aliis pondus aliquod præscribit. Ex eoque quod Plinius Laricis morbum esse scribit si teda fiat &c. Nec non etiã Theophrasti autoritate fretus, concludit Bellonius planè perspicuum esse, Tedam non esse arborem sui generis, ac nullam esse arborem quæ peculiari nomine Tæda vocetur.

Teda Diosc. & Plin.

Nulla arbor est, quæ Teda vocetur.

Pinaster. Pinaster, ut vult Tragus, in Germania vulgaris est notitiæ, & facilè provenit, quocunque loco plantetur. VVasgoviæ admodum familiaris est, præsertim oppido Cæsareo Luthræ: folia gerit multò quàm Pinus crassiora, duriora, & nocentioribus aculeis armata: conos quoque acquirit breviores & duriores, exiguis prægnantes nuculis: multam hæc arbor resina n destillat vulnerata, Germani Ein wilden Kinbaum / Kyfferbaum, & in superiori Germ. Forenbaum / aut Holtz nominant. Hæc ille. Si verò eandem quam nos, intelligit arborem, non in omnibus placet descriptio, potissimùm quòd ait folia crassiora, quàm Pini. Seminibus etiam in vulgari nostra sylv. Pinu, nucularum nomen haud convenit: Sed Pino Cembro potiùs congruit. Considerandum præterea Tragum scribere cap. sequenti quasi de arbore à modò dictâ diversâ, quæ sequuntur. Pinguis illa arbor, quæ hybernas in quibusdam locis faces præbet, ad Abietem quoque tanquam species eius refertur. Quartum hoc Abietis genus Germani Dâlen nominant. Teda quibusdam appellatur, à quibus in præsentia non discedo. Difficile autem assertu quid Tragus velit, quia non demonstrat quã in re differat sua Teda à suo Pinastro, quem describit præcedenti capite. Is ut tegeret suam ignorantiam se otiosis diligentiorem & exactiorem nominum inquisitionem relinquere ait: quos monet ut in hanc rem Vallesiæ Alpes, maximéque eas, in quibus S. Bernhardus habitet, perlustrent. At non fuisset sanè otiosi hominis, sed boni Botanici arborem describere. De qua si vel liquidam sententiam suam protulisset, vel planè tacuisset: nullam nobis occasionem vellicandi ipsius ignorantiam præbuisset.

Tragus tax.

Abietis genus.

Gollius ignarus. Theoph. Gollius in Onom. Pinastrum Wilden Fiechtbaum/à Teda Kienbaum/ vt à diversa arbore separat, demonstrãs se nescivisse quid scriberet.

Piella. Picea. An Petro de Cresc. Abies & Piella?

Picea montium. Bellon. conif. πίτυς, Picea, vulgi Græcorum ἐλάτη, & circa Lugdunum Pinus aggrestis, *Pin sauvage*, sed falsò: figura etiam quam habet non placet. Eidem de negl. cult. Picea montium, ut Tataræ, omnium qui Lutetiâ Lugdunum proficiscuntur, oculis subiecta. An verò eidem Obs. & conif. Picea Dictæi montis, ex qua Teda in Creta, & de qua sub titulo, Pini sylvestres.

An Picea Dictæi montis?

Pin. sylv. Matth. in Diosc. Pinus sylv. numerosa virens in Ananiis, reliquísque Tridentinis montibus, fructu parvo, brevi, quamprimùm arescente, affatim dehiscente, & ex arbore decidente. Is figuram habet, eámque in prioribus comm. & Hist. Germ. Pinum sylvestrem inscribit, atque ex ea in Bohemia & Germania picem fieri ait. In post verò comm. Pinum montanam vocat.

Error. Cast. Dur. Cast. Durant. non describit suam Pinum sylvestrem, cuiúsque figuram secundò proponit sub hac inscriptione *Pignoli pargati*, vietore aliquo.

Pinus, ut apud Stumff. Hist. Helv. legitur, multis dicitur de Forchenbaum/ aut Fiechten, licèt sit particulare genus: quod a Plinio Pinaster vocatur.

Lonicer. nat. Lonic. sub titulo Fessenbaum malam Pinastri figuram ex Trago depinxit. Vocat autem cap. sequenti Feuren/ oder Dâlen / auch Etlicher Kinbaum & Kyffern, Lat. Tædam, Græcè δᾳδα.

Anguill. Picea, πεύκη, Plinio dicta. Phicophorum & Picea sativa, & Teda. Habet is figuram Matthioli postremam, quæ convenit nostræ Pino sylv. *Taier* sive Teda dictæ: conveniunt & ea quæ dicit.

An Lob. & Penæ Adv. Pinus altera nuce minore, ferè Laricina?

Dodon. tax. An Dodon. Germ. πίτυς ἀγρία, Pini sylv. seu Pinastri prima species, & Pinus Tarentina Plinii. Gall. *Aleve & Eleve* Bellonii? Fallitur Dod. existimans esse Pinum Tarentinam, Aleve & Eleve Bellonii, est enim Eleve Cembro Matthioli: descriptio etiam confusa videtur: ac præterea confundit etiam Theophrast. ἀγρίαν, arborem peculiarem, cum πίτυν.

Ryffer. confusus. Ryff. in Diosc. cum dicit, Piceam aliis dici Ein Fiecht Danne intelligit Pinum sylvestrem. Confundit autem, ut & Lacuna, Piceam Bellonij cum Picea Matthioli.

An Cæsalp. Pinaster in cæteris [cum Pinu] similis, sed graciliori caudice: nuce pyramidali: nucleisque ob parcitatem inutilibus, præterquam ad columbarum cibum?

Apollo ex probatur. Apollo contra Matthioli sententiam existimat Bellonii Piceam non alludere ad Pinastri aliquod genus à Matthiolo depictum. Ego verò potiùs huic quàm illi assentior, quanquam sit cuius Matthiolum redarguam, quòd videlicet Theophrastum πίτυν ἀγρίαν scribentem malè intelligat: nam has duas voces coniungit non coniungendas, ac Pinum sylvestrem interpretatur, quum ἀγρία sit Aquifolium, non autem adiectivum, ut ipse putat, πίτυος.

Matth. redarguitur. Theoph. lectio restituitur.

Piceastrum. Piceastrum, inquit Gesnerus de hortis, in altissimis montium nostrorum sylvis nasci aiunt, materiâ longè puriore & politiore quod nondum satis consideravi. Piceastrum esse puto, cui maxima (ni fallor) rigidissimáque in coniferarum genere folia sunt. In Catalogo verò dicit Tedam vel Tædam Pinei generis arborem esse, cuius assulis pro candelis uti possimus, δᾳδα Græcis: Germanis verò Krenholtz dictam. An autem Piceaster eius altissimorum montium huc referri debeat, dubito.

Pin. sylv. Teda. Pinaster. Camer. ad hist. Matth. Germ. & Epit. *Pinus sylvestris*. Tabern. *Teda*. Thal. *Pinaster*. Horto. Lusit. *Pinaster 1. sylvestris: Pinaster pumilio ex montibus Bohemicis.*

Nomina hujus arboris. Pinus sylv. vulgaris, *Teda* cognominata multis, πίτυς ἀγρία Græcè, & δᾳς Cordo, Belg. Wilde Pineboom, Gall. *Pin sauvage*, Ital. *Pino salvatico*. Hisp. *Pino sylvestre*, Vng. Vad fenyo / Bos fenyo.

Locus. Hæc arbor abundat locis vicinis in Burgundia circa Porentruum, in Sundgovia variis locis, ut circa Beffordiam ac Basileam in itinere Montbelgardum versus, unde aliquot vicibus translatarum, ac in horto Montbelgardensi plantatarum, vnica superstes mansit arbuscula à pluribus annis lentè crescẽs. Verùm ex seminibus ex Harcinia sylva per E.C. missis egregiæ arbores adoleverunt in eius Theriotrophio.

Vsus. Tubuli. Ad tubulos pro fontibus expetitur. Cùm essem in Palatinatu cum E.C. observavi celebrem virum D. Beuterichium in sylvis iuxta arcem suam Vhidenfels curasse picem excoqui ex Pinis sylvest. vulg.

Vires. vulg. vetustate corruptis. Folia, cortex, resina, nuces, eadem, autore Matthiolo, præstare possunt, quæ in domestica diximus, ac etiam valentiùs, sed nuces edendo non sunt. *Succus. Vulva. Mammæ.* Nucum recentium succus, vulvam angustiorem reddit infusus, & mammas, nimis in virginibus extuberantes cohibet. *Aqua.* Idem præstat stillatitia earum aqua; sed non adeò valenter. *Cortex.* Cortex, inquit Schvv. calidior est domesticâ, ut & resina siccior. Coni recentes decocti in insessu, vesicæ & uteri ulcera sanant. Ex *Fuligo.* teda faces fiunt & fuligo ad atramenti librarij cõfectionem. *Dentium dolor.* Teda in aceto decocta collutu dentium dolores sopit. Emplastris addita, anthracibus pestilentialibus percommoda. Lignum verò Pinastri pulchritudine præstat Fabris lignariis, & pulchriùs politur, & elegantius apparet præsertim vernice obductum.

PINASTER, SIVE PINVS SILVESTRIS HISPAN. maior.

Descriptio. Folia. IN Pini altitudinem excrescit, interdum etiam superat, à medio ramosus, folia habens Pini oblonga, bina semper simul iuncta, in viriditate nigricantia, acuminata & pungentia: strobilo paulò minore, quàm Pini, alato inter squammas quibus compactus est, *Nucleus.* nucleo molli & nullo putamine incluso, sed tenui cortice duntaxat tecto. *Caudex.* Caudex rectus. *Cortex.* Cortex lævior & minùs scaber quàm Pini. Plurimam resinam fundit. *Locus.* Crescit id genus in Aquitania, in Pyrenæis frequentissimè, & plerisque aliis Hispaniæ locis. *Pinus silv. montana Theoph.* Pinus silv. montana Theophrasti nonnullis esse putatur, inquit Clusius.

PINASTER AVSTRIACVS MAIOR ALBVS ET niger.

Duorum generum. PInaster primus Austriacus maior Clusii duorum est generum, adeò inter se similium, ut pauci nisi materiæ cæsores, discernere queant. *Descr. Pinastri albi.* Alterum tamen genus lætiore & erectiore est caudice, læviore cortice, maiore cono, Austriacis Weisse Fereut dictum; *Nigri.* Alterum verò crassiore plerũque est caudice: scabriore cortice, foliis paulò crassioribus ac minore cono, Schwartze Fereut appellatũ. *Folia.* Tenuia porrò & oblonga habet utrumque genus folia, pungentia, bina semper coniunctim, ex eodem tubulo prodeuntia, & circa ramos in orbem quasi nascentia. Maio mense in extremis ramis quasi botros, *Vvæ. Iuli.* sive uvas quasdam, fert tenuibus squamis obsitos, qui sponte aperientibus se squamis iulos ostendunt virescentes aut pallescentes, plenos tenui polline luteo, sive farinâ, quæ levis auræ afflatu dispergitur. Ex mediis deinde botris novâ germina eodem mense prodeunt suis novellis foliis tenui quadam veluti membranâ inclusis onusta, quæ extrema parte antequam folia se erectant & explicentur, fructûs rudimenta dant, *Fructus.* grandiore iam firmitérque ad germinum basim inhærente superioris Autumni immaturo fructu, viridi, ramorum alas spectante & reflexo. Nigri genus interdum invenitur tristiore arbore, contorto radice, & in latum sparsis ramis, minore adhuc quàm præcedens cono. Vtrumque verò hoc genus Vngari Dad fenyo & Bors fenyo nominant.

An Pin. silv. vulg. Genevensis. Perpendendum autem an Pinastri Austriaci multùm differant, à nostra Pinu silvestri, & Tedâ ante descripta, vel an eædem.

Vsus. Asseres. Cæterùm ex utróque hoc genere passim in montanis Austriacis & Pannonicis conficiuntur asseres, rotæ ab aqua versatæ operâ secti: ex albo *Scandula. Pali.* etiam, quod parum ab Hispanico maiore, & solis fortè natalibus differre videtur, scandulæ & vinearum pali.

PINASTER AVSTRIACVS TENVIFOLIVS.

Locus. CRescit ad nonnullorum Austriæ montium radices in scopulis, & supra Badenses thermas quatuor supra Viennam milliaribus, *Descr.* in montium crepidine tenui gramine obsitâ, aliud quoddam genus, contorto admodum caudice, divaricatis *Caudex. Rami.* ramis, quorum surculi multò graciliores, lentioresque sunt quàm in superioribus duobus generibus: *Folia.* folia item habet illis longè tenuiora, & breviora, tametsi bina semper coniunctim ex eodem tubulo in virgarum ambitu nascentia: *Iuli.* extremis virgis botrus, sive uva exiguorum iulorum veluti nucamento tenuiorum squammarum inclusa adnascitur, qui non virescunt, aut flavent ut in antè dictis, sed purpurascunt; deinde in tenuissimum pulverem abeunt, succrescente ex eorum medio novo germine, suis novellis foliis membranâ vel vesiculâ inclusis, onusto: huius conus etiam minor est, & obtuso plerumque mucrone.

An Pinus silv. Genevensis. Investigandum annon Pinaster Austriacus tenuifolius, sive tertius Clusii, accedat ad Pinum silvestrem à nobis Genevæ observatum.

PINVS SILVESTRIS, SIVE VT BELLONIVS, PICEA SILVESTRIS IDÆ Troadis, cuius coni facilè decidunt.

Picea, seu Pinus Idæ Troadis. PIceam, quæ in Ida Troadis nascitur, plurimùm ab aliis discrepare comperit Bellon.

& Pini silv. *Taier* dicti, ramis bipartitis: folia prodeunt ex tubulo bina, tres digitos longa, vnâ parte rotunda & carinata, alterâ plana, similia pino silv. Tedæ, sed colore magis viridi, pũgentia. Coni deorsum nutantes, paulò longiores quàm Tedæ aut pini silv. Genevensis, vt & nigriores. Squamæ crassæ & extuberãtes vt in Teda: sed manifestè differentes, quia eminentiæ pulchrè sursum vergunt, cum dorso euidenti, immediatéque hærent ramis, à quibus facilè diuelli possunt: vbi folia decidunt, sunt tubercula crebra, quæ exprimerentur à Matthiolo, ni squamas nimium referrent. Arboris cortex nigrior, odoratior etiam videtur arbor. Ramuli rectiores pluribus foliis ornati, eâ formâ, quâ depinguntur à Matth. Resina alba, sicca. Hac arbore (vt aiunt) pro teda ad faces vtuntur, quamuis rariùs, quia minùs pinguis.

Rami. Folia. Coni. Squamæ. Cortex. Teda.

Considerandum an hæc Pinus silv. sit depicta & descripta à Clusio pro Pinastro pumilione, qui humanam non superat altitudinem, sed statim à radice in lentos & obsequentes, tametsi crassos, rugosóque & denso cortice tectos ramos dividitur, utque in latitudinem diffunditur: hos per singulas squamas bina semper ex eodem tubulo simul prodeuntia, & iuncta folia ambiunt, quemadmodum in Pinu & vulgari Pinastro, magis tamen carnosa sunt, crassiora breviora, & obtusiore mucrone prædita, coloréque saturatiùs virente: Strobili unciales squammatim compacti, Lariceis conis haud maiores, sed magis turbinati, rectique, pediculo retrorsum non inflexo, ut in prædictis generibus, nucleus alatus ut reliquorum, & inter compactiles squammas latens: radix crassa, lignosa, in diversa tendens.

Pinaster pumilio Austriacus. Rami. Folia. Strobili. Nucleus. Radix.

Matthiol. in Dioscoridem dicitur Pini sylv. species in Tridentino agro, Ananiisque, & vallis Flemmarum montibus visa, vulgò *Mughi* ab incolis vocata, quæ sine stipite medio, ramis, circumquaque à radice fusis, humi spatio cubitorum decem, quindecimque repentibus: quales etiam apud Ananios in Rovena monte & in aliis plerisque harum vallium locis apertè conspici possunt. Proferunt hæ, inquit, fructus paulò maiores cæteris sylvestribus, sed qui magis resinam fundant. Harúmque ramis utuntur incolæ ad vasa vinaria cingenda: sunt enim tenaces admodum & flexiles. Eadem etiam tradit in post. com. It. ubi præterea reprehendit Anguillaram, quòd hanc speciem Piceæ faciat. In Histor. verò Germ. sub hoc titulo *Pinus Mughus*; figuram sicut in post. com. meliorem exhibet, quàm olim, quamque etiam præfero figuræ Lobel. & Plantini. Notavit autem aliquando Dalech. *Mughi* esse, quos Plinius appellarit tubulos, quòd aut ex illis fiant tubuli, aut quòd tubulorum modo, rami sint illorum teretes, aut quòd veluti defossi tubuli in terra prostrati iaceant, nec unquam attollantur.

Synonyma. Pinus Mughi. Fructus. Ramorum usus. Anguill. reprehens. Pinus Mughus. Mughi sint tubuli.

Tradit Cæsalp. (ex Matthiol.) in Tridentinis montibus differentiam quandam in sylvestri genere Pini esse, ramis humi procumbentibus, utilibus ad cingenda vasa vinaria.

Mugho Cæsalp. Picea Anguill. Pinus humilis. Pinus Mugho. Pinaster Alp. repens. Pitus άγρία.

Anguillaræ *Picea altera sylvestris in Alpibus*, dicta *Mugho*. Dodon. Gall. *Secunda sylv. Pini species, Mugho*, χαμαιπίτυς, *humilis aut terrestris Pinus* Lobel. & Tab. *Pinus sylv. Mugho*.

Schvven. *Pinaster alp. repens*: *Pinus humilis alpina*: *Pinaster pumilio*: πίτυς ἀγρία χθ. Klein-Alpen Kyfer/ caudice nullo, sed humo tenus ramis à radice fusis.

An Bellon. Obs. Picea nigra Corcyrensis, de qua antè titulo: Pini sylv. vel ut Bellon. vocat Piceæ sylvestres, *&c.*

An Picea Corcyr. Bellon.

An Camer. hort. *Pinaster pumilio* ex monte Arba Bavariæ, vbi Lachholtz nominatur, non absimilis pannonico Clusij. A descriptione nihil dissidet, nisi fortè conis, quos tamen nondum conspexit. Idem Epit. Matth. Pinus silv. altera Mugho dicta. Et Hist. germ. Pinus Mughus.

An Pinaster pumilio monte Arba Camer. hort.

Hanc a iisdem viribus pollere, quibus & cætera Pinorum genera, author est Matth. Locus ex hactenus dictis patet.

Vires, & usus.

PINUS SILV. MARITIMA CONIS FIRMITER RAMIS ADHÆRENTIBUS.



Coni ex adverso bini, deorsum nutantes, crasso, lignoso pediculo firmiter hærent (quo nomine ab aliis differt Pini & pinastri speciebus) trium digitorum transuersorum longitudine, in acutũ mediocriter mucronem desinentes, quatuor in ambitu vncias ad basim colligẽtes, squãmis nõ multùm extantibus compactiles, ad pini domesticæ conos accedentes, nisi multò essent minores: ligno materies alba, cui resina vehementis odoris, sublutea. Coni à nobis descripti fuerunt ex Valerandi Douteż peculio.

Descriptio. Coni. Squamæ.

Nescimus an hæc eadem sit Pinus cum maritima, quam Monspelij comburunt. Icon Pinastri 2. Hispanici Clusij, benè exprimit conos nostros, an v. sint eiusdem plantæ dubij hæremus, nobis enim non sunt folia, vt certi quid pronunciare possimus. Clus. Pinastrum 2. Hispanicum minorem facit primo, ac ait. Duorum hominum altitudinem rarò superat, inflexo & contracto caudice, vtplurimùm ab imo ramoso: folia, majori illi [primo] similia, sed breviora & dilutiùs virentia: coni etiam minores, oblongi tamen, turbinati, & candicantes, multâ plerumque resinâ infarcti, non admodum iis dissimiles qui Austriaco, albo cognominato, innascuntur: nuclei, quales in maiore, nigrâ membranâ contecti. Murciano & Valentino regno frequens.

An Pinaster 2. Hisp. Clusij. Descr. Caudex. Folia. Coni. Nuclei. Locus.

An Bellon. Obs. Picea montis Athos: An eidem de conif. Picea in planis: de quibus antè, titulo Pini silvestres, vel vt Bellon. &c. Icon nostra est ex Matthiolinis, quam exhibuit pro pino maritima prima, de qua ait. In maritimis pisorum oris, silvestres prouenuint pini, quæ breves edunt nuces, Cupressi modo, non tamen rotundas, sed acuminatas.

An Picea montis Athos Bellon.

An Anguill. Pinus marina, Pescaræ abundans, Pinus silv. & Chiapini vocata.

An Pinus marina & Chiapini.

Lob. & penæ Adv. videntur pini silvestris esse

non annua, sed post plus temporis administrari solita est. Fit resina in hunc modum. Vbi iam vulneratâ arbore, detractus tantùm cortex est [non detracta teda, ut scribit Herm. secutus Gazam] resinam hauriunt, sic enim in vulnus invectum, humor copiosior confluit: ex Abiete verò & Picea non cortice tantùm spoliatis, sed ipso etiam corpore, id est ligno vulnerato: haud enim quamque secretionem modo eodem agi mos est. Et hinc Plinii lapsus perspicitur, è Picea detracto tantùm cortice resinam fluere dicentis: quod de Pino scripsit Theophr. Deinde eiusdem depravata hæc lectio manifestatur: Nec corpori ipsi parcitur in cæteris, vel, ut in cæteris: sic a. restituendus Plinius, corpori ipsi parcitur, non ut in cæteris. Est hæc porrò Resina, non ita levis, quàm quæ ex Abiete & Larice & Picea [ἐλατίνη ἢ πιτίνη:] Insignis, v. error Gazæ in sua versione, qui tres hîc tradit plantas, ac aliàs πίτυν modò interpretatur Laricem, modò Piceam] teda enim Pinus referta est. Sed vel ex hac Theophrasti sententia sequitur: è Pino non detractâ tedâ, sed cortice tantùm, Resinam colligi. Pinus siquidem non spoliata, sed referta tedâ est, ob quam gravior cæteris eius resina fit. Quam ob rem præclarè Hermol. è Pinu Resinam copiosissimam, ponderosissimam, picique proximam manare scribit. Plinius contrà minimum resinæ de Pinu colligi tradit, sed errat, Larici enim omnia ei tribuit, quæ de Pinu Theophrast. dixit. Et sic Plinius Archetypum suum imitatur!

Resina facienda modus. Theoph. Gaza & Hermol. error. — *Plinii lapsus.* — *Plinii locus restitutus.* — *Resina gravis.* — *Gazæ error alius.* — *Plin. repreh.*

Cæterùm, Resinæ succi pinguis, summæ, ut antea quoque diximus, species duæ sunt, liquida & sicca. Liquida, ait Theoph. portatur utribus, dein spontè spissatur. Resinæ liquidæ, ut comprobat Diosc. è Pinu & Picea manant. Hæ ex Gallia & Hetruria convehuntur. Quin & olim è Colophone asportabatur, quæ inde Colophoniæ cognomen sibi vindicavit. Ex siccis autem Resinis, alia est strobilina, alia abiegna, de qua dictum, ceu de alia picina, & alia denique pinea.

Resina duplex. Liquida. Colophonia cur dicta? Sicca.

Confundit certè Corn. si non decipit studiosum, dum ait: Quarum arborum sint singulæ relatæ Resinæ, ipsæ appellationes indicant. Falsum siquidem hoc est. Nam strobilinæ resinæ nomen, non strobilum, arborem particularem, designat [ut ipse sibi imaginariè persuadet,] sed eandem planè cum pineæ resinæ vocabulo quod Pinum denotat, significationem habet. Strobilus enim (uti fusiùs declaratum) unde vox strobilina derivata est, nihil aliud est, quàm nux pinea. Strobilina igitur resina & pinea eiusdem arboris resina fuerit. Illa quidem partis arboris [fructûs,] hæc verò totius.

Corn. confusio.

Nostra tempestate, inquit Bellon. eâdem impostura utimur, quâ antiquissimi solérent, in adulteratione Thuris. Siquidem resinam Pini miscemus Thuri. Sed fraus deprehenditur odore, vulgusque nostrum resinam illam Garipotum nominat. Subolfecerat fraudem istam suo tempore Dioscorides, qui in cap. de Thure scribit Thus in itinere, inquit, adulteratur, Pini resina: quæ res mihi absurda videretur, nisi in itinere dixisset: utpote, quòd illæ regiones externæ, quæ admodum calidæ sunt, Pinum non generent. Ideò, ut nobis Thus peregrinum est, ita & illis resina Pini. Prisca ætas ea omnia adinvenit, quæ nunc à nobis perficiuntur, aut saltem his simillima. Ex quo liquet nihil à nobis nunc scribi posse quod non antè ab alio excogitatum sit.

Impostura. Resina arida. Garipotum. Pinus in fervidis regionibus nulla.

Inserenda duo ex Plinio: Vnum, Resinæ florem crudum ab eo dici, tenuem resinæ crudæ & siccæ partem quæ in ea veluti bullat, & efflorescit: Alterum permirum id videri quod scribit: Resina omnis dissolvitur oleo: quidam & creta figlinarum hoc fieri arbitrantur. Resinam enim creta liquari aut dissolui posse verum non est, atque adeò si quis resinæ liquatæ cretam, vel aliquod aliud terræ pinguis genus admisceat, massa fit durissima, & quovis cæmento solidior: quare locum sic corrigẽdum esse quidam arbitrantur: Resina omnis dissolvitur oleo: Pudet confiteri maximum iam honorem esse in evellendis pilis: Quidam creta figlinarum hoc fieri arbitrantur.

Resina flos crudus Plinio. Resina dissolvitur oleo. Cretâ non dissolvitur. Locus Plinii correctus.

Est porrò de resinæ coctura dicendum. Liquida resina in offas cogitur duras, & solidas, ducentorum ferè pondo singulas, in aquæ duplo tamdiu cocta, quousque odorem amittat, friabilisque & tam arida reddatur, ut digitis iam non cedat, nec eorum vestigium recipiat, ut fit cùm eius lentor nondum prorsus consumptus est. Est autem liquanda & colo defœcanda, ut fœculentæ sordes secernantur, priusquam in ferventem aquam conjiciatur. Hoc coquendi artificio resina candidissima evadit, ac ferè nivea, etiamsi antea, vel oleosa, aut mellei coloris, ut Larigna, fuerit. Ex quibus perspicere licet Ruellium Dioscoridis hac de re verba rectè non expressisse: Donec, inquit, friabilis, ac retorrida reddatur, & digitis cedat, cùm legendum sit, ψαθυρὰ καὶ ὡς μὴ τοῖς δακτύλοις εἴκειν, id est, arida ut digitis non cedat: deinde: resina fit etiam eximii candoris, si omnis eliquata percoletur, *&c.* Vertendum erat, fit autem (hoc subaudi, coquendi supra dicto modo) eximiè candida. Omnem autem resinam liquare, & colo defæcare antea oportet. Sed & Dioscoridem ipsum mirantur plerique ac iure quidem, cùm declarat modum spissandæ in aqua fervente resinæ liquidæ, eum eam uri [καίεσθαι] dixisse, & non potiùs elixari [ἑψεῖσθαι:] Spissatur etiam resina cocta sine aqua in cortinis æneis subiecto primùm igne lento: deinde ubi coire cœpit, carbonibus liberaliùs aggestis, & aucto igne, ut quicquid serosi est exhalet. Si liquidam durare & in offas redigere hac ratione libet, coquenda ea est sine intermissione diebus ac noctibus tribus, quoad odoris expers, friabilis, arida, nec sub digitis lentescens existat. Sin iam siccam in offas ducere placet, uno die coxisse sufficiet.

Resina coctura in genere. Ruell. taxatur. Ruell. corrigitur. Diosc. impropria locutio. Resina spissanda ratio.

Haud absimilis est coquendi modus hodie Chymistis usitatus, oleum è Terebinthina elicientibus. Phialam ingentem vitream, luto oblitam & resinâ, ad dimidium usque, impletam furno imponunt, alterius vacuæ, & quod stillat excepturæ collum in eius fauces inserentes. Dein eâ cautione, quâ dictum est, ignem accendunt. Fluit primùm liquidus sudor Resinæ, aquam Chymistæ vocant, *Pissel aoque* veterum is respondet: abiicitur verò tanquam inutilis, tametsi ad ea valeat, ad quæ Pissel æon commendatur. Sequitur oleosus liquor, qui cùm totus exstillaverit, arida & friabilis in phialæ fundo resina superest. Colophoniam hodie nominant, magni, ut & olim, in medicina usus. Scire tamen licet nominis Colophoniæ multiplicem significatum fuisse. Sic enim dicta quondam fuit Resina autore Galeno, & resina cruda, ex Picea, Pinóve sicca,

Coquendi modus Chymistarum. Aqua resinæ. Vires. Colophonia. Colophonia varia significatio. Resina cruda.

Error quorundam. tatu in hoc Dioscoridis contextu resinam piceam pro pinea [[illegible]] falsò interpretari. Si enim Strobili pinei fructus sunt, vt abundè docuimus, vinumque è Strobilis eosdem effectus cum resinato præbet, ut autor est Dioscorides, quivis sanè facili conjecturâ assequitur, non piceam, sed pineam resinam esse interpretandam.

PIX IN GENERE.

Pix è quib. arborib. elicatur. E Pinguissimis, maximéque resinosis, & in tedam conversis, Pini præsertim, Picéæq; lignis, vrigois Pix elicitur. Quibusdam tamen in locis propter Pini Picéæq; penuriam, è Cedro, Terebintho, cæterisque similibus colligitur. *Plinij error.* Qui Macedoniam colunt, autore Theophrast. ne Pinum quidem picis gratia urunt, præterquam marem. Sterilem enim marem nuncupant. Fœminæ verò radicem tantùm accipiunt. Omnis etenim Pinus tedam in radice gerit.

A vero igitur alienum est, quod Plin. de picis materia scribit. Pix, inquit, nihil aliud est, quàm combustæ resinæ fluxus. Quare Hermol. & eum secutus Bellon. cùm hac definitione picis notionem, partim explicatam esse intelligerent, dixerunt, picem esse combustæ in teda sua resinæ fluxum. Sed hæc cum Plinii verbis coincidunt, nec meliora traduntur. *Hermol. & Bellon. taxantur.*

Picis faciendæ modus Theoph. Picis faciendi modum Theoph. fusissimè describit. Picem, ait, vrere [urendo elicere potiùs] hunc in modum consueverunt, cùm locum æqualem præparaverint, & veluti areâ concursum habente, in medium diligenter pavimentarint, truncos persissos componunt: proximè sanè compositioni carbonem facientium, præterquam quòd sine fossa opus perficiunt, lignis erectis & inter se cohærentibus, ita ut altitudinem assiduè pro multitudine capiant. Quod fieri ajunt cùm compositionem descripserunt circuitu centenorum octuagenorum cubitorum: altitudine verò cùm plurimùm sexagenorum, & centenorum, & quinquagenorum, ambabus, si teda pinguissima sit. Cùm igitur tædam ita construxerint, & materiam pertexerint, aliqua terra superinfusa undique, summa cum diligentia occultant, ut ignis nulla ex parte emicare possit. *Cautio in coquenda pice.* Pix enim perbitur si id acciderit. Succendunt autem per aditum relictum: dein eam quoque partem stipant materia, & obstruunt terrâ, reliquasque omnes observant, & quacunque fumum protrudi viderint, scalis scandentes, terram assiduè infundunt, quò nullo pacto flamma erumpere possit. Canalis verò per medium structus acervum, picem fluentem in foveam ducit, cubitis circiter quindecim ab acervo. Pix effluens tactu frigida fit. *Tempus coquendi.* Vritur duos dies, & totidem noctes cùm plurimùm: Sæpe enim postridie ante Solis occasum exusta jam est, roguſque cessat. Id enim evenit, cùm nihil reliquum est, quod amplius fluat. Totum autem tempus, quo teda uritur, vigilantes observant, ne quid ignis erupat, et sacrificant & concelebrant precantes, ut pix sibi copiosa bonaque fiat benignitate deorum. *Teda deleƈtus. Idæa.* Macedones & Idæi, qui Pinos [[illegible]] discernunt, & aliam Idæam [montanam] aliam marinam cognominant, picem fieri ajunt ex Idæa largiorem nigriorem, dulciorem, tedatiorem, in totumque faciliorem, & odore gratiorem, dum cruda sit: Ex marina autem flaviorem & crassiorem. Atque plus picis imbribus frequentatis, quàm squaloribus reddi volunt: & ex hibernis, opacisque locis, plus quàm ex apricis, serenisque. *Picis coquendæ modus. Bell.* Bellon. lib. de conif. alium picis coquendi modum Cretentibus receptum tradit, cuius verba hîc apponimus, quibus meliùs ea, quæ ex Theoph. annotavimus, intelligi possint. In Creta, inquit, nostro seculo eodem ferè modo picem excoquunt, parvâ ab iis, quæ à Theoph. differentiâ. Furnum in sublime latum exstruunt, ad ima in angustum desinentem, quâ parte cratem paulò inferius construunt, deinde struem quandam lignorum superjiciunt. Ignem postea desuper accendunt, qui oleosum ligni liquorem inferius subsidere ad ima compellit, qui petens exitum per meatum descendit, seque in foveam vicinam recipit, ex qua pix nigerrima emanat, quæ omnium optima censetur. *Nigrior pix ex sicca teda.* Nigrior efficitur, si ligna multùm sicca fuerint, & multò magis si assulatim scissa sub Solem totâ æstate permanserint. Hoc modo pix fieri solet, sed ex prima fovea ad minores transfunditur, in quibus cùm relaxit, cogitur, atque indur atur. *Quæ loca optimam picem præbeant.* Pix optima purissimaque, quam loca admodum aprica & Aquilonia præbent. Contrà, quam opaca, horridior, limumque referens: locis enim admodum depressis atque opacis, nullo quidem pacto Picea [Pinus [illegible]] gignitur.

Picis faciendæ modus Plin. Pix ut tradit Plinius duobus fit modis. Prior is est, quem à Macedonibus observari mox à Theoph. scriptum est. Posterior verò hic. Ingentibus vatis terra defossis laminam ferream multis foraminibus perviam, vel ambiente canali cinctam adaptant. Super hanc, furnum extruunt, teda assulatim cæsa complent, & obturant: ac ignem accensum extrorsum circumdant. *Teda fervens duplicem fundit picem. Liquidior. Spissior aceto densatur.* Fervescens teda picem duorum generum mittit, liquidiorem & spissiorem. Liquidior seu humidior ac primò defluens, aquæ perquàm similis est. Altera spissior & crassior, quæ vasculis collecta, in quibus servatur, aceto densatur, ac cogitur.

Pix cruda. Pix liquida. Nomina linguarum. Cedrium Syri Pinis carent. Bellon. opinio reprobatur. Quæ alium ignem non experta est, quàm cuius calore fluxit, [illegible], id est cruda à Theoph. sæpè dicitur: Latinis verò pix liquida, quam nonnulli Dioscoride teste Conum [[illegible]] appellant. Arab. [illegible], Zefs, aut Kir. Germ. [illegible]: Belg. [illegible]: Gall. *Poix fondue.* It. *Pece liquida.* Hisp. *Pez liquida.* Harum prior, inquit Plin. aquæ modo canali fluens in Syria *Cedrium*, sive *Cedria* cognominatur, quia Syri cùm Pineis & Piceis carerent, rarissime Terebinthos, sæpiùs Cedros ad picem conficiendam urebant. Rectè igitur Diosc. Cedriam ex Cedro colligi scripsit. Et hinc meritò Bellonii opinionem improbamus, qui ex quavis arbore resiniferâ huiusmodi fluentem liquorem, Cedrium vocat. Altera autem liquida, spissior, *Pix brutia* appellatur: in hoc solùm à priori differens, quòd aceto aut diuturnitate spissata sit, ac colore fusco, & pinguior. *Pix brutia. Bellon. taxatur.*

Picem autem liquidam in cortinas coniectam aceto spissari tradit Plinius. Bellon. igne spissari censet. Nos verò nihil immutandum dicimus. Aceto enim siccandi vim inesse, cuivis perspicuum est.

Pix arida duûm generum. Viscida. Sicca. Pix arida fit è liquida iterum cocta, cuius itidem duo genera. Coquitur enim duplici cura. At unâ quidem, eò usque tantùm dum ad visci crassitudinem coacta sit. Alterâ verò igne tam valido, & tamdiu continuato, ut absumpto prorsus humore (per quem alias tenax est) arida, fragilis, ac rasilis fiat. *Pix arida. Nomina linguarum.* Hæc Græcis [illegible]: Latin. Arida aut sicca pix, Germ. simpliciter [illegible]: Belg. [illegible]: Gall. *Poix seche*: It. *Pece secca*: Hisp. *Pez seca.* Huius autem prior viscosa [illegible] nominatur

Lichena. Tumores. munt ambæ, mixtæ cum cera, Lichenasque detergunt: Concoquunt item duros & crudos tumores omnes, cataplasmatis inditæ. Ad ea omnia, humida valentior est, arida verò tametsi ad ea quidem deterior, *Vulnera.* glutinandis tamen vulneribus magis convenit. Pix liquida calefacta, inquit Matth. vnà cum Thure & Masticha abraso occipitio adhibita, prolapsam columellam restituit.

Vsus picis. Vasa picanda. Picis vsum duplicem fuisse, rei rusticæ Scriptores tradiderunt: vnum ad dolia & serias, cæteráque vasa ante quadragesimum vindemiæ diem picanda, & aliter ea, quæ demissa essent humi, aliter ea, quæ starent supra terram. Nam in iis, quæ demersa essent, pix vetusta lateribus adhærens liquabatur igne in lampade admoto, & radulà curvà ligneo rutabulo præfixà foras eiiciebatur, post detersa penicillo vasa, ferventissima pice infusa, scopula rutabulo alligata & circumducta picabantur. At quæ supra terram consisterent, complures dies antequam curarentur, in Solem producebantur: Deinde cùm satis insolata essent, in os conversa, subiectis tribus parvis lapidibus suspendebantur, atque ita ignis subiiciebatur tamdiu incensus donec ad fundum calor adeò vehemens perveniret, vt apposita manus patiens eius non esset, pixque vetusta liquaretur: tum dolio in terram demisso, & in latus deposito, piceq; fervētissima infusa dolium volutabatur, vt oēs eius partes linerentur. Picem autem duram & recoctam ad id commendabant, adiecta quinta parte picis brutiæ.

Vino firmitatem tribuit. Pix in Italia, ad vasa, vino condendo, maximè probatur Brutia, ait Plinius. Picis illitus vino durattricem firmitatem præstat, inquit idem, ne vinum corrumpatur, & sicubi rimosum vas sit, ne transfluat.

Conditura. Picis alter usus erat ad conditur as. Italiæ pars aliqua lenitatem vino excitat rabulanà pice. Ratio condiendi musta aspersu picis lib. 15. dicetur. *Picis odor Romanis olim gratus.* Picis odor sapórque Romanis olim fuit gratissimus in vinis, quæ ob id picata appellabant, Galenus οἶνον κωνίαν, & πισσίτην. Huiusmodi vina arte talia erant, vel naturæ sponte, qualia Viennensia, & Allobrogum. Sed de his loco iam citato. Quemadmodum autem cùm vinum adeò infirmum esset, ut perennare non posset, aut certè quousque venderetur, durare, periculúmque esset, ne acesceret, fugeret, mucesceret, id resinà, flore resinæ, crapulà resinaceà, sapà, defruto, aliisque odoribus condiebant: ita pice interdum solà, interdum cum aliis mixta, & eà quidem modò liquidà, qualis fuit Nemeturica: vel sicca, qualis fuit corticata Allobrogum, Rasilis, Brutia, vina medicabantur, prius tamen pici liquidæ semper aut cinerem lixivium infundentes, permiscentésque, aut aquam marinam ex alto petitam: ut his & picis odorem auferrent, & spurcitiem eluerent.

Pilis vulsi. Alios præterea duos usus libet adscribere hodie nondum penitùs aboletos. Pice illità pilos avellunt, è corporis partibus, quas natura iis vestitas esse voluit, quod πιττοῦν & ἀποπιττοῦν Greci dicunt, à materia quà utuntur in eo fœdo ministerio. Hoc verbo usus est sæpe Clem. Alexand. molle delicatúmque institutum, ac improborum hominum artificium accusans. Præterea pice torquentur corpora hominum, *Pix tortura mortalium.* quà in re verbo καταπιττοῦν longè alio intellectu quàm in vasis linendis utuntur: valet enim, cruciatu illa & supplicio afficere. Intellexit hoc Lucretius, cùm pœnas mortalium, tormentáque brevi exponit,

Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tedæ.

Idem animadvertit & Plautus, cùm Aristophontem astutam servi vocem refellentem induxit, qui dixerat in eum:

Atra bilis agitat hominem:

At pol te, si hic sapiat senex, Atra pix agitet apud carnificem, ac tuo capiti illuceat. *Materia quoque carnificiæ.* Apud Palladium Rutilium nonnulli coracinam [liquidam intelligo, ut quæ in coriis asservari soleat] picem contra formicas in arbore suspendendam *Formicæ.* [arboris trunco circumlinendam] esse confirmant.

Fuligo. Fieri porrò & fuliginem è liquida pice hoc modo, autor est Diosc. In lucernam novam ellychnium habentem aliquid picis infunditur, & accenditur, & lucerna novo vase fictili clibani formà prædito, supernè quidem angusto & rotundo, infernè verò foramen habente, quemadmodū clibanus, operitur, & uri sinitur. Quum autem prior picis humor consumptus est, alius infunditur, donec satis fuliginis collectum fuerit. Ad eundem modum è resina, Thure, Myrrha & styrace, aliisque his similibus fuligo conficitur. Vim habet acrem & adstringentem. Vtendum est ipsà ad medicamenta & illitiones, quibus palpebræ ornantur: & ubi glabras genas producere pilos oportet. Est & ad debiliores, & lachrymantes, ampliúsque exulceratos oculos commoda.

Oleum picinum. Facit Pisselæon [oleum picinum] ad eadem, ad quæ pix liquida. Cum hordeacea farina Alopecias adhibitum, capillos restituit. Id ipsum quoque præstat pix liquida, quæ præterea iumentorum ulcera, scabiémque illita emendat. *Vinum picatum.* Vinum picatum [οἶνος πισσίτης] ex liquida pice & musto temperatur. Picem autem primùm marinà aut murià tantisper eluere oportet, dum inalbuerit, & sincera maris aqua defluat: mox aqua dulci iterum proluenda. Tum in congios octo musti additur uncia picis una aut altera, atque ita finitur. Post ubi efferbuerit atque subsederit, in vasa diffunditur. *Vires & usus.* Hoc genus vini excalefacit [concoquit Plin.] concoctionem adiuvat, abstergit atque purgat: proindéque utile doloribus pectoris, *Pectus. Alvus. Iecur. Lien. Vulva.* alvi, iocinoris, lienis & vulvarum, si sine febre sint, itémque veteribus rheumatismis & profundis exulcerationibus. *Tussis. Anhelatio. Luxata.* Est & efficax contra tussim, tardam concoctionem, inflationes & anhelationes: luxatis denique præsertim in succida lana, imponitur. Vide plura lib. 15. de Vinis.

PINVS INDICA EX QVA BRE.

CAP. VI.

Locus. IN Teneriffa, autore Theveto, in Gall. Antarctica Fortunatarum sive Canariæ insula una, *Gummi pix.* copiosissimum paratur Gummi [*gomme*] vel potiùs pix [*poix*] nigra, quam vocant Bre: deiiciunt autem Pinos, quibus abundant, eas dissecant, *Picis faciendæ ratio.* fasciculos componunt ad decem, aut undecim plaustra, hos alternatim unum post alterum crucis in formam supra foveam mediocris profunditatis congerunt, ac struem accendunt, quà *Alia.* accensà, pix in foveam defluit. Alii verò faciliori vià incedunt, faciliorique negotio rem absolvunt, factà enim tantùm circum arborem fossà, eam incendunt.

Vsus. Hoc gummi in Peru devehunt, magnúmque

ex eo lucrum faciunt. Vsus autem eius duntaxat est ad naves picandas. Si quando cor de hac arbore rubri coloris montani indigentes offendunt, ipsum in assulas satis longas findunt, crassas instar pollicis, quæ candelarum loco illis inserviunt.

An Copei P. Mart.
Fructus.

An de hac Pinu Indica P. Mart. cum ait. Gignit ex duobus arborum generibus picem insula Hispaniola, ex Pinu puta & arbore dicta *Copei*, ex qua pix non aliter, quàm ex Pinu legitur, licèt dicant plerique stillicidio colligi comburendo eius lignum. Fructus autem eius parvus est, vti prunum, esui satis aptus.

PINEA INDA HISPANIS.

CAP. VII.

Pinea Inda Hispan. Boniama Indis. Hyayama. Hyayagua
Spinosa planta.
Color.
Odor.
Cortex.
Magnitudo.
Caro.

DIGNVS Oviedus, ait Cardanus, cui fides habeatur. Is refert in Peru insula fructum esse omnium qui edi possint præstantissimum: quem *Pineam* Hispani à formæ similitudine; Indi *Boniama*, seu *Hyayama* vocent, atque è eius genere sit, qui *Hyayagua* nominatur. Esse enim formâ pulcherrimum, gustu iucundissimum, odore suavissimum, vt ex quinque sensibus tres in eo maximè delectentur. Oriri autem ex planta spinosa, referréque Pineam figurâ, sed in summo vertice germen asperum, Lilij caudicis quasi instar prominêre: colore Mali Medici esse, dum acerbus sit, & dum maturuerit, odorem Cotonei, adeòque valdè, vt vnus ex his cubiculum totum redolêre faciat. Corticem vt Pineis, inæqualem & inutilem, sed tamen non vt Pineis apertum, verùm alio modo fructum ipsum mundari atque diuidi: Magnitudinem, qualis Medicis malis, Peponibúsque: Odorem verò etsi Cotoneo similis sit, gratiorem tamen, quòd adulterinus, ac mixtus fragrantiâ variâ videatur: Succo præterea abundare, carnémque æqualem illi esse atque solidam, plantámque (vti dictum) spinosam, folio amplo: Vnicuique verò fructui caulem suum subiici: maturescere autem spacio mensium decem: quòd si ante maturitatem præcidatur, plantam ipsam nulli vsui præterquam impinguandæ terræ vtilem esse. Caulem, qui supra fructum sit, detractum plantatúmque, genus suum renovare: folia verò similia Carduo, sed longiora, tenuioráque. Non servari vltra 15. dies, & edendo pyri moscati speciem referre: suscitare appetentiam extinctam. Eundem tamen saporem vini ingratum reddere, & bilem gignere credi: adeò nihil in humanis absolutum esse.

Folium. Duratio. Vires & usus. Appetitus. Genera.

Multa autem illius tradit genera, acida, acerba, alteriúsque saporis, velút etiam in Pyris, aliisque fructibus, cœli, solique varietate & specie diversa, tum ipsarum plantarum cultu: habere & fila veluti Cardui albi, ob quæ dentibus noceat. Et neque aquam potam post ipsum sapere, adeò vt hydropicos, absterrendo à potu, iuvare posset. Ex his etiam *Hyayagua*, albam intus & vinosam, sed saporis esse acerbioris: *Boniama*, dulcem & ipsam albam, sed aliquantulum stuppæ referre imaginem: ambas etiam has rotundiores: *Hyayama* verò oblongiorem, lutei coloris, intus obscuri: atque hanc omnium præstantissimam.

Hydrops. Hyayagua Boniama.
Hyayama.
Cultura.

Additque rustici operam maximè fructû hunc sentire videri, quando agrestes cultis longè sint inferiores. Immaturas verò decerptas quandoque vsque in Hispaniam transferri: attamen cùm in propria arbore non maturuerint, gratiæ maiorem partem amittere: germina quoque translatâ corrupta fuisse. Esse verò humidum, addit Cardan. in hoc fructu tenue, tum pingue, tum aqueum, ostendit copia succi, fragrans odor, brevis vita: & quòd marcescat citò.

Temperatura.

PINEÆ NVCIS SPECIES MELENKEN.

CAP. VIII.

Locus. Melenken. Descriptio Caro.

NARRAT Thevetus *Necumere* maris Indici insulam innumeris fructibus abundare, inter quos, qui ipsorum lingua *Melenken* nominatur, magnus est, nucis pineæ specie, cortice luteo, quo spoliatam carnem & in particulas consectam si degustaveris, saccharum ore continere dixeris, cum pauxilla nucis Moschatæ portiuncula permixtum. Hoc Barbari præsertim ad sedandam sitim utuntur.

Vsus. Similis Nana. Arbor Melenken.

Fructui *Nana* satis similis est, nisi quòd *Melenken* in arbore provenit, Mori ferè proceritate, nigro cortice vestitus, folio quadantenus rubescente, longitudine & latitudine folii Angelicæ. *Nana* autem planta est solus Iunco similis, nunquam ad tantam altitudinem crescens, de qua lib. 26.

PINEI CONI FACIE FRVCTVS EXOTICVS.

CAP. IX.



Descriptio Folia.
Squamulæ.

PEdiculo minimi digiti ferè ferè crassitudine, ruso, duro atque lignoso, folia mutuo incubitu adnascũtur digitũ ferè longa, firma, substantiâ lignosâ, triquetra, principio angusti ore, reliquâ parte latiora, & fastigio tenus recurva, numerosisque squammulis foliaceis lucentibus, nigrisque vestita. Hæc pars quæ recurva, modico inflexu separatur, ita ut fructum esse squammosum suspicio sit. Folia quæ intus delitescunt, extimis breviora, & densiore dictorum foliorum stipatu obsepta. Per quorum longitudinem extimam costa insignis angulum faciens excurrit, parte internâ carinata. Sapor nonnihil amaricat, non sine adstrictione nidorulenta, ac si fructus in fumo esset exsiccatus. Partes ex comestione, dentiúmque attritu hærent, quod argumento est, substantiam nonnihil esse viscosam.

Sapor.

Substantia Inscriptionis ratio.

Fructum hunc communicavit nobis chariss. frater C. Bauh. qui cùm coni speciem quodammodo gereret, ut ex figura, colore, & foliorum mutuo incubitu videre est, coni facie fructum

ctum appellare placuit. Dignus sanè hic fructus, qui cum Carduo ex *Madagascar* conferatur, de quo lib. 26.

PINI FORMA CIBAGE.

Cap. X.

EX Orientalibus regionibus Cibages nomine à Paludano delatum esse semen colore nigrum, acumine donatum, ex quo prodierit planta Pini formâ, sed tenerior, videre est apud Camerarium.

ARBORES FERVLÆ SIMILES NIGRÆ ET CANDIDÆ.

Cap. XI.

Locus. IN Fortunatarum Insularum primâ *Ombrion* vocatâ nullis ædificiorum vestigiis haberi in montibus stagnum; arboréſque similes Ferulæ, Ferulæ similes. ex quibus aquæ exprimantur, ex nigris amara, ex candidiorib. potui iucunda, tradit, ex Inquisitione Iubæ, Plinius Hist. nat. lib. 6. c. 32.

ARBOR LAVENDVLÆ FOLIO.

Cap. XII.



Descr. ADmirandæ naturæ est arbor sive frutex, Ramus. cuius ramus triū pedum longitudinem non excedebat, crassitudinis diameter circiter duarum unciarum erat: Cuiusque fastigium in nodosum caput nonnihil extuberans desinebat, è quo sesquipedales quinque minores rami prosiliebant, adeò eleganti serie & ordine dispositi, quasi humanâ industriâ fuissent insiti, inferiori ramo facie quidem similes, sed molliores, magisque succulenti: qui etiam procul dubio comprehendere & radices agere potuissent, si quis commodo loco telluri committere in animum induxisset.

Folia. In horum comosis fastigiis folia adhuc inhærebant, virentia, formâ, magnitudine, & colore Lavendulæ folia valdè referentia, sed succi plena, aromaticum quidpiam spirantia, medium inter Angelicæ silv. radicem, gummi quod vocant Elemi, & Cunigundis herbam: qualibus totum ramum vestitum fuisse, ipsa in ramis vestigia indicium faciebant. Quantum verò ex resectione ramorum Clusio Exot. colligere licebat, densâ Medulla. spissâque medullâ, instar Sambuci ramorum, præditi fuisse videbantur.

Locus. Ramus hic ex Orientali India in Angliam anno 1593. delatus fuit. Arbor autem eius quo nomine apud incolas appellaretur, quáve in provincia Oriētalis Indiæ nasceretur, à Iac. Garreto, qui Clusio Iconem Londino miserat non adscriptū erat. Cur autem ei hunc locum assignaverimus, intelliget is, qui, quæ Clus. de hoc arboris ramo scribit diligenter examinaverit.

LARIX FOLIO DECIDVO, CONIFERA.

Cap. XIII.

ARborum resiniferarum tanta natalium mistura est, ut non facilè discernantur in fronde, etiam à peritis. Descriptio. Larix enim caudice recto, ac procero Abieti æqualis est: cortice crasso, scabro, fuscóque: Caudex. Cortex. Rami longi & graciles: deorsum propendentes: Rami. Folia leniter odorata, ramos confuso ordine ambientia, Folia. è tuberculis umbilicatis, duodecim aut viginti, & plura nonnunquam, penicilli in morem coniuncta prodeunt, tenera, peranguſta, crassitudine porcinas setas æquantia, uncialia & longiora, viridantia, nec antequam, donec alia Veris initio succedant, Hieme decidentia. Non igitur universa simul, sed singula paulatim recedunt, aliis interim successu ab iisdem tuberculis prodeuntibus dilapsorum vicem occupaturis, ita ut non defluxisse folia, sed novæ iuventutis habitum induisse videantur. Coni, qui fructus eius sunt, pertinaciter ramis hærent, brevi, contorto, crassiusculo pediculo nutabundi, nucis Coni. Cupressi magnitudine, sive unciales: Squamis contexti latiusculis, compressis, obtusis, tenuibus, Squamæ. ex rubro [inquit Clus.] purpurascentes, Qui dum novelli & recentes sunt, ex iisdem tuberculis è quibus folia prodeunt, petiolo sursum reflexo, nitentes, ut mucrone cœlum spectent: Illosque intercedunt squamulæ foliaceæ, tenellæ, Squamulæ. in stylum acutiorem desinentes, quæ singulæ continent semina, parva, alata, gemina, tedæ (inquit Cord.) seminis figuram & quantitatem referentia, Semina. foris cinericeo cortice, intus autem candido nucleo constantia, sapore dulci, & pineam Sapor. nucem æmulante. Materies firma satis & solida, in rectum fissilis, fulva, vel spadicea [Cordo] Materies. crispantibus saturatioris coloris callis, pectinibus rectis; odorata, flammescens, odorem quoque iucundum naribus aspirans. Odor.

Vitruvium antiquiss. scriptorem plantæ huius cognitionem habuisse, vel inde constat, quòd, Arch. lib. 2. dicat. Larix verò, quæ non est nota Locus. nisi his municipibus, qui sunt ad ripam fluminis Padi, & littora maris Adriatici, foliis est Pini similibus, habétque resinam liquidam mellis Attici colore, quæ etiam Phthisicis medetur.

Laricem quintum genus arborum resinam Arbor resinifera Plinio. fundentium Plinius facit. Cui situs idem, inquit

Digitized by Google

[cum Picea] eadem facies, Larix vocatur, materiâ præstantior longè, incorrupta vis, emori contumax, rubens præterea, & odore acrior: plusculum huic erumpit liquoris, melleo colore, atque lentioris nunquam durescentis. Et licet alia resiniferarum arborum genera accensa, fuligine immodicâ, carbonem repentè expuant, cum eruptionis crepitu, eiaculentúrque longè, excipitur tamen Larix, quæ nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis vi consumitur, quàm lapides. Perpetuò hæc viret, ut cæteræ. Hæc magis alta, & crassiori (Dalech.) læviorique folio, villosior & densior, molliorque flexu, quàm Picea, quæ radicibus ustis non repullulat. Nullo flore exhilaratur, nec natales Pomorum recursus annuos versicolori nuntio promittit. Tripartitò, insuper ut Robur & Abies intermittit, ternáque germina edit. Plura de his vide cap. 1. de Abiete. Eius morbus est, ut teda fiat, huic succisæ humor diu effluit. Hæc arborum altissima una, quæ cariem, vetustatémque ex reliquis tardissimè sentit. Pondus sustinet validum, etiam in transversum posita. Montes amat. Folia trita & in aceto decocta dentium dolori prosunt: Cinis corticum intertrigini & ambustis. Potus verò alvum sistit, urinamque movet.

Ter squamosa. *Cariem tardè sentit.* *Pondus sustinet validum.*

Hermol. in descriptione Laricis Plinium sequutus hæc habet. Larix, inquit, quæ πεύκη in Troade visenda quatuor & viginti pedum ambitu, altitudine duorum jugerum præteréaque cubitorum quindecim: nam Theophr. Pinus atque Larix idem: Palladius lignum Gallicum vocando, aut Laricem, aut ei simile, quid significat? Nobis autem nec Hermol. nec ullus alius persuadebit Pinum, sive πεύκην Theophr. idem esse, cum Larice vera, quæ folio deciduo, non perpetuo. Nec Palladius lignum Gallicum vocat Laricem, aut ei quid simile. Ita siquidem in Novembri scribit. Vtiles autem ad fabricam sunt hæ maximè, Abies, quam Gallicam vocant, nisi perluatur, levis, rigida, & in operibus siccis perenne durabilis. Larix utilissima, ex qua si tabulas suffigas tegulis in fronte, atque extremitate tectorum, præsidium contra incendium contulisti. Neque enim flammam recipiunt, aut carbones creare possunt. Hinc itaque luce meridianâ clariùs patet, Hermolaum Palladio imposuisse, siquidem non Laricem, sed Abietem lignum Gallicum vocarit.

Peuce Hermol. *Lignū Gallicum.* *Theophrasti Pinus non est contra Hermol.* *Pallad defenditur.* *Hermol. redarguitur.*

Cùm nullus adhuc Latinorum (Cordo id perhibente in Diosc.) prodiderit, an Laricem Græci habuerint, vel cognoverint & quomodo eam appellarint, non temerè eum mirari subit, quâ ratione affirmet Laricem eam esse arborem, quæ ipsis κεδρελάτη vocetur. Verùm non sanè satis erat dicere, non sine ratione, sed rationem proponere conveniebat, vt aliquid observatu & notatu dignum rerum studiosis adferret.

Cord. taxatur. *Cedrelate.*

Et quamvis à Trago Larix in censu Abietum habeatur, & pro tertia, ex qua Terebinthina germanica effluat, exhibeatur, minùs tamen ei cognitam fuisse conijcimus, quòd eam non describat, & omnes Abietes Hieme quoque virere dicat, quòd huic suæ tertiæ non convenit.

Abies. *Trag notatur.*

Bellonius Laricem Græciæ ignotam fuisse tradit, vtpote, cuius ne quidem vnquam Theophrastus meminerit, ac Dioscorides qui de ea aliquid scripsisse videtur, tantùm ceu de re externa pronunciarit. Ac præterea Plinium, Ruelliumque cum recentioribus aliis corrigens, Pini & non Laricis morbum esse ait, vt Teda fiat, nec perpetuò virere, sed hyeme folia illi decidere, eamque insuper florere: ac Conos etiam proferre, & non sterilem esse. Addens præterea contra Plinium huius lignum Pini ligno ad scandulas præstare: contra Fuchsium verò, legitimæ Terebinthinæ vice Laricinam non Abietinam supponere: Ac contra Vitruvium aliosque recentiores, & flagrare & in carbones verti, vt & contra Ruellium non Piceam sed Novellam cupressum æmulari: atque tandem contra Guilandinum nec Cedrum nec Cedrelatem esse.

Larix Græciæ ignota. *Plin. & Ruell notantur.* *[illegible]* *[illegible] error.* *Guiland [illegible]*

Firmiter verò nobis persuademus Guilandinum non novisse Laricem veram cùm suas epistolas scriberet, Larice siquidem Libanum abundare putat, ac eam Cedrum nuncupat. Nec sine causa sententiam mutavit vt apparet ex defensione Pauli Hessi: quæ sic habet: Hippocedrum sanè seu Cedrum magnam Græcorum Guilandinus Laricem esse Latinorum etiamnum sentit, sed an Cedrus, cuius mentio habetur in sacris literis Larix sit rursus hæret. Nascuntur enim hodie in Libano monte Larix, Abies, Pinus & omnes fermè resiniferæ arbores, cúmque iis sui generis arbor nobilis, quæ nusquam in Europa provenit, quam qui Christum in Iudæa & Syria venerantur, Cedrum appellant. Vt tamen hanc Christianorum in Syria Cedrum, eandem esse cum Hebræorum Cedro Guilandinus credat, multa sunt quæ fidem faciunt, quæ libens prætereo, cùm quoque videam hanc ipsam Hebræorum Cedrum Græcos non rarò, cum sua Hippocedro, hoc est, Larice confudisse. Apollo Guilandinum etiam notat dicens: Laricem Cedrum magnam esse Apolloniatico Timonis stilo astruere non veretur Guilandinus, infirmo nixus argumento. Plinium verò & Ruellium defendit in eo quod dixerunt Larici folium non esse deciduum: Verùm quàm firmo argumento, ipse perpende: Quod autem tradant nonnulli Laricem hodiè vocatam ignibus esse invictam, idem Apollo pro vano habet.

Guiland. error. *Hippocedrus Cedrus magna Græcorum Cedrus [illegible] literarum.* *Cedrus Christianorum.*

Scit Amatus ex omnibus Pini generibus, Laricis materiem duriorem, firmioremque esse, ac proinde in hoc Pliniano loco [scandulæ, ex omnibus, quæ resinam ferunt, facillimæ, sed minimè durant, præterquam è Pino] mendam esse: Cupresso præterea in totum persimilem facit, minimè quidem Pino, vt Ruellius credidit: Plinium verò meritò taxat, quòd crediderit Laricem esse sterilem: Ac eundem quoque cum Vitruvio & aliis errare scribit, qui Laricis lignum in igne non uri contendunt. Hæc ille, nec solus, aliis interim aliter sentientibus.

Pinus. *Plin. error.* *Cupresso similis.* *Vitruvii error.*

Quare metu valere iusso nostram proferamus sententiam. Multi sunt cum Clusio in ea opinione, Plinium cuncta tribuere Larici, quæ de Pinu [πεύκη] Theoph. scripserit. Quod vt nō omni ex parte negamus, ita nec illis cōcedimus. Hæc n. [materia præstantior lōgè, incorrupta vis, emori contumax, &c.] ubi quæso Theophrastus de Pine prodidit? Ostendant nobis & subscribemus. Nonne Matth. Amat. ac adeò ipse etiam Clus. Larici talem materiam attribuunt. Sed [illegible] dicunt, in hoc igitur Pliniano loco [scandulæ ex omnibus quæ resinam ferunt facillimæ, sed minimè durant præterquam è Pinu] menda subest. Non enim hic Laricis materiam longè præstantiorem, incorruptam, ac emori contumacem esse, affirmare videtur, sed Pini, utcunque scandulæ, ex omnibus quæ resin inferunt, maximè durent. Necessariò enim consequitur, eius materiam esse longè præstantiorem, magis incorruptam, ac emori contumacem, quæ maximè durat. Ergo Pini materies erit longè præstantior,

Autorum iudicium. *Plin. defenditur.*

incor-

Digitized by Google

incorrupta magis ac emori contumax, quàm Laricis. Sed dicamus Plinium in illo loco Laricem non intellexisse, sed duntaxat arbores resiniferas Theophrasto cognitas Abietem, Piceam, & Pinum quæ duabus prioribus materie præstat. Sed rogabit porrò aliquis, quomodo Larici convenit, eam nec ardêre, nec carbonem facere, nec ignis vi cõsumi: item nec florêre, nec fructum ferre, contrarium siquidem hodie ei eveniat, ac magis ipsi Pino: imò nulla arbor reperiatur, quæ vi ignis ut lapides resistere valeat? His respondetur Plinium hæc non ex sua observatione habuisse, verùm temerè ab aliis tradita, ceu alia multa, historiæ veræ loco accepisse, eiusque loco retulisse. Nunc quod restare videtur, non negamus Plinium quædam Larici assignasse, quæ de Pinu Theophr. dixit, è quibus hoc maximè urget, eius morbum esse, ut teda fiat, qui certè proprius Pini morbus est: ac sic fatemur eum Pinum & Laricem inter se confudisse, cùm idem etiam arguat vis & facultas illa foliorum Laricis, quam Diosc. Pini foliis adscripsit.

Plin. decep-tus. *Plin. confusus.*

Cæterùm, figura Dodonæi Gall. non placet, nec quod dicit folia esse *dechiquetées*, dissecta. In hist. autem Lat. errorem agnovit, ac sic correxit: folia ab uno tuberculo multa simul cohærentia. Pingit verò is arborem & ramulum qui omitti potuisset.

Dod. notatur.

Laricem, inquit Turnerus quãvis Diosc. non describat, Plinius tamẽ id facit, sed non usq; veritatem assequitur. Recentiores, attestante quotidianâ experientiâ, Laricis lignum, non minùs quàm aliarum somitem ignibus præbere scripserunt. At Veteres vt Pallad. Vitruv. & ex his quoq; Plinius non ardere Laricem, nec carbonem facere prodiderunt. Hic præterea sempiterna habere folia scripsit, quod utrumque falsum esse deprehenditur. Aut ergo errarunt illi, aut hodie vera Larix incognita est. Sed nulla ferè videtur notior. Quod autem Plinius ait ab Homero Laricem enumerari, id lapsui memoriæ Goropius condonandum censet. Siquidem Poëta de Larice ne literulam adiecerit. Cæterùm Stumpff. Laricis lignum duplex esse tradit, quemadmodum Laricis fungum Agaricum dictum, marem & fœminam, quod nondum affirmaverim.

Plinius labitur. *Laricis sexus.* *Stumpff. notatur.*

Locus.

Iosias Simlerus hanc Theophrasto & Græciæ ignotam testatur, propriam autem Alpibus Valesianis: folia verò contra quàm Plin. asserat, qui πεύκην Theophrasti Laricem trãstulisse videatur, Autumno amittere scribit. Ego contrà non Autumno, sed Vere folia decidua observavi.

Simler. notatur.

Prodit etiam Soletius eandem Dioscoridi adeòque ipsi Theoph. ignotam fuisse: additque errasse Diosco. Laricem resinam Piceæ existimantem: ac Plinium Laricem & Piceam quoque confudisse. Ipsi autem Solerio ut & aliis adstipulatur Gesner. hort. Laricem, inquit, Scaliger Græciæ ignotam prodidit. Theoph. quidem ignota fuit, aut sub πίτυ@ nomine comprehensa secundum Gazam, qui tamen alibi Piceam vertit, tanquam generale nomen ad utramque arborem. Lacuna, qui figuram Bellonii non admodum commodam exhibet, Ruellium meritò reprehendit, quòd ei folia non decidua tribuat.

Dioscor. notatur, & Plin. *Πίτυς generale nomẽ.* *Ruell. reprehen.*

Lob. & Penæ Adv. Obs. & Ic. Pl. *Larix*, cuius etiam figura in Icon. sub titulo Cedri Libani & Palestinæ præcelsæ.

Audiuit Cæsalp. in Tridentinis montibus Pini silvestris differentiam reperiri, cui soli folia Hieme decidant, eximiæ proceritatis: cortice valde crasso, rimosoque intus rubente: ramis è caudice gradatim procedentibus, adnatis mulus, more Salicis, lentis, colore luteo, odore non iniucundo, foliis densis, oblongis, mollibus, comosis, Pineis angustioribus, & minimè aculeatis: conis cupressinis admodum similibus cui & similis existat, cùm novella sit odore nõ ingrato: cui v. flores ineunte Vere emergant in cacuminibus in purpura valde rubentes, odoratique: materies durissima, præsertim in meditullio rubescens, in hac solùm Agaricũ reperiri: resinam fundere liquidã, quæ pro Terebenthina vendatur: atque hanc Laricem vocari. Et ita Laricem describit Cæsalpinus arguens & ipse Plinium, quòd ipsi Larici tribuat, quæ Theophrastus Pino. Quæ verò paulò pòst Larici adscribit, ex Plinio (quamvis eius mentionem non faciat) desumit. Dari autem Marem & fœminam ait: in Macedonia quidem masculam vri ad Picem: fœminæ radices tantùm. Verùm hæc non Larici, sed ipsi Pino Theoph. adscripsit, nec quidem apud Plinium legimus.

Pinus sylv. *Descr. Cæsalp.* *Cortex.* *Rami.* *Folia.* *Coni.* *Flores.* *Agaricus.* *Resina.* *Cæsalp. notatur.* *Laricis sexus.*

Ex eo autem quòd Plin. omnia [quædam] Larici adscribat, quæ Theoph. πεύκῃ tribuit, factum esse arbitratur Clusius, ut perpetuam comam ipsi concesserit, contrarium quidem ipsâ experientiâ nos docente. Is etiam à Theoph. non esse descriptam Laricem confirmat: ait enim Gazæ Laricem, nihil aliud quam πίτυν esse (quam Pinum silv. esse aut Piceam aliquam silvestrem Bellonij antea diximus) licèt eodem πίτυ@ vocabulo & Piceam & Laricem interdum interpretetur.

Larix Gazæ.

Larix, Græcè similiter λάριξ multis, ceu Fuchsio, Matth. Dod. Clus. & aliis; *Larex* quoque Lat. Offic. & vulgo *Larga*, Germ. Ein Lerchbaum/ Belg. Lorkenboom/ Gall. *Meleſe* Dod. & *Arbre retirant a vn Pin ou Sapin*. Ital. ac Hisp. *Larice* Dod. & *Alerze* vt apud Clus. nonnulli asserunt, qui nullam in Hispaniis nascentem vidisse meminit: item *Larege* Matth. Angl. Larchtree / Bohem. Drin / Hung. ut Nomenclator Pannon. tradit Doros fenyo / Kibol / terebinthina Leçõn.

Synonyma linguarum.

Digna Larix arbor, quam *longævam* dicas, *robustam, impenetrabile lignum, incorruptam, ter squamosam, cariem nescientem, pondus validè sustinentem, Valesianam, ac montes amantem.*

Epitheta.

Ambrunense territorium adeò frequentem nutrit Laricem, ut nullo sumptu comparari possit, & integrum plaustrum vix asse Gallico constet. Tanta etiam nũc in Rhæticis Alpibus eius est frequentia, quanta unquam antea fuerit, atque adeò iisdem locis, unde Tyberius Cæsar Romam advehi iussit ad Naumachiarum pontem concrematum restituendum. Apud Sedunenses sive Valesianos abundat. Si quispiam tum in Vallaricem [locum absque dubio à Valle & Larice vocatum] tum in Brianſonam appulerit, multas quidem ille Larices videbit, sed totum diem antè forsitan peragrarit, quàm ei contingat, ut vel vnam Agariferam offendat. In Viennensi saltu, tum aliis montibus, Alpibus vicinis, exceptis summis iugis, abundare Laricem scribit Clusius. Habemus quoque Laricem Montbelgardi in horto E. C. quam accepimus ex montibus Italiæ vicinis, quæ unica ex duodecim evasit.

Locus.

Coni Autumno maturescunt.

Tempus.

Minimùm in eius temperamento, Fuchsio autore, ignis & aëris, humoris autem terreni plurimùm. Hinc cùm non habeat spatia foraminum, quà possit ignis penetrare, fit ut eius vim (quem

Temperamentum.

Vires. admodum paulò antè diximus reiciat, nec patiatur ab eo cito lædi.

Pannus: Adstrictoriam itaque facultatem, eius folia & cortices, vt Piceæ [ἡ πίτυς Diosc.] obtinent. Laricis lignum magni fieri aduersus elephantiasim scribit Stumpfius, Simlerus contra lepram. Reperitur in caudice vetustissimæ Laricis, medullæ vice, album quoddam corio persimile, quod pro constringendis & agglutinandis vulneribus ac compescendo sanguine (undecunque fluxerit *Sanguinis fluxio* Amat.) multi usurpant. Iam verò, ut testis est *Vsus.* Clusius, fiunt ex ea vinetorum pedamenta & pa*Pali.*li circa Neapolim, & supra Badenses [Austriæ] thermas totoque illo tractu, ut quæ corruptioni minùs sit obnoxia: item *Canales.* fistulæ canales, tectis supponendi, & aptandi, ad pluviam & imbres ex iis accidentes accipiendum: sunt enim commodissimi: nam cùm firmâ & solidâ materie constent, diutissimè Solis ardoribus & aliis aëris iniuriis resistere possunt, nec finduntur aut vitium contrahunt, eaque de causa non Picis, nec alterius inductione egent. Horum magna copia Viennam advehitur quinquaginta pedum, aut maiore longitudine. Venalésque exponuntur ad portam Carinthiacam, quæ proxima est thermis Badensibus. Structurarum pondera, firmissimè & diutissimè sustinet, idque Baptista Albertus adnotasse scribit, cùm alibi, tum apud Venetias ex vetustis operibus. Vetus est opinio, à Plinio quoque literis prodita, eam non ardere, nec carbonem facere, neque alio modo ignis vi consumi quàm lapides. Sed falsam fuisse hanc persuasionem inde *Opinio Veterum reprobatur.* constat, quòd apud Valesianos quibúsdam in locis non alia ligna in usum foci adhibentur, ac alicubi etiam in Alpibus ad ferrarias fodinas car*Carbones.*bones ex ea fiunt.

AGARICVM.

Descriptio. Concretu fungoso Larici adnascitur Agaricũ, nunc maioribus, nunc minoribus massis conglobatum, leve, candoris nivei, in farinam digitorum attritu friabile, sapore primùm dulci, tandem amaricante. Reprobum, & candore *Delectus.* cedit, magisque nigricat, & minùs facilè friatur: pondere etiam vincit. Vtrumque verò obvestit callosus cortex. Icon una cum Larice arbore iam antè est exhibita.

Si autem consulueris Veterum memoriam de Agarico videbis circa hoc Recentiorum à Veteribus discrepantes penitùs opiniones.

Agaricum Diosc. Radix. Agaricum inquit Dioscorides, radix fertur Silphio similis, quæ non ita densâ superficie, velut Sylphium, sed tota rara est. Duo eius genera *Duplex.* sunt, alterum mas, alterum fœmina. Præstat, *Fœmina.* hæc strias rectas intùs præferens. At mas rotun*Mas.*dus est, & undique compactus. Sapor utrique *Sapor.* similis, ab initio dulcis, deinde ex distributione amarescens. Nascitur in Agaria Sarmatica regio*Locus.*ne. Et quidam plantæ radicem esse dicunt: Qui*De origine Agarici opiniones.*dam in truncis arborum ex putrefactione, velut fungi, nasci tradunt. Nascitur etiam in Galatia Asiæ, & Cilicia in Cedris, sed friabile & infirmum, *Agaricum nigrum.* &c. Agarici verò nigri meminit idem de læth. cap. 36. his verbis: Veratrum album, & Thapsia, & Elaterium, & Agaricum nigrum, suffocationem inducunt, aut nimiam purgationem.

Agaricum Plinii. Agaricum, inquit Plinius, ut fungus nascitur in arboribus circa Bosphorum, colore candido. *Dosis Plinii.* datur obolis iiij. contritum, cum binis cyathis aceti mulsi. Id quod in Galatia [vetus Gallia] nascitur, infirmius habetur. Præterea mas spissior, amariórque. Hic & capitis dolores facit. Fœ*Mas dolores capitis facit.*mina solutior, initio gustus dulcis, mox in amaritudinem transit. Ita Plinius. Vetus tamen Co*Plinius destitutur.*dex pro Galatia, habet Galia. Et sanè in Gallia nasci hodie certum est, in Delphinatu maximè, *Locus.* imò etiam in Alpibus Germaniæ, ubi pessimo errore Dannenschwam, quasi fungus Pinorum, *In Pinis.* aut potiùs Abietum appellatur.

Etymon. Officinis notissimum est Agaricum, & nomen retinet, quod ab Agaria regione ductum esse verisimile est.

Agaricum Galeni. De Agarico ita scribit GALEN. de Antid. lib. 1. cap. 14. Agaricum fraudem nullam admittit, de quo illud modo dicere sufficiet, quod est ab Au*Delectus Gal.*toribus ante nos proditum. Optimum id Agaricum esse, quod levissimum esset: densum verò, grave, & lignosum abiectum. Quod autem inter hæc medium est, quantum signis, tantum & virtute ab utrisq; distabit. Idem libro de Simpl. med. ipsi attributo: Agaricum ab arboribus excrescit, prout tubera, vel Boleti. Et est fractu leve, & quasi vanum: est pallidum valde & aspectu subrubrum: ut penitus subalbidum, non dissimile fusuri: gustui initio videtur dulce, sed ex lento evadit amarissimum. Quod autem est op*Optimum in Ponto.*timum, in Ponto maximè invenitur. Quod autem in aliis locis nascitur, multùm est ineptius.

Paucis, at sufficientibus sanè verbis, ortum, genus, & delectum eius describit Mesues, lib. 2. de med. simpl. purg. dicens: Agaricus me*Agaricum Mesuæ.*dicamentum efficax oritur in truncis arborum magnarum, vetustate iam putrescentium, & erosarum, tanquam earum vel Apostema, vel fungus. Est autem hic duplex mas & fœmina. Mas est ma*Duplex. Mas.*lus, præsertim qui longus, niger, durus, densus, gravis & qui in fragmentis, ceu villos nervorum ostendit. Fœmina, si rotundior, alba, porosa, & *Fœmina. Delectus.* valde rara, & frangi facilis, levis, dulcis primo gustatu, mox amara & styptica, est melior, præcipuè summa sui corporis parte. Nam stipes, quod igni putrefacti aliquid præferat, malus est, & erosus Agaricus.

Cordus in Diosc. Agaricus fungi genus, Ger*Fungus. In abiete Vendicatur Cordus.*manis (quoniam plærumque in Abiete nascitur) Dannenschwam vocatur. Hæc ille inibi: Vbi minùs prudenter ab imprudente & minùs animum autoris intelligente, aut assequente, sequentia sunt annexa: Potiùs Lerchenschwam à Larice vocandus: Non assecutus est, inquam, mentem autoris. Licet enim Autor, ab Abiete, Etymologiam nominis, Dannenschwã derivet: non ideò negat Lerchenschwam, à Larice vocandum. Quod comprobant, quæ idem in Obs. silva posteritati reliquit, inquiens: Agaricus in Picea silvestri, Tæda, Abiete & Larice: *In Tæda, Abiete, & Larice.* sed omnium optimus Larignus, hic enim solus est in usu Medicis.

Helffric. in onom. t imis generaliter Agaricum *Helffric.* Holtzschwam germ. vocat.

Ineptit Lonic. qui Agaricum Dioscor. Fungum *Lonic. error.* Abietum [Dannenschwam] vocare audet. Ego sanè in Abiete Agaricum nunquam observavi.

Theod. Dorsth. easdem ineptias tradit. Eius *Dorsth. redarguitur.* etiam icon nullam arborem ritè exprimit.

Agaricum veteres Familiare medicamentum di*Familiare medicamentum.*cebant, non quia familiùs propter copiam facilitatémque tribui soleret, ut vult Io. Bodin. sed quia *Bodin. sugillatur.* benignè evacuabat.

Confudit Io. Maria Agaricum cum Antirrhino, *M. areâ confusus.* tribuens utrique easdem vires.

Fallopius verò antiquis ignotum fuisse scribit *Antiquorum ignorantia.* quid esset Agaricum, quod eorum alii radicem, alii

Agaricus in Cedro Diosc. fungum faciebant: Præterea dicit tempore Dioscoridis bonum Agaricum in Cedro ortum: sed per Cedrum intelligendam Laricem, quòd Cedrina arbor è monte Libano, quâ utebantur antiqui ad contignationem pro templo DEI, nihil aliud erat, quàm Larix. *Brassavolæ error.* Atque notat idem præceptorem suum Brassavolam, errorisque magni eum incusat, quòd Agaricum optimum in Cerro Quercûs specie oriri dixerit.

Meritò contrariatur Tragus Dioscoridi qui Agaricum, non radicem, sed inter omnes fungos præcipuum agnovit. Eius meminit, inquit Tragus, & duo genera fecit Plinius. In glandiferis arboribus noctu relucens, teste Hermol. Barbaro.

Error quorundam. Monachi & Cronemburgius vnanimiter declarant, se nescire veram Agarici originem.

Anguil. taxatur. Audacter nimium autopsiam negat Dioscoridi Anguillara quando ait Diosc. non vidit Agaricum crescere, scripsit, quæ in aliquo autore legit, aut quod relatum illi fuit. Cordo iam suprà citato cõtra cõmentatorem eius [aut si mavis annotatorem] à dextris stare videtur, sicut & contra Bellonium Turnerus part. 2. dum infit: Miratur Bellonius, audêre quemquam affirmare, Agaricum nasci in aliis arboribus, quàm in Larice, *Bellon. reprehe.* sed admiratio eius rursus admiranda, cùm probati inveniantur autores, qui prodiderunt in aliis resiniferis posse reperiri, quod magno vænit tum in Italia, Gallia, Germania, tum etiam in Anglia. Sed Angli mei si in Norvegiã propinquam navigarent, tum Agaricum, tum Larignam abundè possent magis tolerabili pretio *Larigna.* importare. Discant priùs Laricem cognoscere, Agaricum eò faciliùs agnoscent: Fungi instar in *In Iuglandibus.* iuglandibus, non in ramis, sed caudice, colligendum autumno siccitatem & maturitatem *Colligendi tempus.* adeptum. Quod Vere & Aestate colligitur, nisi sit anni præteriti, tum corpori humano insalubre est, neque sine colligentis periculo decerpitur: est enim tum temporis aquâ plenum, quæ ubi effluit, vapore noxio caput tentat. Atque ut aquosum immaturúmque Agaricum insalubre est, ita biennio antiquius nullius est pretii.

Cõsultum nostra sententia est omnia ea quæ Tagaut. de Agarico literis consignavit, indefesso lectori proponere. Agarici, inquit intectam Dioscorides atque ambiguam sententiam protulit. Plinio, cui magis hac in re adhærendum, verè Fungus est. *Delectus.* Mesue mari attribuit, dicitque mali Agarici notam esse, si in confractis suis (vt eius verbis utar) habeat veluti fila nervorum. Illiusque sententiam nostri omnes seplasiarii, tanquam verissimam, approbant. *Pectines.* Actio tamen Agaricum præstantius est, quod pectines rectos habet. Paulus consulit, eligendum esse albissimum, quod facillimè frangatur, nec sit valdè lignosum, aut perforatum. Nostri quoque Pharmacopolæ unum bonitatis indicium esse affirmant in Agarico, cùm est friabile: seu, quod aiunt, quando fricatur, pulverisatur facilè. Dio- *Friabilitas* scorides tamen infimum illud Agaricum esse dicit, quod friabile est. *Contra Galenum.* Non est radix Agaricum, tametsi Galenus illud radicem appellet, fungus autem potiùs dicendũ est, qui ad radices multarum diversarum arborum nascitur, non quidem ita albus, aut politus, ut in Officinis cernitur, *Clysteres pro iumentis.* sed cortice potiùs quodam coopertus, quo veterinarii, mulo-Medici dicti, plærumque utuntur, *Locus.* ex eo Clysteres pro irritandis jumentorum fæcibus parantes. Optimus hodie ex Africa affertur, ex Allobrogibus verò non ita bonus asportatur, quo universa Gallia, ac Italia vtuntur. *Agaricus fœmina Diosc.* Agaricus tandem fœmina, à Dioscoride descriptus, intus rectas pectinum modo venas, & divisiones habens procul dubio pessimus judicandus est, quà de re in isto textu mendam esse aliquando sum suspicatus, siquidẽ quę masculo pessimo debêtur, *Error in Diosc.* Dioscorides fœminæ, Agarico optimo tribuit. Fœmina, inquit Sylvius, rectis venarũ discursibus fracta cõstat, qui dentiũ murinorum vestigia in caseo duro repræsentent. Eadem levior, rarior. Mas verò in fracturis filosus, nervorum modo, gravis, densus. Hæc Sylv. de comp. med. lib. 1. qui in Pharmacopœa hæc addit. *De Agarico Sylv.* Agarici ἐπιφάνεια, superficies, seu facies summa, seu cum Mesue pars superior, quamvis tota undique superficies intelligi possit, quæ tamen pro situ in arbore varia est. Agarici, inquam, pars superior, uti à Mesue rectissimè dicitur potior *Agarici partes.* videtur, quia magis aërea, & ob id levior, ac rarior: cùm aëreum ob insitam levitatem sursum feratur, ut in eodem terrenum & aqueum deorsum: sive autem ea pars superior sola, sive etiam tota eius superficies optima est, non est nobis purgantibus Agaricum excidenda & abiicienda quorundam more. Nec ita superficiem intellige, ut sola velut cuticula sit utilis: sed illæ partes quæ subsunt, quò ipsi optimæ sunt propiores, eò meliores. Hæc Sylvius.

Agaricum an odoratum? De iisdem autem hæc sunt uerba Monachorum. Plinius etiam scripsit Agaricum esse odoratum, potest esse, quod loquatur de recenti, quod aliquo modo putamus habêre odorem, quoniam in sicco nullus sentitur odor. *Vitandum nigrum Agaricum.* Caveant omninò aromatarii à nigro Agarico, sive masculino, sive fœminino (quoniam ut Diosc. lib. 6. testatur) strangulationes facit. Præterea sunt nonnulli *Mesues explicatur.* malè declarantes quædam verba Autoris nostri, in dicto cap. de Agarico. Hæc videlicet. Et melior pars totius corporis eius est superior pars A- *Superior pars.* garici, quę nascitur in superiore parte ipsius arboris, & non prope radices. Quod quidẽ, non solùm Author non dixit, sed nunquam excogitavit. Author enim pro superiori Agarici parte, intelligit illam, quæ protenditur, & elongatur ab ipsa arbore: quia illa, quæ tangit arborem, est tanquam radix ipsius Agarici. Et sicut radix intelligitur inferior pars cuiuscunque plantæ, ita & in Agarico, Musco, & similibus etiã dependentibus. Pars verò quæ arbori coniungitur semper inferior judicatur. Vnde & in sequentibus verbis, *Stipes.* ipse Author declarat, cùm dicit: Et stipes eius non est bonus, habens quasi semitas ligni putrefacti, stipitem enim vocavit inferiorem partem arbori adnascentem.

Delectus. Hîc autem placet subnectere Rhythmos Othonis Cremonensis de electione meliorum simplicium.

> *Res frangi presto, pretiosus Agaricus esto,*
> *Candidus & splendens, libramine leveque pendens.*

Nomina linguarum. Medicamẽ familiæ. Claudamus tandem cum Dodonæo Hist. Gall. qui ἀγαρικὸν in Larice provenire ait, vocarique Agaricum. Officinis *Agaricum*. Addit & præterea ex Democrito quibusdam Medicis *medicamen familiæ* appellari solitum, quia in omni tempore & omni ætate tutò dari possit: Gallis *Agaric* dici: ac Italos, Hispanos aliasque nationes Græcam vocem imitari.

Locus, & Tempus. Sed quid hæremus. Natales visamus, quorum quidem aliqui ex jam dictis patent. Restat inter alios, quem Plinius lib. 16. tradit: Galliarum glan-

Plin. restituitur. diferæ [coniferæ vel resiniferæ, vt alibi dicitur, legendum] maximè arbores Agaricum ferunt. Hermolaus scribit in regione Sarmatarum, quæ Agria silvestris dicitur, nasci. Quidam codices non Agriam, sed Agariã habent: vtrumque aũt tueri possumus: primùm quidẽ ex Plinio: alterũ verò ex Ptolomæo qui Agarum & vrbem & amnem in Sarmatia vocari tradit: atque etiam ex Appiano Alexandrino qui Agaros Scythicam gentem contra serpentium morsus adhiberi solitos refert, propter quod Mithridates eos apud se habuerit. Hæc Hermolaus. Tagault. tradente in Italia & Agro Ferrariensi nascitur, & in Gallia frequenter circa radices Quercuum, sed non adeò efficax: Verum autem Agaricum, & Antidotis efficax ex Sarmatia per Illyrium Venetias affertur: etiam ex Galatia, & Cilicia Alexandriam, & ab Alexandria Venetias. In Gallia etiam Agaricum nasci certum est, in Delphinatu maximè, imò etiam in Alpibus Germaniæ. Agaricum præstantissimum habetur in Tridentinis montibus, vbi sæpissimè suis Matth. manibus divulsit adactâ securiculâ. In his & reliquis Italiæ locis, quod equidem viderit, soli tantùm Larici innascitur. Iam pridem autem desi t ex iis locis (ex quibus Fuchsius dicit) importari, vt testantur mercatores & Pharmacopœi. Sed omne ferè Agaricum, quod Venetiis venditur, partim ex Tridentinis montibus, in quibus sunt silvæ Laricibus refertæ, partim ex agro Vultureno, & aliis finitimis locis, partim ex Norico tractu defertur. Monachi verò in Mesuem produnt, in Italia, scil. in Alpinis atque Apenninis montibus, non modicum colligi Agaricum. Anguillara tradit Agaricum nasci in multis arborum generibus: Omnium verò optimum in Larice, vt in *Agrore Friuli* videri possit. Atque id quod in aliis nascatur arboribus, nihil valere in medico vsu, sed quosdam eo vti ad excitandum ignem. In montibus tandem etiam Allobrogũ quosdam in Quercu & Larice legisse audivit du Choul. Sed quod Agaricum illud *Agaricum Quercus est amarum.* verum non sit, apparet ex eo, quod neque vim purgandi habeat, nec sit amarum.

Vires. Sed quid commodi nobis à loco, ni & vires quoque nobis constarent. Vim igitur habet *Dosis.* adstringendi & calefaciendi, efficacem ad tormina, & cruditates, ruptáque & casus, duorum obolorum pondere datum, non febrientibus ex vino mulso: Febrientibus ex aqua mulsa. Datur & Hepaticis & anhelosis, & in morbo regio, & *Dysenteria.* dysentericis, & *Nephritis.* nephriticis, & in vrinæ difficultate, & in vteri strangulatu, & in vitiato colore, drach. pondere. *Tabes.* Tabidis autem cum passo: splenicis cum aceto mulso: Stomachicis ita vt est manditur ac *Ructus acidus.* devoratur, nullo insuper liquore absorpto. Similiter etiam acidum ructantibus. Sistit & sanguinis reiectiones, trium obolorum pondere cum aqua sumptum. *Ischias.* Facit quoque ad coxendicum & articulorum dolores & comitialem morbum, si pari pondere cum aceto mulso sumatur. Ducit & menses, & fœminis vtero inflatis par pondus vtiliter datur. *Febres.* Solvit etiam rigorem, si ante accessionem febris detur. *Dosis.* Purgat alvum drachmæ vnius, aut duarum pondere potum cum aqua mulsa. *Venenum.* Est & Antidotum lethalium medicamentorum, si cum vino diluto drach. pondere sumatur. Quin & ad reptilium plagas ac morsus, trium obolorum pondere cum vino potum auxiliatur. Et in summa ad omnes internas affectiones convenit, si ad vires & ætatem detur, aliis cum aqua, aliis cum vino, aliis cum aceto mulso, aliis cum aqua mulsa. Hæc Diosc. lib. 3. cap. 1.

Audiamus nunc Galenum. Agarici radix, inquit, hoc est, quæ trunco innascitur, primo quidem gustu dulcis, sed paulò pòst subamara apparet, & acrimoniæ quandam speciem temporis spatio inducit, leviculæque adstrictionis, est & consistentia laxa. Ex quibus omnibus manifestum est, siquidem quæ superiùs dicta sunt meminerimus, quod medicamentum hoc compositum est, ex substantia aërea, & terrea à caliditate extenuata. Porrò minimùm habet essentiæ aqueæ. Hac ratione & digerendi vim habet, & *Ictero.* crassitudinem incidendi, tum infarctus viscerum expurgandi: proinde regio morbo laborantes sanat, eosque qui ab infarctu iecoris laborant. *Epilepsia.* Iuvat & morbo comitiali obnoxios eadem facultate: tum rigores per circuitum recurrentes, ex crassis aut viscosis humoribus natos sanat. *Ad Venena intra, & extra.* Iuvat & morsos à bestiis frigore lædentibus, aut compunctos, tum foris in affecta parte impositum, tum intrà in corpus sumptum pondere drachmæ vnius, cum vino diluto. Est & purgatorium. *Purgat.* Vires habet Agaricum acriter laxantes, & venenosis morsibus & potibus resistentes, sic & ventrem purgat aliquatenus & choleram & phlegma deponit: Ideò nec dolorem, nec vomitum facit. Purgat Phlegma & Choleram, sed mediocriter. Dabis drach. cum melicrato, vel oxymelite. *Dosis.* Est autem caco-stomachum, & quia leve est, superiora petit. *Superiora petit.* Sit autem albissimũ, & friabile, & non valdè lignosum, neque robustum. Purgat Choleram, purgat splenem. Per os datum provocat sudores. *Sudores.* Decoctionem Agarici, si quis biberit, qui habet dolorem antiquum capitis, sanabitur. *Dolor capitis.* Hæc ille variis in locis, in quibus & alia vidêre licet, vtpote: Decoctionem Agarici Cerebri & Hepatis ægritudinibus conducere: *Electu. Agarici.* Electuarium etiam Agarici dictum, &c.

Degustemus & illa, quæ ab Ægineta lib. 7. cap. memoriæ relicta sunt. Agaricum, ait, radix, est appendix à trunco exorta, compage laxâ, ex aërea ac terrea substantia composita, vim habens *Incidit.* discussoriam & sectoriam crassorum humorum, & obturationes in visceribus maximè repurgat. Agaricum similem Colocynthidi vim habet, tardè quidem operans, non autem valdè stomacho noxium. Datur tritum duarum drachmarum pondere, cum aqua mulsa. *Dosis.* Sit autem albissimum, & maximè friabile, & non ita lignosum, neque corrosum. *Delectus.* Agaricum Plinio teste, potum obolis tribus in vini veteris cyatho vno, Lieni medetur. *Lien.* Idem diebus 7. in aceto mulso obolis duobus sumptum lienem consumere dicitur. Cum farina Fœnugræci, vesicæ malis, contráque calculos, gravissimis cruciatibus, auxilio est: *Vesica.* Agarico quidem & nervus, qui Platys appellatur, & humerorum dolor sanatur, obolis tribus in vini veteris cyatho vno poto: Renibus prodest: morbum regium oppugnat: Ischiadicos dolores, & spinæ levat: *Ischias.* Mensium difficultatem emendat. Phthisicis potum duobus obolis in passo conducit. Crapulam discutit, post cibos in aqua calida potum.

Mesues hæc annotat: Calidus est Agaricus ordine primo, siccus secundo, constatque substantiâ duplici, aërtâ superficiariâ, dulci primo gustatu perceptâ: & terreâ stypticâ, sed tenui ob vincentem in hac igneam substantiam, amaritudinis effectricem, quibus incidit, tenuat, terget, obstructa omnia liberat, flatus dissipat, purgat. *Temperamentum.* Pituitam autem crassam, lentam, putrem, & bilem flavam, & atram purgat, à cerebris, nervis, muscu-

musculis, sensoriis, spinâ dorsi, thorace pulmone, ventriculo, hepate, liene, renibus, vtero, & iuncturis. Ob hæc *medicamentum familiæ* Democrito est dictum, quòd ad omnes omnium partium internarum affectiones, præcipuè Cephalalgiam veterem, Epilepsiam, Vertiginem, Maniam, Melancholiam, & alios cerebri ac nervorum affectus, etiam cum tumore coniunctos: Asthma item & spirandi difficultatem, & thoracis aut pulmonis ulcera: ad affectus ventriculi, & vasorum aliorum: ad Icterum, Hydropem, lienis duritiem, & dolorem, ac tumorem, tum ipsius, tum hepatis, & renum, & reliquos morbos obstructioni succedentes. Vrinam quoque movet, ac menses, vterúmque repurgat. Cutis colorem floridum reddit, lumbricos necat, Ischiadi & cæterorum articulorum doloribus confert, & febribus diuturnis ex materia varia natis, easque ad typum aliquem reducit, præsertim potus cum idoneis illi materiæ aliis medicamentis. Viscera reddit imbecilla, ob id tergentibus nuscetur, ne in ea virtus eius altiùs penetret. Tardè quoque & imbecilliter vacuat. Nisi cum tertia parte salis gemmæ, & Manna cogatur. Per se tamē eidē saluber dicitur ob substantiam & dulcem, & stypticam, legitimâ portione mistam. Humain verò mulsâ & vires, & celeritatem addit. Haly autem ex Agarici parte una, Ligustici, vel Dauci, parte sexta, salis gemmæ parte quarta, cum Polypodii recentis mucagine trochiscos virtutis miræ facit, quando est eo opus. Iudæus oxymelite scillitico vires eius auget. Galenus pulverem eius vino (cui infusum est Zingiber) macerat & cogit in trochiscos efficaces multùm. Corticem & trituram mediocrem sustinet. Datur pulvis à drach. j. ad ij. In Decocto verò datur à ij. ad v. servaturque annos quatuor. Hæc Mesues.

Cephalalgia. *Cerebri & nervorum affectus.* *Icterus.* *Hydrops.* *Obstructiones.* *Diuretici. cum Menses.* *Lumbricos.* *Viscera lædit.* *Stimulus.* *Trochisci.* *Dosis in substantia.*

Si, inquit Rondeletius. cap. 4. lib. 2. de ponderibus, pituita tenuis evacuāda sit, sufficiet Agarici drach. j. nisi in partibus multùm remotis posita sit. Ad pituitæ verò viscidæ & crassæ purgationem, drachma una & semis, vel duæ sumendæ erunt, additis granis aliquot Zingiberis, vel salis gemmæ, vel castorei. Quin etiam stomacho solutis, ut cibi tenax non sit, & acida ructantibus manditur, & sine humore devoratur. Nobis omnibus nauseabundus est, fortasse quia deterior nunc ex Alpibus Gallicis & nostro Delphinatu adfertur, quàm quem Maioribus mittebat Agaria Sarmatiæ regio (à qua illi nomen) & Galatia, & Cilicia. Ponticus Andromacho iuniori probatur. Corrigitur vino, Zingibere, Caryophyllis, nuce moschatâ, vel aliis stomachicis. Servatur annis quinque integer, præcipuè cum Dauco, Libystico, Polypodio. Non solùm autem sumitur, sed etiam foris admovetur, vt Gal. docet lib. simpl. Et fine lib. 10.

Ructus acidi. *Correctio.* *Duratio.* *Asservatio.*

Habentibus, inquit Montanus de compos. med. viscera debilia, aut subiectis colico dolori, Agaricum exhibituri, ipsum infundimus, ut ab infusione vim purgandi habeamus, & substantiam tanquam periculosam reiiciamus, ne imbecillis intestinis adhæreat, & tormina excitet, ut frequenter facere solet, cùm alioquin ob levitatem raritatémque suæ substantiæ facilè adhæreat, & ad evulsionem pertinax sit.

Agaricus quaret infusus.

Plærique, ait Cronemb. de comp. med. omnes Medici, atque Seplasiarij in Agarico infundendo peccant, dum per ratum pilosum, sive setaceum pannum benè fortiter exprimunt, ita vt sæpè ipsius Agarici portiunculæ aliquot vnà transmittantur, quæ quàm vehementes torsiones & punctiones in intestinis concitent, multi intolerabili dolore experiuntur: neque tamen huius mali causam agnoscere Medici quidam possunt, ac multò minùs corrigere.

Medicorum error in fortè expressione. *Vehementes torsiones.*

Nos iunioribus Medicis consulimus, ut non facilè in potione & clystere præscribant Agaricum, quod Horsthus fecit in dysenteria: considerratis quæ scribit Montanus.

Horstii opinio non placet.

Vtuntur autem hac ætate Agarico infectores, qui mos olim ignorabatur.

Ad tincturam.

Trochisci Agarici traduntur suprà in loco ex Mesue citato. Hîc verò subnectenda, quæ Amatus circa eos ait. Quia, inquit, Agarico acrimonia pauca est, ideò sapientissimi, quum ex illo pastillos parant, Zingiber, vel Cinnamomum, aut Cassiam, cum sale gemmæ & oxymelite illi adjungunt, ut acrimonia parva à natura illi data, prædictis acribus medicamētis fortior evadat, & consequenter potentiùs crassa incidat & educat. Sed in iis pastillis, sive trochiscis admonendum, Pharmacopolas omnes illos paratos in suis habere pyxidibus, vt quum à Medicis descriptum sit, ex trochiscorum de Agarico, illicò ad eas, nulla interpositā morā, confugiant, parúmq; alioquin animadvertere Medicos, in iis trochiscis vires Agarici deperditas esse, quia siccitate acquisita subtiliores particulæ, quibus opus perfici solet, evanuerunt, manentibus crassis, & terrestribus: & ea de causa, Medici prudentiores, & qui rerum curam habent, nunquam Agaricum, nisi noviter in pasta paratum ægrotis præbent, scientes trochiscatum illum vires suas omninò amisisse. Proinde caveant Medici deinceps, ne suis ægrotantibus trochiscatum istum præbeant Agaricum, imò Pharmacopolas, vt ab ista abstineant compositione, moneant, prudentiùs multò facturos, si quoties Agarico vti opus fuerit, de novo, ut diximus conficiant, & in pastam redigant. Sic enim meliùs operabitur, imò si in pastam, eo modo quo Pilularum massa, redigatur, longiori tempore, quàm formâ trochiscorum servabitur, nec ita celeriter suas amittet vires. Nunc verò rem tetigisse sufficit.

Correctio Agarici in troch. *In trochiscis de Agarico vires perduntur, cū reservantur.* *Cautio.*

Cæterùm de Agarico Aug. Ferrerium audire ne pigeat studiosum. Convenit enim ea, quæ magni vel commodi, vel incommodi causa sunt, paulò fusiùs tractare, ut ita veritas clariùs elucescat, & ægrotis meliùs tandem prospiciatur, Medicique autoritati consulatur.

Posthabitis Elaterii, Turpeti, Ricini, Euphorbij, acriumque aliorum præparationibus, Agarico ad pituitæ purgationem passim vtuntur Medici, etsi Diosc. Gal. & Avicenna adstringens esse dicant. In Agarico adhibendis errant, qui per Zingiberis additionem vomitum prohiberi putant. Nam ad flatulentiam castigandam id quidem prodesse poterit: ad oris ventriculi adstrictionem planè nihil. Quod ex Practicis nonnulli animadvertentes, Zingiber addi dicunt, vt tenuitate suâ Agaricum penetrare faciat, & incisione, ad pituitæ crassæ eductionem juvet: neque in tenuiore pituita eo opus esse. Videant ergo quàm longè à scopo aberrent, qui Agaricum cum vino infusionis Zingiberis trochiscatum, vt nauseam vitent, eligunt. Sed ajunt se trochiscatum illud in oxymellite, vel melle rosato ideò infundere. Quod est, ac si dicerent, se errorem errore tueri. Neque enim Oxymelite, neque melle rosato ventriculus à subversione liberatur: imò inter vomitoria Oxymel etiam numeratur. Respondent verò se hoc saltem efficere, ut Agarici substantia, in qua noxia vis manet non propinetur; sed tantùm ti-

Pituita. *Error multorum.* *Vomitum accersit.* *Flatus parit.* *Zingiber cur addatur.* *Agaricus cum vino infusionis Zingiberis.* *Error 3.*

quor, in quo per infusionem purgatoria facultas hæserit. Sed si hoc moliuntur, cur purum Agaricum non assumunt, quod cum Zingib. Galang. & Sale gemmeo infundant? sic enim majorem habebunt vim purgatoriam, quæ in trochiscato per macerationem diminuta, in infusione iterum novam alterationem, ac diminutionem patitur. Vnde, nec immeritò miratur eos Augerius tam stupidos esse, vt trochiscati infusionem valentiorem esse putent infusione simplicis & puri.

Infusio. *Agaricum trochiscatum, in infusione debilius est simplici.* *Stupiditas quorundam.*

Trochiscati descriptio. Trochiscati autem Agarici duæ habentur præcipuè descriptiones, quas examinare decet. Prima est Mesuæ, ex vino infusionis Zingiberis, in quo sæpè maceretur pulvis Agarici, vt infrænatam vim Zingiberis exsugat. Sed agnoscerent præparatores isti, si considerarent, se nihil aliud cum novâ infusione agere, quàm id quod jam infusum ac maceratum est, iterum macerare ac infundere, debilitatâ semper medicamenti naturâ, vt vix in vltima infusione purgatoriæ facultatis quicquam relinquatur. Alteram verò simpliciorem descriptionem officinæ habent, quam ad Mesuem referunt. Constat autem pulvere Agarici in vino infusionis Zingiberis simpliciter, & non sæpè temperato & cum vino ipso in trochiscos redacto: quo pacto quis etiam negabit Agarici vim remitti, cùm simplici lotione medica menta omnia debilitari contingat, vt ex Galeno & Mesue constat.

Simplicior modus. 2. *Simplici etiam lotione medicamenta debilitantur.*

Trochiscatum sanè in infusionem adhibitum, nec apud Mesuem nec apud Avicennam, neque apud alios meriti alicuius autores legitur. Quinimò Mesues ipse Agarico puro, nunc trito solùm, nunc infuso, aut decocto, addito tantùm aliquo infrænante vsus fuit: ac, ipsum multiplici infusione, aut infusione & decoctione *Animam* bis perdere tradidit: Et si eius meminit, id tantùm ex aliorum sententia fecit: cùm se non multùm probare illius vsum satis ostenderit vsurpatione nulla. Et certè debilitato admodum Agarico qui vtuntur, quem purgationis successum sperare possunt?

Ab Agarico trochiscato abstinuit Mesues.

Agarici substantia. Agarici autem verus vsus est hic. Substantiam eius tritam dato, castigatam tamen modo jam dicto, quo nausea & flatus mitigentur. At si mitius ipsum optaveris, trochiscatum exhibeto, & quod stomachum roboret, & modicè adstringat, addito: nam, vti dictum, neque Zingibere, neque vino vomitus arceri potest. Tritum tamen hoc dabis, necdum infusum, aut decoctum, ne cum sciolis illis erres. Si, quod plærique faciunt, medicamenti substantiam suspectam habeas, & infusionem vt delicatiorem, sic salubriorem existimes, infunde purum Agaricum in Oxymelite simplici, vel Scyllitico, vel in Vino, aliòve convenienti liquore, cum Zingibere, Mentha, cæterisque infrænantibus. Si cui (vt fit) lascivire placeat, trochiscato vti licebit iterum macerato, ac infuso, aut decocto: sed incidendi magis, quàm purgandi gratiâ, nisi delicatis & mollibus naturis apparetur. Vix enim levis inde sequitur pituitosi humoris expurgatio, nisi qui assumpserit, valde lubricâ alvo sit. Quod probabit, qui solum nec cæteris permixtum dederit. Duplex est enim probandorum medicamentorum modus. Vnus, cùm solum, nec aliis cathatticis adiunctum datur, vt propria eius facultas exploretur. Alter, cùm permixtum exhibetur, vt quid cum cæteris efficiat, intelligatur. Sed quid opus est præscribere in decoctis Agarici trochiscati in panno ligati drach. ij.iij.iv. cùm Agarici puri substantia convenire videatur? Commonendi autem sunt Tyrones, Agaricum officinarum, veterû Agarico molestius, atque in purgando imbecillius esse: quà de causâ maiori copiâ dari debet: Substantiæ enim drachmæ duæ vix satisfaciunt: ac in infusione drachmæ tres nihil ferè agunt, si solum ac citra aliorum catharticorû additionem apponatur. Quod cùm experimentis didicerint, judicabunt etiam trochiscati maiorem dosim parandam.

Trochiscatum tritum. *Infusio.* *Trochisc. infusum magis incidit.* *Duplex probandorum medicamentorum modus.* 1. 2. *Dosis.*

LARICIS RESINA.

Descriptio. *Color.* *Gustus.* RESINAM fundit Larix liquidam, nunquam durescentem, liquidi mellis consistentiâ, colore flavam, nonnunquam etiam vitream, & transparentem, gustu plusquam amarescentem, mediocriter acrem, tenuem & odoratam, quæ hodie non tantùm pro Terebinthina in usum recepta est, verùm etiam solo Terebinthinæ cognomento cognita, quamvis à quibusdam Italis etiam *Pargatum & Lachrymum*, id est, Lachryma appelletur. E Gallia [in Cornario Græco ταλλίας malè, ut puto, & bene in Latin. versione Galliâ] & Alpibus Germaniæ provenit, copiosissima autem circa Saltzburgum colligitur. Ad hæc in Silesiæ, Moraviæque montibus, in finibus Bohemiæ, Laricea hæc [Larica] incolis vernaculâ voce vocatur. Vsurpat hanc Cornarius in Polyarchio medicamento, ex Galeno de Acopis tractante, qui Lariceam Terebinthinâ paulò calidiorem esse dicit. Et non dubium est Laricis Resinam hodie etiam ad veram Terebinthinam admixtam reperiri. Nec desunt, qui in totum Laricis Resinam esse volunt, quam pro Terebinthinâ Officinæ habent: Præsertim cùm idè confirmare videatur Matthiolus, qui ex Larice præstantissimâ manare Resinam testatur, quæ falsò Officinis Terebinthina vocatur. Fuchs. de compos. med. scribit, Pharmacopœos hanc legitimæ Terebinthinæ vice substituere, sed hac in re falli. Tridentini verò, ac etiam qui iis contermini sunt, vernaculo sermone *Larga* appellant, deflexâ à Larice, appellatione.

Largatum. Lachrymum. *Resina Laricea.* *Terebinthina.* *Fuchs. error.*

Colligendi modus. Longo terebro Laricis caudicem ad medullam usque per Aestatem perforant, & inde manantem Resinam vasculis quibusdam è Piceo cortice paratis excipiunt: quam splendidiorem juvenculæ, turbidiorem verò annosæ mittunt arbores.

Nomina linguarû. Laricis resina, græcè ῥητίνη λαρικίνη, ἢ λαρίξ. Lat. *Resina larica*. & *Laricina* Offic. *Terebinthina* non sine errore. Germ. Termenthin aut Terbenthin. Veltkirchenses Rhetorum, nonnullique alii Glorie vocant. Angl. verò Tomon/ Turpentine.

Vires & vsus. Narravit Turnero Nobilis Rhetus Antonius Traverus, apud quem quærendis in Alpibus plãtis defessus diverterat, lignatores eius provinciæ, salubritatis *Larigna* confectos ubi tr eius magnam copiam inciderunt, liberaliter bibere, adeóque ebrios reddi, ac vino generoso multo bibito. Multi *Larignam* hodie ad calculum & morbos renum utiliter usurpant. Eadem (teste Porta) regio morbo occurrit, si cerea fit. Felix Platerus ad febres continuas Lariceam [Resinam] priùs cum vitello ovi dissolutam, in clisteribus præscribit, quæ præ cæteris stimulat. Per *Lariceam* autem existimamus intelligi *Resinam*, quod vocabulum incuriâ Typographi fortè omissum. Ait idem: ex Terebinthina veteres pilulas exhibuerunt, loco Pilul. Rufi: cuius loco si illa desit, nos Resinam Lariceam æquè utilem, cùm egregiè purget, substi-

Ebrietas à potu. *Calculus.* *Icterus.* *Dissolvendi ratio.*

Dilutum. Pestis. stituere possumus. Dilutum è Terebinthina, vel Laricea cum vitello ovi, & aq. Cardui benedicti factum, tempore pestis egregiè purgat. *Massa pro pilulis.* Fit etiam Massa pilularum è Therebinthina à Pharmacopœis peritis, si decoquatur cum aqua, ne aduratur, donec gutta supra lapidem cadens, non adhæreat. *Pulvis.* Eademque massa reducitur in pulverem, si pistillo leviter teratur. Ac si in terram cadat, in pulverem redigitur, & ceu vitrum frangitur. Lubet præterea modum eliciendi spiritum Terebinthinæ, Pharmaciæ studiosis exhibere: Ex aliis enim & Resinis, & gummi, spiritum non ita candidum, & lacteum extrahes: *Modus eliciendi Spiritum.* Capies igitur Terebinthinæ quantum voles, indes refrigeratorio cum aq. frigidæ s. q. ut sex digitos supereminèat, extrahes spiritum, qui aquæ innatabit, quem per infundibulum secernes. *Oleum.* Ac si velis, quod in fundo refrigeratori remanebit, separabis ab aqua, & cum retorta, unà cum arena addita, elicies Oleum flavum ad ulcera sananda accommodatissimum. *Vlcera. Spiritus dosis. Calculus.* Spiritus verò guttæ 10. cum aq. Ononidis vel aliâ appropriatâ, sumptæ calculosis prosunt.

LARICVS MVSCVS.

Descriptio Totus citrino colore nitet, peramœno: ab arboreo vulgari haud multùm diversus: variè divaricatus inque profunda segmenta divisus, donec in minima fatiscat. Hoc peculiare habet, quòd totus sit rugosus, & odore satis vehementi, Sapor, qualis ferè Agarico. *Sternutatorium.* Adeò autem celeriter cerebrum ferit, ut non solùm pulvis qui eo attrito decidit insufflatione per nares attractus, verùm etiam prædictus vehemens odor sternutationem validè ciere potuerit, ut ipsimet sumus experti.

Locus. Ex Valesia attulit Cl. D. Platerus, nobísque communicavit. Eleganter citrino tingit colore, vel in aqua maceratus, vel dentibus detritus.

CONIFERA NVX MINIMA.

Descriptio Svnt nobis coni ex valetandi Dourez, olim Pharmacopœi in signis repositis plantis, parvi, vnciâ breuiores, dimidio angustiores, hi similitudinem aliquam habent, cum Laricis conis, an autem in totum differant, affirmare non ausim, & an ætas discrimen pariat: *Coni.* Coni hi pediculos habent crassos, incurvos, ita vt conspiciantur pendere fructus deorsum, & nutare: *Foliola.* Pediculo ad coni basin adhærent foliola parva Piceæ, valdè brevia: Totus conus constat squamis tenuibus [quales in Laricis conis] latis, striatis, atque inter squammas *Semen.* semen provenire foliaceum, vt in Picea, vel Abiete, apparet: tempus autem docebit an Laricis conus nondum maturus, vel alius arboris sit. Si non est conus Laricis, erit coniferæ arboris mihi non notæ. *Pinus sylvestris.* Scribit quidem Lob. in Adversariis esse Pini silv. quandam, quæ exiliùs, viliúsque cometur, donetúrque nuce multò minore, & ferè Larigna, cupio autem per sedulos examinari an Lobelii illa Pinus huc, vel aliò referenda.

* * *
* *
*

DE CEDRO, ANTIQVORVM sententiæ.

Cap. XIV.

Qvamquam non minùs multi quàm ingeniosi, vt de omnibus, sic & de Cedro tractarint: attamen hoc deterrère nos non valet, ne, quæ de hac longa observatione, è Græcorum, Latinorúmque authorum scriptis nobis comperta sunt, hîc perscribamus.

Est hæc, inquit Theophrastus, ex perpetuâ *Perpetuò viret.* fronde virentibus una, quæ aptissima quoque navibus, quàque, qui Syriam, Phœniciámque incolunt, utuntur. Materies namque hæc odorem emittit, vt omnium quibus oleosus est humor. *Statua ex ligno Cedrino.* Quapropter statuæ ex Cedri ligno, ac quibus sic pinguedinis aliquid inest, interdum, præsertim verò austrino humectoque cœlo sudant, quod prodigium vel ostentum esse falsò creditur. *Materies.* Materies autem vnaquæque pro loci natura (vt etiam priùs retulimus) suam obtinet differentiam. Nam quibusdam in locis Cedrus miranda assurgit, vt *Cedrus Syriaca admiranda magnitudinis.* vidêre in Syria licet; vbi Cedri in montibus, cùm longitudine, tum crassitudine præstantissimæ exeunt: adeóque crassescunt, ut sint, quas ulnæ hominum quatuor, vel etiam plures nequeant amplecti: addunt, his ampliores, pulchrioréśque reperiri in hortis. *Folia.* Cæterùm folia sunt Cedro rara ac extremitate pungentia. Taxus quæ in Arcadia nascitur, ligno constat nigro, aut puniceo: quæ autem in Ida, flavo, & Cedro simili, propter quod vendentes fraudare dicuntur: tanquam Cedrum vænundent. *Cedri adulterium.* Cedrum autem quidam duplicem esse affirmant, alteram Lyciam, alteram *Cedrus duplex Lycia Phœnicea.* Phœniceam [φοινικῆν, ineptè Gaza punicam reddit, cur non more suo secutus Plinium, qui & ipse Phœniceam convertit?] Alii simplicem dicunt, scilicet qui Idam incolunt: & eam Iunipero similem: *Iuniperus etiam Cedrus dicitur.* Sed folio maximè distat, quippe Cedro durum, acutum, spinosúmque: Iunipero mollius: Iuniperoque Cedrus excelsior nasci videtur. *Cedrus ambæ.* Cæterùm alij nominibus minimè dividunt, sed ambas Cedros appellant, distinctionis tamen gratiâ, hanc Cedrum, illam verò Oxycedrum vocant. Ambæ nodosæ, alosæ, & materiæ tortuosæ: *Materies.* Iunipero siquidem parva, spissaque materies, ac brevi putrescens cùm cæsa fuerit, at Cedro [Oxicedro] maximâ ex parte corde referta, & putredinem nullam sentiens: Vtrique medulla rubea, sed odorata quidem in Cedro, inodorata verò in Iunipero: *Fructus.* Fructus Cedro flavus, magnitudine baccarum Myrti, odoratus, gustatuque suavis, Iunipero cætera quidem similis, sed niger, gustuque adstringens, vt præ nimia acerbitate, propè ingustabilis sit: durat in annum, ac cùm alter subnatus fuerit, præcedens decidit. At ut Arcades volunt, fructus simul retinet ternos, id est trium annorum. Radices raræ corpore ambabus, atque per summa telluris dispersæ. *Locus.* Nascuntur saxosis, & frigidis locis, & Solum eiusmodi quærunt.

Plin. loquens de arboribus Syriæ, ait: Iunipero similem habent Phœnices & Cedrum minorem. *Cedri minores duæ Plinio.* Duo eius genera, Lycia & Phœnicia. Differunt folio. Nam quæ durum, acutum spinosum habet, Oxycedros vocatur, ramosa & nodis infesta. *Oxycedros Cedri maiores duæ.* Altera odore præstat. Fructum ferunt Myrti magnitudine, dulcem sapore. Et maioris Cedri duo genera: Quæ floret, fructum non fert. Frugi-

ed by Google

Error multorum. *Porta reprob.*

Hanc etiam non ritè cognovisse Cordum, Amatum, Apollinem, Ruellium, & Gorthæum, ut nec ipsum Dodonæum, facilè animadvertent, qui eorum scripta considerabunt. Indistinctè etiam Porta de Cedro sic scribit: Aiunt Cedrum fructum ferre lignosis thecis inductum & sapore adstringentem.

Hanc Gesn. de Hortis Germ. rectè Cedrum, & arborem coniferam vocitat.

Cedrus Libani. Chithram Arab. *Ligna Antverpiam adferuntur.* *Loniceri error.*

Examinandum quoque proponimus, an Goropius per Chithram vel Chathram Arabum Cedrum Libani intelligat, vel Thuiam? Hac ætate, inquit ille, magna Cedrini ligni, quod suavissimo odore spirat, copia ex Hesperio promontorio, alisque locis, partim citra, partim ultra Oceanum sitis, Antuerpiam adfertur. Nec verò Cedrina modò, sed aliarum quoque arborum odoratissimarum materia.

Sed hoc adhuc monendum. Quod Lonicerus sub titulo Cederbaum/ κέδρος. Cedrus, figuram Oxycedri ex Matthiolo habeat, nec distinguat, Cedrum arborem ab Oxycedro. Cedrique conum exhibeat pro alia planta, ut postea dicetur.

Aequivoca

N. Cedri restarent Æquivocationes, proposito nostro, quod nos equidem existimamus, recensitas circa veterum sententias, satisfecimus: At quia eædem supersunt, tempestivum est, ut eas nunc tradamus. Cedri itaque nomine quoniam compreheñd. diversas plantas comperimus, de prima & celeberrima Libani montis, sive sacrarum literarum primùm dicemus Cedro. Est autem *arbor vitæ*, quæ existimatur Cedrus Atlantica & Thyia. Quidam verò volunt, *Iuniperum* esse Cedrum. Contendunt alii Cedri nomen obtinere Iuniperi genus, quod vocant Cedrum Phœniceam, sive Oxycedrum. Bellonius scribit, quòd Theriaca Cedri ramos admittat, quod de muricatis Cedri ramis est intelligendum. Cedrus Atlantica dicitur à nonnullis di S bina, de qua postea suo tradiemus capite. Guilandinus inquit, an Abhel Orientis sit Cedrus & Thyia. Nunc Cordo resina Elemi, est Cedri lachryma, de qua nos scripsimus lib. 5 post Mastic arborem, cuius lachrymam esse quidam volunt. Apud Plinium lib. 16. c. 15. Acer operum elegantiâ & subtilitate Cedro est secundum. Hist. Lugd. tenet cum Hermolao legendum Citro. Fuerunt quoque, qui æstimarint Citri Mali arborem esse Cedrum Libani, ut demonstratum lib. 8. cap. 25. Dioscoridi sanè & Athenæo Citrus pomifera dicitur κέδρος. Petrus Martir Nabeæ, sive Paliuro Athenæi creditæ nomen Cedri Libani tribuit ut videre est, lib. 6. Cedrum Lyciam quorundam folio retuso (de quâ Cæsalp. lib. 3. cap. 54.) Sabinam vulg. in maritimis, Theophrastus Iuniperum vocat, licet ab aliis Cedrum vocari testetur. Santalum tandem in Officinis quibusdam usurpari pro Cedro, dictum est lib. 4. de Santalo, quem errorem carpit Bellonius.

Cedrus Libani. Arbor vitæ. *Iuniperus.* *Cedrus Phœnicea sive Oxycedrus.* *Sabina.* *Abhel Orientis.* *Elemi.* *Citrus. Citria malus.* *Nabea sive Paliurus Athenæi quibusdam.* *Cedrus Lycia folio retuso.* *Santalum.*

Vires. *Cedrinum Diosc.*

Restat ut de fructûs usu & facultate dicamus. Cedrides (Dioscor. verba sunt) porrò vocantur Cedri arboris, fructus. Vim habent calefacientem stomacho incommodam: Auxiliantur tamen tussi, convulsis, ruptis, urinæ stillicidiis, & menses ducunt cum pipere trito potæ. Ad leporis etiam marini potum cum vino sumuntur. Fugant item bestias venenatas si corpus ex ipsis cum adipe, aut medulla cervina oblinatur. Admiscentur quoque in Antidotos.

Tussis. Menses. Lepus marinus. Venenum.

Temperamentum.

Cedrus ex Gal. simpl. med. lib. 7. specie duplex est: altera fruticosa Iuniperis adsimilis altera arbor non exigua, utraque est calidæ, siccæque temperaturæ tertii quodammodo ordinis secundum utrumque. Porrò Cedrides (nam ita fructum Cedri nuncupant) moderatiores vires obtinent, quàm Cedria, adeò ut comedi quoque possint. Attamen si liberaliùs iis utare, capiti dolorem inferent, ardorémque ac morsum in ventre percipies. Confirmat eadem Plinius dicens: Cedrides, hoc est, fructus Cedri, tussim sanant, urinam cient, alvum sistunt, utilesque sunt ruptis, convulsis, spasticis, stranguriæ, ut & vulvis admoti, & contra lepores marinos, atque etiam collectionibus, ac magnis inflammationibus.

Cedrides. *Caput ladunt.* *Urinam.*

Cedrinum, Iuniperinum, Cupressinum, Laurinum, Pineum & Abiegnum vinū simili ratione côcinnari docet nos Dioscorides. Arborū, sedum fructus edunt cæsum recens materiem oportet assulosè dividere, & Soli aut balneo, ignive admovere, ut exudent, congioq; vini minā unā permiscere, atque ita duorum mensium spatio sinere: tum demum transfundere, Soli exponere, tandémque recondere. Porrò factorum huiusmodi vinorum vasa impleri debent: namque illa non expletis vasis acescunt. Nihilominùs medicata vina rectè valétibus haud quaquam idonea. Cæterùm isthæc omnia excalefaciunt, urinam cient & leviter adstringunt. Laurinum tamen vehementiùs exalefacit. Fit quoque vinum è Cedri maiori fructu, in unum musti congium addito baccarum contusarum minæ semisse, Sed diebus quadraginta insolari, ac iis exactis, defæcatum in vasa transferri debet. Fit & à baccis Iuniperi vinum, similiter ut è Cedri fructu ad eadem valens.

Vinum ut Conficiendum E ligno. *Cautio.* *Bene valentibus noxia.* *Vires & usus.* *E fructu.*

CEDRIA VETERUM.

Consequentiâ partium maximè allecti de Cedria veterum tractare constituimus. Notabis igitur hic Cedriã Cedri lachrymã esse: quod comprobat Plinius his verbis: Cedrus magna, quam Cedrelaten vocāt, dat picē, quæ Cedria vocatur.

Cassius Hemina vetustissimus Annalium Autor, quarto eorum libro ut tradit Plinius lib. 13. cap. 13. prodidit Cneum Terentium Scribam agrum suum in Ianiculo repastinantem offendisse arcam in qua Numa, qui Romæ regnavit, situs fuisset, atque in eadem libros eius repertos P. Cornelio L. F. Cetego, M. Bebio Q. F. Pamphilo Coss. ad quos à regno Numæ colliguntur anni D.XXXV: & hos fuisse è charta maiore etiampum miraculo, quòd tot infossi durauerunt annis. Mirabantur alii, inquit Hemina, quo modo illi libri durare potuissent: ille tamen rationem reddebat, dicens se arbitrarier tineas non attigisse, eosque non computruisse, propterea quòd libri Cedrati fuissent. In illis autem libris scripta erant Philosophiæ Pythagoricæ: qui quod Philosophiæ scripta essent, à Q. Petilio Prætore combusti fuêre.

Sic etiam scribit Vitruvius ex Cedro Oleum nasci, quo Libri abære res perunctæ, à tineis & carie non læduntur. Ad quod pertinêre videtur illud Persij Satyra prima. —— *Et Cedro digna loquutus.*

Libri Cedrati.

Item illud Ovidij:

Nec titulus minio, nec Cedro charta notetur.

Fit (testis est Plinius) Oleum ex malis Cedri, quod Cedrelæon vocant.

Cedria, quod placet Dioscoridi, optima est crassa, perlucida, gravis odoris, quæ dum effunditur guttatim, non dissipata coit.

Cedria delectus ex Diosc.

De Cedria hoc scriptum reliquit Hermol. coroll. 111. Cedria modò pix Cedri, modò Cedri resina vocatur, è Cedro magna, quæ Cedrelate dicitur: nihilque aliud est, si propriè loquendum sit, quàm cruda Cedri lacryma. Cedrinum verò

Cedria varia significatione. *Cedrinum.*

Digitized by Google

succus Cedri est, è teda eius concisâ qui primus aquæ modò fluxerit in canali: nam sequens liquor pix jam, non Cedrium est. Sed confundunt Autores, nunc pro resina: nunc pro sudore tedarum: nunc pro pice: nunc etiam pro Oleo Cedrino Cedriam & Cedrium tradentes: quod minimæ tamen est nocentiæ, siquidem omnibus iis, quanquã diversis, eadem tamen natura inest.

Pix. *Error quorundam.*

Columella Cedrium liquorem vocavit.

Galenus & Paulus, non Cedriam, sed Cedream vocabant. *Cedrea Gal. & Pauli.*

Cedria (docente Bellonio de arborib. conif. lib. 1.) ex quavis resiniferarum materia, modò pinguis sit, promiscuè fieri potest. Sed non quemadmodum quævis Picea Cedriam facit, neque quævis Cedrus pinguis est. Ex Larice porrò, modò materia pinguis sit, Cedriam facimus. Ex Cupresso quoque, atque etiam Betula Cedriam fieri posse asseveratur. Omnium deterrima, quæ ex Iunipero fit: eam vulgus Oleum *de Cade* vocat. Vulgus nostrum Rothomagense, Lutetiæ & Lugduni, apud quos copiosissima est aliunde advecta, *Katranum* vocat. Cedriam ex teda fieri Plin. libro sexto cap. 11. his verbis testatur: Pix liquida, inquit, in Europa à Tæda coquitur. Hoc in Syria Cedriũ vocatur. Avicennas suâ linguâ Serbin vocat, sed Serapio Kitran. Turcarum vulgus hodie, vt Gallorũ quoq; *Katranum.*

Cedria ex quavis arbore resinifera. *Oleum de Cade.* *Katranum.* *Serbin. Kitran.*

Et alibi: Cedriam & Cedri oleum pro eodem cum Galeno 7. simpl. habet: nihilque aliud esse scribit, quàm recentiorum mumiam quâ condita olim fuerint corpora. Galeno verò Cedriam vocari modò resinam, modò lachrymam, modò picem, modò suo nomine Cedrian. Nam illam, inquit, quæ ex Cedro arbore manat, Resinam appellat, seu crudam lachrymam, ad discrimen eius, quæ coquitur. Quæ autem, inquit idem, à Cedro proficiscuntur, aut spontè effluunt, vt resina, aut lachryma: aut arte parantur, vt Cedria. Sed hæc vi ignis elicitur, quæ revera à Turcis meliùs multò, quàm à Cretensibus perficitur. Sunt qui ex Cedria picem faciant. Vulgus Galliarum habet aliquid, quod Cedriæ, aut pici liquidæ prorsus respondeat: Duobus autem nominibus id appellare solet. Vno modo *Huile de Cade:* alio verò, *du Tac.* Ex variis materiebus fieri consuevit, veluti Iunipero, Fraxino, Sabina, Cedro, & eiusmodi lignis adhuc virentibus. Indigenæ Avignionenses, Provinciales, & Linguoscitones, eo maximè oleo vtuntur, quod ex Phœnicea, & Lycia Cedro fit, & duobus nominibus *de Cade Sabin* vocant. Id autem quo nostri hîc in Gallia Celtica vtuntur, quod Tacum vocant, veriùs è lignis Iuniperorum perfici videtur, idque à morbo ovium, cui mederi solet, nomen habet. Idem etiam de medicato funere. lib. 1. cap. 3. hæc addit. Cedria, medicamentum quod ex Tæda fumitur, mortuorum vitam quidam appellavêre. Manat, inquit Matthiolus in Dioscoridem, ab arbore maioris Cedri etiam resina, quæ propriè Cedria dicitur, vtilis ad multos in Medicina vsus: Sed hanc ad nos non adferunt Cyprii, neque mercatores, qui ex Syria mercimonia convehunt, tametsi regiones illæ plurimis (vt aiunt) Cedris maioribus scateant. Petrus Bellonius lib. 3. de medicato funere, Item lib. de conif. arb. putat non modò Cedrum Cedriam fundere, sed & Piceam, Tædam, Laricem, Cupressum, Iuniperum & Betulam. Quinetiam suis malè excogitatis Cedriis eas omnes facultates assignavit, quas Diosc. Galen. & alii quàm plurimi auctores Cedriæ duntaxat reddiderunt; adeò vt magno & ridendo errore dixerit suas hasce Cedrias defuncta corpora conservare, quemadmodum ea conservat legitima Cedria; quasi idem quoque velit, quòd Picea, Pinus, Larix, Cupressus, Iuniperus, & Betula nullis prorsus facultatibus inter se differant. Fuchsius lib. de comp. med. quem postremò locupletatum excudit, in compos. Mithridatis, pro Cedria, quando ea non potest inveniri, lachrymam Abietis substituendam præcipit, ratus vtique eandem vtrique facultatem inesse. At ego quidem Galenum secutus, malim Ladanum substitui, donec ab aliis aptiora proferantur, quorum meliori iudicio subscribendum fit. Neque ineptè fortassè Iuniperinum gummi illius vicem supplêre poterit: quandoquidem constat omnibus rei herbariæ studiosis tantam inter Cedrum & Iuniperum esse similitudinem, vt altera ab altera vix discerni posset, nisi ea esset differentia, quæ in baccis vtriusque manifesta deprehenditur. Cedri liquor, vt Græcis *κεδρία*, ita etiam Latinis Cedria dicitur, Arab. Kitran, sive Alkitran, Ital. *Cedria.* Ex quibus ita dictis manifestum est Matthiolum nescire, ex qua arbore profluat Cedria, videtur autem existimare ex minore fieri, cùm ait: Cedri differentiam à Iunipero ex baccis deprehendi. Deinde si Cedria est ex minore Cedro baccifera, quid attinet eam quærere in Syria, cùm ea sit propiùs & valdè frequens.

Mumia recent. *Cedria Galeni.* *Pix.* *Ol. Cade, & Tac.* *Tacum.* *Vita mortuorum.* *Bellon. reprehen.* *Fuchs. reprehen.* *Abietis lachryma pro Cedria.* *Ladanum.* *Iuniperinum Gummi.* *Cedri & Iunipero differentia.* *Matth. notat.*

Cedriæ substituta hæc observavimus. In Fuchsij Antiballomeno pro Cedria, fructus Cedri substituitur, vbi demonstrandum erat, cuius Cedri fructus sumendus: puto intelligi deberi Oxycedri: an verò bene substituatur, considerandum. Cedrio dicto, inquit Galenus, in Asia in frigidis capitis affectibus aut in declinatione calidiorum, rustici eius penuria pressi, Pisselæo, id est, pice & oleo mistis, liquidâ formâ vtuntur. Cedri gummi meminit Fuchs. in antid. Mithrid. & pro eo lachrymam Abietis substituendam præcipit, ratus vtique candem vtrique facultatem inesse: at ego (dicit Matthiolus) quidem Galenum secutus, malim Ladanum substituere. Tract. quid pro quo: Pro Cedria, i.e. Pice liquida, Laudanum. Fuch. inter sua Antibal. Ladanum quoque pro Cedria substituit. Cedri lachryma vide Gummi Elemi, Gesnerus in Cordum. Cedri lacrymæ loco, vti licebit liquore germanicè Dögel dicto, qui ex Betula elicitur, Gesn. in Cordum. Ex Bellonio antè annotavimus ex Betula Cedriam fieri posse, sicut ex quavis resinifera materia, modò pinguis sit: Verùm quæ pinguedo est in Betula? non negamus tamen eius succum in quibusdam supplere posse Cedriam. Videant itaque Lectores sententiam Matthioli antè positam de Cedria Bellonij. Cedriam facimus ex cupresso, inquit Bellonius. Cedria deterrima ex Iunipero, autore Bellonio, quam vulgus Oleum de Cade vocat. Non habetur, inquit Lacuna, Cedria legitima, cum qua maximam similitudinem habet, Oleum Iuniperi dictum in Castillia Mieta. Cæsalp. Ex lignis Iuniperi montani (vulgaris) igne superposito liquor extrahitur, qui Oleum de Iunipero vocatur apud Mesuem. Si hoc pro Cedria vteremur, puto non minorem in eo efficaciam futurã, quàm si ex magna Cedro haberemus. Matthiolo, vt antè dictum, non ineptè fortassis Iuniperinũ Gummi, Cedriam supplere poterit.

Cedriæ substituta & æquipollentes. *Cedri fructus forte Oxycedrus.* *Pisselæum.* *Abietis resina.* *Ladanum.* *Elemi.* *Betula succus.* *Bellon. not.* *Cupressus. Oleum de Cade.* *Iuniperinum Gummi.*

Vim habet Cedria (inquit Diosc.) quæ viventia quidem corrumpit, mortua verò corpora conservat. Vnde etiam mortui vitam quidam ipsam appellaverunt. Sed & vestes, & pelles corrumpit, intensâ suâ caliditate ac siccitate. Commoda aũt est ad

Vires. *Mortui vita.*

Visum acuit. Auriū & dentium morbis commoda. Vt & in Anginā.

est ad ocularia medicamenta, vt quæ illita visum acuat, & albugines ac cicatrices deleat. Cum aceto verò instillata, vermes in auribus necat, & cum Hyssopi decocto infusa, sonitus ac sibila sedat. Et in cava dentium indita, dentem frangit, & dolorem sedat. Idem facit etiam si cum aceto colluatur. In anginis etiam illinitur, & tonsillarum inflammationibus opitulatur. Pediculos item & lendes oblita perdit. Cerastæ verò serpentis [κεράστου] morsibus cum sale imposita auxiliatur. Et adversus marini leporis potum, cum passo sumpta auxilio est. Prodest & Elephantiasi laborantibus, si delingatur, aut oblinatur. Purgat quoque vlcera in pulmone, eáque sanat, si cyathi mēsura sorbeatur. Ea autem optima est, quæ crassa est ac pellucida, gravis odoris, & quæ guttatim emanans permanet & non diffunditur. Vermes & Ascaridas perdit, per clysterem infusa. Fit & Oleum ex ipsa quod separatur à cedria, si ita, velut de Pice dictum est, in coctura pura lana supertendatur. Hoc ad eadem facit, ad quæ etiam ipsa cedria. Privatim verò quadrupedum, & canum ac boum scabiem curat. Ricinos etiam in ipsis perdit, & vlcerationes, quæ ex tonsura ipsorum oboriuntur, ad cicatricem perducit. Fuligo verò ex ipsa colligenda est, velut ex pice, quæ eandem cum illa vim habet.

Elephantiasi. *Oleum ad quadrupedum morbos.*

Plinio annotante cedrus magna, quam cedrelaten vocant, dat picem, quæ cedria vocatur, dentium doloribus vtilissimam, frangit enim eos, & extrahit, ac dolores sedat. Cedri succus ex ea quomodo fieret, diximus, magni ad lumina vsus, ni capitis dolorem inferret. Defuncta corpora incorrupta ævis servat, viventia corrumpit; mira differentia! cùm vitam auferat spirantibus, defunctis pro vita est. Vestes quoque corrumpit, & animalia necat.

Cedri succus. Ad lumina. Ad cadavera. Vestes corrumpit. Animalia necat.

Ob hoc non censeam in anginis hoc remedio utendum, neque in cruditatibus, quod suasêre aliqui: Dentes quoque colluere ex aceto in dolore timuerim, uel gravitati, aut vermibus aurium instillare. Phthiriases perungere eo non dubitarim, itē que porrigines. Suadent & contra venenum Leporis marini bibere in passo. Facilius in Elephantiasi illinitur. Et ulcera sordida & excrescentia in eo autores quidam & oculorum albugines, caliginésque inunxêre eo. Et contra pulmonis ulcera cyathum eius sorbêre tulserunt. Item adversus tineas [fortè Tænias CH.] Fit ex eo & oleum, quod pisselæon vocant, vehementioris ad omnia eadem usus. Cedri scobe serpentes fugari certum est: Item baccis tritis cum oleo, si qui perunguntur. Cedrides, hoc est, fructus Cedri tussim sanant.

Non utendum in Angina & cruditatibus. Dentes. Aurium vermes. Phthiriasis. Venenum leporis. Elephantiasis. Oculis. Pulmonis Vlcera. Pisselæon. Scobs contra serpentes.

Hæc nos capite de Iuniperis posuimus, cum quibus nobis videtur Plinius confudisse Cedrum magnam, ea enim non habet baccas. Ac etiam miramur Plinium non reprehendere usum succi Cedri ad ulcera pulmonum, uti fecit in anginis, & cruditatibus: nam Galenus Cedriam ulcera irritare, & phlegmonem excitare, immò quod plus est, septicam esse tradit 7. simpl. Mollem itaque carnem promptè citráque dolorem putrefacit, sicut alia omnia, quæ cùm eiusdem sint in calefaciendo ordinis, adiunctam etiam habent substantiæ tenuitatem. At in duris pluscùlo eget tempore, & vix effectum potest consequi. Porrò talia omnia medicamenta, septica vocantur, & septa: sed inter sese maioris, minorisque ratione dissident. Est autem in hoc genere medicamentorum ex primo & infirmissimo ordine Cedria: pleráque enim eorum admodum sunt efficacia. Talia mortuorum corporum carnes corrumpunt: at Cedria exsiccat, simúlque à corruptione tuetur corpora demortua, utpote humiditates eorum superfluas depascens: cæterùm solida corpora haud attingens: At in viventibus calor ipse, qui in corporibus est, Cedriæ vires adaugens, causa efficitur, ut teneræ ab ea carnes deurantur. Nec mirum videri debet, si cùm tanta polleat potentia, lendes, pediculos, & tineas, & in auribus natos vermes interficere valeat, ac fœtum mortuum eiiciat. Alia multa eiusmodi particulatim efficit: Itaque argumentum est ipsam valenter excalefacere, sicut ubi dentium foraminibus instillatur. Siquidem dolores eorum mitigat, sed & ipsos confringit. Extenuat quoque oculorum cicatrices: & visus hebetudini ab humorum crassitudine ortæ medetur. Porrò quod eius est pinguissimum, & ad unguem oleosum, quod suspensis supra eum, dum coquitur, Lanis excipitur, ac colligitur, tota Cedria tenuis quidem est: sed minùs acre, quanquam non minùs excalefaciens. Eandem quippe rationem habet ad id, quod reliquum est Cedriæ, crassius illud, idelicet, quam Oleum ad amurcam. Proindè illud, utpote crassius, est mordacius, & maiore aperiendi facultate præditum. Itaque & ulcera irritat, phlegmonémque illis excitat. Porrò oleosa illa Cedria adeò clementibus est viribus, ut etiam plebei, experientiâ docente, vulnera ovibus occasione tondendi à forfice facta, illâ illita sanent, atque etiam eâ & ad ovium scabiem & ad ricinos utantur.

Bacca. Plin. not. Cedria. Cedri Oleum. Septica. Corpora mortua à corruptione tuetur. Lendes, pediculi. Vermes aurium. Fœtus mortuus. Dentes. Oculi. Vlcera irritat. Phlegmonem excitat. Vulnera ovium. Scabies & ricinus.

Vinum autem Cedrites, ut nobis Author est Dioscorides, ita paratur. Cedria aquâ dulci lavatur, & singula dolia cyatho uno proluuntur, & sic musto replentur. Calefacit hoc vinum & attenuat, tussi veteri conveniens citra febrem, Thoracis item doloribus, & laterum torminibus, ulceribus in alvo & intestinis, pectore suppuratis, hydropicis, hystericis, fœminis uteri strangulatu vexatis. Facit & ad lumbricos, & ad rigores. Auxiliatur commorsis à bestiis venenatis, & animalia reptilia ac serpentes necat. Aurium quoque dolores instillatum sanat. Cedrites verò vinum Hippocratis, de quo antè, idem esse cum Cedrite hoc Dioscoridis scribit Cornarius, quod consideratione non vacat: quid si Hipp. intelligit vinū paratū ex baccis, vel ramentis Cedri Creticæ?

Vinum parandi modus. Temperamentum, Vires. Tussi veteri medetur. Thoraci & lateribus. Alvo. Hydropi. Vteri strangulatu. Lumbrici. Venena. Aurium dolores. Cornar. not.

CEDRVS MAGNA SIVE LIBANI CONIFERA. CAP. XV.

Descript. Cons.

CEDRI Libani ab annis multis servamus conos, ramos, lignū. Coni quatuor pollicibus altiores, octonos in ambitu circa basin colligunt, paulatim in obtusum turbinem fastigiati, squāmis compactis sesunciam circiter latis, unciam altis, mediocriter crassis, rufis, per extrema exstātia plānis, alia alius sinū ita subeūte, vt

te, vt quot sunt earũ circumcirca agmina, totidem zonis præcincti videãtur: inferior aũt vniuscuiusq; ex his squammis pars Lambdoïdes mucrone suo hastæ adnascitur, jugo elato medium percurrente, in valles laterales declivi, totidem consimilibus ex adverso valleculis respondentibus, quæ totidẽ recipiunt *Nucula.* nuculas, pomaceis, aut pyraceis granis duplo, triplòve maiores, formâ nõ absimili, *Resina.* rutilante quadam resinâ, durâ, sed fragili, vehementer odoratâ, evidenter acri, fartas, quarum unicuique vncialis triquetra tenuisque membrana affigitur, papilionis alam egregiè referens, *Membrana.* ita quidem, vt duæ membranæ, uni squammæ maiori, averso incubitu, respondeant. Cæte- *Coni Pediculus.* rùm pediculus coni validus existit, uncialis & sextantalis longitudinis, crassitudine ferè extremi articuli digiti minimi, obliquus, aut incurvus, cortice rugoso, & squammulis exiguis (vt in Pino & Pinastro) subinde loricatus. *Ramus.* Ramus, quem habeo, pollice crassior, cortice crasso, rugoso, foris fusco, intus russo vestitur, materie dura, alba, in ramulos satis crebros di- *Lignum.* visus. Lignum verò in assamenta iam conformatum, colore est vndiquaque russo, (qualem in Pyri ligno subinde conspicimus) pectinibus rectis fissile, solidum satis, media tamen inter fibras spatia inania, vt lignum quernum, ostendens, nullam cariem, nullam teredinem sentiens. Hæc domo meâ petita, vbi tres conos unico ramo hærentes habuimus à Valerando Dourez. Cæterùm qui cominùs in natali suo loco terræ hærentem arborem observarunt, eam *Descriptio Rauvvolff. semper virens.* ita nobis depingunt vt *Rauvvolfius*, Arbor est Cedrus Libani perpetuò virens, robustis ramis brachiata, orgyias aliquot crassa, ad summam Abietum nostrarum proceritatem assurgens, quantò autem maiores accreverint rami, quorum pondere gravatus caudex se inclinat, *Rami, Coni.* tantum de arboris rectitudine decedit: Rami (vt & coni magni, rotundi) sursum spectant, longi, tam pulchro ordine dispositi, ac si artificis manus resectos æquatósque apposuisset: sic vt eminùs etiam circinatus æqualiter dispositorum orbis egregiè appareat: ex quo etiam, antequam cominùs contempleris, facilè inter hanc, aliasque resiniferas arbores discrimen notes licet: cæteroqui magna huic cum Larice simili- *Folia.* tudo, potissimùm in foliolis, quæ parva, angusta, conferta, in exerto surcello fusco, clavis Musci terrestris longitudine & crassitie simili: quæ, vt ait Bellonius, ab vno surculo exorsa quadraginta, vel quinquaginta simul, serie quadam in ordinem disposita, surculum radiantia, pictoris penicillum referre videntur, odorata, subacida, & cum levi amaritudine adstringentia. Sola cedre- *Coni.* late inter arbores, demptâ Abiete, conos in cœlum tendentes mittit, qui quidem Abiegnis similes, crassiores, duriores, ac multò majores, quinum, vel senum digitorum turbinati, compactili squammarum compressarũ congerie coagmentati, atque obtusi, ex cinereo fulvi, conis Pini aliqui graciliores, tam firmiter ramo adhærentes, vt à parente divelli non possint, nisi avulsâ arboris parte: Coni porrò hiantes se pandunt, ac paulatim dissilii roribus & pluviis decidunt, relicto in ramo pediculo firmo & tereti. *Semen.* Semen habet Abieti simile, non vinaceo maius, dulcis saporis, vt Piceæ, ad cuius latus oleo- *Pediculus.* sum quidpiam, includitur odoratissimum. Pediculus squammam non priùs exuit, quàm co- *Tempus.* nus duos annos excesserit, quem integrum annum fert, antequam maturescat, quod Hieme potissimùm fieri solet. Duas profert resinas, *Resinæ duæ.* quemadmodum & Abies, alteram in tuberculis albam, nihil prorsus amarulentam, nec gravis odoris: alteram sua sponte exsudantem, quæ cùm retorrida sit, naribus admota, fragrè redolet, odoratáque gustatu percipitur, sed ita pertinaciter dentibus inhæret, vt non nisi cùm difficultate auferatur. In monte Libani tantùm 24. supputavi. Ex hac Libani montis Cedro Salomon templum Hierosolymitanum extruendum fecit.

Cedri Salomonis. De hac etiam BELLON. Obser. In cacumine montis Libani ostenduntur cedri altissimæ, similes iis, quibus Salomon exædificandum templum curavit diuturnitatis ergò. Hæc sola ar- *Coni sursum vergentes.* bor cum Abiete fructum habet sursum vergentem. Fert magnos conos, duros, Pini conis similes, ni essent leviores. Item lib. 1. In monte Li- *In Libano pauca Cedri.* bani Cedri viginti & octo plus minùs. Cedros, quas in Amano & Tauro vidimus, eandem cum prædictis similitudinẽ habere comperimus: Hoc affirmare possum, Cedrum magnam nusquam in *In Creta non nascitur.* Creta nasci. Audivi tamen à quibusdam fide dignis hominibus, Cedrum magnam supra Niceam in montibus nasci. Et hæc est Cedrus alta, & ce- *Cedrus Theoph. Diosc. Salomo. Plin.* drelate, etiam à Theophrasto tradita: A Dioscoride etiam cap. de Agar. item cap. de Cedro: Nec non in sacris literis pro Cedro Libani & Salomonis: *Plinii error.* Vt & à Plinio lib. 16. cap. 39. à quo confunditur sæpenumerò cum Oxycedris, sive Cedris mino- *Oxycedrus. Cedrus minor.* ribus: de maiori autem loquitur Plinius, quum ait Cedriam proferre, & cùm collocat inter Larices.

MELCHIOR Lussy, Eques, Præfectus, sive Land-Amman in Vnderwalden in sua peregrinatione Hierosolymitana cap. 13. narrat se spatio tredecim horarum ascendisse montem Libanum, & pervenisse ad locum Cedris consitum, quos peroptabat videre: se autem reperisse Cedros, *Miranda de Cedris Libani.* Mirùmque esse tantas arbores & tam pulchras ibi provenire supra rupes. Istud autem mirabilius esse nullum posse numerare eas, licèt paucæ sint, séque eas supputasse, quæ integræ & virentes erant, ac compertisse 23. alios 24. alios 25. Traditque præterea hanc arborem celebrari in sacris literis: Ac huic comparari Divam Virginem Mariam: cùm dicitur, Exaltata sum quasi Cedrus in Libano. Arbores esse magnas & altas, sex aut septem homines vix amplecti posse truncos: eas ferre conos similes conis Piceæ [den Forchen] sed maiores, semper virentes esse arbores. Quamvis infideles cupiant perdere, manere integras. Salomonem excellentiam huius arboris cognovisse, ideò non sine causa ex loco prædicto (scilicet Libano) desumpsisse huius arboris ligna ad templi Hierosolymitani ædificium. Se vidisse ibi veteres arbores à longo tempore deiectas, incorruptas, quæ similes erant truncis Fraxini, Eschen, aut Aceris, Ahorn. Ac tandem datos fuisse singulis ramos cum duobus conis, dictúmque fuisse alio etiam in loco huius montis provenire hanc Cedrum arborem, sed iam dictâ minorem.

Anguill. Cedrum Hebræorum & Sacrarum Literarum: quidam existimant Laricem esse mascu- *Larix mascula Plinio.* lam Plinio, verùm non video, quomodo id dici possit: Si autem ita res se habeat: aliam dicere non possum, quàm Cedrum, cuius meminit Theophrastus, dicens in Syria nasci. Existimo Dioscoridem, cùm dixit Cedri fructum esse *Diosc. corrigitur.* similem Myrto, voluisse dicere potiùs Piceæ. Hac ratione iuxta nostram opinionem Cedrus Dioscoridis, erit eadem cum Cedro sacrarum paginarum.

Dodonæo, Cedrus magna, Cedrus maior conifera. Græcis κέδρος: Latinis similiter Cedrum: Plin. lib. 24. cap. 5. Cedrelatem nominat, quasi Cedri Abietem, aut Cedrinam Abietem, tum ad differentiam minoris Cedri, tum quòd Abietem valdè referat.

Cedrelate Plinij. Cedrelate unde & cur.

Apud Matth. in Diosc. hæc habentur Cedri arboris Theophrasto, Plinio, & Galeno duplex est genus, nempe maius & minus.

Cedri duplex genus.

Et in Epit. Cedrus, duûm generum est, maior & minor. Maioris duo genera, quemadmodum & minoris. Procera arbor est, Abieti perquam similis. Quæ in minoris genere est floret, & fructum non fert. Altera verò contrà, nunquam floret, sed conos tamen profert, Cupressi longi maiores. Resinam fundit laudatissimam.

Matth. not.

Idem Matthiolus reliquit suam reprehensionem Dioscoridis in post. com. Ital. quod miror: si enim lectio rectè restituta, à Matthiolo quæ occasio reprehensionis? Iconem exhibet in qua coni placent, bene respondentes nostris conis, quorum mentionem antè fecimus: an verò folia sint disposita prout pingit, non sine occasione dubitamus, quandoquidem aliter longè disposita pinguntur apud Rauvvolffium, qui arborem virentem vidit: ille etiam nobis videtur suo nomine & nimium securè scribere duo genera esse, & cætera, quæ in Epitome tradit, de hac arbore, ab eo non visa, nec observata: Camerarius in Epitome modò dicta, & in hist. Germ. eius Iconem mutavit, quæ partim desumpta videtur ex Rauvvolffio, contra tamen eius historiam: folia non sunt Abietis modo disposita, sed multa simul ex uno veluti nodo, prout demonstrat nostra Icon, quæ nobis absentibus est facta ad Iconem Camerarij: sed minùs concinnè.

Camer. reprch.

Matthiolus Cedrum magnam falsò bacciferam cum Dioscoride statuit, cùm conum eam gerere Guilland. in epistola ad Rosarium comprobarit. Ante omnia, inquit, conveniens est docere Cedrum magnam à Cedro simpliciter dictâ, quæ propriè Oxycedros vocatur, & Iunipero differre. Hanc siquidem & Iuniperum eandem esse arborem non recentiores solùm, sed etiam veteres quidam opinati sunt. Nónne quæ de Iunipero Theoph. refert, Plinius Cedro magnæ tribuit? Mirum minùs videri debet Gazam Cedrum apud Arist. Iuniperum convertisse. Illud fortasse leviùs cuiquam videri possit, Plinium Cedrum magnam cum Iunipero confudisse. Quis nisi vesanus non animadvertit Cedrum hanc eandem esse arborem cum illa, quam Theoph. fructum Myrti baccis æqualem ferre scriptum reliquit? Cedrus, inquit Theoph. nodosa est, halosa, & tortuosa, Iunipero non absimilis, verùm brevior. Sed quid quæso, egregii magnificique ex arbore Iunipero humiliore, nodosâ adhæc, halosâ, & materie tortuosâ constante strui poterit? trabésne, quibus magna ædium moles incumbit? an malus, quo nihil solidius, nihil firmius in navi esse condecet? an denique templorum valvæ, columnæ, tecta, deorum simulachra? profectò nihil horum, ut Guilland. fert opinio. Quare alteriùs fuisse generis Cedrum istam nobilem fatendum est. Narrat porrò Plinius Cedrum maximam in Cypro ad undecíremem Demetrii succisam 130. pedum, crassitudinis verò ad trium hominum complexum. Comprobat id inprimis Theoph. Cedros in montibus Syriæ cùm longitudine, tum crassitudine præstantissimas exire, quippe quæ adeò crassescant, ut sint quas ulnæ hominum quatuor nequeant amplecti. Cæterùm Cedrum hanc Laricem esse, vel inde perspicuum fieri credit Guilland. quòd in hodiernum usque diem Larix copiosissimè in Libano nascatur, & altitudine excellat. Quod autem eum maximè movet, ut Cedrum Laricem credat, illud est, quia Diosc. Agaricum ἀπὸ τῆς κέδρου nasci perhibet. At Agaricum in nullius alterius arboris trunco præterquam unius Laricis gigni, notius, quàm ut pluribus demonstrare sit necesse, dicit. Proinde corrigendum Plinium ubi legit: Galliarum glandiferæ maximè arbores Agaricum ferunt. Scribendum autem, Galliarum coniferæ, aut resiniferæ maximè arbores, Agaricum ferunt. Nam glandiferæ nullo modo genuinum Agaricum producere possunt, quicquid dicat Brassavolus. Huc accedit quòd Plinius toto opere semel κέδρον Laricem convertit, ut suboleviſſe Plinium sibi firmiter persuadeat, Cedrum quam Cedrelaten vocat, rectè Latinis, Laricem nuncupari, nec transversum quidem digitum arbores hasce à se discedere. Habes quid somniet Guil. de Cedro magna, quàm falsò Laricem pronunciat. Larici folia decidunt, Cedrus magna perpetuò viret. Rami Laricis deorsum propendent, Cedri magnæ sursū spectant.

Matth. errat alius. Cedrus magna. Oxycedros. Plin notatur. Cedrus maxima. Larix est. Agaricum. Plin. corrigitur. Brassavolus taxatur. Guilland. notatur.

Paulus verò Hess. Defens. 11. pro Guill. increpans Matthiolum, quòd neget se scripsisse Cedrū magnam bacciferam ait, Nónne cùm Dioscorides Cedrū magnā bacciferā facit, ipse pro Cedro plantam bacciferam, per subiectam oculis Iconem proponit? Sed dicet Cedrum minorem, non maiorem eam esse, quam ille baccis onustam depingit. Quasi verò Cedrus Phœnicea minoris Cedri genus sit, quam maiori Cedro esse adscribendam liquidò, Dioscoridis testimonio, contrà quàm censet Plinius, comprobatur. Etenim Dioscorides Cedrum magnam baccas Myrti magnitudine ferre ait, quam notam Plinius falsò minori Cedro reddidit, cúmque maioris Cedri eodem loco duo fastigia proponit, non maiorem Cedrum, sed minorem, imò ne Cedrum quidem, sed Iuniperum attingit, cui sanè Iunipero notas illas omnes, à Plinio Cedro maiori ibi redditas, Theoph. assignat, qui etiam Iuniperum eodem lib. Cedrum vocari ait, unde Plinii errorem profluxisse dubium non est. Sed utriusque authoris verba antè recitavimus, ex quibus palàm est, confudisse Plinium duarum plantarum, Cedri sc. & Iuniperi, notas, idque nullo alio argumento, quàm quòd Iuniperum à Græcis Cedrum quoque dici apud Theophrastum legisset, & quæ propriè Cedrus erat ἀρκευθος, id est, Iuniperum etiam ab iisdem vocari in Theriacis Nicandri invenisset. Versiculus eius hic est: Nec te remedium lateat Polii herbæ, aut Cedri Arceuthis: quæ vox in communi significationis æstimatione, Iuniperi bacca nunc est, & nihilominus ille, cùm Cedrum dixisset, à Iuniperi appellatione baccam intulit, quam κεδρίδα dicturus erat. Quò fit, ut pro comperto habendum sit, Cedrum, Iuniperúmque mutua invicem appellatione quondam dici & significari solitas: quod eiusdem Nicandri antiquus interpres testatus est, dicens: ἀρκευθίν vocari fructum Cedri, quoniam & arbor ipsa ἄρκευθος dicatur: quâ voce posteriores in Iunipero tantùm usi sunt. Proindè minùs minùs videri debet, & Theodorum illum Gazam κέδρον apud Arist. animal. 7. cap. 3. & Theoph. lib. 3. de caus. pl. cap. 23. Iuniperum convertisse. Cæterùm ut Plinius Cedrum in magnam & parvam divideret, quod neminem ex Latinis Plinio antiquioribus, cuius monumenta ad nostram ætatem pervenerunt, fecisse constat, in causa fuit, vel quia Diosc. Iunipe-

Matth. taxatur. Cedrus magna non est baccifera. Cedrus Phœnicea magna. Plin reprehe. Iuniperus. Cedrus arceuthis. Cedrus Iuniperus quondam appellata.

rum in magnam & parvam discrevit, vel quia alius quispiam Plinio vetustior, Cedrum, quæ Iuniperus erat, eadem differentiâ maioris & minoris separavit. Nam qui Cedrum propriè dictam in magnam & parvam ante Galenum diremerit, ignoramus, etsi eundem Galenum in Hippocedro, seu Cedro magna iisdem erroribus, in quos Dioscorides prolapsus est, implicitum esse videamus, & Iuniperos Dioscoridis, nihil à Cedris Theophrasti differre putemus. Hactenus ille.

Galeni error.

Inter Cardanum & Bellonium non parva controversia est, sitne illa arbor, quam in Libano vidit Bellon. pro Cedro, vera Cedrus, an potiùs Abietis quædam species? Argumenta negantia veram Cedrum possunt esse huiusmodi. 1 Primum. Ista est Cedrus, quam Theoph. lib. 3. cap. 12. ex sententia Veterum proponit: ut & quam Dioscorides, quæ scilicet arbor est magna, ex qua Cedria colligitur fructu Iuniperi. At hæ differentiæ quæ apud Theoph. significanter ad differentiam Iuniperinæ Oxycedrum & Cedrum simpliciter dictam arguunt, Arbori quam Bell. in Libano vidit non conveniunt. Ergo. 2 Arg. 2. Cedrus Cedrides baccas fert non conos, authoribus Theophrast. Diosc. & Galeno. 3 3. Specie sunt, imò genere differentes arbores bacciferæ & coniferæ, non itaque in unum genus proximum aut speciem cogendæ. 4 4. Ad Abietes & Larices pertinet arbor Libani, non ergo ad Cedri genus. 5 5. Cedrinum oleum ex baccis fit, non ex conis arboris Libani. 6 6. Quæ arbor in lectione sacra apud Latinos & Græcos *Cedrus Libani* dicitur, ea Hebraicè vocatur *Oretz*. At hæc vox Pinum, vel Abietem, vel Laricem, vel Ornum magis signat, quàm Cedrum Theophrasti. Immò Rauvvolff. Cedri Libani iudex oculatus, indicat Larici similem esse, ut sit species quædam Laricis & non Cedri. Controversiæ igitur iudicium est, inquit Libavius, arborem Libani Cedrum Larignam, vel Laricis speciem esse, & Cedri nomen aliunde accepisse, cùm à Cedris propriè dictis toto genere distet. Atq; ut Cedrus Iuniperina appellabatur olim, ita Larix hæc Cedrina, vel Cedrus Larigna.

An Cedrus An Abietis species? Negatur.
Abietis vel Laricis genus.
Oretz.
Laricis species.

Apollo rad. non. vocat hanc arborem Cedrum Libaniam, Hebraicámque: dicens, nos posse facilè assequi hanc non cognovisse, nec describere voluisse Theophrastum, vel illum secutum Dioscoridem: Plinium verò Iuniperis semen Cupresso simile addidisse, ac ad Libaniam, Hebraicámque Cedrum allusisse foliis capillatis, Lariceis, Piceisve brevioribus, minimè tamen aculeatis.

Cedrus Libania. Theoph. & Dioscoridi ignota.

Lonicerus pingit conum Cedri, cum cono Pini, nec ab eo distinguit, quàm benè autem, iudicent lectores. Ryffius quoque sub nomine Nucis Pini pingit in suis in Diosc. commentariis fructum Cedri Hebraicæ. Sic Pet. Crescent. pro Cedro, nescio quos floccos pingit. An Lacunæ Cedrus maior in insula Cypro proveniens, ex qua Salomon templum ædificavit?

Pro cono Pini pictus Cedri conus. Loniceri error, & Ryffii. Cedrus Hebraica Pet. Cresc. figmentum.

Castor. Durant. κέδρος, *Cedrus*, *Cedrelate* proveniens in Syria in monte Libani.

An Cæsalpino fuerit Cedrus Libani & Magna, considerent lectores, & quam Cedrum intelligat per magnam, & per Syriacam Theophrasti, de quibus antea. Lob. & Penæ Adv. *Cedrus Libania & Palæstina, pretelsa* Græcis, minùs verè à Matthiolo delineata. Lobelius in postremis figuram aliam proposuit: sed si vera, quâ in re prior eius melior sit, quàm Matthioli, non animadvertimus. Had. Iun. Cedrus, Cedrus conifera, κεδρελάτη Plin. κέδρος, πευκέδανον Nicand. interp. Arab. *Serbin*. Cederbaum / Belg. Cederboom / Gal. *Cedre*, *Cedre du Liban*, Ital. *Cedro*, Hisp. *Alerze*, Angl. *Cedre tree*. Et hæc est quam Hist. Lugd. Cedrum Phœniceam quoque appellat, aitque eam φοινικὴν Theophrast. [vt Plin. interpretatus sit] Gazam ineptè Punicam dixisse, à Phœnice, quæ Syriæ pars, à qua etiam Syriaca. *Cedrelaten* quoq; nuncupari, quia proceritate τὴν ἐλάτην æquet.: Dendrolibanum in Geoponicis. Pediculum per medium coni traductum, à quo post biennium squammæ defluunt, malè Bellonium scribere vocari *bastulam* à Plinio, cum illi *assula* legatur, non *bastula*, & Cedri nulla fiat mentio, sed Piceæ. Vsum & vires videndæ inter ea, quæ de Cedro diximus.

Cedrus Palæstina. Matth. not. Lob. redarguitur. Cedrus Syriaca.
Cedrelaten Etymon. Dendrolibanus. Hastula: Plinio Bellon. imputat. Plin. restituitur.

CVPRESSVS

Cap. XVI.

INter arbores coniferas & resiniferas iure connumeratur. Procero siquidem, recto, crassoq; candice surgit Cupressus, cortice ferè spadiceo, materie firma, solida, odorata: supra medium in ramos abit, metam concursu suo effigiantes: folia Cedri retusæ, aut Sabinæ imbricatim connexa, perpetuò virentia: galbuli Iuglandis nuci pulvinato calice tectæ æquales confragosi, rimas agunt in clavata tubera dehiscentes, inter quorum commissuras semina continentur russa, sublongâ, altera parte rotunda, alterâ acuminata, semiculmo latiora, medullâ donata. Sapor acerbus, qui potissimùm in conis elucet. Lignum pallidum, aut rubescens, nec cariem sentit, nec teredinem, firmum, durum, vndulis nonnihil crispatum, micis saturatioribus, nunc longis transversisque, nunc parvis, punctorum instar, variantibus. Illi Odor suavis: sapor verò vix ullus excellens, præterquam in cortice, qui evidenter linguæ offert adstrictionem cum amarore, eoque haud ingrato in veteri quod excessit triginta annos.

Descriptio. Caudex. Materies. Folia. Galbuli. Semina. Sapor. Lignum. Odor.

Cæsalpinus sic describit: Cupressus arbor est quam iuxta sacras ædes serunt ornatûs gratia, in rectitudine tantùm crescens, more Abietis & Piceæ: ramis densè circumvestientibus, modò fastigiatis: quæ fœmina vocatur: modò ad latera sparsis, quæ mas: foliis nullis, sed ipsamet germina tenuiter Foeniculi modo scissa: folia videntur pulposa, insunt tamen in nuper nascentibus foliola brevia, acutave, sed hæc in adultis degenerant in brevissimas veluti squamas totos surculos convestientes: amentaceum quid exile fert, in summis germinibus, conum Nucis magnitudine ex crassis & lignosis squamis constantem, quibus

Descr. Cæsalpini. Rami. Sexus discrimen. Folia. Conus.

Semina. Lignum. Mas e fœmina. Fœmina e mare. Mas infœcundus. Semina parva. Fructus. Pityodes. Pityodes. Scalig. legit [illegible].

bus dehiscentes parva quædam semina decidunt. Lignum odoratum, & resinosum, non sentiens putredinem.

Olim nonnullos simplicium medicamentorum investigatores in dubium vertisse constat, num Cupressus mas ex fœmina quoq; proveniret. Sed adhuc ipso Theophrast. id attestante plerumque Cupressum quoque ex fœmina marem provenire affirmant. Neque hæc inter proceras erectásque brevem habet vitam. Mas omninò infœcundus est, & fœminæ pleræque steriles. Arborum quoque quarundam semina [scilicet [illegible]] parvula, vixque visu percipienda sunt, seu Cupressi. Huius enim fructus non id totum est, quod pilæ speciem gerit, sed quod cono innascitur, præteréue [[illegible]] exile [[illegible]] & quasi Laricis [[illegible]] seminiproximum: id verò pilula sua dehiscente evolat, & legi proinde non nisi ab experto homine potest. Exemplaria Aldinum & Basileense legunt [illegible]: Gaza vertit Laricis, uti sæpiùs [illegible] Laricem interpretatur. Scaliger verò legit [illegible], furfuraceum, quod an bene restitutum adhuc dicere non possum, quia semen Cupressi maturum non tale: præterea comparat fructum Cupressi cum fructu [illegible]. Seminum verò ipsorum nullus terminus est: Alia, necè pulpis [cum eo quod ambit] defluunt: alia verò ut Pini Picosæ & omnium Coniferarum Conis adhuc pendentibus prosiliunt, vasaque ipsa inania relinquunt: In istis verò ut in aliis omnibus perpetuò virentibus serò perficiuntur: suntque exilia membranacea. Huic aliisque in quibus aliquid inest pinguedinis ut Oleæ & Cedro ligna Austrino Cœlo exudant quod quidem prodigium & ostentum esse creditur. Punica enim, & Ficus, & Vitis, auctu faciles: Palma & Cupressus difficiles. Cupressus cæteris quidem in locis semine provenit, in Creta autem insula etiam trunco, ut montosa in Tarra. Apud has enim Cupressus cædua [[illegible]] est, quæ ex cæsura [[illegible]] germinat modis omnibus præcisæ nam & ab terra, & parte media, & superna: alicubi etiam ex radicibus germinat, sed raro. Viret ex urbanis Cupressus quoque perpetuò. In Cyrenensi autem optimè prodit, oleúmque [illegible] fit. Cupressum verò loca fervida magis habent, ut Creta, Lycia, Rhodus. Huic folium carnosum. Quin & minùs fœcundæ fœcundioribus, & deteriùs fructificantes probiùs fructificantibus magna ex parte firmiores, nisi alio in genere mas fructuosior esse solet, ut alias quasdam affirmant, & Cupressum. Natura quidem perenna Cupressus, sed inter cæteras diuturnior videtur: itaque in Epheso cupressina materies, ex qua valvæ templi nuper constructi Dianæ, quatuor ætates reservata duravit. Sola hæc nitorem etiam recipit, ideóque ex hac condere operum lautiora consuevere. Ex reliquis post Cupressum ac Thuiam, Aliæ plantarum magis fimum & aquam diligunt, aliæ minùs: ut Cupressus, quæ nullo pacto fimum neque aquam concupiscit, sed etiam emori dicitur, si copiosè novella rigetur. Itaque in Creta insulæ montibus Ideis, Leucique vocatis super summis, quibus nix nunquam deest, Cupressum copiosam affirmant. Et hæc sunt quæ passim reperiuntur apud Theophrastum, ex translatione Gazæ.

Semen exile membranaceum. Prodigia. Auctu difficilis. Cupressus cæsa germinat. Perpetuò virét. In agro Cyrenensi. Loca quæ amet. Folium carnosum. Duratio. Usus. Fimum & aquam non concupiscit. Locus. Cupressus Plinio. Italiæ advena. Natu morosa. Bacca.

Quæ verò iam sequuntur, ex Plinio collegimus. Cupressus advena, & difficillimè nascentium fuit, ut de qua verbosius, [illegible] quam de omnibus aliis, prodiderit Cato. Natu morosa, fructu supervacua, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbrâ quidem gratiosa, materie rara, ut penè fruticosi generis, Diti sacra, & ideò funebri signo ad domos posita. Fœmina sterilis diu. Metæ demum aspectu non repudiata, distinguendis tantùm Pinorum ordinibus: nunc verò tonsilis facta in densitate parietum, coërcitaque gracilitate perpetuò tenera. Trahitur etiam in picturas opere historiali, venatus classésve, & imagines rerum tenui folio, brevique & virenti supervestiens. Duo genera earum. Metam fastigium convoluta, quæ & fœmina appellatur. Mas spargit extra se ramos, deputatúrque & accipit vitem. Utraque autem immittitur in perticas, asseresve amputatione ramorum, qui XIII. anno denariis singulis væneunt. Quæstuosissima in satus ratione silva, vulgóque dotem Filiarum antiqui plantaria appellabant. Huic patria insula Creta, quanquam Cato Tarentinam eam appellat, credo, quòd primùm eò venerit. Et in Ænaria succisa, regerminat. Sed in Creta quocunque loco terram moverit quispiam, nisi seratur alia, hæc gignitur, protinúsque emicat. Illa verò etiam non appellato solo, & sponte, maximéque in Ideis montibus & quos Albos vocant, summisque iugis, unde nives nunquam absunt, plurima: quod miremur, alibi non nisi in tepore proveniens, & nutricem magnoperè fastidiens. Nec terræ tantùm natura circa has refert, aut perpetua cœli, verùm & quædam temporaria vis. Imbres aliquæ plerumque semina afferunt, & certo fluunt genere, aliquando etiam incognito: quod accidit Cyrenaicæ regioni, cùm primùm ibi Laserpitium natum est: ut in herbarum natura dicemus. Nata est & silva urbi ei proxima imbre piceo, crassóque circiter urbis Romæ annum CCCCXXX. In Oriente post Terebinthum & Lentiscum optimam tenuissimámque fundit resinam Cupressus, acerrimam sapore. Fit & ex hac Oleum, quod Cedrinon vocant. Hæc verò aquas odit, ut Iuglans, Castanea, Laburnum. Sed nec decidunt folia Cupresso, quæ carnosa sunt. Trifera est & Cupressus. Namque baccæ eius colliguntur mense Ianuario, & Maio, & Septembri, ternásque earum gerit magnitudines. Cariem vetustatémque non sentit Cupressus, [illegible] fissuram rimámque sponte capit, unde maximè [illegible] putatur. Sic [illegible] valvæ sunt à Cupresso, [illegible] quadringentis propè annis durant materia omnino novæ similis. Hoc [illegible] notandum valvas in glutinis compage quadriennio [illegible]. Cupressus in eas electa, quoniam præter cætera [illegible] in genere materiæ nitor maximè valuit æternus. Nonne simulacrum Vejovis in arce è Cupresso durat, à condita urbe quingentesimo primo anno dicatum? siquidem adversus cariem tineásque firmissima. Minimis granis constat semen Cupressi, ut vix perspici quædam possint, non omittendo naturæ miraculo, è tam parvo gigni arbores, tanto maiore Tritici & Hordei grano ne quis Fabam reputet. Ergo è Cupresso fœmina (mas enim ut diximus non gignit) pilulæ collectæ, quibus dictis mensibus siccantur Sole, ruptæque emittunt semen, formicis mirè expetitum: ampliato etiam miraculo, tantuli animalis cibo absumi natalem [illegible] arborem. Seritur mense Aprili, area [illegible] Cylindris, aut volgiolis, densum: terráque [illegible] supercernitur pollicis crassitudine. Contra [illegible] pondus attollere se non valet, retorqueturque sub terra. Ob hoc parcitur vestigiis. Leniter rigatur à Solis occasu in trinis diebus, ut æqualiter bibat, donec erumpant. Differuntur post annum dodrantali filo, custodita tempetie, ut viridi cœlo serantur,

Materie rara. Fœmina. Tonsilis. Duo genera Plinio. Vitem accipit. Asseres. Silva dos filiarum. Plantaria Creta. Tarentina Catoni. Spontanea. Locus. Resina. Oleum. Aquam odit. Folia non decidunt. Folia carnosa. Trifera. Bacca. Cariem vetustatémque nõ sentit. Valva antiquissima. Simulacrum antiquissimũ. Grana parva. Mas sterilis. Formicarũ cibus. Serendi tẽpus & modus.

ac fine aura. Mirùmque dictu, periculum eâ tantùm die est, si roraverit quantulumcunque imbrem, aut si afflaverit. De reliquo tutæ sunt, perpetua securitate, aquásque postea odere. Nec aquam solùm aspernatur, sed & fimum, & circumfossuram amputationémque, & omnia remedia odit: quinetiam necatur. Hanc quidam Creticam dixerunt. Floret post Laurum Cupressus. Hactenus Plinius.

Ineptè scribit Matthiolus, eiúsque figmentum secutus Lacuna, Cupressi semen adeò minutis granis nasci, ut atomis comparari possit, atque ob id ægrè perspici, suam temeritatem demonstrantes, talia enim non viderunt semina: eâ si in conis considerassent, non sanè talia scripsissent, aut si saltem legissent, quod scribit Scaliger contra Theophrastum, cùm abusi nostris sensibus. Semina namque, quod in descriptione diximus, sunt maiuscula, sublonga, semiculmo latiora. Meritò igitur in Hist. Germ. tantam seminum tenuitatem omisit, quæ tactu non possint, ne dum visu distingui.

Dodon. Lat. in fol. duas habet Icones, primæ titulus est Cupressus; alteri Cupressi ramus cum fructu, quæ Lobelij est. Apud Bellonium prava est Icon. Sic Pet. Cresc. pro Cupresso nescio quæ farcimina ramis affingit.

Cupressum Virgil. Cyparissum vocat, Offic. Cypressum, Græci κυπάρισσον & κυπαρίττον. German. Cypressenbaum, Belg. Cypressenboom. Gall. Cypres, Ital. Cypresso & Cupresso, Hisp. Castil. & Angl. Cipres, Bohem. Cypriß, Hung. Cypros fa. Arab. (addit Lacuna) Sarin, Catal. Cipres, Portug. Acipreste.

Dicitur autem κυπάρισσος, ... à partu ramulorum pariliium (ut inquit Didymus) vel quòd ex æquo & ramos & fructus creet. Vocatas etiam cupressos, χάριτας eadem prodidit, quòd nobis essent oblectamento, vel quòd charites nobis aspectu sint iucundo.

Non rectè interpretatus est Munsterus illud Erez, ubi Hebraicè scribitur Erez, vertit enim ipse Cedrum, cùm tamen scriptum sit Græcè κυπάρισσος. Vbi porrò Cant. 1. legitur Hebr. Beroschim, scribit Forsterus esse, qui velint Cupressum, ipse autem intelligit Fraxinum, ut copiosius annotatum alibi. Fructum Cupressi, Theophrasti & Dioscor. authoritate motus Turnebus, σφαίρας ... κυπαρίσσου, globulum Cupressi vocat, ac ideò Varronem emendandum putat, qui Galbulum vocet, dicens lib. 1. c. 40. Semina quædam ad oriendum sunt usque adeò parva, ut sint obscura, ut Cupressi, non enim Galbuli, qui nascuntur tanquam pilæ parvæ corticeæ (corticeæ) id semen sunt, sed in his intus frumigenia semina dedit natura. Meliùs igitur faciunt, qui Nuces appellant, aut pilulas Cupressi cum officinis. Germ. Frucht vom Cypressenbaum. Belg. Cypresnoote, Gallicè, Noix de Cypres, Ital. Noccivole di Cypresso, Hisp. El agalla del cypres. Etiam Cupressi scobem & ramenta πελεκῆμα, alias etiam πρίσμα vocat.

Eam cum Poeta nominabimus comis amiam, levem, acutam, arduam, teneram, ploratam, atri comam, spirantem, odoratam, ... celsam, nigram, odoriferam, deploratam, viridantem, Cygnidam, & cum Ovidio feralem:

Funeris ara mihi ferali cincta Cupresso.

vt & acutam,

Vallis erat piceis & acuta densa Cupressu

cum Sylio mæstam:

At ferale decus mæstas ad busta cupressos,

Funereas.

Dicitur etiam eadem funesta, eò quod & tardè crescat & succisa non repullulet: quapropter funebri signo ante defunctorum ædes eam, ponere Maiores, vnde Daniel Cerot.

I puer, & postes funestâ cinge cupresso.

Licebit & triferam cupressum cognominare, ter siquidem in anno fructus eius colliguntur Ianuario scilicet, Maio, & Septembri.

Cæterùm, uno cupressi nomine mas & fœmina comprehenditur. Cupresso similis quoque Thya, seu cupressus silvestris Theoph. cuius fructum esse Abhel orientalem credimus, de quo mox. Cæsalpini autem Sabinam, vulgarem arborem in maritimis, crassiorem Iunipero, quam Dioscoridem in codice Hermolai Iuniperum maiorem vocare ait, seu cupressum silvestrem, Theophrastum etiam Iuniperum, licèt ab aliis cedrum vocari testetur Dioscorides, nos cedrum Lyciam tertiam Bellonii facimus. Thuia item apud Theoph. authore Cæsalpino ad cupressum reduci oportere videtur, de qua hoc lib. cap. de Thuia & cedro Atlantis montis. chamæcyparissum etiam, quasi pumilam cupressum vocant, vulgò du Cypres, quod quasi sit cupressi arboris... Sunt qui illud Abrotanum fœminam esse putent, de qua suo loco, sub chamæcyparisso.

Frater C. Bauh. misit nobis Lutetia arbusculas Cupressi quas plantavimus in horto Ill. C. V. V. Montbelgardi. Lutetiæ sanè copiosas & pulchras vidimus arbores magnas variis in hortis. Monspelii abundat ad magnam excrescens altitudinem, ferens nuces Autumno, quæ durant per totam Hyemem & Aestatem. In Italia etiam frequentem observavimus, ut Venetiis, Patavij, Mantuæ, Veronæ in cœnobio al frati d. S. Ioanele fonte, ubi vestigia antiqui Theatri apparent. Lugduno Io. Vinatius insignis Pharmacopæus misit ramos, quos plantavi in horto Ill. C. VV. Teste Turnero in Anglia in horto, cui Sion nomen, copiosa. Odere [inquit Matth.] Cupressi flumina, lacus, omnéque aquosos tractus, quo fit, vt in eiusmodi locis sata, statim inarescat. Quod si rectè scivisset Adamus Lonicerus, non tam facilè, vt puto, scripsisset, Cupressum humidis gaudere locis. Hinc rectè Bellon. Cupressus tametsi advena & difficillimè nascentium fuerit, tamen nunc tum mares, quàm fœminas vulgò satas, præcipuè apud Turcas, non in hortis modò, in quibus vbique conspexi propagari, verùm etiam in agris seri & collibus solere comperio, itavt circa Byzantium colles Cupressis pubescere videas, quemadmodum etiam in vineis & sepibus. In Creta Cupressorum silvas nequaquam comperias, sed sparsim hic vnam, ibi aliam in abruptissimis locis, aquas enim odit. Bellonio assentitur C. Bauh. apud Matth. ita scribens: Cupressus apud Italos in cœmeteriis colitur, cum funebris arbor olim fuerit habita: plurimas vidimus non longè Patavio in colle circa Eremitarum cœnobium: apud nos (Basileæ) sæpe licèt ex semine germinare Iuniperinis foliis, non tamen ad aliquam altitudinem pervenit. Cupressus, inquit Dioscor. adstringit refrigerat. Cuius folia cum passo & modica Myrrha pota, vesicæ, fluidæ & vrinæ difficultati auxiliantur. Pilulæ verò contusæ, & cum vino potæ, ad sanguinis reiectionem, & dysenteriam, alvi fluxionem, et rectæ cervice spirationem, & tussim commodant. Sed & decoctum ipsarum idem facit. Molliunt etiam duritias, contusæ cum Fico, & polypos narium sanant. Removent item scabros vngues, cum aceto coctæ & cum lupinis tritæ. Comprimunt & intestinorum Hernias impositæ

Marginalia (left): Mirum de Cupresso. — Culturam odit. — Cupressus Cretica. Florendi tempus. — Matth. & Lacun. notantur. — Theoph. reprehenditur. — Dod Icones dua. Bellonius taxatur. P. Cresc. not. — Nomina linguarum. — Etymon. — Charites. — Munst. notatur. — Beroschim Hebr. — Fructus σφαῖρα. Varro corrigitur. — Galbuli. — Nux aut pilula Cupressi. — Pelecyma Aetio Prisma. Epitheta. — Feralis. — Mæsta.

Marginalia (right): Funesta. — Trifera. — Æquivoca: Cupressus mas & fœmina. Abhel fructus Orient. — Cedrus Lycia tertia Bellonii. Thuia. — Chamæcyparissus. — Locus & tempus. — Loniceri error. — Aquam odit. — Vires & usus, ex Diosc. Vrina. Pilula. Alvi fluxus. — Polypo narium. Hernia.

Folia. Culices. positæ. Sed & folia eadem faciunt. Putantur etiam culices fugare pilulæ cum coma suffitæ. At folia *Vulnera.* trita imposita, vulnera glutinant: suppriment & sanguinem. Cum aceto autem trita, capillos tin- *Capilli.* gunt. Imponuntur etiam per se, & cum polenta *Erysipelas. Herpes.* ignibus sacris, herpeti proserpenti, Carbunculis *Carbunculus.* & oculorum inflammationibus. In ceratum verò admixta si imponantur, stomachum corroborant. *Vires ex Galeno.* Eadem ferè a Galeno traduntur: Cupressi folia, germina, pilulæ, recentes & molles, magna vlce- *Vlcera.* ra conglutinant, in duris corporibus: ex quo cla- *Temperamentum.* rum est, quòd resiccandi vim habeat absque insigni acrimonia, aut caliditate, sicut certè & gustus testificatur. Apparet enim in ea leuis quædam acrimonia, sed plurima amaritudo, multóque etiam plus acerbitatis in tota planta est. Tanta et inest acrimonia, caliditásque, quanta satis sit deducendæ in altum acerbitati, ita vt nullam tamen mordicationem, aut caliditatem in corporibus efficiat. Proinde in alto latentes in flaccidis putrescentibúsque affectibus humiditates innoxiè, tutóque depascitur, atque absumit, cùm quæ calefaciunt simul, desiccántque, eas quidem quæ contentæ sunt, absumant, cæterùm acrimonia & *Enterocele.* caliditate alias attrahant. Sic enterocelicos iuvat: siquidem exsiccat, robúrque addit, corporis partibus ob humiditate laxis: Quidam ea vtuntur *Carbunculi. Herpetes. Erysipelata.* ad carbunculos & herpetes, polentæ miscentes, tanquam absumente citra excalefactionem eos morbos facientem humiditatem. Sunt qui ad Ery- *Folia conseruant a vermiculis.* sipelata vtantur, admista nimirum polenta cum aqua aut oxycrato aquoso. Cupressini vini faciendi modum docet Dioscor. cap. de Cedro antiquo- *Oleum Cupressinum.* rum. Semina Cupressi (autore Plinio) foliis tusis si misceantur, non sunt vermiculis obnoxia, nec si interdum serantur: Cupressinum oleum eosdem effectus habet, quos Myrteum & Citreum. *Scobs. Lignum.* Ætius verò (teste Cornario) scobem & ramenta Cupressi ad corporis bonum colorem inducendū vsu par cum oleo. Ligni etiam vsus aliquando ex Italia petitur ad mensas & tabulas & alveolos ex- *Vrina ardor.* tornandos, & maximè odoris gratia. Sed & efficaciores sunt nuces, inquit Lonicerus, foliis: folia ex aceto decocta ad vrinæ ardorem bibuntur. Galbuli recentes contusi vino macerantur, quod *Hæmoptoici.* hæmoptoicis benefacit bibitum. Nuces ex aceto decoctæ dolori dentium subveniunt. Contusi *Calculus.* corticis pulvisculus ex aqua Sabuci stillatitia ebibitus calculum tam vesicæ, quàm renum pellit. Tradit Matth. Cupressi folia in vino cocta, addita pauxilla Myrrha, ebibita auxiliari involuntariæ mictioni, & stranguriæ. Quæstuosissima, ait Bellon. Cretensibus esse solet Cupressus, quòd eius materiam affatim exteris divendant. Caudices Cupressorum Cretensium ex crassitie comproba- *Latitudo asserum.* bis, quod vel arcas ex asseribus quatuor pedum latas videre possis. Cùm autem Cupressi materies oleosa & veluti resinacea sit, pici faciendæ, Tedæ modo, idonea esse creditur, quæ vel ea hoc maximè laudatur, quòd neque vetustatem, neque cariem sentiat, & bonum semper odorem spiret. Sed hoc habet peculiare in Creta, quòd ab incolis succisa, ex cespite tamen regerminet, vt nepotes, stolonésque ex radicibus cæduæ silvæ modo pro- *Cædua silva.* creentur, quæ tandem in maximas arbores excrescunt.

Strangurie. Neander notatur. Nunc quod periculi plenum est, monere sanè oportet. Credere scilicet iis, qui de plantis scribunt, nec Medici sunt. Si Michael Neander Medicus fuisset, ille priusquam categoricè Physices suæ part. 1. scripsisset, cupressi lignum frigidū esse, id degustasset, olfecisset, ac considerasset, quæ Galenus scripsit de temperamento eius, & quæ Plinius de resina, quam acerrimam esse statuit. Inter ligna frigida etiam recenset VVeckerus cupressi lignum, cùm tamen insignis odor & acrimonia demonstret esse calidum. *VVeckerus taxatur.*

ABHEL FRVCTVS ORIENTALIS.

CAP. XVII.





GVILANDINVS nuper in Syria, Ægypto & Arabia annotavit, ac Bellunensis alicubi literis commentatus est, Abhel fructū esse in toto Oriente notissimum, pilulatū cupressi magnitudine, colore russo in nigrum declivi, qui ex arbore sui generis Cupresso simillima decerpitur: Vim ei eliciendi menstrua, & fœtus emortuos ex vtero eiiciendi, longè omniū validissimam: Ni verò θύα vel θύον, vel θυία, Trogetes, Citrum, & Cedrus arbor ab Homero, Theoph. Diosc. Strabone, Plin. Martiale, & Dione historico appelletur, nihil se porrò de ea exploratum habere: Avicennam & Serapionem Abhel Sabinæ fructum si pronuncient, longiùs à veritatis agnitione discessere, quòd vniversus hodie Oriens arborem toto cœlo ab vtraque Sabina disparatam Abhel appellare soleat. Hinc facilè Clusius in Guilandini sententiam concessere, plurimum ad Thyiæ historiam à Theophrasto proditam, accedere arborem, cuius fructus Abhel: Talem autem Habhel nomine insignitum fructum sibi dedisse scribit Bernhardum Paludanum Enchusianum Poliatrum è peregrinatione sua Syriaca & Ægyptiaca reducem. Eundem etiam fructum Abhel Thuyæ Theophrasti tribuit Camerarius.

Abhel Orientalis. *Vis.* *Thya. Trogetes. Citrus. Cedrus.* *Avicenna & Serapions Abhel non est Sabina fructus.* *Abhel ad Thyā Theoph. accedit.*

THVIA ET CEDRVS ATLANTIS MONTIS.

CAP. XVIII.

INCOGNITA hodierno die lateret, nisi ex Historia palam fieret. Quare non piget pro virili studiosis lectori eam ex veteribus & recentioribus manifestare. Homerus igitur Odyss. 5. hæc pauca literis consignavit.

Τηλόθι δ' ὀδμὴ

Κέδρου τ' εὐκεάτοιο θύου τ' ἀνὰ νῆσον ὀδώδει

Δαιομένων.

De longinquo autem odor,

Cedrique fissæ Thyique per insulam spirabant

ardentium.

Ac mirum quidem alicui hoc videri posset, cur dicat ardentium, cùm Theophrasto teste, perpetuò vireat ex silvestribus θυία, & sit eius natura ad *Perpetuò virer.*

Digitized by Google

ardendum minùs idonea sit & habilis. Sed mirari cessabit, si fructum eius Fabæ magnitudine resinosum esse & sulphurosum, ut & arborē ipsam, ex Theophrasto intelligat [εὐωδέστερον Plin. odore iucundiorem: Gaza verò, qui vertit sulphurosum, legit θειωδέστερον Dalech.] *Thuia Theoph. Thyaleste-ron.*

Locus. Cæterùm est hæc rarissimo ferè omnium germine. Montium enim cacuminibus, locisque algētibus, quamvis excelsa, enascitur. Sed hunc locum (inquit Bellon.) de Thuia arbore, mendā carere non puto, quod quivis facilè percipiet, si Græcum exemplar contulerit. Siquidem quod à Theophrasto Thilium, ab aliis verò Thuia appellatur, apud Ammonis Phanum atq; in Cyrenensi agro nascitur, formā Cupresso simile, cùm ramis, tum foliis, caudice, fructúque: vel potiùs ceu Cupressus silvestris. Copiosam, vel ubi urbs hoc tempore est, compertam affirmant: atque etiam memorant contignationes quasdam vetustissimas Thuiæ: perdurat enim materies hæc incorrupta omninò. Radice huius arboris nihil crispius, eáque pretiosa opera conficiunt. Huius quoque ligni meminit Dioscorides, qui dicit: Agallochum lignum est, quod ex India & Arabiā affertur Thymo ligno simile, punctis notatum [[illegible] Matth. Sed legendum forte [illegible]. Nam huius vocabuli nullam mentionem faciunt, nec Oribas. nec Paulus, nec Serapio] Fuchs. [illegible], constrictum, compactum. *Excelsa. Gaza versio suspecta. Locus Fructus. Cupress. silv. Contignationes Duratio Radix crispa.*

Tenia Plinio. Fusiùs Cedrum montis Atlas & Thyam arborem prosequitur Plin. l.13.c.15. Atlas, inquit, montis peculiari proditur silva. Confines ei Mauri, quibus plurima arbor Cedri [Citri legendum vult Goropius] & mensarum insania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt. Extat hodie M. Ciceronis in illa paupertate, & quod magis mirum est, illo ævo empta H - S.X. Memoratur & Galli Asinij, H - S. XI. Venundatæ sunt & duæ, Iuba rege vendente: quarum alteri pretium fuit H - S.XV. alteri paulò minus. Interiit nuper incendio à Cethegis descendens H - S. XIIII. permutatā latifundij taxatione, si quis prædia tanti mercari malit. Magnitudo amplissima adhuc fuit, unius commissæ ex orbibus dimidiatis duobus, à rege Mauritaniæ Ptolomæo, quatuor pedum & semi-pedis per medium ambitum, crassitudine quadrantali: maiúsque miraculum in ea est, artis latente iunctura, quàm potuisset esse naturæ solidæ. Item à Nomio Tiberij Cæsaris Liberto cognomen trahentis, tribus sicilicis infra quatuor pedes, totidémq; infra semi-pedem crassitudinis. Quā in re non omittendum videtur: Tiberio principi mensam quatuor pedes sextante & sicilico excedentem, tota verò crassitudine sescunciali, operimento laminæ vestitam fuisse, cùm tam opima Nomio liberto eius esset, cuius materia erat Tuber, hoc est, radicis vitium, maximéque in eo laudatum, quòd sub terra totum fuerit, & rariùs quàm quæ supernè, quæque gignuntur etiam in ramis: proprièque quod tanti emitur, arborum vitium est, quarum amplitudo ac radices, æstimari possunt ex orbibus. Sunt autem Cupresso fœminæ etiamnum silvestri similes folio, odore, caudice. Anchorarius mons vocatur citerioris Mauritaniæ, qui laudatissimam dedit Cedrum, iam exhaustus. Mensis præcipua dos in venæ crispis, vel in vertice variis. Illud oblongo evenit discursu, ideoque *Tigrina* appellantur. Hoc intorto, & ideo tales *Pantherinæ* vocantur. Sunt & undatim crispæ, maiore gratiā, si pavonum caudæ oculos imitentur: magna verò post has gratia extra prædictas crispis, densa veluti grani *Arbor Cedri. Vel Citri. Ciceronis mensa. Mensurarum amplitudo. Materia Tuber. Cupresso similis odorata. Tigrina. Pantherina.*

congerie, quas ob id à similitudine *Apiatas* vocant. Summa verò omnium in colore: Hic maximè mulsi placet, suis refulgens venis. Post hæc amplitudo est iam totius caudicis, ac iuvant plura quoque in una mensa vitia. Item lignæ venæ similitudo, vel coloris & quibus maximè obnoxias fecere aliis ventique, timæ, aut capillamenta rimis imitata. Postea murena [melius Murrhena, vel Murrhina] ac nigro transcurrens limite, variisque seorsum punctis apprehensæ papaverum modo, & in totum atro propior color, maculæve discolores. Virides terra condiunt Barbari, & illinunt cerā. Artifices verò sub acervis imponunt septenis diebus, totidem intermissis: mirumque, ponderis quantum ita detrahant. Naufragia docuere nuper, hanc quoque materiam siccatam mari, duritie incorrupta spissari, nec ullo modo vehementiùs. Nutriuntur optimè, splendescúntque manu siccata sicatæ à balneis maximè: nec à vinis læduntur, ut his genitæ. Inter pauca nitidioris vitæ instrumenta hæc arbor est: quapropter insistendum ei quoque paulùm videtur. *Apiata. Locus Plin. correctus. Papaverea.*

Et cap.16. Thya arbor, quæ nota etiam Homero fuit, θύον [alij θύϊν, & θυΐα leg.] Græcè vocatur, ab aliis Thya. Hanc igitur inter odores uri tradit in deliciis, fallitur Plin. De Calypso, non de Circe id Homerus scripsit. Hanc ut pro illa citaret, fortassis in causa fuerunt hi Virgilij versus: *Dalech. Plinium notat de Circe & Calypso. Cedrus odorata Virgilio.*

Proxima Circeæ raduntur littora terræ,
Dives inaccessos ubi Solis Filia lucos
Assiduo resonat cantu, tectisque superbis
Vrit odoratam nocturna in lumina Cedrum.

notante Dalech.] Circes, quam Deam volebat intelligi, magno errore eorum, qui odoramenta in eo vocabulo accipiunt, cùm præsertim [in versibus Homericis ineptè Plinius pro voce Græca θύον, Laricem interpretatur] eodem versu cedrum & Laricémve; Guilland. legit. Vide Leopardum c.8.lib. [illegible] & Virgilium: *Plinij error. Leopardus eleus Cedrum.*

Robora nec cuneis, & olentem scindere Cedrum,
Nec plaustri cessant vectare gementibus Ornos.

apud Athenæum p 251. vers.38. Empedocles κέδρον θυώδη vocat, suaviter olentem. *Libanos Θυώδης.*

[illegible]

Dalech.] Laricémque unà tradat: in quo manifestum est de arboribus tantùm locutum. Theophrastus, qui primus à magni Alexandri ætate scribit, quæ circa urbis Romæ quadringentesimum quadragesimum gesta sunt annum, magnum iam huic arbori honorem tribuit, memoratas ex eo referens templorum veterum contignationes, quandámque immortalitatem materiæ in tectis, contra vitia omne [omnia M. & C.H.] incorruptæ. Radice nihil crispius, nec aliunde pretiosiora opera. Præcipuam autem esse eam arborem [rursum, cùm idem Theophr. scribat hist.lib.4.cap.3. Thuiam in montium cacuminibus, & locis algidis nasci] circa Hammonis delubrum. Nasci & in interiore [inferiore M.] Cyrenaicæ parte. De mensis tamen tacuit, & aliàs nullius ante Ciceronianam vetustior est memoria, ex quo novitiæ [quę novitiæ apparent C.H. quæ novitia apparet M.] apparent. Alia est arbor [citriam, sive Assyriam malum intelligit, Dalech.] eodem nomine, malum ferens [tenens M.] execratum aliquibus odore & amaritudine, aliis expetitum, domos etiam decorans, nec dicenda verbosiùs. Huius arboris mentionem fecisse videtur Virgil. idque asserente Dalechampio. *Theoph quâ ætate scripserit. Vsus Thuiæ. Radix crispa & pretium. Locus. Ciceronis mensa. Alia arbor. Citria arbor. Malum execratum.*

Media

Malum felix.

Media fert tristes succos, tardúmque saporem
Felicis mali, quo non præsentius ullum
Pocula si quando sævæ infecère novercæ.

Sed nemo inficias ibit arborem, ex qua celebres mensæ fiebant, & Thuiam, & Thuium, θύιον, θυίαν, & θύας, alibi etiam θύον, θύιαν, & θύιας passim & citrum & Trogeten, à Theoph. & Plinio, vel Roberto Constantino teste, dictam esse, quibus addit Gesnerus idioma Germanicum **Ein frömbder wolgeschmackter baum**, cui proximum sit lignum, quod Galli *Madarum* vel *Madrum* vocent, quod idem vult Ruell. An verò tale lignum extet odoratum, quod in Gallia Gallicè dicatur *Madré*, videant qui eam inhabitant, nos equidem tale quod ignoramus. θύιαν verò cum diphthongo legi, confirmat Gorop. in Vertumno apud Diosc. cap. de croco, qui Ruellium erroris quoque meritò incusat, quòd eo loco, longè ab autoris mente aberrans verterit. Gaza etiam perperàm transfert Tyium, vt & in codice Theophrasti θύιον corruptè legitur.

Madarum. Ruell. taxatur.

Gaza notatur.

Cæterùm, inquit Anguillara, Cedrus Atlantica, non mihi videtur alia quàm Thuia, vel Thia, quamvis in diversis capitibus de iis scripserit Plinius: ille enim plantas non cognovit, sed ex diversis libris sua concinnavit. In Plinio de Thya error ab eo commissus, vel textus corruptus: dicit enim Homero notam arborem Trogeten, quę aliis dicitur Thya, quod falsum, siquidem Homerus non meminit Trogetes [nec id dicit Plin.] sed Thyæ: Dicit præterea Homerum intellexisse cedrum & Laricem, quod etiam falsum.

Plinius plantas non cognovit.

Plinij error.

Trogetes.

Eiusdem opinionis cum Anguill. est Matthiolus, dicens in Diosc. cum magnis figuris: Sunt qui dicant, & rectè quidem cedrum Atlanticam à Thuia sive Thya de qua Theophr. nihil differre. Quamobrem Plinium redarguunt, quòd simul ac de cedro Atlantica disseruit, illicò caput proprium de Thuia scripserit, tanquam de arbore diversa, verùm longè aliter se habet sententia nostra: nam diligenter Plinij lectionem enucleantibus palàm apertissimè fit, Thuiam Plinio nil aliud designare, quàm Atlanticam cedrum. In antiquis codicibus Plinianis Thuiæ caput à Mauritana cedro separatum non est, quod manifestè arguit, Plinium adhuc cedri historiam prosequi de Thuia agentem, quemadmodum & ipsa verba clarissimè indicant, quæ in aliquibus codicibus ita habent: Nota etiam Homero fuit. Trogete vocatur, ab aliis Thia, id est, eadem cedrus nota etiam fuit Homero, quam alij Trogetem, alij Thyam appellant. Ideóque perperàm egerunt, qui in Frobeniana editione Thuiæ sive Thyæ caput ab Atlantica cedro diviserunt, haud rectè Plinium intelligentes. Ac præterea lectionem eius corrumpunt, ubi se emendasse crediderant. Iustè itaque nostro iudicio reprehendit Matth. eos, qui caput de cedro Atlantica separarunt à Thya. Displicet etiam nobis apud Bellonium & in editione Lugdunensi pro Trogete, legi Thyon græcè: nullibi enim, quod observaverimus, legitur Trogete, quàm hoc Plinij capite. Cornarius, Cordus, Gesnerus, Brunfelsius, Matthiolus, Anguillara, & Cæsalpinus, meminerunt Trogetes, sed nullum alium locum citant, quàm Plinij antè dictum.

Thuia à Cedro Atlantica nihil differt. Plin. redarguitur.

Homero nota.

Frobeniana editio reprehe.

Error quorundam.

Bellon. notatur.

Animadvertes, inquit Scaliger Thuiam ignotam nobis, nisi ex historia Theophrastea: cùm alias species enumeraret, quod & alibi fecit. Est & aliud, quod à Plinio animadvertas. Ait ille in deliciis apud Homericam circen usum fuisse Thyiæ arboris ad urendum. cæterùm non apud circen, sed apud calypso factum legas in quinto Vlyssea. Fefellit tanti viri memoriam lectio Virgiliana, in qua cedri usus eiusmodi attribuitur circes deliciis. Eam autem indiligentiam primus Hermolaus sequutus est, tum autem usque ad Ruellium omnes.

Thuia ignota.

Plinij lapsus.

Circe & Calypso.

Hermol. notatur.

In codice Pliniano veteri, Thia scriptum est, & in veteri Homerico θύον. recentiores verò partim θύιον legunt, partim θύιαν. Hactenus Scaligeri verba retulimus.

Thia apud Plinium.

Nunc cæsalpini: Ad cupressum reduci oportere videtur Thuia apud Theoph. Plin. verò scribit hanc Cedrū ab Homero Trogetem vocari, ab aliis Thyam celebrem. Laudatissimam fert mons Anchorarius citerioris Mauritaniæ, præcipua dos mensis in vena crispis, &c. Plura cap. de arbore vitæ, ibidémque Etymologiam.

Cupresso affinis. Thuia. Cedrus. Locus.

De Thya, sive Thuia variæ sunt opiniones, quarum una est de arbore Abhel Orientis, de qua iam dictum. Scribit Lacuna in Diosc. pro Aracatide semen Thuiæ demonstrari Plinianæ, verùm scitu admodum difficile, quam intelligat plantam pro Aracatide, vt dicetur suo loco. Ex Sabina Thyam quidam faciunt, et olim teste Goropio, ponebatur Sabina in suffumigia pro Thuia arbore odorifera. Cedrum Lyciam plerique teste Bellonio, Thuiam Theoph. existimant. Arbor vitæ multis est Thuia, ubi multa notatu digna de Thya ex Goropio occurrunt, ut Etymologia. Dubitat Cordus an Guaiacum fortè Trogetes seu Thuia, seu Citrum, de quo lib. 4. θυία apud Diosc. cap. de Croco, non intelligenda de mortario, teste Bellon. & aliis.

Aequivoca. Abhel Orientis. Aracates. Sabina. Cedrus Lycia. Arbor vita. Guaiacum. Mortarium.

BRVTA PLINIO.

CAP. XIX.

TAnta mortalibus suarum rerum satietas est, & alienarum aviditas, ut petant [inquit Plin. lib. 12. cap. 17.] in Helimæos arborem Brutam [Bratum C. H.] Cupresso fusæ similem, exalbidis ramis, iucundi odoris accensam & cum miraculo historiis Claudii Cæsaris prædicatam. Folia eius inspergere potionibus Parthos tradit. Odorem esse proximum Cedro, fumúmque eius contra ligna [quæ noxium & venenatum, vel gravem & iniucundum accensa odorem mittunt] excitalia remedio. Nascitur ultra Pasitigrin in finibus oppidi Sitacæ. [opimis Scytræ. Vet. pravè oppidi Scytræ C H.] monte Zagro [Scantso. Vet. Schantro C H.]

Bruta. Bratum. Vsus. Locus.

Ruellius qui more suo eadem ex Plinio transcripsit, quamvis nomen eius subticeat, addit: Brutes arbor est soli Orienti cognita, neque Latinis adeò celebrata. Sunt qui hanc in Europa, atque adeò Gallia iam nasci existiment, esséque alterum Sabinæ genus: nec profectò longè ab ea dissidêre.

Ruell. taxatur. Sabina secunda.

Nos quidem colligimus Ruellium intelligere Bellonij Sabinam alteram bacciferam, quam *Braten* putat, & arborem vitæ nominat, cuius descriptionem posuimus cap. de Sabina.

Brute Bellon. Arbor vita.

Bellonio subscribit Clus. dum dicit: Non desunt, qui arborem vitæ, ad arborem Brutam Plinij referunt, quam describere videtur Oviedus, faciens arborem Filici similem.

Arbor Filici similis.

ARBOR VITÆ, SIVE PARADISIACA VVLGÒ DICTA, ODORATA AD Sabinam accedens.

Cap. XX.



Descriptio. QVanquam non inquilina elegans hæc arbor, facilè tamen cœlo, soloque nostro assuescit, sic ut in iustæ proceritatis arborem excrescat, *Caudex.* caudice recto, nodoso; cortice cinereo aut rubente, *Materies.* materie Abiegnâ resinosâ: *Rami.* ramis perpetuâ comâ virentibus, & alarum modo expansis, qui in alios ramulos planos alternatim è latere succrescentes divisi, abeunt denuò in multa, *Folia.* oblonga folia, numerosis foliolis compressis, quaterna medium gibbosum complectentia ex ramulorum extremis, aut paulò citrà. *Flores.* Vere oriuntur flores pusilli, flavescentes, quorum nonnulli deinde in *Squama.* conos parvos sublongos, Pinei nuclei magnitudine efformantur, è sex tenellis squamulis compactos, initio virides, deinde pallescentes, postremò ubi planè maturuerunt nigricantes, qui in quatuor carinas dehiscentes, *Semina.* semina ostentant sublonga, quaterna, plerumque paleacea, medio paululùm extuberante, in quo medulla acris & amarusculi saporis. *Coni.* Coni hi non nisi detracti ferè, aut tabidi pediculo excidunt. *Odor.* Huius autem plantæ odor nobis non est gratus, de quo hæc Clusius: Tota arbor graviter odorata est reliquas congeneres longè superans odore, quem, si quis folium digitis nonnihil duntaxat confricaverit, facilè eluere non possit. Hunc autem non modò viridis ex se exhalat, sed etiam multis in annis excisa & resiccata retinet.

Arbor vitæ. Arbor porrò de qua nunc agimus, & quam icone exhibemus, passim *Arbor vitæ* dicitur, quàvis hic titulus aliis pluribus arboribus conveniat. Ni multùm labat memoria, huius meminit Bellonius, nomine arboris vitæ, quæ provenit Lutetiæ, & aliis locis. Sed obscurè admodum, uti copiosiùs demonstrabimus cap. de Sabina, de hac tractavit Bellonius, & eum secutus Cardanus de *Sabina Lutetiana.* varietate rerum lib. 6. cap. 20. ubi meminit Sabinæ Lutetianæ Bellonii, & arboris vitæ. Illud modò notandum hanc arborem à quamplurimis cum aliis confundi. Considerandum tamen an hæc arbor non tradatur à Francisco Loupez, & M Foumee, cùm scribunt: In India provenit arbor valdè alta, odorata, Cedrúmque referens. An etiam à Iacobo le Moine de Florida agente, *Cedri in dita altissima.* qui meminit Insulæ, in qua erant tantùm celsissimæ Cedri, quapropter ea Cedrorum Insula cognominata? An verò ab Oviedo cùm de Filici Hispanicæ simili arbore?

Thevetus etiam videtur eam agnovisse in sua America, quando ait: In Canadia silvestres homines cùm nives sunt satis profundæ, explorata via cervorum, figunt in ea Cedri ramos [qui perpetuò virent] retium modo: sub quibus se occultant armati. *Cedrus.* Cervi autem allecti viriditate & tritâ viâ eò veniunt, ubi excipiuntur à silvestribus hominibus. Et: Hoc silvestribus singulare, quum laborant febribus, aut aliis interioribus morbis, eos assumere folia arboris valdè similis Cedris quæ reperiuntur in monte Lugdunensi, & ius exprimere, ac bibere: nec dubitandum intra 24. horas, quemcunque morbum etiam inveteratum hoc potu curari, prout sæpiùs Christiani experti sunt, & in has regiones [nempe Galliam] plantam attulerunt. *Cedris Galliæ similis. Vires insignes.* Item alio in loco: In insulis Essores abundat species Cedri arboris, quæ silvestribus hominibus nominatur *Oracatin*, ex cuius ligno varia pulcherrima utensilia parantur: eò quòd sit valdè odoriferum putredini non obnoxium sive in aqua, sive in terra. Hæc Thevetus qui nostro iudicio de una & eadem planta scribit, quamvis separet. *Thevetus notatur.* Quænam enim obsecro Cedrus, quæ provenit in Lugdunensi territorio? Provenire quidem audimus Pini silv. genus. *Pini silvestris genus.*

An porrò, quòd suspicamur, Cedrus Thomæ Hariot cuius in histor. Virgineæ, mentionem fecit?

Celebratur Arbor vitæ à Libavio quando dicit: Citrus vel Cedrus Atlantica aliis cognomentis nuncupatur *Aethiopica, Maura, Maurusiaca, Lybica, Hesperis, Cyrenaica, Hammonia*: unde Martialis. *Citrus vel Cedrus Atlantica. Aethiopica. Maura. Lybica.*

> *Gemmantes primâ fulgent testudine lecti*
> *Et Maurusiaca pondera rara Citri.*

Lucanus scribit Cleopatram mensas exhibuisse, quarum pedamenta fuerint eburnea, orbes ex præstantissima Citro, quæ Trogetes & Thya dicebatur. *Magnificentia Cleopatra.*

> *Dentibus hic niveis sectos Atlantide sylva*
> *Imposuere orbes, quales ad Cæsaris ora*
> *Nec capto venère Iubâ.*

Quia autem nascebatur olim in finibus Cyrenaicæ iuxta Hammonem & in Atlante, iam dicta nomina sibi asciuit. *Africa incola* etiam à nonnullis dicta: & Hesperis ab occasu non ab hortis filiarum Atlantis. *Cyrenaica. Hammonia. Africana. Hesperis.*

Est alia arbor Medica, inquit Lemn. in coniectura de lignis Sethim, etiam vocata Citrus, sed quæ Mala aurea non profert, silvestri Cupresso, aut Cedro non absimilis, ut nonnulli existiment esse *Sethim*. *Sethim.* Lignum est à carie, teredine, vermiculisque alienum, nec ullo æuo corruptioni obnoxium. Hæc de ista Thya seu Citro. Si ex argumento cognationis naturalis iudicandum est, ad hanc referendæ sunt Cupressus mas & fœmina & Citrus Atlantica minor, ut Arbor vitæ. Sed arborem vitæ teste Clusio, plurimi θύαν Theophrasti existimant. *Thya.* Quamvis non desint (inquit hist. lib. 5. cap. 5.) qui ad arborem Brutam Plinij referant, Cupresso fusæ similem. *Bruta Plinij.* Hæc quidem arbor [vitæ nimirum] ad Cupressum nonnihil accedit: verùm ramos sursum non attollit, quemadmodum illa, sed in planas veluti alas expansos, in latitudinem diffundit: Huius item folia tametsi ex foliolis squammatim compacta, omninò plana sunt, non rotunda, uti Cupresso, Iunipero maiori, Sabinæ: nec rotunditatem contrahunt, antè quàm in ramos excrescant. Galli *arbre de vie*, hoc est, arborem vitæ nuncupant, nescio quâ ratione ducti, nisi fortè ob immortalem eius comam, quam habet, aut odoris eius vehementiam, quam salubrem esse existimant, hoc nomen indiderint. *Arbor vitæ.* Vulgus Herbariorum & Thuiam

Thuia plura genera. Thuiam & arborem vitæ appellat. Nonnulli plura genera Thuiæ constituunt, & hanc arborem tertium genus esse volunt.

Nunc Goropij hac de re sententiam audiamus. Longè, inquit, à Plinii sententia discedunt, qui eo capite, quo de monstrosi pretij mensis tractat, Cedrum pro Citro scripserunt. *Cedrus pro Citro apud Plin. male.* Crediderim Romanos arborem, è qua crispa materia secabatur, principiò Citrum nominasse, ac voce Africana, nonnihil corrupta, Chitram, vel ut alij legunt Chatram. *Chitram.* Significatur enim hac voce Arabibus Cedrus. Quamobrem cum Pœni Chitram pronuntiarent, & in Cedrorum genere arboris illud genus, è cuius nodis mensæ fiebant, collocarent, Romani Citrum nominarunt. Ignari verò Cedrum, &c.

Et paulò pòst: Nos igitur in ea sumus opinione Thuiam Theophrasti esse Cedrum, sive Cedrelatem masculam. Romani meliùs fecissent si mensas Cedrinas nominassent. *Thuia unde dicta.* Thuia tandem gemina de causâ ita vocatur: Alterâ, quod in sacrificiis Thuris loco haberetur: alterâ, quoniam [Cimbris] Thebui & inde Thui/ nihil aliud est, quàm custodia. Perdurat, Theophrasto teste, materies hæc omninò incorrupta, unde meritò arborem vitæ vocant. *Arbor Vitæ.* In Plinij & Homeri codicibus θύον, non θύϊον, ut plerique habent, legendum: *Homeri lectio corrigitur.* An verò per diphthongum scripserit Homerus, an non, id necdum puto satis liquêre. Apud Diosc. in cap. de Croco θύαν cum diphthongo legimus, quo loco Ruellius mortarium vertit, longè ab autoris mente aberrans. *Ruellij error.* Thuium tandem sive Thuia dicas, quam sacræ literæ ex India adferri dicunt, eam Theophrastus ex Cyrenaica, Plinius ab Atlante & Anchorario Mauritaniæ monte adferri scribunt. Concludit tandem dicens: ad templum Salomonis non solùm aurum ex Atlantico orbe petebatur, sed ligna quoque Thyina eadem navigatione adferebantur, *Thyina ligna in templo Salomonis.* quæ an ex Atlanticis saltibus, è quibus pòst à Romanis magnis sumptibus petita legimus, an ex orbe quoque Opher advecta sint, cùm utrumque commodè fieri potuerit, ignoro.

Gesnerus quoque huius arboris recordatus est, his verbis: *Arborem vitæ* à quibusdam vocari, Lutetia revertens nuper amicus quidam mihi retulit: *Arbor Vitæ.* cuius ramulum ostendebat, ex America translatam dicens, & in horto quodam Lutetiæ à Petro Bellonio sibi demonstratam. Sabinæ videtur genus, *Sabina.* quod quidam Bruton esse volunt, *Bruton.* simillimaque Cupresso: sed baccam fert dissimilem, odoratam tamen & nigriorem: folia Salviam olent. Verùm Gesnerus, Bellonium imitatus, confundit hanc plantam cum alia quadam: *Gesn. & Bellon. notantur.* Siquidem Arbor vitæ non fert baccas, sed veluti oblongos minimos conos, qui semine maturo conorum modo dehiscunt: hanc arborem Bellon. de conif. vocavit Arborem vitæ & Sabinam & Brutes secundum, *Sabina Bellonio secunda & Arbor Vitæ.* cuius duas descriptiones ponit, quas posuimus capite de Sabina.

Lyciam Cedrum, (aiunt Lob. & Pen. Adv.) jam diu vidimus Lutetiæ in quibusdam hortis folio Cupressi compresso, semper virentibus squamulis, loricatis capitulis, semen Laricis claudentibus: Belgicis herbariorum viretis hodie notissima *Arboris vitæ* nomine. Eius folia trita suavissimum fundunt odorem. Ibi tradebant quandam bacciferam Cedrũ Lyciam. *Lob. & Pena notantur.* Mirum autem, quid sibi voluerint autores Adversariorũ: primò cum sua Lycia Cedro baccifera Lutetiæ visa, quum nunc aliam eodem nomine tradant, quæ nullas baccas fert. Quæ in Advers. dicuntur de Aegyptiaca Sabina Bononiensi, & de Abrotono peregrino Cupressi foliis videntur aliquatenus convenire cum arbore vitæ. *Sabina Aegyptiaca. Abrotonum peregrinum.* Ex iam itaque adductis luce meridiana clarius patet, neque Lobelio & Penæ bene notam fuisse hanc arborem.

Dicitur & arbor vitæ (inquit Dod.) Thuia Theophrasti, aut Plinij Bruta esse, quod asserere non fuerit facilè. Novi orbis nova stirps habenda est.

An Arbor vitæ, arbor de qua scribit Levinus Apollonius Peruana sua regione, dum dicit: Miri odoris arborum ligna cremantur, ex quibus dum cortices detrahuntur, tam acri odore adeps defluit, vt olentium nares, cerebráque deterrimè afficiat; illita verò defunctis, aut guttis instillata (quemadmodum Cupresso permanens resina) perpetuò, ab vermiculorum iniuria, carnéque, mortuorum cadavera vindicet.

Tabernæmont. Arbor vitæ, Brunn deß Lebens/ Hist. verò Lugd. Thuiæ genus tertium, Arbor vitæ Gallis, Lutetiæ *paradisea arbor.* Vocatur à Camer. in hort. *Paradisea Arbor.* Thuia sive Thya, vulgò arbor vitæ, vt Galli nominant. Goropius in suo Vertumno, Arborem vitæ sive Thuiam cum Cedro antiquorum coniungit & allegat Virgilij versum:

Vrit odoratam nocturna ad lumina Cedrum.

C. Bauh. apud Matth. In classem Cedrorum refert arborem vitæ. Multis videtur Thuia Theophrasti, alij ad Brutam Plinij referunt, licèt paucissimæ notæ Plinianæ, nostræ conveniant. Arbuscula est admodum odorata, perpetuò virens, altitudine virum longè superans: flores vt in Cupresso. Hæc ex Canadas Septentrionalis Americæ provincia in Galliam primùm illata & Francisco Regi Arboris vitæ nomine donata, quam Lutetiæ cùm essemus, ex regio horto, quem Io. Robinus colit, accepimus.

Locus. Primum Clusio conspecta hæc arbor in horto regio *Fontainebleau*, non procul Aureliana Gallorum, cò ex Americæ Septentrionali orâ, *Canadas* dicta, delata, Gallorum imperium obtinente Francisco huius nominis primo, litteratorum omnium summo Mæcenate, nec antè, vt existimat, Europæ cognita. Deinde apud Doctissimũ Virum Nicolaum Rassium Regis Chirurgum, qui primus sua opera eam Belgio communicavit, vbi nunc adeò frequens est, vt nullus sit rei herbariæ studiosus, qui eam in suo horto non alat: inde porrò in plærosq; Germaniæ hortos transiit: facilè enim rami depacti radices agunt, quemadmodum sæpè est expertus, præsertim loco vmbroso & fertili, pinguique solo. *Radices facilè agit.* Nascitur etiam semine: sed tenellæ plantæ antè quàm in ramos dividantur & explicentur, Oxycedrum, Iuniperúmque maiorem primùm enatas admodum æmulantur. *Semine nascitur.* Frigoris patientissima est: Hieme tamen fuscum & fuliginosum colorem contrahentibus foliis, quæ novo Vere pristinum nitorem & viriditatem recipiunt. *Frigoris patiens.* Sed & Camerario primùm à Rassio missa; facilè semine nascitur, & surculis propagatur, fertque Hiemem parùm stramine vel simili re munita. Seri autem debet in vasis terra optima & cribrata plenis, ut semen quarta parte digiti eâ tegatur. *Satio.* Cùm verò rigare opus est, terra linteo imposito irriganda, alioqui semina sursum ascendunt & nudantur: quod etiam in aliis observandum est. *Cultura.* Novellæ plantulæ à Sole meridiano per maiores æstus defendendæ, atque hac ratione plurimas arbusculas brevi consequi possumus: Nobis autem primùm visa operâ fratris Bauh. qui misit Lutetiâ nomine *Arboris Paradisi*, quam plantavimus in horto Illustr. Cels. VV. ea excrevit *Arbor Paradisi.*

in arborem pulchram, semper virentem, quæ ex ramis facilè radicatur, ac Hiemem commodè sine nocumento perfert: non tamen profundè radicatur, quin oportet maiores fulcire, ne à vento deiiciantur, vt accidit nostræ primæ arbori quæ anno 1604. deiecta fuit, licèt palis retineretur. Habet Basileæ D. Fœlix Platerus in suo horto per me missam. Stutgardiæ etiam pulchras vidi arbores. *Temperamentum. Vsus.* Ex sapore & odore [autore Tabern.] facilè colligitur hanc arborem calidæ & siccæ temperiei esse. Non dubium Clusio, quin ad pleraque sit utilis: nemo verò illius facultates suo ævo prodidit, quod sciat. Cùm tamen magnam habeat partium tenuitatem, & amariuscula sit, verisimile est *Digerit. Abstergit.* digerendi & abstergẽdi facultate præditã esse. Hæc arbor, inquit Camer. in pretio habenda est, non solùm propter eius odoris fragrantiam, cuius contusi ramuli naribus impositi, quandoque sanguinem eliciunt, sed etiam propter alias eius facultates non contemnendas. Elicitur quoque ex *Aqua. Oleum. Dolores podagrici.* ea aqua & oleum per Chymica organa, vtile ad dolores podagricos, ritè impositum.

SABINA BACCIFERA ET STERILIS.

CAP. XXI.

Descriptio. PErpetuus comæ viror Sabinæ est: *Humilior.* quæ humilior semper, in latũ magis, quàm in altum proficit. *Vulgatior. Folia Myricæ.* Vulgatior ingrato odore fœtet, foliis Myricæ nostratis, pungentibus: *Folia Cupressi.* altera foliis Cupressi quæ inoffensè demulceri patitur: *Caudex. Odor. Sapor.* caudice sunt satis crasso: Vulgatior illa odore gravi est, sapore acri: nec illi saporis acrimonia cedit altera. *Baccæ.* Baccas fert vtraq; Iuniperinis æquales, quas virentes & ex albido cæruleo quodam colore tinctas *Tubercula.* tubercula quædam obsident: In summo autem aliquãdo pediculo opposito *Apex.* apex modò vnus, modò duo prominẽt seminis intus contentorum. *Bacca matura.* Tandem etiam maturæ atrocæruleæ fiunt. *Flores nulli.* Has baccas nulli præcedunt flores, sed duntaxat baccarum rudimenta incurvis pediculis insidentia, ex tribus, quatuor, aut quinque exiguis, viridantibus tuberculis, instar Myrmeciæ verrucæ parvulæ, composita. *Sabina tres Lobelio.* Quandoquidem autem Lobel. tres species facit, eius descriptiones hîc subiiciemus: *1. Vulgatior.* Boreales, Meridianique horti, præsertim in Claustris Vestalium, Sabinam vulgatiorem alunt, longè notissimam Tamarisci foliis, sed rigidioribus, pungentibus, tetrúmque odorem halantibus, perpetuò virentibus, & baccarum expertibus. *2.* Vulgatæ sterili Sabinæ (quæ tamen flosculos ex herbido luteos promit) ortu, totáque facie simillima, sed folio paullò minùs acuto, minúsque rigido, & pungente, bacca, sine grano resinoso, Iunipero nostrati pari & concolori. Nostra vireta Belgica cultiora hanc alunt munere Io. Mutoni. *3.* Altera superiori coniungenda, ramulorum exilitate & foliorum lenitate duntaxat diversa: media inter Sabinas & Cedros Phœniceas, folio Sabinæ aut Cupressi vocatas, videtur: sed folia tenuiora & delicatoria, minimè aspera & pungentia sunt. Fructus Iuniperi minoris par, similis & concolor. Natalibus gaudet montosis Calabriæ & Apuliæ, ni labat memoria.

Nostræ Sabinę icon emptitia, demonstrat tantùm bacciferæ ramum, cum foliis non spinosis qualem variis in locis etiam spontaneam observavimus. Alteram autem sterilem ex Matth. desumpsimus.

Sabina species bina Diosc. Cæterùm Sabinam in genere novisse Dioscoridem, ex sequentibus eius verbis didicimus. *Brathys Boraton.* Βράθυς, aliqui Βόρατον appellant nonnulli Baryton, Barathron & Baron. Eius species duæ sunt. *Cupresso folio.* Altera enim foliis est similis Cupresso, sed spinosior & graveolens, acris & fervida. Est autem arbor curta & in latitudinem magis se fundens. Et quidam foliis eius ad suffitus vtuntur. *1. Tamarici folio. 2.* Altera Myricæ [Tamaricis] foliis similis est. *Brathy Plin.* Plinio Herba Sabina *Brathy* appellata à Græcis, duorum generum est. Altera Tamarici similis folio: altera Cupresso. *Cupressus Cretica.* Quare quidam Creticam Cupressum dixerunt. *Selago.* Est tamen & Selago appellata, similis herba Sabinæ. *Serendi modus.* Sabina herba propagine seritur & avulsione. Tradunt fæce vini, aut è parietibus latere tuso, ritè ali. *Semine caret.* Huic semen nullum.

Baryton. Dioscorides hoc loco (inquit Herm.) Baryton vocari Savinam tradit à nonnullis. Vt fortasse de hac intelligant Scriptores, præsertímque Diodorus, *Boraton.* cùm in Arabia nasci dicunt Boraton Iuniperum, Cedrúmque, quasi Boraton pro Baryto, vel contrà exemplariorum vitio legatur. Testatur Ruellius Sabinam nomen vbique retinere, ac in *Savinera. Brutes.* quibusdam Galliæ tractibus *Savinieram* nominari. Hæc (ait ille) Brutes arbor est, soli Orienti cognita, neque Latinis adeò celebrata. *Sabina alterum genus.* Sunt qui hanc in Europa atque adeò Gallia iam nasci existiment, esséque alterum Sabinę genus: nec profectò longè ab ea dissidet. Addunt & quadamtenus tum odore, tum colore immutatam, quia & cœlum & solum inventu quoque mutaverit. Huc facit etiam, quod rudimentum nominis Græci Brathys luxatis literis, & aspiratione summota, videatur elucere. *Sabina secundum genus Ruellio quod?* Quodnam autem sit Sabinæ secundum genus Ruellio, quod Brutes existimat, investigandum. Videtur intelligere Sabinam secundam, quam habet Bellonius, quam etiam Brutes putat. Perpendendum insuper an eam intelligat Ruell. quam Bellon Arborem vitæ nominat, de qua suo proprio capite.

Nunc subiciamus, quæ traduntur à Bellonio conif. arb. de Sabinis duabus: scribit autem: Itali quemadmodum & multi incolæ Epiri & magna Græciæ pars non studens agriculturæ, paucas alunt in hortis herbas, præter eas, ex quibus proventum

ventum sentiunt. Ideò neque Sabinam primam, neque alteram, i. e. neque sativam, neque silvestrem bene norunt. Ambas autem suapte sponte nascentes in montis Amani & Olympi Phrygiæ cacuminibus vidimus. Nos in hortis sativam tantùm colimus. Frigorum patientissima est Sabina, ideò ea nobis feliciter provenit. culta altiùs attollitur. Silvestris humi comam dispergit. Prisci Sabinam arborem dividentes in primam & secundam partiebantur, [illegible] primam iam dictum est. Alterius autem Sabinæ folium, Cupressi aut Tamaricis simile est. Hoc namque modo ab authoribus describi solet, quos sanè non parum admiror, quòd eam arborem herbæ nomine vocaverint. Non erit quoque mirum si, cùm ambæ silvestres sint, alteram cultam dixerim, quam vulgus nostrum ignotam: alteram incultam nostris olitoribus, aliàs quoque invisam. Vt autem Sabinam alteram hic, qualem in montis Tauri excelsissimo vertice descripsimus, prosequamur, adducendum fuit aliam frequentiorem arborem, quam Sabinam utramque videri non posse. Sylvas hæ de se in summis Amani & Olympi montibus faciunt, in quibus nullam arborem præter has copiosiorem videas. Altera Sabina tota facie Iuniperum maiorem referret, nisi latioribus ramis prædita esset, & magis divulsis: & appendices multas in ramis, ut Sapinus produceret, atque eundem in nascendo, quem Taxus, morem servaret. *Resinam* profert in caudice, ut Iuniperus utraque, eodémque modo resina commanducata, tota in os pulverulenta diffunditur, nec amplius cogitur. Ideò hac in re similis est gummi Iuniperi minoris. Resinas inter se contuli, quæ quidem plurimùm distare mihi visæ sunt. Siquidem maioris Iuniperi resina Mastiches, vel Terebinthinæ in modum in ore cumulatur, & nunquam in ore dissolvi, aut divelli potest. Præterea Iuniperi maioris resina insigniter amara est. Transparentem resinam Sabina altera habet, duram ut Iuniperi, velutì fumo tactam. *Arboris caudex* sinuosus est, crassior plerumque, quàm ut vir in ulnas capiat. Corticem Vitis habet modicè crassum, rutum, materiam foris albam, intus veluti [illegible]vam, cui nullam aliam similem reperimus. Est enim ei veluti [illegible]litus quidam rubor degenerans in subnigrum. Perpetuâ comâ viret, suis fœtibus gravida in Hyeme comperitur, sed Lentisci naturam servat, quòd fructus perpetuò suæ arbori insideant, decidentibus scilicet anniculis, cùm alii iam ad maturitatem pervenerint. Fructus autem, qui non perfectè maturuerint, egregiè virent. Cùm autem ad maturitatem devenerint, ex atro in cyaneum degenerant. Arbos ipsa elegantissimo virore nitet, quæ tota fructibus nigris sugillatur. Est autem arbor feracissima, cuius baccæ vix Cedridibus crassiores evadunt. Arbor Amygdali bene magnæ altitudinem petit, multùm ad Cupressum sativam accedens, sed crassiori caudice constat. [nam silvestres in Creta sativis crassiores sunt.] Huius folia omninò Cupresso correspondissent, si quæ tenuiora tamen sunt. ideò si arbor à longè spectetur, etiam à quovis perito à Cupresso vix dignosceretur, siquidem illa seminibus vidua fuerit, nisi attentè inspiciatur. Atque cùm eam primùm inspexissem, nihil de hoc dubitans, Cupressum esse censebam. Cùm autem aliam postea suis baccis, quas in ramis singulares profert, onustam vidissem, ea omne dubium sustulit. Folia eius gustatu amara sentiuntur, aromaque olent, resinaceum quiddam præ se ferentia. Os leviter ex-

Duæ Sabinæ ubi proveniant. Sabinæ sativæ, cultæ & silvestris differentia. Sabina altera folio Cupressi. Sabina cur herba dicta, mirum. Sabina culta vulgo ignota. Sabina inculta in monte Tauro. In monte Amano & Olympo. Sabina Iuniperum referens. Resina. Iuniperi maioris resina. Sabinæ resina. Crassa arbor. Cortex. Fructus. Baccæ Cedridibus similes. Altitudo. Cupresso accedens. & valdè similis. Cupressi folia. Baccæ singulares. Foliorum sapor.

calefaciunt baccæ, quæ in huius extremis tantum locum surculis assiduntur, ita ut perpetuò singularis quivis surculus suam tantummodò ferat, & eam rotundam. Hæc merulis & turdis gratissimus cibus, amara est & subodora, &, ut dixi, ex cianeo subnigra. Habitus ramorum & foliorum in arbore Filici quodam modo similis est. Filix enim cum servat ritum, ut folium applanatum esse diceres, & veluti compressum: quod & ramis Cedri maioris accidit. Florem non promit, sed statim seminis rudimentum apparet. Quantum ad *lignum* huius attinet. Agebam in Mysiam ea urbe, quæ Iconium vocatur, vulgò Cogna, cùm inter urendum Iuniperi maioris & Cedri Phœniceæ, & Sabinæ alterius ligna, quæ simul contuli, nomen quærens, quò unumquodque ab alio dignoscerem, utpote quorum tanta sit affinitas, [illegible] eorum trium ex montibus vicinis in urbes allata ligna nullo ex [illegible] discrimine dignosci possint. Nam in Asia apud Conicum & Iconium nullum istis frequentius inveniendum erit. Eorum singulorum, ut periculum facerem, unumquodque [illegible], usu carbonem sed [illegible] frustra. Cùm verò in eum locum pervenissem, ubi magis arborum lignorum strues asservabatur, ex solis tantum nonnullisque discrimen deprehendi, quod tam exiguum est, ut vix etiam à perito lignario artifice internosci possit. Eorum nempe cum caudex tum rami Vitis penè *cortice* obducuntur, rubro, lemniscos longos supra se invicem iunctos diceres. Omnium autem materies intus rubet, in gyrum albicat, carbonem seu fuliginem faciunt, materies leves sunt igni expositæ, quæ faciliùs, quàm Piceæ uruntur, ex li faciles sunt. Sed Sabina hæc multò magis, quàm cæteræ ad testudines faciendas Turcis expetita, quòd in rimas nunquam diffindatur. Hanc autem excavant totam, ex eodem ligni frusto testudinem perficientes, mediocrem quidem illam, nostris tamen quinternis aliquantò maiorem. Plinius arborem soli Orienti, neque Latinis ideò celebratam tradit *Brutes* nomine. Cupresso suæ similem, albicantibus ramis, odore Cedri, cùm accenditur, quam ego Sabinam alteram esse interpretor. Eam fortassis, quam Theophrastus Thuiam vocavit, Dioscorides alteram Sabinam nominat. Notæ certè omnes, quæ supra dictæ arbori tribuuntur Brutes appellatæ, omninò cum illis conveniunt, quas ego Sabinæ alteri paulò antè tribuebam. Huius alterius Sabinæ arbores iam in Europa atque adeò in Gallia, [illegible] (ut paulò [illegible] scribam) locis visuntur, in Regia potissimum Fontanebleau, quam ille, qui Francisco Galliarum regi attulit, *vitæ arborem* cognominavit. Ex hac arbore, cùm adhuc exigua admodum existeret, ramulos vellimus: quos cùm olim Renatus Bellayus Episcopus Cenomanensis, qui unicè rei herbariæ studebat, nostra operâ accepisset, eorum alterum domi suæ conseuit, alterum verò in hortis divæ Mariæ Lutetiæ, qui usque eò excrevit, seseque à Solo erevit, ut proceritate longè parentem vicerit. Est & arbor alia in eiusdem loci hortis regiis enata, quam *Pinastrum* esse assevero, cùm tamen prædicto nomine (Arboris vitæ) ab eo, qui Regi donarat, appellata fuerit. Nunc videndum est an notæ huius arboris vitæ, cum eadem, quam iam in Asia, & monte Tauro observaveram, conveniant, quâ multi iam nostrâ operâ Galliæ horti virent. Ea rectos promeret ramos: nisi parumper ad foliorum productionem reflecterentur. Ramos mittit geniculo bene robusto altissimè caudicem [illegible]

Cedri maioris. Filici similis. Folium applanatum. Cedrus maior. Flore caret. Lignum. Locus. Cortex. Sabina alterius usus. Brutes. Thuia Theophr. Sabina altera Diosc. Locus. Arbor vitæ. Pinaster. Alia descriptio.

plectentes, in quibus folia Cupresso similia essent, nisi supra invicem sessilia, & compactili nucamento procumberent. Ramus totus cum foliis applanatus videtur esse, eo, inquam, modo, tanquam si quis studio eum prælo presserit. Arbor hæc in tantam altitudinem apud Fontanæblæum excrevit, ut quamvis nondum nonum excesserit annum, brachio tamen elato à quolibet procero homine vix possit ad eius cacumen pertingi: Eam nondum semina prompsit. Gustata folia amara sentiuntur & odorata, maximè ad Salviam accedentia. De cortice nihil adhuc certi tradi potest, quoad in ampliorem vastitatem excreverit. Hæc Bellonius, quæ censuram nostram nullo modo recusant.

Folia applanata.

Arbor itaque vitæ posterma, quam describit Bellonius, nullas fert baccas, sed veluti parvos conos, ergo non potest esse eius Sabina altera, cui baccæ sunt. Quod præterea scribit de sua Sabina altera folio Filicis veluti applanato, ac cætera omnia, de odore, & aliis, exceptis baccis, convenient cum ea arbore, quæ Parisijs dicitur arbor vitæ: an extet in rerum natura talis arbor aliqua odorata, baccifera, iudicent docti, nulla nobis visa, nec audita: suspicamur Bellonium ignorare quid scribat, & confundere diversas plantas: nec existimamus ei visam arborem vitæ in horto regio, quæ nullas tulerit baccas. Capite de Arbore vitæ, huius Sabinæ secundæ fecimus mentionem ex Gesnero, qui etiam arborem vitæ vocat, & ex America translatam, malè addens, baccam ferre, quod ex Bellonio desumptum videtur. Quæ autem Bellonius scripsit de altera Arbore vitæ, quæ Pinaster, & de impostura, nos posuimus capite de Pino Cembro.

Bellon. error.

Gesn. error.

Obscurè admodum Cardanus Bellonium secutus huius arboris [Sabinæ Lutetianæ Bellonij & arboris vitæ] meminit, dicens: Est etiam Lutetiæ Sabinæ genus (vt etiam Bellon. refert) quam quidam Bruton esse volunt: simillima est Cupresso, et vix ab ea distingui queat, sed baccam fert dissimilem, odoratam tamen ac nigriorem, folia Salviam olent: vnde ferunt, Tartaros spargere pulverem super cibos. Vocant ob id quidam vitæ arborem, fortè quòd in contignationibus nullum vitium hoc lignum sentiat; eaque Turcæ vtuntur. Ex hoc aût Cedri genere fermè est ea planta apud Indos occidentales Cumanæ provinciæ, cuius tabulis si naves conficiantur, non sentiunt teredinem, malum illi regioni ingens: si arcæ, quæ reponuntur, omnia benè olent: quod verò mirum dictu est, edulia tamen in amaroris contrahunt, vt cuiuis ingrata reddantur.

Cardani error.

Sabina Lutetiana.

Sabina planta est (ait Matth.) in Italia vulgaris notitiæ, illa scilicet quæ à Dioscoride primo generi assignatur, foliis Cupresso similis, spinosior. Verùm eius folia non adeò plenè virent, vt Cupressi, & in cacumine aculeata conspiciuntur. Quod tamen sæpè peritis negotium exhibet. Cæterum non desunt, qui plantam, cuius imaginem dedimus, negent legitimam Sabinam esse, hoc, ni fallor, argumento, quòd hæc baccas proferat, quarum in sua Diosc. non meminit. Vnde factum est, vt quidam putaverint, eam maiorem Iuniperum esse, alij verò Thuiam, quam Theophrastus memoriæ prodidit lib. & cap. 5. de hist. pl. Verùm vtrique meo iudicio in errore versantur. Illi quidem, quòd hæc planta nec folio, nec flore, nec fructu, non materia, non odore, neque sapore, non cæteris denique notis Iuniperum referat. Hi verò, quòd Thuia, vt est apud Theophrastum, nascatur apud Ammonis delubrum, atque in Cyrenensi agro, forma Cupresso similis tum ramis, tum foliis, caudice, fructuque: vel potius, ceu Cupressus silvestris. Præterea quòd, vt idem scribit, Thuiæ materies omnino incorrupta perduret, nihil eius radice crispius sit, atque simulacra ex ea antiqui sculpere sint soliti, quemadmodum ex Cedro, Cupresso, Loto, & Buxo. Hæc autem arbor conos, seu galbulas non fert Cupressi modo, sed baccas: caudice non attollitur longo, sed eo brevi contenta est; materie non constat incorrupta, solidaque, sed caduca & fungosa: non vt Thuia peculiaribus locis gaudet, sed vbique ferè locorum nascitur, vt hinc maius atque evidentius discrimen inter plantis appareat, quàm vt illorum error, qui eas vnam faciunt Thuiam, pluribus explodi mereatur.

Sabina.

Contra eos, qui Sabinam negant.

Iuniperus maior.

Thuia.

Thuia nascatur.

Sed certè relinquitur vt miremur eos, qui stirpem hanc, quam depictam exhibemus, veram Sabinam esse inficiantur, cùm nullis careat notis ex iis, quas illi Diosc. reddidit. Ea enim arbor conspicitur coactæ brevitatis, quæ in latitudinem magis effunditur, foliis Cupresso similis, spinosior tamen; quin & gravius olet, & acris, fervénsque sentitur. Atqui illud nobis obiiciunt, quod Diosc. in describenda Sabina nullam baccarum mentionem fecerit: id mehercule quod legatur non fecit. Sed quid dicent ii, si in quamplurimis plantis ex iis etiam, quæ ab omnibus legitimæ habentur, plures notæ, & eæ quidem præcipuæ, nonnunquam desiderentur: quas nimirum Dioscoridem omisisse credendum est, vel quòd plantæ eæ essent aliogqui vulgò cognitæ, vel quòd oēs earum partes non satis exploratas haberet, vel alias ob causas, quas prosequi non est hic locus, quarum omnium aliqua facilè potuit esse: cur Sabinæ baccas non adnotatas reliquerit. Addam & illud fortassè ex eo evenisse, quòd Sabina frequentior sterilis occurrat, quàm fructifera. Nam (vt equidem fateri possum) inter innumeras Sabinæ plantas, quas variis in locis mihi videre contigit, tres duntaxat memini me observasse, quæ baccas ferrent, & eas quidem rubentes, ac Iuniperinis maiores. Id quod me quandoque adduxit, vt putaverim in hoc Sabinæ genere marem & fœminam reperiri: atque alteram raram esse in Italia, quemadmodum eam quoque rarò vidimus, quam Dioscorides secundo loco repræsentavit, Tamarici foliis similem, non autem aculeatam. Ex iis igitur meritò colligendum esse arbitror, hanc nostram Sabinam esse legitimam, vt quæ non solùm notis Dioscoridis delineationis pulchrè respondeat, sed etiam facultatibus.

Sabinam vulgarem esse veram Sabinam.

Bacca rubentes Iuniperinis maiores.

Porrò Petrus Bellon. de arboribus coniferis disserens, ut ineptè satis, meo quidem iudicio, Sabinam admiscet, atque in ea describenda, quam secundo loco ponit Dioscorides, mihi non parum hallucinatus deprehenditur, quòd constanter affirmaverit, se vidisse frequentissimum hoc Sabinæ genus in Amano & Olympo Phrygiæ montibus, tota facie Iuniperum maiorem referens, magnitudine Amygdalæ arboris maioris, foliis Cupresso per omnia similibus, baccis per maturitatem in cæruleo nigricantibus, & caudice resinam ferente. Etenim Dioscor. non tradit, quæ sit huius plantæ facies, & quæ magnitudo, sed eam in foliis tantùm à priori variare scriptum reliquit. Quod non alia de causa autorem hunc fecisse reor, quàm quòd sciret, nullum vtriusque esse in reliquis notis discrimen. Sed quod hanc rem turpiter confuderit Bellonius, vel ex eo manifestum esse puto, quòd quam plantam nunc Dioscoridis alteram Sabinam asserit, eandem paulò post

Sabina Tamarici folio non aculeata, à maiori Bellonij error.

Id post

Bruta. *Sabina primum genus Thuia.* *Sabina baccifera.*

lò pòst arborem illam constituit, quam Plinius Brutam appellat, quasi Plinius non meminerit vtriusque Sabinæ. Quod autem idem Bellonius primum Sabinæ genus, eam arborem suspicetur, quam Theophrastus Thuiam nominat, non miror: nam & alij idem sentiunt. Verùm hanc opinionem improbavimus. Adhæc bacciferam Sabinam Guillandinus si nunquam vidit, cur Fuchsium & Matthæolum reprehendit? Matthæolum scio ego è bacciferæ ramo suam pinxisse Sabinam, nec vereor quin etiam Fuchsius suam quoque ex viva planta delineari curaverit. Sed huiusce censuram inanem pronunciant Avicenna ac etiam Serapio, qui de Sabinæ baccis apertissimè meminêre, & in medicum vsum vertêre.

Matth. not.

Matthiolus obscurior in post. com. Ital. positis duabus figuris, dicit duas esse species, vnam sterilem magis vulgarem: alteram fructiferam in Italia raram, odore minùs gravi, eiusque duas facit differentias, vni enim baccas rubras, ac Iuniperinis maiores, alteri purpureas [Turchinas.] Nos autem non intelligimus Matthiolum, cùm ait baccas Sabinæ rubentes, ac Iuniperinis maiores, tales enim in Sabina non observavimus & illæ quas vidimus, sunt ferè concolores, & eiusdem quasi magnitudinis cum Iuniperinis, vnde minores potiùs dixerimus, quàm maiores: ac veremur ne confundat Cedrum quibusdam dictam Lyciã cum Sabina. Sed quod magis miramur in postremis comm. facit manifestè tres species.

Camer. taxatur.

Camerarius in Matthioli hist. Germ. duas posuit alias figuras, addens in Liguria, & in finibus Galliæ iuxta Narbonam in mónte Cetho inueniri Sabinam baccis rubris, crebris, alibi ex cœruleo nigricantibus. Nos quidem non otiosi fuimus mōtis Cethi spectatores, sed ibi nobis sola Cedrus retusa Bellonii obseruata, cui baccæ rubræ.

C. Bauh.

Qui Matthioli patrocinium suscepit ex Diosc. duplicem facit, alteram vulgatiorem folio Tamarisci, alteram folio Cupressi, quas in eo convenire dicit, quòd immortali comâ vireant, & vtraque baccas ferat nigras Iuniperinis similes: nullam enim esse quæ sterilis omninò sit, sibi persuadet, quod falsum. Eam quidem, quæ surculis seritur, rariùs fructum proferre scribit. Is Sabinam nostram vulgatiorem folio Myricæ, *Sabinam secundam folio Tamarisci* vocat: *Sabinam* Brunfels. Fuchsius, Dodonæus. *Sabinam minorem* Gesn. hort. *Savinam* Lonic. *Savinam marem*, *Sabinam minorem* Lob. *Sabinam Tamarici similem* Hist. Lugdunensis. *Alteram Sabinam nostram folio Cupressi*, nominat *Sabinam primam* Dioscoridis. *Sab. maiorem.* Gesn. *Sab. alteram* Dod. *Sab. fructiferam* Cast. *Genuinam bacciferam atrocæruleam* Lob. *Sab. folio Cupressi similem* Cord. in Dioscor. *Cupresso similem* Hist. Lugd. *bacciferam* Camer. *fœminam maiorem* Tabern.

Synonyma.

Guillandinus & Paul. Hessus contra Matthiol.

Matthiolum adhæc oppugnat Guillandinus cui Paulus Hessus patrocinatur, ita disserens: Nihil mihi attulisse videtur Matthæolus hoc in loco, quòd Guillandinus non multò antè in Theone suo circumscripserit, iis verbis: Cæterùm Sabinam, quam ego cum Plinio sterilem esse auguror, ipse fructiferam cum Fuchsio pingit: quanquam me non præterit Arabum ea in re sententia. Vide quot mysteria Guillandinus arctissimis verbis cōcluserit. Sabinam fructiferam esse negat, ductus authoritate & experientia, neque tamen interim ignorasse se, aliter sentire Mauritanæ factionis scriptores demonstrat. Matthæolus verò Plinii nomen tempestivè præterit, & sententiam suam Avicennæ & Serapionis auctoritate stabilire conatur, ac si non apertissimè Serapio, quem ille errori suo patrocinari putat: sterilem esse Sabinam & omni fructu carentem cap. 280. simplicis medicinæ scripserit, Abhel, id est, Sabina, inquit, quæ & Brathys dicitur, non habet fructum. His calculum adiiciunt quotidiana experientia, & Plinii testimonium, quibus Sabinam semine carere liquidò comprobatur. Iam verò Sabinam nullum vnquam fructum expulisse, norunt omnes, qui veram legitimamque Sabinam terræ hærentem observarunt. Reliquum est, vt quæ ab Avicenna de Sabina dicuntur, pari gravitate expendamus, quem profectò tantum abest, vt fructiferam eam esse asseruisse sentiamus, vt contrà etiam affirmare non dubitemus, nusquam id apud illum toto suo volumine legi. Quod autem Matthæolo apud ipsum imposuisse videtur, illud est, quòd cùm Sabinam à Mauritanis Abhel vocari apud Serapionem legisset, & Auicennam Abhel, fructum Alharar definiuisse obseruasset, Alharar idem esse, quod Abhel ratus, Sabinam de Auicennæ sententia fructiferam esse voluit. Verùm Auicennæ Abhel, inquit, fructus est Alharar, similis Alzarar, hoc est, Abhel fructus est Iuniperi, similis Mespilo. Cùm verò paulò pòst Abhel duo fastigia constituit, non sanè Iuniperum describit, quam alibi sub nomine Harar, in magnam & paruam distinguit, sed vtramque Sabinam cum Abhel confundit, haud secus, atque cap. 666. Scheam quoque, hoc est, Abrotanum, vel certè Absinthium aliquod rursus cum duobus Sabinæ generibus graui & pudendo errore permiscet. In similem huic lapsum Serapionem incidisse palàm est, quem Matthæolus quoque in Mespilorum historia adnotauit, quòd Sorbi titulo autor ille, omnia referat, quæ de vtroque Mespilorum genere scripsit Dioscorides. Præterea si Abhel Sabinæ fructus esset, turpiter admodum semetipsum Auicennæ dedisset, qui idem per idem definire instituisset. Et hæc Paulus Hessus in Apologia pro Guillandino.

Sabina sterilis. *Abhel. Brathys.* *Sabina legitima caret semine.* *Abhel.* *Alharar.* *Harar.* *Schea.* *Avicenna error Absinthium cum Sabina confundentis.* *Serap. error.* *Sorbus.* *Mespilus.* *Avicenn. notatur.*

Sabina fœmina.

Sed & Gesnero teste coll. stirp. Sabina fœmina, rudimenta quædam germinum exiguorum, ceu flosculos subluteos ostendit, quadripartitos, albicantes.

Sabina vera Cæsalpino.

Sabina tandem vera [vt rectè Cæsalpino videtur] arbuscula est breuis, cacumine & omnibus ramis deorsum inflexis in terram, vt in quodam genere Iuniperi contingit: folia Cupressi viderentur, nisi squamulæ auctiores essent, odore acris fructum non vidimus: Dioscorides duas affert, vnam quam modo descripsimus, & alteram Tamarici similem.

Sabina tres icones Lobelii.

Lobel. obseru. & Icon. Plantin. tres Sabinæ figuras habent, quarum vni titulus, *Sabina*: Alteri, *Genuina Sabina baccifera atrocærulea*: Tertiæ verò, *Sabina baccata altera, grano item atro-cæruleo, in montosis Calabria & Apulia.*

Lobelii icon monstrosa.

Monstrosi autem nobis videntur flores à Lobelio appicti: sunt enim à nobis ubique locorum & quocunque tempore, minimi lutei, & veluti Iuli in extremitatibus observati.

Aequivocatio. *Sabina vulgaris.* *Sabina baccifera.* *Arbor vitæ.*

Ex omnibus autem huc vsque allatis colligere licet Sabinæ nomen à variis de variis dici plantis. Et primò de Sabina vulgari sterili, & baccifera. Rursus de Sabina vera & baccifera Bellonii, quam confundit cum arbore vitæ. Sabinam præterea vulgarem, arborem in maritimis nascentem Cæsalpinus dixit. Arbor vitæ etiam à quibusdam Sabina falsò putatur. Testatur Matthiolus, se vidisse, qui herbam inodoram sumerent pro Sabina,

nos Muscum repentem, inquit, Tragi intelligimus. Ad extremum à nonnullis Cedrus Lycia, sive retusa Bellonij dicitur.

Cedrus Lycia, sive retusa Bellonij.

Nomina linguarũ.

Sabina Latinis dicta à Sabinorum regione, in qua multum nasceretur, Græcis Βράθυς, Latin. etiam Savina, Savinera, & Trago teste, Nerion, German. Seuenbaum / Seuenpalmen / Belg. Seuenboom / Böhem. Blasierska dywogka, Angl. Savin, Gall. *Savenier*, Ital. *Sabina*, Hisp. *yerva Sabina.* Castil. & Portug. *Savina.* Arab. *Abel*, *Abhel*, seu *Albarar. Herbam Sabinam* Latini appellarunt βράθυν Græcis dictam: etiamsi herba non sit, nec etiam frutex, sed iustæ ferè magnitudinis arbor.

Locus & tempus.

Habemus plantam in horto Illust. Exc. Cels. Montbelgardi ex ramis à me collectis ex arbore mediocris magnitudinis in horto generi mei Theobaldi Nobiot, Pharmacopœi Illust. E. Cels. qui fuit aliquando hortus Medici simul ac Pharmacopœi Montbelg. Florentem sæpiùs vidi, verùm in ea nullas unquam baccas observavi. Sterilis etiam manet à me variis in locis plantata. In hortum transtuli Sabinæ ramos ex Brunicoff. Castello, ubi multis baccis gravidam observavi. In horto nostro fert etiam baccas. In Burgundia in Castello Beveuge onustam baccis multis, foliis non spinosis collegi. Habui Basileæ in horto satis magnam, interdum bacciferam: Tubingæ Sabinam vidi spontaneam cum multis baccis, foliis partim spinosis, partim non spinosis. Sabinas pulcherrimas exhibentes varias animalium figuras, alias etiam topiarias, præterea eius arbores duas magnas vidi Veronæ, nec alibi pulchriores. Apud D. Alexandrum Serratium Medicum insignem, apud quem varia & plurima selecta erant, Ferrariæ in monasterio S. Dominici *à l'Angeli*, Patavij, Genevæ, & Lugduni præclaras Sabinæ plantas intuebar. Gesnero autem Sabinas baccas profert Septembri.

Vires & usus ex Diosc.

Vlcera.

Carbunculi

Fœtum pellit.

Ambarum [Sabinarum] autore Dioscor. folia ulcera pascendo proserpentia sistunt, & inflammationes imposita mitigant. Cum melle verò inducta, nigritias & sordes depurgant, & carbunculos circumscribunt. At cum vino pota etiam sanguinem per urinas ducunt, & fœtus extrudunt. Idem faciunt etiam apposita & suffita. Ammiscentur etiam calefacientibus unguentis, & privatim glaucino. Sabina, inquit Gal. ex numero etiam fortiter exsiccantium, idque secundum tres qualitates, quas in gustu præ se fert, similiter Cupresso, nisi quòd ea & acrior est, &, ut sic dixerim, magis aromatica, seu odoratior. Nostra Sabina contra Galenum nobis videtur multò gravioris odoris, quàm Cupressi ac etiam ingrati.) Igitur huius, quam modò dixi, qualitatis est particeps, nempe acrimoniæ consistentis in temperamento calido, propterea amaritudinis & adstrictionis obscurioris, quàm in Cupresso. Quantum enim ipsa Cupressum superat in acrimonia, tantum ab ipso superatur in adstrictione. Quod manifestum est, ex eo quòd omninò calidior est Cupresso, vnde etiam potentiùs digerit. Itaque glutinare nequit vulnera, ob siccitatis & caliditatis robur. Nam utriusque illi tantum inest, ut etiam tendat, & inflammationem afferat. At putredinibus similiter Cupresso accommodari potest, maximè ubi rebelliores fuerint & diuturniores. Nam hæc citra noxam vim medicamenti perferunt. Quin & quæ atra sunt reddita, & admodum sordida, ea cum melle expurgat. Carbunculos item solvit. Porrò essentiæ tenuitate menses quoque provocat, ut si quid aliud, & sanguinem per urinas movet. Fœtum etiam vi-

Temperamentum ex Galeno.

Gal. taxatur.

Vulnera.

Putredines

Abstergit. Menses movet.

Fœtus.

ventem interficit, & mortuum eiicit. Est autem hoc medicamen tertij ordinis tum excalefacientium, tum desiccantium, ex numero eorum, quæ vel maximè tenuium sunt partium. Et hoc utique nomine unguentis inditur, & maximè glaucino, & in multas antidotos iniicitur. Quidam verò etiam Cinnamomi vice duplum eius subiiciunt. Est enim extenuandi & digerendi facultatis, si epotum fuerit. Hæc Galenus.

Temperã.

Cinnamomo substituitur.

Vires ex Plinio.

Noma.

Gallinarũ pituita.

Ad Plinium accedamus. Sabina à multis in suffitus pro thure assumitur. In medicamentis verò duplicato pondere eosdem affectus habere, quos Cinnamomum, traditur. Collectiones minuit, & nomas compescit. Illita ulcera purgat. & Partus emortuos extrahit suffitu. Illinitur igni sacro & carbunculis. Cum melle & vino pota regio morbo medetur. Gallinacei generis pituitas fumo eius herbæ sanari tradunt.

Purgat iumenta.

Sed hæc de Sabina Tragus. Est & Sabinæ herbæ in medicandis iumentis haud contemnendus usus, eâ enim purgari consueverunt iumenta. Sed prudenter medicamentis è Sabina petitis uti convenit, propter strenuas eius in exsiccando & calefaciendo facultates. Folia Sabinæ herbæ in pulverem redacta, ex melle illita, fluentibus ulceribus medentur, nomas sistunt, & collectiones mitigant. Cum pinguedine verò lacti supernatante (Germani Milchraum vocant) temperata scabiei capitis puerorum vnicè prosunt. Sabinæ recentia folia tusa, ac phagedenis (Germani den wurm vocant) imposita, eas enecare dicuntur. Aqua è foliis Sabinæ destillata maculas faciei absterget, &, ut quidam asserunt, vertigini conducit. Montbelgardi utuntur venatores ad curandam scabiem canum.

Scabies capitis.

Phagedæna.

Aqua ad Vertigines.

Canum scabies.

SELAGO.

CAP. XXII.

Descriptio

BRATHY Sabinæ, Cupressi folio, similis est herba Selago appellata (inquit Plin. lib. 24. c. 11.) quæ legitur sine ferro dextra manu per tunicam, qua (quæ M.) sinistra exuitur, velut à furante, candida veste vestito, puréque (puràque Dalech.) lotis, nudis pedibus; sacro facto priùs, quàm legatur, pane (ex pane Dal.) vinóque. Fertur in mappa nova. Hanc contra omnem perniciem habendam prodidêre Druidæ Gallorum, & contra omnia oculorum vitia fumum eius prodesse. Hucusque Plinius.

Superstitio.

Vis.

Aequivoca Iuniperus minor.

Cedrus retusa Bell. Coronopus.

Muscus terrestris.

Cæterùm, Selaginem quidam suspicantur Iuniperum minorem Alpinam. Non desunt quoque, qui Cedrum minorem, quę Retusa Bellonio dicitur, Selaginem existiment. Interpres præterea Theophrasti de causis lib. 2. cap. 7. Coronopodem reddidit Selaginem. Selago tandem existimata videtur Matthiolo Muscus terrestris repens Tragi.

DE IVNIPERO IN GENERE.

CAP. XXIII.

Tecta.

Materia.

Durat.

Duplex Iuniperus Theoph.

Fructus.

TECTIS (infit Theophr.) Materia huius fabricis idonea, tum subdialibus, tum obruendis sub terram: durat enim immunis à putredine. At Macedoniæ incolæ, ne illam quidem florêre arbitrantur. Nonnulli Duplicem esse dicunt, & alteram florere quidem, sed fructum non ferre: osten-

Alicubi nō procera. Cortex. Aliunde. Folium.

alterum non florêre, sed protinus fructum ostendere, ut Ficum grossos. Toto anno fructum habere videtur, quippe cùm novus anni exacti fructum occupet. Nascitur hæc quidem sed non procera. Huic porrò cortex spontè detrahitur, eique humor etiam in lachrymæ modum gignitur. Cedro Punicea excelsior Iuniperus, folium eius quoque mollius nasci videtur, &c.

Iuniperus Plinio. Non florent. Duo.

Hæc paululùm immutans Plinius ita tradit: Nec Iuniperi florent. Quidam earum duo genera tradunt. Alteram florere, nec fructum ferre. Quę verò non floreat, ferre protinus, baccis subnascentibus, quæ biennio hæreant. Sed id falsum, omnibúsque iis dura facies semper. Et lib. 24. c. 8. Iuniperus Cedro assimilis, & eius duo genera: altera maior, altera minor. Montes amat, nec folia decidunt Iunipero: annifera habetur, novúsque fructus in hac cum annotino pendet. Cariem vetustatémque non sentit. Iunipero eadem virtus quæ Cedro, vasta hæc in Hispania, maximæque baccæ eius. Medulla ubicunque solidior etiam, quàm Cedrus. Et hæc passim apud Plinium legimus.

Montosa. Folia non decidunt. Vetustatem non sentit. Vasta. Bacca maxima. Medulla.

Iuniperus duplex Dioscoridi. Diversa lectio. Nomina Iuniperi parvæ. *Arceuthis. Mnesitheū. Acatalis. Zuorensiper. Libium. Iupicellusin. Iuniperus magna. Cupressus agrestis. Mnesitheū. Acatera.* Locus.

Dioscoridi Iuniperus (ἄρκευθος) alia parva, alia magna est. Acres autem ambæ, & urinam cientes & calefacientes, suffitúque bestias venenatas fugantes. Fructus ipsarum alter Nucis (pro καρύου, legendum fortè κυάμου, id est, Fabæ, ut habet Serapio, Corn.) magnitudine reperitur: alter Nuci ponticæ æqualis, rotundus, odoratus, dulcis dum manducatur & subamarus, qui ἀρκευθὶς (Iuniperi bacca) appellatur. Sed inter spuria Dioscor. Iuniperum parvam alij *Arceuthida* vocant, alii *Mnesitheum*, alij *Acatalidem*, Aphri *Zuorinsiper*, Ægyptii *Libium*, Romani *Iuniperum*, Galli *Iupicellusin*. Iuniperum magnam, alij *Cupressum agrestem* appellant, alij *Mnesitheum*, alij *Acateram*, Romani *Iuniperum*. Est autem hæc plurimis nota, similis Cupresso. Nascitur plerumque in asperis, ac maritimis locis.

Diosc. error.

Anguillara ostendit, Iuniperum Dioscoridis ac nostram, vnam esse ex Cedris Theophrasti, ac in eo errasse Dioscoridem.

Cedrus magna & Iuniperus quibusdam eadem. Diosc. confundit Cedrum magnam cum Iunipero. Cedri Theoph. Diosc. Iuniperi.

Cedrum magnam & Iuniperum eandem esse arborem non recentiores solùm (inquit Guillād.) sed etiam veteres quidam opinati sunt. Idem præterea Dioscoridem etiam Cedrum magnam cum Iunipero confudisse demonstrare conatur. Ad eundem etiam modum, notante Gesnero, Cedrum Galenus Iuniperum appellat: Et è contrà: Vnde mirum videri non debet Gazam Κέδρον aqud Arist. & Theophr. Iuniperum vertisse.

Paulus Hessus etiam in defensione Guillandina, Cedros Theophrasti, esse Dioscoridis Iuniperos asserit: idq; ex Plinij verbis colligi posse scribit.

Apollo taxatur.

Apollo sibi persuadet Cedrum Theophrasti esse fructu Iuniperino, & ex hac Cedro olim trabes, statuas, ac columnas extructas. Ita vt videatur idem ferè sentire, quod Cordus. An verò tam magnæ Iuniperi in Syria reperiantur discutiendum relinquo iis, qui in Syria fuère. Clusius quidem observavit in Hispania maximas.

Aequivoca.

1. 2. 3. *Iuniperus triplex Cæsalpini. Cedrus phœnicea. Sabina marina.*

Ad æquivoca quod attinet: Iuniperus vulgaris baccis parvis purpureis, Cæsalpino dicitur. *Iuniperus montana, mas & fœmina* ab eo etiam reperta fructu flavo. Cedrus phœnicæa Bellonio, quibusdam dicitur *Iuniperus maior*, Cæsalpino autem *Iuniperus marina & Iuniperus minor* Dioscoridis. Sabinam vulgarem, arborem in maritimis Dioscorides in codice Hermolai *Iuniperum maiorem* vocat, seu *Cupressum silvestrem Theophrasti*, licèt ab aliis Cedrum vocari testetur. Ac contendit idem c. 58. Plinium per Oxycedrum videri intelligere Iuniperum montanam, id est, vulgarem nostram.

IVNIPERVS VVLGARIS BACCIS PARVIS, PVRPUREIS.

Descript. Caudex. Cortex. Materies. Odor. Ramuli. Folia.

PLÆRVMQVE denso ramorū stipatu fruticat dūtaxat Iuniperus, aliquando in iustæ magnitudinis arborem adolescit, caudice tamē non multùm crasso, cortice scabro & deciduo, rubente, materie firmâ, nonnihil etiā rubescēte, maximè si siccata fuerit, odore resinoso grato: Ramuli in surculos multos dividuntur, minacibus foliis sēper virentibus, aculeatisque armati, rigidis, supernè glaucis, infernè virentibus splendidis, rarò vnciâ longioribus, sæpè brevioribus, valdè angustis (Cæsalp. Piceæ robustioribus & magis pungentibus:) Baccæ per ramos sparsæ numerosæ, rotundæ, vmbilico in tres radios, totidem seminum loculos ostendentes, distincto donatæ, duplo maiores granis Piperis, primùm virescentes, per maturitatem atrocœruleæ, aut nigræ, in quarum singulis grana tria oblonga, triangula (nonnunquam quatuor Cæsalp.) pulpâ nonnihil russâ, involuta, sapore acri, resinoso, cum quadam dulcedine, tactu quoque vbi inveterârint, glutinoso & oleoso: pro flore tribus foliolis minutissimis, obseptum insidet futuræ baccæ rudimentum, tam exiguum, vt non nisi à diligenter inspicienti animadvertatur, vnde scripsit Cæsalpinus. Quæ fructum fert, non floret.

Bacca. Pulpa baccarum. Flos.

Iuniperus fœmina. Descript. *Flores. Foliola.*

Per reliqua similis est huic Iuniperus, quæ fœmina dici potest, flores producens plurimos, aliàs, quà fors tulit, sparsos per ramulos; aliàs confertos, conorum exiguorum instar habentes, purpurâ cum croceo mixtâ pictos, ex plurimis corpusculis rotundis, Papaveris semine minoribus, pulvisculo farinaceo farctis compactiles, intercedentibus raris quibusdam viridantibus, acuminatis foliolis, squammatim corpuscula dicta obtegentibus: Videas autem cùm dehiscunt, effigiem capituli Equiseti florentis, vnicuique squammulæ adnatis apicibus russis, Cæsalp. vocat flosculos amentaceos, exiles. Cæterùm, tantum florum apparatum, quasi ad ostentationem comparatum, nullus fructus sequitur, sed in auras abiens, pulvisculus vanam baccarum spem eludit.

Duplex alterum Iuniperus vulgaris. Cord. taxatur. Flos sine fructu. Fructus sine flore.

Vulgarem itaque Iuniperum duplicem novimus, *vnam* quidem baccas ferentem, *alteram* flores tantùm, quam quis fœminam dixerit, vt ex modò dictis liquidò fit. Miramur autē diligentem alias Botanicum Euricium Cordum hosce flores non observasse: Dicit enim in Diosc. Iuniperus minor altera, cuius duplex genus, vnū florens sine fructu, aliud non florens, fructum tamen ferens.

Cedrus magna. Magna Cedrus Iunipero proceræ perquam similis est, caudice recto, aculeatis foliis, fructus eadem figura & magnitudine: in summa nihil aliud est, quàm peregrina Iuniperus. *Iunip. peregrina.* Hinc nonnulli veterum, quemadmodum etiam recentiorum, Cedrum cum Iunipero procera confundunt, *Cordi error* utramque Cedrum appellantes. Sed uerba Cordi satis manifestè demonstrant, illi non cognitam veram Cedrum, ac ipsummet Iuniperum cùm Cedris confundere.

Diosc. lectio suspecta. Notat Cornarius, quòd Iuniperus utraque satis frequens sit in his regionibus. Non tamen hæ ad eam magnitudinem proveniant, quam *Diosc. emẽdatur.* Diosc. expresserit, alterius Iuniperi fructus Nucis magnitudine, alterius Nucis ponticæ. Certè Serapio, inquit, non Nucis, sed Fabæ, vt fortassis pro καρύου voce, κυάμου vocem ipse legerit, & omninò legere oporteat. Plinius etiam de alia penitùs Iunipero loqui videtur, quàm nostrate, dum dicit: Iunipero eadem virtus, quæ Cedro, vasta *Vernix non est gummi Iuniperi.* hæc in Hispania. Quod etiam Vernigo, sive Vernix, Lachryma, aut Gummi Iuniperi sit, falsò à Lacuna, Matth. Cæsalp. & aliis quibusdam asseritur. Nam factitia res est Vernix.

Flos pulvis luteus. Maio mense tenuissimus ac luteus pulvis è Iuniperis in auras avolare conspicitur inquit Tragus, quod semen [florem] illius esse animadver- *Bacca.* ti. Post hunc, quem diximus pulverem, baccæ prorumpunt exiguæ, virides, quæ altero demum anno, Autumno appetente, quod illi tempus maturitatis est, cœruleo tinguntur colore, gustu quadantenus dulces, admixta amaritudine, odorem gratissimum spirantes. E' nucleis lapidosis, qui in hisce baccis continentur, novæ Iuniperi *Folia.* plantulæ fruticant. Foliis vestitur Iuniperus angustis, oblongis, aculeatis, acutis, & ad Rosmarini folia formâ suâ accedentibus, sed magis exi- *Radix.* guis & acuminatis. Radices Iuniperi multifidæ, corticéque puniceo obductæ, per summa terræ sparguntur, quod & Theoph. lib. 3. cap. 7. annota- *Baccarum Varietas.* vit. Baccæ Iuniperi non vnius sunt generis. In quibusdam enim grandes, in aliis exiguas, in his dulces, in illis prorsus amaras, alias denique planè rotundas, quasdam oblongas, & acuminatas *Omnia odorata.* videas. Quæcunque in Iunipero cernuntur, odorata sunt. Primùm namque humor, qui è Iunipero, si lædatur, dum in succo suo fuerit, effluit; deinde radices & caudices aridi; tertiò baccæ recentes & maturæ; postremò folia acuminata gratissimum spirant odorem. Iuniperi arbor Maio *Lachryma lutea.* mense cùm pluviosa fuerit tempestas, luteam è cortice sudat lachrymam, quæ magna in copia, tanquam fungi exigui, arbori adhæret, nec magnopere odorata est, sicut supra de altera gumma, quæ vulneratâ arbore profluit, audivimus. Alterum Iuniperi genus apud nos haud nascitur, Pervenerunt autem ad manus meas, baccæ ro- *Iuniperus maior.* tundæ & rubræ, quæ dicebantur Iunipero maiore procreatæ. Iuniperi baccas, Germani nonnulli [Austriaci quod sciam] **Kranetbeer**/ à turdis, quos **Kranetvogel** nominant, appellant, *Turdorum cibus.* qui Hieme cibos suos in arboribus Iuniperorum quærunt & inveniunt. *Ænigma. Trag. & Gesn. notatur.* Et hinc vulgare ænigma, quo quæritur quæ sit avis quæ pabulo trimo vescatur: Iuniperi enim baccæ tertio demum anno maturescere creduntur.

Gesnerus de coll. Stirp. repetens verba Tragi de pulvere luteo, qui dicitur semen, non animadvertit legendum florem, ut habet Hist. Germ. & non semen. Ipse etiam textus Tragi demonstrat id, cùm postea dicit, è nucleis fruticare plantulas.

Turn. Iuniperi duas species Dioscoridis, maiorem sc. & minorem, solâ magnitudine differre dicit. *Iuniper species duæ Turnero.* Reperiuntur, teste Matthiolo, Græci Diosc. codices, ut etiam annotatum reliquit Marcellus, *Diosc. caput de Iunipero deprauatum.* in quibus Iuniperi caput deprauatum legitur, quibusdam additis, quæ Diosc. doctrinam minimè sapiunt. Siquidem nec Galenum, nec item Paulum, minúsque Serapionem memoriæ prodidisse constat, ramenta ligni Iuniperi e- *Ramenta, Baccæ.* pota homines perdere, præsertim cùm eius baccæ contra serpentium ictus efficacissimè devorentur, bibaturque ac illinatur foliorum succus ad viperarum morsus. Adde etiam quòd facto periculo id omninò falsum esse deprehendatur.

Maior inquit idem, & minor Iuniperi species in plurimis Italiæ locis reperitur. Tuscia Vrbanas alit, quæ in proceram arborem assurgunt, ac visuntur frequentes in Agro Senensi, quarum fru- *Arbores proceræ. Duratio.* ctus silvestris, & crassior, & dulcior habetur. Iuniperi materies ad centenarios annos incorrupta perdurat. Sic namque Poeta: *Addam & Iuniperos, carie impenetrabile robur.* Proinde iussit Annibal (ut Plin. tradidit) templum Dianæ Ephesiæ Iuniperinis trabibus extrui. Igitur mirari non licet, si Chymistæ asseverant, carbonem Iuni- *Carbo Iuniperi ignem per annum fovet.* perinum accensum, & suo cinere obrutum, ignem integro anno fovêre. Profert ex se Iuniperus gummi, quod & Sandarachā etiam & Ver- *Sandaracha. Vernix.* nicem appellant. Sed hoc falsò asserit Matthiolus, ut iam antè dixit Corn. In post. com. Ital. inve- *Matth. not. Cedrus Diosc.* hitur in eos, qui volunt Iuniperos Dioscoridis esse Cedros Theophrasti. In hist. verò germ. statuit eius duo genera, parvum & magnum: Ac Maius inveniri tantùm in Hetruria, & ferre Sandaracham. *Etymon.* Iuniperum autem dici Latinè, quòd Iuniores & novellos pariat fructus.

Hoc in loco figuram novam ponit Cam. ad hist. germ. Matthioli Iuniperi minoris titulo, quamvis tamen non mala Matthioli. Non autem prætereundum nos in nostro Plinio invenire Annibalem pepercisse Iuniperinis trabibus, non autem *Matth. lapsus.* iussisse extrui, quod Matthiolus tradidit. Iunipe- *Iuniperus minor Diosc.* rus minor, & secunda Dioscoridis Cedrus, de qua ipse scribit, demonstrant, Anguill. teste, arborem eandem, cum Iunipero vulgari, cui parvi fructus, Fabæ communis: omnes vocant *Ginepri.* *Ginepri. Zaniperus Petr. Cresc. triplex.* Vnde verò Iuniperus Petro de Crescentiis *Zaniperus* dicatur, cuius tres facit species, nobis non constat.

Lob. & Dena Adv. *Iuniperus vulgatior.* Obs. & Ic. Plant. ἄρκευθος, Iuniperus: Camer. in hort. *Iuniperus nostras*, quâ nullum ligni genus carbones præbet, qui diutiùs ignem conservent, vnde *Similitudo.* similitudo sumpta, Psalmo 20, Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus [Iuniperinis] desolatoriis. Tab. *Iuniperus baccifera.* *Iuniperus baccifera. Tab. notatur.* Idem in hist. duas ponit figuras, cùm tamen vna satis fecisset Clusio Iuniperus vulgaris excelsior, supra Segobiam, de qua Plin. Vasta hæc in Hispania nascitur.

Finiamus cum Cæsalpino: Iuniperus arbuscula est, fruticosi potiùs generis, tamen lachrymam gignens resinosam, Vernicem vulgò appellant, *Vernix.* Fabris & Pictoribus vtilem ad tectoria cum oleo. Iuniperi duo summa genera, vnum in montibus *Iuniperi duæ Cæsalpino.* magis, & algentibus locis, fructu magnitudine Myrti, in maturitate nigro: flosculus eius generis nigricat. Alterum in maritimis, fructu Nucis *Iunip. fructu flavo.* Avellanæ magnitudine, in maturitate flavo. Reperi & montanam fructu flauo. Dioscorides non Iuniperum, sed Cedrum appellat, Iuniperi modo baccas ferentem, Myrthi magnitudine rotun- *Oxicedrus Plinio.* das. Plinius verò per Oxycedrum sive Iuniperum

rum videtur montanam nostram sive vulgarem intelligere.

Nomina linguarum. Ἄρκευθος, & ἀρκευθὶς Græc. Latin. *Iuniperulus*, germ. Weckholder / wacholder / weckolderbaum / wacholderbaum / Khrametbaum / Kramestaud. Baccæ verò ἀρκευθίδες græcè. germ. Weckholderbeer / Khrametbeer / Weckholderbeer / Belg. Geneuer / Geneuerboom. Angl. Juniper vel Jeniper, Junipertree. Bohem. Jalowac. Hung. Teriskeo fenyo. gall. *Genevre*. Catal. *Ginebre*. Portug. *Zimbro*. Arab. *Arconas*, & fructus *Abel*. Ital. *Ginepro*. Castil. & Hisp. *Enebro*, Baccæ autem *Neurinas*. Serapioni, *Habhagar* Hebr. *Rothæm*.

Locus. Elias Propheta cùm Isabelis crudelitatem fugiens in desertum devenisset, sub Iunipero dormivit, vt Sacra refert Scriptura. Ac ex his intelligimus Iuniperum vastis desertis, altissimísque montibus, frigidáque, limosâ & lapidosâ terrâ, ut plurimùm nasci: nam in eiusmodi locis, apud nos quoque germanos frequentissimè occurrit, maximè verò apud Mediomatrices, vt & in VVasgoia & Creichgoia, in quibus partibus perpetuâ virens comâ luxuriat.

Tempus. Maio mense floret: post florem baccæ prorumpunt exiguæ, virides, quæ altero demum anno, appetente Autumno, quod illis maturitatis tempus est, cæruleo tinguntur. Copiosè quoque provenit, teste Turnero, in Angliæ Cantio, nec non in Episcopatu Duramensi & Northumbria: In Germania quoque multis locis frequens, nullibi tamen magis, quàm prope Bonnam. Sed authore Clusio, Iuniperus, cui spina pro folio est, vix totâ Lusitaniâ reperitur. In Castella verò nova, admodum frequens est: sed ea præsertim, quæ excelsior & arborescens supra Segobiam, quà Madritium itur, ut istic trabes & contignationes ædium sibi incolæ fabricent: ut non immeritò Plinius dixerit, *vastam hanc in Hispania nasci*. Ast & in Belgio, & plærisque Germaniæ locis, vulgarem Iuniperum in iustam ferè arboris magnitudinem excrescere observabam, præsertim in hortis & cultioribus locis. Iuniperus baccas fert Octobri, inquit Gesnerus. At Cæsalpino fructus maturescit anno secundo, ut aliquando fructus trium annorum contineantur, cùm is, qui maturus est, servatur ad tertij anni fructum nascentem. Nos verò curavimus copiosè plantandam in horto E. Cels. licèt abundet multis in locis Comitatûs vicinis urbi, ut in monte *la Chaux*, circa *Vandoncourt* & *Blaumontiam*, ac alibi magnæ arborescentes proveniant Iuniperi, ad altitudinem duorum hominum, ac altiores, crasso caudice Nucis, ut inde cyphi tornentur. Inter Basileam & Rothaus Maij principio vidi Iuniperum florentem, flores instar nucamentorum sunt minimi, ut vix appareant. Lugduni & Genevæ & per Alsatiam abundat. Patavij magnam arborem vidi in horto Nobilis Bembi mense Ianuario.

Vires & usus ex Veteribus. Stomachus. Thorax. Tormina. Vrina. Folia. Foliorum succus. Venenum. Cortex. Ramenta lethalia. Vinum. Arceuthis moderatè calefacit, & adstringit, stomachóque commoda est, faciens ad affectiones in thorace, tusses, inflationes, tormina [στρόφος] & bestias venenatas, si bibatur. Vim etiam habet ciendi urinam, unde ruptis, convulsis, & ab utero strangulatis confert. Folia etiam acria habet, quare & imposita & pota, tum ipsa, tum succus ipsorum cum vino, ad commorsus à vipera faciunt. At cortex ustus, & cum aqua illitus, lepras removet. Ramenta verò ipsius ligni devorata interficiunt, Dioscorides. Vt porrò vinum Iuniperi fieri conveniat è baccis, similiter ut è Cedri fructu, dicitur cap. de Cedro antiquorum.

Temperã. Iuniperus, Gal. de simpl. med. facul. lib. 6. teste, calida & sicca, utrinque tertij ordinis [τῆς τρίτης.] At fructus similiter siccus. Verùm in hoc primi fuerit ordinis.

Iuniperus vel ante cætera omnia [inquit Plin. variis in locis] excalefacit, extenuat, Cedro assimilis. Et eius duo genera, altera maior, altera minor. Vtraque accensa serpentes fugat. *Serpentes.* Semen, stomachi, pectoris, lateris doloribus utile. *Inflationes. Alvum sistit. Venter. Oculi. Convulsio. Ischias.* Inflationes, algorésque discutit, tusses concoquit & duritias, illitum tumores sistit: item alvum, baccis ex vino nigro potis: Item ventris tumorẽ, illitis iisdẽ. Miscetur & antidotis oxyporis. Vrinas ciet. Illinitur & oculis in Epiphoris. Datur convulsis, ruptis, torminibus, vulvis, Ischiadicis cum vino albo potum, pilulis quaternis, aut decoctis viginti in vino. Sunt qui & perungant corpus è semine eius in serpentium metu.

Vires & usus ex Neotericis. Vires Iuniperi Antiquorum antè sunt positæ: Nunc intelligamus quid de hisce Neoterici sentiant.

Temperã. Tragus infit: Iuniperi baccæ calidæ sunt in tertio, & siccæ in primo ordine. Nemo verò utilitates eius, quib. scatet, satis explicare potest. Baccę Iuniperi maturæ vtiles ad multas affectiones prosunt, meóque iudicio Pipere salubriores. *Ventriculo Tragi lectio suspecta.* Nam in cibo esitatæ stomacho frigido utiles sunt, pituitámque, quæ in illo coit, digerunt: contra inflammationes [inflationes fortè meliùs legendum] & tormina faciunt, vitia pectoris purgant, tussíque medentur, urinam efficaciter ducunt, uenenúmque à corde repellunt. *Tormina. Pectoris vitia. Diureticum. Pestilentia.* Apud Germanos singulari remedio, ad grassantia Pestilentiæ contagia depellenda usurpantur. Eædem menses & coxendicum viscosos humores expellunt. Et quid multa? ad quamplurima hæ baccæ utiles sunt, quapropter coqui illas ad culinas vocarunt, condientes his cibos. *Contra Diosc.* Dioscorides ramenta ligni devorata interficere scribit, quod equidem miror. *Lixivium.* Nam lixivium è vino & cinere Iuniperi usti factum ac potum, urinam potenter trahit, ita quidem, ut eo remedio, multi Hydropici liberati fuerint. *Hydrops.* E' baccis Oleum pretiosissimum, & ad Balsamum ferè accedens elicitur. *Oleum.* Præterea & ex arido ligno oleum odoratissimum ac efficacissimũ, adeoq; ad multa utilissimum distillatur. Multi multa de Gummi, quod Vernix dicitur, scribunt, sed oleum Iuniperi longo illud post se, quod ad facultates attinet, intervallo relinquit. Et ut semel finiamus, *facultates Iuniperi nemo facilè explicabit omnes.* Vnum est, quod in Iunipero fugiendum, & detestandum fuerit, nimirum umbra, quæ noxia est, si Virgilio credimus. *Vmbra.*

Surgamus, solet esse gravis cantantibus umbra.

Iuniperi gravis umbra, nocent & frugibus umbræ.

Iuniperi fructus (pergit Corn.) Officinis in usu sunt & rami ac virgulta, & totum adeò lignum: ad aërem.n. emendandum, incensa suffumigantur. *Lignum.* Addit Matthiolus: Oleum, quod ex Iuniperi materie per descensionem, tum pariter vitreis instrumentis elicitur, calidum ore contentum dentium dolores mirificè mulcet, si tamen frigida defluxione afficiantur. *Oleum ex ligno & baccis. Dolor dentium.* Fit ex baccis hoc longè præstantius, odore perquam iucundo. Nolimus autem nos cum Matthiolo putidum & insigniter acre oleum Iuniperi in ore continere, quale illud, quod è lignis per descensum elicitur. *Matth. not.* Asserit Clusius Narbonenses Gallos ex Iuniperi baccis oleum exprimere, quod ipsi *de Cade*, Hispani verò *Miera* cognominant, capitis scabiei, vt pecorum etiam scabiei & ul- *Oleum de Cade, sive Miera.*

ceribus, quibus à tonsione interdum infestantur, adprimè vtile. *[Guaiaco substituitur.]* Perhibet Cam. ad Hist. Germ. interiora baccarum Iuniperi maioris, cum vtilitate Medicos Africanos exhibere loco Guaiaci *[Lues Venerea.]* ad luem veneream. Esse porrò eximium ad calculum *[Calculus.]* præsidium, si recipias: Baccar. Iunip. Vnc. sem. Hisce in phiala tantum affundas Spiritus vini, quantum baccas operire valeat: sicque obturatâ phialâ, quatuor dies stent, subinde agitanda. Exactis quatuor diebus excoletur vini spiritus expressis bene baccis: aliusque recentibus baccis affusum, quatriduo rursum exacto, colato: hoc tertiò iterandum: spiritus vini reservetur, optimè repositus: & vrgente calculo huius cochlearia duo ex vino albo calidè propinentur: móxque in semicupio, cui infusum Maluæ & Chamæmeli decoctum, semihoram sedeat: Illinatur subindè facies, manu aqua ros. aut vino Cretico ad arcendam lassitudinem, quoad eiiciatur calculus, quod dubio procul accidit. Cavendum interim, ne statim à cibo, pleno adhuc ventriculo, aut astrictâ alvo semicupium ingrediatur æger. *[Menses.]* Ad menses ciendos: ℞. Baccarum Iuniperi Manip. iij. contusis affunde album generosúmque vinum. Coquantur ad medias. Colato vino adde Croci pulverati Drach. j. hoc vti incipiet, quo tempore expectari debent menses, quotidiéque manè, continuatis quibusdam diebus, haustum bonum bibet. Prodest tamen priùs, si necesse videbitur, Saphenam vtramque aperire. *[Dentes.]* Baccarum Iuniperi decocto ex aceto vini rubri, vtiliter colluuntur dentes dolentes. *[Febres.]* Ad diuturnarum febrium rigores, ℞. Bacc. Iunip. Rutæ, Salviæ an. Manip. j. affunde aq. lib. 4. coq. ad tertias. duabus ante accessionem horis ieiuno ventriculo sumat Theriaces bonæ Drach. ij. ex vino albo calente: post horam in sudatorio exutus penitùs, papilionem, vel peripetasma subeat, affusáque dictâ decoctione, calculis duobus tribusve candentibus in pelvi, cui superstabit, toto corpore vaporem excipiat, quoad sudet, sudoréque deterso componat se in lecto calido coopertus, ita fiet vt indies sensim, rigor minuatur, tandémque penitùs desinat. *[Cautio.]* Non est autem hoc medicamento priùs vtendum, quàm corpus antè sit ex docti Medici consilio præparatum, purgatúmque. *[Podagra Paralysis. Lignum.]* Contra podagram, paralysim & contractiones. ℞. Iuniperi lignum incisum minutim abraso cortice: in aqua coque: ac decocto in tina insideat ieiunus, purgato priùs corpore. Si contra podagram vteris, præstiterit nondum præsentibus doloribus præcautionis loco vti.

[Vis diuretica.] Vim diureticam in Iuniperi baccis (inquit Iac. Cargill.) earúmque oleo in me expertus sum sæpiùs manifestam, & tum ex illis paucas devoratas, tum panem huius guttula unctum euidenter violarum odore urinas imbuere, non secus ac Terebinthinam vulgarem, eiusque oleum stillatitium: *[Vrina redditur odorata.]* cuius vim talem sæpiùs pro cathedra referebat, Cl. D. D. Felix Platerus Poliater Basiliensis. Comprobatur hæc eadem baccarum vis Iuniperarum diuretica à Cl. V. D. D. Tobiâ Pirpachio, Professore Viennensi Excellentissimo, si cum generoso vino albo decoquantur, *[Vinum.]* eiusque decocti singulo manè (sumpto etiam cibo aliquo) haustus calculosis propinetur. Vt autem vinum hoc cum palato gratiam ineat, huic saccharum ebibituris admisceri iubet.

[Ex lignis Iuniperi Montanæ Liquor. Cautio.] Nunc, ut nobis auctor est Cæsalpinus, ex lignis Iuniperi montanæ igne superposito liquor etiam extrahitur, qui Oleum de Iunipero vocatur apud Meluem, efficacissimum ad cutis infectiones & alia multa: *[Cedria substituendum censet Cæsalp.]* Si hoc pro Cedria uteremur, puto non minorem in eo efficaciam futuram, quàm si ex magna Cedro haberemus. *[Oleum ex fructib.]* Ex fructibus quoque oleum extrahitur per sublimationem priùs vino madefactis; qua operatione & aqua & Oleum elicitur: *[Aqua ad calculum. Vrina. Menses.]* Aqua ad calculum renum & vesicæ prodest: urinam & menses elicit, singulis diebus pota à duabus unciis ad tres; extrahit quoque fœtum mortuum unciis quatuor bibita: & adversatur venenis: Oleũ efficacius ad omnia prædicta: *[Arthritis Vlcera.]* extrinsecus quoque inungitur ad frigidos articulorum dolores, & tetra ulcera. Recipitur in aqua ardente adiectis aliis quibusdam aromatis, & pugnantibus adversus putredinem pestilentem, *[Pestis.]* ut ex omni miscella aqua iterum distilletur, præsentaneum remedium in febre pestilenti, exhibita à drachmis duabus, usque ad quatuor cum totidem unciis aquæ Acetosæ paulò antè accessionem: Nam veluti fulgur propellit ab internis, & dissipat malignam putredinem, nunc sudores movendo, nunc urinam copiosam, aut aliam insensibilem excretionẽ, repetitur aũt potio usque ad tres vices. *[Iunip. marina.]* Ex fructibus iisdem, aut Iuniperi marini, cùm maturi sunt, vino remollitis exprimitur liquor, qui Saccharo exceptus, utilissimus in tempore pestis: præservat enim, & ex pulmone ac pectore educit purulenta.

[An Iuniperi radix venenata? Rondelet. not.] Notat tandem Hercules Saxonia, decocto Iuniperi plures uti, tanquam luis alexipharmaco, cùm tamen Rondeletius Dioscoridis autoritate motus, radicis usum, tanquam veneficum, improbet, & solos fructus admittat: Scaliger tamen contra Card. exerc. 180. ait Afros Medicos, uti huius radicis decocto ad luem expugnandam feliciter, redditque causam, cur non sit venefica, licèt Diosc. illam venenatam protulerit. Ait enim aliam esse corticis radicis facultatem, aliam verò substantiæ medullaris. Corticem verò cuius virtus recipitur in decocto, ait non esse venenatam. Itaque si fortassè destituti fueritis his medicamentis, quæ præstantiora putantur, Iuniperi decoctum non improbabitur, *[Lues Venerea.]* & si radices fuerint suspectæ, sumantur folia & fructus, vel semina, hatque infusio sic: ℞ Fol. Iunip. Manip. vj Sem. Iunip. Manip. iiij. infundantur in aq. lib. xii. bulliant ad consumptionem medietatis facta expressione servetur Syrupus, quantitas sit Vnc. 8. cum ea vivendi ratione quæ in ligno.

[Cinis cum baccis ad Hydropem.] Accipiendum quoque præcipit Io. de monte Exper. quantitatem Nucis Iuglandis cineris ramorum Iuniperi cum baccis, ponendam in linteolum, suspendendámque in vino, vt de ea bibat æger cum voluerit. Hocque remedio usum esse Martinum Gutbertz Coloniæ, qui diu fuerit hydropicus, & tumidus, ac ei multùm profuisse. *[Oleum baccarum. Vrina difficultas.]* Oleum baccarum confert difficulter urinam reddentibus, & calculosis & Cerevisia calidâ potissimùm in balneo sumptum, *[Balneum ad calculum.]* Accipiendas porrò summitates Iuniperi, & coquendas in aqua, donec ea rubra omninò, reddatur tandem verò balnea in semicupio ad umbilicum usque quotidie, quantùm fieri poterit, calidéque horis tribus facienda, ac si hoc ad decem dies fecerit, sanatum iri à calculo.

[Succus baccarum.] Succus extractus è baccis Iuniperi, ad duodecim annos servari potest (inquit Evonymi Thesaurus) si ritè sit confectus.

[Calculus.] Valet ad calculi præservationẽ, expertus enim est eius vsum in multis, qui antehac graviter laborabant, & multa prophylactica adhibuerant, à nullo tamen tantopere sunt, atque ab hoc adiuti. Calidum quidem medicamentum est, ideóque re-

nes fortassis nimium calefacere posset, vt aliquis existimarit, sed propter parandi modum, qui calorem nonnihil frangere existimatur, non nimium poterit. *Pituita in ventriculo.* Pituitam in ventriculo, vel concoquit, vel consumit, vel educit, & ventriculum abstergit ac roborat. Vsus eius non tam est ad morbos praecavendos, quàm curandos. Omne genus *Destillationes. Vertigo. Raucedo. Colica. Menses. Syncope. Pestis. Mania. Hydrops. Foetor oris. Epilepsia. Tremor. Apostema. Vtendi tempus.* destillationum & Catharrorum, vertiginem, lippitudinem, raucedinem, pectoris angustiam, tussim, colicam, matricis suffocationem, menstruorum suppressionem, syncopen, calculum, & pestem curat. Quinetiam ab aliis adnumerantur his morbi, quos hic succus curare dicitur, mania, hydrops, foetor anhelitus, epilepsia, tremor membrorum, apostemata interna. Caput & cor hoc succo mirabiliter recreantur, & sanitatem in multos annos conservat. In praecautione accipitur ieiuno stomacho tribus anni partibus, sine custodia, Autumno nimirum, Hieme, & Vere; Æstate verò propter calorem & siccitatem, necessitati servatur. Quod si tamen coelum humidum fuerit, & calor moderatior, vti etiam in Aestate poteris. In morborum curatione, adhibetur omni tempore & crebriùs, sed per certa intervalla, interiectis aliis, eòdem spectantibus. *Theriaca Germanorum. Venenum. Oleum.* Theriacam Germanam nonnulli dixerunt, tum quòd efficax sit contra venena, tum quòd Germanorum corporibus amicissima & maximè salutaris. Oleum è baccis Iuniperi destillatur eo modo, quo aq. vitae, affundendo enim aquam citò & facilè stillat. Primò quidem Oleum, deinde verò aqua, quemadmodum quando spica destillatur. Oportet autem priùs baccas contundere. Quidam destillant etiam in bocia. *Tormina. Gonorrhaea.* Valet ad multa, ad tormina, ad pus virgae, quod est, quasi Gonorrhaea, ad colli dolores ex catarrho. Agyrtae mira de eo praedicant, quae legi apud eos possunt, si quis velit. *Modus destillandi Gesn.* Modus autem, quo destillari debet, est. Accipio modium baccis Iuniperi plenum, quas contundo minutissimè, iisque affundo aquam puram, ea quantitate, vt optimè cooperiantur, postea in aheno cupreo, velut hoc est, in quo aqua vitae destillatur, vnà cum canali cupreo, per aquam frigidam transeunte, destillo, canali adapto recipiens magnum, quod quatuor mensuras possit capere, & sic destillat oleum cum aqua. Verùm aliud instrumentum capitello adaptatum habeo, aquâ frigida plenum ad refrigerandos spiritus ne adurantur. Ex praedicta baccarum quantitate, supra vncias iij. Olei non extraho. *Per expressionem.* Per expressionem quoq; hoc modo non malè Oleum extrahimus. ℞. Baccas Iuniperi contusas, mixtas primùm aqua ardente, deinde etiam oleo Olivarum, bulliant parùm, vel saltem simul maneant, saepè agitado spatula, per dies octo, in cucurbita ad fornacem, tum exprime praelo, & oleum supernatans collige: potes etiam Angelicam, vel aliquid aliud addere contusum.

Fistulae. Cancer. Oleum de Iunipero valet in fistulis, in sectionibus cutis, & malo mortuo: tibiarum serpigine, & cancero, vulneribus & vlceribus malis. *Olei praeparandi modus è lignis.* Recipe ex lignis Iuniperi quantitatem sufficientem, & incide in frusta, & imple ollam, vel dolium magnum vitreatum, interius cuius orificium sit arctum, & fac foveam in terra, & praepara parietes eius cum terra figuli, deinde pone ollam vitreatam in fundo ex directo foveae, habentem orificium magnum, & cooperiatur lamina ferrea subtiliter perforata: deinde praepara ista duo vasa cum terra figuli, ne ex vtriusque orificiis respiret, deinde cooperi terra, & adde ignem per tres horas, finaliter resudabit oleum de Iunipero optimum.

Oleum è ligno rectificatum. Oleum è ligno Iuniperi rectificatum, fit primò destillatione per descensum: deinde totum simul in bociam infusum destillato sursum, vel in balneo, quod tardiùs fit, sed pulchriùs: vel in cinere, arenâve, quod fit magis rufum.

Sal è baccis & ligno. Salem è baccis & ligno Iuniperi, sic paravit Gesnerus. Accepi, inquit, virgulta Iuniperi arida, vnà cum suis baccis, in magna quantitate, & in cinerem redegi (oportet autem exactissimè comburere, aliqui in magna olla figulina nova, & in qua liquor nullus antè fuerit, comburunt) cum hoc cinere fiat lixivium, cum aqua mediocriter calida: aut potest in vase ligneo cinis cum aqua relinqui, vt subsideat, ac postea aqua seorsim effundi, & cinis cum aqua turbida separari. His alia aqua affundenda, idque aliquoties, quoad nullus sapor lixivij in aquam deponatur, ac postea aqua decoctione consumenda, ad exiccationem materiae, & eiusdem albedinem: odore autem refert boracem & vrinam, ac acris est, & penetrans.

Verû. E Ligno Iuniperi veru factum carnes omnes, quae in eo torrentur, odore efficit iucundo. Ad tornum denique, ad delitias, ad suffimigia vtile lignum Iuniperi. Observavi etiam in vineis Montbelgardi Palos Iuniperinos multis durare annis, potissimùm si vratur pars, quae in terram defoditur.

CEDRVS PHOENICEA BELLONIO, SIVE OXYCEDRVS, QVIBVSDAM Iuniperus maior, bacca nigra, rubra.

Cap. XXIV.



Descriptio. Folia. IVNIPERO similis Cedrus, cuius tamē folia duplo sunt longiora, latiora quoque, rigida, infesto mucrone pungentia: baccae duplo aut triplo Iuniperinis maiores, coloris, non ut illae coerulei, sed ruffi, sapore tamen & odore similis. *Descr. Clusii.* Clusius sic habet: Iunipero ferè similis est Oxycedrus: *Caudex.* magna ex parte contorto, rufulla, *Cortex.* caudice, interdum etiam in arbusculam excrescens, tenui & rufescente cortice: *Folia.* folia habet Iuniperi vulgaris modo pungentia, aliquantulum tamen longiora & rariora, terna semper circa ramulos simul nascentia, ut in Iunipero: *Fructus.* fructum initio viridem, deinde flavescentem, postremò cùm maturuit, punicei coloris, Iuniperi fructu multò maiorem, ut interdum Avellanam magnitudine aequet, & tuberculis quibusdam, veluti squamatum rudimentis obsitum, *Nuclei.* nucleos tres aut quatuor inaequales continentem, maiores, quàm in superiore, medulla intus alba. Floret Iuniperi modo, & eodem tempore utriusque fructus maturitatem adipiscitur.

Iuniperi maioris bacca. Iudicium fallax, ut ita liceat dicere: Nam fructus,

ctus, infit Cordus, cùm nuper in Germaniam importarentur, nonnulli etiam doctissimorum Iuniperi maioris baccas crediderunt, non animadvertentes, manifestè Authores Iunipero nigrum, Cedro verò rufum tribuere fructum.

Cedrus phœnicea. Bellonij Iunip. maior non est.

Phœniceæ Cedri (ait Bellon. arb. resinif.) meminit Plinius in Gargano monte Calabriæ, cuius baccas sunt qui credant Iuniperi maioris esse, falsâ quadam opinione ducti. Oxycedrus Græcis dicta. Punica Cedrus antiquum retinet nomen in Creta, quam vulgus Cedri nomine appellat.

Cedrus minor. Cedrus acuta Phœnicea. Vernix falsò. Cedrelæon. Error Medicorum Venetorum

Minorem istam Cedrum Plinius Phœniceã appellat Iunipero similem: Fructum. Cedrides, ego Cedrum acutam Phœniceam voco. Oxycedri gummi nostri falsò Sandaracham, alij verò Vernicem nominant. Ex Cedri malis Plinius posse fieri, scribit, quod Cedrelæon vocat. Galeno Cedri fructus Cedris dicitur. Et: Cedrides multi Pharmacopolæ & Medici Venetiis eas maiores Iuniperi baccas esse credunt magno errore. Gummi sudat, quod vulgò Vernicem dicunt. Et Obs.

Cedrus Lycia non est. Bellon. sibi contrarius.

Cedri phœniceæ diversæ à Cedro Lyciæ ob folia obtusa. Cedri Lyciæ dicuntur Oxycedri. Sed Bellonium sibi contradicere videbunt, qui verba modò citata diligentiùs examinabunt. Primùm isthic albos carbones conspexi, ex Oxycedrorum stipitibus conflatos. Qui Sarsanam Genuensi agro pervenerit, & inde ultra Vencam arcem in Marchionatu Muzano transierit; Oxycedrorum silvulam ingredietur, apud Montignosam castrum Lucensium, non procul à mari, quorum fructus Avellanis crassitudine non cedunt.

Cardan. taxatur.

Cardanus considerare debebat Cedrelatem ab Abiete & Cedro denominationem habere (nam hæc parua Cedrus baccas fert, eam ob causam baccifera cognominatur, at altera conifera) ut nomen ipsum testatur: siquidem Elate Abietem significat: itaque Cedrelate Gallicè reddi posset *Cedre sapin.* Sed ipsius verba impugnabimus in nostra stirpium historia. *Hæc ubi latet at?*

De præsenti planta tractat & Hist. Lugd. sequentibus verbis: Cedrus Lycia, quam Oxycedrum etiam appellant: Theoph. *κεδρίδα*, Gaza, Cedrulam.

κεδρίς, Cedrula Theoph. corrig.

Quodam tamen loco *κεδρίας* pro *κεδρίδος* mendosè legitur, quod Gaza cùm non animadverteret, Cedrias convertit, Cedrides verò multitudinis numero sunt Dioscoridi & Galeno, Oxycedri baccæ.

Oxycedrus

Oxycedrus, sive Cedrus Lycia, Cedro Phœnicia minor [sive Libani,] Iunipero maior. Cortice Cupressum æmulatur, ut ait Theophrast. non semine, ut, malè Plinius, Iuniperi modo.

Plinij error Theoph. emendatur.

Locus Theophrasti ex integrioribus libris est emendandus: *ὀζώδη δὲ ἄμφω καὶ πολυμάσχαλα, καὶ ἐστραμμένα ἔχοντα τὰ ξύλα, μᾶλλον δὲ ἡ ἄρκευθος ἡ ... πυκνήν*, id est, nodosam ambo [Iuniperus & Oxycedrus] in alas multas divisam, & distortam habent materiam, maximè verò Iuniperus condensam. Oxycedri fructus flavus est, Myrti magnitudine, odoratus, esu suavis, non ut Gaza convertit, odoratus, pulcher, gustûque suavis.

Gaza error

Cedrida quid.

Cedridas inquit Gal. 2. alim. nominat Cedri fructum, qui colore & figurá fructui Iuniperi est similis (subflavus enim est, ac rotundus) dissidet autem ab eo acrimoniã.

Gummi.

Fundit gummi durum, pellucidum, Mastiches tam simile, ut hac ferè solá notá internoscatur, quòd Mastiche mansá in ore coit, ac spissescit: Oxycedri verò gummi in tenuissimum pulverem friatur, nec cogitur.

Vernix.

Id gummi (ut & Iuniperi, vulgus *Vernicem* appellat. Præterea ex Oxycedri lignis assulatim concisis, toto Massiliensi agro pastores & rustici picis liquidæ genus, nigrum videlicet ac fœtidum liquorem oleosum eliciunt, quem suá linguá corrupto Cedri vocabulo *Huile de Cade* nominant.

Huile de Cade.

Lonice. err.

Lonicerus Cedri magnæ, parvæque, seu Oxycedri figuras, vires, usúmque commiscet ac confundit.

Plinij error.

Tenebras effudit Plinius, qui oscitans admodùm Cedri differentias ex Theophrasto exscripsit. Primùm contra Theophrasti sententiam scripsit minoris Cedri genera duo esse, maiorisque totidem, & Phœnicibus Cedrum minorem esse Iuniperò similem. Quare Theophrastus nostro quidem iudicio considerandus dum ait, Oxycedri fructum Myrti magnitudine: illud etiam Galeni examinandum, quod dicit Cedri fructum colore & figura fructûs Iuniperi.

Oxycedrus Iuniperus maior.

Pauci admodum etiam sunt, inquit Matth. qui non putent Oxycedrum esse Iuniperum maiorem, adeò ut plærique vulgarium illam ab hac nesciant distinguere: quemadmodum & incolæ Istriæ, Cedrum minorem, sive Oxycedrum nesciunt distinguere à Iunipero.

Vischum.

Camerar. ad hist. germ. Matthioli posuit novam figuram, sub hoc titulo, Cederbaum. Cedrus phœnicea addito visco ex Clusij figura. Quam figuram cap. 26. reddidit cum hac inscriptione: Groß Weckholder / Iuniperus maior, quam ait in Galliæ Provincia vocari *Cade*, & præbere liquorem, *Oleum de Cade* nominatum, Scaligeróque dici maiorem Iuniperum, ab Arabibus *Harar*: cùm tamen *Cade* nihil aliud sit, quàm Oxycedrus.

Cade. Oleum de Cade.

Camer. not.

Existimo igitur Camerarium ponere duas figuras unius plantæ, cur verò id fecerit nescio. Matthiolus nullam posuerat nomine Iuniperi maioris: nec ipse Camerarius discrimen ostendit, inter eam, & Matthioli Cedrum phœniceam.

Oxycedrus

Guilandinus testatur Cedrum simpliciter dictam, quam & *ὀξύκεδρον* vocant, Iuniperum, Oxycedrum, & Cedrum quandoque absolutè appellari, eandémque esse cum Cedro magna à permultis existimari.

Mera Hispanorum.

Nunc, quod Amatus perhibet, ex liquore Cedri arboris oleum paratur, quod Hispanis *Mera* dicitur, & Iuniperi oleum appellant: sed non sine errore, quum arbor, ex qua *Meram* colligunt, Cedrus sit.

Dioscor. repreh.

Erravit Dioscorides, inquit Anguill. vocando Cedros Theophrasti Iuniperos, & ideò Iuniperi Dioscoridis sunt Cedri Theophrasti: ac si hodie etiam Cedrus dicitur *Ginepro*. Nicander etiam fructum Cedri Iuniperum vocat.

Cedrus minor.

Huius resinam, scribit Gesn. de horto Sandaracham vulgò appellari. Dicitur *Cedrus minor*, *Cedrulla*, vel *Oxycedrus*. *Cedrus phœnicea* Bellonio. Sed Iunipero similis (ut vult Dodon.) *Oxycedrus*, quæ & minor Cedrus dicitur. Huius duo genera, Theophrasto & Plinio authoribus, Lycia videlicet & Phœnicea.

Cedrus Lycia & Phœnicea.

Phœnicea Cedrus, quæ & Oxycedrus, *ὀξύκεδρος* ac *κέδρος φοινική*. Oxycedrum Theophrasti & Plinij, sive Cedrum phœniceam *Gros Cade* Provinciæ dici credit.

Cade prov. Oxyarcenthos, Iunip. acuta. Oxycedrus.

Lob. & Pena Adv. Oxyarcenthon, sive acutam Iuniperum, Iuniperum maiorem dicunt in gallo-provincia *Cade*. Obs. & Ic. Pl. *Iuniperus maior Monspel. Cedrus phœnicea Matth.* Ital. *Cedro minore.*

Theophr. hunc fruticem (dicit Clus. in Hisp.) *ὀξύκεδρον* appellat, & *κέδρον λυκίαν*. Plin. Oxycedrum & Cedrum Lyciam. Hispani à Iunipero non discernunt, sed eodem vocabulo *Enebro* vocant

cant, Narb. *Cade*, Oleum eius *de Cade*, Hispan. *Miera.*

Iuniperus maritima. *Iuniperus minor.* Cæsalpino Iuniperi alterum genus in maritimis, fructu Nucis Avellanæ magnitudine, in maturitate flavo, magna ex parte crassius, quàm Iuniperus montana [vulgaris.] Dioscorides Iuniperum minorē vocat, fructu Avellanæ magnitudine.

Goropius Cedros minores Iuniperinis cognatas statuit. Tabernæmont. Cedrum Phœniceam Matthioli dicit: Cederbaum auß Phœnicia. Idem rursus Iuniperum maiorem Germanicam, groß Teutsch Weckholder/ ex qua in Gallia oleum de Cade, & Gummi Sandaracha, aut vernix.

Compilatoris error. Existimamus Compilatorem ponere duas figuras vnius plantæ, ac duas historias: ille etiam non demonstrat vbi viderit, nec diligenter describit aut discrimen tradit.

Cedrus minor Iuniperus maior. Lacunæ tandem appellatur Cedrus minor, quæ provenit in quibusdam locis Italiæ in montibus similis Iunipero, fructu tamen rubro maiore. Errant, inquit, qui Iuniperum maiorem putant.

Locus. Maxima. Provenientem observavit Clusius plærisque Hispaniæ, & Narbonensis Galliæ asperis locis. Nusquam autem maiorem se vidisse meminit, quàm supra Segobiam, & Guadarrama, itinere Madritano; vbi in proceram altitudinem, cùm crassitudine corporis humani truncum æquante, excrescit.

Viscum. Locus. Ego verò Oxycedri Bellonii baccas accepi à fratre Caspare Bauh. nomine Iuniperi maioris, quas in horto Ill. E. C. Montbelgardi seminavi: Ea mihi primùm visa fuerat Monspelij, vbi eo modo abundat, quo Iuniperus vulgaris circa Basileam, & Montbelgardum, quam ibi non vidi. Monspelio verò nobis delata arbor, & plantata Montbelgardi in horto Ill. C. VV. baccis toto anno gravida.

Vsus. Trabes. Ex trunco Iuniperi, annotante Clusio, ædium trabes & contignationes Hispaniæ incolæ faciunt. Addit præterea ex eo fieri oleum, quod *Oleū Huile de Cade. Scabies.* Narbonenses *Huile de Cade* appellant, capitis scabiei, pecorúmque scabiei & vlceribus, quibus à tonsura nonnunquam infestantur, adprimè vtile. Id Oleum Cedriæ simile est. Cæsalpino ex fructibus Iuniperi maioris, cùm maturi sunt, vino remollitis exprimitur liquor, qui Saccharo *Liquor.* exceptus vtilissimus: vtpote qui ex pulmone & pectore educit purulenta: ac tempore pestis præseruaturæ loco esse potest.

VISCVM OXYCEDRI.

Locus. Descript. IN Hispania (inquit Clus.) in Oxycedri ramis mense Octobri, observabam plantulam, digiti longitudine, instar visci, ramosam, geniculatam, viridem, interdum flavescentem, ramulis *Ramuli. Salicornia.* Myricæ, recenter enatis, sive eius plantæ, quam nonnulli *Salicorniam*, Monspeliani *Sempervivum marinum* vocant, sed paullò minoribus constantem, quorum extremis interdum veluti fructus inhæret Musci, qui in arboribus, aut saxis nascitur, fructui persimilis; acido autem & perquam adstringente gustu tota plantula hæc est, Oxycedro, veluti Viscum in aliis arboribus, innascens.

Viscum. Camer. apud Matth. Germ. Visci genus in Cedro phœnicea, cuius meminit Clusius.

VERNIX SIVE SANDARACHA Arabum.

Descript. Color succini. VErnix in stirias longas densatur in pallido flavescētes, Succini colore & perspicuitate, fragiles, quæque dentibus friatæ nequaquam denuò coëunt, sapore nullo evidente, odore, ubi adoletur, resinoso. *Odor resinosus.*

Gandarcn. Iuniperinum gummi. Observatio. Cæterùm, Arabes Gandaron ac Sandaracham vernicem vocant: & exponunt esse gummi arboris Iuniperi, simile Carabe. Quare diligenter observandum est his, qui illos sequuntur, ne pro salutari medicamento, Sandaracham Græcorum perniciosum pharmacum agnoscant. Deinde ex vernice Iuniperi lachryma etiam factitiam vernicem cum Lini seminis oleo fieri dicunt, & sic Succinum cum Iuniperi lachryma confundunt.

Sandaracha sive Vernix Arab. Corn. in Diosc. Proiicit ex se Iuniperus gummi Mastiche simile, quod & Sandaracham & Vernicem appellant. Hoc primùm cum metitur, candido splendescit colore, senescens vero in rufum abit. Porrò haud ignorandum est, hanc Arabum *Sandaracha Diosc. alia: Sandaracha Arabum.* Sandaracham à Dioscoridis Sandaracha, perquàm longè dissidere. Namque Græcis Sandaracha est fossilis. Verùm hæc Sandarachæ nomenclatio, in gummi Iuniperi invecta fuit à Medicis, qui *Sandarax.* Mauritanos secuti, *Sandarax* Arabicum nomen (sic enim Arabes Iuniperi gummi vocant) in Sandaracham converterunt. Quamobrem illud adnotandum esse videtur, quòd ubi Arabes, Sandaracham medicamentis inserendam esse præcipiunt, Gummi Iuniperi immiscendum intelligunt, ubi verò à Græcis de Sandaracha fit mentio, fossilis illa, rufa & Auripigmento similis, est intelligenda: non desunt tamen, qui velint Mauritanorum Sandaracham, non esse gummi Iuniperi, sed Oxycedri. Quorum equidem iudicio censet Matthiolus subscribendum: etenim pauci admodum sunt, qui non putent Oxycedrum esse Iuniperum maiorem: adeo ut plærique vulgarium, illam ab hac nesciant distinguere. *Sandaracha Arab. quibusdam Oxycedri Gummi.*

Vsus Gummi Iuniperini quam Plin. nullum existimet. Tradit Plin. lib. 13. cap. 11. plura gummi genera, vbi Gummi Iuniperinum ad nihil vtile esse scribit. Cuius tamen frequens usus in medicamentis contrariu indicat, & quòd hoc sincero & oleo ex lini semine presso fit vernix liquidus, cuius est usus ad illustrandas picturas, & ad nitorem ferri conciliandum: utilis etiamnū ad ambusta, est præcipuus ad dolores, & tumores hæmorrhoidum. *Nomina linguarū.* Græcè dicitur κεδρελάτινον δάκρυ, Lat. gummi Iuniperi, Mauritanis *Sandarax*, Italis *gumma de Ginepro*, Germ. Vernis/ Hisp. *Vernix*, Gall. *Vernix*.

Cedrus Phœnicea. Sandaracha. Vernix. Sandaracha Arabū & Mastiches dignotio. Ex Cedro phœnicea gummi exsudat durum, perspicuum, ut Mastiche (Nostri, inquit Bellon. de conif. falsò Sandaracham [Græcorum puta] alii vernicem nominant) quibus tanta inter se affinitas est, ut si cōmixta simul essent, vix discernerentur, nisi hac nota ab eo deprehendas Mastichen, quòd Mastiche commanducata ore coit, gummi autem Cedri diffunditur, & in partes tenuissimas redigitur, quod in ore ampliùs non coit.

Grassa Lacuna. Vernix. Gummi Mastiche simile, quod eo Iunipero fluit, & Vernix dicitur, aut Sandarax Arabicè, vocamus, inquit Lacuna, vulgò in Castilla *Grassa*.

Gummi Oxycedri, ut & Iuniperi, vulgus *Vernicem* appellat, Hist. Lugd. Iuniperus (ait Cæsalp.) tenuem lachrymam fundit, resinosam, *Vernicem* vulgo appellant, fabris & pictoribus utilem ad *Error multorum.* tinctoria cum oleo. Sed quàm bene hi sentiant, considerandum proponimus. Siquidem opinionem hanc de Vernice pictorum, refutare videtur Cornarius, cuius verba ante posuimus.

Acquivoca A quamplurimis autem Vernix, siue Sandarax Arabum, & gummi Iuniperi arboris, de una eademque re & habetur & dicitur. Sicut & Succinum Cornario, dum dicit: In Curiensis littoris tractu, maxime tamen in Dantiaca Prussiæ urbe,

succinum cum Lini semine, videlicet eius oleo, in id, quod Vernicem, sive Veruginem vocant, non pictoribus & multis opificibus familiarem, & quæ Bituminis usum hodie in plerisque locis præbet, apparatur. Sandaracha destillationes suspendit (Serapionis est oratio) menstruum profluvia sistit, sinus exsiccat immissus, haustus vero pituitam, quæ ventriculo & intestinis hæret, tineas & cætera ventris animalia necat: nervorum resolutionibus, quas humores frigidi contraxerint, opitulatur: capitis destillationes suffitu discutit: idem exceptus sanguinis excretiones supprimit, & hæmorrhoidas fluentes illitus: addito tum rosaceo, tum myrtino sedis rimas coercet & hiantibus frigore manuum, pedumque fissuris illitu succurrit. In summa calfacit & siccat primo recessu. Sandaracha (pergit Matth.) sicca proprietate quadam facit ad dentium dolorem. Inspergitur carbonibus, fumusque per siphunculum excipit dens male affectus. Vel eius decocto calido ex aceto os colluitur. Vel ℞. Rosar. Chamæm. Origan. an. Manip. sem. Vernicis sicc. drach. ij. coquantur in mensura una vini, dimidia aceti, ad tertias, Excolati liquoris cochlear unum ore contineatur calidum, subinde expuendum, denuoque continuatis vicibus iterandum. Vel Recip. Vinum Malvaticum, quod chalybem candentem restinxerit, huic tantundem affunde spiritus vini, vernicis siccæ pulveratæ parum adde. Hac miscella calida dolentem dentem foveto. Efficacius tamen ad prædicta oleum è gummi stillatitium. Sicca Vernix cum albumine ovi mista, fronti & temporibus inducta, hæmorrhagiam narium sistit. Cum albo ovi & Thure ventriculo imposita, vomitum compescit, alvique profluvium.

Vires & usus. Destillationes. Menstruum profluvia. Animalia ventris. Nervorum resolutio. Excretiones sanguinis. Hæmorrhoides. Fissuræ. Dentes. Hæmorrhagia narium. Vomitum.

IVNIPERVS MAXIMA ILLYRICA.

Cap. XXV.

Iuniperus Illyrensis.

IVNIPERI, inquiunt Lob. & Pena Adv. Ex Istria quasdam habuimus plantas, non dispares fronde & figura Oxycedri, sive acutæ Iunipero, sed fructus erat teres, oblongior, mediocris Olivæ par. Iidem in Obs. & Ic. Pl. Iuniperus maxima Illyrica, cærulea bacca, videtur Dioscoridis maior Iuniperus, aut congener. Tabern. *Iuniperus maior Illyrica*. Hist. Lugd. *Iuniperus maior*.

Iunip. Illyrica maxima.

CEDRVS LYCIA RETVSA BELLONIO DICTA.

Cap. XXVI.

Descript.

CEDRVS Lycia in monte Cethi ipsi observata, arbor est pumila, tricubitalis, nec, an



alibi maior, scit: Cortice subfusco, odore Cupressi, grato: sapore adstringente, amarescente cum acrimonia, lentis & flexilibus ramis. Folia cupressinis similia, ut nihil similius, vel Sabinæ, interdum angusticula, aculeata, seu Iuniperi vulgaris: nonnunquam utriusque generis, in eodem ramulo folia videas: ut plurimum tamen Cupressina: in ramulorum extremitate, baccæ parvæ etiam aum conos Cupressinos tuberculis nonnullis quodammodo æmulantes, odore baccarum Iuniperi resinoso, cum quadam amaritudine: quæ ubi adoleverint, colore phœniceo rubent, magnitudine interdum ad Oxycedri baccas accedentes, à quibus siccæ vix dignoscantur, nisi abessent lineæ triquetræ, quæ in Oxycedrinis pulchre conspiciuntur, nucleos, seu grana tria continent parva, striata, resinosa, in quibus medulla alba, Oryzæ quodammodo similis: in Oxycedrinis autem terni esse solent nuclei maiores.

Cortex: Odor, Sapor. Rami. Folia. Baccæ. Odor. Nuclei. Medulla.

Descriptio Clusij videtur nobis digna, quæ hic ponatur, quæ eiusmodi est. Iuniperus, quam maiorem appello, frutex est humanam altitudinem raro superans, caudice contorto, non recto, multis ramis prædito, scabro cortice: folia habet carnosa, & ex continua quaternorum foliorum mutuo connexorum serie composita, quemadmodum Cupressus: flores Iunipero vulgari, & Oxycedro similes, flavos, sed extremis foliis insidentes, ut in Cupresso & Thuia: quibus succedit fructus baccarum magnitudine Myrti, rotundus, primum viridis, deinde ad phœniceum colorem tendens, qui maturitate nonnihil mollescit, sapore & odore Iuniperi baccis simili, qui ternis, aut quaterna, vel etiam plura grana oblonga & intra se habet, medullam albam & resinam olentem continentia. Vere floret, fructumque diu retinet, antequam maturescat, uti Iuniperus. Primum semine natus hic frutex, & adhuc tener, folia habet omnino dissimilia, utpote quæ alterius Iuniperi folia æmulentur, nisi breviora & paullo molliora essent. Cum vero iam tertium, aut quartum annum attigit, rotunda & cupressea folia efformare incipit, tantisper inferiores rami pungentibus & acutis foliis, summi vero obtusis & rotundis obsiti interdum conspiciantur. Quam metamorphosin nisi quis diligenter observauerit, facile in errorem induci possit ut credat adolescentem à iam adulta diversam plantam esse.

Clusij descript. Iuniperus maior Clusio. Caudex. Cortex. Folia. Flores. Fructus. Sapor & odor. Grana. Medulla. Tempus. Folia. Adulta planta metamorphosis.

Cæterum licet Cedrus interdum spinosa est, qualem Matthiolus pingit, quandoque non spinosa. Nos tamen habemus unum cum, alterum vero sine spinis. Scribit Bellon. de conif. Lyciam Cedrum plerosque eam, quam Theoph. Thuiam appellat, existimare: se vero Cedrum Lyciam retusam vocare maluisse, propter folia dubio procul obtusa. Miratus sum, inquit, Pharmacopœorum & Medicorum Epidauri inscitiam, qui cum vero

Spinis caret. Cedrus Lycia sive retusa. Thuia Theoph. Error multorum.

Sabina falso substituitur. verâ Sabinâ careant, in Officinis pro Sabina utuntur, quo errore video magnam Græciæ partem, Illyriæ, Epyri, atque etiam Venetias ipsas infestari. Circa Massiliam vulgus *Morveine* vocat, Avinionenses *Decade Serbin*, apud Sirpontem verò versus Massiliam, *Cotranum* voce Arabica appellatur. *Cotranum.* Putaverit fortè Bellon. Cedrum Lyciam, quam retusam vocat, Plinio *Selaginem* dictam. *Selago Plinii.* At Theophrasti interpres *Selaginem* pro Coronopode vertit. *Coronopus.* Cordus aliquando cùm eum comitaretur & Lyciam Cedrum offendissent Thuiam esse coniecit, atque cùm amicis ramos impertiretur, Lyciæ offerre asserebat. *Thuia non est.*

Idem Obs. Cedrum parvam folio retuso nominat, ac alibi eam tradit nomine Cedrorum parvarum Lyciarum, folio pungente, quæ Græcis dicantur Oxycedri, quibus contrariæ sint Cedri phœniceæ, quæ folia habeant retusa. Sed videant lectores, quomodo sui ipsius oblitus à contrarietate eximi possit Bellonius. *Cedrus phœnicea. Bellon. notatur.*

Matth. reprehendit. Suspicamur quoque Matthiolum non bene distinxisse Sabinam à Lycia Cedro, sed eum ea miscuisse, dicit enim Lyciam vocatam ab illo, qui Moraviæ attulit Sabinam. Deinde tribuit uni Sabinæ in post. sedit. com. Ital. baccas rubentes. Hinc fortè Durantes occasionem sumpsit, quòd *κέδρον λυκίαν*, Sabinam fructiferam appellarit. Ab eodem verò scilicet Castore Dur. duæ Icones unius plantæ exhibentur, meliorem autem eam censemus, cui titulus *Sabinæ fructifera*. *Castoris Icones binæ.*

Sabina 2. Smyrichi gluchi. An Anguill. Sabina secunda in Sclavonia incolis *Smyrichi Gluthi*.

Cedrus Lycia. Thya non est. Dodonæo hæc Oxycedrus Lycia dicitur. Altera humilis, Cedrus Lycia ex retuso folio, *ἀρκευθὶς* Theoph. Plinio similiter Lycia Cedrus dicitur. Sunt qui & *θύαν*, sive Thyam esse existimant: sed Thya autore Theoph. non modò caudice, foliis & ramis, sed & fructu Cupresso similis.

Gesnero de hort. *Cedri species altera, Cedrus Lycia Bellonio.*

Cedrus Lycia Adv. iamdiu Lutetiæ visa in quibusdam hortis, folio Iuniperi multò minore, ad Sabinam accedente, bacca phœniceæ minore: videretur Bellonii Sabina altera, nisi Lob. Obs. pro ea plantam pingeret, quæ non fert baccas, ac etiam sua non bene scripta fateatur dum aliter legi vult. Qui fuerit Lutetiæ, rem perpendat.

Sabina baccata. Cedrus phœn. Oxycedrus Sabina maior. Lob. & Pena Adv. & Icon Plant. *Sabina baccata.* Obs. & Ic. Plant. *Cedrus phœnicea altera Plinij & Theoph. Oxycedrus folio Cupressi, aut Sabina maior Monspeliensium.* Item Obs. & Icon. Plant. *Cedrus phœnicea media, Iuniperus maior folio Cupressi*, inter notha Dioscoridis Clusio. Hæc superiori plane similis, sed omnia longè minora. In adversariis nostris *Sabinam baccatam* diximus: melius tamen quadrare videtur cum altera Cedro minori Theoph. Meo tempore Monspeliensibus vocabatur *Oxycedrus folio Cupressi*, *Cedrus phœnicea minor, eodem modo fruticans.*

Lobel. in Adv. utramque genus foliorum pingit, quamvis non in omnibus placeat eius figura. Clusius unicam tradit speciem. Testis est C. Bauh. Plantinum duas habere figuras unius plantæ, nempe Sabinæ bacciferæ & Cedri phœniceæ mediæ. Illi vero quam facit Cedrum phœniceam alteram, multò maior est, potissimum fructu, & longè etiam amœnior, ea quam habeo, foliis non ut Monspeliensis ex virore luteis, sed ex virore nigricantibus. Fructus etiam triplo Monspeliensi maior.

Iuniperi duo genera veteres constituunt maius & minus. *Iuniperus maior.* Dioscor. unius fructum Nucis Iuglandis magnitudine interdum augeri: alterius verò Nucem ponticam æquare ait: cùm tamen reliqui Iunipero fructum non maiorem, quàm Myrto tribuant: sed nec ipse cap. de Cedro. Convenit optimè hic frutex cum Iunipero maiore Dioscori dis inter spuria reiecto & dicto. *Iuniperus maior, aliquibus silvestris Cupressus.* Nisi quis fortè ad Cedrum minorem alteram, quam Theoph. & Plinius phœniceam vocant, scribunt, referre malit. *Cupressus silv.* Nonnulli ex Neotericis *Sabinæ bacciferæ* nomine appellarunt, cùm tamen à Sabina multùm differat odore & forma. *Cedrus minor. Sabina baccifera.* Sunt qui *Oxycedrum folio Sabinæ* appellant. *Oxycedrus.* Galli Bellonio teste *Serbin.* Quam alii pro Cedro Lycia exhibent, meo iudicio [Clusij] nihil aliud est, quam novella Iuniperi maioris, sive Cedri minoris phœniceæ planta, quæ baccas proferre non solet, donec Tamaricis, sive Cupressi folia contraxerit: licet non desint, qui quartum Thuiæ genus ex ea facere non vereantur. *Cedrus Lycia quibusdam.* *Thuia.* Hispani à Iunipero non discernunt, sed eodem vocabulo *Enebro* vocant. *Enebro Hisp.*

Camer. ad Hist. Matth. ponit novam figuram, sub titulo *Cederbaum*. Cedrus Lycia foliis cupressinis non spinosis: Matthioli autem erat cum omnibus foliis spinosis. *Cedrus Lycia Matth.* Tab. Ic. & Hist. videtur nobis unius plantæ duas ponere figuras, unam sub Cedro Phœnicea, & alteram sub Savina fœmina maiore, quamvis descriptio variet.

Frater C. Bauh. mihi Patavio ex horto Mizinigi ramum attulit hoc nomine, Sabina baccifera quibusdam, Cedrus Guillandino. In eodem ramo folia Cupressina retusa, & Iuniperina aculeata. *Sabina baccifera quorundam. Cedrus Guilland.* Monspelij dum essem, imperiti quidam Sabinam vocabant. *Sabina.*

Hist. Lugd. Cedrum tertiam, raram sanè & egregiam plantam, Matthiolo in Moraviæ montibus nascentem, quidam Thuiam Massiliensium esse putant, negligentius depictam. *Thuia Massiliens.*

Locus & tempus. Bellonio circa Massiliam affatim provenire dicitur, quemadmodum & apud Avinionenses apud quos frequentissima est. Clusio autem nascitur in Tyrrheni maritimis, veluti inter Calpen & Malacam Bæticæ oræ maritima, & Galliæ item Narbonensis. Semina mihi Patavio à fratre C. Bauh. missa, terræ mandavi in horto Ill. C. V. Vitt. Observavi in Italia Bononiæ baccis gravidam mense Aprili in horto Nobilis di Gonzadinis, maiorem Monspeliaca quam Monspelij agens reperi in monte Cetho, mense Aprili baccis seu conis onustam.

IUNIPERUS ALPINA.

CAP. XXVII.

Locus. EX Delphinatu olim Lugdunum mihi allatus est Iuniperi Alpinæ ramus (quam quidam Selaginem existimabant) rugoso, nigricante que cortice amictus, multis adnatis surculis fissus, tamque denso foliorum agmine stipatus, ut vix ramuli possint conspici. *Selago. Descriptio.* *Folia.* Sunt autem ea breviora, latioraque, quàm in Iunipero vulgari, supra viridantia, infra glauca, baccæ non minus numerosæ, quàm in vulgari, eisque pares, per maturitatem item ex nigro glaucæ. *Bacca.*

Nobis ut videtur eam Clusius in Pannon. & post. Hist. sequentibus depingit, ac describit: Elegantem, inquit, Iuniperum pungentibus foliis

in Austriacarum Alpium quibusdam iugis mihi primum observatam hic adiungam.

Descriptio Clusii. Cubitalem altitudinem non excedit, sed depressa est, & quasi humi spargitur, multoque crassioribus & brevioribus constat ramis, quam vulgaris, lentis etiam, & contumacibus, & contortis: tenellos ramos ambit terna folia, æqualiter semper nascentia, ut in vulgari, verum latiora, breviora, crassiora, nec minus quam illa pungentia: colore interius ex cœruleo candicante, exterius viridi: florem non conspexi: fructum autem in famulis gestat vulgari similem, paulo tamen (ut mihi quidem videbatur) longiorem, ante quam plenam maturitatem consequatur, deinde, ubi maturuit, nigrum, eiusdemque cum illo saporis. Crescit in scopulis Durrenstein & Etscher / quibus duntaxat locis inveniebam Augusto mense paucula stirpes fructu maturo & immaturo onustas. Gustus aiebant, facultates vulgari non absimiles possidere. Hactenus Clus.

Rami. *Folia.* *Color.* *Flos. Fructus.* *Locus.* *Facultas.*

ETTALCHE.

CAP. XXVIII.

Arbor est magna, similis Iunipero, folijs Iuniperi, etiam quæ gummi simile Mastichi emittit, quo Afri adulterant Mastichen, quia odore & nonnihil colore Mastichen refert. In Numidia lignum album, in Lybia violaceum & nigerrimum, in Æthiopia nigerrimum, quod vocant Itali *Sangu*, ex quibus parant instrumenta musica. Violaceum lignum est in usu inter Medicos, ad eumdum morbum Neapolitanum, ut refert Leo Afric. lib. 9.

Sangu. Lignum Violaceum.

Eiusdem meminisse Scalig. videtur exerc. 181. part. 10. his verbis: Grandiorem Iuniperum, quæ Cedrum maxime æmulatur, *Harar* vocant Arabes, Afri nominant *Ettalch*. Eius medulla in Numidia candida, in Æthiopia nigra, in Lybia purpurea: quam in scobem comminuta dicuntur Afri Medici felicissimo successu vice Guaiaci ad morbum Indicum profligandum uti. Nimium autem nostro quidem iudicio obscure loquitur Scaliger, non enim constat ex verbis ipsius, quam arborem intelligat, cum eam non describat.

Iunip. maior. *Harar. Ettalch.* *Guaiaci succedit.* *Morbo pellitur.*

Hæc eadem arbor apud Hist. Lugd. ex Scaligero grandior Iuniperus dicitur, *Harar* Arabibus, Aphris *Ettalch*: Et tamen in descriptione novæ partis Africæ *Ettalch* se legisse ait, sibique prorsus videri esse Oxycedrum: ac meminisse eius Theveturn sub nomine arboris *Elabehen* quæ in insula Cicone provenit valde spinosa & Iunipero similis.

Non porro inficiasibimus, si nonnulli statuere velint, hanc nostram arborem eandem fortassis esse cum Hermolai in Dioscor. lib. 1. cap. 108. *Cupidas*, arbore Iunipero virtute simili, quam a Catone ita dictam invenit ad lotium movendum: nec quid sit dicere coniectura potest.

An Cupida Hermolai.

LIGNVM EXOTICVM ANONYMVM.

CAP. XXIX.

Anno a nato Christo ... mittebat ad Clusium, Petrus Garetus Iacobi frater ligni cuiusdam fragmentum pedalis longitudinis, crassum in ambitu uncias pene tredecim, cuiusque diameter unciæ quatuor cum semisse: contortum sive tortuosum, latis crasso, lævi tamen, cortice tectum, sed qui totus resinæ cuiusdam subflavi coloris grumis, quasi tessellatim dispositis, esset obsitus, quæ odoris quidem, si igni admoveretur, non iniucundi, & qui Mastichen redoleret, digitis autem nonnihil attrita, valde friabilis esset. Ligni materies gravis, dura, firma, & candida.

Descriptio. *Cortex.* *Odor.* *Materies.*

Certum a Chirurgo, qui fragmentum attulerat, intelligebat, arborem, ex qua resectum fuerat, non esse proceram, sed ad octo circiter pedum altitudinem assurgere, lateque sese in multos ramos spinosos spargere, & folia habere instar foliorum spinæ appendicis dissecta, magis tamen virentia, & ad foliorum Rutæ colorem accedentia. Nullius autem usus apud incolas esse hanc arborem arbitratur, nisi quod crassiores illius ramos ad quinque pedum longitudinem resectos, viginti, aut plures coniunctim in terram figebant, deinde eos, subiectis fictilibus incendebant ad resinam ignis calore liquescentem & diffluentem excipiendum, qua picis vice suas cymbas illinerent & stiparent.

Arboris descriptio. *Folia.* *Usus.* *Resina.*

Crescebat autem ea arbor, referente Chirurgo, in ea Americæ parte, quæ *Punta el Rey* nuncupatur.

Locus.

An vero affinis arbori *Ettalch* in Africa nascenti, cuius meminit Ioannes Leo lib. 9. Descriptionis Africæ? Verum & arboris magnitudo, & foliorum forma refragari videntur, nisi Chirurgus sua arboris notas recte exprimere non quiverit.

An Ettalch.

THVS.

CAP. XXX.

Præmissis, more nostro, notioribus nobis, Abiete, Picea, Taxo, Pino, Larice, Cedro, Cupresso, Sabina, & Iunipero, ad alia transeundum, exotica scilicet, quæ etiam

Descriptio

resinâ vel gummi in se habent, Thus, Sarcocollam, Myrrham, Stacten, Carpinum, Bdellium, Benioinû. Ambram, Caphuram, Styracem, & alia quædam his inferenda.

Sicca autem, at pinguior tamē est Thuris lachryma, quàm Mastiche, statimque in luculentam, pertinacémque flammam exardet, odore multò imbecilliore, sed nihil per incendium stillat, ut Mastiche: dentibus statim friatur, verùm friatura non cogitur denuò, ut Mastiches, neque ut ea liberè volutari potest, cùm dentibus, eorúmque præsepiolis adhærescat. Sapore est amaro & modicè acri, non ingrato tamen, Cæsalpino adstringente, subamaro: colore est ex albo fulvescente, minúsque pellucet, quàm Mastiche colore candicante, aut subruffo, translucidæ guttæ, aliàs singulares, aliàs gemellæ testiculos aut mammas prout eæ maiores, minorésve fuerint, imitantur, unde & *Mammosi & Masculi Thuris* cognomenta: interdum quaternæ, aut quinæ, magnitudine Ciceris, Avellanæ, & maiores: adhærentes nonnunquam suo cortici, unde exsudarunt: friatura verò immundior ex grumorum attritu decussa, Manna Thuris apud Græcos appellatur.

Flamma. Odor. Sapor. Color. Thus mammosum, & masculum. Manna Thuris. Icon.

Icon, quæ à nobis exhibetur, ex Thevero desumpta est, folia autem non respondent iis, quæ ab autoribus diversis de hac arbore scribuntur, ut ex sequentibus videre licebit: fidem eius relinquimus eius autoribus: posteri, qui in Arabiam devenient, considerent.

Theophrastus interea scribit. λίϐανος, arbor non magna, quinis ferè cubitis attollitur, ramosa: folium autem habet simile Pyro, & colore planè herbaceo, ut Ruta, corticem verò lævem omni ex parte, ut Laurus. Myrrhæ minoris altitudo, sed eam fruticosior est. Alij verò qui se vidisse affirmant, de magnitudine ferè non consentiunt. Neutram earum arborum magnam referunt, minorem verò Myrrhæ, & humiliorem. Folium autem habere Thuris. Sed huius Laurinum & læve folium. Esse autem & radices & ramos incisos, sed alios veluti securi percussos videri, alios tenuiores incisuras habere. Lachrymam verò aliam decidere, aliam arbori inhærere. Alicubi subiectas tegetes [ψιάθους] ex Palmis contextas, alicubi solum tantùm circumpavimentatum & purum esse. Thus, quod tegete exciperetur, purum esse ac perlucidum: quod terra, minùs: quod arboribus inhæreret, ferro deradi, & corticem ideò nonnullis adiungi. Montem universum Sabæis divisum. Alij verò quidam aiunt, arborem Thuris similem esse Lentisco, & fructum quoque Lentisci, folium verò subrubrum. Thus recentium arborum candidius esse, minúsque odoratum. Veterum magis flavum odoratiúsque, Myrrhæ autem similem. Sola hæc arbos omnem penitùs cultum naturâ aspernatur. Quidam dicunt suavius Thus in Arabia nasci, pulchrius verò in vicinis insulis, in quibus hæ arbores proveniunt. Quoddam adeò magna gleba consistit, ut mole sua manum implere, pondere verò plusquam tertiam partem minæ æquare possit. Hæc de Thure Theophrastus, cuius historiam ex Plinio quoque describere, non iniucundum fuerit.

Thus & Libanus Getersibus. Foliū Pyri. Myrrha arbor. Folium Laurinum. Locus. Lachryma. Collectio. Alia descriptio. Folio & fructu Lentisci. In Arabia. Magna gleba.

Arboris Thuris quæ sit facies non constat, à nullo enim Latino, quod equidem sciam (inquit Plin.) tradita: Græcorum verò exempla variant: Alij folio Pyri minore duntaxat, herbidi coloris prodidêre. Alij Lentisco similem subrutilo folio, quidam Terebinthum esse, & hoc visum Antigono Regi, allato frutice. Iuba rex iis voluminibus, quæ scripsit ad Caium Cæsarem, Augusti filium ardentem famâ Arabiæ, tradit contorti esse caudicis, ramis Aceris, maximè Pontici: ac succum Amygdalæ modo emittere, taléfque in Carmania apparêre, & in Ægypto satas studio Ptolemæorum Regnantium. Cortice Lauri esse constat: quidam & folium simile dixêre. Talis certè fuit arbor Sardibus. Nam & Asiæ Reges serendi curam habuêre. Qui mea ætate Legati ex Arabia venerunt, omnia incertiora fecerunt, quod iure miremur, virgis etiam Thuris ad nos commeantibus, quibus credi potest, matrem quoque teretem enodi fruticare trunco. Apud nos adulteratur Resinæ candidæ gemmâ perquàm simili. Probatur candore, amplitudine, fragilitate, carbone, ut statim ardeat: item ne dentem recipiat potiùs, quàm in micas frietur. Primæ vindemiæ Thus, Carpheotum: Secundæ, Dathiatum vocant. Quod ex eo rotunditate guttæ pependit, Masculum vocamus, cùm alias non ferè mas vocetur, ubi non sit fœmina. Masculum alij putant à specie testium dictum, præcipua autem gratia est Mammoso, cùm hærente lachrymâ priore, consecuta alia miscuit se. Græci Stagoniam & Atomum tali modo appellant, minorem autem, Orobiam. Micas concussu elisas, *Mannam* vocamus.

Incertum qualis arbor. Folio Pyri. Folio Lentisci. Terebinthus. Caudice contorto. Locus. Ramis Aceris. Succus. Cortex & foliū Lauri. Virga. Adulteriū. Delectus. Vindemia bina. Carpheotum. Dathiatum. Masculum. Stagonia. Atomum. Orobia. Manna.

Thus, inquit Dioscorides in ea gignitur Arabia, quæ Thurifera cognominatur. Primatum tenet in eo genere *masculum*, quod *stagonias* vocatur, naturaliter rotundum. Est autem tale non sectum, album & fractum, intus pingue, & ad suffitum accensum statim ardet. At Indicum suffulvum est, & lividum colore. Fit etiam ex industria rotundum. Secant enim ipsum in quadrangula frusta, & in fictilia coniectum tamdiu volutant, donec rotundam figuram acquirat. Tale verò tempore flavescit, & sectum, aut syagrum appellatur. Secundum locum habet *Arabicum*, & quod in Smilo nascitur, quod aliqui *Copiscum* vocant, & minus, ac fulvius existit. Dicitur & quoddam *Amomites*, alioqui album quidem, sed quod dum mollitur, velut Mastiche remittit. Adulteratur omne Thus, fraude tractatum cum Resina Pinea & gummi. Verùm facilis est dignotio. Gummi enim incensum in flammam non exardescit: Resina verò in fumum abit: Thus autem ardet. Sed & odor adulteratum prodit.

Oxutra. Stagonias. Indicum. Quomodo per adulterium rotūdum fiat. Syagrum. Arabicum. Copiscum. Amomites. Adulterium.

Cortex Thuris præstat crassus, pinguis, & odoratus, recens lævis, & non scaber, aut membranis oblitus. Adulteratur ammixto cortice strobilino aut Pineo. Sed & horum, index ignis est. Reliqui enim accensi non ardent, sed citra odorem in fumum abeunt. At Thuris cortex ardet, & cùm odoris gratia suffitur. Vritur autem & hic, velut ipsum Thus. Manna Thuris Μάννα λιβά-

Cortex. Adulteriū. Manna Thuris.

ra probatur alba, pura, & granulosa. Quidam adulterantes ipsam commiscent resinam Pini cribratam. & farinæ pollinem aut etiam Thuris corticem contusum. Sed & hæc igne deprehenduntur. Neque enim æqualiter & pari vigore ardebit, ut aëreum vaporem emittat, sed fuliginosum, & non purum: Sed & odoris gratia mixtum quendam odorem naribus offeret.

Delectus Galeni. *Adulteratio.* *Locus.*

Galeno etiam Thus optimum, quod masculum dicitur, subruffum, rotundum, & naturaliter leve, fragile, & si pinsatur, in miculas minutas, ut sabulum dissipatur, & quod ad ignem citò accenditur, ac odorem suavem, & copiosum emittit. Adulteratur resina pityina, & gummi & Thure commistis, & fit in speciem sinceri Thuris fortis. Iidem & Manna adulterant aliqui, lævigata resina pityina, vel farinâ, & cortice Thuris: & cortice nuclei Pinei. Sed deprehenduntur ita Thus enim quod resinam, vel gummi habet, si masticetur, fit quasi mastiche, & ad ignem non citò accenditur, nec talem odorem habet. Similiter & Manna, & cortex, si sincera non sint, tardiùs & fumosiùs incenduntur. Idem quoque libro de Simpl. med. hæc habet. Thus, lachryma est arboris, quæ in Arabia & India nascitur, quæ Græcè λίβανος dicitur: quod ergo de Arabiæ arbore manat, candidius est: quod de Indica, subruffum: Verùm utrumque Masculum appellatur. Est & tertium minutum valdè & ruffum, de quo maximè Manna conficitur.

Olibanum Konder. Tus unde dictum. Tus. Dendrolibanos. Libanotos. Libanos unde dictus. Fabula Græcorum.

Hoc aut à verbo Græco θύω, sacrifico: aut certè à tusis glebis, (aut, quod non aspernandum à contrito corde, quo offerri soleat) ita ut sine aspiratione Tus Latinè scribi debeat, deducitur. Arbor ipsa Libanos & Dendrolibanos: Lachryma verò Libanotos à Galeno dicitur. Euripides contra Libanum pro Lachryma, Libanoton pro arbore Thuris accipit. A iuvene Assyrio, cui nomen esset Libanos, in hunc fruticem converso, dictam Græci fabulantur, quem Deos studiosissimè colentem invidi occiderint, hinc nihil esse Diis Thure gratius. Oriri apud Sabæos Latimnum suffitu odoratissimum tradit Strabo: nec tamen quid & quale sit demonstrat.

Manna Thuris. Mammas depravatè apud Plinium. A Thure Manna differt. Thuris Chondrus. Thuris granum. Aethalon. Ethal. Petrus Crinitus redarguitur.

Habetur ergo Manna Thuris & cortex [μάννα καὶ φλοιὸς λιβάνου.] Manna Thuris (inquit Hermol. est Hyposisma: quod Plinius micas concussu elisas interpretatus est, ubi depravata dictione, Mammas non Manna vulgò legitur. Differt à Thure Manna, quòd plus adstringit propter corticis fragmenta, quæ remanent. Nam quod Thuris Chondros à Græcis dicitur: Nos Plautum secuti Thuris granum interpretamur. Subiungit idem coroll. seq. 87. Fuligo Thuris, Græcè Lygnis, & Æthalon, & Ethal nominata. Ast Manna Libani, dicit Monardus, Dioscoridis, non est nostra recentiorum Manna, ut voluit Petrus Crinitus l. de honesta voluptate.

Cortex Thuris. Marcell. repreh. Manna differentia. Serapionis error ab Amato.

De Cortice Thuris ita Amatus lib. 1. cap. 75. huic negotio dicato, tradit, dicens: Cortex Thuris, si corticosum Thus, lachryma Thuris crustæ coniuncta dicitur, quæ constringendi ac exsiccandi vires potentiores, quàm Thus habet, unde Marcellum Virgilium in hac re non rectè sensisse dicendum est, quum dicat, quod in cortice Thuris laudatur, Thus est. Idem ita differit: Manna Thuris Officinarum Olibanum est, non verò Arabum Manna. Quum huic laxandi; atque subducendi alvum vis inhæreat: illi verò adstringendi potiùs: unde Serapio hæc non animadvertens, utramque ineptè admodum confundit. At quum in hac re (ut Amati verbis utar) perplexior sit controversia, quàm quæ paucis explicari queat, non absurdum mihi fore videtur, si & Cornarij, & Cæsalpini verba hac de re hic subiecero, ut studiosi iuvenes legendo veritatem eliciant.

Manna Thuris. Atomum. Entomum. Tmetum. Atmetum. Gal. restituitur. Cortex. Manna Thuris. Delectus.

Vocantur igitur grana & micæ, quæ ex magnis Thuris glebis, unà cum ipsius Thuris cortice excutiuntur: & in hoc ipso Manna præstat Thuri, quæ ex ammixto cortice modicum quiddam adstringentis facultatis est adepta, ut docet Galenus, Item in Gal. lib. 5. de comp. med. sec. loc. cap. 1. Thus ἄτομον, non sectum, hoc est, masculum, & natura sua rotundum: quod enim arte fit rotundum, ἔντομον dicitur: appellantur & hæc genera τμητὸν & ἄτμητον. Item etiam lib. 10. cap. 3. λιβάνου ἀτόμου. Sic enim legendum, non λιβάνου ἄρτου, velut exemplar habet: posset tamen non minùs rectè λιβάνου ἄῤῥενος, id est, masculi, legi. Idem enim Thus est, quod & masculum & non sectum appellatur. Hæc Cornarius, sequuntur autem quæ Cæsalpinus memoriæ prodidit. Hodie ad nos, inquit, neque cortex per se advehitur, neque Thuris ramenta, quæ Mannam vocant, separata à Thure. Quondam cùm arte confingeretur rotundum, attritione pulverem fieri oportebat: idcircò separatim vendebant, sed promiscuè nunc cum Thure cortices venduntur & retrimenta: Probatur autem cartilaginosa Manna, id est, consistentia cartilaginea, non pulverulenta, ut Chondri, quam Alicam vocamus. Recentiores nomine Mannæ non Thuris retrimentum intelligunt, sed rorem melleum, quo ad purgationes utuntur.

Louan Arab. Conder. Ronder. Arbor duplex. Masculum. Melato. Pretium. Non adulteratur. Foliis Lentisci ess. Garcias not. Guilland. taxatur.

Garcias de aromat. tradit, Thus Arabibus *Louan* vocari, Avicennæ verò *Conder*, *resinam*, Serap. *Ronder*, corrupto vocabulo. A Lusitanis etiam se intellexisse arborem, quæ Thus producit duplicem esse: alteram montanam, alteram in planis nascentem; montanam optimum Thus proferre: in planis verò nigrum & improbum, quo cum aliarum arborum resinis permixto naves picent & oblinant. Atque has arbores illius Provinciæ Regi cedere, nec cuiquam colligere Thus licitum esse, nisi Regis permissu. Confluere verò eò Negotiatores ex Adem, Xael, & aliis Arabiæ locis, & cum Rege de Thuris quantitate, quam avecturi sint, de pretio convenire solêre, modò laudatum sit & legitimum, ac quod ipsi *masculum* vocent, eum *Melato* appellare. Laudatissimi autem inde etiam delati, vile esse pretium, centenas enim libras duobus duntaxat Lusitanicis aureis emi, improbúmque interdum cum optimo misceri, cui nonnunquam & corticum fragmenta inhæreant atque huc deferri, sed vilissimi esse pretij. Thus ideò nullam aliam adulterationem novisse. Nam quis quæso, inquit, id adulterare vellet, cùm tam vili ematur? Ac Thuris tandem arborem humilem esse & folia habere Lentisco similia. Sed hoc ultimum dictum infirmat Theophrasti authoritas, qui Thuris arborem folio Pyri, ut etiam Lauri, esse dixit.

Quis nunc cum Guillandino statuerit Abietes in Arabia Thure manare? Theoph. sanè Diosc. & Plinius, cum Neotericis peritioribus arborem sui generis veriùs pronuntiant.

Cæsalp. not.

Pertinaciter nimiùm, nostro equidem iudicio, asserit Cæsalpinus, arborem Thuris, quam Barbari Olibanum appellant ex nostris neminem vidisse, apudque Antiquos solum Theoph. descripsisse.

Pino similis Theveto.

Thevetus à Garcia dissidens, scribit arborem Thuriferam Pinus resiniferas referre, & succum fundere, qui tempore durescit, & Thus vocatur cum

cum quo granula reperiantur arenæ aut sabulo similia, quæ *Mannam Thuris* vocent. Multas autem insulas & regiones huius esse feraces, non solam Arabiam: & quibusdam in locis tam vulgarem esse, quàm Aurantiæ Malum in Galliæ Provincia: Thus tamen quod in Arabia crescat, & à *Pecher* & *Fartach* regni Aden oppidis deferatur, ut olim, ita etiam hodie, præstantissimum haberi, quod à priscis magna cum superstitione colligebatur.

Locus.

Duplex. Id verò duplex esse: Vnum, quod Æstate, & quamdiu Sol sub cane est, colligitur, candicans, purum, nitidum, pellucidum: alterum, quod Vere, rubescens, pondere, pretio, bonitate, & viribus superiore multò inferiùs, quia illud maturius, & à Sole sub cortice suæ arboris magis excoctum esse videatur.

Thevet. error.

Alboucor. Ac Arabes cultris arbores vulnerare, ut copiosior liquor effluat, quem *Alboucor* vocant. Nec non etiam ex iis arboribus quasdam sexaginta Thuris libras, & eo plus emittere. Ex his autem quæ Thevetus scribit, nihil minùs convenit, quàm quod ipsemet tradit arborem Thuriferam Pinus resiniferas referre: Iconi enim nostræ quæ ex eo desumpta est, cum Pinis nulla est similitudo.

Nomina. Thus ab Avicenna *Olibanum*, à Rhase verò Thus dictum. Λίβανος & Λιβανωτὸς Græcis dicitur, Lat. Thus, quod & arborem significat, & lachrymam, quam particulatim Germ. Weyrauch. Belg. Weyrooc/ Gall. *Encens*. Ital. *Incenso*. Hisp. *Encianso*, Boh. Kadidlo nominent.

Epitheta. Quia porrò lachrima hæc in divinis quoque sacrificiis & templorum suffimentis adhibetur, ideò variis eam Poëtæ Epithetis adornarunt, qualia sunt, Thus pium, votivum, sacrum, vaporosum, odorum, redolens, fragrans, odoratum, fumans. A loco quoque Panchaium, Sabæum, Eoum, Niliacum, Nabatheum, Panichæum &c. vocant: Sabell.

Sacrificis Nabathea focis dant Thura ministri.

Ovid. Metam.

Templa tibi statuam: solvam tibi Thuris honores,

Locus & tempus. Gignitur etiam Thus (Theoph. sermo est) in regione Arabum media (Theod. legit μέσῃ, alii μικρᾷ.) Nascuntur Thuris & Myrrhæ arbores, aliæ super montem, aliæ in radice montis, locis in eam rem excultis. Quamobrem aliæ coluntur, aliæ non. Montem autem aiunt præaltum esse & arboribus densum & nive tegi solitum. Amnes quoque de eo in plana fluere.

Incisionis tempus. Thus autem sub cane ferventissimis diebus incidi referunt. Quod & ex Plinio constat dicente. Meti semel anno solebat, minore occasione vendendi: iam quæstus alteram vindemiam affert, prior atque naturalis vindemia canis circa ortum flagrantissimo æstu, incidentibus, quà maximè videatur esse prægnans, tenuissimúsque tendi cortex. Autumno legitur in æstivo partu. Secunda vindemia est Vere, ad eam Hyeme corticibus incisis. Quidam & in insulis melius putant gigni. Iuba In insulis negat nasci Thura præter Arabiam, nullis, ac ne Arabiæ quidem universæ. Thuris arborem ab omnibus Arabibus non videri scribit idem Plinius: ac M.M.M. [Amatus legit C.C.C.] non ampliùs esse familiarum quę ius per successiones id sibi vendicent: quæ etiam ob id Sacræ vocentur: nullo præterea fœminarum, funerúmve congressu pollui cùm incidant eas arbores aut metant: ac ita religione merces augeri. Esséque tandem qui promiscuum iis populis ius in sylvis esse existiment: alios verò qui per vices annorum dividi.

Tradidit Dioscorides (testis est Matth.) præter *Arabicum* inveniri & *Indicum*, id tamen flavescere, quod indicat Thus & in aliis regionibus nasci præter illud, quod ex Arabia devehitur. Quod cùm Theoph. & Plinius satis compertum haberent, quamvis priùs scripsissent, Thus præter Arabiam nullis gigni: dixere tamen postea, quod ex relatu acceperant, id etiam nasci in quibusdam insulis: quod etiam benè annotat Hermolaus concludi posse ex Ovidio in Fastis dicente:

Thura nec Euphrates, nec miserat India Costum.

Thus non provenit in India autore Garcia. Ex Garcia quoque per universam Indiam Thus non nasci certissimum est: cùm quicquid Thuris hîc consumitur, & hinc in Lusitaniam invehitur, ex Arabia deferatur. Non possum ergo non mirari, inquit ipse, à quo Dioscorides (quem tamen & Avicenna sequutus est) Thus in India nasci acceperit. De Arabibus minùs miror, qui nigricantem colorem, quo Thus Indicum prædictum esse vult Dioscorides, Indum plerumque vocant, vt ex Myrobalano nigro, quem Indum appellant, patet.

Thus cur Indicum dictum?

An in novo Orbe proveniat. Thus solùm provenit apud Arabes. Scribunt tamen Hispani in novo Orbe etiam Thus inveniri, sed penès eos sit fides, ego certò de eo nihil pronunciare possum. Nunc Thus, vel Amati autoritate, ex regione *Syr* apud Indos cognominata ad nos portatur.

Vires & usus. Sed relictis disceptationibus, ad vires nos accingamus. Potest itaque, prout Diosc. in præsenti loco testatur, calefacere, adstringere, ea quæ pupillis tenebras obducunt depurgare: *Vlcera.* cava vlcera replêre, & ad cicatricem perducere, vulnera cruenta glutinare: omnem sanguinis eruptionem, *Cerebri membrana.* & eam, quæ ex Cerebri membranis contingit, cohibêre. Mitigat etiam vlcera maligna circa *Sedis vlcera.* sedem, & reliquas partes, tritum cum lacte & lineamento exceptum: *Verruca.* Verrucas formicarias & impetigines in principio tollit, cum aceto & pice illitum. *Ambusta. Perniones.* Ambusta item & perniones sanat, cum adipe porcino, aut anserino. *Vlcera capitis.* Vlcera capitis manantia cum nitro affrictum sanat: *Vngues.* Et vnguium reduvias cum melle: *Aures.* & aures contusas cum pice. Verùm ad reliquos aurium dolores, cum vino dulci infunditur. *Mamma.* Prodest etiam mammis à partu inflammatis, cum Cimolia & Rosaceo illitum. *Viscera.* Vtiliter itidem ammiscetur medicamentis, quæ ad arteriam & viscera præparantur. Et sanguinem spuentibus potum prodest. *Potum insaniam facit* At si à sanis bibatur, insaniam inducit: *Lethale.* Copiosius autem cum vino potum, etiam occidit. *Thus urendi modus.* Vritur Thus in fictili puro positum, & succensum à grumo de lucerna accenso, donec exuratur. Oportet autem post perfectam vstionem operculo integere, donec fuerit extinctum. Sic enim in cinerem non redigitur. Quidam æneum vas cavum in medio perforatum ollæ superponunt, ad fuliginem excipiendam. Alij in ollam crudam immissum, luto oblitâ ollâ, in fornace vrunt. Torretur etiam in fictili novo carbonibus ignitis, donec non ampliùs bullas edit, neque pinguedinem aut vaporem emittit. Facilè autem frangitur, quòd combustum non est.

Cortex Thuris. Porrò autem Cortex Thuris vim habet eandem, quam Thus, efficacior tamen est, & magis adstringit. Quare potus magis commodat sanguinem spuentibus, & fluidis affectionibus appositus. *Oculi.* Facit etiam ad oculorum cicatrices, cavitatésque ac sordes. Torrefactus autem etiam ad scabras lippitudines facit. *Manna.* Manna tandem vim eandem habet, quam Thus, sed magis remissè: *Fuligo.* Fuligo autem mitigandi inflammationes oculorum, sistendi fluxiones, repurgandi vlcera, & explendi cava, cópescendiq; carcinomata. *Fuliginis præparatio.* Fuliginem porrò

ita facito. Grumum Thuris singulatim forcipe comprehensum & de lucerna accensum, in novam fictilem cavam ollam imponito. Deinde æneum vas concavum in medio perforatum & probè extersum superponito; & juxta alteram ipsius partem, aut vtrasque, lapillos quatuor digitorum altitudinis subiicito, vt in vratur appareat, & vt locus sit semper alios grumos supponendi, prius quàm prior penitus extinguatur. Et hoc facito, donec satis multam fuliginem te collegisse putaveris. Assiduè tamen spongia ex frigida aqua externas ænei vasis partes detergeto. Ita enim omnis fuligo inhærebit, si non nimio feruore vas ipsum incalescat: alioqui ob levitatem dilabens fuligo, Thuris cineri ammiscetur. Derasâ itaque priore fuligine, idem quousque collibuerit facito. Sed & vsti Thuris cinerem seorsum colligito. Eodem modo paratur etiam fuligo ex Myrrha, & Resina, ac Styrace. Et ad eadem commodæ sunt. Sed & ex reliquis lachrymis fuliginem similiter colligito.

Thuris cinis.

Galenus per totam eius doctrinam, tanquam constringente medicamento in omnibus suis adstrictoriis medicamentis & compositionibus vtitur, velut apparebit ex mox adducendis eius aliquot locis. De simpl. igitur lib. 7. sicut & lib. de oculis part. 5 cap. 5. dicit: Thus excalfacit ordine secundo, desiccat primo, habet quoque adstringens pusillum, sed minimum manifesta est adstrictio: Cortex eius evidenter adstringit: proinde sanè strenuè quoque desiccat, adeò, vt ex secundo sit ordine completo desiccantium. Est autem crassiorum partium, quàm ipsum Thus, & minimè particeps acrimoniæ. Ob has ergo tum facultates, tum qualitates multus est eius vsus apud Medicos in hæmoptoicis, stomachicis, cæliacis, ac dysentericis, non tantùm iis, quæ extrinsecus applicantur, ipsum admiscentes, sed & iis, quæ intrò in corpus sumuntur. Fuligo eius tum siccioris, tum calidioris est facultatis, quàm ipsum Thus, adeò vt ad tertium vsque excessum perveniat. Habet verò etiam abstersorium quiddam. Itaque & eo nomine expurgare, & implere, quæ in oculis consistunt, vlcera videtur, velut & quæ ex Myrrha, & quæ è Styrace. Lib. autem 5. M. cap. 4. Est Manna medicamentum quod magis, quàm Thus adstringat. Thus verò, quàm Manna, magis emplasticum. Itaque magis tenax, ac (vt sic dicam) resinosius deligas Thus, oportet, cùm magis emplasticum esse medicamentum studebis: id sanè tum mollius est, tum albidius, tum quod mansum ritu Aloës & Mannæ non comminuitur, sed partes suas sibi cohærentes defendit, veluti Chia Mastiche. Idem lib. 3. M. cap. 3. Thus igitur vt ad humani corporis naturam, eiusmodi obtinet temperamentum, quod cum temperatis & mediis naturis consentit, humidiores autem paulò liberaliùs siccat, sicuti rursum iis, quæ ad summum sunt siccæ, paulò est humidius. Meritò itaque Thus in quibusdam tum vlceribus, tum naturis, pus quidem movet, carnem non producit: in quibusdam etiam carnem producit. Itaque si observaveris, rationi respondere eventa deprehendes. In humidiore namque natura carnem producere potest, in sicciore non potest. Præterea in modicè humidis vlceribus, carnem efficere potest: in iis, quæ præhumida sunt, non potest. Lib. quoque 11. M. cap. 5. Post excisam cutim, medicamento, quod Græci Mannam vocant, affectam partem implebimus. Est autem ea purgamentum Thuris, levi adstrictione prædita, atque hoc nomine etiam Thure ipso ad nonnulla vtilior. Thus enim puris tantùm movendi facultatem obtinet, vtpote nullam adstringendi vim habens. Magisque id facit, quod pinguius ex eo est, & magis albicans: sicuti etiam, quod flauum ex eo magis est, validiùs siccat. Mannæ verò etiam corticis Thuris paululum est admistum: vnde scilicet, adstringendi vim habet. Ipse verò cortex Thuris, tum adstringit, tum siccat insigniter. Itaque etiam ad moderatiores sanguinis perfusiones eo vtimur solo, sicuti etiam ad valentiores solo vsto, sed tunc & cribrato, & in mollissimum pulverem redacto. Lib. 5 de comp. med. sec. loc. cap. 1. Thus concoquit & pus mouet, si tanquam ad probè temperatam naturam respicimus, &c. Ipsi autem Galeno author fuit, magnus ille & admirandus Hipp. lib. 2. de fract. qui vtebatur Manna Thuris ad fracturam & contusionem narium, quâ de re hæc Galenus. Adde quòd inde etiam tenax esse hoc subactum farinæ velle Hippocratem, manifestum est: quod si huiusmodi non sit, Mannam ipsi, aut gummi misceri iubet. Manna autem Thuris succensio ac pollen nuncupatur, quæ si non affuerit, Thus ipsum, quod pinguius sit sumptum terere ad hunc vsum poteris. Ego porrò cùm neque Thus, neque Gummi suppeteret, liquidam resinam, quæ fortè aderat, adhibui. Sed si hæc quoque desit, melle vtendum est. Satius tamen est, si Mannam, aut Gummi imponamus: quippe cùm mel, & resina quodammodo calefaciant, id quod inter initia inutile est.

Temperamentum Galeno.
Cortex.
Vsus internus.
Fuligo.
Oculorum Vlcera.
Manna. Thus.
In quibus producat carnem, vel pus.
Manna.
Cortex Thuris.
Fractura & contusio narium.
Substituta.

Cæterùm quod Diosc. dicit, facilè frangi Thus, quod combustum non est, de eo dictum accipit Corn. quod & vri & torreri dixit Dioscorides. Torrefactum itaque Thus, quod combustum non est, facilè frangitur. Est enim inter boni Thuris notas, ut fragile sit, & non velut Mastiche remittat, dum mollitur: aut ut Plin. ait, ne dentem recipiat potiùs, quàm in micas frangatur. Porrò quod ῥευμάτων ... Diosc. dicit, non accipiendum est fœminarum fluxionibus solùm, subditum sive appositum commodare, sed omnibus etiam fluidis affectionibus: quum Galenus etiam de cæliacis & dysentericis id testetur. Intelligenda autem est vox πάθων in voce ῥευμάτων. Mannæ etiam non remissiorem, quàm ipsimet Thuri esse vim dicit Gal. contra Dioscor. Meth. lib. 13. sed aliquantò intentam magis, maximè in adstringendo, ob corticis Thuris ammixtionem. Et hoc ipsum idem Galen. 5. Meth. apertiùs declarat, ubi Mannam aliquando pro Thure se accepisse ait. Et mannam magis adstringens medicamentum testatur: Thus autem maiorem meatus obducendi vim habere, quàm Mannam.

Diosc. illustratur.
Galenus contrarius Diosc.

Matthiolus qui & ipse ex professo de plantis scripsit, thure, cui admixtum sit acetum & Oleum Olivarum, cutem malam, scabiosam & leprosam, si à balneo inungatur, puram & politam reddit. Cum vino dulci & calido in aures ulcerosas infuso, dolores tollit. Contra vomitiones verò recipit Thus, Mastichen & Aloën, singulorum partes æquales, contere in pulverem, hócque albo ovi & rosarum aquæ mixtum, stomacho imponit. Thus cum lacte non sine utilitate, facies à Sole combustæ inungit. Ad tenesmum Thus solum, vel adhibitâ pice nigrâ in ignitos carbones inicit, & fuliginem per posteriora ascendere sinit. Contra lippitudinem certissimum experimentum, recipit Thus album, huiúsque particulam cuspidi cultri imponit, & ad candelam incendit: incensum aqua Rosacea duo-

Scabies lepra.
Aures Vlcerosæ.
Vomitiones.
Combustio faciei à Sole.
Tenesmus.
Lippitudo.

duorum cochlearium extinguit, extinctum iterum incendit, ac aqua Rosarum vicissim mergit, idque trigesies iterat. Tum demùm mixtum aquæ Rosaceæ & lactis mulieris unius cochlearis, oculis instillat: lenit non solùm dolores: verùm etiam fluxum & rubedinem tollit. Sæpiùs probatum est, inquit. Verùm si necessitas exigat, priùs venam tundit, & corpus purgat. Et quoniam Dioscorides dixerit, Thus in secunda valetudine haustum, insaniam facere, & largiùs cum vino sumptum interficere, hinc Avicennam errasse credit, qui & depravatis sensibus, & abolitæ memoriæ Thus opem ferre tradiderit.

Avicenna [illegible]atur.

Consilium.

Nos consulimus, ut nulli affectui interno præscribatur: nec etiam in suffumigiis, si vera scripsit Diosc. de eius naturâ, quicquid dicat inferiùs Apollo. Sunt nobis alia tutiora medicamenta, pro roborandâ memoriâ, & adversus alios pravos affectus internos.

Galeni & Pauli lectio depravata. Fuligo.

Pergit Matth. In Galeni loco citato non solùm Gerardi Gaudani versio reprehendenda (quod tamen Interpreti vitio minimè dandum est) sed etiam in Græcis tum ipsius Galeni, tum Pauli codicibus communis lectio depravata videtur, quippe ubi in Thuris capite legitur apud Galenum, ὁ [illegible], hoc est, ut vertit Gerardus, Ramus eius tum siccioris, tum calidioris est facultatis, quàm ipsum Thus, rectiùs legendum putaverim: ἡ αἰθάλη αὐτοῦ, hoc est, Fuligo eius. Quæ quidem lectio, primo Dioscoridis testimonio comprobatur: qui præterquam quòd ramorum non meminit, ipsi Thuris fuligini, non ramis, tum expurgandi, tum implendi, quæ in oculis consistunt ulcera, facultatem inesse testatur. Deinde Galeni ipsius lib. 7. de fulig. scribentis, Thuris fuligine utuntur, in ocularias medecinas mistâ. Ac etiam Serapionis: qui cum hunc Galeni locum suo tempore legitimum, & incorruptum haberet, quæ hoc Galeni loco nostra ætate de Thuris ramo leguntur, ea ipse Galeno accepta referens, de Thuris fumo seu fuligine legit. Nec non ipsius Ætij tametsi Paulus, vel suâ vel Librariorum culpâ hic mendâ non vacet.

Locus Galeni restitutus.

De hoc verò & Amatus vir non mediocriter doctus, inter recentiores connumerandus, ita loquitur: Thuris maximus est usus in lustrandis mortuorum cadaveribus, & mirum dictu, ut hic mos per omnes ætates inter omnes ferè gentes & religiones inoleverit.

Ad lustrationem cadaverum.

Vnde sic Stat. 1. Theb.

Coniugis ara tuæ cumulo cur Thuris Eoi
Læta calet.

Et Ovid.

Aspicit ara preces, votiváque Thura piorum.

Thus nigrum.

Non deest, inquit Apollo, nigrum Thus omnium ignavissimum, quo tamen in ceratis, alijsque extra admovendis, ne dicam uti, sed abuti consuevêre, ac si topica humanæ vitæ emolumento futura negentur, quum tamen ex deteriori hoc compositis, vulnera non coalescant, non cicatricem ducant, & putredini obnoxia reddantur. Quidam etiam rubrum Thus, in India gigni memoriæ prodidêre. Cæterùm in Latino volumine Matthiolus, Avicennam errasse sibi persuasit, quòd depravatis sensibus, & abolitæ memoriæ Thus opem præstare tradidit, quum ex Dioscoride in secunda valetudine haustum, insaniam faciat, & largiùs cùm vino sumptum interficiat.

Contra Matthiolum pro Avicenna.

Garcias autem de Thuris usu hæc scribit. Multus est Thuris usus apud Medicos Indicos in unguentis & suffimentis. Nonnunquam & in corpus assumitur ad varios capitis affectus, & alvi profluvia. Sed maxima Thuris pars hinc in Olivarum regionem exportatur (quoniam isthic plurimùm eo utuntur) & in regiones Malacæ vicinas.

Alvi profluvium.

Porrò ad memoriam hîc revocandum est, quod præter Dioscoridem, Thus in secunda valetudine haustum insaniam movere, nullus alius Græcorum scriptorum, quod Hist. Lugd. sciat, prodiderit. Contra verò Avicenna notarit, Thus conferre rationi, ipsamque corroborare, & esse quosdam, quibus præcipitur, ut eius infusum bibere assuescant ieiuni, sed eius usum plurimum dolorem capitis excitare. Nec Dioscoridi omni ex parte contrarius Avicennas: Si enim ille dixit, Thus largiùs cum vino potum, interficere. Avicenna etiam usum eius plurimum cum vino interficere pronunciavit ac similiter cum aceto. Vnde etiam Serapio locum Dioscoridis sic convertit: Et quando bibunt de eo sani, parum meliorat eos, sed si nimis cum vino biberint, inducit maniam, & ampliùs cum vino occidit.

Diosc. locus suspectus.

Diosc. corrigitur.

Pulvis ex Thure carnem gignit (inquit Clem. Clementini lib. 1. de Med. mat. virt. & compos. cap. 7.) & cooperit ossa denudata, post digestionem & abstersionem sanici, & maximè valet in fractura cranij. ℞. Thuris, Sarcocollæ, Ireos, sanguinis Draconis, Myrrhæ, Aristolochiæ longæ ana drach. sem. fiat pulvis. Electuarium verò (teste eodem cap. 5.) Thurinum constringit vomitum & fluxum, calefacit & confortat omnia membra, & virtutes naturales, reducit gustum, & resolvit ventositatem. ℞. Granor. Myrti unc. iij. Fl. Rorismarin. drach. ij. Myrobal. Indor. Embl. Bellyric. adustor. ana. drach. j. & sem. Thuris, Rosar. Costi, Spicæ, Nucis Mosch. Calam. arom. Garyophyll. Macis. Cardamom. Nasturtij. Balaust. Cort. Citri, Fol. Tamarisc. ana. drach. j. Zingib. drach. sem. Bull. parum in optim. vino, & exsiccentur & postea bulliant cum succo Citoniorum in olla vitreata & exsiccentur & subtilissimè terantur & conficiantur cum miva Citoniorum, vel Sapa, & dentur drach. ij. cum aq. chalybeata.

Pulvis ex Thure.

Electuariũ.

THVRIS LIMPIDI
FOLIVM.



Rarum est folium, & quod spectatorem in sui admirationem rapiat, è Floridâ sine nomine delatũ, glabrũ, pediculo fibroso, & fungoso, & quâ parte à matre avulsus fuit, canulato, quatuor ferè unciarum, à quo ad extremum porrigitur dodrantale folium, latitudinis circiter uncialis, venulis rectis striatum, ex fusco rubescens nonnihil, ex geminis commissum membranis

Descriptio folii.

Locus.

continuis, infundibulum (cuius apex ad pediculum) faciens, atque ita geminæ illæ tunicæ à cucullato vertice tantam efficiunt cavitatem, quanta ipsarum est latitudo: paullatim verò descendendo minorem relinquunt, sic ut pediculum versus cavitas ultra medium non protendatur, coëuntibus in reliquo medio tunicis. Pars folij suprema in latere scissa, situm histriônis deformem ostentat, supra quem quod superest folii cucullum imitatur. Interior infundibuli facies russa est, & hirsuta.

Descript. Lobel. Thuris. Convenit autem hoc folium, cum eo, quod Lobel. & Pena in Adv. pingunt & describunt in hunc modum. Thuris limpidi, pellucidi & resinæ Cedriæ æmuli, nitorem puritatemque Succini assecuti, nobis & visendi & habendi fuit copia multis in locis, quod non perperam Dioscoridis notis quadrat, si notas, usumque perpendas: nam & dum adoletur suavissimum habet odorem, & vulneribus, tumoribusque, discutiendi vi, nonnullà relictà adstrictione, ad robur partis, opem certam fert. *Vis.* Rupellæ occidui maris quadriennium fermè est, cùm doctus Medicus Launatus nos gummi illius glebis, arboris fructu & folio donavit: asserebat nihil tamen, sed sibi relatum à nautis utrumque, trunci Pino similis sobolem esse, at folium, quia valdequàm rarum, neque dum ab ullo depictum, hîc dedimus, magis sciscitaturi, sitne resiniferæ plantæ, quam asserturi. *Descript. folij.* Est namque, quod raro contingit aliis, ab imo pediculo ad summum usque cuculli verticem duplicatum, quasi ex glumis conflatum tenuibus tunicis, vagina sesqui palmum longa, instar infundibuli, hiantis histrionis speciem præ se ferentis, supernè v. galeata videtur, quod de floribus Napelli & Lonchitide, non de foliis ullis, memorant auctores. *Icon.* Hæc Adversaria, ex quibus petitam figuram, cum nostra coniunctam, damus.

SARCOCOLLA OFFICINARVM.

Cap. XXXI.

Descript. Sarcocollæ grumi, albicantes, aut ex albo russi sunt, spongiosi, micis lucentibus subinde mistis: globosarum lachrymarum fragmina Pisi, aut parvæ Avellanæ magnitudine, tanta est enim fragilitas, vt in pulverem crassiusculum, vel concussu leui frietur. *Sapor.* Saporis amari cum quadam ingrata dulcedine obscura: Sub dente lentescit, & candelæ admota primùm bullat, postmodùm in claram flammam exardet: admista reperiuntur aliquando folia ex candido flavescentia, Tithymali Myrsinitis folia sicca egregiè referentia.

Descript. Cæsalp. Hanc Cæsalp. sic describit: Sarcocolla inter lachrymas affertur minutissimis guttis constans, veluti sudore concreto, friabilis, subcandida, aut subrussa: sapore subamaro ac medicamentoso; in igne difficile ardet: attollitur in spumam, odore ingrato: de ea Diosc. Plin. & Mes.

Thuri similis Diosc. Vires. Adulterium. Delectus. Plinio. Dioscoridi lachryma est arboris in Perside nascentis, similis Thuri tenui, subfulva [ad ruborem inclinans] in gustu amara. Vim habet glutinandi vulnera, & cohibendi fluxiones. Miscetur & Emplastris: adulteratur gummi ammixto. Verùm Plinio ea potiùs alba laudatur. Scribit enim esse qui & Sarcocollam spinæ lachrymam putent, pollini Thuris similem, cum quadam acrimonia dulcem [in hoc à Dioscoridis & Galeni placitis maximè abscedit Plinius.] *Vires.* Cùm vino tusam sistere fluxiones; illini infantibus; vetustate & hanc maximè nigrescere: meliorem verò quò candidiorem. Lachrymam hanc, inquit Matthiolus, Sarcocollam dixere Græci: quoniam sicuti glutinum lignum, ita hæc sauciatam exulceratámve corporis carnem agglutinet. Quæ autem ad nos advehitur, non omnis legitima est: quippe quòd ea plerumque (vt de aliis quoque pluribus Lachrymis, resinis, & liquoribus fieri superius diximus) gummi, & alterius generis lachrymis adulterata deferatur, & talis in officinis inueniatur. Verùm fraus gustu facilè deprehenditur: quandoquidem, quæ amara non est adulterium sensit.

Sarcocolla qualis apud Mesue. Plinio adstipulari videtur Mesue dicens: Sarcocolla, est arboris fruticosæ, spinosæ, ramis nodosis arbori impressis, gummi album, Thuris modo, vel pallidum, idque amarius, & ob id valentius. Calfacit ordine secundo, siccat minus, coquit, terget, aperit, digerit, vulnera etiam vetera, putrida terget, carne implet, glutinat [unde illi nomen.] *Temperamentum. Vulnera. Humores crassi. Asthma. Sperma. Oculorum morbi.* Purgat pituitam crudam, & humores alios crassos, præcipuè à cerebro nervis, iuncturis, ut ischio, & pulmonibus. Ob id senibus, pituitosis, asthmaticis, tussientibus prodest, sed calvitium accersit, corpus impinguat, & sperma auget. Diosc. Ophthalmiam & lippitudinem, & alios oculorum morbos, mirè iuvat nutrita in vase vitreo dies quinque in lacte asinæ, novo quotidie affuso. *Aurium ulcera.* Aurium ulceri putrido, & sanioso utiliter imponitur, linamentum mulsa mersum, & pulvere huius inspersum. Datur cum Zingibere & Cardamomo, ut citiùs & valentiùs agat, vel his Catapotiis Haly senis. *Pilula de Sarcocolla.* Sarcocollæ ℥ iij. Turbith. ℥ iiij. Medullæ Colocynthidis Zingiberis an. drach. j. ß. Salis gemmæ drach. j. Sarcocollà in aqua Rosarum solutâ, fiant pilulæ in dicta opera efficacissimæ. *Noxa.* Ventriculo calido & bilioso est nocentissima Sarcocolla: ubi id vitanda picrocholis est: aliis datur à drach. j. ad ij.

Græcis unde dicatur. Antiqua nigra. Sed notas has habet in hunc textum Sylvius. Quòd carnem glutinet Græcis dicta, tanquam sit carnis colla, nam vulnera glutinat, & sine morsu siccat Gal. Albam rufæ præfert Plin. & annis nigrescere scribit. Aliis primo aut circiter calida videtur, nam Dioscoridi subamara, Plinio cum quadam acrimonia dulcis, Galeno emplastica, & parum amara dicitur, siccans sine morsu. *Emplastica. Ophthalmia.* Sperma verò augere, non legit in Diosc. Ophthalmias discutere expertus est Manardus, vbi hæ constiterint: initio enim cum vino fluxiones oculorum tusa sistit Dioscoridi & Plinio. *Purgandi vis veteribus incognita.* Inquit præterea, Sarcocollà veteres tantùm vsi sunt foris, purgatricem autē vim non dederunt, quæ etiam hodie parum est cognita. Si purgat, & ventriculo calido est noxia, impinguare videtur tantùm per accidens: tractatis scil. excrementis, probam nutritionem impedientibus, id quod aliis purgantibus est commune: sed dum correcta est lacte asinino, calida humida evadit, ac ob id semen augere & promovere potest. *Corrigunt.* Hanc dies quinque asinino lacte, in dies mutando, macerant: post aqua Rosarum dissolvunt, vt castigent. Huc vsque Sylvius.

MYRRHA IN GENERE.

Cap. XXXII.

Genera. Tria aut saltem vno plura Myrrhæ genera etiam Veteribus fuisse cognita, Hippocratem de superfœtatione & natura muliebri satis

continuis

Smyrna prima. Myrrha Calisia.

demonstrare ducimus, dicentem: Σμύρναν πρώτην, aut Myrrham Calonium suffire convenire, rosaceo affuso ad veteri procidentiam.

Arbor Arabica.

Cæterum, ut quæ, & quot sint Myrrhæ generà clarius fiat, in genere nonnulla de his præmittere conveniet, initium petituris à Dioscoride. Est igitur huic Myrrha lachryma arboris, nascentis in Arabia, similis Spinæ Ægyptiacæ. Quæ ubi inciditur, defluit lachryma in substratas tegetes, partim etiam circum truncum concrescit. Et quædam ex ipsa Pediasimos appellatur, pinguis, quæ dum exprimitur, stacte excipitur: quædam Gabyrea pinguissima, in fœcundis ac pinguibus locis nascens, quæ etiam multam stacten remittit. Primas obtinet Troglodytica, à regione ipsam producente appellata, quæ subviridis [ὑπόχλωρος, melius ut puto vertendum subalbida Cæsalp.] pellucida & mordax est. Colligitur etiam quædam alba, quæ post Troglodyticam numeratur, mollis ut Bdellium, gravi aliquantulum odore, in apricis locis proveniens. Quædam Caucalis vocatur, exoleta [ἐξίτηλος] nigra, tosta [κεκαυμένη.] Pessima verò inter omnes Ergasima appellatur, friabilis, non pinguis, acris, & aspectu, & viribus gummi referés. Sed Amminea [ἀμιναία] vocata reprobatur. Sed & expressiones ex ipsis fiunt, à pinguibus odoratæ & pingues: à siccis, neque pingues, neque odoratæ, sed inefficaces, eò quòd oleum assumpserunt in efformando. Adulteratur gummi macerato in Myrrhæ cremore. Elige recentem, friabilem, levem, undequaque concolorem, & quæ in frangendo, albas, ad unguium speciem, læves strias intus habeat, & quæ in parvam glebam coacta est, amaram, odoratam, acrem. Quæ verò gravis est, & colore Piceæ [vide sub proprio titulo] inutilis est. Hæc Diosc. qui Smyrnii semen dicit esse sapore Myrrhæ. Et: inveniri styracis lachrymam gummi similem, pellucidam, Myrrham odore referentem.

Pediasimos. Stacte. Gabyrea. Troglodytica. Alba, mollis. Caucalis. Ergasima pessima. Amminea reprobatur. Exprimitur ad oleum. Adulteratio. Delectus. Amara. Smyrnium. Styrax odore Myrrha.

Cornarius in notis in Diosc. asserit falsò legi ἀμιναία pro μιναῖα, non solùm hic, sed etiam multis in locis, apud alios Græcos Medicos. Vt pote Galeno, Aetio, Paulo atque aliis. μιναῖα autem à loco, ubi nascitur, appellata est Myrrha, velut Gal. lib. 1. de antidotis testatur, eandem asserens esse Troglodyticam ac Minnæam. Vnde magis mirum est, inquit, Dioscoridem tradere Troglodyticam Myrrham primas tenere, Minnæam, Aminneam illi dictam, verò reprobam esse: Cùm etiam Plinius lib. 12. cap. 16. Troglodyticam primam faciat, inter Myrrhæ genera, Erythream verò & Minnæam secundam, quibus generibus adhuc alia quattuor deinceps annumerat. Idem certè Plinius [addit] Thus Minnæum, à Minnæorum pago dictum tradit, eiusdem lib. cap. 14. ut certum sit Minnæam, & non Aminneam Myrrham appellari, quum in iisdem proveniant locis, Thus & Myrrha, eodem teste. Sed nobis mirum sanè videtur, quomodo fieri potuerit, ut tot locis mendum sit.

Diosc. textus falsò legit ἀμιναία pro μιναῖα

Theophrastus Myrrham sub cane, ferventissimisque diebus incidi refert. Locum autem ubi gignatur Myrrha esse regionem Arabum mediam [μέσην] circa Sabe & Adramyta, & Citibæna, & Mamati. Nasci quidem Myrrhæ arbores quoque alias super montem, alias in radice montis, locis in eam rem excultis. Quamobrem alias coli, alias non. Montem autem præaltum esse & arboribus densum [δασύ] & nive tegi solitum. Amnes quoque de eo in plana fluere. Myrrham minorem altitudine [Thuris scilicet] fruticosioremque: caudice duro, contortóque iuxta terram, crassioremque surâ hominis. Corticem verò habere lævem, similem τῷ ἀνδράχνῃ. Alios verò qui se vidisse affirment, de magnitudine, ferè non consentire, neutram earum arborum magnam referre, minorem verò Myrrham, & humiliorem. Folium habere Thuris. Sed huius Laurinum & læve [λειόφυλλον] Myrrhæ autem aculeatum & non læve: Folium etiam simile habere Vlmo, [τῇ πτελέᾳ, Hermolaus & Ruellius suspicantur cum Plinio legendum τῇ ἰλεῖ] τραχύτερον, ἐξ ἀκάνθου spinis horridum, ut Ilicis φύλλον. Esse autem & caudices & ramos incisos, sed alios veluti securi percussos videri: alios tenuiores incisuras habere. Lachrymâ verò aliâ decidere, aliam arbori inhærere: Alicubi subiectas tegetes ex palmis contextas: alibi solum circum pavitum purum esse.

Tempus incisionis. Locus. Culta. Descriptio Myrrha arboris. Caudex. Cortex. Folium Thuris.

Tradit præterea idem Theophrastus montem universum Sabæis divisum. Hósque illius loci Dominos esse, iustitiáque mutuâ degere, quamobrem nullum suas arbores custodire. Vnde & Thus & Myrrham sese largè ad naves, cùm solitudo [ἐρημία] foret, deportasse. Eosdem quoque audivisse, Myrrham, Thúsque collectum, undique ad Solis delubrum convehere, quod Sabæorum sit sanctissimum inter omnia regionis illius, ac custodes Arabes armatos habere, singulósque suum Thus acervatum, & Myrrham eodem modo relinquere, positâ super acervum tabulâ, scriptam habente multitudinem mensurarum & pretij, quod pro singulis mensuris ponendum sit. Mercatores verò venientes illuc, tabellas advertere, eiúsque quod placuerit, ubi mensi fuerint, pretium in eodem ponere loco, unde merces acceperint: sacerdotem deinde venire, partéque tertia pretij Deo acceptа, reliquum ibidem relinquere: idque servari tutissimè Dominis, donec acceptum venerint. Item hanc arborem similem esse Terebintho, alios etiam quosdam dicere: Alios verò omninò esse Terebinthum. Dicere eos, qui ab Arabibus Thus advexerint, attulisse se ligna huius arboris Antigono, quæ nihil differant à Terebintho, sed hos quidem alterâ ignorantiâ quoque longè quidem maiore laborare, qui Thus & Myrrham ex eadem arbore nasci putarint. Myrrham adhæc aliam quandam stillatitiam, aliam fictitiam, probarique meliorem gustu, & postea concolorem accipi. De Thure & Myrrha hæc ferè se accepisse. Ac tandem testatur ex Hipposelino nasci lachrymam similem Myrrhæ, quam quidam omninò Myrrham dicant.

Locus: Maxima fidelitatis exemplar. Sabas. Arbor similis Terebintho. Terebinthus. Ligna. Stacte.

Galeno (lib. de simpl. med. facult.) Myrrha lachryma est arboris eiusdem nominis, quæ maximè in Arabia invenitur, quæque aliquo loco incisâ, hanc ipsam lachrymam emittit. Est ei optima Myrrha, quæ mundissima & tacta quidem aspera, & arida, & fragilis, & levis, & globulis pusillis, extrinsecus uno colore, intrinsecus deinde subrussa, & veluti venulas habens albicantes, odore suavi, gustu amara & excalefaciens. Hanc in montibus inveniri scribit. Colligi alteram autem Myrrham in planis, quæ & ipsa sit melior & pinguior, quámque exprimere in liquorem soleant. Quod illius quasi liquidissimum est, in vascula reponi, & Græcis Myrrham appellari. Verùm, omnem esse stypticam, & acrem, & excalefactoriam. Huius itaque effectus vehementer commovere posse. Hanc nequaquam cognitu difficilem hisce, qui priùs viderint. Novisse tamen opus esse, Myrrham, quam vulgò Troglodyticam appellent, antidotis ido-

Myrrha Galen. Delectus. Myrrha altera. Myrrha stacte. Myrrha Troglodytica.

Digitized by

mena esse. Hanc quidem ... vocant, à loco, in quo optima nasci feratur. Maximè verò hanc bene olere, nec *Opocalpasi* quicquam admistum habere.

Nos de hoc Opocalpaso plura postea ex Galeno, & aliis, vt & de eius veneno, ubi ostendemus oportuisse Galenum, alioqui Asiaticum, descripsisse & demonstrasse differentiam inter Myrrham & Opocalpason.

Myrrha ... Nunc historiam arboris Myrrham ferentis quam hactenus recitati diminutam dereliquerunt, Plin.cap 15.lib.12. complet, dicens: Myrrham in iisdem silvis [cum Thure] permixta arbore nasci tradidêre aliqui, plures separatim. *Locus.* Quippe multis in locis Arabiæ gignitur, ut apparebit in generibus. Convehitur & ex insulis laudata, petúntque eam etiam ad Troglodytas Sabæi transitu maris. *Sativa.* Sativa quoque provenit, multùm sylvestri prælata. Gaudet rastris atq; ablaqueationibus, melior radice refrigerata. *Arboris descript.* Arbori altitudo ad quinque cubita, nec sine spina, caudice duro & intorto, crassiore, quàm Thuris, & ab radice etiam, quàm reliqua sui parte. Corticem lævem, similémque unedoni: [Theoph. Adrachne] scabrum alij, spinosúmque dixere. *Folio Oleæ aculeato. Olusatri. Iuniperi.* Folium Olivæ, verùm crispius & aculeatum. Iuba Olusatri. Aliqui similem Iunipero, scabriorem tantùm, spinisque horridam, folio rotundiore, sed sapore Iuniperi. *Mendaciū quorundā.* Nec non fuêre, qui è Thuris arbore, utrumque nasci mentirentur. *Incisio.* Inciduntur bis & ipsæ, iisdémque temporibus, sed à radice usque ad ramos, qui valent. *Stacte sudat sponte.* Sudat autem spontè priusquàm incidatur, Stacte dicta, cui nulla præfertur. Ab hac sativa, & in sylvestri quoque melior æstiva. Non dant ex Myrrha portiones Deo, quoniam & apud illos nascatur. Regi tamen Gebanitarum quartas partes eius pendunt. Cæterò passim à vulgo coëmptam, in folles confarciunt, ipsique Vnguentarij digerunt, haud difficulter odoris atque pinguedinis argumentis.

Genera. Troglodytica. Minæa. Dianitis. Collatitia. Sembracena. Dusaritis. Candida Troglodytica. Genera verò complura Myrrhæ. Troglodytica sylvestrium prima: sequens Minea, in qua & Atramitica est & Ausantis Gebanitarum regno. Tertia Dianitis. Quarta Collatitia. Quinta Sembracena, à civitate regni Sabæorum mari proxima. Sexta, quam Dusartim [Dusyritin CH.] vocant. Est & candida uno tantùm loco, quæ in Messalum Oppidum confertur. Probatur Troglodytica pinguedine, & quòd aspectu aridior est, sordidáque ac barbara, sed acrior cæteris. *Sembracena* Sembracena prædictis caret vitiis, ante alias hilaris, sed viribus tenuis. *Delectus Vngues albi. Leviter amara.* In plenum autem probatio est minutis glebis, nec rotundis, in concretu albicantis succi, & tabescentis: atque fracta candidos ungues habeat, gustu leviter amara. Secunda bonitas intus varię. Pessima intus nigra: peior si etiam foris. *Pretium. Adulterū. Detegendi adulterij modus.* Pretia ex occasione ementium varias. Adulteratur Lentisci glebis, & gummi. Item Cucumeris succo amaritudinis causa, sicut ponderis, spuma argenti. Reliqua vitia deprehenduntur sapore gummi dente lentescentis. *Indica.* Fallacissimè autem adulteratur Indica Myrrha, quæ ibi de quadam spina colligitur. Hoc solùm peius India affert facili distinctione. Requiescit hîc Plin.

Myrrha sacrarum paginarum. Nominata hæc quoque Myrrha in sacris paginis: Vt Ecclesiastici cap. 24. Tanquam Cinamomum & tanquam pila aromatica, & tanquā Myrrha electa emisi odorem bonum. Tanquam Galbanum & Onyx, & Stacte, vtque Thuris nidor in tabernaculo. Exod. cap. 30. Tu autem accipe tibi aromatum præstantissimum, myrrhæ ingenuæ Siclos sacros quingentos & Cinamomi odorati dimidium eius, id est, ducentos & quinquaginta: & calami odorati ducentos & quinquaginta, & Cassiæ quingentos, prout est pondus sacrum: Et olei olivæ Hinem. Et parabis ex illo Oleum vnctionis sacræ, vnguentum vnguentariæ opere vnguentarij: Oleum vnctionis sacræ esto: Eoque vnges tentorium conventus, & aream testimonij. *Et paulò pòst.* Edixit Iehova Moschi: Accipe tibi aromata Stacten & Onychen & Galbanum, Nardi folia cum Spicis, & Thus purum: vnumquodque solum cum altero solo esto: Et parabis ex eo suffitum, &c. *Res sancta sanctarum esto vobis.* Et Euangelij secundum Iohannem cap. 19. Venit autem Nicodemus, (is qui venerat ad Iesum nocte primùm) ferens misturam Myrrhæ & aloës libras quasi centum. Meminit huius ad extremum D. Hieron ad principium expl. Ps. 44. Myrrha & gutta, & cassia à vestimentis tuis. Quotidie Christo offers Myrrham, Christi bonus odor es & propterea Stacten, id est, Stellam, vel Guttam exhibes Domino. *Stacte flos Myrrhæ.* Narrant & ij, qui aromatum novêre virtutes, Stacten florem esse Myrrhæ. At vbi in nostris Codicibus Scriptum est Gutta vel Stacte, in Hebraico Ahaloth legitur.

Aequivocationes, adulterium, & substitutum. Sed tempestivum, ut æquivocationes, adulteria & substituta adumbremus. Volunt itaque intelligi & Myrrham *Stacten*, & *Succum*, vel liquorem *Myrrha*, de quo mox: Alij verò Myrrham Bœoticam. *Myrrha Stacte. Myrrha Bœotica. Bdellium. Opocalpasum. Belzuinum. Animæ.* *Bdellium* quidam Myrrhæ genus censent, vt suo capite paulò pòst demonstrabitur. Sub suo titulo quoque de Myrrha venenata (*Opocalpasum* Galeno dictâ, & quæ cum Myrrha reperitur) tractabitur, quæ & ipsa nonnunquam pro legitima Myrrha habetur. Præterea Belzuinum quidam Myrrhā Troglodyticam existimant, quæ opinio displicet. Animæ insuper Indicum, quidam Myrrham Mineam, sive Ammineam putant, vt Amatus, quibus non assentimur. Nunc & Myrrhæ Stactæ fæx, inquit Sylv. *Styrax rubra.* Styrax rubra dicitur Arabum fanulhæ. *Styrax liquida.* Adhæc dicit: Myrrha Stacte multò rarior ipsâ Myrrhâ est, nam quæ Styrax liquida vulgò dicitur, si vera esset, Myrrha fuerit Stacte: sed cùm odore sit teterrimo, à Myrrha alienissima res est. *Adulteratur Gummi.* Hæc insuper (teste Diosc. & Plin.) adulteratur Gummi, vt antè demonstratum, quod nos sæpiùs observavimos, ac vidimus ignaros pharmacopœos, eligentes pro meliori Myrrha: verùm id facilè distingui potest: gustatum siquidem amarum non est, vel parum vstum crepitat, nec liquescit, lucidius quoque quàm Myrrha, quòd aqua liquescit; ac viscidum redditur. *Lentisci glebis. Cucumeris succo. Spuma argenti.* Sed & antè ex Plinio ostendimus, adulterari Lentisci glebis, Cucumeris succo, & spuma argenti, vbi etiam traditur, quomodo adulterium deprehendi queat. Scribit & Theophrastus ex Hipposelino nasci lachrymam similem Myrrhæ, quam alij omnino dicant Myrrham. Plura qui volet hac de relegat librum vmbelliferarum capite de Hipposelino.

Substituuntur calamus odoratus. Cæterò, vbi Myrrha deest, Galenus in succedaneis, si tamen liber is Galeni est (nobis enim, ait Matth. spurius censetur) odoratum calamum substituit: *Amygdala amara.* Constantinus autem Amygdalas amaras. *Piper nigrum.* Myropolæ verò nullo pacto sequuntur doctrinam eorū, qui iubent Avicennæ autoritate malè intellectâ, Myrrhę loco piper nigrum supponere. Namque Aviten. hanc sententiam refellit, cùm vtatur his verbis: pro Myrrha substituendum Piperis nigri dimidium aliqui perhibent, sed hoc falsum est.

Myr-

Nomina. Myrrha, græcis [illegible], Arab. Mer, Mur, seu Mor, *Mirrha* Italis, Myrrhen germanis, & *Myrrhe* gallis, Indis *Bola*, *Mira* Hispanis.

Epitheta. A Poëtis cognominatur *Arabs*, *Achæa*, *Assyria*, à regione: *Orontea* & Orontis ab Oronte, *Cinareia* & *Cynareia* à patre cui concubuit, ac ideò etiam *libidinosa*, *incesta*, *scelerata*, *læva*, *maculosa*, & *lachrymosa*: adhæc *pinguis*, *fulva*, *olens*, *stillata*, *stillans* & *decora*. Fabulantur autem Poëtæ fuisse

Fabula. Myrrham Cynaræ Cypriorum regis filiam, quæ patri suo concubuerit: ex eoque coitu susceperit Adonidem, quæ postea cùm pœnitens factum defleret, in plantam sui nominis Deorum commiseratione commutata sit. De hoc incestu Ovid. lib. 10.

Accipit obscœno genitor sua viscera lecto,
Virginei que metus levat, hortaturque timentem.
Plena patris thalamis excedit, & impia diro
Semina fert utero, conceptaque crimina portat.

De eadem Prop. lib. 4.

Crimen & illa fuit patriâ succensa senectâ,
Arboris in frondes condita Myrrha novæ.

Vires. Myrrhæ vires refert Dioscorides his verbis: Vim habet excalfaciendi, soporem inducendi, glutinandi, siccandi, adstringendi: mollit etiam Uterus. uterum conclusum & aperit. Ducit item menses & fœtus celeriter cum Absynthio, aut Lupinorum cremore, aut Rutæ succo apposita. Sumitur etiam & pro catapotio magnitudine Fabæ, ad Thorax. tussim veterem, & erecta cervice spirationem, & Suspiria. lateris ac thoracis dolorem, alvique solutionem, Febres. & dysenterias. Solvit quoque rigores, duabus horis ante accessionem cum Pipere & aqua magnitudine Fabæ pota. Arteriæ etiam asperitatem, Arteria. & vocis raucitatem corrigit, linguæ supposita, & succo in se deglutito. Necat & lumbricos, & ad Lumbrici. oris graveolentiam mandacatur. Ad alarum dolores [illegible] cum [illegible]. Si verò cum vino & oleo colluatur, dentes & gingivas corroborat. Inspersa quoque, vulnera in ca- Dentes. Vulnera. pite glutinat. Et contusas aures, & denudata os- Aures. sa, cum cochleæ carne imposita sanat. Et pure fluentes ac inflammatas aures, cum Papaveris Succo Castorio ac Glaucio illita. Ad varos autem cum Cassia & melle illinitur, & impetigines Impetigines. Capilli. detergit cum aceto. Defluos item capillos cum Ladano & vino, & Myrteo oleo illita corroborat. Mitigat quoque diuturnas destillationes, naribus cum penna illita. Replet ulcera in oculis, & Oculi. albugines, ac ea, quæ pupillis tenebras offundunt, & asperitates deterit. Fit & fuligo è Myr- Fuligo Myrrha. rha similiter, ut ex Thure, velut mox ostendemus, ad eadem quoque commodans. At verò Bœotica Myrrha, [illegible] de postea.

Galenus cùm de Myrrha scripsisset, hæc de eius Proprietates in Galeno. Vulnera. facultate & usu literis mandavit: Myrrha secundi ordinis est, tum excalefacientium, tum desiccantium. Itaque capitum vulneribus illita glutinare ea potest. Inest & amaritas non pauca, per quam fœtum & lumbricos, tum enecat, tum eLumbrici. iicit. Adest hinc ei & abstergendi potentia. Sic igitur ocularibus miscetur facultatibus, iisque quæ ad ulcera & crassas cicatrices præparantur. Eadem de causa inditur & medicamentis, quæ ad Suspiria. tussim veterem & asthma, sive anhelationem exhibentur, non tamen arteriam exasperat, ut sunt abstergentium nonnulla. Verùm adeò moderatam obtinet abstersionem, ut nonnulli eam antidotis, quas vocant, medicamentis, commisceant, tanquam sufficienter excalefaciens, & desiccans medicamen.

Noxæ. Ast Myrrha non ex omni parte beata. Scimus enim cum Galeno Myrrhæ odorem plurimis etiam sanis dolorem capitis inducere, quare sanè Caput offendit. eos ipsos, qui iam caput dolent, non parum offendet. Pustulas oculorum mundificat, ut idem Galenus testatur, qui te iubet ad podagram acci- Podagra. pere Myrrham *Mur* vocatam, herbamque Policariam, aut pyzurcatum mystri mensura ex aceto, & pedes illinire. Dat præterea consilium, ut ad Consilium. temporum ac totius capitis dolorem citra manifestas causas obortum, Myrrham vino quàm optimo tritam, & ad succi prisinæ crassitudinem redactam illinas. Myrrham ungento pretiosissimo tritam similiter adhibeas. In pueris autem, sincipute dolentibus, Myrrha cum oleo trita utaris. Admonet tandem operæ pretium esse, scire, in quantum facultas ipsius sit concoctoria humorum præter naturam, & vitiosorum, in tantum etiam convenienter, admisceri. In quantum autem medicamentorum sit, non convenienter. Verùm paucitatem eius ad concoctionem quippiam conferre, qualitatis autem peregrinitatem non apparere, utpote victam ab odoratis.

Se itaque hoc pharmacum etiam sine Myrrha præparare consuevisse, ad securitatem perducere semper tentantem usum omnium pharmacorum, præsertim ubi in acuta febri tale quid exhiberetur. Laudatissima, Plinio teste, apud pri- Vinum myrrhatum. scos vina erant Myrrhæ odore condita, ut apparet in Plauti fabula, quæ Persa inscribitur. Meminit quoque Sabæos, cibos Thuris ligno coxisse, alios Myrrhæ. Myrrha citra adstrictionem (ait Actuar.) non instrenuè discutit ac humiditates consumit.

MYRRHA.

Glebæ Myrrhæ, aliæ pugillares ferè, aliæ A- Descriptio. vellanæ magnitudine & minores, colore Color. fulvo, rufo, aut ferrugineo, aliæ pellucidæ, aliæ minùs, subinde etiam unguibus eximiis albis præditæ: sapore amaro, subacri: odore nares feriunt acriter, ubi adoletur: Nam flammam conci- Sapor. Odor. pit, denubus atteriæ friabilius apparent, quàm quod pro Bdelio exhibent, nec aquæ immersæ dissolvuntur, ut gummi, sed diutiùs in ea relictæ, limitatim diffluunt & flavescunt. Digitis etiam facilius confringuntur, teruntúrque.

Quibus notis facilè distingues ab adulterato adulterato gummi, & suppositiis glebis: quamvis Fraus detegitur in adulterio commissa. autem Myrrha rarior sit pura, talem tamen habemus, qualem descripsimus, ac sæpè cum adulterata reperitur, quæ minùs amara, quàm sincera, ac minùs odorata: puræ odor iucundior, si trita calefiat, ut liquidò apparuit nobis, cùm ad expressionem præpararetur, ut fieret Stacte: Hac Myrrha utebatur insignis ac peritissimus pharmacopæus Valerandus Dourez, cùm me protectore præpararet Lugduni & Genevæ celebrem Theriacam, quàm Excellentissimorum earum urbium Medicorum collegia approbarunt.

Nobis videtur contra sententiam Cordi, Myr- Cordus notatur. rham putam esse resinam, & non liquorem, qui dissolvatur in aqua, quod contra naturam resinarum. Sed hanc nostram opinionem stabilimus c. de Myrrha Bœotica.

Optima quidem & vera Myrrha, vel Fuchsio attestante, inventu rara est: ut hoc nomine metuendum sit, Officinarum Myrrham non esse legitimam. Suspicionem hanc auget, quòd notæ, quæ sunt apud Dioscorid. illi non conveniant. Quin ipsi Bdellij indicia magis respondere vi- Bdellium.

dentur, quàm Myrrhæ, ut ea de caussa Bdellij potiùs, quàm Myrrhæ species quibusdam esse putetur. Quicquid autem sit, constat non esse optimam, nec inter Myrrhas deterrimam. Apparet autem, eam esse Myrrhæ speciem, quæ *Caucalis* Dioscoridi nominatur. Quippe hæc *ἔμπυρος*, hoc est, ultra tempestivitatem suam producta, bonitatem suam amisit & exoletorum more arescit, nigraque ac torrida exitit.

Caucalis Diosc.

Fuchsio assentitur Cronemburg. supra antidotum Hæmagogam, dicens: Eligenda Myrrha non usualis nostra, quam esse suspicor Dioscoridis Caucalin & *Ergasimen* cognominatam, genuina enim caremus. Galenus omnibus [Myrrhis] prætulit Minæam, Diosc. Aminnæam damnavit, de diverso scilicet Myrrhæ genere loquentes, ut ego arbitror. Audio nunc legitimam Myrrham ad nos advehi, sed tam paucam, ut hactenus non viderim.

Ergasine.

Cronemburgio subscribit Ioan. Agric. ita scribens: Myrrha, quam nos habemus, ea est, quæ secundo loco à Diosc. scribitur & Caucalis vocatur. Ipsi verò adstipulatur Iodoc. VVillich. in sua Dialectica, & Brunfels. in suo libello de cont. Med. in cognosc. simpl. dum inquit: Myrrha vera non habetur, nisi fortè nostra communis sit, quæ à Dioscoride dicitur Caucalis, sive Ergasine.

Caucalis.

Ergasine.

Myrrha rubra Actuario (inquit Sylv.) *σμύρνα ἐρυθρά*, Myrrha verax eidem. Improbatur *ἀμιναία* nomine Dioscoridi: Galeno autem eligitur Troglodytis, quæ & Minæa dicitur à regione ubi præstantissimam gigni affirmant. Ea gratissimi est odoris, & nullo vitiata liquore. Myrrhæ igitur Officinarum omninò adulteratæ parum tutus est usus in sumendis.

Myrrha verax Actuario.

Hic dicit Corn. ex hactenus dictis Myrrham vulgò esse notam, sed genera à Dioscoride præscripta manere ignota. Ast iam lectis neglectis intelligit Matthiolum, cui Myrrha, quæ ex Alexandria Ægypti hac ætate ad nos affertur, admodum sanè ab ea differt, quam inter præstantissimas Myrrhæ species recensuit Diosc. Quippe universa ferè Myrrha, quæ in Officinarum usu habetur, iis omnibus qualitatibus, ac notis destituitur, quibus optima commendatur. Verùm si cuipiam fortasse videretur & hæc inter Myrrhæ species esse recipienda (quod tamen non satis compertum habeo) aut Caucalim, aut Ergasimam, esse crediderim, aut potiùs, quam Plinius ex India deferri ait, cùm hæ cæteris deteriores habeantur, certòque sciamus ex India in Alexandriam Myrrham importari. Nam ea, quæ plurima ad nos affertur, non modò sicca, nigraque est, sed etiam retorrida, macilenta, & cavo quodam situ obducta: & quamquam inter huiusmodi globulos aliquod quandoque reperiatur fragmentum, quod & clarum sit, & pellucens, contractum, tamen diversicolor apparet. Ecquid magis? nec gustu insigniter amarum, nec Myrrhæ odore præditum sentitur. Quo fit, ut credere liceat, eiusmodi Myrrham, aut è deterioribus esse, aut gummi alicuius, aliorumque mistorum adulterio minimè vacare. Cæterùm electam Myrrham iam ad nos advehi scimus, quæ & legitima, & probatissima esse censetur. Verùm ea hactenus tam rara est, ut non nisi ad ostentationem asservetur, & ad aliarum dignoscendarum regulam. Adhæc Brassavolo Ferrariensi animus inclinare videtur, ut existimet Myrrham, Officinis vulgarem Bdellium esse. Cui haudquaquam assentiendum putaverim: siquidem Myrrha hæc pellucens adeò non est, nec Taurino glutino similis, ut Bdellium esse tradit Dioscorides. Et licet quædam nostratis Myrrhæ frusta quandoque translucida reperiantur, sunt tamen potiùs hæc (ut dictum est) gummi adulteria, quàm Myrrha, vel Bdellium: nempe gustu maleficium detegitur. Præterea Bdellium incensum, Dioscoridis testimonio, odorem unguibus odoratis similem spirat, quod in nostrate Myrrha nunquam, facto periculo, sum consecutus. Huic etiam alia accedit ratio, quæ magis ac magis Brassavoli animum immutare poterit: quod scilicet Bdellium diu digitis ductum, tractumque facilè lentescat, & confractum pingue spectetur. Myrrha verò, quæ officinis venditur, digitorum attritu conteritur: & si frangatur, perquàm arida sese offert. Cæterùm improbavit Dioscorides, omniumque Myrrhæ specierum deterrimam iudicavit, quæ aliquibus Minæa, aliis Aminea vocatur, quam cùm Galenus probaverit lib. 1. de Antid. omnibusque Troglodyticam prætulerit, factum est, ut existimaverint quidam, in hoc loco Dioscoridis codicem mendum subesse. Sed cùm in Dioscoride Græco legatur Aminea, & in Galeno Minæa, ego potiùs crediderim eos non idem Myrrhæ genus intellexisse. Quò fit, ut facilè crediderim nostri usus Myrrham, Indicam esse: namque per mare rubrum, & inde per Carovanas (ut dicunt) Alexandriam importatur. Postremò illud etiam notandum est, quod (ut Galenus inquit) Myrrha semper medicamentis est commiscenda, cùm ab igne tollitur: quippe, quæ coqui minimè patiatur, velut etiam Thus & Aloe.

Taxatur Cornar.

Myrrha delata ex Alexand.

Caucalis. Ergasima.

Indica.

Myrrha electa ad nos advehitur.

Bdellium Brassavolo. Brassavoli lapsus.

Discrimen Bdellij et Myrrhæ.

Minæa et Aminea.

Diosc. locus suspectus.

Myrrha vulgaris est Indica.

Myrrha non est coquenda.

Sed quid Val. Cord. sentiat, audiamus. Iamdudum, inquit, de Myrrha incidit controversia negantibus etiam doctissimis viris nos veram Myrrham habere. Qui verò res ipsas diligenter inquisiverit, non poterit non videre, quod non tantùm mediocris, verùm etiam optima Myrrha afferatur, quamvis hoc fiat rariùs. Quod autem non frequentiùs contingat, sola in caussa est Aromatopolarum, quos hodie Materialistas vocant, ignavia & inscitia. Hi enim cùm partim etiam in Alexandriam navigent, facilè possent optima quæque eligere & adportare.

Myrrha vera advehitur.

Sed quid sit illud Officinarum Belzoin, ab aliis Ben Iudæum dictum, iste haud dubiè malles (inquit Lang.) Troglodytide præstantiorem Myrrham electam arbitror, quæ item ex arboris in Arabia, Ægypti spinæ similitudine nascentis, lachryma, cuius cortice inciso, in substratas palmeas tegetes, liquor eius defluit, aut in trunco arboris adeò tenaciter concrescit, ut unà cum cortice avellatur, quem in Benzoi crebrò quoque conspicimus. Habet sanè omnes Myrrhæ electæ proprietates, est namque friabile: & fractum, in eo candidæ humanis unguibus similes, maculæ fulgent, ac (ut Ecclesiastes ait) fragrantissimum Deorum in templis suffumigium. Ægypti ex tali Myrrha, & Bdellio, humani unguis colorem referente componebant: quod Democrates τὸ ὄνυξ appellat. At nostra vulgaris Myrrha incensa, planè viroso odore fœtet: quam adeò ab optima Myrrha degenerem, à Diosc. Ergasinem iudici arbitror. Sed etiam haud ignoro, te amaritudinem Myrrhæ in Benzoi requirere, quod commasticatum plus dulcescit, quàm amarescit. Verùm scias, amaritudinem iam non omnibus Myrrhæ speciebus inesse. Nam Troglodytica leniter in ore lentescit, & (ut Diosc. ait) erosione quadam linguam pungit. Nec ob id quod amaritudinis expers sit, inferre poteris,

Belzoin. Ben Iudæum.

Ergasine.

belxoin

Belzoin esse Assam dulcem: quum hæc apud Serapionem & Avicennam à Græcorum Laserpitio nihil differat: quod non ampliùs extare, satis, supérque probavimus. Quod si Officinarum Belzoin Myrrham dulcem appellare voles, nil moror: solet enim natura sæpè in rebus eiusdem speciei ad voluptatem, contrariis saporum qualitatibus ludere. Nam si Poma & Mala Punica, atque Arantia, tam dulcia, quàm acetosa, Amygdalas item tam dulces, quàm amaras, procreat: quid obsecro obstare poterit, quin etiam Myrrham tam dulcem, quàm amaram procreet? Nihil certè: proindè obsecro, vt meam de Silphio, Assa dulci, & Myrrha & Belzoin censuram, ad commilitones tuos referas: illorúmque iudicium quamprimùm ad nos rescribas. Hæc Langius.

Myrrha dulcis.

Monachi verò, tenentes aliam opinionem, inquiunt. Veram Myrrham nunquam voluimus videre: Nam illud, quo communiter pro Myrrha vtuntur aromatarij, non esse Myrrham, nec Myrrhæ speciem facillimè ab inquirentibus deprehenditur. Nam vbi amaritudo insupportabilis? vbi odor suavissimus? Et quod Myrrha amara, immò amarissima sit, non solùm per Dioscoridem, & alios rei medicæ authores, verùm etiam & per sacrum Euangelij Marci textum probatur, cùm legitur, quòd Servatori nostro, Christo, dederunt myrrhatum vinum, quod cùm gustasset, propter amaritudinem insupportabilem (vt nónnulli sancti viri contemplantur) non accepit. Et quod Myrrha sit odoratissima, bonum videlicet odorem spirans, & per eosdem authores, & per Sacros codices passim probari potest. Hæc autem falsò vocata Myrrha malè olet, & amaritudo eius est valdè debilis. Aliquorum iudicium non est spernendum, qui dicunt istam Officinarum Myrrham, esse Bdellij speciem. Et licèt Myrrhæ (vt testantur omnes fide digni authores) sint plura genera & species, hæc tamen, quam falsò diximus vocari Myrrham (siquidem Myrrha est) ea certè est, quæ à Dioscoride Ergasima cognominatur, quæ omnium est deterrima: vel ea ab eodem authore damnata Aminnea dicta: quoniam aliarum specierum esse posse nobis non videtur. Stacte igitur, loco Myrrhæ, admittenda est. Hæc Monachi, qui plura tradunt in Hist. nostra generali cap. de Styrace, quæ videre ibidem poteris.

Myrrha vulgata non est vera Monachis.

Odor suavissimus. amarissima.

Vinū myrrhatū Salvatori datum.

Bdellium.

Ergasima.

Aminnea.

Stacte pro Myrrha.

Nos verò de Belzuino postea agemus, quod quicquid dicat Amato nullo modo Myrrham existimamus, cùm Monachis & Langio: nec Stacte ex eo fieri potest, quæ respondeat Stacte veræ. Dum Langius (vt postea dicetur) vult Benzoinum esse Myrrham, reiicit Myrrham vulgarem, quam virosum odorem dicit habere, & non suavissimum. Verùm vulgarem Myrrham propter odorem graviorem & non omnibus gratum, non censemus reiiciendam: in legitima siquidem Myrrha non requiritur ita suavis, qualis Benzoini, cùm dicat Diosc. tantùm, esse *εὐώδη*: quod idem de Onyche sive vngue, vti etiam de radice Asclepiadis, & de foliis Aristolochiæ rotundæ. Quod ad locum Ecclesiastici, quem citant tum Langius, tum Monachi, non videtur facere ad approbandum Belzuinū, vel ad reiiciendam Myrrham vulgarem, vt vtrique volunt, ex eo enim; & altero, qui est in Exodo, argumentum desumimus, quo ostendimus nostram Myrrham ob odorem non vsque adeò suavem nostris naribus, non esse reiiciendam. Si inter aromata pretiosa ad vnguentum tam pretiosum & ad odores sumebantur Galbanum & Onyx (quæ quidem odorata sunt, sed nobis non suavia, & quibus fortè nunc nollemus vti, etiam Thure nollent vti delicatiores:) verisimilius eos assumpsisse Myrrham potissimùm qualem descripsimus, quæ nostro seculo rarior: quæ sanè non iniucūdi odoris nobis videtur collata ad prædicta, licèt aliquid gravitatis habeat, quæ quibusdam non est odiosa, vt antiquis non fuit, quamvis fortè delicatulis minùs grata, quales fuerunt Monachi, qui dixerunt malè olere. Itaque nullo modo sumendum Benzoinum, maximè cùm nullam amaritudinem habeat, ipso etiam Langio teste, quod vnum ex signis bonitatis est Dioscoridi. Quod ad argumentum Monachorum de amaritudine, ob quam respuunt Myrrham vulgarem, dicentes esse valdè debilem, ac debere esse amaritudinis insupportabilis, vt dicunt fuisse vinum, quòd oblatum fuerit Christo, Salvatori nostro, ac propterea non bibisse. Nullum video, qui dixerit Myrrhæ insupportabilem amaritudinem, nec etiam apud D. Marcum dicitur: is enim ait: *Καὶ ἐδίδουν αὐτῷ πιεῖν ἐσμυρνισμένον οἶνον ὁ δὲ οὐκ ἔλαβε.* Hic non dicitur cur Salvator noster Iesus Christus non biberit: quamquam verisimile sit, quandoquidem apud Matth. scriptum. Dederunt ei acetum cum felle mistum, & quum gustasset, noluit bibere.

Contra Langium, Amatum & Monachos.

Benzoinum non sumendum.

Plurima (scribit Garc. arom.) adfertur etiam ex *Arabia* ad nos Myrrha, quæ Indis *Bola* dicitur: tum etiam ex regione *Abexim*, quæ AEthiopia est. Qualis verò sit arbor, quæ eam profert, aut quâ ratione resina eliciatur, nunquam scire potui. Intellexi duntaxat à quodam mercatore, qui in *Melinde*, & *Mosambique* negotiabatur, tum à quodam Sacrifico AEthiopiæ, Episcopóque Armenio, genus esse quoddam hominum montanum & sylvestre, quos *Bodojns* vocant, linguáque pura Arabica, quæ nonnihil ad Chaldaicam, aut Syriacam antiquam accedat, vti perhibent. Id inquam hominum genus Myrrham in *Brava* & *Magadaxo* terrestri itinere adfert, & è Chaldæa regione sic illis vocata se adferre asserit.

Ex Arabia.

Bola Indis. Ex Aethiopia.

Locus.

Notat Hist. Lugd. Plinium, dicitque eum magnam Myrrhæ Historiæ partem ex Theophrasto mutuatum esse. Ac negare plærosque Myrrham genuinam ad nos adferri.

Notatur Plin.

Perhibent Lobel. & Pena Myrrham, quasi suaviter & odore fluentis, vnguentariæ dictā, nomen indicare lachrymæ: multam esse huic affinitatem cum Bdellio. Myrrhâ item nos non carêre certum esse, & hanc ab illo non tam specie, quàm accidentibus distare. Vtrum autem Bdellium præferendum sit, ambigunt. Frustra verò [addunt] velitari scriptores istos, & de colore refragari Herbario Senensi. Nam se vidisse in Officina Guillielmi Driesch periti Pharmacopœi Antuerpiensis.

Myrrha vnde dicta Lobelio.

Myrrha cum Bdellio magna affinitas.

Credit Cæsalpinus, quòd Indica Myrrha [Plinio] è Spina quadam ibidem colligatur, tantò deterior, vt facilis sit distinctio: quòd hoc nomine vendatur hodie lachryma, non in pastillos coacta, sed dissoluta in parva fragmenta, colore russo, aut livido, nigróque, gustu amara, odore parvo, non iucundo, ideò solis Medicis in vsu: non Vnguentariis: Et quæ vili pretio vendatur. Putat Indicam Myrrham esse à Plinio vocatam, sed facili distinctione, ac huiusmodi etiam apud Dioscoridem esse genera improbata. At Myrrham, vnde exprimatur Stacte, rem odoratam esse, hodiéque Belzoi vocari. Nos verò diximus antè Myrrham veram adferri, sed sæpiùs adulteratam cum Gummi, quæ minùs amara, quicquid dicat Cæsalpinus ex Plinio, meliorem verò esse gustu leviter amaram: Dioscorides enim dixit simpliciter *πικρὰν*.

Vulgaris Myrrha est Indica Plinii.

Cæsalpinus notatur.

Veram Myrrham suapte natura amaram apparet ex ipsomet Plinio, dicente: adulterari gummi & Cucumeris succo, amaritudinis causâ: Fortè Plinius dixit meliorem leviter amaram, respectu adulteratæ cum Succo Cucumeris silv. Amara est certè vera Myrrha, & non sine amaritudine, vt Benzoi, quod Myrrham vult Cæsalp. Myrrham verò amaram esse, videtur etiam id demonstrare, quòd adversus lumbricos præscribat Dioscorides. Quinimò Monachi volunt veram Myrrham esse insupportabilis, vt aiunt, amaritudinis, allegantes Salvatorem nostrum propterea non voluisse bibere vinum ἐσμυρνισμένον: non tamen, vt antè dixi, concedo requiri tantam amaritudinem in Myrrha. Nomina recitavimus, dum Myrrhæ Historiam in genere prosequeremur.

Nomina.

Vires & usus.

Myrrhæ quoque vires ex veteribus, iam antè posuimus, quare superest, vt, quæ recentiores de his scriptis mandarunt, annotemus.

Hydropi. Quartana.

Conducit igitur hæc [vt author est Matth.] hydropicis, cum Agrimonia pota. Iubet præterea quartanarios sumere drach. j. Myrrhæ, cum Piperis tantundem, & bibere cum vino Malvatico calido horâ vnâ ante febris paroxysmum, quo epoto se contineant in lecto ad sudandum, id ter si faciant, febrem mitiorem evadere, vel tolli. Myrrhæ vsus est in medicamentis repugnantibus venenis, ac pesti: arcet enim putredinem. Si mulier rugas arcere voluerit à facie: accipiat laminā ferri novam aut patellam, quam ignitam reddat, deinde os vino repleat, ac subitò ignito ferro aspergat, caput cooperiat panno, ac vaporem in faciem recipiat. Postea iterum accendatur ferrum & superinicciatur frustulum bonæ Myrrhæ, ac recipiat in faciem vaporem sub panno, quem deinde toti faciei superliget, ac superdormiat, si hoc bis in mense egerit, non est quod vereatur rugas. Myrrha lachryma arboris in Arabia nascentis, adversus alarum sudores, & tædia cum liquido alumine à Porta illinitur: diuturnas destillationes lenit, & oculorum vlcera complet: nudatisque ossibus medetur. A' Font. de morb. inter. purificato vlcere vesicæ dissolvitur trochis. Gordonii in lacte ouillo, & per catheterem in vesicam inijcitur. Nos contra non possumus probare iniectionem hanc Fontani, propter pulverem Spodii, Myrrhæ & aliorum, quæ trochisci illi recipiunt.

Venena. Pestis. Rugæ facie. Alarū sudores. Tadia. Vlcus Vesicæ. Fontanus not.

Oleum. Chiragra. Cicatrices. Rugæ.

Myrrhinum oleum priuatim ab aliquibus paratur, contra Chiragram, & Podagram. Cicatrices insuper delet. A rugis quoque faciem frequens eius illinimentum præservat. Conficies id autem hoc modo: Coquito ovum donec coctione durum fiat, partitor secundum longitudinem, in duas partes æquales, vitellum eximito, ac Myrrham eius loco pulverisatam imponito, ac in cellam vinariam, aut alium locum humidum, dum Myrrham diffluat, ac oleum fiat, reponito.

Modus faciendi oleum.

Electuarium. Morbi stomachi. Oppilationes. Ventositates. Putredo. Dolores intestinorum. Trochisci.

Electuarium ex Myrrha (inquit Clem. Clementinus) sanat veteres morbos stomachi, hepatis, & splenis, removet oppilationes, resolvit ventositates, & humores aquosos: prohibet putredinem, digerit crassos humores, & sedat dolores intestinorum. ℞. Myrrh. drach. iij. Croci, Acori, Bacc. Lauri, an. drach. ij. Sem. Dauci, Apii, Ameos, Fœnic. Siler. mont. Carpobals. Trium Piper. Cinam. Cassiæ, Squinanth. Costi, Spicæ, Menthæ, Marrub. an. drach. j. Confice cum melle spumato, & da drach. ij. cum vino calido. Trochisci ex Myrrha provocant menstrua, & sedant passiones, quæ ex retentione menstruorum proveniunt. ℞. Myrrh. drach. iij. Farinæ Lupinor. drach. v. Fol. Rutæ. Menthast. Puleg. Cymin. Rubeæ tinct. Assæ fœtid. Serapini, Opopanac. an. drach. ij. Fac Throchisc. cum succo Ciclamin. i. e. Panis porc. & da drach. ij. cum coctione seminis Iuniperi. Vnguentum ex Myrrha prohibet saniem & putredinem, generat carnem, & citò consolidat plagas. ℞. Myrrh. Aloës, Thuris, Sarcocoll. an. unc. sem. Mellis spumati vnc. iiij. vini alb. boni vnc. ij. Coq. cum facilitate vsque ad spissitudinem: sed si velles consumere carnem superfluam eminentem, vel mortuam, adde Vitrioli drach. ij. Constabat (inquit Ruell.) è Myrrha vnguentum regibus Persicis dicatum, quod illi capite, ceu diadematis vice gestabant, sed addebatur Myrrha *Labizos* appellata, quàm multò pretiosiorem Myrrhâ Dinon scribit.

Menstrua. Vnguentum. Sanies. Putredo. Vnguentū Regū Persarum. Myrrha Labizos.

MYRRHA BOEOTICA.

Radix. Dioscoridi. Vis.

Arboris cuiusdam in Bœotia nascentis [vt nobis author est Dioscor.] concisa radix est. Eligit autem eam, quæ odoris gratiâ similis est Myrrhæ. Vim habet calefaciendi, molliendi, diffundendi: Vtiliter etiam in suffitus miscetur.

Lachryma Cordo.

Bœoticam Myrrham necesse est, ait Cordus similiter lachrymam esse. Quemadmodum enim propriè vocata Myrrha arboris sui nominis lachryma est, quæ in aqua dissolvitur: [hoc addo vt à resinosis lachrymis, quæ in aqua minimè resolvuntur, distingui possit:] sic etiam par est Bœoticam Myrrham, ex alicuius arboris parte aliqua manare: non enim frustra; sed ob similitudinem substantiæ, & qualitatis, quas cum Myrrha paulò minùs, quàm easdem habet, Myrrhæ vocabulo appellata fuit. In hoc verò Dioscor. exemplari, quod Marcellus Virgilius interpretatus est, clarè legitur, Bœoticam Myrrham nascentis cuiusdam in Bœotia arboris radicem esse, sed malè quantùm mihi videtur: neque hoc interpretis culpa, verùm exemplaris Græci vitio factum est, in quo sic scriptum reperitur: ἡ δὲ βοιωτικὴ σμύρνα ῥίζ' ἐστὶ δένδρου τινὸς ἐν βοιωτίᾳ γεννωμένης ῥίζα τετμημένη. h. e. Bœotica verò Myrrha est arboris cuiusdam in Bœotia nascentis radix incisa. Fuisse autem alium verborum ordinem & sensum in hoc capite Serapio indicat, cùm in Myrrhæ capite sic ait. Sed Myrrha, quæ est ex terra; quæ dicitur Laptoteno [Bœotia] abscinditur ex radice arboris, quæ est in terris illis. Sic ille hoc Dioscor. caput reddidit, nec dicit Bœoticam Myrrham incisam esse radicem, sed ex radice exscindi, quemadmodum solent incisione elici reliqui liquores. Idem nobiscum sentit suis commentariis Marcell. Virg. interpres. Myrrha autem hæc hodie omninò non cognoscitur. Sed hic author Cordus est admodum dilutæ fidei, & parum probatæ, ideò considerandum proponimus an veram scribat Myrrham lachrymam quæ in aqua dissolvatur, & non resinam? Nos sanè contrarium sentimus.

Dioscor. exemplar. corruptum. Alium verborum ordo & sensus ex Serapione declaratur. Cord. notat.

De Bœotica Myrrha, quod dicat Matthiolus, non habet, quòd ætate sua (ut arbitratur) omnibus incognita.

MYRRHÆ ARBOR BELLONIO.

IN Palæstina *Rama* frutex spinosus provenit, quem existimamus ab antiquis non descriptum

Arboris Myrrhæ Descript.

ptum: suspicati sumus, esse arborem Myrrhæ: contorto est caudice, denso, horrentibúsque spinis obsito, folia habens Acaciæ similia, sed paulò maiora. Bellonius Observat. lib. 2. cap. 80.

DE STACTE IN GENERE.

STACTE, ut apud Diosc. videre est, appellatur recentis Myrrhæ, cum modica aqua contusæ, & per organum expressæ, pinguitudo, [τὸ λίπασμα] Odorata est valdè, & pretiosa, & per seipsam est unguentum, quod Stacte appellatur. Probatur quæ oleum ammixtum non habet, & quæ in minima portione plurimam vim possidet, atque hanc calefactoriam, ad Myrrhæ & unguentorum calefacientium proportionem.

Stacte unguentum. Delectus.

Quæ Plinius de Stacte prodidit, eadem leguntur apud Corn. qui ita scribit: Quandoquidem Stacte ipsa per seipsam unguentum est, & Myrrha (ut Plinius ait) per se unguentum facit, sine oleo, Stacte (ita enim legendum est, & non Stactea) duntaxat, alioqui nimiam amaritudinem affert: inde adeò inter unguenta Diosc. de ea tractat. Et de arboribus Myrrhę idem Plinius: Sudant, inquit, spontè prius quàm incidantur, Stacten dictam, cui nulla præfertur. At contra hoc Diosc. non eam Stacten appellari dicit, quam sudant arbores, sed pinguitudinem recentis Myrrhæ cum modica aqua contusæ, & per organum expressæ, ut ita videatur Diosc. Plinij Stacten ignorasse. Plinius autem Dioscoridis Stacten improbasse, ut quæ cùm Stacte non sit, sed expressa, nimiam amaritudinem afferat. Theoph. lib. 9. duas Myrrhę species facit, alteram Stacten, alteram Plasten. Hanc equidem ut arbitror, quòd in granum ac glebam efformaretur, velut idem de Thure dixit, ut manum mole sua impleret, & pondere tertiam minæ partem excederet. Vnde etiam Diosc. in Narcissino, & Irino, Myrrhæ grumum adiicere iussit. Hodie porrò Stacten Officinæ, & barbari Medici Styracem liquidum vocant, quum Græci unum saltem Styracen agnoscant: Stacten autem pro Balsami liquore in *ἀντιβαλλομένοις* assumant.

Plinii lectio corrigitur.

Stacte Plinii diversa à Diosc.

Theoph. dua Myrrha.

Styrax liquidum.

Sed unde quæso colligit Corn. nimiam amaritudinem Stacte expressæ, nihil tale invenimus apud Plinium. Parum attentè quoque Plinius existimavit Stacten sudare ex arbore Myrrhæ, ait (citante Dalech.) Brodæus lib. 5. cap. 7. Non autem ex ipsa Myrrha. Quod Basilius in Ps. 4. confirmat, qui Stacten Myrrhæ tenuissimæ genus esse scribit. Quod enim primò effluit, in Stacten seponitur, quod crassum restat, Myrrha vocatur.

Corn. notat. Plin. reprch.

Stacte autem ex Ruellio dicitur, quoniam è stillatitia duntaxat fiat. Hodie Stacten Officinæ & Medicorum vulgus Styracem liquidum appellant, cùm sit tusæ Myrrhæ recentis pinguissimus flos. Factionis Mauritanicæ aut Arabicæ familiæ authores citant Dioscoridis testimonium in Styrace liquido. Styracem pro Stacte usurparunt, vel nominis vicinitate falsi, vel quòd duo Storacis (sic loquuntur) statuant genera, liquidi & sicci, qui recentioribus Calamita dicitur, cùm Græci quicunque de Styrace quicquam prodiderint, unius duntaxat meminerint.

Stacte unde.

Error Mauritanorum.

Stacte (Amatus enim quoque audiendus) pinguedo recentis Myrrhæ est, quæ hodie omnium votis Serapionem imitantium, Storax liquida est, qua odoratissima pretiosissimáque ad paranda poma odorifera, & suffitus, Vnguentarij passim utuntur: apud verò Psalmistam, ut multi putant, Gutta, sive lachryma nominatur, quum legitur: Propterea unxit te DEUS, DEUS tuus, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis: Myrrhâ, & Guttâ, & Cassiâ. At reverà textus Davidicus non ita habet, ut Hebraica veritas indicat; quem ita ad verbum Munsterus vertit: Dilexisti iustitiam, & odisti impietatem: propterea unxit te DEUS; DEUS tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis, Myrrham, Aloën, & Kezam (redolent) omnia vestimenta tua. Hactenus Munsteri interpretatio, in qua, meâ quidem sententiâ, optimè verbum (redolent) supplet, & ex ea satis constat, Hieronymum, non bene Guttam pro Ahalod interpretatum, quum vox ipsa classet Agallochum Græcorum esse, Romanorum verò lignum Aloës. Vnde Munsterus emendandus à me quoque venit, quum verbum Ahalod, Aloën verterit, cùm reverà lignum Aloës, & non Aloen dicere debuisset: nam Aloë succus herbæ est quem Hebræi suâ voce Aloë appellant, Ahalod verò lignum Aloës est, quamobrem Munsterus rectiùs sic interpretaretur, dicendo, Myrrham, lignum Aloës & Kerzam (redolent) omnia vestimenta tua: sed quid per Keizam intelligere debeamus, quia Munsterus vocem istam, inconversam reliquit, dicamus, quòd multi Rabinorum, locum istum enarrantium, per Keizod, sive Keizam Costum intelligunt, sed reverà non sine ingenti, ne dicam pudendo errore, quum Costus apud Hebræos Kerah dicatur. Est igitur Queziod, Casia, quæ à Cinnamomo, ut diximus differt, in quam sententiam, vox ipsa Hebraica legentem trahit, quum Casia à Caziod derivata fuit, adeò ut loco Keziam, Casiam interpretari liceat.

Storax liquida.

Gutta.

Ahalod.

Agallochũ Ahalod non est Aloe cõtra Munsterum.

Aloe Hebraeu.

Keizam.

Keizod & Keizam Rabinis nõ bene Costus Kerah Hebr. Costus.

Keizam est Casia.

Et quamvis iam multa satis de Stacte hîc adscripta sint, non veremur tamen plura notatu digna hîc subiicere. Monachis itaque verba faciendi locum offerimus. Stacte autem, ut probari potest per Serapionem & alios plures, illa est, quæ ab ipso Serapione, Styrax, sive mavis Storax liquida appellatur. Nam ipse Serapio cap. de Storace, quod incipit Miha (Storax) primùm loquitur authoritate Isaac eben Amram, de pluribus speciebus Storacis. Hinc cùm loquitur de liquida, authoritate Dioscoridis: capitulum ipsius Dioscoridis de Stacte, ad literam ponit. Vnde quod Græci Stacten, Arabes Storacem liquidam vocant. Item ipse Serapio cap. de Myrrha, cuius principium est *Ler*, ait: Et est de ipsa res, quæ dicitur Bathnasas, & est grossa, à qua egreditur Miha, id est, Storax liquida, quoniam exprimitur, & dicitur Mirnastacten. Mirnastacten dixit, quasi diceret Myrrhæ, sive Myrrhæam Stacten. Ex quibus patet Græcorum Stacten, Storacem liquidam Arabum esse. Etenim Storax apud Arabes est species Myrrhæ liquidæ, quam Miham vocant. Vnde Haliabbas etiam in 2. pract. cap. 41. ait, Storaca, & est species Mihæ. Quamobrem nihil dubites apponere pro Myrrha, optimam (si habes) Styracem liquidam, id est, Stacten Myrrhæ, vel Storacem liquidam veram, ab optima Storace expressam. Vel si non habes liquidam veram, præsentem apponito, & erit melius, quàm hoc, quod pro Myrrha venditur, quódque ignoramus quid sit.

Storax liquida. Miha.

Miha. Mirnastacte. Stacte Græcorum.

Myrrha substitutũ.

Myrrha qua venditur, ignoramus quid sit.

Ita porrò Aloisius Mundella, ne eius desideres verba, inquit: Si verâ & pinguissimâ Myrrhâ, ex qua Stacten fieri certum est, caremus, rationi consentaneum est, Stacte etiam verâ nos carere: fieri enim hanc ex Pediasmo, & Gabyrea, quæ

Brassavolus redarguitur per Aloisium.

Styrax liquidus. sunt Myrrhæ species, Diosc. tradit. Styrax autem hic noster liquidus, Stacte esse non potest, cùm nullam gustui amaritudinem adferat, quemadmodum ipse [Brassavole] infrà etiam annotasti: neque ita ut Stacte vehementer odorifer sit. Congruum enim videtur, cùm Stacte pinguitudo Myrrhæ sit, Myrrhàque amaritudinem præferat, & odorem vehementem: Stacten quoque ambas illas qualitates penitùs, vel certè multum earum repræsentare. Adde etiam, quòd Styrax liquidus subviridis non est, quo colore prima omnium Troglodytica Myrrha à Diosc. describitur, cuius coloris quoque Stacten esse debere existimamus. *Ruell. notatur.* Ruellius præterea Styracem liquidum non esse Stacten, ut Medicorum vulgus opinatur, ostendit: verùm infirmioribus quidem rationibus: non enim id, quod assumpsit, confirmat, & contrarium destruit: sed tantùm causam erroris Arabum, vicinitatem nominis fuisse dicit, vel quia duo Storacis [sic enim loquuntur illi] genera, liquidi & sicci statuerunt, qui recentioribus Calamita dicitur, cum antiqui de imo tantùm genere agant. Quare Ruellius si rectè dispicio, quod refellendum susceperat, his non confutat rationibus, Styracem scilicet liquidum non esse Stacten. Quocirca opinio illa, cui favère videris, quòd Styrax hic noster liquidus vulgaris, Stacte sit, non valdè nobis probatur, nisi & Stactes veræ saporem, odorem, & colorem [ut scripsi] manifestè reddiderit.

Styrax liquida non est Stacte, ut vult Brassavol. Nec aspernandus Cordus, qui à dextris Aloisij stat, dicens: Antonius Musa, Styracem liquidam, Stacten esse constanter affirmat, sed malè meo quidem iudicio. Sunt enim naturâ penitùs diversæ Styracis & Myrrhæ arbores: & huius lachryma in aqua resolvitur; illius verò in oleo, vel oleo simili humore tantùm. Myrrha præterea optima ex aqua fit. Stacte per se magno emitur. Styrax verò liquida admodum parvo. Quare cùm ex plurima Myrrha, quantumvis bona, minimum exprimatur Stactes, & Storax liquida longè minoris [quamquam Myrrha etiam longè vilissimo] veneat, nemo temerè affirmabit, eam Stacten esse. *Stacten expressit.* Quod si non satis efficax hoc argumentum contradicentibus videbitur, electa Myrrha Stacten expressimus: qua vix aliqua reperiatur, quæ diutiùs & latiùs oleat, odore aromatum modo iucundo. Sed propter gravitatem aliquam sensoriis irrepentem, facilè somnum conciliat. *Somnum conciliat.* Possunt nostro exemplo volentes, si veram Myrrham, eámque optimam eligant, non magno labore eam exprimere. Nam vulgò hodie apud nos non exprimitur, ob recentis Myrrhæ inopiam, sed in Arabiæ Mecha copiosè adhuc confici negotiatores referunt. *In Arabia Mecha conficitur.*

Tandem his ita dictis, proxima sunt illa, quæ Mattholus refert, dicens: Stacte Serapioni, quemadmodum & reliquis Mauritanis, paritérque Officinis Styrax liquidus appellatur, *Styrax liquidus.* cuius copia non solùm Venetiis ubique venalis habetur, sed & in omnibus ferè Officinis reperitur, quæ medicamentorum componendorum artem exercent. *Stacte Myrrha Serap. Styrax liquidus.* Quòd autem Stacte Myrrhæ sit liquidus vocatus Styrax, facilè probat Serapio: quippe qui capite de Styrace Calamita, liquidum Styracem ex Myrrha, primùm aqua consperfa, ac deinde expressa, fieri tradidit: qua in re Dioscoridem ad unguem imitatur. Cui quidem sententiæ, illud adstipulatur, quòd liquidus Styrax (de legitimo sanè loquor) sit perquàm odoratus, & gustui non obscurè amarus. *Styracem sincerum haud facilè invenias.* Porrò anim dvertendum est, quòd hoc ævo sincerum haud facilè invenias, ut fermè evenit cum cæteris medicamentis, quæ ex Alexandria Ægypti, vel Syria ad nos convehuntur. Siquidem cùm omnia hæc per Mauritanorum, Turcarum, Iudæorúmque manus transeant, qui nobis Christicolis semper dolos, fraudésque moliuntur, acceptum Diis sacrificium facere sibi persuadent, cùm nos aliqua in re fallere possunt. Cæterùm, mea quidem fert opinio, si sinceram Stacten nancisci possemus, non alienum fore, ipsam in Myrrhæ locum substituere. Sed certè perquam difficile erit legitimam inveniri: nisi fortè veræ Stacte sit liquor ille, de quo superiùs in Balsami commentatione diximus. Huc usque Matth.

Stacten demum præparabat pro Theriaca Valerandus Dourez ex Myrrha à nobis descripta eo modo, quo præscribit Diosc. quam tritam calefaciebat ad expressionem, quã sanè satis iucundi odoris, & amaram experiebatur. Vnde non immeritò, quondam Lucretius,

Aut Amaracini blandum, Stacteque liquorem.

Columella.

Et melior Stacte ponatur Achaia Myrrha.

Finem facit Fuchs. de compos. med. lib. 1. Myrrha Stacte, i.e. stillatitia, non est nisi expressa recentis Myrrhæ pinguitudo. Siquidem ex Myrrha recente pingui & solo lætiore nata, largior exudat, ac extillat: dein cum aqua pauca tunditur, ac tandem exprimitur, amaritudine præcipua, odoratissima, pretiosissima, minima proportione efficacissima: Arabibus & recentioribus Styrax, vel vt ipsi loquuntur Storax liquidus appellatur, id quod ex historia vtrorumque authorum tum Græcorum, tum Arabum facilè patet.

Stacte igitur, vt ex hactenus dictis colligere est propriè & communissimè dicitur de liquore Myrrhæ, de quo dictum. *Æquivoc. & Subiectum. Myrrha liquor.* Quare frustra se torquet Matth. dubitans an Balsamum sit Stacte. *Balsamum.* Antonius verò Musa Styracem liquidam Stacten esse constanter affirmat: sed malè vel Cordi iudicio. *Styrax liquida.* Ruellio etiam teste, Stacten Officinæ & Medicorum vulgus Styracem liquidam quoque appellant, de qua postea. Amatus insuper malè statuit belzuinum esse Myrrham.

Nec Ruellium præterit Græcos etiam interdum Stacten pro lixivio, quod cineris elotio est, vsurpasse, sed vel addere, vel subaudire κονίας. *Stacte pro lixivio.*

Stacte, Gutta, & pinguissimus *flos Myrrhæ* Latinis: Græcis στακτή: Hisp. *Storaque liquida*: Ital. *Storace liquida*: Germ. Storax. *Nomina ling.*

CARPASVS ET OPOCARPASVM.

Cap. XXXIII.

QVAMQVAM minùs constet quid Carpasus & Opocarpasum veteribus sit, non tamen præteribimus, quin annotemus id, quod Diosc. Gal. Aëtius, Ægineta, Plin. Hermol. Rob. Const. Gorth. Matth. Corn. & Amatus de his posteritati transmiserunt.

Infit Diosc. in Alexipharm. cap. 13. Epotus quoque Carpasi succus [ὁ τοῦ καρπάσου ὀπὸς] soporem inducit, ac repentinam strangulationem infert. *Carpasi succus. Nocumenta.* Adjuvantur itidem, qui hunc hauserunt, potæ cicutæ remediis. *Remedium.* Sed vt Galen. lib. 1. de antid. cap. 12. perhibet: In optima Myrrha [σμύρνῃ] Opocalpasum reperitur, quod tamen à Myrrha differt. *Opocarpasum.* At Opocalpasum exitiale est, multósque nos forte quadam vidimus, nostræ in ætatis decursu mori, quòd

Opocalpasum extitiale Myrrha admistum. ri, quòd Myrrham, cui Opocalpasum admistum esse nesciebant, assumpsissent. De industria namque qui Antidotos conficiunt, tanquam optimam talem Myrrham imponebant, eò quòd viderant ipsam in collyriis optimam fuisse medicinam. *Oculis.* Nempe saniem absque mordicatione extenuat, & interdum incipientes oculorum suffusiones, & adhuc tenues aufert. *Externale.* Atque sive in Emplastrum, sive in Ceratum, sive in extenuans aliquod medicamentum foris imponendum, talem Myrrham *Capillis.* conicies, remedij vim augebis. At intra corpus assumpta exitium affert. Succo huius illine [Capillos] & manebunt crispi ac nigri.

Nocumentum. Nunc quid Aetius apportet, percipiamus: Carpasi succus potatus soporem graviorem inducit, & sensus hebetat absque dolore, exudationem etiam facit & repentinam suffocationem cum exitiosæ saniei terectatione. *Remedium.* Opem verò sentiunt ex his, quibus curantur, qui Cicutam hauserunt & toxicum, atque item Ephemeron.

Carpesia. Nec recedit ab his Paulus Ægineta, dicens: Et [ὁ τῆς καρπησίας ὀπός.] Carpesiæ liquor potus, soporem & strangulatum præcipitem inducit. Eodem remedio, quo & Cicutæ, auxiliamur.

Remedium. Sed Plin. Asinino lacte poto venena restinguit, peculiariter, si Opocarpathum [Dalech. Opocarpasum, Diosc. Aet. AEgin.] potum sit. Qui & contra Dorycnium echini maximè prodesse scribit, & iis qui [Dalech. Carpasi ex Gal. & Diosc.] biberint, præcipuè eius iure sumpto [præcipuè iure sumpti Dal.] Hermol. quoque apud Plinium (& *Lectiones diversa apud Plin.* iis, qui succum Carpathi biberint) legit succum Carpati, non Carpathi: quem Diosc. & cæteri Opocarpathon & Opocarpason appellent inter venena. Adstruit præterea, quòd cinis crematorum muricum potus contra Opocarpathon [Dalech. Opocarpason alij] antidoti vicem obtineat. Legit idem contra Dorycnium aut Opocarpatum & non Dorignium aut Opocartum. Esse autem Opocarpathon id, quod Plinius aliquando succum vocavit Carpathi. Apud Diosc. verò ait, Opocarpasum, h. e. lac è Carpaso, sive Carpatho, vt *Lat. Carpasia. Carpesia.* Diosc. appellet, sive Carpasia, & Carpesia, vt Paulus, ex eodémne sint genere, an diverso non constare. Illud certum esse inter deleteria venena poni eum succum. Notat Rob. Const. *Carpesia male apud Paulum.* apud Plinium succum Carpathij, pro Carpasi: & Opocarpathon pro Opocarpason legi. Apud Paulum verò pro καρπασῶν, corruptè scriptum esse καρπησίας: pasum quoque apud Galenum depravatè legi ὀποκάλπασον. Sed ὀποκάλπασον & Gorth. legit, definiens succum esse quendam venenatum & frigidum. Quid autem sit Carpasum non constare: Hoc vnum certum esse, non esse, quod *Carpesium non est.* dicitur, Carpesium, sed maximè diversum.

Quodnam hodie plantæ genus nobis Carpasum dici possit, fateor [inquit Matth.] me ignorare. *Carpesia.* Paulus Carpesiam vocat. Si quis asseret Opocalpasum, de quo scripsit Gal. lib. 1. de antid. & Opocarpasum à Dioscor. descriptum, vnum & idem esse medicamentum, is, meo iudicio, rem, *Carpesia falsò.* vt aiunt, acu tetigisset. Licet idem Galenus non Opocalpasi, sed ὀποκαρπάσου mentionem faciat, tum lib. 1. comp. med. loc. tum lib. 5.

Hanc Matthioli sententiam recipit Cornarius, cuius etiam testimonio, falsò καρπησίας legitur apud Paulum. Quamvis in Galeni exemplis vulgatis ὀποκάλπασον legatur: tamen non dubium est, ipsum de eodem Carpasi succo loqui, de quo Paulus, Aet. & Plin. Sed quæ de Calpaso mens Amati sit tandem percipe. Galeni tempore Myrrha adulterabatur succo arboris Calpasi dictæ, vnde succus iste Opocalpasus dicitur, omninò venenosus, & vitæ humanæ adversarius: quæ verò arbor sit Calpasus dicta, aut eius succus, non opus est scire, cùm humano generi inimica. *Amat. reprob.* Equid? divinatúrne vel somniat Amatus, ne dicam insanit? Galenus non declarat, an succus sit arboris, vel herbæ. Opus mehercle scire foret, quale sit Opocalpasum, quo adulteratur Myrrha evitandi periculi causâ, ideò decebat Galenum ostendere, discrimen inter Myrrham & Opocalpasum, ut posteri ab eo cavere possent: quinimò utile fuisset indicasse symptomata, quæ assumpto Opocalpaso subsecuta essent.

Angustiata. Meminerimus autem ex iam dictis, quòd Carpasi succus, ab Opocarpaso, aut Opocalpaso, non aliter quàm nominum duntaxat varietate differat. Ast vana prorsus est illorum opinio, qui crediderel [inquit Matth.] Carpasum, Carpesiam, & *Carpesium.* Carpesium vnam & eandem esse plantam. Nos de Carpesia Hist. nost. gener. lib. 27. iuxta Valerianas. Quæ tandem planta sit Carpasum, nondum apud Græcos invenit Corn. reperit tamen ex Barbaris, qui Carpusiam, sive Carpasium arborem esse dicant, quæ item Oxyacantha vocetur. *Carpasia. Oxyacantha.* Sed incerta res est: nec satis tutum Barbaris de Græca voce pronuntiantibus fidem habere.

BDELLIVM.

CAP. XXXIV.



Descript. BDELLII veri nomine magnas habeo glebas, Taurino glutini, vt habet Dioscor. aliquatenus similes, *Color.* colore, inquam, ex fusco nonnihil rufescente, concretioneq́ue, quàquam hac molli & tenaci, ad gummi magis accedente: *Sapor.* sapore sub amaro est, multùm tamen à Myrrha relinquitur. *Odor.* Odorem nō insuavem spirat, flammamq́ue concipit, & quidem pertinacem, licèt cum crepitu. In superficie granula exsudantis glebæ hinc inde apparent. *Granula.* In glebarum medio subinde digitalis crassitudinis bacilli reperiuntur, spinosi. *Bacilli spinosi.* Exterior facies glebarum aliquando Myrrham vulgarem refert, coloris ferruginei, sed non tam intensi amaroris. Aliæ glebæ pro Bdellio adulterino exhibitæ, nigricantes, micis [si scindantur] pellucentibus, alioqui visûs aciem nequaquam admittentes, cōsistentiâ & saporē gummi, cuius modo tenaciter dentibus hærent: concipiunt tamen flammam, relicto interim crassamento copioso.

Bdellium. Bdellium, βδέλλιον, quod alij μάδελκον, alij βολχὸν nominant, lachryma est Officinarum trivialis, Saracenicæ [ἀραβικοῦ potius, ut habent Plin. Galen. Oribas. Matth.] arboris, quæ tamen rarò Bona, & sincera, qualis à Diosc. describitur, habetur.

Digitized by Google

Descriptio Bdellij. Diosc. varie illustratur. Differentia.

gummi scilicet gustu amarum, translucidum, Taurini glutinis in morem, intus pingue, liquescens facilè (Græcus codex [illegible] addit, id est, quod facilè mollescit,) ligni ac sordis expers, suffitu odoratum, ungui simile. Est etiamnum Bdellij genus, sordidum, nigrum, uberioribus glebulis in offas convolutum, Aspalathi odore. Basil. cod. [illegible]: quidam [illegible], vel potius [illegible]. Cæsalp. ait Serapio non [illegible] legit, id est, coactum in massam, sed [illegible] id est, odore Aspalathi. Hoc Galenus Scoticum vocari tradit, ex India advectum. Defertur etiam à Petra oppido siccum, resinosum, sublividum, sed facultate secundum. *Adulteratio.* Adulteratur gummi, sed ita adulteratum, non perinde gustui amaritudinem repræsentat, neque adeò suffitionibus odoratum.

Diminutam & hic dereliquerunt historiam Diosc. & Galen. arboris ferentis Bdellium, quam Plin. lib. 12. cap. 9. complevit, dicens: Vicina est Bactriana, in qua Bdellium nominatissimum. Arbor nigra est, magnitudine Oleæ, folio Roboris, fructu Caprifici naturáque. *Brochon. Malachrā. Hadrobolō.* Gummi alij Brochon appellant, alij Malachram, alij Maldacon. Nigrum verò & in offas convolutum Hadrobolon. Esse autem debet translucidum simile ceræ, odoratum, & cùm fricatur pingue, gustu amarum citra acorem. In sacris vino perfusum odoratius. *Locus.* Nascitur & in Arabia, Indiáque, & Media ac Babylone. *Peraticum.* Aliqui Peraticum vocant ex Media advectum. Facilius hoc & crustosius, amariùsque. *Indicum.* At Indicum humidius, ac gummosum. *Adulteratio.* Adulteratur Amygdalæ nuce. *Scordasti arbor.* Cætera eius genera cortice Scordasti. Ita vocatur arbor æmula gummi. Sed deprehenduntur odore, colore, pondere, gustu, igne. *Bactrianū. Candidi ungues.* Bactriano nidor siccus, multique candidi ungues. Præterea suum pondus, quòd gravius esse, aut levius non debeat. *Pretium.* Pretium sincero in libras x. terni. Gentes supradictas Persis attingit, rubro mari (quod ibi Persicum vocavimus) longè in terra æstus agente, *Mira arborum natura.* mira arborum natura. Nam erosæ sale, invectis derelictisque similes, sicco littore radicibus nudis polyporum modo amplexæ steriles harenas spectantur. Eædem mari adveniente fluctibus pulsatæ, resistunt immobiles. Quin & pleno æstu operiuntur totæ, apparétque argumentis rerum asperitate aquarum illas ali. Magnitudo miranda est, species similis unedonis, pomum Amygdalis extrà, intùs contortis nucleis.

Bdellium Sarracenicum. Bactrianū. Arabicum. Scythicum. Diosc. lectio ambigua.

Cætero, Bdellium (inquit Corn.) & re, & nomine, retinent Officinæ. Sed appellationes *Saracenici*, si tamen hæc rectè in Diosc. legitur: & *Bactriani* apud Plinium, & *Arabici* & *Scythici* apud Galenum & Medicos Græcos exoleverunt. Quod verò nigrum, crassarum glebarum esse Diosc. dicit, & Aspalathi odore, hoc est, [illegible], ambiguum est, an [illegible] legendum sit, aut [illegible], id est, in massam coactum, ut sit, quod Plin. dixit, Nigrum & in offas convolutum hadrobolum, atque sic altera vox alteram exponat: aut si potiùs hoc accipiendum, ut ipse [illegible] vocem, in offas convolutum exponat. De odore certè Aspalathi non adiecit. Et hoc tamen Aspalathi odorem habere potiùs, sicut id, de quo prius dixit, Onychis. Sed & hic ambiguum est quod Diosc. dixit, [illegible], quùm Plinius dicat, Bactriano nidor siccus, multique candidi ungues. *De odore Onychis intelligendū.* Quod Diosc. dixit, in suffitu odoratum est, Onychi simile, de nulla alia similitudine accipio, quàm ea, quæ odoris est in suffitu Bdellij, ad eum odorem, qui ex Onychis Indici conchilij testæ suffitu emergit. *Onyx.* Et hinc adeò Bdellium Onyx appellatur variis in locis apud Gal. Posset autem huius odoris experimentum facilè sumi, si verum Onychem haberemus. Quo modo verò multi illi candidi ungues in Plinio intelligi ac excusari possint, ex commentariis nostris cognosci potest. Nam ad ungues humanos nequaquam referendos illos esse, quod à multis factum est, docuimus, quum nulla penitus unguium similitudo Bdellio conspiciatur. Pro Bdellio etiam [illegible] fœminino genere habetur apud eundem Galenum.

De colore Onychis intelligendū.

Quod Diosc. ungui simile dixit (inquit Cæsalp.) de colore intelligit Plinius, non de odore, ut multi vertunt. *Bdellium duplex.* Arabes autem *Bdellium duplex* tradunt, appellantes unum *Bdellium de Meccha*, arboris fructum, ut tradit Avic. *Bdellium de Meccha. Bdell. Iudaicum.* Alterum *Bdellium Iudaicum*, lachrymam ipsam, fortè quia in suffumigiis usurparetur à Iudæis, scribitúrque à Moyse in Paradiso voluptatis oriri. *Serapio de Bdellio. Palma.* Serapio duplici mentione de Bdellio agit, una inter Palmas: de qua nos tractamus, sub titulo: *Palma minor Iunci folia.* Alterâ verò mentione *Bdellium Iudaicum* appellans, gummi esse tradit, tantùm scribens, quæ apud Dioscoridem & Galenum de Bdellio scribuntur.

Bdellium Iudaicum Offic.

Notandum venit, Bdellium hodie non Scythicum, aut Arabicum Myropolas appellare, sed Iudaicum potiùs, sub cuius nomine Olivus de eo quoque mentionem facit, qui dicit: Bdellium Iudaicum, lucidum & fulgore coruscans, nusquam videram præclaris illis notis insigne, nisi in Apollineo sacrario Calceolarij. *Arboris Saracenicæ lachryma.* Lachrymam arboris Saracenicæ verè appellaveris. *Mosis de Bdellio. Bdellij diversa expositio.* Non desunt, qui non admittant Mosis sententiam asserentis, aurum quidem purum nasci in Phisonde fluvio, Græci vocant Gettam, & cum eo gigni Bdellium, pro quo alij intelligunt Carbunculos, & alij Cristallum, nescientes Iudaicam esse plantam, quæ & fructum, & gummi proferat. Vox Hebraica sonat Bdellion: placet itaque antiqua lectio. *Bdellij fructus.* Eius fructus haud ita pridem ex Iudæa cœpit ad nos devehi: quem Antonius Cortusus Dodonæo miserat. De Bdellio Plinium consulitó. Arabes plurimùm de eo ineptire videntur. Sed fructus eius magnitudine Nucis Iuglandis est, odoratus, at putamine durissimo.

Nomina Mauritanica.

Sed suam nobis Matthiolus de Bdellio mentem his recludit verbis. Bdellium, Mauritanis *Molochil*, *Molochal*, *Mochol*, aut *Mochel*. Si nostro tempore in Italiam importatur, adeò rarum est, ut ad ostentationem tantùm asservetur, vel ad adulterini & reprobati normam. *Error quorundam.* Crediderè quidam hoc vulgare Bdellium, cuius passim in Officinis est usus, constare partim ex nigro, quod India mittit, partim verò ex eo Arabici genere, quod siccum & resinosum, livénsque ex Petra defertur, cum tamen parum, vel nihil amaroris sentiatur, est potiùs opinandum adulterinum esse. *Bdellij vulgaris plura genera.* Huius, quo passim utimur, plura quidem habentur genera, vidi nigrum, resinosum, odore fœtidum, Laseri quadantenus simile: *Bdellium nigrum. 1* aliud translucidum, utpote taurinum glutinum, amaroris expers: *Translucidum. 2.* quoddam adeò vulgari Myrrhæ persimile, ut ab ea vix dignosci possit. *Myrrhæ simile. 3* Quæ omnia genera, tametsi illegitima censeantur, Officinis tamen, tanquam legitima passim usurpantur. *Diosc. illustratur.* Serapio Diosc. Bdellium appellavit Iudaicum, licèt Saracenicæ arboris lectio admitti possit, quòd *Saraca* urbs sit in Arabia: Non tamen improbanda videtur lectio Arabicæ arboris. Plinius, Galenus & Oribasius meminerunt Bdellij Arabici. Recolligere [illegible], non facilè

cilè colligi potest, quid intelligat Diosc. Eò tamen inclinat animus, ut putem humanum unguem intelligi, quòd Plinius de Bdellio differens Bactriano ungues reddat candidos. Id quod videtur etiam Bdellio assignasse Damocrates in suis carminibus, quibus cypheos compositionem cecinit, & quæ à Galeno referuntur. Bdellium autem

Qualceb. notatur.

Qualcebone, cùm nigro sit colore, nec ulla in parte pellucidum, nec suffitu odoratum, sed virus potiùs redolens, cur legitimum dicam non habeo. Quandoquidem sola amaritudo, quæ illi inest, ut cæteris ferè lachrymis, ac resinis, non sufficit, aliis non adstipulantibus notis, ut adulterinum hoc Bdellium, legitimum faciamus. Hactenus Matth. apud quem C. Bauh. has sex differentias habet:

Differentiæ C. Bauh.

1. Maioribus glebis ruffum, & cùm frangitur in plurimos grumulos dissiliens, mediocriter splendens: 2. Minoribus glebis subfuscum, intùs ruffum, cùm frangitur in duas partes quasi dissectum se dividens, transllucens, densum, lentum, glutinosum, pingue & lachrymas albas calido in loco emittens: 3. Nigrum, intùs nigro ruffum, glutinosum, mediam inter Thus & gummi Cerasorum qualitatem resipiens: 4. Nigrum quoque, sed intùs fulvum, purpureo colore, maximè transllucens, molle, glutinosum, Cerasi gummi simile, eiusdémque saporis: 5. Colore & sapore priori simile, sed intùs pallidis, aut candicantibus maculis distinguitur: 6. Pallidum, aut candidum, grumus oblongis, mediocribus, multis, longis, guttis densatis concretum, amarum, ingratum, omnibus speciebus acerrimum.

Delectus.

Eligendum porrò scribit in quovis genere, aspectu cùm frangitur, nitidum, cornu, aut taurino glutini simile, magis transllucens, pinguius & mollius, cùm hoc recentis indicium sit.

Myrrhæ species.

Myrrhæ vtrum Bdellium præferendum sit, meritò ambigunt Lob. & Pena. Etenim quod Bdellium putatur, quia certò sciunt, & à Rondeletio experimentis persuasi sunt, optimè viribus Myrrhæ respondere, putant illud Myrrhæ speciem esse, nec vulgare rationis momentum istud.

Bdellij lignum.

Londinum superiore anno allatæ multæ peregrinæ merces fuêre, inter quas quamplurimos huiusce ligni surculos expiscati sunt, solidâ substantiâ, cortice duro, nigricante, spinis multis & rigidis, crassiusculis, horrentes, quibus multa copia Bdellij erat aggesta, intùs, forísque valdequàm amari: cætera descriptioni Dioscoridis perquàm similia.

Bdellium unde dictum.

Iidem aiunt alibi Bdellium, quasi olidum putridúmve dictum. Qui de odore eius velitantur, sciant accipiendum Bdellium suffitu εὐώδης, sive odoratum, dici à Diosc. quemadmodum vnguis odoratus, Castoreum, Muscus, Styrax liquida, Caphura, aliáque multa, quæ vehementer fœtent, aut ingrata sunt. Cùm Myrrha & Bdellium proximè alteram spinosa arbor describatur, & gummi adeò simile effigie fundat, voluerunt quidam, non nisi tanquam sylvestrem à Sativa Myrrha distare Bdellium. Porrò Myrrhæ descriptio, quam dant, non est ita diversa ab ea, quam Plinius Bdellij scripto reliquit, Bdellium notissimam arborem, nigram, magnitudine Oleæ, folio Roboris, fructu Caprifici, naturáque.

Fructus.

Quem Caprifici quadantenus effigie fructum, industria peritissimi exoticarum plantarum Clusij in versionibus è Garcia habemus. Obs. autem Bdellium & Bdellij fructum nuncupant. Hist. insuper Belg. Fructus, quem Clusius Bdellium suspicatur, quemadmodum ipse nuper monuit, videtur Cuciophori esse, quem ad librum de arom. in hunc describit modum: Iuglandis Nucis magnitudine, aut etiam amplior, triangulari ferè formâ, oblongiore tamen, & ad Ficum quodammodo accedente, odoratus, colore subcinericeo, durissimo putamine, quod prægnans esse, & nucleum continere videtur.

Cuciophori fructus.

Figura nostra, quam proponimus, est ex Lobelio. Nos simile sanè lignum spinosum, cum Bdellio à nobis descripto, observavimus. De fructu pro Bdellio exhibito, sub Cuciophoro tradetur. In Iconibus Plantin. figura Ligni & spinæ Bdellij malè posita est sub titulo Laccæ. Exhibet iconem Hist. Lugd. sub hac inscriptione, Myrrha aut Bdelliũ suo surculo spinoso hærens.

Plant. err.

Myrrha aut Bdellium.

Bonæ Herb. aut Io. Cubæ tradit Bdellium Serapioni Arab. vocari *Melyalyeud* & provenire in Hispania. Ex hac arbore provenire gummi dictum de Meka: de Bdellio provenien te in Meka, scriptum esse Genes. 2. In Paradyso arbor cuius fructus est satis dulcis: Esse etiam Bdellium Indicum, ac adulterari gummi Cerasorum aut Pyrorum. Herb. Cubæ pro Bdellij icone habet monstrosum figmentum. Neque in Pyris nos observavimus Gummi. Bdellium porrò in Hispania provenire Euch. Roess. quoque scribit, & Hispanicum melius Lugdum esse, Indicum verò calidum. Sed hi, quem hac de re allegent, non habent. Quò gentium Bdellium exulatum volunt?

Melyalleud Serapioni. Paradysi arbor. Gummi Pyrorum. Io. Cubæ figmentum.

Euch. taxatur.

Bdellium quidem ab aliquibus (teste Plinio) creditur Scordastus arbor, æmula gummi Bdellij, cuius cortice idem adulteratur. Dicitur Arabibus Bdellium, de Meccha arboris fructus Avicennæ. Serapioni autem de Meccha arbore Iunci folio. Audit Cæsalp. in Sicilia ex Palmis us (quas *Cefalines* vulgò dicunt) effluere gummi odoratum, quod genus Bdellij fuerit apud Arabes. Habetur tandem Bdellium Cuciophoros.

Æquivoca. Scordastus. Palma minor. Cefalines.

Cuciophoros.

Quidam somniaverunt communem Myrrham legitimum esse Bdellium, teste Matthiolo. Sunt qui Anime verum Bdellium esse putant, inquit Clusius, ob multas, quas habet cum Bdellij historia notas communes, de quibus suo loco dicimus. Olivo teste pro Bdellio alij intelligunt Carbunculos, & alij Cristallum.

Myrrha. Anime.

Carbunculus. Cristallum.

Matth. pro Bdellio in comp. Cypheos Damocratis Belzuinum supponendum censet: Nec abs re factum ipsi videbitur si Bdellij loco selectissimus addatur Styrax. Quidam docti Medici Galliæ, inter quos à Clusio Rondeletius censetur, existimant posse Bdellio substitui Propolim. Si quis præterea bono caruerit Bdellio, Galeni consilio in suis succedaneis (Amato cum allegante) eius loco arborum muscho vtatur. Codex Galeno ascriptus de suppos. med. in Bdellij penuria Sphagantum supponit, sed cùm nulla sit Sphagani [Musci arboris] cum Bdellio communis facultas, id sanè cum Matth. probare non possum. Cornarius in compos. Cypheos, vbi vnguium Bdellij meminit Dioscorides, loco vnguium Bdellij apud Aetium Vnguem odoratum immiscet.

Substituta. Belzuinũ. Styrax. Propolis.

Muscus arb.

Vnguis odoratus.

Bdellium, vt nobis author est Dioscorides, calefacit, & emollit duritias, turgentia guttura, humidásque hernias [illegible] discutit, cum ieiuna saliva dilutum [illegible] impositum. Vulvæ spiracula laxat apposito & suffitu, & partus, humiditatésque omnes extrahit, calculos potu comminuit, vrinam movet, tussientibus & à serpente percussis vtilissimè [illegible, vtiliter] datur. Valet ad rupta, vulsa, laterum dolores, & discursantes spiritus. Malagmatis inseritur, quæ contra duritias, & nervorum nodos proluntur; consumi verò resolvitur affuso vino, aut aqua calida.

Vires. Hernia. Calculus. Tussis. Ad serpentes.

Galenus verò bdellij facultates describens, ita inquit: bdellium, quod Scythicum nominant, quod sanè & atrius est, & resinosum magis, emollientis admodum est, & efficacis virtutis: at alterum, nempe Arabicum, quod dilucidius est, magis desiccat, quàm emollientia. Igitur quod recens & humidum est, & contusum facilè mollescit, & ad omnia, ad quæ Scythicū idoneum est: at quòd antiquius est, & admodum gustu amarum, & acre, & siccum, ab eorum, quæ indurata emolliunt, mediocritate recedit. Vtuntur autem quidam illis, & potissimùm Arabico, & ad bronchocelas & hydrocelas, saliva matutinâ, ieiunaque, subigentes vt emplastri consistentiam accipiat. Porrò Arabicum & calculos tenuiū in potu sumptum frangere apparet, tum vrinas ciere, & crudorum flatuum discussus, præterea laterum dolores & rupturas persanare. Bdellio etiā maximè pro lixandis atque emolliendis tumoribus vtuntur.

Bdellium Scythicum. Arabicum. Bronchocele. Tumores.

BELENIZAN AVT BELENZAN Averrhois.

Cap. XXXV.

Nominum saltem, si res non alia, cognitas effecit, vt quidam, authore Garcia, *Belenzan* existiment esse *Benivinum*, quæ quidem opinio ei non placet, vt mox apparebit ex eo capite, de Benivino.

Cæterùm Belenizan [vt tradit Averrh.] aut *Belenzan*, sive *Petrozan*, exsiccantem & calefacientem in secundo excessu habet facultatem, stomachum humidum & languescentem exsiccat & roborat, oris odorem commendat, partes corporis confirmat & venerem excitat.

Temperamentum. Vires & vsus.

Sed ex hac adeò succincta & brevi historia persuadere sibi non potest Garcias, esse Benivi quod sequenti capite describitur, quod si quis tamen contra sentiat, per ipsum licet.

BENIOINVM, CVIVS ARBOR folio Citri.

Cap. XXXVI.

Resina nomine Benioini Officinis cognita, magis constat glebis inæqualibus, puris, nec vlla ferè sorde vt plurimùm infectis: colore sunt massæ aliàs rutilante, aliàs magis ad albedinem vergente, & crebertimis ceu vnguibus, aut Amygdalarum fractura remistæ: verùm in rutilis illis massis obscuriùs lucent vngues, in aliis candidi admodum, sed non ita pellucidi: substantia omnibus satis compacta, sed vel attritu digitorum in pulverem friari potis, nec quæ sub dentibus lentescat, saporis ferè expers, verùm odor suavissimus qui accenso vegetior. Eidem interdum adhærescens invenitur cortex, qui magnæ satis arboris suspicionem inicit, foris rugosus, ad cineraceum inclinans, substantiâ compactâ, colore intrinsecus ruffo ceu Canellæ, quæ gustanti nihil præter siccitatem quandam offerre videtur. Hæc nobis de Resina ista nobilissima comperta.

Benzoini resina. Color. Vngues. Substantia. Odor. Cortex.

Arboris faciem tradit Garcias: Arbor, inquit, Benivifera procera est, vasta, pulchra, magnam spargens umbram, ob ramorum frequentia, quos pulcherrimo ordine digestos, & in aërem elatos habet. Caudice est crasso, materie prædura & firma. Eius folia partim aceto condita, partī adhuc adhærentia accepi: minora sunt ea aliquantum Citri, sive Limonii foliis, non tamen adeò virentia, sed parte adversâ candicantia, quæ verò in ipsis maioribus ramis nascuntur, ad Salicis folia magis accedere videntur, latiora tamen sunt, sed minùs longa. Vulnerantur arbores, vt gummi, quod est Benivi de *Boninas*, emittant, quod est ex provincia Bayrros, idque præstantius eo, quod in Sian nascitur: natum verò in Sian reliquis generibus præstantius est.

Arbor ex Garcia. Caudex. Folia Citri. Arboris scarificatio. Locus.

Benivi plura sunt genera. Id autem maximè mercatoribus expetitur, quod Amygdaloïdes vocant, quòdque vngues, seu maculas candidas admixtas habet, Amygdalarum instar: quò enim pluribus huiusmodi maculis abundat, tantò præstantius habetur. Maximè id provenit in Sian, & eius contermina Mirtaban. Erant illæ provinciæ supra regnum Malacam ad fluminum Aræ & Menan in Oceanum Indicum influxum supra Gangeticum sinum. Eius meminisse puto Antonium Musam, idque permixta eius radicum scobe adferri asserere: sed falsò, quandoquidem vnum idémque est gummi, aliud videlicet crassiori consistentiâ, aliud liquidiori, & aliud non plenè durâ, quæ deinde à Sole exusta magis albet. Id Benivi sic exsiccatum nonnunquam in farinam resolvitur, quam Musa radicum scobem esse putavit.

Benivi genera. Amygdaloides. Delectus. Musa lapsus.

Aliud genus nigrius invenitur in Iaoa & Samatra, quod vilioris est pretii. Est & genus nigrum in Samatra è novellis arboribus profluens, quod ab odore grato *Benivi de Boninas* vocant: id superiore decuplo carius est: quod sæpiùs existimavi nihil aliud esse, quam Benivi cum cum Styrace liquida, quam Chinenses *Rocamalha* vocant, permixtum, quod volui semel experiri, mixto Benivi cum Styrace liquida. Sed licet Benivi sic permixtum vulgari odoratius esset, odoris tamen fragrantiâ & suavitate à Benivi de Boninas superabatur.

Nigrum. Nigrum. Rocamalha. Chinensis.

Cæterùm Benivi è novellis plantis profluens Amygdaloide odoratius esse, causam esse puto, quod gummi multùm nativæ suæ fragrantiæ vetustate amittat, ut ferè reliqua huiusmodi. Sed quia candidum elegantius est, nigrum verò & novellum odoratius, vtrumque permiscere solent, ut odoris fragrantiæ etiam elegantiam concilient.

Benivi de Boninas cū novello permiscetur.

Asa quoque odorata non est Benivinum, tametsi nonnulli docti viri in ea fuerint sententia.

Asa nō est.

Nunc illud restat, vt nostram sententiam firmis argumentis comprobemus.

Neminem Benivi vnquam in condimenta recepisse certum est: Asæ verò fœtidæ frequens est vsus condiendis cibis apud Indos. Adhæc maxima pars Laseris (Asæ fœtidæ) ex India vltra Gangen advehitur. Benivi verò, quod in Indiam adfertur, quòdque Amygdaloides vocant, nascitur in Samatra & Sian [non in Armenia, aut Syria, Africáve, aut Cyrene] eiúsque maxima pars huc convehitur: deinde in Arabiam, Persiam, & Asiam minorem defertur, atque etiam [vt ex virorum fide dignorum relatu intellexi] in Palæstinam, Syriam, Armeniam, & Africam. Anton. Musæ imposuerunt igitur ij Lusitani, qui incolas, apud quos nascitur Benivi, id gummi, eadem nomine, Laserpitium vocare significarunt: quandoquidē ab indigenis *Cominham* appellatur. Ad Ruellii autem obiectionem, quem capite de Lasere, *Imperatoriam*, *Laser gallicum*, atque *Officinarum Benivinum* esse contendere scripsi, sic respondeo. Cùm is inter reliquas Imperatoriæ facultates hanc illi tribuat, vt libidines extinguat: in Lasere verò demonstratum sit eo vti ad venerem excitandam

Benivinum in condimenta non recipitur. Laser ex India. Benivi Samatra. Laserpitiū. Cominha. Imperatoria. Laser Gallicum. Ruell. refellitur.

Imperatoria Laseris genus esse non potest.

Veteribus ignotum.

Nostrum Benivi veteribus ignotum fuisse omninò puto: siquidem nec Græcorum quempiam, neque quempiam Arabum hoc describere memini. Veteribus etiam Iudæis ignotum fuisse, ex eo conijcere licet, quòd neque David, neque Salomon eius meminerunt, tametsi odores & suffimenta summoperè commendarint.

Ruell. lapsus. Ben iudæum.

Fieri autem potest ut Ruellius [in eo, quòd Benivi, Ben Iudæum vocat] lapsus fuerit nominum affinitate, debueritque potius nuncupare *Bentaoy*, id est, filium de Iaoa; ubi plurimum nascitur.

Locus.

Scribit Mediolanensis quidam nasci Benivi in môte Paropaniso, & præter Macedones quosdam, qui in Monte Caucaso, odoratissimum, nostróque multò præstantius se vidisse asserebant, Ludovicum etiam Romanum citat.

Lud. Roman.

Ego verò neque huic Mediolanensi, neque illis Macedonibus facilè crediderim, quandoquidem videre licet huc commeantes tot Thraces (quos illi *Rumes* vocant) & tot Turcos, qui Benivi mercium gratiâ hinc transuehunt: quos, si apud eos Benivi nasceretur, alias potiùs merces, quę maioris essent emolumenti & quæstus, transportaturos credibile est. Fieri autem potest, ut illi Macedones Styracem pro Benivi intellexerint: sed tamen nullibi Styracem nasci scimus, præterquàm in Æthiopia, ubi etiam Myrrha reperitur.

Cominiam Louan[illegible]

Benivi genera vocantur à Chinensibus *Cominbam*, ab Arabibus *Louanaoi*, quasi dicas Thus de Iaon, quòd hæc regio primùm Arabibus innotuerit, Arabes enim Thus *Louan* dicunt, Guzarate & Decan incolæ, *Udo*.

Scalig. descriptio.

Scaligeri descriptio, quæ est exercit. 174. non parum variat, eam autem integram hîc subijcimus: Est mihi, inquit, arboris ipsius surculus, in meis Mutarum thesauris, etiamnum aliquid è Beniovin retinens ac spirans. Quin compressus nonnihil lenti succi, qualis est Beniouin, remittit. Quem à Ioa. Valada ex India delatum dono accepi. Is, ait, arborem esse, Amygdali facie, folio longiore: nullum ferre fructum, præter oblongas siliquas, compressas, oleo plenas, non semine: quo ex oleo spissato conficiunt Beniovin. Surculi constitutio mollis, lenta, striata, qualis foliis Caricis, aut Palmæ arefactis.

Benivyn & in Iava habetur (Linschot. testimonio) sed copiosissimè in *Baros* & *Sperimam*, quæ duo sunt loca insulæ Sumatræ Indiæ Orientalis. Appellatur ab incolis *Mignan* vel *Conignan*.

Mignan. Comignan.

Benyvin album æquè carè vendunt, ac ipsum etiam Caxas in Iava. Pari enim pondere vendunt, nec dispari pretio. Nigrum verò triplo cariùs divenditur quàm Caxas. Est & genus quoddam ibi quod Benivyn vocant *Amendoado*, fragile, atque friabile, quales ferè sunt Amygdalæ contusæ, quod cæteris bonitate præstat. Omnium vilissimum crescit in *Palimban*, & Sumatra.

Caxas. Amendoado.

Meminit etiam huius Alois. Mund. in exam. ad Brass. Quàm rectè agant, inquiens, hi (è quorum numero est etiam Hieron. Eugub.) qui eo, quod belzuinum vocant, Myrrhę loco utuntur, viderint ipsi: certum enim est (ut alia omittam) omnis illud amaritudinis expers esse.

Substitutū Myrrha.

Officinæ hodie duos habent succos spissos quos aliqui gummi esse putant: alterum vocant Asam dulcem, alterum Asam fœtidam. Hos ego inquit Corn. esse credo Silphij succos, sed unde aliatos, non satis constat. Cyrenaicum sua ætate interiisse scribit Plinius, nisi fortassis postea renatum fuerit. Inde certè dulcem Asam esse verisimile esset, sicut ex Medico & Syriaco fœtidam. Nam Medicum & Syriacum Sylphij succum Dioscor. virosi & graveolentis odoris esse testatur, sicút Cyrenaicum lenis & grati. Ex Indicis navigationibus hodie utrumque ad nos afferri satis notum est. Nam illorum lingua belzoi nominari, quod Latinis sit Laser, ipsi nautæ testantur. Et Asa vocem ex Lasere esse corruptam minimè dubium est. Fœtidam propter graveolentiam, nostri vulgò *Merdam Diaboli* appellant.

Asa dulcis Silphij succus.

Belzoi.

Merda Diaboli. Ben iudaū.

Ruell. benivinum Officinis, sive *Ben Iudæum*, quòd Iudæa parens huius, mittat ad nos prolem suam. Andern. libello de peste vocat simpliciter *Been* & *Been Indaicum*, ac ibidē etiam per Asam dulcem, sive Laserpitium, intelligit benivinum: in catal. verò Franc. belzoinum & benzoin ut[illegible].

Been.

Asa.

Cord. in Diosc. erroris eos accusat, qui Asam dulcem, sive benzoi, verum Laserpitium esse putant, in quorum numero est Ruellius, qui benevinum pro benzuinum scripsit & interpretatus est prolem Iudææ parentis, cùm tamen ex India adferatur. Idem inhibit, benzoum, sive benzoi, quod etiam Asa dulcis appellatur. Langij verò de benioino sententiam vide antè capite de Myrrha.

Ruellij error.

Cæterò, beniovin (pergit Scalig. in Card. exerc. 142.) quod vos Itali *Belzoi* dicitis, falsò putant esse *Laser ab India*: nec verum est, quod aiunt: à Vartomanno scriptum in suis Navigationibus è Lasere fieri benioin ac qui Latinum fecit, inscitiam addit audaciæ manifestam.

Laser non est.

Error retorquendum.

Costa Ital. eadem ferè tradit de *Bengivo* (ita enim cum Garcia vocat) quæ Garcias, reprehendens Ruellium, Musam, & Mediolanensem, negánsque esse Assam, vel Laserpitium, ac addens Matthiolum dicere, se veritate victum, coactum mutare sententiam: ut & Monachos in Mesuem dicere Cancamum non cognitum, quamvis aliqui belgioinum existiment. Cancamum adhæc non esse belgioin, ut benè annotarit Amatus. Atque etiam apud Valleriolam Laserpitii Indici Lachrymam, vulgò benioin vocari.

Bengivo.

Cancamum non est Laserpitiū.

Lob. & Pena Adv. benzoin recentiorum non est succus Cyrenaicus, sed inventum recentioribus, & à Cancamo differt. Et alibi benzoin non est Cancamum Diosc. Licèt censeat Anguillara, à Montano persuasus benzoin esse Cancamum. Siquidem is dicat epist. 1. Cancamum pronuntio cum Montano nihil aliud esse, quàm belzoinum, & corruptum textum ubi dicitur sapore iucundo, quod demonstrari potest ex Paulo, & Serapione, ut etiam ostendit Matthiolus. Sed animus inclinat Agricolæ Laserpitium lachrymam illam esse, à se belzuinum vocatam.

Anguill. not. qui Cancamum cum Montan. Benzoin esse dicit.

Agricolæ partes susceperat Matth. quas posteà infirmat. Credidimus iamdudum Laserpitij lachrymam nihil aliud esse, quàm illud iucundi ac suavis odoris gummi, quod Pharmacopœis atque Vnguentariis belzoinum nominatur. Verùm cùm postea cœpissem Laserpitij ac Laseris historiam diligentiùs examinare, facilè in aliam deductus sum opinionem. Id gummi, quod Seplasiæ belzoinum dicunt, meo quidem iudicio, verum Silphij liquorem mentietur potiùs, quàm sit. Validi cortices, qui plerumque belzoino implicati reperiuntur, arguunt id arboris magnæ potiùs, quàm ferulaceæ plantæ lachrymam esse: quod etiam nuper retulit mihi quidam Medicus Cyprius, qui belzoinum nostrum in Cypro ex arbore satis procera manare affirmavit. Quid autem veteribus fuerit gummi illud elegantissi-

Laserpitiū.

Belzoinum non est ferulacea planta.

Ex arbore procera.

Digitized by

mum, quod belzoinum appellant, mihi hactenus incompertum est. Non enim est, ut quidam volunt, probatissima Myrrha. *Myrrha non est.* Idem hist. Germ. benioinum pretiosum est gummi & odorum ex India, alio nomine Asa dulcis dictum ad differentiam Asæ fœtidæ. *Asa dulcis.* Sunt enim, qui hoc gummi, Laserpitij esse putent, sed falsò. *Laserpitium falsò.*

Camer. ad Matth. Arbor, quæ benioinum fert, magna & procera est: folia minora, quàm Limonum, alterâ parte incana: locum autem, ubi provenit, non facilè est adire, quàm magno agmine armatorum propter Tigrides.

Ex Theoph. & Diosc. didicit Turnerus, Matthiolum, & quicunque benzoinum putant esse Laser dulce Cyrenaicum, graviter errare. *Matth. reprehe. Non Laser.* Theophrasto enim & Dioscoridi Laserpitium herba est, quotannis interiens, saltem quoad caulem, & summitates, cuius succus exsiccatus sit Laser. Scimus autem ex fragmentis ramulorum ligneorum admistis, tum experientiæ Ludovici Romani (quem citat etiam Matthiolus, illis scilicet contra seipsum arma subministrans) benzoinum, sive belzoinum, resinam esse arboris cuiusdam, non autem herbæ lachrymam. Quod autem ad Assam fœtidam, non negaverim esse Laser Medicum aut Syriacum, ut Matthiolus & alij docuerunt. *Assa fœtida.*

Amato præterea benzuinum non est Cancamum, sed Arabum Assa odorifera, quam ipse Silphium, sive Laserpitium odoratum vocat, præcipuè subnigrum, quod Lusitani à *Boninas* appellant.

Diffluit præterea lachryma ex arbore incisa, quę Myrrha dicitur. Aliquando tamen in trunco ipsius arboris, lachryma ipsa concrescit. Quę omnibus prestantior est Troglodytica, hodie apud Lusitanos, simul & reliquos Hispanos in Officinis, sub nomine belzuini Amygdalini, reperta, levis, subnigra, undique sibi concolor, fragilis, quæ confracta, album quid, ungues humanos, vel Amygdalas dealbatas referens ostendit: *Belzuinum Amygdalinum.* unde Lusitani qui ex India eam adferunt, belzuinum Amygdalinum vocant, ut inter eam & alteram nigram, propriè belzuinum bonum, sive ut illi dicunt, à boninas differentiam ponant, de quo cap. de Laserpitio sermo agitur. Verùm inest huic, de qua agimus lachryma, Myrrha Troglodytica, quam Hispani belzuinum Amygdalinum [ut dixi] vocant, sapor amarus, odor verò bonus, sed ita acer & vehemens, ac intensus, ut omnes assistentes, quum ex ea suffitiones fiunt, in sternutamenta prorumpant, qua de causa indies ab Hispanis magis despicitur, delicatioribus odoramentis abundantibus. *Sapor amarus.* Hunc odorem considerans Diosc. gravem odorem Myrrham habere dixit. Gal. verò lib. 1. de Antid. eam gratissimi odoris esse tradit, quem ita esse deprehendimus, intensiorem tamen: sed animadvertendum, quod Gal. ibidem à Diosc. discrepat, quia Myrrham Mineam à regione, in qua nascitur, sic dictam, præstantissimam facit, quam tamen Diosc. ut improbam, & cęteris Myrrhę speciebus peiorem, derelinquit. *Gal. discrepat a Dioscoride. Minea.* Hanc verò lachrymam belzuinum Amygdalinum dictum, rarò aut nunquam Italia vidit, qua de causa non mirum est, si Manardus vir diligentissimus lib. 6. suar. epist. dixerit, non solùm optimâ, sed etiam bonâ Myrrhâ caremus: ex hac verò Myrrhæ specie *Stacte* pręcipuè conficitur, ac destillatur cùm colore, cum odore & sapore illi maximè conveniens. *Adversus Manard. Stacte.* Ceterùm vulgata & communis Myrrha, Diosc. Caucalis est, arida, colore nigro, & velut ab igne torrida, quæ ex *Vulgata. Caucalis. Locus.* India quoque, pręcipuè insula *Farice* dicta ad nos adfertur. Hanc verò falsò nonnulli bdellium apud Diosc. esse contendunt. *Bdellium falsò.*

Quid Amatus intelligat difficilè est scire: dubitamus enim, an eam intelligat, quam nos exhibemus pro Myrrha Troglodytica, quia dicit vocari belzuinum Amygdalinum, quamquam capite de Laserpitio aliud habeat, quod dicit vocari belzuinum boninas, quod quidem dulce est, ac à Langio existimatum Myrrha, cui opinioni se opposuit Aloisius Mundella. *Amatus dubius. Laserpitium. Belzuinum. Myrrha Langio.* Notæ tamen, quas tribuit Amatus suo belzuino Amygdalino, veræ Myrrhæ conveniunt, quam exhibemus. Monachi in Mesuem dicunt, se nunquam vidisse Myrrham, & eam, qua utantur aromatarij, non esse speciem Myrrhæ: quod si sit, esse Ergasinam: *Monachi reiiciunt vulgarem.* atque præterea non spernendum iudicium eorum, qui dicunt vulgarem Myrrham esse bdellij speciem. *Ergasina. Vulgaris Myrrha Bdellij species.* Bacchanellus dicit nos veram Myrrham non habere, nisi fortè nostra, Caucalis sit, vel Ergasine Diosc. *Caucalis. Ergasine.*

Quicquid porrò dicat Amatus, non existimo, in belzuino Amygdalino, vulgò vocato, reperiri ullam amaritudinem, quod & alij testantur, nec ullum belzuinum amarum novi: quæ occasio, ut nullo modo Myrrham censeam; nec etiam verisimile est, Laserpitium, sive Silphium esse, cùm herba fuerit. *Amat. notatur. Iudicium autorum.* Bdelli autem arbori, ineptè etiam germanicū nomen Maisterwurtz additum. Langio etiam & Monachis non assentior, ut antè indicatum, belzuinum esse Myrrham. Odoratum Assæ genus, inquit Apollo, à paucis annis illustres medicæ materiæ indagatores, id quod Laser Cyrenaicum, vulgò belzuinum, multò ante Cardanum & illustrarunt, & approbarunt. Matthiolus tamen priori suæ opinioni contrarius, belzoinum haud esse Lasserem odoratum primum ex Strabone defendit. Vbi verò Lasser, vel Assa, sive succus Cyrenaicus simpliciter scribitur, belzoinum accipiendum. *Matth. notatur. Laser. Assa. Succus Cyrenaicus.* Montuo *Assa odorata*, & *Benivin* dicitur: Cardano & Gualtero *Assa dulcis, Belzoi, Benzoi.*

Toxites in Onom. philos. Benzuin / Wolriechender Laser / Wilder Granatbaum / *Arbor tremula, arbor Granati sylvestris, Aspalathus, arbor Crispinus, Azatarach, Aza dulcis, Assa odorata, Azarach, Darsisaham Arab.* *Asa odora. Arbor tremula. Arb. Granati silv. Aspalathus. Arbor Crispinus.* Pharmacopœum Toxitem dixeris compositionem cuiusdam medicamenti mistam instituentem, qui tot plantas hîc miscet. *Toxites reprehe. Sarcasmus.*

An Saracen. de peste Lasser Indicum seu liquor Cyrenaicus Arabum interpretibus Asa dicitur?

Asam dulcem à fœtida distinguit Avicennas: Vtriusque autem vicem supplêre potest belzuinum nostrum: nec est Lasser ipsum, ut plerique falsò arbitrantur.

Varignana in Secretis de Assa aliqnid. Verùm ego existimo Varignanam nescivisse quid esset Assa.

Disp. Coloniens. *Asa dulcis*, Benzoi ex Taprobana insula hodiè. Idem. Asa corruptè denominata à Lasere videtur: est autem duplex, videlicet aromatica & odorata Asa, & fœtida. *Asa dulcis. Benzoi. Duplex Asa.* Asa aromatica seu odorata est Laseris seu Silphij opos, sive liquor Cyrenaicus, seu potiùs Indicus hoc tempore. *Asa aromatica. Liquor Indicus.* Etenim Indicus etiam Mesue laudatur. Nam ex *Taprobana* insula in mari Indico maxima hodiè à Lusitanis convehitur teste Lud. Romano belzoi indigenis dictus. Hæc ex Sylvio. Sed satiùs est fateri *Laserem*, seu *Laserpitium*, seu *Silphium* non extare ampliùs, quod prægnantibus rationibus Io. Lang. docet in epist. med. *Laser non amplius extat.* Asa itaque dul-

cis seu benzoin, quòd apud Serap. & Avic. à Græcorum Laserpitio nihil differat, Laseris succus esse non potest. Secundò Lud. Rom. refert belzoin esse gummi arboris, atque Laser non arbor, sed βοτάνη ἢ λάχανον veteribus est. Quid vero Officinarum *Belzoin* sive *Assa dulcis* sit, indicabitur paulò pòst.

Harch. in Ench. Liquor Cyrenaicus aut Indicus non extat in Officinis: Nam is, quem illæ ostentant pro Indico & Cyrenaico liquore, quem gummi benzui vocant, potiùs est selectissima Myrrha. Quanquam non desint, qui hunc liquorem, quem Officinæ peculiari nomine Assam odoratam vocant, legitimum esse negent, quòd Assa odorata apud Indos in usus condiendorum ciborum veniat, benzui minimè. *Myrrha.*

Fuchsio de comp. med. Cyrenaicus liquor, Officinis Medicorum Asa dulcis & belzoe, vel belzoin, & belzuinum nominatur. Sed qui sub hoc nomine in Officinis prostat, non legitimus, aut saltem quarundam rerum accessione depravatus, quòd nec acer, neque mordax sit. Præstaret itaque, inquit, succo Laserpitii, Germanici, quod *Magistrantiam* nominant nostri, ad compositionem medicamentorum uti. Ego quidem contra Fuchs. Belzoe non putarim depravatum: sed quia non est opos Laserpitij: ideò etiam non habet signa. *Belzuini substitutũ Fuchsio. Fuchsius notatur.*

Camerario apud Matth. Germ. Benzoi vocatur Asa dulcis, de quo legi possit Garcias.

Adolpho Occoni in pharm. Asa dulcis, ὀπὸς Σιλφίου, Benzoi & Bentoi, Lazer.

Acosta Ital. refutat eorum opinionem, qui volunt Assam odoratam esse Benginum atque inter illos Antonium Musam. *Benginum.*

Tabern. apud VVirsung. *Asa dulcis*, *Beniovinum*, *Assa dulcis Officinarum*, Asant Benzoe, vel *Asa dulcis*.

Hadriano in Nom. *Laser Cyrenaicum* ὀπὸς κυρηναϊκὸς, vulgò *Assa dulcis, odorata & gummi Benzoinum*, Belg. Benzuyn. *Laser. Opus Cyrenaicus. Assa dulcis.*

Rhegino in exercit. *Asa odorata*, pro liquore Cyrenaico Galeno usurpatur: Myropolæ, inquit ille, Benzoin appellant: Laser, aut Laserpitium non est. Idem: Laseris liquor duplex: prior quidem Assa odorata, Galeno liquor Cyrenaicus dictus, & Benzuinum vulgarib. Medicis. Ex arbore, aut ferulaceo frutice non ex herba erumpit utraque Lachryma, sive liquor, cùm plærumque cortex adhærens visatur: quod nusquam apprehenditur in herbarum succis, nisi adulteratis. Sed quàm bene sibi constet Rheginus apparet ex iam annotatis & magis apparebit in Lasere. *Rhegin. sibi non constat.*

Lacunæ ὀπὸς, Laser, Arab. *Altith* & *Assa* Castill. *Benivy* & *Bos Iudaica*. Liquor Cyrenaicus Benivy existimatur.

Monachi huc usque non viderunt propriam & veram odoriferam Assam. Et quamvis aliqui, ut Manardus & Brassavolus, velint Benzuin vulgò vocatum esse Assam odoriferam, tamen hoc illis non clarè constat.

Bacchanel. in cons. Assa odorata, Laser odoratus vulgò dicitur *Belzoino*. Notat verò non haberi Assam dulcem, & se eius loco succum Glyzyrrhizæ ponere, seu potiùs Belzoino. *Benzoini substitutũ.*

Belzoi vulgò appellari Lachrymam ex Oriente advectam: Colligi ex arbore in India ut vult Lud. Romã. aut Laserpitiũ esse apud Antiquos credere non possum, ait Cæsalpinus: Hæc præterea addés Lachrymam odoratiorem appellant Belgioinum de Boninas: suspicor Myrrham esse. De Myrrha Theophrast. Dioscor. similiter tradit Lachrymam Arabicæ arboris, Myrrha, unde exprimitur Stacte, res odorata est, quam Unguentarii in folles confarciunt, digeruntque odoris ac pinguedinis argumentis, ut inquit Plinius. Hæc hodie *Belzoi* vocatur, aliis *Bengioinum*: deest quidem amaritudo, gustu enim suavis potiùs est, quod cum his, quæ à Theophrast. traduntur, convenit. Nos verò Myrrham amaram esse demonstravimus capite de Myrrha, & ideò non potest esse belzoinum, ut vult Cæsalp. & alii: Gesnero in catal. pl. *Laser*: *Laserpitium*: cuius altera species odorata Assa dulcis dicitur, sive *Benivinum*, quasi *Ben Iudæum* ex sententia Ruellii. At mihi sanè vetus arboris Lachryma videtur. *Laserpitiũ. Myrrha. Cæsalp. not.*

RESINA AMERICANA SIVE CARTHAGINENSIS NOVI ORBIS.

CAP. XXXVII.

LACHRYMÆ Americanæ nomine Resina, à D. Paludano communicata Ill. E. C. à qua nos habuimus, flammescit, odore ferè Picis, sapore subacri. Hanc fortè eadem, eodem nomine, ab eodem D. Paludano data, consistentia, odore & sapore haud ita absimili, colore rutilo, perspicua, cum prior visus aciem non transmittat. *Descript.*

Meminit Monard. Resinæ Carthaginensis, quę an eadem sit, cum iam dicta, asserere non audemus, de ea hæc tradit. Nunc etiam nobis mittit Carthago, novi Orbis provincia, resinam quandam purissimam, & odoratissimam, Abiegnâ aut Terebinthinâ Venetâ multò præstantiorem, iisdem facultatib⁹, seu maioribus præditam, quàm sit selectissima Terebinthina. Experientia docuit, utiliter iniici nervorum, articulorum, pedúmque vulneribus, & antiquis ulceribus: magno etiam commodo, eâ elotâ & præparatâ matronæ sibi faciem oblinunt.

LIQVIDAMBAR RESINA ARBORIS OCOSOL DICTÆ, FOLIIS HEDERÆ, odore Styracis liquidæ.

CAP. XXXVIII.

LIQVIDÆ Ambræ nomine data à D. Paludano Resina, missa Ill. C. VVirt. à qua habui, ceram mollitie imitatur, coloris ferè melini, nonnihil obscuri, odore Styracis liquidi remissiore, tum accensa, tum non accensa, sapore quoque non absimili. De hac autem resina ac eius arbore hæc tradit Monard. *Descript.*

Resina, quam Liquidambar, & oleosum quiddam, quod oleum de Liquidambar vocamus, ad nos ex Hispania nova adferuntur, utrumq; odoratissimum, præsertim oleum, quod delicatioris & suavioris odoris est. Est verò Liquidambar resina effluens incisis arboribus, vastæ magnitudinis, pulchris & ramosis, quarum folia Hederaceis similia sunt, *Ococol* Indi vocant, cortice crasso, cinereo; qui incisus aut vulneratus crassum Liquidambar eiaculatur, cui cortex comminutus, odoris causa admiscetur, ut scilicet suaviùs & diutiùs spiret in suffitibus. Ubi nascuntur eiusmodi arbores, fragrantissimus est aëris odor, adeò ut Hispani primùm eò appellentes, istic aromata nasci, atque adeò eas aromatiferas esse arbores existimarent. Tanta quantitate in Hispaniam infertur Liquidambar, ut mercium vicem suppleat, utribus & doliis eo impletis: eo etenim hic utimur; in *Resina Liquidambar Locus. Arbor. Hederacea folia. Ococol. Odor. Quantitas.*

Styracis liquidæ substitutum.

suffitibus, odoramentis, pastillis, Styracis liquidæ loco, cuius odor proximè ad hunc accedit: adeò autem validus est, ut celari, etiam suffitibus non additum, non possit, & totas ædes, si eius sit copia, atque adeò plateas suo odore repleat.

Vsus.

Plurimus in Medicina illius usus, nam calefacit, roborat, resolvit, & anodinum est. Cerebrum, per se illitum, aut aliis aromatibus mixtum, roborat, & doloribus liberat, omnigenósque dolores à causa frigida, emplastri modo impositum, mitigat.

Emplastrũ.

Ventriculo adprimè utile, stomachici instar adhibitum: etenim ipsum roborat, concoctionem iuvat, digerit, concoquit, & appetentiam excitat. Cùm Styracis, Ambari, & Moschi momento mixtum Emplastri consistentia, & scuti forma super alutam extensum; omnibus prædictis morbis maximè prodest. Calidum in fine secundi gradus, humidum in primo. Ex eo recens collecto, & istic reposito, ubi per se tenuior eius substantia stillare possit, oleum quod de Liquidambar nuncupant, elicitur, multò perfectissimum, illóque longè suavius. Sunt qui expressione etiam eliciant, ut maiorem quantitatem colligant. Nam chirothecis imbuendis plurimum absumitur. Vtile est medicamentum ad plerosque morbos frigidos, nam calefacit, resolvit & omnem tumorem emollit: itaque uteri tumoribus & obstructionibus prodest, mensésque provocat: calidum ferè tertio gradu. Sciendum tamen est, plerosque liquidam istam Styracem ex India inferre, non proinde bonam, quoniam è ramis eius arboris comminutis & coctis pinguedinem innatantem colligunt vendúntque pro legitimo. Eius arboris pampini & summitates in fasciculos collecti, vestibus & stragulis ab Indis inferuntur, odoris gratia, in cúmque usum Hispanis etiam venduntur.

Liquidambar. Oleum. Expressio ad Chirothecas. Vires. Temperã. Adulteriũ. Vsus summitatum arboris.

Locus.

Advehitur [inquit Clus. apud Monard.] Hispalim, totius non dicam Bœticæ, sed etiam Hispaniæ celeberrimum emporium, olei quoddam genus ex America, subrufi coloris, cuius mirabiles prædicant effectus in omnibus uteri morbis.

Vterus.

Id oleum de Liquidambar nuncupant, eius sanè odoris ferè, qui Ambræ odorem æmuletur. Id verò ex eo liquore exprimitur, quem de *Ocosotl* arbore stillare, Mexicana historia tradit in hũc modũ. Inter arbores Mexicanas memoratur & *Ocosotl* arbor prægrandis & venusta foliis Hederæ similibus. Huius liquor, quem Liquidambar nuncupant, vulnera curat, atque cum corticis ipsius polline permixtus, elegãns, odoratúmque suffimentum præbet.

Hederæ folia. Vsus.

Styracis genus. Liquidambrum.

Cæterùm ad Storacis genera reduci posse videtur Cæsalpino, quod ex India Occidentali affertur Liquidambrum vocatum. Resina liquida valdè odorata apprehensis & arboris corticibus simillimo odore Styracis. Eius arborem in nova Hispania magnam tradunt: frequentibus ramis ac foliis Hederæ, crasso cortice, quo inciso lachryma funditur prædicta: ex hac recenti stillare tradunt per se oleum quoddam odoratius, ac exprimi quoque ut maiorem quantitatem habeant, sed minùs perfectum quo chirothecas inficiunt.

Arbor foliis Hederæ. Oleum spõte stillans.

Hist. Lugd. *Liquidambar* esse dicit ex Ococol arbore, sed qualis sit ea arbor, non demonstrat.

Ococol arbor.

ABIEGNA RESINA INDICA LIQVIDA.

CAP. XXXIX.

Locus.

IN novi orbis continente colligitur liquor sive resina, quam Abiegnam vocant, ex arboribus feris (quæ neque Pinus, neque Cupressi dici possunt) Pino altioribus & Cupressi modo rectis. In harum arborum cacumine vesiculæ quædam enascuntur magnæ & parvæ, quibus confractis guttatim stillat liquor admirandus, quem Indi diligenter conchis excipiunt, sed tanto labore & molestiâ, ut multi viri exiguam admodum quantitatem possint cogere.

Hanc Monardes author descriptionis ex versione Clusij Resinam abiegnam inscribit, & ex eo Hist. Lugd. quæ Indicæ nomen adiunxit.

Resina abiegna. Indica.

Eius usus est in omnibus ad quæ Balsamum convenit, siquidem vulnera optimè curat; dolores ex materia frigida & flatulenta progenitos mitigat. Vtilis est etiam stomachi vitiis ab humore frigido, aut flatibus, sumpta ex modico vino albo.

Vires. Vulnera. Stomachus.

CANCAMVM.

CAP. XL.

DE Cancamo [inquit Cornar.] Paulus inter simplicia idem, quod Diosc. tradit. Sed pro voce *ὀζώδης*, quæ gravem ac virosum odorem significat, habet *ἐυώδης*, quæ odoratum ac gratum odorem indicat. Serapio cum Arabum gente Medica, *Laccam* appellat, & Dioscoridis & Pauli verba citat. Citat etiam Galeni de Lacca verba, quæ ego neque in Græco exemplari reperio, neque in Latina nostræ, magna ex parte, translationis editione habentur. Recipitur autem in multas Arabum compositiones, & eam, quæ *Dialacca* appellatur, de se cognominat. Et Officinis quoque hodie satis hæc nota est. Galenus *κάγκανον* quidem radicem habet, rem à Cancamo diversissimam. Sed non Cancani, sed Cacani legendum esse, ex Paulo constat, qui eadem de ipso lib. 7. inter simplicia tradit, quæ Galenus habet. Quid verò sit Cacanum, & an idem sit, quod Bacanum, utrumque enim reperitur lib. 3. Dolabellarum cap. 46. considerandum proponimus in Paulum Æginetam.

Lacca. Cacanum. Bacanum.

Cancamum huc usque, Laccam quidam esse putarunt. Horum mirus error deprehenditur, quum Cancamum gummi odoriferum sit, Lacca autem non gummi arboris, aut plantæ alicuius: sed potiùs formicarum alatarum stercus (ut Amatus quoque attestatur) favagóve, velut cera apum. Sed hæc de Lacca hoc loco sufficiant, & ad institutum nostrum, hoc est, an Cancamum sit Benzoinum (quod voluerunt aliqui, inter quos est Anguillara, & olim Amatus,) revertamur. Cancamum igitur Belzuinum non est, ut receptui canam, inquit Amatus. Benzoinum siquidem Silphium, sive Laserpitium odoratum nostrum est, præcipuè subnigrum, cum quodam rubore. Vult tandem Amatus Cancamum esse gummi quoddam, quod Animum vocetur. Sed quã fretus autoritate hoc asserat, fatemur nos latere. Nos de *Anime* cap. sequenti.

Aequivocatio. Benzoinũ. Amat. notatur.

Gesnerus hoc in loco non probat eos, qui Canchamum apud Dioscor. per c. aspiratum scribunt: Mirum autem, inquit, nullam huius lachrymæ mentionem à Galeno fieri. Ex confinio Casiæ Cinnamíque & Cancamum & Turum invehi novit Plinius, nec alibi plura. Serapio & alij Arabes sic appellant: Laccam vertunt interpretes. Sed quæ hodie in Officinis Lacca vocatur, nec odorata est, nec similes habere vires videtur. Ego Cancami, sive Laccæ [ut vertunt Arabes] loco, medica-

Error quorundam. Lacca.

Cancami substitutum. medicamentis, Myrtham potiùs iniecerim. Monachi autem [teste Amato] qui nuper Antidotarium exposuerunt, *Monachi reprob.* altâ mente cæcutiunt, delirántve, quum in compositione Dialaccæ, dicant: Si defecerit Cancamum sive Lacca, eius loco iniciatur lachryma sanguinis Draconis. Quanto verò errore, omnes norunt, quum Lacca aperitiva sit, & menses provocet: sanguis verò Draconis tantum abest, ut aperiat, ut potiùs miro modo constringat.

Nomina linguar. Cancamum Græcè κάγκαμον, Hisp. & Lusit. *Anime blanco*, Arab. *Sec, Lach*, Officinis *Lacca*.

Locus. Loci & virium meminit etiam Paulus lib. 7. suæ Medicinæ, dicens: Cancamum Lachryma est arboris in Arabia Myrrhæ similis, odore grato, quâ etiam ad suffitum utuntur.

Vis. Vis eius est obesos extenuare, abstergere & aperire obstructa. Cancamum, inquit Dioscorides, Arabici ligni lachryma est, Myrrhæ quodammodo similis, virosi gustus, quam ad suffimenta usurpant. Vestes eo additis Styrace & myrrha suffiuntur, datur lienosis, comitialibus & suspiriosis: menses cum aqua mulsa pellit, oculorum cicatrices confestim emendat: ac vino madefactum, eorum medetur hebetudinibus, adversus gingivas humore prægnantes non aliud efficacius, ut & ad dolores dentium ac per plusculos dies terndum obolorum pondere: ex aqua aut aceto mulso bibitum obesos extenuat.

ANIME ET COPAL.

Cap. XLI.

Anime mentionem fecit Amat. Lusit. lib. 1. enar. 23. in Diosc. his verbis: Cancamum Dioscoridis est gummi quoddam, quod ex Guinea Mina, Africáve, & insulis illi circumiacentibus Lusitani nostri advehunt, *Animum* appellantes, quod testantur decidere ex proceris arboribus quibus folia Myrti, *Folia Myrti.* unum album, alterum subnigrum, *Animum album. Animum subnigrum. Myrrha.* Myrrhæ quodammodo simile, odoratum quod Diosc. inter Myrrhæ species, tanquam improbam commemorat, & Mineam, à terra unde præcipuè nascitur eam appellat: quanquam Serapio Amineam nominet, unde Lusitani voce corruptâ, pro Minea, vel Aminea, *Animum* vocant. Hanc verò assertionem primò adstruxit Aristotus Gallus, & Cancamum esse dixit. *Cancamũ.*

Sed ad memoriam hîc revocandum est, quòd non solùm Galeno in antidotis Myrrha Minea, *Myrrha Minea vel Aminea.* vel Aminea dicta cognita fuerit, sed hodie quoque in Lusitania & universa Hispania paucis immutatis literis habeatur, *Gummi Animum* appellantibus, *Animum gummi. Album Cãcamum. Nigrum, Myrrha.* cuius duo genera, album, & nigrum. Nam album Cancamum esse ex aristoto didicimus: nigrum verò Minea Myrrha Dioscoridis est. An verò Minea hæc regio, Mina hodie dicta, Regi Lusitaniæ parens sit, Cosmographis inquirendum relinquo. Scio enim in hac regione Animum optimum quoque reperiri, à qua quotannis Lusitani nostri in Portugalliam afferunt. Galenus verò Mineam Myrrham inter cæteras species præcipuam collocavit, quâ de causâ in illo textu libri de Antidotis, aut in Dioscoridis, mendum esse suspicor, quum Dioscorides ex diametro contradicat.

Amat. not. Amatus ergo, [non aspernandus aliàs botanicus] Anime plantam Cancamum esse scriptum reliquit, sed, [quod citra ullum animi pathema dixerim,] non sine menda, quum in Anime Cancami notas non comperiamus, ut ex Dioscoridis verbis percipitur, quæ ita habent: δάκρυον, εὐώδη μυρσινώδης ἐμφερὲς ἐν τῇ γεύσει. Sed Anime propriè Resinam potiùs aliquis appellaverit, quàm Gummi.

Erit Græcorum Cancamum meâ (inquit Garcias) sententiâ, id quod nos *Anime* vocamus, *Cancamũ.* quod in Lusitaniam ex Æthiopia, Arabiæ finitima, advehitur. Hallucinantur, qui Anime in Brasiliana regione inveniri contendunt, & genus illud picis, sive bituminis, resinæve, *Pix sive bitumen, resinave in Siria.* in *Sirvam*, ut aiunt, non procul à Maluccis repertum, Anime esse credunt, Nam eius picis multa copia huc ex Samatra, aliisque regionibus advehitur, qua picandis navibus utuntur. Sed nec odore præditum est Cancamo simili, & duntaxat resinam, aut quodvis vulgare gummi olet.

Confirmat Clusius apud Garciam Amati *duo Anime*, ac insuper *tertium* addit, quod pallidum est & resinaceum, ac friabile. Omnia verò, ait, iucundum in suffumigiis spirant odorem, idémque videntur temperamentum habere. *Temperamentum Bdellium.* Posteriora duo degustata magis siccare & amarescere deprehenduntur. *Anime* cur *Animum* Amatus vocet, nescio. Dioscor. habet Amineam. Non desunt, qui Anime legitimum Bdellium esse putant, ob multas, quas habet, notas, cum Bdellij historia communes. Vnum tamen præterire non est, quòd, ut Cæsalpinus inquit, *Stacte.* Stacte quondam cum oleo Styracino ex Alexandria adferebatur sub nomine Balsami: sed postea desiit, cùm ex India Occidentali novum genus Balsami afferri cœpit. *Balsamum. Myrrha.* Sola autem expressa Myrrha affertur glebis magnis coacta. Ex hoc genere videtur esse, quod vulgò *anime* vocatur à nostris quasi Aminæa Myrrha. *Anime.* Ex Oriente affertur duorum generum, odoris suavis, quibus Vnguentarij utuntur. Vnum candidum: alterum flavum: album autem præstantius. Referunt Hispani in India Occidentali, in suffimentis odoratis loco Thuris sacerdotes uti quadam candida resina, quam *Copal* vocant, translucida magnis glebis. *Copal.* Orientali Anime flavius, in granulis Thuri similes valdè autem odoratum est & suave. Dioscorides autem inter reprobatas Myrrhas, Aminæam vocat: sed Galenus Mineam, ut Plinius appellat, quam & cæteris præfert, quia ei non admistum est Opocalpasum, quod est genus veneni. *Opocalpasum.*

Duo, ait Monardus, resinarum genera multum similia ex Hispania nova adferuntur, quorum unum *Copal* vocatur, alterum *Anime*. *Copal.* *Copal* resina est ad nodum candida & transparens, magnis fragmentis Diacitri valdè transparentis haud dissimilibus: satis odorata, sed non perinde ut Anime. *Anime.* *Anime* arboris est lachryma, seu resina alba, ad Thuris colorem nonnihil vergens, verùm Copali magis oleaginosa. Defertur granis Thuris, sed crassioribus, quæ confracta luteum colorem ostendunt instar resinæ: gratissimi & suavissimi odoris est, & prunis imposita facilè consumitur. *Anime Orientale.* Differt ab Anime Orientali, quòd neque tam candidum, neque tam lucidum sit. Orientale item magnis fragmentis affertur transparentibus, ita ut nonnulli Carabe, seu Succini speciem esse suspicati sint, *Carabe seu Succinum.* cùm nihil sit minus.

Hermolaus ait Anime colligi vicinis locis pago, in quo Thus nascitur, & ab illius pagi nomine Anime dici.

Novæ Hispaniç Animæ colligitur ex arboribus mediocris magnitudinis, vulneratis, non aliter, quàm Thus, aut Mastiche.

Scribit Clusius se nobilioris illius Orientalis

Anime fragmento, quod aliquot uncias pendebat donatum esse ab Hugone Morgano Pharmacopola Londinensi. Gomara porrò in Mexicana historia, duo *Copalu* genera facit, alterum rugosum, quod *Colothiopalli* vocari dicit, molle, Thuri simile: alterum multò præstantius, *Copalcahulti*, quod plærique Myrrham existmarunt: liquor scilicet albus qui vulneratâ arbore guttatim stillat ac statim concrescit.

Copal. 1. 2. *Myrrha.*

Synonyma. Hist. Lugd. p. 1791. nomina hæc habet: *Copalo Anime: Anime Occidentale: Aminaam Myrrham* esse putat Hermol.

Vires. Lusitanorum mulieres *Animę* maximè pro suffumigiis, & Medici contra dolores à frigiditate ortos præcipuè utuntur, maximè capitis, ut Amatum adnotasse legimus. Confirmatur hoc idem testimonio Manardis, dicentis: Huius usus est in plær. sque, sed capitis præsertim morbis, à frigiditate provenientibus, & defluxionibus purgationes subsequentibus, cubiculis per Hyemem (etenim aërem purgat) & capitis operimentis, dormire sub noctem volentibus, suffitus: quinetiam ipso capite, si qui Cephalæa & Hemicrania laborant: nam caput roborat. Miscetur emplastris & cerotis: ubi roborare, & frigidos humores, flatúsque resolvere opus est. Thuris vicem supplet, cùm in suffitibus, tum in iam dictis. Cerebrum roborat emplastri modo adhibitum, atque etiam ipsum ventriculum reliquásque partes nervosas, cerati modo, tertia parte ceræ admista: atque sic gestatum diutiùs, & subinde renovatum, frigiditatem è quacunque corporis parte elicit. Calidum est secundo gradu, humidum primo.

Capitis dolores. *Thuris vicem supplet.* Temperamentum.

ANIMES SPECIES AD SUCCINUM LUTEUM ACCEDENS.

Cap. XLII.

Descriptio. Color. INTER *Animen* Paludani & *Copal* medio se habet modo ad vulgare succinum proximè accedens, à quo tamen duritie parum vincitur, croceo hilariore colore tincta, & *Animes Paludani* modo pellucida: sub dente in grumos minutissimos dissilit, & candelæ ardenti admota non ita promptè liquescit, ut *Copal*: quo tamen flammam & luculentiorem & pertinaciorem fovet, minutissimas bullas eructans, odore non multùm differens, quo & ardendi modo magis refert Animen à Paludano missam. Hanc misit Antuerpia Coldenbergius.

ANIME SIMILIS RESINA EX ALBO FLAVESCENS.

Cap. XLIII.

Descriptio. PETRUS Garetus dedit, Clusio scribente Exoticorum lib. 4. cap. 8. resinam delatam ex longinqua navigatione anno 1600. quæ Succino non absimilis erat, transparens & lucida, penè instar Anime Americanorum, cuius fortasse genus: color ex albo flavescens, odor non iniucundus, sapor amariusculus, deinde acriusculus: in micas potiùs dissiliebat, quàm ut dentibus cederet, aut ore retenta, mollesceret: igni tamen admota, liquescebat, flammámque concipiebat & ardebat.

ANIME ALBA PERLUCIDA.

Cap. XLIV.

Descriptio. ANIMES albæ nomine peregrinam quandam resinam Ill. C. VVirt. misit D. Paludanus, unde & specimen asservo. Succini nostratis consistentia paullò fragilior, Vernicis solidæ, seu Sandarachæ arborum modo, nonnihil albicans, & pellucens, vitri modo, sapore Vernici non absimili odore, cùm adoletur, Mastiches: nec penitùs vivo carboni imposita, flammam concipit, liquescit & evanescit, crassamentum quoddam resinarum more relinquit, sub dentibus dissilit, nec facilè coit, eâ ratione, quâ Sandaracha. Anno 1605. ex Anglia rediens Gener Cherlerus attulit magnum fragmentum cum inscriptione *Anime*.

Sapor. Odor.

ANIME COLORE COLOPHONIÆ.

Cap. XLV.

Descriptio. IMPURIOR hæc *Anime*, cæteris speciebus, Colophoniæ aut Taurocollæ colore, obscura quamq; acies oculi nequaquam penetraverit: unguibus quibusdam ferè nigricantibus respersa, Colophoniæ concretione, flammam & promptam & pertinacem concipit, reliquarúmque more ardendo bullit, bullis tamen maioribus: gustanti saporem quendam austerum imprimit: odor acutior paullò videtur & ingratior, quàm reliquarum specierum. Hanc habui Antuerpiâ à Coldenbergio.

Ungues. *Sapor.*

ANIMES SPECIES ALBA COPAL INDIS.

Cap. XLVI.

Descriptio. COPAL Americanorum & Animes quartæ nomine missa Antuerpiâ à Coldenbergio resina, fusa videtur: ita cylindri sulphurei fusilis portionem refert semicircularem: externâ parte gibbâ, coloris albi: internâ, flavi: concretione densa, Animes à D. Paludano missæ, sed non ut illa, visûs aciem transmittens: etsi interim dissfractæ micæ pellucidæ sint: flammam promptè concipit, nisi hanc præriperet liquatio: odore iucundiore, quàm resina strobylina, sed ad Animes Paludani gratiam non accedente, nescio quid tamen Styracem redolente: sub dente lentescit Mastiches modo, nec adhærescit, & albescit, sapore grato. Gener Cherlerus ex Anglia redux attulit similem resinam, anno 1605. cum hac inscriptione: Animes albæ à D. Gareto fragmentum satis magnum semicirculare.

Odor.

AMBARUM.

Cap. XLVII.

NON desunt Monardi, qui Ambar ex fructu quodam ad maris littus nascente fieri dicũt, qui mensibus Aprili & Maio maturescat, & odoratus fit, quem decidentem vorant Balænæ: quasi fructus in alimentum cedens, aliud quàm sanguinem & carnem generare possit. Hæc Monardes, qui nobis præbet occasionem scribendi de

Ambaro

Ambaro, & tradendæ eius historiæ, in hoc Botanico nostro opere.

Ambari ergo [quantum quidem colligere licet] Simeon Sethi, Aetius, Avicennas, & Serapio cum Averrhoë ex veteribus meminerunt. Ex Neotericis autem Ferdinandus Lopez, Iulius Cæsar Scaliger, Garcias, Monardes & Clusius. Quorum quidem circa huius generationem discrepans est opinio. Alij siquidem sperma Balenę esse asserunt: alij belluæ cuiusdam magnæ excrementum, aut maris spumam, [quæ sanè opiniones rationem habent, quòd nullum Ambarum inveniatur, ubi frequentissime sunt Balenę, & ubi fluctuum reciprocatione spuma plurima excitatur,] alij bituminis modo ex maris alveo emanare: quæ opinio melior, & veritati magis consona plærique visa est.

Variæ circa Ambari generationem opiniones. Sperma Balenæ. Excrementum belluæ. Maris spuma.

Inter Græcos autem solus Simeon Sethi & Aetius huius recordati sunt, è quibus prior Bituminis modo è fontibus suis manare asserit, pessimumque id esse, quod à piscibus devoretur. Inde convellitur, inquit Monardes, eorum opinio, qui Balenarum sperma esse asserunt, ex eo decepti quòd interdum in Balenarum ventriculis inveniatur, quæ illud aquis innatans nonnunquam devorant, alimentum esse existimantes. Verum est, meo tempore Balænam circa Canarias, quas Fortunatas Insulas putant, captam, in qua inventæ sunt plùs quàm quatuor Ambari arrovæ, [*ponderis apud Hispanos genus, quod viginti quinque libras pendet*,] sive centenæ libræ: postea tamen infinitas Balenas, cum suis catulis interfecerunt, sed nihil Ambari in eis inventum est. Sed & qui ex Florida adveniunt, referunt Balenas in illo mari versari: quas tametsi cum suis catulis necarint, in neutris Ambram reperisse. Illos catulos porrò Americani summa dexteritate in hunc modum capere solent. Sumpto longo & forti fune, cui innexus sit laqueus, cymbam ingreditur Americanus, & Balenæ cum suis catulis advenienti obviam progreditur: uni ex catulis vicinior factus insilit, & laqueo rostrum induit. Illicò id sentiens catulus in altum se mergit una cum Americano ipsum amplexante [summi etenim natatores sunt Americani, diúque in aqua persistere queunt] Balenę autem catulo respirare volenti, sum[m]um æquor repetere necesse est: interea Americanus per eius nares, sive meatus illos, quibus respirat, cuneum vel paxillum acuminatum pugno adigit, ut minimè excuti possit: deinde laxato fune suam cymbam conscendens illum subsequitur, donec obstructis meatibus respirare nequiens, suffocetur, & in terram eiciatur. Iucunda sanè at non minùs periculosa est ista venatio: sed adeo industrij & agiles sunt isti Americani, ut etiam *Caymanem* [Lacerti, sive Crocodili genus est] binos & triginta pedes longum, ferocissimum omnium quæ in mari versantur, belluarum] unus Americanus occidere queat.

Ambarum non esse sperma Balenæ.

Ex Arabibus verò Avicenna lib. II. cap. 67. & Serapio lib. simpl. cap. 196. scriptum reliquerunt, fungorum in rupibus & arboribus more Ambarum in mari generari, & tempestatibus unà cum saxis interdum in littus eiici: quæ sententia verisimilior est reliquis ab Avicenna productis. Nam multùm flantibus Euris, magna eius copia *Sofalam*, & in insulas *Comaro*, *Dengoxa*, *Mosambicum*, totúmque eum tractum eiicitur è *Maldivis* insulis quæ ad Orientem spectant. Flantibus verò Favoniis, copiosè invenitur in insulis, quæ vulgò de *Maldiva* nuncupantur corrupto vocabulo, cùm de *Naledivα* dicendum sit: etenim *nale* lingua Malabrica significat quatuor, & *Diva* insulam: *Naledivα* igitur pronunciandum erat: quasi dicas, Quatuor insulas, simili planè ratione, qua *Angediva* vocamus eas insulas, quæ à *Goa*, Orientalis Indiæ emporio, duodecim leucis distant, quòd quinque sint numero contermine, *Ange* enim eorum lingua quinque est. Sed hæc præter institutum: non potui tamen horum non meminisse, cùm in *Maldivæ* mentionem incidissem.

In mari generatur.

Scribunt iisdem locis suprà citatis, Ambarum devorari à pisce quodam *Azel* nuncupato, sed qui eo devorato statim extinguatur. Hunc deinde undis fluctuantem regionis illius incolæ uncis in siccum trahunt, eoque exenterato Ambarum colligunt: verùm omne improbant, præter id, quod spinæ adhæserat, id enim pro temporis diuturnitate purum & legitimum esse. Sed hæc eorum opinio erronea mihi videtur. Nam vel incertum est an mali quærere alimentum naturæ suæ conveniens, & vitare noxium [nisi fortè cibis innoxiis admixto decipiantur, quemadmodum mures fallere solemus] sic etiam haudquaquam verisimile videtur, istiúsmodi piscem Ambarum venari, si eo devorato sit periturus. Imò cùm Ambarum sit ex eorum numero, quæ maximè cordis vires reficiunt, dixerim hunc piscem præsentaneum esse venenum, quandoquidem tam eximio medicamento devorato perit.

Scribit Averrhoës 5. coll. cap. 56. Caphuræ genus inveniri natum in maris alveo, quod deinde aquis supernatet: laudatissimum verò id censeri, quod Arabibus *Asfap* dicitur. Quàm verò eius opinio à veritate sit aliena, & tanto viro, insignique Philosopha indigna, clarius est, quàm ut multis demonstrari debeat: primùm quòd Caphuram in mari nasci dicat, deinde, quòd eandem, quæ frigida est & sicca tertio gradu, Ambari genus faciat, quod calidum & siccum constituit secundo ordine.

Averrh. reprob.

Cæterùm ex Neotericis Ferdinandus Lopez de Castagneda, qui rerum à Lusitanis in India Orientali gestarum historiam scripsit, lib. 4. cap. 5. dicit, selectissimam Ambram in insula *Maldiva* inveniri, cuius generationem cùm fieri tradat diversam, ab ea, quàm cæteri scribunt, non abs re futurum existimavi, si, quæ de generatione Ambræ tradit ex Italico sermone à Clusio conversa, hic subiicerem.

Maiores insulæ de Maldiva, Archipelagi illius interioris, multas odoriferas herbas producunt, quas depastum veniunt magnæ quædam aves ab incolis *Anacangrispasqui* nuncupatæ. Istæ aves in rupibus & scopulis earum insularum secundum maris littus sitis versantes & aggregatæ, stercus egerunt, quod *Ambra* est, cuius tria genera faciunt: unum album, ipsis scopulis, uti egestum est, adhærens: quod probatissimú censent, & *Punambar*, h.e. auream Ambram appellant, maioris quàm reliqua, pretii, quòd pauca quantitate & maiore difficultate reperiatur, quàm alia duo genera, quæ cineracei & nigri sunt coloris, ac ex albo originem trahunt. Ex istis quos dixi scopulis, tempestatum vehementiâ temporis successu magnis fragmentis in mare cadit hæc Ambra, & in littus eiecta id *Coambar* dicitur, id est, aquæ Ambra, quoniam aquarum fluctibus valdè eluta, magnam suæ probitatis partem perdidit. Tertium, quod nigrum, *Maniambar* vocant, quod significat piscis Ambram: nigredinem enim contraxisse existimant, quòd à Balenis, aut aliis pi-

Aves magnæ. Stercus avis. Coambar. Maniambar.

lenibus inter istas insulas versantibus devoratum fuerit, qui illud concoquere non valentes, rursus evomuerunt: id autem est omnium vilissimum, quia pene totam facultatem amisit. Hæc Castagneda.

Ast opinio Garciæ de Ambaro hæc est. Veluti pro regionum natura terra interdum rubra est, ut Bolus armenus, interdum candida, ut Creta, nonnunquam nigricans: ne verisim le est, aut insulas; aut terras similis cum Ambaro formæ inveniri, quòd terra sit aut fungosa, aut alterius generis. Quod verum esse testatur, magna eius quæ reperitur, quantitas. Siquidem interdum inventa sunt fragmenta humanæ magnitudinis, interdum nonaginta palmorum longitudinis, duo de viginti latitudinis. Affirmarunt nonnulli se Insulam ex puro Ambaro vidisse, eamque cùm postea requirerent, nusquam comparuisse. Reliquum verò est plerunque avium rostris, quas in eo nidulari credibile est: at interdum conchyliis, testisque ostrearum permixtum invenitur, quæ ... Ambaro adhæreat.

Varia est ... Monardes, circa Ambari originem opinio: sed verissimum est, Bituminis genus esse, ex fontibus in alto mari manans, quod aeri expositum, itaque densatur: ut solent pleraque quæ sub marinis aquis tenella & mollia sunt, at aquâ exempta, durantur, ut Corallium, Succinum.

Quid porrò sit legitimum Ambarum, atque quo modo nascatur, dicam, ut Clusius, quod Francofurti ad Mœnum anno 1593. paulò antè mensem ex ea urbe abitum, mihi referebat vir probus ... amicus D. Servatius Marel, Burgundus, qui multas regiones peragraverat, Ambarique, Moschi, Gemmarum & similium rerum mercaturam exercuerat. Quum enim de Ambaro inter nos sermo incidisset, ille ad ipse, Exploratumne habes quidpiam de Ambaro? Non inquam, præter ea, quæ ex Garciæ Aromatum historia, & libello Nicolai Monardis de simplic. e novo Orbe delatis didici. Legi, inquit, utrumque illum quidem ... Latinum factum, hunc verò Hispanico sermone evulgatum. Sed quid aliud adferunt, quam authorum dubia testimonia, qui caecutientes, tanquam in tenebris versantur? Mihi autem crede, Ambarum nihil aliud esse, quàm excrementa quædam in ventriculo Balenæ verè multo tempore collecta, veræ inquam quia plerique Cetaceos alios pisces, ut Orcadem, Physeterem & similes magnis dentibus præditos Balenæ appellatione donant. Balena autem legitima, nullos dentes habet, sed integros pisces vorat, & mollioribus imprimis delectatur, ut Polypis, Sepiis & similibus, quibus in ventriculo non bene confectis, necesse est, multam viscidam materiam in eo generari, quam postea simul congestam, & ventriculum nimis gravantem, vel singulis annis, vel breviore temporis spatio reiicit. Istam materiam tamdiu in ventriculo adservatam, deinde reiecta, & maturata, *Ambarum* est, in quo interdum Polyporum devoratorum rostella deprehenduntur. Si Balenæ, liberato iam recens ab illa materia ventriculo, capiantur, nullum Ambarum habere reperientur, si aliquantò post reiectam materiam, aliquid quidem habebunt, sed deterioris, nec probè excocti, atque ita paulatim crescens illa materia congesta, probitatem vetustate adquirit, ut si, antè quàm ventriculus illa materia liberatus sit, Balena capiatur, plurimum & optimum reperiatur. In aliorum verò Cetaceorum, quos antea ... ventriculo, ... requiras: itaque nihil mirum, si qui capto ... secuerunt, Balenas esse existimantes, nihil Ambari in illorum ventriculo repererunt. Probari autem asserebat Ambarum cinereo quodammodo colore præditum, illud vero optimæ esse notæ indicium, si eius fragmentum candenti ferro, laminæve ferreæ bene calefactæ, aut cultello applicatum, veluti in oleum resolvatur, quod naribus admotum suavem odorem spiret. Monardes etiam optimi delectûs esse tradit, quod ad rubedinem nonnihil tendit, albumque non æque bonum asserit, nigrum verò deterrimum esse.

Eius autem pretium, ut nobis author est Garcias, intenditur pro fragmentorum magnitudine: quanto enim maius est fragmentum, tanto eius intensius est pretium, non secus atque in gemmis. Sed nusquam pluris venditur, quam in Sinarum regione. Cùm enim à nostris Lusitanis eius exigua copia eò delata esset, pretium fuit mille quingenti aurei in singula Cate, quod apud eos ponderis genus est, pendens viginti uncias. Huius lucri cupiditate deinde alii mercatores allecti, tantam Ambari eò detulerunt copiam, ut nunc multò vilioris æstimetur.

Subiiciamus modò nonnulla vocabula, quæ apud Serapionem & Avicennam occurrunt. Magnam eius copiam ex regione *Zing* Serap. libr. simpl. cap. 196. adferri asserit. Hæc est *Sofala*. Nam *Zinguio* aut *Zangue* Persis aut Arabibus idem significat, quod niger Latinis: & quoniam totus ille maritimus Æthiopiç tractus à Nigris incolitur, Serapio eam *Zinge* vocat. Sic Avicenna lib. 2. cap. 67. epitheton illi addit Almendeli, quasi de Melinda: item Selachiticum [posteriora exemplaria habent Alcleheti ,] à Zeilan foriè laudatissima totius Orientis insula, quam falsò urbem esse Lacuna comm. in Dioscorid. existimavit, cùm sit insula multis urbibus exculta.

Ambarum Latinis, *Ambar* Arabibus dicitur, quo nomine omnibus quas sciam [Garcias] nationibus notum est, aut immutato duntaxat paululùm vocabulo. Sed quid ad hæc Hadrian. Iunius? percipe quæso Garcia. Maris flos, inquit, vocatur, ἀφρὸς ..., sperma Ceti, vel Balænarum Officinis. & Ambar subalbidum, Germ. Walrachs Baldrath / quasi præsentaneam opem adferens, Belg. Walschot / quod sonat Balænarum eiectamentum genitale, sive semen.

Locus assignatur varius. Anno 1555. circa promontorium Comorim, quod è regione insularum de *Maldiva* est, fragmentum trium ferè millium pondo repertum est: sed cùm is, qui invenerat, picem, aut bituminis genus esse existimaret, vili admodum vendidit. Maximum verò quod unquam viderim, (inquit Garcias) fragmentum, quindecim libras pendebat. Sed qui in Æthiopiam commercii caussa navigant, multò maiora fragmenta se vidisse affirmant: totus enim ille Æthiopiæ tractus, à *Sofala* ad *Brava* usque, Ambaro abundat. Nunc mittit Florida novi orbis provincia Ambar, quod vocant *Griseum*, idque in litus eiectum invenitur à Canaveral ad promontorium usque D. Helenæ.

Vires perstringit Garcias dicens: Nota est Manardis contradictio, qui in Electario de Gemmis dist. 1. in compos. Mes. Ambarum ... esse affirmat, eamque non magno æstimat ... paullò post in Electario Diambra ... eum ... compositionem ... Ambari ... multo

multis laudibus effert, eóque se in mulierum & senum morbis sæpenumerò uti asserit. Ac magna in æstimatione esse apud opulentiores Indos asserit, vt pote quo cibis permixto frequenter vtuntur medicamenti loco. Excalefacit, resolvit, roborat, quocunque tandem modo applicetur: nam calidi est temperamenti & sicci, cum pinguedine quadam, quâ emolliendi facultate præditum est. Variæ sunt Ambari facultates: nam cum oleo florum Mali Arantii, sive Assyrii in calente mortario permixtum, & vnguenti modo capiti illitum, illius dolorem levat, cerebrum corroborat & nervos, & frigidos, qui infarcti sunt, humores resolvit: ad eadem efficax, emplastri modo cum Alypta muscata assiduè gestatum. Eius solius, aut cum Moscho & ligno Aloës permixti, olfactu cerebrum roboratur, memoria augetur, spiritus vigor & cordis vires reficiuntur: ideóque in pestis contagiis illius odor adprimè utilis est: nec minùs his, qui frigidis defluxionibus vexantur, convenit, si capitis tegmina, atque etiam cubiculum, vbi dormiunt, per Hiemem eo suffiantur: Maximè prodest senibus, quòd illorum spiritus vegetet, cor & cerebrum roboret, & crassos, lentósque humores, quibus plurimùm abundant, extenuet, sive cibis indatur, sive vestes suffiantur, sive cerebro, cordísque regioni applicetur, sive vino, quo sibi faciem, & manus abluunt, permisceatur. Scobi Magnetis, Galbanóque miscetur, & emplastri modo mulierum vmbilico impositum, vterum suo loco retinet, & reliquos eius morbos profligat, eius autem assiduus odoratus prodest vteri procidentiæ: suffocationibus verò, in Liquidambar dissolutum, ex xylo exceptum, vterique ori impositum. *Sterilitas.* Sterilitatis à frigidis humoribus ortæ, hac compositione mederi soleo, quæ recipit Ambari partes duas, rasuræ Eboris tenuissimè tritæ vnam, pulveris ligni Aloes partem dimidiam, cum Algaliæ momento fiunt catapotia, quorum tria pendentia ʒj. singulis triduis dabuntur, & emplastrum vmbilico, pessum uteri colo imponetur, purgatis tamen priùs vti decet. Ex eo, alypta moschata, & styrace fit emplastrum scuti formâ, quod stomacho adpositum, ipsum doloribus liberat & excalefacit. Ex eadem massa factæ pilulæ, & manè sumptæ, flatus discutiunt, concoctionem iuvant, & appetentiam excitant: idem præstat ex vino odorifero manè sumpta hæc massa. Tritum Ambar, & cerâ flavâ exceptum, cordis regioni utilissimè imponitur, ad sedandos dolores è flatibus, aut alia quavis causa (modò calida non sit) provenientes. *Melancholia. Paralysis.* Eadem ratione, quâ sensibus, melancholiâ laborantibus etiam convenit, & paralyticis, si eo aut eius mixtura suffiantur, aut cerebrum totáque spina eo inungantur: *Nervi. Cerebrum.* etenim Ambar præ cæteris medicamentis nervos & cerebrum roborat. Quinetiam epilepticis fumus illius, naribus exceptus, convenit, siquidem illos excitat, &, si assiduè id odorentur, non tam facilè, neque tam vehementer eo morbo corripiuntur. *Ebrietatem accelerat.* Illud admiratione dignũ, quod Simeon Sethi scribit: Si quis Ambar odoretur antequam vinum bibat, eum veluti ebrium fieri: si verò initiatur vino maximè inebriare.

POPVLO SIMILIS TOCOTGEBIT, CVI RESINA THVRIS CANDIDIOR.

CAP. XLVIII.

Tocot-guebit. REFERT Fragosus in India Occidentali arborem inveniri Tocot-guebit, i. e. lignum desiderii, seu exoptatum dictam, Populo similem, *Lignũ desiderii Populo similis.* summi candoris, cuius materies ob candorem, lævorem & splendorem, summè expetebatur ad idola fabricanda. Sub eius cortice nascitur gummi, seu Resina Thuri nostro similis, sed candidior, *Thuri similis.* & minoribus fragmentis, quo isthîc vtuntur, vt nos Thure. Clus. apud Monardem post Copal & Anime ponit hanc arborem, non tamen eandem facit cum Copal. Observandum autem Tacamahacam dici similem Populo. Est & apud Lobel. Populus novi orbis, de qua nos histor. nostr. lib. præced. 8. cap. Consideretur sequens Resina.

CARANNÆ GARCIÆ NOMINE DATA RESINA.

CAP. XLIX.

DOMINVS Volmarius Pharmacopœus Eslingensis insignis, dedit anno 1581. Carannæ Garciæ nomine, Resinam Galbanei coloris duriusculam, quæ etsi friata pulverem remitteret luteum, lentescebat tamen: resinæ Strobylinæ odore: nidorem, cùm flammis adoletur, reddens ferè Animes. *Caranna resina. Descript.*

De hac Monard. Caragna Indis dicta & Hispanis, resina, colore Tacamahacæ, paulò limpidior, odore simili, sed graviore. *Caragna.* Alibi in vers. Clus. Caranna medicamentum novum est, quod decem annis elapsis primùm allatum est, & oleaginosa, ideóque tenax sine multa adglutinatione & colliquatione. Colligitur vulneratis arboribus. Est & alia quædam prior, & Crystalli modo limpida, multò præstantior, vtilior & odoratior.

Hist. Lugd. Caragna etiam dicitur.

Ex Continentis parte interiore per *Cartageniã* & *Nomen DEI* deferri scripsit Monard. *Locus.*

Ea vtuntur Indi in tumoribus & omnis generis doloribus. *Vires. Tumores.* Ad eosdem morbos laudatur, quos Tacamahaca curare solet, & minore temporis spatio vires suas exerit: sic vt quos Tacamahaca non curarit, Caranna sanet. Exemplum vidimus in eo, qui ob humeri cruciatus iam multo tempore brachium movere non poterat, tametsi Tacamahaca usus esset: sed postquam Caranna vti cœpit, triduo sanitati restitutus est. *Dolor iuncturarum.* Mira est eius vis in iuncturarum doloribus: nam imposita, facilè illos curat, modò nulla sit calidorum humorum influxio. Tumores inveteratos dissolvit, defluxiones humorum frigidorum, aut mixtorum sistit: ad quosvis nervorum & cerebri dolores valdè vtilis, *Vulnera.* vulneráque recentia, nervorum præsertim & iuncturarum nullo alio admixto medicamento sanat. *Defluxio.* Defluxiones in oculos, & alias partes reprimit, pone aures, ac temporibus imposita. *Temperamentum.* Excedit secundum caloris gradum.

SANDARACHÆ SIVE VERNICI QVIBVSDAM DICTO, AC MASTICHE ACCEDENS RESINA.

CAP. L.

EST nobis resina delata anno 1605. ex Anglia per generum Cherlerum cum hac inscriptione: *Lachryma suaviter spirans:* *Anime.* Animes speciem Cl. D. D. David Selinus Medicus Londinensis existimabat: mihi sanè odor istius resinæ gratus videtur vt ligni, quod Thuris vocant, minùs tamen placet: igne accenso, facilè liquescit & con-

sumitur: cortex cui adhæret, non crassus, sapore percipitur nonnihil salsuginoso, resinæ parvi grumi valdè friabiles, qui dentibus facilè atteruntur, ferè similes Mastiche, minùs tamen albi, sed flavi, lucidi, ad Sandaracham accedentes.

Tecotgebit. Perpendenda resina arboris Tecotgebit, de qua antè. A' nostra resina non videtur multùm differre, si non eadem, ac sequens etiam ex Clusio Mastichinæ resinæ non valdè absimilis succus.

MASTICHINÆ RESINAE NON VALDE ABSIMILIS SVCCVS.

CAP. LI.

Descriptio TRADITVR à Clus. Exot. lib. 4. cap. 8 resina ei data, per Petrum Garetum ex longinqua navigatione anni 1600. Mastichinæ autem resinæ, inquit, non valdè absimilis erat sextus hic succus, minùs tamen albus, friabilis, ut resina, manibus tamen emollitus, aut ore retentus aliquantisper, lentescebat, nec ingrati odoris deprehendebatur, ut neque etiam saporis, aliquantulum tamen acris, igni admotus, flammam etiam concipiebat, quæ statim exstingueretur, atq; instar ceræ liquescebat. Erat etiam hic succus, sive veriùs resina, foliis quibusdam involuta; quibus recenter fluentem exceptam fuisse verisimile est.

AMBRÆ FACIE RESINA.

CAP. LII.

Descriptio *Color.* QVI ex India anno 1601. redibant Batavi nautæ, authore Clusio. Exot. lib. 4. cap. 6. Magnum resinæ cuiusdam fragmentum afferebant, quod libram & sex uncias pendebat, coloris ex fusco cineracei, & plærisque partibus Ambræ odoratæ colorem referentis, sic ut qui ab arbore detraxissent, legitimam Ambram esse sibi persuaderent: resinaceus tamen odor, licèt non ingratus, ab ea opinione illos dimovere debuerat.

In quem autem usum adhiberent, ignorabat honestissimus vir Franciscus Peninus, civis Amstelredamensis, qui ab illis redemerat, & permittebat ut describere possem.

ELECTRVM SIVE SVCCINVM IN GENERE.

CAP. LIII.

Electrum Succinum. Carabe. Alambrum. MVLTI [inquit Amat.] verbis Dioscoridis innixi crediderunt Electrum, sive Succinum, quod Carabe Arabes appellant, & vulgus Alambrum, Populi gummi esse, non animadvertentes, Dioscoridem aliorum opinione verba illa retulisse, & ut falsa reliquisse, miniméque approbasse.

Mendacia de Succino. Vt autem planiùs noscatur, ait Plinius, quàm mentiti sint authores de Succino, verba eorum hîc subiiciam. Proximum igitur locum in deliciis fœminarum tamen adhuc tantùm, eandémque omnia hæc, quàm gemmæ, authoritatem, sanè maiorem aliquibus de causis crystallina & murrhina, rigidi [frigidi vet.] potus utraque. In Succinis causam ne deliciæ quidem adhuc excogitaverunt. Occasio est vanitas Græcorum diligentiæ. Legentes modò æquè perpetiantur me de ortu eorum dicere, cùm hoc quoque intersit vitæ, scire posteros, quicquid illi prodidêre mirandum. *Poetarum fabula.* Phaëthontis fulmine icti, sorores luctu mutatas in arbores Populos, lachrymis Electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem, quem Padum vocamus: & Electrum appellatum, quoniam Sol vocitatus sit Elector, plurimi Poëtæ dixêre, primique, ut, arbitror Aeschylus, Philoxenus, Nicander, Euripides, Satyrus. Quod esse falsum, Italiæ testimonio patet. Diligentiores eorum, Electridas insulas in mari Adriatico esse dixerunt, ad quas dilaberetur Padus. Quà appellatione nullas unquam ibi fuisse, certum est: nec verò ullas ibi appositas esse, in quas quicquam cursu Padi devehi possit. Nam quòd Aeschylus in Iberia, hoc est, in Hispania Eridanum esse dixit, eundémque appellari Rhodanum, Euripides rursus & Apollonius, in Adriatico littore confluere Rhodanum & Padum, feliciorem veniam facit ignorati Succini in tanta Orbis ignorantia. Modestiores, sed æquè falsum, prodidêre in extremis Adriatici sinûs rupibus in viis arbores stare, quæ Canis ortu hoc effunderent gummi. Theophrastus in Liguria effodi dixit. Phaëthontem in Aethiopia Hammonis obiisse: ob id delubrum ibi esse atque oraculum, *electrúmque* gigni. *Fossile in Scythia.* Philemon fossile esse, & in Scythia erui duobus locis: *Candidum Electrum.* candidum atque cerei coloris, quod vocaretur *Electrum*: in alio loco fulvum, quod appellaretur *Sualternicum*. *Fulvum Sualternicum. Lyncurium.* Demostratus *Lyncurion* id vocat, & fieri ex urina Lyncum bestiarum, è maribus fulvum & igneum, è fœminis languidius atque candidum. Alij dixêre Langurium, & esse in Italia bestias *Langurias*: *Languria.* Zenothemis *Langas* vocat easdem, & circa Padum iis vitam affirmat. Sudines arborem, quæ gignat in Liguria. In eadem sententia & Metrodorus fuit. *Fluit ex arboribus.* Sotacus credidit in Britannia arboribus effluere, quas *Electridas* vocavit. Pytheas Guttonibus Germaniæ genti accoli æstuarium Oceani Mentonomon nomine, spatio stadiorum sex millium: ab hoc diei navigatione insulam abesse Abalum: illò vere fluctibus advehi, & esse concreti maris purgamentum: *Concreti maris purgamentum.* incolas pro ligno ad ignem uti eo, proximósque Teutonis vendere. Huic & Timæus credidit, sed insulam Baltiam vocavit. Philemon, negavit flammam ab Electro reddi. Niceas radiorum Solis succum intelligi voluit. Hos circa occasum credit vehementiores in terram actos, pinguem sudorem in ea parte Oceani relinquere, deinde æstibus in Germanorum littora eiici. Et in Ægypto nasci simili modo; & vocari Sacal: *Sacal Ægypti.* item in India, gratiúsque Thure esse Indis. In Syria quoque fœminas verticillos inde facere, & vocare hàrpaga, quia folia & paleas, vestiúmque fimbrias rapiat. *Harpaga fœminarum Syriæ.* Theophrastus Oceano id exæstuante ad Pyrenæi promontorium eiici: quod & Xenocrates credidit, qui de iis nuperrimè scripsit. Vivit adhuc Asarubas, qui tradidit iuxta Atlanticum mare esse lacum Cephisida, quem Mauri vocant Electrum. *è limo maris.* Hunc Sole excalefactum è limo dare Electrum fluitans. Mnesias Africæ locum Sicyonem appellatum, & Crathin amnem in Oceanum effluentem è lacu, in quo aves, quas Meleagridas & Penelopas vocat, vivere. Ibi nasci ratione eadem, quà suprà dictum est, de Electride lacu. Theomenes dicit, iuxta Syrtin magnam hortum Hesperidum esse, ex quo in Stagnum cadat, colligi verò à virginibus Hesperidum. Ctesias Indis flumen esse Hypobarum, quo vocabulo significetur omnia vasa ferre bona: fluere

fluere

fluere à Septentrione in exortivum Oceanum juxta montem silvestrem arboribus Electrum ferentibus. Arbores eas aphytacoras vocari, qua appellatione significetur prædulcis suavitas. Mithridates in Germaniæ littoribus esse insulam, vocarique eam Oleriectam: Cedri genere silvosam: inde defluere in petras. Xenocrates non Succinum tantùm in Italia, verùm etiam Thieum vocari, à Scythis verò Sacrium, quoniam & ibi nascatur. Alios putare in Numidia gigni. Super omnes est Sophocles Tragicus Poëta, quod equidem miror tanta gravitate cothurni, & præterea vitæ famâ, aliàs principe loco genitus Athenis, rebus gestis, exercitu ducto. Hic ultra Indiam fieri dixit è lachrymis Meleagridum avium Meleagrum deflentium.

Ex arboribus. *Thieum. Sacrium.* *Sophocles notatur.* *E lachrymis avium.*

Quod & credidisse eum, vel sperasse aliis persuaderi posse, quis non miretur, quamve pueritiam tam imperitam posse reperiri, quæ avium ploratus annuos credat, lachrymásve tam grandes, avésque è Græcia, vbi Meleager periit, ploratum isse in Indos? Quid ergo? non multa æquè fabulosa produnt Poetæ? Sed hoc ea in re, quæ quotidie invehatur atque abundet, & hoc mendacium coarguat, serio quemquam dixisse, summa hominum contempti o est, & intoleranda mendaciorum impunitas. Idem rursus eodem libro, cap. seq. 3. de ortu & medicinis, & generibus & luxuria succinorum, inquit: Certum est gigni in Insulis Septentrionalis Oceani, & à Germanis appellari Glessum: itaque & à nostris vnam insularum ob id Glessariam appellatam, Germanico Cæsare ibi classibus rem gerente, Austraviam à Barbaris dictam. Nascitur autem defluente medulla pinei generis arboribus, vt gummi in Cerasis, resina pineis. Erumpit humoris abundantia: densatur rigore, vel tepore autumnali. Cùm intumescens æstus rapuit ex insulis, certè in litora expellitur, ita volubile, vt pendere videatur, atque considere in vado: quod arboris succum esse prisci nostri credidere, ob id *succinum* appellantes. Pineæ autem arboris esse indicio est pineus in attritu odor, & quòd accensum tedæ modo ac nidore flagret. Affertur à Germanis in Pannoniam maximè Provinciam. Inde Veneti primùm, quos Græci Henetos vocant rei famam fecêre, proximi Panoniæ, id accipientes circa mare Adriaticum. Pado verò, annexa fabulę videtur causa; hodiéque transpadanarum agrestibus fœminis, monilium vice succina gestantibus, maximè decoris gratia, sed & Medicinæ: quando tonsillis creditur resistere, & faucium vitiis, vario genere aquarum iuxta illos infestante guttura ac vicinas carnes. D. C. ferè M. pass. à Carnuto Pannonię abest litus id Germaniæ, ex quo invehitur, percognitum nuper. Vidit enim eques Romanus missus ad id comparandum à Iuliano curante gladitorium munus Neronis principis, qui hæc commèrcia & litora peragravit, tanta copia invecta, vt retia arcendis feris podium protegentia Succinis notarentur, arma verò & libitina, totúsque vnius diei apparatus esset è Succino. Maximum pondus is glebæ attulit 13. librarum. Nasci & in India certum est. Archelaus, qui regnavit in Cappadocia, illinc cortice inhærentem tradit advehi rude. pol ri que adipe suis lactentis incoctum. Liquidum primò destillare, argumento sunt quædam, intus translucentia, vt formicæ: aut culices, lacertæque, quas adhæsisse musteo non est dubium, & inclusas indurescenti. Genera eius plura. Candida odoris præstantissimi. Sed nec his, nec cereis pretium, Fulvis maior autoritas. Ex iis etiamnum amplior translucentibus, præterquam si nimio ardore flagrent, imaginemque igneam inesse, non ignem, placet. Summa laus Falernis à vini colore dictis, molli fulgore perspicuis. Sunt & in quibus decocti mellis lenitas placeat. Verùm hoc quoque notum fieri oportet, quocunque libeat, tingi, hædorum sevo & Anchusæ radice: quippe etiam conchylio inficiuntur. Cæterùm attritu digitorum accepta caloris anima trahunt in se paleas ac folia arida ac philyras, vt magnes lapis ferrum. Ramenta quoque eius in oleo addita flagrant dilucidiùs, diutiúsque, quàm linei medulla. Taxatio in deliciis tanta, ut hominis quamvis parva effigies, vivorum hominum vigentiúmque pretium superet, prorsus ut castigatio una non sit satis. In Corinthiis æs placet, auro, argentóque mixto, in cælatis ars & ingenia. Murrhinorum & Crystallinorum diximus gratiam: uniones, quòd capite circumferuntur, gemmæ digitis: in omnibus denique aliis vitiis ostentatio, aut usus placet: in Succinis deliciarum tantùm conscientia. Domitius Nero in cæteris vitæ suæ portentis, capillos quoque coniugis suæ Poppeæ in hoc nomen adoptaverat, quodam etiam carmine Succina appellando. Et quoniam nullis vitiis desunt pretiosa nomina, ex eo tertiùs quidam hic colos cœpit expeti à matronis. Vlus tamen Succinorum invenitur aliquis in medecina: sed non ob hoc fœminis placent. Infantibus adalligari amuleti ratione prodest. Callistratus & cuicunque ætati contra lymphationes prodesse tradit, & urinæ difficultatibus potum, adalligatúmque. Hic & differentiam novam attulit appellando Chryselectrum, quasi coloris aurei, & matutino gratissimo aspectu, rapacissimum ignium, &, si iuxta fuerint, celerrimè ardescens. Hoc collo adalligatum, mederi febribus & morbis: tritum cum melle ac rosaceo aurium vitiis: & si cum melle Attico conteratur, oculorum quoque obscuritatibus. Stomachi etiam vitiis vel per se farina eius sumpta, vel cum Mastiche ex aqua pota. Succina etiam gemmis, quæ sunt translucidæ, adulterandis magnum habent locum, maximè Amethystis, cùm omni, ut diximus, colore tingantur. Hactenus Plinius.

Locus. *Glessum Germanis.* *E medulla arboris.* *Vires & vsus. Tonsilla.* *Arma è succino. Gleba 13 librarum.* *Liquidum destillat.* *Genera Succini.*

Plinio Candidum. Cereum. Fulvum. Translucidum. *Falernum.* *Attrahunt paleas.* *Pretium.* *Amuletum.* *Lymphatio. Vrina.* *Chryselectrum ... aureum.* *Febres. Aures. Oculi. Stomachus.* *Impositum ...* *Omni colore tinguntur.*

Huius verba (pergit Amat.) vera esse hodie cognoscimus, quum in mari Germanico, Baltheo dicto, Electrum sive Succinum, ex quo preculæ sive coronæ fiunt, colligatur, & nusquam alibi: quod verò gummi arboris pineæ simile sit, ipsius in attritu pineus odor attestatur, imò qui apud Germanos in urbe libera Dantisco nobiscum versati sunt, tanquam de re conspecta iudicium suum ferebant, nec in re aliqua à Plinio dissidebant. Nascitur enim Electrum, liquidum tanquam Pini resina, quod quum musteum fluit, formicas, muscas, paleas, & alia rapit, quæ omnia postea in eo demum videntur, ut Martialis hoc distidicho complexus est:

Plinio de materia Succini subscribit Amatus. *Coronæ precaria.*

Quum Phaëthontea formica vagatur in umbra
Implicuit tenuem succina gutta feram.

Vario porrò colore Electrum reperitur, quòd ad se festucas & paleas trahit, velut magnes ferrum.

Hallucinatur Manardus Ferrariensis, & alij quibus facilè Tragus subscripserit, qui sine authoritate & ratione contendunt, Succinum longè aliam rem esse videri, quàm quæ ex arboribus exudare, distillare, durari ac coire in Electrum soleat, quin potiùs in mari nasci existimari possit.

Manardus & Tragus repreh.

Sed de re sibi ignota, non est quòd multa verba faciant.

Ἀργχρύσιον fabulosum. Nomina quadam. Gentar Sudanorum.

Cordum audiamus, multis hac de re differentem. Succinum, quod Græci ἤλεκτρον, & fabuloso nomine ἀργχρύσιον, Arabes *Karabe*, & *Kakabre*, Galli *Ambram*, seu *Ambram Citrinam*, Germani veteres Glessum, recentiores Agstein & Bernstein, Sudanii *Gentar* appellant; inter præcipua numeratur, quæ Deus ad hominum usum condidit, Medicinæ pariter & luxui, multísque aliis usibus materiam præbens: quamvis nostra ætate magis tuendę sanitati, quàm luxurię inserviat. Nostri Succino, à proprietatibus, quas habet, nomina indidere. Siquidem veteres Germani Glessum/id appellant, quod si interpreteris, vitreum sonat: quoniam vitri instar lucem transmittat. Vitrum enim Glaß/ & vitreum Glesen dicimus. Agstein autem, id est, *Gagatem lapidem* id vocamus: quoniam à Gagate nigro, materia, viribus, & aliis proprietatibus nihil differat. Bernstein verò, hoc est, ardens lapis nominatur, quoniam accensum ardeat. Est autem res omnibus agnita, & paratu facilis, præsertim cereum & pellucidum, quod Romani à vini colore, Falernum cognominant. Candidum verò, cui olim nulla fuit authoritas, quoniam parciùs gignitur, nunc auri pretium æquat. Vera sunt quæ Plinius iam antè prodidit, excepto eo, quòd Pinei generis arborum resinam esse credat, ut paulò pòst ostendemus. Nam quod ad originem [materiam & generationem] eius attinet, nullus unquam authorum vera tradidit. Ideò rem iucundam maximéque necessariam, & cognitu dignissimam prodituros nos arbitramur, si de natalibus, causis & origine eius, nostram quoque sententiam protulerimus: de qua cum multis doctis, præsertim Georgio Agricola Medico, naturalium rerum omnium sagacissimo & prudentissimo indagatore, multos iam annos contulimus, eámque longa deliberatione utrinque ita perpendimus, ne quidquam de origine eius temerè pronunciaremus. Editurus est propédiem Georgius Agricola, inter alia, quę de ortu & materia fossilium rerum conscripsit, etiam suum de Succino iudicium, cui nos hoc commentario subscribimus: existimamus autem nobis hominibus Germanis, Succinum in nostro Orbe genitum quotidie attrectantibus, eiusque naturam quotidiano usu & experientia cognoscentibus, potiùs alias gentes fidem habituras, quàm Græcis, qui relicta Philosophia in consideratione, ad figmenta absurdissima, & aniles, & plusquam pueriles fabulas sunt conversi: rem longè pulcherrimam, cuius cognitionem ingenio assequi desperabant, ludibriis & levibus figmentis conspurcantes. Qua quidem in re non tam hominibus imposuerunt, quàm suam in confingendis nugis levitatem, & Electri ignorantiam prodiderunt; quamvis Graiis ingenium, quamvis Graiis ore rotundo Musa loqui dederit. Etsi autem palàm sit, ubi reperiatur Succinum, tamen quia & loca, & natales perspecta habere ad rei cognitionem non parum faciat, decrevimus hoc de Electro commentario, primùm indicare ubi legatur, & ad quæ littora plurimum, & quomodo feratur: deinde ostendemus non esse succum, neque Gummi, neque resinam, quomodocunque eas appellent, arborum: postremò materiam eius, & quid sit, explicabimus. Et hæc quidem ea qua licebit brevitate, ne si longiùs de eo disseruerimus, commentarius hic finem suum modúmque excedat.

Glessum Germ.

Gagates lapis.

Lapis ardens. Cereum & pellucidum Falernum. Candidum Plin. notatur.

Græcis non credenda fides.

Vbi.

Codanus sinus appellatur Plinio immanissimus, à sævo immenso monte, nec Riphæis iugis minore, qui ad Cimbrorum usque promontorium excurrens, refertus est insulis, quarum clarissima sit Scandinavia, incompertæ olim magnitudinis, nunc verò classibus nostris negotiatoribus & militibus cognita & perlustrata tota: qui non insulam, sed peninsulam pluribus Isthmis coherentem affirmant. In eo sinu inter Cimbricum Chersonesum, & Scandinaviam sparsæ sunt insulæ: Burchana, Austravia, Actavia, olim vocatę: ad quas fluctibus pelli Electrum Romanę olim classes deprehenderunt. Ideóque eam quam Germani Austraviam vocabant, Romani Glessariam, hoc est, Electridem dixerunt. Quinetiam præter hanc plures aliæ Glessariæ nominatæ sunt. Vniversum autem mare, quod Codanus sinus amplectitur, *Succinum* habet, quod fluctibus nunc retrò ad Scandinavię, Norvegię, Suecię & Gothiæ littora agit: nunc ad insulas, ut ipsi etiam deprehendimus: nam & nos quoque illud in Burchanæ, Austraviæ, & Scandinaviæ littoribus invenimus. Nunc ad nostra littora, videlicet Cimbricæ Chersonesi, ducatus Melchelburgiaci, Pomeranię, Prussię, Samelandiæ & Livoniæ. Sed quamvis toto hoc nostro maritimo tractu non rarò legatur *Succinum*, exiguum tamen id est, in parvas micas concretum. Plurimum verò, & maximis glebis constans ad Samelandiam expellitur, quæ Prussiæ vicina est regio, & Prussiæ Duci paret: ad eam tanta copia tempestatibus fertur, vt toti terrarum Orbi satisfacere possit, quantumvis multis vsibus expetitum. Atqui non ad totum Samelandiæ littus tanta vis Electri expellitur, sed ad eum tractum tantùm, quem Germani daß Granawische vocant, non longè à pago Sudavis & Samelandiæ *Kraxtepelle* dicto, quod retinctum significat. Nudi enim homines retia venienti *Succino* prætendentes, sæpiùs fluctibus retincti obruuntur, vnde pago nomen patriâ linguâ fecerunt. Locus autem quo tanta eius copia colligitur, patet tantùm decem millia passuum, h.e. duo Germanica miliaria. Habent eius piscationis gnari sua signa & indicia, quibus venturi Electri copiam æstimant. Sunt aliæ quædam diversi generis, sed maximè quædam cordis exigui imaginem referentes, & vesicarum modo inflatæ: quæ si copiosæ ad littus ferantur, plurimum *Succini* adventare certum, his enim involutum tanquam retibus capitur. Cùm verò parciùs hæ algæ littus appulerint, minùs succini insequitur. Fluctibus deinde ereptum, Dantiscum vehitur: quæ vrbs præterquam quòd totius Prussiæ caput sit, etiam celeberrimum est emporium. Vbi primùm certis venditur negotiatoribus, ex pacto pretium pro certa mensura, secundùm glebarum magnitudinem, Principi numerantibus. Rude adhuc vt colligitur, asperum, scabrumque est tota superficie, nec quidquam attrahit, quantumvis calefiat: levigatum verò & politum, primùm rapere incipit, qui ex attritu calefacto admoventur surculos. Nam alia quacunque ratione præter confricationem incalescens, perinde vt rude, rapere nequit, quas proprietates neminem antea prodidisse scimus. Nos autem id ideò affirmamus, quoniam sæpiùs eius rei periculum fecimus. Porrò longum foret, omnia statuta legésque Succini gratia latas enumerare, quia alij ex nostris hæc attigerunt. Nos autem quæ antea tradita sunt relinquentes, quod illi præteriverunt, indicabimus. Nam neque hoc referre necessarium existimamus, quot habeat *Succinum* colore differentias, & quantam vtilitatem hominibus adferat

Maximè copia.

Succinum rude.

rat, non in Medicinæ tantùm, in qua magnum v[illegible]sum habet: verùm etiam in mechanicis artibus, in quibus multò maiorem. Nunc autem antequam quid sit explicemus, quid non sit, ostendendum duximus: aliis succum, aliis gummi, aliis resinam, aliis terram, aliis lapideum esse contendentibus. Nam hæ opiniones multa iam secula hominum mentes detinent. Sed lecturos istarum opinionum confutationem prius novisse oportet, succi, gummi, resinæ, terræ, & lapidum differentiam, materiam, qualitatem, & alias, quas habent, proprietates: ita faciliùs dicta intelligent & diiudicabunt. Succum autem cuiuscunque arboris, aut plantæ non esse *Succinum*, sed neque vinum alicuius animalis, succi & vini substantia & qualitates ostendunt. Constat enim utrunque aqueo humore: qui etsi Solis, aut ignis calore densetur, aquæ tamen quibuscunque [illegible] diluitur, ideoque in mare delapsus, quamprimum dissolveretur. *Succinum* verò contrariæ est naturæ, nam liquidum in mare prorumpens, mox densatur. At hic locum non habet, quod dicitur, salem adstringere & densare succos, quod nemo concedet, cui salis natura perfectè nota est. Sal enim aridus densandi facultatem, sed non tanta ut liquidum succum denset: atque eis densandi vis nequaquam est, propter imbibendi aqueum, vel similem humorem, potentiam. Sal enim propriissima natura est, facillimè aquam, vinum, vel tale quidpiam imbibere, & in tali quopiam humore dissolvi. Quapropter, quòd conspersas carnes & caseos densat, & solidiores reddit, per accidens fit, non propria, ut distringendi facultate, sed, quia carnes, & cæteri recentes, aquoso succo turgentes, succum suum sali combibendum dimittunt, quo fit ut hæc deinde, sicca, duraque & ideo densiora evadant. Succi verò [illegible] cùm nihil habeant terrenæ consistentiæ, qualem carnes & casei, sed toti aqueo humore con[illegible], tale humorem, quem appetit imbibente, nunquam [illegible] [illegible] similes permanent, si serena sit, [illegible] aeris constitutio: si verò turbida [illegible] humida, etiam liquidiores evadunt, sale humidum aerem imbibente, & succo, cui mixtus est, communicante: quod manifestè omnes, etiam densati coctura, aut sole, ostendunt succi, si sal addatur. Continuò enim humescunt & diffluunt, maximè humida & frigida aeris constitutione. Ergo si aridus sal succos etiam [illegible] liquidiores reddit, quantò magis liquidus sal, ceu mare est, liquidos succos dissolvit & penitùs dissipat? Si etiam densatus succus esset *Succinum*, aquæ incoctum dissolveretur, ceu Aloë vulgaris, Hypocistis & eiusmodi: sed etiam si quis integro ævo in aqua, aut vino decoquat, nihil penitùs tamen eliquari potest. Adipi verò, aut oleo incoctum dissolvitur, quod alienissimum est à succis, qui aquei sunt. Est itaque *Succinum* pinguis substantia, & à succis diversissima. Quod autem etiam gummi non sit, ostendunt argumenta, quæ iam de succis attulimus. Nam hæc quoque, cuiuscunque sint generis, in quovis aquoso humore dissolvuntur, in oleo verò minimè: eadem, perinde ut densati succi, turbida & humida aeris temperie humescunt & diffluunt, nec sine ratione, cùm viscosi & concreti calore succi existant. Quidquid enim siccitate densatur, humido resolvi potest. Qui verò resinam contendunt, propiùs ad materiæ similitudinem & naturam eius accedunt. Quemadmodum enim resinæ pingues sunt, & accensæ flagrant, oleoque incoctæ dissolvuntur omnes, ita etiam Succinum flamma accensum ardet, & in oleo, si coquatur, resolvitur, & accensum flagrat. Resinam tamen non esse, natura formæ glebarum ostendit. Resinæ enim quæcunque vel stillatim distillant, & in parvas micas, guttasque concrescunt, ut Lentisci, Iuniperi provenit, quam Sandaracam Arabes vocant: Thus masculum, & quod Orobias, ab Ervi figura & magnitudine, vocatur. Partim ex pluribus guttis, longo temporis intervallo collectis, in massas scabras, porosas, & cavernosas contrahuntur, ut Pini, Abietis, Piceæ, Picastri, & eiusmodi arborum: quamvis & hæ frequenter in parvas micas densentur. *Succinum* geminum diversius est à resina habitus: neque enim in guttas oblongas densatur, quæ ex arbore se perpendiculo demittentes, neque in scabra, cavernosaque, & guttis compacta fragmenta coalescit, sed solidas glebas. Glebarum etiam magnitudo resinam esse negat. Si quidem Plinius Romam allatam esse scribit, [illegible] pondere, per [illegible] [illegible] [illegible]. Nos verò semun[illegible] multò maiores [illegible] fi venit: & nonnunquam etiam in continente ultra [illegible] [illegible] litore maris eveniunt: & in [illegible] [illegible] [illegible], & tredecim, est [illegible] pondus. [illegible] maximum glebæ [illegible] ex [illegible] [illegible] [illegible] quamvis [illegible]. Hæ autem grandes glebæ pretiosiores à magnatibus apud nos expetuntur, quemadmodum olim apud Romanos ex Oriente Murrhinum: quod & quidam ad Succinum referri debet, ut Georg. Agricola in libris de rebus metallicis docebit. Puerile autem est credere, in tantas glebas concrescere resinam aliquam: ac multò puerilius, credere tantum ex arboribus defluere posse resinæ, [illegible], & litora & terram in Continente impleat. Reclamat etiam experientia, nullæ enim proclives in nostro littore sunt Pini generis, aut resiniferæ arbores, a Cimbrorum extremo promontorio usque ad Scandinaviæ Isthmum, quo Asiæ maiori [illegible], h. e. toto illo immani sinu Codano, nullæ enim temerè in littore arbores, præter Alnos, & Corylos, visuntur. Oderunt etiam natura resiniferæ omnes salsum, aut maris irriguum, solum. Similimodo neque in Norvegia, neque Scandinaviæ [illegible], neque Sueciæ littoribus, ullo visitur resinifera, aut Pinei generis arbor, quatenus nos cani [illegible] lustravimus, & quatenus nautibus, & negotiatoribus nostris cognita est, qui quotidie legunt Scandinaviæ littora. In montibus verò procul à mari magnæ sunt Tædarum, Abietum, & Piceastrorum silvæ. Sed ex his impossibile est ad mare delabi resinam. Præterea si in ripis cautibus starent hæ arbores, ut aliqui veterum prodidere in terram & in pes [illegible] resina. Et si maximè ex rupibus æstu raperetur, ut Plinius credidit, sordidum totum esset, calculis, arenis, sobis, & aliis rebus mixtum, sed rarissimè reperitur, quod tale quippiam complectatur. At neque hoc rationi consentaneum est, ex arboribus è præcipitiis in mare procumbentibus destillare: tum enim paullatim & guttatim destillaret, & in parvas tantum guttas densaretur: sed impossibile est, totum præcipitiis stare arbores: ut tantum resinæ fundant. Adde si hoc modo distillaret, neque ranas, neque lacertas, neque formicas, muscas, culices, aut quidquam tale complecteretur. Mirum etiam esset, si resina sit, non inveniri in eo Pinei generis folia, quum in aliis resinis sua folia frequenter deprehendantur. Esset etiam præter naturam eo loco resinam in tantam soliditatem densari,

Succinum non esse succus, non gummi.

Liquidum in mare influit.

Sal non densat.

Gummi non est.

Resina non est.

Maximæ Succini glebæ Co[illegible].

cùm quævis aliæ resinæ, sive frigidâ, sive calidâ aquâ densatæ, maximè salsâ, aridæ, friabilésque evadant, ac spontè dissiliant. Quod si olfactum consulas, exactæ nullum resinæ odorem percipies, sed medium quendam inter Bitumen & Ambram, quæ res in terra gignuntur. Quòd autem paleas, & alia similia attrahit, magnum est argumentum, multùm id à resina differre. Nulla enim id præstat resina. Differunt etiam viribus Resinæ, & Succinum. Nam hoc præter alia, quibus ab illis discrepat, etiam comitiales suffitu deprehendit, & eos collapsos excitat, quod in ulla unquam deprehensum est resina. Faciet etiam ad nostrum argumentum coloris diversitas: nam si certæ alicuius arboris resina esset, eundem semper colorem haberet, ut Terebinthi, Laricis, Lentisci, Abietis, Pini, & aliarum resinarum, quæ semper sui sunt similes, *Succini* verò nunc sero similis, nunc cereus, nunc fulvus, nunc turbidus, nunc omnino pellucidus, nunc niveus, nunc ex quibusdam eorum, aut simul omnibus mixtus, & ceu convolutus, nunc omnino niger est color. Nam gagates ille lapis paleas attrahens nihil est aliud, quàm nigrum Succinum: quare eodem eum Germani vocabulo, quo aliud *Succinum*, appellant, adiecto coloris discrimine. Necesse igitur est, rem diversissimam à resina esse. Quapropter non possum non Græcorum vanum commentum carpere, qui etiam certa nomina arboribus, *Succinum* ferentibus, indidêre, eas aliàs Electrides, aliàs Aphitacoras, nominantium, quô vocabulo Indis prædulcis suavitas significetur. Omitto reliquas fabulas, quibus ipsi suam vanitatem, & inconstantiam palàm fecerint. Qui autem resinam non esse contendunt, lapidem esse contendunt: quoniam vulgò Germanis, lapidis nomine veneat: sed nihil in eo est, quod cum lapide cõmune habeat: lapides enim omnes terreni sunt, nec quicquam in igne omittunt, nisi alterius cuiusdam rei participes sint, neque accenduntur, neque in pinguedine aliqua dissolvuntur, aut igne in sublime feruntur, neque leves sunt, ut aquæ innatent: quæ omnia succino sunt propria: quòd usque adeò tenuitate à terrena lapidum materia distat, ut certa ratione totum in vaporé & liquidissimum oleum dissolvi queat, quod nemo ante nos invenit, aut tentavit: variis enim ingressi viis sumus, ut naturam, originem, & materiam eius investigaremus. Præter eos, qui lapidem esse credunt, sunt & qui terram esse dicant: quod ne per somnium quidem alicui in mentem potuisse venire speraissemus. Quoniam verò hæc opinio his annis à multis est accepta, iisdem est confutanda argumentis, quibus lapidem non esse probavimus, quamvis id paucis verbis egerimus cùm non existimemus, sanæ mentis, & iudicii homines, eò erroris delabi posse, ut lapidem esse credant. Decessit hoc anno, cùm hæc conderemus, admodum confectus ætate Gregorius Dunckerus, vir haud vulgati experiẽtia præditus, qui multa etiam in *Succino* observavit, quæ nostrum de eo iudicium confirmant: tamẽ in eum errorem incidit, ut crederet, *Succinum* veteribus Samiam terram fuisse dictum, regionum nominibus deceptus: nam hæc Germaniæ ora, quam Esthi habitant, hodie Sameland nostris, id est Samia regio vocatur, perinde ut Samus insula in Ægeo mari sita. Nihil enim commune Succinum cum figulina creta habet, qualis est Samia terra, ex qua factæ ollæ, igne in lapidis duritiem coquuntur, nulla sui amissa parte, ut alia quævis figulina terra. *Succinum* verò ignis impatientissimum existit: flamma enim accensum eò usque flagrat, donec totum in fuliginem abeat: prunis autem impositum æquè ut flamma accensum consumitur, siquidem totum in vaporem resolvitur.

Differentia Resinarum & Succini.

Gagates nigrum est Succinum.

Græcorum reprehensio.

Lapis non est.

Non est terra.

Dunckeri error.

Porrò hactenus eorum confutavimus opiniones, qui *Succinum*, aut succum, aut gummi, aut resinam, aut terram, aut lapidem esse tradiderunt: quamvis plurima, quæ ad rem facerent, reliquerimus: maximè quod ad diluendam Scriptorum authoritatem pertinet. Nos verò minime nudâ authoritate, sed rationibus & argumentis rem tractandam esse censemus. Nam quod Solinus scribit, Germanico Cæsare omnes Germaniæ oras scrutante, compertam esse arborem Pinei generis, cuius medulla Autumni tempore *Succino* lachrymet, falsum penitùs est, ut ea, quæ antea diximus, testantur: quemadmodum & hoc, quod tradit: Germanicum Cæsarem omnes Germaniæ oras scrutatum esse. Quæ autem Solinus de *Succinis* scripsit, è Plinio excerpsit, quibus suum addit commentum.

Solinus fallitur.

Restat igitur nunc, ut nostram de materia, & origine eius, sententiam, rerum naturæ studiosis communicemus, qui semper credidimus, *Succinum* liquorem esse è terra in mare fluentem, arenas ac nondum compertas ob causas paulatim in eam, quam præ se fert, soliditatem durescentem, quod Georgius Agricola etiam sentit, & Gregorius Dunckerus, cuius modò mentionem fecimus, omninò affirmat, natione Samelandus, qui in eo littore, ad quod maximè expellitur, ultra quinquaginta tres annos vixit, maximáque curâ totâ vitâ suâ eò incubuit, ut originem & materiam eius perdisceret. Nam hic eos quoque reprehendit, qui arborum lachrymam esse prodiderũt, clarísque verbis dicit, liquidum primò esse liquorem è terra in mare fluentem. Quod, tanquam certissimum, omnibus est amplectendum. Adstipulantur nostræ sententiæ etiam Veterum nonnulli, ceu Nicias, Philemon, Allarubas, & Mnesias, quos Plinius citat. Nicias enim Solis radiorum succum esse *succinum* tradidit, quos circa Occasum vehementiores in terram actos credidit pinguem sudorem in ea parte Oceani relinquere: qui deinde in Germanorum littora eiiceretur, haud absurdâ opinione. Non quòd hic succus ipsis Solaribus radiis, nihil præter qualitatem existentibus, insit: sed quòd radiorum fervore, pinguis ille terræ sudor foràs eliceretur: quod plærisque in locis apud nos Æstatis calore, & Veris, Autumníque tempore in liquido Bitumine deprehendimus: cuius speciem *Succinum* quoque esse diximus. Bitumen enim hoc in terræ poris latitans, paulatim foràs Sole terram calefaciente, & pinguedinem eius eliquãte in lacus, puteos, rivulosve emanat: Hyeme verò præclusis terræ meatibus, & densata pinguedine nihil prorsus manat. Philemon fossile esse & in Scythia erui prodidit, candidi, cerei, & fulvi coloris: procul dubio compertà scribens. Nam in Parthia quoque & Germania Murrhina, quæ absque dubio Succini genus sunt, è terra effodiuntur, quæ nullus unquam resinam credidit. Quare cùm fossile sit Succinum, quæ est amentia resinam id esse contẽdere, cùm apud nos quoque sæpissimè grandes glebæ inter arandum excitentur, & è puteorum, & ædificiorum fundamentis eruantur, multis à littore passuum millibus? Nos tamen eas ibi minime natas, sed in terra, mari, ut plerisque in locis contigit, longiùs à Continente recedente, relictas iudicamus, quamvis plærique ibi genitas credant, in quorum numero etiam fuit Gregorius Dunkerus

Liquor est è terra in mare fluens.

Arborum lachryma non est.

Solis radiorum succus

Fossile in Scythia.

Amentia quorundam.

kerus. Assarubas, qui Plinio scribente adhuc vixit, apertiùs rem prodidit, tradens: iuxta Atlanticum mare esse lacum Cephisida, quem Mauri *Electrum* vocent, huncq; Sole excalefactum è limo dare *Electrum* fluitans. Assarubæ subscribit Mnesias, locum quendam Aphricæ Sicyonem vocans, & Cratim amnem in Oceanum affluentem è lacu, ibi eadem ratione nasci, quà in Cephiside lacu Assarubas tradidit. Nos utrumque verissima scripsisse credimus, non vanis argumentis inducti: primùm quidem, quoniam apud nos eodem modo Sole excalefactæ Lacunæ & Putei, è limo emittunt Bitumen aquæ innatans. Deinde quoniam certò comperimus etiam in Aphricà reperiri *Succinum*: idque ea parte, quà Canarias spectat insulas. Nam eam Aphricæ oram Atlanticum mare alluit: Misit ad nos ex Antuerpia Aphricani *Succini* unam atque alteram glebam Gruningus natione Frisius (qui ea loca lustravit, & ipse id in ripa fluminis cuiusdam ibidem legit) nostrati adeò similem, ut dignosci nequeat, quas inter cætera, quæ chara nobis sunt, eò libentiùs reposuimus, quoniam & Mnesiæ & Assarubæ fidem & authoritatem firmam nobis faciunt. Quare immeritò Plinius eorum tradita, aliorum Græcorum commentis adnumerasse videtur. Gigni autem in terra Aphricanum Succinum quoque, nec esse arborum resinam, vel inde perspicuum est, quoniam nostrati simillimum colore, substantia, & qualitatibus cùm sit, eandem quoque originis causam habere necesse est. Si igitur Picei, aut Pinei generis arborum resina esset, quales arbores in Septentrione visuntur, necesse esset etiam in ea Aphricæ ora easdem nasci arbores, quæ similem & eiusdem speciei resinam lachrymarentur. Cùm verò experientià constet, nullas ibi resiniferis similes provenire arbores, non malè ratiocinamur, id resinam minimè esse. Quæ enim ibi proveniunt arbores, nostratibus dissimillimæ sunt, ut referunt, qui ea loca inspexerunt. Præcipuè autem abundant Sandali, Brasilij, Guaiaci, & eæ, quæ sanguinem Draconis dictam lachrymam fundunt: multæque aliæ nostris, quia nondum usûs alicuius gratià expetuntur, incognitæ. Etsi autem Gregorius Dunckerus quoque deprehenderit, è terra fluentem liquorem esse, non tamen explicat, cuius generis, cuiúsve substantiæ, aut naturæ sit hic liquor, quod nobis est nunc dicendum. Liquores omnes, seu fontes, qui è terra, ac montibus fluunt, ad duo præcipuè referuntur genera, aut enim aquei sunt, aut olei modo pingues. Aquei autem multùm differunt secundum terrarum, per quas fluunt, diversas qualitates, hinc alibi dulces, alibi nitrosi, alibi salsi, alibi Chalcantho infecti sentiuntur: ad nullum autem horum referri potest *Succinum*: quare necesse est ad alterum liquoris genus id pertinere, quod pingue existit, & Olei æmulum. Liquor autem hic pinguis, suum apud authores nomen habet, nempe Bituminis, cuius species solidum, & liquidum, quæ & ipsæ in plures differentias dividuntur. Esse autem Bituminis genus Succinum, eius materia, colores, odor, medica vis. & ignis rapacitas, manifestè convincunt. Substantiam enim si consideres, deprehendes pinguem, flammas facilè concipientem, æquè ut Bitumen. Atqui antea à nobis dictum est, pinguem terræ liquorem Bitumen esse, talem autem consistentiam Succinum habet. Quamvis præter Bitumen etiam aliud quidpiam in terra genitum pingue sit, videlicet Sulphur. Sed ad hoc referri non debet, quoniam metallicum est medicamentum, pluribus à *Succino* differens. Colores etiam *Succino* totidem, quot Bitumini: est enim nigrum quoddam, Gagates & Thracius lapis dictum, ut vulgare Bitumen: est fuscum in purpura, ut Iudaicum Bitumen. Et candidum quoddam, ut candida Naphtha. Est fulvum & perspicuum quoddam, ut Naphtha fulva, quæ liquidissimum est Bitumen. Si autem olfactum consulas, manifestè Bituminis qualitatem odore percipies. Quòd verò suaviùs oleat alio Bitumine, puritati substantiæ referendum est, quà tantùm à vulgari differt. Vires etiam originem, & materiam eius produnt, de quibus paulò pòst, ut etiam de quotidiano eius in re domestica, & mechanicis artibus usu, qui & ipse Bituminis genus esse testatur. Et certè eius genus, ut Callistratus Plinio citante prodidit, Chryselectrum vocatum, quòd sit rapacissimum ignium, &, si iuxta fuerit, celerrimè exardescens. Quod de nulla unquam alia re authores tradiderunt, quàm Naphtha, quæ Bituminis est liquidissimum: in hunc enim modum de Naphtha Dioscorides quoque scriptum reliquit: vim habet rapacem ignis: adeò etiam, ut ex intervallo rapiat illum: idcircò cùm Callistratus id Succino tribuat, quod Naphthæ sit proprium, quis alteri, quàm Bituminis generi adscribat? Accedit postremò natalium vicinitas, ubicunque enim *Succinum*, ibidem etiam Bitumen gignitur, ut in Perside, Parthia, Carmania, Aegypto, Mauritania, & nostro Septentrione. Omnium autem argumentorum, quæ iam adduximus, firmissimum est, quod interdum molle adhuc & flexile inveniatur: interdum omninò liquidum, in superficie solùm tenui crustà vestitum. Inventa est ante paucos annos in Prussię littore oblonga gleba furcæ figura, cuius alterum cornu mollis ceræ instar flexile fuit. Quin & ipsi Lypsię apud avunculum nostrum Ioannem Rallam Pharmacopolam, in *Succino* è Prussia recenter allato, septimo hinc anno, invenimus glebam, in qua conclusa, ut in ovo veterascenti, humidus adhuc fluctuabat liquor. Ducti itaque rei anteà non compertà novitate glebam confregimus, tenui crusta lepidissimum, & prorsus liquidum humorem continentem: deprehendimus autem crustam *Succino vulgari* similem, liquorem verò Naphthæ fulvæ, id est, Petroleo similem, paulò tamen crassiorem, odorem succinum prunis impositum omninò referentem, & nihil minùs, quàm resinæ alicuius habitum præferentem. Cogitantibus igitur nobis per quam resolutionem partes, quibus constat Succinum, ab invicem discretæ palàm fieri possent: tandem hoc anno artem invenimus, quà id fieri posset: deprehendimus igitur in hac arte, in partes, & elementa sua resolutum magna ex parte in Bitumen transire, vero Iudaico Bitumini adeò simile, ut neque colore, neque pondere, neque substantia, neque odore, nec quacunque alia notà ab eo distingui possit. Quin & ipsi nos ista [id] dignoscere haud possemus, nisi [si] Iudaici Alphati glebulis misceretur: ut autem alia omittamus, etiam confractum, ceu alarum & pennarum fibras Iudaici modo ostendit. Quapropter cùm substantiæ similitudo, colores, odoris qualitas, virium proportio, ignis rapacitas, natalium vicinitas, quotidianus usus, & manibus nostris attrectata, sensibúsque diiudicata materia, & singulari arte deprehensum in eo Bitumen, *Succinum* Bitumini cognatum esse testentur, nec ulla sit nota, quæ repugnet: clarum tandem & perspicuum est, neque resinam, neque gummi, neque arborum succum, neque urinam, neque lapidem, ne-

è limo lacûs Cephisida.

Locus.

Plin. taxatur.

Liquor duplex.

1 *Aqueus.*

2 *Oleosus. Bitumen. Bituminis genus.*

Consistentia.

Color.

Odor.

Vires.

Usus.

Chryselectrum Callistrati Plinio Naphtha Dioscoridi Cordo.

Natales.

Molle interdum Liquidum quandoque.

Ipsa Succini resolutio.

que terram esse, sed purissimum, levissimum, optimum sui generis bitumen: Quemadmodum

Bitumen.

& Ambra, & Camphora, quod huius loci non est multis demonstrare argumentis. Porrò quâ ratione lacertas, ranas, culices, muscas, & alia insecta, quæ in eo translucent, atque metallica etiam medicamenta quædam, ceu Aluminis, Chalcanthique venas, quas ipsi in eo deprehendimus, involvat, & complectatur, hoc commentario pręterimus: quemadmodum & hoc, an in ipso maris vado, aut littore, an utroque loco eius sint fontes. Huc usque Cordus.

Cui in eo Cornarius, quod scilicet succum faciat, contrariatur, cuius historia ita habet: *Succinum* ab aliis [illegible] dicitur, si tamen hęc vox rectè legitur hoc loco, & non [illegible] legendum est, velut lib. 2. cap. 70. de Lyncurio habetur, ut sit à trahendis pinnis, ac paleis appellatio. Nam aurum non trahit, nec illâ voce aurum referre, accipi potest, quum hoc mox subdat, esse ipsum [illegible]. Hæc itaque fabulosè de Electro tradi Dioscor. indicat, & idem etiam Lyncurium appellari infrà lib. 2. dicit, vana etiam illa appellatione ac historia, quum urina Lyncis non sit. Quum igitur non quid sit, sed quid non sit, ostenderit, videtur hoc ignorasse, & nos ambiguos reliquisse, ut in multis illis opinionibus incerti adhuc versemur, quas Plinius per longum recensuit, & partim damnavit ac refutavit, & nos proposuimus, ut legant, quibus ista cognoscere libet. Brevibus autem repetimus de loco, ubi colligitur, an fortassis inde, quid sit, aliquatenus deprehendere possimus. Nam res ipsa alioqui ob omnium oculos versatur, & nemini non nota est. *Electrum* itaque quod & *Succinum* dicitur, & Plinius in insulis Septentrionalis Oceani gigni, & à Germanis *Glessum* appellari dicit, hodie magna copia ad littus Curiense & Samlandiæ Oceani æstibus eiicitur, & tum à Livoniæ, quos Æstiues dixisse Tacitus videtur, tum Prussiæ incolis mulierculis pro ornamento, instar Coralli j apud alios, circum colla appenditur ac gestatur. Id quod quum olim agrestes Transpadanæ feminæ facerent, & monilium vice Succina gestarent, neglectum id tunc ab incolis Germani in Pannoniam vexerunt, & inde proximi Pannoniæ Veneti, id ab illis circa Adriaticum mare acceperunt, & ad Transpadanos detulerunt. Apud nos quum non decoris modo, sed etiam Medecinæ, & amuleti gratiâ gestaretur, creditum est ibi natum esse, & conficta est fabula, Populorum nigrarum lachrymas esse, in quas Populos Phaëtontiades essent mutatæ. Credibile autem est *Glessum* Plinij ac Taciti ætate appellatum à Germanis. Verùm hodiè ea vox aliud nobis, nempe vitrum sonat, nisi translucendi respectu primò inde sit appellatum. Hodie sanè vulgò Germanorum isthic habitantium Berusten & Bernstein vocatur, appellatione ut videtur, ex eo, quòd accensum tedæ modo, & nidore flagret, facta. Quod ita fieri etiam Plinius & Tacitus de eo testantur. At quòd reverâ arborum succus sit, & inde *Succini* appellationem traxerit, & is ex pinei generis arboribus, Plinius constanter affirmat, & adhuc à nemine satis reprobatum est, sed & Taciti etiam testimonio confirmatum, qui, succum tamen arborum esse, inquit, intelligas, quia terrena quædam, atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quæ implicata humore, mox durescente materia cluduntur. Hoc autem Plinius sic tradidit. Liquidum primò destillare, argumento sunt quædam translucentia, ut formicæ, aut culices, lacertæque, quas adhæsisse musteo non est dubium, & inclusas durescenti. Nec Poëta Virgilius in alia sententia fuisse videtur, dum in Pharmaceutria dixit:

Chrysophorum.
Pterygophorum.
Lyncurium.
Diosc. notatur.
Locus.
Glessum.
Monile.
Fabula.
Glessum.
Arborum succus.
Pinea generis arbor.

Pinguia corticibus sudent Electra Myricæ.

In eodem porrò Curiensis littoris tractu, quem vulgò den Kurischen Strandt appellant, maximè tamen in Dantiaco Prussiæ urbe *Succinum* cum Lini semine, in id quod Vernicem sive Verniginem vocant, rem pictoribus, & multis opificibus familiarem, & quæ bituminis usum hodie in plerisque locis præbet, apparatur. Sic autem Plinius de bitumine scripsit: In reliquo usu æramentis illinitur, firmatque ea contra ignes. Diximus & tingi solitas ex eo statuas & illini. Placuit in ferrariis fabrorum officinis, tingendo ferro, clavorumque capitibus, & multis aliis usibus. Ex quo argumento vel solo, aliqua *Succini cum Bitumine affinitas* asseri potest. Verùm quòd bituminis sit genus quoddam ipsum Succinum, & ipsum adeò penitus bitumen, quod pinguis sit terræ succus alter: Nam Alumen & eius genera, alterum ab hoc faciunt illi: hoc mihi nondum persuaserunt ipsi, qui nuper hoc editis scriptis asseruerunt. Neque enim de effusè adeò larga ac varia magnificæ naturæ liberalitate, ita parcè & illiberaliter indicare convenit, & tam multas ac varias res, quas illi recensent, sub unum illud bituminis genus contrahere, ita ut nomina solùm illæ existant. Porrò *Succinum* Arabes Carabe appellare satis constat, quæ vox aut ex Græca [illegible] corrupta est, aut idem, quod illa significat, raptum videlicet palearum, qui etiam [illegible] nomine intelligitur. Sed iidem Arabes Gandaron ac Sandaracham, Vernicem vocant, & exponunt esse gummi arboris Iuniperi, simile Carabe. Quare diligenter observandum est his, qui illos sequuntur, ne pro salutari medicamento, Sandaracham Græcorum perniciosum Pharmicum agnoscant. Deinde ex Verniec Iuniperi lachryma, etiam factitiam Vernicem cum Lini seminis oleo fieri dicunt, & sic Succinum cum Iuniperi lachryma confundunt. Nam de Succino intelligendum est, ex quo Vernix paratur, cum oleo seminis Lini.

Vernix cum Lini semine, & Succino.
Carabe unde dictum.
Gandarum. Sandaracha. Vernix.
Arabes confundunt. Succinum cum Iuniperi lachryma.

Sed quoniam Averroës tradit Ambram, id est, Succinum, esse Camphoræ speciem, unde eam fossilem indicare videtur, dicamus (loquitur Cæsalpinus) & de *Succino*, quod *Electrum* vocat Dioscorides, ex lachrymis Populi condensatum, ut narrant, sequutus fabulam Phaëthontis, eius sorores in Populum versas iuxta Padum, lachrymas autem in Electrum: vocari & Pterigophoron, quia pennas trahat: Eius varia apud antiquos historia, sed Plinius lachrymam esse arboris in genere Pinorum densatam testatur. Authores Germani nihil certi de eius origine habent: solùm enim Sacerdotem quendam testari visam à se lachrymam è scopulis fluentem in mare, unde putant rem fossilem esse ex genere Bituminis. In hac sententia & Theophrastus, & Philemon fuêre. Alij quidam iuxta mare Atlanticum esse lacum Cephisidam, qui Sole excalefactus è limo det Electrum fluitans, & Cratim amnem in Sicione è lacu in Oceanum effluentem eadem ratione Succinum ferre: ideò fuêre, qui sudorem terræ pinguem appellaverunt à Sole excitatum, qui densatus, & undis Oceani raptus feratur ad littora Germanorum. In eadem sententia est Albertus & Evax, qui sub Gagatis nomine de Succino agunt. An & trahi humorem huiusmodi pinguem in arbores quasdam non mirum unde fluēs lachryma? Succi-

Ambra. Succinum. Camphora. Electrum.
Pterigophorum.
Pinus.
Electrum.
Succinum. Sudor terræ pinguis.
Gagates.

Succinum (inquit Guil. Gilb. de Magnete) Græci vocant ἥλεκτρον, quia ad se paleas trahit, attritu calefactum, inde ἅρπαξ dicitur, & χρυσοφόρον, ab aureo colore. Mauri verò Carabem appellant, quia solebant in sacrificiis, & Deorum cultu ipsum libare. *Carab* enim significat offerre Arabicè: ita *Carabe*, res oblata. Non rapiens paleas, ut Scaliger ex Ababali citat ex lingua Arabica, vel Persica. *Ambram* etiam nonnulli appellant, præsertim *Succinum Indicum & Aethiopicum. Succinum* quasi succum, Sudavienses seu Sudini Gevites appellant, quasi genitum terra. Explosis Veterum erroribus de natura, eiúsque origine, constat Succinum maxima ex parte ex mari provenire. Colligunt rustici in Sudinis Prussiæ, etiam in Britanniæ nostræ littore aliquando reperitur. Non solùm Succinum & Gagates (ut illi putant) allectant corpuscula, sed & Adamas, Sapphirus, Carbunculus, Iris, gemma. Alliciunt hæc omnia non festucas modò, & paleas, sed metalla omnia, ligna, folia, lapides, terras, aquam ipsam, & oleum: omniáque, quæ sensibus nostris subiiciuntur, aut solida sunt: quanquam scribant non attrahere *Succinum* (nisi paleas & ramenta quædam) quare falsò Alexander Aphrodisæus dicit de Succino, quòd tantùm siccas attrahat paleas, & non folia Ocymi, Succinum non calore allicit, ut Cardanus & Pictorius existimant; nec à singulari aliqua proprietate substantiæ, aut familiaritate. Succinum in maiori mole positum si fuerit, allicit: in minori & impuriori sine frictione non videtur allicere. Quæri potest cur Succinum aquam alliceret, cùm aqua in superficie posita, actionem tollit: scilicet, quia aliud est in exortu ipso supprimere, aliud emissum restinguere. Ita & Sericum ratum, tenuissimúmque, citò supra Succinum, postquam fricatum fuerit, impositum, attractionem corporis impedit: at si in mediis intervallis impositum fuerit, non penitùs obstat. Humor etiam in vapido aëre, & omnis ab ore afflatus, tum aqua imposita vires restinguit illicò. At oleum, quod leve plerúmque est non impedit: nam etsi calido digito oleo imbuto Succinum affricetur, tamen trahit. At Succinum si illud à frictione perfusum fuerit aquâ vitæ, non allicit.

Harpax. Chrysophorum. Carabe unde dicta. Scalig. notatur. Locus. Alexand. Aphrodisæus notatur. Cardan. noc. Quæstio.

Hadrian. Iunium adeamus, qui in nomenclatura sua Succinum inter lapides connumerat, dicens: Plinio lachryma, vel resina arborum odoratarum, Pini & Pinastri præsertim, cui rei indicio est odor similis cùm accenditur, atteritúrque. *Electrum* Ovidius, *Glessum* veteres dixêre à translucida vitri in modum specie. ἤλεκτρον, χρυσοφόρον, πτερυγοφόρον & ἅρπαξ Plinio, quòd folia, paleas, plumásque ad se rapiat, attritu concepta caloris vi. Dicitur & λυγγύριον. Lyncurium, ut vult Strabo lib. 4. velut è lyncis lotio natum, quòd aggesta terra obruit animal, quasi humano id usui invideat, in quo Theophrastus dissentire videtur, qui Lyncurium trahere ad modum Electri, non paleas modò, sed bracteas etiam metalli, scribit in lib. de lapid. ita ut inter ea discrimen manifestū ponat: quin & Electrum lapidem esse in Liguria fossilem idem ait, sed quàm verè nescio. Vocatur & δάκρυον ἡλιάδων apud Poetas, quasi lachrymæ Solis filiarum, quas exstillarint in morte Phaetontis fratris. *Carabe* Officinis vocatur. Succini genus primum (quod fœminæ differentiæ insignit Theophrastus) flavius est, & pellucidius, quod *Glessum & Glastum* Germani dixerunt, hodie Agstein, illis vocatur, & Bornstein. Belg. Amber/ oft Amber / Gal. *Ambre*, Ital. *Ambra gialla*, *Ambra citrona*, Hisp. *Esclarimente, Ambar.* Alterum genus album, & obscurum, quod spunum & bastardum vocitant Germani.

Nomina. Electrum. Glessum. Chrysophorum. Pterygophorum. Harpax. Lyncurium. Theophr. taxatur. Lachryma filiarum. Solis. Carabe. Genera Theoph.

Gagates Plin. vel Gangitis, lapis odore gravis, qui ustus sulphureum Plinio, vel bituminosum odorem Orpheo & Dioscoridi vomit. γαγάτης, ἐλγαγίτις πέτρα Nicand. Alem. Gagatstein / Agetstein / Bornstein / Bernstein / Belg. Aghet / Gal. *Agathe* Hisp. *Azavaic.* Thracius lapis, Gagatidis species est apud Nicandrum, quem aqua accendit, oleum restinguit; nigri coloris. Θρῄκιος λίθος, Alem. Schwartzer Aghetstein / oder Birnstein. Belg. Schwart Aghet. Locum & tempus hactenus dicta per spicuum faciunt.

Gagates.

Vlcera glutinat, mollit, suffitu, olfactúque, vulvæ strangulatione correptis mulieribus succurrit. Comitiales prunis impositum deprehendit, & deprehensos rursum restituit. Menses cit, venenis adversatur. Concretum in thorace sanguinem discutit & resolvit: dysenteriâ laborantibus succurrit. Tusses, & à capite in subiectas partes destillationes, suffitu sistit: dentium dolores mulcet. Omnes denique facultates nostri in Succino celebrant, quas veteres bituminis speciebus adscripserunt, prætérque has aliæ etiam *Succino* tribuuntur, quas consultò præterimus (inquit Cord.) quoniam eas Veteres non nomitim recensuerunt, sed in genere indicaverunt. Quod enim fictos calculos excernit, & Ictericis medetur, *Succinum*, ex incidendi, attenuandi, abstergendi, aperiendi, & discutiendi facultatibus procedit: quas Bitumini authores assignant. Hoc præterea, clavorum capita, ac alia ferramenta in nigrum colorem tingebantur, in quem usum multi nostrorum ubi abundat, *Succinum* recipiunt. Expetuntur etiam lucernarum luminibus, ut Bitumen, ramenta eius. Rapax admodum est ignium. Vtuntur Medici ad omnes fluxiones sistendas, seu sanguinis, seu humorum: ad vomitus compescendos, & destillationes: potu, & suffitu aerem pestilentem fugat. Pastilli ex hoc olim fiebant pro sistēda sanguinis fluxione apud Græcos, quos Arabes sub nomine *Caraber* pro eodem effectu construunt, & in officinis hodiernis repositi habentur. Valet autem flavum Electrum ad multa, nam pueris pro amuleto contra fascinationes appenditur, contra dysuriam quoque bibitur. Album verò cum aqua stillata è Raphano Nephritim curat ebibitum, nec minùs cordis tremori, & orthopnϾ prodest: nam inspersum rhagadibus, dolorem & pruritum præsenti auxilio mitigare traditur.

Vires & usus. Vlcera, Vulva. Comitiales. Menses. Venena. Dysenteria. Tusses. Dentium dolor. Calculus. Icterus. Hæmorrhagia. Vomitus. Pastilli. Caraber. Fascinationes. Dysuria. Nephritis. Orthopnæa. Rhagades.

Non sat erit attulisse vires atque facultates ipsius *Succini*, de oleo etiam agendum, in quo multò efficaciores: nam quicquid efficaciæ & virium inest, quinque, sex, vel septem Succini libris, in unam libram facilè redigi potest: unde superat suâ facultate omnes Aquas vitæ, omne aurum potabile, hæc Evonymus Gesn. ubi alia multa circa præparationem, & circa vasa ad Olei extractionē traduntur, quæ nolumus recensere brevitati studentes: verùm ea, quæ Tyrocinium chymicum habet, his verbis accipe: Dígere lbj. Succini triti, in vini albi lbj. Tum adde manipulum salis præparati: destilla per retortam: servatis ignis gradibus. Rectificatur bis destillando, cum sale tantùm. Sacrum hoc Oleum olim appellatum fuit, ob vires eius eximias, quas cùm per se, tum cum aliis mixtum, præstat: in Epilepsia, Apoplexia, Melancholia spasmo, vertigine, peste, calculo, frigidis capitis defluxionibus, animi deliquiis, ictero, difficultate respirandi, dysuriis, uteri stran-

Oleum. Oleum sacrum. Morbi quibus ad conducit.

gulationibus, mensium retentionibus, fluore matricis albo, vermibus, & febribus.

CAPHVRA QVAE SALICIS FOLIO DICITVR.

Cap. LIV.

Descriptio IN panes fusiles ingentes coacta importatur, pellucidos & candidos totos, fractiúj Nitri instar, qui pulsu etiam tinnitum edunt argutum, substantia pinguiuscula, & quæ facilè flammam concipiat, quam in mediis etiam aquis inextinguibilem pertinaciter retinet, sub dentibus lentescens, & exigua portione totum os veluti inflammans, odore vehementi.

Serapioni Kafur, seu *Camfora* gummi est arboris in Indię montanis nascentis, teneræ, subnigræ. Proventus eius uberioris præsagium est, ex crebro tonitru, fulgetro, & terræ motu. Eius species una, *Camfora le Panzor* ab insulis Panzor. Prima tamen laus *Camphoræ Ribach*, quæ sponte sua ex arbore fluxit, colore rubeo, quæ sublimatione dealbatur, nomen adepta à Rege *Ribach*, qui primus ibi regnavit. Proxima bonitate est, quæ *Fausen* dicitur. deinde *Carsab* nominata.

Camfora de Panzor. Ribach. 1 2 *Fausen.* 3 *Carsab*

Avicennæ species Camphoræ sunt, *Alkansuri* & *Ariagie*, deinde *Alzeid* & *Alesfok*: & est alba, quæ permixta ligno suo, quidam dixerunt arborem magnam, sub cuius umbra morentur plurima animalia, ut *Alvemus*, seu *Alvemer* [*Lupos Cervarios* interpretatur Bellunensis] certo anni tempore. Lignum sæpius vidi album, fragile, leve, cum vestigiis Camphoræ in rimis.

Alkansuri Ariagie Alzeid Alesfok.

Adulteriũ. Caphuram Mistiche, ardenti aqua, Zedoariáque adulterari scribit Matthiolus, ac esse gummi arboris cuiusdam in India nascentis, tanta magnitudine, ut sub eius umbra hominum centuriæ recondi possint. Fuchsium quidem putare Caphuram esse Bituminis Indici genus. Sed dissentire ab eo opinionem suam: quandoquidem nec Serapionis, nec aliorum quorumcunque hanc fuisse sententiam existimet. Præterea oscitanter nimium de hac scripsisse Platearium: quippe qui Caphuram gummi arboris esse inficietur: Dioscoridis & complurium testimonio ex succo cuiusdam herbæ fieri tradens. Quod profectò falsum sit, cùm nullibi Caphuræ meminerit Dioscorides. Eam autem esse Gummi, non solùm Avicennę & Serapionis testimonio probari, sed & Lusitanorum, qui nostro ævo per Meridiem ad Calicut Orientalis Indiæ emporium navigant. Arabibus *Kaphor*, seu *Cafur*, recentioribus Græcis καφουρά. Lat. *Caphura*. Ital. *Caphora*. Germ. *Champfer*. Boh. *Kaffe*.

Mira magnitudo. Fuchs nota. Bitumen. Platearij error. Kaphor. Cafur.

Probatio. Legitimæ autem Caphoræ probationem hanc tradit. In calido pane è furno recentissimè sublato, bipartitóque manibus scisso, Caphura ponatur. Quod si humore madeat, sinceræ est argumentum: sin contra perarescat, spuriæ ac factitiæ signum. Cæterùm nisi diligenter asservetur, ex operculatis etiam capsulis nonnunquam evanescit: itaque sæpè deijciuntur Seplasiarij. *Conservatio.* Asservatur tamen securè vase marmoreo, aut Alabastrino, Lini & Psillij semine sepulta. Nec desunt, qui eam Pipere fœliciùs asservari putent, quod nec planè comprobandum videtur. *Purgatio.* Venetias Camphoram omnem rudem important, ibique igne & arte vitreis organis, sic ut candescat & pelluceat, elaboratur.

Alcamphor. Lacune Alcamphor, dicitur Latinis *Caphura*, antiquis Græcis incognitum gummi, provenit in magna arbore Indiæ.

Caphur Cafur. Garcię de arom. Caphur & Cafur omnibus Arabibus. Caphurę nec Galenus, nec quisquam veterum Gręcorum meminit pręter Aëtium, tametsi Serapionis vulgata exemplaria, Dioscoridis authoritatem citent, falsò enim id illis accessit. *Diosc. falsò citatur à Serapione.* Est autem duorum generum, *de Burnes*, & *qua ex China advehitur*. *Caphura duplex genus de Burneo. 1.* Caphura *de Burneo* nunquam vsque ad nostras regiones penetravit, saltem, cùm isthic essem, videre non contigit: nec id mirum, quandoquidem huius libra tanti emitur, quanti centenæ libræ eius, *qua ex China* adfertur, quæ secundum genus est, eáque in Europam defertur, in panes orbiculares coacta quinque digitorum diametri. *2 Caphura ex China.* Et quoniam ita coacta est, compositum medicamentum videtur, non simplex. Ea *Caphura de Burnes*, quæ magnitudine est Milij, aut paulò maior, maximi ex parte vilior est. *Caphura de Burneo genera 4. Caput. Pectus. Crura. Pedes. Pretium.* Constituunt enim *Gentiles*, & *Bancanes*, & *Arabes*, qui eam emunt, eius genera quatuor. Namque dividunt in caput, in pectus, in crura, & in pedes. Eius, quæ ex capite est, libra, pendit *pardans* octoginta [est verò *pardan* monetæ aureæ apud Indos genus, quod conficit decem *regales Castellanos*] quæ ex pectore aureis viginti: quæ ex cruribus, duodecim: quæ ex pedibus, quatuor, aut ad summum quinque. Curiosiores nonnulli, quatuor instrumenta cuprea sumunt inæqualibus foraminibus pertusa [qualia, qui uniones vendunt, habere solent] ac per ea Caphoram transmittũt. Ea quę per instrumentum maiuscula foramina continens, transmissa est, certum habet pretium: quę per instrumentum minoribus foraminibus pertusum transmissa est, aliud etiam pendit pretium. In ea verò discernenda, adeò sunt experti *Baneanes* isti, ut Caphuram Caphurę permixtam dextrè distinguere norint, pretiúmque iustum imponere. nec facilè inveniatur, qui eos fallere possit. *Locus.* Multa nascitur hæc Caphura in Burneo, Bairros, Samatra, & Pacen. Nomina autem locorum, in quibus Serapio & Avicenna nasci tradunt, magna ex parte sunt corrupta. Nam quam Serapio lib. simpl. cap. 144. de Panfor vocat, est de Pacen in Samatra insula: *De Panfor.* quam Avicenna lib. 2. cap. 134. Alçuz appellat, de Sonda esse potest, quæ insula est Malacæ vicina: *De Alfuz.* quam verò Serapio ex regione Calca advehi tradit, corruptum est vocabulum, debebatque è Malacca dicere, quandoquidem in Bairros, loco Malacæ vicino, nascitur. *De Calca.*

Monendum ex Clusio, quod postremæ editionis exemplaria non meminerint *Alsuz*, sed *Alkansuri* duntaxat, & *Ariagie*, deinde *Alczeid* & *Alesfek*.

Est autem Caphura [pergit Garcias] gummi, non medulla, aut cor, ut Avicenna loco suprà citato, & alij quidam putarunt, quod in meditullium ligni cadens deinde extrahitur, aut per rimas exudat. *Gummi, non medulla, aut cor. Avicennæ error.* Id vidi in mensa ex Caphuræ arbore constructa apud Pharmacopolam quendam, deinde in ligno quodam femoris crassitie donato Gubernatori Domino Ioanni de Crasto, denique in tabella palmum lata apud quendam mercatorem. *Mensa ex Caphura.* Non tamen negaverim, quininterdum in arboris concavum decidat. Principio verò exudat admodum candida sine fordentibus, aut nigricantibus maculis: non autem organis educitur, veluti quidam scripserint, neque ad candorem, conciliandum decoquitur, ut falsò Avicennæ & Serapioni persuasum est. *Avic. & Serap. error.* Pro certo mihi relatum est, solere quemlibet prodire huius colligendæ gratia, quâ ubi cucurbitam impleverit, si quis validior hunc cum cucurbita viderit, illicò eum impu-

impunè posse occidere & cucurbitam auferre, fortuna nimirum id illis [ut aiunt] elargiente. Quæ ex Burneo adfertur, plerumque admista habet minutissima lapidum fragmenta, aut gummi quoddam *Chanderros* illis vocatum, Succino crudo persimile, aut ligni cuiusdam scobem. Sed facilè maleficiū deprehenditur. Nullam præter hāc adulterandi rationem novi. Nam si interdum rubentibus, aut nigricantibus maculis conspersa videtur: id vitium ex sordidarum & impurarum manuum contrectatione, aut ex madore contrahi affirmant. Sed facilè à *Bancanibus* id vitium emendatur: Siquidem in panno lineo colligatam, in calidam aquam clàm demittunt, addito sapone & Limonum succo, deinde probè elotam in umbra siccant: sic multò candidior redditur, pondere multùm imminuto. Id ab amico quodam Baneane fieri vidi, qui hoc arcanum mihi credidit.

Caphura adulteriū. Chāderros gummi. Ligni scobs. Modus dealbandi Caphoram.

Vtriusque generis meminisse videtur Serapio, loco suprà citato: sed obscurè admodum, cùm ait maiorem quantitatem esse de *Hariz*, minorem tamen esse, quàm quæ à *Sin* adfertur. Quod sic intelligendum puto, maiorem quantitatem ex *Chinceo* adferri, maiorique formâ esse, quàm quæ ex *Burneo* advehitur: quandoquidem eius quantitas drachma maior non invenitur: panes verò, sive orbiculi ex *Chinceo* allati quatuor sunt unciarum aut ampliores. A viris fide dignis mihi relatum est, arborem esse Nuci Iuglandi similem, foliis tamen candicantibus, Salignis similibus, fructum, verò aut florem haudquaquam se vidisse, fieri tamen posse, ut utrumque ferat. Illud autem certò scio, materiam esse cineréi coloris, faginæ ferè similem, interdum nigriorem, nec eam quidē levem, aut fungosam, ut retulit Avicenna (nisi fortè ætate iam caducam & emortuam viderit) sed mediocriter solidam. Addunt plerique vastam & præaltam esse arborem, latissimè sese fundentem, & aspectu perpulchram.

Duo genera Serapionis & interpretatio. Arbor foliis salignis. Avicenna error.

Fabulosum est, quod ad eius umbram omne animantium genus confugere aiunt, ut ferociora animalia evitent. Nec minùs fabulosum, quod quidā, Serapionem secuti, scribunt, huius largioris proventus augurium esse, cùm frequentibus fulgetris cœlum coruscat, aut crebro tonitru perstrepit. Nam cùm Insula Samatra [quam nonnulli Taprobanam putant] & circumiacentia loca Lineæ æquinoctiali vicina sint: multis tonitrubus subiecta sint necesse est, eàmque ob causam singulis diebus imbres aut leves pluvias habent. Singulis itaque annis Caphura abundare debebat. Ex quibus perspicuum est, tonitru largioris Caphuræ proventûs causam, aut indicium non esse. Nonnullis *Caphura de China*, composita videtur, ex eius parte, quæ ex *Burneo* advehitur. Affirmarunt præterea mihi, panes illos orbiculares, qui ex Chinâ advehuntur, compositos esse, quoniam Caphura de Burneo in Chinceo deferatur, ideò incolis expetita, ut eam alteri viliori permisceant. Cui opinioni suffragātur Baneanes de Cambaya, qui pro arcano dicunt, deficiente *Caphurâ de Burneo*, solêre se eius exiguam quantitatem cum multa Chinensi commiscere, eámque falsò de Burneo nuncupare. Addunt item isti Baneanes, *Chinensem Chaphuram* compositum esse medicamentum, quod temporis lapsu evaporet, & corrumpatur, *Caphuram* verò *de Burneo* minimè.

Fabula de umbra. Fabula de tonitru. Panes orbiculares cōpositi. Caphura Chinensis Compositū medicamē.

Mihi sanè compositum medicamentum non videtur, tametsi Manard. in comp. Mes. dist. 8. contra sentire videatur. Sin verò sit, ex duobus Caphuræ generibus conflari necesse est. Nan tametsi evaporet, non est tamen admodum corruptioni obnoxia: quod indicium est, minimè compositam, aut factitiam esse, quandoquidem cōposita longè faciliùs corrumpi soleant. Si enim Rhabarbarum vix quadrimestre illud, quo in hac regione pluit, ferre potest, multùm sanè est Chinensem Caphuram incorruptam hîc in India manere.

Contra Manard.

Avenrois 5. Coll. cap. 56. aliud *Caphura* genus facit, longè à superioribus diversum, scribitque *Ambarum*, eius *Caphura* genus esse. Cùm autem eius opinionem cap. de Ambaro satis abundè confutaverimus, plura de his agere supervacaneum esse iudico.

Caphura Avenrois. Ambarum.

Scribit Andreas Bellunensis in suo Dictionario secundum Arabes, *aquàm Caphuratam* ex arbore Caphuræ stillare, eàmque cum arbore calidam esse tertio ordine. De hac aqua à multis cùm Medicis, tum mercatoribus sciscitatus sum, neminem tamen invenire licuit, qui eam se vidisse assereret. Quare facilè adducor, ut credam Bellunensem cùm in hac aqua describenda, tum in eius temperamento, lapsum esse.

Aqua Caphurata. Bellunens. repreh.

Scribūt *Ruellius* lib. 1. cap. 21. & hunc per omnia secutus *Matthiolus* in lib. 1. Diosc. cap. 75. uterque verò ex Serapione, hanc *Caphuram* cæteris bonitate præstare, quæ à Rege quodam *Rihah* (qui primus dealbandæ Caphuræ ratiōē adinvenit) *Riahina* sit denominata. Ego verò, ut id credam, adduci non possum, quandoquidem Indiæ Reges potentiores sunt, quàm ut tali mangonio operam dare opus habeant. Hactenus Garcias.

Ruell. & Matth. reprehenduntur.

Nos verò considerandum proponimus, an M. *Fumee* in hist. gener. Indiæ occid. lib. 3. capit. 95. *Copei* in Beroly Insula arbor ferens Camphoram, ab arbore Papyracea *Copei* differens, vel eadem sit, cum Caphura arbore, quæ à Garcia folio Salicis exhibetur.

Copei.

Port. Hist. Gal. l. 13. part. 8. Omnes Insulæ Molucenses producunt *Camphoram*, gummi stillans, Insulanis dictam *Capar*. Arbor pulchra, frōdosa, proveniens in montibus mari vicinis, ligno levi, ramis tenuibus: Camphoræ autem quatuor species: una inter ligni fibras, similes squamis parvis alicuius metalli: altera extra corticem resinæ instar, Gummi modo adhærens, notata parvis maculis rubris, postea omnino albescit, melior & purior præcedenti. Tertia, nigrior, minoris pretij. Quarta, vilissima, quia sordida ligni fragmentis, quibus adhæret, magnitudine Amygdalæ, aut Fabæ.

Gummi. Capar. Lignum. Camphora 4 species. 1. 2. 3. 4.

Linschot. Camphor, aliàs *Cafur* appellatum reperitur in *Bantam* Indiæ Orientalis, ad quem locum ex *Baros* advehitur, in forma placentarum parvarum, coloris albi: Asportatur etiam ex *Borneo, Bandarmachen*, & *Laue*, magnitudine seminis Milii, aut ad summum ovorum formicarum. quod cæteris bonitate præstat. Chinenses in dictis locis copiosè emunt, & in Chinam vehitur. Emitur autem ponderis quodam genere, ipsis Cate dicto.

Campher. Locus. Placenta. Milij magnitudine.

In genere [Populi] videntur esse arbores, quæ *Camphoram* ferunt (ait Cæsalp. in India Orientali: nam & nostris bituminosus quidam liquor nascitur, quem in Electrum densari, Dioscorides testatus est: & Plinius de Betula bitumen in Gallia excoqui scripsit. Videtur autem Camphora è genere Bituminis esse, quoniam rapacissimè ignem excipit, & ardet in aqua substantia gummi similis, candidissima & translucida: odore valido, non ingrato, facillimè euanescit in auram, nisi in loco frigido & concluso servetur. Arabes Caphur vocant, & recentiores Græci *Caphoram*.

Populi genus. Electrum. Camphora, Descrip.

Recensitis hactenus diversis diversorum authorum opinionibus, restat ut dicamus, quid Hist. Lugd. sentiat. *Caphor*, inquit, seu *Cafur*, recentioribus Græcis καφουρά, ut etiam Latinis, Gallis, *Camphre*: de hac (nostro adstipulante iudicio) certiùs Garcias, quàm Avicennas iudicat.

Temperamentum. Vires. Cephalalgia. Venus. Facultates primus exposuit Serapio, scribens: Camphora frigida est, & sicca in tertio gradu, confert calefactis, & cephalalgiæ calidæ naribus obiecta, per se, aut cum aqua rosacea, aut Santalis, odore quoque furores venereos coercet, maior vis potæ: momentum eius commistum ventrem stringentibus in Cholera morbo, eorum vim auget: Camforæ usus canos accelerat. *Cerebrum. Somnus. Hæmorrhagia.* Errhinum ex duobus eius granis cum aqua Lactucæ, calidam cerebri intemperiem contemperat, ac somnum conciliat, narium hæmorrhagiam sistit, trita ex Omphacio: undecunque manantem sanguinem cohibet: nimius Camphoræ usus *Vigiliæ. Morbi frigidi.* vigilias facit, potu sumpta renes refrigerat & vesicam: morbos frigidos, in frigidis potissimùm partibus generat. Credidère igitur Serapio & Avicenna, Camphoram tertio abscessu & siccare, *Non frigida.* & refrigerare: quæ tamen, cùm vehementer ardeat ac etiam in aquam proiecta conflagret, & sit perquam odore odorata, & adeò tenuium partium, ut sæpè per se in auram evanescat, illis reclamat Matth. Quo fit, ut quis suspicari possit, *Suspicio de legitima Camphora.* aut legitimam Camphoram ad nos non advehi, aut hoc loco Arabum monumenta (ut in aliis quamplurimis) esse vitiata. Circumlitionibus im- *Cutis. Inflammationes. Erysipelas. Gonorrhœa.* ponitur ad cutis nitorem conciliandum, & ad arcendas tam vulnerum, quàm ulcerum inflammationes, Erysipelata extinguit, & adversus gonorrhœam, & albas vulvæ fluxiones efficax est, cum Succino, & aqua Nymphææ hausta. Idem præstat pubi, seu imo ventri, testibus, renibúsque illita: quæ tamen antea Psyllij seminis spissamento, aut Omphacio, aut Solani succo probè sit *Hæmorrhagia.* macerata. Sanguinem è naribus profluentem sistit, aut cum Vitteç semine immissa, aut ex maioris Sedi & Plantaginis succo fronti circumlita. Collyriū ad calidas oculorū lippitudines utiliter imponitur. Renibus ac testibus illita Venerē extinguit, corpora à putredine præservat: proinde commodè *Venena. Pestis.* antidotis miscetur, quæ contra venena, venenosorum animalium ictum, & pestilentes affectus conficiuntur. Novi, qui hac Antidoto à peste immunes se præstiterunt. ℞. Camph. drach. j. Zedoariæ in pulv. redactæ unc. sem. sacculo lineo excepta in canthаro vini suspendunt. Cuius vini bibitur quotidie manè haustus unus calidus. Varignana multum tribuit Camphoræ in calidis pestiferis febribus, Eius gr. 3. aut 4. cum Syrupis quotidianis exhibens: putredinem enim arcet, harum febrium causam. Possent quoque Camphoræ grana duo ex Syrupi de Papavere unc. j. sem. Aqu. Lactuc. unc. iij. somni tempore propinari. *Dissolvendi ratio.* Dissolvitur Camphora guttâ vini ardentis, aut Amygdalis. Camphoræ granum unum aut alterum ex vini ardentis gutta dissolute, aquę Cardui benedicti, Tormentillæ, vel Portulacæ cochlearia *Lumbrici.* tria, miscentur, lumbricos puerorum bibita potenter pellunt. ℞. Tormentill. Bistortę, ana. drach. ij. Cinamomi, Galang. Caryophyll. ana. drachm. sem. in pulverem redacta in vino veteri decoquantur: Vino colato affunde Camphoræ drach. sem. De hoc vino aliquot dies manè haustus calidus, sanguinis fluorem qualemcumque tam mulierum, quàm virorum sistit. Acetum, in quo dis- *Dolor dentium.* coxerit Camphora, calidum ore retentum, facit ad dentium dolores. Rhasis Camphoram æstimat odore frigidam & frigidæ temperaturæ, Sed ego Leon. Iacchinus puto Veteres, de alio succo, vel gummi loquutos, quàm nos modò habeamus: quocunque enim modo examines, calidam invenies. Nihil est æquè ignibile, unde inextinguibilem ferè ignis materiam ad bellum parant. Sed & Rondeletius in Pharmacop. in Elect. de succo Rosarum, Caphuram calidam esse & tenuium partium asserit: quæ, si pura sit, species sit Aspalathi: si spuria, sublimatio Mastiches. Ca- *Aspalathi species. Ex El. rosato tollenda Caphura.* phuram præterea ex Electuario de succo Rosarum expungendam censet, quia nimis tenuium sit partium, & calefaciat potius, quàm refrigeret, quod inutile sit ad bilem: ingrato enim odore suo Caphura hîc non convenit, Tenuitas verò partium in medicamentis solventibus est fugienda. Nam deducit ad cor, & per abditissimas ventriculi partes purgans medicamentum, quod est ex genere venenosorum. Caphuram tandem frigidam esse docet Garcias Arom. hist. lib. 1. cap. 9. *Temperamentum.* hæc scribens. Rhases de re med. lib. 3. cap. 22. eam frigidam & humidam, Avicenna verò, quem plerique sequuntur, lib. 2. cap. 134. frigidam & siccam tertio ordine constituit. Ego autem in ea aliquando opinione cum multis recentioribus fui, Caphuram calidam esse, ob illum odorem & partium tenuitatem, quibus prædita est. Sed postea- *Garcia refrigerat.* quam experimento didici Ophthalmus & oculorum inflammationibus, tum etiam ambustis impositam, nivis frigiditatem retulisse, illicò sententiam mutavi. Adde, quòd omnes, apud quos nascitur, frigidam asserunt. Neque verò huic sententiæ repugnat quòd odorata sit, quandoquidem ob partium tenuitatem facilè evaporat & exhalat, qui in superficie est odor, contrà quàm in Santalo & Rosa, quæ ob suam adstrictionem odorem in se retinent. Refert Avicenna vigilias *An somnū conciliet.* excitare Caphuram. Quî fieri autem id potest, quandoquidem ipsius testimonio frigida est, soleantque frigida somnum conciliare? Somnum quidem inducit foris, aut intus exigua quantitate usurpata. Si quis verò sæpiùs odoretur, & naribus adhibeat, cerebrum exsiccat, & vigilias creat. Magnus eius usus est his regionibus, cùm multis *In cibis.* in rebus, tum etiam in cibis.

Nullus equidem nobis facilè persuadebit vulgarem Camphoram refrigerare, nisi per accidens, sua tenuitate: si námque iungatur frigidis, ea ad profundiora loca deducet, hácque ratione, non quidem per se, sed frigida deducendo, refrigerabit. *Matthiolus.* Miramur autem Matthiolum, credentem calidam esse Camphoram, commendare in multis morbis calidis, ut ad vulnerum, & ulcerum inflammationes, erysipelata, fluorem sanguinis, ac ad calidas oculorum lippitudines, in quibus affectibus nolimus uti, quicquid dicat Garcias.

Finem huic historiæ Cæsalpinus imponat, dicens: dimisso sensu rationem quærunt, qui contendunt Camphoram non esse arboris lachrymam, sed rem fossilem inter genera Bituminis, ut Naphtha, neque temperamenti frigidi & sicci, refragrante scilicet odoris vehementiâ, & mirâ familiaritate cum igne, sed calidi & sicci, nam etiam eius nimius usus vigilias facit, teste Serapione & Avicenna. At quid prohibet sub exhalatione tenuissima, quæ calida & sicca est, latère frigidam substantiam: quæ extincta exhalationis flammula ob tenuitatem minimè urentem agat, & penitiùs, quò profundiùs ob tenuitatem exhalationis penetraverit? vigilias autem nimio usu efficere non est absurdum, ut in senectute. Philoso- *Cæsalpinus.* phi sanè considerationem non excludit, quomodo

Digitized by Google

do exhalatio tenuissima calida & sicca sub frigida lateat substantia.

CAPVRA RESINA.

Cap. LV.

GENVS quoddam resinæ prodidit Qualcebenus ad Matthiolum, quod Constantinopoli à Persâ mercatore *Capura viva* est cognominatum. Venerem in primis stimulare contraria virtute ab Arabibus attributâ Caphuræ, idem mercator referebat. Odor certè, sapórque, non mediocrem caliditatem possidère tantùm testantur. Hanc, Matthiolus ait, *vivam Caphuram* plurimi facio. Cogitabo posthac, an legitima sit Stacte, nam adeò odore placet, ut credam non obscuræ facultatis esse medicamentum.

Capura viva. Ad Generrhaam. Caphura viva. Stacte.

STYRAX ARBOR ET LACHRYMA.

Cap. LVI.

Descrip. Caudex. Cortex folium.

STYRAX arbor Malo Cotoneo, simili caudice, candidiori cortice Cæsalpin. folio etiam est Mali Cydoniæ minore, subrotundo, vel in obtusum mucronem desinente, subtus canâ lanugine pubescente, superiùs glabro & viridi: Flores fert in novellis surculis Arantii cãdidos, plures & simul iunctos, pluribus foliolis constantes, odoratos. Fructum magnitudine Avellanæ æqualem, incanum, callo fusco, amaricante, qui in duas, tres, quatuórve carinas dehiscens, exhibet lignosum officulum buxei coloris, nucleum claudens aliquando unicum, quatuor lineis sulcatum, aliquando geminum, angulosum, interdum & ternum. Medulla, Cæsalpino autore, insuavis interna.

Flos. Fructus.

Cordus fructum ut reperitur, cum Styrace sic describit: Nux Styracina globosæ figuræ fructus est, mediocris Avellanæ magnitudine, duplici cortice, nucleóque constans: exterior cortex carnosâ substantiâ, & in viridi cæsio colore, supremum Amygdalæ putamen refert, is in maturitate tribus rimis in tres partes dehiscit: alterum lignosum, durum, flavum, aut subrussum corticem ostendens, quo contineatur nucleus pinguis, oleosus, gustu acris, odoratus & resinosæ Styracis qualitatibus respondens, sed multò acrior, & fauces scarificans.

Describitur fructus à Cordo. Nux Magnitudo. Cortex exterior.

De Styrace arbore, eiúsque Lachrymâ apud Theophrastum, quod equidem sciamus, nihil habetur. Est autem hæc arbor, Dioscoride & Plinio testibus, Malo Cotoneo similis. Huic Serapio fructum tribuit candidum, Avellanâ maiorē, Pruni albi similem, duplici cortice.

Arbor qualis Diosc. & Plinio.

Sed liceat hîc de eius resina ex Veterum sententiis quædam annotare, cùm præsertim diversa authorum dicta, controversiam parere videantur.

Dioscor. duplicem tradit, dicens: Præstat autem, qui flavus est, & pinguis, ac resinosus, & qui grumos habet subalbicantes, & qui quàm diutissimè in odoris gratia perseverat, & dum mollitur, melleam quandam humiditatem remittit. Talis autem est Catabalites [Marcellus dicit potiùs legendum Gabalitem, ut habet Plin. & Oribas.] & Pissidiacus & Cilicius. Vilis est niger & friabilis, ac furfuri similis. Invenitur etiam lachryma gummi similis, pellucida, Myrrham odore referens. Sed hæc pauca gignitur. Adulterant ipsum admixta arboris scobe, quæ à vermiculis eroditur, & melle ac Irini unguenti fęce, & quibusdam aliis. Quidam ceram, aut adipem aromatis imbutum, in ferventissimo Sole vnà cum Styrace molliunt, & per colum amplis foraminibus præditum, in aquam frigidam exprimunt, & vermiculos effingũnt, ac vendunt, vermicularem Styracem appellantes: Talem verò imperiti, velut syncerum probant, non considerantes odoris vigorem. Acris enim est, qui adulteratus non est.

Delectus. Styrax Catabalites. Pissidiacus Cilicius Niger. Styrax similis gummi, Myrrha odor. Adulteriũ. Styrax Vermicularis.

Plinius cap. 25. lib. 12. primam tantùm describens, non discessit à Dioscoride, sic enim habet: Proxima Iudææ Syria Phœnicen Styracem gignit, circa Gabala & Marathinta, & Casium Seleuciæ montem. Arbor est eodem nomine, Cotoneo Malo similis, lachrymæ ex austero iucundioris, intus similitudo harundinis, succo prægnans. In hanc circa Canis ortum advolant pennati vermiculi erodẽtes, ob id in scobe sordescit. Styrax laudatur post suprà dicta ex Pisidia, Sidone: Cypro, Cilicia: Creta minimè. Ex Amano Syriæ Medicis, sed unguentariis magis. Colos in quacunque natione præfertur ruffus, & pinguiter lentus: deterior furfurosus, & cano situ obductus. Adulteratur Cedri resinâ, vel gummi, aliàs melle, aut Amygdalis amaris: omniáque ea deprehenduntur gustu. Pretium optimo xix. Exit & in Pamphilia, sed aridior, minúsque succosus. Eiusdem verò libri capite 17. hæc habentur: Ex Syria revehunt styracem acri odore eius in focis abigentes suorum fastidium.

Locus. Arboris figura Plin. Vermiculi. Delectus. Locus. Color. Adulteriũ. Pretium.

Sed veri Styracis verum odorem notat Gal. de antid. lib. 1. cap. 14. quando ait: Manifestum insuper est, Styracem, qui in calamis à Pamphilia apportatur, Andromachum præcipere. Parcissimus autem illic Styrax nascitur, tantúmque ab hoc vulgari distat, quantùm à vino, quod in tabernis venditur, Falernum. Accipere verò Styracem oportet, maximè pallidum, quem & odorem, & saporem quoque vehementissimum habere, perspicuum est. *Serapionis* verba paulò pòst apud Cæsalpinum invenies. De Styrace quoque Lachryma apud Theophrastum nil reperitur, præterquàm lib. 9. capit. 7. quòd sit inter odorata: quæ unguentis permisceri sumptuosissimis soleant.

Delectus.

Cæterùm quid Hermolao videatur de Styrace, præsertim verò de eius qualitatibus dicendum. Qualitatem non unam esse Styraci, argumento sunt cognomina, in compositione medicinarum frequentia *Chrymatias*, *Calamitis*, *Aspros*, h. e. [ut puto] *candicans*. Chrimatias Arabes interpretantur eum, qui rarus inventu, & gummi similis describitur. Iidem Calamitin: quanquam harundine sua mixtus ipso nomine significatur,

Chrymatias. Calamites.

pro liquido tamen accipiunt: & fastigia Styracis duo faciunt, siccum & liquidum, confusione magna, *[Styrax liquidus pro Myrrha Stacte.]* quod aliquando liquidum Styracem pro Myrrha Stacte sumunt, aliquando ex eadem arbore colligi utrumque putant, liquidum atque siccum. Aiunt Arabes Styracem è Syria petentes in pellibus hircinis utere, ut odorum suorum Thuris & Myrrhæ satietatem actimonia peregrini ligni rediment: iidē petunt in Elimæos arborem Brutam, *[Bruta.]* Cupresso fusæ similem, exalbidis ramis, iucundi odoris, accensam, & miraculo, ut inquit Plinius, historiis Claudij Cæsaris celebratam, cuius Parthi folia potionibus inspergant, odore Cedri, cuiusq; fumū contra ligna alia remedio esse prædicent. *[Locus.]* Nascitur ultra Phasim, Tigrimque, in finibus oppidi Scinæ in monte Scanthio. *[Elimæi qui.]* Sunt autem Elimæi; Assyria gens, Susianæ Persiæ contermina. Petunt & in Carmanos arborem Strobum, *[Strobus arbor.]* quam vino palmeo perfusam urunt, suffiúntque tecta. Nidor à lacunaribus ad solum iocundus reciprocat, qui citra dolorem caput aggravet, & somnum ægris conciliet. Hanc autem suam miscellam unde sumpserit Hermolaus, mirum.

Audivisti Cornari Hermolaum de Styrace dissentientem, nunc quid tu sentias aperito. Styrax hodie Officinis & Barbaris Storax appellatur, & in *[Styrax duplex.]* siccum, ac liquidum distinguitur, quum Græci unum tantùm Styracem agnoscant: & liquidum, Myrrham Stacten esse tradant. Dioscorides probat pinguem [λιπαρόν.] *[λιπαρόν.]* Sed pleraque exemplaria Græca ῥυπαρὸν habent, id est, sordidum. Verùm nostræ lectioni suffragatur Plinius, qui pinguiter lentum probat, & sufurosum damnat. Et apud Aëtium sæpè ξανθὸς καὶ λιπαρὸς habetur. Natales autem Styracis loci multi sunt. Nec multùm refert, *[Catabalites. Gabalites.]* an Catabalites, an Gabalites rectiùs appelletur. Galenus tamen lib.1. de Antid. eum, qui harundibus ex Pamphilia affertur, & paucissimus gignitur, præstantissimum esse dicit, & tantò præstare multo illo Styrace, quantùm præstat vinum Falernum, eo, quod in cauponis venditur. Addit ex hoc sumendum esse pallidissimum, ut qui & odore, & sapore validissimus sit. Videtur itaque & hic esse, quem Dioscorides gummi similem, & paucum nasci dixit. Et Calamitæ Styracis in Officinis *[Calamita Offic.]* appellatio, ex eo facta videtur, quòd in calamis & harundinibus, velut Galen. dixit, afferebatur. Quamquam & ex eo esse possit, quòd Plinius arboris Styracis intus similitudinem esse dixit. Quod si ita est, & non harundinibus, in quibus afferebatur, deceptus est: consideratione eget, id, *[Locus.]* quod Strabo lib.12. de *Selga Pisidiæ* urbe dicit, plurimum isthic Styracem nasci, arborem non magnam, rectam, ex qua hastæ Styracinæ, corneis similes fiant. *[Hasta Styracina. Succino similis succus.]* Idem etiam liquoris meminit, qui ex ea destillet, ac facilè coaguletur, Succino similis. Quod porrò de fuligino dixi, uritur, & ex ipso fuligo fit, in Græcis corruptā voce Ξανθοῦ legitur, pro recta αἰθάλιον.

[Cord. notatur.] Quod autem Cordus vult, Styracem lachrymam, quæ quidem ex Styrace manat, resinosæ esse substantiæ, miniméque in aqua resolvi. Eam verò, quæ è Myrrha arbore distillaverit Lachrymam, facilè in quovis aquoso humore dissolvi; De Myrrha gummi adulterata, non autem de pura, Cordo conceditur. Dicit enim hoc non solùm in comm. in Diosc. verùm & hist. pl. lib. 4. ubi hæc *[Styracis resina descriptio. In oleo resolvitur.]* habet: Styrax nascentis in minore Asia arboris cuiusdam lachryma est, in parvas micas, aut grumos concrescens, substantiâ resinosâ, pinguis, in longum, ubi incaluit ductilis, in oleo resolubilis admodum, cum gravitate non pauca, odorata veluti propolis, præsertim cùm prunis imponitur, *[Styracis tres species.]* cuius tres cognoscuntur species, colore tantùm differentes, prima candicat, altera russa est, tertia nigricat, simúlque livet, russa foris plùs rubet, quàm intus: candida, ac nigra per totam substantiam eundem colorem habet, reperitur etiam flava quædam, inter russam & candidam, media. Meminit præterea Diosc. candidæ, pellucidæque *[Styrax pellucens Cordo non visa.]* Styracis, gummi similitudinem habentis, quam mihi videre nondum licuit, quamvis diligentissimè eam inquisiverim: prædictarum enim nulla pellucet, neque ulla ex his copiosè & sola affertur, sed omnes commixtę, atque arboris suę scobe quamplurimâ adulteratę, *[Adulteratio.]* adeò etiam, ut ex integra eius libra, vix uncia sinceræ eligi queat, sic allatam hodie, omnes Storacem Calamitam vocant. *[Storax calamita. Delectus.]* Eligito puram, in longum ductilem, pinguem, odoratissimam, atque cum suavitate caput aggravantem, & somnum invitantem. Adulteratam, *[Adulterata.]* furfurosam, aridam, cano situ obsitam, & scobe plenam multis medicamentis admisceas, præterquam iis, quę odoris causa conficiuntur: pręstaret tamen iis quoque potiùs sinceram miscere, quàm adulterinam, siquidem puriorem, vehementiorémque vaporem sincera emittit: adulterata autem imbecilliorem. *[Storax rubea falsa.]* Fit in quibusdam confectionibus rubeæ Storacis mentio, ubi russa lachryma Styracis accipienda est, & minimè cortex ille fuscus & aridus, falsò Storax rubea vocatus. *[Styracis & Myrrha arbores diversa, sicut & natales.]* Addit præterea in Diosc. lib.1. cap.81. Styracis & Myrrhæ arbores penitùs sunt diversæ, quod etiam ad natales attinet, nihil prorsus commune habent: hæc enim in India & Arabia, illa verò in Asiæ minoris Pisidia, & Cilicia, diversi cœli regionibus, provenit. Si verò substantiam ipsam, quæ ex his emanant lachrymarum, consideraverimus, omninò diversas deprehendemus. Lachryma enim, quæ ex Styrace manat, *[Styrax.]* præter omnes alias, quas iam taceo, notas, resinosæ est substantiæ: cuius proprium est, in sibi simili humore aliquo resolvi, & minimè in aqua. Quæ verò è *[Non concedo nisi de adulterata Myrrha.]* Myrrhæ arbore distillaverit lachryma, facilè etiam propter substantię similitudinem in quovis aquoso humore dissolvitur. Hæc ideò dico, ut sciamus *[Stacte non est Styrax liquida.]* liquidum Styracem, nihil minùs esse, quàm Stacten, quod pluribus etiam demonstrare argumentis possemus, si huius loci esset falsas Doctorum opiniones & iudicia confutare. Styracis autem hodie triplex habetur differentia. Est *Styrax calamita*, *[Styrax calamita.]* quæ in candicantes, & ruffescentes grumos concrevit. Est & *Liquida Styrax*, quæ in duas *[Styrax liquida duplex.]* dividitur differentias: altera enim resinosa est pinguedo, ex arbore quadam spontè distillans, aut coctura elicita: & altera, quæ ex Styracis nucleis exprimitur, *[Styrax ex nucleis.]* sed huius rarissimus apud nos est vsus. Tertia differentia, *Styrax sicca* est, à quibusdam etiam Thymiama vocata: *[Tertia diff. Styrax sicca.]* estque cortex in russo colore nigricans, quem aiunt è Styracis arbore colligi. Quidam impropriè siccam Styracem, etiam Rubeam cognominant. *Rubea* enim *[Thymiama.]* *Styrax*, est *Calamita Styrax*, quæ non candidum, sed russum colorem habet. *[Styrax Rubea.]* Hodie autem Pharmacopolæ non ampliùs *Styrax*, sed *Storax* pronunciant.

Gesnerus in Cordum ait, *Nascaphthum* *[Nascaphthum.]* corticem impropriè *Storacem rubeum* vocari: cùm *Styrax ruber*, non cortex, sed huius coloris liquor sit.

Fuchs. de comp. med. lib. 1. A Galeno lib. 1. de *[Styrax rubeum quid. Calamites Styrax.]* antid. *Calamitis*, quòd olim in calamis & arundinibus ex Pamphilia adveheretur, dictus est. & reliquis

Google

reliquis præstantior fuit. Atque hinc est, quòd in hodiernum vsque diem vsitatum sit Medicis, vt Styraci semper *Calamita* nomen adiungant, præstantiorem significare volentes. Hic revera liquidus fuit, & dicebatur, quanquam diversus ab eo, qui ita Arabibus nominatur. Hodie afferri desiit. Hic in candicantes & rufescentes grumos, seu micas concrescit, & siccus dicitur, hodiéque adfertur. Huic Calamitæ Styraci interdum liquida resina & oleum additur, & fit Styrax, qualis officinarum liquidus, de quo postea. Quoties autem in Græcorum libris Styracis fit mentio, semper Calamites inaudiendus erit.

Styrax liquidus. *Adulterium.*

Sed vnde clarissimus meus præceptor Fuchsius colligat, Calamitem Styracem liquidum fuisse, nescio: Galeno Calamites præstantissimus est: præstans autem grumos habet teste Diosc. Calamitis ex Pamphilia affertur, qui verò in Pamphilia provenit, teste Plinio, aridus: ego sanè Styracis lachrymas à scobe mundas, pulcherrimas vidi Lugduni, & adhuc habeo odoratissimas, de quibus postea sub titulo Storacis Calamitæ officinarum. Meritò igitur reprehensus fuit hac in parte Fuchs. per Matthiolum. Iidem Fuchsio ex Arabum, & recentiorum traditione, *tres sunt Styraces: vnus liquidus*, qui est Myrrha Stacte: *alter rubeus*, qui nihil aliud est, quàm exterior cortex, fuscus & aridus, qui post lachrymam subactam & expressam remanet, quod Serapion confirmat: *Tertius est Lachryma Styracis*, quæ ex eius nominis arbore exsudat.

Fuchs. not. *Storaces tres.* *Myrrha stacte.* 1. *Styrax rubeus.* 2. *Lachryma Styracis.* 3.

Cronenburgo quoque probatur, quod paulò antè Fuchsius annotavit, quòd sc. quotiescunque simpliciter efferatur *Styrax*, *Calamites*, sive *aridus* intelligatur. Aristoteles, inquit is, Dioscorides, Plinius, Galenus, & cæteri distinctim Styracem habent, non per liquidum & siccum, sed per proprias quasdam qualitates. In tabernis *Storax* vocatur, & vehementer ignavus, vt plurimùm habetur. In Alipta Moschata hæc Styracis Calamitæ & rubeæ nomine intelligitur, rubicundiore colore, aut fæx illius, aut quod ex Myrrha exprimitur, Magma.

Scribunt Monachi in Antid. Mes. cens. dist. 2. cap. 61 *Storacem*, sive *Styracem* (quod rectiùs vt diximus) non esse aliud, quàm speciem Myrrhæ: siquidem Dioscorides post descriptionem specierum Myrrhæ immediatè subjunxerit capitulum de *Styrace*: Serapio autem capitulo de *Storace*, ad authoritatem Diosc. descripto, sub nomine Storacis liquidæ comprehenderit caput Dioscoridis de Stacte, quæ est pinguitudo Myrrhæ: cui continuò subiunxerit capitulum dicti Dioscoridis de Styrace, vbi dicit: Et *Storax* est species *Meha*, sive *Miba*. *Meha*, autem, sive *Meba* secundum ipsum, est *Storax liquida*. Et quæ ex Myrrha exprimitur, debet hîc intelligi scil. Stacte, quæ etiam Myrrha liquida potest dici, nam aliter non erit consonum. Myrrha verò non liquida abipso Serapione vocatur, Ler & Bathnasas. Vnde idem Serapio cap. de Myrrha, secundum authoritatem Dioscor. dicit: Et est de ipsa res, quæ dicitur *Bathnasas*, & est grossa, à qua egreditur *Miba*, id est, *Storax liquida*, quando exprimitur, & dicitur Mirnastacte. Et est de ea, quæ dicitur Aizon, & est pinguis multùm: & arbor est in terra, quæ dicitur Parthemia, & est pinguis, & quando exprimitur succus, egreditur velut Storax multùm. Hæc Serapio. Ex quibus patet, quod Styrax, i.e. Storax, non multùm elongatur à Myrrha, & per consequens potest dici species Myrrhæ. Etiam Diosc. cap. de Styrace dicit, quod in-

Stacte. *Meba.* *Storax liquida.* *Ler.* *Bathnasas.* *Myrnastacte.*

venitur Styrax, sive Styracis lachryma perlucida, & Myrrhæ æmula. Etiam per ipsos Authores probatur, quod tam de speciebus Myrrhæ, quàm de Styrace liquor exprimitur, velut mel. Sed liquor Myrrhæ à Græcis *Stacte* dicitur. *Liquoris* autem *Styracis* à Diosc. non scribitur particulare nomen, bene autem potest subintelligi *mel Styracis*. Arabes verò, teste ipso Serapione vtrumque liquorem *Storacem liquidam* appellant. Styrax autem liquida à Myrrha, i.e. Stacte, parum, aut nihil differt à Myrrha in odore, sapore, & virtute. Et sicut Myrrha est odoratior, amarior & præstantior Styrace, ita Stacte, i.e. est mel Myrrhæ, est odoratior, amarior, nec non & nobilior *Styracis melle*. Quamobrem Storax liquida, quam aliqui *Sigiam* vocant, quâ & pro vera Storace liquida vtuntur omnes, non potest esse Myrrha [Stacte] vt volunt Brassavolus, & recentiorum nonnulli. Non enim habet conditiones Stactes. Nos enim opinati sumus potiùs esse mel Styracis, adulteratum tamen, quàm Stacte Myrrhæ. Styrax autem, sive Storax non liquida, vt communis opinio Medicorum tenet, est ipsa, quâ vtimur, quæ vulgò dicitur *Storax Calamita*, & per varios authores legitur *Styrax*, *Storax sicca* & *Ambra*, seu *Lubne*, aut *Lubne*, seu *Storax Heremitarum*, & Thus, sive *incensum*, sive *Thymiama Iudæorum*, & *Cozumbrum*, & *Storax*, & aliis pluribus nominibus appellatur. Quamvis sit & alia Storacis species, quæ peculiari nomine *Storax rubea* nuncupatur, vt in confectione Aliptæ Moschatæ Nicolai legitur, vbi ingreditur & *Storax Calamita*, & *Storax rubea*. Et propriè est illa, quæ assimilatur Maci, quæ scribitur à Serapione, quod est exterior cortex fructus ipsius Storacis. Doctor autem noster in præsenti descriptione petit Storacem liquidam, vt Rhazes: filius Serap. autem habet simpliciter Stacten. Sed quia (vt dictum est suprà) Arabes tam *Stacten*, quàm *mel Storacis*, *Storacem liquidam* vocant, Stacten tanquam meliorem speciem Storacis liquidæ nos hîc apponendam esse consulimus. Vbi autem quæritur mel Storacis, manifestè intelligitur, Stacten non esse apponendam. Sed quia Stacte vera minimè hac nostra tempestate haberi potest, vel si habetur (quod haud credimus) non caret plurimis adulterationum vitiis, eius loco vtendum melle Styracis puro censemus. Si autem purum mel Styracis non invenitur, Storax sicca pro eo erit commodissima: quoniam ita (vt diximus) habet filius Serapionis, per Storacem absolutè descriptam, semper intelligitur sicca. Præterea autor non hac descriptione etiam Myrrham petit, quâ vera nos carere suprà diximus in Sagzenea, & quòd pro ea debemus sumere Stacten. Hîc autem (quia Stacte non habetur) dicimus, quòd loco Myrrhæ post Stacten, meliùs est substituere bonam Storacem Calamitam, quàm illam falsò vocatam Myrrham. Et secundum aliquos, *gummi Hederæ* optimum, in Myrrhæ vicem apponere non vituperamus, tametsi Myrrham perfectè supplere nequeat, neque cum eo comparari.

Stacte liquor Myrrha. *Styracis liquor mel dici potest.* *Storax liquida.* *Styrax liquida.* *Styrax liquida e Myrrha.* *Storax liquida vulg.* *Stigia Non est Stacte vt vult Brassavolus.* *Mel styracis adulteratum.* *Styrax communis Calamita.* *Ambra.* *Thus Thymiama.* *Storax rubea.* *Storax rubea peculiari nomine.* *In Mesue pro Storace liquida, sumenda Stacte.* *Mel Storacis.* *Stacte vera non habetur.* *Substitutum.* *Storax sicca.* *Gummi Hedera.*

Tradit Matthiol. *Styracem* passim in Italia *Storacem Calamitam* appellari. Ac Manardum ait, ubi in Dioscoridis codice legitur ποιητὸς ἐστι ὁ γαβαλίτης, existimasse potiùs legendum esse *Calamites*. Neque probasse lectionem mutandam in Gabaliten, quemadmodum Marcellus fecerit. Sed profectò magis Marcelli sententiam probandam videri. Quippe quæ Plinii testimonio comprobetur. Cùm etiam ei adstipuletur Oribasii

Manard. not.

codex manu-scriptus. Fuchsium porrò Styracem Calamitem liquidum fuisse censuisse: Verùm in hoc à veritate discessisse.

Balsamum ex Peru. Gabalites.

Lacunæ sunt hæc: *Styrax*, Castil. & Portug. *Esforaque*, Catalon. *Storace*. Ex hac Balsamum ex nova Hispania.

Styrax sincerus ex India.

Ex Amato hæc traduntur: *Gabalites* (ut optimè Marcell. interpretatur) legendum, non verò *Catabilites*, vel *Calamites*. In hanc quoque lectionem eunt Hermol. & Ruell. Nostris temporibus sincerus ex Zanâ, apud Indos insula, Styrax portatur.

Oleum ex nucleis. 1. *Lachryma arb.* 2. *Stacte.* 3. *Styrax sicca.*

Serapio, inquit Cæsalpinus, *Styracem* dividit in *liquidum*, & *siccum*: per *liquidum* intelligit, modò oleum ex nucleis extractum, modò ipsam arboris lachrymam, modò stillatum humorem è recenti Myrrha extractum, quem Dioscor. Stacten vocat: per siccum, intelligit corticem fructûs, postquam expressum est oleum.

Calamita citrina. Storax liquidus niger. Storax siccus. Lachryma spontanea.

Avicenna similiter *humidum* & *siccum* esse. Humidi autem unum spontè fluentem ex arbore, coloris citrini, quem Storacem Calamitam vocant. Alterum per decoctionem, coloris nigri, quem Storacem liquidum appellant: Fæces autem Storacem siccum esse. Quæ Avicennæ explicatio videtur magis cum Dioscor. consentire, ut quædam sit arboris lachryma, spontè fluens, quæ cùm in ligni scobe reperiatur, veluti leprosa redditur: congeri enim circa caudicem multam scobem erodentibus vermiculis testatur Strabo. Quidam artificio extrahitur per decoctionem, ex Styracis lignis, aut ipsamet scobe per ignem resudat Styrax liquidus, quem Dioscor. Oleum Styracinum vocat, ipsa verò scobs exsiccata & retorrida, Styrax siccus est. Nigrum Dioscor. damnat.

Styrax liquidus ex lignis.

Styrax siccus. Styrax Calamita. Styrax arida. Styracinū oleū Diosc. per Balsamo vendi- ditum. Balsamum novum.

Hodie tria eadē habentur: nam arboris lachryma, non sine scobe quadam, Styrax cognomine Calamita, tanquam optima ad suffumigia pretiosa venit. Arida quoque ipsa scobs modò russa, quæ laudatur, modò nigra, quæ damnatur, similiter ad suffimenta odorata. Styracinum verò oleum vendebatur Balsami loco ex Syria advectum: sed desiit posteaquam novum genus Balsami ferri cœpit ex Occidente: liquor autem ille putridus, quo ad scabiem inungendam utuntur, vilissimo etiam pretio, quamvis Storax liquidus vulgò appelletur, aliena omninò res est. Fortè Æleomeli Dioscoridis, quod è pinguitudine surculorum fieri scribit, cuiusdam arboris in Syria: ex qua spontè manat oleum melle crassius: sapore dulci: ad purgationes aptum, addens arte quoque fieri oleum è pinguedine surculorum, optimum vetus, pingue, non turbidum. Testantur autem: vulgarem Storacem liquidam, ex decoctione quorumdam surculorum in aqua fieri.

Storax liquid. vulgi. Æleomeli Diosc.

Cur Styrax. Locus.

Styracis meminerunt Lob. & Pena Adv. pag. 429. his verbis: Quòd ex Styrace emanaret liquor, ac veluti stiriatim extillaret, Styrax dicta videtur. Eius feracissimus ille tractus Galloprovinciæ, qui à trium Mariæ sororum Fano antiquissimo, ad forum Iulium usque porrigitur: est namque prope oppidum Solarium collis lætissimus & opertus frequenti Styrace, nullidum illic cognita, quam primò nos, iuvenésque, multis tum Pharmacopœis & studiosis, tum Monspessuli professoribus ostendimus: nam iamdiu videramus Venetiis in Franciscanorum horto: truncus

Descriptio

ipse similis Betulæ ligno, aut Mali Cotoneæ: folia utravis minora, & quàm Cotoneæ minùs rigida, minúsque aversâ parte cana: flos albidus, Arantiæ magnitudine, non odore. Baccæ multæ Staphylodendri magnitudine, rotundiores tamen, quas excipiunt ungulæ ternæ atque amplectuntur, quæ pediculo longo hærent. Inibi tametsi tanta copia est, nihil tamen liquoris effluit, sed Lacryma Styracis Venetias defertur purissima, perquàm odorata, inque grana & glebas ammoniaci modo coactas, quibus inest quidam melligeni similis liquor, qualis è favis destuit. Hactenus Adv.

Nunc verò *Styrax Catabalites*, vel *Gabalites*, sicut & *Styrax similis Gummi*, Myrrham odore referens Dioscoridi synonyma sunt. Storacem insuper liquidum dici de Myrrha Stacte, videndum antè ex Corn. & Cæsalpino. *Arquirosa*

Adulteratur verò Styrax arboris scobe, melle, Irino unguento, cerâ, adipe, aromatibus, Plinio Cedri resina, vel gummi, aut Amygdalis amaris, quæ omnia deprehenduntur gustu. *Adulteratio.*

Pro Styrace quoque rubeâ, russa Styracis lachryma sumenda, non cortex fuscus, falsò Storax rubeus vocatus. Quomodo porrò Styrax fiat ex Belzuino, vide in Belzuini capite, ex Edoardi Barbossæ navigatione: & apud Garciam lib. 1. c. 5. de Styrace liquida Sinensibus *Rocamalha*, quæ scripsimus capite Benivino. *Substitutū. Styrax ex Belzuino.*

Στύραξ ut Græcè, ita etiam Latinè *Styrax: Storax* tamen *Calamita* officinis: Germ. Storax: Hisp. *Esforaque, Storaque*: It. *Storace*, *Storace Calamita*: Arab. *Miha, Meha, Mehaba*, seu *Astarach*. *Nomina linguarū.*

Styracis arbor viret Venetiis pluribus in locis authore Matthiolo, præsertim in viridario Maffei à Maffeo. Bellon. in suis Obs. scribit: in Cretæ montibus spontè provenire Styraces arbores, ipsam autem Styracem, videlicet resinam, nobis adferri per Halep. Anguillarâ teste, licèt Styrax inveniatur quibusdam in locis Italiæ, non propterea lachrymam producit, ut faciūt Styraces Syriæ, & Palestinæ: quod autē dicit, videri potest in horto P.A. Michielis & A. Filetti in S. Lucia. Et in horto Monachorum S. Francisci dalla vigna. Inveniuntur etiam in itinere à Tivoli, Romam: item in Abruzzo. Attestāte apud Matthiol. Camerario, in Apuleia provenit, & in Latio in villa Adriani, & Galliæ Provincia. Sed Amati temporibus Styrax sincerus, ex Zana apud Indos insula portabatur. Regio est (scriptore Andrea Corsalo Florentino) inter Goam & Carmaniam, Cambaia dicta, ubi fluvius Indus influit in mare, in qua regione nascitur Styrax liquida: In agro Romano prope Tivolim Cæsalpin. provenit: in Italia lachrymam paucam fert. *Locus.*

Nobis Styracis officula missa Augustâ Vindelicorum per meorum studiorum & peregrinationū socium, clarissimum virum Leonhardum Rauvvolff: plantavimus Montbelgardi in horto E. C. Arbusculas, è nucleis natas, vidimus Basileę apud D. Doctorem Felicem Platerum, sed Hieme reponendæ, florent & nuculas maturant: Ea arbor, quæ à Gesnero visa Augustæ & quæ ibi Hiemem perferebat, ut scribit in lib. hort. non erat Styrax, sed Coccygria, sive Cotinos. Styracis arboris ramos primùm habui à Lobelio, qui ex Hiere attulerat, habui etiam à Valerando Dourez.

Cæterùm vim habet, testis est Dioscorides, calefaciendi, molliendi, concoquendi. Facit ad tusses, destillationes, gravedines, raucedines & vocem interceptam. Convenit etiam ad uteri præclusiones, & duritias. Et menses potus & appositus ducit. Alvum quoque leniter mollit, si modicum ex ipso cum resina Terebinthina devoretur. Miscetur etiam utiliter malagmatis discutientibus, & acopis. Vritur autem & assatur, & torretur, & fuligo ex ipso fit, velut ex Thure. Et commodat *Vires. Tussis. Vteri. Alvus. Fuligo.*

commodat fuligo Styracis ad eadem, ad quę etiam Thuris fuligo. Quod verò ex ipso præparatur in Syria *Ung. Styracinum.* Styracinum unguentum calefacit, & mollit fortiter. Capitis tamen dolores inducit, & gravitatem ac soporem efficit. Galenus & Paulus pręter iam dicta à Dioscoride, nulla tradunt. *Locus. Odor acris.* Authore Plinio, ex Syria revehunt Styracem, acri odore eius in focis abigentes suorum fastidium. Cæterò, non alia ligni genera sunt in usu, quàm odorata: Cibósque Sabæi coquunt Thuris ligno, alij Myrrhæ, oppidorum, vicorúmque non alia, quàm ex aris fumo, atque nidore, adeò nulla est voluptas, quę non assiduitate sui fastidium pariat. *Serpentes.* Eundem ad serpentes fugandas urunt in odoriferis silvis frequentissimas. Styracis autem naturam in peregrinis arboribus exposuimus. *Delectus.* Placet præter illa, quæ diximus, maximè pinguis, purus, albicantibus fragmentis. *Vires.* Medetur tussi, faucibus, pectoris vitiis, vulvæ pręclusę, duritiéve laboranti. *Menses.* Ciet menses potu, appositúve, alvum mollit. Invenio potu modico tristitiam animi resolvi, largiore contrahi. Sonitus aurium emendat infusus, *Strumæ. Venena.* strumas illitus, nervorúmque nodos. Adversatur venenis, quæ frigore nocent, ideò & Cicutæ. Serapio exteriorem Styracis arboris corticem mandi, quamvis amarum: ex interno autem nu- *Oleum.* cleo oleum exprimi porhibet. Sylv. de compos. mod. Styracis drach. j. miscet ex Andromacho ar- *Quantitate delet.* teriacę. Styrax, Crocus, Myrrha, quantitate sunt deleteria: nam largiùs pota quędam, dementant: quędam mortem inferunt, sed mensurà aptà aliis mista iuvant. Στύραξ Σπάνιον, Hispanum cognominatum Actuario in Trochisco Neapolitę. *Oleum.* Oleum Styracis, quod optimè sedat dolorem ventris puerorum, recipit Ol. Aneth. Camomill. ana. vnc. iij. Ol. Rut. Styrac. liquid. ana. vnc. sem. pulv. Cymin. vnc. j. quę parùm bullire sinuntur, servantúrque ad usum.

STYRAX CALAMITA OFFICINARVM IMPVRIOR ET purior.

STYRACIS furfurosę plerumque afferuntur massæ, & scobe ligni sordidatæ, in his tamen genuinus Styrax reperitur, qualem habemus, parvis constans grumis, relucentibus, colore fulvo, vel ruffo, saturatioréque, sub dente lentescentibus, caloréque ductilibus, ceræ instar, sapore non ingrato, odore fragranti, potissimùm ubi prunis iniectę fuerint, vel micę solę, vel ut sunt scobe adulteratę, flammam verò ex facillimè concipiunt, & claro incendio lucent.

Lugduni & Genevę habuimus pro paranda Theriaca Valerandi Dourez, cuius protector publicè fui: quę sanè mundę, pulcherrimę, odoratissimę: etiam post plurimos annos.

STYRAX LIQVIDVS RVBER OFFICINARVM.

STYRAX liquidus melleę & tenacis substantiæ est, coloris fusci, aut ex fusco rubentis, aut ex cinereo fusci, odore valido, atque ob vehementiam ferè ingrato, in quo tamen videtur apparere, remissus ille Styracis calamitæ odor, multò tamen magis, si linguę admoveatur conspicuus, dum in nares inde pauca quantitate anathymiasis ascendit, sapore autem acriusculo.

Styrax liquidus. Cordus Hist. pl. sic describit: Styrax liquidus, qui ad nos pervenit, liquidæ aut Laricęę resinę consistentiam & crassitudinem habet: colorem *Color. Odor.* in cineraceo candicantem: odorem Styraci similem, vehementem, acrem, & gravem, præsertim cùm prunis imponitur, per se latiùs spirat, quàm prędictus Styrax, propter liquidiorem substantiam. Idem nativus non est, sed fit additis paucæ *Unde fiat.* Calamitæ Storaci, copiosiore, laricea resina, oleo, & vino, simúlque coctis, expressis, atque cùm refrixerit, donec candorem acquirat, ligneo pistillo agitatis: Ex ea mixtura duo resultant, videlicet Styrax liquidus, & oleum Styracinum: dimis- *Oleum Styracinum.* sis enim uno atque altero mense, quod deinde tenuissimum, liquidissimum, atque odoratissimum in mixtorum illorum medicaminum substantia fuerit, à crassiore discedit, eidémque ad fundum vasis descendenti, superiùs innatat oleo crassior, laricea resinę liquidior, colore fulva & pellucida, Styracinum oleum appellata, quæ à reliquo aufertur, & separatim versatur, reliquum verò rursus agitatur, ut candorem induat. *Delectus Styracis liquidi.* Eligito in liquido Styrace odoratissimum, odore ad purum Styracem prorsus accedentem, sed multò vehementiùs & graviùs redolentem, colore candicantem in cineraceo. *Delectus olei.* Oleum Styracinum ad nos rarissimè affertur, in quo probatur fulvum, pellucidum, odoratissimum, & suaviùs, quàm liquida Styrax redolens, & quod lentum, sequacissimúmque fuerit, dum ab intincto digito defluens dependet.

Styrax liquida Resina, diversa à Styrace. Petrus Bellon. (inquit Gesnerus) scripsit mihi se è Lusitano quodam Pharmacopola didicisse Styracem liquidum à verà Styrace omninò differre, esséque resinam è peculiari quadam arbo- *Locus.* re manantem in monte Fuis inter Galliam & Hispaniam. Hac itaque ratione duæ sunt liquidæ Styracis species.

Ait Fuchs. de comp. med. lib. 1. Styracem liquidum, qui in Officinis prostat, quum teterrimo propemodùm sit odore, legitimum, aut sincerum esse nequire: vt & Styracę Calamitæ interdum liquidam resinam & oleum addi, ut liquidior factus magis redoleat, & viliori pretio vendatur: qualis est, qui in Officinis Medicorum sub Styracis liquidi nomine hodie prostat.

An Amato, Stacte, Serapionis, Officinis Styrax liquidus, cuius copia non solùm Venetiis, sed & in omnibus ferè officinis coacervatur?

Hodie porrò Stacten Officinę & Barbari Medici *Styracem liquidum* vocant, teste *Cornario*, quũ Græci unum saltem *Styracem* agnoscant: Stacten autem pro Balsami liquore in ἀντιβαλλομένοις assumant.

Styrax liquidus quid. Sed licèt species quędam, quæ adhuc in officinis invenitur, Styracis; quem liquidum vocant, nihil aliud sit, inquit Clusius, iuxta doctiorum o- *Stacte.* pinionem quàm Stacte expressa antiquorum. Nihilominus tamen retinet aliquem odorem Styracis Calamitæ, sed potentior est, & odoris vehementioris, quod efficit, ut existimem, esse posse resinam liquidiorem Styracis, cùm aquà sit permixta Myrrha, sæpè enim evenit in eadem arborum liquidior altera.

Storax liquida. Non est Stacte ut Gult. Brasf. Monachis in Mes. ut existimo, Storax liquida, quam aliqui *Sigiam*, quæ non est *Mel Myrrhæ*, id est, Stacte, ut voluit Brassavolus & recentiorum nonnulli: cætera videant Lectores antè ex verbis Monachorum, quæ sub Styrace iam tradita sunt.

Garcias Arom. lib. 1. cap. 5. sapiùs existimavit illud *Benivi de Boninas* nihil aliud esse, quàm Beni- *Benivi de Boninas.* vi cum Styrace liquida, quam Chinenses *Rocamalha* vocent permixtum, quoniam eius odor ali-

quantum ad Benivi de Boninas accederet: cúmque ob causam id aliquando experiri voluit, mixto Benivi cum Styrace liquida. Sed licèt id Benivi sic permixtum vulgari odoratius esset, odoris tamen fragrantiâ & suavitate à Benivi de Boninas superabatur. *Styracis liquida & Algalia odor aliis fœtet.* Multis quoque malè olent Styrax liquida & Algalia propter validum odorem, cùm tamen maxima ex parte odorata sint. Fieri autem potest ut illi Macedones Styracem pro Benivi intellexerint, tamen nullibi Styracem nasci scimus, *Locus.* præterquàm in Æthiopia, ubi etiam Myrrha reperitur.

Cæterùm liquor ille Cæsalpini putridus, quo ad scabiem inungendam utuntur, vilissimo etiã pretio, quamuis Storax liquidus vulgò appelletur, aliena omninò res est. Fortè Ælcomeli Dioscor. De Styracino autem oleo, quod solebat vendi pro Balsamo, & desiit adferri, vide antè ex Cæsalpino.

VSVB ARBOR GVMMI FERENS.

Cap. LVII.

Scripsit Thevetus de Francia Antarctica c. 32. homines sylvestres Americanos, quum invitentur ad compotationes *Cabevmage*, priusquàm ex suis pagis discedant, detrahere corticem cuiusdam arboris, cuius interior pars sit rubra, lutea, aut alterius coloris, quem conscindant in minutas partes, & gummi postea extrahere ex arbore, quam vocent *Vsub*, ac totum corpus eo inungere: quod ad vulnera etiam utile, ut sibi experientia compertum.

Cabevinage. Cortex. Vsub.

An Vsuc? Clusius dubitat an *Vsub* Theueti idem sit, cum suo *Vsu*, de quo proximè.

Considerandum quæ de *Bixa Oviedi* annotavimus ex Clusio historiæ nostræ lib. 12. & lib. 3. post Sanguinem draconis, de Succo rubro colore inficiente.

VSVC ET GYP SVCCVS ATER INVOLVTVS MVSÆ FOLIIS, Anethi ferè odoris.

Cap. LVIII.

Anno 1599. mittebat ad me (inquit Clus. Exot.) Amstelrodamo honestissimus vir *Descript.* VValichius Syvertz succum, cui adscripta erant nomina *Vsuc* & *Gyp*, Musæ foliis involutum, atrum, splendentem, non iniucundi tamen odoris, sed qui ad Anethinum quodammodo accederet. *Vsus.* Hoc uti solere incolas asserebat, ad suffumigia, tetrúmque cadaverum fœtorem tollendum, toto illo tempore, quo cadavera domi retinere pro consuetudine solent. Isto etiam inducunt arborum cortices ventri applicandos in eius doloribus.

ALOES SIMILIS SVCCVS IRAITUCH ET AIAVVE INVOLVTVS MVSÆ foliis, gravis odoris ad picandum.

Cap. LIX.

Iraituch. Aiavve. Descript. Eodem anno idem Syvertz mittebat alium succum, Iraituch & Aiavve appellatum, non valdè dissimilem Aloës succo, tum colore, tum substantiâ, gravis odoris, qui recens & liquidior, Musæ tenerioribus foliis fuerat exceptus: nam iis adhuc involutum accipiebat Clusius. Illo *Vsus.* naviculas & scaphas induci ab inquilinis, referebat, quemadmodum à nostris pice fieri solet. An verò ex aliqua arbore fluat, aut bituminis instar è terra emanet, nihil erat adscriptum.

SVCCVS VEL RESINA ASPHALTO SIMILIS, ANETHI ferè odore.

Cap. LX.

Amstelredami anno 1600. honestus vir Petrus Garetus dabat Clusio aliquot succos concretos nuper delatos ex longinqua navigatione, quorum primus ater prorsus erat haud *1.* secus ac Asphaltum, durus & solidus, illóque [ut apparebat] usi ferant nautæ ad fili stamina, *Vsus.* picis, aut ceræ, vice, inducenda: manibus enim aliquantisper emollitus lentior fiebat, nec iniucundum spirabat odorem, anethinum enim quidpiã *Odor.* resipiebat, nec ingratum habebat saporem, illum *Sapor.* tamen acriusculum, flammæ verò admotus, non secus ac resina quædam liquescebat. Observabat porrò hunc succum, sive quis malit resinam appellare, dentibus cedere & mollescere, ore retentum.

SVCCVS ALTER, ACRIS SVBSTANTIA SOLIDIORE.

Priori non valdè dissimilis erat hic succus, *Descript. 2.* substantiâ tamen solidiore constabat, ut que *Substantia.* in micas potiùs dissiliret, quàm manibus emolliri posset, imò ne longo quidem tempore in ore retentus ullam unguis impressionem admittere volebat: nullum in eo gratum odorem Clusius observare poterat, sed quandam duntaxat acrimoniam. *Acrimonia.* Exot. lib. 4. c. 8.

SVCCVS TERTIVS ATER, ALBIS MICIS.

Tertius etiam erat ater, quasdam tamen *Descript. 3.* albas micas insperfas habebat: licèt autem *Sapor.* superiore impurior & magis retorridus videretur, unguis tamen impressionem admittebat, nec ingrati erat odoris, illius etiam sapor nonnullâ acrimoniâ præditus: manducatus, dentibus cedebat: igni etiam admotus, liquescebat & flammam concipiebat. Clus. lib. & c. modò citatis.

TACAMAHACA POPVLO SIMILIS FRVCTV, COLORE similis Pæoniæ.

Cap. LX.

Ad resiniferas meritò referenda est Tacamahaca dicta, *Descript. Color.* coloris rutili partim, partim flavi pallidioris, veluti ex unguibus diversis compacta, resinæ strobilinæ concretione, bullatis tamen scrobiculis alicubi cava: sub dente in pulverem dissilit

Digitized

diffilit primùm, mox rursum recolligitur, lentescénsque pro arbitrio ducitur: *Sapor.* sapore amaricante, haud ingrato & aromatico. *Odor.* Suffita iucundum spirat odorem, Mastiches ferè æmulum, minùs vehementem & suaviorem, nullóque relicto crassamento consumitur. Porrò importatur, ut mihi quidem nancisci contigit, Cucurbitino cortice comprehensa, punctulis nigricantibus externa parte notato, intrinsecus innumeris scrobiculis, non usque adeò profundis, veluti foraminulento.

Camer. in hort. *Tacamahaca.* Monardi de med. ex Occid.Ind. lib.1.cap.2. in versione Clusij *Tacamahaca Indorum & Hispanorum* resina est, *Descript. arboris.* quæ effluit vulnerata arbore ignea, Populo æquali, odoratissima, colore est Galbani (nec desunt, qui idem esse putent) unguibus albis, uti Anime Indiacum, cuius fructus colore est seminis Pœoniæ.

Gummi Taccamaca, ait Linschottanus, in parva quadam Insula, Indiæ Orientalis reperitur. Profluit è cellsa arbore, cuius folia sont longa, angustaque. Fructus magnitudine Prunorum nostratium. Ipsum verò Gummi colore est albo, odoris suavissimi, ac proinde in magno pretio.

Locus. Hist. Lugd. Tacamahacam afferri scribit ex Hispania nova.

Vires. Magni est apud Indos usus in quocunque affectu, *Tumores.* præsertim in omnis generis tumoribus in quacunque corporis parte: siquidem mirificè resolvit, maturat, & dissipat. Omnem compescit dolorem ex humore frigido, aut flatibus natum, *Vterus.* uteri suffocatione laborantes suffitu naribus excepto revocat, emplastri modo si umbilico inducatur, matricem sistit, ac efficaciùs id præstat addità Ambra & Moscho. Expertissimum creditur remedium *Defluxiones.* contra defluxiones quasvis, sistit enim: rheumatismos in oculos, faciem, aliásque partes subiectas, si frustulum in utramque aurem, aut eius duntaxat lateris, indatur, in quod destillatio incumbit, aut temporibus emplastri in morem applicetur. *Dolor dentium.* Dolorem dentium levat, foramini dentis corrupti imposita: contra dolorem omoplatæ, & distentiones cervicis inducta confert. *Ventriculus.* Ventriculum roborat, appetentiam revocat, concoctionem adiuvat, flatúsque dissipat emplastrum de Tacamahaca, cum triente Styracis & pauca Ambra eodémque modo & capiti inductum, dolores cerebri profligat, eique robur addit, plurimùm confert *Ischias.* dolori ischiadico, & iuncturarum, presertim ex frigida admista causa orto, parti inducta, cum resolutione astrictionem quandam habet coniunctam: *Nervi.* nervorum contusa, & convulsiones persanat. Denique vulgaris eius in omni dolore usus. Ego (Monardes) trientem ceræ flavæ addo. *Cancri?* Cavebis tamen in principio inflammationum & tumorum p. n. calidorum, quorum tamen reliquiis discutiendis apprimè utilis est. *Temperā.* Calida est in principio tertij gradus & adstrictione vehementi, & vi roborandi: sicca verò in secundo. De Tacamahaca ita Ioannes Posthius p. m. cecinit.

Indomitam levat si Tacamahaca podagram
Et omne corporis pathos:
Illam ego prætulerim, quas vendit at India, gemmis,
Arabúmque Gazis omnibus
Nam quis divitiis validas non præferat artus
Tristi que sensu liberos.

VISCI INSTAR SVCCVS.

Cap. LXII.

Descriptio. Svcci concreti magnum fragmentum ad Clus. mittebat Londino Iac. Garetus, cuius frequentem in Exot. facit mentionem. Erat verò is succus, dum adhuc recens & lentus, circa bacillum pedalis longitudinis, multiplici circumvolutione adaptus, donec in brachialem crassitudinem evaderet: *Color.* varius erat eius color, nam ex parte nonnihil candicabat, ex parte cineraceus, & ex parte nigricans erat, durus & firmus quem tamen igni expositum liquescere & lentum fieri intelligebat, visci instar, quo aucupes ad capiendas aviculas uti solent: atque rem ita se habere experiebatur Clusius. Vnde porrò allatus, & ad quam rem utilis esset, nihil adscriptum.

Similis succus eius. Cæterùm biennio pòst mittebat ad eundem idem Garetus similis succi concreti, multiplici spirà circa bacillum convoluti fragmentum, quinque unciarum longitudinis, & novem uncias ambitu comprehendens, *Color.* quippe cuius diameter penè trium unciarum esset, externà parte omninò fuscus, ex frequenti, ut putat manuum contrectatione, internà verò candicans, siccus admodum, *Lignum.* & fractu adeò contumax, ut lignum veriùs, quàm succus censeri posset, *Sapor.* igni tamen admotus statim flammam concipiens, in nigrum & lentum liquorem resolvebatur, instar Visci, valdè lentum & tenacissimum, nullius initio manifesti saporis, sed paulò pòst, acrimoniæ cuiusdam non expertis.

* *
*

FINIS LIBRI NONI.

Digitized by Google

HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM

LIBER DECIMVS.

DE ARBORIBVS ET FRVTICIBVS SCOPARIIS.

DEDIMVS cuique arborum generi, naturâ quadam consimilium, suam propriam quasi tribum. Nunc & Scopariis prod. camus, vnâ classe, quâ ipsas vniuit & quasi in consortium quoddam coëgit rerum parens natura, ne scopas dissolutas dedisse videamur.

DE MYRICA SIVE TAMARICE IN GENERE.

CAP. I.

Tamaricis arbor. Dioscor.
Locus.

VENIMVS ad Scopariarum & Ericarum nobile decus, Myricam siue Tamaricem, quam Dioscor. tradit esse arborem [δένδρον] vulgò cognitam, quæ apud pigras & stagnantes aquas enascatur, fructúmque quasi florem ferat, compage muscosum [καρπὸν ὥσπερ ἄνθος φέρον βρυώδες κατὰ τὴν σύστασιν] Ægyptum Syriámque satiuam quandam gignere, syluestri cætera quidem similem, & fructum parere Gallæ proximum, gustu inæqualiter adstringentem.

Satiua. Syluestris.

Tamaricis meminit & Theophrast. hist. pl. his verbis: Addunt etiam Tamaricis [τῆς μυρίκης] lignum non vt apud nos imbecillum, sed validum sicut Iligneum, aut aliquid fermè materiæ huiusmodi, ibidem [scilicet in Tylo Arabiæ insula] comperiri. Videtur autem nobis Theophr. hoc in loco demonstrare duo genera Tamaricis: vnum ligno valido, alterum imbecillo. Inueniri ait porrò plantas quasdam communes, & quasi vitam ancipitem agentes [ἀμφίβια] vt μυρσίνην [Gaza Myrtum malè legendum enim, μυρίκην, quæ ancipitis vitæ potiùs, quàm Myrtus, de qua hoc nondum obseruamus.] Myricam etiam Amphibion facit Basilius Magnus, vt quæ inter aquatiles numeretur, & copiosa sit in desertis, ac propterea dictum illum Hieremiam haud iniuriâ huic & similibus stirpibus hominum improbiores, ancipitésque mores similes esse dicere.

Tamaricis lignum duplex Theophrast. Myrrhine pro Myrica Gaza vertit.

Sed Plinium adeamus qui Tamaricem inter eas arbores numerat quę arborum solę nullum ferunt fructum, hoc est, ne semen quidem, scopis innascentem. Is præterea scribit Myricen & Italiam ferre, quam alii Tamaricem vocent: insigne in hac esse, quòd Satiua tantùm ferat, Gallæ similem fructum: In Syria & Aegypto copiosam hanc esse, eiúsque ligna infelicia appellari, quæ tamen infeliciora sint Græciæ. Ad hæc Tamarici folia non decidere & carnosa esse, quo in loco ego quidem existimo Plinium loqui de Tamarice arborea, verùm non obseruavi vllam Tamariscum foliis non decidentibus.

Semen non fert.
Galla.
Infelicia ligna.
Folia.
Plin. not.

Contra Dioscoridem etiam & falsò quidem Plinius Myricam [Siquidem Myrica eadem est cum Tamarice] nullum fructum, h. e. ne semen quidem ferre, proptereáque à vulgo infelicem arborem appellari, scribit. Ipsemet quidem sui velut immemor lib. 24. cap. 9. Satiuæ Tamarici [duplicem enim constituit, syluestrem inquam sterilem, & satiuam mitiorem] fructum lignosum maiorem gallà tribuit: rursúmque dum Tamaricis vires persequitur, seminis peculiarem vsum minimè prætermittit. Cæterùm Plinius Myricam à Lenæo etiam Ericam vocari scribit, vt minùs mirum sit vulgus Medicorum Myricam etiamnum malè Ericam [Heyden] appellare.

Plin. error alius.
Arbor infelix.
Erica malè Promalus Hipp.

Hippocrates μυρίκης bis habet, qua voce Cornarius Myricam accipit, vt fusiùs infrà dicetur. Scribit Theophrast. Myricam folium habere carnosum & densum. Plinius etiam in genere de Plantarum foliis scribens, Cupressum inquit & Myricam folio esse carnoso, quod non est ita accipiendum, ac si singula per se folia essent carnosa, sed ita appellari, quòd confertim in ramis nascantur.

Myricæ genera Cordi.
C. Bauh. not.

Cordus in Dioscor. & ex eo Casp. Bauh. qui tamen eum non citat, sed pro suis venditat, Tamaricem duûm generum esse statuit. Alteram satiuam & proceram [arborem Casp. Bauh. facit] in Aegypto nascentem: Et alteram humilem [syluestrem, quæ frutex lignosus C. Bauh.] quam di-

Procera arbor.
Humilis frutex.
Humilior genus duplex.

minutiuâ voce Tamariscum vocat, cuiusque in Germania duplex genus inueniri ait: alterum solidiore ligno, medullâque admodum exili, & foliis tenuioribus, copiosè ad Rhenum circa Argentoratum nascens: alterum ampliore medulla, foliis latiusculis, lignóque non vsque adeò solido, quod frequens in Danubii & VVertachii ripis in Vindelicia proueniat, præsertim iuxta Augustam. Hæc Cordus.

1.
2.

Myrica Narbonensis & Germanica discrimen. Addit C. apud Matth. differre Narbonensem à Germanica, illam exiguos habere flosculos, non papposos sed rotundos, ex albo punicantes, & acinulis subsilientibus à vermiculo intus orto agitatos: hanc verò flores producere tomentosos & papposos purpureos, qui vnà cum semine diffluant.

Vatidica. Legitur apud Nicandri interpretem in theriacis, Apollinem Vates sanxisse mirifica pronunciare mortalibus futura, virgis myricinis vtentes: *Mantis.* ac propterea hunc fruticem Nicander *Μάντιν*, *vatem* vocat. Apollo inde in Lesbo tenebat manu virgas myricinas, quare *Myricem* dictus. Et plerisque locis virgarum vi Dion antiquos fuisse vaticin tos scriptum reliquit. Legimus prætere a Magos virgas vertisse in Dracones, & miracula à Mose vi virgarum facta, quæ certo diuino afflatu fiebant, non magico, vt impiè Plin. opinatus fuit, magices factionem à Mose memorans. *Plin. impia opinio.*

Epitheta. Poëtæ suis epithetis Myricam non tam adornant, quàm ipsi detrahunt, non enim perpetuò est *tenuis, fragilis, tenera, sterilis, syluestris, parua, & humilis*. Virgil.

Non omnes arbusta iuuant, humilésque Myricæ.

Nomina linguar. ΜΥΡΙΚΗ, Lat. etiam *Myrice*, *Myrica Tamarix* in Corintho, nonnullis etiam *Amarix*, Plin. etiam *Tamarice* [in Achaia *Bria sylu.* Trago. Hist. Lugd. & Clusio, sed falluntur meo iudicio, nec id Plin. lib. 13. c. 21. asserit] Offic. *Tamariscus*: Octauio Horatiano *Murica*, Arab. *Tarfa* seu *Carfa*. Serap. *Carmezit*, Auerth. *Alcarphar*. Germ. Tamarischenbaum oder holtz / Portz / aut Birthenbentz. Belg. Tamarischen boom / Gall. *Tamarisque*. Ital. *Tamarice*, *Tamarigio*, aut *Altarse*. Hisp. *Taray*, Castell. *Tamariz*, Catal. *Tamaril*, Portug. *Tamargueira*, Lacun. Angl. Tamarick tree. Boh. Tamaryssk. *Lapsus Hist. Lugd.*

Aequiuoc. Et vt iam Tamaricis siue Myricæ æquiuoca dicamus, quod vnum reliquum est: Tamarix siue Myrica Narbonensis & Italica, cum Tamarice Germanica fruticosa itémque Tamarice Aegyptia gallifera malè à quibusdam commiscentur. Ericam quoque nonnulli confundunt cum Tamarice, vt alibi demonstratum. Turnerus annotat, cùm scribat Theophr. & Diosc. Ericam folio esse Myricæ, toto cœlo errare Londinenses, quòd cortices Sorbi Aucupariæ pro Myricæ corticibus, vsurpent, cùm nulla eis intercedat similitudo: Imò, inquit idem, rectiùs Erica [cortex radicis] substituetur Myricæ, quàm Sorbus, quòd Dioscorides eam proximè Myricæ subiungat, solitus plantas facie & viribus consimiles coniungere, & quòd apud Æginetam in remediis splenicis sæpè legatur Erica. Minùs congruè ponitur pro Myricà Marina. Tandem apud Dodon. Gall. ignaris quibusdam Pharmacopœis Taxus Tamariscus est. *Fruticosa Germanica Aegyptia gallifera. Erica. Sorbus Aucuparia. Myrica Marina. Taxus.*

At ab vniuersalibus ad particularia descendamus.

TAMARIX MAIOR SIVE ARBOREA NARBONENSIS.

Descriptio Ericafacie. VVlgatiorem prorsum, inquiunt Pen. & Lob. Aduersfaciéque Ericæ videas, præcipuè in-

riguis & maritimis Galloprouinciæ & Lio Venetorû, in cotonei magnitudinem, caudicémque abire, è quo ad splenes detornantur pocula. *Locus. Vasa è Tamarice.* Narbonensi autem ramosi exigui flosculi, nec papposi, sed rotundi Oleæ, ex albo punicantes sunt, & acinulis quos interdum totum triduum Soli obiectos obseruauimus subsilientes & tripudiantes, vermicello intus orto agitante, & tripudii authore, qui pertusis & desilientibus tandem granis foras prodibat. *Narbonensis descript.* Hanc sic describit: Myrica syluestris magna ex parte tantummodò fruticat, interdum in vastam arborem adolescit: scabro caudicis cortice, ramorum verò punicante: folia habet Cupressi, aut Ericæ humilis vulgaris, coloris ex viridi ad cinereum tendentis: flores extremis ramis in oblongis pediculis confertos & racematim compactos exiguos foris purpurascentes, cùm expansi sunt, candidos, quinque foliolis constantes: qui deinde in exiguum semen tomento inuolutum efformantur, exiguis veluti valuulis inclusum, quibus maturitate dehiscentibus effluit, vt in Salice, Populo & similibus. Ter plerumque in anno floret, Vere, Aestate, Autumno: recentibus floribus semen iam euanescens semper subsequentibus. *Descriptio Clusii. Myrica sylu. Cortex. Folia. Flos. Semen. Ter floret. Plin. error.*

Hanc Plinius inter eas recenset, quæ nullum fructum, imò ne semen quidem proferunt: cùm tamen Dioscorides illi fructum tribuat compage muscosum.

Myrica sylu. Myrica, quæ alibi reperitur in hortis mitior credita, non alia est, quàm syluestris, in loca mitiora translata. Cuius rei certo sunt indicio fructus & flores, quos omninò syluestribus similes profert. Vmbrâ arboris, insigni proceritate, sæpè per Aestatem Romæ se Matth. oblectatum fuisse recordatur ad Tiberis ripas, in hortulo quodam hospitalis S. Spiritus: quæ etsi domestica haberetur ab omnibus: florem tamen & fructum ferebat syluestri similem. *Arbor magna Romæ.* Myricæ radices pro odorata cassia venditabant impostores. Sed postquam fraus à peritis medicæ materiæ viris deprehensa est, eius in officinis vsus penitùs exoleuit. *Pro cassia odorata. Radix vendita.* Camer. in hort. & Hist. Matth. posuit nouam figuram & vocat Myricam, siue Tamaricem Gallicam & primam: meminit eius ex Pena & Lobelio. *Tamarix Gallica.* De qua Tamarice siue Myrica loquatur Lacuna non demonstrat, licèt figuram Matthioli habeat. Lob. & Penæ Adu. & Icon. Plant. Tamariscus Narbonensis. Clus. Hisp. & in fol. Myrica syluestris prima. Pann. Gallica aut Hispanica Tamarix. Alpin. Tamaricis syluestre genus, Italiæ notissimum. Iac. Theod. Hist. Lugd. & C. Bauh. apud Matth. [cui & Myricæ 2 & Tamariscus Narbonensis] Tamarix Narbonensis.

Locus & tempus. Myrica circa Monspelium Gesn. hort. Myrica Cæsalp. Dodon. Lat. in fol. huius iconem exhibet, titulo, Tamaricis ramulus cum floribus. Eam tamen

men à Germanica fruticosa non distinguit. Tamarix autore Fuchsio Lugduni impresso in Gallia Narbonensi luxuriat, nunc etiam in hortis regiis, quos fons Bellæ aquæ irrigat & in hortis Bellai Parisiensis Episcopi. Est & insignis proceritatis Romæ ad Tiberis ripas in hortulo quodam Hospitalis S. Spiritus: item in fluminum ripis frequentissima in Italia.

Diosc. not. Quare non potuit Matthiol. non mirari Dioscoridem: quippe qui dicat tantùm nasci Myricam apud paludes ac resides aquas, cùm oppositum sanè veniat in Italia. Quod ipsum sæpiùs adduxit vt crediderit aut Dioscoridis codicem hoc loco deprauatum esse, aut in Græcia secus quàm in Italia Myricam oriri. Nascitur plerumque iuxta flumina, aliquando satis etiam procul ab illis. Obseruabat & in Narbonensi Gallia Clus. stagno *Volcarum* vicinam: nusquam tamen ampliorem vidisse meminit, quàm supra Madritium Regum Hispaniæ Regiam, planitie multis huiusmodi arboribus consita, non procul à fluminum Xarama & Henares confluentibus sub Compluto: Hispanis, *Alcala de Henares* nuncupato, quòd fluuius Henares eam vrbem alluat: magnæ tamen istæ arbores, quas hominis vlna amplecti vix potuisset, diuersum florem non ferunt ab eo, qui in fruticantibus duntaxat Tamaricibus prouenit. Frequens etiã hæc est Belgicis hortis. Nusquam eam, neque in Hispania, neque in Gallia, perpetuâ comâ virentem vidit, sed nouo Vere singulis annis, noua foliorum germina proferentem. Myricam Gallicam diu in hortis durare, modò Hyeme reponatur, testatur Camer. Is etiam huius Tamaricis magnas vidit arbores Monspelii atque Lutetiæ.

TAMARIX GERMANICA, SIVE MINOR FRVTICOSA.



Descriptio *Radix.* *Cortex.* Aquas amat Tamariscus nostras, radice crassâ, & quæ crus æquet crassitudine, cortice crassiusculo insigniter amaro tecta, quæ multam stolonum veluti segetem emittit virgultorum fragilium, purpurascente cortice obductorum, & in frequentes ramos diuisorũ: *Folia.* per quos folia longâ cohærent serie, Ericæ vulgaris, maiora quàm Tamaricis *Color.* Monspeliensis, duplice versu ascendentia, coloris ferè glauci, sapore adstringenti, longitudinis palmaris aut semipedalis: *Flos.* Flores spicatim in extremis ramulis digesti, foliolis constant externis *Caliculi.* virescentibus, aliis purpurascentibus, apicibus in medio luteolis: sequuntur calyculi, siue pericarpia mucronata, triquetra, quibus dehiscentibus pappus euolat delicatissimus, candidissimus, *Pappus. Semen.* appenso semine minutissimo, coloris rari.

Clusius qui eam vocat Myricę speciem alteram & Myriam Pannonicam, ait magnum esse fruticem, nunquam arborescentem, brumam tamen ferentem, flores ex albo purpurascentes, quinque foliolis constare Gallicæ Myricæ maioribus: virgas acquirere crassiores, quàm arboreæ: ex minusculorum foliorum, surculos ambientium, alis, enasci alios ramulos, qui sint exiguis foliis onusti. *Myrica Pannonica Clusio.*

Tamariscum fruticem lignosum pingit Tragus vocans eam cum Lacuna ac Gesn. hort. Myricam Fuchs. Tamaricem syluestrem: Dodon. Gall. Myricam humilem, *petit Tamarix*, Tabern. & Dodon. Latin fol. Tamaricem: Turner. Myricam [hi duo iconem Fuchsii habent, quæ nobis videtur nimis arborea, nec ita prouenientem obseruauimus] Tamariscum Germanicam cognominat Lob. Adu. & Icon. Plant. Hist. Lugd. & Casp. Bauh. apud Matthiol. cui & Myrica prima dicitur. Cord. in Dioscor. Tamaricem humilem, in hist. Tamariscum fœminam. Lobel. Obs. Anguill. Lonic. Brunfels. Tamaricem. Quam Amatus intelligat Tamariscum nescimus, pictura ei apposita est Tamaricis minoris. Camer. hort. Myrica siue Tamariscus altera: ad Matthiol. Germ. Tamarix secunda vulgaris: à qua Clusii Pannonicam separat, quam minorem fruticosam vocamus, quod non existimamus faciendum.

Locus. Copiosè ad flumen Dräsen, ante D. Hippolyti vrbem, vulgò S. Pelten nuncupatum, octo à Vienna Austriæ inferioris vrbe milliaribus distantem crescit: ad amnem etiam Schwartze, oppidum Neukirche alluens binis supra Neapolim Austriæ milliaribus, præsertim arenosis illis locis, quæ hyeme ab iis amnibus inundantur. Obseruatur & circa ipsam Austriæ Metropolim Viennam, iuxta Danubium arenosis illis locis, qui Pontibus longis [den langen Prücken] adiacent. Extra pagum quoque Dornbach non procul à sylua in riguis conspicitur.

Tempus. Floret Maio & Iunio ac deinceps tota ferè æstate flores & semen proferre non desinit. Huic similem, quibusdam Germaniæ locis ad Rhenum fluuium, & in Tyrolensi comitatu nasci intelligit Clus. Frequentem etiam vidit ante paucos annos Londini in aliquot hortis. Miror Lobelium scribere plerumque in hortis Angliæ brumâ perire, cùm, autore Turnero in Anglia non crescat. Fuchs. copiosam vidit in Germania ad Rhenum & Isarum. Turnerus præterea in Italia in insula inter Francolinum & Venetias: in Rhetiæ lapidoso quodam loco, quem Rhenus interdum quotannis inundat. Camer. in hort. pag. 10;. Tamariscus siue Myrica in Germania passim ad Danubii ripas crescit, non facilè culturam hortensem recipit, nisi ad aquas collocata. Secus profluentes amnes, ac quandoque exorbitantes fluuios, non rarò etiam circa paludes [nascitur inquit Dodon.] solo frequenter saxoso: humidiores siquidem & lapidosos amat tractus. Feliciter In horto E. C. Montb. prouenit, plantata floret, & flores in pappos resoluuntur. Quum essem Horburgi curaui adferendas plantas ex ripa Rheni, vbi abundat, aliquot annis durauit, tandem periit: iterum inde delata durat & semen profert, ex qua etiam in horto proueniunt plantulę. Vidi satis magnam & copiosam ad Rhenum propè Brisacum vrbem & circa Neoburgum inter Brisacum & Basileam. Frater Casp. Bauhinus copiosam inuenit in Huningen ad Rheni littus non longè à Basilea. Vidi adferentes Basileam, virentem, Pharmacopœis. Obseruaui non longè à Geneua florentem Iunior Tiguri, Lugduni: Patauii. Episcopatum Salisburgensem Tamarisco luxuria-

te argumento esse possunt doliola, quę Vennam vsque inde venalia è ligno eius artificiosè concinnata deferuntur.

TAMARISCVS ÆGYPTA GALLIFERA.

Descriptio

TAmariscis domesticũ genus in Aegypto, authore Alpino, spectatur, proceritate, figuráque admodum à syluestri diuersum, quòd ad magnæ Oliuæ magnitudinem crescat, audióque etiam supra Ægyptum in loco *Sabit* ab iis populis vocato, crescere ad magnæ Quercus magnitudinem, cuius ex lignis carbones faciũt, quibus tota Aegyptus & Arabia vtitur, ex quo etiam ligno multa vasa conficiunt, ad multorum ægrotantium vsum. Folia fert syluestris Tamarisci foliis proxima tamen longiora & graciliora apparéntque multa capillamenta viridia, qualia in aliquibus equisetis visuntur, ramo appensa, semper virentia, fructus fert paucos, raros, virides, Nucum magnitudine, duros, lignosos sine nucleo, & videntur eiusdem substantiæ esse cum gallis: omnes verò figura intêr se differunt, quanquam in omnibus aspera & inæqualis obseruetur, quando alii longi, alii breues, alii rotundi, alii laci, alii crassi, alii quę graciles existant.

Locus. Carbones. *Vasa. Fructus sylu. Galla.*

Synonyma Tamaricem hanc Diosc. *ἥμερον*, siue satiuam aut vrbanam nominat, & fructum ait proferre, Gallis persimilem, gustu inæqualiter adstringentem. Tamarices præaltas, & aliarum arborum instar magnas, se Pet. Bellon. Obseru. vidisse refert: & locis quidem quandoque humidis secus flumina: non rarò verò etiam in aridis & sabulosis, vbi nulla alia nasceretur arbor, quæ Gallas, incolis *Chermesel* dictas, subinde adeò multas è ramis dependentes ferrent, vt onere earum grauatæ ferè fatiscerent. Alpino dicitur alterum Tamaricis seu Tamarisci domesticum genus, *Atle* vocatum in Aegypto: Fuchs. Hist. Myrice siue Tamarix altera satiua in Syria & Aegypto. Clusius Myricam satiuam à Diosc. mitiorem vocatam nunquam conspexit. Dodon. Gall. Tamarix magna arborescens, fructum instar gallæ proferens, Neotericis adhuc incognita. Camer. apud Matth. Germ. Tamaricis genus satiuum Dioscoridis, quod inuenit Bellonius in Aegypto, vbi humida amat & arenosa.

Atle Aegypti Tamarix satiua.

Locus. In Aegypto autem ac Syria hanc gigni, author est Dioscorides, in Tylo & Arabiæ insula Theophrastus. Quarum, inquit, lignum, non vt apud nos Græcos imbecillum, sed validum veluti Ilignum [*πρίνινον*] aut aliud quoddam forte.

Vires Tamaricum. Verùm enimuero, cùm omnia, quæ hactenus tractauerimus ad Theoreticam disciplinam spectare videantur: Et nos ob solam scientiam, quantùm quidem possibile semper fuerit, ne minima dicta velimus, ideóque ad operationem, tanquam ad communem finem, nostra dirigamus, iure merito, Vires & vsus, quibus amissa hominis sanitas, instauratur, præsens verò conseruatur, hoc in loco dicenda supersunt. Fructu gallæ proximo, inæqualiter adstringente gustu, conuenienter vtitur Dioscorides, vice gallæ in medicaminibus oculorum, orísque. Datur cruentæ excreationi in potu, & cœliacis, & contra profluuia fœminarum, regium morbum, & phalangiorum morsus: illitus tumores inhibet. Cortex in eosdem vsus adhibetur. Decoctum foliorum cum vino potum, lienem absumit, ad dolorem dentium in collutionibus salutare, & mulieribus fluxioni vuluæ opportunis in desessionibus, phthiriasi, lendibúsque circumfusum prodest: abundantiam fœminarum sistit impositus arboris cinis: potorios calices à caudice lienosis moliuntur, quo datus in his potus proficiat. Myrica dicitur apud Plinium sanari Carcinoma, in vino decocta tritáque cum melle illita. Ad lienem præcipua est, si succus eius expressus in vino bibatur. Adeóque mirabilem eius Antipathiam contra solum hoc viscerum faciunt, vt affirment, si ex alueis factis bibant sues, sine liene inueniri. Et ideò homini quoque splenetico cibum potúmque dant in vasis ex ea factis. Grauis author in medicina, virgam ex ea defractam, vt neque terram neque ferrum attingeret, sedare ventris dolores, asseuerauit impositam, ita vt tunicâ cinctúque corpori apprimeretur. Lignum autem & flos, & folia, & cortex in eosdem vsus adhibentur, quanquam remissiora. Datur sanguinem reiicientibus cortex tritus, & contra profluuia fœminarum, cœliacis quoque. Idem tusus impositúsque collectiones omnes inhibet. Foliis exprimitur succus ad hæc eadem, & in vino decoquuntur, ipsa verò adiecto melle gangrænis illinuntur. Decoctum eorum in vino potum, vel impositum cum rosaceo & cera eas sedat. Sic & epynictidas sanat. Ad dentium dolorem, aurúmque, decoctũ eorum salutare est: radix ad eadem: similiter & folia. Hæc ampliùs ad ea quæ serpunt imponuntur cum polenta. Semen drachmæ pondere aduersus phalangia & araneos bibitur. Cum adipe verò pingui furunculis imponitur. Efficax & contra serpentium ictus, præterquàm aspidum. Nec non morbo regio, phthiriasi, lendibúsque decoctum infusum prodest, abundantiamque mulierum sistit. Cinis arboris ad omnia eadem prodest. Aiunt si bouis castrati vrinæ immisceatur, vel in potu vel in cibo, Venerem finiri. Carbóque ex eo genere vrinâ eâ restinctus in vmbra conditur: idem cùm libeat accendere, resoluitur. Magi & id ex spadonis vrina fieri tradiderunt.

Galla Myricae Vsus Oculi. Os. Regius morbus. Venenum. Tamarici Corticis & Foliorum decoct. Lien. Dolor dentium. Lendes. Calices. Carcinoma. Mira de Myrica. Sues sine Liene. Splenetici. Ventris dolor. Sanguis. Profluuia fœminarũ. Succus. Folia. Gangrænæ. Epynictides. Aurium dolor. Radix. Serpentia. Dosis seminum. Furunculi. Serpentium ictus. Phthiriasis. Cinis.

Myrice iuxta Galenum abstergentis est ac incidentis facultatis absque perspicua desiccatione: habet verò etiam adstrictionem nonnullam. Has ob qualitates facultátésque admodum prodest lieni indurato decocta cum aceto, aut vino: siue radice, siue foliis, siue extremis ramulis decoctis. Sanat porrò dentium dolores. Cæterùm, fructus & cortex non paucam sortita sunt adstrictionem, adeò vt gallæ Omphacitidi proximæ sint, nisi quia acerbitas euidens est in galla, & Myricę fructui temperatura inest inæqualis: immissa enim est naturæ eius multa partium tenuitas, atque via abstergendi: quod sanè gallæ non accidit. Attamen vbi galla ad manum fortè non erit, ea vti licet ad omnia, ad quæ illa vtimur: ad eadem & cortice. Porrò Myricę combustæ cinis admodum desiccatoriæ facultatis est, plurimam habens abstergendi

Temperies. Lien. Dentes. Galla. Myrica cinis.

stergendi

stergendi & incidendi facultatem, pauxillum adstringendi. Sues si quando æstate splenis incremento laborant, iis succurri scribit Columella, si fabricentur canales ex Tamaricibus, & Rusco, repleantúrque aqua, & deinde sitientibus admoueantur: quippe ligni succus medicabilis, epotus intestinorum tumorem compescet. Sed forte legendum vt monet Thyrs. ex Ruellio, canales Tamaricis è trunco & non è Rusco, qualem habet Tamarix maior arborea. Quod verò Diosc. & Plinius de vasis & calicibus ex ea factis dicunt, hoc aliquantò propius hodie, teste Cornario, cernitur, ab his qui in superiore ad Rhenum Germania vina Tamariscina appellata, ex virgulis Tamaricis præparant, quæ splenicis vtiliter bibuntur. Quanquam apud Constantinum Cæsarem Cornarianæ translationis in eundem vsum vini primis Myricæ superfusi potus magis probetur. Hippocr. porrò cùm lib. 2. m. m. ... bis habet, Corn. ea voce Myricam accipit, ac posteriore quidem loco ad suffitus, vbi vteri transmotus pressserint, probat: priore verò vbi pertinacior fuerit eorum fluxus. Porrò Myricæ cinerem omnia vlcera ignis exustione contracta, efficaciter exsiccare author est Serapio. Folia quoque, vt notat Matthiolus ex Alcanzio Arabe simul cum tota planta fotu frigidas collectiones inhibent, ac reprimunt. Elephantiasim ex lienis vitio obortam Myricæ radicum decoctum & cum passis vuis epotum sanat; id quod se vidisse in duabus mulieribus, quæ hac labe laborarunt. Ex quo illi persuasum est, id non incongruum in Gallica peste fore medicamentum, Guaiaco forsitan ligno non absimile. Vtus, inquit Prosp. Alpin. de plant. Aegypti cap. 9. Tamarice tum in Aegypto, tum magis supra Aegyptum, vbi harum arborum copiosus est prouentus, est, ad ignem maior, quando ferè nulla alia ligna ad comburendū habeant. Folia huiusce arboris vsum habent ad lienem induratum obstructum, & refrigeratum. Vasáque ex ligno, vt dictum est, conficiuntur, quibus lienosi vti consueuerunt: ob eorumque multam, quæ ex hoc ligno habetur, ad id morbi genus vtilitatem mirari non debemus si Plinius (quod tamen fabulosum est) dixerit, Sues assuetos cibum capere in vasis è ligno Tamarisci confectis, Liene carere: mulieres decocto ex cortice parato vtuntur per os sumpto, ad sistendas menstruas purgationes, ex quo parant etiam insessiones, & clysteribus in vterum iniiciunt decoctum. Idem quoque fructus facere aiunt: iis siquidem vtuntur in sputo sanguinis, in Lienteriis & in menstruis plus iusto fluentibus, atque hæmorrhoidarum immodico fluxu: dentes etiam commotos atque collabentes ipsorum decocto firmant: atque in iis concitatum dolorem demulcent. Vtuntur etiam ad oculorum lippitudines incipientes, in collyriis, atque ad oris vlcera. Cinis quoque corticum & fructuum vlcera curat. De ligno verò multi decoctum, non secus quàm nostri ex ligno Indo ad curandam Luem Gallicam facere soleant, parant, quod exhibent leprosis, scabiosis, atque aliis multis, pustulis & vlceribus affectis, fœliciori cum successu. Idemque faciunt in Melancholicis, Ictericis nigris, & Hydropicis ex refrigerato, obstructo ac indurato liene concitatis. Ex Arabum dictis rectè Turnero videtur Matthiolus colligere, vtiliter posse contra luem veneream præparari Myricam sicuti paratur Guaiacum. Non autem in eum duntaxat vsum præparari vult Turn. sed etiam aduersus omnes morbos splenicos. Probatur verò ipsi vinum Myricæ.

Canales. Intestina. Colum. corrigitur. ... Vinum Tamariscinum. Pr... Hipp. Cinis. Vlcera. Folia. Elephantiasis. Lues Venerea. Guaiaco simile lignum. Folia Lien. ... Fructus. Lienteria. Oculi. Decoctum. Lepra Scabies. Melancholia Icterus Hydrops.

ERICA IN GENERE.

Cap. II.

Quoniam iam de Tamariscis iam verba fecimus, de Ericis deinceps disseramus. Erica siquidem (Ἐρείκη) Dioscoridi lib. primo arbor est fruticosa, similis Myricæ (Μυρίκη) sed multò minor, cuius flore vbi apes vtuntur, mel non bonum efficiunt. Huius coma & flos imposita, serpentum morsus sanant: lib. verò. 3. *Corin* esse scribit folio Ericæ pinguiore ac minore. Contra Theophrastus inter frutices numerat, qui cacuminibus fructum ferunt. Ericen quoque apud Plinium lib. 24. cap. 9. Græci vocant fruticem non multùm à Myrice differentem, colore, Rorismarini & penè folio. Hunc aduersari serpentibus tradunt. Idem Plin. lib. 11. memoriæ prodidit post primos Autumni imbres Ericem [Erithacem C H] solam florere in syluis, ac ad æquinoctium quidem plurimam esse: Athenienses *Tetralicem* appellare, Eubœam verò *Sisaram* (Sisarum alii cum Varrone) quam putent apibus gratissimam, fortassis quia nulla tunc alia sit (florum) copia.

Dalechampius notat Plinium, ac dicit aliam esse spinosam & aculeatis foliis pungentem Tetralicem, Theophrasto cap. 4. lib. 6. hist. memoratam.

Quod apud Hermol. habetur Theophrastum quemdam fruticem appellare Tetralicem, non Tetradicem, falsum est. Sed Tetralicis æquinoctiones & Theophr. verba petes ex lib. Hist. n. 2°. Is porrò Ericen apud Venetos Tamaricem siue Amaricen vocari scribit. Quod si verum, non absque graui errore duas distinctas plantas confundunt. Alii *Quadrangulam*, *Quadratam*, & *Amaricum* (nam & Columella flores Amaricinos dixit, pro quo rectiùs Ericeos legi posse existimat Tragus, imitatione Pliniana) vocant. Sed errat Tragus qui Dioscoridis Ericam Genistellam esse credit.

Confidentes nimis Anguillaræ non videntur veræ quæ demonstrantur Ericæ. Nomenclator Hadr. Iunius confundit Ericam cum *Brya syluestri* Plin., qui nostro iudicio, eas ab inuicem voce disiunctiua [&] diuersa esse tradit, ita enim inquit lib. 13. cap. 21. Tragion fruticem sola Creta insula gignit: Tragion & Asia fert, siue Scorpionem &c. Myricen & Italia, quam alii Tamaricen vocant: Achaia autem Bryam syluestrem. Adde Plinium Bryæ non meminisse alibi, vbi de Ericæ nominibus egit, nec hoc capite Ericam nominare. Nimiùm etiam audacter Tetralicem Theophrast. vocat, quæ ab ipso inter Carduos recensetur, quamque alibi separatim nominat. Ipsum quoque annotare decebat officinas, quibus Genistella dicatur. Is prætereà *Ericen* & *Ericam* in genere vocari scribit. Græcè ἐρείκη, Germ. Heyden/ Belg. Heyde/ Gall. *Briere*, *Bruyere*, Ital. *Erica*, Hisp. *Quera*. Angl. addit Lob. Heth/ Boh. Wres. Matthiol.

Nomine Ericæ plures hodie plantæ occurrunt, quas recensere placitum esto. Est autem vti ex iam dictis colligere licet, & ex dicendis clarius fiet, duûm generum. Quorum primum Tamarisci folio est. Et huius duæ sunt species, scilicet *Erica vulgaris humilis* semper virens, flore purpureo & albo. *Erica tomentosis & incanis* foliis. Alterum *Corios* est foliis, duûm quoque generum: quorum vnum bacciferum de quo lib. 5. alterum non bacciferum, de quo hoc libro. Est hoc plu-

Arbor Diosc. Myrica similis. Vires. Coris folio. Frutex Græcorum. Colore & folio Rorismarini. Erice. Erithace. Tetralix. Sisara. Plinius taxatur. Tetralix spinosa. Hermol. lapsus. Tamarix. Amarix. Venetorum error. Tragi error. Anguill. reprehenditur. Hadrian Iunius multiplex lapsus. Nomina Linguarū. Aequiuoca. Erica duo genera. Tamarisci folio. Erica Vulgaris. Erica tomentosis foliis. Coris folio. Bacciferum. Non Bacciferum.

Species plures. rium specierum magnitudine, foliorum & florum formâ, coloreque inter se differentium. Alia enim est Erica flore albo. *Erica flore albo.* Alia foliis quaternis flore purpurascente. *Purpurascente.* Alia item foliis quaternis floribus herbaceis, deinde ex albo purpurascentibus: *Ex albo purpurascente.* & alia multiflora. *Multiflora.* Variat à dictis arborescens floribus luteolis, vel herbaceis minimis. *Arborescens flore luteolo.* Ludit item arborescens Monspeli. flore purpurascente, ramulis ternis. *Arborescens flore purpur.* Humilior est ramulis ternis floribus saturatioribus purpureis. Diuersa est quoque ramis & foliis Corios, ternis floribus ex rubro purpurascentibus maioribus. *Ex rubro purpurasc. flore.* Nec vna ex iam dictis est, foliis Corios flore purpureo dilutioris coloris. *Flore diluto purpureo.* Recedit ab his Brabantica folio Corios hirsuto quaterno. *Brabantica folio quaterno.* Degenerat parua foliis Corios quaternis, flore herbaceo, foliaceis capitulis. Nec eadem est parua Pannonica foliis ternis, flore carneo, capitulis Thymi. *Pannon. capit. Thymi.* Est & parua Anglicana capitulis hirsutis. *Anglicana cap. hirsutis.* Ad ἐρείκην autem Græcorum, Ericam seu Ericen Latinorum referendas esse has omnes plantas, præsertim ad id genus quod est Coris folio, censemus. His se iungit *Erica peregrina* Lobelii, ac eiusdem *peregrina altera*, itémque Ericæ ramis & foliis Corios ternis floribus ex rubro purpurascentibus maioribus, frutex affinis, cum suffrutice *Tamaxi* nuncupato. *Peregrina Tamariscus.*

Cæterùm Ericam confundi cum Tamarisco diximus antè. Cur præterea Matth. *Vaccinium palustrem*, Ericam bacciferam indigitet, vide lib. 5. *Vaccinia palustris.* Erica baccifera latifolia Tabernæ. An Viti Idææ affinis radix Idæa, de qua lib. 15. *Viti Idææ affinis radix.* Erica Alexandrina Italorum tradetur lib. 26. sub Sesamoide minore Dalechampii. *Sesamoides minus.*

Erica Alexandrina, Sesamoides maius, est ea herba, quæ *Tarrantaire* appellatur, de qua lib. 5. *Tarrantaire.* Erica minima, Chrysanthemis Lobelii, est nobis Helianthe tenuifolium, de quo lib. 13. *Helianthe tenuifolium.* Genistellam aculeatam Ruellius apud Tragum Ericam quorundam esse tradit, magno sanè errore. *Genistella aculeata.* Genistam [angulosam] ad Ericam Dioscoridis pertinere securè nimis Tragus credidit. *Genista angulosa.* Rosmarinum syluestrem, teste Matthiolo, volunt aliqui esse Ericam Dioscoridis, sed falluntur. *Rosmarinus sylu.* Ex his igitur palàm est plura esse Ericæ genera, de quibus in posterum agemus.

Vires Vires prosequitur Galen. Erice, inquit, digerendi per habitum facultatem obtinet. Flore eius potissimùm ac foliis vtendum: Addit Paulus lib. 7. Ericen vi pollere discutiente citra morsionem.

ERICA VVLGARIS, HVMILIS SEMPER VIRENS, FLORE PVRPUREO & albo.

Descriptio *Radix.* FRutex humilis est nostra vulgaris Erica, radicibus longissimis, fractu contumacibus, spadiceis, *Virgultæ* virgulta numerosa, lignosa, dura, dodrantalia, aut cubitalia, longioráque, ramosa, *Color* colore itidem spadiceo prædita, vel in nigro rubescentia: *Folia.* folia frequentia, semper virentia, quatuor verticulis squammatim incumbentium foliorum minimorum constant, vt supernè deorsum inspicienti cruces continuæ videantur, ad Cupressum & Tamaricem accedunt, quæ, vt ait Clusius, temporis successu in ramulos efformantur: *Flosculi.* Flosculi veluti spicam exprimentes secundum ramulos à medio ad summum vsque propendent bullati quodam modo, purpurascentes, vel, vt ait Clusius, elegantissimo purpuræ dilutioris colore, interdum albi. *Color.* Trago perbreuibus petiolis appensi, è quatuor foliolis componuntur, quorum medium occupant apices crassi.

Fuchsii figura non placet, folia enim sunt latiora: Is in Hist. *Ericam* vocat, in Icon. verò *Ericen*.

Buchan. in Hist. Scot. Ericæ meminit, vt ait Camerarius, ex qua lecti parantur, vnde suspicamur Ericam potius intelligendam esse minorem, de qua hoc capite agimus, quàm Italicam.

Erica à nostris ait Cornar. ac cum eo Cordus Heyde appellatur, quanquam Lenæus apud Plinium Myricam etiam Ericam vocet, & ob similitudinem quandam, vtrasque inter se confundant, quod ipsum Palladius lib. 12. cap. 8. fecisse quoque cognoscitur, vbi de Tamarisco tradit, quod Plin. l. 11. cap. 16. de Erica dixit. *Error Palladii.*

Dodon. Gall. dubitat an forte sit Selago Plinii. *An Selago.*

Iis assentitur Tragus, qui Myricam Hieremiæ [Areat. cap. 17.] de hac planta interpretantur. *Myrica Hieremiæ.* Concludit autem Tamarisci exiguum genus esse: nec enim Ericam nostram eam esse opinatur, quam Veteres hoc nomine appellarant, sed Genistellam, qua in re errat. *Tamariscus Error Tragi.* Est hæc Ericarum 1. genus Clusio. Hisp. & post. Hist. Eryca Myricæ seu Tamaricis folio, quam Hisp. *Quiribuela*. Lusit. *Queiro* appellari scribit. Germ. Heyden. Hungar. Teli zöd i. e. Hiemale viride. *Hiemale viride.*

Lob. & Pena Adu. Erica vulgaris folio Myricæ, saxosis tamen Angliæ occiduæ exilior, tota sesquipalmaris, sed densior fruticans &c. Obs. Vulgatior humilis Septentrionalium & Meridionalium Erica folio Myricæ. Turner. Erica Dioscoridis. Thal. Harc. Erica vulgaris: Eadem tenerior ac foliolis multò tenuioribus.

Cæsalp. Scopa frutex in incultis, foliolis perpetuis, flosculi concaui, vt in Arbuto albi aut purpurantes. *Scopa. Descriptio Cæsalp.* Eius differentiæ plures: nam quædam flosculos in quatuor particulas dissectos fert, quædam tanquam minuta granula habet, virentia, quæ nequaquam dehiscunt: frutice quoque distant, magnitudine & paruitate, & inter eas quædam ramos humi stratos fert circa stagna maritima.

Frustra ponit duas figuras Taberna, vnam titulo *Erica*: alteram, *Erica alba*. *Taberna. not. Selago.* Gesner. de collect. stirp. Erica vel Selago. Item in Catal. plant. *Erica*, Officinis *Genistella*. Genistellæ nomen non placet: Ea enim multùm differt ab Erica. Nescio an ab Erica vulgari differat, quàm Gesnerus de coll. stirp. vocat Ericam montanam.

Euch. Roeslin in Herb. Heyd, Erica, Myrica. *Genistella.* Robert. Constant. in Lexico hanc recipere videtur, cùm ait, Herbariorum consensus Ericam esse prodit, quæ vulgò *Bruyere*.

Matthiol. Erica ab incolis Goritiensis agri *Griese* vocata. *Erica montana.* Dodon. Lat. in fol. Erica prior. Hist. Lugd. Erica 1. Matthiol. Dodon. Gall. Cordo in Dioscor. Lonic. & Camer. in Epit. & Hist. Matth. Germ. Erica. C. Bauh. apud eundem Erica 1. folio Tamarisci. Erica Dioscoridis.

Cæterùm, ex adductis autoribus hanc pro vera ac propria Veterum Erica recipiunt, Corn. Cord. Dodon. Turner. Euch. Roeslin. Rob. Const. Matthiol. & Casp. Bauhinus. Nos autem Dioscor. & Veterum Ericam asserere non ausimus quia Dioscor. ait δένδρον θαμνῶδες, ita excrescens, vt possit dici fruticosa arbor. Nondum præterea obseruauimus, nec scimus an competant folia, quæ vult esse Coridi similia. Matthiol. quidem & Cæsalp. Ericæ meminerunt excrescentis, quæ Scopa dicitur: verùm considerandum an bene distinguant à vulgari humili Ericas arboreas. Cæsalpinus sanè dum dicit plures differentias, nostras,

ſtrus arborem nomine Scopæ potiſſimùm intelligere videtur: Lectores, ſi poſſunt, in Cæſalpino ſeparentà vulgari & cæteris adiungant.

Locus & Tempus.

Erica vulgaris abundat circa Montbelgardum. Plantata in horto Ill. E.C. non prouenit. Flore albo aliquando reperi inter Montbelgardum & Beffordiam, quæ etiam plantata in horto periit. Locis vicinis floret Iunio & Augusto. Baſileæ abundat. Circa Geneuam ad montem Saleuæ reperi. Monſpelii in ſylua Aegremont. Cherlerus Geneæ attulit ex Alpibus Spliegel. Septentrionalibus, autore Cluſio, regionibus maximè familiaris, locis incultis, rariùs in calidioribus prouenit. Bis quidem floret, ſed maiore ex parte Autumno tantùm, licèt nonnunquam etiam Vere: Erica folio Myricæ paſſim multarum prouinciarū ſolitudinibus obuia, frequentiſſima per Pannoniam naſcitur.

Vires & Vſus.

Hactenus deſcriptionem, nomina, tempus & locum abundè diximus, nunc ad vires deueniamus. Recentiores (inquit Fuchſ.) Herbam præter antè [ex Veterum ſententia] commemoratas, facultates alias addunt, nimirum florum decoctum, lũborum ac ventris dolores, lenire poſſe. Succum ex foliis, floribúſque elicitum, oculis imbecillibus guttatim inſtillatum, aut foris iniunctum conferre. *Florum decoctum. Ventris & lumborum dolor. Oculi imbecilles.* Sicca Erica ingentes Ouium greges ſaluberrimo poculo nutrit, & à pulmonis, lienis, iecoríſque obſtructionibus præſeruat: harum ſi carnes Galenus guſtaſſet, ait Gorop. inter laudatiſſimas eas enumeraſſet. Nec mel quod de floribus legunt apes, tam aſpernandum eſt quàm Dioſcorides & Plinius ſcripſerunt, Ericæ præſertim flores tumores & collectiones citra caloris alicuius incommodum digerunt. Ericeta Scotiæ, referente Iac. Cargillo, præterquam quòd in vaſtis ſolitudinibus ouium gregibus pabulum præbent, ſupplent in ignibus fouendis ſæpe lignorum vicem. Materiam è terra pulla inculcato ſtramine ex aqua ſubacta leuiter, & alternis Ericæ ſtratis, extrorſum vtrinque ſpectantibus comis, concurrentibus in medio lignoſis radicibus, parietes tum caſarum ruſticarum, tum hortorum artificiosè exſtruunt, qui vinculo ſtraminis & Ericę nec pluuias metuentes, nec atterentium iumentorum affrictibus concuſſi in multos annos durant. Aquam è floribus Ericæ diſtillatam colica laborantibus, præſertim ſi calor & ſitis adſint, vtiliter exhiberi expertus eſt Tragus. Eadem ruborem oculorum tollit & dolorem illorum mitigat. Quidam è recentibus Ericæ floribus, fomenta & balnea ſudatoria conficiunt podagricis & paralyticis membris: perſuadent namque ſibi hoc pacto inueteratos & viſcoſos humores, vnde morbus articulorum oritur, diſſolui & diſcuti. In Hetruria longè magis adoleſcit Erica, fiúntque ex ea Scopæ aptiſſimæ ad mundandas ædes. Aqua in qua Erica decocta ſit, ſumpta tepida tam manè quàm veſperi, triginta dies quinque vnciarum pondere tribus horis ante cibum, valet ad veſicæ calculos comminuendos & expellendos. Verùm poſt id tempus malè affecti in balneum decoctionis eiuſdem plantæ ingredi, atque inibi dum morantur, ſuper Ericam decoctam ſedere debent, idque pluries repetendum eſt. Equidem noui aliquos, inquit Matthiolus, qui ſeruata victus ratione, hoc tantùm potu veſicæ calculum in minimas partes comminutum eiecerunt. Sunt qui ex recentibus Ericæ floribus balneum ſudatorium adornent ad podagram, quo affirmant viſcidam materiam, doloris articularis cauſſam, diſſipari. Camer. Erica vt facie non abludit à Tamarice, ita à multis eodem modo ad ſplenem emolliendum & calculum confringendum vſurpatur. Succus dolores oculorum compeſcit impoſitus. Foliorum Ericæ ſuccus oculorum imbecillitatem ſanat, ſi oculis inſtilletur. Meminit, dum Monſpelii ageret Cluſius clariſſ. virum D. Rondeletium, Regium tum profeſſorem, magno ſucceſſu vſum fuiſſe oleo ex Ericæ floribus confecto ad tollendos herpetes fœdos & iam inueteratos totam faciem occupantes.

Obſeruatio

Monemus hoc in loco conſiderandum eſſe, vtrum omnes arboreæ Ericæ eaſdem facultates habeant, & quæ potiſſimùm ex arboreis Dioſcoridis & Galeni ſit? Illud etiam obſeruandum præcipimus, an quæ Matthiolus recenſet de viribus Ericæ, competant arboreæ potiùs. Cluſius vires iam adſcriptas ſubnectit arboreis, non tamen demonſtrat, cui potiſſimùm conueniant. *Cluſius notatur.* Stutgardiæ pro Erucis cùm Bombyces inuadere volunt parietes Erica vulgari adornant. *Erucæ.*

ERICA MYRICÆ FOLIO, TOMENTOSIS ET INCANIS FOLIIS, Cluſio.

ERica Myricæ folio, priori eſt per omnia ſimilis, paulò elatior, foliis tomentoſis & incanis, flore etiam paulò dilutiore, quam Cluſ. inuenit locis incultis, ſupra Wendeloram Regum Angliæ Regiam. Hanc aſſeruamus inter noſtras ſiccas, ad quam annotatam inuenimus ſimilem huic plantæ eſſe Anglicanam hirſutam Caſparo Bauhino. *Erica tomentoſa.*

ERICA FOLIIS CORIOS, FLORE ALBO.

Deſcriptio

ALterum Ericæ genus, diuerſo à ſuperiore eſt folio: etenim Myricæ folio non reſpondet, ſed Corin, foliorum formâ & ſitu admodum æmulatur.

Iſtius autem generis multę ſunt ſpecies, magnitudine, foliorum & florũ formâ, coloréque inter ſe differentes. Prima igitur omnium quas vnquam Cluſ. conſpexit, maxima, humanam altitudinem interdum ſuperat, fruticoſa admodum, ligno duro, ex rubro nigricante: foliis craſſis & breuibus, quaterno ordine ramos obſidentibus, guſtu admodum adſtringente: flore copioſo, racematim penè totos ramulos occupante, vt interdum maiores rami pedali longitudine onuſti conſpiciantur: eſt autem is flos concauus, veluti exiguũ cymbalum, oblongus, odoratus, pulcher, albus.

Cluſ. Hiſp. & Hiſt. poſt. Erica Coris folio 1. Erica alterius generis prima, Luſitanis *Atorga* vocata. Lob. Obſ. & Icon. Plant. *Erica maior flore albo*,

prima Clusii. Hist. Lugd. *Erica prima omnium maxima Clusii*, Erica prima Matthioli, quam nos aliò referimus. Tabern. Erica Clus. 1.

Locus & Tempus. Nascitur in Lusitaniæ solitudinibus inter Vlyssipponem & Conimbricam celebrem eius Regni Academiam. Inueniebam etiam circa Tagum decimo ab Vlyssippone milliari. Floret Nouembri, Decembri, & Ianuario.

ERICA, FOLIIS CORIOS QVATERNIS, flore purpurascente.

Descriptio. Rami. Color. Folia. Flores. Eiusdem ferè altitudinis cum prima, etiam fruticosa, tenuioribus ramis tamen eiusdem coloris, foliis Corios similiter exilibus, quaternis, ramulos amplectentibus, quorum extremis insident flores oblongiusculi, superioribus similes, colore purpurascentes: Tota etiam adstrictionis particeps.

Aequiuoca. Clus. Hisp. & Hist. post. *Erica* Coris folio secunda. Lob. Obs. Et Icon. Plant. Erica maior floribus purpurantibus, & cum Hist. Lugd. & Tabern. Erica secunda Clusii: Dodon. in fol. Erica altera.

Locus & Tempus. Prouenit iisdem, quibus prima [folio Coris] locis: illâ etiam frequentior & eodem tempore floret.

ERICA FOLIIS CORIOS QVAternis, floribus herbaceis, deinde ex albo purpurascentibus.

Descriptio. Folia. Flores. Color. Præcedentibus admodum similis, sed paulò humilior: Folia maiora & latiuscula aliquantùm, nigrioraque habet, quaternis ordinibus circùm ramulos nascentia, flores plurimos per interualla, secundum ramulorum longitudinem nascentes, superioribus formâ similes, primùm herbacei coloris, deinde ex albo purpurascentes. Tota etiam adstrictoria facultate prædita.

Synonyma. Clus. Hisp. & Hist. post. *Erica* Coris folio tertia. Lob. Obs. & Icon. Plant. *Erica* maior floribus herbaceis purpurantibus & cum Hist. Lugd. & Tabern. *Erica* 3. Clusii.

Locus & Tempus. Supra Vlyssipponem frequens inter superiores, pluribus tamen locis occurrit, vt etiam citra Tagum. Floret autem Decembri & Ianuario.

ERICA FOLIIS CORIOS MVLTIFLORA.



Descriptio. Folia. Inter Ericas meas siccas, est vna à duabus Monspessulanis arborescetibus diuersa, qualem nullâ vidi figurâ exprimi apud Clusium. Huius sanè folia abietina dicas, multis tamê numeris minora; nec enim multò lôgiora & latiora sunt, quam in Icone Matthioli. In siccis superiori parte vna veluti costa apparet, in inferiori duæ, crebra admodum sunt folia, quæ in ramulis vestigia relinquunt, qualia in Abiete, vel potiùs Pino relicta cernuntur, ramuli enim non remanent politi illis decidentibus, vt in Monspeliana nostra arborescente, facilè etiam deciduis, extremitates ramulorum abundant copiosissimis floribus, simul iunctis, vltra folia eminentibus, hi flores plures veluti ex paruis nodis erumpunt, è pediculis paruis & tenuibus pendentes, minores quàm in Monspessulana arborescête, maiores tamen quàm in ea quæ in Italia à nobis visa, magis etiam videntur, ac ex iis apices multi prominent. Siccam nostram conferens cum omnibus descriptionibus & iconibus cui aptiùs respondeat, quàm Ericæ à Matthiolo depictæ sine descriptione, quam ait sibi missam à Fallopio, nullam video. Quare in similem Ericam incident Lectores, perpendent, an eadem sit, de qua sequentes locuti sunt, vel diuersa.

Flores. Clusius in Hisp. & Hist. post. hanc videtur reddere pro Ericæ Coris folio secundæ alterâ specie, de qua ait: Non multùm absimilis Ericæ, Coris folio quæ Narbonensi agro frequens, longiore paulò & copiosiore folio, flore purpureo minore & extremis ramulis confertim stipato.

Huius iconem exhibere videtur Matthiol. in Dioscor. titulo: Erica alia, Et in post. com. Ital. & Hist. Germ. Welsche Heyde, *Erica Italica*. Camer. in hort. *Erica* maior & procerior Italica, cuius meminisse ait Buchananum in Hist. Scotica, quam ego ad vulgarem minorem refero. Hist. Lugd. *Erica* altera à Matthiolo depicta, quæ fortasse non minùs, quàm superior Ericam alteram referat &c. Eius florem apes consectari potiùs credibile est quàm superioris &c. Item postea, secundæ Clusii ferè similis est Narbonensi agro frequens, longiore paulò, & copiosiore folio, flore purpureo minore &c. Hęc videtur Matthioli esse Erica à Fallopio missa. Tabern. *Erica* secunda Matthioli, Heyd. Castor. *item Erica*, arbuscula non multùm differens à Tamarisco, in Tuscia ex ea scopas parant & vocant vulgò *Ericam scopartam*. Erica secunda ramos habet subtiliores, folia longiora &c. Lob. & Pena Aduers. Erica maior Narbonensium Chamæpytheos folio quam si floridam pedibus triuisset in Italia Matthiolus, neutiquam Fallopio, ceu plantam peregrinam acceptam tulisset. Obs. Erica Iuniperi folio, densè fruticans Narbonensis, Erica secunda altera Clusii, & Matthioli secunda Casp. Bauhin. apud Matthiol.

Erica scoparia. *Matthiol. [illegible]*

ERICA ARBORESCENS, FLORIBVS luteolis vel herbaceis minimis.

Descriptio. Lignum. Folia. Ericam hanc ex argumento arborescentem nominamus: in arborem enim excrescit, ligno duro; folia longiora, quàm in arborescente nostra purpurascente: quę facillimè decidunt: flores lutei, vel virescentes, valdè parui. Hæc subcisiuâ opera aliquando obiter memorię caussa annotauimus: quare pleniorem Clusii descriptionem subiicimus. Fruticosa est, duorum cubitorum altitudine, nonnunquam amplior, ligno fragili, foliis tenuibus & minutis, vt in Corruda primâ ferè, viridibus, quę in ramis nonnihil desiccatis facilè defluunt: istius flos reliquis minor est, cauus etiam & coloris herbacei. Nonnunquam extremis ramulis capitula ex multis foliis compacta gignit, non multùm absimilia his, quæ in vulgari & duriore Thymo aliquando conspiciuntur.

Descriptio Clusii. Folia. Flor.

Clus.

Synonyma Clus. Hisp. & Hist. post. *Erica Coris folio quarta*, Lusitanis *Urs* & *Urguerra*: Hisp. *Breso* vocata. Lobel. Obs. & Icon. Plant. *Erica scoparia*, flosculis item herbaceis. Videndum an ad quartam Clusii Ericam sit referenda *Phaua* Græcorum Bellonii Obs. vel ad aliam. Hist. Lugdunensis, *Ericam quartam* Clusii, malè eandem facit cum ea, quam ipsa Hist. pro quarta & depinxit & descripsit. Siquidem quarta Historiæ Lugdunēsis, Erica Monspessulana flore est purpureo, Clusii autem coloris herbacei. Tabern. *Erica quarta* Clusii *Scopa*. An Cæsalpini *Scopa*, granula minuta, non dehiscentia habens?

Locus Obseruauimus nos in sylua Aegremont, prope Monspelium, vnde etiam attulit Gener Cherlerus. Recordamur quoque eandem, vel similem, admodum florentem vidisse nos mense Aprili, in Italiæ monte Apennino, inter Florentiam & Bononiam. Chariss. Frater Casp. Bauhinus attulit nobis ramulos, Patauii collectos, in monte Rua, in quibus apparent capitula Thymi à Clusio descripti, & ramuli terno & quaterno ordine additis his nominibus *Ferula* Patauii, *Selago* Plinii, *Pirrhaa* Theophrasti Guilland. Gener Cherlerus p.m. attulit Nemauso: cum foliis in capitula glomeratis. Vulgaris est, autore Clusio, toti Hispaniæ & Aquitaniæ: namque spatiosis illis solitudinibus & incultis locis supra Burdigalam nullum ferè aliud virgultum conspicitur. Nota est etiam Galliæ Narbonensi, scopis faciendis maximè idonea. Veris tempore & sub hyemem floret.

Capitula Thymi. Ferula Patauina. Selago Plinii. Pirrhaa Theophr.

ERICA ARBORESCENS MONSP. FLORE purpurascente ramulis ternis.

Descriptio Ramuli. Ericæ arborescentis ramuli, cuticula tenui cineraceà sunt inuestiti, terni, sæpe maioribus circumpositi, foliis non vbiq; prediti, iis tamen Corrudæ ferè similibus, longiusculis, tenuibus, deciduis: in ramulorum extremitate *Flores.* flores ex cæruleo purpurascentes satis magni: Placet etiam Clusii descriptionem *Descriptio Clusii.* subiungere quæ eiusmodi est: Minor hæc est superioribus, cubitali tantum altitudine plerumque, *Rami.* ramis gracilibus fruticosa, quos terni per interualla ramuli ambiunt, ternis foliis admodum exili*Folia.*bus circa illos disposito quodam ordine & serie *Flores* nascentibus, flores plurimos habet, superioribus paulò maiores: & confertis circum ramulos lon*Color.*gis pediculis inhærentes, colore purpureo obsoletiore.

Synonyma Clus. Hisp. & Hist. post. Erica Coris folio quinta. An Hist. Lugd. Ericæ quartum genus in agro Monspessulano, flore Ericæ vulgaris exiguo purpureo? Est autem hæc Erica quarta Monsp. non exactè picta in Historia: an huc referenda sit, vel ad sequentem dubito: quam verò Ericam arborescentem flore purpureo voco, optimè quadrat figuræ à Clusio positæ pro quinta: alioqui descriptio sextæ non malè conueniret. Monspelii collectam descripsi. Hist. Lugd. Erica quinta Clusii minor, ternis foliis, flore coloris purpurei obsoletioris. Lob. Obs. Icon. Plant. & Tabern. Erica quinta Clusii. *Hist. Lugd. taxatur.*

Locus & Tempus Erica hæc arborescens in montibus Galliæ Narbonensis circa *Gangem* & *Esperon* florêre visa mense Octobri: incultis Lusitaniæ locis supra Vlyssipponem frequens: florebat isthic Decembri.

ERICA RAMULIS TERNIS FLORIBUS saturatioribus purpureis.

Descript. Similis admodum quintæ, paulò tamen humilior, neque fruticosa, sed omnes ferè virgas *Rami.* seu tenues ramos à radice proferens singulares, *Folia.* cortice cinereo obductos, quos ambiunt ordine *Flores.* terna ramulorum rudimenta, seu germina ex multis foliis confertim nascentibus constantia, nigrioris quàm alterius coloris: flores concaui, iam postremò descriptæ floribus formâ similes, colore saturatioris purpuræ elegantissimo, è longis pediculis verticillato ambitu per interualla, & è summis ramis dependent.

Clus. Hisp. & Hist. post. Erica Coris folio sexta. Lob. Obseru. *Erica* pumila densè fruticans, calyculato Vnedonis flore: Eadem varians flore albo Icon. Plant. *Erica* pumila calyculato Vnedonis flore. Hist. Lugd. & Tabern. Erica sexta Clusii. Hanc Ericam aliquando collegi, ni fallor, cùm essem Monspelii, pulchram plantam. Attulit nobis etiam Gener Cherlerus ex Gallia Narbonensi. Nascentem hanc conspexit Clusius, in Castella veteri Hispaniæ, tum in Gallia supra Lutetiam, & in Anglia supra Windesoram, mense Septembri florentem.

ERICA RAMIS ET FOLIIS CORIOS ternis, Floribus ex rubro purpurascentibus maioribus.

Descript. Cubitali ferè est altitudine, fruticosa etiam & *Ramuli.* tenuibus ramulis prædita, qui terni semper *Folia.* circa maiores ex interuallis nascuntur: folia simili*Flo.*ter etiam terna nascuntur, exigua quidem, sed latiora quàm in reliquis supradictis, inferiore parte nonnihil candicantia, hirsuta & gustu adstringente: summi ramuli ad foliorum ex ortus verticillatim exornantur, per interualla ternis semper floribus æquali distantia semper inter se nascentibus, & in vnam partem spectantibus, maioribus quàm in reliquis generibus, concauis, prominulo magis ventre, colore ex rubro purpurascente, nouem numero, duodecim, quindecim aut pluribus. Se*Color.*men huic quale in reliquis superius descriptis (exceptis baccaferis) exiguum nigricans.

Synon. Est hæc Erica Coris folio, Clusio in Hisp. 8. in post. Hist. 11. *Lemeriuba* Lusitanis dicta. Lob. Obs. Hist. Lugd. *Erica* octaua Clusii.

Tabern. taxatur. Fallitur Tabern. qui Ericam hanc, septimam Clusii facit. Est enim Clusio in Hisp. 8. in fol. nec enim eam in Pannonicis posuit.

Locus & tempus Iisdem cum Erica baccifera Lusitanica Lusitaniæ arenosis locis crescit vt plurimùm. Floret Octobri mense, & subinde semen exiguum, nigricans profert.

ERICA FOLIIS CORIOS FLORE PVRpureo dilutioris coloris.

Descriptio. Rami. MVltos teretes humíque procumbentes ramos habet, pedales, interdum etiam cubitales, ex atro purpurascentes. *Folia.* Hos plurima gracilia ambiunt foliola, Tertiæ foliis penè similia, paulò tamen lõgiora, quaternis plerũque, interdũ quinis versib. ordine disposita, adstringẽte gustu: *Flosculi.* flosculi in sũmis ramulis oblõgi, concaui, purpurei dilutioris coloris, ex quatuor foliolis eiusdem ferè coloris prodeuntes, qui maturi & resiccati, *Semen.* nigricans & minutum semen continent: radix dura, lignosa, in diuersa tendens, ipsi tamen procumbentes rami, humíque diffusi, tenues, capillarésque fibras nonnunquam agunt.

Locus & Tempus. Copiosè admodum crescit supra Sechoff in ascensu Herrenalben magno miliari Germanico supra Gamingam: inueniebam etiam inter saxa & scopulos in ipsis Durnstein/ Secalben, atque aliarum Styriacarum & Austriacarum Alpium prealtis iugis, vbi Iunio & etiam seriùs floret. Inter Pragam & Noribergam etiam Iunio florentem colligebam.

ERICA BRABANTICA FOLIO CORIS HIRSVTO QVATERNO.

Descriptio. HAud multùm ab Erica ramis & foliis Corios ternis, floribus ex rubro purpurascentibus, foliorum forma differens plerisque Bra*Locus.*bantiæ & Geldriæ locis crescit: nonnullis item Castellæ veteris, præsertim circa collem, *la penna de Francia* vulgò appellatum, in quo Mo*Virga.*nasterium Diuæ Virgini sacrum, pedalibus so*Folia.*lummodò fruticans virgis, tenuibus, ex ruro nigricantibus, frequentibus eas cingentibus foliis, quaterno ordine dispositis, superiore ordine *Flores.* angustioribus & Thymi vulgaris minoribus, hirsutis tamen & pilosis: summis ramulis plerumque dependent, quini aut seni flores simul iuncti, Lilii conuallium floribus similes, paulò tamen oblongiores, neque adeò ventricosi sicut *Tempus.* priores flores, coloris vt plurimùm ex rubro dilutiùs purpurascentis, interdum etiam albi. Floret Vere & Autumno.

Clus. in Hisp. *Erica* Coris folio nona: in postr. Hist. decima tertia.

Dodon. Gall. *Erica* altera, Ericæ sine dubio species. Lob. Obs. *Erica* pumila altera Belgarum, nona Clusii. Histor. Lugd. *Erica* tertia Dodonæi: *Erica* alia humilis, ex quibus scopæ Gallis fiunt. Item postea Erica nona Clusii. Ast fallitur Hist. Lugdun. vocando hanc tertiam Dodonæi Gallici, cùm duas faciat tantùm species.

ERICA PARVA FOLIIS CORIOS QVATERNIS, FLORE HERbaceo, foliaceis capitulis.

Descriptio. Folia. PEdalem altitudinem rarò superat, magna ex parte humi procumbit, foliis quaternis, *Flores.* ramulos contrario exortu semper ambientibus: flores secundum ramulorum summam longitudinem inter folia dependent, cani, pusilli, *Radix.* in quatuor angulos desinentes, herbaceo colore præditi, deinde semen. Radix etiam dura & lignosa.

Synonyma. Clus. in Hisp. Ericæ Coris folio quartæ alia species minor. In Pannon. Erica tertia. In Histor. post. Erica Coris folio 8. Lob. Obs. Erica altera Clusii superioribus minor, cubitali tantùm altitudine. Hist. Lugd. Ericæ quartæ Clusii similis, sed minor, flore herbaceo.

Locus & tempus. Maxima copia nascitur in ascensu montis illius, qui superandus est iis qui Gaminga ad Sechoff vicináque loca proficisci cupiunt, quo loco & florentem & foliacea capitula proferentem Augusto mense collegit Clusius, nusquam alibi sibi conspectam. Quartæ genus esse videtur pumilum.

ERICA PARVA PANNONICA, FOLIIS CORIOS TERNIS, FLORE CARNEO, capitulis Thymi.

Descriptio. Virgula. AEquali cum priore hæc excrescit altitudine [pedali,] tenuibúsque virgulis prædita, humi diffusa, ex purpureo nigricantibus, quæ summa parte in multos plerumque ramulos di*Folia.*uidi solent: folia in ordines & versus digesta, vt in reliquis, tenuia admodum, Ericæ sextæ in Hispania & Gallia nascentis foliis similia, ternæ semper, quemadmodum in illa, æquali inter se situ *Flosculi.* ambiunt: summi ramuli onusti sunt concauis & oblongis flosculis extrema parte in quatuor angulos sectis, coloris cum quatuor illis foliolis vnde enascuntur, carnei; sectionis staminulis ni*Semen.*gricantibus; styloque purpurascente è medio flosculo emergentibus: semen maturitate nigricans exiguum habet: radicem aliis similem lignosam. *Capitula.* Adnascuntur interdum huius etiam ramulis viridia capitula, è latioribus foliolis compacta, capitulorum Thymi modo.

Locus & tempus. Clusii Erica Pannonica quarta, quam in poste. Hist. nonam facit, inuenitur apud arcem Stichsteín in sylua illi imminenti, quà ad Sneberg ex arce iter est, aliâ item ad sinistram oppidi Neunkirch syluâ, & nonnullis montanis Pannoniæ syluis. Floret vt plurimùm April & Maio, quo tempore aspectu iucundissima est.

Locus & tempus. Eandem ni fallor olim inueni in monte Rhætiæ *Nombrer* & *Burmij*: frutex erat paruus vt Erica Vngarica, flores cœrulei mense Iunio. Tunc reposui nomine Chamæpeuces.

Chamæpeuce. Erica 3. Cortusi. Ericæ tertiæ Cortusi nomine ex montibus Heluetiæ fruticem valdè paruum attulit Frater, Ericæ Rhæticæ similem, si non eandem: folia siquidem similia, creberrima, latiuscula, glabra: cauliculi non apparent ita albicantes: flosculi etiam multò minores, herbacei, qui nondum expansi videntur.

ERICA ANGLICANA PARVA CAPITVLIS HIRSVTIS.

Descriptio. ERicę nomine siccam accepimus plãtam, à Domino Petro Turnero Anglo. Tota pulchella, vix dodrantalis, ra*Rami.*muli tenues, multi: folia admodum bre*Folia.*uia, crebra, in ambitu hirsuta, ex modicis interuallis cum geniculis terna vel quaterna: in summitate capitula hirsuta.

ERICA PEREGRINA BRANCIONIS LOBELII.

Locus. PRæter omnes hasce differentias, est quædam rarior species, in vrceis pensilibúsque hortis Dom. Ioannis Brancionis fruticans, cæterarum ritu, folio longiusculo & Folium. iuxta ramos flosculis purpurantibus, si bene meminit Flosculi. Lob. Obs. quaternis foliolis constantibus. Nescit vnde delata, eóque propter raritatem, peregrinam appellauit. Est & altera Erica Lobelii, de qua vide Obser.pag.623.

ERICÆ FOLIIS CORIOS AFFINIS PLANTA.

ERicæ ramis & foliis Corios tenuis, floribus ex nigro purpurascentibus maioribus fruticem affinem, Lugdunum ex Hispaniis à Barone Germano allatum vidimus: descriptionem, a quam Descriptio. Folia. tum concepimus, adponimus, ne quis fallatur, si diuersa esset fortè planta: Folia igitur satis crebra sunt parua, quodammodo Ericæ Monspeliensi similia, sensim latiuscula euadentia, supernè viridantia, pilis paucis ac minimis pubescentia, infernè incana, nonnihil adstringentia, non sine aliqua acrimonia: Verùm illa foliorum crebritas non est perpetua: quidam enim ramuli cum paucis foliis producuntur, quibus insident aliquot pulchri flores, sursum spectantes, satis magni, in medio nonnihil aperti. Flores.

TAMOXO SVFFRVTEX CLVSIO.

SVffrutex quem Hispani, authore Clusio, Tamoxo appellant, assurgit pedali altitudine, frequentibus ramusculis præditus, qui foliolis adeò exiguis & confertis onusti sunt, vt nullum ferè lignum conspiciatur: ea ex cinereo virescunt, & extremæ sunt amaritudinis. Cæterùm in incultis nascitur.

FINIS LIBRI DECIMI.

HISTORIAE VNIVERSALIS PLANTARVM,

LIBER VNDECIMVS.

ARBORES, FRVTICES ET SVFFRVTICES SILIQVOSI, ET LEGVMINOSIS FRVCTIBVS, SPINIS CARENTES ATQVE SPINOSI, AC HIS QVÆDAM SIMILES.

PERSTAREMVS in Arborum historia, si non & Fruticum, & humiliorum Suffruticum consimilium natura egisse transuersi. Proximè dicantur nostrates potissimùm siliquosi, quibus si non omnibus magnitudo, at fructus congeneru facies & nomen est consimile, aut certè proximum: iis proinde simul redactu, unus limes præstituatur, iidem cancelli circumscribantur, ut sub siliquosarum tribum meritò conducti videantur.

LABVRNVM, ARBOR TRIFOLIA ANAGYRIDI SIMILIS.

CAP. I.

Descriptio LABVRNVM arboris magnitudinem alicubi assequitur, ramis brachiatum, cortice virente, materie dura: *Folia.* Folia ex vno tuberculo plura Trifolii Asphaltii, infernè subhirsuta, & ex virore pallida, supernè glabra, satisque saturo virore tincta, pediculo hirsuto, tenui, teretique, longitudine varia, vnciali & palmari: *Flores.* flores ex eodem tuberculo cum foliis, aut in ramulorum extremis, aut è lateribus, in longa, tereti, tenui, hirsutáque & incana ligula dependēt, dodrantali, interdum breviore; flaui, Genistellę floribus similes, ex foliis quaternis, supremo reliquis multò maiore, lato, sursum reflexo, nigrore intus nonnihil maculoso: bina à lateribus, quartum nostratum pallidum, in quo apices crocei, complexu suo coercent. Nullum in hoc fœtorem siue foliis, siue floribus, animaduertimus.



Arbor hæc fruticosa est, aut frutex arborescens, inquit Solerius de Cytiso tractaus, trium quatuorue vlnarum altitudine, caudice non admodum crasso, ramis hinc & inde diffusis. Nonnunquam fruticosa tantùm spectatur (quia plerunq; cæditur, & Coryli modo ab imo caudice regerminat) stolones innumeros ab vna radice fundèns, longos rectos, ex viridi candicantes, Viticis virgis similes, ex quibus per certa intervalla erumpunt folia terna, longo pediculo nitentia, Viticis foliis similia, læuia, supernè viridia, infernè candicantia. Ex ramis prope foliorum pediculos emergunt flores lutei, quales flores Genistæ aut Brassicæ, longis pediculis inæqualiter dependentes, rarioréque illa ac prælonga textura cubitalem æquantes longitudinem, apibus ingrati. Floribus decussis succedunt cornicula, siliquæue, pisorum hortensium siliquis similes, compressiores, fractu contumaces. In extremis ac nonnunquam intermediis spatiis continetur semen Lentis magnitudine, ex latitudine subrotundum, imo loco quà siliquæ per petiolum hæret, tantillum excauatum, renis prorsus effigie, quod antequàm maturuerit viret, post maturitatem varium, durum, & ob læuorem splendidum.

De hoc Plinius. Alpina hæc arbor est, nec vulgo nota, durà ac candidà materie, cuius florem cubitalem longitudine (floris cubitalem longitudinem, aliis) apes non attingunt: odit aquas. *Plin. de Laburno. Materies.*

Cord. in Hist. sub Trifolia arbore, *Laburnum* *Trifolia arbor.*

Cytisus. Laburnum. Anagyris. Aburnum.

describit, cui quidem iconem apposuit, ibidémque annotavit, Cytisum quorundam esse, *Laburnum Plinij, & Anagyrim alteram maiorem Matthioli.* Laburnum Plinij, multi volunt esse plantam in locis Italiæ dictam *Eghano & Gieganо*; verùm eorum opinioni non assentitur Anguillara, sed potiùs dixerit *Hebeni* secundam speciem Theophrasti. Omne siquidem *Hebenum*, quo Venetiis vtitur, sit ex meditullio huius Eghani, quod adfertatur ex Syria & Cypro, quódque hodie adhuc vocetur Hebenum.

Hebeni secunda species Theoph.

Locus.

Anagyris Alpina.

Gesn. hort. *Anagyris Alpina, Laburnum Plinij.*

Laburnum, inquit Bellon. de neglect. st. quod Galli *Aubours* vocant, adeò abundè nascitur omnibus montibus atque Alpibus, *D. Claudij, Chambery & Lausanna* vicinis, ut rustici palis ex eo confectis suos agros sepiant, nam materies est durabilis. Iam nonnullis hortis vulgare est, sed non sine errore Cytisus nuncupatur (aliunde enim Cytisi semen nobis comparavimus). Florem habet cubitalem, flauum, quem apes nunquam attingunt. Ex eius materia fiunt arcus nigri, cortice albo.

Locus. *Pali durabiles.*

Apes non tangunt. Arcus.

Anagyris altera minor, montana Matth. Non Laburnum contra Gesn. Non Cytisi genus. Aghelus. Contra Anguillarã non esse Ebenum.

Matth. in Diosc. *Anagyris altera, Anagyris minor, Anagyris montana, Eghelo*, non *Laburnum Plinij*, nec Cytisi montani genus, vt vult Gesnerus. Idem miratur Gesnerum, in suo libro quadrup. vbi contendit arborem, quam rura Tridentina *Eghelum* vocant, esse *Laburnum*, non fuisse memorem illorum verborum, quibus paulò antè asseruerat Democrati testimonio, apes nunquam defore, Cytisi pabulo contingente. Anguillaram etiam in postr. com. Ital. & Lat. reprehendit quod minorem Anagyrim, quam Ananienses *Eghenum*, vel *Eghelum* vocant, vocis tantùm similitudine fretus, secundum Ebeni genus (rudendâ sanè opinione) Theophrasti esse censeat. Cùm Eghenus fœtidissima sit planta. Ex verbis autem Matthioli satis apparet, ei non notum fuisse discrimen inter Eghenum suum, siue Anagyridem alteram, & veram Anagyrim: in Egheno etiam nos fœtorem illum, quem ei adhuc in Hist. Germ. adscribit, non animadvertimus.

Matthiolus notatur.

Camer. ad Epit. Matth. iconem nouam addit, quam etiam retinuerat eiusdem Hist. Germ. cum hac censura: etsi Author (Matthiolus) duas Anagyridis species faciat, Veteres tamen vnius duntaxat meminerunt, cuius folia fœteant: alterius verò Anagyridis Matthioli folia nequaquam fœtent, & hyemem apud nos in hortis perfert, & à nonnullis, vt Colutea, Welschlinsen appellatur, propter semen. Sunt qui velint Anagyrim alteram *Laburnum esse Plinij*, ac mea quidem sententia, ait in Epit. non aberrant, cùm fide digni, reique herbariæ peritiss. in *monte Iura* cubito longiores florum racemos invenisse referant.

Anagyris altera siue minor, Græcè *ἀνάγυρις ἑτέρα*, Ital. *Anagiri minore*; Ananiensibus in agro Tridentino *Eghelo* dicitur & *Auornello*: Germ. [illegible] ait Dodon. Galli Laburnum, non Anagyrin aut Lotus est, ut quidam existimarunt. Et Lat. in fol. Eghelo, frutex Anagyri haud multùm dissimilis, non verò arborescens: folio Trifolij: floribus luteis, racemis [illegible] palmi longitudine digestis: siliquis ac semine, uti Anagyris: frutex ipse non modò grauis, sed omni destitutus est odore.

Cast. Dur. Anagyris minor. Lobel. & Pena Adv. Minus fœtentem Anagyrim, vel Laburnum; seu Anagyridem non fœtidam nonnulli autumant esse Laburnum Plinij, quod valdè verisimile. Lob. Obs. & Ic. Plant. Anagyris minùs fœtens. Cytisus secundus Theoph. Guillandino. Tabern. Baumbonen, Anagyris secunda. Malè Lonic. *Laburni* figuram ponit pro Medica: & Laburni Italicum nomen *Eghelo* tribuit Anagyridi.

Arborem eam quam ab Alpium & montium ferè omnium Delphinatus & Sabaudiæ vliginosorum & silvosorum, sæpiusque siccorum indigenis, voce ex Laburno detorta *Aubour & Aubourt* nuncupari, scribit Dalechampius, rectè Plinij Laburnum esse putat, quamvis Matth. Anagyrin Diosc. esse existimet: Cùm Anagyris Dioscor. sit perquàm grauis odore frutex, Laburni nostri nec flores, nec folia fœteant: Illius semen in corniculis longis (*κερατίοις μακροῖς*) huius in breuibus contineatur: Folia maiora, latioráque habeat quàm Anagyris: cùm Alpina sit arbor, materie dura, ideoque palis apta, nec flores eius apes attingant, quæ nullus Anagyridi, at Laburno verè Plinius tribuit, quæ hic depictam arborem non Anagyrim, sed Laburnum esse testantur.

In eadem sunt sententia Cordus & Gesnerus quem reprehendit Matthiolus. Laburni, inquit, materies à Plinio candida describitur, non contrà medullitùs nigra, cortice tenus lutea, modo Guaiaci, qualis *Eghelo* materies cernitur.

Ad hæc Eghelus arbor est omnibus ferè cognita, ut de Laburno refert Plinius. Iam verò Egheli flores, qui in arbore ramorum instar pendent, palmi longitudinem non excedunt, quos Laburno Plinius cubitales tribuit. Postremo, illud experientia compertum, quod Apes Egheli flores non aspernantur. Hæc sententiam nostram labefactare, aut infirmare non possunt. Laburnum enim hîc Matthiolus accepit, quod secundum seu minus Anagyridis genus ipse constituit, quódque rura Tridentina vocant *Eghelo*. At quod Gesnerus Laburnum, quódque nos intelligimus, primum est à Matthiolo positum ac depictum Anagyridis genus, vt ex pictura apparet, & quod marus appellat, vt paulò antè indicavimus. Huic omnia quæ adscripsimus optimè conveniunt, minimè verò ea, quæ secundo Anagyridis generi ipse adscripsit. Quod si nostra Gesnerique sententia Laburnum Plinij sit ea arbor quam hîc proponimus, & quam Matthiolus pro primo Anagyridis genere depinxit. Cur non secundum eiusdem Matthioli Anagyridis genus, alterum etiam Laburnum iure dicetur, cùm similes natales habeat, foliorum figuram, situmque similem, vires easdem, ac materiam similiter duram?

Maio & Iunio mensibus grato in montibus spectaculo floret. Micat enim aureo flore, primo Anagyridis siue Laburni nostri generi simili: folio est non fœtente, nec ingrati saporis, Trifolij pratensis ferè. Huic cornicula prodeunt Genistæ æmula, in quibus semen continetur, semine eiusdem Genistæ magnitudine, sed oblongum, Phaseoli modo, colore subnigro.

Matthiolus igitur duas Anagyridis species depinxit, quas non Anagyridis, sed Laburni species esse ita demonstrauit Dalechampius. Verùm duo Laburna esse vix puto, sed duas figuras vnius Laburni apud Matthiolum, qui confudit meo iudicio Anagyridis historiam cum Laburno.

Arbor Iudæ videtur quibusdam esse vel Laburnum, vel eius species: à Laburno tamen plurimùm differt, quoniam Laburnum Alpinum est arbor, flore nonnunquam cubitali, quæ Arbori Iudæ non conveniunt.

Laburni semen missum mihi fuit Stutgardia, nomine Schwartz Linsen/ quod optimè prouenit in *Locus & tempus.*

nit in horto Ill. E. C. Montisbelgardi: excrevit in mediocres arbores, quarum truncus ad crassitudinem cruris, quæ hiemem facilè tolerant. Observavimus cùm essemus Genevæ in monte *Saleve* & *Thuyri* florens Iulio: Itinere Genevâ Lugdunum inter *Sardon* & *S. Iean le vieux* in Sabaudia florens Aprili: Patavij in horto publico. Bononiæ in montibus Apenninis, vbi mense Aprili flores nondum erant aperti; in itinere Florentiam. Parmæ florens in horto Nobilis Antonij Lalacæ: in montibus circa *Clareval* Burgundiæ: Basileæ in horto D. Fœlicis Plateri: Lugduni habui in horto ex seminibus satis: Huius semen mihi missum à D. Rassio Lutetiâ, nomine Laburni, & à fratre C. Bauhino cum hac inscriptione: Anagyris seu Lingua avis horti Fuscati. D. Christoph. Schwartz præfectus Ill. Ducis VVirtembergici misit mihi nomine Loti arboris.

Lingua avis. Lotus arbor. & Cytisus 2. Theophr.

Cùm essem Patavij D. Preßburger annotarat esse Laburnum Plinij, Ebenum & Cytisum secundum Theophr. Guillandino. Omnia posse præstare quæ Anagyris scribit Matth. Camer. verò dicit odore mures occidere, ac plantæ cinerem ad calculum commendari. Verùm cum hi illi odorem ingratum tribuant, & nostrum Laburnum eo destituatur, ij ambarum vires miserè confundere videntur. Sæpenumerò Laburnum, ob Ligni duritiem & nigrorem pro Ebeno vænit, ex quo pulchræ fiunt pectinum thecæ.

Vires.

ANAGYRIS VETERIBVS.

CAP. II.

Acopos. Descript. Diosc.

ἈΝάγυρις quam alij ἀνάγυρον, alij ἄκοπον [Olibas. Ἄκοπον] vocant autore Dioscoride, frutex [θάμνος] est arboris instar, foliis & virgis Vitici [ἄγνῳ] assimilis, [δυσώδης] perquàm gravis odore: flore Brassicæ, [κράμβη. Plin. Oleris] semine longis corniculis [κερατίοις] renibus figurâ simili, versicolore ac solido, quod uva maturescente durescit [illegible] alius ἢ καὶ [illegible]] Inter Notha, οἱ δὲ ἀγνάκοπον. Anagyros Plinio quam aliqui Acopon [Acorionem] vocant, fruticosa est, gravis odore, flore oleris: Semen in corniculis non brevibus gignit, simile renibus, quod durescit [uvâ maturescente Diosc.] per messes: in quibus cum Diosc. consentit: Nihil enim refert, an per messes, an uvâ maturescente semen durescere dicas. Cæterùm, Anagyris odore tetro [Anagyrin moves, ἀνάγυριν κινεῖς] peperit, contra eum, qui in suam ipsius perniciem quempiam irritat, vt obfutura commoveat, & sibi ipsi malorum autor sit. Vnde verò dicta sit parœmia variè narratur ab autoribus. Alij ad fruticis naturam referunt, cuius hic fit mentio, quem Magyrum quidam appellant: nonnulli Acopon: medicamentis quidem efficacem, verùm odore maiorem in modum gravi: maximè si manu teratur: cuius fructus gustatus vehementem vomitum præmovet. Vnde vel ab odoris molestia, quæ carpentem consequitur, adagium ductum videri potest (quandoquidem & Acopi vocabulum indidem apparet repertum) vel à conciliandi vomitus efficacia. Sunt qui dicant Anagyrum locum esse in Attica, qui ad tribum pertineat Erechtheidem, authore Stephano, vbi frutex quidam gravissimi odoris plurimus proveniat: vt Anagyrum pro frutice non secus accipiamus quàm Anticyram pro Elleboro. Rursum alij Anagyrum genium quendam existimant, qui propter violatum sacellum suum vicinos omnes funditus everterit. atque huius adagij mentionem fieri apud Aristophanem in Lysistrat.

Agnacopon. Apud Græcos Proverbium. Magyrus.

Acopa quæ?

Cur autem Anagyridem aliqui Acopon vocaverint, non satis certam Marcellus, ex nominis interpretatione & vi rationem habet. Acopa enim communi nomine à Græcis cuncta illa remedia dicta sunt, quæ contra lassitudines in antiqua Medicina conficiebantur: sic dicta quoniam contra labores [κόπους, lassitudines sive defatigationes] in vsu essent.

Acopos vnde? Agnacopos.

Appellatio autem hæc Anacopos [Agnacopos] ex vitice [Agno] & Acopo facta est: quoniam Viticis virgas Anagyris habet.

Onogyris Suida. Nautea Plauto Rob. Const. notatur.

Rob. Const. in Lex. Ἀνάγυρις, καὶ ἄκοπος, καὶ ἀνάγυρος Diosc. & Gal. ὀνόγυρις Suidæ (quamvis Nicander aliter) Nautea apud Plautum & Festum: Anagyros Plinij. Sed non possum satis mirari, quid velit Constantinus, quòd Onogyrum faciat herbam, ac eandem quam Anagyrin, & remittat ad Anagyrin, de quà antè egerat, quæ non est herba, sed frutex arborescens. Cur etiam Anagyrin dicit esse Nauteam Plauti & Festi? authorem non habet, cùm Plautus manifestè dicat herbam, vt sub Nautea monstrabitur, in cuius descriptione nihil commune cum Anagyride. Onagris etiam Nicandri, non respondet Anagyridi, cùm sit serrata. Anagyris frutex trifolius, fœtens, malè existimatur & dicitur quibusdam Laburnum. Considerandum etiam quam plantam pro *Malva terratica*, genere pedis Columbini, quod Pandect. Anagyron Gal. 6. simpl. vocari scribit, intelligat. Anagyris Ruellio Recentioribus *Malva terrestris*, quòd humi Malvæ modo iaceat, dicitur, rusticis *putidum lignum*. Quid Ruell. & cum eo Gorth. Ryff. & Gesnerus intelligant per suam Anagyridem considerandum: Omnia, quæ scribit præter modò dicta sunt consarcinata ex Plinio & Diosc. ac Hermolao: Quod ait humi iacère suam Malvam non convenit cum Anagyride vera: Si per rusticos, suos Gallos intelligit, nec etiam convenit: Anagyris enim non est vulgaris in Gallia, vt ei rustici proprium nomen indere potuerint.

Anagyridis æquivoca. Laburnum Pes Columbinus. Malva Terratica. Malva terrestris. Lignum putidum. Ruellius notatur & Ryffius.

Ignorant Officinæ Anagyrin, inquit Corn. nec satis inter Herbarios constat de ea: nam qui Malvam terrestrem vocant, eos ego penitus nihil docere puto: Quæ verò planta vulgò *Lignum fœtidum* dicitur, ab Anagyri longissimè differt. Quæ planta sit *Lignum fœtidum* perquirant lectores. Cæterùm Anagyris Cornario est, quam vocat Scheyßbeerbaum / de qua sub Alno nigra Hist. n. g. lib. 5. vbi ostendimus absurdam esse opinionem.

Lignū fœtidum. Alnus nigra.

Onogyrum Nicandri quidam interpretantur Anagyrin, cum tamen non respondeat ei, vt dicetur capite de Onogyro. *Onagyris.*

Nauteam sunt qui existiment eandem cum Anagyride, vt postea dicetur, sub titulo de Nautea, cùm tamen sit herba diversa. *Nautea.*

Anagyrin voluerunt quidam esse *Vulvariam*, quam *Atriplicem fœtidam* nominamus. *Atriplex fœtida*

Anagyrin sunt qui putent Evonymum. *Evonymus.*

ONOGYROS.

HERBA aspersa & spinosa Onogyros Nicandri, cuius vsus aduersus venena, vt inquit Rob. Const. in Lex. aliàs ἀνάγυρος, καὶ ἄκοπος, καὶ ἀνάγυρις Dioscor. & Gal. 6. simpl. ὀνόγυρος Suidæ, & Nautea Plauto cognominatur. Præscribit *Anagyris.*

quidem Nicander ad arcendos serpentes à decũbentibus sub dio, in circuitu spargendum Onogyron. Onogyrum verò exponit Anagyrum, idem etiam facit Phauorinus, vt patet ex præcedentibus. Verùm quod ait ὀξεῖαν, & glossa scholiastæ, non convenit cum Anagyride frutice arboreo, cui folia nec serrata, nec spinosa, nec aspera. Veteres qui recensuere medicamenta ex Nicandro, vt Paulus, non meminerunt Anagyridis. Nescio etiam an serpentes abhorreant ab Anagyride, facilè tamen crediderim. Plinius quidem scribit folia in vino vetere bibi ad Phalangiorum morsus.

Contra Phauorinũ.

Onogryos Nicandro serrata, & eius Scholiastæ Græco ὀξ ἀκανθώδης quis sit nondum mihi constat. Anguill. sententiâ posset esse Onopordum Athenæi, de quo agemus lib. 26. sub titulo Acanthij Illyrici. Anagris Phauorino, & aliis, vt antè dictum, est eadem, quæ Onogyros: eam autem opinionem iam refutauimus. Nicandri interpres exponit, ὀνόγυρον, χαμαιπίτυν, καὶ ὀνοανάγυρον, sed ineptè.

Onogri aliquis vocationes. Onogryos Nicandri. Anagris. Chamapitys. Onianagria.

AB ONO SIVE ASINO DENOMINATÆ PLANTAE.

PERMVLTÆ sunt plantæ, quæ ab *Ono*, siue Asino nomen habent, inter quas Onogyris, quam alij Anagyrum vocant. Sed ego Onogyron Nicandri existimo diuersam ab Anagyride, vti iam dictum, pro quo diuersæ proponuntur plantæ: Inter vuas damnantur visu cinerea & rubuscula, & *asinusca*, à colore nimirum dicta: cui fortè eadem fuerit ὄνιξιν Varino memorata. *Asinastra*, Macrobio, si benè meminit Gesn. de quadrup. inter Ficuum genera nominantur. Brunsfels. Onom. Ficos Tarentinas prædulces nominat. Sic Gesn. Quadr. *Pruna* seriora maioráque *asinina* cognominata à vilitate, eodem colore, quo Hordearia Plinii: item onocoridas, Gallas, quæ grandescunt, de quibus Gallis lib. 7. sub Quercu. De πυξάκανθα verò, seu Buxo *Asinino*, folio & caule spinoso: pro quo diuersa genera Carduorum proponuntur, scriptum hist. n. g. lib. 26. Onocardion, inquit Gesn. Quad. Disparus intelligitur (quasi *asininus Carduus*) Dipsarũ nonnulli etiam virgam pastoris vocant & Lactucam asini cum ea confundunt. Onopordon herba Plinio, *Onomordon* corruptè apud Hesych. Rob. Const. *Anonin*, quidam *Ononida* malunt vocare. Onocichla Plinij incognita, de qua agimus lib. 13. inter Anchusas, vbi etiam scribitur de *Anocholi* & *Anocholo*, *Onochla*, & *Onosmate*. *Onophyllon* eadem Anchusa est, quæ Arabicè linguæ Autoribus etiam *Asini Lactuca* vocatur. Anchusam quoque ipsam Græci *Onocleam* vocant. *Onoblaton* Hisp. herbam linguæ similem Gal. inter eas refert, quæ ab Asino nominantur, traditur verò hist. n. g. lib. 8. sub titulo Sedi, siue Aizois. De *Onopteri* Tabern. l. 17. de Adiantho nigro, Auriculam Asini, Galli quidam vocãt Symphytũ alterum, Sabaudi Lotum pratensẽ panẽ Asini. Onitis inter Attributa Diosc. ponitur de Apocyno, de qua hist. n. g. lib. 15. Sic Onomardia de Helxine: Asini sanguis Ægyptiorum, de Filice: Asinus Ichrei Magorum de Sampsucho. Asini nomen præ se ferre Onitidin, Origani speciem, annotauit Gesnerus Quad. lib. & Nicandrum vocasse ὀνίτιδα, de his autem agimus Hist. n. g. lib. 28. cap. de Origano, vbi traduntur diuersæ plantæ, quæ onitides existimatæ fuere. Onoselinum, Cerefolium siluestre, Tabern. An Antriscus quorundam? Gesn. Quad. Onobrychidem Dioscoridis refert ad plantas, quæ nomen ab Asino habent: Verùm pro ea plurimæ & diuersæ plantæ perhibentur, de quibus scribimus Hist. n. g. l. 17. Vrticam marinam Galli vulgò vocant *Cul d'asne*. Græci hodie *Colicenam*. Lingua Asini est planta, habens folia rugosa non magna, & radiculas odore ligni Cupressi fragrantes, siluaticas. *Onuris* Gesneri aliàs *Onothera* dicta Plinio, vel *Onotheris*, *Oenothera*, *Onagria*, *Oinothera*, *Onothuris* & *Onagra*.

Onogyros diuersa ab Anagyride. Vua asinusca. Ficus. Pruna. Galla. Pyxacantha. Carduus. Dipsacus. Virga pastoris. Carduus Onopordon. Anonis. Anchusa. Onosma. Onophyllon. Seda, siue Aizoa. Adianthum nigrum. Symphytum. Apocynon. Lotus pratensis. Helxine. Filix. Sampsuchus. Origanum. An Antriscus quorundam. Onobrychis. Vrtica marina. Lingua Asini vocata.

NAVTEA.

NAVTEAM communi consensu authores Hermol. & Ruell. (qui eadem quæ Hermol. de verbo ad verbum suo nomine habet) Bened. Curt. de hortis, Car. Steph. in fiut. aiunt cum Festo esse herbam fœtidam ac gravem, quâ Coriarij vtantur. Nonio tamen, vt videre est apud Thesaurum linguæ Latinæ, & Alciatum in Lexico Plautino, Nautea est aqua de coriis, vel (quod verius est) aqua ex navi de sentina, à nausea, quam nauseam facere soleat, S. scilicet literâ in T. permutatâ, dicta. Plaut. in Asinar. 16.

Dic [Demanete] amabo, an fœtet anima vxoris tuæ?

Dæmen.

Nauteam bibere malim, si necessum est,
Quàm illam osculari.

Robert. verò Const. in Lex. Cam. hort. & alij, *Nauteam* apud Plautum & Festum Anagyrin esse putant, sed authorem non habent. Si Paulus Diaconus bene descripsit, Nauteam herbam granis nigris, qua coriarij vtantur, Anagyris certè esse non potest. Et hinc Had. Iun. Nomenclator Nauteam Festi potiùs Bryoniam nigram, vel Vitim nigram granis nigris esse suspicatur.

Ruellius. Herba fœtida. Aqua de Corio. Aqua de sentina. Anagyris. Herba granis nigris. Anagyris non est Bryonia nigra.

ANAGYRIS VERA FOETIDA.

ANAGYRIS vera Laburno similis frutex arborescens ramis frequentibus satis donatus, cortice, inquit Clus. ex viridi nigricante, materie pallidâ, Folia terna, oblonga, acuminata, superiùs virentia, inferiùs albicantia, odore adeò gravi & tetro prædita, potissimùm si terantur, vt transeuntibus suo fœtore caput offendant, in vnius pediculi vncialis capite inserta. Ex foliorum sedibus & alis, flores ex calyce in quinque lacinias secto, glauco ac veluti argenteo eminent bini, terni aut quaterni, oblongi quinque foliis constantes, Genistæ ferè aut Cytisi modo, sed quorum supremum, quódque reliqua integit, breuiùs est & minimè reflexum, vt in illis, & colore intensè aureo, reliquis pallescentibus, è quo-

Descriptio. Cortex. Folia. Odor. Flores.

Color. Siliqua. quorum sinu apiculi plusculi emicant, flori concolores. Floribus succedunt siliquæ digitali longitudine, pollicari verò latitudine, cartilagineæ in quibus terna aut quaterna semina, nonnunquam plura, satis magna, exiguis phaseolis *Semen.* similia, renis formâ, quæ initio albent, deinde colorem purpurascentem contrahunt, tandem per maturitatem ex cœruleo nigricant: vt aptissimè Dioscorides ποικίλα dixerit, cùm in eodem fructu non benè maturo tres differentes colores subinde conspiciantur, vt diligenter notauit Clusius.

Descriptio Marcelli. Locus & tempus. Flos. Odor. Stirps fruticosa. Anagyrim ita describit Marcellus in Dioscor. Floret Maio & Iunio mensibus grato inter alios frutices per siluas spectaculo, multóque flore, quem flauum ex longinquo ostendit, prætereuntium oculos facilè in se conuertens: & si abesset ingratus odor, quo meritò spretus, damnatúsque est, antiquorum coronas primus nobilitasset. Fruticosa stirps magis quàm arbor est. Nos tamen vidimus tonsurâ, putationéque coactam ad legitimam arboris altitudinem crescere. Nullúmque florente eâ lætius spectaculum, aut siluæ, aut agri, si fortè consita in eis fuerit, ostendunt. Respondent autem eius naturæ omnia ea, quæ in Hist. à Diosc. illi tribuuntur.

Anagyris Veterum. Error quorundam. Descriptam plantam existimo legitimam Anagyrin, Diosc. Plin. Galen. Pauli, Ægynetæ. Ex recentioribus nonnulli Anagyris duo genera posuerunt, verùm me Iudice Bened. Curt. lib. hort. rectè alterum ab antiquo [hoc nostro] arborem aliam existimauit. Tametsi [inquit Clus.] nonnulli [vt Matth.] plura Anagyris genera se vidisse *Anagyris vna solum.* referant, ego vnicum legitimum quale videlicet à Veteribus descriptum est, tantùm obseruasse ingenuè profiteor. Et licèt Honor. Bell. se in Creta passim, secus vias differentem Anagyrin ab ea, quam hîc describo obseruasse dicat, quæ rotundiora proferat folia: non tamen ob sola folia quæ *In Creta habet rotundiore folio.* parum variant, diuersam existimo faciendam, cùm præsertim exosus odor, & facultates à Veteribus huic adscriptæ, eandem esse clarè demonstrent. Facilior etiam naturæ lusus in foliis, quàm in viribus.

Pandect. Anagyrin Columbini pedis speciem esse fatetur: sed Dioscoride perlecto, nullam similitudinem habere percepit Brassav. quippe Anagyris folia & virgas Viticis, id est, Agni casti *Pes Columbinus. Faba inuersa siue fœtida.* habet, Pes verò Columbinus Maluæ foliorum æmula Cordo in Hist. addita est figura Tragi, ac adscriptum, Tragi esse Fabam inversam, vel (vt alij nominare malunt) fœtidam.

Anagyris Turnero ramis & foliis Agni casti Italici: verùm folia maiora breuioráque sunt, terna duntaxat iuncta, cùm Agnus quina semper coniuncta habeat, odore vehementer fœtido.

Faba Lupina. Anguill. Anagyris, in Apulia vocata *Faba inuersa & Faua lupina.*

An Matthiolo in Diosc. ἀνάγυρις? Item in post. com. Ital. & Lat. & Hist. Germ. Anagyris maior, vel prima? Fructus enim descriptio videtur conuenire. Bellon. Obs. Anagyris: In Creta vulgò A- *Anagyros Cretæ.* nagyros. Hist. Gall. lib. 6. cap. 66. Græcè ἀνάγυρις: Latin. *Anagyris*, Gallic. *Bois puant.* Idem Histor. Latin. ἀνάγυρις aut ἀνάγυρος. Thes. ling. Latin. perperàm Anagyrin Eghelo nominat, dum *Thesauri error. Eghelo.* scribit: Anagyris herba est, quæ odore tetro prouerbium peperit, in eos iactari solitum, qui obfutura sibi commouent, vulgò Eghelo. Cast. Durant. Anagyris, Anagyris maior. Amat. in Diosc. Anagyris Galeni.

Lonic. sui non memor, vocat modò **Ghebuant-bonen & Baumbonen** / Lat. *Fabam inuersam*: Iam alibi figuram aliam habet, appellans **Stinckendenbaum** Anagyrin Acopon Latin. *Lignum putidum* & quibusdam *Maluam terrestrem.* Sed pro suo more omnia confundit, figura non conuenit: nomen Maluæ ad quid? licet Pandectarius sit vsus. *Lignum putidum. Malua terrestris.*

Gesnerus hort. Anagyris, quæ & Anagyrus & Onogyrus: Anagyris inquit is prope Arelaten gignitur, Matthiolo ignota ex sententia Dalechampii, vt qui pro ea Laburnum duplex ostenderit: Ea etiam quam Bened. Aret. putat Anagyrin Laburnum Plinii est floribus luteis, oblonga serie dependentibus, cuius lignum apes fugere, & Plinius tradit, & à rusticis Sabaudiæ andivi. Venetiis vidi arborem similiter trifoliam, sed diuersâ foliorum specie, quæ mecum attuli, fortè congeneres fuerint. Nec rectè Anagyris Indica, vocatus fructus Fabiformis secundi generis à quibusdam creditur. *Lonicerus not. Matthiolus notatur. Fructus Fabiformis secundi generis.*

Lacuna de Anagyride nihil habet præter verba Dioscor. Figura & cætera pertinent ad Laburnum. *Lacuna notatur.*

Camer. Hort. Anagyris prima Plauto, vt putatur, Nautea. *Nautea. Camer & alii notantur.*

Nos sub titulo de Nautea diximus eius descriptionem ex Paulo Dracono Anagyridi non convenire.

Lob. & Pena Adu. Obs. & Icon. Pl. Anagyris fœtida arborescens, Anagyris Diosc.

Cæsalp. Anagyrin quam aliqui Faseolariam vocant, Diosc. describit. *Fasedaria.*

Apud Plinium Anagyros, non multùm ab hac recedere videtur colytea apud Theophrast. quasi Anagyris quædam magna sit, minore tamen semine. *Colytea.*

Hist. Lugd. duas figuras habet vnius plantæ, sub his titulis, 1. Anagyris Dodonæi, 2. Anagyris vera ex agro Arelatensi.

Tabern. quàm benè distinguat à Laburno videant lectores, Matthiolum imitatur. *Tabern. notatur.*

Ἀνάγυρις Gr. & Lat. dicitur, & Ἀνάγυρος: Clus. Herbariorum *Faba inuersa*, quo nomine Venetiis in Aromatariorũ officinis, semen eius ex Creta delatum prostat, Germ. **Baumbonen & Gewantbonen**: Dici etiam potest non præter rationem **Stinckendbaum**, *Arbor fœtida*, vt à Lonicero nominatur, summè enim fœtet, vnde ortum commune dictum, *Mouere Anagyridem*: Gall. *Bois puant*: Ital. *Anagyri*, & *Faua lupina* Lob. Posset Angl. appellari, ait Turn. **Beane trifolye.** Nomina linguarum

Anagyrin in hortulo [Tiguri] colit folio fœtido. Turn. Anagyrin in Anglia, quod sciat, non vidit. Ex semine (quod dederat Theobaldus Noblot Pharmacopœus Gener meus) natam alui Montbelgardi quæ primo anno excreuit ad cubitalem altitudinem. Vbi aliquot annis durauit, tandem gelu confecta periit. Vidi Monspelii, Tiguri apud præceptorem Gesnerum: item Pataui Februario & Martio virentem, apud Vlyssem Aldrandum cum siliquis. Primùm omnium hunc fruticem nascentem Clusius inueniebat primò ab Arelate lapide, saxoso quodam colle, qui dicitur D. Antonii, monente D. Guillelmo Rondeletio. Deinde frequentem circa Hispalim totius Bœticę Emporium celeberrimũ, tum etiam ad Mundam, Malacam & Valentiam. Floret isthic Ianuario & Februario, æstate semen maturescit. Huius porrò ligni matrix siue cor, non nigricat sed nonnihil potiùs pallescit. Bellonio ingredienti hortum simplicium Pontificis Romæ, Anagyris fit obuia, quam Scipio Pontificis Simplicista *in Beluedere* *Locus & Tempus. Natales. Matrix.*

semine natam aluit, & ex illa integram sepem construxit.

Vires. Tumores. Partus. Menses. Tenera siue recentia eius folia trita, inquit Dioscorides, tumores illitu reprimunt: si partus hæreat, & secundæ, mensésque morentur drachmæ pondere sicca bibuntur in passo: sic & suspiriosis dantur & contra dolores capitis in vino, amuleti etiam instar difficulter parientibus adalligantur, sed à partu statim auferri oportet. Radicis cortex concoquendis discutiendisque adhibetur. Semen commanducatum vomitiones vehementer cit. *Vomitus.* Hæc Diosc. In quibus verba ista, Radicis cortex concoquentis &c. aliter vertit Ruellius quàm Græca significant: ἡ δὲ ῥίζης χυλὸς διαφορεῖ, καὶ πέσσει. Id est radicis succus, discutit & concoquit. *Collectiones.* Plinius: Folia collectionibus imponuntur, difficultérque parientibus adalligantur, ita vt à partu statim auferantur. Quod si fœtus emortuus hæreat, & secundæ mensésque morentur, drachmæ pondere bibuntur in passo folia. Sic & suspiriosis dantur, & in vino vetere ad phalangiorum morsus. Radix discutiendis concoquendisque adhibetur. Semen commanducatum vomitiones facit. In his Plinius in quibusdã à Dioscoride dissentit: illi enim radix, huic radicis succus discutit & cõcoquit: Galeno & Oribasio radicis cortex, nisi quis dicat quòd Plinius simpliciter de radice, Galenus de radicis cortice dixerit, fieri posse, vt in Dioscoride cum Ruellio ἡ ῥίζης φλοιὸς & non ῥίζης χυλὸς legendus sit. Quod verò sequitur multò maioris est momenti: In vino vetere folia dari ad phalangiorum morsus Plinius ait, Dioscorides πρὸς δὲ κεφαλαλγίας σὺν οἴνῳ id est ad capitis dolorem in vino, ita vt vox φαλάγγια pro voce κεφαλαλγίας in Plinio supposita sit, aut in Dioscoride pro κεφαλαλγίας voce, τὰ φαλάγγια legere oporteat. At certè verisimilius est [vt testis est Corn.] in Dioscoride τὰ φαλάγγια pro κεφαλαλγίας legendum esse. Quid enim Anagyridis folia quę subacria sunt, excalefacientisque ac incidentis facultatis, ad capitis dolores valere possunt? Procliuius quidem fuit, vt vox κεφαλαλγίας in Diosc. pro τὰ φαλάγγια supponeretur, quàm vt Plinius τὰ φαλάγγια pro κεφαλαλγίας verteret.

Galenus de Anagyridis natura hæc scripsit. Anagyris frutex est grauiter olens, & digerentis excalefacientísque facultatis. Sed folia etiamnum virentia cùm propter humiditatis admistionem minùs sint acria, idcirco tumentia reprimunt. At resiccata incidentis sunt, excalefacientísque facultatis. Similem ferè facultatem habet radicis cortex. Semen autem est magis subtilium partium. Sed & vomitum prouocat. Eadem omnino Oribasius quoque habet. Alph. emp. ad dysuriam Anagyridis grana triginta septem cum cõdito à balneo pota commendat. Sed si semen vomitum mouet, vt facilè crediderim, quis exhibeat triginta septem grana ad dysuriam, ego tantum quantitatem experiri nolim, alterique experimẽtum committere malim. *Dysuria. Alph. Emp. notatur.* Si præterea Onogyros Nicandri est idem cum Anagyride, vt aliquos velle antè ostendimus, ea à stratis arcebit serpentes. Per Onogyrum tamen, vti dictum, non videtur intelligi Anagyris: non negarim propterea eam aduersari venenatis animalibus: scribit enim Ægineta in genere suffitum graueolentium valere ad præseruandum à venenum eiaculantibus animantibus. *Contra venenata animalia.* Accidit interdum, vt Capræ & oues in Creta fame vexatæ huius folia depascant, licèt odoris sit ingratissimi, & postea ex harum lacte caseus conficiatur: quo si fortè ignarus aliquis vescatur, aut lac bibat, statim excitentur tum vehementissimi vomitus, tum fluxus ventris; & cùm hoc sæpissimè accidat, multi in discrimen vitæ veniant: quam ob causam frutex hic omnibus sit exosus. *Vomitus. Fluxus ventris.*

CYTISVS IN GENERE.

Cap. III.

IN tanta Cytisi varietate in genere ex Veteribus & Neotericis pertractandum.

Theophr. de Cytiso. Medulla Ebeni. Cytisum igitur Theophrastus adeò infensum [χαλεπὸν] cæteris esse plantis ait, vt subrepto alimento ferè omnes enecet: eiusque medullam tam duram esse ac spissam, [quod Atrum cognominent,] vt proximè ad Ebenum accedere videatur. *Diosc. de Cytiso. Rhamno similis. Diosc. illustratur.* Frutex [θάμνος] est autore Dioscoride, albus in totum, velut Rhamnus [ῥάμνος] ramos producens cubitales & maiores: folia Fœnugræco aut Loto Trifolio [τήλει ἢ λωτῷ τριφύλλῳ] similia, sed minora, & maius dorsum habentia, quæ dum digito conteruntur Erucam [εὔζωμον] redolent, in gustu verò Cicer viride [ἐρεβίνθῳ χλωρῷ] referunt. *Odor Erucæ. Gustus Ciceris. Vires & vsus.* Folia vim habent refrigeratoriam, [ψυκτικὴν] addit Lac. & συστατικὴν gustu adstringentem ac oedemata inter initia discutiunt, si cum pane trita illinantur. *Diosc. diuersa lectio. Oedemata. Vrinam.* Eorum quoque decoctum vrinam potu ciet. *Apes.* Cæterùm, nonnulli, quòd Apes alliciat, eum propè Aluearia serunt. *Plin. Cytisus. Saginæ & Ouium pabulum. Plin. illustratur. Vtilitas. Lac.* Frutex Cytisus ab Aristomacho Atheniensi, vt videre est apud Plinium, [qui eadem ferè cum Varrone & Columella tradit, ex quibus sua fortè desumpsit] miris laudibus prædicatus pabulo ouium, aridus verò etiam suum. Vtilitas [ad valetudinem & saginam Dal.] quæ Eruo, sed ocyor satietas, perquàm modico pinguescente quadrupede, ita vt jumenta hordeum spernant. Non ex alio pabulo lactis maior copia, aut melior, supra omnia pecorum à morbis omni vsu præstante. Quin & nutricibus in defectu lactis aridum, atque in aqua decoctum, potui cum vino dari jubet [iuuat, & M.] firmiores, celerioresque tradens infantes fore. *Apes.* Viridem etiam Gallinis, aut si aruerit, madefactum. Apes quoque nunquam defore Cytisi pabulo contingente, promittunt Democr. & Aristomachus. Nec aliud minoris impendij est. *Satio.* Seritur cum Hordeo, aut Vere [Eruo Dal.] semine, vt Porrum σπερματικόν, [ramo Pomum malè vertit Plin.] vel caule Autumno ante brumam. *Plinij error.* Si semine madidum, & si desint imbres, satum spargitur [rigatur quindecim proximis diebus Colum.] *Cultura.* Plantæ cubitales transferuntur scrobe pedali. *Tempus.* Seritur per [post vet.] æquinoctia tenero frutice. Perficitur triennio. *Trifolij facie.* Demetitur vernò æquinoctio [nam tota Hieme floret, Dal.] cùm florere desijt, vel pueri, vel anûs vilissimâ operâ. *Exhibendi ratio.* Canus aspectu [vtraque Cytisus: est enim satiua & altera suæ sponte, Colum.] breuiterque si quis similitudinem exprimere velit, angustioris [amplioris vet.] Trifolij frutex. Datur animalibus post biduum semper. Hieme, madefacti [aridum enim maiores vires habet, & nimis satiat] satiant equos denæ libræ, & portione minora animalia: obiter inter ordines Allium & Cæpe seri fertile est. *Locus.* Inuentus hic frutex in Cythno insula, inde translatus est in omnes Cycladas, mox in vrbes Græcas, magno casei prouentu: propter quod maximè miror rarum esse in Italia. *Rarus in Italia. Cytis. Gelu.* Non æstuum, non frigorum, non grandinum, aut niuis iniuriam expauescit. Adijcit Higinus, ne hostium quidem propter nullam gratiam ligni. Galenus etiam lib. de An-

Locus. de Antid. Cytisum fruticem esse, scribit his verbis. In Mysia, qua parte nostræ Provinciæ finitima est, tractus occurrit quem *Brotron* nominant, in quo locus est Cytiso plenus, ex cuius floribus plurimum mellis apes excerpere vno ore tradunt. *Mel.* *Frutex. Facultas.* Fruticosa verò planta est, eam altitudinem attingens, ad quam Myrti crescunt. Folia verò, inquit 7. simpl. digerendi facultatem obtinent, aquosa tepida facultate ammixtam, sicut & Malvę folia. Hæc Galenus. Herba vel frutetum, quod maximè circa sepes vinearum nascitur, ait Marc. Med. Empiricus, Latinè Cytisus dicitur, *Cytisus Marcelli.* virgultis est subtortis, vel curvis: foliis oblongis, benè virentibus: floribus conclusis, oblongis albis, vel galbaneis, benè olentibus, i.e. mellito odore: frutetum ipsum semper virens, æstate atque Hieme. Verùm, vt Dodonæo videtur, hac descriptione Marcellus alium delineat Cytisum, *Marcel. notatur.* à Græcorum nostro differentem, quem non iumentorum pabulo laudat, aut ad lactis copiam augendam commendat, sed mirum esse remedium tradit adversus isch adem & arthritim. Ast nec ipse Dodon. foveam effugit, quam fecit. Recitans enim Veterum verba, non demonstrat quam intelligat. *Dodon. redarguitur. Basil. Fab. reprehe.* Basil. Fab. in Thes. vocans Cytisum Weißklee & Spitzklee / Loto similem, & capitis fruticem gratum, nescit quid scribat.

Corn. taxatur. Cornarius securè nimis Cytisum aut nunquam ad Germanos transiisse, aut dudum periisse credit, ex eo, quòd Plinius iam suo tempore rarum in Italia fuisse dixerit: tantum abest vt ab illo persuadeat, in Germania nihil eorum posse nasci, quòd rarum sit in Italia.

Cytisus arbor Strab. Strabo contra Dioscoridem, Plinium, & Galenum Cytisum arborem esse velle videtur. eam siquidem cum Balsamo arbore odorata similem facit. Quæ fortè occasio, cur hanc arbusculæ propiorem Cornarius esse dixerit: quod quidem ex eo colligi posse putat, quòd Plinius ait nullam gratiam ligni esse. Quum enim nulla sit ligni gratia, ramos omnino producere oportere sibi persuadet lignosos, non velut in herba teneros & molles. *Non arbor.* Sed nec arborem esse, nec arbusculæ propiorem, Virgilius ostendit, dum in Buc. Eclog. 1. ait.

-----non me pascente, Capella
Florentem Cytisum & Salices carperis amaras. Ecl. 9
Sic Cytiso pasta distentent vbera vaccæ. Eclog. 10.
Nec Cytiso saturantur apes, nec fronde Capella.

Virgilius, inquam, satis indicat his versibus, nec arborem esse, nec arbusculæ herbam propiorem. Non enim solent Capræ, nec possent, si solerent, florentes arbores depascere. Quare nec illud Cornarii valebit, quando Plinius ait, nullam esse ligni gratiam, ramos omninò producere oportere lignosos: *Corn. taxatur.* imò contrarium potiùs verum erit, nullam esse ligni gratiam, ramos ferre vimineos & lentos quibus capellæ saturari nequeant. Esse à capris Cytisum desideratum pabulum lepidè expressit Theocritus.

Adagium. Ἡ αἶξ τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει.
Capra Cytisum, lupus capellam sequitur.

Amatus vt hanc difficultatem effugiat, concludit Cytisum, & inter arbores, & inter frutices, siue herbas censeri posse, generisque differentiâ, à Plinio distingui, vt in arbore, fœmineo vtatur, in frutice, masculino, quod sanè obseruatione non dignum. *Cytisus arbor & frutex.* Cytiso in fœminino genere vtitur Columella, in masculino Theocritus & alij passim, vt Rob. Const. in Lex. qui & ἀμφίφυλλον ab Hesychio vocari scribit. *Amphyllum. Cytisum. Telin.* Theocritus etiam hunc fruticem κυτισόν; nonnulli κύτισον, alii τηλίν. A Cythino, aut vt alij, à Cithisa insula nomen, authore Seruio habet. Inter Dioscoridis verba hæc in quibusdam codicibus falsò adscripta repeniuntur, *Diosc. restituitur.* alios Telinen, Triphyllon alios, alios Lotum grandem.

Cytisi Dioscoridis descriptio tam accurata non est, vt ex ea vetus Cytisus cunctis innotuerit, quo factum est, vt diuersi authores diuersos exhibuerint Cytisos.

Cytisi nomine donatæ sunt sequentes plantæ.

Cytisus siliquâ incuruâ folio candicante à Marantha descriptus de quo proximè. *Cytisus siliqua incurua folio candicante.*
Cytisus Hisp. Clus. 1. folio virescente. *Cytisus Clusii folio virescente.*
Cytisus montis Calcaris. *Cytisus montis Calcaris.*
Cytisus Hisp. Clus. 2. *Cytisus Clus. 2. Hisp.*
Cytisus spicato flore.
Cytisus 3. Hisp. Clusii non breui pediculo.
Cytisus hirsuta.
Cytisus Pann. Clusii omnia incana.
Cytisi 2. Pannon. Clus. species altera, hirsuta valdè.
Cytisus Pann. 3. Clus. sparsis ramis.
Cytisi Pannon. 3. Clus. species altera, supinis ramulis.
Cytisus siliqua angusta glabra.
Cytisus glabra lata siliqua.
Cytisi genus flore purpureo.
Cytisi facie Alysson fruticans.

In hac quidem multitudine de Cytiso, licèt iudicare difficile sit, quis legitimus Cytisus Veteribus descriptus, peritiores tamen eum existimant esse, quem Marantha proponit. Cæterùm, nemo, vti spero, inficias ibit, quin quos enumeravi frutices ad Cytisi genera etiam referri debeant.

Præter has tamen aliæ quædam occurrunt plantæ, Cytisi titulo gaudentes, quas à prædictis meritò seiunximus. *Trifolium fruticans.* Autore Dodonæo, *Trifolium fruticans*, siue *palemonium* quorundam, non benè Cytisus à plerisque appellatur. *Laburnum.* Laburnum quibusdam Cytisus dicitur. *Colutea multis.* Quidam putarunt Coluteam multis dictam esse Cytisum. *Colutea Scorpioides.* Cytisi cognata est Colutea scorpioides authore Clusio. *Dorycnium Monsp.* Camerarius putat Dorycnium Monspelii existimatum, esse Cytiso Columellæ cognatum. *Trifolium candidum Dod. rectū.* Trifolium candidum Dodon. à quibusdam dicitur Cytisus Columellæ, de quo lib. Hist. n. g. 17. de Trifoliis herbaceis. *Trifolium magnum.* Quidam volunt Marcelli Empirici ac etiam Diosc. Columellæ & Virgilii Cytisum esse Trifolium quoddam magnum. *Cytisus Tragi.* Tragus scribit repudiandam sententiam eorum qui Trifolium pratense, Cytisum interpretantur. *Trifolium pratense purpureū. Trifolium candidum Dod. rectū.* Trifolium candidum Dodon. rectum. *Melilotus vulgaris.* Melilotum vulgarem quidam Cytisum Veterum esse contendunt, inquit Dodonæus, verùm non veritatem assecuti videntur. *Medica.* Ruellius scribit se veteri ne Marcellus Cytisum pro Medica viderit. *Lotus satiua odorata.* Lotus satiua, odorata, quibusdam censetur Cytisus, quod aliis displicet.

CYTISVS SILIQVA INCVRVA, FOLIO CANDICANTE.

Descrip. CYTISVS quam hîc exhibemus, pulcher est frutex, qui primo anno à satu mihi in cubitalem altitudinem excreuit, cubitali quoque & rectâ radice, *Radix.* alioqui ad cubitos aliquot assurgens, totus candicans, in ramos tenues diuisus, *Folia.* foliolis ternis retusis & nonnihil fissis, quæ sustinent longiores pediculi, quàm in cæteris Cytisis. *Flores.* Flores ex longis pediculis multi, patui, lutei, Genistæ pilosæ floribus proximi,

Siliqua.



quos sequuntur siliquæ, pulchræ, latæ circumflexæ.

Marantha descriptio.

Maranth. in hunc modum describit: Cytisus frutex, totus candidus est, eam altitudinem attingens, ad quã Myrtus crescit. Folia singulis pediculis terna, sed ramulosa profert [quod Plinius expressit,] quæ si digitis terantur, odorem Erucæ proximum, gustata verò Cicer recens emulatur.

Altitudo Myrti. Folia.

Odor Erucæ. Gustus. Flor. Color.

Florem recludit in ramulorum cacuminibus lætum, aspectúque pulcherrimum, colore luteum, sed saturato, quemadmodum quæ pro Caltha ostendi solet, & arantiorum cortex. Siliquas producit contortas, vnà & nonnunquam pluribus spicis, paruas, in quibus semina parua, vix ineunte æstate maturescentia. Caudex nigrum cor retinet, Ebeno simillimum, *Vastaccietta* ab artificibus nuncupatum.

Siliqua. Semina. Caudex. Cor. Vastaccietta dictum

Quod verò Cor retineat Cytisus nigrum, arbitratur Marantha euenire ratione vetustatis, hocque Veteribus, sicum & multa alia, incompertum fuisse: Hisce siquidem Lectorem adhortatur: Cùm de Cytiso leges, in eius trunci medio nigrum colorem contineri, Ebeni similem, caue, de quacunque intelligas, quia non nisi in inueteratis, caudicem crassissimum habentibus, partem nigram mediam reperies, quanquam in adolescente, tenerrimóque adhuc frutice quæsieris, non dubium est, quin Cytisus semper tibi incognita futura sit. Scit esse Cytisum totum candidum (color enim in herbis ait loci ratione permutatur) vt non immeritò illam Rhamno Dioscorides comparauerit, hoc tamen habet, dum in suo natali loco permanet: nam transplantata candidum illum colorem multa ex parte amittit, vt virentem potiùs, quàm candicantem diceres, quæ nota deperdita sui cognitionem facilè præpedire posset his, qui ex loco id fieri nescierint.

Color niger quando reperiatur.

Matth. in Diosc. cum magn. fig. Lat. & in Ital. Cytisi plantam misit Iac. Anton. Cortusus, legitimam referentem Cytisum omnibus notis, materie ligni nigra, & Ebeni modo firmissima. Hist. Germ. & Epit. cum add. Camer. Cytisus, κύτισος, Ital. *Citiso*, Germ. Geyßklee.

Dodon. Lat. in fol. Cytisus, vt existimatur.

An Anguill. Cytisus flexibilis, species foliis albis & lucidis, vt argentum, respondens aliquatenus Barbæ Iouis Plinij.

Lob. Obs. & Icon. Plant. Cytisus Maranthæ & Matthioli.

Cytisum à Matthiolo exhibitam misit ad Camer. vt ipse in Hist. Matth. Germ. scribit, Bartolomæus Marantha nomine Cytisi Galeni, ex eo loco cuius etiam meminit Galenus: Tabiis nimirum, non longè Surrento & Vesuuio monte.

Clus. qui in genere Cytisum, Hung. *Zanoth* vocari ait, legitimam Cytisum veteribus descriptam, cum peritioribus rectè sentit, eam esse, quam Marantha proponit.

Portæ Cytisi figura intortis siliquis instar capratum cornu, non in omnibus nobis probatur.

Lignum Rhodium, quod Matthiol. Oliuastrum, nonnulli Agallochum vocant, à quamplurimis etiam pro legitimo Aspalatho in Theriacis vsurpatum, non est: neque oleæ, & multò minus Aspalathi, sed veræ & legitimæ Cytisi, perquàm similis Cytiso à Marantha descripto, sic vt eundem esse, nunc credat Honor. Bell. & se quoque errasse deprehendat, quando Cytisum Creticum, ἀρχομόξυλον vocatum, legitimum fuisse putauit. Nam differt ab hoc foliis, quæ longiora & angustiora sunt, neque semper vno pediculo terna simul profert, sed quaterna & quina, vt nuper obseruaui, semenque non in siliquis, sed Trifolii modò profert: Hanc ob causam, non ampliùs Cytisum, sed Ebenum Creticum vocandam hanc stirpem censet. Materies enim ligni plurimùm ad Ebenum accedit, colore nigro, splendore, & duritie.

Lignum Rhodium, Oliuastrũ, Agallochũ, Aspalathũ.

Cytisus vera.

Cytisum Creticum, Archomoxylon.

Ebenus Cretica.

Monendi lectores, nobis valdè suspectam Aspalathum Creticam Alpini, de qua egimus l. 4. Veremur enim ne huius Cytisi tribuat dotes Aspalatho. Luculentus accedit testis veram Cytisum iam inuentam esse, Iac. Dalechampius: Is ita plantam depingit: Cytisus in hortis Franciscanorum Lugduni visitur, frutex vlnam altus, ramis multis, canis, folio perpetuo fœnugræci, flore pisi, luteo, nigris maculis compuncto. Ego autem nullum inuenio præter Robertum Constantinum, qui tradat vllam Cytisum, flore nigris maculis compuncto: quid si descripsit Cytisi florem siccum, quem scio interdum nigrescere, nisi diligenter siccetur: quod autem ait flore pisi, dubium mouet, an Maranthæ Cytisum intelligat, is enim valdè paruus, quamuis figura pisi esse dici possit.

Aspalathus Cretica Alpini. Cytisus

Robert. Const.

Matthiolus cùm deprehendisset Cytisum non herbam, sed fruticem esse Myrti magnitudine apud Galenum legisset, imò inter arbores recenseri à Plinio & Strabone inuenisset, Cytisi plantam à Cortuso missam pingendam curauit, quam legitimam Cytisum notis omnibus referre rectè putat, ligni materie nigra, & Ebeni modo firmissima, quod de Cytiso Theophrastus & Plinius tradidêre. At non Cytisum, sed Medicæ speciem esse malè autumant cum Hist. Lugd. quidam Herbarij.

Matth.

Tabern. Cytisus cornutus Gehörnter / Geißklee.

I. Gerard. Angl. Cytisus 7. cornutus. The horned shrub Trefolye.

Marantha hunc fruticem sæpius collegit prope Neapolim in colle quodam, quà ad Nesidem insulam itur. Oritur hic frutex, Honorio Bello referente, in Insulis Rhodo propinquis, & Rhodo ipsâ, vnde rámos & truncos accepit, frequentiùs tamen in parua quadam Insula prope Rhodum sita, cui nomen Astachida, vbi singulis annis quamplurimi cæduntur trunci [mercimoniũ enim non vile est] Rhodúmque, & Pathmon, & Constantinopolim, aliaque loca adsportatur. Ramulum primùs ex Italia mihi attulit Frater C. Bauh. ex horto Patauino, à D. Cortuso nominata fuerit Cytisus. Ex semine mihi prouenit Montbelgardi in hort. Illust. E. C. VVirtemb. Pforzhemiæ apud insignem Pharmacopœum Grunnigerum vidi pulchram arbusculam aliquot cubitorum, florentem & siliquas ferentem mense Octobri, iam tectam ad vitandam hyemis iniuriam, vnde nobis-

Locus.

Tempus.

nobiscum desumpsimus semina seminanda. Nunc Montbelg. repositam per hyemem servamus, ac nobis floret Autumno : extra tectum hyemem apud nos ferre non potest.

Vsus. Ex huius ligno [quod equidem Hono. Bellus notat.] ensium manubria Turcæ conficiunt, & *Caloieri* Pathmi sphærulas precarias efformant.

Anguill. error. Cæterùm errat, inquit Anguillarius cum suo Rhodiensi Pharmacopœo, qui illud suffumigii genus somniauit, hoc enim scire diligentissimè cupiens, mendacium esse deprehendi.

Error quorundam, & Patauini collegij. Sed maximè in errore versantur, qui hoc ligno in Theriacis pro pro Aspalatho rectè vti indicant, quemadmodum celeberrimum Patauinorum collegium.

CYTISVS CLVSII PANNONICVS ALTER FOLIIS OMNINÒ incanis.

Descript. Virga. CVBITALES nónunquá fert virgas, rectas, tenues, vimineas & lentas, quas ab infimo ad summum vsque exornant

Folia. folia, terna vni pediculo inhærentia, Cytiso Gesneri ferè similia, sed omninò incana, angustiora, gustu amaro, quæve tritta pinguia esse videntur : ex singulis interdũ foliorum sinubus ramuli prodeunt, similibus

Flores. foliis sed minoribus, obsiti, ferentes in summo quinos aut senos flores, Loti pratensis herbæ, [quam à prægrandibus siliquis nonnulli siliquosam cognominant] floribus persimiles,

Color. coloris aurei, odoris non expertes : & ex folliculis deinde

Siliqua. Semen. siliquas planas, oblongiusculas, hirsutas omninò, atque in his semen subruffum, planum nonnunquam tumidiusculum & rotundiusculum, durum, quod maturitate dehiscentibus siliquis excidit :

Radix. radix dura est & lignosa, nigricans & summa tellure sparsa.

Clus. Pannon. Cytisus alter : Hist. post. Cytisus 5. Tabern. Icon Cytisus sextus: Hist. Cytisus xi. Gerard. Angl. Cytisus quintus incanus, Hoarie schrub Trefolye.

Locus Clusio frequens est toto agro Viennensi, præsertim supra Phasianorum fabricam, in campo Morauo (auf dem Marckfeld) & multis aliis, cùm Austriæ superioris & inferioris, tum Pannoniæ locis aridis propter vias. Floret Iulio & subinde usque in Autumnum, semen sub Augusti finem, & Septembri maturescit. Integras sæpenumerò huius fruticis plantas Cuscuta vulgari obsitas inueni.

CYTISI SECVNDÆ, SPECIES ALTERA PANNONICA CLVSIO hirsuta valdè.

Descript. EST multò maior, crassioribus

Virga. virgis, admodum hirsutis, erectis:

Folia. Flores. foliis duplo amplioribus : floribus & siliquis maioribus : ipsi etiam flores, colore magis aureo rutilant. Iuxta sepes nascitur; rariùs tamen & minùs obuius, Cytiso Pannonico altero. Semen vermiculis obnoxium.

Cytisi 2. in Pannon. & Cytisi 5. in Hist. post. aliud genus, sive species altera. Tabern. Icon. Cytisus septimus. In Hist. duodecimus. Cur autem Gerardi Angl. *Cytisum pinnatum*, winged schrub Trefolye dixerit nescio.

CYTISVS HISPANICVS, PRIMVS, CLVSII FOLIO virescente.

Descript. INTERDVM arbusculæ magnitudine excrescit, duro stipite, cuius materia flauescit, sed cor siue pars interior nigricat : is autem cum maioribus ramis & virgultis candicante cortice obducitur : tenelli ramuli toti villo obsiti : folia numerosa ramos ambiunt, terna vni pediculo inhærentia Medicæ modo, dilutioris viriditatis, saporis viridiũ leguminum, amari tamen : aliquot flores extremus ramulis, quasi spicæ instar nascuntur, Genistæ similes, minores, Lutei, nonnihil odorati : deinde Lobi Genistæ pares, oblongi asperi tamen & hirsuti, in quibus exiguum semen, tumidiusculum nigricans, Genista minus: radix lignosa, & in diversa tendens.

Synonyma. Clus. Hisp. & Hist. post. Cytisus prior. Lob. Obs. & Icon. Plant. & Hist. Lugd. Cytisus Hispanicus, primus Clusij. Tabern. Icon. Cytisus nonus Hispanicus. Hist. Cytisus septimus Hispanicus.

Pseudocytisus. Gerard. Angl. Pseudocytisus primus, The first bastard schrub Trefolye.

Digitized by Google

Locus & Tempus. Crescit, vt testatur Clusius, in Salamanticensi agro, & aliis vtriusque Castellæ locis, secus vias. Floret Iunio, semen profert Iulio & Augusto. Creuit in Belgio seminibus ex Hispania missis: nunc hyemis rigoribus periisse existimatur.

CYTISVS MONTIS CALCARIS.

Locus. Tempus. Descript. Propagines. RAMI Cytisi cuiusdam nobis delati per Generum Cherlerum, & D. Iac. Mieg, ex mōte Calcari Galliæ Narbonensis, florentis Iunio, qui teretes, tenues propagines alternatim producit, tantillùm hirsutas in extremis, per quas folia terna Dorycnii ferè Monspeliensi paria, *Folia.* quædam breuissimo & per è nullo pediculo, inter Cytisi genera, minora folia non obseruaui, qui collegerunt, dicunt ad aliquot cubitos excrescere: *Flores.* Flores pediculo breui hærent, longo per ramulorum extrema agmine, Genistellæ pares, lutei, calyculo subhirsuto, in acutas lacinias diuiso: Quales siliquas, nescimus. Rami interdum candidi cùm deflorescit.

Vt existimo, Lobelius describit sequentibus verbis: Quà quis Romà regià vià Florentiam adit, oppidulo, cui nomen Aquapendulæ, decliui & depressa etiam planitie feracissima, Cytisum fruticem quinque, sexve cubitis proceriorem Genistæ sarmentis pluribus gracilibus prædutis, striatis, vidimus statim ab imo aut paulò superiùs lignosa radice è tenuibus pediculis, folia terna, non ita numerosa, similia fœnugræco, angustiora, habitiora, rutacea; Genistæ vel Spartii aut Pisi flores lutei, sed minores: siliqua Genistæ par, cinericia, gracilior, compressior, intus loculis sunt discepta semina nitentia ex atrore Genistæ, est cana vniuersa planta: vti Rhamnus Monspel. aut Halimus, Sapor Ciceris aut similis Leguminis, odor sanè iam non succurrit: aridam enim & inodoram duntaxat habemus vulsam Narbonæ, præsertim, ad radices montis Calcarii prope Veganium: minùs procera tamen, sed tenerior, pabulóque aptior est, fortè quia dum in montes abigunt pecus, vt quotannis faciunt, pastionis lætioris, atque æstus conuallium declinandi causà, ineunte Maio & Iunio, Sole in Arietem ingresso, teneriusculos germinationum fœtus, florum siliquarúmque spem liguriunt oues & capellæ.

Locus. Lobelius & Pena: Cytisus, Trifolius frutex, Lotúsve gentilem cognominis insulæ Cinthiæ, quæ vna è Cycladibus est, appellationem fatetur, vnde reliquæ Græciæ, Latióque factus communis fuit. *Cythelos.* Qui κύτισον ex Poëtis legunt, possunt aptè interpretari fœcundum fœnum. Quam descripsimus, vt si quæ alia, apprimè quadrat Dioscoridis, Galenique Cytiso.

Theophrastus in describenda Cytiso minùs sollicitus fuit.

Icon. Plant. Cytisus.

Lobelius notatur. Lobelius proponit figuram, quæ non placet, flores enim malè picti. In Obs. aliam tradit Cytisum, nempe Maranthæ, cuius folia dicit Erucam olere, & Legumen sapere, vt Dioscor. exprimit.

Admonitio. Lobelii Cytisum antè descriptum non separarem, ab Hispanico primo Clusii, nisi ipse Clusius, ac etiam Lobelius separarent. Qui per ea loca transibunt, vbi Clusius & Lobelius obseruarunt suas Cytisos, omnia diligentiùs considerent; & nos moneant.

Hist. Lugd. Cytisus prior Penæ. Tabern. Icon. & Hist. Cytisus 4.

Compilator Tabern. ingeniosus sanè, si dicere fas est mutauit figuram Lobelii, & pulchriores addidit flores, quos si vidisset, benè fecisset: sed proculdubio, si in iis fuisset locis, aut missa illi planta, annotasset: descriptio est ex Lobelio, quamuis non nominet illum.

Gerard. Angl. Cytisus 8. The 8. schrub Trefolye. Cytisus Penæ. Castor Dur. Cytisus, qui figuram malam Lobelii habet.

CYTISVS HISPANICVS, CLVSII SECVNDVS.

Descript. Virga. Folia. DVORVM cubitorum duntaxat altitudinis est, fruticosus, virgas profert candidas omninò, tenues, ramosas, folia superiori [primo] similia, terna, semper ex vno pediculo nascentia, minora, prorsus incana, nunquam expansa, sed semper quasi complicata, prominēte dorso impensè amara: *Flores.* flores, vt in altero, extremis ramis insidenē superioribus forma similes, sed intensior & planè *Color. Siliqua.* aureus color: siliquæ etiam longiusculæ, asperæ, ex purpura nigrescentes, mucrone deorsum inflexo: *Semen.* semen paulò maius est, & subnigrius altero: radix similis.

Synonyma. Clus. Hisp. & Hist. post. Cytisus secundus. Lob. Obs. & Icon. Plant. Cytisus Hispanicus, secundus Clusii. Tabern. icon. Cytisus decimus Hisp. secundus. Gerard. Angl. Pseudocytisus secundus. The second Bastard Schrub Trefolye.

Locus Tempus. Iisdem, autore Clusio, prouenit locis, eodémque tempore floret, quo prior Hispanicus.

CYTISVS GESNERI, CVI FLORES FERE SPICATI.

Descript. Virgulta. QVAM ego Gesneri Cytisum appello, virgultis est cubito lōgioribus, lentis, & multis aliis tenuibus, concauis, breui pilo circa fastigiū ramulorum hirsutis: *Folia.* folia semper terna vni pediculo inhærent, prona parte hirsuta, quorū longitudinem nervus percurrit, Clusio folia *Sapor.* saporis amariusculi, ramorum extrema in longas abeunt spicas

cas florum luteorum, Pisi floribus similium, sed minorum, & brevibus pediculis hærentium, odoris grati, Clusio melleum quiddam spirantis, quibus siliquæ superveniunt, vnciam aut sescunciam longæ, planæ, culmum latæ, compressæ, hirsutæ: Semen parvum spadiceum, Clusio flavescens, continentes: Pictor noster pro proportione figuræ, nimis magnas & latas pinxit siliquas, Radix dura, lignosa, longa, rarioribus libris donata.

Flores. *Siliqua.* *Semen.* *Radix.*

Gesner. hort. Cytisus suffrutex, vel Cytisus minor. Item in Epist. ad Zuing. Cytisus meus, à tuo diversus, quattuor ferè cubitorum arbuscula, odoratis & oblongis florum ceu spicis, aut paniculis plùs quàm millenis: puto nunc mihi floret.

Clus. Pann. Cytisus 1. & Histor. post. Cytisus 4.

Stirps trifolia lignosa Dodon. descripta. Cauliculi. Folia. Color. Flosculi.

Dodonæo Lat. in Fol. Occurrunt Trifoliæ, lignosæ, ac fruticosæ stirpes, quæ cum Cytiso similitudinem habere videntur. Assurgit vna à radice cauliculis teretibus, fragilibus, compluribus, in alas ac ramulos divisis: folia circa quos crebra, minora quàm Trifolij pratensis, colore virentia: flosculi circa virgularum fastigia spicato quodammodo ordine digesti, lutei, minores quàm Genistæ, alioqui consimiles: succedunt siliquæ tenues, oblongæ, angustæ, & ipsis Genistæ siliquis minores: in quibus semina exigua nigricantia: radix longa, altè descendit, quandoque in obliquum tendit.

Siliqua. *Radix.*

Dodon. redarguitur.

Dodonæi descriptio prior nobis convenire videtur, cum Cytiso nostro, cui flores spicati, verùm Clusii Icon posita sub titulo Pseudocytisi prioris non placet: est autem Cytisi Hispanici Clusij prima. Altera respódere videtur nostro hirsuto Cytiso: cum quo minimè quadrat Icon, ex Clus. posita pro Pseudocytiso altera, quæ Clusio est Cytisi Hisp. secundi: Non placet, quod scribit Clusij genera ab illis [à se adscriptis] exiguum vel nihil differre videri, & differentiam, si quæ sit, soli, cœlique occasione contingere: transferantur in Germaniam Cytisi Hispanicæ Clusij, quarum Dodonæus icones proponit, nunquam ita mutabuntur, quin maximè differant ab iis quas describit.

Locus.

Camer. hort. Cytisus supinus prope Lausannam, De Cytiso miratur Hier. Heroldus in epist. ad Matthiol. quòd non pingatur, cùm copiosè nascatur in Italia: ante aliquot annos quum per Apenninum iret Florentiam, oblatus Cytisus, quem agnoscens, decerpebat ramulos, quos Ghino post ostendebat. Is idem cum Hier. sentiebat, atque in suo horto eum fruticem spinosum ex montibus translatum ostendebat: monstravit Heroldo cum etiam Conra. Gesnerus in suo hortulo. Quem verò Cytisum viderit Hier. Heroldus in Apennino me nunc latet, vereor tamen ne sit diversus à Cytiso Gesneri proveniente circa Scaphusiam, qui nobis probè notus, qui nullo modo spinosus evadit, nec puto vllum eorum, qui Cytisi dicuntur, spinas acquirere: inquirendum igitur, an Cytisus spinosus visus per Heroldum in horto Ghini non fuerit potiùs Trifolius frutex spinosus, Acacia Matthiolo dictus.

Cytisus spinosus.

Cytisus non depictus à Matthiolo.

Cytisi imaginem cur in suo Dioscoride non appinxerit Matthiolus, id in causa fuit, quòd non solùm eius planta non esset ad manus, sed quòd etiam dubitaverit, an legitima in Italia provenerit, vbi raram haberi omninò scribat Plinius. Is ait se hactenus nullam vidisse quæ omnes præ se ferret Cytisi notas: se habere adhuc plantam quam pro Cytiso ad se Ghinus miserit; sed cùm folia nullam ostentarent canitiem, sed potiùs saturatè virescerent, non ducere eam in suo libro pingendam.

Hist. Lugd. Cytisum, cuius imago hîc appicta est, Conradus Gesnerus ad Dalechampium misit. Est autem, vt eius verbis vtar, Frutex τρίφυλλος, sapore glutinoso Malvæ, id quod in eo Galæ quirit. Alia Cytisi effigies sequitur, quem à natalibus Alpinum vocant. In Apennino crescit. Cytisus Alpinus Dalechampij. Pena cùm diu anxius in Cytisi veri historia hæsitasset, subductis hinc inde rationum momentis, tandem eum probatum iri credit candidis arbitris, quem vidit in via regia, quâ Româ Florentiam itur, &c. Cytisus prior Penæ.

Cytisus Gesneri.

De Cytiso priore Penæ egimus antè, sub Cytiso Calcaris montis: Considerent etiam lectores an in Histor. Lugdun. duæ figuræ, quarum prima habet hunc titulum Cytisus Gesneri: altera, Cytisus Alpinus Dalechamp. non sint eiusdem plantæ, quæ pulchrè apud Clusium depinguntur in Pannonicis pro Cytiso priore: & hist. post. Cytiso quarto, cuius historiam Lobelium in Adu. prodidisse existimat. Mihi tamen dubium est, an Lob. huius Cytisi meminerit, & non ipsius Clusii Hispanici primi, vel potiùs eius, quem à monte Calcari denominamus, quod exercitatis lectoribus in stirpium cognitione, qui plantas, de quibus agitur, viderint, diiudicandum relinquimus.

Cord. in Dioscor. sylvestris frutex in Germania sponte proveniens Geißklee & Bergklee. Item Hist. Cytisus albus sylu. Figura Cordo addita est à Gesnero, cum hoc titulo: Effigies Cytisi, qualis circa Scaphusiam.

Tabern. Icon. Et Hist. Cytisus primus. Et Hist. ac Icon. Cytisus secundus, priori valdè similis, virgis versus terram inclinantibus, siliquis maioribus, longioribus primo.

Compilator Tabern. tribuit primò caules quadrangulos & flores luteos & rubellos. Nos Cytisum, quem pingit rubello flore, non vidimus, nec scimus, qui talem tradat. An secundus sit diuersus à præcedente, quis affirmet? quum Compilator non annotet, vbi cum uiderit, vel ex quo authore desumpserit, pro suo candore & peritiâ.

Tabern. notatur.

Gerard. Cytisus primus The forst schrub Trefolye. Item Cytisus tertius. Nescio quo iudicio Gerardus vtramque figuram ex Tabern. proponens satis similes, interponat dissimilem.

Gerardus notatur.

E colle prope Scaphusiam Gesnero pulchrè viret Tiguri. Clusio copiosè nascitur non modò in omnibus sylvis Viennensis agri, & ad vias: sed plerisque etiam Pannoniæ locis, atque in ea Austriæ inferioris parte, quæ veteri circumscriptione non continetur: Crescit in Hercynia sylua, quæ Bohemiam vndique cingit, ubi florere incipit sub finem Iunii, & Augusto plerumque desiniere solet: at in Austria & Pannonia maturiùs. Cytisum Gesneri habui in horto Illust. F. C. V Virtemb. Montbelgardi, quæ secundo anno copiosos protulit flores mense Septembri. Tiguri vidimus apud Gesnerum: Basileæ in horto D. Theodori Zvvingeri: circa Stutgardiam copiosam observavimus.

Locus. *Tempus.*

Iisdem cum cytiso Veterum esse facultatibus præditum verisimile videtur Clusio.

Vires.

CYTISVS TERTIVS HISP.
CVM BREVI PEDICVLO.

Pedalibus, rarò cubitalibus assurgit ramulis, tenuib., omninò incanis: quos exornat terna

semper folia, breui pediculo inhærētia, quorum medium duplò longius est reliquis, cineree & canescentis coloris, adstringētis verò & linguam exsiccantis saporis: ramusculi ferè ab imo ad summum per singulorum foliorum exortus, floribus aureo colore fulgentibus iucundi odoris, onusti sunt, binis aut ternis simul nascentibus ex molli quadam, & candida lanugine hirsuta vaginula similis cum superioribus formæ, sed minoribus. Semen non obseruaui.

Folia. *Color.* *Sapor.* *Flores.*

Clus. Hisp. cytisus 3. & Hist. post. 6. Valentinis *Boga* aut *Boxablanca* dictus. Lobel. Obseru. & Icon. Plant. & hist. Lugd. cytisus tertius, hispanicus clusij. Tabern. Icon. cytisus vndecimus, hispanicus tertius. cytisus nonus, hispanicus tertius. I. Gerard. Angl. Cytisus tertius semper virens. The euer greene shrub Trefolye. Quis docuit Gerardum semperuirere, vel non virere?

Gerard. notatur. *Locus.* *Vsus.*

Inuenitur, annotante clusio, variis hispaniæ Bæticæ locis: sed nusquam abundantiorem vidi, quàm in regno Valentino.

Eius plurimus est Vsus, siquidem illius ramis nudis & à suis foliis liberis supra segetes sparsis, ab his qui bombyces alunt, iam saturi Mori foliis bombyces stamina sua sericea his ramis aduoluūt, quæ deinde à mulierculis & pueris explicantur.

Ad Bombyces.

CYTISVS HIRSVTVS.

Descriptio Virga. *Folia.* *Flores.* *Siliqua.*

Trium & quatuor cubitorū virgis, nigricantibus, hirsutis donatus est: folia terna, nōnihil oblonga, hirsuta vtrinq;: flores in ramulorum fastigiis potissimùm ferè, licèt & ad latera interdum habeat, plures simul congestos, magnos, luteos, è calycibus longis, lanuginosis: siliquas uerò longis pilis oblitas, sescunciā longiores, paulò triente vnciæ latiores. Hunc Clusius sic describit: humanam altitudinem attingit, virgásque habet longas, non admodum fruticosas, neque lentas, nigrescente cortice obductas: folia trifolii aut Medicæ, terna simul vni petiolo inhærentia, supina parte viridia, prona verò subtusssa lanugine hirsuta, leguminum amariusculi saporis: flores ex alarum sinu reliquis maiores, cum Genistæ maioribus floribus comparandi, aureo colore fulgentes. huius semen obseruare non licuit, cùm solùmodo ad montium radices circa calpē & Bœticę maritimis inuenerint.

Descriptio Clusii. Virga. *Folia.* *Sapor. Flores.*

Clus. Hisp. cytisus quarta, & post. hist. cytisus tertius *Escabon* hisp. dictus. An Gesnero hort. cytisus in Italia nascens maior? cytisus à Belgnio missus, candidior, hirsutiórque? Lob. Obseru. Icon. Plant. & hist. Lugd. cytisus quartus hisp. clusii. Nusquā spontè natum vidit cytisum Turnerus, quàm in Apennino iuxta Bononiam, idque copiosè: coluit in horto suo olim Boloniæ: iam etiam VVitenburgi frutices instar arbuscularum, altitudine homin em æquantes: ramis albicantibus, Lanugine incana obsitis siliquis, vt in Apyd Fuchsii, sed breuioribus quantùm meminit. Figura pessima à Turn. parte in quæalterū posita pars ea pro Trifolio quinto, descriptio ieiuna. Tab. icon. cytisus duodecimus, Hyst. Cytis. x. Gerard. Angl. Pseudocytisus hirsutus The hairie bastard Tresfolye [vti antè diximus sub cytiso spicato,] videtur hunc cytisum describere secundo loco, licèt eius iconem non proponat.

Turnerus notatur. *Pseudocytisus hirsutus.*

Cytisum repertam circa *Baulme* oppidum Burgundiæ transtuli in hortum Ill. E. C. VVirt. Montbelg. vbi fœliciter pluribus annis floruit & siliquas suas tulit. Eandem reperi in Sundgouia, circa Frigidum fontem, vbi prioratus: primò videram in Italia. Frater C. Bauhinus attulit collectam in montibus Euganeis circa Patauium. Clus. solummodò ad montium radices circa calpen & Bœticæ maritimis florentem inuenit.

Locus & Tempus.

CYTISVS TERTIA CLVSII, PANNONICA, SPARSIS ramis.

Aliquot ramis præditus est, sparsis & humi fusis, tenuibus, lentis & fractu contumacibus, qui nullis, aut certè rarissimis foliis sunt obsiti, multos autem ex lateribus ramulos proferunt tenellos, hirsutos, in quibus sola longis pediculis innitentia, terno semper numero, superiorib. breuiora, claro dorso, supernè viridia, infernè incana lanugine pubescentiia, amariusculi saporis & herbacei odoris: ex alarum in extremis ramulis, nonnunquam & per totos ramulos prodeunt terni aut quaterni flores simul iuncti, superiori formā similes, coloris lutei, qui tamen, dum marcescere incipiunt, aureum colorem adeò saturum contrahunt, vt purpurascere videantur: folliculi vnde flores emergunt, pallent, & lanugine pubescunt;

Descriptio. Rami. *Folia.* *Sapor.* *Flores.*

Siliqua. Semen. Radix. bescunt: siliquæ planæ, hirsutæ, semen continent exiguum, subfuscum: Radix dura, lignosa, iuxta quam rami per terram sparsi, subinde fibras agunt.

Clus. Pannon. Cytisus 3. & Hist. post. septimus. Tabern. Icon. Cytisus octauus, Geißklee. & Hist. Cytisus sextus. Gerard. Angl. Cytisus quartus, hirsutus Hairie shrub Trefoile. Hort. Lus. Cytisus 3. Clusii, & 8. Tabernæmontani.

Locus & tempus. Anno 1595. Iulii 7. Argentinæ accepimus à D. Vldaricho Chelio, ex plantis diligentissimi Botanici, D. Agerii, cum hac inscriptione, *Cytisus Pannonica Clusii.* Sponte provenit, sic enim tradit Clusius, in silvula quadā ad Lachen, primo ab vrbe Vienna milliari & plerisque aliis locis vrbi vicinis: tum etiam in vtrâque Pannoniæ siluis, atque etiam in Interamni, vltra Dravum flumen, Maturius floret superioribus Pannonicis, Maio videlicet, nonnunquam etiam Aprili, & nouos interdum ex ramulis flores per totam deinde æstatem profert.

CYTISI TERTII PANNONICI TERTIA SPECIES, CLVSIO, supinis ramis.

Descript. Virga. Folia. Flores. CYtisi tertii in Pannon. in post. verò Hist. Cytisi septimi, species altera Clusii, pedalibus virgis inuenta, tenuibus, viridibus, supinis & humi fusis, quas ambiunt folia superioribus Cytisis similia: flores etiam similes, extremis virgis quini, seni, aut plures simul congesti innascuntur: nulli autem per virgas sparsi, vt in superiori: siliquæ & semina non differunt, virgæ, foliorum pars prona, & siliquæ molli hirsutie pubescunt.

Locus. Inuenitur in Pannoniæ silvis, florétque Maio.

CYTISVS GLABER, SILIQVA ANGVSTA.

Descriptio. Folia. FOlia huic Cytiso, terna quidem illa, ex rotundo sublonga, vt Cytiso Gesneri, verùm glabra: *Flores.* flores ad virgularum angulosarum latera, ex foliorum alis, singulares, quantùm animadvertere licuit, satis magni, longiore calyce quàm in Cytiso glabro siliquā latâ: *Siliqua.* à quo & siliquę distinguunt, ex latere vt mox de floribus dicebamus, prorumpentes, culmo angustiores, vncias duas longæ, pediculo breuissimo hærentes, glabræ, quæ siccæ nigræ: inter Cytisos tenuiores siliquas non obseruauimus, nec etiam omnes vidimus, *Semen.* in quibus semen orbiculatum, russum, compressum, lente minus.

Aliis iudicandum relinquit Anguill. an de hac Cytiso intellexerint Dioscorides, Theophrast. & agriculturæ authores: esse autem Galeni Cytisum l. 1. de Antidotis statuit, quia semen habuerit ex ea regione, vbi prouenire dicant. An Cordo in Hist. Pseudo-cytisus, siue niger Cytisus, Tubingæ proueniens solus absque albo? *Pseudo-cytisus. Cytisus niger.* Tubingæ aliquando visus à me Cytisus quem eundem tunc putabam cum Gesneri Cytiso, nunc non ausim asserere: nec etiam an hic de quo nunc agitur. Frater C. Bauh. plantæ siccæ, quam Patavio nobis miserat, adscripserat Genista Alpina, Cytisus angustifolius Galeni. Trifolium fruticans Guillandino. *Genista Alpina. Trifolium fruticans.* An Camer. hort. Cytisus niger siue maior Pseudo-cytisus forsitan Clusii?

CYTISVS GLABER, SILIQVA LATA.

Descriptio. ACcommodus est consitibus arearum marginibus reliquisque topiarii operis deliciis, obsequiosis virgulis, *Virgulæ.* quæ alicubi ad tertium & quartum cubitum assurgunt, glabræ, & vbi attenuari occipiunt, angulosæ: per has folia terna, *Folia.* semper iuncta, concinna & rotunda, vnciâ breuioribus pediculis hærent, at verò in ramulorum, qui flores, aut siliquas sustinent, extremis, non iam ea terna, sed bina, aut singularia, fortuito positu, latiora, & in acumen desinentia. Verùm tum hæc tum illa læto virore arrident, nullis obsita pilis. *Flores.* Flores summitatibus ramulorum aceruatim insident, lutei, Genistellæ æmuli, ex pediculis semunciæ breuioribus, quibus succedunt siliquæ, *Siliqua.* vnciam vnam aut alteram longæ, semunciam latæ, compressæ, glabræ, in quibus semina fusca, *Semen.* subrotunda, compressa.

An Anguill. Cytisus in Prouincia & Corsica proueniens, quam quidam monstrant, dicentes, folia habere Erucæ odorem? Lobelius & Pena Adu. Cytisus altera minor & vulgatior. Icon. Plant. Cytisus alter, cuius figura satis infœliciter picta est. Hist. Lugd. Cytisus alter Penæ, notior, frequentiórque Italiæ & Gallo-prouinciæ, foliis ternis (quæ pictor omisit, binis tantùm pictis) majoribus, rotundioribus, quàm in priore Cytiso, ex atrouirentibus. Verum fatetur Hist. pessimè enim tum floribus, tum foliis est pictus Cytisus, nec scio quenquam præter Lobelium & Penam qui depinxerit. Tabern. Icon. & Hist. Cytisus quintus rotundifolius, Runder Geißklee. *Tabernæmontani.* Perperàm appinguntur siliquæ hirsutæ, quæ etiam à Compilatore Taberna non bene describuntur. Gerard. Angl. Cytisus secundus The second Trefoile, qui & ipse malam habet figuram Tabernæn.

Locus. Hunc Cytisum vidi in Italia, & Basileæ in hor-

to Domini Doctoris Fœlicis Plateri, & I. Herzmã Pharmacop. ac Argentinæ in horto Domini Friderici Meier, à quo habui semina Montbelgardi serenda in hortum Illust. Excel. Cels. VVirtemb.

CYTISI GENVS MISSVM, NOMINE EBENI SECVNDI, FLO-ribus purpureis.

Descrip. FRVTICOSAM quandam plantam Ebeni secundi nomine donarunt Itali, Virgulta. virgultis lentis, teretibus, canâ lanugine pubescentibus, per quæ folia Folia. conspiciuntur, vncialibus pediculis appensa, terna, cytisorum modo longa, acuta, villosa, albida. Flores Flores. in spicam digestos, pariter ac Trifoliũ maius, siue cytisus Tragi, gerit, purpurantes, ex folliculo lanuginoso candicante, in plumatas cuspides desinentes, vnicuique verò folliculo folium subiicitur, acuminatum: Semen. semen inuolucro Trifolii bituminosi clauditur, album, oblongum, ad Milium vulgare accedens.

Ebano Candia. Iosephus Casabona Ducis Florentini hortulanus misit semen, cum hac inscriptione, *Ebano Candia.* Frutex cytisus alter Candiæ, vel Ebanum floribus purpureis, in catalogo horti Bembi Patauini.

Descriptio Belli. De hoc cytisi genere existimamus Honor. Bellum hæc scribere Epistola ad Clusium. cytisus creticus frutex est totus obliquus, ad quatuor aut quinque cubitorum altitudinem assurgens: Folia. folia profert terna simul iuncta, argentea, Trifolii æmula, dorso aliquantulum prominente: Flores. flores Trifolii maioris, adhuc tamen maiores, rubros in quib. intermixti sunt albi quidam villi, qui Struthiocameli pennas, eásq; in minutissimas partes diuisas æmulantur, ea ratione flos elegantissimus apparet: videtur enim ex purpura & argento quodammodo formatus: Semen. succedunt semina Milio maiora: Materies. materies ligni nigra, durissimáque est, cortex cinereus, & totus profundis scissuris plenus, Locus. oritur vbique in asperrimis collium locis & præcipitiis, vocatúrque vulgò, ἀρχοντόξυλον, quod nobile lignum sonat. Hunc fruticem cytisum, & fortasse legitimum esse iudico.

Laudandus candor & veritatis studium, stirpium diligentissimi & peritissimi Honor. Belli, dum ait, se errasse nunc deprehendere, quando cytisum Creticum ἀρχοντόξυλον vocatum, legitimum fuisse putauerit. Nam differre ab hoc foliis, quæ angustiora & longiora sunt, neque semper vno pediculo terna simul, sed quaterna & quina, seménque non in siliquis, sed Trifolii modo proferre, hancque ob causam non ampliùs cytisum, sed Ebenum creticam vocandam hanc stirpem censendam, materiem enim ligni plurimam accedente colore nigro, splendore & duritie.

Gener Chetlerus attulit nobis pulchros ramos cum flore ex Horto Florentino Mag. Ducis Hetruriæ. Priùs verò semine Florentino à Casabona misso prouenerat nobis in horto Ill. E. C. VVirtemb.

CYTISI FACIE ALYSSON FRVTICANS QVORVN-dam, Lob.

Descrip. PErquàm paucis notus hic perelegans, & parùm frequens exoticus frutex, nisi cultioribus Belgii viretis, Flores. vbi floribus luteis leucoii minoris, Æstate lucet, è sparsis numerosis, anfractuosis Polemonii striatis coliculis: Folia. Folia cytisi habitiora, albida, hispida, cetaceis pilis rigida: Radix. radice lignosa, duriore: & in folliculis semine.

Alysson frutican. Lob. Obs. & Icon. Plant. vocat Cytisi facie Alysson fruticans quorundam. Tabern. Icon. & Hist. Cytisus adulterinus, Alysson fruticans, Vermeenter Geißklee. Gerard. Cytisus adulterinus, siue Alysson fruticans Bastard shrub Trefoile. Hist. Lugd. cytisus facie Alysson quorundam, Lobelii.

TRIFOLIVM FRVTICANS, QVIBVSDAM POLEMONIVM flore luteo.

Descriptio. VArio implexu serpit radix alba, & ex pluribus progerminat locis: vnde tricubitales exsurgunt Rami. rami, angulosi, virides: in quibus alternatim surculi surgunt, Folia. folia producentes, læto virore splendentia, terna ferè, vt in Trifoliis: singulæ portiones ad Rutæ vulgaris portiones accedunt: Sapor. sapore ingrato & fætido. In ramulorum extremis, flores oriuntur Iasmini facie vel Arthriticæ, siue Primulæ veris, quinquepartiti, luteis

Bacca. Semen. Iis decidentibus succedunt baccæ satis magnæ, rotundæ, rubræ, in quibus continetur semen, simile ferè Piso vulgari minori, intus album, ingrati saporis.

Polemonii Monsp. Polemonium Monspelii olim vocabant, sicut & Lugduni *Iasmin Iaulne*. Ruellius de hoc Cytiso loquitur, dum dicit: postquàm Polygoni Dioscoridis historiam pertractauit Plinius alterum *Polygonum sylu.* genus adiecit, quod Polygonum syluestre nominat, cuius descriptio in plerilque cum superiore Dioscoridis pictura dissonat, quapropter aliud esse genus non dubitaverim: penè arboris modo frutex, radice lignosa, stirpe cedri rubicundo: ramis Sparti, binùm palmorum, nigris geniculorum ternis, quaternisque articulis: sapor mali cotonei. Hac mihi certè facie demonstratum, quod Poligonum syluestre appellatum, fruticibus magis, quàm herbis annumerandum, vt quod arbuscularum minetur altitudinem, stipite & ramis sparti, atro virore saturatis, binû palmorum, ternis Rutæ foliis, nigricantibus ex interuallo fusis, sapore mali cotonei, radice lignosâ. Sed iam, quòd ramis herbaceis, fronde minutâ Genistæ, quam vocant Sparton, foliatis vestiatur, multi Genistellam audent appellare apud nos in Gallia.

Ruta capraria. Gesnerus hort. *Polemonii Monspeliensium* plerisque, herba *Ruta capraria* dicta. Item *Limonium Monspeliensium*: foliis ferè Polemonii, flosculis luteis, confertis, exilibus, oblongis. Quod qui*Limonium.*dem ipsi cum Limonio nihil commune habere videtur: & [suspicatur enim propter vocum vicinitatem Limoniũ aliquem pro Polemonio protulisse:] Pingi à Dodonæo tanquam alteram Polemonii speciem, sed errat. Item vocat Rutam caprariam Gallorum, Monspelii vulgò sic dictam, foliis Rutæ, quam quidam Polemonium Dioscoridis esse, multis persuaserint. Facilè crediderim ego Gesnero Limonium scriptum fuisse, pro Polemonio, non tamen propterea concesserim Polemonii alteram speciem Dodonæi. Is enim *Cytisus.* ait in Hist. frum. cytisum quem plerique appel*Trifolium fruticans.*lant Trifolium fruticans nominare malui: cum cytiso enim non conuenit, nisi Marcelli cytisus sit, cum quo aliquam fortè similitudinem habere videri posset, si flos, qui ei luteus est, albus esset, aut galbineus: galbineus autem color, idem videtur cum cœruleo, aut similis.

Polemonium. Sunt verò & nonnulli, qui Trifolium istud Polemonium esse existimant, quòd videlicet cum vulgaris Rutæ, aliquam huius folia similitudinem habere videantur. Sed Polemonium non vulga*Ruta duplex.*ris Rutæ est folio, sed alterius, Hypericoidis videlicet, veluti Hypericum Anonis, & Centau*Ruta Hypericoides.*rium minus, quæ etiam folio Rutæ describuntur.

Polygonatum. Ruellius authoribus Lob. & Pena perperàm adstruit Polygonatum siluestre Plinianum, folio Rutæ, Polemonium fruticem, quem non nouit isto nomine, & fieri potest, vt hallucinatio sit Polygonati ad Polemonium.

Polemonium Monspeliensium, *χαμαιδάφνης*, authore Dioscoride Gallis, Belgis, & Anglis putata & vocata *Genistæ peregrinæ quædam species*. Obs. & Icon. Plant. *Polemonium*. Hist. Lugd. *Polemonium Monsp. Iasminum luteum*. Tabern. Icon. & Hist. *Trifolium fruticans* Baumclinther wiesen klee. Gerard. Angl. *Polemonium, siue Trifolium fruticans* Schrub bie Trifoile. C. Bauh. Ph. *Trifolium tricesimum secundum, siue fruticans bacciferum.*

Iasminum luteum.

Locus. Reperitur, vt scribit Dodonæus, apud Belgas in studiosorum hortus aliunde inuectus: floret æstate: Autumno semen maturum. Florentem vi*Tempus.*dimus mense Martio, Aprili, Maio & Iunio. Baccas autem ferentem copiosè mense Augusto, quæ per Autumnum & Hyemem durant. Prouenientem autem obseruauimus Monspelii in sepibus, & inter Monspelium & Nemausum, ac Lugduni cultum in hortus propter pulchritudinem. Prætera vidimus in horto Publico Patauii. Geneuæ in horto nostro proueniebat. Lugduni florens mense Septembri in horto, ibi vocant, *Iasmin iaulne*, inde Montbelgardum curauimus adferendum ad Principis hortum. Bononiæ in horto S. Saluatoris obseruauimus, nec non Basileæ in horto D. D. Fœlicis Plateri: Stutgardiæ in horto Ducis. Rickenvvillæ in horto domûs Illust. Exc. Cels. VVirtemb. vnde etiam Montbelgardum copiosè euulsum transtulimus: interdum summitates gelu perduntur, nec facilè fructum fert apud nos.

Dodon. Trifolium fruticans, nullius quidem vsus est, nec animantium cuiquam, multò minus *Vsus nullus.* apibus, quod sciatur, gratum.

TRIFOLIVM FRVTEX GENISTÆ FOLIO.

PLANTÆ huius cubitalem adseruamus ramum, rectum, teretem, Genistæ *Descriptio Ramus.* facie, striatum, fungosum, in alas alterno positu diuisum, quarum commissuris folia hærent *Folia.* unâ parte trifolia, extremâ singularia, Genistæ apprimè similia: ramorum extremis, veluti spicatim, sed maiore positu, flosculorum capitula, ex *Flosculi.* longiusculis pedicellis alternatim hærent, flaua, (vt sicca ostendit) oblonga, ad quorum insertionem minutissima foliola adnascuntur.

A clarissimo Domino, Domino Suartzio Illustr. Ducis VVirtemberg. Medico ex Italia illatam dono accepimus. Vbi autem eam locorum collegerit, non recordamur.

ASPALATHVS SECVNDA, TRIFOLIA, QVÆ ACACIA SECVNDA Matthiolo Trifolia.

PEDALES adseruamus ramos aliquot, rigidos, *Descriptio Rami.* firmos, atque lignosos, cortice subcinereo striato obtectos, ligno albicante: pro ramis hac illac spinas exerit feroces, duarum, aut trium vnciarum, quarum nonnullæ bifidæ, aut trifidæ, striatæ & ipsæ, reliquóque ramo concolores: quarúmq; non commissuris modò, sed ipsimet etiam medietati, ex longiusculis pediculis, folia hærent

Folia.



trifolia, exiguâ quadam, ac ne vix quidem, conspicuâ hirsutie pubescentia.

Aspalathum secundum aliquando suspicatus Anguill. esse Acaciam secundam, vnde sparsus rumor, ipsum asseruisse esse Acaciam secundam, quod tamen non fecit. Alteram Acaciā Matthiol. accepit à quodam ex iis, qui rei herbariæ dant operam, quæ Dioscoridis historiam perbellè repræsentare visa est: est enim aculeis horrida, folio Rutæ, semine lenticula minore, in siliquis ternum, quaternúmve capacibus, quod Autumno profert, gustu etiam adstringente: color siliquis aureo quodam fulgore respersus, adeò vt in Sole auri modo pelluceat. Nec ab hac opinione in post. comm. cum mag. icon. Lat. & Ital. recedit, antequam eam videat plantam, quam Anguillarius secundam esse censet Acaciam. Matthiol. in Hist. Germ. non describit Acaciam secundam, quasi ei non benè notam. Camer. sub titulo Acaciæ secundæ, (Egiptischer schlehendorn) Figuram Acaciæ Bellonij & Acaciæ secundæ Matthioli ponit: Verùm Acacia Bellonij eadem est cum Acacia prima & vera Dioscoridis, quamuis figura mala, à qua Acacia trifolia Matthioli, de qua hoc capite agimus, multùm differt.

Acacia. 2. Titubant. opinio. Cùm igitur Dioscorides (ait Marantha) secundam Acaciæ speciem per Autumnum, semen in siliquis proferre dicat: valdè periculosa mihi videtur opinio volentium secundam Acaciam esse eam plantam, quæ passim Neapoli & Puteolis visitur in Veris initio luteū florem Genistæ similem proferre, siliquis pilosis aurei coloris splendentibus, quæque *Spalatrone* vulgò dicitur, & in Græcia etiam vulgò Spalathro: hæc enim planta vix ineunte Æstate semen perpetuò profert: quam & nonnulli, non leui quidem conjectura, Aspalathum

Aspalathus 2. secundum potius existimant: videtur enim vulgatum etiam nomen consentire. Dodon. Gall. Acacia altera. Gesn. hort. Aspalathus. Benedicto Aretio ex natis è semine plantis duabus, vna in horto relicta, hieme periit: altera in hypogeo seruata est, & postea floruit. In Gallia Narbonensi spontè nascitur. Matthiolus hunc fruticem pro Acacia secunda pinxit: sed videtur potiùs Aspalathus secundus, vt Marantha monet.

Animadversio in Gesn. An confundat Gesnerus Aspalathum Monspess. cum Acacia secunda Matthioli iudicent Lectores: nos quidem suspicamur quòd Aretius Monspeliensium Aspalathum habuerit, non Acaciam secundam.

Lonicerus notatur. Figuram habet Lonic. titulo, Acacia Dioscoridis ex Matthiolo, sed non indicat an huius plantæ sit figura, vel prioris, nec etiam describit.

Matth. reprehenditur. Lob. & Pena Adu. Acacia altera Dioscoridis, notior Europæa. In hac Matthiolus æquè incertus ac in superiore.

Hist. Lugd. Acaciam alterā genuinā censēt periti Herbarii, foliis Rutę ternis. Acacia altera Matth. Tabern. icon. & hist. Acacia secunda, Acacia Diosc. Egiptischer Schottendorn. Compilator Tabern. ineptè pro vera Acacia Gummifera in histor. ponit Aspalathum trifolium. *Tabern. notatur.*

Aspalathus. 2. C. Bauh. apud Matth. Acacia altera. Honorius Bellus ad Clusium, Aspalathus secundus Dioscoridis verus & legitimus: atque in tota Græcia nomen adhuc retinet: illo sepes conficiunt & integræ syluæ hoc solo constare spectantur: ligni materies alba, durissima & grauis est: medium autem ligni nigrescit, odore carens: flores habet luteos, Genistæ æmulos, parum odorantes: vento autem spirante, eorum odor satis suauis, manè longiùs percipitur: succedunt paruæ siliquæ, in quibus tria, quatuórve semina continentur: folia Rutæ similia sunt, terna simul iuncta, licèt Æstate ipsa amittat, vt Autumno aliis induatur, spinis totus frutex scatet: radice nititur firmâ, lignosâ odoris experte. *Locus & Vius. Descript.*

Matth. error. Nomen Acaciæ alteræ. Matthiol. non sine errore fruticem hunc Acaciam alteram appellat. I. Pona in descript. montis Baldi, Aspalathus alter legitimus Diosc. frutex à nemine [quod sciam] rectè descriptus, verè autem & eleganter ab Honorio Bello.

De Aspalatho Veterum sententia. Æquiuoca Locus. Quæ *Veteres* scripsêre de Aspalatho secundo, à nobis posita sunt, hist. n. g. lib. 4. vt & æquiuoca. Altera Dioscor. Acaciā vniuersum Tirrhenum, Ligusticum, atque Mediterraneum littus scatet, vti pleraque Italię loca: An Bellonii Obs. lib. 2. cap. 80. In Palæstinę vrbe Rama Acacię alterum genus copiosè proveniens? Et cap. 86. In Planitie Iericho Acacia altera frutex abundè crescens? Siccam habeo à D. Cortuso missam, in cuius horto primùm viridem conspexi, postea Veronæ apud insignem Pharmacopœum Calceolarium.

DE COLVTEA ET COLYTEA VETERVM

QVia in humiliorum suffruticū historia versamur, hoc in loco iure merito de Colutea eiúsque speciebus sermo habetur, & ea quæ Theophrastus habet, in medium adferre animus est: Colytea enim [κολυτέα] habet folium vicinum Salici [ἰτέας, fortè legendum πτελέας Vlmo, vt habet ipse autor Theophrast. cap. 17.] ramosum verò [πολύοζον] foliosa. n. arbor, & omnino magna: Fructum autem in siliqua, sicuti legumina, siliquis latis & non angustis, & semen (σπερμάτιον) intus, paruum & non magnum, durum modicè, non valde, neque multa semina habet pro sua magnitudine. Rarum verò est, (arborem scilicet) in siliquis fructum habere: quippe inter arbores pauca huiusmodi habentur. *Colytea Theophr. Folium. Theophr. corrigitur. Siliqua. Semen.*

Colutea verò [κολουτία, vel κολοιτία vt legit Const.] circa Liparam propria, arbor magnitudine præstans: (εὐμεγέθες: sunt, qui putant legendum οὐ μέγα, non magnam, facili lapsu) semen verò fert in siliquis, magnitudine Lentis, quod oues mirum in modum pinguefacit. Nascitur semine, & fimo præcipuè ouillo. Tempus autem serendi, cùm Arcturus occidit, serendum semine præmadefacto, cùm iam in aqua pullulare incepit [legitur vt Gaza vertit διαφυῆ, Const. in Lex. & Dalech. apud hist. Lugd. putant legendum διαφυσᾷ, vel διαφυσῆται, id est inflatur, non malè meo iudicio.] Folium habet simile Fœnogræco: Germinat primò vnicaulis triennio maximè, quo quidem tempore baculos [βακτηρίας] decidunt: tunc enim præstantiores esse videntur: & si quis decurtaverit [κολούσῃ] moritur, haud enim stolonibus regerminat. Spargitur deinde *Colutea Theophr. Siliqua. Semen Lentis. Ouium pabulum. Cultura. Folia Fœnugræci.*

deinde in ramos, quartóque anno arborescit.

Colytea alba, arbor. Ea autem circa Idam prouenientem, quam vocant κολυτίαν, genus aliud est, fruticosum & ramosum [ὀζῶδες, nodosum vertit Dalechampius] multas alas habens, rarum verò, non multum. Habet *Folium Laurinum. Vlmi foliū.* folium Laurinum, Lauri Latifoliæ, sed rotundioris amplioris que, vt vel vlmeo simile appareat, oblongius tamen: colore parte altera herbido: [χλοερὸν] tergo autem albido, neruosóque, à posteriore parte neruuli tenues, inter eas propagines, & inter partes similes costis de media protenduntur. Cortice non læui, sed quasi vitigineo: ligno verò duro, spissóque, radicibus per summa tenuibus & solutis & crispis, atque flauis maiorem in modum. Fructum & florem non ferre dicunt. Cachryn autem in vertice [κορυνώδη] geminósque [ὀρθάμνους] circa folia, admodum læues, pingues, candidósque facie, Cachrys similes: præcisa & vsta, ab imis subnascitur atque resurgit [ἀναβλαστάνει.] Hæc Theophrastus.

Plinius de Cercide (quam Theophr. lib. 1. c. 18. cum Colœtia [κολοιτία] circa Liparam, arboribus semen in siliquis habentibus annumerat) nihil de Colutea autem vbi agat, videbis. κολοιτία inibi, vt notat Scaliger mendosè legitur, κολυτίαν in tertio appellat, vbi Liparitianam vocat arborem, κολυτίαν verò & diuersam, & Idæ propriam.

Colyteæ, siue Colouteæ, siue Colotteæ nomine Theophrastum intelligere tres plantas scribit Solerius, verùm nullam esse *Baguenaudier*, vt voluerint Fucht. Ruellius & Matthiolus.

Colyteæ & Coluteæ æquiuoca. Sed Colyteæ & Coluteæ spectemus æquiuoca. Existimabat Solerius Colyteam folio Salicis Theophr. l. 3. c. 14. esse Dioscoridis Anagyridem & *Laburnum. Anagyris.* Plinii Laburnum, de qua nos hoc libro 11. sub Laburno. Ab Anagyride non multùm recedere videtur Colytea apud Theophrastum folio copioso (quamuis in aliam abeat sententiam Theodorus,) Cæsalpino. Colutea multis, de qua paulò pòst, *Colutea vulgaris. Sena.* sub Coluteæ vulgaris titulo. Coluteam præterea non pauci, *Senam vulgarem* esse credunt. Nonnulli Coluteam Scorpioidem faciunt: Clusius in *Colutea Scorpioides.* Pannonicis Elatiorem. Idem etiam in Pann. Co- *Colutea Scorp. humilis* luteam Scorpioidem humiliorem contendit. Tandem est Colutea Scorpioides altera Clusio in *An Polygalo Clusii affinis: Quæ præcedentium?* Pann. Hæc an Polygalo affinis Clusii. Colutea Scorpioides peculiaris species folio Rutæ, per hyemem & frigora diligenter munienda: Depinxit etiam aliam Clusius in Obseru. Pann. Crescit in *An Polygalo Cortusii similis.* Gallia circa Monspessulum & vicinis Viennæ montibus. Considerandum adhuc ad quam præcedentium pertineat. Colutea Scorpioides co- *An Polygalon Clusii.* ronata Lobelio, Polygala Clusio. An Polygala Cortusii similis? Colutea minima, Polygala Valentina prima Clusii. *Vlmus.* Vlmo quodammodo similis arbor à Theoph. Colytea dicitur, videtur autem Vlmus sylv. Plinii Inquirendum proponunt Aduersaria Penæ & Lobelii, Germanorum Baulbaum an Colytea sit Theophrasti? De hoc frutice *Alnus nigra baccifera.* Hist. nostræ generalis lib. 5. sub Alno nigra baccifera. *Apocynon.* Colyteam Theophr. in Ida provenientem suspicatur esse Apocynon Dioscoridis, Solerius De ea Hist. nostræ generalis l. 15. Colytea Theoph. *Iudaica arbor.* quibusdam Arbor Iudæ, de qua Hist. nostra lib. 12. *Staphylodendros.* Staphylodendros aliquibus Colytea, de qua Hist. nostr. lib. 3.

SENA.

Descriptio Senæ Orientalis. SENA, quam ex Oriente Institores important, primæ est notæ: caulibus cubitalibus, aut pau-

lò altioribus, lignescentibus: ex *Caules.* quibus alternatim exeunt pediculi tenues, palmo longiores, ad quos ex mediocribus interuallis adnexæ sunt foliorum quatuor aut sex coniugationes, nullo impari alam claudente, quod animaduerterimus adhuc: singularia *Folia.* autem folia ex viridi in flauum declinant, proximéque costæ adhærescunt, Glycyr- *Gustus.* rhizæ foliis similia, sed acutiora, gustûs nonnihil viscidi & amari, non sine nausea aliqua. Siliquæ falcatæ, com- *Siliqua. Semen.* pressæ, nigricant: semen continentes paruum, gigartis simile, sed compressum, album vel nigricans. Porrò, quam Florentinam dicunt, foliis *Sena Florentina.* quidem est similiter dispositis, sed multò maioribus, neruosioribus, non acuminatis, sed per extremum latis ac penè cordatis.

Hanc Cæsalp. sequentibus verbis describit: Se- *Descriptio Cæsalp. Caulis Folia. Flos. Siliqua.* na nostras frequens est in agro Pistoriensi, seritúrque in quibusdam Florentiæ locis: caule constat cubitali: foliis latioribus Senâ Orientali: gustu glutinoso: flores fert luteos: siliquas compressas, & falcatas, angustiores Orientali, linea vtrinque per medium inæqualiter exuberante, seminibus nigris, compressis, figura cordis: vtuntur hac Medici loco Senæ Orientalis, sed longè *Semen. Sena Orientalis substitutum.* inefficacior est ad purgandos atros humores. Huius meminit Serap. ex authoritate Abohanifa. *Serapio de Sena.* Sena asseruatur sicca, siliquas lunatas, & oblongas profert: in quibus semina in ordinem digesta clauduntur. Siliquæ tenui pediculo pendent ideóque ab eo facilè ventorum impetu deturbantur. Caducas opiliones colligunt.

Senna inquit Mesue, est folliculus plantæ, Per- *Genera Mesue. Abalzemet* sis dictæ *Abalzemer*, Orobi modo nascentis: Satiua est, & aggrestis.

Frutex est, Ruellio teste, quadriennio se in ar- *Descriptio Ruellii. Rami. Folium.* borem efferens, ramis exilibus, folio Fœnigræci, membraneo folliculo, pellucente, prætumido, & veluti quodam spiritu distente turgido, ita vt si digitis prematur, crepitans dissiliat, in quo semen *Semen.* atrum, durum, latum, lentis magnitudine, Pisi gustu.

Videntur Actuarii tempore siliquæ potissimùm in vsu fuisse: scribit enim: Sena à Barbaris appellatus siliquosus ille fructus est, qui citra noxam drachmæ pondusculo in aquam coctus, sumptúsque pituitam & bilem purgare affirmatur.

Contra Cordus Hist. Senam sic describit: cau- *Descriptio Cordi.* lem erigit cubitali altitudine, paucis ramis fruticosum, foliis in singulis pediculis, vtrinque tri- *Caulis Folia.* bus, vel quatuor, binis semper per interualla ex contrario & rubente adnexu erumpentibus, Portulacæ foliis figurâ similibus. Flores lutei & pallescentes, quinque foliis in concauitatem aliquam reflexis constantes, eiusdem coloris stamina habentes. Radix tenuis & inutilis. *Radix.*

Fuchs. vocat Coluteæ alterum genus; & sili- *Colutea altera Fuchsio Fuchs. not.* quas ferre ait non ita tumidas, vt Colutea, in quo

nobis non placet: eò quòd siliquas Sennæ tumidas fuisse aut esse, animaduertere hactenus nobis non licuerit.

Candido in fastigiis & violæ adsimili emicante est flore qui in nigras abit, & incuruas instar Genistæ siliquas: Semine aliquantùm lato, ac incano, quod à me, inquit Tragus, aliquando satum, plantulas Senæ protulit.

Locus.

Sena alioquin ex Italia in Germaniam magna in copia deportatur, nam in illis regionibus sicut & in Gallia sponte sua gignitur, prętantissima verò ex Alexandria defertur. Ea luteos profert flores, alteræ vulgari similes. A Theophrasto descripta est, Liparæ peculiarem speciem afferente.

Delphiniũ. Alypum. Peplium.

Quod verò quidam Senam Delphinium, seu Alypũ, aut Peplium Dioscori. esse dictitent, nihil me mouet, quominus Sennã cum Ruellio Coluteam Theophrasti cum Euchar. Rœslin. esse statuam. Galli hanc *Baguenaudier* vocant. Serap. *Habshamsa*, Mesue *albazemer*, Actuarius fructum siliquosum appellat.

Trag. reprob.

Ex his autem Tragi verbis satis apparet eum miscuisse Coluteam cum Senna. In Gallia an proueniat nescio, nec in eadem aliud nomen habet quàm Senæ. Præterea Italicam ab Orientali distinguit floris colore: vni namque candidum, alteri luteum florem tribuit, quæ distinctio an sit vera considerandum.

Delphiniũ.

Non deesse autem qui Senam Mauritanis vocatam *Delphinium* esse credant attestatur Matth. quorum grauis error euidens. Constat enim Senæ Mauritanicæ folia sapore Fabarum esse prædita: flores ei emicant aurei, veluti Brassicæ, purpureis intercursantibus venulis: quibus succedunt folliculi falcati in quibus semen continetur in nigro subuirescens.

Ruell. Senam eam arborem esse existimauit, quam Theophrast. Coluteam appellat & *magno errare putauit Senam non herbam esse, sed arborem.*

Sena Alexandrina.

Cæterùm è Sena, ea magis præstat, quæ ex Alexandria Ægypti vel ex Syria affertur: quàm de Sena cõmuni & viliori sentire, quæ minor & efficacior est Alexandrinã, Gesner. hort. Marantha dicit. Si Dioscor. vult Delphinii folia Delphinorum effigiem repræsentare, reprehendendi sunt, quia Senam Arabum Delphinium esse credunt, quia folliculos, habet contortos Delphinorum effigie:

Sena non est Delphinium.

quáquam minùs culpandi sunt, qui eundem Delphinium plantam esse volunt, quæ Consolida regalis vulgò dicitur: quæque à Fuchsio pro Eranthemone depingitur: hi enim contextum tanquam deprauatum ita emendant, vt Similitudo [Delphini ad flores referatur:] delphini ad flores referant, non ad folia. Verùm illi nullo pacto contextum immutantes, quod foliis tribuendum est, folliculis tribuunt, neque aduertunt florum colorem non purpureum, sed luteum Senam habere, nullámque ex aliis notis adesse, neque facultates respondere. Senam ergo Arabum, qui volunt esse Delphinium, Delphinorum effigiem ad folliculos non ad folia, vt Dioscorides deducunt.

Manifestus error volentium Senam esse Theophrast. Coluteam, quæ arbor est, cùm Sena herba sit, quæ seritur, non vltra annum restibilis.

Sesondros.

Senam nonnulli apud Io. Agricolam Alipon Dioscoridis, quidam Empetron, Marcell. Delphinium iudicat, Sesondron à quibusdam cognominatum quòd hominem sospitet. Verùm nec Alypon, nec Empetron, nec Delphinium est.

Sena ab antiquis nusquam descripta est, nam & Auerrhoes nouam herbam esse adstruit, & priscis ignotam. Si apud Dioscor. lib. 3. capite de Androsace legẽdum est ἔμφυλλον, nihil aliud monstrare posse existimat Anguill. pro Androsace quàm Senam vulgarem Lob. & Penæ Adu. & placet ab Arabum Alba semer, Senæ detortam esse dictionem.

Androsaces Sena vnde dicta.

Sena differentia.

Senam Officinæ potiùs è fundo vernaculo, nẽpe Orientis emporiis, petunt, eamque pluris faciunt, quàm Italicam, duas autem foliorum differentias aut varietates habent institores è diuersis plantis Senæ: probatius & laudatius ad purgationes (*Finum* vocant) est oblongius, acutius, Myrti maioris effigie: alterum rotundius, breuius, quod vilius habetur: non secus atq; Myrtus maior & minor, foliis videntur hæc duo inter se distare, vt præstantius sit folium domesticæ: alterum syluestris Senæ. Ad persuadendum autem alterutram earum esse sylu. multùm spirilla stercoris caprini aut ouini faciunt, quæ frequenter inter Senæ Orientalis, folia, folliculos & quisquilias passim ad nos allata reperiuntur, vbi empturis prostant: seritur namque & adolescit probatior in fimeto ouillo inibi. Flores ex pallido lutei sunt, rubellis vestigiis venosi, graciles caules pedem & sesquipedem alti. Arabum & Actuarii Sena satiua & sylu.

Finum.

Sena Orientalis.

Anguillara notatur. Cassitha.

Nescimus qua de re Anguillara Senam & Cassitham hariolatur &c. Obscurior videtur Lobelius in distinctione Senæ: nobis verò fit verisimile Senam domesticam maiorẽ esse syluestri: laudat tamen eam quæ acutiori folio, quam crediderimus minorem Florentinã, quantùm equidem animaduertere potuimus. Tab. & Gerard. *Sena Orientalis*, Item *Sena Italica* semine paulò nigriore quàm Alexandrinæ, facultate etiam imbecilliori. Senam Italicam annuam esse plantam Camer. hort. scribit, ac folia nocte contrahere, sicut multa alia eius generis leguminosa: Alexandrinam ne quidẽ in Italia vltra annum durare, ideoque pro frutice haberi non posse. De Sena item quædam Galeno Mesuen adscribere, quæ ille ne somniauerit quidem.

1. 2. Sena Italica.

Alexandrina.

Mesue notat.

Porrò apud Matthiol. Germ. *Duas esse species Senæ* tradit, atque vnam dici *Orientalem* aut *Alexandrinam*, folio longiusculo Myrto ferè simili: Siliqua crassiuscula, semine multò albidiore quàm in aliis: quæ torsiones minùs excitat quàm Italica: Eamque rursus duplicem *Mechinam*, ex Mecha delatam, præstantissimam folio longiusculo, angusto nonnihil acuto & crassiusculo colore ex luteo virenti: Alteram denominatam à loco vbi proueniat *Saetto*, quæ paulò viliori pretio vendatur, nec præcedentis bonitatem assequatur, melior tamen sit *Italica*, folio latiore & rotundiore, ac semine nigricante: Sena si simpliciter scribatur assumenda folia & siliquas. Is duas habet figuras: prior est qualis nostra Fuchsiana foliis rotundioribus, quam vocat Senam vulgarem, altera, cui titulus est *Sena Alexandrina*, cui folia sunt acuta: verùm differt ab omnibus figuris, quas hactenus vidimus, ac ipsius Tabern. in fine enim pediculorum folia singularia pinguntur quæ Cordus Senæ denegat: Nos ramum pingimus Senæ exhibitæ pro Orientali, & folium dictum pro Sena Florentina.

Alexand. minores torsiones excitat.

Mechina.

Saetto.

Sena simpl.

C. Bauh. apud Matthiol. Sena duplex est, vna rotundifolia, altera acutioribus foliis.

Locus & tempus.

Planta, autore Matthiolo est frigoris impatientissima: ob idq; seri vult Maio nec vltra Autumnum perdurat, siquidem (ut pluries expertus sum) priùs sata facilè frigore deperditur, serius verò Hyemem similiter non tolerat. Seritur vt vult Dodon. in Syria & Aegypto: item in Italia, Prouincia, ac Narbonensi Gallia. Apud Germanos &

Belgas

Belgas difficulter prouenit. Amat calidas regiones. Hactenus non obseruauimus nec intelleximus in Gallia prouenire, Lobelius etiam non annotauit ibi obseruatam: In Liguriæ, Thusciæ, Romani agri, & Apuliæ variis locis legitur Autumno, nec seritur antè Maium: in hortis Septentrionum vix trimestre viuit, nec promit, nec maturat flores vel filiquas. Quare Officinę ex Orientis emporiis potiùs petunt, quàm istam, aut Italicam. Duplex est genus obseruatum: unum semine nigro, alterum albo. Aliquoties per me sata est Mōsbelgardi in horto C. V Virt. sed frustra. Vidi Basileæ in horto Io. Heitzman Pharmacopœi Florentinam Sennam cum flore: item apud fratrem C. Bauhinum, qui portionem dedit. Est mihi siliqua Senæ missa ex Creta per Dominum Honor. Beilū Fratri Casparo fusco semine. Bayrus ad Sudam frigidam in lixiuio externè vtitur foliis Senæ. Senæ siliquosus fructus (quantùm quidem ex Actuario colligere licet) citra noxam, drachmæ ponduscuło potus, pituitam & bilem deiicit, post hos reliquos humores modestissimè purgat, retorridam atrámque bilem, eiúsque suffusiones ex gallinaceo iure depellit. Vetusto capitis dolori, scabiei, comitialibus, impetigini succurrit. Sed feruefacti ius potiùs quàm triti farina propinatur. Interaneorum obstructiones tollit. Sena, inquit Serapio, mirificè prodest delirio, amentiæ, scissuris totius corporis, resolutioni neruorum, phthiriasi, cephalalgiæ, scabiei, pustulis, prurituі, & epilepsiæ. Cor etiam roborat, si tamen iis potissimùm commisceatur medicamentis, quæ ipsum maximè confirmant, veluti Viola.

Vires & vsus. *Suda.* *Dosis.* *Dolor capitis* *Comitialis morbus.* *Obstructiones.* *Delirium.* *Neruorum resolutio* *Epilepsia.* *Cor.*

Foliorum Senæ & Chamæmeli decoctum lotione cerebrū & neruos roborare, deinde & quouis modo sumptam Senam visum & auditum firmare, melancholicis & antiquis febribus succurrere scribit Mesues, Viscerum obstructiones aperit, auget iuuentutem, seniúmque retardat. Folia in capitis perfusionibus vtiliter decoquuntur, præsertim addita Anthemide. Trago perhibente Sena mediocriter calefacit & exiccat. Vsurpantur siliquæ & semina, dehinc folia ad purgationes. Inter omnes purgatorias, & expultrices medicinas, vix aliam reperias vtiliorem, vsitatiorem, & minùs noxiam. Decoctio nanque Senæ pota, crassos & viscosos humores educit, melancholiam expurgat, sanguinem mundat, exhilarat cor, & omnia interanea. Decoctio autem sic conficitur. Sumitur Senæ foliorum vncia vna & dimidia, eáque probè abluuntur, caulibus crassioribus & reliqua immunditie amota, Caryophylla 12. gingiberis, non tusi radix minutim concisa seminum Fœniculi, Anisi, ana drachmæ ij. Hæc omnia in olla nova & munda lento igne supra tertias in vino aut aqua pro ægritudinis ratione, decoquuntur, mox per pannum percolantur, Saccharúmque adiicitur, quantum quidem videtur res ipsa postulare, tum ægro manè & vesperi cubitum ituro, decoctionis huius calefactæ mediocris exhibetur cyathus, ita tamen vt nullum, postquam potionem accepit, intra quatuor horas cibum assumat, Hæc decoctio citra periculum puero vel adulto exhiberi potest. Puerperis benedicta est medicina, sed his quidem non cum Saccharo condienda fuerit prædicta potio: Sunt qui illi pauxillum Rhabarbari tusi admiscent, tum enim purgabit efficaciùs. Serapio drachmam foliorum Senæ in puluerem redactorum, in iusculo gallinaceo sumptam pares, facultates habere tradit. Cæterùm, è Sena adhuc in agro virente, & rosarum diluto Matth. quotannis Syrupum parare consueuit, qui tutò, largéque omnes [vt inquit ipse] purgauit humores. Datúsque commodè prægnantibus & pueris, & cuiuscumque ætatis hominibus: Dilutum tamen magis præstat, quàm decoctum, quòd nulla ex parte exhalet: cuius vnciæ quinque, vel sex aluum modestissimè, & sine molestia soluunt. Quòd tutò dari possit prægnantibus, & pueris, experientia docuit, cui subscribit Actuarius, qui Senam citra noxam purgare tradidit. Redditur medicamentum hoc in deiicienda aluo præstantius, atque valentius, si Cassiæ nigræ, aut Mannæ, aut Rhabarbaro, aut Rosarum diluto, aut Rhodopharmaco, quod Officinæ Syrupum rosatum solutiuum vocant, commisceatur, aut si maceretur Sena caprino sero. Præstantissimum dilutum hoc modo paratur. Sumuntur foliorum electissimæ Senæ drachmæ sex, Gingiberis, aut Cinnamomi contriti drachma vna, florum Buglossi drachmæ duæ: miscentúrque omnia & fictili vitro circumlito, siue stanneo vase angusti Orificii excipiuntur, & affusis feruentis aquæ, aut seri caprini vnciis decem, vasis osculum adeò occluditur, vt nullus penitùs spirandi pateat exitus. His peractis puluinari plumis anserinis farcto, ignique calefacto vas inuoluitur, reponitúrque in arca, vbi pernoctare sinitur. Sic enim conseruato calore, dilutum omnem facultatem in se recipit. Sunt præterea, qui vindemiæ tempore Senæ folia in mustum conіiciunt, vinum inde conficientes, quod alvi deiectoriam vim obtinet. Syrupi de Pomis cum Sena conficiendi modum hunc præ aliis probamus, ac etiam Quercetani præferimus. ℞. Fol. Senæ ℔. j. Succi pomor. redolent ℔. iij. Cinn. Anisi ana vnc. j. Succi Limon. ℔. Sp. Vitriol. ad lubitum. Sacch. ℔. j. vnc. iij. ſ. infusio, leuis ebullitio, colatio, dein Syr. coctio ſa. Est vsu iucundissimus & gustu gratissimus, cætera quæuis purgantia & Syrupos facilè superans: ad huius normam plures alios componere licebit. Dosis huius Syrupi erunt ad vnc. ij. in morbis acutis, pro blanda primarum viarum expurgatione, quibus si addas 4. vel 5. grana Diagridii, exoptatam reddes evacuationem.

Hemicrania. *Temperā.* *Decoctio.* *Syrupus.* *Dilutum.* *Dosis.* *Stimulus.* *Diluti praparandi modus.* *Aliud.* *Syr. de Pomis cum Senna.* *Dosis.*

Sena ingratiuscula tota gustanti, inquit Lob. tantillùm amara: calida & sicca folia, quibus ad purgandum consultiùs semper, quàm si per se, puluere infusa aut decocto dentur, quæ flatum discutiant & nonnihil lubricent, adduntur. Aliàs enim turbarum multùm ciere, & intestina, stomachúmque torquere, vel plebecula conqueritur. Eapropter qui aduersum Mesuem tuetur non esse corrigenda, imò siccitate sua atque quadam adstrictione ventriculum iuuare, nescit quid commentetur: nam si Brassicæ marinæ, Thymeleæ & Chamæleæ siccitas, stomachum iuuaret, quem tamen lædunt illo viroso odore, & purgatrice qualitate, à quâ non longè absunt folia Senæ, vt dum virent adhuc, aut macerantur, odoramur, proinde ritè Mesue folliculos tutiùs purgare monet: nempe membranei sunt, minúsque flatulenta semina quàm folia: sed hæc plùs mouent, præsertim infusa, quàm decocta, quia ebulliendo nonnihil virium absumitur & flatus dissipatur: vt vsus ipse castigare valeat illum Commentatorem, qui nihil addendum ad eius noxam corrigendam autumat. Lobelius igitur cum Mesue probat magis folliculos, quàm folia. Veruntamen ego cum Fallopio foliis libentiùs vtor, quia folliculi sunt vt plurimùm acerbi & immaturi, nam metunt secántque Senam antequàm sit matura, idque faciunt ne folia concidant, cùm maiorem quæstum faciant ex foliis, quam ex folliculis. Si autem folliculorum

Temperā. *Infusio praſtat pulvere.* *Aduersus Matth. Sena corrigenda.*

vellent exspectare maturitatem, caderent priùs omnia folia, & si aliqui folliculi habentur maturi, sunt certè illi tantùm quos reliquerunt pro noua semente.

Senæ triplex vsus. Dosis in substantia.

Senæ triplex vsus: vel n. Foliorũ eius puluis ad drach. ij. exhibetur. Fallop. exhibet puluerem foliorum Senæ, vnà cum Cassia optimo cum successu à duobus scrupulis ascendendo vsq; ad quatuor: vel in vino aut alio conuenienti liquore folia à drachmis tribus, ad vnciam semis per noctem macerata propinantur. Mirum, inquit Brassav. anno 1538. Caninam appetentiam Ferrariæ fuisse morbum Epidemicum, & potiùs fuisse ex atra bile, os ventriculi occupante, quàm ex acida pituita. Omnes autem quos curaui [fuère autem non pauci] ex infusione Senæ sanitati restituti sunt. Vel denique ex his decoctum cum vnc. j. paratur. Qui difficilem habent aluum nec minùs rarò constipatam, ij decoquunt fol. Senæ vnc. s. cum prunis & passulis. Huius decoctionem sumant, aluúmque lubricam continuò habebunt.

Appetentia canina. In infusione. In decoctione.

COLVTEA VESICARIA.

Descript.

Colutea nostris regionibus arbor est culta, non magna, in multos ramos diuisa, materie ferè Sãbuci, duriore intùs non medullata, sed caua, cortice gemino, exteriore cinereo, interiore viridi vestita: folia multa, nouem vel vndecim ad costam vnam alligata, vt plurimùm opposita: Glycyrrhizę, Hedysari, aut Senæ modo, sed Senæ foliis molliora, rotundiora, nec in acutum mucronem desinentia, supernè glabra magísque viridantia, infernè albidiora, & hirsuta, gustu amaro: flores ex longo pediculo multi, vt in Pisis & Cicerculis, crocei, formâ similes prædictorum floribus & Genistæ angulosæ ac rotundæ, non quinquepartiti, vt olim pingebantur à Matthiolo: quibus decidentib. succrescunt folliculi membranei, pellucidi, interdum rubentes, spiritu veluti quodam distendente turgidi, ita vt pressu digitorum cum crepitu, eliso aëre, dissiliant: in quibus continentur semina ad folliculi suturam tanquam costam, quæ maturo semine dehiscit, pediculis breuibus appensa, formâ renis, ante maturitatem, lutea, sapore Fabarum seu Pisorum, per maturitatem minora, Lentes æmulantia quodammodo, minora tamen, nec ita rotunda, nigra ferè, dura, compreass, lacunâ in medio prædita, saporem pristinum retinentia: amaritudinem in eis non sentimus vt perhibet Matthiolus.

Materies. Cortex. Folia. Flores. Matt. notatur. Folliculi. Matth. notatur.

Nostram Coluteam Theophrast. esse, quam describit hist. lib. 3. cap. 17. Adhuc asserere non ausim, nec sit mihi verisimile oues ex fructu pinguescere, (quod voluit Theophrast.) si semen vomitiones cit [vt affirmat Matthiol.] & folia purgent. Quæ Theophrast. de Colutea scripsit, iam antè tradita sunt. Ruellius Coluteam cum Sena confundit. Idem etiam facit Tragus: Senam tamen meliùs nouit. Fuchs. Colutea officinis incognita. Germani Welschlinsen appellant. Galli *Baguenaudier*. Differt à Sena magnitudine, siquidem maior est, vt pote quæ quadriennio Theoph. teste se in arborem efferat. Ac etiam quòd siliquę illius magis turgido spiritu distendantur.

Ruellii error.

Matthiol. in Dioscor. attestatur lib. 3. capit. 70 Ruellium deceptum Senam eam esse arborem existimare quam Theophr. Coluteam appellat: ratum verò esse Senam non herbam, sed Arborem, Coluteam vocatam, & easdem plantas esse: Fuchsium plantam hanc non Colyteam sed Coluteam à suo se errore vindicantem, appellandam censere, & rectè quidem suo iudicio: nam Colyteam longè aliam esse ab illa Theophrast. teste: Cæterùm non deesse qui sibi persuadeant atque etiam scriptis tradant [vt Gesnerus in lib. de quadrup.) se Cytisum vidisse, legisséque in Italia in siluis aliísque silu. locis: Sed quantùm ex eorum scriptis colligi possit, eos decipi. Ac Gesnerum, cum scribit ex autoritate Democriti Cytisum apibus aduersari, non esse memorem eorum quæ paulò ante asseruit. Ait in Hist. Germ. Colutea Theophrasti Schafflinsen, non est Senna vt quidam Neoterici existimarunt: circa purgatricem facultatem hæret, quam ei attributam putat ab iis qui Sennam putabant. Colutea arbor est, quam nonnulli rei rusticæ scriptores, Alburnum appellarunt: Itali verò & nonnulli Hispanorum, *Aorno* vocant, quam quum primò vidit Amatus, Senam esse putauerat: Sed quum postea Senam herbam, & non arborem esse deprehendit, ab ea discessit opinione: Non desinit tamen vnum fateri, quòd Colytea à Theophrasto descripta Senæ magis videatur, quam Coluteæ conuenire. Matthiol. in Apol. Amatum reprehendit, Alburnum plantam non esse, sed partem tantùm arboris, teste Plinio Colyteam utramque Theophrast. arborem esse, non herbam. Lonic. titulo, Senet/Theophrast. κολυτία, Welschlinsen, malam iconem habet. Gesn. hort. Colutea Theophr. quorundam, nonnullorum Sena syluestris, quam non rectè Germ. quidam vocant Verbrüte Büchle. Senam sylu. vocare mauult: non quòd verè gentilis sit Senæ, sed quia magnam in foliis ac viribus similitudinem habet: soluit enim aluum paulò minùs efficaciter, quàm ipsa Sena. In Cat. pl. Cytisus, Basileæ dictus frutex Verbrüte Büchle. Colutea arbor Theophrast. vulgò Sena, vt placet Ruellio, Trifolium maius &c. Et de coll. plant. Colytea Fuchsij. Sed vel solum nomen Trifolii satis demonstrat Plantam de qua hîc agitur non esse Cytisum. Dodon. Hist. Gall. Theophrasti κολυτία Lat. Cytisus, vt Columellæ, Varroni, Palladio, & Virgilio, Gallis *Baguenaudier*. Germ. Welschelinsen/ Belg. Lombaertschelinsen/ à quibusdam ignaris, Senetbaum. Hist. Lat. in fol. Colutea Theophrast. Falluntur qui Semen esse rentur. Prior figura Dodonæi ex Fuchs. in postremis non astruit Cytisum, vt olim faciebat, & benè. Leuin. Lemn. l. 3. de occult. nat. cap. 9. Sena. Nec magis Theophrast. Colutea arbor Liparæ peculiaris potest esse vulgaris Sena, ait Robert. Const. apud Amat. quam vocamus etiam Baguenaudier, quia hæc frutex humilis est, illa verò arbor procera. Idem in Lexico κολυτία arbor est quam vulgò Baguenaudier vocamus. Ratio Constantini quâ reiicit Coluteam non nobis satisfacit: magna sæpè est varietas plantarum pro ratione locorum vbi pro-

Ruellii error. Sena. Colutea. Colytea. Fuchsius notatur. Gesnerus notatur. Cytisus. Vires. Alburnum. Aorno. Sena. Colutea. Amati error. Sena sylu. Cytisus. Gesnerus notatur. Cytisus. Theophr. corrigitur.

proueniant: quid si non leg endum ἀμύγδαλον, sed corrigendum & dicendum μέγα non magnum, facili lapsu. Colyteæ nomine Theophr. apud Soletium intelligit tres plantas, quarum trium neutra est, *Bagnaudier*, vt voluerunt Fuchs. Ruellius & Matthiol. Prouincialibus dicitur *Benfiques*. Tabern. & Castori. Colutea Linsenbaum. C. Bauh. apud Matth. Colutea corniculata. I. Gerard. Angl. Colutea, Bastard Sene, Colytea Theoph. Apoll. Colutea arbos magnitudine præstans, folio non absimili Fœnugræco, cuius semen vomitiones lacessit. Lob. & Pena Adu. Colutea. Gallis *Baguenaudier*. Putatur Colutea dicta, quod mutilata, effractáve eius virgulta (non præcisa) intereant; Pleríque non inerudíti Senam syluestrem vulgò persuaserunt. Nobis frutescit, quapropter apud Theophr. satiùs legeretur ... non ἀμύγδαλον quod ex consequutione paulò pòst inferunt verba Theoph. ... Obseru. & Icon. Plant. Colutea Theophr. Clus. Colutea sponte nascens in quibusdam Austriæ montanis, egregiè à Theophr. descripta ante Colyteam, satis vulgaris vbique notitiæ, eam Galli *Baguenaudier* appellant. Petro Lindeberg, de horto Henr. Rantzaui, Colutea à solo Theophrasto descripta, quam propterea Senam Arabum faciunt. Camer. ad Matth. Germ. spontanea est in Insula Lipara, Monspelii, & alibi in hortis facilè adolescit: sæpè in arboris crassitiem. Hort. Lusit. Colutea vesicaria Schafflinsen / linsenbaum / welschschutten. Cæsalp. plantam de qua hîc agimus describit lib. 3. c. 38. post plantam quam vocauit Embrum: deinde subdit. Ex hoc genere videtur apud Theophr. esse Colutea Liparæ propria arbor magnitudine præstans: cum hac aut eadem, aut non absimilis fuerit apud eundem Theophrastum. Colutia arbor Liparæ propria, semen in siliquis ferens, &c. Camer. in hort. Colutea vesicaria, Welsch Senetbaum / Gallis *Baguenaudier*.

Colutea e-mittit vomitiones. *Sena non est Colutea Ægypti.* *Colutia.*

Locus & Tempus. Non pauci propter raritatem, ac pulchritudinem, aut etiam vsum medicum hanc in hortis alunt: vti Montbelgardi in horto Ill. E. C. VVirt. quæ facilè provenit: floréſque tulit & semina, licèt frigore sæpè pereant, vel partim, vel in totum. Vidi Coluteam Patauii in horto D. Cortusii: Ferrariæ in horto Monasterii S. Dominici *à l'Angelo*: Florentiæ: Lugduni copiosè mihi prouenit ex semine, vbi florentem obseruaui Maio, ac etiam Septembri & Octobri cum folliculis. Montbelg. mihi semel à satione quinto anno floruit, aliàs etiam citiùs: vt tertio Basileæ in horto Fratris & aliis, florentem vidi Maio, Iunio, Augusto, Septembri, ac siliquas habentem Iulio & Augusto. Tiguri in horto insignis Chirurgi, Petri Figuli Lithotomi florentem Octobri, Monspelii in quibusdam hortis, vt D. Laurentii Iouberti, florentem Aprili, & siliquas cum floribus ferentem Maio. Geneuæ in quibusdam hortis. Montbelgardi in horto Ill. E. C. Semen quoddam nomine Coluteæ Ægyptiacæ terræ mandaui. Coluteam cum siliquis florentem nempe Octobri in horto habebat Iacobus Braun in Ducatu VVirtemb. Colutea expressè visa iuxta Castellum *Sponeck* ad Rhenum arcem vbi primùm spontanea visa. Io. Fabr. Senam, siluestrem [coluteam] cum siliquis, propè Curiam Rhætorum in silua florentem & fructificantem obseruauit.

Cultura. Colutea Theophr. Arbor primùm vnicaulis emicat, authore Porta, trima concidendis scipionibus, & baculis idonea. Si quis nimis decurtauerit, mox emoritur, quippe quæ lateribus haudquaquam fruticet: spargitur deinde in ramos, quadrima prorsus arborescit vesica.

Vires. Quùm non forma tantùm, imò etiam sapore duo hæc Coluteæ genera sibi similia sint, colligit Fuchsius facultate inter se minimè differre. Quare vtrumque citra molestiam atram bilem retorridamque educet, capútque ac cerebrum, & instrumenta sensuum à noxiis purgabit humoribus. Quid multa? aduersus omnia vitia ab atra bile valebit. Huius folia & folliculos, Senæ loco, non sine viribus substituent pauperes. Sed quamuis adferat Fuchsius, has plantas facultate inter se minimè differre: eum tamen in errore versari putat Matthiolus, quòd certò sciat Coluteæ semen non minùs, quàm Genistæ vomitiones ciere. Viri quidam docti tradunt, inquit is, in Hist. Germ. Coluteæ & Senæ easdem esse vires. Sed falluntur in eo quòd Senam & Coluteam eiusdem generis esse censent. Sed quandoquidem multa intercedit his cum Genista, tum foliorum tum fructus similitudo, non eo inficias hanc purgare & fortasse non infernè duntaxat, sed supernè quoque per vomitionem, vti Genista: sic quoque differentia est in Sena, quæ (vt Actuar. & viri periti testantur) sine molestia atque torsione humores educit. Folia & semina plantæ dictæ *Baguenaudier*, calore & humiditate temperata esse statuit Dodonæus. Audiui ego foliorum huius Coluteæ vnciam vnam leuiter purgare, sed ipse non sum expertus.

Bilis atra. *Substituta Sena. Fuchsius.* *Semen vomitum mouet.*

COLVTEA SCORPIOIDES.



Descript. Radix. SVFFRVTEX ex radice se spargente, satis lentis & fractu contumacibus ramulis, maioribus, cinereo cortice obductis, minoribus, viridantibus, striatis & angulosis. *Folia.* Folia quina, septena aut nouena, ad Lentis folia accedentia, rotundiora, pinguiuscula, Coluteæ vesicariæ, si magnitudinem excipias, consimilia, *Flores.* flores inter folia ex pediculis semuncialibus & vncialibus, lutei, bini ferè, rariùs singulares, aut terni, vnciam circiter longi: Genistæ floribus similes, labello duplici inferiore rotundo, integro, striato, superiore bifido, & quasi alato duobus crusculis innixo: galea in rostri acutiem mucronata, ex luteo virescens, apicum albicantium scirrhos occulit, quos subsequuntur siliquæ longæ, siliquis *Siliquæ.* Telephii siue Scorpioidis Matthioli similes, Clus. teretes, quibusdam veluti articulis distinctæ, quæ oblonga, lænia, subfusci coloris & ingrati saporis, semina singula, singulis articulis inclusa habent: *Semina.* flores nonnihil odorati. Folia ingrati & amari admodum saporis.

Ruta. An Cordo in silv. Observ. Ruta quædam siluestris, in Alpibus VVirtemb. quam nonnulli Co-

luteam Scorpioidem vocant?

Rondeletius non rarò ratus fuit Glycyrrhizam minorem nuncupandam esse, radice buxeâ, minùs dulci, aut potiùs dulci-amarâ, & minùs gratâ.

Scorpioides. Apud Lobelium in Obseru. & Icon. Plant. flos in figura Coluteæ Scorpioidis, non placet. Icon à nobis etiam proposita corrupta fuit per sculptorem. Clus. Pann. & Hist. post. Colutea Scorpioides 1. elatior, foliis gustu ingrato admodum & amaro, semine læui, oblongo, subfusci coloris; & ingrati saporis, singulo in singulis siliquarum articulis: Cytiso cognata. Cæsalp. *Emburus* vulgò. Camer. hort. Colutea Scorp. à Clusio depicta. Tabern. Icon. & Hist. Colutea Scorpioides 2. Schafflinsen mit Scorpions kraut schötlein. Casp. Bauh. apud Matth. Colutea Siliquosa. Gerard. Angl. Colutea Scorpioides.

Semini descriptio & sapor. Emburus.

Locus & Tempus. Monspelii locis multis nemorosis inter Buxos, Iunio & Iulio erumpit. Narbonæ copiosa in Valena sylua & prope fluminis crepidines. Lobelius sponte ad Calenberg vicinisque Viennæ montibus abundè, tum etiam in nonnullis Pannoniæ montanis locis: in Belgicis hortis antè vidit Clusius: Floret Maio, in hortis, culta longè maior euadit. Montbelg. in hortum Ill. E. C. VVirt. à ... translata: spontè prouenit. In Comitatu Mombelg. variis in locis, vt prope Clareual eiusdem Ill. C. VVirtemb. oppidum in Burgundia. Basileæ in monte Moutetz: Frater C. Bauh. prope Mündenstein obseruauit. Vidi in Italia in monte Eppi florentem Aprili: Patauii in horto Nobilis Lalatæ: Patauii in horto D. Cortusii, & D. Muscati Al ponte Montin. Spontè autem in Apennino monte, non longè Bononiâ florebat Aprili. Monspelii cum flore, mense Iunio, circa tres pontes magnos, qui notatu digni, non longè Nemauso, admodum vasti, & magno artificio ab antiquis extructi alter super alterum: suprà videtur Aquæductus, fuisse. Lugduni in hortis: Geneuæ quà itur Collognium, in monte *Saleue*, conspexi virentem Decembri, florentem mense Maio, siliquis maturis Augusto iuxta *Arue* ad Rhodanum.

COLVTEA SCORPIOIDES HVMILIS.

Descript. EST iam dicta humilior, humíque diffusa, neque foliorum numero, aut situ, aut formâ, neque florum formâ & colore, à superiore differens: *Virga.* sed huius Virgæ palmares aut pedales duntaxat hyeme, interdû marcescere solent, & nouo vere denuò è radice noua germinare: siliquæ & semina paria: *Radix.* radix similiter dura & lignosa latè se spargit, & fibris aliquot donata est.

Clus. Pannon. & Hist. post. Colutea Scorpioides 1. humilior. *An Telephium.* An Cæsalp. Telephii quoddam genus fruticosum peregrinum, cauliculis multis: lignosis: foliis diuisis, vt securidacę, sed crassis, Portulacæ modo, & candicantibus, binis appendicibus rotundis, vt alterum: sopore magis adstringente, & vrente linguam: floribus pluribus in vno pediculo, vt Meliloti vulgaris luteis, & siliquis tenuibus, caudam Scorpionum imitantibus.

Tab. Icon. & Hist. Colutea Scorpioides.

Gerard. Angl. Colutea Scorpioides humilis, Dwarffe bastard Sene.

Locus. Coluteam Scorpioidem humiliorem accepi ex plantis siccis C. Argerii Argentinæ. Sponte nascitur ad Calenberg vicinisque Viennę montibus abundè, tum etiam in nonnullis Pannoniæ montanis locis, in hortis culta, paulò maior fit, vt plurimùm virgas hieme retinet. Floret Maio. *Tempus.*

COLVTEA SCORPIOIDES QVÆDAM SIVE POLYGALO CORTVSI similis planta, sed maior.

Descript. Anonymos. CORtusi Polygalo ... quandam inter meas plantas siccas inuenio, duplo maiorem longéque speciosiorem: radices, siliquæ, floresque respondent: at folia duplo triplòve maiora sunt, quæ etiam adstringunt. Eadem plāta à Clusio ni fallor dicitur Colutea Scorpioides altera, de qua ait: nititur radice crassa, & lignosa, lenta tamen & flauescente, cortice obductâ, multisque fibris prædita: ex qua plures singulis annis ineunte vere nouas producit virgas pedales, nonnūquam etiam cubitales, *Virga.* lentas vimineas, læues, virides, & in his temerè sparsa alata folia, quina, septena, aut nouena vni *Folia.* costæ inhærentia, exsiccantis primùm gustus, de- *Gustus.* inde nonnihil acrimoniæ in summis labris relinquentia; flores in foliorum oblongis virgulis in- *Flores.* hærent copiosi, leguminacei, in orbicularem coronam dispositi flaui, nullo grato odore commendati: quibus succedunt articulatim distinctæ siliquæ, superioribus breviores, semen in singulis *Siliqua. Semen.* articulis continentes, Coluteæ paruæ siue Polygalæ Valentinæ Clusii modo.

Tabern. Icon. & Histor. Colutea Scorpioides tertia.

Locus. Anno 1594. accepi huius semen inter semina Stutgardiâ per Cassabonam missa, cui titulus erat, Scorpioides arborescens: Ex ea sata Montbelg. in *Scorpioides arborescens.* horto E. C. prouenit planta, quæ ad præcedentem accedit si non eadem. Crescit in montium qui à Danubio & Calenberg illi imminenti ad Alpes extenduntur, radicibus, inter vepres, & ad *Tempus.* vinetorum margines. Floret Iunio, nonnunquam etiam Maio: subsequens hiems virgas corrumpit.

COLV-

COLVTEÆ PARVA SPECIES, POLYGALA VALENTINA CLVS.



Descriptio. Virgulta. MINOR est Scorpioide Coluteâ nostrati, duris, lignosisque virgultis, crebrò veluti geniculatis: *Foliola.* foliola quoque minora multis numeris, crassa, tribus, duabúsve coniugationibus disposita, imparitatem faciente extremo coliculi fastigio, *Flosculi.* flosculi circumpensiles Corollam imitati, vt in Meliloto nobili Tragi, dimidio minores, crocei. *Siliqua. Icon.* Siliquæ Coluteæ Scorpioidis angulosæ, geniculatæ, breuiores: figura à nobis posita est ex Guar. quæ quodam modo exprimit plantam à nobis descriptam: non tamen in omnibus placet, quia in ramos non diuisa: putamus eandem cum Clusii Polygala Valentina prima & secunda. *Clus. descriptio.* Primam sic describit: Cytiso subiicienda est elegans planta, quam nusquam alibi, quàm in Hispaniis obseruaui. *Virgula. Folia.* Fruticosa est hæc planta, binos palmos alta, multas ferens virgulas lentas, Sparti aut Iunci instar: folia singulis costis inhærent impari plerumque numero, quina, septena, aut plura, Lenticulæ similia, magis tamen carnosa, & ad Rutæ colorem accedentia, adstringentis & ingrati gustus: *Flores.* flores Meliloto similes, lutei, coronæ in modum, summis virgulis [quæ magna ex parte nuda sunt, & maturo semine exarescere solent] insident: incuruæ, deinde, longæ & teretes *Siliqua. Semen.* succedunt siliquæ, tribus aut quatuor internodiis distinctæ, quæ semen continent durum, oblongiusculum, nigrum, ingrati saporis: radix longa, dura, lenta, crassiuscula est. *Polygala 2. Clusii.* Polygala secunda huic admodum similis est, maioribus virgis, firmioribus, & vtcunque rubentibus, maioribus etiam viridioribus, frequentioribus & carnosis foliis: maioribus & dilutioris coloris floribus: siliquis etiam paulò crassioribus: semine verò omninò simili.

Polygala. Coronilla del Rey. Meliloti. Lenticula. Clus. Hisp. & Hist. post. Polygala Valentina 1. Salmanticensibus *Coronilla del Rey* vulgò appellata, quasi Sertula regia, quâ istic Officinæ Meliloti vice vtuntur, Granatensibus & Murcianis *Lentejuela*, id est *Lenticula* dicta, Valentinis Polygala appellata.

Lob. Obseru. Coluteæ Scorpioidis varietas: Colutea Scorpioides coronata: *Coronilla del Rey* Hispanorum: A superiore [intellige vulgarem Coluteam Scorpioidem] non nisi exilitate, & floribus speciosioribus, hilarioribúsque corollam sertulamque auream effigiantibus differens, vnde Hispanis Corona Regia dicta fuit: Belgij hortis cultoribus frequens. *Corona regia. Colutea minima.* Item Obs.& Icon.Plant. Coronella siue Colutea minima Polygala Valentina prima Clusii, surrectis foliolis, Rutulæ concoloribus, alioqui assimilis cæteris [Coluteæ Scorpioidis] spitameo cauliculo Belgis hortensis: Effigiem suæ 2. Clusius non habet, nec etiam Lob. cui prima est.

Nostra figura, respondet aliquomodo primæ Clusii, seu minimæ Lobelii, ambo enim eandem habent. Tabern. Icon.& Hist. Colutea Scorpioides 4. minor. Et Polygala Valentina Clusii. *Tabern. taxatur.* Duas figuras planè similes ponit Tabern. nec scio quâ in re differant nisi quòd vni subiungit portionem veluti trunci, prior planè imitatur figuram Clusii, cui tamen alium imposuit titulum. Existimo vnius plantæ duas factas icones ex Clusio, quod animaduertens Compilator, vt videretur aliquid scire, diuersas fecit plantas & duobus diuersis capitibus posuit. Gerard. Colutea minima siue Coronilla. Item Colutea siue Polygala Valentina Clusii. *Gerard. taxatur.* Gerardus imitatur Compil. Tabern.

An Ponæ in Basilo Lotus enneaphyllon Dalechampii, quo multi ex Pharmacopoeis Veronensibus pro vera Mel loto vtuntur. *Lotus enneaphyllos. Melilotus.* Optarem videre Melilotum hanc Ponæ: Lotum enneaphyllon Dalechampij suspicor eandem cum Polygala Cortusi & Matthioli: gratum erit si Pona aliquam nobis mittat, aut vtramque plantam.

Locus & tempus. Gener Cherlerus attulit mihi Monspelio Coluteæ vel Polygalæ paruam speciem, collectam Iunio cum flore & siliquis in plano campo Lupum versus. Polygala 1. Clusii, perpetuò viret, floret, Aprili, Maio & Iunio, semen verò Iulio maturum est. Inuenit etiam Februario & Septembri florentem. *Apibus grata.* Apes ex eius flore plurimum mel colligere creduntur. Agro Salmanticensi, Murciano & Valentino regnis, locis arenosis & collium decliuibus obseruauit. Secunda in collibus siluosis Valentiæ Hispaniæ vicinis inuenitur, viret perpetuò & diutissimè floret, & Vere & Autumno. Aluntur etiam prima & secunda in Belgicis hortis.

COLVTEA CAVLE GENISTÆ FVNGOSO.

Descriptio. Ramus. MONSPELII nobis oblatus est ramus cubitalis, Genistæ Hispanicæ similitudine, crassitieque, dilutè virens, nudus, fungosus ex palmari distantia in ramos diuaricatus. *Folia.* Quibus in commissuris folia hærent quina Polygalæ Valēt. Clus. crassitie, angustiora longioráque. *Flosculi.* Externis ramis flosculi insident dictæ Polygalæ quoque, exigui satis in orbem coaggesti. *Siliqua.* Succedunt siliquæ angustæ articulatæ, vti in Scorpioide folio Portulacæ, in tenuissimum vt Scorpionis simillimum spiculum terminatæ.

Polygala 3. Clusii. Huic apprimè competit descriptio Clusii sub nomine Polygalæ tertiæ, quæ sic habet. Inuenitur in Valentia Hispaniæ vrbis maritimis Poly-

Descript. Virga. Folia. Flos.

gala tertia, oblongis, lentis, fungosis, seu medullosis & omninò virentibus virgis prædita, quas rara obsepiunt folia, superiorib. adhuc crassiora & molliora: flos secundæ par: semen obseruare non potui.

COLVTEAE FOLIIS ANIL NOMINATVM.

Descriptio. Ramulus.

SVNT nobis nomine *Anil* ramuli duo pedales, similes ferè ramis Cytisi latâ siliquâ, rigiduli, incani ac ferè argentei, & folia diuisi Coluteæ vulgaris ouata, glauca, quinquefolia communiter, rariùs trifolia, ex communi Costa incana. De flore & semine nihil certi nobis constat. Facies tamen Plantæ, satis insinuat ad Coluteas referri posse. Alia verò planta pro *Nil* & *anil* traditur post Isatidem hist. post. lib. 21. vbi etiam sunt æquiuocationes.

Nil planta alia.

SOPHERA ALPINI.

Descriptio. Rami. Folia.

SOpheræ ramos aliquot adseruamus pedales, cubitales, angulosos, in folia diuisos, alatos, foliis Sennæ maiorib. oppositis, ordinéque digestis, senis, octonis, denis, duodenis præditos, nullo impari numero claudente. Alpino verò impari quodam obtuso, ouata, pulchrè sed pallidiùs virentia, neruis plurimis donata. Est & vt ad Rutæ Caprariæ folia accedant tùm magnitudine tùm figura, quippe prædictis angustiora, acutiora longioraque sunt, qualia Alpinus pingit. Quòd an in adultis conueniat, an loci varietate, nondum nobis compertum est. Ex foliorum porrò diuisura flores uncialibus pediculis prodeunt crocei, bini aut terni, sex foliis constantes, saturatioribus neruulis delineati, in medio stamina plurima russa oblonga. Cassiæ floribus non malè contulit Alpinus, cui inodori dicuntur: nec quis malè etiam formam eorum cum Capparidis floribus conferat, si colorem excipiat: Succedunt siliquæ admodum speciosæ digitum longæ obtusæ in extremo, vtrinque commissurarum flauescentes, per media spadiceæ, cellulis plurima, quinquaginta circiter, Alpino verò quatuor aut quinque continentes semina lentis magnitudine atque colore, compressa, angulo acuto donata, sapore sicut & folia amaro, admodum ingrato.

Flores. Siliqua. Semina.

Alpin. de pl. Aegypti, Sopheram suam sic describit. Sophera est planta fruticosa, cubitalis altitudinis, galegæ proxima, duris ramis, foliis Myrti, tenuioribus multis, vtrinque ordinatim alæ appensis: flores fert croceos, Cassiæ florum æmulos, inodoros: ex quibus Siliquæ paruæ promanant, quatuor aut quinque semina habentes, *Sesban* planè similia. Aiunt semina esse venenum hominibus.

Descriptio Alpini. Rami. Folia. Flores.

Eandem plantam sic describit ni fallimur Camer. hort. Hoxocoquomaclit (sub quo Barbaro vel Indico nomine fuit Florentiam & inde Norimbergam missa:) folia habet propemodùm Fraxinellæ, vel potiùs eodem ferè modo quo Cassia siliquosa prodit, nullo in costæ extremitate imparitatem faciente folio. Caules & ramuli & foliorum oræ rubent, flores flaui sunt, Cassiæ floribus similes. Hinc emergunt siliquæ oblongæ, Cylindraceæ, exteriùs per maturitatem fuscæ, intus purpurascentes, fuscis granis distentæ. Radix nigro cortice obducitur, quo abraso flauescit, & fibris plurimis constat, viuitque sex tantùm menses, gelu impatientissima planta, & apricum Vulturnoque expositum locum desiderans, alioquin nec flosculos explicat, nec spem frugis facit. Odor illi grauissimus & planè abominandus, sapor subdulcis non ingratus cum aliqua adstrictione, penè vti Chebulorum, minùs tamen astringens: radicis verò amarus & Polypodii saporem repræsentans cum dulcedine aliqua, nisi quòd non ita filiceum quiddam sapiat. Folia explicat Oriente Sole, cadente remittit & in se contrahit vt peritura videatur, iis qui antea non obseruarunt & hoc quidem cum aliis quibusdam leguminosis habet commune. Sed hoc imprimis notatu dignum, alarum cauis, quà parte caulem amplectitur latior costarum extremitas, innasci verruculas paruas rubentes, quæ intensissimo æstu exudant liquorem candidum, purum, pellucidum, vt minutas margaritas referret, si paulò maior eius copia emitteretur. Viscosus is est ac dulcissimus, ideóq; à muscis auidissimè expetitur. Inesse huic plantæ vim quandam planè peculiarem, nemo negarit qui semel attentiùs paulò ipsam cōsiderauerit. Quandoquidem porrò Honorius Bellus suam Sopheram diuersam ab Alpini Sofera existimat, totam eius descriptionem [in qua multa notatu digna] proponimus. Sofera, inquit, est ad duorum, triumve cubitorum altitudinem assurgens, caule firmo, recto, fibroso, multos ramos firmos è foliorum alis vndique spargente, in quibus folia Myrti foliis similia quidem, verùm angustiora, alata, hoc est, in ligno pediculo vtrinque sita contrariis semper inter se petiolis, numeroque paria, vt in Lentisci folio conspicere licet, supernè latè virentia, infernè verò saturâ viriditate prædita, grauiter olentia, vesperi, supernâ folii parte quâ petiolo inhærent, coeuntia, infernâ parte terram spectante. sicque clausa tota nocte permanent, manè verò circa Solis ortum denuò expanduntur: croceos fert flores inodoros, plures in vno ramulo pendentes, multáque intus stamina cum siliquæ rudimento continentes, in caulis & ramorum summitatibus nascentes, quibus succedunt siliquæ rotundæ,

Hoxocoquomaclit. Folia. Flores. Siliqua. Radix. Odor. Sapor. Verruculæ. Liquor. Descriptio Belli. Caulis.

sundæ, digitum longæ & cœlum spectantes, plurima semina continentes rotunda, aliquantulùm compressa: non omnes tamen siliquæ ad perfectionem veniunt, sed plurima antè decidunt. Elegans planta est, diutissimeque floret, subinde nouos & recentes flores proferens sempérque virens: radicem habet multifidam, lignosam. Semine primùm nata, duo, vt obseruaui, duntaxat profert folia, deinde quatuor, longo pediculo inhærentia, vtrinque bina, postea sex, vtrinque terna, atque ita deinceps quemadmodum caulis augetur, foliorum numerus crescit, eáque maiora apparent: duodecimum tamen numerum non excedunt ea quæ caulem ambiunt, hoc est, vtrinque sena: nam ramorum folia tametsi eodem modo numero crescant, decimum tamen non superant, quina videlicet vtrinque. Hieme (quam satis commodè ferre posse videtur, si diligens aliqua cura adhibeatur & loco quidem calidiore & à ventis libero asseruetur, facilè à ventis præsertim septentrionalibus læditur, qui folia & flores exsiccant: ea tamen, licèt sicc. ssima, à ramis non defluunt, vt in mihi natis plantis obseruo, imò ferè statim noua folia & ramos proferre cœperunt. Hoc eodem nomine Alpinus plantam iam suprà descripsit, quæ tamen plurimùm (inquit Bellus) ab hac differre videtur, vt ex applus descriptione & icone colligere licet.

Siliqua.

Radix.

Descriptio recenter nata.

Sopheram vidimus Basileæ Anno 1595. Augusti fine penè florentem in horto Domini Iacobi Zvvingeri, ea fuit rotundioribus foliolis: ramum etiam habuimus datum per Dominum Iacobum Micg, puto Basileæ collectum, iisdem foliolis eius etiam ramum vidi apud fratrem Casp. Bauhinum cum flore, in quo quædam foliola angustiora paulò. Sophera autem missa per Dominum Honorium Bellum ex Creta, tum fratri, tum Domino Zvvingero foliola habet angusta & longiuscula, prout pinguntur apud Alpinum.

Locus & tempus.

TAXOCOQVAMOCLIT INDICVM.

Solam siliquam habemus; Taxocoquamoclit Indici nomine datam, non recordamur à quo, sed pulcherrimam, biualuem, palmo longiorem, semunciali latitudine, in stylum acuminatum desinentem, eodémque modo ad pediculi annexum angustam, compressam. coloris per mediam atram semini contento respondentem, colore ferè spadiceo, obscuriore, quam ambit circumiecta orbita satis lata, coloris ex fusco cinerei, atque huic cortici subest, veluti in leguminosis, pellicula tenuis membranea, coloris ex albido subfusci creberrimis transuersis intersitiis inæqualis, pro semine numero totidem veluti cellulas facientibus, & in nostra quidem siliqua semina comprehendebantur vigintiquatuor Genistæ vulgaris seminibus similia, lucida, dura, ex rotundo oblonga, coloris fulci, dilutiore area in vtraque facie medium obsidente. Ex vicinitate nominis existimaret quispiam nostrum Taxocoquamoclit idem esse cum Camerarii Hoxocoquamochit, de quo capite præcedenti: verùm ei siliqua Cylindracea & oblonga, huic autem nostro compressa valdéque longa.

Siliqua.

Color. Semen.

Hoxocoquamoclit, diuersa planta.

IOVIS BARBA PVLCHRE LVCENS.

Varia quidem significationis est Barba Iouis, quam nos hic pro suffrutice quodam accipimus: cuius materiem durам atq; lignosam ferè, incanus & lanuginosus tegit cortex, rami huic frequentes satis, folia quinque aut sex, aut septem etiam coniugationibus contexta, quarum singularia Lentis foliis, paria villosa, argenteo colore fulgent, ex pediculi foliorum ala, appendices singulares exoriuntur lanuginosæ, quarum extremis inhærent aceruatim congesti flosculi, lutei, quorum singuli, non magnitudine, sed formâ Genistæ flores æmulantur. Nos cubitalem habemus caulem.

Descriptio Materies.

Folia.

Flosculi.

Hist. Lugd. sic describit, Fruticosa est arbuscula, magnitudine hominis, ramis densissimus, folio Lentisci, argenteo, sic collocato, vt lateribus folia paria sint, impar autem folius vertium claudat: coma in opere topiario tonsilis, & in rotunditatem spissa, elegantissimi aspectus, si quis in hortis serat, vestiendis arearum viarúmque marginibus, vt à nobis de Lauendula fieri solet, flore in summis ramis copioso, coaceruato velut in cumulum, luteo, Genistæ simili, si sumas singulas quasque floris coaceruati partes.

Folium.

Flos.

Hist. Lugd. *Frutex*, *Iouis Barbam* Plinii putant. Anguill. *Barbæ Iouis* Plinii aliquomodo, conueniens in Monte nigro, propè Liuornam in Tuscana, foliis dispositis Lentis modo, candidis, nitentibus angustioribus, flore luteo, flexilibus ramis. Hæc planta olim nobis pro Dorycnio Diosc. & Argentina nonnullorum Metis data per Dom. Santalbinum Medicum.

Dorycnium Argentina.

Per Dominum Kentzium collecta Florentiæ & Patauii in horto Bembi, nomine *Barba Iouis*, missa etiam fratri Casp. Bauhino ex Italia pro *Barba Iouis* Plinii. Dominus Agerius dedit collectam in Hetrurio monte Nigro ad littus maris Thyrrheni. Gignitur in lapidosis, & saxosis locis maritimis, præsertim montibus ad littora positis. Pulcherrimam hanc plantam mons Setius (hodie *cap de Sette* vocant) ab Agatha & Biterris non admodum semotus nutrit.

Locus & tempus.

Digitized by Google

SESBAN, FOLIIS HEDYSARI.

Descriptio. Virgultum.

SESBAN specioso assurgit, veluti virgulto, recto, tereti, fistuloso, tuberculis asperiusculis obsito, medulla farcto, quod ex longiusculis interuallis in ramis diuiditur. Folia sunt longa foliorum serie altrinsecus stipata, foliis tum Hedysari alterius Dodon. similium, angustiorum, pallidè virentiũ, subpinguium: foliorũ 14. coniugationes supputauimus. Per quorum media neruulus excurrit, auersa parte lineam atrouirentem exprimens. Ex aliarum verò geniculis pediculi prominent luteo croceis, atris punctulis conspersis floribus conspicui, Genistæ ferè similibus, racematim digestis. Quos excipiunt siliquæ digito longiores, angustissimæ, in acutissimum mucronem desinentes, ac quibusdam internodiis articulatum torosæ. In quibus semen oblongum, spadiceum ad Fœnugræci semen aliquo modo accedens: cuius sapor acris linguam vellicans calore suo.

Flores. Siliquæ. Semen. Sapor.

Alpin. Sesban frutex Myrti magnitudine. Ex Anil semine Alexandria misso [cuius planta istic magno in vsu est] natæ, Clusio apud Garciam, stirpis, Lentis seu Coluteæ minoris foliis, flore luteolo sparti Græcorum (quod Hispani Retama vocant) omninò simili. Postquàm enim Alpini librum Clusio videre contigit, animaduertit semen missum pro Anil Sesbam fuisse, ac eius fortè errore, qui mittebat, nomen Anil ascriptum esse pro Sesban.

Anill. Locus.

In Ægypto ab Alpino obseruata & inde ad Italos illata. Nobis ramulum frater Casp. Bauhinus elegantissimum in horto Nobiliss. Bembi Patauino lectum communicauit. Anno autem 1599. in horto Montbelgardensi sata creuit ad quatuor cubitorum altitudinem, floruitque Augusto & Septembri: Basileæ vidi in horto Domini Iac. Zvvingeri.

Tempus.

AEgyptii, referente Alpino his fructibus sepes suas texunt ad agrorum distinctionem: stomachi humiditatem semen eius absorbet, cúmque roborat.

Vires & vsus.

Puluis ex decocto alui fluxum, mensiúmque immoderata profluuia refrænat: Omnes denique vacuationes immodicas cohibet. Sed cùm sit acris nolim cum Alpino experiri ad prohibẽdum fluxum nimium mensium. Dorycnium [[illegible]] Dorycnium in genere, quod Crateuas Halicacabum aut Calceam [[illegible]] vocat, frutex est authore Dioscor. Oleæ nuper prodeunti ([illegible]) similis nascitur in petris non procul à Mari, ramis cubito breuioribus, foliis Oleæ ([illegible]) similibus colore, at minoribus firmioribúsque (angustioribus autem & longioribus alii. Lac. in vet. cod.) ac vehementer asperis, flore candido, folliculis in cacumine densis, seu Ciceris, in quibus quina denave minuta semina, rotunda, exigui Erui magnitudine, læuia, firma & versicoloria: radix ad digiti crassitudinem & cubiti longitudinem adolescit. Et hoc quoque somniferum ([illegible]) esse creditur: Copiosiùs verò haustum, enecare.

Halicacabus. Calcea. Oleæ similis. Ciceris folliculi. Orobi semẽ.

Non desunt qui dicant eius semen in amatoria ([illegible]) expeti.

De eo fusè & obscurè Nicander. Hæc verò eius Scholiastes. Dorycnium, inquit, quod etiam Melissophyllum ([illegible]) vocatur, Syluestris planta est. Cæterùm liquorem destillat similem lacti secundum aspectum, & odorem, & gustum. Vnde etiam difficilè iudicatu est bibenti, vtrum lac sit, aut non. Demophon autem nominis rationem afferens, dixit ita vocari, quòd hastæ similis sit secundum sublationem (scilicet è medio) Lysimachus verò Hippocraticus quod lignum sit plurimum mouens, iis qui eo vsi sunt.

Lethale. Melissophyllum. Etymon. Lignum.

De symptomatibus quæ Dorycnio epoto contingere soleant, item remediis, quibus succurrendum, ita scribit Dioscorides lib. 9. Alexiph. in proœmio.

Dorycnium [quod aliqui Solanum manicum [illegible], hoc est, furiosum appellarunt] epotum, veluti lactis saporem gustui repræsentat, crebros singultus ciet, linguæ humiditatem ([illegible] apud Paulum in Aldino Cod. [illegible] Nicander ait [illegible] Sat.) conciliat & effusionem sanguinis reiectionem concitat, ipsi verò potionati mucosa quædam perinde atque dysenterici aluo egerunt. Itaque antequàm aliquod ex hisce symptomatis superueniat, auxilio sunt antè dicta: vomitus, inquam, Clyster, & quæcunque potum venenum expellere apta natæ sunt. Priuatim iis opulantur, aqua mulsa, lac asininum, aut caprinum, ac dulce vinum, quod quidem tepidum cum Aniso ([illegible]) bibatur, Amygdalæ amaræ, ([illegible]) & elixa Gallinacea pectuscula. Quin etiam omnis generis Conchylia, cruda pariter ac tosta, esse (edere) salutare est. Conueniunt & Locustæ marinæ ([illegible]) & Gammari ([illegible]) ac potum eorundem iusculum. Idem de parab. ait Contra Dorycnium succurrunt Lac pastum tepidum, gallinacei pectusculi elixi triti succus haustus, ipsúmque ius epotum: echini denique conchæ, purpuræ, squillæ, pinnæ, [illegible] Gesn. [illegible]) pectines, buccinæ, seu cruda seu elixa comedantur. Cosideratis symptomatibus, quæ superueniunt post assumptum Dorycnium, placet exhibitio Olei dulcis cum succo siue iure Gallinaceo.

Symptomata. Sapor lactis. Singultus. Sanguinis reiectio. Vomitus. Remedia. Aqua mulsa. Lac asininum. Locustæ. Oleum dulce.

Plin. Dorycnium ita tradit, vt à Solano manico vix videatur distinguere. Quare eius verba repetes ex Historiæ nostræ Vniuersalis libro trigesimo quarto, capite de Solanis.

Dorycnium, attestante Galeno, temperamento Papaueri simile est, & Mandragoræ, ac cæteris, quæ parem habent refrigerandi potentiam: excellit & frigiditate aquea: quamobrem pauculum quidem, saporem conciliat, plusculum verò sumptum interimit.

Temperamentum. Pauculum saporem conciliat: plusculum interimit.

Potum quidem, gustum ceu lactis repræsentat, singultus crebros facit, inquit Paulus, linguæ humiditatem, & cumulatam sanguinis eductionem, per aluum mucosa feruntur simillima terminosis. Auxilio sunt (antequam horum aliquot fuerit secutum) vomitus & clyster, & quæcunque potum venenum possint excernere. Propriè autem ipsi succurrit aqua mulsa, aut Lac Asininum, Caprillúmve, & dulce vinum tepidum cum Aniso modico potum: item Amygdalæ, & elixa gallinarum pectora: idem præstant Conchylia cruda pariter & tosta, in cibo, adhæc Locustæ marinæ & Gammari,

Lac caprillum. Vinum dulce. Amygdalæ. Conchylia.

Gammari. Gammari, & ius ex ipsis esculentum potui assumptum.

Quanquam vires Dorycnii & Solani furiosi similes sint, ipsæ tamen inter se diuersæ à Diosc. describuntur.

Galenus quoque de Dorycnio agens, simile temperamento facit Papaueri & Mandragoræ, & aliis ita frigefaciendi vi præditis, vt in quo obtineat aquosa frigiditas valdè efficax.

Nullus ex Veteribus tum Græcis, tum Latinis, teste Cordo, Dorycnium descripsit præter Diosc. qui historiam eius ex Cratena desumpsit.

Plinij error. Plinius & alii quidam crediderunt Dorycnium idem esse cum Solano furioso, quod falsum esse Nicander, Dioscor. & plures alii testantur. Rob. Const. in Lexico notat Δορύκνιον Diosc. & Δορύκνιον Gal. & Nicand. etiam δορύκνιον dici apud Suidam, & Hesych. corruptè δορύχνιον.

Dorycnidiũ. Dorycniũ. Hesych. error.

Matthiolo, Dorychnium hactenus non contigit inuenire.

Brunf. onom. rectè Dorycnium siue Dorychnium aliud à Solano somnifero tradit, sic dictum fortasse, quòd cuspides telorum inficere mos esset illo.

Dorycnium cur dictum. Gorrh. reprehenditur. Gorrhæus contrà, malè ex Dioscor. dicit Dorycnium idem esse cum Solano furioso, quum Dioscor. tantùm dicat Solanum manicum quod etiam Dorychnium vocant.

Dorycnium Greuino Solanum furiosum. Matthiolus [inquit Greuinus] nequaquam consentit id quod Græci appellarunt Solanum furiosum esse Dorycnium. Si tamen quæ Diosc. l.6. & Theoph. & Plinius scripserunt considerare voluimus, reipsa profectò comperiemus, aut errasse Dioscor. aut Dorycnium simile aliquid Solano furioso habere &c. Matth. instituit: nemo tamen hinc inferre debet ex lib. 6. eum idem sensisse, sed quod aliqui tantùm ita vocarint. Hoc tamen Matth. responsum non vsquequaque satisfacit, nam ea quæ Theoph. & Plinius de Dorycnio literis tradiderunt, à Diosc. de Solano furioso dicuntur. Tamen quod sub finem proœmii idem ex sua sententia & non alterum affirmare videtur. Auicenna Vuam vulpinam vocat, quòd, vt ego existimo, Acinos ferat Vuæ non dissimiles, quemadmodum Diosc. in ipsius descriptione affirmat. *Vua Lupina. Solanum furiosum.* Dicitur etiam Solanum furiosum, quòd, in eo qui id in potu acceperit furorem commouet: idque præstat non ob qualitates suas, quæ frigidæ sunt & siccæ, sed ob innatam & peculiarem malignitatem: tantùm enim abest, vt frigus furorem excitet quin potiùs ægrum somnolentum & grauem reddit, sicuti alibi diximus. Nicander tamen in descriptione Accidentium, quæ ab hoc veneno veniunt, furoris non meminit. Hæc Greuinus obtrudit. *Greuinus taxatur.* Verùm Theophr. non meminit Dorycnii, sed tantùm Strycni. Vires à Diosc. attributæ lib. 4. cap. 75. conueniunt sanè cum viribus attributis à Theophr. Strychno ac etiam ab ipsomet, capite præcedenti Solano Manico, quæ vires sanè planè repugnant viribus quas Diosc. lib. 6. cap. 6. Dorycnio attribuit, ac etiam Nicander, vt fortè liceat suspicari lib. 4. Diosc. malè additas vires Dorycnio competentes: nec vllo modo concludi potest Dorycnium & Solanum manicum eandem plantam: Greuin. aut non legit textum Græcum in fine proœmij aut non intelligit: ait enim Dioscor. ἀκινώδη. Vbi obsecro scripsit Diosc. Dorycnium acinos ferre. Greuinus confundit Dorycnium Nicandri cum Solano verè dicto furioso aut manico Diosc. & Theophr. licet omnia ea quæ Nicander scribit ex Diosc. l. 6. de Dorycnio planè non respondeant, sed manifestè demonstrent aliam plantam à Solano furioso: hæc occasio vt Greuinus, dum vult diuersarum plantarum, diuersas vires conciliare frustrà se torqueat. Quomodo Dorycnium Nicandri intestina exulcerans, abradens &c. [Greuini verbis vtar] præstabit, quod Plinius scribit, vt inter dormiendum cum formosis puellis, &c. innocentiss. dicetur venenum, quod dicit Plinius de suo Dorycnio diuerso à Nicandri & Dioscoridis. Vti igitur [authore Sarac.] in stirpium historia Dioscor. Anazarbæus Dorycnium & Solanum manicum distinxit & ceu diuersas plantas diuersis descripsit capitibus, ita & lib. περὶ ἰοβόλων. Altero, vtriusque veneni diuersis capitibus propria & peculiaria tradit remedia: quæ tamen omnia hoc loco vni Dorycnio accommodantur. Atque vel hinc patet, Dioscoridem hunc libri de venenis authorem, alium ab illo Anazarbæo extitisse.

Aequivoca Scribit Cornar. sibi videri communem esse appellationem Dorycnii, omnibus iis, quibus hastæ & tela tingerentur. Appellamus Dorycnium Monspeliense & Hispanicum, non Anguillaræ, vt visum Clusio: nec Veterum, vt Gesnero, de quo mox. *Dorycnium Monsp.* Est & Dorycnio Hispanico congener Clusio, de quo proximè. *Dorycnio Hisp. congener. Clusio.* Dorycnium habent Cassabona, quod nos Trifolium album rectum inscribimus. *Trifol album rectũ hirsutum.* Dorycnii nomine nobis aliquando data Iouis Barba, de qua paulò antè dictum. *Barba Iouis.* Lob. & Pena scribunt, quosdam Phyllirea hariolari Dorycnium, quod non probant, qua de re vide Hist. n. g. lib. 5. *Phyllirea.* Pro Dorycnio aliqui, inquit Gesner. de hortis, habent suffruticem quendam montanum quem Vitis Ideæ speciem putamus. *Vitis Idæa.* Cæsalp. & Ferd. Imperator Dorycnium est, quod Dalechampio dicitur Cneorum album: eiusdem etiam nomine Dorycnii meminit Clusius, quod Dorycnium nõ negamus, cuius historia à nobis posita est in fine l. 5. *Cneorum album. Dodon.* Dorycnio est & cõgener quędã plãta Cæsalpino foliis nigrioribus, de qua libro modò dicto. *Dorycnio congener Cæsalp.* Cordus pro Dorycnio Nicandri exhibet Halicacabum peregrinum, quod improbant Gesnerus, Matthiolus & Lobelius, vt dicetur lib. 15. de Scandentibus. *Halicacabũ peregr.* Dorycnio multùm simile Anguill. Trifolium Halicacabum, quibusdam satis ineptè Dorycnium authore Camerario appellatum, de quo agemus Hist. ñ. lib. 17. *Trifolium Halicacabum.* Dorycnii appellationem, inquit Cornarius, Plinius Solano furioso attribuit. Inter Diosc. reiect. Halicacabus, aliis Dorycnium dicitur, infrà tamen etiam lib. 2. cap. 12. de lethalibus medicamentis, Dorycnion appellari dicit, Solanum furiosum. *Solanum furiosum. Dorycnium de Solano Atriplex dict. à.* Quartum Solanum [Genßfueß] per me quidem esto, inquit Trogus, quod Δορύκνιον Plinii, quo cuspides tingebantur, de hac planta lib. 23. inter Atriplices. *Pes Anserinus.* Quibusdam etiam Dorycnium de Lunaria & Pyrethro dici suo loco hac in nostra Generali Histor. dicetur. *Lunaria. Pyrethrum.*

DORICNIVM MONSPESSVLANVM FRVTICOSVM.

Dorycnium Cratenæ. Descriptio DORYCNIVM Cratenæ Monspelii vocabant Fruticem totum albidum ad sesquicubiti altitudinem excrescere solitum, cuius nouelli adhuc ramuli obsequiosi, fractuque contumaces existunt, adultiores aut loco asperiore nati, multùm durescunt, *Ramuli. Folia.* folia ex interuallis, terna, quaterna, sena, radiata, sine pediculis adhærent, oblonga, angusta, alba lanugine pubescentia, Clusio adstringentis gustus. *Flores.* Flores extremis ramulorum innascuntur in orbem glomerati, albi, quorum singulares ad Trifolii pratensis albi flores accedunt,

sapore vt nobis quidem videtur, nonnihil astringente, hosce excipiunt folliculi plures simul iuncti, parui, in quibus singulis semina continentur singula, versicoloria, vt prodidit Clusius, seu varia, qualia ferè Tithymali parelli semina cùm figura, tum colore, tū magnitudine. Radix satis crassa, dura & lignosa, exteriùs nigra, interiùs alba. Sculptor noster malè sculpsit hanc iconem.

Folliculi. Semina. Radix.

Dorycnium falsò Gesn. Gesner. hort. & coll. stirp. Dorycnium à quibusdam falsò dictum circa Monspelium: Obseru. & Icon. Plant. Dorycnium Monspel. Quotquot erant Salmanticæ rei herbariæ studiosi, Dorycniū vocabant: quo istic Clusius versabatur tempore: quo nomine etiam apud Mompelianos ante multos annos donatum fuit. *Dorycnium Anguill.* Anguillara etiam hanc sententiam amplecti videtur. Eius semen ab Aldrouando aliquando missum Trifolii albi nomine. *Trifolium album Mitediega.* Salmanticum vulgus *Mitediega* vocat. Licèt cum Dorycnio Dioscoridi descripto nonnullas notas communes habeat, non tamen per omnia respondere videtur eius descriptioni. *Dorycnium Hispan.* Hæc Clusius qui Dorycnium Hispanicum vocat. Opinioni autem eius non adhæremus existimantis esse Dorycnium Anguill. aliam enim plantam ipsius intelligit. *Clusius notatur.* Hist. Lugd. A Dorycnio Veterum multùm abest, quod Monspelienses hoc nomine habent, cuius facultas nondum experta, an somnifera sit, nec ne. Vocat autem Hist. Lugd. Dorycnium Monspessulanum Dalechampii, idémque putat Dorycnium Hispanicum Clusij. *Locus. Cytiso Columellæ cognatum.* Dorycniū Monsp. à Clusio accuratè pictum, vel simillimum saltem strigosius in Batauia inuenit Camer. hort. quod Cytiso Columellæ in maritimis nascenti cognatum esse existimat. Tab. icon. & hist. Dorycnium Hispanicum. Gerard. Angl. Dorycnium Hispanicum, The venomous Trefoile of Spaine. *Trifolium.* Casparus Bauhinus Phyt. Trifolium 59. siue album.

Locus & Tempus. Dorycnium Hispanicum exit copiosè agro Salmanticensi, & aliis Hispaniæ locis, secundum vias, & incultis: meminit etiam Clusius agro Narbonensi videri: frequentissimum etiam non modò Viennensi agro, sed & plerisque Pannoniæ locis. Floret Maio & Iunio: semen valuulis maturitate dehiscentibus exilit Iulio: Dorycnium florens vidi mense Augusto & Autumno, nec non Iunio mense. Prouenit quà itur *Perout*: prouenit & apud mare, ac inter Monspelium & *Perault*. Basileæ cum flore obseruaui in horto D. Felicis Plateri. Casp. Bauh. frater reperit non longè à *Peron* & inter *Sommiere* ac Monspelium: item eundo *Frontignan* mense Maio.

DORYCNIO CONGENER PLANTA.

Locus. Descriptio. Virga. Dorycnio Hispanico (Monspeliensi) congener planta Clusij, regno Valentino, & quibusdam Bœticæ locis nascitur, cubitalibus, & viminis modo obsequiosis virgis, superiore gracilioribus, *Folia.* foliis breuioribus & latiorib⁹, breuique pediculo ternis aut quinis simul iunctis & ramulos amplectentibus, falsi & nonnihil acrimoniæ obtinentis gustus: *Gustus. Flores.* oblongi ramusculi ternos, quaternos, aut quinos flores sustinent Medicâ maiores, coloris viridis: alioqui tota planta candidior est præcedenti, imò tota incana: eius neque semen neque radicem obseruabam, sed ramulum qualem equitando abrumpere potui, exprimere iussi.

Gerard notatur. Tab. icon. & hist. Dorycnii species. Gerard. Angl. Dorycnium Monspeliensium, The Venomous of Mompeliers qui secutus cæcum ducem Compilatorem cadit in foueam. Quis obsecro vocauit hanc plantam Droycnium Monspel. id sanè nó fecit Clus. qui primus eam demonstrauit. *Trifolium album.* C. Bauh. Phyt. Trifoliū 58. siue album latiore folio. Hist. Lugd. Dorycnii congener planta Clusij.

GENISTA ANGVLOSA TRIFOLIA.

Descript. Frutex est sarmentosus duos aut tres cubitos altus, densis & crebris ramis angulosis, flexilib⁹, virescentibus: *Rami. Folia.* in quibus folia crebra hirsuta, prioris Trifolii, alia simplicia, acuminata: *Flores.* flores speciosi, crocei, Laburni, maiores, galericulati, staminibus recuruis cum apicib. croceis; *Siliqua.* siliquæ, compressæ, latæ, nigræ, hirsutæ, in quibus *Semen.* semen Coluteæ vesicariæ fuscum, compressum. *Radix.* Radix multiplex, neruosa, lenta flexilis, lutea. *Sapor & odor.* Tota stirps grauis [illegible] & amari est saporis.

An K[illegible]us de hac loquitur dicens. Inuenio & scopas

Scopæ Americæ. Genistella Americana. Spartum. Genista angulosa. scopas Americanas Sparti similes describi, quas Genistellam Americanam quidam vocitent hoc tempore: Euchar. Genest pfrimmen, Genesta. Gorop. in Aduat. Genista. Cord. in Diosc. Sparton, Latinorum Genista. Germ. Genster. In Histor. Genista angulosa, cui male apposita ex Trago Chamæsparti figura. Trago Genista pfrimmen/ gröste pfrimme, quam quosdam putare ait eandem cum Spartio & fieri posse putat, vt Diosc. lib. 3. cap. 152. *Spartium.* Pfrimmen sub Spartio intellexerit, quod etiam nominet Lygon, Lobon & Vimen: *Lygos. Lobon.* verum is etsi dubitet cum Plinio [qui lib. 24. c. 9. Genistam eandem facit cum Spartio] lubens tamen asseteret Genistam vel pfrimmen esse.

Erice. Myrtica. Albrahen. Diosc. lib. 1. cap. 102. ἐρείκη, Ericen, & quam Mesue Myrticam Albrahen & Albrahunc nominat. Sed Erice Dioscoridis non est, vti nec Spartium.

Tragus notatur. Figura etiam Tragi parum feliciter picta, nec nomina conueniunt.

Gesn. de col. stirp. Genista maior.

Fuchs. Genista Latinorum rei rusticæ scriptorum & Plinii: Officinarum & Barbararum sectantium medicinam, *Genesta* & *Genestra*, Germ. Ginst & Genist, Gall. *Genet*, alia à Sparto.

Sed nec Genistam Plinii esse Corn. in Dioscor. comprobat, Sparta, inquit, Homerica neque ad Spartium Dioscoridis, cuius vires Plinius Genistæ adscripsit, pertinet: Est enim inter Spartium & Genistam hoc discrimen, quòd Spartium folijs caret: Genista folia habet. Nota est Genista, Spartion Dioscoridi appellata pfrime & ginst & genste.

Camer. notatur. Distinctio Camerarii non placet. Turn. Genista, Angl. broonne, Plinii Genista à Diosc. Sparto *Turn. not.* diuersa, quod concedo Turnero: Genistam autem Plinii esse non dixerim: Huius figura posita apud Turnerum fol. 144. partis secundæ nomine Spartii, licèt eius in contextu nulla fiat mentio. *Hemerocallis.* Mihi aliquando denominabat D. Presburger Hemerocallidem Theophr. ex sententia Guillandini. Cronemburg. de comp. medic. vulgaris vsus Genistam Plinium pinxisse lib. 24. sibi persuasum habet. Tanta inter Spartium & Genistam intercedit similitudo, tum facie, tum etiam viribus, vt eorum affinitate deceptus Matthiolus crediderit, omnino errasse eos, qui alterum ab altera secernerent: præsertim cùm hac in re deprehendisset Plinium lib. 24. cap. 9. dubitasse. Verùm cùm admonitus accuratius Dioscoridem perlegisset, comperit planè inter has plantas discrimen esse. Quippe quòd Spartium Dioscoridi frutex sit folijs viduus: & floribus constet albæ violæ similibus. Genista verò folia proferat longiuscula, Lini ferè modo: & flores luteos, lunatos. Hinc itaque factum est, vt nunc in eorum sententia consistat, qui Spartium à Genista differre docent. Non tamen quòd diuersi prorsus generis has plantas esse putet: nam tanta, vt dictum, vni cum altera cognatio est, vt etsi non eædem sint: tamen congeneres esse videantur.

Dodon. Gall. *Genista*, *Genesta*, & *Genestra*, Germ. Genst & pfrimmen. Belgicè Brene. Sine dubio Spartii species. Lat. in fol. *Genesta* germanica.

Spartium. Clus. in Pann. lib. 1. c. 15. Genesta vulgaris Germanica, Austriacis Vngaris vicinis Gelbe klee/ hoc est *Trifolium luteum* appellata. Hisp. & Hist. post. *Vius.* Genesta vulgaris & Septentrionalis, Hisp. *Scobas*, [quod illâ, quemadmodum nostrates, Scoparum quibus ædes purgant & euerrunt, loco vtantur] dicta.

Genista Scoparia. Lob. & Pena Adu. Spartium, Genista Scoparia vulgi Gal. *Genest*. Angl. Brome & Brem. Genistam à genuum flexilitate deducunt nonnulli, quæ duntaxat species Sparti dici potest. Falluntur qui Diosc. Spartium existimant, Obseru. p. 531. Genista Scoparia, vulgò Genesta Plinii. Icon. Plant. *Lob. not.* Genista Scoparia vulgò Genistella, Spartum Lobelii. Is quidem non obseruauit Trifoliam esse, ponit tamen quam habet Dodonæus cum Rapa iuncta. Hist. Lugd. Genista angulosa seu vulgaris, Camer. hort. Genista vulgaris. Item apud Matth. Germ. & Epit. Genista, Ital *Ginestra*, Hisp. *Ginestra*, *Giesta*, siue *Giestrina*, Germ. Ginst, Gall. *Geneste*.

Camer. notatur. Figura quæ apponitur Matthiolo satis laudabilis, mihi tamen non probatur poni eius plantæ, quam non intelligit Matth. & quæ non parum diuersa.

Tabern. Icon. & Hist. Genista, pfrimmen: Item *Genista alba*, weiß pfrimmen, nihil differens à præcedenti nisi colore albo: Adhæc Genistella, klein pfrimmen. Similis omnino est primæ, nisi quòd non ita fruticet ac minor est, nec tot virgis abundat: Quid erat opus ob solum colorem fingere nouam figuram, nec indicare vbi visa fuerit eiusmodi genista flore albo, verùm hæc industria *Tabern. notatur.* Compil. Tabern. cui fortè nulla trium suarum genistarum bene nota: priorem enim vulgatissimam non benè describit.

Gerard. Angl. Browme. Et genista quarta tenuifolia, Smell trefed brome. Genista alba: Item, Chamægenista Anglica Englisch Dwarff Brome. Cur Gerardus mutat titulum & separat à *Gerardus notatur.* priore genista, vocans genistam tenuifoliam, cùm tantùm differat colore, teste ipso Compilatore Tabern.

C. Bauh. apud Matth. *Genista angulosa*, qui assumpsit figuram quam Compil. Tabern. posuerat pro alba.

Locus. & tempus. Genistam vulgaris apud Germanos notitiæ incultis agris, campisque neque non quibusdam montanis arbustis, quæ statis temporibus cædi solent, gigni prodit Tragus: Fuchsius peraridaloca amare, ideoque in syluis & iuxta syluas nasci locis arenosis iuxta vias: omnium notissimam tum apud Boreos, tum Meridionales, sterilibus præsertim, arenosis, montosis, & frigidioribus: Clusius per vniuersam ferè Germaniam, Galliam, Angliam atque Belgium vulgatissimam esse. Is verò spontè nascentis nulla vestigia obseruare potuit in Pannonia & Bohemia, neque totâ Austriâ & Morauiâ. Genistas, in Hetruria adeò frequentissimas prouenire testatur Matth. vt Maio & Iunio mensibus magnum & iucundum spectaculum præbeant viatoribus, quoniam tam copiosè speciosis suis ac fulgentibus floribus ornantur & vestiuntur colles, vt procul aurei videantur. Seminaui aliquoties in aliquot locis comitatus Montbelg. quæ prouenit: abundat propè *Moruillars* Castellum, vidi folia protrudentem noua & flores nouos mense Septembri inter *Bessordiam* & Masmunster, olim inter Monspelium & Lugdunum mense Iulio cum siliquis & folijs ex vno pediculo ternis, pilosis. Lugduni abundat florens Maio: ex ea scopas parant: In Hercynia hyeme cum siliquis: Basileæ florentem Iunio. Inter Placentiam & Mediolanum florentem cum folijs mense Aprili: Iuxta Castellum Abbatis Luxenfis *Passaume* copiosa & versus Thermas *Plumarias* Lotharingiæ.

Vires & Temperamentum. Aqua. Calculosis. Empeirici genistæ flores & semina ad internas quasdam affectiones exhibere hodie solent. Aqua è floribus genistæ distillata & pota, calculosis prodesse apud Tragum traditur, sicut & se-

minis per se tusi tertia parte drachmæ sumpta, ad *Sudor.* sudorem interim eliciendum contecto corpore. Apes flores Genistæ amant, sed mellatio ex illis facta improbatur. Opiliones quidem è Genista *Scabies.* vnguentum conficiunt, quod Scabiei ouium medetur. Calefacit & siccat in altero ordine, id quod Fuchsium amaritudo quam gustata refert & eius facultates abundè docent. Sparto & Genistæ, non obstante, quòd forma nonnihil dissent, eadem inest facultas: vt enim spartum pituitam per *Vomitus.* superna & inferna purgare potest, sic etiam Genista. Hinc adeò fit vt eius seminis hodierno tem- *Podagra.* pore contra Podagram magnus sit vsus. Vrinam *Vrina.* etiam amaritudinis ratione mouet, & quia incidendi & extenuandi facultatem habet, lapidem in renibus, tum in vesica confringere, vt etiam *Struma.* recentiores tradunt, potest. Strumas denique atque alios tumores discutere posse idem scribunt. *Temperi.* Calida & sicca, autore Dodonæo, proximè ad tertium gradum; abstergit ac partes tenues habet. Folia, ramuli & summitates Genistæ, cocta in vino aut *Hydrops.* aqua, vtilia sunt hydropicis, ac omnibus obstructionibus hepatis, splenis, renum, aut vesicæ, *Purgatio.* partim enim purgat & pellit omnes humores serosos & aquosos ac superfluos, per aluum: partim *Semen.* per vrinas. Eadem præstat semen sumptum pondere circiter drachmæ vnius. Denique easdem facultates habet quas Genista Hispanica, ac idem eius in morbis vsus esse potest, qui Genistæ Hispanicæ. Genista Germanica sub finem Aprilis *Flores* aut Maio mense floret, atque tunc rudimenta florum adhuc virentia, priùs videlicet quàm Lutea fiant, decerpta, muria aut sale condiuntur, quæ postea elota & decocta, Capparorum in obsoniis loco habentur, nec minore cum suauitate manduntur: ac languentem excitant appetentiam, & hepatis ac lienis infarctus expediunt. Paratur ex Genistæ ramulorum ac virgultorum aridorum & combustorum cinere, cum vino tenui albo, cuiusmodi Rhenanum est, Lixiuium, quod ad Cache- *Lixiuium* xiam & Leucophlegmatiam à nonnullis valdè commendatur: & potenter quidem aquosos ac serosos humores cum vrina & per vesicam expellit: sed & acrimonia sua interna viscera quandoque lædit & excedit. Purgat, vt vult Matthiol. Genistæ semen non minùs potenter ferè quàm spartium aut Helleborus drachmæ vnius & semis pondere ex hydromelite ventriculo ieiuno sumptum. Quare eius magnus est hodie vsus contra podagram: potenter enim per aluum educit lentos viscidosque humores ex quibus podagra genera- *Podagra.* tur. Virgulæ cum foliis in aceto dies aliquot maceratæ & contusæ, succum reddunt, cuius si quis semunciam bibat, non paruum sentiet emolumen- *Ischias. Bronchocele.* ti contra dolorem ischiadicum. Semen Bronchocelen, omnemque tumorem discutit. Genista cum axungia contusa, gonagram persanat. Semine Genistæ Scopariæ vomitum, non secus ac Spar- *Vomitum mouet.* tio Diosc. sæpiùs duarum vnciarum decocto propinato, citra magnam contentionem mouit Lo- *Florum vsus.* belius. Verùm flores recens decerptos sæpissimè quamplurimos, & per se acetariis inditos, vorat plebecula Aruerniæ, & Aquitaniæ, maxima copia, innocuos non modò, sed etiam admodum gustu suaues, nec quicquam vomitionis nauseæue vllius, aut commotionis mouere solitos. Quin à pud Brabantios gemmantes condiuntur, sale & aceto flores, mensisque inferuntur, Capparum, Olearúmve pari commendatione: creduntur enim non modò cordi vires, ac stomacho appetitum augere, sed etiam obstructiones reserare, & calculum frangere. Idcirco falluntur, fallúntque qui hosce flores officinis vomitionis mouendæ gra- *Flores vomitum mouent.* tia commendos præcipiunt, tamquam Genistam esse Dioscor. Ellebori suppar detractorium Spartium: non *Spartium* enim detractione insigni, sed tantum leuiore conatu excludunt, qui eorum vel Seminis decoctum hauserunt.

GENISTA CVM RAPO

Fruticosa stirps Genista est, *Descript.* caules, aut potiùs *Caules.* tenues caudices, habet lignosos, à quibus plurimæ tenues sparguntur virgulæ, angu- *Virgulæ.* losæ, virentes, lentæ & flexu nectique faciles, non rarò quoque in alias diuisæ, circa *Folia.* quas folia exigua, obscurè virentia, *Flosculi.* & flosculi elegan- ti colore, lutei, & tandem siliquæ *Siliquæ.* planæ, per maturitatem nigricantes veluti Phaseli, siue Bonæ, à Dodonæo *Semen.* dictæ, in quibus semina plana dura, subrufa, lentibus minora. Radix dura & lignosa, fibras quas- *Radix.* dam obliquas subinde à se dimittit. Attollitur autem Genista frequenter in satis magnam altitudinem, hominis staturam attingens: floribus hæc multis sæpe grauida: quandoque verò humilis permanet, quæ rarò florifera. Huius verò ra- *Rapum.* dicum fibris adnascitur quod *Rapum* appellant *Genistæ*. Est autem hoc tuberosum quoddam turbinatum, subnigricantibus squamis opertum, pulpa interiore sublutea, à quo caulis assurgit dodrante breuior, floribus circa fastigium, subcandidis, Lamii ferè æmulis, succedentibus oblongis, crassis, teretibus, non tamen magnis, loculis, in quibus semina minutissima & superuacanea. To- *Orobanche* ta autem facie istud orobanchen Dioscor. refert, hoc solo ab eo differens, quòd nō inter legumina exeat: sed è fibris radicū Genistæ quib. abhæreſcit.

Dodon. gall. Genista parua, non differens à ma- *Genista parua.* iore nisi quòd non excedat altitudinem trium pedum, ad huius radicem reperitur planta Belgis di- *Rapum.* cta, Brenrape, Lat. *Rapum Genistæ*, & *Rapa Genestre*, Gall. *Naueau de Genestre*, hoc procul dubio *Orobanche. Limodorum.* species Orobanche & Limodori. Lat. in fol. Genista cum Rapo. Olim Dodonæus nō iunxerat Rapum Genistæ, ipsi Genistæ, nunc autem iungit: præterea olim differentem faciebat Orobanchen à Rapo, nunc tantùm separat, à nascendi loco: licèt nobis persuadeamus eius Genistam eandem cum angulosa, quia tamen nūquam vidimus cum Rapo, ac præterea ipse non meminerit trium foliorum ex vno pediculo in sua Genista, ac minorem dicat, nos eius picturam proposuimus, quam sculptor corrupit potissimum in floribus Rapi Genistæ.

Lob. & Pena Adu. vocant, *Herbariorum Rapum Genistæ* siue *Hypospartium* [illegible], floribus galeatis Tragorchidis Radicibus. Genistæ & Genistel- *Hypospartium.* læ adnascitur quasi soboles spuria, sed specie visenda & raritate, excrementum non absimile ortu,

conceptu,

concretu, incremento, caule & effigie Hyppocystidis vel Orobanchæ. Obseru. Hypposparttum Rapum Genistæ. Icon. plant. Genista Scoparia vulgi. Item Hypogenista, Rapum Genistæ à similitudine. Lobel. in Obseru. & Icon. Iungit Rapum Genistæ Scopariæ vt Dodon. in qua folia non sunt trifolia.

Hypogenista.

Gerard. Angl. Rapum Genistæ, Brenrape Orobanche, qui ponit pro Rapo Genistæ iconem propositam à Tabern. titulo Orobanches secundæ.

Gerardus notatur. Orobanche.

Cluf. Pann. Orobanche illa maior, quam Belgæ, quoniam ad Genistæ vulgaris radices interdum nascitur, Rapum Genistæ cognominant. Vngaris *Misegyerthia*, id est, *missalis candela* siue cereus dicta. Et Hist. post. *Orobanche omnium maxima*, quam, quia apud Belgas sæpius Genistæ vulgaris radicibus innascitur, Herbariorum turba Rapum Genistæ appellat. Vide plura sub Orobanche.

Candela missalis.

Camer. ad Matthiol. Germ. Orobanche genus ad Genistam prouenire solitum, vulgo *Rapum Genistæ* dictum, quod Cluf. Pannon. Orobanchen maiorem vocat.

Orobanche

Genista, autore Dodon. parua prouenit locis siccis ac glareosis secus itinera, nonnunquam in syluis. Rapum Genistæ reperitur in terra sterili, macra & arenosa, ad Genistæ paruæ radicem, quæ ad perfectionem non venit, & quæ non fert flores, aut paucos: inuenitur mense Iunio & Iulio. Rapum Genistæ auulsit Lobel in Flandriæ, Galliæ, & Angliæ locis maiore Genista scatentibus, alioqui frustrà quæsitum & diu alibi: A Sabaudiæ & Pedemontani colles paruæ feracissimi, etiam illud copiosum fundunt. Rapum Genistæ Belgarum Clusio passim multis Austriæ & Pannoniæ syluis nascitur.

Locus & tempus.

Magna Genista.

Parua Genista.

Rapum Genistæ habetur apud Dodonæum à nonnullis Empiricis recentioribus, pro summo remedio aduersus calculum, ad mouendas vrinas, decoctum in vino deinde potum: vt enim aiunt, soluit renum obstructiones, producit ac prouocat vrinam, calculum frangit ac arenulas pellit. Succus recens glutinat ac sanat omnia vulnera recentia & abstergit deteriora ac sordida reddita: vsus esse potest ad alia vlcera maligna, abstergit enim ac ad sanitatem producit. Vt autem succus meliùs conseruetur, postquam ex radicibus recentibus erit expressus, Soli exponendus donec crassescat, aut additur aliquid mellis, & Soli exponitur: hinc enim melior erit ac commodior extergendis vulneribus & vlceribus putridis. Potest etiam ex radicibus semisiccis extrahi Oleum vtile ad omnia ad quæ confert succus. Hoc Oleum delet omnes maculas, ac faciei exanthemata, ac totius corporis, sæpiùs illitum. Ait Cluf. & post eum Camer. qui tamen eum nominare non dignatur more suo, puluerem cum calido vino exhibitum insigne medicamentum aduersus colicum dolorem, nonnullos credere. Rapum Genistæ magnis votis & peregrinationibus Chymistas Maio mense venari scribit Lob. Ad vtriusque Genistæ radices, subleuatoq; teneriores asparagos cum radicibus siue appendicibus à Genista auellendis alembico indunt: & inde igne Oleum eliciunt, ad calculos per quam celebre.

Vires. Calculus. Vrina.

Succus. Vulnera.

Oleum. Maculæ.

Puluis.

Colica.

Oleum. Calculus.

TINCTORIVS FLOS.

E Radice lignosa densa viminum seges fruticat, tenuium, cubitalium & longiorum, teretium: quibus alternatim adnascuntur folia, Hyssopi, maiora, interdum parua, suprà infràque absoluentia, fatuo lentore mandentis os implentia: flores in thyrsis lutei, genistæ angulosæ minores, quorum singulis appositi: siliquæ vnciam longæ, latiusculæ, glabræ, in quibus nulla semina parua.

Folia.

Ruell. hanc *Lysimachion* & Ruellio *Corneolam* vocat, quo etiam nomine in humidis eam inueniri, infectorum Officinis opinione notam. Hinc præterea Corneolæ vulgo notæ singulas incisse notas, quas Lysimachio tribuerit: Lytron tamen Diosc. eadem quam Plinium alio nomine appellauit radicis, quod putetur pro Luteo deprauatum. Nam, vt Vitruuius author sit, eos qui non possint Chrysocolla vti, herba, quæ Luteum appelletur, cæruleum inficere, ac viridissimo vti colore. Et talem esse Lysimachiæ siue Lutron, siue Luteum vocatæ apud infectores vsum: nam cæruleo colore, quo glastum tingat, eam superinducentes, viridem efficere colorem: per se autem luteum vel flauum præbere: solere enim pictores ex luteo & cæruleo contritis viridem efficere colorem. Addit porrò rura nonnusquam hunc florem luteum nomine à colore, quo tingat, sed à flore potius, qui luteo micet conspectu, Aquatilem Solsiam appellare. Ruellius ergo affirmat hanc Lysimachiam esse, quamuis inibi aliam veriùs tradat. An eidem *Accipitrinus pes*, vulgò Corneola dictus, folio Salicis ferè pusillæ, flore subluteo, cum siliquis Ciceri similibus, in quibus semen? Cordo in Diosc. Lysimachium Leoniceno Corneola putatum, qua infectores viridem colorem inficiunt. Cui sententiæ Ruellium subscribere dicit, quamuis post aliam herbam Lysimachium esse putet. Sed Cordus illis nullo modo assentire potest, qui Corneolam Lysimachion esse putent. Quoniam Corneola fruticosa herba sit, quæ à Germanis Gilbkraut appellatur, in editis, nec aquosis nascens. Ruellium reprehendit Cordus quod loco dicto putet Lytri vocabulum corruptum esse à Luteo, cum nequaquam ibi Vitruuius per Luteum Lysimachium intelligat, quod Lytron etiam appelletur, sed sui generis herbam.

Corneola.

Lysimachium. Lutron. Luteum. Chrysocolla succedaneum.

Solsia aquatilis.

Lysimachion Leoniceno. Corneola. Ruell. & Lonic. reprob.

Florem tinctorum depingit & describit Tragus sub nomine *Ferulæ*, quam etiam florem tinctorum vocat & Thapsiam, & malè ad Spartion referri posse credit quod Gelferblumen interpretatur. Vtrum autem Ferula Veterum sit, in præsentia quidem nec asserit, neque negat. Ferulam tamen nuncupauit. Quæ opiniones vsque adeo erroneæ sunt, vt refutatione non mereantur. Credat quousque velit Spartion id esse, ex quo Asia lina piscatoria conficere solita est.

Ferula.

Spartion. Piscatoria lina.

Fuchsius Hist. Tinctorium florem appellat, Ger. Gelb oder Strichfarb blumen/ & Ackerpfrimmen nonnullorum, Gall. *Herbe à iaunir.* Is quum apud illum essem, genistellam non acu-

leatam dixit. cesn in fine hist. Cordi, Tinctorius flos Fuchsij genistæ species, de coll stirp. genista minor non spinosa, Tigurinorum Pfingst blumen, Flos tinctorius Fuchsij.

Matthiol. in Dioscor. notat Ruellium Lysimachiam eam putare, quam Hetrusci vulgò appellent *Cerreta*, siue *Braglia*, Foroiulienses verò *Cesaria*: sed hac in re eum apertè falli.

Dodon. Gall. Genista humilis, Belg. Ackerbrem. Herm. Flos tinctorius, farbblumen, Gelfarbblumen / Heydenschmuck. Lat. in fol. Genista tinctoria Plinij.

Clus. Genista, siue Flos tinctorius vulgò, Vr gris *Feste Verag*.

Corneola. Coronceola. A Cæsalpino ita traditur. Corneola siue Coroneola vulgò ab infectoribus lanarum appellatur suffrutex lignosus cubito breuior: rectis ramulis, striatis, foliis simplicibus, figura Lini, latioribus, copioso flore luteo, simili Genistæ, sed tenuiori, siliquis exilibus: oritur in syluis, eo inficiunt colore luteo, vnde non immeritò *Lutea herba* dici possit apud Plinium quâ tingebatur Chrysocolla, vt Linum & Lana. *Lutea Plinij.*

Lobel. & Pena Adu. vulgò *Genistella infectoria*, an Lutea Plinij? Angl. Diers werde. Obseru. Vulgi Genistella infectoria, an Lutea Plinij: Adu. perperàm Ferula Tragi. E folijs latiore secundam differentiam alit Murtonus. Et tertiam iuxta Zutphaniam lectam, procumbentibus pedalibus ramulis, cæteroqui non absimilem. Icon. Pl. Vulgi genistella infectoria. *Ad tinctorum vsum.*

Hist. Lugd. *Tinctorius flos*, siue *Genista humilis*, Gall. *petit genest vel petite geneste*.

Tab icon. & Hist. *Genistella tinctoria*, Klein ferbpfrimmen.

Gerard. genistella tinctoria Greene werde vel Diers werde.

Locus & Tempus. Suffruticem illum qui à tingendi vsu, floris Tinctorii vel genistæ tinctoriæ nomen inuenit, in Hispaniis vidisse non meminit Clusius: at in Austriæ & Pannoniæ syluosis locis, & ad montanorum pratorum margines frequentissimum conspexit. Frequentissimus etiam in omnibus pratis quibus proximæ syluæ, cùm Francofordiano agro, tum plerisque aliis germaniæ locis. Tinctorium florem vidi Tubingæ. Monspelii cùm essem & inuiserem Trespontes *du Gab*: inter eos & *Bagnol*, inueni florentem Iunio. Geneuæ, & *Ebroduni* abundat, florens mense Maio, Iunio, Iulio, Montbelgardi in horto ferarum, & passim propè *Moruillari* florentem mēse Augusto obseruauimus: Patauii in horto publico qui in arbusculam creuerat.

Vires & Temperamentum Amara est Planta haud aliter quàm genista, vt calefacere illam & siccare in altero ordine sit euidentissimum. Vt forma & Temperamento genistæ similis esse statuit Fuchsius: sic etiam facultatibus haud dubiè eidem respondere dicit, verùm melioribus. Florum vsus iuxta Tragum, in tingendis libris & aliis vt lineis vestibus & laneis, quæ eo optimè tinguntur, luteo colore.

tis, satis angustis, in obtusum angulum desinentibus, aliquid affine habentibus cum Dorycnio Monspeliensi. Flores multi, parui, lutei, hiantes, vt in cæteris genistis, exteriùs hirsuti & albicantes in planta sicca. *Flores.*

Quum non simus certi an eadem sit cum Genista tinctoria Hisp. Clusij eius descriptionem subiicimus, quę sic habet: Ad duorum cubitorum altitudinem crescit interdum hic frutex, nudo stipite, enodi, recto, digitali crassitudine, candicante cortice tecto, qui in multiplices, breuesque ramos tenellos & fragiles summâ parte diuiditur: hos ornant folia Lini aut Thymeleæ, frequentia, supernè virentia, infernè verò incana, & argentei planè splendoris, gustus initio exsiccantis & nonnihil adstringentis, deinde subamari: flores summis ramulis nascuntur spicatim congesti, Genistæ tinctoriæ Germanicæ similes, lutei. Tota planta elegans est aspectu. Quo tempore floret, sub ea crescit Hæmoderi quoddam genus elegans, pedalis altitudinis, brachialis interdum crassitudinis, multis floribus à medio scapo ad summum vsque exornatum, magnis, oblongis, luteis, extrema parte hiantibus & in quinque partes diuisis: totum humidum est, pingui oleaginosaque materia turget. *Descript. Clusij. Stipes. Rami. Folia. Gustus. Flores. Hæmodorum.*

Dodon. Lat. in fol. *Genista tinctoria* altera icon, *Genista altera* Clusio. Lob. Obs. & Icon. Plant. Genistella infectoria. Adu. p. 407. genistella tinctoria Clusij. Scoba Murtianis. In Aduersariis de hac nihil inuenio. Hist. Lugd. *Genista tinctoria Clusij.* Theuetus in Canariis Insulis, ea præsertim, quæ Ferrea cognominata est, locis lapidosis & montosis, nasci herbam refert, quam *Orcelle* vocant, Arabes *Sereth*, quâ coria eleganter tingunt ex Hispaniis eò delata. Tabern. icon. & hist. genista infectoria hispanica, Spannisch ferbpfrimmen. Gerard. Angl. genistella infectoria, Werde diers Werde. *Orcille. Sereth.*

Locus & Tempus. Nusquam hunc fruticem conspiciebam, quàm Murciano regno secundum vias nascentem, & Martio mense florentem. Incolæ stirpem ipsam *Scopa* appellabant, Hæmoderum autem sub ea nascens, Yerua tora, quia forsitan si vaccæ eo vescantur, ad Venerem excitatæ taurum appetunt.

GENISTELLA TINCTORIA HISPANICA.

Descriptio. Ramuli. Folia. Generosus quidam Baro germanus, olim Lugduni nobis demonstrauit genistæ speciem ex Hispania delatam, quam ita descripsimus: Frutex est multis ramulis abundans: Onustus multis paruis & breuibus foliis albidis, hirsu-

GENISTA TINCTORIA LATIFOLIA LVGDVNENSIS.

Descript. Hoc nomine exhibita surculo est lignoso, denso, striato, nodulis ab ima præsertim parte contorto. Quem ad intermedia mox alii stipant minores, satis numerosi: folia quàm in vulgari tinctoria dicta multò latiora, molliora, breuioráque: alternatim

alternatim posita, viridia & adversa parte subcinericia, per ambitum leuiter hirsuta: neruo insigni per medium excurrente, & in apicem terminante. *Flos.* Flos luteus, hians more reliquarum genistarum. In sicca nullus gustus notabilis.

Locus. Dominus Ægerius dedit collectam in montibus Lucensibus nomine genistæ tinctoriæ.

GENISTELLA PILOSA.

Descriptio. GENISTELLA pilosa nobis dicta, suffrutex est cubitalis & bicubitalis *Radix.* radice longa, obliquè serpente, fibris aliquot donata: *Vimina.* vimina habet lenta, tenuia, teretia, in multos *Ramuli.* ramulos angulosos, striatos diuisa, per terram vt plurimùm se spargentia: *Folia.* folia admodum exigua, inferiùs lanugine canâ pubescentia, superiùs *Flores.* glabra: flores ad ramulorum latera multi, crocei ex hirsuto calyculo, Aspalathi Monspeliensis vel genistæ vulgaris formâ, & odore, sed multò minores, *Siliqua.* exteriùs pilosi, intus glabri. Succedunt siliquæ paruæ, vnciales, latiusculæ, hirsutæ, in quibus plura semina. *Icon.* Surculi in figura facta, nobis absentibus ad Clusianam Iconem, licèt nobis non deessent plantæ ex horto, nimis crassi picti pro proportione plantæ, erant etiam appingendæ siliquæ, & folia meliùs exprimenda.

Descriptio Clusii. Lubet, ne quisquam fallatur, Clusii descriptionem Chamægenistæ primæ proponere, de qua ait: *Virgula.* Multis palmaribus, interdum etiam pedalibus aut maioribus virgulis humi diffunditur, teretibus, lentis, striatis, virentibus, & in aliquot ramulos diuisis: per quos confuso ordine, & quasi *Folia.* temerè sparsa sunt foliola, bina, terna, aut quaterna, ab eodem exortu & tuberculo prodeuntia, genistæ vulgaris germanicæ foliis similia, eminentiore dorso, & quasi complicata, supernè viridia, infernè nonnihil incana, amariusculi gu*Flores.*stus; ex illorum alis singuli aut bini flores lutei, quatuor foliolis constantes, genistæ germanicæ florum æmuli, sed minores, nullo interdum aut certè perexiguo odore præditi, nonnullis locis satis odorati nascuntur: quibus deinde succedunt *Siliqua. Semen.* planæ siliquæ, hirsutæ, exiguum flauescens semen, Cytisi generibus simile, continentes: *Radix.* radix est dura, lignosa, aliquot fibris donata: sed & virgulæ secundum radicem, quà terra integuntur, plerumque fibras agunt.

Synonyma. Hist. Lugd. *Genista minima.* Camer. hort. *Genistella, Genista pumila*, An Thal. in Harcyn. genistæ minoris species. Tabern. Icon. & Hist. genistella Pannonica Vngarisch erdpfrimmen. Gerard. Anglic. Chamægenista Pannonica Dwarffe Brome of Hungaria.

Locus. Transtulimus in hortum Illustr. Excels. Celsit. VVirtemb. collectam prope *Masmunster*, vbi abundat cum trifolia angulosa. In Itinere ad Plumarias thermas copiosè reperimus locis siccis bicubitalem repentem & in monte prope Watweiler, Anno 1592. tum etiam in *Sultz* Alsatiæ vidimus copiam, misimus cuidam mulieri ad mouenda fotu menstrua à Medicastra ex valle *Munster*, *Ad Menstrua.* quæ denominat klein Genden. Hæc ea sem[illegible] planta est, vt multum fallor, quam obseruauit Monspelii ac descripsi ibi. Reperitur in sylua *Aigremont*, *Tempus.* florens mense Aprili.

Gener Cherlerus obseruauit eam ad pedem Montis Lupi cùm esset Monspelii. In sabulosis & lapidosis tumulis, Oeno fluuio per Sequanos labenti propinquis, nascens quà è *Lone Salinario Nozeretum* oppidum itur. Clus. Nascitur multis Pannoniæ locis ad viarum & syluarum margines editis, siccis, atque desertis, nonnunquam agris incultis, & inter vepres aliquando magis luxuriat, ac in maiorem altitudinem excrescit. Floret Maio, quandoque etiam Aprili.

GENISTELLA HERBACEA, SIVE CHAMÆSPARTIVM.

Descriptio. GENISTA graminea herba est potiùs lignosa, quàm frutex, raro cubitum excedês: *Ramuli.* ramuli molles, hirsuti, duabus fimbriis latis mollibus ornati, internodiis veluti distincti, ac ad singula *Folium.* internodia, folium vnum oblongum, obtusum, pilosum, sine pediculo, maius quàm in Angulosa, nec triplex vt in ea: in virgularum summitate flo*Flores.*res lutei, parui, hiantes, spicam ferè efficientes, non tamen incertam, vt in figura Cordo apposita, quam exhibuit Lonicerus pro Chamæspartio, *Siliqua radix.* & ante eum Tragus, quibus succedunt siliquæ valdè pilosæ: radix lignosa, cubitalis in aliquot portiones magnas diuisa.

Synonyma cum nominibus. Tragus Erdpfrimmen / kleinstreichblumen. *Genista humilis.* Humilis Genista. χαμαισπάρτιον, Humile Spar*Chamæspartion.*tium, aut *infima Genista*. Quam si quis ad lotos *Lotus sylu.* syluestres referendam putet, cum eo non magno-

Tinctorium flos. perè contenderit. Is alibi *Tinctorium florem* appellat, quem Germ. Ackerpfrimmen dicant.

Apud Cordum in Hist. Icon Tragi malè ponitur pro *Genista angulosa Cordi*.

Genista gramin. Chamaespartium. Chamaegenista. Genista terrestris. Gen. sagittalis. Gen. graminea. Lob. notatur.

Gesner. hort. Genistæ genus, Chamæspartium. Clus. in Pannon. & Hist. post. *Chamægenista altera*, germ. Erdpfrimmen / id est, *terrestris Genista*, nonnullis *sagittalis Genista*: plano, eoque altero, ex altero nascente folio, quod deinde in cauliculum conuertitur.

Lob. & Pena Adu. *Genistella graminea montana, Spartia herbula*. Obseru. *Genistella montana, genistella angulosa Cordi, Genista sagittalis nuperorum*. Chamæspartium Tragi: caput in Aduersariis luxatum. Item Plant. *Genistella montana*. Genistella Cordi non est, perperàm ita nuncupat. Figura in Aduer. posita non est melior quàm Tragi.

Hist. Lugd. *Chamæspartium Tragi*.

Gesnerus eius picturam descriptioni apud Cordum apposuit. Sed si eam Genistam angulosam Cordi esse existimauit, eam non satis inspexisse videtur.

1. 2. 3. Tab. icon. & Hist. Chamæspartium 1. Chamæspartium. 2. & Chamæspartium 3. Narbonense Spanisch Erdpfrimmen.

Frustrà Compil. Tab. figuras tres habet, secunda ad Tragi iconem facta videtur, quam non bonam esse ex Tragi descriptione facilè est colligere: tertia autem ad Lobelii imaginem efficta, Lobelius tamen non distinguit suam à Tragiana sed eadem facit, verùm hac industria Compil. qui, consideratis tantùm figuris, tres proponit icones vnius plantæ, quasi diuersæ sint, quia descriptiones non intellexit plantarum: In omnibus iconibus Tabern. displicet caules non esse foliatos & fimbricatos.

Gerardus notatur. Gerard. Angl. *Genistella globulata*, Glebe Greene weede: *Genistella Lagopoides maior*. hac ß foale Greene weede, Genistella Lagopoides minor, Smal Green weed with haces foote flowes. Gerardus tribus iconibus affingit, nouos titulos, quasi essent diuersæ plantæ.

Geneuæ audiui rusticum vocantem hanc plantam, *de la spargelle*. Camer. hort. *Genista sagittalis Pannonica*. Lonicerus Chamæspartium. Dodon. in Lat. in fol. Genista nonnullis à Germ. Erdepfrimmen / hoc est, Chamægenista. Nescio cur Dod. assumpserit figuram quam Lobelius posuit pro Chamagenista hispanica.

Locus & tempus. Multis in locis prouenit circa Montbelgardum: Obseruaui Geneuæ in *Thuiri*. Basileæ florentem Mense Maio: Monspelii, Lugduni *au bois, de la bonne Alemande*. In Alsatia, in Hercynia sylua, in Italia. *Spartea herbula Lobelij* paucis duntaxat montium celsiorum conuallibus aridis obuia, vt Calcari montis Narbonensis propter Coenobium: in Germaniæ etiam arduis multò longiores spargens culmos: Eam videre est virentem etiamnum Londini. Olim hac plātulam apud Heluetios, cùm istac iter faceret, & quibusdam Germaniæ locis se collegisse meminit Clusius. Deinde in Pannonia spontè copiosè nascentem obseruabat in sylua Nemethuyuuaz Ill. D. Balthasaris de Batthyan vrbi & arci minutissimæ proxima, atque supra Soprōnium vrbem vulgò Oedenburg dictam, Austriacis: sed omniū affluentissimè inter Saktturnya Ill. Comitis de Zrinio munitissimam arcem & Findaw Magnifici Dn. Michaelis de Zeckarcem in collibus: & nunc proximè in sylua quadam militari circiter infra Francofortum, ad sinistram Mœni fluminis. Chamæspartio colles aprici in Helu. abundant, crescit in colle iuxta Limagū fluuium infra Wettigam Monasterium proximè. *Vsus & tempus.*

Hi flores puerorum quoque crepundiis & lusibus inseruiunt. Et quantùm Trago quidem videtur, temperamentum Orobi & Fœnogræci obtinent.

GENISTELLA HERBACEA PLATYPHYLLOS.

Locus. Descript. BAro quidam Germanus ex Hispaniis reuersus Lugdunum attulit plantam, quam Genistam Platyphyllo voco, insignis sanè frutex aliquid affinitatis habens cum Chamæspartio Tragi, ramuli constant latis fimbriis, spissis, veluti foliis; per interualla distinctis, diceres folia è foliis enasci, vt in Ficu Indica vulgò dicta, ad vnumquodque institutum sunt veluti tres cuspides, ex vno aliud oritur folium, oriuntur etiam alii ramuli eodem modo distincti. In ramulorum summitatibus sunt flores similes quodammodo aliis Genistis, hiantes, lutei, exteriùs pilis multis candicantes: saporem in planta manifestum non sentio: hanc verò Lugduni antè 40. annos curaui depingendam. *Ramuli. Folia. Flores.*

Eam sic describit Clusius: Chamægenista peregrina vix palmari magnitudine assurgebat, admodum tamen fruticosa, foliis Chamælææ proximis, breuioribus, duris & carnosis, aliquantulum in ambitu sinuosis & crispis, rigidiusculisque, vno ex altero è medio folii neruo prodeunte, quemadmodū in superiore, interdum etiam binis, ternisue simul exorientibus: hic verò neruus paulatim intumescit, & in ramulum conuertitur, sic cùm tota planta foliosa sit, & non nisi foliis constare videatur, fit tandem admodum fruticosa: in extremis istis foliis quini, seniue, aut plures flores simul iuncti, ex villosis calyculis nascuntur, minores quàm in Genista, aurei planè coloris, nisi bina inferiora folia incana lanugine pubescerent. Florentem duntaxat colligebam quo dicam loco, mense Martio. Postea tamen reliccatas plantas nactus sum pedales aut ampliores. *Flores.*

Synonyma. Genistella pinnata. Lobel. Obs. & Icon. *Genistella pinnata altera Hispanica. Chamægenista peregrina Clusii*. Hist. Lugd. *Chamægenista peregrina Clusii*, quam Lobelius pingendam curauit. Tabern. *Chamæspartium tertium* Spanisch Erdpfrimmen. Gerard. Anglo. *genistella pinnata*, wie ged Greene weede. Dodon. Lat. in fol. *Genista humilis*, quoad Iconem, quæ eadem est cum ea quam Lobelius posuit pro Hispanica, descriptio autem est vulgaris Chamægenistæ.

Chamægenistam peregrinam in solis Valentini regni locis incultis & asperis obseruauit florentem Clusius Mense Maio.

GENISTA

GENISTA IVNCEA.

Descriptio Genista iuncea frutex est ad quatuor aut quinque cubitorum altitudinem excrescens, interdum minor. *Vimina.* Vimina iuncea, teretia, obsequiosa, viridantia, per quæ, dum floret, & nouella adhuc planta, sparsa sunt *Folia.* rara quædam folia, decidua, oblonga, ramis concoloria ferè: flo- *Flores.* res in virgultorum summitatibus multi, lutei, aspectu læto, floribus similes Pisorum & Cicercularum, gustu dulces. Floribus *Siliqua.* succedunt siliquæ vncias quatuor vel quinque longæ, compressæ, aliquantulùm incuruæ, colore *Semina.* ferè Castaneæ, in iis ad viginti circiter semina vel pauciora, compressa, rubentia, lucida, Lente *Matth. not.* minora, non ita circinata. Lentem potiùs referunt, quàm Eruum aut Viciam, quicquid scribat *Sapor.* Matthiolus. Sapor leguminosus qualis Pisorum.

Spartium Dioscoridis, qui variè illustratur. Et hic est frutex [θάμνος] ille, quem Dioscorides Spartium [Σπάρτιον σπάρτον vet.] vocat, virgas proferens longas [μακρὰς, & non μικρὰς, vt Marcell.] sine foliis, firmas [ἀφύλλους στερεὰς, vet. non habet] fractu contumaces, in alligandis vitibus vinculi vsum præstantes: siliquas ceu Phaseolos [ὡς φασήλους, addit vet.] in quibus semina Lentis [φακοειδῆ] florem melinum [ἄνθος μήλινον ὥσπερ λευκοΐου] instar Leucoii.

Cæterùm, ad Spartion Dioscoridis Plinii genistam referendam omninò existimo, quam sparsim nominat. Libro autem 24. cap. 9. de hac copiosiùs tractat. genista, inquit, quoque vinculi vsum præstat, flores apibus gratissimi, dubito an hæc sit, quam Græci authores Sparton appellauêre, cùm ex ea Lina piscatoria apud eos factitari didicerim, docuerim, & nunquid hanc designauerit Home- *Spartum Hispanicum & Africanum.* rus, cùm dixit, nauium Sparta dissoluta. Nondum enim fuisse Africanum vel Hispanum Spartum in vsu, certum est: & cùm sutiles fierent naues, Lino tantùm, non Sparto vnquam sutas. Semen eius quod Græci, eodem nomine appellant, in folliculis Phaseolorum modo nascens purgat. *Myrica. Arborum capistrum. Genista cur dicta?* Spartium, inquit Mesues, genista Latinis & Myrica, est Arborum capistrum. Spartum siue Spartion, genistam Veneti [vt vult Hermol.] vocant, fortasse, quia genu modo flexilis adnexus sit, vel quia genubus medeatur dolentibus: Diosc. certè cùm Sparton dixit, genistam videtur intelligere: cuius florem in coronas addebant.

Non Spartum. Falluntur, vt vult Ruellius, qui Genistam eandem esse cum Spartio contendunt, siquidem genista foliis scateat, & florem ferat Piso similem. *Ruellij opinio explosa.* Ast ipsummet falli certum est. Argumenta, quibus probare conatur, nulla sunt: Alterum à foliis, quæ habeat genista, desumptum, quibus carere ait Dioscorides. Etenim solet plurimum conspici sine iis. Exemplar vetus etiam verba sine foliis non habet. Alterum verò argumentum, quòd genista florem ferat Piso similem: Spartum autem Violæ albæ: Verba sunt. Nam Dioscor. dedit florem colore, [ἄνθος μήλινον ὥσπερ λευκόϊον] non figurâ, violæ albæ similem.

Apud Cordum in Hist. posita falsa figura cum floribus Leucoii sub titulo Spartii Hispanici & genistæ junceæ, nec flores in nostra Fuchsiana benè picti.

Tanta, tum facie, tum etiam viribus, inter Spartium, & genistam intercedit similitudo, vt eorum affinitate deceptus iam crediderim, inquit Matthiolus, omninò errasse eos, qui alterum ab altera secernerent &c. Verùm cùm accuratiùs Dioscoridem perlegissem, hac de re priùs admonitus à Clariss. Medico Petro Cannizero Hispano, Sereniss. Ferd. Romanorum Regis Protophysico, qui in Hispania copiosissimum Spartum numerosámque genistam se vidisse testatus est, comperi planè inter has plantas discrimen esse. Quippe quòd Spartium Dioscoridi frutex sit foliis viduus: & floribus constet albæ violæ similibus. genista verò folia proferat longiuscula, Lini ferè modo: & flores luteos, pisi modo lunatos. Hinc itaque factum est, vt nunc in eorum sententia consistam, qui Spartium à genista differre existimant. Non tamen quòd diuersi prorsus generis has plantas esse putem, nam tanta vt dixi vni cum altera cognatio est, vt etsi non eadem sint tamen congeneres esse videantur. Mesues genistæ semen non rectè obseruasse videtur, quandoquidem id Erui vel viciæ faciem potiùs referat quàm Lentis. *Mesues error.*

Idem in post. com. cùm mag. fig. Lat. & Ital. Item Hist. germ. qui duas habet figuras, vnam pro Spartio, alteram pro genista. Spartii nomine posita cum floribus Leucoii falsa est: non erat necesse vt Matthiolus falsam exhiberet Iconem, cum floribus Leucoii, nec Diosc. formâ tales requirit, sed colore vti dictum. Mehercle nunquam vidit plantam à se effictam, si vidisset, vtique docuisset, vbi obseruasset, ac etiam ostendisset, quâ in re differret, suum Spartium à genista quam proponit: tantùm ex auditu quædam narrat, confundens Spartium Iunceum Hispanicum Plinii cum genista. In Mesuem malè pronunciat, videri ipsi genistæ semen non rectè obseruasse, quandoquidem id Erui, vel Viciæ faciem potiùs referat quàm Lentis. Mesue non erat redarguendus, non enim Matth. considerat Mesuem eandem tradere cum Dioscoride, qui ait σπέρματα φακοειδῆ: & reuera nostra Genista refert potiùs semina Lentis, quàm Erui aut Viciæ, quicquid dicat Matthiolus. *Matth. notatur.* *Mesue excusatur.*

Fuchsius huius etiam falsam exhibet figuram in qua flores quadripartiti, & siliquæ malè pictæ, falsum etiam quod ait sine foliis prouenire. *Fuchs. figmentum.*

Icon quam nos proponimus, ex Guarinianis est, quas emimus, in qua apparet quale fuerit figmentum Fuchsii. Spartio etiam tribuit quæ videntur tribuenda Sparto herbæ. Mesue non redarguendus, quia semen dicit Lentis, in eo Dioscoridem secutus eandem plantam cum Dioscor. Spartio tradens. *Mesue excusatur.*

Camer. apud Matthiolum reiecit Iconem Spartii ipsius ac etiam genistæ, eorúmque loco aliarum plantarum reposuit, quod non probo. *Camer. not.*

Lacuna in Diosc. pro Spartio, quod ait depingere Dioscoridem, eséque Latinorum genistam, non parùm differentem à vulgari Sparto, ex quo fiant fortes funes: Vtramque Matth. figuram retinet, sub his titulis, *Spartij. & Spartij alterius*: Sed non demonstrat discrimina quod de- *Spartium. Genista.* *Lacuna not.*

buerat facere, si ei notæ illæ plantæ.

Denique iis assentior qui genistam & Spartium Dioscor. idem sentiunt: Super eo autem quod Dioscorides ἰδέας ἀφύλλους: Plinius verò ramos cum fronde ferre dixit, obseruandum Dioscor. describere eam vti sępè conspicitur sine foliis, Vere enim solent apparere, vt optimè notauit Cordus in Genista iuncea, postea decidunt. Florem quidam dicunt figura Leucoio similem, talem etiam falsò appingunt. Diosc. autem dixit ἄνθη μιλλάνει ὥσπερ λαδιλίω. Spartum autem Hispanicum Plinii cum Sparto Dioscoridis mihi miscendum non videtur, etiamsi Ruellius & post eum Matthiolus id faciant, quòd sanè Cordus non fecit: est enim herba teste Plinio lib. 19. cap. 2. Spartion autem Dioscoridis θάμνος ἐστὶ εἶναι ῥάβδους ἀφύλλους. Spartium hispanicum est quo texuntur calathi ficuum, & funes nectuntur, quos solent habere Monspelii, sicuti & herbam nondum adaptatam, non multùm excedentem cubitum: genistam quoque Mesue eandem cum Sparto Dioscor. existimo, quamuis aliter sentire videatur Matthiolus. *Ruell. & Matthiol. notantur.* *Matthiol. notatur.*

Gesner. *Genista iuncea Cordo*, *Spartus* vel *Spartium.* Lobel. & Pena Adu. Obs. & Icon. Plant. *Spartium Dioscorideum Hispanicum & Narbonense*, *Vimineum maius.* Ait autem in Actuar. huius semina & flores in Officinis habenda vt pote legitimi Sparti, cuius ne pictam quidem effigiem nedum viuam stirpem videtur intuitus Commentator, insulsus balbutor, si puduit miletæ recantationis, cui non piguit etiam calumniæ Mesuæ inustæ, qui lentis semen dixerit esse Genistæ, sequutus Diosc. Plærique perdocti fruticem quem Angli, inquit Turnerus Browme, Latini *Genistam* vocant, cum spartio Græcorum eundem esse arbitrati sunt, ac Plinius l. 23. cap. 9. de Genista scribens, vtrum Genista sit Græcorum Spartium, an non? Sed si Neoterici, qui cum spartio genistam confuderunt, & Plinius qui ambigebat Genistáne esset Spartio eadem, vidissent, tum genistam nostram [angulosam] passim in campis vulgarem, tùm illam quæ in hortis duntaxat colitur: & quæ quia vltramarina est, frenche Browme vulgò appellatur, id est gallica genista: Nec illi ista confudissent, nec Plinius dubitasset. genista gallica quæ paucos ante annos ex Hispania huc importata est, lentior est vulgari: sarmenta longa, læuia, viridantia, iunceis persimilia, nisi quòd alicubi foliorum vestigia subinde appareant, foliorum nomine vix digna. Arbitror, quòd Dioscor. ea tam minuta, tamque pauca viderit, noluisse folia appellare. *Mesues excusatur.*

Genistæ autem huius vimineæ figuram ponit par. 2. fol. 144. vbi de ea hæc scribit Turnerus. Spartium Angl. frenche Browme/ vel Spanische Browme folia habet reuera, sed adeò exigua vt Dioscor. foliorum nomine non sit dignatus, aut saltem ramum sine foliis viderit. Semen, quod græci eodem nomine appellant, per maturitatem rufum nigrúmque, lenticulis non absimile, quod Phaseolorum modo, Siliquis per æstatem nigris, in vasis dehiscentibus etiam cum crepitu, vt sponte decidat, continetur. Dubitabat enim Plinius, an hæc sit, quam græci autores Sparton appellauêre: & nunquid eam designauerit Homerus cùm cecinit.

Καὶ δὴ δοῦρα σέσηπε νεῶν, καὶ σπάρτα λέλυνται.

In vsu autem Africanum aut Hispanum minimè certum est, vt ille scribit. Vt, cùm fierent sutiles naues, Lino, non Sparto suebant. Gellius tamen ex illo Homerico carmine contrà asserit. Sed nunc in confesso est, aliud esse Spartum, aliud esse genistam. Cùm illud Virgis, absque foliis, & flore violæ albæ constet. Sunt tamen qui hanc controuersiam dirimere satagentes, duo Sparti genera assignent. Vnum, quod genista sit: alterum, quod in Hispania & Africa nascatur, quod suprà descriptum est. Asia, inquit Plin. è genista decem diebus madefacta, Lina facit, ad retia piscatu durantia contexenda. Ait etiam Aetius vites apud suos necti genista solêre. In Pharmacopœa Adolphi Occonis inuenio vno in loco genistam σπάρτιον: Item in alio genistam Spartium non esse. Lectores igitur concilient hanc contrarietatem. *Adolph. notatur.*

Amatus in Dioscor. tradit Spartium sine Spartum hodie longè aliud esse à genista quod in Bætica regione Hispaniæ nascatur. Quod autem hispanicum diuersum sit à genista lubens concedo, non item spartium Dioscoridis in quem commentatur Anguillara, Ac genistam per totam Græciam adhuc dici σπάρτα & eandem esse quæ genestra, nec dubitandum quin sit Dioscor. Spartium. *Amatus notatur.* *Spartium, Genista.*

Dodon. Gall. habet malam figuram cum flore Leucoii. Idem de frum. negat, Spartum esse genistam Italicam, & tamen hist. Lat. in fol. sub genista Italica Spartii Dioscor. figuram exhibet. Castor. Durant *Spartium Græcorum.* Camer. hort. *Genista transalpina* siue *Hispanica arborescens: Spartium, genista peregrina* siue *Africana* vulgò dicta *grande Italica genista.*

Dorsth. pro Spartio Dioscor. Iconem habet genistæ nostræ angulosæ & trifoliæ: existimamus autem ei non fuisse notam genistam iunceam. *Dorsth. notatur.*

Hist. Lugd. *Spartium Dioscor.* siue *genista*, Spartium Matthiol. ferè genista. Iis historia assentiendum putat, qui Spartium Dioscoridis & Græcorum, genistam esse arbitrantur: Nam Ruellii, Matthiolique rationes facilè dilui posse: A Mesue genistæ semen non rectè obseruatum esse Matth. scribere, quod Erui aut Viciæ faciem potiùs referat, quàm Lentis. Imò verò Matthioli negligentiam hic mirari licêre, genistæ in Italia vulgatissimæ semen adeò oscitanter contemplati: Cornarium genistam quandam hisp. confinxisse. Sed non placet Rhasp. hist. ponere falsam figuram Matthioli, nec monere eandem esse cum ea, quam ponit pro Spartio Dioscor.

Tabern. icon. & hist. *Spartium Hispanicum* 1. *Spartium Hispanicum* 2. *Spartium Hispanicum* 3. Compilator Tabern. tres Icones vnius stirpis habet, quarum prima falsa est, ad Dioscor. descriptionem malè intellectam facta, præterea descriptiones componit pro arbitrio. *1. 2. 3. Tabern. notatur.*

Gerard. Angl. *genista* 3. *Hispanica*, Spanisch Brome. Item postea *Pseudospartum Hispanicum* Bastard Spannisch Brome. Quid venerit in mentem Gerardo nescimus, quum duas figuras & descriptiones vnius plantæ posuerit, idque diuersis capitibus. *Gerardus notatur.*

C. Bauh. apud Matthiol. similiter duas icones exhibet, vni titulus Spartium 1. siue Spartium Matthiol. Alteri genista iuncea longifolia. Quæ non duæ vel diuersæ plantæ: prior figura floribus falsis ornata est, appictis siliquis breuioribus, quàm par sit. *C. Bauh.*

Nomina. Σπάρτιον, *genista*, *genista iuncea*, Germ. Pfrimmen/ Gensts oder Ginst. Gall. *Genet ou Genestre d'Espagne*, Ital. *Ginestra*, Hisp. *Hiniestla*, *yniesta* & *Scobas*, quod illâ scoparum, quibus nostrates ædes purgant & euerrunt, loco vtantur.

Locus & tempus. Genistas in Hetruria adeò frequentissimas prouenire

testatur Matthiolus, vt Maio & Iunio mensibus magnum & iucundum spectaculum præbeant viatoribus, quoniam tam copiosè suis speciosis ac fulgentibus floribus ornentur, & vestiantur colles, vt procul aurei videantur. Hispaniis & Narbonensibus, præsertim maritimis, vel non procul à littoribus, vt in Grammuntia sylua Monspelii & vicinis collibus, passim obuia fuit Lobelio, etiam Taurino finitimis, & in Prouincia visam meminit Virgil. Georg.

Sponte sua veniunt, lenent campósque Genistæ
Lentæ.

stipite eadem maiore lignosiore adolescit in Angliæ, Belgii, & Galliæ hortis. Genista iuncea sæpè mihi prouenit ex semine, floruitque, verùm crebrò gelu absumpta, si non in totum, partes saltem superiores. Lugduni crebrà in hortis florêt Maio, vbi *Genet d'Espagne* vocant. Geneuæ magnos frutices, qui anno 1568. ad radices ferè congelati: sequenti anno tota hyeme virides permanserunt cum foliis. Basileæ arboream vidi. Patauii in hortis & in montibus Euganiis inter montem Gemulam & Arqua, aliisque in locis: Veronæ in horto Nobilis Alexandri Galeard, Ferrariæ *à la montagne*, colle quem arte extruendum curauit Dux, & in horto S. Dominici *à l'Angeli*. Adnotaui florere mense Aprili, spontéque prouenire Monspelii in monte circa *Castelneuf*: Item mense Iunio inter Monspelium & Lunel.

Vires Spartii seminis. Spartii semen, referente Dioscoride, & flores bibuntur cum aqua mulsâ, obolorum quinque pondere, & purgant sursum cum intentione, velut Veratrum citra periculum. Semen mouet *Vomitus.* etiam infernam purgationem: Sed & ipsis ramis in aqua maceratis, deinde contusis, & expressis, *Succus.* succus Cyathi vnius mensura potus ieiunis, auxilium affert, in coxendicum affectione & anginis. Nonnulli autem ipsos macerant muria vel aqua *Ischias.* marina, quam Clystere infundunt Ischiadicis. Educit enim crudum quendam humorem & veluti intestinorum ramenta. Sparti, ait Galenus, quo & vites alligant, tum fructus, tum virgarum succus non instrenuè trahentis est facultatis. Semen Sparti, vt monet Plinius, quod Græci eodem nomine appellant, in folliculis, Phaseolorum modo *Purgat. Dosis.* nascens, purgat Ellebori vice, drachma & dimidia pota, in aquæ mulsæ Cyathis quatuor, ieiunis. Rami similiter cum fronde in aceto macerati pluribus diebus, & tusi, succum dant Ischiadicis vtilem cyathi vnius potu.

Quidam marina aqua macerare malunt & infundere Clystere. Perúguntur eodem succo Ischiadici addito oleo. Quidam ad stranguriam vtuntur semine. Genista tusa cum axungia, genua dolentia sanat. Alueorum, cum mel eximitur, illini oportet exitus Melissophyllo aut Genista tritis. *Stranguria.* Genistæ temperamentum adscribit Mesue: Vltramarina inquit & Orientalis genista est melior, calida, sicca ordine secundo. Semen verò calidius: floribus & ramulis humiditas inest incidens, *Temperã.* sed excrementosa, & ob id vomitoria. Quin planta hæc omnibus suis partibus conturbat, prouo-*Semen.* cat, incidit, tenuat. Pituitam & materiá è iuncturis violenter purgat. Vomitu & deiectione renes omnibus excrementis perpurgat, vrinas valenter mouet, calculum frangit in renibus, atque adeò in vesica, nec in his materias figi ac in cal-*Purgat.* culum durescere sinit. Flores quoque huius cum melle rosato aut ouo, strumas resoluunt. Oxy-*Flores. Struma. Oxymel. Lien.* mel ex his vel seminibus, tumores Lienis resoluit. Vomitus quoque cum his frequens Ischiadi, Podagræ, & renum doloribus prodest. Nocet stomacho & Cordi: ob id cum melle rosato sumi vult Philagrius, vt his partibus nocére desinat, & ea-*Corrigentia.* dem ratione cum rosis & Mastiche. Semen verò eius cum aqua mellis rosati sumendum est: A-*Semen.* nisum quoque & Fœniculi, vel Dauci semen eius noxas castigant: flos modicum coqui potest, semen diutiùs. Datur præsertim flore, à drachmis duabus ad drachmas quatuor. Videntur Dodo-*Dosis.* næo quæ Mesues de vomitoria vi scribit, non de Genista, sed de Sparto scripta, videlicet Clusii Lobis rotundis. Gaudent Genistarum floribus apes, proinde aluearíis circumferuntur. Genista nobis, inquit Matth. ligandis vitibus Salicis vicem explet, maceratúrque etiam Cannabis modo, fiúntque inde funes, & rudia linteamina, quæ consi-*Vimina.* ciendis saccis aptissima sunt. Expetitur Genistæ *Funes. Ligni vsus.* lignum etiam figulis, qui in Italia id vasorum fictilium genus conficiunt, quod vulgò de *maiolica* vocant: quippe quòd [vt ipsi affirmant] nullo alterius arboris ligno fornax succendi possit, quo aureus ille color, conseruatur in opere. Valet ad vrinæ difficultatem aqua distillata è floribus Genistæ. E Genista quidam vnguentum faciunt, ad *Ad Vrinam.* ouium scabiem vtile. Spartii Hispanici & Narbonensis siliqua, semen, & flores, prorsum sunt Genistæ, sed maiora & efficaciora: cuiusmodi vult Diosc. & Mesue, qui à duabus ad quinque drachmas florum dandas vomituris imperat: Seminis verò, à duabus ad quatuor. Cùm tamen Genistæ vulgaris flores, plenos discos multi in acetariis ex multo oleo vorent, nec quicquam nauseent, & seminis tripla aut quadrupla dosi, opus sit vomituro etiam puero. Oleum genistæ conficitur sicut Oleum Chamæmelinum, ex floribus eius, quod in splenis obstructionibus, referente Villanovano vtiliter adhibetur, si in fimo ad quindecim aut viginti dies fermentetur.

SPARTIVM HISPANICVM, LOBIS ROTVNDIVSCVLIS, FLORE LVTEO.

Descriptio. Stipite cubitali plerunque pollicem crasso, cortice scabro & striato tecto, qui in plures ramos cubi-*Rami.* tales virescentes & striatos diuiditur, & hi deinde in virgulas *Virgulæ.* iunceas, virides etiam & striatas, quæ nouellæ adhuc & primùm germinant, & aliquot foliis ex-*Folia.* ornantur, statim atque planta florere incipit deciduis, vt tota deinde ἄφυλλο̈ conspiciatur, è virgularum lateribus prodeunt oblongi pediculi, ex quibus dependent flores a-*Flores. Lobi.* liquot exigui, Glycyrrhizæ vulgari aut trifolio pratensi, floribus penè similes, lutei, inodori:

Digitized by Google

succedunt Lobi cartilaginei, rotundiusculi, Fabæ vulgari, quæ in iumentorum pabulum cedit perquàm similes, ex flauo rubescentes, in quibus semen vnicum maxima ex parte continetur [raro bina,] durum, nigrum, exiguo reni simile, quod in Lobis, dum agitantur aut quatiuntur, crepitat, & sonitum edit, radix dura, lignosa.

Semen. *Radix.* *Spartium.*

Clusius suum hoc spartium secundum, cum tertio, quod utrumque Hispani vernaculo sermone *Retama* vocant ad primum, Dioscor. scilicet *σπαρτίον*, referendum, omninò existimat, an verò iisdem facultatibus præditum sit, non intellexit.

De hoc Dodon. Lat. in fol. Spartium frutex Hispanis *Retama*. Spartium frutex minus. Cur autem Dodonæus hunc fruticem potiùs Spartium Dioscor. existimet nescio: malè titulus figuræ appositus maioris Spartij, cùm sit minoris Clusio: Parum sibi in Spartii historia constare videtur, perinde hoc Hist. Lugdunensi, quæ Spartium Hispanicum alterum Clusij vocat.

Dodon. notatur.

Lobel. Obseru. & Icon. Plant. Spartium Hispanicum alterum flore luteo Clusij. *Spartium monospermum, Hisp. Retama.* Camer. apud Matthiol. Germ. & Epit. pfrimmen, Spartium 1. Nefas est ponere figuram Clusij nomine Spartij apud Matthiolum, cui non erat illud Clusianum notum: aut sic eminuentorem nominare decebat, nec ita turpiter Clusij laborem & studium alienare, alterique appropiare.

Tabern. icon. & hist. *Spartium Hispanicum* 4. Clusij. 1.

Gerard. Angl. *Pseudo spartium hispanicum ἄφυλλον.*

C. Bauhin. apud Matthiol. Spartium hispanicum.

Locus & tempus.

Variis Castellæ locis crescit Autori, arenoso solo, florétque Maio, Semen maturum est Iulio. Semine reperto in Vuis Damascenis, in Belgio enatum habuit Mutonus.

SPARTIVM HISPANICVM FLORE CANDIDO.



Descriptio *Virgula.* *Flos.* *Lobi.* *Semen.*

Longè prædicto maius & hominis altitudinem superans inuenitur, virgulis tenuioribus & lentioribus magisque obsequentibus, flore eiusdem cum superiore formæ, sed paulò maiore & omninò albo: lobi etiam conueniunt: minores tamen sunt & minus semen continent.

Camer notatur.

Camer. apud Matthiol. hist. Germ. & Epitome pfrimmen/ Spartium 2. Non placet poni figuram sine descriptione sub titulo à Matthiolo et plantæ, vt incognitæ non attributo. Lobel. Obseru. & Icon. Plant. *Spartium* 2. floribus albis Clusij. *Genista damascena odorata* flore albo. Tabern. icon. & hist. *Spartium* 5. *Hispanicum*, Clusij 2. Gerard. Angl. *Pseudospartium* 2. album Apyllon, The white Basse/ Spanish Brome. Dodon. Latin fol. *Spartum* frutex minus, cuius inscriptio non conuenit iconi: Clusius dicit miratus esse, cur Dodonæus non ponat descriptionem in iconi, sed solam iconem ex Clusio. Hist. Lugd. Spartium album Hispanicum Clusij.

Genista. *Damascena.* *Pseudospartium.* *Dodon. notatur.*

Locus & Tempus.

Spartium alterum Gadibus duntaxat, & locis vicinis, aurâ marinâ perflatis, Autori conspectum est arenoso & sterili solo, & Februario florens, cuius Lobos, quos in planta non obseruauit, ex Hispaniis in Belgium deinde ad ipsum amicus misit.

GENISTA ARGENTEA.

Descript. *Surculus.* *Folia.* *Fructus.* *Semen.*

Surculo hæc adolescit lignoso, multiplici, in multas alas transuersas diuiso, tereti argenteo. Ad ramulorum exortum folia hærent singularia, oblonga, angusta, argenteâ hirsutie obsita. Fructus surculorum internodiis atque extremis hæret similis Carpobalsami officinarũ vulgaris, calyculo foliaceo contentus, spadicei coloris, corticosus, in summo apiculo acutâ donatus: in quo semen continetur nigrum subrotundum, rugosum, ac ferè euanidum, [in sicca quam describo] ac proinde nullo sapore dignum præditum. Surculi & folia modicè amarescant.

Genista hirsuta.

Dodon. Lat. in fol. Hirsuta quædam Genista est, candidioribus & mollioribus foliis, qualis in Hispaniæ nonnullis regnis & præsertim iuxta Calpem nascitur: meminisse huius Titum Calphurnium Bucolicon Ecgloga secunda scribit, his verbis:

> *Cernis vt, ecce pater, quas tradidit Ornite vaccæ*
> *Molle sub hirsuta latus explicuere genista?*

Considerandum tamen, an supra dicta conuenire possit nostræ argenteæ genistæ.

Locus & Tempus.

Genet Cherlerus attulit collectam in horto Patauino Iunio, nomine Cytisi argentei, postea cum fructu accepi à Domino Agerio, qui collegerat in horto Pisano, sed sine nomine.

CAXVMBA INDIS FLOERS AD TINCTVRAM.

Descriptio

Floërs reperitur in *Bantam*, vbi *Caxumba* vocatur. Vtuntur in cibis & ad tingendas vestes ex Bombyce. Conseritur etiam copiosè ex Insulis *Nacasser*, *Bari* & *Cambaia*, quæ omnes optimos & celeberrimos habent portus. Venditur id Bantam cum Cate, Linschottanus.

GENISTA

GENISTA RADIATA SIVE STELLARIS.

Descriptio



Caulis. Folia. GEnista, quã radiatam siue stellarem vocamus, pulchra est planta, ramosa: Caulis vnus in tres diuiditur ramos, hi rursum in alios bis, aut ter, aut quater, semper ternos: internodia duas vncias longa: folia ad vnumquodque geniculum sex verticillatim cauli circumposita, vt in Gallio vel Apatine, latiora quàm Gallii & molliora, incana, hirsuta, vti tota planta: in viminum valdè tenerorum angulosorúmque extremis flores densi genistarum, eo ordine quo in Vulneraria rustica, lutei, si rectè memini.

Cassia lignea. Genista Alpina. Scopa Plinij. Hist. Lugd. dicitur, genista Iluensis. C. Bauh. frater his nominibus appositis ex Horto Patauino attulit: *Cassia lignea Officinarum*, & Plinii Guillandino: *Genista Alpina* Recentiorum: *Scopa* Plinii.

GENISTA ACVLEATA FOLIOSA.

Descriptio



Rami. Folia. Spina. HOrridus frutex est genistella aculeata, genistâ trifoliâ angulosâ minor, densis tamen ramis fruticans, in quibus folia hirsuta alterno positu nascuntur, genistæ vulgaris formâ, acuminata: sed præter folia longis crebérrimísque spinis minacibus armatur, maioréfque spinæ minorum sobolem infesto mucrone pungentium è lateribus pariunt: *Flores. Radix.* flores lutei spicati Floris tinctorii vulgaris, semen exiguis siliquis: Radix lenta & sublutea.

Coroncola suffrutex. Ramuli. Aculei. Folia. Flores. Siliqua. Semina. Sapor. An Cæsalp. suffrutex Coroncolæ similis, altior: ramulis obsequiosis, lanuginosísque, qui anno secundo aculeis rectis armantur, quibus alii à latere insunt aculei: vt in ea, quam Spinam Christi vocant: folia fert Polygoni: flores genistæ, minutos: siliquas breues & latas Lentis modo, in quibus pauca semina continentur. Tota planta sapore austero & glutinoso prædita est cum modica amaritudine: nascitur in incultis, & humectis. Videtur hæc apud Dioscoridem esse *alterum Acaciæ genus*, quod in Cappadocia & Ponto nascitur. *Acacia.*

Tragus taxatur. Fuchsius asserit genistellam, Germ. appellari posse, die Stechend Ginst/ Erdpfrimmen/ oder klein Stechblumen, Gall. *Petit genet*: Esse qui non sine magno errore pro genista vtantur. Item qui Rosmarinum aculeatum nominent. *Rosmarinus aculeatus.* Clus. Pannon. & Hist. post. genistæ species à nonnullis genistella speciosa nominata, Vngaris *Islczi*, hoc est, aculeata, Stechend pfrimmen. Gesner. de hortis genista vel genistella aculeata, Dodon. Gall. & Lat. in fol. genistella vel genestella, Belg. Stechend Brom/ Gall *genet picquant*. Mihi autem cùm in Italia essem, quidam vocabant *Tetrachin* & *Acaciam alteram* Diosc. *Tetrachis. Acacia altera. Roremarinum aculeatum.* Alii Roremmarinum aculeatum Diosc. Lob. & Pen. Adu. genistella aculeata, è radice exigua, virgas graciles, rectas, complures, spinulis infestas submittens, foliolo Thymi vel Ericæ: flore luteo pallente, genistæ minore: etiámque breuiore, rotundioréque siliqua, & semine Erui subruffo. Obseru. & Icon. Plant. genistella aculeata fortè Vlex Plinii.

Figura Tragi minùs placet, nec etiam arridet in omnibus Lobeliana siue Dodonæi: Descriptio Lobelii competit penè nostræ genistæ spinosæ, Aspalathordi.

Hist. Lugd. genistella. Tabern. genistella aculeata, klein Stechend pfrimmen. Gerard. Angl. *genistella aculeata*, Needle furzes or petie whinne.

Locus & tempus. Genistella aculeata prouenit in comitatu Montbelg. Obseruaui Geneuæ cùm essem, circa montem *Saleue* florentem Iunio, Lugduni cum foliis mense Octobri, Basileæ multis in locis. Frater C. Bauhinus in itinere Basilea versus Augustam Rauracorum. Eam etiam vidi iuxta Masmunster, Tubingæ in Ducatu VVirtembergico, In Italiæ montibus Euganeis. Non vbique hoc genus genistæ reperiri, testis est Tragus, sed in arenosis ac saxosis duntaxat locis prouenit, vt & in sylua quam vocant den ydar ad Mosellam & in Vuasgoia. Fuchs. Nascitur in arenosis locis secus vias. Pluribus per Brabantiam locis incurrit, nonnihil humentibus, sed incultis quoque ac neglectis. Per Pannoniam vulgatissima: Frequens circa Francofurtum & multis aliis Germaniæ atque Belgicæ locis.

Vires. Sunt qui non sine magno errore pro genista vtantur, quum facultatibus diuersis prædita sit: Maio mense flores luteos producit, quibus pastæ apes improbum mel conficiunt. Adstringentem cum amaritudine facultatem possidet: ac proinde valenter, simúlque citra mordacitatem exiccantem. Semen eius serpentibus aduersari tradunt. *Decoctum foliorum. Menses.* Decoctum foliorum, profluuium menstruorum sistit. Idem etiam potum Ventris fluori succurrit. Et, vt rem in pauca contraham, idem genistella, quod Hippuris potest.

SCORPIVS SPINOSVS VETERIBVS.

INter spinosa authore Theophrasto: Scorpius [σκόρπιος, Gaza Nepa] simpliciter est spina, Non enim vllum habet folium, præter spinam: radicem verò simplicem & breuem [μονόῤῥιζον καὶ βραχύῤῥιζον] profundámque [βαθύῤῥιζον, quod quidem malè. Quomodo enim potest esse radice breui, eadémque profunda] Quare meliùs Scalig. legit ἀβαθύῤῥιζον, rectámque. Idem lib. 9. c. 14. Scribit de radice Scorpii, vbi Gaza quoque vertit Nepæ: ve-

rùm ea alterius plantæ est, nempe Teliphoni, quod alij Scorpionem appellant, de qua scribit c. 19. eiusdem libri. Nos autem hist. n. g. lib. 34. de Aconito. De Plinii Tragio [Tragon legendum volunt Sarrac. & Gesner.] quem Asia fert siue Scorpione vepre, vide cap. de Trago Veterum: vbi ostendimus nos dissentire à Sarraceno existimante Tragon hunc Plinii eundem esse cum Scorpione Spinoso Theophrasti, quamuis concedamus Plinium fortè non benè distinguere Scorpionem Theophrast. à Trago. Meminit tamen Plinius lib. 21. cap. 15. Scorpij ex Theophrasto, dum ait: Spinosarum multæ species. In totum spina est Asparagus & Scorpio, nullum habet folium. Item lib. 22. cap. 15. Ex argumento nomen accepit Scorpius (Scorpioides Dal. de Scorpioide vide hist. n. g. l. decimoseptimo.) Est & alia eiusdem nominis effectúsque, sine folijs, Asparagi caule, in cacumine aculeum habens & inde nomen. Et hanc Dal. ait esse Tragon Dioscoridis, quam & Traganon vocari, & Scorpium is tradit. Ego tamen existimo de Scorpione Theophrasti potiùs loquutum esse Dioscoridem. Est alia herba Tragos eidem Plinio lib. 27. cap. 13. quam alij Scorpion vocant, de qua vide cap. de Trago Veterum. Ineptè putauit Hermolaus Asparagum & Scorpionem vnicam esse plantam quod apparet ex Theophrast. & Plinio. *Asparagus*

GENISTELLA MONTIS VENTOSI SPINOSA.

Descrip. PLacet frutex elegans palmaris datus nobis olim à Domino Io. Iacobo Mieg Basileensi, nomine genistæ luteæ *Genista lutea.* ex Monte Vētoso circa Auinionem, cui priores rami *Rami.* plures, duas vncias longi, spinis Iuniperinis ornati, alij longiores quatuor vnciarum circiter, *Spina.* folijs hirsutis, longiusculis, & latiusculis, sed quàm in vulgari genistella spinosa angustioribus: flores in summitatibus aliquot aurei, maiores quàm in prædicta genista. *Flores.* Si hęc non est particularis genista, certè egregia est varietas, quæ nobis ob id visa est mereri propriam iconem.

GENISTELLÆ SPINOSÆ AFFINIS NEPA QVIBVSDAM.

Descrip. Spina pro folio. NEpa fenticosus frutex pro folio Spinam gerit mucrone pungentem, creberrimam, longitudine inæquali, Iuniperinis folijs angustiorem, & noua spinarum minorum sobole fœcundam, viridantem, striatam, sæpè glabram, alias pilo breui obsitam, quo & obducti sunt rami *Rami.* sesquicubitales striati, & nonnunquam hirsuti, talis fuit Nepa Valerandi, à qua non dissimilis, pro Bononiēsi Nepa delata, quæ sanè multùm habent similitudinis cum genistella aculeata foliosa vulgari quo tempore folijs destituitur. *Nepa Valerandi. Nepa Bononiensis.*



Nepa quoque mihi visa Bononiæ Anno 1563. concolor, & planè similis, nisi quòd Spinæ erāt longiores, minùs rotundæ, & firmæ, quàm in Aspalatho Monspeliensi, sed angulosæ, quæ in alias subdiuiduntur, in summitate ramulorum mēse Aprili apparebant florum pediculi, & veluti calyces hirsuti. *Flores.* Videtur hic frutex variare pro Anni tempore, ac pro ætate. Is enim nobis prouenit in horto, nomine Nepæ satus, sed primo anno ac secundo omninò respondebat figuræ Lobelij, cuius ramulum in nostra tabella curauimus pingendum ex Valerandi Dourez planta sicca: tertio anno accedebat ad iconem Dodonæi genistæ spinosæ nomine exhibitam, nulla folia nobis apparuerunt. *Varia figura. Icon Lobelij. Icon Dodonæi.* Icon autem nostra facta est ex ramis tribus nobis ex Anglia missis, in quorum vno sunt in summitate veluti folia latiuscula, hirsuta, in aculeum desinentia, in altero flores lutei, maiores quàm in genista spinosa vulgari, ex breui pediculo multi simul inter spinas, non ex longiusculis ramis foliosis & sine spinis, vt in genista aculeata foliosa vulgari: in tertio ramo inter spinas erant siliquæ latiusculæ, compressæ, breues, nigræ, hirsutæ, calycibus foliosis æquè ferè longis obtectæ, in quibus semina bina deprehendimus. *Icon nostra. Folia. Flores. Siliquæ.*

Est & apud nos (Gallos inquit Ruell.) fruticis genus in montibus & asperis nascens, quo & sepes tàm viuas quàm structiles etiam rustici stipant. *Locus. Vsus.* Is vice foliorum spinarum armatur vallo, flore luteo, siliqua breui, in qua pauca semina lata clauduntur, rura nostra Iuncum marinum vel potiùs Iomarinum appellant, cui aliquantùm adstipulari Paliuri delineatio videtur, an tamen Paliurus sit non ausim asserere, quòd ei spina pro folio sit. *Semina. Iuncus marinus. Iomarinum. Paliurus.* Quam autem officinæ genistellam vocant, Græci quantùm aliqui suspicātur Ericen, humilior tantùm & exilior: colore Marini roris & penè folio, flore luteo, semine rufo, quod serpentibus aduersari tradunt. *Erica.* Sunt qui hanc esse putant quā Galli Rosmarinum vel Iomarinum appellant, Libanotidis folio, sed rigido ac pungente &c. *Rosmarinus.* Hæc ille qui an vnam vel duas plantas intelligat consideres ipse. Nostræ genistellæ affini Nepæ, Spina pro folio est.

Dodon. Gall. qui genistam spinosam & genistam sylu. Belg. Gaspeldorn vocat, negátque esse Tragacantham, id est, Hircispinam aut Paliurum, vt quidam putarint, tribuit ei siliquas similes Genistæ, non tamen tales pingit in Hist. Lat. in folio. *Genista spinosa. Tragacantha. Paliurus non est.* Is præterea in folio suam descriptionem componit ex sua priore Gallica & ex Clusij Scorpione 1. Hispanico. Miror item apud Dodonæum Scor- *Dodonæus notatur.*

pii secundi Clusii Iconem poni, pro genistæ spinosæ altera Icone, licèt Clusius non parum differentes tradat Scorpionem primum & secundum.

Scorpius. Nepa. Ad Scorpium, inquit Clusius, quem Gaza Nepam vertit accedere videtur Scorpius noster 1. folio nullo, nisi primo Vere apparente, quod breui decidit, Galli *Ionc marin* appellant, Aquitani *Liuge*, Belgæ **Gaspeldorn**: cubitali verò, aut ampliore altitudine assurgit, multis virgis ex atrouirentibus, striatis, densissimo spinarum vallo obsitis, fruticosus, quæ deinde spinæ aliis minoribus sunt circumseptæ: folia nulla, nisi primo Vere, apparent, breui decidua: Flores genistæ minores, pallidi, interdum verò adeò rufescentes, vt rubêre videantur, præsertim sub Autumnum: siliquæ deinde succedunt breues, cylindraceæ, magna ex parte inanes, aliquando tamen ferentes exiguum semen pallidum, aut subfuscum, vt genista vulgaris Septentrionalium: radix singularis in alias tenues se spargens, & interdum latè se propagans. Quod verò Clusius foliola, & siliquas Cylindraceas tribuit huic Scorpio, nobis dubium mouet, & quòd Germaniæ faciat familiarem, & quòd non dicat similem genistellæ spinosæ, cuius meminit inter Pannonicas. Diligentes stirpium inuestigatores accersant Scorpium ex Hispania, & conferant cum genista spinosa Belgica, ac perpendant an eædem vel diuersæ stirpes: Clusius præterea pro Scorpio primo in postr. hist. ponit genistam spinosam Dodonæi.

Descriptio Clusii. Virga. Spina. Flores. Siliqua. Semen. Radix.

Nepa Lobelio Scorpius. Lob. & Pena Aduers. Nepa [Scorpius] apud Theophrastum diuersa est à Scorpione, quam inter Cali collocatam oportuit. Nepa cui nomen fecêre commune cum Scorpione planta, paucis adhuc nota, nulli dum Recentiorum descripta. Ligneæ sunt radices, multiplices, implexæ, tenues: a quibus mox orsæ spinulæ, rigidulæ, densæ, Corrudæ simillimæ, aliquantò maiores, vniuersa virgulta summo tenus vestiunt, sicque tota planta densis horret aculeis pro foliis: & faciem Corrudæ præfert gustu amaricante. Icon. pl. Nepa apud Theophrastum. Cæterùm qui adibunt loca inferiùs notanda, vbi proueniat Nepa, obseruabunt hanc Nepam Lobelii esse eandem cum genista spinosa Dodon.

Corruda facie.

Genista spinosa. Considerandum etiam quantùm differat à genistella spinosa Fuchsiana quam nos foliosam vocamus: ea enim mirè ludit.

Scorpius. Vlex Plinij. Hist. Lugd. Scorpius alter siue genista spinosa à Dodonæo pro genista spinosa 2. descripta. Vlicem Plinii quidam esse volunt, Belgæ **Gaspeldorn** vocant, Armorici apud quos syluæ huius plantę sunt tam proceræ, vt propemodum arborescat vocant *des Lans*.

De spinosa hac planta, quæ sequuntur Pena tradit. Prorsum cognata genistæ hæc, sed multùm aspectu horrida, sentibus præduris, annumeris, cancellatim armata, semper virentibus, striatis, lignosis virgultis, Spartio similibus, spinis penè folia occulentibus. Quare doctioribus nonnullis placuit, Gazæ Nepam esse, aut Scorpium Theophrasti. Clusius etiam Aspalathum alteram, tum Salamanticæ, tum Monspelii sic dictam, pinxit: eadem est cum genista spinosa, aut ei admodum persimilis.

Aspalathus.

Rhapsodus Hist. Lugdunensis stirpium parum peritus, nullo iudicio huius plantę historiam confusè tradidit, subiungens Lobelii verba, nec animaduertens Scorpionem descriptum primo loco, misceri & comprehendi à Lobelio & Pena sub vno titulo, cum genista spinosa Dodonæi, nec etiam obseruauit Clusii Aspalathum, non esse genistam spinosam.

Nepa. Scorpius. Camerar. hort. *Nepa* (sic enim Scorpium vertit apud Theophrastum Theodorus) in fictilibus asseruanda: In Gallia & Hispania frequens. Cæsalp. *Spina Christi* vulgò appellata, frutex in totum spinosus, nullis foliis, quem Theophr. Scorpium vocare videtur, & Theodorus Nepam vertit, sed flore candido accedente ad purpuram, quæ conditiones in hoc frutice non insunt.

Spina Christi.

Tabern. Icon. & Hist. *Nepa Theophrasti*: Lobelius Nepam describit, an verò eius Nepæ descriptio conueniat cum proposita Icone iudicent alii. Item Icon. & Hist. Scorpius secundus **Scorpionkraut**. Tabernæmontanus cuius prior Icon est cum floribus, nullam proponit descriptionem præter Lobelii qui florum non meminit, nec in sua habet figura: per secundam Iconem existimo illum intelligere genistam spinosam Dodonæi, quamuis Compilat. Tabern. descriptio ieiuna sit & figura imperfecta.

Genista spinosa.

Gerard. Angl. genista spinosa flore albo, white flourend furze. Gerardus exhibet Icones Tabern. qui Scorpium suum dixit flore luteo non albo.

Gerard. Tabern.

Locus & tempus. Genistellæ affinem Nepam siccam à multis annis habemus, quam inter Valerandi plantas inuenimus. Nepæ etiam nomine vidimus Bononiæ in horto mense Aprili fruticem præcedenti similem. Frater C. Bauhinus attulit nobis ex Italia ramum priori similem, cum hac inscriptione, Nepa Bononiæ, Cortusio genistella aculeata Fuchsii. Ex semine Nepæ nomine ex Italia missa, prouenit nobis frutex, qui Montbelgardi in horto Illust. Exc. Cels. V Virt. per triennium hyemem pertulit, tandem frigore consumptus. Iac. Gargillus Scotus misit nobis Londino Angliæ pulchros ramos cum flore & siliquis nomine Aspalathi Narbonensis. Lob. Nepam nullibi præterquam in Prouincia vidit locis montosis vberè fruticantem, præsertim propè montium radices, qui *Magdalena Fano* & Specui sancto nuncupato finitimi sunt, viâ quâ *Aquas sextias* itur. Locis saxeis & aridis, & *Sterellæ* montis decliuibus, ac propter Argenteum amnem, *Argens* vulgò Galloprouinciæ dictum, multa. Genistam spinosam reperit Dodonæus in quibusdam Brabantiæ locis, vbi planicies. Scorpius 1. Clusii, floret Maio, Iunio & quandoque tota æstate: circa verò Autumnum, denuò floribus onusta hac planta conspicitur, eoque tempore, saturatiores & magis rutuli sunt vtplurimùm flores. Variis Belgicæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ locis conspexit, nusquam tamen frequentiùs, quàm incultis illis locis supra *Burdegalam*, *Bayonensi* itinere, & apud *Cantabros Pyrenæorum* iugerum accolas, vbi tantâ magnitudine assurgit, vt duorum hominum altitudinem æquare nonnunquam viderit, crassitudine verò brachium humanum.

Aspalathum Nepa.

GENISTELLA MINOR ASPALATHOIDES.

Locus. Aspalathus. Descriptio. Spina. Foliola. Flores. EX Anglia Aspalathi nomine misit nobis Dominus Iacobus Gargillus Scotus, fruticis parui vix cubitalis, cortice quasi cinereo, virgas aliquot, spinis breuioribus, alternatim dispositis, horrentes: foliolis iuxta spinas ferè rotundis, Lenti palustri penè æqualibus: floribus



aureis, minoribus, quàm Tinctorij floris, magis patentibus quàm genistæ spinosę vulgaris, inter spinas per totos ferè ramos copiosis. Si hæc planta non diuersa est à Scorpio aut ab Aspalatho Monspeliensi insignis videtur variatio.

ASPALATHVS SECVNDA MONSPELIENSIS.

Descript. Aspalathus secunda Mõspelii dicta, frutex est bicubitalis aut circiter, totus *Spina.* spinis horrens, longis, virentibus, qui color est etiam toti plantæ, ex quibus prodeũt *Folia.* folia parua subrotunda, nonnihil pilosa: ex iisdem *Flores.* flores lutei, pulchri, Cytisi florum formâ, *Odor.* odore Meliloti Officinarum, sapore nullo manifesto, sicuti & folia, quę Autumno cum floribus prodeunt, succrescentibus *Siliqua.* siliquis, paruis longis. Interdum etiam florens foliis spoliata obseruatur.

An Acacia Anguill. 2. Anguillaræ hæc fortè est Acacia secunda, de qua scribit. Reperi in Corsica circa *Luazzum* fruticem simillimum Scorpio Theophrasti, colore similem genistæ, cum ramis atque spinis tenuibus, *Folia.* foliis paruis Rutæ foliis similibus spicatim sibi inuicem appositis per ramulorum ascensum. *Flores.* Flores fert luteos, quales Corneola quæ Lysimachia doctissimi Leoniceri. *Rami.* Ramis etiam tubercula lignosa adnascuntur, è quibus emergunt animalcula *Siliqua.* coloris crocei. Siliquas fert læues sicut genista, *Semina.* tres ac interdum quatuor, continentes semina compressa Lentis effigie, sed parua. Quapropter tot animaduertens in hac planta notas Acaciæ se- *Acacia 2. Dioscoridis* cundæ Dioscoridi respondentes, facilè mihi persuaserim eandem esse. Tametsi autem Clusius sciat, fruticem hunc [de quo nunc ago] non esse *Aspalathus* legitimum Aspalathum alterum: quia verò tale nomen à plerisque obtinuit immutandum non putauit, præsertim cùm ad quem fruticem Veteribus descriptum referri debeat adhuc ignoret, *Scorpius.* nisi fortè Scorpii generibus adscribendum esse quis censeat. Tota plãta cubitũ nõ excedit, fruticosa *Descriptio Clusii.* admodũ, & ramosa multis horrẽs *Spina.* spinis deorsũ inflexis, firmis, acutis, in quib. enascũtur pusilla *Folia.* folia Lentis magnitudine, viridia, qualia etiã [sed teneriora] fert in nouellis ramulis, quibus sub sunt recens nati aculei: flores in firmioribus & rigidioribus spinis, terni, quaterni aut plures simul nascuntur, genistæ similes, minores, coloris nunc lutei, nunc pallescentis: semen in paruis siliquis *Color Generus. Flos.* exiguum. Aliud eius genus robustius est & aliquantulum firmius, nonnunquam altiùs non excrescens, cuius flos perpetuò pallidior est, alioqui nõ multùm priori dissimile. Primumgenus & Herbariæ rei studiosis Salmanticæ & Monspelii Aspalathus *Aspalathus alter. Monsp. Eulalia. Aulaga.* alter vocabatur, vulgo Salmãticensium & aliorum apud quos nascitur, Hispanorum *Eulalia*, secundum Castellanos *Aulaga*. Icon apud Clusium in Hisp. posita erat pro Aspalatho altero. ii; in post. autem Hist. [fortè errore Typographi] pro Aspalatho altero iii.

Gesner. notatur. Gesner. hort. nobis videtur Aspalathum Monspeliense 2. non distinguere à secunda Acacia Matthioli.

Genista. Spartium. Nepa. Scorpius. Lob. & Pena Adu. & Icon. plant. *genista Spartium spinosum maius*, Belgis Gaspeldorn. Angl. Bricke Browme. Doctiorum *Nepa* aut *Scorpius*, foliis ternis Rutæ. Monspelij *Spalathus* vulgò opinata, tametsi inodora & funis instar pertinax frangendo. Obseru. *Aspalathus secunda Monspeliensium.* An Scorpio Theophrasti Clusio & Anguillaræ? Meritò scribit Lobelius adimenda folia terna Rutæ in Aduersariis & Lentis reponenda: *Lobel. notatur.* Iconem Clusii habet. Verùm tamen Clusius diuersam fecit genistam spinosam, Gaspeldorn dictam, ab Aspalatho 2. Monspeliana: Nescimus etiam quomodo possit Aspalathus secunda Mõsp. esse Scorpio Theophrasti Clusio, quandoquidem ille proprio & sequenti capite distinguit Scorpionem ab Aspalatho, nisi dicatur Clusius bis eandẽ descripsisse, quod annotare debuerat Lobelius si ita sensit: An sit Aspalathus Anguillaræ plurimis ab annis dubitamus: multa enim respondent: verùm illud notandum Anguillarę Acaciam secũ- *Acacia 2.* dam videri nobis meliùs conuenire.

Gaza notatur. Hist. Lugd. *Scorpius Theophrasti*. Gazæ *Nepa* vocatus qui Scorpium siue Thelyphonum cum Scorpio spinoso perperàm confundit: Scorpius spinosus, radice est crassa, lignosâ, nigrâ, simplici, dimidium pedem longâ: Caulibus multis, qui plurimis aculeis rigidis, firmisque horrent: foliis in paruula & tenella planta, minimis Tragacanthæ similibus, in vetusta & dura nullis: flore paruu- *Compil. Hist. Lugd. notatur.* lo, semine in siliquis latiusculis incluso: Huic affinem vel eandem Scorpium descripsit Clusius. De secundo Scorpione Clusij intelligit non parum differente, quod indicatur descriptione seminis, quod cùm non animaduerterit Rhapsodus, is etiam non benè Clusij Aspalathum 2. separat à prædicto, & ad genistam spinosam Dodonæi refert, in quo Lobelium imitatur.

Tab. icon. & Hist. *Scorpius* 1. Scorpionskraut.

Gerard. *genista 2. spinosa minor*, The smal furze bush.

Locus & Tempus. Obseruaui Monspelii loco petroso in monte *Castelnauf.* Frater C. Bauhinus annotauit Aspalathum alterum Clusij à se repertum inter *Sommiere* & Monspelium florentẽ Maio. Vidi Bernæ in horto Benedicti Aretii. Aspalathi primũ genus Clusij 1. crescit cùm in Cantabris superato Pyrenæo, tum varius aliis Hispaniæ locis, atque etiam in Gallia 2. Narbonensi. Secundum in Castella veteri tantummodo obseruabat.

Floribus

Vires & vsus. Floribus quidam apud Lobelium hubentes ad alterum viridem vtuntur, & toto cremio calfaciunt furnos. Aspalathi floribus prioris cum Saccharo fermentatis, Salmanticentes ad firmandas & restaurandas collapsas vires vtuntur, Clus.

ASPALATHVS ABROTONI FACIE INCANA.

Descriptio. AD cubiti nonnunquam magnitudinem accedit Aspalathi 2. genus tertium Clusii, *Hallada* Cantabris vocatum: plerumque tamen minus & pedali tantum altitudine, totum etiam tenerius: Ramuli. Spina. Folia. ramuli in multò plures spinas diuisi, & istæ denuò in alias, sic vt singulæ spinæ totidem folia Abrotoni multifida videantur, nisi aculei obsisterent, qui, nisi quis accuratiùs consideret, vix animaduertuntur: Ramuli & hi. Folia. ex ramulorum lateribus exigui alii Vere prodeunt ramusculi incani & hirsuti, quibus adnata sunt folia mollia & incana Lentis, sed maiora quàm in primo genere: Flores. & in summis istis ramusculis flores seni aut octoni genistæ aut Pisi formâ, sed maiores, quàm in primo, colore luteo.

Locus. In Cantabris solùm ad radices Pyrenæorum, quę Hispaniam spectant, tertio à Victoria milliari.

ASPALATHO MONSPELIANO AFFINIS SCORPIVS 2. CLVSIO.

Descriptio. AD Scorpium quę Gaza Nepam interpretatur, inquit Clusius, etiam secundum Scorpii genus accedere videtur, quod pedis altitudinem raro superat, totum densissimis spinis horrens, Descriptio spinæ. quæ non confuso ordine, vt in superiore nascuntur, sed seriem quandam seruant, & semper cōtrario inter se exortu binæ nascuntur, virentes quidem, sed languidiùs quàm superioris, neque aliæ ex aliis: Flores. summis ramulis inhærent bini aut terni flores superiori similes, lutei coloris, mense Martio: Siliqua. quo tempore exiguas, breuésque siliquas, vel potiùs semina Erui magnitudine, inclusa membranâ quadam multâ, incanâque lanugine hirsutâ, deprehendebat densissimus ipsius plantæ spinis occultata, ut ex superiore æstate desiderant: adeò verò canescebant, vt initio aranearum telas esse existimaret: Radix. radix singularis, sed in plures deinde propagines sparsa, dura & lignosa est.

An Echinopoda? Hoc genus Granatenses *Melino* vocant. An Echinopoda cuius Bellus meminit: plurimùm certè Clusio ad illam accedere videtur.

Genista spinosa Dodō. not. Dodon. Lat. in fol. *Genista spinosa* altera Icon. Genistam vocat Dodonæus præter mentem Clusii, cuius Icon à Dodonęo proposita.

Lobel. Obs. & Icon. Plant. *Genista*, *Spartium spinosum alterum*. Scorpius 2. Clusii. Debetur hæc Nepa Carolo Clusio, qui eam primus ab altero Spartio spinoso distinxit.

Hist. Lugd. Compilator not. Hist. Lugd. *Scorpium Theophrasti* [siue Aspalatho Monspeliano] *affinis*, vel *idem Scorpius* à Clusio descriptus. Fallitur Compilator. Non enim parum diuersum, & non eundem ostendit manifestè seminis descriptio.

Tabern. Icon. & Hist. Scorpius 3. Scorpions Kraut. Eccur Compilat. Tabern. vocat fruticem Germ. Kraut?

Gerard. genista 1. spinosa maior. Great firze bush.

Locus. Collibus Granatæ vicinis itinere Cordubensi duntaxat, nec vsquam alibi Clusio conspectum.

GENISTA ERINACEA.

Descriptio. PLanè noua, & tota elegans est hæc planta dodrantalis, in orbem per solum diffusa, Spinæ. multis spinis virentibus, siue aculeis horrida. Flores. flores genistæ, ex cœruleo purpurascentes, minores, calyculis inclusi hispidis, villosis, omnino ferè incanis, bini aut terni simul semper cōiuncti: Foliola. foliola interdum, dum floret, producit, sed raro, eáque perpauca. Lenticulæ similia, quæ cùm breui marcescant & decidant, tota planta maxima ex parte sine foliis spectatur, & multiplici spinarum vallo Erinaceum in se conuolutum repræsentat: Radix. radix lignosa & magna est pro plantæ porportione.

Incolæ *erizos* vocant, hoc est, *Erinaceum*, quoniam Erinaceum animal terrestre, dum in orbem se contrahit, aut marinum, aculeorum & spinarum vallo planè æmulatur: quæ adeò causa fuit, vt illi Erinaceæ nomen inderem, donec commodius aliquod ex veteribus Scriptoribus dare possimus. An verò incolæ ad medicum aliquem vsum adhibeant, non intellexi.

Spartium aphyllon. Lobel. Obs. & Icon. Plant. sub falso titulo huius Iconem habet. Est autem is titulus Spartum aphyllon fruticosum iunceis aculeis, lunatis capitulis. Hic enim inscriptione in Aduersariis, genistam siue Spartum nostrum pungens exhibuerat antè. Erroris huius causa est, quia vnam eandémque plantam esse, sibi imaginariè persuadet, Tabern. not. vt mox dicemus.

Hist. Lugd. Erinacea Clusii. Tabern. Icon. qui nō nouit discernere inter fruticem & herbam vocat Scorpium 4. Scorpion kraut.

Gerard. genista spinosa humilis dwarffe orlowe furze.

Locus. Nascitur regno Valentino, affluenter verò circa *Siete aguas* oppidulum, septimo ab vrbe Valentia milliari, Madritiano itinere, asperis locis &

secus vias. Aprili florentem obseruabam & eruebam iter isthac faciens, anno 1565. semen obseruare non potui, mense sequente in Belgium reuersus.

ECHINOPODA CRETENSIBVS.

ECHinopoda, inquit Honorius Bellus, vulgatissima in Creta planta est, & multùm cum Erinacea à Clusio descripta conuenit, nisi quòd hæc foliis caret, & flores luteos profert, totáque viridi colore cernitur in orbem diffusa, & Erinaceam mirum in modum multitudine spinarum repræsentans. Genus fruticis censenda hæc planta: Meminit huius Plutarch. Symposiac. lib. 1. quæst. 4. Et lib. de auditione, hoc Disticho:

Inter Echinopodas, velut asperam & inter Anonin
Interdum crescunt mollia Leucoia.

Athenæus quoque huius stirpis mentionem fecit lib. Dipnos. tertio: Perinde ac si semper inter Echinopodas & asperam Ononin verseris. Sed fallitur in margine Dalecham. Athenæi interpres, *Dalech. error.* quòd per Echinopodiam Cardui Chii genus intelligat: nam Echinopoda, tam Cretæ, quàm in Insula Chio, totáque Græcia vulgatissima est, non Carduí genus, sed fruticis censenda: & hanc sub *Locus.* Chenopodis nomine intellexisse Plinium existi- *Chenopus.* mo lib. 11. c. 8. quod etiam ante me animaduerterat Turnebus, vir summa laude dignus, Aduersi *Vires.* lib. 23. cap. 12. nam licet hæc planta copiosissimos flores proferat, & vbique oriatur, eius tamen flores apes non attingunt, vt quotidie obseruari potest.

Excellentiss. p. m. Melchior Guillandinus Echinopodam non nouit, nam epistola ad Langium eam inter ignotas stirpes enumerat.

Bellonius verò lib. 1. Obser. c. 18. ipsam nouisse videtur, sed non descripsit, neque ita congener est Aspalatho, vt ipse putat. Nam Aspalathus frutex satis magnus videtur, folia terna simul iuncta ferens, licèt æstate ipsa amittat, vt Autumno aliis induatur, nec spinis adeò crebris scatet vt ista.

GENISTA SIVE SPARTVM PVRGANS.



Descriptio rami prioris. DVos obseruamus ramos, prior sesquicubitalis est, firmus, rigidus, ac penitus lignosus, cortice crasso, amaricante, ligno internè albicante, in numerosam *Virga.* virgarum prolem temerè ac nullo ordine diuaricatus, in virgarum *Aculei.* extremis aculei quidam apparent, totus porrò ramus virgultorum denso stipatu, Vuæ *Vua marinæ similis.* marinæ adsimilis quodammodo est, nisi quòd nuspiam vno ex articulo gemini aut plures pro deant surculi. Ramorum extremorum potissimum geniculis foliola hæreant parua, angusta, *Folia.* ex nerítia quadam lanugine vestita. Iisdem quoque flores ex longiusculis pedicellis hærent lutei genistæ vulgaris, apparentibus adhuc apicibus in sicca. Posterior hic colore & ramorum diuisura *Ramus alter.* similis, verùm quàm illa senticosior & strigosior: quippe numerosioribus ramulis, veluti in spinas desinentibus, quæ facilè rumpuntur innumeris nodulis torosus, vix pedalis, incuruo ligno. Hic floribus & foliis obsitus in extremis quibusdam capitula incurua, & nutantia gerit, hirsuta, quod in hac planta superfluum & quasi monstrosum existimo.

Lobel. & Pena in Adu. genistam hanc pungentem ita describunt: Spartium aphyllon fruticosum, junceis aculeis, lanatis capitulis: Fruticellus, latiusculè in latera, aliquot sparteos, striatos, ex pullo buxeos, è radice Tragacanthæ prolixiore, lignosos & sesquipedales surculos spargit: nullis foliis, sed multis senticosis, rigidis stylis pungentibus, junceis, aduncis in summo tantùm: quibus singulis aduoluuntur fastigiola, tomentaceæue gemmulæ vitis, minores, sed concolores, partim longiusculæ & incuruæ, partim breuiusculæ: nullum folium, flósque videtur: gustus perparùm amaricantis, exsiccantis, adstringentis.

Lobel. in Obs. Icon. Plant. & Hist. Lugd. eundem titulum, quem Adu. habent. Verùm Lob, relicta gemina figura, Erinaceam Clusij assumit, quam cum Sparto aphyllo fruticoso junceis aculeis, lanatis capitulis eandem esse tradit, quod ramulorum spinosorum positus, folia, flores atque alia, quæ breuitatis causa prætereo, conferenti cum figuris ipsas descriptiones, apertè erroneum esse demonstrabunt.

Tabern. icon. & histor. spartium aculeatum aphyllon.

Vnde præcedentes ramos nactus sim asserere non ausim: comperio me annotasse cùm essem Lugduni, prioré esse ex monte Pilati: alterum verò per rhizotomum Lugdunum delatum. Lobelio inuentu minùs frequens fuit, in asperioribus, præruptisque decliuibus Alpium Magdalenæ in Gallo Prouincia.

ASPALATHO AFFINIS TRAGVS FORTE RHAMNI SPECIES EX CANdia Valerandi Dourez.

FRustulum est fruticis alicuius palmare, surculis inconditis frequentibus, rigidis, in spinam acutam desinentibus, diuisum, Vuæ marinæ dictæ non absimile & par colore ferè fuluescente, raris Zonulis nigricantibus obiter cinctum, striatum, sapore nullo. *Descriptio Surculi. Vua marinæ similis.*

ASPALATHO SECVNDÆ MONSP. SIMILIS SCORPIO SEV NEPA ANGVILL. flore ex albo pallescente, vel ad purpuram accedente.

SCorpio vel Nepa Anguill. in Græcia copiosissimè reperitur: prouenit etiam in Gallo Prouincia inter Lansonam & Pennam, aliisque pluri- *Locus.* mis in locis circa Massiliam. Suffrutex lignosissimus est, cortice, lignóque genistæ similis. Rami *Descriptio rami.* cubitales, longiores, breuioresque pro ætatis ratione, terni, quaterni, in quorum summis spicatus glomer densus atque rotundus, colore atrouirente

re, absque foliis: diuisus tamen in exiguos, frequentésque ramulos: hique rursus in spinas durissimas breues viridantes: intra quos vt plurimùm aliæ subnascuntur: flores florentes ex albo flauescentes, quidam etiam ad purpuram accedentes. Floret mense Septembri. Decidunt postea flores nullum post se relinquentes fructum [quantum quidem obseruatione nostra consequi potuimus] exceptis quibusdam ceu vasculorum specie, figura ouati, in quibus tamen nihil reperitur. Radice vnicâ & simplice vtitur, haud magna valdè.

Spina. Flores. Tempus. Radix.

Si Anguillara non tradidisset Acaciam alteram, quæ videtur conuenire cum Aspalatho secundo Monspeliensium hanc eò referendam fortè putaremus, considerandum an sit Scorpius primus Clusii diuersus ab Aspalatho Monspeliensi secundo, quem suspicamur genistellæ spinosæ affinem, Nepam quibusdam dictam.

Scorpius 2. Clusii.

AGVL ET ALHAGI ARABIBVS PLANTA SPINOSA MANNAM resipiens.

Descriptio

Frutex est cubitalis, aut altior, densissimo, spinarum acutissimarum gracilium flexiliúmque stipatu refertus: Ex quibus plurimi pendent flores rubelli: cis decidentibus succedunt siliquæ rubentes, quales in Scorpio Monspeliensi me vidisse memini, semine concolori fartæ. Ex hac Halepi incolæ nouum quoddã Mannæ genus legunt, cuius grana Coriandro nostro maiora paulò, adeóque figurâ & sapore Mannæ nostræ Laricceæ persimilis. Surculis porrò infinitis propemodum donatur teretibus, & à trunco eleganti ordine hinc inde sparsis, maiori ferè parte Cuscuta obsitis, velut in Thymo. Folia ad spinarum exortum hærent oblongâ Polygoni figurâ, cinerea: radix satis longa, purpurea. De Manna in Alhagi vel Agul proueniente scripsimus lib. 8. cap. de melle aërio siue Manna sub titulo: Mannæ Italicę Tereniabin aut Trungebin.

Spina. Flores. Siliqua. Semen. Manna. Surculi. Folia. Radix.

Ravvolf. Arabibus Agul & Alhagi frutex, ex quo colligunt Persæ Manna: supra spinosos autem frutices prouenire Mannam testantur Serap. Auicenna, ac etiam Clusius in epit. Indicarum plantarum. Idem Icon. Peregrinus frutex Æthiopibus Agul & Algul, supra quem potissimùm cadit in Persia Manna, quam ipsi *Transchibin*, Arabes autem *Teneriabin* & *Trangibin* nominant.

Synonyma Agul. Alhagi. Algul.

Hist. Lugd. app. Planta rara spinosa Maurorum *Alhagi, Agul, & Algul.* Manna quæ his arboribus illabitur, Tiriamiabin à Costa vocatur, qui & Carduis insidere scribit.

Locus. Prouenit in Persia & circa Halepum: & circa Kacka vrbem Mesopotamiæ.

Folia eius calidæ sunt siccæque naturæ. Horum vsus incolis ad purgandum, quibus se purgaturis manipulus vnus ex aqua coctus, in singulas doses sufficit.

Vires.

TRAGVS VETERIBVS.

Nil noui si hodie adhuc plures de Trago Veterum habeantur opiniones, cùm iam priori æuo, authore Dioscoride Τράγον aliqui σκορπίον, alii τράγανον [quasi edule dicas, vet. κόκκον [illegible] Coccum biphicam addit Sarrac.] vocarint. Est autem vt Diosc. prodidit, frutex pusillus [[illegible]] in maritimis maximè nascens, per terram sparsus [[illegible], quibus Vetus caret] oblongus, at non ita magnus, palmi altitudine, aut paulò amplior: & is quidem sine foliis est, circa ramos autem hærentes habet velut acinos pusillos, rufos, tritici grani magnitudine, summa parte acuminatos, numerosos, gustúque admodum adstringentes. R[illegible] acini decem ex vino poti cœliacis, fœminis[illegible] laborantibus auxiliantur. Sunt & qui tusos digerunt in pastillos, quò fœlicius asseruentur, iisque ita vtuntur.

Diosc. Tragus illustratur. Tragus. Scorpius. Traganus. Coccum biphica. Locus. Diosc. locus restituitur. Sine foliis. Acini. Tritici grana. Vires. Dosis.

Eundem hunc Dioscoridis Tragum ita depingit Plinius. Tragion & [illegible] Scorpionem veprem [imò Iuncigenus [illegible]] sine foliis, racemis rubentibus [subeuntibus M.] ad Medicinæ vsum. Idem alibi [illegible] & alia herba Tragos, quam aliqui Scorpion vocant, semipedem alta, fruticosa, sine foliis, pusillis racemis rubentibus, grano Tritici, acuto cacumine & ipsa in maritimis nascens. Huius ramorum decem aut duodecim cacumina trita [huius racemorum acini decem triti, legendi ex Diosc.] ex vino pota [poti] Cœliacis, Dysentericis, sanguinem excreantibus, mensiumque abundantiæ auxiliantur. Dalech. apud Plinium lib. 22. cap. 15. vbi Plinius ait: Est & alia eiusdem nominis scilicet Scorpii &c. scribit intelligi Tragon Dioscoridis; nos autem quia dubitamus num potiùs intellexerit Scorpionem siue Nepam, vt etiam censet Sarrac. Theophrasti totum locum sub Scorpione Veterum posuimus.

Cæterò, Tragum de multis plantis dici, ita demonstro. Tragus siue Scorpius Diosc. dicitur de *Vua marina* vulgò, quem verum censemus Tragum. Et hæc opinio fuit Dalechampii & Gesneri, nec displicet Clusio, nec etiam Lobellio. Apud Castorem Durantem prò Trago siue Vua marina, posita est Icon Tragacanthæ: de qua paulò pòst. Plinius authore Cæsalp. miscuit Tragon Dioscoridis cum Scorpio Theophrasti, quem Nepam interpretatur Gaza, de ea opinione vide Hist. n.g. lib. 17. titulo Tragus Cæsalpini. De Trago Matthioli, qui à plerisque, ac à me reiicitur, & Tragus Matth. pungentibus foliis inscribitur, agetur suo loco. *Cali* Amato est Tragus, quæ opinio meritò non placet Cæsalp. *Salicornia* Dodonęo est species Tragi, quam opinionem non probo nec etiam Cæsalpinus: Tragos Euritio Cordo & filio Valerio & Leoniceno est *Sedum minus* flore candido, quæ sententia à me eiicitur. Tragus syln. Cordo, mihi *Sedum folio circinato.* De his quatuor lib. 35. Ruellium hallucinatum esse scribit Amatus quum Tragum *Iunci speciem* esse dixerit, cui quoque Matthiolus subscripsit. Tragi genus minus & alterum grandius Cæsalpini, vide Hist. n.g. l. 17. post Trifolium album rectum. Inter spuria nomina Dioscoridis, inuenio Tragion alterum dici Tragon, quidam volunt Fraxinellam Hist.

Tragi æquiuocationes. Tragus siue Vua marina. Tragacantha Icon. Scorpius Theophr. Tragus Matth. pungentibus foliis. Cali geniculatum. Sedum minus flore candido. Sedum folio circinato. Iunci species. Tragi duo Cæsalp. Fraxinella.

n. g. lib. 30. Tragos de Enneo arbore diuersa à Ficu apud Gesnerum quadrup. Ex Cœlio Tragos videtur etiam panis nomen fuisse Gesner. quad. Dodon. de purgantibus asserit Trago Dulcichinum dici, quod nos Trasi appellamus, de quo hist. n. g. lib. 18. Tragos inter frumentacea de quo Dioscor. lib. 2. & Sarrac. in scholiis. De hac hist. n. g. lib. etiam 18.

TRAGVS SIVE VVA MARINA.

Descript.



TRagus frutex paruus, vix interdum palmum excedens, nonnunquam cubitalis, stipite lignoso, simplici, qui pòst ex vno veluti capite complures profert ramos viridantes, striatos, fractu cótumaces, adstringentes, medullâ viscosâ [quæ resiccata rubescit] plenos, crebris geniculis interceptos, inque frequentes ramulos rursum diuiduos, quibus ex articulis duntaxat est exortus: atque in his quidem nec folia nec foliorum vlla comparent vestigia: Verùm è geniculis Equiseti modo prodeuntes ramuli, flores in summo sustinent glomeratim congestos, multos, paruos, luteos, in fructum abituros Rubi, Moris similem, ex acinis rubris compactilem, sapore dulci, nec ita tamen vt Mora, gratum edulem tamen: Hisce semina insunt gemella, oblonga, qua se mutuò spectant, plana, alterâ parte leuiter in gibbum protuberantia.

Medulla. Flores. Fructus. Sapor. Semen.

Anguill. Croton Commentatoris Nicandri. An Matth. in post. com. Lat. & Ital. cum mag. fig. *Coda di Canallo 4.* id est *Equisetum quartum*, pingit nec describit. An Gorthæo del. med. τράγος, Herbariorum Iuncus marinus, ab aliquibus σχοίνιον vocatus. An Gesn. in Cat. pl. τράγος? Vbi Castor Durant. τράγω & σχοίνιον nominat, ibi descriptio est Vuæ marinæ, Icon autem Tragacanthæ. Sarraceno non possũ concedere Tragum seu Scorpium Plinii lib. 21. cap. 15. esse Scorpionem Theophrasti siue Nepam, quia acinos rubentes ei tribuit, quod Theophrast. de suo Scorpio non scribit: Plinius fortè non benè veprem dixit, non distinguens Tragon Dioscor. à Scorpio Theophrasti. Hist. Lugd. Tragus siue Scorpius marinus Dalechampij. Item Equisetum quartum Matthioli. l. 10. cap. 67. Item Osteocollon, quòd fracta ossa ferruminet. Abundat Hist. duabus figuris & descriptionibus, quæ certo indicio sunt Compilatorem Historiæ non nouisse plãtas, ac ideò ignorasse quid pingeret aut scriberet. Rustici vocant *Mora marina*, quæ occasio vt olim appellarim *Rubum marinum* donec à Domino Dalechampio & Gesn. intellexi esse Tragon Dioscor. quæ sanè opinio placet: quamquam non intelligam quid velit Dioscor. cùm de Tragi fructu ait ὀξέας ἐν ἄκρῳ. Gesnerus olim annotauerat ad Anguillaram, vbi de Crotone ait: An Polygoni species Gesnero. Camer. hort. Tragus *Vua marina*, cuius icon ex Gesneriano typo deprompta. Sciat autem Camer. Gesneri figuram factam esse ad meam plantam siccam. Casp. Bauh. Phyt. *Vua marina 2.* siue minor. Item *Vua tertia* Osteocollon Lugd. idem cum præcedenti aut certè eius species aliqua. Tabern. icon. *Vua marina Monspeliaca* Meertrauben von Mompelier. Clusius vocat Polygonum quartum minus, Vuam marinam, *raisins de mer* Galliæ Narbonensis: Meo tempore, inquit, peritiores ad Dioscoridis Tragum siue Tragium lib. 4. descriptum referebant: cuius sanè aliquot notæ non ineptè huic plantæ quadrant: Nonnulli postea ad Androsacen retulerunt Bellonium secuti, qui lib. 3. obseru. cap. 41. de Androsace agens, hãc innuere videtur. Anguillara Crotonis cuius Nicandri interpres mentionem facit) nomine hanc ni fallor, describit editione duodecima. Multis verò notis, primum præsertim huius plantæ genus, mihi cum Polygono quarto Plinii quadrare videtur, quod describit lib. 27. cap. 12. Posset tamen ad eiusdem Ephedram fortè etiam referri, quæ quibusdam Anabasis etiam dicitur. Hanc Bellonius lib. 1. & 3. obser. arbores conscendere dicit, cuius fructum, Androsaces similem, rubrum edidisse refert. Ego verò hanc solam plantam ferè nascentem, & sese sustinentem, neque vllo adminiculo egentem inueniebam. Fuit quando Lobel. & Pena, Tragum, Androsacen opinati fuerũt: sed illos retinuit Pliniana versio, quæ hîc accuratior quàm quæuis alia. Iidem alibi dubitant, An racemosa Equiseti facie planta, sit Tragos vel Traganon Dioscoridis? & postea, Traganon vocant, profitentúrque Monspelii *Raisins de mer* seu marinam Vuam vocari. Lobel. Obseru. Tragos siue Vua marina maior. Num Equisetum quartum Matthioli, depictum non descriptum? An *Croton* Nicandri Anguillaræ? Titulum Lobelij huc refero, non figuram, quæ sequentis Tragi est: *Vua marina Monspeliensium.*

Iuncus marinus. Castor notatur. Sarrac. notatur. Rubus marinus. Tragos Diosc. Polygoni species. Vua marina. Tragus. Androsace. Croton. Polygonum 4. Plinii. Ephedra. Tragus. Androsace. Traganon.

Monspelii Tragos, frutex copiosè prouenit apud mare: Florentem vidi vere, & fructum ferentem mense Augusto & Autumno. Hanc eandem plantam vidi Bernę in horto Benedicti Aretij: Basileæ durat à plurimis annis in horto D. Iac. Zvvingeri. Montbelgardi aliquando mihi prouenit in horto Ill. E.C. Frater obseruauit Monspessuli florere Maio & Iunio. Reinaudetus Pharmacopœus misit hoc titulo ex Prouincia, Planta marina Equiseto similis: Gener Cherlerus pulchras plantas attulit Monspelio. D. Doldius misit plantulam Norimberga. Frequentem inueniebat Clusius in colle quodam à Salmantica miliari, longissimè à mari, quod equidem satis mirari non potuit, cùm antea copiosum obseruasset locis maritimis, & toto illo tractu inter stagnum Volcarum & Mare Mediterraneum supra *Peraul* & *Megalonam* ad montem vsque Setium.

Locus & tempus.

Vires antè recensuimus ex Diosc. quæ videntur meliùs conuenire surculis quàm acinis.

Vires.

TRAGVS SIVE VVA MARINA MAIOR.

HVmana interdum altitudine fruticat, Spartij quod Hispani Rotama vocant, modo, brachialis crassitudinis aliquando stipite, oblongis ramis, nigricantibus, qui deinde multas virgulas ferunt pedales, tenues, multis internodiis distinctas, vt Equisetum ferè, propendentes, sine foliis, admodum

Descriptio. Rami. Virgæ.



admodum adstringentis saporis: florem secundum internodia confertum, minutum & muscosum, corni floribus non absimilem, pallidum: deinde fructum exiguum mori similem [vt authori quidam retulerunt incolæ: nã florentem duntaxat videbat] rubentem, succulentum, acidum, in quo pauca grana, Milio ferè similia insunt, foris nigra, intus alba: radix dura, lignosaque est.

Flos. *Fructus.* *Radix.*

Vua marina vulgaris Polygonum 2. Matth.: Hispani *Belcho* vocant. Lobel. Plant. Icon. *Tragus siue Vua marina maior*. Eandem in Obs. sub præcedentis titulo exhibet. C. Bauhinus Phyt. *Vua marina siue maior.*

Locus & tempus. Floret cum præcedenti mense Maio, fructus Augusto, etiamque serius maturescit: initio Martii floribus onusta etiam deprehenditur, circa *Velez el rubio*, regno Murciano, vbi plurima nascitur, nusquam alibi Clusio conspecta.

TRAGACANTHA VETERIBVS.

Hirci-spina. LAchrymam habet & Tragacantha [ἡ τραγάκανθα Gaza *Hircispinam* reddit] vocata. Hanc autem priùs putabant solùm in Creta nasci. Nunc autem manifesta est, & in Achaia Peloponnesi, & alibi. Et in Asia circa Mediam comperiri certum est. Huius quidem, vt cæterorum sponte siccus constitit, in lachrymæ modum. Hanc enim cædere non est necesse. In Arcadia copiosa nascitur, & nihilò deterior, vt arbitrantur, Creticâ, sed & aspectu pulchrior. *Locus.* *Lachryma.* *Locus.*

Radix. Tragacanthæ radix, inquit Dioscorides, lata est & lignosa, ac supra terram etiam eminet, à qua surculi humiles [Orib. addit πυκνοί, id est, crebri] robusti, latissimè fusi & in ipsis foliola [in altero codice adiicitur μικρά, id est parua] numerosa, tenuia [πολλὰ λεπτὰ ... Sarrac. vel est transpositio vocis λεπτὰ, iungendaque est voci, ἀκάνθας: vel ... legendum videtur, nimirum ἀκάνθας] inter quæ aculei sese proferunt, quos ipsa occulunt, candidi, firmi, rectique. Est & Tragacantha lachryma, quæ super resectâ radice concrescit: quo in genere præstat pellucens λεία,] læuis, gracilis, sincera ac subdulcis. *Lachryma.* *Delectus.*

Vires. Vim porrò habet æquè ac gummi cutis spiracula obstruendi. Huius autem increbuit vsus ad oculorum medicamenta, item ad tussim, exasperatas voces & vocem interceptam, atque distillationes, cum melle in delinctu. Sed & linguæ subdita liquescere sinitur. Bibitur quoque drachmæ pondere in passo macerata contra renum dolorem, & vesicæ rosionem, mixto cornu cerui vsto & eloto, aut scissi aluminis momento.

TRAGACANTHA MASSILIENSIS.

Descript. *Virga.* FRutex est virgis mediocriter crassis donatus, extremum versus magis crassescentibus, iisque

albidis & lanuginosis, è quibus squammatim prodeunt spinæ candidæ, creberrimæ sextantales aut vnciales, rigidæ, infestæ, ramos comitantes, inter quas flores extremis ramulis hærent, simul aliquot iuncti, genistellæ floribus similes. Huic Aduersaria radicem tribuunt albam, longam, lignosam, crassitie digiti, prolixis flexibus subter humum mersam, spinas verò siue spicula foliis vtrinque quasi primis donata scribunt, quæ ima & vetustiora nihil aliud quàm veprem, aut aristæ nudæ effigiem ostentent, qualia nos ex sicca planta iam descripsimus: porrò autem & vni radici plures virgas, cubitales cum procerissimæ sunt, rigidas, lignosas: flores colore albo describunt; siliquam numerosam, rectam, genistellæ spinosæ modo, sed multò minorem & candidam, in qua semina exilia, albicantia includantur, Sinapi magnitudine, angulosa. *Flores.* *Spinæ.* *Virga.* *Flores.* *Siliquas.* *Semina.*

Tragacanthæ plantam à qua effigiem quam passim, exhibet Matth. deprompsit, ad eum misit studiosus qui illam attulerat ex Apuleiæ Gargano monte. Ea certè, quæ nullis prorsus notis à Diosc. historia dissentiat. Et rursus: Poterium adeò Tragacanthæ proximum habetur, vt illi omnibus notis congener esse videatur. Peculiariter autem supremos ramos habet in vertice exuberãtes & tenui lanugine obductos, quod in Tragacantha non visitur. Plantam quam idem pro Poterio appinxit, eique Constantinopoli Augerius à Busbecke misit, eandem suspicor stirpem cum eius Tragacantha: ramus enim mihi datus Patauii per D. Cortusum pro Poterio, qui non videtur differre à Tragacantha Massiliensi.

Nobiscum sentire videtur Camer. ad eiusdem Hist. Germ. qui dicit, Tragacanthæ appictæ non dissimile Poterium, aut Tragacantha 2. Clusii in Hispania prouenienis.

Dodon. Lat. in fol. Tragacantham Latinè Spinam hirci dixerit. Apud Cast. Dur. pro Trago siue Vua marina posita Tragacanthæ Icon. Tragacantham aliquando Massiliæ florentem & fructu prægnantem obseruauit Clusius. Tragacantha Hircispina poterit vocari, *Espine de bouc*, flos albicans, interdum distinctus lineis purpureis. Rauvvolf. in itin. Tragacanthæ tres species facit, inter quas vnam similem Tragacanthæ Clusii dicit, quam veræ Tragacanthæ valdè similem æstimat. Quod autem Clusius duas habet species, ideò minus constat quam intelligat Rauvvolfius, an eam de quâ hic agimus vel sequentem. Tabern. Icon. & Hist. Tragacantha prima. Item Poterium. Vna eadémque figura. Lonic. Tragacanthæ figuram habet Matthioli. Bellon. lib. 1. Obseru. cap. 17. duas Tragacanthæ herbæ species circa Montem Idam inuenit, quarum fortè hæc erit vna ex iis, quas Matthiolus tradit & nos hoc loco. Anguill. hanc fortè describit epist. 8. pro Tragacantha. Huc pertinet Tra-

gacantha Lob. & Penæ. Adu. & Icon. Plant. hircinos spirillos & aruncos imitata, vera Tragacantha, Massiliæ *Barbe Renard & Ramebout*, id est *Vulpina herba.* vulpina herba & surculus hircinus vocatus: Item Matthiol. Poterion Constantinopoli missum, de quo iidem aiunt: nihil aliud quàm Tragacantha est, aut ex eius icone depictum cuius descriptionem tacuit: Verumtamen dicit esse Tragacanthæ simile, sed veriùs dixisset eandem esse. Hist. Lugd. Tragacantha Matthioli: item figura altera & descript. Poterium Matthioli.

Locus. Plurima fruticat in Galloprouincia propè ad Pomoeria Massiliæ, in marinis collibus ad Austrum alijsque finitimis locis passim multa: Mechliniæ Mercator fouit domi totam glacialem hyemem. Tragacantham nunc in multis Italiæ locis præsertim Potino vocato Brutiæ monte reperiri, certissimum esse affirmat Marantha. Tragacantham prout pulchrè à Matthiolo depicta, vidi Monspelium allatam ex Massilia. Ante quadraginta annos Doctus Pharmacopœus Iac. Reinaudetus mihi misit ex Galloprouincia cum alijs multis. Frater attulit mihi Ramulum datum à Domino Cortuso pro Poterio, quod discernere non possum à Tragacantha.

TRAGACANTHA GVMMI.

Descript. E Vulnere spinosæ plantæ Tragacanthæ manat, quale autē ad nos adfertur gūmi, est glutinosum candidum, aut flauum, aut ex russo pallescens, contortum in erucarum, vermiculorúmve formam, tanquam violentiore pressu per densius colum transmissum, sapore subdulci, & ferè fatuo, *Sapor.* aquam cui infunditur in lentam sequacémq; mucaginem conuertens.

Lachrymam à vulnerata radice Tragacanthæ manantem[quam Seplasiarij vulgò vocant Gummi Tragacanthum]& quæ passim in Officinis concreta visitur (è Creta Asia & Græcia aduectam) *Monachorum error.* Monachi in Mesuem apud Matthiol. veram esse Tragacanthæ Lachrymam negant, quòd legitima linguæ subdita facilè Diosc. testimonio colliquescat, hæc verò nunquam: quā quidem in re eos toto cœlo aberrare scribit Matthiol. vt qui Dioscoridis sententiam perperàm acceperint, siquidē Dioscor. non de sola Lachryma linguæ subdita, sed in eclegmate cum melle conformata, vt mox patebit, illud fieri scribit. Huic & alia accedit ratio: quòd si intellexisset Dioscorides lachrymam per se tantùm linguæ submittēdam, subiunxisset quibus in morbis id factitandum esset: quādoquidē planè absurdum foret scribere, quòd aliquod gummi linguæ subiiciendum paulatim liquefiat, ac deinde silentio præterire, in quem vsum & quibus in morbis id faciendum.

Nomina Linguarũ. Τραγάκανθα, Lat. & Ital. *Tragacantha*, Arab. *Chitica, Itica, Chateth, Alcuted*, seu *Alkitrad*: Germ. **Dragant**, Hisp. *Alquetira.*

Locus. Tragacanthen in Creta nasci Plinius nouit, spinæ albæ radice multùm prælatam, apud Medos aut in Achaia nascenti. Theophrast. autem lib. 9. ait, ἐν Ἀρκαδίᾳ δὴ τραγάκανθα ... καὶ οὐδὲν χείρων ... κρητικῆς, ἀλλὰ καὶ τῷ ὄψει κάλλιον.

Vires & Vsus. Oculi. Thorax. Vim habet, autore Dioscoride, meatus obducendi similem gummi. Vsus eius est ad medicamenta ocularia, & ad tusses, & arteriæ asperitates, & vocem retusam, & destillationes, in eclegmate cum melle. Subdita etiam linguæ liquescente succo deuoratur. Sed & macerata in passo drachmæ *Renes.* pondere bibitur ad renum dolorem & vesicæ erosionem, ammixto cornu ceruino vsto ac loto, aut modico alumine scisso. Galenus velut Dioscor. Tragacantham similem gummi vim habere ait, meatus obducentem, & acrimonias obtundentem. Sed & similiter, inquit, vt illud siccat. Tragacanthæ lachrymā Officinæ gummi Dragaganthū vocant: notissimū est & familiarissima ex ea maximè cōpositione, quæ ex ipsa Dragaganthū appellatur, & in asperæ arteriæ ac pectoris vitiis vsurpatur.

TRAGACANTHA ALTERA, POTERIVM FORTE Clusio.



Descriptio TRagacanthæ, quam aliquando Massiliæ florentem & fructu præditam obseruasse meminit Clusius, simillima est hæc Tragacantha altera, fruticosa admodum, multos pedales *Ramuli.* habens ramulos flexibiles, latè circumquaque sese diffundentes, candicantes, & dum adhuc tenelli sunt, lanuginosos, multis longis canescē- *Spinæ.* tibus spinis horrentes: foliorum plurima simul iunctæ alæ, Lenticulæ aut Tragacanthæ proximè, exiguæ, candidę, lanuginósęque primo Vere per interualla exeunt, dulcis saporis: foliis hyeme decidentibus, nerui illi medii quibus folia inhærebant in rigidas & acutas spinas euadunt, vt eo tēpore tota planta sine foliis conspiciatur, contrà quàm in Tragacantha, quę hyemę etiam folia retinet, nec ea abiicit donec noua sequente anno adquisierit: tum demum, deciduis vetustis, nerui illi medii etiam in spinas abeunt. Istam neque florentem, neque semen ferentem autor vidit, *Folliculi.* sed sub ea plurimos folliculos bombycinis similes, aut Alceę illius, quam Matthiolus Hypecoū appellat, folliculis ferè pares, inanes inuenit, quos ab illa excidisse, & florem ex similibus prodire album, non magnum, incolę referebant: de semine nihil certi intelligere potuit: radix lenta, *Radix.* longa, in multos ramos diuisa, nigro cortice foris obducta, materie intus candidā, fungosā, dulci, interior pars gummosum quidpiam & subdulce refert.

Poterion. Neurados. Tragacanthę est adeò similis, vt sibi autor facilè persuadeat ποτήριον esse, quod ab Ionibus νευράδα vocari Diosc. ait: Nisi fortè ea sit quam Strabo circa Carthaginem esse scribit, de cuius cortice telæ pulcherrimę conficiantur. Bellon. lib. 1. Obseru. cap. 17. Fortè Tragacanthę secundum genus verticum Cretensium montium. Lob. Plant. Icon. Tragacantha altera fortè, siue Hist. Lugd. Poterion Clusio. Tabern. Icon. Tragacantha 2. **Bocksdorn Dragant 2.** An Rauvvolfii itiner. lib. 2. c. 12. Tragacantha minor altera, satis alioqui similis primæ, demptis floribus luteis, qui singuli sunt in folliculo rotundo, subluteo, aliquot in longo pediculo, de qua mox?

Nascitur

Locus. Nascitur plurima circa *Guadia & la venta el peral*, Granatensi regno, in collibus, arido, & inutili solo, nec alio loco conspexit Clusius.

TRAGACANTHA RAVVVOLFII.

Descriptio. *Flosculi.*

Tragacantha altera Rauvvolfii, paulò humilior est primà, persimilis tamen, nisi quòd flosculos fert luteos, confertos, pediculis longis hærentes, quorum singulares rotundis & flauescentibus folliculis insident. Tertiæ altitudo par, virgæ robustæ rubentiores, in quibus conspiciuntur alba lanuginosa Poterii capitula, purpureis flosculis ornata.

Inter Icones Rauvvolfii №.131. Spinæ Tragacanthæ aliud genus. Hist. Lugd. in Append. Tragacanthæ alterum genus.

POTERIVM ANTIQVIS.

Poterion Diosc. Neuras.

Poterion Iones, quod apud Dioscoridem, Neurada vocant. Frutex est magnus, ramos habens longos, molles, lori modo lentos, tenues, Tragacanthæ similes: folia parua, rotunda. Totus autem frutex tenuem lanosam lanuginem obsitam habet, & est spinosus. Flores sunt parui, albi. Fructum autem fert gustu odoratum, & acrem, inutilem. Nascitur in palustribus, & locis terræ editioris. *Locus.* Radices subsunt duorum, aut trium cubitorum, robustæ, neruosæ, quæ ad terram resectæ lachrymam remittunt gummi similem. *Gummi.* Hæ contusæ & in cataplasmate impositæ, neruos dissectos & vulnera glutinant. Sed & decoctum ipsarum potum, neruorum affectionibus conuenit. *Vires.* Sunt & ranis venena, rubetis maximè, vidimúsque, inquit Plinius, Psyllos in certamine patinis candefactas admittentes, ocyore etiam quàm aspidum pernicie. *Rana venenata.* Auxiliatur eis Phrynion in vino pota: aliqui Neurada appellant, alij Poterion, floribus paruis, radicibus multis, neruosis benè olentibus. *Phrynion. Neuras. Poterium.* Item postea: Poterion, aut vt alii vocant Phrynion vel Neuras, largè fruticat, spinis retorrida, lanugine spissa, foliis paruis, rotundis, ramulis longis, mollibus, lentis, tenuibus, flore longo, herbacei coloris: seminis nullus vsus, sed gustu est acuto & odorato. Inuenitur in aquosis collibus. Radices habet duas aut tres, binûm cubitorum in altitudinem, neruosas, candidas, firmas. Circumfoditur Autumno, & præciso frutice dat succum gummi similem. *Vires.* Radix mira vulneribus sanandis traditur, præcipuéque neruis vel præcisis illita. *Decoctum.* Decoctum quoque cum melle potum, dissolutiones neruorum, & infirmitates, & incisuras iuuat. Ego, inquit Cornarius, non aliam plantam Poterion esse sentio, quàm eam spinam ac sentem, quæ à nostris Prunus sylu. [Schleedorn] appellatur, cui & parui albi flores sunt, & reliqua omnia Poterio à Diosc. attributa, maximè tamen fructus gustu odoratus, velut Dioscor. ait, καρπὸν ἔστι ὀδώδη, καὶ δριμὺν ἄχρηστον. His enim locis de Græcis conuersis Plinius non cognouisse videtur, quæ planta Poterion esset: alioqui enim priore loco non flores paruos, quæ ἄνθη μικρὰ legit, ei attribuisset: *Plin. not.* posteriore verò flores longos, eósque herbacei coloris, velut qui ἄνθη μακρὰ χλωρὰ legerit: quum recta lectio sit, ἄνθη μικρὰ λευκά, velut Diosc. habet. Plinius huius velut ignarus καρπὸν Diosc. semen dixit & δριμὺν acutum reddidit, quum neque acutus, neque δριμὺς propriè sit, sed στρυφνός.

Plinius excusatur & Corn. reprehenditur.

Cornarius malè sibi persuadens Prunum syluestrem esse Poterium Plinium videtur nobis sine causa redarguere, quòd δριμὺν dixerit acutum: si Plinius ignorauit Poterium ipsi etiam fuit incognitum, non enim potest esse Prunus syluestris, *Prunus sylvest. non est Poterion.* vt indicatum lib. 2. cap. de Pruno. Galenus Neurada, quam aliqui Poterion vocant, siccantem citra mordacitatem vim habere ait, *Temperamentum.* vt neruos dissectos glutinare credatur. *Nerui.* Sunt autem, inquit, radices eius maximè tales. Et sanè etiam decoctum ipsarum quidam his qui ex affectis neruis laborant exhibent. *Vires Neuras Galeni.* Cæterùm, quòd neruis peramica sit νευρὰς vocarunt, & Poterion fortè, quia potrix paludosi, riguique soli amans sit. *Neuras vnde.*

Poterio cur Prunus syl. Pimpinella spinosa. Tragacantha.

Iam diximus Cornarium malè existimasse Prunum syluestrem esse Poterium. Pimpinella spinosa, vt paulò pòst dicetur à quibusdam censetur Poterion, quod non placet Honorio Bello, nec nobis.

Clusius pro Poterio exhibet Tragacanthæ genus, de quo paulò ante.

Lobelius asserit Poterium Matthioli nihil aliud esse quàm Tragacantham, quæ & nostra est opinio.

Locus. Aiunt, inquit Anguill. Poterion reperiri in Catania & Messina Siciliæ, verùm quia eam plantam non viderim, nihil præterea dicere possum.

Vaccinia palustria. Palustria vaccinia siue Oxicoccum Cordi, sunt authore Lobelio, Poterion Dalechampii.

POTERIVM QVIBVSDAM SIVE PIMPINELLA SPINOSA.

Descript. *Ramuli. Spina. Folia.*

Lignosis ramulis palmaribus & longioribus, densissimè fruticabat mihi in horto, cancellata ramulorum minorum & spinarum breuium rigidarúmque agmine patulo, cortice rubente & hirsuto: foliola pimpinellæ sanguisorbæ, multò minora, hirsuta, eadem incisura in alæ formam disposita costæ adhærent à spinis diuersæ, subtus glauca, superiùs saturatè virentia. *Descriptio Rauvvolfii. Caules.* Natali verò solo hærentem plantam Rauvvolfius in Hodœper. scribit, fruticem peregrinum spinosum, caulibus cubitalibus densè fruticare, multis in terram procumbentibus ramis, *Rami.* plerósque verò omnes stolones statim ex radice rubente, saporis sicci & nonnihil amaricantis oris, cortice tectos, exteriore incano tenero, cui alius subsit rubeus: *Folia.* foliis esse tenellis longiusculis in pediculis ordine ex aduerso positis, supernis vtrinque virentibus, infernè cinereis, nostræ pimpinellæ sanguisorbæ similibus: *Flores. Bacca.* flores primo Vere conspici herbacei coloris, stellatos, paruos, quibus succedant baccæ exiguæ, albicantes, cum pauxillo rubore, ordine quodam ad ramos sessiles, Ribis nostri baccis haud absimiles, conspicuo adhuc in vniuscuiusque baccæ vmbilico flore.

Descriptio Belli. De hac planta hæc tradit Honorius Bellus in Epist. ad Clusium. Elegantissima planta, quam [ni fallor] nonnulli Poterion perperàm appellant, alii *pimpinellam spinosam*. Planta hæc perpetuò in Creta viret, multósque annos durat, in orbem diffusa, in vno pediculo folia plura vtrinque disposita, quæ cùm Autumno primùm erumpunt in se contracta videntur; & Aspleni folia quodammodo imitantur, sed longè minora, quæ tamen successu temporis maiora apparent, *& pimpinellam Sorbastellam* vocatam foliorum positu & diuisuris æmulantur; minora verò sunt. *Spina. Semina.* Tota planta crebris figuris & tenuibus spinis scatet: semina fructus Rubi aut Mori imitantur, pluresque-

enim simul congesti sunt, initio virides, postea ad rufum tendentes: flores paruos, carnosos ex viridi rufescentes multósque simul congestos profert. Super hanc stirpem nascitur Epithymum, quemadmodum super Thymum iisdem collibus frequentissime inuenitur, in quibus & Thymum & Thymbra & Asparagus proueniunt, nunquam autem inuenitur palustris. Adstringendi vi pollet, vulgaritérque in tota Græcia στοιβὴ vocatur. Quòd autem sit Dioscoridis Stœbe, & Phleos Theophrasti, [non Phleum quod à Phleos diuersum] Stœbe Plutarchi, & Stœbe Aetii, vt cum Honorio sentimus, dicemus ibi, vbi de Veterum Stœbe & Phleo scripsimus.

Flores. Epithymū. Locus. Thymus, Thymbra, Asparagus. Stœbe.

Planta à Rauvvolfio hîc descripta *Tripoli* ab incolis in itiner. lib. 2. cap. 12. pag. 286. & 287. de plantis *Bellan* vocatur: existimat autem is esse *Hippophaen* Dioscor. propter figuram. Vires non est expertus, nec succum. Idem intericon. Num. 287. Peregrinam spinam Aethiopibus Bellan dictam scribit, proponens dubiè, An Hippophaes Dioscor. Sed Hippophaes Dioscoridis esse non potest bellan, cui non sunt folia Oleæ, nec succus lacteus, nec facultas purgandi sed contraria astringendi.

Bellan. Hippophaes. Rauvvolff. notatur.

Lob. & Pena Adu. Poterion aut Νεύρας. Obseru. Poterion Cyprus *Mazino* & *Stiuida*. Icon. pl. Poterion. Hist. Lugd. Poterium Penæ & Lobelii: Item in append. Maurorum Bellan fortasse Sanguisorba spinosa. Item lib. 4. cap. 31. Poterium Penæ & Lobelii. Existimamus Compil. Hist. Lugd. non admodum peritum stirpium, confudisse cum Lobelii Poterio *Vaccinia palustria* quæ quondam Dalec. Poterion censuit, teste Lobelio: Nobis etiam non fit verisimile Pimpinellam spinosam loco modo dicendo prouenire. Dalechampius inquit Clusius: Poterium in Allobrogibus propè Muram oppidulum Gratianopoli vicinum in silnosis conuallibus reperiri ait. Sed si eam intelligit à plantâ quæ plerisque Poterii nomine donatur, vereor, vt suam opinionem legitimis rationibus tueri possit: quippe cùm ea planta penitùs à Tragacantha differat: nonnullis Pimpinella spinosa appellatur: Nonnunquam etiam mihi missum eius semen Stoebes Theophrasti nomine, & vulgò adhuc ipsam plantam in Creta vocari Aeracis ἀκτίδα scriptum. Anguill. videtur ad χάλκιον siue Aeraciam Theophrast. referre. Quandoquidem autem Pimpinella spinosa, folia non habet Lentis, nec fundit Lac, nobis non videtur Aeracia Anguillaræ: hac in parte igitur dissentimus à Clusio & Camerario hort. dicente: *Astiuida* Cretensium à στοιβὴ vt quidam putant corrupto nomine Pimpinella spinosa, forsitan Chalconia & Aeracia Anguillaræ. Poterium Lobelii idem cum Pimpinella spinosa. Hort. Patau. Stoebe quorundam *Astiuida*.

Poterion. Mazino Stiuida. Bellan Sanguisorba spinosa. Hist. Lugd. notatur. ...ra spinosa ... Astiuida. ...alcoma. ...oebe.

In decliui montis Libani parte nasci vidit Rauvvolfius, Augusto satum prouenire, sed hyeme perire. Lobelius primùm vidit in quadam areola horti Patauini opera Guillandini: Deinde ex Australi tractu Pedemontanæ regionis vulsum ipsi misit Pharmacop. Massiliensis Iacobus Reinaudetus. Priusquam scriberet Lob. & Pena multis annis Poterii nomine Dominus Cortusus Patauii demonstrauit plantam siccam & viridem, quę hîc erat etiam in horto publico virens Martio. Dominus Cortusus alebat in vase, folia accedebant ad Sanguisorbam: sed minora, multa, spinæ etiam multæ longæ, plantæ altitudo vix ad quinque digitos proueniebat. Montbelgardi sata in Horto Ill. E. C. quàprimùm autè animaduertentem prouenientem, dubitabam an esset Sanguisorba: reposita, hieme periit. Frater Casp. Bauhinus mihi indicauit Cortuso esse Chalchion & Aeraciam Anguillarę. Ex Burgundia missum mihi semen nomine Astiuidæ Cretensium. Semen mihi præterea missum Stutgardia ex seminibus ab Hortulano Ducis Florentiæ missis cum hoc titulo: Pimpinella spinosa an Stoebe vera Cretica.

Locus & tempus. Poterium. Chalchion & Aeracia. Pimpinella spinosa Stœbe Cretica.

Stiuida facultatis est adstringentis & adhuc in sanandis alui fluoribus indistinctè à rusticis Cretensibus vsurpatur. Nam eius in aqua decoctionem ieiuni bibunt, & à morbo vt aiunt liberantur, Bellus.

Vires & vsus. Alui fluor. Decoctum.

HIPPOPHAES ANGVILLARAE ET DODONÆI, SIVE SPINA purgatrix.

Hippophaes inquit Anguillara, epist. 8. Sabulosis Peloponnesi maritimis, quæ nũc Morea dicitur, oritur, cuius radix ob vehementem vim purgandi quibusdam spinæ purgantis radice nominatur, suffrutex est spinis durissimis: spargit se in comam rotundam, albam: folia Oleæ longiora, angustiora & teneriora: nec florem, nec fructum vidi, fortè eum offendendi non erat tempus: radices palmos longiores, lacteum succum frangendo fundunt amarissimum, odore graui, similem plantam in Italia non reperi.

Locus. Vires. Spina purgatrix. Descriptio Spinæ. Folia. Radix. Odor.

Dodon. Lat. in fol. Hippophaes ex Cod. Cæs. Hippophaes *Anguillaræ*, Hippophaes Dioscoridis & Plinii. Lobel. & Pena Adu. *Hippophaes*, Hippophæstum vocatur vulgò Spina purgatoria. Casp. Bauh. Phyt. Hippophaes ex Cod. Cæs. Dodon. Anguill. non nouim. Hist. Lugd. Hippophaes Dodon. & Anguill.

HIPPOPHAESTVM, QVORVMDAM DALECHAMPIO.

Spina hîc depicta, ad Dalechamp. Hippophæsti nomine missa est, è Melita insula, de qua apud Hist. Lugd. nihil asserit, sed lectoribus liberam iudicandi potestatẽ relinquit. Est autẽ spina candida, diffusis huc illuc ramulis, aut potiùs spinis, sparsa: flore exiguo, albo, veluti racematim congesto. An Cathartica sit, an succus lacteus purgatorius, radice, caulibus, foliis exprimatur, asseuerare non potest, quoniam arida missa est planta, nulla adiuncta mittentis historia.

Descriptio.

ECHI.

ECHINOPVS PLVTARCHI QVIBVSDAM.

Descriptio Rami. *Spina.*

RAmis multifidis, rufescentibus fruticat, pro foliis sunt spinæ concolores, vnciam longæ, Iuniperinis foliis, rigiditate aliquatenus ascendentes, parti cum illis latitudine, planæ, paulùm extrorsum reflexæ, in fibras fatiscentes, tam denso agmine positæ, vt vbi plantulam impunè attingas, nescias, squammatim circa exortum ramis incumbentes: pro Echinopo Plutarchi accepi nescio vnde: Præterea chariss. Frater Casp. Bauhinus dedit portionem nomine Echini maioris Theophrast. Cortuso, qui ex magna planta desumpserat. Obseruent lectores quæ antè scripsimus sub titulo Echinopodæ Cretensium.

Echinus maior Theophrasti. Echinopoda Cretensiũ.

CHALCIOS, AVT ÆRERIA.

Locus. Descriptio Spina. Folia. Lac. Chalcoma.

HOdierno adhuc die, authore Anguillara, reperitur planta in Peloponneso, & *al Zante*, quæ suffrutex est spinosus, coloris rufi, et spinæ subtiles, folia similia Lentis foliis, sed minora, & eodem ordine in ramulo, ea fracta instar Tithymalorum lac fundunt: in prædictis prouinciis vocant *Chalcoma*, quæ vox æs denotat.

GALASTIVIDA, SPINOSA PLANTA, FOLIIS LEVCOII, FLORIBUS albis.

Nominatio. Locus.

GAlastiuida, inquit Honor. Bellus epistola ad Clusiũ, sic vocata ob similitudinem,

quam cum Stiuida [siue pimpinella spinosa] habet, multitudine spinarum, oritur in parte Australi Insulæ [Cretæ] quæ quinquaginta milliaribus distat à Cydonia, eius formæ non rectè memini: semina, quæ mitto, terræ mãdare poteris, & ipse eam obseruare. Hanc tamen sic postea describit idẽ Honorius, Galastiuida, cuius semẽ aliàs misi, radicem habet multifidam lignosam, firmam, longam, multos caules coniunctim proferens, in orbem distenditur, & latè fruticat, pedem altitudine non excedens: caules albi sunt, crebris, firmisque spinis præditi: inter quos folia Leucoii albi foliis similia, licèt minora, & quadam lanugine oblita: flores Verbasco aut Blattariæ similes, albi, paululùm ad flauum tendentes, in quorum medio stamina quædam purpurea: floribus succedunt exiles siliquæ, rotundæ, tenuissimum semen continentes.

Descriptio. Radix. Caules. Spina. Folia. Flores. Siliqua.

Rustici ad struendum ignem, calefaciendásque fornaces, eâ vtuntur, ob similitudinem verò spinarum, quam cum Stœbe habet, & album colorem, Galam-stiuidam nuncupant, non quòd lac emittat. Posset fortè hæc non incommodè poni post Leucoium: siue Thlaspi spinosum, siliquâ rotundâ, flore luteo.

Vsus.

GALASTIVIDA ALTERA, SIVE TITHYMALI GENVS SPINOSVM.

Spina. Flos. Folia. Lac. Radix.

CRetensibus est alia planta, inquit Bellus, ex Tithymali genere Galastiuidæ nomine donata, quæ spinas, vt prima profert, luteos flores, folia parua, rotunda, lac copiosum effundens, radice [si rectè memini] carnosâ, cuius historiam aliàs dabit author.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

Digitized by Google

HISTORIAE VNIVERSALIS PLANTARVM.

LIBER DVODECIMVS

QVI EST ARBORVM SILIQVOSARVM RARIORVM, HISQVE SIMILIVM.

EST & Siliquosis arboribus sua tribus. Vt frustra Veteres plerique fuisse videantur, qui siliquis leguminosis tantùm tribuerint. Quanquam & Plinius, & Columella, & Galenus Siliquam arborem per eminentiam ita dictam vtique agnouerint. Est sanè Siliqua κεράτιον Græcis, omne folliculum seu integumentum, potissimùm oblongum atque biualue, quod grana in se continet, ordine quodam disposita, aut tale quid simile. Nam in arboribus varietas quædam obseruatur. Itaque bonis auibus ad exequendas eas accingamur.

SILIQVAE ARBOR, SIVE CERATIA.

CAP. I.

ARBOR, cui fructus cornu modo intortus, siliquæ & κεράτιον nomen fecit, calidioris soli amantior, crasso, vt tradunt, caudice, in magnam excrescit altitudinem, latè ramos spargens, longos, firmos: folia in alam disposita, (Clus. alata vt Terebinthi aut Pistaciæ, maiora) quorum singularia breui pediculo ad costam annexa, subrotunda, tres vncias, plùs minùs lata, paullò longiora, crassa, rigida, neruosa, crebris obliquis venulis in margines excurrentibus, superiùs atro virore splendent, inferiùs Nou. & Decēb. iulum instar iuglandis ferè in flores ex rubro purpurascētes sese aperientem emittunt: deinde siliquæ non tantùm digito indici æquales, sed & altero interdum longiores, latiores, modicè intortæ, compressæ, callo dulci, eduli, semina claudunt membranis distincta, seminibus Cassiæ solutiuæ ferè æqualia, minora tamen, colore spadiceo obscuriore, compressa modicè, altero fine in acumen leuiter desinente, altero latiusculo, pulpâ buxea, dura, & leguminosi quid resipiente. *Etymon. Locus. Descriptio. Siliqua. Pulpa seminum.*

Nostra icon nobis absentibus facta est ad iconem Alpini, quæ parum placet. Quare aliam ex Camer. apud Matthiol. Germ. eiusdem Epitome proponimus iconem, quæ meliùs allubescit, quamuis & in ipsa desideremus aliquid: Si enim flores sunt tales, & eo ordine quo Camer. exprimit, in ipsius icone siliquæ non videntur foliis scitè appensæ. Præterea si flores sunt racemosi nec figura Matthiol. Lobel. & aliorum bona erit, in quibus singulares siliquæ ex ramis pendent de breuibus pediculis: Est nobis folium in binas diuisum alas, datum Bononiæ anno 1563. per celeberrimum Medicum, omnisque naturæ scientissimum, professorem excellentissimum Dominum Vlyssem Aldroandum.

Dioscoridi dicitur Siliqua [κεράτιον], vti etiam in Euangelio Diui Lucæ cap. 15. in parabola de Acolasto seu filio prodigo, qui cum porcis vesci κεράτια dicitur, quod malè in versione Germanica Treberen/ id est Vinacea, redditur, vel Früsch/ vt habet Tigurina, id est, furfur. Non enim Galli benè conuerterunt *Escorces*: & Itali *le scorze*. Horat. *vivis siliquis & pane secundo*.

Siliqua. Ceronia Theophr. Ficus Aegyptia. Syca Aegyptia. Ceronia.

Siliquam, ait Theophrast. grandibus ex ramis [ἀκρεμόνων] fruticare dicunt. Hæc [ἡ κερωνία] enim fructum, vel ex iis fert, sed non multum: vocant enim Siliquam [κερωνίαν] ex qua Ficus Aegyptiæ appellatæ [σῦκα τὰ αἰγύπτια καλούμενα] producuntur. Fico Cypriæ similis est, quam Iones Ceroniam vocant: nam & ipsa caudice maximam fructus partem expellit, ramis autem [vt diximus] paucum fert fructum, Siliquosum verò [λοβὸν] quem aliqui Ficum Aegyptiam vocant errantes, (nulla siquidem penitùs in Aegypto, sed in Syria nascitur, & in Ionia circa Cnidum, Rhodúmque] foliis semper comantibus, flore candido & olente grauissimè, radice leuiter sublimi, atque omnino plantigera imis partibus est, superiùs tamen subarescens: Fructum anniculum simul, & nonum habet: altero namque detracto post Canis ortum, protinus alterum gigni patescit: gignitur enim Vuæ modo indiscretus, atque vniformis: tum auctus circa Arcturum, & Aequinoctium floret: dehinc hyeme exactâ, durat vsque ad canis ortum.

Siliqua Græca. Ceration.

Columell. huius obiter meminit: Siliqua Græca, inquit, quam quidem κεράτιον vocant ante brumam per Autumnum serenda.

Cerannia. Ficus Aegyptia.

De hac Plin. lib. 13. c. 8. Similis his [Ficui Aegyptiæ. Cypriæ] Siliqua quam Iones Ceraunia vocāt, trūco & ipsa fertilis, sed pomo Siliquæ [Siliquato Dalec.] Ob id quidam Ægyptiam Ficum dixêre, errore manifesto. Non enim in Aegypto nascitur, sed in Syria, Ioniáque & circa Gnidum, atque in Rhodo, semper comantibus foliis, flore candido, cum vehementia odoris: plantigera imis partibus, & ideò superficie flauescens, succum auferente sobole: pomo antecedentis anni circa canis ortus detracto, statim alterum parit: postea florem per [post] Arcturum hyeme fœtus enutriente. Adhæc lib. 15. cap. 24. Haud procul abesse videntur [à Castaneis] & perdulces siliquæ, nisi quòd in iis cortex ipse manditur, digitorum hominis longitudo illis, & interim falcatâ pollicari latitudine. Ceratia quorum tertia syllaba per literam T & scribitur & pronuntiatur, nihil habet cum Cerasiis, per S. scriptis, similitudinis, monente Galeno. Scribit Hermol. Georgium Tiphernatem Ceraunium in Strabone pessimè interpretatum esse Siliquastrum. Gatinaria pro Xylocarata, vel Xara, vel Squilla legendum putat & rectè, Siliquam. Arbitratus est aliquando Gesnerus, Siliquam κεράτια & κερατωνίαν à Ceronia [τῆς κερωνίας] longè aliam esse arborem, cui opinioni non adhæreo, sed Clusium sequor, qui nullo discrimine eandem esse censet. Siliquas autem Græcis esse κεράτια & ξυλοκέρατα, attestatur Cornarius, & hinc Xylocaractas officinas corruptâ voce appellare: Esse autem fructus arboris quæ κερατωνία vocetur.

Xylocaracta offic.

Siliquæ, inquit Matth. quæ Græcis κεράτια dicuntur, in Italia officinis vulgò *Carobe*, & *Carobole*: in regno Neapolitano *Salequa* vulgò nominant, vocabulo nimirum à Siliqua detorto. Arabicè *Charub*. Germ. Sanct Johansbrodt. Hisp. *Alfarabas*, Gall. *Carouge*. Aliud Siliquarum genus quod Ficum Aegyptiam cognominant scriptis

Charub Arab. Ficus Aegyptia de-

tradiderunt Theophr. & Plinius de quibus mihi disserendum non proposui, quod Italis non cognoscantur. Hæc ille, qui mihi videtur parum considerasse verba Theophrasti & Plinii, quæ iam recitauimus, qui putant Siliquam siue Ceroniam, aliquibus Ficum Aegyptiam dictam, diuersam à Siliqua siue Ceratia.

scripta à Cœciliæ. *Matthiol.*

Et hanc erroneam Matthioli opinionem secuti sunt Cæsalpinus & C. Bauh. suspicantes Theophrast. & Plinium intellexisse Cassiam purgatricem, quæ longè diuersa, vt patet ex collatione vtriusque descriptionis: nempe Ceratiæ & Cassiæ, vti postea cap. de Cassia monemus. Meritò igitur Dalech, scribit apud Plinium: Siliqua hæc nostra Carrobia est. Falluntur qui arborem Iudæ esse putant, quoniam arboris eius ruber flos est, non albus, qui præterea Cassiam nostram fistularem opinantur non minùs quàm illi decipiuntur. Est enim illi flos luteus, teste Theophrasto. Dalechampii sententiam equidem probamus: sed eius argumentum non validum, arbor enim Iudæ fert etiam flores albos, teste Clusio.

Cæsalp. & C. Bauh. notantur. *Cassia purgat. non est Siliqua.* *Arbor Iudæ non est siliqua.* *Dalech. not.*

Lonicerus Sanct Johansbrodt/ quasi panem S. Iohannis diceret, Græcè Ceratiam, Latinè Siliquam: & sic etiam Cordus in Diosc. Lacuna & Castor vocant. Scaliger in Theophr. *Carobam*. Turn. part. 2. Siliqua. Angl. *Carob* vel *Beane tree*, fructus *Carob coddes* vel *Carab beans*: malè Angli interpretes noui testamenti verterunt *Coddes* simpliciter, hoc enim vocabulum omni legumini commune est.

Panis S. Iohannis. *Caroba. Error interpret. noui Testam.*

Apud Turnerum pro Siliqua malè posita est figura Piperis Siliquastri. Anguill. describit, dicens, Siliquam arborem vocari Carobe, & *Cornas chie marine*. Lob. & Penæ Adu. κεράτια, Siliqua Carobe, Carobia Actuarii, & vulgò Prouincialium, antiquorum κερατωνία. Obseru. κεράτια Siliqua: Gall. & Prouincialibus Carobe à Chaldæis, sic etiam dicta. Angl. Sclick tree/ Ital. *Silique & Carobe*, Hisp. *Algarrouas*. Icon. Plant. & Tabern. Ceratia siliqua. Prosp. Alpin. Siliqua dulcis, Carob, vel Carnab ab Ægyptiis dicta. Camer. hort. Siliqua siue Ceratia. Dodon. Gall. & Lat. in fol. *Ceratoniam arborem* vocat. Hisp. *Garouo*: κεράτιον autem, siliquam, aut Siliquam dulcem, in offic. nonnonnullis Xylocaracta: in aliis *Carobe* aut *Carobole* vocibus Italicis: ab Apulis verò *Salequa* vocatur: Hisp. *Alfarobas*, aut *Algorauas*, & absque articulo *Garouas*. Cæsalp. *Siliquam* arborem appellat, *Carrubias*. Clus. *Siliqua*, Græcis κερωνία: Arborem Gall. *Carouger*, fructum *Carouges*: Ger. fructum cum Belgis S. Johansbrodt/ Hisp. arb. *Algarouo* & *Garouo*, & fructum: *Garouas*, Hungari Germanos imitantur. vocántque Fructum *Szent Ianos Renyere*, id est, D. Iohannis panem.

Turneri error.

Quia autem in Siliquæ, arboris propriè dictæ, tractatione versamur, scire hoc in loco conuenit, *Arbori Iudæ* Clusium Siliquæ sylu. nomen indidisse, non quòd Siliquæ Veteribus descriptio similis sit, sed quòd nonnullis Hispaniæ locis vulgari nomine appelletur. *Cassia purgatoria* à pluribus Siliqua Aegyptia, Indica, aut purgatrix cognominatur. Siliqua Gellii & Seruii in Flaminicis, quæ est *Rhododender siliquatus* Dalechampii nobis Nerium vocatur. *Azadarach* arborem Bellon. Siliquam nominat, quod meritò miratur Gesn. hort. cùm baccas non Siliquas ferat, vide lib. 5. Siliquam Theophrasti Monardo & Hermolao *Smilacem hortensem* Dioscoridis cum Trago & aliis esse reor. Siliquam verò Columellæ, cum eodem & aliis Fœnugræcum facio. de his lib. 17.

Aequiuoca Arbor Iuda. *Cassia purgatrix.* *Nerium. Azadarach.* *Smilax hortensis. Fœnugræcum.*

Nascun-

Locus. Nascuntur arbores, quæ siliquas ferunt in regno Neapolitano, præsertim in Apulia, ac etiam in Campania, vt optimè sciunt ij, inquit Matth. qui Fundo Itrum,& hinc Molam iter faciunt. Valentino regno frequentissima est, autore Clusio, conspicitur & aliis Hispaniæ locis: nascitur verò apud Indos, aliósque Orientales populos. Si Camerario fides non deneganda, ex semine facilè *Tempus.* crescit, sed in alterum, vel tertium annum, si vel parum negligatur, vix perdurat. Florere Ceratoniam mox soluta Hyeme prodidit Dodon. Vere appetente: fructus autem maturos sub Autumnum proferre. Xylocaratam vidi Patauij virentem Ianuario in olla apud D. Cortusum item in horto Pasqualigo satis magnam arborem. Sicca folia accepi Bononiæ à Do. Vlysse Aldroando: ex semine arbos nata est Montbelgardi & Stutgardiæ Ill. nostræ Ducissæ Sybillæ Anhaltinæ.

Vires. *Recentes aluum soluunt.* *Siccatæ sistunt.* *Vrina.* Siliquæ quidem virides sumptæ, autor est Dioscorides, & post eum Plinius, stomacho incommodę sunt, & aluum soluunt. Eædem siccatæ aluum sistunt, stomachóque commodiores sunt, & Vrinam cient, maximè quæ Vuarum retrimentis compositæ asseruantur (ἐκ τῶν στεμφύλων συντεθειμένα, Basileæ Cod.) Locus hîc haud dubiè deprauatus est, nec dum tamen mihi, ait Sarracenus, satis compertum est, quomodo restitui rectè possit. Plerique Græcas hasce siliquas, non minùs quam Vuas ollares, & Oliuas quoque ipsas, in vinaceis condi componiue, quò diutiùs tutiúsque conseruentur, atque de Siliquis eiusmodi conditiuis hîc agere Dioscoridem existimarunt: sed non satis video, quamobrem ex instratis eo modo vinaceis Siliquæ ciendæ vrinæ vim sibi ascriscerent. Andreas Lacuna legendum censet, τὰ ἐκτὸς τῶν στεμφύλων ἐσθιόμενα, qui si tum demum vrinam ciere Siliquas voluerit Dioscorides, cùm earum pulpa seu medulla prædulcis sola manditur, reiectis nimirum internis granis seu seminibus ac etiamnum cortice: quo modo congeneris plantę, cassiæ nigræ quæ & Aegyptia Siliqua dicitur, solam medullam seu pulpam usurpamus. Plinius certè quidem lib. 15. cap. 28. cùm in pluribus semina placeant, in Siliqua damnari prodidit. Fortassis etiam ad differentiam cuiusdam Siliquarum generis, quod seminis granorúmve expers fuerit, tale quid pronuntiare potuit Dioscorides. Serapio interpretatus videtur, Siliquas quæ musto aut sapa condiuntur: quod minùs certè placet. Enimuerò στεμφύλων quidem nomine non tantùm musti reliquias hoc est, vinacea, olearúmve nucleos, sed & τὰ αὐτῶν ἐκπιέσματα seu στερεὰ λείψανα, hoc est, solida retrimenta quæ vuis oleisue torculari expressis reliqua sunt, significari testantur Galenus & Athenæus: vnde & Analogia quadam ipsa quoque Siliquarum semina & earundem tusarum expressarúmque reliquiæ seu retrimenta intelligi posse videntur. At verò στέμφυλα Græcis pro musto sapáve accipi nusquam, quod sciam obseruatum est.

Temperamentum. Ceratonia, porrò Galeno, exsiccantis est & astringentis facultatis, sicut & fructus eius, quem Ceratia vocant, nonnihil etiam dulcedinis continens. Accidit autem istis quiddam simile Cerasis. Nam si humida sumas, magis ventrem subducunt: sicca verò magis sistunt, vt pote cùm humiditatem expirent, & quod essentiæ est crassioris, tantùm reliquum habeant. Est Ceratia parvi succi edulium ac lignosum: quam rem necessa- *Cibus parvus.* riò sequitur, vt concoctu sit difficile: nihil enim, quod lignosum est, facile concoquitur. Quin etiam incommodum id ipsis inest, haudquaquam aspernandum: quòd non celeriter deiiciantur. Proinde satiùs est à regionibus Orientalibus in *Locus* quibus nascitur, ad nos non importari. Ex Siliqua dulci arbore, Aegyptii Siliquarum tantùm vsum *Mel Aegypt ex Siliquis.* cognoscunt. Alpino scribente, mel quidam ex ipsis extrahunt dulcissimum, quo Arabes Sacchari loco Cassias solutiuas recentes ac paruas, zinziger, Mirobalanos, Tamarindos, atque alios multos fructus condiunt. Huius quoque mellis vsus *Condiuntur. In Clysteribus.* est frequentissimus vice veri mellis ad Clysteres, & aliqui etiam per os sumendum concedunt ad *Aluum mouet.* subducendam aluum: ipso etenim aluus non minùs quàm pulpa Cassiæ ibi ad excretionem mouetur. Vtuntur etiam in renum inflammatio- *Renes.* bus eo, intus extráque apposito. Ad tussientes & *Pulmones.* asthmaticos ipsum non secus quàm Cassiam exhibent, valdéque ipsos iuuat, nec minùs decoctū ex siliquis paratum, eadem hæc præstat. Siliquæ *Decerptæ Siliquæ virides ingrati saporis.* recenter ab arbore decerptę ingrato displicent sapore, sed tractu temporis in cratibus expansæ & siccatæ, adeò mitescunt, vt & dulces euadant, & gustui admodum suaues fiant: Apud Indos siliquæ melleo adeò redundant succo, vt eo ad condituram Zinziberis, aliorúmque fructuum vtantur, vt Matthiolus refert. Valentino in regno iumentorum in pabulum cedit, Clusius.

MANGLE PYRI FOLIIS CVM SILIQVIS LONGIS FICV Indicæ affinis.

Locus. Mangle arbor est, inter eas, quæ in Occidentali India vulgariter nascuntur, selectissima *vsus.* cùm ad ædificiorum fabricas, tum ad reliqua fabrilia. Crescit vliginosis locis, littore maris, salsuginosísque fluminum & torrentium in mare delabentium ripis: folia habet maioribus Pyri foliis *Descript. Siliqua longa.* similia, crassiora tamen, & paullò longiora: Siliquas binos palmos longas, aut maiores, easque crassas, Cassiæ solutiuæ fructui pares, fusci coloris, pulpam instar coaguli siue medullæ ossium similem continentes, quâ Indi aliorum eduliorum *Cibus amarus.* penuriâ vescuntur: etenim licèt amara sit, salubrem tamen cibum esse ferunt. Ego nihilominus, [inquit Ouiedus apud Clus. Exot.] ab eius esu in morbum incidi, tametsi adeò delicatus non sim, nec ab iis cibis abstinere in penuria soleam, quibus alios vesci video: quinimò nulla etiam vrgente necessitate degustare non piget, vt commodiùs describere queam: eáque de causa hunc fructum degustabam: sed brutorum animantium, & syluestrium hominum potiùs cibus dicendus videtur. Admiranda autem eius arboris est natura: plurimę enim simul crescunt, multive eius rami deorsum vergere, & in radices conuerti videntur: nam præter multos, quos erectos, foliisque onustos atque ab inuicem seiunctos, reliquarum arborum instar, habet, frequentibus etiam aliis crassioribus & tenuioribus ἀφύλλοις sese ad aquam demittentibus, aut sub terra aut arena radices figentibus, prædita est: qui vbi apprehenderint, alios ramos sursum vergentes proferunt: etenim non minùs firmiter hærent, quàm primarius arboris truncus, sic vt ex multis caudicibus simul connexis videatur arbor: egregio sanè spectaculo, & singulari huius arboris natura: Hæc Ouiedus.

An Manglia Ferd. Lopezij. Ferdinand. Lobez. de Castagnela cap. 3. lib. 7. Historiæ Orientalis Indiæ, meminit cuiusdam arboris nascentis in Prouincia Malaca, quam *Mangia* appellat, radices caudicum instar sursum attol-

lentis: An hæc nostra Ficus Indica inquit Clusius? Nos *Mangiu* hîc ponimus propter affinitatem nominis cum *Mangle*, cum qua etiam arbore respondere videntur, quæ Ferdinandus Lopez tradit.

CASSIA PVRGATRIX.

CAP. II.



Descriptio *Folia.* *Flores.* CAssiæ fistularis sæpiùs mihi è semine natæ plantulæ, folio Nucis Iuglandis, oblongo mucronato: flores longis tenuibus pediculis hęrent, plures iuncti veluti racematim ex ligula, eo modo, quo flores Laburni, foliis ea latitudine, vt vngue tegas, striatis, è quibus stamina longi emicant, quibus apices sulcati insident: ex his *Siliqua.* nondum planè delapsis succrescunt Siliquæ, quæ paulatim grandescentes, ad cubitorum duûm longitudinem cylindraceâ formâ, digitum transuersum in diametro habent, colore nigricante, in quibus secundum longitudinem commissurarum veluti vestigia apparent spadicea, alterâ quidem parte duo, alterâ tria, intrinsecus membranchis *Pulpa.* ordine dispositis, intercipitur pulpa Ecclysmatis *Semen.* consistentia, dulcis, nigricans, atque vna semen Tamarindo grano minus, compressius, coloris fului, ex oblongo rotundum, durum, nitida superficie, quod medium secat stria rubra singularis: rariùs gemella semina inter parietes hosce veluti intergerinos inueniuntur.

Actuar. arborem non attingit, ast Siliquam eius ita describit. Nigra Cassia est fructus fistulosus, teres, oblongúsque, concretum intus humorem ferens, non vna coalescentem continuitate, sed ex interuallo intercedentibus lignosis tenuibúsque membranis septum, seminalibus granis, figurâ & specie non dissimilibus iis, quæ cognita *Alpin. descriptio.* nobis Siliqua profert. Porrò non tantùm ramos foliáque Nuci proxima scribit Alpinus, sed & *Truncus.* truncum, cui cortex sit planus, mollis & cineri-*Cortex.* ceus, qualis omninò in crescente Nuce specta-*Folia.* tur: Folia multa, plura quàm in Nuce, alata, ex quinque coniugationibus contexta, duplo Nucis *Flores.* foliis longiora, & in extremo aculeata [vel potiùs *Colore florum variat Cæsalp.* acuminata,] floribus colorem adscribit aureum, Cæsalpinus album, odorem valdè gratum præsertim Oriente Sole, quo fiat vt Aegyptii diluculo per Cassiarum loca deambulare sępiùs odoris causâ consueuerint, quòd aurâ à Cassiis eximium *Siliqua.* ac gratissimum odorem spirantibus, ad ipsos delatâ, oblectentur, nasci autem Siliquas primùm contortas, pérque maturitatem denuò dirigi. Quæ Pelusii in arboribus legantur, corticem habere crassiorem, & parum intùs substantiæ continere: Caytinas verò & Alexandrinas cortice constare tenuiori, multáque substantiâ intus plenas, ex quo hæ cæteris omnibus bonitate præferantur. Et has duplicis esse differentiæ: etenim alias subrubras, quas *Abes* vocent, à calore illlucescentis, cerni, quæ sint omnium optimę: & alias nigras.

Est huius folium Pyri folio ferè simile, inquit Monardus: flos verò exiguus, albus, quinque foliis constans, ex quo enascuntur oblongæ Cassiæ Siliquæ.

Foliis, vt tradit Acosta, Mali Persici similibus est, nonnunquam angustioribus, locis præsertim siccioribus nata: floribus luteolis, aut flauis: arbor ipsa Amygdalæ magnitudinem æquat.

Garciæ verò foliis est Mali Persicę [non similibus] angustioribus tamen aliquantùm, & virentibus: floribus Genistæ perquàm similibus, luteis, Caryophyllum odore referentibus: Quibus decidentibus succedunt oblongę siliquę, virentes admodum ante maturitatem, [non rubentes, vt Lac. Garcias] quę maturitate nigredinem consequuntur, Monard.

Acost. & Garc. eidem longitudine interdum quinque palmorum, nonnunquam infrà binos palmos.

Persicæ Mali folia quodammodo æmulantur, si singularia lepares, inquit Clusius: Quoniam verò coniugatim bina semper in oblongo neruo nascuntur, & summa ala postremum imparem numerum faciunt, commodiùs meo iudicio, comparassent cum Fraxini foliis, aut similium arborum, quæ alata folia ferre solitæ, & integra plerumque abiicere consueuerunt, quemadmodum Iuglans, Sorbus, Rhus, Ceratia, &c.

Cæterùm dispiciendum est, an stirps hęc Veteribus fuerit cognita, eiúsve historia literarum monumentis mandata.

Ad Theophrastum igitur quod attinet, non videtur is huius meminisse, nisi sit ipsi, quod tamen non credimus lib. 4. cap. 5. Arbor Indica, cui fructum longum, nec rectum, sed contortum, cibo dulcem adscribit: sed morsus in aluo, difficultatésque facientem intestinorum: ob quod Alexander ne quis mandaret interdixerit. Vide Hist. nostr. lib. 1. post Ficum Indicam, Arbores Indicas.

De Eiarxamber, id est, Cassia fistula ita scribit Serapio. Sunt cannę concauæ, quarum color est rubeus, ad nigredinem decliuis, & intra ipsas sunt Laminæ ex carne nigra, & parietes diuidentes inter eas, & inter Laminam & Laminam sunt grana Xylocaractę & eiusdem magnitudinis quorum color est inter glaucedinem & ruborem, & Cassia quidem affertur ex India & Babylonia, & terra Alremem. Et electa ex ea est illa, quæ est in Canna sua interiùs nigra, & grauis, & lucida, & quod de ipsa vtimur, est cor vel caro eius interior. *Eiarxamber Serapion.* *Grana Xylocaracta.* *Locus.* *Delectus.* *Vsus cordis, vel carnis.*

Auic. Cassiam fistulam [Chaiarlander] duplicem facit. Dicit enim aliam *Kebuliam*, aliam *Aegyptiam*, Meliorem esse illam, quæ sumitur à Canna, & quæ est splendidior & pinguior: Et meliorem Cannam ipsius esse illam, quæ splendida est & plana. *Chaiarlander.* *Auic. differentia.* *Delectus pulpa.* *Canna delectus.*

Cassiæ genus est, quam ætas nostra, inquit Hermol. cognomento fistulæ appellat, & ab aromatica lignea discriminat, Veteribus ignotam. Quare scire oportet, si quando Cassiam Syringa [fistulam à Diosc. κασσία σῦριγξ, lata fistula nuncupata] apud antiquos Græcos legere contigerit, non pro ea capiendam esse, quæ nunc [ex Arabibus] *Cassia fistula* dicitur, colore rubro nigrás, Lami-

Laminis intus carnosis, quas parietinæ discludūt, feminibus Siliquæ Ceratiæ, ad deiiciendam bilem vstam mirè valens: Inuenio, apud Græcos autorem qui Paulum & Oribasium ita loquentes induxerit. *Cassia Syrinx.* Cassia Syrinx aduersus flauam bilem prodest: & item eos qui præter naturam pallescunt: item Anginas & Laterum dolores & peripneumonicos: Hęc Paulus. At Oribasius refrigerari eâ inquit iecinoris calores intęperatos. Hanc recentiores Græci calidam & humidam abscessu primo perhibent, idem ferè Mauritani dè Cassia quâ bilis per aluum detrahitur, & quę proptereâ Cathartica dici potest. *Cassia Cathartica.*

Casiæ nunc appellatæ parum rectè *Fistulæ* nomen adiectum comprobat Marcellus: ait enim Siliquæ magis quàm Fistulæ nomen illi congruere: Veteres eam ignorasse aut vti noluisse. *Fistula non benè dicitur.*

Ignotam autem fuisse Dioscoridis, Plinii, & Galeni ætatibus Cassiam testatur Ruell. qui à Recentioribus Græcis Cassiam Syringodem, id est, fistulaceam: ab Actuario *Casiam nigram*: ab aliquibus *Calamum*, id est, Arundinem seu potiùs *Indicam Cannam* nominari scribit. *Cassia Syringodes. Veteribus ignota. Cassia fistulacea. Calamus. Canna.*

Curtius scit esse Casiam Syringodem (fistularem) arborem, non fruticem, itaque etiam vulgaris Iuglandis magnitudine, ex illorum monimentis qui eam viderunt & delinearunt, vocari Casiam Catharticam, & Aegyptiam Siliquam, multos eam arbitrari, quæ antiquis Lignea Casia dicta sit, quæ tamen subscribentibus Monachis in Mesuem eiusdem generis cum Casia fistula non est, quæ antiquis Græcis incognita fuit. Iidem tamen scriptū quandoque reperiri aiunt, siue impressum, Casia fistula, vbi debeat intelligi Casia lignea, vt e.g. in Antidot. Nicol. in el. quod intitulatur Antidotum hæmagogum &c. quoniam plures sint species Casiæ ligneæ, vt alibi ex Galeno ostensum.

Cardan. Siliquam Indam, Cassiam nostram vocat.

Apud Syluium Casiæ cortex, *σύριγξ ἡ κασσία*, Casia Aegyptia, Casia Cathartica (purgatrix) Cassia fistula Arabum veteribus Græcis indicta, recentiorum Cassia Syringodes (fistulacea & nigra, Actuario (scribenti passim *κασσίας μελαίνης τὸ ἐντὸς*, à quo bellè describitur,) Synonyma sunt.

Cord. in Dioscor. Cassia fistula in vsum Medicum ab Arabibus introducta, à recentioribus Græcis Cassia nigra appellata, cuius fructum Aristobulus Fabam Indicam vocat: Item hist. Siliqua Indica Veterum, Faba Indica Recentiorum, Cassia solutiua seu laxatiua. *Siliqua Indica. Faba Indica.*

Fuchs. de comp. med. *Casia purgatrix & Aegyptia.* Nicolao *Fistula & fistularis.*

Quando Galen. 1. de antid. plures enumerat Cassiæ species, & præcisè ab aliquibus fistulam dictam, quam iunior Andromach. reiiciendam censet, ne quis tam *ἄγροικος* aut fatuus sit, vt Casiam illam fistulam cum hac Arabum & Officinarum soluente Siliqua Aegyptia dicta confundat, prudenter monet Amatus, Ac etiam Theod. Dorsthemus: præsertim quum multùm inter se differant, cuius inanimaduertētiā multi, quum Cassiam pro euocandis mensibus legebant, non Casiam illam Græcorum, sed potiùs Siliquæ huius purgantis cortices, mulieribus non sine ingenti periculo propinabant, vt Leonicenus priùs aperuit. *Siliqua Aegyptia. Error Med. Siliqua purgans.*

Arbor Cassiam fistularem ferens procera est, inquit Amatus, foliis Nucis, per ordinem veluti in Fraxino dispositis, cui cortex cinericei coloris, quo detracto rubicat in superficie lignum solidū durum, intus nigrum, quod dum vritur pessimè olet. *Amati de descriptio. Lignū fœtidum.* Ceratium propter semina, quæ huic Siliquę Aegyptiæ, Cassia fistularis dictę, seminibus sunt similia, Cassia fistularis appellanda non est, quamquam omninò non abs re esset, affirmare Siliquā arborem, speciem Cassiæ huius fistularis esse, vnde non immeritò quidam Cassiam fistulatem, Siliquam Aegyptiam appellant: Imò Federicus à Rocha, sola tantùm ratione has arbores differre putat, propter siliquas, quas maximam habere similitudinem ait, & vtrasque in arbore eodem modo pendere.

Non est Cassia Veterum inquit Corn. quæ hodie Cassia fistula vocatur, & cui fructus ad cornu similitudinem teres ac longus est, nigram habens intus medullam, quam etiam atramentum vocāt, membranis distinctam, & nucleis talibus, quales in Siliqua quam vulgus *panem S. Ioannis* vocat, cernuntur. *Cassia fistula.*

Cùm in Aegypto tanta proueniat copia arborum Cassiæ, mirabatur Bellonius Veteres eius nullo modo meminisse: vt & Theophrastum, qui penè de omnibus reliquis plantis Aegypti locutus sit, eius non meminisse, nisi 2. capite, lib. 4. eius mentionem fecerit, vbi ait sibi relatum, tantæ magnitudinis arbores ibi prouenire, vt tres homines non possint amplecti. Suspicio autem eius inde profitecitur, quòd Cassiæ arbores ibi sint crassitudinis & altitudinis Nucum Iuglandium, simileque folium habeant. *Arbores maximæ. Theophrast.*

À Matthiol. in Dioscor. vocatur *Cassia fistula, aegyptiaca Siliqua* Recentiorum quorundam, cuius arbor inter valdè proceras annumerari possit, materie solidâ, compactaque; cortice tenus buxeo colore, medullitùs verò nigra, non secus ac Ebenum, siue Guaiacum: Recente grauiter olente, siccâ tamen minimè: folio Siliquæ, sed magis in acutum tendente, cortice cineritio: radicibus magnis Iuglandis modo: à ramis siliquis pendentibus prælongis, teretibus, densis, nigra dulcique medulla replêtis, non vt in ossibus continuâ, sed crebris lignosisq; membranis distinctâ: inhærente vnicuique membranæ semine duro, Siliquarum semini adeò simili, vt alterum ab altero discerni non possit: ex quo eum non errasse putauerit, qui crediderit has plantas esse congeneres. Sed quicquid dicat Matthiolus, attamen semina in Siliqua arbore non sunt ita similia Cassiæ seminibus, quin facilè discernantur: iis enim sunt minora, & diuersi coloris: Apud Matthiol. olim nulli appicti flores, in Italicis verò & Germ. Hist. additi, non tamen eo ordine quo oportebat, flores enim non sunt singulares, sed multi dependentes ex longo pediculo, eo modo quo Laburno: particulares alioqui flores satis commodè expressi essent in Matthiolo si haberent apices multos. *Siliqua. Materies. Cortex. Matthiol. notatur.*

Camer. hort. Cassia Aegyptia siue purgans. Epit. & Hist. Matthiol. Germ. (vbi pulchram apposuit figuram particularium florum) Cassia solutiua.

Flores aliquando communicaui Gesnero, Florentiæ mihi siccos datos, cuius rei testimonium extat in eius epist. quadam ad Ottonem vbi ait. Cassię Aegyptiæ florem vnum atque alterum attulerat mihi ex India Ioh. Bauhinus, quem pingendum curaui: Matthioli editio Germ. flores aliquot habet, sed non ita benè pictos, neque in sua serie. Idem de hort. Cassia fistula, seu nigra, Alexandrina, Siliqua Inda. Castor falsam Matthiol. figuram habet. Alpini figura placeret, si flores particulares exprimerentur. Tabern. malam habet figuram. Apud Theodor. Dorsth. similiter inepta icon, quam pro Cassia lignea pos- *Matth. notatur. Theod. Dorsth. notatur.*

nit, Cassia fistula dicitur. Monardo, à Costæ & Garciæ *Cassia solutiua*.

Euch. Roesl. notatur.

Euch. Roesl. per Cassiam fistulam, Cassiam solutiuam intelligit, verùm pictura eius mala: ineptè præterea Cassiæ fistulæ semina cum Pœoniæ seminibus comparat. Leoni Afric. figura mihi videtur falsa. Dodon. Lat. in fol. Casia nigra Veteribus incognita, vel adeò neglectum habita, vt eius non meminerint.

Cassia nigra.

Siliqua.

Lobel. Obseru. *Cassia purgatrix*: Officinis, Gallis, Germ. Belgis, Italis, Anglis *Cassia*: Hisp. *Canna fistula*. Icon. Plant. *Siliqua*, aut *Cassia purgatrix Arabum*, Carobiis similis. Figura non bona, nec etiam Dodonæi.

Folia Mori.

Cæsalp. Cassia, cuius Siliquæ afferuntur ex Alexandria, meliores & ex Occidentali India, tradunt arborem in Aegypto nasci crassissimam: folijs quadantenus Mori, aut Nucis Iuglandis, [nos vidimus ex semine nuper natam folia Siliquæ produxisse] flore lato; candido: copioso fructu, vt præ pondere rumpantur rami, nisi ante maturitatem leuentur. In India traditur arbor Pyri magnitudine: foliis Persici angustioribus, & virentioribus: foliis [floribus lego] Genistæ luteis, odore Gariophylli, quibus decidentibus Siliquæ longæ subnascuntur &c. Videtur Theophr. hanc intellexisse, cùm Siliquas quasdam Ficus Aegyptias appellari scribit, & fructum anniculum nouum exspectare, subnasci autẽ nouellum fructum sub Cane: postquàm alter detractus fuerit, veluti racemum vniformem, qui in Autumno explicetur in flores candidos, deinde per Hyemem vsque in Aestatem enutriri: folio perpetuo. Quæ omnia magis Cassiæ conueniunt, quàm Siliquæ supradictæ. Plinius quoque tanquam alteram videtur intellexisse, cùm de Ceronia appellata, transcribit ex Theophrasto ea, quæ dicta sunt. Hæc Cæsalpinus, cuius opinio erronea. Non enim Theophr. libro quarto capite secundo. Et ex eo Plinius, intellexit Cassiam purgatricem, sed Ceroniam siue Siliquam, vbi ea describitur & non diuersa planta: Vbinam etiam obseruarit Cæsalpinus albo flore non demonstrat: Fortè Cæsalpinus id scribit, quia existimabat à Theophrast. traditam, cur dicat folium à Theophrasto perpetuum dictum magis conuenire Cassiæ quàm Siliquæ, nescimus: Certum est Ceroniam folio esse perpetuo: Cassiam Aegyptiam foliis quadantenus Mori, aut Nucis Iuglandis, & prodiisse foliis Siliquæ mirum est: folia enim trium harum arborum multifariam inter se differunt: à nobis satis seminibus sæpiùs prouenerunt plantulæ, in quibus folia acuminata, qualia pinguntur ab Alpino & in figura nostra emptitia, non rotunda vt Siliquæ, quod ille ait. Quid si Cæsalpinus seuerit Ceratoniam pro Cassia, vel vtramque, & prouenerit tantùm Ceratonia, quæ meliùs durat faciliùsque prouenit, quàm Cassia? Illud etiam considerandum, an Indica Cassia differat foliis Persici ab Aegyptia, flore non differre iam ex Alpino [qui in Aegypto aurei coloris esse scribit] demonstratum, quamuis differentem, nempe coloris lutei dicat Cæsalpinus. Theophrasti & verba Plinii demonstrant manifestè Cassiam diuersam: Siliquæ enim non ex trunco, vel ex ramis crassioribus, sed ex extremitatibus, ex longo pediculo, Laburni vel Anagyridis modo. Idem nobiscum sentit Dalechampius cùm scribit, falli qui Plinii Siliquam Ceauniam, Cassiam fistularem nostram putent, Cassiæ florem luteum esse, non album.

Genista flores.

Ficus Aegypt. Theoph.

Siliqua altera.

Cæsalp. not.

Hist. Lugd. κασσία μέλαινα, Lat. Cassia nigra, Medici, Seplasiariique Arabum, à quibus inuenta est, sectatores, *Cassiam fistulam* vocant, alii *Cassiam solutiuam*, alii *Siliquam Aegyptiam*, siue *Catharticam*. Italis *Cassia* & vulgò *Cannella*, Germ. Zimmetrörlin/ Hisp. *Canela*, Gallis, *Casse*. Compilator Hist. Lugdunensis ineptè adscribit Siliquæ Aegyptiæ, siue Cassiæ nigræ, siue Catharticæ, vulgò dictæ etiam Cassiæ fistulæ, Canellæ appellationes, & Zimmetrörlin.

Siliqua Aegyptia.

Porrò, à Costa & Garciâ testibus, Arab. vulgariter dicitur *Hiarxamber*, vt & Persis, atque Turcis, asserit tamen Cogecela Medicus Persa, hoc vocabulum merè Persicum, Arabicum verò legitimum esse Gaxatsalus: in Malauar Condaca, vel Condaca: in Canara *Bauasinga*, *Hasanguia* & *Bauasenga*, in Decan & à Bramenis *Bauasinga*, arbor verò *Baua*, & *Baboo*, quemadmodum & in Canara, in Guzarate & à Mauritanis regnum Decan incolentibus *Gramala*, seu *Gramalla*. Casp. Bauh. dum apud Matthiol. non citato Cæsalp. annotat [an Cassiam purgatricem intellexerit Theophr. cùm Siliquas quasdam Ficus Aegyptias appellari scribit] sinistram opinionem Cæsalp. propriam facit, quod non fecisset si textum Græcum consuluisset, & Cæsalpini nomine eam opinionem introduxisset, vti debebat, siue bonam siue malam.

Locus & tempus.

Cassia Cathartica partim in India, partim in Aegypto nascitur folio Iuglandis. Alexandriæ sibi visam Ponticus Facinus Hermolao retulit. Negotiatores in hortis Alexandriæ nascentem proferunt, iam & Asiæ communis facta dicitur. Seritur & apud nos, [Venetianos] verùm frustra: quia nec ad frugem peruenit & celeriter opprimitur. Ruellius & Curtius alienis pennis se ornantes, hæc de loco transcribunt suo nomine. Insulæ Divorum Dominici & Ioannis de Porto diuite, tantâ quantitate nobis transmittunt Cassiam solutiuam, vt non modò Hispaniæ, sed etiam toti Europæ, atque adeò vniuerso orbi sufficiat: nam & in Orientem, vnde deferri solebat, plures naues eâ onustæ vehuntur, quàm Cantabri ferrum mittunt. Multa Cassia solutiua nascitur in Cayro, & plerisque aliis Prouinciis tum Orientalis tum Occiduæ Indiæ. Præfertur tamen quæ ex Orientali delata est, quæque locis ad Septentrionem magis vergentibus nascitur. Tanta est eius frequentia in Cambaya, vnde præstantissimam aduehunt, vt vnius *Candil* [quingentarum & viginti duarum librarum pondus hoc est] pretium non æstimetur pluris quàm nummo aureo, qui trecentos & sexaginta marauedis [æreos obolos Hispanicos valet. In montibus verò Cranganor, & per vniuersam Prouinciam Malabar [quando eius maximum pretium] singulæ libræ viginti marauedis redimi possunt, hoc est, paulò pluris quàm dimidio regali Castellano, siue batzio Germanico. Nascitur in Malauar, Canara, cuius prouinciæ est Goa, Decan, Guzarate, præstantissima tamen & durabilior locis ad Septentrionem magis vergentibus, vt in Cambaya. Inuenitur & in Cayro, cum in Malaca, Sofala, Sian, totóque eo tractu. Hanc non nisi syluestribus spontè satam, vidi, inquit Garcias, in Americâ tamen, [quam falsò Indiam Occidentalem appellant, quandoquidem vnica sit India ab Indo flumine denominata, Veteribus cognita] intelligo è syluestribus locis tralatam esse in hortos & agros, ita vt nunc istic frequentissima sit. Fortunatiores tamen nostros Lusitanos puto, apud quos sine satione tantâ copiâ nascitur, vt vnius Candil, hoc est, quingentarum & viginti duarum librarum pretium non excedat, decem regales Castellanos,

Ruell. & Curt. not.

Cassia solutiua.

Candil.

Cassia sponte nascitur.

Error insignis penè omnium.

Candil quid sit?

quæ

Pardaon. qui constituunt aureum Indicum Pardaon nuncupatum. Camer. scribit si semina benè macerontur prouenire instar Siliquæ. Arborem florêre incipere mense Iunio, florere toto mense Iulio Alexandriæ & Cayri tradit Alpinus: Pelusij verò, nunc Damiatæ, mense etiam Septembri florere vidit. Cannæ vel fistulæ toto anni spatio maturantur, totóque anno in arbore manent, quas Ægyptij Iunio tantùm Cayri colligunt, quo tempore multæ paruæ recenter ex primis floribus productæ virides spectantur, Phaseolorum siliquis valdè similes: quæ paulò pòst crescentes, paulatim viridem colorem in nigrum commutant. *Americana.* Quæ in America reperiuntur arbores, Cassiam ferentes, non ita præstant vt Aegyptiaca aut Arabica autore Theueto. Ad littus à Sumatra dictum, Cassia fistula crescit adeò ingenti copia in syluis, vt ex ea multitudine, teste Linschottano, naues onerariæ repleri possent, sed non colligitur ab incolis. Arbores celsæ sunt & patulæ ex quibus dependent Ceratiorum instar Siliquæ, virentes aut Cinereæ. Sed quæ maturæ factæ, fiunt spadiceæ. Crescit copiosè in Sunda.

Vires & Temperamentum. Ventriculus. Febres. Thorax. Solani succus. Renes. Correctio. Viscera sicciora.

Cassia fistula, autore Mesue, calido frigido temperata, nisi quod paulò est calidior, humida primo gradu, clementer & innoxiè à ventriculo bilem & pituitam purgat leniendo, febribus inde ortis confert, sanguinem hac ratione puriorem reddit, ac eius sanguinis & bilis flauæ acrimoniam frangit, resoluit thoracis pulmonis & asperæ arteriæ phlegmonas, easque partes lenit, ipsa morsus expers, sitim sedat, præsertim sumpta cum succo Intybi, vel Cichorij, vel Solani arte depurato, Intemperiem denique renum calidam mitigat, cum diureticis sumpta & Glycyrrhizæ decocto, ob idq; calculum in his gigni prohibet. Si autem viscera sunt sicciora, Cassiæ lubricitas augenda est oleo Amygdalarum dulcium: si debilia & lubrica sint, minuenda Myrobalanis vel Rhabarbaro, vel aqua cum Mastiche cocta, vel spica addita: Si ad vias Vrinarias ferri eam volumus, vretica misceantur. Quoniam verò tardiùs & imbecilliùs purgat, acre aliquid (quale Thymum, Hyssopum) actionem intendens, misceatur, aut potiùs aliquid medicamentorum valenter purgantium: efficaciúsque purgat, hæc, si ex sero lactis propinetur.

Omnibus conuenit etiam prægnantibus. Triplex virtus Aben Mesuæ. Affectus gingiu. & gutturis. Arbor vulgo. Dosis. Rhasis. Delectus. Apostemata.

Tam est benignum & innoxium hoc medicamentum, vt omni ætati & ipsis etiam pueris, & prægnantibus tutò sumatur. Sapor eius est dulcis, inquit Aben Mesuai, & virtus eius prompta est, quòd ipsa est æqualis complexionis: Et virtus eius tertia est, virtus quæ extinguit acuitatem sanguinis, & sedat apostemata dura, quæ fiũt in gingiuis & gutture, quùm fit ex ea gargarisma, & confert icteritiæ, & dolori hepatis. Et proprietas eius est purgare choleram adustam, & mollificare ventrem mediocri mollificatione, & dosis eius est à drach. iij. vsque ad decem: mundificat neruos. Rhasis: Melior ex ea est, quando extrahitur à Canna, & est æqualis inter caliditatem & frigiditatem, laxat ventrem cum temperamento, confert apostematibus calidis, & maximè gutturis, & declinat ad caliditatem, plùs quàm ad frigiditatem, adeò vt ferè perueniat ad principium primi gradus, & defertur de Babilonia & Albasra.

Temperamentum. Vires & Vsus. Gargarismus. Articulorum morbi.

Chaiarlander iuxta Auicennam est equalis in caliditate & frigiditate, & est humida, Est resolutiua & lenitiua. Confert apostematibus calidis in visceribus, & propriè gutturis, quando ex ea fit gargarismus cum aqua Solatri, & linitur super apostemata dura, & confert eis: Leniuntur ex ea Podagra, & iuncturæ dolorosæ. Gargarismus ex ea cum mucilagine Psyllij dissoluta præfocationi cōfert. Mundificat hepar & confert Icteritiæ & dolori hepatis. Est lenificatiua ventris: Et educit choleram adustam & phlegma: & soluit sine nocumento, & absque mordicatione, adeò quòd ipsa est conueniens prægnantibus, & soluit eas. Loco eius ponitur pondus ipsius de Tereniabin: & triplum ponderis ipsius de carne passæ: & octaua ponderis ipsius de Turbith: & quandoque ponitur loco passularum succus Liquiritiæ: Cassia vt docet Actuarius, tribus vel quatuor drachmis vix mouet aluum: flauam bilem, sed magis retorridam, & quæ iam in atram degenerauit, extrahit, quin etiam pituitam educit mediocrem: præbemus quibus potentius medicamen aliud dari non potest: nimirum pueris & fœminis vtero ferentibus, commoditate & necessitate vrgente repræsentamus, & iis quibus exuperans febris reliquorum medicaminum vsus respuit.

Hepar. Cholera adusta & phlegma. Prægnantes. Substituta. Dosis. Bilis. Pituita. Grauidis & pueris.

Temperatos, inquit Monardus, illos efficit, qui Cassia vtuntur: vtilis maximè in renum & vrinę morbo, duabus horis ante cœnam sumpta: Defluxionibus prodest, duabus à cœna horis. Assiduus illius vsus ante prandium aut cœnam calculi generationem prohibet. Foris cum Amygdalarum dulcium oleo illita, graues pulmonum & renum dolores mitigat. Dosis pulpæ eius est à ʒ iv. ad sescunciam vsque: non exemptæ verò, quatuor vnciarum. Lenit, resoluit, sanguinem depurat, eiúsque & bilis calorem infringit. Humida est in primo gradu, ad calorem, sed mitem tendens. Porrò huius flos duobus modis condiri solet, nēpe aut cum Sacchàro tritus, rosati Sacchari modo: vel flos integer Sacchàro exceptus, & vt à coctus: vtraque ratione benè sapit, & sine molestia euacuat, sumptus ad duarum aut trium vnciarum pondus: si aliquod inest vitium, inde accidit, quòd viliore Sacchàro excipiatur: eosdem effectus præbet, quos ipsa fructus pulpa. Cæterùm, eos qui Cassiam solutiuam ad ventrem leniendum & euacuandas fæces prescribunt, admonitos volo, ait idem ille, vt eam breui admodum spatio ante prandium sumendam esse præcipiant, nempe ad summum dimidia hora, quoniam cum cibis mixta, simul cum illis facultates exerit, eaque ratione faciliùs & sine molestiâ opus suum molitur, quod minimè facere potest, quæ duabus aut tribus horis ante cibum sumitur, vt hodie vulgò fit, quoniā cibi sumptionem differendo, peragere suum opus cupit: & cùm sit valdè debilis, prorsus in vapores resoluitur, per vniuersum corpus sese diffundentes: &, si diutiùs cibus differatur, in alimentum conuertitur: quod multorum annorum, quibus medicinam feci, experientiâ didici: propterea semper illam solummodò dimidiâ ad summum horâ ante cibum exhibere soleo: facilisque est eius operatio: si verò multis horis ante cibum detur, parum admodum euacuat: Purgantia verò medicamenta cum cibis permisceri, autor est Hippocrates multis locis, atque etiam Galenus in commentariis. Verum quidem est, multis horis ante cibum dari solere, quando non euacuare, sed vapores duntaxat per renes & reliquum corpus diffundi cupimus. Cassiam salubrem perhibet Syluius sanis & ægris, ad aluum clementer leniendam, quouis tempore tutam, etiam initio epularum, aut paulò ante cœnam: hodie dari cortice, membranis, & seminibus per cribrum purgatam, ab Vncia dimidia ad sescunciā, vel drach. 10. manè vel ante cœnam: sed paulò ante pastus duos, tres quatuorue proximos, drachmis duabus vel tribus: his, quibus sit aluus naturâ pi-

grior : In quem vsum quibusdam iucundius sit pulpam latâ cultelli cuspide exceptam deuorare: conditam Sacchato ab Indigenis dum recens sit ostendere Lusitanos & Venetos : Quam autem vim purgatoriam tribuit Monardus [Sylvius imponit Monardo, apud eum hæc non legimus, sed apud Fallopium] semini ipsius [maiorem scilicet quàm pulpæ ipsi] non recipiendam confirmare Musam suo multiplici experimento, se periculum nondum fecisse. Corticem verò eius ad mouendos menses, aut partum iuuandum inefficaciorem esse multò, quàm Cassiam aromaticam.

Cassia condita. Semen an purget?

Mirum Ambrosium Paræum insignem alioqui Chirurgum Regium & alios plures adhuc præscribere cortices Cassiæ fistularis, vt vocant, ad facilitandum partum, licèt à pluribus præmoniti id potiùs obstare & obesse, quàm prodesse intellexerint.

Hallucinantur, ceu antè insinuatum, qui Cassiæ fistulæ [Græcorum antiquorum] loco, Siliquam Aegyptiam siue Cassiam solutiuam vulgò dictam medicamentis admiscent, Mauritanos secuti, siquidem Serapion, Auicennas, Mesuéque, siue sit ipsorum, siue Interpretum lapsus, inquit Matth. Cassiam nigram Cassiam fistulam vocauere : certè euidentem dici posse in omnibus iis medicamentis à Mauritanis inuentis [quibus verbis excluduntur compositiones eorum à Græcis transcriptæ] quæ Cassiam fistulam expetunt, solutiuam illam esse inferendam, nisi Medici in eum errorem labi velint, in quem Leonicenus quosdam incurrisse testatur, qui ad commouendos menses, difficiles partus, remorantésque secundinas, Cassiæ deiectoriæ corticibus, odoratæ loco vtebantur. Sed nimis temerè Matthiolus Serapionem, Auicennam, Mesuémque erroris incusat: Mauritani loco Cassiæ fistulæ Græcorum non admiscent Cassiam solutiuam, sed id factitarunt imperiti quidam, non animaduertentes Cassiam solutiuam ab illis quoque fistulam nuncupari. Ipsum distinguere potiùs decebat, inter Græcorum antiquorum Cassiam fistulam, quæ est Cassia odorata à Dioscoride, & Galeno descripta, & inter Cassiam fistulam Arabum, iuniorúmque quorundam Græcorum, [vt Actuarii & Nicoli Myrepsi] quæ est Cassia purgatrix. Nunquid porrò Cassia hæc eadem ratione, quà Cassia Galeni fistula dici meretur ? Sed exteriùs illita Erysipelas extinguit, cæterásque inflammationes, quæ cuti tenus emergunt.

Matth. reprehen.

Inflammationes.

Sunt è recentioribus Medicis qui eam nunquam suis ægrotantibus exhibent, ni Picræ pulverem admisceant, quod consultè factum existimat Matthiolus, præsertim si ventriculi & intestinorum imbecillitas adsit. Ego verò malim separatim dare alternis diebus, mitè enim ingrata Cassia cum Hiera. Post illius sumptionem cibum non quidem statim: sed aliquanto & exiguo pòst tempore exhiberi optimum esse existimat Mundella, quem sequitur Amatus quamuis eum non nominet.

Picra pulvis.

Error quorundam.

Quod de Cassiis aliqui dixère optimas cannas manibus concussas sonum non edere, ibi planè falsum obseruatur [teste Alpino:] quando omnes recentes motæ sonum edant, atque etiam in arboribus Cannas à ventis motas, seminibus intus motis, multum sonum edere, quotidie prope eas habitantes audiant. Quod etiam dulces Siliquæ faciunt. Quæ verò ex Cassiis non sonant ab Aegyptiis vituperantur opinantibus id ob aqueam humiditatem intus collectam vitiatâ pulpâ accidere.

Sonum edunt. Delectus.

Neque immaturæ colliguntur vt aliqui referunt, emuntur verò sæpe sæpiùs ab adultis mercatoribus senio confectæ, cùm ingens copia sæpe in ædibus ad eam rem parata, annos ad vsque quadraginta conseruetur; collectas enim ex arbore continuò in opportuna loca sic includunt, vt nullus aër ingrediatur, cùm ex minimo aëris contactu Cassiæ corrumpantur. Hincque sæpissimè ad nos vetustate vitiatæ ac etiam acidæ misti solent: quamobrem monitos esse velim omnes Medicos ac Pharmacopœos ne posthac se decipi sinant, & semper ex illis seligant recentes, quarum substantia subdulcis est, antiquásque acidum ponticúmque saporem sapientes effugiant. Aegyptii Cassiis non vtuntur recentibus, sed saltem post quartum mensem quandoquidem iuniores recentioresque inutiles, neque à noxa immunes obseruantur. Vtuntur verò nostri quoque fistularum pulpa vel in bolis, vel in potione parata. Est hæc pulpa quoad calorem temperata, atque humida supra primum gradum, bilémque ac etiam pituitam à stomacho, atque venis mesenterii educit, & sanguinem calidiorem contemperat atque puriorem reddit. Abyssina vocata cæteris præfertur ad morbos biliosos, ac melancholicos, præcipuéque in affectibus pectoris à distillatione acutorum humorum concitatis, quibus mirè subuenit: pulpa hac cum Sacchato candido, & Liquiritia pro secreto vti solent, ad renum vesicæque vitia: renum enim extinguit immodicum calorem, humorésque ab his partibus abstergit, atque per vrinam expellit, proinde ipsius frequenti vsu homines se à calculis præcauent. Eâ etiam vtuntur ad tussim antiquam dispnœam, asthma & orthopnœam, cum Agarico, pro calidis articulorum doloribus, maximéque in podagra dolentibus partibus emplastri modo ipsam adhibent, nec non ad calidas inflammationes eodem modo eius vsum sequuntur: Siliquas verò Cassiarum, proinde ac Phaseoli partitas virides, in aqua priùs parùm ebullitas, & mox in vmbra ab humiditate siccatas Sacchato vel melle condiunt, atque ad vsum seruant puerorum delicatarúmque mulierum, exhibent verò ad summum eas vsque ad vncias quatuor, & ad vnciam in pueris, hísque vtuntur ad eosdem nuper dictos affectus. Errare eos scribit Camer. qui existiment semina Cassiæ purgare, quia potiùs adstringant, nec credendum esse cortices Siliquarum eius mouere menses & pellere secundinas. Quibus nauseabundus est ventriculus, iis ex sententia Taberii. non est danda Cassia, sicuti nec iis quibus ventriculus imbecillis & humidus aut quos diarrhoea tenet, adeò autem clementer purgat, vt vix præterquàm ex ventriculo aut ex paulò vlterioribus visceribus trahat, in ardentibus febribus & imbecillitatibus, consultum est, id quod multis familiare, ante venæ sectionem corpus Cassia purgare: primas verò tenet, inter cholagoga. Vtiliter quinetiam datur in Thoracis morbis, quos salsi catarrhi concitarunt, ad calorem commistámque bilem mitigandam, educendámque: prodest etiam hepati calidiori, aduersúsque omnes febres ardentes, tempore potissimùm calidiore. Sunt qui eâ quoque contra vrinæ ardorem vtantur, id quod tamen Fallopio vehementer displicet, plus nocere quàm prodesse asserenti, quòd bilem magis ad vesicam ducat, esse enim diureticam: extra tamen hunc morbum, rectè posse in calida renum & vesicæ intemperie vsurpari. Cassiam extractam duplo plus euacuare, & eò magis etiam si in ipsa optimè conterantur & misceantur semina

Reseruantur ad 40. annos.

Aeris contactu corrumpuntur.

Recentes eligendæ.

Vsus apud Aegyptios.

Pulpa. Bilis pituita.

Thoracis affectibus.

Secretum.

Renes.

Præseruatio à calculo.

Arthritis.

Siliqua condita.

Dosis.

Semina non purgant.

Febris ardens.

Thorax.

Ardori vrinæ non conuenit.

Cassia extracta.

Semen purgat.

femina tradit Fallopius; eò quòd in omni parte lignosa robustior sit euacuandi facultas, quàm in pulpa ipsa, id quod se expertum sæpe, & casu primùm in duabus Simiis inuenisse scribit:

Cassia Cayrina.

Ait præterea Cassiam in officinis vsitatam vnam haberi ex Cairo, nigriorem & maiorem: & alteram ex Alexandria rubicundiorem & minorem. Ex ambabus autem eligendas esse maturas: maturitatem quidem autem naturitatem, non ex rubedine & nigredine, ex pituitate & magnitudine:

Maturitatis indiciū.

sed ex aciditate diiudicandam esse: si enim mordicet valdè fauces, indicari quòd sit matura: de-

Lapsus multorum.

cipi verò eos, qui contrarium teneant, pronunciat. Pulpa Cassiæ recens extractæ in vulgari est vsu, in grauissimis capitis affectibus, quam etiam Lenitiuum singulare & benignum planè medicamentum existimat. Sed in meipso, ait Quercetanus, sæpiùs contrarium sum expertus, qui nunquam eâ sum usus, quin grauiter illa fuerim immutatus, quod plærisque aliis eiusdem mei temperamenti accidisse etiam animaduerti. Cùm e-

Cassia bilescit.

nim Cassia sapore sit dulcis, facilè bilescit in bilioso temperamento, vt & Manna. Adde etiam si ex

Aqua distillata.

ea in balneo vaporoso proliciatur distillatione aqua, ex illa promanare (vt ex melle) aquam mirum in modum fortem, acrem & mordacem, atque adeò summè calefacientem. Idcirco cùm vsurpabitur Cassiæ vsus: id summa cautione &

Cautio.

circumspectè faciendum est: exploratâ videlicet vniuscuiusque naturâ & constitutione, cui ea præscribitur. siquidem pituitosus, & obesi & crassi corporis constitutione præditus æger, eâ vti tutè possit: alius verò citra noxam & commodè nequaquam queat. Non vbique aut semper in omni subiecto illius usus est recipiendus: ac ne pleuriticis quidem etsi omnibus aliis purgantibus, illis interdicatur, ea tuta est, licèt benignum & temperatum, inter alia omnia, iudicetur esse medicamentum. Quinetiam eiusdem pulpâ solâ exhibitâ, vsque adeò ventriculus distenditur & intumescit, vt magnâ flatuum copiâ perturbetur, ac vehementer torqueatur; quod eâ ventribus val-

Cassiæ exhibendæ ratio.

dè noxium & perniciosum est. Si autem ea in maiori etiam dosi, aliquo apto decocto & idoneo diluatur, decoctúmque clarificetur ac colo traiiciatur, adiecto vnà syrup. de Cichorio cum Rhabarb. aut Syr. ros. solut. meliùs agitur cum ægris quibus propinatur ex Medicorum nonnullorum sententia.

Monardi lapsus.

Sæpiùs miratus est Garcias Monardum in lib. simpl. Mesue scripsisse grana siue semina huius Cassiæ, purgatoriâ facultate prædita esse, cùm tamen potiùs adstringentem facultatem obtinere videantur quàm solutiuam.

Sepulvedæ error.

Illud verò omni reprehensione dignum est quod ait Sepulueda, nimirum ad mouendos menses, difficilésque partus, temorantésque secúdinas, decoctum corticum harum siliquarum cum Artemisia propinari, aut ex Ouo sorbili cum vnciis quatuor mellis exhiberi. Nam, etsi demus, magno, vt ipse ait, successu propinatum esse huiusmodi medicamentum, Artemisiæ potiùs facultatem hos effectus præbuisse consebimus, quàm harum siliquarum cortices tale quid præstitisse, qui frigidi & sicci sunt temperamenti. Huc adde secundinas sæpiùs etiam sine medicamento reiici, naturæ propria vi. Nam quod Auicenna lib. 2. cap. 197. præscribit ad partus difficultatem, multi non abs re suspectum habent locum: censétque Bellunensis in contextu Cucumerem siccum reponi debere. Hanc ob causam statuerunt Doctiores, Cassiam solutiuam intelligendam esse, quotiescunque Cassiæ meminisset in purgante medicamento, reliquis locis Cassiam ligneam denotari.

Stulta de Cassia solutiua persuasio.

Ridiculum verò est quod de Lusitanis quibusdam, idem profert, qui crediderunt plerosque huius regionis homines continuâ alui solutione laborare, quòd boues, quarum carnibus vescerentur, Cassiam solutiuam depascerent. Nam arbores altiores sunt quàm vt à bob' depasci possint, neque tanta est copia arborum, vt numerum infinitum vaccarum [siquidem multas isti alunt, nullius verò carnibus indigenæ vescuntur] alere possint. Deinde cùm cortice prædita sit Siliqua, verisimile est [etiamsi pertingere possent] vaccas graminis pabulum, quod semper ferè hic viret, istarum siliquarum auiditate non relicturas.

Impostura Pharmacopolarum.

Maran. meth. Seplasiarij (fraudem hanc aperiente Marantha) Casiam Catharticam vliginosis quibusdam latebris, cauernísque reponunt: quidam etiam arena opertam quotidie aqua aspergunt: vel per aliquod spatium singulis diebus aqua macerant, quò plenior fiat, atque ob imbibitum humorem recens etiam appareat: quæ deinde deuorata, flatus, tormina, aliáque id gen' symptomata efficit, quę perpetuò illam plùs minùs concomitantur. Vnde & suapte natura flatuosam esse hodierni Medici existimant, [namque ob id etiam eam Cinnamomi, aut Dictamni Cretici, aut Anisorum, aliorúmque, quæ flatus dissipare solent, adiectione corrigunt] & tamen

Corrigentia.

neque Mesueus, neque Actuarius tale ei incommodum tribuunt.

CERATIVM MONOCOCCON INDICVM.

CAP. III.



RArum hûc fructû primus nobis exhibuit D. Thomas Platerus vir eruditâ solertiâ in inuestigâdis singularibus solertissimus, idémq; Medicus, dono acceptum à Robino Regio hortulano. Fructus

Descriptio

est quinque vncias longus, duas ferè latus, pediculo breui, crasso, firmo, nô fructui superficie tenus inserto, sed cortici côtinuo. Cortex

Cortex.

porrò crassus (Taleri crassitudinem superans) extimâ facie spadiceâ, rugosâ, quadam sui parte pellucente, cum quibusdam verrucosis tuberculis: internâ fuscâ, puluerulentâ digitorum contactum fuscâ quadam fuligine, veluti vstilago (quæ è fructus superficie) inficiens. Ipsa cæterùm corticis substantia, veluti ex arenosis quibusdam

Substantia.

micis firmiter adeò compactilis est, vt sine vi quadam rumpere haud ita sit facilè. Quod cauitatem replet intùs, non faba est, aut Phasiolus, sed

Phalloides.

Phalloides fungosus quidam fructus, internæ atque conuexæ corticis cauitati exteriùs respon-

dens magnitudine, vt integer fructus agitatus, *Color.* sonitum intus edat: puluerulentus quoque est, teres, modicè recuruus, ex fungosa quadam materie compactus, colore fusco, intùs forisque, *Sapor.* sapor fatuus, nec olfactu dignus, priusquam aperuissemus Siliquam suspicabamur esse Phaseoli Brasiliani, cum quo similitudinem aliquam habet.

TAMARINDI.

Cap. IV.

Descript. *Radix.*



Pictam damus tenellam Tamarindorum plantam, quæ radicè quidem egit singularem, tenuem, palmos duos lõgam, semen, ex quo sato prouenit, transadigentem: supra semen autem *Stipes.* stipitis rudimentum, radice nihilo crassius, hirsutum in duos vtrinque ramulos oppositos abit, quibus coniugatim creberrima adhærent *Folia.* folia, Sesbã foliis proxima, oblonga, angusta, æquabilia, hirsuta: atque inter hos quidem laterales, *Ramuli.* quos dixi ramulos, medius cõsurgit alius, nec plùs in hac plãtula obseruare licuit. Porrò autem *Pulpa.* pulpa ipsa fructùs in massas coacta ad nos affertur *Sapor.* coloris nigri, saporis acidissimi, permistis siliquarum corticibus nigris, & membranulis



Semina. tenuioribus, quibus semina alterum ab altero separantur, color verò seminibus pulchrè spadiceus, moles maior quàm Cassiæ fistularis seminibus, quibus rotundiora & latiora sunt, minùs compressa quàm Cassiæ, licet & quadrata inueniantur, vtriusque faciei superficiem corticosam area circularis pingit: sapor strenuè huic adstrin-*Nerui siue Villi.* gens, adhæc pulpæ commisti reperiuntur nerui cartilaginei, duri, qui secundum longitudinem commissurarum, in siliquis videntur producti, *Siliqua. Alpino.* fert enim teste Alpino, siliquas crassas, primò virides, tandem per maturitatem cinericeas, pulpam cum seminibus vt descripsimus continentes.

Eodem scribente, Arbor est Pruni magnitudine, ramis densis Myrti: flores albi, Mali Auran- *Flores.* tii floribus perquàm similes, è quorum medio exeunt quatuor fila alba & tenuissima, ex quibus siliquæ producuntur. Mirabile, inquit idem, hoc *Mirum de hac arbore.* habet hæc planta, quòd eius folia Solem semper *Folia.* sequuntur, *Solisque sequia* dicuntur: nam ipso Occidente omnia in se clauduntur, eodémque oriente aperiuntur, atque hæc motio tantam vim habere in iis obseruatur, vt Siliquas dum habent Occidente Sole, easdem foliis in se arctissimè claudant & retinere spectentur, eodémq; oriente aperiantur, Siliquásque relinquant.

Quare qui cum Monachis sibi persuadent no- *Nostri Tamarindi veri sunt.* stros Tamarindos non esse veros, sed pulpam prunorum cum seminibus Cassiæ, non parum *Error quorundam.* falluntur, vt nobiscum sentiunt Garcias & Acosta: si conferrent semina illa cum iis quæ Tamarindis admixta, animaduerterent, longè diuersa, nempe maiora, nigriora, non ita plana, ac habere veluti formam cordis in medio, cùm semina Cassiæ sint æqualia, & vndiquaque vnius coloris: Adde quòd Cassiæ & Tamarindorum semina nostrati etiam solo commissa diuersas plantulas, multúmque inter se dissimiles producant. Nam Cassiæ tenellæ plantæ latiusculum, acuminatum, Glycyrrhizæ quadamtenus simile folium habent: at verò Tamarindorum prima germinatio, simile omninò folium ostendit, quale depingitur & describitur Alpino, Sesban videlicet, vt dictum, seu Orobi Matthioli.

Arbor est, inquit Garcias, Fraxini, aut Iuglandis, Castaneæve amplitudine, materie firma, non fungosa siue spongiosa: rami foliis ornati multis minutimque incisis, palmi magnitudine: fructus in arcus aut digiti incurui figuram efformatur. Huius immaturi cortex viret, siccatus verò cinereus est, & facilè auellitur: nucleos intus continet satiuorum Lupinorum magnitudine, quodammodo rotundos, sed planos, colore fuluos, sed læues: quibus abiectis pulpæ vsus est, quæ lenta & viscida est. Sed illud obseruatione dignum, quòd hic fructus in arbore adhuc pendens noctu foliis sese inuoluat vitandi frigoris causa, interdiu verò sese expediat, & è medio foliorum emergat. Acidus est dum viret, sed tamen ea aciditas suauitate non caret.

Sunt Tamarindi, vt tradit Acosta, fructus elegantis & aspectu pulchræ arboris, Castaneæ aut Ceratiorum arboris magnitudine, multis ramis præditus, & foliis latam vmbram præbentibus, materie solidâ admodùm: folia filicis fœminæ foliis persimilia, dilutè virentia, valdè elegantia, gustu acido, gratóque, è quibus condimentum fit [*Salsam* vocant] perinde atque è petroseli- *Salsa.* no: flores candidi, aureæ Mali similibus admodum similes formâ exteriore, & odore: attamen octonis foliis constant, quorum quatuor interiora alba sunt & crassiora, velut Mali aureæ florum folia, quatuor verò exteriora tenuiora, & bina ex his eleganti neruo radiata: è medio flore quatuor enascuntur, stamina cornicularum modo inflexa, candida & tenuia. Fructus admodum similis est Ceratiis, [Tamarindorum fructus descriptio verior apud Garciam conspicitur, Clusius.] foris virescens initiò, deinde per siccitatem cinereus, continens officula, rotunda Cassiæ solutiuæ modo, aut paruis Lupinis similia, dura admodum, & colore nitido terreo, haudquaquam flauo, quemadmodum nonnulli referunt.

Nunc superest, vt ex Authorum Arabum scriptis hoc medicamentum examinemus, cùm Veteribus

teribus Græcis fuerit incognitum.

Synonyma. Tamaryndi igitur, autore Mesue, Dactyli sunt acidi fructus Palmæ sylu. Indicæ: præcellunt subnigri, splendentes teneri, villis similibus radicibus permisti, recentes, pingues (viscidi) non exsucci, dulcacidi, sinceri. *Delectus. Adulteratio.* Adulterantur carne Prunorum, sed obscura nigredo dolum detegit: præterea humiditas largior, & prunorum tum odor, tum sapor: Quidam siccos vino puro humectant, vt recentes videantur. Hæc ille, cui licèt Tamarindorum pulpa fuerit cognita, ignoranter tamen scribit dactylos esse fructus palmæ Indicæ: nisi is error sit interpretis. *Mesues notatur.* Mesue, inquit Garcias, facit non etiam credendum Serapioni dicenti ex sententia Habohanifæ folia habere Salicis, meliùs tamen ex Aben Mesue scribit [quod nos in nostro Mesue non legimus] plus medullæ habere quàm Xylocaracta [Siliqua.] *Serap. error.* Verba autem Serapionis hæc sunt, Habohanifa autore, Abundanter in Cæsarea terrisque Humem proueniunt Tamarindi, folia Salicis foliis simillima. *Folia Salicis. Locus. Xylocaracta.* Aben Mesuai ex India defertur fructus rubei coloris plus medullæ quàm Xylocaracta continens, eamque duram croceam, ad nigredinem vergentem, mel sapiens, vel si ita effari liceat melleitatem habens, idque ipsum est, quod ingreditur compositiones, priùs granis eiectis. *Delectus.* Selectiores puta Tamarindos, nouos, recentes, non aridos, saporis acerrimi [imò acidissimi:] *Virtus.* Virtus eorum in tertio gradu frigida censetur: Vis & proprietas laxare choleram, eius acuitatem refrænare, vomitum abscindere pruritúmque tollere. *Dosis.* Dosis aquæ eorum est ab vnciis duabus ad quinque: Abugerius scribit Tamarindos choleram extinguere, sitim auferre, & vomitum sedare, vomitum à stomachi fluxu causatum Stipticat: Annotat Meschali Tamarindum esse frigidum in tertio gradu, ventremque mollire: Mesaringia ait, Tamarindum Prunis similem esse, hoc excepto quòd sit subtilior, minúsve humidus.

Synonyma. Dactylus Indus. Sylu. *Tamarindus*, *Dactylus Indus* Barbaris, Oxyphœnix Veteribus indictus. Tagaust. de purg. *Syluestris palmæ fructus* existimatiâ Recentioribus quos Officinæ *Tamarindos* nominât, & nonnulli à saporis acore Oxyphœnicas; *Oxyphœnix* Cæterùm, nullus inuenitur Veterum, qui de hoc genere fructus prodiderit. *Phœnicobalanus non est.* Non desunt qui Phœnicobalanos Myrobalanos esse existiment: tametsi vtrisque vis insit astrictoria. *Myrobalanus non est. Nomina varia.* Acosta ex vers. Clusij, ait Tamarindi fructus in Canaria *Chincha* vocatur, officula verò *Chincharo*, in Malabar *Puli*, & in Guzarate *Ambili*. *Cincha. Puli. Ambili.* Arabibus, Persis & Turcis Tamarindi, officula *Abes*, arbor, *Siger* Tamarindi. *Abes. Siger Tamarindi.* Clusius not. in Garciam dicit, Tamar Indi, *Dactylum Indicum*, in Malaya *Assa* vocari. *Tamar Indi. Assa.* Apellare autem Arabes Tamarindi quasi *Palmulas Indicas* dicas, testis est Garcias. Nam *Tamar* eorum lingua Dactylū significat. *Palmula cur dicta? Tamarindi vnde?* Palmulas autem vocarunt Arabes hunc fructum, non quòd arbor eius Palmæ similis sit, sed quia aliud nomen magis aptum non inuenerint, officula etiam in se continere conspicientes. Nonnulli [vt Cord. in Dioscor.] Tamarindos à saporis aciditate Oxyphœnicem faciunt, quorum sententiam nec improbat (vt fecit Acosta) nec approbat Garcias. *Lacuna notatur.* Sed quod Lacuna à Thebaicis palmulis non differre scribit, non probat: quemadmodum nec quod eius arborem cum Matth. *Lacun. error alius.* Palmæ syluestris genus facit foliis oblongis, & per extremum acutis, quoniam præferat folia minutim incisa.

Hist. Lugd in append. Tamarindus. Alpino Tamarindus Dereltide appellata. *Dereltide.*

Cordo in hist. Tamarindus, Acacia Indica Siliquæ similis fructus semine ruffo aut flauo. *Acacia Indica.*

Ryff. in Dioscor. ὀξυφοινιξ pictus Actuario & aliis quibusdam Græcis recentioribus ab acido sapore Palmæ sylu. fructus, Tamar Indus, id est, Dactylus Indus, Germ. Tamarinden & Saurdattel Oxyphœnix Veteribus indictus fructus. *Oxyphœnix.*

Dactylus Indus Euch. Rœsl. Tamarindi Ein saure frucht/ proueniens in Cæsarea, folio simili Salici: fructu rotundo, medullâ multâ, coloris Croci, dulci instar mellis. *Euch notatur.* Proh, quantas fabulas Euch. scribit: contraria dicit, fructum acidum [Saur] & postea dulcem instar mellis.

Gorop. in Vertumno, Tamar-Indi, siue Dactyli acerbi Indorum. Bry Fratres Icon. Tamarindi aut Assa.

Linschot. Tamarindus folio Pimpinellæ, Siliqua Fabis simili. Nec magis Græcis olim, nec minus nobis (inquit Aduers. Lobelii & Penæ) noti hodie fructus, quos Tamarindos quasi palmulas aut Dactylos minùs aptè vocarunt. Non enim Indi Orientales, vnde aduehuntur, palmæ similis arboris tradunt esse sed Prunis folio Saligno, vt Fraxino minutim inciso. Fructus Dactylon, siue digitum inflexum profert: semina Cassiæ.

Matthiol. Palmarum genus, Officinis Mauritanos secutis Tamarindi appellatum, Græcis verò Oxyphœnica: Tamarindi, inquit C. Bauh. apud Matthiol. censentur Oxyphœnica (Palmulæ acidæ) & Palmæ sylu. fructus: at videntur potiùs ad Siliquas, quàm ad Palmas pertinere. Dicuntur Tamarindi Lat. Lob. Cæsalp. Camerario: Palma sylu. Lonicero: Oxyphœnica Castori.

Locus & tempus. In Aegypto iuxta Alpinum non sunt admodū hæ arbores copiosæ, neque sunt patriæ, ex fœlici etenim Arabia atque Aethiopia illuc conuehuntur, in viridariisque seruantur: Miraculi loco habetur, quod dicitur, vnam arborem in Deserto Diui Macharii, propè Monasterium Assyriorum vitere, in quo solo nulla alia planta viuit. Serapio ex autoritate Habohanifæ in Cæsarea Aman prouenire asserit. Sed, pace eius dictum vult Garcias: nullos Tamarindos in Cæsarea Amā, quæ est Syriæ, prouenire certum est, cùm à negotiatoribus mercimonii gratia eò ex India deportentur, vbi multis in locis nascuntur, sed qui montosis & ad Septentrionem versis proueniunt, præferūtur & diutiùs incorrupti manent: quales *Cambaiere & Guzate* gignit. Tamarindus, vt vult Camerarius, ex nucleo enata nunquam durat alterū annum. Ego autem plantulas plurium annorum vidi Heidelbergæ in horto D. Sprengeri, & earum vnam iconem curaui parandam.

Vires & Temperamentum. Tamarindi, autore Mesue, medicamentum excellens ac innocens frigidum siccum ordine secūdo, ob id humorum acrimoniam reprimit, bilem purgat, eiúsque & sanguinis feruorem furorémque compescit, febres acutas lenitione egentes, & Icterum sanat: sitim ac omnem ventriculi hepatisque ardorem extinguit, vomitum sistit. *Ardores. Febres. Icterus.* Ne ventriculum frigidum lædant, cauetur mistis hunc roborantibus, Spica Nardi, Mace, Mastiche, succo Absynthii, Fœniculi, Apii, Intibi, Cichorii agrestis. *Dorrigentia.* Actionem uerò eorum imbecillam intendit, serum lactis caprini, vel succus Fumariæ, *Maceratio* Macerantur autem sextuplo prædictorum liquorum, vel aliquorum simplicium aut compositorum: deinde manibus fricantur, pòst semel feruefiunt, postremò colantur donec potio sit liquida & clara, præsertim quando flammeum calorem citiùs extinguere libet, quando etiam Rosę, Santala præcipuè, Citrea, Spodium simul cum his macerata,

vt potentiùs refrigerent. Non colati quoque dantur, quando potentiùs ille ardor extinguendus est. Addunt quidam Prunorum par pondus. Mediocriter coqui [viribus seruatis] possunt, si opus est, quas tamen immodica coctio adimit. *Dosis.* Ob id verò quòd imbecilliter purgant, ab vnciis duabus ad quinque propinantur. Annos tres seruantur in vase vitreato bene obstructo, & in locum purum & perflatilem seposito, nisi externus vel calor vel humor putredinis initium ipsis attulerit. *Duratio. Conseru. modus.* Serap. ex sententia Aben Mesuai dicit Tamarindos frigidos in tertio gradu, vt antè notatum in eius verbis. Tamarindi secundum Auicennam frigidi sunt & sicci in secundo: de his opinio est, quòd confortent cor. *Confortant cor.* Videtur tamen quòd illud proprium sit in habentibus malam complexionem, ad naturam cholericam declinantem. Etenim temperant infrigidando & à cholera mundant cum virtute solutiua, quam habent. *Vsus ad sitim.* Turcæ & Arabes æstate longinquum iter suscepturi, ait Bellon. Tamarindos coëmunt, magni in Turcia vsus, sic vt nullus elabatur annus, quin Cairi plusquam ter millenæ libræ veneant, non medicinæ, sed sitis restinguendæ gratia. *Cairi copiosè venduntur.* Lectu & notatu sanè dignissimum quod M. B. Ven. narrat, cùm inquit, Sunt in regno *Gozurath* plurimi piratæ, qui quum mercatores ceperint, cogunt eos bibere Tamarindos cum aqua maris, & illicò fluxum ventris patiuntur. *Historia. Ventris fluxus.* Quod ideò faciunt, quia Mercatores, quando procul Piratas aduentare vident, solent deglutire margaritas & lapides pretiosiores, ne illis per Piratas eripiantur, sed illi horum astutiam non ignorantes, cogunt eos illicò egerere glutitos lapides.

Hic fructus probè sumptus quibusdam morbis est præsentissimum remedium, vt recitat Gabr. Fallop. de Medic. purg. simpl. his verbis, Ego soleo Tamarindorum pulpam exhibere felicissimo cum successu in Gonorrhœa biliosa, quando volo exstinguere feruorem sanguinis & bilis. *Gonorrhœa.* Exhibeo autem Tamarindos non solos, sed mixtos cum Cassia, vt v. g. Accipio duas drachmas pulpæ Tamarindorum & misceo cum vncia floris Cassiæ, & si velim magis adstringere, commisceo dimidium scrupulum corticis seminum Tamarindorum, redigendo, scilicet, corticem illorum seminum in puluerem. Plurimis mederi morbis Tamarindum Alpinus fusè his verbis demonstrat. Vtuntur foliis, in pueris, ad vermes necandos, atque etiam ipsorum, vel infuso, vel decocto ad soluendam aluum, acida sunt folia atque gustui non insuauia. *Vermes.* Arabes condiunt Siliquas seu Cannas huius arboris paruas at virides saccharo vel melle *Carrub*, tum etiam grandiores factas atque maturas, condiunt ipsarum pulpam saccharo, quam peritinera, quæ in desertis Africæ locis conficiunt, secum viatores deferunt. *Siliqua condita.* Qua sæpè, calefacti ac ex calore itineréque inflammati valdè sitientes refrigerantur, atque sitim restinguunt, per aluum plurimum calidorum humorum subducentes atque vacuantes. *Sitis.* In febribus verò pestilentibus, atque omnibus aliis ex putridis exurentibus, aquam in qua multa copia Tamarindorum infusa fuerit cum saccharo ebibunt: potus siquidem sitientibus ex calore iucundissimus est, maximéque refrigerat & sitim exstinguit. *Febres.* Ad omnes denique febres putridas à biliosis exustisque humoribus concitatas, & ad hepatis atque renum calefactiones ac inflammationes, præterea ad Gonorrhæam vsum Tamarindorum frequentant. *Ad renum inflāmat. ad Gonorrhœam.* Plurimùm illis expurgatis vtor, inquit Garcias, cùm saccharo, atque id maiori cum successu, quàm si Syrupo acetoso vterer. Soleo etiam plerumque ægros Tamarindorum infusione purgare. Tamarindorum v. g. quatuor vnciæ aqua frigida aut stillatitio intubi liquore macerentur per tres horas, deinde factâ expressione eximantur Tamarindi, quos modico saccharo inspersos vtiliter exhibeo, euacuant enim ex parte biliosum humorem, atque pituitosum incidunt & attenuant. Huius regionis incolæ sine molestia sese purgant Tamarindis cum oleo Nucis Indicæ sumptis. Medici verò Indici, folia Tamarindorum trita partibus corporis erysipelate infectis imponunt. Nos hîc Tamarindis aceti loco vtimur, gratior enim palato est eorum aciditas, præsertim maturorum. Deferuntur in Arabiam, Persiam, Asiam minorem, & Lusitaniam sale conditi, vt temporis iniuriam meliùs ferre possint. *Tamar. ind. conserua.* Ego verò sine sale domi asseruare cum suo cortice soleo. Fit ex iis recentibus cum saccharo conserua, præclarum proculdubio medicamentum ad digerendos & expurgandos humores, nec minùs palato gratum, Tamarindorum stillatitio liquore pro digestiuo aliquando vsus sum: verùm cùm nimis dulcem & insipidum ferè inuenerim, eo vti desii. *Aqua stillatitia Tamarindorū.* Cæterùm Tamarindi ex Arabum testimonio refrigerant & exsiccant tertio ordine, tametsi aliquot exemplaria Mesuæ, sed mendosa, secundo ordine refrigerantium & siccantium collocent. *Infusio.* Tamarindi infundi solent pondere vnc. iiii. in qua frigida, aut stillatitio Intybi liquore per tres horas, vt factâ expressione exempti, inspersique modico saccharo propinentur ad purgandos biliosos humores & pituitosos incidendos & attenuandos. De Tamarindis ita Posthius:

Et modicè siccat, modicéque refrigerat horum
Pulpa, refértque acidum gustanti grata saporem,
Et valet ardentes purgando eluere febres.

Nec sicco pede transigenda quæ de Tamarindo Christophorus A Costa Arom. lib. præclarè recenset. *Pulpa delectat.* Sola pulpa vtimur, quæ nonnihil lenta & viscida est, iucundâ tamen aciditate grata, tametsi nonnulli indigenæ asserant officula assata & in pollinem redacta ex oxygala in alui profluuiis vtiliter exhiberi: *Officula. Alui profluuium. Folia.* Folia trita partibus Erysipelate infectis imponunt, atque etiam circa phlegmonas ad arcendum qui influit humorem: iisdem cum sale Ormuziano phlegmonas resoluunt, & cum cineribus ex Cambaia pituitosos & melancholicos tumores; *Phlegmonas.* vsu compertum est huius arboris vmbram sub eâ dormientibus non minùs noxiam esse, quàm arboris Iuglandis. Illud pro conclusione monendum videbatur, quomodo per numeros præscribantur apud Felicem Platerum Tamarindi, quum ad nos non soleant adferri integri: *Plateri mos.* sed vt ego suspicor lapsus erit Typographicus, nec industrio & perito Viro imputandus, quid si legendum Sebesten, de febribus pag. 158. ℞. Prunor. Damasc. n. x. Tamarind. n. xii.

TAMARINDI SEMINIS FACIE FRVCTVS INDICVS.

Cap. V.

Tamarindi seminis maioris ferè figurâ, fructum Indicum ab Illustrissimæ Dominæ nostræ Sybillæ Anhaltinæ Ducissæ Vvittembergicæ mani-

Descriptio



munificentia habemus. Vnciam longus est, tertiam vnciæ partem latus, ouatus, compressus, sulcus & paullò minùs quàm niger, supernè quà adhæsisse videtur leuiter vmbilicatus, infernè acutus, vtrinq; linea ductata ad fructus figuram impressa notatus.

OXYACANTHÆ COLORE FRVCTVS PEREGRINVS DVRVS.

CAP. VI.

Cassia similis. Ceratia similis.



Cassiæ solutiuæ aut Ceratiorum semen magnitudine æquat, cui etiam formâ satis respõdet, tumidior tamen aliquantulùm & colore differens, qui in hoc egregiè rubet, vt in spinæ appendicis, vulgo Herbariorum Oxyacãtha creditæ, fructu, solidus & durus, atque in aquã subsidens & imum petens: Siliquâ aut lobo aliquo inclusum fuisse arbitror, inquit Clus. Exot. eum autẽ nomine *Mates* accepi. Idem Pann. *Mates* fructus Indicus: Et Hist. post. *Phasiol. Indicus Mates*, cuius meis in Garciam notis memini, quoniam tamen isthic eius pictura probè expressa non fuit, meliorem apponere volui.

Apud Taber. ex Clusio etiam depictus est pro fructu peregrino decimo. Hist. Lugdun. Fructus 10. fructus rubens, vt in Oxyacantha: Mates. Huius Icon eadem cum Icone Bunæ.

COLES, CACAO FORMAM QVODAMMODO REFERENS EXTERNA parte rugosus & niger.

CAP. VII.

Fructus peregrinus Clusio Exot. missus anno 1591. à Iacobo Gareto, Vncialem magnitudinem non superabat, Cacao formam quodammodo referebat, non obliquè tamen in partes diuisus, sed in binas duntaxat secundum longitudinem, perinde ac Faba vulgaris, inæquales tamen, solidas & duras, adstrictionis quidem participes, sed non ingrati saporis: externa pars rugosa erat & nigra, interdum (plures enim fructus accipiebat magnitudine etiam inter se differentes) solummodò fusca, tribus aut quatuor neruis distincta, licèt in binas tantùm partes diuidua esset, grauis, & in aquam iniecta subsidens: Lobo autem fuisse inclusum hunc fructum, semper existimauerat, ex eius forma coniecturam faciens, quæ nostræ maiori Fabæ non valdè absimilis. Hâc porrò eius opinionem postea magis confirmabat Doctiss. vir. Tobias Rœlsius Medioburgensis Medicus, cùm binos eiusmodi fructus ad ipsum mitteret, & *Coles* ab iis, apud quos crescebat, appellari scriberet: cuius verba, quia *Coles* historiam exactè exprimunt, recensenda esse putabat. Coles, inquit, fructus arboreus est: huicque arbori folia sunt ferè Pyri, sed longiora. Oportet autem vt arbor quæ fructũ Coles fert, ex fruticũ arborũmue siliquas ferentiũ sit numero: etenim Bonę, Fabæ nostratis, similitudinẽ gerit, nisi quòd Siliquæ Bonis, Phaseolisve longiores, maioresque sunt, & colore candidæ, in quibus sunt quatuor aut quinque fructus: horum singuli suo putamine albo fuerunt tecti: quo ablato, interior fructus pars, ex rubicundo colore purpurascit, Cinnabarisque ac Minii colorem habet, quem Medioburgensi Idiomate Chirurgus, à quo habui *vermillon root*, exprimebat, facilè etiam decorticatus fructus in duas semisses spontè finditur, vti nostrates fabæ. Coles fructus resiccatus, valdè durus ac solidus est: vt mirum sit quòd referant stomacho conducere, & quemlibet potum magis sapidum fieri, præmanso Coles fructu. Sumunt autem hos fructus incolæ in Africæ tractu, iuxta Promontorium viride, semper ieiuni: perferuntque [vt perhibent] ieiunium toto die, vbi tres aut quatuor ederint. Hactenus Rœlsius. Illud porrò obseruabat Clusius, cùm hos fructus quos à Rœlsio, tum quos à Gareto accipiebat, per medium pertusos & filo traiectos fuisse, vt ex vestigiis conicere liceret, quò faciliùs [ita sibi persuadet] suspensi resiccarentur, & in vsum conseruari possent.



Descriptio. Sapor. Folia. Arbor siliquosa. Siliqua. Fructus. Color. Fructus. Opinio quorumdã reprobatur. Stomacho conducit. Potum sapidum reddit. Locus. Vsus ieiunium. Asseruatio.

COLES FRVCTVS ALIVS SIMILIS, NIGER SPLENDENS, CVM MAcula subrufa.

Descript.

Cùm *Coles* fructu quandam affinitatem, inquit Clusius, habere mihi videbatur alius peregrinis fructus, quem adquirebã, sescunciam longus,

Digitized by Google

ſemunciam latus, dorſo tamen latiore, rugoſus aliquantulùm, & ſatis leuis, ſolidus tamen, nec cauus, nec in binas partes diuiduus, niger, ſplendens, ſubruffâ maculâ ſatis amplâ præditus, eâ parte, quâ putamini adhæſerat: lobo enim, vel ſaltem aliquo cortice tectus fuiſſe videbatur.

FRVCTVS PEREGRINVS EX BENGALA.

Cap. VIII.

Deſcriptio

QVinque penè vncias erat longus, totidem ambitu complectens vnâ parte gibberoſus, rugoſo & inæquali cortice cōſtans, ſatis craſſo, duro & lignoſo, cineracei ex fuſco coloris, qui binas nuces, ſiue veriùs nucleos continuiſſe videbatur, eóſque vnciales longitudine, quaſi bifariam ſeu in quatuor partes diuiduos, valdè duros, coloris ex fuſco ſubrufi, ſaporis adſtringentis, linguam exſiccantis, poſt aliquod tamen temporis interuallum non ingrati, ſed vires reficientis & ſitim ſedantis, quo in vſu apud indigenas eſſe, facilè ſibi perſuaſerit: certè & ſubſtantiâ & colore, & ſapore pluſimùm accedere videbabatur ad fructum *Coles*.

Hunc fructum Petrus Garetus ipſi mittebat, quem in *Bengala* natum eſſe adſcribebat.

CORAL ARBOR SILIQVOSA.

Deſcriptio

Locus.

PEregrinam hanc arborem, [cuius tres aut quatuor ramulos, Hiſpali ad Cluſium mittebat.] Doctiſſ. Vir Simon de Touar eius verbis primarius Med. in horto alebat, ſemine ex America accepto natam. Binas autem habebat arbuſculas quæ florem ferebant in quarum adultiore etiam Siliquæ, ſiue lobi nati fuerant, prægrandibus phaſeolis pleni. Arbor eſt Indica dicta Coral, ob eius florem, ſimilem Corallo, folia eius valdè ſimilia ſunt foliis Arboris Iudæ, ſed ſpinas illa habet *Arbor Iud.* quibus hæc caret. An verò illam adumbrare voluerit Matth. Icone Acaciæ 1. quæ ſpinoſa, ignorat *Spina Acacia Matth.* Cluſius, ſed ſi hanc arborem noluit, pictor iconem feliciter non expreſsit. In Icone propoſita à Cluſio folia ſunt Phaſeolorum foliis ſimilia & *Phaſeoli folia.* non Arbor Iudæ, nec Acaciæ primæ Matthioli: quæ nihil aliud eſt, quàm Arbor Iudæ cui appictæ ſpinæ, vt exiſtimetur Acacia.

CORALLI ARBORI SIMILIS.

IN horto Illuſtriſſ. Principis, Anno 1606. ſatum genus Phaſeoli, in quo Iunio apparebat pro magnitudine plantæ caulis craſſus, palmum longus, ſpinoſus. Variant folia, duo enim priora ſubrotunda, ampla, ſingularia: cætera terna, trifolia, ad Cyclamini folia quodammodo accedentia, nondum apparet an ſcandat vel ſit amplexi caulis, Coralli arboris ſpecies dicitur Illuſt. Principeſſæ, in ea nullas ſpinas adhuc obſeruati.

Coral arbor depicta à Cluſio prouenit in horto Principiſſæ Stutgardiæ, multis abundans ſpinis, quæ anno 1605. pedalis fuit, & frigore hyemali periit, Item & alia minùs ſpinoſa.

ACACIA IN GENERE.

DE Acacia in genere verba facere cogunt Authorum diſcrepantes penitùs opiniones. Acanthos igitur, authore Theophraſto, *Acanthos Theophr.* [ἄκανθα, Spina] ita vocatur, quòd tota arbor aculeis horret, excepto trunco: etenim & ſuper *Etymon.* germina, foliaque aculeos gerit. Altitudine procera [ὀρθόξυλος, veru poteſt, tectis idonea, vt ha- *Diuerſa lectio.* bet Gaza] eſt, vt quæ ad 12. cubitos perueniat. Eius duo genera ſunt, quædam enim candida, *Genera Theophraſti duo.* quædam nigra. Hæc imbecillis faciléque putreſcens. Nigra autem robuſtior & incorruptibilis, ob id in nauibus fabricandis ad coſtas ventriſque latera eâ vtuntur. Arbor verò recta, non valdè *Nigra.* aſſurgit. Fructus in Siliqua, modo leguminum, quo incolæ coria perficiunt Gallæ vice: Flos a- *Arbor.* deò eſt pulcher aſpectu, vt coronas ex eo faciant: eſt & medicamentis perutilis, qua de cauſa à Me- *Siliqua.* dicis colligi ſolet. Manat & gummi ex ea, tum *Ad Coria.* vulnerata, tum ſponte ſine vlla plaga. Cùm au- *Flos.* tem cæſa fuerit, tertio anno ſtatim renaſcitur: *Gummi.* Copia huius arboris largè habetur, & ſylua ingens circa agrum Thebanum, vbi & Quercus [δρῦς] & Perſea plurima & Olea. Materies arboris *Materies.* dura: & cæſa, colorem Loti vtique repræſentat. *Loti color.* Humor quibuſdam in lachrymæ modum denſatur, Spinæ Ægyptiæ, [ἀκάνθης αἰγυπτίας] nam ea quoque fert Gūmi, verùm non ex cortice, ſed in vaſe.

Nec

Spina Aegyptia Plinio. Nigra. Vsus in nauibus. Nec minùs apud Plinium Spina celebratur Aegyptia, duntaxat nigra, quoniam incorrupta etiã in aquis durat, ob id vtilissima nauium costis: candida facilè putrescit, aculeus Spinarum & in foliis. Semen in siliquis, quo coria perficiuntur Gallæ vice. Flos & Coronis iucundus, & medicamentis vtilis: manat & gummi ex ea. Sed præcipua vtilitas, quòd cęsa anno tertio resurgit. Circa Thebas hæc, vbi & Quercus & Persica, & Oliua trecentis à Nilo stadiis, syluestri tractu, & suis fontibus riguo. Item Spinæ Arabicę laudes in odorum loco diximus: & ipsa [Arabica Hist. Lugd. legendum censet] spissat, stringitque distillationes omnes, & sanguinis excreationes, mensiúmque abundantiam, etiamnum radice valentior. Est & Acaciæ spina (est & Acacia spinę succus Hist. Lugd. sic emendat ex vetusto codic.) Fit in Aegypto alba (ex alba) nigraque arbore: Item viridi (è semine viridi, aut maturo, Hist. Lugd.) sed longè melior è prioribus (è priori hist. Lugd.) Fit & in Galatia tenerrima (tetertima M. deterrima Vet. & CH.) spinosiore arbore. Semen omniũ [huius Diosc. nam Ægyptię Lupino simile, Hist. Lugd.] lenticulę simile: minore est tantùm & grano & folliculo. Colligitur Autumno: ante collectum (quia Aestate fructus immaturus acerbissimus est) nimio validius.

Candida. Ad Coria. Flos Coronarius. Gummi. Locus. Spina Arabica. Vsus. Plinii locus restitutus. Distillationes. Acacia duplex.

Acacia succus quomodo paretur. Spissatur Succus ex folliculis aqua cœlesti perfusis, mox in pila tusis exprimitur organis, tunc densatur in Sole mortariis (densatúsque Sole in mortariis agitur Hist. Lugd.) in pastillos. Fit & ex foliis minùs efficax. Ad coria perficienda semine pro galla vtuntur. *Delectus.* Foliorum succus & Galatiacæ [Galatiæ Hist. Lugd.] Acaciæ nigerrimus improbatur: Item qui valdè rufus. Purpurea aut Leucophœa, & quæ facillimè diluitur, vi summa ad spissandũ, refrigerandúmque est, oculorum medicamentis, ante alias vtiles. *Vsus. Oculi.* Lauantur in eos vsus pastilli ab aliis, torrentur ab aliis. *Capilli.* Capillum tingunt: sanant ignem sacrum, vlcera quę serpunt, & humida vitia corporis, collectiones, articulos contusos, perniones, pterygia. *Vlcera. Collectiones. Menses.* Abundantiam mensium fœminis sistunt, vuluámque & sedem procidentes. Item oculos, oris vitia & genitalium.

Dioscoride attestante Ἀκακία, nascitur in Aegypto. Est autem spina, arboris specie, fruticosa, non rectè excrescens; quæ florem habet album, fructum velut Lupinum, in siliquis situm: ex quo etiam exprimitur succus qui in vmbra siccatur, niger quidem (ὑπόκιῤῥον) ex fructu maturo: subfuluus [ἔγκιῤῥον] autem ex crudo. Eligitur ex ipso leniter fuluus, odoratus, prout in Acacia contingere potest. Quidam ex foliis cum fructu succum exprimunt. Sed & gummi ex Spina nascitur. Quidam (tradente eodem cap. de Ebeno lib. 1) Mori aut Acanthi ligna, quod illi similia sint, pro Ebeno vendunt. *pro Ebeno.*

Acacia fructus. Succi praeparatio. Acacia Galeno, fructus est arboris spinosæ, quæ maximè in Aegypto nascitur. Hic igitur fructus velut Vua exprimitur, & succus illius in Sole siccatur, & in glebam redigitur. Erit ergo optima Acacia quæ est penitùs læuis, leniter subrubra, suauis odoris & gustu valdè styptica. *Delectus.* Hæc enim maximè de immaturo fructu promitur. Omnis autem Acacia viscidè stringere potest.

Acanthi duo genera Theophr. Guilland. Acantha. Acanthi arboris Theophrasti Guillandino in Aegypto duo genera. Ἄκανθα & ἄκανθα αἰγυπτιακὴ, Hippocr. morb. mul. Plinio & Gazæ Spina Aegyptiaca, Dioscoridi verò ἀκακία appellata: quanquam est, vbi ἀκάνθας quoque vocet, plantam quidem vnà cum suo succo Medicis hodie nomine notam, re verò incompertam.

Guillandino subscribit Harchius. Acacia, inquit, Spina est in Aegypto: sed nostratibus incognita. Serap. vocat Acaciæ succum Gummi Arabicum, quod tamen longè diuersum est à Gummi Arabico Officinarum. Nos autem cortices, spinas, siliquas & semina, quæ reperiuntur cum Gummi Arabico, satis demonstrare censemus verisimile esse id Gummi prouenire ex Acacia, vt asserit etiam Bellonius, & meritò quidem nostro iudicio, ac propterea Harchio quoque non consentimus.

Aetio: Spina Aegyptia ex qua Acacia præparatur. *Spina Aegyptia.*

Michaeli de Capella in syno. apud Haly Abbatem, Acacia Græcum est, Arabes Agazia dicunt Stephanus Acaquia scripsit: Et fit Acacia, ex fructu arboris spinosæ, quæ maximè in Aegypto nascitur.

Acaciam fundentem idem videt Hermolaus accepisse Authores, cum Spina Aegyptia, testis Orib. & Aëtius, nisi quòd Acacia etiam alicubi quàm in Aegypto nascitur. Hæc & Syria quoque Spina dicitur.

Syria spina. Prunus sylu. substituitur Acaciae. Plinius notatur. Nunc Acaciam ex syluestri Pruno colligit officinarum desid'a. Illud meminerimus semen Aegyptiæ, à Diosc. Lupino simile reddi Ponticæ, seu, quod idem puto, Galatiacæ Lenticulæ. Plinius nihil distinguit, sed vtrumque semen Lenticulæ par existimat, minore tamen grano & folliculo. *Corona.* Demetrius in Aegypto spinam quæ sit arbor ramos coronarum specie natiua effundere, in quibus semen rotundum sit flore subobscuro, ex quâ Tyndiæas & Abylæas coronas in Aegypto fieri docuimus in Myrto. Spinam porrò Aegyptiam, sunt qui & Arabicam vocarint, vt Dioscor. & Galenus. Acanthon Arabicam eandem cum Aegyptia spina Acaciam fundente nonnulli faciunt, quoniam Galenus & Paulus hanc & Aegyptiam & Arabicam appellant. Ruell. hæc Hermolai verba transcribit, ac more ipsi consueto (pessimè quidem) pro suis recitat. In Aegypto autem, addit de suo, spinam, albam, nigram, & viridem arbore conspici. *Paliurus.* Paliurum præterea Theophrasto genus quoddam esse putat Aegyptiæ Spinæ, quæ instar arboris insurgit, frutice spinoso, semine in siliquis concluso è quo Acaciam exprimunt.

Acacia. Veram Acaciam i. ex Aegyptia spina factam, quam lachrymam Cyaneam vocauerit primus Andromachus, in Italia deesse putat Manardus.

Ruell. notatur. Hallucinari Ruellium testis est Marantha & Cronemburgus, dum scilicet Acaciam ex Arabicą spina fieri credit; nam Dioscor. & Plinius locis supra dictis, atque Gal. 6. simpl. alteram ab alterâ separauerunt.

Acaciam spinam in Aegypto nascentem, etiam Spinam Aegyptiam vocari, notat etiam Corn. & maximè intelligi scribit cum additione, ex qua Acacia præparatur, ex Aetio apparere: ita vt Acacię nomine & Spina & succus ex fructu spinæ expressus accipiatur: Spinæ verò Aegyptiæ appellatione, ipsa arbor Acacia intelligatur: Sic enim videtur etiam Dioscor. vsurpasse, qui non aliam spinam Aegyptiam, quàm Acaciam habet, & infrà lib. 3. ab ipsa diuersam Arabicam appellatam. *Spina Arabica.* Galenus tamen 6. simpl. pharm. Spinam Aegyptiam aliquos Arabicam nominare scribit. Et seorsim etiam de Acacia planta & succo agit. *Plinius notatur.* Sed & Plinius Arabicam Spinam, aliam facit ab Acaciæ spina, quæ fit, inquit, in Aegypto alba, nigráque arbore, item viridi, sed longè melior è prioribus. Sed idem mox alteram Acacię speciem, in Cappadocia ac Ponto nascentem, Galatiam appellat, &

cum priore confundit, dum semen omninò Lenticulę simile facit. Est ergo duplex Spina Aegyptia, & hęc quę etiam Acacia vocatur, & altera quę etiam Arabica dicitur: Et apparet Aetium hac parte aberrasse, dum ait: Spina Aegyptia ex qua Acacia præparatur, adstringendi & siccandi vim habet: Quare & fluxui muliebri prodest, & vlcera sedis insufflata ad cicatricem perducit. Est enim alia Spina Aegyptia, ex qua Acacia fit: alia item Spina Aegyptia & Arabica dicta, quæ vires illas habet, velut etiam Galenus tradit. Duas itaque diuersas plantas Aetius ὁμωνυμίᾳ deceptus in vnam confundit. Idem lapsus contigit etiam Plinio. Sed hac parte minùs laborandum nobis hodie, qui Acaciam hanc nullam habemus, & penitùs ignoramus.

Aetius not. *Plin. not.* *Acaciam nullam habemus.*

An Cornar. Plinio faciat iniuriam, examinabimus, vbi agemus de Spina Aegyptia. Quod de Acanthi natali solo Virgilius tradit [& baccas semper frondentis Acanthi] clarissimum facere affirmat Marantha, eum non locutum fuisse de Melamphyllo [vide Brancam Vrsinam] quandoquidem hæc vbique gentium oriatur, nedum in India. Cæterùm, in non leuem suspicionem duxit Maranthan Plinius, vt crederet Acanthum hanc esse Ebeni speciem, de qua Plin. lib. 12. cap. 5. verba fecerit, nam cùm cap. 4. locutus sit de Ebeni altera specie, quæ fruticosa sit Cytisi modo, & statim cap. 5. subdat: Ibi & spina similis, sed deprehensa lucernis, igni protinùs transiliente: sibi videri spinam Acanthi nomen exprimere. Hócque spinæ genus idem esse ipsi videtur, quod Dioscoridis Sesamina aut Spina lignea: quæ ob similitudinem pro Ebeno venibant: quod discernebatur ex eo, quòd fungosa erant, & in purpureas hastulas resoluebantur: vnde fortè propterea lucernis apta erant & ignis rapacia.

Acanthi bacca. *Ebeni species altera.* *Spina pro lucerna. Spina Acanthi. Sesamina Diosc. Spina lignea, lucerna.*

Seruius arboris genus esse in Aegypto semper frondentis scribit: sed quâ id coniectura assecutus sit non declarat: In hoc eruditiores cogitent. Ex Acacia quadam Aegypti spina, ex cuius semine seu fructu, interdum & folijs, inquit Ryff. & ex eo Syluius Acacia succus exprimitur, manat gummi in vermiculorum speciem contractum, vini modo perlucidum, refrigerat, densat. Huius non meminit Galen. in Acacia lib. 6. simpl. vti nec Acaciæ mentionem facit paulò pòst in Acantha Aegyptia seu Arabica (quo nomine solo Dioscoridi vocatur:) vnde colligas licet, Acaciam & Acantham Aegyptiam seu Arabicam diuersas esse in Aegypto Spinas arbores. Tamen in lib. comp. pharm. part. frequenter leges κόμμι absolutè Tragacanthæ coniunctum pro Gummi Arabico, quod κόμμι Θηβαϊκὸν vocat, lib. 7. comp. pharm. part. à Thebis opinor Aegypti centiforibus, vti etiam Babylonicum quibusdam dicitur, à Babylone Aegypti Arabiam attingentis, χαμαίδιον, ἀραβικὸν persæpè Actuarius vocat.

Gummi vermiculatum. *κόμμι. Gummi Arabicum. κόμμι Θηβαϊκόν. Gummi Babylonicum. χαμαίδιον Arab.*

Fuchs. de comp. med. Acacia vera succus, eius fructus decerpitur è spina, vnde Arabicum Gummi manat. Hæc hodie rarò aut nunquam habetur.

Matthioli sententia, Syluius manifestè aberrasse deprehenditur, quandoquidem Galeno Acantha Aegyptia arbor vtique non est, sed herba è Carduorum genere, quemadmodum & Dioscoridi libro 3. ἄκανθα λευκὴ, hoc est, spinæ albæ similis, quam Mauritani *Suchan* appellant. Quocirca eo capite Acaciæ meminisse Galenum omninò fuisset absurdum. Errasse eos idem crediderit, qui sibi persuaserunt Arabicam spinam, cuius hìc meminit Dioscor. eam aculeatam esse arborem, quam Acaciam vocant: Arabicam spinam non esse Acaciam, vt Ruellius hallucinetur: Plinium lib. 24. cap. 12. alteram ab altera separasse. Veram autem Acaciam non fuisse notam Matthiolo satis demonstrat falsa figura, quam posuit in post. com. Ital. de qua paulò post loquemur. In Hist. Germ. pro prima Acacia nihil demonstrauit: dicit quidem Gummi Arabicum esse Acaciæ gummi, sed non nostrum Arabicum, quod ait ex diuersis arboribus congregari: mirum etiam eum in Hist. Germ. quam ante secundam Acaciam vocauit, simpliciter Acaciam nominare.

Syluius notatur. Acantha Aegyp. Est herba, non arbor. *Matthioli error.*

Serapionis caput, aiunt Monachi, qui cum pluribus alijs dicit arborem Acaciæ (quam ipse Spinam Babylonicam vocat) producere Gummi Arabicum, idem est cum Dioscoridis capite de Acacia, hoc excepto, quòd Dioscorides pro Babylonica, scribit Aegyptia, & dicit producere gummi: sed non nominat: Andreas Bellunensis autem in suis interpretationibus, in littera Alcarad, dicit sic: *Alcarad* vel *Alcharad*, est fructus arboris spinosæ in Aegypto & in regione dicta Bassera, & talis arbor ab Aegyptiis appellatur *Setan*: & licet ex hac arbore colligatur gummi simile Arabico, tamen Gummi Arabicum est illud, quod colligitur ex arbore dicta *Amguilam*, & Acacia fit ex fructu arboris *Setan*: qui fructus, *Alcharad* appellatur, & est fructus stypticus in vaginis: hæc ille. Ex dictis igitur contigit dubitare, an sit verum Gummi Arabicum, quo vtimur, & an arbor Acacia ferat illud, vt Serapio scribit: siue sit altera arbor, vt Bellunensis tradit. Et si est verum Gummi Arabicum [quo vtimur] productum ex arbore Acaciæ: Vnde ergo est, quòd de ipso gummi exportatur in tanta copia, & de Acacia, siue ex fructibus, vnde ipsa conficitur, nihil? præterea Serap. cap. de gummi Arabico, dicit idem quod dicit Dioscor. præfato cap. de Acacia, præter quòd [vt diximus] Dioscor. non specificat Arabicum. Aiunt enim ipsum esse simile vermiculis in figura sua, & quod aliquid ex eo est, vt vitrum translucens & aliud candidum. Hæc Monachi, quibus non magis assentimur quàm Matthiolo: nostro seculo inueniuntur Siliquæ & Spinæ cum Gummi Arabico vulgari quod meliùs conuenit descriptioni Veterum, quàm Tragacanthæ quicquid censeant Monachi, Matthiolus, Collegium Florentinum & Eur. Cordus, qui Gummi Arabicum idem putat cum Tragacantha.

Spina Babylonica. Gummi Arabicum. *Alcarad. Alcharad. Setan.* *Amguilam Setan.* *Dubium Monachorum.* *Monachi notantur.*

Hist. Lugdun. Ἀκακία, Acacia, Arab. Achachie. Theophr. Ἄκανθα simpliciter, id est, spina, & ἄκανθα αἰγυπτία, Spina Aegyptia vocata, ita vt Acaciæ nomine & Spinam, & succum ex fructu Spinæ expressum accipiamus: spinæ verò Aegyptiæ appellatione ipsam arborem Acaciam intelligamus. Acacia, inquit Diosc. in Aegypto nascitur, Spina arboris instar, & rursum, Alterum genus in Cappadocia, Pontóque. Plinius lib. 24. cap. 12. Spinam Arabicam, ab Acaciæ Spina distinxit. Aetius, qui Spinam Aegyptiam vocat, ex qua Acacia præparetur, duas diuersas plantas in vnam confudit. Plinius alteram Acaciæ speciem, quam in Cappadocia & Ponto nasci ait Dioscorides., Galatiam appellat, & cum priore, Aegyptia scilicet, confundit. Scire oportet Gummi Arabicum Officinis dictum, multùm à Spinæ Aegyptiæ gummi differre. Hæc Hist. Lugd. Ausim ego contra asserere Gummi Arabicum plurimarum officinarum à multis annis esse Spinæ Acaciæ, id vti dictum demonstrantibus spinis & seminibus de Gummi vermiculato à me crebrò obseruatis.

Acantha Theoph. *Acacia duplex genus Diosc. Spina Arabica. Acacia non est. Aetij error. Plinij error.* *Gummi Arabicum.* *Hist. Lugd. refellitur.*

Robert. Const. in Lexico Ἀκακία Spinæ arboreę genus

genus Dioscoridi, *ἄνθιον ἰατρικόν* Herba medicinalis dicta.

Oribasii Aetii & Ruellii error.

Non ignorat Amatus Oribas. & Aetium Acaciç arbusculam cum Arabica siue Aegyptia spina, idem facere, quos Ruellius secutus sit, sed non sine errore. Reprehendit Agricola Dioscoridem, quòd in Aegypto solùm nasci memorat, quum tamen & alibi proueniat: Nam & Syriam spinam dici constare: Errare etiam insuper eos dicit qui Acaciam fieri putent ex spina Arabica: Gummi Arabicum, quod à quibusdam Babylonicum dicatur, Serapionem ex arbore Acacia promanare scribere, quæ sit spina Aegyptia cuius meminerit Plinius lib. 13. cap. 11. Latinè igitur vocari hoc gummi, Acaciæ gummi, vel gummi Aegyptiæ Spinæ.

Syria. Quorundã error. Gummi Arabicum.

Frisch carpitur & Helfricus.

Frischlinus, qui Acaciam modò fruticem (Dornbusch) modò arborem Aegyptiacam spinosam appellat minùs attentè succũ è pomis exprimi scribit. Acacia arbor non fert poma, sed siliquas è quibus succus exprimi potest.

Frischlini errorem sequitur Helfricus, qui & ipse non nouit Arabicum gummi esse ex eadem arbore.

Æquiuoca

Ad Acaciæ æquiuocationes & substituta ordine deueniamus. *Acacia* siquidem *vera*, ab *Acacia Indica*, Tamarindus Cordo dicta, non parùm euariat, de hac iam dictum. Acaciam Matthioli nihil aliud esse quàm *Iudaicam arborem*, cui appictæ spinę obseruauim*, priusquam quisquam id scriptis mandarat de qua postea suo capite. Multi tamen crediderunt esse Acaciam Prunum syluestrem (Schlehen dorn Acaciam Germanicam vocat, Dodon.) sed hi maximè in errore versantur. Et hinc magno errore persuasum est Eustachi. & Euchar. Rœsl. Harch. Guidoni, Plateario & nonnullis Acaciam esse succum Prunellorum syluestrium. Nobiscum sentit Cordus in Dioscor. Trag. Lonic. Brunfelf. Io. Agric. Hermol. & plures alii. Est & Acacia altera Veteribus vt Dioscoridi, quæ multis dicitur frutex trifolius, qui aliis ceu & nobis existimatur *Aspalathus secunda* de qua Hist. n. lib. 4. Considerandum an Anguillaræ *Acacia altera similis Scorpio* Theophrasti, sit Aspalathus 2. Monspeliensium de qua Hist. n. lib. eodem. Acasia (mutata litera c. in s.) est Camer. in horto *Conuoluulus cæruleus*.

Tamarindus. Arbor Iudaica. Prunus sylu. Succus Prunorũ sylu. Acacia altera. Aspalathus 2. trifolia. Aspalathus 2. Monsp. Acasia. Conuoluulus.

Substituit maior pars Medicorum & Officinarum Acaciã deficiente *succum, Prunorum syluestriũ* [quem nonnulli Acaciam Officinarum vocant, malè] quorum sententiæ neutiquam subscribendum, licèt Matthiol. in Hist. Germ. Acacia scribat. Quod mirum cùm in prioribus in Diosc. comm. Veterum potiùs opinionem sequatur, vt Dioscoridis, qui eius vice tum folia Rhois, tum Lentisci foliorum succum, tum Hypocistiden medicamentis admiscet, quibus vtendum potiùs fuerit. Cum Dioscoride Acaciæ loco supponunt Hypocistin Auic. Sylu. Fuchs. in antibal. Colleg. Florent. Placot. Borgar. Matthiol. in epist. l. Lacuna in Dioscor. Monachi in Mes. Fernel. M. M. Fauard. in Gal. de simpl. Camer. in Hist. Matthiol. Germ. Cronenburg. Hist. Lugd. & Antid. Romanum: Succum Lentisci, Auic. Matthiol. Lacuna. Monachi in Mes. Apollo rad. 1. Gal. de subst. Camer. apud Matth. Germ. Cronenburg. & Hist. Lugdenensis: Rhois folia, Matthiol. in Dioscor. Placot. Lacuna, Brassau. Bacchanel. Io. Agric. Cronenburg. & Hist. Lugdunensis: Pulpam Rhois, Collegium Florentinum & Borgarucus: Succum seminis aut foliorum Monachi in Mes. & Apollo. Non placet tandem Ioubertum Acaciæ substituere Gummi Arabicum: quòd (licèt ex eadem planta, ex qua Acacia, proueniat) tum sapore, tum viribus multùm differat. Sed hæc breuiter annotasse sufficiat.

Substituta. Succus Prunorum sylu. Hypocistis. Succus Lentisci. Rhois folia. Rhois pulpa. Rhois seminis aut foliorum succus. Gummi Arabicum.

ACACIA VERA.



Descriptio.

Acaciç plãtam adolescentiorem ex semine natam Patauii vidi, spinis horrentem, similibus ferè spinis Crespini, siue Berberis vulgò dictæ eodémque ferè ordine dispositis, binis vt plurimùm simul iunctis, à se inuicem diuaricatis, albis, cortice ex nigro cineraceo, ligno ex luteo pallescente, foliis ad Lentis folia accedentibus pinnatum, multis ad costam vnam cohęrentibus: ut pollice, teste Bellonio, possis tegere 150. folia: Siliquę, quas hactenus habere contigit, Lupini Siliquis quodammodo similes, nigricãtes siue fuscę, compressę angusto isthmo interceptę, (an pluribus quàm duobus soleat isthmis distingui, *αὐτοπτικῶς* nõ habeo quod dicam) eóque fragili, vnicuique loculo ad latera apertili semen inest vnicum, minus quàm Carrubię siue Siliquæ, spadiceum, circulo in vnguem ducto, veluti in Tamarindis notatum, oblongũ, dentium contemptrici duricie in eo medulla. Cęterum, Siliquam intrinsecus succingit pellicula russescens inter quam & extimum corticem concretus liquor apparet, qualis ferè in *Caions*, sed valdè paucus. Flores pulcherrimi sunt sphęrica rotunditate: globuli magnitudinis maioris Pisi, qui constant veluti lanugine molli, ex se puluerem remittentes, coloris sunt flaui, pediculi singulorum globulorum, tenues, unciales: Aloinus ait odore esse non ingrato Cayri quidem flauo, vel pallido: In montanis verò Arabię, albo: Arborem magnitudine Mori, ramisque esse latiùs expansis, caudice Pruni, trunco ęquali.

Spinæ Crespini. Cortex. Lignum. Folia Lentis. Siliqua Lupini. Semen. Medulla. Liquor. Flores. Odor. Locus. Coloris varietas.

Locus.

De Acacia loquitur Rauvvolff. cùm ait: Circa Halepum conspicitur Spinosus frutex Acacię, qui

Descriptio Rauvvolff. Odiosus agricolis. Ramuli. Spina. Folia. Siliqua. incolis dicitur *Schack* & Arabib. *Schamut*, in his partibus paruus est & humilis, potissimùm in aruis, vbi non minùs odiosus eorum agricolis, quàm Filix & Anonis sunt nostris: ramuli sunt cinerei, curui, spinæ eis multæ similes Rosarum spinis. Foliola Tragacanthæ, plumæ modo dispositæ, vt in Filice fœmina, flores in ea non vidi, Siliquæ eius sunt externè fuscæ, crassiores & rotundiores Faba, internè fungosæ, quæ continent duo aut tria rubentia semina, *Semen. Acacia Germana.* propè vrbem *Bir* ad Euphratem inueni Acaciam, maiorem arbore & fructu quàm alijs in locis: Item in Arabia ad Euphratem genus cum rotundis fuscis siliquis, quod *Schack* & *Schamut* Arabibus dicitur, circa Babylonem in arena.

Est Acacia, inquit Cord. in Dioscor. secundum omnes Græcos, Latinos & Arabes Scriptores, in Aegypto nascens arbuscula, cuius Siliquæ in *Gummi Arabicum. Sechim.* Gummi Arabico vocato, quod ex Acacia arbore manat, sæpè à me inuentæ: Gummi verò eius affertur, non succus: In margine scribitur, *Sechim* in sacris Litteris vocatur: Acantha simpliciter Theophrasto. Venditur hodie non minùs quàm olim, Indicæ & Aegyptiacæ spinæ, hoc est, Acaciæ *Ebenum. Gummi Arabicum.* materia pro Ebeno, quæ propter similitudinem faciè ementibus imponit: Gummi eius Arabicum cognominatum.

Locus. Gummi Arabicum vulgo est Acacia. Acacia, ait Bellon. Obseru. Constantinopoli *Ακακία* vocatur: Inueniuntur eius arbores circa mare rubrum, ex quibus colligitur ab Arabibus gummi id quo vtimur in Europa in atramento & coloribus conficiendis, licèt quidam Recentiorum aliter senserint: recensetur Acacia inter arbores semper virentes. Figura Bellonii infeliciter picta, in qua nec folia, nec Siliquæ benè exprimuntur: fœliciùs depingitur sine siliquis à Dodonæo. Castor. Durant. in fine Herbarii inter figuras Acacia Alexandrina. Lacuna in Diosc. pro Acacia figuram habet, quæ non placet. Fuchs. Hist. Hispanica Antuerp. impressa p. 557. Iconem habet cum hoc titulo *ἀκακία*, Acaciæ nuper erumpentis rudimentum. Et Verdadero *arbor del Acacia.* Anguill. Acacia prima: Item Acanthus Theophrasti, Acacia Dioscor. Dodon. Gall. Acacia Aegyptia: Lat. in fol. Acacia, quæ & Aegyptia Spina, eiúsque Gummi in officinis *Arabicum gummi* dicatur. Lobel. Spina Acacia, Spina Arabica Diosc. Hist. Lugd. cui Acacia Aegyptiaca dicitur, notat *Ακακίαν* dici ab *ἀκίζω* quod est acuo, vnde Acacia quasi acuta: Apud Plinium lib. 24. cap. 12. legendum, Spinæ Aegyptiæ laudes in odorum loco diximus, Arabica spissat &c. Eum enim huic Spinæ omnia, quæ à Dioscor. Arabicæ tributæ sunt, rectè adscribere: de Aegyptia Spina Plinii locum citantem Ruellium in Spinæ Arabicæ Historia, Spinam Aegyptiam & Arabicam pro eadem planta non sine errore vsurpare.

Camer. Epit. ad Matth. Acacia, & ad eiusdem Hist. Germ. Acacia prima. Eandem locis iam dictis, sub signatura crucis ad Acaciam alteram proponit, quam Bellonii esse ait in Hist. Germ. quod falsum: Bellonius enim suæ nullas Siliquas appingit, quam tamen & ipsam malè expressit.

Sexus Acaciæ. Mas Fœmina. Alpino Acacia [quam *Sant* Aegyptii appellant]: Huius arboris mas atque fœmina reperitur. Mas spinis horridus, fructus non edit: fœmina spinis paucioribus mollioribúsque referta est, easque intra ramos non habet, sed extrà tantùm. Errant qui putant gummam quam arborem hanc ferre multi meminerunt, apud nos vtique non reperiri, neque ex Aegypto veram comportari, quòd ipsam forma vermiculari constare Dioscorides prodiderit: hoc enim certò scio me sæpissimè Gummam hanc, quam falsò aliarum arborum similem esse aiunt, hisce manibus Cayri in viridariis multis Acaciæ Arboribus refertis, ex ipsorum truncis multam collegisse. *Gummi ex Aegypto ex Acacia.*

Guiland. multos non potest non vehementer admirari, qui nesciant Acaciæ verum succum huc ex Aegypto quotidie comportari. Nunc enim pauci Pharmacopolæ existunt Patauii ac Venetiis, qui hunc succum ignorent. Neque minùs *Acaciæ verus succus in Italia.* etiam miratur nonnullos, quòd hanc plantam non à clarissimorum Consulum Venetorum Medicis vel Pharmacopolis, in Aegypto multos annos versatis acceperint, potiùs quàm ex Græcia, quam Acaciæ feracem fuisse nemo Antiquorum dixit, veluti multi, quòd in Aegypto hæc planta viuat, spinam Aegyptiam ipsam nominàrunt.

Huiusmodi itaque plantæ genus non ex Græcia, vt Matthiolus Bizantio se habuisse ait, in quo *Matthiolus.* tamen non parùm fuit deceptus, sed ab Aegypto foret petendum: Acaciæ igitur Matthioli imaginem planè falsam esse notissimum est.

C. Bauh. apud Matth. Acacia Aegyptiaca.

Ignota hactenus quidem multis, nunc verò in Italico solo hospitatur, nec aëris inclementiam horret. Duplex genus Acanthi à Theophr. ponitur, duásque esse Acacias Dioscoridis Anguill. *Acanthi duplex genus Theoph.* contendit, cuius authoritatem, plurimi faciendam censeo.

Acaciam seminaui in horto Illust. Exc. Celsit. *Locus & tempus.* semen missum fuit Lutetiâ per insignem Chirurgum Regium Dom. Raisse, cum hoc titulo, *Acacia Bizantij*: Fruticem ex semine natum vidi olim Patauii: Vidi etiam siccam plantam, apud clarissimum Cortusum cum siliquis Lupinis similibus. Valerandus Dourez Venetiis cùm esset, ex siliquis viridibus eò allatis, expresserat succum quem gustaui, sapore austero & graui, colore nigro, tenacem. Cum gummi Arabico pellucido siue Scolicoide albicante sæpiùs Lugduni reperi spinas & semina, quæ manifestè indicant ex Acacia illud colligi Gummi. Habeo etiam ramulum huius fruticis à Fratre Bauh. datum, quem ait Hierosolymâ reportatum. Siliquę mihi datę fuerunt Patauii à Ioan. Genuensi Pharmacopœo. Dom. Cortusus misit mihi Patauio ferendum, cum hâc inscriptione, *Acacia Alessandrina*: & Paludanus cum hoc titulo: *Carat Acacia.* Honorius Bellus *Carat.* ex cortice Cidonia misit Fratri C. Bauh. qui me ramulo donauit, & postea etiam mihi, scribens: Mitto Acaciæ folia & flores, quos hîc nunc Cydonia profert sphærica rotunditate sunt & pulcherrimi, pediculo vno flos vnus exit, & citò in terram decidit: plantam ad sex cubitos se attollentem alo, quæ nondum semen produxit. In Aegypti locis à mari remotis Acaciæ arbores, copiosissimæ autem, teste Alpino, in montibus *Sinay* penes rubrum mare positis, proueniūt: Fœmina arbor est fœcundissima, florerèque orientibus pleiadibus, Nouembri mense incipit, & rursum iisdem occidentibus, scil. mense Martio: bisque in anno fructus fert atque maturat. Bellon. lib. 2. cap. 56. In Arabia ad mare rubrum, circa Sues in deserto sterili, nulla planta ibi prouenit præter arbores Acaciæ, quæ ibi abundant, ex quibus Arabes diligenter Gummi colligunt.

Acacia, [id est succus] vim habet, authore Dioscoride, adstringentem, refrigerantem: succus *Vires & vsus.* commodus est ad oculorum medicamenta, & ignes sacros, herpetas, perniones, pterygia & vlcera in ore. Sed & oculos procidentes continet *Oculi. Ignis sacer. Vlcera.* & fluxum muliebrem, [Mensium abundantiam sistit,

Ruellii deprauata lectio. Vterum. Aluus. Capilli. Lotio ad oculorum medicamenta. Vstio. Torretur. Decoctum spinæ. Galen. explicatur.

sistit, malè Ruellius Plinium imitatus H. st. Lugd.) cohibet, & vterum prolabentem reprimit: aluúmque fluentem sistit, potus & infusus: Capillos item nigros facit. Lauatur etiam ad oculorum medicamenta tritus cum aqua, ita vt quod superstat, diffundatur donec pura aqua superstet, atque sic in pastillos efformatur. Vritur quoque in cruda olla cum ipso fictili in camino. Torretur eadem super prunas suspensa, vt ita exsuffletur. At spinæ decoctum affusum, articulos solutos compingit. Dicit Galen. plantam ipsam Acaciæ acerbam esse & fructum & succum, qui lotus quidem imbecillior & minùs mordax reddatur, vt pote acrimoniam quandam in lauatione deponens (id est vehementiùs astringentem vim,) quâ contracta corpora distrahit, ac veluti dilacerat. Ea scilicet vis aquæ perfusione diluitur & obtunditur. Sic locum hunc exponit Dalech. omnis enim acrimoniæ prorsus expers est Acacia, [etiamsi Galeno credamus partes quasdam calidas in eius substantiam mixtas esse] porrò si parti alicui sanæ illinatur, protinus eam & sicciorem & contractam efficiet, nullum quidem caloris sensum inuehens, sed, nec frigoris admodum valentem. Vnde constat medicamen id esse frigidum & terrosum, ammista quadam etiam essentia aquea. Et sanè coniectura est, non esse similare, verùm quasdam in sese dispersas habere partes tenues & calidas, quæ in ipsa ablutione segregentur. Estque tertii ordinis exiccantium & secundi refrigerantium, vbi quidem elotum fuerit, absque eo verò primi. Et hinc Aetius ait Spinam Aegyptiam, ex qua Acacia præparatur, adstringendi ac siccandi vim habere, quare & fluxui muliebri prodest, & vlcera sedis insufflata ad cicatricem perducit. Aegyptii apud Bellonium ad ornáda coria vtuntur siliquis Acaciæ, quas vendunt copiosè in Officinis Cairinis: In Arabia lóga pertica decutiunt folia quæ arietibus edenda præbēt. Aegyptij ex obseruatione Alpini, Acaciç arboris vtuntur succo, ex siliquis inmaturis expresso vel etiam ex floribus, foliis, vel ex fructibus etiam. Succi huius vsus apud eos frequentissimus & ad oculos roborandos, atque ab inflammationibus quæ ibi sunt frequentissimæ, tuendos: ad oris auriumque omnia vlcera. Nec non ad labiorum fissuras. Ad dentes collabentes roborandos, atque firmandos, succo in puluerem redacto, post ablutionem ex decocto eiusdem succi, vel foliorum vel florum parato, factam, vtuntur supra gingiuas asperso, ab eo dentibus confricatis. Sanguinem spuentib⁹ drachmam singulo manè aliquo liquore dissolutam, potandam offerunt: mirásque ad quácunque sanguinis fluxionem firmandam semper vires habuisse apud eos cognitum est. Ego sæpissimè hoc solo auxilio multas mulieres ab immodico vteri profluuio penè mortuas reuixisse, atque sanatas fuisse, certò scio. In iis quidem quæ has immodicas patiuntur vacuationes, Clysteribus ex Acaciæ foliorum florúmque decocto paratis, in uterum iniectis vtuntur. Atque etiam succo puluerizato prædicto, cum decocto dissoluto, atque immisso. In alui fluxionibus eodem tum clysteres frequentant, tum per os succum fœliciter exhibent. Ad aluum vterúmque foras procidentem, succo dissoluto cum foliorum florúmque decocto, nihil habent præstantius ac frequentius quo vtantur. Ad eos qui ex quacunque causa articulos debiles habent, fomentum ex iisdem omnibus paratum, pro præsentaneo auxilio habent. Neq; immeritò, cùm n. Acacia præualidissima adstringendi vi prædita sit, omnes eius fomento vtuntur, ad defendendos articulos ab humorum decursu, atque non nimis in iisdem tumefactis atque inflammatis, præsertim in principio dum humores adhuc in cursu existunt. Hincque vsus ad podagricos dolores frequentissimus est, maximamque vim habet Acacia, vt à podagricis incursibus homines præseruet. Non desunt, qui ad ea mala non modò foris fomenti vel balnei modo Acacia vtuntur, verùm etiam succi modicum, per os sumere ante fluxionis tempus per aliquot dies consuescunt, vt ipsç internæ viæ, angustiores factæ minùs cursui humorum pateant. Aliqui etiam ex succo Acaciæ atque aceto Linimentum parant, ad liniendos articulos debilitatos, quo sanè mirificè eos roborant ac firmant. Multi recenter à podagra tentati, vsu assiduo Acaciæ planè conualuerunt, qui singulis diebus per horam ad minùs pedes in decoctum Acaciæ calidum detinebant, eoque fomentabantur, pedésque abstersos, Linimento ex succo Acaciæ, opobalsamo, acetóque parato etiam inungebant. Ad pudendorum aliarúmque debilium partium vlcera difficilia, succi aqua pluries Loti puluerizati vsus est illis familiarissimus: decocto etiam vtuntur ad exsiccandas pustulas omnes præsertimque Gallicas, sed decoctum parant etiam cum modico ligni Guaiaci: in pueris etiam ad achores in capite Orientes, & decocto & puluere vtuntur. Non possum autem cum Baptista Condronchio probare Auicennam & Mesuem, qui aiunt in laxata Columella, caput illinendum esse cum succo Acaciæ, nam hic succus intemperiem capitis frigidam magis augere potest.

Noxa. Temperamentum. Fluxus muliebris. Siliqua ad coria. Folia arietum pabulum. Siliqua Succus. Oculi. Vlcera oris & aurium Dentes. Ad fluxum sanguinis mulierum, exper. Clysteres. Iniectio in Vterum. Alui fluxiones. Vteri procidentia. Articulorum imbecillitas. Fomentum. Articuli. Podagra. Succus intro sumitur. Linimentum. Articuli Podagra. Vlcera pudendorum. Pustula Gallica. Achores. Auic. & Mesues notatur.

GVMMI ARABICVM SIVE ACATIAE.

Descript. Magnitudo. Forma. Color. Qualitas substantiæ. Sapor.

Gvmmi hodie Arabicum nominatum, grumis concretum visitur, Nucis ponticæ aut Iuglandis magnitudine, vel etiam sex Iuglandium (vt mihi contigit aliquando in offic. Basiliensi, affinis mei Ioh. Iacobi Frey Aromatarii inuenire) cum adhærente cortice cinereo, globosis, aliàs contortis, in se conuolutum erucam imitantibus, pellucidis, ex flauo pallescentibus aut omninò flauis aut rutilis, extrema parte ferè rugosis & veluti corrosis, fragilioribus quàm Tragacanthæ, lentescentibus tamen & mansis adhærescentibus, sapore dulciusculo, humori in qua maceratur lentorem viscidum conciliantibus. Commistæ reperiuntur spinæ & semina, Lenticulis aut Lupinis similia, vt Lugduni sæpiùs obseruaui quæ manifestò indicant ipsum ex Acatia colligi vt antè dictum. Gummi [κόμμι] ex spina (ἀκάνθης videlicet Acatiæ) nasci autor est Dioscorides: præstare verò vermiculatum (σκωληκοειδὲς) vitrum referens [ὑαλίζον] pellucidum [διαυγὲς] ligni expers [ἄξυλον.] Proximum esse candidum [λευκὸν] Resinosum verò ac sordidum [ῥητινῶδες καὶ ῥυπαρὸν] inutile [ἄχρηστον] censeri.

Synonyma Gummi ex spina. Dioscorides illustratur. Delectus.

Plinius hæc & alia quædam ita recenset. Gummi optimum esse ex Aegyptia spina conuenit, vermiculatum, odore glauco, purum, sine cortice, dentibus adhærens, precium eius in libras xiii. (Denarios tres. Serap. Arabicum nuncupat, quòd ex Arabia suo tempore apportaretur: Galenus verò de comp. med. κόμμι vocat, Gummi Arabicum ait Agricola à quibusdam vocari Babylonicum à nonnullis Sarracenicum. Gummi ex Acacia spina nasci Dioscor. tradit, quod Corn. non aliud esse meritò credit, quàm quod Arabicum officinæ vocant. Multa enim gummi genera sunt,

Delectus Plinio. Pretium. Gummi Arabicum Serap. Babylonicum. Sarracenicum Gummi Arab Offic.

& in diuersis arboribus proueniunt. Quibus omnibus in communi siccandi & meatus obducendi vim Galenus attribuit, & quod asperitates sanant: maximè tamen hæ facultates in hoc ex Acacia spina gummi habentur. Et Plinius ex Ægyptia Spina Gummi optimum esse dicit, quod apud Galenum lib. 4. τῶν κτ τόπους etiam simpliciter gummi appellatur, itémque Thebaicum & Alexandrinum, velut in comm. eiusdem ostenditur.

Gummi Alexandr.

Scire etiamnum conuenit, tradit Matth. Gummi, quod ab arbore Acaciæ manat, ideò Serapioni, Arabicum nuncupari, quòd ab Arabia regione, Ægypto contermina, suo tempore importaretur: Sed animaduertere oportere, quòd Arabicum vulgaris vsus gummi, tenet hanc falsam opinionem etiam Hist. Lugdun. longè quidem ab illo differt, quod ab Acacia colligitur, namque illud non contractis vermiculis simile, sed in ramis versicoloribus conspici, quorum alii succinum, alii topatium, alii chrysopatium, alii beryllum colore & nitore referunt. Quod autem Gummi Acaciæ desit, illud argumento esse posset, quòd ipsa quoque legitima Acatia hactenus, quod sciat, non defertur. Nam si hoc quo vtimur, sincerum legitimúmque Acaciæ esset Gummi, procul dubio ipsa quoque Acacia ad nos conueheretur, cùm longè magis in paranda Theriaca, aliísque componendis medicamentis expetatur, quàm gummi. Vulgare igitur gummi, illud equidem esse existimauerim, quod Græcis gummi simpliciter vocatur. In quam sententiam adduxit eum Galenus, siquidem lib. 7. simpl. medic. sic inquit. Gummi lachryma est congelata, concretáque in truncis arborum, ipsam fundentium, velut resina quoque in multis visitur plantis, quæ resinam fundere possunt. Cæterùm, quòd exiccatoriæ Emplasticæque sit facultatis, constat. Hæc Galenus. Ex cuius verbis palàm est, Gummi sic in vniuersum Græcis appellatum, nostrum Gummi esse, vulgò Arabicum dictum. Quod quidem [quantùm sensuum iudicio consequi potest Matth.] ex pluribus arborum Gummi miscellaneum est. Cuius rei, manifesto indicio sunt, cùm grumorum formę diuersitas, tum colorum varietas. Huc etiam accedit quòd Galenus vnica nomenclatione, omnium earum arborum Gummi comprehendit, quæ resinam non proferunt. Quamobrem omninò explodenda videtur eorum sententia, qui, vbi Græci Gummi absolutè scriptum relinquunt, illud Gummi intelligendum esse contendunt, quod è Spina Ægyptia manat. Galenus lib. 7. de comp. med. per genera, Acaciæ gummi κόμμι θηβαϊκόν vocat, hoc fortasse argumento, quòd scripserit Theophr. ingentem huiusce spinæ syluam esse in agro Thebano: Sed cùm ad nos non perferatur Acacia, nec etiam eius gummi importari credendum est. Matth. Hist. Germ. Acatia, Ger. Aegiptische schottendorn. Errant, qui Arabicum officinis dictum Gummi Acaciæ esse arbitrantur.

Negat Matth. Gummi Arabicum ex Acacia esse.
Succinum Topatium. Chrysopatium, Beryllum.
Gummi miscellaneum.
Gummi lata significatio
Error quorundam Gummi absolute.
Gummi Thebaicum
Error quorundam

Sed fallit Matthiolus in postr. comm. Italicis pro Acatia ponens arborem Iudæ cui appictæ falsò spinæ: Ei non assentior dum reiicit nostrum Gummi, spinæ & semina Acaciæ veræ in eo reperta satis demonstrant, ad nos adferri verum: ἀκανθινοειδὴς, ὀναλιζον, ὀνυχίς. Quod Acacia à mercatoribus non adferatur, perinde vt Gummi, fit ignorantiâ & negligentiâ Medicorum & Pharmacopœorum, qui non expetunt à mercatoribus: vt vendibilia eis nota potiùs aduehant, quàm incognita & non experita.

Matth. not.

Miror dubitare Ioubertum an repeciatur Gummi Arabicum, quod abundabat in Emporiis, cùm suam pharmaciam scribebat.

Ioubert. notatur.

Prosper. Alpin. hoc de Acatia notandum, monet, nimirum multos errasse, qui putarint gummam, quam arborem hanc ferre multi meminerunt, non reperiri, neque ex Aegypto veram comportari, quòd ipsam forma vermiculari constare Dioscor. prodiderit, Gummámque hanc quam falsò Arabicam appellant, dicant esse similem potiùs aliarum arborum, quippe Cerasorum, Prunorum, Persicorum, Pomorum, Pyrorúmque gummis. Sed, quòd, pace Dioscoridis dixerit, non tota, sed paucissima, vermiculari formâ spectetur, neque tota alba & clara. Gummas Acaciarum figura atque colore plerasque Cerasorum, Prunorúmve gummis haud dissimiles vidit. Scit totam gummarum quantitatem, quæ ex Aegypto conuehitur esse Acaciæ arborum: quando nulla ibi arbor sit excepta hac quæ gummas educat: ac Aegyptus & Arabia Prunis, Cerasis atque Pomis careat.

Error multorum Gummi.
Arabica falsò.
Diosc. not.

Hist. Lugdun. Gummi Arabicum Officinis dictum, multùm à spinæ Aegyptiæ Gummi differt.

Gummi Arabicum vermiculatum quod ex Arabia defertur, habet Calceolarius (non illud officinarum vulgi) à Serapione decantatum, quod notandum censeo, inquit Oliuus, & inter potiora referendum. Quid? Gummi Officinarum non fuit hactenus diuersum ab Arabico, vt tenet Oliuus, quamuis nonnunquam sordidum, cum quo etiam vermiculatum reperiebatur: præfractiores an morosiores, qui Seplasiarum Gummi Arabicum ex Acacia colligi pertinaciter negant? Quod Acacia destituimur, nil aliud quàm quæstus & compendii sui studiosos arguit, mercatoribus Aegypti vsitata est, hodiéque Græca appellatio μηκία.

Gummi Arabicum ab Officinarũ diuersum.
Oliuus not.

Vim habet Gummi meatus obducendi, acria medicamenta, quibus commiscetur hebetandi. Et in ambustis pustulas excitari non sinit, illitum cum ouo authore Dioscoride.

Vires. Ambusta.

DE ACACIA SECVNDA VETERIBVS.

Altera quoque Acacia, eodem Dioscoride authore, in Cappadocia & Ponto prouenit, similis Aegyptiæ, multò tamen minor, & ad humum depressa, at tenerior, sed spina aculeorum specie obsita, folia habens Rutæ similia. Semen autem in folliculis coniunctis, trium aut quatuor capacibus, minus lente.

Locus. Descript. Folia. Semen. Vires.

Hæc ipsa tota in succum expressa adstringit, verùm inferior est facultate, & ad ocularia medicamenta inepta.

CARDEM SIVE ACACIA DIOSCORIDIS QVIBVSDAM.

Halepi in mercatorum Tabernis nomine *Cardem*, reperit Rauvvolffius, venales siliquas, Castaneæ modo fuscas quæ duos aut tres sacculos habent compressos, & in vnoquoque est semen rubens simile Balsaminæ nostræ mari: maximæ adferuntur ex Aegypto: quidam existimant veram Dioscoridis Acatiam [putamus legendum Acaciam] quod affirmare non possum, quandoquidem frutex mihi incognitus est.

Locus. Siliquæ. Semen.
Acatia Diosc.

ACA-

ACACIÆ COGNATA PLANTA.

Descriptio. Surculi. Aculei. Folia.

QVædam Acatiæ congener est foliis & spinis Iuiubæ concoloribus, cui Surculi tortiles per crebra interualla geminis aculeis donantur, cornua limacis exerta referentibus, intérque, cum exiles foliola Acatiæ primæ positu & similitudine gerunt. Lob. & Pena Adu.

ACACIÆ COGNATA ALIA.

EX Peruuianis Insulis alia quæ non foliolis dissimilis, in viminibus sesquipedalibus, spinulis aduncis donatur, concoloribus Vuæ crispæ, sed exilioribus. Adu. Lob. & Penæ.

CERCIS VETERIBVS ET ÆQVIVOCA.

Cercis Theophr. Cercis alba. Populus Alpina Gazæ. Rami. Folia. Color. Cortex.

CErcis κερκὶς, arbor annua semina in siliquis inclusa continet, inquit Theophrast. lib. 8. cap. 8. Libro tamen 3. cap. 14. Cercidem [Alpinam Populum Gaza interpretatur,] particulatim describens, siliquarum non meminit. Alpina (Lybica quibusdam) Populo albæ non absimilis, cùm magnitudine tum verò ramis albicantibus sparsis, folio Hederæ, sed parte alterâ sine angulo, alterâ oblongo, neque angulum exeunte acutum: colore parte resupina, pronâque fermè simili: pediculo prolixo, tenuique annexo, quamobrem non erecto, sed inflexo, cortice aspériori, quàm Populus alba, scabriorique quàm Pyrus syluestris. De Cercide Plinius nihil, teste Scaligero.

Aequiuoca. Iudaica Arbor. Siliqua silu. Populus. Herba.

Cercidem priorem Theophrasti multi censent Arborem Iudæ, siue Iudaicam arborem, de qua mox dicetur. Eadem videtur Cæsalpino Siliqua syluestris, quam Cercin appellatam scribit, ob circinatam folii rotunditatem, quæ tamen in siliquis fert. Alteram apud eundem Theophrastum Cercin, & apud Aristot. anim. lib. 8. cap. 5. & Hesychium de populo, quidam Lybicam, quidam Alpinam Populum faciunt, de qua alibi. Hermol. in Dioscor. ait: Herba quædam Cercis est, è qua radii fiunt textoribus, vnde & nomen.

IVDAICA ARBOR.

Descrip. Magnitudo. Rami. Flores. Sapor. Siliqua.

IVdaica arbor vix nisi culta arboream magnitudinem assequitur, neglecta, inquit Clusius, & spontè nascens, plerumque inter frutices potiùs quàm arbores censenda est. Rariores fert ramos alternatim ex lateribus nascentes, cortice ex purpura nigricante tectos: primo Vere flores erumpunt, ante folia plures coaceruati, amœni, purpurantes, breuibus nigricantibus pediculis hærentes, Pisorum ferè, vel Genistæ Clusio, floribus similes, quinque foliis contexti, quibus duo inferiora magnitudinem superant, reliqua tria superiora, simul iuncta apicibus è medio multis emicantibus, saporis subdulcis & nonnihil acidi: floribus & succedunt siliquæ, vncialibus & longioribus pediculis pendulæ, palmari aut sesquipalmari longitudine, membranaceæ, purpurascentes,

compressæ, vnciam ferè latæ, in quibus semina coloris spadicei, dura, Lentibus maiora, oblonga: folia circinatę rotunditatis, Asari, subinde maiora multò, neruosa, vti Aristolochiarum Clusio & dura, superiùs virent, inferiùs inalbicant. Eodem autore aliud genus inuenitur per omnia præcedenti ferè simile præter florē, qui candicat potiùs quàm purpurascit. *Folia. Varietas. Flos.*

Gesnerus de hortis dicit, Arborem Iudę plerumque Siliquas rectas ferre, non falcatas: nec nucamentum, sed, vt Dodonæus pingit, florem quasi leguminis, vel ut Anagyris: quamobrem acuratiùs hæc perpendent, qui arbores illas Lutetiæ viderint.

Quo nomine hæc arbor Veteribus sit appellata teste, Clusio, non facilè dictu est. Nonnulli ad Cercin priorem Theophr. referunt. Alii etiam ad alteram, quam Gaza Alpinam reddidit, quę nihil aliud est, quàm Populus Lybica. Plinius lib. 31. c. 2. meminit Siliquæ sylu. quam purpureum florem ferre ait: an verò hæc nostra sit, difficile est vnicâ illâ notâ iudicare. Monspelii peritiores rei herbariæ referunt ad Colyteam Theophrast. lib. 3. cap. 17. descriptam & 14. cuius notas Arboris Iudæ plurimùm conuenire Clus. quidem affirmat, sed de his ampliùs cogitandum. Qui putant Plinii siliquam, quæ dicta fuit Ficus Aegyptia, esse arborem Iudę, falluntur. Petrus Bellon. in l. 1. de admirab. operum antiq. & rerum suscipiendarum præstantia cap. 17. agens de arboribus sepulchris inseri solitis, id est, quorum vsus maximè in rebus funebribus fuit: peculiare inquit, est arboris genus sterilis, ideò antiquo nomine carens, quæ cùm eximiæ pulchritudinis florem in Vere producat, Turcis tantoperè commendatur, vt nullum Byzantii aut Adrianopoli Cœmiterium videas, quod non hac consitum sit. Eam autem quoniam Siliquas pro fructu edit, Siliquastri nomine appellamus. Idem de cult. prob. 6. scribit inter siliquosas arbores & frutices siliquas ferentes, Arborem Iudę vulgò nuncupatam comperimus. probl. 3. in catalogo arborum propositarum regi, Arbores Iudę, quas Greci vulgò Couchonchias nuncupāt vnde Fabagines & Siliquastræ dictę. Locis iam citatis Bellonium de arbore Iudæ loquutum existimamus, sed quale illud sit Siliquastrum, primo loco dictum, considerandum quod Siliquas pro fructu gerat & sterile sit, quasi Siliqua non sit fructus: libro de cultura nullam arborem inter Siliquosas recenset quę respondeat, pręter arborem Iudę, cui appictę falsò spinę.

Cercis Theophr. Populus Lybica. Siliqua sylu. Plinii. Colutea Theophr. Siliquastrum. Arbor Iudæ. Couchonchia. Fabago. Bellon. notatur.

Acaciæ imaginem Constantinopoli ad se detulisse Augerium de Busbeck Flandrum ait Matthiolus, quę omnibus suis partibus, notisque, veram legitimamque Acaciam imitata sit. Floribus ex albo purpurascentibus, & siliquis, & semine

Lupino similibus. Et quia Dioscorides Acaciæ albos reddit flores, is vt suam sententiam confirmet, subterfugium hoc quærit Acaciam Theophrast. & Plinio tum nigram, tum albam, generis diuersitate haberi, ac adeò non durum credere albam, album proferre florem: nigram verò [vt sua hęc sit] purpureum. Ast Matthiolus Acacię appingit Spinas: nec ulla siliquę aut seminis similitudo cum Lupino quicquid dicat, confundens hanc arborem Iudaicam cum vera Acacia.

Matth. reprch.

Matthioli astutiam nouit quoque Dodonæus, dicens. Matthiolus pro Acacia arborem Iudæ recentioribus dictam picturâ exhibet, nam præter veritatem spinas addidit, vt Acaciam mentiretur.

Acacia Matthioli. Matth. falsitas.

Castor Durant. pro ἀκακία ponit figmentum Matthioli, nempe Arborem Iudæ, cui appictę spinæ, descriptio eius est veræ Acaciæ, quæ non conuenit figuræ: præterea eiusdem plantæ figuram demptis spinis ponit postea nomine Siliquastri, & arboris Iudæ ac arboris amoris.

Durantis error.

Matthiolus vt apud Hist. Lugd. quoque legitur, per suam Acaciam primam depictam [de qua Pena] non Acaciam, sed si spinas demas, Arbori Iudæ similem pictam dedisse videtur. Et reperitur hoc alibi. Arborem Iudæ Matth. secunda Commentariorum in Diosc. editione, pro vera Acacia depinxit: in cuius pictura spinas commentitias esse multi suspicantur. Et hæc Hist. Lugdun. quæ duas habet figuras vnius arboris, meliorem nomine arboris Iudæ, deteriorem nomine Acaciæ primæ Matthioli.

Arbor Iudæ, videtur Dodonæo Laburnum, vel eius species: Sunt, inquit is, qui sentiant Theophrast. Colyteam esse. Verum à Laburno, Colyteaque plurimùm differre rectè censet Gesnerus hort. Eam autem eandem esse suspicatur cum Ruellii Sycomoro [nam ita Gallos arborem Iudæ vocare ait] frondosa, Moro non dissimili, quæ fortè, vt quidam putent, Aceris species sit. Arbor Iudæ, inquit, vocatur *Cucunaia* in Obseru. Bellonii, Ceratia sylu. quibusdam dicta, *Gaynera*, Gallis, *Carobaria*, Italis. Sed arbor Iudæ nihil nobis videtur habere commune cum Sycomoro Ruellii.

Laburnum Colytea. Sycomorus. Arbor Iudæ Cucunaia. Ceratia sylu.

Lobel. & Penæ Adu. Arborem Iudæ Monspeliensium, vocant Cercin Theophrast.? Verùm in marg ne dubitant. Matth. reprehendunt, quòd hanc Constantinopoli accersiuerit, quum in Hetruria propè Senas proueniat. Iidem capite de Acacia dicunt: Ridiculam nobis dedit Acaciam Senensis, cui si spinas demas, arborem Iudæ iudices, vt meritò suspicère spinas non naturæ, sed pictoris aut commentatoris commentum. Illa igitur erit Cercis arbor Lobel. Obs. Arbor Iudæ, Siliqua sylu. Clusii: Acacia Matthioli. Icon. Plant. Arbor Iudæ Monspeliensium.

Cercis. Matth. reprch. Locus. Cercis. Siliqua.

Arbori Iudæ Siliquæ syluestris nomen indidit Clusius, non quòd Siliquæ Veteribus descriptæ similis sit, sed quia nullis Hispaniæ locis vulgari nomine Herbariorum Arbor Iudæ appelletur: quidam à siliquarum siue loborum generatione *Fabaginem* cognominant: Granatenses vulgari sermone *Algarrouo loco* [Siliquam fatuam siue syluestrem.] Mauritani illius regionis incolæ *Dit*. Castellani propter elegantiam & venustatem *Arbol d'Amor*: Galli *Guainier*, quasi *vaginalem*, quia eius Siliquæ cultrorum vaginas æmulentur: Nomencl. Pannon. *Lenche fa*, arborem Lentis. Camer. apud Hist. Germ. & Epit. Matth. *Siliquam syluestrem*, & *Arborem Iudæ* Germ. Wild Johannes brode / Judasbaum / Ital. *Carobaria*. Siliquam quidem syluestrem, non quòd huius species esse possit, sed quòd in siliquis oblongis semina ferat læuia, purpurea, Siliquæ similia, sed minora, Matthiolo ab imperito rei herbariæ falsò pro Acacia prima missa.

Varia nomina. Siliqua syl. Fabago. Siliqua fatua. Arbor Vaginalis. Arbor Lentis. Panis S. Iohan.

Gesnero Tiguri è semine pronata: nascitur circa Bononiam copiosè. Lobel. inueniri dicit peruenustam hanc arborem, propè riuos, aut lætiores margines, interdum & in collibus Veronæ amœnis, & Norbonæ, Hetruriæ etiam non procul Senis. Clus. de locis quibus gaudet hæc tradit. Spontè nascitur primum genus Granatensi regno, & quibusdam aliis Hispaniæ atque Narbonensis Galliæ locis inter sepes. Alitur etiam in hortis non modò in Germania & Belgica, sed etiam in Hispanica Castella ob venustatem. Secundum genus candido flore, spontè nascens non vidi, sed semine duntaxat natum quibusdam Belgicis hortis. Iudaicam arborem per plures annos habuimus, Montbelgardi in horto Ill. E. Cels. semen attulerat Theobaldus Noblot gener noster Illust. E. Cels. Pharmacopœus: sæpiùs floruit, quotannis summitates gelu absumebantur, tandem gelu tota periit: Siliquas compressas longas fert Iulio, semina intus parua. Obseruaui inter Valentiam & Lugdunum, vbi in horto nostro pulchræ plantæ ex semine natę: Item Patauii mense Februario cum Siliquis, Mantuæ florentem Martio. Florentiæ in horto Nicolai Ferrariensis. Basileæ in horto Dom. Doctoris Fœlicis Plateri florentem. Cùm essem Bononiæ, Clariss. vir Vlysses Aldroandus vocabat Circin Theophrasti, florebat Aprili in horto di S. Saluator, al Burgo di S. Catharina, & in horto alio S. Saluatoris.

Locus. Circis.

DE ACACALIDE VETERIBVS.

Hanc Dioscorides lib. 1. statim post Ericem inter frutices recenset, Ἀκακαλίς, inquit, fructus est fruticis in Ægypto nascentis, [καρπός ἐστι θάμνου γεννωμένου ἐν Αἰγύπτῳ] qui Myricæ (μυρίκης) fructui aliquo modo similis est. Cuius cremor [dilutum Paul.] collyriis admiscetur, quæ ad visum acuendum [visus alacritati] conueniunt. Acacalidē Paulus Acallida [Attallida Brunfels. in onom.] nominat. Galenus vbi meminerit, Hermol. nondum comperit.

Myrica. Ad visum.

Brunfel. in Dioscor. breuibus se expedit, inquiens, Acacalidem nondum cognoui.

Consentit Riff. in Diosc. lib. 1. c. 101. Acacalis hodie planè incognita.

Dicit Lonic. in Diosc. lib. 1. cap. 113. Apud Paulum fortè legendum Acacalis. Et Cornar. in Diosc. ait se nullum reperisse qui traderet de Acacalide, præter Dioscoridem & Paulum, qui Dioscoridis verba transcripsit.

In eandem sententiam cadit Matth. in Diosc. lib. 1. cap. 101. dicens: Acacalim Ægyptiæ arbusculæ semen ad nos hac ætate conuehi non equidem arbitror.

Acacalim Ægypti arbusculam sua ætate planè incognitam scribunt Brunfels. in Diosc. Ryff. Cornar. & Matthiolus. Extat hoc titulo (non tamen conueniens descriptioni Dioscoridis & Pauli, qui Dioscoridis verba transcripsit) Acacalis siue Kesmesen quorundam, foliis Ceratiæ de qua proximè. Acacalis [ἀκακαλίς] Gesnero in cat. plant. est frutex spinosus. Stephanus in Synon. vt puto, inquit esse Acacalidem *speciem Tarsi*, quod est Tamariscus, idem sentit Michael Capella in Synon. apud Haly Abbatem, & Bacch. in consensu, Acacalis,

Acacalidis æquiuocationes. Kesmesen. Frutex spinosus. Tamariscus.

Thuia Pliniana. calis, vt vult Lacuna, solo nomine est in Europa, licèt aliqui exhibeant pro ea semen Thuiæ Plinianæ. Amatus sanè obscurus est in hac sententia: *Erica baccifera.* Thüia Pliniana æquè ignota ac Acacalis Dioscoridis. Is Acacalin & Cacaliam, putat esse Ericam bacciferam. *Amatus notatur.* Sed videant obsecro, inquit Matthiol. in Censura Amati, qui rem Medicam profitentur, quàm negligenter Dioscoridem legerit Lusitanus, quin & qua authoritate, vel ratione ductus affirmare ausus sit, Acacalis semen pusillis margaritis non esse absimile: quum antiquorum quispiam (quod sciam) nusquam id scriptus commendauerit. Acacalis vt fert opinio Cordi in Dioscor. non amplius affertur, nisi aliquis *Myrobalanum.* ex Myrobalanis, Emblicum seu Bellericum hanc esse existimet, quod vt non affirmat ita etiam non negat. Toxites in onom. Phil. Ακακαλίς, Acacalis, Bellerium al. Emblicum al. Brueria, Myrica &c. multa miscet indistinctè pro more consueto. Auderet Cæsalp. Cistam, cum Erica *Cora mons Narcissi flos.* nascentem (an Corim Monsp.) acacalin dicere, nisi inter frutices à Dioscoride recenseretur. Rob. Const. in Lex. & Gorræus in Defini. ἀκακαλὶς nominant florem Narcissi Cretensium, Hesychio. Sic & apud Herm. in Dioscorid. Eumachus Cyreneus in Rhizotomico etiam Cretalon & Acacalida Narcissum vocari tradidit.

ACACALIS QVORVNDAM SIVE KESMESEN FOLIIS CERATIÆ.

Descript. *Folia.* EX oftenti semine enata tenella planta instar Ceratiæ primùm erumpentis, rotundis foliis, quaternis, vtrinque costæ annexis binis, caliculus subhirsutus: quæ sub Autumni initium rursus exaruit. *Semen.* Semen, altera parte rotundum, latiusculum, altera in mucronem collectum.

Kesmesen. Acacalin Constantinopoli Turcis dici *Kesmesen* legimus apud Bellonium aut vt Qualceb. apud Matthiol. tradit. *Chesmezen* quod tam vulgare Constantinopoli ad oculorum morbos est remedium, vt tritum sit prouerbium: *Si doleant oculi* *Adagium. Chesmezē. Acacalis.* *habes Chesmezen*: Is ait Bellonium Acacalim esse affirmare, & ex Aegypto adferri certò sibi constare: eaque abundantia, vt nummo quantam vix requiras emere possis. Matthiol. semen sibi incompertum ingenuè fatetur.

Hoc semen aliquoties à me satum Montbelg. in hort. Ill. E. C. non mihi prouenit, miserat frater *Kismesen. Cayrina.* C. Bauhinus cum hac inscriptione *Kismesen* Id est *Cayrina Cortusii*, *Acalis Dioscor.* Habui etiam à Kazio medico & Chirurgo insigni Lutetiã.

MORINGA LENTISCI FOLIO, FRVCTV MAGNO ANGVLOSO IN QVO semina Erui.

Descriptio LEntisci magnitudine est Moringa cui persimilia habet folia: paucis prædita est ramis eámque ob causam exiguam præbet umbram, multis nodis scatet, adeoque fragilis est, vt facillimè cùm ipse frutex, tum rami confringantur: *Folia.* *Fructus pedalis.* folia saturatiùs virent, viuidique coloris sunt: saporis verò foliorum Napi: fructum fert pedalem, Raphani crassitie, octo angulis insignitum, colore dilutiore inter viridem & cinereum, &, intùs candidum, medullosum, & in certa receptacula distinctum, quibus continentur rotunda semina *Semina Erui.* *Sapor.* Eruo similia virentia, & admodum tenera, sed sapore quàm folia acriore, Editur hic fructus cum



carnibus coctus, aut alio modo paratus. *Synonyma* A Costæ *Maringa*, Arabibus & Turcis *Moria*, Persis *Tame*, Guzaratensibus *Turiaa*. Hist. Lugd. *Moringa*. Castor. Durant. *Moringa*, Arab. Turcis *Moriaben*: Persis tamen *Guzarat Terida*.

Locus. Abundè nascitur variis Indiæ locis, sed præsertim tota Prouincia *Malabar*, secundum flumen *Mangate* vbi admodum luxuriat, multósque fructus profert, qui vulgò in foro venduntur. *Succedaneum.* Huius arboris radix vnicornu, & Lapidis Bezaar vices supplet, veráque theriaca est, quâ vulgò incolæ *Venena.* vtuntur, cùm aduersus omnis generis venena, tum ad morsus serpentium, maximè noxiorum, vulgò *Culebras de capillo* dictorum aliorúmque infectorum, & virulentorum animantium, cùm intrò sumpta, tum foris applicata. *Cholerica passio.* In cholerica, quam vocant, passione singularis efficaciæ esse deprehendit Acosta: miscetur remediis Melancholicos humores purgantibus: & probè nota est *Elephantiasis.* Elephantiasi Laborantibus, quorum plurimos, eius continuo vsu sanari perhibent.

SILIQVA PARVA INDICA SEMINE OBLONGO, NIGRO.

Descriptio INter fructus peregrinos Ill. C. VVirtemb. Stutgard. 1608. reperta est Siliqua, vnciam vnam & *Semen.* semis longa, vnciam ferè semis lata, externè rugosa, cinerea, quinque interstitiis distincta intus semina quinque, nigra, lucida, sublonga, inæqualia & vtrinque extuberantia: præter notat lineolam quam non animaduerto. Figuram huius in sequenti tabella exprimendam curauimus sub. No. 1. *Icon.*

ORVCORIA FRVCTVS SILIQVOSVS.



3

2 * 1

Descript. FRuctus Exoticus iste ab Illustrissima Principe nostra nobis donatus fuit anno 1608. Siliquam refert maiorem compressam, crassiusculam, sescúnciam longam, & vnciam ferè latam, subluteam partim, partim autem subfuscã, vtrinque multis maioribus & minoribus, partim ad latera rectã decurrentibus sulcis, par-

Petiolus. tim ad Siliquæ incuruæ ductum obliquè dispersis, petiolum gerit exiguum, teretem atque fuscum Siliquam totam sustinentem, à parte petioli superiore pergendo deorsum, latiusculam, vnciámque ferè longam impressionem obtinet, quæ dein rursus in ascensu superioris partis gibberosę rotundatur, & attenuatur, partis exterioris circuitus plusquam semicircularis in ambitu, magis quàm tres vncias longus est, latiusculus, atque in medio neruum inhærentem sortitur, qui si euellatur, Siliquam in duas partes æquales diuidit atque seiungit: *Semen.* concussa seminis intus latentis manifestum præbet sonitu argumentum, indiciúmque. Siliqua verò isthæc aliquid similitudinis habet cum Siliqua Sennæ. *Substantia.* Dum aperiretur facilè sectioni cedebat, intùs verò substantiam Siliquæ spissam satis vtrinque exhibebat; & duriusculam, *Nucleus.* vnicum tantùm nucleum Phaseolum æmulantem compressum tamen condebat, læui, tenuique tunica rugosa inuestitum, colore aliquo modo violaceo imbutum, *Pulpa.* superat pulpa duriuscula albicans, quæ nobis nonnullam dulcedinem gustando imprimere videbatur.

Orucoria Clusii. Prædictum fructum sic tradit Clusius Exot. Orucoria fructus [redemptus à nautis reducibus *Locus.* ex America 1599.] arboris in *Viapock* nascentis, *Iuruvva.* *Iuruvva* appellatione, quo ad curanda vulnera *Vsus* vtuntur, hostium telis & iaculis in bello inflicta: *Vulnera.* fructus enim contusi vel confracti succum in vulnera instillare ferunt, ad ea consolidanda. *Descriptio Semen.* Planus autem is erat fructus, penè vnciam latus, & binas longus: sed contortus instar Siliquæ Cytisi legitimi, longè tamen maior, valdè rugosus, cineracei coloris, semen planum continens.

LOBVS QVADRANGVLARIS MAGNVS, GRANA LENTICULÆ nigra.

Descriptio.

VNde allatus est hic Lobus, inquit Clusius Exot. intelligere non potui: multò adhuc minùs quâ appellatione donatus esset, quibúsve facultatibus præditus. *Forma.* Quadrangularis autem erat formæ, septem vncias longus, penè binas latus, prominentibus & protuberantibus quodammodo in acumen dorso & ventre, ac longo vtrinque sulco à capite ad infimum Lobum, laterales alas superante: *Color.* eius color fuscus & splendens. *Semina.* Cõtinebat autem hic Lobus in media spina aliquot semina, vt ex agitatione deprehendere poteram: horum vnicum magna cum difficultate, nec eum integrum, sed per partes duntaxat educere licuit: verebar enim, ne Lobum [qui mihi solummodo concessus ad describendum] corrumperem: *Granum lenticula.* erat verò illud granum nigro & splendente cortice tectum, lenticulæ ferè magnitudine, cui suberat alba membrana viridem pulpam continens non insuauem, sed instar nuclei pistaciorum, feruidiore tamen sapore: *Pulpa.* ipsæ Lobi alæ intus inanes, nihilominus [vbi circa sulcos intumescebant] *Succus.* succo quodam dulci, qualis penè Ceratiorum, præditæ esse deprehendebantur.

LOBVS EX VVINGANDECAOVV.



Descriptio. LObus iste singulari munificẽtia nobis ab Illustrissima nostra Principe donatus, *Forma.* Anno 1608. insignis est crassitudinis, longitudinis autem sex nimirum vncias æquans, & tres vncias latus, exteriùs est subasper, tuberculis *Color.* minimis inæqualis redditus, durissimus, Castanei saturati coloris vna in parte, oppositâ verò fusci, nigricantísque magis ac splendentis, in extremitate vna secundum longitudinem considerata, ductu suo continuo in tumorem magis ac magis assurgit, ex opposita verò Lobi parte sulcus insignis ipsi impressus conspicuus apparet: in latitudine eius Lobi ad mediam partem euidenter intumescit, ad latera verò sensim detumescit, tumore solummodo in extrema longitudinis parte pediculo opposita liberaliùs excurrente: *Pediculus.* pediculum denique plus quàm vncialem obtinet obliquè infixum, duobus internodiis præditum, ad Lobum tenuior est & rotundus, asperiusculus, fuscúsq; vlteriùs verò progrediendo versus vtrumque internodium crassior & asperior euadit, donec tandem in extremitatem latam teretémque abeat: aperti iam Lobi crassities pennæ scriptoriæ vulgaris crassitudinem adimplet, substantiâ albicante fuscâque donatâ: cauitas eius vncialis est interiùs plusquàm fusca, nigricánsque, ad pediculi regionem extremam angustior fit, & in se omni ex parte coarctatur, in *Substantia.* opposita verò parte finali rotundatur & arcuatur confricantis digitum tenuissimo puluere fusco aspergit inficitque: crustam habet interiorem cauitatem vndique succingentem, quæ tenuior cùm sit, leui opera à reliqua crassiore substantia

abstrahi

abstrahi auellique potest; cui subest splendens quædam substantia fuscedine eidem sibi consueta oblita, imbutaque. Iconem foliorum prædicta princeps curauerat parandam ad plantam, quæ ei prouenerat, ex officulo ab ipsa terræ mandato.

ICON CLVSII.



Locus. *Lobi descriptio.* *Cortex.* *Pediculus.* *Color.* *Pulpa.* *Ossicula. Nucleus.*

CLVSIVS in Exot. hunc Lobum sic tradit: Magnus & crassus erat hic Lobus quem à Iacobo Gareto accipiebam, non tamen ex Brasilia, sed ex alia prouincia procul ab ea dissita relatum. Bini autem huius generis Lobi mittebantur: Vnus sex vncias longus, duas cum semisse latus: Alter quinque duntaxat vncias longus, binas latus: uterque vnciam dẽsus, crasso validóque duro & firmo cortice tectus, binis neruis siue costis à pediculo, qui crassus & firmus ad extimum Lobum, secundum dorsi longitudinem productis, foris coloris fusci, internè cineracei, & tam exteriore quàm interiore parte scabri, continens fungosam pulpã cineracei coloris, in qua latebant quina aut sena officula veriùs quàm phaseoli, vncialis longitudinis, Auellanæ siue Nucis Ponticę satiuæ magnitudine, dura, nigra, album nucleum continentia, amygdalæ vel Auellanæ sapore. Quia mittebat ex VVingandecaou Americæ versus Septentrionem tendentis prouincia, ad poli Arctici eleuationem 35. gradibus sita, quam Angli duce VValtero Raulæo detectam, Virginiam à sua Regina virgine nuncuparunt, allatum asserebat.

ANIME GVMMI, FRVCTVS.

Anime gummi.

SImilem præcedenti Lobum, sed minorem ad me denuò mittebat, ait Clus. in Exot. lib. anno 1590. ex cuius arbore *gummi Animæ* (de quo Hist. n. lib. 9.) elici scribebat: vnde autem aduectum, non indicabat, nisi quis putet ex *Guyana* Prouincia allatum: nam Guyanæ fructus illos, quorum cap. 6. libri secundi memini, simul accipiebam. Sed illis adhuc ampliorem, vt pote septem vncias longum, tres ferè cum semisse latum, mihi Amstelredami ostendebat anno 1600. honestus vir Stephanus Ioannes Scharm, eiusdem vrbis Pharmacopœus: minùs tamen crassus erat, & coloris magis spadicei, nec plenam maturitatem adhuc adeptus videbatur, alioqui eiusdem prorsus formæ erat cum superiore. Ex insula *Hayti* siue Isabellæ vicina, deserta & inculta, ad quam fortè nauis delata fuisset, recens allatum hunc fructum dicebat. Qualis autem esset arbor quæ eum tulisset, non potuisse intelligere. An porrò alterutet istorum Loborum, *Guama Ouiedi*, cuius mentionem facit cap. 8. lib. 7. primæ partis historiæ Generalis & Naturalis?

LOBVS BRASILIANVS CRASSVS HVMIDVS CITRII SEMINE.

Descrip.

LObus Brasilianus octo vnciarum longitudinem habebat, quatuor cum semisse latitudinem, planus, dorso gibbero & aluo crassioribus & magis tumentibus ipso meditullio, quia fortè ad plenam maturitatem nõdum peruenerat quum legeretur: fossitas tamen dorsi & alui, à lacunarum, in quibus semen latuerat, cauo, unciæ vnius, materiã apprimè spõgiosã constans, Lacunæ binas vncias longæ numero decem, in quibus semen quasi quadrangulare vnciam longum, obliquè situm: Lobi color externè ex fusco cineraceus.

Materia. *Lacunæ.* *Semen.* *Color.*

Varietas. *Color.*

Alium eiusdẽ generis longè minorem cum eodem accipiebat Clus. colore ex fusco rubescẽte foris præditum, qui per medium sectus octo duntaxat Lacunas ostendebat, in quibus semen, imperfectum Citrii Mali semini non valdè dissimile. Qui vtrumque fructum hunc Viennam Austriæ, mittebat Garetus, anno 1585. è Brasilia allatũm & in præaltã arbore natum adscribebat: nomen autem quo apud Insulas do-

Lacunæ. Citrij semen. *Locus.*

Digitized by Google

nabatur, non adſcribebat, quia ab his qui attulerant, fortaſſis intelligere nequiuerat.

LOBVS MAGNVS EX GVINEA FOETIDVS CVM GRANIS Arboris Iudæ.

Deſcript. Forma. VAldè planus, ait Cluſius Exot. hic Lobus, pro amplitudinis eius ratione: nam quum decem vncias longus eſſet, & trium vnciarum vel ampliorem latitudinem haberet, vix quadrantis vnciæ erat eius craſſitudo ſiue ſpiſſitas, ſic vt antè maturitatem ab arbore lectum fuiſſe quiſpiam exiſtimare potuiſſet: maturum tamen illum eſſe, ſemina in ipſo reperta euincebant. *Cortex. Color.* Lento autem & veluti cutaceo cortice conſtabat, ex ſpadiceo fuſci coloris, frequentiſſimis venis ab infima Siliquæ parte ex pediculo dependente ſurſum, & in latera vtrinque ſparſis, prædicto atque quodam modo ornato, *Pulpa. Odor.* medullam ſiue pulpam continebat palleſcentem, ſatis grauis odoris, & caput etiam ferientis, imò cerebrum offendentis, quà inuoluebantur aliquot grana, *Grana. Siliqua ſylu.* dura, ex ſpadiceo fuſca, non valdè diſſimilia granis, quæ in Siliquæ ſylueſtris, vulgò arboris Iudæ cognominatæ, Lobis reperiuntur. Qualis porrò eſſet & cuiuſmodi folia proferret arbor ſimiles Lobos geſtans [arboris etenim fructum eſſe arbitrabar] mihi incompertum, nec qui hunc Lobum ad me mittebat honeſtus vir VVilhelmus Pardynus, ex Guynea aduectum, vllam mentionem faciebat: ſed illud duntaxat addebat, *Vſus granorum.* Chirurgum à quo acceperat, aſſerere incolas illius regionis in qua naſcitur, grana fructu comprehenſa in pollinem comminuere, quo ad vulnera curanda vterentur, *Vulnera. Pernicioſa.* intra corpus verò non aſſumenda, quia pernicioſa eſſent. Eam ob cauſam, pulpam guſtare verebar, ad temperamentum eius explorandum: *Odor.* præterea ipſius grauis & teter odor, à guſtandi deſiderio ſatis me deterrebat, tametſi non fuiſſem admonitus.

LOBVS BRASILIANVS INGENS SILIQVÆ ACACIA. FORMA.



Locus. Iuglandis folia. INter arbores quæ fructum in Lobis aut Siliquis gerunt, præcelſam quandam in Braſilia naſci intelligebat Cluſius Exot. Iuglandis foliis præditam, quæ hunc admirandum Lobum profert, cui ſanè parem formâ & longitudine vidiſſe non memini. *Icon.* Lobi Iconem, totius fructus magnitudinem & formam affabrè exprimentem, cũ Lobi ipſius extima parte quatuor articulis diſtinctâ, Viennam Auſtriæ, mittebat Londino Iacobus Garetus.

Deſcript. Erat porrò hic Lobus articulatim diſtinctus inſtar Siliquarum Acaciæ, *Acaciæ Siliqua. Longitudo. Latitudo.* ſingulorum articulorum medio etiam tumente, quo videlicet ſemen continebatur, binos pedes Romanos cum triente longus, quatuor vncias [vbi latitudo maior] latus, atque planus inſtar prædictarum Siliquarum Acaciæ, *Color.* cineraceo quodammodo colore præditus, qui tamen ante maturitatem lectus fuiſſe videbatur: *Semina. Vomica Nux.* nam ſemina contracta & rugoſa erant, orbiculari penè figurâ, Nuci vomicæ non valdè diſſimilia, quodam veſtigio impreſſo eâ parte, quâ Lobo adhæſerant, coloris ex albo ruſeſcentis.

SILIQVA SEMINE COLVTEÆ.

Deſcript. Longitudo. DAbat Paludanus Cluſio Exot. Siliquam tres vncias longam [licèt interdum breuior reperiatur,] ſatis gracilem, rugoſam & inæqualem, *Cutis.* cineracea cute conſtantem, quæ ſecundum longitudinem in binas partes dehiſcebat, *Grana Coluteæ.* multa grana continens plana, dura, Coluteæ granorum ferè æmula.

LOBVS LONGVS AROMATICVS ODORE FERE BELZVINI.

LOndino ad Cluſium mittebat Hugo Morganus Sereniſſ. Reginę Anglię Elizabethæ pharmacopœus anno à nato Chriſto 1602. quinos aut ſenos Lobos peregrinos, quid de illis ſentiret eius opinionem exquirens: quam ſane, quia ſimiles antè nunquam ipſi conſpecti, difficulter admodum ſe pronunciare potuiſſe, ingenuè fatetur.

Deſcript. Magnitudo. Erant porrò illi Lobi variæ magnitudinis: nam nonnulli ſex duntaxat vncias longi, alii ſeptem, quidam etiam octo vncias longitudine ſuperabant: ſinguli vix ſemunciam erant lati, *Color.* omnes teretes & rugoſi, ſubfuſci coloris, eâ parte quâ pediculo inhæſerant nonnihil recurui, extimâ parte obtuſa, breuiter formâ non valdè diſſimiles quibuſdam oblongis & teretibus corniculis, quæ in Terebinthi arbuſculis olim obſeruare meminit: qui aperti (in binas enim partes æquales ſecundum longitudinem aliorum Loborum inſtar diuidebantur) nihil continere deprehendebantur, *Pollen.* quam tenuem quendam pollinem nigrum & ſplendentem, tenaciter interiori Lobi parti inhęrentem, *Belzuini odor.* odoris ferè Belzuini initiò, ſed ſi quis naribus admoueret, capitis grauedinem inducentem. Vnde autem habuiſſet, & an quidpiam intellexiſſet, nati ne eſſent in humili aliqua planta, an in arbore, aut quæ Prouincia eos produxiſſet, nihil adſcribebat.

SILIQVA THYMIAMATIS ODORE.

Deſcript. GEner Cherlerus anno 1606. attulit ex Anglia fructum nomine Siliquæ Thymiamatis odore, quem habuit munere humaniſſ. & præſtantiſſ. pharmacopœi Londinenſis Iacobi Gareti: *Color.* ea Siliqua eſt coloris ferè Caſtaneæ, diluturis tamen, octo vncias longa circiter, craſſitudine circiter Siliquarum Nerii, vitentem multò craſſiorem non dubitamus, ſecundum longitudinem rugoſa, & tota ſulcis conſtans, à principio ad extimam partem, quam exiſtimarim in acutum deſinere, ea enim in noſtra Siliqua quæ nobis vnica eſt, tantillum abrupta eſt: principium eſt latiuſculum, & nonnihil

nonnihil contortum quasi deorsum pependerit in sua planta, non est rotunda Siliqua, facilè tamen credimus fuisse, sed exsiccatam, compressam & corrugatam, est enim caua, & plena minimis *Semina.* seminibus, minoribus quàm Peti, nigris, splendentibus, sub dentibus stridentibus: *Odor Siliqua.* odorata & degustata Siliqua suauem præbet odorem, ac post se relinquit aliquam acrimoniam, cùm ab Illustriss. principis nostri pharmacopœo Theobaldo Noblot Genero nostro peteremus quem odorem referret, respondit Styracis. Nos facilè patiemur nobis persuaderi eandem esse cum præcedenti Lobo.

LOBO FORTE, INCLVSVS FLAVESCENS FRVCTVS.





Descriptio FRuctus hic liberali Illustrissimæ nostræ Principis munere nobis anno 1608. donatus, *Cortex.* sescunciam circiter in lõgitudine sua adæquans, vnciam verò in latitudine adimplens, corticem habet ex vna parte dimidia semirotundum & vndique ferè teretem, flauescentem, læuem, in medio tamen aliquatenus fastigiatum, vnde ad vtrumque latus costa quædam elatior decurrit, vsque ad finem huius dimidii fructus, parte etiam huius superiore gibbus quidam eminentior visitur, tandem fructus hic in duo quasi segmenta distinguitur, sulcis quibusdam obliquis Græcorum penè ypsilon imitantibus, secundum latera vtraque ad finem penè corticis productis; ex altera fructus istius parte dimidia cortice prior denudatus detectúsve conspicitur, ita quidem vt alteri alicui rei adhæsisse priusquam auelleretur credibile sit, nam in extremitate in orbem circumducta caua quædam fossula, partem interiorem ambiens conspicua fit, nucleus verò in medio cortice contectus inæquali multisque scrobi- *Nucleus.* culis nunc profundioribus, nunc verò parte intermedia elatiore foueolæ minimę occurrunt, in fossula verò extrema hinc & inde Lineæ nunc semirotundæ nunc verò decussatim se intersecantes offeruntur, spectandæ fossulæ denique ora extrema à corticis priùs descripti extremitate inęquali fimbria donatur, modò enim elatiori fine intrò curuata altiùs assurgit, modò retusior hebetiórque apparet.

De hoc fructu hæc tradit Clus. Exot. lib. 2. cap. 16. Fructus à Iacob. Gareto missus qui Lobo inclusus fuisse videbatur, aut saltem alio operimen- *Descriptio Clusii.* to, nam vestigium supinâ parte retinebat quâ alteri rei inhæserat: alioqui firmo putamine præditus erat, licèt valdè tenui, & præ politura splendente, coloris ex spadiceo flauescentis, nucleum *Color.* putamini non adhærentem continente, in binas partes diuiduum, internè candicantem, subacido sapore.

De lobo incluso Fructu incluso nigricante & candicantibus venis distincto. Item de lobo simili Fructu quodam, vt & de Sampatatta Indorum lobo spinoso & de alio simili Fructu consulatur idem Clusius in Exot.

LOBVS ΕΧΙΝΩΔΗΣ CVM PISO DVRO CINEREI COLORIS.

LObus hic, vt recenset Clusius Exot. membranaceo cortice constabat tres vncias longus, *Descriptio* binas latus, fusco, subrubente, & frequentibus *Cortex.* pinnulis hirsuto: meminit etiam vidisse minores,

& vncialem vel sescuncialem lõgitudinem non excedentes, sed qui singulares fructus duntaxat cõtinerent, *Fructus.* hic verò binos instar magni Pisi, coloris ex albo cineracei, paruo hilo fusco præditos: quâ Lobo inhæserant, adeò solidos & duro putamine constãtes, vt fabei viderẽtur, & cum difficultate confringi possent, confracti autem, album nucleum continere deprehenderentur, *Nucleus.* impensè amari saporis, non minùs quàm Lupini, *Sapor.* Maiorem à Richardo Garth accipiebat, cum inscriptione è Brasilia allatum esse: minorem mittebat Iacobus Garetus. Minori similes, sed detersis spinis, referebant ex Iaua Batauii anno 1597. Habuit etiam ex Virginia Lobum cum suis spinulis: tum Pisa nuda Loboque exempta, reperta inter Aromata è Tripoli Syriæ aduecta: vt variis *Alii.* locis hoc legumen nasci videatur. Nam nullæ ferè *Locus.* naues ex Africa, America, aut aliis peregrinis regionibus calidioribus redeunt, quin & hæc Pisa nuda referant. Sed etiam anno 1602. mittebat ad nostrum authorem Clusium doctissimus vir Iohannes de Castaneda nudum Pisum cum hac inscriptione *Mates de India pardo*, hoc est, *Mates Indicum* cineracei coloris: [de Piso Ochræ colore, illi non absimili, Londino misso vide *Mates.* eundem Clus.] Obseruabat autem illud nomen *Mates* pluribus leguminibus peregrinis ab Hispanis tribui. Eiusdem porrò magnitudinis cum priore illo, Lobum, tres videlicet vncias longum, & duas latum, eúmque valdè integrum, & suo oblongo pediculo [qui nonnihil spinosus] adhuc inhærentem, ipsi ostendebat anno 1599. honestus vir Iohannes Gouerts Amstelred. ciuis & mercator, qui valdè integer erat, nec detritis spinis. Considerent Lectores, quæ dicta sunt Hist. nostrę lib. 3. de fructibus qui sunt tanquam torno elaborati.

DABVRI FOLLICVLVS AMERICANVS, AD DATVRAM ACCEDENS SEMINE RVBRO.

DAburi fructum misit Clusio VValichius Sy- *Descriptio* uerts Ambstelredamo, qui anno 1599. rede- *Color.*

Spina. Membrana. merat à nautis ex America reducibus: membranaceus erat folliculus quem an in arbore nasci dicat, an in frutice, dubius est: *Bacca.* eum enim duntaxat accipiebat baccillo suo satis tereti adhuc inhærentem, & qui plures folliculos sustinuisse videbatur, anno 1585. Viennæ Austriæ à Richardo Garth Londino missum. Erat autem is folliculus spadicei ad fuscum tendentis coloris forinsecùs, extremâ parte mucronatus, toto corpore hispidus, & mollibus spinulis præditus, sescuncialis aut amplioris longitudinis, & vncialis latitudinis, qui in binas partes dehiscēs, internè cauus, & veluti in quatuor loculamenta distinctus tenellam membranam continebat, in qua veluti exiguarū baccarum Vuula Pyri formam exprimentium & pusillis petiolis inhærentium, coloris rubri & quasi miniati, quibus inspersæ tanquam aureæ micæ, præsertim in ipso vmbilico.

Similem deinde decimo quarto post anno Ambstelredamo missum accipiebat ab honestissimo viro VValichio Syuerts *Daburi* appellatione, quum præcedens sine nomine missus esset.

Arbor finium regundorum. Cæterùm grana illa miniata quæ in priore conspiciebantur, suspicionem faciebant, an fructus esset Arboris finium regundorum, de qua Iulius Scaliger, lib. Exoticorum Exercit. 6. certè huius grana, tametsi vetusta, dentibus attrita, rubro vel miniato colore inficiebant, eiúsque rei causâ, Anglus quidam in Brasilia habitans, Londinum mittebat pro specimine, an ex eo quæstum facere posset. An Bixa Ouiedi?

OVIEDI BIXA.

Descript. Color. MEam suspicionem, inquit Clus. Exotic. quam de folliculo præscripto habebam, non prorsus vanam fuisse, Anno 1602. demùm intelligebam. Nam Septembri mense eiusdem anni, inter quædam semina quæ mittebat Doctiss. vir Iohannes Castaneda, erat similis folliculus, breuior tamen, vt qui sescunciam longus duntaxat esset, vnciam latus in binas partes dehiscens, & cuius spinulæ attritæ: externa pars fusci coloris quemadmodum etiam interna, sed hæc læuis & paululùm splendens, in cuius medio aliquâtulùm cauo, vtraque pars quindecim aut sexdecim grana saturè rubra, exigui etiam Pyri formam referentia, breuissimo, tenuissimóque petiolo singula suspensa, habebat, eáque nullis aureis micis aspersa, nisi extimâ parte, quæ splendens & veluti aurea, minimâ nigrâ maculâ tanquam puncto erat insignita: nullam verò obseruabam in eo folliculo siue capite loculamentorum distinctionem: nam, vt dixi, dimidia vtraque folliculi siue capitis pars, grana serie quadam disposita in media concaua parte continebat, maiora & magis matura, quam quæ ex Anglia mittebantur, & saliuâ duntaxat paululùm aspersa, eleganti minii colore inficiebant: chartæ autem, quâ folliculus inuolutus, inscriptum erat, *con que se vntan los Indios*, hoc est, quo se inungunt vel inficiunt Indi. *Grana.* *Bixa Americanorum.* Octobri verò insequente, alium elegantem ramum [cuius descriptio ex eodem loco petenda] ad eum misit honestissimus vir Petrus Garetus, significans, Brasilianos vti ad corpus rubro colore inficiendum: *Vsus. Vicia Africana. Siliqua. Grana. Iunipapeeyuva.* cui addiderat Viciæ Africanæ ramulum è quo plures Siliquæ dependebant, nonnullæ sua grana rubra adhuc retinentes, & ramum *Iunipapeeyuva*, sustinentem fructum suum, verùm longè minorem, quem Clusius cap. 10. lib. prim. Exotico. exhibet. De quo nos suprà Historia nostra generali lib. 3. cap. de Genipot, siue Iunipappeeivva Brasilianorum tractauimus. *Bixa.* Cæterùm non dubium est quin hic fructus illi similis sit, quem Ouiedus Bixa appellat, cuius fruticem in humanam altitudinem, interdum etiam ampliorem, assurgere scribit, & *Xyli folia.* folia Xyli foliis similia proferre.



FINIS LIBRI DVODECIMI.

ΕΠΙΓΡΑΜΜΑΤΩΝ

OMNIVM PRAECIPVORVM CAPITVM

QVAE TVM IN PRIMA TVM IN SECVNDA PARTE TOMI PRIMI HISTORIÆ VNIVERSALIS PLANTARVM CONTINENTVR.

INDEX

Per pp. denotatur pars prima : per p. 2. verò pars secunda, quæ incipit à LIBRO SEXTO.

A Baum, Aethiopicus fructus pag. 109. partis primæ.
Abelicea siue Santalus adulterina Cretica 490.p.p.
Abbel, Fructus Orientalis 283.p.2.
Abies fæmina 231.p.2.
Abietina resina, liquida, & arida. 230.p.2.
Abies Mas Theophrasti, siue Picea Latinorum. 238.p.2.
Acacalis Veterum. 434.p.2.
Acacalis quorundam siue Kesmesen 453.p.2.
Acacia in genere. 426.p.2
Acacia vera 429.p.2
Acacia Gummi, siue Gummi Arabicum. 431.p.2
Acacia Diosc. quibusdam, aliàs Cardem 432.p.2
Acacia cognata planta 433.p.2
Acacia cognata alia ibidem
Acer ex Veteribus in genere 164.p.2
Acer vulgare minori folio 166.p.2
Acer Monspessulanum 167.p.2
Acer maius, multis falsò Platanus 168.p.2
Adrachne Theophrasti 87.p.p.
Aereria aut Chalcios 411.p.2
Agalochum Veterum in genere 475.p.p.
Agalochi & ligni Aloes substituta, adulteria, & aequiuocationes 481.p.p.
Agaricum 168.p.2
Agiabalid Aegyptium folio Buxi 62.p.2
Agnus Scythica, Borometz. 406.p.p.
Agnus siue vitex 205.p.2
Agnus folio non serrato Ibid.
Agnus folio serrato Ibid.
Agria siue Aquifolia glandifera Anguillaræ 100.p.2
Aquifolium seu agrifolium vulgò 114.p.2
Agul & Alhagi Arabibus, planta spinosa Mannam recipiens 405.p.2
Aborahi, fructus venenatus 337.p.p.
Alnus vulgaris 151.p.2
Alnus incana & hirsuta 154.p.2
Alno similis arbor 155.p.2
Ambare Indica 118.p.p.
Amba siue Manga 173.p.p.
Ambarum 326.p.2
Amurca 20.p.2
Amygdalus dulcis & amara 174.p.p.
Amygdaloperficum 185.p.p.
Amygdala Peruniana 293.p.p.
Amygdala Guyanensis 329.p.p.
Anacardum 334.p.p.
Anagyris Veteribus 363.p.2
Anagyris vera fœtida 364.p.2
Anisum Indicum, siue Zinigi fructu stellatus 485.p.p.
Angor, arbor Castanea fructu amaro 127.p.2

Anime & Copal 325.p.2
Animes species ad Succinum luteum accedens 326.p.2
Anime similis resina, ex albo flauescens Ibid.
Anime alba perlucida Ibid.
Anime colore Colophonia Ibid.
Animes species alba Copal Indis Ibid.
Anon Ouiedi 112.p.p.
Antirheumaticus Cortex 463.p.p.
Antispodia 223.p.2
Ab Ono seu Asino denominatæ Plantæ 564.p.2
Aquifolium, vide supra Agrifolium 114.p.2
Arara Fructus Americanus 333.p.p.
Aratacon Brasil. semine Melonis fusco ferruido 315.p.p.
Aracynappil, Aurantiis paruis similis fructus 106.p.p.
Arbor fructum Melonis facie proferens. 108.p.p.
Arbor cucurbitifera, Ficus Nigritarum 111.p.p.
Arbor folio Lauri, fructu Cucurbitæ ex Guinea 113.p.p.
Arbor peregrina fructum fici similem gerens 144.p.p.
Arbor fico similis venenata 147.p.p.
Arbores Indicæ Theophrasti tres 147.p.p.
Arbor pomifera, An Musa? 151.p.p.
Arbor Muniacus 169.p.p.
Arbor Persea Ibid.
Arbor Mamay 171.p.p.
Arbor vinifera, Cotton, Iuglandi similis 254.p.p.
Arbor Tinctoria 254.p.p.
Arbor Americana Penoabsou 255.p.p.
Arbor Gebuph siue Cobbam 325.p.p.
Arbor peregrina lanifera 347.p.p.
Arbor Manicongo nucifera, & de aliis quibusdam arboribus Guineæ 385.p.p.
Arbor Pacal 463.p.p.
Arbor aquam stillans Ibid.
Arbor Mytrosydairos Scaligeri 492.p.p.
Arbor finium regundorum 150.p.2.
Arbores ferulæ similes, nigra & candida 165.p.2.
Arbor Lauendulæ folio Ibid.
Arbor vitæ, siue Paradisiaca vulgò dicta 286.p.2
Arbutus 83.p.p.
Arecha arboris fructus Coff. lo 374.p.p.
Aria siue Phellodrys 99.p.2
Aria siue Acilagua Bellonii Ibid.
Aspalathus, ac de eo sententia Veterum 464.p.p.
Aspalathus Rhodius 466.p.p.
Aspalathi adulterium fortè Oleastri radix 471.p.p.
Aspalathus Cretica Alpini, odoris persuauis 472.p.p.
Aspalathus Rhodius rubens odoratissimus 473.p.p.
Aspalathi nomine datum lignum grauiter olens Ibid.
Aspalathus Dioscoridis, Plinii, & Galeni 474.p.p.
Aspalathus secunda trifolia, quæ Acacia secunda Matthiolo trifolia 375.p.2
Aspalathus secunda Monspeliensis 402.p.2

Aspalathus Abrotoni facie incana 403.p.2
Aspalathus Monspeliano affinis scorpius secunda Clusio Ibid.
Aspalatho affinis Tragus, fortè Rhamni species ex Candia Valerandi Doures 404.p.2
Aspalatho secunda Monsp. similis Scorpio, seu Nepa Anguill. flore ex albo pallescente, vel ad purpuram accedente Ibid.
Auacari facie Myrti 518.p.p.
Auellana Byzantina 270.p.p.
Auellane Indicæ maiores Cortusi nigricantes 293.p.p.
Auellana Indica maior subrufa Clusii 494.p.p.
Auellana Indica pro Balsami fructu missa, eiusque species alia minor Ibid.
Auellana Indica Mehembethene Cortusi 307.p.p.
Auellana India Mehembethene valde similis fructus Ibid.
Auellana Indica peculiaris Camerarii Ibid.
Auellana Indica villosa foraminata 308.p.p.
Auellana Meh[illegible]ethene Cortusi species alia, nuda & vestita Vialo Ibid.
Auellanæ compressa facie fructus vel semen 314.p.p.
Auellana purgatrix noui Orbis 322.p.p.
Aurantio simili fructu arbor 106.p.p.
Aurantii forma, coloris Cineracei fructus, strepitum edens 332.p.p.

B

Bacca cuiusdam prægrandis ossiculum 332.p.p.
Balaustia Hispanica 82.p.p.
Balsami Peruuiani fructus Clusii 294.p.p.
Balsami Peruuiani Fructus Metæ forma 295.p.p.
Balsamum ex Peru Ibid.
Balsamum de Tolu 296.p.p.
Balsamum nouum fructu racemoso 297.p.p.
Balsamum verum, Xylobalsamum, Carpobalsamum, Opobalsamum 298.p.p.
Balsamum certarum quarundã plantarum quas Copaibas vocant 306.p.p.
Baobab, siue Abauo Clusii 119.p.p.
Baruce fructus è pluribus nucibus, arboris Hura 333.p.p.
Bdellium 317.p.2.
Belenizan aut Belenzan Auerrois 320.p.2
Beniuinum obuolutum folio, maximum. 153.p.p.
Beni[illegible]ius arbor folio Citri 320.p.2
Ber Indica fructu Intubino 44.p.2
Berberis vulgo quæ & Oxiacantha putata 52.p.2.
Betre, Betelle 437.p.p.
Betula 148.p.2
Bixa Ouiedi 440.p.2
Bon vel, Ban Arbor 422.p.p.
Brindones Indici, fructus rubentes, acidi 89.p.p.
Brisathaer Chinæ 112.p.p.
Bruta Plinii 285.p.2.
Buna, Bunnu, & Bonchos Arabum 421.p.p.

C

Cacao similis fructus 291.p.p.
Cacao Americæ, seu Auellana Mexicana Ibid.
Cachos 118.p.p.
Caious 336.p.p.
Calaf, seu Ban Alpini 220.p.2
Cancamum 324.p.2
Canella Acostæ 436.p.p.
Canell. fructus quibusdam, nobis potiùs folij Indi Ibid.
Canella seu Cinnamomum vulgare 446.p.p.
Canella craßiore cortice 451.p.p.
Canella ad Cinnamomum vulgare accedens Ibid.
Canella alba quorundam 461.p.p.
Canella folio mali Punica 455.p.p.
Canella peruuana fructu pileo simili, & alia ei similis arbor Ibid.
Caphura quæ salicis folio dicitur 358.p.2
Caprificus 124.p.p.
Caphura resina 343.pp.
Carambolas Acostæ 377.p.p
Carandas Indica arbuti facie 88.p.p.
Caranne Garcia nomine data resina 329.p.2
Cardem siue Acacia Dioscor. quibusdam 422.p.2
Carcapuli 105.p.p.
Caries lignorum 145.p.2
Carpasus & Opocarpasum 316.p.2.
Caryophylli Indici 423.p.p.
Cariophyllorum resina 429.p.p.
Cariophyllo Aromatico similis fructus Ibid.
Cassiæ Mosylitica nomine datus Cortex 451.p.p.
Caßia lignea fusca Aromatica, Cinnamomum ex Sarmatia dicta Ibid.
Cassia lignea fusca Aromatici & glutinosi saporis. Ibid.
Cassia lignea fusca aromatica acrior 452.p.p.
Cassia externa parte insipida Ibid.
Cassia an fortè Veterum? Ibid.
Cassia Apum, Coronaria, & Poetica: & etiam de Cneoro 457.p.p.
Cassia lignea Monspeliensium 458.p.p
Cassiæ officinarum adulterina 459.p.p.
Cassiæ adulterinæ vel Pseudocassiæ nomine datus cortex 460.p.p.
Cassia purgatrix 416.p.2
Castanea 121.p.2
Castanea humilis racemosa 127.p.2
Castanella peregrina Ibid.
Castanea equina folio multifido 128.p.2
Castanea Peruuiana 129.p.2
Castaneæ purgatrices Ibid.
Castaneæ species fructus peregrinus Ibid.
Castanea fructu Leucoma. Ibid.
Cedrus, atque de ea Antiquorum sententia 273.p.2
Cedria Veterum 275.p.2
Cedrus magna siue Libani conifera 277.p.2
Cedrus Atlantis Montis 283.p.2
Cedrus Phœnicea siue Oxycedrus 297.p.2.
Cedrus Lycia retusa Bellonio dicta 300.p.2
Ceratium monococcon Indicum 421.p.2
Cerasus in genere 216.p.p.
Cerasus syluestris fructu rubro & nigro 220.p.p.
Cerasa duracena oblonga 221.p.p.
Cerasa acida rubella Ibid.
Cerasa acida nigricantia, solidiora, tardiùs maturescentia Ibid.
Cerasus pumila 222.p.p.
Cerasus flore pleno 223.p.p.
Cerasus vno pediculo plura ferens Ibid.
Cerasus racemosa Ibid.
Cerasus syluestris amara, Mahaleb putata 227.p.p.
Cerasus racemosa quibusdam, aliis Padus 228.p.p.
Cerasi fructu Lotus arbor Ibid.
Cercis Veteribus, & æquiuoca 433.p.2.
Chalcios
Chamæmespilus 72.p.p.
Chamæbuxus, siue chamæpyxos quibusdam 524.p.p.
Chamæcerasus montis generosi 229.p.p.
Chamæficus 128.p.p.
Champe flores Indici 107.p.p.
Chamæriphes ossiculo non dissimilis sed maior, orbicularis penè 314.p.p.
Chamæriphe peregrina 371.p.p.
Chamæriphes fortè Folium 372.p.p
Charamei Acostæ fol. Pyri 88.p.p.
Chiuef Theueti 112.p.p.
Choyne Americana Ibid.
Cinnamomũ & Cassia: atque de iis placita Antiquorum 440.p.p

Cinna-

Digitized by Google

Cinnamomum & canella vulgaris 446.p.p.
Cinnamomi arbor Theueti ibidem
Cinnamomi folium Clusii 455.p.p.
Cinnamomi & Cassia substituta & supposititia, Item adulteria & aquiuoca 456.p.p.
Citra, Indis lignum 106.p.p.
Citrum monstrosum de maximis 96.p.p.
Coca Indorum foliis Myrti 440.p.p.
Coccigria siue Cotinus putata 494.p.p.
Coccus radicum 112.p.2
Cocci Orientales 348.p.p.
Cola fructus ad sitim 210.p.p.
Coles, Cacao formam quodammodo referens externa parte rugosus & niger 425.p.2.
Coles, fructus alius similis, niger, splendens, cum macula subrufa 425.p.2
Colutea & Colytea Veterum 376.p.2
Colutea Vesicaria 380.p.2
Colutea Scorpioides 381.p.2.
Colutea Scorpioides humilis 382.p.2
Colutea Scorpioides quadam siue Polygala Cortusi similis planta, sed maior ibidem
Colutea parua species, Polygala Valentina Clusii 383. p.2
Colutea Caule Genista fungosa ibid
Colutea foliis Anil nominatum 384.p.2
Coral arbor siliquosa 426.p.2
Coralli arbori similis ibid.
Cornus satiua seu domestica 210.p.p
Cornus fœmina, putata Virga sanguinea 214.p.p.
Cornus adulterina seu Pseudocrania Cordo 216.p.p.
Cortex VVinteranus acris, siue Canella alba 460.p.p.
Cortex Antirheumaticus 463.p.p.
Cortex Eriophorus 461.p.p.
Coru Canarica, Arbusto, vel malo aurea similis 89. p.p.
Corylus satiua 266.p.p.
Cotoneaster 73.p.p.
Cunane fructus Arboris Marremot longus vel oualis, ferè niger 333.p.p.
Cunane nuci similis, cinerei coloris 334.p.p.
Cupressus 280.p.2
Curcas auellana magnitudine 492.p.p.
Cyanus arborea 74.p.p.
Cytisus in genere 366.p.2
Cytisus siliqua incurua, folio candicante 367.p.2
Cytisus Clusii Pannonicus alter foliis omnino incanis 369.p.2
Cytisi secunda species altera Pannonica Clusio, hirsuta valde ibid.
Cytisus Hispanicus, primus Clusii, folio virescente ibid.
Cytisus montis Calcaris 370
Cytisus Hispanicus Clusii secundus ibid.
Cytisus Gesneri cuius flores ferè spicati ibid.
Cytisus tertius Hispanicus cum breui pedicule 371.p.2
Cytisus hirsutus 372.p.2.
Cytisus tertia Clusii Pannonica sparsis ramis ibid.
Cytisi tertii Pannonici tertia species Clusio supinis ramis 373.p.2
Cytisus glaber siliqua angusta ibid.
Cytisus glaber siliqua lata ib.
Cytisi genus missum, nomine Ebeni secundi floribus purpureis 374.p.2
Cytisi facie Alysson fruticans quorundam Lob. ibid.

D

Daburi folliculus Americanus ad Daturam accedens, semine rubro 439.p.2
Datura semine fructus 332.p.p.
Diospyros 75.p.p.
Doricnium Monspessulanum fruticosum 387.p.2
Doricnio congener planta 388.p.2

Draco arbor, & de eius lachrima, seu sanguine Draconis, Cinnabari Veterum 402.p.p.
Draconis sanguinis fructus Monardi, Draconis effigiem impressam habens 405.p.p.
Dutiones Acosta 114.p.p.

E.

Ebenus. 394.p.p.
Ebeni versicoloris materia arbor pyrifolia 397.p.p.
Ebulus siue Sambucus herbacea. 549.p.p
Echinopoda Cretensibus. 404.p.2
Echinopus Plutarchi 421.p.2.
Elaomeli 23.p.2
Elaostaphylos 26.p.2
Electrum siue succinum in genere. 330.p.2
Elemi resina. 535.p.p.
Ensenda ficus Indica modo nascens 147.p.p.
Erica in genere. 353.p.2.
Erica baccifera Matthioli. 522.pp.
Erica baccifera Lusitanica 528.p.p.
Erica vulgaris, humilis, semperuirens, flore purpureo & albo 354.p.2.
Erica Myrica folio, tomentosis & incanis foliis Clusio 355.p.2
Erica foliis Coris, flore albo 356.p.2.
Erica, foliis Corios quaternis, flore Purpurascente 356.p.2
Erica foliis Corios quaternis, floribus herbaceis, deinde ex albo purpurascentibus. ibid.
Erica foliis Corios multiflora ibid.
Erica arborescens, floribus luteolis vel herbaceis minimis 357.p.2
Erica arborescens Monspel. flore purpurascente, ramulis ternis ibid.
Erica ramulis ternis floribus saturatioribus purpureis 358.p.2.
Erica ramis & foliis Coris ternis, floribus ex rubro purpurascentibus maioribus. ibid.
Erica foliis corios flore purpureo dilutioris coloris ibid.
Erica Brabantica folio Coris hirsuto quaterno 359.p.2
Erica parua foliis Corios quaternis, flore herbaceo, foliaceis Capitulis ibid.
Erica parua Pannonica foliis Corios ternis, flore carneo, Capitulis Thymi ibid.
Erica Anglicana parua capitulis hirsutis 360.p.2
Erica peregrina Brancionis Lobelii ibid.
Erica foliis Corios affinis planta ibid.
Erinaceus fructus Indicus 115.p.p.
Esculus vel Phegus 74.p.2.
Euonymus Veterum 201.p.2.
Euonymus multis, aliis Tetragonia ibid.
Euonymus latifolia 202.p.2
Euonymus flore Phoenicio 203.p.2.
Ettalcho 302.p.2.

F.

Fagara maior & minor 550.p.p.
Fagus latinorum, Oxya Gracorum 117.p.2
Fagus sepium vulgo Ostrys Theophrasti 146.p.2
Fausel siue Areca palma foliis, eiusque fructus varietates 389.p.p.
Fausel accedens Nux 393.p.p.
Ficus 128.p.p.
Ficui fructus similis 144.p.p.
Ficus Indica 145.p.p.
Ficus Indica Linschottani 151.p.p.
Ficus Nigritarum 111.p.p.
Filum arboreum tenuissimum, & candissimum 384.p.p.
Fraxinus vulgatior 174.p.2
Fraxinus tenuiori & minori folio 177.p.2
Fraxinus rotundiore folio ibid.
Fructus Brasiliensis oualis figura instar Limonis 106.p.p.

Fructus Indicus Pyriformis, granis intus nigris, cucurbitam secundi generis 114.p.p.
Fructus similis nuci Persicæ, nucleo venenato 172. p.p.
Fructus hirsutus Amygdalam referens 183.p.p.
Fructus exoticus hirsutus Amygdali facie 184.p.p.
Fructus Pruni facie, è Guinea, in quo semina 200. p.p.
Fructus sonorus, acidus, pruni parui magnitudine ibid.
Fructus Pentagonus, vel Ossiculum 210.p.p.
Fructus exoticus non valde dissimilis Myrobalani nigri ossiculo ibid.
Fructus Indus admirabilis 266.pp.
Fructus Brasilianorum perniciosus 291.p.p.
Fructus Amygdaloides nitidus peregrinus 292.p.p.
Fructus Peruanus Amygdaloides, sub terra nascens ib.
Fructus exoticus pronâ parte in arcum elatus, supina planus, fuscus 293.p.p.
Fructus biualuis Indicus niger 293.p.p.
Fructus accedēs nuci Cypressi, orbicularis, leuis, spadicei coloris ibid.p.p.
Fructus Iuglandis ferè magnitudine, durissimus, Indis Carairi, sapore nucis Moschatæ 308.p.p.
Fructus peregrinus ouatus similis lapidi Iudaico 309. p.p.
Fructus fuscus, durus, striatus, strepitum edens 309.p.p.
Fructus exoticus ficui similis 310.p.p.
Fructus Pyriformis, rugosus, niger, duro corio tectus 310.p.p.
Fructus Pyriformis leuis, spadicei coloris, fragili cortice tectus ibid.
Fructus peregrinus sulcatus ibid.
Fructus omnino rotundus, luteus, non splendens cum suo frutice 311.p.p.
Fructus peregrinus tanquam torno elaboratus, argenteus 311.p.p.
Fructus peregrinus tanquam torno elaboratus, flauus ibid.
Fructus Indicus tanquam torno elaboratus, viridis 312. p.p.
Fructus peregrinus Clusii durissimus, aliisque similis ibid.
Fructus peregrinus orbicularis, cuspidatus ibid.
Fructus similis Lauri Baccæ ibid.
Fructus rugosus, paruus, grauis, orbiculatâ penè figura, quasi compressa 313.p.p.
Fructus planus, formâ cordis, cum multis tuberculis ib.
Fructus orbicularis, perpolitus, mucrone glandis ibid.
Fructus sublongus, cortice duro, fusca tectus Epidermide 314.p.p.
Fructus Indicus, vel nucleus luteus paruus, Auellana oblonga facie, compressus ibid.
Fructus dysentericus flauus 316.p.p.
Fructus Indicus granulosus, vel tuberosus minor ibid.
Fructus Pyriformis fuscus, leuis, striatus, cum coronula, in quo nucleus 317.p.p.
Fructus triangularis scissuras ostendens ibid.
Fructus Beretinus 323.p.p.
Fructus quodammodo similis glandi iligneæ, cortice fragili ibid.
Fructus Indicus villosus, paruus ibid.
Fructus Indicus oui parui ferè forma 324.p.p.
Fructus exotici ossiculum aliud ib.
Fructus Indicus Corni figura 325.p.p.
Fructus Indici ossiculum perelegans ibid.
Fructus orbicularis, crassi corticis, tuberculosi, nigri coloris ibid.
Fructus multifariam fissus 326.p.p.
Fructus Indicus Iuglandi similis, tuberosus ibid.
Fructus Indicus oualis, rugosus ibid.
Fructus exoticus, oblongus, angulosus, cinereus ibid.
Fructus Indicus echinatus, sonorus ibid.
Fructus exoticus Stramonia modo, tuberculis obsitus 327.p.p.
Fructus peregrinus nouem neruis distinctus ibid.
Fructus peregrinus, orbicularis, nouem neruis distinctus minor cum ossiculo anguloso ibid.
Fructus peregrinus, orbicularis, senis neruis distinctus ibid.
Fructus peregrinus, exiguus, orbicularis cum sex neruis ibid.
Fructus Guyanensis oualis, cineraceus ibidem
Fructus reticulato corio peregrinus 328.p.p.
Fructus exoticus Bamia instar angulosus ibidem
Fructus exoticus cinereus, cum lineis & tuberculis duris ibid.
Fructus Malo Arantio resiccato similis, leuis, aurei coloris, octo neruis distinctus 329.p.p.
Fructus Indicus rotundus, tuberculis asperatus, niger ibid.
Fructus exoticus duobus angulis distinctus ibid.
Fructus Hepaticus Indicus ibidem
Fructus Indicus decussatus 330.p.p.
Fructus alter quatuor sulcis distinctus ibid.
Fructus orbicularis ferè, cum tribus sulcis & tribus foraminibus. ibidem
Fructus orbicularis ferè forma, fusci coloris ibid.
Fructus planus, rugosus, niger, semina continens 331.p.p.
Fructus inferna parte planus, membranâ spadicei coloris tectus ibid.
Fructus ossicula terna, aut quaterna simul iuncta, cortice non valde duro, rugoso, cineraceique coloris 332. p.p.
Fructus oliuæ ossiculum referens, rugosum cum tribus lineis ibid.
Fructus planus subpurpureus, nucleo impensè amaro 334.p.p.
Fructus exoticus inæqualis, fusci coloris ibidem
Fructus totus niger, binis foraminib. insignitus ib.p.p.
Fructus orbicularis, peregrinus, cum granis nucis vomicæ similibus 341.p.p.
Fructus exoticus, latus, compressus, colore suberis 342. p.p.
Fructus quadrangulus, niger, cum membrana miniata 351.p.p.
Fructus peregrini duntaxat nucleus 387.p.p.
Fructus vna parte sessilis, velut sulcis distinctus instar nucis Faufel 392.p.p.
Fructus peregrinus tetragonus 397.p.p.
Fructus peregrinus crassus, in quo magnus nucleus 398.p.p.
Fructus peregrinus Abiegna nuci persimilis ibid.
Fructus peregrini nucleus ibidem
Fructus exoticus Iuglandis ferè facie sulcatus, tuberosus 399.p.p.
Fructus Cannæ de Bengala creditus 400.p.p.
Fructus peregrinus elegans squammosus ibidem
Fructus Insulæ Baly, Pyriforma, asper 401.p.p.
Fructus peregrinus Ierasoy ibidem
Fructus Caryophyllo Aromatico similis 429.p.p.
Fructus redolens Caryophyllus 430.p.p.
Fructus Canellæ quibusdam, nobis potiùs folii Indi 436. p.p.
Fructus peregrinus ex Bengala 426.p.2

G

Galla & aliæ Quercuum excrementa 81.p.2
Galla maxima exotica 81.p.2
Galla tertia prouinciales, Illyrica ibidem
Gallæ Orientales, & aliæ diuersæ 83.p.2
Galla Istriaca ibidem
Galla fungum quodammodo exprimens ib.
Galla Indica 84.p.2

Digitized by Google

Galla vmbilicata, item quercus excrementum villosum, vel potiùs muscosum Ibid.
Galla simile excrementum quinquangulum Brasilianum 85.p.2.
Gale frutex odoratus Septemtrionalium Elaeagnus Cordo, Chamaeleagnus Dod. 114.p.2.
Gallastiuida, spinosa planta folijs Leucoij, floribus albis 411.p.2.
Gallastiuida altera, siue Tithymali genus spinosum Ibid.
Gayaua Indica, fructu mali facie 108.p.p
Gehuph arbor siue Cobban 325.p.p.
Gemma foraminulata folij Quercus 87.p.2
Genipat Americae fructus Tinctorius: & alius edulis 253.p.p.
Genista angulosa trifolia 388.p.2
Genista cum rapo 390.p.2
Genistella Tinctoria Hispanica 392.p.2
Genistella pilosa 393.p.2
Genistella herbacea siue Chamaespartium Ibid.
Genistella herbacea platyphyllos 394.p.2
Genista Iuncea 395.p.2
Genista argentea 399.p.2
Genista radiata seu stellaris Ibid.
Genista aculeata foliosa Ibid.
Genistella montis ventosi spinosa 400.p.2
Genistella Spinosa affinis Nepa quibusdam Ibid.
Genistella minor Aspalathoides 401.p.2
Genista Erinacea 403.p.2
Genista siue Spartum purgans 404.p.2
Glans Ceni, Aegilops, Aspris Theoph. 77.p.2
Glandis Magnus calix 78.p.2
Glans Indica du Choul 129.p.2
Glans Indica 130.p.2
Glans Indica magna subrotunda Ibid.
Goan arbor Tutiae cui nucleus cum putamine 325.pp.
Grossularia spinosa fructu obscurè purpurascente 40.p.2
Guaiacana 235.p.p
Guanabanus Scaligeri 109.p.p.
Guanabanus Ouiedi, fructu Squammato 114.p.p.
Gummi Arabum siue Acacia 431.p.2

H.

Halimon seu Halimus 229.p.2
Halimus Clusii 227.p.2
Halimus Dalechamp. Ibid.
Halimus Valerandi Ibid.
Higuero Ouiedi 111.p.p.
Hippophaes Anguillarae, & Dodon. siue spina purgatrix 410.p.2.
Hippophaestum quorundam Dalechamp. ibid.
Hobus seu Haus Indica Pruni facie 199.p.p.
Hyboucouhu Americanus, itemque Carameno fructus eiusdem 325.p.p.
Hybourahe Americae pruni fructu 200.p.p.

I.

Iaca Indica 115.p.p.
Iambolons Indica folio arbuti 88.p.p.
Iambos Acosta 116.p.p.
Iambos Linschott. 117.p.p.
Iangomas pruni similis 200.p.p.
Ilex arborea 95.p.2.
Ilex coccigera 106.p.2
Ilex foemina 99.p.2
Iouis barba Lucens 385.p.2
Iudaica arbor 433.p.2
Iuuipappeeyna Brasilianorum Nucum folijs siue Genipat 253.p.p.
Iuuipappeeyua similis penè fructus orbicularis in quo semina staphisagriae similia 254.p.p.
Iuuipappeeyua alius similis fructus Ibid.

Iuniperus in genere 292.p.2
Iuniperus vulgaris baccis paruis purpureis 293.p.2
Iuniperus maior, baccâ nigrâ & rubrâ 297.p.2
Iuniperus maxima Illyrica 300.p.2
Iuniperus Alpina 301.p.2

L

Laburnum arbor trifolia anagyridi similis 361.p.2
Lagenula America 113.p.p.
Lacca 44.p.2
Lapides Quercuum 83.p.2
Larix folio deciduo, conifera 265.p.2
Laricis resina 272.p.2
Laricis muscus 273.p.2
Laurus 409.p.p.
Laurus Tinus seu Syluestris trium generum. 410.p.p.
Laurus Tinus altera 418.p.p.
Laurocerasus 420.p.p.
Laurocerasi folio Arbor 421.p.p.
Lentiscus 285.p.p.
Lentiscina resina Mastiche 288.p.p.
Leucoma fructu Castaneae 129.p.2
Lignum Copau simile Iuglandis ligno 254.p.p.
Lignum Molucense Pauana dictum fructu auellanae 342.pp.
Lignum exhibitum Cinnamomi nomine, nobis lignum folij Indi officinarum 435.p.p.
Lignum Aromaticum, seu potiùs cortex Monard. 460.p.p.
Lignum Rhodium 466.p.p.
Lignum Rosae odore, alijs Lignum, Thuris, alijs Aspalathus 472.p.p.
Lignum Aspalathi nomine datum grauiter olens, 473.pp.
Lignum Aloes officinarum & Agallochum plerisque putatum 477.p.p
Ligni Aloes & Agallochi substituta, adulteria, & aequiuocationes 481.p.p.
Lignum Anisi 485.p.p.
Lignum Brasilium 490.p.p
Lignum Vernimbock Germanis dictum, simile Bresilio 492.p.p.
Lignum Bresilio simile caeruleo tingens ibid.
Lignum violaceum Bresilianum ibid.
Lignum Nephriticum caeruleo & flauo tingens ibid.
Lignum Croceo tingens 493.p.p.
Lignum candidum fungosum cotis vicem prabens. 493.p.p.
Lignum Brasilianum candidissimum 494.p.p.
Lignum leuissimum ibid.
Lignum exoticum anonymum 502.p.2.
Ligustrum 528.p.p.
Ligustrum Aegyptium: Cyprus Graecorum, Elahne Arabum 532.p.p.
Lobus quadrangularis magnus, grana lenticulae nigra. ibid.
Lobus ex VVingandecaoua ibid.
Icon Clusii. 437.p.2.
Lobus Brasilianus crassus humidus. Citri seminis ibid.
Lobus magnus ex Guinea foetidus cum granis arboris Iuda 439.p.2
Lobus Brasilianus ingens siliqua Acaciae forma ibid.
Lobus longus, aromaticus odore ferè Belzuini ibid.
Lobo fortè inclusus flauescens fructus 439.p.2.
Lobus ἰξώδης cum Piso duro cineres coloris ibid.
Lotus arbor fructu cerasi 229.p.p
Lycium veterum 57.p.2
Lycium Gallicum 57.p.2
Lycium Cretense siue Berberis Cretica 60.p.2
Lycii quorundam, folio Myrti Tarentini aut Buxi 61.p.2
Lycium Garcia, siue Cate ibid.
Lycium Indicum Alpino pictatum 92.p.2

Zizyum fortè Agiahalid Aegyptium folio Buxi 62.p.2

M

Macocquer Virginensium 254.p.p.
Macer Dioscor. & Græcorum 262.p.p.
Malabathrum & folium Indum Officinarum 430.p.p.
Malus. de Malis 26..p.p.
Mali sylvestres Ibid.
Mali Syriæ & Gomorrha 27.p.p.
Malus Cotonea Ibid.
Malus Cotonea sylvestris 35.p.p.
Malus Punica 76.p.p.
Punica Balaustifera 82.p.p.
Balaustia Hispanica Ibid.
Mala Medica quæ etiam Persica vel Citria dicuntur, veterum & recentiorum sententia, & differentia in genere 90.p.p.
Malus Citria, cum fructu magno, & mediocri 94.p.p.
Malus Limonia 96.p.p.
Malus Arantia 97.p.p.
Malus aurea foliis prægrandibus 153.p.p.
Malus persica 157.p.p.
Malus persica Hispanica Melocotonea quorundam 162.p.p.
Mala Armeniaca minora 167.p.p.
Mala Armeniaca maiora Ibid.
Mamay arbor 172.p.p.
Mangas sive Amba 173.p.p.
Mangle Pyri folio cum filiquis longis ficui Indicæ affini, 415.p.2.
Mangostans 107.p.p
Man sive Manna sacrarum litterarum 188.p.2.
Manna Laricea sive Brianſona 191.p.2.
Manna Calabrina Fraxini & Orni. 192.p.p.
Manna Orientalis Masticbina 198.p.2.
Manna Xirquest Indica ex arbore Quest, & Siracost 199.p.2.
Manna Indica Tiriniabin, aut Trungibim Ibid.
Manna Indica Calabrinæ persimilis 100.p.2.
Manna Indica melli Candido similis Ibid.
Manna adulterina Ibid.
Mannarum æquiuoca Ibid.
Manobi Lerii 292.p.p.
Mel aereum, Manna, Tereniabin, & Saccharum Albuzar in genere 180.p.2.
Mel Cedrinum 190.p.2
Melo corcopali arbor Cydonii facie 106.p.p.
Mespilus, de Mespilo, Epimelide, Vnedone, Amamelide, Homomelide, Oromalide & Hypomelide, & de Mespilo aronia in specie 66.p.p.
Mespilus Aronia Veterum 67.p.p.
Mespilus vulgaris. 69.p.p.
Mespilus Offiículo leui coloris spadicei, Lata Guinea 72.p.p.
Mespilo valde similis fructus sine granis Ibid.
Mespilo valde similis fructus Americanus Ibid.
Mespilus Chamæmespilus 72.p.p.
Mogori flores, odoris florum mali auree 107.p.p.
Molle 534.p.p.
Mollis arboris resina similes, fœniculi odore 535.p.p.
Morus, Morus nigra 118.p.p.
Moringa Lentisci folio, fructu magno angulofo in quo femina Erui 435.p.2
Muniacus Arbor 169.p.p.
Musa 148.p.p.
Musa arbor Ibid.
Musa cum fructu Ibid.
Myrrha in Genere 308.p.2
Myrrha 311.p.2
Myrrha Bœotica 314.p.2.
Myrrha Arbor Bellonio Ibid.
Myrica in genere 345.p.2
Myrobalani Arabum in genere 201.p.p.
Myrobalani Indæ, nigræ, sine nucleis, Citrinæ, Chebulæ, Citrinis similes, nigricantes, Emblica, in segmentis Nucleum habentes, angulosa, Bellerica, rotundiores Ibid.
Myrobalani Indæ nigræ sine nucleis. 204.p.p.
Myrobalani Citrinæ 205.p.p.
Myrobalani Chebulæ Citrinis similes nigricantes Ibid.
Myrobalani Emblica 206.p.p.
Myrobalani Bellerica rotundiores Ibid.
Myrobalani species Rauwolfio 209.p.p.
Myrobalani facie fructus Indicus Ibid.
Myrobalani vrentes 210.p.p.
Myrobalano Citrino aliquamodo similis fructus cauus Ibid.
Myrobalani nigri ofsiculo non valde dissimilis fructus exoticus 210.p.p.
Myrobalani ofsiculo similis angulosus Ibid.
Myrtus, de Myrtis in Genere 507.p.p.
Myrtus vulgaris nigra & alba, satiua & sylvestris 510.p.p.
Myrtus Bœtica Latifolia Domestica. 511.p.p.
Myrtus exotica angustifolia Ibid.
Myrtus Latifolia Belgica, fortè Romana 512.p.p.
Myrtus Tarentina Ibid.
Myrtus angustifolia Minor 513.p.p.
Pseudomyrtus Bellonii 518.p.p.
Myrtidanum 514.p.p.
Myrti facie Auacari 518.p.p.
Myrtillus grandis, quibusdam Vitis Idæa magna 518.p.p.
Myxa seu Sebesten 197.p.p.
Myxa Domestica 198.p.p.
Myxa sylvestris Ibid.

N

Nabca folio Rhamni vel Iuiuba 39.p.2
Nautea 304.p.2
Nicaragua pomum nuce rotundâ 210.p.p.
Nimbo folio & fructu oleæ 27.p.p.
Nux Iuglans 242.p.p.
Nux Carya seu Euboica Theophrasti 251.p.p.
Nux Indica non biforis Iuglandi similis 253.p.p..
Nux Coulcoul 255.p.p.
Nux Aromatica vulgò Moschata Ibid.
Macis Arabum, aut cortex Aromaticus 260.p.p.
Nux Aromatica fœmina 264.p.p.
Nux Aromatica 265.p.p.
Nucula exotica pistacii specie 290.p.p.
Nucula peregrina alia Ibid.
Nux sive Offiículum Cypote, simile Nuci Balsami Peruuiani 294.p.p.
Nux sive Ofsiculum, fructus ex Palmarum genere 308.p.p.
Nux Indica pulchra, cui vnguis albus. 309.p.p.
Nucula Indica Lobel. & Pena 310.p.p.
Nucula Indica peculiaris Ibid.
Nucula Indica ab Hercul. Saxonia missa Ibid.
Nux purgatrix similis spherula saponaria, fusca 313.p.p.
Nuces insana Belgis prunula insana, putamine fusco, ofsiculo membranacco nigro, cum macula alba 315.p.p.
Nucula ex Guinea 316.pp.
Nucula Indica alia ibid.
Nucula Indica globosa, fenora 317.p.p.
Nucula pyriformis Indica & fenora ibid.

Nucula

Nux unguentaria Arbor ibid.
Nucula siue glans unguentaria ibid.
Nuclei penei Malucani siue purgatorij 322.p.p.
Nux pomica nuci non valde dissimilis, spadicei coloris 323.p.p.
Nucula Indica cortice tenero, fortè Beretini fructus ibid.
Nucula Indica altera compressa, cortice duro, coloris castanea, fusiora ibid.
Nucula Indica tertia splendidior ibid.
Nucula sublonga vel os fructus alicuius Indici 324.p.p.
Nucula triangularis Indica, castanella ferè facie ibid.
Nucula Indica ouata ferè ibid.
Nucula qua[illegible] Africana ibid.
Nucleus ex Guyana spadicei coloris membrana tectus 327.p.p.
Nux trifida exotica, 328.p.p.
Nux orbicularis, Ciner acei coloris 330.p.p.
Nux orbicularis peregrina, glabra, spadicea 331.p.p.
Nucis Amygdalina penè forma fructus rugosus, subrufi ex fusio coloris, una parte planus ibid.
Nucleus nucis quodammodo conuolutus 332.p.p.
Nucula quadam falsò Higuero & Abouai putata 338.p.p.
Nux peregrina, oculata, compressa ibid.
Nux Methil Serapionis 339.p.p.
Nux Henden Arabum ibid.
Nux vomica vulgò offic.compressa, hirsuta ibid.
Nucula Tapbet.Hercul. Saxonia 34[illegible].p.p.
Nux cordis figura, plana, cineracei coloris ibid.
Nux Indica 376.p.p.
Nucis Indica folium quibusdam 383.p.p.
Nux Indica minor. 384.p.p.
Nux Indica ad venena celebrata: siue Cocus de maldiua ibid.
Nux Indica velut laruam ostendens, & alia ei similis si non eadem 387.p.p.
Nux peregrina nigra, angulosa, cum tribus cauitatibus veluti nucleis ibid.
Nuci Moschata & Faufel similis nucleus 392.p.p.
Nucleus pyramidalis Indicus, ad Faufel accedens vemis 393.p.p.
Nux Indica oblonga, intrinsecus similis nuci Moschata 399.p.p.
Nux Indica oblonga cortice contecta 400.pp.
Nux Indica tessellata perelegans ibid.
Nux minima conifera 273.p.p.

O

Ogeghe Indica 100.p.p.
De Olea satiua 1.p.2.
De Olea specialiùs, eiusque differentijs & vsu 17.p.2.
Oleum Sicyonium 19.p.2.
Oleum ex olea furculis 20.p.2.
Amurca ibid.
Olea viscum 21.p.2.
Oleaster siue olea syluestris ibid.
Elaeomeli 23.p.2.
Olea Aethiopica eiusque lachrima 25.2.p.
Olea Καλλιστέφανος Aristotelis ibid.
Olea Indica 26.p.2.
Elaeagnus phylos ibid.
Olea, oleastri, & olinella equinota, & succedanea ibid.
Oleum proferens spina, & alia spina ibid.
Onogyres 363.p.2.
Opuntia vulgo Herbariorum 154.p.p.
Opuntia vulgò dicta cognata ferruminatrix 156.p.p.
Opobalsamum solidum 306.p.p.
Oregioella 351.p.p.
Oraceria fructus siliquosus 435.p.2.
Ossiculum fructus Indici Tuberc. 314.p.p.
Ossiculum sulcatum fructus peregrini 324.p.p.
Ossiculum Tamarindis admistum ibid.
Ossiculum fructus orbiculare, aliquantulùm Mucronatum 333.p.p.
Ouiedi Bixa 440.p.2.
Oxyacantha, pixacantha, & pyracantha 48.p.2.
Oxyacantha vulgaris seu Spinus albus 49.p.2.
Oxyacantha colore fructus peregrinus durus 425.p.2.
Oxycoccus siue vaccinia palustria 525.p.p.

P.

Pacal arbor 463.pp.
Pacucera Americana, musa (vt videtur) species 152.p.p.
Paliurus folio iniubino, siue Rhamnus 35.p.2.
Paliurus Africana 37.p.2.
Palma 351.p.p.
Palma vinifera Theueti 369.p.p.
Palma Guinea ibid.
Palma humilis seu Chamariphes ibid.
Palma humilis Hispanica non spinosa ibid.
Palma humilis spinosa 370.p.p.
Palma humilis Papyracea, & de papyro ex Palma 372.p.p.
Palma Indica genus Lantor dictum 373.pp.
Palma Indica nucifera 375.p.p.
Palma Elephantis Acosta 376.p.p.
Palma faccifera 385.p.p.
Palma Ady insula S.Thoma, & fructus Abanga, & caryoces 386.p.p.
Palma facie cuciofera 388.p.p.
Palma facie Hairi 393.p.p.
Palma Tri 394.p.p.
Palma Pinus siue conifera 398.p.p.
Palmites 153.p.p.
Palmitis similes arbores altissima ibid.
Papaie Peruianus 147.p.p.
Papyrus veterum Paludano 374.p.p.
Papyracea arbor Tal ibid.
Papyracea arbor Guaiabara ibid.
Papyracea arbor Copeia ibid.
Papyracea arbor amplissimo & tenuissimo folio 375.p.p.
Papyrus arborea tenuissima ex Laua ibid.
Papyracea arbor, cuius liber subpunicei coloris. ibid.
Penoabsu arbor Americana. 255.p.p.
Petita Peruanus aliusque similis fructus 292.p.p.
Peuce veterum 245.2.p.
Phegus vel Esculus 74.2.p.
Phellodrys Matthioli 100.2.p.
Phellodrys nigra & alia Dalechamp. ibid.
Phellodrys foliis muricatis, calice glandis Echinato Dalechamp. 102.p.2.
Phillyrea & Mahaleb. 536.p.p.
Phillyrea angustifolia eiusque varietas 538.p.p.
Phillyrea latiusculo folio 539.p.p.
Phillyrea arbor Lobelio 540.p.p.
Phillyrea folio Alaterni 541.p.p.
Phillyrea folio Ilicis ibid.
Picea Latinorum 238.p.2.
Picea pumila 241.p.2.
Pimpinichi arbor lactescens 145.p.p.
Pini equinoca 246.p.2.
Pinus ossiculis duris foliis longis 248.p.2.
Pinus cui ossicula fragili putamine, siue Cembro 251.p.2.
Pinus syluestris siue Pinaster 252.p.2.
Pinus syluestris vulgaris Genevensis & Tada 253.p.2.
Pinaster seu pinus syluestris Hispan. maior 255.p.2.
Pinaster Austriacus albus & niger ibid.
Pinaster Austriacus tenui-folius ibid.
Pinus syluestris, siue vt Bellonius, Picea syluestris Ida Troadis cuius coni facilè decidunt. ibid.

Pini sylvestres, vel ut Bellonius vocat, Piceæ sylvestres, ut Picea plantiei Corcyrensis, Dictæi montis, Gallogracia & Olympi 256.p.2.
Pinus sylvestris Mugho sive Crein ibid.
Pinus sylvestris maritima Conis firmiter ramis adhærentibus 257.p.2.
Pinus maritima Theophrasti Lobelio 258.p.2.
Pinus maritima altera Matthioli ibid.
Pinaster tertius Hispanicus pumilis ibidem
Pini resina ibidem
Pinus Indica ex qua Bre 263.p.2.
Pinea Inda Hispanis 264.p.2.
Pineæ Nucis species Melenken ibidem
Pinei Coni facie fructus exotici ibidem
Pini forma Cibage 265.p.2
Pineæ nuci similis Indicus fructus. 389.part.p.
Pitys Veteribus 247.p.2
Pix in Genere. 261.p.2
Platanus 170.p.2
Planta globulorum saponariorum 313.p.p.
Poma Adami 99.p.p.
Pomum Nicaragua nuce rotunda 210.p.p.
Polygonum marinum angustifolium Dalechamp. 460.p.p.
Populus Nigra ΑΙΓΕΙΡΟΣ 155.p.2
Populus Alba ΛΕΥΚΗ 160.p.2
Populus Alba folio minore ibid.
Populus Libyca, κερκὶς Theophrasti 163.p.2
Populus novi Orbis 164.p.2
Poterium Antiquis 409.p.2
Poterium quibusdam sive Pimpinella spinosa ibid.
Prunus sativa 184.p.p.
Prunus Myrobalanus dicta 189.p.p.
Prunus Amygdalina 190.p.p.
Prunus sylvestris 193.p.p.
Pseudomyrtus Bellonii 518.p.p
Pyracantha quibusdam 51.p.2
Pyrus 35.p.p.
Pyraster, seu Pyrus sylvestris 57.p.p.
Pyrus Polvvylleriana 59.p.p.
Pyrum lanugine falsa Theophr. 59.p.p.
Pyri facie Agnacat 107.p.p.

Q.

Quercus: de Quercu & Robore in Genere 63.p.p.
Quercus vulgaris brevibus ac longis pediculis 70.p.p.
Quercus latifolia exotica Clusii, vel rara 74.p.2
Quercus Burgundica, calyce hispido 78.p.2
Quercuum excrementa, ac primùm de Galla 81.p.p.
Quercuum lapides 83.p.2
Quercuum Coccus 86.p.2
Quercuum excrementum fungosum ibid.
Quercuum excrementum lanatum ibid.
Quercuum capitula squammata ibid.
Quercus album excrementum facie nucula ibid.
Quercuum squamma candida caduca ibid.
Quercus excrementum tuberosum 87.p.2
Quercuum nodi seu verrucæ ibidem
Quercus albumen ibidem
Quercus Agaricus vel fungus ibid.
Quercina uva ibidem
Quercus excrementum purgans 88.p.2
Quercuum & aliarum arborum muscus ib.
Quercus liquor melleus 89.p.2
Quercus & cæterarum arborum viscus ibid.

R.

Resina Americana sive Carthaginensis novi Orbis 323.p.2.
Resina liquidambar, arboris Ococol dictæ, foliis Hederæ, odore Styracis liquidæ ibid.
Resina abiegna Indica liquida 324.p.2
Resina facie ambræ 330.p.2
Resina Caryophyllorum 429.p.p.
Resina Elemi 335.p.2
Rhamnus 29.p.2
Rhamnus cortice albo Monspeliensium 31.p.2
Rhamni primi species altera Clusii 32.p.2
Rhamnus vel Oleaster Germanicus 33.p.2
Rhamnus tertius Clusii 35.p.2
Rhamnus sive Paliurus, folio iuiubino ibid.
Rhamni folio Nabca 39.p.2
Rhamnus Catharticus 55.p.2
Rhamnus solitiuus pumilus Pannon. I. Clus. 56.p.2
Rhamnus solutiuus Pannon. secundus 57.p.2
Rhamnus Bauaricus Dalechamp. ibid.
Robur. I. Clusii. 75.p.2
Robur II. Clus. ibid.
Robur III. Clus. 76.p.2
Robur IV. Clus. ibid.
Robur V. Clusii ibid.
Robur VI. Clusii ibid.
Robur VII. Clusij. ibid.

S.

Sabina baccifera & sterilis 288.p.2
Safsaf Syrorum salicis species & Elæagnus 219.p.2
Salices 209.p.2
Salix maxima, fragilis, Alba, hirsuta 212.p.2
Salix pumila, angustifolia, infernè lanuginosa ibid.
Salix angustis & longissimis foliis, crispis, subtus albicantibus ibid.
Salix tenuior folio minore, utrinque glabro, fragilis 213.p.2
Salicis racemi seu nucamenta, rosa, & capitula squammata ibid.
Salix pumila angustifolia, prona parte cinerea ibid.
Salix humilis repens angustifolia Lob. 214.p.2
Salix lutea tenuior, sativa, viminea ibid.
Salix spontanea, fragilis, Amygdalino folio, auriculata, & non auriculata ibid.
Salix rubra minimè fragilis, folio longo, angusto 215.p.2
Salix latifolia inferne hirsuta ibid.
Salix latifolia non hirsuta, cum Gallis 216.p.2
Salix pumila latifolia prior & secunda Clusii ibid.
Salix pumila folio utrinque glabro 217.p.2
Salix pumila folio rotundo ibid.
de Salicibus in genere ibid.
Salicis genus dictum Garb Maurorum 221.p.2
Samaca 111.p.p.
Sambaucaie 385.p.p.
Sambucus vulgaris 544.p.p.
Sambuci fungus 549.p.p.
Sambucus laciniata ibid.
Sambucus herbacea, sive Ebulus ibid.
Sambucus racemosa, acinis rubris 551.p.p.
Sambucus aquatica 552.p.p.
Sambucus rosea 553.p.p.
Sandaracha sive vernici quibusdam dicta ac Masticha accedens resina 329.p.2.
Santalum 486.p.p.
Santalum citrinum ibid.
Santalum album ibid.
Santalum album 489.p.p.
Santalo albo simile lignum Sembrane ibid.
Santalus Adulterina Cretica sive Abelicea 490.p.p.
Saponaria Sphærula arboris Filici-folia 312.p.p.
Sarcocolla officinarum 308.p.2.
Sassafras sive lignum Pauanum 483.p.p.
Scorpius spinosus Veteribus 399.p.2

Scitarags

Sebesten seu Mixa. 197.p.p.
Settaragi Arabum, eiusque substituta & equiuoca 462.p.p.
Sel Serapionis, & Auicennæ 291.p.p.
Selago 292.p.2
Semen, Tamarindi femini simile, vna extremitate dentatum 315.p.p.
Semen fructus exotici fortè cucurbitacei 315.p.p.
Sena 377.p.2
Sesban foliis Hedysari 386.p.2.
Siler veteribus 209 p.2
Siliqua arbor siue Ceratia 413.p.2
Siliqua parua Indica, semine oblongo, nigro, 435.p.2
Siliqua semine Colutea 438.p.2
Siliqua Thymiatis odore ibid.
Siracost & Manna xirquest Indica ex Arbore Quest 199.p.2.
Siri Gata Gamber Indis, pastilli ex Faufel 393.p.p.
Smilax glandifera veterum 101.p.2
Smilax Dalechampij ibid.
Sophera Alpini 384.p.2
Sorbus 59.p.p.
Sorbus aucuparia 62.p.p.
de Sorbo Torminali, & Cratægo Theophrasti 63.p.p.
Sorbus Alpina 65.p.p.
Spartium Hispanicum, lobis rotundiusculis, flore luteo 397.p.2
Spartium Hispanicum flore candido 398.p.2
Spina Burgi & Alaternus 542.p.p
Spina Burgi Monspeliensium ibid.
Spina oleum proferens, & alia spina 26.p.2
Spodium Arabum & Tabaxir 221.p.2.
De Stacte in genere 315.p.2
Staphilodendron 274.p.p.
Styrax arbor & lachryma 342.p.2
Styrax calamitha officinarũ, impurior & purior 345.p.2
Styrax liquidus ruber officinarum Ibid.
Suber latifolium 103.p.2
Succinum siue Electrum in genere 330.p.2
Succus, seu Gummi, aut potiùs resinas Cinnabaris colore inficiens 405.p.p.
Succus rubro colore inficiens: an Ouiedi Bixa? Ibid.
Succus mastichina resina non valde absimilis 330.p.2
Succus Iraituch & Aiaune, aloes similis, inuolutus Musæ foliis, grauis odoris, ad picandum 346.p.2
Succus vel resina Asphalto similis anethi ferè odore ibid.
Succus alter, acris, substantia solidiore, ibid.
Succus tertius ater: albus micis ibid.
Succus visci instar 347.p.2
Sycomorus, Ficus Cypria 124.p.p.
Eius Species ibid.
Sycomoro similis Arbor 128.p.p.
Syringa flore albo 203.p.2
Syringa alba similis capitulo, octo striis notata 204.p.2
Syringa flore Cœruleo, siue Lilac ibid.

T.

Tabaxir siue Mambu arbor, Tabbaxir folio oleæ 222.p.2
Tacori folia, Draconis Arbori similia 405.p.p.
Tacamahaca populo similis fructu, colore similis Pæonia 346.p.2
Tamarix maior siue arborea Narbonensis 350.p.2.
Tamarix Germanica siue minor fruticosa 351.p2.
Tamariscus Ægyptia Gallifera 352.p.2.
Tamarindi. 422.p.2
Tamarindi feminis facie fructus Indicus 424.p.2.
Tamoxo subfrutex Clusio 360.p.2.
Tanzarghent radix odorata 481.p.p.
Taxus 241.p.2
Taxocoquamoclit Indicum 385.p.2
Terebinthus Indica maior fructu rotundo 278.p.p.
Terebinthus Indica fructu paruo, ad circulum accedente 279.p.p.
Terebinthus ibid.
Terebynthina resina, & de eius viribus. 282.p.p.
Thus 302.p.2
Thuris limpidi folium 307.p.2
Thuya & Cedrus Atlantis montis 283.p.2
Thymiama siue Styrax rubra officinarum, & Nascaphtũ 481.p.p.
Tianche flosculi Indici 107.p.p.
Tilia vulgaris Platyphyllos 133.p.2
Tilia folio minore 137.p.2
Tilia maximo folio ibid.
Tinctorius flos 391.p.2
Tacorgebid populo similis, cuius resina huris candidior 229.p.2
Tragus veteribus 409.p.2
Tragus siue vua Marina 406.p.2
Tragus siue vua Marina minor ibid.
Tragacantha Veteribus 407.p.2
Tragacantha Massiliensis ibid.
Tragacantha Gummi 408.p.2
Tragacantha altera, Poterium fortè Clusio ibid
Tragacantha Rauwolfii 409.p.2
Trifolium fruticans, quibusdam Polemonium 374.p.2
Trifolium frutex Genistæ folio 375.p.2

V

Vaccinia palustris, siue oxycoccus 227.p.p.
VVaricceramori, rugosa glandi similis fructus 333.p.p.
Vernix siue Sandaracha Arabum 299.p.2
Vbebebasou Theueti 112.p.p.
Violarum arbor Indica 107.p.p.
Viscum Indicum 95.p.2
Viscum Indicum aliud ibid.
Viscum oxycedri 299.p.2
Vitis Idæa magna quibusdam, siue Myrtillus grandis 518.p.p.
Vitis Idæa fructu nigro 519.p.p.
Vitis Idæa angulosa 520.p.p.
Vitis Idæa semper virens fructu rubro 522.p.p.
Vitis Idææ affinis poly-folia montana 227.p.p.
Vlmus 139.p.2
Vlmi excremento accedens fructus peregrinus 145.p.2
Vsub arbor gummi ferens 346.p.2
Vsuc & Cip succus ater inuolutus Musæ folijs, anethi ferè odoris ibid.
Vua Crispa siue Grossularia 47.p.2
Vua vrsi, & radix Idæa putata 523.p.p.

X.

Xylon siue Gossipium herbaceum 343.p.p.
Xylon arboreum 346.p.p.
Xylon Brasilianum 347.p.p.

Z.

Zaccon Hierichuntea, folijs oleæ 29.p.2
Zarnabo & Arnabo 220.p.2
Ziziphus Cappadocica, quibusdam olea Bohemica 27.p.2
Zizipha satiua & syluestris 40.p.2

Soli Deo Gloria in Æternum. Amen.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google